GREG. DE VALENTIA

Commentarii Theolo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



GREGORII DE VALENTIA, E SOCIETATE IESV,

SACRÆ THEOLOGIÆ IN ACADEMIA Ingolstadiensi Professoris

COMMENTARIORVM THEOLOGICORVM

Tomus Quartus

COMPLECTENS MATERIAS TERTIAE PARTIS, AC SVPPLEMENTI, D. THOMAE Comprado a Valkenburg sep. 1956

CVM VARIIS INDICIBVS.

AD SERENISSIMVM VTRIVSQVE BAVARIAE Ducem GVILHELMVM V.

Cum Priuilegio SVMMI PONTIFICIS, & sacræ CAESAREAE MAIESTATIS.

ANN

Excudebat

IN

BIBLIOTHECA COLLEGII EXAPTEN

06829

Bibliotheca Facult. Philosophiae Prov. Cast. Orient. S. I.

Universidad de Deusto
Biblioteca



SERENISSI
PRINCIPI, AC DOMI
DOMINO GVILHELMO, COM
PALATINO RHENI, ET VTRIVSQVE
BAVARIAE DVCI, &c.

GREGORIVS DE VALENTIA SOCIETATIS IESV, gratiam & felicitatem à DEO precatur.

TANDEM OFFERO, SERENISSIME PRINCEPS, postremam partem eius operis, quod in quatuor volumina distributum, ante annos sex, fretus & diuina ope, & obedientiæ virtute, & auspicio V.ræ Ser.tis cœpi in lucem emittere. In quo conficiendo verisimũ esse expertus sum, quod affirmat sanctus AVGVSTINVS, & ipse expertus tot præclaris à se incœptis & absolutis operibus: *Solicitudinis*, inquit, *plena sunt cœpta, donec perducantur ad finem; quem qui aliquid incipit, maximè appetit, intendit, exspectat, exoptat; nec de re inchoata nisi terminetur exultat.* Quanquam vereor, ne non satis aptè hoc vltimum *exultandi* verbum in me conueniat; hoc est, ne magn[illegible] h[illegible]a- lioqui & laborioſum opus non sic à me perfectum s[illegible]- admodum postquã illud inchoaui, vt termin[illegible] riam, maximè appetij, intendi, expectaui, non parcens omnem operam dedi: ita nunc toque, iure mihi exultare liceat. Sed vtcunc operis se habeat, studium certè meum [illegible]

Lib. 7. de ciuit. Dei, cap. 7.

& hoc ipsum quòd finem imposui huic
o esse Dei beneficiũ, pro quo illi gratias
ræ verò Ser.ti (si modò liceat id mihi per
casionem absoluti mei operis) causam ve-
s gratulor, quòd ferè sub hoc idem tempus
ltum magnificentissimis operibus, velut al-
leuerit quæ disposuerat in corde suo, vt faceret in do-
domo sua; Intelligo augustissimum illud tem-
m Iesu Monachij à Ser.te V.ra pari pietate & muni-
icent à cum collegio exædificatum; itemque vicinam ei
domu V.ræ Ser.tis amplissimam, & tanto principe dignam.
Neque tamen magis finem horum operum Ser.ti V.ræ gratulor,
quàm quòd finem nullum vnquam facit aliorum operum præ-
clarissimorũ, quibus V.ra Ser.tas spiritualem domum Domini,
quæ est Ecclesia, cum summa consolatione piorum exornare
non cessat; vt neque etiam desistit exercitatione virtutum om-
nium ad Christianæ vitæ perfectionem informare suum ani-
mum, quem vt item velut spiritualem domum Deus inhabitet,
singularis pietas V.ræ Ser.tis facit. Pro quibus meritis dabit
Deus vicissim Ser.ti V.ræ suo tempore habitationem
non manu factam, & æternam in cœlis.
Ingolstadij 3. Martij, Anno
Domini 1597.

AVCTOR

AVCTOR LECTOR.

QVOD IN PRIORIBVS TO
studui, vt adhibita conuenienti m
complecterer, & vnamquamque n
res postularet, exponerem aptè &
superfluis; similiter in hoc vltimo T
est, præsertim in iis quæstionibus de
ad praxim pertinent. Atque etiam operam dedi, vt omn
ad eius fieri posset, excuderentur; id quod in libris meis a
stadij impressis neglectum esse, non sine dolore animaduert
rea est aliud (post ea quæ in prioribus Tomis præfatus sum) de quo nunc
moneam, nisi quod in variis editionibus aliquorum Scriptorum quorum
auctoritate interdum sum vsus, ac nominatim Nauarri & Couarruuiæ,
variant nonnihil distinctiones & numeri. Sed vsus ipse sum editione Na-
uarri Antuerpiana, anni M. D. LXXV. & Couarruuiæ partim
Lugdunensi, anni M. D. LXVIII. partim Francfordiana (in mate-
ria de Ecclesiasticis Censuris) anni M. D. XCII. Vtinam vero
sit aliquid in his Lucubrationibus meis, quo ad obsequium
Dei, & ad eius amplificandam gloriam,
Lector vti possit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

MA SVMMI
TIFICIS.
GORIVS PP. XIV.

rei memoriam. Cùm, ſicut accepimus, dilectus filius GREGORIVS de VA-
oyter, Societatis IESV, Commentaria in Summam Theologię S. Thomæ de Aquino ſummis ſtu-
ompilauerit, eaque ad communem ſtudioſorum vtilitatem in lucem edere intendat; vereatur ta-
uam prodierint, ſi à quocunque indiſtinctè imprimantur, mendis & erroribus paulatim (quod ex
curia facilè euenire poſſet) reſpergantur; nobis humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis oppor-
poſtolica dignaremur. Nos igitur eidem GREGORIO ſpecialem gratiam facere volentes, hu-
nati, illi, vt ad decennium à primæua commẽtariorum huiuſmodi impreſſione computandum,
ORII, vel ab eo cauſſam habentium, licentia commentaria prædicta, dummodo tamen, à dilectis filiis
cognita, & approbata fuerint, tam in vrbe, & reliquo ſtatu Eccleſiaſtico nobis mediatè vel immediatè
niuerſis Chriſtiani orbis partibus imprimere, ſeu ab aliis, quàm ab iis, quibus ipſe GREGORIVS li-
preſſa vendere, aut venalia habere poſſit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & in-
ropterea vniuerſis vtriuſque ſexus CHRISTI fidelibus, præſertim Bibliopolis, & librorum impreſſori-
onſtitutis, ne ſubditi noſtri videlicet ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, piis vſibus applican-
n ſubditi, ſub indignationis noſtræ & maioris excommunicationis pœnis, commentaria prædicta, vel eo-
ſine prædicti GREGORII licentia imprimere, vel impreſſa vendere, aut venalia proponere audeant, aut
mtibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque & conſuetudinibus etiam iura-
rmitate roboratis, ac priuilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis,
, cæteriſq; contrariis quibuſcunque. Datum ROMAE apud S. PETRVM ſub Annulo Piſcatoris, die XII.
ontificatus noſtri anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

DIPLOMA S. CÆSAREÆ
MAIESTATIS.

RVDOLPHVS II. diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Notum facimus vigore præſentium vniuerſis. Quòd cùm nobis humiliter exponendum curauerit noſter & Imperij ſacri fidelis dilectus DAVID SARTORIVS, Typographus Ingolſtadienſis, ſub prælo ſe habere Commentarios Theologicos GREGORII de VALENTIA; vereri autem, ne, quod antehac ſibi in fraudem accidit, ab aliis lucri cauſſa iidem imprimantur ac venum dentur, atque ipſe hoc pacto non tantùm laboris atque induſtriæ ſuæ præmio deſtituatur ac defraudetur, ſed in graue etiam damnum incurrat; Nos conſiderantes quàm Commentarij illi GREGORII de VALENTIA, præſtantis Theologi, ad orthodoxam Religionem explicandam & aſſerendam vtiles ſint, & quàm præclaram Reipublicę Chriſtianę SARTORIVS ipſe eiuſmodi libris eleganter & correctè edendis operam nauet, quantumq; referat, vt iidem libri, vbi auctor ipſe adſit, imprimantur, benignè ipſi SARTORIO eiusque hæredibus, auctoritate noſtra aduerſus omnem fraudem & dolum conſulere cupiuerimus, & harum vigore, ſcientia animoq; bene deliberato, pro auctoritate noſtra Cæſarea ſeriò decreuerimus, edixerimus, ſtatuerimus ac vetuerimus, quemadmodum vigore præſentium decernimus, edicimus, ſtatuimus ac vetamus, ne quiſquam Typographorum, Bibliopolarum, aut aliorum, qui ſiue imprimendis, ſiue vendendis libris quacunque ratione negociationem exercent
riam, intra quindecim annos, à primæ editionis die numerandos, Commentarios illos GREGORII de VALENTIA dicto
E SARTORIO inſcio aut inuito, typis ſeu quocunque alio modo aut charactere imitetur, exprimat, vel in publicum
ie ab aliis editum vel impreſſum, vel aliunde allatum, intra ſacri Romani Imperij fines vendat aut diſtrahat, aperte vel
quis autem præſens edictum noſtrum tranſgredi aut violare, prædictosque Commentarios recudere, & in fraudem
ati SARTORII edere aut vendere auſus fuerit, eum non ſolùm eiuſmodi Commẽtariorum exemplaribus, tanquam
miſſum ceciderint, memorato DAVIDI eiusque hæredibus, vel mandatum ab eo habentibus, ope Magiſtratus eius
prehenſa fuerint, vendicandis priuari, verùm etiam mulcta viginti marcarum auri puri, Fiſco noſtro Imperiali, frau-
ci, ac parti læſę ex æquo ſoluenda ac pendenda, puniri volumus, ea tamen lege, vt eorum commentariorum exempla-
num tria quam primùm ad Imperialem Cancellariam tranſmittantur. Mandamus proinde vniuerſis & ſingulis, no-
Rom mperij ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordi-
nt, præſertim verò iis qui in Magiſtratu conſtituti, & vel ſuo, vel ſuperiorum ſuorum loco ac nomine
ationem exercent, ne quenquam hoc Priuilegium ſeu Interdictum noſtrum impiè violare, ſpernere
ed, ſi quos contumaces compererint, præſcripta mulcta affici, &, quibuſcunque rectè fieri poteſt, mo-
tenus & ipſi grauiſſimam indignationem noſtram euitare voluerint. Id quod teſtamur præſentibus li-
criptis, & Cæſarei ſigilli noſtri impreſſione munitis. Datum in arce noſtra Regia PRAGAE, die X. men-
i M. D. XCII. Regnorum noſtrorum, Romani XVII. Hungarici XX. & Bohemici itidem XVII.

Rudolphus.

s à Senfftenau.

Ad Mandatum ſacræ Cæſar. Maieſt. proprium

Io. Baruicius.

APPRO-

APPROBATIO

OPus hoc Theologiæ Scholaſticæ, quod a
hunc IV. Tomum, auctore eximio, multis
Catholica hactenus editis eruditiſſimis &
brationibus claro, celebrique Theologo, R.
GREGORIO de VALENTIA, Societatis IESV, ab aliis eiuſd
Theologis viſum & approbatum, Ego quoq; ALBERTVS
S. Theologiæ Doctor, Profeſſor, & Procancellarius in alma
INGOLSTADIANA, ita approbo, ita omnibus veræ ſinceræ
giæ ſtudioſis commendo, vt tum propter doctrinæ præſta
tatemque, tum propter docendi ordinem, viam, modumq
exactiſſimam explicandi, confirmandi, confutandi rationem, vti
mum, & luce laudeque digniſſimum cenſeam. Datum Ingolſtadij
Martij. Anno Domini M. D. XCVII.

CVm Reuerendus Pater GREGORIVS de VALENTIA, eximius de Societate IESV Theologus, in hoc quarto ſuorum Commentariorum Theologicorum tomo, perinde vt in prioribus, grauiſſimas longeque vtiliſſimas Theologicas materias ad orthodoxam fidem bonosque mores conſentaneè, ad eru ditionem ſolidè, ad vbertatem copiosè, atque ad perſpicuitatem pra clara methodo explicet & defendat, digniſſimus eſt & hic IV. T qui ad illuſtrandam Catholicæ fidei doctrinam eamq; à Sect omnis generis corruptelis vindicãdam typis procuſus in cont ac manus omnium emittatur. Sic ſentio ego IOANNES RI S. Theologię Doctor, eiuſdemq; in alma Academia INGOLST Profeſſor, nec non id temporis facultatis Theologicæ Deca demiæ Prorector. Datum 4. Martij. Anno Domini M. D

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

TATIONVM TOMI, QVI EST DE EDEMPTORE GENERIS HV- DE SACRAMENTIS, ATQVE STATV FVTVRÆ VITÆ.

De Incarnatione diuini Verbi.
De præcipuis mysteriis vitæ Christi.
De Sacramentis in genere.
De Sacramento Baptismi.
De Sacramento Confirmationis.
De Sacramento Eucharistiæ.
De Sacramento Pœnitentię, & Ecclesiasticis Censuris, ac Iudulgentiis.
VIII. De Sacramento Extremæ Vnctionis.
IX. De Sacramento Ordinis, Cœlibatu, & aliis Ordini annexis.
X. De Sacramento Matrimonij.
XI. De Statu vitæ futuræ, & Purgatorio, & aliis quæ huc pertinent.

DISPV-

DISPVTA PRIMA GEN RALIS

DE INCARNATIONE DIVINI VERBI.

DIVISA IN QVÆSTIONES VIGINTI QVATVOR.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDE

QVAESTIONV
PVNCTORVM DISPVTA
NIS PRIMÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

De Possibilitate, Executione, & Conuenientia Dominicæ Incarnationis.

PVNCT. I. *Quænam sit ratio eius Mysterij, quod ab orthodoxis significatur vocabulo Incarnationis: & quàm aptè id eo vocabulo significetur.*

II. *An mysterium Incarnationis fuerit possibile; & quomodo eius possibilitas probari debeat, tum contra Ethnicos, tum contra Iudæos.*

III. *An etiam fuerit peractum hoc Mysterium Incarnationis.*

IV. *An mysterium Incarnationis fuerit conuenienter peractum, spectata ratione ipsius, & præcipuis eius circumstantiis.*

V. *An mysterium Incarnationis fuerit non modò conueniens, sed etiam necessarium, spectando eius finem, scilicet redemptionem generis humani ex seruitute peccati.*

VI. *Fueritne hoc mysterium præcipuè institutum ad tollendum peccatum Originale; vel potius ad tollendum peccatum actuale.*

VII. *An etiam, si homo non peccasset, fuerit futurum hoc mysterium, atque adeò Christus venturus.*

QVAESTIO SECVNDA.

De modo Incarnationis, ex parte vnionis duarum naturarum.

PVNCT. I. *An vnio duarum naturarum in Christo ita facta sit, vt post eam vnionem sit vt is præditus vtraq; natura, scilicet diuina & humana.*

II. *An vnio duarum in Christo naturarum ita facta sit, vt post eam sit is- sona tantum.*

III. *An vnio duarum in Christo naturarum ita facta sit, vt post eam- sto differentia proprietatum vtriusq; naturæ, non obsti- nitate.*

IV. *An vnio duarum in Christo naturarum ita facta sit,- composita.*

V. *Quid sit propriè, & secundùm se illa vnio hur- atq; adeò duarum in Christo natur-*

VI. *An hæc vnio duarum in Christo nat-*

VII. *An hæc vnio duarũ naturarum f-*

VIII. *An ob cuiusquam meritum f-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

TIO TERTIA.

is ex parte personæ diuinæ assumen-
uram humanam.

do sola persona filij assumpserit naturam humanam
lia persona diuina, etiam sola, potuerit assumere naturam humanam.
plures etiam personæ diuinæ simul potuerint assumere eandem numero naturam humanam.
An etiam è contrario vna & eadem persona diuina potuerit assumere plures naturas humanas.
V. An etiam ipsa per se essentia diuina, vt communis omnibus personis diuinis potuerit assumere naturam humanam, vel quamuis aliam.
VI. An etiam persona creata posit assumere alienam naturam.

QVÆSTIO QVARTA.

De modo Incarnationis ex parte humanæ naturæ assumptæ.

PVNCT.I. An sola humana natura inter omnes alias naturas creatas, potuerit omnino, vel conuenienter, assumi à Verbo diuino.
II. An assumpta fuerit à Verbo diuino non tantùm natura humana, sed etiam humana persona.
III. Qualis humana natura fuerit assumpta à diuino Verbo

QVÆSTIO QVINTA.

De modo Incarnationis quoad naturales partes humanæ naturæ assumptæ.

PVNCT.I. An Verbum diuinum sic assumpserit verum corpus humanum, vt etiam cum illo hypostaticè assumpserit sanguinem.
II. An Verbum diuinum assumpserit corpus præditum naturalibus humani corporis proprietatibus & accidentibus; atq; adeò etiam præsentiâ extra Sacramentum in vno tantùm loco pro vno tempore.

QVÆSTIO SEXTA.

odo Incarnationis quoad ordinem assumptionis partium naturæ humanæ.

pus & anima fuerint assumpta simul tempore à Verbo diuino.
o naturæ posit in assumptione considerari, secundùm quem anima
pta fuerit, quàm corpus, vel è contrario: aut tota natura hu-
quàm istæ eius partes, vel è contrario.

III. An

III. An etiam in assu.
quem in ipsa ani.

QVÆSTI.

De gratia Christi homin.
dam perso.

PVNCT.I. An fuerit in Christo gratia gratum faci.
II. Quanta fuerit Christi gratia.
III. An fuerint in Christo virtutes.
IV. An fuerint in Christo dona Spiritus sancti.
V. An etiam gratiæ gratis datæ.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Christi gratia, vt est is caput Ecclesiæ.

PVNCT.I. An & per quam gratiam Christus sit caput Ecclesiæ.
II. An & quomodo sit caput omnium hominum.
III. An etiam sit caput Angelorum.
IV. An sit Christi proprium, esse Ecclesiæ caput.

QVÆSTIO NONA.

De Scientia Christi generatim.

PVNCT.I. An Christus habuerit scientiam aliquam creatam, præter diuinam.
II. Quotuplex fuerit ea Christi scientia.

QVÆSTIO DECIMA.

De Scientia Christi beata.

PVNCT.I. An scientia beata CHRISTI fuerit non tantùm actualis, sed etiam habitualis.
II. Quàm perfecta fuerit hæc Christi scientia.

QVAESTIO VNDECIMA.

De Scientia Christi infusa.

PVNCT.I. Quatenus sit habitualis hæc scientia Christi infusa.
II. Quàm ea fuerit perfecta.

QVÆSTIO DVODE

De Scientia Christi acc

PVNCT. VNIC. Quàm fuerit perfecta scientia Christ

DECIMATERTIA.

hristi ſecundùm humanitatem.

ndùm humanitatem fuerit Omnipotentia ſimpliciter.

ſtus ſecundùm humanitatem fecerit ea, quæ per ſuam potentuit, atque adeò fecit.

e potuerit per illam ſuam potentiam.

cere potuerit ea omnia, quæ fieri voluit.

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

An fuerit Chriſtus ſubiectus aliquibus defectibus Corporis.

PVNCT.I. *An & quomodo aliquibus defectibus corporis Chriſtus ſubiectus fuerit.*
II. *An omnibus omnino defectibus corporis ſubiectus fuerit.*

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

An fuerit Chriſtus ſubiectus aliquibus defectibus Animæ.

PVNCT.I. *An Chriſtus vt homo laborauerit vlla ignorantia.*
II. *An peccauerit vnquam, vel peccare potuerit.*
III. *An ſaltem habuerit in appetitu ſenſitiuo fomitem aliquem peccati.*
IV. *An habuerit animam verè obnoxiam paſſionibus appetitus ſenſitiui.*

QVAESTIO DECIMASEXTA.

De modo quo loquendum eſt de Chriſto Deo & homine, ſuppoſita ratione huius myſterij explicata in quæſtionibus ſuperioribus.

PVNCT.I. *An & quomodo de quibuſcunque nominibus, diuinis vel humanis, ſignificantibus Chriſti perſonam (quæ eſt ipſum ſuppoſitum diuini Verbi) poſſint indifferenter prædicari nomina diuina & humana in concreto, ſpectata quidem horum nominum ſignificatione: atque adeò, quonam modo habeat in Chriſto locum communicatio idiomatum diuinorum & humanorum.*

I *An omnia humana nomina in Concreto poſſint de Chriſto prædicari, ſpectando non modò illorum ſignificationem, ſed etiam alias circumſtantias.*

An nomina vtriuſque naturæ poſſint in abſtracto prædicari de nominibus ſignificantibus Chriſti perſonam, aut aliquam eius naturam.

Enunciationibus ſignificantibus factam eſſe in Chriſto vnionem hypoque naturæ, poſſint indifferenter habere ſubiecti locum nomina na.

QVAESTIO DEC

De Vnitate Chriſti quoad

PVNCT. VNIC. *An CHRISTVS ſit vnum quiddam tia.*

QVÆSTIO DECIMAOC.

De Chriſti Voluntate.

PVNCT.I. *An fuerit in Chriſto Voluntas humana præter diuinam: item an. tentiæ animæ.*
II. *An in Chriſto fuerint aliquando contrariæ voluntas diuina & volu mana.*

QVÆSTIO DECIMANONA.

De Chriſti Operationibus & Meritis.

PVNCT.I. *An præter operationem diuinam fuerit in Chriſto operatio creata, & quotuplex.*
II. *An Chriſtus per quamcunq; operationem ſuam creatam aliquid meruerit.*
III. *An aliquid ſibi ipſe meruerit, & quidnam.*
IV. *An aliquid meruerit nobis, & quidnam.*

QVÆSTIO VIGESIMA.

De Subiectione Chriſti erga Patrem.

PVNCT. VNIC. *An & quomodo Chriſtus ſit ſubiectus ſuo Patri.*

QVÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

De Chriſti Oratione.

PVNCT.I. *An Chriſtus orauerit, & nunc etiam oret.*
II. *An omnis eius oratio fuerit impleta.*

QVÆSTIO VIGESIMASECVNDA.

De Chriſti Sacerdotio, & aliis eiuſdem Officiis.

PVNCT.I. *De Chriſto Redemptore.*
II. *De Chriſto cœleſti Medico animarum.*
III. *De Chriſto Dei & hominum Mediatore.*
IV. *De Chriſto Sacerdote.*
V. *De Chriſto Propheta.*
VI. *De Chriſto Rege.*
VII. *De Chriſto Legislatore.*
VIII. *De Chriſto Doctore.*
IX. *De Chriſto Iudice.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

IO VIGESIMATERTIA.

one & Prædestinatione Christi.

…fuerit filius Dei adoptiuus.
nodo Christus fuerit prædestinatus.

…STIO VIGESIMAQVARTA.

De Adoratione Christi.

…T.I. *Quonam genere honoris, & quonam modo Christus à nobis colendus sit.*
II. *An & quomodo Christi etiam imagines, itemq; Sanctorum colendæ sint.*
III. *An & quomodo colendæ sint sacræ reliquiæ seu Christi, seu Sanctorum.*

DISPVTATIO PR…
GENERALIS, DE INCARN…
TIONE DIVINI VERBI.

D. Thomas tertia parte à quæst. 1. vsque ad quæst. 26.

DE MYSTERIO DOMINICÆ INcarnationis multi ex sanctis Patribus scripserunt; præsertim ATHANASIVS *in libro de Incarnatione Verbi* DEI, *eiusq; corporali ad nos aduentu: & in Oratione, Quòd vnus sit Christus: & in alio item Tractatu de humana natura suscepta ab vnigenito Verbo, contra Apollinarium: & rursus in alio de Incarnatione Christi: & in alio de salutari eius aduentu, contra Apollinarium. Et Cyrillus* ALEXANDRINVS *in declaratione duodecim Anathematismorum contra Nestorium: & in duabus Apologiis eorundem Anathematismorum, contra Orientales, & contra Theodoretum: & in Scholiis de Incarnatione Vnigeniti: & in libris tribus de Fide, ad Reginas: & in lib. 9. & 10. Thesauri: & in Sermone, Quòd* DEVS *factus sit homo. Et* AMBROSIVS *in libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento. Et* FVLGENTIVS *in libro de Incarnatione & Gratia Christi contra Faustum. Et* CASSIANVS *in libris septem de Incarnatione Verbi contra Nestorium. Et* LEO *in Sermonibus de Natali Domini. Et* ANSELMVS *in libris duobus, Cur* DEVS *homo: & in alio de Incarnatione Verbi. Ac plurima & accuratissima Patrum scripta de hoc Mysterio videre licet in Actis Concilij Ephesini à Theodoro Peltano Societatis nostræ Ingolstadij editis. Scripserunt etiam de eodem argumeto Scholastici Theologi post Magistrum in libro 3. Sententiarum d. 1. & multis sequentibus: ac no…ita…*
Bartholomæus Medina, Ordinis Dominicanorum, & Fr…
Societatis nostræ, vterq; in Commentariis super tertiam pa…

Nos disputationem hanc complectemur vi…
sequentes methodum D. Thomæ. PRIMA Qu…
cutione, & Conuenientia Dominicæ Incar…

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex parte Vnionis duarum in Christo naturarum.
item eiusdem Incarnationis ex parte personæ diuinæ as-
humanam. QVARTA, *de modo item Incarnationis ex*
ræ assumptæ. QVINTA, *de modo item Incarnationis ex*
uralium humanæ naturæ assumptæ. SEXTA, *de modo itē*
quoad ordinem, quo sunt assumptæ partes naturæ humanæ.
A, de gratia Christi hominis vt fuit is singularis persona. OCTAVA,
ratia eiusdē vt Capitis Ecclesiæ. NONA, *de Scientia eiusdem genera-*
tim. DECIMA, *de eiusdem Scientia beatâ.* VNDECIMA, *de eiusdem*
Scientia Infusa. DVODECIMA, *de eiusdē Scientia Acquisita.* DECIMA-
TERTIA, *de Potentia eiusdem.* DECIMAQVARTA, *An fuerit is subie-*
ctus aliquibus defectibus corporis? DECIMAQVINTA, *An etiam a-*
liquibus defectibus Animæ? DECIMASEXTA, *de modo, quo loquendum*
est de Christi Dei & hominis persona, suppositâ ratione huius Mysterij ex-
plicata in quæstionibus superioribus. Quo loco differemus etiam de commu-
nicatione Idiomatum. DECIMASEPTIMA, *de Vnitate Christi quoad*
eius existentiam. DECIMAOCTAVA, *de Christi Voluntate.* DECIMA-
NONA, *de Christi Operationibus & Meritis.* VIGESIMA, *de Subiectio-*
ne Christi erga Patrem. VIGESIMAPRIMA, *de Christi Oratione.*
VIGESIMASECVNDA, *de Christi Sacerdotio, & aliis eiusdem Christi*
muneribus, atque adeo etiam de officio Mediatoris, de quo separatim dis-
serit D. Thomas quæst. 26. VIGESIMATERTIA, *de Adoptio-*
ne & Prædestinatione Christi. VIGESIMAQVARTA,
de eiusdem Adoratione.

QVAE-

QVÆSTIO PRI.

De Possibilitate, Executione, & Conuenientia Incarnationis.

D. Thomas tertia parte, quæstione prima.

EXPLICANDA SVNT SEPTEM. PRIMO, QVAENAM *Summa eius Mysterij, quod ab Orthodoxis significatur vocabulo Incarnation quàm aptè illud eo nomine significetur?* SECVNDO, *An id Mysterium fuerit possibile; & quomodo eius possibilitas probari debeat, tum contra Ethnicos, tum contra Iudæos?* TERTIO, *An fuerit etiam id Mysterium peractum? Vbi similiter tum Ethnici, tum Iudæi refutabuntur, qui id negant.* QVARTO, *An fuerit conuenienter peractum id Mysterium, spectata per se ratione ipsius, & præcipuis eius circumstantiis?* QVINTO, *An fuerit etiam necessarium, spectando eius finem, scilicet redemptionem & liberationem generis humani ex seruitute peccati?* SEXTO, *Fueritne præcipuè institutum ad tollendum peccatum Originale; vel potius ad tollendum peccatum Actuale?* SEPTIMO, *Fueritne etiam futurum, si homo non peccasset?*

PVNCTVM PRIMVM.

Quanam sit Ratio eius Mysterij, quod ab Orthodoxis significatur vocabulo Incarnationis: & quàm aptè id eo Vocabulo significetur.

Ad art. 1. D. Thomæ.

RATIO MYSTERII INCARNA- tionis ex ratione seu notione ea lucet, quam Orthodoxi significare solent vocabulo Christi DEI & hominis: siquidem ratio Christi, vt is est Verbum caro factum, atq; adeò DEVS & homo, est tanquam terminus Incarnationis. Vnde sanctus HIERONYMVS in caput 1. Marci, explicans illud: *Cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calciamenti eius,* idem esse reputat inuestigare *Mysterium Incarnationis*, & inuestigare, *quomodo diuinum Verbum sit factum Caro*: Verbum autem Caro factum, est Christus DEVS & homo. Ac propterea etiam S. AVGVSTINVS lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 29. *Incarnationis* vim atq; rationē inde explicat & *commēdat*, quòd DEI filius factus fuerit homo. Hinc denique S. ATHANASIVS in Symbolo, cùm dixisset, necessarium esse ad salutem, vt *Incarnationem* Domini nostri IESV Christi fideliter credamus, rationem huius Mysterij explicat illicò per rationem eam, quæ in ipsa persona Christi DEI & hominis credēda est; subiungens: *Est autem fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noster* IESVS *Christus* DEVS *& homo est, &c.*

A

Vt igitur ratio incarnationis ex ipso Incarnationis *Termino* clarius innotescat, præmitten-

dum est, Christi nomine, in Ecclesia Catholica hypostasin Verbi diuini intelligi, sic in duabus naturis, diuina & humana, subsistentis, vt vnica persona diuina cùm sit, verus tamen DEVS & verus homo existat; non confusione aliqua vtriusque naturæ, neq; conuersione diuinitatis in carnem, aut contrà; sed assumptione humanitatis in DEVM, sicut ait D. Athanasius. Atq; hoc nimirum est, Christi nomē *propriè accipere, cùm vtrumque significatur, nempe* DEVM *& hominē esse*, vt rectè notauit NICETAS initio Commentarij in Orationem panegyricam S. Gregorij Nazianzeni de Christi Natiuitate. Quod idem indicauit etiam S. CYRILLVS Alexandr. in Scholiis de Incarnatione vnigeniti, cap. 25. cùm dixit; *Vnum ex natura intelligi Christum.* Et S. AVGVSTIN de bono perseuerantiæ, cap. 24. vbi: *Humanitatem Christi, qua minor re diuinitatem, qua æquali. Hoc autem vtrumque.*

B

Ex hac person
ratio & nor
quenter
signi
c

Universidad de Deusto
Biblioteca

…eadem personaVer-
…ratione diuinæ naturæ
… homo, ratione huma-
…eadē. Quod Incarna-
…hodoxis Doctoribus
…ferè B. Ioannes cap. 1.
…licauit, inquiens: *Ver-*
…*arnem factum esse.*
…ecanus q. 1. art. 1. Incarnationis
…tione plus significare, quàm expri-
…iam exprimit, humanam carnem à
…Verbo diuino fuisse assumptam; significat au-
tem, non solùm carnem, sed etiam naturam hu-
manam ex anima & corpore constantem, assum-
ptam à Verbo fuisse. Est perinde, ac dicere, In-
carnationis nomen, etsi ex impositione, institu-
tione, & natura sua, significet tantùm, Verbum
diuinum induisse carnem; loquendi tamen con-
suetudinem obtinuisse, vt significet, humanam
naturam integram fuisse à Verbo assumptam.

Cuius consuetudinis neque exemplum, neq;
etiam ratio nobis deest. Nam Scriptura (vt ait
sanctus CYRILLVS vbi suprà) *carnem plerumque
nominat, & ex parte animalis, totius significationem
facit: nec non etiam a sola anima interdum tantundem
ait. Scriptum est enim, quòd videbit omnis caro salu-
tare Dei.* Lucæ 3. *Et ipse diuinus Paulus: Non ac-
quieui,* inquit, *carni & sanguini,* ad Galat. 1. *Allo-
cutus est autem eos, qui sunt ex Israël, Pontifex Moy-
ses: In septuaginta animabus descenderunt patres tui in
Ægyptum.* Act. 7. *Sed non idcirco dixeris, quòd nudæ
& sine carne animæ, in Ægyptum descenderunt, nec
porrò quòd inanimis corporibus, & solis carnibus salu-
tare suum Deus indulserit. Quoties igitur audimus car-
nem factum esse Verbum, hominem intelligamus ex a-
nima & corpore factum.*

Et in eandem sententiam S. ATHANASIVS
Oratione de Deipara, paulò pòst medium: *In-
carnationis,* inquit, *& assumptæ humanitatis speciem
sub vna voce simul prædicamus, neque solùm Incarna-
tionem annunciamus, sed vnà cum Incarnatione & as-
sumptam humanitatem, ne videamur cum impiis hæ-
reticis inanimatam, mentéq; vacuam, & irrationalem
Incarnatione statuere: sed ex eo, quod dicimus* INCAR-
NATIONEM, *& humanitatem simul assumptam & car-
nem credimus, & animam rationalem & mente prædi-
tam significamus.*

Suppetit etiā nobis (vt dixi) ratio pro hoc vsu
vocabuli. Nā vocabulo isto Incarnationis,
…ùs indicamus magnitudinem charitatis ac
…icordiæ Dei erga nos, qui eousque voluerit
…aussa se… dimittere atque exinanire, vt
…*arne* constitutam sumeret.
…odo loquendi, vel Scri-
vocabula, quibus idem
…ificetur. Vt *De-*
…*es cœlos, &*
…tem: *Ex-*
…al-

A mos, vocatur *Corporatio.* Item: *Mixtura admirabi-
lis* ab AVGVSTINO epist. 3. ad Volusianum: Et à
Gregorio NAZIANZENO Oratione panegyri-
ca in Christi Natiuitatē. Et sæpe *Oeconomia Verbi*
ab aliis Græcis Patribus, & nominatim à Dama-
sceno lib. 3. cap. 6. qui etiam *inhumanationem* ap-
pellat lib. 1. cap. 13.

Sed magis vsitatum in Ecclesia nomen est *In-
carnatio:* quo etiam ad hoc ipsum Mysterium si-
gnificandum Patres bene Latini vsi sunt: vt Au-
gustinus lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 24. & 29. &
Hieronymus in caput 1. Marci, suprà à nobis ci-
tatus: Et Ambrosius in caput 23. Lucæ circa fi-
nem, & alij. Atq; in eadem significatione à Grę-
B cis Patribus vsurpatur vocabulum σάρκωσις. Nūc
hac vocabuli notione initio præmissa, vtpotè ex
qua omnes huius materiæ difficultates nascun-
tur; ad alia explicanda, quæ nobis proposita
sunt, progrediamur.

PVNCTVM SECVNDVM.

*An Mysterium Incarnationis fuerit possibile; & quomodo eius possibi-
litas probari debeat, tum contra Ethnicos, tum contra Iudæos?*

Ad art. 1. D. Thomæ.

C DIVVS Thomas q. 1. art. 1. non ab re
disputatione, quæ est de *possibilitate*
huius Mysterij, exorditur; sed quæ-
rit ante omnia, Vtrum fuerit *conue-
nienter* tactum? Quamobrem obiicit illicò Caie-
tanus, videri D. Thomam incipere Tractatum
istum saltando, cùm prius debuerit quærere, An
sit possibile? Latiùs enim patet, cōmuniusq; est,
aliquid esse possibile, quàm esse conueniens.
Quam quæstionem cùm non de re sit, sed de me-
thodo D. Thomæ, libenter hic prætermisissem,
nisi vererer, ne mea dissimulatione viderer ho-
minum sapientium diligentiā arguere, qui ferè,
cùm tertiam hanc partem D. Thomæ interpre-
tandam suscipiunt, ab hac eadem quæstione su-
D munt exordium.

Et Caietanus quidem duabus de causis re-
spondet, sic à D Thoma factum esse. PRIMO, quo-
niam nulla scientia probat esse, aut esse possibile
subiecti sui, sed id supponit: Subiectum aūt huius
libri est hoc Mysteriū Incarnationis. SECVNDO,
quoniam probata conuenientia huius Mysterij,
consequenter probatur esse possibile: siquidē o-
mne conueniens est possibile, licet non contrà.

Alij TERTIO respondent, etiam propterea eam
quęstionē de possibilitate huius Mysterij omissā
à D. Thoma esse, quoniam ex Scripturis quidem
nullo negotio probatur, hoc Mysteriū esse pos-
sibile; rationibus autem euinci hoc non potest.
Quare ne fruſtrà disputare D. Thomas videre-
tur, meritò præteriuit eam quæstionem.

Addunt

Addunt alij QVARTO, ideo culpa D. Thomā
in ea re vacare, quia in sequentibus, defendendo
& explicādo hoc Mysterium, satis docuit, ipsum
esse possibile.

Sed vtcunq; D. Thomas excusetur, mihi vide-
tur rectè & conuenienter doctrinæ ordini fuisse
facturus, si incepisset ab ea quęstione de possibi-
litate, sicut faciunt alij Doctores cōmuniter, &
ipse etiam fecerat in 3. sentent. d. 1. Et sanè in o-
mnibus illis D. Thomæ excusationibus videtur
aliquid deesse.

Quod enim ait PRIMO Caietanus art. 1. nul-
lam scientiam probare possibilitatē aut existen-
tiam proprij *subiecti*, verum quidem est, si sit sen-
sus (vti debet esse) assensum illum mentis, quo
B concluditur, Subiectum alicuius sciētię esse pos-
sibile, aut omnino esse, non elici ab *habitu eiusdem
scientiæ*: quoniam omnis assensus proficiscens ab
habitu alicuius scientiæ, nititur, tanquā princi-
pio & fundamento, assensu de veritate, atq; adeo
de possibilitate subiecti ipsius scientiæ. Quem
proinde assensum oportet aliunde esse notum,
quàm ex eodem ipso habitu scientiæ.

Cęterùm vt hoc maximè verum sit, tamen ad-
uertere debuisset hìc Caietanus, PRIMO, pertī-
nere nihilominus posse probationē subiecti sci-
entiæ ad *eum ipsum quidem*, qui scientiam expli-
candam suscipit, maximè si de eius subiecti pos-
sibilitate & ratione sit propria cōtrouersia & dif-
C ficilis. Neque enim reprehenduntur Theolo-
gi propterea quòd quærant, Vtrum Deus sit,
sicut quærit etiam & meritò D. Thomas 1. p. q. 1.
tametsi rectè idem in eadē quæstione asseruerit
Deum esse Subiectum Theologiæ.

SECVNDO debuisset etiam Caietanus cogi-
tare, non eandem esse rationem de subiecto *adæ-
quato* & formali alicuius scientiæ, & de subiecto
materiali *inadæquato*, quale est illud, quod in ali-
qua scientiæ parte explicatur; vt hoc Mysterium
Incarnationis explicatur solùm in quadam
Theologiæ parte. Tale enim subiectum rectè po-
test concludi & probari nō modò ab eo ipso, qui
scientiam aliquam explicat, sed etiam per assen-
sum profectum ab eadem scientia: Siquidem
prior illo est assensus subiecti scientiæ adæquati,
D quo proinde potest tāquam principio & funda-
mento niti eiusmodi probatio & conclusio.

Quod SECVNDO etiam Caietanus inquit,
probata huius Mysterij cōuenientia, etiam pos-
sibilitatem probari; verum quidem est: sed tamen
ea ratione non probatur possibilitas *ex ipsius ar-
gumentis propriis*; id quod omnino faciendum est,
quando possibilitas rei habet peculiares & pro-
prias difficultates, sicut habet inprimis hoc
loco.

Quod autem TERTIO alij addunt, non opor-
tuisse probari à D. Thoma possibilitatem huius
Mysterij: siquidē eam ex Scriptura probare faci-
lè est, & rationibus probari nō potest: nō omni-
no satisfacit. Nam & probationem ex Scriptura

A monstrare, qu…
(sicut in proposit…
&, si nō euidentibu…
nibus haud leuiter
suaderi potest. Id qu…
Apostoli exemplo, qu…
ralibus resurrectionem.

Deniq; VLTIMA D. Th…
declarat, non esse reprehe…
mam, quasi omnino disputati…
tate huius Mysterij prætermiserit,
rationem, cur S. Thomas ab ea dispu…
sit exorsus. Quod si omnino sit necesse,
mæ consilium probare in hac parte, malle-
B cere, ipsum rationem eius aliquam habui…
quæ me lateat, & quam studiosè inquirere non
sit magnum operæprecium.

Nos verò, si ex ordine antea proposito prius
confirmauerimus, Mysterium Dominicę Incar-
nationis esse POSSIBILE, quàm esse cōueniens,
rectè etiam facturi videmur. Quod nobis faciē-
dum est & cōtra GENTILES Philosophos, quibus
Mysterium Christi est *stultitia*, & etiam contra Iu-
dæos, quibus est *scandalū*, vt ait Apostolus, 1. Cor.
1. & consequenter etiā contra plerosq; hęreticos
Iudæorum & Ethnicorum assecłas, qui eundem
ipsum, qui sit homo, negauerunt posse esse De-
um verum: Vt Arriani, Samosateniani, &c. Neq;
enim soli Ethnici, sed etiam Iudæi, & prædicti
hæretici horum assecłæ, inficiati sunt, Verbum
potuisse fieri carnem, sic, vt eadem persona sit
& Deus & homo: iuxta illa eorum verba Ioan-
nis 10. *De bono opere non lapidamus te, sed de blas-
phemia, quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum.*
Quasi id nimirum sit impossibile. Vnde sanctus
ATHANASIVS serm. 4. contra Arrianos, non
multò ante medium exprobrat Arrianis, quòd
*à Iudæis didicerunt dicere: Quomodo potest aut Ver-
bum aut Deus esse, qui dormit vt homo, qui in lachry-
mas prorumpit, & percontatur, &c.*

Prius tamen quàm cōfirmemus, possibile esse
hoc Mysterium, explicanda illa QVAESTIO est,
quæ hoc loco communiter moueri solet, de mo-
do, quo id confirmari possit. Quæritur enim, a
possibilitas huius Mysterij nō tantùm Script
testimoniis & probabilib… rationibus, sed e
euidenti ratione probari possit? Et est ho
peculiaris ratio dubitandi, eò quòd Mys
istud ex eorum numero est, quæ Theolo
opera Dei *ad extra*, id est, quæ extra se D
ro consilio ex tempore est operatus. V…
non illicò euidenter cognoscamus
rium esse peractum, si euiden…
illud esse possibile, atq;
nihilominus illi artic…
dimus, filium De…
fieri & posse, n…
Mysteriis …
est Mys…
dunt…

Universidad de Deusto
Biblioteca

abent causſam libe-

& certiùs & clariùs hac
fariã cognoſcere poſ-
le. PRIMO ſic, vt ad-
eſſe in re, quod obſtet,
neri, ſed *vndequaq;* eſſe id
uod eſt cognoſcere poſsibilitatem
perfecta & *abſoluta*. SECVNDO, ita
, vt quantum *nos* de re ipſa cognoſcimus,
in ea appareat, vel circa eam naturaliter
obiici poſsit, propter quod videatur impoſsibi-
lis; ſed potius conſiderata cognitione ea, quæ de
re iam haberi poteſt, videatur poſsibilis: Quod
eſt ſecundùm quid (vt ita dicã) ſeu ſub conditione
cognoſcere rei poſsibilitatem, nimirum quantũ
eſt ex parte eorum, quæ iam de re ſciri naturali-
ter poſsint, & niſi quid fortè nobis ignorum ob-
ſtet. Nunc ſtatuo duas aſſertiones.

PRIMA. Priori modo (ſcilicet *abſolutè & vndequaq;*) neque ab hominibus, neq; ab Angelis cognoſci aut probari poteſt poſsibilitas huius Myſterij euidenter; ſed tantùm ex ſacris literis & rationibus probabilibus concludi & ſuaderi poteſt. Probatur hæc Aſſertio PRIMO ex Scriptura, vbi apertè ſignificatur, totam rationem huius Myſterij (atq; adeo etiã eius poſsibilitatem) eſſe longè remotã à cognitione naturali cuiuſcunq; Creaturæ. Vt Iſaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Quod ad generationem etiam temporalem Chriſti Dei & hominis referendum eſſe, aſſeuerat ſanctus Leo ſermone 3. de Natiuitate Domini, ſub initium. Et Iſaiæ 63. Angeli (vt tradit Dionyſius cap. 7. cœleſt. hierarch.) ex ignoratione huius Myſterij introducuntur interrogantes: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Ego qui loquor iuſtitiam, &c.* Et Pſal. 23. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et Matth. 16. agnoſcenti & cõfitenti Petro Myſterium hoc illis verbis: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, reſpondet Dominus: *Caro & ſanguis non reuelauit tibi.*

Hoc idem Apoſtolus in aliquibus locis apertè ſignificat. Ait enim 1. Cor. 2. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non huius ſeculi, neq; Principum huius ſeculi, qui deſtruuntur; ſed loquimur Dei ſapientiam in Myſterio, quæ abſcondita eſt, prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtrã, nemo Principum huius ſeculi cognouit.* Item Ephe. 3. *Mihi omnium Apoſtolorum minimo data eſt hæc in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſeculis in Deo.*

SECVNDO probatur ex Patribus. Sanctus CYRILLVS cap. 2. de diuinis nominibus, parfine: *Iesus*, inquit, *Ieſu in carne apparitio & eſt [illegible] & omni ignota intelligen- [illegible] Angelorum primati*

quens de hoc
Verbi Dei ad

plaſma eius, per quam Verbum caro factum eſt, & filius Dei filius hominis, &c. de hoc filio Dei & hominis addit: *Inenarrabile habet genus.*

ORIGENES lib. 2. periarchon cap. 6. *Illud*, inquit, *penitùs admirationem humanæ mentis excedit, nec inuenit humanæ intelligentiæ fragilitas, quomodo intelligere poſsit, quod tanta illa potentia diuinæ Maieſtatis, ipſum illud Verbum Patris, atque ipſa ſapientia Dei, in qua creata ſunt omnia viſibilia & inuiſibilia, intra circumſcriptionem hominis, qui apparuit in Iudæa, fuiſſe credenda ſit.*

S. Gregorius NYSSENVS in Oratione Catechetica cap. 11. *Modum*, inquit, *contemperationis diuinitatis cum humanitate nos perſpicere non poſſe concedimus.*

S. Gregorius NAZIANZENVS in Oratione panegyrica de Chriſti Natiuitate, loquẽs de hoc Myſterio vnionis duarum in Chriſto naturarum: *O* (inquit) *nouam & inauditam mixturam? O admirandam temperationem? Qui eſt, fit, &c.*

S. CYRILLVS Alexandrin. lib. 8. contra Iulianum, non longè à fine: *Admirabilis*, inquit, *& ſupra mentem ac ſermonem diſpenſationis cum carne modus.*

S. AVGVSTINVS epiſt. 3. ad Voluſianũ de hoc & aliis Chriſti Myſteriis diſſerens: *Hic*, inquit, *ſi ratio quæritur, non erit mirabile; ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus, Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.* Similia paſſim alij.

TERTIO probatur ratione. Nam vt notitia perfecta & abſoluta cognoſcamus euidẽter poſsibilitatem rei alicuius, duplex tantùm via nobis ſuppetit. VNA, ſi euidenter cognoſcamus, eam eſſe factã, ex quo neceſſaria conſequentia inferamus, fuiſſe illam omni ex parte poſsibilẽ; ſiquidem nulla re obſtante facta iam eſt. ALTERA, ſi euidenter cognoſcamus ipſius rei quidditatem, ex qua cernere liceat, nihil in re eſſe, vnde oriatur repugnantia, ſi fiat. Sed neutra via poſſumus euidenter cognoſcere aut probare, quòd Myſterium Incarnationis ſit poſsibile. Ergo nullo modo poſſumus id cognoſcere euidẽter cognitione abſoluta, & vndequaque perfecta.

Minor probatur, quoad vtramq; viam. Nam primum conſtat, neq; humanã, neq; Angelicam creaturam euidenter cognoſcere *quidditatem* & eſſentiam ſubſiſtentiæ Verbi diuini, ad quã humana natura eſt aſſumpta. Quò fit, vt neq; ratio & quidditas eiuſmodi aſſumptionis & vnionis humanæ naturæ cum ſubſiſtentia Verbi diuini queat ex omni parte naturaliter cognoſci. Deinde neque hoc Myſterium *factum eſſe*, poteſt in propoſito ab vlla Creatura euidenter cognoſci, cùm ſit ſimpliciter ſuprà naturam, & ſolius Dei libero & occulto conſilio geſtum: atque ita nequit ex vllis naturalibus cauſsis aut effectibus, quibus naturalem creaturæ cognitionem metimur, euidenter colligi.

NEC

NEC obſtat, quòd alicui videri poſſet, Angelos naturaliter cognouiſſe, humanam naturam in Chriſto caruiſſe propria perſonalitate. Primũ enim non eſt neceſſe, vt ipſos hoc cognouiſſe fateamur. Immò potuit naturaliter Dæmon falsò putare, naturam illam, ꝓpria perſonalitate conſtitiſſe, ſicut in aliis hominibus. Poteſt enim circa ſupnaturalia Myſteria errare Angelus, quantum eſt ex natura ſua. Deinde ſi maximè cognouiſſet euidenter, defuiſſe illi naturæ propriam perſonalitatem; tamen non neceſſariò debuit ideò ſibi ꝑſuadere, à ꝑſona diuina fuiſſe aſſumptam. Cogitare enim potuit, per potentiam Dei abſolutam (non enim hoc implicat contradictionem) factum eſſe, vt illa natura ſine vlla perſonalitate conſeruaretur.

Itaque verum omnino eſt id, quod in probatione noſtra aſſumpſimus, ex *facto* neque ab Angelis quidem potuiſſe euidenter cognoſci poſsibilitatem huius Myſterij: Quoniam ſimpliciter id factum fuerit etiam occultum Angelis.

SECVNDA Aſſertio. Poſteriori modo, ſcilicet conditionali & *imperfecta* notitia, euidẽter poteſt Myſterij huius poſsibilitas cognoſci & cõcludi. Ratio eſt. Quoniã vt hoc modo cognoſcatur & cõcludatur, aliquid eſſe poſsibile, ſatis eſt argumenta ſoluere, quæcunq; fiunt ad probandã rei impoſsibilitatem. Sed argumẽta omnia, quæ ad probandã impoſsibilitatẽ huius Myſterij ex his, quæ circa illud cognoſcimus, fiant, poſſunt euidenter à nobis ſolui. Ergo euidenter poſſumus cognoſcere poſsibilitatẽ huius Myſterij notitia illa poſterioris modi, ſcilicet *imperfecta*, & quantum eſt ex parte eorum, quæ circa hoc Myſteriũ ipſi cognoſcimus.

Maior patet; & Minor probatur. Nam quæcũque argumenta contrà fiant, ſemper poſſumus aſsignando defectũ aliquẽ in materia vel forma eorum, euidenter docere, non ſine prudenti ratione nos facere, quòd eiuſmodi argumentis nõ conuincamur. Id quod eſt euidenter argumẽta ſoluere; vt latiùs contra Durandum oſtendimus tomo 1. Diſp. 1. q. 1. p. vlt. cũ ageremus generatim de facultate ſoluendi euidenter argumenta omnia, quæ fiant contra Myſteria noſtræ fidei.

Hæc cùm ita ſint, tribus modis poterit huius Myſterij poſsibilitas cognoſci & ꝓbari. PRIMO, poteſt Scripturæ teſtimoniis probari contra Iudæos, Myſterium hoc *abſolutè & ſimpliciter* (id eſt, vndequaq;) eſſe poſsibile. SECVNDO, Idẽ quoque tũ contra Iudæos, tum cõtra Ethnicos probari poteſt rationibus, nõ euidentibus, ſed probabilibus, quæ hominẽ prudentẽ mouere poſſint ad credendũ. TERTIO, euidẽti quoq; ratione aduerſus vtroſq; ꝓbari poteſt, Myſteriũ hoc eſſe poſsibile, quantũ eſt quidẽ ex parte eorum, quæ circa illud à nobis naturaliter ſciri poſsint, id eſt, non obſtantibus iis, quæ naturaliter contrà obiiciantur.

PRIMO igitur probo contra IVDAEOS, Myſte-

riũ hoc ſimpliciter
diuina Scriptura (q
Quod Scripturæ Pr
futurum, id omni ex
& eandem perſonam
promiſſum, Scriptura
fuiſſe futurum verum
nem. Ergo Myſterium ho
poſsibile.

Minor, quod ad humanitatẽ Meſsiæ extra controuerſiam eſt. Quod autem attinet diuinitatẽ, probatur ex illis Scripturæ locis, quibus planè diuinitas tribuitur Meſsiæ. Quorũ plurima attulimus tomo 1. q. 1. de Trinitate. p. 1. ad confirmandam Chriſti diuinitatẽ. Vt Iſaiæ 25. *Ecce Deus noſter iſte, expectauimus eũ, & ſaluabit nos.* Et cap. 35. *Ecce iſte Dominus, ſuſtinuimus eum. Deus veſter vltionem adducet retributionis, Deus ipſe veniet & ſaluabit vos.* Item Hierem. 33. *In tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ, & faciet Iudicium & iuſtitiam in terra, &c. & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus (Iehoua) Iuſtus noſter.* Et Oſeæ 1. *Saluabo eos in Domino Deo ſuo.* Vbi manifeſtè promittitur ab æterno Patre ad redemptionem hominum ſuus coæternus Filius: Sicut & Zachar. 10. *Confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt.*

Iem Pſal. 2. & 44. vbi de Meſsia etiam Prophetia eſt, manifeſtè diuinitas ei tribuitur, vt patet ex his verbis Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Licet enim alij Sancti viri, filij Dei ſecundùm adoptionem, in Scriptura dicantur: tamen non ita accuratè deſcribitur eorum generatio ex æterno Patre, neq; indicatur ſimiliter generationis aliqua æternitas, ſicut loco citato verbo *Hodiè*, id eſt, permanẽter in æternitate. Item ex illo Pſalm. 44. *Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi, virga directionis virga regni tui.* Quorum Pſalmorum teſtimonia ad probãdam Chriſti diuinitatem, inducit Apoſtolus Hebr. 1. Vt iam alia multa huius generis præteream, quæ poterit videre Lector tomo 1. vbi ſuprà.

SECVNDO, idem etiã contra Iudæos & GENTILES probatur communibus illis rationibus, quibus tota ſumma Religionis Chriſtianæ (cuius vnà pars eſt doctrina huius Myſterij) ſuaderi & probari ſolet tanquam doctrina ſecundùm rectam rationem & prudentiam omninò credibilis. Quæ tamen argumenta, quamuis [illegible] ter probent, Myſteria fidei eſſe *credibil* talia, quæ euidenter oſtendant mo poſsit aliquis prudenter induci [illegible] ſteria fidei: tamen non prob Myſteria eſſe *poſsibilia*, & m ſed tantùm probabilite dem principio fit, vt credibile. Poſsibi rei ratione, qua euidenter o ex motiui

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuenter possunt pro no-
ci. Quo ipso iisdem mo-
ur probabiliter veritas
steriorum eorundem.
opiosè motiua illa &
e Fide.p.4.explicata hac re

iisdem Mysterij posibilitas suaderi
dæis & GENTILIBVS potest *similitu-*
arum quarũdam vnionum rerum diuer-
narum, quæ licet difficiles ad intelligẽdum
iint, creduntur tamen vel propter euidentem
rationem, vel propter probabilem. Inter omnes
autem eiusmodi vniones illa ex D. Thomæ sen-
tentia lib. 4. contra Gentes cap. 41. & Athanasij
in Symbolo, & aliorum Patrum, maximè vide-
tur rationem huius Mysterij credibilem facere,
qua videmus animam & corpus, licet diuersissi-
mæ rationis sint, sic tamen coniungi, vt ex illis
existat vnica substantia, nempe vnica natura hu-
mana. Quid ni igitur persuadeamus nobis, fieri
posse, vt ex subsistentia seu personalitate diuini
Verbi, & humana natura, constet vna quædam
substantia, quæ sit non vna natura, sed vna per-
sona, in vtraque natura, diuina & humana, sub-
sistens?

Ducit etiam Durandus in 3.d. 1. q. 1. similitu-
dinem ex arborum *insitione*. Ea enim fit, vt ex du-
abus diuersis naturis, quarum quælibet sit com-
pleta secundùm speciem, rationemque retineat
suam, constituatur vnũ quoddam vnitate quan-
titatis: Sicut per hoc Mysterium ex duabus etiã
perfectis naturis, quarum vtraque rationem suã
conseruat, existit vna persona vnitate substan-
tiæ & perfectionis, quæ in his, quæ sunt corporis
expertia, nominari solet quantitas *virtutis* seu
perfectionis.

SED rectè nihilominus dicit Caietanus q. 2.
artic. 6. vnionem hanc *insitionis*, non esse simili-
orem nisi secundùm apparentiam & vulgarem o-
pinionem, secundùm quam ex duabus illis na-
turis arborum diuersis videtur per insitionem
fieri quasi vnum suppositum substantiale, cùm
reuera secus sit. Nam vt Aristoteles 5. Metaphys.
docet, quæ sunt eadem numero (id est, quæ con-
stituunt vnum numero Indiuiduum Substan-
tiæ) etiam sunt eadem specie, id est, constituunt
quoque naturam specie vnicam. Quod non fit
in insitione.

taque si rem ipsam consideremus, Vnio ani-
& corporis similior est ob eam rationem,
m antè diximus, scilicet quia ex duobus di-
nępe ex Spiritu & corpore, vna quæ-
a existit, id est, vna natura, sicut in
mana natura & diuina exi-
t suo modo, nempe vna
subsistens. Eatenus e-
t, quod in Atha-
anima rationalis
o vnus est Chri-

stus. Alioquin dubium non est, quin in plerisque
sit dispar ratio; neque enim possumus aliquid
huic Mysterio simile proferre, quod per omnia
quadret.

Confirmat etiam rationem ac posibilitatem
huius Mysterij CYRILLVS Alexand. lib 8. con-
tra Iulianum, circa finem, testimoniis veterum
Philosophorum, & LACTANTIVS lib. 4. cap. 15.
17. & 18. vaticiniis Sybillarum. Et TERTVLLIA-
NVS in Apologetico cap. 21. ex Christi miraculis,
præsertim gestis circa ipsos Dæmones: Quæ ta-
men miracula non omnino euidenter ostende-
bant Christi diuinitatem, propter rationem,
quam reddidi tomo 3. q. 5. de Fide. p. 1.

TERTIO. Euidenti quoque ratione (vt dixi-
mus) probari posse, Mysterium hoc esse posi-
bile, quantum est quidem ex parte eorum, quæ
circa illud naturaliter à nobis sciri possunt (id
est, non obstantibus iis, quæ naturaliter contrà
obiiciantur) demonstramus hoc euidenti argu-
mento: Omne illud est posibile, quantum ipsi
de eo naturaliter cognoscimus, in quo defende-
re possumus, nullam implicari contradictionẽ.
Sed tale est hoc ipsum Mysterium. Ergo est pos-
sibile, quantum ipsi de eo naturaliter cognosci-
mus. Maior est euidens: quoniam quicquid est
eiusmodi, potest intelligi, & consequenter ha-
bet rationem *Entis*: ac proinde per potentiam
diuinam, quæ nullis limitibus in latitudine En-
tis definitur, existere poterit; iuxta illud Lucæ 1.
Quoniam non erit impossibile apud Deum omne ver-
bum, id est, omne id, quod intelligentia posit
concipi sine vlla contradictione & repugnãtia,
quæ sola inintelligibilis est. Minor etiam est eui-
dens. Quoniam tum aliquid, quantum nos co-
gnoscimus de re, est posibile, quando argumẽ-
ta, quæ contra illud fiunt, soluuntur omnia: Pos-
sumus autem (vt priùs diximus, & statim pate-
bit) soluere euidenter argumenta omnia, quæ
contra posibilitatem Incarnationis fiunt. Quo
ipso euidentiam habemus, illud, quantum nos
quidem de ipso cognoscimus, esse posibile, ne-
que implicare aliquam contradictionem.

Et confirmatur eadem Minor: Quia neque
ex parte personæ diuinæ humanitatem assu-
mentis; neque etiam ex parte humanæ natu-
ræ assumptæ, apparet hîc aliqua repugnantia.
Non ex parte *personæ assumentis*. Nam cùm ipsius
personalitas infinitæ perfectionis sit; præclarè
poterit præstare illud idem, quod perfectionis
est in officio personalitatis humanæ, vt scilicet
ex vi eius, tanquam per terminũ & complemen-
tum quoddam substantiale, cohæreat ac existat
humanitas singularis in rerum natura. Id quod
solùm propriè & formaliter pertinet ad ratio-
nem personalitatis: Tametsi cum hac ratione in
personalitate creata coniũctæ sunt quædam im-
perfectiones, quæ remouendæ sunt à personali-
tate Verbi diuini, quatenus humanam naturam
cõplet & terminat substantialiter. Vt quòd per-

sonalitas

sonalitas creata est quiddam *incompletum*, quod
sine natura, quam terminat, non existit: Et quod
eatenus etiam quodammodò pendeat à natura,
cuius est terminus & modus, &c.

Non etiam existit aliqua hîc repugnantia ex
parte humanæ *naturæ assumptæ*; quia scilicet ea as-
seratur vel sine propria personalitate, vel per a-
lienam personalitatem existere. Vtrumq; enim
absq; vlla contradictione intelligi potest. Nem-
pe, & humanitatem sine personalitate propria
existere, & existere seu subsistere per personali-
tatem alienam Verbi diuini.

Existere quidem *sine personalitate propria*: Quo-
niam ratio personalitatis posterior est ratione
naturæ humanę, etiã singularis, vt infra quæst. 4.
p. 2. magis patebit. Intelligitur enim humana
natura singularis esse hoc ipso, quòd est *hæc* di-
stincta à qualibet alia natura; quodq; habet or-
dinem ad hęc aut illa accidentia, quæ sensu in il-
la percipiuntur: Cuius habitudinis siue ordinis
ratione dicimus, *has* carnes, & *hæc* ossa, &c. Per-
sonalitatis autem ratio plus aliquid continet:
scilicet, vt per illam natura sit quid omnino in
latitudine substantiæ completum & determi-
natum, adeoque *incommunicabile*, quòd scilicet
non sit, nec possit esse in alio, à quo in Esse suo
dependeat, vt infra quæst. 4. magis declarabitur.
Constat autem, per potentiam Dei absolutam,
omne prius posse consistere sine posteriori, mo-
dò Posterius non sit aliquid *transcendens* in omni
Ente, vel aliquid *disiunctum*, ex cuius omnimoda
negatione quoad vtramque eius partem, sequa-
tur aliqua contradictio. Vt quòd numerus ali-
quis v. g. nec sit par, nec non sit par, si non est *par*
vel impar; quamuis hoc disiunctum, scilicet *Par*
vel Impar, sit quid posterius, quàm essentia ipsius
numeri. Item quòd linea nec sit recta, nec non
sit recta, si non esset *recta vel curua*, quamuis hoc
disiunctum (*Recta vel Curua*) sit quid posterius,
quàm linea. Cùm igitur Personalitas sit omnino
quiddam posterius, quàm natura (ita, vt nec sit
de naturæ essentia, nec per illam natura defini-
atur) & minimè sit ipsa aliquid *transcendens* in o-
mni Ente, vel aliquid disiunctum; poterit omni-
no natura existere *absque propria* personalitate.

Item posse naturam humanam singularem
per *alienam* personalitatem diuini verbi subsi-
stere, ex eo patet, quod anteà declaratum est, sci-
licet personam Verbi diuini eam perfectionem
omnino habere, vt queat terminare & comple-
re substantialiter humanitatem singularem. Si
enim (vt antè ex personæ diuinæ infinitate osté-
sum est) diuini Verbi psona id humanitati præ-
stare potest; etiam poterit natura id à persona
diuini Verbi accipere. In omni enim Creatura
cogitare licet potentiam, quam Theologi *obedi-*
entialem vocant, vt scilicet fiat in illa, quic-
quid per potentiam Dei in ipsa
fieri potest sine con-
tradictione.

Responsio.
ten.

SED quoniam tu
tum nos de ipsa cognos-
bamus, cùm argumenta,
sibilitatem occurrunt, dilu
& dissoluenda sunt ARGVM
quibus ad maiorem veritatis Ca
cationem obiici potest, in hoc Myst
pugnantiam.

PRIMVM ducitur ex *infinita distantia*, q
inter diuinam personam, & naturam creat
Nam vt aliqua sic vniantur, vt ex eis existat sub-
stantia vnica; necesse est inter illa esse aliquam
proportionem. Sed inter diuinam personam, &
naturam humanam, nulla est proportio. Ergo
nequeũt eo modo vniri. Minor probatur. Quo-
niam est inter hæc duo infinita distantia perfe-
ctionis: Finiti aũt ad Infinitũ non est proportio.

ET CONFIRMATVR hoc ipsum argumentũ.
Nam inter personam diuinam & naturam hu-
manam, sine comparatione, maior distantia est,
quàm inter accidẽs & substantiam creatam v. g.
Sed quoniam tanta est distantia inter accidens
& subsistantiam, nõ possunt illa sic vniri, vt ex his
cõstet aliqua vna substãtia. Ergo multò minꝰ sic
vniri poterunt psona diuina & natura humana.

RESPONDEO. Neganda est argumenti Mi-
nor. Et ad eius probationem dicendum est, pro-
portionem inter aliqua diuersa, posse esse dupli-
cem: Vnã *Geometricam*, cùm assignare possumus
duplam, vel triplam, vel aliã eiusmodi propor-
tionẽ perfectionis esse inter rem vtramq; : Alte-
ram, quã possumus cõmuni vocabulo nomina-
re proportionẽ *habitudinis* seu ordinis alicuius
inter vnum & alterum, ad eum modũ, quo inter
potẽtiam & obiectum proprium consueuimus
dicere esse proportionẽ aliquam: Tametsi hanc
proportionẽ non possumus explicare assignan-
do Geometricè excessum perfectionis vnius, re-
spectu alterius: sed intelligimus hãc proportio-
nem in eo consistere, quòd potentia & obie-
ctum illius, naturâ sua sint talia, vt potentia pos-
sit obiectũ proprium attingere suo modo, quo
modo non potest illud attingere res alia. Ac si-
milem proportionem ordinis seu habitudinis
licet etiam cogitare in caussa & effectu, ob quam
scilicet effectus potest à caussa sua proficisci.

Iam dico, distãtiam infinitã inter aliqua
obstare quidẽ, quò minus inter ea sit p
Geometrica: non obstat tamẽ, quo m
ter ipsa ꝓportio ordinis seu habit
sufficit in ꝓposito, vt intelliga
litate diuina & natura huma
nicã *substantiam primam*, at
natura subsistentem. N
na, & natura human
humana posit à
à termino & co
dere, vt supr

Universidad de Deusto
Biblioteca

…M argumenti negan-
enim *distantia* substantię
,cur ex substantia & ac-
ii vna persona; sed caussa
am non est inter substantiam &
ortio illa ordinis seu habitudinis,
rem requireretur: ac rursus caussa,
portio inter illa nõ sit, non est etiam
istantia; sed ratio naturæ ipsorum, quia
et non sunt talia, qualia ad eum effectum
esse oporteret. Itaque vt aliqua sint, vel non sint
apta ad substantialem vnionem, impertinens est
illa maior vel minor distantia entitatiua.

Atque huius quidem manifestum indicium est, quòd videmus alioqui, quædam, quæ magis distant, quàm aliqua alia, tamen esse aptiora ad aliquas coniunctiones, quàm ea, quæ minùs distant: quia videlicet nihilominus habẽt proportionem dictam secundùm habitudinem seu ordinem. Vt v. g. magis distant forma vna substantialis & materia, quàm duæ formæ substantiales: Et tamen ex forma & materia potest vnica natura substantialis constitui; ex duabus autem substantialibus formis non potest. Item, maior etiam distantia est albedinis & superficiei, quàm albedinis & nigredinis: Et tamen superficies & albedo possunt vniri secundùm idem in eodem subiecto. Albedo autem & nigredo non possunt. Denique substantia & accidens magis distant, quàm duæ substantię: Et tamen substãtia & accidens certo quodam modo (per inhærentiam accidentis) vniri possunt, quo nequeunt vniri duæ substantię; Quę sunt exempla etiam Gabrielis in 3. sent. d. 1. q. 1. art. 3. dubio 1. post Scotum in 3. d. 1. q. 1. ad 3. principale, vbi adfert illud exemplum de albedine & superficie.

Secvndvm argumentum ducitur ex *perfectione & immutabilitate* diuinæ personæ hoc modo: Si persona diuina naturam humanam hypostaticè sibi vniret, omnino *mutaretur*: At persona diuina *mutari* nequit, Malach. 3. *Ego* Devs, *& non mutor*. Et Iacob. 1. *Apud quem non est transmutatio*. Ergo non potest humanam naturam sibi hypostaticè vnire. Maior probatur. Quoniam reipsa aliter se haberet, quàm prius: Esset enim reipsa verus homo, cùm antea non fuisset homo.

Et Confirmatvr hoc idem argumentum. Nam si per posibile vel impossibile personalis creata, priusquam ipsi vnita esset natura humana, existeret, & postea per vnionem hypostaticam acquireret humanã naturam, procul dubio mutabilitas eiusmodi mutaretur, cùm aliquantea, sese habeat. Sed non minùs …ium persona diuina acquireret per vnionem hypostaticam. … mutaretur. Minor proba- … Mysterium perso- … acquireret, non … irmare, quòd es-

A

B

C

D

set homo; sicut affirmamus hoc de persona humana.

Ad hoc argumentum Responderi solet ex D. Thomæ doctrina q. 16. art. 1. ad vltimum, & artic. 6. ad 2. Verbum diuinum etsi de nouo homo fit, cùm antea non esset; propriè tamen non mutari: quia dicitur homo secundùm relationem rationis, qua intelligitur personalitate sua complere & determinare dependentiam naturæ humanæ, quæ sola in hoc Mysterio mutatur, ideoq; habet relationem *realem* ad Verbum, quam significamus, cùm dicimus, ipsam esse Verbo *vnitam hypostaticè*. Verbum autem, cùm vicissim *vnitum* dicitur naturæ humanæ, significatur habere relationem tantùm *rationis* ad humanam naturam, quatenus intelligitur esse terminus illius relationis realis naturæ humanæ ad ipsum. Quæ autem secundùm relationem, præsertim rationis tantùm, de aliquo dicuntur, ea de nouo possunt dici de ipso, sine ipsius mutatione, per solã mutationem alterius. Vt Petrus v. g. potest fieri de nouo *dexter*, hoc ipso tãtum, quòd alter accedat ad illius sinistram, quod est exemplum sancti Thomæ in illo art. 6. ad 2.

Sed hæc responsio non videtur omnino satisfacere. Primo. Quoniam *esse hominem*, non est prædicatum propriè relatiuum, sed absolutum, etiam in proposito. Cùm enim dicimus, Verbum est homo, propriè & formaliter nõ volumus significare, Verbum referri secundùm rationem ad naturam humanã, quatenus intelligitur esse terminus relationis realis naturæ humanæ ad Verbũ, sed esse animal rationale, adeoque substantiam corpoream, viuentem, sensibilem, ratione præditam. Quæ omnia procul dubio sunt prædicata *absoluta & realia*.

Secvndo. Nam cùm S. Thomas ait, Verbum dici hominem per solam relationem rationis in Verbo ad humanam naturam, eo ipso ponit, Verbum hypostaticè vniri naturæ humanæ sine reali sui mutatione aliqua, quæ sit fundamẽtum vllius respectus realis in eo ad naturam humanam. At hoc ipsum oppugnat illud argumentum propositum. Probat enim, Verbum reipsa mutari, quandoquidem reipsa incipit esse homo, cùm antea non esset homo. Atq; ita prius fuisset aliqua ratione declarandum, quomodo Verbum reipsa fiat homo sine mutatione sui, sola relatione rationis ipsi accedente, secundùm quam non mutetur.

Tertio. Quoniam quæstio adhuc manet, Vtrum fundamẽtum illius relationis realis humanæ naturæ ad Verbum, atq; adeò correspondentis relationis rationis in Verbo ad humanam naturam, sit coniunctum cum aliqua reali mutatione Verbi diuini, sicut argumẽtum illud factum concludit esse, propterea, quòd id est coniunctum cum hoc, quòd Verbum *incipit reipsa esse homo*, cùm ante non esset. Ex quo clariùs ap-

paret,

paret, illam responsionem D. Thomæ non omnino esse sufficientem. Nam cùm dicimus, Verbum esse hominem, non ipsam relationem Verbi ad humanam naturam, aut naturæ humanæ ad Verbum, sed aliquid prius in ipso Verbo propriè significamus, nẽpe *absolutum quiddam*, quòd vel sit fundamẽtũ eius relationis, vel certè coniunctum cum eius relationis fundamento.

Caietanus porrò in illa q. 16. art. 6. vt confirmet eam responsionem D. Thomæ, notat, multùm interesse, Vtrum illud, quod de nouo est aut fit homo, sit *subiectum aliquod* recipiens humanum Esse; an verò *persona* iam antè in suo Esse completa. Cùm enim subiectum fit homo, mutatio eius subiecti debet interuenire; quoniam fit homo per transmutationem sui ad Esse humanæ naturæ. Quando autem persona fit homo, ait Caietanus non mutari personam; sed tantùm humanã naturam: quoniam id non fiat per transmutationem personæ ad Esse humanæ naturæ, sed per assumptionem humanæ naturæ ad Esse personæ iam antè præexistentis.

Verum hac ratione exponit quidem Caietanus aliis verbis assertionẽ ipsam veram, nempe personam Verbi diuini non mutari in proposito, quasi ipsa propriè sit *subiectum* humanæ naturæ; non autem soluit argumentum contrà factum. Neque etiam reddit rationem responsionis D. Thomæ. Hoc enim per argumentum illud concludebatur, nempe tunc etiam cùm persona antè præexistens de nouo fit, & est homo, mutari talem personam: siquidem reipsa aliter se habet, quàm prius. Quemadmodum hoc ipso *subiectũ* mutatur, quãdo de nouo fit homo.

Et quod Caietanus subiungit, si quis nõdum in ea doctrina conquiescat, cogitare ipsum debere, Mysterium Verbi incarnati, post SS. Trinitatis Mysterium maximè admirabile esse; rectè quidem monet: Sed nihilominùs diluendum est argumentum, vt aduersus Ethnicos Philosophos defendamus, esse Mysteriũ hoc posibile.

Igitvr ad Argumenti formam vt respondeamus, negãda est Maior. Et ad probationem, dicendum est, mutationem rei alicuius nõ propriè in eo consistere, vt res de nouo fit aliquid, quod prius *aliquo* modo non erat; sed vt sit, vel acquirat aliquid, quod antea simpliciter & *omni* modo non habebat, scilicet neque *in se*, neque in perfectione quadam *eminentiori*; & ad quod proindè fuerit in potentia passiua *simpliciter*: quod in proposito minimè habet locum. Nam Verbum diuinum habebat prius rem & perfectionem naturæ humanæ *eminenter*, sic videlicet, vt posset illã efficere, & etiam sine illa facere quicquid illa, tanquam caussa efficiens, vel coëfficiens, posset facere, id quod est perfectionis in humana natura.

Quòd autẽ *mutatio* in eo, quod diximus, propriè consistat, patet ex eo, quod solet communiter de mutatione dici, scilicet tunc fieri, vt res

A

B

C

D

mutetur, quand… *bet, quàm prius*: Ité… se *Entis in potentia* … gitur, rem, quæ mo… pe *eminenter*) aliquid … mutari, si illud acqui… non simpliciter & abso… Item neq; tunc rem muta… in potentia receptiua sim… quod recipit, vt illo caru… in ipso præcipuæ perfe… facultates efficiendi ali… nibus adiunctis *subiecti*

Atque hoc ipsum subtili… doxè indicauit S. Cyrillus Alexandrinvs in Epistola Synodali Concilij Ephesini ad Nestorium, cùm dixit, modum huius vnionis non debere intelligi secundùm *appositionem coniunctionis*; quasi nimirũ Verbo diuino aliquid per coniunctionem *additum* sit, quo antè caruerit omni modo, & per cuius ideo accessionem fuerit mutatum. Habebat enim, vt dictum est, perfectionem humanæ naturæ *eminenter*.

Quo quidem pacto (scilicet *eminenter*) potentia vitalis minimè in se habet perfectionem vitalis operationis (ne quis forte hoc obiiciat) cuius accessione postea mutatur: Non enim sine operatione vitali potest potentia vitalis efficere quidquid potest cum illa, vt v. g. Habitum, vel Augmentum eius. Quanquam potest quidem potentia vitalis eatenus dici habere virtualiter operationem vitalem, quatenus vt Organum quoddam Animæ potest illam producere. Sed tamen non habet illam eminenter, sicut habet persona diuina perfectionem humanitatis, quæ ideo non mutatur.

Quòd si aliquis aliter vocem *mutationis* interpretetur; & pertinaciter contendat, tunc etiam rem dici posse mutari, quando aliquid, quod prius eo modo eminenter haberet, postea formaliter & secundùm se acquirit; is quidem de nomine tantum certabit. Hoc certum est, id non sufficere ad talem mutationem, qualem communiter intelligimus, quæ scilicet sonet imperfectionem quandam rei, quæ mutetur, & velut *indigentiam necessitatemq; eius, quod de nouo acquirit*, quasi illud aut non antea habuerit vllo modo, aut certè non modo præstantiori. Cuiusmodi mutationem, quod ad rem quidem … oportet remouere à Deo. Quamuis … alia ratione potest sine irreueren… te nomen *mutationis* ad per… commodari, propter co… sum. Sed vt dixi, esset ea …

Ex qua doctrina … rabimus, quemad… sit propriè *pars* … cum humana … non constit… pliciter p…

Universidad de Deusto
Biblioteca

…e natura subsistit, est A
…, vt subsistit in natura
…contineat naturam hu-

…ONEM illius argumenti,
…ret, admisso illo Casu (q
…tas creata præexisteret naturæ,
…eret) ne personalitatem qui-
…ié mutatum iri accesione
…niam natura humana ad
…eatam non se habet, vt
…vt res naturâ suâ & per se
depen… …am suum, quo possit termi-
nari & compleri in latitudine substantiæ.

Et verum sanè est, tunc personalitatem non
mutatum iri, quasi illa per se inciperet de nouo B
esse homo; hæc enim prædicatio: Personalitas est
homo: saltem formaliter est falsa. Videtur tamẽ
illo casu admisso, personalitas mutari posse ad-
uentu humanitatis, quatenus verè tunc dicere-
mus, illam de nouo habere aliquid sibi substan-
ialiter coniunctum, quod priùs neque formali-
ter, nec eminenter habebat, & ad quod proinde
erat in potentia suo modo, vt scilicet per illud
perficeretur, nõ quasi *recipiendo formam*, sed con-
stituendo deniq; cum illo personam vndequa-
que completam, ad quod per se personalitas or-
dinatur.

Itaque ad Confirmationem illam, concessa
Maiori, respondetur, Minorem falsam esse, si
sensus sit, Verbum diuinum ita propriè acquisi- C
uisse, quod anteà non habebat, sicut personali-
tas creata tunc acquireret. Hæc enim, vt dictum
est, acquireret tum id, quod neque formaliter,
neque eminenter habuisset. Verbum autem nõ
item: quia priùs habuit naturam humanam e-
minenter.

Neq; tamen ex hoc discrimine licet id colli-
gere, quod in probatione illius Minoris conclu-
debatur, scilicet non perinde Verbum esse verè
hominem, ac est persona creata homo. Vt enim
verè & propriè Verbũ sit homo, satis est, ipsum
verè & propriè *habere* naturam humanam. Verè
autem & propriè naturam humanam intelligi-
tur habere aliqua persona, non propter hoc, q
illam, cùm anteà nullo modo habuerit, acquirit D
cum mutatione sui, vel alicuius partis, ex qua
ipsa persona constituatur; sed hoc ipso, quòd ip-
sius dependentiam hypostaticè terminat & com-
…nalitate sua: sicut hoc ipso vicissim in-
…aturam humanam haberi & possi-
…) à persona, qua sustentatur.
…gumentum sumitur ex ipsa ra-
…, quæ non videtur posse si-
…e assumi, vt nos anteà
…ra *singularis & indiuidua*
…*nalis* substantia. Sed
…ationalis substan-
…q, est psona. Ma-
…æ, quã ex Boë-

thio libro de duabus naturis contra Nestorium
omnes Theologi acceperunt; scilicet *persona est
rationalis naturæ indiuidua substantia*. Ex quo infe-
runt, *personam* non differre à *supposito vel hypostasi*,
nisi quatenus est substantia *singularis & indiuidua*
intellectualis naturæ, cùm suppositum & hypo-
stasis etiam nominari possit cuiuscunque alte-
rius naturæ indiuidua substantia. Quod si ita est;
vbicunque est singularis & indiuidua substantia
rationalis (qualis vtiq; est humana natura Chri-
sti) fatendum erit esse etiam personam.

CONFIRMATVR. Nam si persona vltra natu-
ram rationalem indiuiduam aliquid continet;
vel id erit re distinctum à natura singulari, vel
distinctum sola formali ratione. Si distinctum
re; sequeretur, aliquam substãtiam esse, quæ nec
sit materia, nec forma, nec compositum ex vtra-
que: id quod videtur absurdum, & contra Philo-
sophum 7. Metaphys. qui substantiam materia-
lem in hæc tria diuidit. Si autem illud, quod præ-
ter naturam indiuiduam continet persona, sola
formali ratione à natura differt; quærẽdum est,
quod nam sit reipsa sufficiens fundamentum, vt
natura indiuidua cõcipiatur sub ea ratione for-
mali, quam super illam addit persona. Nam si
non est aliud præter ipsam rem indiuiduæ & sin-
gularis & rationalis naturæ; consequens erit, vt
vbicunque est res singularis & rationalis natu-
ræ, vt est in proposito, ibi etiam intelligi possit
formalis ratio personæ: atq; ita non poterit na-
tura humana in proposito carere propria per-
sonalitate. Si autem fundamẽtum istius forma-
lis rationis aliquid aliud reipsa est: Quid est il-
lud? Nihil enim præter rem naturæ singularis
videtur assignari posse.

RESPONDEO ad argumentum, negandam
esse Maiorem. Ad probationem autem ductam
ex definitione personæ, respondendum est, duo-
bus modis aliquid dici posse singulare siue In-
diuiduũ. PRIMO, vt indiuiduum sit idem, quod
non commune pluribus, id est, cuius ratio seu con-
ceptus formalis nequeat pluribus accommoda-
ri. Et hoc pacto natura humana à diuino Verbo
assumpta, est singularis & indiuidua. SECVNDO
modo, vt Indiuiduum sit idem, quod *prorsus in-*
communicabile alicui, id est, quod ne modo qui-
dem aliquo possit ab aliquo alio dependere,
per quod subsistat in rerum natura. Et sic natu-
ra humana à diuino Verbo assumpta, non est in-
diuidua. Atq; hoc pacto *Indiuiduum* accepit Boë-
thius, cùm personam definiuit esse rationalis
naturæ indiuiduam substantiam. Quemadmo-
dum clariùs apparet ex definitione alia personæ
ab illa Boëthij, secundùm communem senten-
tiam Doctorum, non differente, quam Richar-
dus de S. Victore lib. 4. de Trinitate tradidit, vi-
delicet: *Persona est intellectualis naturæ incommuni-
cabilis subsistentia*. Quod enim hîc Richardus *in-
communicabile* dixit, appellauit *Indiuiduum* Boë-
thius.

Ex

Ex qua doctrina intelligi potest, quemadmo- A
dum diuersè interpretari possimus, quod ex
sancto DAMASCENO libro 3. fidei Orthodoxæ.
cap. 11. dici solet, Verbum diuinum assumpsisse
naturam humanam *in atomo*, siue *in Indiuiduo*. Si
enim hoc loco Indiuiduum idem sit, quod in-
communicabile; exponenda ea sententia sic est,
vt nõ intelligamus naturam illam fuisse assum-
ptam in aliquo Indiuiduo creato, quod differat
scilicet ab increato supposito diuini Verbi; sed
sensus sit, fuisse à filio Dei assumptam naturam
humanam subsistentem per ipsam subsistẽtiam
Verbi, cui fuit in ipso instanti assumptionis vni-
ta. Quem in modum exposuit illam sententiam
Damasceni S. Thomas q. 4. artic. 2. ad 1. Si autem
Indiuiduum Damasceno ibi fuerit idem, quod B
non commune pluribus, sed *hoc singulare & determi-
natum*; tunc intelligere debemus, Naturam hu-
manam fuisse assumptam à Verbo indiuiduam
indiuiduatione propria & creata. Atq; hic qui-
dem sensus posterior videtur esse magis ex men-
te Damasceni.

AD CONFIRMATIONEM illius tertij argu-
menti nõ potest vno modo ex omnium senten-
tia responderi. Nam conuenit quidem inter o-
mnes, rationem personæ aliquid continere præ-
ter ea, quæ sunt de ratione naturæ singularis, tũ
quia persona significatur in *concreto*, vt habens
naturã; natura autẽ in *abstracto*: tum quia ex fide
constat, filiũ Dei assumpsisse naturam singularẽ,
nõ autem personã. Cæterùm de eo, quod in ra- C
tione personæ additur supra rationem naturæ
singularis, & quomodo hoc idem à natura sin-
gulari differat, diuersæ sunt sententiæ, vt videbi-
mus infrà q. 4. p. 1. vbi amplectemur & cõfirma-
bimus eorum sententiam, qui sentiunt, esse id
aliquid reale & re ipsa distinctum à natura sin-
gulari, neque id repugnare Aristoteli loco cita-
to. Qua sententia nunc supposita, non habet lo-
cum ea difficultas, quam haberet illa argumenti
Confirmatio, si poneremus personalitatem non
addere ad naturam singularem aliquid distin-
ctum re ipsa.

QVARTVM argumentum duci potest ex ra-
tione eius *vnionis*, qua dicimus, posse humanam
naturam & diuinam personam ita coniungi, vt D
psona diuina sit verus Deus & verus homo. Aut
enim hæc *vnio* reipsa nihil aliud est, præter diui-
nam ipsam personam & naturam humanam à se
inuicem non distantes; aut præter rem personæ
diuinæ, & rem naturæ humanæ aliquid aliud re-
ale includit. Si *primum* dicatur; consequens erit,
non solùm Christi humanitatem, sed etiam ali-
orum hominum naturas esse hypostaticè diui-
no Verbo vnitas: quoniam intimè diuinũ Ver-
bum omnibus naturis adest: & præterea sequ-
tur etiã, non posse fieri, vt natura humana Chri-
sti retinens entitatem suam, dimittatur à Verbo
diuino, sic, vt non amplius sit ei vnita hypostati-
cè; quod tamen communiter conceditur fieri

posse. Et Sequela prob…
personæ diuinæ, neq; res…
sti mutaretur; vtpote Indist
semper adhuc manente. E
non potest, vt cùm anteà n…
diuinæ personæ vnita, postea n…

Si autem *secundum* respondeatur,
explicari vllo modo posse, quænam
illa, quam præter rem diuinæ personæ
humanæ singularis, *vnio hæc* includat.
aut illa realitas accederet ad rem diuinæ p…
næ: Et tunc diuina persona mutaretur: Aut ac-
cederet ad rem humanæ naturæ: Et huius nul-
la videtur posse assignari ratio; ad quid scili-
cet humana natura ea realitate indigeret, quæ
neque personalitas creata esset, neque necessa-
ria, vt à Verbo diuino terminari seu suppositari
possit. Sola enim natura singularis, secundùm
illa, quæ sunt ei intrinseca, quatenus singularis
est, terminatur seu supponitur, vt patet. Et de-
niq; in intelligibile videtur, aliqd in natura hu-
mana singulari dari præter personalitatẽ, & sin-
gularitatem, atque speciem suam, & accidentia.

Neq; satis esset hoc loco dicere, vnionẽ istam
cõstare reipsa ex entitate personæ diuinæ, & en-
titate naturæ humanæ adiuncta *negatione*, quod
scilicet natura humana non sit alicui alteri per-
sonalitati vnita. Nam hæc ipsa negatio posset es-
se vera, stante re personæ diuinæ & naturæ hu-
manæ, licet humana natura non esset hypostati- C
cè vnita personæ diuinæ: siquidem communiter
& rectè conceditur, posse per potẽtiam Dei ab-
solutam, naturam singularem conseruari sine
vlla personalitate propria vel aliena; vt conser-
uatur anima rationalis separata.

RESPONDEO, *vnionem* illam formaliter non
esse rem aliquam distinctam à persona diuina &
natura humana; sed est persona diuina & natura
humana, non quomodocunque, sed vt natura
humana in existentia sua pendet hypostaticè à
persona diuina, tanquam à substantiali termi-
no, atque adeò vt re ipsa ab illa, tanquam à sub-
stantiali termino perficitur, & per eam subsistit
incommunicabiliter; Quod totum clarius intelli-
getur ex iis, quæ de ratione huius vnionis ex in-
stituto disseremus q. 2.

Atque ex hac ipsa formali ratione & differen-
tia huius Vnionis à re tum personæ diuinæ, tum
naturæ humanæ (absolutè consideratis) suffi
enter intelligitur, fieri posse per potentiam Dei
absolutam, vt natura humana retinens su…
se, dimittatur à diuino Verbo, nec sit ar…
vnita; si nimirum nõ dependeret amp…
bo, tanquam à substãtiali & perso…
sed diuinitus absque omni perso…
xu (vt sic dicam) conseruaretur.

Quo quidem in casu cogit…
ab æterno statuisse, vt pro e…
tura humana fuisse …
eo in existendo

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo sic penderet. Id
tatione Verbi (quip-
a minimè perficitur, vt
am argumentum anteà
mutationem naturæ hu-
tem, quòd cùm anteà per-
erbo tanquam à substantiali
ino, posteà desineret ita perfici

M argumentum duci potest ex *ter-*
m assignamus vnionis naturæ humanæ, & personæ diuinæ. Nam ex duobus entibus in actu, non fit ens *vnum per se*. Sed persona diuina & natura humana sunt entia in actu. Ergo nō potest constitui ex his *vnum ens per se*; & consequenter neque *substantia prima* seu persona, quæ B in vtraque natura subsistat.

CONFIRMATVR. Nam si hoc fieret; sequeretur, aliquod ens *per se vnum* existere, quod simpliciter & absolutè neq; esset *creatum*, nec *increatum*. Vtrumque enim hoc prædicatum simpliciter repugnaret tali enti *vni*, (scilicet vni personæ subsistenti in natura diuina increata, & humana creata) ratione alicuius partis, ex qua per se cōstitueretur.

RESPONDEO ad argumentum, concedendo quidem, ex duobus entibus in actu, quorum vtrūlibet sit in suo genere perfectum, completum, & terminatum, non posse fieri *vnum per se*; ita enim pronunciatum hoc intelligi debet, scilicet de entibus in *actu completo*. Natura verò humana singularis, qua ratione est assumpta à Verbo, non est ens in actu ita completo, siquidem est in potentia ad *personalitatem*, tanquam ad terminum substantialem. Quocirca ex illa & personalitate Verbi diuini constare potest *vnum ens per se*, id est, vna *prima substantia* seu persona.

Quare ad CONFIRMATIONEM eiusdem argumenti respondeo consequenter, non esse absurdum, vt per potentiam Dei absolutam possit isto modo existere aliqua prima substantia, quæ adæquatè (secundùm omnem videlicet entitatem suam) neque sit quid creatum, neque quid increatum; sed partim creatum, ratione naturæ assumptæ; partim increatum, ratione personæ D assumentis & naturæ eius diuinæ: simpliciter autem persona talis in natura diuina & humana subsistens *increata* dici debet: quia hoc prædicatum refertur simpliciter ad suppositum.

SEXTVM argumētum duci potest ex illo mo-
quendi, quo dicimus, potuisse fieri, vt Ver-
inum naturam humanam *assumeret &*
hypostaticè. Aut enim per hāc assum-
vnitionem, significamus *actionem* a-
nc non fuerit possibile, vt Verbum
rnatum sit, quin etiam sit incar-
iritus sanctus; cùm *opera* Trini-
indiuisa, vt habet dogma The-
nificamus, per assumptionem

illam & vnitionem, aliquam *passionem*; & tunc Verbum diuinum, naturam humanam assumēs, pateretur seu reciperet aliquid: quod est alienū ab eius perfectione.

RESPONDEO. Cùm dicimus, Verbum diuinum potuisse assumere naturam humanam, non vnum, sed plura significari à nobis vocabulo *assumptionis*. Significamus enim tum *actionem* communem totius SS. Trinitatis, qua humana illa natura producta & simul attracta est ad Verbū; tum etiam *passionem* solius humanę naturæ, quatenus ita producta & attracta est ad diuinū Verbum; tum denique aliquid quod est proprium diuini Verbi, scilicet *terminationē* hypostaticam humanæ naturæ, quatenus sic producta & attracta est ad diuinum verbum, vt per solum influxum (vt ita dicam) personalitatis Verbi diuini in ipsam, personaliter subsistat: Sola enim personalitas Verbi propriè & per se primò terminat dependentiam humanæ naturæ suppositalem. Qui influxus, vt communiter Doctores animaduertunt, non est *caussa* propriè dictæ: tunc enim esset communis omnibus personis diuinis; sed est rationis cuiusdam peculiaris, nempe *termini personalis*, quo in genere substantiæ natura completur vltimò.

Quæ res declarari potest exemplo dependentiæ accidentis à *subiecto*, remota imperfectione subiecti, quæ ibi cernitur. Nam intelligimus, accidens nō tantùm esse formam sui subiecti, quæ proinde illud accidentaliter perficiat; sed etiam C esse ens eiusmodi, quod pendeat secundùm sui existentiam à subiecto, & cuius proinde dependentia terminetur à subiecto, non vt à caussa efficiente, neque etiam vt à caussa materiali tantùm, verùm etiam, vt ab ente quodam, quod sit quasi *terminus* illius dependentiæ accidētis. Hac igitur ratione si coniunctionem subiecti & accidentis, atque adeo dependentiam vnius ab altero consideremus, aliquid in ea cernitur simile huius hypostaticæ vnionis.

Imò ex hac quidem parte Gabriel in 3. sentēt. d. 1. q. 1. art. 3. dub. 1. & Ockam in 3. q. 9. initio, & alij censent, vnionem subiecti & accidentis esse omnium simillimam huic vnioni. Si autem vnionis rationem spectemus ex parte termini, qui ex vnitarum rerum coniunctione existit, dubiū non est, quin huic vnioni Verbi diuini & humanæ naturæ sit similior vnio corporis & animæ. Nam vt ex vnione corporis & animæ existit vna substantia & Ens per se: ita etiam ex illa diuina. Tametsi discrimen alia ex parte sit, quòd ex cōiunctione corporis & animæ resultat vna substantia, quæ est *natura*; ex coniunctione autem Verbi cum humana natura existit vna substantia, quæ est *persona*. Nihilominùs vtrobique est similitudo, quoniam vtrobique *vnum per se* resultat. Vnde S. ATHANASIVS: *Sicut anima rationalis & corpus vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus.*

Maneat

Maneat igitur, ad assumptionem aliquid pertinere, quod est commune omnibus personis, nempe *actionem*, & aliquid, quod est proprium Verbi diuini, nempe *terminationē* hypostaticam, vt D. Thomas docet q. 2. art. 9. & q. 3. art. 4. & 5. & præterea aliquid, quod sit proprium naturæ humanæ, scilicet *passionē*, qua est producta & simul attracta ad Verbum. Et consequenter perspicuū est, solum Verbum assumpsisse, non autem alias personas: quia etsi communiter omnes egerunt; non tamen omnes communiter terminauerūt.

POSTREMO aduersus assertionem posibilitatis huius Mysterij, potest obiici, quòd rationes, quibus eam confirmauimus (scilicet quòd natura singularis sit quoddam prius, quàm personalitas, & ita ab illa separari possit; & quòd B perfectio personalitatis creatæ sit eminenter in personalitate diuina, & ideo possit per diuinam suppleri) hæ, inquam, rationes videtur infirmæ, & consequenter etiam neque assertio ipsa satis firmiter constituta. Reiicit enim has rationes Scotus in 3. d. 1. q. 1.

Argumentatur autem ibi art. 3. contra primā rationem hoc modo. Sicut ratio naturæ singularis est prior personalitatis ratione: ita etiam ratio naturæ *secundùm se sumptæ*, prior est, quàm ratio naturæ, quatenꝰ est *singularis*. Sed ex eo, quòd ratio naturæ secundùm se sumptæ, prior sit, quā ratio naturæ singularis, minimè licet colligere, quòd possit existere natura, & non esse singularis. Ergo neque ex eo, quòd ratio singularis naturæ prior sit, quàm ratio personalitatis, concludi poterit, naturam singularem esse posse sine propria personalitate. C

Contra alteram verò probationem argumētatur ibi art. 2. hoc pacto. Sicut personalitas diuina continet eminenter perfectionem personalitatis creatæ: ita etiam natura diuina continet eminenter naturæ creatæ perfectionem. Sed non ideo fieri potest, vt natura diuina in aliquo suppositò creato suppleat vicem naturæ creatæ. Ergo neq; vt persona diuina suppleat personalitatem creatam.

RESPONDEO ad priorem obiectionem, esse disparitatem. Nam *singularitas* rei cuiusq; est aliquid Transcendens, annexum rationi Transcen- D dentium illorum, quæ sunt *Vnum* & *Aliquid*. Per hoc enim est res singularis, quod est *indistincta in se* reipsa (id est, *Vna*) & distincta *à qualibet alia re*, siue indiuidua, siue specifica, siue generica; id quod est re ipsa esse *Aliquid*, Vnum ex Transcendentibus passionibus Entis. Dicitur enim *Aliquid*, quasi Aliudquid. Personalitas autem ita est quid posterius, quàm natura humana, vt minimè sit simul aliquod Transcēdens, seu de ratione Transcendentium. Diximus autem suprà in probatione vltima posibilitatis huius Mysterij; tunc id, quod est prius, posse esse sine Posteriori, quando Posterius non est aliquod *Transcēdens*, seu *disiunctum*, ex cuius negatione inferatur

veritas contradictionis, &
natura *absolutè* cōsiderata, est
singularitas, minimè liceat collige
sa naturam existere sine singularitate
tem, quòd natura est quiddam Prius, quàm
sonalitas, optimè inferatur, posse illam existere
sine propria sua personalitate, vt nos sumus argumentati in illa probatione vltima posibilitatis huius Mysterij.

AD ALTERAM Scoti obiectionem respōdeo, esse quoque disparitatem. Nam habitudo *naturæ creatæ* ad suppositum, per se includit imperfectionem, repugnantem naturæ diuinæ. Quō fit, vt nequeat natura diuina in aliqua substātia seu suppositò vicem supplere naturæ creatæ; atque etiam, vt non liceat colligere, quòd id fieri possit, idcirco quia natura diuina cōtineat omnem perfectionem naturæ creatæ. Hinc enim solùm licet cōcludere, quòd possit natura diuina præstare ea, quæ in creaturis non per se includunt imperfectionem. Imperfectio autem illa, quam habitudo naturæ creatæ ad suppositum includit, est in eo posita, quòd natura dependet & sustentatur à suppositò. Quam imperfectionem certum est, diuinæ naturę non posse competere, respectu suppositi creati. Habitudo verò *personalitatis* creatæ ad naturam (vt scilicet tantū *terminet*, sitque illud, à quo ipsa natura, tanquam à termino dependeat) non includit aliquam imperfectionem repugnātem personæ diuinæ. Vnde fit, vt quemadmodū suprà sumus argumentati, possit persona diuina naturā creatam suppositare.

Et hactenus quidem satis, vt arbitror, probatum atque defensum est, *posibile* esse hoc Mysterium, id est, posibile omnino fuisse, vt Verbum diuinum Caro fieret; Id quod fuit nobis in hoc punctò propositum ad explicandum.

PVNCTVM TERTIVM.

An etiam fuerit peractum hoc Mysterium Incarnationis.

Ad art. 1. D. Thomæ.

MYSTERIVM hoc iam esse peractum, non qualiscūq; assertio fidei Christianæ est, sed eiusmodi, qua veluti firmissimo fundamēto nititur tota Christiana Religio. Est autem nobis confirmada hæc veritas, tum contra Iudæos, tum cō Ethnicos: siquidem vtrique eam, tāquā stianæ Religionis hostes, inprimis ne autem hanc ipsam veritatem potiss uinam reuelationē, qua nostra fid damus; duplex est modus pers liis necdum credentibus, vt s dei præsidio adiuti, eam der

VNVS est, si rationes bo bus meritò ac prudente

Universidad de Deusto
Biblioteca

…e, atque adeo eam verita-
…imonio confirmatam esse, rectè
…I. ALTER est, si scripturæ diuinæ te-
…, quibus diuina reuelatio continetur,
pro veritate hac indicemus. Et valet quidē prior modus contra vtrosque veritatis inimicos, Iudæos & Ethnicos: Posterior autem tantùm contra Iudæos, qui etiā recipiunt Scripturas, & non rationes solas vt Ethnici.

Quod igitur ad RATIONES attinet, inprimis huc pertinēt argumenta illa omnia, quibus cōfirmari in vniuersum solet, verā ac fide dignissimam esse Christianā doctrinā, cuius hic articulus est præcipuus. Quo in genere nos argumenta nouendecim, quæ videtur esse potissima, collegimus tomo 3. q. de fide, p. 4. Propriè autem videntur ad hunc locum pertinere rationes tres præcipuæ, quibus confirmare possumus, Christum Dominum verè fuisse personam huiusmodi diuinam, quæ sit verus Deus & verus homo, atque adeo factum iam esse hoc Mysterium. Harum rationum PRIMA duci potest ex operibus admirabilibus, quę Christus gessit, vt confirmaret, se esse naturalem Dei filium. SECVNDA, ex integritate vitæ & doctrinæ eius. TERTIA, ex calamitatibus atq; ærumnis eorum, qui Christū, quoniam filium Dei se prędicaret, interemerūt, nempe Iudæorum.

Ex PRIMO igitur capite formari potest ratio hoc modo. Si aliqua opera, quæ ad confirmandam diuinitatem suam Christus gessit, diuina virtute patrata sunt; dignissimum fide est, quòd Christus sit verus Deus. At aliqua opera ex illis prorsus fuerūt diuina virtute patrata. Ergo, &c.

Maior probatur. Nam vel Deus propter illum ipsum finem, in quem Christus ea opera referebat, (scilicet vt homines sibi persuaderent Christi diuinitatem) illa opera fecit; vel ob aliquem alium finem. Si propter illum finem, in quem ipse Christus eadem opera referebat, scilicet vt homines illius diuinitatem crederent: Verissimum igitur est, Christū Deum esse. Aliàs Deus in errorem homines de industria induxisset testificatione illorum operum admirabiliū, quod est impossibile, cùm Deus neminem fallat aut fallere possit, vt ostendimus tomo 3. q. 1. de Fide. p. 3. Si autem alius Deo propositus fuit finis illorum operū; eum certè indicasset hominibus, ne alio qui parum conuenienter faceret, vel prouidentiæ suæ diuinæ erga homines, vel suæ sapientiæ ac curæ, quam proprij honoris habet, si …mitteret humanum genus in re tanti mo… eo verisimiliter falli. Quid ni enim pru… nes persuasissent sibi opera tam ad… diuina in eum planè finem referri, …patrator Christus ea spectare testa… vt confirmaretur ipsius diuinitas; …Deum in illis operibus spe… …sus argumento tunc possent …; nec intelligere se à Christo decipi. At nullum alium finem diuinorum illorum operū Deus hominibus indicauit. Non est igitur vllo modo credibile, alium fuisse finem illorum operum diuinorum, nisi istum, quem ipse Christus indicabat, & consequenter verissimum est, Christum fuisse verum Deum, si opera aliqua, quæ gesit, fuerunt diuinitus patrata, vt sumpsimus in illa Maiori nostræ argumentationis.

Minor autem patet. Quoniam euidens etiam à sapiētibus putatur, quatriduanum mortuum Lazarum (vt iam alia opera Christi similia prætereamus) non naturali aliqua, sed diuina prorsus virtute fuisse ad vitam reuocatum. Atque hinc propter huius argumenti vim, quæ planè est maxima, Christus ipse aiebat: *Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me.* Ioan. 10. Et: *Nisi opera fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ioan. 15. Qua de re plura poterit videre Lector tomo 3. q. 1. de Fide. p. 4.

Ex SECVNDO autem capite, scilicet ex integritate vitæ & doctrinæ Christi, sumitur ratio talis: Si Christus falsò contendisset, se filium Dei esse; fieri non poterat, quin aliquem in doctrina errorem, atque etiam aliquod in vita & conuersatione peccatum aliquando admisisset. At nihil potuit illi obiici tale etiam ab Aduersariis illius inuidiosissimis, quos ille, vt se, si possent, de peccato arguerent, etiam prouocauit. Igitur nō contendit falsò, se filium Dei esse.

Maior probatur. Quoniam si falsò id de se prædicasset; necesse fuisset eum fuisse hominem aut maximè improbum; aut certè valde stupidum, qui commentum tale ex errore ac cæcitate conaretur hominibus de se persuadere. Itaque facere non potuisset, quin eam vel improbitatem, vel cæcitatem proderet aliquo vel in vita, vel in doctrina errore.

Deniq; ex TERTIO capite, scilicet ex Iudæorum cladibus, persuaderi idem potest ea ratione. Nam si Christus verè non fuisset filius Dei; maximum procul dubio Iudæi præstitissent obsequium Deo, quòd illum sustulissent, quia se filium Dei faceret, vindicassentque gloriam diuinam, quam ille ad se iniquè transtulisset. Itaque non fuisset diuinæ bonitati consentaneum, vt tam multis, tam diuturnis, tam magnis cladibus Iudæi afficerentur post eiusmodi facinus.

Et accedit, quòd non apparet, eos ob aliquod aliud peccatum tam seuerè puniri. Dubium enim non est, quin sæpè pœnituerit aut pœniteat, saltem eorum aliquos, aliorum facinorum. Itaque fatendum est, eos tam diras & continuas pœnas non luere, nisi propter factū illud, cuius adeo illos non pœnitet, vt etiam de eo glorientur, nempe propter Christi necem, quia se Deum testaretur. Vnde consequens est, vt verissimum fuerit id Christi de sua diuinitate testimonium, quod à Iudæis fuit tam iniquè mulctatum. Sed

de hoc argumentorum genere plura inueniet Lector in nostro 3. tomo, loco citato: & potest etiam videri S. Chrysostomus in libello, Quòd Christus sit verus Deus.

Iam verò cōtra IVDAEOS propriè, possumus ex Scripturis Propheticis, quas illi recipiunt, ducere argumentum hunc in modum: Si Messias in Lege promissus iam aduenit; peractum iam est Incarnationis Mysterium, vt scilicet diuina persona filij Dei sit verus Deus & verus homo. At certissimum est, Messiam in Lege promissum iam aduenisse. Igitur Incarnationis Mysterium iam est peractum. Maior constat ex iis locis, quos p. superiore initio allegauimus, quādoquidem prædictum diuinitus esset, Messiam fore eiusmodi hominem, qui verè quoque sit filius Dei. Minor autem, scilicet Messiam iam aduenisse probanda nūc est, tum ex locis Scripturæ, quibus CONDITIO Messiæ descripta est; tū etiam ex illis Scripturæ testimoniis, quibus indicatum est TEMPVS aduentus Messiæ.

Et quod attinet ad locos primi generis, multa adferuntur ab Eusebio Cęsarienſi libro nono & decimo de demonstratione Euangelica; & à Cypriano libro secundo contra Iudæos; & ab aliis Patribus. Præcipui sunt hi: In Scriptura Prophetica prædictum est, fuisse Messiam futurū ex familia Dauid. Psalmo centesimo trigesimo primo: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et nascituram ex Virgine. Isaiæ septimo: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Et in Bethlehē Iudæ. Micheæ quinto: *Tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël.* Et pauperem atque abiectum. Zachariæ nono: *Ecce Rex tuus veniet tibi, iustus & saluator; ipse pauper.* Ac Isaiæ quinquagesimo tertio: *Despectum & nouissimum virorum.* Et tradendum in mortem pro triginta argenteis. Zachariæ vndecimo: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Et morte turpissima moriturum. Sapientiæ secundo: *Morte turpissima condemnemus eum.* Et cruci affigendum. Psalmo vigesimo primo: *Foderūt manus meas & pedes meos.* Et super vestem ipsius iaciendas sortes. Ibidem: *Super vestem meam miserunt sortem.* Et fuisse resurrecturum. Psalmo quinquagesimo sexto: *Exurge gloria mea, &c. Exurgam diluculo.* Idque die tertio. Oseæ sexto: *Viuificabit nos post duos dies, in die tertio suscitabit nos.* (Quod huc accommodat sanctus Cyprianus libro secundo contra Iudæos capite vigesimo quinto, & sanctus Augustinus libro decimo octauo de Ciuitate Dei, capite decimo octauo) Et ascensurum in cælum. Psalmo sexagesimo septimo: *Dominus in eis in Synai in Sancto. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.* Et missurum fuisse Spiritum sanctum, vt promiserat Iohelis secundo: *Erit in nouissimis diebus, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabūt fu…* gentes ad verum Dei cu… simo quinto: *Ecce testem pop… Præceptorem gentibus. Ecce gentem, qua… vocabis, & gentes, quæ te non nouerunt, ad…* Et fore, vt ad illius aduentum exterminarent idola. Zachariæ decimo tertio: *Erit in die illa, … cit Dominus, disperdam nomina Idolorum de terr… & non memorabuntur vltrà.* Et conditurum legei alteram ac testamentum nouum. Baruch secundo: *Et statuam illis testamentum alterum sempiternū.* Et fuisse repudiandum à Iudæorum populo. Ieremiæ quinto: *Negauerunt Dominum, & dixerunt: Non est ipse.* Quæ omnia & similia non tantùm ex historia Euangelica, sed etiam ex humanis aliis historiis, quæ ab omnibus recipiuntur sine controuersia, constat cōuenire in Christum, qui iam in mundū aduenit. Itaq; fatendum est, aduenisse iam Messiam in Lege promissum, qui nempe fuerit Christus.

Ex Scripturis autem, quæ TEMPVS aduentus Messiæ assignārunt, præcipuè loci sunt tres. PRIMVS est Geneseos 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium.* Hinc manifesta probatio ad institutum sumitur, cùm constet iampridem, sceptrum (hoc est, potestatem regiam) esse Iudæis ablatum, cùm scilicet in Iudęa Herodes regnare cæpit; circa quod tēpus Christus natus est, nempe annis circiter viginti nouem post, atque adeo illo ipso tempore quoad periodum quidem vnius seculi siue ætatis hominis. Aduenit igitur iam pridem, qui mittendus erat, Messias. De quo testimonio videndi sunt Eusebius Cæsarienſis lib. 8. de Demonstrat. Euangelica, cap. 2. & Ioannes Driedo in libro de regulis & dogmatibus, tract. 3. cap. 5. parte 4. & Benedictus Pererius tomo 2. in Genesin, in Disputatione de benedictionibus Patriarcharum: ne nos hoc loco Lectorē remoremur in iis, quæ pertinent præcipuè ad interpretem Scripturæ.

SECVNDVS locus est Daniel. 9. vbi Gabriel Angelus Danieli testatus est, futurum fuisse, vt post septuaginta hebdomadas, vel potius post sexaginta duas (fuerunt enim, vt illic Angelus dicit, abbreuiandæ) *vngeretur sanctus sanctorum, & deleretur peccatum, ac finem haberet iniquitas.* Quocunq; enim modo istiusmodi hebdomadę computentur, certum est, illas iamdudū fuisse transactas. Qua de re legatur item Ioannes Driedo dicto libro de regulis & dogmatibus. tract. cap. 5. parte 4. & Benedictus Pererius in ca… Danielis, & ex veteribus Eusebius in dic… de Demonstrat. Euangelica, cap. 3.

TERTIVS locus est in eodem cap. vbi idem Angelus significauit futu… postquam occideretur Christus … *sanctus sanctorum*, vastaretur Ier… turque desolatio & calamita… esset vsque ad finem mundi

Universidad de Deusto
Biblioteca

…ta duas occidetur Chriſtus, &
… populus, qui eum negaturus eſt, & ciuita-
…ctuarium diſsipabit populus cum duce ven-
…nis eius vaſtitas, & vſque ad conſummatio-
nem & finè perſeuerabit deſolatio. Ex hoc loco proterea licet argumẽtari ad noſtrum inſtitutum: Quoniam omnino vaſtatio Hieruſalem per Veſpaſianum, & calamitas iſta Iudæorum, quam cernimus, eſt illa ipſa, quæ ſecundùm hanc prophetiam eſt duratura vſque ad mundi finem; atque adeo conſequens eſt, vt fateamur, iam Meſſiam aduenisſe, fuisſeque ante iſtam Iudæorum cladem occiſum.

Incredibile namque eſt, calamitatem iſtam, qua nunc Iudæi afficiuntur, eſſe aliquem finem habituram, ſicut habuerunt alię, quas prius ſunt perpeſsi. PRIMO, quoniam eſt valde diuturna, adeoque diſsimilis his, quæ præceſſerunt longè breuiores; vt quæ narratur Geneſ. 15. annorum tantùm quadringentorum. Item Ierem. 29. annorum ſeptuaginta. Item Daniel. 8. dierum mille trecentorum. Hæc autẽ iam annis durat mille quingentis viginti circiter.

SECVNDO, quia cùm alię omnes calamitates priores iſtius populi prędicerentur à Prophetis, ſimul etiam prænunciabatur liberatio, oſtendebaturque illis ſpes, fore, vt in ſtatum priſtinum reſtituerentur; vt conſtat ex locis citatis Geneſ. 15. Ierem. 29. & Daniel. 8. Nullam autẽ eiuſmodi prædictionem ſeu ſignificationem liberationis habent, quæ propriè pertineat ad calamitatem iſtam, qua nunc afficiuntur; atq; ita prorſus eſt illa ipſa, quæ vſque in finem eſt duratura, ſecundùm vaticinium illud Gabrielis, in quo etiam abſolutè deſolatio & vaſtitas prædicta eſt ſine promiſsione liberationis poſtea futuræ.

TERTIO, quoniam nunc non perinde retinent cultum, vt aliàs, quando eorum calamitates erant habituræ finem: quinimo ſunt prorſus à tam multis annorum centuriis exuti ſacerdotio, ſacrificiis, & aliis ad cultum pertinentibus, vt facilè appareat, eos nõ amplius veram & Deo gratam Religionem colere, ſed prorſus à Deo abiectos eſſe, atque adeo nunquam illorum cladem, quam iam cernimus, habituram finem. Accedit, quòd illa etiam prophetia Gabrielis hoc ipſum ſignificatum eſt, fore, vt in illa vaſtitate & deſolatione duratura vſque in finem, ceſſaret ipſius populi cultus. Itaque hæc deſolatio, quæ iam apud eos eſt ſine cultu, eſt illa ipſa, de ua illic vaticinatus eſt Gabriel.

SED nunc eorũ ARGVMENTIS, quibus pro-…conantur, nondum veniſſe Meſsiam, bre-…reſpondendũ eſt. Procedunt enim ex Scri-…Propheticis, carnaliter tantùm, atq; adeo …intellectis. Ac PRIMO argumentantur, …Prophetica ſignificatum eſſe, fore, …ſiæ ſit in ſumma gloria & maie-…non veniſſe Chriſtum.

…, duplicem Meſsiæ aduentum in Scripturis Propheticis prædictum eſſe. VNVM, in humilitate ad redimẽdum humanum genus à peccatorum iugo & ſeruitute Diaboli. De quo Zachar. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi, iuſtus & ſaluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ.* Iſte aduentus iam eſt impletus. ALTERVM, in gloria & maieſtate ad iudicãdos homines in fine ſeculi; De quo Pſalm. 49. *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, &c.* Et Iſaię 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem ſuum, &c.* Hic aduẽtus adhuc expectatur, ad eumque pertinent ea vaticinia, quæ perperam à Iudæis obiiciuntur de gloria Meſsiæ. Errant igitur Iudæi propterea, quòd ad hunc duplicem Chriſti aduentum in Scripturis non attendunt, vt præclarè oſtendit S. CYPRIANVS in libro de Idolorum vanitate.

SECVNDO obiiciunt: in Scriptura itidem ſignificatum eſſe, fore, vt aduẽtu Meſsiæ magnopere lætaretur Iſraël. Quod ſecus conſtat acciditſe in aduentu Chriſti.

RESPONDEO, diſtinctione etiã hîc opus eſſe. Vt enim Apoſtolus ad Rõ. 9. diſputat, *nõ oẽs, qui ex Iſraël, ij ſunt Iſraëlitæ, neq; qui ſemen ſunt Abrahæ, oẽs filij; ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen; id eſt, non qui filij carnis, hi filij Dei; ſed qui filij ſunt promiſsionis, æſtimatur in ſemine,* tanquam veri nimirũ Iſraël filij. Hic Iſraël ſpiritualis omnino lætatus eſt Chriſti aduentu, quamuis non ille carnalis Iudaicus. Quæ verò de lætitia Iſraëlis in aduentu Meſsiæ prædicta ſunt, de ſpirituali Iſraële intelligi debent.

TERTIO item opponunt, futurũ fuiſſe, vt officio Meſsiæ liberaretur populus Iſraëliticus à ſeruitute: Neq; verò id præſtitũ eſſe per Chriſtũ.

RESPONDEO, duplicem etiã eſſe liberationem. Alteram, à ſeruitute peccati, quam Chriſtus attulit: Alteram, à ſeruitute temporali. Scripturæ autem, quæ de liberatione à ſeruitute, per aduentũ Meſsiæ vaticinantur, intelligendæ ſunt de liberatione ſpirituali: ſicut apparet ex Pſal. 71. *Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum.* Item Iſaiæ 53. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, &c. & liuore eius ſanati ſumus.*

QVARTO obiiciunt alia etiam vaticinia, quibus ſignificatur, fore, vt Meſsias populum ſuum vi, armis, atque adeo potentia liberet: Quod nõ fecit Chriſtus.

RESPONDEO, ea ſimiliter ſpiritualiter intelligenda eſſe, de vi ſcilicet & potentia ſpirituali, quæ merito & paſsione Meſsiæ contineretur, valeretque adeo ad ſuperandos hoſtes ſpirituales, vendicandoſq; homines in ſpiritualem libertatem à peccatis, &c. ſicut optimè de hac re diſputat Ioannes Driedo tract. 2. de captiuitate & redẽptione generis humani. cap. 1. memb. 3. diſt. 3.

POSTREMO argumentãtur ex illis locis, quibus ſignificatum eſt, fore, vt ad aduentum Meſsiæ reædificaretur templum: Quod neque per Chriſtum eſt factum.

RESPON-

RESPONDEO, ea de templo ſpirituali, quod eſt Chriſti Eccleſia, atque adeo Iſraël ſpiritualis, intelligi debere. De qua ædificatione agitur in Apocalyp. cap. 20. & 21. Et ſanctus AVGVSTINVS lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 45. manifeſtè oſtendit, non niſi de eiuſmodi templo ſpirituali, quod Deus etiam inhabitat, ſimilia vaticinia intelligi debere; quale eſt illud, quod ibidem tractat ex Aggæo cap. 2. *Maior eſt gloria domus iſtius nouiſsimæ, pluſquã primæ.* Atq; hactenus præcipuis obiectionibus Iudæorum ſatisfactum eſt.

Quòd verò attinet ad Ethnicos, eorum argumenta, quæ poſſunt ex ratione naturali duci cõtra hoc Myſterium, ſuprà punct. ſuperiore diluta ſunt. Putant enim ideo non eſſe hoc myſterium peractum, quoniam ſit impoſsibile. De poſsibilitate autem illic diximus.

Certum igitur ſit, Myſterium hoc Incarnationis impletum iam eſſe in Chriſto vero Meſsia, qui proinde ſit verus Dei filius, & verus homo, ſicut recta fides habet in Symbolo Athanaſij.

PVNCTVM QVARTVM.

An Myſterium Incarnationis fuerit conuenienter peractum, ſpectata ratione ipſius, & præcipuis circumſtantiis.

D. Thomas art. 1. §. 6.

ON probant aliqui, quòd à Scholaſticis Doctoribus diſputetur etiam de cõuenientia Incarnationis: nam neq; incertam, neque etiam obſcuram eſſe, cùm conſtet, nihil à Deo, qui huius eſt author myſterij, niſi optima cum ratione fieri. Sed primùm non ea ſolùm, quæ ſunt incerta, verùm etiam quæ ſunt certiſsima, vtiliter in quæſtionem reuocantur, vt parati ſimus rationem reddere illis, apuod quos vel ſunt, vel eſſe poſſunt incerta.

Deinde, vt videre eſt apud Tertullianum in libro de carne Chriſti, non longè ab initio, & Theodoretum libro 6. de cur. affe. græc. ſub finem, & Athanaſium in Oratione ad Adelphium contra Arrianos, & Origenem libro tertio contra Celſum circa medium, non defuerunt, qui, ſi maximè concederetur, potuiſſe diuinum Verbum incarnari, negarent tamen id eſſe conueniens, eò quòd (vt illi obiiciebant) foret ea ratione, vt quaſi ſordeſceret Verbum diuinum in noſtra natura. His igitur, vt reſpondeamus, non inutiliter à nobis hæc diſputatio ſuſcipitur.

Præterea, cùm conueniens fuiſſe dicimus Myſterium Incarnationis, non illud tantummodo ponimus, quod eſt per ſe clarum, ſcilicet habuiſſe optimas rationes Deum, cuius voluntas ſemper bona & conue… rium perageret; ſed inprimis… rationes eas ab his quoque rebus … quibus hoc factum exiſtit, quibuſ… ſterium continetur, atque etiam ex … cumſtantiis nobis notis. Quod eſt nim… cere, Myſterium hoc ex ipſa etiam *rei nat…* ſe conueniens, & non tantùm ex parte … voluntatis.

SED vt hæc noſtra aſſertio rectiùs intelliga… tur, aduertendum adhuc eſt, duobus modis dici poſſe, factum aliquod ex natura ipſarum rerum, quibus continetur, eſſe conueniens. VNO modo latiùs; ſi ſpectata rei ſeu facti natura, poſsit quouis modo ab illa duci bona ratio, quæ declaret, ſapienter ſic factum eſſe, atque adeo conuenienter rectæ rationi. ALTERO modo preſsiùs; cùm ideo ex re ducitur ratio conuenientię in facto, quoniam ipſa rei natura eſt talis, vt quaſi *exigat & poſtulet* ipſum factum, propter ſingularem aliquam habitudinem ſeu proportionem rei ad illud.

Iam cùm affirmamus, Myſterium hoc eſſe conueniens ex ipſa natura rerum, quibus conſtat, atque etiam circumſtantiarum, priori modo intelligimus: Nam poſteriori modo non ex natura omnium rerum, quibus continetur hoc factum; ſed tantùm ex natura *diuinæ perſonæ* aſſumentis, eſt cõueniens, vt rectè indicauit ſanctus Thomas quæſt. 1. artic. 1. ad 2. & Caietanus ibi, & patebit infrà manifeſtè.

Declarata in hunc modum aſſertione noſtra, proximum eſt, vt eam confirmemus, oſtendendo huius Myſterij conuenientiam ex iis rebus, quibus factum ipſum continetur: itemque ex præcipuis eius circumſtantiis. Hæ verò res ſunt, Verbum diuinum *aſſumens*, Humana natura *aſſumpta*. Circumſtantiæ verò ſunt, *Finis* aſſumptionis; *Tempus*, neque in principio, neque in fine mundi; Genus dignitasq; Virginis, in cuius vtero Myſterium eſt peractum.

A diuino Verbo ASSVMENTE, duci poteſt ratio CONVENIENTIAE huius Myſterij dupliciter. PRIMO, quatenus Verbum diuinum eſt perſona DIVINA, atque adeo ſummum bonum. SECVNDO, quatenus eſt talis perſona diuina, nempe Verbum & FILIVS. Quatenus eſt perſona diuina, hoc pacto: Ad rationem, naturamque ſummi boni pertinet, ſumma ſui communicatio & diffuſio in aliquid aliud. Sed perſ… na diuina eſt ſummum bonum, & Incarn… ſumma diuinæ perſonæ communicatio … naturam, rationemque diuinæ perſon… mè decuit Incarnatio. Quæ eſt ratio … mæ quæſt. 1. artic. 1. Maior probatur. … ad rationem *boni* pertinet *communic* … fuſio, vt docet diuus Dionyſius … uinis nominibus: Ergo ad ratio… ni pertinet *ſumma* ſui comm… quoad priorem partem (ſci…

…im quoddam infinitum, quo ma-
…n non possit esse. Quoad posterio-
partem (quòd scilicet Incarnatio sit
…mmunicatio diuinæ personæ) osten-
…em Minor optimè à Caietano in illo
…lo primo. Quia cùm tribus modis De-
…mmunicauerit se Creaturæ: Primò, se-
…m esse *naturale*: Secundò, secundùm
…*gratiæ*: Tertiò, secundùm esse *suum personale*: ista communicatio tertij modi est summa, siquidem per illam attributum est Creaturæ summum & infinitum donum, quod est ipsum Esse personæ diuinæ.

Sed vt hæc ratio firmior appareat, obiectionibus quinq; satisfaciendum breuiter est, quæ fieri possunt contra doctrinam sumptam in illa. Prima est, quòd non pertineat ad rationem *boni*, aut *summi* boni, illud, sine quo potest & *bonum* & *summum* bonum consistere. Tale autem est sui communicatio *ad Extra* (sicut hic de communicatione loquimur) Ergo hæc minimè pertinet ad rationem boni aut summi boni. Minor probatur. Nam Deus antè etiã, quàm vllo modo creaturæ se communicaret, erat bonus, & summè bonus.

Respondeo. Non ita dicimus, *ad rationem* boni aut summi boni pertinere communicationem sui, quasi hæc sit aliquid essentiæ ipsius intrinsecum; sed quia naturam eius *decet*. Itaque non obstat propositioni à nobis assumptæ, quòd possit bonum aut summum bonum consistere tum etiam, cùm se non communicat.

Secvnda Obiectio. Ad rationem boni, & summi boni, illud tantùm spectare videtur, quod est ipsius perfectio. Sed communicatio boni non est perfectio aliqua boni communicati; sed tantùm eius rei, cui bonum communicatur. Ergo non spectat ad boni rationem.

Ad hoc simili modo Respondendvm est: scilicet ad rationem boni & summi boni, ideo dici spectare sui communicationem, quia peculiariter ipsam decet; non autem quia sit perfectio propria ipsius boni. Hoc enim maximè quoque bonum decet, vt alia perficiantur per communicationem ipsius: sicut rectè Caietanus in illo articulo declarauit.

Tertia Obiectio. Vt maximè ad rationem boni spectet sui communicatio: tamen intelligendum hoc erit de communicatione non …cunque; sed per modum *finis*, quatenus bo… scilicet mouens appetitum efficientis, dif… t se quodammodo ad illum. Igitur non li… de colligere, quòd bonum debeat se …icare aliis modis, scilicet vel *efficienter*, …vt in proposito; cùm istæ rationes …i se planè sint disparatæ, respe… onis boni. Est enim propria ratio boni, ratio *finis*, seu *appetibilis*; non autem ratio efficientis, aut personæ, seu termini hypostatici.

Respondeo, verum esse, quòd ratio propria boni sit tantùm ratio *appetibilis*; ac proinde tanquam de intrinseca ratione ipsius, non aliam communicationem ad eius naturam spectare, nisi per modum *finis*. Sed ex hoc ipso est aliud quiddam consequens, quod seruit nostro proposito, quodque ideo in nostra ratione assumimus, videlicet quamcunque sui communicationem, siue per modum efficientis, siue per modum hypostatici termini, pertinere ad naturam boni, non quidem tanquam quid intrinsecum eius essentiæ, sed tanquam id certè, quod eius naturam *decet*. Nam quia bonum ex propria ratione communicat se tanquam finis; maximè etiam illi conueniet, vt se, si possit, communicet quoque aliis modis. Sic enim fiet, vt ab iis rebus, quibus se aliter communicauerit, appetatur, vt finis & bonum; atque adeo, vt se illis consequenter communicet secundùm propriam suam rationẽ finis. Est enim hoc rebus omnib. naturale, vt à quibus rebus aliquo modo perficiuntur, in eas maximo appetitûs impulsu ferantur.

Qvarta Obiectio. Non videtur ex communi conditione boni rectè concludi determinatè, quòd personam *diuinam* maximè deceat sui communicatio in proposito. Est enim persona diuina planè libera; atque ita non videtur par esse illius ratio, & aliorum bonorum naturalium, quæ necessariò & naturaliter se communicant.

Respondeo cum Caietano vbi suprà, rectè ita concludi: quoniam illa conditio (scilicet sui communicatio) non tantùm huic aut illi bono cõuenit; sed bono communissimè considerato; sub quo perspicuum est cõtineri quodcunque bonum, siue naturale, siue liberum. Quare cùm bonum communissimè consideratum communicet sese; rectè hinc colligitur, quodcunque bonum conuenienter communicare se iuxtà naturæ suæ modum, scilicet liberè, si sit liberum, vt in proposito; aut naturaliter, si sit naturale.

Qvinta Obiectio. Summa communicatio, illa potius esse videtur, qua vna persona in diuinis communicatur alteri *ad Intra* per processionem. Ergo ex eo, quòd persona diuina sit summum bonum, tantùm licet colligere, quòd conuenienter se isto modo communicauerit: sicut Pater ita se ab æterno communicauit Filio, & Filius ipse Spiritui sancto, spirando illum vnà cum Patre.

Respondeo. Etiam Incarnationem esse communicationem summam in suo genere, nempe *ad Extra*. Ideo bene argumentamur, eam

decere

decere diuinam personam, vt est summum bonum; quoniam decet summum bonum, vt omnibus modis possibilibus se summè communicet: sicut & bonum decet, generatim loquendo, vt se communicet omnibus modis, quibus potest. Bona igitur est illa ratio, quam pro conuenientia huius Mysterij duximus à Verbo diuino assumente, quatenus est *diuina* persona.

Vt autem est persona *talis*, nempe diuinum Verbum, & filius, probatur etiam Incarnationis congruentia à B. Thoma quæst. 3. artic. 8. & ab aliis Patribus. Primo. Quia conueniens fuit, vt Verbo, per quod *omnia*, tanquam per exemplar quoddam *facta sunt* (Eccles. 17. & Ioann. 1.) creatura vniretur; quoniam illius peculiariter exprimit similitudinem; & quæ sunt similia, conuenientius vniuntur.

Secvndo. Quoniam maximè decuit, vt illa persona iungeretur naturæ humanæ, per quam genus humanum peculiari quadam ratione docendum erat. Ea verò persona est Verbum diuinum: iuxta illud Sapient. 1. *Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelsis*. Ita enim à Patre æterno sumus per suum Verbum edocti, sicut discipulus docetur verbo Magistri, ait diuus Thomas. Hanc rationem attigit etiam Clemens Alexãdrinus in Oratione adhortatoria ad Gentes, non longè ab initio, & sanctus Basilivs in homilia de principio Euangelij Ioannis, in fine, & sanctus Avgvstinvs lib. 15. de Trinitate, cap. 11.

Tertio. Quoniam scopus Incarnationis fuit instauratio diuinæ imaginis, quæ in nobis erat per peccatum obliterata, atq; adeo adoptio filiorum Dei, ad quam admissi sumus. Itaq; maximè decuit incarnari Verbum diuinum, quod est naturalis imago Patris, idemq; cõsubstantialis Filius; vt ita imago illa in nobis, quasi *impressione diuini sigilli* repararetur, sicut indicauit Clemens Alexandrinus in Oratione exhortatoria ad Gentes, sub finem, & sanctus Basilivs libro 5. contra Eunomium, ante medium. Et clarius sanctus Athanasivs in libro dè Incarnatione Verbi, & corporali eius ad nos aduentu. *Vt enim*, inquit, *forma aliqua in tabulis depicta, sordibusq; aliunde superiniectis obliterata, instaurari nequit, nisi eius præsentia adhibeatur, ad cuius speciem primitùs tabula depicta fuit, &c. Eodem modo ille vndequaque bonus Patris filius, imago & character Patris, ad nostras regiones profectus est, vt hominem, ad sui similitudinem factum denuò reficeret.* Item fuit id conueniens, vt per filium naturalem, adoptionem filiorum reciperemus. Ac possunt hac de re videri plures rationes apud Anselmum in libro de Incarnatione Verbi, præsertim cap. 4. & lib. 2. Cur Deus homo, cap. 9. & Damascenum lib. 3. fidei Orthodoxæ, cap. 1. & apud Bernardum serm. 1. de Aduentu, & Richardum de S. Victore in tractatu de Incarnatione Verbi, capite 8. & seq.

Iam verò ex parte natu…
…ptae, ideo fuit Incarnatio co…
…niam in ea videre est tum dignit…
…am necessitatem assumptionis, vt in…
…mus quæst. 4. Deinde etiam quoniam,
…giè Caietanus quæst. 1. artic. 1. declarat,
…tione factum est, vt persona diuina toti vniue…
quodammodo se communicauerit; siquidem humana natura gradibus omnibus rerum continetur. Quam ob caussam homo in Scriptura sacra solet intelligi nomine *mundi*, sicut in illo loco, qui ad communicationem hanc diuinæ personæ per Incarnationem spectat, Caietanus intelligit: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, Ioannis 3. Et D. Avgvstinvs lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 11. ita declarat illud Matth. 5. *Vos estis lux mundi*, id est, hominum, qui mundus dicuntur. Sic etiam Gregorivs homil. 29. in Euangel. interpretatur illud Marci 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, id est, hominibus, in quibus existunt gradus omnes aliarum creaturarum. Fuit igitur ex hac parte conueniens Incarnatio; vt ex parte quoque naturæ assumptæ esset *summa* communicatio, qualis decet summum bonum, vt suprà dictum est.

Præterea fuit etiam conueniens hoc Mysterium, ratione Temporis, quo peractum est: scilicet neque in principio mundi, neque in fine. Nec enim decuit fieri in principio. Primo. Vt homines diuturnioribus malis conflictati magis agnoscerent infirmitatem naturæ suæ, & clamarent ad Medicum, sicut Glossa notat ad Galat. 3. Deinde. Vt ab imperfecta ratione legis, tum naturalis, tum Mosaicæ, traduceretur genus humanum ad perfectionem legis gratiæ. Iuxta illud 1. Corinth. 15. *Non prius quod spirituale est, sed quod animale.* Tertio. Vt ob eam expectationem pluris postea ab hominibus fieret summum id beneficium. Nam vt Avgvstinvs tract. 31. in Ioannem, inquit, *quanto maior Iudex veniebat, tantò præconum series longior præcedere debebat.* Postremo. Ne tam citò inciperet hominum fides post acceptum Incarnationis beneficium tepescere, sicut est futurum, maximè sub mundi finem Matth. 24. His rationibus probat id bene D Thomas q. 1. artic. 5.

Quòd autem fuerit etiam conueniens, ne Incarnatio differretur vsque ad *mundi finem*, asserit eadem quæst. art. 6. Id enim fuit conducibile Primo, Vt plures perfici possent per gr… tiam Incarnationis. Secvndo, Ne notitia … & mores penitùs deprauarentur tam long… latione. Tertio, Vt pluribus manifes… Dei bonitas in hoc Mysterio per fidem …tùm venturi, sed etiam præteriti Mes… …statur autem perfectio Dei in hoc … …ribus modis, sicut apparet ex illa … masceni lib. 3. fidei Orthodo… *carnationem*, inquit, *monstratur*

Universidad de Deusto
Biblioteca

potentia seu virtus Dei. Bonitas: quoniam
xit proprij plasmatis infirmitatem. Iustitia:
omine victo, non alio, quàm per hominem, se-
nci Tyrannum; neque vi eripuit ex morte homines.
ientia: quoniam inuenit difficillimi precij decentis-
simam solutionem. Potentia: quoniam nihil est maius,
quàm Deum fieri hominem. Atque hoc idem ostendit luculenter ante Damascenum sanctus Gregorius Nyssenvs in Oratione catechetica capite 24. 25. & 26.

Peracta est igitur Incarnatio conuenientissimè in medio temporis; iuxta illud Habacuc 3. *In medio annorum notum facies*. Non quidem in *medio* Mathematicè & indiuisibiliter (tunc enim liceret certò supputare & cognoscere, quãdonám esset futurus quoque mundi finis, extremumque Iudicium, quod nemo scit) sed in media certè temporis parte, tametsi magis versus mundi Senectam vergente. Propter quod à beato Augustino lib. 1. Retract. cap. 26. & ab aliis Patribus communiter dicitur, venisse Christum in *sexta* mundi ætate, quæ est velut senecta in homine.

Cuius rei congruentiam confirmat etiam S. Gregorius Nyssenvs pulchra ratione, in Oratione de Natali Christi: *Quòd extremis*, inquit, *temporibus Dominus apparuerit, hanc meritò fortasse causam quispiam existimabit, quòd qui malitiam vt tolleret, humanam vitam ingressurus erat, expectauit necessariò, vt omne ab inimico satum propagatumq; peccatum germinaret, ac tunc demùm, vt legitur in Euangelio, radici securim admouit.* Id quod illustrat exemplo præstantis Medici, qui vehementiorem medicinam nõ adhibet, donec morbus ad summum peruenerit. Hæc igitur est causa, quare Christus in mundi senecta venerit.

Quanquam & illud ipsum tempus, quo venit, dicitur etiam ab Avgvstino lib. 83. qq. quæst. 44. quasi mundi *iuuentus*, alia ratione, nimirum propter feruorem fidei per dilectionem operantis, quam Christus attulit, & præstitit hominibus aduentu suo, vt explicuit idem Augustinus lib. 1. Retract. cap. 26. & D. Thomas hîc artic. 6. ad 1.

Fuit quoq; conueniens hoc Mysteriũ ex parte Virginis, in cuius vtero est peracta Incarnatio. Tum propter eximiam eius dignitatẽ; siquidem tantum gratiæ & sanctitatis habuit, vt congruè potuerit esse Dei Mater: vt B. Thomas docet q. 2. art. 11. ad 3. Tum etiam quatenus erat ex stirpe Adæ. Nam quamuis potuisset Verbum diuinum aliunde carnem sumere, quàm ex illa stirpe, à se
licet formatam: tamen vt Avgvstinvs lib.
de Trinit. cap. 18. & Anselmus lib. 2. Cur Deus
o, cap. 8. notant, *decuit, vt de ipso, quod victum*
enere assumeret hominem, per quem generis hu-
t inimicum. Quod B. Thomas q. 4. ar-
rmat Primo, vt hac ratione ille ipse
qui peccauerat, satisfaceret, vide-
quæ de ipsius stirpe assumeretur.

Secvndo, vt honoraret humanum genus, si victor exiret ex eodem ipso genere, quod fuerat victum. Tertio, vt diuina potentia & bonitas magis eluceret, quòd ad tãtam dignitatem fuerit natura infirmæ stirpis euecta.

Qua ex ratione facilè est respondere ad argumentum Gentilivm, qui, vt initiò diximus, obiiciebant, sic fore, vt Verbum diuinum in carne nostra sordesceret. Respondetur enim, hanc vnionem minimè talem esse, vt naturæ sordibus inquinetur Verbum diuinum; sed vt eam maximè perficiat, in eaque declaret diuitias bonitatis & potentiæ suæ. Rectissimè enim Theophilvs apud D. Thomam q. 5. art. 2. ad 3. *Vt artifices*, inquit, *optimi non in preciosis tantùm materiebus artẽ ostendentes, in admiratione sunt; sed vilissimum lutum & terram dissolutam assumentes, suæ disciplinæ demonstrantes virtutem, multò magis laudantur: ita omnium optimus artifex Dei Verbum, non aliquam preciosam materiam corporis cœlestis apprehendens ad nos aduenit, sed in luto magnitudinem suæ artis ostendit.*

Porrò ex Incarnationis Fine dubium esse nequit, quin fuerit hoc Mysterium conuenientissimum. Venit enim Christus Dominus (vt infrà quæst. 22. dicemus latiùs, cùm de ipsius efficaciis agetur) *quærere & saluum facere, quod perierat*. Et vt Damascenus lib. 3. cap. 1. ait, *inuenit hac ratione Deus difficillimi precij decentissimam solutionem*.

Neque tamen ipsa Incarnatio ordinata est ad salutem nostram, tanquam in finem vltimum (cùm ipsa etiam nostra salus referatur vlterius in Dei gloriam) nec tanquam in finem particularem *perfectiorem* ipsa Incarnatione; sed hominibus quidem ipsis necessarium, & perficiendum per ipsam Incarnationem, iuxta dicta à nobis Tomo tertio disputat. 7. quæst. 6. punct. 3. vbi explicauimus, quomodo diuinum etiam testimonium ordinetur ad finiendas humanas cõtrouersias, licet hoc ipsum sit quiddam minus quàm testimonium diuinum.

Ex quibus omnibus satis intelligi potest illud, quod initio asserebamus, posse quidem pro conuenientia Incarnationis duci rationes bonas ex iis omnibus rebus, quibus factum ipsum continetur, ac præcipuis circumstantiis eius, licet non ita, vt omnes eæ res siue circumstantiæ requisiuerint, & quasi *exegerint* istud factum; sed sola diuina persona assumens. Eo namque modo non nisi ex parte diuinæ personæ assumentis, conuenientia eiusmodi probari potest; quoniam, vt suprà argumentabamur, sola persona diuina, eò quòd est summum bonum, habet proportionem quandam cum hoc facto. Natura verò humana non habet nisi potentiam quandam obedientialem ad illud; cùm planè sit suprà ipsius naturam, sicut & suprà rationem cuiuslibet alterius circumstantiæ ex dictis.

Quod

Quod quamuis ita sit, tamen non ideo dici potest, ex parte naturæ humanæ, vel aliarum circumstantiarum, fuisse hoc Mysterium *inconueniens*: quinimmò ea est quoque humanæ naturæ ratio & aliarum circumstantiarum, vt ex ipsis quoque fuerit conueniens, loquendo de conuenientia ex natura rei latiùs, sicut initio declarauimus, & probatum est hactenus.

Vt enim egregiè notat Caietanus quæst. 1. artic. 1. aliud est, Incarnationis Mysterium ex parte naturæ humanæ, non fuisse conueniens illo peculiari modo, quo fuit conueniens ex parte personæ assumentis: aliud autem, ex parte naturæ humanæ fuisse inconueniens: Primum verum est, & verè dicitur à sancto Thoma in illo artic. 1. in solutione secundi argumenti. Secundum neque verum est, neque à S. Thoma dicitur.

PVNCTVM QVINTVM.

An Mysterium Incarnationis fuerit non modò conueniens, sed etiam necessarium, spectando eius finem, scilicet redemptionem generis humani ex seruitute peccati?

D. Thomas art. 2.

Principio minimè est dubitandum, quin salus & redemptio nostra fuerit Finis & fructus Oeconomiæ Dominicæ Incarnationis. Induit enim carnem Verbum diuinum, & ad nos homo factus venit, *vt quæreret & saluum faceret, quod perierat*, Lucæ 19. viamq; adeo pararet nobis, qua possemus in beatitudinem æternam peruenire.

Quo testimonio abundè refutatur insanus error Petri Abailardi, qui teste D. Bernardo epistola 190. negauit, *Christum ad hoc in mundum venisse, vt homines redimeret ex seruitute peccati, & potestate Diaboli*: Sicut sensit antea quoque quidam Basus, vt referunt Philastrius, & ex illo Alphonsus à Castro V. Christus. hæresi 8. Et idem senserunt quidam Pelagiani, vt refert Cassianvs lib. 1. de Incarnatione, cap. 3. Quod delirium aliis etiam euidentissimis Scripturæ testimoniis refellitur illic à S. Bernardo, & à nobis quoque ex instituto confutabitur infrà quæst. 22. vbi agemus de officio Christi Redemptoris, & aliis eius muneribus.

Sed cùm certum sit, Christum venisse propter salutem & redemptionem nostram, nonnullæ tamen quæstiones hoc loco existunt circa præcipuum istum finem & fructum Dominicæ Incarnationis (scilicet salutem nostram) ex quarum explicatione apparebit, quatenus fuerit vel non fuerit necessarium ad eu
rium Incarnationis.

Itaque Qvaeritvr Primo, a
mnino potuissemus sine Christo, & sn
ctione, quam ille pro peccatis nostris o
consequi salutem? Et videtur, nos non aliter
tuisse saluos fieri. Primo. Quoniam remitt
re nobis peccata sine iusta compensatione iniu-
riæ illatæ, fuisset iniquum. At nihil iniquè potuit omnino Deus facere. Ergo, &c. Maior probatur. Quoniam iniquè facit iudex, si relinquat peccata impunita, citra conuenientem satisfactionem. Sed ad Deum tanquam ad mundi Rectorem & Iudicem hominum, pertinebat punire peccata hominum. Ergo, &c.

Secvndo. Quoniam ita sensisse videntur aliqui Patres. Vt Athanasivs in Oratione ad Maximum Philosophum, & Fulgentius libro 1. ad Trasimundum ante medium, & Lactantius lib. 4. diuinarum institutionum, capite 24. & 25. & Anselmus lib. 1. Cur Deus homo, cap. 5.

Sed Respondeo nihilominus, potuisse nos omnino diuino beneficio salutem consequi, etiã sine Christo: Quæ est sententia certissima, & cõmunis omnium Theologorũ, quam defendit D. Thomas hîc artic. 2. & Alexander Alensis 3. part. quæst. 1. artic. 1. membr. 4. & Altisiodor. lib. 3. tract. 1. cap. 8. & Albertus Magnus in 3. d. 20. art. 1. & alij eadem distinctione.

Probatur autem Primo. Quoniam Scriptura vbique ita indicat, cùm significat, eum modum, quo liberati sumus, pertinuisse ad *liberam* quandam & *abundantem*, ideoque non prorsus necessariam, charitatem Dei. Vt Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Et ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. Et ibidem: *Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia*. Et ad Ephes. 2. *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos; & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, &c.*

Secvndo probatur ex Patribus. Sanctus Athanasivs serm. 3. cõtra Arrianos post medium: *Poterat*, inquit, *sine vllo aduentu Christi, solummodò loqui Deus, & soluere maledictionem. Cæterùm spectandum est isthic, quid hominibus sit vt non quid situm sit in viribus Dei.*

S. Gregorius Nazianzenvs Orat
in Pascha, cùm dixisset, Patrem æternum
se redemptionis nostræ precium; illicò subi
quòd eo opus habuerit, verùm quia diu
ita ferebat, &c.

S. Avgvstinvs lib. 3. de Tri
damus, inquit, non alium mod
randi nos) Deo defuisse, cuiv

Universidad de Deusto
Biblioteca

…d sanandæ nostræ miseriæ conuenientiorem … A
…uum non fuisse, neq; esse potuisse. Et libro de
Christiano, cap. 11. *Sunt autem* (inquit)
isqui dicunt: Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex fœmina, & à peccatorib. omnia illa pateretur? Quibus dicimus: Poterat omnino: Sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret.

S. Leo serm. 2. de Natiuitate Christi: *Verax namque* (inquit) *misericordia Dei, cùm ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimùm consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus Diaboli non virtute vteretur potentiæ, sed ratione iustitiæ.*

Sanctus Gregorius lib. 20. Moral. cap. 26. De Mediatore Dei & hominum loquens: *Cùm posset*, inquit, *nobis etiam non moriendo succurrere, subuenire tamen moriendo voluit.* Et infrà: *An non in diuinitatis suæ diuitiis nobis inuisibilis permanens miris nos potuit virtutibus ditare? Sed vt ad internas diuitias rediret homo, foràs apparere dignatus est pauper Deus.* B

Tertio probatur ratione. Nam quod in hac re sine contradictione & peruersitate fieri potuit; omnino potuit fieri per absolutam Dei potentiam. Sed vt nobis absque satisfactione Christi dona gratiæ tribuerentur, remitterenturque peccata & offensæ, fieri potuit sine vlla contradictione & peruersitate. Ergo, &c. Minor probatur. Quoniam satisfactio, quæ est per Christum exhibita, non est de essentia donorum gratiæ; neque dona gratiæ sunt de essentia illius satisfactionis. Ergo citra implicationem contradictionis potuissent dona gratiæ nobis tribui, atque adeo remitti offensa, non existente illa Christi satisfactione. Quòd autem id etiam sine peruersitate fieri potuerit, patet: Quia fuisset actus meræ misericordiæ, & liberalitatis diuinæ, dimittere offensam sine satisfactione æquialente; atque ita minimè peruersè, sed bene quoque id factum fuisset, vtpotè secundùm eas virtutes. C

Ac simili argumento (vt hoc obiter annotemus) conuinci potest, non fuisse simpliciter necessarium, vt genus humanum vllo modo liberaretur à peccato (scilicet vel per Christi satisfactionem, vel aliter) sed potuisse à Deo relinqui in peccato. Nam neque id implicasset contradictionem, nec fuisset absurdum Deo; siquidem ipse homo culpa sua, & libero suo arbitrio se contaminauit peccato, & eo ipso meruit deseri …eo in peccato, & pro eo puniri. Vnde Sap. 12. D
…us tibi, inquit, *imputabit, si perierint nationes, quas …isti? Non enim est alius Deus, quàm tu.*

…ue obstat, quod aliqui Patres dicunt, fuis… …rium liberari hominem à peccato, ne …decenter & indignè opus Dei mane… …um, & quasi deforme per culpam. …vs Alexandrinus lib. 5. Thesauri, …anasivs in Tractatu de Incar… natione Verbi, & corporali eius ad nos aduentu, pag. 3. & S. Anselmvs lib. 1. Cur Deus homo, cap. 4. Intelligenda namque sunt huiusmodi Patrum dicta de necessitate, non simpliciter, sed *ad eum finem*, vt in opere Dei (scilicet in ipso genere humano) cerneretur peculiaris quidam decor & dignitas decens singulariter opificis bonitatem.

Ad Primvm autem argumentum, quo probabatur, necessariam fuisse Christi satisfactionem, vt humanum genus liberaretur à peccato, neganda est Maior, sumpta vniuersè. Etenim licitum est quandoque supremo Iudici (qualis in primis est Deus) cõdonare propter bonas causas pœnam debitam; maximè si idem Iudex fuerit persona offensa, velitque gratis remittere iniuriam sibi illatam. Vtroque autem nomine potuisset in proposito nostro id facere Deus: siquidem etiam fuit supremus Iudex, & ad illum propriè pertinuit offensa: iuxta illud Psal. 50. *Tibi soli peccaui*.

Ad Secvndvm respondeo, eiusmodi sententias Patrum intelligi posse de necessitate nõ absoluta & simpliciter; sed vt res conuenientius fieret, sicut rectè notat etiam D. Thomas artic. 2. & patet ex his, quæ suprà de conuenientia Incarnationis sunt explicata. Vel certè loquuntur de necessitate quadam *immutabilitatis*, præsupposito decreto Dei, qui non aliter hominem liberare statuit, nisi per Christi satisfactionem. Quo pacto exponit & admittit Gabriel in 3. distinct. 20. quæst. vnica disputationes Anselmi de hac re in duobus libris, *Cur Deus homo*. Item possunt eiusmodi Patrum sententiæ intelligi de necessitate satisfactionis Christi, ad eum quidem finem, vt homo liberaretur, non quomodocunque; sed simul faciendo satis iustitiæ diuinæ. Sic enim omnino verum est, non potuisse hominem à peccato liberari, nisi per Christum, vt paulò pòst docebimus.

Secvndo Qvaeritvr, Vtrum etiam per *aliqualem* satisfactionem potuissemus consequi salutẽ sine Christo? Et breuiter Respondendvm est, potuisse: Neque de hoc debet esse vlla controuersia. Ratio est. Quoniam satisfactio *aliqualis* etiam censetur illa, quæ licet æquialens non sit, acceptatur tamen liberaliter à persona offensa, ad eum finem, vt propter illam velit condonare iniuriam. Talem autem satisfactionem, dubium non est, quin pro peccatis humani generis potuisset aliquis purus homo exhibere Deo, rectis videlicet aliquibus obsequiis, quæ Deus ad eum finem benignè voluisset acceptare.

Tertio Qvaeritvr, An etiam per satisfactionem, *æquialentem* ipsi offensæ, potuissemus sine Christo salutem consequi? Fuerunt enim nonnulli Doctores, qui sic sunt opinati. Vt Scotus in 4. d. 15. q. 1. art. 2. & Gabriel in 3. d. 20. quæst. vnica, art. 2. & Caietanus hîc artic. 2. ad 2.

Quo-

Quoniam offensa Dei non habet infinitatem, nisi *secundùm quid*, scilicet ex parte obiecti, seu diuinæ personæ infinitæ, cui est illata iniuria per peccata: Sed aliquod opus bonum puri hominis, præsertim gratiâ ornati, potuit sine Christo similiter habere infinitatem quandam bonitatis ex parte obiecti. Ergo per illud potuisset fieri Deo satisfactio æquialens. Minor probatur. Quoniam actus charitatis est quædam conuersio in Deum infinitè bonum, eatenusq; habet infinitam quodammodo bonitatem: sicut peccatum infinitam malitiam, vt est auersio ab eodem infinito Deo. A

Nihilominus contraria sententia est communior & verior: quam defendunt Albertus in 3. sentent. distinct. 20. articulo tertio, & Bonauentura eadem distinct. quæst. 3. & 4. & Durandus eadem dist. quæst. 2. & Capreolus quæst. 1. artic. 2. concluf. 1. & Richardus quæst. 4. & diuus Thomas articulo 2. ad 2. vbi per *purum* hominem, à quo negat reddi potuisse æquialentem satisfactionem, hominem intelligit non in puris naturalibus, vt malè Caietanus interpretatur; sed hominem, qui non idem sit Deus, etiamsi alioqui esset quibuscunque gratiæ donis ornatus. B

Probatur autem hæc sententia Primo ex Apostolo ad Romanos tertio, vbi posteaquam omnes homines ad salutem comparandam, *inutiles* esse ex sententia Psalm. 13. pronunciauit; illicò Christi satisfactionem nobis commendat, tanquam vnicum planè remedium, quo in liberatione nostra à peccatis, potuerit satisfieri iustitiæ diuinæ, offerendo scilicet ei munus & precium æquale culpæ. *Quem proposuit*, inquit, *Deus propiciationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem Iustitiae eius in hoc tempore.* C

Secvndo probatur ex Patribus, vbicunque affirmant, non potuisse homines liberari, nisi per eum, qui simul esset Deus. Hoc enim necesse est intelligi de liberatione per *æquialentem* & condignam satisfactionem & solutionem precij; cùm certum sit, potuisse alioqui per puram creaturam offerri *aliqualem* satisfactionem imperfectam. Eius autem generis testimonia Patrum sunt hæc: D

Sanctus Irenaevs libro 3. capite 22. de hoc Mysterio differens: *Cognoscat*, inquit, (homo) *semetipsum, quoniam mortalis & infirmus est; Intelligat autem & Dominum, quoniam in tantum immortalis* (secundùm diuinitatem) *& potens est, vt & mortali immortalitatem, & temporali æternitatem donet.* Et infrà: *Propter hoc ergo signum salutis nostræ, qui ex Virgine Emmanuel est ipse Dominus, quoniam ipse Dominus erat, qui saluabat eos, quia per semetipsos non habebant saluari: Et propter hoc Paulus ad Roman. 7. infirmitatem hominis annuncians, ait: Scio, quoniam non habitat in carne mea bonum, &c. Et iterum: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Deinde infert liberationem: Gratia Domini nostri Iesu Christi.*

Sanctus Ivstinvs in Expositione fidei de vera rectaque Confessione: *Filius*, inquit, *qui & Deus esset & homo, Adæ peccatum deleuit, &c. ita, vt integerrima vita, quam egit, peccatum obliteraret, &c. Hoc autem ipso, quòd Deus erat, id, quod dissolutum, mortuumq; erat, restitueret, & mortem funditùs euerteret.* Id igitur ex sententia Iustini, non feciſſet, nisi etiam fuisset Deus.

Sanctus Athanasivs in libro de Incarnatione Verbi, eiusque corporali ad nos aduentu, pagina quarta: *Cuius*, inquit, *opera ad recuperandam istam gratiam requirebatur, nisi solius Verbi? Eius etiam fuit id, quod corruptibile erat, iterum ad incorruptibilitatem reducere, & pro omnibus, id, quod Æqvvm, rationique consentaneum erat, Patri præstare.* Et Oratione 2. contra Arrianos, post medium: *Si enim Dominus homo factus non fuisset, nunquam nos à peccatis vindicati ex mortuis resurrexissemus, &c.*

Sanctus Basilivs in Psalmum 48. perpendens illud Dauidicum: *Non dabit Deo placationem suam (homo) & precium Redemptionis animæ suæ*; ita subiungit: *Neque igitur fratrem quære in redemptionem; sed eum, qui excedit naturam tuam. Neque hominem nudum; sed hominem Deum Iesum Christum, qui etiam solus placationem dare potest pro omnibus nobis.*

Sanctus Theodivs, vnus ex Patribus Cõcilij Ephesini, in Oratione de Natiuitate Saluatoris, quæ extat Tomo 6. Concilij Ephesini, appendice 5. cap. 2. *Naturam*, inquit, *nostram sanare volens Deus, non per alios salutem nostram, sed per semetipsum molitus est. Quia omnis creatura deficiebat ad salutem nostram, &c.*

Sanctus Ambrosivs in Psalmum 48. *Quando*, inquit, *redempturus frater negatur, cùm ipse dixerit* (Psalm. 21.) *Narrabo nomen tuum fratribus meis? Sed non quasi frater nobis, sed quasi homo Christus Iesus, in quo Deus erat, peccata dimisit. Sic enim scriptum est* (2. Corinth. 5.) *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. In illo Christo Iesu, de quo solo dictum est: Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis.*

Sanctus Avgvstinvs in Enchiridio capite 108. *Neminem gloriari debere in homine*, inde probat, *Nam neque per ipsum*, inquit, *liberaremur vnum mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, nisi esset & Deus.* Et lib. 1. de consensu Euang. cap. 35. *Opus*, inquit, *erat media Iustitia temporali, quæ esset de imis mixta & summis, atque ita se neque abrumpens à summis, & contemperans imis, ima redderet summis. Ideo Christus mediator Dei & hominum dictus est.*

Sanctus Leo sermone primo de Natiuitate: *Talis*, inquit, *Natiuitas, decuit Dei virtutem & Dei sapientiam Christum, qua nobis & humilitate congrueret, & diuinitate præcelleret. Nisi enim esset Deus, non*

C

adferret

Universidad de Deusto
Biblioteca

adferret remedium; nisi esset homo verus, non præberet exemplum.

Sanctus VIGILIVS lib.5.contra Eutych. post medium: *Nisi*, inquit, *talem dederis inter Deum & homines, qui ita sit medius, vt ex vtroque vtrumque sit, id est, vt & Deus sit propter diuinitatis; & idem homo sit, propter humanitatis naturam; humana diuinis quẽ admodum reconcilientur, non ostendis.*

Sanctus FVLGENTIVS in libro de Incarnatione & gratia Christi, cap. 2. *Redemptionis*, inquit, *humanæ Mysterium, ideo efficaciter peregit Redemptoris admiranda benignitas, quia nec mutabilitatis, nec diminutionis vnquam receptrix esse potuit diuina maiestas.* Et paulò post: *Atque ita Verbum caro factum est, vt esset vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Et cap.4. *Nullatenus namque humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi vnione Verbi Dei.* Similia alij.

TERTIO probatur idem ratione. Sic autem formo argumentum: Satisfactio æquialens offensę diuinæ, habere debuit infinitatem quandam ex triplici capite, scilicet ex *obiecto* actus siue officij, per quod fieri debuit; & ex dignitate etiam *personæ*, à qua fuit exhibendum officium; & denique etiam ex conditione personæ, *cui* satisfactio facienda fuit, quatenus erat persona offensa. Sed nullus homo purus potuit satisfactionem offerre his omnibus modis infinitam, Ergo nullus homo purus potuit offerre satisfactionem æquiualentem.

Minor per se clara est. Nam constat, nullum purum hominem habere dignitatem infinitam. Maior autem probatur. Quoniam similiter ex triplici capite *offensa* fuit infinita; scilicet ex parte *obiecti*, quatenus peccatum fuit auersio ab infinito Deo; & ex parte etiam personæ *offensæ*, quatenus hæc fuit idem infinitus Deus; & denique ex parte hominis *offendentis* Deum; quod ita probo. Quoniam vt offensa est eò maior, quò est offensa personæ dignioris: ita etiam est eò maior, quò à persona irrogatur minus digna, si hæc comparetur cum persona, quæ offenditur. Vt v.g. iniuria seu offensa, quam rusticus aliquis irrogat Principi, cæteris paribus, est maior quàm iniuria eidem Principi à Mercatore, vel Nobili aliquo irrogata; eò quòd rusticus persona est minus digna, comparatus cum Principe, quàm Nobilis aut Mercator. In proposito autem, homo, qui Deum offendit, infinitis partibus minoris est dignitatis, quàm Deus, quem offendit. Ergo istiusmodi offensa ex parte etiam hominis offendentis habuit quandam (vt dictum est) infinitatem. Quò fit, vt nisi à persona, quæ etiam esset Deus, atque adeo dignitatis infinitæ, non potuerit omnino fieri satisfactio æquialens, quæ scilicet sit omnibus illis modis infinita.

Talis autem satisfactio prorsus est exhibita per Christum Deum & hominem. Nam actiones eius & obsequia Deo exhibita, infinitam dignitatem habuerunt, tum ex parte *obiecti*, cùm sint exhibita ex charitate summa in Deum: Tum etiam ex parte personæ *offerentis*, cùm hæc fuerit infinita; & quò maior est dignitas personę exhibentis alteri aliquod obsequium seu munus, eò maioris id obsequium fit, vt patet: Tum denique (quod est per se clarum) ex parte personæ, *cui* ea officia sunt exhibita, scilicet ex parte Dei.

Ex quibus patet PRIMO, non modò purum hominem, sed neque Angelum, neque vllam omnino Creaturam puram, existẽtem aut possibilem, potuisse satisfacere æquialenter. Quoniam contradictionẽ implicat, vt sit pura Creatura, & habeat personæ dignitatem infinitam, id quod requirebatur.

DEINDE ex his patet RESPONSIO ad argumentum pro contraria opinione. Non enim ex illo solùm capite habuit infinitatem offensa & iniuria, ꝙ est irrogata Deo; sed ex aliis etiam capitibus, ex quibus non potuit habere infinitatẽ satisfactio puri hominis aut vllius puræ Creaturæ, sicut iam ostensum est. Quomodo verò iam homo iustus per Christi gratiam possit aut debeat pro se vel aliis satisfacere, videndum est infrà in Tractatu de Pœnitentia.

QVARTO QVAERITVR, An ob eam præcipuè causſam filius Dei venerit in mũdum; vt scilicet ita perfectè & æquialenter pro peccatis satisfaceret, nosque redimeret? Et est ratio quæstionis, quoniam alia quoq; aduentu suo præstitit. Nam & fuit nobis exemplo, & docuit, & perfecit quodammodo totum vniuersum, assumẽdo humanam naturam, quæ constat ex omni rerum gradu; & deniq; bonitas ac misericordia Dei per hoc Mysterium maximè patefacta est, vt puncto præcedenti declarauimus.

RESPONDEO tamen non esse dubitandum, quin illa fuerit præcipua causſa. Probatur. Quoniam ita vbique significat Scriptura. Vt Luc.19. *Venit filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.* Et 1.ad Tit. 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Item Ioan. 3. ad Rom. 3. ad Galat. 4. & alibi passim, hæc certè potissimùm causſa assignatur Christi aduentus.

QVINTO QVAERITVR, An illa *Satisfactio*, qua Christus nos à peccato liberauit, fuerit secundùm talem IVSTITIAE RIGOREM, vt citra diuinam promissionem liberaliter Christo factam, ex sola dignitate & valore operum Christi debuerit tãquam æquialens offensæ, vel etiam tanquam abundans, acceptari à Deo. Et eadem quæstio est de Christi *merito*, quo nobis scilicet salutem promeritus est: siquidem in operationibus Christi coniuncta fuit ratio meriti cum ratione ipsa satisfactionis, vt infrà quæst.22. declarabimus, cùm disseremus de eo Christi munere, quo functus est vt Redemptor.

Vt autem faciliùs intelligatur sensus huius Quæ-

Quæstionis, itemq; discrimen eius à quæstione alia, quam postea proponemus, sciendum est, dupliciter intelligi posse, ꝙ aliqua satisfactio seu compẽsatio sit secundùm rigorẽ *iustitiæ*. VNO modo, quia sit reuera ex se æquialens, vel etiam abundans, & vt talis acceptari debeat; saltem secundùm has tres considerationes. PRIMO, quia Creditor non possit iure exigere *maiorem* compensationem illâ. SECVNDO, quia neque possit exigere compensationem *aliam*, quàm illam. TERTIO, quoniam ex hypothesi & conditionaliter, si aliquam compensationem omnino sibi fieri vult, tenetur acceptare *illam* æquialentem sibi oblatam. Quemadmodum iuxta has tres rationes, ille, qui oblato iusto precio, emit v. g. pallium, verè censetur secundùm rigorem quẽdam Iustitiæ compensare pallium: tametsi absolutè quidem loquẽdo, qui pallium vendit, non debuerit acceptare pro pallio precium oblatum, quoniam absolutè licet illi abstinere ab exercitio commutationis eius secundùm iustitiam.

ALTERO modo potest aliqua satisfactio esse secundùm iustitiæ *rigorem*, ita, vt etiam *absolutè & simpliciter* teneatur Creditor seu *pars offensa* illam acceptare ad vsum siue exercitium Iustitiæ, hoc est, ad remittendum iniuriam pro compensatione tali. Quod tũc quidem accidet, cùm & oblata satisfactio fuerit æquialens, & talis aliqua concurrerit circumstantia, vel etiam aliquæ, vt appareat quædã deformitas in eo, quòd Creditor, seu pars læsa, talem satisfactionem nõ acceptet. Vt v. g. si iam Creditor ex pacto promisit se talẽ satisfactionem alioqui æquialentem acceptaturum.

NVNC verò solùm quærimus, An Christi satisfactio & meritum fuerint secundùm rigorem Iustitiæ PRIORI modo. An verò posteriori etiam modo fuerint secundùm Iustitiæ rigorem, postea quæremus. Habet enim id peculiarem difficultatem.

Sunt autem de præsenti quæstione duæ sententiæ. Nam quidam negant, Christi satisfactionem fuisse secũdùm Iustitiæ rigorem priori illo modo, id est, *ex se æquialentẽ* citra liberalem Dei acceptationem & promissionem. Vt Scotus in 3. d. 19. q. vnica. & d. 20. q. vnica. Durandus ead. d. 20. q. 2. Gabriel in 3. dist. 19. q. vnica. & d. 20. quæst. vnica, in quibus locis hanc opinionem videtur supponere ex sententia Scoti. Item ex recentioribus Ioannes Medina in Codice de Pœnitentia, Tractatu 3. de Satisfactione, quæstione 1.

Alij verò prorsus affirmant, satisfactionem Christi fuisse secundùm rigorem illum Iustitiæ, tanquam *ex se* non modò æquialentem; sed etiam *superabundantem*. Vt D. Thomas hic artic.2.ad 2.& quæst.48. art.2.& q.29. de Veritate art.7. & lib.4. contra Gentes, cap.54. & 55. & in 3. dist. 20. q.1. Et ibi etiam Bonauentura q.3. & 5. Et Richardus q.4. & Capreolus q. vnica. artic.2. conclus. 2.& 3. & Marsilius in 3. quæst.12. artic.2.& Paludanus in 4.dist.15. quæst.1. art.1.& Altisiodorensis lib.3.tract.3. cap.8. & Alexander Hallensis 3.p. q.17. membr.3. artic.2. & memb.5. artic.2.& communiter recentiores, ac nominatim Driedo in lib. de captiuitate & redemptione generis humani, tract.2. cap.2. & Sotus lib.3. de natura & gratia, capite 6. & Vega libro 7. in Concil. Trident. capite 8.& 9. Quorum sententia vt communior & longè verior, à nobis omnino eligenda est.

Probatur PRIMO ex multis Scripturæ diuinæ locis, quæ ad quatuor genera reuocari possunt. PRIMVM est eorum, in quibus absolutè dicitur genus humanum per Christum fuisse *redemptum & emptum*. Ea enim vis redemptionis & emptionis est, vt scilicet fiat per aliquid æquialens. Psalm.106. *Dicant, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici.* Et ad Roman.3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Et 1. Corinth.7. *Precio empti estis.* Et 2.Petri 1. *Eum, qui emit eos, Dominum negat.* Et Apocal.14. *Qui empti sunt de terra.*

SECVNDVM genus est eorum locorum, in quibus idipsum cum quadam etiam *Emphasi & exaggeratione* affirmatur. Vt Psal. 129. *Copiosa apud eum redemptio.* Quò & alluditur Sap.7. vbi propterea dicitur Sapientia incarnata *infinitus esse thesaurus hominum.* Item ad Rom. 5. *Non sicut delictum, ita & donum.* Et: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Vt alia multa præteream, quibus in eo loco ex instituto Apostolus amplificat hanc rem. Item 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, &c. Sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi.* Et ad Colosſ. 2. *Delens chirographum, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Sicut solet nimirum fieri, quando penitus est debitum aliquod dissolutum. Item ad Hebræ. 9. *Vna oblatione*, inquit, *consummauit in æternum sanctificatos.* Quasi diceret: Vna satis fuit propter summam dignitatem hostiæ. Accedit, quòd Lucæ 9. Moyses & Helias in transfiguratione locuti esse dicuntur cum Christo *de excessu, quem completurus erat in Hierusalem*, id est, quemadmodum superabundanter etiam redempturus erat genus humanum, cùm vna gutta sanguinis cumulatè quoq; suffecisset, propter personæ dignitatem, vt postea dicemus. Denique quod Iob cap.6. dixit: *Vtinam appenderentur peccata mea, et calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret*: Hoc, inquam, communiter sancti Patres in persona Redemptoris nostri, dictum esse intelligunt, qui superabundantissimè satisfecerit pro humani generis peccatis, quæ *sua* vocat, quoniam pro illis satisfacere debuit, postquam illa mandato Patris in se recepit. Rectè enim D. AVGVSTINVS Enarratione 2. in Psalm. 21. exponens illud: *Longè à salute mea verba delictorum*

Bibliothecæ Facultatis Philosophicæ Provinciæ Cast. Orientalis SI

Universidad de Deusto
Biblioteca

meorum: Quomodo, inquit, *dicit: Delictorum meorum, nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra sua delicta fecit, vt iustitiam suam nostram iustitiam faceret?*

TERTIVM genus est eorum locorum, in quibus significatur, redemptionem hanc à Christo planè peractam esse secundùm formam & modum *iustissimi iudicij*. Vt Ioann. 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foràs.* Et Psal. 34. *Exurge, & intende iudicio meo.* Et Psal. 97. *Reuelauit iustitiam suam.* In quam sententiam Apostolus etiam de Christo Rom. 3. scripsit: *Quẽ proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, in remissionem præcedentium delictorum.*

QVARTVM genus est eorum locorum, in quibus indicatur, peractam esse Redemptionem nostram cum *violentia* quadam & *triumpho* de Diabolo, in cuius potestate eramus. Vt Matth. 12. vbi Dominus se cum *forti* comparauit, qui *prius alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiet.* Et Ioan. 12. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foràs.* Et ad Colossen. 2. *Expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso.* Certè hæc violentia & triumphus rigorem Iustitiæ indicant in satisfactione Christi citra liberalem acceptationem.

SECVNDO probatur eadem sententia ex auctoritate sedis Apostolicæ in Extrauaganti *Vnigenitus*, de pœnitentiis & remissionibus. Vbi Clemens VI. disertè affirmauit, *vnam guttam Christi sanguinis propter vnionem cum diuino Verbo sufficisse pro redemptione totius generis humani.* Neque enim rectè hîc respondet Medina, vnam guttam suffecisse, quoniam per opus aliquod minus potuisset Christus nos redimere, accedẽte liberali Dei promissione seu acceptatione. Si enim ita interpretari licet, similiter dici posset, opus aliquod puri etiam hominis non valdè excellẽs sufficere potuisse sine vnione cum Verbo pro redemptione totius generis humani: quoniam interposita quidem liberali Dei promissione & acceptatione, purus etiã homo potuisset per opus aliquod non admodum excellens satisfacere. Quis verò non videt, voluisse Pontificem in illo loco maius aliquid de gutta Christi sanguinis prædicare?

Consentit autem pulchrè cum eiusmodi sententia summi Pontificis præclara illa oratio diui Gregorij NAZIANZENI in Oratio. 2. de Paschate, versùs finem, qui hûc in modum scripsit: *Quanquam plurima miracula tunc, cùm Christus moreretur, extiterunt; nullum tamen cum salutis meæ miraculo conferendum est, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuersum instaurârunt, atque idem, quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in vnum nos coniungentes & constringentes.*

TERTIO probatur ex sanctis Patribus, qui & ipsi conuenienter Scripturæ Testimoniis antea allatis, omnino senserunt, satisfactionem à Christo oblatam pro nobis, fuisse ex se æquiualentem & superabundantem, & per modum Iustitiæ.

Sanctus DIONYSIVS Areopagita capite 3. de Ecclesiastica Hierarchia, non longè à fine: *Diuinæ*, inquit, *bonitatis infinita clemẽtia, &c. nostrorum omnium particeps sine peccato veraciter facta, etc. suorum bonorum participes declarauit, aduersariæ potestatis imperio, quod aduersum nos erat, profligato; non viribus veluti prævalens, sed iuxta nobis traditum mysticè eloquium, in* IVDICIO *&* IVSTITIA.

Sanctus IRENAEVS libro tertio, capite vigesimo, de Verbo Dei, filio hominis facto, loquẽs: *Erat*, inquit, *homo pro Patribus certans, & per obedientiam inobedientiam* PERSOLVENS. *Alligauit enim fortem, & soluit infirmos, & salutem donauit plasmati suo, destruens peccatum, &c. Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non* IVSTE *victus esset inimicus.* Est igitur iustè victus.

Sanctus Cyrillus HIEROSOLYMITANVS Catech. 13. IESVS, inquit, SEIPSVM *tradens in* PRECIVM, *nunquid iram Dei contra homines non dissoluet?* Et infrà: *Saluauit enim orbem, quoniam non erat simplex homo, qui passus est, sed Deus incarnatus & obedientia certans certamen.* Obtulit ergo precium ex se æquiualens, & non solùm ex diuina acceptatione; siquidem eo modo etiam potuisset satisfacere simplex homo.

Sanctus Cyrillus ALEXANDRINVS libro vndecimo in Ioannem, expendens illud Christi, Ioann. 18. *Si ergo me quæritis, sinite hos abire: Seipso*, inquit, *tradito, iussit, vt illos abire sinerent. Vnum enim mori oportuit, sufficientem pro vita omnium redemptionem.*

Sanctus BASILIVS in Psalm. 48. *Quid*, inquit, *potest homo inuenire tantum, vt det pro redemptione animæ suæ? Sed inuentum est vnum omnibus comparandum, quod datum est in precium animarum nostrarum, nimirum sanctus & preciosus sanguis Domini nostri Iesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit. Quapropter etiam magno precio empti sumus.*

Sanctus ATHANASIVS in libro de Incarnatione Verbi, eiusque corporali ad nos aduentu: *Mortem*, inquit, *pro omnibus inferri necessum erat* (ex decreto nimirum Dei) *vt quod ab omnibus debitum erat, lueretur. Quamobrem Verbum corpus sibi sumpsit, quod mori poterat, illudque vt suum pro omnibus obtulit: vt ita pro omnibus, omnibus ipse corpore coniunctus, mortem patiens, compesceret eum, qui habebat mortis imperium, hoc est, Diabolum, & liberaret illos, quotquot formidine mortis seruituti erant obnoxij.*

Sanctus Gregorius NAZIANZENVS Oratione secunda in Pascha: *Perspicuum*, inquit, *est, Patrem precium accepisse; non tamen quòd petierit* (quasi absolutè necessarium) *aut eo opus habuerit: Verùm quia diuina dispensatio ita ferebat, & quia per humanitatem à Deo assumptam homini sanctitatem afferri oportebat; atque vt Tyranno per* VIM *superato* (id est, per iuris præcellentiam, sicut interpretatur NICETAS) *nos liberaret.*

Sanctus Gregorius NYSSENVS in Oratione catechet. cap. 23. de Christo loquens: *Voluisse*, inquit, *dare salutem, est testimonium bonitatis. Quod autem tanquam ex contractu fecit redemptionem eius, qui tenebatur dominatu dæmonis, ostendit iustitiam.*

Item S. HILARIVS (vt ad Latinos veniamus) Can. 14. in Matth. *Solus*, inquit, *passurus pro omnibus, omnium peccata* SOLVEBAT: *nec socium admittit, quidquid vniuersitati præstatur ab vno.*

Sanctus AMBROSIVS lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. *Debitor factus es Diaboli: Cautionem tuam tenebat inimicus: Sed eam Dominus crucifixit, & eam proprio cruore delcuit; Abstulit debitum tuum, reddidit libertatem.*

Sanctus HIERONYMVS in caput 63. Isaiæ, circa illud: *Torcular calcaui solus. Neque enim*, inquit, *Angelus aut Archangelus, &c. pro nobis passus est & conculcauit aduersarias fortitudines atque contrinit, nisi ille, qui loquitur in Psalmo: Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus*; qui scilicet id similiter præstare posit per condignam & iustam satisfactionem.

Sanctus AVGVSTINVS lib. 3. de Trinitate, capite 14. *Pergit*, inquit, *ad passionem, vt pro debitoribus nobis, quod ipse non debebat,* EXOLVERET. *Nunquid isto iure æquissimo Diabolus vinceretur, si potentiâ Christus cum illo agere, nõ iustitiâ voluisset? Sed postposuit, quod potuit, vt priùs ageret, quod oportuit.* Vide etiam in Enchiridio, cap. 49.

Sanctus GREGORIVS lib. 17. Moral. cap. 16. circa illud Iob 26. *Prudentia eius percussit superbum: Dominus noster*, inquit, *pro nobis mortem soluit indebitam, vt nobis mors debita non noceret. Bene itaq; dictum est: Prudentia eius percussit superbum: quia antiquus hostis per excessum præsumptionis suæ eum etiam perdidit, quem iniquæ persuasionis lege possedit: & dum audacter eum, in quo nihil sibi competebat, appetiit,* IVRE *illum, quem quasi iustè tenebat, amisit. Prudentia itaque, non virtute, percussus est, &c.*

Sanctus LEO serm. 12. de Passione Domini: *Effusio*, inquit, *sanguinis iusti pro iniustis tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad precium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorẽ suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.* Similia alij.

QVARTO probatur ratione. Fuit enim satisfactio seu compensatio pro iniuria à Christo oblata, non tantùm ex se æqualis, sed etiam abundans: id est, eiusmodi, quam Deus non modò tãti, sed etiam pluris debuerit facere, ad placationem, condonationemq; iniuriæ, quàm omnium hominum peccata, ad indignationem & offensam.

Quod inprimis ex Scripturarum & Patrum auctoritatibus contra Durandum, & alios, suprà adductis probatur. Deinde etiam ex infinita simpliciter dignitate personæ Christi, à qua illæ

demùm operationes, quibus meruit & satisfecit, proficiscebãtur, tanquam à supposito ipsius humanitatis.

Hinc enim operationes illæ, sicut D. Thomas & alij plures Doctores verisimè ratiocinantur, acceperunt dignitatem quandam INFINITAM, non quidẽ *Physicè* ac secundùm rem ipsam (quod frustrà, & sine aduersario Scotus & alij negarunt) sed *moraliter*, hoc est, secundùm rectam æstimationem rationis. Cuius ratio est. Quoniam officium aliquod ab vno in alterum collatum, eò dignius est, plurisq; debet æstimari, quò persona conferens id officium, est eminentior & dignior. Ita fit, vt si persona (sicut contingit in proposito) sit simpliciter infinitæ dignitatis; infinitatem quandam moralem inde accipiant eiusmodi personæ officia.

Consequenter, licet in hominum peccatis concedamus inesse quandam malitiam moraliter infinitam, quatenus Deum, cuius est infinita dignitas, offenderunt: tamen æqualem, imò abundantem compensationẽ hanc Christi fuisse, sentire debemus. Primùm enim maior & *coniunctior*, vt ita dicam, habitudo est illa, quæ inter operationes & operationum principium, hoc est, personam operantem, cernitur, quàm quæ est inter peccata, & dignitatem Dei offensam. Vnde apparet, multò maiorem fuisse dignitatem, vel (vt ita dicam) magis operationes Christi contraxisse dignitatem ex Christi supposito diuino & infinito, quàm peccata malitiam ex persona diuina offensa.

Deinde minima Christi operatio, eo ipso quòd infiniti simpliciter valoris (secundùm æstimationem, vt probatum est) fuit; ad satisfaciendum pro infinities etiam infinitis peccatis valuit. Neque enim aliquid cogitari potest, ad quod non valeat, in aliquo genere, ea res, quæ in eodem ipso genere est valoris simpliciter infiniti. Itaque vel hoc etiam nomine satisfactio Christi est abundans, quòd tot ac tam præstantibus operationibus exhibita est, cùm minima illarum satis fuisset. Porrò Theologi, qui satisfactionem Christi INFINITAM esse asserunt (vt diximus) sunt diuus Thomas hîc articulo secundo ad secundum, Alexander Hallensis, Bonauentura, Richardus, Capreolus, locis suprà citatis, & alij.

Neque est difficile respondere ad argumenta sententiæ contrariæ. Præcipua sunt hæc. PRIMVM. Satisfactio, quæ nititur gratia, & beneficio Creditoris, non est secundùm iustitiæ rigorem. Talis fuit satisfactio Christi. Ergo minimè fuit secundùm iustitiæ rigorem. Minor probatur. Quoniam Christi operationes valorem suum acceperunt ex gratia vnionis, atque etiam ex gratia habituali, quas certè gratias Deus (cui quasi creditori satisfaciendum in hoc negotio erat) contulit gratis in CHRISTVM hominem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RESPONDEO ad argumentum, diſtinguendam eſſe Maiorem. Nam ſi ſatisfactio gratiâ creditoris indiget, vt *acceptetur*; verum eſt, non eſſe eam tunc ſecundùm rigorem iuſtitiæ: Si autem gratiâ tantùm creditoris antecedente nititur, qua ſcilicet debitori initio donatum id eſt, per quod poſtea, vt per rem ſuam quandam, ſatisfacit; non idcircò deſinit eſſe ſatisfactio ſecundùm iuſtitiæ rigorem.

Vt ſi quis v. g. primùm dono accepiſſet à Petro centum aureos, quibus poſtea pro re, quæ centum aureos valeret, eidem Petro ſatisfaceret. Aut ſi quis, (quod eſt exemplum Vegæ lib. 7. ſuper ſeſſ. 6. Concil. Trident. cap. 9.) ex magna dote, quam liberaliter cum vxore accepiſſet, adiuuaretur, vt ſuo ſocero poſtea, in aliquo negotio, redderet compenſationem æqualem. In his & ſimilibus exemplis, nihil illa prima & antecedens gratia creditoris obſtaret, quò minus ſatisfactio eſſet ſecundùm rigorem iuſtitiæ. Quare neque obſtat illud, quod ſimiliter obiicitur in noſtro propoſito.

Quòd ſi quis contendat, etiam tunc, cùm aliqua gratia creditoris omnino antecedit, ſatisfactionem ſecundùm iuſtitiæ rigorem dici nó poſſe, quęſtio erit de nomine. Nam quod ad rem attinet, ſatis nobis eſt, id minimè obſtare, quò minùs ſatisfactio ſit ſecundùm iuſtitiæ rigorem illis modis, quos antea explicauimus, de quibus eſt in hac re cõtrouerſia: ſic videlicet, vt nec maiorem, neque aliam compenſationem exigere poſsis, & hanc debeas admittere, ſi vllam habere velis.

SECVNDVM argumentum. Quicquid Chriſtus geſsit, id totum Deo debebat gratitudinis ergò pro beneficiis diuinitùs acceptis. Ergo cùm ſatisfactio iis rebus fieri debeat, quæ non ſint pro rei alterius compenſatione debitæ, minimè debuit Deus illa Chriſti officia ad compenſationem quoque offenſæ acceptare, ſecundùm iuſtitiæ rigorem. Id autem probatur. Quoniam vt nihil de aliis donis dicamus, gratia certè vnionis, qua Chriſtus homo fuit affectus, donum erat infinitum, pro quo nihil non debebat Chriſtus rependere.

RESPONDENDVM eſt id negando, quod ſumitur. Non enim Chriſtus tam multa debuit agere, & pati ſolius cauſſa gratitudinis, ſed aliis gratiarum actionibus fuiſſet Deus contentus. Maximè cùm in compenſandis ex gratitudine beneficiis, non rerum ipſarum vltrò citroque communicatarum, ſed mutuæ beneuolentiæ & affectus vtrinque, habeatur potiſsimum ratio.

Deinde ſi maximè, quidquid Chriſtus geſsit & paſſus eſt, debuiſſet DEO gratitudinis ergò: tamen potuiſſet nihilominus ſimul ſecundùm iuſtitiæ rigorem pro compenſatione iniuriæ ſatisfacere per illud idem. Nam fuerunt, vt antè probatum eſt, illius actiones valoris ad ſatisfaciendum ſimpliciter infiniti. Quod autem ſimpliciter infinitum eſt, in aliquo genere, ad nihil non ſufficit, in eodem genere.

Ex quo intelligi debet, multò etiam minus nobis obſtare, quòd potuit certè DEVS à Chriſto nomine gratitudinis id totum exigere, quod ille fecit. Nam, ſi ne obſtitiſſet quidem, quòd CHRISTVS totum illud gratitudinis ergò deberet; multò minus obſtiterit, quòd debere potuerit, ſi Deus exegiſſet. Et abſolutè in quibuſcunque negotiis, falſum eſt, non poſſe iuſtè per id ſatisfieri, quod potuiſſet creditor titulo ſolius gratitudinis exigere, vt exemplis ex rebus humanis ductis, oſtendi poteſt. Nam quis neget euenire frequenter, vt cum eo contractum aliquem ciuilem ineas, à quo magnis es beneficiis affectus? Et tamen huic etiam iuſtè ſatisfacies, ſi eiuſmodi ſummam ex contractu debitam reddideris, quam ille alioqui gratitudinis nomine rectè potuiſſet à te expetere.

TERTIVM argumentum. Satisfactio, niſi ſit æqualis, non eſt ſecundùm iuſtitiæ rigorem. At Chriſti ſatisfactio non fuit æqualis offenſæ. Ergo non fuit ſecundùm iuſtitiæ rigorem. Minor probatur. Quoniam peccatum, præterquam quòd offenderat infinitam maieſtatem Dei, habuit etiam infinitatem ex alia duplici parte; nec tamen ex aliqua earum parte videtur fuiſſe aliquid æquale in ſatisfactione Chriſti. Nam PRIMVM, quantũ in ipſo fuit, potuit peccatum interimere Deum, ſiue, vt Medina loquitur, fuit *deſtructiuum* Dei, ſi Deus fuiſſet interitûs capax. Quia potuit illi inferre triſtitiam, & conſequenter priuare ſumma ſua fælicitate, atque adeo etiam ſuo Eſſe, quippe quod non diſtinguitur à Dei felicitate atq; beatitudine. DEINDE, pœna, quæ peccatis iure conſtituta eſt, quandam etiam habet infinitatem: tum quia priuationem beatitudinis, atque adeo ſummi boni continet: tum quia ſecundùm afflictionem etiam ſenſus, eſt duratione infinita, vtpotè æterna. Iam verò Chriſtus ſatisfactione ac merito ſuo, nequaquã potuit, quod in ipſo fuit, Deum inſtaurare, ſeu reparare quoad Eſſe, ſi ex triſtitia propter peccatum contracta iam ille interiiſſet. Neque enim aliquid officiis ſuis Chriſtus afferre Deo potuit præter lætitiam & gaudium: Quam ad rem neceſſe eſt Deum alioquî extitiſſe. Sed neque etiam ſuſtinuit pro peccatoribus pœnam tam magnam, quàm debebatur peccatis. Certum enim eſſe videtur, pœnam damnatorum, quæ peccatis debetur, ſuperare longè acerbitatem paſsionis Chriſti: præſertim ſi omnium damnatorum pœnas cõiunctim conſideremus.

RESPONDEO, negandam eſſe Minorem. Probationem autem eius Minoris dico multis eſſe implicatam vitiis. PRIMVM vitium eſt, quòd nimis tenuiter illa ratione colligitur, in peccato

eſſe malitiam infinitam. Quàm enim longè petitum eſt hoc: Potuit peccatum contriſtare Deum, ſi is triſtitiæ particeps eſſet: ideo etiam priuare beatitudine: ideo etiam priuare naturâ & Eſſe, ſi interire poſſet? Hæ ſpeculationes, vbi de iniurię quantitate fit æſtimatio, nihil aut parum admodum valent. Nam quis concedat, minutiſsimum peccatum veniale habere quoque illo nomine malitiam infinitam? Et tamen dicam ſimiliter, illud aliquantulum certè poſſe contriſtare Deum, ſi is triſtari poſſet: ideo etiam priuare ſumma beatitudine, cum qua ne minima quidem ſtare poteſt triſtitia: ideo etiam priuare naturâ & Eſſe, quod eſt ea ipſa beatitudo.

Secundum vitium illius probationis eſt; quod non animaduertit Medina, ſatis eſſe valorem illum ſimpliciter infinitum, quem vel ex ſola dignitate perſonæ Chriſti, ſatisfactio hæc habuit, vt malitia peccati, quantumcunque ex variis capitibus infinita, ſufficienter compenſetur.

Tertium vitium eſt, quod neque ſatis eſt cogitatum ab illo auctore, qua ratione actiones Chriſti tantum boni afferre Deo ipſæ poſſent, quantum detrimenti peccatum ex eo, quod ſecundùm illam ſpeculationem poſſet interimere Deum. Dicam enim, illas, quod in ipſis eſt, id poſſe, ſi non reſtaurando ipſum Eſſe diuinum, at ſeruando illud certè, & obſtando, ne vllo modo propter peccatum Deus triſtaretur, ſi triſtari alioqui poſſet; & ideo etiam ne priuaretur beatitudine; & ideo etiam ne interiret. Quomodo? Quia per ſe gaudium infinitum afferunt Deo, cum quo nulla poſsit eſſe propter vllam cauſſam triſtitia.

Quod verò ad *pœnam*, quæ peccatis debebatur, attinet, licet illa, quam Chriſtus ſuſtinuit, non fuerit *Phyſicè* (nec enim id requiritur) æqualis pœnis damnatorum; fuit tamen æqualis, immò abundans *moraliter*, propter infinitam dignitatem perſonæ patientis. Id eſt, tanti debuit æſtimari Chriſti paſsio à Deo, vt propter illam debuerit velle remittere pœnam illam alteram peccatis conſtitutam. Quemadmodum & apud homines ſæpenumero circumſtantiæ morales ſatisfactionis faciunt, vt compenſatio oblata debeat ſecũdùm iuſtitiam acceptari tanquam æqualis moraliter, licet non ſit par Phyſicè ſecundùm rem ipſam.

Quæ conſideratio ſatis profectò docet, quàm fuerit illa non modò impia & blaſphema, ſed etiam ſuperuacanea commentatio *Infernalium* (vt veriſsimè nominant) Sectariorum, qui noſtra memoria finxerunt, Chriſtum *Gehennæ etiam pœnas omnes*, quod horribile eſt dictu, *diróſque in anima cruciatus damnati ac perditi hominis fuiſſe expertum*, vt pro nobis æqualiter ſatisfaceret. Ita enim expreſsè loquitur & blaſphemat Caluinus libro ſecundo inſtit. capite decimo ſexto, Sect. 10.

Quid opus erat Chriſtum pati Gehennæ pœnas, cùm ex alia parte valor Chriſti mortis immenſus ad ſatisfaciendum fuerit? Quanquam concedit quidem diuus Thomas 3. p. quæſtione quinquageſima ſecunda, articulo primo & quarto, & ibi quoque Caietanus, deſcenſum illum animæ Chriſti ad inferos quandam per ſe fuiſſe pœnam, quam ille pro nobis luerit. At pœnas omnes, diroſque cruciatus damnati hominis Chriſtum pertuliſſe, quis vnquam præter damnatum illum ac perditum Caluinum, eiuſque ſimiles magiſtros infernales cogitare eſt auſus?

QVARTVM argumentum. Satisfactio nequit fieri per ipſa bona creditoris, tametſi poſſit fieri per aliquid, quod ex illius bonis exiſtat. At actiones humanæ Chriſti omnino fuerunt etiam Dei creditoris. Ergo minimè potuit ſatisfacere Deo per illas. Probatur Minor. Quia fuerunt creaturæ quædam & effectus etiam Dei, qui eſt Dominus vniuerſalis earum rerum omnium, quas facit.

RESPONDEO, fuiſſe quidem ipſas Chriſti operationes etiam Dei, titulo illo generali creationis: vt ſcilicet ſunt res quædam: cæterùm peculiari quadam alia ratione factæ ſunt Dei per Chriſti oblationem, ſcilicet vt iis poſſet gaudere tanquam ſibi propriè, obſequij & honoris cauſſa, humano arbitrio oblatis. Qua ſanè ratione, niſi ſic ipſi oblatæ forent, non potuiſſet iis vti. Itaque debuit illas operationes, propter ſummam ipſarum dignitatem, ad eiuſmodi peculiare dominium acceptare, atque adeo iniuriam pro iis condonare.

Quare ſi quis vrgeat illius argumenti formam, diſtingui Maior debet. Nam ſi aliquid omnibus modis alioqui eſſet ipſius creditoris, id eſt, ſecundùm omnem rationem, quæ in re conſiderari poteſt; non poſſet per id illi ſecundùm iuſtitiam ſatisfieri: ſin autem poteſt præterea aliqua ratione peculiari fieri eius, nihil tunc obſtat, quo minus per id poſsit illi ſatisfieri ab eo, cuius alioquin res etiam eſt. Atque ita fit in propoſito.

QVINTVM argumentum. Chriſtus orauit etiam æternum ſuum Patrem, pro ſalute noſtra. Ergo nulla obligatione Pater aſtrictus fuit, vt nobis ſalutem conferret.

RESPONDEO, non eſſe bonam hanc Conſequentiam. Orauit enim, non vt precibus ſuppleret aliquid, quod virtuti ſatisfactionis deeſſet; ſed quia ex pacto & ordinatione diuina, vna ex operationibus, quibus Chriſtus obligaret Deũ ad conferendam nobis ſalutem, debuit eſſe oratio pro ſalute noſtra. Nam, *Poſtula*, (inquit Pſalmo ſecundo) *à me: & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ*: Id autem debuit Chriſtus poſtulare, vt ſcilicet *gentes nomini Chriſtiano copulentur, atque ita à morte redimantur & poſsideantur a Deo*, inquit præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

clarè diuus Augustinus Enarratione in Psalm. 2. Neque verò id est de ratione orationis, vt quod petis, non tibi tribui debeat; sed vt petas à superiore, &c.

Reliqua ARGVMENTA minoris sunt momenti. Vt quod argumentantur, non opus fuisse morte Christi & passione, si antecedentes operationes erant valoris infiniti. Item operationes illas fuisse creatas, ac proinde non infiniti valoris. RESPONDETVR, opus nihilominus fuisse morte & passione ex pacto diuino, atque adeo ex Christi etiam voluntate, qui noluit antecedentes operationes ad finem nostræ redemptionis referre, nisi coniunctim, cum insequente morte, vt infrà q. vigesima secunda, p. 1. à nobis declarabitur. Quod autem dicunt, operationes illas fuisse creatas: probant quidem ita non fuisse Physicè infinitas; fuerunt tamen infinitæ moraliter, id est, secundùm æstimationem, vt suprà dictum est. Maneat itaque, Christi satisfactionem ita fuisse secundùm iustitiæ rigorem, vt ex se fuerit æquiualens, nec iure potuerit vel alia, vel maior exigi pro offensa.

SVPEREST autem nunc QVINTA Quæstio, An ea Satisfactio ita etiam fuerit secundùm Iustitiæ rigorem, vt *absolutè* quoque debuerit illam Deus acceptare, nec repudiare ipsam potuerit? Nam Andreas Vega lib. 7. in Concil. Trident. capite nono, & nonnulli alij non existimant. Etenim vt Satisfactionem & meritum Christi fuisse secundùm iustitiæ rigorem, contra Durandum, Scotum, & alios defendamus, parum vel nihil interesse putant, vtrum Deus absolutè etiam debuerit omnino compensationem à Christo oblatam acceptare.

Nam satis esse dicunt, si citra promissionem liberaliter Christo factam, ob solam meritorum & satisfactionis Christi æqualitatem, vel potius abundantiam, eatenus debuerit Deus compensationem hanc acceptare, vt non potuerit certè iure exigere vel aliam, vel maiorem. Quæ est nominatim sententia Andreæ Vegæ loco citato.

Ego verò, licet intelligam in hoc sensu potissimum à plerisque Doctoribus, præsertim antiquis, defendi, meritum, & satisfactionem Christi fuisse secundùm Iustitiæ rigorem: quo pacto etiam id negauit Durandus & alij: tamen longè magis aliorum Doctorum in hac re sententiam probo, qui existimarunt, eatenus etiam meritum & satisfactionem Christi fuisse secundùm iustitiæ rigorem, quatenus *absolutè* quoque debuerit Deus compensationem sibi oblatam per Christum admittere. Ita enim & dignitas meriti atque satisfactionis Christi illustratur, & ea re intelligitur, plus illi debere nos propter beneficium Redemptionis. Ita nominatim sensit Bonauentura in tertio distinctione vigesima, quæstione quinta, & Dominicus Sotus in quarto, distinctione decima nona, quæstione prima, articulo secundo, vbi expresè scribit, fuisse omnino impossibile, vt quod Christus pro satisfactione offerret, Pater æternus non acceptaret.

PROBO autem sententiam hanc in hunc modum: Compensationem pro remittenda iniuria oblatam, tunc aliquis, etiam absolutè, acceptare secùndùm iustitiam tenetur, cùm eiusmodi sunt vndequaque circumstantiæ, vt alienum prorsus à recta ratione appareat, compẽsationem talem respuere, abstinereque adeo ab illo exercitio iustitiæ, quo pro compensatione videlicet remittatur iniuria. Sed in proposito huiusmodi prorsus circumstantiæ vndequaq; fuerunt. Debuit igitur Deus etiam absolutè acceptare ex iustitia compensationem à Christo oblatam.

Maior verissima est. Hic enim vnicus & certissimus modus est obligationem naturalem cognoscendi in quarumcunque materia virtutum: si videlicet secus facere, rectæ rationis iudicio sit deforme. Neque interest, ex quo genere sint eæ circumstantiæ, ob quas in materia iustitiæ, aut alterius cuiuslibet virtutis fit hoc rectæ rationis iudicium.

Intelligendum est enim, obligationem iustitiæ, aut cuiusque alterius virtutis, non à genere seu conditione caussarum, ex quibus illa oritur, talem nominari: Sed à ratione propria eius actus, ad quem faciendum (propter quascunque demum caussas seu circumstantias) astringit, quemque adeo respicit velut suum quoddam obiectum. Quæ annotatio eò pertinet, ne quis fortè falsò arbitretur, non probari in proposito obligationem iustitiæ, si ad eam rem afferantur quoque circumstantiæ, quæ ad aliarum etiam virtutum materiam spectare videantur.

Minor item ostenditur. Quoniam si vel ad ipsam *compensationem* oblatam, vel ad illum, *qui* compensationem obtulit, vel ad illos, *pro quibus* oblata est, vel ad ipsum Deum, *cui* oblata est, respiciamus, planè videtur futurum fuisse quiddam deforme & abhorrens à Dei natura atque bonitate, vt Deus compensationem Christi non acceptaret. Fuit enim primùm *compensatio* non tantùm æqualis, sed etiam abundans, vt ante probauimus.

Item conditio personæ *offerentis* compensationem illam, quatenus eadem fuit & homo & Deus, magnam vim habuit quoque, vt acceptari debuerit. Nam quòd homo fuerit, ea ratione plurimum ad eam rem mouere debuit, quoniam factum sic est, vt ipsi homines quodammodo compensationem illam & precium pro sui redemptione obtulerint; nempe, per vnum aliquem sui generis. Est autem nescio quo pacto maior tunc acceptandi ratio, cùm ipsi, qui debent, offerunt satisfactionem, & iniuriam sibi condonari precantur. Vt verò ille idem homo offerens, Deus etiam fuit, indignum sanè fuisset

compen-

compensationem ab illo (etiam per voluntatem humanam, de qua iam loquimur) oblatam respuere. Quam circumstantiam indicâsse nobis & vrsisse maximè videtur D. Paulus ad Hebræos, cap. 5. cùm inquit: *Exauditum esse Christum pro sua reuerentia.* Quasi diceret; Fieri non poterat, vt cùm talis esset, ac tantus, non exaudiretur.

Porro hominum, *pro quibus* compensatio est oblata, conditio fuit calamitosissima. Quod maximè etiam ad acceptationem commouere debuit. Denique Deus, *cui* compensatio oblata est, is etiam erat, qui vt finem sibi in hominum creatione propositum, ad effectum perduceret, nihil poterat conuenientius facere, quàm si oblatam compensationem acceptaret, neque perderet, & abiiceret, quos plasmauerat.

Hæc autem omnia & similia, quæ cogitari ad hanc rem possunt, si diligenter simul omnia (nam singula per se ad absolutam quidem obligationem non valent) expendantur; verum prorsus videtur esse illud, quod assumpsimus in Minori nostræ rationis: scilicet deforme quiddam, & à diuina bonitate abhorrens futurum fuisse, si Deus, cum naturâ sua alioqui beneficentissimus sit, Christi compensationem non acceptâsset. Firma est igitur illius etiam rationis Conclusio.

Argumenta verò, quibus contraria sententia confirmari potest, non sunt difficilia ad refutandum. Potissima sunt duo. PRIMVM. Axioma Theologorum est, id totum liberè Deum facere, quod facit (vti loquuntur) *ad Extra*: id est, quidquid ab eo geritur erga creaturas. At in eo genere, illud etiam sine dubio fuit, quod Christi satisfactionem pro nobis acceptauit. Potuit igitur non acceptare, siquidem acceptauit liberè. Quod si id potuit: Non ergo ex obligatione Iustitiæ necessariò tenebatur absolutè acceptare, vt ante positum est.

RESPONDENDVM est, Deum *ad Extra* omnia quidem facere liberè, si absolutè intelligas: at quædam tamen eius generis facere necessariò *ex hypothesi*. Potuit absolutè non sic mundum diligere, vt nobis Christum donaret: atque etiam obstare certè, quò minus pro nobis ille satisfactionem offerret. Consequenter etiam absolutè potuit nullam eiusmodi satisfactionem acceptare, cùm nulla videlicet oblata fuisset. At postquam Christum ille nobis donauit, & hic pro nobis satisfecit; necessariò ex eiusmodi hypothesi acceptare satisfactionem Christi debuit. Qua obligatione? Ea nimirum arctissima, quæ conditione naturæ, atque bonitatis illius continetur, à qua (vt ante ex variis circumstantiis probatum est) fuisset omnino, secundùm rectæ rationis iudicium, res abhorrens, satisfactionẽ illam ad remissionem iniuriæ ex iustitia, non admittere. Quemadmodum: Etsi retributio vitæ æternæ secundùm iustitiam, pro piorum meritis, actio quædam sit Dei ad Extra; necessaria tamen est Deo ex hypothesi, postquam videlicet id se facturum promisit, & gratiam hominibus donauit; vnde existit valor meritorum.

SECVNDVM argumentum. Quod Christus, vt Deus, non debuit secundùm iustitiam acceptare, id quidem neque Pater æternus, aut Spiritus sanctus, atque adeo neque simpliciter Sanctissima Trinitas acceptare debuit. Sed meritum & satisfactionem Christi hominis, non debuit Verbum diuinum, id est, Christus, vt Deus, acceptare secundùm iustitiam. Ergo nec sanctissima Trinitas.

Maior est manifesta. Quoniam Christi, vt Deus est, eadem prorsus est voluntas, quæ Patris & Spiritus sancti. Et illi similiter vt Patri & Spiritui sancto satisfieri debuit: quandoquidem tota Sanctissima Trinitas fuit similiter offensa.

Minor probatur dupliciter. *Primò*, Quoniam iustitia, vt inquit Philosophus 5. Ethic. est vnius *erga alterum*. Ergo cùm non potuerit Christus exercere iustitiam, acceptando satisfactionem, & meritum à seipso oblatum (eadem siquidem persona est, quatenus Deus & homo) non debuit vtique secundùm iustitiam acceptare. *Secundò*. Quia valor illius satisfactionis & meriti extitit ex infinitate personæ Christi. Ergo non debuit secundùm iustitiam ipse acceptare. Siquidem creditor minimè acceptare debet satisfactionem oblatam ex bonis suis propriis.

RESPONDEO ad argumentum, negandam esse Minorem. Ad probationem eius *primam* dico, iustitiam esse erga *alterum*, siue secundùm suppositum, siue secundùm naturam. Neque verò hoc negare voluit Philosophus: tametsi cùm non cognosceret ipse, posse in vnico supposito esse alteram & alteram naturam completam; de *altero* cùm id doceret, cogitauit quidem non nisi secundùm suppositum. Cæterùm vt sine differentia suppositorum potest intelligi & consistere alia & alia res secundùm naturam: ita etiam exæquatio rei & rei, & consequẽter etiam ratio iustitiæ, quę in eiusmodi exęquatione propriè versatur.

Ad *secundam* probationem quod attinet, nego Consequentiam. Aliud enim est, satisfactionem valorem habere, tanquam ex radice quadam, ex bonis creditoris: Aliud, eam fieri iis ipsis creditoris bonis. Primum non obstat, quò minus possit eiusmodi esse satisfactio, quæ secundùm iustitiam debeat acceptari, modò res ipsa, per quam satisfactio fit, & valor eius, verè sit ipsius debitoris. Vt si verbi gratia dono aut precio accepisses à Petro non vineam, sed fructus vineæ: posses illis ipsis fructibus eidem Petro, si à te postea velit eos emere, iustè pro precio tibi ab eo exhibito satisfacere: tametsi valor eiusmodi fructuum existeret ex vinea, quæ esset Petri. Simili ergò ratione in proposito:

Quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quia operationes humanæ Chriſti Domini, A verè fuerunt Chriſti; quatenus in ſe ſuſceperat debitum humani generis, ſcilicet quatenus fuit homo: potuit per illas ſecundùm iuſtitiam ſatisfacere ſibiipſi, vt Deo, licet illarum valor exiſteret ex infinitate diuinæ ſuæ perſonæ. Quinimmo etiam hic valor extitit item eo ipſo ex eſſentia diuina, quæ eſt communis tribus perſonis (neq; enim reipſa infinitas diuinæ perſonæ conſiſtit ſine perfectione & entitate eſſentię diuinę) & tamen ob eandem rationem, iam aſsignatam, nihil hoc obſtat, quo minus valore illarum actionum ſatisfecerit Chriſtus Patri & Spiritui ſancto, quorum eſt etiam communis illa eſſentia.

PVNCTVM SEXTVM.

Fueritne Myſterium Incarnationis præcipuè inſtitutum ad tollẽdum peccatum Originale; vel potius ad tollendum peccatum Actuale.

D. Thomas art. 4.

CVm duplex ſit genus peccati, ſcilicet Actualis & Originalis, nemo Catholicorum eſt, qui non fateatur, ad vtriuſque generis peccatum delendum veniſſe Dei filium. De C omnibus namque peccatis loquitur Apoſtolus, cùm ait ad Epheſ. 2. *Cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto*. Et vt ait Ioannes: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*. Quod ipſum luculenter aſſerit ex Orthodoxa Eccleſiæ ſententia D. AVGVSTINVS in Enchiridio cap. 49. collationẽ inſtituens inter Adamum & Chriſtum, his verbis: *Ille*, inquit, *vnus vnum peccatum miſit in mundum: Iſte verò vnus non ſolùm vnum illud; ſed cuncta ſimul abſtulit, quæ addita inuenit. Vnde dicit Apoſtolus: Non ſicut per vnum peccantem, ita eſt & donum*.

Nec minus diſertè hoc idem tradit hîc diuus Thomas, cum ita ait: *Certum eſt, Chriſtum veniſſe* D *in hunc Mundum, non ſolùm ad delendum illud peccatum, quod traductum eſt originaliter in poſteros; ſed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quæ poſtmodum ſuperaddita ſunt; non quòd omnia deleatur (quod eſt, propter defectum hominum, qui Chriſto non inhærent, ſecundùm illud Ioan. 3. Venit lux in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem) ſed quia ipſe exhibuit, quod ſufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem*. Item: *Tantum*, inquit, *bonum fuit, quod Chriſtus voluntariè paſſus eſt, quòd propter hoc bonum in natura humana inuentum Deus placatus eſt ſuper omni offenſa generis humani*. Et clariſsimè infrà q. 49. art. 5. vbi inquit: *Per paſsionem autem Chriſti liberati ſumus, non ſolùm à peccato communi totius humanæ naturæ, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam, ipſo ſoluente precium pro nobis: ſed etiam à peccatis propriis ſingulorum, qui communicant eius paſsioni per fidem, & charitatem, & fidei Sacramenta*.

Quæ volui ex D. Thoma ad verbum referre, vt clarius redarguerem impudentem quãdam Sectariorum calumniam. Aiunt enim iſti, ac nominatim Herbrandus Lutheranus, in libro contra noſtrum quendam Tractatum de Sacrificio Miſſæ, cap. 2. negari à D. Thoma, quòd Chriſtus ſatisfecerit in cruce pro peccatis Actualibus. Cũ tamen clariſsimè conſtet de contraria eius ſententia ex verbis eius à me recitatis. Neque iſtorum calumniæ ſuffragantur alia quædam verba B D. Thomæ, quæ adferunt ex Opuſculo eius (ſi tamen eſt eius) de Sacramento Altaris cap. 1. vbi dicit: *Secunda cauſſa inſtitutionis, eſt ſacrificium Altaris, contra quandam quotidianam delictorum noſtrorum rapinam, vt ſicut corpus Domini ſemel oblatum eſt in cruce, pro debito originali: ſic offeratur iugiter pro noſtris quotidianis delictis in altari*.

Non enim his verbis ſignificat, Chriſti corpus non fuiſſe in cruce oblatum pro actualibus etiam peccatis; ſed hoc intereſſe inter peccatum originale, & alia actualia, quòd pro illo, quia nõ ſæpius ab eodem homine admittitur, ſed ſemel abolitum nunquam rediit, ſemel tantùm Chriſtus ſe obtulit, nempe in cruce; non item aliâs in altari: Pro peccatis autem actualibus, quia ſæpius ab vno & eodem committuntur, ſæpius ſe offert, nimirum non tantùm in cruce (hoc enim factum etiam eſſe nunquam D. Thomas negat) ſed etiam quotidie in altari. Idque, non quia Sacrificium crucis non fuerit per ſe ſufficiens ad delenda omnia peccata etiam actualia, quantumcunque quis in ea reincidat: ſed quia placuit diuinæ ſapientiæ, vt ſicut ipſa repetuntur, ita etiam eorum remiſsio, adeoq; ſacrificij crucis fructus, per repetitam oblationem eiuſdem Chriſti in altari applicaretur; ſicut fusè in libro noſtro de Sacrificio Miſſæ probauimus.

Vnde in eodem illo Opuſculo de Sacramento Altaris, & eodem cap. 1. aperte indicat diuus Thomas, Chriſtum pro actualibus etiam peccatis eſſe paſſum. Facit enim Chriſtum Dominum cum homine loquentem his verbis: *Aperi mihi, id eſt, ſuſcipe me in mentem, in memoriam, & in dilectionem; quia caput meum plenum eſt rore, id eſt, miſericordia ad dimittendum peccata, & cincinni mei, id eſt, humanitas, guttis noctium, id eſt, effuſione ſudoris, lachrymarum, & ſanguine paſsionum ad redimendam hæreditatem tuam pro ſatisfactione* PECCATORVM TVORVM *impignoratam*. Item ibi declarans illud Dauidis Pſalm. 6. *Quæ non rapui, tunc exoluebam*: *Quando ſcilicet*, inquit, *pro* DEBITIS OMNIVM *ſufficiens Sacrificium in cruce offerebam*. Docet quoque ibidem ex Gloſſa: *Corpus adaptatum Chriſto fuiſſe, quod pro* OMNI REDEMPTIONE *valeat offerri*.

Sed

Sed cùm conſtet, ad tollendum vtrumq; peccati genus, ſcilicet Originale & Actuale, Chriſtum veniſſe; videndum nunc eſt, ad quodnam *præcipuè* tollendum venerit, id quod in hoc Puncto quærimus. Quam quæſtionem hunc in modum explico. Sicut diuerſa ratione aliud peccatum ex iſtis grauius eſt alio: ita diuerſa quoque ratione dici poteſt, Chriſtum veniſſe potius, vt ſatisfaceret pro vno, quàm pro alio. Nam Actuale peccatum, ſicut D. Thomas hîc notat, maius eſt *intenſiuè*; vtpotè magis voluntarium. Contra verò maius eſt Originale *extenſiuè*, quoniam per rationem ſuam inficit totum genus humanum; ſiquidem generatione ipſa traducitur. Actuale verò peccatum licet ab omnibus hominibus ordinariè (ſecluſo priuilegio) admittatur: tamen B id non prouenit ex illius ratione per ſe; ſed ex accidenti, quia ſcilicet homines iuſtitia originali deſtituti, obnoxij ſunt redditi peccatis actualibus. Atque ita ſi cogitetur prauitas peccati *extenſiuè*, præcipuè Chriſtus venit, vt deleret peccatum Originale: Si autem *intenſiuè*, præcipuè venit, vt deleret Actuale.

Quòd ſi abſolutè & ſimpliciter quæratur, propter vtrum potius peccatum Chriſtus aduenerit, Non malè reſpõdet Caietanus ex D. Thomæ ſententia in illo artic. 4. veniſſe præcipuè propter Originale. Quoniam ex ratione ſua illud nocet toti communitati, vt dictum eſt. Sicut autem bonum, quod eſt per ſe communius, abſolutè & ſimpliciter anteponi debet: ita etiam C quærendum potius eſt remedium mali, quod eſt per ſe commune.

Hinc in textu Græco, & in Latinis aliquibus exemplaribus Ioan. 1. legitur: *Agnus Dei, qui tollit peccatum (ἁμαρτίαν) mundi*. Quo loco *peccati* nomine abſolutè poſito, intelligitur in Gloſſa ordinaria peccatum Originale. Atque ita etiam in Singulari (peccatum) legunt IRENAEVS lib. 3. cap. 11. & Origenes homil. 10. in Numer. & alij.

Quò fit, vt etiamſi nulla alia peccata fuiſſent futura præter Originale; tamen propter illud Chriſtus veniſſet: ſiquidem propter illud venit principalius.

Si tamen, contrà etiam, abſque Originali fuiſſent futura peccata mortalia, quibus omnes D homines, vel penè omnes, obſtringerentur, ob illa quoque Chriſtus veniſſet: ſiquidem ob illa ſimiliter haberet locum cauſſa principalis aduentus primò & quaſi per ſe intenta, ſcilicet vt genus humanum, alienatum à Deo, reconciliaretur & ſaluaretur (vt patebit ex iis, quæ trademus p. ſequenti) licet non cauſſa principalis ſecundariò intenta, ſcilicet vt tolleretur Originale, quatenus tale.

PVNCTVM SEPTIMVM.

An etiam, ſi homo non peccaſſet, fuerit futurum Myſterium Incarnationis, atque adeo Chriſtus venturus.

D. Thomas art. 3.

DE Quæſtione hac celebri non conuenit inter Theologos Scholaſticos. Quidam enim affirmant: quidam negant. Neutri tamen ſatis aperte explicant, quonam ſenſu id affirment aut negent. Etenim Quæſtio hæc dupliciter tractari poteſt. PRIMO, vt Quæſtio ſit, An ex vi eius ipſius decreti diuini, quo Myſterium Incarnationis ab æterno præordinatum ſeu prædeſtinatum eſt, fuerit Chriſtus venturus, peccato etiam non incidente; quia ſcilicet Chriſtus eo decreto diuino præordinatus fuerit, non ſolùm ad eum finem, vt redimeret homines à peccato, ſed ſimul ob aliquem alium finem independentem à peccato, propter quem etiam non incidente peccato adueniſſet. Cui Quæſtioni adhuc ſupereſt locus, non obſtante eo, quod ſuprà p. 5. definiuimus, ſcilicet Chriſtum *principaliter* veniſſe propter peccatum. Nam poteſt cogitari, quòd tum propter peccatum, tum propter alium finem ita Chriſtus venerit, vt tamen poſita præuiſione peccati, præcipuè propter illud venerit, etiamſi abſque illo quoque fuiſſet venturus propter alium illum finem à peccato independentem.

SECVNDO poteſt hæc Quæſtio ita tractari, vt Quæſtio ſit, An peccato etiam non incidente, fuiſſet Chriſtus venturus, ex vi ſaltem alterius cuiuſdam decreti, quod tunc Deus ab æterno habuiſſet circa Incarnationem Chriſti, vt ſcilicet ea nihilominus fieret ob aliquem alium finem à peccato independentem; licet iam de facto propter nullum talem finem in præuiſione diuina à peccato independentem præordinata ſit, ſed propter peccatum & cauſſas cum peccato connexas, vt propter docendos & deducendos homines, in peccatum lapſos, ad beatam vitam, verbo & exemplo, &c.

Et in PRIORI quidem ſenſu Quæſtio hæc maiorem habet difficultatem & controuerſiam apud Theologos, vt videbimus, & ſic potiſsimùm ab illis tractatur. Neque eſt inutilis illius explicatio: ſiquidem valet ad accuratius intelligendum modum, quo de facto fuit diuinitus ordinatum & prædeſtinatum Incarnationis Myſterium.

In POSTERIORI autem ſenſu, nullam ferè vtilitatem hæc Quæſtio habet, neque aliquid ſatis probabiliter in alterutram eius partem ſtatui poteſt. Nam quid refert ad cognoſcendam rationem modumque huius Myſterij, prout de

facto

Universidad de Deusto
Biblioteca

facto præordinatum atque executioni mandatum fuit, determinare, an ob alias etiam causas præordinatum fuisset, cessantibus iis, ob quas iam fuit institutum? Vel quis mortalium, prudenti atq; probabili cogitatione id assequi potest?

Itaque de Quæstione hac in hoc quidem posteriori sensu omnino mihi probatur iudicium D. Thomæ Lectione 4. in caput 1. Epistolæ 1. ad Timotheum, quod ille expresit his verbis: *Hæc Quæstio*, inquit, *nõ est magnæ authoritatis, quia Deus ordinauit facienda, secundùm quod res ipsæ faciendæ erant, & nescimus, quid ordinasset, si non præsciuisset peccatum.* Hæc ille.

Sed vt dixi, in PRIORI ferè sensu tractatur hæc Quæstio à Theologis: Nisi quod Gabriel iuxta posteriorem Quæstionis sensum, in 3. d. 2. q. vnica, dub. 3. insinuat, posse defendi probabiliter, quòd peccato etiam non incidente, fuisset Christus venturus ex vi alterius cuiusdã decreti diuini, quo Deus tunc id præordinasset ob alias causas. Alij autem Doctores inprimis ferè disputant de hac Quæstione in sensu priori: quamuis qui eius partem negatiuam tuentur, in vtroque Quæstionis sensu absolutè negãt, Christum fuisse venturum, non incidente peccato.

Sunt igitur de Quæstione hac duæ contrariæ Theologorum sententiæ, præsertim vt dixi, in PRIORI sensu. Nam Alexander Hallensis 3. p. q. 2. memb. 13. & Albertus Magnus in 3. sent. d. 20. art. 4. & Scotus in 3. d. 7. q. 3. & dist. 19. q. vnica, & Catarinus in Tractatu de eximia Prædestinatione Christi, & alij quidam recentiores affirmant, Christum, peccato etiam non incidente, venturum fuisse; aliter tamen, scilicet in carne impassibili. Atque eadem fuit sententia Ruperti Abbatis Tuiciensis, lib. 3. de Trinitate cap. 20. & lib. 13. de gloria & honore filij hominis, non longè à fine.

Qui verò id negant, plures sunt. Ex quibus est D. Thomas hìc art. 3. D. Bonauentura in 3. dist. 1. art. 2. q. 1. Thomas de Argentina ead. d. q. 1. art. 4. Carthusianus ibid. q. 2. Marsilius in 3. q. 1. artic. 3. (vbi tandem ait, sibi magis placere hanc sententiam) Capreolus in 3. d. 1. q. vnica, conclus. 1. Caietanus hìc quæst. 1. art. 3. Ferrariensis lib. contra Gent. cap. 55. & alij multi. Vtrique verò pluribus hinc inde argumentis pro sententia propria sic disputant, vt sentiant nihilominus contrariam sententiam esse probabilem. Quin etiam aliqui Doctores vtramque sententiam defendunt problematicè. Vt Gabriel in 3. d. 2. quæst. vnica, art. 3. dub. 3. & Richardus ibi artic. 2. q. 4. quamuis addit, posteriorem sententiam D. Thomæ *esse magis conformem auctoritatibus Sanctorum*.

Mihi verò de re hac non satis alioqui comperta, longè probabilior & sapientior videtur POSTERIOR sententia D. Thomæ, & aliorum, qui omnino negant, peccato non incidente, fuisse Christum venturum. Vt autem hæc sententia plenè â nobis confirmetur, duo sunt probãda. PRIMO, peccato non incidente, non fuisse Christum venturum ex vi illius diuini decreti, quo iam de facto fuit ab æterno præordinatum seu prædestinatum Mysterium Incarnationis: in quo sensu potissimùm procedit hæc Quæstio, vt initio notauimus. SECVNDO, nec posse satis prudẽter & probabiliter affirmari, quòd venisset tunc Christus ex vi alterius diuini decreti, q̃ tum ab æterno factum fuisset: Id quod probato primo, facilè deinde probabitur; ac tũc demum respondebimus ad argumenta potissima pro sententia contraria.

PRIMVM igitur illud potest PRIMO probari ex Scriptura. Ex qua quidem tale argumentum ducit D. Thomas hìc: Ea, inquit, quæ ex sola diuina voluntate proueniunt, supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Scriptura sacra traduntur, per quam diuina voluntas nobis innotescit. At in Scriptura sacra vbique Incarnationis ratio ex peccato assignatur. Ergo conuenientius dicitur opus Incarnationis sic ad remedium peccati ordinatum esse, vt peccato non existente, Incarnatio non fuisset, tametsi potuisset per potentiam Dei esse.

Hæc verò ratio, si non alia forma proponatur, videri posset non satis firma. Dicet enim aliquis *primò*, Maiorem esse falsam. Non enim ex Scriptura tantùm, sed etiam ex traditione Ecclesiastica constare posse de Dei volũtate. Quòd si respondeatur (id quod est verum) minimè traditionem Ecclesiasticam à D. Thoma ibi esse excluſam; sed cõprehensam potius tacitè sub Scripturæ vocabulo, hoc ipso, quòd per Scripturam sacram nobis illa commendatur: Nihilominus obiici poterit *secundò*, falsam esse, alio nomine, eandem illam Maiorem. Etsi enim certò prorsus & infallibiliter de diuina voluntate cognoscere nõ possimus in rebus supernaturalibus, nisi per Scripturam, aut per Ecclesiasticam traditionẽ; possumus tamen ratione alia quoque & coniecturis, cognoscere de ea, saltẽ probabiliter, magis aut minus, pro momento verisimilium argumentorum, quibus in hac re nitantur contrariæ sententiæ Theologorum.

Ideo aliter & validius (ad mentem quoque D. Thomæ) formo argumentum ex SCRIPTVRA isto modo: Cùm Scriptura sacra in tam multis locis significat, causſam finalem aduentus filij Dei, vel *solam*, vel *præcipuam* fuisse peccati remedium; *propriè* intelligi à nobis debet. Sed non intelligetur *propriè* in eiusmodi locis, nisi sentiamus, filium Dei non aliàs fuisse venturum ex vi decreti diuini, quo illius aduentus fuit præordinatus. Ergo ita sentiendum est.

Maior probatur tripliciter. PRIMO ex communi regula intelligendæ Scripturæ, quã diuus Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, & passim alij Patres commendant: vt scilicet planè & inprimis

inprimis *propriè* intelligantur Scripturæ dicta, cùm nullum inde consequens absurdum obstiterit. Nullum autem in proposito obstat.

SECVNDO probatur eadem Maior ex Emphasi, cum qua in plerisque eiusmodi Scripturæ locis assignatur pro causſa finali Christi aduentus, remedium peccati: vt planè appareat, ea loca tùm de sola vel præcipua causſa eius aduentus, tum maximè *propriè* debere intelligi. Huius generis loca sunt hæc: Isaiæ 52. *Dicit Dominus: Iugiter totâ die nomen meum blasphematur: Propter hoc sciet populus meus nomẽ meũ in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, Ecce adsum*; nempe propter peccata. Et Lucæ 19. *Venit enim filius hominis quærere & saluum facere, quod perierat.* Et Ioan. 3. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternã.* Et Ioan. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Et ad Roman. 3. *Quem proposuit Deus propitiationẽ per fidem, &c. propter remissionem præcedentium delictorum.* Et ad Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Et 1. ad Timoth. 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus* IESVS *venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Et 1. Ioan. 3. *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.* Et 1. Ioan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Et rursus: *In hoc*, inquit, *est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* In his certè & similibus locis non videtur dubitandũ, quin (vt sumpsimus in Maiore nostræ argumentationis) remedium peccati ita assignetur pro sola vel præcipua causſa finali Christi aduentus, vt omnino oporteat hæc loca propriè intelligi. Sicut etiam in Symbolo fidei Nicæno, cùm de Christo dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælis, &c.*

TERTIO probatur eadem Maior argumentationis nostræ ex eo, quòd tantùm hanc, & non aliam causſam finalem Christi aduentus Scriptura assignat, atque adeo *propriè omnino*. Quanquam istam ipsam causſam variis quidem modis & nominibus significat. Vt quòd venerit ad saluandum nos, ad docendum, ad monstrandam viam, ad prælucendum exemplo, &c. Sed peccatoribus redemptis. Ea enim causſa (scilicet Redemptio à peccatis) tanquam fundamentum præsupponitur, vbicunque in Scriptura redditur ratio aliqua Christi aduentus. Vera est igitur nostræ argumentationis Maior.

Minor autem nunc probanda est; scilicet, nisi sentiamus, Christum, remoto peccato, non fuisse venturum, minimè posse Scripturam *propriè* intelligi in prædictis locis. Id autẽ, si ponamus, colligi ex prædictis locis Scripturæ, *solum* peccati remedium fuisse causſam finalem aduentus Christi; facilè probatur ex ratione propria causſæ finalis, & simul ex eo, quòd Deus rectissimè decernit & agit, quæcunque agit. Nam quod obaliquid solum, tanquam propter causſam finalem, rectè decernitur & fit; id cessante tali causſa finali, minimè fit ex vi eius decreti; si quidem fieret tunc ex vi quidem talis decreti ociosè & temerè, atque adeo non rectè, vtpote nullum ob finem, cessante nimirũ eo, quod solùm propositum erat, tanquam talis actionis finis. Itaq; si Deus propter solum remedium peccati rectissimè decreuerit, vt Incarnatio fieret; consequens est, vt eo fine cessante, Incarnatio minimè fuisset facta, ex vi quidem illius decreti (sicut nunc disputamus) vel certè fuisset tunc facta ex vi eius decreti non nisi ociosè & temerè; quod omnino abhorret à Dei in agendo perfectione.

Et quidem S. AVGVSTINVS lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 26. disertè affirmat, ex prædictis Scripturis (quas deinde memorat capite seq.) *sufficienter apparere, Dominum* IESVM *Christum*, NON ALIAM *ob causſam in carne venisse, ac formâ serui accepta, factum obedientem vsque ad mortem crucis, nisi vt hac dispensatione misericordissimæ gratiæ, omnes, quibus, tanquam membris in suo corpore constitutis, caput est, ad capessendum regnum cælorum viuificaret, saluos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret, &c.* Quod si ita est; firmissima est hæc nostra probatio ex Scripturis.

Si autem ex prædictis Scripturæ locis illud tantum colligi cõcedatur, quod necessariò certè concedi debet, nempe remedium peccati fuisse saltem *præcipuam* causſam finalem Christi aduentus; itidem potest probari illa Minor argumentationis nostræ ex ratione propria finalis causſæ *præcipuæ*. Nam iuxta communem animi conceptionem & vsitatum loquendi modum, non propriè dicitur causſa finalis præcipua alicuius operis id, sine quo etiam fieret tale opus ob aliquem alium finem: Sed id demùm præcipua causſa finalis est alicuius operis, quo cessante minimè alioqui fieret tale opus. Id autẽ, quod simul etiam ita impellit ad opus, vt nihilominus sine illo opus fieret, potest quidem dici quoddam operis motiuum & causſa accessoria; minimè autem causſa *principalis*. Vt si quis v. g. proficisceretur Constantinopolim negociandi causſa, & simul vt ibi redimeret cõciuem suum apud Turcas captiuum: ita tamẽ, vt nihilominus propter negociationẽ esset eò profecturus, quamuis conciuis illic captiuus non esset, nec redemptione egeret, &c. tunc sanè nemo diceret, *præcipuam* causſam finalem, cur talis proficisceretur Constantinopolim, esse redemptionem sui conciuis. Tantummodò enim ea redemptio tunc esset quoddam profectionis motiuum, seu causſa accessoria: Causſa autem præcipua finalis eius profectionis esset sola negociatio. Itaque cùm in proposito Scriptura planè indicet, redemptionem hominum à peccatis fuisse causſam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi aduentus nõ accessoriam (vt esset in adducto exemplo, redemptio conciuis) sed planè principalem, idque propriè (vt ante probauimus) intelligi debeat; minimè putandum est, ea caussa cessante, Christum fuisse venturum ob aliquem alium finem.

SECVNDO probatur eadem sententia ex communi consensu Sanctorũ Patrum, qui de Christi aduentu, eiusque caussa, ita loquuntur, vt planè sentiant, Christum minimè fuisse alioqui venturum, si genus humanum non indiguisset redemptione à peccato.

Sanctus DIONYSIVS Areopagita cap. 3. de Eccleſiastica Hierarchia, non longè à fine, exponens caussam Christi aduentus, nullam aliam assignat, nisi quòd *humana natura initio* (vt inquit) *stolidè à diuinis beneficiis sit prolapsa*. Vnde Incarnationis opus ad solam misericordiã & clementiam Dei erga nos iam lapsos refert, cùm subdit: *At verò diuinæ illius bonitatis infinita clementia, benigniſsimè omnino prouidentiam noſtri ne ſic quidem omiſit per ſe ipſam operari, noſtrorum omnium ſine peccato veraciter particeps facta, noſtræq; humilitati inſerta*. Et paulò post addit: Incarnationis opus non modò peractum, sed etiam *excogitatum* fuisse per istam Dei erga nos clementiam; ac proinde non nisi præsupposito & præuiso peccato. *Vnum illud*, inquit, *& ſimplex atque ſecretum* IESV, *diuini Verbi, noſtræ humanitatis aſſumptione ad compoſitum, atque viſibile ſine immutatione ſui per ſummã* CLEMENTIAM *benignitatemq; proceſſit: ſocietatémque noſtram, qua ſibi iungeremur beneficentiſsimè* EXCOGITAVIT, *noſtra humilia diuinis ſuis excellentiis iungens*.

Sanctus IRENAEVS lib. 5. cap. 14. cùm dixisset, solitum fuisse Apostolum vocabulo *carnis & ſanguinis* significare Christum, *vt ſalutem carnis noſtræ confirmaret*, illico subiungit: *Si enim non haberet caro ſaluari, nequaquam Verbum Dei caro factũ eſſet. Et ſi non haberet ſanguis inſtorum inquiri, nequaquam ſanguinem habuiſſet Dominus*. Quid clarius?

ORIGENES homil. 24. in Numer. *Pone*, inquit, *non fuiſſe peccatum: Si non fuiſſet peccatum, non neceſſe fuerat filium Dei agnum fieri; neque opus fuerat eum in carne poſitum iugulari; ſed manſiſſet* (inquit) *hoc, quod in principio erat Deus Verbum. Verùm quoniam introiit peccatum in hunc mũdum, peccati autem neceſsitas propitiationem requirit, propitiatio autem nõ fit niſi per hoſtiam; neceſſarium fuit prouideri hoſtiam pro peccato*.

Sanctus ATHANASIVS serm. 3. contra Arrianos post mediũ: *Cùm homo*, inquit, *efficitur* (Verbum) *tum cauſſa ſubſtituitur, cur eum oporteat carnem geſtare. Neceſsitas quippe indigentiáque hominum anterior eſt, quàm illius natiuitas; qua ſublata, carnem non induiſſet*. Eam autem hominum necessitatem ait indicari, tum aliis Scripturæ locis, tum illo Ioan. 3. *In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli*.

Sanctus Gregorius NYSSENVS in Oratione de Christi Natiuitate, planè supponit, nõ aliam ob caussam, nisi ob peccatum, venisse Christum, ac proinde minimè alioqui fuisse venturũ. Ideo enim ait, eum non nisi extremis ferè temporibus venisse, *nam qui malitiam*, inquit, *vt tolleret, humanam vitam erat ingreſſurus, expectauit neceſſariò, vt omne ab inimico ſatum propagatumq; peccatum germinaret: ac tunc demũ radici ſecurim admouit*. Quòd si præcipuè ob aliquam aliam caussam aduenit (nempe ob perfectionem vniuersi, &c.) non vtique eo vsque distulisset aduentum, cùm multò etiam antè habuissent locum aliæ caussæ.

Sanctus Gregorius NAZIANZENVS Oratione 4. de Theologia, sub initium: *Quæ*, inquit, *humanitatis à Deo propter nos ſuſceptæ cauſſa extitit? Profectò vt nobis ſalus pareretur. Quid enim aliud cauſſæ afferri poſsit?*

Sanctus AMBROSIVS in libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 6. de Christo loquẽs: *Sacrificium*, inquit, *de noſtro obtulit. Nam quæ erat cauſſa Incarnationis, niſi vt caro, quæ peccauerat, per ſe redimeretur?*

Sanctus AVGVSTINVS serm. 8. de verbis Apostoli, expendens illud Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat*, subiungit: *Si homo non periiſſet, filius hominis non veniſſet. Ergo perierat homo, venit Deus homo, & inuentus eſt homo*. Et serm. sequenti: *Nulla*, inquit, *cauſſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere*. Et in Psalmum 36. concione 2. circa mediũ: *Quis*, inquit, *iſte Deus homo? Si tu, ô homo, non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo*.

Sanctus GREGORIVS Magnus in librum 1. Regum. lib. 4. cap. 1. *Niſi Adam*, inquit, *peccaret, Redemptorem noſtrum carnem ſuſcipere noſtram non oporteret. Non enim venit vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Si ergò pro peccatoribus venit, ſi peccata deeſſent, eum venire non oporteret*.

Sanctus LEO serm. 3. de Pentecoste: *Si homo*, inquit, *ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, in ſuæ honore naturæ manſiſſet, nec diabolica fraude deceptus, à lege ſibi poſita per concupiſcentiam deuiaſſet, Creator mundi creatura non fieret, neque aut ſempiternus temporalitatem ſubiret, aut æqualis Deo Patri filius Deus formam ſerui, & ſimilitudinem carnis peccati aſſumeret*.

NEC dici potest, hæc Patrum testimonia, & illa, quæ prius adduximus ex Scriptura, procedere tantùm de Christi aduentu in carne *paſsibili*. Manifestum enim ex ipsis testimoniis est, nõ solùm aduentus *modum* (scilicet in carne passibili) sed etiam *ipſum aduentum* referri in peccati remedium, tãquam in caussam præcipuam. Clarè enim affirmant Patres, Christum alioqui non fuisse venturum. Vnde etiam Ecclesia Romana in Sabbatho Sãcto in benedictione Cerei canit: *O certè neceſſarium Adæ peccatum* (scilicet vt Christus veniret) *quod Chriſti morte deletum eſt. O fælix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorẽ*.

TERTIO probatur eadem sententia ratione. Etenim hæc sentẽtia multò magis diuinam bonitatẽ, charitatemq; nobis peccatoribus commendat. Nam si quis attentius rem consideret, plus aliquid videtur Deus propter nos peccatores fecisse, si ad remedium peccati ita filium suũ misit in mundum, vt nisi ob eam caussam missurus aliàs non fuisset.

PORRO his ipsis argumentis, probari potest SECVNDVM, quod erat item probandum, scilicet nec fuisse Christum venturum ex vi alicuius alterius decreti, quod Deus habuisset, si nõ præsciuisset peccatum. Nam PRIMO cùm Scriptura in suprà citatis locis indicat, caussam Christi aduentus, vel solam, vel præcipuam fuisse remediũ peccati, hoc ipso significat, nullo alioqui ex decreto fuisse Christum venturum. Quod enim in aliquo negotij genere, omnibus consideratis, ob certam aliquam caussam, vel solam, vel præcipuam decernitur & fit; non fieret alioqui, cessante ea caussâ. Sed Deus, omnibus consideratis, quæcunque ad Incarnationis Mysterium attinere vllo modo poterant, (nihil enim ipsum latuit) ob remedium peccati, vel solùm, vel præcipuè decreuit, vt Incarnatio fieret, sicut ex allatis Scripturis patet. Ergo ea caussâ cessante, nullo modo id decreuisset.

SECVNDO, Patres citati absolutè quoque negant, Christum alioqui fuisse venturum; ac proinde neque ex decreto, quo iam de facto Incarnatio præordinata fuit, neq; ex vllo alio. Quod præcipuè apparet ex illis Patribus, qui disertè dixerunt, nullam aliam futuram fuisse caussam Christi aduẽtus, nisi remedium peccati. Vt Gregorius Nazianzenus, & Ambrosius, & Augustinus, locis citatis.

TERTIO, Ratio etiam, qua vsi sumus pro sententiæ nostræ confirmatione, quòd scilicet ita magis commendatur Dei erga nos charitas & bonitas, absolutè probat, Christum, nisi fuisset peccatum, minimè fuisse venturum, neque ex decreto illo, quo iam de facto aduentus illius præordinatus fuit, neque ex alio.

QVARTO accedit huc quoq; alia ratio. Nam qui remoto peccato asserat, Deum fuisse decreturum, vt Incarnatio fieret, non potest caussam talis decreti assignare, nisi petitã ex aliqua maiore perfectione generis humani, aut Vniuersi, quæ per summam eam communicationem diuinæ bonitatis accessisset. At ob eiusmodi caussam non satis probabiliter & prudenter asseritur, Deum aliquid decreturum & facturum fuisse. Quandoquidem constat, innumera Deum posse facere ad maiorem perfectionem generis humani, & ipsius Vniuersi, quæ tamen minimè facit.

CONCLVDO igitur, veriorem & sapientiorem (vt initio dixi) esse posteriorem sententiam D. Thomæ, quæ absolutè negat, Christum fuisse venturum, si non præsciuisset peccatum. Et quãtum ego quidem colligo ex testimoniis suprà citatis, tum Scripturæ, tum Patrum, PECCATI nomine, secundùm hanc sententiam, intelligi debet indeterminatè quodcunque peccatum, quod habeat duas conditiones: PRIMA, vt sit Mortale: SECVNDA, vt per illud vel specie, vel numero saltem multiplicatum, reddatur damnationi obnoxium totum genus humanum, id est, vt omnes homines illo obstringantur. Per quoduis enim tale peccatum, periturum fuisset alioqui genus humanum, propter quod saluandum, tanquam ob caussam, vel solam, vel principalem venit Christus (vt testimonia citata probant) minimè alioqui venturus.

Itaque si vel solum Originale peccatum contigisset; venisset Christus: quandoquidem illud habet maximè duas illas conditiones: Ac similiter, si citra Originale præsciuisset Deus, omnes homines, vel pœnè omnes peccaturos actualiter mortaliter; etiam venisset: siquidem tunc etiam peccatum Actuale habuisset illas duas conditiones, quas in Originali etiam Scriptura & Patres per se & primariò considerant. Non venisset autem propter sola peccata venialia, vel propter mortalia aliquorum tantùm; quandoquidem per illa non periisset genus humanum.

SVPEREST nunc, vt respondeamus ad argumenta, quibus auctores contrariæ sententiæ conantur probare, etiamsi non contigisset peccatum, fuisse Christum venturum; quæ certè parui ponderis sunt, vt nunc planum faciemus. Procedunt autem ea ferè iuxta illud diuinum decretum, quo iam de facto præordinatum fuit Incarnationis Mysterium; in quo præcipuè sensu diximus initio disputari de hac Quæstione à Theologis.

AC PRIMVM quidem argumentum contrariæ sententiæ duci solet ex quibusdam Scripturæ locis, quæ conantur illius sententiæ auctores sanè violenter accommodare ad suum propositum. PRIMVS est ille Prouerb. 8. *Dominus creauit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret, &c.* Id quod volunt intelligi de Sapientia seu Verbo diuino secundùm humanitatem assumptam, quæ nimirum sit creata *in Verbo* ante omnia, non reipsa (cùm constet id esse falsum) sed secundùm quendam ordinem præscientiæ diuinæ, & decretum diuinum antecedens alia omnia, & ab eis independens, ex cuius vi fuisset Incarnatio futura, etiamsi peccatum non incidisset.

SECVNDVS locus est ad Coloss. 1. Vbi Christus dicitur *imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa, &c.* Imaginem enim Dei inuisibilem dici vt Deum; primogenitum autem omnis creaturæ dici vt hominem, sicut exponit Concilium Sardicense in Epistola ad omnes Episcopos, & Anselmus illic conueniẽter Concilio Ephesino in tomo 1. cap. 4. & 5. & tomo 4. cap. 26. Et conuenienter

Universidad de Deusto
Biblioteca

item illi alteri sententiæ Pauli ibidem: *Primogenitus ex mortuis*: Et illi item ad Rom. 8. *Primogenitus in multis fratribus*. Quod de Christo vt homine intelligi debet: iuxta Augustinum libro contra Epistolam fundamenti cap. 37. & Chrysostomum homil. 1. in Epistolam ad Romanos. Itaq; cùm in dicto loco ad Colos. 1. Apostolus dicit, Christum vt hominem esse primogenitum omnis creaturæ; oportet hoc intelligere, non quia vt homo sit ante omnia productus reipsa (cùm id sit falsum) sed quia secundùm præscientiæ & prædestinationis ordinem sit prius & independenter ab aliis omnibus, atque adeo à peccato, præordinatus: ex vi cuius prę ordinationis & decreti, etiamsi peccatũ non esset, fuisset venturus.

TERTIVS locus est ad Hebræ. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Quo loco Apostolum significare aiunt, Deum, quãdo post generationem filij æternam (ordine quodam prouidentiæ) statuit illum rursus in mundum inducere secundùm generationem temporalem, primò omnium ante præuisum peccatum, non modò hominum, sed etiam Angelorum, cogitasse & statuisse de eiusmodi introitu Christi in mundum, atque adeo tunc etiam mente concepisse præceptum, quo Angelis, antequam peccarent, mandaret, vt eiusmodi hominem tanquam verum etiam Deum & Dominum suum adorarẽt. Quò accedit testimoniũ D. Bernardi, qui serm. 1. de Aduentu dicit, Dæmonem, cùm præuideret, filium Dei futurum hominem, incitauisse ex inuidia hominem ad peccandum, vt id Dei Consilium auerteret, remque adeo impediret.

RESPONDEO, huiusmodi Scripturæ loca nihil illi sententiæ suffragari. Nam PRIMVS locus intelligi potest de filio secũdùm generationem eius æternam, sicut aliqui Patres intelligunt, vt patet ex iis, quæ de interpretatione huius ipsius loci ex sentẽtia Patrum disseruimus tomo 1. q. 1. de Trinitate. p. 1. §. 21. Et tũc planus eius loci sensus est, Filium fuisse generatũ ab æterno, & antè omnia, atq; eatenus in initio viarum Dei, id est, non post quicquam aliud, sed tam ab antiquo, quàm est antiquum quidquid est Dei, siue in Deo. Quæ æterna filij generatio quare potuerit significari vocabulo *creationis*; loco citato, ex sentẽtia Patrum explicauimus: quamuis in Hebraico textu non sit illud vocabulum, vt illic annotauimus.

Et quadrat planè cum hoc sensu, quod mox ibi ad maiorem declarationem huius æternitatis filij, subiungitur: *Antequam quicquam faceret, à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret: nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram:* & cætera, quæ in eandem sententiam sequuntur. Atque etiam illud, quod de æternitate generationis eiusdem Sapiẽtiæ seu Filij, Ecclesiastici 24. sic dicitur: *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Et infrà: *Ab initio, ante secula, creata sum.* Atque hæc eadem interpretatio potest habere locũ, si cum septuaginta ibi legamus: *In initium viarum suarum ad opera sua.* Rectè enim hoc etiam de Verbo genito dicitur: si quidem in ipso & per ipsum, tanquam per principium omnia facta sunt.

Itaque iuxta expositionem hanc satis patet, eum locũ minimè suffragari illi opinioni, quandoquidem iuxta hanc quidẽ expositionem non est ibi sermo de præordinatione, qua ante alia omnia & independenter ab omnibus aliis prædestinata fuerit Christi Incarnatio; sed de reali filij generatione æterna, quæ extitit ante omnia.

Si autem intelligamus eum locum de filij generatione, secundùm *humanam naturam*, vt tomo 1. vbi suprà, aliquos etiam Patres interpretari diximus; tum quidem de ea generatione filij, vt existente, non in re, sed in præscientia & præordinatione diuina, oportet locum hunc intelligi: cùm satis constet, Incarnationem non fuisse ab æterno & ante omnia re ipsa peractam, sed solùm præscitam & præordinatam. Veruntamẽ ne tum quidem ille locus suffragatur illi opinioni. Non enim quia *omnibus modis prius & indepẽdenter* à quibuscunque aliis Incarnatio præordinata sit, significatur ibi (iuxta hanc expositionem) fuisse prę ordinata ante omnia alia. Sed ob duas alias causas.

Primò, quia in genere quidem causæ cuiusdam *finalis* Christus etiam vt homo Deus, est primum quiddam inter omnia Dei opera, quatenus scilicet omnia censeri debent à Deo facta ad hunc Deum hominem gloria & honore decorandum ob meritum ipsius passionis. Hoc enim indicat Apostolus ad Philip. 2. cùm de Christo facto obediente vsque ad mortem ait: *Propter quod & Deus exaltauit illũ, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine* IESV, *omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus* IESVS *Christus in gloria est Dei Patris.* Et adhuc clarius ad Hebræos 2. cùm de Christo homine exponit illud Psalm. 8. *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius.* Et paulò pòst: *Videmus*, inquit, IESVM *propter passionem mortis gloria & honore coronatũ, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum,* PROPTER *quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorũ per passionem consummari.* Quo testimonio Apostoli non malè Rupertus Tuitiensis sub finem lib. 13. de gloria & honore filij hominis confirmat, *religiosè esse dicendum, reuerenterq; audiendum, quia propter istum filium hominis gloria & honore coronandum Deus omnia creauit.*

Secundò ob id etiam *ante omnia alia* fuisse præordinatam Incarnationem dici potest, quia est ipsa *præcipuum & maximum* opus Dei, quod omnibus

nibus aliis dignitate longè antecellit. Etenim iuxta vsitatam Scripturæ phrasin, id solet etiam dici esse *ante alia*, quod est aliis *præstantius*. Hoc enim sensu dixit Ioannes Baptista de Christo: *Ante me factus est*, Ioan. 1. vt exponunt Chrysostomus, Augustinus, & Theophylactus in eum locum, & Ambrosius lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 5.

Cæterùm quamuis iuxta has duas considerationes, Incarnatio priusquàm omnia alia, diuinitus fuerit præordinata; tamen secundùm quandam aliam considerationem fuit præordinata posterius, quàm Deus statuerit permittere peccatum & voluerit ei adhibere remedium, vt docebimus in responsione ad 4. argumentum. Atque hoc sufficit, vt intelligamus, nisi peccatum contigisset, Christum non fuisse venturum.

AD SECVNDVM locum Scripturæ ex cap. 1. ad Colos. respondeo, Sanctum quidem BASILIVM lib. 4. contra Eunomium, ad æternam Christi generationem referre, quòd Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ* seu *ante omnem creaturam*. Vt sit sensus, illum fuisse genitum ab æterno, atq; adeo ante omnem creaturam, seu prius quàm omnem creaturam; vt explicauimus tomo 1. q. 1. de Trinit. p. 1. §. 21.

Sed admissa quoque illa alia expositione, scilicet quòd id intelligatur de Christo secundùm humanitatem, atque adeo de generatione eius, vt fuit ante omnia alia, non *in re* (quo pacto aliis multis rebus fuit posterior) sed in *præscientia & præordinatione* diuina; tamen ne ita quidem suffragatur is locus illi opinioni. Per hoc enim non significatur *omnimoda* prioritas & independentia Incarnationis ab omnibus aliis, sed prioritas secundùm illas duntaxat considerationes duas, quas explicauimus in responsione ad prę cedentem locum.

AD TERTIVM locum respondeo cum Chrysostomo ibidem, & D. Thoma lectione 3. in idem cap. 1. ad Hebræos, iteratam illam *introductionem* Vnigeniti in orbem terrarum, non esse præordinationem Christi hominis, qua ante præuisum peccatum Angelorum & hominum præcẽceptum fuerit præceptum Angelis dandum de Christo homine adorando (vt sine vlla probatione sumit illa opinio) sed esse vel *iteratam mentionem* Christi hominis, quam (vt ait Chrysostomus) sæpè facit Scriptura, commemorans ibi quoq; præceptum de Christo adorando, vel secundam eius generationem humanam, quæ in tempore contigit, quando etiam Angeli Christum hominem ex diuino præcepto adorare debuerunt. Itaque nihil minus ex hoc loco Scripturæ habetur, quàm de hac altera generatione filij Dei, & de eo illius ingressu in mundum, sic esse ab æterno constitutum, vt etiamsi peccatum non contigisset, fuisset ea filij Dei generatio futura.

Ad locum autem Bernardi respondeo, dæmonem ex D. Bernardi sententia, illud consilium tentandi hominem ad impediendam Incarnationem inire potuisse, ignorando, quod non nisi ex præscientia futuri peccati fuerit à Deo de Incarnatione filij Dei cõstitutum. Itaq; id ignorans tentauit frustrà hominem ob eum finem, cùm occasione potius peccati futurum esset, vt filius Dei fieret homo.

SECVNDVM argumentum pro illa opinione petunt quidam ex nonnullis sententiis Patrum, quæ ei videntur fauere. Nam PRIMO S. Cyrillus ALEXANDRINVS lib. 5. Thesauri cap. 8. ita scribit: *Præfundatur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superædificamur, idq; ante initium mundi in præscientia Dei; vt cum ordine diuino benedictio maledictione anteceſſerit; & damnationem in mortem vitæ pollicitatio; & seruitutem diaboli, adoptionis libertas; posſit natura humana superatis malis, quæ interim acciderunt, in pristinam per gratiam Christi dignitatem recurrere, talisq; fieri, qualem Deus ex charitate per filium suum futuram constituit.*

RESPONDEO, non significare hîc Cyrillum, quòd omnibus modis in præscientia diuina fuerit prius præordinatus Christus, quàm nos & omnia alia; sed vna quadam consideratione, scilicet tanquam *fundamentum & causſa* salutis nostræ. Iuxta alias autem considerationes prius fuerunt præuisa hominum peccata, vt diximus in responsione ad primum Scripturæ locum, & videbimus in responsione ad argumentum quartum.

Atq; id ipsum patet ex verbis Cyrilli ibidem. Nam paulò antè dixerat: *Præuidit Deus peccaturum hominem, & in mortem casurum; præuidit etiam conferentia generi eius, & quomodo renouaretur & ad immortalitatem rediret. Ideo quasi radices huius Spei in filio suo nobis disposuit, per quem ad adoptionem nos vocauit, & omni benedictione spirituali nondum factos muniuit;* scilicet in sua præscientia, qua etiã *præuiderat* (vt inquit) *peccaturum hominem.*

SECVNDO idem Cyrillus paulò inferius, de eadem Christi æterna præordinatione loquens; ita ait: *Similitudine, quomodo ante secula Dei sapientia fundata sit, paternis consiliis, sic intelligimus: Architectus v. g. sapiens ædes ædificaturus regias, dubitat verisimiliter, ne quid procedente tempore altior ædium structura patiatur; ac ideo fundamentum iacit firmissimũ, & radices operum robustissimas construit, vt si quid superiora patiantur, possint rursus reparari fundamento seruato. Eodem modo Creator noster, Christum salutis nostræ fundamentum etiam ante initium mundi fundauit, vt si prauaricatione caderemus, in ipso rursus renouaremur.* Videtur igitur ex sentẽtia Cyrilli, Deus Creator præordinauisse Christum, priusquam absolutè per scientiam *visionis* præuideret peccatum; præscions tantùm per scientiam *simplicis intelligentiæ*, posse illud quidem euenire, & etiam conditionaliter euenturum, accedente tali tentatione hominis, &c. Nam neque sapiens Archi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tectus præuidet ruinam domus futuram, cùm illam metuens, & de ea dubitans (vt ait Cyrillus) iacit firmissimum fundamentum.

RESPONDEO, similitudinem hanc (sicut neque alias) non oportere per omnia quadrare ex mente Cyrilli. Alioqui dicendum erit, Deum, cùm præordinauit Christũ, nullo modo præsciuisse *certò*, sed dubitasse, an homo esset peccaturus, sicut Cyrillus in exemplo allato ponit Architectum *dubitare verisimiliter* de futura ruina domus. Id autẽ absurdè diceretur de Deo, cùm is de nulla re dubitet, sed omnia *certò & infallibiliter* sciat, quæcunque vel absolutè per scientiam *visionis*, vel *conditionaliter*, aut quocunque modo, per scientiam simplicis intelligentiæ nouit, vt ex instituto probauimus tomo 1. disput. 1. quæst. 14. p. 5.

Vis ergo illius similitudinis ex mente Cyrilli consistit in hoc, quòd sicut Architectus antè multo, quàm fundamentum iaciat, primò cogitat (quamuis per dubitationem) de futura domus ruina, & deinde ob id statuit iacere firmissimum fundamentum, & denique illud iacit: Ita Deus antè multo, quàm executioni mandaret Mysterium Incarnationis, primò (ordine quodam) concepit mente ruinam futuram peccati (non per dubitationem, sed per certam præscientiam) & deinde id Mysterium præordinauit tanquam firmissimum nostræ salutis fundamẽtum, & denique suo tempore illud postea executioni mandauit.

Vnde patet, pro nostra potius sententia posse sumi argumentum ex eo loco Cyrilli. Prorsus enim Cyrillus ibi supponit, Deum prius præscisse peccatum, quàm statuerit iacere firmissimum salutis nostræ fundamentum per Incarnationẽ: sicut Architectus prius cogitat de futura ruina, quàm de firmitate fundamenti ad faciliorem ruinæ reparationem. Et loquitur ibi Cyrillus de prescientia peccati absolutè secundùm scientiam visionis; de qua nimirum paulò antè ibidem loquebatur, cùm dixit: *Præuidit Deus peccaturum hominem, & in mortem casurum, &c.* & IDEO *quasi radices spei in filio suo nobis reposuit, &c.*

Dato etiam, quòd Cyrillus illo loco significaret, Deum prius præordinasse Christum vt salutis fundamentum, quàm præuiderit absolutè peccatum; tamen id non de *prioritate omnibus modis* intelligendum esset, sed habita solùm consideratione illa *fundamenti & causæ* salutis nostræ, vt ad priorem Cyrilli locum respondimus.

TERTIO addunt quidam sanctum AVGVSTINVM lib. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 21. vbi aiunt, eum dicere, *Matrimonium in statu Innocentiæ fuisse Sacramentum coniunctionis Christi cum Ecclesia, & habiturum illud bonum in statu Innocentiæ, si duraret.* Ex quo sequitur, etiamsi peccatum non contigisset, fuisse Christum futurum.

RESPONDEO, Augustinum minimè dicere, Matrimonium habiturum fuisse *de facto* illud bonum Sacramenti in statu Innocentiæ, si duraret. Sed dicit quidem primò, habuisse Matrimonium id bonum in statu Innocentiæ ante peccatum, id quod verissimum est, cùm tunc etiam Matrimonium habuerit de facto respectum ad Christum venturum post peccatum. Deinde addit Augustinus, quòd tum per id bonum Sacramenti, tum per alia duo bona (scilicet *prolis & fidei coniugalis*) *fuissent perfecta nuptiæ in statu Innocentiæ, quæ nunc etiam sunt bonæ.* Est autem hæc Augustini enunciatio conditionalis vera, etiamsi ex Augustini mente non supponamus, *de facto* habituras nuptias illud bonum Sacramenti, si peccatum non fuisset futurum; sed tantùm *potuisse* tum etiam illud bonum habere, atque adeo *potuisse* quoq; tum Christum venire; de quo non est controuersia. Hæc solùm fuit Augustini mens, cùm illic ait: *His tribus bonis perfectè se haberet bonitas nuptiarum* (si peccatum non fuisset secutum) *quibus bonis etiam nunc bonæ sunt nuptiæ.* Vt si de Imperatore, verbi gratia, veniente Ratisbonam propter Imperialia Comitia, & alioqui illuc non venturo, dicerem, Bene se haberet Imperator Ratisbonæ, etiamsi Comitia ibi non celebrarentur; non ideo significo aut suppono, Imperatorem de facto venturum Ratisbonam, etiamsi Comitia ibi non fuissent futura; sed tantummodò *potuisse* quidem illum tunc etiam Ratisbonam venire, & rectè ibi se habere.

Atque id manifestè etiam confirmari potest ex scopo, quem habebat sibi propositum eo loco Augustinus: nempe vt ostenderet, peccatum non fuisse secutum ex aliquo trium illorum bonorum, quæ etiam ante illud habuerunt nuptiæ in statu Innocentiæ. Ad hoc enim ostendendum satis fuit sumere, quòd potuerunt quidem omnia illa tria bona habere suum locum, immò & perfectè se habere, etiam si peccatum non contigisset. Lector expendat totum illum Augustini locum, & deprehendet, nihil minus Augustinum ibi dixisse aut significasse, quàm quòd de facto Matrimonium fuerit futurum Sacramentum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, si peccatum non contigisset. Et quinam obsecro, hoc dixisset Augustinus, cùm in aliis locis suprà citatis tam asseueranter affirmauerit, Christum non fuisse venturum, si non contigisset peccatum?

QVARTO adferunt alium locum Augustini ex libro de natura & gratia, capite vigesimo quinto vbi ait: *Non dicimus, vt esset caussa misericordiæ Dei, necessarium fuisse peccatum.* Quasi hinc sequatur, futurum fuisse locum misericordiæ Dei in augenda dignitate hominis per beneficium Incarnationis, etiamsi nõ contigisset peccatum.

RESPONDEO, nihil minus iuxta Augustini mentem ex hoc illius dicto sequi. Non enim negat ibi Augustinus, necessarium fuisse peccatũ, loquendo de necessitate ad certum illum & determinatum effectum, seu finem, qui fuit misericordia Dei erga nos per beneficiũ *Incarnationis*; sed loquendo de necessitate *simpliciter*; prout quandoq; dicimus, simpliciter esse necessarium id, quod omnibus cõsideratis est vtilius & conducibilius nobis, quàm oppositum. Huiusmodi quidẽ necessitate negauit ibi rectè Augustinus, peccatum fuisse necessarium, vt esset caussa misericordiæ diuinæ. Simpliciter enim melius fuisset nobis carere tum peccatis, tum beneficio misericordiæ diuinæ erga nos obstrictos peccato, quàm in peccatum incidere, & eo tunc beneficio diuinæ misericordiæ affici.

Et hoc est, quod Augustinus ibidem vult, cùm è vestigio subiungit: *Vtinã non fuisset miseria, ne ista esset misericordia necessaria.* Quin etiam Apostolus in eodẽ sensu ait, Rom. 3. *Non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio iusta est.* Et Roman. 5. *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit.* Nihil igitur contrariæ illi opinioni fauent illa Augustini verba.

QVINTO citant & illa verba ex Augustino libro 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 38. vbi differens de infirmitate corporis humani, profecta ex peccato, ait: *Nec fuisset caro Christi in similitudine carnis peccati, nisi caro esset ista peccati.* Quasi hîc Augustinus supponat, etiamsi peccatum non contigisset, tamen nihilominus futuram fuisse Christi carnem, licet non huius conditionis infirmæ & passibilis.

RESPONDEO, minimè Augustinum id ibi supponere. Nam ad veritatem enũciationis negatiuæ, absolutæ, aut *conditionalis* (qualis est hæc Augustini) nequaquam requiritur, vt res, de qua quidpiam negatur, existat alioquî, vel extitura sit absq; eo, quod de ea negatur; sed abundè satis est, quòd eo reuerâ careat, siue absolutè, siue cõditionaliter. Vt v. g. si *absolutè* dicam: Chymæra non est animal; minimè ad veritatem huius enunciationis est necesse, Chimæram alioquî & existere, & non esse animal. Item si *conditionaliter* dicam: Homines non essent præditi his accidentibus, quibus iam sunt, *nisi* à Deo in suo Esse cõseruarentur: minimè ad veritatem huius enunciationis est necesse, vt homines alioqui futuri sint alterius rationis accidentibus præditi, si à Deo non conseruarentur. Immò veritas enunciationum negatiuarum tunc melius constat, quando ne subiectum quidem enunciationis consistit, vel absolutè, vel deficiente conditione, si enunciatio est cõditionalis. Veriùs enim quidpiam negatur de eo, quod non est, quàm de illo, quod est: cùm maior sit oppositio inter nõ ens & ens, quàm inter quæcunq; duo entia, quorũ alterum negetur de altero. Vnde Logici non de enunciatione negatiua, sed de affirmatiua solùm dicunt, quòd sit falsa, *subiecto non supponente.*

Hæc igitur cùm ita sint; ex illa Augustini enũciatione negatiua conditionali (scilicet: *Nec fuisset caro Christi in similitudinem carnis peccati, nisi caro esset ista peccati:*) minimè licet colligere, q̃ caro Christi fuisset etiam alioquî futura, alterius quidem conditionis, si peccatũ non accidisset. Multò enim verior est illa Augustini enunciatio, si ne fuisset quidem vllo modo futura tũc Christi caro: Id quod & Augustinum & alios Patres antiquos planè sensisse, compertissimum est ex illorum sententiis, quas ante recitauimus.

Et certè si vel Augustinus, vel alij ex veteribus Patribus contrarium sensissent, solumq; dicere voluissent, Christum alioqui non venturum in carne passibili, quę est in similitudinem peccati; aliquando id declarassent. Nullus autem ex veteribus est, qui Christum impassibilem vẽturum fuisse, si peccatum non accidisset, meminerit vsquam: quod tamen propter rei grauitatem mirum certè est à nullo veterum Patrum fuisse cogitatum & scriptum, si ita omnino fuisset futurum. RVPERTVS autem Tuitiensis, quem suprà diximus fuisse in illa sententia, non est ex illis veteribus, siquidem memoriam quingentorum annorum non excedit. Progrediamur igitur ad argumenta reliqua contrariæ sententiæ, quæ ex Ratione petuntur.

TERTIVM argumentum. In cõfesso est, filium Dei venisse etiam, vt potẽtia & bonitas Dei hominibus per id Mysteriũ manifestarentur: itemque vt perficeretur ita quodammodo totum Vniuersum; sicut hæc etiã D. Thomas fatetur hîc art. 1. Item est in confesso, quòd quamuis peccatum non accidisset, potuissent nihilominus hæc fieri; & conueniebat etiam diuinæ bonitati, vt fierent, vt sic magis ipsa creaturæ cõmunicaretur. Ergo tunc etiam venisset Christus.

RESPONDEO, Consequẽtiam non esse bonã. Non enim quicquid cõuenienter fieri potuisset, fuit futurum. Alioquî similiter probaretur, fieri debuisse alium Mundum isto perfectiorem, & alia plurima, quæ non fiunt, licet possent conuenienter fieri. Posito itaque, quòd peccatum accidit; venit quidem filius Dei ob illas caussas etiam: sed si peccatum non contigisset, non venisset propter illas solas.

QVARTVM argumentũ petit Scotus vbi suprà ex modo & ordine prouidẽtiæ diuinæ in prædestinãdo Christum. Totamq; illius probationem possumus cõplecti breuiter hoc modo: Deus ab æterno prius prædestinauit Christũ (id est, prius constituit illi dare gratiam Vnionis, & gratiam habitualem, & gloriam) quàm præsciret peccatum. Ergo etiam si neq; peccatum, neque præscientia peccati extitisset, venisset Christus vi & efficacia illius prioris prædestinationis.

Antecedẽs probatur dupliciter. PRIMO. Quia prædestinatio aliorũ ad gratiã & gloriam priùs fuit, quàm vlla præscientia peccati. Sed prędestinatio Christi fuit prior, q̃ prædestinatio aliorũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ergo etiam fuit prior, quàm vlla præsciẽtia peccati. Maior probatur. Quoniã peccatum priuat gratiâ & gloria; atq; ita illo prior est gratia & gloria; siquidẽ habitus prior est priuatione. Minor quoq; probatur. Nam qui ordinatè vult aliqua, priùs vult id, quod est ꝓpinquius fini. Sed Deus ordinatè omnia vult, & Christus ꝓ dona, ad quæ prędestinatus est, propinquissimus est fini, nempe ipsi Deo. Ergo Prædestinatio Christi prior fuit in Deo, quàm prædestinatio aliorum.

SECVNDO probatur id Antecedens. Quoniã aliâs priùs etiã fuisset præuisus Adam in gratia, quam habuit ante peccatum, & prius itẽ fuisset ꝑdestinatus ad eam, & ad gloriã, quàm Christus. Quod concedere videtur absurdũ. Atq; hæ sanè sunt argumentationes Scoticæ, ob quas aliquib' Doctoribus visa est illa eius opinio subtilis.

Sed RESPONDEO, argumentum hoc nõ esse magni momenti. Ac primùm quidẽ posset fortè aliqs illud refutare hoc modo: Cùm sumit Scotus, Christũ absolutè fuisse ꝑdestinatum priùs, quàm peccatum prꝛuideretur; vel intelligit, illũ fuisse ita priùs prædestinatũ, vt veniret in carne impassibili; vel passibili; vel absolutè vt veniret, abstrahendo à carne passibili vel impassibili. Hoc TERTIVM non videtur à Scoto dici potuisse. Nam actus prouidentię diuinę & prædestinationis, est eiusmodi, vt de re constituat prorsus in particulari, id est, secundùm eas conditiones omnes, quibus res ipsa est futura. Si verò Scotus dixisset PRIMVM (scilicet Christum independẽter à præscientia peccati prædestinatum fuisse, vt veniret in carne *impassibili*) sequitur, ita prorsus illum vi & efficacia illius prædestinationis fuisse venturum, non obstante peccato, quod postea præuisum est. Id autem euidenter est falsum: siquidem non ita Christus venit. Si autem Scotus dixisset SECVNDVM (scilicet prædestinatũ tunc esse, vt veniret, sicut iam venit, in carne *passibili*) sequitur, sic illum omnino fuisse venturum, etiamsi peccatum non contigisset; quod tamen negat Scotus, cùm vult, ipsum tunc venturum fuisse non nisi impassibilem.

VERVM hanc obiectionem facilè potuit Scotus diluere, respõdendo illud TERTIVM. Etsi enim prouidentia seu prædestinatio diuina cõstituat de re in particulari; tamen non est necesse, vt hoc faciat quocunq; modo considerata; satis est, si id illi tribuamus vndequaq; consideratæ. Itaq; dixisset Scotus, prouidentiam & prædestinationẽ illam diuinam, si præcisè cõsideretur, vt antecessit præscientiam peccati, non cõstituisse aliquid in particulari de conditione & modo aduentûs Christi in carne; sed tantùm absolutè, vt in carne is veniret. Consideratam verò vndequaque; scilicet quatenus etiam simul tempore in Deo extitit præscientia futuri peccati; statuisse quoque de particulari conditione carnis eius, in qua Christus fuit venturus, vt scilicet veniret *passibilis*.

IDEO aliter ostendo, argumentum illud Scoti esse parui momenti. Nam simili argumentandi forma probaretur, Diuum Petrum v.g. vel alium ex prædestinatis, qui iam sunt in cœlo, consecuturum fuisse gloriã, etiamsi nulla habuisset merita. Quoniã prius est prędestinatus ad gloriam, quàm præscirentur & præordinarẽtur diuinitùs illius merita; cùm gloria sit meritorum *finis*. Itẽ, Christum fuisse quoque venturum, etiamsi neq; Vniuersum, neque homines vlli fuissent futuri. Nam cùm propinquior sit Christus fini, nempe Deo, quàm vniuersum ipsum vel homines, cõsequens est (si valet argumentatio Scoti) vt prius fuerit Christus prædestinatus, quàm omnia ista viderentur à Deo, atque adeo vt illis etiam non futuris Christus veniret. Et similia multa possunt ex illo argumento Scoti deduci absurda.

Quare vt ad id argumentũ in forma RESPONDEAMVS, distingui debet Antecedens. Verum enim est, Christum vna quadam consideratione & modo fuisse prius prædestinatum, quàm præsciretur peccatum vllum, scilicet vt *authorem* siue *causſam* (moralem saltem) omnis gratiæ, etiam eius, quæ data est initio Adæ, & Angelis ipsis (vt infrà q. 19. disputabo) cui gratiæ opponũtur priuatiuè (quadam ratione) peccata; & ideo sunt quiddam posterius, quàm illa & eius causſa, sicut priuatio est posterior, quàm *habitus*. Neque aliter, quàm in hoc sensu confirmatur illius argumenti Antecedẽs per probationes eius, quas adhibuimus ex Scoto.

Falsum autem est, Christum *omnibus modis prius* prædestinatum fuisse, quàm præsciretur peccatum. Etenim alia quadam consideratione vicissim quoque fuit illa præscientia peccati prior, quàm Christi prędestinatio, scilicet vt peccatum est quædam *dispositio*, siue quoddam *præsuppositum* ad aduentum Christi, tanquam *morbus* videlicet, qui præsupponitur ad *medicinam* (quæ in proposito est gratia Christi) & ad aduentum Medici. Vt enim res ipsæ diuersa ratione sunt sibi inuicem priores & posteriores: ita etiã actus diuini, vt ad illas, tanquam ad obiecta referuntur, priores & posteriores sibi inuicem sunt, secundùm intelligentiam nostram: quemadmodum fusè declarauimus totum hoc in proprio loco, scilicet tomo 1. disp. 1. q. 19. p. 5. Iam verò quod est prius altero, non omnibus modis, sed vno quodam, & alio posterius eodem; id minimè potest esse sine illo altero. Vnde patet, nihil probare argumentum illud Scoti.

Neque verò præter actum illum diuinum circa Christi Incarnationem vno modo priorem, quàm præscientiam peccati, & alio modo posteriorem (vt diximus) opus est hîc fingere in Deo quendam alium primum actum, quo ante omnem præuisionem peccati præordinauerit absolutè Christi Incarnationem, futuram proinde, quamuis peccatum non accidisset. Figmentum hoc planè falsum est. Tum quia iam antè ex

Scriptura & Patribus probauimus, Christum non fuisse venturum, si peccatum nõ accidisset, atque adeo minimè talem actum seu decretum fuisse in Deo. Tum quia de diuinis actibus non nisi ex effectibus Dei, prout executioni mandantur, possumus quidquam cognoscere. Itaque neque *alios* actus, neque *aliter* inter se ordinatos, iuxta ordinem prioris & posterioris (nostro modo intelligendi) debemus in Deo statuere, quàm exigit ipse modus, quo vel experientia, vel ratio docet, executioni mandari Dei effectus. Modus autem, quo hic Dei effectus, nempe Incarnatio, executioni mandatus est, non alius est (prout argumenta nostræ sententiæ docent) nisi quòd *propter*, & *post* peccatum Christus venit, alioquî minimè venturus. Quare circa Incarnationem non alium actum debemus cogitare aut statuere in Deo, nisi illum, qui quadam ratione fuit posterior præuisione peccati, vt antè declarauimus.

Quòd autem hîc quidam aiunt, alium esse ordinem Intẽtionis, alium Executionis; & Deum, attendendo ordinem Intentionis, priùs voluisse absolutè Incarnationem, ante oẽm prꝛuisionem peccati; quamuis post prævisum peccatum eam voluerit, attendendo Executionis ordinẽ: Hoc, inquam, planè mihi videtur hîc intempestiuè dictum. Etsi enim quoad *dignitatem* quidem, atque etiam quoad *successionem temporis*, in nobis, qui successiuè de rebus cogitamus, easque volumus, alius est ordo *Intentionis*, & alius *Executionis* (siquidẽ quæ sunt posteriora in executione, sunt sic priora in intentione, & cõtrà) tamen secundùm *habitudinem causſæ*, seu *rationis*, ob quã vnum *propter* aliud cadere, aut non cadere dicitur in voluntatem diuinam vel nostram (de qua solùm habitudine est quæstio in proposito) idẽ est ordo Intentionis & Executionis. Quod enim in Executione fit non nisi *propter* aliud, atque adeo est alio posterius; id neque in voluntatem & intentionem rectè ordinatam (qualis est inprimis diuina) cadit nisi propter illud aliud, atque adeo in Intentione quoque est posterius. Quocirca, cùm in Executione non nisi propter peccatum Incarnatio sit facta; confitendum est, illam in Intentione quoque diuina fuisse posteriorem, neque fuisse per vllum actum à Deo prꝛordinatam absolutè & independenter à prævisopeccato. Quæ annotatio obseruari debet ad eorum etiam cõfirmationem, quæ tomo 1. in Quæstione de prædestinatione, puncto 5. assertione 2. disseruimus.

PORRO ex his intelligitur, quemadmodũ vnâ cum hac nostra sentẽtia possimus item rectè defendere, ꝙ Christus fuerit priùs prædestinatus, quàm Adam prædestinatus fuit non modò ad eam gratiam & gloriam, quam obtinuit per pœnitentiam, sed ad primam illam gratiam, quàm habuit antè peccatũ, atq; adeo priùs, quàm prædestinati sint cæteri homines. Nam, vt dictũ est, Christus vt *author* omnis grãtiæ & gloriæ, atque adeo vt *exemplar* omnium prædestinatorũ, prior fuit, quàm prima illa gratia Adæ, secũdùm ordinem præscientiæ & prouidentiæ diuinæ; licet simul etiã fuerit posterior, quàm peccatũ, iuxta illam aliam cõsiderationem peccati, vt est scilicet *morbus quidam* indigẽs Medico & Medicinâ. Vnde Apostolus ad Rom. 8. *Primogenitum* Christum vocat *in multis fratribus*, quia, vt ibidem dicit, reliqui sunt prædestinati, vt essent illi, tanquam exemplari, conformes. Quin etiam priùs prædestinatus est Christus, quàm omnes Angeli: quoniam vt probabimus q. 19. causſa fuit ipse meritoria gratiæ & gloriæ illorum.

Deniq; ex his, quę breuiter à me in respõsione illius quarti argumenti dicta sunt, facilè iudicari poterit, quid aut veri, aut falsi cõtineant ordines varij actuum diuinorum, quos hîc alij atq; alij Doctores ꝓlixè assignant circa prouidentiã & prædestinationem Christi & aliorum, vt Caietanus q. 1. art. 1. & alij interpretes D. Thomæ. Nos ea de re egimus suo loco generatim tomo 1. disp. 1. q. 19. p. 5. cùm explicaremus, quatenus diuina voluntas habeat vel non habeat causſam.

QVINTVM argumentum. Referre maius bonum ad id, quod est minus; peruersum est. Sed gratia vnionis, per quam Christus est Deus & homo, maius bonũ est, quàm redemptio generis humani. Ego hæc gratia vnionis nõ fuit tota ordinata ad redemptionem generis humani.

RESPONDEO primò, Maiorẽ huius argumẽti falsam esse, quãdo id, quod maius est, refertur ad id, quod est minus, non tanquam ad aliquid, quod per se sit dignius, sed tanquam ad *effectum quendam*, sine vllo detrimento maioris, consequendũ. Nam mille ducati v.g. rectè sic exponũtur, atq; adeo referuntur ad faciendum paruum lucrũ. Et ipse Scotus agnoscit, Christi Incarnationẽ, quatenus venit Christus in carne passibili, ordinatã fuisse ad redemptionem nostram; cùm tamen Christus etiam, vt in carne passibili venit, maius quiddam sit, quàm nostra redemptio.

Secùndo dici potest, eo argumẽto tantùm ꝓbari, ꝙ Incarnatio Christi nõ debuerit referri ad nostram redemptionẽ *solam*. Relata est enim etiã ad ipsum Deum, tanquam ad vltimum & præcipuum finem omnium operum admirabilium.

SEXTVM argumẽtum. Non est verisimile (inquit Scotus) tantum bonum, quãtum est Incarnatio Christi, fuisse solummodò *occasionatum* ex peccato, quasi peccatum fuerit ad id necessarium. Quod argumentum RVPERTVS etiam in libro 13. de gloria & honore filij hominis, sub finem, CONFIRMAT ex AVGVSTINO, qui libro 14. de ciuitate Dei cap. 23. pro absurdo duxit, putare, non fuisse futuram multitudinem hominum iustorum, propagatam per humanã generationem, nisi accidisset peccatum. Quæ tamen multitudo iustorum hominũ longè minus bonum est, quàm Christi Incarnatio. Et idẽ censuit

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. Thomas, Augustinum secutus, 1. p. q. 98. art. 1. Sic autem scribit illic AVGVSTINVS: *Quisquis dicit, non fuisse generaturos homines, nisi peccassent; quid dicit, nisi propter numerositatem Sanctorum necessariũ hominis fuisse peccatum? Si enim non peccando soli remanerent; profectò vt non soli duo iusti homines possent esse, sed multi, necessarium peccatum fuit. Quod si credere* (inquit) *absurdum est, illud potiùs est credendum, quòd Sanctorum numerus, quantus complendæ illi sufficit beatissimæ ciuitati, tantus existeret, etsi nemo peccasset, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum, quousque filij huius seculi generant & generantur.*

RESPONDEO ad argumentum, non modò verisimile, sed etiam longè verisimilius esse, bonum illud Incarnationis quantumcunque magnum, non fuisse futurum, nisi per occasionem peccati. Etenim sic maximè bonitas & misericordia Dei erga homines commendatur, vt suprà dixi.

Ad CONFIRMATIONEM autem argumenti ex Augustino, respõdeo, esse disparem rationem in proposito. Nam peccatum *mortale* (de quo agit Augustinus) opponitur quodãmodò numerositati *Sanctorum*, vt Sancti per gratiãsunt; quo pacto de ea numerositate loquitur ibi Augustinus, vt patet ex eius verbis iam recitatis, quæ quidam non satis fideliter ita citant, quasi loqueretur ibi Augustinus de qualicunq; numerositate hominum per generationẽ multiplicandorũ. In nostro autem proposito, peccatum non est aliquid oppositum Incarnationi. Absurdum autẽ est dicere, quòd vnum *oppositorum* nõ fuerit futurum, nisi per occasionẽ alterius (vt non fuisse futuram lucem, nisi per occasionem tenebrarũ) atq; adeò nõ fuisse futurã numerositatem *Sanctorũ*, nisi per occasionem *peccati*, quod opponitur *sanctitati*, vt rectè censuit Augustinus, & post illũ S. Thomas.

Non est autem absurdum dicere, non fuisse futuram incarnationem, nisi per occasionẽ peccati, quod ei minimè opponitur. Vsitatissimum namque est, vt non nisi per occasionẽ malorum eueniant Deo prouidente quædam magna bona, quæ alioqui minimè euenirent. Immò hæc ipsa caussa est, quamobrem Deus permittit mala, quippe qui (vt ait idem AVGVSTINVS in Enchiridio, cap. 27.) *meliùs esse iudicauit, de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.*

SEPTIMVM argumentum. Si Christus non fuisset venturus, nisi ob hominum culpam, sequeretur fas esse nobis gaudere de culpa, quæ tantum nobis commodi attulit.

RESPONDEO, minimè id sequi: Sed tantùm gaudere licet de *misericordia* Dei, quam commouit culpa; quod est, gaudere non de ipsa culpa per se, sed de quodam quasi accidente culpæ. Atque ita illud intelligendum est, quod Ecclesia in Sabbatho sancto canit; *Fœlix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Vt si quis v. g. periculosè decideret in puteum, membrumque frangeret; inueniret tamen ibi thesaurum; fælicem illum casum diceremus, non per se, sed ratione coniuncti accidentis.

POSTREMO putat Scotus, eneruari argumentum sententiæ nostræ, quod ex Scriptura ducitur, si dicatur, peccatum assignari in Scriptura caussam, cur Christus *passibilis* quidem, & vt *Redemptor* venerit.

SED ex Scripturæ locis, quæ suprà sunt adducta, clarum est, ex peccato in Scriptura reddi caussam, non tantùm cur Christus *talis* venerit, sed absolutè, cur in mundum venerit. Quin etiam aliquid habet hæc interpretatio Scoti ridiculi. Quî enim fieri poterat, vt ad delendum *peccatum*, tanquam *Redemptor*, non veniret propter peccatum? Aut quid opus erat id nobis dicere? Hactenus de ista Quæstione.

QVÆSTIO SECVNDA.

De modo Incarnationis Dominicæ, ex parte Vnionis duarum naturarum.

D. Thomas tertia parte, quæstione secunda.

EXPLICANDA SVNT OCTO. PRIMO, AN VNIO DVARVM naturarum in Christo, ita facta sit, vt post eam vnionem, sit verè is præditus vtraq; illa natura, scilicet diuina & humana? SECVNDO, An ea Vnio ita facta fuerit, vt post eam Christus sit tãtummodò vna persona? TERTIO, An ea Vnio ita facta sit, vt post eam manserit in Christo differentia proprietatum vtriusq; naturæ, non obstante personæ ipsius Vnitate? QVARTO, An ea Vnio ita facta sit, vt post eam Christi persona sit composita? QVINTO, Quid sit propriè & essentialiter illa Vnio? SEXTO, An ea Vnio sit omnium aliarum maxima? SEPTIMO, An ea Vnio fuerit naturaliter in Christo facta, vel solùm per gratiam? OCTAVO, An ob cuiusquam meritum facta fuerit hæc Vnio?

PVNCTVM

PVNCTVM PRIMVM.

An vnio duarum naturarum in Christo ita facta sit, vt post eam Vnionem sit verè is præditus vtraque natura, scilicet diuina & humana.

D. Thom. art. 1. & 5.

DVAE NATVRAE IN CHRISTO hoc ipso (quod ad rem ipsam attinet) fuerunt vnitæ, quòd humana natura hypostaticè vnita est cũ ipsa persona diuini Verbi. Ita enim factum est, vt & natura diuina, & natura humana subsistãt in eadem persona diuini Verbi vnitæ.

Porrò triplex in proposito notitia haberi potest à nobis de hac vnione humanæ naturæ cum persona Verbi, atque adeo duarum eiusmodi naturarum. PRIMA est ex parte *termini* huius Vnionis, vt scilicet sciamus, an terminus huius Vnionis (id est, quod ex ea resultauit) constet verè ex *duabus* illis naturis distinctis, & sit tantùm *vnica* persona, non obstante illarum naturarum differentia, & retineat sine confusione *proprietates* distinctas illarum duarum naturarum, non obstante vnitate suæ personæ; & sit denique propter eam differentiam naturarum & proprietatum quiddam *compositum*. Atque hanc notitiam de eiusmodi Vnione inuestigabimus partim in hoc puncto, partim in tribus sequentibus, iuxta ordinẽ nobis propositum. SECVNDA notitia est ex parte ipsius rationis *essentialis* huius Vnionis, vt formaliter est *Vnio*. Atq; hanc notitiam, quæ est veluti *quidditatiua*, inuestigabimus p. 5. TERTIA notitia est ex parte quarundam veluti circumstantiarum huius Vnionis; vt an sit *maxima*; an Christo competat *naturaliter*, vel *per gratiam*; & an etiam ex alicuius *merito*. Quam notitiam inuestigabimus punct. 6. 7. & 8. vbi de eiusmodi huius Vnionis circumstantiis disseremus.

NVNC quod attinet ad Quæstionem propositam in hoc primo Puncto, apud Orthodoxos quidem nullum est dubium, quin ita hæc Vnio fuerit facta, vt vtraque natura diuina & humana manserit in Christo salua. Id enim est ex Scripturis compertissimum. Sed proponitur hæc Quæstio hic à D. Thoma & ab aliis Theologis, propter varios errores hæreticorum cum hac fidei assertione pugnantes, quos refutare conuenit. Nec tamen hoc loco refellendi sunt omnes errores, qui quoquo modo cum veritate duarũ in Christo naturarum pugnãt (quidam enim ex illis sunt refutandi infrà suis locis q. 5. 18. & 19. cùm agemus de Christi potentiis & operationibus) sed illi tantùm, qui directò detrahunt Christo substantiam ipsam seu essentiam veræ *diuinitatis*, vel *humanitatis*. Sunt autem eiusmodi errores potissimùm quatuor.

PRIMVS fuit eorũ, qui asseruerunt, Christum non esse verum Deum; sed purum hominem excellenti virtute & gratia Dei præditum. Huius erroris author fuit Hebion, contra quem, vt refert B. Hieronymus in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, scripsit B. Ioannes suum Euãgelium. In eodẽ errore fuit Cerdon & Cherinthus: item Photinus, & Paulus Samosatenus, vt videre est apud D. Augustinum & Philastrium in suis libris de hæresibus, & Theodoretum lib. 2. hæreticarum fabularum, qui eundem errorem tribuit Artemoni, & Theodoto, seu Theodotioni, vt nominat Augustinus hæresi 33. Arriani etiam negauerunt, Christum esse verum Deum, coæqualem Patri. Contra quos omnes, & alios nouos huius temporis Arrianos & Samosatenianos copiosissimè à nobis pro Christi diuinitate disputatum est tomo 1. q. 1. de Trinitate, p. 1. s. 10. & multis sequentibus.

Ac vt summatim quidem aliquid nunc dicamus, ex præcipuis ad hanc rem testimoniis noui Testamenti (quod ab omnibus hæreticis receptum fuit) sunt illa: Matt. 16. Cùm Christus quæreret, quæ nam de ipso esset hominum existimatio; respõderetur q; , alios eum putare esse Ioannem Baptistam, alios verò Heliam, alios verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis, hoc est, præstantem aliquem virum, quales sunt filij Dei *adoptiui*. Rursus Petrus ab eodem interrogatus: *Tu es*, inquit, *Christus filij Dei viui*. Qua singulari cõfessionis forma & modo, apertè declarauit, Christum non adoptione & gratia tantùm, sicut Prophetas, & alios homines sanctos, quorum similis ab aliis existimabatur Christus; sed etiam *naturaliter* esse Dei filium. Quæ confessio, vt verissima, est à Christo approbata verbis illis: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Item Marci 14. Sacerdoti summo interrogãti: *Tu es Christus filius Dei benedicti?* (hoc est, nõ adoptiuus, vt alij; sed verus & naturalis, sicut Iudæi intelligebant ipsum testari, propter quod scandalizabantur) Respondit IESVS: *Ego sum.*

Item ad Rom. 9. *Quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Et ad Philippen. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Et ad Titũ 2. *Vt doctrinam Saluatoris nostri Dei honorent in omnibus.* Et infrà: *Expectantes beatam spem, & aduentũ gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.*

Inprimis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Inprimis verò ad Hebræ. 1. idem ex instituto probat Apostolus, ostendens Christum esse non participatione, vt alios, sed naturâ Deum, quoniam de illo dicatur illud Psalmi 44. *Thronus tuus Deus in seculum seculi.* Ad Angelos autem: *Et adorent eum omnes Angeli eius,* Psal. 8. Ex quibus & aliis concludit, esse superiorem omnibus Creaturis, atque adeo naturalem Dei filium, qui etiam ab Angelis sit tanquam Deus adorandus. Est & ille clarissimus locus, 1. Ioan. 3. *Hic est verus Deus.* Denique huc omnia alia testimonia spectant, quæ in materia de Trinitate vbi suprà maximo numero attulimus & propugnauimus ad confirmationem huius Assertionis. Estque damnatus contrarius error in omnibus ferè Conciliis.

NEQVE argumenta hæreticorum sunt vllius momenti. Omnia enim expediuntur vnica distinctione: si videlicet, quæ de Christo in Scripturis, tanquam de puro homine dici videntur, tribuamus illi, secundùm naturam humanam, quemadmodum q. 1. de Trinitate, punct. 1. §. 21. tradidimus ex cõmuni & verisima regula sanctorum Patrum. Vt illud: *Pater maior me est,* Ioan. 14. Confitendum autem nihilominus est, alia, quæ diuinitatis sunt, eidem Christo conuenire, secundùm alteram naturam, nempe diuinam. Vt quod ait Ioann. 10. *Ego & Pater vnum sumus, &c.*

SECVNDVS error, priori oppositus, est, Christum fuisse tantummodò Deum, non autem verum hominem. Ita simpliciter sensit Cerdon, vt videre est apud D. Augustinum hæresi 21. qui cõsequenter negabat, Christum verè fuisse passum & mortuum; sed simulâsse tantùm aiebat. Cerdonem istum secuti sunt quidam Prodianitæ siue Proclianitæ, apud Philastrium, & apud Augustinum hæresi 60. Item Apelles quidam apud Eusebium lib. 5. Ecclesiast. historiæ, cap. 13. & apud Augustinũ hæresi 23. qui existimauit, Christum non verum corpus humanum, sed ex elementis solis compactum habuisse, quod exuerit & reliquerit ascendens in cœlum. Item Manichæi, qui putauerunt, Christum habuisse non nisi corpus phantasticum, apud Augustinum hæresi 46. Quos etiam secuti sunt Priscillianistæ apud eundem August. hæresi 70. Et etiam Valentinus, qui existimauit, Christi corpus fuisse cœleste, ideoque non verè genitum ex Virgine, sed quod per illam transiuerit solùm, quasi per fistulam seu rimam, vt ait Augustinus hæresi 11. & alij. Itaque omnes isti in eo conueniunt, quòd Christus non fuerit verus homo, præditus humano corpore eiusdem rationis cum nostro.

CONTRA hunc errorem manifestè argumẽtari licet. PRIMO ex multis Scripturæ diuinæ locis, qui declarant, Christum ex humana stirpe ortum esse *natiuitate humana.* Quod enim ita nascitur, euidens est, esse verum hominem eiusdem rationis specificæ cum his, à quibus per natiuitatem descendit. Neque enim fieri potest, vt secundùm naturam diuinam, quæ principio caret, fuerit Christus ex hominibus natus.

Eiusmodi autem Scripturæ loci sunt isti: Genes. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Quam promissionem memorat Apostolus ad Galat. 3. *Abrahæ,* inquit, *dictæ sunt promissiones & semini eius: Non dicit: Et seminibus: quasi in multis; sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus.* Item Psal. 131. *De fructu ventris tui, ponam super sedem tuam.* Et Matth. 1. *Liber generationis Iesu Christi, &c. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Et Lucæ 1. *Ecce concipies in vtero, & paries filium:* iuxta vaticinium nimirũ Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, &c.* Et ad Roman. 1. *Qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem.* Et cap. 9. *Quorum patres, ex quibus est Christus secundùm carnem.* Et ad Galat. 4. *Natum ex muliere, &c.* Et passim alibi. Vnde apparet euidentissimè vanitas illius commenti Valentini. Si enim Christus ex Virgine nihil sumpsisset; sed per eam tantùm transiuisset tanquam per rimam, minimè dici posset eius filius, ex eaque natus, vt ostendit etiam sanctus IRENAEVS libro tertio, capite 32.

Quin etiam vt præclarè ibidem argumentatur IRENAEVS: *Superuacua tunc esset in Mariam descensio eius. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, nunquam eas, quæ à terra erant, percepisset escas, per quas id, quod à terra sumptum est, nutritur corpus, &c.*

SECVNDO illis etiam Scripturæ locis hic error conuincitur, quæ indicant, Christum corpore fuisse præditum, quod haberet verum *sanguinem,* sicut alium quemuis hominem. Vt Luc. 22. *Hic est calix noui Testamenti in sanguine meo.* Et 1. Ioan. 1. *Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato, &c.*

TERTIO ex illis, quibus indicantur *affectiones* eius verè humanæ, vt tristitia, fames, lassitudo. Matth. 26. *Cœpit contristari & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Et Marci 14. *Cœpit pauere & tædere.* Et Matth. 4. *Cùm ieiunasset, &c. postea esuriit.* Et Ioan. 4. *Iesus fatigatus ex itinere, sedebat sic suprà fontem, &c.* Quæ testimonia adducit etiã IRENAEVS vbi suprà, addens quoque illud Dauidis Psal. 68. in Christi persona dicentis: *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Vt iam alia præteream. Quæ non opus est notare, cùm passim obuia sint.

DENIQVE veritas humanæ naturæ in Christo ab ipsomet multis argumẽtis asserta est post resurrectionem *per dies quadraginta cum discipulis suis præbuit seipsum viuum,* vt ait Lucas, Act. 1. Vnde Luc. 24. *Palpate & videte,* inquit, *quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et Ioan. 20. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Hinc Ioannes 1. epist. cap. 4. *Omnis,* inquit, *spiritus, qui non confitetur Christum in carne venisse, ex Deo non est, & hic est Antichristus.*

POSTREMO est etiam hæc veritas multis in Conciliis definita, vt in Niceno, Ephesino, Chalcedonensi. Et in Athanasij Symbolo: *Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus & homo est.* Et asseritur passim à Patribus, (vt patebit ex testimoniis quæ adferemus contra sequentem errorem) præsertim verò à duobus Summis Pontificibus, scilicet à diuo LEONE epistola 10. ad Flauianum, & 97. ad Leonem Augustum, & à GELASIO in libro de duabus naturis contra Eutychen, qui extat tomo 5. Bibliothecæ sanctorum Patrum.

Quod autem attinet ad argumenta contraria hæreticorum, pleraque eadem illa distinctione refelluntur, per quam respondimus ad fundamenta prioris erroris. Tribuuntur enim Christo ea, quæ sunt propria Dei, non quia tantùm Deus sit, sed quia sic est verus homo, vt etiam habeat verè naturam diuinam, sicut fusè probauimus quæst. 1. de Trinitate, punct. 1. §. 10. & multis sequentibus.

Peculiariter verò RESPONDENDVM est ad duo loca, quorum alter pro omnibus illis hæreticis videtur facere; alter speciatim pro Valentino, qui aiebat, corpus Christi fuisse *cœleste.* PRIOR ille est ad Philip. 2. vbi Christus dicitur *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Non igitur est verus homo; sed hominum tantùm similis externa specie & figura. ALTER locus est 1. Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis.* Fuit igitur cœleste Christi corpus.

RESPONDEO ad PRIMVM, vsitatã esse Scripturæ phrasin, vt simile etiam dicatur, quod habet naturam & substãtiam eiusdem rationis. Vt Genes. 2. *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et Genes. 5. *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam.* Et Ecclesiast. 13. *Omne animal diligit simile sibi.* Quod autem adiunxit Paulus *habitu inuentus vt homo,* ad Scripturæ etiam phrasin alluxit, qua Christi humanitas appellari solet propter analogiam quãdam, *indumentum* & quasi *vestis* diuinitatis, quia scilicet vt vestis sine substantiæ hominis mutatione induitur: ita humanitas sine diuinitatis mutatione à Verbo diuino assumpta est. Hinc Esaiæ 64. *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Item ibidem: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Quæ sunt interrogationes de humanitate Christi sauciata, & proprio sanguine rubricata in passione. Ad hanc igitur phrasin alluxit Apostolus in eo loco; de quo etiam disseruimus tomo 2. q. 7. de Habitibus, punct. 1.

Ad SECVNDVM locum respondetur, Christum hominem dici *cœlestem,* aut propter diuinã naturam & personam eius, quã dicimus descendisse è cœlo, vbi peculiariter est sedes Dei, propter præcipuos ibi Dei effectus; aut propterea, quòd secundùm humanã naturam (licet veram illam quidem) diuina, atq; adeo cœlesti virtute Spiritus sancti, conceptus est; non autem more aliorum hominum, ex terreno viri semine.

TERTIVS error, seu potius delirium fuit EVTYCHETIS. Hic per summam amentiam aiebat PRIMO, fuisse quidem in Christo ante Vnionem duas naturas (vt refert Flauianus epist. 2. ad sanctum Leonem, quæ extat ante epistolam 9. Leonis, & ipse Leo epist. 10.) SECVNDO, post vnionẽ earum naturarum, vnam tantùm ex vtraq; velut conflatam. TERTIO, vnam eam naturã ex vtraque extitisse siue per *conuersionem humanitatis* in diuinitatem (vt refert Theodoretus lib. 4. hæret. fabul. cap. vltimo) siue contrà per *conuersionem diuinitatis* in humanitatem (vt refert Gelasius in libro de duabus naturis, contra eundem Eutychetem) siue per confusionem & quasi mixtionem vtriusque naturæ, vt alij videntur intellexisse hanc hæresim. Variè enim à variis memoratur, sicut sine dubio variè & inconstanter oportuit ab auctoribus suis tradi sententiam tam monstrosam. QVARTO aiebat (vt citati auctores referunt) eam vnam naturam, quam in Christo post vnionem mansisse dixit, reipsa quidem tantùm esse diuinam, non autem humanam, nisi per quandam apparentiam & similitudinem. QVINTO consequenter asseruit, Christum secundùm naturam diuinã fuisse passum, cùm reuerà illam solam, & non aliã Christo tribuerit. Quod idem asseruit Lutherus in libro de Conciliis parte 2. sicut memorauimus tomo primo, quæst. 1. de Trinit. punct. 1. §. 7. vbi etiam retulimus quædam similia pronunciata Melanchthonis.

Hunc igitur absurdissimũ & penè inintelligibilem errorem communiter omnes tribuunt huic Eutycheti, qui fuit Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & ibidem cuiusdam Monasterij Abbas. Nec tamen ipse fuit huius erroris primus auctor; sed potius instaurator & propagator. Nam idem ferè senserant Apollinaristæ, & nominatim ex illis quidam Polemius, vt potest intelligi ex Epiphanio, hæresi 77. & Theodoreto lib. 4. hæreticarum fabularum, & Augustino hæresi 55. Vnde aliqui Patres Eutychete antiquiores refutârunt eundem errorem. Vt Athanasius in epistola ad Epictetum, & Cyrillus Alexandrinus in libro de recta fide ad Theodosium, & S. Ambrosius in libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. 6. Quin etiam S. DIONYSIVS Areopagita, qui fuit lõgè antiquior Apollinari, subnotâsse & refutâsse videtur hunc eundem errorem cap. 3. de Ecclesiastica hierarchia, vt apparet ex eius verbis, quæ postea referemus.

Eundem etiam errorem postquam à Flauiano Episcopo Constantinopolitano, atque etiam à Concilio Chalcedonensi contra acta Pseudosynodi Ephesinæ secũdæ (pro Eutychete aduersus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Flauianum, præsidente Dioscoro Alexandrino congregatæ) damnatus esset, secuti sunt quidam Hæretici dicti Acephali, qui apertiùs etiam consequenter affirmârunt, *diuinam naturam fuisse crucifixam.* Eundem errorem fuisse his temporibus complexum Schvvenckfeldium & Musculum, testatur Staphilus in libro de concordia discipulorum Lutheri. Et vt videbimus p.3. in illũ etiam impingunt Vbiquetarij.

Cuiuscunq; autem vel quorumcunq; hic error fuerit, quoad omnes suas partes, absurdissimus est. PRIMO enim repugnat multipliciter Scripturæ sacræ. Nam PRIMVM ex Scriptura cõstat, Christũm aliud non esse, nisi verum illum Deum & hominem, qui formaliter, vt Deus & homo est, extitit per Incarnationem diuini Verbi, quæ ante vnionem naturæ diuinæ & humanæ ne intelligi quidem potest. Ergo cùm Scriptura planè pugnat id, quod PRIMO aiebat Eutyches; in Christo ante vnionem fuisse duas illas naturas. Quomodo enim in Christo fuerunt ante vnionem, si ante vnionem non fuit formaliter Christus, vt talis? Assumptum verò ex iis omnibus locis Scripturæ noui Testamenti patet, vbi asseritur Christi humanitas & diuinitas, ac nominatim ex cap.1. Ioannis apertissimè. Ibi enim Christus ille, qui *habitauit in nobis*, dicitur esse *Verbum* ipsum incarnatum, vt patet ex illo cõtextu sermonis: *In principio erat Verbũ, &c. Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Quomodo igitur in Christo, hoc est, in Verbo incarnato, ante vnionem fuerunt duæ naturæ, diuina & humana, si ante vnionem non fuit Verbum incarnatum?

Rectissimè itaque S. Leo epist. 10. ad Flauianum, cap. vltimo, (quæ in Concilio Chalcedonensi fuit approbata) cùm illa verba Eutychetis retulisset: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominũ nostrum ante adunationem, post adunationem verò vnã naturam confiteor*; addit: *Miror tam absurdã, tamq; peruersam eius professionem, &c. cùm tam impiè duarũ naturarum ante Incarnationem vnigenitus Dei filius fuisse dicatur, quàm nefariè, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur.*

SECVNDO ex Scriptura item cõstat, Verbum incarnatum, atq; adeo Christum Dominũ, esse verum Deum & verum hominẽ, ac proinde verè post vtriusq; naturæ vnionem vtraq; prædituм esse natura, vt patet ex illis testimoniis, quibus refutauimus secũdum & tertium errorem: item ex iis, quæ fusè disseruimus tomo 1.q.1. de Trinitate p.1. *S.* 21. præsertim in responsione ad obiectionem 9. Non igitur potest consistere secundum, quod Eutyches aiebat, in Christo post vnionem esse tantùm vnam naturam.

TERTIO ex Scriptura etiam cõstat, naturam diuinam esse prorsus immutabilem. Malach. 3. *Ego Deus, & non mutor.* Et Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, &c.* Itaq; stare nõ potest tertium, A quod Eutyches dixit, diuinitatẽ in humanitatẽ, aut contrà, fuisse conuersam. Nam fieri non potest, vt nullo modo mutetur, vel quod in aliud conuertitur, vel id, in quod conuertitur aliud.

QVARTO, ex Scriptura item constat, Christum reuerà, & non simulatè natum ex Virgine, passum, & mortuum, & sepultum fuisse, & resurrexisse tertia die, & postea cœlos ascẽdisse, &c. vt patet passim ex toto nouo Testamento. Vnde Apostolus hoc ipsum, tanquam rem apud fideles compertissimã recenset 1.Cor.15. inquiens: *Notũ vobis facio, fratres, Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis; per quod & saluamini, qua ratione prædicauerim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis inprimis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm Scripturas: & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim, &c.* Phantasma est igitur vanissimum illud quartũ, quod somniauit Eutyches, per simulatam tantùm humanitatẽ (quæ reuerà nõ fuerit nisi diuina natura) natum, passum, mortuũ, sepultũ fuisse, & resurrexisse, &c.

QVINTO deniq; non minus clarè constat ex Scriptura, Christum nullo modo secundùm diuinitatem, sed duntaxat secundùm humanitatẽ, eamq; minimè simulatã, sed veram, passum fuisse. Itaq; merum etiã fuit figmentum, quintum illud Eutychetis placitum, scilicet ipsam in Christo diuinitatẽ (quod est planè impossibile) fuisse passam. Id autem patet ex his testimoniis. Psal.21. *Foderunt manus meas & pedes meos.* Item 2. Cor. 13. *Etsi crucifixus est ex infirmitate; sed viuit ex virtute Dei.* Vbi Apostolus vtrumque manifestè distinxit, & id, quo est passus, & quo reuixit, atq; adeo quo passus est nihil, etiam tunc, quando moriebatur. Item 1. Petri 2. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Et 1.Petri 4. *Christo igitur passo in carne pro nobis.*

SECVNDO repugnat etiã hic Eutychetis error multis Conciliis, in quibus damnatus est. Nempe Chalcedonensi ex instituto, & præsertim actione 5. in Symbolo fidei, vbi sic dicitur: *Confitemur, in nouissimis diebus filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarũ propter vnionem.* Quo testimonio est etiã vsus D. Thomas hic art.1.

Item in Concilio II. Constantinopolitano (quod est quinta Synodus generalis) can.2.7.8. 10.11. Vbi in Canone illo 8. sic dicitur: *Secundum substantiam dicẽtes carni vnigenitum Verbum vnitum esse, non confusionem quandam ad vices naturarum factam fuisse dicimus, magis autem manente vtraque, hoc quod est vnitum esse carni intelligimus Verbum.*

Item in VI. Synodo generali actione 4. vbi ita Patres loquuntur: *Omnia* DVPLICIA *vnius eiusdemq; Domini Saluatoris nostri Iesu Christi (secundùm Euangelicam traditionem) asserimus: id est, duas eius naturas prædicamus, diuinam scilicet & humanam, ex*

quibus, & in quibus, etiam post admirabilem atq; inseparabilem vnionẽ subsistit. Et vnamquamq; eius naturam proprietatem naturalem habere confitemur, etc.

Item in Concilio Lateranensi sub Martino I. (quod fuit centum & quinquaginta Episcoporum) can.6. *Si quis non confitetur, propriè & verè ex duabus naturis Deitate & humanitate, secundùm subsistentiam vnitis, inconfusè et indiuisè eundem et vnum Christum esse, sit condemnatus.* Idẽ asseritur in Concilio Hispalensi II. cap.13. & passim in aliis. Quibus adde etiam Symbolum Athanasij, vbi eandem veritatem Ecclesia profitetur.

TERTIO repugnat itẽ ille error Orthodoxis sententiis Patrum, ex quibus nonnullas annotabimus. S. DIONYSIVS Areopagita cap.3. de Ecclesiast. Hierarchia: *Diuinæ*, inquit, *bonitatis infinita clementia benignissimè omnino prouidentiã nostri, nec sic quidẽ* (post peccatum) *omisit per se ipsam operari, nostrorum omnium veraciter sine peccato particeps facta, nostræq; humilitati inserta, absq; CONFVSIONE vlla & maculatione veræ & integerrimæ diuinitatis suæ.*

S. IRENAEVS lib.3. cap.20. *Sic*, inquit, *Verbum Dei homo factus est, quemadmodũ & Moyses ait: Deus vera opera eius* (Deuter.32.) *Si autem non factus caro, parebat quasi caro, non erat verum opus eius. Quod autem parebat, hoc & erat, Deus hominis antiquam plasmationem in se recapitulans.*

S. Cyrillus HIEROSOLYMITANVS catech. 4. cùm agit de Christi generatione ex Virgine: *Duplex*, inquit, *erat Christus: homo quidem, id quod apparebat: Deus verò, quod intelligebatur. Comedebat quidem vt homo verè, ita vt nos, similes enim nobis corporis affectiones habebat: Vt Deus autem quinque panibus aluit quinque millia, &c.*

S. ATHANASIVS in Euangeliũ de sanctissima Deipara: *Sanctificata*, inquit, *superuẽtu Spiritus sancti Virgo eum gestabat, qui ex sua propria essentia Dei erat filius pro vnica eius diuinitatis natura, & gignit eundem incarnatũ et hominem factum secundùm duarum naturarum proprietatem; eundemq; duplicem & vnum ex duobus constantem inconfusè, immutabiliter, atq; indiuisim credi oportere statuimus.* Et infrà: *Deus interim perfectus & homo perfectus: Vnus, ratione vnius personæ; DVPLEX tamen natura.*

Et in epist. ad Epictetum: *Illud perquàm mirum fuit, eundem fuisse & patientem & non patientẽ; patientem quidem, quatenus ipsius corpus, in quo erat, patiebatur; non patientem verò, quatenus ex natura Deus impatibilis erat.* Et paulò pòst: *Non fictione ista agebantur, quemadmodum nonnulli existimauerunt, etc.*

S. BASILIVS lib.1. cõtra Eunomium post medium: *Sicut formã*, inquit, *assumpsisse serui, in essentia humanæ naturæ Dominũ nostrum natum esse significat: sic cùm dicit: In forma Dei esse* (ad Philipp. 2.) *diuinæ essentiæ proprietatem penitùs declarat.*

S. Gregorius NYSSENVS in Orat. Catechetica, cap.24. *Naturæ*, inquit, *nostræ integumento celata fuit diuinitas; vt instar piscium, cum esca carnis* (quando Diabolus Christum, vt hominẽ purum tentauit) *simul attraheretur hamus diuinitatis*, cuius virtute nimirum Diabolus victus est.

S. Gregorius NAZIANZENVS Orat. in Christi Natiuitatem: *Missus*, inquit, *est, verum vt homo, duplici enim natura erat; siquidem & fatigatus est, & fame ac siti laborauit, & angore correptus est, & lachrymas fudit, vt lex naturæ fert.*

S. Cyrillus ALEXANDRINVS epist. 8. ad Nestorium, referens fidem & sententiam Nicæni Concilij: *Licet*, inquit, *differentes inter se naturæ in veram sint vnitatem coniunctæ; vnus tamen ex vtrisque est filius ac Christus: interim non sublata differentia naturarum propter adunationem, &c.*

S. HILARIVS lib.9. de Trinit. sub initiũ: *Verbum*, inquit, *caro factum loquebatur; & homo Iesus Christus, Dominus maiestatis docebat, Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, & illo ipso inter Deum & homines Mediatoris Sacramento vtrumque* (scilicet Deus & homo) *existens, dum ipse ex vnitis in id ipsum naturis, naturæ vtriusque res eadem est; ita tamen, vt neutro careret in vtroque, ne fortè Deus esse, homo nascendo desineret, & homo rursus Deus manendo non esset.*

S. AMBROSIVS libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap.6. *Dum hos*, inquit, *redarguimus, emergunt alij, qui carnẽ Domini dicant & diuinitatem vnius esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerũt?* Et lib.2. de fide, ad Gratianum: *Considera quòd moris est Scripturis diuinis geminam in Christo significare substantiam, ne quis aut diuinitatem neget eius, aut carnem.*

S. HIERONYMVS in caput 55. Isaiæ, circa illud: *Ecce testem populis dedi eum. Vnus*, inquit, *atq; idem filius Dei, nunc diuinitatis suæ gloriæ, nunc nostræ naturæ, quam susципere dignatus est, loquitur affectibus.*

S. AVGVSTINVS lib.3. de Trinit. cap.7. *Forma Dei accepit formam serui. Vtrumque Deus & vtrumque homo. Sed vtrumque Deus propter accipientem Deum, & vtrumque homo, propter acceptum hominem* (id est, humanitatem) *Neque enim in illa susceptione alterum eorum in alterum conuersum atque mutatum est. Nec diuinitas quippe in creaturam mutata est, vt desisteret esse diuinitas, nec creatura in diuinitatem, vt desisteret esse creatura.*

S. GREGORIVS lib.18. Moralium, cap.36. accommodans ad Christum illud Iob 28. *Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia*; inter cætera de eo inquit: *Manens vnus ex vtraque, & in vtraque natura, nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus.*

His adde S. LEONEM epist. 97. ad Leonem Augustum, & sanctum VIGILIVM lib. 5. contra Eutychetem, & THEODORETVM in Dialogo secundo, inscripto: *Inconfusus.* & GELASIVM in libro de duabus naturis contra Eutychetem tomo 5. bibliothecæ sanctæ, qui non modò hanc fidei assertionem de veritate & differentia duarum in Christo naturarum luculenter confirmant, sed etiam pro illa recensent multa testimonia vetustiorum Patrum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adducit quoq; peculiariter THEODORETVS in Dialogo 3. qui inscribitur *Impatibilis*, quædam testimonia Patrum, aduersus id quod dixerunt EVTYCHIANI, diuinam naturam reipsa fuisse crucifixam. Quo in genere testimoniorum illustre est illud S. IRENAEI lib. 3. cap. 21. *Sicut homo*, inquit, *erat, vt tentaretur, sic & Verbum vt glorificaretur: requiescente quidem Verbo, vt posset tentari, & inhonorari, & crucifigi, et mori, absorpto autem homine in eo, quod vincit, & sustinet, & resurgit, &c.*

Et illud S. ATHANASII in epistola ad Epictetum initio: *Quis ita impius fuit, vt vel verbis diceret, vel animo conciperet, ipsam Deitatem, quæ Patri est consubstantialis, circumcisam fuisse, & ex perfecta imperfectam esse redditam, & illud corpus, quod in carne pependit, non corpus humanum, sed ipsam opificem rerum sapientiam fuisse?*

Et illud S. BASILII lib. 2. contra Eunomium, sub initium: *Neq; enim*, inquit, *de essentia ipsa Dei Verbi, quod in principio erat apud Deum, sed de eo, qui se exinaniuit in forma serui, & factus est conformis corpori humilitatis nostræ, & crucifixus est ex imbecillitate, palàm verba facit* (Petrus Actor. 2.) *Dominum enim*, inquit, *et Christum eum fecit, hunc Iesum, quẽ vos crucifixistis, demõstratiua voce in humanitatẽ ipsius, & quod omnibus videbatur, tantùm nõ palàm incumbẽs.*

Et illud S. Gregorij NYSSENI in Oratione Catechetica, cap. 32. *In hac*, inquit, *parte* (loquitur de mysterio crucis) *consequens fuerit, non negligere vnum quidem aspicere propter alterum: sed in morte quidem intueri humanitatem; in modo autẽ præscrutari id, quod est diuinius, &c.*

Et illud S. Gregorij NAZIANZENI Orat. 4. de Theologia: *Supererat*, inquit, *pertractare de eo, quod Patris mandata seruasse, &c. ac de eo, quòd ex iis, quæ passus est, obedientiã didicisse, scribitur; de sacerdotio itẽ, & oblatione, & traditione, & oratione ad eũ, qui mortis periculo ipsum eripere poterat; adhæc de mortis pauore & sanguineo sudore, ac precatione, & siquid aliud eiusdem est generis: nisi cuiuis*, inquit, *perspicuum esset, huiusmodi nomina perpetienti humanitati attribuenda esse, non autem immutabili illi naturæ, atque omni dolore atque cruciatu sublimiori.*

Et illud S. HILARII lib. 9. de Trinitate: *Hanc*, inquit, *B. Apostolus geminæ in Christo significationis tenuit prædicationem, vt infirmitatem in eo hominis, & virtutem Dei & naturam doceret; secundùm illud Corinthiis dictum: Nam etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed viuit ex virtute Dei: Mortem infirmitatis humanæ; Vitam verò Dei virtutis ostendens.*

Et illud S. AMBROSII in libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. 6. *Sunt*, inquit, *qui in tantum impietatis prodierint, vt putent, quia Diuinitas Domini circumcisa est, & imperfecta de perfecta facta; & in ligno non caro, sed illa operatrix omnium substantia diuina in carnis specie coagulata pendebat. Quis autem non horrescat? Quis audiat, quia non ex Maria Virgine, sed ex diuina substantia passibilem sibi carnem fecerit Dei Verbum?*

Et illud S. AVGVSTINI in libro contra Felicianum Arianum, cap. 10. *Idem*, inquit, *impassibilis in se, qui passus in corpore.* Et serm. 191. de Tempore: *Passus est etenim Dei filius non putatiuè, sed verè, omnia, quæ Scriptura testatur, id est, esuriem, sitim, lassitudinem, dolorem, mortem: sed secundùm illud passus est, quod pati poterat, non secundùm illam substantiam, quæ assumpsit; sed secundùm illam, quæ assumpta est.* Vide etiam Eusebium Cæsariensem lib. 4. de demonstrat. Euangel. cap. 13. (vbi optimè hanc rem confirmat) & S. Leonem, & Theodoretum, & S. Vigilium, & Gelasium, vbi suprà, & Concilium Hispalense II. Can. 13.

QVARTO, error ille Eutychetis (quòd scilicet ex duabus naturis extiterit *vnica* in Christo post vnionem) prorsus etiam repugnat manifestæ rationi, quam ex mente D. Thomæ hîc artic. 1. possumus aliquantò pleniùs ita formare: Si aliquid vnum constituitur ex pluribus; necesse est, id aut ex pluribus constare, quorum vtrumque sit perfectum, maneatque post constitutionem tertij integrum; aut ex pluribus, quorũ vtrumque sit imperfectum, similiterque maneat integrum; aut ex pluribus, quorum vtrumq; sit perfectum, neutrũ tamen maneat; aut ex pluribus deniq;, quorum alterum sit perfectum, alterum imperfectum, & vtrumque vel alterum maneat. At nullo istorum modo intelligi potest ex natura humana & diuina constare naturam *vnam*. Ergo prorsus est absurdum, & inintelligibile cõmentum Eutychetis. Maior patet à sufficienti illa enumeratione modorum, quibus potest intelligi, vt plura vniantur seu coniungantur.

Minor autem probatur, discurrendo per singulos illos modos. Primùm enim dici non potest, ex natura humana & diuina, tanquam ex duobus perfectis & manentibus, constitisse naturam vnam. Nam quod ex huiusmodi constituitur, non est aliquid subsistens, & vnum *per se*, sed vnum accidentale; siue id sit naturale quiddam, vt album; siue artificiale, vt domus. Constat autem ex fide, vnionem in hoc Mysterio esse substantialem, ex qua existat aliqua vna substantia.

Neque etiam constitit natura vna ex natura humana & diuina, vt ex pluribus perfectis, & nõ manentibus, sicut constat mixtum ex pluribus elementis. Fieri enim non potest, vt diuina natura esse desinat & mutetur.

Neq; vt ex pluribus imperfectis & manentibus, sicut vna natura constituitur ex materia & forma, tanquam ex partibus. Natura enim, tum humana, tum diuina, secundùm rationem suam perfecta & absoluta natura est.

Neque vt ex pluribus, quorum alterum perfectum, alterum imperfectum sit, & vtrumque maneat. Tum quia iam diximus, naturam diuinam & humanam minimè se habere, vt perfectũ & imperfectum, quatenus hîc imperfectum appellamus id, quod non habet completam aliquã rationem Entis secundùm aliquã speciem. Tum quia natura quidem diuina minimè dici potest

concur-

concurrisse ad eam vnionem tanquam aliquid imperfectũ, cùm constet, eam esse infinitæ quoque perfectionis. Si autem natura humana dicatur fuisse imperfectum illud, quod ad eam vnionem concurrit, & post illã mansit; sequitur, eam vnà cum diuina natura non constituisse *vnum per se*; sed vnum per accidẽs; id quod iam antè diximus esse contra rationem huius Mysterij.

Probatur autem id sequi. Nam dici nõ potest, accessisse sic naturam humanam ad diuinã, tanquam partem intrinsecam, seu intrinsecè constituẽtem aliquam naturam (cùm diuina natura per se sit completissima) nec tãquam intrinsecè constituẽtem *per se* personã, cùm humana natura, vt natura est, nec sit psonalitas, nec persona. Itaq; restat, vt natura humana tũc se habuerit ad diuinam planè extrinsecè, tanquam accidens. Id quod non solùm est contra rationem huius Mysterij (vt dictum est) sed etiam contra rationem ipsius naturæ diuinæ, & humanæ. Nam neq; diuina natura potest vllius accidentis esse capax, neque natura humana esse potest vllius rei accidens, cùm sit intrinsecè quædam substantia.

Neque postremo dici potest, naturam diuinã & humanam, tanquam perfectũ & imperfectum ad illam vnionem ita concurrisse, vt altera tantùm illarum manserit. Tum quia, vt iam dictum est, vtraque secundùm rationem suam est perfecta & completa: Tum quia, si alterutra esse destitit; manifestè sequitur, Christum post vnionem non fuisse verum Deum & verum hominem, si vel natura diuina, vel humana ei defuit. Id autè apertè repugnat fidei, vt multis testimoniis ante comprobatum est.

DENIQVE interrogandus fuisset Eutyches, an illa natura, quam ex humanitate & diuinitate extitisse dicit, habuerit aliquid humanæ naturę, vel nihil; siue an aliquid præter diuinam naturã acquisiuerit Verbum? Si nihil humanę naturę in diuina permansit; sequitur absurdum illud præcedentis erroris, scilicet Christũ fuisse duntaxat Deum. Si autem aliquid; quid est illud? Certè, cùm opinione Eutychetis, non fuerit humana natura, absolutam suam rationẽ retinens, fuerit aliquod humanę naturę accidens, vel quasi accidens; atq; adeo non potuerit esse *substãtialis vnio*. Neque etiam Christus iam erit verus & perfectus homo.

Quod autem consequenter Eutyches, cum asseclis, concesit, naturam diuinam, quæ sola post incarnationẽ manserit, fuisse pãssam & crucifixam; manifestè absurdum est, & cõtra rationem euidentem, qua constat, Deum per se neq; pati, neq; mutari vllo modo posse.

ARGVMENTA verò, quibus Eutyches, & eius asseclæ veteres vel noui, ad confirmationem sui erroris vsi sunt, vel vti potuerunt, facilè soluuntur. PRIMVM est, quod Ioan. 1. dicitur: *Verbũ caro factum est.* Est igitur natura Verbi cõuersa & mutata in humanã: sicut aqua illa cõuersa fuit in vinũ, de qua simili loquẽdi modo dicitur Ioan. 2. *Cùm vidisset architriclinus aquã vinum factam, &c.*

RESPONDEO PRIMO, si hoc argumentũ valeret, falsum etiam esset, quod Eutychiani dixerunt, naturam illam vnam, quæ in Christo mansit, fuisse reuerà diuinam. Etenim quod in aliud conuertitur, minimè manet: vt neque mansit aqua, postquam fuit facta vinum. SECVNDO dico, illo modo loquendi, cùm scilicet vnum dicitur *factum* aliud, non semper in Scriptura significari conuersionem, sed solùm accessionem aliquã sine interitu prioris. Vt cùm dicitur ad Galat. 3. *Christus pro nobis factus est maledictũ.* Vel cùm dicitur Lucæ 2. *Factus annorum duodecim, &c.*

Ita hoc explicãt Athanasius in epist. ad Epictetum; & Gregorius Nazian. epist. 1. ad Cledoniũ, & Ambrosius lib. de Incarnat. Dominicæ Sacramento cap. 6. & Theodoretus in Dialogo 1. vbi prædictos Patres pro ea interpretatione citat, & eam inde confirmat, cp statim Ioannes de eo ipso Verbo incarnato subiungit: *Et habitauit in nobis, et vidimus gloriam eius, &c.* Vnde euidenter apparet, Verbum nõ propterea esse destitisse. Item ex eo, cp alibi Incarnatio Verbi sic describitur, vt manifestum sit mansisse post eam, saluâ naturâ suâ, Verbum. Nam ad Philip. 2. dicitur: *Exinaniuit semetipsum, formã serui accipiens.* Et ad Hebr. 2. *Semen Abrahæ apprehẽdit.* Manet autem omnino is, qui quidpiam accipit, & apprehendit.

TERTIO dico, ex illo ipso loco Ioan. 1. potiùs reuinci euidẽter errorẽ Eutychetis. Nam si Verbum caro factum est: Ergo mãsit in Christo post vnionem vera caro, & natura humana, quod Eutyches negabat. Manet enim id, in quod aliud dicitur euadere, sicut mansit vinũ illud, in quod euasit aqua, & manet etiam dignitas Consulis, cùm dicimus de aliquo, quòd sit factus Consul.

SECVNDVM argumẽtum. In Concil. Chalcedonensi act. 1. post epistolam Cyrilli ad Ioannem Antiochenum, Eustachius Episcopus Beritensis, testatus est, S. Cyrillum asseruisse, *nõ oportere intelligi duas naturas, sed vnã naturã Dei Verbi incarnatã.*

RESPONDEO cum D. Thoma hîc art. 1. ad 1. sensum esse, quòd non sint in Christo duæ naturæ suppositò distinctæ reipsa, & separatæ, sicut sensit Nestorius (vt videbimus p. seq.) sed naturam diuinam cum humana natura coniunctam in vna & eadem Verbi diuini persona. Ita enim illud dictum Cyrilli intelligendum esse, definitum est in V. Synodo generali, can. 8.

Et eodẽ modo debet accipi, quod dixit Greg. NAZIANZENVS epist. 1. ad Cledonium, *carnẽ esse deificatã:* Et quod in Concil. Lateranensi sub Martino I. can. 5. definitur, *naturã Dei Verbi fuisse incarnatam;* quod etiã asserit Damascen. lib. 3. cap. 6. His enim modis loquendi à Patribus significatur solùm illa realis & subsistãtialis cõiunctio diuinitatis cũ humanitate in vna & eadẽ persona diuini Verbi, non aũt aliqua vtriusq; naturæ confusio.

TERTIVM argumẽtum est, quòd aliqui antiqui

Universidad de Deusto
Biblioteca

Patres dicant, naturam diuinam fuisse *mixtam* cum humanitate. Sic enim scribit S. CYPRIANVS in lib. de vanitate Idolorum: *Carnem Spiritu sancto cooperante induitur, Deus cum homine miscetur: Hic Deus noster, hic Christus est.* Et S. Greg. NYSSENVS in Orat. Catechetica, cap. 25. Incarnationem appellat *nostræ naturæ cum diuina commixtionem.* Similiter loquitur IRENAEVS lib. 3. cap. 21. & VIGILIVS lib. 1. contra Eutychetem.

RESPONDEO, hoc vocabulo mixtionis Patres fuisse vsos, ad significādum, vnionem illam esse omnino realem & substantialem, sicut est suo modo mixtio elemētorum in vno & eodem substantiali supposito; non autem ad significandum, quòd sit mixtio propriè.

QVARTVM argumētum. S. ATHANASIVS in Symbolo dicit: *Sicut anima rationalis & caro, vnus est homo: ita Deus et homo vnus est Christus.* Est igitur vnica natura in Christo, sicut in vno alio homine.

RESPONDEO, minimè id sequi. Non enim est sensus, ita ex humana & diuina natura fieri vnā naturā, sicut fit ex anima & corpore vna humanitas: sed sicut ex anima & corpore fit *vna* substātia, quæ est natura; ita etiā ex vnione naturæ humanæ & diuinæ in persona Verbi, constare similiter substantiam quandam *vnicam*, quę est Christi persona, vt subsistens in vtraque natura.

QVINTVM argumentum (quo maximè nitebatur Eutyches) si in Christo sunt duæ naturæ. Ergo etiā duæ personæ: Qui fuit error Nestorij.

RESPONDEO, nihil minus sequi. Est enim, vt infrà q. 4. fusè declarandum est, alia ratio naturæ, quàm personę. Vnde etiam in diuinis, vbi natura & persona re non distinguuntur, credimus esse personas tres, quamuis earum tantùm sit vnica natura. Possunt igitur in Christo vice versa, esse naturæ duæ, & persona vnica. Et hactenus de errore Eutychetis.

QVARTVS error est, in Christo non fuisse animam rationalem; sed corpus duntaxat: pro anima autē ei corpori fuisse Verbum, quod id corpus assumpsit & viuificauit. Hic error ascribitur à B. Augustino lib. de hæres. cap. 46. Arianis: quanquam dicit Augustinus non fuisse satis omnibus notum, quòd sic illi senserint. Idem etiā docuit quidam Apollinaris, vt videre est apud eundem D. Augustinum illic cap. 55. & apud Cassianum lib. 1. de Incarnatione, cap. 2.

Confutatur autem PRIMO illis testimoniis Scripturæ & Patrum, quibus contra primum & tertium errorem confirmauimus, Christum extitisse verum hominem. Homo enim esse nō potest, nisi sit anima rationali præditus.

SECVNDO habemus illa etiā Christi testimonia, Matth. 26. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Et Ioan. 10. *Potestatē habeo ponendi animā meam.* Et; *Ego pono animā meam pro vobis.* Non enim satis hic Apollinaris respondebat, animam ibi accipi pro diuini Verbi virtute, ex qua corpus illud reddebatur viuum. Vt enim quæst. seq. explicabimus, impossibile est, diuina virtute & perfectione suppleri eius rei virtutē, à qua dependet aliquid, vt à forma *intrinseca*. At corpus humanum, quale secūdùm fidem habuit Christus, pēdet ab anima rationali humana, vt à forma *intrinseca*. Ergo non potuit in Christi corpore rationalis animæ vis à diuino Verbo suppleri. Quocirca in illis Christi sententiis, vocabulo Animæ non potest intelligi diuinū Verbum, rationalis animę vim supplens; sed oportet propriè illa testimonia intelligere. Sicut rectè D. Thomas loco citato confirmat ex AVGVSTINO lib. 83. qq. q. 80.

TERTIO accedit, quòd, vt ex illis locis cōstat, Christus præditus fuit eiusmodi Anima, per cuius separationē à corpore verè & propriè mori potuerit, atq; adeo sit mortuus: Eiusmodi autē anima verè & ꝓpriè est forma corporis humani.

QVARTO contra hunc errorem extat etiam definitio Ecclesiæ in professione Catholicæ fidei, sub Damaso Papa, quæ habetur in 1. Tomo Conciliorum inter epistolas Damasi, & apud Theodoretum lib. 5. hist. cap. 10. Item in Concilio Ephesino cap. 13. sic aiunt Patres: *Non dicimus, quòd Dei natura conuersa vel immutata facta sit caro, nec quòd in totum hominē, qui est ex anima & corpore, transformata sit: sed magis, quòd carnem animatā anima rationali sibi copulauerit, Verbumq; substantialiter, ineffabiliter, & incomprehensibiliter factus sit homo.* Idem cōstat ex Concilio Chalcedonensi, & aliis, vbi definitur, Christum fuisse verum hominē.

SED obiiciebat Apollinaris modū illum loquendi Euangelistæ: *Et Verbum caro factum est*, Ioan. 1. Vnde videtur sequi, carnem tantùm, non etiam animam fuisse à Verbo diuino assumptam. Hoc autē rectè à D. Thoma q. 5. art. 3. explicatur. Nam vt q. 1. p. 1. tradidimus, *Caro* accipitur ibi per Synecdochen, pro tota natura humana, ex corpore & anima constante, sicut etiam Isaiæ 40. *Et videbit omnis Caro salutare Dei.*

Animaduertendum autē est, argumentis, quę contra hunc errorē fecimus, non tantùm ꝓbari, ꝙ à Verbo diuino fuerit assumpta anima, verùm etiā fuisse illam in Christo tanq̄ FORMAM corpori vnitā. Id quod Doctores quidā, à Magistro sententiar. lib. 3. d. 6. citati, ex ignorantia negabant; metuentes, ne si eam ponerēt vnionem, personā etiam creatam in Christo admitterent, vt diuus Thomas inquit hic art. 6. Quorum opinionem meritò idcirco D. Thomas illic asserit, esse hæresin, ab Ecclesia in Conciliis damnatam.

Etenim vt Verbum diuinū verè sit homo, non satis est, illud habere animā, sed oportet illā habere tanq̄ formam corpori vnitā. Alioquī etiam in triduo vixisset, permansissetq; homo: siquidē ꝙ semel assumpsit, vt Theologi affirmant, nunq̄ à se ꝓrsus dimisit, adeoq; tunc etiam retinuit animam, licet non corpori tanquam formam vnitam. Est igitur æquè certum, diuinū Verbum assumpsisse animam corpori vnitam, atq; ipsum assumpsisse animam.

Neque

Neq; Doctores illi vereri debuerunt, ne, si vnionem animæ & corporis concederēt in Christo, personam creatā in ipso ponere cogerentur. Etsi enim persona creata soleat alioquin ex vnione animæ & corporis naturaliter existere, potuit tamen ista naturalis consequentia personæ præueniri à diuino Verbo, supplente subsistentia sua personalitatē creatam in Christi humanitate, vt rectè declarat B. Thomas hic art. 5. ad 1.

Porrò cùm Verbū diuinū assumpserit corpus & animā vnita, quatenus humanam naturā constituunt (sicut dictū est) consequens est, nō prius tempore animā, quàm corpus; vel corpus, quàm animā illud assumpsisse; sed eodem prorsus momēto: quemadmodū ex doctrina Patrū, à Scholasticis omnibus in 3. d. 2. & ab Ecclesia, recepta, docet D. Thomas quæst. 6. art. 3. & 4. & nos in ea Quæstione trademus.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Vnio duarum in Christo naturarum ita facta sit, vt post eam sit is vnica persona tantum.

D. Thomas art. 2. 3. 6.

INDVBITATA est prorsus apud Orthodoxos oēs affirmatiua pars huius Quæstionis. Sed ei repugnant duo errores, qui nunc sunt à nobis refellendi. PRIMVS fuit Nestorij, & Anastasij eius presbyteri, & Theodoreti initio (qui tamen postea resipuit, & in Chalcedonensi Synodo restitutus est) & Theodori Mopsuesteni, ac aliorū assērentium in Christo duas personas. Qui ERROR, quoniam eum Sectarij VBIQVISTAE per summam impudentiam tribuere solent Catholicis, dum hi nolunt confundere in Christo naturas (vt facit Eutychiani erroris propago Vbiquitas) diligēter est à nobis explicādus prius, quàm refutetur.

Et quidem si adhuc haberemus ipsos libros Nestorij, non esset controuersia de illius sententia. Sed illi nimirum flammis absumpti fuerunt. Id enim vt fieret, petiuit obnixè Synodus Ephesina ab Imperatoribus Theodosio & Valentiniano, in Epistola ad eosdē de Nestorij depositione.

Habemus tamen Canones Concilij Ephesini & Synodi V. Generalis, in quibus Nestorij error recensetur & dānatur. Itemq; testimonia de illo omni exceptione maiora S. Cyrilli Alexandrini, qui etiā ex scriptis Nestorij errorē illi⁹ explicat.

Existimarunt igitur NESTORIVS, & eius Sectatores, Christū non vnica persona, sed duabus diuersis contineri, diuina scilicet increata, & creata humana; quarum altera (scilicet diuina) sit filius Dei, omnipotens, creator; altera verò (scilicet creata) tantùm sit filius hominis, natus, passus, mortuus: ita, vt non idem omnino, secūdùm eandem personam, fuerit filius Dei, & filius Virginis, creator & factus, impassibilis & passibilis.

Quoniam aūt Scriptura de Christo loquitur, tāquam de vno; *vnū*, seu *vnā* personā, ipsum esse ac dici aiebat Nestorius, non vnitate *simpliciter* substantiali aut naturali; sed *secundùm quid*, & per accidens, ꝓpter varias rationes, quas possumus colligere ex testimoniis Cyrilli, quę post adferemus, sicut eas etiā ex Concilio Ephesino, & aliis Synodis, collegit diligenter B. Thomas hic ar. 6.

Nempe *primò* ꝓpter inhabitationē vnius personæ in altera, scilicet diuinę in creata, tanquā in templo. Vnde dicebat, Christū secundùm creatam personā, nō esse Deum, sed *Deiferum*, & ideo ipsū nominari Emmanuel, ꝙ significat nobiscū Deus. *Secundò*, propter coniunctionem affectus; quoniam fuerit voluntas personæ creatæ, cum voluntate personæ diuinæ prorsus conformis. *Tertiò*, propter communionē operationis: quia persona creata fuerit instrumentū Verbi diuini. *Quartò*, propter communionē eiusdem dignitatis & honoris diuini, qui etiā illi personæ creatæ, tanquam templo diuinæ personæ, tribueretur. *Quintò*, quoniā ob dictas rationes filius hominis dicebatur quadātenus filius Dei, & è contrario: itemq; homo, Deus; & vicissim. Quā rationem vnitatis vocat illic S. Thomas æquiuocationem.

Fuisse hanc prorsus sententiā NESTORII & sequacium, constat manifestè tum ex Canonibus Concilij Ephesini, & quintæ Synodi generalis, id est, Constantinopolitanæ secūdæ, quos postea adferemus: Tū ex testimoniis, vt dixi, S. CYRILLI, qui scripta Nestorij compertissima habuit. Sic enim scribit in Epistola Commonitoria ad Eulogium Presbyterū, quę est epist. 30. inter Cyrilli epistolas: *Simulat in exegesibus suis Nestorius dicere se, ꝙ vnus tantū sit filius, & vnus Dominus. Sed filiationem & dominationē ad solum Dei Verbum refert. Postquā verò ad dispensationem venit, rursum* ALIVM *Dominum, hominem ex muliere,* SEPARATVM DICIT, *Verbo æqualis honoris dignitate coniunctum.*

Et planè eò pertinent, quæ in Tomo 2. Operū D. Cyrilli ex nōnullis Nestorij *quaternionibus* recitantur: vt scilicet sola honoris æqualitate & agnominatione, &c. vnum esse dicat filium Dei & filium Virginis: nunquam autem vnam personā vtrumq; esse dicit reali atq; substantiali vnitate.

Itaque re ipsa passim ibi negat, ipsum Deum esse genitum ex Virgine. Vt cùm ait in quaternione 21. *quòd Deus ex Virgine sit natus, nequaquam edoctus sum.* Et pòst aliquantò: *Nunquam*, inquit, *Scriptura diuina Deum ex Christipara Virgine natū esse dicit, sed Iesum Christum Filium ac Dominum.*

Quæ Nestorij verba cùm in Epistola ad Acacium Melitensem Episcopum commemorasset diuus CYRILLVS, mox subiungit: *Quòd autem ista dicens Nestorius, eum, qui vnus est in duos filios diuidat, &* ALIVM *faciat diuisim ac separatim Filium & Christum ac Dominum, Verbum quod ex Patre est genitum;* ALIVM *verò rursus diuisim ac separatim Filiū, Christum ac Dominum eum, qui ex Virgine natus est, quomodo poterit quisquam dubitare?* Item LIBERATVS

Universidad de Deusto
Biblioteca

in ſuo Breuiario: *Neſtorius in ea*, inquit, *erat opinione, quòd omnino purum hominẽ diceret Chriſtum.*

Ac rurſus Cyrillus verba etiam ipſa Neſtorianorum recitat, de quibus libro de recta fide in Chriſtum ad Theodoſium, non longè ab initio, ita inquit: *Separãt in duos vnum Chriſtum, & craſſa quodãmodo ſeparatione ſeorſim vtrumq; ſeparãt. Nam vnum quidem eſſe contendunt ex Virgine natũ perfectè hominẽ: alterum verò Verbum ex Deo Patre. Neq; aberrauerunt in eo à vero ſenſu, quòd nõ ſit eadem natura carnis & Deitatis: ſed vnum quidem vt hominẽ ſeorſim ponunt: alterũ verò Deum natura & verè filium nominant, quamuis velint eſſe Chriſtiani. Et libellos ſanè de his conſcribentes auſi fuerunt dicere his* VERBIS: *Ille quidem natura verè filius, qui ex Deo Patre eſt Verbũ: Iſte verò per cognominationem cum filio filius.*

Et clariſsimè in Synodo V. generali can. 4. *Neſtoriani Deum Verbum Ieſum & Chriſtum vocantes: & hominem* SEPARATVM *Chriſtum & Filium nominãtes: & duas perſonas* MANIFESTE *dicentes: per* SOLAM *nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationẽ, vnam perſonam & vnum Chriſtum confingunt dicere. Sed non confitentur (ſicut ſancti Patres docuerũt) vnitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali, ſecundùm compoſitionem, id eſt, ſecundùm ſubſiſtentiam, factam, & propterea vnam ſubſiſtentiam, qui eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus.*

Ex quibus patet, quàm temerè & impudenter Iacobus SCHMIDELINVS, Vbiquiſta Lutheranus, contra tertium noſtrum librũ de Controuerſia Vbiquetaria, pag. 38. & 39. ita ſcripſerit: *Interrogo*, inquit, *Hiſpanũ, in quonam ſcripto Neſtorij legerit, eum ſenſiſſe, perſonam hominis Chriſti filij Mariæ nõ eſſe diuinam, ſed creatam, & à perſona diuini Verbi differentem. Itemq; Mariæ filium non eſſe Deum, omnipotentem, &c. Nunquam hoc ex Neſtorij ſcriptis docere poterit.* At hanc ipſam fuiſſe Neſtorij hæreſin ex ipſius etiam ſcriptis confirmat S. CYRILLVS, vt iam audiuimus, & patebit etiam ex Conciliorum Canonibus, quos paulò pòſt recitabimus.

Porrò non omnino videtur primus huius erroris auctor extitiſſe Neſtorius; ſed potius inſtaurator & propagator. Nam vt apparet ex Irenæo lib. 1. cap. 25. & lib. 3. cap. 17. Cherintus etiam docuerat, non vnam, ſed duas perſonas eſſe Ieſum Chriſtũ: Ita quidem, vt Ieſus fuerit purus homo, natus ex Ioſepho & Maria; Chriſtus verò fuerit filius Dei, non Mariæ; eumque dicebat Cherintus in Ieſum deſcẽdiſſe in forma columbæ, cùm Ieſus baptizaretur.

Atq; huic etiã ſimilem hæreſin commemorat Caſsianus lib. 1. de Incarnatione cap. 2. quam dicit fuiſſe Beligarũ ſeu Veligarum, & deſcendiſſe ex Pelagiano errore: Nempè *ſolitarium hominẽ* (vt ait Caſsianus) *Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum natum eſſe, & hoc, quòd ad Dei poſtea honorẽ poteſtatemq; peruenerit, humani meriti, non diuinæ fuiſſe naturæ; ac per hoc eum diuinitatem ipſam nõ ex proprietate vitæ ſibi diuinitatis ſemper habuiſſe, ſed poſtea pro præmio laboris paſſionisq; meruiſſe: cùm vtiq; Dominum, Saluatoremq; noſtrum, non Deum natum; ſed à Deo blaſphemarent aſſumptum.* Et cap. 3. *Addiderunt quoque*, inquit, *Dominum Saluatoremq; poſt baptiſma factum eſſe Chriſtum, poſt reſurrectionem Deum; alterum aſſignantes vnctionis myſterio; alterum merito paſſionis.*

Hunc igitur errorem (ſcilicet in Chriſto eſſe aliam perſonam creatã puri hominis, diſtinctã à perſona Dei, cũ qua habuerit ſolùm accidentalem quandam coniunctionem per gratiam) poſteà ex inſtituto propugnauit Neſtorius; niſi q̃ illam accidentalem coniunctionẽ filij Dei & filij hominis ab initio cõceptionis fuiſſe in Chriſto, videtur aſſeruiſſe, vt apparet ex iis, quæ de Neſtorij ſententia ex Cyrillo explicaui.

Neq; immeritò quidam cenſent, ſuffragatum fuiſſe LVTHERVM huic errori Neſtorij in Concione de Natali Domini, cùm dixit: *Imperiti quidam Chriſtum hominem omnipotentem faciunt.* Quanquã alibi etiam per aliud extremũ adeo deflexit ad contrariam hæreſin Eutychetis, vt confundens naturas, contenderit, non ſolùm Chriſtũ hominem omnipotentẽ eſſe (quod ratione diuini ſui ſuppoſiti veriſimum eſt) ſed etiam ipſam Chriſti humanitatem, vt videbimus p. ſequenti.

Item videtur ſuffragatus Neſtorio CALVINVS lib. 1. inſtit. cap. 13. ſiquidẽ ibi ſectione 9. 23. & 24. inter perſonam filij Dei, & perſonã Mediatoris non obſcurè diſtinguit. Perſonam autẽ dicit ibi ſectione 6. ſe vocare ſubſiſtentiã. BRENTIVS quoque Lutheranus Vbiquiſta in libro de Maieſtate hominis Chriſti, & alij Vbiquiſtæ diſtinguere quoque videntur inter perſonam filij Dei & filij hominis, cùm aiunt, *filium Dei eſſe in filio hominis.* Sed & Michaël SERVETVS in ſuis libris de Trinitate apertè negauit, Chriſtũ filium hominis eſſe ſimul natura Deum: vt patet ex iis, quæ de Seruetiana hæreſi fusè retulimus tomo 1. q. 1. de Trinitate p. 1. §. 7.

Fuit autẽ Neſtorij error (vt ex dictis apparet) errori Eutychetis per extremum CONTRARIVS. Nam Eutyches ſic perſonam vnam Chriſti confitebatur, vt naturas etiã confunderet, faceretq; ex vtraq; vnam. Neſtorius autem ita naturarum differentiam credidit, vt vnicuiq; earum perſonam ſuam diſtinctam attribueret. ECCLESIA Catholica incedit media via, quæ & naturas contra Eutychetem diſtinguit, & contra Neſtorium retinet perſonæ vnitatem.

Quam ſententiam Eccleſiæ Orthodoxam ita declararunt Patres in Concilio II. Conſtantinopolitano (id eſt, in V. Synodo generali) can. 4. *Cùm multis*, inquiunt, *modis vnitas intelligatur, qui iniquitatẽ Eutychetis & Apollinarij ſequuntur, imperemptionem eorum, quæ conuenerunt colentes, vnitionẽ ſecundùm confuſionem prædicant: Theodori autem & Neſtorij ſequaces, diuiſione gaudentes, affectualem vnitatem introducunt. Sancta verò Dei Eccleſia vtriuſque perfidiæ impietatem reiiciens, vnitionem Dei Verbi ad carnem ſecundùm compoſitionem confitetur; quod eſt ſecundùm ſubſiſtentiam.*

Pro hac ſentẽtia Orthodoxa, contra prædictũ errorẽ Neſtorij, vrgent aliqui id, q̃ in ſuperioribus confirmatũ eſt, Chriſtum fuiſſe verũ Deum, & verum hominẽ; quaſi contrarium ponatur ſecundùm opinionẽ Neſtorij. Sed niſi aliter argumentum formetur, nõ videtur ſatis firmũ. Conceſsit enim Neſtorius, Chriſtũ verum Deum & verum hominẽ fuiſſe, quamuis ſecundùm aliam & aliam perſonam, ex quibus Chriſtus conſtaret. Quare id propriè contra illum eſt probandum, VNAM & eandem perſonam Chriſti, fuiſſe verum Deum & verum hominem.

Id autem poteſt PRIMO probari ex Scriptura ſacra quinq; modis, ſeu quinq; generibus teſtimoniorũ. *Primò* ſic: Chriſtus ita fuit verus Deus & verus homo, vt & homo ILLE, qui Chriſtus eſt, verè & propriè fuerit Deus; & viciſsim Deus ILLE verè & propriè homo. Sed niſi concedatur, ſecũdùm vnã & eandem perſonã, fuiſſe Chriſtum verum Deum & verum hominẽ, hoc verũ non erit. Ergo id omnino cõcedi debet. Minor probatur. Quoniam hæc propoſitio: *Homo eſt Deus*: nõ poteſt verè & propriè concedi, niſi aliqua ſit *ſubſtãtialis identitas* ſubiecti & prædicati, hoc eſt, Dei & hominis: ſiquidẽ nomen tum Dei, tum hominis ſignificat *ſubſtantiam*; & in omni enũciatione affirmatiua ſignificatur aut conſignificatur, rationem formalẽ prædicati, & rationem formalem ſubiecti cõuenire in vnũ & idem, q̃ ſit vtrumq;. At ea identitas *ſubſtantialis* minimè hic exiſtit ſecundùm *naturã* diuinã & humanã, vt patet. Ergo neceſſe eſt eam concedere, ſecũdùm *perſonã*, quæ eadem ſignificatur verbis illis, *Deus* & *homo*.

Iam probatur Maior ex Scriptura in illis locis, quibus Chriſtus de ſe loquens, tanquã de homine, qui cum hominibus conuerſabatur, affirmauit ſimpliciter ſe eſſe Deum, atq; adeo Dei coæternũ & coæqualem filium. Vt Ioan. 8. *Tu quis es? Dixit eis Ieſus. Principium, qui & loquor vobis.* Et Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus.* Et Marci 14. ad Pontificem interrogantem, num eſſet filius Dei: *Ego*, inquit, *ſum.* Et Ioan. 4. *O mulier, ſi ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, &c.* Et Ioan. 3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcẽdit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo* (nempe vt idem Deus) Et Ioã. 9. ad illuminatum cæcum: *Tu credis in filium Dei? Reſpondit ille: Quis eſt Domine, vt credam in eum? Dixit ei Ieſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecũ ipſe eſt. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum.* Idẽ patet ex illo teſtimonio Gabrielis Lucæ 1. *Quod enim ex te naſcetur ſanctũ, vocabitur filius Dei*, id eſt, ille homo, quẽ concipies. Et ex illo ibidem Elizabethæ: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Et ex illo Apoſtoli ad Philip. 2. *Non rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*: vt omittam ſimilia teſtimonia plurima, quæ adduximus tomo 1. q. 1. de Trinit. p. 1. §. 11. & multis ſequentibus.

Secundò, quia niſi eadem perſona diuina filij Dei ſit etiam homo; nequaquam verè & propriè credi poteſt, *Verbum diuinum incarnatum eſſe, factumq; hominẽ.* At hoc veriſimè & maximè propriè creditur; vt patet Ioã. 1. & fatemur in Eccleſiæ Symbolis. Ergo nõ ſecundùm aliam perſonã creatam; ſed ſecundùm illam ipſam diuinã quæ eſt Verbum & Filius Dei, Chriſtus eſt homo. Maior probatur. Quia vt albus v. g. non dicitur quis per eam albedinẽ, quæ eſt in altera perſona; ſed per eam, quã in ſua ipſius perſona habet: ita neq; filius Dei homo dici & eſſe poteſt per humanitatem in altera perſona exiſtentem, neq; Verbũ incarnatum, per carnẽ alterius perſonæ. Quod argumentum paſsim attingitur in Concilio Epheſino primo, vbi Neſtorius damnatus eſt.

Tertiò, quia Scriptura ſacra vbique de Chriſto loquitur, tanquam de *vna* & eadẽ perſona, ſicut eſt vnuſquiſque alius homo. Impium igitur eſt, Chriſtũ nõ vnicam, ſed plures interpretari perſonas. Aſſumptũ patet ex illis locis omnibus, in quibus Chriſti perſona ſignificatur Pronominibus illis ſingularibus, *Ego*, *Hic*, *Ille*, *&c.* qui loci paſsim occurrunt. Deinde etiam peculiariter ex his, 1. Cor. 8. *Vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia.* Eſt igitur vnus & idem Ieſus (id eſt, filius Mariæ) & Chriſtus *filius Dei viui*, vt Matth. 16. ait Petrus. Et 1. Ioan. 2. *Quis eſt mendax, niſi qui negat, quoniam Ieſus eſt Chriſtus.* Et 1. Ioan. 4. *Omnis Spiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo nõ eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Hoc enim maximè eſt Chriſtũ ſoluere, tollere duarum naturarũ in ipſo vinculum, quod eſt *vnitas* perſonæ. Neque obiiciat aliquis, in Exemplaribus Græcis, quæ modò extant, non legi illud, *qui ſoluit*; ſed *qui non confitetur, &c.* Fuerunt enim eiuſmodi Exemplaria olim ab hæreticis in eo loco corrupta, vt in hiſtoria tripartita lib. 12. cap. 4. videre eſt. Nec dubium eſt, quin illo modo verè legamus, cùm ita contra hæreſin hanc Neſtorij, citauerit eum locum S. LEO Pontifex in epiſt. 10. ad Flauianum, approbata in Chalcedonenſi Concilio, act. 5. Et rurſus ibidem: *Quisquis confeſſus fuerit, quoniam Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.* Et cap. 5. *Quis eſt, qui vincit mũdum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt filius Dei?*

Quartò, quia conſtat ex Scriptura, hominem Chriſtum non per adoptionem, vt alios ſanctos; ſed longè excellentiori modo eſſe filium Dei; vt patet manifeſtè ex illo Matth. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Et Lucæ 1. *Vocabitur altiſsimi filius.* Et Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Et ad Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Et aliis eiuſmodi euidentibus teſtimoniis, quibus hoc ipſum probauimus tomo 1. q. 1. de Trinit. p. 1. §. 17. Si autem Chriſtus homo non diceretur filius Dei, niſi ob illas rationes, quas aſsignabat Neſtorius (ſcilicet propter inhabitationem Dei in illo, tãquam in *templo*; propter affectus *conformitatem*; propter rationem *inſtrumenti*; propter dignitatem & *honorem*; propter *appellationẽ* Dei) ſolùm eſſet filius Dei per gratiã & *adoptionem*, vt alij Sancti. Nam alij Sancti ſunt etiam templum Dei. 1. Cor. 3. *Ne-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſcitis quoniam templum Dei eſtis. Et per illos etiam tanquam per ſua inſtrumenta Deus operatur. 2. Cor. 5. *Tanquam Deo exhortante per nos:* & 1. Cor. 12. *Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et affectu cum Deo coniunctiſsimi ſunt, 1. Cor. 6. *Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* Et appellatio Dei eis tribuitur. Pſal. 81. *Ego dixi, Dij eſtis.* Et deniq; cùm ſint etiam templum Dei, ſi ob id ſolùm Chriſtus habet dignitatem & honorem diuinum (vt voluit Neſtorius) illis quoq; eadem ratione honor diuinus deferri poſſet. Cùm igitur longè excellentius (vt probatum eſt) Chriſtus ſit Dei filius, quàm alij Sancti; fatendum eſt, eum non ob illas rationes, quas aſsignauit Neſtorius, ſed planè naturâ eſſe Dei filium, atque adeo eundem eſſe ſubſtantialiter Deum: vt multis modis probauimus vbi ſuprà in Diſputatione de Trinitate.

Quintò, nam niſi eadem omnino perſona, quæ eſt Deus, eſſet etiã Chriſtus homo, impiè illi homini, qui Chriſtus eſt, eundem honorem, quem Verbo diuino, tribueremus, quantúcunq; eſſet Dei templũ. Non enim idem honor templo aut domui, & inhabitanti debetur. Alioqui liceret mũdum quoq; adorare, quatenus in eo habitat Deus. Quod tamen manifeſta eſſet Idololatria. At honorem diuinum eſſe Chriſto homini tribuendũ, Neſtorius etiã fatetur. Ergo, &c. Quare rectè in Epheſina Synodo can. 7. ita ſcribitur: *Si quis vel vt hominem Ieſum, operante Deo Verbo, dicit adiutum; & vnigeniti gloriam tanquam* ALTERI, *præter ipſum, exiſtenti tribuit, anathema ſit.* Quod idem habetur Can. 8.

Notandum eſt autem, argumenta hæc, quæ rectè probant, Chriſtum ſecundùm *vnam* & eandem ipſius perſonam fuiſſe Deum & hominẽ; ſimul etiam probare, illam vnam perſonam, ſecũdùm quam Chriſtus fuit Deus & homo, fuiſſe *diuinam*, & non creatam. Nam vt eſt impoſsibile, diuinam naturam per creatam perſonam hypoſtaticè terminari: ita eſt impoſsibile, perſonam eam eſſe creatam, quæ eadem ſubſiſtit in natura diuina & humana, atque adeo eſt Deus & homo. Subſiſtit enim perſona in natura aliqua non aliter, quã hypoſtaticè terminando illã, vt patebit ex iis, quæ de ratione perſonę diſſeremus q. 4. Et hactenus de prima ꝓbatione aſſertionis Orthodoxæ contra Neſtoriũ, petita ex ſacra Scriptura.

SECVNDO probatur eadem aſſertio ex fidei Symbolis. Nam in Symbolo Apoſtolico, ipſum filium Dei Patris *vnicum* credimus *conceptum eſſe de Spiritu ſancto, & natum ex Maria Virgine, paſſum ſub Pontio Pilato, &c.* Ac ſimiliter in Symbolo Nicæno credimus in *vnum Dominum Ieſum Chriſtũ, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum, ante omnia ſecula, &c.* qui (idẽ) *incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt, crucifixus, &c.* Et in Symbolo Athanaſij: *Qui licet Deus ſit & homo: non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus. Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ, &c.*

TERTIO probatur ex Conciliis. Concilium EPHESINVM can. 2. *Si quis non confitetur, carni ſecundùm ſubſtantiam vnitum Dei Patris Verbum, vnũ eſſe Chriſtum cũ propria carne, eundem ſcilicet Deũ ſimul & hominẽ, anathema ſit.* Et can. 3. *Si quis in vno Chriſto diuidit ſubſiſtentias poſt vnitatem, ſola ſocietate coniungens eas, quæ ſecundùm dignitatem eſt, vel etiã auctoritatem, & poteſtatẽ, & non magis conuentu, qui per vnitatẽ factus eſt naturalem, Anathema ſit.* Itẽ can. 4. *Si quis in perſonis duabus vel ſubſiſtentiis eas voces, quæ in Apoſtolicis ſcriptis & Euãgelicis continẽtur, diuidit, vel quæ de Chriſto dicũtur à Sanctis, vel ab ipſo: & aliquas quidẽ ex iis velut homini, qui præter Dei verbũ ſpecialiter intelligatur, aptauerit: aliquas verò tanquam Deo dignas ſoli Verbo Dei Patris deputauerit, Anathema ſit.*

Item in Concilio CHALCEDONENSI act. 5. approbãtur & recipiuntur prędicti Canones Concilij Epheſini. Item in Synodo V. generali can. 5. *Si quis in Myſterio Chriſti conatur introducere duas ſubſtantias vel perſonas, & introductis duabus perſonis, vnam perſonam dicit per dignitatem & honorem, ſicut Theodorus & Neſtorius inſanientes* CONSCRIPSERVNT; *& nõ confitetur Dei Verbum carni* SVBSTANTIALITER *vniri, & propterea vnam eius ſubſtantiam, vel vnã perſonã, Anathema ſit.* Idem habetur in Concilio LATERANENSI ſub Martino I. can. 2. & in Synodo VI. actione 4. & in Concilio 2. Hiſpalenſi cap. 13. &c.

QVARTO probatur ex Patribus. S. DIONYSIVS Areopagita epiſt. 3. ad Caium: *In Sacramento*, inquit, *humanitatis Chriſti, hoc etiam arbitror Theologiam ſignificare voluiſſe, quod ex occulto ſuperſubſtantialis* ILLE *Deus in conſpectum noſtrum repente proceſſerit, humana ſubſtantia & carne veſtitus.* Ille idem igitur Deus ſupſubſtantialis fuit homo viſibilis.

Et Epiſtola ſequenti ad eundem: *Non enim*, inquit, *vt auctor hominum hoc loco homo dicitur, ſed vt reuera homo tota ſubſtantiæ veritate circumdatus. Nos autem Ieſum non humana ratione definimus. Neque enim ille homo tantũ eſt: neq; ſuperſubſtantialis eſſe poſſet, qui homo tantùm eſſet: Sed eſt homo verus, qui ſingulari benignitate amator hominum ſupra homines, ac ſecũdùm homines ex hominum ſubſtãtia, carnem ſuperſubſtantialis accepit. Eſt autem nihilominus altiſsimæ illius, diuinæq; ſubſtantiæ.*

Sanctus IRENAEVS lib. 3. cap. 17. aduerſus eos hæreticos, qui *lingua quidem* (vt ait) *vnum Chriſtum Ieſum confitentes, diuiſi ſunt ſententia*, aſſertionem noſtram ex profeſſo ſuſcipit probandam, quod facit accuratiſsimè cap. 18. & ſeq. adductis multis Scripturæ teſtimoniis. Inter cætera verò cap. 18. ait: *Ioannes vnum & eundem nouit Verbum Dei, & hunc eſſe vnigenitum, & hunc incarnatum eſſe pro ſalute noſtra Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Et cap. 21. *Verbum*, inquit, *Dei homo, & qui filius Dei eſt, filius hominis factus eſt.* Et infrà: *Hic igitur filius Dei Dominus noſter, exiſtens Verbum Patris, & filius hominis, quoniam ex Maria, quæ ex hominibus habebat genus, quæ & ipſa erat homo, habuit ſecundùm hominem generationem, factus eſt filius hominis.*

Sanctus Cyrillus HIEROSOLYMITANVS catechеſi 4. *Crede*, inquit, *quòd hic vnigenitus filius Dei*

propter

propter peccata noſtra de cælo deſcendit in terram, & earundẽ affectionum cum noſtris aſſumpſit humanitatem, & natus eſt ex Maria Virgine & Spiritu ſancto.

Et catecheſi 11. *Præmuniens*, inquit, *fides, ne vulgares Chriſtos ſuſpicaremur,* VNVM *apponit confeſsione fidei, quod credimus in vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitũ.* Et infrà: *Duos Patres habet, vnum Dauid ſecundùm carnem, & alterum Deum Patrem ſecundùm Deitatem.*

Sanctus ATHANASIVS in Oratione contra Arrianos, circa hoc dictum: *Ex Deo Deus eſt Verbum*, in fine: *Idem*, inquit, *qui & Deus Verbum eſt, & filius Mariæ eſt, vnus Chriſtus cenſeri debet, non diuerſum quiddam: Sed vnus ille & idem, qui ante ſecula ex Patre, in extremis temporibus ex Virgine natus eſt.*

Idem luculenter aſſerit in Epiſtola ad Epictetum, aduerſus eos, *qui dicebant* (vt inquit) *eum, qui ex Maria prodiiſſet, non eſſe eundem Chriſtum & Dominum & Deum. Si enim*, inquit, *Deus in corpore non erat, quomodo ſtatim, vbi editus erat à Ma[illegible] vocatus eſt Emanuel, quod interpretatum ſonat, Nobiſcum Deus? Cur item Paulus, ſi Verbum in carne non erat, Romanis ſcripſit, Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem,* QVI *eſt Deus ſuper omnia benedictus in æternum, Amen. Quapropter confiteantur ſe erraſſe, qui inficiati ſunt, eum, qui in carne erat, Deũ fuiſſe; fidem habentes cunctis Scripturis, & inprimis Thomæ, qui poſtquam viderat in eo clauorum ſigna, exclamauit: Dominus meus & Deus meus.* Hæc certè valdè luculenta ſunt. Sicut & illud, quod ait in Euãgelium de Sanctiſsima Deipara: *Deus perfectus & homo perfectus. Vnus; ratione vnius perſonæ: Duplex tamen naturâ.* Quo dicto ſimul & Neſtorij & Eutychetis hæreſis iugulatur.

Sanctus BASILIVS in Epiſt. 65. ad Sozopolitanos, contra eos, *qui ſalutare* (vt inquit) *diſpenſationis Myſterium Domini noſtri Ieſu Chriſti diſſoluũt*, inter cætera ita ſcribit: *Dominus omnia pergreſſus, quæ ad totius generis humani curam pertinent, ſuper omnia proprium largitus eſt nobis aduentum.* Et infrà: *Manifeſtatus eſt* IPSE *in carne, factus ex muliere, factus ſub lege, vt eos, qui ſub lege eſſent, redimeret, vt adoptionem in filios acciperemus.*

Sanctus Gregorius NAZIANZENVS in Epiſtola prima ad Cledonium: *Si quis*, inquit, *duos filios; alterum ex Deo & Patre; alterum ex matre, non autem vnum atque eundem, induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promiſſa eſt. Quanquam enim Deus & homo duæ naturæ ſunt, quemadmodum & anima & corpus; non tamen duo filij.* Et paulò pòſt: *Aliud quidem atq; aliud ſunt ea, ex quibus Seruator conſtat; non tamen alius atque alius. Abſit.*

Sanctus CYPRIANVS in libro de vanitate Idolorum: *Filius*, inquit, *Dei mittitur, qui per Prophetas omnes retrò illuminator & Doctor humani generis prædicabatur. Hic eſt virtus Dei, &c.* HIC *in Virginem illabitur, carnem Spiritu ſancto cooperante, induitur; Deus cum homine miſcetur.* HIC *Deus noſter,* HIC *Chriſtus eſt.*

Sanctus HILARIVS lib. 9. de Trinitate: *Naturam*, inquit, *Dei in virtute Reſurrectionis intellige: Diſpenſationem hominis in morte cognoſce. Et cùm ſint vtraque ſuis geſta naturis,* VNVM *tamen Chriſtum Ieſum eum memento eſſe, qui vtrumque eſt.*

Sanctus AMBROSIVS libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 7. *Non enim*, inquit, *Chriſtum diuido, cum carnis eius diuinitatis q; diſtinguo ſubſtantiam: ſed vnum Chriſtum cum Patre & Spiritu Dei prædico.* Et lib. 2. de fide, cap. 4. *Seruemus diſtinctionem Diuinitatis & carnis. Vnus in vtraque loquitur Dei filius, quia in eodem vtraque natura eſt.*

Sanctus AVGVSTINVS lib. 13. de Trinitate, cap. 17. *Sic*, inquit, *Deo coniungi potuit humana natura, vt ex duabus ſubſtantiis fieret vna perſona, ac per hoc iã ex tribus, ſcilicet Deo, anima, & carne.* Et Tractatu 27. in Ioannem: *Commendaui*, inquit, *Charitati veſtræ vnam perſonam eſſe Chriſtum, Deum & hominẽ, non duas; ne fides noſtra non ſit Trinitas, ſed quaternitas.*

Sanctus HIERONYMVS epiſt. 150. ad Hedibiam q. 9. *Non*, inquit, *quòd alium Deum & alium hominem eſſe credamus, & duas perſonas faciamus in vno filio Dei, ſicut noua hæreſis calumniatur; Sed vnus atque idem filius Dei & filius hominis eſt.*

Sanctus GREGORIVS lib. 18. Moral. cap. 36. *Mediator*, inquit, *Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, non ſicut iſte hæreticus* (Neſtorius) *deſipit, alter in humanitate, alter in Deitate eſt.* Et infrà: *Quamuis ipſe aliud ex Patre, aliud ex Virgine; non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine; ſed ipſe eſt æternus ex Patre, ipſe temporalis ex matre.*

PORRO argumenta, quibus olim vel Neſtorius ipſe, vel eius ſectatores (vt Theodoretus initio, & alij) vtebãtur, facilè diſſolui poſſunt, duobus fundamẽtis poſitis. PRIMVM eſt: Non idem proprie eſſe Chriſtum *hominem* & Chriſti *humanitatem*, ſeu carnẽ, ſeu corpus. Nam vocabulum HOMO ſignificat perſonam, quæ in Chriſto (vt probatum eſt) non fuit niſi diuina. Humanitas verò, caro, &c. ſunt nomina ſignificantia tantũmodò naturam. Itaq; non debet intelligi de ipſo Chriſto homine, quicquid de eius humanitate ſeu corpore dicitur.

Hinc reſpondetur ad illud Ioan. 2. *Soluite templum hoc*, quod pro Neſtorio obiiciebat Theodoretus contra ſecundum Anathematiſmum Cyrilli. Templum enim diuinitatis ſuæ appellat ibi Dominus non perſonam aliquam diſtinctam à ſua propria; ſed ſuam humanitatem ſeu corpus, vt apparet etiam ex verbis illis, quæ Ioãnes ſubiungit: *Ille autem dicebat de templo corporis ſui.*

Ex eodem quoque fundamento reſpondetur ad teſtimonium Baſilij in Pſal. 59. quod citabat Theodoretus in refutatione quinti Anathematiſmi Cyrilli: Baſilius enim ibi non ait (vt falsò citabat Theodoretus) hominem Chriſtum eſſe *Deiferum*, ſed carnem Chriſti (σάρκα) Deiferam eſſe, quatenus nimirum altera Chriſti natura

poteſt

Universidad de Deusto
Biblioteca

potest dici esse in altera per hypostaticam vnionem.

A

Secvndvm fundamentum est, Christum hominem non fuisse hominem purum, vt sunt alij homines; sed hominem & Deum, vtpotè in duplici natura, diuina & humana subsistentem; ac proinde de illo secundùm aliam & aliam naturam affirmari posse, quæcunque conueniunt vero Deo, & vero homini, excepto peccato, vt infrà videbimus suis locis.

Hinc soluitur id, quod teste Theodoreto libro quarto hæreticarum fabularum, obiiciebat Nestorius, nomen Dei non significare Deum homini vel humanitati *vnitum*; sed tantummodò Deum: ac proinde B. Virginem neq; esse, nec debere dici matrem Dei. Assumptum namq; est B falsum. Nam cùm Deus humanitati *vnitus* sit verus Deus; ipsi quoq; omnia ea conueniunt, quæ competunt Deo vero, atque adeo etiam Dei nomen, & consequenter B. Virgo verisimè est mater Dei, hoc ipso quod est mater Dei cum humanitate vniti. Quanquam ante hoc quidem Incarnationis Mysterium, nomen Dei nó aliud, quàm solum Deum significabat. Peracto autem eo Mysterio, suapte ratione id nomen significat etiam Deum humanitati vnitum.

Ex eodem quoq; fundamento patet responsio ad ea, quæ Nestoriani obiiciebant dici de Christo quandoque velut de *homine*, qui non sit Deus. Vt quòd ipse compellat Deũ *suum*, Matth. C 26. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me*; & quod consolationem ab Angelo accipit, &c. Lucæ 22. Quandoque autem velut de Deo, qui non sit filius hominis: Vt quòd fuerit *ante Abraham*, atq; adeo etiam ante Mariam; atq; adeo etiam, quòd non sit ei Maria consubstantialis, sicut oporteret, vt esset eius mater, &c. Respondendum est enim, ex hac differentia attributorum Christi, non debere colligi, diuersas in eo esse personas; sed diuersas *naturas*, per quarum alteram, scilicet humanam, conueniãt verè Christo Deo, quæ sunt humana, atque adeo etiam vt sit matri consubstantialis; per alteram autem, scilicet diuinam, conueniant eidem Christo homini diuina. Qua de re vide, quæ ex sententia Patrum disseruimus tomo 1. q. 1. de Trinitate, p. 1. §. 21.

D

Item respondetur facilè ex eodem fundamento ad illud Apostoli: *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Philip. 2. Ex quibus verbis Theodoretus (initio Nestorianæ) in Commentario eius loci argumentabatur, filium Dei non esse factum hominem, sed *induisse* hominem. Sed perperam hoc colligebat. Nam *habitu* inuentus vt homo, & in *similitudinem* hominum factus filius Dei dicitur, non quia verè non sit factus homo; sed quia sine mutatione sui homo factus est, perinde ac homo sine mutatione suæ substantiæ vestitur, vt ex sancto Augustino lib. 83. qq. q. 73. declarauimus tomo 2. q. 1. de Habitibus p. 1. vbi diximus, Græcum nomen σχήμαν, pro quo Latinè legimus *Habitu*, non tantùm figuram, sed indumẽtum significare. Quod autem Apostolus ait: In *similitudinem hominum factus*, veritatem potius confirmat naturæ humanæ à Christo sumptæ, vtpotè aliorum hominum planè similis, sicut etiam respondimus p. præced. in refutatione argumentorum Eutychiani erroris. Dato etiam, quòd σχήμαν ibi idem sit, quod *figura*, vt exponit illic Chrysostomus & Theophylactus: tamen sensus esse posset, Christum externa tantùm figura & similitudine fuisse talem hominem, quales sunt alij, nempe hominem purum. Sed prior interpretatio, quæ est etiam D. Thomæ in eum locũ, mihi magis probatur, & melius cohæret cum verbis illis antecedentibus: *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, vbi de vera essentia humanitatis assumptæ sermo est.

Maneat itaque, vnionem duarum naturarum in Christo sic factam fuisse, vt non duæ personæ in Christo fuerint (sicut asseruit Nestorius) sed Vnica diuina in duabus naturis subsistens.

Ex qua assertione Sequitur id etiam, quod docet hìc D. Thomas artic. 3. & 6. Nempe vnionem istam duarum naturarum, atque adeo humanæ naturæ & Verbi diuini, fuisse planè Svbstantialem, seu secundũ Svbsistentiam, vt loquitur Synodus V. generalis canon. 4. Nam huius vnionis terminus fuit vnica persona substantialis, non vnitate affectus, qui est modus vnionis accidentalis, sed vnitate *simpliciter & naturali* personæ, sicut declarat sanctus Thomas hìc art. 6. Vbi ob eam etiam causam rectè dicit, opinionem quorundam Magistrorum, citatam à Magistro sententiarum in 3. d. 6. nempe in Christo esse quidem duas hypostases, vnicam autem personam, incidere in errorem Nestorij, ab Ecclesia damnatum; quoniam hypostasis nihil differt à persona, quando est hypostasis rationalis naturæ, vt patet ex definitione Personæ à Boëthio tradita in libro de duabus naturis, scilicet: *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.* Idem enim est hypostasis & substantia indiuidua.

Neq; istis fauet, quòd Patres sæpè dicunt, Incarnationem per hoc factam esse, quòd filius Dei assumpsit *hominem*, vel cum *homine* vnitus est. Vt Cyprianus in libro de vanitate Idolorum. Et Hilarius lib. 9. de Trinitate, non longè à principio. Et Augustinus tum lib. 1. de Trinitate cap. 7. tum libro de Agone Christiano cap. 11. vbi apertius videtur significare, hypostasin humanæ naturæ à Verbo diuino esse assumptam, cùm dicit: *Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana passus est.* Vt enim notat bene D. Thomas q. 4. artic. 3. non est propria ea locutio. Itaque in solutione primi argumenti dicit, piè exponendam esse, vt sit sensus: Verbum assumpsisse *humanam naturam*, & ideo assumpsisse, vt per illam esset *homo*.

Propriè autem, sicut non assumpsit hypostasin aut personam: ita neq; hominem. Hoc enim nomine *homo*, cùm sit *cõcretum*, significatur persona, seu hypostasis habens naturam. Quare Felix Papa & Martyr in Epistola ad Maximinianũ Episcopum & Clericos Alexandriæ dicit, *Neque enim hominem assumpsit Dei filius, vt alter esset præter ipsum, sed Deus existens perfectus, factus est simul & homo perfectus, incarnatus ex Virgine.* Recitatur autem hoc fragmentum Epistolæ Felicis in Synodo Chalcedonensi act. 1. ex actis Concilij Ephesini, post fidem Nicænam. Itaque propriè Felix de *homine* locutus est, vt significat hypostasin seu suppositum humanæ naturæ. Atque hactenus de errore Nestorii.

Alter error, pertinens etiam ad Christi personam, fuit Apollinaris, qui, vt memorat B. Augustinus in libro de hæres. cap. 55. dixit, Incarnationẽ Dominicam ita factam esse, vt *aliquid Verbi diuini conuerteretur in carnem*, ideoq; censebat, Verbum non assumpsisse carnem ex B. Virgine; sed aliam induisse carnem, quæ extiterit per illam conuersionem. Est amentia intolerabilis. Quod enim conuertitur in aliud, desinit esse, & mutatur. Verbum autem secũdùm nihil sui potest desinere esse aut mutari. Item insanè etiam dicitur, *aliquid* Verbi fuisse conuersum in carnẽ. In Verbo enim nulla est reipsa compositio. Itaq; si *aliquid* eius conuersum est; totum ipsum conuersum est, & consequenter totum desiit esse.

Deniq; hoc delirium iisdem Scripturæ & Patrũ testimoniis confutatur, quibus puncto præcedente contra Eutychetem probauimus, Mysterium Incarnationis *inconfusè*, & absq; vlla mutatione diuinitatis esse peractum: Item iis, quibus contrà Nestorium in hoc puncto euicimus, filium Dei verè natum fuisse etiam ex Virgine secundùm humanitatem, atque adeo verè carnem ex ea sumpsisse.

A

B

C

D

PVNCTVM TERTIVM.

An Vnio duarum in Christo naturarum ita facta sit, vt post eam manserit in Christo differentia proprietatum vtriusque naturæ, non obstante personæ ipsius vnitate.

Ad art. 1. vel 2. D. Thomæ.

Sectarii Vbiquistæ talem prorsus assignãt rationem vnionis hypostaticæ naturæ humanæ cũ persona Verbi diuini (atq; adeo duarum in Christo naturarũ) vt quamuis verbis quidem non negent, post eam vnionem mansisse inconfusam differẽtiam proprietatum vtriusq; naturæ; re ipsa tamen hoc negare conuincantur, vt videbimus. Nisi enim ea differentia proprietatum naturæ vtriusque tollatur; præsentia diuina in omni loco, quæ est naturæ diuinæ proprietas, non competet humanitati Christi, ex vi illius vnionis, vt isti vehemẽter contendunt.

Primùm itaq; sententia Ecclesiæ Orthodoxa de modo vnionis, quod attinet ad vtriusque naturæ proprietates, explicanda & confirmanda est. Deinde explicabimus quoq; & refutabimus errorem Sectariorum Vbiquistarum de eadem re, qui ita quidem est nouus, vt tamen totus sit compositus ex veteribus erroribus Nestorij & Eutychetis, sicut videbimus. Ipsa autem Vbiquitas, quam isti tribuunt humanitati Christi, non est hic propriè & ex instituto refutanda; sed infrà q. 5. cùm disseremus de Modo Incarnationis quoad naturales partes Naturæ assumptę, atque adeo quoad Corpus.

A

B

C

D

Sententia Orthodoxa de Vnione duarum naturarum quoad vtriusque proprietates. §. 1.

Sententia igitur Ecclesiæ Orthodoxa hæc est: Naturam humanam hoc esse propriè diuino Verbo hypostaticè vnitã, quòd est per illius subsistentiam tanquã per terminum quendam substantialem, à quo tanquam à sui quodam complemento dependet, reddita incommunicabilis, atq; adeo velut substãtialiter completa. Hoc Ecclesia docet, cùm declarat vnionem istam fuisse *secũdùm subsistentiam*. Sic enim in Concilio II. Constãtinopolitano cap. 4. atq; etiam in Ephesina Synodo, Epistola ad Nestorium, dicitur: *Carni secundùm subsistentiam vnitum est Dei Patris Verbũ.* Atq; vt alia huius generis testimonia præcedenti p. citata, nunc præteream, eum etiã modum Vnionis D. Avgvstinvs Tract. 19. in Ioannem, mihi videtur subtiliter indicasse, cùm propter assumptæ naturæ *dependentiam* à Verbo in ea Vnione, ita scripsit: *Ipse est filius hominis, qui & filius Dei.* Haerendo *enim ad vnitatem personæ filius hominis filio Dei,* Facta *est vna persona, eademq; filius Dei, quæ & filius hominis.* Et in Psal. 63. in eandem sententiam scripsit, quòd filius Dei hominem, id est, humanitatem, Gerebat, *quia filius* (inquit) *Dei est, & filius hominis est. Filius Dei propter formam Dei, filius hominis propter formam serui.*

Porrò ex istiusmodi vnione rectè cõsequitur, illum eundem hominem & Deum, nempe Christum, esse & dici posse tum diuina, tum humana, id est, Deum & hominem, immortalem & mortalem, &c. Sed ita tamen, vt non secundùm eandem naturam, vel diuinam, vel humanam, vtriusque generis attributa de ipso affirmentur; sed secundùm vnam & eandem *personam*, cui & diuina quidem ratione diuinæ naturæ, & humana ratione humanæ, simul conueniũt. Quæ est Regvla à sanctis Patribus tradita, & ab omnibus Doctoribus Orthodoxis necessariò recepta. Nã cùm Idiomatvm siue locutionum vtriusque generis communicatio in eodem, ex re ipsa &

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratione Mysterij consecuta sit: ad illam eandem rem referre atque accommodare oportet idiomata vtriusque naturæ, in qua re communicant ipsæ duæ naturæ. Hæc autem res non est vna aliqua & eadem natura, sed vna duntaxat & eadem persona seu hypostasis Verbi. Ita fit, vt diuersa idiomata vtriusq; naturæ, non aliqua vna natura, sed vna duntaxat *persona* siue *hypostasi* Verbi, tanquam communi *subiecto* communicare possint; cui proinde subiecto communiter quidem & indifferenter attribuũtur humana & diuina; sed non nisi secundũ aliam tamẽ & aliam naturam.

Rectissimè enim BEDA in caput 15. Epistolæ primæ ad Corinthios: *Cùm aliqua*, inquit, *in Scripturis de Christo dicuntur, quibus demonstratur, quòd Patre sit minor* (talia sunt omnia humana) *ea secũdùm humanitatem dicantur; cùm verò ea dicũtur, quibus Patri demonstratur æqualis* (talia sunt omnia diuina) *ea secundùm quod Deus est, accipiantur.*

Et antè Bedam S. AVGVSTINVS lib. 1. de Trinit. cap. 11. & eod. lib. cap. 7. & 13. *Cognita*, (inquit cap. 11.) *ista* REGVLA *intelligendarum Scripturarũ de filio Dei, vt intelligamus, quid in eis sonet secundùm formam Dei, in qua æqualis est Patri; & quid secũdùm formam serui, in qua minor est Patre; non conturbabimur, tanquam contrariis & repugnantibus sanctorum librorum sententiis.* In quam sententiam multa etiam disserit in aliis locis eiusdem libri.

Nec dissentit S. Greg. NAZIANZENVS in Orat. de Filio. *Vno*, inquit, *capitulo moneo, vt altiora ascribas diuinitati, humiliora autem naturæ humanæ attribuas, quæ ex parte nostræ infirmitatis assumpta est.*

Tum S. Ioannes DAMASCENVS lib. 3. de fide Orthodoxa cap. 4. *Diuinitatem dicentes non de illa nominamus ea, quæ sunt propria humanitatis: neque de carne prædicamus, quæ sunt diuinitatis propria. Non enim dicimus Deitatem aut passibilem aut creatam: neque dicimus humanitatem increatam. At verò de hypostasi, siue ex vtraque* (vt cùm dicimus Christum) *siue ex altera natura* (vt cùm dicimus Deum vel hominem) *eam nominemus vtriusq; naturæ propria ei addicimus.* Hactenus ille.

Neq; in re iam perspicua necesse habeo prolixè præterea referre, quæ similiter de hoc notãt Athanasius lib. 4. contra Arian. Ambrosius lib. 2. de fide ad Gratianum cap. 4. Leo Epist. 83. quæ est ad Palæstinos. Exponitur eadem sentiendi & loquendi regula in Concilio Hispalensi secundo, cap. 13. & asseritur eruditissimè ex Scriptura sacra, & sanctis Patribus.

HANC totam esse verissimam doctrinam, manifestè patet PRIMO ex testimoniis tũ Scripturæ, tum Conciliorum, tum Patrum, quibus p. 1. contra Eutychetem & alios hæreticos probauimus, Christum esse simul verum ac perfectum Deum & hominem, atq; adeo præditum vtriusque naturæ proprietatibus: & peculiariter ex illo D. Pauli testimonio Rom. 9. *Ex quibus natus est Christus* SECVNDVM *carnem.* Et 1. Cor. 13. *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Vbi expresè nos Apostolus docuit, inter humana & diuina ita distinguere, vt *humana* tribuamus Christo non nisi secundùm carnem & infirmitatem naturæ humanæ; *diuina* verò nonnisi secundùm diuinitatem.

SECVNDO idem patet ex testimoniis Scripturæ, & Conciliorũ, & Patrum, quibus p. 2. item probauimus contra Nestorium, *vnam* & eãdem fuisse personam Christũ, quatenus est filius Dei, & quatenus est filius hominis. Hinc enim euidẽter sequitur, vnionem humanitatis cum persona Verbi atq; adeo cum eiusdem diuinitate, factam esse secundùm vnam & eandem Verbi diuini *subsistentiam*, vt diximus. Nam per eiusmodi subsistentiam natura terminatur & completur vltimò in latitudine substãtiæ, & redditur incõmunicabilis, atq; adeo constituitur in *esse psonæ.*

Etenim SVBSISTENTIA quidam modus substantialis est, quem persona seu hypostasis includit vltra naturam. Hic modus ideo Subsistentia, quasi antonomasticõs dicitur, quoniam illo maximè per se existit natura: siquidem ab eo fit omnino incommunicabilis alteri, vt habet definitio personæ, quam ipsi quoq; approbant Vbiquetarij. Ex hac subsistẽtia & natura ita componitur illa substantia, quæ completè & absolutè est persona, vt in ea quidem compositione non natura, sed subsistentia sit quiddam *vltimum*, q̃ nimirum est quasi basis & fundamentum ipsius naturæ. Ita fit, vt quod deest in ratione naturæ, quò minus ipsa *incommunicabiliter* & *per se omnino* existat, id illi præstet subsistentia, tãquam quoddam complementum, & vltimus terminus eius in toto ipso genere & complexu substantiæ.

Si igitur subsistentia Verbi facta est per vnionem, subsistentia etiam ipsius humanitatis, & ex ea subsistentia atq; humanitate constat Christi persona, quatenus est iam Deus & homo: certè ab ea subsistentia tanquam à quodam sui *complemento & vltimo termino* in genere substantiæ, accipit illa humanitas, vt *omnio per se* atq; *incommunicabiliter* existat, eatenusque ab eiusmodi Verbi subsistentia dependet: quod nulli alteri naturæ creatæ contigit.

Nec ideo tamen subsistentia Verbi est quasi *pars* humanæ naturæ. Pendet enim humana natura ab ea, non nisi vt à complemento suo quodam & *termino*, cum quo vnam constituit personam. Terminus autem & complementũ rei non illico est ipsius rei pars. Nam punctũ (quo vtuntur exemplo ad hanc rem Theologi) *terminus* est quidam atq; complementum lineæ, à quo eatenus linea pendet, vt completa & terminata sit; non tamen est lineæ pars. Ita in proposito, Subsistentia quidam terminus & complementũ est naturæ, non autem pars. Patet enim latius cõplexus totius generis substantiæ, quàm illa substantia, quæ est *natura*, vt à suppposito, seu persona differt. Itaq; potest aliquid, in toto ipso substantiæ genere, complemẽtum substantiale, seu substantialis

stantialis terminus esse naturæ, quod non sit tamen ipsius naturæ pars, sed constituat vnâ cum natura substantiam illam completam & incommunicabilem, quæ persona definitur. Quæ omnia facilè intelligẽtur ex iis, quæ de ratione Personæ ex Orthodoxa sententia Patrum, & ex vera Philosophia generatim tradidim⁹ tomo 1. q. 3. de Trinit. p. 1. & etiã ex iis, quæ asseremus infrà q. 4.

TERTIO idem patet ex perspicuis Conciliorum testimoniis, quibus definitur, vnionem hãc non nisi per eiusmodi subsistentiam esse factam, salua differẽtia naturarum & proprietatum. Vt in Concilio EPHESINO anathematismo 2. vbi sic dicitur: *Si quis non confitetur carni secundùm subsistentiam* (seu substantiam) *vnitam Dei Patris Verbum, vnumq́, esse Christum cum propria carne*, eũdem scilicet Deum simul & hominem, anathema sit.

Et in Concilio CHALCEDONENSI act. 5. in secũda definitione fidei, iuxta secundam editionem: *Vnum & ipsum Iesum Christum Dominum vnigenitũ in duabus naturis inconfusibiliter cognoscendum, nulla naturarum differentia sublata, propter vnionem, sed magis vtriusque naturæ* PROPRIETATE, *& in vnam personam, & in vnam subsistentiam concurrente.*

Et in Synodo V. generali (Constantinopolitana secunda) can. 4. *Sancta Dei Ecclesia vtriusque impietatem eiiciens* (Nestorij & Eutychetis) *vnitionem Dei Verbi ad carnem secundùm compositionem confitetur, quod est secundùm subsistentiam.*

Et in Concilio LATERANENSI sub Martino I. can. 8. *Si quis non confitetur, propriè & verè secundùm compositionem, id est, secundùm subsistentiam, naturarum vnitionem, &c. sit condemnatus.* Et can. 9. *Si quis non confitetur, propriè & verè naturales proprietates Deitatis Christi & humanitatis, indiminutè in eo & sine defectione salnatas, &c. sit condemnatus.*

Et in Synodo VI. generali act. 4. in Epist. Agathonis Papæ ad Cæsarem & Synodum ibidem approbata. *Omnia*, inquit, DVPLICIA *vnius eiusdemq́, Domini nostri Iesu Christi (secundùm Euangelicam traditionem) asserimus: id est, duas eius naturas prædicamus, diuinam scilicet & humanam, ex quibus & in quibus, etiam post admirabilem atq; inseparabilem vnionem subsistit. Et vnamquamq́ eius naturam*, PROPRIETATEM *naturalem habere confitemur, & habere diuinam omnia, quæ diuina sunt, & humanã omnia quæ humana sunt absque vllo peccato.*

QVARTO idem patet ex Orthodoxis sententiis Patrum, paulò antè recitatis. Quibus adde sanctum VIGILIVM lib. 5. contra Eutychetem, vbi ex professo testimoniis Scripturæ & Patrum sumpsit probandum, *quàm sit impium* (vt inquit) *& sacrilegum, ea, quæ sunt propria carnis Christi ad naturæ Verbi proprietatem referre, & quæ sunt propria Verbi, ad proprietatem naturæ carnis adscribere.* Ac sententia quidẽ Ecclesiæ Catholicæ ita se habet.

Sententia Vbiquistarum de Vnione duarum naturarum quoad vtriusque proprietates. §. 2.

SENTENTIA verò Sectariorum Vbiquistarũ planè contraria est Orthodoxæ sentẽtiæ iam expositæ. Tradunt enim, humanã naturam diuino Verbo hypostaticè vnitam esse, hoc ipso, quòd omnis plenitudo & energia diuinitatis Verbi sic illi est realiter communicata, & ita in eam transfusa, vt Christus etiam *secundùm humanitatẽ*, atq; adeo *quatenus homo* verissimè dicatur & fit, *primò* subsistentia, seu persona diuina Verbi, *secundò* Deus, *tertiò* omnipotens, infinitus, æternus, vbique præsens, &c. *quartò* mundi rector & conseruator, &c. Nam ista quatuor asserunt fuisse sic in humanam naturam transfusa: nempe diuinam *personam*, diuinam *naturam*, diuina *attributa* omnia, diuinas *operationes.*

Hinc docent, vnionẽ hypostaticam *à posteriori* posse describi, vt sit cõmunicatio realis, & κοινωνία, vt loquuntur, idiomatũ diuinæ naturæ cum Christo homine, iuxta quam illa quatuor, quæ numerauimus, verè affirmentur de ipso etiam *secundùm humanitatem*. Hoc volunt, cùm aiunt, à *subiecto* earum enunciationũ, quibus illa diuina de homine Christo affirmantur, minimè debere excludi humanitatem. Itaq; cum demonstrato Christo dicimus, *Hic homo est persona diuina*; vel Hic homo est Deus, omnipotens, æternus, infinitus, vbiq; præsens, &c. negant sensum tantummodò esse debere, Personam hæc, quæ sustentat humanam naturam, est diuina persona, Deus, omnipotens, vbiq; præsens, &c. *Hoc enim*, inquiunt, *est hæreticissimè dictũ.* Sed volũt, sensum esse, q̃ persona Christi etiam *secũdùm assumptã humanitatẽ* verè & realiter sit & dicatur esse omnia ista.

Deinde hanc eorum esse mentem atq; sententiam, illud item declarat, q̃ vbiq; inculcant, humanitatem Christi per hanc vnionẽ & communicationem cum diuinis exaltatam esse, ad *æqualitatem maiestatis, gloriæ & potentiæ cum diuino Verbo*, ita, vt non modò illa humanitas iam sit potens, sed etiã *Omnipotens*, vt inquiunt in Propositione 134. Repetitionis VVittẽberg. item ꝓpos. 296.

Hoc etiã patet ex illis verbis Schmidelini in Refutatione nostri libri 1. de Vbiquitate pag. 21. *Quotiescunque*, inquit, *hac phrasi* VSI SVMVS, *Christus etiã* SECVNDVM *humanitatẽ est omnipotẽs, omniscius, omnipræsens, statim explicationẽ subiunximus vel præmisimus.* Et pag. 9. quid valeat apud istos vocabulũ illud OMNIPOTENS, declarauerat. *Nam* OMNIA, inquit, *quæ hypostasis filij Dei habet, vel potius simplicissimè est, nos vno vocabulo* OMNIPOTENTIAE *complectimur.* Est aũt hypostasis filij Dei, persona diuina, Deus, infinitus, &c. Itẽ pag. 21. *Dicimus*, inquit, NON MODO *secundum diuinitatem, sed etiam* SECVNDVM HVMANITATEM *esse omnipotentem.*

Porrò quamuis concedant, per vnionem hãc hypostaticam vicissim quoq; humanã naturam, & quæ ipsi conueniũt, sic esse realiter communicata diuinæ naturæ, vt à *subiecto* similiter harum enunciationũ, Deus est homo, natus, passus, crucifixus, &c. nõ debeat excludi *diuinitas*; aiunt tamen non eodẽ modo hæc humana esse cõmunicata

Universidad de Deusto
Biblioteca

cata diuinitati, quo ſunt humanitati communicata diuina. Quoniam, inquiunt, Diuinitas (nō excludunt hic perſonam Verbi) humanitatem *aſſumpſit, & perfecit*: Humanitas verò neq; aſſumpſit Diuinitatem, neq; illi adeo communicauit quidquam vel perfectionis, vel infirmitatis. In quo autem omnino conſiſtat diuerſus iſte modus, quo humana ſunt per vnionē communicata diuinæ naturæ, nō vlterius declarant; ſed verbis tantum vbiq; repetunt, diuinitatem nō fuiſſe in illa vnione factā infirmā, quippe cū humanitatem ipſa ꝓfecerit, nihil aūt acceperit ab eadem.

Atq; hactenus ea fideliter expoſui, quibus ꝓponunt iſti & explicant ſimpliciter aſſertionem ſuā. Præterea verò vt argumenta, quibus oppugnantur, refellant, varia diuerticula quærunt, & multa philoſophantur ac notant: ex quibus duo præcipua ſunt, quibus maximè ad oēm impetū ſuſtinendū nituntur. Vnvm eſt, *realē illā cōmunicationē* diuinorū cū humanitate aſſumpta, nequaquā eſſe (vt dicūt) *eſſentialem*: id eſt, non ita illa de humanitate ſiue de Chriſto ſecundū humanitatē affirmari, quomodo affirmantur de diuinitate: quaſi humanitas *etiā per ſuā eſſentiā* ſit & dicatur eſſe illa. Sed neq; cōmunicationē illā eſſe *phyſicam* aut *ſubiectiuā* (vt loquuntur) hoc eſt, nō ita illa diuina de humanitate, vel de Chriſto ſecundum humanitatem affirmari, quaſi in ipſa inſint tāquam accidentia in ſubiecto. Quinimò dicūt, illa diuina *nunquam egredi* (ſic enim loquuntur) *limites ſui ſubiecti*, nempe diuini Verbi. Quare notant, communicationē illam, atq; adeo affirmationem diuinorum de Chriſto ſecūdùm humanitatem, cuiuſdam eſſe *ſingularis* atq; *arcani* modi, quem hypoſtaticū ſiue perſonalem nominānt.

Hinc etiā videntur ſibi ſatis explicare, quēadmodū huiuſcemodi realis cōmunicatio nō tollat diſtinctionē duarū naturarū & proprietatū vtriuſq;. *Phyſicè* namq; & *per ſe*, concedūt, humanitatē aſſumptā manere infirmā, certo loco circūſcriptā, & deniq; retinere oīa ſua, quibus à natura diuina tū *eſſentiæ* ratione, tū *ꝓprietatibus* ſuis longè multumq; differat: tametſi diuina quoq; ipſi competūt alio quodā & *arcano modo*, nempe cōmunicatione hypoſtatica & perſonali. Diſcrimen enim eſſe obſeruandū, cùm hæc diuina tribuuntur diuinitati & humanitati. Nā Diuinitas eſt attributa illa diuina *exiſtendo* vtiq; ipſa, quoniā, vt dictū eſt, eſſentialiter & per ſe eſt illa: Humanitas aūt nō exiſtendo, ſed *habendo* illa eadē, quoniā nō eſſentialiter, ſed per cōmunicationē ipſi cōpetunt; ſic tamē, vt *arcano modo* verè nihilominus Chriſtus nō tantū ratione ſuæ perſonæ, ſed etiā *ſecūdū humanitatē* ſit & affirmetur eſſe illa diuina, nēpe Deus, omnipotēs, vbiq; præſēs, &c.

Altervm iſtorū perfugium eſt, cōmunicationem iſtiuſmodi perſonalem, eiuſq; modum, cū ſit prorſus *ineffabilis*; neq; ratione humana indagandum curioſius eſſe, neque verò reiici debere propter vlla argumenta humanæ rationis.

Hæc illa doctrina eſt, quā ex Lutheri & Brentij ſcriptis in lucem protulit præcipuè Schmidelinus: quāq; illius factionis homines anno 1580. in libro Concordiæ ꝓpoſuerunt, ipſeq; Schmidelinus pòſt eum librum editum propugnauit VVittembergæ. Atq; hanc eſſe iſtorū ſentētiam multis modis oſtendi lib. 2. de Vbiquit. cap. 1. aduerſus tergiuerſationes Schmidelini. Nam quia ſentētiam ſuam iſti non intelligunt, vix aliquid conſtanter dicūt, vt illic conuici. Hoc igitur cōmentum, quod ita, vt dictū eſt, explicāt & defendunt, multis porrò, ſed ineptis ac futilibus admodū argumentis confirmant: ad quæ reſpondebo, poſteaquā ipſam opinionis vanitatē refutauero.

Error ſententiæ Vbiquiſtarum. §. 3.

SEd & antequā refutem, indicandū eſt illud, ꝙ in hoc doctrinæ cōmento nobis propriè improbatur. Nam neq; Scholaſtici Doctores, neq; nos negamus abſolutè & ſimpliciter, plenitudinē diuinitatis Verbi diuini *fuiſſe realiter* aſſumptę naturæ *cōmunicatā*; vt iniquè calūniatur Schmidelinus. Neq; ꝙ iſti affirmant, reipſa communicatum eſſe illi naturæ quidquid omnino habet Verbū, nos ita reiicimus, quaſi nequeat ei modo loquendi aliqua vera ſententia ſubiici. Agnoſcimus enim & ſubſiſtētiam, & etiā diuinitatē atq; perfectionē oēm Verbi, naturæ humanæ cōmunicatā eſſe vno quodam modo maximè reali; vt ſcilicet *in ꝑſona Verbi ſubſiſtat*, primariò quidē per ipſam Verbi ſubſiſtentiā ſeu perſonalitatē, ſecūdariò autē per diuinitatem etiā & perfectiones eius, quę ab ea ſubſiſtentia re non differunt. Hāc enim vim habet, & ita intelligitur id, quod Orthodoxi Doctores aiunt, à diuinitate quoq; ipſa fuiſſe naturam humanam aſſumptam.

Sed in ea nimirum re turpiſsimè ſunt hallucinati Aduerſarij, ꝙ plenitudinē diuinitatis communicari realiter aſſumptæ naturæ non cogitarūt, niſi aſſumpta natura per eā cōmunicationē acceperit, vt *ſit & affirmetur eſſe* illa plenitudo diuinitatis. Qui error eſt ſanè maximus. Cōmunicatur enim etiā plenitudo diuinitatis ac energia Verbi aſſumptæ naturæ, ſi ei attribuitur atq; datur non vt *ſit* illa, ſed vt *ſubſiſtat* modo, quo dictū eſt, per illam. Nam ſi per illam ſubſiſtit completurque, vt ita dicam, hypoſtaticè, habet vtique tanquam ſui quoddam ſubſtantiale complemētum illam: cumq; illā per ſe, & ex ſe, aut naturaliter non habeat; habet *cōmunicatione* atq; dono.

Perſpicuū itaq; eſt, Scholaſticos atq; Orthodoxos Doctores nō abſolutè negare, quin diuini Verbi energia & plenitudo diuinitatis realiter ſit aſſumptę naturæ cōmunicata. Immò verò affirmāt idipsū, cùm docēt, infinitū beneficiū ac mun⁹ in humanā naturā eſſe collatū, ꝙ ad eā ſit euecta dignitatē, vt *ſubſiſtat in perſona diuina*. Atq; ideo id donū vocant *gratiam vnionis*, quia ſcilicet gratis eſt aſſūptæ naturæ donatū ipſum Esse diuinū, licet non vt *ſit* illud, ſed vt per illud *ſubſiſtat*.

Qua

Qua de re contra iſtorū calumniam ſatis erit ex D. Thoma, Scholaſticorū omnium eruditiſsimo, teſtimoniū proferre. *Gratia*, inquit q. 6. art. 6. *vnionis eſt ipſum* Esse *perſonale, quod gratis datur humanæ naturæ in perſona Verbi*. Itē q. 7. art. 11. ad 1. declarans locū illum Ioan. 3. *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritū filio, &c. Alio*, inquit, *modo poteſt hoc referri ad donū, ꝙ* Datvm *eſt humanæ naturæ, vt vniatur diuinæ naturæ, ꝙ eſt etiā* Donvm infinitvm. Vbi & hanc interpretationem confirmat ex Gloſſa ordinaria ſuper illū locū, in qua dicitur: *Sicut Pater plenū & perfectū genuit Verbum, ita plenū & perfectū eſt vnitū humanæ naturæ*. Quibus verbis ſatis oſtenditur, ipſum Esse diuinū ſine menſura, id eſt, cum tota plenitudine diuinitatis Verbi, fuiſſe donatum aſſumptę naturæ, quanquam non vt ipſa vllo *modo ſit* illud, ſed (quod ſæpè repetendum eſt) vt *ſubſiſtat per illud*.

Et ſanè, ſi per enunciationes illas, Chriſtus *ſecundū humanitatē* eſt perſona diuina, Deus, omnipotens, &c. nō aliud quis intelligeret, quā Chriſtū ſecundùm humanitatem eſſe id, ꝙ habet ſibi communicatā ſubſiſtētiam, ſiue perſonalitatem diuinā, & plenitudinē diuinitatis, non vt ſecundùm humanitatē ſit hæc diuina, ſed vt ſecūdùm humanitatem per hæc diuina ſubſiſtat; is verbis quidē & oratione ineptè, & temerè, & contra receptas loquendi & ſignificādi regulas abuteretur, quod verò ad rem & ſententiam attinet, quā ipſe tūc intelligeret, non à vero aberraret. Verū enim, vt oſtendimus, eſt, humanitatē Chriſti habere illa diuina, nō vt *illa ſit*, ſed vt *per illa ſubſiſtat*, atq; eatenus hęc ipſi eſſe realiter communicata.

Sed non id tātùm volunt noſtri Sectarij. Non, inquam, in vſurpandis illis enunciationibus temerarij ſolùm propter ineptum ſermonem de re graui ſunt: verùm etiam propter ſententiam, quam eis locutionibus ſubiiciunt, exiſtimantur ab Eccleſia Catholica hæretici. Omnino enim aliquid amplius ſignificare volunt, quàm illud, quod nos etiam, vt oſtenſum eſt, vltro docemus. Cuius rei multa & clara ſunt indicia.

Nam *primùm*, cùm ignorare minimè poſsint, concedi à nobis, plenitudinem diuinitatis ſiue energiam diuini Verbi eſſe eatenus aſsūptæ naturę datam & communicatā realiter, vt hypoſtaticè per eā ſubſiſtat; nihilominus tamen de *reali* neſcio qua *cōmunicatione* nobiſcū deinde diſputant, contenduntq; vehemēter, naturam humanam non hoc propriè vnitam eſſe Verbo, quòd per illud ſubſiſtat, ſed quia in illam ſit tota plenitudo diuinitatis *realiter* transfuſa, &c.

Deindè, ſi, cùm affirmāt, Chriſtū *ſecundùm humanitatē* eſſe Deum, omnipotentē, præſentē vbique, &c. aliud non intelligerent, quàm ꝙ Chriſtus ſecundùm humanitatē habeat plenitudinē diuinitatis & energiam Verbi, vt *per illam ſubſiſtat*, atq; adeo quaſi perficiatur extrinſecè: quo tunc, obſecro, colore probabilitatis inde poſſent colligere illud, ꝙ inprimis volunt? Nempe Chriſtū ſecundū humanitatem etiā eſſe præſentē *vbique*, habereq; maieſtatē cum Verbo diuino *æqualem*? Ita enim vbiquitatē diuinā ſiue omnipræſentiā humanitas Chriſti haberet, non vt ipſa *eſſet* vbiq; præſens; ſed vt per eam perfectionem, quatenus reipſa pertinet ad energiam & plenitudinē diuinitatis Verbi, *ſubſiſteret*, eatenuſq; ab ea perficeretur. Et quemadmodū Chriſti humanitas omnipræſentiam diuinā ſic nō habet niſi ratione ſubſiſtentiæ & diuinitatis Verbi, ad cuius plenitudinem pertinet: ita minimè inde ſequeretur, Chriſtum per ipſam etiam humanitatem eſſe vbique, ſed tantùm per diuinitatem.

Quod & ex aliorū attributorum ratione perſpicuè confirmari poteſt. Nam quia Chriſti humanitas diuinam infinitatē, æternitatemq; non habet, vt ipſa *in ſe* ſit infinita & æterna; ſed vt per eas ꝓfectiones, quatenus re ſunt idem cū Verbo *ſubſiſtat*: itē quia ne ſic quidē eas perfectiones habet, niſi ratione ſubſiſtētiæ Verbi & diuinitatis, cuius ſunt attributa: ob eam rē fit, vt Chriſtus ſeſecūdùm diuinitatē duntaxat, non aūt ſecūdùm ipſam etiam humanitatē ſit æternus & infinitus.

Atq; eandē ob cauſſam neq; ſenſus ille verborū iſtis eſſet vllo modo ſatis, vt humanitatē abſolutè dicerent ad *æqualitatē* maieſtatis cum Verbo euectā eſſe. Ita enim maieſtatē Verbi habet, nō niſi vt per ipſam quaſi extrinſecè perficiatur ſecundū ſubſiſtētiam hypoſtaticā. Ex quo minimè ſequitur, vt ipſa humanitas ſit æqualis, aut ciuſdē cum Verbo maieſtatis. Quemadmodum, quia cū dicimus, corpus eſt animatū; ſenſus non eſt, corpus *eſſe*, ſed *habere* animā, eiuſq; energiam, à qua perficiatur: minimè licet ex ea re colligere, corpus eſſe æqualis perfectionis cum anima.

Denique non illud ſolùm iſtos velle, ipſorum confeſsione manifeſtū eſt. Diſertis enim verbis Schmidelinus in Repetit. VVittemberg. propoſit. 2. ex ſua atq; ex Lutheri ſententia ponit, propoſitionibus iſtis: *Hic homo*, demōſtrato Chriſto, eſt Deus, *omnipotens, creator, &c.* ſignificari, quòd Deus & homo ſunt Vnvm & Idem, & quidē in eo ſenſu, quo à Scholaſticis Doctoribus id negetur, nempe formaliter, id eſt, ſecundū formas ſignificatas per *ſubiectum* & *prædicatum* eiuſmodi propoſitionum: atq; ob id etiam ſæpè inculcant & repetunt, Chriſtum ſecūdùm humanitatem nō *alia* omnipræſentia & omnipotētia quàm *diuina* vbiq; præſentem & omnipotentem eſſe, &c.

Sentiunt igitur, totā plenitudinē diuinitatis Verbi ſic eſſe realiter cōmunicatā naturę aſſumptæ, vt, ꝓpoſitiones illæ, Chriſtus homo eſt Deus, omnipotēs, &c. identicè quoq; (vt in Scholis loquimur) quāuis non niſi *arcano & ineffabili modo*, quē hypoſtaticū vocant, ſint veræ, etiā ſecūdùm ſignificatas formas per prædicatū & ſubiectum. Quare cū dicunt, hominē Chriſtū eſſe ſecūdùm humanitatē illa diuina non *exiſtendo*, ſed *habendo* ipſa; Itē, naturā aſſumptā non eſſe, aut fieri naturā diuinā, ſed manere & conſtare vtriuſq; naturę

proprietatem ac differentiam ſaluam: Cùm, inquam, hęc notant, ſuæq; ſententiæ his atq; ſimilibus modis cauēt, niſi ſecum ipſi manifeſtè pugnent, tantùm prohibere volunt, ne Chriſtus ſecundùm humanitatē aſſumptam eſſe intelligatur illa diuina aut *eſſentialiter*, ſicut Deus eſt illa; aut *phyſicè* ſeu *ſubiectiuè*, quaſi in humanitate inſint illa diuina tanquā accidētia in ſubiecto; aut deniq; modo aliquo naturaliter intelligibili.

Quin ſit aūt Chriſtus ſecūdùm humanitatem VNVM quiddā & IDEM cū illis diuinis *arcano* aliquo & ineffabili modo; non negant: imò fateri eos apparet, vt demōſtrauimus tum ex ipſorum diſputationis ſcopo, & contentione nobiſcum, tum ex his, quæ ſcribūt ipſi apertè. Neq; verò vnitate hīc aut identitate tātùm *cōpoſitionis* eiuſdē perſonæ, quam Scholaſtici etiā aſſerūt, contenti ſunt: ſed aliam neſcio quam *identitatem* omnino *& vnitatē arcanā & ineffabilem* inter hæc humana & diuina, comminiſcuntur, ſicut oſtenſum eſt.

ERGO ꝙ iſti de *cōmunicatione reali* plenitudinis diuinitatis Verbi, & vſu enunciationum, quibus diuina de Chriſto affirmantur, dicunt; id ꝓpter ſententiam abſurdam, quam vocabulo communicationis & affirmationis eiuſmodi ſubiiciunt, reiici debet à nobis. Et quidē omnibus illis Scripturę & Conciliorum & Patrum teſtimoniis aduerſus hūc errorem vti poſſumus, quibus ſuprà p.1. contra Eutychetē probauimus, minimè per vnionē fuiſſe confuſas naturas. Nā & has quoq; iſti per illam reciprocam cōmunicationē proprietatū vtriuſq; planè confundunt. Sed vtemur tamen præterea contra illos peculiaribus argumentis, ex quibus id ipſum magis etiā elucēſcet.

Refutatur ſententia Vbiquiſtarum. §. 4.
Primò quia repugnat fidei.

SIc igitur argumentationē PRIMAM concludo. Falſum & hæreticū eſt dogma illud, ꝙ modū vnionis duarū Chriſti naturarū ponit pugnantē cum hac fidei confeſsione edita in Chalcedonenſi Concilio: *Credimus Ieſum Chriſtum Dominū vnigenitum in duabus naturis inconfuſibiliter, inconuertibiliter, indiuiſibiliter, inſeparabiliter agnoſcendū*: NVLLA *naturarum differentia ſublata* PROPTER *vnionem, ſed ſalua* MAGIS *vtriuſque naturæ proprietate.* Sed dogma Vbiquetarium, cùm affirmat *ineffabili & arcano modo* Chriſtum ſecundùm humanitatem eſſe Deum, omnipotentem, &c. manifeſtè ponit vnionis modū pugnantem cū hac confeſsione fidei. Ergo dogma falſum & hæreticū eſt.

Maior ꝓpoſitio ſine omni dubitatione veriſsima eſt, & planè extra controuerſiā, cū illa confeſsio in celeberrimo Concilio, ac vno ex quatuor Eccleſiæ præcipuis edita, ab omnibus etiā Aduerſariis, tanquā Verbo Dei omnino conſentanea sūmo conſenſu recipiatur. Et adeo quidē, vt ipſe Schmidelinus in Repetit. VVittēberg. recitata illa Concilij ſentētia, anathema palā dicat iis, qui contrà ſentiūt, id eſt, ſibi & ſuis collegis.

Minorem autē probo. Quoniam quæſtio illis temporibus hæreticorum importunitate excitata fuit, qualis nam aſſumpta natura per vnionem cum diuino Verbo euaſerit, non quidem *eſſentialiter*, id eſt, ex ſe, neq; *phyſicè*, aut *ſubiectiuè* (hoc enim in controuerſiam minimè veniebat; cùm nemo ignoraret, non potuiſſe his modis eſſe, niſi talem, qualis eſt natura cęterorum hominum) ſed *ineffabili, arcaniſimoq; modo*, quem iſti hypoſtaticum ſiue perſonalem vocant. Ita cùm Concilium definit, per VNIONEM non fuiſſe ſublatam differentiam naturarū; ſed vtramq; MAGIS permanſiſſe inconfuſam, &c. hoc vtiq; definit, Incarnationis Myſterio minimè factū eſſe, vt arcano aliquo, ineffabiliq; modo, quæ diuina ſunt, affirmari poſsint de Chriſto homine *ſecundùm humanitatem*.

Hoc enim eſt, vtramq; naturam māſiſſe *inconfuſam*, de humana natura ſolùm affirmari poſſe, quæ ſunt humana; & de diuina, quæ ſunt diuina: neq; per vnionem *ineffabili modo* (de quo, vt dixi, quæſtio erat) Chriſtum ſecūdùm humanam naturam eſſe illa, quæ ſunt diuina. Sic etiā cùm ſtatuit Concilium ibi, ſpectata etiā *vnitate perſonali* Chriſti, permanſiſſe MAGIS *ſaluam* vtriuſq; naturæ *proprietatem*; certè ſtatuit, factum minimè eſſe, vt arcano ineffabiliq; modo vnionis, quæ diuinæ naturæ erant propria, fierent cum natura aſſumpta communia.

SED hīc neceſſe eſt Schmidelinū audire, qui in poſtrema ſua repetitione VVittembergica miſerabiliter ſanè explicare nititur, quemadmodum attributa diuina nō deſierint eſſe diuinæ naturæ propria, licet fuerint cū aſſumpta natura ineffabiliter cōmunicata. *Non enim*, inquit ille in Repetit. VVittēberg. propoſit. 152. & 153. *cōmunicata ſunt ideo* ALTERI *alicui ſuppoſito: cū natura non ſit alter* (nota Lector) *ſed altera. Ideo λόγος*, inquit, *cū naturæ aſſumptæ cōmunicat, ꝙ ſibi ꝓprium eſt, non deſinit eius propriū eſſe; nec alteri cōmunicat: cū natura aſſumpta non ſit ſeipſa perſona, vel à perſona τοῦ λόγου ſeparata.* Hactenus ille. Quē admiror profectò fuiſſe tam cæcum, vt non viderit, quid propriè Patribus in illa Concilij definitione propoſitum fuerit.

Agebant enim illi contra parentem iſtorum Eutychetem, qui cùm nihil minus, quàm ALTERVM in Chriſto ſuppoſitum, cui diuina attributa communicarentur, poneret; ſed maximè *vnitatem* diuinæ Chriſti perſonæ confiteretur: naturas duntaxat confundebat. Ita, cùm Patres proprietates naturæ diuinæ manſiſſe ſaluas definiunt, non tam ſuppoſitum *alterum*, quàm ALTERAM inprimis naturam, nempe aſſumptam, ab illarum proprietatum communione excludūt.

Præterea cū proprietates ad *naturā* potiſsimū ſpectent, ipſiq; primò conueniāt, & per illā ſuppoſito: ideo inprimis *proprietates* ſunt & dicūtur, quia cōmunes nō ſunt *alteri naturæ*. Vnde conſequitur, vt neq; conueniant alteri ſuppoſito. Perſpicuū eſt igitur, iſtos cum illa Chalcedonenſis

Concilij

Concilij definitione pugnare, cùm contendunt, attributa diuina ſic *alteri naturæ* communicata eſſe, nempe humanæ, vt Chriſtus ſecundùm illam etiam verè ſit atque affirmetur eſſe Deus, omnipotens, vbique præſens, &c. Atq; hoc ſit noſtrum primum argumentum.

Refutatur ſecundò ſententia Vbiquiſt. quia non retinet veram notionem Affirmationis. §. 5.

SECVNDVM argumentum. Abſurdum eſt illud dogma, quod cùm aliquid *affirmat* de Myſteriis fidei, non poteſt retinere cōmunem ipſam notionem *affirmationis* ſine manifeſta falſitate & abſurditate. Sed tale eſt illud iſtorū dogma. Eſt igitur omnino abſurdum.

Maior probatur. Nam etſi Myſteria fidei eatenus dicantur *arcana & ineffabilia*, quia intelligentia noſtra in hac vita penetrare penitùs ad Myſteriorum vſq; rationem propriam, & (vt ſic dicam) *vltimam* nequaquam valeat: ſi quid tamen verbis & oratione de diuinis rebus verè & citra temeritatem enunciamus, neceſſe prorſus eſt, vt cōmunis ſaltem aliqua notio, ſiue propriè, ſiue figuratè ſignificata verbis, ad res ipſas diuinas verè accōmodari poſsit. Quid enim cēſeremus, ſi quis, Exempli cauſſa, *diuinas perſonas* non tres tantùm, *ſed ſeptem* eſſe affirmaret, neq; id tamen verum eſſe cōtenderet ſecundùm vſitatam & cōmunem nationem noſtram *ſeptenarij numeri*, ſed ſecundùm aliam quandam ſeptenarij rationem prorſus arcanā & ineffabilem? Hic certè inſigni atq; arcana quadam laborare ſtultitia & inſania iudicaretur. Omnino enim quāuis abdita myſteria, nos docet fides; neq; eorum rationes proprias & vltimas diſtinctè penitùs & clarè nobis oſtendit: tamen cum his aſſentimur, neceſſe eſt vtamur notionibus noſtris; vel verba tātùm inaniter ore ſonabimus, nihil mente credemus.

Quod præclarè mihi B. AVGVSTINVS indicauiſſe videtur lib. 8. de Trinit. cap. 5. vbi ſic ſcripſit: *Credimus Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum natum de Virgine, quæ Maria vocabatur. Quid ſit autem Virgo, & quid ſit naſci, & quid ſit nomen proprium, non credimus, ſed prorſus nouimus.* Atq; etiam ibidē: *Cùm dicimus*, inquit, *& credimus eſſe Trinitatem, nouimus quid ſit Trinitas, quia nouimus, quid ſint tria.*

Minor autem eiuſdem argumenti probatur hoc altero ſyllogiſmo. Si aliquid de altero ꝓpriè affirmatur; neceſſe eſt, vt eiuſmodi affirmatione, aliqua idētitas ſignificetur, pro modo ipſo & ratione affirmationis, vt iam explicatū eſt. Sed inter hominē Chriſtum, ſecundùm diuinū humanitatis ſuæ ſuppoſitū, naturamq; diuinam; & id, quod propriè ſignificat nomen, Deus, Verbum, omnipotēs, &c. verè poteſt ſignificari identitas; non autem inter Chriſti humanitatem, ſeu Chriſtum ſecūdùm humanitatem; & id, quod itidem eiuſmodi nominibus, nempe Verbum, Deus, omnipotens, &c. ſignificatur. Igitur homo Chriſtus, ſecundùm ſuam naturam diuinam, ac diuinum humanitatis ſuæ ſuppoſitum (vt nos ſentimus) verè & propriè affirmatur eſſe Verbum, Deus, omnipotens, non autem ipſa etiam Chriſti humanitas, ſeu Chriſtus ſecundùm ipſam humanitatem, vt peruersè iſti volunt.

Maior huius ſyllogiſmi probatur. Nam aliqua duo eſſe *idem*, ſi ſecūdùm communiſsimam animi conceptionem eorum omnium, qui aliquid intelligunt, definire idētitatem volumus, planè aliud non eſt, quàm vnum *verè affirmari* eſſe alterum. Quemadmodū è contrario, duo aliqua eſſe *re diſtincta*, aliud nō eſt, quàm *vnum non eſſe alterū*. Quod non modò ex Philoſophorū doctrina, ſed etiam ex Scripturæ vſu & phraſi addiſcere poterāt Vbiquetarij. Chriſtus enim poſt reſurrectionem ſuam volens maximè ſignificanter ac propriè diſcipulis teſtari, eundem illum ſe eſſe, qui antè cum ipſis vixerat, & non aliquē alium; eiuſmodi identitatem ſui erga ſeipſum, per affirmationem ſui de ſeipſo declarauit his verbis: *Ego*, inquit, *ipſe ſum*, Lucæ 24. Sic etiam Deus ſimili affirmatione aſſeuerauit, nō alium, ſed ſeipſum eſſe eundem illum Deum, qui filios Iſraël ab Aegyptiaca ſeruitute liberauerat: *Ego*, inquit, *ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, Exodi 20. Atque vt alia teſtimonia in re, quæ ex ipſa nominum notione ſatis per ſe eſt manifeſta, prætermittam, planè non habemus modum, quo identitatem declaremus, niſi per eiuſmodi affirmationem.

Inde autem neceſſariò eſt cōſequens, vt omni enunciatione, qua vnum de altero propriè affirmamus, aliquam identitatem vtriuſq; ſignificemus. Dico autē, *aliquam*: Quoniā *ita, & non aliter*, identitatē ſignificare oportet, *ſicut* affirmamus vnum de altero. Fit enim interdū, vt aliquid de altero affirmemus, ſecundùm formam etiam & quaſi eſſentiam vtriuſque, vel certè alterius: interdum verò ſolùm ſecundùm vtriuſq; ſuppoſitum ſiue ſubiectum. Et, ſi quidem ſecundùm *formam* affirmem; idētitatem ſignificare me oportet ſecundùm formam: Si autem ſecundùm *ſuppoſitum* ſeu *ſubiectum* tantùm; itidem neceſſe eſt, ſignificem certè identitatem ſecundùm ſuppoſitum ſeu ſubiectum.

Et quoniam ipſa tanquam rudimēta doctrinę repetere cogimur Vbiquiſtis, exemplis id magis declarabo. Cùm de *homine*, vel de *corpore* affirmo, quòd ſit album; non ſecundùm formas vtriuſq; vnū de altero affirmo, ſed ſolùm ſecundùm ſubiectum ſeu ſuppoſitum vtriq; cōmune: ſenſus eſt enim, hominem vel corpus *eſſe id*, quod *habet* ſibi inhærentem albedinem: id enim ſignificat propriè *album*, nempe habens albedinem.

Hoc autem modo & ſenſu identitatem etiam corporis & albi ſimiliter ſecundùm ſuppoſitum ſiue ſubiectū ſignifico. Illud enim ipſum ſuppoſitum ſeu ſubiectum, quod eſt corpus, *identicè* eſt habens, ſeu eſt id, quod habet albedinē inhærentem, quod ſignificatur propriè per nomē, *Albū*.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cùm aũt dico: Homo ſecundùm ſuam eſſentiam
A eſt animal rationale: quia non modò ſecundùm
ſuppoſitũ, ſed etiam ſecundùm *formam* vtriuſq;,
alterum de altero affirmo; ſimiliter denoto idẽ-
titatem ſecundùm formas eius, quod ſignificat
vox, *Homo*, & eius, quod ſignificat vox, Animal
rationale. Itaq; veriſsima eſt illa noſtri ſyllogiſ-
mi Maior, ſcilicet, neceſſe eſſe ſignificari aliquã
identitatem ſubiecti & prædicati in omni Affir-
matione propriè dicta.

Minorem autem eiuſdẽ Syllogiſmi ea ratione
clariſsimè probo. Quoniã nomina illa, Verbum
diuinum, Deus, omnipotens, &c. propriè (vt ſu-
prà demonſtraui) ſignificant id, quod non adu-
natione aut communicatione vlla, ſed per *eſſen-*
B *tiam intimam ſuam* habet: ſeu (vt ſignificantiùs di-
cam) *eſt habens* ſubſiſtentiam Verbi, diuinita-
temque & omnipotentiam, &c. Homo autem
Chriſtus ſecundùm ſuppoſitum quidem huma-
nitatis ſuæ, & ſuam naturam diuinam, nõ autem
ſecundùm humanitatem, *identicè eſt id*, quod per
eſſentiam ſuam habet ſubſiſtentiam Verbi, diui-
nitatemq; & omnipotẽtiam, &c. vt patet. Ita fit,
vt inter hominẽ Chriſtum ſecundùm ſuum ſup-
poſitum, ſuamq; naturam diuinam; & ſignifica-
tum illorum nominũ, Verbum, Deus, omnipo-
tens, &c. verè poſsimus ſignificare identitatem:
non autem inter id ſignificatũ eiuſmodi nomi-
num & humanitatẽ Chriſti, ſeu Chriſtum ſecun-
C dùm ipſam etiã humanitatem. Et cùm hęc fuerit
argumenti noſtri Minor, rectè etiam ſequitur il-
lius Concluſio, videlicet, neque verè ac propriè
affirmari poſſe, humanitatem ipſam Chriſti, aut
Chriſtum ſecundùm ipſam humanitatem eſſe
Verbum, Deum, omnipotentem, &c.

Etenim, ſi id verè affirmaretur, planè eſſet cõ-
ſequens, in Chriſto neque diuinam, neq; huma-
nam naturam eſſe aut fuiſſe vnquã. Quod enim
eſt vnũ & idem cum humana natura, nõ eſt verè
natura diuina. Nam natura diuina prorſus eſt
aliud quiddã à quacũq; natura creata. Neq; poteſt
vllo arcano modo cum re creata *vnũ & idem eſſe*,
arcano etiam modo, quin amittat ſuum eſſe: Si-
quidem eo ipſo, quo eſt, differt & eſt aliud quid-
dam à quocunq; altero. Quare cùm iſti affirmãt,
Chriſtum ſecundùm diuinitatẽ & humanitatem
ſuam *vnum quiddam & idem* ineffabili modo eſſe;
diuinam certè Chriſti naturã ineffabiliter, id eſt,
vaniſsimè & inſipienter, ſuo Eſſe exſpoliant. Ac
pari modo probatur idem de natura humana.

Refutatur tertiò ſententia Vbiquiſt. quia inuoluit Contradictionem. §. 6.

TERTIO. Falſum & hæreticum eſt dogma il-
lud, quod modum vnionis ſic aſsignat, vt
propoſitiones omnino & propriè *contradictorias*,
arcano & ineffabili modo veras eſſe admittat.
Tale eſt autem hoc Vbiquetarium dogma. Qua-
re dogma falſum & hæreticum eſt.

Maior certiſsima eſt. Nam cõtradictio, ſi om-
nino contradictio eſt, nullo modo, *ne ineffabiliter*
quidem, poteſt eſſe vera. Et hanc vim habet axio-
ma illud omnium conſenſu receptum, contra-
dictionem non eſſe rem eiuſmodi, quę per vllam
potentiam, etiam diuinam & ſupernaturalem,
aliquo modo conſtare poſsit. Atque ita modus
vnionis, qui contradictionem, etiã ineffabilem,
contineat, erit & contra veritatem apertè falſus,
& contra fidem (ex qua conſtat hoc Myſterium
eſſe poſsibile) manifeſtè hæreticus.

Minor autem oſtenditur. Primùm enim vltrò
nobis dãt iſti, veras eſſe ineffabiliter propoſitio-
nes illas *affirmatiuas*: Chriſtus ſecũdùm humani-
tatem eſt Deus, eſt omnipotẽs, &c. Et tamen re-
tenta eadẽ ratione *ſubiecti*, hoc eſt, Chriſti ſecun-
dùm humanitatem, & *prædicati*, id eſt, Dei, omni-
potentis, &c. atq; etiã *copulæ*, vt vocãt, id eſt, Ver-
bi, EST, vt ſcilicet denotat vnitatẽ & identitatẽ,
quam iſti arbitrãtur ineffabili modo hîc exiſte-
re inter id prædicatum & ſubiectum: retenta, in-
quam, ratione omnium iſtorũ; certiſsimum eſt
& lumine naturali, & Scripturæ quoq; teſtimo-
niis (vbicunq; Chriſtus vt homo inferiorẽ ſe eſſe
Deo ſignificauit, vt Ioan. 10. & 15. Marci 10. Lucæ
18.) neq; ab iſtis negari poteſt, ſimul etiam veras
eſſe has propoſitiones *negatiuas*: Chriſtus ſecun-
dùm humanitatem non eſt Deus, non eſt omni-
potens, &c. id eſt, alia quædam res eſt à Deo ſe-
cundùm diuinitatem & omnipotentiam, &c.
Admittit igitur vel admittere certè cogitur il-
lud dogma, veras eſſe ſimul propoſitiones, quæ
propriè ſunt contradictoriæ, id eſt, in quibus
affirmetur & negetur idem prorſus de eodem, vtrobi-
que ſecundùm idem.

Nec tollit hanc contradictionẽ, quod Schmi-
delinus in Refutatione noſtri libri primi de Vbi-
quitate, vrſit, Chriſtum ſecundùm humanitatẽ
nõ *per ſe*, aut *ex ſe*, aut *naturaliter*, ſed *p reſpectum ad*
vnionẽ, eſſe omnipotentẽ: Quo loco videtur exiſti
mare ſatis à ſe tolli contradictionem hoc ipſo, q̃
de Chriſto ſecũdùm humanitatem *per ſe, & ex ſe,*
& naturaliter, negat omnipotentiam: affirmat
autem *ſupernaturaliter per reſpectum ad vnionem*.
Debebat autem ſcire, minimè id ſolùm ſibi ſatis
D eſſe, vt contradictionem in propoſito effugiat,
niſi etiam vocula (EST) & (*omnipotens*) cum ia-
ctura Vbiquitatis abuteretur: non ſignificando
videlicet, humanitatem *identicè* eſſe id, quod in
ſe habet omnipotentiam diuinam. Si enim in il-
la enunciatione, tum negatiua, tum affirmati-
ua, vocula (EST) propriè denotet eam ſubiecti
& prædicati identitatem; manet tunc affirmatio
& negatio eiuſdem de eodem, nempe omnipo-
tentiæ diuinæ *in concreto* de ipſa natura humani-
tatis, ſecundùm eandem rationem copulæ (EST).
Hæc autem cùm manent, ſcilicet idem *ſubiectum*,
idem *prædicatum*, eadem in affirmatione & ne-
gatione ratio *copulæ*: veriſsimè manet contradi-
ctio, quidquid demum differentiæ aſsignetur in
alio, quòd non ſit vnum aliquod ex his tribus.

Vt v. g.

Vt v.g. ſi diceres, Niuem ſimpliciter *in ſua na-*
A *tura* non eſſe nigram, & ſimul tamen *in ſua natura*
(non per ſe, aut ex ſe, aut naturaliter, ſed ſuper-
naturaliter, id eſt, ex vi diuinæ omnipotentiæ)
eſſe nigram: non euaderes contradictionem. Qua-
re? Quoniam particula (*ſupernaturaliter*) non aſ-
ſignat ibi reuerà aliquã diuerſitatem in *ſubiecto*
ipſo, aut in *prædicato*, aut in ratione *copulæ* illius
affirmationis aut negationis (manent enim hæc
omnia eadem) ſed declaras tantùm aliquid his
omnibus extrinſecum, nempe cauſſam huius
affirmationis & negationis eiuſdem de eodem,
non eſſe ipſam *naturam* niuis, aut aliquam aliam
rem naturalem, ſed diuinam omnipotentiam.
Itaq; propterea quidem tunc errares, quoniam B
poneres à cauſſa ſupernaturali, nempe ab omni-
potentia diuina, poſſe fieri veram contradictio-
nem, quæ tamen per nullam potentiam, neque
cauſſam, aut modum arcanũ vllum fieri poteſt,
vt ex omnium ſententia in confirmatione huius
tertij argumenti notabam.

Eâdem igitur ratione in propoſito, cùm dicit
Schmidelinus, ipſam naturã humanitatis Chri-
ſti ſimpliciter & in ſe non eſſe omnipotentem: ſi
velit quidem eandem etiam rationem copulæ
EST retinere in *affirmatione*, atq; adeo ſimul di-
cat eandẽ humanitatem *in ſe* non naturaliter, ſed
ſupernaturaliter, hoc eſt, ex virtute vnionis, tan-
quã ex arcana & ſupernaturali cauſſa eſſe omni-
potentẽ: non tollet per particulã illam (ſuperna- C
turaliter) contradictionẽ: cùm maneat affirma-
tio & negatio eiuſdem *prædicati*, nempe omnipo-
tentis, de eodem *ſubiecto*, nempe de natura hu-
manitatis, ſecundùm eandem rationem *copulæ*
(EST) Sed tantùm ſignificabit illo modo, quæ ſit
cauſſa veluti extrinſeca eiuſmodi contradictio-
nis, videlicet eam eſſe nõ naturam ipſius huma-
nitatis, aut aliam rem naturalẽ, ſed ſupernatura-
lem Dei virtutẽ, arcanumq; Myſterium vnionis.
Ita verò minimè euadit Schmidelinus. Nam id-
ipſum eſt, quod eſt planè impoſsibile, nẽpe con-
tradictionem veram ſubſiſtere per illã cauſſam
etiam arcanam & ſupernaturalem. Si igitur con-
tradictionẽ in propoſito effugere volunt Vbique-
tarij, neceſſe eſt, vt verbo (EST) in propoſitione D
illa affirmatiua (Humanitas Chriſti eſt omnipo-
tens, omnipræſens, &c.) planè abutãtur (ſignifi-
cantes tantum, quòd humanitas Chriſti *habeat* in
ſuo duntaxat diuino ſuppoſito omnipotentiam
& omnipræſentiam) atq; adeo, vt, quod eſt cõſe-
quens, & eſſet illis certè ſalutare, planè deſerant
Vbiquitatem. Nam tum non ipſa humanitas (vt
iſti alioqui contendunt) ſed ipſius duntaxat ſup-
poſitum diuinum erit Vbique.

Refutatur quartò ſententia Vbiquiſt. quia continet Abſurda multa. §. 6.

QVARTO. Abſurdum & hæreticum eſt do-
gma illud, ex quo neceſſaria & firma conſe-
quentię forma, cõſequuntur hęretica & abſurda
multa. Eſt autem eiuſmodi dogma Vbiquetariũ.
Dogma igitur abſurdum & hæreticum eſt.

Maior probatione nõ indiget. Minorem pro-
babo. Quoniã PRIMO ſequitur, Chriſtum ſecũ-
dùm humanitatẽ ſuam auctorẽ extitiſſe ſuæ hu-
manitatis. Quoniam iſtorum iudicio, Chriſtus
per humanitatẽ ſuam omnino cõmunicat om-
nibus & attributis & operationib. diuinæ naturę
ppriis. Ex his aũt operationibus vna ſine dubio
fuit illa effectio humanitatis, qua modo quodã
ſuo Deus quoq; fuit auctor illius, ſicut cæterarũ
omnium rerũ. Item quoniã per id fuit Chriſtus
auctor humanitatis ſuæ, quo eſt omnipotẽs, ſiue
vnum & idem cum omnipotẽtia ſeu omnipotẽ-
te, quatenus omnipotẽs. Quicquid enim omni-
no fit, proficiſcitur ab omnipotente & omnipo-
tẽtia, atq; adeo ineffabiliter etiã ab eo, quod in-
effabiliter vnũ & idem eſt reipſa cum omnipo-
tentia. Eſt aũt Chriſtus, vt iſtis placet, ſecundùm
humanitatẽ ſuam omnipotens, ac *vnum & idem*
cum omnipotẽtia ineffabiliter. Chriſtus igitur p
humanitatem ſuã ineffabiliter extitit humani-
tatis ſuæ auctor. Sed formemus argumẽtum etiã
hoc modo: Qui omnipotens eſt, facere potuit, p
id, quo eſt omnipotens, quicquid omnino factũ
eſt, aut fieri potuit: nã hæc eſt Vocis notio. Chri-
ſtus aũt per humanitatem ſuam omnipotens in-
effabiliter eſt, & quidẽ eadem ipſa omnipotẽtia
diuina, vt iſti dicunt. Potuit igitur per humani-
tatem ſuam facere & producere ineffabiliter i-
pſam ſuam humanitatẽ; vt quæ vnum quiddam
eſt ex his, quæ facta ſunt, & fieri adeo potuerunt.
Quo quid obſecro cogitari poteſt abſurdius?

SECVNDO ſequitur, Chriſtum ſecundùm hu-
manitatem ſuam ante ſuam humanitatem extiti-
ſſe. Quoniam affirmant iſti, eum ſecũdùm hu-
manitatem quoq; eſſe æternum. Id autem æter-
num eſt, quod nunquam non eſt, quodq̃ ideo
antecedit omne temporale. Eſt autẽ Chriſti hu-
manitas res quædam initium habens in Virgi-
nis vtero ex tempore. Ita ſi Chriſtus per huma-
nitatem hanc ſuam ineffabiliter æternus eſt; per
humanitatem ſuam ineffabiliter extitit ante ſu-
am humanitatem.

TERTIO ſequitur, Chriſtum ſecũdùm huma-
nitatem neq; pati, neq; mori potuiſſe, atq; adeo
neq; paſſum, neq; mortuum eſſe. Hoc ita probo.
Quoniã licet iſti concedant, humanitatem illam
fuiſſe phyſicè & naturaliter mortalẽ atq; paſsi-
bilem; contendunt tamen eandem humanitatẽ;
ſeu Chriſtum ſecundùm illam beneficio & gra-
tia vnionis fuiſſe ineffabiliter immortalem atq;
impaſsibilẽ. Et quidẽ, quod fateri eos oportet,
longè excellẽtiùs, quàm beati homines poſt cõ-
munem reſurrectionẽ futuri ſint Dei beneficio
immortales & impaſsibiles; licet alioq; phyſicè,
atq; ex natura ſua impaſsibiles & immortales nõ
erunt. Ponunt enim iſti Chriſtum ſecundùm
humanitatẽ ineffabiliter impaſsibilẽ & immortalẽ
eſſe eadem ipſa impaſsibilitate & immortalitate

diuina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuina. Quod longè maius atq; excellentius eſt, quàm impaſsibilem & immortalem eſſe gratuito dono à diuina immortalitate diſtincto, quomodo immortales & impaſsibiles erunt beati, qualecunq; tandem donum futurum ſit illud.

Nunc ita rationem cõficio. Licet beati homines poſt reſurrectionẽ, ſi phyſicè atq; ex natura tantùm ſua conſiderẽtur, paſsibiles & mortales erunt: tamẽ quia gratuito beneficio immortales atq; impaſsibiles ſunt futuri; neq; pati in natura ſua quidquam, neq; ſecundùm illam mori poterũt. Multò igitur minus Chriſtus, etſi naturaliter & phyſicè mori & pati potuerit; vel pati quidq̃ omnino in natura ſua, vel ſecundum illam mori abſolutè potuit, cùm dono fuerit longè excellẽtiori, nempe ipſa immortalitate & impaſsibilitate diuina, impaſsibilis & immortalis. Hoc.n. gratuita atq; *addita*, vt ſic appellẽ, impaſsibilitas & immortalitas præſtat naturæ ſuapte alioqui conditione paſsibili & mortali, ne naturalis hęc ipſius cõditio ſufficiat vnquam, ac faciat, vt aut intereat, aut aliquid reipſa patiatur. Atq; id cùm Beatis præſtitura ſit illa ipſorum futura immortalitas; quî negare Aduerſarij poterunt, idẽ præſtitiſſe Chriſto ſuam, id eſt, diuinam immortalitatem, ſi omnino per illam fuit ſecũdùm humanitatem, vt contendunt, immortalis.

Certè nobis non elabentur hoc loco, ſi excipiant, atq; reſpondeant id, quod abſq; vlla prorſus vel rei ipſius, vel opinionis ſuæ intelligentia, verbis tãtùm inaniſsimis notant: nempe fuiſſe quidem à mométo Incarnationis Chriſtum ſecundùm humanitatẽ præditũ immortalitate, & aliis diuinis attributis: ſed eorum vim tamen ante reſurrectionem nõ vſurpaſſe, imò repreſsiſſe quodãmodo, & texiſſe forma ſerui. Proinde mori & pati potuiſſe. Puderet autem iſtos maximè ſic dicere, ſi de diuinorum attributorum differentia & ratione quidquam omnino intelligerent.

Quod enim inquiunt, Chriſtum ſecũdùm naturam humanam attributa diuina habuiſſe, neq; tamen illa vſurpaſſe, poteſt id quidem vtcumque intelligi de aliquibus attributis, quorum *vſum* & quaſi *actum ſecundum* ab eorum ratione licet diſtinguere, cuiuſmodi eſt inprimis diuina potentia: de omnibus autẽ attributis vniuersè, ne dici id quidem ſine inſigni ſtultitia poteſt.

Nam quædã attributa diuina ſunt eiuſmodi, vt eorum propria ratio in quodam quaſi vſu & tanquã actu ſecundo ſit poſita. Cuiuſmodi eſt omnipręſentia, & omniſcientia. Vbiq; enim locorum Deum præſentem *adeſſe*, quaſi quidã vſus & velut actus ſecundus eſt immenſitatis ipſius. Sic etiã omnia Deum *cognoſcere* atq; *ſcire*, vſus quidã eſt intelligentiæ diuinæ. Vt manifeſta certè ſit Schmidelini & collegarum inſcitia; qui cùm cõtendat, omnipręſentiam ſiue Vbiquitatem diuinam, ac attributa reliqua ab incarnationis momento cõmunicata realiter fuiſſe naturæ aſſumptæ: negant tamen, Chriſtum ante reſurrectionẽ vſurpauiſſe omniſcientiam hãc & Vbiquitatem, neque concedunt, ipſum ante id tempus cognouiſſe diem extremi iudicij. Hæc iſtorum hominum annotatio pleniſsima eſt ignorantię atq; abſurditatis. Quoniam conſiſtunt in vſu quodã eiuſmodi attributa, ſicut oſtenſum eſt. Ita fit, vt à quo momento illa Chriſtus habuit, ab eodem momento ipſa vſurpauerit. Aut ſi aliquando nõ vſurpauit; certè tunc non habuit.

Præterea, quædam alia ſunt Dei attributa, in quibus, etſi liceat vtcunq; diſtinguere corũ *vſum* ab eorundem *ratione*: tamẽ ita neceſſariò eorum vſus cum ipſorum ratione eſt coniunctus, vt ſi quis ſeparet, manifeſtè tollat vtrumque. Atque ex his eſt inprimis immortalitas & impaſsibilitas, in quibus procedebat noſtrum illud argumentũ. Dicere namq; poſſumus, rationem immortalitatis eſſe, *non poſſe mori*; & impaſsibilitatis, *non poſſe pati*: Vſum aũt immortalitatis eſſe *non mori*, & impaſsibilitatis *non pati*. Sed ſi huiuſmodi vſus ab his attributis ſepares, ponasq́; rem aliquam & paſſam & mortuam fuiſſe: neceſſariò ſequitur, eandem non fuiſſe immortalem & impaſsibilem: quia ſi paſſa & mortua eſt: Ergo pati & mori potuit: Ergo impaſsibilis & immortalis non fuit. Alioquî ſi ſimul illam impaſsibilẽ & immortalẽ fuiſſe concedas; contradictorias has propoſitiones duas ſimul cõcedes: Res eiuſmodi in natura ſua pati tandem atque mori potuit; Et: Res eiuſmodi in natura ſua neque pati omnino, neque mori potuit. Hoc enim eſt, rem eſſe gratuito Dei beneficio impaſsibilem & immortalẽ; vt ſcilicet non poſsit omnino in natura ſua pati tandem & mori; id impediente, ſicut ſuprà docuimus, immortalitate & impaſsibilitate gratuita. Quare infirmum & miſerum eſt illud iſtorum perfugium: neq; aliud, quàm inſcitiam ſuam, & ipſam cauſſam ſimul produnt, cùm de attributis diuinis vniuersè pronunciãt, illa quidem à principio Chriſtum ſecũdùm humanitatem habuiſſe: non autem vſurpâſſe. Vſurpauit enim certè pleraq;, & in his maximè impaſsibilitatem & immortalitatem ſemper, ſi ſemper hæc habuit. Ac proinde rectè contra iſtos concluſimus, ex eorum delira opinione eſſe conſequens, vt Chriſtus neq; paſſus neque mortuus fuerit.

Sed in mentem hîc mihi venit optare, vt reſpondeant, Chriſtum immortalitatem habuiſſe, non vt non poſſet mori, ſed tantùm vt poſſet etiam non mori. Hoc ſi dicant, primùm ſententiam ſuam ipſi funditùs euertent. Nam ſi ita eſt, non igitur Chriſtus ſecundùm humanitatem præditus fuit illa eadẽ immortalitate, & iiſdem ipſis attributis, quibus Deus; neque fuit adeo in aſſumptam naturam omnis effuſa plenitudo diuinitatis. Niſi fortè ignorãt, Deum immortalitate eiuſmodi præditum eſſe, vt nõ modò poſsit non mori; ſed etiam vt nullo modo mori poſsit. Deinde poſſe non mori, propriè quidem immortalitas non eſt: ſed non poſſe mori, id verò

eſt eſſe

eſt eſſe verè immortalem. Quare cùm Chriſtum ſecundùm humanitatem aiũt fuiſſe verè, & quidem ipſa immortalitate diuina immortalem, ita neceſſe eſt intelligant.

Sed non vſurpauit, inquiunt, iſtiuſmodi immortalitatẽ. Hoc iam ante manifeſtiſsima ratione confutatum eſt, ac poteſt aliter etiam ex ipſa iſtorum aſſertione non minus euidenter confutari. Ipſi enim affirmant, TOTAM plenitudinem diuinitatis, quę non modò attributa, verùm etiam operationes omnes diuinas, & quidquid omnino eſt in Verbo, contineat, aſſumptæ naturę realiter cõmunicatã fuiſſe. Habuit igitur aſſumpta natura ſemper, vt attributa, ſic etiam operationes, atque vſus eos omnes attributorum, quos habet ipſum Verbum diuinũ. At Verbum nunquam non immortalitate vſum eſt. Nunquam igitur Chriſtus ſecundùm aſſumptam naturam immortalitatem non vſurpauit.

Hîc certè, niſi de ſententia deſiſtant, difficillimè ſe iſti extricabunt. Nam ſi omnem omnino plenitudinem diuinitatis Verbi in humanitatẽ eſſe transfuſam volunt; non magis vllius attributi operationem, aut vſum ab ipſo attributo ſeparare in humanitate poterunt, quàm in Verbo; etiamſi alioquî tale ſit aliquod attributum, in quo liceat vſum illius ab eiuſdẽ ratione quoquo modo intelligentia noſtra (vt ante dicebamus) diſtinguere. Sed prolixum eſſet abſurda perſequi omnia, quæ iſti propter opinionis peruerſitatem compelluntur ſuſcipere.

Refutatur quintò ſententia Vbiquiſtarum, quia nullo ſenſu poteſt defendi. §. 7.

QVINTO. Quoniam fieri poteſt, vt iſti, neſcientes quæ loquuntur, aut de quibus affirmant, negẽt nobis, propoſitiones illas: Chriſtus ſecundùm humanitatẽ eſt Deus, omnipotẽs, &c. eam habere ſententiam, quam ſuprà ex iſtorum verbis & diſputatione, habere, ipſorum opinionẽ conuicimus; optionem illis damus, vt quod malint, eligãt. Nam ſi quidquam omnino de ſua opinione intelligunt, & non tantùm iactant nuda verba; aliquid è tribus neceſſe eſt concedant affirmari, ſignificariq́; adeo propoſitionibus illis, quibus de Chriſto *ſecundùm humanitatẽ* affirmant diuina; ſcilicet, vel I. Chriſtum ſecundùm humanitatem eſſe planè *vnum quiddam & idem*, licet ineffabiliter, cum diuinis illis attributis; vel II. Chriſtum certè ſecundùm humanitatẽ *habere* ſolùm illa diuina, vt ſine vlla vnitate & idẽtitate etiam ineffabili, per illa tantummodò quaſi extrinſecè perficiatur humanitas, atq; ſubſiſtat in Verbi perſona. Vel III. (quod eodem redit) humanitatem Chriſti & illa diuina eſſe *quoddã tertium*, nempe vnum & eundem Chriſtum.

Etſi verò multis argumẽtis ſuprà euicerimus, primum iſtos ſenſum, niſi de ſententia deſiſtant, & ſecum ipſi pugnẽt, retinere debere; tamen ne queri poſsint, optionem illis, vt dicebam, denuò damus, vt quem malint ſenſum ex his tribus eligant. Si, vt incõſtantiæ notã effugiant, in PRIMO ſenſu perſiſtent; omnibus illis argumentis manifeſtè reuincuntur, quæ contra vaniſsimum id figmentum hactenus fecimus.

Si verò abſurdis, quæ in eorum opinione patefecimus, deterriti, dicãt, ſe SECVNDVM illum ſenſum tantummodò velle; in vanum laborauerunt, cùm tam operosè hactenus in vnione hypoſtatica quæſiuerunt præſidium Vbiquetario dogmati, quod fuit illis in hac omni diſputatione propoſitum. Ita enim (quod ſuprà etiam docui) *diuinam omnipræſentiam* Chriſtus ſecundùm humanitatem habuerit; non vt *ſecundùm humanitatem ipſam vbiq́*, locorum ſit præſens, recipiatq́; adeo ſecundùm humanitatem prædicationẽ (vt ita dicam) Vbiquitatis: Sed vt per eam perfectionem diuinam, quatenus à ſubſiſtentia Verbi non differt, ſubſiſtat & perficiatur hypoſtaticè ſecundariò, ſicut ſupra notabamus. Quemadmodum neq; ęternitatem diuinam aut infinitatem Chriſtus in eo ſenſu ſecundùm humanitatem habuerit, vt ipſe ſecũdùm humanitatem etiã ſit infinitus & æternus: ſed vt eius humanitas per eas perfectiones, quatenus reipſa ſunt idẽ cum ſubſiſtẽtia Verbi, hypoſtaticè ſubſiſtat, ſaltẽ ſecundariò.

Sic etiam nihil minus inde cõſequetur, quàm humanitatẽ Chriſti prorſus eſſe *æqualis* aut *eiuſdẽ* maieſtatis cum diuino Verbo, vt iſti cõtendunt. Habebit enim ita totam Verbi perfectionẽ & energiã tantùm, vt per illam quaſi extrinſecè perficiatur & cõpleatur hypoſtaticè. Quod minimè ſatis eſt, vt ipſa humanitas ſit eiuſdẽ aut æqualis cũ Verbo perfectionis. Nam & corpus, vt ſuprà quoq; obiiciebam, omnem perfectionẽ & energiam animæ quodã modo & ratione habet: ſed quia eam tãtùm habet, vt p illam extrinſecè perficiatur & quaſi cõpleatur ad cõſtituendum vnã ſubſtantiam ſeu eſſentiã: minimè ,ppterea ęqualis, aut eiuſdẽ perfectionis eſt cum anima ipſa.

Prętera non arbitror iſtos conceſſuros eſſe, ſe hactenus diſputatione hac tota, de vnione hypoſtatica, pugnauiſſe tantum de nominibus & modo loquẽdi, tanto præſertim cum detrimẽto ſui nominis & exiſtimationis. At ſi ſenſum illum poſteriorẽ tantùm indicare, quod ad rem ipſam attinet, voluerunt; de nominibus tantùm & modo loquendi incauti & imprudentes certârunt. Quis enim vnquã Theologorum negauit ipſis, plenitudinem diuinitatis atque energiam Verbi fuiſſe realiter communicatam aſſumptæ naturæ, non vt aſſumpta natura *ſit illa*, ſed vt per illam hypoſtaticè ſubſiſtat? Nullus omnino. Imò omnes idipſum, vt claris teſtimoniis ſuperiùs docui, vno ore fatentur. Quanquam non poteſt quidem hæc ipſa ſententia, niſi ineptè & temerè (vt initio etiam aiebam) ſignificari propoſitionibus illis, quas iſti vſurpant, ſcilicet, Chriſtus ſecundùm humanitatem eſt perſona diuina, Deus, omnipotens, &c.

Si autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si autem velint *tertio ac postremo modo* esse interpretandam voculam, Est, in eiusmodi enunciationibus, quibus de Christo secundùm humanitatem affirmentur diuina; vt nimirum sit sensus, humanitatem & illa diuina constituere *vnum quiddam tertium*, nempe *vnam* personam Christi; nihilo tunc magis poterunt vel absurditatibus se extricare, vel Vbiquitatem suam defendere.

Et quidem Schmidelinus in Scripto contra librum nostrum primum de Vbiquitate pagina 50. hunc *tertium* sensum contendit esse eiusmodi affirmationum: Sicut patet ex his eius verbis: *Deus & homo*, inquit, *sunt vnum personale, non vnum identicum, hoc est, in persona Verbi vnita sunt diuinitas & humana natura.* Approbat enim, quod illum suus non tam Doctor, quàm Seductor Lutherus docuit, qui vt ipse etiam suprà retulit, ita scripsit: *Nos retinemus visitatum sermonem, vbi componuntur extrema. Homo est Deus, id est, homo & Deus sunt quiddã vnum. Hoc enim intelligi volumus, quando explicamus hanc propositionem.*

At ego multa possum obiicere ad redarguẽdam absurditatem huius commenti. Primo enim, cùm in eiusmodi enunciationibus à Luthero decepti, notionem voculæ, Est, contendunt esse, quòd homo & Deus omnipotens sint *vnum quiddam* personale, seu vna persona: putant quidem, quæ illorum est maxima atque miserabilis ignorantia, assignare se aliquam aliam notionem voculæ, Est, quæ non sit *identica*, alterutro modo ex illis duob', quos ego suprà vrsi §. 5. reuerâ autem id minimè faciunt: sed secundùm *identicam* quoque notionem (quæ vel inuitis illis semper ei voculæ, Est, propriè acceptæ subest) vnam propositionem transformant insipienter in alteram, id est, sensum alterius diuersæ propositionis, alteri propositioni subiiciunt.

Quomodo istud? inquient. Dabo operam, vt id istis explanem. Differentes enim sunt istæ duę enunciationes: Homo est Deus, omnipotẽs, &c. Et: Homo & Deus sunt *vnum quiddam personale*, seu vna Christi persona. Habent enim (nisi fortè Dialecticam isti nõ didicerunt) eiusmodi enunciationes diuersum *subiectum*, diuersam *copulam*, diuersum *prædicatum*. Non enim idẽ subiectum est: Homo, atque: *Homo & Deus simul*: neque eadem copula, Est, &, Svnt: neque idem prædicatum: Deus siue omnipotens; Et: *Vnum quiddam personale*, seu vna persona Christi.

Rursus etiam notio copulæ Est & Svnt, in vtraque enunciatione, vel istis inuitis, vt dicebam, est *identica*. Nam & homo Christus, *identicè*, secũdùm suum suppositum, verissimè est Deus, omnipotens; Et etiam *homo & Deus simul*, identicè sunt vna persona Christi Dei & hominis. Non enim est aliud vnus Christus, quàm Deus & homo simul, vt patet ex Symbolo Athanasij.

Certè iam lector videt, quàm sit fatua illa Lutheri commentatio contra Scholasticorum sensum *identicum*. Minimè enim illa sua interpretatione profert notionem aliam voculæ, Est, non identicam; sed secundùm identicam notionem; vni enunciationi, alterius planè diuersæ, vt antè aiebam, sensum peruersè subiicit. Sed fallit fortasse Vbiquetarios, Dialecticos nimium subtiles, quod non discernunt, aliud esse, per vnam propositionem posse confirmari aut declarari magis alteram, aut etiam vnam ex altera posse deduci, sicut in proposito fieri potest; aliud autem, sensum & notionem propriam vnius propositionis, alteri planè differenti subiicere, quod absurdissimè, vt ostendi, Vbiquetarij hîc faciunt.

Quando igitur, etsi maximè volunt, non tamen possunt, voculam, Est, interpretari, nisi *identicè*: iure flagito, vt aliquo modo ex illis, quos in argumento meo vrgebam, eam etiam interpretẽtur *identicè* in illa enunciatione: Christus secundùm humanitatem est omnipotens, vbique, &c.

Secvndo. Si voculæ, Est, omnino illum sensum, quem Lutherus comminiscitur, esse volunt: nihil est tam falsum, & pugnans cum fidei mysteriis, quod non ab illis affirmandum sit. Hæc enim enunciatio in sanctissimæ Trinitatis mysterio, secundùm proprietatem illorum sermonis, erit vera: Pater est Filius, Quia Pater & Filius sunt *vnum quiddam*, id est, vnus Deus, iuxta illud Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* Item hæc: Spiritus sanctus est Pater & Filius. Nam & hi tres *vnum sunt*. Item hæc: Humanitas in Christo est diuinitas, & ipsum Verbum diuinum, &c. Constituunt enim hæc simul sumpta vnum & eundẽ Christum, quatenus idem est Deus & homo.

Neq; poterunt amplius tergiuersari vllo modo Vbiquetarij, quin de Christo secundùm humanitatem affirment etiam infinitatem & æternitatem & personalitatem Verbi, &c. Quoniam omnia ista simul sumpta, & Christus secundùm humanitatem, sunt *vna Christi persona*, vt est Deus & homo. Item hæc erit vera: Anima rationalis in Christo, & in aliis hominibus est corpus mortale. Nam anima rationalis & corpus (inquit Athanasius in Synodo) sunt *vnus homo*.

En, in quod pelagus absurditatum demergit istos illa sua notio & interpretatio voculæ, Est? Et tamen dixit Lutherus esse eam secundùm visitatum sermonem in compositione extremorum enunciationis. Adeo fuit vel stolidus, vel quod suspicor, malitiosus, qui tam improbè Principẽ illum, ad quem ea de re scribebat, seducere instituerit.

Tertio. Nihilo magis secundùm eam interpretationem obtinere possunt Vbiquitatem ipsius humanitatis, quàm si illo alio Secvndo modo, quo ego in argumẽto meo dicebam, voculam, Est, exponerent. Eodem enim res recidit: vt scilicet humanitas non immediatè & in se habeat, vnionis beneficio, Vbiquitatem, siue

omni-

omnipræsentiam diuinam, sed tantùm *mediatè*, scilicet, in persona Verbi, in qua humanitas est illi hypostaticè vnita. Hoc enim dicunt significari illa enunciatione: Christus secundùm humanitatem est vbique, id est, humanitas & omnipræsentia diuina sunt vnum quiddam hypostaticè. Non igitur ipsa in se humanitas, sed hypostasis illius humanitatis, in qua sola est Vbiquitas, erit vbique, vt suprà sæpiùs manifestè concluſi.

Neq; verò ex eo, quòd humanitas & illa Vbiquitas sint vnum personaliter & hypostaticè, necessariò est consequens, vt ipsa etiam humanitas sit vbique, quemadmodum Vbiquetarij putant. Nã æquè humanitas & æternitas & infinitas, &c. sunt vnum personaliter & hypostaticè. Neq; tamen ideo illi volunt cõcedere humanitatem ipsam ab vnione habere, vt *in se & immediatè* sit infinita. Item non minus ante resurrectionẽ, quàm pòst, fuerunt vnũ hypostaticè & personaliter humanitas & illa Vbiquitas diuina, & tamen ante resurrectionem planè negant, ipsam humanitatem fuisse vbique, quemadmodum infrà q. 14. videbimus.

Qvarto. Nihilo etiam magis poterunt hac ratione obtinere, quòd ipsa humanitas sit, vt sæpè dicũt, *æqualis* cum Deo Maiestatis. Sed habebit ea solùm mediatè diuinã Maiestatem in sua ipsius hypostasi; quod nemo vnquam Orthodoxus negauit. Exempli causſa. Quamuis corpus & anima sint non modò vna hypostasis, sed (quod plus est) vna etiam natura humana: non tamen propriè ipsum corpus est in se perfectionis æqualis cum anima, &c.

Quocunq; igitur isti se vertant, constricti tenentur. Neq; mouere debet, quòd iam hũc, iam illum esse opinionis suæ sensum, indicare videãtur. Sic enim se res habet, vt ipsimet, quæ loquũtur, penitùs nõ intelligant, ac multò minus constanti aliqua ratione declarare possint. Ita fit, vt siue hoc, siue illud voluerint, sæpenumero videri possint pugnare secũ, neq; consequantur id vlla via quod sibi proposuerunt. Nam si Primo modo & sensu intelligant; tollunt veritatem vtriusque naturæ; & consequenter nõ obtinent, Christum secundùm veram humanitatem esse vbique. Si autem intelligant Secvndo vel Tertio modo; nihilo magis vel *Vbiquitatem* humanę Christi naturæ, vel *æqualitatem* maiestatis eius cum diuino Verbo probare inde possunt, vt est ostensum.

Refutatur sextò sententia Vbiquist. quia absurdè etiam Diuinitati tribuunt humana. §. 8.

Sexto. Pari facilitate conuelli potest, quod aiunt, neque diuinitatem excludendam esse à subiecto propositionum illarum: Deus est homo, passus, mortuus, &c. Quid enim istiusmodi affirmatione (Deus secundùm diuinitatem est homo) sibi volunt? Si Deum & hominem formaliter, hoc est, secundùm diuinitatem & humanitatem ineffabiliter *vnum & idem esse* significant, in errorem delabentur Eutychianorum Acephalorum, qui sic desipuerunt, vt ipsam diuinitatem Christi affirmarent & passam & crucifixam esse. Nam si ineffabiliter vnum & idem cum humanitate diuinitas est; ineffabiliter certè Christus in ipsa fuerit reipsa passus, hoc ipso quòd passus est in humanitate. Et quid aliud obsecro significat, Deus secundùm diuinitatem est mortuus & crucifixus, quàm quòd mortuus & crucifixus sit in ipsa etiam diuinitate? At illam ipsi propositionem apertè concedunt, cùm diuinitatem à subiecto excludi debere negant. Tum alia sequentur absurda, de quibus est dictum suprà. Si autem sententiæ illos propriæ pudeat, seque non aliud velle dicant, quàm quòd Christus secundùm diuinitatem habeat sibi hypostaticè vnitam humanitatem, in qua sola mortuus & crucifixus sit: sententiam certè, quam nemo negauit, inepto ac temerario loquendi modo explicant, & circa quæstiones pugnasque verborum languent, quod vitio vertit, & meritò, diuus Paulus 1. ad Timoth. 6.

Refutatur septimò sententia Vbiquist. quia est damnata ab Ecclesia & sanctis Patribus. §. 9.

Septimo accedit, quòd, vt apparet ex dictis, istorum sententia adeo cum veteribus erroribus consentit, vt etiam phrasis videatur esse prorsus illa eadem, quæ iam olim in veteribus hæreticis est ab Ecclesia cum subiecto sensu damnata & anathematizata. Hoc apparet ex his testimoniis.

Sanctus Hieronymvs in expositione fidei, ad Damasum (& idem habetur sermone 191. Augustini de tempore) *Illorum*, inquit, *execramur etiam blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à tempore susceptæ carnis, omnia quæ erant diuinitatis, in hominem commigrâsse, & rursum quæ erant humanitatis, in Deum esse transfusa. Vt quod nulla vnquam hæresis dicere ausa est, videatur hac confusione vtraque exinanita substantia, Deitatis videlicet & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse commutata.* Hactenus ille. Quæ sunt voces & sententia item istorum. Leuissimum enim est, quod excipiunt, se *physicè* & *essentialiter*, quæ sunt diuina, non attribuere naturæ assumptæ. Sic enim neque vllus veterum hæreticorum attribuit; sed ineffabili quadam & arcana communicatione, quam Ecclesia damnat, vt suprà disputauimus.

Item in quinta etiam Synodo capite quarto sic inter alia legitur: *Si quis dixerit, secundùm operationem, vel secundùm æqualitatem honoris, vel secundùm auctoritatem, aut effectum, aut virtutem, vnitionem Dei Verbi ad hominem factam esse, anathema sit.* Tum in Ephesina Synodo in Epistola ad Nestorium; *Non potest vnire naturas* (vnitate hypostatica) *sola dignitatis aut potestatis æqualitas.* Ita ibi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod eſt rectiſsimè dictum. Nam ſi diuinæ perſonæ, quæ eſſentialiter etiam eiuſdem numero naturæ, potentiæ & maieſtatis ſunt, non eo ipſo tamen hypoſtaticè vnitæ eſſe intelligi poſſunt; quantò minùs cõmunicatio & æqualitas, quam iſti fingunt, maieſtatis & potentiæ aſſumptæ naturæ cum natura diuina, continebit propriam rationẽ vnionis hypoſtaticæ vtriuſq; naturæ? Errant igitur & repugnant doctrinæ ſanę Aduerſarij, cùm per æqualitatem maieſtatis, vt ſuprà demonſtrauimus, hypoſtaticam hanc vnionem deſcribunt, quod damnat Epheſina Synodus.

Neque verò quidquam ipſos hoc loco iuuat, quòd eam æqualitatem ponũt etiam exiſtere ex reali quoque communicatione perſonæ Verbi, ciusque ſubſiſtentiæ cum aſſumpta natura. Hoc enim nõ ideo docent, vt ex perſona & ſubſiſtentia Verbi aliquam aliam rationem, præter æqualitatem, deducant, in qua propriè conſtituant hanc vnionem; ſed vt ita demum oſtendant, aſſumptam naturam, per communicationem omnium omnino, quæ ſunt in Verbo, euectã eſſe ad æqualitatem illam maieſtatis, qua definiunt propriè rationem hypoſtaticę vnionis. Quare licet ſubſiſtentiam Verbi inter cætera communicatam eſſe aſſumptæ naturæ dicant, eodem tamen relabuntur; vt ſcilicet hypoſtaticam vnionem propriè ſtatuant in æqualitate maieſtatis.

Qua ſanè in re, & cum Synodo, vt diximus, Epheſina pugnant, & clariſsimè oſtendunt, ſe minimè aſſertione ſua explicare modum ipſum hypoſtaticæ ſiue perſonalis vnionis. Etenim cùm in Confeſsione Auguſtana articulo primo profeſsi ſint, ſe *perſonæ* vocabulum ſic vſurpare, quomodo vſurpatum communiter eſt ab aliis Doctoribus; negare non debent receptam omnium conſenſu Perſonæ definitionem ex Boëtio, libro de duabus naturis. Vt Perſona ſit intellectualis naturæ indiuidua & incommunicabilis ſubſtantia. Id verò cùm ita ſit; quidquid de naturæ aſſumptæ æqualitate dicatur; quamdiu tamen non exponitur, quòd natura humana ſic à Verbo aſſumpta ſit, vt per illius perſonalem ſubſiſtentiam ſit reddita incommunicabilis; minimè ratio propria huius hypoſtaticæ ſeu perſonalis vnionis aperitur. Quæ cauſſa eſt, cur veriſsimè in Synodo dictum ſit, *non poſſe vnire naturas ſõlam dignitatis aut poteſtatis æqualitatem.* Impingunt igitur Aduerſarij planè in hunc locum.

Præterea Monothelitarum error non ideo ſolùm ab Eccleſia in ſexta Synodo actione 4. 8. & 9. damnatus eſt, quoniam omnino negarent illi aliquam humanitatis Chriſti fuiſſe operationem creatam præter diuinam: Sed quoniam cõfusè ponebant ipſam operationem diuinam, fuiſſe quoque operationem humanæ naturæ, non tantùm vt inſtrumenti, ſed etiam vt formæ, à qua item proficiſceretur ineffabiliter. Quamuis igitur iſti creatas ſuas & phyſicas operationes concedant humanitati aſſumptæ, conſentiunt tamen cum Monothelitis in eo, quod aſſerunt, humanitatem verè & realiter communicauiſſe operationibus omnibus diuinis, non tantùm vt inſtrumentum, ſicut nos fatemur, ſed arcaniſsimo quodam modo, &c.

Non eſt etiam ab hoc loco alienum, quod in Concilio Baſilienſi ſeſſ. 22. legimus. Etenim ex multis propoſitionibus cuiuſdam Auguſtini de Roma, Archiepiſcopi Nazareni, quas ſummo conſenſu Patres in eo conuentu damnauerunt, hæc vna eſt: *Humana natura aſſumpta à Verbo ex vnione perſonali eſt veraciter Deus naturalis.* Item hæc: *Duæ naturæ in Chriſto, humana & diuina, æqualiter diliguntur à Deo, & æqualiter ſunt diligibiles propter perſonam communem.* Item hæc: *Humana natura in Chriſto eſt perſona Verbi.* Quæ planè videtur iſtorum eſſe opinio, cùm aiunt, à ſubiecto illarum propoſitionum: Chriſtus eſt perſona diuina, Deus, &c. non eſſe excludendam humanitatem: Item naturam aſſumptam eſſe æqualis maieſtatis cum diuina. Continuò enim ſequitur, illam eſſe æqualis bonitatis & perfectionis cum natura diuina. Nam communicat, iſtorum opinione, omnibus Dei attributis, quibus diuina maieſtas continetur. Quòd ſi æqualis perfectionis atque bonitatis eſt; æqualiter certè diligitur, & eſt diligibilis à Deo, vt aiebat ille Auguſtinus de Roma. Adde huc omnia alia teſtimonia quæ ſuprà §. 1. adduximus, & ea etiam quæ attulimus punct. 1. contra iſtorum parentem Eutychen.

Reſpondetur ad argumenta Vbiquiſtarum. §. 10.

SED ad eorum argumenta modò reſpondendum eſt. Quæ quidem ſunt duplicis generis. Nam quædam ex nonnullis Scripturæ & Patrum teſtimoniis, perperam à ſe intellectis; quædam ex ratione ducunt. Quod ad teſtimonia attinet, omnino nullum ex illis eſt, quod non poſſit commodiſsimè conuenienterq; orthodoxæ doctrinæ accipi aliquo ex quatuor modis.

PRIMO enim quarundam ſententiarum, ſeu Scripturæ, ſeu Patrum, ſimpliciter eſt ſenſus, Chriſtum omnino eſſe Deum, omnipotentem, infinitæ maieſtatis, æternum, atque æqualem Patri. Hæ ſententiæ ſecundùm regulam iam ante poſitam intelligi debent; vt ſcilicet, quæ ſunt eiuſmodi, attribuamus Chriſto non niſi ſecundùm diuinitatem. Huius generis ſunt illa teſtimonia: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris,* Philippen. 2. Et: *Poteſtas eius poteſtas æterna,* Daniel. 7. Si tamen de ea poteſtate hîc ſermo eſt; quam Chriſtus habuit diuinam prorſus ab æterno. Iuxta illud Ioann. 17. *Clarifica me Pater claritate, quam habui apud te, priuſquam mundus fieret.* Vbi perſpicuum etiam eſt, Chriſtum de

claritate,

claritate, maieſtate, & gloria loqui, quam habuit ab æterno, non niſi vt Deus.

SECVNDO, multorum etiam teſtimoniorum & Scripturæ & Patrum ſenſus eſt, fuiſſe naturæ aſſumptæ, & quidem *reipſa* communicatam perſonam diuinam, atque adeo plenitudinem diuinitatis. Sed id tamen ex Orthodoxa ſententia, quam initio explanauimus, ita intelligendum eſt, vt perſonam diuinam & diuinitatem, aſſumptæ naturæ attributam eſſe agnoſcamus, non vt ipſa natura aſſumpta, vel Chriſtus ſecundùm ipſam (quomodo iſti temerè atque ignoranter finxerunt) ſit diuina perſona, aut plenitudo diuinitatis, ſed vt per illam hypoſtaticè ſubſiſtat.

Atque hac quidem planiſsima firmiſsimaque ratione pleraque teſtimonia ab iſtorum tenebris, & deprauatione facillimè vindicantur. Nam huius generis ſunt illa, quæ cumprimis vrgent. Ad Coloſſen. 2. *In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Et Ioann. 3. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus eius.* Et ad Philippen. 2. *Donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c.* Et Actor. 2. *Sciat ergo omnis domus Iſraël, quia & Dominum eum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.* Et Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Et ad Hebr. 1. *Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.* Si tamen in his poſtremis locis poteſtatem & dexteram cum DAMASCENO lib. 1. cap. 2. interpretemur gloriam & maieſtatem diuinitatis. Nam AVGVSTINVS libro de fide & Symbolo cap. 7. per hæc intelligit poteſtatẽ Chriſti regalem & iudiciariam ſummamq; beatitudinem ſecundùm Deum.

Sed poſſunt & hæc, ſi interpretationem Damaſceni malint Aduerſarij, de communicatione diuinæ etiam maieſtatis, ita, vt explicatum eſt, accipi; vt ſcilicet per illam ſubſiſtat aſſumpta natura. Diuinitatem autem eo modo datam eſſe poſt mortem & reſurrectionem Chriſto, Scriptura ſacra ſignificat, non quia tunc primùm illam ſecundùm humanitatem acceperit; ſed quia tunc manifeſtatum eſt, vel certè tunc manifeſtari hominibus clariùs cœpit, quòd antè in Incarnatione acceperit. Vſitata enim Scripturæ ſacræ phraſis eſt, vt tunc etiam fieri res dicatur, cùm innoteſcit, neque id opus eſt prolixè confirmare, cùm neceſſariò debeat etiam ab Aduerſariis admitti, niſi velint primùm poſt paſsionem & mortem Chriſti, peractum fuiſſe Myſterium Incarnationis, quo illa humanitas ad communicationem cum diuina perſona eſt euecta.

Quod autem de his Scripturæ teſtimoniis iuxta hanc ſecundam interpretationem dicimus, idem ad innumeras ſententias Patrum, quas Aduerſarij non intellexerunt, accommodari debet. Quod enim illi dicere paſsim ſolent, Humanam Chriſti carnem *participem eſſe factam Deitatis.* Item: Dei Verbum tradidiſſe corpori & animæ ſuæ ſuam vim atque diuinitatem. Hæc, inquam, & alia ſimilia, communicationem ſignificant, qua plenitudinem diuinitatis aſſumpta natura acceperit, non niſi vt per illam ſubſiſtat.

Ac iuxta hanc quidem interpretationem non inuiti recipiemus id, quod ex ſententia quorundam Patrum iſti notant, quæ Chriſto ſunt attributa ex tempore, ea ipſi non ſecundùm diuinitatem, ſed ſecundùm humanitatem donata eſſe. Veriſsimum enim eſt, Chriſtum ſecundùm humanitatem accepiſſe quæcunque accepit ex tempore. Sed diuina tamen ex tempore ſecundùm humanitatem minimè ſic accepit, vt ſecundùm humanitatem ſit & affirmetur eſſe illa diuina, ſed vt per illa ſubſiſtat ipſius humanitas, ſicut ſæpe eſt dictum.

Sic accipiendum eſt illud, quod Gregorius NYSSENVS in Tract. de Anima, dicit: *Verbum tradẽs corpori & animæ ſuæ diuinitatis virtutem, manſiſſe tamen idem, quod erat ante vnionem.* Et quod ait D. AVGVSTINVS contra Felicianum capite 11. *Maieſtate Deitatis glorificatam carnem.*

TERTIO, quoniam perſona diuini Verbi facta per hoc myſterium eſt *ipſius naturæ aſſumptæ* perſona: Videntur etiam quandoque Patres, quæ diuina ſunt, ipſi aſſumptæ naturæ tribuere, non quia ipſa, ſed quia ſua ipſius, vt ita dicam, perſona diuinam excellentiam atque dignitatem habet. Sic illud DAMASCENI intelligi debet: *Diuina Chriſti voluntas æterna erat, & omnipotens, humana verò eius voluntas à tempore cœpit. Vt autem verè & ſecundùm naturam Dei Verbi voluntas* FACTA *eſt, omnipotens eſt.*

In quam ſententiam illud etiam accipi poteſt in Concilio Epheſino Canone 12. *Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricem eſſe: Quia* FACTA *eſt propria Verbi cuncta viuificare valentis, anathema ſit.* Quanquam ſi hunc locum de viuificandi virtute non diuinæ naturæ propria, ſed humanitatis aſſumptæ intelligamus, quatenus per illam etiam Chriſtus redemit, atque adeo viuificauit nos; aliter exponi poteſt. Erit enim ſenſus, ideo per vnionem accepiſſe humanitatem Chriſti virtutem ſic viuificandi nos, quoniam per vnionem eſt factum, vt eſſet humanitas Dei & hominis, qui cumulatiſsimè proinde nos redimere atque viuificare potuerit. Item, ſi de virtute viuifica humanitatis & carnis Chriſti, per quam etiam tanquam per inſtrumentum diuinitatis iuſti demum reddimur, intelligatur ille locus; conſtat nihil fauere Aduerſariis, vt iam iam dicemus.

QVARTO, dubium non eſt, quin omnia opera mirabilia, quæ vnquam Chriſtus geſsit, quæque iam etiam in Eccleſiæ ſuæ gubernatione atque conſeruatione operatur, per humanitatem quoque ſuam, tanquam per inſtrumentum operetur. Id cùm ita ſit, ſolent eam ob cauſſam quandoque Patres has Chriſti operationes attribuere item humanitati, non tanquam *formæ*, quę

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita communicet operationib. diuinis, ſicuti iſti fingunt, ſed tanq̃ *inſtrumento* Chriſti diuinitatis.

Hoc vult B. LEO epiſt. 10. ad Flauianum, cùm inquit: *Operatur vtraque forma cum alterius communione. Verbo ſcilicet operante, quod proprium eſt, & carne exequente, quod carnis eſt.* ATHANASIVS quoq; Dialogo 5. contra Apollinariſtas, eodem modo illud ſcripſit: *Deus vnitus homini edit miracula & operatur, non ſeorſim aut ſeparatim à natura aſſumpta: ſed per eam placuit illi ſuam potentiam exercere, &c.*

Accedit ad hæc, quòd Patres, quia non ſemper ad normam & amuſsim Dialecticarum regularum locuti ſunt, plerumque in hac materia *abſtractum* nomen pro *concreto* vſurparunt, id eſt, humanitatem pro homine dixerunt. Quemadmodum & contrà, concretum pro abſtracto ſæpiùs ponunt. Vt cùm paſsim dicunt, à diuino Verbo aſſumptum eſſe hominem. Ita viciſsim, quæ humanitati videntur quandoq; adſcribere, non ipſi per ſe naturæ, ſed homini Chriſto conuenire volunt, accipiuntq; abſtractum pro concreto. Quæ eſt ratio etiam non inidonea ad nonnulla teſtimonia explicanda ex iis, quæ adulterantur ab Aduerſariis.

Atque vt in ſumma dicam, præcipuè ob tres cauſſas ſolent Patres tribuere interdum humanitati Chriſti ea, quæ ſunt diuinitatis. PRIMO. Quatenus illa humanitas in diuina Verbi perſona ſubſiſtit (id quod donum infinitum eſt, vt Scholaſtici etiam explicant) atque adeo vnitam ſibi habet hypoſtaticè omnem perfectionem Verbi. SECVNDO. Quatenus ipſe Filius Dei per eam, tanquam per ſingulare inſtrumentum, vtpotè ſibi ſubſtantialiter vnitum, exercet ſuam omnipotentiam. TERTIO. Quatenus particeps eſt etiam diuini honoris, ratione hypoſtaſis, in qua ipſa ſubſiſtit.

Neque vllum eſt teſtimonium ex his, quæ hîc allegant Vbiquetarij, quod non aliquo, aut aliquibus ex his tribus modis intelligi debeat. Nam vt omnia percurram, primo modo accipiendum eſt illud, quod Gregor. NYSSENVS, de Anima dicit, Verbum tradens corpori, & animæ ſuæ diuinitatis virtutem; manſiſſe tamen idem, quod erat ante vnionem. Et quod ait D. AVGVSTINVS contra Felicianum, cap. 11. Maieſtate Deitatis glorificatam carnem.

SECVNDO autẽ modo, quod dicit ATHANASIVS in Euangel. de Deipara; *Aſſumpto homini fuiſſe tributam omnem efficaciam virtutemq̃, vt poſſet ſuſtinere omnem aduerſariæ poteſtatis impetum, & operari deinde curationem in populo.* Item quod CYRILLVS lib. de Incarnatione Vnigeniti, cap. 8. inquit, *Verbum transformaſſe aſſumptam naturam in ſuam gloriam & operationem. Atque etiam contuliſſe ei naturæ ſuæ operationem.*

TERTIO aũt modo illud interpretandum eſt, quod inqt D. BASILIVS in Pſal. 21. *Natura aſſumpta diuinitati aſſumẽti eam vnita eſt, eiuſdemq̃ gloriæ & honoris particeps et conſors facta.* Itẽ illud CYRILLI lib. 10. Theſau. cap. 9. *Paternam gloriã in hominem, quẽ aſſumpſit, petendo vt homo, traducit.* Item illud THEODORETI lib. 1. cap. 5. *Vt homo accepit gloriam, quam habuit vt Deus.* Nam gloriã ibi Cyrillus interpretatur exiſtimationẽ atq; honorẽ diuinum. Atq; hæc quod attinet ad teſtimonia.

Iam RATIONE ſic argumentantur. PRIMO. Si natura humana eatenus tantùm eſſet vnita Verbo, quatenus â Verbo ſuſtinetur, vt Scholaſtici dicunt; conſequeretur, Verbum diuinum non eſſe hominem in *actu primo*; ſed tantùm illam ſuſtentare actu ſecundo, *quod eſt*, inquiunt iſti, *hæreticiſsimè dictum.* Item conſequeretur, res omnes mundi vnitas eſſe hypoſtaticè Verbo diuino, quoniam omnes ſuſtentantur ab illo.

RESPONDEO, nihil minus, quàm iſta conſequi. Etenim modus ille, quo aſſerimus à Verbo diuino ſingulariter & propriè ſuſtẽtari naturam aſſumptam, nõ conſiſtit in operatione ſiue effectione aliqua, quæ eſt actus ſecũdus. Sed ipſa ſua prima atq; intima perfectione perſonali, atq; vi Verbum naturam aſſumptam ſuſtentat, terminando ipſam ſubſtãtialiter & complendo, vt nõ per aliquid diuerſum à Verbo, quod illi per operationem aliquã, ſeu actum ſecundum communicetur; ſed per ipſum Verbum conſtituatur in *eſſe hypoſtatico.* Ita fit, vt Verbum ſic ſuſtentans aſſumptam naturã, omnino *in actu primo* ſit homo; quoniã ſic illam ſuſtentando, ſubſtantialiter ſibi vnitã eam habet: homo autem in actu primo nõ aliud veriùs dici poteſt, q̃ hypoſtaſis, ſeu perſona *habens humanitatem.* Ex qua re perſpicuum etiam eſt, neque illud alterum ex noſtra ſententia conſequi, nempe res omnes vnitas eſſe Verbo hypoſtaticè. Suſtentat enim res omnes diuinum Verbum; ſed *efficiendo & conſeruando*, non autem terminando & complendo hypoſtaticè.

SECVNDO argumentantur. Si cùm dicimus: Hic homo Chriſtus eſt Deus, omnipotens, &c. ſenſus eſt materialis; videlicet, Verbum diuinũ ſiue Deus, ſuſtentans humanã naturam, eſt Deus omnipotens, &c. perinde erit, atque dicere, Deus eſt Deus, omnipotens, &c. Ita nihil hoc Myſterium habebit ſingulare.

RESPONDEO. Aliquid amplius nihilominus eiuſmodi propoſitionibus ſignificatur, quàm ſi nudè dicerem, Deus, vel Verbum diuinum eſt Deus, &c. Indicatur enim, illum eundem, qui eſt Deus, eſſe etiam hominem: atque adeo duas naturas, diuinam & humanam, ſubſiſtere in vno & eodem ſuppoſito. Vt ſi dicam, Album eſt dulce; certè aliquid amplius dixero, quam ſi ſimpliciter dicerem, Dulce eſt dulce.

TERTIO, communicatio idiomatũ, per quam attributa diuina prædicantur de homine Chriſto, realis eſt, non verbalis tantùm. Sed ſi in eiuſmodi enunciationibus humanitatem à ſubiecto excludamus, communicatio nõ erit, niſi verbalis tantùm. Ergo non debet excludi.

RESPON-

RESPONDEO. Minor eſt omnino falſa. Nam communicatio & prædicatio tunc eſt realis, cùm non modò *prædicati* vocem ad *ſubiecti* vocem enunciando referimus, ſed etiam rem per *prædicatum* ſignificatam attribuimus illi rei, pro qua ponitur vox *ſubiecti.* Ita realem in propoſito cõmunicationem, prædicationemq; facimus hoc ipſo, quòd attributa diuina affirmamus de ipſo ſuppoſito naturæ humanæ, pro quo maximè in illis propoſitionibus ponitur illa vox ſubiecti, *Chriſtus* vel *homo.* Neque enim communicatio idiomatum diuinorum & humanorum eſſe poteſt, niſi in eo, quod in Chriſto eſt reipſa cõmune & vnicũ. Id autem, vt contra iſtorum ignorãtiam ſuprà quoq; §. 1. argumentabamur, eſt non aliqua vna natura, ſed vnicum ſuppoſitum.

QVARTO vrgent quoque argumentum ex ſimilitudine animæ & corporis ductũ, quod poſſumus ex ipſorũ mente atq; ſententia ita formare: Natura diuina & humana ſic vniũtur in Chriſto, quomodo vniuntur anima & corpus in homine. Sed anima per eam vnionem ita ſuas energias omnes corpori cõmunicat, vt nihil faciat, niſi in corpore, & per corpus; viciſsimq; corpus omnia per animã faciat, quæcunq; in ipſo & per ipſum facit anima. Ergo pari modo natura diuina per hanc vnionem ita communicat energiam ſuam omnem aſſumptæ naturæ, vt omnia, quæ facit, faciat *cum* & *per* naturam aſſumptam. Maior patet ex Athanaſij Symbolo: *Sicut anima rationalis*, inquit, *& corpus vnus eſt homo: ita Deus et homo vnus eſt Chriſtus.* Minorem oſtendere nititur Schmidelinus in omnibus operationibus animæ. Nam & intellectionem ipſam, inquit, non efficit niſi per corpus: Iuxta illud Philoſophi: *Neceſſe eſt intelligẽtem phantaſmata ſpeculari.* Deinde idipſum de intellectione, in qua potiſsima difficultas eſt, probat illis Scripturę teſtimoniis: *Non dedit tibi Dominus cor intelligens*, Deuter. 29. Et 1. Reg. 3. *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens.* Quod *nobis*, inquit Schmidelinus, *interpretentur Ieſuita, adeoq̃ omnes Philoſophi.*

RESPONDEO, duplex eſſe in argumento vitium, & vtrumque maximum. Vnum eſt, quoniam vt ex ſimilitudine duarum rerum, concludas in altera id determinatè, quod velis probare, neceſſe eſt ſimilitudinem eſſe quoad omnia. Nam ſi quoad *aliqua* tantùm ſimilitudo eſt, non eſt cõſequens, vt ſit determinatè quoad illud, de quo quæſtio eſt. Similitudinem autẽ illam animæ & corporis, certiſsimum eſt, non eſſe quoad omnia. Itaq; malè atq; ineptè ſumitur ea ſimilitudo in Maiori argumenti propoſiti ad concludendum id, quod iſti determinatè volunt. Eſt enim vtriuſque vnionis ſimilitudo, non ſecundùm omnia, ſed tantùm ſecũdùm aliqua; & ex his ipſis quædam nihil iſtorum opinioni ſuffragantur, quædam aduerſantur prorſus.

Similitudo enim eſt PRIMO, quia vt ex anima & corpore, ita ex natura diuina & humana *vna exiſtit ſubſtantia*, quæ eſt vna Chriſti perſona. SECVNDO, quia ſicut non obſtante ea vnione corporis & animę, manet corporis & animę differẽtia & diſtinctio, ita etiam vnio diuinæ naturæ & humanæ nihil impedit, quò minus differãt omnino hæ naturæ. Hæc duo capita ſimilitudinis perſpicuum eſt nihil omnino ſuffragari Aduerſariorum opinioni. Alia verò illam etiam euertunt. Nam TERTIO eſt ſimilitudo, quoniam ſicut per illam animæ & corporis vnionem nõ fit, vt arcano & ineffabili modo corpus ſit anima: ita neque in propoſito fit, vt arcano modo humanitas, vel quod idem eſt, Chriſtus ſecundùm humanitatem ſit Deus, omnipotens, &c. QVARTO eſt item ſimilitudo, quia vt per illam vnionẽ corpus non redditur æqualis perfectionis cum anima, neq; etiam ſuſcipit ſecundum ſe prædicationes proprias animæ (non enim ſecundùm ſe *intelligit*, non *vult*, non *eſt ſubſtantia ſpiritualis*, nec cætera, quæ propriè conueniunt animæ) ita neq; humanitas vel Chriſtus ſecũdùm humanitatem fit per vnionẽ *æqualis maieſtatis* cum diuina natura; neq; etiam recipit ſecũdùm ſe prædicationes proprias diuinæ naturę, vt ſcilicet *ſecũdùm humanitatem* ſit *infinitus, æternus, etc.* Perſpicuum eſt igitur, ſimilitudinem illam in multis aduerſari, vt diximus, iſtorum figmento: atq; adeo vitioſè ab illis Maiorem illam argumenti ſumi, cùm poſſit in ipſos retorqueri.

Eſt etiam in eo argumento aliud vitium: quoniam Minor eſt prorſus falſa. Falſum enim & inauditũ eſt, quòd corpus ipſum *intelligat*, & multò magis, quòd etiam *velit.* Neq; enim à miniſterio phantaſiæ ſic anima, cùm intelligit aut vult, depẽdet, vt intellectio aut volitio ſint actus phãtaſię atq; corporis. Sed alius eſt ille modus depẽdẽtiæ, nempe (vt homines doctiſsimi appellant) *obiectiuus*; quoniam nequeat intellectio alicuius rei eſſe, cuius rei non fuerit etiam aliquo modo actus phantaſiæ; idq; propter ſubordinationem potentiarum vnius & eiuſdẽ hominis; iuxta vulgatum Theorema, *nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu.* Quod autem attinet ad Scripturę teſtimonia, quibus etiam Schmidelinus id probare eſt conatus, certiſsimum eſt, *cor* ibi ſonare metaphoricè, ſignificareq; nõ partem certam corporis, ſed animum, vel potius animi diſpoſitionem aptam vel ineptã ad intelligendũ. Vt cùm Dñs alibi dicit Ezech. 36. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneũ*, minimè quidem corporis illud membrũ intelligit, ſed animi diſpoſitionem mutabilem. Quocirca frigidiſsimum eſt ſanè, quod Schmidelinus interrogat, an in illis locis Spiritus ſanctus *impropriè* loquatur? Metaphoricè certè loquitur, quemadmodum aliâs ſæpe: idq; cordis vocabulo ſignificat, quod eſt in animo, ſicut cor in humano corpore, præcipuè curandum, nimirum animi habitum atque diſpoſitionem.

QVINTO obiicit nobis ſæpe Schmidelinus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd cum Nestorio seperemus & diuidamus Christi naturas, propterea quòd ei secundùm qualibet naturam nó tribuimus proprietates & operationes, tum diuinas, tum humanas. Quod genus conuitij ab ipso etiã Eutychete parẽte suo mutuatus esse videtur. Quem proditũ est itidem errorẽ Nestorianum Catholicis perperã obiecisse, quoniam differentiã vtriusq; naturę sine confusione defenderent: *Quid autẽ prodest*, inquit B. Leo epist. 11. ad Iulianum Episcopum Coënsem, contra Eutychetẽ, *impudentissimo seni* (Eutycheti) *Nestorianæ hæreseos nomine eorum lacerare opinionem, quorũ piissimam conuellere non potest fidẽ: quum quantum Nestorius à veritate discesserit, Deitatẽ Verbi ab assumpti hominis substãtia separando, tantùm à recto tramite etiam iste desciscat?* Hoc igitur Schmidelinus à nobis similiter, vel ab eodem potius diuo Leone, sibi dictum putet: quippe cùm ab errore Nestorij tantùm ipsi distemus, quantum abest ipse Schmidelinus à recto tramite veritatis.

Nestorius enim censuit esse re vera aliam personam Filij Dei, & aliã eamq; creatam, Filij Virginis, non autẽ vnam (naturali vnitate) vtriusq;. Quare etiam negauit, vtriusq; naturæ proprietates & idiomata, vna aliqua communicare hypostasi seu persona, quæ eadem sit Christi Dei & hominis, sicut puncto præcedenti ex ipsis etiam Nestorij verbis conuicimus aduersus impudentiam & temeritatem Schmidelini.

At, inquit iste in Scripto contra primum nostrum librum de Vbiquitate pag. 30. nos alloquens: *Etsi verbis concedatis, Mariam peperisse Deum, & Iudæos crucifixisse Deum: tamen cùm ad explicationem peruentum est, id ad diuinitatem realiter nihil pertinere, apertè affirmatis.*

Immò verò, quod Deum ex Maria natum & crucifixum esse dicimus, ea ratione vel maximè etiam ad diuinitatẽ pertinere affirmamus, quatenus reuera id pertinet ad personam ipsam seu hypostasim naturalem diuinitatis. Hypostasis enim alicuius naturæ, aliquid omnino ad naturã eandem spectans est. Quamobrem minimè quidem dici debet, quod ad hypostasim naturę pertinet, nihil re ipsa ad naturam pertinere. Neque verò isti possunt ostendere, à nobis vnquam, vti calumniantur, id esse dictum. Sed illud displicet ipsis, quod dicimus, personam Verbi, atq; adeo Deum ipsum natum esse quidem ex Virgine, & crucifixum; non tamen diuinitate, seu secũdùm diuinitatem, sed carne & humanitate, quã suam propriam fecit vnione hypostatica naturali.

Quam sententiam, si in nobis isti putant esse Nestorianã; Apostolũ Paulum erroris Nestoriani auctorem esse putare debent. Is enim cùm filium Dei natũ ex tempore, & crucifixũ diceret: ne quis fortasse Vbiquetarius secũdùm diuinitatẽ hoc intelligeret: explicationẽ eandem, quã hodie Catholici, adhibuit: *Ex quibus*, inquit Roman. 9. *natus est Christus* Secvndvm *carnẽ*. Item 1. Cor. 13. *Crucifixus est*, inquit, *ex infirmitate*, id est, secundùm naturam humanã, quæ est ipsa infirma. Præterea etiã Nestoriani erunt istis Concilij Ephesini Patres; qui tamẽ Nestorium ipsum dãnauerunt; Sic enim illi in Anathematismis cõtra Nestoriũ Can. 12. dicunt: *Si quis non confitetur Dei Verbum passum* Carne (audis explicationem?) *& crucifixũ carne, & mortẽ carne gustasse, &c. anathema sit.* Item Can. 1. *Si quis non confitetur, sanctam Virginem Dei genitricem esse: peperit enim* Secvndvm Carnem, *carnem factã Dei Verbum, anathema sit.* Et clarissimè Can. 18. *Qui ante secula omnia est natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter est procreatus ex tempore.* Non *quia diuina ipsius natura de sacra Virgine sumpsit exordium; est enim ineptum & stultum hoc dicere: Sed* Qvia *naturã sibi copulauit humanam & processit ex muliere. Sic illum dicimus passum esse, non quia in sua natura passus sit, aut plagas, aut clauorũ trãsfixiones: sed quia corpus illud, quod ipsius factum est, hoc sustinuit. Item, simili modo mortem ipsius intelligimus, quia corpus ipsius proprium pro omnibus mortẽ gustauit:* Non *quòd ipse mortẽ esset expertus,* Qvantvm *ad ipsius naturã pertinet: insania enim est hoc vel sentire, vel dicere.* Quam doctrinam hi Patres ab Apostolo Petro etiam didicerunt, qui Christum nó nisi carne passum esse profitetur.

Hæc non dubito, quin illibentissimè audiant Vbiquetarij. Sed cùm ipsis libeat ineptè vbique repetere, nos esse Nestorianos, idcirco ego hæc repeto, vt Lector intelligat, quos item ea ratione, tanquam Nestorianos accusent, nempe ipsos etiam Apostolos, & Patres item Concilij Ephesini, à quibus non modò sententiam, sed etiam verba penè eadem in huius rei declaratione ipsi mutuati sumus. Atque vt magis istos sui pudeat, si in posterum ab ineptissima eiusmodi calumnia desistere noluerint, rem totam paucissimis verbis & clarissimis proponam.

Cùm Qvaeritvr, quo pacto, quæ humanitatis attributa sunt, vt nasci, mori, & pati, ad Verbi diuinitatem pertineant; & vicissim quæ sunt diuinitatis, ad humanitatem? duo errores extremi vitandi sunt, & incedendum regia atq; media Ecclesiæ Catholicæ via. Vnvs error est, vsq; adeo parum putare attributa alterius naturæ ad alteram pertinere, vt ne pertineant quidem ad eam ratione vnius & eiusdem naturalis personę, siue hypostasis, quæ sit vtriq; naturæ communis naturali substantialiq; cõiunctione. Hic fuit error Nestorij. A quo, si nos toto cœlo cum Ephesina Synodo abhorrere Vbiquetarij non vident, omnino nihil vident. Alter error ex contrario est, vsq; adeo multùm putare attributa alterius naturæ ad naturam alteram pertinere, vt nó modò eadem Verbi persona, secundùm alterã & alteram naturam (quam vinculo naturali & substantiali vnitam sibi habet) sit Deus & homo, immortalis & mortalis, &c. sed etiã sit & esse affirmetur vtrumque secundùm quamlibet harum naturarum. Atq; hic est error Vbiquetariorum, incurrens in hæresim Eutychianorum, quæ naturarum

turarum differentiam, carumque proprietates sustulit.

Sententia verò Ecclesiæ Catholicæ Media est. Nã censet, neq; tam parũ attributa alterius naturę ad alteram pertinere, vt ne ratione quidem vnius eiusdẽq; personæ naturaliter & subsãtialiter vtriq; naturæ cõmunis, ad eam pertineant; neq; etiã tam multũ, vt secũdùm naturã quamlibet Verbũ sit vtrũq;, id est, vt Christus secũdùm humanitatẽ etiã sit Deus, omnipotẽs, immortalis, &c. & secũdùm diuinitatẽ crucifixus & mortuus. Quod Vbiquetarij quidẽ volunt; sed Concilium Ephesinum, vt vidimus, apertè damnat.

At, inquiũt, Vigilius lib. 2. contra Eutychen, *clauis diuinitatẽ confixam, & impassibiliter passam esse affirmat.* Sed certissimũ est, Vigilium diuinitatẽ pro *Deo ipso* dixisse. Qui ea quidẽ ratione impassibiliter passus & clauis confixus esse dici potest, quia cùm idẽ passus sit carne & humanitate, nihil tamẽ aut passus est, aut pati potuit ipsa diuinitate. Vnde Vigilivs illic non *ipsam diuinitatem* sed *Verbũ diuinũ* impassibiliter passum esse dixit hoc sensu. Hæc namq; sunt eius verba: *Confixa est Diuinitas clauis* (in carne scilicet sibi coniuncta) *sed* Ipsa *penetrari non potuit. Siquidem vulneri locum* Caro *patefactã aperuit: Nam Deus* (en quomodo Diuinitatẽ dixit pro Deo) *indiuisibilis & impenetrabilis* (secũdum naturam diuinã) *mansit.* Adde ꝙ ex professo potius sumpsit Vigilius probandum in eo libro, sicut etiã lib. 5. diuinitatẽ nihil omnino fuisse passam. Adde etiam ꝙ Conciliũ Ephesinũ, cuius & sententia & oratio fuit D. Cyrilli, & aliorũ Patrũ, *ineptam, stultam, & insanã* esse eiusmodi opinionẽ de passione Diuinitatis decernit. Et sanè D. Athanasivs in capitibus ad Eustachium, contra hæreticos, apud Turrianũ in epist. contra Vbiquistas, mirificè eos exagitat, qui diuinã naturam impassibiliter passam esse perinde dixerũt, ac si quis diceret, *sedere aliquem non sedendo, & loqui non loquendo*, ꝙ est simul destruere & ædificare, nihilq; asserere, ꝙ possit intelligi. Tũ Damascenvs lib. 3. cap. 6. *Ne dicere quidem*, ait, *possumus, Verbi naturã passam esse: Non enim in eo diuinitas passa est.* Naturã igitur diuinam passam esse, nõ cõcedimus, quia stultã esse eiusmodi cogitationẽ affirmat Concilium Ephesinum: & alij Patres p. 1. à nobis contra Eutychianos istorũ parentes, citati. Deum autem ipsum carne passum esse, nemo Catholicorum negat.

Quare otiosè prorsus illa testimonia nobis allegant Vbiquistæ, Nempe nos *Dei sanguine esse redemptos*, Actor. 20. Filiũq; *Dei pro nobis traditum in mortem esse.* Rom. 8. eiusq; nos *sanguine* purgari ab omni peccato. 1. Ioan. 1. Quæ potiꝰ istos commonefacere deberent, non nisi ratione humanitatis & carnis cum diuinitate vnitæ hæc de filio Dei prædicari. Nisi fortè putãt, diuinitatem constare etiam ipsam ex sanguine.

Postremo, quia nõ agnoscimus talem esse maiestatẽ Christi hominis, vt ei *secũdùm humanitatẽ quoq; suam* tribuamus diuina, sed tantũ secũdùm diuinã personã & hypostasim humanitatis suæ; secũdùm humanitatẽ verò maiestatẽ ei tribuimus superiorẽ omni creata dignitate, & inferiorẽ diuina, atq; adeo velut mediã inter diuinã & creatã: quia, inquã, ita sentimus; calumniatur impudentissimè Schmidelinus in Repetit. VVittemberg. propos. 135. & 136. nos nihil amplius Christo tribuere, quã Alcoranũ Mahomet. cuius hæc sint verba: *Omnium Prophetarum vnum super alium per mè sublimato. Et quibusdam cum Deo loquutis, Christo Mariæ filio animam nostram propriè conferentes vim & virtutem præ cæteris tribuimus.*

Respondeo. Primũ, non videtur Christum etiam præferre sibiipsi. Deinde minimè tribuit illi, sicut nos, æqualitatẽ etiã cum Deo, ratione hypostasis ac personæ ipsius propriæ. Quare calumnia hæc est Aduersariorũ improbissima: neque tãtùm isto modo nobis, sed Apostolo etiam poterũt, si blasphemare placet, opinionẽ Alcoranicam exprobare. Is enim apertissimè quoq; maiestatẽ Christi inter diuinã & creatã dignitatẽ similiter constituit mediam, 1. Cor. 15. vbi disputat, *omnia esse Christo subiecta præter illũ*, cui ipse etiã Christus vt homo *subiectꝰ est.* Quid hoc aliud est, quàm Christi maiestatem illo modo esse mediam, id est, superiorem creaturis omnibus, sed inferiorem tamen Deo, qui illi subiecit omnia?

Adde, ꝙ Orthodoxi ita humanę Christi naturæ Maiestatẽ creatã inferiorẽ Deo, & superiorẽ omnibus creaturis concedũt, vt simul tamẽ defendant, eandẽ Christi naturã humanã hypostaticè fuisse exaltatã ad ipsam Maiestatẽ diuinitatis Verbi. Hoc modò Maiestatẽ etiam & gloriam homini Christo *mediã* inter Deũ & creaturas cõcedere, vt scilicet nõ tantũ secundũ suã hypostasim affirmetur esse æqualis cũ Patre Maiestatis, infinitoq; interuallo superioris omnibꝰ creaturis, sed etiã secũdũ humanitatẽ in omni gratiarũ genere illis antecellere: hoc, inquã, minimè Alcoranicũ est. Sed hanc Tantvm gloriã & Maiestatẽ mediam homini Christo tribuere: id verò est impiũ & Alcoranicũ. A qua quidẽ blasphemia, quantũcunq; Vbiquetarij reclamante conscientia calumnientur, nemo, mediocriter cordatus, non videt, Orthodoxos quã maximè abhorrere.

Quis enim nostrũm vnquã vel docuit vel scripsit, Christum hominem tantùm habere (Tantvm inquam) illam mediam Maiestatem gloriamque creatam? Quòd si eam etiam (eam *etiam* dico, non autem eam *tantùm*) illi tribuere, Turcicum Alcoranum est, ostendam profectò Vbiquetarios esse Religionis Turcicæ.

Schmidelini namq; Vbiquetarij sunt hæc verba in VVittemb. disput. n. 170. & 190. *Alia est gloria, quam natura humana in se habet, tanquam in subiecto, à diuinitate τῆ λόγῳ acceptam, qua super omnes Angelos & beatos homines eminet* (en tibi gloriam illam mediam suprà beatos & infrà Deum) *ratione cuius gloriæ, corpora nostra ipsius gloriæ in resur-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rectione suo modo conformia fore Apostolus affirmat. Alia verò gloria est diuinæ Maiestatis propria. De qua Christus orat: Pater glorifica me apud temetipsum ea gloria, quam habui, priusquam hic mundus esset. Hæc non est creata aut accidentaria gloria vel Maiestas.

Item alij etiam Vbiquetarij, in Apologia Vbiquetariæ Cõcordiæ, his etiam verbis clarissimis Maiestatem illam Christi mediam confessi sunt. 1.part. cap. 1. fol. 4. *Testatur*, inquiunt, *Christianæ Concordiæ liber, in eóque expressè* DATVR *& conceditur, humanam Christi naturam propter personalem vnionem & exaltationem accepisse multa, eaq; innumera dona, quæ eidem habitualiter inhæreant, quibus etiam multis gradibus* OMNIVM *Angelorum & Sanctorum donis antecellat.*

Et rursus in eadem Apologia part.1.cap.3.fol. 68. *Non quidem negamus*, inquiunt, *Christum* MEDIA *etiam quadam potentia exornatum esse, quæ maior sit omnium Angelorũ & hominũ virtute, minor autem quàm diuina potentia, si quidem de creatis & finitis loquamur donis, quæ humana Christi natura in se & per se subiectiuè & habitualiter habet.*

Hæc cùm isti scripserint, qua fronte, & qua conscientia (nisi fortè vtrumq; amiserunt) audent Orthodoxis Alcoranum idcirco obiicere, quoniam, vt inquiunt, minimè negent, sed asserant, Maiestatem Christi inter Deum & Angelos *mediam*? Nónne hæc etiam concedenda est? Non hanc isti quoque apertè concedunt?

Error igitur Mahometis, à quo lõgissimè absunt Orthodoxi, non in eo fuit, quòd aliquam Christo Maiestatem diuina inferiorẽ tribuerit secundùm humanitatem; sed quòd simul minimè tribuerit homini Christo æqualitatem cum Deo secũdùm ipsius hypostasim, id est, quod nõ agnouerit, eundem etiam secundùm naturalem vnitatem suppositi fuisse Deum. Qui fuit etiam error Nestorij, & aliorũ hæreticorum ante Mahometem.

Id autẽ patet euidenter ex ipsis Alcorani verbis, Azoara 12. *Sciendum*, inquit Mahomet, *eos incredulos esse, qui Iesum Mariæ filium, Deum esse dicũt.* Itẽ Azoara 14. *Increduli*, inquit, *alium Christi Deo* (dixerat enim paulò antè Azoara 13. *Christum non vt se, pro Deo, sed vt suum atq; omnium Deum venererentur, hominibus persuasisse*) *consimilem atq; æqualem ponunt.* Ac similia leguntur ibi Azoara 19. & passim aliâs.

Quare desinant homines isti contẽtiosissimi, dum commentitia dignitate Christũ ornare videri volunt, vera illum atq; sua maiestate expoliare. Habet non solùm vt Deus maiestatẽ diuinam, & Patri suo æqualem, verùm etiã vt homo dignitatẽ eximiam secundùm Deum, & prorsus singularẽ; sed quæ hominis esse dignitas possit, non quæ sit Dei propria. Ideo non persona diuina, non Deus, non infinitus, non omnipotens, non vbiq; præsens est, *quatenus est homo*: quoniam reuera tunc non esset homo. Sed est Deus tamen infinitus, æternus, vbiq; præsens, &c. secundùm personam atq; suppositum suum proprium; est etiam secundùm humanam naturam tantæ maiestatis, quanta continetur primùm præstantia donorum omnis generis, & dignitate munerũ præclarissimorũ, Redemptoris, Mediatoris, Sacerdotis, Prophetæ, Regis, Legislatoris, Doctoris, Iudicis, &c. Deinde eximia beatitudine non animæ solùm, sed etiã corporis post resurrectionem, cũ illius est fælicitas atq; gloria absoluta. Tum etiã notitia & celebritate nominis atq; diuinitatis illius apud oẽs gentes. Vt quemadmodum inquit Apostolus ad Philip. 2. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Hæc illa Christi hominis maiestas est, quã & Ecclesia Catholica agnoscit atq; veneratur, & Scriptura sacra vbiq; prædicat. Hanc nos Christi dignitatẽ libentissimè confitemur & suspicimus: æqualitatem autẽ maiestatis humanæ Christi naturæ cũ Deo, & Vbiquitatem in Sectariorũ cerebro fabricatam, cum Scriptura sacra, cum sanctis Patribus, cum vniuersa Ecclesia inficiamur, quoniam verè est figmentum plenissimum vanitatis.

Et hæc quidem hactenus de modo vnionis, q̃ attinet ad vtriusq; naturæ proprietates; id quod nobis fuit in hoc puncto propositum. Nam ipsa per se Vbiquitas corporis Christi ab istis conficta, refutabitur à nobis infrà q.5. in suo proprio, loco, vt initio dixi.

PVNCTVM QVARTVM.

An vnio duarum in Christo naturarum ita facta sit, vt post eam Christi persona sit composita.

D. Thomas art.4.

SCHOLASTICI Theologi, præter D. Thomam, ferè negant, Christi personam esse propriè compositam. Vt Albertus Magnus in 3.d.6. artic.6.& Alexander Hallensis 3.p.q.6. membr.2. art.5.§.1. & 2.& Bonauentura in 3.d. 6. art.1. q.2. & Scotus ead.d.q.vlt.& Richard. ibid.art.2.q.3. & alij ead. d.vbi Magister quoq; refert, hanc fuisse quorundam opinionem.

Diuus autem Thomas hîc art. 4. ad hanc quæstionẽ respondet cũ distinctione. Si enim Christi persona consideretur per se tãtùm, vt est *diuina*, non est composita. Si autem vt subsistit etiam *in natura humana*; composita est, inquit D. Thomas: tum propter distinctionẽ naturæ diuinæ & humanæ: tum etiam propter distinctionem naturæ humanæ & personalitatis Verbi, ex quibus omnibus cõstituitur, vt patet, persona Christi, quatenus subsistit in natura etiam humana. Recentiores autem pleriq; de hac quæstione ita disputant contentiosè, quasi esset quæstio de re.

Verè tamen controuersia est tota de *nomine*. Nam quod ad *rem* attinet, necesse est, inter omnes

nes conueniat de duobus. PRIMO, Christi personam, quatenus in humana natura subsistit, ex pluribus constare distinctis rebus, vt anteà expositum est. SECVNDO, minimè idcirco quamlibet earum rerum, ex quibus Christi persona constituitur, esse imperfectam. Nam neq; Verbi personalitas, neq; natura diuina, vllo modo imperfecta est. Iam controuersia est tantùm de nomine, an propter *primum* illud, de quo inter omnes conuenit, debeat dici composita; vel propter *secundum* non debeat?

In hac verò quæstione de nomine sententia sancti Thomæ potius probanda est. Nam quamuis non est quidem hîc compositio vlla secundũ peculiarem illam & determinatam notionem compositionis quæ in creaturis compositis reperitur, per quam scilicet compositum est perfectius quam quodlibet componens (cum sic nullo modo diuina natura aut persona possit venire in vllius rei compositionem, iuxta ea quæ tradidimus tomo 1.disp.1.q.3.p.8.) tamen secundùm aliam quandam communiorem & abstractiorem notionem, propriè quoque (vt explicabimus) significatam vocabulo Compositionis, dicẽdum est, Christi personam post hoc Mysterium esse *cõpositam*. PRIMO. Quoniam ita loquũtur antiqua Concilia. Sic enim legimus in V. Synodo generali (Constantinopolitana 2.) can.4. *Sancta Dei Ecclesia vnitionẽ secundùm compositionem confitetur, id est, secundùm subsistentiam.* Et in Concilio Lateranensi sub Martino I. can. 8. *Si quis nõ confitetur propriè & verè secundùm compositionem, id est, secundùm subsistentiam, naturarum vnitionem, ex quibus vnus & solus extitit Christus, sit condemnatus.* Et in Synodo VI. generali, act.4. *Confitemur Trinitatem personarum, &c. Item confitemur & Christum ex duabus naturis compositum.*

SECVNDO. Quoniam ita etiam loquuntur sancti Patres. S. DIONYSIVS cap.3. de Ecclesiastica Hierarchia, non longè à fine: *Vnum enim illud & simplex atque secretum Iesu diuini Verbi nostræ humanitatis assumptione, ad compositum atque visibile sine immutatione sui per summam clemẽtiam processit.* Et cap.1. de diuinis nominibus. *In vna personarum suarum infirma nostra, integrè verisimeq; suscepit* (Diuinitas) *ad seipsam reuocans atque restringens humilitatem nostram, ex qua ineffabiliter compositus est simplex Iesus, æternusq; temporales subiit metas.*

S. AVGVSTINVS lib.13. de Trinitat. cap.17. *Sic Deo coniũgi potuit humana natura, vt* Ex *duabus substantiis fieret vna persona, ac per hoc iam ex tribus, scilicet Deo, anima, & carne.* Quo modo loquendi Augustinus sine dubio compositionẽ reipsa significat. Atq; etiam tract. 78. in Ioannem, cùm ait: *Sicut enim vnus est homo, anima rationalis & caro, sic vnus est Christus Deus & homo: ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis, & caro.*

S. GREGORIVS homil. 38. in Euangelia: Ex *duabus quippe, atque in duabus hunc* (Christum) *naturis existere dicimus: sed ex duabus personis compositũ credi, vt nefas vitamus.* Vbi satis indicat, rectè illũ credi ex duabus quidem naturis compositum.

S. Ioannes DAMASCENVS lib.3.cap.4. *In Domino nostro Iesu Christo duas quidem naturas, at vnam duntaxat personam ex vtraque natura compositam agnoscimus.*

TERTIO idem probatur ratione. Nam si communissimam Vocis notionem spectemus, illud propriè COMPOSITVM dicimus, quod cùm sit aliquo modo vnum, constituitur tamen eius ratio & vnitas ex pluribus diuersis, quaten' diuersa sunt. Sed Christi persona, quatenus vna & eadem subsistit in vtraq; natura, cõstituitur ex diuersis, vt diuersa sunt. Ergo propriè dicetur cõposita. Minor patet. Maior declaratur. Quoniam hoc sonat compositio, vnitatem & distinctionẽ, ita, vt in re, quæ vna dicitur, diuersitas etiam rerum, ex quibus componatur, locum suum habeat.

Atq; huius defectu fit, vt essentiam diuinam, quatenus est vna, minimè dicere possimus compositam: Quoniam licet reipsa constet ex personis pluribus, à quibus non differt re; tamen quatenus vna est, non constituitur ex illis, vt sunt ad inuicẽ distinctæ, sed vt in ratione absoluta sunt *vnum*: atq; ita cùm in diuinæ essentiæ constitutione (vt ita dicam) non exerceatur multitudo, vt multitudo; nulla ibi existit propriè compositio. Secus autem habet se res in proposito: Nam constat persona Christi ex pluribus, vt sunt plura. Quare propriè est composita.

Sed OBIICIET aliquis PRIMO, quòd in Cõcilio Constantiensi act. 15. damnatus est artic. 4. Ioannis Huss, qui habet, *Christum esse naturam diuinam & humanam.* Quod tamen verè & propriè dici posse videtur, si Christus ex vtraque natura componitur. Nam omne compositum est reipsa componentia se: sicut totum est suæ partes. Maximè cùm nõ videatur Ioãnes Huss à natura diuina in illa propositione excluisse subsistẽtiam Verbi: atque ita videtur tantùm affirmasse de re composita, omnia illa, ex quibus componitur: quod rectè fieri potest, si Christus est compositus. Vel si id non rectè affirmauit Huss, negandum videtur, quòd Christus sit compositus.

RESPONDEO, illam propositionẽ esse damnatam propter sensum prauum, quo illam intelligebat Huss. Nam vt colligitur ex Thoma VValdensi lib.1.doctr. fid.art.3. cap.39. & 42. VViclephus, quem in ea re sequutus est Ioannes Huss, intelligebat, Christum esse naturam diuinam & humanam, non solùm *copulatim*, sed etiam *diuisiuè* & sigillatim, id est, esse non solùm vtramque, sed etiam quamlibet earum: Quod falsissimum est. Non enim Christi persona est humana natura sigillatim, cùm ab ea distinguatur.

Copulatim autem loquendo, si Christum sumamus, non planè materialiter, sed formaliter, vt ex humana & natura diuina constat; verissimum est, illum esse humanam & diuinam natu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ram,non excludendo tamẽ à diuina natura subsistentiam Verbi,ex qua itidem Christus constat. Immò VValdensis in illo cap.42. vsq; adeo id esse verum putat,vt affirmet,hanc esse fidem antiquam Ecclesiæ & Patrum, scilicet Christum esse *illa omnia simul*. Atque idem defendit Gregorius Ariminensis in 1.sent.d.28. q.2.ad 28.

Probatur aũt hoc manifestè auctoritate Sanctorum Patrum, qui ita & loquuntur & sentiũt. S.HILARIVS lib.9.de Trinitate,non admodum longè ab initio: *Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige: Dispensationem hominis in morte cognosce.Et cùm sint vtraque suis gesta naturis;vnum tamen Christum Iesum eum memento esse,qui* VTRVMQVE *est.*

S.AVGVSTINVS lib.1.de Trinitat.cap.7.*Quia forma Dei accepit formam serui;vtrumque Deus,& vtrumque homo: Sed vtrumque Deus propter accipientem Deum, vtrumque autem homo propter acceptum hominem.* Et tract.78. in Ioannem: *Agnoscamus geminam substantiam Christi; diuinam scilicet,qua æqualis est Patri;humanam,qua maior est Pater.Vtrũque autem simul,non duo,sed vnus est Christus.*

S.LEO epist.11.ad Iulianum Episcopum Coënsem: *Cur inconueniens aut impossibile videatur, vt Verbum & caro,& anima, vnus Iesus Christus, & vnus Dei hominisq; sit filius?*

Dixi autem, hæc omnia *simul* esse Christum, si sumamus Christum *nũ planè materialiter* pro supposito Verbi diuini secundùm se; sed *formaliter*, vt est Deus & homo (qua ratione dũtaxat Christus est quid compositum) quoniam ne copulatim quidem diceretur verè, quòd Verbum diuinum,sit humana & diuina natura.Hoc enim copulatum: *Diuina & humana natura*: ratione alterius partis (nempe humanæ naturæ) reipsa distinguitur à Verbo diuino; Et sic nequit vtrũq; huius copulati extremum affirmari de Christo.

SECVNDO obiiciet aliquis, quòd de ratione compositionis est imperfectio quædam componentium.Sed nec subsistentia Verbi, nec natura diuina, habet vllam imperfectionem. Ergo non propriè ex iis & natura humana componitur Christus.

RESPONDEO, Maiorem esse falsam,loquendo de abstracta & communi ratione cõpositionis, vt hîc loquimur. Sic enim de ratione compositionis solùm est, vt ex diuersis, tanquam ex diuersis,vnum aliquod componatur; vt rectè etiam indicauit D.Thomas hîc in responsione ad 2.Ipsa enim notio Vocabuli ostendit,ad compositionem sufficere, vt *plura* in *Vno* ponantur, ex quibus nimirum id constet; siue ea omnia sint imperfecta,siue aliquod eorum,siue illorum nihil.Nam neq; compositio numeri, præcisè vt est numeri, requirit imperfectionem (per defectũ scilicet alicuius rationis entitatiuæ *vnius per se*) vnitatum, ex quibus constat: secundùm quam rationem non malè dicit D. Thomas illic, compositionem hanc Christi esse instar compositionis numericæ. Vnde in diuinis est numerus ternarius personarum sine ipsarum imperfectione.

TERTIO obiiciet aliquis, hanc compositionem neque esse *partium*, cùm ratio partis habeat imperfectionem, quæ repugnat naturæ diuinæ; neq; etiam tantùm *numeri*, cùm hîc interueniat coniunctio substantialis; neq; esse *materiæ & formæ*; aut *subiecti & accidentis*; aut *actus & potentiæ*, aut vllam omnino alterius speciei ex his, quas propriè compositiones dicimus: proinde non esse verè & propriè compositionem.

RESPONDEO,hoc argumento solùm probari,quòd *in specie* quidem nulla omnino sit compositio per omnia huic similis. Nihilominus tamen quia cõmunissima notio nominis illi propriè conuenit; compositio dici debet. Quòd si quæras,qualisnam hæc compositio in specie sit? Rectè cum Caietano hîc artic.4.respondebitur, esse compositionem mirã & ineffabilem, quod attinet ad rationem suam propriam. Ac talem nimirum hanc compositionem esse censuit præclarè D. DIONYSIVS cap.1. de diuinis nominibus, cùm dixit, Iesum *ineffabiliter compositum*, vt suprà retulimus.

PVNCTVM QVINTVM.

Quid sit propriè & secundùm se illa Vnio humanæ naturæ & personæ diuini Verbi, atq; adeo duarum in Christo naturarum.

D.Thomas art.6.7.8.

HACTENVS disseruimus de Vnione humanæ naturæ, & personæ Verbi (atq; adeo duarum in Christo naturarum) ex parte *termini* huius Vnionis. Nunc disputandum est in hoc & sequentibus punctis, de *quidditate* huius ipsius *Vnionis*,& aliquot eius *circumstantiis*,vt persequamur ordinem differendi,quem nobis proposuimus initio puncti primi.

Explicandum est igitur, quid sit, seu quanam ex re constet coniunctio illa personæ diuinæ & naturæ humanæ,qua fit,vt persona diuina verissimè quoq; sit & dicatur homo.Atque vt illud,qp hoc loco est controuersum, ab eo, qp extra controuersiam est,distinguamus;notandũ est, *Vnionem* in hac materia tribus modis accipi solere. PRIMO, pro *relatione reali*, quæ est in natura humana ad Verbum diuinũ, quatenus ab eo pendet, seu quatenus ab illo ipsius dependentia hypostaticè terminatur.Cui relationi respondet in Verbo relatio *rationis* tãtùm: quoniam Verbum nihil reipsa à natura humana accipit,neque vllo modo mutatur; sed tantùm ratione ad eam refertur, quatenus intelligitur esse hypostaticus terminus illius. Hoc pacto D.Thomas de Vnione loquitur,quando hic artic.7. docet,vnionem

naturæ humanæ & personæ diuinæ esse aliquid *creatum* in humana natura: siue hæc relatio ponatur realiter distincta à natura humana, siue formaliter tantùm.

SECVNDO modo accipitur Vnio pro eo, *in quo* natura humana & natura diuina vniuntur in Christo,id est,pro ipsa *vnitate* personæ seu hypostasis diuinæ, in qua vtraq; natura coniungitur.Sic accipit S.Thomas hîc, cùm art. 2. docet, hanc vnionẽ(ex parte videlicet eius,*in quo* vtraq; natura coniungitur) maximè inter omnes alias vniones *excellere*: quoniam sic est aliquid *increatum*, nempè *vnitas diuinæ personæ*, coniungens vtramq; naturam. De qua excellẽtia huius Vnionis dicemus p.seq.

TERTIO accipitur pro ipsa coniunctione naturæ humanæ & diuinę personæ,qua *primò & per se* fit,vt persona diuina sit & verè dicatur homo, id est,pro coniunctione,quam formaliter & per se significat seu consignificat hæc Enunciatio; *Verbum est homo: Verbum caro factum est*. Ac de Vnione isto tertio modo accepta nunc quęrimus, quidnam propriè sit ipsa *secundùm se*.

Qua de re non omnes Doctores idem sentiũt. Nam Scotus,& Ockam,& Gabriel in 3.d.1.q.1.& alij plures,sicut Gabriel recitat, arbitrãtur, istiusmodi Vnionem omnino contineri aliquo *accidenti* realiter distincto à natura humana, & à Verbo, quod insit in humana natura, sitq; quasi *vinculum* nectens vtrumq; extremum.

Ratio autem illorũ præcipuè est talis. Si vnio hæc non aliqua re, atq; adeo *accidente*, ab vtroq; extremo *distincto*,contineretur; fieri non posset, vt Verbum diuinum humanam naturam,neque corruptam aut extinctam, neque secundùm locum mutatam, à se in aliquo temporis puncto dimitteret, cùm anteà illam habuisset sibi vnitam;neque etiam vt illam assumeret, cùm anteà non esset ipsi vnita. At vtrumq; istorum prorsus fieri potest,vt est in confesso apud omnes: Ergo necesse est, Vnionem illam in aliqua rę tertia, vt dictum est,constituere.

Sequela probatur: quoniam impossibile est, vt *contradictoria* sine alicuius rei mutatione, vel *simul*, vel *successiuè* verificentur. Sed si non constat Vnio illa in tertia illa re;contradictoria (scilicet, naturam humanam *esse*, & *non esse* Verbo *vnitam*) successiuè verificarẽtur sine vllius rei mutatione, admisso illo casu, quem omnes concedunt, nempe vt Verbum naturam humanam in se non mutatam, de nouo assumeret, vel dimitteret.Ergo vt hic casus sine contradictione concedi possit, necesse est, illam tertiam rem ponere; quæ scilicet intereat, cùm Verbum naturam humanam de nouo dimitteret; & producatur, cùm de nouo eam assumeret;vt sic per mutationem aliquam rei verificari sine contradictione possit, naturam esse Verbo vnitam, cùm anteà non fuisset; aut non manere vnitam, cùm anteà fuisset. Hoc, inquam, est fundamentum præcipuum,cur illi Doctores omnes existiment, hanc vnionem constare ex accidenti aliquo realiter à Verbo & natura humana distincto.

Porrò quidnam istud *rei* seu *accidentis* sit, non conuenit inter illos.Nam Ockam,Scotus,& Gabriel vbi suprà, putant, hoc accidens nihil aliud esse,quàm *relationem* in natura humana existentem,ad Verbum,tanquam ad terminum dependentiæ ipsius: Cuius relationis fundamentum non aiunt esse aliud, quàm naturam humanam ipsam. Quocirca & relationem hanc appellant *extrinsecus aduenientem*: quia scilicet posito suo fundamento, non necessariò ipsa ponitur; sed pro beneplacito Dei vnientis sibi naturam. Vnde apparet,Doctores istos inter acceptionem vnionis pro *coniunctione* naturæ humanæ cũ Verbo, qua *primò & per se* Verbum est homo, & pro *relatione humanæ naturæ* ad Verbum, tanquam ad suum terminum, reipsa non distinguere. Nam hac ipsa relatione censent coniunctionem illam contineri.

ALII autem, vt apud Gabrielem videre est, arbitrantnr, accidens illud, quod ponunt à natura distinctum,non esse relationem; sed *donum habituale*,gratuitum, absolutum, quod appellãt *gratiam vnionis*. Ratio autem eorũ est, quoniam propter alia argumenta, de quibus iam dictum non est, habent pro absurdo, vt aliqua res seu accidens distinctum, nullam aliam rationẽ habeat præter *respectiuam*.Quare cùm illud accidens Vnionis ponant isti distinctum esse à natura humana, & ab omni alia re absoluta; consequenter aiunt, illud non respectiuum, sed *absolutum* esse.

Mihi verò tum ex ratione ipsa communi *accidentis distincti* à natura, tum ex rationibus propriis *respectiui* vel *absoluti* accidentis, argumenta efficacissima sumi posse videntur contra omnes istos.Vnde & in eo,in quo conueniunt; & in eo, in quo discrepant, iudico valdè ipsos decipi.

Nam PRIMO res,qua propriè continetur illa Vnio, est *intrinseca* alicui *substantiæ primæ* (puta personæ Christi vt subsistenti in natura humana)constituitq; illam.At nullum accidens à substantia distinctum, est substantiæ intrinsecum. Ergo nullum accidens est illa res, qua Vnio istiusmodi continetur. Maior est perspicua: siquidem ne intelligi quidem potest *substantia prima*, id est,persona,quę in natura humana etiam subsistat, nisi vnita sint hypostaticè natura humana & talis persona. Minor quoque patet ex ratione *accidentis*, quæ est, vt *adueniat* substantiæ constitutæ,atq; adeo vt neq; sit Ens substantiale per se, neque constitutiuum talis Entis.

Confirmatur. Nam vt rectè Caietanus hîc artic. 10. ex doctrina D. Thomæ notat, quamuis hæc vnio sit miraculosa; tamẽ eius ratio non est absimilis Vnioni,qua coniunguntur in Creaturis personalitas & propria natura, cùm verissimè quoque ex personalitate diuini Verbi & na-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tura assumpta, constet *vnica prima substantia* seu hypostasis. At Vnio personalitatis creatæ & naturæ, nullo continentur accidente. Ergo neque ista Vnio.

SECVNDO. Nam quocunq; accidente in natura humana producto, fieri potest sine repugnantia, vt humana natura non subsistat neque terminetur hypostaticè per personalitatem diuini Verbi. At posita illa Vnione, istud fieri sine repugnantia nequit, vt patet. Ergo nullum accidens in natura humana productum, est id, quo propriè continetur illa Vnio. Maior probatur. Nam ꝙ natura humana terminetur hypostaticè à Verbo, non est aliquid, quod à Deo *producatur*, & *fiat* tanquam à caussa efficiente; sed est, pendere naturam humanam à personalitate Verbi, peculiari quodam modo, tanquam à subsstantiali *termino*, quod non est propriè *effectus* caussæ efficientis, vt posteà dicemus. Alioqui cùm actiones diuinæ in creaturas, sint (vt loquuntur Theologi) *indiuisæ*, hoc est, communes omnibus diuinis personis; omnes tres personæ terminarent hypostaticè naturam humanam, quod est erroneũ. Itaq; posito, quòd non sit aliquis *effectus productus*, hoc, quod est, naturam humanam hypostaticè *terminari* à Verbo; consequitur, id sine repugnãtia posse separari ab omni eo, quod propriè à Deo producitur, tanquam à caussa efficiente; & consequenter ab omni accidente, in natura humana producto, & ab ea realiter distincto, vt in Maiore illa sumpsimus. Si enim id non est aliquid propriè *productum*, minimè erit aliquid de essentia eius, quod propriè producitur.

Confirmatur. Nam cùm Deus liberè prorsus operetur erga Creaturas; non videtur necessitate aliqua astringi, vt si aliquid *producit* in humana natura, debeat etiam naturam humanam hypostaticè *terminare*; cùm hoc sit longè diuersum ab illo.

TERTIO. Nam videtur absurdum ponere aliquod huiusmodi accidens vsq; adeo mirabile, vt si aliqua natura illud habeat, continuò sit hypostaticè vnita personæ diuinæ. Quod si nõ hoc fit præcisè per ipsam vim atq; essentiam talis accidentis; sed aliquid *aliud* ibi diuinitus interuenit; hoc esset explicandũ ab his authoribus: qui fortasse inuenirent, illud *aliud* esse eiusmodi, quod sine vllo accidente per se sufficeret ad Vnionem.

QVARTO contra eos propriè, qui illud accidens ponunt esse *respectiuum*, est argumentum. Nam illa Vnio per enunciationẽ, qua dicimus, Verbum esse hominem, significatur, aut certè consignificatur. Sed per enunciationẽ hanc nulla significatur, vel cõsignificatur *relatio realis* distincta à natura & à Verbo. Ergo Vnio illa minimè est aliqua relatio. Maior patet. Minor probatur. Quoniam hæc enunciatio, *Verbum est homo*, est prorsus *absoluta*, significans *subsstantiam* Verbi diuini & humanæ naturæ, vt vtraq; est coniuncta *subsstantialiter*.

ACCEDIT, quòd nunquam satis aut intelligitur aut explicatur, quemadmodum illa *relatio*, quam isti ponunt, habeat fundamentum in sola humana natura; cum qua tamen, vt iidem aiunt, non est necessariò connexa. Nam si ea relatio nõ consequitur necessariò ex natura humana; non videtur assignari posse sufficiens ratio, cur, quãdo est in humana natura, sit tota eius ratio *respectiua ad aliud*; quãdoquidem natura humana potest esse, & tamen non sequi talis respectus. Vnde meritò solet explodi opinio illa de relatione extrinsecus adueniente.

QVINTO peculiariter etiam contra eos, qui ponunt Vnionem illam esse accidens *absolutum*, bene argumentantur Occam & Gabriel vbi suprà, ex eo, quòd posito quocunq; *absoluto*, posset Verbum diuinum naturam humanam non terminare. Nõ enim ad id cogitur propterea, quòd *absolutum* aliquid produxit, cùm illud sit quiddam aliud distinctum, liberè à Deo productum.

Quanquam, vt anteà sumus contra Occamũ etiam argumentati, pari ratione probatur, neq; contineri vnionem illam aliquo accidente *respectiuo*. Nam extra huius etiã essentiam est terminatio illa hypostatica naturæ humanæ per Verbum, cùm tale etiam accidens respectiuum sit quidam Dei *effectus*; terminatio autem illa non item.

Neq; obstat, quòd *relatio* hæc definitur saltem per Verbum, vt eam terminans, tãquam per suũ *correlatiuum*. Primùm enim non est hoc reipsa verum. Nam est relatio realis *non mutua*, cùm ei nõ respondeat relatio aliqua *realis* in Verbo; sed relatio *rationis*, quæ est posterior, quàm illa realis relatio naturæ humanæ ad ipsum Verbum.

Deinde non est planè impossibile, vt essentia & ratio alicuius respectiui cõsistat sine suo *actuali termino*, modò terminus sit absolutè *possibilis*. Nam vt potentia visiua v. g. posset conseruari etiam eò tempore, quo nullus esset *actu* color, tametsi per colorem definiatur: Ita quoque, licet relatio illa humanæ naturæ definiretur per Verbum hypostaticè terminans, tanquam per correlatiuum; tamen posset ipsa sine repugnantia produci, etiamsi Verbum non *actu* terminaret naturam hypostaticè.

Ac impertinens est differentia, quæ posset hîc assignari inter relationem *secundùm esse*, qualis esset illa vnionis; & relationem *secũdùm dici*, qualis est potentia visiua. Etsi enim relatio secũdùm esse, & relatio secundùm dici differant, tamen vtriq; est commune, vt per aliquid *extrinsecum* definiatur, ad illudq; illarum essentia habeat ordinem. Quare si hoc non obstante potest potentia, & aliæ relationes *secundùm dici* consistere sine actuali existentia extrinseci sui termini; etiam poterunt per potentiam Dei absolutam relationes *secundùm esse*.

VERIOR est igitur sententia eorũ, qui VNIONEM illam censent nihil aliud esse, quàm humanam

nam naturam & personam Verbi, non quomodocũque, sed vt natura humana dependet à personalitate Verbi, tanquã à termino subsstantiali, qui sua perfectione suppleat vim suppositalem personalitatis creatæ, iuxta ea, quæ dicemus infrà q. 4. cùm agemus de differẽtia personæ & naturæ. Ita sentit Gregorius Ariminensis in 1. sent. d. 28. q. 2. ad 17. argumentum & sequentia. Item Caietan. hîc art. 8. & apertius art. 10. Vbi S. Thomas id ipsum non obscurè docet, præsertim ad tertium argumentum, cùm ait; Vnionem istam factam esse *non per vllum habituale donum gratiæ; sed per subsistentiam personalem*. Quibus verbis significauit, se à ratione huius Vnionis non tantummodò excludere donum gratiæ *absolutum*, verùm etiam *respectiuum*. Maximè cùm doceat in eo articulo, hanc vnionem factam esse per gratiam, gratia solùm accepta pro *beneplacito Dei*, qui gratis voluerit naturam humanã ad hypostasim diuini Verbi assumere; nõ autem per gratiam, quæ sit aliquod donum in natura coniungens ipsam hypostaticè Verbo. Idem quoq; satis apertè indicat art. 6. cùm tradit, vnionem hanc nullo modo esse *accidentalem*, sed *subsstantialem*.

Porrò hæc Vnio *fundamentum* est proximum illius relationis realis, quam superius diximus sine controuersia esse in humana natura ad Verbum. Atq; etiã hæc ipsa Vnio est *terminus* assumptionis humanæ naturæ ad Verbum. Qui terminus, vt rectè notauit Caietanus hîc artic. 8. ad 5. dubium, non est aliquid respectiuum, sed *absolutum subsstantiale*: Neq; est Verbum tãtùm, aut humana natura tantùm, sed hoc quod est, *Verbũ esse hominem*, per illam videlicet Vnionem.

Etsi autem de hac Vnione hæc omnia verè à nobis intelligantur enuncienturque, videlicet per eam Verbum *terminare* dependẽtiam humanæ naturæ, & esse eã terminũ *assumptionis, &c.* tamen verisimè nihilominus à Gregorio Arimineñsi vbi suprà notatum est, eam in hac vita *incomprehensibilem* esse, id est, minimè illius ratione posse penitus percipi. Quod ipsum Magister sententiarum lib. 3. d. 2. putat à Ioanne Baptista mysticè significatũ esse illis verbis, & confessione de Christo: *Cuius non sum*, inquit, *dignus soluere corrigiam calceamenti*, id est, non possum intelligere & explicare vinculũ Vnionis, quo Verbum diuinum induit humanitatem tanquã calciamentum. De qua etiam S. GREGORIVS interpretatur illud Psalmi 107. *In Idumæam extendam calceamentum meum*. Verùm satis nobis est, si de huiusmodi Vnione tantùm intelligamus, vt possimus secundùm suprà dicta respondere ad argumenta, quæ contrà ipsam fiunt.

QVARE ad rationem illam communem eorum, qui putauerunt, hanc Vnionem contineri. re aliqua distincta ab humana natura & à Verbo, *absoluta*, vel *respectiua*, dicendum est, posse in proposito, licet eiusmodi rem distinctam nõ admittamus, mutationem aliquam assignari, ratione cuius sine repugnantia verè intelligi & affirmari possit, naturam humanam vno tempore *esse* Verbo vnitam, & alio *non esse*, si Verbũ de nouo illam vel assumeret, vel dimitteret, in casu illo argumenti. Qualis autem mutatio hæc sit, nõ est ad declarandum facile. Nam Gregorius Ariminensis vbi suprà dicit, in eo consistere, quòd Verbum diuinum *esset Christus seu homo*, quando naturam humanam sibi vniret; cùm autem eam dimitteret, *non esset Christo seu homo*.

SED responsio ista minimè dissoluit argumẽtum. Eadem enim quæstio est de istis etiam enũciationibus contradictoriis: *Verbum est homo seu Christus: Verbum non est homo*. Quæram enim similiter, per cuiusnam rei mutationem fieri possit, vt diuersis temporibus sine repugnantia verificentur hæ contradictoriæ.

ALITER ergò respondeo, mutationem hanc existere ex mutatione *temporis*, quæ redundat in mutationem humanæ naturæ, non quidem absolutè & materialiter consideratæ; sed formaliter *vt existens est*, qua ratione terminatur eius dependentia à Verbo. Atque huius prima ratio & fundamentum est: Quoniam *existentia* cuiuscũque rei creatæ atq; adeo etiam humanæ naturæ, habet intrinsecum ordinem ad tempus. Vt enim tomo 1. disp. 1. q. 3. p. 4. docuimus, hoc ipso dicitur res existere, quòd de illa verificatur verbum EST præsentis temporis; siue pro *præsenti*, si dicãrem *nunc existere*; siue *de præterito*, si dicam rem *extitisse*; atq; adeo de illa tũc verificatum fuisse verbum Est; siue *de futuro*, si dicam rem *exituram*; atque adeo de illa verbũ Est verificatum iri. Hinc enim fit, vt pro diuersitate temporis, quo res existit; aliter & aliter se res habeat (atq; adeo mutetur) in sua existentia secũdùm peculiare illud genus accidentis, quod Aristoteles in Prædicamentis appellat *Quando*. Itaq; iuxta hanc mutationem humanæ naturæ, prout in diuersis temporibus existit, posset diuinũ Verbum illam pro vno tempore sibi vnire hypostaticè, & pro alio dimittere, & sibi non vnire: si nimirum ab æterno Deus voluisset, illam, vt vno tempore existẽtem, dependere personaliter à subsistentia diuini Verbi, & pro alio non item.

Porrò ex dictis intelligitur PRIMO, verisimũ esse, quod docet D. Thomas artic. 8. Vnionem in proposito non esse idem, quod *assumptionem*; sed esse *terminum* assumptionis, vt anteà dictum est. Quod verisimum est, quocũq; modo ex tribus suprà dictis accipiatur Vnio, scilicet vel pro *relatione* dependentiæ naturæ humanæ à Verbo, vel pro personæ *vnitate*, in qua vtraq; natura vnitur; vel pro ipsa *coniunctione subsstantiali* secundùm dependentiam humanitatis à Verbo, vt à termino personali.

Nam vt q. 1. p. 2. in responsione ad argumentũ sextum explicaui, tria complectimur vocabulo *assumptionis*: nempè tum *actionem* productiuã humanitatis & attractiuam eius ad Verbum (quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

actio omnibus diuinis perſonis communis eſt) tum productionem *paſsiuam* humanitatis (quæ propria eſt ipſius) tum *terminationem* ſuppoſitalem eius, quæ propria eſt Verbi, quod proinde ſolum aſſumit. Omnium autem trium terminus eſt Vnio, quocunq; modo ex illis accipiatur, vt conſideranti conſtabit: niſi quod accepta ſecundo & tertio modo, ſcilicet pro *vnitate* perſonæ, & pro ſubſtantiali illa *coniunctione*, eſt terminus aſſumptionis immediatus; accepta autem primo modo, ſcilicet pro *relatione*, non niſi mediatus, cùm hæc ſit quiddam conſequēs ex vnitate perſonæ Chriſti, & coniunctione duarum in illo naturarum.

SECVNDO ex dictis intelligitur, ſicut Chriſtus, vt eſt ſimul Deus & homo, eſt quoddam ſingulare Ens, conſtans patim ex re *increata*, & partim ex *creata*: ita etiam illam Vnionem, prout eſt coniunctio ſubſtantialis naturæ humanæ *creatæ*, & diuini Verbi *increati*; atq; adeo vt eſt ſimul tū *Verbum*, vt naturam humanam perſonaliter terminans, tum *natura humana*, vt à Verbo perſonaliter pendens. Neq; hoc magis debet videri mirum, quàm ipſum Incarnationis Myſterium, ꝙ eſt nimirum valdè *ſingulare*.

PVNCTVM SEXTVM.

An hæc Vnio duarum in Chriſto naturarum, ſit omnium maxima.

D. Thomas art. 9.

NON eſt dubium, quin hæc *Vnio*, ex parte quidē *ſubſiſtentiæ* diuini Verbi, communicatæ per eam naturæ humanæ, ſit quiddam ſummum & præſtantiſsimum, cùm ſimpliciter infinita res ſit illa ſubſiſtentia. Sed vt intelligatur magis, quanta fuerit hæc Vnio non tantū ex parte *rei* (ſcilicet ſubſiſtentiæ diuinæ) quæ naturæ humanæ cōmunicata eſt, ſed etiam ex parte *coniunctionis*, per quam ipſi eſt communicata; QVÆSTIO à ſancto Thoma hîc & ab aliis Doctoribus mouetur, an hæc Vnio naturæ diuinæ & humanæ in perſona Verbi ſit omnium maxima & arctiſsima poſt vnionem diuinarum perſonarum in eadem eſſentia. Et B. Thomas maximam eſſe ſentit, non præcisè ex parte *rerum coniunctarum*; ſed ratione eius, *in quo* vniuntur, nempe eiuſdem *ſubſiſtentiæ* Verbi diuini, quæ eſt res *ſimpliciſsima* atque adeo maximè *vna*.

Hoc, quod à D. Thoma obſcurè dictum eſt, ita intelligi debet. Si conſideremus tantùm, naturā humanam & diuinam in Chriſto ſic ſe habere, vt humana perficiatur hypoſtaticè ſecundariò per diuinam (quatenus hæc eſt idem re cum ſubſiſtentia Verbi, à qua primariò humanitas hypoſtaticè perficitur) ſintque per eam habitudinem *coniunctæ*; nondum intelligi à nobis eo ipſo earū vnionem ſeu coniunctionem eſſe maximam. Si verò ſimul conſideremus, eiuſmodi habitudine vtriuſq; naturæ fieri, vt ambæ cōmunicent ſubſtantialiter *eadē ſubſiſtentia* Verbi diuini; tum demum apparere, earum vnionem eſſe maximam poſt vnionem diuinarum perſonarum in eſſentia diuina: quoniam habent vinculum arctiſsimum, & maximè *vnum*.

Huic ſententiæ D. Thomæ ſuffragantur Bernardus lib. 5. de conſid. ad Eugenium, & S. Cyrillus Alexandrinus, in Scholiis de Incarnatione cap. 7. vbi *inæſtimabilem* appellat hanc vnionem, diſſerens de illa, vt eſt coniūctio & *adunatio* quædam, & alij Patres apud Euthymiū in ſua Panoplia tit. 7. qui omnino indicant, vnionem hanc poſt vnionem Trinitatis eſſe ſummam.

Durādus autem in 3. ſentent. d. 5. q. 3. concedit quidem, vnionem hanc eſſe maximam *dignitate* & præſtantia; negat tamen eſſe maximam *formaliter* ſecūdùm rationem *vnionis*. Atq; ita Bernardū & alios interpretatur, *materialiter* tātùm eſſe locutos, ratione ſcilicet dignitatis & præſtantiæ.

Verùm Caietanus hîc art. 9. in Durandum inuehitur, dicitq; vilificari ab ipſo ſentētiam Bernardi & aliorum Patrum, qui non materialiter, ſed maximè formaliter ſint locuti. Alioqui non dixiſſent (inquit Caietanus) hanc vnionem eſſe maximam poſt vnionem SS. Trinitatis. Nam *dignitate* nō eſt hæc Vnio illâ inferior, ſicut nec natura diuina, aut perſona filij eſt vllo modo inferior tota Trinitate.

Ego vnionem hanc maximam eſſe poſt vnionem SS. Trinitatis, *etiam formaliter*, exiſtimo, atq; ita S. Thomam, Bernardum, & alios Patres intelligendos puto. Quanquam ratio Caietani non videtur mihi conuincere. Diceret enim Durandus, vnionē SS. Trinitatis eſſe ex Patrū ſententia hac vnione dignioré, ſi conſideretur vtraq; vnio ſecundū *quamlibet* rem vnitā, atq; adeo ex omni parte: Quoniā ex rebus, quæ hac vnione coniūctæ ſunt, vna res eſt humanitas, quæ longè eſt inferior pſonis diuinis, ex quibus ſolis conſtat illa Trinitatis vnio. Formaliter ergo ſententiā illam D. Thomę, Bernardi, & aliorū accipio cōtra Durandū ꝓptereà, quoniā formaliter eſt etiā vera.

Quod ex ratione Vnionis ſic declaratur & ꝓbatur. Illæ res magis vniuntur, quæ magis accedunt ad indiuiſionem & indiſtinctionem. Sed ſi conſiderentur natura diuina & humana in Chriſto, non tantū vt humana per diuinā perficitur, ſed etiā vt ob id cōmunicant *eadē ſubſiſtentia* Verbi diuini, maximè poſt diuinas perſonas (vt cōueniunt in eſſentia) accedunt ad indiuiſionē & indiſtinctionē. Ergo maximè poſt diuinas perſonas vniūtur. Maior probatur. Quoniam ratio Vnionis ex ratione *Vnius* peti & formari debet. Ratio aūt *Vnius* eſt ratio *indiuiſi & indiſtincti*. Minor etiā probatur. Quoniam illę res maximè accedunt ad indiuiſionē & indiſtinctionē, quæ ſalua differentia ipſarū, maiorē habēt & arctiorem

ad inui-

ad inuicem ordinē & habitudinē. Sed natura diuina & humana, conſideratæ vt cōmunicant *eadē ſubſiſtentia* Verbi diuini, ſalua differentia ipſarum, maximam & arctiſsimam habitudinem ad inuicē habent, poſt diuinas perſonas. Ergo, &c.

Maior & Minor huius Syllogiſmi rurſus probantur. Maior quidē: Quoniā q̄ arctiorē habitudinē ad inuicem habent, minus intelliguntur vt ſic, tanquā diuerſa; ſiquidē eadem notitia & cōceptu ad inuicem comparantur & ſimul intelliguntur: ſicut illud etiam, quod omnino eſt vnū, intelligitur vnā notitia & ſimul. Hinc enim fit, vt *materia* & *forma*, quatenus habēt ad inuicem *ſubſtantialem* habitudinē actus & potentię, magis ad indiuiſionem accedant, magiſq; ideo vnitæ cenſeantur, quàm *accidens* & *ſubiectum*; vel quàm duę vnitates eiuſdē *numeri*. Quia eſt maior & arctior *ſubſtātialis* illa habitudo materiæ & formæ ad inuicem, quàm aliæ habitudines *accidentales*.

Minor verò probatur. Quoniā natura diuina & humana, quatenus *ſubſtantialiter* communicāt *eadē perſona & ſubſiſtentia* Verbi, habēt ad inuicem habitudinē per aliquid, quod eſt ſimpliciſsimū & maximè vnū, ſcilicet per Verbi ſubſiſtentiam, vt ꝓbat D. Thomas. Atq; ita ex hac parte arctiſsima eſt ipſarum habitudo. Secus verò, ſi præcisè conſiderarentur, vt humana p diuinā perficitur, non cogitādo ſimul, quod inde fit, vt communicent *eadem* ſubſiſtentia & perſona diuini Verbi. Sic enim maior intelligitur eſſe vnio materiæ & formæ v.g. quoniam arctior habitudo eſt ea, per quam aliud ab altero perficitur, tanquam *potentia* à ſuo *actu & forma*, quàm illa, per quam vnum intelligitur perfici ab altero hypoſtaticè; & ne ſic quidē, niſi *ſecūdariò*, ſicut humana natura perficitur à diuina, quatenus diuina reipſa eſt idem cum ſubſiſtentia Verbi, vt q. ſeq. declarabitur.

Ex quibus nōn modò doctrina D. Thomæ intelligitur & confirmatur, ſed etiam patet, quid reſpondendū ſit argumēto Durādi, & aliis, quæ fieri poſſunt contra D. Thomæ ſententiam. DVRANDVS quidē ſic obiicit. Illa ſunt magis vnita, quæ *intimius* coniunguntur. Sed materia & forma intimius coniunguntur, quàm vtraq; natura in Chriſto. Ergo. Minorē probat dupliciter. *Primò*. Quia ex materia & forma conſtituitur non tantùm vnica perſona, ſed etiam vnica *natura*: ex vtraq; autem natura in Chriſto nō niſi vnica perſona. *Secundò*. Quoniam ſeparata forma non poteſt materia p ſe naturaliter conſiſtere, niſi mutetur per aduentum alterius formæ, quod eſt argumento, eam maximè cum forma vniri.

SECVNDO facit etiam Caietanus hîc ar. 9. argumentum contra S. Thomā, quod fauet Durādo. Nam ſi propterea natura diuina & humana in Chriſto maximè vniuntur, quia communicāt ea re, quæ eſt ſimpliciſsima, ſcilicet ſubſiſtentia Verbi; pari ratione ſequeretur, res oēs Vniuerſi eſſe maximè vnitas. Quoniam cōmunicāt ea re, quæ eſt ſimpliciſsima, nempe Deo, tanquā principio & fine ſuo vltimo. Item ſequeretur, accidētia quoq; humanæ naturæ in Chriſto ſummè vnita eſſe: quoniam ſecundariò, ratione ſcilicet naturæ, in qua inſunt, communicant eadē Chriſti perſona, quæ eſt ſimpliciſsima.

Ad PRIMVM argumentū (quod eſt Durandi) reſpondetur, falſam eſſe Minorē. Ad *primam* eius probationē dico, ea ratione ſolùm effici, quòd materia & forma *pluribus modis* vniantur, quandoquidem ex illis conſtituitur nō tantùm *vnica perſona* ſeu ſuppoſitū, verùm etiam *natura vnica*; non autē quòd *magis* vniantur, quàm natura diuina & humana in Chriſto. Nam vt rectè Caietanus inquit, maior eſt *intenſiuè* vnio earū rerum, quæ coniungūtur in vna pſona diuina & ſimpliciſsima, quàm earum rerum, quæ vniuntur in vna natura & in vna perſona creata & compoſita, tametſi hæc vnio maior ſit *extenſiuè*.

Deinde iam conceſsimus, vnionē materiæ & formę etiam *intenſiuè* eſſe arctiorem, quàm vnionem naturæ diuinæ & humanæ, ſi conſiderentur iſtæ naturæ præcisè, vt humana per diuinā perficitur: non autem ſi conſideretur, vt communicant eadem perſona *ſimpliciſsima*, atq; adeo vt ſeſe mutuò reſpiciunt, & ad ſe referūtur per iſtam quoq; vnitatem *ſimpliciſsimam* perſonæ diuinæ, quæ vtramque naturam nectit.

Cur autem minor ſit hæc vnio, ſi conſideretur præcisè vt natura humana per diuinam perficitur, quàm vnio materiæ & formæ, ratio nō eſt illa, quam falsò reddidit Caietanus q. 2. art. 9. ſcilicet quia ſic natura humana comparatur & cōiungitur cum natura diuina tantummodò vt *inſtrumentum* eius. Falſum eſt hoc: Nam habet etiā ſubſtantialem habitudinē ad illam, ab eáque, vt ſuprà diximus, *ſecundariò* perficitur hypoſtaticè. Sed ratio illius eſt: Quoniam hæc ipſa ſubſtātialis habitudo naturæ humanæ ad naturam diuinam, ſi nihil aliud conſideretur, minùs arcta eſt, quàm illa materiæ & formæ, ſicut ſuprà dixi.

Ad *Secundam* probationem Durandi reſpondetur, parem eſſe vtrobiq; rationem. Nam neq; natura humana, ſi à pſona Chriſti dimitteretur, poteſt naturaliter conſiſtere abſq; alia mutatione: fluereteenim ab illa, & in illa, creata perſonalitas, niſi miraculosè abſq; omni perſonalitate conſeruaretur diuinitùs. Præterea dico, nōn eſſe illud ſufficiens indicium arctiſsimæ coniūctionis. Multùm enim in propoſito præponderat, ꝙ natura humana & diuina in Chriſto reſpiciunt ſe etiam, atq; adeo coniunguntur per vnitatem perſonæ diuinæ, quæ eſt *ſimpliciſsima*.

Ad SECVNDVM argumētum (quod eſt Caietani) reſpondeo, minimè illa ſequi. Nam in propoſito magnitudinem vnionis naturæ diuinæ & humanæ oſtendimus ex duplici capite, ſcilicet quia & habitudinē *ſubſtantialem* ad inuicem habent, & ſecundùm eam habitudinem mutuò ſe reſpiciunt per vnitatē *infinitè ſimplicem*. In vnione autem rerum omnium cum Deo, tanquam cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

principio & fine, atq; etiam in vnione accidentium Christi, deest saltem *alterum*, scilicet quòd non communicant ista eadem re simplicissima per habitudinem *substantialem* ad illam, sed per *accidentalem*, siue cuiusdam tantùm *ordinis*, vt patet.

Hinc PRIMO intelligitur, quæ sit ratio, cur vnio diuinarum personarũ in eadem essentia sit adhuc maior, quã vnio vtriusq; naturæ in Christo. Nimirum hoc fit ex parte habitudinis ad id, in quo extrema communicant. Nam licet vtrobiq; sit habitudo substantialis; tamen in vnione diuinarum personarum est eiusmodi habitudo, vt quodlibet extremum illius vnionis sit *idem re* cum medio, id est, quælibet persona cum essentia diuina. In proposito autem non est habitudo talis: quoniam humana natura, quæ est vnum vnionis extremum, non est idem re cum medio, scilicet cum persona Verbi.

SECVNDO intelligitur, maiorem esse hanc vnionem, quàm vnionem beatorum cum Deo, quæ est per visionem & fruitionem beatificam. Nam in proposito est habitudo extremorũ *substantialis*: In illa verò vnione beatifica non item, sed *accidentalis*, cùm consistat in operatione.

DVBIVM autem mouetur à Scoto in 3. d. 6. q. 1. vtra vnio sit maior, beatifica ne, an illa, quæ considerari potest inter naturam humanam & Verbum diuinum per *operationem* etiam & actum secundum, quatenus scilicet Verbum diuinum est principium *Quod* operationum humanarũ, quæ fiunt per humanitatem Christi, vt per principiũ *Quo*.

Et Scotus quidem putat, beatificam esse maiorem, quàm hanc hypostaticam in actu secundo: Quoniam est nobilior operatio *beatifica*, quã quælibet alia operatio humana Christi. Et verè sentit in hoc, si comparemus vnionem illam humanitatis cum Verbo præcisè tantùm, vt ea vnio consistit in *operatione* vtriq; communi. Si verò ibi etiam consideretur causa, cur ea operatio humanitatis Verbo communis sit, scilicet vnio hypostatica in *actu primo*; omnino excedit ista vnio vnionem beatificam ex hac parte, quatenus scilicet habet pro principio coniunctionem arctissimam cum Deo, scilicet *hypostaticam*.

PVNCTVM SEPTIMVM.

An hæc Vnio duarum naturarum fuerit homini Christo naturalis, vel sòlùm gratuita.

D. Thomas art. 10. & 12.

VERÈ docet D. Thomas art. 12. Vnionem hanc non solùm esse maximam, vt p. præcedenti declaratum est; sed etiam fuisse homini Christo *naturalem*; non vt *naturale* dicitur, q̃ vel est intrinsecum naturæ rei, vel ex natura rei necessariò consequitur (neutro enim modo Vnio hæc fuit Christo naturalis, ratione naturæ vel diuinæ, vel humanæ) sed vt naturale etiam dici solet illud, quod à *natiuitate*, atq; adeo à primordio rei, ipsi inest. Quo pacto dixit etiã Apostolus ad Ephes. 2. nos fuisse *naturâ filios iræ*, id est, à natiuitate originali peccato infectos. Sic fuisse homini Christo gratiam Vnionis naturalem, manifestũ est ex eo, quòd minimè fuit vnquam ante hanc Vnionem Christus *formaliter*, id est, Deus & homo; quod q. 1. p. 1. diximus formaliter significari nomine Christi. Itaq; humanitati Christi à suo primordio, atq; adeo naturaliter isto modo, contigit hæc Vnio, & consequenter ipsi Christo formaliter, ratione suę humanitatis.

Quin etiam dici potest hæc Vnio intrinsecè naturalis esse Christo, si Christus consideretur non iam præcisè ratione alterutrius naturæ suę, scilicet diuinæ vel humanæ; sed *totaliter & adæquatè*, vt Christus formaliter est quędam res *composita*, quæ *intrinsecè vt talis* constat ex duabus his naturis inuicem vnitis. Nam sicut homo v. g. est res quædam constans intrinsecè ex corpore & anima vnitis, & proinde vnio animæ & corporis est homini intrinsecè naturalis: ita etiam Christus formaliter est res quædam intrinsecè constans ex naturis diuina & humana vnitis, ac proinde intrinsecè naturalis est illi harum naturarum vnio, si is consideretur formaliter, vti diximus. Verissimè enim D. ATHANASIVS: *Sicut anima rationalis* (inquit) *& corpus vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus.*

Cæterùm D. Thomas cùm dixit, Vnionẽ hanc non esse homini Christo naturalem, nisi prout naturale dicitur, quod conuenit rei ab eius primordio & *natiuitate*, de Christo est locutus, considerando in illo solùm naturam humanam. Atque hoc pacto etiam considerãdo Christum hominem, verissimè dici solet, hanc *Vnionem* fuisse in Christo quandã *gratiam singularem*, quã Theologi vocant *Gratiam vnionis*. Etenim gratia quædam humanæ Christi naturæ fuit, quòd fuerit hypostaticè vnita cũ natura diuina, iuxta illud S. AVGVSTINI lib. 13. de Trinitate cap. 19. *In rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quòd homo in vnitate personæ coniunctus est Deo.* Neque obstat, quòd diximus esse hanc Vnionem Christo *naturalem*, vt naturale dicitur, quod conuenit rei ab eius primordio. Nam simul etiam *gratuita* esse potuit. Quemadmodum Iustitia Originalis v. g. fuit verè quoddam donum gratuitum in Adamo, licet ei fuerit datũ in sui primordio, ac proinde potuerit eatenus dici, fuisse ei naturale.

Atq; in hoc quidem sensu verè dici potest hæc Vnio facta *per gratiam*, vt scilicet hoc, q̃ dicimus *per gratiã*, solùm significet, gratis & supernaturaliter eã esse factã; non aũt, fuisse naturã humanã *mediante* aliquo dono gratuito vnitã naturæ diuinæ. Nõ enim est illi vnita mediãte vllo accidẽte, sed per se & immediatè & substãtialiter, vt patet ex dictis p. 5. & ex doctrina D. Thomæ. art. 10.

PVNCTVM OCTAVVM.

An ob cuiusquam meritum facta fuerit hæc Vnio.

D. Thomas art. 11.

VAERI primũ potest, an ipse CHRISTVS hanc Vnionẽ sit meritus. Deinde, an saltẽ eã meriti sint Patres veteris testamẽti, atq; adeo etiam B. Virgo. Et quod attinet ad ipsum Christũ, ASSERTIO est verissima D. Thomæ hic & aliorũ Theologorũ, illũ nullo modo hanc vnionẽ meruisse: Vt etiã asseruit AVGVSTINVS libro de prædest. Sanctorũ cap. 15. & in Enchir. cap. 36.

Quæ assertio perspicua ratione ꝓbari potest. Nam necesse est, vt meritũ omne aliunde habeat perfectionẽ, atq; adeo valorẽ suũ, quàm ex ipso præmio. At vniuersæ Christi actiones vim & perfectionẽ suã habuerunt ex hac *Vnione*. Ergo nulla Christus operatione propria meritus est sibi gratiã Vnionis. Maiorẽ fusè confirmauimus tomo 2. disp. 1. q. 1. ex eo, quòd ad merti rationẽ spectat, vt per præmium *cõpensetur*. Inde enim fit, vt illud neutiquã ex præmio bonitatẽ ac valorẽ suum habere possit. Nam tunc præmium ipsum, siue præmij vis compensaretur eo ipso præmio, quod non rectè intelligitur. Minor autẽ est manifesta ex superioribus. Nam vt Christi humanitas nullo momento extitit, nisi diuino Verbo vnita, ab eoq; sustentãta; ita nunquã aliquid operata est, nisi ex vi etiam *vnionis* cum Verbo.

Indicauit huius argumentationis vim S. AVGVSTINVS in Enchirid. cap. 36. illis verbis: *Quæ bona voluntas, cuius boni propositi studium, quæ bona opera præcessere, quibus mereretur iste homo, vt vna fieret persona cum Deo? Nunquid anteà fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitũ est, vt singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse cæpit, non aliud cæpit esse, quàm Dei filius.*

Itaq; meritò propter hãc verissimã rationem in V. Synodo damnatus est error Origenis lib. 2. periar. cap. 6. scilicet animã Christi antecessisse mysteriũ Incarnationis, illudq; adeo fuisse promeritã. Et vt D. Thom. hic notat, ꝓptereà quoque Photinus, Nestorius, & alij, qui Christũ purum hominẽ fuisse existimarunt, errauere, quia censuerunt, illum suis operationibus à Deo meruisse illã qualemcunq; vnionẽ ipsius cum Deo, in qua iidem hæretici (diuersis licet modis pro differentia suorũ errorũ) constituebant mysteriũ incarnationis. Ita n. intelligi debet D. Thomas. Nõ enim voluit simpliciter Photino asscribere, quòd putauerit, humanitatẽ Christi *proprio merito* fuisse vnitã *substantialiter & hypostaticè* personæ diuinæ: nam nõ hoc censuit ille hæreticus.

NOTANDVM verò diligẽter est illud, in quo vim rationis nostræ posuimus. Vt enim Christũ gratiã vnionis promeritũ non esse concluderemus, minimè assumpsimus, q̃ nulla illius opera antecesserint *tẽpore* ipsam incarnationẽ; sed q̃ omnia eius opera fuerint facta *ex vi* ipsius incarnationis & vnionis tanquã effectus illius. Hinc enim rectè sequitur, quod cõclusimus, scilicet per nulla sua opera Christũ vllo modo meruisse illam Vnionẽ.

Porrò verò per *oppositum* huius apparet, rectè docere D. Thomã hic, Patres veteris testamenti, atq; adeo etiã B. Virginẽ (vt ibi declarat Caietanus ex responsione ad tertium) promeritos sua obediẽtia, rectisq; operibus fuisse *ex congruo* dominicam incarnationẽ: quia non perinde illorũ opera fuerunt *effectus* incarnationis, vt fuerunt Christi opera. Quocirca meritoria esse potuerũt ipsius incarnationis. Maximè cùm fuerint alioqui ante incarnationem.

Neq; solum verũ est, promeritos esse ex congruo Patres incarnationẽ quo *ad tempus & genus*, vnde verbũ diuinũ sumpsit carnẽ, vt scilicet *tunc* & ex illo semine *Abrahæ* fieret, sicut aliqui tantũ voluerunt; sed & *absolutè*, vt S. Thomas indicat, & plures alij conuenienter Scripturæ sacræ defendunt. Non enim Patres *accelerationẽ* tantũmodò Incarnationis petebãt illis verbis: *Citò anticipent nos misericordiæ tuæ.* Psal. 78. sed etiam *absolutè* illis: *Salutare tuum da nobis.* Psal. 84. Et: *Visita nos in salutari tuo, &c.* Psal. 105.

Ex *condigno* verò, id est, merito propriè dicto secũdũ iustitiam, neq; B. Virgo, neq; vllus hominũ promeritus est incarnationẽ, vt rectè D. Thomas hic declarat. Quoniã omnis vis & valor huius meriti existit ex dominica incarnatione, tanquã ex prima sui *radice*, eo ipso q̃ Christus Deus & homo id etiã hominibus promeritus est, vt cũ fuerint gratiã adepti, mereri possint *ex condigno*. Quocirca Scriptura sacra vbiq; opus hoc mirãdum Incarnationis asscribit diuinæ *misericordiæ*, non autẽ iustitiæ. Vt Luc. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Et Ioan. 8. *Sic Deus dilexit mũdum, vt filium suũ vnigenitũ daret.* Et ad Tit. 2. *Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri.* Et ad Tit. 3. *Cùm benignitas & humanitas apparuit Saluatoris Dei, non ex operibus Iustitiæ, &c.*

Ac Patres etiã intuentes in meritũ propriè dictũ, scilicet *ex condigno*, solẽt simpliciter negare, incarnationẽ cõtigisse ex vllius merito. Vt S. AVGVSTINVS in Enchirid. cap. 36. *Vnde*, inquit, *naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hîc & sola gratia euidenter ostenditur, vt intelligant homines, per eandem gratiam se iustificari à peccatis, per quam factũ est, vt homo Christus nullum habere posset peccatum.* Et S. HIERONYMVS lib. 1. contra Pelagianos: *Aduerte, quòd beatam se sic dicat* (B. Virgo) *non proprio merito; sed Dei in se habitantis clementia.*

Non igitur ex condigno, vt quidã falsò senserunt; sed *ex congruo* B. Virgo meruit Incarnationẽ. Ac de tali merito intelligendi sunt SS. Patres, cũ aliàs affirmant, Virginẽ meruisse, vt esset Dei mater. In quo genere hæc testimonia notentur.

S. CHRYSOSTOMVS sermone in Domini Hypapãte: *Beata mater vltra omnem humanæ naturæ mo-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

am, modestiam ac temperantiam excoluit, & ob id vniuersorum Dominum in vtero gestare promeruit.

S. AMBROSIVS epist. 82. ad Siricium: *Quid*, inquit, *loquar, quanta sit Virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi, vt esset etiam corporale Dei templum?*

S. HIERONYMVS in Epistola ad Eustochiũ, de custodia Virginitatis: *Tantæ*, inquit, *puritatis Maria extitit, vt mereretur effici mater filij Dei.*

S. AVGVSTINVS in libro de natura & gratia cap. 36. *Scimus*, inquit, *quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

S. GREGORIVS in librum 1. Regum cap. 1. *An non*, inquit, *mõs sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem suprà omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit?* S. PRVDENTIVS in Cathemerino: *Edere namq; Deum meruit.* Hæc & similia testimonia Patrum non nisi de merito *ex congruo* intelligenda sunt, vt dixi.

Neq; obstat, quòd non rarò etiam asseuerant Patres, B. Virginem *dignam* fuisse omnino, quæ fieret Dei mater. Latius namq; patet hoc, q̃ est, personam aliquam esse dono quopiam *dignam*, quàm hoc, q̃ est, eam mereri *ex condigno* id donum. Etenim vt persona sit digna aliquo dono, satis est, quòd deceat prorsus & omnino conueniat eam tali dono affici. Vt autem ex condigno illud mereatur, necesse est præterea, id donum ei ex iustitia deberi, iuxta ea, quæ de huius meriti ratione disseruimus tomo 2. disp. vlt. q. vlt. Iam verò etsi omnino decuit, vt B. Virgo ob insignem eius sanctitatẽ, qua omnibus præcelluit, mater Dei fieret, ac proinde hoc munere fuit prorsus digna; tamen non propterea fuit ei debitum ex iustitia hoc munus.

Itaq; non meritum ex condigno, sed *dignitatẽ* hanc ad matris Dei munus fuisse in Virgine, significant Patres, cùm verisimè asseuerãt, illam dignam fuisse, quæ esset Dei mater. Vt cùm ait S. EPIPHANIVS hæres. 78. contra Antidicomarianitas: *Quomodo audent impetere impollutam Virginem, quæ digna facta est habitaculum fieri filij Dei?*

Et S. CHRYSOSTOMVS homil. 49. in Genesin: *Si*, inquit, *cognoscerès virum, non fuisses habita digna, vt huic Mysterio seruires.*

Et S. AMBROSIVS lib. 2. de Virginibus: *Maria*, inquit, *digna extitit, ex qua Dei filius nasceretur.* Et EVTHYMIVS in expositione Magnificat: *Digna*, inquit, *æstimata est, quæ fieret Domini mater.*

Porrò vt rectius intelligatur, quod hactenus dictũ est, scilicet B. Virginem (sicut & alios Sanctos veteris testamẽti) meruisse incarnationem, non quidem ex condigno, sed ex congruo, duo adhuc sunt notanda: VNVM est, meritum hoc in piis actionibus Virginis fuisse, non vt habebant vim à donis gratiæ, atq; adeo ab ipsa Incarnatione diuinitus præuisa, tanquã à prima donorum omnium *radice*; sed vt per se erant rectæ ac bonæ moraliter. Nam vt principium & radix actionis non potest esse præmium eius vt meriti ex condigno: ita neque vt meriti ex congruo: siquidem vtrique merito commune est, vt aliunde habeat suum valorem, quàm ex ipso suo præmio, sicut tomo 2. disp. vlt. q. vlt. tradidimus. Neq; est vllũ absurdũ, vt actiones piæ, consideratæ etiam præcisè vt actiones *bonæ moraliter*, censeantur habere rationem meriti ex congruo (vt patet ex iis, quæ illic disseruimus) respectu alicuius quidem gratiæ propriæ, ob rationes, quas in illo loco assignauimus.

ALTERVM, quod notari debet, est, hoc ipso quòd B. Virgo & alij Sancti meruerunt ex congruo *Incarnationem ipsam*, meruisse quoq; per eadem opera à Deo præuisa, vt Deus *præordinaret & vellet* incarnationis mysterium peragere. Nã vt tomo 1. disp. 1. q. 19. & 23. tradidimus, quod est aliquo modo caussa vel ratio alicuius effectus diuini, etiam est causa vel ratio *præordinationis* voluntatis diuinæ, non secundùm se, sed in ordine ad talem effectum, id est, vt terminetur à tali effectu, tanquam à quodam suo obiecto. Eodem namq; caussalitatis respectu Deus ab æterno res ipsas inter se præordinauit & voluit fieri, quo postea suo tempore eas exequitur.

Nec suppetit nobis vllum firmum fundamẽtum, vt fingamus, Deum aliter res prædefiniuisse, quàm eas exequitur, ita scilicet, vt absolutè & absq; respectu ad aliud tãquam ad caussam prædefiniat quidpiam, quod postea nõ nisi cum respectu ad aliud, & ob aliud exequitur. Nam de æternis Dei actibus circa ea, quæ in tempore ille exequitur, nihil aliud possumus statuere, nisi id, quod ex ipsis effectibus & ordine illorum in executione ipsa colligimus, vt etiam q. præcedenti p. 7. annotauimus.

Vnde etiam in hoc ipso nostro proposito inuenimus, Patres non modò affirmauisse, quòd B. Virgo meruit (ex congruo) incarnationẽ ipsam, vt patet ex allatis testimoniis, sed etiam diuinam *electionem sui*, vt esset Dei mater: quæ certè electio fuit diuinitus facta ab æterno. Sic enim ait S. BASILIVS in homilia de Christi Natiuitate, seu de humana Christi generatione: *Quandoquidem id seculum hominum, in quo Maria viuebat, nihil cum puritate Mariæ comparandum haberet, vt sancti Spiritus operationẽ susciperet; electa est B. Virgo.*

Et S. AMBROSIVS epist. 82. anteà etiam à me citatus: *Quid loquar*, inquit, *quanta sit Virginitatis gloria, quæ meruit a Christo eligi, vt esset etiam corporale Dei templum?*

Sic etiam æternum Dei actũ significat, quod S. CHRYSOSTOMVS homil. 49. in Genesin, & Euthymius in Magnificat (suprà citati) dicunt, Virginem ob suam puritatem, esse *habitam dignam*, & dignam *æstimatam*, quæ fieret Dei mater. Hæc certè testimonia perspicua sunt, neque possunt commodè aliter exponi. Nec sunt magni momenti, quæ contra hoc obiici possunt.

QVAESTIO

QVÆSTIO TERTIA.

De modo Incarnationis ex parte personæ diuinæ assumentis naturam humanam.

D. Thomas tertia parte, quæstione tertia.

EXPLICANDA SVNT SEX. PRIMO, AN SOLA PERSONA FILIJ assumpserit naturam humanam, & quomodo. SECVNDO, An quælibet alia persona diuina etiam sola potuerit assumere naturam humanam. TERTIO, An plures etiam personæ diuinæ simul potuerint assumere vnam & eandem naturam humanam. QVARTO, An è contrario etiam vna & eadem persona diuina potuerit assumere plures numero naturas humanas. QVINTO, An etiam ipsa natura diuina, vt communis tribus personis potuerit assumere naturam humanam, vel quamuis aliam. SEXTO, An etiam persona creata possit assumere alienam naturam.

PVNCTVM PRIMVM.

An, & quomodo, sola persona Filij assumpserit naturam humanam.

D. Thom. art. 1. 2. 3.

QVOD PERSONA QVIDEM DIVINA, atque adeo etiam persona Filij potuerit hypostaticè assumere naturam humanam, satis constat ex iis, quæ de possibilitate huius Mysterij disseruimus quæst. 1. punct. 2. Atque etiam eadem quæst. punct 4. ostendimus, iam reipsa personam Filij id fecisse; & quidem *conuenientissimè* hoc Filium fecisse ostendimus illic etiam punct. 5. Quibus ex locis petenda est explicatio & confirmatio eorum, quæ disserit hic artic. 1. & 8. D. Thomas. Nunc verò præterea est videndum, an omnino solus Filius assumpserit humanam naturam, & quomodo; scilicet vtrum per essentiam suam diuinam, quam habet cõmunem cum Patre & Spiritu sancto; an verò per propriam suam *personalitatem*; de quo agit D. Thomas art. 2.

Est autem in primis statuendum, SOLVM Dei filium, hoc est secundam personam SS. Trinitatis assumpsisse hypostaticè naturam humanam, non autem Patrem, aut Spiritum sanctum. Hoc enim passim in Conciliis tanquam certissimum & indubitatum significatur. Vt in Chalcedonensi act. 5. & Lateranensi I. sub Martino, can. 2. & 7. & 8. & in Synodo V. generali cap. 5. Et in Synodo VI. actione 4. in epistola AGATHONIS Papæ à Patribus illic recepta. Et explicatur apertiùs in Concilio Toletano VI. can. 1. in Confessione fidei. Et Toletano XI. similiter in Confessione fidei. Ac fuit hoc etiam definitum in quodam Concilio teste Socrate lib. 2. hist. cap. 19. contra Patripassianos, hoc est, contra Sabellianos, qui aiebant, Patrem etiam (quem re non distinguebant à Filio & Spiritu sancto) incarnatum & passum esse, teste AVGVSTINO in libro de hæres. cap. 41. In quo errore fuit etiam Petrus Cnapheus, vt intelligi potest ex NICEPHORO lib. 1. cap. 28. & aperte ex S. DAMASCENO lib. 3. de fide, cap. 10.

Item definitum fuit idem in Concilio Remẽsi, contra quendam Clericum Gallum, vt cõstat ex D. ANSELMO in libro de Incarnatione Verbi cap. 1. Deniq; idem ponit tãquam de fide certum S. FVLGENTIVS in libro de fide ad Petrum capite 2. illis verbis: *Sicut secundùm illam diuinitatem, qua vnum sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; neque Patrem natum credimus, neque Spiritum sanctum; sed solum Filium: sic etiam secundùm carnem Filium solum natum Catholica fides & credit & prædicat.*

Et nihilominus tamen id, quod in hoc Mysterio per *actionem* quidem effectum est, omnibus diuinis personis sine discrimine est ascribẽdum. Vnde in cap. *Firmiter.* de Summa Trinitate & fide Catholica, propterea dicitur Dei Filius *à tota SS. Trinitate cõmuniter incarnatus.* Quam rem commodè explicat Durandus in 3. d. 1. q. 2. num. 6. illo loquendi modo, scilicet totam sanctissimam Trinitatem *incarnare*, sed non totam *incarnari*, nisi solum Filium.

Verùm hîc DIFFICVLTATEM pariunt nonnullæ sententiæ Patrum, ex quibus duci potest argumentum ad probandum, quòd Pater etiam & Spiritus sanctus assumpserint naturam humanam, atque adeo sint incarnati. Argumẽtum id est huiusmodi: Quod conuenit naturæ diuinæ, commune est omnibus personis diuinis. Sed natura diuina assumpsit naturam humanam, & est

Universidad de Deusto
Biblioteca

incarnata. Ergo omnes tres perſonæ. Minor probatur. Nam S. AVGVSTINVS libro 1. de Trinitate, cap. 7. & 11. ait: *Formam Dei aſſumpſiſſe formam ſerui.* Et S. FVLGENTIVS in libro de fide ad Petrum, capite 2. ſic ait: *Illa natura, quæ ſemper genita manet ex Patre* (id eſt, quæ eſt accepta à Filio per generationem ex Patre, ita enim bene interpretatur D. Thomas hæc verba quæſt. 3. artic. 2.) *naturam noſtram ſine peccato ſuſcepit, vt naſceretur ex Virgine.* Item ſanctus HILARIVS libro 12. de Trinitate: *Eſſe*, inquit, *in forma Dei, non aliud intelligendum eſt, quàm in Dei manere natura:* quaſi dicat, naturam diuinam aſſumpſiſſe naturam humanam, quæ proinde ſit & maneat in natura diuina. Et ſanctus HIERONYMVS, de Symbolo fidei ad Damaſum: *Paſſus eſt*, inquit, *Chriſtus non ſecundùm illam ſubſtantiam, quæ aſſumpſit, ſed quæ aſſumpta eſt.* Item ſanctus DAMASCENVS libro tertio de orthodoxa fide, cap. 6. *Dicimus naturam Dei incarnatam eſſe ſecundùm beatos Athanaſium & Cyrillum.*

Ad hãc difficultatem pro varietate opinionũ, quæ ſunt de MODO, quo Verbũ diuinũ aſſumpſit naturam humanam, atque adeo de modo, quo ipſa natura diuina in aſſumptione ſe habuit, variè à diuerſis reſponderetur. Itaque in huius difficultatis explicatione enodabimus id, quod ſecundo loco ad explicandum nobis propoſuimus in hoc puncto, ſcilicet QVOMODO filius aſſumpſerit naturã humanam; per eſſentiámne diuinã *communem* perſonis tribus, an ſolùm per ſuam propriam *perſonalitatem*?

Et Durandus quidem in 3. ſentent. diſt. 1. q. 2. & 4. ponit, in aſſumptione duas fuiſſe vniones: PRIMAM & præcipuã humanæ naturæ & *diuinæ*, ſecundùm quam vult, naturæ humanæ dependentiam fuiſſe primariò terminatam, non à perſona ſeu proprietate perſonali Filij ſeu Verbi, ſed à natura ipſa diuina. ALTERAM, naturæ humanæ & *perſonæ* Verbi diuini, per quam ſit nimirum completa aſſumptio, & qua fiat, vt ſolum Verbum ſit incarnatum; non autẽ Pater aut Spiritus ſanctus. Quid verò iuxta hanc ſecundam vnionem, proprietas perſonalis præſtiterit humanæ naturæ, quídue natura humana accipiat ab huiuſmodi perſonalitate, non declarat Durandus. Nam quod attinet ad dependentiã naturæ ab alio, per quod ſubſiſtat, diſertè confirmat, hanc nõ per Verbi perſonalitatem, ſed p̃ naturã diuinam terminari; ideoq; dicit, *primarium terminum* aſſumptionis, incarnationisque eſſe *diuinam naturam*; ſecũdarium autem, perſonam.

Durandus igitur ſententias illas Patrum iuxta hanc ſuam opinionẽ interpretaretur, reſponderetq́; ad difficultatem propoſitam, nihilominus ſolum Verbum diuinum fuiſſe incarnatum: quoniam illud ſolum fuit ſecundarius terminus aſſumptionis per illam ſecundam vnionem naturæ humanæ, & ſolius Verbi.

Quòd autem dependentia humanæ naturæ fuerit terminata per naturã diuinam, quæ ideo ſit primarius terminus aſſumptionis, probat Durandus. Quia per illud diuina Verbi perſona terminauit dependentiã naturæ humanæ, quo ſubſiſtit. At nõ ſubſiſtit per proprietatem perſonalem, ſed ſolùm per naturã diuinam. Ergo per ſolam naturam diuinam terminauit illam dependentiam humanæ naturæ. Maior eſt per ſe nota. Minor probatur à Durãdo authoritate & ratione. Authoritas eſt D. AVGVSTINI lib. 7. de Trinitate, cap. 4. vbi dicit: *Omnis res ſubſiſtit ad ſe, quãtò magis Deus?* Item: *Abſurdum eſt*, inquit, *vt ſubſtantia relatiuè dicatur.* Et lib. 5. cap. 8. *Quod dicitur*, inquit, *ad aliquid, nõ ſubſtantialiter, ſed relatiuè dicitur.* Ex quibus colligi videtur, perſonam diuinã nequaq̃ ſubſiſtere per ſuam proprietatẽ perſonalem, cùm hæc ſit *relatio*; ſed tantùm per ſuam eſſentiam. Ratio autem Durandi pro eadem Minore eſt: Quoniam ſubſiſtentia eſt modus Entis perfectiſsimus. At relatio nõ cõtinet perfectionem, & conſequenter nec proprietas perſonalis in diuinis; alioqui vna perfectio eſſet in vna perſona diuina, quæ non item eſſet in alia, quod eſt abſurdum. Ergo perſona diuina nõ ſubſiſtit per propriam perſonalitatẽ. Quin etiam poteſt illa Minor probari ex verbis S. Thomæ q. 9. de Potẽtia art. 5. ad 3. vbi ait, naturam diuinam non accipere ſubſiſtentiam à perſonis, ſed è contrario perſonam eam accipere à natura diuina.

Hæc tamen argumentatio non tantùm valet, vt Durando aſſentiri oporteat: imò ipſius opinio tanquam falſa, & propemodũ erronea, eſt meritò reiecta à Scholis. PRIMO. Quoniã quocunq; ſe vertat Durandus, explicare minimè poteſt ſecundùm eam ſententiam, quemadmodum non Pater & Spiritus ſanctus ſint homo, atque adeo aſſumpſerint naturã humanam. Quilibet enim eorum æquè habebit humanam naturam: quoniam communis illis omnibus eſt diuina eſſentia, per quam iuxta Durandum, dependẽtia humanæ naturæ terminata eſt, atque adeo humana natura *habetur*: per id enim habetur natura quæpiam, quo ipſius dependẽtia terminatur, id eſt, quo fit, vt natura ſubſiſtat. Si hoc igitur in oppoſito eſt eſſentia diuina cõmunis perſonis omnibus; omnes perſonæ æquè habebunt humanam naturam, atq; adeo quælibet erit æquè homo.

Neq; poteſt Durandus tueri ſe per illam alterã vnionem, qua dicit ſoli Verbo diuino fuiſſe humanam naturã coniunctam. Nam neq; explicat, qualis illa ſecunda vnio fuerit, & eodẽ argumento, quo probat, per ſolã eſſentiam diuinam fuiſſe terminatã dependentiam naturę humanę, cõuincitur euidenter, nõ potuiſſe deinde naturam humanã ſic vniri ſoli Verbo, vt ſolum Verbũ propter talem vnionẽ ſit homo factum. Oportet enim vnionem, quæ ad id ſufficiat, eſſe *ſubſtantialem*, & conſequenter conſtare ex ſubſtantialibus extremis. At Durandus negat, Verbũ per aliquid aliud eſſe ſubſtantiam, aut ſubſiſtere, quàm per

diuinam eſſentiam ſolam, indeq́; probat, ſolam eſſentiam terminaſſe dependentiam naturæ. Igitur nõ poteſt defendere, quòd deinde fuerit humana natura ſoli Verbo coniuncta eiuſmodi vnione, quæ ſufficiat, vt ſolum Verbum ſit homo, id eſt, vnione *ſubſtantiali*.

DEINDE omnis perſona formaliter & eſſentialiter eſt quid *ſubſiſtens*; ſiquidẽ perſona à Boëtio & ab omnibus definitur, quòd ſit rationalis ſiue Intellectualis naturæ indiuidua ſubſtantia. Ergo negare, quòd diuina perſona per proprietatem perſonalem, atq; adeo per relationẽ ſubſiſtat (vt negat Durãdus) perinde eſt, ac negare, quòd per proprietatem perſonalem & relationem ſit perſona: id quod eſt erroneum.

Quare ad argumentũ Durandi; conceſſa Maiore, negatur Minor. Ad PRIMAM eius probationem reſpondeo, D. Auguſtinum hoc ſolum putare abſurdum, vt aliqua ſubſtantia in reipſa nullã aliam rationem habeat, niſi relatiuã; neq; ſit aut ſubſiſtat vllo modo *ad ſe*. Non autẽ negat Auguſtinus, quin poſſit etiam aliqua ſubſtantia (puta diuina) ſubſterni (vt ita dicam) & ſubeſſe ſimul tum rationi abſolutæ, vt eſt nimirum natura & eſſentia, tum rationi relatiuæ, vt eadem ipſa quoque eſt perſona.

Imò libro 5. de Trinitate, cap. 8. commemorat, neque damnat, modum loquendi Græcorum, qui dicunt, in diuinis eſſe *vnam eſſentiam, & tres ſubſtantias*, accipiendo videlicet ſubſtantiam pro perſona & hypoſtaſi relatiua. Et eodem libro cap. 5. negat, vel relatiuè, vel vllo alio modo quidquã de diuinis dici *accidentaliter*. Quo ipſo ſatis indicat, rationes relatiuas diuinarum perſonarum contineri quoq; ſubſtantiis, accipiendo ſubſtantiam vt dicitur de perſona.

Ac in cap. 8. eiuſdem libri 5. manifeſtè indicat, ſe cùm ſubſtantiam diuinã in diuinis quoq; *ad ſe*, id eſt, *abſolutè*, dici affirmat, de ſubſtantia loqui, accepta pro eſſentia, quæ vt ibidem notat, Græcè dicitur οὐσία. Ac iſto modo loquendo de ſubſtantia, ſcilicet vt eſt quiddam *abſolutum et eſſentiale*, negat Auguſtinus aliquoties in illo libro 5. cap. 5. & 8. dici ſubſtantialiter, quod dicitur relatiuè. Accipiẽdo autem communius ſubſtantiam, ſcilicet non pro eo, quod *abſolutè & ad ſe*, per ſe exiſtit; ſed quod omnino per ſe exiſtit, & non inhærenter in alio; etiam reperitur ratio ſubſtantiæ in ipſis relationibus diuinis, vt latiùs explicauimus tomo 1. diſp. 2. q. 1. punct. 3.

Itaque certum eſt, nihil ab Auguſtini ſententia alienum nos dicere, ſi aſſeueremus, rem diuinam, quæ eſt eſſentia & perſona, non tantùm vt habet rationem eſſentiæ *abſolutam*, verùm etiam vt habet rationem *relatiuam*, eſſe ſubſtãtiam, atq; adeo ſubſiſtere. Neq; hoc cum ſubſtãtiæ ratione pugnat. Nam vt iam attigi, ratio formalis ſubſtantiæ communiſsimè accepta, non eſt, vt *ad ſe* ſubſiſtat, atq; adeo ſit quiddã abſolutum; ſed vt per ſe ſit, vt eſſe *per ſe*, diſtinguitur contra eſſe *in alio* tanquam accidens. Licet verum ſit interim, ſubſtantias creatas propter earum limitationem eſſe duntaxat *abſolutas*; ſubſtãtia verò diuina cùm infinita ſit, vtramq; rationem, ſcilicet & abſolutam eſſentiæ, & reſpectiuã perſonæ, ambitu ſuo continet. Quõ fit, vt meritò etiã in diuinis concedi debeant tres ſubſtantiæ ſeu ſubſiſtentiæ relatiuæ, propter diſtinctionem perſonarum, vt in materia de Trinitate probauimus.

Ad SECVNDAM probationem Durandi ex ratione ductam reſpõdeo, modum etiam Entis relatiui in diuinis eſſe perfectiſsimum, imò infinitè perfectum; quoniam ſub ratione etiam relatiua continetur diuina Entitas, quæ eſt ſimpliciter infinita. Hac enim ratione diuinam eſſentiam ſeu rationem abſolutã in Deo dicimus eſſe ſimpliciter infinitam, quia illi (vt ita dicam) ſubſternitur entitas diuina, quæ eſt infinita. Et quãuis inter relationes diuinas oppoſitio & diſtinctio ſit; tamen ſit nihilominus vnitate & entitate eſſentiæ, vt vna perſona non prorſus in ſeipſa careat perfectione ea, quæ eſt in relatione & proprietate perſonali alterius. Quamuis enim eam non habeat, quatenus illi relatiuè opponitur; habet tamen eam, quatenus etiam eſt ſecundùm rationem eſſentiæ vnum cum illa; iuxta illud: *Ego & Pater vnum ſumus.* Et; *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Quod ſatis eſt, vt intelligatur quælibet perſona eſſe ſimpliciter infinita: quia non caret videlicet perfectione alterius ſimpliciter & modis omnibus. De quo aliãs tomo 1. in materia de Trinitate q. 2. p. 1. copioſiùs diſputauimus.

Ad TERTIAM probationem ex D. Thoma petitam reſpondeo, in reipſa neq; perſonam accipere ſubſiſtentiam (hoc eſt, rationem ſubſtantialem ſuam) à proprietatibus perſonalibus, neque etiã proprietates perſonales, ſeu perſonas accipere ab eſſentia ſubſiſtentiã ſuam relatiuã. Cùm enim eſſentia & proprietas perſonalis reipſa ſint omnib. modis vnum & idem ſimpliciſsimũ, neq; inter illa ſit vlla oppoſitio aut ordo originis; intelligere minimè poſſumus, q̃p vnum ab altero quicquã in reipſa *accipiat*. Secundùm rationem autẽ & modum intelligendi noſtrum, verum eſt, q̃prietates perſonales potiùs accipere ſubſiſtẽtiam ab eſſentia, quàm è contrario. Quia ſicut in creaturis, ita etiam in diuinis, prius intelligimus eſſentiã, à qua tanquã à natura effluat quaſi & dimanet noſtro modo intelligẽdi ſubſiſtentia perſonalis, ſicut accidit reuera in creaturis. Eſt igitur locutus D. Thomas in illo loco ſecundùm rationem modumq́; intelligendi noſtrum, atq; ita minimè inde ſequitur, proprietatẽ perſonalem non habere reipſa ſubſiſtentiam propriam, qua poſsit humanam naturam terminare.

ALIA ſententia ſolet hoc loco referri Marſilij, tanquam is velit in 3. ſentent. quæſt. 2. in reſponſione ad octauum argumẽtum principale, naturæ humanæ dependẽtiam ita fuiſſe à perſona Verbi terminatam, vt tamen eſſentia fuerit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verbo *ratio ſeu principium*, quo terminauit. Quæ ſi eſſet ſententia Marſilij, non ſanè intelligo, quî differat à ſententia Durandi.

Verùm non ita ſcripſit Marſilius: quinimò in illa quæſt. art. 1. concl. 4. part. 3. illius concluſionis, atq; etiam in illa ipſa reſpõſione ad octauum argumentum, manifeſtè docet, eſſentiam diuinã non terminaſſe humanæ naturæ dependentiam primariò & per ſe, vt natura eſt; ſed *idẽticè*, ratione perſonæ Verbi, à qua ſecundùm rem non diſtinguitur; ita vt proprietas perſonalis Verbi diuini fuerit ratio, qua primariò eſt terminata humanæ naturæ dependentia. Quæ eſt planè ſententia veriſsima, eademq; D. Thomæ hîc artic. 2. vbi docet, eſſentiam diuinam aſſumpſiſſe naturam humanã *ſecundariò*, quatenus videlicet perſona Verbi *primariò* eam aſſumpſit & terminauit, cum qua idem eſt natura diuina. Idem (quod ad rem quidem attinet) docuit Alexander Halenſis 3. p. q. 4. membro 1. & expreſsiùs Richardus in 3. diſt. 1. art. 1. q. 2. & Scotus ibidẽ q. 5. art. 2. & Gabriel ead. diſt. q. 1. art. 1. Notabili 5. & Argẽtinenſis ibidem q. 2. art. 2. & alij.

Atq; hinc explicat ibi D. Thomas ſententias illas, quas retulimus ex Patribus, ſcilicet naturã diuinam *fuiſſe incarnatam*, *&c.* Senſus enim eſt, Verbum diuinum perſonalitate ſiue ſubſiſtentia ſua *primariò* carnem ſuſcepiſſe, & conſequenter naturam diuinam, quæ eſt re idem cum Verbo, fuiſſe vnitam carni, atq; eatenus eſſe & dici poſſe incarnatam, licet per ſe & formaliter non niſi cum carne in eadem perſona diuini Verbi vnita dici debeat. Vnde & Damaſcenus poſtea in illo lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 10. dubitare videtur de illis locutionibus; natura diuina eſt incarnata: Quia reuerà non ſunt omnino propriæ; ſed ſenſus eſt ille, quem iam diximus.

Quæ cùm ita ſint, facilè iam eſt explicare in propoſito noſtro difficultatẽ illam, quam mouimus propter ſententias illas Patrũ. Quia enim incarnari, ſeu naturam humanam aſſumere, ex illorũ Patrum ſententia, diuinæ naturæ competit non *per ſe*, ſed ratione *perſonæ*; minimè eſt inde cõſequens, vt id competat omnibus tribus perſonis. Secus, ſi conueniret id diuinæ perſonæ abſolutè ratione eſſentiæ, ſicut ei conuenit operatio illa, quæ interuenit etiam in aſſumptione, & quæ ideo aſſcribitur omnibus perſonis, vt ſuprà dictum eſt: quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, vt tradunt Theologi.

Sed dicet aliquis: Cùm eſſentia diuina, quoniam à Verbo Incarnato non diſtinguitur, ſit & dicatur incarnata; cur non etiam ſimiliter dicamus, Patrem & Spiritum ſanctum incarnatos eſſe, propterea quòd neq; ipſi diſtinguantur ab eſſentia incarnata?

Respondeo, diſparitatem eſſe, quòd eſſentia licet per ſe incarnata non ſit, eſt tamen idem cum Verbo ſecũdum id, *quo* illud propriè & per ſe eſt incarnatum, id eſt, ſecundùm Verbi perſonalitatem, quę etiam opponitur relatiuè Patri & Spiritui ſancto. Et ideo ſecundariò (vt explicatum eſt) incarnata etiam dicitur eſſentia diuina. At Pater & Spiritus ſanctus, neq; *per ſe* incarnati ſunt, neq; ſunt idem cum eo, quod ſit primariò *& per ſe* incarnatum. Nam eſſentia diuina, cum qua ſunt idem, non eſt propriè & per ſe incarnata; Nec ſunt illi idem cum Verbo qua ratione eſt propriè incarnatum, id eſt, ſecundùm ſuam perſonalitatem, qua eſt incarnatum, & qua opponitur ipſis relatiuè.

Nihilominus quamuis ob hanc cauſſam nullo modo debeamus abſolutè dicere, Patrem & Spiritum ſanctum eſſe incarnatos; tamen rectè concedit Marſilius vbi ſuprà, poſſe dici incarnatum etiam illud *Ens*, quod eſt Pater; ſeu rem, quæ eſt Pater: quia id, quod eſt Pater, ſeu res, quæ eſt Pater, incarnata dicitur, nempe eſſentia diuina. Sicut, quamuis minimè dici poſsit, Patrem eſſe Filium; tamen poſſumus dicere, Patrem eſſe *Rem*, ſeu *Ens*, quod eſt Filius: quia eſt eſſentia diuina, atque adeo res, quæ eſt Filius.

Solvm igitur Filium aſſumpſiſſe naturam humanam; & Qvomodo eam aſſumpſerit (ſcilicet per ſe & primariò per ſuam *perſonalitatem*, ſeu ſubſiſtentiam perſonalem; non autem per diuinam eſſentiam communem perſonis omnibus, niſi ſecũdariò) hactenus declarauimus. Progrediamur itaque ad reliqua.

PVNCTVM SECVNDVM.

An quælibet alia perſona diuina, etiam ſola, potuerit aſſumere naturam humanam.

D. Thomas art. 4. & 5.

Vam libet quidem perſonam diuinam potuiſſe æquè ac Filium aſſumere hypoſtaticè naturã humanam, extra controuerſiam eſt. Et probatur idem à ſancto Thoma hîc articulo quinto, cuius argumentationem ita formo: Virtus, quę indifferenter ſe habet ad plura, ita poteſt ad vnum, ſicut ad aliud, terminare actionem ſuam. Sed diuina virtus vniendi naturam alcui perſonæ, indifferẽter ſe habet ad perſonas omnes diuinas. Ergo ita potuit vnire naturam humanam cuilibet perſonæ, ſicut potuit eam vnire perſonæ filij. Maior ex ſe eſt conſpicua. Minor probatur. Quoniam & ea *virtus* & etiam *ratio perſonæ*, per quam humanæ naturæ vnio terminari poteſt, communis eſt omnibus perſonis diuinis.

Planiùs idem probari poteſt hoc modo: Quælibet perſona diuina æquè poteſt præſtare, quod per *aſſumptionem* ſignificatur pertinere ad aſſumentem perſonam. Ergo quælibet perſona diuina æquè poteſt aſſumere. Antecedens probatur. Quia in qualibet perſona eſt æquè tum perfectio perſonalis *infinita* ad hypoſtaticè *terminandum* naturam, tum *virtus producendi* & attrahendi naturam, omnibus perſonis communis: quæ duo, ſcilicet *actio* & *terminatio* ſignificantur per aſſumptionem ex parte aſſumentis.

Praeterea æquè certum eſt & exploratum, quamlibet etiam perſonam diuinam Solam potuiſſe aſſumere & terminare ſine altera naturam humanam. Probat diuus Thomas hîc articulo quarto: Quia ratio *terminandi*, cùm contineatur perfectione perſonalitatis diuinæ, qua quælibet perſona diſtinguitur ab aliis; poteſt eſſe cuiuslibet perſonæ propria. Idem patet auctoritate ſancti Dionysii in cap. 2. de diuinis nominibus, vbi ait, myſterium hoc incarnationis pertinere ad Theologiam *diſcretam*, qua ſcilicet aliquid de vna perſona ſic dicatur, vt nó etiam attribuatur aliis.

Denique idem probatur manifeſta ratione. Nam quod attinet ad facultatem aſſumendi naturam, non eſt inter perſonas differentia, vt patet ex dictis. Sed Verbum diuinum potuit ſolum aſſumere naturam humanam. Ergo quælibet alia perſona. Minor Patet. Quoniã vt punct. præcedenti docuimus, certum ex fide eſt, ſolum Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam. Ergo ſolum potuit aſſumere.

Contrarivm tamen fertur docuiſſe temporibus D. Anſelmi quidam Clericus in Gallia, qui damnatus eſt in Concilio Remenſi, vt refert ipſe D. Anselmvs in libro de Incarnatione Verbi cap. 1. Et probabat ille, non potuiſſe vnam perſonam aſſumere ſine altera, Primo, quoniã cùm perſonæ diuinæ ſint vna & eadem natura, idemque Deus; Si filius ſit homo, conſequenter etiam Deus erit homo: Sed Pater & Spiritus ſanctus ſunt Deus: Ergo etiam erunt homo.

Secvndo, quia nõ ſatis intelligebat, quemadmodum non omnes perſonæ aſſumant naturam humanam, ſi vna illarum aſſumit, cùm fieri nequeat, vt operatio, qua humana natura producatur & attrahatur ad perſonam, ſit vnius perſonæ tantùm, & non aliarum.

Verùm hæc nullius ſunt momenti. Nam ad Primvm quod attinet, Deus dicitur & eſt *homo*, quatenus nomen Deus ponitur pro perſona Filij. Conſequenter minimè neceſſe eſt, vt Pater vel Spiritus ſanctus ſit homo. Non enim Pater eſt Filius, à quo per ſe primò natura humana eſt aſſumpta. Et ſimili captione poſſet concludi, Patrem eſſe Filium, quia Pater eſt Deus, & Deus eſt Filius: Ergo Pater eſt Filius. Vitium huius argumenti vtrobique eſt, quòd medius terminus in huiuſmodi Syllogiſmo (ſcilicet Deus) neque in Maiori, neque in Minori *completè diſtribuatur*, id eſt, non accipitur vniuerſaliter. Neque enim quicquid eſt Deus, eſt homo aut Filius. Neque etiam Pater aut Spiritus ſanctus eſt quicquid eſt Deus; quoniam non eſt *filius* neque *homo*, & tamen Deus eſt *filius*, & ratione filij *homo*.

Ad Secvndvm iam dictum eſt ſæpè, de ratione aſſumptionis eſſe etiam *terminationem* naturæ, quæ terminatio poteſt eſſe alicuius perſonæ propria. Itaque quamuis ea quidem *actio*, quæ etiam ſignificatur per aſſumptionem, non poſsit non eſſe communis perſonis omnibus; poteſt tamen terminatio illa non eſſe communis. Quod ſolet aptiſsimo exemplo declarari. Etſi enim aliquis & à ſeipſo & ab aliis duobus *effectiuè* veſtiatur, tamen non omnes tres veſtem *induunt*, ſed ille vnus tantùm, qui præterquam quòd in ea actione cooperatur aliis, in ſe etiam recipit & quaſi *terminat* illam veſtiẽdi actionem. Ita in propoſito, etſi omnes diuinæ perſonæ in opere Incarnationis *operatæ* ſint producendo in perſona Filij & veluti attrahendo ad illum humanam naturam; tamen quia ſolus Filius humanam naturam *induit*, ipſius dependẽtiam hypoſtaticè terminando; ipſe ſolus incarnatus eſt, & (vt ait Apoſtolus ad Philippen. 2.) *habitu inuentus vt homo*.

PVNCTVM TERTIVM.

An plures etiam perſonæ diuinæ ſimul potuerint aſſumere eandem numero naturam humanam.

D. Thomas artic. 6.

Mnino potuerunt, vt docet diuus Thomas hîc articulo ſexto, & Alexander Hallenſis 3. punct. quæſt. 2. membro quarto, & Durandus in 3. diſtinct. 1. quæſt. 3. & Argentinenſis eadem diſtinct. quæſt. 2. artic. 3. & Occam in 3. quæſt. 1. & Gabriel ibidem diſt. 1. quæſt. vnica, artic. 3. dub. 3. & alij. Probat autem id diuus Thomas artic. 6. huiuſmodi ratione: Si quid videatur in hac materia poſsibile, ſpectata conditione diuinarum perſonarum; id ſimpliciter eſt concedendum tanquam poſsibile. Sed ſpectata conditione diuinarum perſonarum, poſsibile videtur, vt omnes tres perſonæ aſſumant eandem numero naturam humanam, cùm quælibet perſona ſit æquè infinitæ virtutis, & alioqui omnes illæ ſubſiſtant etiam in *eadem numero* natura diuina. Ergo ſimpliciter eſt id concedendũ tanquam poſsibile. Maiorem probat illa ſententia D. Avgvstini epiſt. 3. ad Voluſianum: *In hoc myſterio tota ratio facti eſt potentia facientis.*

Sed niſi addatur in Maiori & Minori, rem eſſe eiuſmodi, quę neq; ex parte *naturæ humanæ* repugnet; ratio nõ videtur ſatis plenè concludere. Etſi enim conditio diuinarum perſonarum ſit, vt eandem naturam humanã hypoſtaticè ſuſtẽtare poſsint, cùm ſubſiſtãt etiam in *eadem numero* natura diuina; poſſet tamen aliquis ſubdubitare, num alia ratio ſit de natura humana.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ideo pleniùs potest ita formari argumẽtum: Quòd personæ diuinæ omnes assumant eandem numero naturam humanam; id neque ex parte ipsarum personarum, neque ex parte naturæ, quæ assumeretur, repugnat. Ergo simpliciter fieri potest. Non ex parte *personarum*: Quoniam est in illis omnibus par virtus, & ad agendum & ad terminandum. Non etiam ex parte *naturæ humanæ*: Nam ex eo, quòd à pluribus personis diuinis terminaretur, tantummodò esset consequens, eam terminari & compleri hypostaticè à maiori virtute terminandi intensiuè & extensiuè, quam esset ad terminandum necessaria. At hoc non est impossibile. Ergo. Probatur Minor. Nam tum etiã à maiori virtute intensiuè, quàm esset necessaria, terminatur, cùm ab vnica persona diuina assumitur: & non videtur vlla ratio, cur, si à maiori virtute *intensiuè*, quàm sit necessaria, terminari possit, non etiam possit à maiori item *extensiuè*, atque adeo à pluribus diuinis personis.

CONTRARIAM tamen sententiam, scilicet non posse vnam naturam assumi à pluribus personis, asseruit Albertus in 3. dist. 1. artic. 10. in responsione ad primam quæstiunculam, & Scotus eadem dist. quæst. 2. Et Richardus ibidem art. 1. quæst. 4. quamuis non satis congruenter cum iis, quæ scripserat ibi quæst. 3. Adfertur autem inprimis pro hac sententia D. Anselmus libro 2. Cur Deus homo, cap. 9. vbi ait: *Plures personæ nequeunt vnum eundemq; hominem assumere in vnitatem personæ.*

RESPONDEO, loqui Anselmum (vt consideranti patet) de assumptione, per quã ex assumẽte & natura assumpta resultet vna aliqua *persona*, q̃ *sola* sit homo. Sicut sola persona Christi inter personas Trinitatis iam de facto est homo. Quãquam aliter etiam hunc locum Anselmi exponit D. Thomas artic. 6. scilicet de vna natura humana in *concreto*, quæ scilicet sit persona. Et eandem expositionem confirmauit Hallensis vbi suprà.

Deinde pro eadem sententia dupliciter argumentatur Scotus in illa dist. 1. quæst. 2. PRIMO. Nam in omni dependentia *essentiali* videmus vnam rem ab vnica re tantùm depẽdere posse totaliter. Sed dependentia naturæ à persona est dependentia *essentialis*, id est, *per se*. Ergo non potest totaliter depẽdere, nisi ab vna persona. Maior declaratur à Scoto in dependentia effectus à sua caussa. Non enim videtur idem effectus posse dependere à duabus caussis totaliter, ita vt per quamlibet earum sufficienter producatur. Et idem iudicium est (inquit Scotus) de aliis dependentiis per se etiam si non sint dependentiæ vt effectus à caussa.

Quod potest ita confirmari: Nam qui ponit, vnam rem posse à duobus totaliter dependere, eo ipso videtur negare, quòd dependeat à quolibet eorum, atque adeo contradictionem implicat. Si enim dependet ab vno totaliter: Ergo illo sublato, non consistet; hoc enim est dependere totaliter ab alio: Quòd si dependeat etiam totaliter ab altero, poterit illo sublato consistere per alterum: & sic dependebit; & nõ dependebit totaliter à quolibet.

SECVNDO argumentatur Scotus. Nam fieri nequit, vt natura, quæ à propria personalitate terminatur, terminetur etiam à personalitate diuina. Igitur neque fieri potest, vt natura, quæ ab vna persona diuina terminatur, terminetur etiam ab altera persona diuina. Probat Scotus Consequentiam. Quia natura humana non minus terminatur & completur per vnam personalitatem diuinam, quàm terminaretur per suam propriam personalitatem: Ergo si per propriam terminata non potest terminari ab alia, neque poterit terminata per diuinam.

TERTIO possumus item sic argumentari pro Scoto: Si tres personæ sumerent eandem naturam humanam, alterutrum necessarium esset; nempe vt tres personæ diuinæ essent tunc vel *vnus & idem* homo, vel *plures* homines. At neutrum horum intelligi posset. Ergo casus est impossibilis. Maior probatur. Quia *vnum & multa* sunt immediatè opposita. Minor quoq; probatur. Neque enim essent vnus homo, cùm tres numero essent habentes humanitatem: Neque etiam plures homines, siquidem haberent tantùm vnicam singularem humanitatem.

Hæc argumenta Scoti nunc explicanda & refellenda sunt. Ad PRIMVM argumentum respondet Caietanus hîc art. 6. Maiorem esse falsam vniuersè sumptam. Idque ostendit in essentiali dependentia Relatiuorum. Nam vnum Relatiuum, nempe *Simile*, potest totaliter pendere & terminari a pluribus terminis correlatiuis, videlicet à pluribus *Similibus*. Concedit tamen Caietanus illam Scoti propositionem in dependentia effectus à caussa, qualis non est (vt suprà exposuimus) dependentia naturæ à personalitate.

Mihi videtur in nullo genere dependentiæ repugnare, vt vnum à duobus etiam eiusdem ordinis (quod dico propter caussas) totaliter dependeat, modò tamen sensus huius non sit, ita vnum dependere ab vno, vt non dependeat simul ab altero (esset enim tunc implicatio contradictionis in *adiecto*) sed ita, vt consistat secundùm se totum ex vi vnius, & ex vi item alterius, secundùm modum nimirum cuiusque generis dependentiæ. Probatur autem assertio hæc nostra sic intellecta. Nam si hoc fiat; nihil aliud id erit, quàm quòd vnum dependebit à termino, vel à complemento superante *extensiuè* indigentiam ipsius. In hoc autem nulla videtur cerni contradictionis implicatio.

Quocirca ad rationem illam, qua confirmauimus argumentum Scoti, respondeo, non tunc solùm intelligi, quòd vnum dependeat totaliter ab

ter ab aliquo, quando eo sublato consistere nequit; sed etiam tunc, quando eo posito, & quocunque alio remoto, potest sufficienter consistere. Hoc autem etiam potest habere locum in proposito nostro, id est, in dependentia naturæ à personalitatibus pluribus, & in dependentia Relatiuorum, atque etiam effectuum à suis terminis & caussis. Quamuis enim in nostro casu natura humana non sic ab vna persona diuina dependeat, vt si ex vi personalitatis eius non existeret, permanere non posset, (permaneret enim ex vi personalitatis alterius, per quam etiam terminaretur in illo casu) tamen verè tunc intelligeremus & diceremus, humanam naturam ita consistere ex vi cuiuslibet personalitatis diuinæ, vt etiãsi nullius alterius personalitatis vis terminatiua ad humanam naturam accederet, posset ex vi cuiuslibet personalitatis diuinæ, tanquam ex vi *termini hypostatici* permanere in rerum natura. Sic etiam in casu, quo idem effectus numero à pluribus caussis eiusdem ordinis totaliter penderet, verè intelligeremus, eum ita ex vi cuiuslibet earum existere, vt qualibet alia caussa eiusdem ordinis remota, permansurus nihilominus vel futurus esset. Item pari modo vnum Relatiuum, putà vnum Simile, pendet à pluribus Similibus, tanquam à suis terminis correlatiuis: quoniã quodlibet eorum illi satis est ad existentiam; tametsi non quolibet eorum sublato, desinat esse. Ad illud igitur PRIMVM argumentum Scoti negandа simpliciter est Maior.

SECVNDVM autem argumentum Scoti continet QVAESTIONEM illam, Vtrum persona diuina possit assumere naturam terminatam à propria ipsius personalitate; siue simul cùm à propria personalitate terminatur, siue posteaquam ab illa terminata fuerit. Par enim est vtrobique difficultas. Et Caietanus quidem hîc articulo sexto respondens ad argumentum Scoti, negat posse: rationemq̃ assignat, quoniam tunc assumeretur persona in *vnitatem personæ*, quod implicat contradictionem. Id verò rursus probat ex modo, quo natura terminatur per propriam personalitatẽ. Ita enim ait terminari per illam, vt tamen ipsa natura sit principium *constitutiuum & origo* illius. Quod secus fit, quando natura terminatur per alienam personalitatem increatam. Non enim tunc natura est principium constitutiuum & origo personalitatis, qua terminatur.

Vnde ad secundum illud argumentum Scoti ex hac doctrina respondet Caietanus negando Consequentiam. Non enim quia *minùs* humana natura per personalitatem diuinam, quàm per personalitatem creatam terminetur, fieri potest (inquit) vt natura terminata per personalitatem diuinam, possit terminari per aliam personalitatem diuinam; non autem terminata per personalitatem propriam: Sed quoniam *aliter* per personalitatem propriam terminatur: ita scilicet, vt ipsa tunc natura sit principium *constitutiuum* suæ personalitatis. Quò fit, vt si tũc assumeretur; assumeretur (inquit Caietanus) persona: quod implicat contradictionem. Per diuinam autem personalitatem non ita natura humana terminatur, vt ipsa sit principium constitutiuum eius, sed extrinsecè planè ad illam se habet. Atque ita si terminata per personalitatem diuinam, assumatur ab altera diuina persona; non perinde sequitur, quòd persona tunc assumatur.

Ego, quod Caietanus ait, naturam, quæ per *propriam* personalitatem terminata sit, non posse à persona diuina assumi, probabiliùs, quàm oppositum esse puto. Video enim non tantùm Scotum & alios, verùm etiam sanctum Thomam in quæst. 4. artic. 1. ad 3. ita existimare. Imò videtur id habere pro certo. Nam ideo dicit, naturam Angelicam non posse à diuina persona assumi, nisi vel corrumpatur ipsius personalitas, qua iam terminatur; vel certè Deus creet naturam aliquam Angelicam sine propria personalitate, eamq̃ ita demùm assumat.

Deinde etiam arbitror, rectè Caietanum respondere ad argumentum Scoti, naturam personalitate diuina terminatam, nõ ideo posse ab alia persona diuina assumi, quoniam *minùs* per personalitatem diuinam terminetur, quàm terminaretur per propriam; sed quoniam *aliter* terminatur per propriam, & aliter per diuinam. Ex qua differentia fiat, vt terminata per propriam non possit à persona diuina assumi: terminata verò per diuinam, possit.

Cæterùm rationem, qua id conatur persuadere Caietanus, non probo. Cùm enim natura per propriam personalitatem terminatur, non est principium *constitutiuum* suæ personalitatis *formaliter*, vt eodem formaliter sit persona, quo est formaliter natura: sed dici potest tantummodò principium cõstitutiuum personalitatis suæ, tanquam *origo* seu *fons*, vnde propria personalitas emanat. Nam vt Caietanus etiam loquitur, *resultat* personalitas propria ex vnione animæ & corporis, qua continetur propria natura. Itaque nihilominus manet distinctio formalis, imò & realis (secundùm Caietanum & nos, vt videbimus quæst. sequenti) inter naturam & personalitatem eius propriam. Hac autem distinctione salua, non apparet vlla ratio, cur, si natura est principium & quasi origo personalitatis suæ, nequeat assumi, quando est per personalitatem propriam terminata, nisi assumatur *persona*, id est, ipsa natura *quatenus* terminata per suam personalitatem.

Probabiliorem igitur esse assertionem illam Caietani & S. Thomæ & aliorum (scilicet non posse assumi naturam terminatam *propria* personalitate) non ob illam Caietani rationem, sed ob eam caussam puto, quia licet *à priori*, nõ videatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

suppetere ratio, quæ ostendat implicare contradictionem, esseque adeo impossibile, vt natura, quando est per propriam personalitatem terminata, assumatur præcisè quatenus natura singularis à persona diuina; tamen *à posteriori* habemus rationem motiuumque sufficiens, cur nobis persuadeamus, simpliciter id esse impossibile, adeoque inuoluere contradictionem, quam Angelus vel Deus certè à priori etiam cognoscat. Etenim (vt potest intelligi ex dictis quæst. præcedenti, punct. 2.) à Conciliis & à Patribus in disputatione contra Nestorium, qui censebat in Christo esse etiam suppositum *creatum*, ideo potissimùm videtur esse definita contraria veritas, quoniã constat ex Scripturis, humanam naturã Christi subsistere, atq; adeo terminari per personalitatem *diuini Verbi*, adeoque eandem personam Verbi esse verum Deum & verum hominem: Quasi nimirum sit impossibile, vt quæ natura subsistit per personalitatem *diuinam*, habeat etiam propriam suam personalitatem *creatam*. Nisi enim hoc impossibile sit, non erit efficax illa probatio contra Nestorium. Et hactenus de secundo argumento Scoti.

TERTIVM verò argumentum, quod faciebamus pro eodem Scoto, QVAESTIONEM habet non nisi *de nomine*. Nam de re inter omnes necessariò conuenire debet; nimirum in illo casu, scilicet si *plures* personæ assumerent *eandem* naturã humanam, vnicam tantùm esse humanitatem, & plures personas, habentes illam. Quo posito, nõ potest præterea controuerti, nisi an, quia tunc *vnica* humanitas tãtùm esset, deberent dici personæ illæ *vnicus homo*; an verò *plures homines*, quoniam essent plures habentes humanitatem.

Et quidem alij censent, neq; vnum hominem, neque plures homines simpliciter dici posse, vt Richardus in 3. dist. 1. art. 1. quæst. 4. ad 2. & Durandus ead. dist. q. 3. ad 3. Alij, debere dici *vnum* hominem; vt D. Thomas hîc art. 6. ad 1. & Altisiodorensis lib. 3. suæ Summæ, tract. 1. cap. 1. q. 6. Alij, quòd *plures homines*. Vt Marsilius in 3. q. 2. artic. 3. dub. 2. & Gabriel in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 3. dub. 3. & Caietanus hîc art. 6.

Sed magis secundùm loquendi consuetudinem, & etiam communior, est illa opinio S. Thomæ, qui hîc art. 6. ad 1. affirmat, debere tunc personas diuinas dici *vnum hominem*. Quoniam nomina Substantiua, quale est nomen *Homo*, non multiplicantur, nisi multiplicetur forma significata, vt disseruimus latiùs tom. 1. q. 13. de Trinitate punct. 3. Quanquam neq; potest vlla ratione ex re petita efficaciter refutari aliqua aliarum opinionum, cùm sit, vt dixi, quæstio de nomine.

Vnde neq; illa ratio, quæ tangebatur in Scoti argumento, scilicet quia *Vnum* & *multa* immediatè opponuntur, sufficienter refellit eos, qui censent, neque vnum hominem, neque plures homines in illo casu debere dici diuinas personas. Verum enim est, *Vnum* & *multa* immediatè opponi; sed non ita, vt de *quauis re*, aut de quouis *aggregato* rerum, oporteat *quodlibet* nomen *singulariter* vel *pluraliter* affirmare: Satis enim est, si pluraliter vel singulariter *aliquod* nomẽ de quouis affirmetur. Itaque in proposito dicerent illi, aggregatum illud personarum diuinarum & vnius naturæ humanæ ab eis assumptæ, non esse quidem vnum hominem, vel plures homines, quoniam non est id aggregatũ ciusmodi, de quo alterutrum iuxta institutum & vsum ipsius nominis *homo* dici possit; esse tamen multas *res*, non vnicam rem. Quo posito, satis declararent, alterum membrũ illius immediatæ oppositionis, nempe *Vnius* & *multorum*, cõuenire illi aggregato, atque adeo illi Enti, constanti ex coniunctione personarum plurium cum vna natura humana. Item possent dicere, id aggregatum esse multas *substantias*.

Patet igitur, quid sit respondendum ad illud TERTIVM argumentum Scoti. Maior enim non est simpliciter vera, scilicet quòd deberent tunc personę diuinę dici vnus *homo* vel plures *homines*. Quamuis & Minor quoq; est falsa. Nam vt dictũ est, probabilius est, quod putat S. Thomas, nimirum debere tunc personas diuinas dici *vnum hominem*. Quia Vox numeralis adiuncta nomini Substantiuo, respicit primariò formam significatam, vt singulariter vel pluraliter affirmetur, iuxta vnitatẽ vel multitudinẽ significatę formę.

PVNCTVM QVARTVM.

An etiam è contrario, vna et eadem persona diuina, potuerit assumere plures numero naturas humanas.

D. Thom. artic. 7.

RESPONDEMVS potuisse: Id probat D. Thomas art. 7. cuius argumentatio est huiusmodi: Si quæ facultas est illimitata; ita potest vnũ, vt possit etiam simul aliud præstare in eodẽ genere; alioqui esset limitata. Sed facultas, quæ est in diuina persona, ad assumendam naturam est illimitata. Ergo ita potest assumere vnã naturam, vt simul possit aliã. Minor patet. Quoniam diuinæ personæ conuenit assumere secundùm virtutẽ *agendi*, & *terminandi* per subsistentiam personalẽ, quę vtraq; virtus in diuina persona est infinita.

Sed QVAESTIO est, Vtrum in illo casu persona talis esset dicẽda vnus homo, an plures homines? Et quòd *plures* dici debeat, propter plures *humanitates*, sensit aliquando D. Thomas, scilicet in 3. dist. 1. q. 2. art. 5. & Altisiodorensis lib. 3. Summæ, tract. 1. cap. 1. q. 5. & Scotus in 3. dist. 1. q. 3. Controuersia est de nomine. Et verior, magisq; consentanea loquendi consuetudini est sententia D. Thomæ hîc artic. 7. in responsione ad 2. & Gabrielis in 3. distinct. 1. quæst. 2. art. 3. dub. 4. &

Marsilij quæst. 2. art. 3. dub. 3. & aliorum, scilicet debere dici *vnum hominem*, quoniam esset vnicum suppositum, habens licet humanitates plures.

Etenim vt nomen ad aliquam formam significandam impositum multiplicetur, non satis est multiplicatio formæ; sed requiritur etiam multiplicatio *habentis* formam. Quod si hoc non multiplicetur; singulariter solemus vsurpare tale nomen. Si enim aliquis v. g. habeat duos Episcopatus, vel duas Præfecturas, non dicimus, esse eum duos Episcopos, aut duos Præfectos, sed vnicum. Item eum, qui est pluribus vestibus indutus, non ideo dicimus esse plures vestitos; sed vnum: quod est exemplum D. Thomæ.

Animaduertendum autem est, D. Thomam non dicere, satis esse ad multiplicationem cuiuscunque nominis multiplicationẽ suppositi habentis formam; Non enim hoc satis est, si nomẽ sit *Substantiuum*, cùm requiratur tũc etiam multiplicatio formæ, vt punct. præcedenti dictum est. Sed vult D. Thomas, multiplicationem certè *suppositi* in vniuersum etiam requiri ad multiplicandum quodcunque nomen *concretum*, quo significatur aliqua forma; siue illud sit nomen Substantiuum, siue Connotatiuum.

Ita fit, vt non habeat hîc locum argumentum Scoti in 3. sent. dist. 1. q. 3. vbi obiicit, sequi ex hac D. Thomæ doctrina, quòd diuinæ personæ sint tres Dij, quoniam ibi multiplicatur suppositũ, licet non forma significata, nempe diuinitas. Non enim voluit D. Thomas, eam multiplicationem suppositi ad multiplicationem eiusmodi nominum vbique satis esse; sed vbiq; *requiri*. Qua de re videat Lector ea, quę disseruimus q. 13. de Trinitate, punct. 3.

Mouet autem præterea Caietanus in illo articulo 7. aliam QVAESTIONEM, scilicet Vtrum, quod in eo casu personæ diuinæ conueniret ratione vnius naturæ assumptæ, tribueretur eidem (quasi per communicationem idiomatum) etiam vt sustentanti naturã alteram. Exempli caussa: Vocetur in eo casu persona diuina secundùm vnam naturam *Petrus*, secundùm alteram verò *Ioannes*: quæritur, an si tunc Petrus moreretur, posset etiam dici mori Ioannes: sicut iam, quod de Christo secundùm naturam humanam dicimus, dicimus etiam de Deo, hoc est, de eodem supposito diuino, quatenus subsistit in natura altera, nempe diuina.

RESPONDET autem bene Caietanus sub finem illius Articuli negatiuè. Ratio est: quoniam natura vna tunc impertinenter prorsus se haberet ad suppositũ diuinum, quatenus hoc sustentaret naturam *alteram*: quia neque per vnam naturam sustentaret alteram, neque etiam vna natura esset eadem re cum eodem supposito sustẽtante alteram, sicut iam natura diuina est re eadem cum supposito diuini Verbi. Huius autem identitatis ratione, habet iam locum in Christo *communicatio idiomatum*, vt scilicet quod de Christo dicitur, hoc est, de diuino Verbo, quatenus sustentat humanam naturam, dicatur etiam de Deo, hoc est, de Verbo subsistente etiam in natura diuina. Tantummodò igitur in illo casu liceret similiter, quod personæ diuinæ secundùm vnam naturam cõueniret, dicere etiam de Deo; nõ autem de eadem persona, vt sustentante alteram naturam humanam.

Et consequenter patet, nõ esse necessarium in eo casu, vt vbicunq; vna natura humana esset, esset etiam altera: habet enim se vna ad alteram valdè impertinenter, vt antè dictum est. Quare posset vna esse Ingolstadij v. g. & altera Romæ. Secus verò (saltem *ex parte*) contingit modò in Christo. Nam vbicunque est Christi humanitas, ibi etiã est diuinitas: tum ob infinitatem suam: tum quia est eadem cum supposito Verbi vbiq; existentis, quod est coniunctũ humanitati. Non tamen valet hoc vicissim. Vt enim infrà q. 14. contra Vbiquetarios disputabimus, nõ vbicunque est diuinitas & Verbum, ibi etiam est humanitas Christi. Non enim humanitas, perinde ac diuinitas, est eadem cum Verbo; sed *sustentatur* à Verbo: Quam ad rem satis est, vt vbicunq; sit humanitas, ibi etiam sit Verbum eam sustentãs. Sed de hoc pluribus infrà.

Hoc autem loco solùm illud superest præterea obseruandum: Nempe, quod cum Caietano asserimus, fore, vt in illo casu non prædicaretur de supposito diuino vt subsistente in vna natura humana, quod eidem conueniret secundùm alteram; non de qualicunq; prædicatione debere intelligi; sed de prædicatione *substantiali* & *per se*, qualis iam est ea, quæ fit in Christo, vt Deo & homine per *communicationem idiomatum*, eò quòd tum humana, tum diuina attributa habent nũc *substantialem* nexum in eodem diuino supposito Christi: diuina quidem, per *identitatem etiam* cum illo: humana autem tanquam cum eo, per quod hypostaticè *subsistit*.

Prædicatione autem *per accidens* non est negandum, quin quod in illo casu conueniret supposito diuino ratione vnius naturæ humanæ, posset illi tribui, vt subsistenti in altera natura humana. Neq; enim tunc illæ duæ naturæ magis impertinenter se ad inuicem haberẽt, quàm habent se nunc in eodem subiecto duo accidentia *disparata*, vt ars *Musicæ* & ars *Medicinæ* v. g. Et tamen prædicatione *per accidens* propter qualemcunque illam coniunctionem Musicæ & Medicinæ in eodem Supposito, verè nunc dicimus, Musicum curare & Medicum cantare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM QVINTVM.

An etiam ipsa per se Essentia diuina, vt communis omnibus personis diuinis, potuerit assumere naturam humanam, vel quamuis aliam.

D. Thom. art. 3.

TATVENDVM inprimis est, Essentiam diuinam, formaliter quatenus natura quædam est, etiamsi consideretur, vt natura *perfectissima & completissima*, atque adeo, vt significari etiam potest secundùm rationē suam absolutam nomine *concreto*, nempe Deus, non posse hypostaticè sic assumere aliquam naturam, vt ex vnione eius, & naturæ assumptæ existat vna *persona*. Hoc patet manifestè. Quia necesse est ad assumptionem talem, vt assumens sit formaliter persona. At essentia diuina, formaliter vt natura est, siue in *abstracto*, siue in *concreto* significetur, non est persona, cùm sit communis personis tribus, & de ratione personæ sit incommunicabilitas. Ergo, &c.

Neque obstat, quòd D. Thomas hìc art. 3. loquens, vt apparet, de assumptione & vnione *hypostatica*, dicit, abstractis per intellectum personalitatibus diuinis, posse adhuc intelligi, quemadmodū essentia diuina assumat naturam. Hoc enim dicit, non quia essentia diuina formaliter vt natura est, possit iam reipsa *hypostaticè* assumere; sed quia tunc etiam, nostro quidem concipiendi modo, possemus intelligere essentiam diuinam constitui hypostasin & suppositum per personalitatem aliquam *absolutam*, sicut Iudæi intelligunt, & ratione eius personalitatis intelligi cōsequenter posset, assumere *hypostaticè* sine illis proprietatibus personalibus, quas iam habet nonnisi relatiuas. Hæc autem enunciatio conditionalis, scilicet, *si natura diuina abstrahatur à personalibus proprietatibus relatiuis, constituatur q; hypostasis & persona per proprietatem aliquam absolutam, posset hypostaticè assumere*; vera est, tametsi hypothesis, ex qua procedit, sit simpliciter impossibilis, videlicet essentiam diuinam cōstitui personam per *absolutam* & vnicam personalitatem, vt Iudæi negantes Trinitatem intelligunt. Neque aliud D. Thomas illic voluit, quàm veram esse istam enunciationem *conditionalem*, vt patet ex solutione argumenti primi & secundi, atque ita etiā illum interpretatur ibi Caietanus. Certissimum enim est, essentiam diuinam, ea præcisè ratione, qua est essentia absoluta communis tribus personis, non posse *hypostaticè* (id est, personaliter) assumere, cùm vt sic, non sit persona.

SED cùm hoc extra cōtrouersiam sit, QVAESTIO tamen est, Vtrum Essentia diuina ita saltē possit personalitatem creatam supplere, atque adeo naturam aliquam assumere, vt ex vi *ipsius*, non tanquam ex vi alicuius causſę, nec tanquam ex vi hypostasis aut personæ, sed tanquam ex vi cuiusdam *termini extrinseci* peculiari modo natura assumpta existat, etiamsi ex tali assumptione non resultet vlla persona.

Capreolus enim in 3. dist. 1. q. 1. ad argumenta contra quartam conclusionem, negare prorsus videtur: Quoniam reputat impossibile, vt assumatur vllo modo natura per id, quod nō sit formaliter *incommunicabile*. Tale autem non est diuina essentia. Idem quoq; antè Capreolum sensit Hallensis 3. parte quæst. 2. memb. 3.

Et videtur hæc sententia posse confirmari PRIMO. Nam impossibilis videtur vnio *substantialis* eiusmodi, ex qua neque vna *persona*, neque vna *natura* substantialis constituatur. At si natura diuina assumeret illo modo naturam aliquā, concederetur vnio huiusmodi. Ergo casus est impossibilis. Maior probatur. Quoniam impossibilis est vnio substantialis, ex qua non existat aliqua substantia vna. Vnam autem substantiam oportet esse, vel *primam substantiam*, vel *secundam*; atque adeo vel suppositum, vel naturam. Minor autem probatur. Quoniam in illo casu esset aliqua naturæ diuinæ, & naturæ creatæ vnio: & non secundùm vllum accidens, sicut patet. Ergo esset vnio *substantialis*: neque tamen ex ea resultaret vna persona, aut vna natura. Non vna *persona*: quoniam natura diuina assumens non est persona, vt suprà dictum est. Neque vna *natura*: quoniam ex duabus naturis secundùm suam rationem *completis*, quales esset tunc natura diuina, & natura creata assumpta, non potest cōstitui *vna* natura vnius simplicis rationis, quæque adeo sit vna *per se*.

SECVNDO. Quia videtur res diuina non posse supplere vim alicuius rei creatæ, nisi vel tanquam *causſa*, vel tanquam *persona*: Neutro autem modo natura diuina tunc suppleret vim personalitatis creatæ.

TERTIO. Quoniam tunc natura diuina assumens v. g. naturam humanam, neq; esset *homo*; cùm non esset ipsa suppositum habens naturam humanam: neq; etiam esset *natura humana*, quam assumeret; siquidē distingueretur nihilominus ab illa. Ergo casus est omnino impossibilis.

CONTRARIA sententia est Scoti in 3. d. 1. q. 2. & Richardi ead. dist. art. 1. q. 4. & Durandi q. 2. præsertim num. 15. (vbi hanc sententiam supponit) & Occami in 3. q. 1. & Gabrielis ibidem d. 1. q. 1. art. 3. dub. 4. & Caietani hìc art. 3. & aliorum. Quæ sententia mihi magis placet: dummodo tamen non intelligatur essentia diuina posse assumere alienam naturam per aliquam *subsistentiam absolutam*, quam habeat mediam inter subsistentiam, siue existentiam per se, suam *essentialem*, & subsistentias *relatiuas personales* (vt vult Caietanus hìc, à nobis refutatus tomo 1. disput. 2. q. 13. p. 3.) sed per hanc ipsam essentialem suam subsistentiam, siue existentiam *per se*. Probatur autem hæc

sententia

sententia ab his authoribus ea ratione: Quoniam essentia diuina habet perfectionem infinitam.

Sed tamen oportet ex hac diuinæ essentię *infinitate* ducere rationem magis explicatè hoc modo: Res infinita omnem eam vim rei creatæ, virtute sua eminenti, supplere potest, à qua res aliqua creata *extrinsecè* pendeat. Sed vis personalitatis creatæ est huiusmodi, respectu naturæ, quam terminat; cùm constet, personalitatem creatam nō esse quiddam intrinsecum naturæ, sed extrinsecum. Ergo potest res infinita, qualis etiam est essentia diuina vt natura, supplere in creata natura hanc vim personalitatis creatæ; ita scilicet, vt natura *peculiari modo* per se existat ex vi diuinæ essentiæ, tanquam ex vi cuiusdam sui *termini substantialis extrinseci*, sicut in proponēdo istam quæstionem dictum est.

Maior probatur dupliciter. PRIMO, quia si vna res pendet ab altera *extrinsecè* (sicut pendet natura à personalitate) non pendet ab ea, vt ab habente rationem *talem*; sed primariò tanquam ab habente *tantam* vim & perfectionem, vt ex vi illius possit existere. Ita fit, vt quia res infinita habet infinitè perfectiùs & meliùs omnem eiusmodi vim; possit virtutem talis rei creatæ supplere. Secùs, quando vna res pendet ab altera *intrinsecè*; nam tunc pendet ab ea primariò, tanquam ab habente determinatè rationem *talem*. Quò fit, vt non possit munus eius rei, à qua res altera sic *intrinsecè* dependet, suppleri ab alia re, quæ non habeat formaliter *illam ipsam* rationem. Quæ causſa est, cur communiter & verisimè dicatur, Deum non posse supplere rei *formam*: quia scilicet à forma res pendet intrinsecè, atq; adeo primariò, quatenus habet forma *talem rationem*, ex qua res partim constituitur. Item neq; posse Deum supplere in re rei *materiam*, quoniam similiter res pendet à materia intrinsecè, adeoque primariò, vt habet rationem materiæ.

E contrario aūt potest Deus supplere causſam *efficientem*: quoniā res ab illa pendet non nisi extrinsecè; ac proinde primariò quidem non quatenus causſa efficiens habet hanc vel illam rationem; sed quatenus habet vim *tantam*, quæ scilicet sufficiat ei rei, quæ ab ipsa extrinsecè dependet. Vnde fit, vt possit ea vis à re infinita, quæ vim *eminentiorem* habet, suppleri. Sic etiam pari ratione potest Deus causſam finalem supplere: quoniam similiter res à fine nō nisi *extrinsecè* pendet, atque adeo primariò à fine res pendet, non vt finis habet hanc vel illam rationem formaliter, sed vt habet perfectionem & *vim*, per quam esse possit *id*, *cuius gratia* est res illa, quæ ab ipso tanquam à fine pendet. Ac eadem ratio est in omni genere dependentiæ vnius rei ab altera *extrinsecè*, sicut sumpsimus in nostra Maiore.

SECVNDO probatur eadem Maior. Nam neque ex parte *rei infinitæ*, vt patet, neque etiam ex parte rei, quæ ab altera *dependeat extrinsecè*, appareret repugnantia, quò minùs queat à re infinita suppleri omnis ea vis, à qua dependeat res *extrinsecè*. Cùm enim vis eiusmodi non sit secundùm rationem suam formalem, (hoc est, quatenus est *talis*,) intrinseca essentiæ rei ab ipsa dependentis; nulla sequitur implicatio contradictionis, si res existat, & non existat per illam vim extrinsecam, vt formaliter *talem*, sed per aliam vim eminentiorem.

Quare ad PRIMVM argumentum contrariæ sententiæ respondetur, negando Maiorem. Ad probationem verò dicendum est, secundùm potentiam Dei absolutam non tantùm esse possibiles illos duos modos vnitatis substantiæ, nempe *naturæ* & *personæ*; sed etiam alios plures, quos non cognoscimus. Itaque, vt rectè attigit Gabriel vbi suprà, resultaret in illo casu ex natura diuina & natura assumpta, aliqua *vna* substantia, quæ tamen neque esset vna persona, neq; natura vna; sed *vnum aliquid* substantiale ex vtroq; constitutum; neque id repugnat.

Ad SECVNDVM argumentum iam patet ex dictis, rem infinitam posse supplere virtutem rei creatæ, non tantùm vt *causſam* formaliter, vel vt terminum *hypostaticum*; sed etiam vt rem, quæ habet eminenter omnem *vim*, ex qua *extrinsecè* aliquid dependeat. CONSIDERANDVM est enim, naturam creatam à personalitate sua dependere substantialiter, non tantùm vt ab *hypostatico* termino, quatenus per illum natura ipsa hypostaticè & completè existit; sed etiam vt à *termino quodam suo* præcisè, quatenus per illum ita existit, vt sine illo non posset naturaliter existere vllo modo. Quoad istum igitur posteriorem modum dependentiæ ita *præcisè* consideratum, dicimus, ab Essentia diuina posse in natura creata suppleri vim personalitatis creatæ. Ac simili ferè modo defendemus quæst. sequenti, posse personam diuinam supplere virtutem *subiecti*, respectu dependentiæ accidentis, quamuis nequeat esse formaliter subiectum.

Ad TERTIVM argumētum respondeo, in illo casu naturam diuinam futuram esse *hominem*: quia esset aliquid *perfectissimum, habens humanam naturam*; id quod verè proinde esset & diceretur homo. Et consequenter omnes etiam tres personæ diuinæ essent & dicerentur *ille homo*, ratione nimirum essentiæ diuinæ, quę, vt diximus, *haberet tunc humanitatem*, & esset *homo*. Ita disputat rectè Caietanus hìc art. 3. contra Durandum, qui cùm senserit, humanam naturam in Christo terminari *primariò* non personalitate Verbi; sed *essentia diuina*; negat tamen inde esse cōsequens, vt omnes tres personæ iam æquè sint homo. Cōtra quam opinionem, tum propter hoc absurdum, quod verè sequitur, tum propter alias rationes satis superque disseruimus punctо primo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM SEXTVM.

An etiam persona creata possit assumere alienam naturam.

Ad art. 1. D. Thomæ.

CERTVM est, nullam personam creatam, secundùm legem quidem *ordinariam*, posse alienam naturam hypostaticè assumere; sic, vt vel *actionẽ*, quæ in assumptione necessaria est, virtute sua præstare possit; vel etiam sua perfectione *terminare* hypostaticè alienã naturã. Hoc patet. Quoniam tunc non esset *admirabile*, quòd persona diuina hoc potuerit efficere. At hoc maximè censetur mirabile, vt videre est tum apud alios Patres; quos citauimus quæst. 1. punct. 2. tum præcipuè apud D. Augustinum epist. 3. ad Volusianum. Ergo minimè putandum est, personam creatam potuisse quoque id facere secundùm legem ordinariam.

Quare communiter reiicitur opinio Origenis, qui, vt D. HIERONYMVS author est in prologo super Malachiam, censuit Malachiam & Ioannem Baptistam fuisse Angelos, qui suaptè nimirum perfectione assumpsissent hypostaticè naturas istorum. Quod idem de Aggæo etiam Propheta sensisse quosdam refert idem Hieronymus in caput 1. Aggæi circa finem. Item ob id etiam reiicitur meritò opinio TERTVLLIANI, qui similiter in libro de carne Christi, existimauit, Angelos assumpsisse hypostaticè (sicut Verbum diuinum fecit) illa corpora, in quibus perhibentur sæpiùs apparuisse hominibus: vt Gen. 18. & 19. Tob. 6. Dan. 8. & 9.

Neq; obstat, quòd Malachias & Baptista vocẽtur in Scriptura Angeli. Respondetur enim cum Hieronymo Aggæi 1. fuisse sic appellatos ppter officiũ, quoniã scilicet fuerunt nuncij diuinitùs missi: ἄγγελος enim Latinè est nuncius.

Item neque pro Tertulliano facit, quòd Scriptura eos Angelos, qui in corporibus apparuerunt, nominet *viros*; vt apud Danielẽ vbi suprà. *Ecce vir Gabriel, &c.* Ita enim dicũtur vsitata Scripturæ phrasi, quoniam *viri* videbãtur, & loquebantur, agebantq; vt viri, &c. Alioqui, vt cõmuniter Theologi docent, & nos tradidimus tomo 1. quæst. 2. de Angelis, punct. 2. Solùm erant vniti Angeli illis corporibus tanquam *motores*, putanturq; illa corpora ex aëre tantùm cõdensato fuisse compacta in speciem humanam.

Sed maior QVAESTIO est, Vtrum per potentiam Dei *absolutam* possit persona creata, humana vel Angelica, hypostaticè assumere naturam alienã. Ockam enim in 3. sent. quæst. 1. quem videtur sequi Gabriel ibi dist. 1. q. 2. artic. 3. dub. 5. affirmat; quoniam non videtur id implicare cõtradictionem. Item quia ad terminandũ naturam vnam sufficit virtus finita: Et ad terminandum alteram, satis etiam est finita virtus: alioqui neque Angelus posset terminare suam naturam, neque etiam homo suam, cùm neuter habeat virtutem infinitam. Det igitur Deus vel Angelo, vel homini, *duplò* vel *triplò* vel *quadruplò* maiorem virtutem finitam, sic, vt habeat tantã, quanta est sufficiens ad terminandam vtramque naturam; & tunc poterit terminare naturam suam & alienam.

Alij censent id esse impossibile. Vt D. Thomas hic artic. 1. ad 2. qui ait; *Posse terminare alienam naturam, esse proprium diuinæ personæ propter illius infinitatem.* Et Caietanus ibidem, & communiter alij sectatores D. Thomæ. Item Henricus Gandauensis quodlib. 11. quæst. 10. & Durandus in 3. dist. 1. quæst. 5. censet idem, saltem de natura aliena, quæ per se non possit esse *pars* alterius, neque sustentari in alio. Nam naturas, quæ possunt esse ita partes, vt in *homogeneis* siue simplicibus, vt *aqua*; siue aliquibus etiam mixtis, quæ *continuari* possunt, putat posse assumi & terminari à supposito alieno, saltem eiusdem speciei: Imò hoc fieri naturaliter, cùm pars aquæ minor vnitur alteri aquæ.

Sed fallitur in hac re Durandus. Non enim fit tunc vlla substantialis vnio; sed solùm *accidentalis* quantitatiua. Vt enim pars aquæ accedens retinet entitatem suam substantialem: ita etiam suum *terminum* hypostaticum seu suppositum, quo antequam ad alteram accederet, per se subsistebat. Verùm hoc prætermisso, quod attinet quidem ad naturas alias, quæ non possunt *continuari*, eadem sententia est Durandi, quę D. Thomæ & Caietani.

Scotus verò in 3. sentent. dist. 1. quæst. 4. videtur in hac re esse dubius: tametsi ibidem §. *Potest ergo dici*, magis videtur propendere in priorem illam sententiam affirmatiuam, quam asseruit Ockam. Vnde & pro ea illum Gabriel citat vbi suprà.

Probatur autem POSTERIOR sententia negatiua ab illius authoribus potissimùm hac ratione: Aut enim Deus aliquid perfectionis tunc adderet personalitati creatæ hominis vel Angeli; aut nihil. Si nihil; nõ posset homo vel Angelus terminare aliam naturam, præter suam: quoniã non haberet nisi perfectionem naturalem, quæ est in ipso naturaliter limitata ad terminandum solùm *suam naturam*, maximè cùm personalitas creata sit modus quidam vel *re*, vel *ratione* distinctus à natura, qui ex ipsa natura quasi emanat, estque adeo ipsi soli aptus & proportionatus. Si autem Deus aliquid personalitati creatæ hominis vel Angeli adderet; ne tunc quidem posset per illud additum homo vel Angelus terminare hypostaticè alienam naturam. Hæc enim terminatio fit necessariò per *substantialẽ* perfectionem, cùm exilla constituatur substantia: quicquid autem tunc adderetur, necessariò esset accidens; siquidem aduenire personæ, atque adeo Substantiæ.

Ac pro-

Ac proponit etiam Durãdus pro eadem sententia aliud argumentum, quod Caietanus item attigit vbi suprà. Nam si persona creata posset terminare *plures* naturas, scilicet suam & alienã; posset perinde terminare *infinitas* naturas, si infinitæ quidem essent possibiles. At non potest infinitas terminare. Ergo neque suam & alienam simul. Maior probatur à Durando. Quia sicut se habet locatum ad locum: ita personalitas creata ad naturam; & è contrario, sicut locus ad locatum, sic natura ad personam, cùm etiam locus locatum *terminet*. Sed si posset supernaturaliter fieri, vt *plura* corpora sint in eodem loco; etiam possent *infinita* corpora in eodem loco supernaturaliter esse, vt consequenter creditur ab his, qui existimant, plura corpora in eodem loco esse posse. Ergo similiter in proposito concedendum esset, posse in vna persona creata subsistere *infinitas* naturas, si essent; admisso, quòd possent *plures*. Item probatur illa Maior à Caietano. Quia si *pluralitas*, inquit, non facit differentiam, neque *infinitas* faciet, si infinitas esset possibilis. Quasi dicat, si personalitas creata æquè potest terminare alienam naturam & suam simul, atq; suam naturam; etiam posset eadem personalitate terminare naturas infinitas.

In hac Quæstione DISTINGVENDVM censeo. Si enim dicas, personam creatam posse per potentiam Dei absolutam terminare alienam naturam; loqui potes aut de persona *iam creata* secundùm Dei legem ordinariam; ita scilicet, vt aliqua persona ex iam creatis, per illam ipsam personalitatem, qua est prædita (vel aucta, vel non aucta) queat per potentiam Dei absolutam terminare alienam naturã: Vel de persona creata *possibili*; vt sit sensus, posse Deum aliquam personam eiusmodi perfectione præditam creare, vt queat sustentare & terminare alienam etiam naturam.

Si priori modo id intelligatur, veram esse existimo POSTERIOREM sententiam D. Thomæ, scilicet non posse fieri. Hoc enim rectè concludit prima illius sententiæ ratio. Et hoc est, quod D. Thomas significare voluit, cùm dixit, *propriũ* esse personæ diuinæ, propter ipsius infinitatem, posse terminare alienam naturam: Quasi dicat, nullam aliam personam ex iam creatis id posse, quandoquidem omnis eiusmodi persona habet perfectionem non nisi limitatam, atque adeo aptam suæ soli naturæ: personam autẽ diuinam, cùm sit infinita, posse etiam se extendere ad naturam alienam.

Altera verò ratio Durandi & Caietani non mihi videtur firma. Videtur enim Maior simpliciter esse falsa. Quamuis enim personalitas non referatur ad naturam, quã terminat, sicut *caussa* propriè ad effectum; refertur tamẽ ad eam sicut *terminus* substantialis eiusmodi, in quo intelligimus necessariam esse aliquãtam perfectionem, vt naturam aliquã terminare & complere substantialiter possit. Atque ita est etiam in hoc genere quidam influxus personalis in naturam, licet non influxus *caussæ*, propriè loquẽdo. Et consequenter falsum esse videtur, quod assumebatur in illa Maiori, nempe si persona creata aliqua possit terminare suam & alienam naturam; futurum, vt posset etiam terminare infinitas naturas, si essent. Maior enim requiritur perfectio in personalitate ad terminandum naturas *plures*. Atque adeo ad terminandum *infinitas*, posset aliquis dicere, requiri *infinitam* perfectionem, quæ repugnat personæ creatæ.

Et ad probationem Durandi ex similitudine habitudinis *loci ad locatum*, dici potest, esse rationem disparẽ. Nam locus planè extrinsecè se habet ad locatum, neq; quidquam in locatum influit: ac proinde vt idem locus terminaret plura locata, non requireret maiorem perfectionem, quàm ad terminandum pauciora. Similiter Caietani probatio videtur non solùm obscura, sed etiam infirma: imò videtur *petitio principij*. Hoc enim ipsum controuersum est, an quicquid potest plura, possit etiam infinita. Itaq; ratio fuisset à Caietano assignanda, cur in proposito, si personalitas creata possit plures naturas terminare, posset etiam consequenter infinitas. Videtur igitur illa posterior ratio Durandi & Caietani procedere ex Maiore vel falsa, vel certè ab ipsis non probata. Quare satis est, pro illa sententia D. Thomæ in eo sensu, quo diximus, altera ratio primò adducta.

Si autem res intelligatur illo alio modo, scilicet de persona creata *possibili*; tunc videtur mihi valdè probabilis opinio Ockami, videlicet *possibilem* esse per potẽtiam absolutam, aliquam personam creatam eiusmodi perfectione essentiali ab initio suæ creationis præditam, vt possit hypostaticè terminare alienam etiam naturam. Probatur. Quia etsi persona diuina iam propter infinitatem suam *abundè* quidem hoc præstare possit, atque adeo propter eandem infinitatem (quia reliquæ omnes personæ iam creatæ, limitatæ sunt ad suam tantùm naturam) *propria* sit ea facultas diuinæ personæ, vt docet D. Thomas; tamen nõ videtur simpliciter necessaria esse perfectio *infinita* ad terminandũ plures naturas; sed sufficiet finita *longè maior*, quàm sit iam in persona, quæ solùm possit terminare suam naturam. Vt autem rectè argumentatus est Ockam, nihil repugnat, vt perfectio illa maior tribuatur alicui personæ creatæ possibili.

Neque vllius momenti est argumẽtum, quod solent aliqui obiicere ad infirmandam illam rationem Ockami: scilicet pari modo probari posse, quòd per potentiam Dei absolutam queat *albedo* v.g. reddere subiectum non modò album, sed etiam *calidum* formaliter. Probatur, inquiunt, quia similiter ad reddendum subiectum album, & item ad reddendum calidum, satis est in forma perfectio finita. Det igitur Deus albe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dini perfectionem maiorē duplò aut triplò, &c. A & tunc poterit vtrumque præstare. Sic enim autumant argumentari Occamum in proposito.

Verùm hîc manifesta est disparitas. Nam subiectum, vt sit calidum, dependet *intrinsecè* à calore, vt à forma: natura autem à personalitate propria non dependet, nisi *extrinsecè*. Docuimus autem p. præced. hoc esse inter eiusmodi dependentias discrimen, quòd id, à quo res *intrinsecè* dependet, non potest vllo modo suppleri per aliud, in quo sit quantumcunque maior perfectio: id autem, à quo res *extrinsecè* dependet, potest suppleri penalterum perfectius. Ideo quantumcunque perfectionis addatur albedini; tamen hoc ipso, quod ea non est formaliter calor, nequit supplere vim caloris, vt faciat etiam subB iectum formaliter calidum. Personalitas autem creata per excellentem perfectionem, quam acciperet diuinitus, posset supplere vim personalitatis propriæ alicuius naturæ, eamq; naturam proinde terminare.

Sed QVAERITVR tunc, an consequenter concedendum sit, posse per potentiam absolutam Dei, personam aliquam creatam possibilem terminare *infinitas* naturas, si infinitæ essent. Nam quamuis Durandus & Caietanus id esse consequens, nō rectè probauerint per similitudinem habitudinis *loci ad locatum*; dubium tamen esse potest, an suppetat ad id probandum aliqua alia ratio.

Et videtur mihi satis probabiliter posse conC sequenter id concedi propter istam rationem. Etenim personalitas *terminando* aliquam naturam, non ita influit in illam, vt ex hoc influxu possimus colligere *maiorem* vel *parem* perfectionem debere esse in personalitate, atque est in ea natura, quam terminat: Cùm constet, *naturam* esse quiddam simpliciter perfectius, quàm illū suum *modum* seu *terminum* qui est personalitas. Proinde qui concederet, personam aliquā creatam possibilem, terminare posse infinitas naturas, si essent; non cogeretur ideo concedere in eiusmodi persona creata esse perfectionem *infinitam*; sed satis esset, eam habere *altioris* cuiusdā ordinis perfectionem, qua posset, quantum est ex parte ipsius, infinitas naturas terminare, si infinitæ essent possibiles.

Quemadmodum, quoniam ad *intelligendum* v. g. res *plures* non requiritur in potentia intelligendi *maior* vel *par* perfectio, atque sit in rebus ipsis intelligibilibus; non sequitur, in intellectu esse perfectionē infinitam propterea quòd possimus intelligere sine omni limite res quascunque etiam *infinitas*, si essent.

Secus verò ratiocinandum est in eo genere *habitudinis* vnius rei ad alias, quo necesse sit, *maiorem* vel *æqualem* perfectionē esse in re, quæ possit in plura, atque sit in illis pluribus. Cuiusmodi est genus habitudinis *causæ efficientis* ad suos effectus. Hic enim, quoniam necesse est, causam efficientem habere tantam vel maiorem perfectionem, quàm sit in effectu; si causa possit producere non solùm plures, sed etiam *infinitos* (saltem syncategorematicè) effectus, rectè inde concludimus, eiusmodi causam habere perfectionem infinitam. Quo pacto probamus nimirum infinitatem Dei.

SED aduertendum est, nos non propterea illud dicere, quòd videntur Durandus & Caietanus etiam velle, scilicet personā creatam quamcunque, quæ plures naturas terminare posset, *eo ipso* posse etiam terminare infinitas. Non enim est necesse, vt si persona quæpiam habeat virtutem ad terminādum naturas *plures*, habeat etiam ad *infinitas*. Sed dicimus probabiliter, posse aliquam personam creari talem, quæ per virtutem *altioris* cuiusdam rationis possit terminare naturas quamlibet multas, atque adeo infinitas (si essent) cùm ad id, vt ostendimus, nō requiratur virtus simpliciter infinita, quæ sola repugnat creaturæ posibili.

QVÆSTIO QVARTA.

De modo Incarnationis ex parte humanæ naturæ assumptæ.

D. Thomas tertia parte, quæstione quarta.

EXPLICANDA SVNT TRIA. PRIMO, *AN SOLA NATVRA HVmana inter omnes alias naturas creatas potuerit omnino, vel etiam cōuenienter, à Verbo diuino assumi.* SECVNDO. *An assumpta fuerit non tantùm natura humana, sed etiam persona humana.* TERTIO. *Qualis humana natura fuerit assumpta.*

PVNCTVM

PVNCTVM PRIMVM.

An sola humana natura inter omnes alias naturas creatas, potuerit omnino, vel etiam conuenienter, assumi à Verbo diuino.

D. Thom. art. 1.

QVIDAM VERVNT NONNVLLI THEOLOgi, qui senserunt, ne per potentiam quidem Dei absolutam posse omnino naturam aliquam præter *humanam* assumi à persona diuina. Ita Gandauensis quodlib. 13. q. 5. & Picus Mirandulanus in q. 4. suæ Apologiæ, & Carthusianus in 3. d. 2. q. 2. A

Sed duæ nobis Assertiones in hac re sunt tuendę ex communiori veriorique; sententia Theologorum. PRIMA assertio est: Quamcumque naturam substantialem etiam *irrationalem & insensibilem*, potuisse & posse assumi hypostaticè à persona diuina, si potentiam diuinam *absolutè* spectemus. Ita D. Thomas hic art. 1. præsertim ad 1. & est communis sententia Doctorum in 3. sentent. d. 2. atque eandem etiam satis apertè vt veram præsupponit Albertus in 3. d. 2. art. 1. qui falsò pro contraria opinione citari solet.

Probatur autem PRIMO. Quoniam quæuis natura eiusmodi habet per se rationem, secundùm quam dependere possit atque adeo terminari ab *hypostatico termino*; & etiam in persona diuina, cùm sit simpliciter infinita, est perfectio, qua *supplere* queat hypostaticum terminum, naturaliter eiusmodi naturis debitum: sicut etiam supplere potest hypostaticum terminum naturæ humanæ. Nulla igitur ex parte absolutè id repugnat. B

SECVNDO. Nam in triduo mortis Christi, caro eius, imò cadauer (quatenus est natura irrationalis, insensibilis) sustentabatur hypostaticè à Verbo. Ergo pari ratione posset quæuis natura eiusmodi sustentari à diuina persona.

SECVNDA Assertio est: Spectando nihilominus (vt par est) rei *conuenientiam*, atq; adeo simpliciter & absolutè ita loquendo, vt *decet*, solam naturam humanam debere dici à persona diuina assumptibilem. Ita docet D. Thomas hîc art. 1. & planè etiam Albertus Magnus in 3. d. 2. art. 1. & 2. vt patet ex declaratione, quam ipsemet adhibet art. 1. Et eadem quoque est mens Alexandri Hallensis 3. p. q. 2. memb. 6. & 7. & Bonauenturæ in 3. d. 2. art. 1. q. 1. C

Ratio huius Assertionis est. Quoniam, vt optimè Albertus in dicto art. 1. & D. Thomas hîc obseruarunt, cùm *assumptibilem* esse aliquam naturam simpliciter dicimus, considerare oportet rationem, quæ est ex parte ipsius *naturæ*, vt à persona diuina congruenter & meritò assumatur. In sola autem humana natura est hæc ratio congruentiæ: quoniam in ea sola videlicet est dignitas & necessitas. *Dignitas*: quia potest humana natura item eleuari diuinitus ad cognitionem & amorem Dei beatificum; id quod decet naturam subsistentem in persona diuina. *Necessitas* autem: quoniam ea sola indiget reparatione per gratiam, & potest reparari. In aliis naturis omnibus, vel alterutrum, vel vtrumque deest. In Angelica quidem, *necessitas*, cui occurri possit. Sunt enim Angeli arbitrij inflexibilis, adeoque qui ex illis peccauerunt, obstinati sunt in malo. In aliis autem naturis irrationabilibus & insensibilibus deest etiam *dignitas*, cùm non possint ad cognitionem & amorem Dei attolli. D

HINC prudenter quoque annotauit hîc art. 1. Caietanus, in hac quæstione sententiam quidem tenēdam esse (hoc est, posse quidem, quantum est ex parte diuinæ potentiæ, quamuis naturam à diuina persona assumi) sed linguam esse cohibendam, abstinendumq; à Quæstionibus piarum aurium offensiuis: & idcirco neque discutienda curiosè, neque verbis explicanda esse ea, quæ sequerētur, si Deus per potentiam suam absolutam eiusmodi naturas, in quibus deest dignitas & necessitas, assumeret: quoniam non possimus ea videlicet efferre, nisi verbis consuetudine nostra vsurpatis, quæ propter reuerentiam in tali re vitari debent.

Quo in genere neque imitanda, neque defendenda est licentia GABRIELIS, qui in 3. sentent. d. 1. q. 1. art. 1. disertis verbis & parum verecundè notauit, ex doctrina primæ Assertionis consequi, propositiones illas esse possibiles: Deus est lapis: Deus est asinus: Deus est homo damnatus: Deus est diabolus. Quanquam posteriores duæ, scilicet Deus est homo damnatus: Et; Deus est diabolus, non tantùm malè sonant, piasque offendunt aures; verùm etiam sunt simpliciter falsæ. Si enim diuina persona naturam Dæmonis aut hominis damnati, earum corruptis personalitatibus assumeret; desineret omnino in eis esse omnis culpæ peruersitas. Nam vt inferius q. 15. probabimus, repugnat prorsus, naturam hypostaticè vnitam diuinæ personæ, aut peccatum admittere, aut peccato inquinatam esse. Itaque non verè tunc persona, quæ naturas eiusmodi assumpsisset, diceretur *Diabolus* aut homo *damnatus*: quoniam significamus his verbis peruersitatem culpæ.

PRAECEPTVM igitur S. Thomæ & Caietani seruandū est, vt non tantùm *non falsò*, verùm etiā

ne minùs

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne minùs reuerenter in hac Quęſtione eloquamur; ideoque ſimpliciter negemus, eas naturas eſſe aſſumptibiles, in quibus deeſt *dignitas & neceſſitas*. Significabimus enim non eſſe certè aſſumptibiles *per ſe*. Quemadmodum (vt rectè notat D. Thomas in ſolutione primi argumenti) morbos, qui per ſe, ſi naturales cauſſas, eorumque rationes ſpectemus, curari non poſſunt, ſimpliciter & abſolutè dicere ſolemus *incurabiles*, tametſi per Dei potentiam abſolutam curari poſſent.

SED vt hæc omnis doctrina magis confirmetur, ARGVMENTIS illorum authorum reſpondendum eſt, qui, vt initio diximus, ſenſerunt, ne per potentiam quidem Dei abſolutam poſſe à diuina perſona aſſumi quamuis naturam, præter humanam.

PRIMVM argumentum. Quod non poteſt aſſumi ad minorem vnionem; non poterit ad maiorem. Sed nulla creatura irrationalis poteſt aſſumi ad minorem vnionem, quàm ſit hypoſtatica. Ergo neque ad hypoſtaticam. Minor probatur. Quia non poteſt aſſumi ad vnionem cum Deo *beatificam* per cognitionem & amorem, quę eſt minor vnio.

RESPONDEO, Maiorē eſſe falſam. Niſi enim res ſint *eiuſdem rationis & ordinis*; non quicquid poteſt maius, poteſt & minus. Nam anima rationalis v.g. poteſt tanquam ſubiectum vniri dono gratiæ, non tamen poteſt vniri albedini, quæ eſt accidens longè imperfectius. Item equus poteſt generare equum, non tamen poteſt generare canem aut muſcam. Quod igitur natura irrationalis poſsit aſſumi ad vnionem hypoſtaticam, non autem ad vnionem beatificam; id ob diuerſam rationem vnionis contingit. Nam vt ad vnionem *hypoſtaticam* aliqua natura aſſumatur, ſatis eſt in ipſa eſſe potentiam dependendi ſecundùm ſuum *Eſſe* ab aliquo tanquam à termino ſubſtantiali: quæ potentia eſt etiam in naturis irrationalibus. Vt autem aliquid ad vnionem *beatificam* à Deo attollatur neceſſaria in illo eſt facultas cognoſcendi & amandi Deum, qua carent naturæ irrationales.

SECVNDVM argumentum. Quod non poteſt eleuari ad operationem conuenientem ſeu proportionatam alicui *Eſſe*; id neque poterit etiam eleuari ad illud Eſſe. Sed natura irrationalis non poteſt eleuari diuinitus ad operationem congruentem ſeu proportionatam cum Eſſe diuino, nempè ad ſupernaturalem cognitionem & amorem Dei. Ergo neque poterit aſſumi & eleuari ad ipſum Eſſe diuinum per vnionem hypoſtaticam. Maior probatur. Quoniam *Eſſe* eſt propter operationem, debetque neceſſariò ad eam referri. Id quod Henricus confirmat ex rebus naturalibus, quibus in vniuerſum videmus conuenire aliquas operationes proportionatas *Eſſe* & naturæ ipſarum.

RESPONDEO, falſam eſſe Maiorem. Quamuis enim ſecundùm legem ordinariam, operatio ſeu facultas operationis congruentis cum aliquo *Eſſe*, ſeparari nequeat ab ipſo *Eſſe*; tamen per potētiam Dei abſolutam nihil impedit, quò minùs poſsit aliquod *Eſſe* carere in natura ſua, operatione ſibi proportionata, etiam in naturalibus.

TERTIVM argumentum. Si perſona diuina aſſumeret naturam irrationalem vel inſenſibilem, ſequerentur multa abſurda, ſcilicet Deum eſſe lapidem, aut equū, &c. Ergo illud etiam eſt abſurdum & impoſsibile, vnde iſta ſequuntur.

RESPONDEO, illa quidem dictu abſurda eſſe; atque adeo propter reuerentiam (cùm non habeamus idonea vocabula) abſtinendum ab eiuſmodi ſermonibus, vt anteà notatum eſt. In re autem non eſt abſurdum, vt perſona diuina ſuſtentet etiam hypoſtaticè naturam lapidis, vel alterius rei ſenſibilis.

QVARTVM argumentum pertinens peculiariter ad naturam Angelicam: In illa enim non diſtinguitur re ſuppoſitum à natura: Sed ſuppoſitum Angelicum non poteſt diuina perſona aſſumere. Ergo neq; naturam Angelicam. Et confirmatur. Quoniam vt naturam Angelicam aſſumeret diuina perſona, deberet corrumpi perſonalitas Angelica; & tūc corrumperetur etiam natura, cùm non differat à perſonalitate.

RESPONDEO. Siue ſuppoſitum diſtinguatur *re* ſiue *ratione* à natura in Angelo, poſſe tamen *naturam* Angeli à perſona diuina aſſumi propter eiuſmodi diſtinctionē realem vel rationis, abſque eo, quòd aſſumatur *ſuppoſitum*. Et quidem ſi defendatur, in Angelis ſuppoſitum à natura ſolùm diſtingui ratione, ſicut modum rei à re; dicendum eſſet, per extinctionē huius modi poſſe Angelicam naturā aſſumi à diuina perſona, ſic, vt eo ipſo natura deſinat eſſe perſona, quod iam ſuſtentetur in *alio*. Si autem (quod p. ſequenti verius eſſe videbimus) diſtinguatur etiam in Angelis re ſuppoſitū à natura; impediretur vel corrūperetur in natura Angelica aliqua res (id eſt, terminus hypoſtaticus naturæ) caſu, quo natura Angelica aſſumeretur, neq; idcirco corrumperetur etiam natura: ſiquidem eſſet realiter diſtincta. Atque ita patet ſolutio ad Confirmationem.

Et hæc quidem ita ſe habent. Sed ſolet prætereà hoc loco QVAERI, An poſsit perſona diuina terminare dependentiam nō ſolùm naturæ ſubſtantialis, quæ ſcilicet per ſe habere poſsit propriam hypoſtaſin; verùm etiam alicuius *accidentis*: non ita quidem, vt ex tali vnione reſultet perſona ſubſtātialis; hoc enim fieri nequit, cùm accidens nō conſtituat perſonam: ſed ita vt ſaltem accidens exiſtat *peculiari modo* ex vi diuinæ perſonæ ſupplentis eam ſubiecti vim, qua illud terminat naturalem dependentiam accidentis.

Et

Et videtur nō poſſe. PRIMO. Quia vis illa *ſubiecti* non poteſt ſuppleri niſi per ſubiectum. Sed diuina perſona nulla ratione poteſt eſſe ſubiectum. Ergo non poteſt illam ſubiecti vim ſupplere. Maior probatur. Nam ſicut natura ſubſtantialis habet naturalem ordinem ad perſonalitatem propriam, tanquam ad ſubſtantialem terminum & complementum ſuum: ita etiam accidens ad ſubiectum. Sed dependentia ſuppoſitalis naturæ non poteſt terminari, niſi à *perſona*, quæ perſonalitatis creatæ vim ſuppleat. Ergo neque dependentia accidentis poterit terminari, niſi per ſubiectū ſupplens ſubiecti creati vim.

SECVNDO. Quia perſona diuina nō eſſet tūc accidens aſſumptum, aut in *abſtracto*, aut in *concreto*; id eſt, ſi aſſumeret albedinem; neque albedo, neque alba eſſet, aut dici poſſet. Ergo videtur caſus impoſsibilis. Non albedo: quoniam diſtinguitur ab albedine. Neque alba: quoniam non eſſet ſubiectum habens albedinem.

TERTIO. Quia non apparet, qualis eſſet illa *vnio* perſonæ diuinæ & accidentis; cùm non eſſet *hypoſtatica*, neque *ſubiecti* cum accidente.

Nihilominus CONTRARIA ſententia eſt verior & cōmunior. Et ratio eſt. Quoniam in perſona diuina eſt perfectio ſimpliciter infinita. Ergo (iuxta dicta in q. præcedenti p. 5.) poteſt eminenter ſupplere omnem vim, à qua res aliqua *extrinſecè* dependeat; remotis tamē imperfectionibus, qualis in propoſito eſt imperfectio *ſubiecti*, quod nimirum perficitur & informatur ab accidente. Quæ ratio magis declarabitur in ſolutione argumentorum.

Quare ad PRIMVM, nego Maiorem. Ad probationem reſpondeo, dependentiam quoque ſuppoſitalem naturæ, poſſe aliquo modo terminari per aliquid ſub alia ratione, quàm ſub ratione perſonæ formaliter, vt q. præcedenti p. 5. diſputauimus. Nec requiritur, vt quod *aliquo modo* ſupplet vim perſonæ aut ſubiecti, ſit formaliter perſona aut ſubiectum. Satis enim eſt, q̄ contineat perfectionem perſonæ & ſubiecti æquiualenter ſeu eminenter, ſicut continet ſub quacunque ratione ea res, quæ eſt infinita.

Hoc verò vt facilius & rectius intelligatur, animaduertendum eſt, duo nos poſſe conſiderare in *ſubiecto*, vel etiam in *perſona*: Vnum eſt, quòd ſit *ſubiectum* vel *perſona* formaliter. Alterum eſt, quòd habeat *vim quandam* & perfectionem, ratione cuius poſsit eſſe terminus dependentiæ ſuppoſitalis aut accidētalis, ſic, vt ex vi eius, poſſit accidens vel natura *exiſtere*, cùm alioqui abſque ſubiecto proprio vel perſonalitate propria nō poſſet. Hoc poſtremum cùm conſideramus, facilius intelligere poſſumus, quemadmodum res habens virtutem infinitam, atque adeo infinitè maiorem, quàm ſit in ſubiecto & perſona creata, poſsit ſupplere vim perſonæ creatæ aut ſubiecti; ſic, vt eminentiori modo ex vi eius, tanquam ex vi cuiuſdam *termini* queat ſufficienter exiſtere natura vel accidens. Maximè cùm neq; perſonalitas creata ſit de intrinſeca ratione naturæ exiſtentis, neq; etiam ſubiectum de ratione intrinſeca accidentis. Si enim eſſet; per nullam potentiam, nulliuſq; rei vi poſſet vnum exiſtere ſine altero, vt diſſeruimus q. præced. p. 5.

Ad SECVNDVM argumentum, quo potiſsimum videntur aliqui moueri, reſpōdetur, neutrum eſſe in illo caſu neceſſarium, ſcilicet vt perſona diuina diceretur vel in *cōcreto* vel in *abſtracto* accidens illud, quod aſſumeret. Huiuſmodi enim denominationes ſolùm iam conueniunt *ſubiectis*, ex quorum vi exiſtunt nunc accidentia, quatenus per accidentia *afficiuntur & perficiuntur*. In noſtro verò caſu perſona diuina non afficeretur aut perficeretur per illud accidens, quod ex vi eius exiſteret. Itaque in eo caſu vel neutrum diuina perſona dicenda eſſet, (hoc eſt, nec alba nec albedo) vel quod magis placeret, prout nomina tunc inſtituerentur ad ſignificandum illud nouum miraculum.

Si autem quæratur, quænam locutio tunc eſſet magis ſecundùm conſuetudinem iam vſurpatam: dicendum videtur, eſſe eam, qua perſona diuina non diceretur tunc in *abſtracto* vel *concreto* talis, quale eſſet accidens tunc aſſumptū: nam non eſſet *ſubiectum habens* eiuſmodi accidens, neque vt *ſubiectum* haberet illud, tametſi illud haberet vt *ſubſiſtens quoddam completum*, quod ſuppleret eminenter vim ſubiecti. Nunc autem denominationem accidētis in concreto attribuimus ſubiecto, non præcisè, quatenus eſt quoddam ſubſiſtens completum, terminans dependentiam accidentis; ſed quatenus *afficitur & perficitur* per illud, vt iam dictum eſt.

Ad TERTIVM reſpondeo, ſimiliter nihil obſtare, quòd tunc illa vnio non eſſet vel hypoſtatica, vel talis, qualis eſt aliqua ex his, quæ iam extant, vel contigerunt: eſſe tamen minus diſsimilem vnioni ſubiecti & accidentis, quā vlli alteri.

PVNCTVM SECVNDVM.

An aſſumpta fuerit à Verbo diuino non tantùm natura humana, ſed etiam humana perſona.

D. Thom. art. 2. & 3.

INDVBITATVM apud omnes Orthodoxos eſt, Verbum diuinum non perſonam humanam, ſed tāntummodo naturam humanā aſſumpſiſſe: ſiquidem in Chriſto nō eſt aliqua perſona creata, ſed ſolùm *diuina* Verbi, quæ eadem in vtraq; natura diuina & humana ſubſiſtit, vt aſſeruimus q. 2. p. 2. contra Neſtorium.

Et quidem duplici modo hoc veriſsimum eſt, ſcilicet Verbum non aſſumpſiſſe perſonam humanam. PRIMO, *formaliter* vt perſonam. Nam quòd formaliter perſonam aſſumpſerit Verbū

diuinum

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuinum in vnitatem personæ (ita scilicet, vt ex illa & persona Verbi per vnionem extiterit vna persona) apertam inuoluit contradictionem, sicut quòd duæ personæ sint vna persona. SECVNDO etiam *materialiter*: quia scilicet neq; assumere potuit naturam, quæ esset in aliqua creata persona humana, vt docuimus quoq; q. præcedenti p. 3. & sequitur ex doctrina fidei ab Ecclesia definita contra Nestorium, sicut illic annotauimus. Vnde quod Patres interdum dicunt, Verbum assumpsisse *hominem*, rectè D. Thom. art. 3. declarat, piè esse exponendum, non de persona aut hypostasi humana; sed de natura humana, per quam Verbum factum sit *homo*, vt etiam q. 2. p. 2. annotauimus.

SED cùm æquè CERTVM sit, Verbum diuinũ nihilominus assumpsisse naturam humanam *indiuiduam & singularem*, explicandum hoc loco diligenter est, quid interfit inter PERSONAM & naturam *singularem*; seu quomodo hæc inter se distinguantur: vt ea re explicata intelligi possit, omnino cohærere & consistere hanc Orthodoxam doctrinam, qua ponimus, naturam humanam *singularem*, non autem humanam *personam*, à Verbo diuino assumptam esse, vt dictum est.

Et quidem conuenit inter omnes, in ratione *personæ* aliquid contineri *vltra* ea, quæ continet ratio naturæ *singularis*; siquidem persona significatur propriè vocabulo *concreto* (vt vocabulo *Homo*) natura verò singularis vocabulo abstracto, vt vocabulo *Humanitas*. Sed de hoc ipso, q̃ personæ ratio continet vltra rationem naturæ singularis, & quomodo proinde persona à natura singulari DISTINGVATVR, diuersę admodum sunt sententiæ, vt videre est hìc art. 2. apud Caietanum.

Nos octo præcipuas opiniones discutiemus, ex quibus SEX ponunt, *sola ratione* à natura singulari distingui illud, quod persona addit; duæ autem, distingui *realiter*. Atque ex his octo sententiis eligemus eam, quæ refutatis aliis videbitur probabilior.

Ne autem difficultatem pariat diuersitas vocabulorum, quæ indifferenter hoc loco pro eodem vsurpari solent, commemorandum est ex S. Thoma 1. p. q. 29. art. 2. vocabulum hypostasis, suppositi, & personæ, idem, quod ad rem attinet, significare; nempe substantiam primam incommunicabilem; diuersis tamen considerationibus. Quarum illam satis est in proposito assignare, quod *Personæ* nomen tunc solum *ad primã substantiam* significandam accommodatur, quãdo prima substantia est *intellectualis naturæ*: accipiendo hìc naturam intellectualem *latè*, prout intellectualem dicimus naturam diuinam, Angelicam, & humanam: tametsi illa alia vocabula quoque communia sint *primæ substantiæ* intellectuali; atque ideo in hac Quæstione indifferenter illis quoque Doctores vtuntur.

Igitur ex opinionibus illis, quæ distinctione tantùm *rationis* inter personam & naturam singularem assignant, PRIMA est Scoti in 3. d. 1. q. 1. artic. 3. Is putat, personam nihil aliud esse, quàm *rem ipsam* naturæ singularis, vt verè de ea negamus, quòd sit vel *actu* vel *aptitudine* in extrinseca persona, à qua secundùm suum esse dependeat. Itaque personam suprà naturam singularem dicit Scotus addere *negationem solam* communicabilitatis respectu extrinsecæ personæ, tum *actu*, tum *aptitudine*.

Quod vt rectius intelligatur, notat Scotus distinguendum esse (quod attinet ad propositum) inter tripliçem communicabilitatem respectu extrinsecę personæ, scilicet Actualem, Aptitudinalem, & Pontentialem. Communicabilitas *actualis* est, cùm natura singularis est actu in extrinseca persona, & ab ea dependet. Quo pacto natura Christi humana est *actu communicabilis*: quia actu est in extrinseca p̃sona, & ab ea pẽdet, nempe à persona Verbi; & propterea illa humanitas non est persona. *Aptitudinalem* autem communicabilitatem dicit esse eius, quod ita existit, vt si suæ naturæ relinquatur, actu etiam sit futurum in extrinseca persona seu Supposito. Quo pacto accidentia dici possunt *aptitudinaliter esse cõmunicabilia* supposito: quia videlicet si suæ naturæ relinquantur, actu erunt in illo. Id q̃ possumus etiam intelligere in accidentibus, quæ in Eucharistia diuinitus conseruantur sine subiecto. *Potentialem* autem communicabilitatem dicit Scotus esse, cùm aliquid est tale, vt saltem nõ repugnet ei esse & sustentari in extrinseca persona; sed potius hoc omnino possit, quãtum est ex parte realitatis & naturæ suæ *positiuæ*.

Iam dicit Scotus, *negationem*, quæ cum realitate naturæ singularis constituit vltimò personã, intelligendam esse negationem communicabilitatis *aptitudinalis & actualis*, non autem potentialis. Vnde concedit, totam rem & substantiam personæ, quam iam licet considerare v. g. in Petro, posse assumi à supposito diuino, ipsiq; communicari. Nec propterea non esse personam: Satis enim esse, vt iam neque *actu*, neque *aptitudine* ante talem assumptionem sit communicabilis supposito diuino.

Hãc Scoti sententiam nequaquam approbo. PRIMO. Quoniam explicare videtur ignotum per æquè ignotũ, aut ignotius. Quæritur enim, in quo propriè consistat *personæ* ratio; & respondet consistere in negatione communicabilitatis seu dependentiæ ab extrinseca *persona*. Quæ negatio, nisi prius perceptum sit, quid sit persona, atque adeo quid dependentia à persona, intelligi satis non potest.

SECVNDO. Quoniam ad eam sentẽtiam Scoti accommodari nequit communis illa definitio Personæ, à Richardo Victorino tradita, & ab omnibus recepta, scilicet, *Persona est intellectualis naturæ incommunicabilis subsistentia*; nisi hanc definitionem

nitionẽ valde ridiculè interpretemur. Si enim, vt Scotus disputat, communicabilitas *potentialis* non repugnat rationi & substantiæ toti personæ, solamq̃ communicabilitatem *actualem* & *habitudinalem* de p̃sona negare licet; necesse est, terminum illum definitionis Richardi, scilicet *Incommunicabilis* subsistentia, secundùm opinionem Scoti sic interpretari, vt sit sensus: Rem & substantiam personæ non per se, sed tantùm ex *hypothesi* & in sensu *composito* esse incommunicabilem, si nimirum ponamus, ipsam *non actu communicari*. Atque ita personam esse intellectualis naturæ incommunicabilem subsistentiam, nil erit aliud, quàm personam esse rem eiusmodi, quæ, si ponas eã non actu communicari, in sensu composito, id est, manente hac hypothesi, quòd nõ actu communicetur, communicari non possit, cùm contradictionem implicet, ipsam actu non communicari, & actu communicari extrinseco supposito. Quod procul dubio est alienum à sententia Richardi & aliorum; quippe qui rem & substantiam personæ ex natura sua, non ex hypothesi accidentali definiunt. Et per se quoque, vt dixi, est id dictu ridiculum. Ita enim similiter possemus dicere, accidentia in Eucharistia esse *incommunicabilia*. Nam ex hypothesi, si videlicet actu non communicentur subiecto, omnino in sensu *composito* sunt incõmunicabilia.

TERTIO. Quia neq; cum hac sententia Scoti satis consistunt ea, quæ solent communiter Orthodoxi Doctores prædicare & suspicere in hoc mysterio. Nam PRIMO prædicatur in hoc mysterio, quòd Verbum diuinum personalitate sua aliquid *suppleuerit* in humana natura. Hoc autẽ non habet locum secundùm illam opinionem Scoti. Negatio enim illa Scotica, cùm non sit aliquid in ipsa natura, sed potius *non aliquid*; minimè suppletur. Etsi enim Scotus explicare possit, quemadmodum eo mysterio factum sit, vt illa negatio non verè accommodetur ad naturam assumptam; tamen hoc non est idem, atque *suppletum esse aliquid*.

SECVNDO prædicatur in hoc mysterio, quòd aliquid in Christo sit *diuinum*, quod alioqui futurum fuisset *creatum & humanum*, id est, aliquã esse rationem & notitiam communẽ, cui sit substrata in Christo res aliqua diuina, cùm aliâs fuisset illi substrata res creata & humana. At neque hoc habet locum secũdùm Scotum. Talis enim res minimè est negatio illa Scoti: siquidem illa nunc in natura humana Christi minimè est *aliquid*, quod per se sit *diuinũ*; sed potius *non aliquid*.

TERTIO (quod caput est) prædicatur in hoc mysterio, naturam humanam maximoperè fuisse per assumptionem *exaltatam*, hoc ipso quòd dependeat hypostaticè à diuino Verbo. Et neq; hoc habet locum secundùm Scotum. Si enim, vt Scotus comminiscitur, natura humana singularis *ex se* absque alia realitate, est talis res & substantia, vt queat, quantum est ex ratione sua, *per se subsistere*, atq; adeo naturaliter non habeat dependentiam ab aliquo, tanquam à termino seu complemento substãtiali; non exaltata, sed potius *depressa* fuisset, quando hoc mysterio factum est, vt dependeat iam *ab aliquo*, cùm alioqui fuisset futura per se subsistens, atque adeo persona.

Neque satis fiet respondendo, eatenus naturam humanam exaltatam fuisse per hoc mysterium, quia factum est, vt dependeat non à quocunq; alio, sed à *diuino* supposito. Etenim dependentiam à diuino supposito tunc demum intelligimus pertinere ad dignitatem naturæ dependentis, quando eam naturam intelligimus esse p se eiusmodi, vt suapte ratione oporteat ipsam naturaliter dependere ab *aliquo substantiali termino*, siue diuino, siue humano; tunc enim dignitatis & prærogatiuæ est, vt dependeat non ab humano vel alio creato, sed à *diuino*. Quod si neque à diuino, neq; humano alioqui dependisset; deprimi potius videtur, quando fit, vt ab aliquo peculiariter dependeat, etiam diuino.

Id quod potest declarari & confirmari à simili. Faciamus enim, aliquam rem, præter Deum esse, quæ posset independenter à Deo (per possibile vel impossibile) existere & cõseruari. Certè si fieret, vt non nisi dependenter à Deo, tãquam à caussa efficiente eiusmodi res actu existeret & conseruaretur, minimè intelligeremus ea ratione ipsam exaltari, tametsi caussa, à qua dependeret, esset Deus; sed deprimi potius censeremus, hoc ipso quòd fieret ea ratione *dependens*, nempe à caussa efficiente. Ergo similiter in proposito, si natura humana singularis est suapte natura independens ab alio secũdùm dependentiam hypostaticã; non exaltaretur, sed *deprimeretur*, cùm fit, vt ab aliquo supposito etiam diuino hypostaticè dependeat.

Item possumus afferre aliud Simile. Si enim accidentia in Sacramento altaris haberent suaptè ratione, vt p se existerent, eo modo, quo iam illic miraculosè existunt; minimè quidem illa exaltarentur, sed deprimerentur potius, cum fieret, vt *actu* à subiecto dependerent: tametsi subiectum sit res longè perfectior, quàm ipsa; est enim substantia, cùm ipsa sint accidentia. Ergo pari ratione secundùm proportionem iudicandum erit in nostro proposito.

QVARTO. Deficit quoq; Scotus in eo, quòd nõ assignat rationem personæ, quæ sit communis personæ etiam diuinæ. Nam essentia diuina, vt *essentia*, est natura quædam *singularis*, & non in *extrinseco* supposito (id est, alienæ naturæ) neque tamen hoc ipso est persona. Cùm autẽ ratio personæ contineat perfectionem *simpliciter simplicẽ* (id est, perfectiorem quolibet ente sibi incompossibili) debet eius definitio ita assignari, vt conueniat etiam personæ diuinæ, in qua nimirum sunt formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices creaturarum.

QVINTO possumus contra Scotum argumẽ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tari,inquirendo de *fundamento* illius negationis. Nam aut illud est *sola realitas* naturæ singularis:& tunc licebit etiam eam negationem concipere de natura humana Christi, cùm illa quoque habeat realitatem singularem: & consequẽter ipsa quoque esset persona. Aut id fundamentum est *aliquid aliud* præter realitatem naturæ singularis: Et si ita est,hoc debuisset Scotus explicare,quod tamen non fecit.

Nec sufficeret pro Scoto respondere,esse quidem realitatem naturæ singularis fundamẽtum illius negationis:non tamen inde sequi,quòd vbicunque ea realitas naturæ singularis existit,liceat negationem illam de ipsa concipere: & rationem esse,quoniam illa negatio nõ nisi *contingenter* cum realitate singularis naturæ coniungitur: siquidem naturæ non repugnat oppositum illius negationis, scilicet *sustentari ab alio*. Quæ autem contingenter cũ aliquo fundamento seu caussa coniuncta sunt,ea non semper existere cũ caussa vel fundamento coniuncta. Vt v. g. negatio albedinis,quoniam contingenter coniuncta est cum corpore aliquo, non vbicunq; tale corpus est (v.g.paries)est etiam ei adiuncta negatio albedinis.

Hæc inquam responsio non sufficit. Nam loquimur in argumento nostro de *adæquato & sufficiente* fundamento negationis. Quo nimirum posito,semper licet de re concipere & intelligere negationem,etiam cùm negatio conuenit rei contingenter. Vt in allato exemplo, posita non modò realitate parietis, sed etiam caussa impediente in eo albedinem vel efficiente nigredinẽ (quæ caussa pertinet etiã ad adæquatũ negationis fundamentũ) semper licet intelligere, quòd paries nõ sit albus.De huiusmodi ergo adæquato & totali fundamento negationis argumentamur in proposito; quærentes ex Scoto, an illud sit *sola realitas naturæ singularis*, vel præterea etiam *aliquid aliud?* & tunc concludentes, aut esse in Christo creatam personam, aut personæ rationẽ non esse satis explicatam à Scoto. Quare meritò propter hoc & alia argumenta sententiam Scoti reiicimus, & præsertim propter tertium.

SECVNDA opinio est Gabrielis in 3. d.1. q.1. art.1.qui ex Ockami etiam sententia ponit, personam ad naturam singularem addere solam *negationem quadruplicis communicationis seu existentiæ in alio*.Itaq; Gabrielis opinione, persona nihil aliud est, quàm ipsa natura singularis, quatenus non existit in alio, neq; 1. vt *constituens* in constituto; neq; 2. vt *forma* substantialis vel accidentalis in subiecto; neq; 3. vt *pars* essentialis vel integralis in toto; neq; 4. vt *sustentatum* in sustentante,eo modo, quo humanitas sustentatur in Verbo diuino. Ac per negationem communicationis primæ,scilicet vt *constituens* in constituto,admonet Gabriel personæ rationem remouẽdam esse à natura diuina, quia est *constituens* vnâ cum relatione personam diuinam, tametsi ab ea non differat,nisi ratione.

Addit Gabriel, negationem huiusmodi quatuor communicationum,non esse prorsus *eodem modo* remouendam à persona. Nam communicatio primi & secundi modi (scilicet vt *cõstituens* in constituto;& vt *forma* substantialis vel accidẽtalis in subiecto) remouenda est à persona non solùm actu,sed etiam secũdùm *potentiam*. Communicationem aũt tertij modi, quod attinet ad partem *integralem*,dicit remouendam esse à persona tantummodò secundùm *actum*. Quod autem attinet ad partem *essentialem*; etiam secundùm *potentiam*. Communicatio autẽ quarti modi,scilicet vt *sustentatum* à sustentante,remouenda est à persona solùm secundùm *actum*.

Et rationem horum affert: Quoniam etsi repugnet Personæ,esse in aliquo,sicut constituens substantialiter vel essentialiter in constituto;vel sicut formam accidentalem vel substantialem in subiecto, & denique vt partem *essentialem* in toto; non tamen repugnat ei esse in alio, tanquã partem integralem. Quoniam substantia Ioannis v. g. quæ hodie est persona, si cras per nutritionem augescat,erit in alio,tanquam pars integralis in toto. Item neq; censet repugnare personæ,vt sit in alio tanquam *sustentatum* in sustentante:quoniam nihil impedit,quò minùs natura singularis Petri quoad realitatem & substantiam suam totam, quæ hodie est persona, assumatur & sustentetur cras à persona diuina, sicut sustentatur natura Christi. Vt igitur singularis natura intelligatur esse persona, satis esse putat Gabriel, si secũdùm *actum* quidem solum, ab ea remoueamus communicationem tertij modi, quod ad partem integralem attinet, atq; etiam communicationem quarti modi: communicationem autem aliorum modorum etiam secundùm *potentiam*.

Hæc sententia in eo, quo conuenit cum sententia Scoti; scilicet rationem propriam personæ contineri *negatione*,qua remoueatur à natura singulari existentia *in alio* sustentante,solùm secundùm *actum*, non autem etiam secundùm *potentiam*;iisdem argumentis, quibus illa Scoti refellitur,præsertim secundo, tertio, & quinto. In eo autem, quod opinio hæc peculiariter addit,à natura singulari, vt sit persona, remouendam etiam esse secundùm actum communicationem & existentiam in alio, tanquam partem *integralem* in toto;si de quacunq; parte integrali generatim,vt videtur,loquatur;*superuacanea* & *falsa* etiam est.

Superuacanea quidẽ: quoniam à realitate & substantia personæ non est opus remouere, nisi communicationẽ & inexistentiam in alio,à quo inexistens dependeat. Non dependet autem à toto quæcunq; pars integralis: sicut manifestè apparet in priore portione substantiæ Petri v. g. quæ præextiterat antè augmentum aliquod accedens per nutritionem. Si enim illud augmentum rursus in Petro pereat; tamen nihilominus manet tota illa prior substantiæ portio. Sicut etiam si abscindatur illi digitus.

Falsa quoque est illa opinio Gabrielis. Nam communicatio & inexistẽtia actualis in aliquo, sicut existit pars integralis quæcunq; in toto,nõ impedit, quò minùs perseueret *eadem* persona. Ridiculum enim & absurdum concessu videtur, quòd Petrus post augmentum,quod accesit illi per nutritionem, sit iam *alia* persona, propterea quòd portio substantiæ Petri, quæ antè erat, incipit cras esse integralis pars: Maximè cùm ab eiusmodi toto integrali, quod ex accessione illa extitit, non dependeat secundùm suum esse illa substantia, quæ heri fuerat.

TERTIA sententia est Henrici Gandauensis quodlib. 4. q. 4. Is putat, personam & naturam singularẽ eatenus solùm differre ratione, quoniam persona intelligitur & significatur nomine *concreto*, tanquam *Quod*, seu tanquam *habens* naturam: Natura aũt in *abstracto*,tanquam *Quo*, seu tanquam *habitum*. Itaq; eadem realitas naturæ, quatenus intelligitur vt *habens* (identicè) & participans humanitatem v. g. à sua caussa efficiẽte, est homo & persona:Vt autem intelligitur tanquam humanitas, quæ *habetur*, & qua illud habẽs est homo;est & dicitur natura. A qua sententia neque Durandus dissentire videtur in 1. d.34.q.1.præsertim n.25. & 26.

VERVM opinio hæc non videtur satis explicare posse,quemadmodũ natura humana in Christo nõ fuerit etiã persona. Vtroq; enim illo modo potest à nobis aptè eius realitas intelligi & significari, si suppositum seu homo non aliud sit, quàm quod declarat ista opinio. Certum enim est,de realitate humanę naturæ Christi posse verè intelligi, quòd *habet* & participat à caussa sua efficiente id totum, quod ipsa est,nõ minus quã quęlibet alia humanitas singularis. Quare si hoc est esse *personam & hominem* in concreto;etiam illa natura erit persona.

Neq; satis hoc dissoluit Durandus vbi suprà n.26.cùm ait,Christi humanitatem,cùm sustentetur in altero,non posse considerari vt *habẽtem*, sed vt *habitam*.Hac enim ratione solùm efficitur, humanitatem illam Christi non posse considerari vt personam & vt hominem,quatenus innititur quidem supposito diuino. Poterit autem (si illa opinio tertia vera est) verè nihilominus considerari vt persona sub alia ratione formali, nempe vt est *habens & participans* (identicè) illud totum,quod ipsa est, à sua caussa efficiente, non minus quàm natura alterius Indiuidui, quam eo ipso concedunt isti esse personam.

QVARTA opinio est Heruei quodlib. 3. q. 6. scilicet personam differre ratione à natura singulari, quoniam realitas ipsa naturæ est persona, vt consideratur cum *ordine quodam* ad accidẽtia sua, sine quibus naturaliter conseruari nequeat: quæ proinde accidẽtia ponit hæc opinio *connotari* per nomen personæ, non quasi ipsam personam constituant, sed tanquam extrinseca illi. Natura autem secundùm hanc opinionem est eadem ipsa sua realitas, vt consideratur præcisè sine illo ordine ad ea sua accidẽtia, sine quibus naturaliter conseruari nequit.

CONTRA hanc autem opinionem similiter obiici potest, quòd *ordo ille* ad accidentia, sine quibus natura conseruari nequeat, est etiam in natura singulari,qualem Christus habuit. Quapropter neq; ista opinio satis declarat,quemadmodum Christi humanitas nõ fuerit etiam persona. Nam cùm etiam habuerit accidẽtia naturaliter ipsam conseruantia; licebit realitatem ipsius cum illo ordine ad accidentia conseruantia intelligere.

QVINTA opinio est Capreoli in 3.d.5.q.3.personam propriè esse naturam singularem,vt consideratur cum ordine *ad existentiam propriam*,qui ordo non sit de ratione singularis naturæ,vt natura est. Et quãquam Capreolus & alij sequaces eius existiment, essentiam in creaturis realiter distingui ab existentia;non tamen ponunt secũdùm hanc opinionem personalitatẽ realiter distingui à natura,sed ratione solùm:quoniam existentiam illam dicunt non *intrinsecè* constituere cum natura personam, neq; propriè significari per nomẽ personæ; sed *connotari* tantùm tãquam aliquid *extrinsecum*. Ita,vt persona intrinsecè sit sola realitas naturæ singularis, vt consideratur cum ordine ad illam existentiam.

Verũ NEQVE hæc opinio mihi probatur. Aut enim loquitur de naturæ existentia *completa*;aut de existentia *qualicunque*, siue completa, siue incompleta; ad eum modum, quo cùm loquimur de substantia ipsa seu entitate, cuius existẽtia est modus, solemus dicere, aliam esse substantiam completam, vt personæ; aliam incompletam,vt naturæ vel formæ,&c. Si loquitur hæc opinio de existentia *completa*, explicãdum prius esset,quid desit entitatis re vel ratione distinctæ in natura humana singulari Christi, quò minꝰ habeat hæc etiam illum modum existẽtiæ completũ, quem habet in aliis Indiuiduis, quique est coniunctus cum personalitate propria naturæ, consistente in ordine *ad existentiam eiusmodi*.

Si autem loquitur opinio hæc de *qualicunque existentia*; non poterit explicari secundùm eam, quo modo humanitas Christi non habuerit etiã propriam personalitatẽ. Est enim longè verius, humanitatem in Christo habuisse propriam existentiam *incompletam saltem*,sicut Scotus in 3.d.1. q.1.& Durandus ead.d. q.2. & alij multi arbitrãtur. Nam secũdum veriorem sententiam, quam defendimus tomo 1.disp.1.q.3.p.4.Existentia nõ est nisi quidam essentiæ seu entitatis modus, qui, sola ratione formali distinguitur ab essentia seu entitate,etiam in creaturis; vt essentia nimirum sit res, quatenus consideratur secundùm prædi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cata, quæ illi absolutè conueniunt, abstrahendo à duratione temporis: Existentia autē sit eadem res, vt concipitur illa notitia & conceptu, quem explicamus per verbum (EST) vt significat præsens, quod vel nunc est, vel fuit, vel erit. Quò fit, vt in omni re, cuius essentia actualis à cæteris distincta, potest verè cognosci, liceat etiam coniūctam animaduertere existentiam completè vel incompletè, tanquam modum ipsius ei proportionatum, prout scilicet fuerit res completa vel incompleta. At certum est, humanitem Christi fuisse essentiam & entitatem quandam incompletam: Ergo habuit etiam existentiam aliquam incompletam sibi propriam & proportionatam.

Neq; sanè contrarium docet infrà S. Thomas q.17.art.2. Tantum enim ibi negat (vt ex corpore articuli, & ex solutionibus argumentorū colligi potest) fuisse in humanitate Christi existentiam *completam*, quę videlicet sit quidam modus *suppositi*. Et quicquid Caietanus illic dicat, præter existentiam eiusmodi completam, omnino D. Thomas cognouit existentiam aliam incompletam, quā potuerit etiam humanitas Christi habere propriam. Nam vt prætereā loca D. Thomæ à Caietano illic citata, in quibus id planè significare videtur, clarissimus certè locus est suprà q.2.art.6.ad 2. Ibi enim appellans existētiam seu Esse suppositi *Esse completum*, subiungit; humanitatem Christi assumptam fuisse ad *vnū Esse* diuinæ personæ; *non vt Esse*, inquit, *est natura, sed vt est suppositi*. Quibus verbis satis perspicuè indicauit duplicem existēdi modum, scilicet *completum* suppositi, & *incompletū* naturæ, quem humanitas Christi non acceperit à diuina persona, sed habuerit proprium. Quocirca illa Quæstio, quæ inter Scoti & D. Thomæ discipulos controuerti solet, Vtrum humanitas in Christo habuerit esse, seu existentiam *creatā*, facilè componi potest, distinguendo duplicem existentiam, sicut explicatum est.

SEXTA opinio est, personam addere formaliter ad naturam *existētiam per se*: ac proinde personam constitui ex natura singulari & *existentia per se*, quæ videlicet existentia sit modus quidam sola ratione formali à natura singulari distinctus. Atq; ita hæc opinio, quam plerique ex recentioribus sequuntur, ponit, existentiam *per se* intrinsecè pertinere ad personam, non autem extrinsecè tantùm connotari per nomen personæ, vti ponebat quinta opinio. A qua in eo etiam isti discrepant, quòd existentiam hanc *per se*, non distinguunt realiter à natura, vt distinguebat quinta opinio; sed sola formali ratione, vt dictū est.

IN hac verò sententia quædam sunt vitia, ob quæ mihi repudianda videtur. PRIMVM vitium est, quòd si loquatur propriè de existentia *per se*, vt est modus quidam rei, habens ordinē ad tempus *præsens*, quod sit, vel fuerit, vel erit: consequēter debet ponere, *primam substantiam*, quæ in rationali natura est persona, nō posse sine connotatione *præsentis durationis* intelligi. Id quod planè videtur falsum. Nam omnes gradus contenti in latitudine substantiæ, vsq; ad vltimum illum, qui constituit & complet substantiam primam, videntur esse naturâ & intelligentia priores illo *modo* connotante durationem præsentem; sicut etiam alij gradus superiores constituentes rationem genericam vel specificam substantiæ.

SECVNDVM vitium est, quòd vel hæc sententia loquitur de existentia *per se qualicunque*, quæ sit modus alicuius omnino entitatis substantialis, siue completæ, siue incompletæ: Aut de existentia per se *completa*, quæ scilicet non sit, nisi certæ cuiusdam rationis sufficientis ad constituendam personam cum natura singulari. Si loquitur de existentia per se *qualicunque*, iam antè in refutatione quintæ opinionis probatum est, existentiam qualemcunque esse proportionatè coniūctam cum entitate & essentia quauis. Quò fit, vt humanitas Christi, cùm sit entitas quædam & essentia substātialis *per se*, vt *per se* distinguitur contra *accidens*, consequenter habeat etiam *qualemcunque* existentiam per se, vt existentia *per se* distinguitur contra existentiam *accidentis in alio*, quod scilicet neque adæquatè, neq; inadæquatè per se existit, hoc est, quod neq; *solum* existit per se independenter ab alio, neque *constituit* intrinsecè vllum tale existēs per se; sed aduenit extrinsecè iam constituto.

Si autem opinio hæc loquitur de existētia per se *completa*, & certæ cuiusdam rationis, nempe eius, quæ sufficiat ad constituendam vnâ cum singulari natura personam, nihilo magis poterunt expedire se huius opinionis auctores. Nam cùm hæc opinio *sola ratione formali* huiusmodi existentiam per se distinguat à natura singulari; quærēdum est, quodnam sit obiectum, in quod propriè conuenit illa ratio formalis existentiæ per se eiusmodi? Si enim illud nihil aliud est, quàm realitas ipsa singularis naturæ; cùm hæc fuerit etiam in Christo, poterimus item ad humanitatē eius accommodare illam rationem formalem existentiæ per se, atque adeo ibi quoque intelligere creatam personam. Si autem obiectum eius rationis formalis est realitas naturæ singularis *connotato aliquo alio*, quod non sit in humanitate Christi; explicandum est, quidnam sit illud. Et certè *positiuum* aliquid nō videtur assignari posse ab hac opinione extra ipsam naturam. Quòd si dicatur esse *negationem* dependentiæ ab aliquo supposito, vt videlicet tunc intelligamus, naturam singularem habere illum modum existentiæ per se, atque adeo esse personam, quando ita in se existit, vt non sustentetur ab alio; incidet tūc hæc opinio in illud incommodum, ad quod deduximus suprà inter cætera opinionem Scoti; nimirum humanitatem Christi non tam fuisse in Mysterio Incarnationis exaltatam, quàm *depressam*: siquidem nisi fuisset à Verbo assumpta,

sine

sine vlla alia realitate superaddita, potuisset ipsa independenter ab alio ac per se existere illo modo, qui secundùm istam opinionem constituit formaliter personam.

Quæ sanè ratio inprimis me mouet, vt NVILAM in vniuersum opinionem probem, quę personam à natura singulari tantùm distinguat *ratione* includente seu connotante negationem aliquam dependentiæ ab aliquo alio supposito. Omnes enim opiniones, quæ sunt eiusmodi, incidunt in illud incommodum, quod ex illa opinione Scoti sequi dicebamus.

Quare vt hoc vitemus, & aliarum etiam opinionum, de quibus hactenus dictū est, difficultates euadamus, omnino eligendam esse puto sententiam, quæ personam creatam à natura singulari REALITER distinguat, tāquam *includentem* videlicet singularem naturam, & præterea *aliquid aliud* re à natura distinctū, quod propriè sit personalitas. Quam sententiam esse D. Thomæ manifestè Caietanus probat hic art.1. Et patet ex eo, quòd ibidem D. Thomas ex quadam Decretali Innocentij III. affirmat, Verbum diuinum *consumpsisse* humanam personam, id est, impediuisse, quò minùs aliquid in natura humana Christi esset, quod alioqui fuisset humana persona, sicut D. Thomas illic in responsione ad 3. eam Innocentij III. sententiam interpretatur. Atque etiam in corpore Articuli ait, si humana persona fuisset præintellecta in humanitate Christi antè eius assumptionem; futurū fuisse, vt persona humana posteà *corrumperetur*, ne alioqui in Christo concederentur iam duæ personæ, quod est erroneum. Ex quibus satis apparet, sententiā D. Thomæ includi in persona aliquid *re distinctū* à natura singulari, quod videlicet manente natura *corrumpi* & impediri posit.

SED quidnam sit in persona illud REALE à natura *realiter distinctum*, non satis compertum est. Itaq; duæ potissimum de hoc ipso feruntur opiniones, quas nunc examinare oportebit. Ergo SEPTIMA opinio in ordine est, personam esse naturam singularē cum *affectione quadam & modo*, quem contrahit ex accidentibus: qui modus realiter ab ipsa natura singulari distinguatur; tametsi non vt *res à re*, id est, non sicut duæ res completæ in aliqua specie vel genere. Nam distingui illum modum à natura singulari, sicut *rem à re* (transcendentaliter seu communiter *rem* accipiendo) non negaret, vt puto, hæc opinio, quandoquidem ponit distinctionem *realem*, id est, secundùm quam antè omnem operationem intellectus vnum *actu & reipsa* non est aliud.

HANC verò opinionem recitant & refellunt Herueus & Ioannes de Neapoli, quos Caietanus artic.2. hic commemorat, & præterea etiam Durandus in 1.d.34.q.1. neq; sanè immeritò. PRIMO. Quoniam accidentia non sunt in subiecto, nisi vt *formæ* quædam: Ex inhæsione autem formę nihil subiectum accipit præter ipsam realitatem formæ. Quod enim aliquid distinctum à causa proficiscatur in subiectum, est proprium *Efficientis*, non autem *formæ*, sicut rectè Durandus vbi suprà argumentatur. Quare videtur omnino cōmētitius esse ille modus seu *affectio*, quam ista opinio ponit ex accidentibus resultare in naturā.

SECVNDO. Nam quicquid posterius est inhęsione accidentium in subiecta, præsertim si ab ipsis oriatur, est *accidentale*. At realitas, quæ cum natura singulari constituat personam, nō potest esse aliquid *accidētale*. Ergo, &c. Maior probatur. Quoniam accidentia, & quod posterius accidētibus est, *adueniunt* substantiæ iam constitutæ tāquam subiecto accidētium. Minor verò probatur. Quoniam persona est *prima substantia*, extra cuius rationem constat esse quoduis accidens, cùm sit alterius Prædicamenti.

TERTIO. Nam si maximè talis affectio seu modus admitteretur; tamen non apparet ratio, cur nō etiam fuerit in Christo: siquidem eius humanitas eodē etiā omnino modo videtur habuisse accidentia sibi inhærentia, quo naturæ reliquæ.

OCTAVA opinio est, personalitatem esse naturæ quendam *terminum & complementū substantiale*, quo perficitur vltimò & constituitur *substantia prima* completa: qui terminus seu complementum differat reipsa à natura singulari, tanquam id, quod terminat & complet naturalem ipsius dependentiā ab *vltimo termino* in latitudine substantiæ. Quam opinionem referūt Scotus & Ioannes Neapolis, eamq; sequitur Caietanus hic artic.1. Et mihi præ aliis probatur, hoc solùm excepto, quòd *existentiam suppositi* seu personæ non putem esse actualitatem aliquam realiter distinctam ab entitate naturæ *singularis* & huius *substātialis termini*, ex quo existit persona, sicut Caietanus falsò putat; sed tantùm *ratione*, iuxta ea, quæ in refutatione quintæ opinionis suprà dixi.

Ratio autem, cur istam opinionem sic intellectam eligam, est: Quoniam rectè cum ea consonant, quæ de dignitate huius Mysterij prædicari solent, quorum suprà contra Scotum fecimentionem. Item secundùm illam facilè intelligitur, quemadmodum persona contineat aliquid *substantiale* eiusmodi, cui omnino repugnet secūdùm entitatem suam communicari aut esse *in alio*, à quo dependeat. Sicut definitio illa personæ (*scilicet rationabilis naturæ incommunicabilis subsistentia*) planè videtur indicare, vt argumentati sumus contra Scotum.

Neq; refert, quo vocabulo appelles *terminum illum & complementum substantiale*, quod personalitatem dicimus; vtrū scilicet *modum* singularis naturæ vel *subsistentiam* (hoc est, id *quo* completè demùm natura subsistit) vel terminum *vltimum* in latitudine substantiæ, vel aliud eiusmodi; modò intelligatur ipsa res: Nempe terminū illum substantialem, quem personalitatem dicimus, eiusmodi perfectionis esse, vt si ad naturam singularem accedat, per ipsum illa, quocunq; alio

Universidad de Deusto
Biblioteca

circumscripto, in rerum natura cohæreat; sitq; proinde ei termino hoc essentiale, vt repugnet ipsi sustentari *in alio*, adeoq; naturæ singulari etiam, quatenus per terminũ illum est completa.

Et accedit ad probabilitatem huius sentẽtiæ, quod non modò rectè (vt diximus) cum his cohæreãt, quæ de hoc Mysterio prædicari solẽt, sed omnia etiam argumenta, quæ contra ipsam opponi solent, facillimè dissoluantur. Nam quod PRIMO potest obiici, fore tunc aliquam realitatem substantialem in materiali natura, quæ neque sit *materia*, neq; *forma*, nec *compositũ* ex vtraque: Si *directè* intelligas, verum est: *Indirectè* autẽ & *reductiuè* dici potest, personalitatẽ istiusmodi pertinere ad *compositũ* ex materia & forma. Nam si per compositum intelligas naturam singularẽ vt in *abstracto* significatur, eatenus ad illam hæc personalitas reducitur & pertinet, quatenus est naturalis terminus & complementũ eius. Si aũt per compositũ intelligas *cõpletã hypostasin seu suppositũ*; ad illud hęc personalitas reducitur tanquã vltimum *constitutiuum* eius, vt ex prædictis patet.

Nec Philosophus negare voluit, esse aliquid substantiale, quod non *directè* sit *materia* aut *forma*, aut natura ex ipsis *composita*: sicut satis apparet ex his, quæ rectè disputat Caietanus hîc ar. 2. cùm docet, Philosophũ potius subindicasse istũ terminũ substantialem, dinidens in 5. Metaphys. & in Prædicamento *substantiæ*, substantiam in *primam & secũdam*, hoc est, in *essentiam* & hypostasin seu *suppositum*. Sicut enim sentẽtiâ Philosophi essentia constituitur per gradũ aliquem positiuũ substantialem: ita etiam ex eiusdẽ mente intelligere debemus constitui hypostasin seu *primam substantiã* (quæ maximè substantia est) per gradũ etiam aliquem & terminum *vltimũ substantialem*.

Neq; valet, si obiicias, primã substantiam Philosopho esse non nisi naturam ipsam *singularem*, cùm singularitas faciat, vt natura, quatenus singularis est, non sit substantia secunda. Non, inquam, hæc obiectio valet. Nam inter substãtiam secundam & primam *completam*, qualem intelligere potuit Philosophus, media esse potest substantia prima *incompletè & reductiuè*, quæ nimirũ sit natura vt *singularis*. Cũ enim ex natura vt singulari, inprimis constituatur suppositum accedente personalitate, sicq; demùm fiat substantia prima *completa*; non incommodè natura singularis ad primã substantiam reuocabitur, tametsi nõ sit ipsa sola *directè & completè* substãtia prima.

Quòd si fundamentũ quæras, cur ita de diuisione substantiæ, atq; adeo de ratione suppositi philosophemur? Respondeo, illud præcipuè esse positũ in reuelata doctrina de hoc Incarnationis Mysterio, quæ & naturale lumen (vt in aliis materiis) illustrat, & tum demũ rectè consistit ac defenditur, si sic ratiocinemur, præsertim cũ ista quoq; secundũ naturæ lumẽ æquè probabiliter atq; alia, videantur de his rebus disputari posse.

Sic etiã QVAE Aureolus, Scotus, Gabriel, atq; alij contra hanc sententiam obiiciunt, facillimè explicantur. Ac SCOTVS quidem in 3. d. 1. q. 1. quadrupliciter argumentatur. PRIMO. Quoniam ex hac sententia consequeretur, aliquã esse realitatem à persona diuina *inassumptibilem*, nempe illã personalitatẽ, quam ponimus realiter à natura distinctam. Consequẽs est falsum. Ergo & illud, ex quo sequitur. Minorẽ probat dupliciter. *Primò*: Quoniam iuxta Damasceni lib. 3. fidei Orthodoxæ cap. 6. *q̃ est inassumptibile, est incurabile*. Atq; ita fieret, vt si persona humana ratione illi⁹ personalitatis esset inassumptibilis, omnino esset etiam incurabilis. *Secũdò*: Quoniam omnis omnino res respectu personæ diuinæ habet potentiam *obedientialem*, secundùm quam posset à persona diuina assumi & sustentari.

RESPONDEO negando Minorem. Ad *primam* probationem aio, Damasceni dictũ intelligendum esse de eò, q̃ secundùm naturam *speciei sua* est inassumptibile nempe *decenter*. Persona autẽ humana sic non est inassumptibilis: quoniam secũdùm *naturam suam specificã* assumi potest, licet non secundũ personalitatẽ. Ad *secundam* probationẽ respondeo, potentiã *obediẽtialem* creaturæ non esse respectu eorũ, quę implicant contradictionẽ: implicat aũt, vt personalitas assumatur, sicut rectè ostendit Caietanus: quoniã eius videlicet ratio est omnino talis, vt non dependeat ab alio sustentante; sed ipsa per se cohæreat sufficienter in rerum natura, quando ad naturam singularem accedit.

SECVNDO argumẽtatur Scotus, quòd sequeretur, naturã humanã in Christo caruisse *actualissima* quadã sui p̃fectione, videlicet illo *termino vltimo substãtiali*. Ex quo rursus cõsequẽs videtur, q̃ Christus non fuerit propriè & vniuocè homo.

RESPONDEO, verum esse primũ Consequẽs, si per *actualissimã* perfectionẽ intelligamus *vltimã* naturæ perfectionẽ ad suppositum pertinentem. Quanquã & hoc negat Caietanus, propterea quòd vltrà terminũ illum substantialẽ ponit actualitatẽ *existentiæ suppositalis* ab eo termino realiter distinctam; sed falsò, vt suprà dixi. Quod verò rursus colligebatur, non esse Christũ propriè & *vniuocè* hominem; minimè consequitur. Propriè enim & vniuocè homo est is, qui nulla p̃fectione caret, ex qua constituatur intrinsecè natura humana; nulla autem tali caret Christus.

TERTIO obiicit Scotus, inde esse consequẽs, vt non posit natura humana â Verbo diuino *dimitti*, quin producatur in illa peculiaris & *distincta realitas*. Hoc autẽ videtur absurdũ. Ergo. Sequela p̃batur. Quoniã natura humana si à Verbo dimitteretur, neq; corrumperetur, esset persona, & secũdùm hanc opinionẽ persona includit realitatem peculiarem à natura distinctam.

RESPONDET bene Caietanus & Gabriel vbi suprà, negando Sequelam. Etsi enim secundùm legem ordinariam à natura dimissa flueret, seu emanarat personalitas, virtute nimirũ suæ causæ efficientis, quæ illam primò produxit; tamẽ per potentiam Dei absolutã sine implicatione posset natura singularis *conseruari* absq; vlla personalitate, vel propria, vel aliena. Quare falsò sumit Scotus in probatione Sequelæ, quòd natura dimissa esset persona, tanquam hoc esset prorsus necessarium.

Atque ex hoc patet, verisimum esse, quod QVARTO infert ex nostra sentẽtia, videlicet fieri posse, vt natura secundùm speciem suam completa, conseruaretur à Verbo dimissa, neque tamen esset persona. Cõcedi enim simpliciter debet istud Consequens, sicut Caietanus, Gabriel, & alij rectè faciunt.

AVREOLI verò argumenta præcipuà, apud Capreolum in 3. d. 5. q. 3. & Caietanũ hîc ar. 2. sunt quatuor. PRIMO. Quoniam vt Damascenus ait, assumpsit Verbum diuinũ, *quicquid in natura nostra plantauit*. Ergo nulla est omnino realitas naturæ adiuncta, quæ sit per se incommunicabilis & inassumptibilis, & quæ à natura distincta constituat personam, vt nostra ponit opinio.

RESPONDET bene Caietanus, Damasceni sententiam esse intelligendam de his, quæ sunt *plantata* in natura, quatenus natura distinguitur à persona, & vt præcisè intelligitur circumscripta omni consideratione personæ. Quã interpretationem rectè Caietanus colligit ex eo, quòd aliâs Damascenus docet, ea, quæ pertinent ad naturã, esse in Christo *duplicata* propter naturã eius duplicem, diuinam & humanam: quæ autem pertinẽt ad personam, esse in illo *simplicia*. Hinc enim licet colligere, cùm Damascenus ait generatim, fuisse à Verbo assumpta, quæ ad *naturam* spectãt; similiter ipsum considerare naturam præcisè, circumscripta ratione personę, atque adeo illius entitatis, quæ est personalitas.

SECVNDO obiicit Aureolus, quòd omnis realitas est Ens, & consequenter quidditas & *natura*, vt habetur 7. Metaphys. Sed omnis *natura* est à Verbo assumptibilis. Ergo omnis realitas: atque adeo fictitia est realitas illa superaddita naturæ, quæ sit personalitas inassumptibilis.

RESPONDEO ad Minorem cum Caietano, non omnem naturam seu quidditatẽ, quæ transcendentaliter *naturæ* dici possit, esse *assumptibilem*; sed naturam *completam*, quæ aliqua certa & determinata specie contineatur. Huiusmodi autem natura non est personalitas, cùm non sit nisi *modus* quidam naturæ specificæ, nempe humanitatis.

TERTIO. Quòd sequeretur ex nostra sententia, Verbum diuinum non esse verè hominem: quoniam neque illa personalitas, quam ponimus per Verbum suppleri, est homo, sed terminus tantum humanæ naturæ.

RESPONDEO, falsam esse Sequelam. Nam vt suprà docuimus, illud est verè homo, quod verè & propriè est *habens* humanitatem. Tale autem est Verbum, non propriè, vt supplens personalitatem creatam, quasi hæc sit homo (vt falsò imaginatus videtur Aureolus asseri per hanc sententiam) sed vt *terminat* dependentiã naturæ humanæ. Personalitas autem, quam Verbum supplet, idcirco *homo* verè non dicitur, quoniam non est aliquid per se completũ, quale oportet esse *illud habens humanitatem*, quod hominẽ dicimus. Atq; ita non ipsam personalitatem creatam, sed constitutum ex ipsa (vt est terminus substantialis vltimus) & natura singulari dicimus esse hominem, quoniam hoc est aliquid completè subsistens & habens humanitatem.

QVARTO sequeretur, ait Aureolus, *primã substantiam* acceptam pro supposito, non subsistere per se, sed *per aliud*: quia secundùm hanc opinionem nõ per essentiam propriam subsistit; sed per realitatem *additam*.

RESPONDEO, Sequelam esse absolutè falsam. Nam realitas illa *intrinseca* est *primæ substantiæ* cõpletæ, atq; ita, quod per illam competit primæ substantiæ, nõ competit ipsi per aliud. Quanquã verum est, primam substantiam per naturam etiam *subsistere*, vt *subsistentia* distinguitur contra *accidens*; non autem vt subsistentia est *modus completæ substantiæ*, quam suppositum dicimus.

GABRIEL quoq; 3. d. 1. q. 1. cùm ad argumẽta Scoti respondisset, cõtra hanc nostrã sententiam de distinctione *reali* personalitatis & naturæ singularis; propter duo tamẽ argumenta iudicauit, eam sententiam defendi non posse. PRIMVM est: Quoniam oportebit etiam ab hac opinione admitti aliquam peculiarem realitatẽ distinctam à natura assumpta, & à persona diuina, qua contineatur vtriusq; *vnio*; alioqui non poterit secundùm hanc opinionem explicari, quemadmodũ natura humana non æquè sit vnita Patri, aut Spiritui sancto, aut Angelo, aut cuicunq; alteri rationali naturæ ab ipsa *indistanti* secundùm locũ: si autem eiusmodi peculiaris realitas ab hac opinione admittatur, erit secũdùm illam planè superuacanea: siquidem idcirco asserit hæc opinio personalitatẽ esse realitatem distinctã à natura *singulari*, vt non sit necesse ad explicandã *vnionem* naturę humanę cũ persona Verbi diuini, ponere aliquã entitatem peculiarẽ, qua *vnio* contineatur; sed intelligatur facta ea vnio hoc ipso, quòd Verbum suppleuerit realitatẽ illam personalitatis distinctam à natura *singulari*. Porrò verò quomodo Gabriel p̃bet illud quod assumit, scilicet nisi ponatur illa Realitas *media* vnionis, declarari secundùm hanc opinionem non posse, quẽadmodum natura humana non æquè sit vnita aliis personis diuinis, &c. minimè reperio in ipso Gabriele; nisi quod falsò supposuit, seclusa tali Realitate non posse hanc opinionem, quæ personalitatem à natura realiter distinguit, *vnionem hypostaticam* naturæ humanæ & personæ diuinæ in aliquo alio constituere, præterquam in sola *indistantia locali* cum defectu personalitatis creatæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atque ex hoc eodem errore ducit itidem SECVNDVM argumentum contra nostram sententiam, scilicet consequens esse ex illa, quòd posset fieri *transitus* ab vno contradictorio in alterum sine vlla prorsus rei mutatione: ita videlicet, vt absq; mutatione vel personæ diuinæ, vel naturæ humanæ, queat verè dici & intelligi, quòd natura humana sit vnita Verbo, cùm anteà nō fuerit; vel è contrario, vt desinat esse vnita, cùm anteà fuerit vnita. Et Sequelam declarat ponendo casum, quòd natura humana, antequam assumatur, sit producta diuinitùs absq; propria personalitate, & postea primùm assumatur: vel quod posteaquam fuerit assumpta, dimittatur sine realitatis alicuius productione. In his, inquit, Casibus neque mutaretur persona diuina, cùm sit prorsus immutabilis; neq; etiam natura humana, cùm, vt ponimus, nulla realitas ei vel per assumptionem accedat, vel decedat per dimissionem.

Verùm vt ista Sequela Gabrielis speciem aliquam haberet, oporteret ipsum ab authoribus istius opinionis obtinere non tantùm quòd illi casus sint possibiles, & quòd vnio nulla realitate peculiari præter realitatem naturæ humanæ & personæ diuinæ contineatur (quæ duo facilè cōcedētur) sed etiam hoc ipso naturam humanam intelligi vnitam esse personæ diuinæ, quod ab ea localiter non distat, & creata personalitate careat. Nam si quæ alia ratio istius vnionis assignetur; penes mutationem illius docere poterit illa opinio, quemadmodum fieri possit transitus à contradictorio in contradictorium, admissis illis casibus, quos Gabriel ponit. Cùm autē hi, qui personalitatē à natura singulari realiter distinguunt, minimè id Gabrieli cōcedere astringantur (scilicēt vnionem consistere in sola indistantia illa cum defectu personalitatis creatæ) minimè valent hæc ipsius argumenta.

Quare ad PRIMVM negandum est Assumptū. Quamuis enim hæc nostra opinio non ponat realitatem peculiarem *vnionis* vltrà naturam & personam (iuxta dicta quæst. 2. puncto quinto) docet tamen, naturam humanam eo esse vnitam hypostaticè Verbo diuino, quod singulari Dei voluntate atque potentia fit, vt *dependeat* à personalitate Verbi; illius certè dependentiæ modo, quo dependisset à personalitate propria, quam idcirco Verbum diuinum supplet. Quod quidem aliud non est, quàm voluntate ac potentia diuina fieri, vt natura illa humana hoc ipso, quòd est in diuino Verbo, subsistat atque cohæreat in rerum natura. Ex quo facilè intelligitur, non ideo naturam humanam esse perinde vnitam hypostaticè personæ Patris aut Spiritus sancti, quia ab illis etiam non *distet*: oporteret enim præterea ipsam ex vi personæ Patris aut Spiritus sancti *subsistere* secundùm illam peculiarem rationem dependentiæ, qua minimè à Patre & Spiritu sancto dependet, sed à solo Verbo. Et multò minus dependet sic etiam ab aliis creaturis, quæ ab ipsa *localiter non distant*.

Ad SECVNDVM similiter neganda est Sequela. Etenim admissis etiam illis casibus, poterit de nouo natura vel *vniri* personæ diuinæ, vel ab ea *dimitti* secundùm aliquam *mutationem*; non quidem *personæ diuinæ*, aut naturæ *humanæ absolutè*, sed prout *existit in tempore*, atque adeo etiam ipsius *temporis*. Nempe si ponamus, voluntate ac potentia diuina singulariter fieri, vt natura humana à certo quodam tempore incipiat subsistere & cohærere in rerum natura ex vi perfectionis *suppositalis*, quæ est in persona diuina, tanquam terminantis illius naturalem dependentiam; vel vt à certo quodā tempore incipiat subsistere, non iam ex vi suppositalis perfectionis personæ diuinæ, vt anteà; sed per *solam efficientiam* Dei, quatenus potest ille velut caussa efficiens naturam humanam conseruare etiam absq; vllo termino suppositali. Hac inquā ratione per mutationē *temporis*, atq; adeo etiā humanæ naturæ, *prout existit quidē in hoc & in illo tempore*, & prout in illa variatur accidens illud pertinens ad Prædicamentū *Quando*, potest de nouo verè dici & intelligi, quòd natura humana, cùm anteà nō fuisset assumpta & vnita Verbo, incipiat esse vnita & assumpta; vel quòd desinat esse, cùm anteà fuisset, iuxta hypotheses illorum casuum.

Quæ res ex eo etiam, quod Gabriel notauit in refutatione cuiusdam tertiæ instantiæ Gregorij Ariminensis, confirmari & explicari potest. Fatetur enim, sola temporis mutatione diuinitùs fieri posse, vt lumen v.g. quod in medio aëre cōseruatur, incipiat depēdere à candela ardente in eodem loco, cùm anteà ab illa non dependisset; idque nulla reali mutatione facta vel in candela *absolutè*, vel in *lumine*: nempe si ponamus, Deum voluisse, vt lumen illud à certo quodā tempore cōseruaretur etiam ex vi candelæ ardentis, cùm anteà per ipsius efficaciam non conseruaretur: vel vt à certo quodam tempore desineret virtute ipsius candelæ conseruari, permaneretque per *solam* efficaciam diuinę virtutis, cùm priùs etiam virtute candelæ fuisset conseruatum. Itaque quemadmodum hìc per solam mutationē *temporis*, atq; adeo luminis etiam *prout existit quidem in tempore*, potest transitus intelligi à cōtradictorio in contradictorium secundùm dependentiæ modum à candela, tanquam à caussa *efficiente*: ita etiam in nostro proposito per solam mutationē temporis, atque adeo humanæ naturæ, *vt existit in tempore*, poterit opinio nostra explicare transitum à contradictorio in cōtradictorium secundùm modum dependentiæ *suppositalis* in illis casibus positis à Gabriele.

NEC obstat, quòd idem Gabriel disputans eodem loco contra Gregorium Ariminensem, negat, mutationem aliquam temporis in proposito posse esse caussam, cur natura humana incipiat esse diuinæ personæ vnita, cùm antè non fuerit, aut è contrario. Sine ratione namq; hoc ille negat. Quod enim obiicit, quocunque tempore assignato, quo dicatur incipere esse aut nō esse vnita natura humana, *potuisse* ante id tempus incipere esse aut non esse vnita: Solùm conuincit, nullam *determinatam* mutationē durationis pro certo & determinato aliquo tempore posse assignari tanquam caussam *vnicam & necessariam* illius transitus, sic, vt non etiam possit absolutè illius caussa esse mutatio *alia* durationis *pro alio tempore* priori vel posteriori. Hoc autē nihil obstat, quò minùs mutatio cuiusuis temporis possit pro voluntate Dei esse caussa illius transitus sufficiens, tametsi nō *illius solius temporis* mutatio, sed tamen illius *etiam*; sic, vt eiusmodi transitus sine contradictione intelligi queat.

Quòd si nondum aliquis penitùs assequitur, quemadmodum possit fieri voluntate Dei, vt natura humana non aliter, quàm secundùm *tempus* mutata, pendeat vno tempore hypostaticè à diuina persona; alio verò tempore non pendeat: considerare is debet, *tempus* non esse rem, quæ prorsus impertinenter se habeat ad hoc, quòd dicimus naturam humanam à diuina persona hypostaticè *dependere*. Cùm enim hoc modo natura pendeat à persona diuina secundùm suam *existentiam*; ratio autem formalis existentiæ, vt suprà dictum est, connotet *tempus*; consequens est, vt ratio etiam huius dependentiæ habeat respectum quendam ad tempus. Quare licet absolutè quidem & *secundùm rem* eadem sit natura pro tempore, quo ex volūtate Dei pendere eam ponimus à persona diuina, & pro tempore, quo ab ea non penderet; tamen non est prorsus eadem ipsius ratio formalis, quatenus à persona diuina est *dependens*, vel *non dependens* secundùm propriam suam *existentiam*. Vnde illa affirmatio & negatio dependentiæ naturæ humanæ à persona diuina, quæ pro diuersis temporibus in casibus prædictis de natura humana verificaretur, non esset omni modo de *eodem*, & proinde contradictione careret, posset que voluntate diuina, iuxta modum prædictum consistere.

SECVS verò iudicandum esset, si ageremus de aliquo attributo creaturæ, ad quod impertinenter se haberet tempus. Tunc enim propter *solam* temporis mutationem nō posset illud vno tempore competere creaturæ, & alio non; ne per potentiam quidem & voluntatem diuinam. Nam quamdiu obiectum diuinæ voluntatis secundùm suam rationem formalē ex omni parte habet se eodem modo, quo priùs; si priùs illud cadit in diuinam voluntatem, postea itidem cadit: cùm ex parte diuinæ voluntatis nulla possit accidere mutatio. Vnde in 2. tomo in materia de Iustificatione, necessariò colligebamus, sine mutatione hominis, quoad ipsius *bonitatem* aliquam *durabilem* seu *habitualem*, fieri non posse, vt vno tempore verè intelligeretur esse dilectus à Deo dilectione durabili, cùm anteà non fuerit: aut è contrario, vt vno tempore desinat esse sic dilectus Deo, cùm anteà fuerit. Nam ad hoc, quòd homo sit vel non sit *dilectus* à Deo impertinenter se habet ipsum tempus nudè consideratum sine varietate rerum, quæ solent homini accidere in varietate temporis. Homo enim obiectum est vel non est diuinæ dilectionis supernaturalis, non vt *existit* hoc aut illo *tempore*, sed vt est, aut non est in se *bonus*.

Quam rem neque Gregorius in 1. distin. 28. quæst. 2. neque Gabriel in 3. distinct. 1. quæst. 1. animaduertisse videntur, cùm concedant solam mutationem *temporis* in caussa esse posse, vt vno tempore Spiritus sanctus alicui donetur *per gratiam*, & alio tempore non item. Quanquam Gabriel quidem idcirco maiori reprehensione hac in parte dignus est, quod cùm id, tametsi falsò, concedat; negat tamen, solam mutationem temporis similiter in caussa esse posse, vt vno tempore natura humana sit personæ diuinæ vnita, ab eaque hypostaticè dependeat, alio verò non item. Et tamen hoc potiùs debuit concedere, non autem primum de Spiritus sancti donatione; idque propter disparitatem à nobis assignatam: Nempe, quia tempus pertinenter se habet in proposito ad *dependentiam* naturæ, impertinenter autem ad *inhabitationem* Spiritus sancti in hominis mente *per gratiam*.

Itaque videtur opinio illa OCTAVA, quæ personalitatē realiter à natura singulari distinguit, adeoque *positiuam* vtriusque rationem assignat, nullis argumentis reuinci. Qua cōstituta, PRIMO apparet, meritò fecisse nos suprà q. 1. p. 2. cùm posibilitatem huius Mysterij probauimus, tum ex eo, quòd natura singularis habet rationem *priorem* ratione personalitatis, ideoque potest sine propria personalitate poni: tum etiam ex eo, quòd personalitas diuina *eminenter* continet, quicquid perfectionis est in personalitate creata ad terminandū suppositandumque naturam. Nam iam ostendimus, verum id esse, quod in his probationibus necesse fuit supponere, scilicet personalitatem etiam habere suam quandam peculiarem rationem *positiuam*, perfectionemque sufficientem ad terminandam naturam.

DEINDE per illam octauam sententiam satis superque intelligitur id, quod nunc agimus, scilicet non assumpsisse Verbum diuinum *personam* humanam, tametsi assumpsit quidem naturam humanam *singularem & individuam*.

Id quod breuiter etiam attigimus tomo 1. quæst. 3. de Trinitate, punct. primo.

PVNCTVM

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM TERTIVM.

Qualis humana natura fuerit aſſumpta à diuino Verbo.

D. Thom. art. 4. 5. 6.

EX iis, quæ ſuprà quæſt. 2. punct. 1. diſputata ſunt, vt contra diuerſos errores veritatem naturæ non tantùm diuinæ, ſed etiam humanæ in Chriſto defenderemus, ſatis conſtat illud, quod B. Thomas hîc art. 4. & 5. facilè probat & declarat. Nempe Verbum diuinum non aſſumpſiſſe humanam naturam *abſtractam* ab omnibus indiuiduis, ſecundùm Eſſe, quod habet in intellectu, aut talem, qualẽ imaginabatur Plato; nempe illam commentitiam, quæ reipſa exiſteret *vniuerſalis*. Néque etiam aſſumpſiſſe eam in *omnibus Indiuiduis*. Tunc enim in omni natura humana ſuppleuiſſet Verbum perſonalitatem creatam; atque ita nulla eſſet omnino perſona creata humanæ naturę in aliquo homine; quod conſtat eſſe falſum: Sed aſſumpſiſſe naturam humanam *realem & ſingularem*, *atq; diſtinctam* à qualibet alia alterius hominis. Alioqui non eſſet Verbum verus homo *indiuiduus*, qualem ſecundùm fidem eſſe neceſſariò credendum eſt. Vt patet ex his, quæ diſputata ſunt loco citato, ac peculiariter ex illo loco Baruch. 3. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Quo ex teſtimonio ſatis apparet, vnigenitum Dei filium *hominem ſingularem* fuiſſe, quales ſunt alij. Qua de re videndus eſt item Damaſcenus libro 3. fidei Orthodoxæ, cap. 11.

Fuit verò etiam conueniens, vt Verbum diuinum aſſumpſerit naturam humanam ſingularem, non aliunde procreatam; ſed ex ipſa *ſtirpe* ADAE, vt facilè oſtendit D. Thomas hîc, art. 6. & nos ſuprà latiùs confirmauimus q. 1. p. 4. Quo etiam loco aſſeruimus, congruenter quoq; eam naturam fuiſſe aſſumptam ex B. Virgine.

A Porrò quamuis diuinum Verbum non niſi illam humanitatem *ſingularem* & ex *Adæ* ſtirpe, & ex *Virgine* aſſumpſit; tamen negari non poteſt, quin perinde etiã potuerit aſſumere aliam humanitatem, quamcunq; vellet, vt patet manifeſtè ex iis, quæ præced. quæſt. punct. 2. diſſeruimus de infinita virtute diuinæ perſonæ ad aſſumendam quamcunque naturam.

Itaque deſipuit planè VViclephus hoc negans, teſte Thoma VValdenſi lib. 1. doctrinalis fidei art. 3. cap. vltimo. Veriſsima namque & orthodoxa eſt illa ſententia ſancti AVGVSTINI libro 13. de Trinitate, cap. 18. *Poterat vtique Deus hominem aliunde ſuſcipere, in quo eſſet Mediator Dei* B *& hominum, non de genere illius Adæ, qui peccato ſuo genus obligauit humanum: ſicut ipſum, quem primò creauit, non de genere creauit alicuius. Poterat ergo vel ſic, vel alio, quo vellet, modo, creare vnum alium hominem, de quo vinceretur victor prioris. Sed melius iudicauit, vt de ipſo, quod victum fuerat, genere aſſumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum.*

Nec fuit vllius momenti ARGVMENTVM VViclephi à VValdenſi relatum: Quòd ſcilicet, ſi Verbum diuinum potuit *aliam* humanitatem aſſumere; Chriſtus potuiſſet eſſe *alius homo*, & per conſequens alia perſona. Conſequens autem eſt impoſsibile, cùm nequeat diuina Chriſti perſona eſſe alia *perſona*, quàm eſt.

C Sed RESPONDETVR per diſtinctionem facillimè. Potuit enim Chriſtus eſſe *alius homo & alia perſona*, non ratione ſubſiſtentiæ perſonalitatis diuinæ (quæ inuariabilis eſt) ſed tantummodò ratione humanitatis aſſumptæ, & ſubſiſtentis in perſona Chriſti diuina: ſiquidem potuit aſſumi alia humanitas, vt dictum eſt.

QVAESTIO

QVÆSTIO QVINTA.

De Modo Incarnationis quoad naturales partes humanæ naturæ aſſumptæ.

D. Thom. 3. part. quæſt. 5.

QVOD D. THOMAS EX ORTHODOXA DOCTRINA HIC aſſerit artic. 1. & 2. ſcilicet diuinum Verbum aſſumpſiſſe verum humanumq; corpus, ſuperiùs nos opportuno loco confirmauimus quæſt. 2. punct. 1. cùm aduerſus hæreticos aſſereremus veritatem humanæ naturæ in Chriſto. Atque ibi etiam probauimus, aſſumpſiſſe Verbum animam rationalem, quod hîc S. Thomas tradit artic. 3. Ex quo item eſt conſequens, aſſumpſiſſe etiam Intellectum, tanquam naturalem potentiam animæ rationalis, vt facilè oſtendit hîc D. Thomas artic. 4. & patebit magis ex iis, quæ trademus infrà quæſt. 18.

Quocirca ſolùm ſuperſunt hîc duo explicanda, quæ poſſunt referri ad articulum 2. PRIMO, *An Verbum diuinum ſic aſſumpſerit verum corpus humanum, vt etiam cum illo hypoſtaticè aſſumpſerit ſanguinem.* SECVNDO, *An etiam aſſumpſerit corpus humanum non modò verum quoad partes eius ſubſtantiales & integrales; ſed etiam præditum ſuis naturalibus proprietatibus & accidentibus, atque adeo etiam præſentia extra Sacramentum in vno tantùm loco pro vno tempore, non autem vbique locorum.*

PVNCTVM PRIMVM.

An Verbum diuinum ſic aſſumpſerit verum corpus humanum, vt etiam cum illo hypoſtaticè aſſumpſerit ſanguinem.

D. Thomas artic. 2.

DVRANDVS in 4. diſt. 10. q. 1. nu. 19. *conſtare* dicit, quòd Sanguis nõ pertinuerit ad *identitatẽ* (vt inquit) *Suppoſiti Chriſti.* Et rationem huius eſſe ait: Quia ſanguis non informatur ab anima rationali, atque adeo non eſt pars corporis humani; ſed alimentũ eius. Ergo non pertinet ad identitatem Suppoſiti Chriſti, atq; adeo non eſt hypoſtaticè aſſumptus ab eo, cùm ſolam naturam humanã, ac proinde humanum corpus & eius partes diuinum Chriſti Suppoſitũ aſſumpſerit. Idem ſentit Richardus in 3. d. 2. art. 2. q. 1. in reſponſione ad quoddam 2. argumentum. Siquidem ibi aſſerit, animam quidem & corpus Chriſti in triduo mortis eius fuiſſe adorãda tanquam vnita Suppoſito Verbi diuini; non autem B Sanguinem: *Quia non eſt* (inquit) *pars eſſentialis corporis.* Idem & ob eandem rationem aſſeruit Gabriel lectione 53. in Canonem Miſſæ, vbi in hanc ipſam ſentẽtiam citat Richardum in dicta quæſt. 1.

Caietanus autem hîc art. 2. idem ſentit de Sanguine quodã humani corporis nõ ſatis decocto & perfecto, quẽ appellat *nutrimentalem.* Illũ enim neque informari ab Anima rationali, neque eſſe partem corporis humani neceſſariã ad eius conſeruationem. Alium verò ſanguinem humani corporis *perfectum* & ſufficienter diſpoſitum, vt A ab Anima rationali informetur, cenſet fuiſſe aſſumptum hypoſtaticè à diuino Verbo.

Sed abſq; vlla diſtinctione & exceptione ſimpliciter ſentiendum eſt, totũ illum verum Sanguinem, qui vnquam fuit in Chriſti corpore, fuiſſe à diuino Verbo hypoſtaticè aſſumptum & terminatum, ita, vt Verbi ſubſiſtentia increata ſuppleuerit in illo ſanguine ſubſiſtentiam creatam, qua naturaliter alioqui in puro homine ſubſtitiſſet; ſiue hæc ſubſiſtentia ſit eadem cum ſubſiſtentia humanitatis *vnitate & identitate ſimplici* (ſi ponamus, Sanguinẽ informari Anima rationali) ſiue idẽtitate cuiuſdam *connexionis & ordinis*, ſi ſanguis (vt multi ſentiunt) habet ſuam peculiarem formam partialem, atq; adeo etiam partialem ſubſiſtentiam, ex qua & partiali etiam ſubſiſtentia corporis exiſtat vna *totalis* ſubſiſtentia humanitatis, vnitate *connexionis & ordinis*, quę per Verbum ſit ſuppleta.

Ita planè ſupponit pro certo D. Thomas hîc toto artic. 2. & quodlib. 5. quæſt. 3. artic. 5. Atque idem aſſerit Capreolus in 4. d. 11. q. 1. art. 3. ad 5. argumentum contra 1. concluſionem. Et Sotus in 4. diſtinct. 10. quæſt. 1. artic. 2. & Sylueſter in Roſa aurea quæſt. 30. vbi refert, à Clemente VI. & à Pio II. fuiſſe damnatam aſſertionem cuiuſdam, qui negabat in triduo mortis Chriſti fuiſſe eius ſanguinem vnitum Verbo diuino. Et

denique

Universidad de Deusto
Biblioteca

denique ab omnibus Theologis communiter iam defenditur tanquam certa hæc sententia.

Probatur autem PRIMO ex Scriptura in iis locis, quibus significatur, *iustum* immò *superabundans* precium nostræ Redemptionis fuisse nō modò *effusionem* sanguinis, vt fuit quædam operatio Christi; sed etiam ipsum *sanguinem* effusum, vt rem nimirum infiniti valoris (qualem habere oportuit iustum precium nostræ Redemptionis, iuxta dicta suprà quæst. 1. punct. 5.) propter vnionem scilicet eius hypostaticam cum Supposito diuino. Eius generis sunt hi loci. Matth. 26. *Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et Actor. 20. *In quo vos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Et ad Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ.* Et ad Ephes. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Et ad Hebræ. 9. *Quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum obtulit semetipsum Deo, emundauit conscientias nostras ab operibus mortis?* Et 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, &c. sed precioso sanguine, quasi agni immaculati Christi & incontaminati.* Et 1. Ioann. 1. *Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* Et Apocalyp. 7. *Lauerunt stolas suas & dealbauerunt eas in sanguine agni.*

SECVNDO probatur ex auctoritate Ecclesiæ. Nam in Concilio Ephesino can. 5. sic legimus: *Verbum factum est caro & communicauit similiter vt nos carni & sanguini.* Et in eodem Concilio in epistola ad Nestorium, dicitur: *Verbum factum esse hominem assumptione carnis & sanguinis.* Et in Concilio Chalcedonensi, act. 1. lecta & approbata est quædam epistola sancti Cyrilli, in qua ille, quod dicitur; *Verbum caro factum est*, ita interpretatur; *id est, carnem & sanguinem assumpsit.* Item in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. sanguis planè vnà cum corpore & anima numeratur inter *partes* Christi hominis à diuino suo Supposito assumptas. Item Clemens VI. in Extrauag. Vnigenitus. de pœnitentiis & remissionibus, affirmat; *Vnam guttam Christi sanguinis, propter vnionem cum diuino Verbo, sufficisse ad redemptionem generis humani.* In quo Clementis Testimonio *nullus* planè sanguis Christi excluditur ab *vnione* cum Verbo, vel à ratione precij *sufficientis* pro nostra redemptione; sicut neque in aliis testimoniis Scripturę aut Ecclesiæ iam allatis.

TERTIO probatur auctoritate sanctorum Patrum, qui similiter redemptionem nostram adscribunt Christi sanguini. Sanctus Gregorius NAZIANZENVS orat. 2. de Paschate, circa finē: *Exiguæ*, inquit, *crucis guttæ orbem vniuersum instaurarunt, atq; idem quod lacti coagulum hominibus præstiterunt, in vnum nos coniungentes & constringentes.* Habuerunt igitur guttæ Christi sanguinis valorem ex vnione cum Verbo.

Sanctus AMBROSIVS libro sexto epistolar. epist. 40. *Quia ita*, inquit, *venit, vt totum redimeret & saluum faceret, totum vtique suscepit, quod erat humanæ perfectionis.*

Sanctus AVGVSTINVS enarratione in Psal. 95. antè medium: *Venit*, inquit, *Redemptor, & dedit precium, fudit sanguinem suum, & emit orbem terrarum.*

Sanctus LEO epist. 10. ad Flauianum, cap. 5. *Tres sunt*, inquit, *qui testimonium dant, Spiritus, Aqua, & Sanguis, & hi tres vnum sunt. Spiritus vtique sanctificationis, & sanguis Redemptionis, & aqua Baptismatis, &c.*

QVARTO probatur ratione. Nam siue sanguis informetur ab eadē anima rationali (quod probabilius esse censuimus tomo 1. disp. 6. q. 2. punct. 3.) siue ab alia sua substantiali forma partiali; tamen (vt rectè notauit Scotus vbi suprà) eatenus sanguis censeri debet esse *pars quædam integralis* humanæ naturæ, quatenus & suaptè natura est propter conseruationem naturæ humanæ, & absque illo natura humana conseruari & consistere & operari non potest: sic enim omnino pertinet *ad veritatem humanæ naturæ*, vt affirmat D. Thomas infrà quæst. 54. art. 2. in corpore, & ad 3. Sed Verbum diuinum assumpsit, quicquid pertinet ad *veritatem* naturæ humanæ. Ergo etiam assumpsit sanguinem.

Neque est difficile respondere ad ea, quæ hìc obiici possunt. Sunt autem præcipuè quatuor. PRIMVM est, quòd sanguis non informatur ab Anima rationali. Ergo non est pars naturæ humanæ; vt argumentatur Durandus & Richardus & Gabriel.

RESPONDEO, posse PRIMO negari Antecedens, iuxta ea, quæ diximus tomo 1. disp. 6. q. 2. punct. 3. SECVNDO, quicquid sit de Antecedente, neganda est Consequētia. Nam nihilominus sanguis est quædam pars pertinens ad *veritatem* atque adeo integritatem naturæ humanæ, vt iam est explicatum.

SECVNDVM est, quòd diuus Thomas infrà quæst. 31. artic. 5. ad 1. affirmat, sanguinem non esse *actu* partem; sed *potentia* tantùm.

RESPONDEO, loqui D. Thomam ibi de partibus *corporis*. Itaque solùm negat, sanguinem esse partem *actualem corporis*, donec actu transeat in carnem, &c. non autem esse partem totius naturę hominis, quatenus requiritur ad illius conseruationem, & non est nisi propter illum, vt anteà ex sententia eiusdem D. Thomæ, quęst. 54. diximus. Itē loquitur D. Thomas de parte actuali secundùm *vltimam actualitatem*, quæ scilicet non sit in potētia ad hoc, vt sit alterius rationis pars: sicut sanguis est in potentia, vt sit *caro* atq; adeo alterius quoq; rationis pars.

TERTIVM est, quòd vt ait Damascenus, *quod Christus semel assumpsit, nunquam dimisit*: Sed Christus aliquem suum sanguinem dimisisse videtur,

nempe

nempe illum, quem fudit; vel certè illum, qui iam in quibusdam locis asseruari dicitur. Ergo non omnem suum sanguinem hypostaticè assumpsit.

RESPONDEO, falsam esse Minorem. Aliud namque est, quendam Christi sanguinem fuisse loco *separatum* à corpore in illius effusione; vel etiam nunc, vbi asseruatur: Aliud autem, fuisse à diuino Supposito *dimissum*. Nam etiam Anima in morte & descensu Christi ad inferos, fuit à corpore separata, & corpus ab anima; & tamen vtrumque istorum mansit semper hypostaticè vnitum diuino Supposito. Ita etiam Sanguis, vbicunque fuerit vel sit. Quò fit, vt vbique debeat affici cultu latriæ.

Quanquam D. Thomas quidem infrà quæst. 54. art. 2. ad 3. putat, Christum ad se rursus recepisse in Resurrectione omnem suum verum sanguinem, nec iam in terris esse aliquem Christi sanguinem, nisi *miraculosum*, qualem ait fluxisse ex quadam Christi Imagine. Sed potest absque incommodo credi, quòd aliquæ etiam particulæ sanguinis, quæ in ipso Christo fuerunt, sint nunc in terris residuæ. Nam *moraliter*, immò etiam *physicè* loquendo, idem & integer homo censetur is, qui habet in suo corpore pristinū suum sanguinem, quoad maximam eius partem, & penè totum, etiamsi quæpiam illius exigua particula remaneat alibi: præsertim cum habitus & figura corporis non pendeat ex particulis quibusuis sanguinis. Itaq; vt defendamus, Christum nunc in cœlo *verum & integrum* hominem esse, sicut erat anteà; non est necesse negare, quòd vlla particula sanguinis eius restet in terra.

QVARTVM est, quòd si Verbum diuinum hypostaticè assumpsit sanguinem; consequens erit, vt Verbum, atque adeo Deus possit verè dici *esse sanguis*; sicut verè dicitur homo, quoniam hypostaticè assumpsit humanitatem.

RESPONDEO minimè id cōsequi. Nam Verbum non recipit in *concreto* denominationem naturæ assumptę, nisi quādo natura assumpta est natura planè *totalis*, & à quauis alia totali natura per se independens. Talis autem natura non est sanguis, benè autē *humanitas*. Nec potest de hoc esse controuersia de re, sed tantùm de nomine.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Verbum diuinum assumpserit corpus prædituū naturalibus humani corporis proprietatibus & accidentibus; atque adeo etiam præsentia extra Sacramentum in vno tantùm loco pro vno tempore.

Ad art. 2. D. Thomæ.

NDVBITATA est Assertio apud orthodoxos omnes, Verbum diuinū vnà cum natura humana assumpsisse proprietates omnes & naturalia accidentia humani corporis, excepto peccato, & in his fuisse & esse corpus Christi simile aliis humanis corporibus, exceptis illis donis, quæ suprà naturam corporis humani & naturalia accidentia ipsius, Scriptura tradit cōuenire nunc Christi corpori: cuiusmodi est præsentia Sacramentalis in locis pluribus, & impassibilitas, &c.

Hoc patet ex iis, quæ generatim de proprietatibus vtriusq; naturæ in Christo disseruimus q. 2. punct. 3. & peculiariter ex his testimoniis: *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*, ad Roman. 8. Et: *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, ad Philippēn. 2. Et: *Quia ergo pueri participauerunt carni & sanguini; & ipse similiter participauit iisdem, &c. Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret.* ad Hebræos secundo. Et: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia in similitudine absque peccato*, ad Hebr. 4.

Quibus adde illa duo præclara testimonia sancti Ambrosij & sancti Leonis. Sanctus AMBROSIVS lib. 6. epistolarum, epist. 40. *Legitima*, inquit, *circumspectio est, vt confiteamur, sicut in Dei forma nihil ei defuit diuinæ naturæ & plenitudinis: sic in illa forma hominis nihil ei defuisse, quo imperfectus homo iudicaretur.* Sanctus LEO in epistola decima ad Flauianum, cap. 3. approbata in Concilio Chalcedonensi: *Tenet*, inquit, *sine defectu proprietatem suam vtraque natura. Et sicut formam serui, Dei forma non adiuit: ita formam Dei, serui forma non minuit.*

Huic doctrinæ Orthodoxæ repugnant VBIQVISTAE Sectarij: siquidem Christi corpus ab aliis corporibus humanis temerè & hæreticè faciunt in hoc dissimile, quòd sit *vbiq;* non minùs quàm Christi diuinitas, cùm aliud quoduis corpus vno tempore non sit nisi in vno loco. Ita docent præcipuè Brentius in libro de Maiestate Christi hominis, & in Apologia Confessionis VVirtenbergēsis, & in tractatu de Cœna Domini, & Schmidelinus in aliquot libris, quos scripsit de hoc argumento, ac peculiariter in Repetitione VVittembergica, & in libro Concordiæ. Fuit autem eadem sententia Iacobi Fabri Stapulensis in caput duodecimum epistolæ primæ ad Corinthios, & Lutheri in concione quadam de Sacramento Cœnæ Domini, tomo 2. Atque etiam Michaëlis Serueti Trinitarij, vt ostendimus tomo primo, quæst. 1. de Trinitate, punct. 1. §. 8.

Est autem minimè difficile hunc errorem Vbiquitatis confutare, euersō iam suprà à nobis quæstione 2. punct. 3. præcipuo eius funda-

mento,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mento, quod Vbiquetarij posuerunt in commentitio modo Vnionis hypostaticæ duarum in Christo naturarum. Et aduersus eundem errorem nos multa disseruimus in aliquot libris, quos edidimus de hoc argumento. Sed Summa peti potest ex primo libro.

Vbiquistæ igitur, vt Vbiquitatem illam statuant, tripliciter Christi corpus considerant. PRIMO *physicè*, id est, secundùm conditionem, quam habet ex natura sua. Quo pacto negant illud esse vbique. SECVNDO, quatenus est *gloriæ dotibus* præditum. Et neque isto modo illud vbique adesse volunt. TERTIO, secundùm *maiestatem*, vt inquiunt, quam adeptum sit ex vnione cum diuino Verbo hypostatica. Atque ita contendunt, illud à momento quidem incarnationis *potuisse esse* vbiq; : *fuisse* autem certè post resurrectionem, quòd tunc demùm Christus vsurpare cœperit attributa diuina: ex quibus vnum est Vbiquitas siue Omnipræsentia. Nos verò cùm æqualitatem hanc commentitiam Maiestatis cum Deo quæstione secũda, puncto tertio confutauerimus; ipsam etiam Vbiquitatem super eo commento extructam planè quoque euertimus, ac nunc etiam, vt proposui, magis conteremus.

Qua sanè in re minimè argumentis ego probare contendam, ne per potentiam quidem Dei absolutam fieri posse, vt corpus aliquod creatum sit vllo modo præsens omnibus in locis. Nam etsi omnino sit impossibile, vt Corpus aliquod, atque adeo corpus Christi, sit in omnibus vel in pluribus locis per ipsammet Omnipræsentiam *diuinam* (vt Vbiquetarij desipiunt) cum nulli naturæ creatæ *secundùm se* possint communicari diuina attributa, vt suprà quæstione secunda, puncto tertio probauimus: tamen fieri id posset per alterius modi præsentiam in omnibus locis, scilicet *creatam* & pendentem ex aliena Dei virtute. Fatentur enim graues Theologi, qua ratione vnum corpus in pluribus locis sine repugnantia esse posse defenditur, eadé ratione defendi posse, quòd sine repugnantia esse possit in omnibus locis per Dei potentiam absolutam. Ita nominatim assumit Scotus in 4. distinct. 10. quæstione secunda, articulo tertio, & Rossensis libro quinto de Eucharistia contra Oecolampadium, capite 33. & Sotus libro quarto Phys. quæstione secunda, articulo tertio.

Neque obstat, quòd nonnulli Patres sensisse videntur, Vbiquitatem siue Omnipræsentiam, esse Dei *propriam*, vt diuus Ambrosius libro primo de Spiritu sancto, capite septimo. Hieronymus & Cassiodorus in illud Psalm. 138. *Quo ibo à Spiritu tuo, &c.* maximè cùm ex eo diuinitatem Spiritus sancti probant, quòd ille sit vbique: quasi nequeat prorsus id, quod creatura sit, esse vbique. Hoc, inquam, non obstat. Nam Omnipræsentiam illi Patres intelligunt *naturalem*, qua scilicet non aliena virtute, sed suaptè natura res existat vbique præsens, vt videre est apud Ambrosium loco citato. Talem enim omnipræsentiam Spiritui sancto competere, planè significat sacra Scriptura, Sapient. 1. Et huiusmodi omnipræsentiam certum est creaturę conuenire nullo modo posse, cùm sit propria diuinitatis.

Nos autem ex sententia prædictorum Auctorum non nisi alterius modi omnipræsentiam siue vbiquitatem conuenire creaturæ *posse* per Dei potentiam absolutam arbitramur; vt scilicet suprà naturam suam & *aliena virtute* id habeat. Quòd sanè neque AVGVSTINVS in epistola 57. ad Dardanum negare voluit, vbi tractans, quemadmodum Christi corpus non sit vbique, videndum esse monet, ne si *vbique diffusum esse asseratur, euacuetur veritas ipsius*. Hoc enim ille scripsit, non quia senserit, Christi corpus non *potuisse* per Dei potentiam poni suprà naturæ suæ conditionem vbique. Sed cùm nequeat vel ex Incarnationis mysterio (vt ibi Augustinus ex instituto ostendit) vel alio modo confirmari, quòd suprà naturam & conditionem suam diuinitùs *collocatum* sit vbique; si quis illud corpus vbique iam esse temerè contendat, videre is debet, ne ipsum faciat phantasticum, minimeque verum corpus humanum; quasi in eam nimirum conditionem & qualitatem iam euaserit, vt per se *diffundatur* (quemadmodum Augustinus in eo loco loquitur) vbique ac omnia loca occupet.

Vt maximè igitur humanitas Christi possit *aliquo modo* diuinitus poni vbique; assertionem tamen esse hæreticam, quòd ea iam *vllo modo vbique sit*, hoc argumento demonstro: A plano & proprio & perspicuo Scripturæ diuinæ, atque etiam doctrinæ omnium Patrum sensu non potest sine absurditate & hæresi recedi obiiciendo eiusmodi mysterium, quod & anteà in Ecclesia prorsus inauditum sit, & nullo Scripturæ aut Patrum testimonio, vel etiam rationis momento conuinci possit. Sed hoc prorsus facit dogma Vbiquetarium. Ergo absurdum & hæreticum dogma est.

Maior est firmissima. Quoniam si eiusmodi licentiâ concedatur, nihil omnino ex diuina Scriptura poterit in Ecclesia probari & retineri tanquam certum & indubitatum. Et cùm, auctore Augustino aliisque Patribus, intelligere *propriè* debeamus eos Scripturæ locos, qui sine incommodo propriè possunt intelligi: quantò illi loci magis intelligi planè & propriè debebunt, qui aliter intelligi non possunt, nisi recurratur ad fictitium miraculum?

Minor autem probatur. Quoniam plurima sunt Scripturæ sacræ & antiquitatis testimonia, quæ plano & proprio sensu prorsus significant,

Christum etiam post resurrectionem abfuisse simpliciter ab aliquibus locis, vt hominem; non minùs certè, quàm abest quispiam alius homo à loco, vnde discedit, in quo nullo modo manet secundùm substantiam suam præsens. A sensu verò proprio atque plano testimoniorum eiusmodi, propter mysterium Vbiquetarium, quod à sæculo non erat auditum, quodque, vt partim vidimus, quæstione secunda, puncto tertio, partim videbimus, nullo firmo argumento comprobari potest, recedũt isti, cùm respondent nobis, abfuisse Christum ab aliquibus locis non *omnino*, sed secundùm conditionem *physicam* & glorioſam sui corporis; secundùm *maiestatem* autem, quam fingunt, hypostaticæ vnionis, fuisse & esse post resurrectionem substantia sua incircumscripto & arcano modo reuerà præsentem in omnibus locis.

Eius verò generis testimonia sunt hæc. Marci 16. *Surrexit*, NON EST *hic*. Et ibidem: PRÆCEDET *vos in Galilæam*. Et Ioannis decimo quarto: VADO *parare vobis locum*. Et ibid. *Si* ABIERO, *iterum* VENIAM. Et Ioann. 20. VENIT IESVS *ianuis clausis, & stetit in medio*. Et Matth. 28. ACCEDENS IESVS *dixit eis: Pax vobis*. Et Lucæ 24. INTRAVIT *cum eis*. Et ibidem: *Cùm benediceret eis*, RECESSIT *ab illis*. Et Actorum 1. FEREBATVR *in cœlum*. Et ibidem: *Videntibus illis*, ELEVATVS *est*. Tum etiam Angeli ibidem: *Hic* IESVS, *qui assumptus est, sic* VENIET, *quemadmodum vidistis eum* EVNTEM *in cœlum*. Hæc omnia, *non esse hic, recedere, accedere, ire, venire, intrare, abire, eleuari, ferri, ascẽdere*, dubiũ non est, quin *propriè* vel absentiam significent ab aliquo loco, vel aliquid certè, quod cum absentia ab aliquo loco coniunctum est, videlicet localem motum. Quę isti propter fictitium suum mysterium Vbiquetarium peruersè, vt dixi, interpretantur de absentia non substantiali omnino, sicut testimonia sonant, sed vnico duntaxat vel altero modo, ad eamque rem, vt euadant, alia pleraque absurdissima confingunt.

Nam articulum *ascensionis* re vera negant, cùm comminiscuntur, non planè vlteriùs Christum ascendisse, cùm ex discipulorum oculis sublatus est, sed illis *disparuisse*. Item cœlos, in quos ascenderit, fingunt commentitios, quos vocant Theologicos scilicet, aiuntque illos esse *omnem locum*, vbi præsens est diuinitas. Itaq; cœlos istiusmodi esse quoque in inferno, & damnatos esse in iis cœlis, ad quos Christus ascendit, & alia huius generis plenissima absurditatis cõcedere coguntur, vt ex altercationibus præsertim Schmidelini & Brentij cum Bullingero & ministris Tigurinis cognosci potest.

Quæ omnia non modò Theologis monstrosa videntur, sed etiam à communi fidelium sensu & consensu abhorrent. Omnis enim Ecclesia, quæ per cunctum orbem est, nouit & confitetur, Christum ex monte Oliueti verissimè ad cœlum vsque, quod suprà nos est, ascendisse, ibique omnino consedisse, ac nunc etiam sedere ad Dei dexteram, id est, potestate iudiciaria atque regia ac bonis ipsis Dei perenniter gaudere, ac securè perfrui, sicut D. AVGVSTINVS libro de fide & Symbolo, cap. 7. eam sessionem interpretatur.

Quamuis in qua nunc ille parte cœli, vel quo ibi nunc situ corporis existat, minimè quidem constat. Præclarè enim D. AVGVSTINVS loco citato: *Credimus*, inquit, *Christum in cœlum ascendisse; quem beatitudinis locum etiam nobis promisit, dicens: Erunt sicut Angeli in cœlo*, Matth. 22. Tum paucis interpositis, quibus ibi contra Philosophos ostendit, quemadmodum corpora terrena in illam cœlorum puritatem & stabilitatem inferri possint; ita subiungit: *Sed vbi & quomodo sit in cœlo corpus Dominicum; curiosissimum & superuacaneum est quærere: tantummodò in cœlo esse credendum est.* Hæc ibi Augustinus.

Porro simili absurditate Vbiquetarij corrumpunt æquè plana testimonia antiquorum Patrum, qui perspicuis sententiis simpliciter asserunt Christi absentiam ab aliquibus locis. Vt ATHANASIVS in disputatione contra Arrium, CYRILLVS lib. 9. in Ioannem, cap. 21. & lib. 11. cap. 21. ORIGENES homil. 33. in Matthæum, FVLGENTIVS libro de immensitate filij Dei, AVGVSTINVS tum aliâs, tum ex professo in epistola 57. & alij Patres communiter. De quo vidẽdus Theodoretus Dialogo 1. 2. & 3. & Vigilius Martyr lib. 1. contra Eutich.

Et Augustinus quidem non modò fictitiam istam Vbiquitatem apertissimè negat; sed perinde prorsus ac si contra istos hoc tempore disputationem suscepisset, ex professo in epist. 57. ad Dardanum demonstrat, quemadmodum ex Incarnationis mysterio minimè sit consequens, vt Christi humanitas præsens adsit vbicunque est Deus.

Sed quia diximus, mysterium Vbiquetarium, propter quod isti & Scripturæ & antiquitatis testimonia adulterant, nullo modo confirmari posse; id iam planiùs demõstrandum est respondendo ad eorum argumenta.

Ac PRIMVM & potissimum quidem argumentum ex VNIONE hypostatica petunt, per quam fingunt in assumptam humanitatẽ transfusa esse omnia Dei attributa, è quibus vnum est Vbiquitas.

SED hoc illorum fundamentum suprà quæstione 2. punct. 3. euertimus. Et si quid illi inde probarent; non tantùm post resurrectionem, sed etiam ab Incarnationis momento probarent, Christi corpus fuisse vbique. Est enim, vt loco citato ostendimus, eiusmodi attributum Vbiquitas, vt si *habetur*, omnino nequeat non *vsurpari*; cùm consistat in quodam velut *actu secundo & vsu* diuinæ immensitatis. Christum autem à momento incarnationis fuisse secundùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

humanitatem vbique; primùm pugnat cùm articulo fidei de ipsius ex vtero Virginis natiuitate. Deinde etiam cum perspicuis Euangelij locis, vnde constat, ipsum passim ex vno loco in alium commigrasse, & alicubi absentem fuisse, vt Matth. 4. 8. 12. 14. 16. &c. Marci 1. 5. Quod & ipse disertè testatus est apud Ioannem cap. 11. & alibi passim: *Gaudeo*, inquit, *propter vos, vt credatis, Quia* NON ERAM *ibi*. Quo ex loco etiam Patres in Secunda Synodo Nicæna, actione 6. probauerunt, Christi corpus non vbique præsens, sed vno aliquo in loco fuisse circumscriptum.

SECVNDO sic argumentantur: Christi humanitas est & subsistit in persona Verbi diuini. Ergo vbicunque est persona Verbi diuini, ibi est humanitas.

RESPONDEO. Consequentiam esse nullam. Nam vt humanitas intelligatur subsistere per Verbum diuinum, satis ei est, si Verbum diuinũ sit vbi est illa humanitas; neque contrà oportet humanitatem esse, vbicunque est Verbum diuinum. Humanitati enim vnus locus abundè satis est, vt à præsente sibi Verbo diuino subsistentiam accipiat. Quemadmodum vt manus subsistat suo modo per animam, satis illi est, vt vbi ipsa est, ibi etiam sit anima; neque necesse est, vt ibi sit manus vbicunque est anima, videlicet in pede & in capite. Sic & nos, vt nostro quodam alio modo sustentemur & conseruemur per diuinam virtutem, satis est, vt vbi nos sumus, ibi sit Deus, neque oportet, vt ipsi simus, vbicunq; est Deus.

Quod etiam exemplum ob analogiam est sanè optimum, & à D. AVGVSTINO epist. 57. de præsentia diuina ad Dardanum quæst. 1. ad hanc ipsam rem declarandam vsurpatum. Is enim ad argumentum hoc Vbiquetariorũ in forma planè id, quod à nobis iam dictum est, respondit: *Non est*, inquit, *consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, Actor. 17. quòd in illo viuimus, mouemur, & sumus: neque tamen, sicut ille, vbique sumus. Sed aliter homo ille in Deo: quoniam aliter Deus in illo homine, proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumq; est vnus Christus, & vbique per id quod Deus est; in cœlo autem per id, quod homo est.* Hactenus ille.

Ex quo loco satis manifestum est, Augustinum non tantùm negauisse, quòd humanitas Christi sit vbique *naturaliter*, sicut ipse Deus, vt frigidè admodum & falsò Vbiquetarij conantur interpretari Augustinum; sed vult prorsus illã humanitatem nullo modo vbiq; præsentem esse propterea, quòd in Verbo diuino subsistat. Quemadmodũ neq; nos (vt ibi Augustinus inquit) sumus vllo modo præsentes, vbicunq; adest Deus; etiãsi in illo quodã alio modo viuamus & simus.

TERTIO confirmare velle videtur argumentum præcedens, hoc modo: Etsi membrum aliquod *determinatum* (vt manus vel pes) nõ sit, vbicunque est anima; at vbicunq; anima est, necessariò est illud *corpus*, cui ipsa est vnita; idque propterea, quòd ex anima & corpore (quamuis non solis) constituitur etiam hypostasis: & similiter vbicunque est personalitas seu subsistentia nostra, ibi est etiam nostra humanitas, quoniam ex vtroque fit vna persona. Sed non minus ex subsistentia Verbi & humanitate Christi constituitur vna quædam hypostasis & persona. Ergo vbicunque est subsistentia Verbi, ibi necessariò est Christi humanitas.

RESPONDEO, falsum illud esse, quod in Maiori sumitur, scilicet causam, cur vbicunq; anima est, ibi sit corpus, & cur etiam vbi subsistentia nostra est, ibi sit nostra humanitas, esse propterea, quòd ex corpore & anima, & ex subsistentia nostra ac humanitate constituatur vna hypostasis & persona. Non enim ob eam rem, ppriè, sed ob *singularem conditionem* animæ atque subsistentiæ nostræ id euenit. Quia enim anima naturaliter est propria forma sui corporis; & subsistentia nostra naturaliter etiam ad eam rem facta est, vt terminet hypostaticè naturam *tantùm* nostram: idcirco neque anima vltrà proprium corpus; neque subsistentia nostra vltrà propriam naturam sese potest extendere. Ita fit, vt corpus, non quia in eadem hypostasi sustentatur ab anima; sed quia eius, de qua dictum est, conditionis est anima, ibi sit, vbicunque est anima; atque item, vt natura nostra, nõ quia sustentatur à nostra subsistentia; sed quia subsistentia nostra talis est, qualem diximus, ibi sit vbicunque nostra subsistentia reperitur.

In proposito autem longè dispar est ratio. Nam cùm vis atque perfectio, quæ est in subsistentia Verbi ad terminandum naturam aliquam hypostaticè, sit simpliciter infinita: neque naturaliter sit *tantùm* ad eum finem, vt humanitatem sustentet: latiùs patet, & ibi esse potest, vbi non est humanitas. Quare nihil est, vnde colligi possit, ibi humanitatem esse, vbicunque est diuini Verbi subsistentia. Non enim id inde propriè colligitur, quoniam illa humanitas à subsistentia in vnitate personæ sustentatur: Siquidem id optimè hoc ipso solùm intelligitur, quòd vbi humanitas est, ibi est Verbi subsistentia, sicut ad argumentum præcedens dicebamus. Neq; rursus subsistentię Verbi talis conditio est, qualis est illa animæ & subsistentiæ nostræ, vt inde similiter colligi possit, ibi humanitatem esse, vbicunque est Verbum.

Quòd si exemplum simile conferre volumus, non cum vnione animæ & corporis; neq; etiam cum vnione subsistentiæ nostræ, & nostræ naturæ; sed cum vnione animæ & *certi* alicuius membri, itemq; subsistentiæ nostræ, & etiam *membri alicuius* comparare debemus vnionẽ illam subsistentiæ Verbi diuini & humanitatis. Hoc modo comparatio similior erit. Nam vt membrum aliquod & *sustentatur & exceditur* ab anima & subsisten-

subsistentia nostra: sic etiam humanitas & sustentatur & exceditur à Verbi subsistentia. Itaque potiùs ex hac comparatione sequetur, non ibi esse humanitatem, vbicunque est Verbum: quemadmodum etiam neque ibi est pes, aut manus, vbicunque est anima vel subsistentia nostra; vt ad alterum quoq; argumentum respondebamus.

QVARTO pergunt sophisticè vel insciter potiùs hunc in modum argumentari: Filius Dei vbique est homo: Ergo vbique est etiam eius humanitas.

RESPONDEO negando Consequentiam. Solùm enim sequitur, quòd filius Dei vbiq; est is, qui sustentat hypostaticè, quiq; adeò habet humanitatem: tametsi hæc non nisi alicubi existat. Vt enim filius Dei vbique sit homo, non necesse est, vt vbiq; sit eius humanitas: sed sufficit, vt vbique sit *habitudo* quædam *substantialis* filij Dei ad humanitatem tanquam sustentantis hypostaticè ad rem sic sustentatam. Quam rem exemplo etiam simili illustrare possumus. Nam Episcopus alicuius diœcesis (verbi gratia) vbicunque sit, est Episcopus talis diœcesis, quia vbique est *habens* talem Episcopatum: tametsi non vbique est talis Episcopatus. Ita suo modo in nostro proposito.

QVINTO accommodant ineptissimè ad suam opinionem quædam Scripturæ loca. Vt: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, Matthæi vicesimo octauo. Item: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum*, Matthæi decimo octauo. Et: *Dominare in medio inimicorum tuorum*, Psalm. 109. Et: *Ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia*, ad Ephesios quarto.

RESPONDET ad primum locum D. AVGVSTINVS Tractatu 50. in Ioannem, impleri promissionem illam secundùm *maiestatem* diuinitatis (hanc enim manifestè ibi intelligit) *Christi*, item *secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & inuisibilem gratiam*. Secundùm carnem autem atque humanitatem Christi, dicit Augustinus impleri illud alterum, Matthæi 26. *Me autem non semper habebitis*. Item respondeo, promissionem illam impleri secundùm Christi præsentiam in sanctissimo Sacramento, *donec veniat*, vt prima ad Corinth. vndecimo Apostolus inquit. Nam neque huiusmodi præsentia negatur ab Augustino, sed potiùs asseritur (vt in Materia de Eucharistia videbimus) ab eo atque ab aliis Patribus: & constat aliundè certè grauissimis ac firmissimis argumentis.

Quod verò attinet ad reliqua loca per istos citata, nemo est, præter ipsos, qui non intelligat, illa secundùm *gratiam*, vel *prouidentiam*, vel *spirituale Christi regnum, atque virtutem*, quæ ad omnia se extendit, accipi debere. Et sanè illud: *Vbi sunt duo vel tres, &c.* perquàm absurdè & ridiculè ad institutum suum isti accommodant. Quid enim de loco dicent, vbi non sunt aliqui congregati in nomine Christi? An non etiam ibi vbiquitatem illam, pro qua contendunt, habebit? Certè nullum dubium est, quin sermo sit in eo loco de alio quodam præsentiæ modo, scilicet secundùm *protectionem vel gratiam*.

Sic quod Apostolus dixit, Christum ascendisse *super omnes cœlos, vt impleret omnia*, id primùm ad virtutem Christi, qui *ascendens in altum* omnis generis donis Ecclesiam compleuit, meritò potest referri. Nam præclarè libro nono in Ioannem, cap. 21. Diuus CYRILLVS: *Credere*, inquit, *oportet fideles, quamuis à nobis Christus corpore absit, virtute tamen sua omnia & nos gubernare, &c. Nam quemadmodum, quando vt homo in terris conuersabatur, tunc etiam cœlos implebat: ita modò cùm sit in cœlis cum carne, terram tamen replet, & cum eis est, qui eum diligunt*.

Deinde mihi maximè secundùm literam illa interpretatio esse videtur, quæ placuit etiam diuo Thomæ lectione tertia in caput 4. ad Ephesios. Vt scilicet: *impleuisse omnia*: hîc sit, peregisse Christum, atque adeò adimpleuisse omnia mysteria, quæ de ipso fuerant antè præscripta, è quibus vnum fuit illa ascensio in cœlum. Neque enim hoc loco Aduersarij auctoritatem D. Thomæ contemnere poterunt, nisi simul etiam auctoritatem Christi sermonis apud Lucam capite 24. contemnant, qua D. Thomas appositissimè suam confirmauit expositionem. Etenim eodem prorsus dicendi modo atq; phrasi Christus vsus est, inquiens: *Oportet* IMPLERI *omnia, quæ scripta sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me*. Quasi diceret: Passus & crucifixus sum, vt implerem omnia. Cur non etiam eodem modo intelligi potest, quod scripsit diuus Paulus, ascendisse Christum super omnes cœlos, vt impleret omnia? Certè id etiam inter cætera scriptum erat in Psalmis de Christo, vt Psalm. 46. & 67.

SEXTO vrgent quoque sessionem ad dexteram Dei. Quoniam dextera hæc, inquiunt, est Dei omnipotentia atque immensitas, quæ est vbique. Ergo Christi etiam humanitas, in ea dextera sedens, omnino est vbique.

RESPONDEO, nullum prorsus esse momentum eius argumenti. Nam vt maximè per Dei *dexteram* diuinitatem, aut potentiam diuinam intelligamus; suprà quæst. 2. punct. 3. docui, quèadmodum ad eam dexteram sedeat Christus, quatenus diuinam maiestatem obtinet, non vt secundùm naturam humanam sit omnipotens, aut vbique, aut æternus, &c. sed vt per eam plenitudinem diuinitatis subsistat, vt suprà loco citato sæpiùs declaratum est.

SEPTIMO videntur etiam obiicere velle, quòd aliâs Christus, neque cognoscere omnia, quæ ad homines pertinent, neque adeò regere atque gubernare illos posset, nisi ipsis adsit præsens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed hoc nugatorium & friuolum est. Quoniam & Sancti in cœlis, vt conuicimus tomo 3. disput. 6. quæst. 2. punct. 7. cognoscunt prorsus res nostras, quantumuis absentes. Quantò igitur magis ista cognoscet etiam absens Christus, qui & beatam & diuinitùs infusam scientiam habet absolutissimam? Sed hæc omnia, quæ ad hanc Controuersiam de Vbiquitate pertinent, latiùs asseruimus & defendimus in secundo libro nostro de Vbiquitate contra Iacobum Schmidelinum capite sexto & septimo.

QVÆSTIO SEXTA.

De modo Incarnationis quoad ordinem assumptionis partium naturæ humanæ.

D. Thomas tertia parte, quæstione sexta.

EXPLICANDA SVNT TRIA. PRIMO, AN CORPVS, ET Anima fuerint simul tempore assumpta à Verbo diuino. SECVNDO, An aliquis saltem ordo naturæ possit in assumptione considerari, iuxta quem anima fuerit priùs assumpta, quàm corpus; vel è contrario: aut tota natura priùs, quàm istæ eius partes, vel è contrario. TERTIO, An etiam talis ordo naturæ possit peculiariter considerari in assumptione ipsius animæ; ita, vt aliquid animæ priùs naturâ fuerit assumptum, quàm aliud. Quod autem definit etiam D. Thomas artic. 6. non esse naturam humanam assumptam, mediante gratia, nisi gratiam appellando ipsam gratuitam voluntatem DEI, quæ fuit caussa efficiens huius Mysterij; satis explicatum est quæst. 2. punct. 5. & 7. vbi ostendimus, vnionem naturæ humanæ cum Verbo diuino fuisse planè substantialem, nullo intermedio accidente factam.

PVNCTVM PRIMVM.

An Corpus & Anima fuerint assumpta simul tempore à Verbo diuino.

D. Thomas articulo tertio & quarto.

CERTVM EST, VERBVM DIVINVM B simul tempore assumpsisse corpus & animam. Nam assumpsit hæc non separata, sed inter se *vnita*, vt tradidimus suprà quæstione secũda, puncto primo, circa quartum errorem. Etenim corpus & anima non separata, sed inter se vnita, constituunt naturam *humanam*, quam solam naturam cum iis, quæ pertinent ad eius veritatem, assumpsit Verbum.

Neque verò solum assumpta sunt simul corpus & anima, quatenus istiusmodi *assumptio* continetur illa *terminatione* seu sustentatione hypostatica humanitatis, quæ fuit propriè præstita à Verbo; sed etiam quatenus continetur quoque *actione* communi omnibus diuinis personis, quanimirum producta est ab iis omnibus Christi humanitas, & simul attracta ad Verbum, ita, vt eodem temporis momẽto, quo anima & corpus à Verbo sustentata hypostaticè sunt, intelligamus, & corpus & animam fuisse simul diuinitùs *producta*.

Ac de CORPORE quidem ex his, qui illud verè hnmanum corpus fuisse secundùm fidem orthodoxam fatentur, nemo est, qui existimet illud *antè* assumptionem & vnionem cum anima, fuisse paulatim more aliorum corporum humanorum in vtero materno *productum* & perfectum. Cùm enim de Spiritu sancto conceptum sit, cuius est virtus infinita; nihil fuit opus eiusmodi mora, sed in momento perfectum est; atque adeò animæ vnitum, & à Verbo assumptum: vt beatus Thomas ex sententia omnium declarat articulo quarto, præsertim in solutione ad secundum.

C Quod verò attinet ad ANIMAM, fuit aliquorũ opinio, eam *antè* assumptionem & vnionem cum corpore extitisse, & postea demùm fuisse corpori vnitã, & à Verbo assumptam. Nam ORIGENES lib. 1. Periarch. cap. 7. & 8. omnes in vniuersum animas, atq; etiam animam Christi, cẽsuit multò antè vnionẽ cum corpore extitisse.

Neq; ab hac opinione, quod ad nostrum propositũ attinet, differt sentẽtia Gregorij Nysseni (seu potius Nemesij) lib. 2. suæ Philosophiæ cap. 6. vbi vult, animas omnes, atque etiam animam Christi, fuisse productas ante corpora, cùm mũdus crearetur; atque adeo animam Christi extitisse antè assumptionem. Quam sententiam tribuit etiã Hieronymus in Epistola ad Pammach. cuidam Ioanni Episcopo Hierosolymitano. Priscillianistæ quoque opinionem Origenis complexi sunt.

Contrà hoc verò, in quo omnes isti conueniunt, nempe animam Christi ante Verbi incarnationem extitisse, argumentatur D. Thomas hîc art. 3. hunc in modum: Anima Christi neque vnita Verbo, neque per se subsistens, id est, ab eo separata, extitit antè momentum Incarnationis & vnionis cum corpore. Ergo falsa est illa opinio. Non *vnita*: quia si, antequam cum corpore coniungeretur, vllo modo extitisset; videretur non esse eiusdem rationis & naturę cum animabus aliorum hominum, quæ simul creantur & vniuntur corpori. Id autem est contra orthodoxam sententiam à B. LEONE explicatam in Epistola 11. ad Iulianum Episcopum Coënsem, cùm inquit: *Non erat alterius naturæ caro Christi, quàm nostra: neq; anima alia illi, quàm cæteris hominibus est ab initio inspirata.* Non etiã extitit ante incarnationem *per se subsistens*: tunc enim vel non esset postea secundùm subsistentiam vnita Verbo, si subsistentiam suam dicatur retinuisse; vel necesse fuisset corrumpi subsistentiam ipsius, vt subsisteret per Verbum, adeo q̃ vt secundùm subsistentiam vniretur ipsi. C

Hæc tamen ratio videri potest alicui infirma. Nam *primò* quod infert, esse animam Christi alterius naturæ, si antequam corpus informaret, extitit vllo modo; non videtur consequi: Siquidem nihil interest ad naturam alicuius rei, quãdonam res producatur, an antè vel pòst. Quòd si D. Thomas velit solùm inferre, esse tunc animã alterius naturæ & rationis, quod attinet quidem ad modũ & tempus productionis suæ; idipsum est, quod illa opinio non duceret pro absurdo, etiamsi alioqui daret (quod tamen non dat) aliorum hominum animas tunc primùm produci, cùm corporibus infunduntur.

D *Deinde*, quia nèc videtur absurdum, vt modus ille naturæ (scilicet subsistentia per se) si anima per se subsistitisset ante incarnationẽ, posteà corrumperetur in ipso Incarnationis momento. Siquidem longè probabilius est, subsistentiam illam per se animæ (qualem etiam nunc habent animæ à corporibus separatæ) non nisi ratione distingui ab ipsa animæ natura, sicut *modum* videlicet quendam eius. Neque enim aut necessarium aut solidum esse puto id, quod Caietanus hîc artic. 3. disputat, subsistentiam illam animæ, non esse tantummodo actum ipsum subsistendi per se animæ, qua ratione est *modus* quidam; sed esse aliquid naturæ animæ *superadditum*, ad eum modum, quo personalitas est aliquid additum completæ naturæ, propter quod anima per se existens nominari possit *semipersona* (vt Caietanus loquitur) quia scilicet habeat aliquem substantialem terminum *incompletum*, reipsa à sua natura distinctum, sicut distinguitur personalitas à completa natura, secundùm nostram & Caietani sententiam suprà q. 4. p. 2. defensam. Hoc enim totum videtur commentitium. Quare si anima priùs subsistens per se, assumeretur postea à Verbo, solùm desineret tunc esse in illa *modus* quidam ratione ab ipsa distinctus, nihil autem reale corrumperetur. A

FIRMIOR igitur probatio cõtra opinionem illam Origenis & aliorum, ducitur ex Patrum & Conciliorum sententiis. Nam etsi aliquãdo dubium fuit, quandonam animæ creentur, de eaque re dubitauerit etiam AVGVSTINVS lib. 7. super Genesin ad literam cap. 24. & lib. 10. per totum, & epist. 28. ad Hieronymum, & alibi sæpè; tamen eas in vniuersum, atque adeo animam etiam Christi, non nisi cùm fuit informandum corpus, creari, definitum est in Synodo V. Constantinopolitana, vt testatur Nicephorus libro 17. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 27. & 28. Et in VI. Synodo Constantinopolitana act. 11. Idem decernitur in Concilio Toletano I. VI. XI. Et in Bracarensi I. cap. 6. Atque etiam à LEONE Papa in Epist. 71. vbi damnat errores omnes Priscillianistarum, & ait, *Catholicam fidem constanter atq; veraciter prædicare, quòd animæ hominũ non priùs, quàm suis inspirantur corporibus, fuêre.* Quod idem disertè affirmat de anima Christi in epist. 11. ad Iulianum suprà citata, cùm ait, *animam illi fuisse à principio inspiratam*, id est, productam in corpore, iuxta phrasin illam Genes. 1. *Et inspirauit in illam spiraculum vitæ.* Hinc DAMASCENVS lib. 3. fidei Orthodoxæ, cap. 2. *Non vt mentiuntur*, inquit, *ante eam, quæ est ex Virgine, incarnationem intellectus est vnitus Dei Verbo.*

Et potest idem eo argumento confirmari. Nam cùm orthodoxi fatentur, Vnigenitum Dei filium esse à tota Sanctissima Trinitate incarnatum (vt habetur in Cap. *Firmiter*. de Summa Trinitate) aliquid significant totam effecisse Trinitatem in momẽto Incarnationis circa humanitatem assumptam secundùm omnes eius partes. Id autem intelligi non posset, si tantùm anima tunc est cum corpore, aut cum Verbo *vnita*, & non etiam *producta*, atque adeo attracta cum corpore ad Verbum. Sola enim *effectio* seu *productio* humanitatis communis fuit toti Trinitati. *Terminatio* namque siue sustentatio hypostatica illius, solius fuit Verbi.

Sentiendũ itaq; est, in Incarnationis momento hæc omnia fuisse tempore *simul*: scilicet *formationem* seu conceptionẽ corporis; *creationem* animæ; *animationem* corporis; & *assumptionẽ* vtriusq; partis, atque adeo humanæ naturæ ad hypostasin Verbi. Quæ res, quod attinet ad hanc conceptionem & assumptionem ex Euangelio etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lucæ cap. 1. atque ex Apostolorũ Symbolo manifestè probatur. Nisi enim eodem instanti, quo est corpus formatum & conceptũ in vtero Virginis, contigisset assumptio; non verè crederetur aut diceretur ille ipse, qui est filius Dei, esse conceptus ex Virgine, eiusque adeo filius. Hoc enim non esset verum, nisi natura illa corporea, quæ à Virgine concepta est, pertinuerit tunc, cũ concepta est, ad personam Verbi diuini, vt ita per *idiomatum communicationem*, de qua infrà suo loco q. 16. dicemus, dicatur filius Dei esse conceptus ex Virgine. Quòd si postea primùm illa natura Verbo vniretur, nulla ratione intelligi aut dici posset filius Dei conceptus ex Virgine. Illud enim solùm Virgo concepit, quod in instanti illo conceptionis primò fuit aut natura ipsa concepta, aut subsistens in illa natura.

Si autem Quaeras, an saltem ordine *naturæ* aliquid istorũ sit altero prius, Dicendvm est, *formationem* corporis naturâ fuisse priorem *creatione* animæ: & *creationem* hanc priorem *animatione*: & *animationẽ* priorẽ *assumptione*. Et hoc quidem secundùm ipsam rei *executionem*. Nam secundùm *intentionem*, ordo naturæ contrarius est: ita scilicet, vt prior fuerit assumptio, quàm animatio, vtpotè *dignior*: & animatio, quàm animæ creatio, vt creationis *finis*: & creatio animæ prior, quàm formatio corporis, tanquam eâ *dignior*. Hoc totum inde patet: Quoniam ordine naturæ illud prius est altero, quod præsupponitur alteri secundùm executionem vel intentionem. Præsupponuntur autem hæc sibi inuicem secũdùm executionem & intentionem, illo ordine contrario, quo dictum est.

PVNCTVM SECVNDVM.

An aliquis ordo naturæ possit in assumptione considerari, secundùm quem anima priùs assumpta fuerit, quàm corpus; vel è contrario: aut tota natura humana priùs, quàm istæ eius partes, vel è contrario.

D. Thom. art. 1. & 5.

Controvertitvr prætereà Quæstio inter Theologos Scholasticos, quam tractat D. Thomas art. 1. & 5. An etiam fuerit aliquis ordo naturæ in ipsa *assumptione*, ita, vt priùs assumpserit Verbum diuinum vnam partem humanæ naturæ, quàm alteram; vel partes, quàm totum: Sic, vt vnum assumpserit per aliud, nempe posterius per id, quod sit natura prius.

Atq; vt intelligatur id, de quo est controuersia, sciendum est, prius natura Vno modo (latiùs sumpto vocabulo) posse dici id, quod propter aliquam rationẽ, quæ in ipsa re insit, potest meritò, & conuenienter naturæ intellectus atque ipsis rebus, prius intelligi, quàm alterum. Altero modo magis propriè prius natura dicitur id, quod secundùm aliquod *causæ genus* est prius altero; vel ita certè se habet ad alterum, vt illi necessariò ex natura rei præsupponatur, & non è contrario, atque adeo possit esse sine illo.

Priori modo, extra omnem controuersiam est, fuisse ordinem naturæ in ipsa assumptione talem, vt quantum est ex parte ipsius naturæ assumptæ, priùs fuerit assumpta anima, quàm corpus, & per animam corpus. Hoc patet Primo ex Patrum sententiis, qui cùm affirment, simul tempore vtramque partem, atque adeo naturam totam fuisse assumptam; asseuerant tamẽ tanquam certum, corpus fuisse assumptum per animam. Ita D. Avgvstinvs in Epist. 3. ad Volus. *Ipsa*, inquit, *magnitudo diuinæ virtutis animam sibi rationalem, & per eandem, corpus humanum, totumq; omnino hominem in melius mutãdum cooptauit*. Item B. Cyrillus in Oratione quadam de humanitate assumpta. Et Damascenus lib. 3. fidei Orthodoxæ. cap. 6. *Dei*, inquit, *Verbum per mediam mentem carni vnitum est, interiectam videlicet inter Dei puritatem & carnis crassitiem*.

Secvndo idem probatur. Quia vt intelligamus prius animam assumptam esse, quàm corpus, aliquæ *rationes* nobis suppetunt (absq; controuersia) ex reipsa petitæ. *Primò*. Quoniam anima propius accedit dignitate ac perfectione ad Deũ. Ex quo meritò possumus intelligere, quòd illa fuerit assumpta priùs, vtpotè res ad assumptionem aptior. *Secundò*. Quia, vt suprà q. 4. dictum est, sola humana natura est congruenter assumptibilis à Verbo. Vnde etiam intelligitur, animam fuisse corpori tãquam rationem & medium, quo redditum est assumptibile, saltem secundùm congruitatem. Itaq; non immeritò ex hac etiam parte dicimus, priùs assumptam fuisse animam, quæ dedit videlicet corpori esse humanum. Atque ob has rationes etiam Durãdus in 3. sentent. d. 2. q. 2. fatetur, posse aliquo modo dici, prius fuisse animam assumptã, quàm corpus. Quas etiam rationes ponit S. Thomas hic art. 1. Neque de hoc, vt dixi, est controuersia.

Posteriori autem modo de naturæ ordine loquendo, scilicet *propriè* secundùm aliquod *genus causæ*, non idem sentit Durandus loco citato, neque etiam per omnia Scotus ead. d. & q. quod B. Thomas artic. 1. & 5. vbi is affirmat prius ordine naturę propriè assumptam esse animam, quàm corpus, atque etiam *partes* humanæ naturæ, scilicet animam & corpus, quàm *totam* naturam secundùm rei *executionem*: secundùm *intentionem* autem assumentis, priùs naturam totam, quàm eius partes. Et vt à Caietano illic intelligitur, loquitur de partibus non tantùm diuisiuè, sed etiam copulatiuè seu simul acceptis. Quæ doctrina non admittitur à Durando, nec per omnia à Scoto, vt postea videbimus.

Mihi

Mihi verò doctrina hæc & sententia D. Thomæ verissima videtur. Et probatur Primo ex fundamento, quod ille ponit artic. 5. hoc modo. Qualis est ordo naturæ in *existentia ipsa* rerum assumptarum, talis est etiam naturæ ordo in earũ rerum assumptione; quantum est ex parte ipsarum. Sed inter res assumptas talis est naturæ ordo, vt secundùm *executionem quidem* anima simpliciter sit priùs, quàm corpus; & partes, hoc est, anima & corpus, tum diuisiuè, tum copulatiuè acceptæ, priùs quàm tota natura: secundùm *intentionem* autem tota natura sit priùs, quàm hæ ipsius partes. Ergo talis est etiam ordo naturę in ipsa assumptione; quantum est ex parte rerum assumptarum.

Maior probatur. Nam res assumptę non priùs nec aliter extiterunt, nisi quatenus assũptę sunt; ac proinde omnino *existunt* etiam ex vi assumptionis, id est, *debent* etiam (vt ita dicam) Esse suum assumenti. Ergo idem ipse ordo, qui est inter has res, vt existunt, est etiam inter eas, quatenus assumuntur. Dixi autem in ea Maiore, esse hunc naturæ ordinem, quem diximus in assumptione, *quãtum est ex parte ipsarum rerũ assumptarum*, vt significarem, rationem huius ordinis non esse in ipso *assumente*, atque adeo neque in assumptione, si illam velut *actiuam* consideremus, quasi Verbum ipsum assumens ex parte sua debuerit prius assumere vnum, quàm alterum, & vnum non nisi per alterum. Non enim ita est: sed tota ratio huius ordinis est *in ipsis rebus*, quæ assumũtur. Vt ideo non tam Verbum priùs naturam assumpsisse vnum quàm alterum, quàm vnũ priùs quàm alterum à Verbo *assumptum esse* dicendum sit: licet consequenter meritò etiam concipiamus & affirmemus, Verbum assumpsisse prius vnum, quàm alterum. Quod vno verbo est dicere, in assumptione *actiuè* considerata nõ esse nisi ordinem quendam rationis secundùm intellectum nostrum: in assumptione autẽ passiuè esse etiam ordinẽ naturæ atq; rei. Et hactenus probata & explicata est nostræ argumentationis Maior.

Minor autem facilè etiam patebit rem consideranti. Nam secũdùm *executionem quidem* Anima rationalis simpliciter est prior, quã corpus, in genere scilicet causæ *formalis*; neq; ab illo vicissim ipsa secundùm se dependet, cùm non educatur ex potentia materiæ. Item secundùm executionem quælibet pars *diuisiuè* prior est in genere suo causandi totum, quàm ipsum totũ. Item etiam secundùm executionem *vtraq; simul* pars sic se habet ad totum, vt totum nequeat esse sine vtraq; parte; bene autem permanere possit vtraque pars sine eo Toto, quod constet ex illis. Loquor autem de *vtraque* parte, quoad illarum entitates simul acceptas; non autem de vtraque parte vt formaliter sunt etiam ad inuicem *vnitæ*, quatenus ea *vnio* est modus quidam formali ratione tantùm distinctus ab entitatibus vtriusq; partis. Nam vnitæ non possunt existere, quin existat Totum. Quòd autem tota natura humana, vt etiam assumpsimus in Minore, secundùm *intentionẽ quidem* prior natura sit, quàm partes, patet: Quoniam natura ipsa secundùm rationem suam formalem, est quiddam *perfectum & completum* ex partibus, atq; ita prius cadit in intentionem assumentis.

Secvndo probatur illa sententia D. Thomę alia ratione, quæ est velut confirmatio prioris. Sicut partes assumptæ existũt ex vi diuinæ *actionis*, per quam effectiuè producuntur, ita etiam alio quodam respectu & modo existunt ex vi assumptionis, per quam propriè *terminantur & sustentantur hypostaticè* à solo Verbo. Sed quia existunt ex vi diuinæ actionis; ideo eodem ordine naturæ, qui inter ipsas est, diuinitus producuntur. Ergo similiter quia existunt ex vi assumptionis, eodem naturæ ordine, qui inter ipsas est, assumuntur, & *terminantur* à Verbo.

Neq; quicquam interest, quòd non successiuè, sed *simul tempore* omnes illæ res fiunt & assumuntur à Verbo. Nam vt rectissimè notauit ad hoc propositum Caietanus art. 5. non minùs naturæ ordine, fundamentum (exempli caussa) *domus* fieret priùs, quã paries, si simul tota domus perficeretur, quàm nunc fit, quando construitur per partes successiuè. Cuius ratio est. Quoniam hic ordo naturæ in productione, vel in assumptione ex parte rerum productarum seu assumptarum, pẽdet omnino ex ordine, qui est in *ipsis rebus*, vt probatum est. Is autem ordo rerum idem est, siue illæ simul, siue successiuè producantur aut assumantur, vt perspicuum est.

Tertio, quod attinet peculiariter ad prædictum ordinem assumptionis *animæ & corporis*, id etiam probat D. Thomas art. 1. Quoniam anima est ratio & caussa corpori, cur congruenter assumatur; atq; ita ordine naturæ prius assumitur, scilicet tanquam caussa saltem *congruentiæ*, licet non necessitatis. Potuisset enim (vt q. 4. disputatum est) aliud etiam corpus præter humanum assumi per potentiam Dei absolutam.

Qvarto vtitur etiam peculiari ratione Caietanus in illo art. 5. quod attinet ad prædictum ordinem *partium*, respectu *totius* naturę. Nam secundùm executionem illud est prius in compositione seu coniũctione aliqua (qualis est in nostro proposito assumptio) quod in resolutione est posterius. Sed partes humanæ naturæ via resolutionis sunt posteriores, quàm tota natura in proposito. Ergo secundùm executionem prius fuerunt assumptæ & coniunctæ cum Verbo, quã tota natura. Minor probatur. Nã in triduo mortis Christi, natura humana desiit esse vnita Verbo hypostaticè secũdùm rationẽ formalẽ *totius* (siquidẽ Verbũ tunc nõ fuit homo) & tamẽ in illa quasi resolutionis via, mãsit vtraq; pars naturæ, scilicet anima & corpꝰ, vnitâ Verbo, iuxta illud dogma Theologorũ: *Quod semel assũpsit Verbũ diuinũ, nũquã dimisit*, videlicet quoad rei entitatẽ.

Porrò

Universidad de Deusto
Biblioteca

Porrò confirmata hunc in modum doctrina D. Thomæ de ordine assumptionis, superest vt respondeamus Durando & Scoto, qui, vt suprà diximus, contrà sentiunt. Et DVRANDVS quidem in 3. d. 2. q. 2. in vniuersum negat, aliquem fuisse naturæ ordinem (propriè dictum) in assumptione siue *partium inter se*, siue etiam *partiũ* respectu *totius* naturæ. Et quod ad *partes inter se* attinet, sic probat: Nam neque ex parte *assumptionis seu assumentis* (vt patet) neque ex parte *assumptarum partium* est talis ordo. Ergo nullo modo. Quòd non ex parte assumptionis actiuæ, suprà concessimus & declarauimus. Quòd autem neque ex parte assumptarum partium, probatur. Quia quando vnum vnitur duobus, quatenus *vnum* sunt, ex æquo vnitur ipsis absque vllo ordine ex parte ipsorum. Sed Verbum diuinum fuit vnitum hypostaticè corpori & animæ, qua ratione hæc duo *vnum* sunt, nempe quatenus constituunt *vnam naturam*. Ergo.

RESPONDET rectè Caietanus, Maiorem huius Syllogismi omnino falsam esse, quando vnum vnitur duobus, non tantùm quatenus vnũ sunt; sed etiam quatenus sunt diuersa partialiter, sicut accidit in proposito. Verbum enim vtroque modo cum corpore & anima coniunctũ est, nimirũ & vt constituunt vnicam naturam, & vt eam constituunt, quatenus sunt *partes diuersæ*, habentque adeo inter se naturæ quendam ordinem: quò fit, vt eodem ordine sint hæ partes assumptæ. Confirmatque hanc responsionem Caietanus ex eo, quòd in triduo mortis dissoluta humana natura secundùm rationem *totius*, mãsit tamen Verbum diuinum vnitum eius partibus, & quidem ex vi primæ assumptionis. Vnde manifestè sequitur, ipsum primò fuisse vnitum corpori & animæ, nõ tantùm vt vnam naturam constituunt, sed etiam vt sunt *diuersa partialiter*: Alioqui fuisset opus in triduo mortis noua assumptione partium, quatenus diuersæ sunt, quã nemo facilè admittet.

Præterea quòd sine vllo etiam ordine Verbũ assumpserit *partes & totam* naturam, probat item Durãdus *Primò*. Quoniam totum & partes sunt *idem re*. Eiusdem autem ad idem non est vllus ordo naturæ. *Secundò*. Quoniam vnio vna est vnius ad vnum. Sed hæc fuit vnica vnio. Ergo est *vnius*, scilicet Verbi, ad vnum prorsus, scilicet ad totũ & partes, vt sunt omnino *vnum*.

Ad *Primum* respondetur, esse quidem reipsa & actu idem, totum & omnes eius partes: distingui tamen ita formaliter ex ipsa natura rei, vt partes omnes esse possint sine toto; non autem è contrario. Quod, vt suprà explicauimus, satis est, vt inter partes & totum secundùm suas rationes formales, intelligatur esse quidam naturæ ordo, quo vnum præsupponitur ex natura rei alteri. Secus, si loqueremur de omnibus partibus non tantùm quoad ipsarum entitates; sed etiam vt formaliter vnitæ ad inuicem sunt. Sic enim non sunt propriè loquendo, naturâ priores, quàm totũ, vt suprà etiam diximus. Tametsi adhuc ea ratione distinguantur formaliter ab illo, neq; tribuant vt sic denominationẽ totius.

Ad *Secundum* respondeo, vnicam vnionem esse vnius ad vnum *totale*, & simul ad *plura partialia*, vt anteà dictum est: atque adeo ad vnum partiale, quales sunt hæ singulæ partes, & ad vnum totale formaliter, quale est tota natura. Quod sufficit, vt intelligamus illum ordinem in assumptione.

SCOTVS autem in ead. d. & q. tantummodò oppugnat illud, quod D. Thomas docet, *secundũ executionem* prius fuisse assumptas partes, quàm totum. *Primò*. Quia si primum assumptum non fuit formaliter humanitas, sed humanitatis partes; Ergo assumens non fuit prius homo per id, quod primò assumpsit.

Secundò & maximè. Quia illud fuit primò assumptum, quod primò fuisset personatum, si fuisset suæ naturæ relictum, & non assumptum à Verbo. Tale autem est natura tota, non autem partes. Ergo natura tota est prius assumpta. Maior probatur. Quoniam Verbum diuinum suppleuit vices personæ creatæ: atque ita, quod fuit primò personabile, fuit primò assumptum. Minor autem probatur. Quoniam natura tota est primò apta, vt sit persona, & partes non nisi per illam, & quatenus illam constituunt.

Ad *Primum* respondetur, nullum esse absurdum, si concedamus, Verbum diuinum non fuisse aut esse formaliter hominem per id quidem, quod est primò assumptum *partialiter*; satis enim est, si Verbum assumens sit homo per assumptũ primò totale, quod est tota humanitas.

Ad *Secundum* respondet Caietanus art. 5. admodum obscurè. Summa est, falsam esse Maiorem. Ad probationem autem respondet, non eodem ordine per *alienam* personalitatẽ terminari hypostaticè naturam, quo terminaretur & personaretur per *propriam*. Nam non ita personatur per personalitatem propriam, vt ipsa sit origo & principium quasi efficiens talis personalitatis. Ita fit, vt quia immediatè tota natura est principium suæ personalitatis, & partes non nisi per ipsam naturam: tota etiam natura primò & immediatè personetur per propriam personalitatem. Neque enim esse rationem, cur alio ordine profluat personalitas propria à natura, & alio eandem naturam eiusque partes terminet hypostaticè. Cùm verò natura personatur per alienam personalitatem, vt in proposito; integrum est personæ assumenti, inchoare executionis ordinem in terminando, vndecunque velit, nimirum vel à partibus, vel à tota natura: siquidem non effluit eiusmodi persona à natura, quam terminat. Et in proposito quidem, ꝙ dissolutâ naturâ, in triduo mortis Christi, mãserint partes eius vnitę Verbo Dei hypostaticè, indicio esse, ꝙ Verbum diuinũ primò secũdũ executionem

nem voluerit assumere partes. Nam, vt suprà dictum est, quod est vltimum via resolutionis, est primum in compositione seu coniunctione.

Mihi responsio hæc Caietani non videtur solida. Etsi enim natura ad personalitatẽ *propriam* habeat se etiam tanquam eius *origo*: tamen alia quædam est formaliter *habitudo* eius ad eandem personalitatem, quatenus per ipsam hypostaticè *terminatur*: & ita quidem, vt ex naturæ *ordine*, qui est inter partes naturæ, quoad illarum existentiam tum *inter se*, tum respectu *totius* naturæ, posimus rectè concludere, esse eundem ipsum naturæ ordinem in hac habitudine, quam tum inter se, tum respectu totius naturæ habent ad personalitatem, quatenus per ipsam hypostaticè terminãtur. Sicut enim partes & totum sunt, seu existunt ex vi personæ alienæ assumentis: ita etiam *ex vi* personæ *propriæ*, quãdo per propriam personalitatem terminatur. Sed quia partes existunt *ex vi* personæ alienæ; ideo concluſimus rectè suprà, eodem ordine naturæ, quo in se sunt, fuisse à persona aliena assumpta, atq; adeo prius secũdùm executionem animam quàm corpus, & prius vtramque partem quàm naturam totam. Ergo similiter, quia *ex vi* personalitatis *propriæ*, quãdo per illam natura terminatur, eadem ista *existunt*, tanquam ex vi hypostatici termini; rectè item concludemus, eodem ipso ordine naturæ, quo existunt, terminari hypostaticè per propriam personalitatem, atque adeo prius per eam terminari animam quàm corpus, & vtramque partem, quàm totam naturam secundùm *executionem*.

Quare aliter respondeo ad illud secundum argumentum Scoti, negando scilicet Minorem. Patet enim ex dictis, per propriam personalitatem prius secundùm executionem hypostaticè terminari partes, quàm totum: quoniam terminãtur per propriam etiam personalitatem partes & totum eodem ordine, quo inter se sunt, & secũdùm executionẽ sunt priores partes, quàm totum.

Ad id verò, quod in probatione illius Minoris obiicit Scotus, illud primò personari & assumi quod est primò aptum vt sit persona; naturã autem *totam* esse id, quod primò est aptum, vt sit persona: Respondeo in primis, non id solùm dici in proposito *personari* seu *assumi* ad personam, aut etiam *hypostaticè terminari*, quod ita assumitur seu personatur, vt ipsum immediatè sit atq; fiat persona per personalitatem; sed quicquid omnino est aliquid pertinens ad personam, atque adeo sustentatur quocunque modo à persona. Sic autem quidem loquendo de *personatione seu terminatione hypostatica*, affirmamus, secundùm *executionem quidem* partes esse prius aptas, vt personentur seu terminentur, quàm totam naturam. Quanquam verum sit, totam naturam esse id, quod primò & immediatè sic personatur, vt per personalitatem constituatur in esse personæ. Sed latius hîc loquimur de personatione seu terminatione, vt rectè etiam annotauit Caietanus in illo artic. 5. tametsi malè conatus sit assignare quoad hoc disparitatem inter personam propriam & alienam, vt vidimus.

Pertinet etiam ad hunc locum refutatio sententiæ ABVLENSIS, qui paradoxo 2. cap. 42. opinatur etiam contra D. Thomam, partes non tantùm secundùm executionem, sed etiam secundùm *intẽtionem* fuisse prius assumptas, quàm totam naturam. Probat. Quoniam Verbum diuinum dimisit aliquando naturam, videlicet in triduo mortis: nunquam autem dimisit partes. Ergo prius secundum *intentionem* assumpsit partes naturæ.

SED nulla est prorsus hæc Consequẽtia. Prius enim secundùm intentionem assumptum fuisse dicimus non id, quod nunquam fuit dimittendum; sed id, quod *præcipuè* conferebat ad Incarnationis finem, atque ita quod præcipuè cecidit in intentionem assumentis. Hoc autem fuit *tota* natura formaliter, tametsi ad tempus formaliter vt natura viuens, dimittenda fuerit.

Atque hæc quidem possent sufficere, quod attinet ad *ordinem* assumptionis naturæ & partium eius. Illa enim quæstio, quam etiam attigit Caietanus artic. 1. & 5. Vtrum Anima fuerit prius assumpta, quàm corpus; & partes prius, quàm natura, non tantùm vt *Quo*, sed etiam vt *Quod*, tota est de nomine. Nam de re quidem necesse est inter omnes conueniat.

PRIMO enim vt *Quod partiale*, dubium esse nõ debet, quin & Anima & partes sint à Verbo priꝰ secundum exequutionem assumptæ; siquidem verè sunt ab eo sustentatæ seu terminatæ hypostaticè. Atque ita cùm Anima eo modo, quo assumpta est, prius sit assumpta, quàm corpus; & partes, quàm tota natura; sequitur, prius ista esse assumpta tãquam *Quod partiale*: vt Quod autem *totale*, sola natura fuit prius (secundum Intentionem) assumpta. Nam neque partes assumptæ fuerunt, nisi quia ex illis existit natura *tota* formaliter.

Quare non assentior Caietano, qui in illo artic. 5. sine ratione affirmat, quamuis anima non sit prius assumpta, quàm corpus, vt *Quod*; prius tamen vt Quod assumptas esse partes, quàm totam naturam. Si enim de Quod *totali* sit sermo; neq; partes sunt ita prius assumptæ. Si de Quod *partiali*; etiam Anima est priꝰ sic assumpta, quàm corpus.

DEINDE cùm Anima sit id, *quo* in genere causſæ formalis corpus existit; atq; etiam partes id, *quo* tota constituitur natura; concedi sine controuersia etiam debet, & animam prius, quàm corpus; & partes prius, quàm totam naturam, esse assumpta vt *Quo*. Quoniam assumuntur ista, sicut suprà dictum est, eo ordine & modo, quo sunt. Atque ita sicut vnum est alteri id, quo est: ita etiam est illi id, quo assumitur. Quò pertinet

Universidad de Deusto
Biblioteca

modus loquendi D. Thomæ, atque etiam Patrũ, qui dicunt, vnum esse assumptum *per alterum*.

PVNCTVM TERTIVM.

An etiam in assumptione ipsius Animæ posit considerari aliquis ordo naturæ, iuxta quem in ipsa Anima aliquid sit assumptũ prius, quàm aliud.

D. Thom. art. 2.

REs hæc facilis est explicatu. Nam sicut inter portionem animæ *superiorem*, id est, intellectum & voluntatem; & *inferiorem*, id est, alias potentias sensitiuę partis, est quidam ordo: ita etiam intelligendum est, quodam ordine fuisse potentias illas superiores & inferiores cum natura humana assumptas. Est enim intellectus & voluntas *dignior* reliquis: Itaq; quoniam cum his aliæ potentiæ in eadẽ anima coniunctæ fuerunt, congruenter potuerunt à diuino Verbo assumi; eatenus Intellectus & Voluntas prius assumpta fuerunt, sicut p. præcedenti argumentati sumus de anima & corpore.

Atque hoc est, quod D. Thomas hîc artic. 2. ex sententia D. AVGVSTINI in libro de Agone Christiano cap. 18. & seq. definit, Verbum diuinum assumpsisse animam, *mediãte spiritu; animæ* nomine intelligens potentias inferiores; nomine autem *Spiritus*, intellectum & volũtatem. Hæc igitur duo assumpsit Verbũ prius ordine quodam naturæ, tametsi latius accepto; quia digniora videlicet, & quia per illa congruenter aliæ potentiæ sunt assumptæ, vt dictum est.

Et huc etiam pertinet dictum DAMASCENI lib. 3. cap. 6. *Vnitum est carni medio intellectu, seu media mente, Verbum Dei*: quia nimirum ex Ratione & Voluntate, secundùm quas inest in humana natura imago Dei, extitit omnis congruitas in hac assumptione. Sicut B. Thomas argumentatur in illo artic. 2. Vbi etiam Caietanus rectè notat, non esse hîc aliquam prioritatem *causæ & effectus* propriè in assumptione intellectus & voluntatis, & aliarum potentiarum; sed *dignitatis cuiusdam*, vt dictum est.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Gratia Christi hominis, vt singularis cuiusdam personæ.

D. Thomas tertia parte, quæstione septima.

EXPLICANDA SVNT QVINQVE. PRIMO, *An fuerit in Christo gratia gratum faciens, & qualis nam.* SECVNDO, *Quanta fuerit Christi gratia.* TERTIO, *An fuerint in Christo virtutes.* QVARTO, *An fuerint in Christo Dona Spiritus sancti.* QVINTO, *An etiam gratiæ gratis datæ.*

PVNCTVM PRIMVM.

An fuerit in Christo gratia gratum faciens, & qualis nam.

D. Thomas artic. 1. & 13.

CHRISTVS VT HOMO PER DVplicem gratiam fuit dilectissimus & gratissimus Deo in ordine etiã ad beatitudinem creatam suæ animæ; atque adeo duplici gratia *gratum faciente* præditus fuisse dici potest, iuxta notionem communem gratiæ gratum facientis à nobis explicatam tomo 2. q. 2. de Gratia p. 1. Vna est ipsa gratia *vnionis*: Altera verò, Gratia *habitualis*.

Et gratia quidem VNIONIS, vt eo nomine intelligimus hoc loco donũ quoddam eximium, aliud non est, quàm ipsa *subsistentia Verbi diuini, donata gratis & communicata humanæ Christi naturæ per vnionem hypostaticam*, vt satis constat ex doctrina D. Thomæ q. 2. art. 10. & iis, quæ diffusè suprà q. 1. & 2. à nobis disputata sunt, vbi etiã q. 2. præsertim p. 5. & 6. copiosè de ratione & præstantia huius *vnionis* seu coniunctionis *hypostaticæ* naturæ humanæ & Verbi diuini disseruimus. Itaque perspicuum est, hãc gratiam Christi esse omnium summam, vtpotè infinitam simpliciter: Neque esse minus certum, fuisse illã præditum Christũ vt hominem, quàm est certum, Christi humanitatem fuisse vnitam hypostaticè Verbo diuino: de quo, vt dixi, disseruimus q. 1. & 2.

Nec potest ab aliquo negari, quod dicimus, per hanc gratiam Vnionis fuisse Christum secundùm humanitatem Deo *gratum & dilectum*, atq; adeo sanctum. Tum quia id apertè colligitur ex illis verbis Domini Ioan. 10. *Quem Pater sanctificauit & misit in mundum, &c.* Vbi de sanctificatione humanitatis suæ per Vnionem ipsam, loquitur; sicut tomo 1. q. 1. de Trinitate. p. 1. §. 16. ostendimus ex sententia Patrum, ac nominatim S. Augustini. Tractatu 48. in Ioannem, & S. Hilarij lib. 7. de Trinitate. Tum quia hoc ipso, quòd illa vnio est summum donum *gratiæ* à Deo communicatum humanitati Christi, est Christi humanitas per eam obiectum Summæ Dei dilectionis, qua tantum bonum ei communicatur.

Neque hoc negat Durandus in 3. d. 12. q. 2. vt quidam citant, & multò minùs Alexander Hallensis 3. p. q. 11. membro 1. & 3. aut alij; sed omnes potius id supponunt hoc ipso, quòd censent, illam Vnionem esse eximiam quandam *gratiam*. Quòd si qui indicant, indiguisse Christum gratia alia accidentali, vt *Sanctus* esset; censendi sunt loqui de sanctitate *inhærenti*, iuxta ea quæ iam iam dicemus.

Gratiæ autem HABITVALIS nomine *qualitatem* hîc intelligimus *supernaturalem in Anima Christi inhærentem, per quam ille modo proprio iustorum hominum fuerit Deo gratus, atq; adeo iustus*: siue ea qualitas re distinguatur à Virtute charitatis, vt sentit B. Thomas, quem defendimus tomo 2. q. 2. de Gratia p. 2. siue non, vt putauit Scotus.

Cùm autem minimè dubitetur à Doctoribus, quin Christus habuerit huiusmodi gratiam habitualem, tres Quæstiones circa illã sunt hoc loco explicandæ. PRIMA est, Quàm sit certum, habuisse Christum hanc gratiam. SECVNDA, Quandonam fuerit ei data. TERTIA, Fueritne hæc gratia in Christo eiusdem speciei, cuius est gratia aliorum iustorum.

Itaque PRIMO QVAERITVR, Quàm sit certum, habuisse Christum hanc gratiam habitualem? Et est ratio dubitandi. Quoniam D. Thomas hîc art. 1. sic assertionem hanc probat, vt nõ tam illam conuincat, quàm ostendat solùm cõueniens fuisse, vt haberet Christus etiam hanc gratiam. *Prima* enim eius ratio est: Quia cùm anima Christi esset coniunctissima cum authore huius gratiæ; conueniebat, vt ab eo perciperet etiam eum influxum, quo ista gratia communicatur. *Secunda*. Quoniam oportuit eãdem Christi animam, cùm esset maximè nobilitata, Deum attingere perfectis operationibus; atque adeo eleuari & perfici eius potentias & essentiam per hãc gratiam. *Tertia*. Vt si Christus, tanquam mediator Dei & hominum, gratiam etiam huiusmodi haberet; rectiùs intelligeremus ab ipso gratiam istam in nos deriuari: iuxta illud Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia*. Quanquam etiam tunc ab ipso in nos gratia deriuari dici posset, si per solam gratiam Vnionis illam nobis obtinuisset. Quare neq; ista tercia ratio (sicut neque aliæ duæ priores) conuincit penitùs, Christum habuisse hãc gratiam; sed, vt dixi, decuisse, vt haberet.

In hac re quatuor mihi dicenda occurrunt. PRIMO, certum esse ex fide sine controuersia, quòd Christus secundùm humanitatem etiam, fuerit *supernaturaliter dilectus & gratus Deo, & iustus & sanctus*. SECVNDO, non esse sine controuersia ex fide certum, quòd fuerit gratus & iustus per *qualitatem inhærentem*. TERTIO, sine controuersia tamen ita esse certum, Christum per *qualitatem inhærentem* fuisse gratum & iustum, vt negari hoc non possit sine temeritate. QVARTO, *probabilius* esse hanc assertionem gratiæ habitualis in Christo, esse *assertionem fidei*: quamuis hoc ipsum (vt primò dictum est) non careat cõtrouersia.

PRIMVM patet ex illis locis. *Hic est filius meus dilectus*. Matth. 3. Et: *Quem pater sanctificauit*. Ioan. 10. Et Lucæ 1. *Quod ex te nascetur sanctũ*. Et Actor. 2. *Virum approbatum à Deo, &c. sanctum & iustum negastis*. Et denique Isaiæ 11. patet, ipsum Spiritus sancti donis fuisse præditum, quæ constat esse propria Sanctorum.

SECVNDVM probatur *primò*. Quoniam sunt opiniones variæ, an hęc assertio habitualis gratiæ in Christo, sit assertio fidei; neque censetur improbabilis quorundam, præsertim recentiorũ, opinio, qui negant. *Secundò*. Quia quòd Christus habuerit gratiam *habitualem*, neque per se est alicubi expressum aut definitum sine controuersia; neque concludi sine controuersia potest ex aliqua propositione, quæ sit extra cõtrouersiam certa de Christo.

Nam quatuor sunt, quod ad propositum attinet, de Christo indubitata, ex quorum aliquo maximè id posset concludi. PRIMO, naturam eius humanam fuisse *hypostaticè* coniũctam cum Verbo. SECVNDO, fuisse illum secundùm humanitatem etiam Deo *gratum* & dilectum. TERTIO, esse illum gratum Deo, iustum, sanctum, & innocentem *modo proprio* aliorum iustorum hominum Dei amicorum. QVARTO, eum nobis fuisse *promeritum* gratiam & gloriam. At ex nullo istorum potest sine controuersia tanquam ex fide certa concludi assertio gratiæ habitualis in Christo.

Non ex PRIMO. Quoniam vnio *hypostatica* neque habituali aliquo dono propriè continetur, vt ostendimus suprà q. 2. p. 5. contra quosdam authores; neque etiam ex illa necessariò tale donum consequitur: cùm rectè concedant plurimi viri docti, potuisse per potentiam Dei absolutam assumi naturam humanam destitutam gratia habituali. Et patet idipsum. Quia neque ex eo, quòd *hypostaticè* assumitur: neque ex eo, quòd est natura *humana*, necessariò est consequens, vt habituali gratia diuinitus donetur. Non ex eo, quòd *hypostaticè* assumitur: quoniam tunc nulla natura hypostaticè assumi posset, nisi ornaretur eiusmodi gratia, quod falsum est. Nam posset, vt q. 4. disputauimus, assumi natura irrationalis, vel insensibilis, quæ non est capax talis gratiæ. Neque ex eo, quòd est natura *humana*: siquidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

satis patet, posse naturam humanam verè consistere sine habituali gratia.

Neque etiam necessariò concluditur, Christum habuisse hanc gratiam ex SECVNDO capite, scilicet quòd secundùm humanitatem fuit Deo dilectus & *gratus*. Etenim ipsa subsistentia Verbi diuini, quatenus per *gratiam Vnionis* humanitati Christi communicata est, abundè nobis satis est, vt intelligamus, Christum secùdùm humanitatem etiã fuisse supernaturaliter Deo gratum & dilectum. Vt enim docet B. Thomas q.2.art.10. beneuolentia Dei fuit, quòd donum illud infinitum subsistentiæ Verbi communicaretur humanitati Christi. Atque ita hoc ipso, quòd Christus secundùm humanitatem recepit hypostaticè infinitum hoc donum à Deo, intelligitur secundùm humanitatem esse obiectum supernaturalis Dei dilectionis, atque adeo esse secundùm humanitatem, vt illud donum infinitum recipit, dilectus supernaturaliter & *gratus* Deo.

Neque quicquam interest, quòd hoc donum subsistentiæ diuinæ humanitas Christi acceperit non vt *accidens* ipsi inhærens, sed substantialiter & hypostaticè. Vt enim intelligamus, naturam à Deo supernaturaliter dilectam & gratam, satis est, quòd verè accipiat per beneuolentiam & amorem Dei erga ipsam aliquod donum suprà suam conditionem. Nam hoc ipso intelligitur esse obiectum supernaturalis Dei dilectionis, vt diximus. Quòd autem id accipiat hoc vel illo modo, planè est per accidens, quod ad propositum attinet. Vt omittam interim modũ illum, quo humanitas Christi infinitum donum subsistentiæ diuinæ accepit, multò esse potiorem eo modo, quo alij homines iusti accipiunt donum habitualis gratiæ; cùm ille sit modus *substantialis*, hic autem *accidentalis*.

Neque etiam assertio gratiæ habitualis potest vt certa secundùm fidem probari ex TERTIO capite suprà dicto, scilicet quòd Christus fuit dilectus & gratus Deo *modo proprio* iustorũ. Nam gratia vnionis non solùm satis est, vt intelligamus, humanitatem Christi per illam fuisse Deo supernaturaliter dilectam & gratam quocunq; modo, sed etiam modo proprio aliorum hominum Dei amicorum; quo pacto indubitatum etiam est, Christum secundùm humanitatem fuisse Deo gratum. Modus enim hic amicorũ Dei *proprius*, (quod ad propositum nostrum spectat) in hoc consistit, vt cum eo dono, per quod sint supernaturaliter dilecti & grati Deo, sit coniuncta *acceptatio* illorum & *ius* ad vitam æternã, nec possit cum illo stare peccatum mortale, quo dissoluitur Dei amicitia, & amittitur ius ad vitã æternam. Docebimus autem infrà q.15. cum gratia vnionis, per quam Christus intelligitur etiã esse Deo gratus, nullum peccatum, atq; omniũ minimè peccatum mortale, posse consistere, ac proinde cum illa sola posse coniunctum esse ius ad vitam æternam. Quare gratia hæc sufficit, vt Christus intelligatur & *gratus* Deo esse, & esse gratus *modo proprio* iustorum, quatenus excludit peccatum mortale, & præbet ius ad vitam æternam. Hoc enim est, quod & omnibus & solis iustis conuenit, vt quatenus iusti sunt, nequeant simul habere peccatum mortale, & sint acceptati ad vitam æternam.

Adde, quòd illud etiam in controuersia est, an *alij homines iusti* secundùm fidem Catholicam, sint per gratiam aliquam *habitualem* Deo grati; tametsi indubitatum apud Catholicos sit, quòd sint grati non tantùm per gratiam Christi, sed etiam per donum aliquod ipsis inhærens & suũ *proprium* formaliter. An autem illud sit habituale, vel alterius modi, nõ est indubitatum dogma fidei. Quamuis multò probabilius sit, esse id certum ex fide; vt asseruimus tomo 2.q.3. de Habitibus, p.4.

Denique neque illa assertio habitualis gratiæ in Christo indubitatè concluditur ex QVARTO capite, scilicet quòd Christus nobis sit *promeritus* gratiam & gloriam. Nam neque ex ratione ipsa meriti, neque ex Scriptura aliud indubitatè potest colligi, quod requiratur ad meritum, quàm vt persona illa, quæ bonis actibus meretur secũdùm naturam eam, qua meretur, sit supernaturaliter dilecta & *grata* Deo modo *proprio* iustorũ: itemque vt dilectione aliqua, suprà naturalem humanæ naturæ dilectionem, *diligat* Deum, referatque suas operationes in ipsum. Probatum est autem paulò antè, Christum per solam gratiam Vnionis intelligi posse secundùm humanitatem esse sic Deo gratum, & quidem infinitè. Quæ causa est, vt quemadmodum suprà q.1. dictum est, meritum eius fuerit etiam valoris infiniti. Neque vt Christi persona supernaturaliter Deum *diligeret* etiam per actũ humanitatis, fuit illi sine cõtrouersia necessaria gratia aliqua habitualis.

Et accedit, quòd si maximè ex Scriptura constaret sine controuersia, *meritum* propriè dictũ non posse esse, nisi persona sit grata per habitualem gratiam inhærentem; tamen hoc ad homines iustos alios accommodari tantũmodò posset, saltem sine controuersia, nõ autem ad Christum, cuius meritum fuit alterius modi à modo meriti iustorum, vtpotè secundùm *omnem rigorem* iustitiæ, sicut q.1. probauimus, & non supposita aliqua liberali promissione & acceptatione, sicut iustorum aliorum meritum. Itaque rectè sentiunt plerique Doctores, cùm dicunt, gratiam Vnionis abũdè fuisse satis, vt intelligamus, Christum esse nobis gratiam & gloriam promeritum, quemadmodum sine controuersia valuit, vt meritũ Christi esset meritum infinitũ. Quod argumento est, non habuisse se impertinẽter illã ad Christi meritũ. Itaq; verũ est illud SECVNDVM, q̃ asseruimus, non esse sine controuersia certam ex fide assertionem gratiæ *habitualis* in Christo.

TERTIVM

TERTIVM autem, quod item affirmauimus (scilicet esse tamen eam assertionem ita certam, vt eam negare, temerarium sit) probatur *primò*, Quoniam Christum habuisse gratiam *habitualem*, atque adeo per illam etiam fuisse gratum & meruisse, est communis assertio Theologorum in 3.d.13. Ergo temerarium sine controuersia foret id negare. *Secundò*. Quoniam temerarium sine controuersia esset, negare in aliis iustis gratiam habitualem. Sed Scriptura ita Christo sanctitatem & iustitiam tribuit, vt aliis iustis, quos proinde affirmat Apostolus debere fieri *conformes imagini* illius. ad Rom.8. Ergo, &c. Accedit, quòd de Christo præ aliis iustis dicitur, fuisse illum *plenum gratiæ & veritatis*. Ioan.1. *Et de plenitudine eius nos omnes accipere*. Ergo temerarium saltem sine controuersia esset, negare in illo modum illum gratiæ habitualem.

QVARTVM denique (scilicet probabilius esse, quòd sit hæc assertio fidei) probatur. Quoniam, vt dictum est, constat ex Scripturæ locis suprà citatis, Christum fuisse sanctum & iustum, sicut alios Dei amicos. Sed probabilius est, quòd sit assertio fidei, iustos homines esse Deo gratos per *habitualem* gratiam *inhærentem*. Ergo, &c. Minor probata est à nobis tomo 2. q.3. de Habitibus, p.4. Quoniam Concilium Viennense & Tridentinum planè loquuntur & definiunt de gratia propria iustorum, tanquam de dono aliquo *permanente* & habituali, quod inhæreat & infundatur diuinitus eorũ animis. Quod idem significat passim Scriptura, vt illic ostendimus. Et hactenus de PRIMA Quæstione.

SECVNDO QVAERITVR, Quãdonam communicata fuerit Animæ Christi istiusmodi gratia habitualis? Et breuiter RESPONDENDVM est, fuisse illi communicatam ab initio, in momento scilicet Incarnationis & Conceptionis, vt patet ex illis Angeli verbis: *Quod enim nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei*. Lucæ 1.

Quocirca gratia *Vnionis* non præcesit gratiã hanc *habitualem* in Christo ordine temporis. Ordine tamen naturæ, docet D. Thomas hic art. 13. gratiam vnionis fuisse priorem. Hoc verò de *naturæ ordine* accipio non strictè, cùm vnum est alterius *causa*, vel ita alteri supponitur, vt possit esse sine illo, alterum autem non sine ipso: sed accipio id de naturæ ordine latè sumpto. Quo pacto (vt suprà q. præcedenti, p.2. notauimus) illud etiã dici potest naturâ prius altero, quod ob aliquam rationem petitam ex *ipsâ re* meritò saltem intelligitur à nobis prius, quàm alterum.

Sic latè accipiendo *prius naturâ* bene probant rationes D. Thomæ in illo art.13. gratiam Vnionis fuisse naturâ priorẽ habituali gratia in Christo. *Prima* est. Quia per communicationẽ gratiæ *vnionis* intelligitur *Verbum diuinum* fuisse à Patre æterno missum: per communicationem autem gratiæ *habitualis*, Spiritum sanctum, vt declarat B. Thomas 1.p.q.43. de missione personarum diuinarũ. Sed missio Verbi diuini prior est, quàm missio Spiritus sancti. Ergo communicatio gratiæ vnionis etiã est prior. *Secunda* ratio est. Quoniam gratia habitualis manat in hominem ex præsentia Dei. Ergo meritò prius intelligimus, Deum fuisse coniũctum cum humanitate Christi per præsentiam etiam *hypostaticam*, quàm eidem communicaret gratiam habitualem. *Tertia*. Quoniã prius est *Esse* rei, quàm *operatio* eiusdem. Sed gratia vnionis est communicata humanæ naturæ, vt esset ac subsisteret: gratia autẽ habitualis, vt perfectè operaretur. Ergo meritò prior esse intelligitur gratiã Vnionis.

Fateor tamen vicissim quoq; nonnullam rationem *ex re* petitam nobis suppetere, ob quam meritò etiam possimus intelligere, prius naturam humanã Christi fuisse habituali gratia exornatam: quia videlicet consentaneum fuit, vt humana natura nõ *assumeretur* ad Vnionem hypostaticam nisi per talem gratiam perfecta. Quę ratio est, cur D. Thomas & Caietanus art.11. & 13. verè censuerint, gratiam habitualem Christi ordinari ad coniunctionem hypostaticam humanæ naturæ cum Deo tanquam ad *finem*, non quidem consequẽdum per ipsam gratiam habitualem, sed *exornandum*, vt ita dicam. Quemadmodum proprietas rei naturalis referri dicitur ad rei naturam seu formam, tanquam in *finem*: non quia res naturam vel formã suam per proprietatem consequatur; sed quia proprietas est quasi quoddam ornamentum formæ, atque adeo fit propter illam.

Neque verò est absurdum illud, quod hinc est consequens, videlicet gratiam quoque habitualem esse vicissim naturâ priorem vnionis gratiâ, si naturæ ordinem similiter minùs propriè sumamus. Vt enim nullum est absurdum, quòd sumpto naturæ ordine propriè duæ res sint priores & posteriores se inuicem secundùm *diuersum genus causæ*: ita neque absurdum censeri debet, quòd secundùm diuersas rationes *ex re* petitas duo ita sese habeant, vt vnũ sit altero prius & posterius; naturæ ordine sumpto illo modo minùs propriè. Cæterùm quia plures rationes suppetunt, vt gratiam Vnionis priùs intelligamus; hæc absolutè dicenda est *prior*.

Negaui autem, gratiam Vnionis esse naturâ priorem *propriè loquẽdo*. Nam constat, ipsam gratiam Vnionis formaliter (vt scilicet est *gratuita* donatio & communicatio subsistentiæ Verbi, facta humanitati) secundùm nullum genus esse *causam propriè* gratiæ habitualis in Christo; neq; etiam ita se habere ad habitualem gratiam, vt ipsa possit esse sine habituali gratia; habitualis autem gratia nequeat esse sine ipsa: qui sunt modi *propriè* ordinis naturæ secundùm prius & posterius. Ipsa tamen Subsistentia Verbi *absolutè* nõ est dubium, quin sit causa *efficiens* & *finalis* cuiuscunque rei creatæ, atque adeo etiam gratiæ habitualis. Immò etiam vt *communicata* hypostati-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cè humanitati, fuit aliquo modo *finis* gratiæ habitualis, vt paulò antè dictum eſt; ſed non vt *gratis* donata, quomodo eſt gratia vnionis formaliter. Vnde quod paulò antè diximus, ex D. Thoma & Caietano, gratiam habitualem ordinari ad gratiam vnionis tanquam ad *finem*; intelligēdum eſt de gratia vnionis, non omnino formaliter conſiderata, ſed præcisè vt eſt *communicatio ſubſiſtentiæ diuinæ*.

TERTIO QVAERITVR, Qualis fuerit communicata Chriſto gratia habitualis? Eiuſdémne ſpeciei cum noſtra, an diuerſæ? Et videtur fuiſſe diuerſæ ſpeciei. *Primò*. Quoniam D. Thomas hîc art. 11. ad 3. dicit, gratiam habitualem Chriſti ſic ſe habere ad gratiam habitualem aliorum hominum, ſicut ſe habet virtus cauſſæ vniuerſalis ad virtutem cauſſæ particularis; vt virtus Solis ad virtutem ignis; hoc enim dat exēplum. Conſtat autem virtutem cauſſæ *vniuerſalis* à virtute cauſſæ *particularis* differre ſpecie. *Secundò*. Quoniam D. Dionyſius in Epiſt. 2. ad Caium, & libro de diuinis nominibus, cap. 2. dicit, Chriſtum ratione huius gratiæ fuiſſe *ſuper hominem*, neq; ſolùm gratum, ſed *ſupergratum*. Quibus verbis differentiam videtur indicare ſpecificam.

RESPONDEO cum Caietano in illo art. 11. & aliis, gratiam habitualem Chriſti ſecundùm *eſſentiam ſuam* quidem eiuſdem eſſe ſpeciei cum aliorum gratia; ſecundùm *modum* autem, quo illam Chriſtus habuit, poſſe dici diuerſæ ſpeciei: quoniam longè differt ex ea parte.

PRIMVM probatur *primò*. Quia nulla ſuppetit ratio firma, cur ſentiamus eſſe diuerſæ ſpeciei: atque ita rectiùs faciemus, ſi Scripturas, quæ in Chriſto fuiſſe quoque iſtam gratiam ſignificant, ſimpliciter de eadem gratia intelligamus, de qua in aliis locis Scriptura eodem modo loquitur, cùm ſignificat ſimiliter, alios homines eſſe iuſtos & ſanctos, &c. Neque de vllo effectu huius gratiæ habitualis Chriſti aliquid nobis conſtat, quod non poſsimus tanquam in cauſſam referre in gratiam eiuſdem ſpeciei cum noſtra; perfectiorem tamen intra eiuſdem ſpeciei latitudinem.

Et confirmatur hoc idem ex illo loco Apoſtoli ad Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui*. Vbi ſignificat, gratiam *iuſtificationis*, qua inprimis proceſſus prædeſtinationis diuinæ continetur, ſaltem in hac vita, eſſe alicui dono Chriſti conformem; quod rectiùs intelligitur, ſi ſit eiuſdem ſpeciei cū gratia Chriſti habituali.

Secundò idem probatur. Nam beatitudo, & charitas, & alia dona Chriſti, fuerunt eiuſdem ſpeciei cum charitate & beatitudine & cæteris donis aliorum hominum. Ergo iſta gratia quoque. Denique paſsim D. Thomas hîc q. 7. affirmat, Chriſti gratiam habitualem ad gratiam aliorum habere ſe ſicut lumen Solis ad alia lumina. Sed lumen Solis *vt lumen*, non differt ſpecie ab aliis luminibus. Ergo, &c.

Iam probatur SECVNDVM, ſcilicet poſſe dici alterius ſpeciei, ſecundùm *modum quidem*, quo fuit in Chriſto. Nam vt p. ſequent. oſtendemus, in Chriſto fuit iſta gratia tanquam in ſubiecto ſuo *adæquato*, hoc eſt, fuit in illo ſecundùm *totam latitudinem* propriæ ſpeciei, ſicut calor v. g. eſt in igne, vel humiditas in aëre. In cæteris autem hominibus eſt tanquam in ſubiecto inadęquato, id eſt, nunquam eſt, neque poteſt eſſe in aliquo cæterorum hominum ſecundùm totam latitudinem ſuam; quemadmodum neque calor ſecundùm totam latitudinem ſuam eſt aut poteſt eſſe in alio ſubiecto, præterquàm in igne. Igitur ob hāc cauſſam rectè dici poteſt gratia Chriſti quoad *modum* eſſe diuerſæ ſpeciei à gratia aliorum.

Atque hoc eſt tantummodò, quod illis authoritatibus D. Thomæ & Dionyſij probatur. Ea enim differētia ſufficit, vt & *ſupergratus* (cum Dionyſio) Chriſtus dicatur, & nullus hominum poſsit peruenire ad gradū gratiæ Chriſti. Quod vt explicaret D. Thomas, vſus eſt illa comparatione & exemplo cauſſæ *Vniuerſalis & Solis*. Neq; enim vult ſimilitudinem eſſe in hoc, quòd vt virtus cauſſæ particŭlaris à virtute cauſſæ vniuerſalis *ſecundùm ſe* differt ſpecie: ita etiam gratia cæterorum hominum à gratia Chriſti: Sed quòd, vt virtus cauſſæ particularis non poteſt ad perfectionem virtutis cauſſæ vniuerſalis peruenire, quoniam ab illa maximè differt: ita neque gratia cæterorum hominū ad gradum gratiæ Chriſti, quoniam differunt etiā maximè gratia Chriſti & gratia aliorum, tametſi non niſi ex *modo*, vt explicatum eſt. Et nihilominus declarabimus p. ſequenti, quemadmodum gratia cæterorum hominum ſemper poſsit in hac vita vlteriùs augeſcere; neque vnquam futurum ſit, vt aliquis eum gratiæ terminum in hac vita acquiſiuerit, quin poſsit vlteriùs progredi; vt quidam hæretici dicebant, damnati in Clementina *Ad noſtram*. de Hæreticis.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quanta fuerit Chriſti Gratia.

D. Thom. art. 9. 10. 11. 12.

VAESTIO hæc de Gratia Chriſti *habituali* meritò moueri ſolet. Nam etſi conueniat inter omnes, illam fuiſſe maiorem, quàm vllus hominum vel Angelorum habeat, aut habiturus ſit; magna tamen & admodum perplexa controuerſia apud Doctores eſt, an fuerit *ſumma poſsibilis*, ita, vt neque maior, neque etiam alia æqualis fieri diuinitus poſsit.

Ego doctrinam veriorem & communiorem, quæ etiā eſt D. Thomæ, ſequar & declarabo breuiter. Itaque reſpondeo PRIMO, Chriſti gratiam

ſecundùm legem quidem ordinariam & conſilium Dei, fuiſſe ſummam poſsibilem, ita, vt neque æqualis neque maior eſſe poſsit. De hoc inter omnes conuenit. SECVNDO dico, non fuiſſe ita ſummam poſsibilem, ſi potentia Dei *abſolutæ*, & natura etiam ipſius gratiæ ſpectetur. Ita diuus Thomas hîc artic. 9. & 11. & 12. Albertus in 3. ſentent. diſtinct. 13. artic. 7. Bonauentura & Richardus in 3. diſtinct. 13. artic. 1. quæſt. 2. Ockam in 3. quæſt. 7. Gabriel in 3. diſt. 13. quæſt. vnica, artic. 1. Notabili 3. Capreolus ead. diſtinct. quæſt. vnica, artic. 3. in reſponſione ad 3. argumentum Aureoli contra 2. concluſ. &c. Quamuis contrarium ſenſit Scotus in 3. diſtinct. 13. quæſt. 3.

PRIMVM ex eo, quod ab omnibus conceditur, & traditur etiam veriſimè à D. Thoma artic. 9. 11. 12. probatur PRIMO manifeſtè. Nam illa forma ſecundùm legem *ordinariam*, in latitudine alicuius ſpeciei qualitatis, eſt *ſumma poſsibilis*, qua Deus ab æterno decreuit, nullam facere in illa latitudine maiorem, aut etiam æqualem, & quidem conuenienti conſilio, ſpectando etiam ad ipſam formæ atque rei naturam. Sed in latitudine ſpecifica huius gratiæ habitualis, Deo ſtatuit nullam gratiam facere maiorem eâ, quā contulit Chriſto, neque etiam æqualem, & id quidē conuenientiſsimo conſilio, ſpectata quoque natura ipſius rei. Igitur gratia Chriſti ſecundùm legem Dei *ordinariam* eſt *ſumma poſsibilis*, modo quo diximus; ſcilicet & *negatiuè*, vt nulla poſsit eſſe maior; & *poſitiuè*, vt ipſa ſit maior reliquis ex lege Dei ordinaria poſsibilibus, quod eſt etiam, nullam poſſe eſſe ei æqualem.

Maior eſt manifeſta ex ratione terminorum. Minor quoad *primam* partem patet ex illo, quod conuenit, vt diximus, inter omnes, ſcilicet Chriſtum habuiſſe tantam gratiam, vt nullus vel Angelorum, vel hominum habeat aut habiturus ſit maiorem. Hinc enim ſequitur euidenter, Deum conſtituiſſe nullam facere maiorem, vel æqualem. Nam ſi aliquam eiuſmodi facturus eſſet; aliquis illam eſſet habiturus.

Quoad partem verò *alteram*, ſcilicet decreuiſſe Deum ita, conuenienter ipſi naturæ rei, probatur item eadem Minor. Nam illa forma ſecundùm ſuam latitudinem meritò & conuenienter eſt ſumma, quæ ordinatur ad finem ſibi præfixum ſecundùm Eſſe perfectiſsimum ipſius finis, & quæ item eſt in ſubiecto eiuſmodi, quod ſit vniuerſale principium omnium eorum, quæ participant talem formam. Sed gratia Chriſti habet iſta duo. Ergo conuenienter ſuæ naturæ eſt ſumma gratia ex decreto diuino.

Maior probatur bene à D. Thoma in artic. 11. Quoniam menſura formæ rectè determinatur ex ordine ad finem, atque etiam ad effectum. Hāc enim ob cauſſam videmus grauitatem ternæ v. g. eſſe ſummam grauitatem, quoniam ordinatur ad infimum locum ſecundùm gradum ſummum loci infimi, nempe ad centrum terræ. Item videmus calorem ignis eſſe quoque ſummum calorem: quoniam eſt cauſſa (vel certè poteſt eſſe, quantum in ipſo eſt) caloris in omnibus aliis calorem participantibus.

Minor etiam probatur. Quoniam vt idem D. Thomas declarat, finis Gratiæ eſt coniunctio humanæ naturæ cum Deo ſecundùm aliquam habitudinem ipſius ad Deum. Eſt autem ſumma humanæ naturæ coniunctio cum Deo, illa, ad quam gratia Chriſti tanquam ad finem ordinatur (nempe coniunctio hypoſtatica) non conſequendum, ſed exornandum, vt p. præcedenti dicebamus. Item Chriſtus per gratiam ſuam eſt etiam cauſſa gratiæ in omnibus aliis gratiā participantibus; vel certè potuit eſſe, quantum in ipſo eſt.

SECVNDO probatur illa prima Aſſertio: Quia prout aliquid eſt magis coniunctum cum cauſſa, ita magis recipit influxum illius, ſecundùm legem ordinariam. Sed humana natura fuit ſummè coniuncta cum authore gratiæ. Ergo ſecundùm legem ordinariam ſummam recepit gratiam.

TERTIO. Nam certum eſt, ſicut in latitudine aliarum formarum, ita etiam in latitudine gratiæ eſſe ſecūdùm legem Dei *ordinariam* aliquam gratiam *ſummam poſsibilem*; ſaltem qua non poſsit eſſe maior. Quod dico propter alias formas, quæ poſſunt in gradu æquali eſſe ſummæ in duobus ſubiectis, vt in duobus ignibus duo calores ſummi. Ergo Chriſtus habuit eiuſmodi gratiam ſummam. Nam quis alius haberet? Antecedens, quod ab aliquibus valdè inconſideratè negatur, patet ex eo, quòd ſecūdùm legem Dei ordinariam illa forma in aliqua latitudine eſt ſumma poſsibilis, vltra cuius gradum Deus non conſtituit aliam producere illius latitudinis: nō enim eſſe vnquam poterit vllus formæ gradus quem Deus ab æterno non conſtituerit eſſe futurum, cum nihil ſubterfugere poſsit æternam Dei prouidentiam. Certum autem eſt, in quacunque latitudine eſſe aliquam talem formam, vltra cuius gradum Deus non conſtituit aliam producere perfectiorem in eadem latitudine: Nempe hoc ipſo q̄ nullam formam Deus in infinitum ſyncategorematicè intēdere conſtituit, & multò minus aliquam facere infinitam actu: quanquam infinita etiam ſi fieret, maximè eſſet ſumma. Vnde Sap. 12. generatim de omnibus rebus dicitur, *omnia in numero, pondere, & menſura* fuiſſe conſtituta.

Sed occurrit CONTRA argumentum. Nam charitas, authore D. Thoma 22. quæſt. 24. art. 7. nullum habet præfixum terminum ſummum, vltra quem non poſsit progredi. Ergo neq; gratia, cùm ſit par ratio.

RESPONDEO, dictum B. Thomæ rectè declarari à Caietano, in illo loco. Non enim ſim-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pliciter negat, habere charitatem ſummum terminum ſecundùm legem Dei ordinariam: ſed negat, terminum ſummum eſſe ipſi præfixum ob *ſolam* eſſentiæ ſuæ rationem, quaſi hæc *præcisè* neceſſariò requirat terminum. Hoc verò nihil obſtat, quò minùs ex alio capite ſit illi à Deo, & quidem conuenienter, præfixus aliquis ſummus terminus, nimirum ſecundùm ordinem ipſius ad ſuum *finem*, nempe ad coniunctionem cum Deo. Itaque ſicut gratia, ſic etiam charitas Chriſti fuit ſumma, quoniam ad *ſummam* naturæ humanæ cum Deo coniũctionem & gratia & charitas Chriſti fuit ordinata. Et hactenus de PRIMO.

Iam probatur SECVNDVM, ſcilicet gratiam Chriſti ſecundùm potentiam quidem Dei *abſolutam*, & ſpectata quoque ipſius gratiæ natura, non eſſe ſummã poſsibilem. PRIMO. Nam cùm potẽtia Dei abſoluta ſit infinita, & qualitas perfectionis gradualis iſtiuſmodi gratiæ planè ſit quiddam extra eſſentiam ipſius; conſequens eſt, vt neque ex parte gratiæ, neq; ex parte Dei poſſit repugnantia oſtendi, quò minus eſſe queat abſolutè aliqua gratia maior, quàm illa Chriſti. Et multò minus repugnat poſſe fieri aliquam gratiam illi æqualem. Nam ſi per potentiam abſolutam Pater aut Spiritus ſanctus aſſumeret aliam naturam, nihil obſtaret, quò minus illa natura eſſet in gratia æqualis naturæ Chriſti.

SECVNDO. Quia ſicut frequenter D. Thomas in hac quæſtione ſeptima dicit, ita gratia Chriſti eſt ſumma, vt Solis lux vel ignis calor eſt ſummus. Sed non repugnat fieri per potentiam Dei abſolutam calorem aut lucem maiorem, quàm illam. Ergo, &c.

Denique poteſt Deus in quacunque latitudine facere aliquid maius vel perfectius quocunque finito illius latitudinis. Sed gratia Chriſti eſt intenſionis *actu finitæ*. Ergo, &c. Maior probata à nobis eſt tomo primo, diſputatione prima, quæſtione vigeſima quinta. Quoniã ex nulla parte eſt in eo contradictionis implicatio. Minor autem patebit magis infrà, & eſt perſpicua ex eo, quod implicat omnino contradictionem, vt aliquid categorematicè & actu ſit infinitum, vel numero vel intenſione, ſicut fusè probauimus tomo primo, diſputatione prima, quæſtione ſeptima.

SED argumentatur contra iſtam Aſſertionẽ Scotus in tertio, diſtinctione decima tertia, quæſtione prima & ſecunda, ſic: Vel inter omnes gratias abſolutè poſsibiles eſt aliqua ſimpliciter ſumma, qua ne per potentiam quidem Dei abſolutam fieri poſsit maior: & tunc talis erit gratia Chriſti: Vel in infinitum ſemper poteſt alia & alia perfectior fieri: & tunc aliqua erit inter illas *actu infinita*: neceſſe eſt enim, ſi conceditur, proceſſum illum in infinitum eſſe poſsibilem, aliquam gratiam eſſe poſsibilem, quæ *infinitè* diſtet ab *infima*, inquit Scotus: & tunc poſsibilis erit aliqua actu infinita, quod contradictionem implicat.

Hoc igitur argumento mouetur Scotus, vt putet, gratiam Chriſti, licet eam concedat actu eſſe finitam, eſſe tamen *ſummam poſsibilem* per potentiam Dei *abſolutam*: citaturque ab aliquibus Durandus in eandem ſententiam, eadem diſtinctione, quæſtione prima. Sed Durandus ibi tantùm affirmat, Chriſti gratiam eſſe ſummam poſsibilem, neq; aliquid dicit, ex quo appareat, illum intelligere ſecundùm potentiam Dei abſolutam: ideoq; videtur planè ſecundùm legem Dei ordinariam tantummodò diſputare, quo pacto nos etiam aſſerimus, Chriſti gratiam eſſe ſummam: Et eodem modo poſſunt etiam intelligi nonnulli alij, qui citari ſolent pro illa ſententia Scoti.

Ad argumẽtum autem Scoti RESPONDEO, etiamſi ſecundum potentiam quidem Dei *abſolutam* (vt nunc loquimur) proceſſus in infinitum, quo perfectior & perfectior gratia ſit poſsibilis, concedatur, vt omnino concedi debet; tamen minimè inde ſequi, quòd aliqua gratia ex poſsibilibus diſtet *infinitè* ab *infima*, ſitq; adeo infinita actu: ſed illud tantùm ſequitur, nullam eſſe ex illis gratiis poſsibilibus tam magnam, tamque diſtantem ab infima, quin ſit alia poſsibilis maior, magiſque diſtans ab infima.

PORRO ex his facilis eſt explicatio aliarum trium Quæſtionum, quas D. Thomas mouet circa quantitatem gratiæ Chriſti. Sunt enim huic noſtræ, atque etiam inter ſe affines. PRIMA eſt in articulo nono. An in Chriſto fuerit plenitudo gratiæ. RESPONDENDVM eſt, fuiſſe omnino. Ioan. 1. *Plenum gratiæ & veritatis*. Quod non ad Ioannem Baptiſtam vel eius teſtimonium referri debet (vt temerè Eraſmus & Caietanus fecerunt) ſed ad ipſum Verbum vnigenitum, qui caro factus *habitauit in nobis*. Ita enim omnes Patres eum locum intelligunt: & patet manifeſtè ex eo, quod ſubiungit ibi Baptiſta: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*.

Fuit autem ea gratiæ PLENITVDO in Chriſto non modò ſecundùm gratiam vnionis, vt interpretatur Origenes homil. 2. in Matthæum, & Cyrillus libro primo in Ioannem cap. 17. & Auguſtinus lib. 13. de Ciuitate cap. 19. & alij: ſed etiam ſecũdùm gratiam *habitualem* iuxta Damaſcenum libro tertio, cap. 22. & D. Thomam hîc art. 9. Idque triplici modo. PRIMO, ex parte *ſubiecti*: quatenus habuit videlicet tantum gratiæ, quantum illi fuit ſatis, vt rectè ſuo munere fungeretur: itemque quantum Deus illi ab æterno præfixit. SECVNDO ex parte naturæ ipſius *gratiæ*, quatenus habuit illam ſecundùm totam latitudinem ipſius poſsibilem ex lege ordinaria, vt anteà probatum eſt. TERTIO ex parte *effectuum* gratiæ: Quoniam habuit illam ſufficientem ad omnes effectus gratiæ poſsibiles; vt ſcilicet ex illa manarẽt omnia genera gratiæ, quibus

Anima Chriſti fuit, vt poſtea dicetur, ornata, atque etiam vt ab illo in alios gratia deriuaretur, iuxta illud: *Gratificauit nos in dilecto Filio ſuo*, Epheſ. 1. Et: *Vnicuiq; noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti*. Epheſ. 4. Et: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, Ioan. 1. Vt ſi diceremus, inquit D. Thomas art. 9. hominem habere plenitudinẽ vitæ, ratione effectus: quoniam habet illam quoad omnes effectus vitæ.

Atque ob iſtum tertium modum, itemque ob ſecundum, docet ſanctus Thomas artic. 10. plenitudinem gratiæ eſſe PROPRIAM Chriſti: non autem iuxta primum modum, ſcilicet ex parte *ſubiecti*. Ita enim beata Virgo, & Apoſtoli, & alij (vnuſquiſque iuxta vocationem ſuam) fuerunt gratia pleni, eruntq; omnes omnino beati, hoc ipſo quòd pertingent poſt hanc vitam ad eum gratiæ gradum, ad quem ſunt prædeſtinati diuinitùs.

SECVNDA Quæſtio eſt in artic. 11. An gratia Chriſti fuerit *infinita*. De qua Quæſtione mirè à Doctoribus certatur. Sed ſi aduertatur duplex *Infiniti* notio, quam ſatis D. Thomas in illo articulo indicauit, facilis eſt reſponſio.

Infinitum enim VNO modo dicitur, quod habet omnes gradus poſsibiles in aliqua latitudine, atque adeò caret *limite* ſecundùm eam latitudinem: Quia ſcilicet non ita habet vnum gradum poſsibilem illius latitudinis, vt non habeat ſimul alium aliquem latitudinis eiuſdem (quod eſſet, habere in latitudine tali limitem) ſed habet omnes.

Iſto modo dicendum eſt cum B. Thoma, gratiam Chriſti ſecundùm rationem & latitudinem *Entis* non fuiſſe infinitam; cùm ſit proprium Dei habere ſine limite gradus omnes poſsibiles in latitudine Entis: Secundùm rationem verò & latitudinẽ *gratiæ*, eſſe & dici poſſe *infinitam*. Nam vt ſuprà probatum eſt, habet omnes gradus in latitudine gratiæ ex lege Dei ordinaria poſsibiles; atque ita caret ſecundùm eam latitudinem limite. Sicut lux Solis v. g. eſt & dici poteſt hoc modo infinita ſecundùm rationem *lucis*: quoniam habet gradus omnes in latitudine lucis poſsibiles ex lege ordinaria, atque eatenus in ea latitudine caret limite; quod eſt exemplum D. Thomæ.

Neque iſto modo loquendi de Infinito, arbitror repugnare D. Thomæ vllos alios Doctores: quin immò idem non obſcurè ſentiunt Albertus in 3. ſentent. diſtinct. 13. articulo ſeptimo, Altiſiodorenſis libro 3. tract. 1. cap. 5. explicans, quomodo Chriſtus habuerit plenitudinem gratiæ. Bonauentura in 3. diſtinct. 13. articulo primo, quæſt. 3. Durandus eadem diſt. quæſt. 1. Richardus ibidem art. 1. queſt. 3. Marſilius in 3. q. 10. art. 1. parte 2. & alij.

ALTERO modo Infinitum dicitur, quod caret *vltimo* ſimpliciter, hoc eſt, quod vltrà quemcunque gradum habet ſemper alium & alium, neque poteſt peruueniri ad aliquem, vltrà quem non habeat alium. Quo pacto diſputari ſolet, An ſit poſsibile infinitum *actu*. Et iſto modo neque ſecundùm rationem Entis, neque ſecundùm rationem ſiue latitudinem *gratiæ* fuit gratia Chriſti infinita; ſed *actu finita*: vt Finitum contrario modo dicitur, quod actu habet *vltimum* ſimpliciter.

Probatur manifeſtè. Quoniam vt fusè probaui tomo 1. diſput. 1. quæſt. 7. punct. 3. implicat contradictionem, iſtiuſmodi infinitum, compoſitum ſcilicet ex pluribus diſtinctis ſine vllo ſimpliciter *vltimo*; ſiue illa diſtincta ſint gradus *intenſionis*, ſiue partes *continui* aut *numeri*. Itaque quemadmodum lux Solis, licet habeat omnes gradus lucis ex lege ordinaria poſsibiles, habet tamen aliquem vltimum gradum ſimpliciter, ad quem ſi numerando perueniatur, non poſsit procedi vlteriùs: ita etiam gratia Chriſti.

Neque dubium eſt, quin hoc etiam ſit ex ſententia D. Thomæ, cuius eſt illud exemplum lucis. Atque iſto in primis modo loquendo de Infinito, intelligi debent alij etiam Theologi, qui communiter & rectè negant, gratiam Chriſti fuiſſe infinitam. Vt Albertus in 3. diſtinct. 13. articulo ſeptimo, vbi ait, *potuiſſe Deum facere gratiam maiorem*. Et Bonauentura eadem diſt. 1. q. 2. Scotus ibidem q. 1. Durandus item q. 1. Richardus eadem diſt. artic. 1. q. 2. Argentinenſis eadem diſt. quæſt. 1. art. 3. Capreolus item quæſt. 1. art. 1. concluſ. 2. & Marſilius in tertio ſententiarum, quæſt. 10. articulo primo, parte ſecunda, concluſione prima, & alij, excepto Ioanne Maiore in 3. diſt. 13. quæſt. 3. qui ineptè contrà ſentit.

SED contrà occurrit tale argumentum: Si gratia Chriſti actu eſt finita iſto modo; ſequeretur, poſſe aliquem hominem ita in gratia proficere, vt perueniat ad gradum gratiæ Chriſti: immò etiam vt progrediatur vlteriùs. Conſequens eſt abſurdum & falſum, vt patet ex Clementina *Ad noſtrum*, de Hæreticis. Ergo id etiam, vnde ſequitur. Maior probatur. Quoniam vt patet ex eadem Clementina *Ad noſtrum*, & docet etiam Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 24. articulo ſeptimo, ſemper poteſt aliquis in hac vita maiorem & maiorem gratiam acquirere; neque datur in hoc proceſſu vllus terminus. Conſtat autem, quodlibet finitum poſſe per continuum & interminabile augmentum alterius finiti æquari & excedi.

RESPONDEO, falſam eſſe Maiorem. Ad probationem dico ex Caietani ſententia in illo artic. 7. quæſt. 24. duobus modis intelligi poſſe, quòd valeat aliquis ſemper in gratia proficere ſine vllo termino. VNO modo *ſimpliciter & abſolutè*, ſpectata *vndequaq;* tota latitudine poſsibili gratiæ ſecundùm legem ordinariam. Et ſic non eſt intelligendum, quòd poſsit aliquis ſemper in gratia proficere. Tunc enim bene ſequeretur, æquari & excedi poſſe gratiam Chriſti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALTERO modo, quantum est præcisè ex *natura* ipsius gratiæ & charitatis, quæ ex se nullum sibi vendicant terminum; atque etiam *intra latitudinem*, quam Deus peculiari prouidentia præfixit vt posibilem omnibus aliis hominibus præter Christum. Et sic verum est, posse aliquem in hac vita semper sine vllo termino & limite in gratia proficere. Sed tamen inde nullum imminet periculum, fore, vt possit aliquis peruenire ad gradum gratiæ Christi, aut vlteriùs progredi. Etenim cùm præuiderit DEVS summum gradum gratiæ, ad quem sanctissimus vel hominum, vel Angelorum peruenturus erat; præfixit Christo gradum gratiæ longo interuallo superiorem, atque ibi in eo gradu latitudinem gratiæ (conuenienter ipsius gratiæ naturæ & fini) terminauit secundùm legem *ordinariam*, vt suprà declaratũ est. Nec tamen quantum in ipso Deo fuit, voluit is impedire, quò minùs vltrà illum etiam supremum gradum, ad quem sanctissimus vel hominum vel Angelorum peruenturus erat, posset aliquis in gratia procedere; intra illud videlicet interuallum, quo longè (vt diximus) gratia Christi, atq; adeò summa perfectio gratiæ posibilis antecellit. Ita fit, vt nunquam aliquis in hac vita vel peruenerit, vel sit peruenturus ad tantum gratiæ gradum, quin possit vlterius progredi: neque tamen ideo possit ad gratiam Christi peruenire: quoniam non potest *absolutè & simpliciter* procedere *semper* vlteriùs.

Hoc nimirum est, quod aliter à Caietano & ab aliis hîc dicitur, posse quidem gratiam & charitatem semper sine fine augeri; non tamen absolutè, sed *in via*: quia scilicet *intra limites illos*, quos explicauimus, potest aliquis in hac vita (quæ *via* nimirum ad beatitudinem est) vlteriùs semper procedere. Qua de re videnda sunt etiam, quæ diximus tomo tertio, quæst. 2. de Charitate, punct. 3.

TERTIA Quæstio est in articulo duodecimo. Num Christi gratia possit *augeri*. Et ex dictis perspicuum est, posse quidem per potentiam Dei *absolutam*: non posse autem secundùm legem Dei *ordinariam*. Nam secundùm potentiam Dei absolutam non fuit summa posibilis: bene autem secundùm legem Dei ordinariam. Vnde minimè potest augeri secũdùm ordinariam Dei legem.

Quòd si obiicias illud Lucæ secundo: *IESVS proficiebat sapientia, ætate & gratia apud Deum & homines.* Rectè respondet diuus Thomas in illo articulo ad tertium, Christi gratiam auctam quidem fuisse non in se, quasi creuerit habitus ipse gratiæ; sed quo ad *effectus suos*, quos indies præstantiores edebat.

Conuenit autem cum hac interpretatione expositio item D. ATHANASII serm. 4. contra Arrianos, vbi ait profeciſse gratia secundùm *manifestationem*, atq; etiam CYRILLI lib. 1. in Ioannem cap. 17. qui inquit, profeciſse non *reipsa*, sed *opinione hominum*. Vtrumque enim ex effectibus, quos indies Christus opabatur mirabiliores, assequebatur, vt & gratia eius manifestior esset, & maior hominum de ipsius gratia opinio.

Dicit autem Lucas: *Apud Deum & homines.* Quoniam illi effectus in conspectu Dei & hominum edebantur, & partim ad homines, partim ad Deum peculiari ratione pertinebant, sicut B. Thomas loco citato rectè indicauit.

PVNCTVM TERTIVM.

An fuerint in CHRISTO Virtutes.

D. Thom. art. 2. 3. 4.

HOc loco, sicut Caietanus notauit articulo secundo, de illis Virtutibus sermo est, à quibus propriè qs nominatur *bonus*. Nam de Scientia, quę est *virtus intellectualis*, posteà dicetur quæst. 9. Eiusmodi virtutes omnes, exceptis iis, quæ cum perfectione status beatifici non cõueniunt, habuisse Christum, asserimus: Et quidem à principio diuinitùs *inditas*, vt est cõmunis ferè assertio Theologorum in 3. dist. 13.

Et probatur hoc à diuo Thoma artic. 2. tum ex summa perfectione gratiæ Christi, quam decuit comitatus omnium virtutum: tum ex eiusdem munere, quoniam fuit, vt infrà docebimus, caput & magister reliquorum, ideoque debuit omnibus virtutibus excellere. Excipimus autem illas virtutes, quæ à perfectione beatitudinis abhorrentes sunt: quoniam probabimus infrà quæst. 10. Christum fuisse beatum ab initio suæ conceptionis.

Quamobrem neque POENITENTIAM Virtutem habuit. Quoniam hæc in iis tantùm esse potest, qui peccatum possunt committere: Anima verò Christi, quia beata fuit, & quia hypostaticè Verbo diuino vnita, peccare nullo modo potuit, vt videbimus quæst. 15.

Neque etiam habuit FIDEM. Quoniam hæc Virtus vel nequit vllo modo cum beatitudine consistere, vt beatus Thomas secunda secundæ, quæstione quinta, articulo secundo, & hîc articulo tertio arbitratur; vel si maximè posset consistere, non tamen bene cum beatitudine congruit: ideoque cessat adueniente scientia beatifica, vt tomo tertio, quæst. 5. de Fide, puncto secundo, & tomo secundo, quæst. 7. de Virtutibus, punct. 4. probauimus. Etenim quod Apostolus 1. Corinth. 13. dicit, fore vt *cùm venerit, quod perfectum est, euacuetur quod ex parte est*: de habitu quoque Fidei intelligendum omnino est. Qua de re latiùs disseruimus tomo 3. in dicta quæst. 5. de Fide. Vbi etiam explicuimus difficilia quædam testimonia sanctorum Patrum, qui videri possent censuisse contrarium.

Postremò neque SPEM Virtutem Theologicam Christus habuit. Nam vt probat D. Thomas articulo quarto, primarium obiectum huius Virtutis est animę beatitudo nõdum habita: Christus autem nunquam non habuit animæ beatitudinem.

SED occurrunt contra doctrinam istam hæc argumenta. PRIMO. Munus virtutum est, vt facultatem præstent operandi rectè, neq; desciscendi ab officio, cùm est opportunum. Sed Anima Christi cumulatissimè facultatem hanc habuit, hoc ipso, quòd Verbo diuino hypostaticè fuit vnita. Ergo superuacaneum est in illa ponere vllas virtutes.

SECVNDO. Saltem nõ videtur habuisse reliquas omnes virtutes, prẽter illas tres, quas excepimus. Etenim ex virtutibus moralibus vna est *Magnificentia*, quæ versatur in magnis sumptibus. Hanc verò quomodo Christus habuerit, cùm esset pauperrimus?

TERTIO. Videtur habuisse quoq; *Fidem* atq; *Spem*. Nam de eo loquitur illud Esaię vaticinium cap. 11. *Erit iustitia cingulum lumborum eius, & Fides cinctorium renum eius.* Et in ipsius persona Dauid Psalm. 100. ait: *In te Domine speraui.*

Quod ad PRIMVM argumẽtum attinet, fuerunt Doctores aliqui, vt quidam referunt ex Paludano in 3. sentent. dist. 13. quæst. 2. qui ob illam rationem negarent, Christum habuisse vllas virtutes. Quorum opinio licet communiter falsa putetur, & id quidem meritò; non tamen est inintelligibilis. Nam cùm animæ vires, vt rectè & promptè operentur, à Virtutum habitibus extrinsecè tantùm dependeant; intelligi potest, quemadmodum diuinum Verbum sustentando hypostaticè Christi animam, & consequenter etiam ipsius potentias; infinita sua virtute suppleat virtutum vim, adeoque præstet illam facultatem rectè & promptè operandi. Nam iuxta doctrinam, quam quæst. 3. punct. 5. tradidimus de discrimine dependentiæ intrinsecæ vel extrinsecæ vnius ab altero, omnem *extrinsecam* dependentiam potest supplere res infinita, atque adeò diuinum Verbum.

Neque quicquam obstat, quòd Verbum diuinum potentias Animæ sibi vnitæ non *informat*, sicut faciunt habitus Virtutum. Nam saltem sustentat illas hypostaticè, quod abundè satis est, vt intelligamus, potentias ex virtute & perfectione Verbi promptas reddi posse ad rectè operandum. Quemadmodum conceditur communiter propter vnionem hypostaticam cum Verbo, etiam abstrahendo à Virtutibus, Animam Christi factam esse *impeccabilem*, vt infrà quæstione decima quinta videbimus contra Durandum. Nihilominus tamen (vt dixi) falsa est illa opinio, tametsi non etiam inintelligibilis.

Quare ad illud PRIMVM argumentum respondeo, non fuisse superuacaneum, vt vires animæ Christi ordinario etiam modo & suaui per virtutes redderentur habiles & promptæ ad rectè operandum. Et quidem quidquid sit de aliis Virtutibus; virtutem tamen *Charitatis Theologicam* Christum habuisse, perinde certum esse, atque certum est, illam habere alios homines iustos. Nam ipse maximè iustus fuit.

Ad SECVNDVM argumentum respondeo cum diuo Thoma & Caietano articulo secundo ad tertium; ex eo, quòd Christus pauper fuerit, solùm sequi, illum non fuisse magnificentiæ virtute vsum actu aliquo *externo*: habuit tamen illam, quatenus eius Virtutis munus vel præcipuum est moderari internos animi motus & cupiditates pecuniarum, sic, vt magni etiam sumptus promptè fieri possint, siquando id expediat. Cuius rei manifestum argumentum est, quòd Christus opes etiam ipsas & copiam, animo penitùs *contempserit*: sicut etiam fecerunt alij viri perfecti. Qui proinde, vt Caietanus notat, licet externo vsu magnificentię careant, magnifici tamen esse possunt, animi comparatione interna.

Ad TERTIVM argumentum, quantum attinet quidem ad Fidem, respondeo, si *Fidei* nomine in illo loco Esaię intelligatur Virtus Theologica Fidei, & non tantùm Veritas seu Fidelitas; vaticinium accommodandum esse ad fidem credentium, non ad ipsius Christi propriam: nam & ea fides, Christi quoque dicitur, quatenus est fides ipsius membrorum. Atque ita locum illum diuus Hieronymus interpretatur in Commentario eius loci Isaiæ. Quòd verò attinet ad *Spem*, respondet beatus Thomas articulo quarto in corpore, & in solutione primi & secundi, Christum habuisse quidem *actum* Spei, respectu gloriæ *corporis*, quæ est obiectum Spei secundarium; non tamen habuisse ipsam Spei virtutem, neq; etiam per illam sperasse gloriam corporis.

Sed mouet circa hoc Caietanus DVBIA tria. PRIMO, An ille Spei actus, quem D. Thomas in Christo concedit, profectus fuerit ab aliquo habitu. Nam si non est ab aliquo habitu profectus; consequitur, ipsum fuisse imperfectum, vtpotè non *ex virtute*: quod videtur à Christi perfectione esse alienum. Si autem ab habitu aliquo processit; non apparet, quis alius fuerit ille habitus, nisi virtus ipsa Spei.

RESPONDETVR non processisse ab aliquo habitu. Et ad argumentum dico, actum etiam tunc esse perfectum, quando procedit à principio æquè bene, vel etiam meliùs *disposito*, quàm si informetur per habitum. Ita verò contigit in proposito. Nam vt rectè Caietanus animaduertit, ad sperandam gloriam corporis meliùs est Anima disposita, cùm iam habet gloriam essentialem propriam, (sicut Christus habebat)

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm si carens huiusmodi gloriâ haberet virtutem Theologicam Spei. Certius enim est, eum, qui gloriam Animæ habet, consecuturum etiam gloriam corporis, quàm qui virtutem Spei habet, & nondum gloriam Animæ. Accedit, quòd vnus vel alter actus, etiam à potentia nuda sine habitu vel alia dispositione solet aliquãdo produci satis perfectus.

SECVNDO est DVBIVM circa eandem Diui Thomæ doctrinam, An actus ille Spei in Christo fuerit *propriè* Spes; vel tantummodò desiderium, quod impropriè Spes nominetur. Caietanus & alij censent, non fuisse Spei motum propriè: quoniam motus Spei propriè versatur circa *difficile & arduum* ad consequendum. Illi autem, qui iam habet gloriam Animæ (sicut Christus habuit) non est arduum consequi gloriam corporis.

SED contrà videtur esse, quòd Christus nihilominus non nisi per mortem crucis consecuturus erat gloriam corporis, quod erat admodum *arduum*. Ad hoc tamen responderi potest pro Caietano & aliis, Spem non versari nisi circa eiusmodi difficile & arduum, quod sit cum aliquo periculo, atque adeò cum *incertitudine* consequendi coniunctum. Quo pacto non fuit arduum Christo consequi gloriam corporis.

TERTIO mouet Caietanus DVBIVM, An actus ille Spei in Christo fuerit actus *Theologicus*. Verùm hæc Quæstio tota est de nomine. Nam si Theologicus actus nominetur is, qui respicit quomodocunque in Deum; Theologicus actus fuit ille: quoniam eo Christus gloriam corporis sperauit à Deo. Si verò Theologicus actus non dicatur, nisi qui & in DEVM respicit, & procedit ab aliqua virtute *Theologica* ex tribus; non fuit actus ille Theologicus: quoniam non processit à virtute Spei, vt suprà dictum est.

Atque hoc ipsum est, quod Caietanus in illo articulo quarto aliis verbis significat, cùm inquit, fuisse illum actum Theologicum ex parte *obiecti*; non autem ex parte *principij*. Si autem absolutè quæras; commodius negabitur fuisse illum actum Theologicum. Quoniam Theologicum actum absolutè non dicimus, nisi eum, qui est Theologicæ virtutis actus.

Postremò quod attinet ad *quantitatem* Christi Virtutum *intensiuam*; existimandum est, illas etiam fuisse secundùm legem ordinariam *summè* perfectas: vt earum perfectio congrueret cum perfectione gratiæ Christi, quæ sic etiam fuit summa.

PVNCTVM QVARTVM.

An fuerint in Christo Dona Spiritus sancti.

D. Thom. art. 5. 6.

HVIVSMODI Dona Isaias capite vndecimo sic exposuit, vt simul eodem loco vaticinatus sit, illa cumulatissimè fuisse Christum habituru. *Requiescet*, inquit, *super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Id etiam ex istorum Donorum natura confirmat hîc articulo quinto diuus Thomas: Quoniam hoc menti præstant, vt facillimè à Spiritu sancto ad actiones quasdam heroicas moueatur. Constat autem, Christum ad eiusmodi præstantes actiones facillimè moueri fuisse solitum à Spiritu sancto: vt potest colligi ex illo Lucæ quarto: IESVS *autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & agebatur in Spiritu in desertum.* Habuit ergo perfectissimè huiusmodi dona, quibus scilicet ad actiones præstantes aptè, suauiquè & ordinario modo, moueretur.

Sed difficultas est non minima de Dono TIMORIS. Docet enim verè diuus Thomas prima secundæ, quæstione quadragesima secunda, articulo primo, Timoris obiectum per se quidem & primariò esse *malum*, vel culpæ, vel pœnæ; secundariò autem seu per accidens, *præcellentem* quoque potestatem, qualis est diuina, quæ potest malum culpæ permittere & infligere malum pœnæ. Atqui CHRISTVS neque malum culpæ, neque malum pœnæ propter culpam, neque adeò DEVM, quatenus culpæ malum potest permittere & infligere malum pœnæ, timere potuit. Ergo non habuit donum Timoris, quippe quod refertur ad *motum* Timoris.

In hac difficultate alterum certum est, alterum in controuersia. CERTVM est, in Christo fuisse aliquod donum, quod Timoris donum ob eam causam rectè nominetur, quia Christum mouerit ad eiusmodi actum, qui vel fuerit *propriè* Dei Timor; vel certè Timoris Dei *simillimus*. Hoc ex illo loco Isaiæ vndecimo compertum est. Nam *Replebit* (inquit) *eum Spiritus timoris Domini*. Quo loco sermonem esse de Christo Domino, indubitatum est apud omnes Patres. Vnde Innocentius III. in epistola ad Henricum Archiepiscopum Senonensem, & Sampsonem Rhemensem, & sanctum Bernardum, quæ est epistola 194. inter epistolas Bernardi, damnat Abailardi errores, inter quos vnus erat, *non fuisse in Christo Spiritum Timoris Domini*, vt refert sanctus Bernardus in epistola 190. ad eundem Innocentium.

CONTRO-

CONTROVERSVM autem est, Vtrum potiùs sit existimandum, pertinuisse ne donum eiusmodi ad motum in Christo, qui *propriè* fuerit Timor Dei; quatenus is potest permittere culpam & infligere pœnam; vel ad motum, qui *similitudinem* tantùm habuerit talis Timoris. Et pendet hæc controuersia ex altera Quæstione.

Nam si censeamus, posse propriè timeri id, quod tantùm considerata rei natura *absolutè possibile* est; verè ac propriè potuit esse in Christo timor mali culpæ & pœnæ, atque adeò etiam Timor Dei, vt is potest culpam permittere, & pœnam infligere. Ratio est: Quoniam absolutè loquendo, potuit humanæ naturæ Christi, si præcisè consideretur, vt humana natura est, vtrumque malum accidere: Siquidem potuit absolutè non vniri diuino Verbo. Atque hæc est opinio Caietani artic. 5.

Si verò illud solùm malum propriè timeri potest, quod non tantùm absolutè, sed etiam *omnibus consideratis*, atque adeò in *executione ipsa*, est possibile; tunc perspicuum est, in Christo non fuisse verè & propriè dictum Timorem mali culpæ aut pœnæ. Nam beatitudo & gratia vnionis obstiterunt, quò minùs peccare posset. Sed dicetur tunc, in illo fuisse *timorem* motum illum, quo dum imbecillitatem naturalem humanitatis suæ, & maiestatem atque potentiam Dei consideraret, horrebat malum illud *absolutè sibi possibile* culpæ & pœnæ, atque adeò cum *reuerentia quadam* maiestatem & potentiam Dei *formidabat*, quatenus potest is malum culpæ permittere, & pœnam propter culpam infligere.

Atque ista sententia & explicatio est item satis probabilis. Quoniam timoris obiectum propriè non videtur esse nisi malum in *executione ipsa possibile* & velut *imminens*, vt intelligi potest ex iis, quæ tomo 2. disseruimus de Timore, quæst. 9. de Passionibus.

Quare diuus Thomas hîc articulo quinto non absolutè dicit in Christo fuisse timorem; sed *timorem reuerentialem*, qualem exposuimus. Quem etiam habere intelligi possunt Angeli beati, quatenus scilicet horrent malum culpæ & separationis à Deo sibi absolutè possibilis, iuxta illud: *Tremunt Potestates.*

Possunt autem hæ duæ sententiæ facilè in concordiam reuocari per ea, quæ de Timore *filiali* tradidimus tomo tertio, disputatione secunda de Spe, quæstione secunda, præsertim puncto quinto. Nam Timor dupliciter considerari potest. VNO modo *præcisè* secundùm quandam rationem *communem*, prout est scilicet *fuga & horror* mali quomodocunque possibilis, atque adeò prout est etiam propriè in Voluntate. Et sic procedit prior sententia & explicatio Caietani. Sic enim propriè dici potest in Christo & in Beatis fuisse Timorem, iuxta ea, quæ tradidimus tomo tertio loco citato. ALTERO modo potest considerari Timor secundùm rationem magis *peculiarem*, prout scilicet ita est fuga & horror mali possibilis, vt simul etiam *angat* nonnihil mentem & affligat; cuiusmodi est maximè Timor ille, qui est *passio* appetitus sensitiui. Et sic procedit secunda sententia & explicatio, quæ non omnino propriè ponit in Christo Timorem.

PVNCTVM QVINTVM.

An fuerint in Christo Gratiæ gratis datæ.

D. Thom. art. 7. 8.

GRATIAE gratis datæ dona illa sunt, quę numerantur à beato Paulo prima ad Corinthios duodecimo: *Vnicuique*, inquit, *datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem: alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio Spirituũ, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* Vbi cùm dicit, hæc dona dari ad *vtilitatem*; eorundem indicat & finem & rationem. Nam vt tomo secundo, disputatione octaua de Gratia, quæstione tertia, puncto primo exposuimus, conferuntur homini hæc dona, vt commodiùs & efficaciùs possit alios ad beatitudinem consequendam iuuare, docendo veram fidem, & exhortando ad pietatem.

Hinc rectè beatus Thomas artic. 7. probat, Christum huiusmodi gratiis fuisse præditum: Quoniam præcipuus extitit veræ fidei doctor. Itaque oportebat illum iis ornamentis maximè instructum esse, quæ doctrinæ fidei addunt apud homines authoritatem. Vnde AVGVSTINVS in epistola 57. ad Dardanum: *Sicut in capite*, inquit, *sunt omnes sensus: ita & in Christo omnes gratiæ.*

Et quidem fuisse illum *omnibus* istis gratiis præditum, si *fidem* (quæ ab Apostolo loco citato inter reliqua numeratur, estque in proposito *robur singulare fidei*) excipias, communis tantùm est assertio Theologorum in 3. sentent. distin. 13. *Aliquibus* autem ex his gratiis ipsum excelluisse, nempe gratia *curationum, prophetia, &c.* ex fide etiam certum est. Quoniam ex Euangelica historia id constat.

SED contrà videtur, non omnes eiusmodi gratias habuisse, & nominatim genera *linguarũ*. Nam istiusmodi gratiâ Christus nunquam vsus est. Ergo non fuit illâ præditus. Antecedens colligi potest ex illo Matth. 15. *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Vbi scilicet satis ei erat vti sua lingua materna. Consequentia verò probatur. Nam communis opinio est, huiusmodi gratias, & maximè gratiam *sermonis*, in

actu se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

actu secundo, & in vsu quodam consistere. Ergo si gratiâ sermonis vsus nõ est, minimè illam habuit. Item quia si maximè consisteret in habitu eiusmodi gratia, tamen superuacaneum fuisset illam habere, neque vnquam ipsa vti: Nam vt dicitur Eccles. 20. *Sapientia inuisa, & thesaurus absconditus, quæ vtilitas in vtrisque?*

RESPONDEO primò, dubitari non absurdè posse, an non aliquando Christus fuerit eiusmodi gratiâ vsus; præsertim cùm in Aegypto puer commoratus est: tametsi verosimilius sit illum, si tunc ea gratia vsus est, non aliter vsum fuisse, nisi modo, quo potuisset alioqui Aegyptiaca lingua vti, addiscendo illam vsu & cõuictu cum aliis pueris illo tempore, sicut potuisset alius puer. Non enim Constat, neque etiam est probabile, ipsum tunc temporis significationem aliquam præstantiæ suæ, & singularis gratiæ dedisse.

Deinde dico, Christum, etiamsi nunquam fuerit vsus gratiâ sermonis; habuisse tamen illam, vt opportunè, si fuisset opus, vti posset. Neque hoc fuit superuacaneum. Et procedit responsio hæc, etiamsi demus, hanc gratiam non cõsistere in habitu. Etenim siue huiusmodi gratiæ sint habitus, siue non; conuenit tamen inter omnes, illas fuisse in Christo saltem & in Apostolis per modum *habitus*, id est, ita diuinam virtutem ad istarum gratiarum vsum Christo & Apostolis præsto fuisse, vt illis vti possent, cùm vellent. Atque eatenus intelligere possumus, Christum & Apostolos huiusmodi gratias habuisse etiam tunc, cùm ipsis non vtebantur. Quod de Christo quidem peculiariter confirmari potest ex eo, quod Matthæi octauo leproso dicenti: *Domine, si vis, potes me mundare*: respondit Christus approbans hanc fidem; *Volo, mundare*. Quo ipso indicauit, habere se gratiam miraculorum, atq; adeò etiam alias gratias per modum *habitus*, vt scilicet vteretur, cùm vellet.

Porrò quod attinet peculiariter ad gratiam Prophetiæ, de qua diuus Thomas artic. 8. disserit, infrà nos commodiori loco dicemus, scilicet quæst. 22. cùm erit disputatio de Christi *officiis*.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Christi Gratia, vt fuit is caput Ecclesiæ.

D. Thom. 3. part. quæst. 8.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, AN ET PER QVAM *gratiam Christus sit caput Ecclesiæ.* SECVNDO, *An & quomodo sit caput omnium hominum.* TERTIO, *An etiam sit caput Angelorum.* QVARTO, *An sit Christi proprium esse Ecclesiæ caput.*

PVNCTVM PRIMVM.

An & per quam gratiam Christus sit caput Ecclesiæ.

D. Thom. art. 1. 5. 7. 8.

CHRISTVS EODEM MODO DICITUR Ecclesiæ *caput*, quomodo Ecclesia ipsa dicitur *corpus*, inquit bene D. Thomas artic. 1. Ecclesia verò corpus dicitur propter analogiam, quam officia & actus differentes membrorum eius habent ad munera diuersa partium corporis naturalis, vt Apostolus disputat ad Rom. 12. & 1. Corinth. 12. Ita sit, vt nomen capitis, quod Christo attribuitur, nomen sit *officij*; diciturque is caput similiter propter analogiam muneris ipsius ad munus capitis naturalis.

Porrò Christum sic esse CAPVT Ecclesiæ, dubitari non potest, cùm apertè scripserit D. Paulus ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Et ad Coloss. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Quatenus verò id intelligi debeat; declarat bene D. Thomas loco dicto ex analogia capitis in corpore naturali secundùm tria: scilicet ordinem, perfectionem, virtutem.

Nam primò vt caput *situ* est prima pars corporis: ita Christus gratiæ dignitate est *primus*: iuxta illud Apostoli ad Rom. 8. *Quos præscivit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Deinde vt caput cætera membra eatenus *perfectione* antecellit, quatenus in illo vigent vniuersi sensus: ita Christus cæteros omnes, quatenus excelluit in omnibus gratiæ generibus, vt quæst. præced. punct. 5. explicauimus ex Augustino in epist. 57. quæ est ad Dardanum. Denique vt caput *immittit* in alia membra motum ac sensum, eaque, propter eminentiam sensuum, regit quodammodo atq; gubernat: sic etiam Christus in omnes fideles gratiam infundit, eosq; dirigit ad finem supernaturalem beatitudinis, ac gubernat.

Propter has ergo causas Christus rectè dicitur Ecclesiæ caput. Quemadmodum simili ratione *Lucifer* caput dicitur omnium malorum, siue dæmonum, siue hominum. Quoniam omnes vel exemplo, vel suggestione siue tentatione regit quodammodò ac dirigit in finem sibi propositum, nempe vt peccando auertantur à Deo. Et Antichristus caput etiam dicitur similiter omnium malorum saltem hominum: quoniam erit omniũ, qui fuerunt, sunt, aut erunt, nequissimus, atq; ita in nequitiæ genere analogiam saltem secundùm perfectionem habebit ad caput. Quæ docet sic ex occasione D. Thomas hîc art. 7. & 8. & ita intelligi debent.

PORRO ex hac ratione Christi Capitis sequitur, non esse reipsa distinguendam aliam atque aliam gratiam, qua Christus vt singularis homo fuerit gratus Deo, & qua fuerit caput cæterorum; sed eadem gratia *Vnionis* & gratia *habitualis* alia atque alia ratione vtrumque illi præstitit, vt rectè tradit D. Thomas artic. 5. & communiter alij Theologi in 3. dist. 13. Nam quia gratia illa Vnionis, & habitualis, perfectissima in Christo fuit; per illam simul & gratus Deo ipse extitit, vt singularis homo, & in alios quoq; gratiam infudit, atq; adeò obiuit officium *capitis*: iuxta illud Ioan. 1. *De plenitudine eius oẽs accepimus.* Neq; verò id fecit meritoriè tantùm, sed etiam nunc facit effectiuè tanquam instrumentum, vt notat D. Thomas art. 1. & nos quæst. 13. declarabimus.

Item sequitur, Christum iisdem reipsa *operationibus*, quibus munus Redẽptoris executus est, officium etiam capitis obiuisse, infundendo scilicet gratiam meritoriè, eundemq; proinde officium capitis *effectum* habuisse, quẽ habuit munus Redemptoris, nempe salutem nostram, quæ gratiæ donis continetur. Quibus autem operationibus, & quomodo Christus officio Redemptoris perfunctus sit, & qua ratione per illud obtinuerit nobis salutẽ, docebimus infrà q. 22. vbi simul disseremus de Christi muneribus, siue officiis.

PVNCTVM SECVNDVM.

An, & quomodo Christus sit caput omnium hominum.

D. Thom. art. 2. & 3.

DVO hac de re sunt à nobis breuiter asserenda. PRIMO asserimus, Christum caput esse omnium omnino hominum, qui quidem secundùm legem ordinariam *possint saltem* esse membra Ecclesiæ; atque adeò etiam illorum, qui actu sunt infideles, vt rectè docet D. Thomas artic. 3. Et ratio est PRIMO. Quia in omnes influit aliquo saltem modo salutem, quantum est quidem ex *parte Dei*, hoc ipso quòd omnes redemit, reconciliauitq; Deo illo modo reconciliationis, quo explicabimus quæst. 22. in officio Redemptoris. SECVNDO, quia vt D. Thomas loquitur, omnes sunt Ecclesiæ membra vel *actu*, vel saltem *in potentia*. Et proinde vel *actu* influit in illos *saltem fidem*, vel certè *potest* influere. Vtrumlibet autem sufficit ad Capitis analogiam, cùm capitis sit *actu* influere in alia membra, vel certè *posse* influere.

Quanquam quò magis alij atque alij participant influxum Christi, eò magis aliorum atque aliorum Christus est caput, sicut ibi D. Thomas declarat, distinguens & numerans, quod ad hoc attinet, varios hominum gradus, quibus cõtingit magis vel minùs vniri cum Christo, eique incorporari. Quod Apostolus etiam indicauit 1. ad Timoth. 4. cum dixit: *Deus est saluator omnium hominum maximè fidelium.*

SECVNDO asserimus, esse Christum caput hominum etiam quoad illorum *corpora*: nimirum eatenus, quatenus dotes gloriæ corporibus beatorum ex merito Christi tribuentur; vtpotè in quo *omni benedictione spirituali in cœlestibus benedicimur*, sicut ait Apostolus ad Ephes. 1. declaratq; D. Thomas art. 2. Quin & Theologus quidã celebris, Præceptor olim meus Salmanticæ, non sine verisimilitudine ac pietate insigni sensit & docuit publicè, hoc etiam tempore, in eorum corpora, qui dignè sumunt S. Eucharistiam, frequẽter infundere Christum spiritales quasdã & diuinas qualitates, illis aliqua ex parte similes, quibus afficientur corpora beatorum. Quod ille Theologus indicio quoq; confirmabat: siquidem videmus nõnullos Dei seruos, alioqui corpore debiles, ea sustinere officia, eosque ad Dei obsequium ferre posse labores, quos minimè possunt homines alij etiam robustissimi.

PVCNTVM TERTIVM.

An Christus sit etiam caput Angelorum.

D. Thom. artic. 4.

IN hac re vnum est (vel certè debet esse) apud omnes certum, & alterum est controuersum. CERTVM quidem est, Christum *aliquo tandem modo* esse & dici posse caput Angelorum, nõ tantùm vt Deum, sed etiam vt hominem, sicut docet D. Thomas artic. 4. Ratio est. Quoniam triplici ratione est in Christo homine quædam analogia Capitis respectu Angelorum. PRIMO. Quia saltem influit in illos sine controuersia cognitionem aliquorum Mysteriorum. Vt D. Dionysius ait cap. 7. Cœlestis hierarchiæ. SECVNDO. Quia mouet illos imperio ad salutem hominum procurandam ministerio suo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERTIO. Quia antecellit illis omnibus gratiæ perfectione.

Vnde Apostolus ad Ephes. 1. loquens de Christo, quatenus fuit à morte suscitatus, atque adeò vt est *homo*, manifestè indicat, esse illum caput etiam Angelorum (aliquo tandem modo) cùm prædicat *operationem potentiæ virtutis Dei, quam operatus est*, inquit, *in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus suprà omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius: & Ipsum*, inquit, *dedit caput suprà omnem Ecclesiam*, quæ est corpus ipsius. Vnde consequitur, caput esse etiam Angelorum: quoniam vt sunt veri cultores Dei, ad Ecclesiam & ipsi spectant secundùm rationem illius communissimam, videlicet quatenus est congregatio illorum, qui rectè colunt Deum. Et ad Colos. 2. *Qui est*, inquit, *caput omnis principatus & potestatis*. Quo pertinet etiam testimonium diui Petri 1. epistola, cap. 3. vbi ait: *Christus profectus est in cœlum, subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus*.

Denique quòd Christus *modis prædictis* sit etiam caput Angelorum, concors est Theologorum omnium sententia in 3. dist. 13. Nec reuerà hoc absolutè negant ij, qui à quibusdam in contrarium citantur, scilicet Altisiodorensis lib. 3. tract. 1. cap. 4. quæst. 2. & Gabriel in 3. distinct. 13. quæst. vnica, artic. 3. dub. 2. & Driedo Tract. 2. de captiuitate & redemptione generis humani, capite secundo, parte tertia, articulo quinto, & Sotus in 4. distin. 49. quæst. 4. artic. 2. ad 3. contra 2. concl. Hi enim (vt patebit legenti attentè) non absolutè negant, Christum esse Angelorum caput *secundùm analogias*, quas explicuimus; sed dicunt, eum vt hominem, non esse Angelorum caput secundùm certam *quandam* analogiam naturalis capitis ad sua membra, scilicet secundùm *naturæ conformitatem* seu conuenientiam: quod verum est.

Neque obstat etiam, quod Chrysostomus homil. 1. in caput 1. ad Ephes. ait, Christum secundùm humanitatem quidem esse caput hominũ; Angelorum autem secũdùm diuinitatem. Tantùm enim vult, esse quidem caput Angelorum secundùm diuinitatem (quod verum est) & non secundùm humanitatem, eo quidem *modo*, quo hominum. Non autem negat, quin secundùm humanitatem quoque sit caput Angelorum illis aliis modis, quibus explicauimus.

CONTROVERSVM autem hoc loco est, An Christus fuerit caput Angelorum etiam secundùm *influxum gratiæ*; ita scilicet, vt illis gratiam, quam habent, promeruerit? Qua de re tres sunt sententiæ.

PRIMA est Origenis homil. 1. in Leuiticum, & homil. 9. in Lucam, qui adeò putauit, Angelis tributam gratiam ex Christi merito, vt senserit etiam, eos fuisse per Christi passionem & meritum redemptos à peccatis, quibus anteà essent inquinati.

Quod probabat PRIMO. Quia Scriptura testatur, Deum *in Angelis etiam reperisse prauitatem*. SECVNDO. Quoniam eadem Scriptura simpliciter quoq; affirmat *Christum pro omnibus mortuũ esse*, neq; excipit Angelos. TERTIO. Quia idem adhuc planiùs testari videtur Apostolus ad Ephes. 1. vbi ait, *in Christo instauratæ esse, quæ in cœlis sunt*. Et ad Coloss. 1. *Pacificans per sanguinem suum, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra*.

SED hæc opinio communiter & meritò existimatur erronea. Quoniam sententia Doctorum omnium, atque adeò Ecclesiæ est, Angelos, qui nunc gratia diuina & beatitudine sunt prædiți, nunquam fuisse peccato obstrictos. De quo AVGVSTINVS in Enchirid. cap. 61. & 62. agit, & GREGORIVS lib. 18. Moralium, cap. 14. & alij. Atque ideo Scriptura vbique propter *hominum peccata* Christum mortuum esse testatur. Peccatorum verò Angelorum, à quibus eos *redemerit*, nusquam omnino meminit.

Quare ad PRIMVM respondeo, id esse intelligendum non de Angelis omnibus; sed de iis, qui peccauerunt, id est, de Dæmonibus. Ad SECVNDVM respondeo, Scripturam satis vbique exponere propositionem illam, de omnibus *hominibus* duntaxat intelligi debere, qui scilicet in Adamo per peccatum sunt mortui: iuxta illud 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur*. De quo etiam ad Roman. 5. & alibi. Ad TERTIVM respondeo ex D. Thomæ sententia super illum locum ad Ephes. 1. instaurata esse per Christum, quæ in cœlis sunt, quatenus impleuit Christus (vt Psalmista indicat) Angelorũ *ruinas*, hoc est, quatenus pro Angelis, qui exciderunt, lucrifecit Christus homines, qui ad beatorum Angelorum consortium admitterentur, occuparentq; adeò quodãmodò illas sedes, quas Dæmones in beatitudine occupaturi erant. Quod aũt dicit Apostolus, *pacificata* item esse, *quæ in cœlis sunt*: significat tãtùm reconciliatos esse suo modo etiam Angelos cum hominibus per consortium eiusdẽ gratiæ diuinæ.

SECVNDA sententia est opposita per extremum illi Origenis opinioni; scilicet Angelos per Christi meritum neque redemptos esse, neq; omnino gratiam illam, quam habent, obtinuisse. Quæ videtur esse sententia D. Thomæ multis in locis, vt in 2. dist. 19. quæst. 1. art. 8. ad 2. & 3. parte, quæst. 59. art. 6. item in quæstionibus de Veritate quæst. 29. art. 7. ad 5. Et censetur hæc sententia probabilis. Quoniam Scriptura significare videtur hominibus tantùm profuisse Christi meritũ.

TERTIA sententia est media: scilicet gratiam illam, quam Angeli habent, absolutè quidem contigisse Angelis per Christi meritum; non tamen fuisse eatenus redemptos à peccatis, quibus anteà tenerentur, vt dicebat Origenes. Quãquam

quam concedunt huius sententiæ authores, dici posse per illam gratiam redemptos ex Christi merito secundùm *præseruationem* seu præuentionem, quatenus illis profuit vt peccatum vitarent. Ita sensit Diuus Bernardus sermone 22. in Cantica. Atque idem etiam sensisse videntur Hieronymus & Theodoretus in Commentar. ad Ephesios secundo, & D. Cyrillus libro primo in Leuiticũ, & ita defendit Catharinus in Opusculo de Prædestinatione Christi & de lapsu Angelorum; sequunturque hanc sententiam, quicunque putant, etiamsi homo non peccasset, Christum fuisse venturum, de quo nos suprà quæst. 1. punct. 7. diximus.

Nunc quod ad istam tertiam sententiam attinet, eo nomine mihi videtur PROBABILIOR, quòd cùm rectè intelligi possit, illustrat multò magis meritum Christi. Deus enim, qui (vt suprà quæst. 1. punct. 7. dicebamus) omnia in conspectu suo simul ab æterno habuit, potuit etiam Christi meritis futuris absolutè moueri, vt gratiam illam Angelis conferret.

Quod æquè potest defendi, si dicamus, Christum, nisi homo peccasset, non fuisse venturum; sicut q. 1. punct. 7. etiam dixi de gratia & iustitia, quæ data est Adę antè peccatum, & intellexit optimè Caietanus quæst. 7. art. 11.

Ac sanè D. Thomas aliquibus in locis quædam affirmat, quę valdè suffragantur isti sententię. Vt quod quæst. 7. art. 9. & 11. ait, Christo gratiã fuisse collatam tanquam *vniuersalissimo* cuidam principio *omnis gratiæ*, quæ diuinitus datur; sicut calor datur igni, tanquam vniuersali principio caloris, de quo diximus quæst. præcedenti, p. 2. cùm ageremus de magnitudine gratiæ Christi. Denique negari non potest, quin sit hæc sententia magis consentanea testimoniis Apostoli antea recitatis de principatu CHRISTI Capitis in *omnem Ecclesiam*, & in omnes Angelos. Itaq; maneat, Christum caput Angelorum esse etiam secundùm *influxum gratiæ*.

Porrò de eo, quod nonnulli hîc disputant, An Christus vt homo, sit etiam caput omnium aliarum CREATVRARVM; non potest esse controuersia, nisi fortè de nomine. Nam eo quidẽ modo, quo est caput Angelorum & hominum, scilicet per influxum donorum supernaturalium, certum est, non esse eum caput aliarum creaturarum. Per analogiam autem cuiusdam præcellentis *dignitatis* secundùm gratias multiplices, quas Christus homo habuit: itemque per quandam *auctoritatem* mouendi imperio, & vsurpandi creaturas omnes, quatenus conuenire id possit ad salutem hominis & Dei gloriam; non est dubitandum, quin Christus dici queat caput Creturarum omnium: Atq; etiam ob id, quòd commoda importata per Christum generi humano redundant quodammodò in alias creaturas omnes, quatenus sunt factæ propter hominem. Et sic admitti possunt, quæ in hanc sententiam differunt Galatinus libro 7. de arcanis Catholicæ veritatis, & Catharinus in libro de Christi prædestinatione.

Itẽ Quæstio est similiter de nomine, An Christus sit *membrum* Ecclesiæ. Nam si per membrum intelligamus id, quod cum *imperfectione quadam* pendeat ex Toto; sic non est dicendus Ecclesiæ membrum: Si autem eò nomine præcisè intelligamus id, quod est reliquò corpori *vnitum*, & pertinet ad eius integritatem & perfectionem; sic nec debet, nec potest negari, quin Christus sit Ecclesiæ membrum, hoc ipso videlicet, quòd est Ecclesiæ caput. Et sic sunt vsi hac locutione Theologi: vt D. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 4. artic. 3. ad 4. & Altisiodorensis lib. 3. Tractatu 1. cap. 4. quæst. 6. Qui ibi etiam addit, si nomine Christi intelligamus non modò filium Virginis, sed illum cum *corpore toto* eius, quod est Ecclesia, dici posse Christum membrum Christi. Sed genus est hoc Quæstionum parùm vtile.

PVNCTVM QVARTVM.

An et quomodo sit Christi proprium esse caput Ecclesiæ.

D. Thom. artic. 6.

EX EO, quòd Christus supradictis modis sit caput Ecclesiæ, minimè consequens est, vt non possit aliquis alius secũdùm analogiam esse item vllo modo caput Ecclesiæ, sicut absurdissimè in materia de Primatu Pontificis Romani argumentantur Sectarij. Vbi enim sermo est de capite non naturali, sed *mystico* secundùm analogiam aliquam; nihil est deforme, vt iuxta varias analogias varia sint eiusdem corporis mystici mystica capita.

Itaque in proposito, quoniam sub Christo, Pontifex Romanus visibiliter gubernat vniuersam Ecclesiam, eatenusque in illam influit; atq; alij item Episcopi Ecclesias particulares suas sub Romano Pontifice; nihil absurdi est, si Pontifex & alij Episcopi, suo modo etiam in hoc mystico corpore sint mystica capita. Nam & Scriptura eos, qui regunt cæteros, vocat capita. Vt Amos sexto: *Optimates capita populorum*. Et 1. Reg. 15. *Caput in tribubus Israël factus es*. Quemadmodum etiam sub vnico pastore Christo, alij etiam sunt & dicuntur *Pastores* in Ecclesia 1. Petri 5. Et præter fundamentum, quod Christus est, alia suo modo sunt *fundamenta*, Apocal. 21.

Quorum omnium ratio est: Quoniam cum analogia, ob quam Christus *fundamentum, caput, & pastor* dicitur, possunt consistere aliæ item analogiæ, quæ sufficiant, vt hæc nomina communicentur aliis, vt latè disseruimus tomo tertio, quæst. 1. de Fide, punct. 7. in Quæstione de Primatu Romani Pontificis, præsertim §. 27. Quocirca Henricus Gandauẽsis quodlib. 6. quæst. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non malè scripsit, Beatissimam Virginem esse item in Ecclesia caput post Christum, nimirum quatenus gratiæ perfectione reliquos omnes antecellit.

Etsi autem hæc ita sint, tamen verissimum est nihilominus id, quod rectè docet etiam Diuus Thomas artic. 6. & Turrecremata libro primo Sum. de Ecclesia, cap. 52. & lib. 2. cap. 20. aliique communiter Catholici Doctores explicant, videlicet Christum esse *singulare & vnicum* Ecclesiæ caput mysticum, quatenus per redemptionem ac meritum suum absolutissimum, influit gratiam in Ecclesiam. Itemque quatenus eandem gratiam *effectiuè* producit vt instrumentum cum diuinitate coniunctum. Et denique vt caput est vniuersæ Ecclesiæ, vniuersitate non solùm *locorum*, sed etiam *temporum* omnium, & omnium fidelium, qui *vnquam fuerunt, sunt, aut erunt*. Sic enim neque Summus Pontifex est totius Ecclesiæ caput; sed solùm ratione sui temporis: vt est perspicuum.

QVÆSTIO NONA.

De Scientia Christi generatim.

D. Thom. tertia parte, quæstione nona.

EXPLICANDA sunt duo. PRIMO, An Christus habuerit scientiam aliquam creatam, præter diuinam. SECVNDO, Quotuplex fuerit ea Christi scientia.

PVNCTVM PRIMVM.

An Christus habuerit Scientiam aliquam creatam, præter diuinam.

D. Thom. articulo primo.

NOMEN SCIENTIAE HOC LOCO generatim accipimus, vt significat qualemcunq; *creatam cognitionem* intellectus, sicut etiam accipit D. Thomas artic. 1. Nam qualis & quàm perfecta cognitio Animæ Christi fuerit, in progressu declarabitur.

Ac primùm quidem pro certo id habendum est, quod B. Thomas docet artic. 1. Christum præter diuinam habuisse quoque *creatam* cognitionem. Sic omnes Doctores in 3. dist. 14. affirmãt, vno Ioanne de Neapoli excepto, qui censuit Animam Christi non alia cognitione præterquàm diuinâ res cognouisse. Contra quem duo sunt argumenta potissima.

PRIMVM sumitur ex Ecclesiæ definitione contrà Monothelitas in VI. Synodo, & aliàs multis in locis; de quo infrà quæst. 19. vbi probabimus, in Christo fuisse *duplices* operationes, increatas scilicet, & *creatas* ad veritatem humanæ naturæ pertinentes: vt non immeritò propter hoc argumentum censeatur aliquibus illa opinio Ioannis de Neapoli hæretica.

SECVNDVM argumentum est. Quia ne fieri quidem potest, vt creatura cognoscat per ipsam cognitionem *diuinam*, sicut D. Thomas in illo articulo primo, & artic. 2. ad 3. & omnes etiam in tertio Sententiarum, dist. 14. rectè senserunt, excepto illo Ioanne de Neapoli, & altero quodam Ioanne de Ripa, vt videre est apud Capreolum in illa dist. quæst. 1.

Probatur autem id à Caietano hîc artic. 1. dupliciter. PRIMO. Quoniam necesse est actionem vitalem, qualis est cognitio, procedere effectiuè à potentia. Quia verò sunt, qui putent, non esse hoc simpliciter necessarium, si spectemus potentiam Dei absolutam; addit Caietanus probationem SECVNDAM, quam dicit manifestam esse ex eo, quòd operatio est aliquid operantis secundùm esse naturale ipsius operantis, id est, aliquid proportionatum ipsi naturæ operantis, tanquam quoddam organum ipsius, atque adeò aliquid veluti minus ipso operante, quo aptè operans operatur: siquidem vnaquæque res operatur, quatenus est. Hoc autem modo perspicuum est, operationem diuinam non posse esse aliquid creaturæ operantis, ita scilicet, vt sit *organum* eius secundùm esse naturale ipsius.

Possumus addere TERTIAM probationem fortè clariorem. Quoniam creatura, vt est & dicitur operans, *intrinsecè* dependet ab operatione, præsertim immanente, atque adeò *formaliter*, quatenus est *operans*. Ostendimus autem suprà quæst. 3. punct. 5. non posse diuinitùs vllo modo suppleri illud, à quo res creata *formaliter, & intrinsecè* dependet. Et rationem dedimus: quia tunc dependet ab illo primariò, quatenus est

tale

tale formaliter: vt intelligi nequeat, per aliquid suppleri illud, quod non sit formaliter tale.

TERTIVM argumentum pro nostra Assertione contra illum Ioannem de Neapoli peti potest ex Scriptura, vbi Christus significat, se vt hominem, atque adeò *humana notitia* quædam scisse. Vt Ioan. 8. *Scio eum, & mandata eius seruo.* Et cap. 17. *Sciens, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo. &c.* Sicut ergo *obseruabat* mãdata, & *transibat* ex hoc mundo vt *homo*: ita & sciebat ista.

QVARTVM argumentum peti potest ex eo, quod certum est, habuisse Christum INTELLECTVM creatum. Ergo etiam creatam cognitionem. Habuit enim perfectam animam rationalem (vt probauimus quæst. 2. punct. 1.) cuius potentia naturalis est Intellectus. Vnde Isaiæ 52. *Ecce intelliget puer meus.* Et Matthæi 8. *admiratur,* quod pertinet ad Intellectum. Rectèq; D. AVGVSTINVS lib. 83. qq. q. 80. contra eos hæreticos, qui Verbum diuinum pro anima & intellectu fuisse Christo asserebant, argumentatur: Nisi Verbum assumpserit animã intellectu præditam, quasi beluam quandam in humana figura ipsum assumpsisse.

DENIQVE qui negat Christo operationem creatam intellectus; consequenter negat Christi *orationem*, vtpotè quæ nonnisi *creata* operatio est, cùm Deus minimè oret. Et alia absurda & erronea similiter inde deduci possunt. Neque argumenta, quibus illi duo conabantur suadere, fieri posse, vt creatura per cognitionem diuinam intelligeret, sunt vllius momẽti, ad quæ respondet Caietanus & Capreolus vbi suprà, & ipse quoque respondi tomo 2. quæst. 2. de Beatitudine, punct. 1. Vbi etiam aliis quibusdam argumentis istos auctores refutaui.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quotuplex Scientia creata fuerit in Christo.

D. Thom. art. 2. 3. 4.

TRIPLEX fuit in Christo cognitio siue scientia *creata*, vt asserit D. Thomas art. 2. 3. & 4. videlicet Scientia *Beata*: Scientia diuinitus *infusa*, qualem habent Angeli naturalem sibi: Et Scientia *acquisita*, qualem possunt homines sibi comparare virtute intellectus agentis. Hæc Assertio non est tanquam de fide indubitata; esset tamen temerarium, negare in Christo fuisse scientiam *beatam & infusam*: quoniam id affirmant omnes in 3. distin. 14. Et propè esset etiam temerarium, negare in illo scientiam *acquisitam*. Nam eam quoque tribuunt Christo Doctores omnes in illa distinctione, excepto Durando & Scoto; qui tantùm concedunt CHRISTO beatam & infusam; quasi acquisita præter istas sit superuacanea. Sed falluntur, vt videbimus.

Nunc probatur sigillatim Assertio nostra de singulis.

Igitur Christum habuisse Scientiam BEATAM, etiam ante resurrectionẽ (ita enim intelligimus) colligitur PRIMO ex Scriptura. Ioan. 1. *Plenum gratiæ & veritatis.* Vna enim & quidem maxima perfectio gratiæ est consummatio ipsius per *beatitudinem.* Et vel maximè etiam *Veritas* lucet in perfectissima illa cognitione Dei beatifica. Et Ioan. 12. *Qui autem mihi ministrat, me sequatur, & vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Quo loco non aliud promittit, nisi beatitudinem, qua iam ipse esset præditus. Et similiter Ioann. 17. *Volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem tuam.* Et ad Colosс. 2. *In quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi.* Suntque multa eius generis testimonia, quæ collegit Canus libro 12. de locis Theologicis, capite 14. vbi accuratè istam Assertionem beatitudinis in Christo ante resurrectionem eius probat tanquam dogma quoddam *Theologicum*. Nam post resurrectionem, etiam fide est certum, quòd habuerit beatitudinem.

SECVNDO accedit huc ratio D. Thomæ q. 9. artic. 2. Christus enim, etiam vt homo, *author* fuit salutis, atque adeò beatitudinis aliorum, ad Hebr. 2. Sed caussam oportet esse præditam perfectione effectus. Ergo oportuit Christum beatitudine esse præditum. Quæ ratio etsi non planè conuincit, tamen rectè ostendit cõgruentiam quandam in hac Assertione: quia scilicet conueniat esse in proposito quãdam analogiam ad caussas alias.

Aio autem, hanc rationem *non planè conuincere*: Nam cùm Christus non fuerit caussa *principalis effectiua* beatitudinis aliorum, vt homo; sed tantùm moralis & instrumentalis; non inde necessariò cõcluditur, ipsum debuisse habere beatitudinem; quicquid Caietanus in illo articulo fruſtrà & obscurè laboret in defendenda aliter probatione D. Thomæ.

Quomodo verò Christus, etsi fuerit secundùm Animam beatus, potuerit nihilominus non solùm secundùm corpus pati; sed etiam secundùm *Animam* tristari & angi, explicat bene Canus: quia scilicet diuinitùs passionis tempore factum est, vt ex visione beatifica, ne ad animam quidem aliqua delectatio manârit. Quanquam sunt etiam, qui sentiãt, potuisse cum summa delectatione, orta ex beatitudine, consistere maximum dolorem & tristitiam, respectu aliorum obiectorum.

Sed illa expositio Cani consonat magis cum magnitudine & acerbitate *passionis*, quam existimamus fuisse in Christo. Et sic demum melius intelligitur, Christum in passione, etiam à Patre suo fuisse derelictum per hoc, quòd is prohibuit redundantiam illam beatificæ delectationis: Sicut ipse Dominus in cruce clamauit:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Matthæi 27.

Est autem NOTANDVM, probari argumentis, quæ fecimus, quòd eam beatitudinem hãbuerit Christus etiam ab *instanti suæ conceptionis*. Nam ab eo fuit *plenus gratiæ & veritatis*, adeoque gratiam habuit omnibus modis perfectissimam, vt D. Thomas id probat infrà quæst. 34. artic. 4. & asseritur à Theologis in 3. dist. 14. Nihilominus, quomodo ab instanti conceptionis & deinceps ante resurrectionem, verè potuerit mereri per alias actiones, distinctas ab iis, quibus continebatur animæ beatitudo, declarabimus quoque suo loco infrà quæst. 19.

Ex quo sequitur, Christum fuisse simul *comprehensorem & viatorem*, sicut B. Thomas quæst. 15. art. 10. docet. Nam à Theologis comprehensores dicuntur ij, qui beatitudinem sunt adepti, quam alij non nisi spe tenent: viatores autem, qui bonorum operum officiis ac meritis ad beatitudinem contẽdunt, iuxta illud 1. Cor. 19. *Sic currite, vt comprehẽdatis*. Et ad Philip. 3. *Sequor autem si quo modo comprehendam*. Christus igitur & *comprehensor* secundùm beatitudinem animæ fuit, quam iam habebat: & *viator*, quatenus per merita & passionem contendebat ad gloriam corporis, atque adeò ad beatitudinem *consummatam*, quò nondum peruenerat. Vnde ad illum pertinet, quod Hierem. 14. dicitur; *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum?* Nam & hunc locum accõmodat ad hoc propositum D. Thomas.

Præterea probatur, Christum (vt diximus) habuisse item Scientiam PER SE INFVSAM, hoc est, cognitionem rerum per *intelligibiles species* suapte ratione perfectiores iis, quæ naturali virtute Intellectus agentis acquiri possunt, atque adeò diuinitùs ipsi *infusas*. PRIMO. Quoniam id ex Scriptura etiam colligi posse videtur. Ioan. 1. *Plenum* non solùm *gratiæ*, sed etiam *veritatis*. Ex quo videtur, ipsum habuisse scientiæ perfectionem *omnis modi* in creatura possibilis, atque adeò etiam *infusam*, sicut eam habent Angeli. Item Luc. 12. Cùm esset tantùm duodecim annorum, ita disputauit, vt homines *admirarentur*: quasi nequiuerit ita disserere scientia ordinaria aliorum hominum naturali, præsertim illa ætate. Quo pertinet illud Ioann. 7. *Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?*

SECVNDO probatur idem ratione à D. Thoma hîc artic. 3. Quia nisi ita sentiamus, caruisset perfectione sua in Christo illa potentia, quam habuit simpliciter & absolutè intellectus ipsius, vt *perfectè* informaretur speciebus intelligibilibus rerum, quæ siue naturaliter, siue per reuelationem cognosci euidenter possunt. Id verò (vt infrà magis declarabitur) planè abhorret ab ea perfectione, quam par est attribuere Christo in omnibus. Et probat hæc ratio, Christum Scientiam infusam habuisse etiam ab *instanti conceptionis*, ne vnquam illa potentia Intellectus in ipso fuerit inanis. Cum qua Assertione omnino congruit illud Hier. 31. *Nouum faciet Dominus super terram, mulier circundabit virum*. Vir enim Christus etiam in instanti cõceptionis dictus est propter intelligentiæ, atque adeò mentis in ipso perfectionem.

DENIQVE habuisse quoq; Scientiã ACQVISITAM, id est, talem, qualẽ possunt acquirere alij homines, probatur à D. Thoma hîc art. 4. Quia cùm assumpserit Verbum diuinum omnia, quæ in natura humana naturaliter plantauit; negandum non est, quin habuerit etiam Christus Intellectum *agentem*. Fruſtrà verò illum habuisset, sine propria & naturali eiusdẽ operatione, quæ est abstrahere à phantasmatibus species intelligibiles, atque adeò *acquirere* ordinariam cognitionem humanam.

Vbi NOTA, B. Thomam istiusmodi ratione duo voluisse concludere, quorum vtrumque ab aliquibus controuertitur. VNVM est, habuisse Christum quoque scientiam acquisitam *ex genere*, id est, talem, qualis potest naturaliter acquiri. ALTERVM est, habuisse illum modo ordinario & naturali, hoc est, à se partam & *acquisitam* virtute Intellectus agentis sui.

PRIMVM negatur à Scoto in 3. dist. 14. q. 3. & à Durando q. 4. Illorum fundamentum est: Quoniam per scientiam infusam cognouit Christus, quicquid potuit cognoscere per scientiam acquisitam. Ergo ista planè fuisset superuacanea.

SED si hoc argumentum firmum est, æquè deberent isti scientiam infusam Christo negare. Nam per scientiam beatam cognouit omnia, quæ potuit cognoscere per infusam. Quòd si dicatur, per beatam cognouisse *alio modo*, quoniam sit alterius rationis à scientia infusa; idem prorsus respõdemus nos in proposito de Scientia acquisita.

Nam quod isti minus animaduertisse videtur, affirmat D. Thomas hîc art. 4. ad 3. & q. 11. art. 1. Scientiam acquisitã & infusam in Christo fuisse quoq; diuersissimæ rationis. Et differentiã hanc vtriusq; Scientiæ ostẽdit in eo fuisse, quòd scientia *infusa* respiciebat rationẽ scibilis seu cognoscibilis magis *vniuersalẽ*, quàm acquisita. Etenim *acquisita* perficiebat Christi intellectũ solùm, quatenus erat in potentia ad cognoscẽdum illa, quæ cognosci possunt naturali virtute Intellectus *agentis*. Scientia verò *infusa*, vt erat in potentia simpliciter ad cognoscendũ *omnia ea*, quę siue virtute naturali Intellectus agentis, siue reuelatione diuina cognosci possunt: de qua proinde potentia simpliciter & absolutè considerata, procedit ratio, qua D. Thomas (vt anteà vidimus) probat, in Christo fuisse scientiam infusam.

Itaque vt magis declarat Caietanus in illa quæst. 11. artic. 1. per scientiam *infusam* Christus *euidẽter* etiam cognoscebat omnia mysteria nostræ fidei; sic, vt omnes notitię fidei, quæ in nobis

sunt tantummodo certæ & infallibiles, fuerint in Christo per hanc scientiam *etiam euidentes*. Essentiam tamen diuinam non cognouit clarè & quidditatiuè per istam scientiam, vt D. Thomas in illo artic. 1. meritò excepit. Et nihilominus tamen mysterium etiam SS. Trinitatis per hanc scientiam cognouit euidenter quoad *An est*: sicut nos illud cognoscimus per fidem, tantùm infallibiliter & certò.

Item ex ea differentia Scientiæ infusæ & acquisitæ accidebat, vt, quemadmodum D. Thomas iisdem locis docet, scientia *acquisita* non potuerit Christus vti sine conuersione ad phantasmata, id est, sine vsu phantasiæ, qui simul concurreret; scientia autem *infusa* potuit etiam sine huiusmodi phantasiæ ministerio ad libitum vti; quoniam habebat hæc scientia rationem obiecti *vniuersaliorem*, vt dictum est.

SECVNDVM autem illud, quod item diximus voluisse concludere D. Thomam, nempe Christum habuisse scientiam acquisitam *naturali & ordinario modo* virtute Intellectus *agentis* à se partam; negatur etiam ab aliquibus ex iis, qui alioqui fatentur, præter scientiam beatam & infusam, habuisse Christum scientiam *acquisitam ex genere*, id est, talem, qualem possunt homines naturaliter acquirere. Dicunt enim, huiusmodi quoque scientiam fuisse Christo ingenitam ipso momento conceptionis à solo Deo, quam proinde vocant etiam *infusam per accidens*. Nam illa alia dicitur infusa *per se*: quoniam nõ potuit naturaliter acquiri; sed naturâ suâ fuit talis, vt deberit infundi à Deo, sicut Angelis etiam diuinitus est infusa scientia; quæ proinde dicitur infusa per se.

Hæc sententia, quam Paludanus amplectitur in 3. d. 14. probatur *primò*. Quoniam melior est actus, quàm potentia. 9. Metaphys. Ergo melius fuit Christo perfectionem istius scientiæ habere statim ab initio.

Secundò. Nam sicut Adam fuit doctor generis humani: ita etiam, & multò magis Christus. Sed ob eam causſam creditur fuisse ab initio *ingenitam* Adamo scientiam acquisitam ex suo genere. Ergo multò magis id est existimãdũ de Christo.

Tertiò. Nam communiter conceditur, virtutes morales, licet ex suo genere alioqui solent esse acquisitæ, fuisse insitas Christo ab initio. Cur nõ igitur & scientia acquisita?

Quartò argumentatur etiam Durandus vbi suprà, indignum fuisse, vt Christus, qui nihil ab homine, vel ab Angelo didicit (vt S. Thomas asserit q. 12. artic. 3. & 4.) acciperet cognitionem ex rebus *sensibilibus*, eamque adeo acquireret.

Quintò pertinet etiam huc argumentum Scoti vbi suprà, contra probationẽ D. Thomæ. Falsum enim videtur, quòd res illicò superuacanea sit, si careat propria operatione. Nam potentia Intellectus agentis non est fruſtrà in *beatis*, licet in eis quidẽ careat propria operatione, abstrahendi nimirum species ex phantasmatibus. Neque etiam est fruſtra potentia augmentatiua in *viro*, licet vir non amplius augeatur.

Nihilominus cum D. Thoma SENTIENDVM est, qui cùm priùs (vt ipse refert hîc art. 4.) existimasset, Christum non acquisiuisse Intellectu suo agente istiusmodi scientiam; non fruſtrà posteà sententiam mutauit in hoc loco.

Probatur autem hæc opinio PRIMO ex insinuatione Scripturæ Isaiæ 7. *Antequàm sciat puer vocare patrem & matrem, &c.* Videtur enim omnino hîc sermo esse de notitia aliqua Intellectus. Sicut etiam ad Hebr. 5. de tali notitia loquitur Apostolus, cũ de Domino ait: *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam*, id est, quomodo esset obediendum. Item illud Lucæ 2. *Proficiebat sapientia*, magis, tunc propriè poterit intelligi. Quãquam non diffiteor, posse etiam intelligi propriè, si dicatur, profecisse secũdùm *effectus* scientiæ acquisitæ. Nam pari modo interpretati sumus suprà, quod similiter ibi dicitur profecisse *gratiâ*. Proficere enim secundùm effectus perfectionis alicuius, procul dubio est etiam proficere secundùm talem perfectionem.

SECVNDO probatur nostra sententia. Quoniam ita demum rectè intelligitur, quemadmodum infantia Christi, quod ad cognitionem & rationis vsum naturalem attinet, non fuerit simulata, licet alioqui secundùm scientiam beatam & infusam aliorum generum, perfectè sapiens fuerit ab initio. Quod nihil obstat: dummodò ea cognitione quæ sit generis consueti apud alios homines, in infantia caruerit.

TERTIO confirmat idem Caietanus hîc art. 4. Quoniã melius fuit, vt *operatione propria* Christus ad perfectionẽ huius scientiæ sese ipse moueret, quã si fuisset motus à Deo illam sibi ingenerãte. Item quia melius fuit habere illã modo naturali & per se, qui videlicet est, vt virtute Intellectus agentis *acquiratur*. Deniq; isto modo intelligitur, quemadmodum Christus non tantũ in scientia, sed etiam in *modo* habendi illã naturali ac per se, cõmunicârit & cũ beatis, ratione scientiæ *beatæ*; & cũ Angelis, ratione scientiæ *per se infusæ*; & cum hominibus, ratione scientiæ *per se acquisitæ*.

Ad *Primũ* autẽ argumentũ contrariũ respondetur, actũ esse quidẽ meliorẽ potentiâ, si cætera sint paria: hîc verò nõ esse, vt patet, præsertim ex argumentatione Caietani. Et accedit, quòd non diu caruit Christus illa perfectione, sed celerrimè omnium rerũ scientiam sibi comparauit, vt S. Thomas q. 12. artic. 2. ad 2. declarat. Cùm enim esset præstantissimi ingenij, ex similibus colligebat similia, & ex contrariis contraria, &c.

Neque est improbabile illud, quod Caietanus in illo loco non sine pietate excogitauit, nempe ministerio Angelorũ fuisse Christo oblata particularia obiecta, quæ ipse non experiebatur, si quando id opus fuit, vt compararet sibi ex sensibus scientiam perfectam. Nam si indi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

genti Christo cibo corporali ab Angelis illi administratus est; cur non etiam ministrassent illi id, quod attinet ad cibum scientiæ spiritalem? inquit Caietanus. Adde quod multum etiam ad eam rem scientia rerum infusa & beata adiuuabatur.

Ad *Secundum* respondetur ex Caietano hic artic. 4. Adamo *inditam* ab initio fuisse scientiam ex genere acquisitam & naturalem, quoniam erat magister cæterorum in his propriè, quæ ad *naturalem* perfectionem generis humani pertinebant. Christus autem non in istis erat futurus caput & doctor aliorum; non enim docuit Mathematicas disciplinas & reliquas naturales; sed in his, quibus perfectio supernaturalis hominũ continetur, cuiusmodi sunt arcana fidei mysteria. Proinde satis illi fuit ab initio scientia *per se infusa*, qua etiam cognosceret euidenter eiusmodi mysteria, sicut antè diximus.

Ad *Tertium* respondet etiam Caietanus ibi, & expresè quoq; D. Thomas q. 12. art. 3. ad 2. eum, qui à rebus *sensibilibus* cognitionem accipit, non ab ipsis propriè, sed à Deo illarum authore discere, qui ideo dicitur Ecclesiastici 1. *effudisse sapientiam super omnia opera sua*. A *Doctore* vero aliter Sapientia discitur, quàm acquiratur ab eiusmodi rebus: quoniam docet etiam homo & voce & notitia sua; quo pacto non decuit Christum erudiri.

Ad *Quartum* etiam respondet bene Caietanus, rem non esse quidem tunc frustrà, cùm ideo caret operatione propria, quoniam illam omnibus consideratis habere non potest, vt contingit in exemplis à Scoto allatis; cùm scilicet alioqui habetur operationis effectus: Est autem res tunc frustrà, cùm potest omnibus consideratis vtilius propriam operationem habere, neque tamen eam habet. Atque hoc accideret in proposito. Quia cùm scientia beata & infusa sit alterius rationis à scientia acquisita; nihil illæ impediuerunt, quo minus Christus posset commodè operatione propria acquirere præterea scientiam acquisitam.

Ad *Quintum* respondeo, disparitatẽ esse, quòd naturalis modus comparandi virtutes morales ex suo genere acquisitas habet imperfectionem abhorrentem à dignitate Christi: nam acquirũtur non sine certamine quodã & *difficultate*, propter appetitus *rebellionem*, quæ nulla fuit in Christo. Naturalis autem modus acquirendi scientiam non habet eiusmodi imperfectionem.

Alij dicunt, ideo non potuisse Christum has virtutes acquirere, quoniam non vtebatur nisi actibus virtutum moralium *per se infusarum*, quas etiam accepit vnà cum habituali gratia, sicut alij homines iusti, iuxta sententiam probabiliorem D. Thomæ de Virtutibus moralibus per se infusis, quam sum secutus tomo 2. q. 6. de Virtutibus, p. 1. & 2.

Sed hæc Responsio non videtur verisimilis: & sequitur ex illa amplius etiam aliquid, quàm isti fortasse vellent; scilicet Christum non modò nõ acquisiuisse virtutes morales ex suo genere acquisitas; sed ne vsum quidem vnquam ipsis ab initio sibi inditis fuisse. Quod absurdum concessu est, neq; vllo firmo argumento suaderi potest. Cur enim in materia v. g. Temperãtiæ & reliquarum virtutum, non etiam Christus versatus fuerit, quatenus istiusmodi virtutum obiecta sunt consentanea *naturali* rationi? quæ est ratio illarum, vt distinguuntur à per se infusis, quæ vt docuimus tomo 2. versantur in eiusmodi materiis moralibus sub alia ratione sublimiori, nempe quatenus id propriè confert ad *supernaturalem* finem, atque adeo vt id est consentaneum rationibus (vt vocant) æternis, & supernaturali etiam lumini. Commodior igitur esse videtur nostra Responsio ad illud quintum argumentum.

QVÆSTIO DECIMA.

De Scientia Christi Beata.

D. Thom. 3. part. quæst. 10.

SVPPOSITIS IIS, QVAE DE COGNITIONE BEATIFICA essentiæ diuinæ & eorum, quæ sunt eminenter in illa, fusè disseruimus tomo 1. disp. 1. quæst. 12. & tomo 2. disp. 1. quæst. 5. breuiter expediri poterunt, quæ propriè spectant ad hanc Quæstionem de beatifica scientia Christi. Itaque duo breuiter sunt explicanda. PRIMO, An Scientia beata Christi fuerit non tantùm actualis, sed etiam habitualis. SECVNDO, Quàm perfecta fuerit hæc Christi Scientia.

PVNCTVM PRIMVM.

An Scientia Beata Christi fuerit non tantùm actualis, sed etiam habitualis.

Ad art. 1. D. Thomæ.

NON MODO SCIENTIA CHRISTI *infusa & acquisita*, sed etiam Scientia eiusdem *beata* suo quodam modo fuit tum *actualis*, tum *habitualis*. Et de scientia quidem infusa, & acquisita, manifestè id apparet ex eo, quod præsupponit D. Thomas quæst. 11. artic. 5. fuisse in Christo istas scientias secundùm modũ *nostrum*; qui est, vt scientiam habeamus & in actu & in habitu. Quod ipsum peculiariter de Infusa tradit expresè quæst. 11. art. 5. & idem de acquisita satis indicat quæst. 12. art. 2.

Beatam autem scientiam Christi consistere etiam in *habitu*, eatenus rectè dici potest, quatenus certum est, ad visionem beatificam in creaturis rationalibus, atque adeo etiam in anima Christi, necessarium esse habitum quendam supernaturalem, quo naturalis potentia intellectus ad supernaturalem eiusmodi excellentissimamque cognitionem eliciendam confortetur: quem habitum *lumen gloriæ* vocant, illumque nos asseruimus tomo 1. disputat. 1. quæst. 12. & tomo 2. quæst. 5. de Beatitudine.

Nihilominus tamen D. Thomas quæst. 11. artic. 1. ad 1. rectè negat, Scientiam beatam Christi eo modo fuisse in Christo habitualem, quo potest etiam habitualis dici Scientia eiusdem infusa, & acquisita, ita scilicet, vt aliquando sciuerit per eiusmodi scientiam tantùm *in potentia*, aliquando *in actu*. Nam visio beatifica perennis est, neque vnquam interrumpitur. Per scientiam autem acquisitam, atque etiam infusam, non semper actu cognouit Christus. Quamuis neque videtur sanè impossibile, vt per scientiam quidem infusam semper cognouerit actu aliquid, cùm eius scientiæ vsus non penderet à phantasmatibus, quæ necesse est aliquando quasi consopiri. Sed non cogit tamen vlla ratio concedere, ꝙ de facto etiam id in Christo acciderit.

Porrò alia hîc etiam est obseruanda differentia. Nam habitus luminis gloriæ, quo etiam suo modo scientia beatifica continetur, *vnicus* fuit in Christo, sicut & in aliis beatis: Habitus autem scientiæ infusæ, itemque acquisitæ (generatim de vtroque loquendo) fuit in eo multiplex. Et de habitu quidem acquisitæ faciliùs id suaderi potest: quoniam fuit scientia Christi acquisita eiusdem prorsus rationis, atq; adeo eodem modo distincta per plures specie habitus (vt puta Physicæ, Metaphysicæ, &c.) atque scientia hominum aliorum. De Scientia verò infusa, quòd pluribus etiã habitibus contineretur, idipsum expresè docet D. Thomas quæst. 11. artic. 6. Qua de re nonnihil dicemus quæst. seq.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quàm fuerit perfecta Scientia Christi beata.

D. Thom. art. 1. & seq.

PERFECTIO Scientiæ Christi beatæ satis lucet ex iis, quæ de illa docet D. Thomas hîc q. 10. Itaque PRIMO asserimus cũ eodem D. Thoma artic. 4. Christũ hac scientia cæteris omnibus beatis, tum Angelis, tum hominibus, longè antecelluisse: quoniam erat eius anima arctissimè coniuncta cum diuino Verbo, ideoq; perfectissimũ ab eo lumen gloriæ participauit, quo diuinam essentiam videret. Fuitque proinde plenus non solùm gratiæ, sed etiam *veritatis*, Ioan. 1.

Hinc SECVNDO asserimus cum eodem Diuo Thoma art. 2. Christum per istam scientiam clarè co-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rè cognouisse omnia, quæcunque Deus cognouit scientiâ, vt vocant, *visionis*, id est, quæcunque *actu* sunt, fuerunt, aut erunt. Id probat D. Thomas ex eo, quòd Christus, quatenus homo, futurus fuit omnium iudex, omniaque illi fuerũt aliqua ratione *subiecta* (quatenus certè ad homines pertinere potuerunt) præter eum, qui subiecit illi omnia, 1. Cor. 15.

TERTIO asserimus, cognouisse Christum per hanc scientiam omnia, quæcunque sunt in potẽtia naturali *creaturæ*: quoniam illam perfectissimè cognouit, atque penitus comprehendit. Ex quo concludimus cum D. Thoma art. 3. cognouisse ipsum per hanc scientiam *infinita aliqua possibilia*; nimirum quæ sunt in potentia creaturæ. Id quod de cognitione *distincta & expressa* intelligendum est; ad eum modum, quo tomo 1. disputat. 1. quæst. 12. p. 6. explicuimus, cognosci à Deo distincta quadam & expressa notitia omnia omnino possibilia, quæ sunt etiam in potentia sua diuina.

QVARTO nihilominus asserimus cum Diuo Thoma art. 1. Christum per hanc scientiam non *comprehendisse* essentiam diuinam. Tum quia, vt ibidem in responsione ad 2. D. Thomas declarat, non cognouit essentiam diuinam tam perfectè, quàm ipsa est cognoscibilis, scilicet notitia *simpliciter infinita*, qualis est notitia diuina. Tũ quia nec cognouit illam secũdùm omnem eius habitudinem ad omnes eius possibiles effectus, qui sunt scilicet in *potentia diuina*, iuxta ea, quæ diximus tomo 1. disp. 1. q. 12. p. 5. & 6.

Et vtroque sensu Patres de omni Intellectu creato idem asserunt. Vt Dionysius libro de diuinis nominibus cap. 2. Athanasius q. 1. ad Antioch. Basilius lib. 9. contra Eunomium, Augustinus epist. 112. Cyrillus lib. 12. thesauri cap. 4. & alij, quos citauimus tomo 1. vbi suprà.

Et idipsum patet ex Scriptura, Iob. 11. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & omnipotentem vsque ad perfectum reperies?* Et Ierem. 32. *Incomprehensibilis cogitatu.* Et ad Rom. 11. *Quàm incomprehẽsibilia sunt iudicia eius?* Et 1. Cor. 2. *Quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi Spiritus Dei.* Itaque meritò in Concilio Basilien si sess. 22. damnata est propositio quædam Augustini de Roma, scilicet Animam Christi *æquè perfectè* ac Deum ipsum, cognouisse essentiam diuinam.

Et consequenter negat item D. Thomas art. 2. cognouisse Christum per hãc scientiam omnia, quæ sunt *in potentia Dei*, vt etiam contra nonnullos probauimus tomo 1. vbi suprà: quia tunc cõprehenderet ipsius virtutem, atque adeo essentiam.

Vbi ex Caietano sub finem commentarij, notandum est, D. Thomam minimè dicere, quòd *nihil* Christus cognouerit ex his, quæ sunt in diuina potentia; sed quòd nõ cognouerit *ea omnia*: id quod minùs aduertit Scotus in 3. dist. 14. q. 2. imponens D. Thomæ, quod nunquam dixit.

QVINTO asserimus cum D. Thoma art. 3. non cognouisse Christum per hanc scientiam infinita aliqua, quæ *in actu* existant. Quoniam nulla sunt talia.

POSTREMO asserimus cum eodem art. 3. ad 4. quamuis hæc scientia Christi, vt ex his patet, valde perfecta sit, tamen per potentiam Dei absolutam, posse aliquã visionem beatificam perfectiorem fieri, quàm sit ista Christi. Sicut etiam potest per eandem potentiam fieri maior gratia, quàm sit gratia Christi, vt vidimus q. 7.

Porrò hæc D. Thomæ doctrina satis est, vt quanta fuerit perfectio istius scientiæ Christi, sobriè intelligamus, non attribuendo ei plus quàm oportet. Quia verò doctrina hæc non per omnia ab omnibus probatur, & quædam maiorem lucem desiderant, ordine iam respondendum est nonnullis argumentis contrariis.

PRIMVM est contra Secundam Assertionem. Nam ex iis, quæ Deus cognouit scientia visionis, vnũ quiddam est extremus Iudicij dies. Sed hunc diem Christus vt homo, ne per scientiam quidem beatam cognouit. Ergo falsò docet diuus Thomas cognouisse per hanc scientiam ipsum, quæcunque Deus scit scientia visionis. Minor probatur *primò* authoritate Scripturæ. Marci 13. & Matth. 14. *De die autem illo nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater, &c.* Hoc enim cùm de Christo iuxta diuinitatem nõ possit intelligi; necesse est intelligatur iuxta humanitatem. *Secundò* authoritate Patrum, qui de humanitate hoc intelligunt. Athanasius serm. 4. contra Arrianos, Basilius lib. 4. contra Eunomium. Hilarius lib. 9. de Trinit. Gregorius Nazianzenus Oratione 4. de Theologia. Item Patres VI. Synodi act. 12. *Nesciebat*, inquiunt, *vt homo sciebat vt Deus.*

RESPONDEO nihilominus ex communi sententia Scholasticorum in 3. dist. 14. & D. Thomæ hîc q. 10. artic. 12. ad 1. quæ est etiam Athanasij, & Basilij, & Nazianzeni, & Hilarij locis citatis, & Chrysostomi homil. 14. in Marcum & aliorum, Christum, etiam vt hominem cognouisse prorsus diem Iudicij, nec sine errore id negari posse, cùm fuerit Iudex ad illud Iudicium cõstitutus. Id quod fusiùs ostendi ex Patribus tomo 1. q. 1. de Trinitate, p. 1. §. 1. & patebit quoq; ex iis, quæ aduersus varios hæreticos disseremus infrà q. 15. vt defendamus, Christum vt hominem, nulla omnino laborasse ignorantia.

Ad illud verò testimonium Euangelicum, nõ dicam illud, quod existimauit Ambrosius lib. 5. de fide ad Grat. cap. 8. ab aliquibus hæreticis particulam, *Neq; filius*, additam fuisse. Etenim in Marci saltem exemplaribus tum Græcis, tum Latinis inuenitur. Itaque aliud RESPONDEO cum Patribus aliis iam citatis, & Theophilacto apud D. Thomam in caput 13. Marci, Christum videlicet vt curiosam & superuacaneam discipulorum quæstionem de die Iudicij prohiberet;

velut *amphibologia* quadã orationis fuisse vsum, ita, vt aliquem sensum verum significârit diuersum ab *eo*, *quem* verba præ se ferebant (scilicet ipsum planè nescire illum diem) & quem potuerunt discipuli concipere. Quæ interpretatio & responsione illa Christi Actor. 1. (*Non est vestrum nosse tempora vel momenta*) & exemplo quoq; quotidianę conuersationis fulciri potest. Nam cũ ab aliquo importunius de re, quam aperire nõ expedit, interrogamur, respondere solemus amphibologicè, nos nescire, etiamsi sciamus, intelligẽtes nimirum aliquid aliud, quàm verba prima facie sonant.

Porrò quis ille *alius* fuerit verus sensus, quem Christus *amphibologicè* significârit, variè exponitur à Doctoribus. PRIMO enim aliqui dixerũt, Christum non se, sed filium alium quemuis Dei *adoptiuum* eo loco intellexisse. Quam interpretationem BASILIVS apud D. Thomã in catena Matth. 24. dicit se in cuiusdam libro legisse, qui eo argumento mouebatur, quòd Christus præposuerit in ea oratione Angelos, dicens: *Neque Angeli in cœlo, neq; filius*, vt indicium hoc sit, de puro homine, qui Angelis inferior est, Christum esse locutum.

SECVNDA interpretatio est ORIGENIS homil. 30. in Matthæum, Christum loqui de *corpore suo mystico*, vt sit sensus, neminem esse in Ecclesia, qui sciat. Quam interpretationem secutus fuit etiam Eulogius Patriarcha Alexandrinus apud S. GREGORIVM lib. 8. Registri epist. 42. & eandem ibi approbauit disertè ipse Gregorius, dicens, *omnino rectè* in hoc sensisse Eulogium.

TERTIA est Epiphanij hæres. 68. & 69. sensum esse, non amare Christum seueritatem illam diei Iudicij, id est, non suapte sponte propendere in illam, sed potiùs in misericordiam: Quemadmodum eius, quod dicturus est ad impios: *Nescio vos*: Sensus est, id est, non diligo.

QVARTA est Gregorij NAZIANZENI Oratione 4. de Theologia; nescire videlicet Christũ *ex sese*; quoniam scientiam, sicut reliqua omnia, acceperit à suo patre.

QVINTA est, Nescire *ad dicendum*, vt sensus sit, non facere ipsum, vt alij sciant; sicut contrà Deus dicitur aliquando tunc scire aliquid, cùm facit, vt cognoscatur. Vt Genes. 22. *Nunc cognoui, quòd timeas Deum*, id est, cognoscere te feci. Atq; hæc interpretatio videtur optimè congruere cũ illa amphibologia, de quâ antea diximus: estq; D. Thomæ vbi suprà, & multorum Patrum: Vt Basilij lib. 1. contra Eunomium, Hilarij lib. 9. de Trinitate, Augustini lib. 1. de Trinitate, cap. 12. Ambrosij lib. 5. ad Gratianum cap. 8. Hieronymi in Matth. cap. 24. Chrysostomi homil. 14. in Marcũ, Gregorij lib. 8. Registri epist. 42. & aliorum. Ac potest interpretatio ista, sicut etiam tres præcedentes accommodari ad eum locum, siue Christus fuerit de se locutus vt homo, siue etiam vt Deus.

SEXTA expositio est Basilij epist. 141. ad Cæsarienses, per *diem* ibi intelligi *omnium exactam consiliorum Dei comprehensionem*.

SEPTIMA expositio est Athanasij & Nazianzeni vbi suprà, Christum vt hominem non sciuisse *naturaliter*. Atque hoc modo rectè accipi potest, quod obiecimus ex authoritate Patrum & VI. Synodi. Et potest fieri, quòd omnes istos sensus, quatenus simul consistere possunt, Christus ibi intenderit, cùm possint esse varij sensus eiusdem loci Scripturæ, vt docuimus tomo 1. disput. 1. q. 1. p. 5.

SECVNDVM argumentum est contra Quartam Assertionem. Nam quilibet beatus cognoscit omnia, quæ naturaliter repræsentantur per essentiam diuinam. Ergo quilibet beatus, atque adeo etiam anima Christi, cognoscit omnia possibilia, quoad quidditates eorũ; etiam quæ sunt in potentia *diuina*: Id quod negauimus cum Diuo Thoma. Antecedens probatur. Quia neque est vllum impedimentum ex parte *essentiæ diuinæ*, cùm hæc naturaliter & necessariò repræsentet omnia vt species intelligibilis; neque etiam ex parte *intellectus* beati, cùm hic cognoscat illud, quod est longè plus, scilicet ipsam essentiam diuinam simpliciter infinitam. Hoc argumento vtitur Durandus in 3. dist. 14. quæst. 1. artic. 2. quo etiam generatim probat, omnes beatos videre quoad quidditates omnia quæ sunt possibilia, etiam per potentiam Dei.

SED istius argumenti vitia copiosiùs redargui in proprio loco, tomo 1. disput. 1. quæst. 12. & tomo 2. quæst. 5. de Beatitudine. Nunc quod attinet ad propositum RESPONDEO cum Caietano hîc art. 2. falsum esse Antecedens. Est enim impedimentum ex parte *Intellectus creati*, qui ne per lumen quidem gloriæ habet tantam perfectionem, vt possit videre omnia possibilia. Nam licet non sit plus, videre omnia possibilia quoad illorũ quidditates, absolutè loquendo, quàm videre essentiam diuinam; plus tamen est, videre *sic* essentiam diuinam, vt ex perfectione cognitionis ipsius cognoscantur quoque omnia possibilia, quàm videre absolutè essentiam diuinã. Illud enim est, comprehendere essentiam diuinam, quod ex Scriptura patet, nulli creaturæ esse concessum, vt in Quarta Assertione probauimus, & latiùs docuimus tomo 1. disputat. 1. quæstione 12.

TERTIVM argumentum est contra Quintam Assertionem. Nam Christus, vt affirmauimus cũ D. Thoma in secunda Assertione, cognoscit omnia, quæ Deus nouit scientia visionis. Sed hac scientia Deus cognoscit eiusmodi infinita, quæ per omnem æternitatem futuram, in variis differẽtiis propriæ durationis *actu* etiam existunt successiuè, videlicet cogitationes futuras omnes immortalium animarum & Angelorũ, vt idem D. Thomas 1. p. q. 14. art. 12. disertè docuit. Ergo falsò in illa quinta Assertione negauimus Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sto cum eodem D. Thoma artic. 3. cognitionem infinitorum, quæ *actu* existant.

Respondet bene Caietanus hîc artic. 3. D. Thomam tantùm locutum esse de *infinitis actu* existentibus, quæ sint *entia completa & substantialia*, idque constare ex D. Thomæ probatione: Quia scilicet non sit futura perpetua rerum generatio, vt Philosophi existimarunt: In prima verò parte de infinitis actu egisse, quæ sint entia *accidentalia*, vt cogitationes: ac proinde non ipsum negare hoc in loco, quòd eiusmodi infinita in actu existentia cognoscat Christus.

Hunc in modum rectè quidem ista loca Diui Thomę conciliat Caietanus. Sed vt res etiam ipsa commodè intelligatur, diligéter animaduertendum est, cùm dicimus: Christus vel Deus cognouit infinitas cogitationes *actu*, varium esse posse sensum huiusmodi propositionis. Possumus enim particulam, *Actu*, referre vel ad particulam *Cogitationes*, vt sit sensus, Deum vel Christum cognoscere infinitas cogitationes, quæ existant non solùm in potentia, sed in actu etiam, licet successiuè secundũ varias differentias propriæ durationis earum. Et tunc vera erit propositio. Vel ad particulam, *Cognouit*, vt sit sensus, Christum aut Deum cognoscere infinitas illas cogitationes actuali notitia & distinctissimè & simul. Et tũc etiam erit vera. Vel ad particulam, *Infinitas*, vt sit sensus, cogitationes illas, quas Christus vel Deus cognoscit, conficere secundũ se vnam aliquam multitudinem *in actu & categorematicè* infinitam, iuxta eam infiniti rationem, de qua disputatur, An multitudo categorematicè infinita sit possibilis? Et tunc propositio illa esset falsa. Quare nõ est ita accipienda. Illæ enim cogitationes ita in actu per omnem æternitatem existunt, vt existant tamen iuxta proprias durationes, non simul, sed successiuè, quantum est ex parte illarum. Qua de re etiam tomo 1. disputat. 1. q. 14. art. 6. diximus.

Quartum argumentum est cuiusdam Adæ in 3. sentent. d. 14. qui contendit, Christum nulla ratione cognouisse *vlla infinita*, vt cum D. Thoma asseruimus in tertia Assertione. Quoniam sequeretur, illius notitiam simpliciter esse perfectionis infinitæ. Consequés est absurdum. Ergo & id vnde sequitur.

Maiorem probat *primò*. Quoniam ad cognoscendum *aliqua*, requiritur notitia aliquo modo perfecta: Et ad cognoscendum *plura*, perfectior: Ergo ad cognoscendũ *infinita*, infinitè perfecta.

Secundò. Quoniam æquialeret illa notitia notitiis infinitis, quarum singulis singulæ res de multitudine illa infinita cognoscerẽtur. Et *confirmatur*. Quia creatura non potest plura simul cognoscere, quàm Deus possit simul efficere. Sed Deus non potest facere simul vlla infinita. Ergo, &c.

Respondeo ad argumentum, falsam esse Sequelam Maioris. Ad probationem *primam* dico, illa calculatione solùm confici, quòd notitia, qua cognoscuntur infinita, sit incomparabiliter magis perfecta, quàm notitia quælibet, qua solùm cognoscantur aliqua numero finita, sicut & multitudo infinita incomparabiliter excedit quemlibet numerum finitum. Vt autẽ vna notitia incomparabiliter sit magis perfecta, quàm altera, non est necesse, vt sit simpliciter infinitæ perfectionis; sed sufficit alterutrum, scilicet vt vel sit simpliciter infinita, vel longè altioris ordinis; ex quo fiat, vt nulla possit proportio perfectionis quasi Geometrica assignari in eiusmodi excessu. Hoc enim est incõparabiliter excedere. Talis autem est notitia beatifica Christi, scilicet altioris ordinis, vt rectè respondit etiam Caietanus hîc quæst. 10. art. 3.

Ad *Secundam* probationem similiter respondetur, notitiam, quæ sit altioris ordinis, posse notitiis infinitis ordinis inferioris æquialere. Sicut Sol v. g. quoniam est altioris ordinis, quã sint res generabiles & corruptibiles, etiamsi nó sit perfectionis simpliciter infinitę, tamen æquialet infinitis generabilibus & corruptibilibus: quod est exemplum Caietani bonum.

Ad Confirmationem negatur Maior. Ratio discriminis (quam obscuriùs indicat Caietanus) est: Quoniam cùm res fiunt, ponuntur in *Esse*; ideoque si fiant simul, eo ipso fit etiam, vt *sint* simul: cùm autem cognoscuntur, non eo ipso præcisè & formaliter tribuitur illis Esse, atq; adeo possunt cognosci simul, licet ipsæ non *sint* simul, sed vel successiuè existant, vel tantùm in sua caussa adunatæ, vt Caietanus loquitur. Hinc igitur patet, cur non possint à Deo infinita fieri simul; possint tamen vel à Deo, vel à Creatura cognosci simul: Nam ex primo sequitur, vt infinita sint simul, quod repugnat: ex secundo non id sequitur.

Quintum argumentum est contra vltimam Assertionem. Nam lumen gloriæ, quod est Animæ Christi collatum, est summum possibile, nó minùs, quàm gratia illius. Ergo falsò diximus in ea Assertione cum D. Thoma, posse per potẽtiam Dei, perfectionem aliquam visionem beatificam esse, quàm sit illa Christi.

Hoc argumẽtum pono propter Caietanum, qui q. 10. artic. 4. fine caussa hoc loco ad opinionem quandam suam non satis solidam digreditur, vt dictum illud D. Thomæ declaret. Inquit enim, posse ex sententia D. Thomæ per potentiam Dei, aliquam visionẽ beatificam fieri perfectiorem, quàm illam Christi; non quidem ex parte luminis gloriæ, quasi possit fieri aliquod lumen maius, quàm sit lumen gloriæ Christi; sed ex parte potentiæ Intellectus: quia scilicet si lumen tantum, quantum est Christo attributum, conferatur creaturæ intellectuali, quæ naturaliter habeat intellectum perfectiorem, sicut habent Angeli, perfectior erit visio beatifica.

Ego verò de opinione, qua in hac re nititur Caietanus, scilicet cæteris paribus, atque adeo etiam cum *æquali lumine*, visionem beatificam fore perfectiorem, si fuerit perfectioris intellectus visio, nunc non disputabo: nam refutaui illam & eius fundamenta tomo 1. disp. 1. quæst. 12. & tomo 2. quæst. 5. de Beatitudine. Hoc solùm dico, minimè fuisse opus eò iam digredi ad defendendam doctrinam præsentem D. Thomæ. Facillima enim explicatio est, si, quemadmodũ ex D. Thomæ sententia suprà diximus de Gratia, quæst. 7. ita nũc ex eiusdem mente dicamus, lumen etiam gloriæ posse de potentia *absoluta* dari perfectius, quàm sit lumen gloriæ Christi, etsi non de potentia ordinaria. Quo pacto duntaxat lumen gloriæ Christi est summum lumen possibile, sicut etiam summa visio, vt ipse D. Thomas planè indicat quæst. 10. artic. 4. ad 3.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Scientia Christi Infusa.

D. Thom. 3. part. quæst. 11.

VAE SIT RATIO HVIVS SCIENTIAE, ET QVOMODO DIFFERAT à Scientia Acquisita, iam à nobis explicatum est q. 9. p. 2. Itaq; ad duo puncta reuocari possunt ea, quæ de hac Scientia supersunt hîc dicenda. Primum est, *Quatenùs sit habitualis hæc Christi Scientia Infusa.* Secundum est, *Quàm fuerit perfecta.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quatenùs sit habitualis hæc Scientia Christi Infusa.

D. Thom. art. 5 & 6.

Scientia Infusa Christi fuit quidem habitualis; cùm fuerit ei indita per modum aptum naturæ Intellectus, q. est vt *habitualiter* res sciat, & *actu etiam*, cùm quis vult, vt docet D. Thomas artic. 5. Non fuit tamen hæc scientia *vnus* aliquis & simplex *habitus*, sed pluribus omnino habitibus continebatur, prout diuersa sunt genera scibilium, penes quæ distinguuntur scientiæ, vt docet D. Thomas art. 6. ex Philosopho 1. Poster. tex. 43.

Dvbivm autem de huiusmodi scientia peculiariter est, An habitus illi plures, quibus ex sententia D. Thomæ continetur, sint diuersi ab iis habitibus, qui sunt ipsæ species intelligibiles diuinitus Christo *inditæ*; sicut habitus etiam scientiarũ acquisitarum, ex magis recepta opinione, putantur distingui ab habitibus, qui sunt species ipsæ intelligibiles acquisitæ.

Et putant aliqui satis probabiliter, & conuenienter doctrinæ D. Thomæ art. 6. ad 3. habitus eiusmodi scientiæ infusæ, non fuisse alios præter ipsas species diuinitus Christo inditas. Verisimile namque est eas tantæ fuisse perfectionis, vt sufficerent non tantùm ad *apprehendẽdum*, sed etiam ad *iudicandum*, & ad assentiendum euidenter conclusionibus iis, quæ per habitus scientiarum naturalium cognoscuntur.

Quòd si contrà obiicias authoritatẽ D. Thomæ, qui art. 5. hîc in argumento *Sed contrà*, affirmat, scientiam infusam Christi esse eiusdem rationis vniuocæ cum nostra scientia; vt quemadmodum nostra, sic etiam illa contineatur habitibus distinctis à speciebus intelligibilibus: Dicendum est, D. Thomam in communiori tantùm quadam ratione voluisse constituere vtriusque scientiæ vniuocationem: quia scilicet sicut nostra est *habitus*, sic etiam illa infusa. Non voluit autem constituere eam vniuocationem in inferioribus scientię rationibus & modis. Atque huius euidens argumentum est, quòd q. 9. art. 4. ad 3. docet, scientiam infusam Christi esse diuersæ rationis atque speciei à scientia acquisita. Adde, quòd non omnia, quæ dicuntur à diuo Thoma in argumentis, *Sed contrà*, habenda sunt pro sententia D. Thomæ. Non enim illic asseuerat; sed in corpore articuli & solutionibus argumentorum.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quàm fuerit perfecta Scientia Christi Infusa.

D. Thom. art. 1. & seq.

Perfectio huius Scientiæ aliquot eius conditionibus intelligi potest. Primo ex eo, quòd per illam Christus (tanquam Iudex omnium futurus) *euidenter* cognouerit om-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit omnia, etiã supernaturalia, & singularia contingentia, excepta vnica diuinæ essentiæ cognitione quidditatiua, vt docet D. Thomas hîc artic. 1. & asseruimus q. 9. p. 2.

SECVNDO ex eo, quòd non fuerit ista scientia naturâ sua *collatiua*, quasi per discursum acquisita. Tametsi per illam quoq; potuerit Christus ad libitũ vti discursu, sicut declarat B. Thomas q. 11. art. 3.

TERTIO ex eo, quòd non opus habuerit ad sui vsum conuersione ad *phantasmata*. Tametsi conuerti etiam ad ea Christus potuerit inter vtendum ista scientia, vt ead. q. art. 2. docet D. Thomas.

QVARTO ex eo, quòd fuerit longè *præstantior*, quàm scientia infusa Angelorum, quoad certitudinem & euidentiam: quia nitebatur lumine supernaturali & diuino: Item etiam quoad multitudinem cognitorum, quia cognoscebat quoque Christus per illam mysteria supernaturalia.

Tametsi quoad *modum* quidem, quatenus per illam *poterat* Christus se conuertere ad phantasmata, & discurrere, seu ratiocinari; idque cum quadam congruentia respectu naturæ suæ; inferior erat hæc Christi scientia, quàm scientia Angelorum, vt D. Thomas ead. q. art. 4. declarat. Sicut etiam ex ea parte, qua minùs vniuersalibus, atque adeo pluribus speciebus intelligibilibus continebatur, quàm scientia Angelica, vt idem D. Thomas explicat ead. q. art. 6. ad 1. Quod etiã pertinuit ad modum istius scientiæ: quæ vt diuus Thomas ibi docet, fuit infusa *humanæ naturæ* Christi secundùm *modum eius*, qui est, vt res intelligat per plures species, & magis articulatè, quàm Angelus.

SED vt hæc tota doctrina firmiùs consistat, & illustrior fiat, proponenda & soluẽda sunt quædam argumenta contra illam. PRIMVM est contra id, quod asseruimus, Christum per hanc scientiam cognoscere (excepta diuina essentia) omnia etiam singularia, quæ vnquam erunt. Nam si ita est; necesse est habeat species intelligibiles infinitas, scilicet singulas singularium quorumlibet, quæ sunt infinita. Hoc autem est impossibile. Ergo id etiam vnde hoc sequitur.

Est autem hoc argumentum Scoti in 3. d. 14. Sed RESPONDETVR cum Caietano q. 11. art. 1. falsam esse Maiorem. Nam species illæ inditæ Christo sunt tantæ perfectionis, vt vna possit repræsentare totam *latitudinem* naturę specificæ, & omnia singularia ipsius. Idque declarat Caietanus ex eo, quòd sint illæ species certa quadam ratione velut exemplatæ ab essentia diuina, quæ *vna cùm sit & simplex*, potest *plura & varia repræsentare*.

SECVNDVM argumentum contra idem. Species infusæ repræsentant rem, abstrahendo ab *existentia & modis eius*. Ergo saltem notitiâ *intuitiua* non nouit Christus per hanc scientiam res singulares, quod tamen D. Thomas velle etiam videtur. Est etiam hoc argumẽtum Scoti. Et potest inde *confirmari*. Quoniam notitia intuitiua dicitur esse rei *præsentis*. Ergo nõ cognouit Christus intuitiuè omnia singularia etiam futura.

RESPONDETVR ex eodem fundamento cũ Caietano. Nam habent etiam illæ species perfectionem, quæ repræsentent *existentiam & omnem rei modum*. Ad *Confirmationem* autem respõdeo, notitiam *intuitiuam* dici rei præsentis, non quia illæ res solùm cognoscantur notitia intuitiua, quæ sunt in præsentia; sed quia per illam cognoscuntur res ita distinctè & perfectè, quoad illarum existẽtiam & singulares omnes earum modos, vt solemus cognoscere res, quas in præsentia videmus. Quapropter cùm hoc modo Christus per hanc scientiam cognouerit singularia etiam futura; illa quoque cognouit notitiâ intuitiua, sicut etiam Deus. Quanquam qui censent, omnes res secundùm suam existentiam coëxistere præsentes æternitati, alio etiam modo declarant, quemadmodũ Deus intuitiuè cognoscat futura & præterita, quia scilicet omnia sint illi præsentia, etiam secundùm proprium *Esse*.

TERTIVM argumentum contra idem. Ex eo, quòd Christus tãquam Iudex omnium futurus habuerit perfectam cognitionem prudẽtiæ, solùm licet colligere, ipsum cognouisse per hanc scientiam omnia, quæ sunt *agibilia*. Ergo malè D. Thomas inde colligit, ipsum cognouisse omnia simpliciter. Hoc etiam argumento Scotus vtitur contra probationem D. Thomæ.

Sed RESPONDET bene Caietanus q. 11. art. 1. rectè id colligi ex eo, quòd Christi prudentia debuerit esse non quomodocunque perfecta; sed *perfectissima & absolutissima* tanquam eius, cui omnia, præter Deum, aliquo modo subiecta sunt, quiq; Iudicium eiusmodi facturus est, ad quod omnes res etiam non per se agibiles, possint aliquo modo habere respectum ratione humanarum actionum.

QVARTVM argumẽtum etiam Scoti est contra illud, quod ex D. Thoma asseruimus, species infusas Christi fuisse imperfectiores, atque adeo plures, minusq; singulas vniuersales, quàm species Angelicas. Nam habuit perfectiorem gloriam, quàm Angeli. Ergo etiã perfectiores species.

RESPONDETVR, nullam esse Consequentiã. Quoniam vt rectè Caietanus notat q. 11. artic. 6. gloria Christo attributa est accommodatè ad illius gratiam; propter ordinem scilicet & proportionem vtriusque doni supernaturalis; ideoque fuit *summa*, sicut & gratia. Species autem, infusæ illi fuerunt accommodatè ad ipsius *humanam naturam*, cuius modus est imperfectior, quàm sit modus naturæ Angelicæ.

QVINTO posset obiici, quòd sine ratione Diuus Thomas videatur negauisse Christo, secundùm hanc scientiam, euidentem cognitionem *quidditatiuã* essentiæ diuinæ. Nam vt maximè per

hanc scientiam non potuerit habere quandam notitiam INTVITIVAM essentiæ diuinæ (in qua nimirum consistit beatitudo) videtur tamẽ potuisse habere ABSTRACTIVAM, vt disputatur à nonnullis.

RESPONDEO, rationem quidditatemque essentiæ diuinæ prorsus esse eiusmodi, vt si per hãc scientiam Christus intuitiuam notitiam essentiæ diuinæ habere non potuerit; non potuerit quoque habere *abstractiuam* quidditatiuã. Nam existentia essentiæ diuinæ, & omnis modus atq; perfectio eius est omnino de quidditate ipsius. Itaque si per hanc scientiam Christus nõ cognouit etiam euidenter modum omnem & existentiam essentiæ diuinæ (quod est cognoscere *intuitiuè*) minimè etiam cognouit illam *quidditatiuè abstractiuè*. Nam vt vno verbo dicam, cùm quidditas diuinæ essentiæ non abstrahat ab *existentia & modo* eius, non potest eius haberi notitia *quidditatiua abstractiua*.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Scientia Christi Acquisita.

D. Thom. 3. part. quæst. 12.

RATIONEM ET DIFFERENTIAM HVIVS SCIENTIAE A *Scientia Infusa, & quemadmodum Christus verè illam habuerit, à se acquisitam, & per eam cognouerit omnia, quæ naturaliter ab homine sciri possunt; suprà declarauimus q. 9. p. 2. Itag. solùm restat hîc explicandum breuiter Punctum* VNICVM, *scilicet, Quàm fuerit præterea hæc Christi scientia perfecta.*

PVNCTVM VNICVM.

Quàm fuerit perfecta Christi scientia Acquisita.

D. Thom. art. 1. & seq.

IN SCIENTIA CHRISTI ACquisita, magnæ cuiusdam perfectionis fuit, quòd & omnia, quæ naturaliter ab homine cognosci possunt, sciuerit Christus per illam; idque celerrimè ob ingenij præstantiam, (vt suprà q. 9. p. 2. declarauimus, & docet etiam D. Thomas hîc art. 1.) nihil tamen vel ab homine, vel ab Angelo *didicit*, vt hîc artic. 3. & 4. defendit D. Thomas. Et tamen profecit indies in hac scientia, vt docet idem S. Thomas artic. 2. & nos superius probauimus. Profecit enim illam acquirendo.

SED occurrit hoc loco argumentum quoddam, quod est diluendum. Nam Christus sine dubio frequenter alios homines interrogabat, & de variis rebus differentes audiebat: præsertim puer vel adolescens: Item Lucæ 22. scribitur, quòd apparuit ei oranti *Angelus de cœlo confortans eum*, qui proinde videtur aliqua illi ad consolationem exposuisse. Falsum igitur est, quod beatus Thomas docet, nihil illum vel ab hominibus, vel ab Angelis didicisse.

RESPONDEO, quod ad *homines* attinet, rectè mihi videtur dixisse & cogitasse olim Salmanticæ Theologus quidam celebris, eos perinde fuisse à Christo auditos, sicut audire posset Præceptor discipulum suum *legentem* ex libro ea, quæ ille vel docuisset, vel sciuisset certè aliunde.

Quod autem attinet ad locum Lucæ, respondet D. Thomas q. 12. art. 4. ex BEDA lib. 6. in Lucam, cap. 92. descendisse Angelum, vt sic veritas humanæ Christi naturæ confirmaretur, per quã indiguisset confortatione. Sed hoc declarat quidem finem tantùm confortationis, non autem eius modum, ex quo appareat, nihil Christum ab Angelo didicisse.

EPIPHANIVS autem hæresi 69. post mediũ, hoc ita interpretatur, quasi Angelum confortasse Christum sit, *confessum fuisse Christi fortitudinẽ & virtutem*, adorauisseque adeo ea ratione Christum. *Sicut Deum* (inquit) *confortare dicimur, quãdo illius fortitudinem confitemur, eumq; compellamus verbis illis: Tua est fortitudo: tuum est robur Domine.* Quò & accommodat locum quẽdam ex Moyse: *Et adorent eum & confortent eum Angeli eius.*

Mihi valde placet expositio Caietani hîc art. 1. Scilicet Angelum confortauisse Christum, non illius intellectum erudiendo, sed extrinsecùs & accommodatè ad partem sensitiuam, explicando & repræsentando *grata quædã*; ne Christi pars inferior omni prorsus consolatione carens, in agone illo tandem succumberet, cùm alioqui nihil consolationis ex superiori parte ad illam deriuaretur. Quemadmodum contraria ratione dæmon se gessit in tentatione erga Christum, scilicet accommodatè etiam ad partem sensitiuam inferiorem, extrinsecùs quædam agendo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO DECIMA TERTIA.

De Potentia Christi secundùm humanitatem.

D. Thom. tertia parte, quæst.13.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, AN POTENTIA Christi secundùm humanitatem fuerit Omnipotentia simpliciter. SECVNDO, Quonam modo Christus secundùm humanitatem fecerit ea, quæ per suam potentiam facere potuit, atq; adeo fecit. TERTIO, Quænam facere potuerit per illam suam potentiam. QVARTO, An facere potuerit ea omnia, quæ fieri voluit. Differunt autem de Christi Potentia Theologi in 3.sentent.d.14.

PVNCTVM PRIMVM.

An Potentia Christi secundùm humanitatem fuerit Omnipotentia simpliciter.

D.Thom.art.1.

POTENTIAM CHRISTI HOC LOco nominamus *eximiam quandam facultatem ad admirabiles etiam effectus, qui naturæ humanæ vires ordinarias longè superent.* Quæ potentia seu facultas Christi quamuis eosdem effectus respiciat, quos gratia gratis data miraculorum, qua fuit item prædituś tamen aliqua ratione fuit distincta in Christo ab eiusmodi gratia, vt posteà intelligetur.

Nunc cùm certum sit ex historia Euangelica, huiusmodi aliquam potẽtiam & facultatem habuisse Christum secundùm humanitatẽ, QVAESTIO est, An ea Christi potentia fuerit *Omnipotentia simpliciter*, qualis est potentia diuina.

Et dicendum est breuiter PRIMO, fuisse quidem omnipotẽtiam diuinam humanitati Christi vnâ cum Verbi diuini subsistẽtia hypostaticè ita communicatã, vt homo Christus *ratione Suppositi* verè iam dicatur & sit omnipotẽs, sicut declarat B.Thomas hîc art. 1. ad 1. & nos suprà q.2. p.3. in refutatione erroris Vbiquistarũ satis exposuimus.

SECVNDO dico, Omnipotentiam simpliciter neque communicatam esse neque communicari potuisse humanitati Christi, sic, vt Christus *secundùm humanitatem etiam* sit omnipotens, quomodo Vbiquetarij hæretici ratiocinantur.

Hoc multis argumentis suprà probauimus q.2. Et nunc etiam probandum est ex B.Thomæ doctrina art.1.& Hallensis 3.p.q.14.membro 2.& omnium Theologorum in 3.sentent.d.14. vt Alberti ibi art. 5. Bonauenturæ art.3.q.3. Richardi art.vltimo,q.1.Durandi q.5.&c.Probatur autem PRIMO. Quoniam res,quæ est omnipotens,necesse est habeat naturã simpliciter infinitã. Sed humanitas Christi neq; est, neq; esse potuit simpliciter infinita. Ergo,&c. Maior ꝓbatur. Quoniam debet res omnipotens continere modo eminenti perfectiones omnium effectuum possibilium, quod est esse in ratione Entis simpliciter infinitam.

Et declaratur idipsum à S. Thoma loco citato in responsione ad 1. ex differentia inter potẽtiam & scientiam. Nam vt quis aliquam rem *cognoscat*, non necesse est habeat vel parem, vel maiorem perfectionem, quàm illa: Vt autem *faciat*, necessarium omnino id est. Quò fit, vt Christus secundùm humanitatem sciré potuerit, atque adeo sciuerit omnia, quæ aliquãdo fuerũt, sunt, aut erunt actu, vt suprà q.10.& 11. docuimus; nõ autem potuerit omnia eiusmodi facere.

SECVNDO probatur. Nam per omnipotentiam fieri possunt omnes effectus posibiles. Sed nulla potẽtia vel communicata est, vel communicari potest alicui creaturæ, per quam omnes effectus posibiles fieri queant. Ergo nullius creaturæ potentia, atque adeo nec humanitatis Christi, est vel esse potest omnipotentia simpliciter. Maior ex se patet. Minor probatur. Quoniam cùm quælibet creatura sit vnus quidam effectus ex posibilibus; nulla creatura potest producere sese. Quæ est etiam manifesta ratio contra Vbiquetarios, vt attigimus suprà quæst. 2.p.3.

SED dixerint hîc quidã, fieri posse, vt aliqua res *seipsam* producat, si collocetur diuinitus in duobus locis, & in altero annihilaretur. At hoc ineptè dicitur. Quoniam si in vllo loco verè & propriè *annihilaretur*; simpliciter desineret esse (hoc enim est, propriè annihilari) Et si simpliciter desineret esse; in omni loco desineret esse. Si autem

autem in omni loco desineret esse; in nullo loco posset se reproducere, vt patet.

Non tamen negauerim, quin posit diuinitus communicari alicui creaturæ facultas, vt posita priùs in duobus locis, & *remota* deinde ab eorũ altero, posit se denuò ibi etiam *collocare*. Hoc verò neq; esset *annihilari* primò in vno loco, nec in eo denuò *producere se* simpliciter; sed esset desinere *esse in vno loco* & denuò se in eo producere *accidentaliter & secundùm quid*; nimirũ secundùm *Vbi* seu *locum*: De quo genere non est Quæstio. Itaq; maneat, Christi potentiam secundùm humanitatem non fuisse ad omnia simpliciter; sed tantùm ad aliqua. Argumenta verò Vbiquistarum, qui Christo secundùm humanitatem insipienter tribuunt Omnipotentiam simpliciter, abundè confutata sunt suprà q.2.p.3.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quonam modo Christus secundùm humanitatem fecerit ea, quæ per suam potentiam facere potuit & fecit.

Ad art.1.D.Thomæ.

QVAESTIO huius loci est, An ea, quæ Christus secundùm humanitatem facere potuit, & mirabiliter fecit, fecerit tanq̃ caussa *effectiua propriè*, ad modum caussarum efficiẽtium *Physicarum*; neq; tantùm ad eos effectus humanitate sua concurrerit, tãquam caussa motiua seu moralis, vel tanquam conditio *sine qua non*.

Hæc Quæstio vt commodè explicetur, necessariò declarandum est id, quod ferè videtur ab aliis præteritum, vel minùs certè diligenter tractatũ, quàm oportet: Nempe, Quænam sit propria ratio huiusmodi caussarũ *effectiuarum*, quæ & à ratione caussæ tantùm *moralis*, & etiam à *conditione sine qua non*, differat. Quantum autem ex variis disputationibus Doctorum, atq; adeo ex communi quasi sententia colligo, possumus dicere, caussam propriè *effectiuam* esse eam, ad quã tanquam ad prius quiddam, *ideo solùm, quoniam* sic vel sic *existit*, aliquid ita consequitur, vt ipsa non componat illud. Dico autem notanter, *ideo solùm quoniam* sic vel sic (id est, certis positis conditionibus) *existit*: Nam etsi aliis causis commune sit, certo quodam modo *existere*, tamen nulla illarum causat *quoniam* sic vel sic existit, sed ob alias rationes (vt dicemus) & multo minus *ideo solùm*. Hoc enim proprium est caussæ efficientis; & eatenus causa efficiens est *principium vnde motus*, iuxta philosophum.

Ex hac autem descriptione intelligitur tum id, quod effectiuæ caussæ cũ aliis causis est *commune*, & per quod distinguitur à conditionibus *sine quibus non*, quæ non sunt caussæ, & à caussis *moralibus*, quæ non sunt caussæ physicæ: tum etiã id, quod est illi *proprium*, & quo differt à caussis physicis *aliorum generum*.

Commune cum aliis causis est caussæ *effectiuæ*, quòd ad ipsam aliud quiddam consequitur eâ posterius. Ac per hoc differt à conditionibus *sine quibus nõ*. Neque enim ad eas effectus propriè *consequitur*, neque *propter vim illarum*; sed ad aliud & aliud, interuenientibus ipsis. Cuius indicium est, quòd cùm conditiones cogitamus, illud tãtùm formaliter intelligimus, sine ipsis effectum non posse ad aliud aliquid consequi; neque hîc consideramus, aliquam quasi *prioritatem* in conditionibus ipsis, quatenùs formaliter conditiones sunt, sed tantùm concurrentiam siue interuentum earũ necessarium, vt effectus ex aliquo altero consequatur.

A causis verò *moralibus* differt caussa propriè *effectiua physica* per id, quod diximus, ad illam aliquid aliud consequi *ideo solùm, quoniam sic vel sic ipsa existit*. Nam ad caussas morales effectus non consequitur præcisè & propriè, quoniam sic seu tales existunt; sed quoniam *obiectiuè mouẽt* & apprehendũtur ab intelligente: Vt v.g. preces, præcepta, & consilia, *moraliter* efficiunt, non eatenus propriè & formaliter, quatenùs tales *res sunt, & sic in rerum natura existunt*; sed quatenus obiectiuè apprehenduntur ab intelligente, eiq; repræsentant & patefaciunt aliquid, quo inducatur ad agendum; vt rei necessitatem vel congruẽtiam.

Differt etiam per idem caussa effectiua physica à caussa *finali*: Quoniam ad caussam finalem effectus similiter nõ consequitur *ideo solùm, quoniam ipsa sic existit*; sed quia (vt *id cuius gratiâ*) obiectiuè mouet & appetitur ab agente; vel certè quatenus habet quẽdam ordinem ad istam motionem obiectiuã. Quod subiungo propter sententiam illorum, qui volunt, caussalitatem Finis formaliter non consistere in illa motione; sed in hoc, quod est, finem esse *id, gratiâ cuius producitur effectus*: Quæ tamen ratio formaliter non competit fini sine ordine quodam ad illam motionẽ obiectiuam, quæ ideo (secundùm istorum sententiam) est veluti conditio requisita, sine qua finis caussalitas non exercetur.

Et potest quoq; per idipsum caussa effectiua physica discerni à *principio* siue *origine* vnde dicere consueuimus, aliquã qualitatem *emanare simpliciter*, non autem propriè *produci* effectiuè: Sicut frigiditas v. g. emanare dicitur à natura aquæ, dum sibi relinquitur, cùm anteà fuisset calefacta. Hîc enim qualitas non consequitur propriè ad rei naturam ideo solùm, quia rei natura sic & talis *existit*; sed quia *debetur* naturæ rei, quatenus primò fuit à suo efficiente ita facta, vt haberet eiusmodi qualitatem; quò ita demùm primi efficiẽtis effectus sit in suo naturali Esse perfectus. Quãuis ista principia siue origines *emanationum simplicium* non tantùm à caussæ effectiuæ ratione per id, quod iam diximus, sed etiam à ratione communi *veræ caussæ* excludere possu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus: quoniam ad illa nō sequitur aliquid aliud, tanquam ad *prima quædam & præuia*, quæ proinde sint causſæ; sed tanquam ad *primos effectus*, & quidem quatenus effectus sunt sui generantis, vt ex eo, quod iamiam dixi, est perspicuum.

Quare qualitates illæ, quæ *emanant*, tanquam in causſam quidem solùm referuntur in naturam generantis suum subiectum; ad suum autem subiectum solùm habent ordinem, tāquam ad *effectum* quendam ordine priorem, ratione cuius referuntur in primum generans, illiq́ue *debentur*, vt est dictum.

Porrò quod dixi & repetiui, ad causſam effectiuam, quatenus SIC *existit*, aliud *sequi*; ideo ita dixi, ne quis intelligat, effectū consequi ad causſam hoc ipso, quòd causſa absolutè seu quouis modo existat: Falsum enim hoc est; sed consequitur ad causſam, quatenus existit *certo modo & quibusdam positis*, pro ratione cuiuscunque causſæ & effectus, quo pacto consideratur causſa *in actu*, sicut dici solet.

Postremò à causſa *formali* & *materiali* distinguitur causſa *effectiua* per id, quod vltimo in eius descriptione posuimus, scilicet ipsam non *componere* illud, quod ad eam consequitur; qui est modus causſæ formalis & materialis, vt patet. Causat enim Forma, quatenus cōponit subſtantiam vt *actus* quidam subſtātialis specificus: Materia autem; quatenus eādem subſtantiam componit vt *potentia receptiua* illius actus. Et hæc quidem ita se habent.

Sed quod ad propositum nostræ Quæstionis attinet, consideranda vlterius sunt duo. PRIMO, causſam *effectiuam* iuxta descriptionem asignatam, rectè diuidi in *principalem*, & *instrumentalem*; & ita quidem, vt vtriq; conueniat descriptio illa communis. Nam causſa effectiua *principalis* dicitur res, ad quam ita, vt descripsimus, consequitur aliud, considerata eiusmodi re *secundùm se*, & ex sola vi sua. Causſa autem effectiua *instrumentalis* dicitur res, ad quam ita, vt descripsimus, sequitur aliud, considerata tamen eiusmodi re nō secundùm se, sed vt ab altera re *vsurpatur & mouetur*, atque adeo vt est quasi *organum* quoddam rei alterius; non quidem eo modo, secundùm quē principium etiam *Quo* seu forma, qua causſa principalis constituitur in Esse causſæ, solemus etiam nominare rei organum, vt calorem v. g. organum ignis (huiusmodi enim organum non est propriè causſa instrumentalis) sed *organum* hìc intelligimus illud, quod à re per aliam formam seu principium iam completa & constituta in suo Esse, *vsurpatur*, ad efficiendum aliquid aliud.

SECVNDO considerandum, Causſam item *instrumentalem physicam* rectè rursus subdiuidi, in physicam instrumentalem *naturalem*; quæ scilicet vsurpatur à causſa principali secundùm aliquid præuium ab ipsa causſa instrumentali præstitum, quod sit naturâ sua *proportionatū* effectui principali: & in causſam instrumentalem physicam, seu quasi physicam, *supernaturalem*; quæ scilicet vsurpetur à causſa principali secundùm aliquid ab ipsa causſa instrumentali præstitū, quod naturâ sua *nō sit satis proportionatum* effectui principali. Sed tamen ad illud nihilominus, vt tale, effectus sequatur virtute causſæ principalis, vt magis infrà declarabitur.

His ita explicatis, respondeo ad propositam Quæstionem PRIMO, Christi humanitatem nō concurrisse ad effectus mirabiles seu supernaturales, tanquam causſam propriè *effectiuam principalem*. Hoc enim modo sola diuinitas ad eiusmodi effectus concurrit. Neque de hoc est vlla controuersia inter Doctores. Nam hoc inprimis volunt SS. Patres, quando huiusmodi effectus simpliciter solent diuinitati seu Verbo diuino tanquam vnicæ causſæ adscribere. Deinde Christus ipse nō propria virtute humanitatis suæ, sed virtute inprimis diuinitatis suæ ea opera se fecisse subinde declarauit. Vt Ioan. 10. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Et rursus: *Pater in me manens, ipse facit opera.* Ioan. 14. Et clarissimè Lucæ 11. *Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnū Dei.*

SECVNDO dico, humanitatem Christi ad hęc opera concurrisse tanquā instrumentalem causſam propriè *effectiuam supernaturalem*. Hæc Assertio nō habetur pro comperta & indubitata; sed tantùm pro veriori, quam sequitur Caietanus hìc artic. 2. & alij plures in 3. sentent. d. 14. Et eam satis etiam indicat D. Thomas hìc artic. 2. & expresè ita docet infrà quæst. 48. artic. 6. Et idem sensit Paludanus in 4. distinct. 1. quæst. 1. ante 2. concluſ. Et Capreolus in 3. distinct. 15. quæst. vnica, art. 3. ad argumentum Durandi contra 1. concluſ. & ex recentioribus Driedo Tract. 2. de captiuitate & redemptione generis humani cap. 2. parte 3. art. 6. & Sotus in 4. d. 1. q. 3. art. 5. & Vega lib. 7. in Concilium Tridentinum cap. 11.

Est autem hæc Assertio contra Durandum, qui in 3. d. 14. q. vlt. putat, humanitatem Christi ad ea opera non concurrisse tanquam causſam *effectiuam*; sed solùm tanquam *moralem, & conditionem sine qua* noluerit Verbum diuinum operari effectus illos mirabiles. Quæ opinio fuit etiam ferè communis antiquorum Theologorū: Nempe Alexandri Hallensis 3. parte, q. 11. membro 2. & Alberti in 3. distinct. 13. artic. 2. & 3. & Altisiodorensis lib. 3. Summæ, tract. 1. cap. 4. q. 2. ad 1. Bonauenturæ in 3. d. 13. art. 2. q. 3. Scoti in 4. d. 1. q. 1. §. *Ideo dici potest* (vbi generatim negat, vllam creaturam posse effectiuè facere huiusmodi effectus supernaturales) item Richardi in 3. d. 13. art. 2. q. 3. &c.

SED cùm dubium non sit, quin humanitas Christi concurrerit vt causſa moralis; probatur etiam concurrisse vt *supernaturalem* causſam *propriè effectiuam instrumentalem*. PRIMO. Quoniam Scriptura variis in locis insinuare videtur,

ipsam concurrisse modo *maximè proprio*, quo intelligi res posit. Vt Ioan. 8. *Ego sensi virtutem de me exire.* Et Luc. 6. *Virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Et Matth. 19. *Vt sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, &c.* His certè loquendi modis, humanitate se propriè ad eos effectus concurrere significabat. Quæ ratio fuit, vt admirarentur turbæ, dicentes: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Nimirum quia indicabat se hæc propriè facere. Et pertinet eōdem, quòd Christus ad indicandam magis *efficaciam & vim* potestatis suæ, imperando ista faciebat: *Obmutesce*, inquit, *& exi ab eo*, Luc. 4. Item: *Volo, mundare*, Matth. 8.

SECVNDO probatur Assertio authoritate sanctorum Patrum, qui humanitatē Christi censent idcirco fuisse verè *organum* siue *instrumentum* diuinitatis, & per illam eiusmodi opera mirabilia esse facta. Vt in Concil. Ephesino can. 9. & 11. & in VI. Synodo act. 8. 10. & 11. & in Concilio I. Lateranensi sub Martino I. consultatione 3. & 5. Atq; ita censuit quoque Eusebius lib. 4. demonstr. Euangelic. cap. 13. Theodoretus in dialogo Immutabilis, Damascenus lib. 3. cap. 15. 17. & 19. Athanasius serm. 4. cōtra Arrianos, Cyrillus lib. 4. in Ioannem, cap. 12. & 16.

TERTIO probatur ratione. Nam quod *Sacramentis* ex veriori sentētia, vt infrà videbimus, itemq́; aliquibus Sanctorum tribuitur; id Christo maximè concedendum est. Sed Sacramentis tribuitur, quòd ad effectum supernaturalem gratiæ concurrant tanquam *propriæ causſæ effectiuæ instrumentales*. Et Gregorius lib. 2. dialog. cap. 30. inquit, aliquos Sanctos feciſſe miracula, nō tantùm impetrando, sed etiam *per potestatem*, id est, effectiuè instrumentāliter. Ergo concedendum hoc inprimis est Christo.

Quod cùm ita sit, amplius aliquid de Christo asserimus, cùm affirmamus, habuisse illum hanc potestatem ad effectus supernaturales vel mirabiles, quàm cùm simpliciter dicimus, illū fuisse præditum GRATIA gratis data *miraculorum* etiam per modū habitus, iuxta dicta suprà q. 7. p. 5. Etsi enim eosdem effectus respiciat hęc potestas, & illa gratia gratis data; tamen cùm potestatem hanc asserimus, modum excellentem determinamus, quo Christi humanitas ad eiusmodi effectus concurrit, nimirum *propriè effectiuè instrumentaliter*. Cùm verò asserimus, in illo fuisse gratiam illam miraculorum; generatim volumus tantùm dicere, ipsum *potuisse*, operante Deo, miracula edere, siue per impetrationem, siue alio modo; nihil enim tunc, quod ad modum attinet, determinamus.

Quapropter ex nostra sententia, differt ratio potētię humanitatis Christi à ratione gratiæ miraculorum, saltem *formaliter*. Id quod non perinde possunt illi dicere, qui cōtendunt, humanitatem Christi ad hæc miracula concurrisse solùm tanquam causſam *moralem*, videlicet *impetrando*. Qui profectò consequenter videntur non nisi otiosè annumerare posse prærogatiuam hanc potentiæ animæ Christi, aliis gratiis gratis datis, quibus fuit prædita.

Sed intelligetur magis & cōfirmabitur Assertio nostra, dilutis aliquot argumentis, quæ possunt contrà opponi. PRIMVM est. Sicut operibus ad infirmitatem naturæ humanæ pertinentibus, probabat Christus veritatem humanitatis suæ; ita operibus miraculosis veritatem suę diuinitatis. Sed quia veritas humanæ naturæ illis humanitatis operibus ostendebatur, idcirco *à sola humanitate* fiebant, tanquam à causſa *propriè effectiua*. Ergo pari ratione à sola diuinitate, tanquā à causſa propriè effectiua processerunt opera Christi miraculosa. Et *confirmatur*. Quoniam diuinitati soli adscribunt hæc opera sancti Patres. Atq; hoc est fundamentum, quo Durandus vbi suprà nititur.

Ad quod RESPONDETVR; falsam esse Minorem. Nam primò, vt opera infirmitatis humanæ sufficiēter ostenderēt veritatē humanitatis Christi; abundè satis fuit, quòd ab humanitate, tanq̄ *à causſa* propria & principali *proxima siue secunda* procedebant. Neque oportuit ob eam quidem causſam, propriè à sola humanitate eiusmodi opera proficisci. Deinde falsum absolutè est, quòd non etiā à diuinitate illa opera processerint. Processerunt enim ab ea etiam, tanquam à causſa principali PRIMA, & tanquam à re, quę erat omnino idem cum Supposito Christi diuino, à quo etiam sine dubio fiebant illa opera.

Quare cùm hoc non obstiterit, quò minùs ea opera sufficienter ostenderent veritatem humanæ naturę, quatenus ab *hac etiam*, vt à causſa propria principali processerunt; multò minùs quòd opera miraculosa procedant *etiam ab humanitate*, tanquam ab instrumentali causſa, obstabit, quò minùs sufficienter illa ostenderint veritatem diuinæ naturæ in Christo, à qua *principaliter* procedebant. Nam plus est, procedere humana opera à diuinitate etiam, tanquam à causſa principali PRIMA, & tanquam à re identificata Christi Supposito, quàm procedere opera diuina ab humanitate etiam tanquam ab *instrumento*. Et satis est ad ostendendam diuinitatem, quòd à sola diuinitate illa opera diuina processerint, tanquam à *principali* causſa. Ad *Confirmationem* iam suprà dictum est, tribuere Patres eiusmodi opera soli diuinitati tanquam *principali causſæ*.

SECVNDVM argumentum. Causſa instrumētalis *propriè effectiua* aliquid *dispositiuè* cooperari debet ad effectū causſæ principalis, vt S. Thomas docet 1. p. q. 45. artic. 5. & ratio ipsa instrumenti declarat. Siquidem instrumentum appellamus id, quod aliquid cōfert & iuuat ad opus principale. Sed humanitas Christi nihil tale cooperata *dispositiuè* est ad effectus mirabiles, quos Christus edidit. Ergo non fuit propriè causſa illorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

instrumentalis. Minor probatur. Quoniam ad eos effectus humanitas Christi cõcurrebat voce plerumque, & nonnunquam modo quodam nihil accommodato ad principalem effectum: vt *luto* ad restituendum visum, &c. Quæ & similia nihil planè videntur dispositiuè contulisse ad productionem gratiæ, ad exsuscitationem mortuorum, ad sanitatem, &c. Et tunc quidem multò minùs, cùm Christus ista operabatur in locũ *distantem*, sicut fecit sæpè.

A

Ad hoc argumentum sunt qui simpliciter negant Maiorem, contenduntque posse Deum vti aliqua re tanquam instrumento, etiamsi nihil illa res, vel moueatur, vel operetur dispositiuè ad effectum. Itaque rem ipsam nudam in se, planeque otiosam dicunt esse posse Dei instrumentum.

B

Sed ij reuerà rationem instrumenti tollunt, eam scilicet, quæ *instrumenti* nomine etiam communissimè significatur. Necesse est enim, vt instrumentũ aut sit ipsum *opatio* aliqua siue *motus*, aut operationem aliquam vel motum proprium habeat, per quem saltem intelligamus deferri quasi virtutem principalis agẽtis, & eius operationem, in principalem effectum; vt ita demùm (quod est planè de ratione instrumenti) intelligamus quoq; principalẽ effectũ ab instrumento attingi mediatè & secundariò, tanq̃ ab eo, quod motu & operatione sua, præuio quodã & dispositiuo modo deferat vim agentis principalis ad effectũ. Sic enim serram dicimus instrumentum operis fabrilis; quoniam scindendo, præuia quadam ratione confert ad illud. Et eadem est ratio de reliquis instrumentis.

C

Quocirca nõ simpliciter neganda, sed distinguenda est Maior illius secundi argumenti, sicut distinguit rectè Caietanus q. 13. art. 2. Si enim instrumentum *dispositiuè* operari tunc intelligas, cùm aliquid ad effectum principalem *ex natura rei* aptum & accommodatum efficit; non est hoc omnibus instrumentis commune, sed proprium instrumentorũ *naturalium*. Naturalia autem instrumenta voco illa, quibus vti possunt causæ limitatæ virtutis, atq; adeò artium quoq; instrumenta eo nomine hîc comprehendo. Si autem *dispositiuè* operari sit, aliquid omnino operari præuium (latè accipiendo operationem, etiam pro motu) quo posito, consequatur deniq; effectus principalis: fateor, hoc esse de ratione communi instrumenti, quæ (vt explicatum est) consistit in eo, vt res à principali agente *vsurpata & mota*, deferat quasi virtutem operationemq́; illius ad effectum principalem intentum.

D

Et sic intelligit S. Thomas (vt rectè Caietanus exposuit) debere instrumentum operari aliquid *dispositiuè*. Quod si illud, quod operatur, fuerit ex natura rei aptum ad effectum principalem, vt est v. g. serræ scisio ad arcam fabricandam; erit tunc instrumentum *naturale*: Si autem fuerit planè improportionatum principali effectui intẽto à causa principali infinitæ virtutis, nempe à Deo; erit nihilominùs verum instrumentum, secundùm communem instrumenti rationem assignatam, sed tamen *supernaturale & miraculosum*, non quia ipsum sit suprà naturam effectus principalis; sed quia effectus longè superat ipsius instrumenti naturam, & quia vsurpatur & fit efficax à causa principali *sublimiori*, quàm sint causæ naturales.

Itaq; isto posteriori modo, Christi humanitas vel voce vel aliis actionibus suis, satis intelligi potest fuisse instrumentum effectuum admirabilium, non obstante vel *distantia* locorum, vel *improportione* earũ actionum respectu principaliũ effectuum. Nam vt rectè disserit Caietanus, sicut Deus cùm sit infinitæ virtutis, potest sine vllis causis secundis aut instrumẽtis operari: ita etiã operari quemuis effectum per quodcunque instrumentũ, hoc ipso quòd posita tali operatione seu motu instrumẽti, statuat, vt effectus mirabilis cõsequatur ad illud, vt *tali ratione existit*. Et hoc ipsum est, Deum vti ad tales effectus ipso instrumento, atque adeò per instrumentum (vt Caietanus ait) deferri quasi vim siue imperium, quo Deus operatur in suis creaturis.

Sic nimirum Christus *luto* ad restituendum *visum* tanquam instrumento vti potuit. Sic Deus muros etiam Hiericho clangore tubarum tanq̃ instrumento supernaturali diruit; ac similiter etiam posset per lanã scindere lignum. Quę & alia huius generis non perinde potest præstare *agens* virtutis finitæ: quippe quod instrumẽtis indiget ex natura rei aptis & proportionatis effectui principali; idque propterea, quia non potest agens virtutis limitatæ pro libito constituere & facere, vt hæc res ad illam rem *sic vel sic existentem* certò cõsequatur. Potest autem hoc agens infinitum.

Et suaderi præterea potest ista doctrina ex eo, quòd cùm nõ sit necesse, vt instrumentum contineat perfectionem effectus principalis, sicut continet principalis causa; minùs est mirabile, quòd aliqua res posit esse etiã tunc instrumentum, cùm ex natura sua nõ habet aptam proportionem cum effectu principali. Immò posset etiam probabiliter dici, per *absolutam Dei potẽtiam*, aliquam rem esse posse verè causam *effectiuam principalem* alicuius effectus (secundùm communem rationẽ principalis causæ) etiamsi effectus sit suprà illius proportionem atq; naturã. Quoniam de ratione communi effectiuæ causę principalis præcisè & formaliter, solùm esse videtur, vt ad illam, *quoniam sic vel sic existit*, per se, & nõ vt est alterius causæ organum, consequatur effectus. Id quod Deus potuisset statuere de causa etiam ex se impari & improportionata effectui. Quòd autem causa effectiua principalis contineat perfectionem effectus, quamuis sit quidem ordinariè & naturaliter coniunctum cum ratione causæ principalis; tamen non videtur esse de ratione formali ipsius. Itaque si Deus statueret,

vt ad

vt ad operationem alicuius causæ naturalis per se consequeretur aliquis *mirabilis effectus*, dici posset illa causa esse principalis, non naturalis, sed supernaturalis talis effectus. Et quicquid sit de hoc, in instrumentalibus certè causis minor est difficultas, propter rationem ante dictam.

Quin etiam per hunc modum supernaturalem non modò intelligere possumus humanitatem Christi esse causam effectiuam instrumentalem effectuũ excellentium & loco distantium; sed etiam *distantium tempore* ab ipsa humanitate, non quidẽ *antecedenter*, vt falsò & contrà D. Thomam infrà q. 62. art. 6. existimârunt Capreolus in 4. d. 13. quæst. vnica, art. 3. ad argumenta cõtra 1. concl. & Sotus d. 1. q. 2. art. 3. (cùm causa efficiens agat, quatenus existit, & ideo nequeat esse *posterior* suo effectu, vt argumentatur D. Thomas in dicta q. 62.) sed bene, *consequenter*, vt sentiunt Capreolus & Sotus vbi suprà, immò & D. Thomas infrà quæst. 55. artic. 1. ad 3. Nam etiam effectus posterior tempore, potest intelligi sequi ex causa præexistente, quatenus ea *sic vel sic existit*. Et sic magis propriè intelligetur, quod D. Thomas quæst. 48. art. 6. & q. 56. artic. 2. ex Scriptura asserit, præteritam passionem & resurrectionem Christi esse causam *effectiuam* nostræ iustificationis: Et quod peculiariter affirmat quæstione 55. artic. 1. ad 3. esse item Resurrectionem eius causam propriè effectiuam futuræ nostræ Resurrectionis.

A

B

C

Tertium argumentum. Causa instrumentalis propriè, necesse est habeat *instrumẽtalem virtutem*, cùm *causa*, & *virtus* causæ, sint relata. Sed in humanitate Christi respectu effectuum illorum admirabilium non videtur posse aliquid assignari, quod fuerit *virtus instrumentalis* eius. Ergo, &c. Minor probatur. Quoniam neq; illud fuit aliqua forma *naturalis* ipsius humanitatis, id est, neque anima, neq; aliquod accidens eius; cùm hæc communia sint aliis hominibus, qui tamen habere non dicuntur instrumentalẽ virtutem ad supernaturales effectus. Neque id etiam fuit aliqua forma *supernaturalis*, siue illi humanitati diuinitùs addita. Nam quæram tunc, an talis forma fuerit ex natura sua proportionata cum illis effectibus, vel non fuerit? Si fuit; iam non instrumentalis, sed *principalis* causa eiusmodi effectuum fuisset humanitas Christi; vel certè fuisset instrumentũ *naturale* & proportionatum illi, quorum neutrum conceditur. Si autem non fuit proportionata illis effectibus; quorsum illa forma superaddità fuisset opùs? Nõ enim meliùs intelligi poterit, quomodo Christi humanitas per additam qualitatem improportionatam sit instrumentum ad effectus mirabiles; quàm quomodo sit instrumentum ad eosdem per suam formam naturalem etiã improportionatam.

D

Respondeo ex communi doctrina, quam Caietanus q. 13. ar. 2. declarat, duplicem considerari posse *virtutem* in instrumento. Vnam, ad operationem seu *motum suum* proprium, quo dispositiuè concurrit ad principalem effectum. Et hæc quidem virtus instrumenti aliud non est, quàm ea instrumẽti forma, à qua procedit eiusmodi operatio seu motus: vt acumen in serra, & in oppositio facultas *loquendi* vel *precandi* in Christo. Alteram ad attingendum virtute principalis agentis ipsum *principalem effectum*, quæ est virtus propriè loquendo instrumenti, quatenus *instrumentum* est. Et hæc instrumenti virtus nihil aliud est, quàm *motus* siue *vsus ipse passiuus* instrumenti, quo ab agente principali vsurpatur ad principalem effectum. Sicut virtus v. g. fidium instrumentalis ad harmoniam Musicam, aliud non est, quàm earum motus, quo ad Musicum sonum vsurpantur à Musico. Atq; hæc est etiam sententia D. Thomæ infrà q. 62. art. 1. & communior ac verior.

Quare in proposito virtus instrumentalis humanitatis Christi, quatenus instrumentum operum mirabilium fuit, aliud non erat, quàm motus vel operatio ipsius, quatenus subsabat illi ordinationi & voluntati diuinæ, cuius vi fiebat, vt ad eiusmodi motum seu operationem *(vt talis erat)* certò consequeretur effectus mirabilis. Eatenus enim intelligimus, humanitatem Christi fuisse à Deo vsurpatam ad eiusmodi effectus.

Porrò cur hæc virtus instrumenti, consistens in eius *motu & vsu passiuo*, dici etiam soleat virtus *intentionalis & spiritualis*, declarat Caietanus alia & alia ratione. Sed tamen eadem ipsa ratio, quam assignat, cur dicatur virtus spiritualis, valet etiam ad intelligendum, cur dicatur intentionalis: Quia scilicet huiusmodi Instrumenti virtus secundùm suam quidem rationem vltimam & formalem, nullo *sensu* percipitur; sed solùm *intelligitur*. Est enim hæc virtus instrumenti motus non simpliciter & absolutè, sed *vt subsistat* agenti principali vsurpanti ipsum. Quæ ratio (vt patet) non est sensibilis, sed solùm *intelligibilis*: quòd enim fides moueantur non à quocunque, sed ab homine Musicæ perito, vt ab agente principali effectus Musici; hoc quidem minimè sentitur, sed tantùm intelligitur.

Quartum Argumentum est, quòd quando Christus morali aliqua operatione concurrebat ad miracula, vt *precibus* v. g. non apparet, ipsum aliter concurrisse, nisi vt causam *moralem*. Nihil enim aliud ibi intelligimus, quàm quod ex decreto Dei adhibitis à Christo precibus effectus consequebatur: quod totum conuenit in causam moralem.

Respondet Caietanus loco citato, tunc etiam alia quadam ratione concurrisse vt causam instrumentalem propriè, ad modum *causæ physicæ*. Et hoc quidem rectè affirmat. Sed vt hoc explicet, non satis solidè assignat in illis *precibus* rationem causæ tum moralis, tum effectiuæ instrumentalis ad modum causæ physicæ. Ait enim,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nim, preces illas Chriſti, vt erant actio *moralis*, tantùm *præueniſſe* operationem Dei principaliter facientis miracula; vt autem erant *executiuæ* principalis operationis diuinę, atque adeò delatiuæ imperij diuini ad ipſum principalem effectum, fuiſſe eas virtutem inſtrumentalem humanitatis Chriſti reſpectu eiuſmodi effectuum. Itaque in hoc cõſtituit Caietanus differentiam, quòd cauſſa *moralis*, vt ſic, *præuenit* operationem Dei; cauſſa autem effectiua inſtrumentalis eam *ſequitur*.

SED hoc non videtur bene dictum, vel certè non ſufficienter. Nam vt ipſe Caietanus quoque fatetur, motus etiam ſiue operatio inſtrumenti concurrit diſpoſitiuè ad effectum principalem, atque adeò *præuia* quodammodo eſt operationi principalis agentis: licet alia quoq; ratione cõſiderari poſsit vt *poſterior*, nimirũ quatenus defert quodammodo vim & operationem agentis ad effectum principalem, eſtq; adeò velut *executiua* eiuſmodi operationis. Quod ſimiliter ferè (niſi aliquid aliud dicatur) videtur habere poſſe locum in cauſſa morali. Nam hæc etiam cogitari poteſt vt *executiua* diuinę operationis, eaque poſterior, quatenus ipſâ poſitâ conſequitur ex voluntate Dei principalis effectus.

RESPONDEO ergo, aliter rationẽ diuerſam cauſſæ moralis, & cauſſæ inſtrumentalis phyſicę, eſſe aſsignandam, & accommodandam vtramq; ad illas preces Chriſti. Etenim ad cauſſam moralem (vt ſuprà docuimus) effectus conſequitur, non niſi quatenus *obiectiuè mouet*: Ad cauſſam autem propriè effectiuam & inſtrumentalem effectus conſequitur, quoniam *ſic illa exiſtat*, ſeu quia ſit hîc & nũc talis, licet mota & vſurpata ab alio. Itaq; quando Chriſtus per preces miracula operabatur, cõcurrebat vt cauſſa moralis, quatenus *obiectiuè mouebat* Deum precando; vt cauſſa autẽ inſtrumentalis propriè effectiua, quatenus ad illum motum precum, quia *talis hic & nunc exiſtebat*, conſequebatur ex diuina ordinatione & vſurpatione principalis effectus.

Nec diffiteor ex hac noſtra reſponſione poſſe duci argumentum ad id confirmandum, quod videtur potiſsimùm voluiſſe Caietanus, ſcilicet cauſſam moralem multò magis *præuenire* operationem diuinam, quàm cauſſam inſtrumentalẽ. Hoc enim ex eo intelligi poteſt, quòd cauſa moralis concurrit tantùm *obiectiuè mouendo* Deum, atq; adeò quaſi præueniendo tantùm exteriùs: Cauſſa autem inſtrumentalis, concurrit etiam *vt reipſa ſic exiſtit*; atq; ita magis ipſa intelligi poteſt vt executiua *operationis* principalis agẽtis. Sed (vt dixi) nõ ſufficienter Caietanus rem declarauit.

Etſi autem differẽtia iſta cauſſæ moralis & inſtrumentalis (quod ad rem ipſam attinet) non ſit valdè magna; tamen prodeſt iſta diſputatio tum vt commodiùs & magis propriè Scripturę & Patrum ſententias de efficacia humanitatis Chriſti accipiamus, tum vt intelligamus, quatenus diſcrepent Doctorum opiniones, & deniq; ad illam diſputationem maximè, quæ eſt de modo, quo Sacramenta efficiunt gratiam, quam ſignificant. Nam illûc etiam accommodanda eſt hæc communis doctrina, ſicut videbimus ſuo loco.

PVCNTVM TERTIVM.

Quænam efficere potuerit Chriſtus.

D. Thom. art. 2. & 3.

VIDENDVM eſt modò, in quibuſnam rebus, & reſpectu quorum effectuum potuerit Chriſtus hanc ſuam potẽtiam exercere. Et dicendum eſt breuiter ex doctrina D. Thomæ art. 2. & 3. & aliorum Theologorum in 3. ſentent. diſt. 14. potuiſſe eam exercere in rebus creatis omnis generis, atque adeò etiam in proprio ſuo corpore; ſicut S. Thomas infrà quæſt. 44. hæc latè proſequitur, oſtendens quemadmodum Chriſtus mirabiliter operatus ſit in *ſpiritibus*, in corporibus *humanis*, & *elementaribus*, &c.

Duo tamen à D. Thoma hîc art. 2. & ab aliis pluribus, meritò excipiuntur, ad quę Chriſti humanitas non potuerit concurrere vt inſtrumentum: nempe creatio & annihilatio. *Creatio* quidé, quia cùm ſit productio rei *totius*; nihil effectus, qui creatur, eam antecedit. Ita fit, vt nequeat intelligi, quòd res aliqua motu aliquo *præuio*, ſiue operatione ſua propria deferat quaſi vim principalis agẽtis ad effectum, qui creatur: quod eſt de ratione inſtrumẽti, vt diſſeruimus punct. præcedẽte. Neceſſe eſt enim, aliquid ſaltem ipſius effectus præexiſtere ante ipſam operationẽ agentis principalis, ad illudq; & inſtrumẽtum & propriâ inſtrumenti operationẽ habere ordinem ſaltem *coëxiſtentiæ*; vt ita intelligamus, per motum præuium ſeu operationẽ inſtrumẽti deferri ad effectum vim atq; operationẽ agentis principalis.

Cur autem *Annihilatio* quoq; excipiatur, facilior eſt ratio, cùm annihilatio propriè non ſit operatio aliqua, ſed potiùs *non operatio* Dei deſinentis rem cõſeruare: vt intelligi etiam poteſt ex illo: *Soluat manum ſuam, & ſuccidat me*, Iob 6. Inſtrumẽtum autem propriè nonniſi alicuius *operationis* inſtrumẽtum eſt. Qua de re latiùs diſſeruimus tomo 1. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 4.

His ergo duobus exceptis; quicquid eſt effectuũ mirabiliũ, potuit in creaturis humanitas Chriſti operari tanquã diuinitatis inſtrumentũ. Et ſi contrà obiicias illud Marci 6. *Non poterat ibi virtutẽ vllam facere*; facilis reſponſio eſt. Nam *non poſſe*, ſecũdùm Scripturę phraſin, plerumq; idem eſt, quod *meritò non velle*. Itaque ſenſus illius loci eſt, Chriſtum non voluiſſe mirabilia quędam facere in ſua patria, quoniam non expediret, obſtante videlicet incredulitate ſuorum ciuium. Quòd autem potuerit abſolutè, vel ex eo patet, quod ibidem ſubiungitur, paucos nihilominùs infirmos ab eo ſanatos illic eſſe.

Sed

SED QVAERITVR hoc loco, An in *proprio* ſaltem corpore, potuerit Chriſtus propria virtute humanitatis ſuæ, & nõ tantùm ſicut inſtrumentum, mirabiliter operari. Et eſt ratio dubitandi. Quoniam fuit (vt vidimus quæſt. 10.) ſecundùm animam beatus. Itaque videntur ex animæ beatitudine deriuari potuiſſe ad corpus eæ dotes, quibus erunt prædĩti alij beati, nimirum impaſſibilitas, agilitas, ſubtilitas, &c. Ergo potuit Chriſtus virtute propria beatitudinis *non pati, gradi ſuper aquas, penetrare corpora*, &c. Immò videtur quædam ex his per illam virtutem feciſſe.

RESPONDEO cum D. Thoma art. 3. Animam Chriſti virtute propria, quod ad affectiones ſui corporis attinebat, nõ potuiſſe naturaliter plus, quàm animas hominum aliorum. Si quæ autem in corpore ſuo mirabiliter operata eſt, feciſſe vt inſtrumentum diuinitatis. Quare ad Rationem contrariam reſpondeo, potuiſſe quidem, abſolutè loquendo, dotes illas ex animæ gloria in corpus deriuari, ſi tantùm conſideremus, illam Animam fuiſſe beatam: Non potuiſſe autem ſecundùm legem *ordinariam*, ſi conſideremus etiã Chriſtum fuiſſe ſimul non tantùm beatum ſeu comprehenſorem, verùm etiam *viatorem*, vt diximus q. 10. Itaq; potuit illa facere virtute beatitudinis ſecũdùm potentiam tantùm *remotam*. Quod ſolùm voluiſſe videtur Scotus in 3. ſenten. diſt. 16. q. 2. & Gabriel ibidem quæſt. vnica, art. 3. dubio 1. Sicut ipſe ſatis ſe declarauit ibi artic. 2. propoſit. 2. Non potuit autem id Chriſtus *proximè*, & omnibus conſideratis.

PVNCTVM QVARTVM.

An Chriſtus potuerit facere ea omnia, quæ fieri voluit.

D. Thom. art. 4.

HANC ipſam Quæſtionem proponit D. Thomas hîc artic. 4. cùm aliquantò obſcuriùs quærit, An Chriſtus habuerit omnipotentiam reſpectu executionis propriæ voluntatis. Et dicendum eſt breuiter ex doctrina Diui Thomæ, & ex communi ſententia Doctorum in 3. diſt. 14. omnia, quæ Chriſtus vel per ſe ipſum quidem, vel per alios fieri voluit voluntate *conſequente* (vt vocant) & *abſoluta* (id eſt, omnibus conſideratis) potuiſſe ipſum facere, vel virtute propria, vel tanquam inſtrumentum diuinitatis: immò omnia, quæ ſic voluit, facta eſſe, ſicut voluit fieri, id eſt, vel à ſe, vel ab aliis.

Probatur. Quia cùm Chriſtus ſciret, quid fieri poſſet, & quid futurũ eſſet; fruſtrà voluiſſet voluntate *efficaci & abſoluta*, quod neque futurum erat, neque fieri poterat. Id autem cum ſapientem hominem non deceat, multò minùs conuenire potuit in Chriſtum. Et cõfirmatur. Quia omnis eiuſmodi voluntas *abſoluta & efficax* aliorum hominum beatorum, impleri poteſt, & impletur. Ergo etiam Chriſti.

Denique idem confirmatur à D. Thoma authoritate quoque D. AVGVSTINI in libro quæſtionum ex nouo Teſtamento, quæſt. 77. dicente: *Impoſſibile prorſus eſt, vt Saluatoris voluntas non impleatur, nec poteſt velle, quod ſcit fieri non debere. Idcirco quod factum eſt, hoc voluiſſe dicendus eſt.*

Diximus autem, potuiſſe Chriſtum omnia eiuſmodi, quæ fieri voluit, vel *virtute propria*, vel tanquam *inſtrumentum Verbi* facere; quoniam vt Caietanus in illo artic. 4. ex doctrina D. Thomæ ad 1. & ex epiſtola Agathonis recepta in VI. Synodo, actione 4. declarat, non omnia potuit Chriſtus *virtute propria*, præſertim quæ fieri voluit *per alios*: ſed potuit omnia alterutro modo, vt eſt dictum. Ideo omnia, quæ ſic voluit, ſunt adimpleta.

Quare ſi quid conſtet voluiſſe Chriſtum, quod non factum ſit; intelligendus eſt id voluiſſe voluntate ſolùm *inefficaci* (id eſt, ſecundùm aliquas rationes tantùm) quam voluntatem vocant *antecedentem*, vel etiam *conditionatam*. Eius generis fuit illud: *Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, Matth. 26. Item illud, quod Matthæi nono ad cæcos illuminatos dixit: *Videte, ne quis ſciat*. Volebat enim, vt non ita ſcirent id miraculum, quaſi ipſe per illud captaret gloriam humanam: omnibus autem conſideratis, ſciri voluit propter gloriam Dei, ſicut ſcitum eſt: iuxta id, quod ſubiungit Matthæus: *Illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa*. Et ſimiliter intelligendum illud Marci ſeptimo: *Ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non poterat latere*. Voluit enim ab his, qui domi erant, non vltrò prodi; ſed tamen inſtantibus & quærentibus, qui aduentabant, abſolutè voluit manifeſtari, vt D. Thomas in dicto articulo iſta rectè declarat.



QVAESTIO

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO DECIMA QVARTA.

An fuerit Christus subiectus aliquibus defectibus corporis.

D. Thom. 3. parte, quæst. 14.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, AN ET QVOMODO aliquibus defectibus corporis Christus subiectus fuerit. SECVNDO, An omnibus omnino defectibus corporis subiectus fuerit. Nominatim autem, quomodo circumscriptionem in loco assumpserit, atque adeò absens fuerit à plerisq; locis, & non vbiq;, suprà disputauimus quæst. 5. punct. 2. contra Vbiquetarios.

PVNCTVM PRIMVM.

An & quomodo aliquibus defectibus corporis Christus subiectus fuerit.

D. Thom. art. 1. 2. 3.

EX FIDE INPRIMIS CERTVM EST A subiectum fuisse Christi corpus *aliquibus* defectibus spectantibus ad humani corporis infirmitatem: Vt fami, siti, lassitudini, patibilitati, morti, &c. Hoc patet ex historia Euangelica. Item ex definitione Synodi VI. actione 4. contra illos, qui cùm veritatem corporis humani in Christo negarent, consequenter etiam id negabant. Aduersus quos egimus quæstione secunda, punct. 1.

Idem etiam confirmat ratio. Nam conueniebat, vt per eas ipsas passiones & infirmitates corporis Christus satisfaceret pro peccato generis humani, quas per peccatum incurrerat genus B humanum; & vt in eo etiam genere ostenderet veritatem humanæ suæ naturæ, præberetque nobis quoque exemplum patientiæ, vt probat D. Thom. hic artic. 1.

DEINDE ex fide quoque certum est, his defectibus Christum subiectũ fuisse *necessitate* quadam secundùm naturam; videlicet corporis ex se passibilis, vt art. 2. D. Thomas & alij Theologi in 3. dist. 15. & 16. docent, & definitum est in VI. Synodo, atque etiam à Leone epist. 10. contra quosdam, qui putarunt, habuisse Christum verum quidem corpus, sed *impassibile*; ideoq; passum esse, nõnisi quatenus & quãdo libuit, nulla ad id naturæ vrgente corporis necessitate. Quorum error refertur & confutatur à DAMASCE- C NO libro 3. cap. 28. & in libro de hæresibus non longè à fine, eumq; ibi tribuit hæreticis Aphartodorcitis, quorum Antesignanos fuisse dicit Iulianum Halicarnassum, & Caianum Alexandrinum.

Reuincitur autem manifestè hic error authoritate Apostoli ad Roman. 8. vbi affirmat, *misisse Deum filium suum in similitudinem carnis peccati*, id est, corpore præditum eiusdem conditionis, cuius sunt corpora aliorum hominum. Et ad Philip. 2. *In similitudinem hominum factus.* Et ad Hebræ. 2. *Debuit per omnia fratribus similari.* Et aliis testimoniis allatis suprà quæst. 2. puncto primo & tertio.

Quin etiam D. Thomas eodem art. 2. rectè declarat, quemadmodum Christus eiusmodi defectibus subiectus fuerit necessitate quadam *conditionis*, vt scilicet passio repugnabat voluntati eius secundùm motum naturalem; tametsi voluntate absoluta, scilicet *omnibus consideratis* illam acceptauerit & voluerit, sicut voluit etiã Pater æternus.

Ex quo tamen minimè licet colligere, non peccauisse eos, qui Christum interfecerunt, quia fecerint id, quod placebat voluntati diuinæ, atque etiam humanæ ipsius Christi. Fuit enim diuinæ voluntati placitum quidem, vt Christus vim & mortem sibi illatam *pateretur*, velletque omnino *pati*; non autem, vt eam ipsi homines illi *actiuè* inferrent; qua in re grauissimè peccauerunt.

Porrò licet Christus eiusmodi defectus corporis *naturaliter* incurrerit, tamen rectè monet D. Thomas art. 3. minimè propterea dicendum esse, quòd eos defectus *contraxerit*. Tunc enim propriè significaremus, simul etiam ipsum incurrisse causam illorum defectuum immediatam, nempe *peccatum*; quod, vt remouens originalis iustitiæ donum, inuexit eos defectus. Quę admonitio D. Thomæ minimè contemnenda est, tametsi solùm pertineat ad modum loquendi.

(:)

PVNCTVM

PVNCTVM SECVNDVM.

An Christus subiectus fuerit omnibus omnino corporis defectibus.

D. Thom. artic. 4.

VERISSIMA, eaq; cõmunis Theologorum sententia est, Christum nõ incurrisse *omnes omnino* corporis defectus, qui in aliis atq; aliis hominibus inueniuntur. PRIMO. Quoniam multi proueniunt nõ ex communi necessitate naturæ, sed ex causa *peculiari*, scilicet vel ex imbecillitate formatiuæ seu generatiuæ virtutis, quæ deficiat in aliquo, neque suppeditet suf- B ficientem vim resistendi externis affectionibus noxiis, vt aëris, &c. vel ex immoderata ratione viuendi: quorum neutrum habuit vllum locum in Christo: Siquidem & perfectissima Spiritus sancti virtute conceptus est, & prudentissimè ac temperantissimè in omnibus vixit. Quam ob causam communior & probabilior sententia Doctorum est, ipsum neque vllis morbis subiectum fuisse, neque etiam potuisse ob causam quidem internam aliquã corporis, in morbum incurrere.

SECVNDO. Quoniam ex illis ipsis defectibus corporalibus, qui habẽt causam omnibus communem, nempe naturæ conditionẽ, aliqui sunt, qui obstant *perfectioni* scientiæ & gratiæ. Vt tarditas quædam seu hebetudo ad cognoscendum, & C procliuitas ad malum. Hæc enim minimè conueniebant Christo: vt qui perfectissima gratia & scientia opus habebat ad rectè obeundũ suum munus Redemptoris.

Rectè igitur docent Theologi in 3. dist. 15. & 16. & B. Thomas hic artic. 4. ex Damasceno lib. 1. fidei Orthodoxæ, cap. 14. & lib. 3. cap. 20. Christum eos duntaxat defectus corporis omnes incurrisse, qui *naturales* sunt (id est, qui ex communi naturæ necessitate proueniũt) & sunt præterea *indetrectabiles*, id est, eiusmodi, qui cùm non obstent perfectioni scientiæ & gratiæ, minimè detrectari debuerint: vt patibilitas, fames, sitis, &c. De quo genere defectuum intelligi pro- D inde debet, quod passim in Conciliis & apud Patres ex sententia Apostoli legitur, Christum fuisse nobis *per omnia similem, excepto peccato.*

Et ad idem genus pertinet naturalis necessitas moriendi per consumptionem *humidi*, quod nunquam ita perfectè restauratur per cibũ, atq; deperditur; vnde fit, vt naturaliter mors tandem consequatur, etiamsi nihil accedat violentiæ vel morbi. Quare communior etiam est sententia, Christum fuisse hac ratione tandẽ præsenio moriturum, etiamsi vis omnis abfuisset.

Cæterùm quod dicimus, Christum omnes eiusmodi defectus communes *naturales & indetrectabiles* incurrisse, nõ ita intelligendum est, quasi nullum aliquando virtute diuina deposuerit ac A reliquerit. Fuit enim post passionem immunis ab illis per dotes gloriæ corporis.

Quin etiam ante passionem quoque diuina mirabilique virtute, corpus eius exuit vnam ex naturalibus communibusq; eiusmodi cõditionibus corporis: nempe tunc, cùm Sacramentum Eucharistiæ instituit, seq; sub speciebus panis & vini mirabiliter præsentem constituit, sicut iam etiam est in Sacramento præsens multis in locis. Est autem hæc conditio, quam tunc exuit, *modus* existendi in loco *definitiuè*, qui est communis naturaliter omnibus corporibus. Quod est diligenter animaduertendum, contrà ineptum argumentum Sacramentariorum, qui ex eo, quòd Christus *veram* naturam, communiaque omnia eius attributa assumpsit, colligunt, illum iam in vno tantùm loco esse præsentem, atque adeò abesse secundùm corporis præsentiam à Sacramento. Qua de re infrà disseremus in disputat. de Eucharistia.

Illa verò alia naturalis conditio corporis, quę est *circumscripto* siue commensuratio in loco (vt scilicet totum sit in toto loco, & pars in loci parte) non exuit omnino corpus Christi post institutam Eucharistiam; sed eatenus tantùm, quatenus *in Eucharistia quidem* præsens est nõ circumscriptiuè, sed supernaturaliter, vt infrà trademus suo loco. Extra Eucharistiam autẽ vbicunq; est, *circumscriptiuè* est, instar aliorum corporum. Itaq; hanc etiam naturalem conditionem corporis extra Eucharistiam quidem retinet.

PORRO ex eo, quod asseruimus, Christum non habuisse eos defectus corporis, qui non sequuntur ex necessitate naturæ, sed oriuntur ex aliquo vitio temperamenti, vel virtutis formatiuæ; consequens est, illum nullam neq; in *habitu* corporis, neq; in *figura* deformitatem habuisse. Nam fuit eius constitutio corporis vndequaq; præstantissima, adeoq; forma PVLCHERRIMA, quantũ quidem deceret *virum*. Quod tum ex iis intelligi potest, quæ de Christi corpore disserit D. Thomas infrà à quæst. 31. vsq; ad 34. tum etiam ex eo, quôd virtute Spiritus sancti conceptus est, non ex semine virili. Quæ enim Deus per se facit, perfectiora longè facit. Multumque post resurrectionem dotibus glorię hęc corporis Christi perfectio aucta est.

Tantùm existit hoc loco nonnulla difficultas, quod attinet peculiariter ad formam & speciem Christi corporis. PRIMO: Quoniam Scriptura indicare videtur, ipsam minimè fuisse pulchrã. Vt apud Isaiam cap. 53. *Vidimus eum quasi despectum & nouissimum virorum.* Et ipse per Dauidem: *Ego sum vermis & non homo*, Psalm. 21.

SECVNDO. Quia neq; desunt ex Patribus, qui sensisse videantur illum fuisse potiùs abiecta & despicabili forma, vel certè non admodum eleganti: Vt TERTVLLIANVS libro aduersus Iudæos circa finem, vbi agit de duplici Christi aduentu. Item BASILIVS in Psal. 44. & CYRILLVS in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Commentar. ſuper Iſaiam cap. 53. ATHANASIVS lib. de natura humana ſuſcepta à Verbo contra Apollinarium, & CLEMENS Alexãdrinus lib. 3. pædag. cap. 1. qui adducunt illud ex Iſaia: *Vidimus eum quaſi deſpectum, &c.*

SED cum communi ſententia Theologorum contrarium exiſtimandum eſt, ipſum nimirum fuiſſe (vt dictum eſt) ſpecioſiſsimum, ea tamen forma, quæ minimè fuerit muliebris, ſed quæ aptiſsimè conueniret viro. Probatur id PRIMO ex communi ſententia Patrum, qui ita aſſerunt. Vt Greg. NAZIANZENVS orat. 2. de Paſchate verſus finem, CHRYSOSTOMVS homil. 18. in Matth. HIERONYMVS epiſt. 160. AVGVSTINVS in Pſal. 44. &c. Nec contrà ſentiunt illi alij, quos obiecimus, vt ſtatim videbimus.

SECVNDO idem patet ratione illa, quã anteà fecimus; ſcilicet omnib. modis eſſe perfectiora, q̃ ſiunt virtute diuina ſupplente cauſſam creatã.

TERTIO idem teſtantur ex veteri traditione Ioſephus lib. 18. antiquit. cap. 16. & Nicephorus lib. 1. cap. 40. Deniq; ſic omnino oportebat: vt ſcilicet ad eũ homines faciliùs bene afficerẽtur.

Quare ad PRIMVM argumẽtum ex Scriptura obiectum, reſpondeo illas Scripturæ ſententias ad formam Chriſti, quam in *paſsione et cruciatibus* habebat, accõmodari debere. Nam ante paſsionem quidem, quàm fuerit ſpecioſus, Scriptura quoq; indicare videtur Pſal. 44. *Speciosus formâ præ filiis hominũ.* Et Cantic. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Quanquam fateor, iſtiuſmodi loca aliter etiam exponi poſſe. Nam illud Pſal. 44. de diuinitate intelligunt BASILIVS & CYRILLVS vbi ſuprà: item de ornamẽtis *animæ Chriſti*, Theodoretus & Hieronymus in illum locum. Et deſcriptio illa ſpõſæ ſimiliter poſſet figuratè intelligi de ſpiritualib. Chriſti virtutibus. Nihilominus rectè etiã Theologi Scholaſtici accõmodant eiuſmodi loca ad formã corporis, cùm ſine incõmodo poſsint quoq; ad literam intelligi.

Ad SECVNDVM reſpondeo, Patres illos intelligi debere vel de deformitate, quã habuit Chriſtus in ipſa *paſsione* (vt Clemens Alexandrinus, & Athanaſius) vel de ignobilitate ipſius humanæ naturæ infirmę & paſsibilis, *cõparatæ* cum diuinitate, & necdũ glorificata, ſed in vita egena præſertim & paupere, qualẽ egit Chriſtus; quo pacto loquuntur Cyrillus, & Tertullianus, & Baſilius.

Itaq; nihil eſt, cur debeamus in hac re recedere à communi tum Theologorum ſentẽtia, tum fidelium ſenſu. Et certè non rectè, vel temerè potiùs dixit Michaël Medina lib. 2. de recta in Deum fide, cap. 7. ſententiam hanc *carere fundamento.*

QVÆSTIO DECIMA QVINTA.

An fuerit Chriſtus ſubiectus aliquibus defectibus Animæ.

D. Thom. 3. parte, quæſt. 15.

EXPLICANDA ſunt quatuor. PRIMO, Quoad Intellectum, An Chriſtus vt homo laborauerit vlla ignorantia quoad intellectum. SECVNDO, Quoad voluntatem, An peccauerit vnquam, vel peccare potuerit. TERTIO, An ſaltem habuerit in appetitu ſenſitiuo fomitem aliquem peccati. QVARTO, An habuerit Animam verè obnoxiam paſsionibus appetitus ſenſitiui, vt Triſtitiæ, Timoris, &c. Quod verò in Articulo vltimo D. Thomas diſputat, Chriſto ſecundùm animam, cùm hanc vitam degeret, nõ defuiſſe donum beatitudinis, ſed fuiſſe eum ſimul viatorem & comprehenſorem, ſuprà q. 9. p. 2. idoneo loco explicauimus.

PVNCTVM PRIMVM.

An Chriſtus vt homo laborauerit vlla ignorantia.

D. Thom. art. 3.

TRIPLEX DISTINGVI POTEST Ignorantia in homine. Prima eſt Ignorantia *prauæ diſpoſitionis*, quæ ſcilicet vel eſt culpabilis, vel habet admixtũ aliquem Intellectus erroré. Secunda eſt ignorantia *priuatiua*: Cùm ſcilicet eſt ignorantia rei, quę non ſolùm poteſt ſciri ab homine, ſed etiam ita id *decet*, vt ſi neſciat, imputari ſoleat hoc ipſum (moraliter rem æſtimãdo) cuidam imperfectioni hominis, cõſiderata nimirũ hominis conditione vel in *particulari*, vt ſcilicet hic aut ille habet tale vel tale *munus*; vel ſaltem in *genere*, ſpectãdo præcisè ipſam dignitatem & capacitatem animæ *rationalis*. Tertia eſt ignorantia *puræ negationis*, vt vocãt. Et eſt ignorantia ſeu potiùs neſcientia rei, quæ etſi abſolutè quidem poteſt ſciri, tamen nõ ita, vt ſi neſciatur, ſubeat propterea animum cogitatio aliqua cuiuſdam imperfectionis & veluti imbecillitatis humanæ.

Hac diſtinctione præmiſſa, duo ſunt in poſita

poſita Quæſtione apud omnes certa & extra cõtrouerſiam, & vnum controuerſum cum aliquibus hæreticis. Extra controuerſiam eſt PRIMO, Chriſtum non laboraſſe vnquam ignorantia vlla *prauæ diſpoſitionis*, maximè cùm fuerit ab initio beatus, vt vidimus q. 9. p. 2. & ſic ſciuerit certò & infallibiliter omnia, quæ ad ipſum pertinebant, atq; adeò ea, per quæ poterat cauere omnẽ in ſe *errorẽ*. Vnde S. Greg. NYSSENVS in forma, quam ſcripſit pfecti Chriſtiani, orthodoxè, vocat Chriſtum *lucem veram, et ab omni mendacio remotiſsimã.*

SECVNDO extra cõtrouerſiam quoq; eſt, habuiſſe Chriſtum vt hominem aliquam quidem ignorantiam ſeu potiùs *neſcientiam* puræ *negationis* hoc ipſo, quòd minimè vt homo *comprehendit* diuinã eſſentiam, atq; adeò non omnia ea ſciuit, quę ſunt in Deo eminenter, vt ex orthodoxa doctrina aſſeruimus ſuprà q. 10. p. 2. & etiã tomo 1. diſp. 1. q. 12. Ac de huiuſmodi ignorantia ſeu potiùs *neſcientia* poſſet intelligi, quod S. AVGVSTINVS expoſit. 2. in Pſal. 21. interpretans de Chriſto illa Pſalmi verba: *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti?* ita ſcribit: *Loquitur, cauſſam* IGNORANS, *quare illum dereliquerit Deus.* Cùm enim Chriſtus vt homo, non comprehenderit omnia conſilia Dei; fortè voluit Auguſtinus ſignificare, illum non *omnem* cauſſam ſciuiſſe, ob quam illum Pater æternus in paſsione dereliquerit.

Niſi fortè loquitur potiùs eo loco Auguſtinus de Chriſto homine, conſiderata *nudè* illius humana natura, per cuius nimirum facultatẽ *naturalem ſolã*, ſi ſecludamus dona diuinitùs ei communicata, minimè ſciuit Chriſtus cauſſam illius conſilij diuini. Nam & hoc pacto interpretatur D. Thom. hîc art. 3. ad 1. quod dixit DAMASCENVS lib. 3. cap. 21. Chriſtum aſſumpſiſſe *naturã ignorantem & ſeruilem*, ſcilicet *exſe*. Ac eodem ſenſu dixit ATHANASIVS ſerm. 4. cõtra Arrianos poſt medium: Verbũ *induiſſe carnem ignorationi obnoxiam.*

Et congruit cum hac poſteriore interpretatione verborum Auguſtini id, quod ipſe illic paulò ante de Chriſto præmiſerat, inquiẽs: *Pſalmi huius ſunt verba, quæ ipſe clamauit cùm in cruce penderet, perſonam etiam ſeruãs* VETERIS *hominis, cuius mortalitatem portauit. Nam vetus homo noſter confixus eſt cruci cum illo.* Sed quicunque ſit ſenſus illorum verborum Auguſtini, extra controuerſiam ſunt quidem illa duo, quæ dixi.

CONTROVERSVM autem eſt (vt dixi) cum aliquibus hæreticis, An Chriſtus vt homo, habuerit vnquam alicuius rei ignorantiam *priuatiuam*. Ita namq; nonnulli hæretici arbitrati ſunt. Et quidẽ S. IRENAEVS lib. 1. cap. 17. eo etiã nomine videtur reprehẽdiſſe Gnoſticos, q̃ fingerent, Chriſtum, *cùm puer eſſet, & literas diſceret* (per ſcientiã ſcilicet acquiſitam & experimentalẽ) *interrogaſſe Præceptorem, quid eſſet B.* quaſi omnino id neſciuiſſet.

Sed quicquid ſit de Gnoſticis (eſt enim obſcurus ille locus Irenæi) conſtat de aliis hæreticis, q̃ Chriſto ignorãtiam illam *priuatiuam* tribuerint, ita ſcilicet, vt neſciuerit planè diem Iudicij extremi, quantumuis ipſe Iudex hominum conſtitutus, & alia, quæ inſtar aliorum hominum procedente ætate didicerit, cùm antea nullo modo vt homo ſciuerit. Ita ſenſerunt hęretici AGNOITAE, teſte Liberato in Breuiario cap. 19. & S. Gregorio lib. 8. Regiſtri cap. 42. Et in eodem errore ſunt quoque præcipui hæretici huius temporis: Lutherus in Concione de Natali Domini, & in Concione de Dominica I. poſt Epiphaniam: Caluinus in caput 24. Matthæi; Zuinglius in Cõfeſsione ſua ad Carolum V. artic. 1.

Sed CERTISSIMA omnium Orthodoxorum ſententia eſt, Chriſtum nunquam laboraſſe vlla eiuſmodi ignorãtia *priuatiua*, ſed per *aliquam* etiam ſcientiam *creatam*, & non ſolùm per diuinam (de quo non eſt dubium) ſciuiſſe ipſum ſemper omnia ea, quorum ignoratio aliquam imperfectionẽ hominis denotat, vt initio explicuimus. Dico autem, ſciuiſſe ipſum hæc omnia per *aliquam* ſcientiam creatam; nam quod determinatè hæc ſciuerit per creatam ſcientiam *beatam* & *infuſam*, eſt quidẽ veriſsimum, vt ſuprà q. 10. & 11. probauimus ac defendimus; ſed nõ eſt tam certum, quàm id, quod modò aduerſus hæreticos aſſerimus, nempe ea omnia, illum ſemper ſciuiſſe per *aliquam* demùm ſcientiam creatã, quæcunque illa fuerit.

Probatur autẽ PRIMO hæc Aſſertio ex aliquibus locis Scripturę, in quibus Chriſto homini, vt homini (ſicut de illo ibi eſt ſermo), ppter adiunctam diuinitatem tribuitur abſoluta & perfecta omnium ſcientia. Ex quibus proinde locis colligitur, eum, ex quo per myſterium Incarnationis ſimul fuit Deus & homo, hoc eſt, ab inſtanti ſuæ conceptionis, nulla vnquã laboraſſe ignorantia *priuatiua*, quæ ſcilicet cum abſoluta & perfecta ſcientia conſiſtere non poteſt. Eius generis loci ſunt hi. Luc. 2. *Confortabatur ſpiritu, plenus ſapientia.* Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Quod de Verbo *incarnato* dicitur ab Euangeliſta. Et ibidẽ: *De plenitudine eius nos oẽs accepimus.* Et Ioan. 21. *Domine tu omnia noſti.* Et Actor. 20. *Vnxit eum Dominus Spiritu ſancto & virtute.* Qui nimirũ Spiritus fuit etiã Spiritus *ſapientiæ & intellectus*: Iuxta illud Iſaiæ 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ & intellectus*: Nempe excellentiori modo, q̃ ſuper vllum Sanctorum: Iuxta illud Pſal. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Et ad Coloſſ. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ et ſcientiæ abſconditi.*

Quo etiã pertinent alij loci, in quibus Chriſto tribuitur cognitio etiã *cogitationum et affectionum* humani cordis, quod in hoc genere non minus, ſed maius eſt, quàm quæuis alia cognoſcere. Vt Matth. 12. *Ieſus ſciens cogitationes eorũ, dixit eis, &c.* Et Ioann. 2. *Non credebat ſemetipſum eis, eò quòd ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine; ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO probatur ex auctoritate Ecclesiæ. Nam in VI. Synodo act. 11. legitur epistola Sophronij, & act. 13. approbatur, in qua Themistius *Agnoitarum* auctor damnatus est. Et eosdem pro hæreticis habuit & damnauit Gregor. lib. 8. Registri, epist. 42. Et Doctor quidã Complutensis, vt fertur, retractare sententiã Toleti coactus est, qui Christum laborasse ignorantia dicebat, negabatque ipsum vt hominem sciuisse diem Iudicij, quem tamen scire pertinuit ad Christum, vt suprà docuimus.

TERTIO hæc etiam est concors sententia Patrum. S. Gregorius NAZIANZENVS oratione in S. Basilium: *Proficiebat*, inquit, *sapientia, non vt incremẽtum aliquod acciperet, cùm ab initio Dominus gratiâ sapientiaq; absolutus esset; sed quòd hæc hominibus ignaris paulatim apparuerit.*

S. Cyrillus ALEXANDRINVS lib. 10. Thesauri cap. 7. *Cùm audis*, inquit, *profeciſse ipsum in sapiẽtia & gratia, noli putare quidquam ipsi additum fuisse, qui nullius vnquam rei egere potest: Sed quia videntibus atque audientibus eum, sapientiorem indies, gratioremq; se prebebat, idcirco scribitur perfeciſse. Ita detegendo seipsum indies, non ipse, sed qui mirabantur ipsum atque amabant, proficiebant.*

S. AMBROSIVS lib. 5. de fide ad Gratianum, cap. 8. *Sunt*, inquit, *plerique freti eo, quod dictum est: Iesus proficiebat ætate & sapientia, qui dicunt, quòd secundùm diuinitatem quidem ea, quæ futura sunt, ignorare non potuit; sed secundùm nostræ conditionis assumptionem ignorare se quasi filium hominis ante crucem dixit.* Et paulò pòst: *Hac autem alij dicant, &c.* Et aliquantò pòst: *Multò magis arbitror, quòd filius, qui cum hominibus conuersatus est, et hominem egit, et carnem suscepit, nostrum assumpsit affectũ, vt nostra ignorantia* (id est, naturali quidem facultate intellectus, qui ex se est ignorans) *nescire se diceret; non quòd aliquid ipse nesciret.*

S. HIERONYMVS in caput 31. Hieremiæ: *Fœmina*, inquit, *circumdabit virum gremio veri sui, qui iuxta incrementa quidem ætatis per vagitus & infantiam proficere videbitur sapientia & ætate; sed perfectus vir in vtero virginis solitis mensibus continebitur.*

Et clarissimè S. AVGVSTINVS lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 29. *In corpore*, (inquit) *infirmissimo, nulli vsui congruis vel idoneis infantilibus membris, anima rationalis miserabili ignorantia prægranatur. Quam planè ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in Infante illo, in quo Verbum caro factum est, vt inhabitaret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo paruulo fuerim suspicatus, quam videmus in paruulis.*

QVARTO ꝓbatur ratione. Nam prorsus fuisset indecentissimum & penè deforme, vt Anima rationalis vnita hypostaticè Verbo diuino, quod *infinita sapientia* est, laborasset vnquam vlla labe ignorantię, maximè cùm ad eum finem animam rationalẽ Verbum diuinum sibi vniuerit, vt depelleret ignorãtiæ tenebras humano generi per peccatum offusas.

Neq; est difficile RESPONDERE ad ea, quæ supradicti hæretici obiiciebant. PRIMO obiiciebant illud Matth. 24. & Marci 13. *De die autem illa nemo scit, neq; filius.* SED ad hoc abundè satis à nobis suprà responsum est q. 10. p. 2.

SECVNDO obiiciebãt illud Luc. 2. *Proficiebat sapientia & gratia apud Deum & homines.* SED hoc etiã à nobis explicatum est suprà q. 9. p. 2. Intelligitur enim de sapientia *acquisita & experimentali*, in qua quidẽ proficiebat indies aliquid addiscẽdo per experientiam, sed quod idem alioqui etiã nouerat per scientiam *beatam & infusam*. Item intelligitur quoq; de ꝓfectu gratiæ simul & cuiuscunq; scientiæ, non secundùm se, sed secundùm *effectus suos*, vt iam ante retulimus ex Gregorio Nazianzeno, & Cyrillo, & aliis Patribus.

Et eodẽ modo potest intelligi, quod ibid. legimus: *Confortabatur spiritu plenus* (πληρούμενον) *sapiẽtia*; si vox πληρούμενον sit Participium ibi Passiuũ præsentis temporis, vt sensus sit, quòd *implebatur* sapientia; confortabatur enim spiritu, & implebatur sapientia per *experimẽtum quotidianum* nouorum effectuum gratiæ & scientiæ. Quanquam vox illa Græca, *plenum* etiam seu redundans significat, vt Vulgatus interpres vertit.

TERTIO obiiciebant illud ad Hebr. 2. *Debuit per omnia fratribus similari.* Et ad Hebr. 4. *Tentatum per omnia pro similitudine absq; peccato.* Habuit igitur ignorantiam, vt nos; tametsi absq; peccato.

SED respondet optimè Magister sententiar. in 3. d. 15. & ibidem alij Theologi, Christum non secundùm *omnia omnino* debuisse nobis esse similẽ, excepto peccato; sed secundùm omnia ea quidem, quę & homini *naturalia* sunt, & ad *finem* Redemptionis conducebant, neq; *dedecebant* naturam vnitã hypostaticè diuino Verbo. Ignorantia verò nec decuit talem naturã, neq; ad finem Redemptionis conducebat, qui fuit, homines potiùs ab ignorantiæ vulnere sanare. Itaq; minimè illam Christus sustinuit, vt neq; *morbos* item corporales, quantumuis neq; ipsi sint peccatũ, &c.

QVARTO obiiciebant illud Matth. 26. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Videtur namque Christus hoc ita petens nesciuisse, an hoc esset possibile. Nam si sciebat esse possibile, non dixisset: *Si possibile est*; Si autem sciuisset, esse impossibile, non id petiisset.

SED facilè respondetur, Christum & possibile & impossibile id esse sciuisse diuersa ratione: *Possibile* nimirum, absolutè & secundùm se: *Impossibile* autem, ex hypothesi æterni & immutabilis decreti Patris. Et nihilominus tamen attendendo licet ad eam impossibilitatem, petiuit id non absolutè; sed voluntate *conditionata*, si esset possibile; idq; non vt id obtineret, quod sciebat se nõ obtenturum; sed vt per eam propensionẽ conditionalem voluntatis suæ in vitam, ostenderet se verum esse hominem, qui perhorreret scilicet mortem imminentem.

POSTREMO obiiciebant, ꝙ Christus susceperit

mortem

mortem & alios corporis defectus, vt ꝓ hæc mortem nostram, & infirmitatem superaret. Ergo debuit etiam suscipere nostrã *ignorantiam*, vt per ignorantiam nos ab ignorantia liberaret.

SED facilè est videre ineptam esse hanc Consequentiã. Nam mortem & alias infirmitates corporis ideo Christus susceperit, vt *patienter* hæc sustinendo mereretur nobis salutẽ: Ignorantia verò non ꝓ ignorantiã; sed per scientiã vinci debuit.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Christus vnquam peccauerit, vel peccare potuerit.

D. Thom. artic. 1.

EX Concil. Ephesino can. 10. videtur posse colligi, hæreticos aliquos sensisse, quòd Christus obstrictus fuerit aliquo peccato, ob quod *pro se etiam ipsemet se obtulerit in sacrificium*. Atq; etiã Caluinus in caput 26. Matthæi, videri potest nescio cuius culpæ Christum insimulare ob petitionẽ illam: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*. Ait enim, Christum per sequentia verba illa: *Veruntamen non mea, sed tua fiat voluntas; castigasse & reuocasse* illam priorem petitionem; item *statim adhibuisse ei correctionem, seq; ipsum maturè coẽgisse in ordinẽ, &c.* Refert quoq; Lindanus dialog. 2. & Hosius lib. 1. de hæresib. nostri temporis, quosdã sectarios cuidam *impatientiæ* tribuisse id, quod Christus in cruce dixit: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?*

Sed quicqd isti omnes hæretici sibi voluerint, ex fide CERTVM est, Christum neq; vllum peccatum vnquã admisisse, neq; potuisse admittere secundùm legem Dei ordinariã. Probatur PRIMO ex Scriptura. Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et Ioan. 14. *Venit princeps huius mundi, et in me non habet quicquam.* Et 2. Cor. 5. *Eum, qui peccatum non nouerat.* Et 1. Petr. 2. *Qui peccatũ non fecit.* Et cap. 1. *Quasi agni immaculati & incontaminati Christi.* Et ad Hebr. 4. *Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Et ad Hebr. 7. *Qui non habet necessitatem quotidiè quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis offerre.*

SECVNDO idem probatur ex Concilio Ephesino, can. 10. vbi sic legimus: *Qui dicit, quòd pro se obtulit semetipsum oblationem, & non potiùs pro nobis (non enim egnit oblatione, qui peccatum omnino nescivit) anathema sit.* Item ex Concilio Romano sub Martino, can. 5. vbi sub anathemate definitur in Christo fuisse *nostram substantiam perfectè & indiminutè absque peccato.*

TERTIO probatur ex Patribus. S. DIONYSIVS in libro de Ecclesiastica hierarchia, cap. 3. part. 3. *Oportet*, inquit, *nos, si ad illius* (Christi) *aspiramus societatem, diuinam ipsius in carne vitam intueri assiduè, sanctamq; ipsius impeccantiam imitando pro viribus ad sacratiorem habitum, exactissimamq; recurrere intelligentiam.*

S. ATHANASIVS in libro de Incarnatione Christi pòst medium: *Verbi*, inquit, *incarnatio secundùm naturam Dei facta, nostrorum vitiorum susceptibilis non fuit, quæ ex vetustate etiã hoc tempore in nobis hærere solent.* Et Orat. 2. contra Arrianos, tribus foliis ante finem, agens de hominum *mutabilitate* secundùm iustitiam & peccatum: *Primo*, inquit, *homine mutato, & morte per peccatum in mũdum introgressa; necesse omnino fuit secundum Adam immutabilem esse: quò, si denuò serpens eum inuaderet, impostura illius vim nullam aut efficaciam haberet.*

S. Cyrillus ALEXANDRINVS lib. 10. in Ioan. cap. 11. exponens illud Ioan. 14. *Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*; *Id est* (inquit) *nulla mei causſa moriar, nec quidquam de suis diabolus* POTERIT *in me inuenire. Peccatum enim & peccati origo, diaboli sunt. Christus verò naturâ Deus, naturaq; immutabilis, peccare non poterat.*

S. AMBROSIVS libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. 7. *Quomodo*, inquit, *lubricum poterat timere peccati, qui peccatum remissurus aduenerat?* In quam sententiam multa pulchra ibi addit.

S. AVGVSTINVS in libro de natura & gratia, cap. 36. loquens de B. Virgine: *Concipere*, inquit, *ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Et in Enchirid. cap. 40. de homine Christo loquens, *singularem Dei gratiam* fuisse dicit, quòd *in ipso*, inquit, *exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis; & filius hominis, qui filius Dei: ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere.*

Et clarissimè in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 15. *Nunquid*, inquit, *metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera voluntas erat, & tantò magis libera, quantò magis peccato seruire non poterat?*

S. LEO epist. 10. ad Flauianum cap. 2. in Concilio Chalcedonensi recepta: *Non enim*, inquit, *superare possemus peccati & mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet, & suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere.*

QVARTO probatur ratione. Nam præterquã quòd deforme omnino & indignũ persona diuina fuisset in *vlla sua natura* peccato contaminari; nihil etiam id conduxisset ad Dominicæ incarnationis finem; sed potiùs obstitisset, vt rectè declarat D. Thomas hic art. 1.

Quo loco in solutione primi argumenti rectè itẽ ex doctrina D. AVGVSTINI lib. 3. de doctrina Christiana cap. 31. & DAMASCENI lib. 3. cap. 25. exponit, quemadmodum Christus, quando de *suis peccatis* loqui videtur, loquatur tantùm de peccatis *suorum membrorum*. Vt cùm inquit per Dauidem Psal. 21. *Longè à salute mea verba delictorũ meorum.* Quanquam vt ita loquatur, non tantùm suppetit illa ratio, quòd scilicet ea peccata sint membrorum, quorum ipse est caput; sed simul

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam alia, quia videlicet & voluntate sua & æterni sui Patris præcepto, *recepit* se pro eiusmodi peccatis satisfacturũ: iuxta illud Isaiæ 53. *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrũm.* Nam & in cõmuni sermone appellare solemus debitum *nostrum* etiam illud, quod recepimus nos esse dissoluturos, tametsi sit alienum.

Atque hoc etiam modo eam Christi locutionem interpretatus est AVGVSTINVS expositione 2. in Psalm. 21. *Quomodo*, inquit, *dicit: Delictorum meorum, nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra sua delicta fecit, vt iustitiam suam nostram iustitiam faceret?*

Etsi autem hoc ita sit, tamen rectè in Concilio Basilien si sess. 22. illa propositio cuiusdam Augustini de Roma damnata est, tanquã sapiens quãdam blasphemiam: *Christus quotidie peccat in membris suis.* Non enim iste modus loquendi perinde admittit illum sensum, scilicet peccata membrorum Christi, illius esse, quoniam sunt membrorum ipsius, & quia recepit pro illis se satisfacturum; sed aliquid aliud significari videtur eo modo dicendi, quod est blasphemum, nempe Christo *imputari* peccata suorum membrorum, seu Christum ipsum etiam cum illis peccare, &c. Quare abstinendum omnino est à similibus locutionibus.

Quod autem Christus in passione dixit: *Pater, si possibile est, &c.* non ideo dixit, vt vellet *immutari* ordinationem diuinam; sed vt ea voluntate conditionata & horrore naturali mortis ostenderet se verum hominem; quæ voluntas minimè fuit mala, aut *correctione* egens (vt blasphemè censuit vbi suprà Caluinus) sed omnino consentanea humanæ naturæ, atque adeò prorsus recta.

Atq; eodem pertinuit, quod in cruce non ex impatientia vlla, sed ad *naturalem* dolorem exprimendum dixit: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Significârunt enim solùm hæc verba quandam humanam admirationem diuini consilij adeò erga filium seueri. Itaq; maneat, Christum (vt diximus) de lege *ordinaria*, neque peccasse vnquam, neque peccare potuisse.

SED cùm hoc certum sit, disputant tamen Scholastici Doctores hoc loco, An spectando etiam potentiam Dei *absolutam*, fuerit prorsus impossibile, Christum peccare: ita, vt ex sola vnione humanitatis suæ cum Supposito Verbi diuini duci possit efficax ratio repugnantiæ, in hoc, quòd per naturam Supposito suo diuino vnitam peccaret. Et sunt ea de re duæ sententiæ. VNA est Scoti in 3. Sentent. dist. 12. q. 1. & Durandi ibidem quæst. 2. Hi sentiunt, simpliciter & absolutè loquendo potuisse Christum peccare. Et eandem sententiam videtur approbare Gabriel in 3. dist. 1. quæst. 2. art. 2. circa finem, vbi admittit corollaria cuiusdam opinionis à se posita ibidem in fine art. 1. inter quæ vnum erat hæc ipsa sententia Durandi & Scoti. Et ad hunc locum posteà etiam remittit Lectorem in 3. distinct. 12. quæst. vnica, art. 2. post. 3. concl. attingens hanc Quæstionem.

Fundamentum præcipuũ huius sententiæ est: Quia si non potuisset Christus peccare per naturam humanam; maximè quoniam tunc suppositum *diuinum* peccaret, quod videtur impossibile. Sed hæc ratio non conuincit. Ergo. Minor probatur. Nam vt suppositum diuinum secundùm se est summa *bonitas*: ita etiã est summa *vita*. Sed hoc non obstante, potuit in natura assumpta *mori*. Ergo etiam potuit sine repugnantia in natura assumpta *peccare*.

Quòd si dicatur, disparitatem esse, quòd peccatum redundaret in suppositum *diuinum*, etiam *secundùm se*; non autẽ redundauit in illud mors: contra hoc etiam argumẽtatur Durandus. Nam nõ potest vlla sufficiens ratio assignari, cur peccatum redundaret tunc in suppositum diuinum secũdùm se. Ratio enim esset, aut quia diuinum Suppositum *moueret* tunc naturam ad actionem prauam, seu concurreret cum illa; aut quia *non prohiberet* peccatum eius, cùm posset. At non propter PRIMVM: Quia tunc omnes personæ diuinæ peccarent, quando homines peccant; mouent enim etiam illos, seu concurrunt cum illis ad eam actionem, quæ est praua. Neq; propter SECVNDVM: Quia licet suppositum diuinum prohibere posset actionem prauam; non tamen *teneretur* prohibere, vtpotè actionem naturæ liberæ, quæ secundùm conditionem suam esset peccati capax.

ALTERA sententia melior negat, potuisse vllo modo Christum peccare. Ita D. Thomas in 3. dist. 12. quæst. 2. & Albertus Magnus eadem distinct. artic. 4. & Bonauentura ibidem artic. 2. quæst. 1. & Richardus eadem distinct. articulo 1. quæst. 2. & Argentinensis quæst. 1. articulo 2. & Capreolus ibidem quæstione prima, qui aliud opinantes, non argumentis, sed *flammis* dicit esse coërcendos. Et alij Thomistæ communiter. Hæc sententia non solùm quia magis est pia, vt Durandus etiam fatetur; sed etiam quia omnino vera (quod ille negat) omnino eligenda nobis est.

Probatur PRIMO. Nam id planè indicat ille modus loquendi Scripturæ in locis suprà citatis. *Qui peccatum non nouerat.* 2. Corinth. 5. Quasi dicat: qui peccatum adeò non fecerat, vt ne nosset quidem tanquam in ipso possibile. Et Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* id est, quis possit me arguere. Et Ioan. 14. *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*, id est, nihil suum potest in me inuenire, vt audiuimus exponentem Cyrillum. Et ad Hebræ. 7. antequam Apostolus de Christo diceret: *Qui non habet necessitatem pro suis delictis offerre*; de eodem præmiserat: SEGREGATVS *à peccatoribus, &c.* quia nimirum propter vnionem humanitatis suæ cum Verbo diuino sit in sublimiori gradu & ordine, quàm vt peccare possit.

SECVNDO

SECVNDO probatur. Nam Concilia & Patres vbi suprà, omnino significant, fuisse impossibile, vt cum vnione naturæ *humanæ* & Verbi, atque adeo cum hac eius velut *Deificatione*, consisteret simul vllum peccatũ; vt patet præsertim ex verbis ATHANASII, & CYRILLI, & AVGVSTINI suprà recitatis.

TERTIO probatur ratione. Nam (vt iam antè attigimus) peccatum humanæ naturæ assumptæ, redundaret omnino in suppositum etiam *diuinum secundùm se*, atque adeo secundùm naturam diuinam. Hoc verò licet proteruis persuaderi forsitan non possit, moderatis tamen ingeniis satis probari posse videtur ea ratione: Quòd peccatũ, quia cũ præcepto diuino pugnat, adeo magnum & deforme *malum* est, vt quælibet omnino persona *teneatur*, quacunque ratione possit, illud à se, & à quacunque sui parte, quæ sibi sit *substantialiter* vnita, arcere; vt si hoc non faciat, peccet & delinquat eo ipso per eam sui partem, qua potuisset peccatum prohibere. Nam & ideo nos etiam per Rationem & vim animi *superiorẽ*, debemus omnino peccatum siue motum prauũ cum lege diuina pugnantem prohibere, si possumus, non solùm in ipsa Ratione, sed etiam in *appetitu sensitiuo*, qui subsistit in nobis; idque nisi faciamus, delinquimus & peccamus quoque secundùm Rationem.

Quapropter cùm humana natura *substantialiter* vnita sit suppositio Verbi diuini; nisi suppositum diuinum per diuinam naturam omnino prohiberet, cùm possit, naturæ humanæ peccatum, eo ipso secundùm diuinam etiam suam naturam, aliquid admitteret prorsus *deforme & abhorrens* à summa bonitate ipsius, atque adeo delinqueret & peccaret; non quidem contrà aliquod præceptũ *superioris* (siquidem diuina persona superiorem non habet) sed contrà naturam & conditionem *bonitatis suæ*: quæ eiusmodi est, vt data hypothesi, quòd naturam illam humanam sibi *substantialiter* vnitam tenet; debeat prorsus omne peccatũ ab illa prohibere. Quemadmodum data hypothesi, quòd beatitudinem se piis hominibus propter bona opera redditurum Deus *promisit*, tenetur & obligatur omnino reddere, non lege aliqua Superioris, sed arctiori longè vinculo, scilicet ex natura *immutabilitatis & fidelitatis suæ*.

Ad argumentum igitur sententiæ contrariæ ex his patet RESPONSIO. Est enim omnino vera illa disparitas, quã assignauimus: eò quòd peccatum infinitis partibus est maius *malum*, quàm mors; eamq; ob causſam *tenetur* illud persona diuina in natura assumpta prohibere; non autem mortem.

Ex quo similiter etiam refellitur *Instantia* Durandi. Non enim satis animaduertit, quemadmodum suppositum diuinum in proposito non tantùm possit naturæ assumptæ peccatum prohibere, sed etiam *debeat*. Neq; item notauit, longè aliter suppositum diuinum concurrere ad actionem naturæ hypostaticè sibi vnitæ, atq; personas diuinas ad actiones aliorũ hominum. Hæ namq; concurrunt tantùm vt causſa *vniuersalis*: suppositum autem diuinum concurreret peculiariter, vt principium *Quod*, ad actionem *suæ* naturæ: Quæ proinde si esset peccatum; ad naturã etiam superiorem eiusdem suppositi (nempe *diuinam*) deriuaretur peccatum: sicut in nobis ad partem etiam animæ *superiorem* pertinet peccatum appetitus *sensitiui*, vti sumus argumentati.

PVNCTVM TERTIVM.

An habuerit Christus fomitem peccati.

D. Thom. art. 2.

CERTVM est, in Christo non fuisse fomitem peccati. Hoc ita declaramus & probamus. FOMES peccati (vt art. 2. docet D. Thomas, & nos etiam tomo 2. disput. 6. de Peccatis tradidimus) nominatur ipsa inclinatio sensitiui appetitus ad obiecta, quæ aduersantur rectæ Rationi. Quia enim fit interdum ob hanc inclinationem, vt homo in peccatum labatur; dicitur ea inclinatio esse peccati fomes, & quasi incentiuum. Porrò cùm hæc inclinatio non sit appetitui sensitiuo essentialis (ratio enim eius appetitus tantummodò est, vt in obiectũ *sensibile* feratur; non autem vt feratur in obiectum sensibile *contra* rectam Rationem) sed accidentalis; potest tolli perfectione donorum gratiæ & virtutum. Itaque cùm Christus habuerit perfectissimas virtutes & gratiam perfectissimam; prorsus caruit ista inclinatione & fomite.

Ac simili ratione Caietanus NOTAT in illo art. 2. fomitem in B. Virgine fuisse *extinctum*; nimirum per gratiam illam abundantem, quam accepit in Christi conceptione. Nam per primã quidem sanctificationem Virginis in vtero, non fuit illi omnino extinctus fomes, sed tantum ligatus, vt ex sententia probabiliori docet idem Caietanus infrà q. 27. art. 2. quoniam, vt Caietanus ibi etiam ait, non per solas virtutes & gratiam illam primæ sanctificationis Virginis, sed *externo* item auxilio & protectione Dei fiebat, vt B. Virgo per appetitum sensitiuum non tenderet in obiecta pugnantia cum recta ratione. Et hæc ipsa est sententia D. Thomæ infrà q. 27. art. 3. & art. 4. ad 1. Christus autem carebat fomitis inclinatione propter solam etiam perfectionem gratiæ vnionis, & aliorum perfectissimorũ donorum & habituum ipsi inhærentium.

Itaque videtur B. Virgo (antequam in illam quidem plenius superueniret Spiritus sanctus) solùm caruisse inclinatione fomitis in actu *secũdo*, non autẽ in actu *primo*, sicut Christus caruit. Quanquam tunc etiam intelligere possumus, quòd B. Virgo caruerit fomite vtroque modo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc ipso, quòd nunquam eius appetitus tendebat in obiecta contraria Rationi; vndecunque hoc proueniret, maximè cùm nunquam fuerit peccato originali obstricta. Sed de hac re vix potest controuersia esse nisi de nomine. Ad propositum nostrum satis est intellexisse, quemadmodum in Christo nullo modo fuerit peccati fomes.

PVNCTVM QVARTVM.

An, & quomodo, habuerit Christus animam passionibus Appetitus sensitiui obnoxiam.

D. Thom. art. 4. & seq.

IN hac re certum est PRIMO, Animam Christi verè fuisse *passibilem*; id est, potuisse his motib⁹ incitari seu commoueri, qui dicuntur *passiones* appetitus sensitiui, de quibus tomo 2. disp. 3. disputauimus. Neq; hoc solùm certum est, sed etiam multos eiusmodi motus reipsa habuisse; nempe *dolorem*. Isaiæ 53. *tristitiam* Matth. 26. *timorem* siue *pauorem* Marci 14. *admirationem* Matth. 7. *iram* Marci 3. Quæ omnia perspicuè asserit D. Thomas q. 15. ab artic. 4. vsque ad 9. & alij Theologi in 3. d. 15. Et patent quoque ex Synodo VI. act. 4. 8. 11. 17. Et affirmant etiam id Sancti Patres: Vt AVGVSTINVS lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 8. & deinceps: Item in Psalm. 87. & 93. Et ATHANASIVS serm. 4. contra Arrianos. DAMASCENVS lib. 3. fidei Orthodoxæ, cap. 23. Hugo p. 1. lib. 2. cap. 7. & alij. Qua de re suprà etiã disseruimus q. 2. p. 1. contra hæreticos, negãtes veritatem humanæ naturæ in Christo.

Sed duplex hic difficultas est. ALTERA, quod attinet ad omnes istiusmodi passiones *generatim*; propter D. HILARIVM, qui lib. 10. de Trinitate negare videtur, illas fuisse in Christo, cuius verba recitantur à Magistro in 3. d. 15. in fine, & à D. Thoma hîc art. 5.

ALTERA difficultas est peculiariter de *Timore*. Quoniam docet D. Thomas art. 7. ex Philosopho lib. 2. Rhetor. cap. 5. Timoris obiectum esse *malum incertum*, cùm videlicet supereſt spes aliqua illud euadendi. At Christus quidquid mali passus est, *certissimè* præsciuit illud se fuisse passurum. Vnde & D. Thomas loco citato, solùm videtur concedere, Timorem in Christo fuisse impropriè, vt est fuga qualiscunque futuri mali secundùm appetitum.

SED quod ad HILARIVM attinet, sentẽtiam illius explicant optimè Magister & D. Thomas vbi suprà. Non enim voluit, Christum nullo modo sensisse verè eiusmodi passiones: Sed tantùm negauit, Christum sensisse eiusmodi passiones ex *necessitate peccati*, sicut nos, vt ex ipsius verbis facilè ostendit Magister.

Quod verò attinet ad *Timorem*, rectè Caietanus in illo art. 7. ita declarat D. Thomam, vt etiã ex ipsius sententia possimus intelligere, Christũ verè & propriè habuisse Timorem tormentorũ, quatenus erat homo. Nam sic quidem, licet non existimârit, illa mala se euasurum; sed certò passurum se cognouerit; potuit tamen (præsertim per *æstimatiuam*) concipere illa vt futura & terribilia *absolutè*, nihil cogitando de illorum certitudine: Hoc enim ipso potuit illa concipere tanquam incerta *negatiuè*, hoc est, non vt certa. Malum autem Timoris, vt Caietanus satis probabiliter ait, potest esse etiam malum incertum *negatiuè* isto modo, secundùm apprehensionem.

SECVNDO certum est, has passiones longè *alterius modi* fuisse in Christo, quàm in nobis, salua tamen veritate illarum. Nam vt AVGVSTINVS lib. 14. de ciuit. Dei, vbi suprà, notat, fuerunt in Christo *ordinatissimæ*, sicut fuissent in nobis, nisi originalis iustitiæ donum amisissemus.

Quocirca rectè D. Thomas art. 4. triplici ex capite discrimẽ assignat inter Christi passiones & nostras. PRIMO ex parte *principij*. Quoniam in Christo semper sequebantur rationem deliberatam: in nobis autem illam quandoq; præcurrunt. Quam differentiam etiam colligit HIERONYMVS in cap. 26. Matthæi, ex modo illo narrandi Euangelistę: *Cœpit contristari*: Quasi deliberato consilio videlicet. SECVNDO ex parte *obiecti*. Quoniam illud semper habuerũt Christi passiones rationi rectæ consentaneum: nostræ autẽ sæpe cũ recta ratione pugnans. TERTIO ex parte *effectus*. Quoniam Ratio in nobis sæpenumerò vi passionum opprimitur, impediturq;, quò minùs suis consiliis & operationibus necessariis vacet: Ratio autem Christi nunquam à passionibus obruta est.

Quibus de caussis, HIERONYMO vbi suprà, visum est, huiusmodi Christi motus non passiones, sed *propassiones* dicendos esse: quoniam propassio minus aliquid sit, quàm passio: quia passio dominetur quandoque Rationi, propassio nunquam. Cæterùm cùm exposa sit Stoicorum sententia, qui nomine *Passionum* non nisi prauos animæ motus à ratione auersos intelligebant; possumus etiam eas Christi passiones nominare *Passiones*, sicut communiter Doctores nominant. Neque ideo significabimus, eas Rationi fuisse dominatas in Christo. Discussimus autem & refutauimus illam opinionem Stoicorũ tomo 2. disp. 3. quæst. 11. p. 1.

QVÆSTIO DECIMA SEXTA.

De modo, quo loquendum est de Christo Deo & homine, supposita ratione huius Mysterij explicata in Quæstionibus superioribus.

D. Thom. 3. parte, quæst. 16.

DIVVS THOMAS DE HOC GENERE QVAESTIONIS SPARSIM & articulatim disputat. Sed reuocabimus omnia ad quædam generalia capita & velut regulas, vt iudicium ferri possit, non tantùm de illis particularibus loquendi modis, de quibus quærit D. Thomas; sed etiam de quibuscunq; aliis, qui dubij videri queant.

Quatuor igitur erunt explicanda. PRIMO, An & quomodo de quibuscunq; nominibus diuinis vel humanis, significãtibus Christi personam (quæ est ipsum Suppositum diuini Verbi) possint communiter & indifferenter prædicari nomina diuina & humana in Concreto; spectata quidem horum nominum significatione: atq; adeò quonam modo habeat in Christo locum Communicatio idiomatum diuinorum & humanorum. SECVNDO, An possint eiusmodi diuina & humana nomina eo modo prædicari, spectando non modò illorum significationem; sed etiam alias circumstantias. TERTIO, An non solùm in Concreto, sed etiam in Abstracto, possint eiusmodi nomina prædicari de quibuscunq; nominibus significantibus Christi personam, aut aliquam eius naturam. QVARTO, An in enunciationibus significantibus vnionem hypostaticam vtriusque naturæ in hoc Mysterio factam, possint indifferenter habere Subiecti locum nomina diuina & humana: vt non modò hæc enunciatio (v. g.) sit vera: Deus factus est homo; sed etiam hæc: Homo factus est Deus.

PVNCTVM PRIMVM.

An, & quomodo, de quibuscunq; nominibus, diuinis vel humanis, significãtibus Christi personam (quæ est ipsum Suppositum diuini Verbi) possint indifferenter prædicari nomina diuina & humana in Concreto, spectata quidem horum nominum significatione: atq; adeò, quonam modo habeat in Christo locum Communicatio idiomatum diuinorum & humanorum.

D. Thom. art. 1. 2. 4. 5.

PRO REGVLA HABENDVM EST, de omnibus nominibus positis pro *persona* Christi (id est, pro supposito Verbi diuini) posse prædicari in *Cõcreto* omnia nomina, quæ aut naturam diuinam vel humanam, aut attributa alicuius earum naturarum significent: si eorum quidem nominũ *significationem* spectemus: Quod quare adiiciam, postea intelligetur p. 2.

Nunc REGVLA hæc, quæ etiam à B. Thoma artic. 5. ponitur, probatur manifestè. Nam cùm nomina in Concreto significent id, *quod habet* formam per ipsa significatã; sensus talium propositionum erit, Verbum diuinum habere naturam diuinam vel humanam; aut attributa *diuina*, ratione naturę *diuinæ*; aut *humana*, ratione naturæ *humanæ*. Sed supposito Incarnationis mysterio, hoc est verissimum. Ergo verissimæ tales propositiones omnes erunt.

Et hoc est, quod S. LEO in Epist. 83. ad Palęstinos inquit: *Non interest, ex qua Christus substantia nominetur, cùm inseparabiliter manente vnitate personæ, idem sit & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter vnam cum Patre Deitatem.*

Hoc ipsum etiam est, quod B. Thomas art. 4. & DAMASCENVS lib. 3. fidei, cap. 6. & alij Doctores Orthodoxi docent, ex Incarnationis mysterio, per quod natura diuina & humana communicant vna & eadem persona diuini Verbi, consecutam esse Communicationem IDIOMATVM diuinorum & humanorum, id est, *eadem re*, qua reipsa communicant atque vniuntur natura diuina, & humana, *communicare* quoque tanquam *subiecto* nomina, quæ significant *diuina* & *humana*. Ea autem res est in Christo non aliqua *natura* vna, sed *suppositum Verbi diuini vnicum*. De quo proinde vtriusq; generis nomina in *concreto* prædicari possunt. Atq; ex hac ratione suprà q. 2. p. 3. contra Sectarios concludebamus, communicationem idiomatũ, non secundùm *naturam*, sed secundùm *Suppositũ* attendendam esse: Quoniam in *supposito* est *communicatio* & rerum & verborum

Universidad de Deusto
Biblioteca

borum vtriusq; generis. Id quod Patrum etiam testimoniis ibi confirmauimus.

Ac per illam ipsam disputationem nostram, qua illic euicimus, conuenire quidem eidem Christi Suppositо prædicata diuina & humana, sed diuina secũdùm naturam tantùm diuinam, & humana secundùm naturam tantùm humanam; confutantur abunde omnia deliramenta Gasparis Schvvenkfeldij, qui sine vllo firmo argumento asserunt, omnia attributa diuina & humana conuenire Toti Christo non modò secundùm totalitatem diuini ac æterni sui Suppositi (de quo non est dubium) sed etiam secundùm quamlibet eius naturam, ita vt secũdùm humanam etiam naturam fuerit Creator v.g. & secundùm diuinam passus, &c. Quæ Paradoxa patet esse absurdissima ex iis quæ suprà q. 2. p. 1. & 2. disseruimus contra Eutychianos, & Vbiquetarios, & ex Disputatione Ioannis Busæi contra eundem Schvvenkfeldium.

Porrò ex Regvla illa hìc à nobis proposita, sequitur Primo, veram esse hãc propositionem: Deus *est homo*, vt D. Thomas declarat art. 1. Nam nomẽ Devs in ea propositione personam Christi significat: & nomen Homo in *concreto* significat humanam naturam. Quin etiam rectè in eodem artic. Caietanus contra Scotum in 3. d. 7. q. 1. §. *Quintò videndum*, & Durandum ibi q. 1. n. 11. defendit sententiam D. Thomæ ibi in responsione ad arg. 1. eam scilicet propositionẽ non tantùm esse veram, sed etiam eius materiam esse *naturalem*: Item esse propositionem *per se*: Et denique eiusmodi, in qua *species* prædicetur de vna quadam sua hypostasi; vt cùm dicitur: *Petrus est homo*.

Fundamentum Caietani, ex quo deducuntur omnia ista, est: Quoniam in ea propositione, scilicet, *Deus est homo*, ob naturam illius *Prædicati*, Homo, fit, vt *subiectum*, nempe Deus, supponatur ibi pro supposito Verbi diuini, non absolutè & nudè, quatenus Verbi diuini suppositum est; sed determinatè & contractè, quatenus est Suppositum *humanũ*, seu hypostasis naturæ *humanæ*. Verum enim est, quod tradunt Dialectici, *talia esse subiecta, qualia permittuntur à prædicatis*. Hinc igitur est consequens, vt illa propositio sit in materia *naturali*, secundùm quam nimirum Prædicatum *necessariò* conuenit subiecto. Necessarium enim est, vt humanum Suppositum, seu humanæ naturæ hypostasis, quatenus humanę naturę hypostasis est, sit homo. Item inde est consequens, eam propositionem esse *per se*, cuius scilicet Prædicatũ spectet ad rationem propriam subiecti. Denique inde etiam consequitur, in ea propositione fieri prædicationem *speciei humanæ* de quadam *sua hypostasi*. Nam de ratione hypostasis naturæ humanæ, siue de ratione humani suppositi (prout Suppositum *humanum* modò appellamus propriè id quod subsistit in natura *humana*) non est, vt sit *creatum* aliquid, sed vt subsistat in *humana* natura, id quod etiam conuenit Supposito Verbi increato. Quanquam alioqui aliis omnibus *humanis* suppositis reipsa id cõueniat, vt sint *creata*. Non tamen in eo consistit eorum propria ratio. Quare nihil deest, quò minus Deus in proposito *vninocè* dicatur homo, sicut Petrus vel Ioannes, sitque proinde ea propositio *per se* & in *materia naturali*, & per prædicationem *Speciei* de quadam sua hypostasi.

Et confirmat hæc omnia Caietanus alia bona ratione. Nam *subiectum* illius propositionis: *Deus est homo* (scilicet, Deus) ita propter naturam *prædicati* restringitur, vt non minus pro supposito *humano* supponatur, quàm supponitur pro eodem nomẽ Iesus. Sed dubium non est, quin hæc propositio: Iesus est *homo*: sit *naturalis* & *per se*, & eiusmodi, in qua *species* prædicetur de vna quadam sua hypostasi. Ergo similiter illa: *Deus est homo*. Ex hac doctrina facilè est ad omnia argumenta Scoti & Durandi respondere, quod facit illic Caietanus.

Secvndo ex eadem illa Regula, quam proposuimus, sequitur, hanc etiam propositionem esse veram: *Homo est Deus*, sicut B. Thomas docet art. 2. Imò etiã est *naturalis & per se*, & in qua species, vel *quasi species* (Deus enim propriè non est species) prædicatur de sua quadam hypostasi. Quæ omnia similiter patent, si quis aduertat, in ea propositione subiectum illud, *Homo*, propter naturam Prædicati restringi, vt stet ibi pro quadam hypostasi diuinæ naturę. Item hæc similiter erit vera: *Christus est homo*; Et hæc: *Christus est Deus*; Et hæc: *Hic homo*, (monstrato Christo) *est Omnipotens, Creator, Infinitus, Æternus*, sicut ipse de se dicit, Ioan. 18. *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Et Apostolus ad Hebr. vlt. *Iesus Christus heri & hodie ipse & in secula*. Pari ratione erunt istæ veræ: *Christus fuit mortalis; passibilis; mortuus; passus*, &c. In omnibus namque his propositionibus prædicantur in *concreto* de Christi persona nomina diuina vel humana.

Tertio ex illa eadem Regula sequitur, personam Christi, quamuis non sit persona *creata*, verè tamẽ dici posse personam *humanam*: de quo aliqui immeritò dubitârunt. Imo Caietanus artic. 1. affirmat, fidem Catholicam post hoc Mysterium confiteri, quòd persona Verbi diuini sit pſona *humana*. Probatur *primò*. Nam vocabulũ, *persona humana*, est etiam nomen quoddam humanum in *concreto* significans suppositum habens hypostaticè naturam humanam; id quod verisimè de persona Christi affirmatur. Non perinde aũt, quòd sit pſona *creata*: Nomen enim *Creatum adiectiuè*, ex modo significandi (eò quòd *creatio* est productio rei *totius*) significat esse creatum *secundùm se*, quod non conuenit *personæ* Christi. *Secundò*. Nam Christus, seu persona Verbi diuini, est *hic homo* singularis. Sed *hic homo* est persona humana. Ergo Christus, seu persona Verbi diuini, est persona humana. *Tertiò*. Nam

pérsona Verbi diuini est *hypostasis* naturæ *humanæ*, vt passim S. Thomas, præsertim hìc q. 16. loquitur: & patet ex eo, quòd est *substantia individua subsistens in humana natura*. Sed hypostasis naturæ humanæ, est planè persona humana. Ergo persona Verbi diuini est persona humana.

Nec obstat, quòd non sit persona *creata*. Esse enim quiddam *creatum*, licet commune sit omnibus aliis personis humanis; tamen vt antè docuimus, nõ est de intrinseca ratione *humanæ personæ*: Sed hoc solum, vt sit *substantia incommunicabilis seu individua in humana natura subsistens*. Maior autem est Quæstio, An persona Christi debeat dici Composita? Sed de ea Quæstione ex instituto disserimus suprà q. 2. p. 4.

PVNCTVM SECVNDVM.

An omnia humana nomina in concreto possint de Christo prædicari, spectando non modò illorum significationem, sed etiam alias circumstantias.

D. Thom. art. 3. 8. 9. 10.

IN vsu eius generis propositionum, quibus de supposito Verbi *diuini* affirmantur ea quæ ad humanam naturam pertinent, non solùm ad *significationem* nominum attendendum est, sed etiam ad alia quædam tria. Nempe 1. ad *controuersias*, quæ circa illorũ significata fuerint de Christo habitæ cũ hæreticis in Ecclesia. II. ad *modum* significandi: & III. deniq; ad id, quod simul *connotant* eiusmodi nomina. Nam propter aliquid istorum, à quibusdam propositionibus eius generis abstinendum est, quæ alioqui spectata nominum significatione tantùm, verisimæ sunt, iuxta Regulam positam in puncto præcedenti.

Ergo propter Controversias habitas cum hæreticis docet B. Thomas artic. 8. generatim cauendum esse, ne absolutè affirmemus de Christo ea, quæ cùm ad humanam naturam pertineant, atque adeo *imperfectionem* quandam sonent, Christo attributa sunt ab aliquibus hæreticis, non tantùm secundùm humanam naturam, sed etiam secundùm naturam propriam Verbi *diuini*: quasi secundùm illam Verbum fuerit minùs perfectum, quàm Pater, atque adeo creatura. Nam *neque nomina* (inquit D. Thomas) *habere debemus communia cum hæreticis*.

Quod tamen rectè illic interpretatur Caietanus de nominibus seu modis loquendi, quibus hæretici *propriè* significarunt *suas hæreses*; siue id fecerint secundùm naturam vocabulorum; siue ex vsu suo, quo eiusmodi nomina & locutiones ad proprias hæreses accommodauerint. Ab aliis verò loquendi modis, quibus hæretici sententias *veras & Catholicas* exprimunt, non est nobis idcirco abstinendum. Vt enim bene dicit Caietanus, in eiusmodi non ipsi cum illis, sed illi potius nobiscum communicant.

Hanc ergo ob causſam meritò B. Thomas in illo art. 8. & 10. docet, non esset absolutè dicendum, quòd Christus sit Creatvra; sed addendum esse, *secundùm humanam naturam*: ne videamur communicare cum Arrianis, qui intelligebant Christum esse creaturam etiam secundùm naturam propriam Verbi. Et tamen spectata significatione nominis, verissima esset talis propositio accipiendo *Creatura* nomen *substantiuè*, vt significat rem quæ secundum aliquã saltem eius naturam nõ est Ens increatũ, sed factum à Deo. Quo pacto Christum esse Creaturam sæpe dixerunt Patres. Vt S. Leo serm. 3. in Pentecosten, & Hieronymvs super cap. 2. ad Ephesios, & Avgvstinvs epist. 57. ad Dardanum, vbi luculenter ait: *Quod ad Verbum attinet, Creator est Christus, omnia enim per ipsum facta sunt. Quod verò ad hominem, creatura est Christus: factus est enim ex semine Dauid secundùm carnem*. Item Damascenvs lib. 3. fidei Orthodoxæ, cap. 4. & Vigilivs lib. 5. contra Eutychetem, & VI. Synodus act. 11. & alij Patres.

Sed, vt dixi, attẽdendo solùm ad eius nominis significationem: item accipiendo Creaturæ nomen latiùs, vt Creaturam dicimus non tantùm id, quod propriè fit per *creationem ex nihilo*; sed quicquid omnino est *factum*, siue per creationẽ, siue per generationem, sicut humanitas Christi. Per quam explicationem possunt facilè diiudicari vel cõciliari variæ opiniones, quæ circa hoc videri possunt contrariæ; de quibus non videtur operæprecium esse disputare prolixè in huiusmodi Quæstione de nomine: cùm res ipsa vel ex illa sola Augustini sententia recitata, satis superque intelligatur. Atque eadem ratione neque illa propositio: *Christus est subiectus*, efferenda est, nisi cum addito, scilicet *secundùm humanam naturam*, vt infrà ex B. Thoma q. 20. notabimus.

Item ob eandem causſam Caietanus in illo art. 8. notat, neque absolutè dicẽdum esse: *Christus est minor Patre*. Explicatque, quemadmodũ neque Christus ipse Ioan. 14. absolutè id dixerit, inquiens: *Pater maior me est*. Dixerat enim antè: *Quia vado ad Patrem*. Quibus verbis propositionem sequentem restrinxit, vt intelligeretur *secundùm humanam naturam*, secundùm quam *ibat* ad Patrem.

Dicet aliquis: Pari ratione neque Christum esse *mortuum, passum*, &c. absolutè debere dici, quod tamen dicimus in Fidei Symbolo. Nam fuerũt etiam hæretici Eutychiani, Acephali, qui contendebant Christum secũdùm diuinitatem fuisse crucifixum, atque adeo mortuum & passum, vt vidimus q. 2. p. 3.

Respondeo, Regulam positam pertinere ad ea nomina, de quorum significatis extiterit controuersia in Ecclesia, non quauis, sed *magna*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& *difficilis*, & quæ haberet aduersarios hæreticos insignis nominis: in eiusmodi enim diligentiùs cauendum est in sermone periculum. Illa autem Acephalorum stultitia nimis fuit aperta, neque illi fuerunt tanti nominis.

Iam verò propter significandi MODVM præcipuè, arbitror etiam cauendum ab illa propositione: *Christus*, vel, *hic homo* (monstrato Christo) *incepit esse*, quam reiicit D. Thomas artic. 9. Nam ex *modo* significandi, peculiariter ille terminus, *incepit esse*, videtur attribui suppositio Verbi diuini, non tantùm ratione alicuius naturæ, sed etiã *secundùm se* (cùm Esse præcipuè conueniat Supposito) nisi subiungatur explicatio, & dicatur, incepisse eum, *secundùm humanam naturam*. Quo pacto exponi debet S. VIGILIVS lib. 5. contra Eutychetem, cùm ait: *Christus ipse vnus & idem est, & creatus, & non creatus, habens initium, & initio carens.*

Atque hanc puto esse magis aptam rationem, cur absolutè non sit illa propositio, *Christus incepit esse*, vsurpanda, quàm illam, quæ videtur vrgeri à S. Thoma, & à Caietano defendi contra Durandum & Scotum, scilicet ideo non esse absolutè ita dicendum, quoniam *prædicatum* significat aliquid repugnans *subiecto*, id est, Verbo diuino, cùm hoc sit æternum, neq; inceperit esse. Nisi enim alia ratio afferatur, similiter erit abstinendum ab illis propositionibus: *Christus est passus: Christus est natus, &c.* Quoniam etiam in his per *prædicatum* significatur aliquid, quod nõ minùs repugnat *subiecto*, nempe supposito Verbi diuini, si illud per se consideres. Si autem spectes naturam humanam, in qua etiam subsistit; non magis illi repugnat prædicatum illud, *incepit esse*, quàm istud: *Passus, vel Natus*. Imò vtrumq; æquè illi conuenit ratione assumptæ naturæ, spectata nominum significatione. Secùs, si modũ significandi etiam spectemus, vt antè exposui. Quare ex modo significandi potissimùm est ratio ducenda, cur non debeat dici, Christum incepisse esse. Et accedit, quòd propositio ista: *Christus incepit esse*, propter hæreticos quoque, qui hoc ad naturam propriam Verbi referebant, vitanda est, vt rectè illic admonet D. Thomas, etiamsi alioqui vera esset ex modo significandi.

Propter CONNOTATIONEM deniq; B. Thomas art. 3. negat istam propositionem: *Christus est homo Dominicus*, quam D. AVGVSTINVS quoq; lib. 1. Retract. cap. 19. retractauit, cùm ea fuisset anteà vsus in lib. 83. qq. q. 36. Ratio est: Quoniam vt explicat illic Caietanus, iam vsus obtinuit, vt nomen illud, *Dominicus*, simul indicet, personã, quæ Dominica dicitur, non esse etiam *Dominum essentialiter* secũdùm idem suppositum, & respectu eiusdem naturæ. Qua ratione D. Thomas in illo art. dicit, vocem illam: *Christus est homo Dominicus*, esse Nestorianã: quia scilicet significet, Christum secundùm Suppositum esse tantummodò *Dominicum*, & non etiam *Dominum* humanæ suæ naturæ. Id autem (vt dixi) obtinuit vsus. Nam alioqui, si ad significationem solam nominis spectemus, perinde Christus posset dici & Dominicus & etiam Dominus, sicut Verbum diuinum dicitur DIVINVM, & simul etiã Deus. Quod de Verbo propterea rectè dicitur, quia (vt Caietanus notat) non obtinuit consuetudo, vt quod diuinum dicitur, non dicatur Deus.

PVNCTVM TERTIVM.

An nomina vtriusque naturæ possint in abstracto prædicari de nominibus significantibus Christi personam, aut aliquam eius naturam.

D. Thom. art. 5, 11, 12.

CERTVM est, de nominibus positis pro Christi *persona*, non posse in *abstracto* prædicari nomina pertinentia ad humanam naturam, dicendo v.g. Verbum diuinum, vel filius Dei est humanitas: neque vlla nomina vnius naturæ posse in abstracto prædicari de nominibus alterius, dicendo v. g. diuinitas est humanitas, aut sapientia diuina Christi est sapiẽtia eius creata: vt rectè D. Thomas docet art. 5.

Ratio est: Quoniam significaretur tunc identitas personę Christi & humanæ naturę, aut eius attributorum: vel etiam naturæ vtriusque. Solùm igitur in *concreto* prædicare licet alia de aliis, vt sit sensus, quòd idem Suppositum habeat res vtriusque generis iuxta dicta p. 1.

Possunt tamen nomina ad *diuinam* naturam spectantia prædicari in *abstracto* de nominibus positis pro Christi *persona*. Quoniam ea, quæ per eiusmodi diuina nomina in abstracto significãtur, sunt idem cum diuina persona Christi. Itaq; potest dici: *Christus est infinita sapientia, summa bonitas, &c.* sicut ille etiam dixit: *Ego sum via, & veritas, & vita.* Ioan. 14. Et Apostolus: *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*, 1. Corinth. 1.

Ex his facile iudicium est de propositione illa: *Christus, secundùm quod homo, est Deus*, quam meritò negat B. Thomas art. 11. Quoniam priè reduplicatur ibi natura humana, secũdùm quam Christus non est Deus, vt fusè ostendimus q. 2. p. 3. contra Vbiquetarios.

Non est tamen eadem ratio propositionis istius: *Christus secundùm quod homo, est persona.* Quãuis enim hîc etiam priè reduplicetur natura humana; tamen rectè distinguit D. Thomas artic. 12. Si enim sit sensus, humanã naturam Christi per se esse personam; falsa & Nestoriana est propositio illa. Si autem, naturam humanam Christi subsistere in persona diuina ipsius; vera est illa propositio. Atque hoc posteriori modo debet exponi, quòd idem B. Thomas suprà q. 2. art. 11. absolutè ait, *humanam naturam in Christo assumptam esse ad hoc, vt sit persona filij Dei*, id est, vt subsistat in filij Dei persona.

PVNCTVM QVARTVM.

An in Enunciationibus significantibus factam esse in Christo vnionem hypostaticã vtriusq; naturæ, possint indifferenter habere Subiecti locum nomina diuina & humana.

D. Thom. art. 6. & 7.

RESPONDENDVM est cum distinctione: Nam in *abstracto* quidem nihil interest, vtrũ *Subiectum* in eiusmodi propositionibus sit nomẽ diuinum, an humanum. Et enim æquè verè dicimus, naturam *diuinam* esse vnitam humanæ, & *humanam* diuinæ. Et sicut quidam Patres vero quodam sensu dixerunt, naturam diuinam fuisse *incarnatam* (vt vidimus q. 3. p. 1.) ita etiam in Concilio Ephesino can. 11. dicitur, carnem Christi factam esse *viuificatricem*.

In *Concreto* autem non perinde possunt diuina & humana nomina esse *Subiectum* in eiusmodi propositionibus, si priè loquendum est. Discrimen namque est inter has duas propositiones: *Deus factus est homo*: Et; *Homo factus est Deus*. Prior enim conceditur à S. Thoma artic. 6. Posterior negatur ab eodem artic. 7. & à Damasceno lib. 3. fidei Orthodoxæ. cap. 2. vbi ait, *non hominem Deificatum dicimus, sed Deum humanatũ.*

Ratio autem vtriusq; sumitur ex eo, *quod* per hoc Mysterium *factum est*, atque ex natura *vocabuli*. Nam cùm vocabulum illud, *Factus*, non ponitur absolutè, sed adiungitur illi aliquod *prædicatũ*; priè significat, incepisse conuenire subiecto prædicatum id; siue hoc acciderit per mutationem ipsius subiecti, vt cùm dicimus: *Petrus factus est albus*; siuè tantùm per mutationem alterius rei, vt cùm dicimus: *Petrus factus est dexter*, ideò solùm, quòd alter accesserit ad ipsius læuã. In proposito autem sic se res habet, vt prædicatum illud, *Homo*, inceperit per incarnationis mysterium conuenire Deo, qui est *Subiectũ* prioris propositionis; non autem prædicatum illud, *Deus*, homini, qui est *Subiectũ* in posteriori propositione. Ergo prior propositio est vera, scilicet: *Deus factus est homo*; posterior autem falsa, scilicet: *Homo factus est Deus*. Minor quoad priorem partem, patet. Deus namque non ab æterno, sed ex tempore est homo: Quoad alteram verò ostenditur. Quoniam in secunda propositione, terminus, *Homo*, supponitur pro persona Christi, quæ minimè cœpit aliquando esse Deus. Et accedit etiam, quod ad priorem propositionem attinet, modus ille loquendi B. Ioannis nõ dissimilis: *Verbum caro factum est.*

Nihilominus possent illæ propositiones, tribus aliis modis impropriè exponi; quorum *primo*, etiam prior esset falsa; *secundo & tertio*, etiam posterior esset vera. *Primò* enim posset esse sensus, quòd subiectum simpliciter & secundùm se esset factum. Sic falsò diceretur: *Deus factus est homo. Secundò* posset referri nomen, *Factus*, ad complexionem ipsam totius propositionis, vt sit sensus, *factum esse*, vt propositiones illæ: *Deus est homo*: Et; *Homo est Deus*, sint veræ. Et sic non modò illa esset vera: Deus factus est homo; sed etiam ista: Homo factus est Deus. *Tertiò* posset in posteriori propositione Subiectum, *Homo*, supponi non *personaliter* (vt alioqui debet) sed *simpliciter*, vt stet pro natura humana in *concreto*. Et sic etiam esset vera. Quoniam si abstrahamus à *persona* illius hominis, & loquamur de ipso *formaliter*, vt est *homo*, omnino incepit illi conuenire, vt esset simul Deus.

Et isto tertio modo locutus est de homine Christo AVGVSTINVS in Enchirid. cap. 40. cùm dixit, gratia Dei factum esse, vt *homo nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantum personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis; & filius hominis, qui filius Dei.* Et lib. 1. de Trinitate cap. 13. cùm ait: *Talis erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum.* Quem locum citat etiam Magister in 3. d. 7. Item sic locutus est Gregorius NAZIANZENVS epist. 1. ad Cleidonium, vbi inquit: *Deus humanatus est: Homo autem Deificatus.*

Cæterùm omnes tres illæ expositiones sunt impropriæ. Quare de propositionibus illis, absolutè iudicandum est iuxta sensum priorem, quo ostendimus, primam esse veram; secundam falsam, vt patet ex iis, quæ rectè dixerunt D. Thomas hîc art. 6. & 7. & Durandus in 3. d. 7. q. 1. & 2. & alij ibidem post Magistrum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

De Vnitate Christi quoad eius Existentiam.

D. Thom. 3. parte, quæst. 17.

POSITIS IIS, QVAE DE VNITATE PERSONAE CHRISTI disputauimus suprà q. 2. p. 2. facilè possunt expediri ea, quæ ad hunc locum pertinent. Complectemur igitur illa hoc VNICO Puncto: An scilicet Christus sit vnum quiddam, vel plura, spectata etiam eius Existentia. Quo etiam perinent duo Articuli, quibus D. Thomas breuiter absoluit hanc Quæstionem.

PVNCTVM VNICVM.

An Christus sit vnum quiddam vel duo, spectata etiam eius Existentia.

D. Thom. art. 1. & 2.

IN Christo considerare possumus, tum *Entitatem*, quam habet, vt est persona subsistens in duabus naturis; tum *Existētiam* formaliter, quatenùs suam illam entitatem habet *actu*, ita, vt verissimè de illo possit absolutè affirmari verbum EST; qui est conceptus formalis Existentiæ, tum de præsenti, tum de præterito, tum de futuro, prout verbum illud EST potest, vel potuit, vel poterit de re affirmari, vt docuimus tomo 1. disp. 1. q. 3. p. 4. Quare iuxta vtramque Christi considerationem videndum modò est, an sit ille *Vnum* quiddam, vel potiùs *Duo*.

Et considerando quidem eius ENTITATEM, rectè docet D. Thomas art. 1. non esse dicendum, Christus est *duo*, sed *vnus* masculinè, id est, vna persona, atque etiam *vnum* neutraliter, id est, vnum suppositum. Ratio est. Quoniam vt aliqua res dicatur esse *duo*, necesse est, vt res duæ, quatenùs diuersæ sunt, prædicentur de ipsa. Sed de Christo non prædicātur res duę, vt diuersæ sunt, id est, naturæ duæ. Ergo Christus non debet dici esse *duo*.

Maior probatur. Quoniam Duo & Vnum dicuntur *denominatiuè*, sicut ait Philosophus 2. Physicor. tex. 18. atque ita nequit *Vnum* vel *Duo* de aliquo prædicari, nisi pro ratione vnitatis vel diuersitatis rei substratæ illis denominatiuis vocabulis.

Minor autem probatur. Quoniam duæ naturæ non prædicantur de Christo in *abstracto*, quo modo significantur vt diuersæ, sed in *concreto*, quatenùs sunt idem *supposito* seu personâ Christi.

Procedit autem hæc ratio D. Thomæ. posito, quòd vocabulum Christus, accipiatur *materialiter* (id est, pro ipsa Christi persona) sicut accipi debet, quando ponitur pro *subiecto* propositionis, vt in proposito. Si autem acciperetur Christus *formaliter*, quatenùs ex personalitate & vtraque natura est compositus; tūc quia, vt diximus q. 2. p. 4. est copulatim natura humana & diuina in *abstracto* (includendo in natura diuina, diuinam quoq; personalitatem, quæ non distinguitur re ab illa) consequenter etiam posset dici, esse saltem copulatim *duo*. Sed in proposito accipimus Christum *materialiter*: Quo pacto ne copulatim quidem est duæ naturæ, quatenùs sunt diuersæ (vt probat optimè ratio D. Thomæ) atque adeo neque copulatim est *duo*.

Quòd si aliquando Patres absolutè dicunt, Christū esse *aliud & aliud*: exponi hoc debet per Casum obliquum, vt sit sensus, in Christo esse *aliud & aliud*. Hunc in modum B. Thomas in illo artic. 1. in responsione ad 2. interpretatur ex AVGVSTINO libro contra Felicianum, cap. 11. quēdam locum eiusdem Augustini in Enchirid. capite 35. vbi ait: *Christum esse aliud propter Verbum; aliud propter hominem*. Et quod ait eodem modo Gregorius NAZIANZENVS epist. 1. ad Cledonium. Ac similiter intelligendum à nobis est, quod in Epistola Sophronij recitata in VI. Synodo act. 11. dicitur: *Confitemur Christum & vnum esse & duo: Vnum, propter personam: Duo, propter naturas*, id est, habere duo.

Porrò Christum esse *vnū* & masculinè & neutraliter, ideo affirmauit S. Thomas, vt euerteret errores duos, contrà quos suprà q. 2. egimus, scilicet Nestorianorum, qui in Christo ponebant duo suppositа & duas personas, atque etiam aliorum Doctorum Nestorizantium, qui ponebant in Christo vnam personam; sed tamen distinguebant *duo suppositа*. Contrà vtrosq; autem æquè valet Ecclesiæ definitio, vbicunque decernitur esse *vnum Christum*, non duos, id est, esse vnam Christi personam, atque adeo vnum etiam *suppositum*, quippe quod in natura intellectuali

nihil differt à persona. Ea verò definitio passim habetur in Concilio Ephesino, & Chalcedonensi, & in Symbolo Ecclesiæ & Athanasij. Quò etiā pertinet sententia Pauli 1. ad Cor. 8. *Vnus*, inquit, *Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*. Et alia plura Scripturæ & Ecclesię & Patrum testimonia, quæ ad vnitatē personę Christi comprobandam adduximus suprà q. 2. p. 2. Atq; hactenus de Christi vnitate, considerando illius ENTITATEM.

Iam verò si consideremus formaliter Christi EXISTENTIAM, itidem sentiendum est, Christū non esse duo, sed *Vnum*. Et quidem clarum hoc est iuxta illorum sententiam, qui arbitrantur, in Christo nullam aliam omnino esse Existentiam præter Existētiam increatam ipsius diuini Verbi, & per hanc ipsam solam, non autem per vllam aliam creatam, existere Christi humanitatem. Quam sententiam defendūt inprimis plerique Sectatores D. Thomæ, persuasi esse sententiam ipsius hìc art. 2. Vt Caietanus & Bartholomæus Medina ibi. Et Capreolus in 3. d. 6. q. vnica, art. 1. & 3. & Ferrariensis lib. 4. contra Gentes cap. 41. in fine. Et prætereà etiam citatur in eandem sententiam Henricus Gandauensis quodlib. 3. q. 2.

Iuxta aliorum verò sententiam, qui asserunt, præter increatam Existentiam totalem diuini Verbi, esse etiam in Christo Existentiam *creatam* Humanitatis veluti *partialem*, & *incompletam*; sisimiliter Christus, considerando vndequaque eius Existentiam, est *vnum* quiddam, & non duo. Nam vt Christi persona non est sua humanitas: ita etiam non est illa existentia suę humanitatis, sed solùm est sua existentia diuina. Itaque *habet* quidem secundùm hanc posteriorem sententiā, duas existentias; sed non *est* duæ existentiæ.

Defendunt autem hanc posteriorem sententiam communiter alij omnes Theologi. Albertus in 3. d. 6. art. 5. Bonauentura in 3. d. 5. art. 2. q. 1. ad 1. in oppositum (vbi affirmat, humanam naturam simul ac habuit Esse, habuisse *Esse assumptum* à Verbo) Richardus d. 6. artic. 2. q. 2. Scotus ead. d. q. 1. Durandus q. 2. Paludanus d. 9. quæst. 3. Heruæus ead. d. q. 1. art. 3. Gabriel d. 6. q. 2. art. 2. concl. 1. & alij.

Atque hæc POSTERIOR sententia videtur mihi verior. Fundamentum eius est: quia, vt asseruimus tomo 1. disp. 1. q. 3. p. 4. Existentia non distinguitur re ab essentia rei. Sed omnis res eo modo, quo est res (completa scilicet aut incompleta) habet suam propriam existentiam. Itaq; Humanitas etiam Christi illam habet. Non habet tamen existentiam propriam *completam & totalem*, quæ propriè conuenit *Supposito*, sicut nec proprium Suppositum. Sed existit sic completè per ipsam solam existentiam suppositalem diuini Verbi.

Et de hac *totali & completa* existentia videtur loqui D. Thomas hìc artic. 2. cùm ait, in Christo non esse existentiam aliam, præterquàm existentiam *diuini Suppositi*, vt eum interpretatus est vbi suprà Paludanus, & potest colligi ex eo, quod D. Thomas ibi ait, non aduenire filio Dei secundùm humanam naturam *nouum esse personale*. Et sic etiam Albertus in 3. d. 6. art. 4. & Bonauentura ead. d. art. 1. q. 1. n. 10. negant, Christum habere *Esse* (nempe suppositale) præter Esse *diuini Suppositi*: Qui tamen locis anteà citatis apertè fatentur, habuisse in illo humanitatem suum Esse.

Neq; obstat, quòd Patres sæpè dicunt, humanam Christi naturam non existere, nisi in diuino supposito. Non enim per hoc significare volunt, quòd nullam habeat existentiam propriā; sed quòd per nullam existentiam (siue suam, siue Verbi) existit, nisi vt *sustenta hypostaticè* à Verbo. Quin etiam hoc ipso, quòd Patres dicunt, humanitatem Christi *existere in Verbo*, potius indicant, habere illam quoque propriam suam aliquam existentiam, qua nimirū existit in Verbo. Omnis namque res hoc ipso, quòd habet actu *entitatem* propriam, habet etiam existentiam propriam, qua existit eo modo, quo est actu, vt patet ex iis, quæ de ratione Existentiæ disseruimus tomo 1. disp. 1. q. 3. p. 4.

Et certè D. AVGVSTINVS in Enchiridio capite 40. aliquam propriam existentiam in Christi humanitate animo concepisse videtur, cùm loquens de Christo secundùm humanitatem dixit: ipsum in *exordio naturæ suæ, quo* ESSE *cœpit, Verbo Dei fuisse copulatum in personæ vnitatem*. Nec DAMASCENVS lib. 3. cap. 22. nec SOPHRONIVS in Epistola lecta in VI. Synodo act. 11. (à Bartholomæo Medina citati) nec vllus aliorum Patrum hanc propriam existentiam humanitatis negat; sed illam aliam *suppositalem*, quam suppleuit diuini Verbi Suppositum: cùm nimirum affirmāt, humanitatem illam non extitisse, nisi in Verbo. Quæ verò de Existentiæ ratione, & differentia ab Essentia, generatim hìc disputari possent, nos breuiter expediuimus tomo 1. vbi suprà, monstratis huius rei fundamentis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO DECIMA OCTAVA.

De Christi Voluntate.

D. Thom. 3. parte, quæst. 18.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, AN FVERIT IN CHRISTO *Voluntas humana, præter diuinam: itemq; aliæ naturales potentiæ Animæ.* SECVNDO, *An in Christo fuerint aliquando contrariæ Voluntas diuina & Voluntas humana.*

PVNCTVM PRIMVM.

An fuerit in Christo Voluntas humana præter diuinam: itemq; aliæ naturales potentiæ Animæ.

D. Thom. art. 1. 2. 3. 4.

ALIQVORVM hæreticorũ error fuit, A in Christo non esse, nisi *vnicam* tantùm volũtatem, videlicet diuinam & increatam. Ita consequenter senserunt, quicunque arbitrati sunt, in Christo non esse naturã humanam veram. Contra quos suprà disseruimus q. 2. p. 1. In eodem etiam errore versati sunt alij, tametsi concederẽt in Christo esse quoque veram naturam humanam, scilicet Macharius Episcopus Antiochenus, Cyrus Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus; Et qui hos secuti sunt, *Monothelitæ*, sic dicti ab assertione vnius tantùm voluntatis in Christo.

Contra huiusmodi errorem disputat Damascenus lib. 3. fidei Orthodoxæ, cap. 14. & B. Thomas hîc artic. 1. Etsi enim Macharius ille fuerit tempore posterior Damasceno (in quo hæsitat Alphonsus à Castro libro de hæresibus, Verbo, Christus, hæres. 9.) tamen potuit Damascenus disputare de hoc errore contra hæreticos illos antiquiores, qui cùm negarent in Christo naturam humanam veram, consequenter etiam negârunt Voluntatem in eo creatam. Eorum autem, qui voluntatem humanam creatam negârunt, tametsi concederent veritatem humanæ naturæ, Macharius ille fertur fuisse anteſignanus. Mouebanturque propterea, quòd omnia operaretur Christus ex nutu diuinæ voluntatis.

Sed hic error manifestè reuincitur PRIMO, C testimonio ipsius Christi, Lucæ 22. *Non mea, sed tua fiat voluntas.* Vbi vtramque voluntatem apertissimè distinxit. Item Ioan. 3. *Descendi de cœlo, non vt facerem voluntatem meam, sed eius, qui misit me, Patris.* Ex quo loco confirmatur hæc veritas in Synodo VI. generali act. 17. vbi damnatur hic error.

SECVNDO ex his, quæ suprà q. 2. p. 1. contra errores alios ex fide constituta sunt, ducitur manifestum argumentum. Etenim vera natura humana sine voluntate humana non consistit, vt est etiam ratione naturali perspicuum. Sed Verbum diuinum assumpsit veram humanam naturam eiusdem speciei, cuius est natura aliorum hominum. Ergo etiam voluntatem humanam.

Et confirmatur. Nam potẽtiæ naturales proximè spectant ad naturam. Vnde videmus in diuinis, quamuis tres personæ sint; tamen quia est vna natura, vnicam esse volũtatem. Sed in Christo sunt duæ naturæ. Ergo vnaquæque suam habet voluntatem. Denique huc etiam pertinent Patrum testimonia, quibus suprà quæst. 2. p. 2. & B 3. probauimus, fuisse in Christo *duplicia* omnia ea, quæ propriè ad *naturas* spectant.

NEC valet quidquam argumentum illorum hæreticorum. Vt enim rectè D. Thomas art. 1. ad 1. declarat, omnia Christus ex nutu diuinæ voluntatis operabatur, non quia ex vna diuina volũtate omnia operaretur, sed quia humana eius voluntas erat diuinæ conformis, vt videbimus p. sequenti.

Portrò iisdem argumentis patet, in Christo fuisse etiam INTELLECTVM *creatum* præter diuinum, vt probat S. Thomas quæst. 5. art. 4. Quoniam est etiam humanæ naturæ potentia naturalis. Quod ex Scriptura etiam patet, Isaiæ 52. *Ecce intelliget puer meus.* Et Matth. 8. *Audiens Iesus miratus est:* Quod pertinet ad Intellectum. Item ex AVGVSTINO lib. 83. qq. q. 80. contra Apollinaristas, qui Animam rationalem & intellectum in Christo negabant, inferente, quòd tunc Verbum beluam quãdam cum figura humani corporis suscepisset. Quem errorem suprà etiam refutauimus q. 2. p. 1.

Item

Item iisdem argumentis efficitur, reliquas A animæ potentias SENSITIVAS esse in Christo, vt docet D. Thomas artic. 2. atque etiam LIBERVM arbitrium, vt videre est artic. 4. Nam liberum arbitriũ nihil aliud est, quàm voluntas ipsa, prout tẽdit in sua obiecta cum *indifferentia* quadam. Neque obstat, quòd Christus nullo modo peccare potuit, vt docuimus quæst. 15. p. 2. Nam potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrij, vt tradidimus tomo 1. disput. 1. quæst. 19. p. 4. & patet ex iis, quæ de libero arbitrio disseruimus eodem tomo disput. 6. quæst. 6. p. 3. & 4.

Vnde AVGVSTINVS in libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 15. de Christi impeccabilitate loquens: *An ideo*, inquit, *in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat, quantò magis peccato seruire non poterat?* Atque etiam quædam difficultates circa hoc patebunt ex iis, quæ de *libertate* Christi in *merendo* explicabimus quæst. seq. B

PVNCTVM SECVNDVM.

An in Christo fuerint aliquando contrariæ Voluntas diuina, & Voluntas humana.

D. Thom. art. 5. & 6.

VIDENDVM nunc supereſt, An Voluntas Christi *creata* semper voluerit idem seu noluerit, quod diuina: an verò voluntas creata à diuina discrepauerit aliquando, fueritque illi contraria. Ratio dubitandi est. Quoniam Lucæ vigesimo secũdo legimus, Christum, cùm dixisset: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste:* continuò adiecisse: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quem locum exponens AVGVSTINVS lib. 3. contra Maximin. cap. 20. *Aliud se*, inquit, *voluisse ostendit, quàm Pater.* C

Contrà verò AGATHO Papa in Epistola, quæ lecta est in VI. Synodo, act. 4. & recepta act. 8. *Prædicamus*, inquit, *duas eius naturales voluntates, non contrarias (iuxta quod impij asserunt hæretici) sed sequentem eius humanam voluntatem, & non resistentem vel reluctantem, sed potius subiectam diuinæ eius atque omnipotenti voluntati.* D

De hac autem re D. Thomas art. 5. & 6. ita disputat, vt ex his, quæ rectè ibi docet, respondere breuiter possimus PRIMO, nullo modo humanam Christi voluntatem fuisse aliquando contrariam diuinæ. Hoc probat D. Thomas in illo artic. 6. optima ratione. Nam vt voluntates sint contrariæ, necesse est eas discrepare penitus circa idem secundùm eandem rationem. At hoc modo non discrepauit humana voluntas à diuina in Christo. Ergo. Maior ostenditur ex differentia *diuersitatis & contrarietatis.* Nam vt contrarietas sit; oportet diuersitatem esse circa idem prorsus, alioqui tãtummodo erit diuersitas. Minor etiam declaratur. Quoniam non eadem ratione volũtas Christi humana refugiebat mortem, qua eadem mors placebat voluntati diuinæ. Volebat enim Deus, vt Christus *humanæ salutis causâ* moreretur. Christi verò voluntas humana mortem refugiebat, non nisi vt erat *contraria inclinationi naturæ.* Atque hoc est, quod in illa Epistola Agathonis definitur, voluntatem Christi humanam *non fuisse contrariam diuinæ*, quia non ab illa discrepabat, secundùm idem, vt docet etiam Damascenus libro 3. fidei Orthodoxæ cap. 18. rectèque à D. Thoma defenditur art. 6.

SECVNDO dicimus, Christum voluntate humana idem voluisse, quod diuinâ secũdùm eam rationem, qua mors ipsius placebat *diuinæ* volũtati; nempe vt conferebat ad salutem humani generis. Quod est, Christi volũtatem humanam fuisse diuinæ voluntati conformem in *volito* (vt loquuntur) *formaliter*, hoc est, spectata ratione obiecti, quæ diuinam voluntatem mouebat, & non tantùm spectato ipso obiecto materialiter. Probatur hæc Assertio primò ex illa ipsa epistola Agathonis, vbi propterea dicitur, voluntatem humanam fuisse diuinæ voluntati *obsecutam.* Secũdò idem patet ex illis ipsis Christi verbis: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Nam & hinc perspicuum est, Christum voluisse tandem humana voluntate illud ipsum, quod diuinæ voluntati placuit secundùm rationem, qua placuit voluntati diuinæ. Quò pertinet etiam illud, Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et apud Ioannem cap. 10. *Ego pono animam meam.*

TERTIO dicendum est, Christum nihilominus humana voluntate aliquid noluisse, quod diuina voluntas voluit, secundùm aliam tamen rationem; videlicet mortem, nõ quatenùs conferebat ad salutem humanam (qua ratione cadebat in voluntatem diuinam) sed quatenùs erat *aduersa inclinationi naturæ.* Quod est, humanã Christi voluntatem non fuisse in hac parte diuinæ voluntati conformem in *volito materialiter.* Atque etiam voluisse aliquid *diuersum*, seu etiam *reipsa* contrarium ei, quod placebat diuinæ voluntati. Quo ipso tamen minimè fuit ea voluntas Christi contraria diuinæ: quia, vt dictum est, non discrepauit ab ea secundùm *idem formaliter.*

Et quidẽ voluntatem Christi secundùm motum eius *naturalem*, atque etiam voluntatem *sensualitatis*, id est, appetitum sensitiuum, ita in *volito materialiter* discrepasse à voluntate diuina, expressè fatetur D. Thomas art. 6. Alij autem non immeritò etiam idem concedunt de voluntate humana Christi *deliberata*, seu *libera*, id est, secundùm modum eius liberum. Quod ex eo etiam, quod concedit S. Thomas in illo artic. probari potest. Nam voluntate libera illud Christus voluit, quod diuinæ voluntati placuit, vt ipse vellet. Sed placuit diuinæ voluntati, vt secundùm *propriam inclinationem suæ naturæ* vellet viuere, atque adeo refugeret mortem. Ergo voluntate libera secũdùm eam rationem auersatus est mor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem. Maior patet. Nam Chriſtus, vt ipſe teſtatus A
eſt, ſemper voluit & fecit, quæ *placita erant diuinæ voluntati*. Minor cõceditur expreſsè à D. Thoma.

Quare de voluntate humana Chriſti omnibus modis accepta, poſſumus ſimpliciter intelligere illud: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Quo loco indicatur, voluntatẽ ipſius humanam diſcrepauiſſe in *volito*, vt dictum eſt, *materialiter*, à diuina. Atq; eodem modo ſententia illa Auguſtini, quam initio induximus, accipienda eſt.

Neque opus eſt cum Caietano art. 6. dicere, fuiſſe tãtùm *conditionalem* hanc voluntatẽ Chriſti diſcrepantem *materialiter* à voluntate diuina; ſed poſſumus intelligere, eam fuiſſe *abſolutam*, tametſi non efficacem, neque re conſiderata *ex omni parte*, id eſt, ſecundùm omnem rationem; ſed tãtùm vt mors *repugnat naturæ*. Nullum enim abſurdum eſt, vt concedamus, abſolutam etiam Chriſti voluntatem *tantùm materialiter* diſcrepaſſe à diuina.

Sed occurrit argumentum contra id, quod ponimus, voluntatem humanã Chriſti non fuiſſe verè *contrariam* voluntati diuinæ. Nam vt voluntates aliquæ contrariæ ſint, ſatis eſſe videtur, ſi earum altera *nolit* (quacunq; tandem ratione) illud ipſum, quod altera *vult*. Sed humana volũtas Chriſti noluit aliqua ratione *idipſum*, q̃ diuina voluit, nempe *mortem*, vt conceſſum eſt. Ergo. Maior probatur exẽplis. Nam peccator, quando nõ vult præſtare, q̃ lex diuina iubet, hoc ipſo dicitur habere voluntatẽ contrariã diuinæ voluntati; quamuis Deus quidem ſecũdùm rationem *Boni cõmunis* illud ab homine præſtari velit; Homo aũt peccator nolit, ſecũdùm aliquam rationẽ *priuatæ vtilitatis* aut commodi, qua inducitur ad peccandum. Similiter cùm Princeps propter *bonum publicum* vult ſuſpendi latronem; latronis autem vxor aut conſanguineus ob *ſuum priuatũ* commodum vult eũdem latronem viuere, contrariæ ſunt & dicuntur voluntates, licet non diſcrepent ſecundùm idem *eadem ratione*.

Respondet idem Caietanus q. 18. artic. 6. Maiorem eſſe veram, ſi procedat de contrarietate voluntatum in *diuerſis perſonis*; idque probare illa exempla: falſam autem eſſe, ſi intelligatur de contrarietate voluntatum in *eadem perſona*, quemadmodũ loquimur in propoſito. Vt enim eiuſdem perſonæ voluntates contrariæ ſint, debere eas diſcrepare de eodem *ſecundùm idem*. Neque aliud docere voluiſſe S. Thomam, niſi quòd contrarietas *in eodem* eſſe non poſsit, quando nõ eſt ſecundùm idem.

Hæc reſponſio Caietani mihi & falſa videtur & à D. Thomæ in illo art. doctrina prorſus aliena. Falſa quidem: quoniam ipſa ratio *contrarietatis* voluntatum, ſiue in eodem, ſiue in diuerſis, debet eſſe penitus *ſecundùm idem*, atque adeo ſecundùm eandem rationem, vt ita differat à qualicunque *diuerſitate*. Aliena autem à doctrina diui Thomæ; Primò, quoniam ipſe ponit generatim, diuerſitatem voluntatum, vt contrarietas ſit, debere eſſe circa idem, *ſecundùm idem*. Deinde autem applicans vniuerſalem hanc propoſitionem ad propoſitum (non autem eam reſtringens) concludit, diuerſitatem voluntatum in eadem perſona, qualis eſt Chriſti, non eſſe contrarietatem, niſi ſit *ſecundùm idem*. Secũdò. Quia B
expreſsè D. Thomas in eodem artic. 6. negat, voluntatem Principis, qui velit ſuſpẽdi latronem, & voluntatem conſanguinei, qui velit latronem viuere, contrarias eſſe, ſi diſcrepent ſecundùm diuerſas rationes. Quod mirum eſt, Caietanum non aduertiſſe, cùm ſcripſit: Ad contrarietatem voluntatum *in diuerſis perſonis* non requiri à diuo Thoma, vt diſcrepantia ſit *ſecundùm idem*; ſed tãtùm ad contrarietatem *in eadem perſona*.

Respondeo igitur aliter ad argumentum, Maiorem eſſe ſimpliciter falſam, ſiue in eadem, ſiue in diuerſis. Et ad exemplum primũ de Peccatore dicendum eſt, voluntatem eius eſſe diuinæ voluntati contrariam, quoniam Deus non tantùm ſecundùm rationem *Boni communis* peC
catum auerſatur; ſed etiam ſpectata ratione *priuatæ* vtilitatis aut voluptatis, quæ peccatorem mouet: Atque ita diſcrepant hîc voluntates etiã *ſecundùm idem*. Ad exemplum alterum reſpondeo ex D. Thoma, ſi voluntas conſanguinei latronis in eo caſu propter *priuatum tantùm commodum* velit latronem viuere, non eam fore voluntati Principis contrariam; ſed tunc demùm, cùm vſque adeo peruerſa fuerit, vt etiam ſpectata ratione *Boni communis*, velit contrà eam viuere latronem, atque ita *ſecundùm idem* diſcrepet à Principis voluntate.



QVÆSTIO DECIMA NONA.

De Chriſti Operationibus & Meritis.

D. Thom. 3. part. quæſt. 19.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, AN PRAETER *Operationem diuinam, fuerit in Chriſto operatio creata, & quotuplex.* SECVNDO, *An Chriſtus per quamcunque Operationem ſuam creatam aliquid meruerit.* TERTIO, *An aliquid ſibi ipſe meruerit, & quidnam.* QVARTO, *An aliquid meruerit nobis, & quidnam.*

PVNCTVM PRIMVM.

An præter operationem diuinam fuerit in Chriſto operatio creata, & quotuplex.

D. Thom. artic. 1. & 2.

MONOTHELITARVM HAERETIcorum error fuit, in Chriſto tantùm fuiſſe *vnicam* operationẽ, nempe *diuinam*, tametſi diuerſa per illam operaretur. Idque probabant: Quoniam omnia fiebant ab *eodem Verbo diuino*. Damnatur hic error in VI. Synodo actione 4. 8. & 9. vbi inter cætera ſic legimus: *Duas naturales operationes indiuiſè, inconuertibiliter, inconfuſè, inſeparabiliter in eodem Domino* IESV *Chriſto vero* DEO *noſtro glorificamus, hoc eſt, diuinam & humanam*. Ponuntur autem illæ particulæ, *indiuiſè, inconuertibiliter, &c.* ad oſtendendũ, ab vna & eadem perſona Verbi vtriuſque generis operationes ſalua differentia ipſarum profectas eſſe.

Ac probatur hæc veritas à D. Thoma artic. 1. Quoniam, vt ſæpè dictum eſt, verè fuit in Chriſto vtraque *natura*, diuina & humana. Sed ad naturæ veritatem pertinet operatio ei conueniens. Ergo, &c. Vnde AMBROSIVS lib. 2. de fi. ad Gratian. cap. 4. *Nunquid poteſt vna operatio eſſe, vbi diuerſitas eſt ſubſtantiæ?*

Atque eodem argumento conuincitur, in Chriſto fuiſſe non tantùm operationem humanam; ſed etiam *plures* humanitatis operationes, quales ſunt aliorum hominum. Tametſi omnes illæ potuerint, maximè in Chriſto, dici *vnica operatio*, ſi ſpectemus earum quaſi principium, nimirum humanam Rationem ac voluntatem in Chriſto, qua dirigebantur ſeu imperabantur omnes, vt explicat D. Thomas art. 2.

Fundamentum verò illorum hæreticorum, nullius prorſus momenti eſt. Quãuis enim *idem Verbum diuinum* eſſet principium omnium Chriſti operationum tanquam *ſuppoſitum*; non tamen illas omnes efficiebat per eandẽ naturam, vt per A
formam, ſed per diuerſas, ſcilicet per diuinam, & humanam. Itaq; diuerſæ omnino eius operationes fuerunt, vt rectè reſpondet D. Thom. art. 1.

Hæc cùm ita ſint, tamen vt quædam dicta Patrum commodè intelligantur, notandum præterea eſt, operationum Chriſti TRIPLEX genus diſtingui poſſe. Nam PRIMO, quædam fuerunt tantùm *diuinæ*: Vt Creatio, & Gubernatio mundi. SECVNDO, aliæ Chriſti operationes fuerunt *humanæ* tantùm: Vt Deambulatio, Comeſtio: Quas operationes ideo dico *humanas tantùm*, quoniam conueniunt etiam aliis puris hominibus naturaliter, tametſi & à ſuppoſito diuino eiuſmodi operationes Chriſti proficiſcerentur, & ad eas diuinitas generali concurſu coB
opata ſit. Quod falsò ac temerariè negauit Durandus in 3. diſt. 18. q. 1. quia nimirum in vniuerſum alioqui exiſtimat, Deum non concurrere *immediatè efficiendo* ad effectus cauſſarum ſecundarum. Contra quẽ diſſeruimus tomo 1. diſp. 3. de Creatione, quæſt. 1. punct. 1.

TERTII generis operationes poſſumus in Chriſto nominare *mixtas* ſeu *duplices*, id eſt, partim diuinas, partim humanas: quia licet vno eodemq; vocabulo ſignificentur; verè tamen ſunt duplices: Vt Iuſtificatio impij, Suſcitatio mortuorum, & aliorum miraculorum patratio. Huiuſmodi enim nominibus partim ſignificamus actionem diuinam *principalem*, quæ ſcilicet vi ſua C
attingit principalem effectum (nempe gratiam; vitã miraculosè reſtitutam, &c.) partim etiam actionem humanam, videlicet *inſtrumentalem* humanitatis Chriſti, quę à Verbo diuino, tanquam inſtrumentum vſurpata, contulit etiam miraculosè aliquid ad eiuſmodi effectus; vt vox Chriſti reuocantis ad vitam Lazarum, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In quibus actionibus & illud animaduertendum est, peculiari quadam ratione diuinam actionem Christi *principalem* humanitati adscribi; & vicissim *instrumentalem* actionem humanitatis diuinitati: Quam ob caussam appellaui etiam has actiones *duplices & mixtas*. Quia enim principale agens effectum attingit conferente ad id instrumento; peculiari ratione actio principalis agentis pertinet etiam ad instrumentum. Vnde dicimus, scamnum v. g. fieri à serra, quia participatur veluti à serra actio principalis artificis conficientis scamnum. Et rursus, quoniam principale agens vsurpat instrumentum, eiusque actionem ad effectum principalem; ipsi etiam peculiari ratione adscribitur actio propria instrumenti. Vnde dicimus, artificem secare v. g. scamnum, cùm propriè secet serra.

Illæ igitur Christi operationes, Iustificatio, Suscitatio mortuorum, &c. *duplices* atque etiam *mixtæ* à nobis dicuntur; non tantùm quia huiusmodi nominibus partim significatur actio *diuina*, partim actio *humana*, vt dictum est; sed etiam quoniam *diuina* illa actio, quæ significatur, peculiari ratione adscribitur non tantùm diuinitati, sed etiam *humanitati*, tanquam instrumento: Itemque vicissim actio *humana*, quæ illis nominibus significatur, tribuitur ratione peculiari *diuinitati*, quæ eiusmodi actione instrumentali vtitur. Et sic rectè tum diuina, tum humana huiusmodi actio, *mixta*, atque *duplex* dici potest ex parte etiam sui *principij* seu caussæ.

Ac de hoc quidem TERTIO genere operationum Christi intelligendum est, quod beatus DIONYSIVS libro de diuinis nominibus, capite secundo, disserit de operatione CHRISTI, quam vocant *theandricam*, id est, DEI & hominis simul. Item illud, quod B. LEO in epistola decima ad Flauianum, capite quarto scripsit: *Agit*, inquit, *vtraque forma* (id est, natura) *in Christo cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante, quod Verbi est: & carne exequente, quod carnis est.*

Ac in vniuersum ad istud tertium operationum genus referendæ sunt omnes sententiæ similes, quibus significari videatur, Christum per vtramque naturam communiter seu simul fecisse, quod fecit. Hoc enim non ita ab Orthodoxis dicitur, quia sit tantùm vna & eadem vtriusque naturæ operatio; sed quia vicissim vtriusliber naturæ operatio, quantumuis propria & distincta, tribuitur suo modo alteri etiam naturæ (vt explicatum est) atque ita vtraque natura agit *cum alterius communione*, in illo quidem genere tertio *mixtarum* & *duplicium* operationum.

PVNCTVM SECVNDVM.

An CHRISTVS per quamcunq; suam operationem creatam meruerit aliquid.

Ad art. 3. D. Thom.

QVOD per aliquas quidem operationes suas creatas Christus meruerit, omnino certum est, vt patebit ex iis, quæ differemus quæst. 22. in Puncto de Officio Christi Redemptoris. Atque etiam certum est, per omnes illas actiones Christum meruisse, quas exercuit *liberè*; cùm fuerit alioqui plenus sanctitate, & gratia, nec ad meritum requiratur aliud, quàm rectitudo & libertas actionis, & sanctitas personæ, quæ sit adhuc in statu *Viatoris*, sicut in hac vita fuit Christus, tametsi fuerit simul etiam Comprehensor, vt vidimus quæst. 9. punct. 2.

Sed peculiaris hoc loco QVAESTIO est, An Christus meruerit determinatè per actiones *Charitatis & Obedientiæ*? Neque est sanè exigua in hac re difficultas. Nam cùm minimè negari id possit, vt patebit ex iis, quæ de Officio Christi Redemptoris trademus infrà quæst. 22. contrà tamen obstare videtur, quòd, vt dictum est, requiritur *libertas* ad rationem meriti: Actus autem Charitatis, & Obedientiæ, in Christo minimè videntur fuisse liberi; sed omnino necessarij.

Nam cùm Christus esset beatus; necessariò omnibus modis, diligebat Deum, ita scilicet, vt neque odisse posset, neque vllo momento non diligere. Præterea cùm omnino fuerit ipsi impossibile peccare: certè neque potuit præcepto moriendi, quod à Patre acceperat, non obedire. Quare videtur necessariò prorsus obediuisse, non liberè.

Sed quod ad CHARITATEM attinet, duobus modis, & vtroque satis probabiliter solet hæc difficultas expediri. Sunt enim, qui dicant, Christum præter eum charitatis actum, qui visionem beatificam necessariò consequebatur, alium item charitatis actum *liberum* habuisse, qui consequeretur eam cognitionem, quam habebat de Deo per scientiam aliam *infusam*, differentem à scientia beata. Hunc actum charitatis aiunt in Christo fuisse aliquo modo liberum: ita scilicet, vt posset ab eo certè aliquando desistere: non autem ita, vt posset etiam habere contrarium ei actui odium. Quam libertatem, modo dicendi in Scholis vsitato, vocamus libertatem quoad actus *exercitium* tantùm, non autem quoad actus etiam *specificationem*. Eiusmodi igitur charitatis actum sic liberum, arbitrantur aptè conuenisse Christo, quatenus erat etiam *Viator*, & ad eam rem ipsi valuisse, vt mereri posset.

Quòd si obiiciatur, concedendum esse consequenter, vt accidentia duo eiusdem speciei, solo

solo numero differentia possint esse simul in eodem subiecto (esset enim tunc vterq; actus charitatis in Christo erga Deum, eiusdem speciei, & ab eodem habitu charitatis) Respondent Doctores illi, minimè id esse impossibile, quando aliquid aliud præter subiectum suppetit vnde sufficienter sumi possit differentia numerica eiusmodi accidentium. Id autem suppetere in proposito: quoniam ex illis duobus actibus Christi charitatis, vnus respiceret Deum, vt *clarè visum* per scientiam *beatam*; alter eundem, vt cognitum per *scientiam infusam*. Quod discrimen saltem sufficit ad differentiam *numericam* illorum actuum.

Sunt etiam alij, qui dicunt, illum ipsum charitatis actum *beatificum* fuisse in Christo *liberum* (saltem quoad *exercitium*) non quidè absolutè, vt per illum Christus diuinam bonitatem secùm se diligebat: sed vt simul, tanquam obiectũ quoddã secundarium, amabat atq; acceptabat eodem ipso actu *passionem & mortem*, quatenus erat videlicet ea mors & passio quoddam bonum gratum & placens Deo, propter finem & fructum inde consequentem, nempè nostram redemptionem. Neque hoc difficile ad intelligendum est: cùm nos soleamus etiam vno & eodem actu ferri in obiecta diuersa (si sint subordinata) alio atque alio modo: sicut in *finem* & in *media*, &c. Vterque respondendi modus satis probabilis est, quãquam prior videtur & magis expeditus esse, & ob eam rem commodior, quoniam valet, vt intelligamus, Christum per actum charitatis, ea etiam ratione, qua Deum ipsum dilexerit, promeruisse.

Quod verò attinet ad OBEDIENTIAM, quidam respondent, diuinum præceptum Christo datum de acceptanda & oppetenda morte, non obstitisse, quo minus is liberè omnino acceptauerit illam, quantumuis stante hypothesi illius præcepti necessariò mortem acceptauerit. Censent enim, necesitatem actus ex hypothesi modis omnibus antecedente ipsum actum, & independente ab illo (quæ scilicet nec sit ipsemet actus, neque includat respectum ad illum, tanquã reipsa existentem aut futurum) qualis est in proposito illa hypothesis præcepti Christo dati, tuc solum excludere libertatem in actu voluntatis, quando influit & agit aliquid in ipsam voluntatem, & eatenus immutat ordinarium eius modũ agendi liberè; quod minimè fecit præceptum illud Christo datum. Hęc responsio non mihi placet. Nam libertas actus nõ consistit sine indifferentia voluntatis ad illum, & ad eius oppositum. Omnis autem necesitas actus volũtatis ex qualicunq; hypothesi independente ab eadem voluntate, & illam omnibus modis antecedente (qualis est in proposito illa hypothesis præcepti) tollit eam indifferentiam, siue influat aliquid in voluntatem siue nihil: ex ipsa nimirum primæua natura volũtatis, quamuis à tali hypothesi non immutetur. Nam de ratione huius indifferentiæ est, vt positis, non tantùm quibusdam aliis, sed omnino quibuscunque aliis, quæ non sint ipse actus, aut habeant respectum ad illum, possit actus & esse, & non esse: sicut disseruimus tomo 1. disput. 1. quæst. 23. punct. 4. assert. 2. prob. 4. Hinc enim caussa naturalis contingens (vt ignis v. g.) caret in agendo hac indifferentia: quia scilicet posito aliquo quod non est ipsa actio, nempe applicatione ipsius ad passum, non potest non agere; tametsi applicatio eiusmodi nihil in actionem influit. Et ob eandem caussam voluntas videntis clarè Deum caret indifferentia in amando Deo; quia scilicet posito aliquo quod nõ est ipse amor, nimirum clara visione Dei, nõ potest non amare; tametsi nec illa visio influit aliquid in voluntatem (vt neque aliæ cognitiones) sed per illam ostenditur & veluti applicatur obiectum voluntati.

Magis igitur approbo quod aliter hoc loco responderi solet; Christo quidem, quoniam peccare nullo modo potuit, non fuisse liberũ, mortem illam (postquam mori iussus est) absolutè & simpliciter recusare; sic, vt stante eo præcepto potuerit eam nunquam acceptare: fuisse tamen nihilominus illi liberum, saltem quoad *exercitium*, acceptare illam *hoc* vel *illo momento*; his vel illis singularibus *actibus*, item actu tam *prompto & fernenti*, &c. Ex qua re satis intelligi potest, quemadmodum redemerit nos per *obedientiam*, aliqua ratione liberam, scilicet tum quoad circumstantias, tum etiam quoad substantiam actuum in *individuo*. Illi enim actus in *Individuo* tales, & hoc vel illo momento quos circa mortem obeundam, tanquam circa quoddam obiectum, eliciebat; licet determinatè vt tales, & pro hoc vel illo momento non fuerint Christo præcepti, verè tamen actus obedientiæ fuerunt, quatenus obiectum respiciebant, quod erat absolutè præceptum. Quemadmodum qui vt impleat Ecclesiæ præceptum interest vni cuidam sacro, hora septima matutina diei alicuius festi, verè tunc obedit Ecclesiæ, & obtemperat præcepto: tametsi ex eo præcepto non astringatur quidem determinatè, vt interfit tali sacro & hora *septima*, &c. Neque vt sufficiens ad nostram redemptionem esset meritum obedientiæ Christi, oportuit eam esse liberam aliter quàm diximus. Compensauit enim abundè quidquid in libertate defuit, dignitas infinita personæ obedientis, & summa voluntatis eius promptitudo in obediendo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM TERTIVM.

An Christus aliquid sibi ipsi meruerit; & quidnam.

D. Thom. artic. 3.

CVM multa fuerint Christi hominis attributa siue ornamenta, ad perfectionem tum animæ, tum corporis spectantia, vt constat ex Quæstionibus superioribus; videndum est, An aliqua ex illis, & quænam, obtinuerit suo proprio merito.

In qua Quæstione CERTVM est inprimis apud omnes orthodoxos, Christum meruisse quidem sibi gloriam corporis & exaltationem suam per resurrectionem, ascensionem in cœlum, celebritatem nominis, &c. Quamuis hoc negauit solita impudentia & impietate Caluinus lib. 2. Instit. cap. 17. sect. 6. Sed est omnino ex Scriptura compertum. Ad Philippen. 2. *Factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & DEVS exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, &c.* Et ad Hebræ. 2. *Videmus IESVM propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Quibus locis non solùm indicatur, passionem antecessisse gloriam (vt fingit Caluinus) sed planè antecessisse vt *caussam*, sicut patet ex particula PROPTER.

Itaque perpendens sanctus AVGVSTINVS Tract. 104. in Ioannem, testimonium illud Apostoli ad Philippen. 2. *Vt mediator*, inquit, *DEI & hominum, homo Christus IESVS resurrectione clarificaretur, vel glorificaretur, priùs humiliatus est passione: non enim à mortuis resurrexisset, si mortuus non fuisset. Humilitas, claritatis est meritum: Claritas, humilitatis est præmium. Sed hoc factum est in forma serui.* Idem asserunt communiter alij Patres in illum locum. Neque obstat, quòd Scriptura (vt Caluinus obiicit) *propter nos* dicit missum fuisse Christum. Nam & hoc etiam simul verum est: Nec propterea Scriptura negat, meruisse etiam aliquid *sibi*.

Posito itaque, quòd exaltationem & gloriam corporis Christus sibi meruit, QVAESTIO est de gratia *Vnionis*, & de gratia *habituali*, & de beatitudine *animæ*: An hæc scilicet Christus sibi promeruerit. Videtur namque hæc etiam sibi promeruisse. PRIMO, quoniam Diuus Thomas hîc artic. 3. disertè fatetur, nobilius esse habere aliquid per meritum *proprium*, quàm sine merito: quia tunc censeri potest quis esse caussa saltem moralis sui ornamenti. Sed CHRISTO tribuere debemus, quod excellentius est. Ergo, &c.

SECVNDO. Quoniam Scriptura idipsum & de gratia *Vnionis*, & de beatitudine *Animæ*, gratiaque *habituali* subindicare videtur. De gratia quidem *Vnionis*; Apocalyp. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem.* De beatitudine verò animæ & habituali gratia, Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quo loco singularis tum gratia, tum beatitudo animæ Christi significari videtur.

In CONTRARIVM est authoritas D. Thomæ loco citato & quæstione secunda, articulo vndecimo, itemque communis sententia Scholasticorum in 3. distinctione 18. quorum assertio est, CHRISTVM neque vnionem, neque beatitudinem animæ, neque gratiam habitualem promeritum fuisse; sed tantùm gloriam corporis, & exaltationem per celebritatem sui nominis, vt rectè asserit communis sententia Theologorum, quemadmodum dixi. Ita Diuus Thomas hic articulo tertio, Alexander Hallensis tertia parte, quæst. 16. membro tertio, articulo primo in responsad obiectionem secùdam. Bonauentura in 3. distinct. 18. articulo secundo, quæstione prima, vbi ait, esse sententiam *communem*, Scotus eadem distinctione, quæstione vnica, §. *Hoc visò*, Richardus eadem distinctione, articulo secundo, quæstione prima, Durandus quæstione tertia, numero sexto, Thomas Argentinensis quæst. vnica, artic. 3. ad 4. contra 1. conclus. Gabriel quæstione vnica, articulo secundo, concl. 3. Marsilius in 3. quæstione 12. articulo primo, conclus. tertia, & communiter recentiores. Quanquam contrarium de beatitudine animæ affirmat Altisiodorensis libro tertio Summæ, tractatu primo, capite septimo, initio, & idem reputat probabile Albertus in 3. dist. 18. articulo quarto & septimo, asserens tamen nostram sententiam esse *communem*: In qua nobis perstiendum est.

Et quidem quòd non sibi meruerit Christus gratiam *Vnionis*, satis superque ostendimus quæstione secunda, puncto octauo. Quòd verò attinet ad gratiam *habitualem*, & beatitudinem *animæ*, potiùs communi Theologorum auctoritate, quàm vlla ratione, quæ aut ab aliis allata sit, aut mihi iam occurrat, adducor, vt credam, Christum non ista sibi promeritum esse.

Præcipua enim ratio videtur illa esse, qua vtitur Diuus Thomas hîc articulo tertio. Et tamen quod in ea sumit, incertum, vel falsum potiùs videtur; scilicet, meritum non esse, nisi eius, quod *nondum habetur*: Vnde concludit, Christum neque gratiam, neque scientiam, neque beatitudinem animæ sibi promeritum esse: quoniam ex istorum merito non tam illius dignitas aucta fuisset, quàm eidem fuisset derogatum, si istiusmodi ornamẽtis aliquo tempore caruisset. Certè assumptum illud probari efficaciter non potest, nisi constet, cum ratione meriti pugnare, vt meritum nõ sit *priùs tempore*, quàm præmium; sed sit simul cum præmio, aut etiam sequatur illud. At hoc non videtur verum. Nam vt tomo 2. disput.

disput. 8. quæst. vltima de Merito docuimus, satis Meriti ratio consistit ex hoc, quòd bonum aliquod opus liberum spectans aliqua ratione ad remunerantem, ex Iustitiæ debito debeat compensari aliquo præmio siue mercede. Hoc verò totum intelligi potest habere locum non modò tunc, cùm Meritũ est prius tempore, quàm præmium; sed etiam in casu, quo meritum simul sit cum præmio, aut etiam illud sequatur.

Quod manifestis exemplis demõstrari potest. Nam Mercenarius anticipatam etiã mercedem, quã proinde iam habeat, æquè bene per sequentem suum laborem mereri potest ex iustitia, sicut contingit sæpè. Item augmentum gratiæ, merces etiã est meriti iustorum, licet interdum conferatur simul illo ipso tempore seu momento, quo iusti id augmentum merentur, quando scilicet opus meritorium est excellẽs. Item gratia, quæ data est Patribus veteris Testamenti, verè merces fuit etiam meritõ Christi, licet tempore hæc Christi merita posteriora fuerint: Nam ideo Christus in Apocalypsi dicitur *agnus occisus ab origine mundi*: quoniam Deus non nisi in illius passionem & merita pòst futura, intuens, gratiam contulit priscis Patribus.

Videtur itaque pari modo, salua ratione meriti, potuisse Christus vel eodem ipso momento Incarnationis, per bonum aliquem actum aliqua ratione liberum erga Deum, vel etiam per operationes bonas sequentes, mereri sibi *& habitualem* gratiam, & beatitudinem *animæ*, quatenus erat alioqui Deo gratus per gratiam Vnionis.

PRAETEREA nec ex eo potest duci in contrarium ratio, quòd non appareat, qualis Christi actio vel operatio potuerit esse illa, qua mereretur ea dona; an scilicet ordinis *naturalis*, vel *supernaturalis*. Etenim ex sola gratia Vnionis, vtpotè infinita, potuit quæcunque Christi actio, etiam ex se alioqui *naturalis*, sufficientem valorem habere ad promerendum ea dona.

ITEM neque ex eo potest duci ratio in contrarium, quòd, si meruit sibi gratiam & gloriam; sequeretur, meruisse sibi *infinitam* gratiam & gloriam; cùm eius meritum, ob infinitam gratiam Vnionis, fuerit valoris infiniti. Nihil enim minus sequeretur. Nam tunc Christus non *destinasset* seu ordinasset suos actus ad promerendam sibi gratiam & gloriam, quatenus *infiniti* quidem valoris sunt (quo modo eos ordinauit ad promerendam nobis à suo Patre remissionem offensæ *infinitæ*) sed vt erant certè *æquiualentes* tantæ gratiæ & gloriæ, quanta fuit ipsi data. Quemadmodum sic etiam ordinauit suum meritum, licet infinitum, ad promerendam nobis *finitam* gratiam & gloriam.

NEQVE denique in oppositum esset firma illa ratio, quæ duci posset ex eo, quòd videatur aliquid dignius, si Christus gratiam & beatitudinem habuerit solo titulo *filiationis naturalis*, quatenus humanitati suæ erant quodammodo debita ista ornamenta, hoc ipso quòd ea natura subsistebat in persona filij Dei. Dicam enim, longè etiam dignius videri posse, si habuerit *vtroque titulo*, scilicet & filiationis naturalis, & proprij meriti. Nam vterque titulus potest simul consistere.

Potiùs igitur, vt dixi, communis authoritas, quàm ratio mouere nos in hac re debet; quæ sanè in re ineuidenti & Theologica (qualis est hæc, de qua agimus) præponderare illi rationi debet, quam initio proposuimus PRIMO loco in contrariam partem. Quare hæc sit illius rationis solutio.

Ad testimonia verò Scripturæ, SECVNDO loco obiecta, respondetur, quod ad testimonium ex Apocalypsi attinet, sensum esse, promeritum fuisse Christum, vt eius diuinitas innotesceret hominibus, sicut factum est, maximè post passionem; non autem vt diuinitas cum ipsius humanitate in eadem persona vniretur. Quam interpretationem rectè confirmat Magister in tertio, distinctione decima octaua, ex eo, quod similiter Dominus dixit Matthæi vltimo: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*: non quia tunc primùm eam acciperet, sed quia tunc incipiebat manifestari.

Alter verò locus ex Psal. 44. variè à Patribus exponitur. AVGVSTINVS ibi sentit, per inuersionem esse id accipiendum, vt sit sensus, *ideo* dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, *quoniam* vnxit te Deus ad eum finem, vt scilicet diligeres iustitiam, &c. Item ex sententia ATHANASII oratione 2. contra Arrian. post medium, potest id accommodari ad Christi membra, id est, ad fideles, qui vncti sunt oleo lætitiæ, id est, gloria & gratia affecti, quoniam Christus dilexit iustitiam, &c. Vel etiam Christus ipse lætitia affectus est propter gratiam & gloriam, quæ ipsius merito contigit fidelibus.

PVNCTVM QVARTVM.

An Christus aliquid meruerit nobis; & quidnam.

D. Thom. art. 4.

QVOD omnino aliquid, immò prorsus multum (nempe ipsam *salutem*) Christus nobis promeruerit; dubitari nullo modo potest, vt patebit ex iis, quæ trademus de Officio proprio Christi Redemptoris infrà quæst. 22. Sed hoc posito, DISPVTARI præterea in specie solet, quidnam Christus hominibus ita promeruerit: an scilicet non tantùm gratiam, & gloriam, verùm etiam sufficientes dispositiones ad gratiam, & necessaria auxilia ad eiusmodi dispositiones. Neq; Doctores desunt, qui negent, promeruisse nobis

eiusmo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

eiusmodi dispositiones, & antecedentia auxilia: Vt Ioānes Driedo lib. de Captiu. & Redemptione generis humani, tractat. 2. cap. 2. & Ruardus Tapperus in suo opere, art. 6.

Quorum certè disputationem atque sententiam valdè admiror. Ex his enim, quæ certissimè de proprio effectu Redemptionis, quæst. 22. disputabimus, manifesta argumentatione efficitur, Christum omnia omnino gratiæ dona nobis necessaria, quibus salus nostra propriè continetur, promeruisse hominibus; ita quidem, vt Deus, *quod in ipso est*, omnia illa omnibus dare velit, ac *reipsa* etiam iis det, quibus applicatio *mediorum*, seu cooperatio necessaria (vbi illa quidē requiritur) non defuerit.

Quare fine dubitatione vlla AFFIRMO, promeruisse Christum, vt omnia eiusmodi dona necessaria darentur hominibus, ea ratione atque modo, quo *reipsa* illis dantur. Promeruit igitur, vt auxilia quædam *actualia* darentur illo modo & ordine, quo in materia de Gratia, quæst. 3. probauimus, omnibus omnino hominibus illa suppetere, quantum satis est, vt quod in ipso Deo situm est, salutem tandem consequi valeant. *Dispositiones* verò sufficientes ad gratiam, & *gratiam ipsam item*, & *merita* ex gratia, & *perseuerantiam* ex peculiari auxilio Dei, & denique *beatitudinem*, meruit, vt reipsa darentur iis, qui ita, vt oportet, Deo in huiusmodi *cooperantur*, quibusq; non desunt media secundùm legem Dei ordinariam requisita, vt salutem omni ex parte absolutam obtineant.

Hanc Assertionem ex articulo redemptionis nostræ, hunc in modum probo. Quidquid Christus nobis opere redemptionis obtinuit; id totum prorsus nobis à Deo promeruit. Sed omnia illa gratiæ dona necessaria, ita, vt expositum est, nobis opere redemptionis obtinuit. Ergo omnia illa nobis promeruit, quomodo dictum est. Consequentia est euidens. Maior item sine controuersia conceditur. Quia satisfaciendo & promerendo, sicut (infrà quæst. 22. videbimus) nos redemit. Minor manifestissimè quoq; probabitur.

Et PRIMO quidem patet ex ipsa ratione & articulo redemptionis. Nam omnibus illis & singulis gratiæ donis, ad salutem necessariis, continetur, & velut componitur nostra salus, atque libertas à seruitute peccati atq; diaboli. Igitur si nobis hanc libertatem absolutam & integram Christus opere redemptionis comparauit; omnia & singula dona illa gratiæ comparauit: vel si nobis aliquod necessarium donū, in quo etiam salus consistit, non comparauit; vtique non satis ipse redemit nos, neq; asseruit prorsus in libertatem à seruitute Dæmonis.

SECVNDO patet eadem Minor manifestis diuinæ Scripturæ locis. Id enim planè ex instituto agit & disputat Apostolus, cùm aliàs, tum clarissimè ad Ephesios, cap. 1. vbi omnia gratiæ & donorum genera, quibus salutem consequimur, complectens & enumerās, generatim pronunciat, nos in Christo & per Christum, diuinitùs benedici *omni spirituali benedictione in cœlestibus*. Item ibi affirmat, *in illo habere nos redemptionem per sanguinem eius, secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit*, inquit, *in nobis*. Vbi non potuit certè clariùs docere, quemadmodum omnes omnino gratiæ per Christum, ac per redemptionem, quæ est in sanguine eius, proueniant hominibus, sicut pulcherrimè declarat AVGVSTINVS libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 17. & 18. atque etiam D. Chrysostomus homil. 1. ad Ephes. Quin & ex eo loco probari etiam certò videtur, per Christum datas esse Ecclesiæ gratias gratis datas, quatenus ad *ædificationem* illius, atque adeò ad hominum salutē pertinent. Iuxta illud, quod generatim quoque idem Apostolus ait ad Ephesios, capite quarto: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, &c.*

Præterea hoc ipsum etiam Apostolus agit in epist. 1. ad Timotheum, cap. 2. vbi grauissima oratione disputat, Deum ipsum quidem omnes omnino homines *velle saluos fieri*, id est, quod in ipso est, omnibus velle necessaria dona conferre, propter mediatorem Dei & hominum Christum Iesum, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, vt ibidem Apostolus necessaria ratione probat. Neque minùs id clarè confirmare mihi videtur, cùm subinde repetit Rom. 5. & Ephes. 2. & 3. *Per Christum nos habere ad Patrem accessum*. Quid enim aliud est hoc, nisi quod habemus per Christum ipsam quoque viam ad iustificationis terminum, id est, auxilia & dispositiones necessarias ad gratiam, quibus accedimus cum primis ad Deum? Itaque præclarè ATHANASIVS in expositione fidei, quæ habetur tomo 1. post epistolam ad Epictetum: *Dominicus*, inquit, *homo conditus est, vt esset* INITIVM *viarum: per hunc enim ad Patrem accessum habemus: quoniam ipse est via, quæ ad Patrem nos ducit.*

His accedit & illa insignis confessio D. Petri in Actis cap. 4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Atque vt plurima, quæ sunt similia, præteream, pro omnibus certè sufficere debet testimonium ipsius Christi apud Ioannem, cap. 15. *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere.* Et; *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quasi dicat: Nihil, quod ad salutem necessarium sit, nisi per me, poteritis obtinere, aut præstare, & omnia per me ac in nomine meo, quoniam abundanter comparaui illa vobis.

Neque verò magni momenti sunt argumenta Doctorum illorum, contra quos disputo. Obiiciunt enim PRIMO sententiam Christi apud Ioannem, cap. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum.* Inde colligunt, ad solum Patrem pertinere, vt arbitratu suo, nullis

adactus Christi meritis, inuitet homines necessariis auxiliis, trahatque eos, per sufficientem dispositionem, ad Christum. Quæ nulla prorsus est probatio.

RESPONDEO enim facillimè, Patrem æternum omnino sic inuitare, & trahere ad Christū; sed *per* Christum quoque, qui est etiam *via*, vt expositum anteà est. Neq; merita sua Christus ibi voluit remouere, sed humanarum virium imbecillitatem ostendere: quæ nisi iuuentur diuino auxilio nobis Christi morte impetrato, nequit homo venire ad Christum.

SECVNDO obiiciunt illud ex epistola ad Roman. cap. 4. *Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundùm propositum gratiæ Dei.* Quem locum ita intelligunt, quasi dispositio ad iustitiam, quæ fide & aliis bonis motibus continetur, pendeat ex *solo proposito* gratiæ Dei, non autem vllo modo à Christo.

Sed RESPONDEO, illo modo loquēdi, *secundùm consilium voluntatis suæ, aut secundùm propositum gratiæ Dei*, quē passim in iustificationis negocio Apostolus vsurpat, minimè illum merita Christi excludere: Sed tria, vt summatim dicam, significare. PRIMO, gratiam seu iustificationē hominibus *gratis* planè conferri, citrà vllum *ipsorum* veri nominis meritum: neq; esse in nobis iustificationis *initiū*; sed in gratia Dei. Sic AVGVSTINVS lib. de prædestin. Sanctor. cap. 18. & passim aliàs contra Pelagianos, & patet ad Rom. 9. & 11.

SECVNDO, si ad *antecedentem* omnino & quasi *primordialem* iustificationis nostræ caussam respiciamus; ne merita quidem Christi effeciſſe, vt iniuerit Deus PRIMO consilium reconciliationis & pacis, volueritq; adeò nobis iustitiam conferre. Quoniam voluntas, qua voluit ad eum finem nobis donare Christum, omnino antecessit Christi merita, extititque, vt suprà quæst. 2. declaratum est, ex sola misericordia & proposito gratuitæ beneuolentiæ Dei. Ita etiā interpretari videtur D. Chrysostomus loco suprà citato ex homil. 1. ad Ephesios: quamuis & ibi dicat, *propositum* illud & *beneplacitum* gratiæ Dei, indicare *magnam quandam propensionem* diuinę voluntatis erga nostram salutem, &c.

TERTIO, neque in Christum ipsum, aut in eius merita, ac multò minùs in aliquod meritum hominū; sed solùm in *arcanum consilium* Dei, tanquam in propriam caussam, referendū esse *complexum* hoc totum seu coniunctum: scilicet quòd alius iustificatur, & alius non; qui tamen per auxilium saltem gratiæ specialissimum, quod magnis etiam peccatoribus aliquando conceditur, certissimè potuisset ad gratiam pertrahi. Huius totius cōiuncti seu complexi, ne Christi quidem merita sunt ꝓpriè causſa, sed inscrutabilia sunt, quod ad hoc attinet, iudicia Dei: idque proinvno relicto, qui saltem per specialissimum auxilium eligi etiam potuisset, & certò fuisset ad iustitiam attractus, alter eligitur. Qui etiam sensus colligitur ex disputatione Apostoli ad Rom. 9. & 11. & ex D. AVGVSTINO Tract. 26. in Ioannem: à quo præclarè super illa verba Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, scriptum est: *Quare hunc trahat, & illum* (coniunctim inprimis loquitur) *non trahat; noli velle iudicare, si non vis errare.* Ac in eandem sententiam sanctus PROSPER in libro contrà articulos falsò impositos Augustino, in responsione ad art. 14. (qui liber habetur tomo 7. operum D. Augustini) *Cur*, inquit, *illum retineat* (in gratia) *illum non retineat; nec possibile est comprehendere, nec licitum inuestigare: cùm scire sufficiat, & ab illo esse, quod statur, & non esse ab illo, quod ruitur.* Qua de re multa tomo 1. in quæstione de Prædestinatione disseruimus. Nunc satis sit ita refutasse SECVNDVM argumentum illorum Doctorum contra quos iam disputamus.

TERTIO insinuant præterea, pro sententia sua Doctores illi, tale argumentum: Si propterea quòd auxilia & dispositiones ad salutem necessaria sunt, Christus eiusmodi etiam gratiæ dona promeruit; pari ratione concludi poterit, nostram quoque naturam, atque item gratiam Vnionis ipsius Christi, immò Christum ipsum simpliciter, atque etiam ipsum Deum, existere ex Christi merito. Quoniam hæc omnia & singula ad salutem item nostram *necessaria* sunt, ad eamque suo modo conferunt.

RESPONDEO, magnum & clarissimum esse discrimen. Nam antecedētia *auxilia*, & *dispositiones*, sic ad salutem necessaria sunt, vt illis quoq;, ac simul aliis gratiæ donis, ipsa salus & liberatio à seruitute diaboli propriè contineatur, sicut ante sumus argumentati. Ita fit, vt quia Christus per meritum suum, salutis & liberationis nostræ à seruitute diaboli consummator est, id est, absolutus & perfectus auctor; illa etiam auxilia & dispositiones nobis meruerit, quemadmodū ex articulo redemptionis conclusimus.

Nostra verò natura, & Christus ipse, ac Deus, res quidē eiusmodi sunt, quæ ad salutem nostrā suo modo conferunt, & sunt necessariæ: sed tanquam quoddam tamen ipsam salutem nostram solùm antecedens: non verò tanquam id etiam, *quo* salus ipsa nostra, & liberatio à seruitute peccati *contineatur* proximè seu formaliter.

Ex his consequitur PRIMO, meruisse quoque Christum hominibus PRAEDESTINATIONEM; vt scilicet Deus, *quod in ipso est*, omnes per dona gratiæ, necessaria & sufficientia ad salutem, prædestinare *vellet*, atq; adeò eos *reipsa prædestinaret*, quos per eiusmodi dona prædestinauit ab æterno. Ita D. Thomas infrà q. 24. art. 4. Alensis 3. p. quæst. 3. membro 5. Durandus in 3. sentent. dist. 10. quæst. 3. num. 6. Et probatur. Quoniam meruit, vt ostensum est, omnes effectus prædestinationis, id est, omnia illa gratię dona, quibus salus

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominum propriè & formaliter cõtinetur. Hoc autem nihil aliud est, quàm meruisse, vt Deus ab æterno constitueret & *vellet* eiusmodi effectus (quod in ipso est quidem) omnibus dare, & iis etiam *reipsa conferret*, quos per constituta media ab æterno prædestinauit. Id verò est, meruisse Christum ęternam ipsam prædestinationem hominum: non vt est actus quidam Dei secundùm se & absolutè (sic enim non magis cadere potest in Christi meritum, quàm ipse Deus absolutè) sed vt refertur ad suos effectus, siue ad *obiecta* sua propria, quibus hominum salus formaliter continetur.

Quam quidem rem neque in illo loco ad Ephesios cap. 1. Apostolus præteriit; sed diserte docuit; inquiens: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in Christo.* Et rursus: *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ.* Atque item infrà: *In quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Et iam ratio est à nobis reddita, cur Apostolus illud simul adiungit, *secundùm propositum voluntatis suæ:* Item, *sorte* fieri hanc electionem, &c. Non enim meritum Christi absolutè excludit; sed significat, non esse in *nobis quidem* causam aut initium prædestinationis; quemadmodum nec iustificationis: item in solum consilium Dei occultissimum referendum esse *coniunctum* seu *complexum* hoc totum, scilicet quòd *hunc eligat atque trahat, illum autem non trahat, &c.* sicut exposuimus paulò antè.

Secvndo sequitur, huiusmodi gratiæ dona necessaria omnia, atque etiam prædestinationem, eo modo quo explicatum est, *omnibus omnino* hominibus, post peccatum, æquè Christum meruisse. Quoniam *omnes* similiter redemit, siue qui ante Christum, siue qui pòst vixerunt, quique aliquando futuri sunt. Quamobrem Apocalyp. 13. *Agnus* dicitur *ab origine mundi occisus.* Sed & D. Paulus ad Roman. 3. ob eandem rem disputat, *propositum fuisse Christum propitiatorem, propter remissionem præcedentium delictorum*, id est, vt reipsa solueretur precium, cuius respectu, quasi sub fidei iusione quadam, præterita etiam peccata fuerunt remissa. Hinc denique statim post peccatum promissio seminis benedicti mulieris, *quo serpentis caput conteretur*, facta est à Deo in Genesi cap. 3. quæ subinde postea sæpiùs est repetita.

Atque hæc quidem cùm ita sint, disputari tamen præterea potest, An etiam Christus meruerit gratiam illam & iustitiam, quæ data est Adae ante peccatum. Item; An meruerit *specialissima* quoque gratiæ dona, quibus nonnulli extraordinario modo sunt iustificati & prædestinati. Et videri alicui posset, non hæc etiam meruisse. Quia omnibus meritum Christi communiter atque æqualiter vtile fuit. Item meruit redimendo communiter omnes. At gratia illa & iustitia Adae, fuit ipsius Adæ singularis, neque præterea datur alicui per Christum: item *specialissima* gratiæ dona similiter non omnibus præstò sunt, sed Deus *quibusdam tantùm* illa vult conferre. Igitur neque illam *primam iustitiam* Adæ, neque ista *specialissima* dona gratię Christus promeruit. Accedit, quòd multorum, & D. Thomæ quoque suprà quæst. 1. art. 3. sententia est, Christum, nisi peccatum accidisset, non fuisse venturum. Ergo gratia & iustitia, quæ ante peccatum data est, omnibus modis videtur antecessisse Christum, & eius merita.

Respondeo nihilominus, Christum & *specialissima* illa gratiæ dona, & etiam gratiam atque iustitiam *primam* Adæ meruisse. Quod sanè de *specialissimis* gratiæ donis minùs negari posse videtur. Primvm, quoniam Apostolus in epistola ad Ephesios capite primo, generatim *prædestinationem* omnem & omne genus gratiæ, meritis Christi adscribit, inprimisque *electionem* suam & aliorum Apostolorum, discipulorumq;, qui tunc temporis erãt diuinitùs electi. At multi ex his (vt videtur omnino) per *specialissima* gratię auxilia, & non tantùm per *necessaria* ac sufficientia, diuinitùs prædestinati erant. Ergo illa item Christus promeruit.

Secvndo, nam idem Apostolus in epistola ad Rom. 5. & 1. ad Corinth. 15. generatim etiam pronunciat, *sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificari*: Quasi dicat, neminem prorsus, siue per *sufficientem*, siue per *abundantem* gratiam salutem consequi, nisi per Christum. Quemadmodum etiam ex eiusmodi Scripturæ locis generatim id disputat D. Augustinus lib. 6. contra Iulianum, cap. 1. & 12.

Postremo id etiam ea ratione probatur. Quoniam absurdum cogitatu etiam videtur, vt ij, qui singularibus, extraordinariisque auxiliis prædestinati sunt; Christo acceptam ferre non debeant totam suam prędestinationem. Hoc autem consequeretur, si non illis est ipse meritus illa *specialissima* auxilia.

Quod verò attinet ad gratiam & iustitiam *primam* Adae, probatur idem. Quoniam potest id optimè declarari & intelligi: & amplificat eiusmodi Assertio dignitatem meritorum Christi. Igitur ita sentiẽdum est. Hoc autem ita declaro. Nam siue Christus venturus alioquin fuisset, siue non fuisset: posito tamen, quòd *propter peccatum* venit omnino, & passus est: potuit Deus, qui omnia simul ab æterno in conspectu suo habuit, moueri etiam meritis & passione Christi, vt daret Adæ illam gratiam, & iustitiam *primam* antecedentem peccatum. Intelligendum est enim, posse, quod est vna ratione posterius altero, item esse prius eodem alia ratione; siue absolutè res ipsas secundùm se cogites, siue eas ordine quodam, non notitiæ ipsius, sed obiectorum referas ad intelligentiam ipsam, mentemque diuinam.

Etsi igitur vna quadam ratione merita Christi & peccato & consequenter eâ gratiâ, quæ antecessit peccatum, posteriora fuerint, tamen alia ratione fuerunt item priora. *Posteriora* quidem fuerunt, ea ratione formaliter, quatenus illis meritis Christvs à peccatis *redimebat* humanum genus, hoc est, gratiam impetrabat, per quam remitteretur peccatum. Sed vicissim tamen, ordine quodam (vt sic dicam) *morali*, fuerunt *priora*, quatenus certè erant absolutè *præclara* merita, & *digna* prorsus, quę compensarentur quoq; per illam gratiã, & iustitiam primam Adæ: licet per illam nullum peccatum ipsi remitteretur, quippe quæ anteceserit omne peccatum. Ac simili ratione rectè cum D. Bernardo serm. 22. in Cantica, defendi potest, gratiam quoq; & beatitudinem Angelorum Christum fuisse promeritum.

Quare ad argumentum pro contraria parte Respondeo, meritum Christi fuisse quidem communiter & æqualiter omnibus vtile, quatenus per illud comparata nobis sunt gratiæ dona *necessaria & sufficientia*, sine quibus redemptio & salus nostra non constat; nihil tamen obstat, quòminùs *aliquibus* peculiari ratione profuerit, secũdùm dona gratiæ extraordinaria, sine quibus videlicet potuit reliquis sua salus & redemptio sufficienter constare. Cur autem *quibusdã* Christus peculiari ea ratione profuerit, & aliis non; inscrutabilia sunt iudicia Dei. Neque hoc referri debet, nisi in *arcanum consilium diuinæ voluntatis*, ad quam etiam Christus voluntatem suam accommodauit, vt istis mereri vellet specialissima auxilia, non aliis.

Similiter de iustitia & gratia *prima* Adæ dico: cùm per illam propriè Christus, neq; Adam, neque alios homines redemerit; non opus fuisse, vt illam æqualiter omnibus mereretur. Quanquam quod in ipso quidẽ Deo est, meruit Christus, vt omnibus illam gratiam & iustitiam primam dare *vellet*, si Adam illam conseruâsset, ad posterosque, generationis propagine, transmisisset. Eo enim consilio Deus illi ab initio eam dederat. Qua ratione donũ illa iustitia fuit, non tantùm *singulare* illius personæ; sed etiam *commune* totius generis humani.

QVÆSTIO VIGESIMA.

De Subiectione Christi erga Patrem.

D. Thom. 3. part. quæst. 20.

De Christi svbiectione erga svvm patrem necessaria ferè explicauimus tomo primo, quæst. 1. de Trinitate, punct. 1. §. 21. circa finem, per occasionem illius loci, 1. Corinth. 15. Tunc ipse filius subiectus erit ei, &c. Quem locum sumus illic interpretati ex sentẽtia sanctorum Patrum. Breuiter igitur nunc complectemur rem hanc Vnico *Puncto.*

PVNCTVM PRIMVM.

An, & quomodo Christus sit subiectus suo Patri.

D. Thom. artic. 1. & 2.

Cvm Christvs, divina, et humana natura prędituss it; duo de hac re sunt tenenda, quæ etiam docet hîc D. Thomas. Primvm est, Christum secundùm *humanam* quidem naturam subiectum esse æterno suo Patri, & etiam sibiipsi, vt Deo. Quod ex triplici capite declaratur.

Primo. Quoniam Pater ęternus, & ipse Christus etiam, vt Deus, *supremum* obtinet bonitatis & perfectionis gradum, nempe *per essentiam suam*, neque dependet ab vlla caussa. Christus autem secundùm humanam naturam tenet bonitatis gradum *inferiorem*, scilicet participatum. Itaque ordine quodam *superioris & inferioris* gradus, subditus est tum Patri æterno, tum etiam sibi, tanquam Deo. Quod ipse insinuasse videtur Matthæi 19. iis verbis: *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi solus Deus*, id est, in supremo bonitatis gradu, *per essentiam*.

Secvndo ex eo, quòd humana Christi natura, *creata* quædã res est. Omnibus autem creaturis est commune, vt sint Dei authoritati potestatique subiectæ: iuxta illud Sapient. 16. *Creatura tibi factori deseruiens*; secundùm humanitatem igitur & Patri, & sibi, vt Deo, omnino est Christus subiectus. Quocirca D. Dionysivs libro de cœlest. hierarch. capite quarto: *Christus*, inquit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquit, *Dei primis ordinationibus subiiciebatur*. Immò Apostolus ad Philipp. 2. idem testatur, cùm ait, accepisse illum *formam serui*: multaq; in eandem sententiam AVGVSTINVS lib. 1. de Trinit. cap. 7. & aliâs.

TERTIO secundùm *humanam* naturam & sibi & Patri subiectus fuit, quatenus per omnia diuinæ voluntati obtemperauit: *Ego*, inquit, *quæ placita sunt illi, facio semper*, Ioan. 8.

SECVNDVM, quod in hac re teneri debet, est, Christum neque Patri æterno, neque sibi esse subiectum secundùm *suppositum* siue personam suam. Ratio est. Quoniam vnicum habet suppositum verè *diuinum*; nullum autem creatum. Quare vt nemini est subiectus secundùm naturam suam *diuinam*: ita nec secundùm suum *Suppositum*.

Ex quo tum Arrianorum, tum Nestorianorum blasphemia eliditur. Nam vtrique secundùm *Suppositum* commenti sunt, Christum esse suo Patri subiectum. Arriani: quoniam vnicum illud Suppositum, quod in Christo fatebantur, contendebant non esse *consubstantiale* Patri, sed creatum. Nestoriani: quoniam Christum in *duo Suppositа* diuidebant, & ratione Suppositi *creati*, tum Patri, tum sibi, illum dicebant esse subiectum. Qui error in Ephesina Synodo in Epistola ad Nestorium, reiectus est his verbis: *Neque ipse Christus sibi seruus est, neque dominus. Fatuum enim est, vel potiùs impium, hoc sentire & dicere*; intellige ratione Suppositi. Quo pacto Damascenus etiam lib. 3. de fide, cap. 21. disputat contra eundem errorem. Quo modo autem neque Arrianis suffragetur ille locus, 1. Corinth. 15. *Tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia*: fusè explicaui tomo 1. quæst. 1. de Trinitate, punct. 1. §. 21. circa finem.

ADDIT autem D. Thomas articulo secundo, quanquam hæc ita sint, tamen simpliciter & absolutè dici non debere, *Christum esse subiectum, aut sibi, aut Patri*; sed cum explicatione & additamento, scilicet *secundùm humanam naturam*, ne detur occasio erroris, aut faueri videatur Arrianis vel Nestorianis: Iuxta generalem Regulam, quam quæst. 16. punct. 2. tradidimus circa hoc Mysterium.

Immò Adrianus I. in epistola ad Episcopos Galleciæ, & Hispaniæ, quæ habetur tomo tertio Conciliorum, ante Synodum Francfordiensem sub eodem Adriano, & Carolo Magno; atque etiam eadem ipsa Synodus Francfordiensis asserunt, quòd ne secundùm humanam quidem naturam dici debeat Christus SERVVS, eamque vocem metaphoricè exponendam esse, sicubi (in veteri præsertim Testamento) reperitur Christo attributa: quemadmodum metaphoricè item intelligitur, quod Christus dicitur vitis & petra.

Sed tamen reiiciunt tantummodò sententiam Nestorianorum; ne scilicet ita intelligamus & dicamus, Christum secundùm humanitatem esse Patris seruum, siue Patri subiectum, sicut illi intelligebant: Nempe secundùm humanitatem subsistentem in *proprio & creato* supposito: ac proinde quia nomen, *Seruus*, propriè loquèdo, accipitur simpliciter pro persona subiecta; exponendum id esse ex hac parte (id est, quatenus id nomen accipitur pro *persona*) non nisi metaphoricè.

Ratione autem naturæ, per illud etiam nomen, *Seruus*, significatæ, dubium non est, quin propriè id nomen sit Christo attributum, & attribui à nobis ei possit. Sunt enim inuicem connexa *Seruitus* & *Subiectio*, respectu Dei. Constat autem, tum Scripturæ testimoniis, tum confessione Patrum, tum etiam ratione, Christum secundùm humanam naturam esse Patri *subiectum*. Ergo secùndùm humanam naturam verè & propriè Seruus quoque dici potest. Neque hoc est diuersum aliquid ab eo, quod ipse Dominus fatetur, Patrem esse maiorem se, seque adeò minorem Patre, secundùm humanam naturam. Qua ratione AVGVSTINVS etiam libro primo de Trinitate, cap. 7. dixit, Christum *seipso quoque esse minorem*.

Hoc igitur modo, scilicet ratione humanæ naturæ, nihil prohibet, quo minùs propriè intelligatur à nobis Scriptura, cùm in ea Christus, quatenus homo, appellatur seruus. Vt Psal. 115. *Ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ*. Quod de Christo intelligitur, teste Athanasio sermone 3. contra Arrianos non longè ab initio, & Diuo Augustino in Altercatione cum Pascentio Arriano, quæ habetur epist. 178. inter epistolas Augustini. Et Isaiæ 42. *Ecce seruus meus, suscipiam eum, &c.* Et ad Philipp. 2. *Formam serui accipiens*. Quo etiam nomine Christum appellant eodem sensu Patres. Vt Athanasius, & Augustinus, locis citatis, & Gregorius Nazianzenus Orat. 3. de Theologia, non longè à fine. Cyrillus Alexandrinus libro duodecimo Thesauri, capite vltimo, & alij passim. Porrò an & quomodo Christus fuerit etiam subiectus legibus diuinis vel humanis, dicemus opportuno loco infrà quæst. 22. puncto septimo.

QVÆSTIO VIGESIMA PRIMA.

De Christi Oratione.

D. Thom. tertia parte, quæst. 21.

EXPLICANDA *sunt duo.* PRIMO, *An Christus orauerit, & nunc etiam oret.* SECVNDO, *An omnis eius oratio fuerit impleta.*

PVNCTVM PRIMVM.

An CHRISTVS *orauerit, & nunc etiam oret.*

D. Thom. artic. 1. 2. 3.

STATVAM BREVITER NONNVLLAS Assertiones. PRIMA. Verè ac propriè Christus in hac vita orauit. Hoc quidem certum & indubitatum est. Id enim constat PRIMO ex Scriptura, tum in iis locis, quibus generatim indicatur, Christum orasse, tum in iis, quibus in specie commemorantur etiam nonnullæ Christi orationes, partim pro se, partim pro nobis. Primi generis sunt hi loci. Psalmo 54. *Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me.* Christus enim ibi loquitur, interprete Augustino. Et Lucæ 6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Et Lucæ 9. *Ascendit in montem, vt oraret, &c.* Posterioris autem generis sunt hæc testimonia. Matthæi 26. *Procidit in faciem suam, orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et Ioannis decimo septimo: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum.* Vbi pro se petit gloriam corporis, & celebritatem diuini sui nominis: iuxta ea, quæ rectè & perspicuè tradit D. Thomas articulo tertio. Et ibidem: *Ego pro eis rogo, &c. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: vt sint vnum sicut & nos.*

SECVNDO idem patet ex sanctis Patribus, qui sæpè affirmant, Christum ad declarandum, se esse verum hominem, & ad nostrum exemplum & institutionem orasse, atque adeò verè & propriè vtique, sicut nos debemus. Vide D. AMBROSIVM lib. 5. in Lucam, circa caput 6. vbi inter cætera ait, Christum orando, *ad præcepta virtutis suo nos informauisse exemplo.* Et S. AVGVSTINVM tract. 104. in Ioannem, vbi ait, Christum *ita voluisse se Patri exhibere precatorem, vt meminerit se nostrum esse Doctorem.*

TERTIO idem confirmari potest ex ipsa ratione & laude Orationis. Nam vt tradidimus tomo tertio, disputatione sexta, quæstione secunda, Oratio præstantissimus quidam actus Virtutis Religionis est, quo Deo defertur cultus diuinus, petendo ab ipso quidpiam tanquam ab omnipotente, & omnium supremo Domino. Igitur cùm Christus, vt homo, fuerit Deo subiectus (vt quæstione præcedenti explicatum est) & gloriæ ac cultus diuini studiosissimus; omnino fuit conueniens, vt quâ homo, Deum oraret, eumque afficeret cultu diuino per hoc Religionis officium.

Atque hinc quidem sequitur, Orationem in Christo non fuisse actum sensualitatis, sicut neque in nobis: quandoquidem habuit pro obiecto gloriam diuinam, quam non percipit vllus sensus. Itaque fuit omnino actus Rationis, sicut de Oratione nostra explicauimus tomo tertio, loco citato, & declarat facilè D. Thomas hîc articulo secundo. Qui & addit, eatenus tamen Orationem aliquâ Christi dici posse actum Sensualitatis, quatenus per eam petebat Christus aliquid, quod erat sensualitati consentaneum: Vt per orationem illam: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* De qua Oratione dicemus puncto sequenti.

SECVNDA Assertio. Christo non æquè fuit oratio necessaria, atque est nobis; tametsi & ille quoque suppositа ordinatione diuina necessariò orauit. Prior pars huius Assertionis inde patet, quòd nos adhibemus orationem, tanquâ medium ex se nobis necessarium ad obtinendũ quod à Deo postulamus, cùm illud ipsi per nos assequi nequeamus. Christus autem cùm idem ipse esset Deus omnipotẽs; potuisset alioqui per se assequi, quod vt homo petebat; vnde non perinde necessariò, atq; nos, ille orauit.

Atq; hoc quidem sensu Patres negare solent, Christum indiguisse oratione, aut verè orasse illo modo, quo nos, id est, ita, vt nos, necessariò. Quo pacto interpretatur D. Thomas articulo 1. ad 1. HILARIVM lib. 10. de Trinitate dicentem

Universidad de Deusto
Biblioteca

de Christo: *Non prece eguit: pro nobis orauit, ne filius ignoraretur.* Et AMBROSIVM in caput sextum Lucæ, vbi ait: *Noli infidiatrices aperire aures, vt putes filium Dei quasi infirmum rogare. &c.* Nec dissimiliter exponendum est, quod duriusculè DAMASCENVS lib.3. cap.19. ait, orationem quoq; dici de Christo *secundùm simulationem*, nimirum supradictæ necessitatis, vt apparet ex iis, quę deinde ibi subiungit Damascenus.

Posterior autem pars nostræ Assertionis (scilicet Christum supposita quidem ordinatione diuina necessariò orasse) potest colligi ex verbis illis æterni Patris ad Christum: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, Psalm.2. Quibus indicatur, ordinationem diuinam fuisse, vt Christus oraret. Vnde S. Thomas artic. 1. ad 2. rectè ait, inter alia, quæ Christus sciuit futura; fuisse, quòd quædam futura essent, propter ipsius orationes; nimirum ex ordinatione diuina, per quam rectè & conuenienter ita statutum fuerat, vt & veritas humanæ naturæ in Christo confirmaretur, & nos erudiremur eius exemplo.

TERTIA Assertio. Certum est, nunc etiam in cœlis orare pro nobis Christum vt hominem, alterutro modo: scilicet vel *expressè* petendo à Deo, vt nobis ea, quæ salutaria sint, conferat: vel certè *tacitè*, repræsentando ei suam humanitatem, quam in cruce obtulit pro nobis, vt in eam Deus intuens, bene nobis faciat. De hac Assertione ita disiunctiuè posita dubitari non potest. Nam id constat ex his Scripturæ testimoniis. Ioann. 14. Consolans eos illis verbis: *Vado parare vobis locum, &c.* inter cætera addit infrà: *Et ego rogabo Patrem* (nimirum postquam in cœlum ascendero) & *alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Et ad Roman. 8. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et ad Hebr.7. *Accedens per se ipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Et ad Hebr.9. *Non enim in manufacta sancta* IESVS *introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem, &c.*

An autem non solùm modo illo *tacito* (de quo dubium non est) sed omnino etiam per petitionem *expressam* pro nobis Christus nunc oret; non videtur esse satis certum. Nam Rupertus negat libro nono de diuinis Officiis, capite tertio, & Alexander Hallensis 4. p. quæst. 91. membro 1. & alij quidam. Contrà verò alij affirmant, vt sanctus Thomas ad Roman. 8. lectione 7. & ad Hebræ. 7. lectione 4. & Bonauentura tomo primo opusculorum, opusculo 39. capite 98. & alij.

Atque hæc sententia est longè probabilior. Nam nihil obstat, quò minùs allata Scripturæ testimonia propriè intelligamus de propriè dicta oratione; cùm à Christo homine, neque vt ab homine, neque vt à iam beato, oratio expressa sit aliquid abhorrens, vt patet in aliis sanctis beatis, qui nunc pro nobis orant. Atque ita etiam expressè sentit sanctus AVGVSTINVS epistola 59. paulò antè medium: *Nunquid*, inquit, *interpellat Christus, & non etiam postulat? Immò verò quia postulat, pro eo positum est, interpellat. Euidenter quippe alibi de eo dicitur: Aduocatum habemus apud Patrem, & ipse est Exoratio pro peccatis nostris.* Et idem indicant passim alij Patres.

Si qui autem ex illis videntur indicare contrarium; ij vel tantùm volunt, intercedere quidem nunc Christum *repræsentando* se Patri; non autem negant, intercedere quoque expresso illo modo: vel certè significant, non orare nunc pro nobis Christum illo abiecto & seruili corporis gestu, quo in terris orabat, & qui minimè decet illum beatitudinis statum.

Porrò etsi Christus expresè, vt dictum est, pro nobis oret, tamen rectè censet D. Thomas in Suppl.3. p.q.72.art.2.ad 3. nõ debere nunc nos à Christo petere, saltem absolutè & ordinariè vt oret *p* nobis; sed vt ipse nobis bene faciat, & *audiat nos*; ne scilicet videamur cõsentire Arrio vel Nestorio, qui ipsam Christi *personam* (ad quá in primis dirigi solet oratio) sentiebant esse creatam, & diuinâ inferiorem.

Quod inde etiam confirmatur. Quia in modo orandi absoluto & ordinario nõ tantùm debet attendi, quid possit absolutè fieri secundùm aliquam cõsiderationem; sed etiam quid *deceat*, iuxta receptum & vsitatum morem Ecclesiæ. Ecclesia autem minimè nunc solet Christum orare, nisi ab eo petendo id, quod optat, tanquam à diuina nimirum persona.

PVNCTVM SECVNDVM.

An omnis Christi oratio fuerit impleta.

D. Thom. art. 4.

RECTE notat Diuus Thomas, orationem aliquam eatenus impleri, quatenus impletur volũtas orantis, ex qua oratio procedit. Nam idipsum, quod volumus, petimus per orationem, tanquam per voluntatis interpretem. Itaque si voluntas orantis impletur; eo ipso etiam oratio impletur.

Hoc posito, respondendum est breuiter ad Quæstionem propositam per distinctionẽ cum eodẽ D. Thoma hic, & aliis Theologis in 3. sentent. distin.17. Nam triplex est Christi voluntas. Vna *sensualitatis*: Altera *Rationis deliberatæ* secundùm aliquas considerationes tantùm, atque adeò *secundùm quid*: Tertia Rationis *vndequaq;* deliberatæ, id est, omnibus consideratis, quæ idcirco nominatur voluntas absoluta & efficax. Iam statuo duas Assertiones.

PRIMA. Oratio Christi proficiscens ex prima, & secunda voluntate, non semper fuit impleta. Nam talis fuit illa oratio Christi minimè impleta: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste:* Siquidem voluntate sensualitatis, & Rationis deliberatæ *secundùm quid* (spectata scilicet propensione naturali ad viuendum) petiuit incolumitatem à morte, iuxta communem quidem Patrũ interpretationẽ, quam suprà sumus secuti q.18.

Quanquam Hilarius quidem can.31. in Matthæum, citatus etiam à Magistro in 3. dist.17. & à D. Thoma hîc, aliud quiddã per verba illa Christum petiuisse dicit; nempe vt mortem patienter sustinendo, Martyres quoque ipsum imitarentur. Sed prior expositio est communior, & magis consentanea verbis illis Christi: *Si possibile est*; & illis item: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Nam quòd Martyres postea patiẽter morerentur, omnino possibile, & ex diuina quoq; voluntate fuit.

Ac de eiusmodi Christi oratione intelligi potest, quod ex Christi persona dicitur in Psalmo 21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Quibus postremis verbis significatur, fuisse nihilominus rectè & vtiliter institutam eiusmodi Christi orationẽ: Tum vt per illam indicaret, se verum esse hominem, qui naturaliter mortem horreret, instar aliorum (vt diximus q.18.) tum etiam ad præbendum nobis patientiæ exemplum imitandum, quando aliquid secus euenit, quàm optauimus & petiuimus, vt pulchrè notauit AVGVSTINVS epist.121. ad Probam, de orando Deo, cap. 14. *Si aliquid*, inquit, *contrà quam oramus, acciderit; patiẽter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc potius oportuisse, quod Dei, non quod nostra voluntas habuit, minimè dubitare debemus. Nam & huiusmodi exemplum præbuit nobis Mediator, qui cùm dixisset: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste; continuò subiecit. Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis Pater.* Denique valuit etiam eiusmodi Christi oratio ad consolationem piorum, ne scilicet perturbentur & despondeant animum, si quando & ipsi ex naturali affectu aliquid volunt & optant, quod non item vult Deus.

Quod etiam annotauit S. AVGVSTINVS in Psal. 32. concione 1. non longè ab initio, vbi expendens hanc Christi orationẽ: *Ostendit*, inquit, *quandam hominis propriam voluntatẽ, ostendit & correxit te. Ecce vide, inquit, te in me: quia potes aliquid proprium velle, vt aliud Deus velit. Conceditur hoc humanæ fragilitati, &c. Verùm statim cogita, quis sit supra te, & c. corrigens te, subiunganſq;, voluntati eius ac dicẽs: Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater.*

SECVNDA Assertio. Omnis Christi oratio procedens ex absoluta voluntate ipsius, est impleta. Id patet primò ex Scriptura, Ioan. 11. *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Et ad Hebr.5. *Exauditus est pro sua reuerentia.* Secundò idem patet ratione manifesta. Nam voluntate absoluta nunquam Christus voluit aut orauit, nisi quod sciuit Deum velle voluntate etiam *absoluta*, cùm fuerit eius voluntas absoluta conformis semper cum diuina. Sed voluntas absoluta Dei semper impletur. Ergo etiã omnis talis oratio Christi.

Atque eiusmodi fuit oratio illa: *Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu.* Id quod impletũ est. Item illa Lucæ 22. *Pater ignosce illis.* Siue hoc orauerit pro illis solis crucifixoribus, qui fuerunt prædestinati, vt vult D. Thomas hîc ad 2. siue etiam pro aliis: nam etiam id, quod pro eis petiuerit, impletum est, scilicet vt per Deum quidẽ non staret, quò minus eis ignosceret. Quo quidem modo possumus intelligere, quod absoluta voluntate pro salute *omnium omnino* orauerit, sicut pro omnibus omnino mortuus est.

Nam quantum in Deo quidem situm est, omnes omnino possunt saluari, & vt hoc *possint*, vult etiam Deus absoluta voluntate, conferendo omnibus sufficientia auxilia, iuxta ea, quæ fusè de hac re disputauimus tomo 2. q.3. de Gratia, p.4. Ipsam autem *actualem* salutem omnium non vult Deus voluntate absoluta & efficaci, sed solùm voluntate antecedenti, vt tradidimus tomo 1. disp.1. q.19. p.2. Et consequẽter neq; Christus orauit voluntate absoluta pro *actuali* quidem salute omnium omnino hominum; bene autem, vt omnibus esset *possibilis* salus, sicut reuera est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO VIGESIMA SECVNDA.

De Christi Sacerdotio, & aliis eiusdem officiis.

D. Thom. 3. parte, quæst. 22. & 26.

DIVVS THOMAS IN HOC TRACTATV SOLVM FERE DISserit de officiis Christi, quatenùs fuit Sacerdos, & quatenùs fuit Mediator, & quatenùs fuit caput Ecclesiæ. Sed officia siue munera Christi Dei & hominis, de quibus operæ precium erit hoc in loco simul disputare, decem ferè in vniuersum ex S. Scriptura colligi ac numerari possunt; licet illorum aliqua Christus exercuerit operationibus (vt suis locis videbimus) non re, sed ratione tantùm diuersis. Est enim REDEMPTOR seu Saluator generis humani, MEDICVS seu sanctificator animarum, CAPVT Ecclesiæ, MEDIATOR Dei & hominum, SACERDOS seu Pontifex, PROPHETA, REX & pastor animarum, LEGISLATOR, DOCTOR, denig. IVDEX constitutus viuorum & mortuorum. De his igitur officiis omnibus (excepto officio capitis, de quo per aliam occasionem dictum est suprà quæst. 8.) quanta fieri poterit perspicuitate & breuitate sic ordine disserendum iam est, vt singulorum ratio, & vsus, & effectus constet.

PVNCTVM PRIMVM.

De Christo REDEMPTORE.

EXplicandvm est Primo, Quænā fuerit Ratio huius Christi muneris. SECVNDO, Quisnam fuerit eius effectus. TERTIO, Quibusnam operationibus, & quomodo, Christus executus fuerit istud munus. Quod caput postremum breuius hoc loco disserendum erit, cùm multa, quæ eò pertinent, suprà à nobis expedita sint opportunis locis, scilicet q. 1. p. 5. vbi disseruimus de Christi satisfactione, & q. 19. p. 2. vbi disputauimus de Christi merito.

Quod igitur ad PRIMVM attinet, Rationem huius Christi muneris ita explico. Redimi res aliqua tum dicitur, cùm oblata compensatione seu precio, vendicatur à potestate vnius in potestatem alterius, cuius anteà erat. Hæc communis ratio redemptionis accommodanda est dextrè ad propositum: vt intelligamus, quemadmodũ Christus humani generis redemptor fuerit. Nam secundùm eam vocabuli rationem passim Scriptura sacra docet, ipsum à potestate diaboli redemisse nos Deo: Vt Psalm. 106. & 110. & 129. Isaiæ 52. Matth. 20. Marci 10. Lucæ 1. ad Roman. 2. ad Galat. 3. ad Ephes. 1. ad Colos. 1. & 1. ad Timoth. 2. ad Tit. 2. 1. Petri 1. Apocal. 5. De quo vide D. Hieronymum lib. 2. Comment. in Epistolam ad Galat. cap. 5.

Considerandum igitur diligenter est, homines per peccatum neque omnino decessisse de potestate & seruitute Dei, neque etiam omnino A venisse in absolutum potestatem & seruitutem diaboli. Nam absolutè quidem is habet rem aliquam in potestate, qui ius obtinet, arbitratu suo quolibet modo constituendi de illa. Hoc ius absolutum & potestatem in homines, neque Deus amisit propter hominũ peccata, neq; diabolus acquisiuit. Etenim Domini est non orbis modò terrarum, sed *plenitudo* etiam *eius, & vniuersi, qui habitant in eo.* Psalm. 23. Quod explicauit etiam D. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 12. Quò fit, vt non plus possit Dæmon aduersus homines, quã permiserit illi Deus, qui æquè ipsorum Dæmonum, atque hominum est absolutus Dominus.

Nihilominus ratione quadam verisimè atque Catholicè dicitur, homines propter peccatum è seruitute & potestate Dei venisse in seruitutem diaboli. Nam sine diuinæ gratiæ præsidiis, quæ per peccatum amiserunt, neque à peccato resurgere, neq; peccatum vitare possunt; sed necesse est eos, nisi diuina gratia iuuentur, & aliquando peccare mortaliter, & in peccati statu permanere. Itaque necessitatẽ quandam, quantum in ipsis quidem est, per peccatum incurrerunt, obsecundandi in ea re, contrà voluntatem Dei, voluntati diaboli, quod verisimè est, illos ea quidem ratione factos esse diaboli seruos. Illud enim maximè diabolus propter odium erga Deum, & inuidiam, qua flagrat erga humanum genus, cupit & agit, iam inde ab initio, vt homines & perseuerando in peccato (cuius ipse

suasor

suasor fuit) & alia deinceps peccata committendo diuinam Maiestatem offendant. Itaque eatenus in miserabilem quandam seruitutem diaboli propter peccatũ homines venerũt. Quemadmodum S. Augustinus docuit in Enchiridio capite trigesimo, & S. Bernardus epistola centesima nonagesima prima. Vt præteream interim, quod Diabolo etiam, tanquam tortori, iusti homines adiudicati: sicut notat auctor operis imperfecti in Matthæum homil. 11. interpretans illud: *Et Iudex tradat te ministro, &c.* Matth. 5.

Simul etiam decesserunt homines eo ipso ratione quadam ex potestate & seruitute Dei. Etenim amissa gratia; neque ipsi naturæ suæ viribus seruire Deo in re quadam maximè Deo grata possunt, nec etiam illis, quamdiu quidem in eiusmodi statu peccati manent, potest Deus tanq; bonis seruis ad eam ipsam rem vti. Ea verò res est, vt homines sancta & salutari charitate cum Deo primùm quàm arctissimè coniuncti, optimis tum huius, tum aliarum virtutum officiis gloriam eidem, ita vt oportet, concilient. Hoc enim est in primis tributum, quod Deus ac Dominus noster requirit à seruis Deuter. 10. Et tamen retinet nihilominus absolutè & simpliciter (vt antè dictum est) ius suum integrum & potestatem Deus in peccatores: quoniam absolutè quidem ad illud etiam præcipuum obsequium charitatis, aliarumque virtutum salutarium vti ipsis potest: Si videlicet eorum immutet animos, donando gratiam, eosque reddat ex iniustis iustos. Sed quia ex illa *hypothesi*, id est, *quamdiu peccatores quidem in statu peccati manent*, non potest ipsis Deus, vt dictum est, ad illud obsequium charitatis vti: ideo dicimus, illos ratione quadam quasi de potestate & seruitute Dei decessisse.

Hæc doctrina multis in locis Scripturæ sacræ traditur. Primùm enim ob eam rem *iusti* ac *pij* homines, peculiari quadam ratione, *serui* Dei nominantur. Numeri duodecimo & decimoquarto, Iosue vigesimo quarto, 2. Reg. 3. Iob 1. & 2. Psalmo septuagesimo septimo, Isaiæ quinquagesimo quarto, ad Galat. 1. ad Ephes. 6. &c. Contrà mali & peccatores dicuntur quadam ratione non esse Dei, sed *diaboli serui*. Vt in Epistola ad Romanos capite octauo: *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et in Euangelio Ioan. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati*, & consequenter diaboli, ratione peccati, vt explicatum est. *A quo enim quis superatus est, huius & seruus est.* 2. Petri 2. Quam rem Apostolus eodem planè modo declarasse videtur, 2. ad Timoth. 2. *Deus*, inquit, *det illis pœnitentiam, & respiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.* Quo loco perspicuè docet, rationem huius captiuitatis ac seruitutis in eo esse, quod homines peccatorum laqueis, vt est dictum, constricti teneantur, secundùm diaboli voluntatem.

Maximè autem ex instituto idem Apostolus vtramque doctrinæ partem, scilicet quomodo homines per peccatum *decedant* ex seruitute iustitiæ & Dei, & incidant in seruitutem peccati & Diaboli, tradit ad Romanos sexto: *Nescitis*, inquit, *quoniam, cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis: siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam.* Et paulò pòst: *Cùm serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* Id est, cùm ad voluntatem diaboli peccato constricti tenebamini, illiusque adeo serui eratis, liberati quodam modo eratis à seruitute iustitiæ & Dei. Quod verbis, quæ continuò subiungit, magis declarat. Sequitur enim: *Nunc verò liberati à peccato: serui autem facti Deo: habetis fructum vestrum in sanctificatione, &c.* Quod antè vocauerat *seruitutem iustitiæ*, nunc vocat *seruitutem Dei*, quia vt diximus, secundùm iustitiam peculiari quadam ratione sumus in seruitute Dei; sicut contrà secundùm peccatum, è seruitute Dei venimus in potestatem diaboli.

Hanc ob caussam ab ipso etiam Domino Iesu Christo diabolus Ioan. 12. *mundi huius princeps* est appellatus; id est, princeps ac Dominus malorum omnium, qui habitant in mundo, inquit D. Augustinus tract. 52. in Ioannem. Cuius & illa ibidem luculenta est hac ipsa de re oratio: *Possidebat*, inquit, *diabolus genus humanum, & reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum: dominabatur in cordibus infidelium.* Vide etiam Eusebium Emis. homil. 11. de Paschate. Vbi propterea ad diabolum accommodat illud: *Perdix fouit, quæ non peperit.* Hieremiæ decimo septimo. Item Origenem in caput decimum quintum Matthæi, vbi dicit, diabolum ita dici Deum ac Principem seculi, sicut venter dicitur Deus eorum, qui ventri dediti sunt, &c.

Porrò quoniam homines per peccatum, & extra seruitutem Dei, & in seruitute diaboli sunt hunc in modum non aliquo iure ipsius diaboli, sed duntaxat iure Dei iustissimè permittentis illos esse in eiusmodi statu peccati: idcirco vt ab ea seruitute redimerentur, non diabolo, sed Deo facienda compensatio fuit. Id est, non Diabolo, sed ipsi Deo (vt tradit etiam S. Gregorius NAZIANZENVS oratione secunda in Pascha, post medium) precium fuit offerendum pro iis *gratiæ diuinæ* donis, in quibus libertas ab ea diabolica seruitute consistit: iuxta illud Apostoli 2. ad Corinth. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.*

Hinc Paulus 1. ad Tim. 2. *Dedit*, inquit, *semetipsum redemptionem pro omnibus*, nempe Deo. Et ad Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis, oblationẽ & hostiam Deo.* Et 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed precioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati Christi.* Et Apoc. 5. *Redemisti nos Deo, in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.* Quod ipsum quidem facturum se, atque adeo nos à potestate diaboli,

qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui mũdo, vt antè diximus, quodammodo dominabatur, erepturũ, ipsemet Christus, instante passione, verbis illis expressit. Ioan. 12. *Nũc Princeps mundi huius eiicietur foràs. & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, id est, redimam Deo.

Ex his & RATIO huius præcipui muneris, quo Christus secundùm fidem Catholicam functus est, vtcunq; intelligitur, & error etiam Petri Abailardi, apud D. Bernardum epist. 191. circa medium, redarguitur, qui negabat, Christum humanum genus à seruitute diaboli redemisse, quoniam nullum diabolus acquisiuisset ius in illud. Non intelligens, quemadmodũ vna quadam ratione fuerint homines per peccatum captiui diaboli, in eiusque seruitute, vt antè ex diuina Scriptura declarauimus.

Cæterùm nisi quædam prætereà & de EFFECTV huius officij, & de OPERATIONIBVS ac modo, quo Christus illud obiuit, explicemus, non satis distinctè illius ratio à nobis percepta erit. Quin & videri alicui posset (nisi aliquid prætereà doceamus) ex dictis id esse consequẽs, quod manifestè falsum est: scilicet peracta iam semel redemptione per Christum, nullos hominum esse, aut fuisse, aut futuros vnquam esse, qui peccatis obstringantur, sintque adeo serui diaboli. Etenim eadem fide, qua constat, Christum redemisse humanum genus, constat etiam redemisse illud ab omnibus omnino peccatis, quæ vnquam facta sunt, aut fiunt, aut aliquando fiẽt. *Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* 1. Ioan. 2. *Et hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1. Quod si ab omnibus igitur mundi peccatis, & à iugo diaboli cunctos homines liberauit Christus; qui fit, vt sint nihilominus, & fuerint, & futuri sint in mundo multi captiui ac serui diaboli propter peccata? Dicendum itaque prætereà est, & de *effectu*, & de *vsu* huius Christi officij, vt intelligamus, quatenùs homines sint per Christum redempti.

Quod igitur ad EFFECTVM attinet, rectiùs ille intelligetur, si consideremus diligenter miseriam, in qua iacebat genus humanum, cùm esset alienatum à Deo propter peccatum, atque adeo in seruitute diaboli.

Offensa igitur atque indignatio Dei, quam iustissimè per peccatum incurrit humanum genus, duobus quasi gradibus continebatur. Nam primùm gratia nos ille beneuolentiaq; sua gratuita & supernaturali destituit, æternęque damnationi addixit, quantum in peccatis nostris situm erat. Hæc sententia Damnationis erat in illo *chirographo*, de quo ad Colosss. 2. & in *Maledicto Legis*, de quo ad Galat. 3. Deinde firmiter etiam statuit, nobis, quidquid per nos vnquã ad compensandam iniuriam ipsi illatã faceremus, nunquam reconciliari. Id etiam apparet ex iis omnibus Scripturæ locis, in quibus propterea significatur, necessariò debuisse Christum pati secundùm consilium Dei, vt salutem consequeremur. Vt Isaiæ 53. Matth. 16. & 26. Lucę 24. Ioan. 11. & 13. ad Rom. 8.

Ita fit, vt absoluta peccatorum remissio, & liberatio à miseria & seruitute peccati ac diaboli, duobus etiam quasi gradibus constet. Quorum PRIMVS est, vt Deus, quantum in ipso est, hominibus reconciliari *velit*, adeóque suppeditare ipsis præsidia, quibus indigent, vt in ipsius gratiam redeant, & pœnam peccatis debitam euadant, & aditum habeant ad beatitudinem æternam. ALTER gradus est, vt eos tandem in gratiam suam *recipiat*, reatuque pœnæ soluat, iusq; ipsis & aditum ad beatitudinem faciat.

Iam Christus Dominus vtrumque gradum remissionis peccatorum, liberationisque à miseria seruitutis diaboli, redemptionis opere cumulatissimè obtinuit nobis. Sed alio atque alio modo. Priorem quidem ita, vt sine vllo alio medio omnes homines, hoc ipso tantùm, quòd Christus semel passus est, eum consequerentur. Hoc enim est, deleuisse ipsum, vt Apostolus ad Colosss. 2. inquit, ac sustulisse de medio *Chirographum decreti contrarium nobis: & affixisse illud cruci*: flexisse nimirum à seueritate, quam peccata merebantur, ad misericordiam æternum Patrem, vt quantum in ipso est, vellet iam omnibus propter Christum reconciliari, opemque ferre, vt in eius gratiam redeant, reatuque pœnæ æternæ soluantur, habeantq; ius & aditum ad beatitudinem. Posteriorem autem gradum, scilicet vt homines in gratiam tandem Deus recipiat, reatuque pœnæ æternæ soluat, iusque iis conferat ad beatitudinem, ita Christus illis obtinuit, vt non nisi certa ratione & mediis, præter passionem suam ad id necessariis, illum consequerentur. Cuiusmodi media sunt, Fides, Baptismus, Pœnitentia, Obedientia, &c. Iuxta hæc Scripturæ loca: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Marci 16. Et; *Vt prædicaretur in nomine eius pœnitentia & remissio peccatorum.* Lucæ 24. Et; *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Hebr. 5. Vt iam alia testimonia prætereamus.

Porrò duplex hic reconciliationis gradus, atque item diuersus hic modus, quo dicimus gradum vtrumque nobis esse à Christo partum, Apostolus planè in epist. 2. ad Corinth. cap. 5. explicauit. Ibi enim primò, omnes homines, quãtum est ex parte Dei, iuxta primum illum remissionis peccatorum gradum, reconciliatos iam esse Deo significat, inquiens: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Deinde nos ad reconciliationem prætereà, iuxta posteriorem alterum gradum, qui pendet etiam ex aliorum mediorum vsu, operandam hortatur, cùm ibidem subiungit: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, reconciliamini Deo.* Sicut alibi etiam monet in eadem epistola cap. 7. vt *emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Quasi apertè significet, nostrã etiam operam, adiuuante ipso Deo, necessariam esse, & valere, vt ex omni parte demùm, id est, iuxta posteriorem illum gradum quoq; sanctificemur, atque adeo reconciliemur cum Deo.

Cum qua doctrina D. Pauli pulchrè mihi, vt alia nunc omittam, consentire D. Ioannes videtur in suo libro Apocalypsis. Nam vno in loco, scilicet cap. 1. de Christo sic dicit: *Qui dilexit nos, & LAVIT nos à peccatis nostris in* SANGVINE *suo.* In alio verò, nimirum cap. 7. de iis agens, quibus immensum hoc redemptionis beneficium integrè, atque absolutè profuit, hoc modo loquitur: *Hi sunt, qui venerunt ex tribulatione magna, & LAVERVNT stolas suas, & dealbauerũt eas in* SANGVINE *Agni. Ideo sunt antè thronũ Dei.* Vides hîc, quomodo etsi Christus sanguine suo in cruce lauerit nos, hoc est, nobis absolutam remissionem peccatorum, modo, quo declaratum est, obtinuerit; tamen ipsi etiam in eodem sanguine lauare nos debeamus, ob illũ scilicet posteriorem gradum remissionis peccatorum, quem mediis demùm quibusdam obtinere oportet. Quare rectè quoque in eandem sententiam Isaias cap. 1. Lauamini, inquit, & mundi estote. Hebraicè rahatsu, id est, lauate vos.

Neque dubium est, quin orthodoxorum etiam Patrum hæc eadem sententia sit. Ideo enim rectè D. PROSPER libro contra articulos falsò impositos Augustino in responsad 1. artic. hunc in modum scripsit: *Cùm per vnam omnium naturam, & omnium caussam, à Domino nostro in veritate susceptam, redempti omnes rectè dicantur: non tamen omnes à captiuitate sint eruti: Redemptionis* PROPRIETAS (id est, absoluta redemptio quoad vtrumque illum reconciliationis gradum) *haud dubiũ, penes illos est, de quibus Princeps huius mundi missus est foràs, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi.* Suffragatur autẽ huic Prosperi orationi sacra Scriptura: quæ licet affirmet, Christum dedisse se *redemptionem pro omnibus*, essèq; eum propitiationem pro *totius* mundi peccatis; tamen propria quadam & singulari ratione eos redẽptos esse significat, qui remissionem peccatorũ quoad vtrumque gradum absolutam obtinent. Sic illum Dauidis locum Psalm. 106. intellexit Bernardus epist. 191. *Dicãt, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici.* Et scholę Theologi, quicquid cauillentur Sectarij, nihil diuertradunt. Hoc enim significare voluit D. Thomas 3. p. q. 49. art. 1. ad 3. cùm dixit; Christum sua passione nos à peccato liberauisse *caussaliter*: quia scilicet præsidia necessaria salutis hominibus comparauit, vt quod in Deo quidem est, omnes, qui eo beneficio vti velint, à quibuscunque peccatis, quæ vnquam faciant, liberari queant. Vt si quis Medicus, inquit, faceret eiusmodi medicinam, per quam possint omnes morbi sanari.

Atq; idipsum est, quod etiam ab iisdem scholæ Theologis dici solet, Christi passionem operatam esse peccatorum omnium remissionem, quoad *sufficientiam*, non quoad applicationem seu efficaciam. Quo sanè dicendi modo minimè illi, vt Sectarij calumniantur, absolutè negant, Christi passionem efficacem fuisse, vt hominibus peccata remitterentur; sed explicant certè, quatenùs Christi passio id effecerit. Nimirum ita, vt quò in gratiam demùm homines recipiãtur, ipsisque remittantur omni ex parte peccata, appliceturq; proinde virtus passionis Christi, certa prætereà media diuinitùs constituta, requisita sint, sine quibus integra salus non acquiritur. Quæ sententia moduq; loquẽdi Theologorum, ex præclaro illo dicto D. PROSPERI manauisse videtur: *Poculum* (inquit, vbi suprà) *immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra* (id est, de natura humana assumpta à Dei filio) *& virtute diuina, habet quidem* IN SE, *vt omnibus prosit: Sed si non bibitur, non proficit.*

Igitur vt rectè intelligamus, quis propriè fuerit effectus redemptionis per Christum factæ, & quomodo ille nobis eo Christi beneficio proueniat; distinguere nos oportet duplicem illum gradum reconciliationis hominum cum Deo, atque item diuersum illum modum, quo Christus nobis vtrumque obtinuit: eaq; doctrina ad redemptionis effectum applicanda est, quocunque tãdem nomine ille significetur. Nam significatur à Catholicis Doctoribus, conuenienter Scripturæ sacræ, diuersis modis; qui tamen omnes in eãdem rem à nobis iam explicatam conueniunt. Nunc enim dicitur Christus passione sua, atque adeo opere redemptionis obtinuisse nobis *salutem*, Actor. 4. Hebr. 2. & 5. nunc aperuisse generi humano ianuam regni cœlestis, quatenùs sustulit videlicet impedimentum peccatorum, quæ aditum ad beatitudinem præcludebant, vt Hebr. 10. nunc *reconciliasse* nos Deo, vt dictum est, Rom. 5. 2. Cor. 5. nunc *liberasse* à peccatis, Rom. 6. Quæ omnia, vt perspicuum est, eôdẽ recidunt, eaq; Christus præstitit hoc ipso, quòd à seruitute diaboli in libertatem filiorum Dei nos vendicauit eo modo, quo hactenùs est expositum.

Quæ cùm ita sint; PRIMO satis intelligitur illud, quod anteà dicebamus, explicatione indigere: scilicet quare perfecta iam redemptione per Christum, non omnes tamen sint prorsus liberi à peccato. Ratio in prõptu est: scilicet quia multi non vsurpãt requisita media, sine quibus noluit Christus contingere remissionem peccatorum, quoad posteriorem gradum suprà expositum.

SECVNDO ex dictis etiam apparet, absurdissimam esse & ineptam illam argumentandi formam, qua hæretici nostri solent vti contra Catholicos in controuersiis præcipuis de Religione. Cùm enim disputatio nobis cum illis est, de

Universidad de Deusto
Biblioteca

mediis necessariis ex parte hominum, ad obtinendam salutem; cuiusmodi sunt *dispositiones* requisitæ ad consequendam gratiam: *merita* necessaria ad beatitudinem comparandam: *satisfactio* ad remissionem temporalis pœnæ pro peccatis debitæ: & alia huiusmodi; alterutro modo è duobus (qui tamen eôdem pertinent) solent contra nos formare argumentum ex officio Christi Redemptoris. Contendunt enim esse ex nostra doctrina consequens, passionem Christi non fuisse sufficientem ad nostram salutem, aut certè irrumpere nos etiam in officium proprium Redemptoris, id est, velle nostris siue mediis, siue cooperationibus ipsum adiuuare in redimêdo nos, quasi non id satis ipse solus præstiterit.

Qua ex re manifestissimum est, istos nõ propugnare passionem Christi, sed ignorare penitus, quæ nam fuerit illius efficacia atque virtus, & quemadmodũ nos Christus redemerit. Nam primum quid ad Apostolum dicent, qui 2. Corinth. 7. monet, vt *perficiamus* ipsi sanctificationem nostram? An ideo negat Redemptoris munus â Christo expletum esse; aut nos ad eam rem hortatur, vt Christo quasi deficienti in eo sustinendo munere auxiliarem nauemus operam? Item cùm D. Ioannes Apocal. 7. vult, vt postquâ lauit nos in sanguine suo Christus, itidem in eodem sanguine lauemus ipsi nos: an idcircò sentit, Christum imperfectè, nec quantum ad Redemptoris officiũ pertinebat, nos lauisse? Hæc, si neque Apostolo Paulo, neque D. Ioanni rectè obiici possunt, apparet profectò ineptam, vt dixi, & absurdam esse formam illam argumentandi, quam Sectarij contra nos vsurpant.

Patet enim ex his, quæ hactenus secundùm Scripturas sanctas disputauimus, posse nos, peracta redemptione per solum Christum, efficere aliquid, adiuuante Deo, quod conferat & suo modo valeat ad obtinendam salutem, ex parte illius posterioris gradus, cuius executio pendet ex vsu mediorum aliquorum. Neque verò propterea, vel Christi passio ad effectũ redemptionis proprium sufficiens non fuit: vel nos mediis, aut cooperationibus nostris Christum in obeundo proprio suo officio Redẽptoris iuuamus.

Hac enim ratione propriè Christus Redemptoris officio functus est, quòd virtute passionis suæ, & quidem (vt q. 1. p. 5. docuimus,) secũdùm iustitiæ rigorem, obligauit æternum Patrem, vt quantùm in ipso est, sponsione facta, vellet omnibus reconciliari, conferreque salutem, atque adeo etiam id faceret, quatenùs ipsi quidem homines vterentur mediis, quæ propter ipsorum vtilitatem maiorem, quasi ex conuentione inter Christum & ipsum æternum Patrem inita, ad eũ effectum valerent. Hanc autem obligationem sine adminiculo prorsus alicuius cooperationis nostræ, aut vsus mediorum, Christus per semetipsum solus, æterno Patri iniecit, vt sic dicã. Hìc *torcular calcauit* ipse solus, Isaiæ 63. Hic nihil ipsũ iuuimus, aut iam iuuamus: scilicet vt, quemadmodum anteà expositum est, alio atq; alio modo vtrumque illum gradum reconciliationis & salutis, simul eodem redemptionis opere, hoc est, morte & passione sua in cruce nobis compararet.

Tenetur quidem Deus (vt tomo 2. disput. vlt. q. 6. probauimus) propter bonitatem quoque nostrorum operum, vt â gratia per Christũ parta, procedunt, nobis conferre effectum *meriti* & *satisfactionis* nostræ (hæc enim duo potissimùm isti vrgent) sed tamen, non nisi quatenùs ea opera substant item (vt ita dicam) diuinæ promissioni: quam quidem promissionẽ minimè nos meritis aut satisfactionibus nostris primũ obtinemus, sed solus Christus, vti dictum est, illam suorum meritorum vi, à Deo Patre impetrauit. Quare cùm proprium officium Redemptoris non intelligamus obiuisse Christum, nisi quatenùs hanc etiam promissionẽ nobis meruit; perspicuum est, nos minimè Christum adiuuare in obeundo munere suo proprio Redẽptoris. Huc accedit, quòd non ideo illo modo satisfacimus ac meremur, quoniã Christi satisfactioni ac meritis aliquid defuerit: sed vt effectum satisfactionis nostræ ac meriti, cum dignitate quadam per Christi gratiam, & maiori commodo nostro, ipsi assequamur.

Dicet iam aliquis: Nonnè Deus, quod in ipso est, hominibus reconciliari, ipsisque salutem voluit conferre tunc, cùm iam inde ab æterno *sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dare* statueret? Ioan. 3. Nonnè voluit spontè ipse mittere, vt Psalmista Psalm. 110. dicit, *populo suo redemptionem?* Hoc si ita est, non videtur Christus passione sua primùm obtinuisse, vt Deus, quod in ipso est, vellet hominibus reconciliari, salutemque ipsis cõferre. Anteceſsit enim bona illa Dei voluntas (qua ita dilexit mundum) & Christum ipsum, & Christi passionem omnibus modis.

RESPONDEO, Deum quidem per se, suaque sponte, tanquam primordiali quadam voluntate, & consilio suo primo, voluisse reconciliari hominibus, eo ipso, quòd mera misericordia erga homines commotus, voluit illis prouidere & mittere reconciliationis & salutis remedium; ea tamen voluntate præcisè & formaliter considerata, nondum voluit immediatè & proximè hominibus, quantum in ipso est, reconciliari, ipsisque salutem conferre: sed hanc proximam voluntatem habuit demùm, intuens in merita & passionem Christi, iuxta id, quod dictum est de primo illo recõciliationis gradu. Quam rem similiter mihi D. CHRYSOSTOMVS homil. 1. super epist. ad Ephesios, intellexisse videtur, interpretans illa B. Pauli verba, Ephes. 1. *Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporũ instaurare omnia in Christo. Vide*, inquit Chrysostomus, *quàm diligenter loquatur.*

Princi-

Principium quidem, propositum, consilium, primum motum, ab ipso Patre esse: plenitudinem verò, quæ operum est, per Christum fieri demonstrat. Hactenus ille. Qui non obscurè in hoc loco, duplicem illam Dei voluntatem circa salutem hominum subindicat: nempe alteram omnino primam seu primordialem, vt appellauimus, quæ modis omnibus antecesserit Christum: alteram quasi proximam, conferendi nobis opere ipso atq; effectu salutem propter Christum. Neque tamen cogitandum est, habuisse Deum successiuè alteram volũtatem ex his post alteram. Voluit enim hæc omnia simplicissimo eodemque actu, iam inde ab æterno. Sed explicamus tantùm, quomodo & propter quid vnumquodq; voluerit ab æterno. Atque hæc nunc quidem de proprio redemptionis EFFECTV sint hunc in modum dicta.

Deinceps verò quod ad VSVM eius officij attinet, explicandum est PRIMO, quibus operationibus Christus eo munere functus sit: DEINDE quò nomine seu titulo eiusmodi operationibus effectum illum redemptionis proprium, de quo dictũ est, nobis comparauerit. Et quod ad PRIMVM attinet, sententia est Theologorum certa, Christum officio Redemptoris functum fuisse omnibus operationibus, quas in vita gessit, humanis, & aliqua ratione liberis. Et quidem D. Thomas infrà q. 34. art. 3. declarat, à momento etiam Incarnationis, vsq; ad mortem in cruce, egisse illum hoc opus.

Ita tamen hoc intelligendum est, vt quamuis singulis eiusmodi operationibus solis potuisset Christus sufficiẽtissimè perficere absolutam redemptionem: noluerit tamen eam absoluere, nisi omnibus simul, & maximè quidem oblatione illa sui, orta ex perfectissima charitate & obedientia, ad mortem in cruce. Ex qua re intelligitur, illum ipsa quoque morte, quatenùs ita fuit per eum acceptata, comparauisse nobis salutẽ. Hæc autem fuit etiam voluntas æterni Patris, vt non nisi in cruce demùm solutio precij pro redemptione nostra perficeretur.

Quæ omnia sigillatim modò sunt confirmãda. Et primum illud quidem, scilicet *totam* Christi vitam ad redemptionẽ nostram valuisse, colligi posse videtur ex eo, quòd *ingrediens Christus in mundum*, sicut Apostolus ad Hebr. 10. interpretatur, orationem illam Psalmi 39. vsurpauerit: *Oblationem & hostiam noluisti, corpus autẽ aptâsti mihi, holocaustomata & pro peccato non placuerunt tibi. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam.* Quibus verbis indicari videtur iam inde ab ingressu suo in hũc mundum, cœpisse Christum exequi voluntatem sui Patris in operanda redemptione nostra, ad quam sacrificia veteris legis nõ sufficiebant, atque adeo iam tũc ad mortem in cruce oppetendam sese obtulisse.

Idem confirmatur ex Isaia, per quem absolutè quoque Deus dixit: *Pro eo, quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur.* Isaiæ 35. Atquî laborauit per omnem vitam. Denique idem satis probari potest ex eo, quòd vniuersæ Christi operationes, æterno Patri gratissimæ fuerunt. Ioan. 8. vt proinde omnibus illis fuerit hominibus placatus & reconciliatus. Ideo ipse Christus in his, quæ gerebat, gloriã se spectare perpetuò sui Patris, negotiumq; illius agere subinde cõtestabatur: intelligens nimirum non aliud nisi redemptionis opus sibi inprimis demandatum à Patre. Ioan. 5. & 8. & 17. Quô & illud etiam pertinet Isaiæ 40. *Ecce Dominus veniet, & merces eius cum illo, & opus eius coram illo.* Quasi diceret, nihil habebit in vita prius, quàm vt statim aggrediatur redemptionis opus. Hinc ipse Christus Ioan. 17. in oratione ad Patrem: *Opus*, inquit, *consummaui, quod dedisti mihi vt facerem.* Vbi consummâsse se, id est, iamiam (cùm morti vicinus esset) consummaturũ se fuisse, redẽptionis opus dicit, quoniam illud certè priùs inchoârat.

Porrò verò non nisi *morte* ipsius in cruce, quæ iam tunc instabat, opus istud consummatum fuisse, sicut etiam antè posuimus; patet ex multis Scripturæ locis, quibus illud quasi pactum indicatur, ex quo debuit in cruce perfici nostra redemptio. Vt apud Isaiam 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Et apud Ioannem cap. 12. *Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Et in Euangelio Lucæ 24. *Nonnè oportuit Christum pati?*

Hinc Apostolus ad Colosſ. 2. per mortem demùm ait, Christum deleuisse chirographũ Decreti quod erat contrariũ nobis, & affixisse cruci, quia ibi videlicet absolutè dissolutũ fuit debitum humani generis. Hinc denique Scriptura passim redemptionẽ adscribit morti & sanguini Christi effuso: quatenùs & mors eius & effusus sanguis obiectum fuerunt charitatis illius & obedientiæ, qua voluit Christus mori, & sanguinem fundere pro nobis.

Quãquam si de morte Christi ita loquamur, vt Christũ mori fuerit etiam ipsum ex charitate & obedientia pati tormenta eiusmodi, quibus tandem extinctus est; sic morte quoq; nos redemit tãquam operatione quadam, vt D. Thomas infrà q. 50. artic. 6. notauit. Quæ cùm ita sint, verissimè Psalm. 129. dicitur, *copiosam* hanc fuisse *apud Deum redemptionem*: cùm tot ac talibus operationibus, & deniq; morte ipsa Christi pretiosissima sit completa.

Iam verò quod etiam posuimus, Christũ redemisse nos operationibus aliqua ratione *liberis*, ex eo colligi potest, quòd Scriptura inde etiã commendat opus nostræ redemptionis, id est, dignitatem eorum officiorum erga Deum, quibus Christus redemit nos. Vt apud Isaiã cap. 53. *Oblatus est, quoniam ipse voluit.* Et in Euãgelio Ioannis cap. 10. ipse: *Animam meam pono pro ouibus meis.* Ac paulò inferiùs: *propterea Pater diligit me, quia pono animam meam, &c.* Et; *potestatem habeo po-*

S *nendi*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nendi animam meam, &c. Idem ea re confirmatur: quoniam pòst ostendemus, in eiusmodi Christi operationibus fuisse veram rationẽ meriti. Meritum autem, vt omnes Theologi describunt, opus est liberum.

SED oritur hinc non parua DIFFICVLTAS, quoniam videtur consequi, Christum neque per charitatem, neq; per obedientiam, qua se obtulit ad mortem, redemisse nos. Nam non videntur hi actus in Christo fuisse liberi. Sed hanc difficultatem q. 19. p. 2. explicuimus.

His igitur quod attinet ad operationes ipsas, quibus redemit nos, expeditis, sequitur, vt explicemus, sicut antè propositum est, quo nomine seu TITVLO, Christus nos eiusmodi operationibus redemerit. Qua quidem in re vnum est certum apud omnes Catholicos: alterum habet apud eos aliquam controuersiam. CERTVM ex fide est, Christum eiusmodi operationibus redemisse nos duplici titulo: scilicet & satisfactionis & meriti, vt D. Thomas quoq; suprà q. 19. artic. 4. & inferius q. 48. art. 2. rectè declarat. Et ita id quidem, vt propter eiusmodi meritum & satisfactionem Christi, Deus debuerit, ex aliqua tãdem obligatione iustitiæ, deponere indignationẽ, quam habebat erga humanũ genus, illiq; reconciliari eo modo, quo suprà declaratum est, cùm de effectu proprio redẽptionis diceremus.

Hæc fidei confessio ex illis Scripturæ locis facilè colligitur, quibus suprà ostẽdimus, verè nos esse redemptos per Christum. Et est hęc res à Patribus quoque Tridentini Concilij sess. 6. cap. 7. (nam id notandum est propter improbas Sectariorum calumnias aduersus Catholicos) disertè explicata illis verbis: *Caussa meritoria iustificationis est Dominus noster Iesus Christus, qui cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationẽ meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit.*

Quibus postremis verbis modum etiam subindicârunt, quo intelligere possimus inesse in Christi operibus rationẽ illam vtramq; satisfactionis & meriti. *Satisfecit* enim pro iniuria Deo facta, quatenùs dignitate suarum operationum obtinuit, vt Deus, qui iure infensus erat generi humano, placaretur illi, reconciliareturq; modo superius dicto. Item *meruit*, quatenùs eædem illius operationes debuerũt diuinitus compensari, tãquam mercede quadam, iis donis gratiæ, quibus continetur salus nostra, & reconciliatio cum Deo.

Alterũ verò, quod apud Doctores Catholicos CONTROVERSIAM habet, est, An istiusmodi meritum Christi & satisfactio fuerit secundùm iustitiæ rigorem, ita videlicet, vt citra diuinam aliquam promissionẽ liberaliter Christo factã, ob solam dignitatem & valorem operũ Christi, debuerit acceptari à Deo tanquã æqualis offensæ; vel etiam tanquam abundans. Quæ est disputatio de conditione seu natura obligationis, ex qua diximus antè, debuisse Deum, secundùm fidem Catholicã, ignoscere generi humano propter meritum & satisfactionem Christi. Ac sunt ea de re duæ sentẽtiæ. Quidam enim negant, alij verò affirmant. Et horũ posteriorum sententia verissima est: vt refutatis omnibus cõtrariis argumentis, fusè ostendimus q. 1. p. 5. quò nunc remittimus Lectorẽ. Atq; etiam quænam & quãta dona Christus meruerit ita hominibus (scilicet ex eo rigore iustitiæ) docuimus q. 19. p. 4. Itaque ad hæc loca, ne repetamus, Lectorẽ remittimus.

PVNCTVM SECVNDVM.

De Christo cælesti MEDICO Animarum.

RATIO, & effectus, & functio huius Muneris breuissimè & facillimè explicari possunt, iis iam constitutis, quæ p. præcedẽti de officio Redemptoris dicta sunt: atq; etiã iis, quæ disputaũimus tomo 2. q. 15. de Peccatis, & q. 5. de Gratia, circa naturæ infirmitatem seu corruptionẽ per peccatum, & eiusdem sanitatem per gratiam.

Sic igitur ratiocinor. Calamitas, quã per peccatum incurrit genus humanũ, non solùm reipsa fuit *captiuitas*, vt explicatum est p. præced. sed etiã humanæ naturæ *morbus* alia quadam ratione. Nam destitutus homo donis gratiæ, nequit præstare recta officia naturæ consentanea, sic, vt vitet omnia peccata mortalia contra præcepta legis naturalis. Atq; eatenus potissimũ infirmus & ægrotus dicitur. A Egrotũ enim dicimus eum, qui nequit obire actiones naturæ conueniẽtes.

Christus igitur iisdem operationibus, & eadẽ functione, qua nos à diaboli captiuitate redemit, nobisq; dona gratiæ, quibus eiusmodi officia prẽstare possemus, obtinuit, munus etiã obiuit spiritualis Medici, alia ratione: vtpote conferens humano generi sanitatem spiritualem, quæ gratia diuina continetur, vt explicauimus q. 5. de Gratia.

Neq; verò sic ille meritoriè solùm animã sanat, verùm etiam *physicè*, influendo illi gratiam, tanquam instrumẽtum diuinitatis etiam nunc è cœlo. Quod facit nimirum aliquo motu, quo vel postulat pro hominibus gratiam; vel certè vult, vt iustificentur. iuxta modũ, quo suprà q. 13. docuimus, humanitatem Christi concurrere tãquam instrumẽtum ad effectus supernaturales.

Porrò sanitatem hanc sibi reddi frequenter Dauid petebat. Vt Psal. 40. *Ego*, inquit, *dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi.* Vbi & infirmitatem suam, & eius caussam (peccatum videlicet) confitetur. Huius etiam sanitatis authorem, atq; adeo eatenus Medicũ se esse animarũ, Christus etiã contestatus est Matth. 9. *Non est*, inquit, *opus valentibus Medico, sed malè habentibus. Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Quæ loca inter cętera pulchrè D. Augustinus libro de

natura

natura & gratia cap. 19. & 20. tractat contra Pelagium, qui nullam in humana natura infirmitatem agnoscebat ex peccato prouenientẽ. Qua de re fusè à nobis disputatum est in Disputat. de Peccatis q. 15. & de Gratia q. 5. quæ est de formalibus Gratiæ effectibus.

PVNCTVM TERTIVM.

De Christo Dei & hominum MEDIATORE.

D. Thom. 3. parte, q. 26.

MEDIATORIS etiã officium cum officio Redemptoris vsq; adeo coniũctum est, vt alterius ratione atq; vi explicata, non multa de altero dicenda supersint. Expediemus itaq; Punctũ hoc breuius. Atq; vt à vocabulo exordiar, *Mediatorẽ*, qui & aliâs D. Hieronymo in caput 3. ad Galatas, *Sequester* dicitur, à medio nominamus. Nam vt extrema coniunguntur in medio, sic officiũ Mediatoris est, partes dissidẽtes componere, & reconciliare, sicut etiam rectè notauit D. Thomas q. 26. artic. 1. & D. Chrysostomus homil. 7. in 1. ad Timoth. Idcirco Apostolus quoque ad Galat. 3. dixit, *Mediator non vnius est*, id est, necesse est, vt sit plurium ac diuersorũ. Ita etiam docuit D. Augustinus in Psal. 90. conc. 2. non longè ab initio, & Cyrillus lib. 12. Thesauri cap. 10.

Isto modo Christum inter Deum & homines Mediatorem fuisse, satis declarat insignis illa dicui Pauli sententia 1. ad Timoth. 2. *Vnus est*, inquit, *Mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Quo loco tria docet. *Primò*, fuisse omnino Christum inter Deum & homines mediatorem. Id quod contra quosdam veteres hæreticos, qui id officium solis Angelis tribuebant, notãdum est, quos commemorat & refellit Apostolus ad Coloss. 2. vt notat Theophylactus in comment. eius loci. Ac videtur hic idẽ error fuisse Apulei & aliorũ, quos D. Augustinus confutat lib. 8. de ciuit. Dei, cap. 22. *Secundò*, obiuisse illum hoc munus redimendo nos. *Tertiò*, fuisse ea quidem ratione vnicum & singularem Mediatorem.

Iraq; constat hinc PRIMO, neq; vsum, neque effectum officij *Mediatoris* extitisse reipsa diuersum ab vsu & effectu officij *Redẽptoris*; sed solùm ratione. Iisdẽ namq; operationibus, vt vim habuerũt *liberandi* nos à diaboli seruitute, redemit nos Christus: Vt autem habuerunt etiam eo ipso vim *reconciliandi* nos Deo, per illas ipsas functus est etiam munere Mediatoris. Item eadem salus hominũ, effectus est & officij Redẽptoris, quatenùs est *libertas* ab illa diaboli seruitute, & officij Mediatoris, quatenùs est *reconciliatio* cũ Deo.

Cùm verò multiplices fuerint operationes illæ Christi, quibus redempti sumus; tamen maximè propriè per orationem munere Mediatoris est functus, vt satis etiam intelligi potest ex D. Augustino lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 8. Mediatoris namque proprium est, interpellare & petere pro his, pro quibus intercedit.

De Christi autẽ oratione, inter alia quæ docuimus q. præced. illud est præcipuè notandum, quod rectè affirmat illic D. Thomas artic. 4. eam semper fuisse exauditam, quando processit quidem ex volũtate Christi absoluta & deliberata, omnibus spectatis. Quod & ex Apostolo ad Hebræ. 5. colligit, vbi dicit, Christum *exauditum fuisse pro sua reuerentia.* Quò fit, vt ad effectum, quem orationes Christi habuerunt, vel non habuerunt, attendendũ sit, vt inde intelligamus, quatenùs, Christus, & quomodo pro aliqua re orauerit: quemadmodum docuimus q. præcedenti.

SECVNDO ex dictis intelligitur, magnam esse vanitatem Sectariorum, cùm ex illo Apostoli testimonio 1. Tim. 2. sic in Controuersia de Sanctis, argumẽtantur: Christus est vnus Mediator: Ergo non rectè à Catholicis inuocantur Sancti tanquam intercessores. Hoc argumentum dico esse absurdissimũ. Nam vt rectè illo modo colligerent, oporteret alterutrum è duobus affirmauisse illic Apostolum, scilicet vel Christum esse *absolutè* vnicum Mediatorẽ, ita, vt nullius vel modi, vel conditionis Mediator alius præter illum esse possit; vel certè eum esse vnicũ Mediatorem *post mortem*, sic, vt præter illum nullus, qui hac aliquãdo vita defunctus sit, possit à nobis vlla ratione inuocari. At certissimũ est, Apostolum in eo loco neutrum istorum affirmauisse. Ergo argumentum illud Sectariorum est absurdissimũ.

Id sigillatim ostendam. Quòd enim non voluerit Apostolus affirmare, Christum *absolutè* esse vnicum Mediatorem, præter quem nullus alius omnino sit, patet euidentissimè ex Scriptura sacra, tum aliâs, tum etiam in eo ipso Apostoli loco. Nam Deut. 5. inquit Moyses: *Ego sequester & medius fui inter Dominũ & vos in tempore illo.* Item Hieremias cap. 18. *Recordare*, inquit, *quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterẽ indignationẽ tuam ab eis.* Vbi manifestè significat, se reipsa functum esse officio Mediatoris aliquo modo. Sic etiam Apostolus Mediatorem procul dubio se aliquẽ profitetur, cùm de se & reliquis Apostolis affirmat 2. Cor. 5. *Pro Christo legatione fungimur tanquã Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Iam verò in illo ipso loco ad Timotheũ, cùm iubet fideles pro omnibus hominibus orare: an non eos hoc ipso fungi aliqua ratione vult officio Mediatorũ? Quid quod ex eo ipso potius colligit & probat sic esse faciẽdum, quoniam vnus fuerit *Mediator, homo Christus Iesus*, qui redemerit omnes?

Quòd verò neque illud alterum voluerit ibi Apostolus, scilicet Christum fuisse vnicum Mediatorem *post mortẽ*; confirmo *primùm* argumentandi forma vsitata apud istos. Quoniam nullũ est ibi verbum vel syllaba, qua vel obscurè indicârit Apostolus, Mediatorem eiusmodi vnicum,

id est, post mortem, se Christum appellare, excludereq; adeo determinatè, Mediatores alios post mortem.

Secundò idem probatur. Quoniam Apostolus ibi de Christo loquitur, quatenùs singularis fuit & vnicus Mediator, *patiendo* pro nobis. Quod ille quidem fecit in hac vita.

Tertiò. Quoniã si Mediatores alios post mortem excluderet: non modò concludere isti deberent, malè à nobis inuocari Sanctos vita defunctos, verùm etiam ne sua quidem sponte rectè iam illos posse pro nobis intercedere, fungique officio Mediatorum in cœlis. Quod tamen rectissimè ipsos ex charitate, qua in homines nunc longè, quàm anteà propẽsiores sunt, facere, & sponte præstare, ipsi etiam Sectarij victi tãdem agnoscunt & confitẽtur, vt videre est apud Kemnitium in examine sess. 25. Concilij Tridentini, ex sua & aliorum Sectariorum sententia. Quod ex Scriptura quoq; manifestissimè probatur & asseritur tum ab aliis Patribus, tum clarissimè ab Augustino in Psal. 85. & 88. conc. 2. & lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 27

Vt igitur has Sectariorum tenebras facilius discutere possimus, attendendum diligentissimè est, ad orationem illam totam, quam subiúxit Apostolus, postquam dixit: *Vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Sequitur enim continuò: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Ex quibus verbis, si diligenter singula ponderentur, apparet primùm, non ibi ab Apostolo prædicari Christum Mediatorem vnicum sic absolutè, vt præter illum nullus omnino debeat esse alius mediator vllo modo. Deinde neque prædicari ibi ab eo mediatorem vnicum illius determinati modi, qué ex suo cerebro fingunt Sectarij, scilicet post mortem: sed alterius cuiusdam modi perfectissimi, qui consistit, vt ex illis verbis Apostoli licet colligere, in quatuor his conditionibus.

Prima, quòd naturâ fuerit medius inter Deũ & homines, vtpotè & homo & Deus; atq; ita perfectissimus mediator naturâ etiam participans de vtroq; extremo. Hanc enim conditionẽ subindicauit Apostolus inquiens: *Homo Christus Iesus*, id est, talis ac tantus homo, nempe Christus, qui secundùm aliam & aliam naturam est Deus & homo. Quam conditionem Christi Mediatoris Patres quoq; inprimis commendant. Vt Augustinus lib. 9. de ciuit. Dei, cap. 15. & lib. 1. de cõsensu Euangel. cap. 35. Basilius lib. 4. Euersorio. contra Apologet. Eunomij, circa medium. Cyrillus lib. 12. Thesauri cap. 10. & lib. 1. Dialog. de Trinitate cum Hermia: post medium. Chrysostomus homil. 7. in 1. ad Timotheũ. Theodoretus Dialogo 2. antè mediũ. Athanasius serm. 3. contra Arrianos non longè à fine. D. Leo serm. 1. de Natiuit. & alij quos citauimus supra q. 1. p. 5.

Secunda conditio fuit, quòd dederit *semetipsum*, id est, quòd vi & dignitate sua non vllo adminiculo alterius hominis executus sit officium Mediatoris, reconciliaueritq; nos Deo.

Tertia conditio fuit, quòd dederit quidem semetipsum *Redemptionem*. Id est, quòd absolutam remissionem peccatorum & reconciliationem secundùm vtrumq; gradum, de quo suprà p. 1. in officio Redemptoris diximus, obtinuerit hominibus, & quidem secundùm iustitię rigorem, vt vidimus q. 1. p. 5.

Quarta conditio fuit, quòd *pro omnibus* omnino Mediator intercesserit. Id est, pro præteritis, præsentibus & futuris vnquã hominibus: Cùm tamen pro ipso nemo hominum intercesserit, quia reconciliatione nihil indiguit, sicut pulcherrimè hanc etiam conditionem tractat diuus Augustin. lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 8.

Iam verò certissimũ est, nos cùm Sanctos inuocamus, minimè eos facere Mediatores huius perfectissimi modi: cùm nullam dictarum conditionum, & multò minus oẽs, tribuamus ipsis. Quare euidentissimũ est, ex illo Apostoli loco, non nisi amentissimè contra nos, in ea controuersia, ducere Sectarios illud suum argumentũ. Quo accedit auctoritas Sanctorũ Patrum locis paulò antè citatis, qui similiter planè, vt nos, illum Apostoli locũ de *singulari* Mediatore intelligunt & interpretantur. Vt Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, Basilius, & alij plures, qui nõ obstante illa D. Pauli sententia, alios etiam fatentur Mediatores esse suo modo. Quod facit sanè Basilius in Epistola ad Iulianũ Apostatam, citata in 11. Synodo Nicena act. 4. & in concione de quadraginta Martyribus, sub finem. Gregorius Nazianzenus in Oratione ad Gregorium Nyssenum, vbi dicit, Martyres esse *Mediatores diuinitatis consequendæ*. Cyrillus lib. 12. Thesauri cap. 10. valdè luculenter. Gregorius Magnus in Pastorali 1. part. cap. 11. &c.

Ac istiusmodi quidem Mediatores, D. Thomas q. 26. artic. 1. & alij Theologi, vt à Mediatore Christo distinguant, vno verbo appellare solent Mediatores *dispositiuè* tantùm, seu *ministerialiter*. Quoniam Christo Mediatore eiusq; meritis nixi, ad salutem hominum sua vel intercessione, vel operâ cooperantur tãtummodo secundùm posteriorem illum reconciliationis gradum, de quo suprà p. 1. in officio Redemptionis est dictũ. Tales certè mediatores neq; viuos, neque mortuos negauit vspiam Apostolus esse debere præter Christum: imò verò se talem Mediatorem esse, diserté professus est in altera Epistola ad Corinthios cap. 5. vt antè allegaui.

Quibus de ratione, & vsu, & effectu huius Christi muneris, ita constitutis, duplex superest QVAESTIO hoc in loco breuiter expediẽda. VNA est illa, quam D. Thomas etiam mouit q. 26. artic. 2. An Christus Mediator fuerit vt Deus, an verò vt homo; vel certè coniunctim, vt Deus & homo? Ac respondet sanè D. Thomas, Christum Mediatorem fuisse tantùm vt hominem. Quod probat

probat primò ex D. Augustino lib. 9. de ciuitate Dei, cap. 15. vbi ait: *Non ob hoc Mediator est Christus, quia est Verbum; sed Mediator est secundùm quod homo.* Secundò. Quia vt Deus non distat ab vtroque extremo: vt homo autem distat per naturã à Deo; & per singularia dona à cæteris hominibus.

Sed quanquam vno quodam sensu certissima sit hæc D. Thomæ sententia, vt paulò pòst ex ipsius mente docebimus: tamẽ ego non assequor, quomodo probationes hæ, quibus vtitur, satis id efficiant, quod ille vult. Nam reuera Augustinus in illo loco, non vult, Christum fuisse Mediatorem *tantùmodo* vt hominem; sed etiam vt hominem, & non tantummodo vt Deum, vt legenti illum locum Augustini patet. Et ratio, quam deinde affert D. Thomas, id solùm probare videtur. Nam vt distet Christus, & à Deo, & ab hominibus, non est necesse, ipsum tantummodo vt hominem fuisse Mediatorem; sed satis id quoq; intelligitur, si Mediator asseratur, & vt Deus, & vt homo simul. Nam neq; Deus est vtrumque simul (id est, coniunctim Deus & homo) per naturam suam, neq; etiam homo. Quòd verò modus hic distantiæ, per solam distinctionem qualemcunque ab extremis, etiamsi Mediator de vtroq; extremo participet, satis sit in proposito; apparet ex sententia Sanctorum Patrum, qui, vt antè dicebamus, vel hinc maximè præstantiam Mediatoris Christi commendant, quòd naturam vtriusq; extremi, id est, Dei & hominis, ipse habuerit.

Igitur vt Quæstionem ,ppositam planiùs explicemus, & confirmemus sententiam orthodoxam, quæ est media inter duos extremos errores; distinctione nobis vtendum est, quam etiam attigit subtiliter Caietanus hìc art. 2. Nã si Quæstio sit, per quid Christus *proximè & immediatè*, tanquam per formam & principium operandi, obierit officium Mediatoris: dicẽdum est, illum Mediatorem fuisse tantùm vt hominem, quod etiam asseruit D. Thomas hìc art. 2. & alij Theologi in 3. d. 19. Si verò communius quæritur, per quid omnino Mediator fuerit, siue tãquam per id, quo *proximè* exercuerit id officium, siue tanquam per id certè, à quo tanquam à Supposito valorẽ acceperit eius muneris functio: ex communi & Orthodoxa sententia Patrũ responderi debet, Mediatorem Christum fuisse, non tãtùm vt hominem, neque tantùm vt Deum; sed coniunctim vt Deum & hominem.

Vtrumque breuiter ostendendum est contra duos (vt dixi) extremos errores: Alter est Melanchtonis in loco de Filio; & Kemnitij in libro de duabus naturis, & communiter Vbiquistarum, qui contendunt secundùm vtramq; naturam obiuisse Christũ munus Mediatoris. Alter est Francisci Stancari qui in variis suis Scriptis de hoc argumento contẽdit, nullo modo Christum fuisse functũ hoc munere vt Deum & hominem, sed tantummodo vt hominem. Sententia igitur Orthodoxa inter hos errores media, quàm iam proposuimus, confirmanda nunc est. Et quidem Christũ obiuisse *proximè* munus Mediatoris tantùm vt hominem; tam certum est, quàm est certum, Christum secundùm diuinam quidem naturam non orâsse pro nobis, ac multo minus secundùm eam aliquid vllo modo esse passum. Hac enim ratione est functus Mediatoris munere. Id autem probauimus abũde suprà q. 2. p. 1. & 3. vbi disputauimus contra Eutychianos veteres, & nouos, (id est, Vbiquetarios) Christum, etsi secundùm personam Deus sit, at non esse tamẽ secundùm diuinitatem passum & crucifixum. Itaq; eo quidem sensu nõ fuit Christus Mediator secundùm naturam etiam diuinam, & multò minus tantùm secundùm illam: vt ostendit D. Augustinus in dicto lib. 9. de ciuitate Dei, cap. 15. Quòd si qui Patres (vt Hieronymus lib. 2. com. in epist. ad Galat. cap. 3.) Verbo diuino etiam, antequam naturam humanam sumpsisset, Mediatoris appellationem tribuunt: Mediatorem sic vocant, non quia Mediatoris munus obierit ante assumptam naturam; sed quoniam aliquando certè Verbum diuinum in assumpta natura obiturum erat id munus.

Iam, altero illo modo Christum vt Deum & hominem coniunctim, Mediatorem fuisse: scilicet quatenùs in primis etiam diuinum Suppositum, atque adeo natura quoq; diuina valuit ad efficaciam eius functionis: dubitari nullo modo debet. Nam primùm, ob infinitam dignitatem sui diuini Suppositi Christus efficaciter est operatus reconciliationem nostram cum Deo. Deinde secundùm vtramq; naturam *coniunctim*, ab vtroq; etiam extremo per se considerato differt, vt antè explicatum est. Itaq; nihil ad rationem mediatoris eo modo deest. Postremò hæc eadem est sententia Patrum, quos suprà citauimus; & maximè Augustini. Qui lib. 1. de consensu Euangel. cap. 35. vt alia loca præteream, sic dicit: *Ideo Christus Mediator Dei & hominũ dictus est, inter Deum immortalem, & hominem mortalem Deus & homo, reconcilians hominem Deo.* Fundamenta verò contrariorum illorum errorum sua sponte corruũt, adhibita illa distinctione qua vsi sumus in huius quæstionis explicatione.

ALTERA Quæstio est, An modò etiam post ascensionem in cœlum fungatur Christus munere Mediatoris? Ratio dubitãdi est: Quoniam, vt suprà ex Augustino docuimus, per orationem quoque eo munere Christus est functus. Sed nũc etiam *interpellat pro nobis*, vt affirmat Apostolus ad Rom. 8. Ergo nunc etiam fungitur munere Mediatoris.

In hac Quæstione primò certum est, Christũ iam non ita Mediatorem agere, sicut egit in vita, & morte antè ascẽsionem. Tunc enim perfectissimè Mediatoris officio functus est, illudq; perfectè nos redimendo absoluit, quatenùs vtrum-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que reconciliationis gradum (de quo suprà p.1.) obtinuit nobis, licet alio atque alio modo; sicut est suo loco expositum. Id verò iam nõ amplius facit, sed fecit semel vna oblatione.

Deinde dicendum est, Christum iam nihilominus officio Mediatoris aliquo modo fungi. Id inde patet: Quòd per illam interpellationem in cœlis prodest nobis ad consequendum reipsa posteriorem reconciliationis gradum: sicut suo modo ad id prosunt etiam alia media. Qualis verò sit illa interpellatio, non satis est exploratũ apud Doctores. Nonnulli enim interpretantur, Christum hoc ipso solùm pro nobis interpellare, quòd seipsum, suumque corpus, quo pro nobis est passus, Patri æterno in cœlis ostẽdit ac repræsentat. Sic videtur intellexisse Theodoretus in Comment. Epistolæ ad Romanos cap. 8. ita etiam Alexander Alensis 4. p. q. 91. memb. 1. Quã interpretationẽ videtur confirmare modus loquendi Apostoli, cùm in Epistola ad Hebræos cap. 9. dicit, Christum *apparere nunc vultui Dei pro nobis*.

Hoc quidem certum est, Christum iam non prorsus illo modo & illa submissione orare, qua orabat, cùm in hac vita infirmus adhuc & passibilis degeret, quaq; nos item orare solemus. Citra eiusmodi verò submissionẽ; dici sine absurdo potest, q̃ simpliciter petat & postulet pro nobis, ꝓpter sua merita. Imò sic manifestè sensisse videtur AVGVSTINVS epist. 59. ad Paulinũ, paulò antè mediũ, cùm dicit: *Nũquid interpellat Christus, & non etiam postulat? Imò verò quia postulat, pro eo positum est, interpellat. Euidenter quippe* (Rom. 8.) *de eo dicitur: Aduocatum habemus apud Patrẽ Iesum Christum*. Et (1. Ioan. 2.) *Ipse est exoratio pro peccatis nostris*. Hæc ibi Augustinus, vt etiã annotauimus q. præcedenti.

PVNCTVM QVARTVM.

De Christo SACERDOTE.

D. Thom. 3. parte, q. 22.

SACERDOS is propriè dicitur, qui inter Deũ & homines ita intercedit, vt res sacras & diuinas, tanquã Dei minister, hominibus det ac cõmunicet, & vicissim etiã pro hominibus offerat Deo dona, preces, & sacrificia. Hoc & ex cap. 2. Malachiæ, atq; etiam ad Hebr. 5. & ex etymo nominis facilè colligitur, declaraturq́ue bene à D. Thoma q. 22. art. 1. & à Caietano in ientac. 3. q. 1.

Porrò isto munere Christum functum fuisse, ex fide certum est. Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternũ*. Et aliàs passim, præsertim in Epistola ad Hebræos, vbi D. Paulus ex instituto id ostendit. Et quidem sic fuit Sacerdos, vt idem quoque fuerit hostia, sicut ex Scriptura patet. Ad Ephes. 5. & ad Hebr. 10. & alibi. Idq; probat pulchrè D. AVGVSTINVS lib. 17. de ciuit. Dei, cap. 20. ex Psalm. 39. quem inducit etiam Apostolus ad Hebr. 10. *Vocem*, inquit Augustinus, *illam eiusdem Mediatoris ex Psal. 39. audimus: Sacrificium & oblationẽ noluisti, corpus autem perfecisti mihi. Quia pro illis omnibus sacrificiis & oblationibus corpus eius offertur*.

Idem confirmat S. Gregorius NYSSENVS in tract. de forma pfecti Christiani ex illo 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus: Illa*, inquit, *cogitatio nos obstringet Domino, si cum Paulo tum Pascha, tum Sacerdotem appellatũ esse audiuerimus. Pro nobis enim verè Pascha immolatus est Christus. Sacerdos autẽ sacrificium obtulit Deo idem ipse Christus. Se enim, inquit, tradidit oblationem & hostiam pro nobis*. Quam rem bene etiam D. Thomas declarat in illa q. 22. art. 2.

VSVS est eo munere primò in postrema Cœna, cùm sub speciebus pani & vini incruento & admirabili modo se suo Patri obtulit. Quod & authoritate plurimorum Patrum, & argumento tum ex Euangelica historia, tum ex ratione veri sacrificij ducto, ꝓbauimus & defendimus contra Sectarios in libro nostro de Sacrificio Missæ cap. 4. probatione 1. Et probabitur etiam infrà in materia de Sacramento Eucharistiæ suo loco.

Deinde vsus est etiam eo munere in cruce. Ad Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo*. Quod explicat D. Thom. q. 22. art. 2. & q. 48. art. 3. Quanquam difficultas in hac re nõ exigua est propter rationem, quæ communiter assignari solet, veri & propriè dicti Sacrificij. Nã ille propriè sacrificat, qui ad honorem Dei rem aliquam ita offert, vt ad eum finem ipsam etiam conficiat, seu immutet aliquo modo. At Christus Dominus non ita se ipse in cruce obtulit; siquidem non interfecit se ipse. Ergo non videtur ibi propriè obtulisse se in sacrificium.

Verum ad hãc difficultatem variis modis responderi potest. Nam primò D. Thomas in illa q. 48. art. 3. ad 1. satis indicat, ad rationem Sacrificij non esse determinatè necessariũ, vt ille ipse, qui rem offert, eam etiam conficiat; sed sufficere, vt quis rem, quæ tunc quidem conficitur, offerat; siue idem ipse rem conficiat, siue alius, ipso aliquo modo volente, saltem acceptando, vt acceptauit Christus illatam sibi mortem.

Deinde Caietanus Ientac. 3. q. 1. respondet, peculiari quadam ratione dici posse in proposito, quòd Christus ibi sese immutauerit, siue cõfecerit; quatenùs potuit nimirum illo ipso tempore mortẽ, quæ ipsi inferebatur, impedire virtute beatitudinis animæ (saltem remotè) & non impediuit. Hinc Isaiæ 53. *Oblatus* (inquit) *est, quia ipse voluit*. Et ipse apud Ioannem cap. 10. *Ego pono animam meam*. Et rursum: *Nemo tollit eam à me, sed ego potestatem habeo, &c.* Quibus verbis indicauit, se quoque quodammodo concurrisse ad suam mortem, quia non impediuerit, cùm potuisset (vt dictum est) virtute beatitudinis, & etiam virtute suæ diuinitatis.

Tertiò

Tertiò posset dici, illum per alteram saltem naturam suam, scilicet diuinam, cõcurrisse tanquam Deum, atq; adeò vt caussam vniuersalem, ad mortem suam, etiam directè; quatenus reddidit nimirum efficacem operationem illorum, qui ipsum occidebant. Cùm verò quælibet istarum respõsionum videatur sufficere, illa prima D. Thomæ videtur expeditissima.

Vtitur postremò etiam Christus hoc munere quotidie iam per suos ministros Sacerdotes, cùm ij scilicet ipso principaliter offerente, sacrificant ex illius institutione rectè ac legitimè S. Eucharistiam, vt in illo libro nostro, præsertim cap. 4. ex Euãgelio & testimonio totius antiquitatis contra Sectarios confirmauimus, dilutis omnibus eorum argumentis.

Iam EFFECTVS huius muneris, quatenus illud quidem obiuit Christus in CRVCE, idem est, qui officij Redemptoris; nempe DEI placatio, atque adeò salus & reconciliatio hominum cum Deo, expiatioq́ue peccatorum, vt docet etiam D. Thomas quæst. 22. artic. 3. Qui & ex eo colligit in artic. 4. & 5. duo. PRIMO, Sacrificium Christi, quatenus fuit pro peccatis propitiatorium, non contulisse aliquid ipsi Christo. Id quod in Concilio quoque Ephesino can. 10. sub anathemate definitum est. Quoniam Christus peccatorum remissione pro se nõ indiguit. Quanquam si sacrificium illud consideretur, vt fuit absolutè quoddam opus meritorium; dubium esse nõ debet, quin ipsi Christo etiam fuerit vtile ad consequendam nimirum gloriã corporis, & exaltationem sui nominis, iuxta sentẽtiam Apostoli ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum, &c.* SECVNDO colligit inde D. Thomas, Sacerdotium Christi fuisse eatenus *æternũ*, videlicet ratione effectus, nempe donorum gratiæ, quibus continetur salus æterna. Quanquam intelligi etiam debet, Sacerdotium Christi ratione item vsus, quo iam in Ecclesia quoq; perpetuò exercetur, esse æternum, vt rectè animaduertit Oecumenius in caput 5. epistolæ ad Hebræos; æternum inquã, iuxta Scripturæ phrasin, quæ vocat etiã ętternum, quod est diutissimè duraturum, præsertim vsque in finem sæculi.

Vt verò munus hoc Christi & in COENA postrema exercitum est, & quotidie iam in Ecclesia exercetur; pro EFFECTV propriè habet recõciliationem, seu remissionem peccatorũ, iuxta punct. 1. in officio Redemptoris, atque etiam alias vtilitates temporales & spirituales, vt probauimus in nostro libro de Sacrificio, & infrà repetemus in materia de Eucharistia. Quanquã & absolutissima salus, quo ad vtrumq; gradũ, dici potest effectus Sacerdotij Christi etiã, vt in postrema Cœna exercitum fuit, si consideretur illa Christi actio, vt vnum quoddã opus ex his, quæ Christus gesit in vita, quæ, vt suprà p. 1. diximus, vnâ cum sacrificio Crucis valuerunt omnia coniunctim ad nostram redemptionem.

Porrò iisdem Scripturæ locis, quibus constat, Christum isto modo Sacerdotem fuisse, constat etiam, illum fuisse Sacerdotem secundùm ordinem MELCHISEDECH. Vt patet Psal. 109. & docet D. Thomas art. 6. Neq; verò iste ordo ex circumstantiis tantùm personę Melchisedech, quas prosequitur Apostolus ad Hebr. 7. declarandus est, sed etiam ex ratione *materiæ* sacrificij, scilicet panis & vini, quæ item obtulit Deo Melchisedech, vt in libro nostro de Missæ sacrificio cap. 4. probatione 2. contra Sectarios copiosè probauimus, & repetemus suo loco infrà; reddita quoque manifesta ratione, cur Apostolus ad institutum disputationis suæ in illa epistola ad Hebræos, non debuerit commemorare hanc etiam circumstantiam *materiæ*, vt ostenderet, Christum esse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech.

Neq; obstat, quòd aliquorum Patrum sentẽtia sit, Melchisedech panem & vinum præbuisse exercitui Abrahæ confecto bello reuertenti. Sic enim rectiùs etiã intelligitur, quemadmodum factum illud Melchisedech typus fuerit sacrificij Eucharistiæ: quæ primùm offertur Deo, & nihilominus communicatur aliis ad vsum Sacramenti, vt loco citato confirmaui ex Clemente Alexandrino, & ex illis ipsis Patribus, qui putant, panem illum & vinum à Melchisedech productum cessisse exercitui: iidem namque Patres nihilominus asseuerant, fuisse simul à Melchisedech oblatum Deo: Sed hoc in illo loco, & infrà in Tractatu de Eucharistia copiosiùs.

Nunc breuis illa QVAESTIO superest, An Christus fuerit etiam Sacerdos LEGALIS, scilicet secundùm ordinem Aaron? Et est ratio quæstionis: Quoniam Suidas Verbo, IESVS, refert, haberi in arcanis Hebræorũ monumentis, quòd Christus, cùm annorum esset triginta, fuerit à reliquis Sacerdotibus electus Legalis Sacerdos, vt ministraret in templo Domini. Quod & historia Euangelica cõfirmare videtur: siquidẽ docebat in Synagogis, & quasi ex officio interpretabatur Scripturas, quod erat Sacerdotũ. Matth. 5. Marci 7. & Luc. 4. vbi narratur, fuisse illi traditũ librum Isaiæ Prophetæ, cùm intraret in Synagogam. Atq; hanc opinionem videtur approbare VValdensis tomo 2. de Sacram. cap. 116. num. 6. dissérens de Sacramento Ordinis.

Nihilominus pro certissimo habendum est, Christum nullo modo, scilicet neq; *genere*, neque peculiari *electione*, fuisse Sacerdotem Legalẽ; sed tantummodò secundùm ordinẽ Melchisedech, qui fuit ordo longè diuersus. Probatur PRIMO. Nam id prorsus assumit in sua disputatione Apostolus ad Hebr. 7. vt concludat, translatã fuisse legem, quoniam trãslatum fuerit Sacerdotium, id est, quia Christus à Deo constitutus esset, atq; adeò fuisset Sacerdos, nõ talis, quales cæteri; sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundùm alium ordinem: *Si*, inquit, *consummatio per Sacerdotium Leuiticum erat* (populus enim sub ipso legem accepit) *quid adhuc necessarium fuit, secundùm ordinem Melchisedech, alium surgere Sacerdotem, & non secundùm ordinem Aaron? Translato enim Sacerdotio, necesse est, vt & legis trãslatio fiat.*

SECVNDO. Nam genere quidem, constat, illum Sacerdotem Aaronicum non fuisse. *Manifestum est*, inquit D. Paulus ad Hebr. cap. 7. *quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil*, inquit, *de Sacerdotibus Moyses locutus est.* Hinc autem sequitur, neq; electione ipsum fuisse talem Sacerdotem. Nam non nisi ex illa tribu Leui eligebantur Sacerdotes, etiamsi ex aliis etiam reperirentur aliqui doctissimi & sanctissimi, vt Prophetæ, &c.

Ad argumentum verò respondeo, interpretationem illam Scripturæ, nó fuisse propriam Sacerdotũ. Nam & Paulus, qui erat ex tribu Beniamin, rogatus est à Iudæis id facere Antiochiæ, Actor. 13. Narratio aũt illa ex Suida fabulosa est.

PVNCTVM QVINTVM.

De Christo PROPHETA.

CHRISTVM Prophetam quoq; fuisse, dubitari nó potest, cùm id affirmet Scriptura Deut. 18. *Ait Dominus mihi*, inquit Moyses, *bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquetur̃q; ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Hunc autem Prophetam fuisse Christum, testatur D. Petrus, Actor. 3. *Moyses* (ait) *quidem dixit: quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus, &c. & omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, annunciauerunt dies istos.* Immò ipse Dominus hoc idem indicauit Ioan. 5. *Si credieretis Moysi*, inquit, *credieretis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Vt iam alia loca præteream.

Sed cùm Prophetæ in sacris literis diuersis rationibus dicti sint; Quæstio est, Quanam ratione fuerit Christus Propheta. PRIMO enim Prophetæ dicuntur propriè ij, qui diuinitùs intelligunt & effantur ea, quæ procul sunt à cognitione hominum eiusdem conditionis, vt describit Augustinus libro 16. contra Faustum, cap. 18. & Gregorius homil. 1. in Ezechielem, & D. Thomas quæst. 7. artic. 8. qui & in Scriptura dicuntur videntes. Per analogiam autem ad hunc modum alij etiam dicuntur Prophetæ, qui aliqua ratione diuinitùs inspirati & adiuti tractant & eloquuntur diuina.

Itaque SECVNDO modo in Scriptura appellati sunt Prophetæ ij, qui decantabãt laudes Domini, scribebantq; Psalmos, de quibus lib. 1. Paralip. cap. 25. & 1. Reg. 10. qui per id quidem munus non erant propriè Prophetæ iuxta modum primum, tametsi aliqui eorum eo quoq; modo primo fuerint Prophetæ: vt Dauid. Quò fit, vt Christus etiam distinxerit inter *Prophetas* & *Psalmos*, Lucæ 24.

TERTIO modo appellantur Prophetæ ij, qui dictante prorsus Spiritu sancto scribunt libros Canonicos, etiã de rebus alioqui notis. Sic Hieronymus in Prologo galeato, libros Iosue & Ruth appellat etiam Prophetales, liçet sint historici, de rebus alioqui, quæ illis temporibus erant omnibus notæ. Sic etiam D. Petrus 2. epist. cap. 1. Sacram Scripturam vniuersè vocat *Propheticum sermonem*.

QVARTO censentur etiam & appellãtur Prophetæ ab Apostolo, cùm aliâs, tum 1. Cor. 14. (interprete Ambrosio ibi, & Gregorio lib. 1. Registri cap. 24.) ij, qui interpretantur diuina mysteria, & Euangelium annunciant.

Iam igitur cùm constet, Christum hoc quarto modo præstantissimum fuisse Prophetam, atq; item secundo, & tertio modo esse potuisse, licet non fuerit; controuersia est tantùm de PRIMO modo, an iuxta illum quoq; fuerit propriè Propheta. Est autem Quæstio tota de nomine: nam quod ad rem attinet, conuenit inter Doctores de duobus.

PRIMO, Christum, ea quæ procul fuerunt à cognitione hominũ suę conditionis, scilicet viatorum, cognouisse & dixisse; vt futura cõtingentia, & cogitationes cordium. SECVNDO, ea non cognouisse ipsum obscurè, sed prorsus euidenter, per scientiam nimirum beatam ac infusam. Quibus duobus positis, Quæstio est tantùm de nomine, an propter primum, concedi propriè debeat, Christum fuisse Prophetã; an verò propter secundum negari.

Et sunt, qui negãt: vt Abulensis q. 64. in cap. 11. Num. quoniã existimat, ad modũ illum propriũ Prophetię pertinere, vt occulta cognoscãtur notitia ineuidẽti & obscura. Quod videtur ex Apostolo cõfirmari posse 1. Cor. 13. vbi, propterea futurum esse dicit, vt in beatitudine (per cognitionẽ scilicet claram) *euacuentur etiam Prophetia.*

Sed contraria sententia D. Thomæ q. 7. art. 8. ad 1. & Caietani ibidem, & aliorum, est verior: Quoniam non est de Ratione Prophetæ iuxta illam nominis acceptionem propriam, cognitio obscura ex parte ipsius cognitionis; sed tantùm ex parte conditionis ipsius cognoscẽtis, vt ex D. Thoma notat illic Caietanus. Satis enim est, vt cognoscatur aliquid, quod sit occultum & obscurum, spectata conditione & statu ipsius Prophetæ cognoscentis, quodq; adeò ignorent alij eiusdem conditionis, siue illud sit præsens, siue præteritum, siue futurum.

Ad argumentum autem contrariæ sententiæ respondetur, Apostolum de Prophetiæ dono ibi loqui iuxta modum, quo in aliis hominibus cõmuniter esse solet, nimirum obscurè & ineuidenter: Non vult autem id pertinere ad essentiam ipsam Prophetiæ.

Porrò

Porrò sæpè huiusmodi dono Christum VSVM fuisse, ex Euangelio passim apparet. Sæpè enim cogitationes hominũ intimas vidit, & ad eas sermonem admirabiliter accommodauit. Multa etiam prædixit futura, quę iam videmus impleta. Vt excidium vrbis Hierosolymitanæ, perfidiam hæreticorum, cõuersionem Gentium, prædicationem Euangelij de Magdalena vbiq;, negationem Petri, Iudæ proditionem, Apostolorũ martyrium. Quarum rerũ euentus confirmat quoq; fidem nostrã de aliis, quæ ab ipso similiter prædicta, nondum impleta sunt; vt de Iudicij die, de persecutione Antichristi, &c. Quibus ille prędictionib. nos reddere voluit *cautos*: q fuit fructus atq; EFFECTVS proprius huius Christi muneris.

PVNCTVM SEXTVM.

De Christo REGE.

IN sermone, quem instante passione Christus cum Pilato habuit Ioan. 18. duo ille de hoc suo munere asseuerauit; scilicet, & Regem se omnino esse, & regnum suum non fuisse de hoc mundo. Quod Christi testimonium nõ paruam peperit QVAESTIONEM, quæ existit hoc loco. Nam cùm certũ sit, Christum non modò vt Deũ (de quo dubium nõ est) sed etiam vt hominẽ, regia dignitate excelluisse, vt patet ex loco citato, & Psal. 2. & Isai. 23. & Apocal. 9. & alibi passim; controuersia tamen est, quatenus ille Rex fuerit. An scilicet tãtùm spiritualiter, an verò etiã temporaliter, ita nimirũ, vt cum auctoritate dominatiua & regia, atq; adeò sine cuiusquã iniuria, potuerit arbitratu suo statuere, nõ modò quę ad finem spiritualem pertinerent, putà ad bonum Ecclesię & ad salutem æternã; sed etiam quę proximè spectarent tantummodò ad bonum aliquẽ finem temporalem & politicum, more aliorum Regum. Et solet moueri hæc Quęstio de potestate Regia ampliss̃ima, per quam scilicet Christus habuerit dominium non solùm Iurisdictionis in omnes, tum homines, tum Angelos; sed etiam Iuris cuiusdam & potestatis in omnes omnino res creatas, vt tanquam omnium Dominus posset de quibuscunq; illarum facere, quod vellet absque cuiusquam iniuria.

Porrò vt cõmodiùs explicari possit hæc Quæstio, declaranda sunt primo loco quædam, quæ apud omnes, vel penè omnes in hac Quæstione sunt certa, & deinde de eo dicendum est, quod est propriè positum in controuersia. Video autem esse sex certa.

PRIMO enim certum est, Christum vt hominem, quatenus fuit Rex spiritualiter (de quo nõ est dubium) auctoritatem habuisse, tum circa spiritualia, tum etiam circa quæuis temporalia; aliter tamen & aliter. Nam circa *spiritualia* quidem habuit auctoritatem *primariò & per se*, nempe ad instituendum & præcipiendum ea, quæ ad bonum Ecclesiæ statum spiritualem, eiusque finem, scilicet beatitudinem æternam, per se pertinent; vt sunt religiosæ leges, Sacramenta, gubernatio hierarchica. Circa *temporalia* verò habuit auctoritatem *secundariò & ex consequẽti*, tamersi eam quoque plenissimã; nempe ad statuendum de quibuscunque rebus creatis & temporalibus ea omnia, quæ ad finem spiritualem cõtingat esse conducibilia: sicut iam etiam spiritualis auctoritas Summi Pontificis Christi Vicarij, secundariò & ex consequenti se extendit ad statuendum de iis rebus temporalibus, quæ vlli potestati humanæ intra Ecclesiam ordinariè subiaceant, quidquid sit necessarium ad tuendum Ecclesiæ bonum spirituale, vt probauimus tomo 3. quæst. 12. de Fide.

Neque verò sunt re ipsa duæ auctoritates, auctoritas illa Christi ad statuendum primariò de rebus spiritualibus, & auctoritas eiusdem ad statuendum secundariò de quibuscunque rebus temporalibus; sed vna & eadem, prout diuersimodè respicit spiritualia & temporalia; scilicet spiritualia primariò, & temporalia secundariò, vt dictum est. Quemadmodum etiam vna & eadem est auctoritas Pontificis, scilicet sua illa spiritualis, per quã ille ex officio suo potest statuere & de *spiritualibus* rebus *primariò*, & de *temporalibus* rebus Christianorum *secundariò*. Nisi quòd illa auctoritas Christi est multò amplior. siquidẽ se extendit (vt dictum est) ad omnes omnino res creatas, atque adeò pertinet ad propriam quandam Christi potestatem, quam vocant *Excellentiæ*, quia Christi humanitati conuenit propter vnionem cum diuino Verbo; per quam etiam potestatem Christus potuit instituere Sacramẽta, & extra illorum etiam vsum remittere peccata, quorum neutrum potest Papa.

Itaq; per hanc excellentem potestatem & auctoritatem spiritualẽ, affirmamus potuisse Christum non modò statuere primariò de spiritualibus; sed etiam secundariò de quibuscunq; omnino rebus creatis, quatenus id esset conducibile ad spiritualem finem. Idq; dicimus esse in hac Quæstione PRIMO certum. Nam ex Scriptura colligitur, omnes omnino creaturas esse Christo subiectas, etiam vt homini; sicut apparet ex illis verbis Apostoli ad Ephes. 1. *Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiã.* Et ex aliis, quæ postea adferemus. Quod saltem oportet verum esse ob illam excellentem auctoritatem spiritualem, quam Christus, vt spirituale Ecclesiæ caput, habeat erga creaturas omnes, eo modo, quo explicatum est.

SECVNDO certum est, Christum non fuisse Regem & Dominum omnium, per tale aliquod temporale seu politicum dominium, quo ipse *solus* esset quarumcunq; rerum Dominus, ita, vt nullus alius homo esset & maneret Dominus rei vllius: quod dominium solet appellari dominiũ *per propriet atẽ*, & distinguitur à Dominio cõmuni

pluribus

Universidad de Deusto
Biblioteca

pluribus, respectu rei eiusdem, quam nimirum quilibet illorum possit æquè vsurpare, vel arbitratu suo (prout quis primò illam occupat) vel ex arbitrio Superioris alicuius.

Probatur autem, certum esse hoc secũdum, vt dicimus. Nam nec Deus ipse habet tale dominium omnium rerum per proprietatẽ, quod scilicet excludat & impediat hominum dominiũ; sed solùm habet quoddã vniuersale dominium, cum quo rectè stare potest, vt homines etiam, dependenter à Deo, tãquam ab vniuersali causa, & summo omnium Domino, habeant suum peculiare dominium, quisq; rerum suarũ. Multò igitur minùs Christus vt homo habuit, vel habet tale dominium per proprietatem, quod scilicet excludat dominia aliorum hominum.

Itaq; communiter exploditur quorundam error, qui ineptè aiebant, omnes Principes & Dominos terræ, à Christi cõceptione fuisse suis dominiis priuatos, & incepisse illos ex eo tempore administrare non nisi vt Christi Vicarios. Quod commentum manifestè refellitur testimonio ipsius Christi, Matth. 22. *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Et testimonio Apostoli Roman. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Et Ecclesia canit: *Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia*: Vt alia omittam, quæ pro asserendo Dominio Infidelium disseruimus tomo 3. quæst. 10. de Fide. Atque huc etiam pertinet, quod Ioannes XXII. in Extrauagantibus *Cùm inter nonnullos*, & *Quia quorundam*, definiuit, Christum & Apostolos *nonnullarum* rerum habuisse quandoque proprietatem & dominium. Hoc enim ipso, quòd Pontifex definit, Christum habuisse nonnullarum rerum dominium per proprietatem; supponit pro certo, illum nequaquam habuisse tale dominium respectu rerum omnium.

Tertio certum est, Christum, cùm idem ipse esset Deus & Dominus omnium, *potuisse* quidem sibi secundùm humanitatem (ob excellentiam gratiæ vnionis) attribuere & vsurpare (licet non fecerit) istud dominium omnium rerum per proprietatem, atque adeò omnes Dominos & Principes terræ expoliare suis propriis dominiis; vt nemine refragante notauit rectè Sotus in 4. sentent. distinct. 25. quæst. 2. articulo primo (malè à quibusdam intellectus) Cur enim Christus vt Deus, atque adeò vnâ cum Patre & Spiritu sancto, hoc facere non potuisset, cùm potuerit etiam non solùm dominiis suis omnes priuare, sed etiam vita, immò etiam in nihilum redigere?

Ac, quia hoc quidem non fecit, cùm posset; non absurdè fortasse quis diceret, à Christi conceptione cœpisse Principes terræ regnare tanquam Vicarios quodam modo Christi; non quia verè domini esse ipsi desierint, sed quia instar Vicariorum (qui ex voluntate Dominorum res administrant) peculiari beneficio voluntatis Christi perstiterunt in vera & legitima administratione suorum Dominiorum, quatenus ille scilicet noluit eos illis priuare, cùm posset. Nam & hoc sensu scribit D. Thomas opusculo 20. de Regimine Principum lib. 3. cap. 13. Octauium Augustum, cùm describeret vniuersum orbem, gessisse vices Christi in imperio; quia scilicet Christus permisit, vt regnaret, sicut disertis verbis postea dicit D. Thomas cap. 16. de omnibus Principibus.

Quarto certum est, Christum vt hominem, id est, secundùm suam humanitatem immediatè, neque fuisse aut esse, neque esse potuisse dominum omnium per illud ipsum dominium *commune & vniuersale*, quo Deus est Dominus omnium creaturarum, tanquam illarum auctor. Nam istud diuinum dominium, est vnum quoddam è diuinis attributis & proprietatibus. Ostendimus autem suprà quæst. 2. punct. 3. contra Sectarios Vbiquistas, nullum diuinum attributum communicatum esse, aut communicari potuisse humanitati Christi secundùm se, ita scilicet, vt Christus non modò secundùm diuinam suam personam, sed etiam secundùm humanitatem ipsam sit aut omnipotens, aut vbiq; præsens, aut vniuersalis dominus, per illud diuinum dominium, &c.

Quinto certum est, potuisse quidem Christum secundùm humanitatem suam habere dominium quoddam aliud politicum rerum omnium *commune* (id est, non excludens propria dominia aliorum) quod esset & inferius dominio diuino (vtpotè ab eo dependens) & superius ordinariis dominiis aliorum hominum, vtpotè se extendens non ad has vel illas res tantùm (sicut aliorum dominia) sed ad omnes omnino. Nam potuit Christus secundùm humanitatem suam habere dominium proprium omnium rerum, excludens scilicet dominia aliorum; vt dictum est in pronunciato tertio. Ergo multò magis potuit habere istud commune dominium, non excludens dominia aliorum; siquidem cæteris paribus, plus quiddam, & vtilius aliquid Domino est, dominium per proprietatem, quàm dominium per communionem aliquam cum aliis, vt per se manifestum est.

Sexto certum est, de facto quidem non habuisse Christum istiusmodi politicum & commune dominium rerum omnium acquisitum aliquo humano & ordinario *titulo* ex iis, quibus inter homines solẽt dominia acquiri: cuiusmodi tituli sunt, Hæreditas, Donatio alterius hominis, Inuentio seu prima occupatio, Electio, Ius belli, &c. Et quidẽ quòd nec *dono* alterius hominis, nec *inuentione*, aut prima *occupatione* Christus acquisiuerit politicum dominium Orbis, satis patet. Quòd autem neque illud acquisiuerit Hæreditate aut Electione, aut Iure belli, ex Scriptura quoque facilè doceri potest. Non *hæreditate*:

Primò:

Primò, Nam Dauid Rex, à quo descendebat, nũquam fuit Dominus totius orbis. Secũdò. Nam dato, quòd fuisset, tamen fortè supererant tunc aliqui ex eadem stirpe Dauidis seniores, atque adeò Dauidi propinquiores, vt omnino est credibile. Tertiò. Nam multò ante Christum natũ, idq; Deo iustè volente, amiserat potestatem regiam (qualiscunque illa fuerit) stirps Dauidica, nempe in Iechonia, qui Matth. 1. in Genealogia Christi, numeratur decimus quartus à Dauide, & duodecimus ante ipsum Christum. Id enim diuinitùs, atque adeò certò fuit prædictum Ieremiæ 22. vbi sic legimus: *Viuo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde euellam eum, &c.* Et infrà: *Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; neque enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltrà in Iuda.* Itaque communiter exploditur opinio Armachani libro 4. de quæstionibus Armen. cap. 16. & Bachonij in 4. quæst. 1. & 11. Prologi, & Pauli Burgensis in caput 1. Matthæi, additione 2. qui sine fundamento arbitrati sunt, Christo competiuisse Regnum Israël iure hæreditario.

Neque etiam obtinuit Christus tale dominium *electione humana*. Nam neque constat, illum vnquam ab vllis hominibus fuisse electum in Regem & Dominum totius orbis; nec talem ipse electionem acceptasset, vt patet ex eo, quòd *cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus*, Ioan. 6.

Nec deniq; *iure belli*: Siquidem cõstat, nullum ab eo fuisse gestum bellum politicum, quo politicum id dominium & Regnum, de quo loquimur, acquireret; sed gesit bellũ spirituale, quo Principẽ huius mundi debellauit, *et eiecit fòras* ex cordibus hominum, Ioan. 12. vt solus ipse regnet per gratiam in cordibus nostris, in quibus antea princeps tenebrarum per peccatum regnabat. Itaq; omnino certũ est id, quod diximus, Christum *de facto* quidem non habuisse politicum illud dominium commune totius orbis, acquisitum humano aliquo & ordinario titulo ex iis, quibus solent dominia acquiri inter homines.

Cùm igitur hæc omnia sex pronunciata, quæ hactenus exposuimus & cõfirmauimus, certa & extra cõtrouersiam sint; vnũ superest, de quo est propriè Controversia & discrepantia sentẽtiarum: scilicet, An saltem singulari beneficio & dono æterni sui Patris, Christus vt homo, obtinuerit de facto (propter excellentiã gratiæ vnionis) cõmune illud & politicũ dominium totius orbis, quod & in quinto pronũciato affirmauimus *potuisse* quidẽ ipsum habere; & in sexto negauimus habuisse *de facto* acquisitum vllo humano & ordinario titulo. Atque adeò Quæstio est, Num Christus vt homo, per tale dominiũ dono Patris acquisitũ, potuerit sine cuiusquã iniuria, tanquam politicus etiã & temporalis Dominus totius orbis statuere quod vellet, de quibuscũq; rebus mundi, etiamsi id non pertineret & ordinaretur peculiariter ad finẽ aliquem spiritualẽ; sed solùm ad temporalem; vt ad muniendã tantùm aliquã ciuitatem; vel ad aliquid aliud eiusmodi, quod solent sibi proponere temporales & politici Principes ac Domini in iis, quæ statuunt circa res dominio suo subiectas. De huiusmodi namq; politico seu temporali dominio est tota hæc Quæstio & controuersia, vt initio etiam exposuimus; quod nescio, an satis perpenderint nonnulli ex iis, qui de hac re scripserunt.

Ac sunt de hac Quæstione in hoc sensu duæ contrariæ sententiæ, quarum quælibet habet minimè contemnendos auctores. Prima affirmat, fuisse Christum eo modo Regem ac Dominum totius orbis etiam temporalem seu politicum. Ita D. Antoninus 3. p. tit. 3. cap. 2. Turrecremata lib. 2. Summæ, cap. 116. in responsione ad obiectionẽ 2. Hostiensis in capitulo, Quod super his. Extra de Voto & Voti redemptione. Augustinus Triumphus Anchonitanus in Summa de potestate Ecclesiæ q. 1. art. 1. Almaynus in libro itẽ de potestate Ecclesiæ, cap. 8. Aluarus Pelagius lib. 1. de planctu Ecclesiæ, cap. 13. Panormitanus in cap. Nouit. Extra de Iudiciis. Nauarrus super idem cap. Notabili 3. n. 6. & seq. & quidã alij. Quin etiam pro eadem sententia citatur à quibusdam D. Thomas in opusc. 20. de Regimine Principum, lib. 3. cap. 12. 13. 14. 15. sed meo Iudicio non rectè, vt postea ostendam. Adferuntur autem pro hac sententia varia argumenta partim ex Scriptura, partim ex Patribus, partim ex ratione. De quibus postea videbimus.

Secvnda sententia contrà asserit, Christum vt hominem non fuisse quidem illo etiã modo, scilicet politicè & temporaliter, Regẽ ac Dominum omnium, sed propriè & per se, solùm *spiritualiter*; ita tamen, vt per eam ipsam auctoritatẽ suam regiam & dominatiuam spiritualẽ potuerit quoq; secundariò & ex consequenti, seu (vt aliqui appellant) *indirectè* constituere arbitratu suo absque cuiusquam iniuria de quibuscunq; rebus temporalibus quidquid expediret ad finem spiritualem, & non aliter, vt explicuimus in primo pronunciato certo: propter quam quidem potestatem ex cõsequenti se extendentem ad temporalia, si quis appellare velit aliquo modo etiam *temporale* regnum illud & dominium Christi, non poterit de hoc esse quæstio, nisi de nomine. Sic enim non negant auctores huius sententiæ, temporale quoque appellari posse illud Christi regnum; sed solùm contendunt, non fuisse etiam ita temporale & politicum, vt per illud potuerit Christus absque iniuria cuiusquam, de quibuscunque rebus temporalibus statuere sine respectu & ordine peculiari ad finem spiritualem, vt explicauimus.

Hanc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hanc sententiam puto inprimis esse D. Thomæ in dicto opusculo de Regimine Principum (si tamen est Diui Thomæ) lib. 3. cap. 13. 14. & 15. Nam etsi semel aut iterum vocat ibi istud Christi Regnum temporale; tamen satis subinde declarat, illud primariò quidem & per se & directè solùm fuisse spirituale, seque illud non aliter appellare etiam temporale, nisi quia ex cõsequenti quidem & secundariò siue indirectè ad temporalia quoque se extendit in ordine ad spiritualia, vt dictum est. Id patet tum ex tota ferè disputatione D. Thomæ in illis capitibus, qua spiritualiter vbique interpretatur rationem & vim illius Regni: tum peculiariter ex illis Diui Thomæ verbis sub initium cap. 13. *Satis*, inquit, *apparet, quòd dominium Christi ordinatur ad salutem animæ, & ad spiritualia bona: licet à temporalibus non excludatur eo modo* (inquit) *quo ad spiritualia ordinantur.* Quid clarius? In eandem igitur sententiam accipiendum est, quod postea cap. 15. de Christo sic addit: *Quamuis enim temporaliter esset Dominus orbis* (scilicet indirectè in ordine ad spiritualia) *directè tamen ad spiritualem vitam suum ordinauit principatum.* Neque obstat, quòd Diuus Thomas cap. 12. Regnum hoc Christi Monarchicum annumerat præcedentibus quatuor Monarchiis, scilicet Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, dicens hanc Christi Monarchiam esse quintam perpetuò duraturam, iuxta prophetiam Danielis cap. 7. Verè namque est quinta Monarchia; sed suo modo, nempe primariò spiritualis, & non nisi ex consequenti & indirectè temporalis, vt ipse D. Thomas satis clarè exponit.

Hanc eandem secundam sententiam defendunt communiter alij Theologi præcipui nominis. Vt Thomas VValdensis lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ cap. 76. & 77. Abulensis quæst. 3. in caput 21. Matthæi. Franciscus Victoria Relectione 1. de potestate Ecclesiæ, sectione siue quęstione 6. num. 16. & seq. Sotus lib. 4. de Iustitia quæst. 4. art. 1. & in 4. sentent. dist. 25. quæst. 2. artic. 1. Bartholomæus Medina 3. parte quæst. 59. art. 4. & alij, quibus etiam adiungo tres doctissimos Theologos Societatis nostræ, scilicet Frãciscum Toletum in caput 18. Ioannis, Annotatione 25. & 26. & Benedictum Pererium lib. 8. in Danielem, non longè à fine, & Robertum Bellarminum libro 5. de Romano Pontifice, cap. 4. & 5. Ac ipse existimo hanc sententiam esse & veriorem, & magis piam, magisq; consentaneam Scripturæ & Patribus & rationi.

Probatur igitur hæc secunda sentẽtia PRIMO ex variis Scripturæ locis, quæ possunt ad quatuor genera reuocari. PRIMVM genus est eorum locorum, ex quibus constat, Christum vt hominem fuisse verè & perfectè pauperem. Vera enim & perfecta paupertas non consistit solùm in non vtendo rebus temporalibus, sed inprimis etiam in non habendo. Sicut contrà, verum & perfectum dominium politicum (cui è diametro paupertas opponitur) nõ consistit solùm in vtendo rebus, sed inprimis in *habendo potestatem & ius* in ipsas: dominium enim non est propriè vsus rerum, sed facultas & potestas ad vtendum re, vt patet ex recepta definitione Dominij tradita à nobis tomo 3. disp. 5. quæst. 10. punct. 1. Eius autem generis loca Scripturæ sunt hæc: Psalm. 39. *Ego autem mendicus sum & pauper.* Et Psalm. 68. *Ego sum pauper & dolens.* Et Psalm. 108. *Persecutus est* (Iudas) *hominẽ inopem & mendicum & compunctum corde mortificare.* Et Zachar. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi iustus & Saluator, ipse pauper.* Et 2. Corinth. 8. *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* Vbi minimè est sensus (vt quidam sine fundamento comminiscuntur) quòd cùm secundùm assumptam humanitatem dono Patris esset diues per orbis dominium, egenus factus est, quoad rerum vsum: sed quòd cùm esset diues secundùm diuinitatem, factus est homo propter nos verè egenus & pauper, atque adeò carens vero & propriè dicto dominio, quod non in vsu, sed in facultate & potestate consistit, vt ante ostensum est. Sic enim & non aliter, hunc Apostoli locum intellexerunt omnes eius interpretes & Patres, ac nominatim sanctus AMBROSIVS Enarratione in Psalm. 40. non longè ab initio, hunc ipsum Apostoli locum expendens: *Si*, inquit, *egenus & pauper in carne, vtique egenus & pauper in carnis istius passione: Non ergo in diuitiis suis* (hoc est, in diuinitate) *sed in nostra passus est paupertate, ideoque non plenitudo diuinitatis, quæ in illo corporaliter habitat; sed caro passa est.*

Ego sanè non assequor, quomodo iuxta hæc Scripturæ loca Christus fuerit verè & propriè & perfectè egenus & pauper, si politico & temporali dominio ex dono Patris fuit verè & propriè & perfectè Dominus totius orbis terrarum, vt volunt authores prioris sententiæ. Quod enim dicunt, fuisse pauperem quoad vsum, leuioris certè momenti est, quàm vt tantæ moli testimoniorũ præponderet. Primò, quia iam id refutatum est. Non enim solùm in non vtendo, sed inprimis in *non habendo* consistit vera & propriè dicta paupertas. Deinde, quoniam ipse Dominus manifestè videtur in Euangelio explicasse perfectionem paupertatis suæ, quam aliis consilio suo proposuit imitandam, minimè fuisse istam tantummodò in non vtendo rebus; sed planè etiam in non habendo, atque adeò in repudiando ipso inprimis dominio temporali seu politico rerum. Nam Matth. 19. Interroganti adolescenti: *Quid adhuc mihi deest?* nempe ad perfectionem; non proponit Christus exemplũ suum imitandum & sequendum per solum *non vsum* rerum; sed per veram abdicationem dominij rerum, quas *habebat*, atq; adeò per veram paupertatem: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes* (non dicit tantùm, non iis vtaris) *& da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni* SEQVERE *me.* Vnde ibidem Petro dicenti: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: Quid ergo erit nobis?* Respondet Dñs: *Vos, qui secuti estis me* (scilicet relinquendo etiam omnia) *in regeneratione, &c.* Certè valde firma est prima hæc probatio ex Scriptura.

SECVNDVM genus locorum Scripturæ, ex quibus eadem sententia probatur, constat iis testimoniis, in quibus distertis item verbis ipsius Christi, videtur declarari, illum vt hominem, neque omnium rerum, neq; omnis iurisdictionis habuisse dominium. Non omnium quidem rerum, Matth. 8. *Vulpes*, inquit, *foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Quibus verbis non tantùm dixit, se non vti locis, quos habeat in toto orbe, ad reclinandum caput; sed se planè non HABERE locum vllum suum, vbi reclinare posset caput. Quòd autem neque habuerit dominium omnium *Iurisdictionum*, declarauit etiam satis apertè, Lucæ 12. cùm cuidam dicenti ei: *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*, respondet: *Homo, quis me constituit Iudicem aut diuisorem inter vos?* Quasi diceret: Nemo planè; neque homo, & multò minùs Deus. Si enim à Deo habuisset dominium Iurisdictionis politicæ; multò veriùs fuisset cõstitutus Iudex politicus, quàm si eam Iurisdictionem habuisset ab homine. Et tamen negat omnino, se fuisse talem Iudicem constitutum. Vnde per hoc, quod addit: *Quis me constituit Iudicem, &c.* eum remisit ad alium, qui haberet eam potestatem, qua ipse careret; scilicet ad Iudicem, cuius est propriè iustè diuidere inter alios, quæ illis competunt, atque adeò per eam diuisionem statuere æqualitatem Iustitiæ: propter quod Iudex à Domino ibi, & à Philosopho etiam vocatur *διχαστὴς*, id est, diuisor, vt annotauimus tomo 3. disp. 5. q. 1. punct. 1.

Itaque non congruit cum istis Christi verbis interpretatio quorundam, qui aiunt, illum solùm voluisse dicere, quòd nemo eum determinatè & nominatim destinasset illi causæ diiudicandæ. Plus enim quiddam significat Christus, nempe se ne esse quidem Iudicem constitutum inter illos. Quod factum esset, si fuit à Deo constitutus Iudex politicus pro omnibus causis, & inter omnes homines: nam tũc etiam fuisset Iudex cõstitutus in illa caussa, & inter fratres illos. Quemadmodũ Iudex constitutus in aliqua tota Ciuitate, eo ipso est Iudex constitutus pro quacunq; caussa, quæ agitetur inter quoscunq; ciues illius Ciuitatis: nec posset talis Iudex verè respõdere vllis eiusmodi ciuibus, officium ipsius postulantibus, se non esse Iudicem constitutũ inter illos, quãtumuis determinatè quidem & nominatim à nemine esset destinatus peculiariter, vt causam talem componeret inter hunc & illum ciuem.

TERTIVM genus locorũ Scripturæ ad idem probandum, continet eas sententias, in quibus Regnum & Dominatus Christi nõ nisi spiritualiter describitur, & quidẽ vbicunq; ratio huius Regni exponitur, sicut rectè Franciscus Victoria vbi suprà & alij obseruârunt. Vt Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Syon montem sanctum eius, prædicans* (inquit) *præceptũ eius:* Nempe in Ecclesia, cuius typus fuit mons Syon, & quæ etiam ideo vocatur sedes Dauid, cui Rex hic ex eius stirpe futurus fuit promissus. Et Isai. 9. *Factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, &c.* Et Zachar. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi iustus & Saluator, &c. & loquetur pacem Gentibus.* Et Ioan. 18. explicans ipse Dominus Pilato, quonam modo intelligere deberet, quod dixerat: *Tu dicis, quia Rex sum ego*: statim subiungit spiritualem interpretationem huius sui Regni: *Ego*, inquit, *in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati*: nimirũ *prædicando præceptũ Dei, & loquendo pacem Gentibus*, vt de illo dixerunt Dauid, & Zacharias.

QVARTVM genus est eorum locorum, in quibus ipse Dominus, nõ modò suum Regnum spiritualiter (vt dictum est) explicauit, sed distertis verbis etiam addit; Regnum suum non esse de hoc mundo, id est, tale, quale sunt huius mundi regna temporalia & politica. Ioan. 18. *Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo.* Et rursus infrà: *Regnum meum non est hinc.* Certè his sententiis Christus non tantùm negat, conuenire suo Regno quędã velut accidentia Regnorum mundanorum (quale est, quòd tollat vel imminuat dominium aliorum, vel quòd humano aliquo & ordinario titulo sit acquisitum, vt electione, vel hæreditate, iure belli, &c.) sed inprimis negat, cõuenire Regno suo rationem *propriam*, & quasi *essentialem* Regnorum mundanorũ, quę consistit nimirum in facultate vtendi rebus absq; cuiusquam iniuria, propter finem quoq; merè temporalem, sine respectu peculiari ad finem spiritualem. Nam quòd Christus non esset Rex temporaliter ordinario aliquo titulo (vt electionis, belli, &c.) nimis notum Iudæis, atq; adeò Pilato etiam esse poterat, cui tunc interroganti respondebat de suo Regno: neque erat opus in eo sensu negare se Regem esse: sed quæstio Pilati, & Christi responsio fuit de Regno inprimis temporali in ordine ad finem politicum, quod vel tolleret, vel certè posset imminuere (vt illud quod asserit prima opinio) dominia aliorum, quocunq; demùm titulo, siue diuino, siue humano, vero aut ficto, illud à Christo prætenderetur.

Itaq; minimè respondent satis ad huiusmodi testimonia, qui dicunt, negauisse tantùm Christum, fuisse suum Regnum acquisitum humano aliquo titulo ex ordinariis, vel omnino excludens dominia & regna aliorum. Nam vt dictum est, omnino negauit fuisse per se temporale, atq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

adeò etiam tale, quod saltem imminueret aliorum regna & dominia, sicut imminuisset illud Christi, quod asserit prima opinio, hoc ipso nimirum, quòd minùs vtile est Domino eius rei dominium, cuius etiam alius quocunq; modò sit politicè dominus, atq; adeò posit eadem re similiter atq; alter vti. Et hactenus de PRIMA probatione ex Scriptura.

SECVNDO probatur eadem sententia ex Patribus. Nam certum est, illos eodem sensu, quo Scriptura facit, asserere passim, Christum fuisse *pauperem, & non habuisse* temporales opes & potẽtiam in hoc mundo, & Regnum eius fuisse *spirituale*, & denique illud non fuisse Regnum *de hoc mundo*. Sed ista quatuor Scriptura sic asserit, vt planè indicet, Christum nullo modo habuisse dominatum & Regnum per se temporale, & politicum (sicut hactenus ostendimus) Ergo planè id ipsum senserunt Patres. In specie autem obseruentur sequentia testimonia.

S. ATHANASIVS in libro de humana natura suscepta ab vnigenito Verbo contra Apollinarium, non longè ab initio: *Vilitatem*, inquit, *inopiamq; in se suscepit* (Christus) *vt nobis opulentiam suam largiretur*.

S. CHRYSOSTOMVS homil. 17. in 2. Corinth. *Omnia*, inquit, *per paupertatem factus est nobis. Qua paupertate? Quia assumpsit carnem & factus est homo, & passus est ea, quæ est passus*. Non igitur in assumpta carne fuit diues.

S. Cyrillus ALEXANDRINVS in libro posteriori ad Reginas de recta fide in Dominum nostrũ Iesum Christum, nõ longè ab initio: expendens locũ Apostoli, 2. Cor. 8. suprà citatũ: *Diues*, inquit, *vt Deus, voluntariè pauper factus est & nobis similis, vt post hac hominis natura in sua eminentia fastigium erecta, paupertatis confusionem amoueat*.

S. AMBROSIVS lib. 3. in Lucam, post mediũ: *Interrogemus*, inquit, *Scripturas. Inuenimus, quia Regnum Domini non est de hoc mundo. Qui dicit, non esse de hoc mundo Regnum suum, ostendit esse suprà mundum. Ita & erat Regnum eius, & non erat: non erat in hoc seculo, suprà seculum erat*.

S. HIERONYMVS in caput 22. Ieremię, explicans, quomodo cohæreat cũ vaticinio illud Angeli Lucæ 1. de Christo descendente ex Iechonia: *Dabit illi Dominus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum*, cum vaticinio illo Ieremię suprà recitato de Iechonia: *Nec erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, &c.* ita scribit: *Non sedebit quidem super sedem Dauid vir & homo: sed sedebit Deus, Regnumq; eius non erit terrenũ & breue, vt fuit Dauid, sed perpetuum atq; cœleste*.

S. AVGVSTINVS Tract. 51. in Ioan. *Non enim Rex Israël Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, vel hostes visibiliter debellãdos: sed Rex Israël quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesq; perducat*. Et Tractatu 115. in Ioannem: *Quod est*, inquit, *regnum eius, nisi credentes in eum, quibus dicit Ioann. 8. de mundo non estis, sicut ego non sum de mundo?* Et lib. 17. de ciuit. Dei, cap. 7. *Populus*, inquit, *Israël regnum fuerat amissurus: Christo Iesu Domino nostro per nouum Testamentum non carnaliter, sed spiritualiter regnaturo*.

S. GREGORIVS homil. 8. in Euang. *Non*, inquit, *in parentum domo, sed in via nascitur, vt profectò ostenderet, quia per humanitatem, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur*.

TERTIO accedit his præterea satis manifesta Ratio. Nam vt Christus haberet temporale illud & politicum Regnũ ac dominium, id sanè neq; necessarium, neq; cõducibile fuit ad hominum redemptionem & salutem, quæ fuit finis aduentus illius in hunc mundum. Ergo minimè existimandum est, voluisse Christum tale Regnum & dominium habere. Quòd autem non fuerit necessarium, probatur. Nam per Regnum & dominium spirituale, potuit ob spiritualem quidẽ finem, atq; adeò ad salutem hominum omnia illa statuere circa res etiam temporales, quæ ad eum finem facere conueniret, vt ostendimus in Pronunciato 1. Quòd autem neq; id fuerit conducibile, patet etiam ex eo, quòd ad finem Redemptionis potiùs expediebat, Christum præbere nobis exemplũ perfectæ paupertatis & cõtemptus rerum mundanarũ: Non potest autem dubitari, quin verior, maior, & pfectior paupertas & contemptus rerum mundanarũ sit, carere velle non modò vsu illarum, sed etiam *facultate* vtendi, atq; adeò illarum dominio, quàm velle carere solo vsu, retenta vtendi facultate.

Nec mihi profectò videtur vllo modo probabile, quod quidã hic dicunt, in nobis quidem id esse verum, eò quòd si vtendi facultatẽ retinea-mus, procliue sit vti, cùm simus instabiles: non autem in Christo, qui firmiter & immutabiliter statuit mundanis rebus non vti, quamuis facultatem vtendi habere voluerit. Habere enim eam facultatem, & tamen immutabiliter velle non vti, maiorem in Christo perfectionem paupertatis fuisse, quàm carere & vsu & facultate vtẽdi. Hoc non satis circumspectè dicitur.

Considerandum namq; est, iuxta sententiam, quã defendimus, Christum nõ quomodocunq; caruisse etiam facultate vtendi rebus & opibus mundanis; sed planè illa quoq; caruisse & *voluntariè*, cùm posset absq; vllius etiam iniuria, eam facultatem sibi sumere (vt posuimus in tertio & quinto Pronunciato ex certis) & *immutabiliter*, cùm non magis fuerit verendum, ne postquam statuit, illam facultatem nõ assumere, eam assumeret, quàm ne illâ vteretur, postquã statuit non vti. Iam ergo si magnam quãdam perfectionem paupertatis Christi cõstituit aliquis in eo, quòd cùm Christus posset habere vsum rerum mũdanarum, immutabiliter voluerit eum vsum non habere; certè multò maiorem debet animo cõcipere & constituere in eo, quòd cùm Christus posset habere & *facultatem* vtendi mundanis rebus, &

bus, & illarum *vsum*, immutabiliter voluerit neutrum habere, scilicet neq; *vsum*, neq; *facultatem* vtendi, atque adeò longiùs abfuerit ab vsu & copia istiusmodi rerum. Mihi quidem clarissimum hoc esse videtur, si quidquam est omnino clarum. Atque vt in summa dicam, sententia illa prior, quæ Christum hominem quoad facultatem quidem vtendi rebus (in qua consistit Dominiũ) diuitem & opulentũ reuerà facit, non mihi satis cõuenire videtur cum pio quodã sensu de paupertate & nuditate Christi crucifixi.

Argumenta verò, quibus vtuntur auctores illius primæ sententiæ, facili negotio refelli iam poterunt ex iis, quæ hactenus diximus. Ac PRIMO quidem loco argumentantur ex variis Scripturæ testimoniis, quæ possumus ordine reuocare ad quatuor capita. PRIMVM cõtinet ea testimonia, in quibus significatur, omnia omnino fuisse data seu communicata Christo à suo Patre. Ex quo videtur sequi, fuisse etiam ei datum Regnum ac Dominium temporale. Vt Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*. Et Ioannis 13. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*. Et ad Hebræos primo: *Quem constituit hæredem vniuersorum, &c.*

RESPONDEO, omnia omnino, quæ Pater habet, esse data Christo vt homini, seu Christi humanitati, non ita tamen, vt Christi humanitas in se ipsa, vel (quod idem est) Christus secundùm humanitatem ipsam immediatè illa omnia habeat, sed vt Christi humanitas & Christus homo secundùm humanitatem mediatè habeat illa, nempe in hypostasi quidem eiusdem humanitatis, hoc ipso nimirum, ꝙ illi humanitati est data hypostasis diuini Verbi, in qua omnia sunt; atq; ita humanitas non in se, sed in sua hypostasi omnia accepit, vt suprà quæst. 2. punct. 3. explicauimus contra Sectarios Vbiquistas. Alioqui si auctores primæ sententiæ velint eiusmodi loca ita intelligere, vt Christus secundùm ipsam humanitatem acceperit omnia; planè consentient cum illis Sectariis, debebuntq; concedere, Christum secundùm humanitatem ipsam esse omnipotentem, & vbiq; præsentem, &c. Confirmatur autẽ nostra interpretatio ex eo, quòd non oportet aliter hæc loca intelligere, quàm illud, quod dicitur ad Philip. 2. donatum esse Christo *nomen, quod est super omne nomẽ*: Et quod dicitur Apocal. 5. dignum fuisse, qui *acciperet diuinitatem*, &c. (quorum vtrumq; dicitur factum post passionẽ, quia tum est manifestatum) At hæc Christus homo non accepit immediatè in sua humanitate; sed in diuina hypostasi, quæ data est suæ humanitati. Ergo similiter illa alia.

Peculiariter autem ex loco Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas, &c.* certum est non concludi, quod volunt. Nam si per *omnem potentiam* ibi intelligamus primò omnem omnino potentiam, quam habet Pater, id est, omnipotentiam diuinam; illam accepit Christus homo, non nisi in hypostasi suæ humanitatis, vt iam dictum est. Alioqui plus inde concluderetur, quàm auctores illius primæ sentẽtiæ volunt: Nempe ipsam quoque humanitatem Christi esse omnipotentẽ, qui est exploratus error Vbiquistarum. Si autem per omnem potestatẽ secundò intelligamus ibi cum Hieronymo & Anselmo omnem potestatem necessariam quidem Christo ad gubernandã spiritualiter omnem Ecclesiam, tum in cœlo, vbi est caput & Rex Angelorum; tum in terra, vbi sunt homines, quorum item est Rex & caput; satis constat, non inde sequi, quòd acceperit etiam potestatem politicam, ac dominium temporale, cùm per potestatem spiritualem potuerit sufficienter statuere circa temporalia etiam, quidquid esset necessarium ad spiritualem finem gubernationis Ecclesiæ.

Quòd si dicas, sensum eius loci esse, Christo secundùm humanitatẽ fuisse datam omnem potestatem, quæ conuenire posit naturæ creatæ, atq; adeò etiam potestatẽ illam politicam temporalis dominij: Hoc certè manifestè falsum est. Nam vt omittam innumerabiles potentias rerum naturalium creatarum, quæ minimè fuerunt datæ humanitati Christi, & loquar tantùm de potẽtiis, quæ possunt communicari homini; constat non habuisse Christum vt hominem potestatem dominij politici in res omnes per *proprietatem*, quæ scilicet excluderet dominia aliorum, vt ipsimet auctores primæ sententiæ fatentur. Et tamen ea potestas potuit sine cõtrouersia conuenire humanitati Christi, vt ostendimus in tertio Pronũciato certo. Non igitur eo modo intelligi debet ille locus; sed alterutro vel etiam vtroque ex duobus, quos exposuimus, quorum neuter suffragatur illi primæ opinioni.

SECVNDVM caput locorum Scripturæ, quibus nituntur auctores eius opinionis, continet eas sententias, quibus dicitur, omnia omnino fuisse Christo subiecta. Vt ad Ephes. 1. *Omnia subiecit sub pedibus eius*. Et 1. Corinth. 15. *Subiecit ei omnia, &c. præter eum, qui subiecit ei omnia*, id est, præter Deum, &c.

SED facilis est responsio. Nemo enim non videt, omnino vitiosam esse hanc Consequentiam: Christo homini subiecit Deus omnes creaturas: Ergo subiecit ei creaturas omnes, dando etiam ipsi temporale seu politicum dominium in illas. Etenim duobus aliis modis, sine hoc dominio politico, verissimè Deus dicitur subiecisse omnes creaturas homini CHRISTO. PRIMO, dando ei potestatem spiritualem tam amplam, vt per eam ipsam posset etiam de creaturis & rebus temporalibus omnibus arbitratu suo quiduis statuere, quod esset conducibile ad spiritualem finem, vt sæpè iam diximus, & præsertim in primo Pronunciato. SECVNDO, dando humanitati illius hypostasim diuinam, cui sunt omnia omnibus modis subiecta, atque adeò etiam homini CHRISTO secundùm ipsius

Universidad de Deusto
Biblioteca

hypostasin, iuxta ea, quæ paulò antè explicuimus.

TERTIVM caput continet similes alias Scripturę sententias, in quibus significatur, Christum etiam vt hominē, esse Regem ac Dominum omnium, etiam Regum & Principum. Vt Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatē tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et Ioann. 13. *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis; sum etenim.* Et Apocal. 1. *Princeps Regum terræ.* Et cap. 17. *Quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum.* Et cap. 19. *Habet in vestimento* (id est, in humanitate) *& in femore suo scriptum: Rex Regum & Dominus dominantium.*

SED similiter ad hæc loca respondemus, esse Dominum ac Principem, & Regem omnium, per potestatem non politicam, sed spiritualem amplissimam, quam habet in omnia, & in omnes, vt iam sæpè dictum est. Item est etiam omni modo Rex & Dominus secundùm hypostasin suam diuinam: Nam & sic illum Dominum appellauit Apostolus Thomas Ioan. 20. illis verbis: *Dominus meus, & Deus meus:* vt exponunt sanctus Athanasius in epistola ad Maximum Philosophum, & sanctus Augustinus in epistola 174. ad Pascentium.

QVARTVM caput continet quædam alia loca Scripturæ, in quibus auctores primæ sententiæ contendunt, quandoque etiam fuisse Christum vsum illa potestate temporali, & dominio politico. Vt Matthæi 8. cùm misit dæmones in *gregem porcorum* absque iniuria eorum, qui erant Domini. Et Matth. 21. cùm maledixit *ficulneæ*, & *aruit*. Et Ioan. 2. cùm violenter eiecit *ementes & vendentes de templo.*

SED non mihi esset mirum, si tota hæc probatio alicui videretur inepta. Etenim multis aliis modis rectè potuit Christus hæc facere, atq; etiam fecit, tametsi non habuerit secundùm humanitatem dominium illud politicum. Nempe *primò* per diuinam potestatem, quam omni modo habuit in omnia secundùm hypostasin humanitatis suæ; sicut fecit sic inprimis Christus homo alia multa miracula. *Secundò*, per amplissimam illam potestatem spiritualem, quam vt homo, habuit in omnia etiam temporalia respectu finis spiritualis, qualis fuit tunc, vt innotesceret per eiusmodi facta, ipsum minimè esse aliquem vulgarem hominem, &c. *Tertiò*, instinctu peculiari Dei, ob dictum finem. *Quartò*, ex Dei etiam zelo, more aliorum Prophetarum & sanctorum virorum, qui similia faciebāt, vt Phinees, Eliseus, &c. iuxta illud, quod Ioan. 2. subiunxit Euāgelista: *Recordati sunt discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.*

SECVNDO loco adferunt auctores primæ sententiæ quædam ex Patribus, quæ tamen vix habent vllum pondus. Obiiciunt enim PRIMO CHRYSOSTOMVM homil. 83. in Ioannem super illud Ioan. 18. *Si ex hoc mundo esset regnum meum* dicentem: *An non est mundi huius Christi regnum? Quid ni? Quomodo ergo inquit non esse? Non quòd hoc etiam non possideat; sed quòd in cœlo habeat imperium, non humanum, sed tōgè maius atq; præstantius.* Et CYRILLVM lib. 12. in Ioan. cap. 16. dicentem: *Regem se esse non negat, sed Regni Cæsaris se non esse hostem ostendit, quia eius regnum terrenum non est, sed cœli & terræ, cæterarumq; rerū omnium.* Et AVGVSTINVM Tractatu 115. in Ioannem, dicentem: *Non dicit, Regnum meum non est in hoc mundo, sed non est de hoc mundo.* Et infrà: *Non ait* (inquit) *Regnum meum nō est hìc: sed, non est hinc. Hìc est enim regnum eius vsq; in finem sæculi.*

At hæc testimonia minimè refragantur sententiæ nostræ; sed potiùs suffragantur. Nam minimè negamus, quin sit *in hoc etiam mundo* Christi regnum: Sed dicimus, illud in hoc etiam mūdo esse per se spirituale; non autem politicum & temporale, vt satis hi ipsi Patres declarant, & clarissimè Augustinus cùm illic subiungit: *De mundo est ergo, quidquid hominum à vero quidem Deo creatum, sed ex Adam viciata atq; damnata stirpe generatum est. Factum est autem regnum non iam de mundo, quidquid inde in Christo regeneratum est.* Et paulò antè ibi dixerat: *Quod est enim eius regnum, nisi credentes in eum, quibus dixerat: De mundo non estis, & ego non sum de mundo?*

SECVNDO obiicitur GREGORIVS homil. 8. in Euangel. qui postquam de Christo dixit: *Qui non in alieno nascebatur*, subiungit: *Alienum videlicet nō secundùm potestatem dico, sed secundùm naturā. Nam de potestate eius scriptum est: In propria venit*, Ioann. 1. *In natura etenim sua antè tempora natus est, in nostra venit ex tempore.*

At hoc Gregorij testimonium (ita fideliter recitatum) pro nobis potiùs valdè luculentum est. Manifestè enim diuinam Christi potestatem & naturam (de qua est sermo Ioann. 1.) opponit naturæ humanæ assumptæ; & secundùm *illam* dicit, venisse in *propria*; secundùm *hanc* verò in *aliena*, id est, in non sua, per dominium quidem politicum.

TERTIO obiiciunt BERNARDVM lib. 3. de consideratione ad Eugenium, dicentem: *Disposito tibi* (Summo Pontifici Eugenio) *super orbem credita est, non data possessio. Non tu ille, de quo Propheta ait: Et erit omnis terra possessio eius. Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & merito Redemptionis, & dono Patris. Cui enim alteri dictum est: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? Possessionem & dominium cede huic; tu curam illius habe.*

Respondeo primò, quamuis Bernardus esset in priori sententia; tamen meritò apud nos posse & debere præponderare auctoritatem tam multorum aliorum Patrum. Deinde Bernardus non mihi videtur hoc loco velle asscribere Christo vt homini dominium orbis politicū; sed indicare discrimē triplex in spirituali dominio Christi, & spirituali

spirituali dominio Summi Pontificis; tametsi vtrumq; se extendat etiam *ex consequenti* ad temporalia, vt suprà explicatum est. *Primum* discrimen est, quòd Christus habet id dominium, non tanquam alterius Vicarius, vt Pontifex; sed tanquam principalis & proprio suo merito, atque adeò *titulo Redemptionis* hominum, vt ibidem ait Bernardus. *Secundum* est, quòd habet ipse dominium illud multò amplius, ob suam propriam potestatem excellentiæ, per quam multa ob finem spiritualem potest ipse circa creaturas facere, quæ non potest Pontifex, vt suprà etiam dictum est. *Tertium* est, quòd etiam vt Deus, habet ipse perfectissimè id & aliud omne dominium, titulo nimirum *creationis*, vt ibidem quoque dixit Bernardus.

POSTREMO obiiciunt quasdam rationes; sed planè facillimas ad refellendū. *Primò*, quòd maior fuerit perfectio Christi paupertatis, si cùm haberet dominium & potestatem vtēdi temporaliter rebus huiusmodi, non vsus fuerit. *Respondeo*, falsissimū hoc est, vt abundè ostendi in probatione tertia nostræ sententiæ.

Secundò. Christus erat liber & exemptus ab Imperio aliorum, vt ille indicauit Matth. 17. dicēs: *Ergo liberi sunt filij.* Habuit igitur ipse imperiū & dominium politicum in alios.

Respondeo, verum esse Antecedens, vt videbimus punct. sequenti: Sed Consequentia nihil planè valet. Neq; enim politicè subiectum esse, & politicè imperare, opponuntur contradictoriè: vt si primum de Christo homine negetur, sit necesse secundum concedere.

Tertiò. Si Christus nō fuit per se & directè Rex temporalis: Ergo potestas Sacerdotalis & Regia, non fuerunt in illo duæ potestates. Nam ad potestatem Sacerdotalem pertinet quoq; regimen spirituale.

Respondeo, fuisse nihilominus distinctas suis rationibus formalib. has potestates. Nam Christus, quatenus *Sacerdos* propriè & præcisè, solùm obtulit sacrificium & preces, &c. pro hominibus; iuxta descriptionem Sacerdotij traditā ab Apostolo ad Hebr. 5. de qua diximus punct. præced. Ratio autē potestatis *Regiæ* spiritualis latiùs patet, cùm se extendat ad omne officium erga subditos, vt dirigantur ad finem spiritualem.

Quartò. Christus vt homo, per vnionem hypostaticam fuit filius Dei *naturalis* & hæres vniuersorum. Ergo fuit illi debitum dominium politicum.

Respondeo, ex ea filiatione naturali, quā Christus vt homo habuit secundùm hypostasim diuinam humanitati suæ datam (ad quam nimirum spectat filiatio) solùm sequi, quòd fuerit ei debitum & datum dominium etiam politicum inter alia omnia, vt haberet illud nō secundùm ipsam humanitatem immediatè & in se, sed secundùm hypostasin suæ humanitatis, quæ scilicet fuit humanitati suæ data, cum omnibus, quæ in ea hypostasi sunt, vt suprà ostendi & cōnici in Responsione ad primum caput locorum Scripturæ.

Quintò. Si Christus vt homo, indirectē tantùm (scilicet in ordine ad finem spiritualē) fuit Dominus: Ergo non potuisset Angelis imperare, nisi ea, quæ essent *necessaria* ad salutē hominū: Neque etiam vti rebus alienis ad faciendum miraculum, quod sine illis posset etiam facere.

Respondeo, minimè hæc sequi. Nam Christus per spiritualem suam potestatem excellentiæ, potuit circa creaturas omnes statuere non ea solùm, quæ ad finem spiritualem (scilicet ad salutem, vel ad manifestandam suam diuinitatem) essent *necessaria*, sed etiam ea, quæ quoquo modo essent *conducibilia* (vt sæpè diximus) quantumuis aliter posset aliquis eiusmodi finis spiritualis obtineri.

Porrò ex iis, quæ hactenus ad commendationem Euangelicæ paupertatis, verbo & exemplo Christi nobis propositæ, disputata sunt, satis apparet, quænā fuerit RATIO eius muneris, quòd Christus obiuit, & nunc etiam obit, tanquā Rex à Patre suo constitutus *super Syon montem sanctum eius*, id est, super Ecclesiam fidelium, vt interpretatur D. Augustinus tract. 115. in Ioannem, cuius Ecclesiæ fuit typus Regnū Dauid, & mons Syon, vt suprà etiam diximus. Est enim *spirituale* (vt probatum est) istud Christi Regnum.

Quòd autem attinet ad VSVM huius muneris Regij; gesit quidem Christus hoc spirituale regnum, & in hac vita erga suos, & post etiam, multò latiùs protendit, nimirum post Resurrectionis gloriam, & nominis celebritatem, merito passionis partam: iuxta illud Apostoli ad Roman. 14. *In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt & vivorum & mortuorum dominetur*, latiùs & efficaciùs nempe. Atque etiā post vniuersalem resurrectionem Regnum hoc Christi spirituale multò adhuc splendidius & manifestius erit.

Præterea quod attinet quoque ad vsum huius Christi muneris, est sciendum, auctoritatē hanc regiam Christi, cùm sit spiritualis, exerceri etiā potuisse, atque adeò exerceri hodie quoque (ab ipso Christo quidem immediatè) in *interioribus* actibus. Quoniam eos etiam excitat Christus in humanis mentibus, & cōponit ac dirigit in spiritualem illum finem beatitudinis. Vnde ipse Luc. 17. *Regnum*, inquit, *Dei intra vos est.*

Quibus ex rebus satis postremò patet, quis sit etiam huius muneris EFFECTVS. Est enim recta, & ad beatitudinem consequendam accommodata, Ecclesiæ constitutio, atque moderatio. Et quatenus hoc munus Christus totum contulit in vtilitatem suorum, & tāquam ad spiritualem animorum pastum, eatenus etiam fuit verus PASTOR, & talis quidem & tam bonus, quàm ipsemet in Euangelio Ioan. decimo describit.

(:)

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM SEPTIMVM.

De Christo LEGISLATORE.

HOc munus Christi, quasi pars vna fuit muneris regij, sicut ex dictis punct. præcedenti intelligi potest. Formaliter tamen diuersum est officium: siquidem munus regium multò latiùs patet.

Porrò nullo modo potest dubitari, Christum vltra communia præcepta legis naturalis, peculiares alias leges propriè Christianas sanciuisse. Id quod impudenter negauit Herbrandus Lutheranus in disputatione de Euangelio, numero 13. 14. 18. &c. & ante illum Lutherus in Concione quadam de tertia Dominica Aduentus, Anno M. D. XXV. Latinè reddita à Bucero, in qua reprehēdit Catholicos, quòd Christum doceant Legislatorem fuisse, & non tantùm Consolatorem & Auxiliatorem. Quæ istorum sententia valdè impudens & delira est.

Nam PRIMO fidem multorum articulorum, quorum antea notitia expressa à singulis saltem non requirebatur, CHRISTVS præcepit: & multa etiam particularia de internis motibus, in sermone, quem habuit in monte, Matthæi 5. 6. & 7. quem ideo sermonem omnibus Christianæ vitæ præceptis perfectum fuisse affirmauit Diuus AVGVSTINVS libro primo de sermone Domini in monte initio, & libro secundo, cap. 40.

SECVNDO, nouum vsum Sacramentorum, quorum ipse fuit author, imperauit, Matthæi 19. Marci 14. Lucæ 18. Ioannis 3. Ioannis 6. Lucæ 22.

TERTIO, ob eam rem Messias perspicuè ab Esaia cap. 33. est appellatus *Dominus Legifer noster*. Qui & cap. 2. illo vaticinio, *de Syon exibit Lex, & verbum Domini de Hierusalem*, planè intellexit, nouam legem à Christo ferendam Hierosolymis, vt Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 54. docuit.

QVARTO, ipse etiam Christus Matthæi 28. *Docete*, inquit, *omnes gentes, baptizantes eos, &c. & docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis*.

DENIQVE asseritur & confirmatur ea res passim à Patribus, & nominatim ab Augustino vbi suprà, & ab Eusebio fusè libro 1. demonstration. Euangel. cap. 1. & seq. Estque id definitum in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 20. Et nos tomo secūdo, quæstione sexta de Legibus, puncto 3. & 4. & quæstione octaua id probauimus. In qua disputatione fusè quoq; egimus de perfectione & efficacia huius nouæ Legis contra Sectarios, itemque de eius materia, obligatione, perpetuitate, &c.

Cùm autem Christus vt homo, fuerit Legislator, non qualiscunque, sed post Deum supremus, vtpotè per amplissimam potestatem, qua Regum ac Principum, & omnium creaturarum Dominus atque Rex fuit, & quidem in superiori quodam ordine, nempe spirituali (vt puncto præcedenti diximus) omnino est cōsequens, illū nullis legibus humanis vllius alterius Principis aut Magistratus fuisse subiectum. Superior namque (præsertim in ordine superiore) non potest obligari vllis legibus subditi sui: cùm possit quascunque subditi leges ipse immutare, prout expedit ad finem altiorem & vniuersaliorem, quem habet sibi propositum.

Atque hoc ipse Dominus de se pronunciauit, Matth. 17. illis verbis: *Ergo liberi sunt filij, &c.* Quibus significauit, se non ex obligatione, sed sponte, ne alij scandalizarentur, soluisse tributum, vt Patres ibi communiter asserunt, & docēt Theologi in 2. sentent. dist. vltima. Rectè enim & orthodoxè sanctus Gregorius NAZIANZENVS oratione 3. de Theologia, circa finem: *Vectigal, inquit, pendit, sed ex pisce, atque etiam exigentium Rex est.* Quocirca meritò à Ioanne XXII. damnatus est error Marsilij de Padua, & Ioannis de Ianduno, qui dixerunt, Christum *non ex condescensione & liberalitate pietatis suæ, sed ex necessitate*, soluisse illud tributum, nimirum tanquam subiectum humanis Legibus, vt refert Turrecremata lib. 4. Summæ de Ecclesia, parte 2. cap. 37. in initio.

Legi autem *diuinæ*, tum æternæ, tum naturali, non est dubium, quin Christus, vt homo, subiectus fuerit, sicut etiam speciali præcepto Patris de morte obeunda, iuxta dicta punct. 1. Legi autem diuinæ positiuæ *nouæ* minimè fuit subiectus, cùm fuerit ipsemet eius legis auctor. Sed neque subiectus fuit legi diuinæ positiuæ *veteri*; cùm ea posteris tantùm Adæ ab eo descendentibus via ordinaria, atque adeò obnoxiis peccato, fuerit promulgata: vt rectè ostendit Sotus in 4. sentent. dist. 2. quæst. 1. artic. 3. & idem apertè asserit sanctus Thomas infrà quæst. 37. articulo 4. vbi ait, *Christum, licet non fuerit legi obnoxius, voluisse tamen onera legis subire, ad demonstrandum humilitatis & obedientiæ exemplum, & vt approbaret legem, nec daret Iudæis calumniæ occasionem.* Atque hoc ipsum, scilicet voluisse Christum onera legis subire, significauit ille Matth. 5. cùm dixit: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Et Apostolus ad Galat. 4. cùm de illo inquit: *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Neque aliud volunt Patres, si quando dicunt, fuisse Christum legi subditum.

PVNCTVM OCTAVVM.

De Christo DOCTORE.

ECCE, inquit Dominus, *testem populis dedi eum, ducem ac Præceptorē Gentibus.* Isaiæ 55. Ac ipse ad discipulos: *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Ioan. 13. Neque quidquam euidentius ex historia Euangelica apparet, quàm eum vsurpauisse frequenter istud munus docendi. Quare ipse ad inimicos suos: *Quotidiè*, inquit, *apud vos sedebam docens in templo.* Matth. 26.

Porrò quod ad doctrinæ modum attinet, docuit ille non Physicam, aut Mathematicam, sed mysteria diuina regni cœlorum, idque palàm. Ioan. 18. *In occulto locutus sum nihil.* Ac tanta cum efficacia, vt *admirarentur turbæ super doctrina eius: erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi*, Matth. 7.

Docuit autem non solo verbo, sed inprimis etiam *exēplo*. Quam ob causſam dux noster propriè dictus est ab Isaia, loco citato. Et ipse Ioan. 13. *Exemplum enim dedi vobis.* Tum Lucas Actor. 1. *Cœpit Iesus facere & docere.*

ILLVD verò contrà Sectarios, qui tantoperè scriptum verbum vrgent, obseruatione dignum est, quod vt D. Thomas q. 42. artic. 4. docet, non docuit Christus scripto, sed voce tantùm viua & exemplo. Quanquā non defuerunt Ethnici quidam, qui magica quędam Christum literis mandauisse comminiscerentur: quos refellit D. Augustinus lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. 9. & 10. & Hieronymus in caput 13. Ezechielis.

Alij etiam finxerunt, ipsum libros quosdam de doctrina scripsisse; qui reiiciuntur à Gelasio Papa Cap. Sancta Romana, 15. dist. Incepit verò docere Christus anno ætatis trigesimo, post quā est à Ioanne baptizatus, vt ostendit D. Thomas q. 39. artic. 3. qui & q. 42. quædam alia perspicuè tradit huc pertinentia.

PVNCTVM NONVM.

De Christo IVDICE.

LVTHERVS in concione quadam de tertia Dominica Aduentus, quam Bucerus anno 1525. latinè reddidit, ita dixit: *Hic à scandalo caue diligentissimè, quod obiiciunt tibi* (Catholicos concionatores intelligens) *qui Christum Legislatorem tibi faciunt & Iudicem, neque sinunt eum tantùm auxiliatorem & consolatorem tibi aduenire.* Hactenus ille. Qui si tantùm vult, Christum aduentu suo primo non venisse in mundum, vt eo tempore exerceret Iudicium; iniquè Catholicos calumniatur, quasi contrà dicant, & concionentur. Fatemur enim nos idipsum, edocti perspicuo testimonio Christi apud Ioannem cap. 3. qui inquit: *Non misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mūdus per ipsum*, vbi Chrysostomo etiam interprete homil. 27. in Ioānem, de primo tantùm aduentu loquitur: sicut etiam est per se planum.

Si autem Lutherus voluit, Christum non etiā à nobis cogitandum, atque adeo timendum esse vt Iudicem alio tempore venturum, atq; etiam vt iudicaturum nos particulari iudicio in morte; planè desipuit. *Hic enim est* (inquit Petrus Actor. 10.) *qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum.* Huic *Pater omne iudicium dedit.* Ioan. 5. Huic *omnis potestas data est in cœlo & in terra.* Matthæi 28. & consequenter etiam ad iudicandum.

Cùm verò de Vsu istius Christi muneris plura dicenda sint Disp. vlt. in quæstionibus de Extremo Iudicio, nunc satis fuerit hæc annotare. PRIMO. Christus iudicium faciet non aliqua authoritate, quam habet ipse *ex se*, quatenùs homo, sicut iam de illo loquimur. Sic enim Deus tātùm, cuius etiam erit conferre præmium, & pœnam infligere, iudicium feret. Sed faciet id iudicium Christus ex auctoritate sibi diuinitùs commissa. Nam & ob eam rem Iudex ille *constitutus* dicitur, & *data ei* potestas. Atque ideo etiam Apostolus ad Rom. 2. dicit: *In die, cùm iudicabit Deus occulta hominum per Iesum Christum*, quasi per eum videlicet, cui iudiciariam potestatem commisit.

SECVNDO. Non tantùm fungetur hoc munere in vniuersali iudicio sub mūdi finem, sicut habet articulus fidei, & ostēdit D. Thomas q. 59. artic. 5. bonis rationibus; sed etiam fungitur in morte vniuscuiusque faciendo iudicium *particulare*.

Quod *primò* probatur ex communi sententia Theologorum, & consensu vnanimi omnium fidelium. *Secundò*. Quoniam ita colligitur ex Scriptura. Eccles. 11. *Facile est Domino in die obitus retribuere.* Et ad Hebr. 13. *Constitutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Item ex parabola de Virginibus imprudentibus, quæ statim audierunt illam sententiam: *Nescio vos.* Matth. 10. Et de eo, qui *veste nuptiali* carebat. Matth. 22. Et de *villico iniquitatis*. Luc. 16. qui statim damnationis sententiam acceperunt. *Tertiò*. Quoniam ex fide certum est, atq; ita in Concilio Florentino definitum, animas post mortem sine mora recipi in cœlum, si sint omnino expiatæ; vel amandari in infernum, si peccato mortali obstrictæ ex corpore decesserunt, vt fusè ostendimus tomo 2. q. 4. de Beatitudine p. 2. At hoc omnino fatendum est fieri non sine particulari sententia & iudicio Christi, tametsi non æquè solenniter, & in forma iudicij, atque postea fiet in die Iudicij extremi. Denique ita sentit vniuersa Ecclesia, & nominatim id velut rem certam affirmat S. AVGVSTINVS libro 2. de Anima & eius origine, cap. 4. vbi ait, *rectissimè & valdè salubriter credi, iudicari animas, cùm de corporibus exierint, antequam veniant ad*

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud iudicium, quo eas oportet redditis corporibus iudicari atque in ipſa, qua hîc vixerunt, carne torqueri ſiue gloriari. Et addit: *Quis aduerſus Euangelium tanta obſtinatione mentis obſurduit, vt in illo paupere, qui poſt mortem ablatus eſt in ſinum Abraha; & in illo diuite, cuius infernus cruciatus exponitur, iſta non audiat, vel audita non credat?* Et S. HIERONYMVS in caput 2. Ioelis: *Diem*, inquit, *Domini, diem Iudicij intelligeſſiue diē exitus vniuſcuiuſq; de corpore. Quod enim in die Iudicij futurū eſt omnibus, hoc in ſingulis die mortis impletur.* Et S. CHRYSOSTOMVS homil. 14. in Matth. *Omnes*, inquit, *animæ cùm hinc emigrauerint variis peccatorum catenis implicitæ, ad terribile illud ducentur tribunal.*

TERTIO. Poteſtatem illam iudiciariam Chriſtus merito etiam ſuo proprio conſecutus eſt, ſicut & gloriam corporis. Quod Caluinus quidē lib. 2. Inſtitut. cap. 17. ſectione 6. impudenter & ſine fundamento negauit. Sed id oſtendit facilè D. Thomas q. 59. art. 3. Et patet manifeſtè, Apocal. 3. *Ego vici, & ſedi in throno Patris mei.* Item, quoniam eſt ea dignitas, pars quædam Chriſti *exaltationis*, quam ille paſsione ſua meruit, vt ſuprà q. 19. probauimus, & patet ex Apoſtolo ad Philip. 2.

POSTREMO. Eam auctoritatem habet Chriſtus in omnem actum humanum; & in omnes etiam Angelos, quoad præmia eorum ſaltem vel ſupplicia *accidentalia*, vt rectè declarat D. Thomas q. 59. art. 4. & 6.

QVÆSTIO VIGESIMA TERTIA.

De Adoptione & Prædeſtinatione Chriſti.

D. Thom. 3. parte, quæſt. 23. & 24.

POSITIS IIS, QVAE DE RATIONE AC DIFFERENTIA Filiationis naturalis, & eius, quæ eſt per adoptionem, ex Scriptura & Patribus diſſeruimus tomo 1. q. 1. de Trinitate p. 1. §. 17. vt oſtenderemus, Chriſtum eſſe omnino filium Dei non adoptiuum, ſed naturalem; atq; etiam iis, quæ de gratia vnionis Chriſti, eiuſque ſcientia beata tradidimus ſuprà q. 7. & 9. ac 10. breuiter expediri poterunt, quæ ad hunc locum pertinent; maximè ſi non velimus nimium hærere in quæſtionibus de nomine. Videndum igitur eſt PRIMO, *An Chriſtus fuerit filius Dei adoptiuus.* SECVNDO, *An & quomodo Chriſtus fuerit prædeſtinatus.*

PVNCTVM PRIMVM.

An Chriſtus fuerit filius Dei Adoptiuus.

D. Thom. quæſt. 23.

DIcendum eſt, Adoptionem hanc conſiſtere in hoc, quòd Deus æterna & gratuita ſua voluntate (ſiue ea quidem abſoluta & efficaci, per decretum prædeſtinationis; ſiue conditionata, ſi perſeueretur in præſenti iuſtitia) acceptat aliquem ad beatitudinem, tanquam ad paternam hæreditatem, naturalis filiationis iure ipſi non debitam, vt patet ex vera & recepta doctrina D. Thomæ hîc art. 1. & 2. & aliorum Theologorum communiter in 3. d. 10. & ex Concilio Francfordienſi (de quo paulò pòſt) vbi habetur, *adoptiuum non dici, niſi qui eſt alienus, & adoptatur ex indulgentia.* Vnde etiam in Lege 1. ff. de Adoptionibus, adoptiuus opponitur naturali.

Ex quibus refellitur ſententia Gabrielis in 3. d. 10. q. vnica, artic. 1. corolar. 3. vbi incautè dixit, B *præſcitos* etiam dum ſunt in gratia, non eſſe filios adoptiuos: quia (inquit) non ſunt prædordinati ad beatitudinem. Quod eius argumentum nullius ponderis eſt. Nam ſunt acceptati ad beatitudinem ſecundùm *præſentem iuſtitiam*, ſi in illa videlicet perſeuerarent: Quod ſufficit ad adoptionem, vt dictum eſt. Itaq; generatim Apoſtolus ad Rom. 8. affirmat, oēs, qui per gratiam habent Spiritum Dei, eſſe Dei filios, quamdiu gratiam habent, ſiue ſint prædeſtinati, ſiue reprobi. *Quicunq;*, inquit, *Spiritu Dei agūtur, hi ſunt filij Dei.*

Iam ergo poſito, quòd Ratio Adoptionis filiorū Dei ſit ea, quam diximus, QVAESTIO eſt, An Chriſtus ſit filius Dei Adoptiuus. Et quòd non ſit quidem filius Dei adoptiuus, quatenùs diuina perſona & Deus eſt, ex fide certum eſt. Nam ſic quidem filius eſt naturalis & conſubſtantialis Patri, vt multis teſtimoniis probauimus

mus tomo 1. q. 1. de Trinitate p. 1. §. 17. atq; adeo A naturaliter ſic eſt beatus. Tota igitur difficultas eſt, An ſit concedendum, Chriſtum *vt hominem* fuiſſe diuinitus adoptatum in filium, ſiue fuiſſe filium adoptiuum. Videtur namq; debere concedi. Nam Deus æterno ſuo decreto conſtituit ipſum admittere ad viſionem beatificam & fruitionem ſui, quæ nimirum dicitur Dei hęreditas, quoniam viſione & fruitione ſui Deus quoq; eſt in ſe beatiſsimus & veriſsimè diues.

Breuiter autem cum D. Thoma hîc art. 4. & aliis Theologis in 3. d. 10. RESPONDENDVM eſt, non eſſe ita loquendū. Et ratio eſt. Quoniam etſi alij homines dicuntur filij adoptiui, quatenùs admittuntur ad hæreditatem diuinam, ſicut explicatum eſt, Chriſtum admitti, & D. Thomas etiam in illa q. art. 2. & 3. declarat; tamen ſimul ſignificatur ſeu connotatur eo nomine, illū, qui filius adoptiuus dicitur, minimè etiam eſſe filiū Dei *naturalem* ſecūdùm idem ſuum ſuppoſitum, vt patet ex deſcriptione Adoptionis anteà poſita: Chriſtus autem ratione ſui ſuppoſiti eſt filius Dei naturalis. Quare etiam vt homo, & ſecundùm humanitatem, vt in hypoſtaſi ſua exiſtentem, poteſt ac debet dici filius Dei *naturalis*, quatenùs nimirū ſecundùm hypoſtaſim humanitatis ſuæ (licet non ſecundùm ipſam humanitatem præcisè & immediatè) eſt filius Dei naturalis, non adoptiuus. Nomen enim *filij* & *filiationis*, atq; adeo *adoptionis* nō ad naturam per ſe, ſed ſolùm ad naturę hypoſtaſin refertur. Itaq; ſi rurſus inſtes, & quæras, an Chriſtus præcisè & immediatè ſecundùm humanitatē ſit naturalis vel adoptiuus filius; dicendum eſt, præcisè quidem ſecundùm humanitatem, non conſideratam vt in hypoſtaſi, neutrum eſſe; cùm (vt dictum eſt) *filij* appellatio non poſsit niſi ad hypoſtaſim referri: Chriſtus autem ſecundùm hypoſtaſim humanitatis ſuæ, Dei filius eſt naturalis, atq; adeo non adoptiuus, vt dictum eſt.

Atq; hæc eadem doctrina confirmari poteſt PRIMO ex Scriptura. Nam Dominus ipſe Ioan. 20. aliter ſe vt hominem eſſe filium, & aliter alios oſtendit inquiens: *Aſcendo ad Patrem meum* (non dicit, noſtrum) *& Patrem veſtrum*, vt obſeruauit D. Thomas art. 2. Idem indicat Apoſtolus ad Galat. 4. cùm ait, *Miſit Deus filium ſuum, &c. vt adoptionem filiorum reciperemus.*

SECVNDO auctoritate Orthodoxorum Patrum, qui, vt oſtendit etiam Magiſter in 3. d. 10. loquentes de Chriſto vt homine, affirmant eſſe filium Dei naturalē (tametſi interueniente gratia vnionis, vt Magiſter explicat) non autem adoptiuum. Vnde S. HILARIVS lib. 3. de Trinitate: *Multi*, inquit, *nos filij: ſed non talis hic filius. Hic enim verus & proprius eſt filius; origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione, &c.*

Et S. AMBROSIVS lib. 1. de Fide, cap. 9. *Filius*, inquit, *aut per adoptionem, aut per naturam eſt. Per adoptionem nos filij dicimur: ille per veritatē naturæ eſt.*

Et S. HIERONYMVS in caput 1. ad Epheſios: *Cùm*, inquit, *prædeſtinet nos Deus in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum; non antè filij eſſe poſſumus, niſi filij eius Ieſu Chriſti fidem & intelligentiam recipiamus. Et ille quidem naturâ filius eſt, nos verò adoptione.*

Et S. AVGVSTINVS Tract. 82. in Ioannē: *Nos*, inquit, *filij gratiâ, non naturâ. Vnigenitus autem naturâ, non gratia*, ſcilicet adoptionis. Et addit: *An hoc etiam in ipſo filio ad hominem referendum eſt? Ita ſanè.*

TERTIO eſt etiam definitum ab Adriano I. in Epiſtola ad Epiſcopos Galleciæ & Hiſpaniæ, & in Concilio Frācfordienſi ſub eodem (ſicut habetur in tomo 2. Conciliorum) *Chriſtum vt hominem, non eſſe filium Dei adoptiuum, ſed naturalem*; idque contrà quēdam Elipandum Toletanum Epiſcopum, vt apparet ex prædicta Adriani Epiſtola. Et quidem inprimis in eo ſenſu definitum ibi hoc eſt, quia Chriſtus vt homo propriè nō ſit filius adoptiuus, ſecūdùm *hypoſtaſin* nimirū humanitatis, ad quam, vt dictum eſt, refertur filiationis appellatio.

PVNCTVM SECVNDVM.

An, & quatenus Chriſtus fuerit prædeſtinatus.

D. Thom. q. 24.

DVas hac de re ſtatuam Aſſertiones. PRIMA. Sine vlla dubitatione affirmandum eſt cum D. Thoma hîc artic. 1. & 2. & Magiſtro, ac aliis Theologis in 3. d. 7. Chriſtum, vt hominem, fuiſſe, atq; adeo dici poſſe diuinitus *prædeſtinatum*, tum vt eſſet per vnionē hypoſtaticam humanitatis ſuæ cum diuini Verbi ſuppoſito, filius Dei naturalis, ratione ſuppoſiti; tum etiam vt obtineret gratiam & beatitudinem, ad quam alij quoq; prædeſtinantur.

Probatur hæc Aſſertio PRIMO peculiariter de prædeſtinatione, vt eſſet filius Dei *naturalis*, ex Apoſtolo ad Rom. 1. vbi de Chriſto, *facto ex ſemine Dauid ſecundùm carnem*, atq; adeo vt homine, ſubiungit: *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritū ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.*

Quo loco Relatiuū illud, QVI, *Subiectum* huius prædeſtinationis ſignificat, nempe Chriſtum præcisè vt hominem, id eſt, non vt talem hominem, qui determinatè fuit perſona *diuina*, & *filius Dei*; ſed præcisè conſideratū vt *quiddam ſubſiſtens in humanitate*, abſtrahendo à determinata illa eius conditione: vt optimè indicauit Magiſter in 3. d. 7. litera L. & d. 10. litera F. & apertiùs etiam docuit D. Thomas hîc art. 1. ad 3.

Terminum autem huius prædeſtinationis ſignificant verba illa: *Prædeſtinatus filius Dei.* Senſus enim eſt, illud ſubſiſtens in humanitate, ſeu illud ens *Homo* (vt loquitur Magiſter) prædefinitum ab æterno eſſe, vt ſit determinata illa perſona

Universidad de Deusto
Biblioteca

sona diuina, quæ est filius Dei: id quod factum est in tempore per hypostaticam vnionem humanitatis cum Verbo: *In virtute*, id est, diuina potentia, qua tantum mysterium peractum est: *Secundùm spiritum sanctificationis*, id est, quia natus est ex Spiritu sancto (vt exponit Augustinus in libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. 15.) & ad sanctificandum homines per abundantem Spiritus sancti gratiam: *Ex resurrectione, &c.* id est, vi etiam resurrectionis Christi: iuxta illud Ioan. 7. *Nondum enim erat Spiritus datus: quia Iesus nondum erat glorificatus.* Et illud item Rom. 4. *Resurrexit propter iustificationem nostram.*

Quæ quidem huius loci interpretatio (vt scilicet intelligatur de prædestinatione Christi ad diuinam filiationem naturalem) non solùm est D. Thomæ hic, & communis ferè Theologorum in 3. d. 7. sed etiam sancti AVGVSTINI libro de prædestinatione Sanctorum cap. 15. vbi hunc locum exponens, ex eoque probans, prædestinationem Sanctorum in *Sancto Sanctorum* maximè claruisse, inter cætera ait: *Prædestinatus est ergo Iesus, vt qui futurus erat secundùm carnem filius Dauid, esset tamen in virtute filius Dei.*

Quanquam & aliæ quædam interpretationes huius loci, quæ hanc non excludunt, possent simul admitti. Vt quod quidam dicunt, esse hîc sermonẽ de prædestinatione ad *resurrectionẽ*, quæ fuit veluti secunda Christi natiuitas & filiatio: iuxta illud Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quod de resurrectione Christi interpretatus est D. Petrus Actor. 13. Item quod alij dicunt, loqui ibi Paulum de Prædestinatione ad notitiam & celebritatem *nominis* filij Dei: quam est Christus assecutus per passionem. Quem sensum potest admittere Græca vox, quæ ibi est ὡρισθέντος, à Verbo ὁρίζω, quod non modò significat definire, & statuere, & destinare (quam significationẽ meritò secutus est vulgatus interpres, vertens *prædestinatus*, cùm omnis definitio Dei sit prædefinitio, vtpotè æterna) sed etiam *declarare*; vt & ibi legunt interpretes Græci. Item quod alij dicũt, loqui ibi Apostolum de prædestinatione Christi ad hoc, vt in virtute sua diuina, per Spiritum sanctum *sanctificaret nos, &c.* Has namque & similes expositiones, quę quidẽ non excludant priorem illam, & cũ verbis Apostoli congruere possint, non est absurdum simul admittere: cùm idem locus Scripturæ possit habere plures sensus etiam literales, vt asseruimus tomo 1. disp. 1. quæst. 1. p. 5.

SECVNDO probatur & declaratur Assertio illa nostra quoad vtramq; simul partem (scilicet de Christi prædestinatione, tum ad filiationem diuinam *naturalem*, tum ad *gratiam & beatitudinem*) argumento ducto ex ratione veræ prædestinationis. Nam vt D. Thomas 1. p. q. 23. art. 1. & hîc artic. 1. & 2. docet, & ipse explicaui tomo 1. disp. 1. q. 23. p. 1. eos diuinitus prædestinatos esse dicimus, qui ex decreto Dei æterno, accipiunt in tempore gratiæ & gloriæ dona. Certum autem est, Christum vt hominem, & gratiam vnionis (in humanitate sua) & gratiam habitualem, & gloriam seu beatitudinem, non nisi ex decreto Dei æterno in tẽpore demùm accepisse. Fuit igitur, quatenùs homo, prædestinatus, & vt esset filius Dei, & vt obtineret gratiam, ac beatitudinem, quæ q. 7. & 9. docuimus ipsum habuisse.

Atque hinc sequitur *primò*, absolutè quoque dici posse, Christum fuisse ad hæc prædestinatum, etiamsi expresè nõ addatur, vt hominem. Sic enim loquitur non modò D. Thomas hîc artic. 1. sed ipse etiam Apostolus ad Rom. 1. Et patet ex eo, quòd ratio illius *prædicati* (scilicet, prædestinatus) in tali enunciatione facit, vt *Subiectum* (scilicet, Christus) accipiatur, vt est quid subsistens in natura humana: quo modo solùm dona illa gratiæ & gloriæ maximè accepit ex prædestinatione diuina. Quin etiã non solùm *ad hæc dona*, sed etiam præcisè, potest dici: *Christus est prædestinatus.* Nam Prædicatum hoc, nempe *prædestinatus*, intelligitur attribui Christo non materialiter sumpto pro sola psona diuina, quæ absolutè non est prædestinata; sed formaliter, vt est persona subsistens in vtraque natura: id quod in tempore factum est, ex æterna prædefinitione diuina.

Secundò sequitur ex dictis, ipsam quoque humanam Christi naturam fuisse prædestinatam ad gratiam tum habitualem, tum vnionis. Nam eatenus Christus vt homo præcisè, siue vt quoddam subsistens in natura humana (sicut dictum est) accepit hæc dona ex prædefinitione seu prædestinatione diuina, quatenùs illa accepit natura Christi humana. Ergo maximè ipsa fuit prædestinata ad hæc dona; præsertim cùm vocabulum *prædestinationis* nõ solùm attribui soleat personæ, vt vocabulum Adoptionis; sed cuicunque rei, quæ sit subiectum vel obiectum prædefinitionis diuinæ, vt rectè annotauit Gabriel in 3. d. 10. q. vnica, art. 3. dub. 2.

Et hoc ipsum apertè docet Magister in 3. sentent. d. 10. in fine, & alij Theologi ibi, vt D. Thomas hîc art. 2. ad 2. vbi fatetur, humanam Christi naturam *esse susceptiuam prædestinationis.* Quin etiam ita loquitur AVGVSTINVS libro de prædestinatione Sanctorum cap. 15. de prædestinatione Christi disserens, cùm ait: *Prædestinata est ista naturæ humanæ tanta, & tam celsa, & summa subiectio, vt quò attolleretur altius, non haberet: sicut pro nobis ipsa diuinitas quò vsque se deponeret humilius, nõ habuit.*

Cùm autem D. Thomas art. 1. ad 2. dicit, humanam naturam non propriè esse prædestinatam; ipse ibi declarat, loqui se de prædestinatione ad *operationem beatificam*, quæ propriè quidem non tam conuenit naturæ, quàm Supposito seu *Subsistenti* in natura. Itaq; ad beatitudinem quidem propriè nõ nisi ipse Christus vt homo, fuit prædestinatus; sicut etiam, vt esset filius Dei.

Quan-

Quanquam est quidem hîc obseruandum illud discrimen, quòd cùm dicimus, Christus vt *homo* fuit prædestinatus ad beatitudinem, nihil impedit, quò minus per *hominem* intelligamus determinatè diuinam Verbi personam, vt subsistentem quidem in humanitate: siquidem beatitudo est terminus quidam extrinsecus personæ etiã diuinæ vt subsistenti in humanitate, ad quã proinde persona diuina vt homo, rectè dicatur fuisse prædestinata. Cùm autem dicimus, Christus vt *homo* est prędestinatus filius Dei, per *hominem* debemus intelligere non determinatè diuinam Verbi personam (cùm huic nõ sit vllo modo extrinsecum, vt sit filius Dei) sed abstractè & præcisè *quiddam subsistens* in natura humana, de quo tanquã de priore quodam (secundùm consideranem) prædestinatum fuit, vt esset determinatè diuina Verbi persona, atq; adeo Dei filius, vt anteà explicauimus ex sententia Magistri in 3. d. 7. & 10. & D. Thomæ hîc art. 1. ad 3.

Quo loco pulchrè per hanc doctrinam declarat D. Thomas, cur hæc enunciatio propriè sit vera; Christus vt homo, est *prædestinatus* filius Dei, & non item hæc: Christus vt homo, est *factus* filius Dei seu Deus, quã negauimus suprà q. 16. p. vlt. Etenim *prædestinari* dicitur aliquid, prout est *in intellectu*, cuius est abstrahere & quasi separare quæ sunt in re coniuncta; atq; adeo potuit prædefiniri & prædestinari, vt Christus homo præcisè consideratus vt quid subsistens in humana natura, ex tempore esset determinatè filius Dei. *Fieri* autem dicitur aliquid, prout est *re ipsa*: Quo pacto nunquam est factum ex tempore, vt illud subsistens in natura humana Christi, prout est *in re*, esset ex tempore filius Dei: quia illud in re ipsa semper fuit diuina Verbi persona, atque adeo filius Dei & Deus. Et hactenus de PRIMA Assertione.

SECVNDA Assertio. Non modò Christum fuisse prædestinatum ratione iam expositа, sentiendum est; sed etiam Christi prædestinationẽ, quod attinet ad gratiam & gloriam, fuisse præcausſam, nimirum moralem & meritoriam. Ita docet D. Thomas hîc artic. 3. & 4. Et ratio est in promptu. Nam eos, qui prædestinantur, oportet esse & gratia & gloria *conformes Christo*, qui *primogenitus est in multis fratribus* ad Rom. 8. Et omnis hominum prædestinatio, per Christum, atque eius merita completur. Vt rectè tradit D. Thomas & apparet ex illo ad Ephes. 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Ergo & tanquam exemplar & tanquam causſa moralis, Christi prædestinatio est causſa nostræ prædestinationis: sicut eam quoq; D. AVGVSTINVS appellat *præclarissimum lumen prædestinationis nostræ*, libro de prædestinatione Sanctorum cap. 15.

Neque tamen hæc Assertio intelligi debet de ipso actu diuino æterno per se, in quo & Christi & hominum aliorum prædestinatio essentialiter consistit. Nam hic actus est vnus & idem simplicissimè, qui proinde neque exemplar, neque causſa est suiipsius, atque adeo neque exemplar, neque causſam habet. Sed intelligenda est Assertio hæc de prædestinatione Christi & aliorũ hominum ex parte *effectus*: vt sit sensus, effectus prædestinationis Christi, nimirum gratiam ipsiusque merita, fuisse exemplar & causſam effectuum omnium prædestinationis aliorum hominum, qui etiam prædestinantur. Sic enim declarat hoc etiam D. Thomas. Neque debet hac de re, si ita explicetur, vllo modo dubitari. Nam confirmauimus suprà q. 19. quicquid est gratiæ, & omnino effectus omnes prædestinationis à primo vsque ad vltimum, non nisi per Christi merita contingere prædestinatis. In ipso enim *benedicimur omni benedictione spirituali, &c.* ad Ephes. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO VIGESIMA QVARTA.

De Adoratione Christi.

D. Thom. 3. parte, quæst. 25.

DE MATERIA HVIVS QVAESTIONIS MVLTA DISPVTAuimus alibi suis in locis. Nam de Adoratione generatim, disseruimus tomo 3. disp. 6. quæst. 3. De Adoratione autem Christi, vt est verus Deus, disputauimus tomo 1. quæst. 1. de Trinitate p. 1. §. 18. vbi ostendimus, Christum esse prosequendum omni cultu diuino. Item tradidimus multa de Adoratione & cultu Imaginum Christi ac Sanctorum, Reliquiarumq; sacrarum tomo 3. disp. 6. quæst. 11. de Idololatria, quæ etiam latius defendimus in aliquot libris de eodem argumento, quos pridem edidimus aduersus huius temporis Sectarios. Quare satis fuerit hoc loco tria succinctè explicare. PRIMO, Quonam genere reuerentiæ & honoris, & quonam modo, Christus à nobis prosequendus sit. SECVNDO, An & quomodo Christi etiam Imagines, itemq; Sanctorum, colendæ sint. TERTIO, An, & quomodo colendæ sint sacræ Reliquiæ, seu Christi, seu Sanctorum.

PVNCTVM PRIMVM.

Quonam genere honoris, & quonam modo, Christus à nobis colendus sit.

D. Thom. artic. 1. & 2.

HONOR TESTIMONIVM QVOD- A dam dignitatis atque excellentiæ est, vt tomo 3. disp. 6. q. 1. p. 1. tradidimus ex doctrina Philosophi 8. Ethic. cap. 8. Ita fit, vt quot sunt genera dignitatis atque excellentiæ, tot honoris genera diuidi possint: quorum vnumquodque continebitur eiusmodi signis verborum aut factorum, quæ accommodatè vsurpentur ad conciliãdam opinionem siue existimationem conuenientem ipsi generi dignitatis siue excellentiæ, qua prædita est ea res, quæ honoratur. Gignere enim & conciliare eiusmodi opinionem est propriè testificari excellentiam.

In proposito autem satis est generatim distinguere duplex genus honoris. Vnum diuinum, B quod Dei proprium est; alterum excellentium creaturarum. Illud diuinum (vt confirmauimus ex Scripturis tomo 3. vbi suprà) in significatione consistit accommodata ad conciliandam Deo existimationem, quæ propriè conueniat diuinæ excellentiæ, & loquentium consuetudine nominatur propriè *Adoratio* seu λατρεία. Alterum verò consistit similiter in significatione acommodata ad conciliandam existimationem talem, quæ conuenire possit præstantibus creaturis, & dici consueuit δουλία.

Qua re breuiter explicata, & latiùs tractata à nobis tomo 3. disp. 6. q. 1. & 3. non dubitatur in præsenti, quin honore diuino, id est, *latria*, Christus à nobis prosequẽdus sit, quatenus est Deus, cui solus is honor debetur. Deuter. 6. Isaiæ 42. 1. ad Timoth. 1. & alibi passim. Id namque ex fide certum est, vt ostendi contrà Trinitarios hæreticos tomo 1. q. 1. de Trinitate, p. 1. §. 18. Sed difficultas circa hoc est, cùm Christum etiam vt hominem cogitamus, id est, vt subsistentem in humana natura.

Itaque PRIMO hîc quæritur, An illi, quatenùs homo est, haberi possit aut debeat honor latriæ. Et videtur neque debere, neque posse. Nã Christus secundùm humanitatem est creatura. Sed creaturæ talis honor haberi non potest. Ergo, &c. Hoc enim permotus argumento Lambertus quidam Danæus Caluinista, impiè negauit, Christum vt hominem esse afficiendum diuino cultu latriæ, in quodam libello, quẽ scripsit de Adoratione Christi.

In contrarium autem est, quòd Christus vt homo, seu Christi humanitas vnita Verbo diuino, eâdem adoratione, qua adoratur Dei Verbum, adorari debet. Sed Verbum diuinum honorari debet honoratione latriæ. Ergo etiam Christus vt homo, seu Christi humanitas vnita Verbo. Maior probatur ex Concilio Ephesino 1. anath. 8. vbi ita legimus. *Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, quasi alterum alteri, & non potius vna adoratione honorificat Emmanuelem, secundùm quod factum est caro Verbũ, anathema sit.* Item in V. Synodo (quæ est secunda Constantinopolitana) can. 9. *Si quis non vna adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est, anathema sit.*

Hanc difficultatem doctissimè D. Thomas, ex orthodoxa Ecclesiæ Patrumq; sententia, dissoluit q. 25. artic. 1. & 2. Summa verò rei est, Christum vt hominem, siue humanitatem Verbo diuino vnitam, honorari quidem debere latria, vt probatur per secundum argumentum: non tamen honorari debere latria *eodem modo, quo* Dei Verbũ vel diuinitas honoratur: id quod solum probat primum argumentum. Nam Verbo & diuinitati debetur honor latriæ *per se*: vnitæ verò humanitati cum Verbo, non nisi *per aliud*.

Quod sic probo & declaro. Genus alicuius honoris ei rei tribui debet *per se*, cui per se conuenit excellentia, per illud honoris genus testata; siue quia eam excellentiam tanquam *Quod* (id est, tanquam persona seu suppositum) habeat; siue quoniam sit certè caussa habendi, seu id, *quo* habetur talis excellentia: *Per aliud* autem debetur genus aliquod honoris illi rei, in qua tantummodo secundùm peculiarem aliquam habitudinem, est & esse cogitatur res altera ita excellens, cui per se debetur atque tribuitur talis honor. At excellentia diuina per genus diuini honoris testata, Verbo diuino competit per se vt *Quod*, & diuinitati vt *Quo*, siue vt caussæ: humanitas autem tantùm est id, in quo secundùm peculiarem habitudinem est, & à nobis cogitatur esse Verbum diuinũ, seu diuinitas, cùm his per se tribuimus diuinum honorem. Ergo honor diuinus Verbo diuino & diuinitati debetur *per se*; humanitati autẽ vnitæ Verbo diuino (atq; adeo formaliter Christo vt homini) non nisi *per aliud*.

Maior quoad vtramque partem colligitur ex eo, quod antè notatum est, scilicet exhibere nos rei aliquem honorem, cùm protestamur, eam habere genus illud excellentiæ seu dignitatis, quod significatur per talem honorẽ. Nam hinc sequitur *primò*, illud solum posse à nobis *per se* coli honore diuino, quod per se (siue vt *Quod*, siue vt *Quo*) habet diuinam excellentiam. Nam de eo solùm testificari verè possumus, quòd habeat per se diuinam excellentiam. *Secũdò* sequitur, eo ipso, quòd aliquid ita per se honoramus honore diuino, venerari nos *per aliud* honore diuino id etiam in quo cogitamus esse illud alterum diuinum secundùm aliquam peculiarem habitudinem: quoniam eo ipso testificamur *per aliud* certè id habere excellentiam diuinam, non in se, sed ratione illius alterius diuini, quod ad ipsum habet aliquã peculiarem habitudinem. Vt Legatum v. g. Regis, & vestem Regis purpuream, hoc ipso per aliud venerari censemur honore regio, quòd eiusmodi honore prosequimur ipsum per se Regem, quẽ habitudine quadã esse cogitamus in eius veste & legato. Quod est ad hanc rem exemplum D. Thomæ q. 25. art. 1. & etiam Sanctorũ Patrum, vt Damasceni lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 3. & aliorum. Itaque patet quoad vtramque partem illa Maior argumentationis nostræ.

Minor autem quoad vtramque partem, ex eó, quod iam dictum est, est perspicua: & peculiariter quoad posteriorẽ patet: Quoniam Verbum diuinũ singulari quadam habitudine propter *hypostaticam vnionem* est in ipsa humanitate. Quare cùm illud, quatenùs cum humanitate etiam coniunctum est, vt eam hypostaticè sustentat, diuino honore per se veneramur; hoc ipso diuino etiam honore *per aliud* afficimus illam humanitatẽ, sicut sæpius D. Thomas in illa q. 25. rectè affirmauit.

Atque id quidem nulla prorsus Idololatria est. Etenim idololatria solùm est, diuinum honorẽ creaturæ deferre *per se*, sicut Deo, quemadmodũ tomo 3. disp. 6. q. 11. de Idololatria, præsertim p. 1. & 2. copiosè contrà Sectarios disputauimus. Per quam disputationẽ coarguitur etiam impietas & imperitia Danæi vbi suprà.

Ac sic humanitatem Christi diuino honore affici debere (scilicet *per aliud*) volunt quoque & affirmant Patres. Vt Damascenus lib. 4. cap. 3. Et Cassiodorus in illud Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius.* Et antè illum AVGVSTINVS in Commentario eiusdem loci, & sermone 58. de verbis Domini in fine, vbi hanc ipsam difficultatẽ proponit, & luculenter explicat his verbis: *Replicabunt* (Arriani) *& dicent: Quid quod carnem eius, quam creaturam esse non negas, simul cum diuinitate adoras, atque ei non minus, quàm diuinitati deseruis? Ego*, inquit, *Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quòd à diuinitate suscepta atq; Deitati vnita est, vt non alium atq; alium, sed vnum, eundemq; Deum & hominem Dei filium confiteor. Denique si hominem separaueris à Deo, vt Photinus & Paulus Samosatenus, illi ego nunquam credo aut seruio. Velut si quis nostrũ aut purpuram aut diadema Regale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? Cùm verò ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum Rege quis adorare contempserit. Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam aut nudam, sed diuinitati suæ vnitam vnum Dei filium, Deum verum, & hominem verum, qui adorare contempserit, æternæ mortis pœnam patietur.*

Atque hoc etiam est, quod inprimis Concilia suprà citata docent, quando definiunt, Christũ *vna tantùm adoratione* tanquam *vnius suppositi*, in quo etiam humanitas *per aliud* adoretur, coli debere, non autem duabus, tanquam si duo suppositã in Christo sint, vt Nestoriani contendebant.

Sed cùm constet iam isto modo habendum diuinum honorem humanitati cum Verbo vnitæ, Quæstio est SECVNDO, An possit illa per se honorari à nobis etiam alio genere honoris, quod nõ sit latria. Et videtur posse. *Primò.* Quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

niam illa humanitas per se quoque habet propriam quandam excellentiam *mediam*, infra Deum, & suprà reliquas omnes creaturas, vt q.2.p.3. disputauimus. Ergo poterit Christus vt homo, atque adeo eius humanitas honorari *per se* alio quodam genere honoris.

Secundò. Quoniam ita videtur S. Thomas dicere hîc artic.2.scilicet quòd possit illa humanitas adorari etiam ἀνλία, hoc est, singulari quadã obseruantia, quam etiam in art. 5. vocat hyperduliam: quoniam excellit honorem, qui debetur aliis. Dicit enim, posse adorari hoc honore tanquam rationem seu causſam peculiaris adorationis; ita, vt idem suppositum Verbi diuini, ratione diuinæ naturæ adoretur latria per se; & ratione naturæ humanæ, adoretur dulia seu hyperdulia etiam per se.

Tertiò. Quia si non potest sic honorari Christi humanitas: maximè propterea, quòd potest adorari etiam latria, modo, quo antè explicatum est. At hæc ratio non obstat, quò minus possit item adorari dulia per se. Nã similiter D. Thomas in illo art. 2. dicit, personam Patris propter Deitatem, adorari latria; & propter dominium, quod in omnes res habet, dulia. Atq; inde confirmat, posse quoque Verbum diuinum, secundùm vnam naturam adorari latria; & secundùm alteram, dulia.

In CONTRARIVM est vsus & cõsuetudo perpetua Ecclesiæ, quæ ad Christum, etiam vt hominem, in communi oratione non dicit: Ora pro nobis: sed; *Miserere nobis*, semperque illum diuino duntaxat cultu honorat. Neque sanè DAMASCENVS lib. 3. fidei orthodoxæ, cap. 8. & lib. 4. cap. 3. vbi ex Ecclesiæ sententia diligenter exponit, quomodo Christi humanitas adorari debeat, alterius meminit honoris, nisi diuini. Deniq; Concilia vbi suprà simpliciter definiũt, vnica adoratione Christũ esse adorãdum, nempe diuina. Et quamuis dici posset cum D. Thoma, sensum esse, quòd *vnica*, vt res, quæ propriè adoratur, id est, vt suppositum, ratione cuius *per aliud* simul adoretur humanitas; non autẽ, quòd vnica ex parte etiam naturarum, seu rationis & causſæ adorandi: tamen simpliciùs & commodiùs à nobis illa testimonia Conciliorum intelligentur, si absolutè accipiantur: Vt sit sensus, nullo modo debere Christum adorari, nisi adoratione vnica diuina.

Itaque propter hanc Ecclesiæ significationem, atque etiam consuetudinem, mertò hîc Doctores alij notant, fas non esse, vt Christum etiam secundùm humanitatem veneremur honoris genere *non diuino*: ita quidem vt per eiusmodi aliquod genus honoris *primariò intendamus* ipsum honorare. Quoniam esset tunc talis cultus *superfluus*, quæ est vna species cultus illegitimi. Vt ieiunium v.g. in die Dominico communiter censetur cultus superfluus, atque adeo illicitus: quia est contra communẽ Ecclesię consuetudinem. Et prætereà accedit in proposito scandali periculum, propter Arrianam hæresim & Nestorianam, quæ contendebant, Christum honore non diuino venerandum esse, etiam ratione suppositi.

Dixi autem, ita quidem, *vt primario intendamus, &c.* Nam intendendo primariò aliquid aliud, (vt puta impetrare aliquod beneficium à Deo) non esset illicitum, saltem priuata deuotione, aliquo tali mentis affectu moueri erga Christum vt hominem, qui ex genere suo non latriæ, sed duliæ siue hyperduliæ honorem ei, vt homini parere possit: Vt v.g. à Christo, tanquam homine ad excitandam in nobis deuotionem in oratione petendo. Vt interpellet (sicut vltro etiam facit) pro nobis æternum suum Patrem, & eatenus nobis ab eo impetret aliquod beneficium. Sed primariò intendere honorare Christum honore minori quàm diuino, non puto esse licitum. Sed pertinere vt dixi ad cultum *superfluum*.

Ad argumẽta verò contraria RESPONDEO, si quid probant, probare solùm, quòd ex natura quidem rei, si secludamus Ecclesię præiudicium & consuetudinem, posset Christus ratione humanitatis honorari etiam dulia. Non tamẽ potest id fieri, attẽdendo ad Ecclesiæ præiudicium & consuetudinem, per cuius nimirum auctoritatem sæpè fit, vt quædam non liceant, quæ alioqui licerent, spectando solum ius naturæ.

Peculiariter autem de eo, quod in *tertio* argumento ex D. Thomæ sentẽtia dicitur, personam Patris, ratione Deitatis, adorari latria; & ratione Dominij, dulia: obseruandum est id quod animaduertit in illo artic. 2. Caietanus. Non enim loquitur ibi D. Thomas de dulia propriè, vt est species quædam honoris distincta à latria: sed accipit illam communiter, prout *Dulia* significat etiam genus seruitutis & honoris commune honori diuino & non diuino. Sic enim saltem ratione distinguitur ab honore latriæ: & id fuit satis D. Thomæ, vt per analogiam quandam accommodaret id exemplum ad suum institutũ, scilicet vt probaret, quòd ex natura quidem rei, secundùm diuersas naturas & rationes, alio & alio honore posset affici idem suppositum Verbi diuini.

PVNCTVM SECVNDVM.

An, & quomodo Christi etiam, & Sanctorũ Imagines colendæ sint.

D. Thom. art. 3.

CONTROVERSIA de Imaginibus partim à nobis tomo 3. disput. 6. q. 11. & alibi (vt initio huius Quæstionis diximus) partim à plerisq; auctoribus, qui contra hæreticos huius temporis scripserunt, tractata est, ac nominatim à Nicolao Sandero in duobus libris de Imaginibus, & à Martino Peresio de Aiala in libro de tradit. parte 3. Cap. de Imaginibus, & à Catharino in Tractatu de Imaginibus, & VValdensi tomo 3. de Sacrament. cap. 150. & seq. & Alphonso de Castro in Summa de hæreticis, Verbo Imagines, & à Roberto Bellarmino lib. 2. de Sanctis. Sed quia de ea re disserit quoq; D. Thomas hîc, nos etiam præcipua, saltem hoc in loco trademus.

Erit autem nobis controuersia cum hæreticis, & cum aliquibus etiã Catholicis. Nam quidam tum veteres, tum recentiores hæretici, in vniuersum reiiciunt omnem vsum imaginum aliquo modo Religiosum; vt in locis sacris, &c. qui ideo dicũtur Iconomachi siue Iconoclastæ. Hi fuerunt, Xenaias, teste Nicephoro lib. 16. capite 27. & Mahumetus, vt patet ex Alcorano capite 15. & 17. & Leo Isaurus Imperator, teste Cedreno, & Zonara & aliis; Et eius filius Constantinus Copronymus, testibus iisdem; Et Leo Armenius Imperator, vt iidem referunt; Et Claudius quidam Episcopus Toruerinensis, contra quem pro imaginibus scripsit Ionas Aurelianẽsis; Et VViclephus apud VValdensem tomo 3. cap. 150. Et Carlstadius & Caluinistæ, &c. Et antè hos Iudæi olim, vt colligitur ex Synodo VII. præsertim actione 5.

Alij hæretici admittunt quidem illas ad vsum memoriæ, sed non vt ipsæ honorari debeant, præsertim latria. Ita Lutherani omnes.

Sunt & aliqui Catholici, qui etsi defendant, imaginum vsum bonum esse, atque ita eas in veneratione esse habendas; negant tamen propriè ipsas honorari debere, tanquam venerationis *terminum*; tantumq; volunt, illas esse nobis motiuum, vt prototypum solum honoremus. Vt Durandus in 3. d. 9. q. 2. num. 9. & 10. & Alphonsus de Castro, Verbo Imagines.

Alij denique, vt Picus Mirandulanus in Apologia sua q. 3. & Martinus Peresius de Aiala, & Catharinus vbi suprà, negant certè Imagines tãquam venerationis terminum honorandas *esse eodem honore*, quo prototypum.

Nos contra omnes istos, vt quisnam honor, & quomodo Imaginibus Christi & Sanctorum debeat haberi, rectius constet, quatuor propositiones ordine confirmabimus, licet non omnes æquè certas. PRIMA propositio. *Vsus Imaginum ad Religionem etiam & pietatem confouendam rectissimus est.* Hæc certa est ex fide. SECVNDA propositio. *Imagines in veneratione omnino sunt habendæ propter prototypum.* Hæc etiam est de fide. TERTIA propositio. *Sic quidem sunt venerandæ, vt ipsæ quoq; propriè suo quodam modo sint terminus venerationis, licet non per se, quatenùs tali materia & figura continentur; sed per aliud, scilicet ratione prototypi.* Hæc ità est certa, vt contraria sententia sit periculosa. QVARTA propositio. *Isto modo, quo dictum est, eodem honore, quo prototypus, Imagines sunt honorandæ, atque adeo hominis Christi imagines latria sunt venerandæ per aliud.* Hæc propositio est D. Thomæ hîc q. 25. art. 3. & Alexandri Hallensis 3. p. q. 3. memb. 3. art. 3. & Alberti in 3. sentent. d. 9. artic. 4. & Bonauenturæ ead. d. art. 1. q. 2. & Richardi art. 2. q. 2. & Capreoli ibid. q. vnica, art. 1. concl. 2. & VValdensis tomo 3. cap. 156. num. 6. & Caietani hîc artic. 3. & aliorũ. Quæ sententia mihi videtur longè probabilior.

PRIMA propositio probatur PRIMO, exemplo & authoritate ipsius Dei, quo vel iubente vel approbante, aliquæ imagines sunt factæ & positæ in sacris rebus vel locis: vt patet Exodi 25. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex vtraq; parte Oraculi.* Et 3. Reg. 6. Salomon in templo *sculpsit Cherubim, &c.*

DEINDE vsu Ecclesiæ antiquissimo. Nam primò Christus ipse misit sui imaginem in linteo impressam ad Abagarum Edessenorum Ciuitatis Regem, vt commemorat non solùm Euagrius lib. 4. cap. 16. & Nicephorus lib. 2. cap. 7. sed etiam Damascenus lib. 1. de Imaginibus, & lib. 4. fidei Orthodoxæ cap. 17. & probatur ea historia in Synodo VII. action. 5. Aliam item imaginem Christi fertur fecisse Nicodemus, quæ à Iudæis aliquando percussa sanguinem emiserit. Qua de re librum etiam peculiarem composuit D. Athanasius, qui extat hodie inter ipsius opera. Et commemoratur id quoque in VII. Synodo, act. 4. Item D. Lucas pinxit imagines Christi & B. Mariæ Virginis, vt narrat Nicephorus lib. 6. cap. 16. qui & ibi cap. 15. post Eusebium lib. 7. capite 14. & Sozom. lib. 5. cap. 20. memorat, à muliere illa Hæmorroissa, quam Christus sanauit à fluxu sanguinis, positam fuisse imaginem Christi, & penes illam quoque aliam suam, ibiq; iuxta Christi imaginem nasci solitam quãdam herbam, quæ valeret ad varios morbos depellendos. Atq; id quoque in VII. Synodo, actione 2. perhibetur. Quin etiam eam imaginem confregisse Iulianum Apostatam, narrat Sozom. lib. 5. cap. 20. Præterea Eusebius lib. 7. cap. 14. testatur, Apostolorum Petri & Pauli, & ipsius Saluatoris imagines designari tabulasque depingi solitas, & se vidisse aliquas antiquas. Atque etiam in vita Constantini narrat de Imaginibus aliis eorũdem Apostolorum, quas Papa Syluester ostenderit Constantino, cùm in quiete Petrus & Pau-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lus illi visi essent. Affirmauit iam olim etiam di- A
nus Augustinus lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. 10. *pluribus in locis Petrum & Paulum simul cũ Christo pictos videri.* Et his multò antiquior Tertullianus in libro de Pudicitia meminit picturarum Christi *in calicibus cum oue perdita, & reuecta ab eo in humeris.*

TERTIO probatur eadem propositio ab vtilitate nostra. Nam *primò* modus nostræ naturæ consentaneus est, vt per sensibilia ducamur. Quam ob caussam Deus etiam in veteri Testamento instituit tam multas figuras mysteriorũ futurorum. *Secundò.* Quoniam sunt illiteratis imagines vice librorum, vt Damascenus libro 4. cap. 17. & Gregorius lib. 9. Registri, epist. 9. notauerunt, & habetur quoque in VII. Synodo B
actione 6. tomo quarto. *Tertiò.* Quoniam vehementer mouent etiam eruditos ad affectum & imitationem: Vt Gregorius Nazianzenus fertur sæpè fleuisse ad aspectum imaginis immolationis Isaac, quemadmodum refertur in VII. Synodo actione 2. & 4. Atq; ideo D. Basilius in homil. de quadraginta Martyribus, suasit, vt illorũ historia & Martyrium depingeretur propter exemplum. Deniq; vsus imaginum est quasi quædam protestatio amoris erga prototypum, vt B. Gregorius vbi suprà dixit, & Plato etiam in libro 11. de legibus, vbi eam ob caussam putauit pingi debere imagines præstantium virorum. Tum etiam protestatio est quædam externa Catholicæ fidei. Itaque omnes has habent vtilitates. C

POSTREMO probatur eadem Propositio definitione Ecclesiæ, tanquam ex traditione Apostolica; sicut in VII. Synodo per totam, vbi præsertim actione 6. plurima testimonia antiquitatis ad eam rem afferuntur. Item in VIII. Synodo canone tertio, & in Concilio Romano sub Gregorio III. de quo Sigebertus in Chronico anno 733. & in Tridentino sess. 25. tum etiam in aliis particularibus Conciliis. Fabulam autem Sectariorum de Synodo Francofordiẽsi, vbi fingunt, sub Carolo Magno fuisse damnatas imagines, prout nunc sunt quidem in vsu Ecclesiæ, & prout fuerunt reuerà approbatæ in VII. Synodo, manifestè detexit Alanus Copus in dialogo 4. & Sanderus libro 2. de Imaginib. cap. 5. Qua de re vide etiam Robertum Bellarminum vbi suprà. D

SED contra illam primam Propositionem nostram argumentantur hæretici *Primò.* Quoniam id prohibet Scriptura. Exodi vigesimo: *Non facies tibi sculptile, &c.* atque etiam irridet passim. *Secundò.* Quoniam saltem non id præcipit. *Tertiò* obiiciunt factum Epiphanij, qui fertur velum quoddam, vbi erat imago Christi, laceruisse: Idque probatur ex epistola quadam eius ad Ioãnem Hierosolymitanum. *Quartò* opponitur quoque Synodus Elibertina, vbi dicitur, *ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur. Quintò.* Quòd Irenæus libro primo, capite vigesimo quarto, & Augustinus in libro de hæresibus, hæresi septima, in hæreticis Gnosticis Carpocratianis damnant vsum imaginum.

Ad *Primum* respondeo, prohiberi in illo loco, ne ita fiant & vsurpentur imagines, vt habeantur pro numine diuino, iuxta stultitiam Gentium, quam Scriptura deridet. Id colligitur ex antecedentibus & consequentibus verbis, scilicet *Non habebis Deos alienos, &c.* Et; *Non adorabis, neq; coles ea, &c.* tum etiam ex illa particula: *Non facies tibi sculptile, &c.* id est, vt in imagine tanquã in numine aliquo colloces spem & fiduciam tuam. Alij aliter etiam respondent. Sed hæc responsio mihi maximè probatur. Atque eodem modo Tertullianus interpretatus est eiusmodi Scripturæ loca libro secundo contra Marcionem.

Ad *Secundum* respondeo, summam vanitatem esse, colligere, ideo aliquid esse illicitum, quoniam non præcipiatur in Scriptura, vt latè contrà Sectarios disputauimus tomo tertio, disputatione sexta, quæstione vndecima, & disputatione decima, quæstione quarta.

Ad *Tertium*, quod ad factum Epiphanij attinet, sunt, qui negant illam historiam, & authoritatem illius epistolæ, saltem quoad illam partem, in qua id narratur. Id quod pluribus argumentis probat Bellarminus vbi suprà. VValdensis autem tomo tertio, capite centesimo quinquagesimo septimo, admittens eam narrationem, respondet, id fecisse Epiphanium, nõ quòd vsum imaginum absolutè & per se improbaret, sed ob circumstantiam illius temporis, ne illa humana effigie apud simpliciores confirmaretur hæresis Anthropomorphitarũ, qui tũc maximè contendebant, Deum secundùm se constare ex humano corpore. Quæ responsio satis mihi bona videtur.

Ad *Quartum* ex Concilio Elibertino, primò dicitur, cùm Prouinciale tantùm fuerit, potuisse errare, sicut & quædam alia videtur habere difficilia. Secundò dicitur, non prohibuisse absolutè vsum Imaginum; sed propter persecutionem Ecclesiarum, quæ tunc feruebat, prohibuisse, ne *in parietibus* remanerent.

Ad *Quintum* ita respondeo. IRENAEVS lib. 1. aduersus hæreses cap. 24. Carpocratianos damnat, non quòd imagines Christi venerarentur, vt nos; sed quia illas vnà cum aliis profanorum hominum imaginibus, ritu planè Ethnico & superstitioso colerent, atque adeo (vt verosimillimũ est) magicè quoque vsurparent. Artes enim illi magicas, vt Irenæus vbi suprà diserte verbis testatur, & incantationes exercebant. Quam superstitionem in iisdem Epiphanius notauit, hæresi 27. qui apertiùs ait, ipsos *incantationes, & veneficia, & Idololatrias perfeciſſe.* Neque dicit, vt Herbrandus Lutheranus falsò citauit in Disput. de Idololatria, concl. 123. Carpocratem occultè fe-

ciſſe

ciſſe imaginem Christi, Pauli, &c. Tantùm refert, Carpocratianos imagines quasdam occultè habuisse, quas ipsi dicerent esse IESV, sub Pontio Pilato factas. *Atque has,* inquit Epiphanius, *cùm Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, & aliorum Philosophorum imaginibus collocatas adorant, & gentium mysteria perficiunt*, hoc est, ita eis sacrificia & cultum adhibent, tanquam in illis aliquid numinis inesset. A

Eodem spectat, quod Diuus AVGVSTINVS libro de hæresibus, hæresi septima perhibet, ex istorum secta fuisse quandam Marcellinam, quæ imagines non tantùm Christi & Pauli, sed etiam Pythagoræ & Homeri adoraret, vtique profanè ac magicè, sicut eius magistri. Cuius fœminæ priuatam superstitionem narrat quidem illic Augustinus obiter, sed nequaquam genus ipsum venerationis imaginum absolutè inter hæreses numerat. Pari ratione, quod idem libro de moribus Ecclesiæ Catholicę, cap. 24. scripsit, ab Ecclesia Catholica *damnari sepulchrorum & picturarum adoratores*, ad aliquam superstitionem, qua imagines, vel sepulchra pro numine diuino colerentur, referendum est. B

SCIENDVM est autem, vsum imaginum licet per se sit bonus; posse tamen (vt in responsione ad quartum iam est subindicatum) ratione alicuius *circumstantiæ* reddi quandoque illicitum in particulari. Vt si indecenter imagines sacræ pingerentur: aut si ponerentur imagines ad repræsentandum ipsum Deum secũdum diuinitatem per se. Hoc enim sine controuersia est illicitum, cùm careat Deus per se omni prorsus figura. C

Quanquam vt rectè Caietanus hîc articulo tertio, & alij annotârunt, licitè fiunt imagines, quibus repræsentetur Deus, non secundùm se; sed secundùm figuram aliquam, in qua dicitur in Scriptura apparuisse. Vt cùm pingitur tanquam senex quidam & *antiquus dierum*; sicut apparuit Danielis septimo; Vel etiam Spiritus sanctus in specie *columbæ*, vt apparuit Matthæi tertio.

Item licitæ sunt illæ imagines, quibus Deus item repræsentetur non per se, sed secundùm perfectionem aliquam alicuius alterius rei per cuius analogiam nos ducimur ad cognitionem diuinæ perfectionis. Per quem modum possunt defendi aliquæ imagines, quæ fiunt sanctissimæ Trinitatis. Vt illæ, quæ vno capite continent tria ora, ad significandam vnitatem essentiæ, & distinctionem personarum. Nam & hac eadem ratione Angeli etiam pinguntur, vt pulcherrimi iuuenes, ad significandum, quòd non senescant, & sint perfecta natura præditi. Sic etiam agni figura Christus repræsentatur, ad significandum illius innocentiam & mansuetudinem. Et hactenus de PRIMA propositione ex quatuor illis, quas statuimus. D

SECVNDA propositio (scilicet, Imagines esse aliqua tandem ratione *in veneratione habendas*) probatur PRIMO ratione ducta ex Scriptura sic: Omnis res *sacra & sancta*, est habenda in veneratione. Imagines Christi & Sanctorum sunt res *sanctæ & sacræ*. Ergo haberi debent in veneratione. Maior colligitur ex illo Exodi duodecimo: *Dies prima erit sancta, & septima eadem religione venerabilis.* Quibus postremis verbis indicatur, esse religiosè venerabile illud, quod est sanctum. Minor item colligitur ex aliis Scripturæ locis, in quibus aliquæ res dicuntur sanctæ seu sacræ ob *relationem* aliquam ad Deum, eiusque cultum. Vt Exodi decimo nono dicitur *Gens sancta* populus diuino cultui dedicatus. Et capite vigesimo octauo simili modo vestis Aaron vocatur *sancta*. Et secunda ad Timotheum tertio, Scripturam appellat Apostolus *literas sacras*, quia per significationem habent respectum ad sententias diuinas, &c. Pari ergo modo Imagines Christi, & Sanctorũ, qui verisimè Deum coluerunt, sunt res quædam sacræ & sanctæ per significationis respectum, quæ proinde veneratione merentur. Et certè Cherubim aurei super Arcam in propiciatorio positi, in veneratione aliqua habebantur ab iis, qui venerabantur Arcam.

SECVNDO probatur ex vniuersalis Ecclesiæ tum consuetudine (cui refragari, *insolentissimæ insaniæ est*, vt affirmat sanctus Augustinus epistola 118.) tum definitione. Nam ita planè in Conciliis allegatis est definitum. Item, quoniam vt D. Basilius, à D. Damasceno libro quarto, capite decimo septimo, & in VII. Synodo citatus, inquit, *honor imaginis refertur ad ipsum prototypum.* Ita fit, vt quibus Scripturæ & Ecclesiæ antiquitatis testimoniis, atque etiam rationibus, probamus, rectè à nobis honorari Christum & alios Sanctos, iisdem probetur, rectè nos facere cùm veneramur eorundem imagines.

TERTIO notentur in specie de Imaginibus hæc Patrum testimonia. Sanctus BASILIVS in libro de Spiritu sancto, capite 18. *Quemadmodum*, inquit, *principatus & potestas vna est, quæ nobis dominatur: sic etiam glorificatio nobis vna est, non multa, propterea quòd Imaginis honor ad exemplar transit.*

Sanctus ATHANASIVS in libro de passione Imaginis CHRISTI in Berito (cuius mentionem suprà fecimus) Imaginem illam aliquoties *sanctam* (atque adeò venerabilem) appellat, eandemque numerat inter res ad cultum *Religionis nostræ* (vt inquit) *pertinentes*, itemque inter res *Ecclesiasticas.* Et sermone quarto contra Arrianos: *Qui*, inquit, *adorat imaginem, in illa adorat ipsum Regem, quippe cùm ipsa Imago nihil aliud sit, quàm Regis forma atque species.* Nec excepit hîc sanè Athanasius CHRISTVM gloriæ Regem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sanctus Ioannes Damascenvs tum in libris tribus de Imaginibus, tum libro quarto de fide Orthodoxa, eos ex instituto refellit, qui *nobis*, inquit, *exprobrant, quòd adoramus & veneramur Saluatoris nostri & Reginæ nostræ Deiparæ imaginem, insuper & reliquorum Sanctorum*. Et in fine capitis: *Est autem hæc*, inquit, *Traditio non scripta; sicut adorare ad Orientem; adorare Crucem. Quod autem plurima sancti Apostoli tradiderint sine scripto, scribit Paulus: State & tenete Traditiones, quas accepistis siue per sermonem, siue per epistolam.* Vnde etiam Chrysostomvs in Liturgia (sine dubio ex traditione Apostolica) *Sacerdos*, inquit, *ad imaginem Crucifixi caput inclinat*.

Sanctus Avgvstinvs libro tertio de Trinitate, capite nono: *Aliquando*, inquit, *ad hoc* (ad significationem per res) *fit species, vel aliquantulum mansura; sicut potuit serpens ille æneus exaltatus in Eremo* (Numeri vigesimo primo, qui fuit Christi figura) *sicut possunt & literæ, &c. Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt; honorem tanquam religiosa* (inquit) *possunt habere: stuporem tanquam mira non possunt*.

Et libro decimo Confess. cap. 34. ait, *innumerabilia addidisse homines ad illecebras oculorum; in picturis etiam, vsum* (inquit) *moderatum & piam significationem longè transgredientibus*. Vbi clarè agnoscit, in picturis posse & solere esse *piam* etiam, atque adeò venerabilem significationem. Asserit quoque luculenter, venerationem Crucis (quæ quoddam etiam signum & imago est) concione 2. in Psalm. 36. & sermone 18. de verbis Domini.

Sanctus Gregorivs libro septimo Registri epistola 53. ad Secundinum, apertè indicat, prosternere se fuisse solitos fideles ante imaginem Christi, declarans, quo sensu id fieret, his verbis: *Nos quidem non quasi ante diuinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum aut passum, sed et in throno sedentem recordamur*.

In quam sententiam similiter Damascenvs vbi suprà dixit: *Imaginem transfixionis Christi videntes, in Saluatoris passionis memoriam redimus, & procidentes adoramus, non materiam, sed imagine repræsentatum*.

Quæ autem Hæretici Contra venerationem Imaginum obiicere solent, partim sunt illa eadem, quæ iam ante in defensione nostræ primæ propositionis refutata sunt, partim alia quædam non maioris momenti, quæ proposuimus & soluimus tomo tertio, disputatione sexta, quæstione vndecima de Idololatria, puncto sexto. In qua Quæstione puncto primo fusè etiam ostendimus, quàm vanè isti soleant insimulare Idololatriæ omnem cultum, qui non sit expressè in Scriptura præceptus. Hactenus igitur de propositione Secvnda.

Tertia verò propositio (scilicet Imagines ita esse venerandas, vt verè sunt ipsæ suo modo venerationis *terminus*) probatur breuiter: Quoniam Concilia suprà citata, absolutè definiunt, Imagines esse venerandas. Sed id planè sic sonat, vt ipsæ etiam imagines sint terminus *modo suo* venerationis. Ergo ita intelligere & loqui debemus.

Denique Qvarta propositio (scilicet venerandas esse *eodem cultu*, quo prototypum) probatur. Quoniam imagines, licet secundùm se etiam vt res, quæ ad pietatis & Religionis vsum spectant, decenter & reuerenter suo quodam modo tractari debeant, tamen vt Imagines quidem sunt, id est, vt sunt *repræsentatiuæ*, honorari inprimis à nobis debent *relatiuè & per aliud*, honorando videlicet ipsum prototypum, quatenus in illis secundùm peculiarem quandam habitudinem (repræsentati videlicet ad repræsentans) inest, & vt ipsæ proinde imagines sunt quasi vice & loco prototypi. Sed honorando prototypum vsurpatur ille honor, qui propriè conuenit excellentiæ ipsius. Ergo hoc eodem prototypi honore honorari debent imagines modo illo suo, quo honorari debent, videlicet quatenus sunt imagines: & consequenter imagines Christi coli debent latria. Minor per se clara est. Maior autem probatur primò à Diuo Thoma hîc articulo tertio, ex sententia Philosophi, qui propterea in libro de Memoria dixit, vnum & eundem esse motum in imaginem & rem, cuius est imago. Atque ita planè habetur in VII. Synodo passim, & apertè in Cõcilio Tridentino sessione 25. vbi dicitur, quòd *adorare imaginem, est ipsum Christum adorare*. Quod ipsum asserunt Athanasius, & Basilius suprà citati, & præterea etiam Ambrosius sermone decimo in Psalm. 118. Vnde scitè Athanasivs in illo sermone quarto contra Arrianos ait, dicturam Imaginem Regis, si loqui posset: *Ego & Rex vnum sumus* (repræsentatiuè) *ego enim in illo sum, & ille in me, &c.* Ex quo concludit: *Qui igitur adorat imaginem, in illa adorat ipsum Regem*. Quam rem totam latiùs explicauimus & cõfirmauimus tomo tertio, disputatione sexta, quæst. 11. de Idololatria, puncto sexto.

Sed Contra hanc Propositionem nostram est argumentum. Primò. Quoniam quomodocunque imago consideretur, est quædam res creata. Ergo nulla ratione honorari debet *latria*. Secundò. Quoniam Patres, præsertim in illa VII. Synodo, sæpè dicunt, non esse adorandas ipsas imagines latria. Ad hæc enim duo argumenta reuocantur omnia eorum argumenta, qui contrarium huic Propositioni sentiunt.

Respondeo breuiter, non aliud hæc argumenta probare, quàm quòd alio atque alio modo impendi seu *dari* debeat latriæ cultus personæ Christi, & eius imaginibus. Nam illi deferri debet *per se*: imaginibus autem eius, non nisi *relatiuè*

relatiuè & per aliud. Quemadmodum latiùs explicauimus in dicta quæstione de Idololatria.

Ac propterea Patres, sicut Caietanus vbi suprà rectè notauit, vtrumque dicere consueuerunt, scilicet adorari imagines, & non adorari ipsas. Adorari nimirum *per aliud*, quatenus est in illis quadam habitudine ipsum prototypum: Non autem adorari *per se*, quomodocunque per se considerentur. Et tamen suo modo verè sunt nihilominus terminus adorationis: nam res, quæ *relatiuè & per aliud* adoratur; non aliter, quàm per aliud etiam & relatiuè *terminat* verè motum honorationis, vt explicaui loco citato.

PVNCTVM TERTIVM.

An, & quomodo, colendæ sint sacræ Reliquiæ, seu Christi, seu Sanctorum.

D. Thom. art. 4. 5. 6.

Vaestio est, Vtrum etiam lignum Crucis, & aliæ quasi Christi Reliquiæ; vt sudarium, particulæ sanguinis, & similia, quæ ostendi solent; debeant honorari *latria*? Videntur enim non debere. *Primò*. Quia sunt quid creatum. *Secundò*. Quia si latria honorari debent propter Christi contactum: Ergo multò magis ipsa Dei mater, quæ Christum in vtero etiam continuit, latria honorari deberet; quod tamen fieri non debet, vt D. Thomas docet hîc artic. 5.

Respondeo similiter ac de Christi imaginibus, quicquid est tale, quod non leuitex existimetur habere eiusmodi habitudinem *contactus* ad Christum, rectissimè honorari latria, non per se, sed *per aliud*, vt Diuus Thomas explicat in illa quæstione 25. articulo quarto. Et quidem ista *in honore* habenda esse, de fide certum est. Sicut in vniuersum ex fide constat, honorari debere suo modo Sanctorum Reliquias, vt patet ex VII. Synodo, actione 3. & 7. & ex Lateranensi sub Innocentio III. ca. 62. & Carthaginensi I. capite secundo, & Carthaginensi V. can. 14. & Gangrensi in procœmio, & can. 20. & Bracarensi III. can. 5. defenditurque id à Diuo Hieronymo copiosè in libro contra Vigilantium, & in epistola 53. ad Riparium, & asseritur passim à Patribus. Vt à Basilio in Psalm. 115. & in homilia de sancto Martyre Mamante. Eusebio libro decimo tertio de præparatione Euãgelica, capite septimo, Gregorio Nazianzeno in Carmine de Virtute, Chrysostomo sermone in Adoratione venerabilium cathenarum & gladij, Ambrosio epistola 95. Augustino libro 22. de Ciuitate Dei, capite octauo, &c. Item à Diuo Thoma hîc quæstione 25. articulo sexto, & ab aliis passim recentioribus contra Sectarios, vt à Thoma VValdensi tomo tertio, titulo 20. & 23. & ab Alano Dialogo tertio, & Aiala tertia parte de Tradit. & à Roberto Bellarmino libro 2. de Sanctis.

Quòd autem illæ Christi Reliquiæ honorari debeant *latria*, probatur eodem modo, quo id probatum est punct. præcedenti de Christi imaginibus. Nam honoratur omnino in eiusmodi Reliquiis Christus ipse, quatenus per habitudinem contactus cogitatur quodammodo esse in ipsis; quod est, Reliquias honorari latria *per aliud*.

Sic Lignvm ipsum Crucis (*cuius particulas per vniuersum orbem dispersas fuisse*, affirmat sanctus Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. 10. & 13.) honorari debet Latria, vt D. Ambrosius apertè significat in oratione de Obitu Theodosij, & Hieronymus in Psalm. 98. exponens illud de Cruce: *Adorate Scabellum pedum eius*: & Paulinus Episcopus Nolanus epistola 11. & Chrysostomus in homilia, Quòd Christus sit Devs, & Damascenus libro quarto de fide Orthodoxa, cap. 12.

Sic etiam latria adorandum est linteum siue Svdarivm Christi, & claui, & lancea, &c. vt Damascenus illic ex Orthodoxa doctrina tradit. Sic & Sangvinis Christi Reliquiæ aliquæ. Nam siue sanguis anima ipsa Rationali informetur, siue alia quadam sua forma particulari (de quo disputatur in vtramque partem probabiliter) tamen certum est, illum ad substantiam siue integritatẽ humanæ naturæ peculiari quodam modo pertinere, & proinde fuisse assumptum hypostaticè à Verbo diuino, vt docuimus suprà quæstione quinta. Quamobrem sanguis ille Christi propter eam ad hominis Christi habitudinem, adorandus est latria *per aliud*, quamuis non per se, sicut de aliis etiam est declaratum.

Neque obstat, quòd dici solet, Christum ad se resumpsisse in resurrectione id, quod antea fuit de integritate humani & viui corporis. Hoc namque *morali* quodam modo intelligendum est, qui nimirum sufficiat, vt Christus verè sit nunc idem homo integer, qui antea. Quod, etiamsi aliquæ particulæ sanguinis eius in terra remanserint, verè affirmatur, vt explicauimus suprà quæst. 5. Nam neque etiam quicquid vnquam habuit Christus aliorum humorum, putandus est in resurrectione resumpsisse.

Quod verò attinet ad Crvcem, quæ in similitudinem eius Crucis, in qua Christus pependit, formari solet ex variis materiis; adoranda illa quoque est latria *per aliud*: non quidem ea ratione propriè, qua illius Crucis Christi effigies est (sic enim claui quicunque, & lanceæ, & aliæ similitudines instrumentorum passionis Christi, latria honorari deberent; quod tamen non fit, vt etiam notauit D. Thomas hîc art. 4.)

sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed inprimis, quatenus *imago est Christi Domini in cruce expansi*, vt ibi D. Thomas notauit, & ante illum antiqui etiam Patres. Athanasius quæst. 16. ad Antiochum, Cyrillus Alexandrinus libro 6. contra Iulianum, ante medium, Damascenus libro 4. fidei Orthodoxę, cap. 12. Augustinus lib. 2. de visitatione infirm. cap. 3. Itaque eadem est ratio in proposito Crucis, & aliarum CHRISTI imaginum.

Iam verò ad illa duo argumenta initio obiecta facilè respondeti potest. Ad *Primum* respondeo, probare tantummodò, eiusmodi Reliquias non esse adorandas latria *per se*; possunt tamen adorari latria *per aliud*.

Ad *Secundum* respondent D. Thomas, & alij in 3. distinct. 9. discrimen esse, quòd B. Virgo est etiam per se capax honoris alterius excellentis, qui *hyperdulia* dicitur. Atque ideo ne videatur per se adorari latria, cùm per se sit honoris capax, minimè eiusmodi honore affici debere; ne *per aliud* quidem.

Sed contra OBIICIET aliquis, quòd hac ratione neque humanitas ipsa Christi posset adorari latria *per aliud*: quoniam etiam per se est capax alterius honoris, scilicet duliæ siue hyperduliæ, vt docet Diuus Thomas articulo secundo.

RESPONDEO esse nihilominus ad id peculiarem rationem in Christi humanitate, cùm *re ipsâ* subsistat in Supposito diuino. Adde, quòd totum hoc pendet ex vsu Ecclesiæ, qui in hac parte est habendus pro lege. Itaque etsi propriè quidem non foret Idololatria, si illo duntaxat modo Mater DEI adoraretur latria nimirum *per aliud*, quatenus secundùm habitudinem contactus cogitaretur Christus quodammodo esse in illa; tamen esset superfluus, atque adeò illicitus eiuscemodi cultus Matris DEI: quia nunquam illum vsurpauit Ecclesia: Idque meritò, ne videatur per se ipsa honorari latria: cùm ex vna parte per se sit honoris capax, & ex alia non perinde *arctam* habeat habitudinem ad Christi personam, atque habet Christi humanitas, quæ ideo faciliùs intelligitur non nisi *per aliud* adorari latria.

Sic etiam, neque hominem, licet imago Dei sit, venerari debemus latria *per aliud*, id est, ratione Dei, in homine tanquam in sua imagine existentis. Quoniam etsi propriè non esset Idololatria sic Deum in homine cultu diuino venerari; esset tamen colendi ratio superflua & illicita: quoniam propter eandem causam, non vsurpatur ab Ecclesia.

Denique vt faciliùs istiusmodi cultus Imaginum & Reliquiarum defendi possit aduersus ea, quæ Sectarij impiè & ineptè criminantur de Idololatria; videnda sunt illa, quæ tomo tertio disputat. 6. quæst. 11. contra illos hac de re tractauimus.

Atque hactenus de Sacrosancto Incarnationis Mysterio. Nam quæ Diuus Thomas quæst. seq. de Christo Mediatore disputat, iam antè nos suo loco explicauimus quæstione 22. vbi disseruimus simul de Christi Officiis.

FINIS PRIMAE DISPVTATIONIS.

DISPVTATIO SECVNDA GENERALIS,

DE PRAECIPVIS MYSTERIIS VITÆ CHRISTI.

DIVISA IN QVÆSTIONES SEX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM SECVNDAE DISPVTATIONIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De Sanctificatione beatæ Virginis.

PVNCT. I. *An beata Virgo fuerit sanctificata prius quàm nasceretur.*
II. *An beata Virgo fuerit sanctificata in ipso conceptionis suæ momento, ita vt semper fuerit ab originali peccato immunis.*
III. *An beata Virgo sic etiam fuerit per gratiam sanctificata, vt nullum vnquam ne veniale quidem commiserit peccatum actuale.*
IV. *An beata Virgo sic fuerit sanctificata per gratiam, vt caruerit etiam fomite peccati.*
V. *An beata Virgo sic fuerit sanctificata, vt habuerit plenitudinem omnium gratiarum, idq; modo singulari ac sibi proprio.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Natiuitate Christi, & Matris Virginitate.

PVNCT. I. *An salua perpetua Matris virginitate Christus ex ea natus sit.*
II. *An fuerit* CHRISTVS *conuenienter natus, quoad alias item Natiuitatis circumstantias.*
III. *An ita Christus ex Virgine sit natus, vt illa verè sit Mater Christi veri hominis & veri Dei.*
IV. *An Christus Deus & homo per vnam & eandem filiationis relationem sit Dei Patris & Virginis Matris filius.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Christi Passione ac Morte.

PVNCT. I. *De ratione ac modo Christi Passionis quoad præcipuas illius circumstantias.*
II. *De caussa Passionis & Mortis Christi.*
III. *De efficacitate Passionis & Mortis Christi.*

QVÆSTIO QVARTA.

De Christi sepultura & descensu ad inferos.

PVNCT. I. *De ratione ac circumstantiis præcipuis sepulturæ Christi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. *An Christus verè & propriè secundùm animam descenderit ad inferos.*
III. *Ad quænam loca inferna Christus descenderit, & ob quem finem.*

QVÆSTIO QVINTA.

De Christi Resurrectione.

PVNCT.I. *De ratione & modo Christi Resurrectionis, quoad eius præcipuas circumstantias.*
II. *De modo quo Christus probauit Discipulis suam Resurrectionem.*

QVÆSTIO SEXTA.

De Christi ad Cœlum ascensu & sessione ad dexteram Patris.

PVNCT.I. *An Dominus vero ac reali motu in cœlum ascenderit.*
II. *Quid sit Christi sessio ad dexteram Patris.*

DISPVTATIO SECVNDA GENERALIS DE PRAECIPVIS MYSTERIIS VITÆ CHRISTI.

D. Thom. tertia parte à quæst. 27. vsque ad 59.

DE REBVS AD VITAM CHRISTI PERTINENTIBUS multa scribunt pro instituto suo interpretes Scripturæ sacræ. Ac de eodem argumento scripsit quoq; inter Theologos Scholasticos prolixè & accuratè D. Thomas in 3. parte suæ Summæ, sicut etiam Franciscus Soarez Theologus Societatis nostræ in tomo 2. sui Operis, quod scripsit in eandem D. Thomæ partem. Nos Quæstionibus sex principalibus præcipua tantum complectemur, ne hoc vltimum Operis nostri volumen in plura diuidi necesse sit, ob disputationem non admodum Scholasticam, & quæ ab aliis iam ante, immò ab ipso ferè D. Thoma, satis copiosè tractata est. PRIMA quæstio erit de Sanctificatione beatissimæ Virginis Christi Matris: siquidem ad honorem filij pertinet Matris dignitas. SECVNDA quæstio erit de Natiuitate Christi. Vbi simul etiam disseremus de virginitate Matris. TERTIA erit de Christi passione, & morte. QVARTA, de eiusdem sepultura, & descensu ad inferos. QVINTA, de eiusdem resurrectione. SEXTA, de eiusdem ascensione in Cœlum, & sessione ad Patris dexteram. De Conuersatione autem & doctrina & miraculis Christi, dum hic viueret, pleraque per alias occasiones in variis materiis Theologicis disseruimus, ac nominatim de doctrina quædam tradidimus tomo 2. disput. 7. de legibus, quæst. vltima. Et in hoc ipso tomo disput. præcedenti, q. 22. cùm ibi egimus de Christo Doctore. De potentia autem ad patranda miracula suprà etiam disput. præced. quæst. 13. Atq; etiam de vi eiusmodi miraculorum ad confirmandam fidem disseruimus tomo 3. disputat. 1. quæst. prima, puncto quarto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO PRIMA.

De Sanctificatione beatæ Virginis.

D. Thom. 3. part. quæſt. 27.

EXPLICANDA SVNT QVINQVE. PRIMO, AN B. VIRGO *fuerit ſanctificata in vtero priuſquam naſceretur.* SECVNDO, *An etiam fuerit ſanctificata cum conciperetur; ita vt ipſo Conceptionis momento peccato originali caruerit, atq; adeò fuerit ſemper ab illo immunis.* TERTIO, *An ita quoq; ſanctificata fuerit, vt caruerit ſemper omni peccato actuali, etiam venali.* QVARTO, *An ita etiam fuerit ſanctificata, vt caruerit quoq; fomite peccati.* QVINTO, *An ita denig; fuerit ſanctificata, vt habuerit plenitudinem omnium gratiarum, idq; modo ſingulari ac ſibi proprio.*

PVNCTVM PRIMVM.

An B. Virgo fuerit ſanctificata priuſquam naſceretur.

D. Thom. artic. 1.

SANCTIFICATIONIS VOCABVLVM vno modo ſolet vſurpari, vt ſignificat deputationem ſeu deſignationē quādam perſonæ cuiuſpiam ad ſacram aliquam dignitatem ſiue functionē. Sicut etiam ob deſtinationem ad vſum ſacrū dicitur, Num. 7. Tabernaculum fuiſſe ſanctificatū: & ſic itē Sacerdotes ac Leuitæ ſanctificabātur. Et hoc modo accipiendo id vocabulum, nullū dubium eſt, quin beatiſſima Virgo ex vtero matris fuerit ſanctificata, hoc eſt, deſignata & deputata diuinitùs ad tātam tamq; ſacram dignitatem, quàm eſt, eſſe Dei Matrem: Altero modo eoq; magis in Eccleſia vſitato accipi ſolet id vocabulum, vt ſignificat eam animi ſanctitatem quę exiſtit ex diuina gratia, per quam quis ſit immunis ab impuritate peccati: iuxta id quod D. DIONYSIVS 12. cap. de diuinis Nominibus tradit, ſanctitatem eſſe perfectam munditiam. Quo pacto de ſanctificatione loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 5. cùm ait: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illā ſanctificaret, mundās eam lauacro aquæ, etc.*

Atq; hoc poſteriori modo de ſanctificatione loquendo procedit quæſtio in hoc puncto propoſita; ſcilicet, An B. Virgo fuerit per gratiā ſanctificata in vtero matris ante ipſius natiuitatē. Et negant quidem Sectarij, ac nominatim Ioannes Pomeranus in caput 1. Ieremiæ. SED cōtraria ſentētia ſcilicet B. Virginem ſic fuiſſe ſanctificatam ante ipſius natiuitatem, eſt omnino certa in Eccleſia, ita vt abſque errore non poſsit negari.

Probatur PRIMO, argumento ex Scriptura ducto hunc in modum: Conſtat de quibuſdam Sanctis, B. Virgine longè inferioribus, eos fuiſſe in vtero materno per gratiā ſanctificatos: Igitur hoc ipſum etiam B. Virgini tribuēdum eſt. Conſequentiam hanc nemo reuocat in dubium, & confirmabitur abundē iis teſtimoniis Scripturæ & Patrum, quibus punct. 5. aſſeremus fuiſſe in Virgine gratiæ plenitudinem. Antecedens autē patet in Ieremia, & Ioāne. Nam de Ieremia Dominus dicit, Ierem. 1. *Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequā exires de vulua, ſanctificaui te.* Et de Ioanne Baptiſta prædixit Angelus parenti Zachariæ: *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ*, Lucæ 1.

Neq; eſt vllo modo probabilis interpretatio Pomerani, vbi ſuprà, & Caluini in prælectionib. ſuis ſuper Ieremiam cap. 1. Sanctificari illo loco (ſcilicet Ierem. 1.) aliud non fuiſſe, quā deſignari Ieremiam ex vtero matris ſuæ ad obeundū Prophetæ munus: ſicut etiam Ioannes Baptiſta ex vtero matris deſignatus fuit ad munus præcurſoris. Obſtat enim huic interpretationi, quòd eam deſignationem ad munus Prophetæ & præcurſoris ſeparatim indicauit Scriptura in citatis locis. Nam Ierem. 1. ſtatim atq; Dominus dixerat; *Priuſquam exires de vulua, ſanctificaui te*, ſubiūxit; *Et Prophetam in gentibus dedi te*, quaſi aliud nimirum fuerit illa prior ſanctificatio quàm hæc deſtinatio ad Prophetæ munus. Et ſimiliter de Ioanne Baptiſta poſtquam dixit Angelus: *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ*, continuò adiecit; *Et multos filiorum Iſraël cōuertet ad Dominū Deum ipſorum, & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ.* Vbi manifeſtè etiam diſtinxit Angelus officium iſtud præcurſoris ab eo, quòd de Ioanne ſignificauerat verbis illis, *Et Spiritu ſancto replebitur, &c.* Et accedit, quòd iſte loquendi modus, *Spiritu ſancto replebitur*, plus certè aliquid ſignificat quàm nudam deſignationem ad præcurſoris munus.

SECVNDO probatur eadem aſſertio ex authoritate Eccleſiæ, & communi ſenſu ac vſu fidelium. Nam celebrat Eccleſia tota feſtum Natiuitatis beatæ Virginis tāquam natiuitatis prorſus ſanctæ & à peccato immunis, vt etiā ſanctus Bernardus in epiſt. 174. de ſenſu & vſu communi fidelium ſuo tempore teſtatus eſt; ac D. Thomas quoque hic art. 1.

TERTIO probatur aliquot teſtimoniis Patrū, S. MAXIMVS in ſermone de Aſſumptione beatæ Virginis: *Beata*, inquit, *Virgo gloriosā fuit in vtero matris ſanctificata ab omni contagione Originalis culpæ, &c.*

S. HILLEPHONSVS in libro de Virginitate beatæ Mariæ; *Sancta Virgo*, inquit, *niſi in vtero matris ſanctificata fuiſſet, minimè eius natiuitas colenda eſſet; nullis ergo, poſt quam nata eſt, beata Virgo delictis ſubiacuit, &c.*

S. BERNARDVS in ſermone de excellentia & ſanctitate Ioannis, loquens de ſanctificatione illius, & Ieremiæ in vtero: *De ſingulari* (inquit) *Virgine nulla eſt ambiguitas, quæ & ipſa maternis circumſepta viſceribus, ſublimiori ſanctificationis genere mūdata eſt* (id eſt, per gratiam præſtantiorem) *vtpote ſanctuarium illud, in quo Deus & Dei filius carnem ſuerat ſuſcepturus.*

Et in epiſt. 174. *Quod*, inquit, *vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, fas certè non fuit ſuſpicari tantæ Virgini fuiſſe negatum, per quam omnis mortalitas emerſit ad vitam. Fuit procul dubio & mater Domini antè ſancta quàm nata.* Atque eadem eſt ſententia omnium Theologorum in 3. diſt. 3. Et certè minimè conueniebat, vt in peccato naſceretur ea, quæ *agnum Dei, qui tollit peccata mundi*, paritura erat.

SED vt hæc ipſa aſſertio magis confirmetur, reſpondendum eſt breuiter ad aliqua teſtimonia, tum Scripturæ, tum Patrum, quæ videri poſſent ſuffragari contrariæ illi ſententiæ Sectariorum. Nam PRIMO Scriptura nonnullis in locis ſignificare videtur, omnes omnino, qui naſcuntur, indigere gratia, per quam ſpiritualiter renaſcantur & emundentur à peccato. Vt Eccleſiaſt. 40. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adæ*, à die exitus *de ventre matris eorum, &c.* Per quod iugum imprimis ſolet intelligi onus & pœna multiplex peccati, vt interpretatur S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 66. Et Ioan. 3. *Niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Et rurſus: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, &c.* Et ad Epheſ. 2. *Nos omnes aliquando conuerſati, &c. eramus naturâ* (id eſt à natiuitate) *filij iræ, ſicut & cæteri.*

SECVNDO Patres etiam ſignificant. Vt ſanctus AMBROSIVS in libro contra Nouatianum apud D. Auguſtin. lib. 2. aduerſus Iulianum: *Omnes*, inquit, *homines ſub peccato naſcuntur, quorū ipſe ortus in vitio eſt, ſicut habes dicentem Dauid, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis peperit me mater mea.* Sic enim verterunt LXX. interpretes.

Item S. HIERONYMVS in eundem Pſalmum 50. de quocunque homine generatim ait: *Concipitur & naſcitur in originali peccato, quod ex Adam trahitur.* Et S. AVGVSTINVS epiſt. 57. ad Dardanum: *Illa*, inquit, *ſanctificatio, qua efficimur & ſinguli templa Dei, & in vnum omnes templum Dei, non eſt niſi renatorum; quod niſi homines eſſe non poſſent.*

Ad PRIMVM reſpondeo, eiuſmodi Scripturæ teſtimonia intelligenda eſſe de omnibus, quantum eſt quidem ex naturali & ordinario modo, quo concipiuntur & naſcuntur, atque adeo etiā ſecundùm legem ordinariam Dei. Sic enim omnes poſteri Adæ naſcuntur obſtricti peccato originali. Cum hac autem veritate vniuerſali ſic intellecta, minimè pugnat, quòd aliquis per ſingulare priuilegium naſcatur immunis iam antè à peccato; quod priuilegium maximè fuiſſe conceſſum beatiſsimæ Virgini, Eccleſia ſibi non temerè perſuadet, cùm etiam fuerit conceſſum Ieremiæ, & Ioanni Baptiſtæ, vt antea dictum eſt.

Ad SECVNDVM reſpondeo, ſimiliter intelligendos eſſe ſanctos Patres, nimirum ſecundùm legem Dei ordinariam citra priuilegium ſingulare, quod alicui eſſe factum, non temerè credatur. Et patet manifeſtè, non aliter patres intelligendos, ex eo quòd ſolent alioquin affirmare Ieremiam & ſanctum Ioannem ſingulari priuilegio fuiſſe in vtero ſanctificatos, & quidem potiſsima illa ſanctificatione prout diſtinguitur ab electione, &c. ſicut initio diximus. Vt cum ait S. ATHANASIVS ſerm. 4. contra Arrianos: *Permulti*, inquit, *fuēre viri ſancti puri omnis criminis: ſiquidem Ieremias ex vtero ſanctificatus fuit, & Ioannes dum adhuc à grauida matre geſtaretur exultauit in gaudio ad vocem Deiparæ Virginis.* Et S. HIERONYMVS in Apologia contra Ruffinum: *Ieremias*, inquit, *in vulua ſanctificatur, eligitur, roboratur, & in typo Chriſti propheta gentibus mittitur.* Vbi inter ſanctificationem, electionem, miſsionem, manifeſtè diſtinguit. Ac ſimiliter loquitur Origenes homilia prima & alij.

Nec diſſentit S. AVGVSTINVS in epiſt. 57. ad Dardanum, vbi ſignificat, aliquem alium ſanctificationis modum fuiſſe illum, quo Ieremias & Ioannes Baptiſta in vtero ſanctificati fuerunt, diuerſum ab eo *quo nunc efficimur ſinguli templa Dei, &c.* Non enim conſtituit differentiam hanc ſanctificationis in eo, quòd nos ſanctificemur nunc per gratiam, Ieremias autem & Ioannes non item; ſed in eo quòd nos quidem per gratiam ſanctificamur modo *ordinario*, ſcilicet cum renaſcimur per baptiſmum: illi autem per gratiam fuerunt in vtero ſanctificati modo *extraordinario*, ſcilicet prius quàm naſcerentur, atque adeo per ſingulare priuilegium.

Quo pacto intellexit etiam D. Auguſtinū S. Thomas hîc art. 1. ad 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM SECVNDVM.

An beata Virgo fuerit sanctificata in ipso conceptionis suæ momento; ita vt semper fuerit ab originali peccato immunis.

D. Thom. art. 2.

DIVVS Thomas hoc loco nõ propriè quærit, An B. Virgo fuerit sanctificata in ipso momẽto conceptionis, (quamuis & ad hãc ipsam quæstionem negatiuè hìc respondet, vt videbimus) sed, An fuerit sanctificata *antè ipsius animationẽ*, id est, antequam conciperetur non per formationem sui corporis tantum, sed vt prædita iam anima rationali. Veruntamẽ cum pars negatiua huius quæstionis ita proposita à D. Thoma satis certa & extra controuersiam sit apud Theologos in 3. d. 3. siquidẽ nec sanctificationis, nec peccati subiectum propriè esse potest sola caro vel corpus, sed homo duntaxat, qui iam sit præditus anima rationali: satius esse iudicaui quæstionem huius loci proponere illis aliis verbis: nempe, An fuerit B. Virgo sanctificata *in ipso momento conceptionis suæ*, ita vt tunc acceperit à Deo infusam rationalem animam præditam diuina gratia, atque adeo immunem à peccato originali.

Porrò de hac celebri quæstione apud eos quidem, qui de illa sobriè & modestè, vt par est, disputant, sex in vniuersum animaduerto esse *certa* & explorata, & vnum *controuersum*. PRIMO enim certum est, potuisse quidem B. Virginem in ipso suæ conceptionis momento diuinitus per gratiam præseruari à peccato originali; & quidem quoad *omnia* etiam, quæ quouis modo ad hoc peccatum pertinent: scilicet vel *antecedenter*, Vt modus ordinarius generationis per seminalem propagationẽ ex Adam; Vel *essentialiter*, Vt priuatio ipsa gratiæ & iustitiæ originalis, quatenùs subiiciebat mentem Deo, in qua priuatione essentialiter consistit peccatum originale, vt tradidimus tomo 2. disp. 6. q. 12. p. 1. Vel deniq; *consequenter*, Vt mors corporalis, & alia huius vitæ incommoda, quæ sunt quædam pœnæ, seu pœnalitates (vt vocant) consequentes ex peccato originali, in quibus etiã numeratur fomes peccati, id est, procliuitas quædam appetitus sensitiui ad ea, quæ rectæ rationi contraria sunt.

Etenim nulla suppetit idonea ratio, cur negari debeat, potuisse diuinitus B. Virginem ab his omnibus liberari, vt dixi. Nam quod attinet ad *antecedentia* istud peccatum; non est dubium, quin potuisset B. Virgo, tanquã futura Dei mater, aliter quàm ordinaria via propagationis ex Adam diuinitus procreari, atque adeo etiam liberari à debito incurrendi istud peccatum, siue à quadam (vt vocant) *infectione* carnis propagatæ ex Adam: quod debitum & infectio, quod ad rem ipsam attinet, nihil aliud sunt quàm hoc ipsum est, carnem humanã ordinario modo ex Adam propagatã, obnoxiam esse ei labi quam contrahit ipsius forma naturalis, hoc est, anima rationalis destituta dono gratiæ & iustitiæ in ipso momẽto, quo tali carni coniũgitur, & eã informat.

Item quod attinet ad *essentiam* ipsam peccati originalis, nihilo magis debet esse dubiũ, quin potuerit beata Virgo præseruari diuinitus ab eo peccato in illo suæ conceptionis momẽto. Nam potuit Deus infundere carni beatæ Virginis quomodocunque propagatæ, atq; adeo etiam ordinario modo ex Adam, animam rationalem ornatam diuina gratia, cum qua nimirum peccatũ originale minimè potest consistere: siquidem gratia mentem subiicit Deo atq; adeo tollit illam à Deo auersionem & priuationem originalis iustitiæ, quatenùs hæc quidem subdebat Deo mentẽ; in qua auersione & priuatione consistit essentialiter peccatum originale, vt docuimus tomo 2. disp. 6.

Item quod attinet deniq; ad pœnas seu pœnalitates *consequentes* istud peccatum; satis etiam constat, potuisse Deum efficere, vt in nullũ eiusmodi incommodum B. Virgo incurreret. Ac similiter potuit per singulare aliquod donũ gratiæ prohibere, quo minus in appetitu sensitiuo VIRGINIS esset illa procliuitas ad bona sensibilia rationi rectæ contraria, quæ appellatur fomes peccati: sicut etiam re ipsa eiusmodi fomitem in B. VIRGINE fuisse initio extinctum asseruerunt Doctores quidam, vt videbimus p. 4. Quare omnino est certum illud PRIMVM quod diximus, scilicet POTVISSE quidem B. Virginem præseruari diuinitus à peccato originali, quoad omnia etiam quæ spectant ad illud.

SECVNDO certum est, B. VIRGINEM non fuisse reipsa diuinitus liberatam seu præseruatam à peccato originali quoad omnia illud *antecedẽtia & consequentia*. Nam constat primò, ipsam ordinario modo fuisse generatã, vt in confesso est apud omnes orthodoxos, quicquid contra deliruerit Philippus Paracelsus lib. 2. suæ artis Chymicæ cap. 2. vbi nouam quasi Alchymiam, id est, falsitatem, in generatione VIRGINIS meditatus, scripsit, VIRGINEM *ex qua noua Creatura prodiit, filiam quidem fuisse Abrahami iuxta diuinã promissionem, at non ex Adamo neque ex eius semine.*

Sed contrarium nostrum pronunciatũ probatur manifestè ex duobus locis Scripturæ. Primus est Genes. 3. vbi Dominus promisit fore vt *semen* Euæ (hoc est, Christus generatus ex carne VIRGINIS, ab Adam & Eua propagata) contereret caput serpentis, atq; adeo ipsa etiam VIRGO hoc ipso quod genuit Christum. *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa* (seu ipse) *conteret caput tuum, &c.* Alter locus est Lucæ 3. vbi Lucas Christi genealogiam deducit vsq; ad Adamum: quatenus nimirum fuit generatus ex VIRGINIS carne descendente

scẽdente modo ordinario (instar aliorum quos memorat) ex Adamo. Vnde & sancti Patres Christum filium etiam Adæ nominare solent, quod facit nominatim Athanasius in epist. ad Epictetum. Qua de re vide Petrum Canisium lib. 1. de B. Virgine cap. 3. & 4. vbi ex veterum Patrũ communi traditione ostendit parentes Virginis fuisse Ioachim, & Annam.

TERTIO hinc etiam est certum; neq; à *debito* incurrendi peccatum originale fuisse beatam VIRGINEM liberatam: quãdoquidem id debitum annexum est carni humanæ ordinaria via ex Adamo propagatæ, sicut suprà explicauimus. Itaq; rectè Caietanus in opusculo de Conceptione B. VIRGINIS cap. 3. affirmat, omnino esse certum, quòd B. VIRGO contraxerit hoc *debitũ* incurrendi peccatum, atq; adeo etiam illam *infectionem* carnis, quæ, vt suprà diximus, continetur hoc ipso debito: neq; posse hoc ipsum negari absq; hæresi, cum alioqui sequeretur, B. VIRGINEM minimè fuisse redemptam per Christum, vt infrà magis patebit. An autẽ fuerit etiam B. VIRGO liberata à peccati fomite, qui numeratur inter ea, quæ consequuntur peccatum originale, videbimus puncto 4.

QVARTO certum est, B. Virginem, si à peccato originali præseruata fuit, nequaquam fuisse ab eo immunem, quantum fuit *ex modo ordinario* suæ Conceptionis, sed solùm per gratiam singularis cuiusdam priuilegij; quo scilicet obtinuerit, vt peccatum originale, quod alioqui debebat incurrere, non incurrerit.

QVINTO consequenter est certum, si B. Virgo ab originali peccato fuit immunis, eam longè inferiori modo ab eo fuisse immunem quàm fuit Christus Dominus. Nã is ex modo ipso suæ conceptionis, quo scilicet non per rationem seminalem ex Adam, sed ex Spiritu sancto conceptus est, & ob id etiam quòd fuit simul Deus & homo, *carnit* prorsus & carere *debuit* omni peccato, vt patet ex dictis disp. præced. q. 15. p. 2. Beata autẽ Virgo ex modo conceptionis suæ peccatum originale incurrere debuit, vt anteà dictum est. Atq; eam Christi prærogatiuam quoad immunitatẽ ab omni peccato, debitam modo conceptionis ipsius, indicauit Angelus Lucæ 1. verbis illis: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Vbi de natiuitate loquitur in ipso vtero, id est, de conceptione ipsius Christi: sicut etiã ad Iosephum dixit, Matth. 1. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quòd enim IN ea natum est, de Spiritu sancto est.* Quo loco sermonem esse de Conceptione in ipso vtero, intellexit etiã sanctus Augustinus epist. 57. ad Dardanum. Et huc etiã pertinet, quod idem AVGVSTINVS in Enchirid. cap. 40. ait factum esse per mysterium incarnationis, *vt in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini* NATVRALIS, *quæ nullum*, inquit, *peccatum posset admittere.*

SEXTO certum est, in quæstione hac qua quæritur, Vtrum reipsa fuerit beata Virgo in momento suæ Conceptionis liberata ab originali peccato quoad huius peccati *essentiam*, & (vt dicitur) *maculam*, neutram sententiam esse ex fide compertam, scilicet vel præseruatam fuisse, vel non fuisse, ita vt qui alterutram sententiam ex his tueatur, censeri debeat aut esse hæreticus, aut propter temeritatem opinionis peccare mortaliter.

Patet hoc primo ex aperta declaratione & definitione Sixti IV. in extrauaganti, *Graue nimis.* de reliquiis & veneratione Sanctorum: vbi assertionem eius qui alterutram harum opinionum censeat esse hæreticam, vel continere peccatum mortale, pronunciat *falsam & erroneam, & à veritate penitus alienam*, eamq; mulctat *excommunicationis sententia eo ipso incurrendæ, à qua ab alio quàm à Romano pontifice (nisi in mortis articulo) nequeat absolutionis beneficium obtineri.* Hæc enim sunt verba pontificis. Secundò idem patet ex eo, quòd neutra sententia vel constat apertè ex scriptura, vel est ab ecclesia definita, vt etiam declarauit Sixtus IV. in dicta extrauag.

Neq; obstat, quòd in Concilio Basilienſi sess. 36. doctores & Patres ibi congregati definierũt sententiam illam, quæ B. Virginem in ipso momento conceptionis à peccato originali preseruatam fuisse asserit. Nam illud Concilium in iis, in quibus à Martino V. peculiariter approbatũ non fuit, non habet legitimæ Synodi authoritatem: nõ fuit autem à Martino approbatũ quoad illam sessionem 36. vt etiam annotauit Caietanus in suprà dicto tractatu cap. 5. & alij.

Item neque obstat, quòd Sixtus IV. in extrauaganti, *Cùm præexcelsa*, de reliquiis & veneratione Sanctorum, approbauit & commendauit fidelibus festum & officium *de immaculata*, vt inquit, *Virginis mira Conceptione*, ad illudque celebrandum fideles *inuitauit*, concedens *iis Christi fidelibus qui missam & officium Conceptionis eiusdem Virginis gloriosæ, iuxta piam* (vt inquit) *deuotam & laudabilem ordinationem Leonardi de Nogarolis, clerici Veronensis, & quæ desuper*, inquit, *à nobis emanauit missæ & officij huiusmodi constitutionem in die festiuitatis conceptionis eiusdem Virginis Mariæ, & per Octauas eius, deuotè celebrauerint & dixerint, aut illis horis Canonicis interfuerint, quoties id fecerint eandem prorsus indulgentiam & peccatorũ remissionem, quam iuxta Vrbani IV. in Concilio Viennensi approbatam, ac Martini V. & aliorum Romanorum pontificum constitutionem, consequuntur illi, qui missam & horas Canonicas in festo Corporis & Sanguinis Domini à primis vesperis, & per illius Octauam, iuxta Romanæ ecclesiæ constitutionem celebrant, dicunt, aut missæ officio & horis huiusmodi intersunt.* Non, inquam, obstat nostro illi sexto pronunciato hoc Sixti decretum. Nam quamuis approbat & proponit Christi fidelibus festũ & officium illud *immaculatæ*, vt inquit, *Conceptionis B. Virginis*, ad illudque eos *inuitat* indulgentiarum concessione; tamen *non im-*

perat

Universidad de Deusto
Biblioteca

perat etiam fidelibus, atque adeo toti Ecclesiæ, vt Conceptionis istius festum & officium eo nomine, quòd immaculata & expers omnis peccati fuerit, concelebrent: ac proinde minimè definit illam fuisse prorsus immaculatam: tametsi ex hac ipsa declaratione & propensione pontificis in sententiam eam, quæ Conceptionē Virginis immaculatam facit, magnum quoddam argumentum duci possit pro huius ipsius sententiæ probabilitate, sicut postea videbimus.

Denique similiter etiam patet, minimè quoque definitam esse hanc sententiam tanquam de fide per Concilium Tridentinum sess. 5. in fine, vbi declararunt eius Concilij Patres, se in sententiis generalibus scripturæ, significantibus omnes homines contrahere peccatum originale, B. Virginem nolle comprehendere, & suprà dictas illas extrauagantes Sixti IV. ratas esse voluerunt. Non enim plus hac in parte statuit Concilium, quàm statuerat anteà Sixtus IV. Sicut neque Pius V. cùm similiter in peculiari constitutione de hac re approbauit prædictas extrauagantes Sixti IV. Sixtum autem minimè alterutram in hac quæstione sententiam definiuisse, iam ostendimus.

Ex quibus satis coarguitur calumnia impudens Ioannis Pomerani Sectarij, qui in caput 1. & 44. Ieremiæ, affirmare non erubuit, Catholicos pro articulo fidei habere, quòd B. Virgo absq; peccato ex viri semine, imò ex Spiritu sancto concepta sit. Atq; etiam temeritas cuiusdam C Bartholomęi Spinę, & eius discipuli, qui in quodam tractatu de hoc argumento asseruerunt, repugnare fidei catholicæ opinionem eam, quæ B. Virginem asserit fuisse conceptam absq; peccato originali. Quos eo nomine meritò redarguit Catharin[9] in opusculo de immaculata Virginis Conceptione ad Concilium Tridētinum; exprobrans non iniuria *his Spinis*, quòd non obstantibus eorum aculeis, viget & floret in Ecclesia Conceptio immaculata Virginis, *sicut lilium inter Spinas*.

Cùm igitur ista sex pronunciata sint CERTA, vt diximus, VNVM supereſt de quo, vt initio etiā dixi, CONTROVERSIA est; Vtra scilicet sententia in hac quæstione sit probabilior & verosimilior? Fuisse ne B. Virginem præseruatam diuinitus in momento suæ Conceptionis per gratiam ab originali peccato, quoad huius peccati *essentiam* (scilicet quoad maculam, & priuationem diuinæ gratiæ & iustitiæ originalis, vt mentem subiiciebat Deo) an non fuisse?

Et Sectarij quidem communiter sentiūt, minimè illam fuisse ab originali peccato præseruatam, sed in illo prorsus conceptā. Ita docet nominatim Caluinus in Antidoto contrà Concilium Tridentinum, & Kemnitius in Examine eiusdem Concilij, sess. 5. Nec possunt isti aut alij sectarij secus sentire conuenienter errori cuidam suo principali à nobis confutato tomo 2. Disput. 6. quæst. 12. p. 1. quo scilicet arbitrantur, originali peccato omnem hominem esse, & manere obstrictum per totam hanc vitam, hoc ipso quòd nullus hominum in hac vita habet integrè donum iustitiæ originalis, quatenus scilicet subiiciebat perfectè non modò mentem Deo, sed etiam sensualitatem Rationi, & corpus animæ. Constat enim neque B. Virginem in hac vita ita integrè habuisse donum iustitiæ originalis. In quo errore de ratione peccati originalis, etsi Lutherus etiam fuerit; tamen & secum pugnans, & discipulis suis repugnans, in concione quadam de Conceptione B. Virginis, asseuerauit, B. Virginem sine peccato originali fuisse conceptam. Quod idem sensit etiam Erasmus in Apologia ad Albertum Pygium. Præter Sectarios quoq;, B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali, senserunt multi Theologi: vt Magister sententiarum in 3. distinct. 3. & ibi Albertus, Bonauentura, Durandus, Richardus. item Hugo Victorinus parte 2. de Sacramentis, cap. 4. & Alexāder Halensis tertia parte, quæst. 9. membro 2. art. 1. & D. Thomas hîc artic. 2. & Capreolus in 3. distinct. 3. & plerique alij D. Thomæ Sectatores, ac nominatim Caietanus hîc artic. 2. & in opusculo de Conceptione B. Virginis ad Leonem X. & Vincentius quidam VVandelius Dominicani Ordinis, in tractatu de eodem argumento, & Bartholomæus Spina & quidam eius discipulus in tractatu quodā Turrecremata de eadem re, quem ediderunt & auxerunt, & Bartholomæus Medina in 3. partem D. Thomæ quæst. 27. artic. 2. & alij non pauci ex eodem præsertim Dominicano Ordine.

Contrariam tamē sententiam, scilicet B. Virginem fuisse in sua Conceptione præseruatam à peccato originali, longè probabilius, & verosimilius, & multo magis piè, defendunt Doctores plurimi, ne dicam *infiniti*, vt Caietanus ipse inquit in suprà dicto tractatu de Conceptione B. Virginis cap. 5. ac nominatim Richardus Victorinus, grauis author, in illud Canticorum 4. *Tota pulchra es, &c.* & alij quidam apud D. Bonauenturam in 3. distinct. 3. artic. 1. q. 2. & Scotus in eadem distinct. q. 1. & Carthusianus, & Franciscus de Maioronis, & Gabriel, & Argentinensis ibidem, & Iacobus de Valentia in Psalmum 13. & in Canticum Magnificat, & alij multi, quos refert Ambrosius Catharinus in Opusculo de immaculata Conceptione B. Virginis ad Concilium Tridentinum. Vt Abulensis, Nicolaus de Cusa Cardinalis, & Robertus Lynconiensis, & Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis, & Roffensis, & Ioannes Maior, & Clitoueus, & Albertus Pygius, & Rudolphus Agricola, & Ludouicus Viues, & Ioannes Driedo, & Ioannes Eckius, & Guilielmus Budæus, & Fridericus Nausea, & Ioysius Lipomanus. & ipse etiam Catharinus in prædicto opusculo. Quibus adde ex Societate nostra, Theodorum Peltanum in Disceptatione de

ne de peccato Originis, & Petrum Canisium libro 1. de B. Virgine, capite quinto & sequentibus, & Franciscum Turrianum in epistola ad Iacobum Amiotum Episcopum Antisiodorensem, & Robertum Bellarminum libro quarto de Statu Peccati, & Franciscum Soarez in tertiam partem D. Thomę quæst. 27. Nec verum est quod affirmat Bartholomæus Medina vbi suprà, Scotum fuisse primum, qui hāc sententiam asseruit. Nam tempore D. Bonauenturæ iam erant alii qui Doctores, qui sententiam hāc sequerentur, vt ipse Bonauētura refert vbi suprà. Fuit autem Bonauentura Scoto antiquior, vt constat, & adhuc multò antiquior Richardus Victorinus, qui fuit (sicut diximus) in eadem sententia, vt nunc prætereā veteres Patres, quos postea citabimus pro eadem sententia.

Est autem à nobis iam probanda hæc posterior sententia quinque generibus argumentorum, quæ ostendent non quidem illam esse ex fide certam, sed longè probabiliorem, & multò magis piam, vt anteà diximus. PRIMO ex Scriptura. SECVNDO ex quodam sensu ipsius Ecclesiæ, quæ magis in hanc sententiam propendet. TERTIO ex authoritate sanctorum Patrum. QVARTO rationibus variis. QVINTO ex duobus magnis incommodis, in quæ necesse est eos incurrere, qui non subscribant huic sententiæ. Ad extremū verò refellemus argumenta prioris opinionis.

PRIMO igitur probatur ex Scriptura, quæ nobis ad confirmandam immaculatam B. Virginis conceptionem suppeditat triplex genus locorum. *Primum* est eorum, ex quibus iuxta literalem sensum possumus probabilissimè colligere, B. Virginem fuisse conceptam absque originali peccato. *Secundum* est eorum locorum, in quibus idem possumus colligere iuxta sensum allegoricum, id est, ob prærogatiuam earum rerum, quæ in veteri testamēto meritò videri possunt fuisse figuræ B. Virginis, in qua proinde simili prærogatiua asserenda sit: præsertim cùm simul liceat id ex eiusmodi figuris colligere per locum argumentandi à *minori ad maius*, vt videbimus. *Tertium* genus est eorum locorū, ex quibus possumus idē colligere, iuxta scripturæ sensum (vt sic dicam) accommodatitium, quia scilicet vel Ecclesia ipsa vel Patres non temerè accommodant spiritualiter ad B. Virginem quasdam Scripturæ sententias, quæ non possunt satis commodè ei attribui, nisi intelligamus fuisse ipsam semper purissimā, & omnino immunem ab omni peccati macula.

PRIMI generis, iuxta interpretationem quidem D. Thomæ hic art. 2. videri potest inprimis esse ille locus Iob 3. vbi de Diabolo dicitur. *Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Hunc enim locum in sensu literali (tametsi metaphorico) exponit D. Thom. in artic. 2. ad 2. his verbis: *Expectet*, inquit, *lucem, id est, Christum, & non videat, quia nihil inquinatum incurrit in sapientiam (quæ est Christus) vt dicitur Sapient. 7. Nec ortū surgentis auroræ, id est, B. Virginis, quæ in suo ortu à peccato originali fuit immunis.* Hactenus D. Thomas. Qui Scripturæ locus, si rectè ita exponitur, argumentum bonum nobis suppeditat ad confirmandum, fuisse sanctam & immaculatam nō modò Virginis natiuitatem, ad quam eum locum refert D. Thomas, sed inprimis etiam conceptionem. Neque enim potest negari, quin vel maximè conceptio ipsa Virginis fuerit quoque eius *ortus*. Rei namque ortum maximè dicimus esse ipsum rei initium.

Neque est sanè absona illius loci Iob interpretatio, vt per *lucem* ibi intelligamus Christū, & per *orientem auroram* B. Virginem, sicut interpretatus est D. Thomas. Nam etiam S. GREGORIVS lib. 4. Moralium cap. 14. per lucem eo loco intelligit Christum, qui de se nimirum dixit: *Ego sum lux mundi*, Ioan. 8. Atque etiam Ecclesia per *auroram* in Scriptura solet intelligere B. Virginem; Vt cum ad illam accommodat illa verba Canticorum 6. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol? &c.* Denique minimè debet ab authoribus contrariæ opinionis paruipendi expositio hæc D. Thomæ, cùm illi in hac quæstione vel maximè videri & haberi velint sectatores D. Thomæ.

SED habemus etiam alium Scripturæ locum eiusdem generis satis firmum, Lucæ 1. in verbis quibus Gabriel Angelus salutauit B. Virginem, vt obseruauit piè & eruditè Franciscus Turrianus in epistola ad Iacobum Amiotum. Imo etiam S. AVGVSTINVS serm. 11. in Natali Domini, vbi ait: *Cum dixit Angelus, Aue gratia plena, ostēdit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenā benedictionis gratiam restitutam.* Ac primò quidem ponderari debet verbum illud Angeli, *Aue gratia plena*; Græcè, κεχαριτωμένη, id est, gratificata, seu (quod idem est) gratia imbuta, atque adeo gratia diuina *plena*, vt vertit Vulgatus Interpres. Est enim participium passiuum illius eiusdem Græci verbi, quo Apostolus ad Ephes. 1. loquens de gratia diuina, vsus est, inquiens: *In laudem gloriæ gratiæ suæ in qua gratificauit* (ἐχαρίτωσεν) *nos in dilecto filio suo.* Deinde etiā ponderari simul debent sequentia verba Angeli, quibus non vno sed variis modis, iteratò ac sæpius significauit singularem in Virgine fuisse prærogatiuam; addens, *Dominus tecum.* Item: *Benedicta tu in mulieribus.* Et rursus: *Inuenisti enim gratiam apud Deum, &c.*

Ex his igitur omnibus verbis, quibus vsus est Angelus, ipse formo tale argumētum: Si B. Virgo in quocunque genere præcellentis gratiæ & beneuolentiæ diuinæ, atque adeò etiam quoad gratuitam liberationem ab originali peccato, peculiari quodam & insolito modo, inter omnes puros homines excelluit; consequens est, vt sententia quæ asserit, B. Virginem fuisse præseruatam ab originali peccato, probabilissima &

pietati

Universidad de Deusto
Biblioteca

pietati maximè consentanea sit. Sed verum est A antecedens. Verum igitur & consequens. Maior huius argumẽti propositio seu connexum probatur. Nam nisi tribuamus B. Virgini præclarissimum illud genus immunitatis & liberationis ab originali peccato per singularem diuinã beneuolentiam & gratiam *præseruationis*, nihil esset beatissimæ Virgini concessum in tã insigni gratiæ & beneuolentiæ diuinæ genere quàm est liberatio ab originali peccato, quod non etiam contigisset aliquibus aliis puris hominibus. Nã liberari ab originali peccato postquã illud contractum sit, multis passim diuino munere contingit. Et liberari adhuc in vtero materno ab illo iam contracto contigit Ieremiæ, & Ioanni Baptistæ, sicut vidimus in præcedenti puncto. B Neque etiam rectè dici potest, singularem & extraordinarium modum, quo B. Virgo fuerit ab originali peccato liberata, situ in eo fuisse, quòd per excellentiorem gratiam, quàm alij, ab illo liberata fuit, vel quod citius fuit ab eo liberata, quàm Ieremias & Ioannes Baptista. Etenim excessus quoad *gradum* duntaxat *intensionis* & perfectionis alicuius doni seu formæ, vel quoad *celeritatem* in participando aliquo dono, non est modus aliquis rarus & insolitus & peculiaris, cũ valde commune & vsitatum sit participari donũ aliquod ab aliis atque aliis inæqualiter quoad intensionis seu perfectionis gradum, aut etiam quoad tempus. Itaque vera est illa nostri argumenti Maior, scilicet si peculiari quodam & insolito modo in quocunque genere præcellentis C alicuius gratiæ & beneuolentiæ diuinæ (qualis est liberatio â peccato originali) B. Virgo diuinitus excelluit, consequens esse vt sententia, quæ asserit, illam per singularem gratiam & beneuolẽtiam diuinam ab originali peccato præseruatam fuisse, probabilissima & pietati maximè consentanea sit.

Minor autem, nempe illud Antecedens verũ esse, quòd scilicet B. Virgo peculiari & insolito modo in quocunque gratiæ & beneuolentiæ diuinæ præcellentis genere diuinitus exornata & affecta fuerit, probari potest multis modis ex prædictis illis verbis Gabrielis Angeli. *Primò*, quoniam participium κεχαριτωμένη, id est, gratia D *imbuta* seu *plena* positum est sine articulo ἡ. Quod dum fit, insolitũ aliquid & singulare, & vt Græci appellant, τὸ μοναδικὸν significatur, vt ex Apollonio antiquissimo Grammatico Græco ostendit vbi suprà Turrianus & ipse Græcè peritissimus.

Secundò, idem probatur ex eo, quod ad significandum singularem illum & insolitũ modum, quo B. Virgo in gratia diuina excelluit, addit Angelus præterea tot alia verba, vt ante diximus; scilicet, *Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus.* Et rursus; *Inuenisti enim gratiã apud Deũ, &c.*

Tertiò, ex eo quòd peculiariter ait, *Benedicta tu inter mulieres.* Dei enim *benedictio* in Scriptura sacra vel maximè ad redemptionem vel liberationem à peccato refertur; iuxta promissionem illam diuinam factam Abrahæ, Genes. 22. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* quod Apostolus ad Galat. 3. interpretatur de iustificatione gentium per Christũ. Et Isaiæ 27. apud LXX. interpretes in eandem sententiam legimus; *Auferetur iniquitas Iacob, & hæc est benedictio eius, cùm abstulero eius peccatum.* Itaq; cùm singulari & insolito modo in hoc genere benedictionis per liberationem à peccato fuerit B. Virgo à Deo benedicta; vt patet ex eo, quod Angelus ait: *Benedicta in mulieribus*; & ex eo item quod ad participiũ illud Benedicta, εὐλογημένη, similiter non fuit additus articulus, sicut neq; anteà ad participium κεχαριτωμένη; statuendum est, illam ab omni peccato fuisse liberatam per gratiam præseruationis. Nam sicut antea dictũ est, nullus alius modus liberationis à peccato est ita insolitus & singularis.

Quartò, & quidem satis iudicio meo efficaciter, probari idem potest ex Virginis admiratione ob talem, tamque extraordinarium, & insolitum modum Angelicæ salutationis. Etsi enim minimè ignorabat in alios etiam sanctos conuenire, vt & gratia imbuti, & â Deo benedicti dicantur, & Dominum esse cum illis; tamen cùm intelligeret, alio quodam inusitato genere se ab Angelo salutari *gratia plenam & benedictam in mulieribus*, & Dominum dici esse secum; *Turbata est*, inquit Euangelista Lucas, *in sermone eius*, nempe Angeli. Nec solum turbata est, ob nouum aduC tum & alloquium Angeli; sed etiam *Cogitabat*, inquit, *qualis esset ista salutatio*; hoc est, quàm insolita & singularis, ad eum nimirum modum quo singulares res & inusitatæ solẽt admirationẽ commouere. Vt cum Dominus surgẽs *imperauit ventis & mari, Et facta est tranquillitas magna*, mirati sunt homines *dicẽtes, Qualis est hic, quia & venti & mare obediunt ei?* Matth. 8.

Quintò, pertinet huc etiam, quod vt Lucas eodem loco narrat: *Repleta* item *Spiritu sancto Elisabeth exclamauit voce magna, & dixit*, similiter, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, &c.* significans nimirum singularem illam & insolitam gratiæ diuinæ prærogatiuam in Virgine.

Postremò, eodem etiã pertinet, quod eadem ipsa Virgo singulariter ob eandem prærogatiuã gratiæ ait, *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, &c. Quia fecit mihi magna qui potens est, &c.* Referens nimirũ in Dei potẽtiam eximium illud singularis & insolitæ gratiæ donum, quod accepit. Et hactenus quidem de PRIMO genere locorum scripturæ, quibus iuxta literalem sensum, diximus probari posse probabilissimè immaculatam Virginis Conceptionem. Neque enim contendimus certò prorsus illam probari ex Scriptura posse. Cũ hæc nostra assertio nec dum sit exploratum dogma fidei, vt initio adnotauimus.

SECVNDVM

SECVNDVM genus est eorum locorum Scripturę, ex quibus idem probatur iuxta sensum allegoricum ob similitudinem *figuræ* & rei *repræsentatæ*, ac simul etiam per argumentandi locum *à minori ad maius*. Etenim cum Apostolus 1. ad Corinth. 10. dicat antiquis patribus *omnia in figura contigisse*, rectè imprimis existimari potest, terram illã, de qua formatus est primus Adam terrenus Genes. 2. & quæ nulli fuerat maledictioni subiecta, figuram fuisse Virginis, de qua formatus est *secundus Adam de cœlo cœlestis*, 1. Corinth. 15. Fuit igitur & secundus Adam cœlestis, nempe Christus, formatus de Virgine nunquam antea subiecta maledictioni peccati; maximè cùm in eo etiam hæc figura cum re repræsentata quadret, quòd sicut Adam primus ex illa terra nondum maledicta formatus fuit diuina solum virtute absque viri opera: ita quoque secundus Adam ex Virgine. Affirmat autem Apostolus ad Romanos 5. Adamum fuisse formam, id est, figuram futuri Christi secundi Adami, vt colligitur etiam apertè ex eodem Apostolo 1. ad Cor. 15. Atque est hoc argumentum simul etiam *à minori ad maius*, vt diximus, cùm longè maior fuerit dignitas Virginis, vt ex illa formatus est Christus, quàm terræ illius, de qua formatus est Adam. Itaque multò magis decuit, Virginem nulli vnquam maledictioni peccati fuisse antea subiectam. Vnde Presbyteri Achaiæ in historia S. Apostoli Andreæ referunt inter cætera illum dixisse: *Sicut ex terra immaculata primus homo factus fuerat; ita necesse fuit, vt Christus nasceretur ex Virgine immaculata.*

Deinde ipsa Eua quæ prorsus immunis ab omni peccato formata fuit, figura fuit quoque beatissimæ Virginis, quæ verè etiam *mater vitæ & viuentium ac virago* futura erat, sicut eam appellat Athanasius serm. in euangelium de sanctissima Deipara, & Epiphanius contra Hæresin 68. Antidicomarianitarum. Conueniebat igitur, & quidem multò magis, vt B. etiam Virgo expers omnis peccati conciperetur & formaretur.

Tertiò figura etiam fuit B. Virginis ipse paradisus, vt rectè censuit Petrus Damianus in sermone de Annunciatione B. Mariæ; in quo nimirum paradiso nihil erat plantatum noxium aut lethale, & de quo *fons ascendebat irrigans vniuersam superficiem terræ*, Gen. 2. Decuit igitur multò magis vt neque in B. Virgine, de qua nasciturus erat is, qui fuit omnis gratiæ fons, esset vnquam vlla noxa peccati.

Quartò similiter figura fuit Virginis arca testamenti fabricata ex lignis Sethin incomputribilibus, Exod. 36. in qua erat asseruandum Manna. Decebat igitur multò magis, vt nulli obnoxia corruptelæ peccati formaretur B. Virgo, quæ intra viscera sua erat receptura Christum cœleste illud manna, cuius illud aliud figura extitit, Ioan. 6.

Quintò figura fuit Virginis Thronus Salomonis factus de ebore, mundissimo nimirũ & candidissimo, 3. Reg. 10. Fuit igitur & ipsa multo per gratiam mundior & candidior, atque adeo expers prorsus omnis fœditatis peccati: siquidem verus Salomon Christus in illa suam sedem singulariter habiturus erat.

Sextò figura fuit item Virginis, *virga Iesse*, de cuius *radice*, hoc est, visceribus, verus flos & salutaris fructus Christus *ascendit*, Isaiæ 11. Debuit igitur & ipsa Virgo instar virgæ, per immunitatem ab omni curuitate peccati, esse prorsus recta, &c.

TERTIVM denique genus est eorum locorum Scripturæ, qui non temerè ab Ecclesia ipsa vel à sanctis Patribus ad B. Virginem accõmodantur, neque tamen possunt satis aptè & decenter illi B attribui, nisi per gratiam singularissimam fuerit quoad totum omnino ipsius vitæ tempus, atque adeò etiam in primo eius momento immunis prorsus ab omni *macula*, & *tenebrositate*, & *fœtore*, & *miseria*, & *aculeo*, & *irruptione*, atq; *vastitate* peccati. Accommodat enim Ecclesia ad illam istiusmodi Scripturæ sententias: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Canticor. 2. Et: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Canticor. 2. Et: *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Canticor. 4. Et ibidem: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Et: *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Canticor. 6. Et ibidem: *Vna est columba mea, perfecta mea.* Et rursus ibi. *Viderunt eam filiæ & beatissimam prædicauerũt.* Et rursus. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol? &c.*

SECVNDO probatur nostra sententia ex iudicio quodam & sensu Ecclesiæ Catholicæ, vt suprà dixi. Nam multis modis ostendi potest, Ecclesiam ipsam multò magis in eam sententiam propendere, quæ asserit B. Virginem fuisse conceptam absque peccato originali, atque adeò fuisse prorsus immaculatam illius conceptionem. PRIMO, quoniam ipsum Ecclesiæ caput, scilicet Romanus Pontifex etsi non definiuit quidem hanc sententiam, nec iusit vt illam complecterentur fideles; tamen per concessionem *indulgentiarum* factam iis, qui *immaculatam* Virginis conceptionem celebrent, atque adeò planè ex officio vt Põtifex, & prout in ipso residet auctoritas totius Ecclesiæ, suasit re ipsa omnibus fidelibus hanc de immaculata conceptione B. Virginis opinionem: hoc ipso nimirum quod ad *immaculatæ* huius conceptionis celebrationem fideles omnes *inuitauit* per concessionem illarum indulgentiarum. Neque enim conceptionem Virginis tanquam IMMACVLATAM celebrare veraciter & sine simulatione potest is, qui non putet fuisse immaculatam.

Id autem fecisse Romanum Pontificem constat euidenter ex supra citata Extrauagante Six-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ti IV. de reliquiis & veneratione Sanctorũ, quę incipit *Cum præexcelsa*. Non enim ibi (vt falsò prorsus Caietan. asseruit, in Opusculo de Conceptione B. Virginis, cap. 5.) ad *qualemcunque* celebrationem festi Conceptionis (scilicet quia fuerit statim post, B. Virgo sanctificata, vel quia fuerit concepta ea quę futura erat Dei mater, &c.) Pontifex inuitauit, sed ad celebrationem Conceptionis *immaculatæ*, vt expresè ibi loquitur Sixtus IV. Atque idipsum manifestissimè patet ex eo quòd ad celebrandum festum Conceptionis ibi inuitauit, secundùm eam de Conceptione opinionem, quam postea in Extrauagãte sequenti; quæ incipit *Graue nimis*, definiuit non esse censendam hæreticam, sicut quidam temerè illam esse censuerant, accepta occasione ex præcedente Extrauagante, in qua idem Pontifex per concessionem indulgentiarum inuitauerat ad celebrandum id festum. Constat autem, hanc opinionem, quam quidam temerè censuerant hæreticam, & Pontifex definiuit non esse hæreticam, nullam aliam esse nisi planè hanc ipsam quæ asserit, B. Virginem fuisse conceptam sine peccato.

Secundò idem apparet ex eo, quod similiter Pius V. re ipsa quidem suffragatus est potiùs huic opinioni hoc ipso, quòd in peculiari cõstitutione de hac re innouauit & obseruari voluit prædictas illas Extrauagantes Sixti IV. Ac proinde per concessionem illam indulgentiarum à Sixto factam, & à se non improbatam aut irritatam, rursus ipse commendauit re ipsa fidelibus hanc opinionem de *immaculata* Virginis conceptione, vt de Sixto fuimus ratiocinati.

Neque obstat, quòd hic idem Pius V. formulam Officij de festo Conceptionis, quam proposuerat & approbauerat Sixtus, immutauit in Missali & Breuiario Romano. Etsi enim noluit vt fideles verbis quidem expresis in eiusmodi officio profiterentur hanc opinionem de conceptione immaculata, vt antea fiebat in priori illa formula; tamen minimè prohibuit, quo minus in celebrando hoc festo iuxta nouam officij formulam haberent fideles eandem re ipsa mentem & intentionem, quam habebant & diserris verbis exprimebant in eo festo antea. Imò ad hoc ipsum potius fideles *re ipsa* inuitauit approbans, vt dictum est, supra dictas Extrauagantes Sixti, atque adeò etiam indulgentias in eis ab illo concessas his, qui celebrant festum *immaculatæ* Conceptionis.

Neque enim putare necesse est, indulgentias illas fuisse à Sixto Concessas celebrantibus festum immaculatę conceptionis secundùm illam tantummodo formulam officij quam ipse illic proposuit & approbauit (quamuis & istis quidem in specie concesit indulgentias illas) sed omnino videtur eas concessisse quibuscunque celebrantibus festum *immaculatæ* conceptionis secundùm officij formulam quamcunque ab Ecclesia Romana pro tempore probatam, qualis erat tunc ea, quam ipse ibi proposuit. Itaque Pius V. etsi mutauit illam formulam à Sixto positam, tamen non ideò putandus est abrogasse indulgentias illas concessas à Sixto celebrantibus festum immaculatæ conceptionis, sed potiùs reipsa approbasse, quatenus Extrauagantes illas Sixti ratas esse voluit, excepta quidem illa formula officij determinata quam immutauit.

Tertiò idem probatur ex eo, quòd sacra & vniuersalis Synodus Tridentina, quæ Ecclesiam totam repræsentauit, decreuit similiter obseruandas esse prędictas Sixti constitutiones, atque adeò etiam opinionem hanc de immaculata cõceptione *re ipsa* fidelibus commẽdauit, non minùs quàm ipse Sixtus.

Quartò idem probatur ex eo, quod etsi Sixtus IV. & Pius V. & Concilium Tridentinum, contrariam opinionem, quæ B. Virginem asserit fuisse conceptam in originali peccato, non damnarunt; tamen illam re ipsa dissuaserunt quodammodo fidelibus, hoc ipso, quòd celebrantibus festum illud Conceptionis tanquam immaculatæ indulgentias concesserunt (Sixtus quidem expresè, tacitè autem Pius V. & Concilium Tridentinum hoc ipso, quod Extrauagantes Sixti approbarunt, vt dixi) aliis autem non item, quantumcunque alio respectu & intentione festũ illud Conceptionis celebrent; scilicet vel quia statim post conceptionem B. Virgo fuit sanctificata, vel quia illa concepta fuit, quæ erat futura mater redemptoris generis humani: Cùm alioqui omnes ij, qui tenentur seruare formulam Breuiarij & Missalis Romani, teneantur etiam celebrare illud conceptionis festum per intentionem aliquam ex illis iam dictis, nimirum vel tanquam conceptionis *immaculatæ* (ad quod inuitantur quidem omnes ab Ecclesia, vt dixi, per indulgentias) vel quia statim atque concepta est B. Virgo fuerit à peccato sanctificata; vel quia concepta est illa quæ futura erat mater redemptoris; qui duo posteriores celebrationis modi ab Ecclesia etiam tolerantur saltem & permittuntur, sicut & alterum illorum, videlicet penultimum, proponit D. Thomas hîc artic. 2. & Caietanus in Opusculo de Conceptione B. Virginis capite 5. & alij ferè Scriptores Dominicani Ordinis, sequentes in hac quæstione D. Thomam.

Quintò idem apparet ex eo quod Alexander VI. & Iulius II. & Leo X. approbarunt, & priuilegiis, vt fieri solet, ornarunt quendam ordinem religiosum, institutum peculiariter ad honorem *immaculatæ* conceptionis beatissimæ Virginis.

Sextò idem patet ex eo, quod iam à multo tempore maxima omnino doctorum hominum pars, qui sunt in Ecclesia præcipua pars fi-

delium

delium, defenderunt ac propugnarunt voce & scriptis sententiam hanc de immaculata Virginis conceptione. Vnde & Caietanus in supra dicto opusculo, cap. 5. dicit, Doctores defendentes hanc sententiam esse *numero* (vt inquit) *infinitos*. Et certè esse valde multos & doctrina insignes, non obscurè apparuit in Concilio Basileensi, sessione 36. vbi plurimi viri doctissimi ex variis nationibus congregati, vsque adeò veram esse hanc sententiam existimauerũt, vt eam quoque (licet absque legitimi quidem Concilij auctoritate, vt supra notauimus) tanquam omnino certam definiuerint.

Septimò idem confirmare licet auctoritate insignium Academiarum, quæ cùm & ipsæ sint nobilia quædam Ecclesiæ membra, adeò veram esse hanc sententiam sibi persuaserunt, vt iusiurandum etiam ab iis, qui ad gradus promouentur, exigant, quòd velint propugnare hanc sententiam, neq; aliter eos promoueant. Quod institutum nominatim viget & iam viguit in Academia Parisiensi.

Octauò idem apparet ex eo, quod sine vlla dubitatione maxima etiam fidelium pars atque adeo promiscuè plerique omnes fideles exceptis paucis quibusdam vnius vel alterius ordinis, his etiam temporibus post mutatam à Pio V. officij formulam de hoc festo, celebrant illud tanquam festum *immaculatæ* prorsus Conceptionis, atque adeò iuxta mentem & intentionem Sixti IV. qui sententiam hanc (vt antea vidimus) expresè commendauit fidelibus.

Quæ cùm ita sint, non solùm his tam multis nominibus meritò censeri debet Ecclesia Catholica in hanc potius sententiam propendere, sed eo etiam, quod propter hæc præiudicia fidelium & maximè sedis Apostolicæ, facillimè fieri potest, vt tota prorsus Ecclesia fidelium nullis exceptis persuadeat sibi veram esse hanc sententiam, id quod ipse quidem arbitror aliquando futurum, (etiamsi fortè hæc sententia expresè quidem nunquam ab Ecclesia definiretur) quod si accideret; iam eo ipso redderetur hæc sententia secundùm fidem certa: siquidem ex fide certum est, Ecclesiam totam non posse errare persuadendo sibi aliquam sententiam, quæ pertineat ad pietatem & cultum religionis, vt docuimus Tomo 3. quæstione 1. de fide. puncto 7. §. 16. Sed nunc quidem satis nobis sit, quòd ob has considerationes, quas proposuimus, censeri potest hæc sententia de *immaculata* Virginis conceptione, esse sententia Ecclesiæ *totius*, in quadam saltem *potentia proxima*. Et hactenus de secunda probatione principali huius nostræ sententiæ.

TERTIO probatur illustribus aliquot testimoniis sanctorum Patrum, etiam antiquorum, per quæ simul abunde refellemus, quod Caietanus, vbi supra, & alij auctores contrariæ opinionis falsò iactare solent, sententiam hanc nostram de *immaculata* conceptione B. Virginis fuisse prorsus ignotam veteribus Patribus. Ac imprimis quidem recolendum est præclarum illud testimonium S. ANDREÆ, quod supra retulimus ex historia Presbyterorum Achaiæ, nempe: *Sicut de terra immaculata factus fuerat homo primus, ita necesse erat, vt de imaculata Virgine* CHRISTVS *nasceretur*. Deinde notentur testimonia sequentia tum Græcorũ tum Latinorum Patrum.

Sanctus GREGORIVS NEOCAESARIENSIS, in sermone de Annunciatione B. Mariæ Virginis, apud Turrianum, in supra citata epistola: *Ex omnibus*, inquit, *generationibus hæc* SOLA *Virgo sancta corpore & spiritu fuit*. Nimirum per insolitum illud & singulare donum gratiæ, quo fuit ab omni peccato præseruata; id quod, vt supra diximus, nulli alij contigit; cùm alioqui dubium non sit, quin aliis modis soleant alię quoque virgines esse sanctæ corpore & spiritu, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.*

Sanctus Gregorius NAZIANZENVS in epistola ad Nemesium. *In multorum*, inquit, *hominum ore hic sermo versatur, Dei hominem, id est, Christum, ex Virginis sinu ortum esse, quem* (id est sinum Virginis) *Spiritus sanctus cum Dei magni templo coagmentauit, templum sanctum extruens; Mater enim Virgo templum Christi fuit, Christus autem Verbi.* Vbi de ipsa etiã Virgine, quatenus fuit templum Christi, dicere videtur, quod fuerit *sancta extructa*, id est, formata.

Sanctus Gregorius NYSSENVS homilia 13. in Cantica: *Oportebat*, inquit, *matrem vitæ tam conceptionem à lætitia inchoare, quàm partum in lætitia perficere. Nimirum ait ad eam princeps ille angelus, Gaude per gratiam dilecta. Lucæ 1. Qua voce mœstitiam illam abigit, quæ rerum initio propter peccatum partui est imposita.* Vbi quemadmodum Gaudium opponit per antithesin Mœstitiæ partus in Virgine: ita quoque gratiam, & dilectionem per gratiam, peccato illi ex quo mœstitia illa in aliis mulieribus habet ortum, videlicet peccato originali.

Ac paulo superius in eandem sententiam dixerat, Christum *de puritate virginea electum esse, cuius partus minimè inquinatus; parturigo doloris expers; thalamus, altissimi potestas quasi quædam nubes Virginem ipsam inumbrans; fax nuptialis, Spiritus sancti splendor; cubile,* VITIORVM EXPERS CONDITIO; *nuptiæ, puritas incorrupta. Qui ex talibus ortus est, rectè appellatur electus, &c.*

Sanctus ATHANASIVS sermone in euangelium de sanctissima Deipara, sine dubio etiam hanc Virginis puritatem ab omni labe & misę-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ria perpetuò immunem significat, cum appellat carnem eius, *sanctissimam, & sanctissima ossa. Nam ex carne*, inquit, *eius, & ex ossibus eius, veluti ex veteri Adamo nouus iste Adam, vt vicem eius expleret, costam sibi finxit*; Et paulò pòst: *Dicimus eam igitur iterum atque iterum & SEMPER & VNDEQVAQVE beatissimam.* Quomodo quæso, *semper & vndequaq;* beatissima, si aliquando miserrima fuit, & obnoxia æternæ damnationi, ac Deo exosa per peccatum originale?

Et rursus infrà Athanasius: *Decet enim te*, inquit, *matrem regeneratricem, dominam ac heram cognominari, eo quòd ex te prodiit dominus ac rex noster: assistentem te illi nobis quidem terribili, tibi autem dulci OMNEMQVE gratiam largienti: qua de causa factum est, vt plena gratia appellata sis, vtpote quæ omni gratia ABVNDARES, &c.* Certè non *omni* gratia abundasset, si aliquando omnis gratiæ expers fuit, & subiecta potius mortali peccato originali, cum quo nequit stare diuina gratia.

Sanctus BASILIVS Concione in sanctam Christi natiuitatem. *Quandoquidem*, inquit, *id seculum, in quo Maria viuebat, nihil cum puritate Mariæ comparandum haberet, vt Spiritus sancti operationem susciperet, electa est, &c.* Et infrà: *Ex sanctitate igitur compacta caro digna erat, vt Deitati vnigeniti vniretur. Pariet autem filium, &c.* Vbi per *sanctitatem*, ex qua vnigeniti caro compacta sit, planè intelligere videtur non solùm sanctitatem Spiritus sancti, iuxta illud, Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*; sed etiam supradictam illam *puritatem* & sanctimoniam perpetuam virgineæ carnis, ex qua maximè propriè caro Christi compacta est, & cum qua nihil habebat illud seculum comparandum. Quia scilicet nullus hominum vnquam præter B. Virginem fuit ab initio sanctus; tametsi non dubium sit, quin vnoquoque seculò fuerint aliquot personæ, quæ & puritate virginea, & gratiæ sanctimonia, post peccatum obtenta, præstantes fuerint.

THEODORETVS libro 3. interpretationis in Cantica, ex Græcorum Patrum sententiis à se compositæ, circa illud Canticorum 6. *Sexaginta sunt reginæ, &c. vna est columba mea, perfecta mea*, ita scribit: *Prospiciens Salomon, & diuino afflatus spiritu tanto antè cernens, verbis sponsi putissimi incarnationem, & quæ ipsum sine semine genuit sanctissimam Dei genitricem Mariam illam IMMACVLATISSIMAM, quam omnes omnium hominum generationes vocibus nunquam cessantibus beatissimam prædicant, quia totius mundi peperit Saluatorem; hoc in sponsi persona Canticum cecinit.*

Et infrà: *Inter tot*, inquit, *animas omnium hominum qui saluantur* (quorum in numero paulò antea numerauerat etiam eos, qui à *teneris vnguiculis ex toto*, vt inquit, *corde Deum rerum omnium auctorem optimum diligunt, & amore ipsius mundum, & quæ sunt in mundo, contemnentes, Christo verbo & sponso coniunguntur*) *vt electa columba est vna illa (sola) quæ Christum genuit Virgo mater, puella Maria, quæ puritate profectò Cherubin & Seraphin antecellit.* Quomodo autem fuit *sanctissima & immaculatissima, & sola* inter eos etiam, qui toto corde mundum contempserunt, & Deum dilexerunt *electa*, & Cherubinis ac Seraphinis, in quibus nulla vnquam fuit peccati macula puritate *antecellens*, si aliquando fuit, vt reliqui, originalis peccati labe commaculata.

SOPHRONIVS patriarcha Hierosolymitanus in Epistola ad Sergium Archiepiscopum Constantinopolitanum, lecta in VI. Synodo generali, Actione 11. & postea approbata tota Synodo, Actione 13. *Vnigenitus*, inquit, *Patris filius, &c. verum intactum Virginitatis ingressus, castitatem lustratam Mariæ sanctæ præclaræq;, & quæ Dei sunt sapientis, & ab OMNI contagione liberatæ, & corporis, & animæ, & intellectus, incarnatus, qui erat incarneus, & formam suscepit nostram, &c.* Vbi quod dicit: *Omni contagione liberatam*, non potest intelligi de liberatione ab omni cõtagione peccati, postquam omnem contagionem peccati B. Virgo incurrisset: Tunc enim significaret etiam illam incurrisse contagionem peccati actualis, quod falsum est: sed debet intelligi de liberatione per gratiam *præseruationis*, quæ maximè propriè liberatio est.

Sanctus Ioannes DAMASCENVS Oratione 1. de Dei genitricis semperque Virginis natiuitate, non longè ab initio: *Natura*, inquit, *gratiæ cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens: Quoniam itaque futurum erat, vt Dei genitrix ac Virgo ex Anna oriretur; natura gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est.*

Et paulò pòst: *O*, inquit, *beatos Ioachimi lumbos, ex quibus prorsus immaculatũ semen* (quoad productum fœtum nimirum) *fluxit, O præclaram Annæ vuluam, in qua tacitis incrementis ex ea anctus atque formatus fuit fœtus sanctissimus.* Et infrà: *Profectò ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini.*

Sanctus CYPRIANVS (vel quisquis fuit ille antiquus auctor) in tractatu de operibus Christi cardinalibus, sermone de Christi natiuitate. *Spiritu sancto*, inquit, *obumbrante incendium originale extinctum est* (in partu Virginis) *ideoque innoxiam affligi non decuit. Nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lacerareturiniuriis. Quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa. Eratq; ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum neque antè nec deinceps meruit obtinere, quòd erat simul mater & Virgo, singulis titulis insignita. Unde & Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis, spiritali & corporali*

rali intus & extra CHRISTI præsentia fruebatur.

Sanctus AMBROSIVS sermone 22. in Psalmum 118. circa illud: *Errani sicut ouis, quæ periit, quære seruum tuum, &c. Suscipe me*, inquit, *non ex Sara, sed ex Maria, vt incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.*

Sanctus HIERONYMVS in Psalmum 77. circa illud: *Et deduxit eos in nube diei, &c. Ecce*, inquit, *Dominus venit in Ægyptum seculi istius super nubem Virginem* (*nullo semine humano prægrauatum*, vt paulò antea dixit) *& deduxit eos in nube diei. Pulchrè dixit, diei, Nubes enim illa nunquam fuit in tenebris, sed SEMPER in luce.*

Sanctus AVGVSTINVS in libro de Natura & Gratia, capite 36. approbans planè quod ab aduersario dictum fuerat, *ipsam domini ac Saluatoris nostri matrem, sine peccato confiteri, necesse esse pietati*; subiungit: *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem; vnde enim* (seu potius, *inde enim*) *scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum: hac ergo Virgine excepta, &c.*

Quo loco Augustinum excipere B. Virginem non solùm à peccato actuali, vt quidam respondent, sed etiam originali, multis modis ostendi potest. *Primò*, quoniam ex Augustini sententia, libro 5. contra Iulianum, capite 9. manifestè constat, peccatum originale, & peccatum actuale, ita inuicem connexa esse, vt omnis qui habuerit peccatum originale, committat etiam quandoque peccatum actuale. Quare hoc ipso, quod ex Augustini sententia, caruit Virgo omni peccato actuali, fatendum est caruisse illam quoque ex Augustini sententia peccato originali. Sic enim Augustinus in illo loco contra Iulianum de Christo loquens, scribit: *Profectò peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.*

Secundò, quia generatim in eo ipso loco de natura & gratia dicit, se, cùm de PECCATIS agitur, *nullam prorsus* de S. Virgine Maria habere velle quæstionem.

Tertiò, quoniam ad id significat se moueri propter *honorem Domini*, cuius videlicet sancta Virgo fuit mater, quem certè filij honorem non minùs, sed magis etiam obscurasset peccatum originale matris (cùm verè illud sit peccatum mortale) quàm aliquod peccatum actuale veniale.

Quartò, quoniam addit collatam fuisse sanctæ Virgini gratiam, ad *vincendum OMNI ex parte peccatum*; quod non esset verum, si aliquando succubuisset cuidam peccato, & quidem mortali, nempe peccato originis.

Quintò, quoniam ad extremum addit, propterea se nullam velle habere quæstionem, de sancta Virgine Maria, cùm de peccatis agitur, quia *concipere ac parere meruit eum, quem constat*, inquit, *nullum habuisse peccatum.* His enim verbis manifestè declarat Augustinus, se ab omni eo genere peccati voluisse excipere sanctam Virginem, quo caruisse constat Christum, quem ipsa meruit concipere ac parere. Constat autem caruisse eum omni prorsus peccato, tum actuali, tum originali.

Et certè, vt iam dictum est, cum dignitate ac merito eius, quæ meruit tanti, & tam immaculati filij esse mater, nõ magis, sed multò etiam minus congruit peccatum originale, cùm mortale sit, quàm actuale peccatum veniale. Itaq; mihi nullum prorsus dubium est, quin hoc loco exceperit Augustinus sanctam Virginem ab originali etiam peccato.

Præterea antiquus auctor cognomento IDIOTA, in contemplatione Virginis Mariæ, capite 2. *Tota*, inquit, *pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue originalis, non est in te.* A quo etiam originali peccato *præseruatum* fuisse dicit, capite 6.

Item S. GREGORIVS in caput 1. Regum, lib. 1. cap. 1. accommodans ad B. Virginem vaticinium illud Isaiæ 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons, domus domini in vertice montium*, de eadem subiungit: *Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes sanctos resultit. Nam sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem: Mons quippe, & domus aptè dicitur, quæ incomparabilibus est illustrata meritis, & Dei vnigenito, in quo recumberet sacrum præparauit vterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, si supra angelorum altitudinem hanc diuina fœcunditas non leuaret.* Hæc certè de sublimitate & fulgore Virginis per gratiam super omnes etiam Angelos, & de *sacro* eius vtero, &c. non satis aptè à Gregorio dicerentur, si aliquando fuisset immunda, & inquinata, & obtenebrata per peccatum, & vsq; adeò proinde inferior tunc Angelis, vt etiam esset subiecta diabolo.

Item SEDVLIVS libro 2. operis Paschalis, dum canit de Virgine: *Et veluti è spinis mollis rosa surgit acutis. Nil quod LAEDAT habens, matremq; obscurat honore. Sic Euæ de stirpe sacra veniente Maria, Virginis antiquæ facinus noua Virgo piaret.* Alludens nimirum ad illud Canticorum 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

Item Petrus DAMIANVS sermone 3. de Mariæ Natiuitate. *Quid rogo*, inquit, *vitij in eius mente vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cœli plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium? In Christo enim, sicut per Paulum dicitur, habitat*

Universidad de Deusto
Biblioteca

bitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Nec mirum ſi cunctorum merita tranſcendat mortalium, quæ & ipſam ſuperexcedit celſitudinem Angelorum. Et in ſermone de Aſſumptione eiuſdem Virginis: *Caro*, inquit, *Virginis ex Adam aſſumpta maculas Adæ non admiſit.*

Item RVPERTVS libro 6. in Cantica. non ſolùm affirmat, Virginem *beatiſsimam & lucidiſsimam* eſſe & gratia diuina *plenam*, ſed etiam addit: *libera es ab omni iugo peccati.*

Item S. BRVNO fundator Ordinis Carthuſianorum, Commentario in Pſalm. 101. de Virgine loquens. *Hæc*, inquit, *eſt incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus; ab omni propterea contagione peccati libera, per quam vitæ viam agnouimus; quæ quia digna fuit; dominus de cœlo in terram aſpexit.*

Item ſanctus ANSELMVS in caput 1. ſecundæ ad Corinth. circa illud: *Si vnus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt.* ita ſcribit: *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, dempta matre Dei, ſiue originalibus, ſiue etiam voluntate additis, vel ignorando, vel ſciendo nec faciendo quod iuſtum eſt.*

Et in lib. de Conceptu Virginali, & peccato originali, cap. 18. *Quamuis ergo*, inquit, *de beatiſsima Virgine filius Dei conceptus ſit; non tamen hoc ea neceſsitate factum eſt, quaſi de peccatrice pariente inſita proles rationabiliter generari per huiuſmodi propagationem nequiret. Sed quia decebat, vt illius hominis* (Chriſti) *conceptio de matre puriſsima fieret, nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tanquam ſe ipſum diligebat, ita dare diſponebat, vt naturaliter eſſet vnus idemque communis Dei patris & Virginis filius.* Certè maior aliqua puritas ſub Deo poſſet intelligi, quàm eius Virginis, quæ aliquando fuiſſet impura & ſordida per peccatum.

His adde etiam Laurentium IVSTINIANVM celebrem Scriptorem in ſermone de Annunciatione B. Mariæ: *Ab ipſa*, inquit, *ſui conceptione in benedictionibus eſt præuenta dulcedinis, atq; à damnationis aliena chirographo.* Et paulò pòſt: *Erat planè à carnis colluuione immunis, & ab omni peccati labe extranea.*

QVARTO probatur hæc ſententia variis argumentis à ratione ductis, quæ mihi planè videntur oſtendere, adeo decuiſſe præſeruari diuinitus à peccato originali B. Virginem, poſito quòd erat deſtinata ad tantam dignitatem, quanta eſt eſſe Dei matrem, vt contrarium meritò iudicari poſsit fuiſſe futurum indecorum, atque adeo alienum, & abhorrens à Dei ſapientia & bonitate.

Primum argumentum peti poteſt ex ratione ipſa peccati originalis, quatenus eſt veri nominis *peccatum*, vt ſuo loco docuimus Tomo 2. Nam ab actuali *peccato* veniali, non ideo ſolùm, quia *propria voluntate* committitur, ſed ideo etiam, quia veri nominis *peccatum* eſt, ac proinde quiddam minimè decens Dei matrem, præſeruata diuinitùs fuit B. Virgo (vt videbimus puncto ſequenti) Ergo eadem ratione præſeruatam ipſam diuinitùs fuiſſe à peccato originali, exiſtimandum eſt. Antecedens probatur. Nam non ſolùm redundat in filium aliquem ea macula & turpitudo matris, quam ipſa ſponte & propria voluntate contrahit; ſed etiam illa, quam contrahit inuita per facinus alienum: Imò hoc ipſum potius maculæ ac turpitudinis genus eniti ſolent filij quoad poſſunt amoliri à matribus. Itaque non eſt putandum fuiſſe B. Virginem ob honorem filij diuinitùs præſeruatam ab actuali peccato veniali ideo ſolùm, quoniam *actuale* peccatum eſt; ſed ideo etiam maximè, quoniam eſt veri nominis *peccatum*; ac proinde quædam animi macula, & turpitudo. Quæ ratio peccati veriſimè item conuenit in peccatum originale.

Secundum argumentum duci poteſt ex ratione eiuſdem peccati originalis, quatenus eſt peccatum verè *mortale*. Nam minimè certè decuit, vt ea quæ fuit mater vitæ ſpiritualis omnium, & quæ nobis fructum benedictum protulit, & attulit ſalutem, aliquando eſſet ſpiritualiter mortua & maledicta, & æternæ damnationi deſtinata per peccatum mortale.

Tertium argumentum ducitur ex *comparatione* eiuſdem peccati originalis cum peccato actuali, quatenus nimirum actuale contrahitur voluntate *propria*, originale autem non niſi *aliena*. Hinc enim apparet, facilius quidem fuiſſe *per ſe, & ex natura rei* amoliri à Virgine peccatum originale, quàm peccatum actuale, atque adeo hoc etiam nomine maximè decuiſſe, vt originali peccato B. Virgo præſeruaretur, cum etiam fuerit præſeruata ab *actuali*, id quod fieri non potuit, niſi quodammodo præpediendo ipſius etiam propriam libertatem, ne, vt naturaliter alioqui poterat, in peccatum laberetur; quod per ſe, vt dixi, fuit difficilius. Quamuis ſi ſolam quidem ſpectemus potentiam Dei, omnia ſunt Deo æquè facilia. Sed tamen præſeruatio illa ab originali peccato eo nomine, vt dixi, peculiariter decuit Virginem ob honorem filij, quia fuit ex ſe facilior, & maximè decet honorari parentes à filiis in iis, quæ facilimè per filios in illorum honorem fieri poſſunt.

Quartum argumentum duci poteſt ex comparatione item eiuſdem peccati originalis cum actuali peccato veniali, vt *veniali*. Nam ſi propter honorem filij decuit præſeruari matrem à peccato etiam *veniali*; certè multò magis decens fuit præſeruari illam ob eandem cauſam ab originali peccato, quod eſt, vt ſupra diximus, *mortale*.

Quintum

Quintum argumentum ducitur ex *dignitate Virginis*, vt fuit mater eius, qui *verus eſt Deus*. Nam decet maximè, vt inter filium & parentem ſit quanta maxima ſimilitudo eſſe poſsit, citra vllam indecoram & deformem diſſimilitudinem. Eſt autem peccatum præſertim mortale, quale originale eſt, indecora quædam, & deformis diſſimilitudo à Deo, cùm per illud deficiat quis à iuſtitia, & à rectitudine, cuius diuina bonitas eſt prima & perfectiſsima norma & origo. Igitur maximè decuit, Virginem Dei matrem carere prorſus peccato originali, per quod fuiſſet nimirum indecorè & deformiter Deo diſſimilis. Et confirmatur hoc argumentum maximè auctoritate D. Dionyſij, qui in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, capite 2. parte 3. definiuit peccatum originale eſſe *habitum diſſimilitudinis à Deo*, id quod Tomo 2. quæſtione 12. de peccatis, puncto 1. annotauimus, & expoſuimus.

Sextum argumentum duci poteſt *ex dignitate* Virginis, vt fuit mater Chriſti hominis, quatenus fuit is *agnus immaculatus*, expers omnis peccati. Nam ſimiliter ob rationem allatam præcedenti argumento, decuit maximè, vt mater eſſet in hac puritate filio ſuo ſimilis, quoad eius fieri potuit, id eſt, ſaltem per quoddam gratiæ priuilegium, cùm ille fuerit à peccato omni immunis modo excellentiori, ſcilicet ex ratione ipſa ſuæ Conceptionis, vt ſupra notauimus.

Septimum argumentum duci poteſt, ex *dignitate* eiuſdem Virginis, quatenus fuit mater eius, qui fuit *Saluator ac Redemptor* generis humani à peccatis. Nam eo ipſo illa quoque cenſeri poteſt attuliſſe ſalutem & redemptionem humano generi à peccatis; ſicut diſertis verbis affirmat S. AMBROSIVS in epiſtola 41. ad Sabinum de Maria, inquiens: *Operata eſt mundi ſalutem, & concepit redemptionem vniuerſorum.* Vnde & ipſa contriuit per filium ſuum benedictum, caput ſerpentis, Geneſ. 3. Quare ſicut oportuit Chriſtum redemptorem, quoniam erat deleturus peccata, peccato omni carere, iuxta dicta ex ſententiis Patrum, Diſput. præcedenti, quæſt. 1. punct. 5. ita etiã ſuo modo decuit maximè, vt mater redemptoris, quæ & ipſa per ſuum filium peccata deleuit, & contriuit ſerpentis caput, eſſet immunis ab omni peccato; ne viciſsim (quod indecorum ſanè fuiſſet) à ſerpente etiam ipſa conculcaretur aliquando & contereretur. Neque tamen fuit eadem ratio in aliis Patribus veteris Teſtamenti, Chriſti anteceſſoribus, vt poſtea dicemus, cùm reſpondebimus ad argumenta contrariæ opinionis. Virgo enim CHRISTVM redemptorem genuit ex ſuis viſceribus, non autem illi.

Octauum argumentum duci poteſt ex naturali, & debita obſeruantia aliorum filiorum erga ſuos parentes. Nam non immeritò his ſolet vitio verti, ſi in parẽtibus ſuis honorandis quidquam tale negligant, quod abſque vllo ſuo incommodo, & facillimè, præſtare poſsint. At potuit abſque vllo incommodo, & facillimè, Dei & Virginis filius, idemque Deus & homo, Chriſtus, honorare ſuam matrem, illam præſeruando ab omni turpitudine & ignominia peccati; nec certè ceſsit in honoranda ſua matre vlli alij filio. Igitur id feciſſe omnino exiſtimandus eſt, ne alioqui videri poſsit minus quàm par erat & decebat, ſuæ matri tribuiſſe.

Nonum argumentum peti poteſt ex honore quodam, vt ſic dicam, & laude, quam habet inter fideles iam à multo tempore ſententia hæc de immaculata conceptione beatiſsimæ Virginis: itemque ex multitudine indies maiori ac celebritate eorum, qui eam veram eſſe ſibi perſuadent, nec ſine quodam ſenſu pietatis, & internæ conſolationis: cùm contrà, qui beatiſsimam Virginem in ſua conceptione peccato originali inquinatam fuiſſe contendant, pauci hoc præſertim tẽpore ſint, & hi qui id faciunt, videantur id facere non ſine aliquo timore, neſcio cuius apud deuotos fideles notæ. Vnde nec intermittere poſſunt, quin quædam concedant & fateantur in fauorem huius noſtræ ſententiæ, ad leniendam nimirum ſeueritatem, ne dicam aſperitatem, ſuæ contrariæ opinionis.

Vt cum Melchior Canus Dominicani Ordinis, lib. 7. de locis Theologicis, cap. 1. ſcribit, ſententiam hanc de immaculata B. Virginis Conceptione, *probabiliter & piè in Eccleſia defendi*. Et cum affirmat Bartholomæus Medina eiuſdem Ordinis, 3. parte quæſt. 27. artic. 2. concluſ. 4. eandem ipſam ſententiam eſſe *piam & deuotioni populi accommodam*. Verentur enim huiuſmodi auctores non immeritò aliquam offenſionem fidelis ac deuoti populi, ſi contrariam opinionem ſuam (tametſi illa minimè quidem hæretica, aut erronea ſit) profiteantur nimis confidenter abſq; aliquo eiuſmodi temperamento, quo ſimul commendent ſententiam noſtram propter Virginis honorem. Hæc autem omnia, certè ſunt indicia probabiliſsima, quòd hæc noſtra ſentẽtia de immaculata Virginis conceptione ſit vera.

QVINTO principaliter probatur hæc ſententia ex duobus (vt ſuprà dixi) non leuibus *incommodis*, in quæ oportet eos incurrere, qui non ſubſcribant huic ipſi aſſertioni de Conceptione immaculata Virginis. PRIMVM incommodum eſt, quòd vel oportebit eos ſimiliter exiſtimare B. Virginem non fuiſſe præſeruatam ab omni veniali peccato, id quod manifeſtè eſſet contra ſententiam Eccleſiæ, vt videbimus puncto ſequenti. Vel certè, hoc ipſum, ſcilicet B. Virginem fuiſſe præſeruatam ab omni peccato veniali, oportebit eos ſibi perſuadere abſq; vllis planè eius rei argumentis; id quod etiam eſſet ſatis magnum abſurdum, & incommodum, cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

alioqui neque ex Scriptura satis clarè constet hæc Virginis immunitas à peccatis venialibus, neque sine bonis vtique argumentis ab Ecclesia asseratur.

Hoc autem ea ratione manifestè probo, quòd omnia & singula argumenta, quibus ea immunitas Virginis à peccatis venialibus probari solet; æquè, imo magis probant, illam fuisse immunem à peccato originali. Itaque si ab originali peccato immunis fuisse non putetur; oportebit eos, qui hoc putant, similiter putare, non fuisse immunem à peccatis venialibus, vel certè hanc eius immunitatem à peccatis venialibus concedere, sine vllis (vt dixi) argumentis.

Rationes enim, quibus tum alij, tum D. Thomas hîc artic. 4. probant, decuisse omnino, atque adeò diuinitùs factum esse, vt B. Virgo præseruaretur ab omni actuali peccato etiam veniali, sunt istæ: *Prima*, quia non fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando: Deus autem, cùm aliquos ad quampiam dignitatem eligit, facit illos ad eam idoneos, iuxta illud, secundæ ad Corinth. 3. *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti*, & sic etiam fecit idoneam Virginem per gratiam, vt esset Dei mater, iuxta illud Angeli, Lucæ 1. *Inuenisti gratiam apud Deum. Ecce concipies, &c. Secunda* ratio est: quia vt honor parentum redundat in prolem, iuxta illud Prouerbiorum 17. *Gloria filiorum, patres eorum*: ita è contrario ignominia matris ad filium redundasset. *Tertia* ratio. Nam B. Virgo singularem habuit affinitatem cum Christo, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem secunda ad Corinth. 6. *Quæ conuentio Christi ad Belial? Quarta* ratio. Quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapientia, in Virgine habitauit, non solùm in anima, sed etiam in vtero. Dicitur autem Sapient. 1. *In maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Quinta* ratio: Quia sic in Virgine impletur, quod dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

At istæ omnes rationes æquè, imò multò magis, probant, B. Virginem debuisse præseruari ab originali, quàm ab actuali peccato *veniali*, vt manifestum est ex argumentis, quæ pro nostra sententia nos attulimus. Nam *primò* minus decet idoneam Dei matrem quodcunque peccatum *mortale*, quale est etiam originale peccatum (cùm per illud reddatur anima exosa Deo, & ab eo auersa) quàm actuale peccatum *veniale*, quod non auertit à Deo. *Secundò*, maior est ignominia matris, atque adeo etiam filij, quoduis peccatum mortale, quàm veniale. *Tertiò*, maior similiter est conuentio cum Belial, per quoduis peccatum mortale, quale est etiam originale. *Quartò*, minus digna est anima in habitatione Sapientiæ, si peccato mortali aliquando subdita fuerit, quàm si fuerit aliquando subdita peccato veniali. *Quintò*, denique macula originalis peccati, vtpote macula peccati mortalis, non minùs sed magis excluditur per illud, Canticor. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Itaque qui ob huiusmodi rationes non etiam existimat B. Virginem fuisse præseruatam à peccato originali, oportet vt vel similiter neget fuisse illam præseruatam à peccatis venialibus; vel vt hoc concedat sine idoneis rationibus, sicut antè argumentabamur.

Secvndvm incommodum, in quod etiam dicebamus incurrere eos, qui huic nostræ sententiæ non subscribunt, positum est in eo, quod etsi contraria opinio (scilicet B. Virginem fuisse conceptam in originali peccato) non sit vel hæretica, vel erronea, vel continens peccatum mortale; tamen qui eam defendunt, videri possunt, quantum in ipsis est quidem, præbere beatissimæ Virgini occasionem cuiusdam offensionis, saltem ita, vt minus propitia ipsis fit, quàm immaculatæ suæ conceptionis assertoribus: quæ certè offensio formidabilis esse debet: sicut contra à pijs omnibus fauor tantæ Virginis, tamque potentis apud filium, summè expetendus est, & omni ratione, qua licet, meritò procurandus. Quod autem occasionem eiusmodi offensionis, quantum in ipsis est quidem, præbeant tales B. Virgini, inde apparet, quòd cùm neutra pars huius quæstionis euidēs aut certa sit (cui oporteat necessariò assentiri) sed libera planè Ecclesiæ iudicio; ac proinde possint tales nō modò licitè, sed etiam cum spirituali suo commodo tribuere Virgini eum honorem, vt eam nunquam per originale peccatum sub potestate diaboli fuisse existiment; ipsa nimirum Ecclesia non modò id permittente, sed ad id etiam per largitionem indulgentiarum ex ipsius spirituali thesauro inuitante; tamen nolint ita præclarè de Virgine sentire. Quam quidem ob causam, quomodo posset B. Virgo meritò iis nonnihil succensere, Theologus quidam magni nominis in Hispania (vt audire me memini) huiusmodi quodam exemplo declarabat: Ponamus agitari in Iudicio aliquo politico & tribunali supremo controuersiam de nobilitate viri alicuius, Vtrum scilicet verè sit nobilis, & vt talis tractandus, nec ne: supremum autem magistratum sententiam ferre, qua non quidem definiat, velut rem certam, ipsum esse verè nobilem; sed declaret tamen, adeo bonis & probabilibus argumentis probari illius nobilitatem, vt aliis omnibus integrum, atque eidem magistratui gratum, imò gratius futurum sit, eiusmodi virum pro verè nobili habere & honorare vt talem: neque hanc sententiam qualicunque modo magistratum in eiusmodi controuersia ferre; sed etiam propositis maximis muneribus, quibus velit eos afficere,

ficere, qui talem virum pro nobili habuerint, & vt nobilem honorauerint. Nónne ij qui ne tunc quidem vellent talem reputare nobilem, & vt nobilem honorare, maximam ei præberent occasionem iustæ offensionis? Similiter ergo in nostro proposito cuiusdam certè offensionis, quantum in ipsis est quidem, beatissimæ Virgini præbent ij, qui in controuersia de Virginis immunitate ab originali peccato, & tanquā de præclara ista & singulari prærogatiua ipsius nobilitatis, post sententiam quoque à supremo Ecclesiæ magistratu, hoc est, ab Apostolica sede latam, qua fit omnibus potestas libera reputandi Virginem fuisse vsque adeo nobilem per singularem eam gratiæ prærogatiuam, & vt talem honorandæ ad id etiam propositis pretiosissimis spiritualium indulgentiarum muneribus; nolunt tamen id facere, sed persistunt nihilominus in sua opinione, qua Virginem dedecore originalis peccati aliquando ignobilem, & tributariam diaboli fuisse statuunt. Hæc certè consideratio, si ego essem in hac istorum opinione, nonnullum mihi iniiceret pudorem & timorem erga Virginem. Nam si Virgo fuit reuera (vt mihi persuadeo, & hactenus probaui) immunis à peccato originali; non potest esse dubium, quin & ex parte sua, & ex parte nostra, maximè cupiat, & quasi requirat à nobis, vt ita de illa propter honorem suum & filij existimemus. Sin autem (quòd minimè puto) in peccato fortè originali concepta fuit; tamen quia adeò integrum per Ecclesiæ iudicium nobis est, ob tam multa & magna argumenta probabiliter existimare contrarium, eumque honorem, quantum in nobis quidem situm est, ei tribuere; dubitari etiam non potest, quin Virgini ita placeat hoc nostrum tam probabile studium, vt si secus faceremus, videamur ei præbituri, quantum in nobis est quidem, ac ex parte saltem nostra, occasionē cuiusdam offensionis, sicut declarat exemplum illud, quod induximus.

Sed vt magis confirmetur sententia hæc nostra de immaculata conceptione Virginis,

Respondendvm est modò ad argumēta contrariæ opinionis; quibus ferè iisdem, & sectarij probare contendunt nostram hanc assertionem esse fidei contrariam, & auctores alij supra citati, esse minus veram & probabilem, quā suam opinionem.

Primo loco obiiciunt Scriptvrae testimonia triplicis generis. Primvm genus est eorum locorum, in quibus indicatur, Christum solum fuisse peccati omnis expertem: vt colligi potest ex illo, Lucæ 1. *Quod enim nascetur ex te sanctum, &c.* Et ex illo etiam modo loquendi Apostoli ad Hebræos 7. *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Et ex illo prima Petri 1. *Quasi agni immaculati* Christi *& incontaminati, &c.*

Respondeo. Etiam si demus, indicari iis locis, quòd solus Christus fuerit immunis ab omni peccato (id quod minimè satis apertè indicatur) tamen nihil aliud in eiusmodi locis per hoc significaretur, quàm quòd Christus solus præcellēti quodam & singulari modo fuerit immunis ab omni peccato, nempè ex vi suæ conceptionis de Spiritu sancto, vt supra diximus: Sicut Lucæ 8. *Solus Deus*, dicitur *bonus*, non quia nullus alius sit vllo modo bonus, sed quia ipse solus est *ex se bonus.* Et Apocal. 15. dicitur: *Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es.* Scilicet ex te, &c. Cùm tamen alij etiam suo modo sint pij. Vt alia huius generis nunc præteream.

Secvndvm genus est eorum locorum, in quibus Scriptura generatim affirmat, omnes concipi obstrictos peccato originali. Vt ad Romanos 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Et ad Ephes. 2. de omnibus generatim dicitur: *Eramus naturâ filij iræ sicut & cæteri.* Vnde etiam Apostolus ad Galat. 3. *Conclusit*, inquit, *Scriptura omnia sub peccato, &c.*

Respondeo, huiusmodi Scripturæ sententias generales intelligi debere secundùm legem quidem Dei *ordinariam*, vt sensus sit, omnes contrahere peccatum originale, quantum est ex natura & modo conceptionis per ordinarium generationis modum, atque adeo omnes contrahere *debitum* quidem incurrendi id peccatum, & etiam *reipsa illud* contrahere, nisi quis excipiatur diuinitùs per singulare gratiæ priuilegium, quod non temerè prætendatur, sed per bonas & probabiles rationes, vt asseritur priuilegium Virginis in nostro proposito. Esse autem hanc eiusmodi locorum interpretationē bonam, imò necessariò admittendam, duobus modis probari potest.

Primò. Nam auctores etiam contrariæ opinionis coguntur hanc interpretationem admittere, cùm fatentur, sententiam nostram, de exemptione Virginis à peccato originali, non esse contra fidei sententiam contentam in eiusmodi Scripturæ locis: vt fatentur nominatim Durandus, Caietanus, Canus, Bartholomæus Medina in locis supra citatis.

Secundò, quoniam alias generales sententias Scripturæ, planè similes, necesse est eodem modo interpretari; scilicet saluo peculiari priuilegio, quod probabili ratione constet. Vt illæ inprimis generales sententiæ, quæ pari modo significant, omnes omnino Adæ posteros peccare aliquando *actualiter*, cùm tamen contrarium constet & ab omnibus Orthodoxis concedatur, de B. Virgine, vt patebit puncto se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quenti: Eius autem generis sententiæ sunt istæ: ad Romanos 3. *Causati*, inquit, *sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est, Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinauerunt, &c.* Et infrà: *Non est distinctio. Omnes enim peccarunt & egent gloria Dei.* Et 1.Ioan.1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Item sententiæ quæ similiter generatim significant, omnes etiam *nasci* in peccato; cùm tamen contrarium de B. Virgine, ac de Ieremia, & Ioanne Baptista, asseratur. De quibus sententiis diximus puncto præcedenti.

TERTIVM genus est eorum locorum, quibus significatur, Christum pro omnibus omnino mortuum fuisse, & omnes redemisse, atque adeò omnes per peccatum mortuos fuisse. Vt 2.ad Corinth.5. *Si vnus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Et 1.ad Timoth.2. *Dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, &c.*

RESPONDEO, secundùm Scripturæ phrasin, (vt sanctus ANSELMVS obseruauit libro de conceptu Virginali & originali peccato, capite 7.) *mortuos* solere dici non eos solùm, qui actu mortem obeunt, sed etiam qui morti obnoxij sunt, & qui proinde tenentur quodam debito mortis. Vt Genes.2. quod dixit Dominus ad Adam, *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*: non solùm intelligitur de morte spirituali animæ, quam statim actu incurrit, quum comedit; sed etiam de morte corporis, cui statim fieri cœpit obnoxius. Et ad Roman. 5. de omnibus hominibus, etiam qui adhuc viuant, intelligitur illud: *In omnes homines mors pertransiit*: quia scilicet per peccatum omnes incurrerunt *debitum* mortis. Et ad Romanos 8. *Si autem*, inquit, *Christus in vobis est; corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem.* Vbi corpus quidem iustificatorum dicit *mortuum* esse, non quia actu mortuum sit, sed quoniam morti est obnoxium. Hoc autem modo omnino fatemur B. Virginem mortuam fuisse per peccatum, id est, ex modo conceptionis suæ fuisse *obnoxiam* morti peccati, & incurrisse illius *debitum*, vt supra notauimus.

Atque hinc etiam facilè respondetur ad id, quod simul obiiciebatur de redemptione omnium facta per Christum. Nam vnus Redemptionis modus, & quidem præstantior est, cùm quis eripitur à malo, quod necdum quidem actu incurrit, sed deberet alioqui incurrere. Vt cum in Psalm. 143. petit Dauid: *Emitte manum tuam de alto. Eripe me* (Hebraicè, redime me) *& libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.* Vbi non petiit, vt postquam incideret in hæc mala, ex illis eriperetur, sed vt ne in illa incideret. Quo etiam sensu ibidem subiungit: *Qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno*: in quem tamen non inciderat. Et Psalmo 85. *Eruisti* (inquit) *animam meam de inferno inferiori*: ad quem similiter non descenderat. Què modum loquendi Augustinus in Commentario eius loci illustrat aliquot exèplis petitis ex quotidiano & vsitato etiam modo loquendi. *Vt si quis*, inquit, *habens causam molestam, mittendus erat in carcerem: venit alius defendit eum; gratias agens quid dicit? Eruisti animam meam de carcere, &c.*

Per hunc igitur modum verè fuit etiam beatissima Virgo per Christum redempta: quia scilicet propter Christi merita futura, in quæ Deus intuebatur, præseruata diuinitùs fuit ab originali peccato, in quod alioqui ex modo conceptionis suæ debebat incidere. Vnde communiter etiam auctores contrariæ opinionis, vt Durandus, Caietanus, Medina, & alij supra citati, agnoscunt & fatentur, sufficienter explicari per hunc modum, quomodo, etsi B. Virgo fuerit à peccato originali præseruata, tamen indiguerit redemptione, & fuerit adeò per Christum redempta. Quare argumentum hoc petitum ex necessitate redemptionis, quo solo alioqui nititur in hac quæstione D. Thomas art. 2. planè infirmum est, ipsorum etiam sectatorum D. Thomæ iudicio.

SECVNDO loco obiiciunt duo testimonia summorum PONTIFICVM. Alterum est ZOSIMI apud D. Augustinum epistola 157. ad Euodium ita dicentis: *Nullus, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest nisi qui verè per peccatum fuerit ante captiuus.* Quod testimonium valde vrget Caietanus vbi supra. Alterum est sancti Leonis Sermone primo de CHRISTI Natiuitate: *Sicut nullum*, inquit, *a reatu liberum reperit: ita pro liberandis omnibus venit.*

RESPONDEO ad ZOSIMVM, seruum & captiuum ab eo nominari non eum modò, qui actu seruus & captiuus est, sed qui vel est talis, vel alioqui *debet* esse, nisi à captiuitate & seruitute liberetur. Quo pacto etiam beata Virgo fuit serua & captiua, vt iam exposuimus, secundùm Scripturæ phrasin & declarationem Augustini in responsione ad tertium genus locorum Scripturæ. Item diuus LEO *reatum* appellat vel ipsum peccatum actu iam contractum, vel *debitum* illud contrahendi, quod debitum fuit etiam in Virgine, vt sæpe diximus.

TERTIO loco obiiciunt varia testimonia PATRVM. Sed possunt commodè explicari per aliquam sententiam siue obseruationem ex quatuor, quas iam proponemus.

Primò

Primò enim, quorundam eiusmodi testimoniorum sensus idem est, qui eorum locorum Scripturæ, in quibus indicatur, omnes Adæ posteros, atque adeò etiam B. Virginem, incurrere peccatum originale: nimirum iuxta legem *ordinariam*, & quantum est ex modo suæ conceptionis, nisi priuilegium obstaret.

Ita debet intelligi illud AVGVSTINI in Psalmum 34. *Maria ex Adam mortua est propter peccatum.* Et illud eiusdem in libro de perfectione iustitiæ, vbi ait: *Quisquis putat excepto vno mediatore fuisse aliquem vel aliquos, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est diuinæ Scripturæ, vbi Apostolus ait: Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit.* Fuit namque B. Virgini quoque necessaria redemptio & remissio peccatorum secundùm præseruationem. quia iuxta legem ordinariam, & ex modo conceptionis suæ, *debuit* peccatum incurrere, & obnoxia peccatis fuit.

Et similiter intelligi debet illud S. FVLGENTII in libro de fide ad Petrum cap.26. *Firmissimè tene & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & fœminæ concipitur, cum peccato originali nasci.* Et illud AMBROSII libro 2. in Lucam. *Solus enim per omnia ex natis de fœmina sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non sensit.*

Et illud Eusebij EMYSSENI Homilia 2. de Natali Domini: *A peccati originalis nexu nemo per se liber extitit, nec ipsa Genitrix Redemptoris.* In quo tamen testimonio citando Caietanus vbi suprà cap. 4. omisit particulam illam *Per se.* Quamuis etiam sine illa esset idem sensus, nempe neminem, ne ipsam quidem Virginem ex modo suæ Conceptionis fuisse immunem à *debito* incurrendi peccatum originale.

Secundò, quamuis B. Virgo nunquam actu habuerit peccatum originale, tamen iuxta considerationes alias verè dici potest, carnem eius fuisse *carnem peccati*, nimirum quoniam & illo eodem modo, quo ad alios traducitur per generationem peccatum, concepta fuit, atque adeò obnoxia fuit contrahendo peccato, in sua naturali forma nempe anima rationali: Et quia etiam fuit subiecta variis incommodis, quæ importauit peccatum, vt morti, & aliis eiusmodi pœnæ malis.

Ac iuxta hunc sensum accipi debet illud, quòd Caietanus vbi suprà citat ex Augustino libro 2. de peccat. merit. & remiss. seu de Baptis. parul. scilicet: *Solus ille homo factus manens Deus peccatum nullum vnquam habuit, nec sumpsit carnem peccati quamuis de materna carne peccati.* Et aliud planè simile quod citat ex eodem lib.10. AVGVSTINI libro 5. contra Iulianum, capite 9. *Si sine dubio*, inquit, *caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati; quid restat vt intelligamus, nisi ea excepta omnem reliquam humanam carnem esse peccati?*

Et illud etiam S. AMBROSII super Psalmum 118. quod citat Caietanus, *Venit Dominus Iesus, & in carne, quæ peccato in matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit.* Quanquam Ambrosius quidem non dixit, Et in carne *quæ peccato in matre* fuerat obnoxia, sed absolutè, Et in carne *peccato obnoxia* militiam virtutis exercuit. Vt etiam Catharinus in tractatu de immaculata Conceptione Virginis notauit, rectè addens, potuisse ab Ambrosio carnem ipsam Christi dici *obnoxiam peccato*, quatenus Christus suscepit soluendum omnis peccati debitum per passionem suæ carnis. Quo sensu etiam Apostolus de Christo dixit: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso*, 2.ad Corinth.5. Sed dato etiam quod Caietanus in aliquo Ambrosij exemplari legerit illo alio modo; exponi id debet vt diximus.

Tertiò, Adæ posteri secundùm legem ordinariam non tunc solùm censeri possunt, concipi in peccato originali, cùm primum informantur & animantur in vtero per animam rationalem, atque adeò concipiuntur *vt homines*, sed etiam tunc cùm primum concipit matris vterus seminalem illam substantiam, ex qua postea formantur. Nam etsi in eiusmodi substantia peccatum originale nondum sit *actu*, tamen quodammodo censeri potest esse in illa, videlicet *in potentia* & veluti *instrumentaliter*: quatenus scilicet per illam substantiam ordinario modo conceptam traducitur ipsum peccatum originale ad hominem, qui ex illa formatur, vt docuimus Tomo 2. quæst. 12. de peccatis. Iam verò etsi B. Virgo minimè fuerit in peccato originali concepta priori illo modo, scilicet pro ipso momento animationis ipsius: tamen dici potest, fuisse alio posteriori modo in originali peccato conceptam, quoad primam illam corpulentam eius substantiam, vtpote quæ fuit obnoxia peccato, nisi ab illo fuisset diuinitùs præseruata Virgo, vt supra sæpè diximus.

Atque isto modo debent intelligi S. BERNARDVS in epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses, & S. ANSELMVS lib.2. Cur Deus homo, ca.16. & alij quidam à Caietano citati, cùm aiunt, B. Virginè fuisse cõceptam in originali peccato. Quod quidem de S. Bernardo multis rationibus ostendit Catharinus vbi supra, & patet manifestè ex eo, quod inde probat, Conceptionẽ B. Virginis non fuisse sanctam, sed in peccato, quia Virgo nõ fuerit de Spiritu sancto concepta, & quia *inter amplexus*, vt inquit, *maritales non se immiscuisset sanctitas.* Itaque loquitur de prima illa conceptione in matris vtero, quæ fit ante formationem & animationem prolis, cum parentes conueniunt.

Vnde

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnde quod ibidem ait Bernardus, beatam Virginem fuisse in vtero sanctificatam, sed post illam conceptionem; intelligi optimè potest in ipso momento animationis. A

Neque Canonicos illos Lugdunenses Bernardus reprehendit propterea, quòd festum Conceptionis Virginis celebrarent. Non enim id reprehendit, quasi conceptio Virginis in ipso momento animationis non fuerit sancta; sed quia festum illud tunc temporis celebrarent sine auctoritate Ecclesiæ Romanæ, cuius iudicio se ibi submittit. Ex quo licet sanè coniicere, quid postea fuisset S. Bernardus facturus & sensurus, cùm per auctoritatem Ecclesiæ Romanę fuit approbatum festum istud immaculatę Conceptionis, non quasi *ex se* sanctæ, & quoad primam conceptionem corpulentæ substantiæ in vtero (vt videbantur Bernardo Canonici illi id celebrare) sed vt sanctæ *ex gratia priuilegio* in ipso quidem *animationis* puncto, vt est dictum. B

Quod autem Anselmus similiter etiam fuerit locutus, clarè potest intelligi ex eodem in libro de Conceptu Virginali & peccato Originali, cap. 7. Vbi ipsemet declarat conceptionem in peccato solere se appellare eam quæ fit initio, cùm conueniunt parentes: *De immundo*, inquit, *semine, in iniquitatibus, & in peccatis concipi potest homo intelligi, non quòd in semine sit immunditia peccati, aut peccatum siue iniquitas, sed quia ab ipso semine, & ab ipsa Conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatẽ, vt cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quæ non est aliud, quam peccatum & iniquitas.* C

Quartò, sicut mundum ac sanctum nominari potest & solet non modò id, quod cum antea fuerit immundum, & pollutum, postea est mundum & sanctum, sed etiam id quod absolutè est mundum & sanctum, etiamsi prius immundum non fuerit; ita quoque verè dici potest *mundari* & *sanctificari*, seu mundum & sanctum fieri id quod absolutè fit mundum & sanctum, etiamsi antea immundum non fuerit.

Atque isto posteriori modo (scilicet absolutè) rectè accipi possunt in fauorẽ etiam nostræ sententiæ testimonia quorundam Patrum à Caietano & aliis obiecta, in quibus dicitur, B Virginem fuisse in vtero matris *sanctificatam* & *mundatam ab omni peccato*. Vt quod ait S. Remigivs super Psalm. 21. *B. Virgo Maria fuit ab omni macula peccati mundata.* D

Et quod ait S. Maximvs in sermone de Assumptione B. Virginis: *Virgo gloriosa fuit in vtero matris sanctificata ab omni contagione originalis culpæ, antequam nasceretur, & per Spiritum sanctum mundata.*

Et quod ait Beda in Homilia super Missus est, vt Caietan. citat ex glossa ordinaria. *Spiritus sanctus superueniens in Virginem, mentem eius ab omni vitiorum sorde castificauit.* Et similia quæ adfert Caietanus.

Quòd autem præterea Caietanus inter sanctos Doctores pro contraria sua opinione citat quoq; S. Thomam, & S. Bonauenturam, & quosdam alios posteriores, non magnopere mouere nos debet. Cùm habeamus pro nostra sententia antiquiorum etiam sanctorum Patrum multa & luculenta testimonia. Vt neque etiam mouere debet quod ex Chrysostomo citat, Christũ sumpsisse carnem de matre peccatrice. Nam Chrysostomi quidem auctoritas in huiusmodi quæstionibus de immunitate Virginis à peccatis, postponi debet auctoritati communi aliorum Patrum: siquidem D. Thomas hîc art. 4. ad tertium diserte pronunciat *excessisse* in hoc genere Chrysostomum, cùm etiam alicubi visus sit tribuere Virgini actuale peccatum, vt videbimus puncto sequenti. Quanquam intelligi posset illud dictum Chrysostomi secundùm legem quidem ordinariam, & quantum fuit ex ipso modo naturali conceptionis Virginis. Et certè Augustinus & alij Patres cum omnes homines, ordinario modo generatos, peccatores pronunciãt, non aliter id intelligunt, nisi quod omnes tales sunt peccatores secluso quidem peculiari gratiæ priuilegio, quod probabili ratione cõstet, vt diximus in Obseruatione prima circa huiusmodi testimonia Patrum. Nam id Augustinus maximè solet asserere contra Pelagianorum errorem, qui nimirum contendebant, homines ex modo etiam ipso ordinario generationis suæ nulli esse obnoxios peccato. Vnde S. Augustinus in libro de natura & Gratia cap. 42. & cap. 44. & alibi, apertè declarat, se non magnopere voluisse contra Pelagianos contendere, quòd de facto nullus hominũ fuerit sine peccato; sed illud imprimis aduersus eos disputare, omnes homines, qui ordinaria via ex Adamo descendunt, generari & nasci obnoxios peccatis, neque ab illis nisi per Christi Redemptoris gratiã liberari: quod ipsum in B. etiam Virgine verissimè habere locum, iam antea ostendimus. C

Qvinto loco obiiciunt auctores contrariæ opinionis quasdam etiã Rationes. *Primò*, quòd iuxta nostram sententiam cogamur admittere quandam sensus varietatem & quasi æquiuocationem in expositione locorũ illorum Scripturæ, quibus dicitur, omnes per peccatum mortuos esse; aut omnes per Christum redemptos. Dicimus enim, sententias istas *de facto & reipsa* intelligi quoad eos quidem, qui non sunt excepti per priuilegium; quoad Virginem autem intelligi secundùm quoddam *debitum* & necessitatem contrahendi peccatum, &c.

Respondeo nullum absurdum id esse: cùm in aliis etiam Scripturæ locis plura simul significari soleant, imò etiam in similibus sententiis vniuersalibus quidã comprehendantur vno sensu, & alij alio. Vt cum similiter Scriptura generatim pronunciat omnes peccare actualiter, scitet,

tet, quoad alios quidem *de facto*, & quoad B. Virginem non nisi iuxta quoddam *debitum*, nisi gratiæ priuilegio esset præuenta. Atque hoc ipsum confirmat etiam Catharinus, vbi suprà, aliis bonis exemplis. Nam Danielis 3. generatim dicitur: *Benedicite omnia opera domini domino.* Neque tamẽ hoc ita intelligitur, quasi omnia Dei opera, id est, creaturæ omnes, debeant vno & eodem modo Deum benedicere & laudare, sed aliæ aliter. Item in familiari sermone solet medicus de eo, qui ægrotauit, dicere, Omnia inueni in illo sana, id est, pulsum, colorem, &c. neque tamen omnia sunt & dicuntur sana eodem modo & sensu. Adde quod interpretationem illam nostram ipsimet authores contrariæ opinionis coguntur admittere, cùm fatentur nostram assertionem non esse contra sententiam fidei contẽtam in illis Scripturæ generalibus testimoniis. A

Secvndo obiiciunt, quòd si B. Virgo non contraxit re ipsa peccatum originale; non apparet quandonam contraxerit *debitum*, vt dicimus incurrẽdi peccatum originale. Nam antequam animam rationalem acciperet, non fuit ipsa Virgo, & asserimus iam inde, ex quo animam accepit, fuisse immunem à peccato.

Respondeo, posse nihilominus B. Virginem verè dici contraxisse debitum incurrendi peccatum originale. Primò, quatenùs ipsa quidem, vt & alij Adæ posteri, fuit non quidem actu, sed potentia in lumbis Adæ, & ibi obnoxia contrahendo peccato; per eum modum quo Apostolus ad Hebr. 7. dixit, *Leui fuisse decimatum in lumbis Abrahæ.* Deinde, tunc etiam quando fuit primo in vtero concepta, quoad primam ipsius substantiam seminalem, vt declarauimus in tertia Obseruatione circa testimonia Patrum. Postremò: etiam tunc cùm in ipso suæ animationis momento, & post, fuit per gratiæ priuilegium immunis à peccato, tamẽ per naturam quidem suam, vt ab Adamo via generationis ordinaria propagatam, habuit debitum incurrendi peccatum, quemadmodum si tunc peccatum reipsa contraxisset, habuisset nõ modò peccatum *actu*, sed etiam debitum illud habendi per naturam suam ita conceptam. B

Tertio obiiciunt, quòd etsi Virginem faciamus immunem ab originali peccato in momento suæ Conceptionis; tamen non videmur posse effugere quin concedamus, ipsam in Adamo quidem peccauisse vnà cum aliis Adami posteris, prout in lumbis eius non minus, quàm alij continebatur tunc cùm Adam peccaret. Videtur autem non esse minus, peccasse Virginem in Adamo, quàm illã postea per alienam quoq; voluntatem eiusdem Adami contraxisse reipsa peccatum suum originale. C

Respondeo imprimis, eos qui dicunt beatam Virginem eatenus fuisse præseruatam ab originali peccato, quoniam ab initio fuit diuinitus excepta à lege imposita Adamo, & eius posteris, contra quã Adam & alij posteri in eo peccarunt, consequenter facilè declarant, quomodo gustauerit quidem in Adamo B. Virgo cum aliis Adæ posteris vetitum pomum, sed tamen non item ipsa per hoc peccauerit in Adamo: siquidem ea non tenebatur illa lege. Atq; ita nominatim sentit Ambrosius Catharinus in suprà dicto tractatu de immaculata Cõceptione Virginis ad Concil. Trid. non longè ab initio. Neque nos etiam tomo 2. quæst. 12. de peccatis modum hunc explicandi hanc rem prorsus improbauimus, tametsi alium quendam, de quo statim dicam, meliorem & probabiliorem esse dixerimus.

Nunc autem eam Catharini explicationem propterea minus probabilem esse existimo, quia vix potest secundùm illam declarari, quemadmodum B. Virgo re ipsa incurrerit saltem *debitum* contrahẽdi tempore suæ animationis peccatum originale. Nam si nudè consideremus naturam Virginis, etiam vt ab Adamo via ordinaria propagatam, & non simul cogitemus illam vt iam comprehensam in illa lege à Deo lata, & imposita Adamo eiusq; posteris: nondum satis apparet in Virgine illud debitum contrahendi peccatum originale. Nam Deus non ex debito, sed liberè tulit, & imposuit legem illam Adæ & eius posteris; ac proinde Adæ posteri nõ debent contrahere peccatum vllum contrariũ illi legi, nisi præsupposita iam illa lege, qua ipsi quoq; fuerint comprehensi, prout erant in lumbis Adæ. C

Quocirca præferendus est omnino alius modus explicandi præseruationem illam Virginis à peccato originali: nempe vt dicamus, quamuis ipsa etiam fuerit comprehensa in illa lege præscripta Adamo, tamẽ fuisse eam in ipso momento suæ animationis ornatam diuina gratia, atque adeo expertem illius maculæ & priuationis gratiæ diuinæ, in qua priuatione cõsistit peccatum, vt initio explicauimus, & tradidimus etiam tomo 2. vbi suprà. Hac autem explicatione posita, plerique ex his qui immaculatam Virginis conceptionem nobiscum defendunt, non reputant in vllum dedecus Virginis cedere, aut vllum absurdum esse, si concedamus, B. Virginem cùm nondum actu ipsa esset, sed tantum in potentia, & in lumbis Adę, peccauisse in Adamo per illum eundem actum, quo peccauit Adam gustando pomum vetitum. Neque enim hoc idem est, atque ipsam incurrisse peccatum originale. Nam peccatum originale, quod Adæ posteri contrahunt singuli propriũ, & de quo procedit ista nostra quæstio, longè aliud & diuersum est ab illo actu, quo peccauit Adam & posteri in eo nondum tunc existentes. Istud enim originale peccatum posterorũ, non contrahitur ab illis, nisi cum postea in ipso momento animationis incipiunt esse actu homines, quatenùs sunt scilicet ex vi generationis suæ priuati iusti- D

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia & gratia diuina, &c. Et ab hoc peccato originali dicimus, fuisse B. Virginem præseruatā modo explicato, non obstante quòd ipsa etiam fuerit comprehensa in lege illa imposita Adæ, ac proinde in Adamo peccauerit.

Sed quamuis de hoc non potest esse controuersia nisi de nomine & modo loquendi; tamen videtur mihi non esse necesse secundùm illam etiam posteriorem explicationē ita loqui, vt scilicet dicamus, B. Virginem in Adamo peccauisse. Nam verbum hoc, *peccandi*, cum dicitur de posteris Adæ, vt in Adam sumpserunt cibum vetitum, ex recepta quidem & vsitata consuetudine loquendi, non solùm videtur significare actum illum, quo in Adamo posteri eius gustarūt contra legem illum cibum, sed simul etiam connotare futurum peccatum originale propriè dictū ab ipsis posteris, cùm iam actu esse incipiunt, reipsa contrahendum. Itaq; cùm hoc originale peccatum B. Virgo non fuerit reipsa contractura, potest vitari ille loquendi modus, quo dicatur B. etiam Virgo in Adamo peccasse.

Atque hoc ipsum possumus confirmare testimonio D. Anselmi, qui in libro de Conceptu Virg. & peccat. Orig. cap. 7. indicat non nisi eum esse vsum verbi, peccandi, vt Adę posteris tribuitur, dum ita scribit: *In Adam oēs peccauimus, quando ille peccauit; non quia tunc peccauimus ipsi, qui nondum eramus, sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est illa necessitas, vt cū essemus, peccaremus*, id est, peccatum contraheremus.

Quarto obiiciunt, quòd B. Virginem ab omni peccato etiam originali immunem facere, videtur esse contra honorem & prærogatiuam filij: siquidem iam non ipse solus fuerit expers omnis peccati.

Sed ad hoc iam abunde respondimus in explicatione primi generis locorum Scripturæ. Nam nihilominus præcellenti quodam modo solus Christus fuit immunis ab omni peccato, scilicet ex vi suæ Cōceptionis de Spiritu sancto.

Quinto obiiciunt, quod B. Virgo subiuit pœnas humano generi decretas propter peccatum originale; vt mortem, &c. Ergo etiam contraxit ipsum originale peccatum.

Respondeo, nullam esse argumenti consequentiam. Nam cùm B. Virgo fuerit Adæ filia, atque adeo quiddam pertinens ad ipsum Adamum; potuit in ipsa quoque Virgine peccatum Adę puniri per eiusmodi incommoda, licet ipsa Virgo peccatum non contraxerit, atque adeo in illa quidem eiusmodi mala & incommoda non habuerint propriè rationem pœnarū, sed quarundam (vt vocant) pœnalitatum. Nam & hoc modo tomo 2. q. 17. de peccatis, generatim docuimus posse & solere in filiis puniri ea parentum peccata, quorū filij non fuerint participes.

Sexto posset obiici, quòd videtur decuisse potius, vt ex matre quæ aliquādo fuisset in pecto, nasceretur Christus; quādoquidem propter peccatores venerat: iuxta illud S. Hieronymi in caput primum Matthæi: *Notandum*, inquit, *in genealogia Sāluatoris nullam sanctarum assumi mulierū, sed eas quas Scriptura reprehendit, vt qui propter peccatores venerat, de peccatricibus nascens omnium peccata deleret.*

Respondeo, eo quidem nomine, quòd scilicet Christus peccata deleturus aduenerat, potius decuisse omnino, vt gigneretur ex matre experte omnis peccati, sicut suprà in ratione quadam pro nostra sententia sumus argumentati. Hieronymus autem loco citato minimè significat, decuisse vt ipsa etiam Christi genitrix esset peccatrix, cùm contrarium alibi manifestè sentiat, vt suprà vidimus; sed explicat nobis & commendat illis verbis dignationem & benignitatem Christi erga peccatores, quòd quemadmodum illorum causâ venire dedignatus nō est, ita etiam non est dedignatus descendere per genealogiæ suæ seriem à quibusdam peccatoribus & peccatricibus; vt erat scilicet necesse, posito quòd Adam peccauit; neque alij Adæ posteri excepta Christi genitrice debuerunt à peccato præseruari, & ipse ad delenda omnium peccata voluit fieri homo ex stirpe Adam, sicut etiā conueniens fuit, vt ostendimus Disp. præced. q. 1. p. 3.

Atque hactenus responsum sit ad præcipuas rationes & argumēta contrariæ opinionis. Nam quod D. Thom. hîc vrget de redemptione; quasi non potuerit B. Virgo redimi, si non contraxit peccatū originale, iam antea est à nobis abunde confutatū in responsione ad tertium genus locorum Scripturæ. Itaque hîc sit finis huius controuersiæ ad honorem & laudem immaculatæ Virginis.

PVNCTVM TERTIVM.

An beata Virgo sic etiam fuerit per gratiam sanctificata, vt nullum vnquā ne veniale quidem commiserit peccatum actuale.

D. Thom. art. 4.

Sectarii huius tēporis solita impudentia & impietate sentiūt, beatam Virginem instar aliorum hominum quandoq; peccasse actualiter. Ita nominatim Caluinus in Harmonia circa caput primū Lucæ, & in Antidoto Concilij Tridentini. Et Kemnitius in examine eiusdem Concilij sess. 5. Et Brentius in 12. caput Matthæi, & in Euangelium Dominicæ 1. post Epiphaniam. Et Centuriatores Magdeburgici in sua historia, centuria prima, cum agunt de vita Mariæ. Et cum alioqui sentiant isti nullum esse peccatum ex se veniale, sed omnia esse mortalia, vt vidimus tomo secundo, quæst. 18. de peccatis; consequēs est, vt sentiant non quomodocunque

docunque B. Virginem subinde peccasse, sed omnino mortaliter.

Verūm certa est Ecclesiæ Catholicæ sententia contraria: quam tùm alij Theologi communiter in 3. distinct. 3. asserunt, tum etiam hîc diuus Thomas artic. 4. videlicet B. Virginem singulari diuinæ gratiæ priuilegio fuisse perpetuò immunem ab omni peccato actuali etiam veniali. Probatur autem Primo hæc sententia iisdem illis Scripturæ testimoniis, quibus puncto præcedēti ostēdimus, B. Virginem fuisse prorsus puram & immunem ab omni macula peccati: quia scilicet in omni genere præstantis alicuius gratiæ, qualis est liberatio à peccatis, inter omnes alios homines singulariter excelluerit: vtpote inter *omnes benedicta, & gratia plena, & tota pulchra, &c.*

Secvndo probatur ex communi sensu & sententia Ecclesiæ Catholicæ atque adeò fideliū omnium, saltem iam inde à multis seculis. Quē sensum Ecclesiæ communem declarauit sancta & œcumenica Synodus Tridentina sess. 6. can. 23. illis verbis: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit, amplius peccare non posse, &c. aut contra posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Tertio probatur authoritate sanctorum Patrum: quorum luculentis testimoniis puncto præcedenti probauimus, B. Virginem fuisse omnis peccati expertem: Præsertim autem inuicto illo & clarissimo testimonio S. Avgvstini in libro de Natura & gratia, capite trigesimo sexto. Vbi tanquā de re indubitata concedit imprimis, quod aduersarius (nempe Pelagius) dixerat: *Necesse esse pietati ipsam Domini ac Saluatoris nostri matrem sine peccato confiteri.* Et subiungit ibi Augustinus: *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem, &c. Si omnes sanctos ac sanctas, cum hîc viuerēt, cōgregare possemus, & interrogare vtrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Vtrum hoc, quod iste dicit, scilicet illos etiam fuisse sine peccato? An quod Ioannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quo loco manifestum est, Augustinum B. Virginem excipere ab illa ipsa lege ordinaria, iuxta quam solent interdum alij homines, quantumuis sancti, dum hanc vitam degunt, labi in peccatum.

Item id peculiariter apparet ex illis verbis Cypriani in sermone de Natiuitate Christi, de Maria Virgine. *Cæteris*, inquit, *plurimum differebat, quibus naturā communicabat, nō culpā.* Et infrā: *Lex carnis legem mentis non infestabat, rebellio nulla quietem spiritus affligebat.*

Item ex eo, quod ait sanctus Gregorius Nyssenvs homilia decima tertia in Cantica: *Cubile Virginis fuisse vitiorum expertem conditionem.* Et ex aliis similibus testimoniis, quæ puncto præcedenti recitauimus.

Vnde etiam S. Bernardvs ep. 174. *Copiosior*, inquit, *sanctificationis benedictio in eam descendit, quæ ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum reginam Virginum singularis priuilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret peremporem, munus vitæ & iustitiæ omnibus obtineret.* Et sermone secundo de Assumpt. B. Mariæ: *Absit*, inquit, *vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.*

Et sanctus Anselmvs in libro de Excellentia beatæ Virginis, capite tertio: *Nulli dubium*, inquit, *castissimum corpus & sanctissimam animam eius funditus ab omni fuisse macula peccati iugi angelorum custodia protectam, vtpote aulam quam suus & omniū creator Deus corporaliter inhabiturus, & ex qua hominē in suæ personæ vnitate ineffabili fuerat operatione susceperturus.*

Qvarto idem probatur variis rationibus à diuo Thoma hîc articulo quarto, quas iam antea puncto præcedenti, in probatione quintæ sententiæ nostræ de immaculata Conceptione Virginis proposuimus, ostendentes simul, per easdem rationes concludi, quòd fuerit B. Virgo immunis etiam à peccato originali. Atq; etiam aliæ rationes ductæ à nobis illic ex filij tum honere, tum obseruantia erga matrem, probant decuisse omnino illam non solum ab originali, sed etiam ab omni actuali peccato præseruari.

Neqve est difficile respondere ad ea, quæ pro contrario errore Sectariorum possunt obiici. Primvm est quod Scriptura variis in locis generatim affirmat, omnes esse peccatores: vt ad Roman. 3. primæ Ioan. 1. &c. Et omnibus item præscribitur à Christo illa precandi formula: *Dimitte nobis debita nostra.* Matth. 6.

Respondeo, intelligi hæc debere iuxta legem quidem *ordinariam* spectato naturali, & ordinario modo, quo posteri Adæ descendunt ex illo. Quod minimè impedit, quin beata Virgo potuerit ab eiusmodi lege excipi per singulare gratiæ priuilegium, ac proinde meritò à nobis excipienda sit ab eiusmodi sententiis ordinariis: sicut de aliis similibus sententiis ostēdimus & probauimus puncto præcedente.

Secvndvm est, quòd peculiariter ex quibusdam Scripturæ locis videtur posse colligi, quòd beata Virgo in quibusdam non satis rectè se gesserit, atque adeo peccauerit, sicut obiiciūt imprimis Sectarij. Vt per curiositatem, vel etiam infidelitatem quandam, cùm ex Angelo interrogauit Lucæ primo: *Quomodo fiet istud?* Item per incuriam, quando filium amisit Lucæ secundo. Item quando per quandam speciem desperatio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis, ob nimium dolorem, *dolenter* illum quærebat. Item quando veluti expostulans cum illo dixit: *Fili quid feciſti nobis ſic?* Lucæ ſecundo. Item per ignorantiam cùm reddente eo rationem, *ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos*, vt ibidem dicitur. Item per vanam gloriam in nuptiis, cum dixit ad filium: *Vinum non habent, &c.* Ioannis ſecundo. Item per importunitatem, Matthæi duodecimo. cùm Chriſto concionanti ad turbas, *ſtabat* ipſa & alij *foris quærentes loqui ei, &c.*

RESPONDEO, in his & ſimilibus nullũ prorſus apparere Virginis peccatum. Nam quod interrogauit, *Quomodo fiet iſtud*, nequaquam incredulitatis, ſed piæ cuiuſdam admirationis fuit, cùm eſſet alioqui Virgo certa placere Deo firmum ſuum propoſitum, imo etiam votum ſeruandæ perpetuæ Virginitatis. Item quod filium amiſit; non Virginis aliqua negligentia, vt quæ probabiliter exiſtimabat ipſum eſſe *in comitatu*, ſed ipſius filij prouidentia quædam & voluntas fuit, vt exercere inciperet ea, quæ pertinebant ad gloriam ſui patris. Item dolor matris in quærendo filio amiſſo, nulli certę deſperationi, ſed naturali cuidam & iuſto ac debito ſenſui materni affectus debet aſſcribi. Item non aliqua culpa, ſed naturalis imbecillitatis, omnis humanæ intelligentiæ cum diuina comparatæ, fuit, quòd Virgo non fuerit penitus aſſecuta arcanas rationes illius conſilij diuini, quo voluit eius filius ſubtrahere ſe matri, & remanere Hieroſolymis, vt in templo & in mediis doctoribus illa ætate diſſereret de diuinis rebus. Item non vana gloria, ſed benigna compaſsio fuit, & plena etiã fidei, quòd deficiente ſponſis vino in nuptiali conuiuio, illorum neceſsitatem filio patefecerit. Ac proinde nec verba illa filij reſpondentis: *Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* fuerunt verba reprehenſionis, ſed myſterij, quo voluit Chriſtus indicare nõ ſe fuiſſe purum hominem, qui ex arbitrio & poteſtate matris totus penderet, ſed etiam ſublimioris cuiuſdam conditionis, vtpote natura etiam Deum, & eatenus planè independentem à voluntate matris. Item quod legimus denique Matthæi duodecimo: *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres ſtabant foris quærentes loqui ei*, minimè ſignificat, matrem & propinquos eius voluiſſe importunè illum interpellare in concione: imò contrarium apparet ex eo, quod non irruperunt in ipſam concionem, ſed *ſtabant*, inquit, *foris*, nimirum quærentes & expectantes opportunũ tempus finita concione. De quibus omnibus rebus fusè etiam pro innocentia beatę Virginis Petrus Caniſius libro quarto de beata Virgine, per aliquot capita.

TERTIVM eſt, quod ſancti Patres ſimiliter atque Scriptura generatim affirmant, omnes homines eſſe peccatores, & neminem quantumuis iuſtum, ſine peccato viuere. Vt Ambroſius libro ſexto de Apologia Dauid capite ſexto. Et Auguſtinus libro primo contra duas epiſtolas Pelagiani, capite decimo quarto, & alij paſsim.

RESPONDEO, Patres ſimiliter atque ſcripturam intelligendos eſſe; nempè ſecundùm legem *ordinariam* citra ſingulare diuinæ gratiæ priuilegium, quod habuiſſe Virginem affirmat euidentiſsimè ipſe Auguſtinus loco ſuprà recitato, ſcilicet libro de natura & Gratia, capite trigeſimo ſexto.

QVARTVM eſt, quòd in illo ipſo loco de natura & gratia, capite trigeſimo ſexto Auguſtinus ait: Virgini *plus gratiæ collatum fuiſſe ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Hinc enim contendit maximè Kemnitius, vbi ſupra, Virginem non fuiſſe expertem peccati. Nam ſi expers peccati fuit, igitur non opus habuit gratia, qua *vinceret* peccatum.

RESPONDEO, ineptam prorſus & homine ſectario, id eſt, perfidia excæcato dignam eſſe hanc iſtius ratiocinationem. Nam quis vnquam ita delirauit, vt putaret, ad vincendum hoſtem neceſſe eſſe ſuccubuiſſe prius hoſti, atque adeo prius ab illo victum fuiſſe? Nonne longe præſtãtior victorię modus eſt hoſti imminenti, atq; inſtanti ſic obſtare vt prorſus arceatur? Hoc igitur præcellenti victoriæ modo B. Virgo per ſingulare gratiæ priuilegium peccatum omni ex parte (vt ait Auguſtinus) *vicit*: quia ſcilicet, cùm Virgini, ſpectata naturali & ordinaria via ſuæ conceptionis & natiuitatis, peccatum tum originale, tum actuale immineret; per ſingularem Dei gratiam factum eſt, vt nullo vnquam tali peccato Virgo obſtringeretur.

QVINTVM eſt, quod nominatim videntur quidam Patres vitio vertiſſe quædam in Virgine. Nam Chryſoſtomus Homilia quadrageſima quinta in Matthæum, circa illud: *Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant quærentes te*, ait: *Manifeſtum eſt, quod ſolum hoc ex vana gloria faciebat.* Et homilia vigeſima in Ioannem, ſuper illud: *Vinum non habent*, dicit, Voluiſſe beatam Virginem *ſe ipſam clariorem facere per filium.* Et addit, *fortaſsis quid humanum patiebatur, quemadmodum & fratres eius dicentes, Manifeſta te ipſum mundo.* Item Auguſtinus quæſtione ſexageſima tertia, ex nouo Teſtamẽto, dicit, beatam Virginem morte Domini *ſtupore quodam dubitauiſſe.*

RESPONDEO cum diuo Thoma hîc articulo quarto, Chryſoſtomum quidem in illis ſuis verbis *exceſsiſſe*, vt ait diuus Thomas. Etenim cõmuniter alij Patres beatam Virginem propter officium erga ſponſos illos potius laudant. Vt Cyrillus libro ſecundo in Ioannem, capite vigeſimo tertio, & Euſebius Emyſſenus in explicatione Euangelij de Nuptiis, Ioannis ſecundo. Et Maximus homilia prima in feſtum Epiphaniæ. Et antè hos Iuſtinus quæſtione centeſima trigeſima ſexta ad Gentes, &c. Eſt autem ante-

ponenda

ponenda ſententia communis aliorum patrum, ſententiæ vnius etiam veteris, vt docuit orthodoxus author Vincentius Lyrinenſis in libello aduerſus profanas hæreſum nouitates.

Ad Auguſtinum verò, vel quiſquis fuit ille author, rectè reſpondet hîc etiam diuus Thomas, intelligi debere de dubitatione, non infidelitatis ſed admirationis & diſcuſsionis. Nam vt refert ibi ex Baſilio diuus Thomas, beata Virgo *aſsiſtens cruci, & aſpiciens ſingula, poſt teſtimoniũ Gabrielis, poſt ineffabilem diuinæ conceptionis notitiam, poſt ingentem miraculorum oſtenſionem, animo fluctuabat: ex vna ſcilicet parte videns eum pati abiecta, & ex alia parte conſiderans eius mirifica.*

Poſtremò poſſet ex ratione obiici, quòd non videtur negandum, quin beata Virgo ſubinde habuerit ſubitos aliquos motus ſenſualitatis anteuertẽtes deliberationem rationis, vt etiam concedit diuus Thomas hîc articulo quarto ad primum. Igitur veriſimile eſt, per talem aliquem motum, qui ſcilicet anteuerteret quidem *plenam* deliberationem rationis ſed non *omnem*, atque adeo eſſet aliquo modo liber, peccauiſſe ſaltem venialiter.

RESPONDEO, negandam eſſe conſequentiam, quicquid ſit de antecedente. Nam ſupradictum gratiæ priuilegium, quo beata Virgo ab omni prorſus peccato immunis fuit, obſtitit quo minus haberet vnquã talem aliquem motum ſenſualitatis, vel plenè vel etiam ſemiplenè deliberatum, qui haberet pro obiecto bonum aliquod ſenſibile contrarium bono rectæ rationis: imò neque habuit vnquam circa tale aliquod obiectum ſenſibile contrarium rationi vllum ſenſualitatis motum, etiam *primò primum*, id eſt, omnino indeliberatum, ſicut patebit ex his, quæ dicemus puncto ſequenti, de ligato fomite peccati in Virgine. Motus autem primò primos circa obiecta ſenſibilia quæ non repugnarent rationi rectæ, non eſt abſurdum concedere fuiſſe quandoque in Virgine, vt etiam concedit diuus Thomas hîc ad primum.

Poſſet autem hîc quæri, An per illud ſingularis gratiæ priuilegium beata Virgo conſequuta ſit, non modò, vt nunquam peccauerit (ſicut hactenus probatum & defenſum eſt) ſed etiam, vt ne peccare quidem potuerit, atque adeo vt fuerit impeccabilis. Sed ad hoc facilè reſponderi poteſt adhibita diſtinctione. Etſi enim nec per naturam ſuam præcisè, neque etiam per ſolam dignitatem matris Dei, fuerit Virgo impeccabilis; tamen abſque incommodo vllo affirmari poteſt, illam per ſuperadditam gratiam ſingularem, & peculiarem protectionem diuinam aſſequutam fuiſſe impeccabilitatem quãdam; quatenus nimirum, talibus gratiæ auxiliis diuinitus protecta fuerit, cum quibus nullum poſſet ſtare peccatum. Nec verò huiuſmodi impeccabilitas repugnat ſtatui puri *Viatoris*, qualis fuit ſtatus Virginis in hac vita. De ratione enim *Viatoris* non eſt, vt in via retrocedat per peccatum, ſed vt contendat per merita ad beatitudinem, quæ eſt terminus huius vitæ.

PVNCTVM QVARTVM.

Vtrum beata Virgo ſic fuerit ſanctificata per gratiam, vt caruerit etiam fomite peccati.

D. Thom. art. 3.

DRAEMITTENDVM eſt, fomitem peccati appellari à Theologis in tertio, diſtinctione tertia, potentiam quãdam proximam, ſeu procliuitatem, per modum habitus in ſenſualitate, ad obiecta ſenſibilia contraria rectæ rationi, vt exiſtentem ex priuatione iuſtitiæ originalis, quæ ſenſualitatem reddebat prorſus conformẽ rationi, vel certè alicuius gratiæ ſingularis æquiualentis quoad hoc illi dono originalis iuſtitiæ. Quia enim talis procliuitas ſenſualitatis ſolet eſſe incitamento ad peccandum; idcirco appellatur *fomes* peccati. Neque hic fomes eſt qualitas aliqua diſtincta reipſa ab ipſa ſenſualitate, ſicut quidam falsò voluerunt, ſed eſt ipſemet appetitus ſenſitiuus ſiue ſenſualitas, quatenus eſt deſtituta eiuſmodi dono iuſtitiæ originalis, vel ſingularis gratiæ illi æquialentis, vt eſt dictum.

Hoc poſito, communiter conuenit inter Theologos in tertio, diſtinctione tertia, per *ſecundam* quidem ſanctificationem Virginis, quæ facta eſt cùm ſuperueniente in illam per abundantiſsimam gratiam Spiritu ſancto, Chriſtum concepit, fuiſſe eam penitus liberatam à fomite peccati: quatenus ſcilicet per abundantem illam & ſingularem gratiam, quaſi redundantem ex ſanctitate carnis Chriſti tũc concepti, factum fuerit, vt ſenſualitas Virginis non potuerit potentia quadam proxima, ſpectatis iis gratiæ donis, quæ in ipſa Virgine inerant, prodire in motus rationi rectæ contrarios. Quã rem dicit hic S. Thomas figuratam fuiſſe, Ezechielis quadrageſimo tertio cum dicitur: *Ecce gloria Dei Iſrael* (id eſt, Chriſtus) *ingrediebatur per viam orientalem*, (id eſt, per beatam Virginem) *& terra* (id eſt, carro ipſius Virginis, atque adeo ſenſualitas) *ſplendebat* (penitus à fomite liberata) *à maieſtate eius*, ſcilicet Chriſti.

Neque obſtat, quod remanſerit tamen in beata Virgine ipſa naturalis potentia ſenſualitatis, quæ ex ſe quidem eſt propenſa in omnia obiecta ſenſibilia, atque adeo etiam in illa quæ ſunt contraria rationi. Etenim naturalis hæc potentia ſenſualitatis ſiue appetitus ſenſitiui, non quomodocunque eſt aut nominatur fomes peccati, ſed vt conſideratis etiam omnibus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ insunt *in eodem subiecto*, atq; adeo in animo hominis, potest expeditè & proximè (vt diximus) tendere in ea etiam obiecta sensibilia, quæ sunt contraria rationi. Vnde quamuis in Christo fuerit etiam hæc potentia naturalis appetitus sensitiui, ad omnia obiecta sensibilia; tamen quia obstante singularissima gratia ipsius Christi, non fuit in eius appetitu illa potestas seu facultas proxima tendendi etiã in ea obiecta sensibilia, quæ repugnant rationi rectæ; inter omnes constat, non fuisse in Christo peccati fomitem. Simili ergo ratione dicimus ex communi Theologorum sententia, post illam quidem secundam sanctificationem Virginis, concipientis scilicet Christum, non fuisse in illa peccati fomitem; obstante nimirum abundantissima gratia, quam tunc accepit, quo minus esset in eius appetitu sensitiuo facultas expedita & proxima tendẽdi in ea etiam obiecta sensibilia, quæ repugnant rectæ rationi. Et de hoc quidem, vt dixi, communiter inter Theologos conuenit.

CONTROVERSIA autem nonnulla inter Theologos est, An etiam per *primam* sanctificationem Virginis, quæ facta est in illius matris vtero, fuerit Virgo liberata penitus à peccati fomite. Nam Marsilius in tertio sententiarũ, quæstione quarta, articulo primo, partem tuetur affirmatiuam, eo quòd potẽtia illa appetitus sensitiui, nunquam erat in actum contrarium rationi proditura. Ergo minimè fuit in Virgine potentia proxima & expedita ad sensibilia obiecta contraria rationi: ac proinde nec peccati fomes.

SED contraria sententia est communior: scilicet per *primam* sanctificationem Virginis, antequam Christum conciperet, non fuisse Virginem liberatã ab ipso peccati fomite, quoad eius fomitis rationem siue essentiam, sed fuisse tamẽ per eam sanctificationem fomitem hũc in Virgine quasi consopitum & *ligatum*, ne haberet effectum in Virgine per motum aliquem rectæ rationi contrarium. Ita docet diuus Thomas hîc articulo tertio, & Albertus Magnus in tertio, distinctione tertia, articulo sexto, & Bonauentura eadem distinctione, parte prima, articulo secundo, quæstione secunda, & Richardus eadem distinctione, articulo primo, quæstione tertia & quarta. Et Durandus eadem distinctione, quæstione tertia, numero decimo, & alij.

Rationes huius sententiæ sunt duæ. *Prima*, quoniam minimè decuit, vt vllius hominis caro, atque adeo sensualitas, esset planè sancta & expers fomitis peccati prius, quàm ipsa caro Christi: sicut neque decuit, vllum adipisci carnis immortalitatẽ, antè immortalitatem Christi resurgentis, vt rectè ratiocinatur hîc diuus Thomas.

Secunda: Nam quod Virginis sensualitas post primam illam sanctificationem eius in vtero, non posset expeditè & proximè tendere in ea obiecta sensibilia, quæ essent rationi contraria, potissimum ab extrinseco proueniebat, scilicet ex continua quadam assistentia & protectione diuina, vt declarat rectè diuus Thomas hîc articulo tertio, & articulo quarto ad primum; non autem ex sola gratia ipsi inhærenti, quam tunc acceperat, donec illa postea in secunda sanctificatione, cum Christum concepit, fuit copiosissimè aucta.

Fomes autem peccati consopiri quidem, & veluti *ligari* dici potest, cùm ab extrinseco prohibetur, ne possit proximè & expeditè tendere in obiecta sensibilia contraria rationi: impediri autem seu tolli, non nisi tunc, cum ab intrinseco singulare aliquod gratiæ donum animo inhærens obstat, quo minus sit in appetitu sensitiuo illa expedita & proxima facultas tendendi in eiusmodi obiecta contraria rationi.

Atque ad hanc secundam sententiam, quæ nobis etiam probabilior videtur, accommodari rectè potest, quod CYPRIANVS in sermone de Natiuitate Christi scribit de Virgine: *Legem mentis lex carnis non infestabat, rebellio nulla quietem spiritus affligebat.* Vt scilicet hoc beneficium tunc imprimis contigisse Virgini intelligatur, cùm post secundam eius sanctificationem (sicut ibi loquitur Cyprianus) carebat etiam ab intrinseco peccati fomite. Quanquam & tunc quoque (sicut antea) diuina quædam prouidentia extrinseca à peccato ipsam protegebat: iuxta id quod ait ibidem Cyprianus: *Nec recesserat à venerabili pectore matris Spiritus sanctus, ad verbum Gabrielis illapsus: possidebat domum suã, & templum, quod sibi consecrauerat, adornabat: seruabat sacrarium suum, & sanctimoniæ thalamum honorabat. Latificabant consolationes huiusmodi animam benedictam: & tanti habitatoris reuerentia concupiscentiarum ludibria abigebat, &c.*



PVNCTVM QVINTVM.

An beata Virgo sic fuerit sanctificata, vt habuerit plenitudinem omnium gratiarum idque modo singulari ac sibi proprio.

D. Thom. art. 5. & 6.

POSITIS iis, quæ in superioribus punctis probata à nobis sunt, de prærogatiua gratiæ beatæ Virginis, facilè erit nunc ostendere, beatam Virginem plenitudinem quandam omnium gratiarum habuisse, idque modo quodam præcellenti, ac sibi proprio inter omnes alias quidem puras creaturas intellectuales.

PRIMO. Nam Scriptura, & Ecclesia, & Patres sic diuinæ gratiæ præstantiam in Virgine prædicant, vt planè indicent, illam abundasse atque adeò plenam fuisse omni eo gratiæ genere quod aliis soleat contingere. Vt cum Lucæ primo, tot & tam singularibus verbis à salutante Angelo indicatum est, illam gratia excelluisse, nempe, *Gratia plena*. Et: *Dominus tecum*. Et: *Benedicta tu in mulieribus*. Et: *Inuenisti gratiam apud Deum*. Et ipsa etiam Virgo de se: *Fecit mihi magna, qui potens est*. Et: *Beatam me dicent omnes generationes, &c.*

Item cum Ecclesia ad eam accommodat singulares illas Scripturæ sententias: *Tota pulchra es amica mea*, Canticorum quarto. Et: *Pulchra es, suauis, & decora sicut Hierusalem*, Canticor. sexto. Et ibidem: *Una est columba mea, perfecta mea*, id est, singulariter præ aliis omnibus. Et ibidem: *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt*. Et rursus: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora, pulchra vt luna, electa vt sol, &c.*

Et similiter (vt dixi) Patres tribuunt ei gratiam omnimodam. Sanctus BASILIVS in Oratione ad Deiparam: *Aue*, inquit, *Dei splendidissimum & luculentissimum vas, aue domina Maria gratia plena*. Et homilia in sanctam CHRISTI Natiuitatem: *Seculum*, inquit, *hominum in quo Maria viuebat, nihil cum puritate Mariæ comparandum habuit.*

Sanctus ATHANASIVS in Euangelium de sanctissima Deipara, in fine, cùm dixisset, Deum omnem gratiã largitum esse Virgini, subiungit: *Qua de caussa factum est, vt plena gratia appellata sis, vtpotè, quæ omni gratia abundares*. Et paulò pòst: *Retribue*, inquit, *nobis pro exiguis istis eloquiis magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum; tu, quæ gratia plena es.*

Et sanctus Ioannes DAMASCENVS Oratione prima de Natiuitate Mariæ: *Tota*, inquit, *spiritus thalamus es, gratiarum pelagus, tota pulchra, tota Deo propinqua.*

Et CYPRIANVS in sermone de Natiuitate Christi: *Matri*, inquit, *plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria.*

Et S. HIERONYMVS in sermone de Assumptione Virginis, tomo secundo: *Bene*, inquit, *gratia plena, quia cæteris per partes præstatur, Mariæ verò se tota infudit gratiæ plenitudo*: Quæ verba leguntur etiam in Petro Chrysologo sermone 142.

Et sanctus AMBROSIVS in caput secundum Lucæ: *Bene*, inquit, *plena gratia dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat consecuta est, vt gratiæ repleatur author.*

Et sanctus AVGVSTINVS in Enchiridio, capite 36. *Hæc*, inquit, *gratia plena, & inuenisse gratiam apud Deum dicitur, vt Domini sui, immò Domini omnium mater esset*. Et sermone 17. in Natali Dñi: *Impleta est*, inquit, *gratia & euacuata est culpa.*

Et Petrus DAMIANVS serm. 3. de Natiuitate Mariæ: *Quid*, inquit, *sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis, singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit.*

Et RVPERTVS Tuiciensis libro primo de gloria & honore filij hominis: *Accepit*, inquit, *Maria diuisionem gratiarum, ita vt operationem virtutum omnimodam, maximeq; fidem & prophetiam, siue omnem haberet Propheticam gratiam.* Et: *Hæc est*, inquit, *gratia plena.*

Vnde rectè affirmat sanctus Thomas hîc articulo quinto ad tertium, non esse dubitandum, quin B. Virgo acceperit excellenter donum *sapientiæ*, & gratiam *virtutum*, & *prophetiæ*, & alia dona huiusmodi; quamuis non acceperit quidem vsus omnes huiusmodi gratiarum, sed eos duntaxat, qui conueniebant conditioni ipsius. Vnde non vsurpauit quidem donum sapientiæ *docendo*, cùm id munus fœminas non deceat, dicente Apostolo prima ad Timotheum secundo: *Docere autem mulieri non permitto*. Et consequenter nec vsurpauit gratiam miraculorum, dum viueret, per quæ nimirum Christus & alij fidei Doctores debebant fidem confirmare. Vsurpauit autem gratiam *Prophetiæ*, vt patet ex ipsius Cantico *Magnificat*; atque etiam donum sapientiæ *contemplando*, iuxta illud Lucæ secundo: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo*, vt ait D. Thomas.

Quin etiam quicquid aliis contigit singularis gratiæ, existimandum est id Virgini quoque fuisse concessum; vt colligitur ex allatis testimoniis. Itaque, si Paulus & Moyses viderunt in hac vita essentiam diuinam (de quo disseruimus tomo primo, disputatione prima, quæstione 12.) Virgo etiam aliquando viderit. Item, si Ioannes in vtero materno habuit aliquando rationis vsum (de quo videtur dubitasse sanctus Augustinus epistola 57. ad Dardanum) Virgo etiam aliquando habuerit. Verè enim scripsit IDIOTA antiquus auctor, in libro de Contemplatione Virginis, capite secundo: *Quodcumque donum alicui Sanctorum vnquam datum fuit, Mariæ non fuit negatum.* Vnde etiam sanctificatio in vtero,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ Ieremiæ, & Ioanni Baptiſtæ contigit, excellentiori modo contigit Virgini, vt argumentatur D. Thomas hîc, & etiam ſanctus Bernardus epiſtola 174.

SECVNDO illo etiam nomine cenſeri debet B. Virgo habuiſſe quandam gratiæ plenitudinem, quoniam poſt Chriſtum quidem habuit præſtantiſsimam gratiam gratum faciẽtem, qua longè antecelluit omnibus hominibus & Angelis. Et quidem quod ſub vitæ ſuæ finem, atque adeò aſſumpta iam in cœlum, habuerit & habeat ſummam poſt Chriſtum gratiam, patet ex authoritate Eccleſiæ, quæ in feſto Aſſumptionis eius profitetur illam *ſuper choros Angelorum exaltatam eſſe*, & alia huiuſmodi elogia ex Canticis Canticorum eidem tribuit, quibus apertè indicat, ipſam ſingulari gratia atque gloria inter omnes omnino Sanctos lõgè excellere. Item apparet hoc idem ex ſentẽtiis Patrum, qui ſimiliter omnibus non ſolùm hominibus, ſed etiam Angelis Virginem anteponunt.

Vt ſanctus ATHANASIVS in Euangelium de ſanctiſsima Deipara, circa finem, vbi affirmat inter cætera, *Omnes Angelorum & terreſtrium hierarchias manus attollentes ei acclamare*, tanquam ſuperiori videlicet.

Et S. Gregorius NAZIANZENVS in Tragœdia de Chriſto patiente, vbi beatam Virginem inter cætera ſic alloquitur;

Quæ vincis omnes cœlitum ordines,
Regina, Domina, generis humani bonum.

Et THEODORETVS lib. 3. interpretationis in Cantica ſub finem, vbi ex ſententia Patrum Græcorum ait; *Mariam Cherubim & Seraphim antecellere.*

Et ſanctus GREGORIVS capite primo in librum primum Regum, vbi ait; *Mons in vertice montium Maria non fieret, ſi ſupra Angelorum altitudinem hanc diuina facunditas non leuaret*, & alij.

Item patet idem ex ſingenti & inæſtimabili cumulo meritorum, quæ habuit per tam longam *vitam*; & præſidio *tantæ gratiæ*, quantam initio accepit, vt futura Dei mater; ac poſtea in filij conceptione; & ipſa eius *naturâ* non modò ob conſopitum vel extinctum ſenſualitatis fomitem minimè reluctante, ſed etiam incitante ob innatum amorem maternum erga filium ſuum verum Deum; & in tot tantisque bene merendi de filio *occaſionibus* per tam diuturnum cum illo conuictum.

Quæ omnia merendi adminicula, quæ ſuppetierunt Virgini, ſi rectè conſiderentur & expendantur; tam magnum incrementum gratiæ, tantamque gloriam promeruiſſe illam apparebit, vt non modò fatendum ſit ipſius gratiam atque gloriam *intenſiuè* quidem eſſe perfectiorem quàm omnium aliorum ſimul tum Angelorum, tum hominũ ſanctorum gratiam & gloriam (hoc enim manifeſtè ex eo ſequitur, quod eius gratia & gloria eſt *intenſiuè* perfectior, quàm intenſiſsima gratia cuiuſcunque alterius poſt Chriſtum, vt iam ex authoritate Eccleſiæ, & Patrum probatum eſt) ſed etiã ſit veriſimillimum, *extenſiuè* quoque maiorem eſſe gratiam & gloriam Virginis, quàm omnium aliorum ſimul; ita vt plures ſint gradus gratiæ & gloriæ Virginis, quàm gratiæ & gloriæ aliorum omnium ſimul, excepto Chriſto.

Nam incepit creſcere Virginis gratia (atque adeò ius ad gloriam) ex ſublimiori quodam & intenſiori gratiæ gradu, quàm ſit graduſ gratiæ vllius aliorum. Cùm & dignitas matris Dei, cui debuit proportionari gratia Virgini data, fuerit longè maior, quàm vllius alterius dignitas, & non modò piè, ſed etiam verè dixerit ſanctus GREGORIVS in caput primum libri primi Regum; *Mariam omnem electa creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendiſſe.* Et præterea ſine intermiſsione per omnes tam longæ vitæ ſuæ actiones, cùm omnes fuerint bonæ, & bona intentione, & in gratia factæ, meruit ſemper plus quàm in duplo augmentum gratiæ maximæ, & continenter per merita priora plus quàm in duplum ſimiliter auctæ; quippe cum ex parte *gratiæ* ſummum poſt Chriſtum habuerit ad merendum præſidium; & ex parte *naturæ* nullum retardans impedimentum, quo minus gratiæ vis quantum poſſet, ſe exereret, ſed potius etiam magnum ad id incitamentum ob innatum, vt diximus, eumq; vehementiſsimum amorem maternum. Et denique habuit etiam innumeras augendi hunc amorem, atque adeò magis magisque promerendi, occaſiones. Conſtat autem apud Arithmeticæ peritos, ſi vel aliquis exiguus numerus per aliquantulum temporis ſpatium, etiam non longum, iterato ſæpius multiplicetur, ſaltem in duplum; innumerabilem & penè infinitam ea ratione cõfici multitudinem: vt ſi augeatur v.g. numerus binarius per quaternarium & illico quaternarius per octonarium, & ſic deinceps aliquamdiu. Quantus igitur, & quam innumerabilis erit numerus graduũ gratiæ (atque adeò gloriæ) Virginis, tam ſæpe, tam multum, tamdiu, per infinita propè illius merita multiplicatus?

Mihi quidem iſta perpendenti non ſolùm de *intenſiua*, ſed etiam de *extenſiua* magnitudine meritorum, atque adeò etiam gratiæ & gloriæ Virginis, veriſimè dici poſſe videtur, quod ait ſanctus GREGORIVS in cap. 1. lib. 1. Regum; *Maria meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros, vſq; ad ſolium Deitatis erexit.* Et illud item, quod ad Virginem accommodari ſolet, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.*

Porrò his argumentis non ſolùm probatur, Virginis gratiam fuiſſe intenſiuè & extenſiuè maiorem gratia aliorum omnium ſub finem vitæ

vitæ illius, & cum aſſumeretur in cœlum, ſed etiam ætate aliquãtulum progrediente & maximè poſt Chriſtum conceptum.

TERTIO, eo denique nomine cenſeri poteſt, B. Virgo habuiſſe plenitudinem quandam gratiæ, quoniam vltra alia omnia gratiæ genera, quę aliis contigerunt, excelluit item quodam genere gratiæ, quod nemini hominum cõtigit, nempe vt ab omni peccato tum originali, tum actuali diuinitùs præſeruaretur, vt docuimus puncto ſecundo & tertio.

His igitur modis beata Virgo plena gratia fuit poſt Chriſtum, & quidem modo ſibi ſingulari ac proprio, quandoquidem nullus alius his tot tantisque gratiis abundauit. In eo autem quod fuit ſanctificata antequam naſceretur, nõ habuit quidem propriam gratiæ prærogatiuam, vt docet hîc articulo ſexto Diuus Thomas, cum id contigerit etiam Ieremiæ & Ioanni Baptiſtæ, ſicut puncto primo tradidimus.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Natiuitate Chriſti, & Matris Virginitate.

D. Thom. 3. parte, quæſt. 28. & 35.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, AN SALVA PERpetua matris Virginitate Chriſtus ex ea natus ſit. SECVNDO, An conuenienter, quoad alias etiam Natiuitatis circumſtantias, Chriſtus ſit natus. TERTIO, An ita Chriſtus ex Virgine ſit natus, vt illa verè ſit Chriſti veri hominis & veri Dei Mater. QVARTO, An Chriſtus Deus & homo per vnam & eandem filiationis relationem ſit Dei Patris & Virginis matris filius.

PVNCTVM PRIMVM.

An ſalua perpetua matris Virginitate Chriſtus ex ea natus ſit.

D. Thom. quæſt. 28.

TRIPLICES SVNT HOSTES PERpetuæ Virginitatis Marię. Nam primò præter Iudæos, & alios infideles, quidam veteres hæretici cenſuerunt illam conſueto more concepiſſe Chriſtum amiſſa Virginitate: nempe Cerinthiani, & Ebionæi, qui ſenſerunt Chriſtum purum fuiſſe hominem ordinario modo generatum, vt refert Auguſtinus in libro de hæreſibus, cap. 8. & 10.

Deinde Iouinianus, teſte eodem Auguſtino in dicto libro capite 82. & libro primo contra Iulianum: *Virginitatem Mariæ*, vt inquit Auguſtinus, *deſtruebat, dicens eam pariendo fuiſſe corruptam.* In qua hæreſi Iouiniani, ſcilicet integritatem Virginis in partu quidem violatam fuiſſe, communiter conſentiunt hodie quoque Caluiniſtæ. Vt Petrus Martyr, in caput quartum ad Romanos, Beza in libro de Omnipræſentia carnis, & nõ ita pridem Fortunatus Crellius in diſceptatione de re Euchariſtica, contra noſtram quandam diſputationem, folio 10.

Tertiò denique Heluidius aſſeruit Virginem poſt partum fuiſſe corruptam, & alios procreaſſe filios ex Ioſeph, vt refert Auguſtinus in illo libro de Hæreſibus, cap. 84. & patet ex Hieronymi diſputatione contra eundem Heluidium. Atque eundem errorem ſecuti ſunt hęretici Antidicomarianitæ, vt patet ex Epiphanio hæreſi 48. quos Heluidij ſectatores ac diſcipulos fuiſſe indicat Auguſtinus loco citato.

SED certiſsima eſt ſecundùm fidem contraria ſententia Eccleſiæ Catholicæ: nimirum beatiſsimam Virginem, & ante partum, & in partu, & poſt partum, fuiſſe incorruptam & integerrimam Virginem. Quæ ſententia quoad omnes eius partes nunc ſigillatim probanda eſt.

Quod igitur beata Virgo fuerit incorrupta in Chriſti conceptione ANTE PARTVM, probatur PRIMO ex Scriptura. Nam Geneſ. 3. ad hanc Virginis integritatem in conceptione ſignificandam, dictum eſt ad ſerpentem nulla facta mentione ſeminis virilis: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius.* Nam ad hoc ipſum probandum vtitur iſto teſtimonio ſanctus CYPRIANVS libro ſecundo ad Quiri-

num

Universidad de Deusto
Biblioteca

num contra Iudæos, capite nono. Et Leuitici duodecimo, quasi excipiendo admirabilẽ hunc Virginis conceptum, sine virili semine dictum est: *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit*, vt obseruarunt Origenes homilia octaua in Leuiticum, & Theophylactus in secundum caput Lucæ, & Bernardus sermone tertio de purificatione Mariæ & alij.

Item idem virgineus conceptus significatus est Psalmo 131. per illam Dei promissionem ad Dauidem; *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* quia scilicet Christus fructus fuit tantummodo virginei *ventris* descendentis ex Dauide; non autem *femoris* aut *lumborum* aut *renum* viri, vt pulchrè notauit Augustinus super illum Psalmum.

Item Isaiæ septimo: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel.* Quẽ locum pro asserenda Mariæ virginitate, tum alij Patres communiter vrgent, tum etiam sanctus Basilivs egregiè illustrat & defendit aduersus Iudæos, Concione in sanctam Christi Natiuitatem. Et antea quoque sanctus Irenæus libro tertio, capite vigesimo septimo, & sanctus Cyrillus Hierosolymitanus catechesi duodecima, & omnium accuratissimè sanctus Hieronymus in caput septimum Isaiæ. Nam si, vt volunt Iudæi, per Virginem ibi intelligeretur qualiscunque puella etiam in concipiendo corrupta; non fuisset ille Mariæ conceptus singulare diuinæ potentiæ signum, sicut omnino fuit, vt patet ex antecedentibus illis Prophetæ verbis: *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, &c.* Vt enim puella corrupta concipiat, non est insolitum aut singulare, sed vt concipiat Virgo. Vnde etiam Ieremiæ trigesimo primo de eodem mysterio dicitur; *Nouum faciet Dominus super terram. Mulier circundabit virum.* Quia scilicet Christvs statim in primo Conceptu fuit homo perfectus.

Item Lucæ primo interroganti Virgini, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, non possum, nec volo cognoscere obstante voto, vt interpretatur sanctus Augustinus libro de sancta Virginitate, capite quarto, & communiter alij Patres: Respondit Angelus; *Spiritus sanctus superueniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Apertissimè per hoc significãs nullum propterea Virginitatem ipsius passuram detrimentum, siquidem conceptura esset non ex virili semine, sed ex virtute Spiritus sancti. Vnde & subiungit: *Ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* quia scilicet non ordinario modo concipiendus erat, sed ex Spiritu sancto, & ideo ex modo conceptionis suæ Sanctus.

Adde quod Ioseph adeò non cogitauit de vllo cum Virgine commercio (sicut Hæretici illi finxerunt) vt voluerit illam occultè dimittere, nescius mysterium, Matthæi primo, quem proinde Angelus apertissimè ibi docuit, incorruptam prorsus concepisse Virginem de Spiritu sancto: *Hæc enim*, inquit Matthæus, *eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis, dicens ei: Ioseph fili Dauid, noli timere Mariam accipere coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

Secvndo probatur eadem assertio ex symbolo fidei in illo articulo; *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, &c.* Cuius symboli Apostolica authoritate astruit luculenter perpetuam Mariæ virginitatem S. Ambrosius epist. 81. ad Syricium.

Tertio probatur ex communi sententia Patrum. Sanctus Dionysivs Areopagita epistola quarta ad Caium, de Christo loquens: *Vltra humanum*, inquit, *modum substantiam nostra carnis accepit, ac supra hominem, quæ sunt hominis, gessit. Cuius rei euidens indicium est Virgo excellentis miraculi nouitate concipiens.*

Sanctus Irenaevs libro tertio, capite 27. perpendens illud Psalmi 131. *De fructu ventris tui, &c. Propter hoc*, inquit, *de fructu ventris eius Regem promisit, quod erat proprium Virginis prægnantis; & non de fructu lumborum eius, nec de fructu renum eius: quod est proprium viri generantis, & mulieris ex viro conceptionem facientis, &c.*

Sanctus Cyrillus Hierosolymitanvs catechesi 12. hoc ipsum ex instituto probat, & inter cætera sub finem ita dicit: *Nunquid igitur Eua quidem de latere viri sine matre nascitur, de virginali autem vtero sine viro nihil nascetur?* Et paulò post: *Reddidit igitur Maria gratiæ huius mutuum officium, & non ex viro, sed ex ipsa sola impolluta, ex Spiritu sancto virtute, & Dei, peperit.*

Sanctus Athanasivs in libro de incarnatione Verbi, eiusque corporali ad nos aduentu, paulò antè medium: *Ex Virgine*, inquit, *sibi ipsi corpus formauit, vt nobis non tenue argumentum sui diuinitatis exhiberet, Deum, qui hoc sibi corpus formauit, aliorum quoque Conditorem & formatorem esse. Quis enim videns sine viro ex Virgine sola corpus prodire, non secum cogitat eum, qui sub tali corpore apparet, esse quoq; cæterorum corporum & conditorem & Dominum?*

Sanctus Cyprianvs lib. 2. contra Iudæos, cap. 9. contra Iudæos ostendit futurum fuisse signum natiuitatis Christi, *vt de Virgine nasceretur homo & Deus*, idque confirmat ex illo Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, &c.* Et in sermone de Natiuitate Christi: *Erat*, inquit, *ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quòd erat simul Mater & Virgo, singulis titulis insignita.*

S. Hilarivs lib. 10. de Trinitate, de Christo loquens: *Corpus*, inquit, *ita assumpsit, vt id ex Virgine conceptum firmam esse serui effecerit. Virgo enim non nisi ex sancto Spiritu genuit.*

Sanctus Ambrosivs lib. 2. in Lucam, circa illud Lucæ 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Inaudita*, inquit, *generatio ante audiri debuit, vt crederetur, Virginem parere diuini est signum mysterij, non humani. Denique, accipe*, inquit, *signum tibi: Ecce Virgo in vtero accipiet, et pariet filium. Legerat hoc Maria: ideo credidit futurum, sed quomodo fieret, ante non legerat. Non enim quemadmodum fieret, vel Prophetæ a tanto Esaiæ fuerat reuelatum. Tantum enim mandatum mysterium non hominis fuit, sed Angeli ore promendum. Hodie primùm auditur: Spiritus sanctus superueniet in te; & auditur & creditur.* Et infra: *Quã citò ergo etiam de impari Conceptione credidit Maria? Quid enim tam impar, quàm Spiritus sanctus, & corpus? Quid tam inauditum, quàm Virgo prægnans, contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius charior cura est Virgini?*

S. Hieronymvs in caput 7. Esaiæ: *Dominus*, inquit, *descendet in vterum virginalem, & ingredietur, & egredietur Orientalem portam, quæ semper est clausa; de quo Gabriel dicit ad Virginem: Spiritus sanctus veniet super te, &c.* Et paulò pòst: *Sin autem iuuencula vel puella, vt Iudæi volunt, & non Virgo pariat, quale signum poterit appellari, cùm hoc nomen ætatis sit non integritatis?* Quo loco accuratè deinceps refutat Iudaicum id commentum ex proprietate etiam Hebraici sermonis.

Sanctus Avgvstinvs tum alias sæpe, tum in Enchiridio, cap. 34. *De Virgine*, inquit, *nasci oportebat, quem fides Matris non libido concepérat.* Et epistola tertia ad Volusianum, ad quem locum ipse Augustinus in Enchiridio, vbi suprà, remittit in hac quæstione lectorem: *Ille igitur*, inquit, *sibi hominem*, id est, *humanam naturam, operatus est, qui in rerum natura sine seminibus operatur et seminat.* Similia passim asserunt alij Patres his posteriores, quos non opus est referre.

Qvarto potest eadem assertio confirmari variis rationibus, & præsertim quatuor illis, quas adfert hîc Diuus Thomas quæst. 28. articulo primo. Nam *Primò* minimè decuit, vt Christus qui est verus & naturalis Dei filius, haberet alium patrem quàm suum æternum. *Secundò*, cùm idem Christvs sit Verbum, Verbum autem absque omni corruptione in mente concipi soleat; decuit, vt & Christus sine vlla corruptione Matris conciperetur. *Tertiò*, id etiam decuit eo nomine, quòd veniebat, vt tolleret peccatum, atque adeò abesse debuit ab eius conceptu concupiscentia carnis proueniens ex peccato. *Quartò*, decuit hoc etiam propter finem incarnationis Christi, qui fuit vt omnes renascerentur in filios Dei, *non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo*, iuxta illud Avgvstini in libro de sancta Virginitate, capite sexto: *Oportebat*, inquit, *caput nostrum insigni miraculo secundùm carnem nasci de Virgine, quo significaret, membra sua de Virgine Ecclesia secundùm spiritum nascitura.*

Ad ea verò Scripturæ testimonia, quæ videri possent suffragari contrario errori, abundè respondet hic D. Thomas quæstione 28. articulo

primo. Nam quòd Lucæ secundo Ioseph vocatur Christi *Pater*, explicatur Lucæ tertio, debere intelligi de patre putatiuo, verbis illis; *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph, &c.*

Item quod Ioannis secundo, & ad Galatas quarto, Maria vocatur *Mulier*, mos est Hebraici sermonis, quo *Mulier* nihil aliud significat, quàm fœminam, vt notauit S. Augustinus lib. 23. contra Faustum, cap. 7.

Item quod Matth. 1. Genealogia Christi deducitur per Ioseph vsque ad Dauid, & Abraam, non ideo fit, quia Ioseph fuerit naturalis Christi pater, sed quia *non est consuetudinis Scripturarum, vt mulierum in generationibus* ordo texatur, (ait Hieronymus) & quia eo ipso, quòd Ioseph fuit ex stirpe Dauid, significatur, ex eadem stirpe fuisse coniugem eius Mariam, atque adeò etiam Christum. Nam ex eadem tribu oportebat secundùm legem coniugia iniri.

Quomodo autem desponsatio Virginis cum Ioseph, non repugnauerit firmo illius proposito ac voto perpetuæ Virginitatis; infrà in Disputatione de Matrimonio declarabimus. Atq; hactenus de Virginitate Mariæ in Conceptione ante partum.

Quod autem fuerit etiam ipsa Virgo incorrupta in ipso Partv, probatur itidem contra Caluinistas, Primo ex Scriptura Isaiæ septimo: *Ecce*, inquit, *Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Non enim*, inquit præclarè Diuus Ambrosivs epistola 81. *conceptura tantummodò Virginem, sed & parituram Virginem dixit.*

Item Ezech. 44. *Hæc porta clausa erit, & non aperietur. Quæ est hæc porta*, inquit D. Ambrosius lib. de institut. Virginis cap. 7. *nisi Maria? ideo clausa, quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intrauit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia Virginitatis claustra non soluit. Mansit intemeratum claustrum pudoris, & inuiolata integritatis durauêre signacula, cùm exiret ex Virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non posset.* Et rursus idẽ Ambrosius eodem libro cap. 8. *Bona*, inquit, *porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur, transiuit per eam Christus, sed non aperuit.*

Item Lucæ 1. cùm antea dixisset ad Mariam Angelus; *Ecce cõcipies in vtero*, ac etiam addidisset. *Et paries filium.* Maria verò interrogasset: *Quomodo fiet istud* (id est, vtrumq; nimirum) *Quoniam virum nõ cognosco*: vtrumq; significat Angelus admirabiliter futurum Spiritus sancti virtute, atque adeò sine vlla Virginis corruptione. Nam ad vtrumq; respondens Angelus *dixit ei, Spiritus sanctus superuenit in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* nempe, vt & conciperet, & pareret admirabiliter manens Virgo; iuxta illud vaticiniũ Isaiæ, quod ibi rursus confirmat Angelus.

Est autem contra Caluinistas diligenter hîc notandum, *Virginem parere* in his Scripturæ locis planè

Universidad de Deusto
Biblioteca

cis planè esse parere integris claustris Virginitatis; non autem solùm eam parere, quæ non cognouerit virum, licet aperto claustro virginali pariat: vt Caluinistæ dicunt. Obstant enim argumenta quatuor huic commento illorum interpretationis.

Primò, quòd Scriptura proprie & vsitato modo de Virgine loquitur: cuius scilicet claustrum sit clausum. Præclarè enim & orthodoxè Diuus AVGVSTINVS in Enchiridio, capite 34. *De Virgine*, inquit, *nasci oportebat, quem fides Matris non libidò conceperat. Quod si*, inquit, *vel per nascentem corrumperetur eius integritas; non iam ille de Virgine nasceretur, eumque falsò, quod absit, de Virgine* MARIA *natum tota confiteretur Ecclesia, quæ imitans eius Matrem quotidie parit membra eius, & Virgo est.*

Secundò, Quòd alij etiam Patres eam esse Scripturæ vim in hac quæstione intelligunt, vt partim audiuimus, & partim audiemus.

Tertiò, Quòd iisdem Patribus interpretibus Scriptura de eiusmodi partu Virgineo loquitur, qui sit per se maximum miraculum, distinctum à miraculo Conceptionis Virgineæ. Si autem ruptis claustris Virgo peperit; quodnam fuerit miraculum proprie in ipso Virgineo partu? Nullum omnino. Res enim per se naturalis & ordinaria est alioqui, vt omnis fœmina, quæ conceperit (quocunque tandem modò conceperit) pariat denique apertis claustris. At Patres passim ex Scriptura colligunt, non solùm Conceptionem virgineam, sed etiam partũ Virgineum Deiparæ fuisse rem per se ipsam admirabilem, quæ ratione comprehendi non possit, sed fide credi debeat.

Quartò. Denique Patres ex Scriptura talem asserunt partum Virgineum, vt eum credere (secundùm humanam quidem rationem) illis etiam sit difficile, qui Virgineam conceptionem iam crediderint, & quem idcirco nonnulli hæretici negant, tametsi Virginem concepisse fateantur: Contra hos enim hæreticos etiam disputant Patres, vt audiemus. At si Virginem peperisse nihil aliud esset, quàm eam, quæ Virgo sine viro concepit, apertis claustris peperisse; quicunq; crederet Virginem concepisse, crederet hoc ipso sine vlla difficultate Virginem peperisse. Non igitur hæc est ratio partus Virginei, sed ea prorsus, quod Virgo integris atque intemeratis claustris (vt Ambrosius loquitur) peperit. Itaq; consistit firma nostra probatio ex Scriptura, quam attulimus.

SECVNDO probatur eadem assertio nostra, videlicet, quod ipsa Virgo fuerit incorrupta in ipso PARTV, ex Patribus.

Diuus AMBROSIVS epistola 81. ad Syricium: *De via*, inquit, *iniquitatis produntur dicere, Virgo concepit, sed non Virgo generauit. Quæ potuit ergo Virgo concipere, potuit Virgo generare: Cùm semper conceptus præcedat, partus sequatur. Sed si doctrinis non creditur Sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Ac Scripturæ testimoniis, quæ iam antè citauimus, interpositis, ita rursus dicit: *Quid autem mirum, si contra vsum originis naturalis peperit Maria & Virgo permanet; quando contra vsum naturæ, Mare vidit & fugit, atque in fontem suum Iordanis fluenta remearunt?* Paulò etiam superiùs alia clarissima Diui AMBROSII testimonia citaui, ex libro de institutione Virginis, cap. 7. & 8. Dicit enim Christum non *soluisse matris claustra: Manisse intemeratum claustrum: Durasse inuiolata* SIGNACVLA INTEGRITATIS: *Christum transiisse per eam,* NON APERVISSE.

Item D. HIERONYMVS in Apologia pro suis libris ad Pammachium: *Respondeant mihi, quando Iesus ingressus est clausis ostiis, & ego respondebo, quando sancta Maria sit & Mater & Virgo.*

Item Diuus AVGVSTINVS epistola tertia ad Volusianum: *Ipsa*, inquit, *virtus diuina per inuiolata Matris Virginea viscera membra infantis eduxit; quæ postea per clausa ostia membra iuuenis eduxit. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile, &c.* Attulimus etiam paulò antè ex Enchiridio, capite 34. alium insignem locum Augustini: Vbi & ipse commemorat se in hac epistola ad Volusianum perpetuam hanc Mariæ Virginitatem propugnauisse.

Item Diuus Eusebius EMISSENVS homilia in illa verba: *Ecce quam bonum & quàm iucundum, &c. Quia*, inquit, *corruptionis iniuria non fuit in conceptu; ideo integritas perseuerauit in partu. Nemo ex Virgine nato filio calumnietur gloriam tantæ parentis. Quam cœlestis puer non perrupit dum concipitur, non potuit violare dum nascitur.*

Item Diuus FVLGENTIVS sermone de laudibus Mariæ: *Qui disrupta corporis membra in aliis poterat integrare tangendo, quantò magis in sua matre, quod inuenit integrum, potuit non violare nascendo? Creuit enim eius partu integritas potius quàm decreuit.*

Item Diuus ISIDORVS libro de Virginitate Mariæ, capite primo: *Si Virgini nostræ integritatem adimis, grandi dedecore Deo iniuriam facis. Negas enim valuisse incorruptum seruare, quem fateris absque corruptione adire Virginem potuisse. Negas Deum, quod vellet facere, quiuisse, quem concedis genitricem integram inuenisse, & corruptioni deditam reliquisse. Vi ergo asseris, Omnipotentis diuinitas non profuit Virginitati, sed obfuit. Quia dum Virgineum decus nascendo violauit, summam virginitatem destruxit. Ac per hoc ipsum astruis deturpasse nascẽdo, quam decorauerat ipse creando.*

ORIGENES Homilia prima ex variis locis: *Virgo genuit & Virgo permansit. Mater filij facta est, & castitatis sigillum non perdidit. Quare? Quia non homo iste tantum qui videbatur, sed vnigenitus erat Deus, qui in carne aduenerat.*

S. Gre-

S. Gregorius NAZIANZENVS in Tragœdia de Christo patiente: *Expers laboris & doloris exstitit integra & incorrupta.* Et rursus: *Virginis ab aluo prodiit matris suæ. Clausoq; sepulchro surgens exiit, velut antea infracta seruans claustra quàm castissimè.*

S. Gregor. NYSSENVS homil. de occursu Dñi: *Non prius*, inquit, *apertam vuluam Virginalem aperuit,* SIGNACVLA *Virginitatis* ILLAESA *conseruãs etiam post processum admirabilem.*

S. Cyrillus HIEROSOLYMITANVS orat. de occursu Christi & Simeone: *Solus*, inquit, *Christus citra vllam Virgineorum claustrorum offensionem in lucem editus est.*

AMPHILOCHIVS Episcop. Iconensis orat. de eodem festo: *Ad Virginis*, inquit, *naturã quod spectat, portæ Virgineæ nequaq; fuerunt recluse: ad nati verò virtutẽ quod attinet; nihil est illi occlusum, nihil quod illum impediat, sed omnia sunt illi aperta & obuia.*

S. CHRYSOSTOMVS homil. 2. in Symbolum: *Credite*, inquit, *in Dominum nostrũ Iesum Christum, natum de Spiritu sancto & Maria virgine. Sed dicturi sunt vobis Gentiles deprauantes fidem vestrã: Quomodo potuit Virgo concipere, Virgo parere, Virgoq; permanere? Contra naturam est hoc, dicturi vobis sunt; & vos è contrario respondebitis eis. Credulitas nostra quod verbis explicare non potest, fide tenet.*

THEODORETVS Dialog. 2. *Ingressus est*, inquit, *clausis ianuis, quemadmodum & egressus est ex utero, cum claustra Virginis obsisterent, & sicut in mari ingressus est.*

Item Theodoretus ANCYRANVS Galatiæ Episcopus, & in Concil. Ephesino clarus, serm. de Natiuit. Dñi: *Audiens*, inquit, *Paganus q. Saluator clausa velut ianua, sit in mundum ingressus, qui corpus tamen crassum & loci indigum circumferat; audit id quidẽ, sed nõ credit miraculo, huius rei rationem inquirens. Quum verò audit postea, quod Virgo Saluatorem pariens, Virgo persistat, sermonem hunc stultitiæ deputat, ac Deo Deiq; miraculo fidem habere detrectat.*

Item S. DAMASCENVS libro 4. fidei cap. 15. *Quemadmodum qui cõceptus est, Virginem concipientem seruauit illæsam, sic & natus, ipsius Virginitatem seruauit illæsam. Solus transiuit per eam, & clausam seruauit. Manet igitur & post partum Virgo & semper Virgo.*

Item EVTHYMIVS in caput 28. Matth. *Quemadmodum*, inquit, *Christus natus est seruatis integris claustris Virginis, ita quoq; resurrexit seruatis integris monumenti signaculis.*

TERTIO probatur eadẽ assertio nostra ex illo articulo symboli Apostolici: *Natus ex Maria virgine.* Quem articulũ D. AVGVSTINVS quoq; in Enchirid. cap. 34. vrget: *Si*, inquit, *per nascentẽ corrumperetur eius integritas; non iam ille de Virgine nasceretur, eumq; falsò, quod absit, de virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia.*

D. item AMBROSIVS epist. 81. hanc Virginis integritatem in partu propugnans, vrget quoq; inter cętera hunc Apostolici symboli articulum: *Si doctrinis*, inquit, *non creditur Sacerdotum, credatur Oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Credatur* SYMBOLO APOSTOLORVM, *quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et seruat.*

D. quoq; CHRYSOSTOMVS homil. 2. in symb. Apostol. similiter articulum illum symboli Apostolici explicans, integritatem Virginis in partu credendam esse constanter à Christianis, asserit, neq; eam nisi à Gentilibus ac hominibus perfidis *synceram Ecclesiæ fidem deprauantibus* negari posse censet, vt ex eius verbis paulò antè à me recitatis ostensum est.

Verum enim verò OBIICIVNT Caluinistæ cõtra Virginis integritatem, vel ipsi Virgini potius, Tertullianum libro de carne Christi sub finem. Is enim dicit, Virginem *patefacti corporis lege peperisse.* Et eam fuisse Virginem, *quantum à viro, non* quantum *à partu.*

RESPONDEO verbis grauissimi & maximè Orthodoxi authoris Vincentij Lyrinensis libro aduersus Hæresum nouitates: *Si in ipsa*, inquit, *vetustate lapsus alicuius, vel aliquorum Doctorum deprehendatur; Patrum aliorum eadem de re sententiæ conferantur, atque ex maiore illorum consensu proposita quæstio iudicetur.*

Intelligunt Caluinistæ quid velim dicere: nempe Tertullianum, quia in hac re pugnat eius assertio cum communi sententia aliorum orthodoxorum Patrum (quorum testimonia recitaui) omnino à veritate aberrasse: quemadmodum etiam in aliis quibusdam rebus errauit, vt nominatim de ipso à Vincentio Lyrinensi notatum est. Sanè vbi quæstio est, quid olim in Ecclesiæ antiquæ consuetudine positum fuerit, grauis est authoritas Tertulliani; atque etiam in dogmatibus, tum cùm cæteri Patres non contra sentiunt. Si autem cæteri Patres contradicant, nihili pendendum est illius Testimonium, cum constet, eum in quibusdam grauissimè errasse. Quare ipse etiam Rhenanus, nomine BEATVS, recens Tertulliani Scholiasta, quem Caluinistæ, quasi patronum sui erroris, commemorant, hanc sententiam Tertulliani de partu Virginis obseruasse; indicat illum in hac re lapsum fuisse, & ei esse condonandum hunc errorem in quæstione non vsque adeò fusè explicata antiquissimis illis temporibus: *Sed hæc*, inquit Rhenanus, *sunt boni consulenda, præsertim in tam vetusto scriptore.* Quæ verba Rhenani dissimulant Caluinistæ.

Obiiciunt Caluinistę SECVNDO Diuum Ambrosium libro secundo, in caput secundum Lucæ, cuius hæc verba de Christo sunt: *Hic solus aperuit sibi vuluam. Nec mirum. Qui enim dixerat ad Prophetam; Priusquam te formarem in vtero, noui te, & in vulua matris sanctificaui te: Qui vuluam sanctificauit alienam, vt nasceretur Propheta, hic est qui aperuit Matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

RESPONDEO, D. Ambrosius eodem sensu dicit, Christum aperuisse matris vuluam, quo illud scriptum est à D. Luca cap. 2. ex libro Exodi cap. 13. *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur*; quod Diuus Ambrosius maximè à Christo Sancto Sanctorum in sui Natiuitate factum esse dicit, quodque etiam Diuus Lucas ad Christum natum accommodat. In eo autem loco Exodi, & apud Diuum Lucam, *aperire vuluam* non idem est, quod rumpere sigillum seu claustrum maternæ Virginitatis, sed nasci & exire primo ex vtero Matris. Hæc prima natiuitas seu primus exitus prolis ex vtero significatur metaphoricè per apertionem vteri, phrasi præsertim in Hebraico sermone vsitata. Quia enim tunc res aperiri solet, cùm aliquid primo ex ea prodit; vt terra cùm primo fruges erumpunt, & domus cum quis exit; ideo metaphoricè dicitur vterus aperiri hoc ipso, quod primo edit ex sese fructum prolis.

Quod autem non nisi hoc sensu dicat Ambrosius secundùm Scripturam, Christum aperuisse matris vuluam, his argumentis manifestè probo. PRIMO: id in Scriptura & apud Ambrosium est aperire vuluam, quod facit nascendo omnis homo masculus primogenitus, immò omne etiam masculum primogenitum. Ait enim Scriptura generatim: *Omne masculinum adaperiens, &c.* Et vt est in Exodo: *Omne primogenitum quod aperit vuluam, tam de hominibus, quam de iumentis, &c.* nec aliter quàm Scriptura loquitur Diuus Ambrosius. At non omne primogenitum, immò nullum primogenitum solet, dum nascitur, rumpere claustrum matris, cùm iam hoc in conceptione ruptum sit, vt etiam notauit Origenes homilia decima quarta in Lucam. Igitur non hoc est in Scriptura, & apud Diuum Ambrosium aperire vuluam; sed primò prodire ex vtero (vt diximus) quod facit omne primogenitum hoc ipso quod nascitur. Atque hoc quidem sensu eo commodiùs & verius per metaphoram dici potest Christus aperuisse Matris vuluam, quod solius Virginis vterus inter matres omnes quæ vnquam fuerunt, est alioquin omnino clausus, vt Hieronymus libro secundo contra Pelagian. & Origenes homil. 14. in Lucam, annotarunt.

SECVNDO: Apertionem vuluæ, metaphoricè dici eo sensu quo exposui, inde confirmatur, quia nec semper aliàs apertio vuluæ propriè in Scriptura dicitur, sed quandoque etiam conceptio ipsa siue facultas quædam concipiendi, apertio vuluæ in Scriptura metaphoricè nominatur. Vt vbi legimus de Lia, Genesis vigesimo nono: *Aperuit Dominus vuluam eius sorore sterili permanente*. Et rursus Genesis 30. *Recordatus Dominus Rachaëlis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius.*

TERTIO, Diuus Ambrosius per apertionem vuluæ, quæ ad partum etiam Virginis accommodatur, non id intelligit secundùm Scripturam, quod ipse multis aliis in locis apertissimè negat, Virgini in partu contigisse. At negat euidentissimè in pluribus locis superius à me recitatis (epistola 81. Et libro de Institutione Virginis, capite septimo & octauo, & alibi) Claustrum Virginis fuisse in partu patefactum. Igitur non hoc intelligit per apertionem vuluæ, sed illud aliud quod explicauimus. Et certè vel hoc vnicum argumentum conuincit Caluinistas impudenter fecisse, quòd Ambrosium contra Virginis integritatem opponere ausi fuerint, & Rhenanum illum, Tertulliani Scholiastam imperitè dixisse, Ambrosium Tertulliano in hac re subscribere.

QVARTO, Apertionem vuluæ, quæ ad partum etiam Virginis accommodatur, nó eo modo interpretari debemus, qui pugnet cum sententia tot illustrium Patrum, quot paulò superiùs pro integritate Virginis in partu citauimus.

QVINTO accedit, quòd istud ipsum Caluinistarum argumentum ex apertione vuluæ petitum, Patres etiam, vt occurrant cauillationibus hostium integritatis Virginis, sibi proponunt, & soluunt eodem modo quo nos. Sic enim Amphilochius Iconiensis Episcopus, & Basilij æqualis, Oratione de Occursu Christi & Simeone, inquit: *Ast cauillator quispiam posset hic obiicere, si illud: Omne masculinum, &c. ad solum Dominum propriè spectat* (explicauerat ibi quomodo de CHRISTO maximè dici possit, quod vuluam Matris aperuerit) *consequens sit, Virginem non mansisse Virginem. Verum audi*, inquit, *& intellige prudenter: ad Virginis quidem naturam quod attinet, eius voluntate, qui ex ea natus est, claustra illius nequaquam fuere patefacta. Ad nati verò Domini virtutem quod attinet, omnia illi sunt aperta & obuia.* Quibus verbis hic Pater explicat *aperire vuluam* fuisse, exiuisse supernaturali virtute ex vtero quantumuis clauso.

Quod profectò similiter Diuus HIERONYMVS intellexit libro secundo contra Pelagian. cum in vno quodam loco & Christum *aperuisse* vuluam Matris dicit, & tamen claustrum Matris non fuisse ruptum: *Solus* CHRISTVS, inquit, *claustra portas vuluæ Virginalis aperuit, quæ tamen clausæ iugiter permanserunt. Hæc est porta Orientalis clausa, per quam solus Pontifex ingreditur, & egreditur, et* NIHILOMINVS SEMPER CLAVSA *est.* Ita D. Hieronymus.

Tum etiam venerabilis BEDA in caput secundum Lucæ: *Quod ait*, inquit, *adaperiens vuluam, consueto natiuitatis more loquitur: non quod Dominus noster sacri ventris hospitium, quod ingressus sanctificarat, egressus deuirginasse credendus sit, iuxta Hæreticos, qui dicunt, Beatam* MARIAM, *Virginem fuisse vsque ad partum: Sed iuxta* FIDEM CA-

THOLICAM *clausa Virginis vtero, quasi sponsus suo processisset è thalamo.*

TERTIO obiiciunt Caluinistæ ex Tertulliano, propter patefactum vterum in partu, Apostolum scripsisse ad Galatas quarto, Christum non ex Virgine, *sed ex muliere factum*, quâ homo est.

SED hoc omnino nihil habet ponderis. An enim Virgo, si fuerit etiam integra in partu, mulier non est? Adde, quod si mulier ibi Apostolo est fœmina non integra; ne in Conceptione quidem Virgo integra fuerit: nam maximè etiam in Conceptione significat Apostolus, Christum, quâ homo est, fuisse ex muliere factum, ac proinde esse verum hominem. Sed de errore Tertulliani in hac parte suprà dictum est.

QVARTO denique obiiciunt impossibilem esse penetrationem corporum, quam oportet admittere, si Christus natus est non apertis claustris Virgineis.

RESPONDEO, esse quidem naturaliter impossibilem corporum penetrationem, sed omnino tamè possibilé esse per absolutam Dei potentiam, qua peractum est hoc mysterium, Angelo dicente, Luc. 1. *Virtus altissimi obumbrabit tibi, &c.*

Etenim quod duo corpora, siue duæ partes corporum, nequeant se penetrare, ita scilicet vt salua sui continuitate non possint simul occupare eundem locum; ex naturali modo & situ prouenit, quo sunt corpora in loco. Hic autem naturalis modus ac situs corporum in loco, quoddam accidens est veri ac continui corporis, ex natura rei ipso continuo corpore posterius, & omnino tale, vt non repugnet corpus carere tali accidente, sic nimirum, vt vel in nullo loco sit, (quemadmodum, si Deus crearet corpus aliquod extra supremum cœlum) vel sit in loco, alio quodam supernaturali modo longè diuerso ab illo situ naturali, & consueto, atque adeò per penetrationem cum alio corpore.

Neque hoc solum in partu Virginis contigit, sed etiam in Christi resurrectione, cùm is prodiit mirabiliter ex clauso sepulchro, ac postea cùm clausis ianuis ingressus est ad discipulos. Et in eiusdem ascensione cùm *penetrauit cœlos*. vt ait Apostolus ad Hebræos quarto. Quæ mysteria infrà quoque aduersus Caluinistas asseremus quæstione quinta & sexta. Atque hactenus de incorrupta Virginis integritate in ipso PARTV contra Iouinianum & Caluinistas hæc sufficiant.

Quod autem post PARTVM etiam mansérit perpetuò Virgo incorrupta, probatur itidem PRIMO ex Scriptura. Ezechielis 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam.* Significatur enim per hanc portam clausam perpetua Virgo Maria, vt interpretatur ibi sanctus Hieronymus, & sanctus Ambrosius libro de institutione Virginis, capite septimo, & sanctus Augustinus in serm. 18. de tempore, & alij.

Item ex illa interrogatione Virginis, Lucæ primo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* potest duci argumentum ad idem probandum hoc modo: Si beata Virgo aliquando cognouit virum; consequens esset, illam aliquando peccasse, & quidem grauiter, violando scilicet perpetuum Virginitatis votum. Sed hoc consequens omnino falsum est, & repugnans communi fidei totius Ecclesiæ. Ergo etiam id vnde hoc sequeretur. Maior probatur. Nam vt perspicuè ostendunt sanctus Gregorius Nyssenus Oratione de Natiuitate Domini, & sanctus Augustinus libro de sancta Virginitate, capite quarto, & alij Patres, verbis illis; *Quomodo fiet istud, &c.* Virgo indicauit, obstare sibi votum, quo minus posset vnquam virum cognoscere: id quod & nos asseruimus tomo tertio, disputatione vltima, quæstione quarta, puncto primo.

Neque tamen sine vanitate & errore fingi potest, fuisse postea cum Virgine à Deo dispensatum in illo voto; præsertim cùm Angelus perpetuò illud mansurũ, indicauerit Virgini, ostendens longè alia ratione fuisse futurum, vt saluo quantumuis illo vinculo voti ac firmo proposito Virginitatis conciperet & pareret, scilicet per obumbrantem virtutem Spiritus sancti, &c. Itaque si Virgo aliquando cognouisset virum; omnino peccasset, vt argumentabamur: quod repugnat communi & verissimæ fidei, vt dixi, totius Ecclesiæ.

SECVNDO probatur idem ex authoritate, tum Apostolici symboli, in quo Mariam absolutè profitentur fideles Virginem. Tum etiam ipsius Ecclesiæ, quæ beatam Virginem posteaquam etiam Christum peperit, & assumpta est in Cœlum, colit & veneratur tanquam sanctissimam & immaculatissimam Virginem, & clarissimum exemplar ac decus Virginum omnium.

TERTIO probatur idem ex Patribus. Nam sanctus EPIPHANIVS hæresi 48. & sanctus AVGVSTINVS in libro de hæresibus, capite 88. tanquam exploratam hæresim referunt & damnant contrariam sententiam inter alias hæreses. Item Patres à nobis citati pro MARIAE Virginitate, tum in Conceptione, tum in partu, fuisse illam perpetuò Virginem senserunt: idque nominatim contra Heluidium asseruit luculenter sanctus Hieronymus in libro de perpetua Mariæ Virginitate, aduersus eundem Heluidium tomo tertio. Et sanctus Ilephonsus in libro de eodem argumento contra eandem hæresim, Pe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

culiariter autem notentur in hoc genere ista testimonia.

ORIGENES Homilia prima ex variis locis: *Maria*, inquit, *desponsata fuit Ioseph, non tamen in concupiscentia iuncta, Mater immaculata, Mater incorrupta, Mater intacta.*

S. Cyrillus HIEROSOLYMITANVS Catechesi duodecima, in fine, exhortans ad *perpetuæ Virginitatis gloriam, & Angelicam*, vt inquit, *coronam* exemplo Virginis: *Virgines*, inquit, *cum Maria Virgine habebunt partem.*

S. ATHANASIVS in Euangelium de sanctissima Deipara: *Gratia*, inquit, *plena cognominata est, eo quòd adimpletione Spiritus sancti omnibus gratiis abundaret, & virtute altissimi obumbraretur: quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido, & post conceptum etiam retinuisse. Neq; enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse, quemadmodum & nũc in præsentia & in æternum vsq; habet hac Virgo sibi obumbrantem virtutem altissimi.*

S. CHRYSOSTOMVS homilia in Domini Hypapanten: *Virgo est*, inquit, *vt potè omnis virilis seminis, omnisq; concubitus expers.*

Sanctus AMBROSIVS epist. 79. ad Theophilum & Anysium, circa illud dictum Christi Ioannis 19. *Ecce mater tua: Testis*, inquit, *est idem arbiter, idem materni pudoris assertor* (Christus) *quod desponsata fuerit viro tantummodò Ioseph, nulla tamen coniugalis coitus consuetudine thori iura cognouerit. Neq; enim eam susceperuram ex Ioseph filios a viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addidit testimonium Euangelista, Quod suscepit eam Euangelista in suam.* Nunquid ergo diuortium fecit? numquid à viro abduxit atque abstulit? Et paucis interpositis: *Hoc ergo testamentum filij est de Matris integritate, hac Mariæ locuples integri pudoris hæreditas.*

S. AVGVSTINVS serm. 14. de Natali Domini, qui est 18. de Tempore: *Quid est*, inquit, *porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta, & quid est; Homo non transiuit per eam; nisi quod Ioseph non cognoscet eam.*

Sanctus LEO sermone secundo de Natiuitate Domini: *Humano*, inquit, *vsu & consuetudine, quod credimus, caret, sed diuina potestate subnixum est, quòd Virgo conceperit, quòd Virgo peperit, quòd Virgo permanserit.* Similia alij.

QVARTO accedunt huc etiam illæ rationes. *Primò*, quòd decuit Christum secundùm humanam naturam esse vnigenitum Matris, tanquam perfectissimum eius germen (vt ait D. Thomas) sicut fuit secundùm diuinam naturam vnigenitus Patris, tanquam perfectus per omnia eius filius. *Secundò*, quoniam aliud non vacasset iniuria quadam Spiritus sancti, cuius sacrarium fuit vterus Virginis. *Tertiò*, quoniam turpissimum fuisset Matri tanti filij, illo vsque adeò mirabiliter per Spiritus sancti virtutem concepto contentam non esse. *Quartò*, fuisset id etiam turpissimum Iosepho, si eam quam reuelãte Angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognouerat, non magis fuisset reueritus. Vnde HIERONYMVS libro contra Heluidium: *Ioseph*, inquit, *qui miracula tanta cognouerat in B. Virgine, Dei templum, Spiritus sancti sedem Domini sui Matrem audebat attingere?*

ARGVMENTA verò, quæ pro suo errore petebat Heluidius ex Scriptura, satis superque refutantur à sancto Hieronymo loco citato, & à Diuo Thoma hîc art. 3. Summa hæc est. *Primò.* Vbi Matthæi 1. legimus: *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens, &c.* Particulam illam *Ante*, licet sæpe consequentia indicet, tamen nonnunquam ea tantùm, quæ prius *cogitabantur* ostendere: Nec necesse esse, vt cogitata fierent, cùm ideo aliud interuenerit, ne ea, quæ cogitata sunt fierẽt. Vt si quis dicat, Antequam in portu prandierem, nauigaui; nõ significat, se in portu prandisse, postquam ex portu soluit; sed soluisse ex portu antequam ibi institueretur prandium, de quo erat *cogitatum*, vel poterat cogitari. Ita in proposito.

Secundò, ibidem Maria *coniux Iosephi* vocatur, tantùm propter primam desponsationis fidem, vt ait Augustinus in libro de Nuptiis & Concupiscentia, cap. vndecimo. Vel propter veri coniugij vinculum sine vlla tantùm copula futura, vt vult Ambrosius lib. 2. in Lucam, sub initium. Quam rem totam explicabimus infrà in materia de Matrimonio.

Tertiò, quod ibidem dicitur: *Et non cognoscebat eam, donec peperit, &c*, non significat, postea cognitam ab ipso fuisse cognitione carnali. Nam particula illa *Donec*, quandoque in Scripturis denotat tantummodò illud tempus ante quod aliquid vel factum vel non factum est, nec simul significat contrarium accidere vel non accidere sub illud tempus aut post illud. Vt Genesis octauo, cùm legimus; *Aperiens Noë fenestram arcæ quam fecerat, dimisit coruum, qui egrediebatur & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram.* Quo loco non significatur reuersum fuisse, postquam exsiccarentur aquæ. Et cum dicitur Psalmo 113. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri*, minimè significatur, auerti oculos à DEO postquam nostri est misertus.

Quartò, quod ibidem, scilicet Matthæi primo, de Maria dicitur, *Donec peperit filium suum primogenitum*; non significat illam habuisse alios post illum genitos. Nam iuxta Scripturæ phrasin is est, & nominatur *primogenitus* ante quem alius non fuit natus, etiamsi vel nondum, vel nunquam alius post illum natus sit. Vnde post vnum mensem à Natiuitate, cum scilicet nondum alius partus erat secutus, iubebantur in lege redimi primogenita, Numer. decimo octauo.

Quintò

Quintò, quòd Matthæi 12. & 13. & Ioannis secundo, mentio fit Matris Christi *& fratrum* eius; non significat habuisse illum fratres *naturâ*, sed *cognatione*, qui scilicet erant filij Mariæ materteræ Domini, vt asserit hîc D. Thomas ex Hieronymo in caput duodecimũ Matth. vbi Hieronymus ita scribit: *Quidam fratres Domini, de alia vxore Ioseph, filios suspicantur, sequentes deliramenta Apocryphorum, & quandam Escham mulierculam confingentes; nos autem sicut in libro quem contra Heluidium scripsimus, continetur, fratres Domini non filios Ioseph, sed consobrinos Saluatoris, Mariæ materteræ Domini filios intelligimus*, quæ esse dicitur Mater Iacobi Minoris, & Ioseph, & Iudæ.

Postremò, quod Matthæi 27. dicitur fuisse iuxta crucem Domini inter alias mulieres *Mariam Magdalenæ, & Mariam Iacobi, & Ioseph matrem & matrem filiorum Zebedæi*; de Maria matre Iacobi & Ioseph intelligitur, quæ fuit vxor Alphæi, non autem de Maria matre Domini, quasi hæc etiam fuerit mater Iacobi & Ioseph, tametsi de Maria quoque matre solius Domini nominatim ait Ioannes, capite decimo nono: *Stabat autem iuxta crucem IESV Maria mater eius.* Multæ enim mulieres erant ibi, vt ait Matthæus loco citato. Hactenus de perpetua Mariæ sanctissimæ Dei matris Virginitate ante partum, & in partu, & post partum.

PVNCTVM SECVNDVM.

An CHRISTVS fuerit conuenienter natus, quoad alias item Natiuitatis circumstantias.

D. Thom. quæst. 35. art. 6. 7. 8.

DRAETER incorruptam Matris Virginitatem præcipuæ ferè circumstantiæ Natiuitatis Christi fuerunt tres, scilicet Indolentia Matris in partu, Locus Natiuitatis & Tempus eiusdem. Quæ omnia congruentissima fuisse facilè doceri potest.

Et quidem Virginem fuisse expertem DOLORIS in partu, inde patet, quòd Christus natus est absque vlla vteri Virginei apertione, seu dilatatione, quæ matribus aliis adfert dolorem; Vnde Patres sextæ Synodi canone 79. *Absque vllo*, inquiunt, *dolore Virginis partum esse confitentes, (vt qui sine semine constitutus sit) eos qui propter ignorantiam aliquid indecens faciunt, correctioni subiicimus.*

Et sanctus Gregorius NAZIANZENVS in Tragœdia de Christo patiente: *Nulla*, inquit, *partes & suam manum obstetrix deprædicauit. Partus hic diuinus est.* Et CYPRIANVS in sermone de Natiuitate Christi: *Nec locus*, inquit, *ibi erat lauacris, quæ solent puerperis præparari: quippe nec aliqua natura & iniuria Matrem Domini læserat.*

Quæ Patrum testimonia planè congruunt cum narratione Euangelica, siquidem, vt Lucæ secũdo dicitur, Virgo ipsa statim ac peperit *filium suum primogenitum pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio*, tanquam ea videlicet, quæ nihil detrimenti aut languoris passa esset in partu. Id quod expresè etiam obseruauit sanctus HIERONYMVS in libro contra Heluidium, tomo secundo, capite quarto: *Nulla*, inquit, *ibi obstetrix, nulla mulierum sedulitas interceserit. ipsa pannis inuoluit infantem, ipsa & mater & obstetrix fuit, & collocauit eum, inquit, in præsepio, &c. Quæ sententia Apocryphorum deliramenta conuincit.*

Quod autem decuerit Virginem sine dolore, immò cum iucunditate parere, ostendit AVGVSTINVS in sermone de Assumptione B. Virginis, excipiens Virginem ab illa sententia Genesis tertio. *In dolore paries, &c. Nam quæ sine peccati*, inquit, *colluuione, & sine virilis admixtionis detrimento Christum susceperit, sine dolore genuit.*

Et CYPRIANVS vbi suprà: *Nihil*, inquit, *in hac re petiit vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum vsuram.* Itaque decuit potius Virginem cum iucunditate & gaudio parere: iuxta illud Isaiæ trigesimo quinto: *Germinans germinabit, sicut lilium, & exultabit lætabunda & gaudens.*

Præterea, quod ad LOCVM Natiuitatis attinet, inprimis certum est ex Scriptura, CHRISTVM in Bethleem natum esse, Micheæ quinto: *Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël.* Et Matthæi secundo: *Cùm ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudæ.* Et Lucæ secundo: *Factum est autem cum essent ibi* (in Bethleem) *impleti sunt dies, vt pareret, & peperit filium suum, &c.*

Fuit autem hic locus Natiuitati Christi idoneus, *Primò*, vt ex ipso etiam Natiuitatis loco magis constaret, impletam fuisse nato Christo promissionem diuinam factam Dauidi de Christo nascituro ex stirpe ipsius. Nam Dauid fuit etiam in Bethleem natus. Quæ ratio indicata videtur ab Euangelista, Lucæ secundo, illis verbis: *Eò quòd esset de domo & familia Dauid. Secundò*, vt vel eo ipso, quòd natus est in exigua ciuitate, hominum superbiam confutaret. *Tertiò*, quia vt ait Gregorius homilia octaua in Euangelia, & Beda in caput quintum Lucæ, Bethleem domus panis interpretatur: fuit autem Christus *panis viuus, qui de cœlo descendit*, Ioannis sexto. *Quartò*, vt eligens ignobilem locum ad Natiuitatem magis ostenderet potestatem suam: iuxta illud primæ ad Corinthios primo: *Infirma mũdi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, &c Quintò*, decuit illum ibi in peregrinatione nasci. Quia vt ait Gregorius loco citato, *per humanitatem quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur. Sextò*, decuit etiam illum egere loco in

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuersorio, vt quemdmodum ait Beda in caput secundum Lucæ, *per egestatem suam nobis multas mansiones in domo Patris sui præpararet.*

Postremò, quod ad TEMPVS attinet, natus est Christus, iuxta sententiam probabiliorē (quam fusè confirmat Baronius in apparatu ad Annales Ecclesiasticos) Anno orbis conditi 5199. qui idem annus fuit septingentesimus primus ab vrbe condita; Et secundus Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ; Et Augusti Cæsaris ab inito triumuiratu quadragesimus primus, A nece autem Cæsaris quadragesimus secundus. Et Herodis Regis vigesimus nonus. Natus est autem mense Decembri eius anni die vigesima quinta.

Fuit autem congruens Christi Natiuitati id tempus *Primò*, si consideremus fuisse illud neque sub initium mundi, neque etiam sub finem, vt ostendimus disputatione prima, quæstione prima, puncto quarto, & præsertim insigni quodam testimonio S. Gregorij Nysseni.

Secundò, si consideremus illo anno sub vno principe Cæsare Augusto fuisse pacem in toto orbe. Decebat enim eo tempore nasci Christum, *qui est pax nostra faciens vtraque vnum*, vt ait Apostolus ad Ephes. 2.

Tertiò, si consideremus eo tempore natum esse, quo Rex alienigena Herodes regnabat in Iudæa. Sic enim natus est Christus congruenter illi prophetiæ Iacob. Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Vbi tamen particula *Donec*, non indicauit tempus, quoad annum vel diem (cum circiter viginti nouem annis, prius quam Christus veniret, abstulerit Herodes regium sceptrum de Iuda) sed indicauit ea particula tempus quoad periodum vnius circiter seculi siue ætatis hominis.

Quartò, si consideremus mensem & diem, quo Christus eo tempore natus est; nempe cùm inciperet incrementum sumere lux diurna: Vt quemadmodum Augustinus ait quæstione 53. ex nouo Testamento, indicaretur ea re, illum nasci qui veniebat, vt *homines crescerent in lucem diuinam*; iuxta illud Lucæ primo: *Illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.* Atque etiam in asperitate hyemis natus est, vt iam inde inciperet pati pro nobis, vt hic ait Diuus Thomas.



PVNCTVM TERTIVM.

An ita CHRISTVS ex Virgine sit natus, vt illa verè sit Mater CHRISTI veri hominis & veri DEI.

D. Thom. quæst. 35. art. 3. & 4.

VALENTINVS antiquus hæreticus, qui teste Irenæo libro tertio, capite quarto, & Augustino libro de Hæres. capite vndecimo, asserebat, Christum per Virginem tantùm veluti per rimulam transiisse, neque veram carnem ex ea sumpsisse, non poterat asserere Virginem fuisse veram & propriè dictam Christi Matrem, ne vt is quidem est homo; immò neque illum esse verum hominem, cùm veram eius carnem negaret. Quem errorem disputatione præcedēti, quæstione secunda, puncto primo confutauimus. Nestorius autem, qui Christum, vt Deum, non concedebat, esse illam ipsam personam, quæ est Christus homo ex Virgine natus: cōsequenter negabat, Virginem hoc ipso, quod fuit Mater Christi hominis, verè fuisse Christi Dei Matrem.

Ecclesia verò Catholica sententiam vtrique errori contrariam constanter profitetur, nempe & Christum vt hominem verè esse ex Virgine genitum ac natum; & consequenter, quia CHRISTVS homo est illa ipsa persona, quæ est DEVS vnigenitus filius æterni Patris, Virginem verè esse Matrem Dei filij vnigeniti Patris. Vtrumque autem confirmauimus multis testimoniis disputatione præcedenti, quæstione 2. punct. 1. & 2.

Peculiariter autem huc pertinet illud Ephesini Concilij, can. 1. *Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, & propterea Dei genitricem sanctam Virginem; Peperit enim secūdùm carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est, Verbum caro factum est*: anathema sit.

Cùm qua sententia congruit etiam illa ratiocinatio sancti Chrysostomi homilia in Domini Hypapanten: *Crede*, inquit, *his quæ de Virgine à nobis dicuntur, nec dubites eandem & Dei ancillam & Dei parentem, tum rursus Virginem & Matrem professe. i. Ancilla quidem est, quia verè illius, qui ex ipsa prodiit, creatura: Deipara est, quandoquidem Deum, ipsum, qui carnem ex ipsa suscepit, enixa.*

Nec potest vllo modo refelli argumentum illud; quod ad hanc ipsam assertionem fidei confirmandam ducitur ex Scriptura hunc in modum: Beata Virgo est verè Mater Iesu Christi. Sed Iesus Christus est verè Deus. Ergo beata Virgo est verè Dei Mater. Maior patet, Matthæi primo, & alibi sæpe. Minor etiam habetur expresse in Scriptura, prima Ioannis quinto, vt Diuus

Thomas hîc articulo quarto ad primum asserit, & patet ex multis aliis Scripturæ locis à nobis allatis tomo primo, quæstione prima, de Trinitate, puncto primo. Consequentia autem huius argumenti omnino est etiam bona. Ergo Conclusio minimè negari potest. Sed hac de re satis superque à nobis asserta, quæstione secunda disputationis præcedentis, puncto primo & tertio, non est necesse plura nunc addere.

PVNCTVM QVARTVM.

An Christus Deus & homo per vnam & eandem filiationis relationem sit Dei Patris & Virginis Matris filius.

D. Thom. q. 35. art. 1. 2. & 5.

IN hac re de quibusdam conuenit inter Theologos in 3. distinctione 8. quod attinet præcipuè ad ipsū fundamētum Filiationis, & aliquid inter eos controuertitur. PRIMO cōuenit, sicut in Christo sunt duæ naturæ, vna diuina ab æterno, altera humana ex tempore: ita etiam esse in illo duas *natiuitates*; alternam *æternā*, qua natus est secundùm diuinam naturam ex Patre; alteram *temporalem*, qua natus est ex matre. Vnde DAMASCENVS lib. 3. de fide Orthodoxa cap. 7. *Confitemur*, inquit, *duas Christi Natiuitates; Vnam, quæ est ex Patre æternam; & vnam, quæ est in vltimis temporibus propter nos.*

SECVNDO conuenit inter Theologos, quod attinet quidem ad rem ipsam, verè dici posse Christum *bis* natum, propter eiusmodi Natiuitates duas, quarum altera scilicet fuit prior, & altera posterior. Vnde & sanctus CYRILLVS Alexandrinus, in quadam Epistola ad Nestorium recitata in Concilio Calcedonensi Actione prima, posteriorem illam Natiuitatē Christi temporalem appellat *secundam natiuitatem post eam, quæ ex Patre est*. Et sanctus FVLGENTIVS libro de fide ad Petrum cap. 2. in eandem sententiam ita scribit: *Idem vnigenitus Deus natus est semel ex Patre, semel ex matre* (quod est tantundem ac dicere *bis*) *Natus est enim de Patre Deus Verbum. Natus est ex matre Verbum caro factum*. Et addit: *Vtraque natiuitas vnius est filij Dei.*

Itaque D. Thomas hic artic. 2. ad quartum, & Bonauentura in 3. distinct. 8. art. 2. q. 1. & Richardus eadem distinct. art. 2. q. 1. & alij absolutè concedunt, Christum dici posse *bis* natum. Albertus tamen eadem distinct. art. 3. & Durādus ibidem quæst. 2. numero sexto, volunt, verè quidem dici Christum bis natū propter ordinem illum prioris & posterioris, geminæ natiuitatis; sed tamen non omnino propriè: quia nec generatio æterna, & generatio Christi temporalis sunt omnino eiusdem rationis; vt argumentatur Albertus: neque duratio æternitatis, in qua fuit natiuitas Christi æterna, est duratio eiusdē rationis cum durationē temporali, in qua fuit natiuitas Christi temporalis; vt argumentatur Durandus.

Sed hæ rationes non conuincunt, impropriè dici Christū *bis* natum: Nam vt propriè aliquid tanquam vnum & idem, siue tanquam in vno & eodem, dicatur bis contingere, satis est vnitas & identitas secundùm aliquam *communem* saltem rationem, qualis est inter *generationem* æternam & *generationem* temporalem, atque etiam inter æternam *durationem* & *durationem* temporalem: tametsi propriis quidem suis rationibus multum differāt *æterna* generatio ac duratio, & *temporalis* generatio ac duratio. Verùm de hoc non potest esse quæstio nisi de nomine.

TERTIO conuenit inter Theologos, quamuis tum Supposito, tum etiam Naturæ verè tribuatur *Natiuitas* vtraque, scilicet æterna & temporalis; aliter tamen illam competere Supposito, & aliter Naturæ. Nam *Supposito* secūdum naturam conuenit Natiuitas tanquam *subiecto* generationis, saltem secundùm nostrum intelligendi modum; *Naturæ* autem competit Natiuitas tanquam generationis *termino* formali, seu tanquam formæ intentæ per generationem; vt facilè ostendit diuus Thomas hîc articulo primo, eo quòd iuxta doctrinam Philosophi libro secundo physicorū, textu decimo quarto, Natiuitas seu generatio passiua est via quædā in Naturam, tanquam in formam quandam à generante intentam.

QVARTO cōuenit inter Theologos, in Christo propter huiusmodi duas Natiuitates, æternam scilicet, & temporalem, esse saltem duas tales filiationis relationes, quarum altera sit relatio *realis*, qua referatur ad æternū suum patrem secundùm Natiuitatem æternam: altera verò sit relatio saltem *rationis*, qua referatur ad Matrem secundùm temporalem Natiuitatem. Nam cum sint diuersissimæ rationis hæ duæ Natiuitates; non nisi diuersas relationes fundant, vt facilè ostendit diuus Thomas hic articulo quinto. Et patet ex his quæ de natura relationum tradidimus quæstione secunda de Trinitate. Ac de his quidem, vt dixi, non est controuersia inter Theologos.

CONTROVERSIA verò inter illos est, An vtraque hæc filiatio in Christo sit relatio *realis*; ita vt non solum filiatio, per quam ab æterno refertur ad Patrem sit realis relatio (de quo non est dubium) sed etiam illa alia filiatio per quam ex tempore refertur ad Matrem. Sunt enim hac de re duæ contrariæ sententiæ. Vna est Scoti in 3. distinct. 8. q. vnica, & Richardi eadem distinct. art. 2. q. 2. & Durandi ibidem q. 3. Hi sentiunt, filiationem illam temporalem Christi esse relationem realem: ac proinde duas esse in Christo filiationes reales, sub ratione quidem *relationis*, quamuis non sub ratione *proprietatis personalis*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

constituentis ſcilicet diuinam Chriſti perſonã, vt peculiariter explicuit Durandus, tametſi ferè ſuperuacaneè. Nam perſpicuum & extra controuerſiam eſt, in Chriſto non eſſe duas proprietates reales *perſonales*, cum ſit vna perſona: neque iſta quæſtio mouetur de filiationibus ſub ratione *proprietatum perſonalium*, ſed ſub ratione relationum. Quæritur enim, An duæ illæ filiationes Chriſti ſint duæ relationes reales; non autem, An ſint duæ proprietates perſonales.

Porrò argumenta quibus Scotus, Richardus, & Durandus probant temporalem quoque filiationem Chriſti eſſe relationem realem, ferè omnia reuocantur ad iſtud vnicum argumentum: Omnis illa relatio eſt realis, quæ eſt inter extrema realiter diſtincta, & habet ex natura ipſa rei fundamentum proximum reale, & ſubiectum item idoneum ad ſuſcipiendã realem relationem. Sed temporalis illa Chriſti filiatio eſt relatio huiuſmodi, ſcilicet inter extrema realiter diſtincta, & habens ex natura rei fundamentum proximum reale, & ſubiectum idoneum ad ſuſcipiendam relationem realem. Ergo eſt relatio realis.

Maior ex ſe eſt conſpicua. Minor autem probatur. Nam Chriſtus, & Chriſti Mater extrema ſunt realiter diſtincta. Item fundamentum proximum temporalis illius filiationis Chriſti eſt temporalis eius Natiuitas; quæ vtique reale aliquid eſt, quod contingit non per operationem intellectus, ſed ex ipſa natura rei. Item etſi diuinum ipſum Chriſti Suppoſitum non ſit ſubiectum idoneum ad ſuſcipiendam ex tempore relationem realem (Nulla enim relatio realis aduenit de nouo diuinæ perſonæ) tamen humanitas ipſa Chriſti eſt tale ſubiectum idoneum ad ſuſcipiendam relationem realem. Nam etiam in humana natura Chriſti, & cuiuslibet alterius hominis, ineſt tanquam in ſubiecto realis relatio *ſimilitudinis*, verbi gratia, cum natura humana alterius indiuidui. Dicimus enim verè ac propriè non modò Petrum & Ioannem, verbi gratia, eſſe ſimiles, ſed etiam naturam Petri, & naturam Ioannis. Itaque Natura humana Chriſti pari modo eſt idoneum ſubiectum, in quo realis relatio filiationis temporalis inſit.

Et confirmatur *primò* hoc argumẽtum. Nam fundamentum proximum temporalis illius filiationis competit ipſi Naturæ Chriſti humanæ, ſcilicet temporalis Natiuitas ſeu generatio paſſiua, vt iam anteà ex communi ſententia poſuimus. Ergo etiam competit illi relatio ipſa filiationis. *Secundò* confirmatur, Nam Chriſtus realiter eſt filius Virginis. Ergo per realem relationem.

Altera ſententia eſt contraria: nempe temporalem illam filiationem Chriſti eſſe tantummodò relationem *rationis*. Ita diuus Thomas hîc articulo quinto, & communiter Sectatores diui Thomæ; ac præterea etiam Albertus Magnus in tertio, diſtinctione octaua, articulo ſecundo, & Bonauentura eadem diſtinctione, articulo ſecundo, quæſtione ſecunda, cum aſſerunt non eſſe in Chriſto duas filiationes, nimirum reales. Nam quod poſsit in Chriſto concipi quædam diſtincta relatio rationis, vt eſt ex tempore filius Virginis, negari non poteſt, nec negatur ab vllis Theologis, vt anteà etiam diximus.

Porro hæc poſterior ſententia mihi videtur probabilior. Primo. Nam eſt magis conformis aſſertioni illi fidei, qua defenditur contra Neſtorium, Chriſtum reipſa non eſſe duas perſonas & duos filios, ſed vnam & eandem perſonam, & vnum ac eundem filium Dei & Virginis; & fusè probauimus diſputatione præcedenti, quæſtione ſecunda, puncto ſecundo. Negari enim non poteſt, quin maior ſit vnitas realis vnius & eiuſdem filij, ſi ne habeat quidem duas reales filiationes.

Secvndo, eandem ſententiam probo huiuſmodi argumento: Si realis relatio filiationis eſt quiddam, quod immediatè & primariò ſoler ineſſe non in Natura, ſed in *Suppoſito* tanquam in *ſubiecto*; conſequens eſt, vt non ſit in Chriſto ex tempore realis relatio filiationis. Sed verum eſt Antecedens. Verum igitur & Conſequens.

Maior huius ſyllogiſmi hypothetici probatur dupliciter. *Primò*, ex authoritate Conciliorum, & Patrum, qui conſtanter aſſerunt nõ multiplicari in Chriſto ea, quæ per ſe ſpectant ad perſonam, ſed tantum illa quæ ſpectant ad naturam: vt variis teſtimoniis oſtendimus, diſputatione præcedenti, quæſtione ſecunda, puncto ſecundo. Vnde etiam Damaſcenus libro tertio fidei Orthodoxæ, capite decimo tertio, ſolũ ea, quæ ad Naturam ſpectant, duplicari docet. *Secundò*, quoniam, vt antè dictum eſt, diuina perſona nõ eſt ſuſceptiua relationis realis ex tempore: vt docuimus Tomo primo, diſputatione prima, quæſtione decima tertia.

Minor autem, ſcilicet relationem realem filiationis immediatè & primariò ſolere ineſſe non in Natura, ſed in *ſuppoſito*, tanquam in *ſubiecto*, probatur tripliciter. *Primò* ex ipſa ratione correlatiuorum. Nam realis relatio paternitatis, primariò & immediatè ineſt non in Natura, ſed in ſuppoſito ipſo generante. Ergo ſimiliter realis relatio filiationis primariò & immediatè ineſſe ſolet in ſuppoſito genito. *Secundò*, ex ratione *fundamenti proximi* realis filiationis. Nam *naſci* ſeu generari paſsiuè, primariò & immediatè, & tanquam ſubiecto conuenire ſolet ipſi ſuppoſito genito. Naturæ autem ſeu formæ non niſi vt *termino* cuidam generationis, vt ſuprà notauimus: ſicut enim ſuppoſiti imprimis eſt generare, ita etiam gigni. Ergo ſimiliter realis ipſa relatio filiationis primariò & immediatè, & tanquam *ſubiecto* cõuenit ipſi ſuppoſito. *Tertiò*, probatur eadem Minor à poſteriori. Nam ſi realis

relatio

relatio filiationis, primario & immediatè ſoleret ineſſe in ipſa etiam natura, & non ſolùm in Suppoſito; nulla ratio obſtitiſſet, quo minus communi vſu concipiendi & loquendi, cogitaremus & diceremus, Naturam quoq; genitam, eſſe filiam: quod tamen planè abhorret à communi notione & ſermone hominum.

Itaque fallitur Richardus vbi ſuprà, cum ait; eſſe quidem relationem filiationis in Natura, & per Naturam conuenire Suppoſito, tametſi naturam non denominet. Si enim illa quoque generatio paſsiua, quæ conuenit Naturæ, eſſet ſufficiens fundamẽtum proximum realis filiationis, atq; adeo filiatio ineſſet in ipſa Natura; certè formaliter daret illi *Eſſe filiale*; atque adeo nihil obſtaret, quo minus Natura eſſet, & rectè diceretur filia.

Nec eſt ſimile, quod Richardus dicit, hominem per fortitudinem frãgere lapidem, quamuis non etiam ipſa fortitudo dicatur frangere. Etenim frangere lapidem, non eſt effectus formalis fortitudinis, ſed eſſe *fortem*, id quod verè dicitur de omni ſubiecto in quo ineſt fortitudo. Eſſe autem *filiale*, ſeu *eſſe filium* aut *filiam*, eſt effectus formalis filiationis, ac proinde ſi filiatio reuera eſſet primario, & per ſe in ipſa natura; natura quoque verè eſſet & diceretur filia, vt diximus.

Quoniam igitur ex his apparet, relationem realem filiationis naturâ ſua eſſe talẽ, vt habeat pro fundamento proximo non qualemcunque generationem paſsiuam ſeu Natiuitatem, ſed generationem paſsiuam & Natiuitatem ipſius *Suppoſiti ſecundùm ſe, & immediatè*: ac proindein ſolo Suppoſito tanquam in ſubiecto eſſe ſolet; rectè ſtatuit ſanctus Thomas non eſſe in Chriſto realem relationem filiationis ex tempore. Conſtat enim diuinum Suppoſitum Chriſti non ſecundùm ſe ipſum immediatè, ſed ſecundùm humanam naturam aſſumptam eſſe ex tempore genitum.

Ad argumentum autem contrariæ opinionis Respondeo, per diſtinctionem Maioris, quod attinet quidem ad relationis realis *ſubiectum*, de quo etiam in Maiore eſt ſermo. Nam verum quidem eſt, omnem illam relationem eſſe realem, quæ præter extrema habet ex natura rei proximum fundamentum reale, & ſubiectũ idoneum ad ſuſcipiendum realem relationem, attenta natura & cõditione ſeu ratione propria ipſius relationis & ſui fundamenti: Falſum autem eſt, omnem eam relationẽ eſſe realem, quæ habet ex natura rei proximum fundamentum reale, & ſubiectum idoneum ad ſuſcipiendam vtcunque aliqualem relationem realem. In poſito autem realis relatio filiationis temporalis non habet *ſubiectum* idoneum, attenta quoque peculiari natura & conditione eius relationis realis, quæ eſt temporalis filiatio. Nam, vt probatum eſt, ſubiectum realis filiationis temporalis, primariò & per ſe eſt tãtummodò Suppoſitum temporale, quod ſcilicet immediatè & ſecundùm ſe ipſum ſit ex tempore genitum: cuiuſmodi Suppoſitum nullum eſt in Chriſto, ſed ſolum diuinum ac æternum Suppoſitum Verbi diuini incarnati. Adde quod neque eſt in Chriſto *proximum fundamentum reale* filiationis realis temporalis; cum ipſius Suppoſitum non fuerit ſecundùm ſe & immediatè genitum ex tempore, & talis Suppoſiti duntaxat generatio paſsiua, ſeu Natiuitas, ſit fundamentum proximum realis filiationis temporalis, vt probauimus.

Ad *primam* autem Confirmationem illius argumenti Respondeo, fundamentum proximum filiationis realis nõ eſſe Natiuitatem Naturæ, ſed Suppoſiti ſecundùm ſe, vt iam eſt dictum. Poteſt autem Natiuitas Naturæ eſſe fundamẽtum filiationis, quæ ſit tantum relatio rationis per quam ſcilicet *verè intelligamus*, diuinum Suppoſitum ſecundùm naturam quidem ex Virgine aſſumptam, eſſe ex Virgine realiter natum, atque adeo Virginis filium.

Atque hinc facilè etiam reſpondetur ad *ſecundam* eiuſdem argumenti confirmationem. Nam etſi relatio ipſa filiationis temporalis formaliter non ſit realis in Chriſto; tamen quia *realiter* eſt in Chriſto fundamẽtum proximum eius relationis, nempe Natura ipſa humana, vt ex Virgine procreata & aſſumpta; realiter Chriſtus dicitur filius Virginis. Quemadmodum realiter eſt ac dicitur Deus omnium Dominus propter fundamentum *reale* relationis dominij: tametſi formaliter ipſa dominij relatio in Deo non ſit relatio realis, ſed tantum rationis, vt explicuimus tomo primo, diſputatione prima, quæſtione decima tertia, puncto quarto.



Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO TERTIA.

De Christi Passione ac Morte.

Diuus Thomas tertia parte, à quæstione quadragesima sexta, vsque ad quæstionem quinquagesimam.

DICENDVM EST PRIMO DE RATIONE AC MODO CHRISTI *Passionis, quood præcipuas illius circumstãtias.* SECVNDO, *de causis illius.* TERTIO, *de efficacitate Christi Passionis ac Mortis.*

PVNCTVM PRIMVM.

De ratione ac modo Christi Passionis, quoad præcipuas illius circumstantias.

D. Thom. quæst. 46.

A IN MODO ET CIRCVMSTANtiis Christi Passionis, primò considerari potest *finis* ob quem *passus* & mortuus est. Secundò, *genus* passionis & mortis. Tertiò, passionis *acerbitas*. Quartò, *tempus*. Quintò, *locus*.

Et de FINE quidem constat illum fuisse satisfactionem pro peccatis hominum, atque adeo redemptionem generis humani; vt tradidimus Disputatione præcedenti, quæstione prima. Quanquam vt docet diuus Thomas hîc articulo primo, secundo, & tertio, & nos etiam in illa quæstione explicuimus, non fuit absolutè necessarium, Christum satisfacere pro peccatis hominum, atq; adeo ipsum pati ad eum finem: siquidem potuisset genus humanum, vel relinqui à Deo in peccatis, vel aliter etiam à peccatis liberari, vt tradidimus suprà loco citato. Fuit tamen hoc valde conueniens, vt docet D. Thomas hîc art. 3. & nos vbi suprà in illa quæstione, p. 4. explicauimus. Atque etiam fuit hoc *ex hypothesi* quidem necessarium, posito scilicet quod vt ita fieret, fuit decretum diuinitus. Qua de re non sunt hoc loco repetenda ea, quæ suprà disseruimus.

Quod attinet autem ad GENVS seu rationem Christi passionis, constat imprimis illum in Cruce passum ac mortuum esse: vt patet ex narratione quatuor Euangelistarum, & ex Apostolo ad Philippenses secundo: *Factus obediens vsque ad mortẽ, mortem autem crucis.* Et ex illo vaticinio Psalmi vigesimi secundi: *Foderunt manus meas & pedes meos.* Vt enim ait sanctus ATHANASIVS hoc ipsum probans in libro de Incarnatione Verbi Dei, circa medium, *in nullo alio genere mortis perfodiuntur manus & pedes præterquam in Cruce.*

Id autem fuisse conuenientissimum ostendunt Patres pulchris rationibus, vt annotauit etiam diuus Thomas hîc articulo quarto. *Primò*, vt exemplo suo doceret, ne turpissimam quidem mortem, qualis illa erat, exhorrendam, aut detrectandam in causa iusta esse, & vt ad id virtute illius ignominiosæ mortis robur præberet: ne alioqui, vt ait sanctus Athanasius in libro de Incarnatione Verbi Dei, circa medium, *suspicionem de se præbuisset, quòd non in omne genus mortis, sed duntaxat in eam quam ipse excogitasset, vim suam integram efficacemq; haberet.*

Secundò, quia patiebatur vt satisfaceret pro peccato commisso in esu pomi de ligno vetito: & ideo decuit, vt pateretur se ligno affigi pro illo peccato, quasi restituens quod Adam sustulerat, iuxta illud Psalmi sexagesimi quarti: *Quæ non rapui, tunc exoluebam.*

Tertiò, vt eo modo moriens in sublime elatus indicaret se nobis aditum parare in cœlum. *Ideo*

enim, inquit S. Athanasius in Euãgelium de Passione & Cruce Domini, *in aërem cruce sublatus est* Saluator, *vt via Paradisi, quæ olim clausa erat ob peccatum, nũc volentibus pateret.* Vnde etiam ipse Dominus Ioãnis 12. *Ego*, inquit, *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.*

Quartò, vt sic etiam quodammodo sanctificaret ipsum aërem, vt ait Chrysostomus tomo 3. in Homilia de Cruce & Latrone, sicut terra etiam quodammodo mũdata est per ipsius decurrentem sanguinem.

Quintò, vt per figuram crucis in altum, profundum, & latum extensæ, doceremur virtutem Christi passionis latissimè patere, & omnibus prodesse. Quoniam, vt ait S. Gregorius NYSSENVS in Oratione Catechetica cap. 32. *qui in ea fuit extensus tempore mortis susceptæ dispensationis, qui sibi vniuersum colligat, concinnat & adaptat, is diuersas rerum naturas ad vnam per se cogit conspirationem & harmoniam. In his enim quæ sunt; vel sursum intelligitur aliquid, vel deorsum, vel ad transuersos fines transit cogitatio.* Ac similia dicit Oratione in Christi resurrectionem.

Sextò, vt quemadmodum ait sanctus AVGVSTINVS Epistola centesima vigesima ad Honoratum capite vigesimo sexto, *magister existeret Christus latitudinis, & longitudinis, & altitudinis, & profunditatis. Nam* LATITVDO *est*, inquit, *in eo ligno quod transuersum desuper figitur. Hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus.* LONGITVDO *in eo, quod ab eo ipso ligno vsque ad terram consistentium est. Ibi enim quodammodo statur, id est, persistitur, & perseueratur, quod longanimitati tribuitur.* ALTITVDO *est in ea ligni parte, quæ ab illo, quod transuersum figitur, sursum versus relinquitur, hoc est, ad caput crucifixi. Quia bene sperantium superna expectatio est. Iam verò illud ex ligno quod non apparet, quod fixum occultatur, vnde totũ illud exurgit,* PROFVNDITATEM *significat gratuitæ gratiæ, in qua multorum ingenia conteruntur, id vestigare conantia, vt ad extremum eis dicatur: O homo tu quis es qui respondeas Deo?* Atque ad hoc ipsum Crucis mysterium cognoscendum hortari dicit Apostolum ad Ephes. 3. illis verbis, *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum.* Itaq; vt idem AVGVSTINVS ait tractatu 119. in Ioannem, *lignum crucis in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit magistri docentis.*

Postremò, vt veritas responderet figuræ. Multæ namque figuræ præcesserant salutiferi ligni crucis. Vt *virga*, per quam Moyses mare diuisit, & Pharaonem deuicit & populũ liberauit. Item *lignum*, quo reddidit aquam dulcem ex amara, & eduxit de petra aquã in necessitate populi. Item *expansio* manuum Moysis oratione impetrantis victoriam contra Amelech. Itẽ arca *lignea*, in qua lex veteris testamenti custodiebatur, sicut iam seruatur diuina lex beneficio Crucis Christi, &c.

A & *ligneus baculus* Dauidis, quo prodiit obuiam Philistæo; De qua crucis figura pulchrè S. Augustinus sermone centesimo nonagesimo septimo de Tempore.

DEINDE congruenter etiam accidit in eo genere passionis Christi, vt Dominus crucem, in qua passurus erat & deuicturus hostem, portaret. Tum vt quemadmodum Dauid pugnaturus cum Goliad, *tulit baculũ in manu sua*, qui fuit crucis figura: ita etiam verus Dauid Christus contra spiritualem Goliad, id est, contra Diabolum pugnaturus, crucem suam ipse portaret, vt ait AVGVSTINVS loco citato. Tum etiam, quia vt ait S. ATHANASIVS in Euangelium de Passione & Cruce Domini, *Quamdiu stabat inimicus, tenebant ipsi carnifices lignum: qui vbi lapsus & direptus esset, tum trophæum suscepit Dominus & sibi baiulauit: siquidem decebat victorem iam triumphantem de diabolo non alteri concedere, sed sibi suum trophæum gestare.*

TERTIO conueniens etiam fuit in hoc genere passionis Christi per crucem, vt inter latrones duos crucifigeretur, sicut Isaiæ quinquagesimo tertio prædictum erat verbis illis: *Et cum sceleratis reputatus est.* Primò, quia vt ait D. HIERONYMVS in caput vigesimum septimum Matthæi, *sicut pro nobis maledictum crucis factus est Christus: sic pro omnium salute inter noxios, quasi noxius crucifigitur.*

Secundò, quia vt ait sanctus AVGVSTINVS tractatu trigesimo primo in Ioannem, *ipsa Crux, si attendas, tribunal fuit: in medio enim iudice constituto vnus latro, qui credidit, liberatus, alius qui insultauit, damnatus est. Iam significabat, quod facturus est de viuis & mortuis, alios positurus ad dextram, alios ad sinistram. Nihil ergo medium erit. Similis ille latro futurus ad sinistram, similis alter futurus ad dexteram. Indicabatur & iudicium minabatur.* Vbi obseruandum est illud etiam, quod scribit in sermone contra omnes hæreses sanctus ATHANASIVS: O, inquit, *beatum latronem! rapuisti in mundo latrocinando, rapuisti item regnum Cœlorum istiusmodi confessione.*

Tertiò, quia vt ait sanctus HILARIVS Canone decimo tertio in Matthæum, *Duo latrones lævæ ac dexteræ affiguntur, omnem humani generis vniuersitatem vocari ad sacramentum passionis Domini ostendentes. Sed quia per diuersitatem fidelium & infidelium fit omnium secundùm dexteram sinistrámque diuisio; Vnus ex duobus ad dexteram situs, fidei iustificatione saluatur.*

Quartò, quia vt ait BEDA in caput decimum quintum Marci, *latrones, qui cum Domino crucifixi sunt, significat eos, qui sub fide & confessione Christi vel agonem martyrij, vel quælibet arctioris disciplinæ instituta subeunt. Sed qui hoc pro æterna gloria gerunt, dexteri latronis fide designantur; qui verò humanæ laudis intuitu, sinistri latronis mentem imitantur & actus.*

Quintò,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quintò, vt ea re documentum nobis daretur imitandi potius genus passionis Christi in sua cruce. Nam vt triplex illic fuit Crux, ita etiã triplici modo potest quis pati aduersa. *Primò*, malè, ac sine fructu, & propter malam causam, sicut passus est latro blasphemans Christum: qui modus passionis cauẽdus est. *Secundò*, propter malam quidem causam, sed tamen bene & patienter, & cum fructu; sicut passus est latro conuersus ad Christũ: qui modus passionis bonus quidem est, sed non optandus; tametsi postquã mala causa præcessit, & patiendi necessitas incumbit, vsurpandus. *Tertiò*, bene & patienter, & propter bonam causam, atque adeo citra patientis culpam. Et iste fuit proprius modus passionis in cruce Christi, atque adeo amplectendus & imitandus, iuxta illud Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.*

Nec obstat quod Matthæus cap. 27. dicit, *latrones qui crucifixi erant cũ eo, improperabant ei.* Non enim hoc pugnat cum eo, quod de latrone bono ait Lucas cap. 23. *Dicebat ad Iesum; Domine memento mei, &c.* Nam possumus intelligere, Matthæum fuisse vsum numero plurali pro singulari, vt AVGVSTINVS ait lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 16. Vel vt ait HIERONYMVS in caput 27. Matthæi, vtrumq; latronem initio quidem blasphemasse Dominum, sed alterum tamen visis deinde signis credidisse; vt respondet etiam D. Thomas hîc art. 11. qui etiam ex Chrysostomo homilia 88. in Matthæũ notat, Iudæos quidem alia intentione Christum inter latrones crucifixisse, vt *eorum*, inquit, *suspicionis fieret particeps, sed non ita euenit. Nam de illis nihil dicitur, huius autem vbique Crux honoratur. Reges diademata deponentes assumunt crucem in purpuris, in diadematibus, in armis, in mensâ, sacrata vbiq; terrarum crux emicat.*

Vide de aliis huiusmodi pœnis pertinentibus ad ipsum genus passionis Christi (vt de Coronatione, &c.) S. Hilarium canone 13. in Matthæum, & S. Athanasium in Euãgelium de Cruce & Passione Domini, qui inter cætera ait, *Dominum spineam coronam gestasse, vt solicitudines nostræ vitæ extirparet.*

Iam verò quod attinet ad Christi passionis ACERBITATEM, ex multis capitibus intelligi potest, illam fuisse maximam, & omnibus quidem consideratis excessisse quemcunque dolorem, quem soleant perferre homines in hac vita, aut etiam pertulerint martyres: vt patet ex his quę rectè tradit hîc D. Thomas art. 5. & 7. Nam *Primò* etsi non fuit Christus passus in specie omnem dolorem, pertulit tamen *omne genus* doloris. Tum ex parte *hominum à quibus* passus est: siquidem passus est à gentilibus, & à Iudæis, à masculis, & fœminis ancillis accusantibus Petrum, à principibus & eorum ministris, ac plebeis; iuxta illud Psalmo 2. *Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius.* Item à familiaribus & notis, vt à Iuda ipsum tradente, & Petro negante.

Tum etiam ex parte earum *rerũ in quibus* passus est. Nam etsi non fuerit passus secundùm suã etiam diuinitatem, vt docet D. Thomas hîc art. 12. & nos probauimus Disp. præcedenti, q. 2. p. 2. tamẽ passus est primùm in *tota sua anima* per tristitiam, tædium & timorem; idque secundùm omnes animæ potentias: siue defendatur cum D. Thoma hîc q. 46. art. 8. rationem superiorem Christi etiam in passione retinuisse perfectam fruitionem beatificam, atq; adeo cum Summa delectatione voluntatis fuisse in eadem quoque summã tristitiam de diuerso obiecto, iuxta doctrinam D. Thomæ ibidem ad 1. siue dicamus, ne ad voluntatem quidem redundasse tunc ex clara Dei visione vllam delectationem, vt probabiliter defendimus disp. præced. q. 9. p. 2.

Item in *toto corpore* passus est, nempe in capite spinas, in manibus & pedibus clauos, in facie alapas & sputa, & in reliquo corpore flagella; atque etiam secũdùm omnes *sensus exteriores*, nempe secundùm *tactum* flagellatus & clauis confixus, secundùm *gustum* felle & aceto potatus, secundùm *olfactum* fœtorem cadauerum in loco Caluariæ, secundùm *auditum* blasphemias & irrisiones, secundùm *visum* triste Matris & Discipuli iuxta crucem spectaculum.

Item passus est in *bonis externis* omnis generis; scilicet detrimentũ famæ, per blasphemias contra eum; honoris & gloriæ per irrisiones & contumelias; atq; etiam nuditatem & inopiam tantam, vt etiam vestibus spoliatus fuerit. Sicut hæc omnia piè persequitur D. Thomas art. 5.

Vnde etiam S. ATHANASIVS in Euangelium de passione & cruce Domini: *Christus*, inquit, *sustinuit omnia; vt formidini fortitudinem, cotumeliæ patientiam, furori mansuetudinem & in summa omnem virtutem omni malitiæ opponi posse demonstraret.*

Secundò, eadem acerbitas passionis apparet ex eo, quòd tum exterioris, tum interioris doloris fuerunt in Christo causæ vehemẽtissimæ. *Exterioris* quidem, quoniam in membris maximè neruosis ac sensibilibus, scilicet manibus & pedibus confixus fuit, & sic confixus aliquamdiu cum diuturno dolore totus pependit. *Interioris* autem doloris causa fuerunt peccata omnium hominum, ob quę vt summè Deum diligebat ita summum mærorem sustinebat; atque etiam imminens mors quæ omnium maximè est terribilis.

Tertiò, apparet acerbitas passionis Christi ex eo, quòd is propter temperamentum corporis perfectissimum, & consequenter etiam ob imaginationis vim maximam, nulloq; stupore impeditam, excelluit maximè facultate persentiẽdi omnem aculeum doloris, & præsertim secundùm tactum.

Quartò,

Quartò ex eo, quòd ex consideratione Rationis superioris nulla prorsus, vt aliis solet contingere, deriuabatur consolatio ad potentias inferiores mitigans sensum doloris: Imò secundùm probabilem sententiam, neque ex ipsa clara Dei visione redundabat tunc vlla delectatio ad appetitum vel voluntatem; vt annotauimus Disp. præcedenti, quæst. 9. p. 2. Tametsi dubitandum non sit, quin semper, atque adeo etiam in passione fuerit Christus secundũ animam visione Dei clara beatus; sicut illic docuimus ex communi sententia Doctorum Scholasticorum: cui planè suffragatur insignis locus. S. AVGVSTINI lib. 9. de ciuit. Dei, cap. 15. vbi is de Christo Dei & hominum Mediatore ita scribit: *Ad hoc se interposuit mortalis & BEATVS, vt mortalitate transacta, ex mortuis faceret immortales, quod in se resurgendo monstrauit, & ex miseris beatos, quia beatitudo* NVNQVAM *ab ipso discessit.*

Quintò apparet acerbitas passionis Christi ex eo, quòd cum Dominus voluntariè susceperit passionẽ; tantam vltro suscepisse existimari debet, quantam par fuit correspondere fructui passionis, qui fuit maximus; vt scilicet homines cum Deo reconciliarentur. Itaque ob has & similes considerationes nõ est dubitandum, quin acerbitas passionis Christi fuerit maxima inter omnia, quæ in hac vita tolerari possunt: iuxta illud, quod in persona Christi dicitur, Threnor. 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.*

Quod cùm ita sit, minimè etiam dubitari debet, quin maximè pium & laudabile sit, patienti Christo, etiam flendo compati. Nam & hoc iam olim fuisse in primitiuæ Ecclesiæ vsu testis est S. Cyrillus HIEROSOLYMITANVS Catechesi 14. vbi sermonem habens de festo Resurrectionis inter cætera inquit; *Conuertatur luctus in gaudium, & dolor in lætitiam, & impleatur gaudio, & exultatione os vestrum, propter eum, qui post resurrectionem dixit; Gaudete. Vidi enim*, inquit, *amatorum Christi diebus præteritis dolorem, &c.*

Neque obstat illud, Luc. 23. *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, &c.* Non enim absolutè monuit Dominus, ne vllo modo ex compassione ergà illum flerent; sed ne flerent *illo modo* quo flebant, nempe tanquam ex compassione erga vulgarem hominem, & illius solius causa, oblitæ interim causæ quam habebant flendi *super se, & super filios suos*, vt ibi addit Dominus. Quem flendi modum imitantur ij, qui flent in Christi passione, nihil interim soliciti de suscipienda seria pœnitentia suorum peccatorum, ob quæ in primis ipsos flere oporteret.

Porrò TEMPVS passionis Christi omnino etiã conueniens fuit, vt docet optimè hîc D. Thomas art. 9. siue consideremus illud quoad ipsius Christi *ætatem*, in qua est passus; siue quoad anni *mensem*, siue quoad *diem*, siue quoad *horam*, in qua est passus.

Passus est enim in ætate *iuuenili*; vt nobis commendaret eò magis dilectionem suam, quòd vitam tunc, cum maximè florẽs est, pro nobis tradidit. Deinde vt in perfecta illa ac vigente ætate moriens & resurgens, similem futuram esse resurgentium conditionem præmonstraret; iuxta illud ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Item passus est in *vere* sub æquinoctium, vt eodem tempore per passionem suam mundum instauraret, quo illum per potentiam suæ diuinitatis creauerat, vt notauit AVGVSTINVS, quæst. 55. ex nouo Testamento. Deinde vt per incrementum lucis, quo tunc incipit dies excedere noctis periodum, significaretur eripi nos per Christi passionem de potestate tenebrarum, & transferri in spiritualem gratiæ lucem.

Item passus est *decima quintæ luna* mensis primi, hoc est, Martij: cùm pridie eius diei, hoc est decima quarta luna vetus pascha cum discipulis celebrasset ex præscripto legis, Exod. 12. Itaque conueniens fuit, vt quando Iudæi festiuitatem illam præcipuè celebrabant, quæ scilicet incipiebat vesperi decimæ quartæ lunæ, cùm agnum immolabant, & durabat per septem dies, immolaretur Christus, qui est nostrum pascha per illud vetus figuratum.

Quod autem DECIMA QVARTA luna vesperi, vt dicimus, Christus cum discipulis vetus pascha celebrauerit, atque adeo non nisi postridie, scilicet decima quinta luna (quæ tunc erat feria sexta,) fuerit passus; sententia est omnino vera & communis: quam asserunt S. HIERONYMVS in caput 26. Matthæi, & S. AVGVSTINVS Epistola 86. ad Cassulanum sub finem, vbi ait, *de hoc nullum ambigere.* Et BEDA in caput 14. Marci, & S. ANSELMVS in epistola de Fermento, & D. Thomas hîc art. 9. & Innocentius III. lib. 4. de mysterio Missæ, cap. 2. & alij. Nam primum id apparet ex Matthæo cap. 26. *Prima*, inquit, *die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes; Vbi vis paremus tibi comedere pascha? &c. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Ac similiter Marcus, cap. 14. *Primo*, inquit, *die azymorum* (id est, decima quarta luna) *quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quò vis eamus, & paremus tibi, vt manduces pascha?* Et paulò pòst: *Vespere autem facto venit cum duodecim & discumbẽtibus eis et manducantibus, &c.* Deinde hoc idem patet ex Luca, cap. 22. *Venit*, inquit, *dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha, &c.* Et *cum facta esset hora discubuit.*

Ex quibus testimoniis patet minus probabiles esse quasdam alias opiniones relatas, & refutatas hîc à D. Thoma. Vt quod Christus decima tertia luna celebrauerit vetus pascha, & decima quarta fuerit passus: quæ fuit sententia quorundam Græcorum, vt apparet ex Nicephoro lib. 1. cap. 18. Hoc enim manifestè repugnat tribus illis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Euangelistis; Neq; id scandalum dedisset Christus Iudæis, contra præscriptum legis.

Item falsa opinio est, quod Iudæi occupati in comprehendendo Christo, distulerint immolationem agni vsq; ad decimam quintam lunam; atque ita quamuis Christus celebrauerit pascha luna decima quarta, tamen passum fuisse eodem die, quo tunc Iudæi immolarunt suum agnum paschalem, &c. Repugnat enim huic opinioni, quod ait Marcus, *Primo die azymorum, quando pascha immolabant*. Itaq; persistendum est in communi illa & recepta sententia, scilicet Christum & Iudæos etiam decima quarta luna vesperi celebrasse vetus pascha, & decima quinta luna fuisse passum.

Neque obstat illud, quod Ioannes ait, capite 13. *Ante diem festum paschæ, &c.* Festum enim paschæ ibi appellat, non ipsum primum diem festũ paschæ à sui primo initio, quod erat decima quarta luna vesperi, sed solennitatem *præcipuam* eius, quæ scilicet erat post illud Vespere sequenti luna decima quinta.

Neque obstat etiam, quod vt dicitur Ioannis 18. Ipso die passionis *Iudæi noluerunt introire in prætorium Pilati, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha.* Intelligendum enim hoc est, vt rectè ait D. Thomas de manducatione paschæ, nõ quoad ipsum agnum paschalem, qui immolabatur & manducabatur decima quarta luna vesperi, sed quoad panes azymos, qui in celebratione illa paschatis per septem dies manducabantur, atque adeo etiam decima quinta luna, in qua Christus est passus.

Neque etiam obstat illud, quod de die, in quo crucifixus est Dominus, dicitur Ioan. 19. *Erat autem Parasceue* (id est præparatio) *paschæ.* Non enim significatur fuisse parasceuen, seu præparationẽ paschæ, quoad primum vel secundum diẽ illius festi paschalis, sed quoad tertium, qui illo anno fuit Sabbathũ postridie quàm feria sexta (hoc est, decima quinta luna) Christus fuit crucifixus. Erat autem Sabbathum incidens in festum paschale duplici nomine valde solenne, scilicet & quia *Sabbathum*, & quia simul *paschale*, & propterea illic appellatur, quasi antonomasticè Pascha: vt patet ex Marco cap. 15.

Fuit etiam conuenienti hora diei Dominus in cruce passus, scilicet in *meridie*, vt eo esset euidentius miraculum, quòd *tenebræ tunc sint factæ super vniuersam terram*. Nec dissentiunt inter se Lucas & Ioannes, cùm Lucas capit. 23. dicit, horam fuisse *ferè sextam*, quando tenebræ illæ sunt factæ: & Ioannes cap. 19. horam fuisse *quasi sextam*, quãdo Pilatus sedens pro tribunali tulit sententiam, quod vtique factum est aliquanto ante quàm Christus crucifigeretur, & fierent illæ tenebræ. Vterque enim intelligit tempus proximum meridiei, hoc est, fini horæ sextæ. Sed Ioannes paululum antecedenter; Lucas paululum consequenter. Completa enim, & *facta hora sexta*, vt ait Marcus cap. 15. tenebræ illæ sunt factæ vsq; ad horam nonam.

Nec rursus dissentiunt inter se Marcus & Ioannes, cum Ioannes cap. 19. ait: Hora *quasi sexta* latam fuisse sententiam contra Dominum; Marcus autem cap. 15. dicit; *Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum*. Idem namque tempus diei, scilicet meridianum, vocat Ioannes horam *quasi sextam*, & Marcus *tertiam*; intelligendo quidem horas non diei, sed *orationis*, quarum erant (sicut & nunc) quatuor in die: scilicet Prima, Tertia, Sexta, & Nona, & quælibet continebat spatium trium horarum diei. Itaque secundùm istiusmodi spatium, vt erat iam finitum, vel paulò ante finitum, vocauit Marcus horam *tertiam*: vt autem nondum erat finitum, & tamen proximum tertio spatio, vocauit Ioannes horam *quasi sextam*; vt optimè censuit Toletus in cap. 19. Ioan.

Locus deniq; passionis, scilicet Hierosolyma, multis nominibus conueniens etiam fuit, vt intelligi potest ex iis, quæ rectè scribit D. Thomas hic art. 10. *Primò*, quia ibi erat ferè medium terræ tunc habitabilis, & Christus patiebatur pro mũdo vniuerso; iuxta illud Psalm. 73. *Deus autem rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ.*

Secundò, quoniam tradidit *semetipsum oblationem & hostiam Deo in odorẽ suauitatis*, ad Eph. 5. id quod fieri decuit Hierosolymis, vbi ex Dei instituto offerebantur sacrificia illa, quæ fuerunt figura istius sacrificij Christi.

Tertiò, quoniam ad humilitatẽ eius pertinuit, vt in ciuitate tam celebri ignominiam turpissimæ mortis subiret: iuxta illud S. Leonis in sermone primo de Epiphania: *Qui serui susceperat formam, Bethleem præelegit natiuitati, Hierusalẽ passioni.*

Quartò, vt ea ratione magis cõstaret ipsum pati per iniquitatẽ principum populi Iudæorum, qui Hierosolymis morabantur: iuxta illud Act. 4. *Conuenerunt enim in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israël.*

Quintò, decuit etiam Hierosolymis non intra ciuitatem, sed extra portam pati, vt veritas huius perfectissimi holocausti responderet figuræ, quę præcesserat in holocausto vituli, & hirci, qui ad expiationẽ totius multitudinis ex Dei præscripto, Leuit. 16. comburebantur *extra castra*. Vnde Apostolus ad Heb. 13. *Quorum*, inquit, *animalium infertur sanguis pro peccatis in sancta per Pontificem, horũ corpora cremantur extra castra: propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

Sextò, idipsum etiam decuit, vt hoc Christi exemplo exeamus ipsi quoq; ex tumultu mundanæ conuersationis portantes crucem nostram post Christum; sicut Apostolus illic admonet, subiungens: *Exeamus igitur ad eum extra castra improperium eius portantes.*

Septimò, eo ipso significatum etiam est, Christum non tantùm pro illa ciuitate aut populo Iudaico mori, sed pro reliquo orbe vniuerso.

Octauò, decuit etiam, vt pateretur Christus in Caluariæ loco, vbi scilicet truncabantur capita damnatorum, interprete D. Hieronymo Matth. 27. ad significandum illum mori pro peccatis omnium, vt *deleret chirographum damnationis*, quod erat aduersus omnes, ad Coloss. 2.

PVNCTVM SECVNDVM.

De causa passionis & mortis Christi.

D. Thomas. quæst. 47.

DE causa finali passionis & mortis Christi dictum fuit â nobis Disputatione præcedenti, q. 1. sicut præcedẽti puncto annotauimus. Causam autem *materialem*, siue subiectiuam eius passionis & mortis constat fuisse ipsum Christum, qui nimirum est passus & mortuus. Causa verò *formalis* non habet in proposito locum, nisi rationẽ ipsam formalem passionis & mortis velit quis appellare formam illius, de qua non est modò quæstio.

Itaq; solum quærimus in proposito, quænam fuerit Christi passionis & mortis causa *efficiens*; vel quasi efficiens, permittendo illam scilicet, vel etiam acceptando, vt iam explicabimus.

Primo igitur causa efficiens, & quidẽ *directa* Christi passionis ac mortis fuerunt tum Iudæi, qui vt crucifigeretur à Pilato contenderunt, tum ipse Pilatus, qui tradidit ipsum vt crucifigeretur, tum eius milites, qui eum crucifixerunt, atque etiam Iudas, qui illum vendidit, & tradidit eis comprehendendum.

Etsi autem omnes isti in ea re peccauerint; tamen vt intelligi potest ex optima doctrina D. Thomæ hic art. 5. & 6. grauissimè omnium peccauerunt principes Iudæorum, qui scilicet ex mera inuidia ipsum tradiderunt, cum scirent illum esse Messiam, tametsi ex crassa & affectata ignorantia ignorarent esse Deum: vt doctè probat vtrumque D. Thomas hîc art. 5.

Minus autem peccarunt alij Iudæi de plebe, qui scilicet vtrumque ignorarunt; tametsi non absque graui culpa: cum tot tantaq; signa Christi minimè nescirent, & innocentissimam eius vitam perspectam haberẽt. Et adhuc minus peccauerunt gentiles illi, qui ipsum ex Pilati mandato crucifixerunt: quanquam & illi etiam grauiter peccarunt: siquidem Christi innocentia minimè dubia erat.

Si autem peccatum Iudæ, & peccatum Pilati, & peccatum principum Iudæorum comparentur; sentiendum est cum D. Thoma hîc art. 6. ad secundum, peccatum principum fuisse omnium grauissimum, vt qui ex mera inuidia Christum tradiderunt ipsi Pilato crucifigendum: minus autem graue Iudæ peccatum, vt qui non ipsi Pilato, sed principibus Iudæorum tradidit Christum, idq; ex *auaritia*, quæ nõ est tantum vitium, quantum *inuidia* charitati repugnans: & minus adhuc fuisse peccatum Pilati, vtpote profectum ex timore mundano, sunt enim minus voluntaria ea peccata, quæ proficiscuntur ex timore.

Secundo causa Christi passionis & mortis, non quidem propriè & directè efficiens, sed *quasi efficiens*, & *indirecta* dici potest, fuisse voluntas ipsa Christi acceptans & sustinens patienter, ex obedientia erga mandatum sui patris, illatam sibi à Iudæis & Gentibus passionem ac mortem: vt sufficienter explicat D. Thomas hîc art. 1. & 2. Vnde ipse Dominus Ioan. 11. *Nemo*, inquit, *tollit animam meam à me, sed ego pono eam*; quia scilicet voluntariè illam suscepit, & si voluisset potuisset illam effugere *absolutè* quidem, quamuis non ex *hypothesi*, scilicet posito, quod iam habebat patris mandatum illam acceptandi, vt asserit D. Thomas hîc art. 2. & patet ex illis Domini verbis Ioan. 14. *Vt cognoscat mundus, quia diligo patrem; & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Surgite eamus hinc.* Et ex illis item Apostoli ad Philipp. 2. *Factus obediens vsq; ad mortem, &c.* Quod ipsum & nos etiam asseruimus Disputat. præcedenti q. 19. & 22. Nec tamen ideo crucifigentes Christum non peccarũt, quia ipse pati & mori voluit. Non enim ille voluit & approbauit iniquam eorum *actionem*, vt ab illis scilicet iniquè exercebatur, sed voluit eam ipsam ferre *patienter*, atque eatenus pati illam, & mori.

Tertio causa similiter *quasi efficiens*, & *indirecta* passionis & mortis Christi fuit quoque ipse pater æternus: iuxta illud Apostoli ad Roman. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Fuit autem isto modo causa tripliciter. Primò, non impediendo passionem eius, sed exponendo eum potestati persequẽtium, vt docet Avgvstinvs Epistola 120. cap. 6. & 10. & indicauit etiam ipse Dominus Matt. 27. illis verbis; *Vt quid dereliquisti me?* Secundò præordinando, & etiam præcipiendo, vt Christus pro redemptione generis humani sustineret patienter passionem illam & mortem: iuxta illud Esaiæ 53. *Posuit in eo iniquitatẽ omnium nostrum.* Et ad Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationẽ per fidem in sanguine ipsius.* Tertiò, inspirando illi etiam mentem ac voluntatem illam patiendi, sicut rectè docet D. Thomas hîc art. 3.

PVNCTVM TERTIVM.

De efficacitate passionis & mortis Christi.

D. Thom. q. 48. & 49.

AD efficacitatem passionis & mortis Christi primò pertinet, quòd habuit vim *merendi* & *satisfaciendi*, iuxta ea quæ de Christi satisfactione, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

meritis diseruimus Disputat. præcedenti, q.1. & quæst. 19.

Secundò, quòd his nominibus, scilicet meriti & satisfactionis, Christus *redemit* nos, ea scilicet ratione, qua fusè item explicauimus Disp. præcedenti, q.22. p.1.

Tertiò, quòd per passionem & mortem suam Christus liberauit nos à peccatis, & *reconciliauit* Deo, ea videlicet ratione & modo, quo docuimus loco citato, cum ageremus de effectu proprio Christi redemptoris. De quibus rebus disserit etiam D. Thomas hîc, quæstione præsertim 48.

Quartò, quòd etiam *reseranit* ianuam regni cœlestis, vt facilè hîc explicat D. Thomas quæst. 49. artic. 5. iuxta illud Apostoli ad Heb. 10. *Habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi.* Quod ipsum nihil aliud est, quàm Christum passionis suæ merito liberasse homines à peccatis, propter quæ erat illis cœlum clausum, atque adeo fecisse eis potestatem ingrediendi cœlum, si per constituta media fierent participes fructus passionis Christi.

Hæc cum ita sint, superest hoc loco circa efficacitatem Christi passionis & mortis, breuiter explicanda ea quæstio, quam mouet D. Thomas hîc quæstione 48. artic. 6. & quæstione 50. artic. 6. An scilicet passio & mors Christi fuerit causa *verè efficiens* omnis eius gratiæ, quæ post Christum passum & mortuum data est vnquam, aut datur, aut dabitur hominibus. Dico autem, *post* Christum passum. Nam eius gratiæ, quæ contigit olim hominibus per fidem in Christum futurum, non potest Christi passio & mors fuisse causa nisi moralis & meritoria, vt probauimus Disp. præcedenti q.13. Itaque solum quærimus, An Christi passio & mors fuerint causa verè efficiens eius gratiæ, quæ post Christũ passum contingit hominibus.

Et negant id sanè auctores illi, quos in dicta quæst.13. Disputationis præcedentis, sentire diximus, ne ipsam quidem humanitatem Christi esse causam verè efficiẽtem effectuum supernaturalium, sed solùm causam moralem. Atque etiam quidam alij, qui etsi humanitati quidem Christi eam vim efficientis causæ non denegant, tamen opinantur non posse quoque illam tribui passioni ac morti Christi, cum iam præterierint. Quorum sententia eo item argumento posset confirmari, quod passio illa Christi & mors, si secundum proprias suas rationes formaliter considerenter, non fuerunt nisi quidam *motus*, seu *mutationes passiuæ*. Fuit enim Christi passio quædam læsio eius corporis; & eius mors quædam animæ à corpore separatio, perseuerante licet coniunctione hypostatica tum corporis, tum animæ cum diuinitate in eodem supposito diuino Christi, id est, diuini Verbi, vt explicat D. Thomas hîc quęstione 50. & patet ex dictis Disputatione præcedenti. Sed mutatio passiua propriè & formaliter nihil *actiuitatis* videtur habere posse. Ergo nec passio, nec mors Christi propriè & formaliter fuerunt causa verè efficiens gratiæ, quæ hominibus nunc datur.

Cæterùm contraria sententia est omninò D. Thomæ hîc quæst.48. artic.6. & quæst.50. articul.6. vbi affirmat, passionem & mortem Christi non quomodocunque, sed per modum *veræ efficientiæ* esse causam nostræ salutis. Atque hæc sententia mihi omnino probatur. *Primò.* Nam est magis consentanea Scripturæ sacræ, quæ sanguini Christi pro nobis effuso, atq; adeo morti & passioni Christi, tanquam cuidam *efficienti causæ* adscribit nostram salutem & liberationem à peccatis per gratiam. Vt ad Roman. 5. *Cum adhuc*, inquit, *peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est: multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus, &c.* Et ad Hebr. 13. *Propter quod & Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Et clarius supra capit. 9. *Si sanguis hircorum & taurorum, & cinis vituli aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* Et 1. Ioan. 1. *Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.*

Secundò, quia consequenter etiam hæc sententia magis est consentanea menti sanctorum Patrum; quippe qui de efficacitate passionis ac mortis Christi ita passim loquuntur, sicut loquitur Scriptura.

Tertiò, quia facilè potest hæc sententia explicari & defendi per eam doctrinam, qua defendimus Disputat. præcedenti, quæst.13. Christi humanitatem esse verè causam efficientem instrumentalem effectuum supernaturalium. Imprimis enim cum dicimus, passionem & mortem Christi fuisse causam efficientem gratiæ, quæ nunc etiam datur; similiter loquimur de causa efficiente *instrumentali & supernaturali*, quæ scilicet, vt vsurpata à Deo, habeat effectum longè excedentem vim ac facultatem suam naturalem.

Deinde illic etiam explicauimus, quemadmodum effectus alicuius eiusmodi causæ efficientis supernaturalis, posit à sua causa distare nõ solùm loco, sed etiam *tempore*, modò causa quidem antecesserit.

Denique quod asserimus, Christi passionem & mortem fuisse causam efficientem gratiæ, quæ non datur, non debet intelligi de passione Christi & morte, nudè consideratis & quasi abstractis, seu cogitatione separatis à suo *subiecto*, sed vna cum illo. Itaque passio Christi eatenus causa efficiens fuit gratiæ, quæ nunc datur, quatenus humanitatem Christi vt patientem, & vt læsam illis tormentis, ordinauit Deus, atque adeo vsurpauit velut instrumentum ad hunc gratiæ effectum; iuxta dicta Disputat. præcedenti, q.13. Et similiter mors Christi eatenus fuit efficiens causa huius effectus, quatenus Christi corpus, vt ab eo separabatur anima (licet manens vnitum diuinitati) atque adeo vt sic mutabatur, ordinauit similiter & vsurpauit Deus tanquam instrumentum ad eum gratiæ effectum.

Quibus ita explicatis, facilè iam est respondere ad fundamenta contrariæ sententiæ. Nam quod primò dicebatur, passionem & mortem Christi iam *præteriisse*; supra Disputat. præcedenti, quæst.13. ostendimus non obstare. Quod autem deinde pro confirmatione illius sententia addebatur, *mutationem passiuam*, qualis fuit Christi passio, & mors, nihil habere posse *actiuitatis*; verum quidem est naturaliter, potest tamen habere aliquid actiuitatis supernaturaliter. Nec propterea tamen desinet intrinsecè quidem esse tantummodo mutatio passiua. Illa enim ratio *actiuitatis*, quæ supernaturaliter accedit, extrinseca est ipsi rationi mutationis passiuæ, & in eo nimirum consistit, quòd ex imperio & vsurpatione Dei ordinantis talem mutationem ad illum effectum, consequitur is effectus suo tempore talem mutationem, quia ea talis existit, seu extitit, atque adeo habet eo ipso talis mutatio quandam item actiuitatem instrumentalem. Sicut etiam motus passiuus fidium, V. G. non obstante, quòd *passiuus* est, tamen quandam simul habet actiuitatem instrumentalem, quatenus à principali agente, nempe à musico vsurpatur, & ordinatur ad concentum musicum.

QVÆSTIO QVARTA.

De Christi sepultura & descensu ad inferos.

D. Thom. quæst. 51. & 52.

DICENDVM EST PRIMO DE RATIONE AC CIRCVMSTANTIIS præcipuis sepulturæ Christi. SECVNDO *explicandum, An vt Christus verè secundùm corpus sepultus est, ita etiam verè secundum animam descenderit ad inferos.* TERTIO, *ad quænam inferna loca, & ob quem finem descenderit.*

PVNCTVM PRIMVM.

De ratione ac circumstantiis præcipuis sepulturæ Christi.

D. Thom. quæst. 51.

PRINCIPIO DVBITARI NON potest, quin Christus verè fuerit sepultus postquam mortuus est: cùm id constet ex historia Euangelica, & Apostolico. Etsi enim non sit Christus sepultus secundùm se totum, id est, etiam secundùm animam; neque vt idem homo viuus qui antea erat (cùm verè fuerit mortuus) tamen est sepultus verè secundùm corpus suũ idem numero, identitate scilicet non modò *materiæ*, sicut in aliis hominibus est idem corpus mortuum & viuum, sed etiam identitate *eiusdem Suppositi diuini*. Nam eidem Supposito diuino mansit Christi corpus hypostaticè vnitum, separata quantumuis anima ab eo corpore per mortem. Itaque cum identitas numerica sumatur potissimùm ex identitate suppositi; absolutè & simpliciter sentiendum est, fuisse idem numero corpus mortuum & viuum, tametsi non etiam fuerit idem secundùm substantialem formam, qua prius viuebat, vt rectè docet D. Thom. quæst. 50. art. 5.

Quapropter secundùm suum quidem corpus idem numero, verè Christus fuit sepultus vt asseruimus. Vnde S. ATHANASIVS in epistola ad Epictetum, de eodem Christi corpore *circumciso*, vt inquit, *gestato, vescente, laborante, in palo affixo, & passo*. subiungit: *Corpus in sepulchro erat positum, cum Verbum abiit* (scilicet secundùm animam) *vt prædicaret spiritibus, qui in carcere tenebantur, vt dixit S. Petrus.*

SECVNDO, æquè certum ex fide est, corpus Christi in sepulchro non fuisse corruptum per *incinerationem*. Duplex enim est corruptio, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

docet S. Damaſcenus libro 3. fidei Orthodoxæ, cap. 18. *Una* per ſeparationem formæ viuentis, atque adeo animæ rationalis in noſtro propoſito. Et iſto quidem modo certum eſt corpus Chriſti fuiſſe corruptum in morte: ſiquidem deſtitit eſſe viuum corpus. & contrarium fuit hæreſis Caianitarum, vt memorat S. Damaſcenus loco citato, & Iſidorus libro 8. Etymologiarum, capite 5.

Altera eſt corruptio per reſolutionem perfectam in cineres, ſiue in elementa. Et iſto modo ex fide conſtat, Chriſti corpus non fuiſſe corruptum in ſepulchro, iuxta vocem illam Domini, Pſalmo 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* De Chriſti enim corpore mortuo exponit hunc locum S. Petrus Actor. 2. cùm de Deo ait: *Prouidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neq; derelictus eſt in inferno, neq; caro eius vidit corruptionem.* Et infrà cap. 13. *Dauid enim*, inquit Petrus, *in ſua generatione cum adminiſtraſſet, voluntati Dei dormiuit, & appoſitus eſt ad patres ſuos, & vidit corruptionem, quem verò Deus ſuſcitauit, non vidit corruptionem.*

TERTIO certum eſt, Chriſti corpus non manſiſſe in ſepulchro tribus integris diebus, & tribus integris noctibus: Sed duabus noctibus integris, hoc eſt, feriæ ſextæ, & Sabbathi vſque ad diluculum matutinum, & die vna integra ſcilicet Sabbathi. Itaque vt D. AVGVSTINVS libro 4. de Trinitate, cap. 6. Et libro 3. de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 24. & D. Thom. hîc quæſt. 51. artic. 4. & alij exponunt, per ſynecdochen debet intelligi, quod Matth. 12. dixit Dominus: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ita filius hominis erit in corde terræ* (nempe tempore ſepulturæ) *tribus diebus, & tribus noctibus.* Extremæ namque parti primæ diei naturalis conſtantis ſcilicet ex die & nocte, tribuitur ibi per ſynecdochen nomen totius, ſcilicet diei naturalis habentis ſuas horas diurnas & nocturnas precedentes. Primæ autem parti diei tertij habentis etiam nocturnas & diurnas horas tribuitur ſimiliter nomen totius; puta primæ illi parti naturalis diei Dominicæ, quæ incipit poſt mediam noctem Sabbathi. Et ſic tribus diebus, & tribus noctibus fuit Chriſti corpus in ſepulchro, quatenus fuit quidem toto vno die, & tota vna nocte, & *extrema* parte temporis complectentis noctem & diem, atque item *prima* parte æqualis temporis complectentis itidem noctem & diem.

QVARTO certum quoque eſt, *conuenientem* fuiſſe rationem illius ſepulturæ Chriſti, quoad alias item ipſius circumſtantias, vt luculenter docet D. Thomas hîc articul. 2. *Primò* enim decuit, vt à viris nobilibus Ioſeph & Nicodemo ſepeliretur; vt ea re præfiguraretur deuotio fidelium, qui erant Chriſto mortuo ſeruituri, & eo nomine laudem reportaturi, ſicut AVGVSTINVS libro 1. de Ciuit. cap. 13. ait, *laudabiliter commemorari in Euangelio, qui corpus Chriſti de cruce acceptum diligenter, atq; honorificè tegendum ſepeliendumq; curarunt.*

Secundò decuit etiam, vt quemadmodum ait Ioannes cap. 19. *Ligatum linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudeis ſepeliretur* Chriſti corpus. Tum ad denotandum in huiuſmodi officiis, quæ mortuis exhibentur ſeruandum eſſe morem cuiuſlibet gentis, vt Auguſtinus ait tractatu 120. in Ioannem. Tum vt per amaritudinem myrrhæ & aloës, quæ fuerunt adhibita, commendaretur nobis ſtudium pœnitentiæ, per quod in noſtris animis Chriſtum nitamur conſeruare: Atque etiam per odorem aromatum ſtudium bonorum operum, quo ſimus bonus odor omnibus.

Tertiò decuit, in ſindone munda inuolui Chriſti corpus, vt cõmendaretur nobis puritas mentis, qua Chriſtum ſuſcipiamus, ſicut Hieronymus annotauit in cap. 27. Matthæi. Et inde mos obtinuit in Eccleſia, vt ſacrificium altaris non in ſerico, neque in panno ex lana tincta, ſed in ſimplici lino celebretur, ſicut notauit Beda in caput 15. Marci.

Quartò decuit item Chriſtum ſepeliri in horto, vt doceremur per mortem, & ſepulturam illius liberari nos à morte, quã inuexit peccatum commiſſum in paradiſo.

Quintò decuit etiam illum ſepeliri in *alieno* ſepulchro, quia vt Auguſtinus dicit in ſermone 113. de Tempore, Pro *aliorum* moriebatur ſalute. Atq; etiam vt commendaretur nobis eius ſumma paupertas.

Sextò decuit etiam ſepeliri in monumento *nouo*, ne ſurrexiſſe poſtea alius aliquis fingeretur, vt ait Hieronymus, vbi ſupra.

Septimò decuit etiam ſepeliri in monumento, *exciſo in petra*, & bene clauſo, admoto ſcilicet ſaxo magno, vt eò poſtea eſſet certius & euidentius miraculum reſurrectionis eius, ſicut notat Hieronymus vbi ſupra. Item ad ſignificandum, fuiſſe futurum, vt per *Apoſtolorum doctrinam*, ſicut ait Hilarius Canone vltimo in Matthæum, *in pectus duritiæ gentilis quodam doctrinæ opere exciſum Chriſtus inferretur, rude ſcilicet ac nouum, & nulla antea ingreſſu timoris Dei peruium.* Et quia *nihil eſt* (vt Hilarius addit) *quod præter eum oporteat in pectora noſtra penetrare.*

PVNCTVM SECVNDVM.

An Chriſtus verè & propriè ſecundùm animam deſcenderit ad inferos?

D. Thom. quæſt. 52. art. 1.

PLERIQVE hæretici huius temporis non niſi metaphoricè, & impropriè interpretantur deſcenſum Chriſti ad inferos: quippe cum fabulam eſſe ducant, quod Eccleſia Catholica credit, eſſe loca ſubterranea & inferna in vaſtiſsimo quodam hiatu circa centrum terræ, in quibus animæ aliquę defunctorum pro diuerſo illarum merito & ſtatu detineantur, atq; adeo etiam inter hæc loca fuiſſe olim limbum ſanctorum Patrum, ad quem Chriſtus deſcenderit.

Itaque Brentius in caput 2. Actorum, & in Catechiſmo ſuo, & Caluinus in ὑποπαντχία, Deſcendere ad inferos dicunt eſſe *penitus extingui, & interire*, ſaltem iuxta quandam apparentiam & opinionem hominum, quibus nimirum is, qui moritur, videri poſſet prorſus extingui, etiam ſecundùm animam. Quare Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, cẽſent eſſe illum ita fuiſſe mortuum, vt videri poſsit planè periiſſe, & extinctum eſſe etiam quoad animam. Quod quia reuera non contigit, ſed anima eius, etſi à corpore per mortem ſeparata, ſuperſtes ac ſalua fuit; ideo ait Caluinus in Scriptura dici, non fuiſſe animam eius *derelictam in inferno*, Pſal. 15. & Act. 2.

Rurſus idem Caluinus libro 2. Inſtitut. capite 16. ſectione 8. & ſequentibus. Et Brentius in ſecunda parte Homiliar. ſuper Lucam, Homilia 54. & 65. & Schmidelinus in Concione quadam Auguſtæ habita, & impreſſa Tubingæ, anno 1559. Et in Reſponſione ad Scriptum Alberti Sperlingi de controuerſia Vbiquitatis, aliter hunc Chriſti deſcenſum interpretantur: vt ſcilicet Chriſtum deſcendiſſe ad inferos ſit, expertum illum fuiſſe & pertuliſſe dolores & pœnas damnatorum. Huiuſmodi autem damnatorum pœnas definiunt iſti non eſſe aliud, quàm horribilem quendam cruciatum & anxietatem conſcientiæ reputantis ſibi Deum iratum, & vel deſperantis æternam ſalutem, vt certò deſperant damnati, vel certè ita horrentis & timentis iacturam æternæ ſalutis, ac ſi certò deſperata eſſet; quod aiunt iſti Chriſto contigiſſe. Et per hunc conſcientiæ horribilem cruciatum & anxietatem ſentiunt, imprimis Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe, id eſt, pro pœna damnationis quam merebamur.

Bucerus verò in caput 27. Matthæi, & Beza in caput 2. Actorum, deſcenſum hunc Chriſti nihil aliud fuiſſe interpretantur, quàm Chriſti ſepulturam: ita vt Chriſtum deſcendiſſe ad inferos ſit, Chriſtum illatum fuiſſe in ſepulchrum. Contendunt enim *inferni* nomine in Scripturis, non aliud quàm ſepulchrum ſignificari.

Præter iſtos hæreticos quidam etiam Scriptores Catholici in hac quæſtione, citra pertinaciam tamen & hæreſin, errarunt. Etſi enim longè ab his hæreticorum deliramentis abfuerint (quòd ſcilicet nulla ſint loca animarum ſubterranea & inferna; quod Chriſtus pertulerit pœnas damnatorum; quòd infernus in Scriptura nihil aliud ſit quàm ſepulchrum) tamen arbitrati ſunt, Chriſti animam non propriè & ſecundùm ſubſtantiam ſuam, ſed tantummodò ſecundùm virtutem & effectum, deſcendiſſe ad illum locum inferni, quem Orthodoxi appellant limbum ſanctorum Patrum: quatenus ſcilicet animas ſanctorum, quæ Chriſti aduentum & paſsionem illic expectabant, merito paſsionis ſuæ inde liberauit. Ita Durandus in 3. diſt. 22. quæſt. 3. & Picus Mirandulanus in Apologia ſua, quæſt. 1.

Cæterùm ſententia Eccleſiæ Catholicæ CERTA & indubitata eſt, Chriſtum ſecundùm animam verè ac propriè & ſubſtantialiter deſcendiſſe ad illum ſaltem locum infernum, qui fuit *limbus* ſanctorum Patrum, non minùs quàm verè etiam ac propriè & ſubſtantialiter ſecundùm corpus fuit poſitus in ſepulchro. Eſt autem à nobis probanda hæc aſſertio orthodoxa, primò ex Scriptura. Secundò, ex auctoritate Eccleſiæ. Tertiò, ex auctoritate Patrum. Quartò, ratione. Quintò, ex collatione ſoliditatis ac veritatis eius cum vanitate & falſitate præcedentium ſententiarum, quas breuiter confutabimus.

PRIMO igitur probatur ex his locis Scripturæ. Pſalmo 15. *Non derelinques animam meam in inferno.* Quod de Chriſto interpretatur D. Petrus Actorum 2. de quo ibidem ait: *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni: iuxta quod impoſsibile erat teneri illum ab eo.* Item Pſalmo 141. *Educ de carcere animam meam.* Et Pſalmo 48. *Verumtamen Deus liberabit animam meam de manu inferi, cùm acceperit me.*

Item Zachariæ 9. *Tu autem in ſanguine teſtamenti eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Nam de Chriſti deſcenſu ad inferos exponit hunc locum ibi D. Hieronymus.

Item Eccleſiaſt. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes; & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Vbi ſapientia Dei loquitur, ſicut habemus ſaltem in vulgata latina editione.

Item Matt. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic erit filius Dei in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Vbi per *cor terræ* infernum intelligi (qui eſt in medio terræ inſtar

Universidad de Deusto
Biblioteca

cordis in medio animalis) asserit Tertullianus in libro de Anima, capite 31. & Hieronymus in cap. 2. Ionæ.

Item 1. Petri 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu, in quo his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë.* Planissima enim expositio huius loci est, vt per *spiritus*, qui in carcere erant, & qui aliquando increduli fuerant, quando exspectabant patientiam Dei in diebus Noë, intelligamus ibi eorum animas, qui oppressi diluuij aquis egerunt pœnitentiam in fine vitæ, licet antea fuissent increduli, atque adeo in limbo vnà cum aliis iustis intellexerunt beneficium sibi Christi passione præstitum, eodem Domino illud eis annunciante, cum mortuus quidem secundùm carnem, viuens autem spiritu, id est, anima illuc descendit. Ita enim hunc locum intelligunt communiter Patres: ac nominatim sanctus ATHANASIVS in Epistola ad Epictetum. & Cyrillus Alexandrinus libro 12. in Ioannem, capite 36. & Hilarius in illud Psalmi 118. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* & Epiphanius Hæresi. 87.

Ac cum hac interpretatione conuenit, quod in eandem sententiam D. Petrus capite sequenti dicit; *Ideo & mortuis prædicatum est Euangelium, vt iudicentur quidem secundùm hominem in carne, viuant autem secundùm Deum in spiritu*, id est, vt annunciante Christo intelligerent, se quamuis carne fuissent iustè puniti aquis diluuij, tamen beneficio Christi passionis vita spirituali, & beata fuisse postea victuros.

Fecit autem D. Petrus peculiarem mentionem eorum, qui tempore Noë fuerant aliquando increduli; quia etsi aliis etiam omnibus iustis, qui erant in limbo, similiter Dominus beneficium id annunciauit, tamen singulari commemoratione dignum fuit, quòd illis etiam id beneficium præstiterit, qui primò sub finem vitæ ad Deum fuissent conuersi illo tempore, cùm eò vsque fuissent increduli.

Quanquam D. Augustinus in Epistola 99. ad Euodium, aliter hunc locum interpretatur, cuius interpretationem refert, & sequitur D. Thomas hic artic. 2. ad tertium. Sed hæc expositio, quam proposuimus, est communior, & longè probabilior. Nec potest aliquid contra illam obiici, quod non facilè refutari possit.

Præterea ad hanc ipsam assertionem realis descensus Christi probandam pertinet illud Apostoli ad Roman. 10. *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere, aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare.* Est autem abyssus vorago profundissima, hoc est, locus summè à cœlo distans, atque adeo infernus locus, in quo proinde indicat hic Apostolus Christum post mortem fuisse. Vnde quia naturaliter difficile, imò impossibile est, ad illum vsque locum penetrare, sicut & naturaliter ascendere in cœlum; ideo dicit; *Ne dixeris, Quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare*: quasi dicat, non fore id opus ad iustitiam comparandam: quippe quæ comparari debet fide viua, quam non est difficile adhibere Christo, iuxta illud quod ibidem addit: *Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. hoc est verbum fidei quod prædicamus, &c.*

Item ad Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Quem locum Chrysostomus, Hieronymus, & alij interpretes ibi exponunt de hoc Christi descensu in infernum, & expresè etiam S. Irenæus lib. 5. cap. 31.

SECVNDO probatur eadem assertio auctoritate Ecclesiæ. Nam in Symbolo Apostolico, tanquam distinctum & peculiarem fidei articulum profitemur hunc Christi descensum ad inferos: sicut etiam eum articulum in Symbolo ponunt, & explicant Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. & 14. & Chrysostomus Homilia 2. de Symbolo. Neque illum reiiciunt ex Symbolo, sed communiter admittunt sectarij quoque huius temporis: tametsi Symbolum Nicænum, & Irenæus quidem libro 1. capite 2. & Origenes in initio librorum Periarchon, & Tertullianus in libro de velandis Virginibus, & Augustinus in libro de Symbolo fidei, & in libris de Symbolo ad Catechum. nó meminerunt speciatim huius articuli: quia scilicet implicitè continetur in articulo de sepultura, quo subintelligitur, animam Christi migrasse ad locum animarum sanctarum, sicut corpus fuit positum in sepulchro, vt annotauit Ruffinus in expositione Symboli. Item eundem articulum expresè profitetur Ecclesia in Symbolo Athanasij. Item in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. vt refertur etiam in Capit. *Firmiter*, extra de summa Trinitate, & fide Catholica; sic legimus. *In ligno crucis passus & mortuus descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum: sed descendit in anima, & resurrexit in carne, ascenditq; pariter in vtroq;.* Item in Concilio Toletano IV. Canone primo in professione fidei, inter cætera dicitur: *Descendit ad inferos, eos sanctos, qui ibi tenebantur, erueret.*

TERTIO probatur ex Patribus, qui communiter eundem Christi descensum realem asseruerunt, sed præcipua tantùm testimonia adferemus. Sanctus IRENAEVS libro 5. capite 31. *Ipse Dominus*, inquit, *tribus diebus conuersatus est, vbi erant mortui.* Ad quod confirmandum adducit locum illum Matth. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, &c.* Et illud Apostoli ad Ephes. 4. *Descendit primum in inferiores partes terræ.* Et addit: *Si ergo Dominus legem mortuorum seruauit, vt fieret primogenitus*

mogenitus à mortuis, & commoratus vsque ad tertium diem in inferioribus terræ, post deinde surgens in carne, vt etiam fixuras clauorũ ostenderet discipulis, sic ascendit ad Patrem: quomodo non confundentur, qui dicunt, inferos quidem esse hunc mundum, qui sit secundùm nos? &c. Et rursus: *Cum enim Dominus in medio umbræ mortis abierit, vbi animæ mortuorum erant; post deinde corporaliter resurrexit.*

Sanctus Cyrillus HIEROSOLYMITANVS Catechesi 4. vbi agit de Domini sepulchro: *Descendit* (inquit) *ad inferos, vt & illinc iustos liberaret.* Cur enim *vellet viuentes quidem frui gratia, quamuis plurimi ex his sancti non essent, qui verò cum Adam à longo tempore conclusi erant deinceps non potiri libertate? Isaias Propheta tanta de illo prædicauit, & non vis, vt rex descendens liberet suum præconem? Dauid illic erat, & Samuel, & omnes Prophetæ, ac ipse Ioannes qui ad eum per suos nuncios dicebat: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus; non vis vt descendens liberet tales?*

Sanctus ATHANASIVS in libro de Incarnatione Christi, circa medium, de Christi morte loquens, ex ea probat animam non extingui cum corpore: *Cum in Christi*, inquit, *morte ipsum pateat corpore non vltra sepulchrum delato, anima ad inferos penetrante, locis ingenti interuallo discriminatis. sepulchro quidem id quod corporeum erat, quia ibi corpus aderat recipiente; inferno verò id quod incorporeum fuit.* Et addit: *Vt earum animarum, quas inferus tenebat vincula, sua anima inobnoxia quidem vinculis mortis, sed tamen quæ quasi obnoxia facta esset, disrumperet, explicans illis modum rationemq; suæ resurrectionis, vt plastes ille & conditor hominis hominem damnationi subiectum ipse præsens liberaret in sua forma.*

Sanctus BASILIVS Concione 13. in Psalmum 48. circa finem explicans illud, *Veruntamen redimet Deus animam meam de manu inferni cum acceperit me: Manifestè*, inquit, *vaticinatur Domini ad inferos descensum, qui cum aliis etiam ipsius animam redimet, ne illic maneat.* Ac rationem etiam eius descensus explicat in secunda parte Concionis 11. super Psalmum 44. *Descendit*, inquit, *ad infernum gratiâ dispensationis circa resurrectionem, vt vniuersa seipso impleret.* Quo verbo satis significat descensum Christi fuisse verũ, substantialem, ac realem.

Sanctus Gregorius NYSSENVS Oratione 1. in seruatoris Christi resurrectionem: *Nunc*, inquit, *mortis carcer aperitur, nunc captiuis libertas annunciatur, &c. Vultis etiam de tridui præfinito termino aliquid intelligere? illud dixisse contenti simus, tam exiguum temporis spatium fuisse satis, vt omnipotens sapientia in corde terræ existens magnam illam mentem* (Diabolum) *in ea habitantem stultam redderet, &c.*

Sanctus Gregorius NAZIANZENVS Oratione 2. in Pascha, non longè à fine: *Si in infernum*, inquit, *descendat Christus, simul descende. Ea quæ mysteria cognosce, quæ Christus illic designauit: quòd duplicis descensus consilium* (è cœlo scilicet in terram primo, & postea è terra in infernum) *quæ ratio fuerit? vtrum omnes sine vlla exceptione aduentu suo saluos fecerit, an illic quoque eos duntaxat qui crediderunt.*

TERTVLLIANVS, (vt ad Latinos transeamus) libro 2. contra Marcionem, cap. 4. de Christi passione loquens addit: *Post vbi secretas inferni venit ad vndas, Atq; suum victor captiuum luce retexit, Astanti iussumq; patris virtute peregit, sponte suum corpus, quo & liquerat, ipse recepit.* Et in libro de Anima, capite 2. *Quid est*, inquit, *illud, quod ad inferna transfertur anima post diuortium corporis, &c. ad quod & Christus moriendo descendit, puto ad animas patriarcharum.* Et paulò post locum infernum, in quo erant animæ patriarcharum, nominat expresè *sinum Abrahæ.*

Sanctus HILARIVS in Psalmum 138. circa medium; explicans illud, *Si descendero in infernum, ades: Humanæ*, inquit, *ista lex necessitatis est, vt sepultis corporibus ad inferos animæ descendant: quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusauit.*

Sanctus AMBROSIVS libro de Dominicæ incarnationis Sacramento, capite 5. *Non*, inquit, *abyssо, sed Patri dixit; In manus tuas commendo spiritum meum. Ipsa anima etsi fuit in abyssо, iam non est; quia scriptum est, Quoniam non relinques animam meam in inferno.* Et libro de mysterio Paschæ, capite 4. *Expers peccati Christus, cum ad tartari ima descenderet, seras inferni ianuasq; confringens, vinctas peccato animas mortis dominatione destructa è diaboli faucibus reuocauit ad vitam, atque ita diuinum triumphum æternis characteribus est cõscriptum, cum dicit, Vbi est mors aculeus tuus? vbi est mors victoria tua?* Oseæ 13.

Sanctus HIERONYMVS in caput 13. Oseæ: *Liberauit*, inquit, *omnes Dominus & redemit in passione crucis, & effusione sanguinis sui, quando anima eius descendit in infernum, & caro eius non vidit corruptionem, & ad ipsam mortem, atque infernum locutus est, Ero mors tua ô mors.* Et in caput 4. ad Ephes. *Inferiora*, inquit, *terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster Saluator descendit, vt sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cœlos victor adduceret.*

Sanctus AVGVSTINVS Epistola 57. ad Dardanum: *De carne*, inquit, *quod ea die in sepulchro sit posita, manifestissimum est Euangelium. Quod verò illa anima in infernum descenderit, Apostolica doctrina prædicat: quandoquidem B. Petrus ad hanc rem testimonium de Psalmis adhibet, vbi de ipso prædictum esse demonstrat, Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* Et in epistola 99. cum idem Petri testimonium adduxisset: *Quis ergò*, inquit, *nisi infidelis negauerit fuisse apud inferos Christum?*

S. GREGORIVS libro 13. Moral. capite 20. *Hi*, inquit, *qui ante eius aduentum in hunc mundum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

venerunt, quantamlibet iustitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti, in sinu cœlestis patriæ statim recipi nullo modo poterant: quia necdum ille venerat, qui inferni claustra sua descensione solueret, & iustorum animas in perpetua iam sede collocaret.

QVARTO probatur eadem assertio ratione ea, quam ponit sanctus Ioannes DAMASCENVS libro 3. capite 29. his verbis: *Descendit*, inquit, *in infernum anima deificata, vt quemadmodum iis, qui in terra, iustitiæ ortus est sol, sic & iis, qui sub terra in tenebris, & in umbra mortis sedebant, lux insulgeret. Et vt quemadmodum in terra euangelizaueret pacem, captiuis remissionem, cæcis visum, & iis qui crediderunt factus est causa salutis æternæ, incredulis autem infidelitatis improperium & redargutio: sic & iis qui in inferno; vt ipsi omne genu flectatur cœlestium & terrestrium & infernorum. Atq; hoc pacto à seculo compeditos soluens, rursus ex mortuis rediit, nobis viam parans ad resurrectionem.*

Item cõueniens hoc fuit vt (quemadmodum ratiocinatur hîc D. Thomas articul. 1.) victo diabolo per passionem, vinctos eius eriperet, qui detinebantur in inferno; iuxta illud Zachariæ 9. *Tu quoq; in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu.* Et illud ad Coloss. 2. *Expolians potestates & principatus traduxit confidenter.*

QVINTO probanda est, vt initio diximus, eadem assertio per confutationem erronearum illarum sententiarum de metaphorico Christi descensu ad inferos, quas initio commemorauimus. Nam ex illarum quoque falsitate perspicietur magis orthodoxæ assertionis veritas.

Ac PRIMVM quidem, quod Brentius & Caluinus senserunt, hunc descensum Christi ad inferos fuisse ipsam mortem eius, per quam videri poterat penitus extinctus etiam quoad animam; hoc, inquam, præterquàm quod indicare videtur, parum aut nihil istos credidisse de naturali immortalitate cuiuslibet rationalis animæ, manifestè etiam repugnat tum Scripturæ, tum Symbolis Apostolico & Athanasij, tum S. Patribus: siquidem ex his omnibus constat descensum illum fuisse aliquid aliud quàm ipsam CHRISTI mortem, vt patet ex testimoniis allatis.

DEINDE, quod Caluinus itidem, & Brentius, & Schmidelinus finxerunt, propterea Christum descendisse ad inferos, quia pertulerit pœnas damnatorum, hoc est, terribilem conscientiæ cruciatum (vt illi inquiunt) timens iacturam æternæ salutis; commentum est æquè vanum ac impium, quod multis modis euidenter refelli potest. *Primò.* Quoniam Scriptura passiones Christi sigillatim commemorans, nullam vsquam eiusmodi pœnæ (quæ tamen secundùm istos fuisset præcipua) mentionem facit, vt patet Psalmo 21. & Esaiæ 53. & Matth. 20. & Luc. 18. &c.

Secundò. Quoniam sæpè etiam Scriptura declarat, per passionem & mortem denique persoluisse Christum precium redemptionis nostræ, atque adeo solius obedientiæ per passionem & mortem consummatæ merito, ipsum fuisse exaltatum, nulla alia intercedente passione vllius pœnæ. Vt ad Philippenses 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, &c.* Et ad Ephes. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Et ad Heb. 9. *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Et 1. Ioan. 1. *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato, &c.*

Tertiò. Quoniam ipse Dominus in passione sua manifestè declarauit, se de salute, atque gloria sua æterna certissimum fuisse, atque adeo à conscientiæ cruciatu, quem isti fingunt per timorem iacturæ illius, abfuisse quam longissimè. Vt cùm Matthæi 26. principi sacerdotum dicenti; *Adiuro te per Deum viuum vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei*; Respondit, *Tu dixisti. Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Et cùm Ioannis 18. ait Pilato, *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc.* Et dicenti tunc Pilato, *Ergo rex es tu?* respondit: *Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, &c.* Et cùm ait in cruce Lucæ 23. *Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Et rursus ad latronem: *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso.* Hæc omnia certè plena cuiusdam certissimæ fiduciæ sunt abhorrentis plurimum ab anxietate illa & pœna damnatorum, quam impij isti & damnati hęretici Domino imposuerunt.

Quartò. Quoniam communiter sancti Patres asseuerant, Christum sic ad inferos descendisse, vt tamen nullam prorsus timuerit, aut subierit ipse infernalem pœnam. Quo in genere hæc testimonia in specie notentur. S. ATHANASIVS sermone quarto, contra Arrianos, non longè à fine. *Quî quæso* (inquit) *non absurdum impiumque sit, hunc dicere mortem aut infernum exhorruisse, ad cuius conspectum ianitores inferorum metu se contraxerunt.*

Sanctus Cyrillus HIEROSOLYMITANVS Catechesi 14. post medium, *Descendit*, inquit, *in mortem solus, & multa corpora quiescentium sanctorum excitauit. Exterrita est mors, videns nouum quendam descendentem in infernum, vinculis quæ illic sunt non ligatum, &c.*

Sanctus HILARIVS libro 10. de Trinitate paulò ante medium. *Anne tibi*, inquit, *metuere infernum chaos, & torrentes flammas, & omnem pœnarum vltricium abyssum credendus est, dicens latroni in cruce, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso?* Ac ibidem appellat cogitationem eam, *impudentem assertionem & stultum furorem.*

S. Am-

S. AMBROSIVS libro 3. de fide, cap. 3. exponens de Christo illud Psalmi 87. *Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Liber*, inquit, *est, qui mortis vincula nesciuit, non captus ab inferis, sed qui operatus sit in infernis, sine adiutorio est: quòd non per nuncium, neq; legatum, sed ipse per se Dominus saluum fecit populum suum.*

S. AVGVSTINVS in libro contra Felicianum Arianum, capite 15. Tomo 6. perpendens illud, *Hodie mecum eris in Paradiso*, Luc. 23. *Si igitur*, inquit, *mortuo corpore ad paradisum anima mox vocatur; quenquam ne adhuc tam impium credimus, qui dicere audeat, quoniam anima Saluatoris nostri triduo corporeæ mortis ad inferos custodiæ mancipetur?* nimirum sentiendo illius loci pœnam. Et paulò pòst: *Non initium* (inquit) *mœroris mors ista, sed finis est.* Idem confirmat in epistola 99. ex illo Psalmi 87. *Inter mortuos liber.*

Nec argumenta contrariæ illius impietatis istorum vllius momenti sunt. Præcipuè obiiciũt PRIMO, quod debuit Christus persoluere pœnas à nobis debitas, vt constat Esaiæ 53. Ergo etiam pœnas inferni.

RESPONDEO, non debuisse soluere in eodem pœnarum genere, sed abunde satisfeciisse in alio genere solutionis, videlicet per meritum passionis suæ, quod fuit valoris infiniti ad placandum Deum: sicut ostendimus Disputatione præcedenti, quæstione 1. Alioqui eodem argumento probarent isti CHRISTVM adhuc pati, & in æternum passurum pœnas inferni. Nam eiusmodi pœnas ipsi merebamur.

SECVNDO obiiciunt illud Matthæi 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* *Hanc enim tristitiam interpretantur isti fuisse terribilem conscientiæ cruciatum, quo dicunt contineri damnationis pœnam.*

RESPONDEO cum S. Augustino libro contra Felicianum, vbi supra, tristem dixisse animam suam vsq; ad mortem, non nisi propter affectum susceptæ carnis, qua nimirum mortem horrebat vt naturæ contrariam. Itaque merum figmẽtum est in illa tristitia infernalem cruciatum imaginari.

TERTIO detorquent huc item illud, *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matthæi vigesimo septimo.

RESPONDEO, nihilo magis per hæc verba significasse cruciatum illum damnatorum: sed indicauit his verbis Dominus ad confirmandam veritatem humanæ naturæ suæ vehementem quandam admirationem paterni consilij, quo scilicet voluit Pater permittere ipsum tam acerba pati.

QVARTO obiiciunt illud Petri Actorum 2. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Sensit igitur dolores inferni, tametsi ab eis breui fuerit liberatus.

RESPONDEO cum S. Augustino epistola 99. & cum Ambrosio lib. 3. de fide, cap. 3. & aliis, ex hoc loco Petri potius probari Christum nunquam fuisse obstructum inferni doloribus: siquidem *impossibile erat*, illum tanquam vinctum & obstrictũ eiusmodi doloribus *teneri* vnquam ab inferno. *Quod si mouet* (inquit illic Augustinus) *aliquem, quemadmodum accipiendum sit, inferni ab illo solutos dolores: neque enim cœperat in eis esse tanquam in vinculis, & sic eos soluit, tanquam si catenas solui isset, quibus fuerat alligatus: facile est intelligere sic eos solutos, quemadmodum solui possunt laquei venantium ne teneant, non quia tenuerunt.*

Addit & aliam interpretationem: nempe, *vt eos*, inquit, *dolores eum soluisse credamus, quibus teneri ipse non poterat, sed quibus alij tenebantur, quos ille nouerat liberandos.* Mitto quod in textu Græco solutis doloribus *mortis* legitur. Sed *inferni* legunt non modò Ambrosius, & Augustinus, vbi supra; verùm etiam Irenæus lib. 3. cap. 12. & alij veteres.

QVINTO obiiciunt illud ad Hebr. 5. *Exauditus est pro sua reuerentia*; vbi somniauit Caluinus sensum esse, quòd fuerit liberatus à metu pœnæ & perditionis æternæ, quo cruciabatur, cùm ipse id oraret.

RESPONDEO, hoc commentum interpretationis alienum esse non modò à communi expositione veterum Patrum, sed omnino etiam ab ipsis verbis Apostoli. Nam εὐλάβειαν, quo vocabulo Apostolus ibi vsus est, minimè significat cruciatum timoris alicuius pœnæ, aut ipsam pœnam, sed piam quandam reuerentiam, atque adeo timorem etiam reuerentialem.

Vnde non solùm Latini interpretes, sed etiam sanctus Chrysostomus, & alij expositores Græci, de reuerentia quadam, seu veneratione locum hunc exponunt: vt sit sensus, Christum dignum fuisse qui exaudiretur, cùm mereretur omnem honorem & reuerentiam; Vel quia ipse magna cum pietate & reuerentia erga patrem orauit. Exauditus autem est eo modo, quo expediebat, & quo ipse etiam deliberata vndequaque voluntate exaudiri volebat, nempe quoad illam orationis suæ partem; *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* De hac enim Christi oratione loquitur ibi Apostolus.

PRÆTEREA Buceri & Bezæ error, quem tertio loco commemorauimus (scilicet nomine *inferni*, seu *inferorum* in Scripturis, non nisi *sepulchrum* solere intelligi, ac proinde Christum descendisse ad infernum, nihil aliud esse, quàm ipsum fuisse sepultum) planè absurdissimus est. Nam PRIMO repugnat ipsi Scripturæ, in qua inferni, seu inferorum nomine loca subterranea, & ima significantur, quæ scilicet plurimum distent à superficie terræ deorsum, sicut plurimũ etiam distat cœlum sursum versus. Vt Genes. 37. cùm ait Iacob, *Descendam lugens filium meum ad in-*

fernum;

Universidad de Deusto
Biblioteca

fernum»; quem tamen credebat à bestia deuoratum, atq; adeo minimè esse in aliquo sepulchro, sed secundùm animam in inferno. Et Psalm. 138. *Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades.* Vbi per antithesin opponuntur loca *deorsum & sursum*, maximè à superficie terræ distantia. Sicut etiam Isaiæ 14. *Dicebas in corde tuo. In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, &c. Veruntamen ad infernum detraheris in profundum loci.* Et Matth. 11. *Tu Capharnaum, nunquid usq; in cœlum exaltaberis? usq; in infernum descendes.* Et Lucæ 16. *Mortuus est autem diues & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraam à longè & Lazarum in sinu eius.* Vbi minimè sepulchrum: (quippe in quo nec sunt ipsæ animæ, nec tormenta animarum) sed locus subterraneus & infernus significatur inferni nomine. Id quod etiam patet ex vocabulo Græco ἅδης, quod nomen vbique in Scriptura, & aliàs etiam significat non sepulchrum, vt πάροιμον, sed locum infernum, sicut etiam communiter in Scripturis infernus locus, & non sepulchrum significatur Hebraico vocabulo שְׁאוֹל.

A

Secvndo repugnat etiam illud commentũ sententiæ communi sanctorum Patrum, qui, vt supra vidimus, magno consensu asseruerunt, infernum, in quem Scriptura dicit Christum descendisse, fuisse locum subterraneum, in quo erant animæ sanctorũ Patrum, quæ proinde nondum erant in cœlo ante Christi aduentum. Vnde S. Hieronymvs peritissimus Scripturarum in caput 4. ad Ephesios, non modò hoc asserit, sed etiam confirmat ex Scripturis. *Inferiora*, inquit, *terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster saluatorq; descendit, vt Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ secum ad cœlos victor adduceret. Vnde & post resurrectionem eius plurima corpora iustorum in sancta ciuitate visa sunt. Quod autem* (inquit) *infernus in inferiori parte terræ sit, Psalmista testatur dicens; Apertæ est terra, & deuorauit Dathan, & operuit super Congregationem Abyron. Psal. 105. Et ipsum in Numer. libro cap. 16. plenius explicatur. Alio quoq; loco legimus, Veniat mors super eos, & descendant in infernum viuentes, Psal. 54.* Idem asserit in caput 14. Esaiæ. Atque etiam D. Augustinus lib. 2. tract. cap. 14. Et Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 42. Et ante hos Irenæus lib. 5. cap. 31. & Tertullianus in Apologetico cap. 45. Et libro de Anima, vbi supra, & alij communiter hoc pro certo ponunt.

C

Tertio, pugnat etiam id commentum cum eo, quod Scriptura ait, Christum *descendisse ad inferos*. Non enim dicitur quis descendere in sepulchrum, sed poni in sepulchrum.

Qvarto his accedit, quod iam olim Ecclesia damnauit in Origenistis commentum illud, quo nituntur omnes isti errores Sectariorum: scilicet pœnas inferni non esse tormentum aliquod peculiare ignis, in loco subterraneo, sed conscientiæ cruciatum, &c. vt constat ex S. Hieronymo in epistola 59. ad Auitum.

Sed de locis infernis infra in Disputatione de statu animarum post hãc vitam ex instituto disseritur. Nobis iam satis sit, quòd hactenus probauimus contra Sectarios, fuisse ante Christi aduentum locum talem infernum, in quo fuerint sanctorum animæ, ad quem saltem Christus descenderit. Quod & S. Gregorius lib. 4. Moralium cap. 32. affirmat ex Orthodoxa Ecclesiæ sententia his verbis: *Postquam de corporibus transeunt* (sancti præsentis Ecclesiæ) *nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui Patres, à cœlestis patriæ perceptione differuntur. Mox quippe vt à carnis colligatione exeunt, in cœlesti sede quiescũt*, Paulo attestante qui ait, 2. Corinth. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis: Prius autem quàm redemptor noster morte sua humani generis pœnam solueret, eos etiam qui cœlestis patriæ vias sectati sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt, &c.*

B

Postremo falsa etiam, & nullo modo tolerabilis est opinio Durandi, & Mirandulani, quam vltimo loco retulimus: scilicet, Christum descendisse tantummodo secundùm effectum, quatenus beatas reddidit merito passionis suæ illas animas, & illuminauit clarius de aliquibus mysteriis fidei.

Primò. Nam sine causa vrgente exponit impropriè hæc sententia testimonia Scripturæ de illo Christi descensu. Neque est eadem ratio de paradiso, in quo (vt obiicit Durandus) impropriè intelligitur fuisse Christi anima cum latrone bono illo triduo, quatenus scilicet erat beata. Paradisi namque vocabulum necesse est intelligi impropriè, cùm ad statum vel locum beatitudinis accommodatur: siquidem propriè non significat nisi amœnum hortum. Descensum autem illum nihil nos cogit interpretari impropriè.

C

Secundò, quoniam repugnat illa opinio communi traditioni Patrum, vt ex allatis testimoniis patet.

Tertiò, quoniam ex illa sequeretur, Christum non modò secundùm animam, sed etiam secundùm corpus descendisse ad inferos: siquidem non anima sola, sed etiam corpore Christus persuam passionem promeruit illis animabus sanctis effectum spiritualem.

D

Quartò, quia nullo solidò argumento opinio illa nititur, vt facilè quiuis animaduertet positis duobus. Primum est, animas à corpore separatas eodem modo esse in loco & moueri posse localiter, quo Angelos, atque adeo etiam per præsentiam suæ substantiæ, & per motum localem discretum, vt de Angelis asseruimus Tomo 1. Disp. 4. q. 3. & 4. Alterum est, non esse necesse, vt in illo eodem instanti, quo anima Christi fuit à corpore separata, atq; adeo cœpit motu discreto localiter moueri versus infernum; fuerint ab illa iam præsenti in inferno redditæ beatæ sanctorum

rum animæ, sed satis est quòd statim post sine aliqua mora temporis notabili, aut etiam perceptibili. Vnde ipse Dominus in cruce ad latronẽ nõ ait, statim ipso puncto, quo moriar, mecum eris in paradiso, sed *hodie*, &c. Itaque minimè oportet, Christi animam fuisse in duobus locis, scilicet vbi à corpore separata fuit, & in inferno, sicut obiicit Durandus. Qui diffusus huiusmodi suis argumentis, rectè ad extremum in illa q. 3. dist. 22. libri 3. sentent. addidit: *Non est pertinaciter asserendum, quin anima Christi per alium modum nobis ignotum potuerit descendere ad infernum, nec nos negamus alium modum esse forsitan veriorem, sed fatemur nos illum ignorare.* At potest eo modo intelligi, quo intelligitur localis motus Angelicus, vt dixi. Itaque cùm omnes hæ sententiæ de Christi descensu ad inferos, præter eam quam asseruimus, falsæ sint; reliquum est, vt illa sit verissima.

A

B

PVNCTVM TERTIVM.

Ad quænam loca inferna Christus descenderit, & ob quem finem.

D. Thom. art. 2. & seq.

Vod attinet ad loca, certum est descendisse Christum ad limbum Patrum, vt probauimus puncto præcedenti. Dubium autem est, An etiam descẽderit ad locum damnatorum, & ad purgatorium, & ad limbum infantium, qui cum solo peccato originali è vita decesserunt. Neque enim desunt qui putent ad omnia hæc loca, atque adeo etiam ad infernum damnatorum, realiter descendisse.

C

Primò, quoniam id videtur significari in Scriptura. Ecclesiast. 24. illis verbis: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, inspiciam omnes dormientes.* Atque etiam D. Paulus ad Ephes. 4. ait, Descendisse illum in inferiores partes terræ; inter quas partes est etiam damnatorum infernus; iuxta illud Psalm. 62. *Introibunt in inferiora terræ.*

Secundò, quoniam ita sensisse videntur Patres. Nam Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 14. & Athanasius sermone 4. contra Arrianos, & alij dicũt, ad Christi aduentum *exterritos fuisse dæmones.* Item Augustinus Epistola 99. dicit, Christum venisse eò, vbi erant *dolores inferni.* Item Fulgentius lib. 3. ad Thrasimundum cap. 30. ait, descendisse ad infernum vbi *peccatorum animæ torquebantur.* Item Gregorius Nyssenus oratione 1. in Christi Saluatoris resurrectionem ait; fuisse Christũ in eo loco, qui *erat diaboli sedes.* Item Cyrillus Alexand. lib. 12. in Ioannem cap. 36. & Damascenus lib. 3. fidei orthodoxæ cap. 29. dicunt, Christum descendisse ad inferos, vt quasi possessionem caperet totius regni sui, quod pertinet nimirum ad omnia loca cœlestium, terrestrium & infernorum, atque adeo etiam ad damnatorum locum.

D

Sed quamuis hæc sententia sit probabilis, tamen probabiliorem esse arbitror sententiam D. Thomæ hîc art. 2. vbi asserit, Christum substantialiter quidem solum descendisse ad eam inferni partem, in qua iusti detinebantur, *vt quos ipse* (inquit) *per gratiam interius visitabat secundùm diuinitatem, eos etiam secundùm animam visitaret & loco.* Itaq; ex sententia D. Thomæ, solùm descendit ad limbum Patrum, & Purgatorium, cùm vtrobique essent animæ iustorum. Ad infernum autem damnatorum & limbum puerorum nõ descendit nisi secundùm aliquem effectum, puta confutãdo & damnando illorum peccatum, siue originale solum, siue etiam actuale in adultis: vt interpretatur Caietanus hîc art. 2. ex sententia D. Thomæ, quem rectè, ait, sub loco damnatorum comprehendisse, & adultorum gehennam, & limbum paruulorum, cùm vtrique suo modo sint damnati.

Probatur autem mihi magis hæc sententia *Primò*, quia nec necesse erat, nec decebat, vt Christus præsentia sua dignaretur eos, qui gratia ipsius indigni erant, atq; etiam in æternum damnati. *Secundò*, quoniam argumenta prioris opinionis tãtummodo probant duo quædam, quæ possunt optimè consistere cum posteriori hac D. Thomæ sententia.

Primum est, Christum ad omnia omnino illa loca descendisse partim substantialiter, vt descendit ad loca iustorum, partim secundùm effectum, vt descendit tum ad illa eadem loca iustorum (sicut paulò pòst dicemus) tum ad loca etiam damnatorum, vt iam antè est dictum. Atque hoc modo, scilicet secundùm effectum, interpretatur bene D. Thomas hîc art. 2. testimonium illud Ecclesiast. 24. quod attinet quidem ad damnatos. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, visitabo omnes, &c.*

Alterum quod argumenta illa probant, est, Christum etiam secũdùm substantiam descendisse ad illam quidem *regionem inferni*, hoc ipso videlicet, quòd descendit ad quandam partem, siue ad quædam loca illius vasti hiatus infernalis. Sicut is dicitur ingredi v. g. ciuitatem, qui ingreditur locum aliquem, siue aliqua loca ciuitatis, etiamsi non circumeat per omnes eius angulos.

Atque in hoc sensu accipi debet, quod ait Apostolus ad Ephes. 4. *descendisse Christum ad inferiores partes terræ.* Et quod dixerunt Patres descẽdisse ad locum inferni, vbi erant *dolores & tormẽta* etiam damnatorum. Quanquam vt rectè hîc artic. 2. ad 2. D. Thomas ait, in limbo quoque sanctorum Patrum fuerunt dolores *dilationis* saltem gloriæ; iuxta illud Prouerb. 13. *Spes quæ differtur, affligit animam*, à quibus doloribus, vt ibidem D. Thomas ait, liberauit Christus sanctos illos reddendo illos beatos, vt postea dicemus. Quin etiam ab aliis damnatorum tormentis, & doloribus eosdem item sanctos liberauit præseruan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

do illos ab eis, vt ait D. Thomas, vel certè continuando præſeruationem illam iam anteà factam.

Item eodem ſenſu accipiendum eſt quod aiunt Patres, ob Chriſti deſcenſum *exterritam fuiſſe ipſam gehennam*; Nempe propter inuſitatum aduentum vſque adeo noui, & ſingularis hoſpitis in illam *regionem*, & propter confuſionis effectũ quem ſenſerunt ad illius aduentum.

Item eodem etiam pertinet, quod Patres aiunt, deſcendiſſe Chriſtum, vt quaſi *poſſeſsionem caperet* in illis partibus ſui regni. Non enim ad hoc erat neceſſe obire omnia loca illius infernæ regionis ſeu regni. Nam neque rex aut princeps cum capit poſſeſsionem regni vel ditionis ſuæ, obire ſolet omnia omnino illius loca, ſed aliqua tantum, ex quibus in cæteris quoque de illius poteſtate conſtet. Et hactenus quidem de Locis.

Quod autem attinet ad Finem illius Chriſti deſcenſus, id eſt, ad id quod egit in locis iuſtorum, ad quæ deſcendit (id enim nunc appello *finem*, propter quem deſcendit) quinque ſunt certa, & duo incerta ac dubia.

Primo certum eſt, Chriſtum indidiſſe lumen gloriæ animabus illis ſanctorum, qui erant in limbo, atque adeo reddidiſſe beatas, vt docet diuus Thomas hic articulo ſecundo ad ſecundum, & articulo quarto ad primum, & alij Theologi in tertio, diſtinctione vigeſima ſecũda. Id enim apparet ex illis verbis Domini Lucæ vigeſimo tertio: *Hodie mecum eris in paradiſo*, id eſt, in loco vbi mecum & cum aliis eris beatus. Qui locus fuit ille Patrum limbus, ad quem Chriſtus illo die deſcendit. Nam ad omnes etiã illos Sanctos pertinuit illud Chriſti dictum, vt notauit Origenes homilia decima quinta in Geneſin.

Nec repugnat Avgvstinvs epiſtola nonageſima nona, cum ait: *Illis iuſtis, qui in ſinu Abrahæ erant, cum Chriſtus in Infernum deſcendit, nondũ quid contuliſſet inueni, à quibus ſecundùm beatificam præſentiam diuinitatis ſuæ nunquam video receſiſſe.* Non enim præſentiam diuinitatis appellat beatificã, quia iuſtos illos *actu feciſſet* anteà etiam beatos, ſed quia vbique *præſens* diuinitas, atque adeo ab illis animabus iuſtis nunquam recedens, vbique & ex omni loco *poterat* eas beatas facere, etiam ſine Chriſti animæ deſcenſu: Et ideo dicit Auguſtinus, ſe nondũ inueniſſe tunc quidem, quid propriè ad eum finem contulerit ille deſcenſus. Contulit autem ad hoc, vt id ipſum cum maiore illorum iuſtorum conſolatione fieret, à Chriſto nimirum ſecundùm animam etiam præſente. Quanquam diuus Thomas hic articulo quinto ad primum, duobus aliis modis hunc Auguſtini locum interpretatur. Sed id voluit Auguſtinus quod dixi.

Secvndo certum eſt, Chriſtum eduxiſſe ſecum illas animas ſanctas ex loco illo, quamuis non niſi tertio die, cùm illuc vſque ibi manſerit: vt tradit diuus Thomas articulo tertio & quinto. Quò pertinet illud Zachariæ nono: *Tu verò in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Et illud ad Coloſſenſes ſecundo: *Expolians principatus & poteſtates* (Nempe etiam educendo ex inferni regione illas animas, vt exponit diuus Thomas hic articulo quinto) *traduxit confidenter paſam, &c.* Adque idem aſſerunt ſancti Patres præcedenti puncto citati.

Tertio certum eſt, ſanctas illas animas, etſi tertio die poſt Chriſti mortem fuerint à limbo liberatæ, tamen non aſcendiſſe in cœlum donec ipſe Chriſtus aſcenderet. Ille enim cœlum ingrediens aditum ad illud patefecit; iuxta illud Pſal. ſexageſimi ſeptimi, & ad Epheſios quarto: *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Et illud Micheæ ſecundo: *Aſcendit pandens iter antè eos.* Et illud Ioannis decimo quarto: *Vado parare vobis locum.* Neque enim decuit, vt membra aſcenderent prius in cœlum, quam illorum caput, quod eſt Chriſtus.

Qvarto certum eſt, Chriſtum in inferno nullas animas damnatorum à pœnis gehennæ liberaſſe. Nam ſanctus Avgvstinvs in libro de hæreſibus capite ſeptuageſimo nono, inter hæreſes refert, quòd deſcendente ad inferos Chriſto crediderint increduli & fuerint liberati. Et repugnat id ordinariæ Dei legi explicatæ in illis Scripturæ locis: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum.* Secunda ad Corinthios quinto. Et ad Galatas ſexto: *Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet.* Et infrà: *Ergo dum tempus habemus operemur bonũ, &c.* Ex quibus & aliis ſimilibus locis conſtat, non niſi in hac vita eſſe tẽpus comparandi ſalutem, & effugiendi pœnas illas æternas. Atque eadem eſt ratio de paruulis damnatis, qui cũ ſolo peccato originali deceſſerant, vt tradit diuus Thomas hic articulo ſeptimo.

Qvinto certum eſt, Chriſtum in inferno pœnas ipſas damnatorum minimè fuiſſe expertum: vt contra Caluini, & Brentij, & Schmidelini impietatem, puncto præcedenti oſtendimus. Atque hæc quidem, vt dixi, certa ſunt, & apud orthodoxos omnes extra controuerſiam.

Dvbivm autem & incertum eſt Primo, An Dominus in infernũ deſcendens liberauerit ex purgatorij pœnis omnes eos, qui ibi tunc cruciabantur. Nam diuus Thomas hic articulo octauo ſolum concedit, eos tunc fuiſſe ex purgatorio liberatos, qui vel iam eo tempore ſatis expiati erant, vel dum viuerent, habuerant peculiarem deuotionem erga futuram Chriſti paſſionem, & eo ipſo meriti erant, vt Chriſto ad inferos deſcendente, liberarentur ab iſtis purgatorij pœnis. Ratio eius eſt, quoniam paſsio Chriſti non habet effectum niſi per certa & determinata media, qualia in propoſito ſunt illa ſufficiens expiatio per purgatorij pœnas, & illud peculiare

culiare meritum deuotionis erga Chriſti paſſionem, &c.

Sed contraria ſententia eſt quoq; ſatis probabilis: Nẽpe ſingulari gratia & priuilegio per illum Chriſti aduentum fuiſſe liberatos à pœnis omnes iuſtos & Dei electos, atq; adeo etiam eos qui erant in purgatorio; vt ſenſit diuus Bonauẽtura in tertio, diſtinctione vigeſima ſecũda, quęſtione quinta, & Thomas Argentinenſis eadem diſtinctione, quæſtione vnica, articulo quarto, & Gabriel eadem diſtinctione, quæſtione vnica, articulo tertio, dubio tertio, vbi ait hanc ſentẽtiam fuiſſe *multorum Doctorum*. Et idem ſenſit Sotus in quarto, diſtinctione quadrageſima quinta, quæſtione prima, articulo tertio, in fine.

Primò enim probari poteſt hæc ſententia ex illo Eccleſiaſtici vigeſimo quarto: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, illuminabo omnes ſperantes in Domino.*

Secundò ex S. Gregorio qui libro decimo tertio Moralium, capite vigeſimo, bis abſque vlla exceptione dicit, per illum Chriſti aduentum fuiſſe *liberatas animas iuſtorum & electorum*, quales fuerunt nimirum illæ etiam quæ erant in purgatorio.

Et clarius Homilia vigeſima ſecunda, in Euãgelia perpendens illud Ioannis duodecimo: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum: Omnia*, inquit, *traxit, qui de electis ſuis apud inferos nullum reliquit. Omnia abſtulit, vtique electa. Neque etenim infideles quoſque & pro ſuis criminibus æternis ſupplicijs deditos, ad veniam Dominus reſurgendo reparauit, ſed illos ex inferni clauſtris rapuit, quos ſuos in fide & actibus recognouit. Vnde rectè etiam per Oſeam capite decimo tertio dicitur: Ero mors tua ô mors, ero morſus tuus inferne.*

Tertiò, idem indicat Avgvstinvs Epiſtola nonageſima nona, & libro duodecimo ſuper Geneſin ad literam, capite trigeſimo tertio, & trigeſimo quarto, vbi ait, aliquos etiam fuiſſe liberatos *à doloribus* inferni, præter illos, qui erant in ſinu Abrahæ, nec tamen ex numero illorum qui damnari erant.

Quartò, decebat quoque ea benignitas & clementia triumphalem illum Chriſti deſcenſum ad inferos, cum ſoleant etiam huius mũdi principes in victoria & triumpho aliquid de pœna debita reis condonare ad maiorem cumulum lætitiæ communis. Neque obſtat lex ordinaria. Nam fieri hoc decuit per *ſingularis gratiæ priuilegium*, vt diximus.

Secvndò, dubium eſt, An fuerit aliqua pœna ſeu pœnalitas animæ Chriſti, mora illa tridui in inferno. Nam diuus Thomas hic articulo primo, ita ſentire videtur, dum inde probat, fuiſſe conueniens Chriſtum ad infernum deſcendere: *Quia ipſe*, inquit, *venerat pœnam noſtram portare, vt nos à pœna eriperet, ſecundùm illud Eſaiæ quinquageſimo tertio. Vere languores noſtros ipſe tulit & labores noſtros ipſe portauit. Ex peccato autem homo incurrerat nõ ſolum mortem corporis, ſed etiam deſcenſum ad inferos. Et ideo ſicut fuit eum mori conueniens, vt nos liberaret à morte: ita conueniens fuit eum deſcendere ad inferos, vt nos à deſcenſu ad inferos liberaret.* Hactenus diuus Thomas. Et ita etiam ſenſit hic Caietanus articulo ſecundo.

Contra verò diuus Bonauentura in tertio diſtinctione vigeſima ſecunda, quæſtione quarta, concedit quidem Chriſtum deſcẽdiſſe ad locum pœnæ, ſed non ad pœnam: *Quia neque habuit*, inquit, *pœnam damni, neq; vllam pœnam ſenſus.*

Videtur autem eſſe controuerſia ſolum de nomine. Nam quod ad rem attinet conſtat de duobus. *Primò*, minus bonum, aut etiam quoddam malum fuiſſe, non eſſe tunc in Cœlo aut in commodiori loco, ſed in inferno: ſicut etiam nõ fuiſſe tunc Chriſti animam in ſuo perfecto ſtatu, ſcilicet coniunctã cum corpore. *Secũdò*, iſtud minus bonum ſeu qualecunq; malum non ſubiiſſe tunc Chriſtum cum aliquo ſuo ſenſu & dolore; neque etiam vt lueret tunc aliquod debitum peccati, ſicut ſubiit paſsionem & mortem, ſed potius inſtar triumphatoris & redemptoris, qui ſponte eo ſe demittit, vt inuiſat in carcere captiuos & vinctos, quos vult inde liberare. Iam verò controuerſia ſolum eſt de modo loquendi: An ſcilicet propter *primum* debeat dici Chriſti anima ſubiiſſe tunc aliquam *pœnalitatem*; an verò propter *ſecundum* debeat hoc negari.

Et in hac quæſtione de nomine negatiua ſententia diui Bonauẽturæ videtur magis probanda. Nam ſuis pœnis & pœnalitatibus omnibus finem impoſuit Chriſtus in cruce moriens, iuxta illud quod ipſe iam iam expiraturus dixit: *Conſummatum eſt.* Ioannis decimo nono. Item quia nec dicitur ſubire aliquam pœnam victor ſi velut triumphans inuiſat vltro captiuos in carcere, quantumuis horrido.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO QVINTA.

De Christi Resurrectione.

D. Thom. 3. part. quæst. 53. & sequentib.

QVAE PROPRIE PERTINENT AD CHRISTI RESVRRECtionem, & non ad resurrectionem in communi (de qua disseremus in Disputatione vltima) duobus punctis complecti possumus. PRIMO igitur dicemus de ratione & modo Christi resurrectionis, quoad eius præcipuas circumstantias. SECVNDO, de modo, quo Christus probauit discipulis suam resurrectionem.

PVNCTVM PRIMVM.

De ratione & modo Christi resurrectionis, quoad eius præcipuas circumstantias.

D. Thom. quæst. 53. & seq.

IN RATIONE AC MODO RESVRrectionis Christi, hæc potissimum obseruari debent. PRIMO, Virtus seu potentia qua Christus resurrexit. Surrexit enim Christus propria sua virtute, iuxta illud Ioannis decimo: *Ego pono animam meam, vt iterum sumā eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam a me ipso: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

Nec solum intelligendum est Christum resurrexisse virtute propria suæ diuinitatis (quod minimè obscurum est) sed etiam virtute suæ *animæ & corporis*, nō quidem naturali sed *supernaturali*; quatenus anima illa & corpus, vt manserant vnita diuino Verbo, fuerunt etiam instrumentalis causa resurrectionis, iuxta doctrinam diui Thomæ hîc q. 53. artic. 4. explicatam ibi breuiter à Caietano.

Quæ doctrina facilè intelligi & defendi potest, si ponamus, Christi animam & corpus fuisse causam instrumentalem iteratæ illius coniūctionis mutuæ atque Christi resurrectionis, non per illum ipsum motum seu mutationem suam, qua inuicem coniuncta fuerunt, cum anteà non essent (Nam hæc mutatio fuit potius ipse *effectus*, vel certè ad illum pertinuit) sed per aliquē alium motum *prævium*, ad quē voluit Deus consequi effectum illum principalem, qui fuit vtriusque coniunctio & vnio, atque adeo Christi resurrectio: qui motus in anima quidem potuit esse aliquis actus interior intellectus vel voluntatis, vel etiam ipse motus localis ex inferno ad sepulchrum: in corpore autem potuit esse similiter aliquis motus localis in ipso sepulchro, sub illud temporis momētum, quo viuificatum fuit ab anima.

Neque obstat, quod diuus Petrus ait Actor. 2. *Quem Deus suscitauit, &c.* Et quod ait Paulus ad Rom. 8. *Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra.* Vtrumque enim verum est; & quod Deus atque adeo Pater & Spiritus sanctus suscitauit Christum, & quod ipse etiam tum per diuinitatē suam *principaliter*, tum per corpus suum & animam *instrumētaliter* se suscitauit.

SECVNDO considerari debet *qualitas* Christi resurgentis. Fuit enim post resurrectionem præditus corpore non modò vero, quale prius habuit, sed etiam *integro & gloriosō* atque adeo *immortali*, & singulari quodam decore fulgens in vulnerum cicatricibus; quæ omnia clarè & sufficienter confirmat diuus Thomas hîc quæstione quinquagesima quarta.

Peculiariter autem de cicatricibus illis notetur præclarus ille locus sancti AVGVSTINI libro secundo de Symbolo fidei ad Catechumenos, capite octauo: *Sicut demōstrauit*, inquit, *Thomā non credenti, nisi tangere & videret: ita etiam inimicis suis vulnera demōstraturus est sua. Propter quod dictum est per Prophetam Zachariam capite duodecimo. Videbunt in quem pupugerunt. Nos vt eis dicat, sicut Thomæ; Quia vidisti, credidisti; sed vt conuincens eos veritas dicat; Ecce hominem quem crucifixistis, ecce Deum & hominem in quem credere noluistis. Videtis vulnera quæ infixistis, agnoscitis latus, quod pupugistis, quoniam & per vos & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Qui non estis redempti pretio meī sanguinis, non estis meī; Discedite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Matthæi vigesimo quinto. *Sed illorum mors proficiat ad nostram salutem. Si illi contempserunt, nos timeamus eum, qui sic venturus est iudicare.*

TERTIO considerari debet *prærogatiua* Christi resurgentis. Fuit enim omnium *primus* qui resurrexit ad vitā gloriosam, & non amplius mortalem: iuxta illud Apostoli prima Corinthiorum decimo quinto: *Christus surrexit à mortuis primitiæ dormientium.* Et ad Colossenses primo: *Qui est primogenitus ex mortuis.* Et Apocalypsis primo: *Primogenitus mortuorum.* Quare si qui alij ante Christum vnquam resurrexerunt; iterum fuerūt morituri, vt optimè confirmat diuus Thomas hîc quæstione quinquagesima tertia, articulo tertio ad secundum, ex sententia sancti AVGVSTINI, Epistola nonagesima nona ad Euodium: quę sententia videtur omnino probabilior; quamuis contrarium senserit Caietanus in illo articulo tertio, sed sine firmis rationibus.

QVARTO considerari debet *tempus* resurrectionis. Surrexit namque Dominus iuxta veriorem & magis receptam sententiam circa diluculum primæ Sabbati, id est, diei Dominicæ, vt asserit sanctus AVGVSTINVS libro quarto de Trinitate, capite sexto, & libro tertio de Consensu Euangelistarum, capite vigesimo quarto. Et sanctus HIERONYMVS in Psalmū quinquagesimum sextum, circa versiculum illum: *Exurge gloria mea, exurgam diluculo.* Ex quo Psalmo satis ista sententia confirmatur: sicut etiam ex authoritate Ecclesiæ, quæ in hymno ad laudes Octauæ paschatis memorat resurrectionem Christi contigisse cum *aurora lucis rutilat, &c.*

Alij autem paulò pòst mediam noctem, ad galli cantum, resurrexisse putarunt: vt Cyrillus libro duodecimo in Ioannem, capite quadragesimo quarto, & Ambrosius in caput vltimum Lucæ: immò etiam Hieronymus alibi, scilicet in Epistola ad Hedibiam, quæstione tertia.

Sed quod surrexerit diluculo, vt diximus, est magis consentaneū non solùm illi Psalmo quinquagesimo sexto, sed etiam Euangelio Marci capite decimo sexto, vbi Marcus ait: *Surgens autem manè prima Sabbati apparuit primò Mariæ Magdalenæ.* Nam quod quidam aiunt, illud *Manè* nō esse referendam ad verbum *Surgens*, sed ad verbum *Apparuit, &c.* minimè congruit cum instituto ipso Euangelistarum, quod fuit præcipuè describere tempus ipsum Dominicæ resurrectionis.

Neque obstat *Primò*, quòd Marci decimo sexto videtur significari contigisse resurrectionem Domini die dominico multo post diluculum, verbis illis: *Cum transisset Sabbatum Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum; & valde manè vna Sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole, &c.* Ortus namque iam sol ibi dicitur, non quia iam cerneretur, sed quoniam in diluculo iā appropinquaret, & inciperet aërem illuminare, vt interpretatur sanctus Augustinus libro tertio, de consensu Euāgelistarum, capite vigesimo quarto, & Euthymius in caput decimū sextum Marci, & diuus Thomas hîc quæstione quinquagesima tertia, articulo secundo ad tertium.

Nec obstat *Secundò*, quòd Ioannes capite vigesimo contrà videtur significare, antè diluculum contigisse resurrectionem Domini, cum de Magdalena ait: *Vna autem Sabbati Maria Magdalena venit manè, cum adhuc tenebræ essent ad monumētum, & vidit lapidem sublatum, &c.* Nam etiam in diluculo supersunt aliquæ tenebræ. *Die quippe surgente* (vt respondet ad hoc Augustinus loco citato) *aliquæ reliquiæ tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux.* Itaque adhuc, vt Ioannes inquit, erant *tenebræ*, præsertim cùm resurrectio Domini contigerit *valde diluculo*, vt ait Lucas capite vigesimo quarto, & *valde manè*, vt ait Marcus, capite decimo sexto.

Ac propter has tenebras dicit GREGORIVS Homilia vigesima prima in Euangelia, Dominū resurrexisse media nocte; nō quidem diuisa nocte in duas partes æquales, sed accipiendo medium pro eo, quod fuit intra tenebras, & participauit ex vtroque extremo; scilicet, pro diluculo, quod participat de die, & nocte, vt exponit diuus Thomas quæstione quinquagesima tertia, articulo quarto ad secundum.

Neque *Tertiò* obstat, quòd Matthæus capite vigesimo octauo, non modò ante diluculū Dominicæ, sed etiam ante mediam noctem Sabbati significat contigisse Domini resurrectionem cum ait: *Vesperе autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrū, & ecce motus factus est magnus, &c.* Etenim *vesperi* seu *sero* Sabbati appellat noctem Sabbati, quoad eius partem extremam, quæ est nimirum in diluculo diei Dominicæ. Illud enim diluculum est *vesperi*, id est, *extrema pars* totius Sabbati, accipiendo Sabbatum pro die naturali, vt includit diem & noctem.

Atque ad hoc indicādum addidit Matthæus: *Quæ lucescit in prima Sabbati*, id est, in initio Dominici; vt intelligeremus, sermonem esse de vespere Sabbati, non circa occasum solis, sed circa ortum potius in extrema parte noctis, id est, in diluculo seu in aurora lucescente diei Dominicæ. Quæ expositio est Cyrilli Alexandrini libro duodecimo in Ioannem, capite quadragesimo quarto, & Euthymij in caput vigesimum octauum Matthæi.

Itaque circa tempus resurrectionis Domini non dissentiunt Euangelistæ, sed omnes indicāt contigisse illam in diluculo Dominicæ: quāquam aliis, & aliis verbis. Quo autem momento, seu particula illius temporis contigerit, non explicant Euangelistæ, neq; notum est *vlli mortalium*, vt ait sanctus HIERONYMVS in Epistola ad Hedibiam, quæstione sexta.

Fuit autem congruum resurgere Dominum *diluculo*, vt significaretur, per gratiam noui testa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

menti fieri, id q̃ Apostolus ad Ephesios quinto ait; *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, sicut AVGVSTINVS indicat libro quarto de Trinitate, capite sexto. De quibus rebus fusius pro instituto suo scribunt, qui commẽtantur in Euangelia.

QVINTO, inter circumstantias resurrectionis obseruari debet miraculum illud, quo Dominus per *clausum sepulchrum* penetrauit. Quanquam negat hoc quidem Caluinus libro quarto Institutionũ, capite decimo septimo, & alij eius asseclæ; ac nominatim etiam Fortunatus Krellius in Disceptatione de re Eucharistica, contra nostram quãdam disputationem de eodem argumento. Fingunt etiam isti, diuino mandato per ministerium Angeli de cœlo descendentis, amotum fuisse lapidem, vel certè sese flexisse illius duritiam, vt aditum Christo resurgenti ac prodeunti de sepulchro præberet.

SED contrarium, scilicet, prodiisse Dominũ ex *clauso* sepulchro, colligitur ex Euangelica historia. Nam Matthæi vigesimo octauo, cùm iam Dominus resurrexisset, & mulieres appropinquarent sepulchro, *terra motus factus est magnus*, Angelo scilicet Domini descendente de cœlo & reuoluente lapidem, postquam scilicet iam surrexerat Dominus. Id enim significat Angelus, cũ ad mulieres ait; *Nolite timere vos, &c. venite & videte locum, vbi positus erat* (erat, inquit) *Dominus*.

Atque ita etiam pro certo contigisse asserunt Patres. Vt sanctus Hieronymus in Epistola ad Hedibiam quæstione sexta: *Non putemus*, inquit, *Angelum idcirco venisse, vt aperiret Domino resurgenti & reuolueret lapidem, sed postquam Dominus resurrexit hora qua ipse voluit, & quæ nulli mortalium cognita est, indicasse quod factum est, & sepulchrum vacuum reuolutione lapidis, & sui ostendisse præsentia.*

Et BEDA Homilia in vigilia Paschatis: *Reuoluit Angelus*, inquit, *lapidem, non vt egressuro Domino ianuam pandat, sed vt egressus eius iam facti hominibus præstet indicium. Qui enim mortalis clauso Virginis vtero potuit nascendo ingredi mundum, idem ipse factus immortalis clauso sepulchro potuit resurgẽdo exire de mundo.* Idem diuus Chrysostomus Homilia nonagesima prima in Matthæum, & Gregorius NAZIANZENVS in Tragœdia de Christo patiente, vbi ait, *Clausoque sepulchro surgens exiit.* Et Euthymius in caput vigesimum octauũ Matthæi, &c.

SEXTO, considerari debet *efficacitas* resurrectionis Domini. Nam fuit causa etiam *efficiens* nostræ iustificationis, immò etiam futuræ resurrectionis nostræ, vt facilè ostendit diuus Thomas hîc quæstione quinquagesima sexta. Quæ assertio illo eodem modo explicari ac defendi debet, quo suprà quæstione tertia, puncto tertio, docuimus, passionem Christi, quantumuis iam præteritam, esse causam efficientem nostræ iustificationis; iuxta ea quæ generatim de causa efficienti *supernaturali* tradidimus, Disputatione præcedenti, quæstione decima tertia.

PVNCTVM SECVNDVM.

De modo quo Christus probauit discipulis suam resurrectionem.

D. Thom. quæst. 55.

RESVRRECTIONEM suam tam sæpè, tam multis, tam variis apparitionibus, & argumentis, Dominus testificatus est, vt si omnia saltem perpendantur simul, nõ potuerint illi meritò de ea dubitare; quemadmodum satis superque ostendit diuus Thomas hîc quæstione quinquagesima quinta, præsertim articulo vltimo.

Præcipua verò hoc loco controuersia est de apparitione illa, quæ narratur Ioãnis vigesimo, cum Christus dicitur ingressus ad discipulos *ianuis clausis*: An scilicet per clausas ianuas verè penetrauerit. Negant enim hoc Caluinus libro quarto Institutionum, capite decimo septimo, & eius discipuli, ac nominatim Fortunatus in disceptatione de Re Eucharistica, contra nostrã quandam Disputationem.

Itaque nouo & inaudito commento aiunt; Dominum ad discipulos venisse τῶν θυρῶν κεκλεισμένων (sic enim Ioannes loquitur) hoc est *clausis foribus* seu *cum clausæ fores erant*: longè aliud esse quàm per clausas fores ingredi solidamque materiam penetrare: tantummodò enim id fuisse, diuina virtute, quæ inuia peruia efficere potest, imperare ianuis, aditumque sibi facere, vt præter discipulorum opinionem in medio eorum esset, cui fores obseratæ à nemine erant reseratæ.

SED contraria sententia Orthodoxorum omnium, scilicet, CHRISTVM *per ianuas clausas penetrasse*, constat planè ex ipsa narratione Euangelij, vt multis argumentis probari potest. PRIMO enim Euangelista tanquam insigne miraculum (vt Caluinus ipse fatetur libro quarto Instit. capite decimo septimo) narrat, Christum bis ad discipulos ingressum esse, *cum fores essent clausæ*, seu (vt etiam dicit) *ianuis clausis*. Cur igitur Caluinistæ contrà dicunt, eum non nisi ianuis apertis ingressum esse? Nam quod interpretantur ianuis clausis, id est, cum ante essent clausæ, & à nemine alio præterquam ab ipso Christo reseratæ; id verò merum commentum est, & ab istis propter perfidiam excogitatum, cui nos planum Euangelistæ testimonium anteponimus.

SECVNDO, si quod Euangelista significat, nõ hoc ipsum est, nempe Christũ ianuis adhuc clausis ad discipulos penetrasse; nullum planè poterunt ex ea Euangelistæ narratione colligere miraculum. Vnde enim sciunt ianuas illas neque claue, neque alicuius alterius opera, neque omnino vlla vi naturali adhibita, quæ ad id sufficeret, fuisse Christo apertas? Hoc certè Euangelista non dicit, sed Caluinistæ sine Euangelistæ testimonio comminiscuntur, ne alioqui ab omnibus rideantur, si nullum in ea re miraculum ostendant. Tantum autem narrat Euangelista ingressum esse *ianuis clausis*. Si hoc igitur (vt Caluinistæ volunt) non est, ianuas tum cùm Christus ingrediebatur clausas fuisse, sed ante fuisse clausas; vnde illi habent, eas Christo apertas non fuisse modo aliquo naturali, vt claue aliqua saltem secreta? Certè secundùm hanc illorum explicationem absque vllo miraculo illa Euangelistæ narratio poterit constare; nempe vt summa sit, Christum, quo tempore discipuli propter metum Iudæorum (vt ait Cyrillus libro duodecimo, capite quinquagesimo tertio, & patet ex Matthæo capite vigesimo octauo) ianuis clausis domi se continebant; ad eos apertis ianuis aliquo naturali instrumento (vt fieri assolet) ingressum esse, & dixisse, *Pax vobis, &c.*

TERTIO tale miraculum in eo Christi ingressu confitendum est, quod planè fuerit *suprà naturam*; ita, vt neque modo aliquo naturali factũ fuerit, neque potuerit fieri, illud idem, quod Christus fecit. Hoc enim Patres omnes sentiunt. Et Fortunatus etiam in illa sua disceptatione suprà citata folio nono, fatetur miraculum illud fieri non potuisse absque vi diuina. Non igitur id miraculum in eo consistit quod Christus omnipotenti sua virtute ianuas aperuerit, sed quod ianuas clausas penetrauerit. Hæc enim penetratio eiusmodi est, vt nullâ omnino virtute naturali accidere potuerit; Ianuæ autem aperiri naturaliter multis modis potuerũt, etiamsi daremus, apertas tunc quidem fuisse supernaturali Christi virtute.

QVARTO, Christus eo modo *ianuis clausis* ingressus est, qui nulla humana ratione possit intelligi, sed *plenus* (vt etiam loquitur Fortunatus loco citato) *admirationis fuerit*. Is autem modus est planè in illa penetratione; non autem in apertione ianuarum per omnipotentem Christi virtutem. Quis enim nõ facillimè intelligat per virtutem omnipotentem ianuas aperiri potuisse, quę etiam aperiri & euerti solent quandoque à vento?

QVINTO. D. Cyrillus, & Chrysostomus in caput vigesimũ Ioannis, & alij Patres in eo maximè miraculum ponunt, quòd cum Christus post resurrectionem verum habuerit corpus, tamen clausis ianuis ingressus ad discipulos fuerit. Nullum autẽ est miraculum per ianuas demum diuina virtute apertas verum corpus ingredi; sed id omnino stupẽdum miraculum est, per ianuas adhuc clausas verum corpus penetrare.

SEXTO, de hac ipsa penetratione expresse sancti Patres loquuntur, ac nominatim D. AMBROSIVS libro decimo in Lucam, capite vigesimo quarto: *Habuit*, inquit, *admirandi causam Thomas, cum videret clausis omnibus* PER *inuia septa corporibus, inoffensa compage* CORPVS INSERTVM. *Et ideo mirum quomodo se natura coporea* PER IMPENETRABILE CORPVS INFVDERIT *inuisibili aditu, visibilis conspectu, tangi facilis, difficilis æstimari.*

Sanctus CHRYSOSTOMVS Homilia octuagesima quinta in Ioannem: *Mirandum*, inquit, *est, quod discipuli phantasma eum esse non sunt suspicati.* CLAVSIS *enim ianuis, & repente est ingressus.* Non igitur tantum vult Chrysostomus, eum nõ prius ostium pulsasse, vt Fortunatus callidè citauit. Et rursus Homilia 2. de Symbolo: *Quomodo*, inquit, INTROIVIT *Christus ianuis clausis ad discipulos suos? Super mare ambulauit? Imperauit ventis & facta est tranquillitas magna? Quia ergo ista super nos sunt, & rationem de talibus miraculis reddere non valemus, fide tenemus.*

Sanctus AVGVSTINVS Epistola tertia ad Volusianum: *Ipsa*, inquit, *virtus diuina per inuiolatæ Matris Virginea viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per* CLAVSA OSTIA *membra inuenis* INTRODVXIT. Et subiungit: *Hic si ratio quæritur non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare.* DEMVS DEVM *aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

Sanctus Gregorius NAZIANZENVS in Tragœdia de Christo patiente: *Stat ecce Dominus has fores intra; Nouum hoc dignumque verò maximo miraculo.*

Sanctus CYRILLVS libro duodecimo in Ioannem, capite quinquagesimo tertio: CLAVSIS, inquit, *foribus repente Dominus* NATVRA RERVM *superata ingressus ad discipulos est. Nullus igitur quærat, quomodo clausis ianuis* CORPVS *Domini penetrauit, cùm intelligat non de homine nudo, quales nos sumus, sed de omnipotenti Dei filio hæc ab Euangelista conscribi.*

At obiicit *primò* Fortunatus de Cyrillo, folio nono. Quo, inquit, modo solidam materiam penetrasse Domini corpus scriberet, qui alibi sic loquitur: *Nam si verè* (inquit Cyrillus Dialogo secundo ad Trini.) *sectionem & partitionem diuina natura, vt illi dicunt reciperet, intelligeretur & corpus; si autem hoc, & in loco omnino, & in magnitudine, & quantitate, & si quanta facta esset, non effugeret circumscriptionem.*

RESPONDEO, hîc solum docere Cyrillum, quòd naturaliter competere soleat naturæ quãtæ, & partibili, locus & circumscriptio in loco. Quod verissimum est. Sed hoc non obstat, quo minus per Dei omnipotentiam *natura rerum superata* (vt in illo alio loco ait Cyrillus) fieri possit, vt corpus aliquod existat aut transeat alicubi alio quodam modo quãm illo circumscriptionis. Id quod minimè est impossibile.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Obiicit *secundò* Fortunatus Hilarium, qui libro tertio de Trinit. sic scribit: *Diligenter*, inquit, *Euangelista expressit, dicens: Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum suorum. An constructa parietum penetrans, & solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit?* quasi dicat minimè. Et paulò pòst: *Idcirco ergo, vt de Natiuitate fallimur, ita & de ingressu Domini mentiamur, dicamus factum nõ fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus?*

RESPONDEO, corruptum fuisse & mutilatum hunc Hilarij locum à Fortunato, qui ex illo persuadere vult Hilarium negasse, quod clausis omnino ianuis per solidam parietũ & lignorum naturam Christus penetrauerit. Atqui Hilarius hoc planè Christum fecisse pro certissimo habet, & huius admirabilis facti exemplo in medium producto, eorum perfidiam exagitat, qui idcirco negant aliquid factũ esse, quoniam facti modum atque rationem intelligere nequeunt. Recitabimus ergo locum integrum Hilarij, vt testis à Fortunato productus simul condemnet, & perfidiam illius, qui factũ esse, quod Euangelista narrat, non credit, & illius in eo teste citando mendacium.

Proposuerat autem sibi Hilarius libro tertio de Trinitate perfidiam Arianorum confutandam hoc modo: *Quæris*, inquit, *quomodo secũdum spiritum natus sit filius? Ego te de corporeis rebus interrogo.* Ac tum inter cætera subiungit: *Quæro ergo, per quas clausa domus partes sese corporeus intulerit? Diligenter enim Euangelista expressit dicens Ioannis vigesimo. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum suorum. An constructa parietum penetrans, & solidam lignorum naturam impenetrabilem trãscurrit? Stetit namque corporeus, nõ simulatus, aut fallax. Sequatur ergo oculus mentis tuæ* PENETRANTIS *ingressum, &* CVM EO CLAVSAM *domum intelligentiæ tuæ visus* INTROEAT. INTEGRA *sint omnia & obserata. sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam* VNIVERSA (atque adeo etiam solida & obserata corpora) *sunt* PERVIA. *Inuisibilibus calumniaris: ego à te visibilium exposco rationem. Nihil cedit ex solido* (naturaliter) *neque per* NATVRAM *suam* (quasi dicat, bene autem *supernaturaliter* per diuinam virtutem) *aliquid tanquam lapsu insensibili ligna & lapides admittunt. Corpus Domini à se non deficit, vt sese resumat ex nihilo. Et vnde qui assistit in medio est? Cedit ad hæc & sensus & sermo, & extra rationem humanam est* VERITAS FACTI. *Idcirco ergo vt de Natiuitate fallimur, ita & de ingressu Domini mentiamur? Dicamus factum nõ fuisse, quia intelligentiam facti non apprehẽdimus? Sed mẽdacium nostrum* (Fortunati) FACTI FIDES *vincit. Assistit Dominus* CLAVSA DOMO, *& Filius est natus ex Patre.*

Sentit igitur diuus Hilarius idem quod alij sancti Patres, à me prius citati: nempe Christum CLAVSA domo non autem *aperta* (vt Caluinistæ dicunt) ad discipulos penetrasse, quamuis id per naturam fieri non potuerit, sed sit ineffabile miraculum. Quocirca cum Hilarius interrogando id dicit: *An constructa parietum? &c.* non debemus nec possumus subaudire; *Minimè*; vt Fortunatus contra Hilarij sententiam tot verbis clarissimè expressam fraudulenter interpretatur. Sed subaudire debemus: *Omnino* ita factũ esse; vt sequentia verba Hilarij euidenter ostendunt. Vsitatum enim est grauissimis Scriptoribus, tum prophanis, tum Ecclesiasticis, vt quandoque interrogando affirment: nempe cum id interrogant, quod omnino est consequens ex eo, quod pro certo iam est positũ. Vt in proposito; ex eo quod Euangelista narrat, clausis ianuis Christum ingressum esse; consequens est omnino, vt per solida parietum, & lignorum admirabiliter penetrarit.

Quod autem obiiciunt quoque Caluinistæ penetrationem corporũ esse impossibilem; iam suprà diximus quæstione secunda, puncto primo, esse omnino falsum, si spectemus potẽtiam Dei absolutam. Nã modus ille naturalis corporũ existendi in loco, qui penetrationi obstat, variari ac separari diuinitus potest à veris corporibus, cũ sit accidens quoddam posterius quàm ipsa vera substantia corporis, & non sit aliquod *Transcendens* aut *Disiunctum*, ex cuius separatione à corpore sequatur in corpore repugnantia aliqua siue contradictio.

QVÆSTIO SEXTA.

De Christi ad Cœlum ascensu & sessione ad dexteram Patris.

D. Thom. 3. part. quæst. 57. & 58.

DVO SVNT HOC LOCO, QVAE PRAECIPVE HABENT CONTROuersiam. PRIMVM est, *An Dominus vero ac reali motu in cœlum ascenderit.* SECVNDVM, *Quid sit Christi sessio ad dexteram Patris.*

PVNCTVM PRIMVM.

An Dominus vero ac reali motu in Cœlum ascenderit.

D. Thom. quæst. 57.

SECTARII VBIQVISTAE, VT CONstat præsertim ex scriptis Brentij & Schmidelini, non existimãt ascensum Christi in cœlum fuisse aliquẽ motum realem supra nubes vsque ad supremam alicuius summi cœli partem, sed contendunt, eatenus dici Dominum ascendisse in cœlum, quatenus per diuinam omnipræsentiam communicatam humanitati suæ repleuit tunc post resurrectionem omnia loca, vbicunq; est Deus. Cœlos enim, quos penetrauit Christus, interpretantur aliud non esse, quàm omnia loca, in quibus nimirum adest Deus, vel certè ipsa Dei Maiestas, & omnipotentia, & omnipræsentia, ad quam exaltata fuerit Christi humanitas.

Fundamenta verò huius erroris sunt præcipuè duo. *Primò*, quòd per vnionem hypostaticam fuerint humanitati Christi cõmunicata attributa diuinitatis, vt ipsa in se haberet illa, quãuis Omnipræsentiâ quidem post Resurrectionem primum vsus fuerit (vt inquiunt) quando scilicet dicitur ad cœlos ascendisse eo sensu, quò ipsi interpretantur, vt iam dictum est.

Secundò, testimonium illud Apostoli ad Ephesios quarto: *Ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia*; id est, vt repleret omnia loca, sicut isti exponunt.

SED contraria sententia est, & fuit semper Orthodoxorum omnium, qui vnquam fuerunt; nempe Christum ex monte Oliueti ascendisse, motu vero & reali vsque ad supremam partem summi cœli. Probatur PRIMO ex Scriptura: idque triplici modo.

Primò, quia vbique ascensum illum Christi vsque ad cœlum, commemorat simpliciter & planè, absque vlla significatione sermonis improprij. Vt patet Psalm. 67. *Ascendisti in altum.* Et Marci 16. *Assumptus est in cœlum.* Et Lucæ 24. *Recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Et Actor. 1. *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlũ, sic veniet, quẽadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Et ad Ephesios 4. *Ascendens in altum.* Et: *Ascendit super omnes cœlos.* Et ad Hebr. 4. *Penetrauit cœlos.* Et capite 7. *Excelsior cœlis factus, &c.* Hæc certè narratio tam frequens, tam simplex, tam constans, non potest absque maxima absurditate intelligi impropriè: præsertim per inauditum commentum Vbiquitatis.

Secundò, quia etiam circumstantiæ temporis, loci, & sermonis ante illum ascensum habiti, minutim in Scriptura narrantur. Marci 16. Luc. 24. Actor. 1. vt minimè dubitari debeat, quin fuerit ille ascensus Christi in cœlum, realis, qui verè ac propriè acciderit.

Tertiò, quia per antithesin etiam certi & determinati loci, declarat Scriptura, Dominum verè ac propriè ascendisse in summum cœlum, tanquam in quendam locum. Vt ad Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Et: *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos.* Et ad Coloss. 3. *Vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, &c.*

SECVNDO probatur ex authoritate Ecclesiæ in fidei symbolis, & ex sententia omnium Patrum, quibus nunquam venit in mentem, ascensum illum impropriè & metaphoricè interpretari, sed realem planè & proprium fuisse intellexerunt, ac nominatim S. HIERONYMVS in Psal. 67. AVGVSTINVS lib. de fide & symb. cap. 6. FVLGENTIVS lib. 2. ad Thrasimundum cap. 17. & 18. DAMASCENVS lib. 4. cap. 1. & alij omnes in illum locum ad Ephes. 4.

TERTIO probatur ex absurdis erroris contrarij. Nam sequitur *Primò* ex illa Vbiquistarum interpretatione, Christi humanitatẽ fuisse exaltatam etiam *suprà Maiestatem diuinam*; Nam ascendit *super omnes cœlos, & excelsior est cœlis*: vt ait

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostolus ad Ephes.4. & ad Hebr.7. Ergo,si per cœlos intelligitur Maiestas diuina, super illam euectus fuerit. *Secundò* sequitur, Sanctos etiam pro præmio recepturos exaltationem ad *eandem Maiestatem diuinam*, immò etiam super illam, atque adeò etiam accepturos Vbiquitatem: iuxta illud Christi, Ioan.14. *Si abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad me ipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis, &c.* Vt iam alia absurda Vbiquitatis præteream disput. præcedenti, quæst.2.punct.3. & quæst.5. punct.2. cōfutata. In quibus locis satis cōfutauimus primum istorum fundamentum.

Alterum verò, quod statuunt in illo testimonio ad Ephes.4. vt IMPLERET OMNIA, planè ostendit insignem istorum stultitiam. Quid enim minùs quàm Vbiquitas illo testimonio probari potest? Age igitur, quoniam hoc testimonio præcipuè ferè isti abuntur ad Vbiquitatem Christi humanitatis probandam, ostendamus nihil minùs per illud probari, sed potius per hoc testimonium Vbiquitatem illam euerti.

Sic igitur argumentor: Si Christus eo ascensu consecutus est, vt sit præsens in omnibus rebus: causſa, quantum ex eorum scriptis, & eorum lubrica disputādi ratione colligo, erit *Primò*, quia vel esse super omnes cœlos nihil aliud est, quàm esse vbique: Vel *Secundò*, quia id sit certè, Christum aliquam dignitatem, seu perfectionem obtinuisse, vnde cōsequatur esse ipsum vbiq; : Vel *Tertiò*, quia nō nisi inde, nempe è sublimi cœlo, tanquā ex vno quodam loco voluerit postea demum sese præsentem vbique sistere: Vel *Quartò*, quia cum esset alioqui in reliquis omnibus locis ac rebus excepto sublimi cœlo, tantùm desiderabatur, vt eo etiam conscenderet, quo ita demum esset prorsus vbique.

At certissimum est, nullam harum imaginationum congruere cum illa D.Pauli sententia, immò potius earum quamlibet per eam euerti. Igitur nihil minùs ibi voluit Apostolus significare, quàm Christum ascēdisse super omnes cœlos, vt illo modo omnia impleret, quomodo isti somniant, nempe existendo vbique.

Id ostendo manifestè. Quoniam planè affirmat ibi Apostolus, Christum super omnes cœlos verè ascendisse, tanquam in vnum quendam sublimem locum; vt omnes veteres intellexerunt, quos suprà citaui. De *locis* enim ibi agit, vt Sectarij ipsi fatentur. Et Apostoli antithesis hoc idem declarat. Nam inferioribus partibus terræ, quo descenderat Christus, opponit supremos cœlos, tanquam locum videlicet summum, infimo. Nec potest profectò aliter hic ascensus intelligi, quin eo ipso recedatur à planissima simplicissimaque huius loci sententia. Hoc verò cùm ita sit, non idem erit, Christum esse super omnes cœlos, atque vel esse in omni loco, vel dignitatem consequi, qua sit in omni loco. Nam neque ad omnem locum, ac multò minùs etiam ad dignitatem, quæ non sit locus, potest fieri propriè ascensus ac motus vnus localis, quālem ibi verba Apostoli propriè & simpliciter intellecta significant, fuisse illum ascensum Christi. Itaque neque *primo* neque *secundo* modo ex illis quatuor, quos proposui in argumento meo, poterit illa istorū interpretatio Vbiquitaria procedere.

Iam verò, quod nihilo magis aut *tertio* aut *quarto* modo, exitum habere illa istorum commentatio posit; clarissimū est. Non *tertio*. Nam quæro, qua ratione Christus voluisset per ascensum in vnum illum locum, se deinde præsentem sistere omni loco? An rursus per motum localem? At omnis omnino locus, nec vno motu locali, nec pluribus, acquiri potest. Necesse est enim per motum localem, aut etiam per motus plures, ita locum seu locos acquiri, vt simul à loco, seu locis aliis recedatur. Nunquid igitur sine motu locali, postquam super cœlos fuit Christus, præsto deinde rebus omnibus vbiq; adfuit? At quis non videt quandā tantùm voluntariam (vt ita dicam) stultitiam esse, cogitare, Christum, vt id faceret, ascendisse primum motu locali in summum cœlum?

Nam vt præteream non modò non apertissimè (vt fingunt Sectarij) sed ne obscurissimè quidem hoc à D.Paulo illic dici: obsecro, quæ fuit eius rei necessitas vel congruentia? Nam nos quidem cur in illa potius cœlesti habitatione, & Christum & Beatos omnes beatam vitam degere cum Deo existimemus, camque vim Scripturarum esse intelligamus; facit præstantia atque dignitas eius loci, quæ cum summa illa vitæ fœlicitate, quàm optimè congruit. Ascendere autem prius Christum locali motu in ipsum vsque summum cœlum, vt inde postea sine motu sisteret vbique: quid aut quorsum attinebat? An non æquè bene & decenter è terra id facere potuisset? aut fortè postea difficilius ei fuisset sublimia loca, quàm ima sine locali motu occupare?

Sed neq; rectè etiam isti dicent, ideo in summum cœlum Christum prius ascendisse locali motu, vt *credibiliter* certè compleret omnia loca, id est, vt ea re postea facilè hominibus crederetur, ipsum esse vbique. Contra enim potius motus eiusmodi localis argumento hominibus esse potest, Christum minimè esse vbique locorum, sed ad vnum quendam locum esse motu delatum. Immò etiam, vt posse quidem Christi corpus vbique esse, putetur, non tam iuuat ea cogitatio motus illius & circumscriptionis secundum locum, quàm impedit. Quod apparet ex sententia aliquorum Theologorum (vt Henrici Ganda.quodlibe.9. quæst.32. Durandi in 4. sentent. dist.10. quæst.1. Capreoli ead. distinct. q.1. artic.3. & aliorum) qui etsi sint maximè Orthodoxi, disputarunt tamen nulla ratione fieri posse, vt vnum corpus sit vbique.

Restat

Restat igitur *Quartus* modus: nempe ideo Christum ascensu illo consecutum Vbiquitatem esse, quia in reliquis alioqui locis omnibus erat, tantumque desiderabatur, vt quò impleret omnia, esset etiam in summo cœlo. Hæc verò imaginatio omnium absurdissima est, immò pugnat etiam euidenter cum sententia illa Diui Pauli. Nam si ante ascensionem Christus vbique fuit, excepto illo loco suprà summum cœlum: igitur ne potuit quidem locali motu eo contendere. Fuisset enim etiam in locis omnibus mediis à terra vsque ad summum cœlum; quæ tamen oportuisset eum successiuè acquirere, & etiam relinquere, si locali motu ascendit in summum cœlum.

Euerti aūt præterea potest hæc illorum interpretatio, hac ratione: D. Paulus sic ibi affirmat, Christum ascēdisse in sublime cœlum; vt nihilominùs tamen constet illarum sententiarū veritas: *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet* QVEMADMODVM *vidistis eum euntem in cœlum*, Actor.1. Item: VNDE *etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, &c.* ad Philipp.3. At si Christus ascendens in cœlum, præsentia suæ humanitatis repleuit omnia loca; minimè sententiarum illarum veritas constare poterit. Earum enim vis, sicut planissima & apertissima verba ostendunt, est, Christum ita è summo cœlo ad iudicium descensurum, sicut in summum cœlum ascendit: nempe motu locali, quo pacto minimè quidem ille venire poterit, si vbique est. Stare igitur non potest illa istorum interpretatio, nisi omnino à planissimo & simplicissimo Scripturæ sensu recedamus; quod tamen ipsi etiam vetant Sectarij.

Tertiò, ne cum doctrina quidem istorum cohærere potest ea interpretatio. Ipsi enim docent in disput. VVittenberg. num. 208. & 209. &c. à resurrectionis momento, quo Christus videlicet *intrauit in gloriam suam*, fuisse illum vbique. Quin imò ex ipsorum doctrina euidenter cōuincitur, à momento etiā ipso incarnationis fuisse Christum vbique, si secūdùm humanitatem quidem ab eo momento ipsa Vbiquitate diuinâ prædituſ fuit, quemadmodum isti dicunt. Insipienter enim excipiunt, illum, etsi Vbiquitatem semper habuerit, non tamen semper vsurpasse. Est enim *Vbiquitas diuina* quidem, quasi *vsus* immensitatis diuinæ, quæ proinde nequit haberi, & non vsurpari. Si igitur secundùm doctrinam istorum Christus ante illum ascensum iam erat vbique, quomodo verò motu locali (vt verba D. Pauli planissimè significant) ascendit in summū cœlum, vt deinde se sisteret vbique?

Quartò, ab istis peto, mihi vt explanent, quodnam est illud verbum, propter quod existimant D. Paulum illa sententia planissimè significare *Vbiquitatem*? Illud, inquiēt, *Vt impleret omnia*. At qui constat, illud verbum *implendi*, sæpenumerò in Scriptura sic vsurpari, vt minimè significet, rem vnam ab altera secundùm ipsius substantiæ præsentiam repleri. Quod cum ita sit: diſpiciendum profectò diligentiùs ab istis erat, num etiam alia quadam ratione ab Apostolo in eo loco id verbum vsurparetur: Ac tunc quidem fortassè verum aliquē sensum ex eo Apostoli loco retulissent, nisi contra præceptū Hilarij, suum iam ante sensum præiudicatum ad eum locum interpretandum perperam ipsi attulissent.

SED quo tandem, inquient, alio modo illud intelligendum est: *Vt impleret omnia?* Ego verò nō vno modò, sed pluribus, & illis quidem minimè malè, ab orthodoxis Doctoribus hunc locū exponi animaduerto. Quāmobrē, quia in ratione interpretandi Scripturam libentissimè D. AVGVSTINVM sequor, non censeo vllā ex eiusmodi interpretationibus repudiandam esse. *Religiosum enim*, inquit Augustinus lib.12. Confess. cap.31. *arbitror dicere, illa omnia* (quæ cum sana doctrina, & cum loco ipso consonant) *iisdem verbis significasse Spiritum sanctum, per quem vnus Deus sacras literas multorum sensibus temperauit.*

PRIMO igitur quidam censent, ascendisse Christum, *vt impleret omnia*, tantundem esse, atque ascendisse, vt *perficeret* omnia, quæ de ipso prædicta erant, è quorum numero etiam fuit admirabilis illa ipsius ascensio in cœlum. Ita Diuus Hieronymus in Comment. illius loci. Bernardus sermone secundo de ascensione. Diuus Thomas lect.3. in cap.4. epist. ad Ephes. Quo sensu, & ipse Christus apud Lucam, cap.24. dixit: *Oportet impleri omnia, &c.*

SECVNDO aliis videtur, implere omnia eo Apostoli loco esse, omnis generis donis, & Spiritus sancti charismatibus Christum è cœlo, vbi, tāquam in sua Maiestate digno domicilio, manet, Ecclesiam suam cumulare. Ita Diuus Ambrosius epistola decima sexta. Hieronymus vbi suprà. Hilarius in Psalm.56. Quod etiam significat ipse Apostolus cum verbis antegressis inquit: *Sicut scriptum est, Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Item cum post sententiam illam subiungit: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, &c. in ædificationem corporis Christi, &c.* Atque huc etiam rectè illud accommodari potest, quòd in eadem epistola capite primo, Ecclesiam ideo vocat *Christi plenitudinem*, quia scilicet illam omnibus (vt dictum est) complet donis.

TERTIO, sunt etiam, qui putant, implere omnia, tantundem ibi valere, atq; præcipuas omnes vniuersi mundi partes, Christum in sua Maiestate, atq; gloria obiuisse, eaq; ratione significasse, imperium se in omnes creaturas obtinere: vt, quemadmodum inquit Apostolus, ad Philip.2. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* Ita Theophylactus in illum locum, & D. Bernardus serm.2. de Ascens.

Neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Neque abhorret hæc expositio ab illa tota oratione Apostoli; *Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.* Quasi diceret, debuit itidem in cœlo demum suam etiam declarare gloriam, vti fecerat in reliquis mundi partibus, nempe in terra & inferno.

QVARTO, rectè etiam interpretari possumus ad eam rem quoque ascendisse Christum, vt in illo beatitudinis loco esset ipse *omnia in omnibus*, id est, summa fœlicitate in beatis cõpleret omnes, tum animi, tum corporis appetitiones, vt CYPRIANVS loquitur in Tract. de Operib. Christi Cardinal. serm. de Ascensione Dñi. Ad quam sententiam (sicut etiam ad secundam interpretationem paulò antè positã) & illud referri potest, quod in eadem epistola ad Ephes. 1. Apostolus dixerat; *Christum omnia in omnibus adimpleri*, Vt, quia ipsa membra sua, tum gratiæ donis in hac vita, tum fœlicitate in altera complet; ipse quoque dicatur eo ipso impleri non in se quidẽ, sed in suis membris.

Ego sanè nullam istarum interpretationem repudiandam censeo: Et certissimus sum nihil minùs quàm Vbiquitatem ibi venisse in mẽtem Apostolo: quod satis iam antè probatum est. Deniq; præceptum D. Augustini sequi malo, variè, quoad locus patitur, Scripturas interpretandi quam Sectariorum somnia falsissima. Augustinus enim libro 1. de Trinit. cap. vltimo, minimè vitio id vertit, immò verò eo fortiùs hæreticos reuinci posse censet, quo varietate bonarum interpretationum plures exitus Scripturæ patent ad laqueos illorum euitandos. Existimo itaque, vel aliquam ex dictis interpretationibus, vel aliquas, vel potius omnes illas bene in eum locum quadrare: *Cur enim* (inquit idem Augustinus lib. 12. Confess. vbi suprà,) *non vtrumque potius, & tertium, & quartum, & si quid aliud etiam est cõgruens ac verum significasse in eodem loco putem Spiritum sanctum?*

Sed obiiciunt Sectarij quædam aduersus primam & secundam expositionem, quas illi loco adhibuimus. Contra *Primam* obiiciunt *Primò*: quod quotiescunque (inquiunt) vel Christus, vel Apostoli vocabulo, Implere, in ea significatione (vt scilicet significet, ea perficere, quæ prædicta sunt) vtũtur, semp addunt, *sicut scriptũ est*, vel *quod scriptum est*, aut simile. *Secundò*, quòd non omnia illa, quæ de Christo prædicta sunt, impleuit Christus illo suo ascensu. Restat enim, inquiunt, vt Antichristum (quem homines isti infelicissimi Romanum ipsum Pontificem Iesu Christi Vicarium esse putant) destruat, & extremum iudicium celebret, &c. *Tertiò* obiiciunt contra *Secundam* etiam expositionem, quòd iam ante, inquiunt, Apostolus expediuerat, quemadmodum CHRISTVS Ecclesiam suam donis gratiæ ornat.

Ad *Primum* respondeo inprimis, nullam esse illam consequentiam: In aliis locis, quando eo modo verbum *implendi* vsurpatur, additur, *sicut scriptum est*, vel aliquid simile: igitur si in aliquo loco id nõ additur, non ita ibi vsurpatur. Quod enim absurdum esset, si vel in vnico Scripturæ loco non æquè clarè, nec eadem explicatione adhibita, eadem res eodem verbo, retenta præsertim eius vsitata significatione indicaretur? Deinde dico, aliquid ibi etiam ab Apostolo dictum esse, quo admoneremur de illa verbi significatione. Nam præmiserat ibi proximè antecedentibus verbis Apostolus prophetiam Dauidis Psalm. 67. de eiusmodi Christi ascensu & effectu etiam ipsius. Ait enim: *Propter quod* DICIT; *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Tum subiungit, quemadmodum secundùm eam prophetiam ascenderit Christus, *vt impleret omnia*: nempe perficiendo etiam illum ascensum, qui à Dauide inter cætera prænunciatus erat. Ex quibus planè apparet hìc etiam legi aliquid simile atque illud, *sicut scriptum est.* Adde quod non dissimili ratione Christus apud Ioannem decimo quinto, verbum illud; *Consummatum est*, vsurpauit. Neque tamen ipse tunc post id verbum, aut etiam Ioannes, addidit, *sicut scriptum est.* Sed satis esse Euãgelista putauit, quòd antea feciſſet prophetiæ mentionem, cùm illud prẽmiserat: *Vt consummaretur Scriptura, dixit; Sitio, &c.*

Ad *Secundam* istorum obiectionem respondeo, eam esse longè ineptissimam. Eodem enim modo posset quis argumentari cõtra Ioannem Euangelistam, immò etiam contra Christum. Nam multò minùs omnia omnino, quæ sunt prædicta de Christo, erant opere, tum completa, cùm Ioannes in eadem prorsus significatione dixit 19. *Sciens Iesus, quia omnia iam consummata sunt.* Item ipse Christus; *Consummatum est.* An igitur Christum in cruce pendentem, cùm latrone blasphemare libet, quòd falsò tunc significârit omnia completa esse, cùm nõdum Antichristus ab eo fuisset destructus, neque peractum extremum iudicium?

Dico igitur eiusmodi Scripturæ sententiis, omnia *impleta* esse aut *impleri*, non eatenus dici, quasi omnia simpliciter, quæ pro futuris quibusque temporibus de Christo prædicta sunt, opere completa iam fuerint, sed quia omnia illa certè executioni mandata sint, quæ vsque ad certum aliquod tempus ad Christum pertinuerint. Ita illud Ioannis, & Christi iam commemoratum, ad ipsum tempus Christi mortis in cruce referendum est. Illud autem Pauli; *Vt impleret omnia*, secundùm eam expositionem, quam nunc defendo, verissimè quoq; dictum est, id referendo ad totum illud tempus, quo Christus in terris versatus est. Omnes enim prophetias, quæ pro toto illo tempore ad ipsum pertinebãt, impleuit ascensu in cœlos.

Ad *Tertiam* obiectionem, quæ est contra expositionem *Secundam*, item respondeo, nullius illam esse ponderis. Est enim Apostolo Paulo familiarissimum eandem rem sæpius inculcare, atque declarare diuersis modis. Alioqui ne debuisset quidem illud subiungere: *Et ipse quidem dedit quosdam Apostolos, &c.* Hoc enim totum pertinet ad illud, quod antea ibi dixerat; *Dedit dona hominibus.* Item ad illud: *Vnicuiq; nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi, &c.* Vt igitur significaret Apostolus, Christum hæc omnia dona affatim (quantum satis est) in Ecclesiam conferre, idcirco postea etiam repetiuit *implere* ipsum è cœlo omnia. Ac mihi videor, quam Sectarij perperam eo loco Diui Pauli ad Vbiquitatem abutantur, satis hactenus demonstrauisse.

Cùm verò aiunt, eo etiam Apostoli testimonio refelli opinionem Scholasticorum de Physica locatione corporis Christi in cœlo, cùm Paulus dicat, Christum SVPER *omnes cœlos ascendisse*: non satis explicant, quam opinionem Scholasticorum, & qualem locationem Physicam intelligant. Princeps certè Scholasticorum D. Thomas hìc q. 57. artic. 4. ita Christi corpus in supremo cœlo, tanquam in loco esse docet, sicut nos iam dici possumus in terra, tanquam in loco insistere; nempe, vt extet ille planè supra summum cœlum, sicut ipsi etiam suprà terram extamus. Quæ certè sententia non refellitur, sed confirmatur illo testimonio D. Pauli.

Quomodo autem, vel quo situ corporis præterea Christus in summo cœlo insit; *Curiosissimũ est definire velle*, vt S. AVGVSTINVS libro de fide & symb. cap. 6. iudicauit. Satis est credere eum ibi esse, & ita quidem esse, vt alibi etiam non sit præterquam in sanctissimo Sacramẽto. Qua sanè ratione, si quis *tanquam physicam* dici velit locationem illam Christi in cœlo; non magnoperè de nomine puto esse dimicandum.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quid sit Christi sessio ad dexteram Patris.

D. Thom. quæst. 58.

VBIQVE somniant Vbiquistæ suam illam Vbiquitatem. Vt enim in ascensu Christi ad cœlos nouo & absurdissimo commento illam contineri finxerunt: sic etiam per summum delirium locum ei, & quasi sedem reperẽrunt in Christi sessione ad dexteram Patris. Nam Christum sedere ad dexteram Patris, esse cõtendunt, habere illum secundùm humanitatẽ omnipotentiam Patris, quæ est vbiq;, atq; adeò etiam illam ipsam humanitatem esse vbique.

De qua re præter ea, quæ disputatione prima, quæstione secunda & quinta aduersus Vbiquistas disputaui, pauca quædam nunc explicanda sunt.

Ac primò quidem præmittendum est, sententiam huius articuli *de sessione* CHRISTI *ad dexteram Patris*, si subtiliter indagetur, variis modis (inter se non pugnantibus) & omnibus verè ac orthodoxè posse & solere etiam exponi. Neq; id vllum absurdum est. Nam & Patres, qui symbolum fidei exposuerunt, variis modis quosdam articulos exposuerunt, & nominatim S. Augustinus libro de Fide & Symbolo, cap. 7. in explicatione articuli de Iudicio futuro, varium eius sensum esse posse, apertissimè indicauit, his verbis: *Credimus etiam*, inquit, *inde venturum conuenientissimo tempore indicaturum viuos & mortuos.* SIVE *istis nominibus iustos & peccatores significentur.* SIVE *quos tunc ante mortem nostram in terris inuenturus est, appellati sint viui, mortui verò, qui in eius aduentu resurrecturi sunt.*

Hoc posito, si maximè concedamus Vbiquistis, per Patris dexteram in hoc articulo intelligi diuinam omnipotentiam Patris; tamen disput. præcedenti, quæst. 2. punct. 3. docuimus, quemadmodum ad eam dexteram sedeat Christus, quatenus diuinam Maiestatem obtinet, non vt secundùm naturam humanam sit omnipotens, aut vbique, &c. sed vt per eam plenitudinem diuinitatis (quatenus hæc plenitudo re est idem cum persona Verbi) subsistat hypostaticè, eamque adeò habeat etiam humanitas secundùm suam hypostasim.

Et quidem dubitandum non est, quin per illam sessionem ad dexteram Patris, summa atq; perennis Christi Dei & hominis dignitas, authoritas, potentia, beatitudo, gloria, significetur. Quod saltem communi quadam notitia ab omnibus Christi fidelibus vnanimi consensu credi debet. Ita enim & aliis quibusque symboli articulis suæ quædam sententiæ communiores extra controuersiam subsunt, quarum aliqualis notitia sufficit vulgò fidelibus. Sed cùm idem Christus verus Deus & homo, habeat dignitatem, gloriam, beatitudinem, authoritatem, tum in *diuinitate* summam absolutè & simpliciter, hoc est, diuinam (quam etiam verè de Christo homine secundùm hypostasin eius affirmamus) tum in *humanitate* summam *secundùm Deum*, id est, quam potest esse excellentissima, in natura *creata*, qualis est illa humanitas: quæri vlterius potest, vtra ex illis dignitas CHRISTI summa, in illo articulo fidei intelligatur, per eius sessionem ad dexteram Patris? vel an vtraq; potius?

Et Vbiquistæ quidem asseuerant intelligi tantùm illam diuinam, ad quam pertinet ipsa Dei omnipotentia. Mihi autem videtur ita quidem sessionem illam intelligi posse; Cùm B. Damascenus libro primo fid. capite secundo, Basilius libro de Spiritu sancto, cap. 6. Gregorius Nyssenus Orat. catech. Cyrillus libro 2. ad Reginas, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

alij etiam Patres sic exponant. Sed non asseuero, ita intelligi *tantùm*.

Mouet enim me authoritas D. Augustini lib. de fide & symbolo, cap. 7. qui eiusmodi verbis in explicatione illius sessionis ad dexteram vtitur, vt eam vel de *sola* vel certè *etiam* de summa secundùm Deum Christi beatitudine *creata* interpretari videatur. Locus enim Augustini huc in modum habet: *Credimus*, inquit, *quod sedet ad dexteram Dei Patris. Neq; ideo tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, &c. Ad dexteram ergo intelligendum est, dictum esse, in summa beatitudine, vbi iustitia & pax & gaudium est.* Sicvt *ad sinistram hædi constituuntur, id est, in miseria propter iniquitates et labores & cruciatus. Sedere ergo quòd dicitur Deus, non membrorum positionē, sed iudiciariam significat potestatem, qua illa Maiestas nunquam caret semper digna dignis tribuendo. Quamuis in extremo iudicio multò manifestiùs inter homines vnigeniti filij Dei iudicis viuorum atq; mortuorū claritas indubitata fulsura sit.* Hactenus Augustinus de illo symboli articulo.

Vbi sanè ipsum loqui vel *solum*, vel *etiam* certè de summa Christi beatitudine *creata*, colligi primum potest ex eo, quòd illud genus beatitudinis ibi intelligit, in qua sint illi fructus charitatis *gaudium, iustitia, pax*, prima ad Corinthios quinto. Qui certè sunt etiam in beatitudine *creata*, cuius item esse possunt participes cæteri homines.

Deinde idem probo, quoniam de eiusmodi genere beatitudinis Christi agit eo loco Augustinus, cui per antithesim opponit *miseriam damnatorum*, quam ibi vocat sinistram. Eiusmodi autem genus beatitudinis maximè est illud, quo præmia etiam continentur aliorum electorum. Quamobrem & electos suos Christus *consedere faciet in cœlestibus*, vt inquit Paulus ad Ephes. 2. id est, eodem quo ipse est præditus (vt homo) genere beatitudinis illos afficiet. Etsi secundùm beatitudinem quidem diuinam nemo etiam Angelorum considebit cum illo.

Tertio eodem pertinet, quòd comparationem, tanquam in eodem etiam genere Augustinus ibi facit beatitudinis Christi & aliorum hominum, cuius videlicet claritatem multo magis fulsuram esse dicit in extremo iudicio: quia cùm sit Vnigenitus, non modò vt Deus infinitam, sed etiam vt homo summam habet beatitudinem secundùm Deum.

Quemadmodum autem beatitudo in eodem Christo Deo & homine est duplex, diuina scilicet secundùm diuinitatem; & creata summa post Deum secundùm humanitatem: ita etiam & potestas omnis *iudicandi* in cœlo & in terra est in eo duplex: Ipse enim etiam vt homo *constitutus est a Deo iudex viuorum & mortuorum*, Actorum decimo. potestatemque accepit *iudicium facere, quia filius hominis est*, Ioannis quinto. Quem ‖ lo-

A cum D. Avgvstinvs Tract. 19. in Ioannem interpretans: *Iudicium*, inquit, *a Filio per eam formam futurum est, quam non habet Pater.* Quapropter etsi Augustinus dicat, sessionem Dei, cui assidet Christus, *iudiciariam* significare potestatem, qua illa Maiestas diuina nunquam caret; intelligit tamen Christum Deo Patri assidere non modò secundùm iudiciariam potestatem diuinam, quam habet ipse item vt Deus, sed etiam secundùm eam, quam habet vt homo.

Hæ igitur causæ sunt, quam ob rem non asseuerauerim (vt Vbiquistæ) sessionem Christi ad dexteram, omnipotentiam eius, & Maiestatem *tantùm diuinam* significare. Quanquam ne inde quidem rectè concluderetur Vbiquitas, si maximè sessio ad dexteram significaret tantùm diuinam omnipotentiam & Maiestatem, vt disputatione præcedenti, quæstione secunda & quinta ostendi.

Interim tamen neque illud præterire debeo; duobus modis intelligi posse id quod aiunt isti, sedere Christum ad dexteram Patris, significare propriè, ipsum habere diuinam omnipotentiā. Vno modo ita, vt ea ratione tantùm velint, per dexteram hic significari omnipotentiam, quatenus non minus illa quàm aliæ diuinæ perfectiones pertinet *re ipsa* ad gloriam parem diuinitatis, quæ secundùm Patres aliquos, vt suprà dixi, possit hic etiā intelligi per dexteram. Atq; isto modo quidem non impedio, quo minùs ibi omnipotentia pertineat ad illam sessionē Christi ad Patris dexteram.

Altero modo posset id, quod isti dicunt, ita intelligi, vt omnipotentia diuina non modò *re ipsa*, vt pertinet ad parem Maiestatē diuinitatis, sed etiam sub *ratione propria* omnipotentiæ propriè, & per se significetur hoc loco per dexteram Dei, ad quam Christus sedet. Hoc si isti velint; non satis propriè in hoc quidem proposito rationem analogiamque dexteræ Dei interpretantur. Nam cùm in dextera sit tum fortitudo, tum honor; in proposito certè vocabulum dexteræ nō propriè vsurpatur ad significandam potentiam, aut fortitudinem Dei, aut Christi, (quo pacto in plerisque aliis Scripturæ locis dextera Dei dicitur) sed ad declarandam eiusmodi analogiā sessionis ad dexteram, præstantiam & dignitatem Christi Dei & hominis. Itaque & illi ipsi Patres, qui ad diuinitatem Christi, sessionem eius ad dexteram retulerunt; vocabulis ferè ad eam interpretationem illustrandam vsi sunt, quæ propriè significant non omnipotentiam, sed *æqualitatem* honoris & dignitatis: *Arbitror*, inquit Diuus Basilivs libro de Spiritu sancto, capite sexto, *stationem & consessionem, naturæ firmitatem & stabilitatem significare. Dexterum autem locum significare dignitatis æqualitatem.* Item Damascenvs libro quarto, capite secundo. *Per paternæ dexteræ vocabulum*, inquit, *significamus gloriam & honorem diuinitatis.*

Nec

Nec obstat id, quod Vbiquistę asseuerant, dexteram Dei in Scriptura sacra nihil aliud quàm *potentiam diuinam* significare. Primò, quoniam aliorum locorum Scripturæ, vbi Dei dextera cōmemoratur, alia ratio est. Dicitur enim aliâs ferè Dei dextera ad significandam ipsius Dei virtutem, quæ elucet in effectis diuinæ omnipotentiæ. In his autem Scripturæ locis, quibus sessio Christi ad dexteram Dei asseritur, analogia consideratur non propriè potentiæ seu roboris, sed *honoris atque dignitatis* eius, qui est in loco ad dexteram. Itaque neque dextera tantùm (vt in aliis Scripturæ sententiis, quæ sunt de Dei dextera) sed inprimis locus ad dexteram metaphoricōs in proposito dicitur honor ille Christi.

Deinde, neque illud est exploratum, quod isti asseuerant, in aliis Scripturæ locis nihil aliud vnquam dexteram Dei significare, nisi Dei omnipotentiam; si intelligant quidem *propriè & formaliter* secundùm rationem *omnipotentiæ*. Nam vbi legimus: *Delectationes in dextera tua vsque in finem*, Psalm. 15. Augustinus (in enarratione eius Psalmi) dexteram Dei interpretatur, non propriè omnipotentiam, sed *Dei propitiationem & fauorem. Delectatio*, inquit Augustinus, *est in fauore & propitiatione tua, in huius vitæ itinere perducens vsque ad finem gloriæ conspectus Dei.* Sed hactenus satis probatum est, sessionē Christi ad Patris dexteram, ne per somnium quidem (nisi Vbiquistarum) esse Vbiquitatem, sed aliquid aliud, vt ostendimus ex sententia Patrum. Alia verò minutiora de ascensu Christi, & de illa sessione, ex Diuo Thoma peti possunt.

Finis secvndae Disputationis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO TERTIA GENERALIS,

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

DIVISA IN QVÆSTIONES SEX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM TERTIAE DISPVTATIONIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De Sacramentorum ratione ac natura.

PVNCT. I. *Quid sit Sacramentum consideratum formaliter, prout scilicet consistit in significatione quadam.*
II. *Quidnam sit Sacramentum consideratum materialiter, prout scilicet consistit in rebus & verbis, quibus inest significatio Sacramenti.*
III. *Quam latè pateat, seu qualis sit significatio Sacramenti considerati formaliter.*
IV. *Quale etiam esse debeat Sacramentum, quoad cæremoniam & ritum, quo administratur.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De necessitate Sacramentorum.

PVNCT. I. *An & quomodo Sacramenta sint necessaria hominibus ad salutem.*
II. *An non solùm hoc tempore, sed etiam aliis omnibus fuerint Sacramenta necessaria ad salutem.*

QVÆSTIO TERTIA.

De præcipuo effectu Sacramentorum, qui est gratia.

PVNCT. I. *An & quomodo Sacramenta nouæ Legis sint causa gratiæ.*
II. *Quæ sit propria ratio illius gratiæ Sacramentalis, cuius Sacramenta nouæ Legis sunt causa.*
III. *Sítne proprium Sacramentorum nouæ Legis, vt sint causa gratiæ? An verò id etiam commune fuerit Sacramentis veteris Legis.*

QVÆSTIO QVARTA.

De Charactere, qui est alter effectus Sacramentorum.

PVNCT. I. *Quid intelligatur in proposito nomine Characteris.*
II. *An per aliqua Sacramenta imprimatur Character.*
III. *Quæ sit propria ratio & essentia Characteris.*
IV. *In quo sit Character tanquam in subiecto.*

QVÆSTIO QVINTA.

De cauſſa Sacramentorum.

PVNCT. I. *De cauſſa Sacramentorum inſtituente, ſiue per auctoritatem.*
II. *De cauſſa Sacramentorum peragente, ſeu conficiente generatim.*
III. *De cauſſa Sacramentorum peragente Miniſteriali.*

QVÆSTIO SEXTA.

De differentia & numero Sacramentorum.

PVNCT. I. *De differentia Sacramentorum veteris & nouæ Legis.*
II. *De numero Sacramentorum nouæ Legis.*
III. *Quisnam ſit ordo & comparatio Sacramentorum nouæ Legis.*

DISPVTATIO TERTIA GENERALIS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

D. Thom. 3. parte à quæſt. 60. vſque ad quæſt. 65.

DE SACRAMENTIS TAM MVLTA SVNT A Theologis, & à Juris Canonici Doctoribus conſcripta, vt in hac mihi materia doctrinæ præterea delectus, & quidam modus, & ordo ac perſpicuitas, magis, quàm copia doctrinæ, requiri poſſe videatur. Itaque conabimur, adiutore DEO, diſputationes has de Sacramentis apte & dilucidè, quoad eius fieri poterit, explicare, nec intermittentes neceſſaria aut vtilia, nec perſequentes ſuperuacanea. Erunt autem huius diſputationis de Sacramentis in genere quæſtiones ſex, quas ponit etiam & explicat S. Thomas. PRIMA erit de ratione ac natura Sacramentorum. SECVNDA, de illorũ neceſſitate. TERTIA, de præcipuo illorum effectu, qui eſt gratia. QVARTA, de altero illorum effectu, qui eſt character. QVINTA, de illorum cauſſa. SEXTA, de illorum differentia, atque numero. Diſſerunt autem Theologi de Sacramentis in genere, lib. 4. ſentent. diſt. 1. & 2. Et ex Patribus, peculiariter S. AMBROSIVS in libris ſeptem de Sacramentis, & in libro de iis, qui initiantur myſteriis, ſcripſit non pauca, quæ ad hanc diſputationem pertinent: ſicut etiam S. AVGVSTINVS in multis libris contra Donatiſt. tomo 7. & ante hos ſanctus DIONYSIVS in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia.

QVÆSTIO PRIMA.

De Sacramentorum ratione ac natura.

D. Thom. 3. parte quæſt. 60.

EXPLICANDA SVNT QVINQVE. PRIMO, QVIDNAM SIT *Sacramentum conſideratum formaliter, prout conſiſtit in quadam ſignificatione.* SECVNDO, *quidnam ſit Sacramentum conſideratum materialiter, ſcilicet prout conſiſtit in rebus, quibus ineſt ſignificatio Sacramenti.* TERTIO, *Quam latè pateat, ſeu qualis ſit ſignificatio Sacramẽti conſiderati formaliter.* QVARTO, *Quale etiam eſſe debeat Sacramentum, quoad cæremoniam & ritum, quo adminiſtratur.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit Sacramentum conſideratum formaliter, prout ſcilicet conſiſtit in ſignificatione quadam.

D. Thom. art. 1. & 2.

RATIO SACRAMENTI, VT ET CVIVSLIBET alterius rei; congruere debet cum notione vocabuli. Porrò Sacramenti vocabulum Eccleſiaſtici Doctores, neque penitùs eodem modo, neque verò multò aliter vſurpant, atque à veteribus Latini ſermonis authoribus vſurpatum eſt: Quod propter quoſdam Eccleſiaſtici ſermonis irriſores animaduerti debet. Nam cùm Sacramentũ à *ſacro* deriuetur; Sacramenta veteribus illis dicebantur, quæ reſpectum aliquem haberent ad rem ſacram atque diuinam.

Sic *Primò* iuramentum, quoniam diuini Numinis inuocatione fit, Sacramentum vocabatur, vt videre eſt apud Vegetium libro ſecundo de re militari: Qui vſus nominis, etiam in Eccleſia retentus eſt, vt patet 22. quæſt. 4. Canone: *Qui Sacramento*. Et in Authentica, *Sacramenta puberum*. Codice, Si aduerſus venditione.

Deinde & pecuniæ ſumma, quam litigantes olim deponebant apud Pontificem ſacrum, vt ſi quis cauſſa caderet, in ærarium, & ſacros vſus cederet, pars quæ ad illum pertinebat, Sacramentum ſimiliter eſt dicta, propter eum reſpectum ad rem ſacram, vt conſtat ex Varrone libro 4. de lingua Latina ſub finem.

Haud diſſimiliter ergo duobus aliis modis ea vox ab Eccleſiaſticis Doctoribus eſt vſurpata. PRIMO pro re *ſacra occulta*, atque vt Magiſter ſententiarum libro 4. diſt. 1. notat, pro eo, quod ſacram rem latentem & abditam continet; vt iuxta hanc acceptionem idem ſit *Sacramentum* Latinè, quod μυστήριον Græcè. Atque ita, quæ in Scriptura Græcè dicuntur *myſteria*, frequentiſsimè *Sacramenta* vertit interpres: Vt ad Epheſ. 5. & Sapient. 2. & Daniel. 2. & 4. Quin etiam AVGVSTINVS lib. de gratia, & lib. arbit. cap. 17. Sacramenta ponit pro myſteriis, tractans locum illum Apoſtoli, 1. Corint. 13. *Si nouerim myſteria omnia, &c.* Sed hoc modo Sacramenta nimis latè patent, immò ſecundùm quandam analogiam in malam quoque partem accipi ſolet Sacramentum & myſterium, propter occultam & magnam aliquam nequitiam. Vt 2. Theſſalon. 2. *Myſterium* dicitur *iniquitatis*, & Apocal. 17. *Sacramentum mulieris & beſtiæ, &c.*

SECVNDO, magis preſsè Sacramentum in Eccleſia accipitur, pro eo quod ſignificat rem ſacram, habetq; adeò ad illã reſpectum *ſigni*; vt ita idem ſonet Sacramentum, quod *ſymbolum* vel *myſticum ſignum*. Quem nominis vſum videre licet apud antiquos etiam Patres bene Latinos. Vt apud LACTANTIVM libro 3. de vera Sapientia, cap. 26. & TERTVLLIANVM lib. 5. contra Marcionem, circa finẽ. & HIERONYMVM in cap. 28. Matth. & AVGVSTINVM epiſt. 118. & 119. & lib. 5. de Baptiſmo, contra Donatiſtas, cap. 20. & alibi ſæpe. & AMBROSIVM in libris de Sacramentis, & apud alios.

Atq; hæc eſt acceptio eius vocabuli, quæ maximè facit ad propoſitũ. Nam iuxta eam tritiſsima DEFINITIO Sacramenti eſt illa, quã Theologi tradunt ex AVGVSTINO lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 5. vt *Sacramentum ſit ſacræ rei ſignum*. De qua definitione D. Thomas differit hic artic. 1. & 2. Quanquã cum conſtet non omnia, quę ſunt ſigna rei ſacrę, ſic eſſe Sacramẽta propriè, ſicut in

hoc tractatu accipitur Sacramenti vocabulum; fatendum eſt, hanc definitionem, non propter ſolam natiuam vim verborum, ex quibus illa conſtat, bonam atque exactam eſſe, ſed potiùs propter ſignificationem, ad quam intelligentia & interpretatio Doctorum iam accommodauit ea verba.

Itaque retinetur & probatur præ cæteris (etiam in Catechiſmo Romano) hæc Sacramenti definitio, quoniam ſuccincta eſt, & quæ nihil continet, quod ſit in controuerſia poſitum. Id quod lex bonæ definitionis requirit. Sed quia vt dixi, magis propter verborum accommodationem & ſenſum ea definitio bona eſt; diligenter ſunt à nobis declarandæ illius partes.

Id verò vt ordine fiat, obſeruandum eſt ante omnia illud, ꝙ ſtatim hæc definitio, etiam nondum explanata ſubindicat; ſcilicet in Sacramento duo quædam attendi debere: nempè *primò*, ſignificationem ſeu relationem *ſigni*, quæ ſit tanquam *formale quiddam* in ipſo Sacramento. Deinde etiam *rem* & quaſi ſedem aliquã *ſubſtratam* tali ſignificationi: quæ proinde res ſit tanquam *materiale quiddam* in Sacramento. Cum enim *ſignum* dicimus, *aliquid* vtiq; dicimus quod ſignificat; in quo proinde & ratio ipſa *ſigni* & *rei*, quæ ei rationi ſubſternitur, conſiderari debet: quæ deinde *Rei* conſtat præterea duabus ex partibus; ex altera tanquam ex *Forma*; ex altera tanquam ex *Materia*, vt ſequenti puncto videbimus. Nunc totam hanc *Rem ſubſtratam* ſignificationi Sacramenti, appellamus in Sacramẽto quiddam *Materiale*, comparatam ſcilicet cum ſignificatione ipſa Sacramenti, quæ in eo, vt dixi, eſt quiddam Formale.

Etſi verò definitio illa Sacramenti aſsignata, *formale illud* inprimis Sacramenti, per ſignificationem ſeu rationem ſigni declaret, tamen quia ſacramẽtum ex *re* etiam huic ſignificationi ſubſtrata, tanquam ex ſuo quodam *materiali*, conſtat; non poteſt penitus natura & ratio Sacramenti comprehendi, niſi de vtroque dicamus. Primùm ergo de eo quod eſt FORMALE in Sacramento (ſcilicet de ſignificatione Sacramenti) nunc dicemus; vt explicemus propriè aſsignatam Sacramenti definitionem: Deinde puncto ſequenti de illo etiam altero quod eſt MATERIALE, ſiue *res ſubſtrata* in Sacramento.

Quod verò ad FORMALE attinet; illud eſt, vt diximus, ipſa ſignificatio Sacramẽti. Porrò quoniam ratio ſignificationis Sacramẽti, Metaphyſicè loquendo, compoſita eſt, & ex GENERE, quod in definitione poſita ſignificatur per particulam *ſignum*; & ex DIFFERENTIA, quæ per particulam alteram eius definitionis, ſcilicet, *rei ſacræ*, indicatur: de hac vtraque definitionis particula ſigillatim dicendum eſt: nam cum multipliciter *ſignum*, & *res ſacra* dicatur; intelligere oportet, *quale ſignum*, & cuiuſmodi *rei ſacræ* ſignũ, ſit Sacramentum formaliter.

Quod igitur ad GENVS Sacramenti attinet, ſic illud explico. *Signum*, inquit AVGVSTINVS libro ſecũdo de doctrina Chriſtiana, capite primo, *eſt id, quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire.* Id verò ſignum, cum authore Auguſtino ibidem aliud ſit *naturale*, vt fumus, qui naturaliter nobis ſignificat ſubeſſe ignem; Aliud autem prò placito *datum* ſiue *inſtitutum*, vt ſonus tubæ, &c. conſtat ſine controuerſia, Sacramẽtum non eſſe ſignum naturale, ſed datum & *inſtitutum* à Deo. Non enim ea eſt naturalis proportio Sacramenti cum re quam ſignificat, vt ſinè Dei addita inſtitutione faceret, rem eam in cogitationem noſtram venire. Quanquam negari minimè debet, quin ſit quoque inter *Sacramẽtum* & *rem* ſignificatam aliqualis analogia, quæ faciat, vt rectè & congruenter vnumquodque Sacramentũ ſit ad rem ſuam ſignificandam diuinitus inſtitutum, vt in ſingulis ſacramentis, de quibus poſtea dicetur, difficile non erit oſtendere. Vnde AVGVSTINVS in epiſtola vigeſima tertia ad Bonifacium: *Si Sacramenta*, inquit, *aliqualem ſimilitudinem earum rerum, quarum ſunt Sacramenta, non haberent; Sacramenta non eſſent.*

Conſequenter apparet, veriſsimum id eſſe, quod Sotus in quarto ſententiarum, diſtinctione prima, queſtione prima, articulo primo & ſecundo, & alij communiter animaduertũt; ſcilicet, genus hoc *ſigni*, in quo reponitur Sacramẽtum, non eſſe aliquid reale, ſed *ens quoddam rationis*. Nam ratio ſigni ad placitum, id eſt, *dati & inſtituti*, in quadam *relatione rationis* conſiſtit; vt manifeſtum eſt.

Neque obſtat, quod ſacramenta omnino etiã ſunt cæremoniæ & actus virtutis Religionis, vt ex Auguſtino libro decimo de ciuitate Dei, capite quinto conſtat, & ab omnibus ſine vlla controuerſia conceditur. Id enim de Sacramentis intelligi debet, non quidem *formaliter*, quatenus ſunt ſigna diuinitus inſtituta, vt iam loquimur, ſed *materialiter* ſecundùm *rem* ſcilicet huic ſignificationi ſubſtratam, de qua pòſt dicemus. Neq; verò id ita intelligẽdum eſt, quaſi *res* quæ ſignificationi Sacramenti ſubſternitur, ſecundùm omnem ſui partem debeat eſſe actus & operatio realis virtutis Religionis; ſed ita vt ſit religionis actus, vel ſecundùm omnem vel ſecundùm aliquam ſui partem. Id quod etiam in Sacramento Euchariſtiæ habet locum. Nam prolatio verborũ conſecrationis, quæ quaſi pars vna eſt *rei ſubſtratæ* ſignificationi eius Sacramenti; operatio quædam religionis eſt. Sed de re ſubſtrata ſignificationi Sacramenti, dicemus puncto ſequenti. Nunc maneat ita conſtitutum Sacramẽti genus, quod *ſignum* eſſe diximus.

Porrò DIFFERENTIA Sacramenti, vt dicebamus, indicatur in Definitione poſita per particulam *rei ſacræ*; Non quia ipſa res ſacra ſit differentia contrahẽs illud Sacramenti genus, nem-

 ſignum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pe *signum*. Nam cùm hoc sit ens rationis; non astringitur, & contrahitur ad certam differētiam, per ens reale, cuiusmodi est res sacra. Sed ideo in illa Definitione per *rem sacram* indicari dicimus differentiam Sacramenti, quia ex conditione rei sacræ significatæ, intelligimus *quale* nam sit *signum* illud, quod ponitur *genus* Sacramenti.

Quoniam autem *sacræ res* latissimè patent; ideo vt propria differentia Sacramenti intelligatur, reiicianturq; à Sacramenti ratione multa signa rerum sacrarum, quæ non sunt propriè sacramentum; statuendum est cum sancto Thoma hîc articulo secundo, & Soto in quarto, distinctione prima, quæstione prima, articulo secundo, & aliis Theologis, rem sacram hic debere intelligi eam, quæ hominem ipsum formaliter *sanctificat*: nempe diuinam gratiam. Atque huiusmodi rem sacram per Sacramenta significari, hæretici quoque intelligunt: Et patet manifestè ex Sacramentorum fine, qui est hominum sanctificatio.

Itaque multa per eam explicationem ostenduntur à diuo Thoma, & ab aliis, non esse Sacramenta, licet sint alioqui signa alicuius rei sacræ. Vt imagines; & creaturæ omnes, licet significent sapientiam & bonitatem Dei: Et alia innumera quæ populo Iudæorum *in figura* (vt prima Corinthiorum decimo, inquit Apostolus) *contingebant*, neque tamen erant omnia propriè Sacramenta.

Quāquam, quod ad creaturas attinet, etiam à Sacramenti ratione excludi possunt per rationem generis Sacramenti: quoniam nō sunt *signa* sapientiæ diuinæ *data, solum* siue *instituta*, sed naturalia suo modo. Nihilominus tamen rectè etiam illas D. Thomas articulo septimo ad primum, à Sacramenti ratione ideo remouet, quoniam sapientiam diuinam significant, non vt sacram in nobis, sed vt *sacram in se*. Sicut etiā imagines, & alia pleraque significant rem sacram, vt sacras in se, non autem vt sanctificantes ipsum hominem: quæ ideo non sunt Sacramenta.

Sic etiam neque aqua benedicta, aut alia quæ *Sacramentalia* nominamus, censeri debent propriè Sacramenta. Quoniam non significāt propriè gratiam ipsam sanctificantem: licet eorum vsu & sanctificatione alioqui peccata venialia remittuntur. Nam hæc remitti possunt etiam sine infusione gratiæ: vt infrà in materia de pœnitentia declaratur.

Iam verò cum hæc diui Thomæ & aliorum explicatio circa id, quod in definitione Sacramenti dicitur, illud esse signum *rei sacræ*, verissima sit; aliquid tamen præterea est addendum, ne quædam alioqui fateri cogamur esse Sacramenta, quæ Sacramenta propriè non censentur. Nam manna (verbi gratia) & aqua, quæ de petra defluxit à Mose percussa, & similia in veteri testamento refectionem etiam spiritualem, quæ per gratiam sanctificantem est, significabant: neque tamen putantur fuisse Sacramenta.

Addendum est igitur illud præterea, quod rectè annotauit Melchior Canus in relectione de Sacramentis, parte quinta sub finem, & VVilhelmus Alanus in libro de Sacramentis, capite octauo & decimo, scilicet *rem sacram* in proposito intelligi debere eam, quæ sanctificat hominem *suscipientem rectè* ipsum Sacramētum, quod talis *rei sacræ* est signum. Ita, vt intelligere debeamus, Sacramentum esse signum rei sacræ sanctificantis *practicum*: quoniam significat rem, quæ in ipsa praxi & vsu talis signi sanctificat; siue *per* ipsam praxin & vsum eiusmodi signi conferatur homini ea res sanctificans (vt conferri ostendemus infrà *per* vsum Sacramentorum nouæ legis) siue conferatur solum à Deo, *in ipsa* tamen praxi & vsu signi; sicut fiebat saltem in Sacramentis etiam veteris legis, quæ ideo verè & propriè Sacramenta fuerunt.

Atque vt hanc interpretationem ipse etiam sequar, moueor *primò*, quia iuxta illam commodissimè intelliguntur Sacramenta esse ea omnia, quæ sunt propriè Sacramenta, & contrà, Sacramenta non esse ea, quæ propriè Sacramenta non censentur. Nam neque imagines, aut aliud aliquod signum ex supradictis; neque serpens æneus in deserto olim erectus; neque manna; neque aqua de petra illa fluens; neque aliquod aliud eiusmodi fuit signum rei sacræ sanctificantis hominem in ipso vsu & praxi talium signorum. *Secundò* ad id moueor, quoniam ita planè docuisse videtur diuus Gregorius in descriptione quadam Sacramentorum, quam, quod ad rem quidem attinet, probant omnes. Ait enim apud Gratianum prima, quæstione prima, Canone Multi: *Baptismum, & alia Sacramenta, ideo Sacramenta dici, quia sub tegmento corporalium rerum diuina Virtus secretius operatur salutem eorundem Sacramentorum*. Quod quamuis Gregorius ibi de Sacramentis nouæ legis enunciet, non tamen id tribuit illis determinatè tantùm, quatenus nouæ legis Sacramenta sunt, sed quatenus habent *communem* rationem Sacramentorum. Id quod minus perspicaciter animaduertisse videtur Sotus eodē in libro quarto sententiarum, distinctione prima, quæstione prima, articulo secundo.

Neque verò nobis in hac re (quod sine causa putauit Alanus) repugnat diuus Thomas hîc, cùm articulo primo ad primum, inquit Sacramenta significare gratiam, vt causam nostræ sanctificationis *formalem vel etiam finalem*. Hic enim diuus Thomas tantùm docere voluit, quod Sacramenta quædam, nempe veteris legis, non significent gratiam, tāquam *effectum* etiam suum, sicut significant illam Sacramenta nouæ legis, vt infrà ostendemus; sed significare illam tanquam finem sanctificationis & etiam sui. Nihilominus

tamen

tamen omnino sentit D. Thom. omnibus Sacramentis hoc esse commune, vt gratiam significēt tanquam formaliter sanctificantem *ipsum hominem*, vt apertè docet in articulo secundo. Neque vllo modo ab illius mente alienum est, id quod præterea defendimus, significari per Sacramenta istam gratiam, vt sanctificantem etiam *in vsu & praxi* ipsorum Sacramentorum: siue hāc gratiam illa sic significent tanquam effectum solius Dei, & finem tantùm ipsorum Sacramētorum, vt accidebat in lege veteri; siue vt effectum etiā eorundem Sacramentorum, vt iam contingit in lege noua.

Hinc facilis ratio suppetit ad diiudicandū, quæ nam cæremoniæ fuerint olim in statu legis vel naturalis, vel scriptæ, Sacramenta propriè: Nam si vel certa vel probabili ratione constiterit, tunc aliquem ritum fuisse eiusmodi, vt in illius *praxi atque vsu* gratia diuinitus collata fuerit; censeri poterit talis ritus fuisse Sacramentum; secus autem, minimè.

Quapropter non modò circumcisio, sed etiam cæremonia agni paschalis Sacramentum existimari potest: vt existimat diuus Thomas artic. 2. ad secundum, & prima secundæ quæstione centesima secunda, articulo tertio. Neque id propriè propter diui Thomæ rationem: quia scilicet illa immolatio agni significabat Christi passionem, vt causam nostræ sanctificationis. Nam si hoc tantùm modo argumentemur; alia multa censeri poterunt Sacramenta, quæ Sacramenta non habentur. Sed ratio debet esse, quoniam probabilissimum est, in *vsu* etiam illius cæremoniæ fuisse gratiam, vel potius augmentum gratiæ collatum: vt iam fit in Eucharistia. Quod licet colligere ex præparationis modo, qui requirebatur: vt scilicet *mundi* essent, & *succincti*, &c. vt patet Numer. nono, & alibi.

Item putari potest eadem ratione cæremonia & esus panum propositionis fuisse Sacramentum: vt diuus Thomas quoque censet in illa quæstione centesima secunda: Sicut etiam ordinationes & vnctiones Pontificum & Sacerdotū: Item ablutiones quædam, &c. vt sanctus Thomas etiam docuit, & confirmat Alanus libro de Sacramentis, capite nono: Immò etiam omnia sacrificia expiatoria pro peccatis, vt idem Alanus probat ex Augustino.

Nam is in libro de vera religione, capite decimo septimo, & libro tertio de doctrina Christiana, capite nono, & libro decimo nono contra Faustum, capite decimo tertio, & aliās passim inculcat, *valde multis Sacramentis* illum populum fuisse oneratum, pro quibus in noua lege *pauciora & præstantiora* substituta sint. Non autem constat, quæ fuerint Sacramenta illa *tam multa*, nisi ad illorū numerum pertinuisse quoque sentiamus sacrificia illa multa, quæ fuerunt pro peccatis expiatoria. maximè cum pro Sacramentis aliquot nostris, scilicet Confirmationis, & Extremæ vnctionis, &c. non habuerit ille populus aliqua Sacramenta peculiaria, quæ his responderent: sed tantum habuit pro *Baptismo* Circumcisionem; pro *Ordine* Consecrationem Pontificum & Sacerdotum, &c. pro *Eucharistia*; agnum Paschalem.

Illa igitur multa Sacramenta, quibus Augustinus dicit, illum populum fuisse grauatum, existimare licet fuisse sacrificia expiatoria, quæ Sacramento nostro Pœnitentiæ responderint. Neque huic sententiæ aduersatur Concilium Florentinum, cum Cæremonias illius legis diuidit in sacra, Sacramenta, & sacrificia, sicut etiam facit in prima secundæ diuus Thomas. Primum enim, pleraque fuerunt sacrificia, quæ nō eadem extiterunt propriè Sacramenta; vt gratiarum actionis, & laudum, & pacifica, &c. Deinde illa ipsa sacrificia expiatoria secundùm aliam & aliam rationem, tum *sacrificia*, tum *sacramēta* propriè esse potuerunt; Sacrificia quidem; vt ad Dei cultum *offerebantur*, *&c.* Sacramenta verò, vt gratiam *significabant*, quæ conferebatur in eorum *vsu*, atque ita in illis etiam secundùm diuersas rationes locum habet illa diuisio.

Sic declarata Definitione illa breuissima Sacramēti, vt scilicet *sit signum rei sacræ*; facilè iam perspici poterunt vitia quarundam aliarum definitionū, quas partim Catholici nonnulli, partim hæretici nostri seculi tradiderunt. Nam Hugo Victorinus libro primo de Sacramentis, parte nona, capite secundo, sic definit: *Sacramentum est corporale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine representans, & ex institutione significans, & sanctificatione continens aliquam inuisibilem & spiritualem gratiam*. Magister autem sententiarum paulò Hugone posterior, in quarto, distinctione prima, sic: *Sacramentum propriè est id, quod ita est signum gratiæ Dei, & inuisibilis gratiæ forma, vt ipsius similitudinem gerat & causa existat*. Scotus autem ibi quæstione secunda, hoc modo: *Sacramentum est signum sensibile, gratiam Dei vel eius effectum gratuitum ex institutione diuina efficaciter significans ad salutem hominis viatoris*.

Sed primū his omnibus definitionibus commune vitium est, quòd cum describant Sacramenta per vim etiam *efficiendi* gratiam, angustiores sunt quàm definitum. Nam Sacramenta veteris legis, quæ, vt infrà docebimus, gratiam non ipsa efficiebant, communiter à doctioribus existimantur vera & propriè dicta Sacramenta fuisse, & proinde conuenisse in *genere* Sacramenti cum Sacramentis nouæ legis, licet hæc sola gratiam efficiant.

Atque id etiam tum ex Augustino, tum ex Concilio Florentino, & Tridentino suaderi potest. Nam Augustinus locis suprà citatis, tanquam loquens de rebus eiusdem generis, dicit: Pro *multis illis Sacramentis*, quibus Iudæorum

populus

Universidad de Deusto
Biblioteca

populus grauabatur, alia fuiſſe *pauciora & præſtantiora* in noua lege Sacramenta ſubſtituta. Sic etiam Concilium Tridentinum ſeſsione ſeptima, canone ſecundo, ſexto, ſeptimo, octauo, tanquam res eiuſdem generis Sacramenta vtriuſque legis comparans, aſsignat diſcrimẽ, quòd nouæ legis Sacramenta gratiam *conferunt* ex *opere operato* ſubindicans veteris legis Sacramenta gratiam non effeciſſe. Quod diſcrimen apertius in Concilio Florentino aſsignatur, vbi etiam cum cæremoniæ veteris legis diſtinguuntur in Sacra, Sacrificia, & Sacramenta; ſatis apparet de Sacramentis veteris legis ibi agi, quæ propriè etiam Sacramenta fuerint, eiuſdem ſaltem generis cum noſtris.

Deinde altero vitio laborant definitiones illæ, præſertim Scoti & Hugonis: quòd *longiores* ſunt, & aliqua continent, quæ reſecari poſſunt: Contra definiendi præceptum, Ariſtotelis in Topicis, & Ciceronis in Rhetoricorum libris. Præterea, quod de *elemento* dicit Hugo, minus clarum & expeditum eſt. Nam propriè non omnia Sacramenta conſtant *elementis*, niſi elementum communiter appellaueris illud, quod eſt *ſenſibile*, iuxta ea quæ trademus puncto ſequenti.

Poſtremò minus formaliter aſsignatur Sacramenti deſcriptio, qua ratione eſt *ſignum* (vt iam de eo loquimur) per ſignum *viſibile* vel *ſenſibile*, vt illi Auctores faciunt. Quoniam hæc conditio, vt ſcilicet ſignum ſit viſibile vel ſenſibile, propriè non eſt ipſius *ſignificationis* ſeu *ſigni formaliter*, ſed rei materialis & ſubſtratæ ſigno, de qua poſtea puncto ſequenti dicetur. Quãquam circumfertur etiam, neque improbatur breuis illa Sacramenti definitio, ſcilicet, *inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum*: ſiue *viſibilis forma*, &c.

Quod ſi quis interpretationem prioris noſtræ definitionis verbis etiam breuibus complecti, & planius definire Sacramentum velit, commodè dicet; SACRAMENTVM *eſſe ſignum ex inſtitutione diuina rei ſacræ ſanctificantis ſuſcipientem illud*.

Nunc videamus DEFINITIONES quas aſsignant HAERETICI. Qui ſanè non inficiantur, ea competere Sacramentis veris per quæ nos illa definimus, videlicet, vt ſint ſigna gratiæ *practica*, hoc eſt, ſanctificantis hominem in eorundem Sacramentorum *vſu*. Imò apertè id concedunt, vt nominatim videre eſt apud Kemnitium in examine Concilij Tridentini, ſeſsione ſeptima, vbi agit de Sacramentis in genere. Sic etiam Sacramenta *cæremonias* & ritus *religionis* eſſe, vltro confitentur. Sed in eo, cum Sacramenta deſcribunt, errant, quòd illa *in definitione* prætermittunt, quæ ſunt Sacramento maximè *eſſentialia*; vt ſcilicet *ſint ſigna practica, etc.* & per alias particulas deſcribunt, quæ partim ſunt falſæ, partim obſcuræ.

Nam Melanchthon in Apologia Confeſsionis Auguſtanæ, artic. decimo tertio, definit ex doctrina Lutheri Sacramentum, vt ſit *Ritus, qui habet mandatum Dei, cui addita eſt promiſsio gratiæ, & remiſsionis peccatorum*. Quam definitionem eſſe quoque ex ſententia Kemnitij vbi ſuprà, ſatis apparet ex conditionibus quas ibi requirit, vt aliquid ſit verè Sacramentum.

Improbanda eſt autem ea definitio potiſsimum duplici nomine. *Primò*, quoniam *mandatum* Dei requirit, & quidem ſingulos homines obligans ad vſum Sacramenti, ſicut iſti intelligunt. Id verò nõ eſt omnibus Sacramentis cõmune, vt infrà in propriis locis docebimus. *Secundò*, Quoniam indicat, omnibus Sacramentis hoc eſſe eſſentiale, vt in illis gratia *remiſsionis peccatorum* conferatur, quod etiam maximè vrget Kemnitius. Sed falſiſsimum id eſt. Nam Euchariſtia veriſsimè Sacramentum eſt, neque tamen eſt propriè ad remiſsionem peccatorum inſtituta, ſed ad augmentum gratiæ: cùm neceſſe ſit, remiſſa eſſe prius peccata illi, qui ad hoc Sacramentum accedit. Iuxta illud Apoſtoli prima Corinthiorum vndecimo: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, &c.*

Quod autem iſti addunt Sacramentum habere Dei *promiſsionem*; bifariàm poteſt intelligi. Nam ſi volunt, Sacramenti ſubſtantiam conſtare quoque ex prolatione verborum, quæ promiſsionem Dei aliquam aliquo modo ſonent; falſum id eſſe oſtenditur in forma Baptiſmi à Chriſto præſcripta: Atque etiam in verbis quorum prolatione miniſtrantur alia Sacramenta; vt infrà videbimus in propriis locis. Si verò tantummodo volunt ſimpliciter extare promiſsionem Dei de gratia ſignificata per vnumquodque Sacramentum; verum id eſt; neque negatur à Catholicis. Nam & Catechiſmus Romanus, vbi cauſas reddit inſtitutionis Sacramenti, ſecũdam cauſam inſtitutionis aſsignat, vt Sacramẽtis *tanquam ſignis quibuſdam externis & quaſi pignoribus* ſtabiliatur & *confirmetur in nobis fides diuinarum promiſsionum de gratia diuina*. Quanquam, vtrum oporteat eiuſmodi promiſsiones expreſsis verbis Scripturæ contineri; quæſtio nobis erit cum hæreticis, in propriis locis, cum agemus de ſingulis Sacramentis.

Porrò, non multum diſsimilis eſt definitio CALVINI libro quarto Inſtitutionum capite decimo quarto: *Sacramentum*, inquit, *eſt teſtimonium gratiæ diuinæ, id eſt, fauoris, quo nobis ſuam ob Chriſtum externo ſymbolo declaratum, quod adhibetur Verbo promiſsionis velut ſigillum appreſſum diplomati, per quod firmatur fides, quam prius ex verbo habemus*. Item: *Sacramentum*, inquit, *eſt externum ſymbolum, quo Deus benenolentiæ erga nos ſuæ promiſsiones conſcientiis noſtris obſignat*.

At inprimis immiſcet hîc Caluinus illum errorem de gratia, quæ non ſit in anima *inhærens*, ſed extrinſecus quidam fauor & *benenolentia Dei*.

Quem

Quem errorem fusè refutauimus tomo ſecundo, in diſputatione de Gratia. Deinde, per aliquid definit quod non conuenit omnibus ſuſcipientibus Sacramentum: vt ſcilicet, promiſsio diuina *illorum conſcientiis teſtata fiat & obſignetur externo ſigno*. Non enim hoc conuenit infantibus, qui verè tamen ſuſcipiunt Sacramentum Baptiſmi. Denique non ſatis exprimit id, quod eſt in Sacramento maximè eſſentiale, vt ſcilicet ſit *ſignum ipſius gratiæ ſanctificantis, &c.* in quo etiã peccauit Melanchthon.

Ad id verò quod de *promiſsione* per Sacramentum tanquam per ſigillum confirmata & obſignata dicit; ſimiliter accommodari debet illa diſtinctio, qua ſumus vſi contra definitionem Melanchthonis. Quanquam ſciendum eſt, veteres Patres Sacramenta nominaſſe *ſigilla* ſeu *ſignacula* ſeu *conſignationes*, &c. non tam quia confirment in nobis fidem de promiſsionibus diuinis; quàm ob aliam cauſam. Nam cum *ſigilli*, ſeu *ſignaculi* ſit & fidem ſcripto datam ſtabilire & firmare; & etiam ſcripta tegere & claudere: Patres veteres nõ tam propter primum, quàm propter ſecundum appellare ſunt ſoliti Sacramenta *ſignacula* ſeu *obſignationes*, &c. quia ſcilicet quaſi includunt, & continent occultam gratiam, & fidei myſterium, vt intelligi poteſt ex BASILIO libro tertio contra Eunomium, & AVGVSTINO in libro de Catechiz. & Rudib. capite vigeſimo ſexto, & ORIGENE ad Romanos quarto, &c. Et hac genus dictum eſt de *Significatione* formali Sacramenti, quoad eius ſignificationis ſubſtantiam: De Significatione autem veluti *accidẽtali* Sacramenti, dicemus puncto tertio, poſtquã ſequenti puncto dixerimus de Subſtantia Sacramenti, quoad alteram eius partem materialem.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quidnam ſit Sacramentum conſideratum materialiter; prout ſcilicet conſiſtit in rebus & Verbis, quibus ineſt ſignificatio Sacramenti?

D. Thom. art. 4. & ſeq.

QVM præcedenti puncto de parte Sacramenti *formali* dictum ſit, dicendũ eſt modò ex ordine *de parte materiali*, id eſt, de re *ſubſtrata* ſignificationi Sacramenti. Qua de re QVATVOR principales aſsertiones ponemus, in quarum explicatione trademus ea etiam, quæ ad praxin & diiudicationem particularium caſuum circa hoc pertinebunt.

PRIMO igitur aſserimus cum ſancto Thoma articulo quarto, Rem ſubſtratam Sacramento, debere eſſe ex inſtitutione diuina aliquid *ſenſibile*. Quæ aſsertio tanquam certa ſecundùm fidem ab omnibus tam Catholicis quàm hæreticis admittitur ſine controuerſia. Et patet *primò* ſigillatim diſcurrendo per omnia Sacramenta, in omnibus enim interuenit aliquid ſenſibile. *Secundò* ex Apoſtolica traditione. Quam proponit ſanctus DIONYSIVS in libro de Eccleſiaſtica hierarchia, capite primo, his verbis: *Primi noſtri Sacerdotalis muneris duces, cum ex ſumma ſuperſubſtantialique Deitate ipſi ſancti muneris plenitudinem percepiſſent, ipſique (vt qui tranſiſſent in Deum) poſteros ad diuina prouehere affatim cuperent*; VISIBILIBVS *ſignis celeſtia Sacramenta texerunt, &c.* Atque eandem traditionem ſubindicat diuus AVGVSTINVS tractatu octuageſimo in Ioannem, vbi de baptiſmo loquens, inquit, *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum*. Denique paſsim idem habetur in Conciliis: & oſtenditur huius aſsertionis congruentia bene à diuo Thoma in illo articulo quarto.

Primò quia per ſenſibilia, commodiſsimè, & ſecundùm naturæ noſtræ modum, ducimur in cognitionem ſpiritualium & in ſenſibilium. Itaque cum Sacramẽta ſint nobis ſigna gratiæ ſpiritualis; rectè conſtant ex re ſenſibili.

Secundò, quoniam, vt ibi diuus Thomas in ſolutione ſecundi argumenti docet, ſic maximè ſit, vt Sacramenta propriè ſint *ſigna*. Nam ſigni vocabulum primò & præcipuè dictum eſt de ſigno *ſenſibili*. Vnde & Auguſtinus libro ſecundo de doctrina Chriſtiana, capite primo. Signum per reſpectum ad *ſenſum* definiuit, vt pũcto præcedenti vidimus. Atque hinc illa definitio Sacramenti quoque fertur: *Inuiſibilis gratiæ viſibilis forma*. Voce (viſibilis) accepta pro *ſenſibili* per quemcunque ex ſenſibus, quorum præcipuus eſt viſus. Tametſi res ſubſtrata in aliquibus Sacramentis non ſit propriè viſibilis ſed audibilis: vt in Pœnitentia, & Matrimonio.

Sed NOTANDVM eſt hic *primò*, non propterea negari à nobis, quin potuerit Deus inſtituere Sacramentum etiam in aliqua re vel actu puràe interiori. Non enim quid poterit inſtituere, ſed quid inſtituerit docemus. Quare nullum eſt argumentum illud Ockami in quarto, quæſtione prima, Deus potuiſſet inſtituere Sacramentum in actu interiori. Ergo non eſt de Sacramẽti ſubſtantia, vt ſit aliquid *ſenſibile*. Nego conſequẽtiam. Neque enim agimus, quæ nam ſubſtantia Sacramenti eſſe poſsit, ſed quæ nam ſit.

Secundò notandũm etiam eſt, *ſenſibile* hic intelligi, non illud ſolum quod *per ſe* ſenſibile eſt, ſed etiam id quod eſt ſenſibile *per aliud ſibi coniũctum*. Itaq; ad rem ſubſtratam Sacramento Pœnitentiæ pertinet quoq; dolor internus de peccatis, per externam confeſsionem manifeſtatus. Et ſimiliter ad rem ſubſtratam Sacramento Matrimonij pertinent conſenſus contrahentium;

quatenus

Universidad de Deusto
Biblioteca

quatenus ipsi etiã sunt sensibiles per verba, quibus manifestantur.

Neque obstat capitulum *Sufficiat* 27. q. 2. vbi habetur, quòd Matrimonium *sõlo* consensu contrahitur. Particula enim exclusiua (solum) non excludit *verba*, ratione quorum consensus pertinet ad id Sacramentum, sed copulam carnalem vel consensum parentum, &c. vt rectè illic notauit Panormitanus. Sic etiam corpus Christi per speciem quadantenus est aliquid sensibile, atque eatenus ipsum etiam appellari solet Eucharistiæ Sacramentum. Quanquam propriè, vt hîc loquimur, non ipsum corpus Christi est Sacramentum Eucharistiæ, sed species quæ continent illum. Ipsum autem corpus Christi propriè potius est *virtus* seu *res sacramenti*. Quod vt Doctores indicent, non absolutè appellare illud solent Sacramentum, sed *Sacramentum & rem Sacramenti simul*. Illa verò quæ propriè Sacramenta sunt, appellantur *Sacramenta* tantùm.

Ex quibus facilè videre est, quantopere Durãdus errauerit in 4. distinct. 1. q. 3. qui quoniam matrimonium nutibus etiam iniri potest; negauit illud verè & propriè esse Sacramentum. Et tamen nutus maximè sunt aliquid sensibile, vt bene respondit Durando Sotus in illa distinctione, q. 1. art. 4. Sed de hac Durandi opinione infrà suo loco.

SECVNDO asserimus sensibile hoc quod oportet Sacramento substerni, constare debere tum ex *re aliqua*, tum etiam ex *aliquibus verbis*, vt docet D. Thomas art. 4. 5. & 6. Et colligitur hæc assertio ex Apostolo ad Ephes. 5. qui de Baptismo tractans inquit, *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*. Vbi vitę verbum interpretantur sancti Patres illud, quod proferendum est in administratione baptismi; excepto S. HIERONYMO qui verbum id accipit pro verbo *doctrinæ*: Quanquam nõ ideo ab aliis dissentit, cùm etiam Verbum in administratione Sacramenti proferendum, censeri possit quoddam verbum doctrinæ, quatenùs de aliqua veritate ad Christianam religionem pertinente instruit.

Colligitur etiam hæc assertio ex doctrina sancti AVGVSTINI, tractatu 80. super Ioannem: *Accedit Verbum ad Elementum & fit Sacramentum*. Etsi enim hæc cùm ab Apostolo, tum ab Augustino de baptismo solum sint dicta; intelliguntur tamen esse dicta de illo non propriè & singulariter, quatenus tale Sacramentum est, sed quoniam est Sacramentum ad cuius rationem pertineat, tum res aliqua *sensibilis*, tum etiã prolatio verborum. Denique post Concilium Florentinum iam est hæc assertio recipienda tanquam certa ex fide: siquidem ibi in Decreto Vnionis est definita. Neque refragantur hæretici; licet de modo & ratione Verborum, quæ adhiberi debent; variæ sint nobis cum illis controuersiæ, vt videbitur in propriis locis.

Etsi autem fundamentum huius assertionis præcipuum sit institutio & voluntas Dei, qui est (sicut infrà dicemus) Sacramẽtorũ author: eam tamen confirmat sanctus Thomas suo more bonis congruentiis in articulis citatis. Quo in genere illud præcipuè notari debet quod inquit, Ideo ex verbis etiam Sacramenta constare, vt eorum significatio sit magis distincta & determinata. Nam significatio rei *sensibilis*, ex qua etiam Sacramentum constat, determinatur per verborum significationẽ, cùm alioqui per seipsa confusa & indifferens esse possit. Vt ablutio, verbi gratia, in Baptismo, nisi certa verba adderentur, significare posset etiam refrigerationem. Verba autem faciunt vt significent ablutionem & emundationem internam animæ.

Atque hæc est ratio cur in Concilio Florentino *Verba* significentur habere in Sacramentis locum FORMAE, *Res* autem locum MATERIAE. Itaque ibidem definitur, Sacramentum *ex tribus constare*, scilicet *rebus tanquam* MATERIA, *verbis tanquam* FORMA, *& persona* MINISTRI *cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*. Est autem sermo de Sacramento secundùm rem subsistratam, sicut iam de Sacramento loquimur. Nam cum hæc *res* nõ sit aliquid vnum & simplex, sed quiddam ex rebus & verbis (vt diximus) compositũ; rectè dici potest habere *materiam & formam*: vt quemadmodum dictum est, res quia imperfectius & confusius significant, dicantur *materia*: Verba autem, quoniam perficiunt & complent significationem rerum, dicantur *forma*.

SED cum hoc ita sit, rationes tamen propriæ aliquorum Sacramentorum postulant, vt præterea explicemus, quid per *res*, & quid per *verba* intelligamus, quando in communi dicimus, Sacramentum pro parte *materiali* sua constare ex rebus & verbis.

Et quod ad VERBA quidem attinet, si commune aliquid omnibus Sacramentis assignare velimus; non debemus intelligere verba propriè, vt discernũtur à *rebus*, sed aliquid quod distinctius & *magis determinatè* significet gratiam, quæ confertur in Sacramento: siue illud contineatur aliquibus verbis, siue aliquibus *signis* quæ sint *vice verborum*: vt rectè notauit Sotus in 4. distinct. 1. quæst. 1. art. 6.

Ratio huius interpretationis est, quoniam Sacramentum matrimonij, sacramẽtum est veri nominis. vt contra Durãdum, atque etiam contra hæreticos suo loco probabimus. Et tamen constat ex capitulo *Cum apud sedem*, extra, de Sponsalibus, matrimonium posse etiam sufficienter contrahi per signa & nutus absque verbis. Quanquam si de aliis Sacramentis matrimonio excepto loquamur, omnino commune est illis omnibus, vt constent etiam *verbis* propriè acceptis, vt patet ex eiusmodi Sacramentorum formis, quas partim ex Scriptura sacra, partim ex

traditione apostolica â Christo institutas habemus, vt videbitur suis locis.

Similiter quod ad RES attinet, sciendum est primò, quòd si commune aliquid omnibus Sacramentis statuere velimus, intelligere non debemus res *propriè*, vt distinguuntur à Verbis, sed aliquid, quod confusius in Sacramento & *minus determinatè* significet: siue illud contineatur solum aliqua *re* distincta à verbis, siue etiam partim constet ex aliquibus verbis, quæ tamen instar rerum eatenus sint, quatenus minus etiã determinatè, & confusius significent, atq; adeo habeant in Sacramento aliquo rationem materiæ.

Hoc, quod rectè item annotauit Sotus, manifestè probatur in Sacramento Pœnitentiæ, vbi ad res, quæ in eo Sacramento sunt materia, pertinent etiam Verba pœnitentis. Nam Concilium Florentinum docet, materiam eius Sacramenti esse *cordis contritionem, oris confessionem, & satisfactionem*: qui sunt actus pœnitentis. Sed si rectè consideremus, materia atque adeo *res* in hoc Sacramento est etiam illa oris confessio, quatenus *minus determinatè*, & confusè, significat. Dicit enim aliquis interdum peccata sua etiam gloriandi causa, vel in alium finem. Itaque determinatur & perficitur in eo Sacramento significatio confessionis per absolutionis verba tãquam per formam. Nam ex absolutione demùm patet, quis sit scopus confessionis, quidque adeo confessio significet Sacramentaliter.

Sic etiã in Sacramento matrimonij Sotus vbi suprà, & alij multi existimãt, verba alterius contrahentis, quatenus determinatur & perficitur eorum significatio per alterius Verba; habere rationem *materiæ*, atque adeo *rei* in hoc Sacramento. In aliis verò Sacramẽtis omnibus commune est, vt materia sit propriè *res*, quatenus res distinguuntur à verbis: sicut patet in singulis.

Hoc igitur modo vniuersa Sacramenta constare ex rebus & verbis, tanquam ex materia & forma, certissimum est, habetque id etiam locum in Sacramento matrimonij, de quo maior est difficultas, quæ non iam, sed suo loco est explicanda: vbi etiam videbimus quid circa hoc Sacramentum malè senserit Durandus in quarto, distinctione prima, quæstione tertia.

Est tamen præterea, quod ad RES attinet, ANIMADVERTENDVM propter hęreticos; ab orthodoxis omnibus *rem* hoc loco intelligi communiter; vt scilicet res sit aliquid *sensibile*, quod *minus distinctè* & determinatè significet, quàm verba; siue illud sensibile tantum sit aliqua *operatio* seu *actus*; vt in Sacramento pœnitentiæ, & matrimonij; siue præterea constet simul ex aliqua *re externa* ab operatione differente, quæ applicetur susceptientibus Sacramentum; vt in baptismo præter ablutionem est etiam aqua, & in aliis Sacramentis aliud. Ita rectè notauit diuus Thomas articulo sexto ad secundum.

Neque in hoc contradicunt nisi noui hæretici. Qui quoniam in omni vero Sacramento requirunt præter operationem, etiam aliquam rem eiusmodi externam; negant matrimonium & pœnitentiam esse vera Sacramenta. Sed prorsus sine fundamento. Nam primùm operatio quoque per se (vt in propriis locis videbimus) idonea est ad significandam gratiam, quæ datur in Sacramento. Deinde infirmum prorsus est argumentum, quo ad id vtitur Kemnitius in examine sessionis septimi Concilij Tridentini.

Sic enim ille & alii hæretici argumentantur: In Sacramento Baptismi & Eucharistiæ, quæ sine controuersia sunt vera Sacramenta, videmus præter operationem aliquam, externã rem quæ susciptentibus offeratur seu applicetur. Ergo commune & substantiale quiddam est id omnibus Sacramentis veris.

Hæc argumentandi forma, qua isti vti solent, vt alias etiam conditiones tanquam substantiales in Sacramentis requirant, nullius prorsus est ponderis. Nam deberent primum conuincere ea omnia, quæ in illis duobus Sacramentis reperiuntur, esse ipsis substantialia quatenus sunt Sacramenta; non autem propria quatenus sunt Sacramenta talia: id verò nullo argumento probare possunt. Affirmamus enim, id ad propriam eiusmodi Sacramẽtorum rationem, tametsi necessariò ex institutione Christi, non autem ad rationem communem Sacramenti pertinere. Hæc enim satis constat, si aliquid præter verba adsit *sensibile*, siue id sit res, siue operatio.

Ad argumentum igitur in forma distinguendum est Antecedens. Nam si illud intelligatur conuenire Baptismo & Eucharistiæ, vt sunt Sacramenta, falsum est: Si autem, vt sunt *talia*, verum est; sed tunc nihil valet Consequentia.

TERTIO asserimus, & *res* & *verba*, in vnoquoque Sacramento, esse *determinata* à Christo; vt si vel alia res, vel alia forma verborum adhibeatur, Sacramenti veritas minimè constet. Ita diuus Thomas articulo tertio & quinto, & omnes. Neque in hoc nobis propriè aduersantur hæretici, tametsi quæ nam verba, & quatenus, in Sacramentis adhiberi debeant, controuersum inter nos & illos sit, vt videbimus in propriis locis. Estque iam hæc Assertio certa ex fide post Concilium Florentinum, & Tridentinum sessione septima, canone primo. Quamuis antè, aliquibus Doctoribus visum sit, nonnulla Sacramenta esse instituta & determinata ab Ecclesia, vel Apostolis. Qua de re infrà plura dicemus.

Hîc verò declarandum est, quomodo intelligi debeat hoc, quod asserimus, & res, & verba esse à Christo DETERMINATA: Nam potest aliquid magis & minus determinatum esse, scilicet vel secundùm rationem *Individuam*, vel secũdùm accidentia aliqua, vel secundùm *speciem*, vel secundùm *genus*.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Igitur quod ad RES attinet, sciendum est, in nullo Sacramentorum rem esse à Christo determinatam, secundùm rationem *indiuiduam*; neque etiam secundùm hæc vel illa *accidentia* in latitudine eiusdem naturæ specificę. Vt, verbi gratia, nihil interest in Baptismo, an adhibeatur hæc vel illa aqua, huius vel illius qualitatis; modò sit vera aqua.

Deinde neque secundùm naturam *specificam specialissimam & vltimam*, res sunt à Christo in omnibus omnino Sacramentis determinatæ; sed tantùm in aliquibus, vt in Baptismo elementaris aqua, & in Extrema vnctione oleum oliuarum, &c. In aliis autem solùm secùdùm speciem (sicut multi putant) *subalternam*. Vt in Eucharistia *panis triticeus & vinum*: quorum vtrumque arbitrantur plerique esse tantùm speciem subalternam: quoniam multæ sint differentiæ tritici, atque etiam videatur vinum album, & rubrum differre. Sic etiam *balsamum*, quod est materia in Sacramento Confirmationis, multi sentiunt nõ esse eiusdem speciei specialissimæ. Item in Matrimonio, materia seu res eius Sacramenti, tantùm est à Christo determinata determinatione quadam *morali*, quæ latè patet, vt scilicet sit *contractus naturalis* Matrimonij à personis eius conditionis, & iis circumstantiis, initus, quibus expedit; iudicio Ecclesiæ, pro ratione temporum, &c. vt infrà suo loco videbimus.

Quod verò attinet ad VERBA, conuenit inter omnes, id quod sanctus Thomas articulo septimo ad secundum, & articulo octauo docet, Verba nimirum non esse à Christo determinata materialiter, vt scilicet sunt huius vel illius idiomatis, aut constant his vel illis literis & syllabis; sed *formaliter* tantùm; id est, secundùm significationem certæ alicuius sententiæ, quæ ex præscripto Christi significari in vnoquoque Sacramento per verba debet, vt videbimus suis locis. Neque interest, vtrum ex natura & prima impositione verborum, an verò ex accommodatione vsus, significetur per verba talis sententia: Vtrũlibet enim satis est, vt Caietanus in articulo octauo rectè notauit ex doctrina diui Thomæ eadem quæstione, articulo septimo ad secundum, vbi idem etiam manifestè indicat.

Isto igitur modo & *res* & *verba*, DETERMINATA requiri, certum est. Ac de rebus per se est perspicuum. De verbis etiam patet *primò* in singulis Sacramentis. Nam Baptismi, & Eucharistiæ, quoniam hæc duo Sacramenta in primis necessaria sunt, expressa extat verborum forma in Scriptura. Pœnitentiæ etiam forma facillimè colligitur ex eadem Scriptura Matthæi decimo octauo. Aliorum item Sacramentorum, præter Matrimonium, certam quandam formam præscriptam habet Ecclesia, per traditionem Apostolicam, cuius etiam extat fundamentũ in Scripturis. Matrimonij autem formam non aliter per traditionẽ habemus præscriptam, nisi quòd necesse est verba eiusmodi adhibere, quæ significent consensum mutuũ contrahentium. Quibus autem verbis id significari debeat, non est determinatè præscriptum. Imò nutus est sufficiens loco verborum, vt suprà diximus. Quæ omnia patebunt infrà suis locis.

Secundò idem patet authoritate Patrum antiquorum, qui ex præscripto certę formæ & verborum iudicabant de veritate aut falsitate eorum Sacramentorum, quæ per hæreticos conficerentur. Nam etsi de Baptismo potismùm disputauerint; de illo tamẽ tunc agebant, nõ tam vt Baptismus est, quàm vt est *Sacramẽtum* à Christo institutum. Id videre est apud TERTVLLIANVM in libro contra Praxeam circa finem, & CYPRIANVM in Epistola septuagesima tertia ad Iubaianum, & BASILIVM libro de Spiritu sancto, capite duodecimo, & AVGVSTINVM libro tertio contra Donatistas capite decimo quinto, & libro sexto contra eosdem, capite vigesimo quinto, & ATHANASIVM in sermone tertio cõtra Arrianos, circa medium, & DIDYMVM libro primo de Spiritu sancto, paulò pòst principiũ, & apud Concilium Nicænum canone decimo nono, vbi Baptismus Cataphrygarum & Paulinianistarum iudicatus est nullus: quoniam scilicet non seruârunt idoneam formam.

Atque etiam in Concilio Arelatensi primo, capite octauo, ob eam causam iubebatur, vt Arriani, qui ad Ecclesiam redierunt, rogarentur, qua fórma vsi fuissent in Baptismo: quod refertur in Decretis de Consecratione, distinctione quarta, Canone *de Arrianis*. Sic etiam IRENÆVS ob eandem rationem reprobauit Colarbasęorum Baptismum libro primo contra hæreses, capite decimo octauo. Deniq; Sacramenti formam certam & determinatam esse, tam erat olim in confesso apud omnes, vt etiam hæretici, qui formam Sacramenti vsitatam reiecerunt, aliam quãdam certam similiter & determinatam substituerint; vt Colarbasei illi apud Irenæum libro primo, capite decimo octauo, impiè & profanè fecerunt.

Sed cùm interpretati simus, omnem hanc *determinationem* FORMAE referendam esse ad ipsam SIGNIFICATIONEM & sententiam *verborum*; inde sumi atque proponi REGVLAE debet, vt diiudicare certò possimus contingentes CASVS particulares, in quibus, propter aliquid, quod in verborum prolatione accidat, dubitari solet, an verè conficiatur Sacramentum, nec ne? Fieri enim potest primò, vt in prolatione verborum aliquid *corruptè & deprauatè* pronuncietur. Secundò, vt aliquid *addatur*. Tertiò, vt aliquid *detrahatur*. Quartò, vt *interrumpatur* oratio: & id quidem aut interponendo aliqua alia verba, aut simpliciter tacendo. Quintò, vt verba *inuertantur*, id est, pronuncientur alio ordine.

Quod cùm ita sit, ex omnibus istis modis multipliciter potest oriri dubitatio de veritate vel

vel falsitate Sacramenti. Sit igitur ad diiudicanda huius generis dubia, PRIMA Regula: *Si significatio sententiæ à Christo præscriptæ nihilominus conflat & manet, nullo ex dictis modis potest accidere, vt Sacramentum propter accidens prolationis formæ reddatur inualidum*: Et quidem siue ex natura ipsa & vi verborum; siue ex accommodatione vsus maneat integra significatio. Nihil enim id interest, vt ex doctrina diui Thomæ articulo septimo ad secundum, atque etiam articulo octauo, verissimè inter alios notauit Caietanus.

SECVNDA Regula: *Si significatio sententiæ à Christo præscriptæ, propter eiusmodi aliquod prolationis accidens, integra non manserit; Sacramẽtum erit prorsus inualidum*. Vtraque Regula est certissima ex communi doctrina Orthodoxorum omnium, quam diuus Thomas locis citatis, & Caietanus ibidem, & Sotus distinctione prima, quæstione prima, articulo septimo & octauo, & alij proponunt. Ac manifestè conuincitur ex eo, quòd illa *significatio* est, vt dici solet, de necessitate Sacramenti; sic quidem, vt quantum est ex parte formæ, constet substantia Sacramenti illa significatione stante; & tollatur, illa sublata.

Atque hinc, vt eas Regulas ad Casus particulares applicemus, & ex similibus iudicari possint infinita similia, sequitur PRIMO, rectè Zachariam Pontificem in Canone *Retulerunt*. de Consecratione, distinctione quarta iudicauisse, validum fuisse Baptismum, quem quidam administrauit in nomine *Patria, & Filia, & Spiritua sancta*, sicut diuus Thomas vbi suprà & omnes consentiunt. Ratio est. Quoniam licet singulorum verborum, si per se & singulatim considerentur, fuerit mutata significatio; non fuit tamen mutata, quatenus consideratur, vt partes illius continuæ prolationis: quinimmò ex accommodatione vsus, & in illo casu idem illa verba significârunt, licet ob ignorantiam ministri nonnihil deprauarentur. Quam rem præ aliis optimè declarauit Caietanus. Secus, si depraua tio esset talis, vt ne secundùm *accommodationem quidem vsus* eadem significatio maneret. Quod fieret, vt in articulo septimo ad secundum notat diuus Thomas, si quis diceret: *In nomine Matris, &c.* Sicut etiam Colarbasei in Baptismi forma dicebant, referente IRENAEO libro primo, capite decimo octauo.

Ac similiter debet fieri iudicium de prolationẽ balbutientium, vel eorum, qui aut vitio patriæ linguæ, aut festinatione, aut aliam ob causam deprauatè aliquid proferunt. In omnibus enim eiusmodi Casibus dispiciendum est, maneat, nec ne, significatio, saltem ex *accommodatione* & vsu communi loquentium & audientium.

Quòd si quærat aliquis, quodnam posset esse iudicium ad diiudicandum hoc ipsum, scilicet vtrum significatio sic maneat? Respondendum est cum diuo Thoma. Is enim cùm in articulo septimo ad tertium dixisset primùm, tolli significationem ferè, cùm deprauatio fit in *initio dictionis*; manere autem plerumque, si fiat tantùm *in fine*: Ad extremum ibi, atque etiam articulo octauo monet, vt potissimùm videatur, *quanta* fuerit deprauatio; magna ne, an parua? inde enim certiùs iudicari ea de re poterit.

SECVNDO sequitur, validum fore Sacramẽtum, si quis *addendo* dicat: In nomine Patris *omnipotentis*, & Filij *vnigeniti, &c.* Vel etiam si addat: *Et beata Virgo suis precibus te iuuet*, vel aliquid simile, quod non auferat integrum & præscriptũ sensum, vt rectè diuus Thomas articulo quarto, & alij communiter notant. Secus, si diceretur: In nomine Patris maioris, & Filij *minoris, &c.* Nã tunc tolleretur significatio sententiæ præscriptæ, videlicet *Trinitatis coæqualis*. Vnde sanctus ATHANASIVS sermone tertio contra Arianos, circa medium, damnat Baptismum Arianorum propterea quod dicerent, *In nomine filij ex non entibus conditi*; vt etiam indicat oratione secunda, contra eosdem, paulò pòst medium.

Nonnulla tamen *Quæstio* est, quando id, quod additur, pugnat cum vera fide, sed tamen non propriè cum ipsa sententia & veritate præscriptæ formæ in Sacramento. Et videtur D. Thomas negare, quòd tum validum sit Sacramentum. Nam in articulo octauo primũ dicit, eum, qui in administratione Sacramenti & prolatione *intendit aliquem ritum inducere contra Ecclesiam*, non conficere verum Sacramẽtum. Deinde sub articuli finem addit, non fore verum Baptismum, si quis dicat: In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti *& beatæ Virginis*, intelligens & significans, Baptismum æquè in nomine beatæ Virginis, ac Patris & Filij, conferendum esse. Neque tamen satis apparet, quomodo is error pugnet cum sententia & veritate formæ; siquidem confertur nihilominus in nomine *Trinitatis*.

His tamen non obstantibus, dicendum est, validum fore Sacramentum, etiam si quod additur, contineat errorem, modò error talis non pugnet cum veritate & sententia formæ. Quæ sententia habetur iam vt communis, & asseritur nominatim à Paludano in quarto, distinctione tertia, quæstione prima, §. *Tertium principale*. & à Durando ibidem quæstione secunda. Neque aliud etiam voluit Sotus in quarto, distinctione prima, quæstione prima, articulo octauo, cùm dixit, errorem non obstare veritati Sacramenti, nisi quando illum aliquis profitetur *in ipsa forma*. Loquitur enim de errore cùm forma pugnante. Immò neque diuus Thomas in hac re contrarium docuit, sicut malè quidam putârunt.

Probatur autem hæc sententia manifesto testimonio sancti AVGVSTINI libro sexto de Baptismo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptiſmo contra Donatiſt. capite 25. vbi ita ſcribit: *Certa illa euangelica verba, ſine quibus non poteſt Baptiſmus conſecrari, tantum valent, vt per illa ſic euacuentur, quacunq; in prece vitioſa contra Regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Chriſti nomine excluditur.* Vult autem hoc intelligi Auguſtinus, quando alioqui intentio & affectus adeſt faciendi, quod intendit Eccleſia, atque adeo etiam ſignificandi veram & integram ſententiam Formæ præſcriptæ: vt patet ex antecedentibus illis Auguſtini verbis: *Plerumque precis vitium ſuperat precantis affectus, &c.* Precem enim ibi vocat ipſam Baptiſmi formam, *ſuper aquam* (vt inquit) *dictam*.

Quare ad Primum, quod ex diuo Thoma obobiiciebatur, bene reſpondit Sotus, diuũ Thomam non abſolutè negare, quòd tũc ſit validum Sacramentum: ſed dixit cum moderatione & adiectione quadam *non videri* conficere Sacramentum, qui intendit ritum inducere contra Eccleſiam: quia tunc exiſtimare licet, illum non habere intentionem Eccleſię, ſcilicet ſignificandi & faciendi, quod oportet ex præſcripto Chriſti. Si verò non obſtante particulari errore, qui cum forma non pugnet, habeat quis legitimam intentionem circa ſententiam & veritatem formæ; non negauit diuus Thomas, quin adminiſtretur tunc verum Sacramentum.

Ad Secundum reſpondeo, errorem illum pugnare cum veritate formæ, quoniam expoliat Sanctiſsimam Trinitatem excellentia propria & prærogatiua ſua ſingulari, ſine qua non eſſet Deus, neque Trinitas diuina.

Tertio ſequitur, verum fore Sacramentum, etiamſi quis in Euchariſtiæ forma omittat particulam *(Enim)* Quoniam vt diuus Thomas notat, nõ eſt de ſubſtãtia. Item, etiamſi quis in forma Baptiſmi omittat Pronomen (Ego) Secùs, ſi in forma Pœnitentię omittatur particula determinatè indicans perſonam, quæ abſoluitur: ſcilicet (Te) vt ſuo loco videbimus.

Quarto ſequitur, nihil obſtare veritati Sacramenti, ſi quis *inuertendo* dicat: *Ego in nomine Patris, &c. baptizo te.* Quoniam vt diuus Thomas articulo octauo ad tertium, ex Philoſopho libro ſecundo periherm. capite primo, ad hoc propoſitum docet, nomina & verba tranſpoſita idem plerumque ſignificant. Secùs, cùm tranſpoſitio, propter peculiarem conditionem alicuius verbi, eſt eiuſmodi, vt non idem planè tunc ſignificetur, quod deberet in aliquius Sacramenti forma ſignificari: Vt ſi in Euchariſtiæ forma diceret aliquis (Hoc corpus eſt meum) vel (Meum eſt hoc corpus) De qua forma multùm dubitat Sotus in quarto, diſtinctione prima, quęſtione prima, articulo octauo. Et Alanus libro de Sacramentis, capite vigeſimo primo, putat planè eſſe tunc conſecrationem inualidam. Quod & mihi videtur: quia, vt ſuo loco videbimus, Pronomen (Hoc) in ea forma ſignificare & demonſtrare debet ſubſtantiam eam (indeterminatè) quæ ſub illis ſpeciebus panis & vini contineatur. Cùm verò illo modo tranſponuntur verba, demonſtrat *determinatè* corpus Chriſti; quod non eſt ſatis ad veritatem tranſubſtantiationis, vt infrà videbimus.

Quinto ſequitur, validum fore Sacramentum, ſi inter prolationẽ *interponatur* exigua morula, vel legendo aliquid aliud, vel etiam ſimpliciter tacendo. Ratio eſt. Quoniam non mutatur ideo ſignificatio, ſi rem, vti oportet, æſtimemus *moraliter* & ſecũdùm quotidianum vſum. Secùs, ſi multum temporis intercederet.

Neque refert ad iudicandum de veritate Sacramenti ex parte ſignificationis in his caſibus, vtrum de *induſtria* vel ex *negligentia* aliquid prædictorum contingat. Quoniam nihil hoc intereſt ad ipſam ſignificationem, quæ, vt diximus, hîc attendenda eſt. Quare diuus Thomas in articulo ſeptimo ad tertium, non abſolutè dixit, eum, qui de induſtria corruptè profert verba, verum Sacramentum non conficere: ſed non videtur inquit, *talis conficere Sacramentum*, quoniam non videtur habere intentionem Eccleſię, neque ſeriò rem agere. Si verò nihilominus conſtiterit, ipſum habere debitam intentionem, & ſignificatio integra manſerit; nõ obſtabit, quòd de induſtria corruptè protulerit.

Sciendum tamen eſt, quòd etſi veritas Sacramenti conſtare poſsit, non obſtantibus eiuſmodi accidentibus; peccatũ tamen eſt, aliquid contra morem & inſtitutum Eccleſiæ vel detrahere, vel corruptè proferre, vel interrumpere, aut tranſponere: Immò etiam aliquando *addere* in prolatione verborum. Ita diuus Thomas & omnes docent, cùm notant, quædam in forma & adminiſtratione Sacramentorum ſeruanda eſſe tanquam neceſſaria ex inſtitutione Chriſti, *neceſsitate* (vt vocant) *Sacramenti*, ſine quibus ideo Sacramentum non conficitur: Alia, tanquam neceſſaria *neceſsitate præcepti* & inſtituti Eccleſiæ. Itaque peccatum erit, ſi quid in eo genere contra inſtitutum Eccleſiæ committatur voluntariè: ſicut etiam ſi verba ſine cauſſa proferantur alio idiomate, quàm vſitato; vel aliis verbis eiuſdem idiomatis.

Vt verò diſcernatur, quantum ſit in ea re peccatum; conſiderandum eſt, An adſit vel *contemptus*, vel *ſcandalum*, vel certè res non ſit exigua: Vt ſi quis, verbi gratia, omitteret in conſecratione calicis, omnia illa verba *(Qui pro vobis & pro multis effundetur)* etiam dato, quòd non ſint de ſubſtantia, de quo infrà videbimus. Tunc enim peccatum mortale eſt. Si verò citrà *ſcandalum*, & *contemptum* res ſit *exigua*, aut etiam deſit *plena deliberatio*, etiam in re magna; peccatum tantummodo veniale erit. Quæ eſt doctrina communis.

Item

Item notandum eſt, peccatum mortale communiter eſſe, ſi quis in adminiſtratione Sacramenti adhibeat modum aliquem, vel omittendo, vel addendo, &c. de quo probabiliter *dubitatur*, an reddat irritum Sacramentum: quoniam talis grauem irrogaret iniuriam ſuſcipienti, omittens temerè modum adminiſtrandi certum, atque adeo illum coniiciendo in periculum, ne non ſuſcipiat verum Sacramentum.

Quarto aſſerimus, prolationem verborũ, & omnino operationes illas, ſiue miniſtri, ſiue ſuſcipientis Sacramentum, ex quibus illa *res determinata*, quæ ſubſternitur Sacramẽto, conſtat, debere eſſe omnino *humanas*, id eſt, ex certa Intentione profectas. Et *ſuſcipientis* quidem omnino requiritur *intentio*, quam vel ipſe habeat, vel alter pro illo, vt in paruulorum baptiſmo, de quo infrà dicemus. In *miniſtro* aũt requiri quoq; *intentionem faciendi, quod facit Eccleſia*, certiſsimũ eſt ex Concilio Florentino in Decreto Vnionis, & Tridentino ſeſsione ſeptima, canone vndecimo. Neque de hoc eſt controuerſia. Sed tantùm declarandum eſt, qualis hæc Intentio faciendi, quod facit Eccleſia, eſſe debeat.

Et *primùm* quidem ſatis eſt, velle facere, quod facit *Eccleſia verâ Chriſti & Catholica* generatim cogitata, quæcunq; tandem ſit illa: *Deinde*, hæc ipſa intentio non vno, ſed pluribus modis haberi poteſt, quorum quilibet ſufficit. *Primò*. Si quis expreſsè & de Eccleſia, & de inſtitutione Chriſti, & etiam de ipſo fine, & effectu, & ſignificatione Sacramenti cogitans, velit idipſum facere, quod intendit Eccleſia. *Secundò*. Si idem velit, cogitans tantùm de eo, *quod vult* Eccleſia. *Tertiò*. Si cogitans tantùm de eo, *quod Chriſtus inſtituit*: Nam etiam tum vult idipſum, quod intendit Eccleſia. Non enim aliud intendit Eccleſia, quàm id quod Chriſtus inſtituit, quod attinet quidem ad ſubſtantiam Sacramenti. *Quartò*. Si cogitans tantùm de ſignificatione, ſcopo, & effectu ipſius Sacramenti. Nam tum etiam idipſum volet, quod intendit Eccleſia.

Neque verò neceſſe eſt, vt aliquo ex his modis adſit intentio *præſens* actu, in ipſa adminiſtratione Sacramenti. Satis eſt, ſi præceſſerit, neque poſtea ſit mutata. Quoniam adeſt tunc ſaltem *virtualiter*, vt omnes notant.

His modis, vel ſimili aliquo, cùm adeſt intẽtio faciendi, quod facit Eccleſia, & verba etiam adhibentur, quæ integram habeant ſignificationem; neque etiam materia deeſt; verum conficitur Sacramentum, etſi particulari intentione, miniſter aliquid aliud, ſiue verum, ſiue falſum ſignificare velit, modò id non pugnet cum illa generali intentione faciendi in Sacramento, quod facit Eccleſia: neque etiam tollat ſignificationem integram formæ, vt eſt in confeſſo.

Atque ita rectè quidam notant, verum confici Sacramentum, ſi quis idoneam formam adhibens, & intendens facere, quod facit Eccleſia, intendit tamen præterea adhibere aliqua verba tanquam de eſſentia formæ, cùm tamẽ non ſint de eſſentia. Hæc enim intentio particularis, vt patet, integram relinquit formam, quæ verè eſt forma, & poteſt etiam ſimul conſiſtere cum generali altera intentione, ſignificandi & faciendi totum, quod intendit Eccleſia; tametſi peculiari quodam errore ſuo miniſter velit tũc aliquid aliud etiam facere.

Secùs, ſi contrà intenderet, adhibere ita partem aliquam formæ, quaſi non eſſet de ſubſtantia formæ. Tunc enim non conficeretur verum Sacramentum: quoniam talis intentio particularis pugnat verè cum intẽtione faciendi, quod facit Eccleſia. Intendit enim Eccleſia adhibere illam partem formæ. Quare qui illam partem non adhibet vt partem formæ; is non omnino intendit adhibere formam, quam vult adhibere Eccleſia.

Sed Obiicietur hîc aliquis: Sicut Eccleſia intendit oẽs formæ partes adhibere tanquam de eſſentia formæ: ita etiã intendit nihil aliud præter partes formæ adhibere tanquam de eſſentia formæ. Sed hoc non obſtante, diximus paulò antè, verum confici Sacramentum, etiamſi quis præter formæ partes aliquid aliud tanquam de eſſentia formæ adhibere intendat. Ergo ſimiliter verum conficeretur Sacramentum, licet quis partem aliquam formæ intendat adhibere, tanquam aliquid, quod non ſit de eſſentia formæ Sacramenti. Vtrobique enim videtur quis pari modo diuerſam habere intentionem ab intentione Eccleſiæ. Et confirmatur hoc. Nam etſi in eo caſu ille non intendat adhibere totam formam ſub ratione formæ; verè tamen adhibet, & adhibere intendit totam formam. Id quod videtur eſſe ſatis, vt Sacramentum ſit validum.

Respondeo ad argumentum, diſparitatem eſſe, quòd adhibere partem formæ, tanquã partem eſſentialem, eſt aliquid ſubſtantiale & intrinſecum ipſi Sacramento. Non enim verba vtcunque de ſubſtãtia Sacramenti ſunt; ſed etiam quatenus ſunt Sacramenti *forma*. Ita fit, vt niſi verba ſub ea etiam ratione adhibeantur ex intentione & voluntate miniſtri, Sacramentum ſit inualidum. Quoniam non erit ſecundùm ſuam totam ſubſtantiam opus voluntarium & humanum, quatenus eſt â miniſtro. Non adhibere autem, tanquam de eſſentia formæ aliquid præter id, quod eſt verè de eſſentia formę, cùm ſit quiddam *negatiuum*, non eſt propriè aliquid de ſubſtantia & quidditate intrinſeca Sacramenti. Vnde fit, vt ſi miniſter careat intẽtione illa Eccleſiæ, non adhibendi tanquam de eſſentia formæ, id quod non eſt de eſſentia formæ, Sacramentum minimè propterea ſit inualidum. Fieri enim nihilominus poteſt, vt Sacramentum ſecundùm ſuam ſubſtantiam totam, & omnes rationes ſibi intrinſecas, ſit opus humanum & voluntarium

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex intentione saltem implicita & generali faciendi, quod facit Ecclesia.

Atque ita patet, quid respondendum sit etiã ad argumenti Confirmationem. Cùm enim ratio ipsa formæ, vt *formæ*, sit substantialis, & intrinseca Sacramento; non satis est adhibere *re ipsa* totam formam: sed oportet intentionem adhibere illam adhibendi etiam tanquam *formam*. Talem verò intentionem non habet vllo modo minister in illo nostro casu, cùm scilicet expressa intentione vult aliquam partem formæ adhibere, tanquam aliquid, quod non sit de essentia formæ.

PVNCTVM TERTIVM.

Quàm latè pateat, seu qualis sit Significatio Sacramenti considerati formaliter.

D. Thom. art. 3.

VAMVIS præcipuum & essentiale in Sacramentis sit, quòd gratiam significent vt sanctificantem in ipso Sacramentorum vsu: nihilominus tamen possunt simul alia quædam, quæ cum gratia secundùm aliquam habitudinem connexa sunt, significare, vt rectè diuus Thomas docuit articulo tertio. Nempe futuram beatitudinem, tanquam *finem* sanctificationis; & passionem Christi, tanquam *causam* illius meritoriam. Itaq; nostra Sacramenta, quia post Christi passionem instituta sunt, & vsurpantur; simul sunt signa *commemoratiua* præteritæ passionis, & *demonstratiua* gratiæ sanctificantis, quæ in præsenti datur; & *prognostica* futuræ gratiæ, vt egregiè diuus Thomas explicuit in illo Articulo.

Atque id quidem in Baptismo & Eucharistia satis est in Scriptura expressum. Nam per Baptismum significari Christi passionem, docuit Apostolus ad Romanos sexto, illis verbis: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem Christi.* Gratiam autem; ad Ephesios quinto: *Mundans eum lauacro aquæ in verbo vitæ.* Futuram autem gloriam; ad Romanos sexto: *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Similiter Christi passionem significari per Eucharistiam, patet Lucæ vigesimo secundo: *In mei memoriam facietis.* Et prima ad Corinthios vndecimo: *Mortem Domini annunciabitis.* Gratiam autem; Ioannis sexto: *Caro mea verè est cibus.* Tum etiam gloriam ibidem: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

De aliis autem Sacramentis non perinde hoc est in Scriptura expressum: Sed tamẽ passionem omnia significant hoc ipso, quòd ex passione virtutem & efficaciam acceperunt. Atque etiam futuram gloriam ideo, quòd ob eam causam instituta & parata nobis sunt, vt illam beatitudinem consequamur. Hæ rationes efficiunt, vt ista nobis significentur per omnia Sacramenta, nobisq; in eorum vsu veniant in cogitationem. Eadem ratione Sacramenta quoque veteris Legis significârunt illa tria: quanquam cùm passio, tum temporis præterita non esset; non illam significârunt tanquam illius signa *memoratiua*, sed significârunt eam tamen absolutè tanquam causam meritoriam, secundùm præuisionem diuinam, eius etiam gratiæ, quæ tunc conferebatur.

Cùm verò Sacramenta (vt dictum est) illa tria simul significent, QVAERI solet, Quodnam eorum significent principalius? SED manifestum est, significare principalius gratiam. Nam est Sacramentis hæc significatio *essentialis*: Illa verò significatio passionis, & beatitudinis, tantùm *accidentalis*. Quippe cùm aliis etiam signis competat, quæ non sunt propriè Sacramenta. Quanquam ob rationes dictas non potest id accidens à Sacramentis separari.

Et animaduertendum est, cùm Sacramenta dicimus principaliùs significare gratiam; de Sacramentis nos loqui secundùm rationem generica eorum, vt Sacramenta sunt. Et sic quidem comparando *gratiam* cum aliis duobus, quæ per Sacramenta significantur, nempe cum *beatitudine*, & Christi *passione*. Alioqui si absolutè loquamur, & Sacramenta secundùm rationes eorum specificas consideremus, principaliùs significât, non gratiam absolutè, sed modum illum peculiarem gratiæ, quẽ vnumquodq; Sacramentorum (vt suis locis docebimus) secundùm propriam speciem significat. Ratio enim specifica in vnaquaq; re principalior est absolutè, quàm generica.

Quo fit, vt Sacramentum Eucharistiæ, quatenus est Sacramentum *tale*, principaliùs absolutè significet Christum, vt in speciebus panis & vini contentum, & quatenus est sic causa gratiæ, quæ in hoc Sacramento datur, vt rectè quidam hoc loco animaduerterunt. Et ratio est. Quoniam eiusmodi significatio pertinet ad modum proprium & specificum istius Sacramenti, vt infrà suo loco docebimus.

PVNCTVM QVARTVM.

Quale etiam esse debeat Sacramentum, quoad cæremoniam & ritum, quo administratur.

Ad art. 8. D. Thom.

HACTENVS in superioribus Punctis disseruimus de iis, quæ spectãt ad ipsam substantiam *rei subfratæ* Sacramento, secundùm vtramque illius partem, scilicet materiam, & formam. Præterea verò consideratio est habenda cæremoniarum & rituum, siue verborum, siue etiam gestuum, quibus in vnoquoque Sacramento administrando Ecclesia vtitur. Nam sunt hi ritus tanquam accidentia quædam eius rei, quæ vnicuique Sacramento substernitur, & pertinent adeò ad quãdam Sacramentorum solennitatem & ornamentum.

De his igitur cæremoniis ac ritibus, Concilij Tridentini Patres sess. 7. can. 13. sub anathemate decreuerant, eas *neque contemni, neque sine peccato omitti, neq; etiam cuiuslibet Ecclesiæ Pastoris authoritate mutari posse.* Ac bene quidem & vtiliter ab Ecclesia illas adhiberi, ꝓbatur ea ratione. Quoniam constat, omnibus sæculis superioribus in administratione Sacramentorum, ritus aliquos vel plures, vel pauciores adhibitos rectè & vtiliter fuisse. Sed eadem causa nunc subest, quamobrem bene illos atq; vtiliter adhiberi hoc tempore censere debeamus. Igitur ita prorsus de ritibus, quos iam Ecclesia vsurpat, statuendũ est.

Maior ne ab ipsis quidẽ hæreticis negari potest, cùm extet eiusmodi rituum cõmemoratio passim apud Patres antiquos, & maximè apud Dionysium in lib. de Ecclesiast. hierarch. & apud Clementem Romanum in libris Constitutionũ Apostolicarũ, & apud Ambrosium in lib. de iis, qui mysteriis initiantur, & de Sacramentis, &c. Minor aũt probatur. Quòniã duplex causa fuit olim, cur bene ritus eiusmodi adhiberentur; scilicet, & Ecclesiæ instituentis atq; vsurpantis *authoritas*: & rationes deinde *bonæ*, quibus ꝓ ratione temporis & aliarum circumstantiarũ bonus esse mõstraretur eorum vsus, vel ad excitandũ pietatis studium in populo, vel ad exornãdum ipsum Sacramentorum cultum. Vtraq; verò causa nũc etiam suppetit. Nam cùm eadẽ nunc sit Ecclesia; eadem authoritate nunc etiam pollet. Nec præterea rationes nobis desunt, pro congruentia & vtilitate horum rituum, qui partim vt olim, partim aliquantò secùs nunc vsurpantur, quicquid contrà hæretici nostri cauillentur.

Nominatim verò de signo CRVCIS, quod Sectarij maximè oderũt, & in omniũ administratione adhibetur, obseruandus est insignis ille locus S. AVGVSTINI tract. 118. in Ioan. *Quid est*, inquit, *quod oẽs nouerunt signũ Christi, nisi crux Christi? Quod signũ, nisi adhibeatur, siue frontibus credẽtium, siue ipsi aquæ, qua regenerantur, siue oleo, quo Chrismate vnguẽtur, siue sacrificio, quo aluntur; nihil eorũ ritè perficitur. Quomodo ergo ꝓ id, & fecerunt mali, nihil boni significatur, quando per Crucẽ Christi, ã fecerũt mali, in celebratione Sacramentorũ eius bonũ nobis omne significatur?*

Quòd autem *sine peccato* eiusmodi ritus propter Ecclesiæ præceptum omitti nequeãt, facilè similiter probatur ex eo, quod in materia de Legibus generatim ostendimus, scilicet Ecclesiam habere potestatem, siue in cultu, siue in aliis materiis condendi Leges, quæ obligent etiã in conscientia. Quantum verò sit peccatum in huiusmodi aliquid prætermittere, vel secùs facere; iudicandum est eodem modo, quo puncto præcedenti docuimus, cùm de peccatis circa prolationem verborum ageremus.

Nam si vel *scandalum*, vel *cõtemptus* adsit, vel res sit *notabilis*; peccatum erit mortale: Veniale verò, si citrà scandalum, & cõtemptum, res sit exigua, vel etiam desit voluntas & *deliberatio plena*. Quo in genere, obseruatione dignum videtur illud, quod Sotus in 4. d. 13. q. 2. art. 5. affirmare nõ dubitauit, scilicet minimè licere sine necessitate, vel dispensatione facere sacrum sine ministro.

Porrò cùm hæc de ritibus ita se habeant, non probant tamen hoc genus HAERETICI; sed calumniis & cauillationibus tantùm, sine vllis firmis argumentis vtuntur, vt videre est apud Collectorem huiusmodi calumniarum Kemnitium in examine can. 13. sess. 7. Concilij Trident. Summa enim est *Primò*. Quòd his ritibus tantundem dignitatis & efficacitatis tribuatur in Ecclesia Romana, quantùm ipsis Sacramentis secundùm eorum substantiam. Item, quòd eo loco habeantur, quasi nequeat sine illis confici verum Sacramentum.

SED hoc nemo nõ videt esse clarum mendacium. Quòd si aliqui vulgares in ea parte errant, & sic sentiunt; id certè Ecclesia nõ docet, sed potiùs contrarium docent, & admonent quotidie Theologi. Quanquam simul etiam differant, nõ posse illa omitti sine peccato.

Secundò dicunt, obrui ab istis ritibus & obscurari ea, quæ sunt in Sacramentis substantialia. *Respondetur*, istud etiã esse somnium & imaginationem falsam istorum. Potiùs enim illustrantur hac ratione cultus.

Tertiò, omitti propter eiusmodi ritus illa, quæ sunt substantialia; vt communicationem sub vtraque specie, &c. *Respondetur*, nihil minùs propterea fieri. Nam quod ad communicationem sub vtraque specie attinet, infrà docebimus, illam neque substantialem, neq; à Christo omnibus & singulis imperatam esse.

Quartò improbant, quòd hæc apud nos non habeantur tanquam ἀδιάφορα, id est, quòd non vsurpantur solius ordinis & decori causa, sine opinione necessitatis, cultus, & meriti. *Respondetur*, cùm hi ritus, bonæ & vtiles operationes sint, cur non possint Ecclesiastico præcepto iniungi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

atque eatenus necessarij esse, & ad meritum, atque etiã ad cultum vsurpari? Hoc certè per nullam Scripturam prohibetur.

Postremò obiiciunt, nos omittere eos ritus, qui vel exemplum, vel testimonium expressum habent in Scriptura, scilicet explicationes doctrinæ de ipsa Sacramentorũ administratione. Item exhortationes, preces, & gratiarum actiones. *Respondetur*, minimè apud nos omitti ista. Quanquam, vt explicationes & exhortationes in omni semper administratione Sacramenti adhibeantur, nusquam præceptum est. Itaque sine peccato interdum tunc omittuntur. Preces verò in administratione Sacramentorum semper ex institutione Ecclesiæ adhibentur.

QVÆSTIO SECVNDA.

De necessitate Sacramentorum.

D. Thom. 3. parte, quæst. 61. & art. 4. quæst. 65.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, AN ET QVOMODO SACRAmenta sint necessaria hominibus ad salutem. SECVNDO, *An non solùm hoc tempore, sed etiam aliis omnibus temporibus fuerint ita necessaria.*

PVNCTVM PRIMVM.

An, & quomodo Sacramenta sint necessaria hominibus ad salutem.

D. Thom. artic. 1.

DE NECESSITATE SACRAMENtorum dupliciter loqui possumus. PRIMO, ex *hypothesi*, id est, considerata diuina institutione atque lege. Sic omnino dicendum est, Sacramenta esse hominibus ad consequendam salutem simpliciter necessaria: nõ quòd singula singulis necessaria ita sint; sed quia quædam singulis sunt necessaria, & omnia ipsi certè communitati Ecclesiæ Christianæ, ex lege & institutione diuina, vt videre est apud Diuum Thomam, quæstione 65. artic. 4 & tractabitur infrà suis locis, cùm de vnoquoque Sacramento agemus.

SECVNDO loqui possumus *absolutè*, id est, considerando tantùm ipsam Sacramẽtorum rationem atq; naturam. Et hoc pacto etiam à Diuo Thoma hîc artic. 1. & ab aliis, simpliciter dici solet, Sacramenta esse hominibus necessaria ad salutem; nõ quia nequiuerint omnino alio modo sine Sacramentis salutem consequi; sed vt rectiùs illam & conuenientiùs consequantur, vt bene ibi declarauit Caietanus, & Sotus etiã d. 1. q. 2. art. 1. ex vulgata illa doctrina Philosophi 5. Metaphys. vbi distinguit duplicem rationem necessitatis, scilicet vel *absolutè*, ad consequendum finem, vel ad *melius* consequendum. Iuxta quam doctrinam etiã D. AVGVSTINVS lib. 13. de Trinitate, cap. 10. scripsit, Incarnationem fuisse necessariam ad salutem hominum: *Non*, inquit, *quia alius modus non fuit possibilis Deo, sed quia sanandæ nostræ miseriæ, alius conuenientior modus non fuit, neq; esse alium oportuit.* Quę sententia D. Augustini similiter ad Sacramẽta in proposito accommodari potest.

Porrò pro hac necessitate Sacramentorum ad salutem meliùs assequẽdam potissimæ rationes sunt illæ tres, quas art. 1. D. Thomas ducit ex ipsa natura hominis, & ante illum etiã duxerat Magister d. 1. & Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramẽtis, punct. 9. cap. 3. Quia scilicet vsus huiusmodi remediorum & signorum *corporalium*, prodest homini. *Primò*, vt erudiatur; dum per ista sensibilia signa, quæ quasi *verba quædam visibilia* sunt, (vt ait Tractatu 80. in Ioannem, & lib. 19. contra Faustum, cap. 16. AVGVSTINVS) commodiùs intelligit spiritualia mysteria, in quorum alioqui cognitione impeditur maximè ab ignorantia contracta per peccatum. Qua etiam ratione D. Dionysius de Ecclesiastica hierarchia, cap. 1. notauit, Hierarchiam hanc Ecclesiæ militantis *sensibilibus* signis rectè constare: cœlestem autem illam *intelligibilibus*.

Secundò. Vt humilietur, quòd ab his rebus inferioribus, salutis remedium capiat: quę fuerunt illi antea occasio peccati.

Tertiò. Vt exerceatur cõuenienter naturæ suæ, quæ propensa est ad huiusmodi res *externas*: atque etiam vt ita abstrahatur ab aliis cultibus superstitiosis, qui eiusmodi creaturarum vsu illicito exerceri solent.

Potest etiam addi *Quarta* ratio, ex parte item naturæ hominum, vt scilicet per eiusmodi cultum sensibilem, coadunetur populus Christianus, & ab aliis discernatur populis. Quò pertinet illa

net illa sententia AVGVSTINI libro 19. contra Faustum, cap. 11. *In nullum*, inquit, *nomen Religionis seu verum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum seu Sacramẽtorum visibilium consortio colligentur*.

Præter has rationes, possunt & aliæ ex aliis capitibus deduci, scilicet ex parte Dei, atq; etiam ex parte ipsarum rerum corporalium. Quas rationes diligenter persequitur Alanus in libro de Sacramentis, capite 24. DEVS enim in ea re ostendit & suam *misericordiam*, dum remedia in his rebus, quæ sunt in promptu, constituit; & *iustitiam*, dum superbiam hominis, qui se immoderatiùs extulerat, ita accommodatè castigat, instituens, vt remedium quærat in rebus ipso humilioribus & inferioribus; & *sapientiam*, quatenus in aliquibus Sacramentis, (vt in Pœnitentia,) coniunxit effectus diuersissimos, scilicet pudorem hominis sua peccata detegẽtis, & magnam etiam consolationem. Atque item: quoniam ita fecit, vt caussæ instrumentales nostræ salutis, essent similes caussæ potissimæ illius, nempe Verbo *incarnato*, quod per naturã assumptam *etiam corpoream nobis* salutem comparauit, vt ratiocinatur bene D. Thomas libro 4. contra Gentes, cap. 56. & *potentiam*, quòd rebus eiusmodi destruat regnum Diaboli.

Ex parte demùm *ipsarum creaturarum corporalium*, potissimæ rationes sunt hæ: *Primò*. Vt sic ostenderetur, eas non esse naturâ malas, sicut impiè existimauerunt Manichæi. Qua ratione vsus etiã est D. Thomas in illo loco contra Gentes. Ac eam attigit quoque sanctus LEO serm. 4. de Quadragesima. *Secundò*. Quoniam illæ hominum caussâ conditæ sunt: Quare cõuenienter ad hominum salutem vsurpantur. *Tertiò*. Vt ea ratione referantur ad conciliandam Deo gloriam, eiq̃ue gratias agendas, non modò vt earum Creatori, sed etiam vt Redemptori hominis, qui illarum est finis. Qua ratione Christus in homine quodammodò *instaurauit* creaturas vniuersas, vt significat Apostolus, Ephes. 1.

Quemadmodum contrà etiam destruuntur quadam ratione & *ingemiscunt creaturæ* (vt loquitur idem Apostolus) quando homini inseruiunt ad peccandum, & non ad colẽdum earum Creatorem, & Redemptorem hominis. Nam & ob hanc caussam ab Apostolo, Rom. 8. scriptum est, quòd *creatura vanitati subiecta est, non volens*; id est, homini ad peccatum inuita quodammodo seruit. De qua re pulchrè scribit S. AMBROSIVS libro 5. epistolarum, epist. 21.

Atq; ex hac quidem vltima ratione, facilè intelligi potest, quid sibi voluerit D. IRENAEVS, cum libro quarto, capite 32. de Sacramento Eucharistiæ tractans, dixit; CHRISTVM *mandasse suis discipulis*, vt eo Sacramento *primitias de suis Creaturis Deo offerrent, non quasi indigenti; sed ne ipsi ingrati circa creaturas & infructuosi apparerent, &c.* Insinuauit nimirum hoc loco Irenæus rationem illam vltimam, ex parte creaturarum ductam pro institutione Sacramentali.

Supereſt, vt respondeamus ad præcipua argumenta, quibus olim hæretici veteres oppugnabant & institutionem, & vsum Sacramentorum. PRIMVM est. Quoniam indignum videretur, vt homo ea ratione subiiceret sese rebus eiusmodi corporeis, quæ sunt illo inferiores. Vnde etiam Porphyrius arbitrabatur indignum esse in Dei cultu corporeas res vsurpare: vt videre est apud EVSEBIVM libro quarto de præparatione Euangelica, capite quinto, & apud Augustinum lib. 1. Retract. cap. 4. Nec dissimili argumento vtitur etiã Brentius in Confess. VVirtenberg. Cap. de Baptismo, vbi Ecclesiam accusat, quòd multitudine Sacramentorum, faciat hominem seruire *egenis elementis*.

Sed RESPONDEO breuissimè, eos se rebus corporeis indignè subiicere, qui vel illis per se inhærẽt, vel quod detestabilius est, ipsis cultum superstitiosum, aut idololatricum deferũt: Qui verò eis secundùm diuinam institutionẽ & ordinem vtuntur tantùm ad eum finem, quò diuinitùs illæ referuntur; non se illis, sed potiùs illas sibi subiiciunt, dum ad vtilitatem suam rectè, & ex voluntate diuina referunt: quod nos facimus in vsu Sacramentorum.

SECVNDVM argumentum. Idololatræ Ethnici rebus eiusmodi corporeis ad cultum superstitiosum vtebantur. Ergo nos non debemus illis ad cultum vti. Item Iudæi etiam in illa seruitute rebus eiusmodi vtebantur. Igitur non expediunt nobis.

RESPONDEO. Quod Ethnici in cultu idololatrico his vterentur rebus, argumento esse potiùs, quòd Deo sit gratum, vt per corporeas res cultus etiam exerceatur. Nam vt præclarè Diuus AVGVSTINVS lib. 1. contra aduers. Leg. & Prophet. cap. 18. animaduertit, ideo Ethnici vtebãtur his rebus: quoniam Diabolus affectabat cultum similem cultui diuino.

Item, quod ad Iudæos attinet, notanda est eiusdem Diui Augustini doctrina, libro tertio de doctrina Christiana, capite 7. 8. & 9. ex qua apparet, seruitutem Iudæorum non in eo fuisse, quòd externa Sacramenta habuerint in præcepto; sed *in multitudine*, & infirmitate, & obseruandi difficultate, & quòd vulgus *seruiebat sub his signis, quæ non intelligebat*. Hæc nunc minimè de nostrorum Sacramentorum vsu dici possunt.

Atque hæc diligenter quidem sunt obseruanda, propter ineptas obiectiones Aduersariorũ, qui sæpe nostros cultus cauillantur eo solo nomine, quòd aliqua in eis videatur *similitudo* cultuum Gentilium aut Iudæorum. Quod genus calumniæ etiam fuit vsitatum à veteribus hæreticis contra Christianos, vt diligenter notauit Alanus lib. de Sacramentis, cap. 26. Apud quem etiam videri possunt nonnullæ aliæ obiectiones

futiliores

Universidad de Deusto
Biblioteca

futiliores veterum hæreticorum contra Sacramenta, quas ferè etiam diluit D. Thomas art. 1.

Qui & art. 4. ad 3. rectè declarat, quomodo licet diuerſa Sacramenta pro diuerſis hominum Statibus inſtituta fuerint; nulla tamen in conſilio Dei mutatio acciderit: Quoniam vnũ & idem ſemper fuit illius decretum, vt ſcilicet pro diuerſitate temporum & aliarum circumſtantiarum hæc aut illa eſſent Sacramenta diuerſa. Sicut Paterfamilias (quod eſt exemplum D. Thomæ,) non mutat conſilium propterea, quòd alia velit fieri in familia pro tempore hiemis; & alia, pro tempore æſtatis. Quam rem bene etiam Alanus contra veteres hæreticos tuetur & declarat, cap. 28. & 29.

PVNCTVM SECVNDVM.

An non ſolùm hoc tempore, ſed etiam aliis omnibus fuerint Sacramenta neceſſaria ad ſalutem.

D. Thom. artic. 2. 3. & 4.

EX congruentiæ rationibus, quas pro neceſsitate Sacramentorũ adduximus puncto præcedenti; colligere licebit, quid reſpondendum ſit, cùm quæri ſolet, An illis temporibus, & pro illis perſonis ac locis, de quibus alioqui nihil certi conſtat, fuerint, aut futura fuerint aliqua Sacramenta in vſu hominum ad ſalutem.

Conſtat enim *inprimis*, poſt Chriſtum, id eſt, hoc tempore *Legis gratiæ*, Sacramẽta illa ſeptem pro omnibus locis & ſæculis, vſque ad finem mundi eſſe inſtituta, vt ſuprà probatum eſt. *Secundò*, fuiſſe etiam tempore legis Moſaicæ plurima Sacramenta, eſſeque inſtituta pro illo populo: aut certè Circumciſionem ſaltem pro maſculis. *Tertiò*, fuiſſe etiam eandem Circumciſionem inſtitutam ante Moyſen, ab Abrahę temporibus pro eius familia, & ſemine.

Sed de tempore tamen antecedenti, id eſt, poſt peccatum vſque ad Abraham (quod tempus dicitur *Legis naturæ*) Vtrum fuerit aliquod Sacramẽtum pro remiſsione originalis peccati, aut etiam aliorum, *Sacra hiſtoria tacet*, inquit D. AVGVSTINVS lib. 15. de ciuit. Dei, cap. 16.

Deinde multò minùs exploratum eſt, quid fuiſſet futurum *in ſtatu innocentiæ*. Item incertũ, an pro aliis, qui vtroque tempore, legis *naturæ*, & *Moſaicæ*, ex populo Gentili rectè colebãt Deum, (vt Iob, &c.) fuerint aliqua Sacramenta.

Eſt autem de his, quæ ſunt incerta, coniectura capienda ex rationibus antea tactis pro conuenientia inſtitutionis Sacramentorum: ita ſcilicet, vt ſi præcipuæ rationes eiuſmodi pertinere ſimiliter videantur ad ea tempora & perſonas, concedamus, fuiſſe pro illis, aut futura fuiſſe Sacramenta: ſin minùs; negemus. Ac iuxta hanc quidem rationem diiudicandi iſtiuſmodi Quæſtiones, hæc mihi probabiliora videntur, quæ ſubiungam.

Dico igitur PRIMO, in ſtatu INNOCENTIAE, nullũ fuiſſe Sacramentũ futurum. Ita D. Thom. art. 2. & Caietanus ibidem, & Sotus d. 1. q. 2. artic. 2. & alij. Fundamentum eſt. Quoniam præcipuæ rationes, quas pro conuenientia Sacramentorum adduximus, habent vim poſt peccatum, vt cõſideranti patet. Sacrificia verò puto nihilominùs fuiſſe tunc in vſu futura ad gratiarum actionem, & Dei laudem, &c. vt rectè ſenſit, iudicio meo, Cardinalis Alanus libro de Sacramentis, cap. 27. Quanquam contra opinatus fuerit Sotus in dicta quæſt. 2. art. 2.

Argumentum meum eſt. Quoniam ratio, cur expediat Sacrificiis Deum colere; non ſolùm ex peccato ducitur, verùm etiam ex ipſa natura & cõditione hominis. Nam cùm ſit anima & corpore prædituſ, eamque naturam diuino beneficio acceperit; conuenit quoque, vt per immutationem ſeu confectionem rerum corporalium ad gloriam Dei inſtitutã, ſignificet & proteſtetur, Deum eſſe Dominum ſupremũ rerum omnium, cuius beneficio & largitione omnes creaturæ acceperint, quicquid habẽt & ſunt. Quæ eſt ratio Sacrificiorum. Quare cùm in illo ſtatu innocentiæ, propter maiora tunc dona & beneficia diuinitus accepta, homines multò magis eſſent Deo ita obſtricti; maximè etiã tunc opportunus fuiſſet vſus Sacrificiorum.

Neq; verò quidquam valet, quod Sotus dicit, hanc conſiderationem & proteſtationem diuini Dominij per Sacrificia, non habere locum, niſi quando res, quæ ad Sacrificium vſurpantur, cedunt vtilitati templorum & miniſtrorum: Quarum rerũ nullus in illo ſtatu fuiſſet vſus. Primum enim, falſum eſt omnino id, quod aſſerit. Patet euidenter, quando Sacrificia inſtituebantur eo modo, vt res penitùs abſumerentur, ſicut fiebat in holocauſtis, quæ tota abſumebantur.

Deinde neſcimus, an non etiam tunc fuiſſent futura templa & adminiſtri templorum, vt rectè dixit Alanus. Immò verò dico, *probabile* nihilominùs eſſe, quòd præter Sacrificia fuiſſet etiam tunc aliquod Sacramentum, ſaltem ad gratiam augendam. Quale omnino Sacramentum futurum tunc fuiſſe ſignificat D. Auguſtinus lib. 13. de ciuit. Dei, cap. 20. eſum illum de fructu ligni vitæ, qui in illo ſtatu fuiſſet vſurpatus. Itaq; propter hũc Auguſtini locum, probabiliter ita ſentit Alanus. Sed probabilior mihi videtur noſtra prima aſſertio, & certè eſt communior; nec Auguſtini locus eſt ita perſpicuus.

SECVNDO dico, *poſt peccatum*, pro omnibus illis temporibus, atq; etiam populis Gentilium, fuiſſe aliqua Sacramẽta propriè, vt rectè probat in illo loco Cardinalis Alanus, & ſatis indicat D. Thomas artic. 2. ad 2. & ad 3. Id patet *Primò*.

Quoniam

Quoniam vel omnes, vel præcipuæ rationes pro conuenientia Sacramentorum ſuprà punct. 1. factæ, pertinent etiam ad illud tempus & illos populos.

Secundò, Quoniam conſtat, illo tempore legis naturæ, & in illis aliis populis fuiſſe Sacerdotes; vt Melchiſedech, & Iob, qui ſacrificabat aſsiduè pro peccatis filiorum, vt legitur Iob 1. Apoſtolus autem ad Hebr. 5. generatim affirmat, *omnem* Pontificem ſeu Sacerdotem inſtitui, *vt offerat Sacrificia pro peccatis*. Itaq; cùm ſuprà docuerimus, omnia Sacrificia, quæ olim rectè fuerunt inſtituta pro peccatis, fuiſſe etiam ſub alia quadam ratione, ſimul Sacramenta; conſequens eſt, illo tempore, & apud illos populos fuiſſe quoq; Sacramenta aliqua.

Et quidem illa Sacrificia etiam valere potuerunt ad remiſsionem originalis pro fœmellis: Siquidem abſolutè pro peccatis fiebant ſine exceptione. Qua ratione puto ſimiliter ſacrificia legis Moſaicæ pro peccatis, profuiſſe etiã ad remiſsionem originalis, fœmellis, quæ non habebant alioqui peculiare Sacramentũ pro ſe inſtitutum, ſicut habebant Circumciſionẽ maſculi.

Sed quicquid ſit de hoc, probatur *Tertiò* noſtra Aſſertio authoritate D. AVGVSTINI libro 5. contra Iulianum, cap. 9. vbi ait: non eſſe credendum, quin etiam aliquod Sacramentum fuerit in vſu pro paruulis ante inſtitutã Circumciſionem: quamuis quale illud fuerit, Scriptura taceat. Nec *tamen*, inquit, *credendum eſt, & ante datã Circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eius opitulatos fuiſſe paruulis ſuis: quamuis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſsâ, Scriptura latere voluit*. Itẽ GREGORII lib. 4. Moralium, cap. 2. *Quod apud nos*, inquit, *valet aqua Baptiſmatis hoc egit apud veteres vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus Sacrificij, vel pro his, qui ex ſtirpe Abrahæ prodierant, myſterium Circumciſionis*. Quo loco Gregorius ſaltem pro adultis, qui non eſſent etiam ex genere Abrahæ, cenſuit valuiſſe aliqua *Sacrificia* pro remiſsione peccatorũ. Vnde illicò ſequitur, fuiſſe etiã pro illis aliqua Sacramenta ex mente Gregorij. Quoniam, vt ante dicebam, Sacrificia pro peccatis, ſimul etiam ſunt Sacramenta.

SED dicit Sotus in dicta quæſtione 2. artic. 3. eiuſmodi Sacramenta legis naturæ, non fuiſſe Sacramenta *propriè*: quoniam non ſic ipſa conferebant gratiam, vti conferunt noſtra. Itaque appellari poſſe tantùm Sacramenta *impropriè*. Hoc non rectè dictum eſt. Nam ſic Sotus probare etiam poſſet, ne Legem quidem Moſaicã habuiſſe Sacramentum vllum *propriè dictum*. Quoniam neque Circumciſio, neque vllæ aliæ cæremoniæ illius Legis conferebant ita gratiam, vt faciunt noſtra Sacramenta. Satis igitur fuit, quòd in illarum cæremoniarum, ſiue Legis naturæ, ſiue Legis Moſaicæ, *vſu* conferretur gratia. Id enim pertinet ad communem rationem Sacramenti propriè dicti. Quòd autem ipſum Sacramentum ſit etiam *vera cauſſa* gratiæ; id ad differentiam & rationem propriam nouæ Legis Sacramentorum ſpectat, vt quæſt. 1. punct. 1. docuimus.

Notandum autem hîc eſt, Sacramenta illa Legis naturæ, in *ſpecie* quidem, ſeu in particulari, non fuiſſe *diuinitùs præcepta*: ſed tantùm *in communi*, vt ſcilicet aliqua Sacramenta, ſicut etiam Sacrificia, vſurparẽtur. Neq; verò generale hoc præceptum eſt traditum aliquo ſcripto; ſed inſtinctu duntaxat legis naturalis, atque etiam fidei, vt rectè Alanus vbi ſuprà ex ſententia communi notauit, & indicauit etiam Diuus Thomas articulo tertio ad ſecundum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO TERTIA.

De præcipuo Effectu Sacramentorum, qui est Gratia.

D. Thom. 3. parte, quæst. 62.

SACRAMENTIS NOVAE LEGIS DVPLICEM EFFECTVM tribuunt Orthodoxi Doctores: Alterum, communem omnibus, nempe Gratiam gratum facientem: Alterum, quorundam proprium, nempe Characterem, qui solum est effectus trium Sacramentorum, puta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis. De vtroq; igitur effectu dicendum est in hac & sequenti quæstione.

Et de Gratia quidem tria sunt disputanda. PRIMO, *An & quomodo Sacramenta nouæ legis sint causſa gratiæ.* SECVNDO, *Quæ sit propria ratio illius Gratiæ, cuius Sacramẽta nouæ Legis sint causſa.* TERTIO, *Vtrum sit proprium Sacramentorum nouæ Legis, vt sint causſa Gratiæ; an verò Sacramentis etiam veteris Legis fuerit id commune.*

PVNCTVM PRIMVM.

An, & quomodo Sacramenta nouæ Legis sint causſa Gratiæ.

D. Thom. art. 1. 3. 4. 5.

QVOD AD PRIMVM ATTINET, principio dubitari nõ debet, quin per aliquem tandem modum, quicunq; ille sit, Sacramenta omnino sint causſæ conferentes gratiam, vt rectè D. Thomas docet hic artic. 1. Id enim pro certo Doctores Orthodoxi habent contra Armenos, qui hanc assertionem negauerunt; sicut etiam reuerà illam negant nostri Sectarij, tametsi verbis, vt videbimus, videntur concedere.

Probatur autem PRIMO ex diuina Scriptura, quæ sic passim Sacramentis vim efficiendi gratiam tribuit, vt planè indicet, illa veras esse causſas gratiæ. Vt Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* Vbi obseruandum est, regenerationem per gratiam vtrique communiter, scilicet *Spiritui sancto & Sacramento*, vno & eodem modo, quod quidem attinet ad communem notionem & proprietatem causſæ, asscribi: tametsi differentia sit, quod attinet ad peculiarem modum efficiendi, vt postea declarabimus. Item Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ, &c.* Vbi etiam ratio causſæ indicatur instrumentalis, perinde ac si quis dicat, scribo calamo. Et Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Sic etiam de Eucharistia, Ioan. 6. *Qui manducat me, viuet propter me.* De Confirmatione autem ait Lucas, Actor. 8. *Cùm vidisset, quòd per impositionem manuum daretur Spiritus sanctus.* De Pœnitentia, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis vtique per ministerium Sacramenti.* De Ordine, Paulus 2. Timoth. 1. *Vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Et de aliis Sacramentis similiter idem apparet ex aliis locis, quibus illorum numerum cõfirmabimus infrà quæst. 6. punct. 2.

SECVNDO probatur ex auctoritate Patrum, qui eandem sententiam passim ex diuinis literis asseruerunt. CHRYSOSTOMVS homil. 25. super Ioannem, vbi ait; *Aquam* (Baptismi) *producere animas spirituales*, efficiendo scilicet in eis gratiã. Item CYRILLVS Alexandrinus lib. 2. in Ioannem, cap. 42. AMBROSIVS lib. 2. de Sacramentis, cap. 5. AVGVSTINVS Tract. 80. super Ioannem, in illud: *Iam vos mundi estis, &c.* Quo loco habetur illa sententia Augustini: *Quæ est ista virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat.* Item lib. 19. contra Faustum, cap. 16. & lib. 1. Retract. cap. 7. aliisque pluribus in locis, estque insignis locus lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, capite 18. & 19. Item BEDA super 2. & 3. caput Lucæ. GREGORIVS lib. 4. Moral. capite 2. Hugo VICTORINVS libro 1. de Sacramentis, parte 9. cap. 2. & alij multi in commentariis super illum locum Ioan. 3. ante citatum.

TERTIO probatur idem ex definitione Ecclesiæ in cap. *Maiores.* Extra, de Baptismo & eius effectu. Item in Concilio Florentino sub Eugenio IV. vbi disertè declaratum est, quòd veteris legis Sacramenta non causſabant ipsam gratiam, *Sacramenta verò nouæ legis & gratiam continent, & dignè suscipientibus conferunt.* Cumque sit hæc sententia, tum Scripturæ, tum Patrum auctoritate probata; etiam in Concilio Tridentino, meritò sub anathemate definita est, sess. 7. can. 6. 7. & 8.

POSTRE-

POSTREMO confirmari maximè potest ex consensu fidelium, qui vsque adeo Sacramenta animas sanctificandi vim habere persuasum habent, vt pleræque nationes ipsa etiam appellatione *Sacramenti*, & vocabulo, quo vulgò vtũtur, id significent & intelligant. Itaque AVGVSTINVS lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 24. consuetudinem Afrorum commemorat & laudat, quòd vulgo Baptismum appellarent *salutem*; Et Eucharistiam, *vitam*; nimirum ab eiusmodi Sacramentorum effectu.

Ac pertinet huc etiam, quod Ioannes Eckius homil. 1. de Sacramentis testatur, ZVINGLIVM magnoperè cupiuisse, vt vox latina, *Sacramẽtum*, quam Germani vulgò ob reuerẽtiam quandam retinent, aboleretur; quòd, vt ille hæreticus dicebat, omnes illicò ea voce intelligerẽt aliquid, quòd à peccato liberaret, & conferret gratiam. Quod ipsum similiter intelligunt & aliæ nationes, quæ vsurpant item eam vocem Latinam.

SED cùm hoc, vt dicebam, certum sit; magna QVAESTIO est tamen de modo, quo intelligere oporteat, Sacramenta causſas esse omnino gratiæ. Et multi sanè non modò ex hæreticis, verùm etiam ex Catholicis Doctoribus eos modos assignant, qui non immeritò videri possint tollere idipsum, quod secundùm fidẽ diximus esse certum, scilicet Sacramenta esse *verè causſas* Gratiæ. Quare falsæ opiniones diligenter à nobis refellendæ sunt, priusquàm veram sententiam explicemus.

Est igitur PRIMA sententia, vel error potiùs Sectariorum nostri temporis; qui quidem verbis magnificè videntur de efficacia Sacramentorum dicere. Nam concedunt ipsa nobis *offerre & exhibere gratiam*; Immò etiam Kemnitius in examine 7. & 8. canonis sess. 7. Concilij Tridentini, disertè affirmat, esse *causſas gratiæ instrumentales.* Verùm reipsa sic omnino & ille & alij hæretici modum, quo Sacramenta nobis gratiam exhibeant, declarant, vt planè negent illa, secundùm aliquam *veram notionem causſæ* conferre gratiam.

Sentiunt enim, ea solùm ratione Sacramenta gratiam exhibere & offerre, quòd tanquam signa, seu *verba quædam visibilia*, quasi antè oculos nobis ponunt & repræsentant promissionem diuinam, quam dum homines apprehẽdunt, consequuntur gratiam. Itaque dicunt, in hominis iustificatione, quasi duplicem manum interuenire: Alteram DEI *offerentis*, & quasi porrigentis gratiam: Alteram hominis gratiam *capientis.* Manum illam Dei esse *verbum promissionis*, atque etiam Sacramenta, quibus tanquam symbolis, seu sigillis quibusdam externis promissio illa nobis diuinitùs obsignatur. Manum autem hominis esse *solam fidem*, qua quis certò statuit sibi in particulari remitti peccata, & donari gratiam propter promissionem diuinam, quæ etiam verbo Scripturæ & Sacramentis, tanquam quibusdam *visibilibus verbis*, (vt Augustinus Tract. 80. in Ioannem appellat) proponitur & obsignatur nobis. Quare censent, Sacramenta non alia ratione, nisi qua dictum est, nobis conferre, seu exhibere gratiam, tanquam manum videlicet DEI illam porrigentis, vt fide sola capiamus: aliter autem Sacramẽtis tribuere vim gratiam conferendi, iudicant esse hæreticum. Quo sanè sensu Lutherus in assertione suorum articulorum, quos Leo X. damnauit, art. 1. dixit, *hæretica, sed vsitata sententia est, Sacramenta nouæ legis dare gratiam non ponentibus obicem.*

Porrò hanc sententiam his argumentis probant. PRIMO colligunt testimonia Scripturæ, quæ iustificationem hominis *fidei* adscribunt; vt videre est apud Rossensem libro contra articulos Lutheri, art. 1.

SECVNDO obiiciunt pro eadem sententia illud Augustini Tract. 80. in Ioannem: *Vnde ista virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur*, inquit Augustinus.

TERTIO ratiocinantur hunc in modum. Sicut Sacramentis Scriptura tribuit vim cõferendi salutem: ita etiam & Euangelio, quod, vt inquit Apostolus ad Rom. 1. *est virtus Dei in salutem omni credenti.* Sed Euangelium non alia ratione salutem confert, nisi quatenus significat & exponit nobis diuinam promissionem. Ergo neque Sacramenta.

QVARTO vtitur etiam Kemnitius eo argumento; quòd Idololatria sit, vim alio modo producendi gratiam tribuere Sacramentis, cùm eiusmodi efficacitas propria sit Spiritus sancti.

HAEC sententia, seu hæresis potiùs, reiicienda est ob duas causſas. PRIMO. Quoniam eiusmodi fide gratiam apprehendi in Sacramentorum vsu dicit, quæ reuera fides non est, sed *temeraria præsumptio* de remissione peccatorũ & gratia in particulari, vt latiùs tomo 2. disputat. 8. de Gratia, q. 4. demonstrauimus.

SECVNDO. Quoniam etsi verum sit, Sacramenta illo etiam modo, scilicet vt *signa quædam visibilia*, offerre nobis gratiam; ille tamen modus nõ sufficit, vt secundùm aliquam notionem causſæ censeantur verè nobis conferre gratiam. Quod tamen necessariò fatendum est, vt antè auctoritate Scripturæ, & Ecclesiæ probauimus. Itaque cùm fateamur, Sacramenta nouæ legis esse signa, seu sigilla promissionis diuinæ; contendimus tamen præterea, rationem *causſæ* illis tribuendam esse.

Quod probatur PRIMO præter testimonia priùs allata. Quoniam ille modus offerendi gratiam communis fuit Sacramentis veteris legis. At fide certum est, Sacramenta nouæ legis longè excellentiùs & veriùs gratiam conferre, vt p. sequenti probabimus. Ergo non solùm eo modo Sacramenta nouæ legis sunt causſa gratiæ.

SECVNDO possumus retorquere argumentum hæreticorum in ipsos. Certum enim est, *Sa-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cramenta longè alio modo gratiã conferre, quàm *verbum Euangelij*. Sed verbum Euangelij illo modo est causſa gratiæ, nempe tanquam signũ gratiam offerens, vt ipſi hæretici obiiciunt. Ergo Sacramenta non solùm eo modo conferunt gratiam. Maior probatur *primò* ex ipsa insinuatione Scripturæ. Nam cùm salutem verbo Euangelij adscribit; illico declarat, quomodo id intelligi debeat, scilicet quòd gratiam & salutem cõferat significando, & proponendo nobis consilium Dei de sanctificatione nostra. Vnde Apostolus Rom. 1. statim subiunxit rationem: *In eo enim*, inquit, *reuelatur iuſtitia Dei de fide in fidem*: Sacramenta verò ipso modo dicendi declarat Scriptura conferre gratiam inprimis tanquam instrumenta quædam practica, & non tantùm significando: vt patet maximè ex illo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, & Spiritu sancto.

Deinde probatur eadem Maior. Quoniam Scriptura post prædicatum & creditum verbum Euangelij; ad Sacramentorum vsum homines remittit, tanquam ad remedium quoddam acquirendæ gratiæ practicum, quod prætereà vſurpari debeat. Id patet Actor. 2. vbi post auditam concionem Petri, cùm homines compuncti corde essent, dixerunt ad Petrum & Apostolos: *Quid faciemus viri fratres?* Ad quos ille: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrũm in remiſsionem peccatorum, & accipietis Spiritum ſanctum*. Hinc etiam Philippus Actor. 8. primùm concionatur Eunucho, deinde eidem iam credenti: *licet*, inquit, tibi baptizari. In his certè locis post Euangelium auditum, non sunt homines remiſsi ad Sacramentum, vt per illud Euangelij doctrinam & diuinã promiſsionem, tanquam per signum quoddam meliùs intelligerent. Eſt enim significatio & repræsentatio Sacramenti longè obscurior, quàm sit illa *verbi expreſsi*. Sed remiſsi vtique ad Sacramentum sunt, tanquam ad instrumentum & remedium acquirendæ gratiæ *efficiens & practicum*.

Quare ad Primvm argumentum hæreticorum respondeo, Scripturam fidem ad iustificationem quidem requirere; sed efficaciam Sacramentorum in iustificatione non propterea excludere. Vtrumque enim ad adulti hominis iustificationem confert, Fides, & Sacramentum. Magnaque calumnia est, quòd Kemnitius & alij hæretici fingunt, nos vt adultus per Sacramentũ sanctificetur, nullam fidem requirere. Requirimus enim, sed non *ſolam*.

Tum etiam illud intolerabile mendacium est Kemnitij sub finem examinis can. 8. seſſ. 7. Nos scilicet *infidelitatem non habere pro obice impediente*, quò minùs quis per Sacramẽtum gratiam consequatur; sed tantùm libidinem, & alia eiusmodi peccata externa. Tanta est illius hominis impudentia, quòd non sit veritus hoc palàm scribere.

Ad Secvndvm similiter respondendum est, Augustinum illic explicauisse, quemadmodum fides *ex parte quidem hominis adulti*, necessaria sit, vt Sacramentum efficaciter operetur.

Ad Tertivm iam explicatum est, quantum sit discrimen inter modum, quo Euangelium salutem conferre dici potest; & modum, quo eam conferunt Sacramenta.

Ad Qvartvm respondeo, Spiritum sanctum esse causſam gratiæ *principalem*: Sacramenta verò à nobis censeri non nisi causſas *inſtrumentales*, vt infrà dicemus. Itaque friuolum est, quod obiicit hoc loco Kemnitius de Idololatria.

Secvnda sententia est multorum Catholicorum, cuius meminit S. Thomas hîc artic. 1. Sacramenta nempe gratiam conferre, non quia ipsa producant vllo modo illam: sed quia ipsis adhibitis Devs ex pacto & promiſsione quadam gratiam producat & conferat. Quare quidam ex his vocant Sacramenta *causſas tantùm ſine quibus non*. Et declarant rem exemplo. Si quis oblato denario plumbeo accipiat ex mandato & ordinatione Principis rem aliquam, quæ multò plus valeat; diceremus, denarium plumbeum rem eiusmodi contulisse illi homini, non quia ipse fuerit causſa, cur illa res exhiberetur; sed quia ipso denario oblato, exhibita certò est propter mandatum Principis.

Fuit hæc sententia D. Bonauenturæ (etsi non admodum assertiuè) in 4. d. 1. artic. 1. quæst. 4. & Scoti distinct. 1. quæst. 4. & 5. qui tamen verbis concedit, posse nihilominùs appellari Sacramenta *causſas inſtrumentales*, quia necessariò propter pactum mouent Devm, vt vi illorum conferat & producat gratiam. Item est ea opinio Durandi eadem d. q. 4. Ockami q. 1. Gabrielis ibidem q. 1. Richardi d. 1. articul. 4. quæst. 2. Argumentum istorum est. Quoniam gratia diuinitùs *creatur*. Sed nulla creatura potest instrumentaliter ad creationem concurrere. Ergo neque Sacramenta, cùm sint quædam res creatæ.

Sed reuera hæc opinio nihil plus Sacramentis tribuit, quàm hæretici, vt rectè Sotus annotauit in 4. d. 1. quæst. 3. artic. 1. Quare sic licet argumentari contra illam ex Scripturis, & Patribus, & Conciliis. Constat, Sacramenta conferre gratiam, tanquam *causſas eius veras*, secundùm aliquam tandem propriam notionem causſæ, in eaque re antecellere Sacramenta nostra Sacramentis veteris legis. Sed hæc opinio non satis eam rem tuetur & explicat. Ergo reiicienda est. Maior probatur. Quia cùm Scriptura & Doctores affirmant, certum esse, quòd Sacramenta *abluant*, & *emundent* animam, gratiamque conferant, certè non de solis vocabulis agunt, sed certum esse sentiunt, aliquam veram causſæ notionem, respectu eius effectus, competere Sacramentis, vt rectè Sotus in illo loco notauit, & patet ex his testimoniis, quæ suprà citauimus.

Neque nobis id obstat, quod Durandus objicit,

cit, Sanctos Patres in descriptione Sacramenti vsos non fuisse voce *causſæ*, sicut fecit Magister sententiarum. Nam vt id concedamus; certè vocabulis vsi sunt, quæ tantundem valent. Vt cùm aiunt, mundari nos, & ablui Sacramento, sicut etiam loquitur ipsa Scriptura. Accedit prætereà, quòd vt D. Thomas hîc artic. 1. rectè argumentatur, modus, quem Doctores isti assignant, non transcendit reuerà modum *signi*: necesse autem est confiteri, Sacramenta aliter conferre gratiam, quàm vt sunt illius signa.

Solet etiam contra Doctores istos obiici, quòd Sacramenta non videntur esse causſæ, *ſine quibus non*, gratiæ absolutè, cùm hæc etiam extra Sacramenta conferri soleat. Sed ad hoc possent auctores huius opinionis respondere, loqui se propriè de gratia *Sacramentali*, quæ vt posteà videbimus, vt *talis*, non confertur citra vsum Sacramenti.

Ad argumentum verò illius opinionis rectè respondit Caietanus hîc artic. 1. & Alanus libro de Sacramentis, cap. 37. & alij, gratiam propriè *non creari*, sed *educi de potentia* animi. Alioquin fieret, vt quando quis gratiam amittit, gratia annihilaretur: quod nemo facilè concesserit, sicut rectè notat Caietanus. Nihilominus analogiâ quadam dici potest, gratia creari, quatenus producitur & confertur nobis diuinitùs *ſine vllis noſtris meritis*, atque adeò quasi *de nihilo*, quantum est ex parte nostri, producitur. Quo pacto D. Thomas 1. 2. q. 110. artic. 2. ad 3. interpretatur illud Apostoli ad Ephes. 2. *Ipſius enim ſactura ſumus, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis*, &c. Ac sic etiam idem Apostolus, Galat. 6. intelligendus est, vbi eadem ratione iustificatum hominem appellat *nouam creaturam*.

Tertia opinio est, Sacramenta causſas esse gratiæ non nisi *mediatè* & quodam ordine: quia scilicet proximè efficiunt antecedentem quandam formam in anima, ad quam consequatur gratia diuinitùs producta. Et hanc quidem antecedentem formam, Auctores huius opinionis, in Sacramentis tribus, quæ, vt post videbimus, imprimunt characterem, dicunt esse ipſummet characterem: in aliis autem aiunt esse qualitatem nescio quam, quam appellant *animæ ornatum*. Neque videntur alia ratione duci, nisi vt ita declarent, quemadmodum non concurrant Sacramenta ad ipsam immediatè productionem gratiæ, quam *creari* putant. Sic censuit Alexander Halensis parte 4. quæstione 8. membr. 3. artic. 5. §. 1. & 2. & quæst. 19. membr. 2. & aliquando D. Thomas in 4. d. 1. quæst. 1. artic. 4. & in qq. de Veritate, quæst. 27. artic. 4. ad 3. Ita quoque Capreolus, & Paludanus in 4. d. 1. quæst. 1. & Franciscus Ferrariensis lib. 4. contra Gentes cap. 57.

Sed hæc opinio meritò iam omnibus displicet. *Primò*. Quia non minùs difficile ad intelligendum est, quemadmodum Sacramenta possint immediatè producere illam antecedentem qualitatem, quàm ipsam gratiam. Siquidem illam qualitatem, supernaturalis & spiritualis ordinis oporteret esse. Quare si gratia, quoniam supernaturalis est, ideo creatur; similiter illa etiam qualitas crearetur. Si autem qualitas illa educeretur de potentia animæ, quoniam in anima, tanquam in subiecto esset; idem statuere deberent Doctores illi de Gratia: siquidem ea quoque inhæret in anima.

Secundò. Ille animæ *ornatus*, & auctoritatis & rationis fundamento planè destituitur, totusque commentitius est. Character verò non potest censeri eiusmodi dispositio, ad quam certò consequatur gratia. Nam constat illum sæpè sine gratia conferri, vt cùm quis suscipit Sacramentum Ordinis in peccato mortali. Ad argumentum eius opinionis iam est dictum, Gratiam *non creari*.

Qvarta opinio est, Sacramenta esse causſas gratiæ tantùm *morales*, quæ scilicet ex pacto propter passionem Christi & merita, cuius tanquam instrumenta & canales sunt, moueant Devm ad producendam & conferendam gratiam. Ita sentit Canus in Relect. de Sacramẽtis, part. 4. Quòd ita videatur res hæc sine difficultate expediri commodiùs.

Sed contra sentẽtiam hanc est Primo, quòd Scriptura, Cõcilia, & Patres plus aliquid tribuere videntur efficacitati Sacramentorum, cùm affirmant, nos ipsis mundari & ablui, & ex Baptismo renasci.

Secvndo, quòd isto modo veteris etiam legis Sacramenta gratiam conferebant. Sed necesse est, præsertim post Concilium Florentinum, fateri, Sacramenta nouæ legis alio modo præstantiori & veriori conferre gratiam. Ergo non solùm isto modo eam conferunt. Maior probatur. Quoniam Sacramenta veteris legis omnino etiam fuerunt signa fœderis Dei cum hominibus. Est autem hoc maximè intrinsecum & proprium signorum pacti & fœderis, vt moraliter moueãt ad id præstandum, quod pacto promissum est.

Tertio. Scriptura & Patres ita de Sacramentorum nouæ legis efficacia vbique loquuntur, vt prorsus significent, ea esse instrumenta conferendæ gratiæ, non tantùm Christi, vt hominis, sed etiam Dei, in eo genere, quo Deus ipse est causſa principalis eiusdem gratiæ. At, si causſæ tantùm morales esse dicuntur, non poterit commodè explicari, quẽadmodum sint instrumenta Dei. Ergo non id solum dici debet.

Minor probatur. Quoniam etsi Christus, quatenus etiam est homo, omnino fuerit causſa principalis *moralis* nostræ gratiæ, hoc ipso, quòd nobis eam meruit, & pro ea precatus est: At non videtur, quemadmodum Devs absolutè, vt Devs, sit etiam causſa moralis principalis istiusmodi gratiæ. Non enim ipse apud se meritus est

Universidad de Deusto
Biblioteca

nobis gratiam, neque se ipse precatur, aut sibi suadet, aut alio modo morali se ipse mouet, vt statuat nobis conferre gratiam; Sed tantùm approbat munus Christi, quod ille executus est in paranda nobis gratia tanquam caussa moralis. Item etiã concurrit cum illo ad id officium tanquam caussa vniuersalissima & prima; sed non propriè moraliter, sed coëfficiendo in suo ordine Christi actiones.

QVINTA opinio est Soti in 4. d. 1. quæstione 3. artic. 1. Is arbitratur, Sacramenta esse caussas gratiæ, non quia qualitatem illam, quæ est gratia, producant; sed quia sunt caussæ, vt homo *sit gratus Deo*, quatenus *gratum esse*, est diligi, & esse charum DEO; siue hoc fiat (inquit Sotus) per aliquam qualitatem, siue per nullam. Declarat verò sententiam suam hoc exemplo. Homo, licet animam non generet, vera tamen caussa est efficiens *hominem*, quem generat. Pari ergo modo, licet Sacramenta non efficiant ipsam gratiã; efficiunt tamen, vt homo sit *gratus* DEO.

SED hæc sententia iure reprobatur ab Alano in libro de Sacramentis cap. 34. Et mihi videtur non modò minùs intelligibilis, verùm & minùs probabilis, quàm vlla ex præcedentibus: quas tamen reiicit ibidem Sotus. Ratio mea est. Quoniam etsi cogitare possimus, hominem esse DEO dilectum & gratum, remota per intellectum *qualitate* gratiæ in homine; reipsa tamen certissimum est, qualitatem illam gratiæ prius quiddam esse, quàm hoc, quod est, hominem esse gratum & dilectum Deo: Sicut etiam ipsa dilectio Dei, à quo denominatur homo dilectus & gratus, est prior. Dilectus enim & gratus Deo is dicitur, quatenus per qualitatem supernaturalem gratiæ, quam diuinitùs accipit, terminat obiectiuè diuinam dilectionem, vt ex doctrina Ecclesiæ, & D. Thomæ, & ex ipsa ratione dilectionis diuinæ demonstrauimus tomo 2. disp. 8. de Gratia, q. 4.

Iam verò cùm ex sententia Soti, Sacramenta non efficiant ipsam qualitatem gratiæ, certumque sit, neque illa efficere diuinam dilectionem, quæ duo sunt reipsa priora, & quasi caussæ huius, quod est, hominem dici ac esse *dilectum Deo & gratum*; quomodo Sotus explicare possit, quemadmodum reipsa Sacramenta sint caussa, vt homo sit Deo gratus? Nullo profectò modo. Quam rem exemplo etiam confirmare possumus. Nam quæ res non est caussa efficiens, & productiua vel meæ visionis, vel coloris, per quẽ obiectiuè paries à me videtur, nullo modo potest esse caussa efficiens huius, quod est, parietem à me esse visum. Similis verò ratio est in proposito, vt consideranti est perspicuum.

Neque verò exemplum, quod adducit Sotus, quicquam ei suffragatur. Homo enim dicitur caussa generans & efficiens *hominem*, quoniam etsi animã rationalem, quæ est forma hominis, nonproducat producit tamen aliquid proximè antecedens, & necessariò connexum cum anima rationali, & illo Esse hominis, nempe vltimas ad animam dispositiones, & eatenus dicitur generare hominem. At in proposito, nihil Sotus sic antecedens ipsam gratiam, per Sacramenta produci ponit. Siquidem ipse confutat etiam tertiam illam opinionem, à nobis quoque oppugnatam, quæ fingit dispositionem illam ornatus vel characteris.

Itaque sic possumus ex hoc formare aliam rationem contra Sotum. Quæ res non est caussa formæ, aut dispositionis alicuius vltimæ ad formam; minimè censeri aut dici potest esse caussa effectus formalis, vel quasi formalis talis formæ, vt patet per inductionem. Sed Sacramenta, opinione Soti, neque gratiæ ipsius, neque alicuius dispositionis ad gratiam, sunt caussa. Ergo neque erunt, illius opinione, caussa, vt homo sit *dilectus & gratus*, quod est effectus formalis illius qualitatis, quæ est gratia.

Est igitur à nobis defendenda SEXTA & vltima sententia, quam Caietanus rectè hìc tuetur, & colligit ex doctrina D. Thomæ artic. 1. 2. 3. & suprà etiam quæst. 13. nempe Sacramenta esse veras caussas qualitatis gratiæ, non principales, sed *instrumentales*: hoc ipso videlicet, quòd Deus illis vtitur ad productionem illius effectus, qui est gratia, tametsi supra naturam seu efficacitatem naturalem ipsorum. Quò fit, vt censeri à nobis possint instrumenta gratiæ quasi physica, id est, quæ ad productionem gratiæ prævio quodam modo conferant, hoc ipso, quòd sic exercentur & vsurpantur ad eam rem diuinitùs. Sed tamen *supernaturalia*, non naturalia, instrumenta sunt, quia scilicet non aliquid præuium & antecedens vi sua præstant, quod sit ex natura rei proportionatum cum effectu principali, qui est gratia, sed aliquid tamen præuium & antecedens efficiunt, ad quod supernaturaliter ex institutione diuina sequitur effectus principalis, qui est gratia. Id quod solùm pertinet ad rationem communissimam veri instrumenti.

Nam & hoc modo Deus per humanitatẽ Christi tanquam per instrumentum gratiã producit, quantumuis gratia excedat vim naturalem humanitatis Christi. Quanquã est discrimen inter hæc duo, quòd humanitate Christi ad eam rem Deus vtitur, tanquã instrumento *coniuncto*, cuiusmodi instrumentum est v. g. manus: Sacramentis verò tanquam instrumentis separatis, cuiusmodi instrumentum est securis. Quemadmodum etiam Philosophus 2. de anima, nautam gubernare nauem dixit, & manu & temone: Manu tanquam instrumento *coniuncto*; temone, vt *separato*.

Sic Deus & humanitate tanquam *coniuncta*, & Sacramento tanquam *separato* instrumento ad producendam gratiam vtitur: sed vno tamen illo & eodem modo iam dicto, quod attinet

net ad modum instrumentalem physicum. Neque Sacramentis tantùm eo modo, sed aliis etiam separatis rebus ad effectus mirabiles instrumentaliter vsus est, tametsi eæ res naturâ suâ non valerent ad eiusmodi effectus: Sed plerunque etiam quasi contrariæ viderentur. Vt luto ad visum restituẽdum, sputo ad loquelam, &c. Quod rectè animaduertit Hugo Victorinus libro I. de Sacramentis par. 9. cap. 5. Ratio verò, cur Deus eiusmodi rebus supra illarum naturam vti possit tanquam instrumentis, à Caietano reddita est, quæst. 13. & à nobis etiam explicata suprà disputat. 1. de Incarnatione quæst. 13. Quia scilicet vt potest ob infinitam virtutem efficere quidquis sine vllis instrumentis: ita etiam vti quibuslibet.

PORRO hanc sententiam præ aliis eligi debere, primùm inde apparet, quòd ea & commodius, & magis propriè declarat vim sententiarum Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quibus hæc efficacitas tribuitur Sacramentis. Præter testimonia verò Patrum suprà citata, quæ istiusmodi sententiæ præ reliquis suffragantur, videri potest AVGVSTINVS lib. 19. contra Faustum cap. 11. Vbi ait: Sacramentorum vis inennarrabiliter valet plurimum, & AMBROSIVS lib. 2. de Pœnitent. cap. 2. vbi affirmat, per ipsum Baptismum nos *renouari, reformari, & renasci*. Et S. Gregorius NAZIANZENVS oratione in S. Baptisma, vbi ait: *Lustralium aquarum participes simus, quæ extergendi facultate hyssopum superant, &c.*

Deinde ob eam rem etiam hæc sententia eligenda est, quoniam commodissimè secundùm illam quædam intelliguntur, quæ considerari solent hoc in locò.

PRIMO enim inde intelligi potest, quid sibi velit modus ille loquendi ab Innocentio III. libro 3. de Mysterio Missæ, annos abhinc quadringentos, & à Scholasticis Doctoribus passim, atq; etiam in Concilio Tridentino sess. 7. can. 8. vsurpatus: scilicet Sacramenta nouæ legis ex OPERE OPERATO conferre gratiam iis, qui non habent obicem peccati mortalis. Significat nimirum, ipsa Sacramenta per se, quatenus sunt operationes quædam ad eum finem diuinitùs institutæ, & quatenus ita exercentur, conferre instrumentaliter gratiam, vt est à nobis dictum.

Atque hoc quidem modo loquendi Doctores vsi sunt, vt planiùs duas res indicarent, quæ vtiliter in proposito notari possunt. VNA est, virtutem Sacramentorum ad efficiendam gratiam non existere ex vllo opere, vel bono motu hominis *operantis*, dum vel administrat, vel suscipit Sacramentum; sed ipso Sacramenti opere *operato*, id est, exercito (vsurpant enim illam vocem passiuè) contineri ex institutione diuina. Quod idem manifestè AVGVSTINVS aliis verbis explicauit lib. 4. contra Cresconium Grammaticum cap. 16. *Non eorum*, inquit, *meritis, à quibus ministratur, neq; eorum, quibus ministratur, constat Baptismus; sed* PROPRIA *sanctitate atq; veritate, propter eum, à quo institutus est.*

ALTERA res est, discrimen esse, cùm gratia huiusmodi confertur extra Sacramentũ, & cùm confertur in Sacramento. Nam extra Sacramentum confertur non nisi ex opere (vt loquuntur) *operantis*, id est, non per aliquod instrumentum à Deo institutum, quod extrinsecus eum ad effectum adhibeatur; sed tantùm respectu habitæ humanæ operationis, qua videlicet sese aliquis sufficienter disponit, cùm ita credit, diligit, & sperat, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur. In Sacramento verò gratia confertur, virtute & efficacia ipsius Sacramenti, hoc ipso, quòd ex institutione diuina exercetur. Et ita quidem vt bonus motus vel operatio hominis ad eum effectum Sacramenti non per se requiratur, quantum quidem est ex parte ipsius Sacramenti, licet requiratur aliquo ex capite in adultis hominibus, vt paulò pòst exponemus. Nunc verò illud contendimus, *ex parte quidem Sacramenti per se* non requiri eiusmodi bonos motus, vt Sacramentum gratiam conferat *ex opere operato*.

Quam rem Catholici Doctores manifestissimo argumento demonstrant in infantibus, quibus gratiã Baptismus sine bono aliquo illorum motu confert, quod minimè fieret, si bonus motus, *per se, quantum est ex parte Sacramenti*, ad effectum Sacramenti requireretur. Id etiam manifestissimè docuit AVGVSTINVS libro 4. contra Donatistas, cap. 24. Vbi affirmat, *Sanctificationem Sacramenti per se ipsam considerandã esse*, & sic valere. Et addit: *Sicut in latrone, quia per necessitatem corporaliter baptismus defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritualiter adfuit; sic & cùm ipsa sanctificatio Sacramenti præsto est, si per necessitatem desit, quod latroni adfuit* (vt deesse dicit in paruulis) PERFICITVR *salus. Quod traditum*, inquit, *tenet vniuersitas Ecclesiæ*. Atque id confirmat, deinde argumento ducto ex *Sacramento Circumcisionis, quod*, inquit, *per se ipsum* (suo nempe modo) *multum valebat*. Quibus profectò sententiis tantùm non apertè Augustinus voce etiam *operis operati* vsus est. Significatum certè eius vocis euidenter expressit.

Atque ex hac declaratione OPERIS *operati*, vel ignorantia, vel malitia *Sectariorum* in exagitando hoc Scholasticorum vocabulo perspici potest. Primùm enim illorum aliqui scripserunt, apud nos idem esse ex *opere operato*, quod *ex merito & dignitate ipsius operis*. Sed errant turpissimè. Nam vis meriti ex gratia operantis existit: vis autem operis operati ex institutione tantùm diuina. Neque gratia datur in Sacramento, tanquam præmium propter meritum; sed tanquam effectus, ad quem Sacramẽti opus concurrit instrumentaliter.

Alij deinde, vt Caluinus lib. 4. institut. cap. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Melanchthon in Apologia Confes. August. Kemnitius in examine can. 7. & 8. sess. 7. Concilij Tridentini, ita intelligunt, quod dicimus *ex opere operato*, quasi nullo ex capite requiratur simul à nobis bonus motus & fides; ne in adultis quidē.

Quod nobis ascribere calumnia maxima est. Nam ex *parte subiecti*, cùm Sacramentum adultis hominibus ministratur, omnino requirimus fidem & conuenientem dispositionem, vt Sacramentum *ex opere operato* habeat in illis effectum suum. Scholastici verò Doctores, cùm negant, ad effectum operis operati necessarium esse bonum animi motum, non absolutè & simpliciter, vt Sectarij ex malitia, vel ex ignorantia intellexerunt, sed tantùm *præcisè*, quantum est quidem *ex parte ipsius Sacramenti*, id negant, vt paulò antè à nobis est declaratum, & probatum manifestè in infantibus.

Atq; hanc fuisse mentem nominatim Gabrielis in 4. d. 1. q. 3. sub initium, qui à Kemnitio citatur, ex verbis eius, quæ in illius hac de re recitanda sententia Kemnitius malitiosè intermisit, manifestum erit iis, qui voluerint loca inspicere & conferre. Tum id etiam euidenter constat ex verbis eiusdem auctoris lib. 4. d. 6. q. 1. art. 3. dub. 6. vbi disertè cōfitetur, quod ad consequendum effectum Baptismi requiratur fides in suscipiente adulto, nimirum ex parte *subiecti*, quamuis non per se *ex parte Sacramenti*, vt diximus.

Quod ipsum Paludanus quoque à Kemnitio citatus, in 4. d. 1. q. 1. non nisi isto modo intellexisse se satis indicat, cùm verbis à Kemnitio recitatis, quæ hic hæreticus minimè intellexit, ita scripsit: *In Sacramentis nouæ legis non per se*, inquit, *requiritur, quòd homo se disponat*. Notandum est illud quòd ait, *per se*: cuius particulæ vim cùm Sectarij non viderint, ideo scandalizati sunt in *opere operato*, cæci & duces cæcorum.

Secvndo ex illa sententia facilè potest Quæstio explicari, qua quæritur: Cuiusmodi sit illa virtus in Sacramēto ad efficiendam gratiam instrumentaliter. Nam quòd aliqua in ipsis virtus instrumentalis sit, necessariò fatendum est, hoc ipso, quòd fatemur, ea esse causas instrumentales, vt rectè admonuit D. Thomas art. 4. Omnis enim causa per aliquam virtutem efficit. Vnde etiam Avgvstinvs Tract. 80. in Ioannem: *Quæ est ista*, inquit, *virtus aquæ, &c.* Controuersia verò est, qualis sit ea virtus Sacramentorum.

Et quidam putauerunt, esse aliquam superadditam qualitatem *inhærentem* in Sacramentis ipsis. Ita Paludanus, & Capreolus in 4. d. 1. quæst. 1. Quanquam differunt, quòd Paludanus, cùm ad subiectū illius qualitatis, nempe ad Sacramentum, quod est tanquā quid corporeum, respiceret, *corpoream qualitatem* eam esse existimauit: Capreolus autem *spiritualem*, respiciens nimirum effectum, qui spiritualis est. Et fuit illa sententia de qualitate inhærente aliorum quoque antiquorum.

Sed reiicitur, & meritò, à Scoto in 4. d. 1. q. 5. & à Durando q. 4. & à Caietano hîc art. 4. & à Dominico Soto in 4. d. 1. q. 3. art. 4. & ab aliis recentioribus quoq; communiter. Nam *primò*, si illa qualitas corporalis est; quomodo magis, quàm ipsa per se Sacramenta corporalia, poterit conferre instrumentaliter ad gratiæ productionem? Si autem est spiritualis; quomodo in corporali Sacramento, tanquam in subiecto, esse potest?

Secundò. Cùm non modò res ipsa Sacramenti, verùm etiam singula verba formæ Sacramentalis, ad productionem gratiæ concurrant; necesse erit, qualitatem illam in omnibus his Sacramēti partibus inesse, & sic non erit vna & simplex.

Tertiò. Qualiscunq; & vbicunque illa qualitas ponatur; vel est sufficiens & proportionata satis ad productionē effectus, qui est gratia; vel non. Si est; iam Sacramenta per illam qualitatē erunt causæ gratiæ non instrumentales, sed *principales*: Siquidem agunt per inhærentem formam sufficientem ad principalem effectū. Si verò illa qualitas sufficiens non est: tunc etiam difficultas manebit, quomodo per illam possint Sacramenta cōcurrere ad gratiæ productionem. Et sicut hoc declarabitur, ita etiam declarari poterit, quomodo sine illa qualitate cōcurrere possint: quia scilicet non nisi *instrumentaliter* ad eum effectum conferunt.

Verior igitur alia sententia est, quam ex mente D. Thomæ probat Caietanus hîc art. 4. & defenditur etiam à Soto in 4. d. 1. q. 3. art. 4. & ab Alano libro de Sacramentis, cap. 36. & ab aliis hoc tempore communiter; scilicet, eam virtutem Sacramentorum aliud non esse, quàm *vsum* seu *motum*, quo per ministrum rectè & ex institutione diuina fungentem suo munere, adhibentur & *vsurpantur* à Deo principali agente ad producendum illum effectum, qui est gratia.

Hæc sententia probatur. Quoniam nec in aliis instrumētis necesse est, virtutem instrumentalem ad principalem effectum in alio, præterquàm in istiusmodi *motu* constituere, vt rectè Caietanus disputat supra q. 13. Sed animaduertendum hîc cum eodem Caietano est, motum nos instrumenti intelligere, non qualemcunque, sed *artificiosum* (vt ita dicā) vel virtuosum, id est, quo instrumētum rectè applicetur ad effectum principalis agentis. Vt v. g. virtus instrumentalis fidiū ad sonum musicum, non est qualiscunq; illarum motus, cùm etiam ab ignorante Musicam absurdè pulsarentur; sed motus, quo tanguntur ex arte Musicæ. Sic in proposito, virtus instrumentalis Sacramenti ad producēdam gratiam est *vsus* eorum, & motus ex institutione Christi; quia tunc solùm adhibentur & vsurpantur à Deo ad gratiam producendam. Si verò quis temerè præter institutionem Christi illa vsurparet, non habebunt eiusmodi virtutem instrumentalem, de qua loquimur.

Tertiò intelligi dextrè poterit illud, quod ex

ex Augustino in Psal. 138. & Tract. 15. in Ioannem, & alibi, vsurpare solent Doctores, scilicet Sacramenta nouæ legis *fluxisse de latere Christi pendentis in Cruce*; idque symbolicè fuisse significatum illo fluxu *sanguinis* & *aquæ*; quæ sunt *res* præcipuorum Sacramentorum, nempe *Baptismi*, & *Eucharistiæ*. Est hoc nihil aliud, quàm Sacramentum illam suam virtutem habere ex passione Christi, vt scilicet ad producendam gratiam efficaciter vsurpentur.

Quod ita esse, probari & declarari potest ex duplici titulo: *Primò*, ratione *meriti*, quia Christus sua passione promeritus est nobis omnia media salutis; Sacramenta verò, quatenus sunt illo modo efficacia, in eiusmodi mediis salutis nostræ numerari cum primis debent. *Secundò*, quodam ordine (vt sic dicam) efficacitatis. Nam vt rectè D. Thomas hîc. art. 5. hanc rem declarat, Deus in productione gratiæ non tantùm Sacramentis, tanquam instrumentis *separatis*, sed etiā humanitate Christi, qua ratione est ille pro nobis *passus* (vt peculiariter D. Thomas declarat in illo art. 5. ad 2.) vtitur tanquam *instrumento coniuncto*. Cùm verò causa principalis vtitur instrumento coniuncto, & separato; fit, vt separatum instrumentum ordine quodam operetur, virtute quoque instrumenti *coniuncti*: Sicut securis v. g. efficax est virtute etiam manus artificis, quæ est instrumentum coniunctum.

Qvarto potest item ex ea sententia intelligi, quod dici solet, & dicitur etiam in Concilio Tridentino can. 6. sess. 7. & à D. Thoma hîc art. 3. Sacramenta nouæ legis *continere* illam gratiam, quam conferunt. Hoc sanè, vt D. Thomas in illo articulo declarat, & alij communiter, non ita intelligendum est, quasi gratia illa secundùm se, & formaliter insit in Sacramentis, tanquam in quibusdam *vasis*: sed continetur in illis *virtualiter*, tanquam in causis suis instrumentalibus: quod est, contineri in ipsis non nisi secundùm habitudinē quandam effectus ad causam. Quanquam & hic modus satis est, vt iuxta vsitatam Scripturę phrasim, Sacramenta eatenus dici possint esse vasa quædam gratiæ. Nam Scriptura instrumenta alicuius rei vocare solet vasa eiusdem. Sicut Ezech. 9. legimus, *vasa interfectionis*: &; *vasa mortis*. Psal. 7. Denique continetur etiam gratia in Sacramentis, tanquam res significata in suo *signo*, secundùm habitudinem etiam quandam, vt rectè D. Thomas docet loco citato. Ex quibus patet, quid de irrisionibus Aduersariorum, & leuitate, sentiendum sit, cùm fingunt, nos gratiam in Sacramentis, tanquam in doliis quibusdam includere.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quæ sit propria ratio eius gratiæ Sacramentalis, cuius Sacramenta nouæ legis sunt causa.

D. Thom. art. 2.

Dvae sunt hac de re sententiæ. Altera quorūdam ex antiquioribus Theologis Scholasticis, quos refert Paludanus in 4. d. 1. q. 3. nempe gratiam hanc reipsa nihil differre prorsus à gratia *gratum faciente*, quam vocant *virtutum & donorum*, quæq; etiam dari solet extra Sacramenta: Differre verò sola denominatione & respectu: vt gratia Sacramentalis sit illa ipsa gratia virtutum & donorū, quatenus datur per Sacramenta, & inde denominationem eam accipit.

Hæc opinio est iam in Scholis planè deserta. Atque ad eius refutationem sufficere videtur illa ratio, qua D. Thomas vtitur art. 2. Nam si gratia *Sacramentalis*, quod ad rem attinet, est illa eadem virtutum & donorum; ad quid sunt instituta tot diuersa Sacramenta? certè ad diuersos effectus necesse est instituta esse. Neque rectè dixeris, esse tantùm instituta ad augendam gratiam illam virtutum & donorum. Tunc enim, vt rectè Sotus in 4. d. 1. quæst. 3. articul. 2. argumentatur, satis fuisset instituere vnum Sacramentum, quod subinde ad augendam gratiam repeteretur.

Est igitur Altera sententia D. Thomæ in illa quæst. 62. art. 2. verior, & communiter iam recepta, gratiam Sacramentalem contineri quidem gratiâ ipsa gratū faciente virtutum & donorum, & præterea quodam *peculiari auxilio* diuino ad effectum seu finem cuiusque Sacramenti proprium accommodato, & eo quidem eiusmodi, atq; ita peculiari, quale extra Sacramentum non detur, vt Sotus loco citato, & Alanus libro de Sacramentis, cap. 40. bene notauerunt. Hæc sententia probatur illa eadem ratione, qua refutata est prior. Nam cùm diuersa Sacramenta instituta sint; credibile est, præter gratiā communem virtutum & donorum, aliquid gratiæ peculiaris, per Sacramenta singula ad singulares effectus, seu fines dari.

Sed Qvaestio tunc est, Quid sit illud *auxilium* superadditum? An scilicet sit auxilium aliquid *habituale*, an verò solùm *actuale*? Et de hac rursus Quæstione sunt duæ opiniones. Vna Paludani in 4. d. 1. quæst. 3. & Capreoli ibidem, auxilium illud contineri *habitibus* quibusdam peculiaribus. Atque ita D. Thomas aliquando sensit in 4. d. 1. q. 1. art. 4. quæst. 5.

Altera opinio est Caietani hîc articul. 2. & Soti d. 1. q. 3. art. 2. & aliorū hoc tempore, qui reiiciunt priorem illam opinionem: quoniam multiplicat habitus sine necessitate, atq; ita ponunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

auxilium illud esse tantùm *actuale*, quod Deus scilicet opportunè confert iis, qui susceperût Sacramenta, quando eiusmodi auxilio opus habêt.

Probant hanc sententiam *primò* auctoritate D. Thomæ, qui per auxilium diuinum non solet aliud intelligere, nisi aliquid *actuale*, vt patet ex 1.2.q.110.art.2.vbi *auxilium* gratuitum distinguit à gratia *habituali*. Itaque cùm hîc quæ.62.art.2. asserit, superadditum illud, quo præter gratum facientem continetur gratia *Sacramentalis*, esse diuinum quoddam *auxilium*; actuale aliquid intelligit. *Secundò*. Quoniam per auxilia actualia, sine *habitibus* peculiaribus, quales ponit prima opinio, possumus satis intelligere, quemadmodum Deus virtute Sacramentorum sufficienter adiuuet hominem ad Sacramentorum peculiares effectus seu fines.

HAEC sententia mihi videtur probabilior. Sed cùm Assertione duplici hæc sententia contineatur, in vtraq; Assertione est peculiaris aliqua difficultas, quæ declarari debet, vt ista sententia penitùs intelligatur. Asserit enim *primò*, gratiam Sacramentalem addere ad gratiam virtutum & donorum peculiare *quoddam auxilium* ad effectũ proprium seu finem cuiusq; Sacramenti. *Secundò* asserit, id auxilium non esse aliquid habituale, sed *actuale*.

In prima Assertione est difficultas, quoniam vel auxilium illud peculiare dari dicitur ad effectum proximum Sacramentorũ, qui est ipsa gratia virtutum & donorum; vel ad effectum aliquẽ alium Sacramenti vlteriorem, cuiusmodi est in Sacramento Confirmationis constans *professio fidei*, & in Sacramento Matrimonij recta *educatio liberorum, &c.* Si dicatur, dari ad primum illum & proximum Sacramenti effectum, scilicet ad gratiam; obstat *primò*, quòd hic effectus reipsa communis est omnium Sacramentorum. Effectus verò, ad quem alia & alia gratia Sacramentalis, id est, aliud & aliud auxilium datur, alius & alius est in aliis & aliis Sacramẽtis, vt antè est dictum. *Secundò* obstat, quòd non videtur commodè intelligi posse, quemadmodum ad effectum Sacramenti, qui est ipsa gratia, detur nobis per Sacramentum peculiare auxilium. Gratia enim non est res, quæ fiat à nobis per auxilium diuinum. Si verò dicatur auxilium illud dari ad *vlteriorem* effectum Sacramenti; obstat sanè, quòd quamuis in Sacramentis tribus, scilicet Confirmatione, Ordine, & Matrimonio, cùm ad peculiares quasdam functiones seu operationes rectè exercendas hæc Sacramenta ordinentur, facilè sit assignare præter gratiam, *vlteriorem aliquem effectũ*: in reliquis tamen Sacramentis quatuor planè nullus, præter gratiam, videtur esse peculiaris aliquis eiusmodi effectus.

Nam Baptismi effectus nõ nisi *regeneratio* quædam spiritualis esse dicitur: Eucharistiæ, spirituale *alimentum*: Pœnitentiæ, restitutio *vitæ spiritualis*, per remissionem peccati post Baptismum admissi: Extremæ vnctionis denique, restitutio virium spiritualium, &c. Hæc verò omnia, si quis attentiùs rem consideret, deprehendet, quod ad rem attinet, contineri ipsâ gratia gratum facientẽ, vel augmento eius. Gratiâ enim regeneramur spiritualiter, & pascimur, & pristinam sanitatem, ac vires spirituales recuperamus, &c.

Auget verò difficultatem hanc etiam, quòd apud Doctores vix aliquid satis expeditè & distinctè de huiusmodi effectibus seu finibus Sacramentorum, ad quæ dari dicitur auxilium illud peculiare disputatum esse reperias.

Est etiam in *secunda* Assertione, quòd scilicet auxilium illud sit *actuale*, peculiaris difficultas. *Primò*. Quoniam inde sequitur, Sacramenta non esse causas instrumentales, per modum *physicum*, gratiæ Sacramentalis, quatenus *Sacramentalis* est, id est, vt includit illud superadditum auxilium. At suprà probauimus, per modum physicum esse causas gratiæ Sacramentalis, id est, eius propriè, quæ per ipsa Sacramenta datur. Ergo id auxilium non est *actuale*. Sequela Maioris probatur. Quoniam auxilium *actuale*, cùm non sit aliquid durabile & constans, sed quod subinde datur, quando est opportunum, non videtur effici posse per Sacramenta modo physico; sed tantùm obtineri per illa *moraliter*, quatenus vt instrumenta Christi, mouent Deum ad conferendum eiusmodi auxilium, quando illo opus habebit is, qui suscepit Sacramentum.

Secundò difficultatem affert quoque sententia & auctoritas D. Thomæ, qui hîc art. 2. ad 3. disertè affirmat, gratiam Sacramentalem secundùm rationem suam propriam sic se habere ad gratiam gratum facientem virtutum & donorum, quomodo se habet *species* ad suum *genus*. Inde autem consequens esse videtur, vt sicut gratia gratum faciens est quidam *habitus*, sic etiam gratia Sacramentalis secundùm propriam rationem suam. Species enim habitus, quidam habitus est.

Ad difficultatem in prima Assertione illius opinionis expositam, ita respondeo. Cùm auxilium illud dicitur dari ad effectum seu finem Sacramenti, *effectum* Sacramenti intelligere oportet nõ hunc vel illum determinatè, id est, aut propinquum, aut vltimum, sicut in argumento vrgebatur; sed effectum Sacramenti absolutè & simpliciter; siue is sit propinquus, videlicet qui est ipsa gratia iustificans sub ratione peculiari, qua in vnoquoque Sacramento datur; siue vlterior aliquis, cuiusmodi est in Cõfirmatione, Ordine, & Matrimonio, exercitium illud rectarum operationum determinatum, ad quod referuntur eiusmodi tria Sacramenta. Porrò etiam cùm dicimus, per vnumquodque Sacramentum dari auxilium peculiare ad Sacramenti effectum; siue propinquus effectus ille sit, siue vlterior non vo-

lumus

lumus determinatè dicere, quòd detur id auxilium ad *efficiendum* seu *exercendum* Sacramenti effectum: sed *indistinctè*, quòd detur ad effectum, vel efficiendum, vel certè *conseruandum* sub propria ratione talis effectus.

Itaque in Sacramentis tribus, nempe Confirmatione, Ordine, & Matrimonio, quoniam duplex effectus est, scilicet *gratiæ* sub peculiari ratione, qua in vnoquoque Sacramento ex his tribus datur, quæ *conseruari* quidem à nobis studio pietatis & virtutis potest, & præterea *exercitium* peculiare rectarum quarundã actionum, quod etiam *efficitur* à nobis; intelligere debemus, auxilium peculiare dari, & ad conseruandum vnum effectum, & ad *efficiendum* seu exercendum alterum. In aliis verò quatuor Sacramentis, quoniam reipsa est vnicus tantùm effectus, scilicet *gratia* sub peculiari illa ratione, qua in vnoquoque Sacramento ex illis datur: & hic effectus *conseruari* solummodò, non autem effici à nobis potest; intelligere oportet, auxilium illud peculiare dari ad Sacramenti effectum, non efficiendum, sed *conseruandum* sub peculiari sua ratione.

Secundùm hanc explicationem omnia rectè constant. Quare mihi dubium non est, quin sit ex mente D. Thomæ & aliorum, licet non satis, vt dixi, rem hanc explicauerint. Itaque ad primũ argumentum, quo probabatur, non posse illam doctrinam intelligi de effectu etiam *proximo*, qui est gratia; respondeo, gratiam, licet reipsa & materialiter communis effectus sit omnium Sacramentorum, non tamen *formaliter*, quatenus sub *hac vel illa ratione* datur in hoc vel illo Sacramento. Quare hæc diuersitas rationis formalis sufficit, vt in alio Sacramento detur aliud & aliud auxilium ad *conseruandam* eiusmodi gratiam sub alia & alia ratione formaliter. Ad secundum verò iam dictum est, ad gratiam etiam posse dari auxilium, vt *conseruetur* à nobis studio pietatis, licet non vt efficiatur.

Ad difficultatem *secundæ* Assertionis respondeo, illa, quæ sunt obiecta, nihil obstare. Nam ad *primum* dico, satis esse, si intelligamus, Sacramenta esse per modum physicum causas gratiæ Sacramentalis *materialiter* sumptæ, id est, quatenus includit gratiam *habitualem iustificantem*. Nam vt rectè notauit Sotus in 4.d.1.quæst.3. art.2. sub finem, vocabulum, *gratia Sacramentalis*, præcipuè supponitur pro ipsa gratia iustificante, connotato illo particulari auxilio. Itaque secundùm id quidem auxilium, gratia Sacramentalis obtinetur per Sacramenta non nisi moraliter, quatenus ex vi Sacramenti Deus paratus est ad id auxilium conferendum. Eatenus enim, vt rectè Sotus notat, conferunt Sacramenta hoc auxilium.

Ad *secundum* respondeo, Diuum Thomam non propriè, sed secundùm *analogiam* quandam illic intellexisse, gratiam Sacramentalem sic se habere ad gratiam iustificantem, sicut se habet species ad suum genus. Ea verò analogia ex mente D. Thomæ consistit in hoc, quòd sicut species, licet addat aliquid super genus, reuera tamen continet etiam genus. Sic Sacramentalis gratia continet gratiam iustificantem, licet præter illam habeat etiam peculiare auxilium. Atque hanc esse mentem D. Thomæ, patet *primò*. Quoniam hoc fuit satis ad respondendum argumento, vt legenti & consideranti patebit. *Secundò*. Quoniam certum est apud D. Thomam, *gratiam iustificantem* esse speciem gratiæ *specialissimam*: Ergo non voluit propriè dicere, gratiam Sacramentalem esse *speciem* illius.

PVNCTVM TERTIVM.

Sitne proprium Sacramentorum nouæ legis, vt sint caussa gratiæ: An verò id etiam commune fuerit Sacramentis veteris legis.

D. Thom. art. 6.

ORTHODOXI Doctores constanter asseuerant, Sacramenta nouæ legis differre maximè à Sacramentis veteris legis, secundùm *efficaciã & virtutem*, non ob eam rem solùm, quòd *vberior* in his, quàm in illis gratia conferatur; sed quòd gratia ipsa omnino *per hæc* nostra Sacramẽta tanquam *per caussas* tribuatur, cùm olim in lege veteri, non propriè *per* Sacramenta, sed *in vsu* duntaxat Sacramentorum virtute fidei in Christum futurum, cuius illa Sacramẽta protestationes erant, gratia tribueretur.

Contrà Sectarij omnes contendunt, *per* illa Sacramenta veteris legis non secùs, atque per nostra fuisse gratiam collatam atque exhibitam hominibus; neque nostra magis, quàm illa conferre eiusmodi gratiam.

SED nostrum discrimen, quod attinet quidem ad Sacramenta nostra, nempe illa vere esse caussam gratiæ, suprà p.1. probatum est. Quod autem ad Sacramenta veteris legis attinet, quæ nunc dicimus, non ita vt caussas contulisse gratiam, probatur PRIMO ex Scriptura. Nam de Sacramento Circumcisionis ita legimus Genes. 17. *Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum* (non in caussam iustitiæ) *fœderis inter me & vos*. cùm tamen de Sacramento Baptismi dicatur Ioan. 3. quod ex eo etiam homo *renascitur*. Vnde D. AMBROSIVS libro 9. epist. 77. ad Constantium, Baptismo ait totum hominẽ redimi: Circumcisionem autem solùm fuisse in signum, vt dicitur Genes. 17. Sicut etiam Apostolus loquitur ad Roman. 4. *Signum*, inquit, *accepit Abraham circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei*. Præterea idem Apostolus generatim de omnibus cæremoniis veteris legis disputans, ad Galat. 4. *Quomodo*, inquit, *conuertimini iterum ad infirma &*

egena

Universidad de Deusto
Biblioteca

egena elementa? Quaſi diceret, ad eiuſmodi cæremonias, quæ ipſæ nullam habuerunt vim conferendi gratiam. Ac ſimilia dicit, Hebr. 7. & 10.

SECVNDO id probatur auctoritate Eccleſiæ Catholicæ in Concilio Florentino, vbi magno conſenſu totius Orientis & Occidentis, ea differentia vtriuſque legis Sacramentorum expreſsè poſita eſt in decreto vnionis ſub Eugenio IV. Ité in Tridentino Concilio can. 1. ſeſſ. 7. conuenienter illi Florentino decreto, ita dicitur: *Si quis dixerit, noua legis Sacramenta à Sacramentis veteris legis non differre, niſi quatenus cæremoniæ ſunt aliæ, & alij ritus externi, anathema ſit.* Et poſteà can. 6. 7. & 8. ſatis declaratur, ob eam rem plus differre, quoniam *conferunt ipſam gratiam*, tanquã illius cauſſæ. Atq; ita inſinuatur, Sacramenta veteris legis non perinde gratiam cõtuliſſe: ſicut in Concilio Florentino expreſsiùs definitum eſt.

Cùm autem Concilium anathema dicit iis, qui tantùm ponunt differentiam in illa diuerſitate rituum; etiam percutit eos, qui non niſi alia illa diſcrimina concedunt, quæ ſine controuerſia perſpicuè conſequuntur ex eo, quòd illa Sacramenta vetera fuerunt alij ritus in lege illa, quãdo nondum aduenerat Chriſtus. Quod ideò dico, ne putet Kemnitius cum ſuis collegis, ſe ſatisfacere, cùm concedit vbi ſuprà differre etiam noſtra Sacramenta ab illis veteribus, quoniam in noſtris *maior* gratia datur, & myſterium redemptionis noſtræ ſignificatur, vt *iam peractum, &c.* De hoc enim nulla poteſt eſſe controuerſia. Etſi verò contemnant iſti ſuo more auctoritatẽ vniuerſalis Eccleſiæ in allegatis Conciliis; apud cordatos tamen, iſtorũ arrogantia & temeritas facere non debet, vt minoris ſint ponderis illæ definitiones. Contemnunt enim inſipienter, ob eamque rem ſunt hæretici.

TERTIO probatur idem diſcrimen auctoritate Patrum. Nam Ambroſius epiſt. 77. ad Conſtantium, minimè eam vim Circumciſioni tribuit, quam tribuit Baptiſmo, vt antè notauimus. Tantùm enim fuit Circumciſio data in ſignum: Itaque Sacramenta veteris legis ſignificabant, non autem efficiebant etiam gratiam: Noſtra verò efficiunt, quod ſignificant. Item D. AVGVSTINVS in Pſal. 73. *Alia ſunt*, inquit, *Sacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Saluatorem: Sacramenta noui teſtamenti* DANT *ſalutem: Sacramenta veteris teſtamenti promiſerunt Saluatorem.*

Vbi manifeſtum eſt, non poſſe ad hæc Auguſtini verba accommodari gloſſam Kemnitij in examine Concilij Tridentini ſeſſ. 7. can. 2. Dicit enim iſte, non aliam eſſe ſententiam Auguſtini, quàm quòd Sacramenta nouæ legis myſterium redemptionis noſtræ ſignificant, vt *iam peractum*; cùm tamen Sacramenta veteris legis illud ſignificauerint ſolùm tanquam *futurum* ex promiſſione diuina. Sed Auguſtini verba clariora ſunt, quàm vt perſuadere nobis id Kemnitius poſsit. Ait enim Auguſtinus, Sacramenta noſtra DARE ſalutem. Quod certè non eſt tantùm ſignificare. Quanquam vt egregiè D. Thomas hic art. 6. docet, ideò Sacramenta nouæ legis poſſunt nobis dare gratiam, tanquam illius cauſſæ: quoniam peracto iam myſterio redemptionis, atque adeò præexiſtente humanitate Chriſti, poſſunt eſſe vera inſtrumenta illius.

Præterea idem teſtatur AVGVSTINVS lib. 19. contra Fauſtum cap. 13. cùm affirmat, pro Sacramentis veteris legis alia Sacramenta inſtituta eſſe *virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Atque item in Pſalm. 73. *Mutata*, inquit, *ſunt Sacramenta, facta ſunt faciliora, pauciora, ſalubriora, fœliciora.* Quibus in locis diligenter contra gloſſemata Kemnitij obſeruari debet, quòd Auguſtinus Sacramenta noſtra non modò dicit eſſe *vtilitate meliora*, id eſt, vberiorem gratiã conferre, quod tantùm vult Kemnitius, ſed etiam dicit eſſe *virtute maiora*: vt ſatis appareat, ex mente Auguſtini, diſcrimen inter vtriuſq; legis Sacramenta, eſſe non tantùm ex parte ipſius *effectus*, nimirum gratiæ, ſed etiam ex parte *virtutis*, atque modi eam conferendi.

Idem verò, quod Auguſtinus, docent apertè alij Patres. Vt IVSTINVS in Dialogo cum Tryphone, IRENAEVS lib. 4. cap. 30. vbi de Circumciſione & aliis cæremoniis veteris legis ait: *Non per hæc iuſtificabatur homo, ſed in ſigno data ſunt populo.* Et EPIPHANIVS hæreſ. 8. CHRYSOSTOMVS homil. 27. in Geneſim. TERTVLLIANVS libro contra Iudæos. CYPRIANVS libro item contra Iudæos 1. cap. 8. & alij paſsim.

Sed OBIICIT Kemnitius, Apoſtolum, cùm cæremonias veteris legis vocat *infirma & egena elementa*, non niſi abuſum & prauam opinionem illorum taxare, qui cæremonias illas ita vſurpabant, quaſi *per ſe*, ſine recta fide valerent conferre iuſtitiam. Itaq; de illis, quatenus ita prauè vſurpabantur, dixiſſe Apoſtolum, quòd fuerint infirma & egena elementa.

SED hæc interpretatio manifeſtè refellitur, cõſiderato ſcopo Paulinæ diſputationis, præſertim ad Galatas. Diſſuadebat enim Apoſtolus illic, non certè abuſum ipſum veteris religionis, ſed ipſam per ſe religionem veterem, tanquam iam antiquatam & exoletam, vt etiam ad Heb. 7. cum dicit, eam abrogatam fuiſſe propter illius *infirmitatem*. Ita fit, vt infirma atq; egena elementa vocauerit cæremonias illas, etiam vt ex inſtituto illius legis bene aliquando vſurpabantur.

Iam verò aliæ OBIECTIONES, quas Kemnitius ex aliorum etiam hæreticorum ſententia, contra diſcrimen hoc pro errore ſuo colligit, vnica diſtinctione diſſoluuntur. Dupliciter enim intelligi poteſt, Sacramenta illa vetera contuliſſe, ſiue exhibuiſſe gratiam. VNO modo impropriè, quatenus fuerunt videlicet veluti pignora, aut etiam ſigilla quædam, quibus eſt obſignata & firmata apud homines diuina promiſsio, cuius vi atque

atque efficacia conferebatur etiam tunc gratia propter paſsionem Chriſti futuram. Vt ſi diceremus, v. g. ſigillum Principis contuliſſe, ſiue exhibuiſſe alicui Præfecturam vrbis, aut aliud officium: quoniam literas & ſententiam Principis obſignauit, virtute cuius officium eiuſmodi eſt collatum.

Sic non negamus, vt calumniatur Kemnitius, quin Sacramenta etiam veteris legis dici poſsint contuliſſe, ſiue exhibuiſſe gratiam, tanquam *ſigna quædam externa* diuinæ promiſsionis. Immò id concedit D. Thomas hic artic. 6. ex ſententia Patrum. Nam negari non debet, quin per Sacramenta quæcunque obſignetur quodammodò & firmetur apud homines diuina promiſsio, vt etiam loquitur Catechiſmus Romanus. Itaque vt dicere poſſemus, ipſum *verbũ promiſsionis* ſcriptum, vel traditum, quodammodò conferre & exhibere nobis gratiam, quatenus eſt ſignum diuinæ promiſsionis atque ſententiæ, cuius virtute gratia confertur: ſic etiam ſimili analogia idé dicere poſſumus de Sacramentis veteris legis, quatenus illa etiam ſuo modo fuerũt ſigna quædam diuinæ promiſsionis. Nam vt præclarè D. AVGVSTINVS ſcripſit lib. 19. contra Fauſtum cap. 16. *Quid ſunt aliud quæcunq; corporalia Sacramenta, niſi quædam quaſi verba viſibilia ſacroſanctæ?* Hoc igitur modo tantùm probant hæretici, Sacramenta etiam veteris legis exhibuiſſe gratiam, quod, vt dixi, neque à nobis negatur.

ALTERO modo intelligi poteſt, Sacramenta conferre gratiam *verè & propriè*, tanquam *cauſſas* inſtrumentales ſaltem ipſius. Sic illa Sacramenta veteris legis non contulerunt gratiam, vt anteà probatum eſt. Quod præterea probatur optimè à D. Thoma art. 6. ex eo, quòd illo tempore nondum præextiterat Chriſti paſsio, atque adeò ipſa humanitas Chriſti, cuius oportet eſſe inſtrumenta ea Sacramenta, quæ gratiam conferunt, tanquam verè cauſſæ. Non enim poteſt aliquid eſſe inſtrumentum alteriùs nondum exiſtentis. Hoc igitur proprium eſſe Sacramentorum nouæ legis dicimus. Et hactenus de primo effectu Sacramentorum, qui eſt Gratia.

QVÆSTIO QVARTA.

De Charactere, qui eſt alter effectus Sacramentorum.

D. Thom. 3. parte quæſt. 63.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, QVID INTELLIGATUR *in propoſito nomine Characteris.* SECVNDO, *An per aliqua Sacramenta imprimatur Character.* TERTIO, *Quæ ſit propria ratio & eſſentia Characteris.* QVARTO, *In quo ſit Character tanquam in ſubiecto.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid intelligatur in propoſito, nomine Characteris.

Ad art. 1. D. Thom.

CHARACTER GRAECE, LATINE ſignificat ſignum ſeu figuram, aut notam firmiter alicui rei impreſſam, vt per eam diſcernatur à cæteris rebus. Hoc modo *nota* candenti ferro pecudibus impreſſa, à veteribus Latinis maximè propriè dicta eſt Character.

Ac iuxta hanc nominis ſignificationem Theologi in hac materia characterem appellant *ſignum quoddam ſpirituale, ſeu ſpiritualem notam in fidelium animis indelebiliter à Deo impreſſam*; primùm, vt deſtinentur ad cultum Chriſtianæ Religionis, præcipuè in hoc poſitum, vt vel recipiantur, vel adminiſtrentur Chriſtiana Sacramenta. Deinde, vt eo ſigno ſiue *nota* diſtinguantur à cæteris, qui notam eiuſmodi non habent. Ac demùm, vt ea ratione fiant quaſi quoddam peculiũ Chriſti Sacerdotis; quatenus videlicet illius virtute *notã* eiuſmodi, ſeu ſignaculum acceperũt, vt functus eſt munere cõmunicandi atq; dandi ſpirituales, atq; diuinas iſtiuſmodi res hominibus, à quo munere dicitur Sacerdos, id eſt, Sacra dans.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hanc esse rationem nominis huius apud Theologos, satis apparet ex D. Thoma hic q. 63. maximè artic. 1. & 3. vbi declarat, quam ob rem character hic dicatur peculiariter character Christi, quia est, vt diximus, participatio quædam illius Sacerdotij. Item id apparet ex eodem artic. 5. vbi ex analogia effectus Sacerdotij *perpetui* Christi, atque etiam aliarum rerum, quæ ad sacros vsus peculiari ratione consecrari solent, & *perpetuò* idcircò consecratæ perdurant, declarat D. Thomas, quemadmodum istiusmodi character sit quiddam perpetuò durans, & quasi indelebile.

Iam cùm hæc sit ratio nominis, videndum est in sequentibus punctis, *Primò*, An sit hic character. *Secundò*, Quid propriè sit. *Tertiò*, Vbi tanquam in Subiecto proprio sit hic character. Ad hæc enim reuocari video omnia, quæ vel à D. Thoma in illa quæst. 63. vel ab aliis de istiusmodi charactere tractantur.

PVNCTVM SECVNDVM.

An per aliqua Sacramenta imprimatur Character.

D. Thom. art. 1. & 6.

NEGAT VViclephus apud VValdensem tomo 2. de Sacramentis cap. 109. & negant etiam Lutherani ac Sacramentarij omnes, vt videre est apud Caluinum lib. 4. instit. ca. 19. & Kemnitium in examine can. 9. sess. 7. Concilij Tridentini. Ratio verò cur negent, est: quia non possit ex Scripturis character probari.

Quam rem testimonio quoque Scholasticorum confirmat Kemnitius. Itaque Gabrielem citat; qui in 4. sentent. d. 6. quæst. 2. negauerit, ex Scripturis probari characterem posse. Sed & Scotus in 4. d. 6. q. 9. fassus est, characteris assertionem solius Ecclesiæ auctoritate niti. Idem quoque confitetur apertè Caietanus hîc art. 1.

Ac possumus ad hanc rationem hæreticorum prætereà addere, quòd sine charactere æquè bene possemus illa intelligere, quorum caussâ dicitur imprimi character. Nam hoc ipso, quòd Sacramenta Christianæ Religionis vsurparentur à fidelibus, posset intelligi, eos *consecratos* esse cultui Christiano, & ab aliis *discerni*, atque etiam esse quasi quoddam *peculium* Christi. Fruſtrà igitur ad ista ponitur ille character.

His tamen nihil obstantibus, CERTA fide credendum est, per aliqua Sacramenta, nempe per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, imprimi characterem talem, qualem anteà p. 1. ex nomine descripsimus. Probatur id PRIMO ex eo ipso, quod hæretici agnoscunt à Scholasticis Doctoribus credi, nempe Characteris assertionem niti *auctoritate Ecclesiæ*. Quod enim Ecclesia Christi de rebus fidei definit, id ineffabiliter verum & certum est ex fide. Sed Ecclesia Christi definit, per illa Sacramenta imprimi characterem. Ergo ex fide certum id est. Maior tomo 3. disp. 1. q. 1. p. 7. probata est, vbi etiam ostensum est, Ecclesiam Catholicam Romanam verissimè esse illam Ecclesiam Christi, quæ aberrare in rebus fidei non possit. Minor patet ex Cap. *Maiores*. Extra de Baptismo & eius effectu. Item ex Concilio Florentino in decreto vnionis, & ex Tridentino sess. 7. can. 9. vbi id definitur sub anathemate.

SECVNDO probatur eadé Assertio. Nam quod ab Apostolis tanquam certum de fide traditum Ecclesiæ est, id sine vlla dubitatione est ex fide certum. Sed assertio hæc characteris ab Apostolis est tradita Ecclesiæ, tanquam certa de fide. Ergo certa est ex fide. De Maiori non dubitatur, ne ab hæreticis quidem.

Minor probatur, *Primò*. Quoniam certissimum argumentum, atque indicium traditionis Apostolicæ est, si vniuersa Ecclesia aliquid sentiat ac teneat. Id patet ex D. AVGVSTINO lib. 5. de Baptismo contra Donatistas. cap. 23. *Quæ vniuersa*, inquit, *tenet Ecclesia, eo ipso ab Apostolis bene præcepta dicuntur, etiamsi scripta non reperiantur.* Ac Characterem per illa Sacramenta imprimi, vniuersa sentit & tenet Ecclesia. Ergo rectè creditur, eam rem esse acceptam ab Apostolis.

Secundò probatur eadem Minor. Quoniam vbicunq; Ecclesia doctrinam de charactere tradit, eam proponit tanquam prorsus antiquam, quæ iam olim apud fideles auctoritatem fidei obtinuerit. Neque credibile est, in ea re aliquid ab Ecclesia fingi, sed planè id tradere eam, quod continua successione doctrinæ iam inde vsque ab Apostolis accepit. Quid enim potuisset Ecclesiam mouere, vt hoc dogma fingeret? Certè ex assertione characteris nullum commodum habet.

Atque hoc quidem argumenti genus in aliquibus controuersiis ad retundendam hæreticorum impudentiam vrgendum est, qui sine vllo verisimili colore fingunt, Ecclesiam, seu Ecclesiæ Prælatos, Romanos Pontifices, quædam dogmata primùm inuenisse, quæ non acceperint: cuiusmodi est etiam, vt exemplum vnum adducam, quod Ecclesia docet, iure diuino non esse Laicis necessariam communionem sub vtraque specie. Quid enim de Ecclesiæ commodis decederet, si daretur etiam Laicis tantillum vini ad communicandi vsum? Aut quid omnino Ecclesiam potuit impellere, vt pro libito cõminisceretur ipsa id dogma, si non ita accepit?

Sed ad rem vt redeamus, suffragatur etiam TERTIO huic Ecclesiæ assertioni sacra Scriptura, quæ si absque pertinacia & proteruia intelligatur, sæpè significat, fideles hoc ipso, quòd Sacramentum fidei, id est baptismum acceperunt, *consignari aliquo spirituali signo* diuinitùs, quod etiam in ipsis durabiliter maneat, etiam tum, cùm

per

per peccata ex gratia diuina excidunt. Quod signum nos intelligimus esse characterem.

Cuius generis testimonia sunt hæc. Ad Ephesios primo: *Signati*, inquit, *estis credentes* (id est, hoc ipso, quòd credidistis, & fidei Sacramentum accepistis) *Spiritu promissionis sancto*. Et capite quarto: *Nolite*, inquit, *contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis*. Quo loco cum improbis etiam loquitur, vt apparet ex concione, quam ibi generatim habet ad omnes. Itaque de signaculo aliquo loquitur differente à gratia, quemadmodum Haimo in commentariis eius loci, intellexisse quoque videtur, vbi inquit: *Signum Spiritus sancti in die Baptismi accepistis, nouum signaculum habere cœpistis.* Hanc enim vult Haimo esse vim verborum illorum Apostoli.

Item 2. Cor. 1. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos, Deus est, & qui signauit nos Deus, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hic certè à pignore Spiritus sancti, quod est Gratia, aliud quoddam distinguit signaculum, & exprimit pluribus verbis, quod videlicet duret in baptizatis etiam amissa gratia. Atq; id expositione Hieronymi in illum locum, confirmare possumus: *Signauit nos* (inquit Hieronymus) *Spiritu sancto, vel Chrismate. Illud signatur, quod aliquid intrinsecùs continet pretiosum.* Hactenus ille. Vbi clarè videre est signaculum aliquod distinctum ab ipsa gratia in animis latente, propter quã signamur, & quam ibidem dari dicit Hieronymus, vt arrhã pretiosam æternę beatitudinis.

Præterea 1. Tim. 4. *Noli*, inquit, *negligere gratiã Dei, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* Vbi diligenter obseruandus est modus, quo Timotheum Apostolus admonet sui officij: *Gratia*, inquit, *quæ est in te.* Hoc sanè verbo (EST) aliquid significat in ordinatione illi datum fuisse *durabile*, quod etiam sit & maneat in his ministris, qui ab officio discedunt, & gratiã gratum facientem amittunt.

Considerandum enim hîc etiã diligenter est, quòd Apostolus, cùm ita Timotheũ alloquitur, formam præbet, qua possimus etiam alios ministros ad officium hortari, cùm ab illo deflectũt. Neq; enim illa tantummodò scripsit Apostolus propter Timotheum, sed propter alios etiã ministros, qui eiusmodi cõmonefactione subinde indigeãt. His igitur, quamlibet mali sint, dicere possumus verè cum Apostolo: *Noli negligere gratiam, quæ est in te*, id est, charactere, qui & ipse gratia quædam est, data in ordinatione. Quòd si istiusmodi testimonia nõ mouent Sectarios; ab iis petimus, vt probent, malè nos in his locis intelligere gratiam etiam characteris, quæ distinguatur à gratia gratum faciente. Hoc certè conuincere nunquam poterunt.

QVARTO huc accedunt illustres sententiæ Patrum, ex quibus & characteris assertionẽ rectè colligimus, & multũ roboris additur probationibus ex Scriptura iam allatis. Nam D. DIONYSIVS libro de Ecclesiast. hierarchia, cap. 2. part. 3. ita inquit: *Baptizatum in suum consortium diuinæ maiestatis intùs admittit, eiq; lucem suam perinde ac signum aliquod tradit, sanctũ efficiens, & sortis ordinisq; sanctorum participem.* Quibus verbis de signo certè aliquo durabili, atque etiam tum, cùm baptizatus peccat, permanente, Dionysium loqui apparet. Nam tum etiam baptizatus particeps est *sortis & ordinis* Christianorum; quod Dionysius dicit fieri per illud signum.

Sanctus DAMASCENVS quoque lib. 4. fidei orthodoxæ, cap. 10. apertiùs etiam illud signum à gratia distinguit: *Per Baptismum*, inquit, *accipimus primitias Spiritus; & deinde signaculum, & tutelam, & sanctificationem.* Loquitur similiter de tali signaculo AMBROSIVS lib. 1. de Spiritu sancto, capite 6. & CYRILLVS Hierosolymitanus catechesi mystagogica 17.

Illustris autem admodum est locus EPIPHANII lib. 1. tomo 1. contra hæresim 8. *Baptismus*, inquit, *& circumcidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomen Dei.* Qua sententia nõ modò characterẽ à gratia ipsa remissionis peccatorũ distinguit; sed etiam præclarum nobis argumentum subindicat, quo possimus ex analogia figuræ & veritatis cõfirmare assertionem characteris. Circumcisio enim Baptismi nostri figura fuit. In Circũcisione autem duo erant. Nam & remittebatur ibi peccatum per gratiam; & signum seu nota quædam in illa parte corporis relinquebatur, per quã fideles illius populi à cæteris Gentibus discernerentur, tanquam peculium quoddam singulare Dei. Vt igitur veritas ipsa aptè respõdeat figuræ; intelligendum est, per Baptismum non solùm gratiam dari, quæ deleat peccatum; sed etiam *signum aliquod*, nõ illud quidem carnale, sed *spirituale* in mẽtibus fidelium imprimi, quo differant à non fidelibus. Quod argumentum eruditè prosequitur Thomas VValdensis tomo 2. de Sacramentis, cap. 110.

Iam verò AVGVSTINVS, cuius est etiam apud Aduersarios præcipua auctoritas, multis in locis expressam mentionem fecit characteris huius & signaculi, quod per Sacramentum imprimatur. Sed Kemnitius & alij Sectarij eam appellationem Augustini referunt vel ad ipsum *Sacramentum*, quod suscipitur; vel secundò ad *effectum* illius, nempe gratiam iustificantem; vel certè tertiò ad quandam *denominationem* & respectum rationis, quo intelligimus, eos homines, qui Sacramentum susceperunt, pertinere ad ordinem Christianum, & ad Christianum etiam cultum deputatos esse, &c.

Verùm hanc interpretationem ab Augustini mente alienissimam esse, ex ipsis Augustini locis diligenter collatis atq; expensis manifestissimè apparet. Nam iam affirmat, signaculum illud seu characterem *imprimi* per Sacramentum; iam *nunquam violari*; iam *manere* etiam in impiis & hæreticis; iam aliquid esse *sanctum*, &c. Vnde per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpicuè patet, characterem apud Auguſtinum neque eſſe ipſum Sacramentum: ſiquidem hoc non eſt aliquid *permanens, impreſſum*; neque eum effectum Sacramenti, qui eſt gratia: cùm hæc neutiquam maneat in hæreticis & impiis; neque denique nudum reſpectum rationis: cùm hic neque *imprimi*, neque aliquid *ſanctum* eſſe rectè dici poſsit.

Sed Auguſtini ſententias videamus. In epiſt. 44. ad Donatum, ſic Donatiſtas hæreticos compellat: *Vos*, inquit, *oues Chriſti eſtis, quia Characterem Dominicum portatis, quem accepiſtis in Sacramẽto: ſed erratis & peritis.*

Item in epiſt. 50. ad Bonifacium de correctione Donatiſtarum, ex huius characteris ratione (quod & ipſe & reliqui Patres paſsim aliàs faciunt) oſtendit, Baptiſmum iterari non debere: *Plus*, inquit, *habet iuris, quod in eis Dominicus* CHARACTER *agnoſcitur, qui in eis, quos ſuſcepimus, nec tamen rebaptizamus, minimè violatur. Sic enim error corrigendus eſt ouis, vt non in ea corrumpatur ſignaculum Redemptoris.*

Item ſuper epiſtolã 1. Ioan. tract. 5. *Baptizatus*, inquit, *etiamſi charitatem non habeat, characterem quidem impoſitum habet, & tamen deſertor vocatur.* Similiter lib. 6. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 1. agens etiam de non reiterando Baptiſmo. Et lib. 2. contra Petilianum, ſub finem: *Non veſtrũ eſt*, inquit, *quod deſtruere metuimus, ſed Chriſti, quod etiam in ſacrilegis per ſe ſanctum eſt. Nam veniẽtes à vobis recipere non poſſumus, niſi quod veſtrum eſt, deſtruamus. Deſtruimus enim perfidiam deſertoris, non deſtruimus characterem Imperatoris.*

Idem dicit & explicat lib. 2. contra Parmenianum, cap. 13. & quidem accommodatiſsimo exemplo, ducto ex characteribus ſeu notis militũ. Quem locum quoq; citauit D. Thomas q. 63. artic. 1. Atq; ibidem Auguſtinus characterem appellat *ſanctitatem Sacramenti. Peruerſitas*, inquit, *hominis corrigi debet: ſanctitas autem Sacramentorum violari non debet. Conſtat enim, eam in peruerſis & ſceleratis hominibus impollutam & inuiolabilem permanere.* Ac concludit ibi tandem, manere in bonis ad *præmium*, in malis ad *iudicium*. Denique in libro de bono cõiugali, cap. 24. ſatis quoq; apparet eum agnouiſſe Ordinis characterẽ, quo adminiſtrantur munera Eccleſiaſtica.

Quæ cùm ita ſint, ad rationem hæreticorum RESPONDEO, Scholaſticos, quamuis aſſertionẽ characteris in Eccleſiæ auctoritatem referant, agnouiſſe tamen & cõceſsiſſe prorſus characterem: neque dubitaſſe, quin ea Aſſertio certiſsima ſit: quod tamen malitioſè videtur Kemnitius vbi ſuprà diſsimulaſſe, dum ſententiam Gabrielis ita refert, quaſi ille de aſſertione characteris dubitauerit. In eo verò, quòd illi Scholaſtici non putauerint, characterem ex Scripturis, & ex antiquitate confirmari poſſe, decepti ſunt: neq; id verò mirum, cùm illorum diligentiam ad inquirendas diligentiùs eiuſmodi probationes nulla ſuo tempore hæreticorum perfidia excitaſſet, ſicut iam excitauit nos.

Ad aliud, quod in hæreticorum fauorem addebamus, reſpondeo, multò rectiùs intelligi, quemadmodum fideles deſtinati ad cultum Religionis Chriſtianæ ſint, ab aliisque populis diſcernantur, ſi maneat in illis *durabilis* aliqua *nota* & character, qualem manere probauimus.

Characterem igitur, effectum aliquorum Sacramentorum eſſe, ita confirmatum ſit. Quòd ſi verò QVAERATiam aliquis, cur non etiã aſſeramus, per alia quoq; Sacramenta imprimi characterẽ? RESPONDEO primùm, eam eſſe rationẽ, quoniam ita nos docet Eccleſia, per illa Sacramenta imprimi, & per reliqua non; quæ & ipſa ſic eſt docta ab Apoſtolis, habetq́; quod ad doctrinã Sacramentorũ imprimis attinet, infallibilem auctoritatem, vt ſuprà eſt probatum.

Deinde dico, eius rei illam rationem cõmuniter ab Orthodoxis reddi, quam reddidit D. Thomas quæſt. 63. artic. 6. Etenim character, vt punct. 1. expoſuimus, nota quædam eſt, qua deputamur peculiariter ad Chriſtianæ Religionis cultum, & differimus ab aliquibus aliis. Hæc duo per illa tãtùm Sacramenta tria, non autem per alia propriè conſequimur. Ita fit, vt per illa tria dũtaxat character aliquis imprimatur. Nam *Baptiſmo* characterem conſequimur ad exercendum eum Religionis cultum, qui cõſiſtit in ſuſceptione cæterorum Sacramentorum, & differimus item ab iis, qui Chriſtiani non ſunt.

Sacramento *Ordinis* deputatur quis ad eum cultum Religionis, qui conſiſtit in Sacramentis adminiſtrandis, & differt quoque à Laicis, qui Ordinibus initiati non ſunt. Itaque character quoque ad id peculiaris in eo Sacramento tribuitur.

Denique *Confirmatione*, dum robur quis accipit ad reſiſtendum tentationibus contra Fidem; peculiari ratione velut deſtinatur ad quandam Chriſtianam militiam, itemque ad cultum, qui peculiariter conſiſtit in conſtanti quadam proteſtatione Chriſtianæ fidei. Rurſus etiam diſtinguitur à *baptizatis tantùm*, & nondum etiam confirmatis, qui, vt D. Petrus epiſtola prima, capite ſecundo, inquit, *quaſi modò ſunt geniti infantes*, nondum milites robuſti. Itaque per Confirmationem etiam peculiaris datur ad eam rem character.

Cætera verò Sacramenta ſunt ſanè per ſe ipſa quidam cultus, veruntamen non propriè ordinantur vlteriùs ad peculiarem aliquem cultum. Quare non perinde in illis confertur character. Omninò verò ratio potiſsima huius differentiæ eſt inſtitutio Chriſti, quam docet nos Eccleſia.

PVNCTVM

PVNCTVM TERTIVM.

Quæ ſit propria ratio & eſſentia Characteris.

D. Thom. artic. 2. & 3.

VIDENDVM eſt nunc, quid propriè ſit Character, id eſt, quo genere contineatur, & qua differentia. Et ſunt ea de re plures ac diuerſæ opiniones. PRIMA eſt Durandi in 4. diſt. 4. quæſt. 1. cenſuit, eſſe tantummodò quendam *reſpectum rationis*, quo videlicet intelligatur homo eſſe deputatus ad recipienda, vel danda Sacramenta Chriſtiana. Argumentũ ipſius præcipuum eſt, quoniam per iſtiuſmodi ſuam aſſertionem putat à Theologo inprimis *elucidari* Sapientiam diuinam, id quod eſſe debet nobis in Theologia propoſitum: Contrà verò obſcurari, ſi character dicatur eſſe res aliqua, cùm id videatur ſuperuacaneum, neque ſatis poſsit intelligi.

Verùm hæc opinio pugnat planè cum ſententiis Patrum, & Eccleſiæ ſuprà puncto præcedenti allegatis pro characterе. Nam reſpectus rationis non propriè *imprimitur*, non *portatur*, nó eſt quiddam *ſanctum*, ſeu *Sanctitas*; quas tamen appellationes & alias eius generis verè & conſtanter tribuit Eccleſia characteri. Et ratio Durandi infirma, vel nulla potiùs, eſt. Quando enim oportet ex Eccleſiæ ſententia rem peculiarem aſſerere; maximè tunc elucidabitur ſapientia diuina, eam rem aſſerendo, & explicãdo, cuiuſmodi ſit.

Atque hinc obiter intelligitur etiam, minùs circumſpectè & ſecurè ſcripſiſſe Sotum in 4. diſtinct. prima, quæſtione quarta, articulo ſecundo, quòd probabiliter defendi poſsit. Characterem non eſſe rem diſtinctam ab ipſa anima, modò concedatur, eſſe aliquid reale, & non tantùm ens rationis. Minimè hoc defendi poteſt. Nam ſi character ab anima, non re, ſed *formali ratione* tantùm diſtinguitur; quomodo propriè imprimitur? quomodo eſt aliquid per ſe *ſanctum*, quod menti diuinitùs communicetur, & quaſi extrinſecùs adueniat?

SECVNDA ſententia eſt Scoti in 4. d. 6. q. 10. Is, licet concedat, eſſe probabile, quòd character ſit qualitas abſoluta; probabilius tamen eſſe cenſet, quòd ſit tantùm *relatio* ſeu *reſpectus*, quo habemus peculiarem quendam ordinem ad Chriſtum, quemque ille cenſet eſſe *extrinſecùs aduenientem*, vt vocat, id eſt, qui exiſtente fundamento & termino non ſtatim exiſtit.

Sed hæc ſententia, quæ antiquior etiam fuit Scoto, rectè à D. Thoma hîc articulo 2. ad 3. refellitur. Niſi enim character præter *reſpectum* illum, quo per ipſum habemus ordinẽ ad Chriſtum, eſſentiam abſolutam, & quidem priorem tali reſpectu habeat; carebit eiuſmodi reſpectus ſiue relatio fundamento proprio. Non enim fundamentum eſt ipſa anima: nam tunc omnes haberent illum ordinem & reſpectum ad Chriſtum, hoc ipſo, quòd anima ſunt prædita. Neceſſe itaque eſt, characteris eſſentiam in aliquo *abſoluto* & priori propriè conſtituere, quòd ſit fundamentum proprium illius reſpectus.

SECVNDO. Ad nullam omnino relationem eſt per ſe motus. Sed ad characterem eſt per ſe motus. Ergo character nullius omnino modi relatio eſt. Maior eſt Philoſophi, vt rectè contra Scotum oſtendit Caietanus hîc artic. 2. Minor conſtat. Quoniam character per ſe producitur per Sacramenta, idque tum maximè patet, cùm propter ſuſcipientis vitium datur ipſe ſolus ſine gratia.

Quòd ſi ad has rationes reſpondeatur ex ſententia Scoti, relationem *extrinſecùs aduenientem*, eſſe talem, vt etiamſi fundamentum adſit (quale in propoſito ſecundùm Scotum eſt *ipſa anima*) poſsit tamen non ſequi, atque etiam ad illam poſsit eſſe per ſe motus: Hoc totum dicimus eſſe commentitium, vt ſuo loco ab aliis communiter probatur, & maximè à Caietano loco citato, vbi illas ipſas relationes, quas Scotus appellat *extrinſecùs aduenientes*, oſtendit ex expreſſa Philoſophi ſententia eſſe tales, vt ad illas non poſsit eſſe per ſe motus. Ab illis enim Ariſtoteles exemplum ſumit, vt eam relationum proprietatem declaret. Vt ad *dextrum* & *ſiniſtrum* non eſt per ſe motus, inquit Philoſophus, ſed ad *tale Vbi*; & tamen eiuſmodi relationem ponit Scotus in illo genere relationũ extrinſecùs aduenientium, vt vocat.

Denique in ea re Scotus falſus eſt, quòd non diſtinxit ſatis duplex relationis fundamentum, Proximum, & Remotum. *Proximo* enim poſito; illicò relatio omnis exiſtit. Neque ad relationem vllam eſt motus, niſi *per accidens*, ſeu *ex conſequenti*, ratione ſcilicet fundamenti ſui proximi. Sunt igitur illæ noſtræ rationes firmę contra Scotum.

TERTIA opinio eſt Marſilij in quarto, quæſtione quarta, articulo primo, concluſ. ſeptima, qui vult, characterem eſſe in quarta ſpecie Qualitatis, quoniam per illud quadam ratione *configuramur* Chriſto.

SED hoc friuolum eſt. Nam vt rectè Diuus Thomas hîc contra hanc opinionem, (quæ & ipſa eſt antiqua) articulo ſecundo, ad primum argumentatur, Character non dicitur *figura*, neque nos dicimur per illum configurari Chriſto, *niſi metaphoricè*. Propriè enim figura eſt terminus Quantitatis: & res non ponuntur in aliquo genere vel ſpecie, niſi ſecũdùm eam rationem, quæ ipſis conuenit propriè.

QVARTA opinio eſt Richardi in quarto, diſtinct. 5. articulo ſecundo, queſtione prima, characterem eſſe *reductiuè* Qualitatem, quæ pertineat ad triplicem ſpeciem; ſcilicet ad primam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quatenus est *dispositio* ad gratiam; & ad tertiam, A
quatenus habet ordinem vel ad *actionem*, vel ad *passionem*; & ad quartam, quatenus per illam *configuramur* Christo.

SED hoc de *quarta*, iam refutatum est. Et quãquam verum sit, quod Richardus ait, characterem *reductiuè* pertinere ad Prædicamentũ Qualitatis, vt posteà videbimus; non tamen satis rectè declarat, quomodo reductiuè pertineat ad illas alias duas species, de quibus etiam dicit, scilicet, ad *primam & tertiam*.

Nam PRIMO character non est per se & propriè *dispositio* ad gratiam, cùm sine gratia detur aliquando, & viciſsim gratia sine illo. Deinde, Quamuis aliquo modo indirectè, & ex conse- B
quenti, vt D. Thomas ait articulo quarto ad 1. character dici posit dispositio ad gratiam, velut ad formam, quatenus videlicet gratia etiam datur ob eam rem, vt characteris vsus sit rectus; Quamuis hoc (inquam) ita dici posit; tamen istiusmodi ratio dispositionis in ordine ad formam, nullo modo est ratio illa, qua continetur prima species Qualitatis, quæ dicitur Dispositio: Sed pertinet ad modum quendã, qui communis esse potest pluribus speciebus Qualitatis. Nam & prima, & secunda Qualitatis species, possunt esse, & interdum sunt dispositiones ad aliquam formam. Cùm igitur ratio primæ speciei Qualitatis, quæ communiter *Dispositio* dicitur, sit alia; nõ rectè explicatur à Richardo, quo- C
modo character reductiuè sit in prima specie, propterea quòd sit dispositio ad formam, quæ est gratia.

Sic etiam ratio *tertiæ* speciei non satis rectè accommodari potest ad characterem: cùm in tertia specie solùm sint sensibiles qualitates, quæ longissimè distant à charactere, vt rectè etiam Diuus Thomas argumentatur articulo secundo ad 2.

QVINTA opinio est, Characterem esse *habitum*. Quæ sententia non videtur aliena à mente Alexandri Halensis 4. parte, quæst. 19. membro primo, articulo secundo. Sed hæc sententia confutari à plerisque solet his rationibus. PRIMA. Omnis habitus intenditur & remittitur. Chara- D
cter non. Ergo character non est habitus. Sed hæc Ratio non videtur firma. Nam responderi posset, characterem ex natura sua intendi & remitti posse, licet per accidens id non fiat: vel certè non constat, vtrum non intendatur vel remittatur.

SED potest nihilominus ea Ratio defendi: Quia non datur, nisi per Sacramenta, quæ semel tantùm percipiuntur. Ex qua re colligitur, illum non intendi, & consequenter neque remitti: quia non pendet ab actu aliquo ipsius hominis. Quòd si nunquam intenditur & remittitur; certè apparet etiam, illum non esse eius naturæ, vt possit intendi & remitti: quia frustrà talem Deus daret.

SECVNDA Ratio. Habitus tantùm ad id valet, vt operatio fiat bene, quam alioqui potentia possit exercere, etiam sine habitu. Character autem datur, vt operatio simpliciter possit fieri, ita quidẽ, vt sine illo, nullo modo exerceri possit. Ergo character non est habitus.

Sed Maior non est vniuersè vera. Nam probabilior longè sententia est, quòd habitus supernaturales dantur ad eiusmodi actus, qui secundùm suam substantiam nequeant (saltem de lege ordinaria) sine habitu exerceri; eò quòd sint secundùm suam substantiam *ordinis cuiusdam supernaturalis*. Itaque secundùm hanc sententiam, aliqui habitus, nempe supernaturales, non tantùm dantur, vt operatio bene fiat; sed vt fiat *simpliciter*, à potentia perfecta & completa per eiusmodi habitus.

TERTIA Ratio est Diui Thomæ hîc articulo secundo in argumento, *Sed contrà*. Nullus habitus est eiusmodi, vt indifferenter contingat eodem vti & benè & malè. Sed character est talis. Ergo character non est vllus habitus. Maior patet. Quia *Bonum* vel *Malum* sunt differentiæ habitus. Minor etiam constat. Quia contingit aliquem v. g. benè & malè administrare Sacramenta per eundem characterem. Contrà hanc Rationem obiicit Scotus in quarto, distinctione sexta, quæstione decima. Quòd fieri potest, vt aliquis habitus sit per se *indifferens*. Sed hanc Scoti sententiam improbant meritò alij Theologi. Nam vt nullus est actus *in particulari indifferens*: ita neque vllus habitus indifferens produci potest.

Fortiùs autem contra eandem Rationem OBIICI secundò potest: Quòd Ars est habitus; & tamen contingit indifferenter eadem arte vti benè & malè. RESPONDEO, ea quidem bonitate & malitia, quæ propriè pertinet ad *vsum* artis, minimè contingere, vt eadem arte vtatur quis & benè & malè: Contingit autem, vt bonitate & malitia alterius generis, nempe *moralis*, vtatur quis arte v. g. pingendi, benè & malè. In proposito verò illa ipsa bonitate & malitia, quæ sola ad *vsum characteris* pertinet, contingit benè, & malè vti: Ex quo rectè D. Thomas concludit, Characterem non esse habitum.

Quod vt intelligatur, considerandum est, in *exercitio* characteris, scilicet in illis cæremoniis externis Sacramentorum, aut etiam in externo certamine & protestatione fidei, posse nos intelligere triplicem rationem. Nam *Primò* sunt quædam *protestationes*, seu externæ significationes Christianæ *fidei*. *Secundò*, sunt cultus *Religionis*. *Tertiò*, sunt absolutè & simpliciter quidã *actus externi*, ordinati ad *efficiendum* vel *recipiendum* vel *conseruandum* effectum supernaturalẽ. Quod ita dico propter differentiã characterum. Nam vsus characteris *Ordinis* est operatio externa ad *efficiendum* effectum supernaturalem, nempe gratiam, per Sacramentorum administrationem.

Vsus

Vsus characteris *Baptismi*, id est, susceptio Sacramentorum, ordinatur ad effectum supernaturalem, nempe eandem gratiam, *recipiendam* in Sacramentis. Vsus denique characteris Confirmationis, id est, illa militia spiritualis, pertinet ad supernaturalem effectum, nempe fidem propugnandam & *conseruandam*.

Hoc posito, sciendum etiam est, cæremonias illas, seu operationes externas, in quibus exercetur character, formaliter quidem, neque secundùm *Primam*, neque iuxta *Secundam* Rationem ex illis tribus, quas distinximus (sic enim propriè pertinent ad virtutem *Fidei*, & virtutem *Religionis*) sed tantummodò secundùm *Tertiam* rationem respici à charactere. Hæc verò ratio, si rectè consideremus, nullam peculiarem bonitatem aut malitiam præter bonitatem aut malitiam pertinentem ad Fidem, vel Religionem continet, quam propriè respiciat character.

Quare reliquum est, vt peculiaris bonitas vel malitia, quæ ad Characterem referri potest, sit solum bonitas vel malitia, pertinens ad materiam vel *Fidei* vel *Religionis*. Atque ita sequitur, posse contingere, sicut dicebamus, vt illa bonitate & malitia, quæ sola ad characterem pertinet, vtatur quis eo & benè & malè, quia nimirum contingit charactere vti, & *cum* recta fide, & *sine* fide; item, *religiosè*, vel *irreligiosè & sacrilegè*. Iam verò quod Diuus Thomas in sua Ratione assumpsit, nullum habitum esse eiusmodi, vt eo contingat vti & benè & malè; de malitia & bonitate intelligendum est, pertinente ad ipsum habitum. Hinc enim sequitur, Characterem non esse *habitum*: Quia cùm sola bonitas & malitia peculiaris, quæ est secundùm rationem vel *Religionis* vel *fidei*, & præterea nulla alia secundùm rationem obiecti characteris propriam, ad characterem pertineat: contingit secundùm eam bonitatem & malitiam vti & benè & malè charactere.

Neque hoc similiter potest dici de Arte. Nam ars, vt dicebamus, præter bonitatem & malitiam alterius generis, nempe moralem, respicit etiam bonitatem peculiarem & propriam, scilicet *artificiosam*, cuius sedes est propria ratio formalis obiecti Artis; & secundùm eam bonitatem semper bene vsurpatur Ars, nunquã malè: ac proinde Ars quidam habitus est.

SED dicet aliquis. Nónne bonum quoddã & perfectio maxima eius, qui habet characterem, est, *recipere* supernaturalem effectum Sacramenti, & *conseruare* etiam fidem; qui sunt actus characteris? Cùm igitur istæ duæ rationes (scilicet, *recipiendi* & *conseruandi* supernaturalem effectum) in cæremoniis seu operationibus illis externis respiciantur à charactere Baptismi, & Confirmationis; videtur falsum esse id, quod vniuersè diximus, characterem secundùm rationem suam propriam non habere ordinem ad bonitatem aliquã seu malitiam *peculiarem*, præter bonitatem seu malitiã, quæ pertinet ad materiam *Religionis* vel *fidei*.

RESPONDEO: Nihilominùs verissimum id esse, quod à nobis vniuersè est dictum. Et quidem in charactere *Ordinis* facilius id ad explicandum est. Nam *efficere* supernaturalem effectum *in altero*, quod est munus characteris Ordinis, non est propriè bonum aliquod, seu perfectio ipsius habentis talem characterem; sed alterius. Bonitas autem & malitia, quæ pertinet ad aliquem habitum, attendi debet in ordine ad illum, in quo est habitus. Quod autem attinet ad characterem Baptismi, & Confirmationis, etiam illud, quod diximus, nõ obstante Obiectione facta, verum est.

Diligenter enim est considerandum, quòd licet absolutè *recipere* supernaturalẽ effectum, qui est Gratia, & *conseruare* fidem, sit quoddam bonum & perfectio eius, qui Baptismi & Confirmationis habet characterem; non tamen ea propriè & præcisa ratione, qua ista *conseruatio* & *receptio* formaliter respiciuntur à charactere. Respiciuntur enim hæc à charactere illorum Sacramentorum *formaliter*, tantummodò vt sunt absolutè & simpliciter receptio & conseruatio supernaturalium quorundam effectuum: non autem, vt habent eam rationem qualem qualem perfectionis seu bonitatis.

Quanquam nihil absurdi est cõcedere, quòd *materialiter* quidem hæc ipsa perfectio seu bonitas, qualis qualis, respiciatur à Charactere. Hinc enim solum sequitur, characteres huiusmodi *materialiter* esse etiam habitus, qui scilicet secundùm aliquam rationem cogitari possint, *rectè disponere* subiectum in ordine ad effectus suos, qui, quatenus sunt tales, perficiunt humanam naturam. Cæterùm *formaliter*, non ideo concedendum est, characteres istos esse habitus. Nam nihilominùs est verum, quòd propriè & formaliter abstrahunt hi characteres in sua ratione à *bonitate & perfectione illa*, quæ inest in gratia, & fide, quatenus gratia & fides sunt effectus *tales*. Respiciunt enim gratiam & fidem, vt sunt *effectus præcisè*, qui recipiuntur vel conseruantur; non autem vt sunt *perfectio eius*, in quo conseruantur & recipiuntur. Alia verò ratio est habituum. Nam hi formaliter disponunt vel benè vel malè, neque abstrahunt in sua ratione ab aliqua peculiari bonitate & malitia. Iam verò D. Thomas non negat, quin character *materialiter* sit habitus; sed tantùm *formaliter*: idque propterea, quòd formaliter non includat in sua ratione aliquam bonitatem vel malitiam, secundùm quam contingat semper eo vti aut benè aut malè.

Ac iuxta hanc quidem explicationem, etiam de charactere *Ordinis* dici potest, quòd sit *materialiter* habitus: si nimirum cogitetur, quatenus rectè disponit subiectum in ordine ad operationem, quæ licet sit transiens, non desinit tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

ideo esse aliquo modo conueniens naturæ subiecti operantis. Sicut calor v.g. qui formaliter alioqui est quædam potentia; *materialiter* tamen cõceditur etiam esse *habitus*, quatenus rectè disponit & afficit ignem in ordine ad operationẽ; quæ licet sit transiens, cõgruit tamen cum ignis natura.

SEXTA sententia est D. Thomæ hîc art. 2. Caietani ibidem, Soti in 4. dist. 1. quæst. 4. art. 2. & aliorum, quæ magna ex parte ex dictis iam explicata est: scilicet Characterem esse in secunda specie Qualitatis: quia est *potentia quædam spiritualis* ad aliquid agendum vel recipiendum. Character quidem Baptismi ad *recipiendum*; Ordinis verò & Confirmationis, ad *agendum*. Et hæc sententia mihi probatur. Quia cùm character formaliter respiciat tantùm effectum, qui fit, aut conseruatur, aut recipitur, quatenus *effectus quidam* est; non autem quatenus *benè* aut *malè* in materia religionis vel fidei fit, vt antè declaratum est; apparet, illum formaliter esse *potentiam*; cuius proprium est, effectum respicere *absolutè* secundùm suum *Esse*, non autem secundùm bonitatem aut malitiam; quòd pertinet ad habitus.

SED cùm hoc ita sit, declarat tamen deinde D. Thomas, characterem nõ esse in illa secunda specie, nisi *reductiuè*: Quoniam est, inquit, potentia *non simpliciter*, sed *instrumentaliter*, id est, non ad agendum per se & absolutè; sed ex virtute & motione alterius, nempe causæ principalis, quo ipso deficit quodammodo ab absoluta & plena ratione potentiæ.

Etsi verò D. Thomas in hac explicatione non distinguat, an de aliquo, an verò de omni charactere loquatur; necessariò tamen ipsum intelligendum puto de solo charactere *Ordinis*; quoniã hic solus est potentia *instrumentalis* ad operandũ, id est, ad conficiendum Sacramentum, vnâ cum illius effectu, ex virtute & motione Dei, quod facit Ecclesiæ minister. Character verò *Baptismi*, & *Confirmationis*, non perinde est potentia instrumentalis. Nam baptizatus per eum characterẽ, quem in Baptismo accepit, minimè recipit alia Sacramenta, tanquam Dei instrumentum; sed tanquam causa *receptiua* suo modo principalis. Non enim dici potest, quòd Deus, vt causa principalis recipiat Sacramentum. Sic neque confirmatus persistit constanter in Confessione fidei, tanquam instrumentum Dei propriè; sed tanquam causa principalis secunda, ab ipso Deo adiuta. Credit enim & cõfitetur fidem per propriam formam, id est, per habitum fidei, quẽ in intellectu habet.

Nihilominùs tamen characterem etiã Baptismi & Confirmationis, reductiuè in illa specie ponere licet, si dicatur, absolutè quidem & plenè, non quamuis potentiam actiuam & passiuã, sed naturalem, vt *naturalem*, constitui in illa specie. A qua ratione deficiunt istiusmodi characteres ex ea parte, qua non sunt naturales. Hæc igitur sententia D. Thomæ, quæ velut à sufficiente quoq; enumeratione cõfirmari potest, mihi magis, quàm vlla ex cæteris probatur.

PVNCTVM QVARTVM.

In quo sit character tanquam in subiecto.

D. Thom. artic. 4.

RESTAT explicandum vbi sit Character, tanquam in proprio subiecto. Et dixit Durandus in 4. dist. 4. q. 1. quòd in potentia *executiua*, id est, in membris: quoniam datur ad operationes exteriores. Et potest satis intelligi hæc eius opinio, postquã primò censuit, characterem non esse nisi respectum rationis. Etenim hunc respectũ in membris etiã cogitare possumus. Est aũt Assertio erronea contra fidem. Nam in Cap. *Maiores*, & in Cõcilio *Florentino*, & *Tridentino* definitum est, Characterem in *anima imprimi*. Atq; etiam AVGVSTINVS lib. 4. de Baptismo, contra Donatistas, cap. 10. ex orthodoxa Ecclesiæ doctrina statuit, post mortem quoque manere characterem *in anima*.

SECVNDA opinio est Scoti in 4. dist. 6. q. 11. quòd sit in voluntate: Quoniam est, inquit, *dispositio ad gratiam*, quæ & ipsa, vt Scoto placet, est in voluntate. Cæterùm falsum est esse propriè *dispositionem*, sicut ex suprà dictis patet. Quanquam si maximè esset dispositio, in eodemque subiecto, in quo est gratia; non tamen esset in voluntate. Nam neque ibi est propriè gratia; sed in *essentia animæ*, vt probaui tomo 2. disputat. 8. de Gratia, suo loco.

TERTIA opinio est Marsilij in 4. q. 4. art. 2. Is vult Characterem esse in animæ *essentia*: quia sit *signum* gratiæ, quæ item ibi est; Sed falso fundamento nititur. Quia Character propriè & directè non est *gratiæ signum*. Quanquam ne tunc quidem oporteret esse in eodem subiecto. Deinde, quoniam proximè respicit operationem. Ergo necesse est illum propriè esse in aliqua potentia.

QVARTA igitur sententia verior, est D. Thomæ hic art. 4. Halensis 4. p. quæst. 19. membro 3. Caietani in illo art. 4. ad 3. & aliorum Theologorum; esse propriè in *intellectu*. Nam cùm character respiciat operationem, & ideo rectè in aliqua potentia animæ ponatur; oportet illum vel in intellectu, vel in voluntate ponere. Ponendum esse potius in intellectu, ostendit hæc ratio, ex mente D. Thomæ in illo articulo quarto ad 3. & Caietani ibidem: Character rectè in illa potentia ponitur, ad quã propriè pertinent operationes characteris, secũdùm eam rationem, quæ propinquior est rationi formali & propriæ, quã in iisdem operationibus respicit character; quæ scilicet

scilicet consistit in hoc, quòd ordinantur ad supernaturalem effectum, vel *efficiendũ*, vel *recipiendum*, vel *conseruandũ*, vt p. præced. declarauimus. Sed ad intellectũ propriè pertinẽt operationes Characteris secundùm eam rationem, quæ propinquior est rationi illi, quã in eisdem operationibus formaliter respicit character. Ergo character rectè ponitur in potentia intellectus. Maior per se est clara. Nam cùm ratio propria, quã in operationibus eiusmodi formaliter respicit character, quandam generalitatem habeat (siquidem est ordo ad effectum, vt *sit*) atque adeo formaliter non magis ad vnam potẽtiam, quàm ad alteram ipsa ex se pertineat; necesse est characteri subiectum assignare secundùm rationem aliam, materialem illam quidem characteri, sed quæ sit propinquior illi rationi formali, quàm propriè respicit ipse character. Minor autẽ probatur. Quoniam propinquior ratio rationi illi, quam character respicit, est in operationibus characteris *protestatio seu significatio* fidei per externa eiusmodi signa & cęremonias. Hęc, inquã, ratio propinquior est, quàm illa altera, quæ in iisdẽ operationibus consideratur etiam, vt scilicet sunt quidam *cultus* virtutis Religionis. Prius enim naturâ est, quòd per illas operationes fidem significamus & protestamur, quàm quòd illas per virtutem Religionis bene exercemus & referimus ad cultum & gloriam Dei. Quare illa prior ratio protestationis, sicut prius constituit illas operationes in *Esse quodam*: ita etiam propinquius se habet ad rationem propriam, quam in illis respicit character, vt scilicet valeant & ordinentur ad *effectum supernaturalem*. Ordinantur enim ad eiusmodi effectum proximè, non quatenus bene fiunt, aut quatenus rectè secundùm Religionẽ sunt; sed quatenus aliquo modo *simpliciter sunt*: Sunt autem aliquo modo simpliciter, quatenus sunt quædam protestationes seu significationes exteriores fidei. Cũ igitur constet, operationes illas, vt protestationes fidei sunt, ad intellectum propriè pertinere; ibi erit potius reponendus Character.

Quòd si aliquis OBIICIAT, *potentiam* non esse tanquam in subiecto, nisi in essentia: ac proinde characterem, qui *potentia* quædam est, neque in intellectu, neque omnino in aliqua potentia poni debere, sed in animæ essentia: RESPONDENDVM est cum diuo Thoma in illo articulo quarto ad secundum, id verũ quidem esse, quod attinet ad potẽtias *naturales*. Quoniam illæ simul cum subiecto fiunt, & ad operationes quasdam primas & naturales dantur, atque ita immediatè sunt in *essentia*. Potẽtiæ verò *supernaturales*, quæ adduntur extrinsecus à Deo, nihil impedit, quò minus in potentiis naturalibus tãquam in proprio subiecto collocentur. Neque enim id pugnat cum ipsa ratione potentiæ. Nam licet ab altera potentia, tanquam à subiecto pendeat; potest ipsa intelligi esse *quoddam principium operationis simpliciter*, quæ est propria potentiæ descriptio.

QVÆSTIO QVINTA.

De causa Sacramentorum.

D. Thom. 3. parte quæst. 64.

HOC LOCO NOBIS DE CAVSSA TANTVM SACRAMENTOrum efficiente, vel quasi efficiente, disputandum est, sicut etiam de sola hîc disputat D. Thomas. Nam de aliorum generum causis, nihil est, quod vel in superioribus antè dictum non sit, vel oporteat hic dicere. Causa enim finalis, ex effectu, de quo hactenus diximus, patet. Est enim sanctificatio & salus nostra. De causa item formali, tum totali, vt dicitur, quæ est essentia seu definitio, tum partiali, quæ in proposito verbis continetur, q. 1. satis dictum est. Atq; etiam ibi de causa materiali intrinseca, quæ consistit in rebus seu operationibus Sacramentorum, egimus. De altera verò causa materiali, vel quasi materiali extrinseca, quæ subiectum dicitur, nihil amplius hoc loco generatim annotare necesse est, quàm quòd eiusmodi causæ sunt ij homines, qui secundùm Christi institutionem participes esse possunt horum vel illorum Sacramentorum; qui quales esse debeant, infrà in Tractatibus specialibus de vnoquoq; Sacramento declarabimus. Restat igitur dicendum de sola Causa Efficiente, vel quasi efficiente Sacramentorum.

Hæc verò, vt in q. 64. maximè art. 2. D. Thomas notat, bipartita est in proposito: Alia enim est instituens Sacramenta, quæ etiam dicitur à D. Thoma & ab aliis causa Sacramentorum per Autho-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritatem: Alia item est conficiens seu vtens actiuè, & applicans ipsa Sacramenta iam instituta: Quæ causa dici solet Ministerialis, seu per ministerium. Quanquam rectius dicetur communiori vocabulo causa Sacramentorum per exercitium eorum seu praxin; vt ita appareat, Deum quoque esse causam Sacramentorum hoc posteriori modo, qui & ipse omnino etiam agit & operatur in administratione Sacramentali: licet hoc minimè agat ministerialiter. De his igitur Sacramentorum Causis Efficientibus vel quasi efficientibus, nunc dicendum est. PRIMO, *de Instituente.* SECVNDO, *de Exercente seu peragente generatim.* TERTIO, *de peragente Ministeriali.*

PVNCTVM PRIMVM.

De Causa Sacramentorum Instituente, siue per auctoritatem.

D.Thom.art. 2. 3. 4.

QVOD ATTINET AD SACRAMENtorum Causam *Instituentem*, potissimū QVAERI solet, An solus Deus sit institutor Sacramentorum? Ad quam Quæstionem breuiter ita respondeo, Sacramēta dupliciter institui possunt, vt rectè Sotus notauit d.1.q.5.art.2. VNO modo, per authoritatē *propriam* instituentis. ALTERO modo, per *alienam*, seu quod idem est, per commissionem alterius. Per *propriam* authoritatem instituere, est propria potestate & virtute facere, vt Sacramenta sint signa, quæ reuera valeant ad gratiam conciliandam hominibus: Siue quòd per illa, tanquam per veras causas instrumētales detur, vt reuera fit; siue quòd in eorum vsu certò & efficaciter detur. Quod enim attinet ad præsentem Quæstionem, nihil interest, vtro modo dicatur, quemadmodū etiam rectè notauit idem Sotus. Instituere autem Sacramenta per authoritatem *alienam*, seu per *commissionem*, est, eligere, seu destinare, aut constituere hæc vel illa signa, vt per alterius virtutem & authoritatem valeant ad conciliādam hominibus gratiam. Quod quidem dum aliquis ex commissione ita facit; etiā ille alter, cuius authoritate & commissione id fit, censetur instituere, saltem mediatè, per commissarium, vt patet.

Iam PRIMO modo, solus Deus est author Sacramentorum, ita quidem, vt nulla creatura isto modo instituerit, aut potuerit etiam instituere Sacramenta. Hoc probat D.Thomas hîc artic.2. manifesta ratione. Nam Sacramenta illo modo is instituit, à quo tanquam ab authore prouenit virtus, quæ est in Sacramentis ad conciliandam gratiam. Sed hæc virtus à solo Deo est tanquam ab auctore, neque ab vlla alia creatura per propriam authoritatem esse potest. Ergo, &c. Maior patet *primò* ex ratione ipsa institutionis illo modo sumptæ. *Secundò* etiam exemplo, quo vtitur D.Thomas ad eam rem. Nam neque leges per propriam authoritatem instituuntur, nisi ab eo solo, à quo virtutem accipiunt obligandi. Ergo similiter fit in proposito. Atque hinc consequēter intelligitur, Christum, quatenus Deus est, authorem etiam fuisse Sacramentorū isto modo. Neque est aliqua de hoc controuersia.

POSTERIORI autem modo, scilicet per *commissionem*, omnia Sacramenta sunt instituta immediatè à solo Christo, quatenus est *homo*. Vbi sanè nō tantùm volumus, quòd omnia illa, quæ reuera sunt Sacramēta, sint instituta à solo Christo. Id enim sine controuersia concedunt nobis etiam hæretici. Nam cùm Sacramenta reuera sint; illi etiam contendunt, necesse esse, vt sint instituta à solo Christo. Volumus igitur etiam asserere, quòd omnino illa Sacramenta septem, quæ tenet Ecclesia, sint tanquam vera Sacramēta, immediatè à solo Christo instituta. Et quidē quòd à Christo per *commissionem*, atque adeo à Deo etiam sint instituta, probabitur infrà illis argumentis, quibus numerum septenarium Sacramentorum contra hæreticos asseremus. Eum enim numerum probabimus, etiam quoad illam Sacramenti conditionem, quòd scilicet sint diuinitus instituta per Christum.

Quòd autē à *solo* Christo sic instituta sint, asseritur ex Ecclesiastica traditione ab AMBROSIO lib.4.de Sacramētis cap.4. & CYPRIANO in sermone de Baptismo, & in Concilio Tridentino sess.7.can.1. Neq; verò in Scriptura, aut in Ecclesiasticis sanctionibus aliquid legitur, vnde colligi possit, q̄ aliqua Sacramenta nouæ legis, sint ab aliquo alio immediatè instituta ex commissione Christi. Imò verò contrariū colligere licet ex illis locis. Ioā. 1. *Hic est, qui baptizat in Spiritu S.* Et 1.Cor.3. *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis?*

In his sanè locis non tantū significatur, quòd virtute meritorum Christi Sacramenta valeant (quanquā & id ipsum ibi præcipuè asseritur) sed etiam quòd ipse instituerit solus: alij verò tantūmodo sint ministri & dispensatores Sacramētorum, quę Christus instituerit. Quod ex verbis, quæ ibi sequuntur, perspicuè apparet. *Quid enim est*, inquit, *Paulus, & quid Apollo, nisi ministri eius, cui credidistis?* Et sequēti cap.4. *Sic nos*, inq̄t, *existimet homo, vt ministros Dei & dispensatores mysteriorū eius.*

Accedit

Accedit eodem ratio, qua vtitur B.Thomas in artic.2.ad 3. Quia neque ad Apostolos, neque ad vllos alios, præterquam ad solum Christum pertinuit, *fundare* Ecclesiam; sed tantùm à Christo fundatam, regere, & in statu suo tueri, vt ex illa sententia 1.Corinth. 4. iam recitata, satis apparet. At Fides, & Sacramenta, sunt planè fundamenta Ecclesiæ. Ergo ad solum Christum pertinuit, instituere Sacramenta. Ad Ecclesiam autem, sicut neq; fidem ipsam, inquit D.Thomas: ita neq; Sacramenta constituere attinet; sed tantùm declarare & tueri. Maior patet, & Minor declaratur à D.Thoma ex eo, quòd propterea Doctores dicere solent, Ecclesiam ex latere Christi, vnde mystice Sacramenta fluxerunt, fabricatam esse. Atque hinc consequenter intelligi debet, Sacramenta per Christum instituta fuisse prorsus, vt durarent vsque in finem seculi, id est, tamdiu, quamdiu duratura est ipsa Ecclesia cum suis fundamentis. Cùm autem hoc ita sit; non dubitatur tamen, quin *potuerint* per commissionem Sacramenta instituī etiam ab aliis, vt patet ex D.Thoma articulo quarto, & ex communi aliorum sententia. SED non est ita factum, vt probatum est.

Itaq; ex dictis PRIMO sequitur, non amplius defendi posse opiniones quorundam Scholasticorum, qui aliqua Sacramenta censuerunt instituta fuisse immediatè solùm ab Apostolis vel ab Ecclesia: Quamuis neque hi negarunt, quin factum id fuerit ex *commissione* diuina, id est, per diuinam authoritatem mediatè. Ita de *Confirmatione* sensit Halensis 4.p.q.24.memb.1. eam scilicet fuisse primùm institutam in quodam Concilio Meldensi. Atque etiam *Extremam Vnctionem* ab Ecclesia institutam fuisse, scripsit Bonauentura in 4.d.23.art.1.q.2. Et idem dicit de Confirmatione in 4.d.7.art.1. q.1. Sed & Magistri in illa d.23.sententia fuit, Extremam Vnctionem institutam fuisse ab Apostolo Iacobo. Quod idem ante ipsum sensit Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis, parte 15.cap.2.

Hi autem propterea fallebantur; Quia quæ de istiusmodi Sacramentis alicubi scripta extāt, referebant ad eorum primā institutionem: quasi hæc esset ab aliquo Apostolo, vel ab aliqua Ecclesia; cùm tamē ea pertineant ad solam approbationem & doctrinā de huiusmodi Sacramentis, per Christum alioqui institutis. Quo in genere est illud de Extrema Vnctione Iacobi 5. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c.* Illud verò Concilij Meldense in Tomis quidem Conciliorum non reperitur.

Multò autem minus licebit iam defendere, quòd Sacramentum Confessionis sit *tantùm* iure Ecclesiastico constitutum, vt visum fuit Glossæ de *Pœnitentia*, d. 5. in principio. Nam semper fuit apud Doctores certum, quòd Sacramenta non nisi authoritate diuina sint instituta: licet aliqui, vt diximus, existimauerint, quædam esse instituta ab Ecclesia immediatè; sed per *commissionem* Dei tamen.

Quocircà Petrus quidam Oxomensis, Theologiæ Professor in Academia Salmantina, iussus est ante annos circiter centum, authoritate Sixti IV. Pontificis Maximi, in Conuentu quodam Complutensi, retractare suum errorem, quo inter cætera asseruerat, Confessionē esse tantummodo iuris humani. Qua de re pluribus differemus infra, disp.7.

SECVNDO intelligi potest ex dictis, quemadmodum non pugnet secum D.Thomas; licet in art.1. dixerit, institutionem Sacramentorum esse *Dei propriam*; & posteà tamen in artic.3. docuerit, sine distinctione, Christū, vt hominem, instituisse etiam Sacramenta: atque etiam in artic. 4. *potuisse* illum eam instituendi potestatem tribuere suis ministris. Intellexit enim in 3. & 4. artic. institutionis modum per *commissionem*: in primo autem, per *propriam* authoritatem. Quo pacto similiter intelligi debent Scholastici quidam, cùm aiunt, solum Deum posse Sacramenta instituere: Vt Scotus in 4.d.1.q.3.art.2. Durandus d.2.q.1. Gabriel d.1. q.2.artic.3. dub.2. Et hactenus quidem de Sacramentorum Caussa Instituente.

PVNCTVM SECVNDVM.

De Sacramentorum Caussa peragente, seu conficiente generatim.

D.Thom. art.1.

QVOD attinet ad Caussam *peragentem* seu *conficientē* ipsa Sacramenta, principio considerandum est, nos hîc non quærere de Caussa tantùm per quam fiunt ipsa Sacramenta sola, vt sunt quædam operationes seu res externæ; sed de ea, per quam fiunt vnâ cum eorum *effectibus* spiritualibus & internis, à quibus denominantur signa *efficacia*.

Hoc posito, dūplex ab omnib⁹ statuitur caussa efficiens Sacramentum cum illius effectu: Altera principalis, quæ etiam dicitur per authoritatem: Altera instrumentalis, siue per ministerium. Principalis, solus Deus sine controuersia est. Quoniā ipse solus est principalis caussa gratiæ, quæ est Sacramēti effectus, quemadmodum rectè declarat D. Thomas hîc art.1. Et patet Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Neque verò illum modū, quo ipse est principalis gratiæ caussa, potest vlli creaturæ communicare magis, quā suam ipsius essentiam, vt rectè notat D. Thomas art. 4. Quod certè sine controuersia vlla confirmatur ex eo, quòd Deus ipse caussa principalis gratiæ est, per virtutem ita sibi propriam & naturalem, vt etiam à *nullo alio* ipsam acceperit, sicut rectè Sotus in 4.d.1.q.5.art.1.& 3. ad hoc propositum animaduertit. Quod ideo sic dico, quia controuersia fortasis nonnulla esse posset, An

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per potentiam Dei absolutam, aliqua creatura posset esse causa principalis *secũda* gratię per virtutem, quam diuinitus accepisset sufficientem & proportionatam ad producendum eiusmodi effectum.

Sed vt in proposito nostro maneamus, *instrumentalis* præterea causa Sacramentorum, inprimis est Christus, vt homo. Nam vt talis, non modò merendo & satisfaciendo; sed etiam instrumentaliter efficiendo, est causa gratiæ, quæ datur in Sacramento, vt hìc docet D. Thomas art. 3. & nos suprà disp. 1. de Incarnatione satis explicauimus. Quare falsus est Durandus in 4. d. 5. q. 3. & Scotus dist. 2. q. 1. qui non aliter putauerunt, Christum esse causam gratiæ, præterquam merendo.

Deinde etiam causa isto modo per ministerium est is, qui secundùm diuinam institutionẽ, est cuiuscunq; Sacramenti minister. Quod quidem æquè certum est, aduersus nostri temporis hæreticos, atq; illud, quod suprà q. 3. contra eosdem probauimus, ipsa Sacramenta concurrere instrumentaliter ad Gratiam. Nã Scriptura non minus, immò magis clarè eam instrumentalem vim efficiẽdi gratiam tribuit ministris, cùm Sacramenta administrant. Id apparet ex illa Christi sententia Ioan. 20. *Quorũ* REMISERITIS *peccata, remittentur eis, &c.* Vbi clarè significat, ministros etiam esse eos, qui per Sacramenti administrationem verè remittant peccata: atque adeo dent gratiam, per quam fit remissio.

Hinc D. CHRYSOSTOMVS lib. 3. de Sacerdotio, nihil dubitauit scribere, quòd Sacerdotes *nos regenerant, & condonandorum peccatorum potestatem obtinent*. Atque eandem etiam vim habet illa definitio in Concilio Florentino, cùm dicitur, *Sacramentum tribus rebus perfici; materia, forma, & ministro*. Intelligendum enim est, Sacramenta his rebus maximè ea ratione perfici, qua sunt signa *efficacia*, id est, vt habent effectum spiritualem in anima.

Quare meritò deserta est opinio Magistri sententiarũ, qui voluit, ministros nõ remittere peccata, sed ostendere tantùm & declarare esse remissa. Verùm ea de re infrà in materia de Pœnitentia, accuratiùs. Nunc quod asserimus generatim, ministros etiam concurrere instrumentaliter ad Sacramenti gratiam nõ tantùm æquè certum, vt probabimus, sed etiam æquè facilè ad intelligendũ esse dicimus, atq; quòd Sacramenta ipsa instrumentaliter producant gratiã. Idem enim modus instrumentalis concursus vtrobiq; intelligendus est, sicut rectè Caietanus hìc art. 1. & Sotus in 4. d. 1. q. 5. art. 1. notauerunt. Nam vtitur Deus & ministro, & Sacramento simul, tanquam vno totali & completo instrumento, ad eiusmodi principalem effectum, qui est gratia: Sacramento quidẽ, vt re seu operatione per ministrum adhibita: Ministro, tanquam adhibente Sacramentum.

Cùm verò inquit Apostolus 1. Cor. 3. *Neq; qui plantat, neq; qui rigat*, esse aliquid: nõ omnino, sed *principaliter* tantùm, negat, ministros concurrere. Nam quòd concurrant nihilominus instrumẽtaliter, satis idem Apostolus ibi significauit, cùm fatetur tamen eos *plantare & rigare*.

Porrò hoc quod dicimus; generatim intelligendum est de omnibus ministris, qui ex diuina institutione Sacramenta administrant, etiamsi non sint peculiariter ad id consecrati. Quod dico propter Laicos, cùm in casu necessitatis rectè baptizent. Hi enim, vt bene Sotus in 4. dist. 1. q. 5. artic. 1. contra Paludanum, & Capreolum ead. d. q. 1. notauit, similiter concurrunt instrumentaliter ad effectũ Sacramenti: quoniam licet consecrati non sint, tamen verè conficiunt Sacramentum. Quæ est ratio, ob quam intelligimus, Deum & ministro conficiente Sacramentum, & Sacramento simul vti, tanquam quodam instrumento totali, sicut declaratum est.

Excipere autem necessariò hìc oportet ministros illos, qui administrant ac præbent aliis Sacramentum Eucharistiæ. Et ratio perspicua est: Quoniam hi per illud ministerium, non conficiunt tunc Sacramentum; sed *applicant* tantùm illud antè confectum. Causa autem, quæ tantummodo est applicans, non concurrit per se ad effectum. Atq; ex hac ratione intelligitur, nihil quoad hoc interesse, vtrum is, qui Sacramẽtum Eucharistię applicat, sit consecratus minister, vel Laicus, in aliquo casu, quo Sacramentum forte illud exhiberet. Nihil, inquam, interest. Quoniã vterque est tantùm *applicans*.

Neq; verò eadem ratio est in administrãtibus cætera Sacramenta. Quoniam illa applicantur & administrantur operando & efficiendo ipsa, eò quòd consistunt in vsu & operatione. Vnde fit, vt minister illorum semper etiam concurrat instrumentaliter. Eucharistia verò res etiam est quædam ante vsum & operationem: ac proinde illius administratio est tãtùm *applicatio* eiusdem.

Quocirca meritò doctissimis quibusdam Theologis displicuit Soti quædam hac de re distinctio; cùm vbi suprà dicit, concurrere etiam instrumentaliter eum, qui administrat Eucharistiam, si sit minister consecratus; non autem, si sit Laicus. Nihil enim id interest, vt probatũ est. Ac præterea idem patet manifesta ratione. Sacramentum enim Eucharistię etiam tunc haberet suum effectum in suscipiente, cùm minister, siue laicus, siue etiam consecratus, porrigeret illud planè ludicrè & ioculariter, absque vlla intentione conferendi Sacramẽtum, vt valens ad spiritualem effectum. Hoc enim euidens indicium est, nullum ministrum concurrere instrumentaliter ad istius Sacramẽti effectum; sed tantùm per accidens, *applicando* instrumentum.

PVNCTVM

PVNCTVM TERTIVM.
De Caussa Sacramentorum per agente Ministeriali.

D. Thom. art. 3. 5. & seq.

VAEDAM hoc loco sigillatim annotanda sunt de vtraque caussa Sacramentorum ministeriali, scilicet de Christo, quatenus homo, & de aliis ministris. Et quod ad CHRISTVM quidem attinet, intelligendũ est, eum, licet quatenus est homo, caussa sit tantùm Sacramentorum ministerialis seu instrumentalis, esse tamen longè excellentiùs, quàm ministros cæteros. Quod significare solent Doctores, cùm dicunt, illum habuisse in Sacramentis potestatem EXCELLENTIAE, seu ministerij principalis.

Quæ potestas, vt rectè D. Thomas art. 3. declarat, consistit in his quatuor. *Primò*: Quòd merito suo illam gratiam nobis ipse comparãrit, ad quam efficiendam in Sacramẽtis concurrit. *Secundò*: Quòd nobis illa in Sacramento datur *nomine* illius, id est, eius virtute, quatenus tribuit etiam aliis ministris virtutem & efficacitatẽ ministerij, vt est ipse secundùm humanitatem instrumentum Dei *coniunctum*: atque item qua ratione tum demum Sacramẽtum suscipientibus prodest, cùm habent fidem in Christi nomen, vt D. Thomas bene declarat in illo art. ex Apostoli sententia ad Rom. 3. Quanquã in nomine Christi etiam Sacramẽtum & eius effectus datur hoc ipso maximè, quòd ipse nobis meritus est Sacramenti fructum. Quo etiam sensu dictũ est: *Non est aliud nomẽ sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*, Actor. 4. *Tertiò*: Quòd Sacramẽta nobis administrantur ex illius *institutione & mandato*. Ipse enim Legislator est noui Testamẽti, atque adeo institutor Sacramentorum Religionis Christianæ. *Quartò*. Quòd etiam sine Sacramentis potest ille Sacramentorum effectum, nempe gratiam tribuere, vt tribuit Magdalenæ, & Paralytico, &c. Id quod non possunt similiter alij ministri facere.

Propter istiusmodi ergo *excellentiam* potestatis Christi in ministerio Sacramentorum, solet Scriptura eidem præ cæteris, quandam prærogatiuam in hoc genere tribuere: Alios aũt significat esse ipsius in hac re ministros, vt Ioan. 1. *Ipse est, qui baptizat*. Et 1. Cor. 3. *Quid est Apollo, & qd est Paulus, nisi ministri eius, cui credidistis?* Nihilominus quatenus homo, *instrumẽtalis* tantùm caussa est.

QVAERI autẽ hìc solet, An potuerit hæc potestas *excellentiæ* aliis communicari? Et affirmat D. Thomas artic. 4. simpliciter *quoad omnia illa quatuor*. Alij verò Scholastici cum Magistro in 4. d. 5. indistinctè & præcisè dicunt communicari potuisse: Idq; confirmant ex AVGVSTINO, qui Tract. 5. in Ioannẽ idem similiter asserit: quemadmodum etiam & Glossa ordinaria super illud 1. Cor. 1. *Diuisus est Christus?* apertè ait, quòd potuerit illis dare authoritatem Baptismi, quibus dedit ministerium.

Cæterùm neq; Scholastici, neq; Magister, neque Augustinus, aut Glossa, ita, vt D. Thomas, determinant expresè, quòd potuerit illa excellentia aliis communicari quoad omnia illa quatuor. Quare DVBIVM est, An vera sit omnino sententia D. Thomę, qui ita hoc affirmat. Et Alanus quidem in libro de Sacramentis cap. 49. negat, potuisse communicari quoad *meritũ*: Quoniam impossibile sit, aliquam puram creaturam mereri pro aliis gratiam de condigno, quod Christus fecit. Quam ad rem locum etiam opponit ex D. Thoma 1. 2. q. 114. artic. 4. vbi anteà negauerat D. Thomas, posse hominẽ de condigno mereri aliis primam gratiam.

Sed hic author non mihi videtur satis assecutus D. Thomæ mentem, cui repugnare se putat, quod attinet ad communicationẽ illius excellentię Christi, etiam quoad meritũ. Nam vt rectè Sotus in 4. d. 1. q. 5. artic. 4. animaduertit, dupliciter intelligi potest, quòd aliquis alius præter Christum potuerit habere illam excellentiam quoad omnia illa quatuor, atq; adeo quoad meritũ quoq; de condigno. VNO modo, vt potuerit habere illa omnia planè eodẽ modo, & ita perfectè, sicut habet Christus: Ita videlicet, vt sicut Christus ex omni rigore iustitię, aliis gratiã promeruit, posit etiam id facere purus homo. ALTERO modo, vt potuerit quidem eam excellentiam habere quoad omnia illa quatuor aliqua ratione, licet non planè ita perfectè, vt Christus.

PRIORI modo fieri id non potest: neq; ita voluit D. Thomas. Suprà enim disp. 1. de Incarnatione q. 1. p. 4. ex ipsius mente docuimus, impossibile esse, vt persona, quæ non sit infinitæ dignitatis, atq; adeo quæ non sit etiã Deus, posit illo modo, & secundùm illum iustitiæ rigorem, quo Christus, mereri, aut satisfacere pro aliis. Deinde etiam certissimũ est, non posse per fidem *nominis* alicuius creaturæ ita accipi gratiam in Sacramẽtis, sicut accipitur per fidẽ nominis Christi, quod erat ex D. Thomæ sententia *secũdum* ad illam excellentiam potestatis Christi pertinens. Hæc enim fides, est *nominis* Christi, tãquam veri, non solùm hominis, sed etiam Dei: fides autem *nominis* alicuius puræ creatuæ, non potest esse ꝙ ea sit Deus, sed quod alio dignitatis seu sanctitatis genere sit prædita.

Reliquum est igitur, vt D. Thomæ sententia intelligi debeat illo altero POSTERIORI modo: scilicet potuisse illa quatuor, in quibus excellentia potestatis Christi consistit, alicui puræ creaturę communicari aliquo tandem modo, vt scilicet ipsa quoque merita essẽt de *condigno* pro aliis gratiam, non illo summo rigore, quo Christus, sed interueniente aliqua Dei promissione & acceptatione peculiari; vt in disp. 1. loco citato declarauimus, id posse facere puram creaturam per potentiam Dei absolutam.

Ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex quibus apparet, nullum fuisse fundamentum Alani. Nam isto modo potest etiam purus homo mereri de condigno primam gratiam alteri. Deinde quod ex D. Thoma in 1. 2. allegat, intelligitur tantummodo secundùm legem Dei ordinariam: hîc autem loquimur secundùm potentiam Dei absolutam. Circa modũ igitur concursus Christi in administratione Sacramentorum, hæc, quæ ita diximus, tenenda sunt.

Quod verò attinet ad concursum instrumentalem etiam aliorum MINISTRORVM, plures CONDITIONES annotandæ erunt, quæ necessariæ sunt, vt Sacramenta ab illis administrata, sint rata & efficacia. PRIMO itaq; requiritur, vt ministri sint omnino ij, qui diuinitus sint instituti. Id patet: Quoniam aliis non vtetur Deus tanquam suis instrumentis.

Atque ex hac prima conditione patet, falsò sensisse Scotum in 4. d. 6. q. 1. ratum fore Baptismum, quem fortè administraret aliquis dæmon, seruata forma prolationis verborum, atq; etiam adhibita legitima materia. Hoc refellitur ex verissima D. Thomæ doctrina hic art. 7. vbi docet, non Angelos, sed solos homines esse à Deo institutos ministros Sacramentorum.

Quod probatur *primò* ex Apostolo ad Hebr. 5. cùm inquit: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, &c.* Per Pontificem enim ibi generatim intelligit sacrorum administrum, vt apparet ex illius disputatione in eo loco: ac indicat nobis consilium Dei, quòd non nisi ex hominibus assumat eiusmodi ministros. *Deinde* idem confirmatur authoritate D. AVGVSTINI, qui lib. 1. de doctrina Christiana in prologo, magnam hominũ prærogatiuam propter eam rem esse, notat.

Et rectè Caietanus in illo art. 7. Scotum refellit, cùm declarat, prolationem verborũ formæ, qualis à dæmone adhiberi potest, non esse sufficientem: quoniam oportet scilicet eam esse operationem *vitalem*, qualis est prolatio humana: non autem effictus ille sonus dæmonis.

Nihilominus tamen si quis bonus Angelus aliquando Baptismum administraret, ratum esset Sacramentum, vt D. Thomas in eod. art. rectè docet. Quoniam cùm Angeli boni, nihil, nisi ex diuina voluntate, faciant; intelligendum esset, in eo casu Deum velle, vt extraordinariè valeret ille Baptismus, sic administratus. Atq; idem ob eandem rationem iudicium fieri deberet, cùm Anima aliqua beata diuinitus administraret Baptismum: Quanquam secundùm legem ordinariam non potest id anima: quia neq; homo est; neque etiam in statu Ecclesiæ militãtis: quod item requiritur, vt docet ibi D. Thomas.

SECVNDO necesse est sine controuersia, vt minister sit aliquis ALIVS, & non ille idem, qui Sacramentum suscipit. Quod tamen intelligendum est in reliquis Sacramentis, præter Matrimonium, atq; etiam Eucharistiam. Nam Matrimonij Sacramentum ipsi contrahentes propriè faciunt: Et Eucharistiam potest etiam, imò solet Sacerdos administrare sibi ipsi, cùm facit sacrũ. Quod rectè fieri, infrà in Tractatu de Sacrificio Missæ ostendemus contra Sectarios.

TERTIO necessaria prorsus ministro est aliqua interior & peculiaris animi INTENTIO: vt habetur in Concilio Florẽtino, & Tridentino sess. 7. can. 11. Et colligitur ex eo, quod suprà q. 1. p. 2. docuimus, prolationem formæ debere esse omnino actum quendã *humanum*, ex certa deliberatione & intentione. Neque verò de hac Assertione sic posita, controuersia nobis est cum hæreticis; sed de modo & obiecto huius intentionis, vt statim dicemus.

QVARTO igitur necessarium esse dicimus, vt hæc intentio pertineat & referatur aliqua ratione (de qua postea dicam) non modò ad ipsam operationem Sacramentalem externam; sed etiam ad *effectum* seu *finem* illius. Hanc conditionẽ esse prorsus necessariam, rectè inter cæteros animaduertit Sotus in 4. d. 1. q. 5. art. 8. Et probatur *primò*. Nam cùm Ecclesia in Concilio Florentino, & Tridentino definit, Sacramentum tribus rebus distinctis perfici, nempe *materia, forma, & intentione ministri*; procul dubio *intentionem* intelligit, quam aliquando possit contingere deesse ministro, etiam vigilanti & deliberatè adhibenti formam ipsam Sacramenti & materiam: Hæc autem intentio omnino est illa, quæ aliqua ratione etiam referatur ad effectum seu finem Sacramenti. Nam quæ pertinet tantùm ad ipsam operationem externam Sacramẽtalem, non potest seiungi à forma, & materia, cùm hæc à vigili ministro, & non ab inuito adhibentur.

Secundò idem confirmatur ex verbis D. Thomæ, quibus in art. 8. ex orthodoxa doctrina affirmat & docet, intẽtionem ministri requiri. Ita enim dicit: *Oportet, vt minister se subiiciat principali agenti per intentionem, qua intendat id facere, quod facit Christus & Ecclesia.* Constat verò, Christum & Ecclesiam facere ipsum etiam *effectum* Sacramẽti. Itaq; pro indubitato ponit D. Thomas, quod ad *effectum* quoque ferri debeat illa intentio ministri.

VERVM in hac re nobis repugnãt HAERETICI, qui solùm requirunt, vt ad ipsam *operationem Sacramentalem*, à Deo institutam, referatur intentio Ministri; nullo autem modo ad *effectum*, vt maximè videre est apud Kemnitium in examine can. 11. sess. 7. Concilij Tridentini. Probant id PRIMO. Nam qui Sacramentum suscipit; is absque vlla hæsitatione statuere debet, se in Sacramento accipere gratiam. At hoc non potest ita firmiter credere, si opus est, vt intentio ministri referatur etiam ad Sacramenti effectum. Ergo id non est opus. Maiorem confirmant testimoniis malè intellectis, quibus probare solent, fidem, quæ ad iustificationem valeat, esse illam prorsus, qua quis certò statuat, se accipere gratiam. Quem istorũ errorem confutauimus abundè

undè tomo 2. in disput. de Gratia, q. 4. Minor autem patet. Quoniam suscipienti Sacramentum, non potest absque vlla dubitatione constare de eiusmodi intentione ministri, quæ referatur etiã ad Sacramenti effectum.

SECVNDO colligit Kemnitius quosdam Augustini locos. *Primus* est lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 53. vbi variis modis videtur Augustinus id significare. Nam primò dicit, *ad integritatem Sacramenti nihil interesse, si extrà Ecclesiam accipiatur Baptismus à mimo, vel in Ecclesiâ ab aliquo id Sacramentum irridente, & fallaciter agente.* Secundò ibi dicit, vbicunq; & â quocunque detur Baptismus, eum esse verum, si *verbis Euãgelicis consecretur, & absq; simulatione cum aliqua fide accipiatur*: quanquã non prosit quidem suscipienti sine charitate. Deniq; tertiò in eodem loco ait, *precibus postulandam esse reuelationem diuinam, vt per eam sciretur, an valeret Baptismus cum verbis quidem Euangelicis consecratus daretur, Sed tamen totum id ageretur omnino ludicrè & mimicè & ioculariter.* Vnde apparet, Augustinum non certò requisiuisse peculiarem illam intentionem ministri. *Secundus* locus Augustini est Tract. 5. in Ioannem: *Si quis*, inquit ibi, *baptizauit ebriosus, homicida, adulter; si Christi erat Baptismus, Christus baptizauit: non timeo adulterum, neque ebriosum, neque homicidam: quia columbam, id est, Ecclesiam, attendo, per quam mihi dicitur: Hic est, qui baptizat.*

Addunt huc POSTREMO historiam Athanasij, qui puer dum luderet ad littus maris, imitatus Episcopũ, alios pueros baptizauit: Et est ille Baptismꝰ nihilominus existimatus validus. Quæ historia extat apud Nicephorum lib. 3. cap. vlt. & lib. 8. cap. 44. & apud Eusebium lib. 10. cap. 14. & Sozomenum lib. 2. cap. 17. Videtur igitur non esse necessaria peculiaris illa intẽtio in Ministro.

Nihilominus nostra sententia probari potest contra istos manifestis argumentis ex Scriptura sacra ductis. PRIMO sic. Vt minister legitimè Sacramentum administret, necesse est, vt *voluntarie*, atq; adeo actu prorsus *humano* id faciat, quod fit per Sacramentum in Dei nomine; atq; etiam vt ipse adeo humano actu *remittat* peccata. Sed nisi illius intentio & voluntas aliquo modo referatur ad effectum Sacramenti, nõ id voluntariè & humano actu faciet. Ergo, &c. Maior prorsus. Non sunt autem iusti, nisi quatenus id arbitretur Matth. 28. *Baptizantes*, inquit, *eos in nomine Patris, &c.* Vbi de baptizatione procul dubio sermo est secundùm omnem rationem, qua illa fit *in nomine Trinitatis*, atque adeo quatenus interius quoq; anima abluitur. Idem patet ex illo Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Ex quo loco intelligitur manifestè, ipsos etiam ministros, secundùm diuinam institutionem, debere *remittere*; vtique *arbitrio & voluntate humana*. Iam probatur Minor: Quoniam *remissio* peccati, atq; adeo id, quod per Sacramentum in *nomine Dei* fit, est maximè Sacramenti *effectus*. Quare nisi hunc effectum aliquo modo intendant ministri; nõ illud facient *humano actu*, quod secundùm institutionem facere debent. Et hæc fuit Minor.

SECVNDO argumentor etiam sic. Vt Sacramẽtum sit ratum, necesse omnino est, operationem Sacramentalem à Deo institutam, nõ tantùm materialiter, sed prorsus *formaliter*, secundùm illam rationem peculiarem, qua diuinitùs est *instituta*, differtque à simili operatione non Sacramentali, cadere in intentionem ministri. Sed nisi ministri intẽtio aliquo modo feratur ad effectum seu finem Sacramenti, non ita operatio Sacramentalis in illã cadet. Ergo, &c. Maior sine vlla cõtrouersia est ex Scriptura certissima. Nam propterea omnes etiã Sectarij iudicarent, nõ esse ratum Baptismum, si quis tantùm intẽderet alterum lauare, atq; etiã diceret verba formæ illo duntaxat modo, quo potuisset id fieri: quamuis nunquam esset diuinitùs institutum Sacramentum in tali operatione. Minor autem probatur. Quoniã ratio peculiaris, secũdùm quam est hæc operatio instituta, quaq; differt à simili operatione, quę nõ esset Sacramentalis, in hoc planè cõsistit, quòd ex *institutione diuina* ordinatur, & valet ad significandum & efficiendum *spiritualem* in anima effectum: Hic autem ordo & respectus Sacramentalis operationis ad talem effectum, non potest cadere in intentionem ministri, quin aliquo etiam modo, in eam cadat ille idem effectus.

Accedit huc TERTIO, quòd AVGVSTINVS in aliquibus locis ex illis citatis ab Aduersariis, potiùs est pro nobis. Nam cùm lib. 7. cõtra Donat. cap. 53. dicit, eos habere Baptismũ, qui absq; sua simulatione illum, *& cum aliqua fide, verbis Euangelicis consecratum* accipiunt: satis certè indicat, requiri aliquam aliam intentionem, præter eam, quæ pertineat tãtùm ad ipsum *actum*. Nam intentionem pertinentem ad *actum*, illis verbis Augustinus complectitur, quibus dicit, Baptismum debere esse *verbis Euangelicis consecratũ*. Intelligit enim vtiq; *consecratum sic* voluntariè, non autẽ ab inuito aut dormiente, qui sine vlla controuersia, nullum Sacramentum cõfert, etiamsi abluat, & verba dicat, &c. Cùm igitur præter eiusmodi consecrationem, Augustinus *aliquam etiam fidem* requirit; peculiarem aliã, vt diximus, intentionem intelligit. Obseruandum enim diligenter id est, quod rectè quoque notauit Cardinalis Alanus lib. de Sacramentis, cap. 53. Verbum *Fides*, in hac materia, sępenumerò & ab Augustino, & ab aliis Patribus vsurpari etiam pro intentione necessaria. Id patet ex citato iam Augustini loco, atq; etiam ex alio loco D. CYPRIANI in sermone de Cœna Domini, cùm inquit: *Ex quo Christus dixit: Hæc est caro mea: & hic meus est sanguis, quotiescunq; his verbis, & hac fide* (id est, intentione) *idem fit; Sacramentum & holocaustũ est.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deinde *reuelationem peculiarem* in casu, quo Sacramentum ioculariter esset administratũ, ideo certè requirendam putauit Augustinus: quoniã sensit, secundùm legem ordinariam non satis esse ad veritatem Sacramẽti, vt consecretur verbis Euangelicis, nisi adsit præterea illa peculiaris intentio, quæ non tantùm *voluntaria consecratione* seu administratione Sacramenti contineatur; sed referatur etiam seriò ad finẽ Sacramenti & effectum: alioqui sine reuelatione definiuisset illico ex lege ordinaria Augustinus, Baptismum illum validum esse, si verum est, quod Aduersarij contendunt, ex sententia D. Augustini sufficere secundùm diuinam & ordinariam institutionem, vt Sacramentalis ipsa operatio sit volũtaria quouis fine & modo.

Ad PRIMVM igitur argumentum istorum respondemus, Maiorem illam esse prorsus falsam. Id patet primò illis argumentis, quæ tomo 2. disput. 8. de Gratia, q. 4. contra illam istorũ vanam præsumptionẽ fecimus. Secundò probatur nũc manifestè alio argumento, quod valet etiam *ad hominem*. Nam si illa Maior vera esset; similiter ex illa probare isti possent in hac materia duo, quæ sunt etiam secundùm illorum sentẽtiam & confessionem absurdissima. *Vnum* est, non esse ad vllius Sacramenti veritatem opus, vt minister illud conficiens, sit legitimè ad id vocatus & ordinatus; qualiscunq; demùm debeat hæc esse vocatio & ordinatio: Nihil enim ea controuersia ad propositum nostrum nunc interest. Id autem patet. Quoniam fæpenumerò nescit certò is, qui Sacramentũ suscipit (v. g. Eucharistiæ, vt de Sacramento loquamur, quod isti etiã admittunt) an minister, qui illud confecit, fuerit legitimè ad id vocatus & ordinatus: Sed illud tantùm scitur morali quadam existimatione.

Alterum absurdum est, opus non esse, vt operatio Sacramentalis cadat in voluntatem ministri, secundùm illam peculiarem rationem, qua est *diuinitus instituta*; nempe vt refertur ad spirituale aliquid, & internum, quod fit in anima. Etenim secundùm hanc rationem, nemo potest certò scire, an minister operationem Sacramentalem velit, cùm sit prorsus illa ratio occulta & inuisibilis.

Dicimus igitur, suscipientem Sacramentum, vt effectũ quidem Sacramenti consequatur, satis esse, firma fide credere, illum iis omnibus & singulis contingere, qui rectè & legitimè Sacramentum suscipiũt. Vt autem ex ea re capiat etiã pro se consolationẽ necessariam; sufficere (quẽadmodum & in aliis negociis) certitudinẽ quãdam moralem, qua existimet, se vnũ esse ex his, quibus rectè sit administratum Sacramentum.

Ad eam verò certitudinem, duæ res valent, atque etiam sufficiunt. *Prima* est, quòd probabiliter arbitrantur Theologi, Deum in infantibus supplere defectum ministri, quando hic maliciosè subtrahit intentionẽ: & in adultis eundem defectum ministri suppleri per deuotionem & fidem ipsius suscipientis; Deo etiam peculiariter ad id cooperante, si quid fortè in deuotione desit. Quam opinionem D. Thomas art. 8. ad 2. commemorat ad hoc propositum. Quanquam illud de infantibus, non secundùm legem ordinariam, sed secundũ priuilegium quoddam accipi debet, vt rectè notauit Sotus d. 1. q. 5. art. 8.

Altera res, quæ certitudinem illam moralem parit, est illa significatio exterior ministri; cùm videlicet formã & materiam adhibet à Deo institutam; neq; aliquo alio exteriori signo declarat, se non adhibere intentionem. Hoc enim ipso per verba formæ declarat, se id intendere, qd intendit Ecclesia in eiusmodi rebus, vt rectè diuus Thomas in illo art. 8. ad 2. docuit.

Quo loco diligenter animaduertendum est, B. Thomam non sensisse, quòd apparentia illa & significatio exterior ministri, etiam sine interna intentione, valeat *ad veritatẽ* Sacramenti, vt perperam intellexit Adrianus in materia de Baptismo, q. vnica, art. 3. quæstiuncula 4. Sed ad *certitudinem* moralem de gratia suscepta per Sacramẽtum, valere voluit tantùm D. Thomas illam externam significationem ministri: vt rectè notarunt Caietanus in illo artic. 8. & Sotus dist. 1. q. 5. artic. 8. Ac patet sanè, si diligenter argumentum D. Thomæ cum solutione conferatur.

Quod quia nõ videtur fecisse Alanus in libro de Sacramentis cap. 55. immeritò dixit, verba diui Thomæ in illa Solutione, esse *plena suspicionis*, quòd scilicet voluisse videatur illud, quod Adrianus ei tribuit. Quanquam rectè quoq; idem Alanus agnoscit, id alioqui esse alienũ à sententia D. Thomæ: quippe cùm in art. 8. expresè affirmet, requiri ad veritatem Sacramenti, vt minister intendat (vtiq; intentione mentis interna, & re vera) id facere, quod facit Christus & Ecclesia. Quanquam non defuerunt aliquando, qui illud opinarentur, nempe externam significationem intentionis, absq; intentione sufficere: vt videre est apud Paludanum in 4. d. 6. q. 2. artic. 3. Sed opinio illa est iã planè falsa, & erronea.

Ad SECVNDVM argumentum ex authoritate D. Augustini ductũ, respondere inprimis possumus, locum illum priorem, scilicet ex lib. 7. de Baptismo contra Donatist. cap. 53. non videri fatis firmum, vt ex authoritate Augustini aliquid in hanc vel in illam partem probetur in proposito. Ratio est. Quoniam sub finem capitis ipse fatetur, se illa ibi sine assertione sua, dubitando tantùm disputasse. Imò etiam apertè significat, non satis se tunc diligenter de ea re cogitasse & scripsisse. Deinde si maximè illius authoritate in eo loco vtendum iam sit; paulò antè declarauimus, quemadmodum secundum, & tertium dictum illius ibi, potius suffragetur nobis.

Quod autem ad primũ dictum attinet, FALSARIE KEMNITIVS pro Verbo, *Interfit*, quo vtitur ibi Augustinus, posuit, *Interest*. AVGVSTINVS enim ibi tantùm quærẽdo dicit, an illa circumstantia irrisionis, &c. nihil ad integritatem illius Sacramenti *interfit*. Kemnitius aũt per crimen falsi dicit. Augustinum dixisse, nihil *interest*.

Sed & malitiosè ibi etiam inter recitandum verba Augustini, pulcherrimas quasdam sententias præterit, quibus euidenter declarat Augustinus, rectissimè eos facere, qui in huiusmodi quæstionibus de Sacramentis, vtuntur authoritate & consensu vniuersalis Ecclesiæ. Vt quod ibi ait: *Nobis non est tutũ, in ea quæstione progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cepta, nullo plenario Concilio terminata est.* Et subiungit: *Id autẽ sit cura securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi, vniuersalis Ecclesia consensione roboratum est.* Hæc Kemnitius, licet breuissimè ab Augustino dicta, malitiosè, vt dicebam, in recitatione intermisit: Quoniam hoc istis vehementer dolet, eodem modo nos contrà ipsos authoritatem vniuersalis Ecclesiæ in huiusmodi quæstionibus solere vrgere, quo Augustinus planè faciebat.

Ad locum *Secundum* Augustini respondeo, eiusmodi sententiis tantùm docere illum, quòd nulla vitia ministri obstent, quò minus Sacramentum sit validum; modò tamen minister adhibeat necessariam *intentionem*: quam quidem adulter etiam & homicida, & ebriosus, adhibere potest. Non enim de ebrio, sed de *ebrioso* illic Augustinus loquitur, qui nõ semper est ebrius, suique impos. Quòd si hæretici de ebrio, etiã dum rationis vsu careret, hunc Augustini locum intelligere velint; similiter ex isto Augustini loco probare possunt, ne intentionem quidem, quæ ad *solam operationem Sacramentalem* referatur, necessariam esse. Nam neque hanc is potest habere deliberatam & liberam, qui in ebrietate caret rationis vsu: quemadmodum neq; dormiens, à quo propterea ipsi etiam hæretici sine controuersia concedunt, Sacramentũ validè ministrari nõ posse. Quamuis in somniis aliquando vnum aut alterum verbum proferret, & lauaret, &c.

Ad VLTIMVM de facto Athanasij, responderi communiter & bene solet, illum habuisse sufficientem intẽtionem, hoc ipso, quòd voluit *imitari* in ea re Episcopum, idem faciendo, quod ille erat solitus facere. Et hactenus de QVARTA conditione in Ministro requisita, vt validè Sacramentum administret.

QVINTO requiritur, vt intentio hæc, quæ & ad operationem, & ad effectum Sacramenti referri debet, alterutro modo habeatur, quorum quilibet sufficit; scilicet vel *expresè & actu*; vel *implicitè & virtualiter*. Habet autem minister *expressam & actualem* intentionem, quãdo distinctè cogitat & vult id facere, quod facit Christus & Ecclesia. Quæ intentio actualis & expressa multum latè patet, vt contingit vel magis, vel minus distinctè illud cogitare & velle. Nã fit variis modis, de quibus etiam suprà q. 1. p. 2. obiter dicebamus, cùm explicaremus, quemadmodũ actus ministri deberet esse *humanus*, & ex certa intentione. Itaq; siue Minister cogitet tãtùm de Christo, siue tantùm de Ecclesia, siue tantùm de ipso effectu Sacramenti secũdùm se, siue de eo, quod alij ministri facere solent, siue de omnibus istis, aut de aliquibus simul; eodem intentio recidit, vt scilicet velit in administratione facere illud, quod facit Christus & Ecclesia.

Intentio autem *implicita & virtualis* est, quãdo explicita & actualis intentio, ipsam administrationem Sacramenti, aliquando in ministro antecessit, & dum administrat, ita rem ille gerit, vt censeatur ex vi præcedentis intẽtionis illud ministerium facere: quia scilicet simpliciter, vt aliãs, operationem illam externam liberè exercet, neq; reuocauit præcedentem intentionem exercẽdi eiusmodi ministerium ex institituto Christi & Ecclesiæ; tunc dicimus ex communi sentẽtia Doctorum, adesse in ministerio *virtualem intentionem*, quę sufficiat. Vt si quis initiatus Sacerdos v. g. voluit aliquãdo in sacris id facere, quod facit Christus & Ecclesia; licet postea, cùm sacrũ facit, huius intentionis non recordetur; si tamẽ illam intentionem non reuocauit, & similiter secundùm quãdam consuetudinem ita sacrum facit, atq; aliquando fecit, cùm illam intentionem actu habuit; virtualiter censetur habere intentionem, quæ sufficit, vt rectè Sotus declarauit in 4. d. 1. q. 5. art. 8.

Atq; istiusmodi virtualis intentio est illa, quã D. Thomas hîc art. 8. ad 3. vocat *habitualem*: licet latiùs aliquantò sumpto vocabulo, vt rectè Caietanus illic, & Alanus in libro de Sacramentis, cap. 53. & Sotus vbi suprà notarũt. Propriè enim *habitualis* intentio non sufficit: Quoniam talis etiam est in dormiente. Et ratio est. Quoniam ad *virtualem*, præter facultatem qualemcunque habitualem habendi intentionem, requiritur etiã exercitium liberum operationis externæ, vt scilicet deliberatè exerceatur à ministro, similiter, atq; exerceri solet, cùm adest intentio actualis, vt antèà declaraui. Huiusmodi ergo virtualem D. Thomas habitualem nominauit improprié, secundùm vsum fortasse loquendi sui temporis, vt Caietanus notat: Et hãc docet sufficere: quoniam illa altera actualis non semper est in potestate hominis.

Qua ex doctrina apparet, quemadmodũ intelligi debeat Can. 11. sess. 7. Concilij Tridentini, vbi hoc modo Patres definierũt: *Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conferũt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Considerandum enim est, etiam illam intentionem *virtualem adesse suo modo*, dum Sacramẽtum administratur, nempe *virtualiter*, tametsi non actu. Item hîc obseruandum est, quando intentio faciẽdi, quod facit Ecclesia, requiritur; sermonẽ esse de Ecclesia Christi *vera & legitima*. Neq; oportet cogitare in specie de Ecclesia Romana

Universidad de Deusto
Biblioteca

mana, quæ ſola eſt vera Eccleſia; ſed ſatis eſt illo modo *in genere*; vt omnes hîc Doctores neceſſariò notant, propter Sacramenta, quæ adminiſtrantur ab hæreticis validè, ſi ſeruent formam & materiam, vt poſt dicemus.

SEXTO neceſſe eſt, vt ſi Sacramẽtum poteſtatem aliquam peculiarem certamq; vocationẽ, ſeu ordinationem in miniſtro requirit; hac miniſter ne careat. Requiritur autem eiuſmodi poteſtas & ordinatio in Sacramẽtis omnibus, præterquam in *Baptiſmo*, qui in caſu *neceſſitatis* rectè etiã adminiſtratur à Laico; & extrà talem caſum etiam, licet non rectè, tamen validè. Itẽ excepto Sacramento Matrimonij, vbi propter Sacramẽti naturam, quæ in quodam *contractu* conſiſtit, miniſtri ſunt ipſi contrahentes. Et quanquam in Concilio Tridentino ad Matrimonij ſubſtãtiam requiratur præſentia Parochi; non tamen requiritur propriè, vt ſit ipſe Sacramenti miniſter; ſed vt adſit, &c. Qua de re infrà diſſeremus in Diſp. de Matrimonio.

Præter hæc duo Sacramenta ad aliorũ adminiſtrationem requiri certam poteſtatem, patet authoritate Scripturæ, & exemplo, & vſu perpetuo Eccleſiæ. Nam *primò* Paulus ad Hebr. 5. vniuersè de miniſtris loquens, inquit: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur à Deo, &c.* Qua ex re declarat, neq; ipſum Chriſtum ſeipſum glorificauiſſe. *Secundò* id apparet ex eo quod non niſi cum quadam auctoritate & poteſtate miniſtri Euãgelici ſunt conſtituti ab Apoſtolis vel eorum diſcipulis, vt patet ad Tit. 1. 1. Tim. 5. 2. Tim. 1. Act. 14. &c. Qui fuit deinde perpetuus etiã vſus Eccleſiæ. *Tertiò* id exigit neceſſariò in Eccleſia ratio ordinis & differentia membrorum, quibus illa conſtat. Rom. 12. & 1. Cor. 12. Non enim omnes Paſtores eſſe debent & Doctores; ſed *quidam*, vt declarat Apoſtolus ad Epheſ. 4.

Neq; verò conditionem hanc legitimæ vocationis generatim ſic poſitã, negant hæretici: Sed de modo tantùm nobiſcũ contendunt. Sentiũt enim, authoritatem miniſterij eſſe à Chriſto tributam ex æquo toti communitati fideliũ. Atq; inde colligunt *primò*, omnes & ſingulos fideles habere miniſterij poteſtatẽ, licet non vſum, niſi ad id peculiariter deputentur. *Secundò*, vt quis eiuſmodi poteſtate legitimè fungatur, nõ opus ei eſſe vocatione & ordinatione tali, qualis eſt in vſu Eccleſiæ Catholicæ; ſed ſatis eſſe nominationem & electionem, quæ fiat ad hoc, per ipſam fidelium communitatẽ: Vel certè per deputatos ab ipſa communitate, vt miniſtros eligant & nominent.

Eccleſia verò Catholica contrà ſentit, authoritatem illam miniſterij tributam eſſe, non ex æquo toti communitati; ſed Prælatis, qui tenent in Eccleſia vicem Chriſti; id eſt, Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus; ac proinde non à communitate; ſed ab his nominari & conſecrari more ſolito debere legitimos miniſtros. Quod cùm aliàs etiam, in materia ſcilicet de Ordine, & de Clauibus, probari ſoleat; hîc tantùm à nobis confirmabitur vno teſtimonio Scripturæ, & altero etiam Lutheri, quando plus ſapuit.

Et Scripturę quidem teſtimonium luculentũ extat ad Epheſ. 4. vbi Apoſtolus affirmat, poſuiſſe Deum in Eccleſia, non vtiq; omnes, ſed *quoſdã Paſtores & Doctores, &c.* Quamobrem horum ſine dubio, & nõ totius communitatis officium erit, vt ipſi deinceps, tãquam miniſtri Chriſti ſucceſſores, ſibi miniſtros conſtituãt: iuxta illud etiam Ioan. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: nimirum cum poteſtate alios etiam mittendi & conſtituendi miniſtros, ſicut ego miſi, ſiue mitto. Qua ratione videmus miniſtros Euãgelicos peculiariter in Scriptura dici, *Miniſtros ipſius Chriſti*; non autem propriè ipſius communitatis, vt patet 1. Cor. 3. & 4.

Hãc doctrinam etiam teſtimonio ſuo confirmauit in caput ſuum & ſuorũ aliquãdo (vt dixi) Lutherus. Nam in Commentariis ſuper Epiſtolam ad Galatas, explicans illud: *Paulus Apoſtolus, non ab homine, neq; per hominem, &c.* ita inquit: *Omnia eò tendunt, vt videas, quãta cura & diligentia Deus conſtituit ac muniuit Eccleſiam, vt nemo in ea docere præſumat, niſi vel ab eo, vel à miſsis ab illo miſſus ſit.*

Rectè igitur Patres in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 10. damnauerunt eundem Lutherum, quòd in libro poſtea de Captiuitate Babylonica dixerit, omnes Chriſtianos ex æquo habere miniſterij poteſtatem, neq; ad illius functionẽ aliquid requiri, præterquàm electionẽ & nominationem. Quam ſententiam etiam defendunt pertinaciter hæretici reliqui Sectarij, vt videre eſt maximè apud Kemnitium in examine illius can. 10. Quãquam ſi maximè ſola electio ſeu nominatio per ipſam communitatẽ Eccleſiæ ſufficeret; ne ita quidem iſti obtinerẽt legitimã functionem miniſterij: quoniam prorſus extra veræ & legitimæ Eccleſiæ communitatem ſunt, vt tomo 3. diſp. 1. de Fide, euidentiſsimè probatũ eſt.

Corollariè ſequitur, neceſſe eſſe ad adminiſtrandum efficaciter Sacramentũ Confeſsionis, vt miniſter nõ ſit vel notorius *percuſſor Clerici*, vel aliqua Cenſura ſeu ſententia Eccleſiaſtica *nominatim & expreſsè* notatus ſeu denunciatus. In his enim Caſibus vitari debet, & iuriſdictione carere (excepto tamen caſu extremæ neceſsitatis in articulo mortis, vt doctiſsimi ſentiunt) vt patet ex Iure nouo Concilij Conſtãtienſis, quod habetur in Extrauagante *Ad euitãda*. De qua re videri poteſt Nauarrus in Manuali cap. 27. n. 35. & ſeq.

Hæ omnes Cõditiones ſi in miniſtro ſubſint, efficax erit, quantũ in ipſo quidem eſt, illius miniſterium: Neq; vlla alia conditio miniſtri obſtabit; neque requiretur ad id ex parte miniſtri. Quod vt magis confirmetur, demonſtrãdum id eſt in duabus conditionibus, de quibus aliquãdo controuerſia fuit, an ad efficaciam miniſterij requirerentur. Hæ ſunt *Fides*, & *Probitas*.

Et de

Et de FIDE quidem olim fuit Quæſtio excitata à quodam Aphricæ Epiſcopo, Agrippino nomine, qui primus ſenſit, Sacramenta ab hæreticis adminiſtrata, quoniam fide illi recta carerent, eſſe prorſus nulla, vt videre eſt apud D. AVGVSTINVM lib. 2. de Baptiſmo cõtra Donatiſtas, cap. 7. Idem pòſt cenſuit D. Cyprianus, & defenderunt pertinaciter Donatiſtæ, contra quos D. Auguſtinus ſcripſit plurimos libros.

PROBITATEM autẽ eatenus in miniſtro neceſſariã eſſe putârũt iidẽ Donatiſtæ, vt exiſtimauerint nõ eſſe efficax miniſterium, niſi miniſter exterius ſaltem probus videretur. Itaq; negauerunt, Sacramenta miniſtrari validè à manifeſtis peccatoribꝰ. Pauperes verò de Lugduno, & Huſſitæ & VViclephiſtæ, vt apud VValdenſem tomo 2. de Sacramentis cap. 2. & ſeq. videre eſt, vlterius etiam exiſtimârunt, non poſſe adminiſtrari ab improbis, etiam occultis. Immò VViclephus eò vſque proceſsit, vt negaret, adminiſtrari illa validè ab iis, qui eſſent reprobi.

CONTRA hos oẽs Eccleſia Catholica ſine cõtrouerſia docet ac ſentit, neq; fidẽ, neq; probitatẽ, aut verã, aut apparentem, neq; etiã prædeſtinationẽ in miniſtro requiri; ac proinde neq; infidelitatẽ, neq; improbitatẽ occultã, aut manifeſtã, & multo minus reprobationem obſtare, quò minus efficaciter quis poſsit fungi miniſterio, ſi neceſſariã alioqui intentionem habeat, & legitimã quoq; materiam, ac formã adhibeat. Id defenditur ab AVGVSTINO multis in libris, præſertim contra Donatiſtas, & peculiariter etiã in Epiſt. 23. ad Bonifaciũ, & ab INNOCENTIO I. epiſt. 22. D. GREGORIO lib. 9. Epiſtolarũ, Epiſt. 61. Item probatur à Nicolao Papa, in reſpõſis ad conſulta Bulgarorũ, cap. 15. & 16. Et habetur idẽ in Decret. de Conſecr. d. 4. per multa Cap. quæ maiori ex parte ſumpta ſunt ex Auguſtino; atque adeo quidẽ certò id ibi ſtatuitur, vt etiã Baptiſmꝰ collatus à *Iudæo* probetur in Can. *A quodã Iudæo*. Immò etiã collatus à *Pagano*, vt patet ibidẽ Can. *Romanus*. Deniq; eandẽ ſententiã tuentur & explicant Scholaſtici cum Magiſtro in 4. d. 5. Quibus adde etiam Concilium Arelatenſe I. cap. 8. & Arelatenſe II. cap. 17.

Argumenta porrò, quibus vel D. Auguſtinus, vel alij Doctores ad hanc rẽ vtuntur, omnia ferè ad hanc probationis formã, qua vtitur D. Thomas art. 5. & 9. vbi doctrinam iſtam aſſerit, reuocãtur. Si quæ conditio eſt miniſtro accidentalis, quatenus in adminiſtratione Sacramentorũ inſtrumentũ Dei eſt; ea non eſt neceſſaria, vt id miniſterium ſit efficax. Sed talis conditio eſt fides, probitas, &c. Ergo ea non eſt neceſſaria.

Maior patet. Quoniam miniſter in ea re efficaciter agit, non niſi vt eſt Dei inſtrumẽtum. Ita fit, vt illa ſolùm conditio ſit illi ad eam rem neceſſaria, per quam propriè & per ſe, ſecundùm diuinam inſtitutionem, eſt Dei inſtrumentum.

Minor multis argumentis probari poteſt. Ac primùm quidẽ D. Thomas vbi ſuprà, & alij, videntur illã ex ipſa communi ratione inſtrumẽti confirmare velle: Quia ſcilicet inſtrumentũ non agit per virtutẽ propriã. Ergo neq; miniſter per fidẽ & probitatẽ, quæ eſt virtus eius propria. Sed hæc probatio mihi non ſatis firma videtur. Verũ enim eſt, quòd inſtrumentũ non agat per virtutẽ propriam, quę quidẽ ſit *ſufficiens* ad principalẽ effectũ: agit tamen omnino per virtutẽ ſeu formã aliquã *propriam*, quæ vtcũq; diſponat & prærequiratur ad principalem effectũ. In propoſito verò Quæſtio eſt, An non etiam fides & probitas miniſtri ſit ſecũdùm diuinã inſtitutionem talis virtus inſtrumenti propria, per quã ſcilicet illud diſpoſitiuè operetur. Neq; ex illa communi ratione inſtrumẽti ſatis probatur, fidem & probitatẽ non eſſe in miniſtro virtutẽ talem, quæ ſcilicet tanquã præuia & diſponẽs ad effectũ requiratur: Alioqui pari modo probaretur, ne intentionem quidẽ legitimã in miniſtro requiri: neq; etiã acumen v. g. in ſecuri. Quoniam & intentio aliquid *propriũ* miniſtri eſt, & quaſi virtus quædã illius; ſicut etiã acumen *propria* quædã forma eſt ſecuris, quæ tamen nihilominus in eiuſmodi inſtrumento per ſe requiritur.

Non igitur ex communi ratione inſtrumẽti, ſed ex propria & ſpeciali, qua miniſter inſtrumẽtum eſt, probari primò illa Minor debet, ex mẽte etiã D. AVGVSTINI Tract. 5. in Ioannem. Probatur aũt ita ex eo. Quoniam miniſter hoc ipſo inſtrumentũ Dei eſt, quo ex intentione certa faciendi, qꝰ facit Eccleſia, conficit humano quodam & deliberato actu Sacramentũ, quod per ſe & ex inſtitutione Chriſti valet, & operatur in ſuſcipiente. Iuxta illud: *Hic eſt, qui baptizat.* Et item: *Quid eſt Apollo, & quid eſt Paulus, niſi miniſtri eius, cui credidiſtis?* Iſto autem modo & hac intentione, ſine fide etiam & probitate vllà poteſt propriè & per ſe miniſter Sacramentum conficere.

Et quidẽ quod ad *probitatẽ* attinet, ſatis patet, ab ea intentionẽ eiuſmodi non pendere. Quod autẽ neq; pendeat etiam à *fide*, facilè oſtendi poteſt ex doctrina D. Thomæ in art. 9. ad 1. Nam vel errat miniſter circa fidei alium articulum, differentẽ à ratione Sacramenti, quod adminiſtrat: Et tunc nihil impedit, quò minus in adminiſtratione tamẽ Sacramenti id velit facere, quod facit Eccleſia: vel certè errat etiam circa ipſum Sacramentum, quod adminiſtrat: quia ſcilicet putat, illud nullum effectũ ſpiritualem habere, aut etiam non eſſe Sacramẽtum: Et ne tum quidem neceſſe eſt, illum carere neceſſaria intentione. Nam poteſt nihilominus generatim velle & intendere id facere, quod vult in ea re, atq; intendit vera Chriſti Eccleſia.

Neq; verò iſtam generalem intentionẽ, quæ, vt ſuprà diximus, ſufficit, eneruaret particularis alia intentio, qua idem miniſter ſecundùm propriam cogitationẽ ſuam & errorem vellet fortaſſe Sacramentum illud, tanquam rem futilem

Universidad de Deusto
Biblioteca

adminiſtrare, quæ ad nullum valeat ſpiritualem effectū. Nam in eo caſu, quo nihilominus conformare ſe *generatim* vult intentioni veræ Eccleſiæ; illa alia particularis intentio non eſt niſi *conditionalis*; id eſt, ſi ita eſt, quòd Eccleſia vera non intendit Sacramentum eiuſmodi adminiſtrare ad ſpiritualem aliquem effectum, vt talis miniſter ex errore putat: itaq; cùm eiuſmodi conditio non ſubſiſtat; fit, vt particularis illa intentio miniſtri talis hæretici, non ſit vllius vigoris: atq; adeo minimè eneruat generalem alteram intētionem, quæ ſufficit, quamque ponimus ipſum habere.

Confirmatur autē hæc prima probatio. Nam fides, & probitas miniſtro confert quidē, vt miniſterium *bene* fiat; ſed nō abſolutè, vt *fiat*: Siquidem poteſt ſine his confici, vt declarauimus, Sacramentū Chriſti, quod per ſe ipſum valet. Atq; hoc eſt, quod AVGVSTINVS voluit in illo Tract. 5. ſuper Ioannem, inquiens: *Frater, quid tibi facit malus miniſter, vbi bonus eſt Dominus?* Item ibidē: *Quos baptizauit Iudas, Chriſtus baptizauit: Si quos ergo baptizauit ebrioſus, homicida, adulter, ſi Chriſti erat Baptiſmus, Chriſtus baptizauit.* Deniq; huc etiā pertinet, quod lib. 6. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 25. & lib. 4. cap. 24. & aliàs paſſim, idē Auguſtinus vrget, Sacramentum ipſum *per ſe* valere, quatenus *eſt Chriſti*, non vt eſt ab hoc vel ab illo miniſtro. Quibus teſtimoniis probabamus etiam ſuprà q. 3. p. 1. efficaciam Sacramentorum *ex opere operato*.

Præterea ad probationem illius Minoris faciunt alia quædam, quæ paſſim in hac re vrget diuus Auguſtinus, vt etiam rectè Alanus notauit in libro de Sacramentis, cap. 56. Secundò enim vrget Eccleſiæ vſum & traditionem de non rebaptizandis iis, qui ab hæreticis quidem, ſed ſecundùm legitimam formam eſſent baptizati, vt patet libro 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 7. vbi ait, *hanc conſuetudinem à tota Eccleſia ſeruatam, & ex Apoſtolica traditione venientem credimus per Agrippinum primùm corrumpi cœpiſſe.*

Tertiò vrget in multis locis Concilium quoddam plenarium & Catholicum, quod lib. 2. contra Donatiſtas, cap. 9. ſignificat poſt obitum Cypriani, *paulò antè quàm ipſe natus eſſet*, celebratum eſſe, cui cenſet (eod. lib. cap. 3. & 4.) omnia Concilia Prouincialia priora, cedere debere: quoniā ei reuelauerit Deus hanc veritatē, de Sacramento non reiterando, etiamſi datum fuerit ab hæreticis: & videtur omnino, licet non explicet, intelligere Concilium magnum Nicęnum, in quo inter cætera de hoc actum ſit. Quod etiam licet colligere ex eius Canonibus 8. & 19. ſicut communiter referuntur, vel 18. & 19. vt ex Arabico reddidit & probauit eruditè Franciſcus Turrianus. Nam in altero Canone ſtatutum eſt, vt qui ab hæreſi Pauliniſtarum redirent ad Eccleſiam Catholicam, rebaptizarentur: in altero verò, vbi modus præſcribitur eos recipiendi, qui ab hæreſi Nouatianorum redirent, minimè id requiritur.

Cuius rationem Innocentius I. in Epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ, declarat fuiſſe: quoniam *Pauliniſtæ* non baptizabant legitimè, cùm prætermitterent in forma perſonam *Spiritus ſancti*, quem Deum eſſe negabant: Nouatiani verò legitimam formam Baptiſmi adhibebant, atq; ita minimè debuerunt ex ſententia Concilij repaptizari. Apparet igitur, in illo Concilio Nicæno, ea de re fuiſſe actum, atq; adeo ipſum eſſe plenarium illud & vniuerſale Concilium, quod, vt diximus, vrſit Auguſtinus, ſicut eſt videre lib. 1. de Baptiſmo cōtra Donatiſtas, cap. 18. & lib. 6. cap. 1. 7. & 13. & lib. 2. contra Parmenianum, cap. 13.

Quartò vrgebat etiam Auguſtinus Concilium quoddam Carthaginenſe Prouinciale ſub Grato Epiſcopo poſt martyrium Cypriani celebratum, cui, affirmat Auguſtinus, Cyprianum, ſi ſuperuixiſſet, *ſine dubio aſſenſurum fuiſſe* pro ſua modeſtia & humilitate.

Quintò deniq; in eiſdem locis ducit argumētum à ſimili. Nam quia in prædicando Euangelio ad hominum ſalutem hi, qui prædicant, miniſtri tantùm Chriſti ſunt, cuius virtute Euangelium eſt ſalutare; nihil ad hominm ſalutem intereſt, vtrùm Euangelium per bonum aut malum miniſtrum annuncietur, modò certè *annūcietur Chriſtus, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem*, vt inquit Apoſtolus ad Philip. 1. Pari ergo ratione nihil intereret, qualis ſit adminiſter Sacramēti: ſiquidem in ea re miniſter tantùm eſt Chriſti, cuius virtute Sacramentum valet. Quo ſanè argumento Nicolaus etiam Papa in reſponſ. 16. ad conſulta Bulgarorum vſus eſt. Rectè igitur eſt etiam hæc doctrina in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 12. ſub anathemate definita.

Et conſequenter ex his intelligitur, ad veritatem Sacramenti neq; *rectam* etiam intentionem miniſtri requiri, vt ſcilicet ſibi in adminiſtrando Sacramentum rectum finem proponat, quemadmodum bene D. Thomas in art. 10. hoc docet & declarat.

Quamuis autem hoc ita ſit; non ideo tamen negamus, quin *fides*, & *probitas*, & *recta* intētio miniſtri prodeſſe poſſit ſuſcipienti, & ad augmentum gratiæ, & ad alia dona ſpiritualia, quæ miniſter probus ei obtinere poteſt, ex *opere operantis*, impetratione quadam, vt rectè declarat Caietanus hîc art. 1. ex doctrina & mente D. Thomæ in eodem art. 1. ad 2. Effectus autem ipſius Sacramenti ex opere operato, idem ſemper eſt ex vi Sacramenti, qualiſcunque ſit miniſter, vt rectè idem Caietanus exponit.

Fatendum etiam eſt, infidelitatem & improbitatem miniſtri, quamuis veritatē Sacramenti non tollat, nocere tamen ipſi *miniſtro*, atq; etiam interdum *ſuſcipienti*. Quæ duo ſigillatim ſunt oſtendenda.

MINISTRO igitur nocet: *Primò*. Quoniam ſi Sacramentum adminiſtrat, cùm propter infidelitatem aut improbitatem peccato mortali obſtrictus eſt, peccat omnino, vt B. Thomas ex orthodoxa doctrina docet art. 6. Et probatur primò ex conſenſu omnium Patrum, qui teſte AVGVSTINO Tract. 5. in Ioannem, id aſſerunt: Ego, inquit ibi Auguſtinus, *dico, & nos dicimus omnes, quia iuſtos oportet eſſe, per quos baptizatur: iuſtos oportet eſſe tanti Iudicis miniſtros. Si autem noluerint eſſe iuſti, ſecurum me facit de veritate Baptiſmi, Magiſter meus, de quo Spiritus ſanctus dicit: Hic eſt, qui baptizat.*

Secundò probatur ratione D. Thomæ in illo art. 6. Quoniam tum in actione aliqua peccatur; quando illa non fit, ſicut oportet. Sed miniſter in mortali exiſtens, non adminiſtrat Sacramentum, vt oportet. Ergo peccat ſic adminiſtrando. Maior conceditur ſine controuerſia, ex doctrina Philoſophi lib. 2. Ethic. cap. 3. & 6. & lib. 3. cap. 7. Minor probatur primò. Quia miniſter Dei in ea re ſacra & diuina debet ſe principali agenti conformare: iuxta illud Leuitici 19. *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*. Secūdò: Quoniam, vt rectè argumentatur Caietanus in illo art. 6. tractat tunc miniſter rem ſacram, ſicut rem aliquā prophanam, quæ non ſit ſacra: quod eſſe deforme atq; indignum, ex Apoſtolo colligere licet, qui 1. Cor. 11. inde probat, Euchariſtiam *indignè*, & ad iudicium ſumi ab Indignis, quia rem tam ſacrā, id eſt, corpus Domini, non *diiudicant*, id eſt, non tractant ac vſurpant aliter, atq; rem aliam prophanam, in qua vſurpanda non requiratur perſonæ ſanctitas. Tertiò. Nam ſi quis tecto capite v.g. ſumeret Euchariſtiam, omnes iudicarent, illum ob rei deformitatem peccare. Sed multò peius eſt, anima immunda tractare & adminiſtrare Sacramentum. Ergo, &c.

Ex his intelligitur PRIMO, qua ratione interpretari debeamus id, quod alioqui D. Thomas in hac Quæſtione art. 5. ad 3. ait, ſanctitatem miniſtri in adminiſtratione Sacramēti, eſſe *debitam & neceſſariam*, non niſi ſecundùm quandam *decentiam*. Hoc, vt rectè Caietanus in illo art. declarauit, intelligendum eſt, ſi ad opus ipſum *operatū* Sacramenti tantùm reſpiciamus, vti reſpiciebat ibi D. Thomas. Et ſenſus eſt, decere & conuenire, vt verum Sacramentum non adminiſtretur, niſi à bono miniſtro. Si autē reſpiciamus ad ipſum *operātem*, ſeu ad Sacramenti opus, quatenus ad *operantem* refertur; ſic abſolutè & ſimpliciter indiget in eo opere miniſter ſanctitate, vt ſcilicet vitet peccatum, quod alioqui committet, aliter exercendo id opus, quàm debet.

SECVNDO intelligitur ex dictis, iſtiuſmodi peccatum miniſtri eſſe peccatum *mortale* ex ſuo *genere*. Quoniam eſt grauis deformitas ſacrilegij, vt apparet ex argumentis factis, & affirmat etiam in illo art. 6. D. Thomas, & Caietanus, & alij communiter. Dicitur autem mortale *ex genere*: Quoniam ob imperfectionem actus, poſſet eſſe tantùm veniale, ſicut Sotus in 4. d. 1. q. 5. art. 6. cenſet de vſu etiam ſolenni Ordinis Diaconatus vel Subdiaconatus. Quoniā ſcilicet iſti Ordines non ſunt ita præcipui atq; Sacerdotium. Atque ita Diaconus vel Subdiaconus cantando Euangelium vel Epiſtolam ſolenniter in peccato mortali, *venialiter* tantum peccaret, ſententiâ Soti.

Sed notandum eſt hîc præterea, duabus conditionibus opus eſſe, vt adminiſtratio Sacramēti in mortali ſit peccatū mortale, ſicut notat vbi ſuprà Caietanus ex mente D. Thomæ, & Sotus, & alij communiter. VNA eſt, vt miniſter Sacramenti ſit miniſter *ex officio*, id eſt, ad id conſecratus. ALTERA eſt, vt adminiſtratio talis ſit *ſolennis*, nimirū quæ fiat ex tali conſecratione & officio. Ratio eſt. Quoniam his duabus conditionibus concurrentibus, & non aliâs, cernitur in adminiſtratione tali (ſcilicet miniſtri exiſtētis in peccato mortali) grauis deformitas, qualis eſt peccati mortalis ex genere ſuo.

Atque hinc inferunt illi Doctores *primò*, non peccare, ſaltem mortaliter, Laicum, ſi in peccato mortali baptizet in caſu neceſſitatis: quia deeſt illi vtraq; conditio. Nam neq; eſt miniſter *conſecratus*; neque adminiſtrat *ſolenniter* ex conſecratione. Id quod rectè & perſpicuè defendit Caietanus art. 6. contra Durandum, ex doctrina D. Thomæ ibi ad 3.

Secundò inferūt, ne Sacerdotem quidem peccare mortaliter, quando Baptiſmum, peccato mortali obſtrictus adminiſtrat ſine *ſolennitate*, in caſu neceſſitatis, vt poſſet alioqui etiam Laicus. Id ſignificat apertè D. Thomas in artic. 6. ad 3. Et defenditur rectè à Caietano, & à Soto d. 1. q. 5. artic. 6. atq; etiam ſubindicatur à Nauarro in Manuali cap. 22. n. 3. Et ratio eſt. Quoniam deēſt tūc poſterior conditio.

Tertiò infert Caietanus in illo artic. 6. peccare mortaliter Concionatores, quando in peccato mortali concionantur. Probat: Quoniam id officium ſaltem ſecundùm ius poſitiuū annexum eſt Ordini ſacro: ſiquidē concionari non poteſt, niſi Epiſcopus, vel de eius commiſsione Sacerdos, aut certè Diaconus, ſicut notat Sotus in dicta q. 5. art. 6. Atque huic ſententię Caietani ſimpliciter abſq; vlla diſtinctione videtur Nauarrus ſubſcribere in Manuali cap. 25. n. 141.

Cæterùm propter duas rationes, puto PROBABILIVS eſſe, quod ſentit Sotus loco citato, Concionari videlicet in mortali, non eſſe peccatum mortale, niſi cùm peccatū Concionatoris eſt *publicum*: tunc enim grauis & ſcandaloſa deformitas eſt. Eſt autem PRIMA Ratio. Quoniam concionari, quantumcunq; ſolenniter & ex officio ſacri Ordinis, non omnino perinde eſt, atque adminiſtrare ſolenniter ex officio rem eiuſmodi ſacram, quæ etiam vi *operis operati* conferat ſalutem: cuiuſmodi res eſt Sacramentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDA Ratio est: Quoniam illa circūstantia iuris *positiui*, id est, quod id officium iure tantùm positiuo, & nō diuino sit annexum Ordini sacro; multùm minuit deformitatem, quæ est in actu concionādi, cùm Concionator est in mortali. Atq; ita meritò, vt sentit Sotus, iudicari potest *per se* (quando peccatum Concionatoris nō est publicum) deformitas tantùm *venialis*.

Accedit, quòd idem Caietanus in Summa, V. *Prædicatorum peccata*, nihilominus scripsit, non esse id peccatum mortale, quādo citra contemptum is, qui in mortali concionatur, facit hoc cum metu & reuerentia quadam, reputans, se alioqui esse indignum. Quod tamen Nauarrus vbi suprà retractâsse significat Caietanum in hoc loco 3.p. Summæ D. Thomæ. Sed quicquid sit de sententia Caietani, videtur probabilior sententia Soti. Et hactenus quidem declaratū est, quēadmodum *infidelitas*, siue *improbitas* ministri, noceat ipsi MINISTRO.

Nunc vt proposuimus, declarandum item est, quemadmodum plerumq; etiam noceat SVSCIPIENTI Sacramētum. Id autem fit: Quoniam per accidens sæpè euenit, vt propter improbitatem Ministri, frustretur, qui Sacramentum ab eo suscipit, Sacramenti effectu, nempe gratia. Atq; id quidem contingit dupliciter. PRIMO, si propter eiusmodi vitium minister sit omnino *præcisus* ab Ecclesia, id est, excommunicatus, vel alia sententia aut Censura notatus, in illis Casibus, in quibus secundùm Ius nouū Concilij Constantiensis, vitari debet, vt suprà declarauimus.

SECVNDO, si quis omnino à ministro improbo suscipiat Sacramentū extra eos casus, in quibus licet sine peccato mortali Sacramentum ab eiusmodi malis ministris accipere. Hi aūt Casus sunt illi, quos ex doctrina magis recepta ponit Caietanus hîc art. 6. & Sotus etiam d. 1. q. 5. art. 6. qui oēs reuocantur ad tres: quāuis Sotus multis verbis multiplicet in hac re octo conclusiones.

PRIMVS Casus est, si Minister sit per se paratus, & habeat alioqui potestatem. SECVNDVS. Si tibi tenetur Sacramentū conferre *ex officio*, quia est tuus Pastor. TERTIVS. Si cōstitutus sis in necessitate. Non autem censet Sotus sufficientem necessitatem in proposito esse, vt impleas *præceptum Ecclesiæ*, quod nisi Sacramentum suscipias, implere non possis: sed oportet, vt sis in periculo *mortis*. Itaq; vt rectè Sotus notat, ex eo solo titulo *necessitatis*, adimplendi scilicet *Ecclesiæ præceptum*, non liceret ab improbo accipere Sacramentum Pœnitentiæ, vt quis posset communicare in Paschate. Requiritur enim necessitas maior, qualis est *in periculo mortis*.

Porrò in quolibet istorum Casuum licet recipere Sacramētum ab improbo ministro; seruatis tamē duabus conditionibus. PRIMA, vt minister non sit impeditus per *Censuram*. Quod diuus Thomas hîc art. 6. ad 2. intellexit, cùm dixit: *semper esse peccatum, recipere Sacramētum à ministro præciso, & non tolerato*: Nunquam verò præcisus intelligitur in *articulo mortis*, cius, qui Sacramento indiget, vt rectè circa illam solutionem ad 2. notauit Caietanus, & nos suprà diximus. Extra eū autē articulum tantùm est præcisus in illis duobus Casibus Concilij Constātiensis, vt est etiam dictum.

Neque verò iam scrupulus habendus est circa communicationem in sacris cum publicis Concubinariis. Nam licet id Iure antiquo prohibitū sub peccato mortali fuerit; iam tamē consuetudo contraria eneruauit istud Ius, vt notat Sotus d. 1. q. 5. art. 6. Quod maximè verū est in iis locis, vbi plurimi reperiūtur Cōcubinarij tales. Quare quod Nauarrus in Manuali cap. 22. n. 4. absolutè scripsit, esse peccatum mortale, audire sacrū vel recipere Sacramentum à notorio Concubinario: non est verum, nisi secundùm rigorem Iuris antiqui, quod iam exoleuit.

SECVNDA Conditio est, vt nunquam quis ab improbo ministro sic accipiat Sacramentum, vt etiam illum *directè* inducat ad Sacramētum ministrandum *malè*. Nam si quis hac intentione accipit, aut etiam petit, vt alter peccet malè administrando; constat, eum peccare: siquidem consentit tunc peccato alterius.

Concurrentibus igitur his duabus conditionibus, & aliquo ex prędictis tribus Casibus; semper licebit Sacramentum recipere ab improbo ministro, atq; etiam petere; dummodo animus tantùm sit, petere & accipere ab altero id officiū & ministerium, quatenus ab illo exerceri posset sine pecato, vt rectè notauit Caietan⁹. Hoc enim non est, nisi vti absolutè peccato alterius ad bonum, quod sæpè licet; vt patet in eo, qui, quando subest honesta causa, licitè petit & accipit mutuum ab Vsurario, quem scit, nō daturū mutuo, nisi sub vsura; atq; adeo in ea re peccaturum.

EXTRA illos autē Casus, & Conditiones, peccatum *mortale* est ex suo genere, recipere, aut vllo etiam modo petere Sacramentum à malo ministro. Vnde fit, vt per accidens tunc contingat, suscipientem frustrari Sacramenti effectu, propter improbitatem ministri. Nam ponit tūc obicem gratiæ per peccatum mortale.

Ratio autem huius doctrinæ quoad vtramq; partem, est: Quia circumstantia cuiuslibet illorum trium Casuum, concurrentibus duabus illis conditionibus, facit, vt quis nō teneatur tam strictè impedire ex charitate ruinam proximi, abstinēdo scilicet à communione in sacris cum illo, quando est in peccato.

Extra illos autem Casus, strictè omnino ad id quisq; ex charitate in proximū tenetur. Atq; ita nisi abstineat, peccat mortaliter. Expositum est igitur, quæ sit Sacramētorum caussa Instituens; & Efficiens, tum principalis, tum instrumentalis: atq; etiam, quænam Conditiones, & quatenus requirantur, vt instrumentale ministerium Sacramentorum sit ratum & efficax.

QVÆSTIO SEXTA.

De differentia atque numero Sacramentorum.

D. Thom. 3. part. q. 65.

HIC PRIMO de differentia Sacramentorum veteris & nouæ Legis dicendum est. SECVNDO, de numero Sacramentorum nouæ Legis. TERTIO videbimus, quis sit Sacramentorum nouæ Legis ordo; & quæ etiam comparatio.

PVNCTVM PRIMVM.

De differentia Sacramentorum veteris & nouæ Legis.

Ad art. 1. D. Thom.

QVOD AD PRIMVM ATTINET, cùm multæ differentiæ Sacramentorum veteris, & nouæ Legis sint extra controuersiam; de vno tamen præcipuo discrimine QVAESTIO nobis est cum hæreticis. Cōstat enim PRIMO differre: quoniam Sacramenta veteris Legis, cæremoniæ quædam externę ac ritus fuerunt alterius modi.

SECVNDO: Quoniam illa Sacramēta veteris legis, Christi passionem, quæ est caussa gratiæ sanctificantis, non nisi vt futuram significārunt. Nostra verò Sacramenta eiusdē, vt iam præteritæ, commemoratiua sunt signa.

TERTIO. Quoniam Sacramenta nostra ianuam ideo aperiunt regni cœlestis; hoc est, gratiam, exhibito iam precio redemptionis nostræ, cōferunt, per quam introducuntur homines in vitam æternam: cùm antè in lege veteri nō idem præstaret gratia, quæ in illis Sacramentis conferebatur. Quam rem rectè explicauit Innocentius III. in Cap. *Maiores*. Extra, de Baptismo & eius effectu. Quoniam vt Apostolus Hebræ. 9. disputat, nondum erat illis temporibus *propalata Sanctorum via*, donec Sacerdos Christus ingressus est viam nouam, & *introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta*.

QVARTO. Inde factum est, vt Sacramentorū nouæ legis, quæ post passionem instituta sunt, Christus etiam vt homo, fuerit institutor atque auctor, vt suprà ostēdimus: Sacramentorum autem veteris legis auctor fuit solus Deus.

QVINTO consequenter etiam in Sacramentis nouæ legis, vberior lōgè gratia communicatur hominibus, quàm in illis Sacramentis veteribus. Quam differentiam etiam hæretici agnoscunt, vt apud Kemnitium videre est in examine, can. 2. sess. 7. Concilij Tridentini. Atq; ad eam etiam doctrinam referuntur nōnulla discrimina, quæ inter vtriusq; legis Sacramenta assignauit Melchior Canus in Relectione de Sacramentis, part. 5. quæ non cōmemoro, quoniam non mihi videntur omni ex parte satis esse explorata.

Nunc cùm de differentiis iam positis, vt dixi, nulla sit cōtrouersia; QVAESTIO est tantùm circa quoddā aliud discrimen. Nam Catholici constanter asserunt, Sacramenta nouæ legis differre maximè à Sacramentis veteris, secundùm *efficaciam & virtutem*; non ob eam rem solùm, quòd vberior in his gratia conferatur; sed quia gratia ipsa omnino per hæc nostra Sacramenta, tanquā per *veras caussas*, saltem instrumentales cōfertur. In lege autem veteri non per ipsa Sacramenta, tanquam per caussas veras, sed *in vsu duntaxat* Sacramentorum, virtute fidei in Christum futurū, cuius illa Sacramēta protestationes erant, gratia cōferebatur. CONTRA, Sectarij oēs contendunt, *per* illa Sacramenta veteris legis, non secùs, atq; per nostra fuisse gratiam collatam atque exhibitam hominibus: neque nostra magis, quàm illa conferre eiusmodi gratiam.

Sed nostrum discrimen, satis superque à nobis probatum est suprà quæst. 3. puncto primo. Vbi etiam explicauimus modū, quo Sacramenta nostra verè sunt caussa gratiæ. Peculiariter autem, quod attinet ad Sacramenta veteris legis, quæ dicimus non vt *caussas*, contulisse gratiam; notandum hîc est, non tantùm nos velle negare, quòd illa Sacramenta veteris legis naturâ sua, quatenus erant quædam actiones vel cæremoniæ externæ contulerint gratiam. Nam id perspicuum est: Sed neque negare tantùm volumus, quòd *per se* sine respectu ad Christum futurum, contulerint gratiam: quanquam & id etiam vniuersè de omnibus cæremoniis veteris legis, immò de omnibus animi motibus bonis certissimum sit. Nihil enim illo tempore ad cōciliandam gratiam & iustitiā valuit vllo modo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi per respectum ad nouam legem, & eius authorem Christum, vt tomo 2. disputat. 7. de differentia veteris & nouæ legis copiosè disputauimus.

Volumus igitur in proposito præterea dicere, Sacramenta illa veteris legis, neque absolutè vllo modo, neque etiam cum respectu ad Christum venturum contulisse gratiam, tâquam veras eius causas. Sic enim intelligunt hoc discrimen Orthodoxi. Quorum in hac re sententiam aduersus Sectarios iam suprà probauimus q. 3. punct. 3. vbi ostendimus, *proprium* esse Sacramentorum nouæ legis, vt sint verè causa gratiæ, neq; id etiam commune fuisse Sacramẽtis veteris legis: atque ibi refutauimus argumenta Sectariorum.

PVNCTVM SECVNDVM.

De numero Sacramentorum nouæ Legis.

D. Thom. art. 1. & seq.

NVNC relictis Sacramentis veteris legis, constituendus numerus est nouæ legis Sacramentorũ. Et quoniam omnis hoc loco controuersia est cum hæreticis; ne in æquiuoco laboremus, necesse est in hac Quæstione loqui de Sacramentis secundùm eas tantùm conditiones, quæ sine controuersia & à nobis, & ab hæreticis tribuuntur veris Sacramentis. Nam si de Sacramentis secundùm aliquas conditiones, quas hæretici requirunt, loqueremur; neq; nos diceremus esse tam multa Sacramẽta, quàm ponimus. Non enim omnia Sacramenta, quæ ipsi defendimus, habent, sententiâ nostrâ, *mandatum* Dei, quo singuli ad eorum vsum obligentur. Neque etiã omnia, præter operationem ipsam sensibilem, habent aliquam *rem externam*, quæ offeratur, siue applicetur suscipienti. Quas tamen conditiones duas hæretici contendunt esse substantiales in Sacramentis.

Sumamus igitur in hac Quæstione illa tãtùm, de quibus inter nos & illos conuenit, & de Sacramentis loquamur, quatenus sine controuersia *sunt cæremoniæ quædam seu cultus externi, diuinitùs instituti, vt tanquam symbola quædam significent gratiam, quæ conferatur in eorundem praxi & vsu, ex promissione diuina*. Sic accipiendo Sacramenta, Quæstio inter nos & illos est, Quot sint numero Sacramenta nouæ legis, & Quæ?

Et communis ferè sententia Sectariorum est, Sacramenta nouæ legis DVO tantùm esse, nempe Baptismum, & Eucharistiam; vt inprimis intelligi potest ex Caluino lib. 4. Institut. cap. 19. & Kemnitio in examine can. 1. sess. 7. Concilij Tridentini.

Ecclesiæ autem Catholicæ constans sententia est, Sacramẽta nouæ legis esse numero SEPTEM, nec plura, nec pauciora. Quorum rationes satis hîc fuerit summatim proponere, vt intellecta saltem *notione* ipsorum nominũ, possimus contra hæreticos hoc loco probare Sacramentorũ hunc numerum. Sunt igitur hæc. *Baptismus*, quo spiritualiter homines regenerantur. *Confirmatio*, in qua datur singulare quoddã gratiæ spiritualis robur ad vincendas tentationes. *Eucharistia*, cuius vsu spiritualiter quasi alitur atque nutritur anima per gratiæ incrementum. *Pœnitentia*, per quam gratia tribuitur remissionis peccatorum. *Extrema vnctio*, in qua delentur peccatorum reliquiæ. *Ordo*, in quo confertur spiritualis quædam gratia & potestas ad Ecclesiasticas functiones ministrorum Ecclesiæ. Denique *Matrimonium*, in quo etiàm datur diuinitùs gratia peculiaris coniugibus ad prolem sanctè tum procreandam, tum etiam educandã in Ecclesia ad Dei cultum.

Hæc omnia esse verè ac propriè nouæ legis Sacramenta, neq; his plura vel pauciora, asseritur in Cap. *Ad abolendam*. Extra. de hæreticis: Et in Concilio Constantiensi sess. 15. & accuratissimè in Concilio Florentino sub Eugenio IV. vbi & plurimi, & sapientissimi, tum Græci, tum Latini Patres post multas & accuratas hac de re disputationes in eam sententiam, tanquã planè Orthodoxam magno consensu cõuenerunt, vt apparet ex decreto *vnionis*. Deniq; in Concilio Tridentino, sess. 7. can. 1. hæc Assertio sub anathemate definita est, & explicata deinde, vbi de singulis Sacramentis in eo Concilio tractatur.

Probatur hæc Catholica Assertio PRIMO ex diuina Scriptura. Nam vt res ipsa Baptismi, & Eucharistiæ, atque etiam gratia spiritualis, quæ in illis confertur: ita quoque res ipsa aliorum Sacramentorum, quæ numerauimus, & item spiritualis gratia, quæ in eiusmodi cæremoniarum vsu detur, commemoratur etiam in Scripturis. Vt enim omnia percurramus, BAPTISMI & spiritualis regenerationis per illum, mentio fit apud Ioannem, capite 3. & Matthæum, capite 28. CONFIRMATIO autem indicatur in Actis, cap. 8. & 19. vbi narrat Lucas, quemadmodum ad impositionem manuum per Apostolos, *accipiebant* homines *Spiritum sanctum*: & quidem hoc ita narratur, vt quædam quasi comparatio in narratione fiat eius rei cum cæremonia Baptismi, vt apparet ex illis verbis: *Imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum sanctum: nondum enim in quemq; illorum venerat, sed baptizati tantùm erant, &c.* EVCHARISTIA verò satis traditur apud Ioannem, capite sexto, & Luc. 22. POENITENTIA, Ioann. 20. *Quorum remiseritis, &c.* EXTREMA VNCTIO, Iacobi quinto: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui orẽt super eum, vngentes eũ oleo, & oratio fidei saluabit infirmum, &c. & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* ORDO, Ioann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Super quæ verba in libro quæstionum veteris & noui Testamenti

stamenti, quæst. 93. (siue hic liber Augustini, siue alterius veteris auctoris sit) dicitur: Inspirationem illam, de qua illic agit Dominus, gratiam quandam esse, quæ per traditionem potestatis infunditur ordinatis. Tum Apostolus 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 2. Timotheum monet, vt *resuscitet in se gratiam* Dei, quam cùm ordinaretur Presbyter, acceperat *per manuum impositionẽ*. Deniq; MATRIMONIVM Sacramentum etiam esse, ex Apostolo colligitur Ephes. 5. non tam ideo, quoniam ibi *Sacramentum* appellat, quàm quòd seriò admonet coniuges, vt *vxores suas diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam*. Quo ipso satis indicat, Matrimonium esse in ordinem rerum sacrarũ à Christo redactum, & quidem ita, vt signum sit institutum gratiæ & mutuæ charitatis, quæ debet esse inter coniuges, sicut est inter Christum & Ecclesiam.

SECVNDO probatur Assertio ex Ecclesiæ definitione hoc modo: Quod Ecclesia Christi de ratione & numero Sacramentorum tradit; id, quamuis expressè in Scriptura non declaretur, sine vlla tamen dubitatione credendum est. Sed Ecclesia Christi tradit esse septem Sacramenta nouæ legis, neq; his plura vel pauciora, vt patet. Ergo ita prorsus credendum est. Maior probatur tripliciter.

Primò iisdem argumentis, quibus alibi asseritur Ecclesiæ auctoritas in definiendis his, quæ spectant ad fidem. Quę argumenta cùm sint maxima & plurima, non sunt hic repetenda, & illa nos tomo 3. disput. 1. de Fide quæst. 1. punct. 7. diligenter tractauimus.

Secundò probatur eadem Maior. Quoniam in constituendo numero aliarum rerum, quæ non minùs in Ecclesia necessariæ sunt, omnes sine controuersia niti debent auctoritate & decreto Ecclesiæ, licet res in Scripturis non sit expressa. Ergo etiã in determinando numero Sacramentorum. Cur enim magis hîc, quàm illic potest Ecclesia errare? Antecedens autem est manifestum. Quoniam numerus librorum Scripturæ sacræ, vt de aliis rebus iam taceam, nusquam expressè in ipsa Scriptura sacra continetur, qui tamen propter auctoritatem Ecclesiæ firma fide creditur.

Tertiò probatur illa Maior argumento, iudicio meo, contra hæreticos fortissimo. Nam nisi Ecclesiæ etiam sine Scripturis expressis, quod ad numerum & rationem Sacramentorum attinet, credendum sit; neque ipsi hæretici credere debebunt, esse duo Sacramenta nouæ legis, verè & propriè dicta, scilicet Baptismum, & Eucharistiam, quæ tamen nobiscum sine controuersia confitentur. Id verò probatur. Quoniã etsi Scriptura illius operationis, quæ est *ablutio*, atque etiam *regenerationis* spiritualis in illa, mentionem disertè faciat; nunquam tamen exprimit, quòd hæc operatio suscipienda sit caussâ *significandi* ex diuina impositione gratiam spiritualis regenerationis, & Deum ipsum *colendi*: Quæ tamen duo sine controuersia sunt de ratione ac essentia veri Sacramenti.

Similiter licet Scriptura cõmemoret expressè *panem* & *vinum*, seu panis & vini species, atq; item gratiam & vitã spiritualẽ, quæ in corporis & sanguinis Christi sub eis rebus vsu confertur; nullus est tamẽ Scripturę locus, vbi expressè declaretur, quòd his rebus ex peculiari institutione Dei tanquam *signis* quibusdã significare velle debeamus *ipsam gratiam* & nutrimentum spirituale, quod in earum rerum vsu datur; neque etiam quod debeamus item per eiusmodi res velle Deum *colere*, tanquam per *cæremoniam* quandã Virtutis Religionis.

Deniq; (quod obseruatione dignum est, propter improbitatem hæreticorũ, qui à nobis res ipsas expressas in Scripturis, & quasi suo nomine significatas vbiq; requirunt) nunquam in Scriptura noui Testamẽti, vel Baptismus, vel Eucharistia *Sacramentum* nũcupatur. Cùm igitur neq; nomen, neq; res seu ratio ipsa istorũ Sacramentorũ alicubi Scriptura clarè exprimat, si auctoritati Ecclesiæ in hac quæstione acquiescendum non est, certè neq; Baptismus neque Eucharistia erunt Sacramenta. At ista certissimè sunt Sacramẽta. Ergo Ecclesiæ auctoritati, etiam sine Scripturis expressis, in quæstione de numero ac ratione Sacramentorum acquiescẽdum est. Quare firma est illa Maior secundæ nostrę probationis, & consequenter etiam firma Conclusio.

TERTIO probatur eadem Assertio authoritate Patrum. Nam etsi antiquiores non omnino numerent simul in vno aliquo loco Sacramenta septem; illos tamen singulas has cæremonias septem cognouisse esse Sacramenta, facilè ostendi potest, præsertim testimonio D. Augustini, qui Aduersariorum etiam iudicio, pro multis sufficit. Et quoniam de Baptismo, & Eucharistia non est controuersia, dicemus de reliquis.

CONFIRMATIONEM igitur AVGVSTINVS manifestè asseruit esse Sacramentum lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. vbi sic inquit: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signorũ, Sacramentum est sacrosanctũ, sicut ipse Baptismus*. Quod idem de Confirmatione asserũt D. CYPRIANVS lib. 2. epistolarum, epist. 1. & AMBROSIVS lib. 3. de Sacram. cap. 2. & lib. de iis qui myster. initiantur, capite 7. & alij quos infrà citabimus in suo proprio loco.

Deinde ORDINEM etiã asseruit AVGVSTINVS, & contulit planè cum Baptismo lib. 2. contra epistolam Parmeniani, cap. 13. *Vtrumque*, inquit, *Sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur; Illud cum baptizatur; Istud cum ordinatur: ideoque in Ecclesia Catholica vtrumq; non licet iterare*. Et ibidem: *Vtrumque*, inquit, *Sacramentum est; quod nemo*, inquit, *dubitat*. Idem asserit libro quinto de Baptismo contra Donatistas, cap. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item Sacramentum POENITENTIAE omnino comparauit cum Baptiſmo libro primo de adulter. coniugiis, capite 26. & 28. *Eadem eſt*, inquit ibi, *cauſſa Baptiſmi, & Reconciliationis, ſine quibus Sacramentis homines credunt ſe non debere exire de corpore.*

MATRIMONIVM item contulit cum Baptiſmo, libro primo de nuptiis & concupiſcen. capite 10. *Huius*, inquit, *Sacramenti res eſt, vt mas & fœmina connubio copulati, quamdiu viuunt, inſeparabiliter perſeuerent.* Et infrà, perpetuum hunc iſtius Sacramenti effectum cùm perpetuo effectu Baptiſmi comparans: *Anima*, inquit, *velut de coniugio Chriſti recedens, etiam fide perdita Sacramentum fidei non amittit, quod lauacro Regenerationis accepit.* Atque etiam in libro de bono coniugali, capite 24. illud comparat cum Ordine, quem, vt antè vidimus, cum Baptiſmo comparauerat.

EXTREMAE item vnctionis facit mentionem libro ſecundo de viſit. infirm. capite quarto, & ſermone 215. de tempore. Et extat etiam pro eo Sacramento teſtimonium Innocentij I. qui fuit Auguſtini æqualis, epiſtola prima Decretali, capite octauo. Item CHRYSOSTOMI libro tertio de Sacerdotio, capite ſexto, & Bedæ in caput ſextum Marci, & in caput quintum Iacobi. Denique DIONYSIVS in libro de Eccleſiaſt. hierarch. non ſolùm Baptiſmi & Euchariſtiæ, ſed etiam Ordinis & Confirmationis meminit: immò etiã Extremæ vnctionis, ſub nomine generali Vnctionis ſacræ. Cur aũt non etiã Matrimonium & Pœnitentiam poſuerit, paulò pòſt dicemus. Quæ omnia fuſiùs de ſingulis Sacramentis infrà probabimus in propriis diſputationibus, adductis pluribus teſtimoniis antiquitatis.

QVARTO, firmata his argumentis Aſſertione Catholica, de ſeptenario numero Sacramentorum, ſolent etiam Theologi Scholaſtici rationes alias adiungere, quibus propriè volunt oſtendere, non quidem ipſam aſſertionem ſeptenarij numeri, ſed potiùs *conuenientiam* eius: id eſt, non illi conuincunt eiuſmodi rationibus, Chriſtum omnino Sacramenta iſta ſeptem inſtituiſſe; ſed cùm inſtituta eſſe credantur, oſtendunt, rectè & conuenienter inſtituta eſſe illa ſeptem, neque his plura vel pauciora.

Quod velim à Lectore diligenter notari, propter calumniam Kemnitij, qui cùm ad eiuſmodi rationes Scholaſticas vtcunque reſponderi poſſe oſtendit, putat ſe ideo perſuaſurum, Aſſertionem ipſam ſeptenarij numeri Sacramentorum carere firmis fundamentis. Sed nihil iſte cauillator proficit. Nam, vt dixi, non eiuſmodi rationibus Aſſertio noſtra nititur, ſed auctoritate Scripturæ & Eccleſiæ Catholicæ, ex qua ſumus hactenus argumentati.

Quod verò ad eas rationes Scholaſticorum attinet, præcipua cenſetur illa eſſe, qua Diuus Thomas vtitur hîc articulo primo, quæ ipſa etiam in Concilio Florentino, & in Catechiſmo Romano, ad oſtendendam ſeptenarij eius numeri congruentiam vſurpatur. Nam cùm proportio quædam ſit corporalis & ſpiritualis vitæ, in quam Sacramenta referuntur; tot inſtitui rectè potuerunt Sacramenta, quot ſunt res conducibiles, aut etiam neceſſariæ ad vitam temporalem vel obtinendam, vel rectè tuendam. Ad vitam autem temporalem primò neceſſe eſt, vt quis *generetur*: Simili igitur modo confert ad ſpiritualem vitam Baptiſmus. Secundò, vt *augeatur*: Id præſtat analogia quadam Sacramentum Confirmationis, in quo dãtur robur ſpiritualis gratiæ. Tertiò, vt *nutriatur*: Quod ſpiritualiter præſtat Euchariſtia. Quartò, vt ſi in morbum inciderit, *ſanetur*: Sanat autem in vita ſpirituali Sacramentum Pœnitentiæ. Quintò, vt depellantur morborum reliquiæ, & *inſtaurentur* priſtinæ vires: Id fit ſpiritualiter in Sacramento Extremæ vnctionis. Præterea quoniam homo non tantùm ſibi viuere debet; ſed etiam ex vtilitate & commodo boni communis, neceſſe eſt Sextò ad vitam humanam rectè regendam, vt aliqua ſit poteſtas & auctoritas aliorum in alios, vt *regantur* ſcilicet & gubernentur bene: Ad ſimilem finem eſt in communitate Eccleſiæ inſtitutum Sacramentum Ordinis. Septimò denique ratione quoque boni communis eſt neceſſaria *propagatio* ſobolis: Hæc igitur vt ſit qualis eſſe debet, ad vitam etiam ſpiritualem in Eccleſia tuendam; Matrimonium, quod anteà tantùm contractus naturalis erat, inſtitutum eſt à CHRISTO Sacramentum, in quo gratiam accipiant coniuges ad ſanctè procreandam & educandam prolem, ſicut conuenit ad DEI cultum in Eccleſia DEI tuendum.

HACTENVS doctrina Eccleſiæ Catholicæ confirmata eſt. Sectarij autem, vt ſuprà diximus, contrà ſentiunt, Sacramenta nouæ legis propriè dicta, non ſeptem; ſed duo tantùm eſſe, nempe Baptiſmum, & Euchariſtiam: ita Caluinus libro quarto ſuarum Inſtitutionum, capite decimo nono, & Kemnitius in examine Concilij Tridentini, canone primo, ſeſſione ſeptima, & alij. Id autem probare nituntur partim in genere, argumentando contra ſeptenarium numerum; partim in ſpecie, argumentando contra ſingula Sacramenta ex illis quinque, quæ præter Baptiſmum, & Euchariſtiam, Catholica Eccleſia agnoſcit. Et in genere quidem vtuntur potiſsimùm his rationibus.

PRIMO. Quòd non omnia, quæ ſunt in Baptiſmo, & Euchariſtia, *ſubſtantialia*, reperiuntur in illis aliis quinque cæremoniis: non enim omnes habent rem aliquam *externam*, præter operationem ſenſibilem, neque etiam *mandatum* Dei, quo ſinguli obligentur ad earum omnium vſum.

SED.

SED ad hoc argumentum facilè reſpondemus. Deberẽt enim iſti inprimis probare, quòd hæ duæ conditiones conueniant Baptiſmo, & Euchariſtiæ, quatenus Sacramenta ſunt, & non tantùm, quatenus ſunt Sacramenta *talia*. Id verò nulla prorſus ratione confirmare poſſunt. Nam AVGVSTINVS Tract. 80. in Ioannem, cùm dicit, *accedere verbum ad elementum & fieri Sacramentum*, de Baptiſmo *tantum* loquitur. Alioqui Euchariſtia non eſſet Sacramentum, cùm non conſtet propriè ex *elemento*. Satis igitur ad rationem communem Sacramenti eſt res aliqua ſenſibilis, ſiue illa ſit diſtincta ab operatione, ſiue ipſa *ſenſibilis operatio*, vt in Pœnitentia: quemadmodum quæſtione prima, puncto tertio conſtituimus.

SECVNDO. Si res externa ſenſibilis præter externam operationem ad Sacramẽti rationem neceſſaria non eſt; petunt à nobis, quamobrem non in Sacramentorum ratione etiam ponamus prædicationem externã verbi diuini, cùm *ſignificet* etiam gratiam.

RESPONDEO, quia nõ eſt peculiariter à Deo inſtituta, vt ſit *ritus & cæremonia* Religionis, ſed eſt medium quoddam per ſe accommodatum ad propagandam fidem. Quanquam generali ratione maximè ſpectat, & referri poteſt ad cultum Religionis, ſicut & cæteræ virtutum actiones. Deinde, quia non ex *peculiari Dei inſtituto* habet, vt gratiam ſeu ſanctificationẽ hominis *ſignificet* (id quod ad Sacramentum requiritur) ſed ex hominum inſtituto, quo verba, ex quibus prædicatio eiuſmodi conſtat, accommodata ſunt ad ſignificandum.

TERTIO obiiciunt, neminem ex antiquis Patribus alicubi commemoraſſe, Sacramenta eſſe numero ſeptem; *neq; ſatis conſtat* (inquit Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 14.) *quando cœptum ſit in Eccleſia de ſeptenario numero Sacramentorum doceri.*

RESPONDEO, vt ſeptenarius numerus Sacramentorum nobis conſtet; nihil neceſſe eſt, ea vel ab vnico aliquo Patre, vel in vno loco ſimul commemorata fuiſſe: ſatis eſt, Patrum quoq; auctoritate probari variis in locis, vti paulò antè fecimus, & faciemus vberius infrà ſuis locis.

Quòd verò non conſtet, quando cœperit eiuſmodi doctrina tradi in Eccleſia; id potiùs magno argumento nobis eſſe debet, quòd nihil tatur auctoritate Apoſtolica. Obſeruatione enim digna eſt regula, quam tradit D. AVGVSTINVS lib. 2. contra Donatiſtas. cap. 7. & lib. 4. cap. 24. *Quod vniuerſa*, inquit, *per orbem tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; id non niſi Apoſtolica auctoritate traditum eſſe, rectiſsimè creditur.*

Et vaniſsimum ſanè eſt, quòd Kemnitius vbi ſuprà, Magiſtrum ſententiarum auctorem primum facit huius numeri Sacramentorum. Nos verò iſtis auctoritatem Patrum antiquiſsimorum, quos ante citauimus, primùm opponimus. Deinde iudicium eius, quem nuper Sectarij iudicem ſuper his Controuerſiis, quas nobiſcum habẽt, poſtulârunt; Hieremiam dico Conſtantinopolitanum Patriarcham, cui cùm Articulos ſuæ Confeſsionis Auguſtanæ, iſti obtuliſſent approbandos, inter cætera ex ipſo audiuerunt, *ſeptem omnino eſſe Sacramenta, nec plura, nec pauciora*, eamq; doctrinam, tum Scripturarum, tum Patrum auctoritate certiſsimè comprobari, vt videre eſt apud Socolouium, qui in lucem edidit Reſponſum illius Hieremiæ ad Proteſtantes, in Latinum, bona fide, nec ſine iſtorum pudore, conuerſum.

QVARTO vrgent, quoſdam ex antiquis Patribus, qui ex profeſſo videntur perſecuti eiuſmodi ritus & cæremonias noſtræ Religionis, non ſeptem, ſed pauciora numeraſſe. Nam Dionyſius in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, quatuor, vel ad ſummum quinque tantùm recenſet, prætermiſsis Pœnitentia, & Matrimonio. Et Ambroſius in libro de Sacramentis, & Cyrillus Hieroſolymitanus in ſuis catechеſ. myſtagogic. duo, ſcilicet Baptiſmum, & Euchariſtiam, vel ad ſummum etiam Confirmationem.

Sed & AVGVSTINVS paſsim Baptiſmi & Euchariſtiæ tantùm facit mentionem; Vt cùm in libro de catechizandis rudibus, & epiſtola 118. ad Ianuarium, ita ſcribit: *Primò tenere te volo, quod eſt huius diſputationis caput, Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum, ſicut ipſe in Euangelio dicit, leui iugo nos ſubieciſſe & doctrinæ leui. Vnde Sacramentis numero pauciſsimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſsimis, ſocietatem populi Chriſtiani colligauit, ſicut eſt Baptiſmus nomine Trinitatis conſecratus, & Communicatio corporis & ſanguinis Domini.* Atque idem dicit libro tertio de doctrina Chriſtiana, capite nono: *Poſt reſurrectionem*, inquit, *quædam pauca ſigna pro multis ipſe Dominus Apoſtolica doctrina tradidit; ſicut eſt Baptiſmus, & Celebratio corporis & ſanguinis Domini.*

RESPONDEO primùm, hæc teſtimonia non minore iure poſſe nos Aduerſariis obiicere. Quoniam, ſi Dionyſius quinq; Sacramenta numerat; & Ambroſius, atque Cyrillus, etiam Confirmationem: Ergo Sacramenta non ſunt tantùm duo, ſicut ipſi contendunt. Quod ipſum ex modo dicendi, quo vtitur in citatis locis AVGVSTINVS, concludi poteſt: Sacramentum enim Baptiſmi & Euchariſtiæ ex illis paucis Sacramentis, quæ in Eccleſia eſſe dicit, tantùm exempli cauſsâ, quia ſunt notiora, commemorat. Immò in illa epiſtola 118. cùm de duobus illis Sacramentis dixiſſet, illicò poſt verba, quæ recitauimus, ſubiunxit: *Et ſi quid eſt aliud, quod in Scripturis Catholicis commendatur.* Tum etiam in

Pſalm.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalm. 108. concione prima, simili dicendi modo vsus, cùm amplificare vellet Dei beneficium erga Ecclesiam, in institutione Sacramentorum eidem collatum, sic inquit: *Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, & in cæteris sanctis Sacramentis, quale munus est?*

Et suprà etiam plura loca indicauimus, in quibus sanctus Augustinus aliorum Sacramentorum disertè meminit. Et nihilominùs licet Sacramenta septem sint, pauca tamen seu paucissima ipsa esse rectè Augustinus dicit, si cum Sacramentis veteris legis (quæ erant quàm plurima) conferantur. Erat enim magnus numerus Sacrificiorum, quæ & ipsa quoque Sacramenta erant, alia quadam ratione. Atque hoc planè modo interpretatur quoque Diuus Thomas, quæstione 65. articulo 1. ad 4. eas Augustini sententias de paucitate nostrorum Sacramentorum.

Deinde dico ad id argumentum, Aduersarios non Patres, qui Sacramenta septem esse *non dicunt*; sed qui dicerent, Sacramenta *non esse septem*, afferre debere, quod minimè potuerunt.

Postremò dico, caussas habuisse illos Patres peculiares, cur in illis locis reliqua etiam Sacramenta non commemorarint. Nam Dionysius de illis propriè Sacramentis tractare instituerat, quæ propter aliquam in illis *consecrationem* præcipuè pertinerent ad ordinem hierarchicum, vt rectè notauit Diuus Thomas in quarto, distinct. secunda, quæstione prima, articulo secundo. Ea verò sunt illa quinque, quæ præter Matrimonium, & Pœnitentiam, Dionysius commemorauit. Ambrosius item de Sacramentis instituit agere, quæ soliti erant statim suscipere ij, qui mysteriis Christianæ Religionis initiabantur; cuiusmodi sunt illa, de quibus egit, videlicet Baptismus, & Eucharistia. Id verò fuisse propositum Ambrosio, apparet ex horum librorum Exordio: *De Sacramentis*, inquit, *quæ accepistis, sermonem adorior*. Idem dicendum de Cyrillo. Et de Augustino iam satis dictum est. Argumenta verò, quæ propriè obiiciunt Sectarij contra singula Sacramenta, infrà in propriis locis afferemus & refellemus.

SVPEREST autem hoc loco argumentum vnum, quo probari contrà videtur, Sacramenta plura etiam esse, quàm septem. Nam Dominus Ioannis decimo tertio (sicut ex Ambrosio libro tertio de Sacramentis, capite primo, & ex Cypriano sermone de Ablutione pedum, colligi potest) LOTIONEM pedum, tanquam Sacramentum instituisse & mandasse videtur, vt scilicet exerceretur in signum internæ sanctificationis & ablutionis animæ per gratiam. Id suaderi potest ex illis verbis Christi ad Petrum: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*. Qua ex oratione beatus Ambrosius loco citato probat, non fuisse illud officium tantùm *hospitalitatis*; sed omnino etiam *mysterium & sanctificationem*. Cyprianus item disertè appellat *Mysterium*, pro quotidianis excessibus abstergendis.

Ad hanc DIFFICVLTATEM, si Euangelicæ historiæ tantùm, & non etiam authoritatis illorum Patrum, ratio habenda esset; facillimè responderi posset. Quicquid enim de illo facto Christi ab Euangelista narratur, commodissimè referri potest ad solum exemplum & præceptum humilitatis. Neque apparet, Christum illud officium instituisse, vt esset signum ablutionis animæ. Nam quod ad Petrum inquit: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*: intelligere possemus, fuisse duntaxat comminationem, qua commouere illum voluit, vt simpliciter acquiesceret, seque lauari pateretur ad humilitatis exemplum.

Sed quia parui pendi non debet, quod Ambrosius, & Cyprianus in ea re notant; probatur mihi præterea responsio Alani in libro de Sacramentis, capite vndecimo, videlicet lotionem illam à Christo institutam, ideo Sacramentum non esse, quia etsi instituta fuerit, tanquam signum etiam ablutionis animæ; non est tamen instituta, vt signum ablutionis *præsentis*, quæ tunc scilicet fieret per lotionem pedum; sed *præteritæ*, quæ iam anteà esset facta per Baptismum, quæque etiam requireretur ad dignè vsurpandam Eucharistiam, in eadem Cœna institutam. Itaque non Sacramentum, sed quasi *Sacramentale* quoddam Baptismi, & Eucharistiæ hac ratione fuerit illa lotio pedũ; per quod Sacramentale, sicut ex Cypriano colligitur, & Alanus notat, significata etiam fuerit sanctificatio & ablutio à leuioribus sordibus peccatorum venialium. Id enim ex verbo illo Christi colligi etiam potest: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet*, id est, affectus inordinatos, quibus etiam Sancti quotidie delinquere solent. Vnde & Cyprianus loco citato dicit, fuisse lotionem illam institutã pro quotidianis excessibus.

Omnino verò illud obseruandum hîc est, quod etiam Alanus annotauit, etsi isto modo illa lotio *Sacramentale* quoddam fuerit; non fuisse tamen à Christo illud institutum, vt tanquam tale duraret & vsurparetur in perpetuum: Sed relictum est id in arbitrio Ecclesiæ, quod attinet ad tempora succedentia post Apostolorum sæculum, cum quibus Christus tunc loquebatur. Cuius rei certissimum indicium est contraria consuetudo Ecclesiæ, saltem plerisque in locis, & à multo tempore, quæ à nemine reprehenditur.

PVNCTVM

PVNCTVM TERTIVM.

Quisnam sit ordo, & comparatio, Sacramentorum nouæ Legis.

D. Thom. art. 2. & 3.

ORDINEM quidem horum Sacramentorum rectè docet S. Thomas quæst. 65. art. 2. illum eundem esse, quo suprà hæc ipsa Sacramẽta numerauimus, vt scilicet præcedat Baptismus, sequatur mox Confirmatio, tum Eucharistia, &c. Qua in re bene quoque à Dominico Soto in 4. sentent. dist. 1. quæst. 6. art. 2. notatum est, non indicari eiusmodi serie numerationis ordinem Sacramentorum, secundùm perfectionem seu *dignitatem*; sed secundùm *executionem* per se & ex natura rei.

Itaque illud est, quod asserimus, si ad *naturas, rationesq; proprias* singulorum Sacramẽtorum respiciamus, rectè & conuenienter suscipi posse illo ordine, quo sunt numerata; Cuius rei satis perspicuè ex natura singulorum Sacramentorum, rationem reddit D. Thomas loco citato. Et nihilominùs tamen, vt idem Sotus, atq; Alanus in libro de Sacramentis, cap. 42. notãt, nihil impedit, quò minùs per accidens alio ordine Sacramenta illa suscipi possint, modò Baptismus præcedat, qui, vt dici solet, est quasi ianua Sacramentorum cæterorum.

Iam de *Comparatione* sic breuiter statuimus, quodlibet Sacramentum *secundùm quid*, id est, secundùm aliquam rationem, quam facilè sit in ipso inuenire, videri posse quolibet alio dignius, vt satis indicauit B. Thomas in illa q. 65. præsertim in respons. ad vltimum argumentum art. 3. Absolutè autem & simpliciter Eucharistia præstat reliquis omnibus: Quoniam continet præsentem, & exhibet reipsa, Christum. Quæ ratio præponderat reliquis omnibus rationibus dignitatis, quæ in Sacramentis cogitari possunt, vt rectè idem D. Thomas in illo art. 3. indicauit.

Qua de re notandus est Canon Concilij Tridentini can. 3. sess. 7. *Si quis dixerit, hæc Sacramenta inter se ita esse paria, vt nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Ne autem quis hoc loco vanitate & calumniis Kemnitij in examine illius Canonis moueatur; intelligi debet, non idem esse, Sacramentum aliquod esse magis necessarium, & esse præstabilius. Immò sæpè fit, vt quæ res est maioris necessitatis, sit minoris dignitatis, sicut exemplis multis ostendi potest.

Quare licet Baptismus sit maioris necessitatis, quàm Confirmatio, vel Ordo v. g. potest tamen Confirmatio esse Sacramentum præstantius, propter præstantiam gratiæ robustioris & abundantioris, quam confert: Siquidem auget gratiam, quæ est data in Baptismo. Sic etiam Ordinis Sacramentum, censeri potest præstantius, quatenus necessariò conferri debet à digniori Ministro, & confert maiorem, sublimioremque potestatem, præter gratiam. Quæ si diligenter notentur, satis apparebit, Kemnitium admodum scurriliter, neque minùs friuolè, Canonem illum Concilij cauillatum fuisse.

FINIS TERTIAE DISPVTATIONIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO QVARTA GENERALIS,

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

DIVISA IN QVÆSTIONES SEX.

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM QVARTAE DISPVTATIONIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De ipso Sacramento Baptismi secundùm se.

PVNCT.I. *Quid sit Baptismi Sacramentum consideratum tum formaliter, vt est signum; tum materialiter, vt est res quædam.*
II. *Quale esse debeat Baptismi Sacramentum, quoad ipsius materiam substantialem.*
III. *Quale esse debeat Baptismi Sacramentum, quoad ipsius formam substantialem.*
IV. *Quale sit aut esse debeat Sacramentum Baptismi, quoad quædã ipsius accidentia.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Ministro Baptismi.

PVNCT.I. *Quinam sint Ministri Baptismi.*
II. *An à pluribus Ministris possit vnus & idem, & eodem tempore simul baptizari.*
III. *An præter Ministrum, qui Baptismum confert, oporteat adesse aliquem alium, qui circa Baptismum fungatur aliquo munere.*

QVÆSTIO TERTIA.

De suscipientibus Baptismum.

PVNCT.I. *An omnes omnino, tum adulti, tum paruuli possint suscipere Baptismum.*
II. *Quænã requirantur, vt validè Baptismus suscipiatur, tum ab adultis, tũ à paruulis.*
III. *Quænam requirantur, vt non modò validè, sed etiam rectè, & absq; peccato vndequaq; Baptismus suscipiatur, tum ab adultis, tum à paruulis.*
IV. *An omnibus omnino siue adultis, siue paruulis, sit etiam Baptismus necessarius ad salutem.*

QVÆSTIO QVARTA.

De effectibus Baptismi.

PVNCT.I. *Quinam sint effectus Baptismi, & num æquè fuerit efficax Baptismus Ioannis.*
II. *An Baptismus sit semper efficax quotiescunq; suscipitur: vel si aliquando non; an saltem postea suos effectus habeat, & quandonam.*

QVÆSTIO QVINTA.

De Circumcisione.

PVNCT. VNIC. *An Circumcisio fuerit diuinitùs instituta ad eum finem, vt conferret gratiam.*

QVÆSTIO SEXTA.

De ritu Baptismi.

PVNCT.I. *An debeat Baptismum præcedere Catechismus & Exorcismus.*
II. *Quisnam sit effectus Exorcismi.*
III. *Ad quem pertineat officium catechizandi & exorcizandi.*

IHS

DISPVTATIO QVARTA GENERALIS DE SACRAMENTO BAPTISMI.

D. Thom. 3. parte à quæst. 66. vsque ad quæst. 69.

EX ERVNT HVIVS DISPVTATIONIS Quæstiones. PRIMA, de ipso Sacramento Baptismi secundùm se. SECVNDA, de illius Ministro. TERTIA, de suscipientibus illud. QVARTA, de illius Effectibus. QVINTA, de illius figura, quæ fuit Circumcisio. SEXTA, de illius Ritu. Quæ est etiam distributio & ordo Quæstionum Diui Thomæ. Differunt autem Theologi de Baptismo in quarto libro sententiar. à distinct. 3. vsque ad 6. Ex Patribus etiam scripsit sanctus BASILIVS libros duos de Baptismate. Et sanctus Gregorius NYSSENVS orationem de sancto Baptismate, & item alteram contra eos, qui illud differunt. Et sanctus Gregorius NAZIANZENVS orationem in sanctum Lauacrum seu Baptisma. Et sanctus AVGVSTINVS tomo septimo de Baptismo contra Donatistas libros septem: & librum vnum de vnico Baptismo contra Petilianum: scripsit etiam TERTVLLIANVS librum vnum de Baptismo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO PRIMA.

De ipso Sacramento Baptismi secundùm se.

D. Thom. 3. parte quæst. 66.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, QVID SIT Baptismi Sacramentum, consideratum tum formaliter, vt est signum; tum materialiter, vt est res quædam. SECVNDO, Quale esse debeat quoad eius substantialem materiam. TERTIO, Quale item esse debeat quoad eius substantialem formam. QVARTO, Quale deniq; sit, aut esse debeat, quoad quædam eius accidentia.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Baptismi Sacramentum, consideratum tum formaliter, vt est signum; tum materialiter, vt est res quædam.

D. Thom. art. 1. 11. 12.

PRINCIPIO QVOD ATTINET AD notionem vocabuli, præmittẽdum est, Baptismi nomen naturâ suâ significare Græcè quamuis ablutionem. Itaq; non nisi vsu Doctorum Ecclesiasticorum accommodatum est, vt significet propriè vnum hoc Sacramentum ex illis septem nouæ legis, quæ disput. præcedente probauimus fuisse à Christo instituta. Quod Sacramentum etiam aliis nominibus à sanctis Patribus nominari consueuit.

Vocatur enim Sacramentum *fidei* ab AVGVSTINO epist. 23. Quoniam fidei totius professio in eo fit, atque etiam editur Confessio præcipui Articuli, qui est de SS. Trinitate. Item eadẽ ratione nominari potest *Illuminatio* ex sententia D. DIONYSII cap. 3. Eccles. hierarch. & Gregorij NAZIANZENI Oratione in S. Lauacrum. Quia scilicet fides, cuius ibi protestatio fit, illuminat. Item vocatur ab eodem Dionysio cap. 2. eiusdem libri, *Principium sanctissimorum mandatorum*. Quoniam, vt dictum est, in eo quis initiatur primùm Christiana Religione, eamq; totam profitetur. Et ob eandem rationem ex sententia S. CLEMENTIS lib. 7. constitut. Apostol. cap. 23. appellari potest *Sigillum pactionis diuinæ*. Item dicitur à CHRYSOSTOMO Oratione ad baptizatos, tomo 5. *Expurgatio, Cõplantatio, Crux, & Sepultura Christi*, ob eas nimirum analogias, quas Apostol. ad Rom. 6. notat, esse inter huiusmodi res & Baptismũ. Deniq; à DAMASCENO lib. 4. fidei orthodoxæ, cap. 10. vocatur *Regeneratio, Sigillum, & Tutela*, propter effectũ scilicet regenerationis spiritualis, & characteris.

Propter quas etiã causas S. Cyrillus HIEROSOLYMITANVS in prœmio suarum Catecheseon ita scribit: *Magnum est sanè propositum hoc Baptisma: Captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, currus ad cœlum, deliciæ paradisi, regni cœlestis conciliatio, charismatũ, adoptionis filiorũ.* Et hæc quidẽ de Vocabulo.

Iam verò vt Ratio quoq; huius Sacramẽti rectiùs explicetur, meminisse oportet illud, quod præced. disputat. q. 1. punct. 1. docuimus, vnumquodq; Sacramentũ bifariam considerari posse: Vno modo secundùm formalem SIGNIFICATIONEM, quam habet, vt est signum: Altero modo secundùm REM substratam illi formali significationi. Et rem substratam iam dicimus illam, quæ pertinet ad *substantiam* ipsius Sacramenti, quæque ideo vocari solet *Sacramentum tantùm*. Nam etiam aliæ res quædam pertinẽt ad Sacramentum: quæ quoniam non sunt de ipsius substantia, vocari solent vel *res Sacramenti tantùm*, vt effectus ille, qui est gratia; vel *res & Sacramentum simul*, vt effectus, qui est Character: qui quoniam habet etiam ipse aliquam rationem signi, res & Sacramentum simul vocatur, vt notat D. Thomas artic. 1. sed tamen impropriè. Nos itaque quando de *substantia* Sacramenti agitur, rem Sacramenti cõsideramus, quę est & dicitur propriè *Sacramentum tantùm*.

Hoc posito, si Sacramentum Baptismi secundùm suam FORMALEM significationem consideremus, rectè definitur hoc modo: *Baptismus est Sacramentũ regenerationis spiritualis ex aqua & Spiritu sancto per verbum.* GENVS indicatur per particulam, Sacramentum. DIFFERENTIA verò, cùm indicamus præterea quale sit Sacramẽtum & signũ, nempe gratiæ, sub ratione *regenerationis spiritualis*. Sed & discrimẽ huius Sacramẽti, quatenus est nouæ legis, & Sacramẽtorum veterum, subindicatur verbis illis: *Ex aqua & Spiritu sancto per verbum*. Nam efficit, quod significat: id quod non faciebant veteris legis Sacramenta.

Et est sumpta hæc definitio ex Scriptura sacra Ioan. 3. vbi Dñs de mysterio huius Sacramẽti loquens, ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei.* Et ad Ephes. 5. *Mundans eam* (Ecclesiam) *lauacro aquæ in verbo.* Et ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum Regenerationis, &c.* Pertinet etiã ad confirmationem huius definitionis Baptismi sententia illa S. AVGVSTINI Tract. 15. super Ioann. *Quid est*, inquit, *Baptismus Christi? Lauacrum aquæ in verbo: Tolle aquam, non est Baptismus. Tolle verbum, non est Baptismus.* Et Tract. 80. de eodem Sacramento loquẽs: *Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua?*

Ac per analogiam quandam Baptismi, quatenus ita describitur, solet etiam Baptismi nomen accommodari ad Martyrium, & ad Pœnitẽtiam, & ad Charitatem, quæ sufficit ad acquirendam gratiam; propter eundem scilicet istarũ rerum effectum principalem, qui est gratia spiritualis.

Itaque vt D. Thomas art. 11. & 12. ex communi doctrina declarat, tria Baptismata esse dicuntur, scilicet Aquæ, seu vt vocant, *fluminis*, quod solum est propriè Sacramentum Baptismi, de quo nũc agimus: Item Baptismus *Flaminis*, id est, Charitatis, vel Pœnitentiæ: Et denique etiam Baptismus *Sanguinis*, id est, Martyrij, quod, vt docet D. Thomas in dicto art. 12. præstat Baptismo flaminis. Siquidem *maiorem hac dilectionẽ nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis*, Ioan. 15. Nihil autem est hac in vita Charitate præstantius. Meminit verò horum trium Baptismatum nõ modò Glossa ordinaria ad Hebr. 6. sed etiam ORIGENES in commentario super Ioan. tomo 8. & Baptismi sanguinis, homil. 7. in librũ Iudicum, vbi pulchrè ostendit, esse illum præstantiorẽ Baptismo aquæ: Id quod nõ obscurè indicat etiam S. Augustinus lib. 13. de ciuit. Dei, cap. 7. Huc enim accommodat illud Psal. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Et addit: *Quid enim pretiosius quàm mors, per quam fit, vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur?* Et hactenus de definitione Baptismi considerati formaliter secundùm SIGNIFICATIONEM quam habet.

Si autem Sacramentum Baptismi consideretur secundùm REM substratã ei significationi; ex omnibus definitionibus illius, quæ solent tradi, quæq; etiam eodem demùm recidũt, illa est tritissima, quam ponit Magister dist. 3. & defendit S. Thomas hic art. 1. scilicet, *Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum.*

Hanc definitionem dico esse commodissimam & optimam, quoniam habet rectas conditiones. Nam primò succincta est. Secundò, continet ea solùm, quæ sunt certa apud omnes. Tertiò, declarat & *formam* & *materiam*, quibus continetur *res substrata* significationi huius Sacramenti, iuxta ea, quæ in communi docuimus disput. præcedente, q. 1. punct. 1. Quartò, admittit nihilominùs commodas explicationes, ex quibus appareat, in eis particulis contineri eas conditiones, quas oportet habere ablutionem, vt sit verè Sacramentum. Id quod rectè Sotus dist. 3. quæst. vnica, artic. 1. notauit.

Nam quòd debeat esse ablutio talis, per quã quis abluat non seipsum, sed *alterum*; indicatur, cum dicitur, *sub præscripta forma verborum*. Ex illis enim verbis, vnum est particula, TE, quæ nequaquam vsurparetur verè, nisi esset alius is, qui baptizatur ab eo, qui baptizat. Quod etiam oporteat eum, qui baptizatur, *minimè esse inuitum*; ex eadem item præscripta forma verborum colligitur. Nam cùm baptizans designat particula illa, TE, baptizatum; vtiq; significat, illum debere esse *idoneum*, qui secundùm diuinam institutionem, particeps esse possit huius Sacramenti: Talis autem est is, qui voluntariè baptizatur, vel sua voluntate, vel aliena, si sit infans, vt suo loco dicemus. Deniq; ex eo item, quòd dicitur: Ex præscripta forma verborum, intelligitur ad veritatem Sacramenti, necessariam esse ministri *intentionem*: Debet enim ea verba proferre, atq; adeò abluere ex debita intentione, Christi scilicet & Ecclesiæ, vt disputat. præced. quæstione prima, puncto primo, & quæstione quinta, puncto tertio docuimus.

Rectè igitur Sotus in dicto artic. 1. censuit, esse minùs aptas definitiones, quas tradunt Scotus, & Gabriel dist. 3. quæst. 1. nimis prolixas, & vt Sotus vocat, comatas, cùm vellẽt omnes istas conditiones distinctis verbis complecti, quę tamen, vt ostendimus, ex nostra definitione intelliguntur.

Pertinet quintò ad bonitatem eius definitionis, quòd declaret, quid sit in illa tota re substrata Baptismi *præcipuum*, id est, magis sensibile & materiale, pro quo idcirco supponatur inprimis vocabulum Baptismus. Nam cùm sint ibi *verba*, & *aqua*, & *ablutio* per aquam; potissimum in hoc genere, id est, magis materiale & sensibile, & propiùs etiam ad sanctificationem hominis conferens, est ipsa *ablutio exterior* eius, qui baptizatur; quod illa definitio declarat: siquidem ea *in recto* dicimus: Sacramentum Baptismi est *ablutio*, *&c.*

Atque hoc est etiam fundamentum, vnde Diuus Thomas in articulo primo probare contra Hugonem voluit, Sacramentum Baptismi magis esse ipsam ablutionem, quàm aquam. Quia scilicet propinquius (vt ita dicam) assumitur à Deo ad effectum principalem & finem Sacramenti, qui est sanctificatio hominis. Etenim ratio instrumenti in illa ablutione, & *vsu* aquæ, velut completur. Hanc enim puto esse vim rationis Diui Thomæ, de qua nimiùm mihi videtur subtiliter, & parùm conuenienter sententiæ Diui Thomæ ratiocinari Caietanus in illo articulo primo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hinc sequitur, non malè Scotum in 4. dist. 6. q. 3. appellauisse asininas & ineptas illas Quæstiones, quibus aliqui disputarunt, An Asinus possit bibere Baptismum? Baptismus enim non est propriè ipsa aqua; sed *ablutio*: quæ quidè licet re non differat ab aqua; differt tamen plurimùm ratione sua formali; vnde fit, vt nihil minus quã ipsa ablutio bibatur: atq; etiam, vt non aptè dicatur, ipsam aquam esse Sacramẽtum Baptismi. Quemadmodũ etsi ablutio hominis re non differat ab ipso homine, quatenus abluitur; tamen ineptè diceres, Sacramentum esse propriè hominem ablutum.

Cùm verò ablutio sumi possit & *actiuè*, vt est ipsum ministerium & officium atq; actio baptizantis; & *passiuè*, vt recipitur in eo, qui abluitur; rectè vbi suprà notauit Sotus, Sacramẽtum eam esse, non nisi vt recipitur in abluto, & vt est adeò quædam *passio*. Nec de hoc vlla controuersia est, cùm constet, ablutionem esse Sacramentũ, quatenus recipitur à baptizato.

Porrò intelligetur meliùs hæc definitio, si quædam præterea necessaria explicemus, & de *aqua*, per quam fit ablutio, & de *præscriptis verbis*, sub quorum forma fieri debet. Quorum alterũ, scilicet *Aqua*, dicitur in illa re substrata, MATERIA: Alterum, scilicet verba, dicitur FORMA Sacramenti, iuxta doctrinam generatim à nobis de hoc traditam suprà in disput. præcedenti, q. 1. punct. 1. Dicemus igitur ordine de vtroque in duobus punctis sequentibus.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quale esse debeat Baptismi Sacramẽtum, quoad ipsius Materiam substantialem.

D. Thom. art. 3. 4. 7. 8.

QVOD attinet ad materiam huius Sacramenti, necesse est omnino, vt ea sit AQVA vera & naturalis, sicut definitum est in Concilio Florentino sub Eugenio IV. & Tridentino sess. 7. can. 2. & Cap. *Firmiter*. Extra de Summa Trin. & fide Catholica. Et declaratur à D. Thoma rectè art. 3. ad 4. Vbi etiam cõgruentes rationes pro huius rei institutione diuina colligit. De quibus vberiùs scripsit beatus HIERONYMVS epistola 83. ad Oceanum.

Id verò negarunt olim hæretici Manichæi, qui aquam in Baptismo horrebãt, vt cæteras res corporales, teste Augustino in libro de hæresibus, cap. 46. Item Seleuciani, qui, vt Augustinus in libro de hæresibus, cap. 59. auctor est, putarunt, non in aqua baptizandum esse, sed vtendum esse quadam adustione ignis, sicut ex Philiastrio refert etiam Alphonsus de Castro, Verbo Baptismus, hæres. 1. Et Iacobitæ, qui putabant, loco aquæ imprimendam in fronte ferro candente figurã crucis, teste Bernardo Luzemburgensi. Mouebantur isti & Seleuciani sententia Ioannis Baptistæ apud Matthæum, cap. 3. *Ego*, inquit, *baptizo vos in aqua: ille autem vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne.*

Sed iis hæreticis præter Ecclesiæ & omnium Patrum authoritatem & vsum perpetuum, refragatur Scriptura sacra perspicuè. Matthæi 28. *Baptizantes eos, &c.* Et Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ, &c.* Et Actor. 8. *Descenderunt vterq; in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum.* Et Actor. 10. *Nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, &c.* Atque item in iis locis veteris Testamenti, quibus continentur perspicuè prædictiones de Baptismo in Ecclesia Christi futuro per aquam. Vt Isaiæ 55. Ezech. 47. Zachar. 13. Et denique ex his etiam rebus, quæ fuerunt figuræ illius, & acciderunt in aqua; vt diluuium, quod D. Petrus 1. epist. cap. 3. ad Baptismum accommodat. Et transitus per mare rubrum, quem Apostolus etiã significat fuisse Baptismi figuram, 1. Corinth. 10.

Ad locum autem illum Matth. 3. respondet B. Thomas perspicuè articulo tertio ex Hieronymi, Chrysostomi, & Hilarij interpretationibus. Mihi maximè probatur illa expositio HILARII, canone secundo in Matthæum, quæ est etiam Hieronymi in caput tertium MATTHAEI, vt scilicet ignem ibi intelligamus seueritatem & rigorem extremi iudicij, sensusque sit: Ille vos baptizabit, id est, purgabit; nunc quidem Spiritu sancto in Baptismo, postea verò etiam iudicio. Nam vt Hieronymus notat, in eandem quoque sententiam dixit Apostolus, 1. Corinth. 3. *Vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit, &c.* Et verò hæc interpretatio, vt rectè etiam notauit Alphonsus de Castro, planè congruit cum illo textu. Subiungit enim Ioannes Baptista: *Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igne inextinguibili.*

SED cùm certum sit, aquam veram & naturalem esse materiam Baptismi, DVBITATIO sæpè incidit de Baptismi veritate propter Quæstiones, quæ moueri solent, an hic aut ille humor sit talis aqua vera & naturalis. Nam inest in aliquibus liquoribus similitudo aquæ. Ipsa etiam aqua variis modis transmutatur quãdoque: quæ caussa est, cur ea de re dubitari possit. Negò verò, vt ineptè Kemnitius in examine, canone 2. sess. 7. Concilij Tridentini, ait, istæ sunt otiosæ quæstiones: siquidem eò pertinent, vt rectè diiudicetur, an verus fiat Baptismus, nec ne, quod iudicium sæpe necessarium est. Sed Kemnitius nimirum tacitè per hanc suã censurã videtur voluisse approbare errorem ac temeritatẽ Lutheri, qui, vt apparet ex eius sermonibus conuiualibus, cap. 17. non habuit pro certo id, quod ex

Scripturæ & totius Ecclesiæ sententia certissimum est, nempe aquam veram & naturalem requiri ad veritatem Baptismi tanquam eius necessariam materiam. Notandæ igitur sunt ex doctrina D. Thomæ artic. 4. (quæ est communis) aliquot regulæ ad omnes eiusmodi quæstiones & dubitationes explicandas, quę circa Baptismi veritatem ex parte Materiæ oriuntur.

PRIMA Regula. Quando constat, aquæ transmutationem, siue illa per naturam fiat, siue per artem, quæ applicet naturalia actiua passiuis, esse talem, vt nihilominus maneat species aquæ naturalis; idonea erit ad materiam Baptismi. Hinc D. Thomas art. 4. & Sotus d. 3. q. vnica, art. 4. colligunt, posse ad Baptismum vsurpari iusculum carnium, nisi sit nimis pingue: Item lixiuium, nisi fuerit nimis decoctum: Ac eadem etiam ratione aquas balneorum. Item Scotus in dicto art. 4. & Victoria in Summa de Sacramentis, q. 12. eadem ratione concedit, aptam materiam esse eam aquam, in quam resoluũtur niues & glacies. Deniq; inde etiam patet, nihil interesse, an aqua sit calida vel frigida: Quod etiam in Concilio Florentino declaratum est: neque verò etiam, vtrum sit salsa, vel secus.

SECVNDA Regula. Quando constat, transmutationem, quæcunque illa sit, esse talem, vt tollat aquæ naturalis speciem, non est apta materia. Hinc Sotus in dicto artic. 4. colligit, ad Baptismum minimè valere cereuisiam, nisi fortè fieret leui aliqua decoctione hordei tantùm, vt idem Sotus notat. Item neque densum lutum: quoniam verè non est aqua ad lauandum.

TERTIA Regula. Multò minus apta materia erunt humores alij, qui exprimuntur ex quibusdam aliis rebus, quarum proinde sunt quasi vapores, non autem naturalis aqua: Licet aliqui nomine tenus aquæ dicantur, nempe *tales* aut *tales*. Hinc negat D. Thomas art. 4. & communiter alij omnes, fieri posse Baptismum in aquis rosaceis, vel aliarum herbarum; in sputo; in lachrymis, &c.

QVARTA Regula valde generalis & vtilis est illa, quam Sotus in dicto artic. 4. ponit ex communi doctrina: Vt si quando nimirum post factum, dubitetur meritò de veritate aquæ, rebaptizatio tunc fiat *sub conditione*, si non sis videlicet anteà verè baptizatus. Si autem ea de re dubitetur antè factũ, & alia aqua adhiberi possit; nullo modo in illo humore, de quo dubium est, Baptismus fiat. Quòd si alia non suppetat aqua, & necessitas vrgeat, fiat Baptismus sub conditione.

PERTINET etiam ad Materiam huius Sacramẽti, vt explicemus, quomodo illa ad ablutionem adhiberi debeat. Nam possunt esse varij in abluendo modi. Itaque quæri posset, Quàm magna requiratur *quantitas* aquæ. Item, An & quoties sit aliquis *mergendus*; vel satis sit perfundere, aut aspergere? Item, An *totus* ablui debeat, vel sufficiat abluere partem, & quam. De quibus rebus agit D. Thomas art. 7. & 8.

Ex cuius mente & doctrina tum ibi, tum infrà q. 68. art. 11. atque etiam ex sententia omnino recepta, quæ asseritur à Soto d. 3. q. vnica, art. 7. generatim respondemus, *tantam* aquam & *sic* adhibendam esse, quantam & quomodo necesse est, vt persona ipsa secundùm vsitatum & moralem loquendi modum, verè dicatur *ablui*, seu aqua perfundi ac tingi. Id patet. Quoniam eam vim habet verbum *Baptizo*, quo ex diuina institutione exprimendum est in forma id, quod omnino fieri debet.

Quamobrem quomodocunque fiat ablutio; tamẽ si verè & moraliter ablutio personæ ipsius dici possit, satis id erit ad veritatem Baptismi: Quoniam ablutio tantùm eiusmodi est illi essentialis. Si autem eo modo fiat, vt moraliter dici id non possit; Sacramentum nõ erit validum. Atque ex hac REGVLA generali, multi Casus particulares, de quibus minutim hoc loco quæri solet, & eorum similes, diiudicari poterunt.

Itaque sequitur PRIMO, non satis esse, si minutissimas aliquot guttas aquæ infundas. Ita & rectè censuit Sotus in dicto articulo septimo. Neque valet ratio aliquorum, quòd scilicet minima particula panis potest esse idonea materia Sacramenti Eucharistiæ: Vnde videtur esse consequens, vt minima etiam aquæ gutta sufficiat ad Baptismum. Discrimen namque est, quòd materia Eucharistiæ tantùm est verus secũdùm se panis, qualis etiam est minima panis particula: Baptismi verò materia non est vtcunque vera aqua; sed aqua in *vsu ablutionis*, quæ iuxta vsitatum & moralem loquendi modum (vt positum est) dici possit ablutio: non potest autem sic ablutio dici, si minutissima tantùm aquæ guttula, vel etiam aliquot paucis guttulis quis aspergatur.

SECVNDO sequitur, ad substantiam quidem Sacramenti nihil referre siue mergendo semel, aut bis, aut tertiò; siue absque vlla mersione aspergendo tantùm, vel infundendo baptizes. Ratio est primò, Quoniam omnibus his modis fit ablutio illa essentialis in Baptismo, vt etiam explicatum est in Catechismo Romano: ac docet etiam diuus Thomas articulo septimo & octauo. Secundò idem patet: Quoniam omnibus istis modis variis temporibus pro ratione diuersa temporum & circumstantiarum constat, vsam esse Ecclesiam, vt idem diuus Thomas perspicuè in dicto articulo octauo, ostendit ex beato Gregorio libro primo Epistolarum, epistola quadragesima prima, & ex canone quadragesimo nono Apostolorum, & ex Concilio Toletano IV. can. 5. Qui etiam in eod. art. ad 2. argum. rectè declarat, quomodo, licet Baptismus fiat infundendo aut aspergendo tantùm, repræsentatur nihilominus aliqua ratione in illo *sepultura Christi*, secundùm doctrinam Apostoli, Rom. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam his etiam modis *ſubiicitur* corpus ipſi aquę; in quo eſt nonnulla ſimilitudo ſepulturæ Chriſti, qua ratione fuit tunc illius corpus terræ ſubiectum.

Et obſeruandum eſt, vſque adeo quidem trinam merſionem non requiri, vt etiamſi miniſter propria ſua intentione velit conſummare Baptiſmum non niſi in tertia merſione; abſoluat autem prolationem formæ in prima vel ſecunda; valeat & ſit abſolutus omnino Baptiſmus ante tertiam. Quod rectè annotauit Caietanus in dicto art. 8. cui ſubſcribunt Sotus d. 3. q. vnica, artic. 8. & Victoria in Summula de Sacramentis q. 19. quidquid contra ſenſerint Paludanus d. 3. q. 3. & Syluester V. Baptiſmus 5. n. 2. Ratio verò eſt illa, quam rectè attigit Caietanus. Quia ſcilicet intentio generalis Eccleſiæ (quam pono miniſtrum illum habere) prævalet illi intentioni particulari miniſtri. Eſt autem Eccleſiæ intentio, vt Baptiſmus quoad ſubſtantiam quidem non pendeat à tertia merſione, ſed tum perficiatur, cùm abſoluta eſt forma, & perſona quouis modo eſt verè abluta.

Vt autem intelligatur, quamobrem intentio illa generalis Eccleſiæ in hoc caſu prævalere debeat, etiam ſecundùm mentem & propoſitum ipſius miniſtri; recolenda eſt illa doctrina, quæ diſput. præcedente, quæſt. 1. p. 1. declarauimus, non obſtare priuatam intentionem miniſtri hęretici, de conferendo Sacramento, tanquam ſi eſſet res inutilis, quò minus, ſi habeat intentionem generalem faciendi, quod facit Eccleſia, verum Sacramentum conferat. Illa enim explicatio ſimiliter ad hunc Caſum applicanda eſt. Et prodeſt hoc annotare, vt ſi in prædicto Caſu fortè contingeret, ante tertiam merſionem mori puerum; intelligamus nihilominus illum verè baptizatum fuiſſe.

Etſi autem hoc ita ſit, tamen dubium non eſt, quin peccaret aliquis, ſi quod attinet ad baptizandi modum, mergendo aut aſpergendo, non ſe conformaret ad vſum Eccleſiæ ſuæ Diœceſanæ: Huius enim, non autem Metropolitanæ, aut etiam Romanæ vſus in vnaquaque Diœceſi ſequendus eſt, vt notauit Paludanus d. 3. q. 3. art. 2. & Sotus d. 4. q. vnica, art. 8. & indicatur quoque in Catechiſmo Romano.

Putat tamen Sotus, citra contemptum & ſcãdalum, non eſſe peccatum hoc, niſi veniale. Item etiam extra controuerſiam eſt, poſſe citra vllum peccatum, quando honeſta cauſſa ſubeſt, alium modum in baptizando teneri, quàm ſeruetur in Eccleſia Diœceſana. Immò aliquando etiam debere. Vt, verbi gratia, ſi perſona eſt adulta; melius erit aſpergere, etiamſi conſuetudo alioqui eſſet mergendi, vt rectè notauit Sotus in dicta q. vnica, art. 7.

TERTIO ſequitur, non eſſe ſatis, ſi vterus matris, in quo continetur infans, abluatur; ſed natiuitatẽ expectari debere, ſicut cenſent omnes, & patet de Conſecratione d. 4. Can. *Qui in maternis*. Ratio autem eſt. Quoniam hic modus non ſufficit, vt ipſa omnino perſona infantis cenſeatur ablui, quod eſt ad hanc rem argumentum D. Thomæ quæſt. 68. artic. 11. Ex quo proinde ſecundùm mentem D. Thomæ licet colligere, validum fore Baptiſmum, ſi arte & opera obſtetricis, poſſet aqua vſque ad ipſum infantem in vtero pertingere. Quod etiam rectiſsimè affirmauit Victoria in Summa de Sacramentis, q. 32. & Gabriel diſtinct. 4. quæſt. 2. art. 3. dub. 2. Patet: Quoniam nihil tunc deeſſet, ſi forma etiam adhiberetur. Item quia diuus Thomas ideo negat loco citato, poſſe infantem baptizari in vtero, quoniam oportet ablui ipſam perſonam. Ergo quando id fieri poſſet etiam in vtero, valeret Baptiſmus.

Quocirca falsò & contra mentem D. Thomę, cenſuit Sotus in dicta q. vnica, artic. 8. rationem, cur infans baptizari nõ poſsit in vtero, eſſe, quoniam nõ ſit omnino alterum ſuppoſitum, quod per ſe ſit capax Baptiſmi; ſed ſit tunc velut aliquid matris. Quæ ratio ſi valeret, non eſſet verus Baptiſmus, etiamſi ad ipſum puerum in vtero aqua pertingeret. Sed non valet prorſus ea ratio. Cur enim non ſit & cenſeatur alterum ſuppoſitum pueri in vtero? cùm habeat & habere etiam dicatur diſtinctam animam, diſtinctam ſubſtentiam (non enim ſubſiſtit hypoſtaticè per eãdem ſubſiſtentiam matris) Item etiam diſtinctũ peccatum originale, ad cuius inprimis remiſſionem confertur Baptiſmus.

Itaque etiam tunc infans verè in vtero baptizatus *renaſceretur* in Chriſto per Baptiſmũ; quatenus natiuitate quidem prima & conceptione *in vtero* iam antè eſſet in Adam natus. Quod autem Iſidorus in dicto canone, *Qui in maternis*, loquens de ſecunda natiuitate (ſcilicet *ex vtero*) ait, non poſſe renaſci eum, qui non fuerit natus, verum quidem eſt eo ſenſu quo ibi Iſidorus loquitur, nempe ſi ſola mater abluatur; nos autem loquimur in caſu extraordinario, quo ſcilicet ipſe etiam Infans in vtero abluereturr.

QVARTO ſequitur, non eſſe ſatis, ſi minima tantùm pars attingatur aqua, vt digitus, verbi gratia. Ita Sotus in dicta quæſtione vnica, articulo ſeptimo. Quod etiam diuus Thomas hic articulo ſeptimo ad tertium ſatis indicauit. Et ratio eſt. Quoniam moraliter non abluitur tunc ipſa perſona, niſi quis vel totus, vel certè pars aliqua præcipua abluatur. Hinc enim ſanctus Thomas loco citato docet, oportere, vt *caput* abluatur, in quo vigent omnes ſenſus. Quæ eſt etiam ſententia diui Auguſtini, vt refertur de Conſecratione diſtinct. quarta, Canone *Poſtquã vos*.

Quãquam rectè Sotus de aliorum etiam ſententia in dicta q. vnica, art. 7. notat, id non ita intelligendum eſſe, quaſi Baptiſmus non valeat, niſi abluatur caput; ſed ita, vt peccatum ſit ſaltem veniale, non abluere caput; & mortale etiã, ſi accedat contemptus. Probatur autem hæc explicatio. Quoniam ſi abluleretur alia pars principalis, vt pectus, vel humeri, &c. nemo iam de veritate talis Baptiſmi dubitaret, vt rectè inquit Sotus. Quòd ſi alia pars quæcunque præter iſtas tingeretur, magnum certè eſſet dubium; quare eſſet iterum ſub conditione Baptiſmus faciendus, vt monet quoque D. Thomas q. 68. artic. 11. ſi infans, cuius manus tantùm eſſet egreſſa ex vtero, ſecundùm eam partem fuiſſet baptizatus.

QVINTO ſequitur, non eſſe ſatis, ſiquis attingatur tantummodo ſecundùm veſtes. Ratio eſt: Quia nõ ablueretur eo modo ipſa perſona, quatenus eſt ſubiectum peccati originalis; id quod omnino requiritur, vt patet ex veriſsima doctrina D. Thomæ artic. 7. ad 3. & q. 68. art. 11. & etiam ex AVGVSTINO Tractat. 80. in Ioannem, vbi id indicat cum de Baptiſmo ait: *Quæ eſt iſta Virtus aquæ quæ* CORPVS *tangit, & cor abluit?* Ita etiam ſentit Sotus d. 3. q. vnica, art. 7. & Gabriel diſt. 4. q. 2. art. 3. dub. 2. vbi docet, non valere Baptiſmũ, ſi puer eſſet in corio incluſus, & eatenus lauaretur. Eadem autem eſt ratio de eo, qui veſtibus eſt tectus, & ſecundùm eas tantùm aſpergitur, qui proinde de nouo baptizari deberet; non tamen *ſine conditione*, vt rectè in dicto art. 7. Sotus notauit. Et ratio eſt. Quoniam res eſt vtcunque dubia, cùm non deſint, qui opinentur, valere Baptiſmum illo modo, ſcilicet ſecundùm id quo quis tegitur; vt ſecundùm pellem ſecundinam qua inuolutus adhuc ſit infans: ex quibus eſt Sylueſter Verbo Baptiſmus 4. q. 1. Sed eſt id minus probabile. Quod autem in Actis Apoſtolorum refertur aliquot millia vno die ſuſcepiſſe Baptiſmum, Gabriel, & Sotus locis citatis rectè declarant, potuiſſe fieri, etiamſi ſecundùm corpus, vt in capite aſperſi fuerint.

SEXTO ſequitur, probabilius eſſe, quòd valeret Baptiſmus, etiamſi quis ablueretur tantùm ſecundùm *capillos*, vt ſentit idem Sotus in dicta q. art. 7. Patet. Quoniam id ſatis eſt, vt moraliter dicatur quis ablui. Et accedit, quòd ſi multi ſimul eſſent aſpergendi, difficile eſſet vitare, quin aliqui aſpergerentur & tingerentur tantùm ſecundùm capillos: & tamẽ nemo dubitaret, quin omnes eſſent baptizati, quando ita ſimul aſpergerentur, ſicut veriſimile eſt, factum eſſe in Actis Apoſtolorum. Nihilominus putat Sotus, poſſe ſub conditione rebaptizari eum, qui ſecundùm capillos eſſet tantùm aſperſus.

SEPTIMO ſequitur, probabilem, vel etiam probabiliorem eſſe eorum ſententiam, qui ſentiunt, valere Baptiſmum, cùm ſub præſcripta forma verborum, & intẽtione baptizandi, proiiceretur puer in flumen aut puteum, vbi omnino ſuffocandus eſſet, atque adeo etiamſi animus eſſet ſimul eum ita occidere: quem caſum ponit Sylueſter V. Baptiſmus 4. q. 10. & contigiſſe dicit. Sentit autem ita Ioannes Maior in 4. d. 4. q. 2. & Panormitanus ſuper Cap. *Non vt apponeres*. Extra de Baptiſmo & eius effectu: item Victoria in Summa de Sacramentis, q. 21. in hanc ſentẽtiam magis inclinat, tanquam in probabiliorem; licet oppoſitam dicat etiam eſſe probabilem, quæ eſt Syluestri vbi ſuprà, & Soti d. 3. q. vnica, art. 8. & Scoti diſt. 5. q. 3. & Richardi d. 4. art. 4. q. vnica, caſu 2. & ferè aliorum communiter, vt fatetur idem Victoria, & etiam Gabriel diſt. 4. q. 2. art. 3. dub. 4. qui tamen ipſe in eandem ſententiam, quam nos dicimus eſſe probabiliorem, inclinat, ſicut & Victoria.

Porrò ratio noſtra eſt. Quoniam nihil tum videtur deeſſe ad veritatem Baptiſmi: adhibetur enim ex intentione vera materia, & forma, & ſatis ſuperque etiam in illo caſu puer abluitur.

SED argumentantur Scotus & alij pro ſua opinione, quòd niſi poſt merſionẽ puer demùm emergat, illa non eſt vera ablutio: Item, quòd & Baptiſmus eſt Sacramẽtum ad vitam ordinatus non ad mortem.

SED hæ Rationes non vrgent. Nam quod dicitur, ablutionem non eſſe, niſi immerſionem conſequatur deinde emerſio; dupliciter intelligi poteſt. VNO modo, niſi omnino emergat reipſa is, qui antè eſt immerſus; & ſic certiſsimè falſum eſt. Nam ſi infans de manibus miniſtri, ordinario modo baptizantis, in fonte ſacro, poſt abſolutam formam fortè ſic elaberetur, vt antequam poſſet educi, moreretur ibi; nemo dubitaret, quin eſſet verè baptizatus, vt rectè loco citato argumentatur Gabriel; & tamen reipſa non conſequeretur tunc emerſio immerſionem. ALTERO modo poteſt illud intelligi, vt emerſio *ſaltem ſecundùm intentionem & propoſitum* baptizãtis, conſecutura ſit immerſionem; ita ſcilicet, vt hoc ſaltem debeat baptizans intendere, etiamſi aliquo accidente poſtea contingat, vt qui merſus eſt, non emergat. Quo quidem pacto id intellexit Sotus diſtinctione tertia, quæſtione vnica, articulo octauo.

Sed ne ſic quidem verum eſt, vel certè non eſt ſatis certum illud fundamentum. Nam ſiquis, verbi gratia, demergeret aliquem intẽtione occidendi, & non baptizandi, moraliter etiam diceretur illum abluiſſe & tinxiſſe aquis, & abluẽdo ſuffocaſſe & occidiſſe. Item ablũtio, quæ ſufficit & requiritur ad Baptiſmum, videtur omnino aliquid eſſe commune, vt merſioni & aſperſioni, ita etiam ſuffocationi.

Denique vnde nobis conſtat, quòd requiratur ablutio eiuſmodi, ſecundùm inſtitutionem diuinam, quę ſecundùm propoſitum ſaltem baptizãtis, ordinetur ad vitam temporalem. Nam quod dicitur, Sacramentum hoc ordinatum eſſe ad vitam, non ad mortem; id verò certum & extra controuerſiam eſt, ſi intelligatur de vita *ſpirituali*. Quòd autem de vita temporali id intelligi debeat, vt alioqui nõ ſit verus Baptiſmus; hoc dico non ſatis probari.

Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed ablutio, inquiunt, non est, nisi illam, ad eius, qui abluitur, vitam temporalem referas: Hoc etiam nego videri verum. Nam siquis v. g. alterum venenata aqua eo consilio ablueret, vt interficeret; procul dubio abluere ipsum censeretur, & abluendo occidere. Dico igitur, homicidam quidem esse eum, qui illo modo puerum baptizaret, scilicet animo nõ educendi ex aquis: cæterùm verè baptizaret.

Nihilominus quia contraria sententia multorum est, si puer ita proiectus, casu aliquo pòst viuus euaderet; rebaptizandus esset sub conditione. Neque verò superuacanea est ista disputatio, cùm Syluester (vt suprà dixi) Verbo, *Baptismus* 4.q.10. ex Panormitano testetur, casum hũc contigisse. Hæc de Materia Baptismi.

PVNCTVM TERTIVM.

Quale esse debeat Baptismi Sacramentum, quoad ipsius Formam substantialem.

D. Thom. art. 5. & 6.

FORMA Baptismi certissimè illa est, quam omnes Orthodoxi colligunt ex Christi verbis Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Itaque sic dicendum est: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*: vt D. Thomas artic. 5. & omnes d. 3. docent. Estq; hæc forma iam ab omnibus, etiam Sectariis, receptissima: explosis quibusdam aliis formis ineptis hæreticorum veterũ, quas commemorat Alphonsus de Castro in Summa de hæresibus, Verbo Baptismus, hæres. 2. ac earum etiam mẽtio fit can. 49. Apostolorum, vbi sic habetur: *Si quis iuxta præceptum Domini non baptizat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; sed in tribus sine initio principiis, aut in tribus Paracletis, aut in tribus Filiis, abiiciatur.*

Asserunt etiam hanc eandem Baptismi Formam vbiq; sancti Patres: ac nominatim sanctus IRENAEVS lib. 1. cap. 18. ATHANASIVS serm. 3. contra Arianos circa medium. BASILIVS libro de Spiritu sancto, cap. 12. & alij quos citaui Disp. præced. q. 1. p. 2. Qui omnes ex prædicta sententia Domini Matth. 28. asserunt, hanc etiam baptizandi Formam esse planè necessariam, ita vt sine illa Baptismus non valeat: Quod est annotandum contra paradoxon Lutheri in lib. de captiuit. Babylon. cap. de Baptismo, & Zvvinglij in lib. de vera Religione, capite item de Baptismo qui etsi admittant hanc Baptismi formam, censuerunt tamẽ sine illa etiam baptismum valere. Qua in re non modò repugnant sententiæ illi Domini & Ecclesiasticæ Traditioni, sed etiam manifestissimæ rationi. Nam nihil est tam essentiale & necessarium Sacramento, quàm Sacramenti Forma.

Verũ cùm in hac FORMA Baptismi quatuor omnino exprimantur, PRIMO caussa principalis, scilicet persona diuina: SECVNDO, Minister: TERTIO persona baptizati: QVARTO, actus ipse baptizandi; Quæstio est, An ad veritatem Baptismi, oporteat omnino omnia hæc & singula exprimere in Forma.

Et de ACTV quidem baptizandi conuenit inter omnes, quòd sit necessariò exprimendus, vt etiam explicatũ est in Concilio Florentino. Item conuenit, personam BAPTIZATI exprimi debere: quoniam si illa taceretur, non satis exprimeretur ipse actus Sacramentalis, qui est nimirum ablutio, quatenus est *passio* quædam & receptio in hac persona: vt rectè inter cæteros ad hanc rem notauit Sotus d. 3. q. vnica, art. 5.

Quanquam ista determinatio personæ, quæ baptizatur, non ita necessaria est, vt si contingeret quoad hoc errare circa determinatam omnino personã, quæ baptizanti proponitur, ideo Baptismus nullus sit futurus. Immò verò Sotus in dicto artic. 5. & alij rectè sentiunt, fore Baptismum validum, quamuis Minister nominaret & putaret se baptizare puerum, cùm esset fœmella; vel hunc, cùm esset ille, &c. Ratio est. Quoniam secundùm intentionem Ecclesiæ, quæ in Ministro prævalet particulari cogitationi & intẽtioni suæ, satis est, quòd nominetur illa persona *individua*, quæ ad baptizandum proponitur, qualiscunque illa sit, quoad rationes magis particulares & determinatas.

Præterea etiam conuenit inter Doctores, non necesse esse, vt persona MINISTRI expressè indicetur; sed sufficere, si significetur implicitè: quod fit eo ipso, quòd exprimitur actus ipse baptizandi. Itaque licet omittatur particula, *Ego*, nihilominus valebit Baptismus, vt ex sententia receptissima docet D. Thomas art. 5. ad 1.

Quinimo neque necesse est, vt actus baptizãdi declaretur verbo illo, *Baptizo*, quo magis indicatur persona Ministri; sed sufficit, secundùm omnes, si ille declaretur, quomodocunque scilicet si dicas, *Baptizo*, vel; *Baptizetur* iste, vel; *Baptizatur* talis à me, &c. Atque hinc D. Thomas loco citato, & alij communiter probant Baptismum Græcorum, qui dicunt: *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, &c.*

Quanquam Innocentius in Cap. 1. de Baptismo & eius effectu, negat, esse verum Baptismum, si quis apud Latinos dicat: Baptizetur; vel Baptizatur iste. SED confutatur rectè ab Adriano in q. de Baptismo art. 2. & à Soto in dicta q. vnica, artic. 5. ex communi aliorum omnium sententia.

Nihilominus tamen mortale peccatum esset, eo animo & intentione, qua Græci vsurpabant illam formam Baptismi. Illi enim eo modo dicunt, vt significent suum errorem, quo putant, formam Baptismi apud nos vsitatam, non esse validam.

validam. In quo perspicuũ est, eos peccare mortaliter. Sed etsi quis apud nos non hac intentione vsurparet illam formam Græcorum, tamen sæpenumero propter scandalum & suspicionem esset mortale, vt notat Sotus loco citato: aliàs tãtùm esset veniale.

Cùm de his igitur inter Doctores conueniat, magna tamen est QVAESTIO circa alterũ, quod notabamus in forma indicari, nempe CAVSSAM Baptismi principalem, an scilicet significatio trium personarũ debeat esse distincta & *expressa* per illa verba: *In nomine Patris, &c.* Et est ratio dubitandi, propter varietatem sententiarum.

Nam PRIMO Caietanus hîc artic. 6. affirmat, valere Baptismum, si quis tantùm diceret: In nomine SS. *Trinitatis*: Quo verbo satis apparet, personas non indicari nisi implicitè; maximè cũ non ita exprimas rationem illarum. Neq; enim ex eo verbo constat, sintné duo Filij, vel duo Patres, &c.

SECVNDO idem Caietanus ibidem affirmat, valere Baptismum, si conferatur *tantùm in nomine Christi*, quod etiam defendit Adrianus in q. de Baptismo artic. 3. Immò videtur hæc planè fuisse sententia D. AMBROSII lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. vbi inter cætera sic inquit: *Vna persona prolata, si integra sit intus fides, plenum est Sacramentum.* Quæ etiam Bedæ videtur fuisse sententia in caput 10. Actor. Atque ita sensit Hugo lib. 2. de Sacramentis parte 6. cap. 3. & Magister in 4. d. 3. & Canonistæ communiter super Caput. *A quodam Iudæo.* de Consecratione. d. 4. vbi sanè Nicolaus Papa ita dicit: *Qui in nomine Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt (vnum quippe, idemq; est, vt ait S. Ambrosius) rebaptizari non debẽt.* Quibus adde etiam Scotum d. 3. q. 2. & Richardum ead. d. artic. 2. q. 3. qui saltem dubitant, an ita valeret Baptismus. Constat autem, nominata tantùm vna persona, reliquas non nisi confusè & *implicitè* nominari, propter relationem vnius ad alias, sicut ratiocinatur loco citato Ambrosius: Id igitur videtur satis esse.

TERTIO, confirmat item magnis argumentis Caietanus in art. 5. valere, si quis dicat: *In nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque, seu Spirati.* Quam opinionem secutus est etiam Victoria: Imò fertur habuisse pro certa, vt apparet ex eius Summa de Sacramentis, q. 14. Neque tamẽ hîc est expressa significatio personarum, saltem secundùm se; sed tantùm quatenus habent inter se ordinem *originis.*

QVARTO, videtur saltem illa particula: *In nomine*: posse omitti, & pro ea dici: *In nominibus.* Quoniam nemo dubitaret, quin valeret Baptismus, si quis eam particulam repeteret ter, dicẽdo: *In nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus sancti.* Nec videtur discrimen esse, si quis pluræli numero dicat semel, *In nominibus.* Quòd si hoc non conceditur; saltem videtur dici posse: In *authoritate*; seu, In *virtute*; vel etiam, In *fide* Patris & Filij & Spiritus sancti. Quoniam ista per illam particulam significantur.

QVINTO accedit, quòd vt Matrimonium, & etiam Pœnitẽtia; sic Baptismus quoque videtur confici posse, sine illis verbis, per *nutus*: Non enim apparet differentia; & tamen nutibus non fit omnino expressa significatio.

In contrarium esse videtur præceptum illud Christi: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Matth. 28.

In hac re communiorem, certiorem, & solidiorem longè DOCTRINAM animaduerto eam esse, quam ponit D. Thomas art. 6. & inter cæteros sequitur Petrus à Soto in libro de institutione Sacerdotum, lection. 1. de Baptismo, & tuetur copiosè alter etiam Sotus, nempe Dominicus d. 3. q. vnica, art. 6. Ea verò est, trinitatem personarum esse claris & sensibilibus verbis *expresè* significandam.

Ad quam expressam significationẽ duo pertinere dicimus. PRIMO vt ipsæ *personæ*, quatenus personæ *tales in se* sunt, nempe *Pater, Filius, & Spiritus sanctus*, per verba significentur, quæ vel ex natura sua, vel etiam ex accommodatione vsus, *primariò & formaliter* personas easdem indicent sub ea ratione, qua diximus: Alioqui, si nomina sint eiusmodi, quæ vel ex natura sua, vel ex accommodatione vsus, tantùm materialiter & secundariò significent personas, quatenus tales secundùm se sunt; non erit expressa illorum significatio sub ea ratione. Sicut Album v. g. quoniam substantiam significat, non nisi secundariò & materialiter; non omnino expresè eam significat; sed quodammodo confusè & implicitè; albedinem autem explicitè: quoniam illam primariò & formaliter significat. Itaq; vt sit expressa significatio personarum, qualem in proposito requirimus, oportet, vt dixi, nomina vel ex natura sua, vel ex accommodatione certè significare formaliter & primariò personas, vt sunt in se tales, nempe Pater, Filius, & Spiritus sanctus. SECVNDO dicimus ad hanc expressam significationem pertinere, vt *virtus & authoritas* personarum, quatenus sunt principalis caussa Baptismi, significetur *singulariter* illo verbo: *In nomine.*

Hæc sententia sic declarata probatur PRIMO ex Domini mandato, Ecclesiæ, & Pontificum, & Patrum. Nam Matth. 28. huiusmodi formam ita expressam Dominus præscripsit illis verbis: *Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.*

SECVNDO idem probatur ex auctoritate Ecclesiæ & Summorum Pontificum. Nam Concilium Florentinum, cùm requirit, vt exprimatur *actus baptizandi cum SS. Trinitatis inuocatione*, perspicuum est, (si locus ipse inspiciatur) nomine *Trinitatis* ibi intelligere ipsas personas distinctè significatas. Nã paulò antè ibi definitur Formã

Universidad de Deusto
Biblioteca

Baptismi contineri expressa illa significatione Trinitatis, Ego te Baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Quare cùm Concilium definiat, necesse esse, vt sic Trinitas exprimatur, expressam illam significationem requirit.

Item ZACHARIAS Papa de Consecratione, d. 4. Can. *In Synodo*, probans decretum cuiusdam Concilij Anglicani, super hac re editum, sic inquit: *Si quis vnam de Trinitate personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma verum esse non posset.* Hæc ibi inter cætera Zacharias.

Quod Testimonium quoniam valde est illustre, defendendum nobis est aduersus falsas interpretationes Caietani hîc, & Adriani in q. de Baptismo art. 3. ad 1. rationem principalem. Interpretatur enim Caietanus sentẽtiam ibi Pontificis esse: Si quis *ne implicitè quidem* vnam personam nominet.

Sed hæc expositio certissimè pugnat cum ipsa mente & oratione Pontificis. Definit enim, Baptismum tum esse nullum, cùm contingit, aliquam personam nominare, vel etiam aliquas, & aliam quandam ex tribus non nominare. At cùm aliqua persona nominatur, ipse Caietanus fatetur, *implicitè* nominari hoc ipso reliquas omnes personas. Ergo Pontifex ibi planè censet, Baptismum tum etiam esse nullum, cùm tãtùm vna vel altera persona nominatur expresè: etiamsi alia nominetur implicitè; atq; adeo non solùm loquitur in casu, quo *ne implicitè quidem* nominatur vna aliqua persona, sicut vult Caietanus.

Deinde Adrianus exponit, Pontificem loqui tantùm in casu, quo Minister vnam tantùm esse personam vel alteram *crederet*, atq; ita baptizaret ea intentione, vt Baptismus valeret hoc ipso solùm, quòd vna vel altera persona nominaretur, & non ex vi etiam alterius vllo modo, id est, neque expresè, neq; implicitè nominatæ; si videlicet omnino talis alia persona esse negaretur ab eiusmodi Ministro.

Hanc etiam interpretationem dico minimè conuenire textui. Nã primùm absolutè & simpliciter Pontifex id pronunciat de Baptismo, q̃ ita daretur â quouis omnino Ministro quãtumcunq; fideli: Et dicit, illum ideo esse nullũ, quoniam vna aliqua persona non nominatur: id q̃ etiam accidere potest, siue Minister credat omnes personas, siue neget aliquam. Neq; vllum est in illo Canone indicium, quòd propter defectũ *intentionis* improbet Pontifex talem Baptismũ; sed propriè improbat ob defectum *formæ*.

Nam quod ad confirmationẽ suæ definitionis subiungit: *perfectum Christianum non esse, qui aliquam de Trinitate personã non confitetur*: id eò pertinet, vt ostẽdat, nisi omnes tres personæ distinctè exprimantur, nõ fieri in forma Baptismi tam perfectam & absolutam confessionem fidei, de SS. Trinitatis mysterio, quàm omnino requiritur ad veritatem Baptismi, eò quòd est, vt paulò pòst ad hanc rem argumentabimur, peculiari ratione Sacramentum fidei.

Deinde magnum contra Adriani interpretationem argumẽtum est, quòd si perfecta alioqui & vera forma Baptismi esset, cùm nominaretur tantùm expresè vna vel altera persona; non debuisset, neq; potuisset absolutè Pontifex improbare, tanquam inualidum eiusmodi Baptismũ, propter defectum intẽtionis in Ministro ita hæretico, sicut interpretatur Adrianus. Etenim non obstante illo priuato errore, posset in eiusmodi Ministro nihilominus præponderare generalis intentio faciendi, quod facit vera Ecclesia: atque ita valeret tunc ille Baptismus, si in eo casu nihil deest alioqui ad integritatem formæ. Quæ res satis patet ex doctrina, quam disputat. præced. q. 5. p. 3. tradidimus de valore Sacramẽti collati secundùm debitam materiam & formam, & intẽtionem faciendi, quod facit Ecclesia, ab hæreticis, non obstante erronea & hæretica illorum intẽtione priuata; etiamsi esset circa substantiam seu valorem Sacramenti, vt illic docuimus ex D. Thoma. Itaq; est firmum prorsus hoc testimonium Zachariæ.

Præterea PELAGIVS Papa de Consecratione, d. 4. Cap. *Si reuerà*, ad Gaudentium Episcopum, sic dicit: *Si re vera hi de hæreticis qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, solummodò in nomine Domini baptizatos se fuisse forsitan confitentur; sine cuiusque dubitationis ambiguo, eos ad fidem Catholicam venientes, in SS. Trinitatis nomine baptizabis.* Vbi similiter contra Glossas falsas Caietani, & Adriani, diligenter obseruandum est, ideo Pontificem improbare Baptismum *in nomine Domini solummodo* administratum: quoniam non sit datus in nomine Trinitatis, id est, Patris & Filij & Spiritus sancti.

Hinc enim patet, nihil obstare nobis, siue ibi loquatur de Baptismo collato in nomine Dei, vt parum probabiliter exponunt Caietanus & Adrianus: siue in nomine Christi, qui secundùm phrasin Scripturę & Ecclesię appelletur ibi Dñs. Vtroque enim modo apparet ex eo Canone, Baptismum in nomine Trinitatis omnino conferendum esse, sicut ibi Pontifex iubet denuò fieri.

Quòd verò in eo loco *in nomine Trinitatis* tantundem significet, atq; in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, patet ex aliis multis Canonibus ead. d. 4. vbi perspicuum est, hoc sonare modum illum, quo breuitatis & compendij causſa à Pontificibus & Patribus dici solet, *in nomine SS. Trinitatis*. Maximè verò id patet in Can. *Quamuis*, & Can. *Multi sunt*, ead. d. Vbi item Zacharias Papa ex Euangelio confirmat, formam debere esse: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Quanquam quod ibidem ait de trina mersione, non requirit quidem vt necessarium; sed declarat, esse ritum esse congruentem cum forma præscripta in Euangelio, sicut S. Thomas hunc Zachariæ locum rectè exponit art. 8. ad 2.

TERTIO

TERTIO probatur eadem Assertio auctoritate Sanctorum Patrum: S. Athanasius serm. 3. contra Arian. circa medium; *Nominatur*, inquit, *Pater in Baptismate; necessarium ergo est & filiũ nominare.* Et paulò superius de Spiritu S. dixerat: *Eadem ratione, quem filius baptizat, is in Spiritu sancto initiatur.*

Et infrà probat: *planè vacuum ac inutile fuisse Baptisma ab Arrianis datum*, quia non illud etiam in nomine filij dabant eo sensu quo debebant. *Saluator enim*, inquit, *non quouis modo baptizandũ præcepit: Sed primùm dixit, Docete; ac deinde, Baptizate in nomine Patris, & filij & Spiritus sancti: vt ex doctrina recta fides oriretur, & cum fide Baptismatis* INTEGRA *initiatio perficeretur.*

Item sanctus BASILIVS in lib. de Spiritu S. cap. 12. *Neminem*, inquit, *ad errorem impellat illud Apostoli, quòd nomen Patris ac sancti Spiritus in Baptismatis mentione sæpe omittit, neque ob id putet nominum nomenclaturam non necesse esse obseruare.* Et infrà: *Separatio*, inquit, *Spiritus in Baptismate à Patre, & filio, periculosa est Baptizanti, & inutilis Baptismum suscipienti.*

Item sanctus Augustinus lib. 7. de Baptismo contra Donatistas, cap. 53. cùm quædam alia inquirendo tantùm & dubius ibi de Baptismo disputet; tamen hoc tanquam certissimum ponit, Baptismum, vt valeat, debere saltem administrari & *consecrari verbis Euangelicis.* Quod etiam alibi passim repetit.

Item DIDYMVS lib. 2. de Spiritu sancto. *Quia*, inquit, *Baptizare conetur, vt vnum de prædictis nominibus* (trium personarum) *prætermittat, sine perfectione baptizat*, id est, nõ verè. Hoc enim in hac materia significat apud Doctores, sine perfectione, vt etiam loquitur D. Thomas ar. 5. ad 7. quem frustrà aliter interpretari conatur ibi Caietanus. Denique in eandem sententiam loquuntur passim alij Patres à nobis citati Disp. præced. q. 1. p. 2.

QVARTO probatur Assertio nostra ratione, ex qua intelligitur, rectè sic institutum fuisse à Christo, vt fieret expressa significatio diuinarũ omnium personarum. Sacramentum enim hoc, cùm sit ianua quędam & aditus ad Christianam Religionem, peculiari ratione est, & appellari solet *Sacramentum fidei*, quam idcirco ibi profiterur. Itaq; necesse est, vt saltem præcipui mysterij, quod est SS. Trinitas, fiat ibi expressa & absoluta confessio. Quam rationem indicauit, vt diximus, loco citato Zacharias Pontifex.

POSTREMO id confirmat S. Thomas in art. 5. à signo & indicio quodam huius institutionis. Nam cùm Christus à Ioanne baptizaretur, quo tempore (vt seq. p. dicemus) putatur instituisse Baptismum, trium personarum distincta significatio ibi apparuit, scilicet Patris in *voce*, Filij in *humana natura*, Spiritus sancti in *columbæ specie*, Matth. 3. Superest autem vt ad rationes illas contrà dubitandi, ordine iam respõdeamus discutiamusque supra memoratas circa hoc opiniones

Ad PRIMAM dico, Caietanum in ea re esse singularem & multum falli, vt solidè probat Sotus d. 3. q. vnica, art. 6. Contrà enim sentiunt omnes Doctores in 4. d. 3. Et iam à nobis explicatum antè est, quomodo nomine Trinitatis in Canonibus intelligatur distincta significatio trium personarum

Ad SECVNDAM respõdeo, veram & solidam & communem sententiam esse illam, quam ea de re tradit D. Thomas art. 6. ad 1. nempe secũdùm legem quidem *ordinariam*, neque iam valere neque vnquam valuisse Baptismum *in nomine tantùm Christi*, sed ex peculiari reuelatione & *priuilegio* sic baptizasse Apostolos.

Quanquam non penitùs compertũ est, quòd non etiam nominârint simul alias personas, vt apparet ex his, quæ Sotus hac de re doctè disputat dicto art. 6. & attigit etiam Catechismus Romanus. Etenim ad conciliandam authoritatem & fidem Christo (quæ ratio solet assignari, cur Apostoli in nomine Christi baptizarent) satis erat Christi nomen in forma vsurpare, licet nominarentur simul aliæ personæ. Id quod ab eis factũ esse, indicat planè S. BASILIVS in lib. de Spiritu S. cap. 12. vbi explicat, quasi per compendiũ in Scriptura dici Baptismum *in nomine Christi*, eo quod *Christi appellatio totius deitatis* (vt inquit) *est confessio. Declarat enim & Deum qui vnxit, & filiũ qui vnctus est, & Spiritum S. qui est vnguentum &c.* Itaque nihilominus ibi Basilius tradit, *nomenclaturam* omnium personarum esse in baptismo *necessariam*, vt suprà ex ipso audiuimus. Sed cõmuniter receptum esse video, quod ait D. Thomas, Apostolos quidem baptizasse tantùm in nomine Christi; sed ex priuilegio.

Porrò hanc sententiam defendit etiam Altisiodorensis lib. 4. suæ Summæ, cùm agit de Baptismo Christi, folio 252. columna 4. & Alensis 4. p. suæ Summæ. q. 13. membro 3. art. 2. §. 3. Albertus in 4. d. 3. art. 2. in respõsione ad quæstiunculam 4. Bonauentura in 4. d. 3. parte 1. art. 2. q. 2. vbi affirmat, hanc fuisse suo tempore sententiam communem & certam, quòd scilicet non valeat Baptismus in nomine tantum Christi. Item Durandus in ead. d. q. 1. Paludanus ibidem q. 1. Marsilius q. 3. art. 3. concl. 2. Gabriel q. vnica, art. 2. concl. 4. Carthusianus, & alij ead. d. 3. & Dominicus Sotus in dicto art. 6. Item etiam Petrus Sotus lectione 1. de Baptismo, libro de institutione Sacerdotum. Item Turrecremata super Cap. *Aquodam Iudæo*, & Lyranus in caput vltimum Matthæi. Quibus adde testimonia suprà citata pro necessitate expressæ significationis trium personarum. Item Clementem Romanum libro 7. constitut. Apostolicarum, cap. 23. vbi affirmat, Baptismum conferri debere in nomine Patris, & filij, & Spiritus S. Ex quo colligere licet, non diu durasse priuilegium

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud Apostolorum baptizantium in nomine Christi.

Ad testimonia verò Patrum contraria, vbi commodè nequeunt exponi, dicendum est, eos fuisse eius opinionis, quæ nunc etiam habetur ita probabilis, vt Sotus & alij putent, non nisi sub conditione rebaptizari debere eos, qui tantùm in nomine Christi essent baptizati. Peculiariter autem ad Nicolaum Papam respõderi solet & rectè, illum admisciuisse quidem ibi opinionem suã, quòd valeat Baptismus in nomine Christi; cæterùm illud propriè definiuisse tantùm, de quo inprimis consulebatur, nempe valere Baptismum, non obstante, quòd conferatur *ab aliquo Iudæo*, si cætera non defuerint. Id verò certum est: quoniam Baptismus non pendet ex fide aut conditione Ministri; Et habemus passim alia exempla in quibus Pontifices, vel Concilia definiunt tantùm id, quod præcipuè quæritur: non autem alia, de quibus propriè non dubitatur. Hoc modo respõdisse etiam D. Thomam hìc art. 6. ad 3. ad authoritatem illam Nicolai, conatur ostendere Sotus in dicta q. vnica, art. 6.

Ad TERTIAM dubitandi rationem respondeo similiter, communiorem & certiorem esse sententiã D. Thomæ art. 5. ad 7. videlicet non valere Baptismum, si conferatur *in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroq; seu Spirati*. Quam etiam tuetur Albertus in 4. d. 3. art. 2. in resp. ad quæstiunculam 4. Alensis 4. p. q. 13. memb. 3. art. 3. §. 1. Altisiodorensis lib. 4. Summæ, fol. 253. columna 1. vbi agit de totali forma Baptismi. Richardus d. 3. art. 2. q. 3. Durãdus, & Scotus ead. d. q. 2. Bonauentura eadem d. parte 1. art. 2. q. 3. Marsilius q. 3. art. 4. Gabriel q. vnica, art. 3. dub. 1. qui ait, hanc esse opinionem omnium Theologorum: itidem Dominicus Sotus in dicta q. vnica, art. 5. & Petrus Sotus lectione 1. de Baptismo: item Syluester verbo Baptismus 1. q. 10. Innocentius, & alij Canonistæ cõmuniter, super Cap. *Si quis*. Extra de Baptismo, & eius effectu. Quin etiam hoc ipsum sensisse planè videtur S. ATHANASIVS oratione 2. contra Arrianos, post mediũ: *Iusit*, inquit, *Dominus nos baptizari non in nomine Geniti, & Ingeniti, neque in nomine conditi, & increati sed in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti*.

Fundamentum autem huius sententiæ est: Quoniam illa verba, *In nomine Genitoris, & Geniti, & Spirati*, ne ex accõmodatione quidem vsus significant *primariò & formaliter* ipsas personas, prout *sunt in se*: id quod requiritur, vt suprà probatum est: Sed secundùm *actus* notionales, seu secundùm *originis ordinem*, qui est inter personas. Quam rem non satis perspicaciter aduertit Caietanus, dum laborat probando, quòd illa verba ex accommodatione vsus significent personas, saltem *materialiter*, quod non negamus; sed contendimus, non satis id esse ad *expressam* significationem personarum, nisi etiam accommodatio vsus valeat tantùm, vt *formaliter & primariò* personæ ipsæ significentur, quatenùs *sunt in se*. Quo pacto significantur omnino ex accommodatione vsus per hęc nomina: Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Tametsi negari non possit, quin ex *natura sua* hæc nomina solas relationes formaliter significẽt. Vnde & cõmunia sunt ex natura sua aliis etiam rebus, præter diuinas personas.

Atque hinc quidem facillimũ est, diluere omnes rationes, quas Caietanus affert pro sua opinione. Testimonia verò, quæ adiungit, ex dictis etiam facilè explicari poterũt, ita, vt debent intelligi. Nilominùs tamẽ conceditur cõmuniter, opinionem Caietani esse probabilem; atque adeò non nisi *sub conditione* rebaptizandos esse, qui in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroq;, seu Spirati, baptizati essent.

Ad QVARTAM dubitãdi rationem rectè respondet Sotus in dicto art. 5. non posse dici: *In nominibus*: Quod tamẽ quosdam Zvvinglianos, ab Arrianismo scilicet non abhorrentes, solitos fuisse dicere memorat Ioannes Eckius homil. 10. de Sacramentis. Ratio est: Quoniam *vnitas* potentiæ & authoritatis diuinarum personarũ, singulariter exprimi debet; quod etiam fieret, cùm vox illa: *In nomine*, ter repeteretur. Esset enim tunc non nisi singularis significatio ter repetita. Si autem diceretur, *In nominibus*, non esset significatio singularis, neque simplex, neque repetita. Sed significaretur tunc planè ad mentem Arrianorum, diuersitas essentiæ & potentiæ in personis.

Vnde S. AMBROSIVS lib. 2. de Sacramen. cap. 7. *In vno*, inquit, *nomine baptizari nos oportet, hoc est, in nomine Patris, & filij, & Spiritus S. Noli mirari quia dixi, Vnum nomen, vbi est vna substantia, vna diuinitas, vna maiestas*.

Quin etiam idem Sotus loco citato & Innocentius in Cap. 1. de Baptismo. rectè notant, nõ valere, si dicas, *In authoritate*, in *virtute*: Quoniã vox, *in nomine*, plus significat. Nam vt doctè declarat Hugo lib. 2. de Sacramentis, par. 6. cap. 7. significat etiam *fidem* Trinitatis. Vel certè, quia non constat, an non ex institutione diuina, debeat etiam fides, secundùm illam interpretationem Hugonis, ea voce significari; rebaptizandus esset *sub conditione*, qui anteà baptizatus fuisset in *virtute*, vel in *authoritate* Patris, &c. vt notat illic Sotus.

Ad QVINTAM dubitandi rationem respondeo, *nutibus* nullo modo posse administrari Baptismum. Discrimen enim est, quòd Baptismus peculiari quadam ratione est Sacramentum fidei, cuius ideo facienda expresè confessio est, vt rectè ostendit Adrianus in q. de Baptismo, art. 3. ad vlt. Matrimonij verò, & Pœnitentiæ ea ratio est, vt appareat, posse rectè habere ibi locum vice verborum *nutus*; quoniam in Sacramento Matrimonij, res substrata est quidam humanus *contractus*: Solet autem inter homines agi etiam nutibus. Item in Sacramento Pœnitentiæ Confessio peccatorum ita requiritur, vt Sacerdos cognoscere possit pœnitentis peccata; Quod facere potest etiã per *nutus*. Absolutio tamẽ Sacramẽtalis verbis dãda est; de quo dicetur suo loco.

Porrò verò quod attinet ad varias alias mutationes formæ Baptismi, ex quibus contingere potest, vt de veritate Sacramẽti in variis Casibus dubitetur; applicanda est huc doctrina, quam suprà disputat. præcedente q. 1. p. 2. in communi tradidimus de toto eo genere MVTATIONIS formarum. Atque illud omnino diligenter considerandum est, quod iam antè contra Caietanũ attigimus, scilicet necessarium esse, vt illa sententia, quæ ex institutione Christi per formã significãda est, significetur (siue ex natura, siue ex accõmodatione verborũ) *primariò & formaliter*. Quod maximè requiritur in forma Baptismi, cùm sit, vt dixi, Sacramentũ professionis fidei.

Qua in re falsus omnino fuit Caietanus, dum hìc art. 5. cogitasse videtur, verba, quæ *ex accommodatione tantùm vsus* significant sententiam formæ, significare eam tantùm *materialiter*; nõ autem formaliter & primariò. Quod manifestè falsum est. Nam vsus etiam accommodat verba, vt rem significẽt sub formali hac vel illa ratione præcipuè. Et hactenus de hoc Sacramento dictũ sit per se, quod attinet ad substantialia illius

PVNCTVM QVARTVM.

Quale sit, aut esse debeat Sacramentum Baptismi, quoad quædam ipsius Accidentia.

D. Thom. art. 2. 9. 10.

VOD attinet ad accidẽtia Baptismi, potissimùm hæc cõsideranda sunt. Primò TEMPVS, quo est institutus. Secundò, Relatio necessaria COEXISTENTIAE partium eius, nempe formæ & materiæ: eas enim oportet adhibere *simul*. Tertiò, INITERABILITAS eius: hoc enim vno verbo appello conditionem illam Baptismi, quæ cùm in definitione nõ contineatur, & quibusdam etiam aliis Sacramentis conueniat, rectè censeri potest, quasi quoddam accidens commune huius, & aliorum quorundã Sacramẽtorum. Quartò, ille RITVS & cæremoniarum modus, qui ad solennitatem quandam additur in administratione Baptismi. De Singulis ordine dicendum est.

Quod ad PRIMVM attinet, ponimus inprimis tanquam certum, quòd Baptismus fuerit institutus à Christo, vt suprà disputat. præced. q. 5. p. 1. de illo & reliquis Sacramentis probatum est. De *tempore* autem institutionis eius, vnum certum vel penè certum est, & alterum incertum. CERTVM cõmuniter iam putatur, institutum fuisse Sacramentum hoc ante *passionem Christi*, ita quidem, vt esset iam tunc hominibus salutare, quãquam non adhuc præceptum illo tempore ante passionem. Ita docet Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. parte 6. cap. 4. Magister in 3. d. 3. Alexander Hal. 4. p. q. 12. m. 3. art. 2. (quamuis art. 1. tradit, variis temporibus fuisse significatam Baptismi institutionem quoad varias illius partes) Item Bonauẽtura in 3. d. 3. parte 2. art. 1. q. 1. Scotus ead. d. q. 4. Richardus ibi. art. 5. q. 1. & alij ead. d. excepto Alberto ibidem art. 3. qui nõ nisi post passionem institutum putat. Atque etiam Melchior Canus lib. 8. de locis Theologicis, cap. 5. asserit non esse certã sententiam, quod ante passionem institutus fuerit.

Sed quamuis ex fide quidem non planè certa sit, tamen est iam ita certa, iudicio Theologorũ, vt vix absq; aliqua temeritate contrariũ defendi possit. Atque eandem sententiam confirmat D. Thomas hic art. 2. & defendit rectè Sotus d. 3. q. vnica, art. 2. & Victoria q. 8. de Sacramentis. Probatur autem: Quoniã Ioan. 3. legimus, Christum baptizasse: *Post hæc*, inquit, *venit Iesus & discipuli eius in Iudæam terrã: et illic morabatur cum eis, & baptizabat*. Et Ioan. 4. declaratur hoc ipsum fecisse non per se, sed per suos discipulos, qui scilicet authoritate illius baptizarent.

Quòd verò ibi sermo sit de Baptismo, nõ Ioannis Baptistę, sed quem Christus propriè instituerit; probatur ab aliquibus ea ratione: Quoniam apparet ex cap. 3. Ioannis, discipulos Ioannis indignatos fuisse, eò quòd Christi discipuli multos baptizarent: quod nõ videntur ęgrè potuisse ferre, si baptizassent Christi discipuli more illorum, nempe Baptismo Ioannis. Hæc tamẽ probatio mihi non persuadet. Nam etiam vidẽtur ægrè potuisse ferre, si discipuli Christi, cùm non sequerentur Ioannẽ, administrassent tantùm Baptismum Ioãnis, quemadmodum discipuli Christi ęgrè ferebant, quòd quidam, qui nõ sequeretur Christum, eiiceret tamen *dæmonia in nomine Christi*, Lucæ 9.

Fortiùs igitur probabitur illud primò: Quoniã nisi Baptismum Christi proprium discipuli Christi contulissent, nõ ita dictus fuisset à Ioanne Euangelista ca. 3. ipse Christus baptizare, quia scilicet baptizarent eius discipuli. Hoc enim argumento est, baptizasse illos ex authoritate & institutione Christi.

Secundò, nam Ioan. 3. Christus ad Nicodemũ ita de Baptismo locutus est, quasi de re iam instituta. Quanquam in eo, quod ibi dixit de necessitate Baptismi, respiceret quidẽ ad tempus futurum, vt D. Thomas in dicto art. 2. exponit.

Tertiò accedit, quòd ita intellexerunt Patres, scilicet Baptismum Christi contulisse discipulos ante passionem. Vt Augustinus epist. 108. & Tractatu 5. in Ioannem, vbi affirmat, Christi Baptismum fuisse administratum à Iuda. Item Tract. 13. & 15. Sic etiam Cyrillus lib. 2. in Ioannẽ, cap. 87. & Glossa ordinaria & interlinearis, Ioan. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Beatus autē Leo epist. 4. ad Episcopos Siciliæ, & Chrysostomus homil. 28. in Ioannem, qui videtur sensisse, quòd institutus fuerit Baptismus post resurrectionē, Matth. 28. Vel exponi debēt, vt intelligantur quoad *necessitatem & præceptum* eius: Vel certè potest illorum authoritati anteponi authoritas aliorum Patrum, qui censent, fuisse institutum ante passionem.

Neque argumentum D. Chrysostomi cōuincit. Nam quod dicitur: *Nondum erat Spiritus datus, quia* IESVS *nondum erat glorificatus*: Id non significat, Spiritum sanctum ante passionem & resurrectionem non datum fuisse: datus enim per gratiam est Magdalenę & aliis. Ac eadem ratione potuit etiā illō tempore dari in Baptismo. Sensus igitur est, non fuisse datum *visibiliter*, & secūdùm eam gratiæ copiā, qua datus est posteà in Pētecoste. Ita enim interpretatur D. Cyrillus.

Illud etiam, quod simul diximus, certum est, ante Resurrectionē non obligasse Baptismū, vt patet ex his, quæ generatim tomo 2. disputat. 7. de Legibus, disputauimus de tempore, quo incepit obligare Lex Christi.

Iam verò, qua nam *formā* tūc ante passionem baptizarint discipuli Christi, non satis compertum est. Et Sotus vbi suprà, rectè coniicit, baptizasse in nomine Christi: quanquam fortè etiam exprimebant alias personas. Hoc certum est, institutum fuisse à Christo tunc (siue pro illo etiā tempore, siue solùm pro aliis) sub forma illa ordinaria totius Trinitatis: quoniam hęc est ex lege & institutione Christi.

Alterum verò, quod dicebamus INCERTVM esse, est, Quonā tempore ante Passionem fuerit institutus Baptismus. Est autem probabilissima sententia, institutū fuisse tum, cùm Christus est baptizatus â Ioanne Matt. 3. Ita sentit D. Thomas art. 2. & Magister d. 3. & alij ibid. & Sotus loco citato, & Victoria q. 9. de Sacramentis: quāquam falsò dicit, hoc sine dubitatione esse tenendū. Nam vt rectè ait Sotus, nō est vsquequaq; certū.

Est autem, vt dixi, probabilissimum. Sic enim sentit BEDA in Sermone de Epiphania, cuius illa sententia est: *Tactu mundissimæ suæ carnis, Christus vim regenerationem contulit aquis*. Et ante Bedā S. Gregorius NYSSENVS oratione de S. Baptismate: *Ex omnibus*, inquit, *solus Iordanis, cùm in se recepisset sanctificationis, & benedictionis primitias, &c. in totum mundum donum baptismatis, quasi per quendam riuum et aquæductum transfudit*. Et S. Gregorius NAZIANZENVS orati. 3. de Theologia: *Ideo*, inquit, *Christus baptizatus est, vt aquis ipsis sanctitatem adferret*. Et oratione in Christi natiuit. ait, *aquas tunc illum purificasse*.

In quam sententiam similiter AVGVSTINVS sermone 1. Dominicæ infrà octauā Epiphaniæ, sic dicit: *Ex quo Christus in aquam mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua*. Ex quo Augustini testimonio D. Thomas ar. 2. conficit hanc rationē: Tum Baptismus institutus est, cùm aqua diuinitus accepit virtutem regenerandi spiritualiter. Sed per illum tactū Christi eam virtutem accepit aqua. Ergo tum Baptismus institutus est.

Verùm propositio hæc Minor, non ita intelligenda est, quasi contactus ille per se contulerit illam virtutem aquę: attigit enim Christus alioqui etiam aërem, & terram, & res alias, quæ tamen non ideo virtutem sanctificandi acceperūt: Sed vult D. Thomas, per contactū illum esse tributam illam virtutem aquis, quasi mysticè, seu symbolicè: quia scilicet verisimillimū sit, Christum tum instituisse, vt aqua ad spiritualem regenerationem efficaciter in Sacramento vsurpari posit, cùm ipse aquas attigit in illo Baptismo, quem suscepit à Ioanne. Quanquam nō expresit Euangelista id quidē Matth. 3. sicut neq; *alia multa, quæ fecit* IESVS; neq; tamē scripta sunt in Euangelicis libris, vt ait Ioannes cap. vltimo.

Etsi verò hoc ita sit, puto tamen nihilominus probabilem esse sententiam relatam & non omnino improbatam à Magistro in 4. d. 3. scilicet, Baptismum tum esse institutum à Christo, cùm habuit illum sermonem ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* modò tamen intelligamus, in eo, quod ibi de obligatione etiam suscipiendi Baptismum dixit, respexisse ad tempus futurum, vt B. Thomas hic art. 2. ad 3. interpretatur.

Neque arbitror magnam vim contra eam opinionem habere argumentum Scoti in 4. d. 3. q. 4. nempe non decuisse, vt res tanta in domo priuata Nicodemi, & quasi in angulo instituerētur. Quid enim interest, vtrùm in priuata domo, an in deserti solitudine, seu ad Iordanem, præsente fortasis solo Ioāne, institutus Baptismus fuerit? Satis est, si Sacramentum tantum fuerit institutum, non pro vno vel altero; sed pro omnibus, vbicunque tandem illud institutum sit. Cæterùm magis probanda est sententia illa D. Thomæ, cùm sit cōmunior, vt anteà dixi. Atque hæc de PRIMO Baptismi Accidente.

De SECVNDO Accidente, extra omnem controuersiam est, debere SIMVL materiam & formam Baptismi adhiberi. Id probant omnes ex Can. *Detrahe*, 1. q. 1. qui est sumptus ex AVGVSTINO Tract. 80. in Ioannem, quo loco ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum: detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua?*

Sed nonnulla QVAESTIO est, qualis esse debeat hęc coëxistētia seu simultas materiæ & formæ; an Scilicet in puncto, & Mathematica; an verò sufficiat morali quodam modo. Et Glossa quidem in illo Can. *Detrahe*, vult, vt Mathematicè in vltimo instanti prolationis verborum sit mersio seu ablutio. Caietanus autem tomo 1. suorum Opusculorum, tract. 26. tractans de Ordinum collatione, requirit, vt saltem sint ita simul, vt aliqua pars prolationis sit simul cum aliqua parte mersionis vel ablutionis. Cui videtur subscripsisse Nauarrus in Manuali, ca. 22. n. 7.

SED ve-

SED verior sententia est, satis esse, si sint simul *modo quodam morali*: quod tum etiam fit, cùm absoluta prolatione verborum, illico subsequitur mersio: moraliter enim tunc etiam dicitur vtrumque esse simul. Vt si dicas; *Ego bibo*, & confestim admoueas vas ori, simul moraliter dicis & facis: tametsi physicè quidem loquendo, priùs dixeris. Hanc sententiam tuetur Scotus d. 6. q. 3. Richardus d. 3. art. 4. q. 2. Sotus d. 3. q. vnica, art. 8. & Victoria q. 39. de Sacram.

Obseruādū est tamen, non satis fore, si præcedat mersio, & sequatur etiam statim prolatio; nō quia tunc non essent moraliter simul materia & forma: sed quia verba formæ tunc essent falsa. Cuius ratio est; Quoniā vsus moralis verborū de præsenti, nequaquā admittit, vt id significetur tanquam præsens, quod proximè anteceſsit; sed quia vel omnino sit præsens, vel statim certè sequatur. Non enim verè diceres, *Ego bibo*, postquam iam ebibisti: bene autem, si mox bibiturus sis. Necesse est igitur in proposito, vt prolatio formę aut antecedat, aut cōcurrat cum mersione: neque satis erit, si consequatur. Qua in re Nauarro & Caietano assentior.

Quanquam Sotus quidem in dicta q. vnica, art. 9. insinuare videtur, satis esse, si post mersionem, etiam prolatio consequatur non ita multō pōst. Hoc insinuat, cùm dicit, Baptismum nō valere, si vna vel altera hora, inquit, post mersionem sequatur prolatio: quasi dicat, valiturum tamen, si sequatur non ita multō pōst. Sed quod antè asserui ex sententia Nauarri, & Caietani, est solidius & verius.

Iam quod attinet ad TERTIVM Accidens, nempe *initerabilitatē*, certissima & receptissima in Ecclesia est illa sententia, quam D. Thomas hic art. 9. declarat, nempe Baptismum, postquā semel est legitimè administratus, neutiquam iterari debere. Quæ res etiam in Concilio Florētino, & Tridentino sess. 7. can. 11. de Baptismo, ex perpetua Ecclesię traditione definita est. Ac cōmuniter Doctores, & verisimè sentiunt, eius rei causſam primam & præcipuam esse institutionē diuinam: Quanquam Hugo quidem, lib. 2. de Sacramentis, parte 6. cap. 13. significare videtur, hanc esse solùm institutionem Sanctorum Patrum. Sed illi in ea re omnes contradicunt.

Et primùm quidem eiusmodi institutionem diuinam solent Doctores colligere ex illo loco Pauli Ephes. 4. *Vnus Deus, vna fides, vnum Baptisma*. Quo testimonio ad hanc rem non modò D. Thomas hic art. 9. & alij Scholastici vtuntur, sed etiam Hieronymus, Anselmus, Chrysostomus, & alij Patres cōmuniter in illum locum Ephes. 4. Quorum authoritas meritò mouere nos potest ac debet, vt hunc etiā esse loci sensum putemus.

Quanquam si ad solum scopum orationis D. Pauli respiceremus, non aliud significare videtur, quām quòd Baptismus sit vnus: quoniā est apud omnes eiusdem modi, & vnius ac eiusdem Christi authoritate & nomine confertur: Sicut etiam est vna fides, quia est de eadem & consentiente doctrina apud omnes fideles. Hortatur enim ibi Apostolus ad concordiam & pacem, & vt non sint Schismata inter fideles. Quam ad rē persuadendam illud sumit, nempe omnium esse vnum Baptisma, sicut etiam vnam fidem, & vnū DEVM; quæ res facere debet ad pacis & vnionis vinculum. Cæterùm nihil obstat, quò minùs alter quoq; ille sensus, eidem Apostoli loco conueniat, scilicet Baptismum esse vnum, ideò etiā, quia non posit, nisi semel vsurpari, sicut Patres intellexerunt. Constat enim alioqui eundem Scripturæ locum plures posse sensus admittere, etiam literales, qui non pugnent inter se, vt ex Augustino docuimus Tomo 1. disputat. 1. q. 1. p. 5.

Deinde clariùs & efficaciùs diuina illa institutio colligi solet ex altero loco Pauli ad Hebr. 6. vbi ait, *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustauerunt etiam donum cęleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, rursus renouari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes*. Quòd enim Apostolus hoc loco per illam renouationem, quam iterum fieri posse negat, intelligat Baptismum, patet *primò*, quoniā dicit, *impossibile esse, rursus renouari, &c.* Vnde apparet, ipsum intelligere illud idem, quod ibidē dicit semel factum esse. Hoc autē sine dubio est Baptismus, in quo est illa *illuminatio & participatio* Spiritus sancti peculiaris, de qua dicit ibi Apostolus. Quò & illa appellatio Baptismi pertinet, quā ex D. Dionysio suprà p. 1. inter cætera notabamus, vt scilicet dicatur esse etiā illuminatio fidei, propter fidei professionē, quę in illo fit.

Secundò probatur idem ex ratione, quā subiungit Apostolus, scilicet non posse renouari ad illum modum pœnitentiæ, ne *iterum crucifigatur Christus*. Hoc enim fieret, si Baptismus repeteretur: quoniam propria quadam ratione est in illo similitudo mortis Christi. Itaq; si denuò susciperetur; esset symbolicè iterum Christum crucifigere. Nam & hac ratione Doctores vtuntur, vt probent, Baptismum non nisi semel susci debere, quemadmodum Christus semel tantùm mortuus est, vt paulò pòst videbimus.

Tertiò idem confirmatur authoritate Patrum, qui locum illum Apostoli censent omnino intelligi de Baptismo debere. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Beda, & alij super illum locum. Item Epiphanius contra Nouatianos hæres. 69. qui perperam eo loco abutebantur, ad probandum, nō esse post Baptismū relictum locum pœnitentiæ. Item Augustinus libro 1. de Baptismo cōtra Donatist. cap. 1. & lib. 5. ca. 15. & Tract. 11. in Ioānem, & Damascenus lib. 4. Fidei Orthodoxę, cap. 1. Quanquam Hieronymus quidem de pœnitentia intelligit; & tunc verbum illud, Impossibile, ait tantundem valere, ac si dixisset, *difficillimè*. Sed illa altera interpretatio est communis Patrum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quare iamdudum explosus est in Ecclesia error Marcionistarum, qui teste EPIPHANIO hæresi 42. ter putabant suscipiendum esse Baptismum, primò in puerili ætate, propter peccatum originale: deinde in ætate adulta bis; idque ad quandã imitationem Christi, qui cùm esset primùm baptizatus à Ioãne; deinde etiam Baptismo sanguinis in cruce baptizari voluit. Sed hoc leuissimum est fundamentum, atque ita, vt dixi, planè est illa hæresis ab omnibus irrisa & explosa.

Pari modo ex dictis reuincitur error quorũdam Anabaptistarum huius ætatis, qui rebaptizant eos, qui fidem abnegauerunt, etiamsi antè fuerint legitimè baptizati. Contra quos est Canon 11. sess. 7. Concilij Tridentini de Baptismo. Donatistæ verò rebaptizantes eos, qui ab hæreticis essent rebaptizati, non propriè contra fidẽ huius Assertionis errabant: sed quia putabant, Baptismum ab hęreticis collatum, non esse legitimum. Qua in re suprà disputatione præcedẽti, quæstione quinta, puncto tertio, confutauimus ipsorum errorem.

Sic etiam Anabaptistę illi, qui paruulos semel baptizatos, iterum quando veniunt ad vsum rationis, baptizant, non hîc sed infrà q. 3. confutari debent: id enim faciunt, quia putant, Baptismum paruulorum non esse legitimum: Hic autem propriè illud solùm agimus, Baptismũ, qui legitimè semel susceptus sit, & legitimus adeò putetur, non esse iterandum.

SED cùm hæc, quod attinet ad Assertionem ipsam, sic se habeant, difficultas est in assignandis rationibus, cur diuinitus institutum fuerit, ne Baptismus iteraretur; vt ita appareat, institutionem illam fuisse consentaneã rationi. D. Thomas art. 9. quatuor assignat.

PRIMA. Quia in Baptismo regeneramur spiritualiter: vt autem generatio naturaliter semel fit, ita etiam generationem spiritualem oportet tantùm semel fieri. Hac ratione vtitur Augustinus Tract. 11. in Ioannem.

SECVNDA. Quoniam habet peculiari ratione similitudinem mortis Christi. ad Rom. 6. qui *mortuus est semel*. Hac ratione vsus est Paulus. Hebr. 6. vt antè expositum est.

TERTIA. Quia imprimit characterem indelebilem, quo etiam quadam ratione consecramur Christianæ Religioni: Res autem semel cõsecratæ non debent iterum consecrari; sed prima consecratio perpetuò in eis manet. Hac ratione ex impressione Characteris ducta, vtitur frequẽtissimè D. Augustinus, vt ostendimus suprà disput. præced. q. 4. p. 1. cùm probaremus Assertionem characteris. Quod malitiosè de Augustino dissimulauit Kemnitius in exam. can. 11. sess. 7. de Baptismo, Concilij Tridentini. Item vtitur eadem ratione Concilium Florentinum, & Tridentinum sesione septima, canone nono.

QVARTA. Quia inprimis institutum est ad remissionem peccati Originalis; quod peccatũ non iteratur.

Hæc argumenta dupliciter ad institutionem diuinam accommodare possumus. PRIMO, quasi *necessariò* & ex natura rei DEVS debuerit illis moueri, vt institueret, ne iteretur Baptismus: quia scilicet propter has rationes ex natura rei sit vitiosum & deforme, Baptismũ iterare. ALTERO modo ita, vt *congruenter* quidẽ & rectè his rationibus DEVS inductus sit ad instituendum. Vtroque enim modo satis intelligitur, quòd propter has rationes non possit, nec debeat Baptismus repeti, vt S. Thomas & Concilia loquuntur: quia scilicet illæ rationes vel necessariò, vel congruenter commouerint Deum ad eiusmodi institutionem: ex qua fit, vt sine peccato non possit Baptismus iterari.

Hoc cùm ita sit, DVBIVM est, vtro modo ex illis duobus debeant rationes illæ applicari ad institutionem. Sotus d. 3. q. vnica, art. 9. sentire videtur, quòd necessariò & ex natura rei. Sed hoc difficulter defendi potest. Videtur enim, nullam rationem ex illis esse, quæ necessariò & ex natura rei conuincat, ita debuisse constitui.

NON PRIMA: Quia *creatio* spiritualis, quæ secundùm Scripturæ phrasim fit, quandocunque aliquis acquirit gratiam, non minùs est similis creationi naturali, quàm generatio spiritualis, generationi naturali: Neque verò creatio naturalis eiusdẽ rei naturaliter magis repeti potest, quàm generatio naturalis. Sed hoc non obstante, nulla ratio ex natura rei obstat, quò minùs creatio illa spiritualis iteretur. Ergo neq; aliqua ratio ex natura rei necessariò obstiterit, quò minùs absolutè quidem potuerit etiam iterari generatio spiritualis. Minor probatur. Quoniam sæpiùs idẽ homo creatur spiritualiter illo modo, cùm scilicet sæpius à peccatis resurgit & iustificatur per pœnitentiam. Ideò enim iustum hominem appellat Scriptura, *nouam creaturam*. ad Galatas 6. Accedit, quòd ex natura rei nulla ratio conuincit, necessariò debuisse generationem spiritualem Baptismi esse similem generationi naturali, ea etiam ratione, qua generatio naturalis non fit, nisi semel.

NON SECVNDA: Quia neque suppetit vlla ratio necessaria ex natura rei, quamobrem debuerit Baptismus in eo etiam esse similis morti Christi, vt sicut Christus semel mortuus est, ita ille non susciptiatur nisi semel.

NON TERTIA: Quia cùm aliqua causa potest habere plures effectus; sine deformitate adhiberi potest ad effectum vnum, etiamsi effectus alter existat alioqui in subiecto, maximè si effectus ille, qui desideratur, est potior. Sed Baptismus potest efficere & Characterem, & Gratiam, quæ est effectus potior: Ergo tum etiam, quando quis Characterem habet, caret autem Gratia, posset

tia, posset Baptismus sine deformitate ex natura rei iterari. Maior probatur etiam in hac ipsa materia morali Sacramentorum. Nam quia Sacramentum Pœnitentiæ v. g. potest etiam gratiam augere, & venialia remittere; rectè iteratur & suscipitur ab illo, qui gratiam alioqui habet, tantumque confitetur peccata venialia: Imò ipse Baptismus rectè suscipitur ab eo, qui habet quidem gratiam acquisitam per charitatem & pœnitentiam, tantumque caret Charactere Baptismali. Quòd si in hoc Casu propter solum effectum Baptismi minus principalem, nempe Characterem, rectè Baptismus suscipi potest; cur non etiam ex natura rei posset rectè suscipi, propter solum effectum principalem, id est, gratiam, ab eo, qui ante accepisset Characterem?

Non denique QVARTA: idque propter eandẽ rationem. Baptismus enim etsi ad remissionem peccati originalis præcipuè institutus sit; potest tamẽ ex diuina institutione alium effectum habere, nempe remissionem peccatorum actualium, quæ iterantur.

Arbitror igitur verius, & magis ex mente D. Thomæ, & aliorum Doctorum id esse, quod sentit Gabriel d. 6. q. 2. art. 2. concl. 2. nempe rationes huiusmodi nõ nisi posteriori modo, scilicet *cõgruenter*, applicari debere ad diuinam institutionem de non iterando Baptismum.

Sed obiiciet aliquis, ne sic quidem illas omnes videri bonas. Non *secundam*: Quoniam vt Scotus d. 6. q. 7. argumentatur, omnia Sacramẽta habent vim ex morte Christi; neque tamen ideo sunt omnia initerabilia.

Item non tertiam: Quoniam videtur ita probari, quod notius est per id, quod est minùs notum. Nam tempore etiam Apostolorum notissimum erat, ex institutione Christi prohiberi, quò minùs iteraretur Baptismus; neque tamen illo tempore videtur fuisse nota Assertio Characteris. Sic enim etiam argumentatur illo in loco Scotus.

Accedit tertiò, quòd illud argumentum, quo probauimus antè, rationem tertiam ex natura rei non conuincere, videtur etiam æquè probare, eam ne congruenter quidem conuincere. Nam cùm causa possit habere alterum effectũ, præsertim principalem; non modò sine deformitate, sed rectissimè etiam propter illum solũ videtur vsurpari posse.

Quartò deniq; accedit, quòd Kemnitius contra Can. 11. de Baptismo, sess. 7. Concilij Tridentini, atque etiam contra Can. 9. de Sacramentis in genere, ex sua & aliorum hæreticorum sentẽtia, valdè irridet rationem illam ductam ex charactere. Deinde adhibet aliam ipse, quòd scilicet pactum & promissio gratiæ, quam Deus obsignauit externo illo Baptismi Symbolo, est firma & perpetuò valida: proinde non opus esse, vt iterato Baptismi vsu, denuò quasi obsignetur, atque si esset per peccatum euacuata; sed satis fore, si per pœnitẽtiam redeamus ad firmum illud pactum, vt scilicet nobis prosit.

Nihilominus tamen affirmo rationes illas omnes esse optimas in eo sensu, quo declarauimus. Quare ad argumentum primum Scoti, respondet rectè Caietanus art. 9. non rectè fuisse ab illo intellectam D. Thomæ rationem. Is enim non ex eo propriè argumentatur, quòd Baptismus acceperit vim à morte Christi; sed quòd *peculiari & propria quadam ratione* insit in eo *similitudo* mortis Christi: atque ideò non debet iterari.

Ad Secundum respondeo, rem Characteris etiam ab Apostolorum tempore fuisse notam, licet characteris vocabulo nõ illa significaretur tunc fortasis. Id patet ex his, quę suprà disput. prędcedente, q. 4. p. 1. disputata sunt pro assertione Characteris. Deinde Caietanus rectè respondet, nullum esse absurdum, si, quod postea cognitum fuit, sit per se notius eo, quod antea fuit cognitum, atque ita sumatur ad probandũ id, quod fuit notum prius. Multarum enim Cõclusionum, inquit Caietanus, quæ à prioribus Doctoribus erant vtcunque notæ, inuenerunt tamen posteriores Doctores causſam *Propter quid*.

Ad tertium quod attinet, licet Gabriel vbi suprà, propter illud argumentum, & propter illud etiam alterum Scoti, quod iam soluimus, videatur absolutè reiicere illam rationem tertiã ex Charactere ductam; tamen propter authoritatem Conciliorum, quæ illâ vtuntur, omnino defendenda est. Itaque respondeo ad id argumentum, minùs rectè causſam propter alterum tantùm effectum adhiberi, quando ille effectus potest æquè bene & facilè, per alias causſas ad id institutas obtineri. Atque hoc accidit in proposito. Nam ad remissionem actualium peccatorum, & ad gratiam acquirendam, sunt alia media diuinitus instituta, & præsertim Sacramentum Pœnitentiæ, quod eò propriè pertinet. Deinde illud etiam hîc considerandum est, fieri posse, vt & hoc modo, & illo modo etiam possit fieri res cõgruenter & rectè. Itaque non valet Consequentia: Sic fuisset factũ rectè: Ergo hoc alio modo non est factum rectè & congruenter

Ad quartum dico, Augustinum etiam vsum fuisse ratione illa, quem tamen hæretici irridere non debent, nisi impudentes esse velint. Id autem patet ex eodem Augustino in locis citatis disputatione præcedenti, quæstione 4. puncto primo, & præterea libro primo de Baptismo contra Donatum, capite primo, & libro quinto, capite decimo quinto, & tractatu 11. in Ioannem.

Ad Rationẽ aũt illam, quã Kemnitius & alij hęretici ad eã rem afferunt, dico, eam esse planè

 ineptam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ineptam & nullius momenti. Ita enim ſimiliter probari poſſet, neque Euchariſtiam, neque Pœnitentiam repeti debere: quoniam etiam iis externis Symbolis obſignata diuina promiſsio eſt de conferenda ſcilicet gratia in his Sacramentis, quæ promiſsio æquè eſt firma, atque illa Baptiſmi: imò prorſus ex parte Dei eſt eadem. Vno enim actu & ſimul promittit Deus, gratiam ſe daturum in vſu Sacramentorum. Et tamẽ repetitur nihilominùs Sacramentum Euchariſtiæ ac Pœnitentiæ; non vt pactum diuinũ &. promiſſum inſtauretur, quaſi euacuatũ per peccatum fuerit; ſed vt conſequaris *verò* effectum eius pacti & promiſsionis. Sic igitur & Baptiſmus potuiſſet tali modo ad eum finem repeti, niſi inſtitutio diuina, propter illas alias rationes, quas ipſi adduximus, obſtaret.

Quibus rebus explicatis, adhuc tria ſunt hoc loco notanda circa iſtam initerabilitatem Baptiſmi. PRIMO notandum eſt, ſi ſit dubium, nũ aliquis antèà fuerit baptizatus, poſſe *ſub conditione* (ſi non ſit baptizatus) ei conferri Baptiſmum. Ita D. Thomas art. 9. ad 4. ex decreto Alexandri III. in Cap. *De quibus dubium eſt*. Extra, de Baptiſmo, ſine controuerſia docet.

Neque verò id erit verè & propriè *rebaptizare*. Etenim ſi ſubeſt cõditio appoſita; tunc Baptiſmus prior non fuerit verus; ſi autem non ſubſit, poſterior non erit verus: non enim quis vult tũ baptizare, niſi poſita cõditione: Vt rectè hoc inter cæteros declarârunt, Sotus d. 3. q. vnica, art. 9. & Nauarrus in Manuali cap. 27. n. 246.

Neceſſe eſt autem, vt dubiũ ſit non leue, aut Metaphyſicum; ſed graue, & morale: ſicut omnes rectè notant: Tale autem dicit Sotus loco citato eſſe, quando neutra pars poteſt determinari; ſed mens manet anceps. Verùm hæc Regula non eſt generalis. Nam cùm dubium eſt nõ *facti*, ſed de *veritate formæ* aut *materiæ*, ſæpè poteſt Baptiſmus iterari ſub conditione, vt idem Sotus in dicta q. vnica, art. 3. 6. 7. 8. paſsim concedit; & tamen tunc, ſaltem per aſſenſum opinionis probabilioris, poteſt mens in alteram partem determinatè inclinari.

Rectiùs ergo dicemus, dubium eiuſmodi graue & morale eſſe, cùm vel neutra pars determinari poteſt: vel certè vtraque habet rationes, quæ meritò etiam mouere poſsint prudentes, licet altera videatur probabilior. Neq; intereſt, quod ad hoc attinet, vtrũ dubitatio ſit *facti*, an *qualitatis*, id eſt, de veritate formæ aut materię.

Quòd ſi dubium eiuſmodi (ſcilicet graue & morale) non ſit; omnes cenſent, eſſe peccatum ex genere ſuo mortale, ſi quis leuiter & temerè ſub conditione rebaptizet. Nec ſatis eſt, quòd non conſtet euidenter & certò, aliquem eſſe baptizatũ, vt rebaptizare illum ſub cõditione poſſis: Sufficit, coniecturas eſſe, quòd baptizatus ſit: neque pro altera parte rationes alicuius momenti occurrere, vt rebaptizare non poſsis.

Exempli cauſſa: Siquis fuerit natus & educatus inter fideles; putandum hoc ipſo eſt, illum baptizatum fuiſſe, ſicut fieri ſolet inter fideles; eaque coniectura ſufficit, vt rebaptizari minimè debeat, quemadmodum rectè Sotus in dicto art. 9. & Nauarrus in Manuali cap. 27. n. 246. ex communi ſententia notarunt. Atque inde fieri poterit iudicium de Caſibus ſimilibus.

SECVNDO notandum eſt, Baptiſmum non eatenùs tantùm initerabilem eſſe, quoniã peccatum ſit iterare; ſed quia omnino *nullus* eſt, ſi, poſtquàm anteà legitimè ſuſceptus fuit, iteretur. Hoc cenſet eſſe probabilius Gabriel d. 6. q. 2. art. 2. concl. 1. Sed Sotus in dicto art. 9. prorſus, & rectè quidem id affirmat: imò D. Thom. q. ſeq. art. 6. id expreſsè indicat. Ratio autem eſt: Quoniam ſubiectum Baptiſmi ſecundùm inſtitutionem diuinam, eſt homo non anteà baptizatus. Quare nõ magis erit Baptiſmus, ſi baptizatum baptizes, quàm ſi baptizes beſtiam: & tamen qui baptizatum hominem baptizant, nihilominus rectè dicuntur *iterando Baptiſmum* peccare, quoniam ſacrilegè, quantũ in ipſis quidem eſt, conantur Baptiſmum conferre ei, qui Baptiſmi non eſt ampliùs capax. Vt ſi quis dicatur peccare baptizando beſtiam, quoniam nititur ei tribuere Baptiſmum, cùm non poſsit.

TERTIO notandum eſt, Iure Ciuili tam iis, qui rebaptizant, quàm iis, qui rebaptizantur, decretam eſſe pœnam capitis, Lege 2. Cod. Ne ſanctum Baptiſma iteretur. Iure autem Canonico, qui ſcienter rebaptizant, aut rebaptizãtur, fiunt irregulares. Cap. *Eos quos*, de Conſecrat. d. 4. & Cap. 2. Extra de Apoſtatis. Item etiam, ſi rebaptizatio fiat ex ignorantia. Cap. *Quibis ignoranter*. de Conſecrat. d. 4. quod tamen Scotus d. 6. q. 8. & Sotus in dicto art. 9. & Nauarrus in Manuali cap. 27. n. 246. rectè interpretantur de ignorantia culpabili, quæ ſcilicet non ſit *iuſta & probabilis*, qualis eſt ſanè, cùm adhibita ſufficienti diligentia, ſciri non potuit de primo Baptiſmo. Quando autem id ſciri potuit, & adhibita diligentia non eſt; tum quidem ſi abſolutè rebaptizatio fiat, & peccatur, & incurritur irregularitas. Si autem fiat *ſub conditione*; peccatur quidem ob eiuſmodi temeritatem, ſicut antè dictum eſt; ſed tamen non incurritur tunc irregularitas, vt rectè notat Nauarrus in dicto cap. 27. n. citato.

Ratio eſt: Quoniam ex Iure ſolùm fiunt irregulares, qui abſolutè & verè rebaptizare intẽdunt: Tales autem non ſunt, qui rebaptizãt ſub cõditione, etiã temerè: Siquidem non intẽdunt baptizare, poſito, quòd prior fuerit verus Baptiſmus, vt rectè illic argumẽtatus eſt Nauarrus.

Notat etiam bene Sotus in dicto art. 9. ignorãtiam inuincibilem poſſe quidem excuſare ab irregularitate, ſi ſit *facti*, aut etiã *iuris diuini*, quo prohibetur iteratio Baptiſmi: quia tunc nimirum non

peccas in ipſo facto rebaptizandi: irregularitas autẽ illa naſcitur ex delicto illo rebaptizandi. Si autem ignorantia inuincibilis tãtùm ſit eius iuris, quo irregularitas hæc decernitur rebaptizantibus; non excuſat ab illa. Quẽadmodum neque inuincibilis ignorantia Iuris, quo decretum eſt ſupplicium extremum latronum, latronẽ excuſat, quò minùs debeat id ſupplicium ſubire. Et ratio eſt: Quoniam ſine ſcientia illius Iuris, quo decernitur eiuſmodi pœna, poteſt liberè & voluntariè cõmitti illud delictũ, propter quod meritò illa irrogatur, ſi videlicet ſcias, aut ſcire potueris & debueris ipſum factũ & ius naturale, aut diuinum, aut etiam humanum, per quod factum per ſe prohibetur.

Et tamen cùm *de excommunicationis* Cenſura agitur, diſpar quoad hoc ratio eſt. Nam ſi nõ ſcieueris, aut ſcire non potueris & debueris, immineret pœnam Excõmunicationis, non incurris illam; eò quòd Excõmunicatio propriè incurritur propter culpã *contumaciæ* & inobedientię erga Eccleſiam, quę non accidit, niſi Excõmunicationem ſciueris, aut ſcire potueris, &c. vt rectè loco citato idem Sotus annotauit. Deniq; ſuper huiuſmodi irregularitate ſolus Papa DISPENSAT, vt docet Syluester, Verbo Baptiſmus 5. §. 3. & Sotus etiam in illo art. 9. Atque hæc de TERTIO Accidente Baptiſmi.

Iam verò quod ad QVARTVM Baptiſmi Accidens attinet, præcipuè hic dicemus cũ D. Tho. art. 10. de ritu Cæremoniarũ, quæ in Baptiſmo adhibentur poſt adhibitam ſubſtantialem formam & materiam eius, vel certè quæ concomitantur ipſum Baptiſmum; & quæ ideo propriè cenſeri poſſunt quædã Baptiſmi accidentia præter eius ſubſtantiã. De ritu autem cæremoniarũ *antecedẽtium* Baptiſmũ, præcipuè dicendum eſt infrà q. vlt. Hoc poſito accõmodari huc illa generalis doctrina debet, qua ſuprà diſput. præce. q. 1. p. 4. contra Sectarios defendimus, Eccleſiæ inſtitutũ in huius & aliorum Sacramentorũ ritibus. Nam vt Sectarij cõmunibus argumentis genus hoc totũ oppugnant: ita etiam argumẽta cõmunia, quæ pro eo nos in illo loco fecimus, vbiq; valent. Quinãverò ſint peculiares ritus cõſequentes ſubſtantiã huius Sacramenti, explicat ferè D. Thom. in ar. 10. vbi rectè illorũ rationes & cõmoditatẽ declarat ex ſententia Patrũ, & fuſè VValdenſis tomo 3. cap. 45. & ſeq.

Agit autẽ potiſsimùm D. Thomas de his trib. *Primò*, in reſp. ad 1. de tempore adminiſtrationis Baptiſmi ſolennis. nempe *Paſchatis & Pentecoſtes*, cuius rei etiã meminit Syricius Papa Epiſt. 1. decretali, cap. 2. & Leo Papa Epiſt. 4. Ex quo id etiã habetur de Conſecratione d. 4. Can. *Duo tempora*.

Secundò agit etiã D. Thomas de vſu *olei et Chriſmatis*, cuius cæremoniæ etiã meminit Clemens Romanus epiſt. 3. & lib. 3. Conſtitutionũ Apoſtolicarum, cap. 17. & lib. 7. cap. 23. Dionyſius libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 2. Tertullianus libro de Corona militis, Origenes homil. 7. in Ezechielem, Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi myſtagogica 2. & 3. Gregorius Nazianzenus Oratione in S. Lauacrũ, Ambroſius libro de his, qui initiantur myſteriis, cap. 6. & lib. 2. de Sacramentis, cap. vlt. & lib. 3. cap. 1. Cyprianus lib. 1. Epiſtolarum, epiſt. 12. Auguſtinus Tractatu 44. in Ioannẽ. Baſilius libro de Spiritu ſancto, cap. 27. & clariſsimè & luculẽtiſsimè Chryſoſtomus homil. 6. in Epiſtolam ad Coloſſenſes.

Quanquam animaduertendum eſt, vſum hũc olei & chriſmatis, non eſſe de ſubſtantia Baptiſmi, vt falſo ſenſẽre Armenij apud Alphõſum de Caſtro in Summa de Hæreſibus, Verbo, *Baptiſmus*. Nam ſine eiuſmodi vnctione conſiſtit tota Baptiſmi ratio à Domino explicata, Ioan. 3. illis verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. &c.* & illis itẽ Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Vnde & vſus Eccleſiæ obtinuit, vt in caſu neceſsitatis Baptiſmus adminiſtretur ſine vnctione. Qua de re ita ſcriptum reliquit S. CLEMENS lib. 7. conſtit. Apoſtol. cap. 23. *Si non fuerit oleũ, neque vnguentum chriſmatis, ſatis eſt aqua, &c.*

Illud etiam rectè notat Sotus d. 3. q. vnica. ar. 10. Sacerdotem non debere baptizatum inungere iſtiuſmodi oleo ſancto, in fronte; ſed in vertice capitis, vt etiam ſignificauit D. Thomas. Vnctio enim illa in frõte, pertinet ad Epiſcopũ, cùm baptizatos deinde confirmat, vt habet etiã Rabanus lib. 1. de Inſtitut. Clericor. cap. 28.

Tertiò meminit hoc loco D. Thomas *veſtis candidæ*. Quem ritum videre quoq; eſt apud Dionyſium libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 2. & Tertullianum in libro de Baptiſmo, & Cyrillum Heroſolymitanum catecheſi myſtagogica 4. & Ambroſiũ de iis, qui initiantur myſteriis, cap. 7.

Præter hos ritus alij etiam adhibẽtur, qui Baptiſmum antecedunt, vt Catechiſmus, de quo vide Auguſtinum libro de fide & operibus, cap. 9. & Exorciſmus cum exſufflationibus, &c. de quo ritu extant luculẽtiſsima teſtimonia S. Auguſtini, lib. de gra. Chriſti & peccato originali, cap. 40. & lib. 6. contra Iulian. cap. 2. & lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 17. & 18. & epiſt. 105. ad Sixtum presbyterum. Sed de his q. vltima.

Porrò Tertullianus in libro de Corona militis, & D. Hieronymus in libro contra Luciferianos, memorant, fuiſſe cõſuetudinẽ in Oriente, vt baptizatis præberetur illicò *lac & mel*, quo ſignificabatur, eos participes eſſe factos diuinorũ myſteriorũ: In Occidente autẽ, dabatur cũ lacte vinũ, vt idẽ Hieronymus teſtatur in ca. 55. Eſaię.

Denique notandus eſt hoc loco inſignis locus Auguſtini lib. 6. contra Iulian. cap. 8. vbi diſertè commemorat, quemadmodum in more fuerit, adhibere ſignum crucis. *Signo*, inquit, *Crucis cõſecratur vnda Baptiſmatis*: id quod etiam fit hodie. Quanquam non eſt hæc quidem cæremonia de ſubſtantia Baptiſmi, vt ſine fundamento fertur putaſſe quidam Claudius Taurinenſis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO SECVNDA.

De Ministro Baptismi.

D. Thom. 3. part. q. 67.

EXPLICANDA sunt Tria. PRIMO, Quinam sint Ministri Baptismi. SECVNDO, An à pluribus Ministris possit vnus & idem, & eodem tempore simul Baptizari. TERTIO, An præter Ministrum, qui Baptismum confert, oporteat adesse aliquem alium, qui circa Baptismum fungatur munere aliquo.

PVNCTVM PRIMVM.

Quinam sint Ministri Baptismi.

D. Thom. art. 1. 2. 3. 4. 5.

QVOD ad PRIMVM attinet, triplicis generis ministri ex orthodoxa doctrina statuuntur, quemadmodum etiã eos distinxit Catechismus Romanus. Hi sunt primùm Ordinarij & ex officio: secundò Extraordinarij, & ex cõmissione Ordinariorum: postremò Extraordinarij etiam, sed in solo Casu necessitatis.

PRIMI generis ministri (scilicet ex *officio*) sunt Episcopi & Sacerdotes, vt ostendit D. Thomas art. 2. ex D. Isidoro lib. 2 de Officiis, cap. 24. & habetur de Cõsecratione d. 4. Can. *Cõstat*. Et Can. *Perlectis*. 25. d. Quanquã Episcopi quidẽ soliti sint id munus relinquere Sacerdotibus, vt & olim etiam fecerunt, sicut clarè docet D. Thomas ibi ad 1. Vbi tamen annotandum est, quòd in Parochia alicuius, nemo potest administrare Baptismũ, nisi Parochus, vel de licẽtia Parochi, vt rectè etiam notauit D. Thomas art. 4. ad 2. & Sotus d. 4. q. vnica, art. 1.

SECVNDI generis Ministri (scilicet ex commissione) sunt Diaconi. Hi quoq; ex *commissione* Episcopi aut Sacerdotis, administrare possunt *solenniter* Baptismũ. Quam rem Caietanus art. 1. & Sotus in dicto etiam art. 1. rectè colligunt ex modo Ordinationis illorũ. Ibi enim dicitur ad officium illorum pertinere prædicare, & baptizare. Atq; idipsum, quod Caietanus & Sotus dicunt, significat apertè Catechismus Romanus. Quod & ex Gelasio d. 93. Can. *Diaconos*. colligere licet, iuxta interpretationẽ Glossæ ibi in Verbo, *Absque episcopo vel presbytero*.

Quare quod D. Thomas art. 1. negat, Diaconos esse huius Sacramenti ministros, intelligendum est, vt rectè Caietanus notauit, *ordinariè & ex officio*, quasi solenniter administrare possint absq; peculiari cõmissione Episcopi vel Sacerdotis. Et id quidem rectè D. Thomas probat ex eo, quod ad Diaconos propriè pertinet nõ nisi ministrare Sacerdotibus. Cæterũ ex cõmissione nihil hoc obstat, quò minùs Baptismum administrare ipsi solenniter possint.

Addit tamẽ Sotus, iam exoleuisse eam cõsuetudinẽ, si quando fuit, vt ex cõmissione Diaconi A solenniter administrent. Quanquã rectè concedit, nunc etiã id fieri posse, vbi magna esset multitudo baptizandorũ, neq; suppeteret copia Sacerdotũ, sicut in Insulis & terris remotioribus.

TERTII generis Ministri (scilicet extraordinarij in casu necessitatis) sunt omnes omnino homines cuiuscunque vel sexus vel Religionis, &c. vt D. Thomas art. 34. & 5. ex Ecclesiasticis sanctionibus & doctrina in tota Ecclesia receptissima, clarè docet. Quanquam de infidelibus quidem nõ baptizatis, an possint ipsi Baptismũ conferre, quæstionem mouit D. AVGVSTINVS lib. 2. contra epistolam Parmeniani, cap. 13. quam definire ipse non voluit.

Sed posteà tamen definitũ est à Nicolao Papa Can. *A quodã Iudæo*, de Cõsecrat. d. 4. quoscunq; etiã infideles posse conferre Baptismum. Et idẽ ibi habetur Can. *Romanus*. quod item explicatũ est in Concilio Florentino. Ratio autem, cur ita diuinitus institutũ sit, ducitur à singulari necessitate huius Sacramenti. Etenim paruulis aliter subueniri omnino nõ potest: neq; adulti possũt aliter consequi plenũ certè effectum huius Sacramenti. Nam characterem omnino nequeunt alio medio cõsequi, vt animaduertit Caietanus ar. 3. & remissionẽ item quoad culpam, & quoad totã pœnam (quæ est effectus Baptismi) nõ possunt sine Baptismo obtinere, nisi difficillimè, & per actũ feruentissimũ charitatis & pœnitentiæ, qualis rarissimè habetur. Hoc. n. pacto intelligendũ puto D. Thom. art. 3. in corpore, & ad 3. & nõ propriè illo modo, quo voluit ibi Caietanus.

Quamuis autem ita se habeant, si de veritate tantùm & substãtia ipsius Sacramenti quæratur, tamen vt RECTE etiam ab huiusmodi Ministris & sine peccato illud administretur, sciendum est, ordinem quendam in hoc esse seruandum. Itaque vt D. Thomas art. 4. & omnes docent, peccaret mulier, si præsente viro; & Laicus, si præsente Clerico; & Clericus, si præsente Sacerdote, Baptismum administraret; non autem Sacerdos, si præsente Episcopo, inquit D. Thomas. Siquidem ipse etiam ex officio est Minister. Quanta verò esset culpa in prætermittendo hoc

ordine, D. Thomas non explicat. Mihi probatur ea de re opinio Soti d. 4. q. vnica, art. 2. nempe citra contemptum, tantùm esse veniale, nisi cùm aliquis inferior id facit, præsente & renuente Sacerdote, cui ministerium illud ex officio ordinario incumbit. Tunc. n. videretur mortale.

Porrò si ordinem illum prætermittere, etiam in necessitate, est peccatum; multò magis peccatum erit, si absolutè extra necessitatem ij Baptismum conferant, quibus non nisi in necessitate conuenit hoc ministerium, vt Laicus & infidelis. Quanquam Baptismus quidem, etiam extra necessitatem, ab his collatus, sine dubitatione valet.

Et sanè si quis *Laicus* extra necessitatem administret Baptismum *solenniter*; sententia communis est, peccaturum ipsum mortaliter, neque id modò, sed etiam irregularitatem contracturum, vt patet Cap. 1. Extra de Clerico non ordinato ministrante. Si autem id faciat sine solennitate; dicit Caietanus art. 5. citra contemptum quidem & præsumptionem non esse mortale, sed veniale; modò tamen id faceret ex ignorantia & opinione quadam, quòd videlicet facere ita posset. Sic enim procedit opinio Caietani. Atque ita apparet, Caietanum de ignorantia, quæ etiam sit vincibilis, loqui. Nam si de inuincibili loqueretur, non dixisset, id esse peccatum veniale; siquidem eiusmodi ignorantia prorsus ab omni peccato excusat.

Cæterùm verior & solidior est in hac re sententia, quòd simpliciter & per se id sit mortale, nisi ignorantia *inuincibilis* subesset. Ita Richardus d. 5. art. 4. q. 1. & Sotus d. 4. q. vnica, art. 3. Probatur: Quoniam si Sacerdos extra casum necessitatis Baptismum administret sine solennitate, peccat mortaliter; vt colligitur ex Clementina vnica de Baptismo. quę iubet tales grauiter ab Episcopis puniri. Ergo multò magis peccabit mortaliter Laicus, si hoc idem faciat. Secundò: quia si Sacerdos absque licentia Parochi baptizet *solenniter*, peccat eo nomine mortaliter. vt colligitur ex Can. *Interdicimus*. 16. q. 1 (tametsi vt notat Nauarrus in Man. cap. 22. n. 7. & cap. 27. n. 102. talis non est etiam excommunicatus per Clemẽt. 1. de priuilegiis) Ergo multò magis peccabit mortaliter Laicus, quãdo extra necessitatem similiter absq; licentia (vt fit) Parochi baptizet.

Tertiò huc accedit sententia D. Thomæ art. 5. vbi ait, quòd suscipere Baptismũ ab infideli extra casum necessitatis, esset graue peccatũ, propter quod impediretur effectus principalis Baptismi, si suscipiens videlicet esset adultus, qui voluntariè participaret peccato talis infidelis sic baptizantis. Non videtur autem esse multò minor ratio, cùm alius Laicus quilibet baptizat extra necessitatem.

Neque verò cum mente D. Thomæ conuenit interpretatio Caietani, qui dicit, impediri effectum principalem Baptismi per eiusmodi peccatum, propterea quòd peccatũ veniale obstaret, quò minùs remitteretur in Baptismo culpa & omnis pœna. Loquitur enim procul dubio D. Thomas de Baptismi effectu non secundùm hanc rationem tantùm, sed in primis, vt continetur gratiã præter characterem.

Quamuis autẽ hoc ita sit; tamen qui Laicus extra necessitatem baptizaret, non etiam incurreret irregularitatem, si non baptizaret *solenniter*: iuxta ea quæ rectè tradit Nauarrus in Manuali cap. 27. n. 242. quamuis contraria sit opinio Syluestri Verbo Baptismus 3. & Paludani d. 5. q. 1. in quam etiã inclinat Sotus dicto art. 3. Sed tamen reputat eam incertam: & meritò, quoniam etiam est minùs probabilis.

PVNCTVM SECVNDVM.

An à pluribus Ministris possit vnus & idem, & eodem tempore simul baptizari.

D. Thom. art. 6.

OMMVNITER sentiunt Doctores, posse verum Baptismũ à pluribus Ministris eidẽ & eodem tempore conferri. Sed cùm diuersis modis euenire possit, vt hoc fiat; cõtrouersia est de modis aliquibus. Quæ res valde intricatè & prolixè tractari solet, vt satis animaduertere licet in disputatione Caietani hìc art. 6. vbi de hoc agit D. Thomas, atq; etiam Soti d. 4. q. vnica, art. 4. Dicã igitur distinctè & ordine illa, quæ mihi videntur in hac re solidiora.

AC PRIMO quidem, si vterq; Minister dicat: *Ego te baptizo, &c.* & vterq; materiam & formam adhibeat; & vterq; eodem tempore prolationẽ formæ finiat; sine controuersia verum est, quod docet S. Thomas art. 6. verum fore Baptismum: neque id vllus negat. Quo casu, minimè duo numero Sacramenta Baptismi erũt, quicquid Caietanus art. 6. cõtra expressam mentem & verba D. Thomæ dicat. Sed Christus vnum Sacramentum per vtrumq; ministrum conferet, vt expressè affirmat D. Thomas, & defendit rectè Sotus in dicto art. 4.

Ratio autẽ mea est: Quoniam siue ablutiones illæ, vel *actiuè*, vel etiam *passiuè* (vt videtur, quando fierent per aspersionem, & secundùm diuersas partes corporis) essent absolutè & physicè loquendo diuersæ; siue vna tantùm totalis; tamen hoc certum est, illas non esse duas & diuersas, quatenùs *diuinitùs tunc ordinarentur* ad effectum supernaturalem Baptismi *significãdum & efficiendum*. Vsurparẽtur enim à Deo principali agente tunc non nisi ad *vnicum* effectum Baptismi, eumq́ue (quantum est ex vi Sacramenti) non tunc certè maiorem, quàm alioqui daretur, si vnicus esset tantùm minister, vt rectè docet D. Thomas, fateturq́ue Caietanus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

certum autem eſt, *vnitatem* Sacramenti, ſicut etiam ſubſtantiam & eſſentiam ipſius, contineri propriè ablutione, non abſolutè, vt ablutio intelligitur eſſe quædã actio vel paſsio phyſicè; ſed vt diuinitùs refertur & ordinatur ad ſupernaturalem effectum ſignificandum & efficiendum. Proinde ſicut in illo caſu hic ordo, vt explicatũ eſt, eſſet vnicus totalis: ita etiam non eſſet tunc niſi vnicum totale Sacramentum.

Et falſum omnino illud eſt, quod ait Caietanus, fieri non poſſe, neque etiam intelligi, vt vnum & idem Sacramentum totum ſit à duabus cauſsis, nempe à duobus miniſtris, & ab eorum quolibet totaliter. Hoc certè ne in aliis quidem effectibus prorſus implicat contradictionem, ſicut multi rectè ſentiunt: Ac multò minus, quando effectus eſt à duabus cauſsis non principalibus, ſed inſtrumentalibus, quomodo eſſet in illo caſu noſtro: Miniſtri enim tantùm ſunt cauſſæ inſtrumentales Sacramenti.

Secvndo. Si non ſimul finirent prolationẽ formæ illi duo Miniſtri; tunc quidem ille ſolus conferret verum Baptiſmum, qui primò finiret, vt rectè & ſine vlla controuerſia docet D. Thomas. Ratio autem eſt. Quoniam nihil deſideraretur, quò minus Baptiſmus, collatus ab illo primo, verus eſſet; & conſequenter alterius Miniſtri Baptiſmus careret apto & idoneo ſubiecto ad hoc Sacramentum: Siquidem illud eſt, vt anteà docuimus, homo non baptizatus anteà.

Tertio. Si non vterque Miniſter totum faciat; ſed alter adhibeat formam, alter materiã (vt ſi vnus eſſet mutus, & alius mancus) certior & communior ſententia eſt, Baptiſmum in eo caſu non valiturum. Ita D. Thomas art. 6. ad 3. & q. præd. art. 5. ad 4. quæ fuit etiam ſententia Alexandri Halenſis 4. p. q. 16. memb. 6. Bonauenturæ d. 5. art. 1. q. 1. Richardi d. 3. art. 4. q. 1. Scoti d. 6. q. 2. Durãdi d. 3. q. 3. Gabrielis d. 6. q. 1. art. 2. concl. 6. Soti d. 4. q. vnica, art. 4. Syluęſtri verbo, Baptiſmus 3. n. 9. & aliorum.

Ratio autem eſt: Quoniam ſiue is qui formã tunc proferret (& non etiam ablueret) diceret: *Ego te* baptizo; ſiue *Nos* te baptizamus; neutro modo vera eſſet forma, quia non ipſe tunc aut ſolus, aut cum alio ablueret; id quod ſignificarent tunc verba formæ. Item non ſignificaretur tunc ab eiuſmodi Miniſtro baptizandi actus aliquis per eum exercitus; quod tamen ſignificari debet, vt colligitur ex Concilio Florentino. Quare falſa & vix etiam probabilis eſt opinio Marſilij, qui in 4. q. 4. art. 4. dub. 11. putat, valere talem Baptiſmum. In quam ſententiam inclinauit etiam Caietanus hîc art. 6. dicens, eam intellectui ſuo veriorem apparere: Sed nullum habuit ſolidum fundamentum, nec ipſe, nec Marſilius.

Qvarto. Si vterque dicat in plurali: *Nos* te baptizamus, etiamſi vterque materiam & formam adhibeat, & ſimul prolationem formæ finiant; tamen D. Thomas art. 6. dicit, videri nõ eſſe verum Baptiſmum. Quam ſententiam tenuit quoq; Alenſis 4. p. q. 16. memb. 7. eamque refert & non improbat Gabriel d. 6. q. 1. art. 2. concl. 6. Ita etiam ſenſit Bonauentura d. 5. art. 1. q. 1. & defenditur quoque à Caietano art. 6. & à Soto d. 4. q. vnica. art. 4.

Sed quanquam hæc opinio propter iſtorum authoritatem valde probabilis ſit; video tamen vix vlla ratione ſatis confirmari eam poſſe: licer in ea re Caietanus & Sotus multùm ſudârint. Hę namque rationes afferuntur. *Prima*: Quoniam mutatur tunc forma, cùm non vſurpetur particula, Ego. Sed hanc Rationem ipſe D. Thomas in art. 6. refellit: quoniam ea particula non eſt de eſſentia, & multò minùs vſurpatur in forma Græcorum, qui ne in plurali quidem dicunt, *Nos*; ſed abſolutè: *Baptizetur, &c.* & tamen valet illorum Baptiſmus nihilominus.

Secunda Ratio: Quoniam etſi abſolutè quidẽ non debeat ſignificari expreſsè perſona Miniſtri; tamen ſi ſignificatur expreſsè, debet omnino ſignificari, vt vnus Miniſter totalis: tum quia totum in adminiſtratione Baptiſmi, & non partem modò debet Miniſter facere, vt antè dictũ eſt: tũ quia ſignificari debet vt Miniſter Chriſti, qui eſt videlicet *vnus*, vnaq; cauſſa totalis principalis. Hoc autem fit quidem, quando vterque Miniſter dicit: *Ego* te baptizo: non autem quando vterque dicit: *Nos*. Significatur enim tunc per eam particulam pluralis numeri, quod ab vtroque cõplexim adminiſtretur Baptiſmus. Et ſic à quolibet partialiter, nõ autem totaliter. Atque hæc quidem ſecũdùm interpretationem Caietani & Soti, eſt tota vis argumẽti D. Thomæ ad hanc rem allati art. 6.

At neque iſta Ratio videtur ſatis probare illam opinionem. *Primò*: Quoniam non videtur ſatis illud eſſe compertum, quod ſumitur: ſcilicet eſſentiam Sacramenti non conſtare, niſi Miniſter ſignificetur vt *vnus & totalis*, poſito, quòd illius perſona omnino ſignificetur. Concilium certè Florentinum non aliud requirere videtur, quàm vt *actus Miniſtri exprimatur cum inuocatione Trinitatis*. Et quanquam ad veritatem eius inuocationis, id eſt, formæ, requiratur ſanè, vt actus Sacramentalis fiat *reipſa* totaliter à Miniſtro, ſicut ſuprà dictum eſt: tamen non videtur ad eam veritatem formæ requiri, vt ſignificetur actus Sacramentalis, etiam ſub hac ratione, nempe vt totaliter à Miniſtro factus. Hoc enim dico non eſſe ſatis compertum, debere ſcilicet actum Sacramentalem, qui totaliter fiat à Miniſtro, ſignificari, non omnino per ſe & abſolutè; ſed etiam ſic & ſub ea ratione, nempe *vt ſit totaliter à Miniſtro*.

Secundò: nam ſi maximè ſatis id eſſet compertum; tamen particula illa, *Nos*, verbum eſt naturâ ſua etiam aptum, vt per illud vterque Miniſter poſſit ſignificari in illo caſu, tanquam vnus Miniſter totalis: perinde certè, ac ſi vterque diceret: *Ego te baptizo*: Etenim verbum illud, *Nos*, non modò *complexim* (vt aliquando) ſed etiam *diuiſim* accipi poteſt. Vt ſi duo ſimul dicerent, Nos ſumus Theologi, perinde dicerent, ac ſi diceret vterque, Ego ſum Theologus. Cùm itaque verbum illud, *Nos*, ſignificare quoque poſsit Miniſtrum quemlibet diuiſim, vt vnum & totalem: certè, ſi ad Baptiſmi ſubſtantiam iſtiuſmodi ſignificatio Miniſtri requiritur; per intentionem ſaltem generalem faciendi & ſignificandi, quod vult Eccleſia, idipſum ſignificarent illi Miniſtri, qui dicerent, *Nos te baptizamus*, vt perinde ſit, ac ſi dicerent: Ego & ego. Quapropter valeret talis Baptiſmus.

Quòd ſi ponas, illos priuata intentione velle ſignificare *complexim*, ne hoc quidem obſtaret. Nam intentio generalis Eccleſiæ prævaleret tũc peruerſæ illi intentioni particulari, vt ſuprà aliquoties in ſimilibus Caſibus expoſitum eſt.

Sic etiam (quicquid Sotus dicat) multò minus obſtaret, quòd quilibet illorum priuata intentione vellet verbo illo, *Nos*, ſignificare actum alterius, quaſi eiuſmodi ſignificatio eſſet de ſubſtantia formæ, cùm tamen non ſit, vt patet. Primò enim ſuprà diſput. præced. de Sacramentis in genere q. 1. p. 2. vidimus, longè plus eſſe, velle in Sacramenti Forma aliquam partem ſignificationis ſubſtantialem *ſubtrahere*, aut non proferre, tanquam ſubſtantialem, quàm velle aliquam impertinentem ſignificationẽ *addere* tanquam ſubſtantialem. Illud enim faceret, vt quãtum eſt quidem ex vi intẽtionis particularis Miniſtri, non valeret Baptiſmus: Hoc autem (ſcilicet *additio*) non item, vt in illo loco probatum eſt.

Deinde dato etiam, quòd additio illa in noſtro caſu, quãtum eſt quidem ex parte intentionis priuatæ, veritatem Sacramenti tolleret; tamen omnibus conſideratis, generalis intentio faciendi & ſignificandi, quod & quatenus vult Eccleſia, eneruaret illam priuatam intentionẽ, atque adeo ſufficeret ad veritatem Baptiſmi.

Igitur vt de aliorum argumentis contra opinionem D. Thomæ, in quibus diluendis Caietanus laborat, nihil dicam, hæc quæ attuli ipſe, me mouent, vt putem, rectius dici poſſe abſolutè, perinde valere Baptiſmum, ſi in illo caſu vterq; Miniſter dicat: *Nos te, &c.* ac ſi diceret vterque, *Ego*. Quam ſententiam defendit Durandus d. 3. q. 3. & Paludanus ead. d. q. 2. art. 3. & Marſilius in 4. q. 4. art. 4. dub. 11. & nonnulli ex his etiam, qui ſequuntur hoc tempore doctrinam D. Thomæ, qui & rectè animaduerterunt, D. Thomam non abſolutè aſſeruiſſe contrarium; Sed *videtur*, inquit, *non valere talis Baptiſmus*, quaſi planè dubitârit. Ita quoque Sotus loco citato, non abſolutè ſententiam hanc D. Thomę defendit: ſed *fortè*, inquit, *eſt vera*. Quòd ſi quis propter authoritatem Doctorum, qui ita ſenſerunt, rebaptizaret ſub conditione eum, qui illo modo baptizatus eſt, nempe à pluribus, quorum quilibet diceret, *Nos*; ego non improbarem.

PVNCTVM TERTIVM.

An præter Miniſtrum, qui Baptiſmum confert, oporteat adeſſe aliquem alium, qui circa Baptiſmum, fungatur aliquo munere.

D. Thom. art. 7. & 8.

Certissima eſt & extra controuerſiam illâ doctrina, quam diuus Thomas art. 7. & 8. ponit, ſcilicet præter baptizantem, debere (niſi vrgens neceſsitas obſtet) aliquem adeſſe, qui baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiat, quem Patrinvm vocant. Id patet ex perpetua traditione Eccleſiæ & vſu, cuius teſtes ſunt Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 2. Clemens Romanus lib. 3. Conſtitution. Apoſtolic. cap. 17. Auguſtinus epiſt. 23. ad Bonifacium: Idemque habetur in multis Canonibus de Conſecratione d. 4. & 30. q. 1.

Huius autem patrini officium eſt, vt tanquam nutricius quidam ſpiritualis inſtituat baptizatũ rectè in ſana fide, Catechiſmo, moribus Chriſtianis. Ac proinde id facere ex officio tenetur ſub peccato mortali, vt D. Thomas art. 8. & omnes communiter docent. Quãquam excuſatur, vt idem D. Thomas & alij notant, ſi parẽtes proprij, aut Magiſtri, aut alij eam operam impendãt baptizato. Quòd ſi hi nõ faciunt, aut non rectè faciunt; ipſe, quantum poterit, præſtare id tenetur: quod diligenter annotari debet propter patrinos eorum, quorum vel parentes, vel Magiſtri ſunt hæretici, &c. Atque par ratio eſt, ſi parentes ſint ſuſpecti in moribus, vt rectè Syluester hæc annotauit, Verbo Catechiſmus, q. 3.

Hoc cùm ita ſe habeat, quædam præterea ſunt Annotanda hoc loco circa huiuſmodi munus patrinorũ ex iure poſitiuo. Ac Primo quidem cùm anteà iure antiquo triplex contraheretur inde cognatio ſpiritualis; decreto Concilij Tridentini ſeſſ. 24. cap. 2. factum iam eſt, vt nõ contrahatur, niſi duplex, ſcilicet *Paternitas* inter patrinum & baptizatum, ſicut etiam inter baptizantem ipſum & baptizatum: deinde etiam *Compaternitas* inter patrinum & parentes baptizati, ſicut etiam inter eoſdem parentes baptizati & baptizantem. Tertia autem cognatio, ſcilicet fraternitas inter filios patrini & baptizatũ, ſublata iam per Concilium Tridentinum eſt: quod erit etiam infrà in Materia de Matrimonio repetendum propter impedimentum impediens & dirimens Matrimonium, quod ex huiuſmodi cognatione ſpirituali oritur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO. Iure antiquo vnus tantùm poterat eſſe Patrinus. Cap. *Non plures.* de Conſecrat. d.4.ſed per Concilium Tridentinum vbi ſuprà permittitur, vt poſsint eſſe ad ſummum duo, ſcilicet vir, & mulier.

TERTIO aduertẽdum eſt, Iure poſitiuo quaſdam perſonas prohiberi, quò minus ſuſcipiant hoc munus. Nam *primò* cauetur, ne ſint Abbates, aut Monachi, aut Moniales, atque adeo *Religioſi*, vt addit Sylueſter Verbo Baptiſmus 5. q. 5. Id patet 16.q.1.Can.*Placuit.*2.& Can. *Non licet.* 1. de Conſecrat.d. 4. Si tamẽ ſuſcipiant id munus, tenebũtur præſtare, vt Sylueſter in illo loco notat.

Secundò cauetur, ne ſint infideles non baptizati.Can.*In Baptiſmate.*de Conſecrat.d.4.Etſi verò hic non intelligantur iure poſitiuo prohibiti ab hoc munere hæretici baptizati, vt notat Sotus d.4.q.vnica,art.5.tamen iure diuino & naturali certũ eſt,hæreticos vel maximè ab eiuſmodi munere prohiberi. Nam ſi grauiſsimum ſcelus eſt,ſi hæreticus homo ſimpliciter errores *doceat* alium; multò magis, ſi *ſuſcipiat officium docendi errores*,quod rectè attigit Catechiſmus Romanus, ac debuiſſet etiam addere Sotus.

Tertiò prohibentur etiam parentes proprij, cùm ſunt in Matrimonio, ne ſcilicet ſuſcipiant de ſacro fonte proprios liberos. vt colligitur ex Can.*Peruenit.*& Can.*Ad limina.*30.q.1.& contrahit cognationem ſpiritualem cum altero coniuge is, qui filium ſuſcipit, atque ita non poteſt petere debitum: & conſequenter neuter ab altero, ſi vterque ſuſcepit, quamuis poteſt reddere,altero malè petente. Non contrahitur autem hæc cognatio ab illis,ſi in neceſsitate id fecerũt, aut ex ignorantia iuris vel facti inuincibili.Item poteſt ſuper eiuſmodi cognatione diſpenſare Epiſcopus. Quæ omnia rectè ex doctrina recepta notat Nauarrus in Manuali, cap.16. n.33. vel.34. Atque idem eſt iudicium, quoad iſta, ſi parens baptizaret proprium filiũ, vt colligitur ex dicto Can.*Ad limina.* Quanquã ſi hoc parens in neceſsitate faciat, non modò non contrahit cognationem cum altero coniuge, quoad Matrimonij vſum, vt rectè Sotus vbi ſuprà ex ſententia D.Thomæ notat;ſed ne peccat quidem: Quoniã vt rectè idem Sotus ait,nõ eſt in neceſsitate prohibitum parenti,quò minus baptizet proprium filium: imò id laudi datur in dicto Can.*Ad limina.* Qui autem vſurpat patrini munus in neceſsitate erga proprium filium,videtur ſaltem peccare venialiter: quia cùm id officium nõ ſit tantæ neceſsitatis, abſolutè intelligitur parentibus eſſe prohibitum,etiam in caſu,quo alius aliquis non adeſt, qui ſit patrinus: Quo tamen caſu neceſsitatis, ſi proprius parens id faciat, non contrahet cognationem ſpiritualem cum coniuge,vt antè etiam notatum eſt.

QVÆSTIO TERTIA.

De ſuſcipientibus Baptiſmum.

D.Thom.3.part.quæſt. 68.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, AN OMNES omnino,tum adulti, tum paruuli poſsint ſuſcipere Baptiſmum. SECVNDO, *Quænam requirantur, vt validè Baptiſmus ſuſcipiatur,tum ab adultis, tum à paruulis.* TERTIO, *Quænam requirantur, vt non modò validè, ſed etiam rectè Baptiſmus ſuſcipiatur,tum ab adultis,tum à paruulis.* QVARTO, *An omnibus omnino ſiue adultis ſiue paruulis ſit etiam Baptiſmus neceſſarius ad ſalutem.*

PVNCTVM PRIMVM.

An omnes omnino,tum adulti,tum paruuli, poſsint ſuſcipere Baptiſmum.

D.Thom.art.9. &12.

CERTA ECCLESIAE CATHOLICAE fides eſt, Baptiſmi participes eſſe poſſe omnes homines, cuiuſcunq; vel ſexus, vel conditionis, vel ætatis ſint, modò ſint certè homines, & hanc vitam viuant. Id PRIMO probatur ex diuina Scriptura hunc in modum. Omnes illi per lauacrum regenerationis, id eſt, Baptiſmum, regenerari ſpiritualiter à Chriſto poſſunt, qui peccatum Originale ab Adamo per generationem naturalem contraxerunt,eoque modo ſpiritualiter in Adamo mortui ſunt. Sed omnes omnino homines

homines eiuſmodi peccatum originale ſic contraxerunt. Ergo, &c. Maior patet ex Apoſtolo Rom. 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Imò *multo magis*, inquit ibi Apoſtolus, *gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti abundauit.* Et 1.Corint.15. *Sicut in Adam omnes moriuntur:ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Minor autem alibi ſecundùm fidem probata à nobis eſt: nempe tomo 2. q. 12. de peccatis.

SECVNDO: Nam his omnibus Baptiſmus conferri poteſt & debet, qui participes eſſe poſſunt ſalutis æternæ,& regni cæleſtis. Sed omnes omnino homines poſſunt eſſe participes ſalutis æternæ.Ergo,&c. Minor probatur.1. Tim. 2. *Qui vult omnes homines ſaluos fieri.* Maior autem patet Ioan.3. *Niſi quis renatus fuerit,&c.* Si enim Baptiſmus medium eſt per ſe ordinatũ ad eum finem, neceſſe eſt, vt Baptiſmum ſuſcipere poſsint, quicunque ad eiuſmodi finem peruenire valent. Vtramq; rationem doctiſsimè attigit D. Thomas artic. 9.

Et accedit TERTIO vſus Eccleſiæ, quæ Baptiſmum tanquam ad ſalutem neceſſarium conferre conſueuit cuiuſcunque conditionis hominibus: Id quod etiam faciendum eſſe aſſeuerant conſtanter Patres, vt paulò pòſt videbimus. Núc ſatis ſit ea de re audire S.AVGVSTINVM lib.1.de peccatorum merit.& remiſſ.cap.22. *Quis*, inquit, *Chriſtianorum ferat,cum dicitur, ad æternam ſalutem poſſe* QVEMQVAM *peruenire, ſi non renaſcatur in Chriſto, quod per baptiſmum fieri voluit eo iam tempore,quo tale ſacramentum conſtituendum fuit regenerãdis in ſpem vitæ æternæ?*

Poſsui autem, Baptiſmi participes eſſe poſſe omnes, qui vitam hanc viuunt, vt remouerem inſanum quorundam hæreticorum veterum errorem, ſcilicet Cataphrygarum, qui mortuos baptizabant, vt refert Philiaſter,& ex eo Alphõſus de Caſtro in Summa de hæreſib. Verbo Baptiſmus hæreſi 3.qui author rectè hunc errorem redarguit ex eo, quòd in hac ſolùm vita tempus eſt acquirendi per media diuinitus inſtituta ſalutem æternam: poſt illam enim, *vbi ceciderit lignum,ibi erit.* Eccleſiaſt.11.

Hoc cùm ita ſit,ſequitur PRIMO, INFANTES quoque ſecundùm fidem Catholicam baptizari poſſe, vt B.Thomas declarat art. 9. Quam aſſertionem diuerſi hæretici, licet non iiſdem fundamentis adducti, negauerunt. Pelagiani quidem, quoniam negabant, in paruulis eſſe peccatum originis: itaque conſequenter negauerunt, illis Baptiſmum conferendum eſſe ad remiſsionem peccati: licet eorum aliqui concederent, poſſe ipſis dari, vt regnum cælorum ingrederentur. Contra hunc autem errorem ſcripſit AVGVSTINVS multis in locis:& maximè in libris tribus de Baptiſmo paruulorum, ſeu de peccatorum meritis & remiſsione. Item in epiſtola vigeſima tertia ad Bonifacium.

Præterea idem negauerunt Henriciani, vt apud D. Bernardum videre eſt epiſt. 240. Tum etiam noſtro ſeculo ANABAPTISTAE, quorũm parens fuit Balthaſar quidam Pacimontanus. Hi contendunt, infantes baptizari non poſſe: quoniam non poſſunt credere; ac proinde poſtmodum eſſe rebaptizandos, ſi fortè prius in infantili ætate baptizati ſint.

Sed aduerſus hos omnes eſt ſecundùm fidem Catholicam certiſsima noſtra Aſſertio, & definita in Cap. *Maiores.* Extra de Baptiſmo. & de Conſecratione,d. 4. Can. *Placuit.* & in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. & Vienenſi ſub Clemente V. & Tridentino ſeſſ. 7. can. 13.de Baptiſmo.

Probatur autem PRIMO ex Scriptura, tum communibus illis rationibus, quas paulò antè fecimus pro omni genere hominum, tum quoad paruulos in ſpecie ſic. Neceſſe eſt, vt paruulis aliquod medium applicari poſsit, per quod ad eos deriuari queat virtus paſsionis Chriſti, qua is redemit humanũ genus. Sed ex omnibus mediis, quæ diuinitus ad eam rem inſtituta ſunt, nullum aliud præter Baptiſmũ ad paruulos pertinere poteſt. Ergo iſtud Baptiſmi mediũ prorſus poterit ipſis applicari.

Maior probatur dupliciter. *Primò*: Quoniam illi etiam à peccato originali ſunt per Chriſtum redempti. Rom.5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem,ſic & per vnius Iuſtitiam in* OMNES *homines in iuſtificationẽ vitæ.* Et 1.Cor.15. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt.* Fructus autẽ Redemptionis non aliter prouenire poteſt,ſecundùm legem Dei ordinariam, niſi per aliquod medium ad id inſtitutũ. *Secundò.* Quoniam paruuli etiam poſſunt eſſe participes vitæ æternæ & regni cæleſtis, quod non prouenit, niſi per media quædam.Id patet Matthæi 19. & Lucæ 18.vbi cum adducerentur ad Chriſtum paruuli, qui nõ poterant ipſi ad eum venire, *benedicebantur ab eo, &c.* Et: *talium eſt*, inquit, *regnum cælorum.* Tum Matth.18.*Non eſt*, inquit, *voluntas ante Patrem veſtrum,qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis.*

Iam probatur Minor, ſcilicet ex mediis per quæ poſsit participari fructus Redemptionis, ſolum Baptiſmũ poſſe applicari paruulis. Quia duplex eſt genus eiuſmodi mediorum: Vnum continetur Pœnitentia ſalutari, & charitate: Alterum, Sacramentorum vſu. Primi generis mediorum ſatis conſtat infantes non poſſe participes eſſe:nam oportet charitatem eſſe *de corde puro*, & coniunctam cum *conſcientia bona*, & *fide non ficta*, 1. ad Timoth. 1. Quæ etiam fides paritur *ex auditu*, & conſtat ex propriæ voluntatis & *cordis* conſenſione, ſicut etiam declaratur *ore ad ſalutem*. Rom. 10. Quæ omnia perſpicuum eſt nullum habere locum in infantibus. Secũdi autem generis mediorum neque paruuli, neque vlli e-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam homines participare poſſunt, niſi primùm omnium ſuſcipiant Baptiſmum, qui eſt quaſi ianua reliquorum Sacramentorum. Hoc igitur vnicum medium Baptiſmi infantibus ſuppetit, vt ſalutem conſequi poſsint. Et hæc fuit Minor: Sequitur ergo Concluſio.

SECVNDO probatur: Quoniam omnes, qui poſſunt eſſe membra Eccleſiæ Chriſtianæ, poſſunt recipere Baptiſmum. Sed Eccleſiæ Chriſtianæ membra omnes, etiam paruuli, fieri poſſunt: Ergo etiam recipere Baptiſmum. Maior probatur ex Apoſtolo ad Epheſ. 5. *Mundans eam* (Eccleſiam, & membra eius) *lauacro aquæ in verbo*. Et ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum Regenerationis, &c.* Minor item probatur ex variis Prophetarũ vaticiniis, vnde conſtat, fuiſſe futurum, vt Chriſti Eccleſia ex omnibus omnino hominibus coaleſceret; Vt Iſaiæ 49. *Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum, & afferent filios tuos in vlnis*, id eſt, infantulos, *& filias tuas ſuper humeros portabunt*. Item Ioël 2. *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem*.

TERTIO, idem probatur ex ratione figurarum Baptiſmi, quæ olim præceſſerunt. Nam *Circumciſio* etiam pro paruulis valuit. Item *tranſitu* maris rubri paruuli quoque Iudæorum ſeruati ſunt, qui tranſitus adumbrabat etiam Baptiſmum, 1. Cor. 10. Huc item accommodari poteſt figura *arcæ* Noë, 1. Petri 3. In qua iumenta ſignificabant paruulos expertes rationis, qui proinde per Baptiſmum ſaluari etiam poſſunt.

QVARTO probatur ex Eccleſiæ vſu iam inde ab initio. Itaq; Actor. 10. & 16. legimus, integras domos baptizatas fuiſſe, in quibus veriſimile eſt, fuiſſe aliquos paruulos. *De eo autem diſputare, quod vniuerſa per orbem frequentat Eccleſia, inſolentiſſima inſania eſt*, inquit veriſimè S. Auguſtinus epiſt. 118.

POSTREMO huc accedit traditio Apoſtolica, cuius teſtes ſunt DIONYSIVS, cap. 7. de Eccleſiaſt. Hierarch. CLEMENS Romanus lib. 6. Conſtitution. Apoſtolic. cap. 15. vbi ad hanc rem affert locum illum ex Euangelio: *Sinite paruulos venire ad me*. Quo ſuprà vſi ſumus. Item Gregorius Nazianzenus Oratione in S. Lauacrum. ORIGENES in caput 6. ad Rom. Cyrillus HIEROSOLYMITANVS catecheſi myſtagogica 1. CYPRIANVS lib. 3. epiſtolarum, epiſt. 8. AVGVSTINVS lib. 10. in Geneſin, cap. 33. & lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 24. & lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 24. & 26. & lib. 3. cap. 4. & lib. 1. contra Iulianum, cap. 2. Et Concilium Mileuitanum, cap. 2. cui Auguſtinus interfuit.

Fundamentum autem contrariæ hæreſis Pelagianorum aliàs refutauimus tomo 2. diſput. 6. quæſt. 12. de peccato originis. Et ad fundamentum Anabaptiſtarũ ſuo loco reſpondebimus, p. ſeq. cùm contra Lutherum quoq; oſtendetur, fidem propriam non eſſe in paruulis diſpoſitionem neceſſariam ad Baptiſmum.

SECVNDO ex doctrina ſupra poſita conſequitur, etiam eos, qui ſunt impotes mentis, poſſe, ſi abſolutè quidem loquamur, ſuſcipere Baptiſmum, vt D. Thomas ex ſententia certa declarauit art. 12. Atque eadem eſt ratio de dormientibus. Verùm in his omnibus præcipuum eſt, vt declaremus, quid requiratur, vt illis applicari poſsit Baptiſmus. Quod iam in ſecundo puncto principali huius Quæſtionis videndũ erit. Quare hæc ſufficiant pro primo.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam requirantur, vt validè Baptiſmus ſuſcipiatur, tum ab adultis, tum à paruulis.

D. Thom. art. 7. 10. 11.

ANTE omnia ex parte CORPORIS requiritur ea comparatio, quæ ſufficiat, vt perſona ipſa ſatis ablui poſsit. Quã ob cauſſam diuus Thomas art. 11. & alij communiter docent, expectandum eſſe, dum paruulus enaſcatur, ſaltem quãtum ſatis ſit, vt baptizari poſſit, niſi fortè poſſet obſtetricis operâ ablui in ipſo vtero. Qua de re ſatis multa diximus ſuprà quæſt. 1. p. 2.

Non tamen ex hac parte requiritur, vt qui baptizandi ſunt, proponantur ſigillatim: valeret enim Baptiſmus, etiamſi plures ſimul baptizentur: Imò quando neceſsitas aliqua poſtularet, rectè etiam hoc fieri poſſet, vt docet D. Thomas q. 67. art. 6. ad 2. communiter receptus. Quo caſu poteſt miniſter, vt idem D. Thomas notat, dicere in plurali: *Ego vos baptizo*. Nam tantundem hoc valebit, ac ſi diceret: Baptizo *te, & te, & te, etc.* Quòd ſi abſq; vlla neceſsitate quis plures ſimul baptizaret, putat Scotus d. 6. q. 2. fore mortale: ſed magis approbo ſententiam Soti d. 4. q. vnica, artic. 4. ad 2. ſcilicet per ſe, ſi citrà ſcandalum fiat, non eſſe niſi veniale.

Ex parte autem ANIMAE requiritur in ADVLTIS *voluntas & intentio* ſuſcipiendi Baptiſmum, & quidem per ſe, ita, vt niſi hæc intentio adſit, Baptiſmus non valeat. Sic docet D. Thomas artic. 7. & Halenſis 4. p. q. 18. membr. 1. Bonauentura d. 4. art. 2. q. 1. Scotus d. 4. quæſt. 4. Durandus ead. diſt. q. 7. Richardus d. 6. art. 2. q. 3. Paludanus ead. d. q. 2. Adrianus q. de Baptiſmo, art. 3. Syluſter, Verbo Baptiſmus 4. q. 14. Dominicus Sotus d. 5. q. vnica, art. 7. & Petrus Sotus lectio. 1. de Baptiſmo.

In PARVVLIS autem, vt Baptiſmus valeat, nõ requiritur quidem voluntas interpretatiua, quę ſit *parentum aut tutorum*, vt malè ſenſit Durandus loco citato, & Paludanus etiam d. 4. q. 4. Hoc enim manifeſtè eſt contra AVGVSTINVM in epiſt. 23. ſub finem; & contra veriorem ac communiorem

ſententiam Doctorum, qui cenſent, Baptiſmum valiturum, etiamſi inuitis parentibus infidelibus, aut tutoribus paruulus baptizaretur, vt D. Thomas artic. 10. ſicut ibi oſtendit Caietanus, & Sotus d. 5. q. vnica, art. 7. Item Scotus d. 4. q. vlt. & etiam d. 6. q. vlt. vbi nullum conſenſum requirit in non habente vſum rationis. Et Gabriel d. 4. quæſt. 2. art. 3. dub. 5. Antoninus 2. parte, tit. 12. capite 2. §. vlt. & alij. Quod & patet manifeſtè ex eo, quòd ſine vlla controuerſia poteſt paruulus baptizari, inuito parente fideli, & etiam hæretico, qui aliquando fuit baptizatus: ſiquidem Eccleſia habet ius peculiare eiuſmodi paruulos, filios ſubditorum ſuorum baptizandi, & quilibet facultatem ab Eccleſia (ſaltem interpretatiuè) exequendi id Eccleſiæ ius.

Itaque vt Baptiſmus paruulorum valeat, non requiritur illa voluntas interpretatiua, quæ ſit parentum aut tutorum; ſed requiritur tamẽ voluntas interpretatiua, quæ ſit ſaltem Chriſti & ECCLESIAE, ex cuius videlicet voto atque voluntate offeruntur paruuli ad Baptiſmum.

Sic docet D. AVGVSTINVS lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24. & lib. 1. de peccatorum meritis & remiſsione, cap. 25. & in illa epiſt. 23. ad Bonifacium, quã antè citauimus. Ita etiam D. Thomas artic. 9. ad 1. vbi ex Auguſtino locis citatis declarat, quomodo Eccleſia præbeat paruulis os maternum, ad confeſsionem fidei, vt ſacris myſteriis imbuantur, & ſalutem ſpiritualem accipiant: quemadmodum etiam quando ſunt in vtero matris, per os maternum accipiunt corporale alimentũ. Idem docet quoque in eodem artic. ad 2. Atque eadem ſententia eſt Soti vbi ſuprà d. 5. q. vnica, art. 7. & eſt ſanè ex mente aliorum Doctorũ, quos citauimus. Nam ſi qui negant requiri in paruulis voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum; intelligunt quidem aut voluntatem *propriam*, aut certè interpretatiuam, quę ſit *parentum* vel *tutorum*. Quin requiratur autem ad veritatem Baptiſmi in paruulis voluntas interpretatiua, quæ ſit Chriſti & Eccleſiæ, vt diximus, nemo negat.

Porrò fundamentum huius doctrinæ, quoad adultos, & paruulos, præter authoritatem eorũ, quos pro illa citauimus, eſt: Quoniam ſuſceptio Baptiſmi, eſt quędam profeſsio & inchoatio nouæ vitæ & Religionis, & quidem propria hominis, vt homo eſt. Quare debet eſſe *voluntaria*, eo certè modo, quo eſſe debet & poteſt, conſiderata tum perſonæ ſuſcipientis Baptiſmum conditione, tum etiã ipſa re & natura Baptiſmi: vt ſilicet ſi quis fuerit ADVLTVS, velit hãc profeſsionem Chriſtianæ Religionis facere *propria* ſua voluntate: Si autẽ PARVVLVS, qui voluntatis propriæ vſu careat, velit hoc voluntate interpretatiua, id eſt, aliena eorum, ad quos negocium Baptiſmi & ſpiritualis ſalutis, quæ in ipſo datur, propriè ſpectat, qui ſunt Chriſtus & Eccleſia. Et accedit ſecundò, quod ad adultos attinet, expreſſa eius rei definitio Innocentij III. in Cap. *Maiores. §. Item quæritur*. Extra. de Baptiſmo & eius effectu, vbi apertè ſignificatur, Baptiſmum non fore ratum, niſi quis conſenſerit in illum, quando eſt iam adultus.

Quod cùm ita ſit, meritò Sotus d. 5. q. vnica, artic. 7. cenſet, erroneam eſſe opinionem Gloſſæ in Can. *Solet*. de Conſecrat. d. 4. nempe ad veritatem Baptiſmi ſufficere vnicam intẽtionem Miniſtri, quicquid ſuſcipiens intendat, vel non intendat. Item etiam opinionem alterius Gloſſæ in dicto Cap. *Maiores*. ſcilicet Baptiſmum fore ratum, modò is, qui ſuſcipit, ſignificet *exteriùs*, ſe velle ſuſcipere, etiamſi animo abhorreat & nolit. Contrà eſt ſententia omnium, & definitio Eccleſiæ in dicto Cap. *Maiores*.

Sic etiam & opinionem Caietani art. 7. rectè Sotus loco citato reiicit, qui ſenſit, in adultis nõ requiri *per ſe* voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmũ; ſed tantùm *per accidens* aliquando, cùm videlicet habuiſſet aliquis prius voluntatem contrariam, ad quam excludendam & irritandam oporteret tunc conſentire in Baptiſmum. Quòd ſi *neuter* prorſus aliquis eſſet, id eſt, qui neque vellet, neque nollet ſuſcipere; putauit Caietanus, ſi ſic baptizetur, fore Baptiſmum validum: Sed admodum falsò id putauit, vt multis argumẽtis probat Sotus: quæ omnia ferè continentur Fundamento iam à nobis poſito. Et planè contrarium docet D. Thomas art. 7. ad 2. licet Caietanus perperam illum aliter interpretari conetur.

Neque Caiẽtani argumenta vllius ſunt ponderis. PRIMVM autem eſt ex illa Decretali Innocentij III. iam citata. Vbi ſic dicitur: *Tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem contrariæ voluntatis non inuenit obſiſtentem*. Ergo non requiritur *per ſe*, inquit Caietanus, volũtas etiam conſentiens: ſed ſatis erit, ſi non adſit voluntas *contraria*.

SECVNDVM argumentum. In paruulis non requiritur eiuſmodi voluntas, tanquam diſpoſitio neceſſaria ad Baptiſmum: Ergo neque in adultis. Conſequentia probatur. Quia idem eſt in vtriſque Baptiſmus. Antecedens autem probatur. Quoniam voluntas parentum, aut etiam Chriſti & Eccleſiæ, eſt *extrinſeca* paruulo, tãtumque concurrit *applicando* ſubiectum, ſeu paſſum ad agens, nempe ad Miniſtrum; non autem diſponendo ſubiectum.

Accedit TERTIO pro opinione Caietani, q̃ ſi quis abſque interiori conſenſu *permitteret tantùm* ſe baptizari, valeret ſine controuerſia Baptiſmus. Ergo ille conſenſus non eſt per ſe neceſſarius.

POSTREMO. Dormiens & mentis inops aliquis poteſt validè baptizari; & tamen in eiuſmodi non eſt conſenſus. Id patet ex Auguſtino libro quarto Confeſsionum, vbi commemorat de quodam ſuo amico, qui cùm eſſet à Medicis deſperatus, neſciens baptizatus eſt. Quem Au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gustini locum etiam D. Thomas allegat artic. 12. vbi docet, amentes posse baptizari.

Hæc argumenta facilè diluuntur. Nã ad PRIMVM rectè respondet Sotus d. 5. q. vnica, artic. 7. quod Pontifex in eo loco dicit, Sacramentalem operationem tũc imprimere characterem, cùm non inuenit obicem *contrariæ* voluntatis, non esse, sicut verba sonant, accipiendũ; sed iuxta quẽdam modum loquendi moralem & vsitatum, vt scilicet non habere obicem contrariæ voluntatis, ibi sit consentire, vel consensisse in Baptismum. Nam quòd ita verba Pontificis intelligi debeant, ex duobus apparet. *Primò*: Quoniam de eo loquitur, quod solet communiter accidere, vt scilicet qui nouit aliquid de Baptismo, & potest illum suscipere, *velit* certè suscipere, quãdo nõ habet obicem contrariæ voluntatis: communiter siquidem non manet quis *neuter*, id est, neque volens, neque nolens; sed vult hoc, quando non habet obicem contrariæ voluntatis. *Secundò* id apparet ex Casu speciali, quem ibi Pontifex determinat. Quæstio enim erat, an amentes possint baptizari sine consensu? Respondet Pontifex non posse, si anteà non consenserunt in Baptismum: posse autem, si consenserunt. Et huius rationem subiungit: Quoniam tunc, inquit, characterem imprimit Sacramentalis operatio, *quando non inuenit obicem contrariæ voluntatis*: Quasi diceret; *quando quis consentit, vel antè consensit*, sicut fieri potest in illo Casu. Quare rectè retorqueri potest hic Canon contra Caietanũ. Si enim ad suscipiendũ Baptismũ satis est omnino, vt voluntas non resistat, non requisiuisset Pontifex in amẽtibus consensum saltẽ antecedẽtem.

Ad SECVNDVM argumentum, *primò* negatur Consequẽtia. Nam licet Baptismus adultorum & paruulorum, idem secundùm speciem sit; est tamen alius in *indiuiduo*, ex parte subiecti. Itaque non mirum, si ex ea parte aliquid tanquam dispositio requiratur in adulto ad Baptismũ, quod non requiritur in paruulo, nẽpe consensus proprius. Neque hìc similiter iudicandum est, atq; in genere rerum physicarum seu naturalium, in quibus videmus, non aliam dispositionẽ ad formam requiri ordinariè in aliis in diuiduis, quàm in aliis; sed easdem in omnibus pro ratione specifica ipsius formæ: Genus enim hoc Sacramentorum, de quo agimus, est totum morale. Itaque secundùm institutionem diuinam potest in vno indiuiduo requiri ad vnum Sacramentũ aliqua dispositio, quæ non requiratur in alio.

Secundò dico, aliquid etiam ex parte consensus, qui ad Baptismum requiritur, esse hìc commune adultis & paruulis; hoc scilicet, vt consensus adsit ipsi personæ baptizandæ *proportionatus*, nempe proprius, si vsum habet voluntatis propriæ; alienus autem, Christi scilicet & *Ecclesiæ*, si non habet; qui consensus, vt antè dictum est, est etiam in hoc negocio interpretatiuus consensus ipsorum paruulorum.

Neque in hoc consensu interpretatiuo solùm est illa ratio, quam considerauit Caietanus, scilicet quòd per illum *applicatur* patiens ad ipsum agens, hoc est, paruuli offeruntur Ministris; sed etiam alia quædam, secundùm quam rectè possumus intelligere, quòd per illum consensum *disponantur* paruuli, & reddantur subiecta *apta* ad suscipiendum: *Disponantur*, inquam, saltem in genere morali. Ea verò ratio hæc est, quòd sic demùm intelliguntur paruuli *voluntariè* suscipere Baptismum, suo quidem modo. Neque ad istum modum dispositionis in hoc genere morali, requiritur, vt dispositio sit omnino in eodem ipso subiecto, physicè loquendo. Itaque parum valet, quod Caietanus hìc obiiciebat, consensum illum interpretatiuum, non esse dispositionem in paruulis, quia non insit tanquam in subiecto in ipsis; sed in aliis, qui vice paruulorum consentiunt.

Ad TERTIVM argumentum respondeo, in illo casu adesse consensum, saltem *indirectè & interpretatiuè*, quatenus ille videlicet, cùm posset impedire, quò minus baptizaretur, tamen non impedit; sed sciens & prudens permittit se baptizari. Hoc enim ipso pendet ille Baptismus modo quodam ex ipsius etiam voluntate: & talis consensus interpretatiuus & indirectus sufficit, vt rectè Sotus in dicto art. 7. & alij notant.

Ad QVARTVM respondeo, neque dormientes, neque amentes baptizari posse, nisi habuerint *anteà* consensum in Baptismum, vt iam declaratum est ex illa definitione Innocentij III. in dicto Cap. *Maiores*. Id autem sufficit. Quia si consensus anteà præcesit; etiam tunc, cùm amentes vel dormientes baptizantur, censentur virtualiter consentire, vt rectè dixit vbi suprà Sotus. Quòd si ante amentiam vel somnum non consenserunt; baptizari minimè possunt, vt docet S. Thomas art. 12. quæ est etiam communis aliorum sententia. Si autem à natiuitate fuit quis mente captus; poterit baptizari ex sola voluntate & consensu Christi & Ecclesiæ, vt docet ibidẽ D. Thomas. Est enim de huiusmodi amentibus & de paruulis, quoad hoc, eadem ratio.

SED occurrit hìc contrà, tale argumentum: Quamuis dormiens vel amẽs voluerit anteà administrare Baptismum; tamẽ si postea in amentia vel somno *administret*, Baptismus non valet. Ergo neque valebit, si quis in amentia vel somno Baptismum *suscipiat*; quamuis anteà voluerit suscipere.

Respondetur, negando Consequẽtiam. Nam qui sic in amentia vel somno Baptismum administraret, nõ satis censeri posset habere eam voluntatem seu intẽtionem virtualem, quæ requiritur in Sacramenti administratione *actiua*: Qui aũt sic in amentia vel in somno *susciperet* Baptismum, censeri posset habere illum consensum & voluntatem virtualem, quæ sufficit in suscipiendo Sacramento.

Ratio

Ratio huius discriminis est: Quoniam administratio Baptismi, *actio* quædã est: susceptio autem Baptismi non est nisi quædam *passio*. Quocirca plus requiritur ad Baptismi administrationem liberam & voluntariam, quàm ad susceptionem: Sicut generatim, plus est agere, quàm pati. Vt igitur virtualiter censeatur quis velle baptizare, necesse est, vt præter propositum illud baptizandi antecedens, ipsam etiam externam actionem baptizandi exerceat deliberatè & liberè, & omnino eo modo, quo solet exerceri aliàs, quando adest præsens intentio & voluntas Sacramentum administrandi, sicut disp. præced. quæst. 5. explicatũ est, quando egimus de necessaria intentione Ministri. Id verò minimè fieri, cùm quis baptizaret dormiens aut insanus.

PVNCTVM TERTIVM.

Quænam requirantur, vt nõ modò validè, sed etiã rectè et absq; peccato vndequaq; Baptismus suscipiatur tum ab adultis, tũ à paruulis.

D. Thom. art. 3. 4. 5. 6. 8. 10.

PRIMA hac de re nonnullas Assertiones. PRIMA Assertio. Vt rectè, id est, sine peccato vndequaq; baptizentur ADVLTI; simpliciter absque vlla vi, aut etiam minis proponenda est illis doctrina Euangelij, vt illã sponte sua prorsus, si velint, complectantur; quemadmodum tomo 3. disput. 1. de Fide, q. 10. ex D. Thomæ sententia & aliorum probauimus cõtra Doctores alios, qui putauerũt, licitum esse, infideles armis & minis adigere ad suscipiendam fidem, atque adeò Baptismum: Sed falsò id putauerunt, & planè contra modum præscriptum à Christo propagandi Euangelium per solam prædicationem, vt rectè inter cæteros ostendit Sotus d. 5. q. vnica. art. 10. Quanquam si minis adacti susciperẽt aliqui Baptismum, non dubium est, quin esset validum Sacramentum; modò tamen metus ille extorqueret tandem consensum, vt rectè idem Sotus notat ead. quæst. art. 7.

SECVNDA assertio. Vt rectè etiam vndequaq; baptizẽtur PARVVLI filij infidelium; id est, sine peccato baptizãtium, aut illorum, qui baptizari illos curant; D. Thomas art. 10. & 2. 2. q. 10. art. 12. affirmat, requiri consensum parentum, in quorum potestate sunt, aut certè tutorũ, si parentibus sunt orbati; ita, vt his inuitis, quamdiu quidem in ipsorum potestate & cura sunt paruuli, minimè liceat ipsos baptizare. Quam sententiam amplectuntur aliqui, vt Sotus dist. 5. quæst. vnica, articulo septimo, & Caietanus hìc in illo articulo 10. & etiam 2. 2. quæst. 10. artic. 12. & alij Thomistæ.

Fundamenta præcipua huius sententiæ sunt duo. *Primò*: Quoniam in his, quæ pertinent ad Religionem, iure naturæ sunt paruuli sub cura & potestate parentum. Ergo fieret parentibus iniuria, si ipsis inuitis baptizarentur, initiarenturq; Christiana Religione. *Secundò*: Quoniam Ecclesia id facere non consueuit. Loquimur aũt in assertione de filiis *Infidelium*, nam filij eorum, qui Religionem Christianam professi sint, sine dubio possent inuitis parẽtibus baptizari, propter rationem quam reddidimus punct. præced. Procedit igitur nostra assertio de filiis Infideliũ.

Verùm quia multi aliter hac de re sentiunt, & hæ probationes doctrinæ D. Thomæ non videntur satis perspicuæ; dicam de hoc breuiter & ordine, quę vel apud omnes sunt certa, vel certè videntur probabiliora.

PRIMO itaque dico, nunquam esse licitum sic baptizare paruulos infidelium, inuitis parentibus, aut tutoribus infidelibus, vt relinquãtur sub cura & potestate ipsorum, aut etiam periculum sit, ne ad eorum curam & potestatem redeant. Id patet: Quoniam facilè peruerterentur ab ipsis, vt D. Thomas in art. 10. rectè notauit. Neque de hac Assertione est apud Doctores vlla controuersia.

SECVNDO dico. Si paruuli à cura & potestate parentum aut tutorum infidelium, quacunque tandem ratione, sic *abstracti* sunt, vt non sit periculum, ne ad illos redeant, & ab his peruertantur; licet ipsos, illis etiam inuitis, etiam baptizare; modò idonea adhibeatur cautela, ne possint ad infideles redire & reuerti. Ita notauit rectè Sotus in dicto articulo septimo, & Caietanus in artic. 10. Neque de hoc etiam est controuersia. Et ratio est: Quoniam in eo casu nõ sunt sub cura & potestate parentum. Atque hinc colligit Caietanus, rectè solitum esse fieri, vt paruuli Aethiopes, qui ad nos adducuntur, baptizentur & erudiantur inter Christianos: *Quoniam magnum*, inquit Caietanus, *chaos inter nos & illos populos interest, vt hi, qui semel huc veniunt, nõ soleant eò remeare.*

TERTIO dico. In præsenti periculo mortis, possent omnino & deberent paruuli baptizari, etiam inuitis parentibus, in quorum potestate & cura essent. Ita Sotus in dicto artic. septimo. Ratio est: Quoniam in casu tantæ necessitatis spiritualis paruulorum, non possent parentes rectè vrgere suum ius paternum vsque adeò, vt Baptismus administrari illis, propter cõtrariam voluntatem parentum non deberet. Neque puto in hoc Casu quenquam ex aliis Doctoribus repugnaturum fuisse.

QVARTO dico. Etiam extra casum huius extremę necessitatis; propter solam vtilitatem spiritualẽ, quã ex Baptismo statim collato paruuli cõsequuntur, possent sine cõtrouersia baptizari, altero parente inuito; modò alter, siue pater ille sit, siue mater, consentiat. De patre hoc patet in Cap. *Ex literis*. Extra. de conuersione Infidelium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Matre autẽ in Concil.Toletano III. cap.14.& Toletano IV. cap. 61. Imò fertur Pontifex Gregorius XIII. ſtatuiſſe, vt paruulus, quem auus eius paternus baptizari volebat, baptizaretur inuita Matre Iudæa, quę defuncto Patre ſuperſtes erat. Ratio autẽ, cur in huiuſmodi Caſibus id liceat, eſt, quoniã interueniente illa circumſtãtia, quod ſcilicet vel alter parens, vel etiã auus conſentit, nõ poteſt alter parẽs ſuperſtes tantoperè ſuum ius vrgere, cum damno ſpirituali paruuli.

QVINTO dico, Paruulos eorum infidelium, qui mancipia Dominorum fidelium ſunt, poſſe inuitis parẽtibus ab eorum cura abſtrãhi & baptizari, adhibita cautela, ne ad eorum curam redeant, & ab illis peruertãtur. Ita Durandus d. 4. q. 6. Item Scotus diſt. 4. quæſt. vltima, & Gabriel ead. diſt. 4. q. 2. art. 3. dub. 5. & Eckius homil. 2. de Baptiſmo, qui ampliùs etiam, quàm hoc concedunt, vt ſtatim videbimus.

Probatur id autem argumẽto Durandi, quod eſt ſanè optimum. Nam Dñs fidelis poteſt ſimpliciter aliis de cauſsis paruulos illos à cura & poteſtate parentum ſeruorum abſtrahere; vt ſcilicet donet aut vendat, alioqúe amandet, vnde nunquam ſint ad curam & poteſtatem parẽtum redituri. Ergo etiã poteſt illos ab eiuſmodi cura & poteſtate parentum abſtrahere, propoſito ſibi ſimul hoc optimo fine, vt ſcilicet à parentibus abſtracti baptizẽtur, & educentur Chriſtianè. Conſequentia videtur ſatis bona, & Antecedens communiter conceditur: Quoniam res omnes mancipiorum iure ſunt Domini.

Quòd ſi non cõſueuit Eccleſia id facere; cauſſa eſt, quia difficile eſt adhibere ſufficientẽ cautelam, ne tales paruuli reuertantur ad parentes infideles. In eo tamen Durandus deceptus eſt, q̃ exiſtimauit, Iudæos quoſcumq; hoc ipſo, quòd Iudæi ſunt, eſſe eiuſmodi ſeruos & mancipia Chriſtianorum. Non enim eſt ita, vt rectè contra Durandum oſtendit Sotus d. 5. q. vnica, art. 10.

SEXTO dico, poſſe ſimiliter inuitis parẽtibus baptizari, & à paterna cura ob eum finẽ abſtrahi, paruulos eorum infidelium, cõtra quos ſuppetit Chriſtianis ius belli iuſti. Hoc etiam probat rectè Durandus ſimili ratione. Quoniam vt aliæ res, ſic etiam liberi iſtorum, poſſunt iure belli à Chriſtianis ſimpliciter capi. Ergo etiã poterunt abſtrahi ab iis ad eum rectiſsimum finem, vt baptizentur, & erudiantur Chriſtiani. Id cõfirmatur præterea ex vſu Eccleſiæ, quæ baptizare ſolet paruulos bello iuſto captos.

SEPTIMO dico, Extra dictos Caſus, non licet aliãs paruulos infidelium, inuitis parentib. baptizare; id eſt, cùm neq; paruuli ſunt in extrema neceſsitate ſpirituali; neq; à cura parẽtum alioquin abſtracti; neq; etiam iure dominij, aut iuſti belli poſſunt ab illis abſtrahi; neq; parentũ alter conſentit, &c. Ita in primis intelligẽdus D. Thomas art. 10. Atq; idem etiam ſentit Durandus & alij contra Scotum, Gabrielem, & Eckium, qui locis ſuprà citatis, videntur abſolutè opinari, q̃ propter ſpiritualem vtilitatem, quam *ordinariè* adfert paruulis Baptiſmus ſtatim collatus, liceat eos inuitis parentibus infidelibus baptizare.

Probatur autem Aſſertio noſtra: Quoniam vix minimè liceret facere, niſi abſtrahẽdo paruulos à cura & poteſtate parẽtum infidelium, vt patet ex primo noſtro Dicto, quod apud cẽs eſt extra controuerſiam. Sed extra prædictos Caſus, ſcilicet, dominij, belli, &c. abſtrahere paruulos à parentibus, eſſet contra ius naturæ. Ergo minimè licet extra eos caſus baptizare inuitis parẽtibus. Probatur Minor à Durando rectè: Quoniam eripere à *talibus infidelibus*, hoc eſt, liberis & qui iure poſsiderent res ſuas; eripere, inquam, ab his inuitis alias quaſcunq; res, eſſet contra ius naturæ. Ergo multò magis ſi ipſis liberi eriperentur.

Nec obſtat illa conſideratio ſpiritualis vtilitatis paruulorum. Etenim poſito, quòd nõ ſint in extrema neceſsitate; ſed poſsint poſtea, cùm fuerint adepti rationis vſum, ipſi per ſe ſuſcipere vltrò Baptiſmum: Et poſito etiam, quòd lex Chriſtiana eſt ſuauis, quæ neque vi neq; minis ſit obtrudenda, etiam ipſis adultis: His, inquam, circumſtantiis poſitis, acerbiſsima meritò eſſet res illa parentibus infidelibus, ſi videlicet ipſis eriperentur liberi propter illam ſpiritualem vtilitatem, cùm præſertim de ea ipſis non conſtet euidenter & clarè, ſed per ſolam fidem, quã nondum parentes infideles ſuſceperunt. Itaq; rectè dicit Durandus, quòd offerrẽt obſequium Deo *de rapina*, qui ſic paruulos à parentibus abſtraherent & baptizarent, conſulerentq; ſpirituali vtilitati paruulorum cum grauiſsima iniuria & damno alterius, quod minimè licet.

SED argumẽtantur alij cõtrà, PRIMO: Si vellet parens priuare vita corporali filium, poſſet quis illo inuito conſeruare ac defendere paruulum, etiamſi ad eam rem oporteret abſtrahere perpetuò illum à cura & poteſtate parentis. Ergo multò magis licebit parente inuito vitam ſpiritualem paruulo per Baptiſmum procurare, ſi parens vult illum ab ea vita prohibere.

SECVNDO. Deus vult ac præcipit, vt baptizẽtur illi paruuli. Ergo etiamſi parens id nolit, baptizari poſſunt ac debent: ſiquidem *obedire oportet magis Deo, quàm hominibus*, Actor. 5.

Ad PRIMVM reſpondeo, eſſe diſcrimẽ. Primò enim cùm parens vult vita corporali priuare filium, *euidens* eſt, quòd ei inferat iniuriam & damnũ: Deinde etiam, quòd peccet in filium cõtra *iuſtitiam*, cùm minimè in ea re vtatur vlla ratione iure paterno: Tertiò, eſt tunc paruulus in neceſsitate extrema, quoad *vitam temporalẽ*. Quando autem prohibere vult, quò minùs filius per Baptiſmum cõſequatur vitam ſpiritualem, primùm non eſt euidens, quòd in ea re illi faciat iniuriam: hoc enim cõſtat per ſolam fidem. Deinde etſi peccat tunc quidem contra charitatem, & contra præceptum Dei, quo alioquin tenen-

tur pa-

tur parentes curare, vt filij baptizentur; tamen non peccat propriè contra iuſtitiam, ſiquidem ſecundùm quandã rationem vtitur in ea re iure paterno, quatenus ſcilicet aliquid ſtatuit circa *filium*, pertinens ad Religionem; etiamſi ſimul aliunde in ea re peccet contra charitatem & legem de Baptiſmo, vt eſt dictum. Tertiò, non eſt tunc paruulus in extrema neceſsitate quoad vitam ſpiritualem: ſiquidem poteſt poſtea baptizari, cùm adoleuerit.

Iam verò ex hoc diſcrimine ſit, vt parens non poſsit rationabiliter ęgrè ferre, ſi ipſo inuito, vita corporalis filij conſeruetur & defendatur ab aliis, etiã illum à poteſtate parẽtis ad eum finem abſtrahendo: poſsit autem cõſideratis omnibus meritò ægrè ferre, ſi propter ſolam vtilitatẽ vitæ ſpiritualis, paruulus ab eius cura abſtraheretur extra caſum extremæ neceſsitatis eius, id eſt, cùm non eſſet in periculo mortis: ſed poſſet ipſe poſtea rationis vſum adeptus, vltrò cõſequi per Baptiſmum vitam illam ſpiritualem: id, quod non poſſet, ſi de vita corporali loquamur. Nam ſi ab iniuria parentis, quando eum vellet interficere, non ſtatim defenderetur; non ſolùm pro eo tempore, ſed abſolutè actum eſſet de vita eius temporali.

Ad SECVNDVM reſpondeo, Deum quidem, etſi abſolutè velit, vt paruuli baptizentur; minimè tamen velle, vt baptizentur in illo caſu & illo modo, ſcilicet inuito parente. Imò vult potiùs & præcipit, vt tunc non baptizentur: quoniam per naturæ legem vult & præcipit, vt non fiat illa iniuria parenti, ſicut eſt probatum. Aduertendum eſt autem, quòd etſi illicitum ſit iſto modo baptizare filios infidelium, inuitis parentibus; tamen ſi ita ſine conſenſu parentum baptizentur; verè nihilominus baptizati erunt, vt Sotus ex ſententia D. Thomæ rectè notauit, & nos etiam ſuprà punct. 2. aſſeruimus, cùm doceremus, ad veritatem Baptiſmi paruulorum ſatis eſſe conſenſum Chriſti & Eccleſiæ.

TERTIA Aſſertio. Etſi in adultis non requiratur recta fides ad *veritatem* Baptiſmi; modò intentionem habeant id recipiendi, quod adminiſtrat Eccleſia; tamen requiritur fides recta in eis, vt cõſequantur effectum principalem Baptiſmi, nempe *gratiam*, atq; adeò vt rectè Baptiſmũ ſuſcipiant. In PARVVLIS autem neq; ad *veritatem*, neq; ad *effectum* Baptiſmi, requiritur fidei aſſenſus, qui ſit eorum proprius; ſed ſatis eſt illis ad vtrumque recta Eccleſiæ fides, ſicut etiam ſola aliena voluntas Adæ nocuit ipſis ad contrahendum peccatum originale.

PRIMVM illud de adultis, quòd ſcilicet ad ſuſcipiendum verum Baptiſmum nõ requiratur in ipſis fides, docet D. Thomas art. 8. ex receptiſsima Eccleſiæ ſententia & traditione, quam aſſerit D. Gregorius lib. 9. epiſtolar. epiſt. 61. Atq; idem confirmat S. AVGVSTINVS lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 14. *Non intereſt*, inquit, *cùm de Sacramenti integritate tractatur & ſanctitate, quid credat, aut quali fide imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum: intereſt quidem plurimùm ad ſalutis viam; ſed nihil intereſt ad Sacramenti rationem.* Ac ſimilia ſcribit lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 1. Item habetur idem de Cõſecratione, diſt. 4. Can. *Si qui*, & Can. *Quamuis*.

Quòd ſi nonnunquam Patres videtur pro nihilo reputare Baptiſmum ab eo ſuſceptum, qui recta fide caret: intelligi hoc debet, non quoad ipſam ſubſtantiam & veritatem Sacramenti; ſed quoad effectum & fructum. Sic illud accipiendum eſt, quod HIERONYMVS dixit in cap. 28. Matthæi, ſcilicet ſi animus fide careat, futurum, vt exteriùs baptizetur quis *corpore*; non autem *mente*.

Sed obiiciet aliquis ſententiam D. Thomæ in illo art. 8. ad 2. vbi affirmat, quòd Eccleſia non *intendit* conferre Sacramentum, niſi credenti. Hoc ſi ita eſt, nõ videtur ſuſcipere verum Sacramentum, niſi qui credit. Non enim verum Sacramentum ſuſcipi poteſt, niſi ex *intentione* collatum.

Reſpondeo, dictum illud D. Thomæ, quaſi conditionaliter eſſe interpretandum; vt ſit ſenſus, quòd Eccleſia nollet conferre Sacramentum, ſi ſciret, eum, qui baptizandus eſt, non rectè credere. Cæterùm cùm ex aliquo indicio deprehendit & arbitratur omnino ipſum credere; abſoluta quidem intentione omnino vult ei Sacramentum conferre, ſiue reuerà credat, ſiue ſimulet tantùm ſe credere.

SECVNDVM autẽ, quod in eadem aſſertione diximus, ſcilicet ſine recta fide nõ valere adultis Baptiſmũ ad *ſalutem*, probat D. Thomas in eod. art. 8. ex certiſsima doctrinæ Scripturæ ſacræ. Nã *ſine fide impoſsibile eſt placere Deo*, Hebr. 11. Et Rom. 3. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, etc.* Quod ipſum paſsim probat Apoſtolus in ead. epiſt. Rom. cap. 11. & etiam in epiſt. ad Galat. Ac definitũ diſertè hoc eſt in Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. & 7.

Ex quò facilè apparet, valde impudẽtem eſſe calumniam Sectariorum, cùm mentiuntur, nos in iis adultis, qui Baptiſmum ſuſcipiunt, non requirere fidem, ſed iuſtificationem ex opere operato ita Sacramentis tribuere, vt ſine vllo etiam bono motu vel fidei, vel alterius virtutis illam, opinione noſtra conſequantur. Quam impudentiam diſputat. præced. q. 3. punct. 1. refutaui. Qualis autem ea fides in adultis, vt ad ſalutem ſufficiat, eſſe debeat, diſputauimus in genere tomo 3. diſput. 1. de Fide, quæſt. 2. ibi enim eſt proprius eius diſputationis locus.

TERTIVM denique, quod in eadem aſſertione poſuimus, ſcilicet PARVVLIS neq; ad veritatem, neq; ad effectum Sacramenti, neceſſarium eſſe PROPRIVM actum fidei; ſed ſufficere alienã fidem Eccleſiæ, certiſsimum quoq; eſt. Sed id tamen Lutherus negauit in lib. de captiuit. Babylonica, in quo contendit, paruulos etiam, dum

Baptiſ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Baptismum suscipiũt, indigere ad iustificationẽ proprio assensu fidei, eumq; habere mirabiliter. Atq; idem à pluribus Sectariis in Cõuentu quodam, qui est habitus Anno 1536. in eiusdem Lutheri domo, definitum est, vt refert Tapperus in art. 2. Louanienſi, atq; etiã fatetur Kemnitius in exam. can. 13. de Baptismo, sess. 7. Concilij Trident. Qui sanè quãuis mirè se torqueat, vt tegat Lutherani huius dogmatis turpitudinem: tamẽ ad extremum eidem subscribit; licet ex sua & aliorum Sectariorum sententia discrimen hoc assignet, quòd adulti, dum credunt, *animaduertunt ac sentiunt*, se credere: Itemque credunt *voluntariè ac liberè*: paruuli autem non item, etsi reuerà ipsum motum fidei in corde proprio habeant.

Sed Assertio nostra, vt dixi, certissima est, quam imprimis D. Avgvstinvs subinde repetit ac defendit. Vt lib. 3. de libero arbitrio, cap. 23. *Piè*, inquit, *rectèq; creditur, prodesse paruulo eorum fidem, à quibus consecrandus offertur: & hoc Ecclesiæ commendat saluberrima authoritas, vt ex eo quisq; sentiat, quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, potest aliena commodari.* Atque id Augustinus ibi confirmat exemplo illius mulieris viduæ, cuius fides filio defuncto profuit, vt à Christo suscitaretur.

Item in epist. 23. ad Bonifacium, declarans, qui sint illi offerentes, quorum fides prosit paruulis, ita inquit: *Offeruntur paruuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quamuis & ab ipsis etiã, si & ipsi boni fideles sint, quàm ab vniuersa societate Sanctorum atq; fidelium. Ab omnibus namque rectè offerri intelliguntur, quibus placet, quòd offeruntur.* Hactenus ille.

Item de verbis Apostoli serm. 14. *Vt quid infanti dicis, vt credat: hoc enim respondetur à portante paruulum*; tum subiungit: *Ad verba aliena sanatur, quoniam ad factum alienum vulneratur.*

Et serm. 10. de verbis eiusdem Apostoli: *Accommodat*, inquit, *Ecclesia paruulis alienos pedes, vt veniant; aliorum cor, vt credant; aliorum linguam, vt fateantur: vt quoniam quòd ægri sunt, alio peccãte prægrauantur: sic, cùm hi sani sunt, alio pro illis confitente, saluentur.* Et subiungit: *Nemo ergo vobis susurret doctrinas alienas. Hoc Ecclesia semper habuit, tenuit, hoc à maiorum fide percepit, hoc vsque in finem perseueranter custodit.*

Quæ volui ex Augustino sic recitare, vt præclarissimi Doctoris authoritas, quam ne Sectarij quidem audent cõtemnere, insanis eiusmodi illorũ cogitationibus de motu *proprio fidei* in paruulis, luculentiùs opponi possit. Habet autem similia quoq; idem Augustinus lib. 4. de Baptismo cõtra Donatistas, cap. 24. & epist. 57. ad Dardanum, & aliâs passim.

Sed probatur deinde Assertio nostra ex sacris literis ratione manifesta: Nam quod paruuli neque per naturam vllo modo, neque etiam per gratiam ac virtutem Dei, secundùm legem *ordinariam*, possunt in Baptismo præstare; id certè ab eis secundùm legem ordinariam nõ requiritur, vt in Baptismo consequantur salutem. Sed neq; per naturam vllo modo, neque per gratiam possunt, secundùm legem ordinariam, ipsi credere actu proprio. Ergo, &c.

Maiore nihil potest esse certius. Minor probatur. Nam actus fidei Christianæ, qualẽ Scriptura requirit ad salutem, est ex *corde*, Rom. 10. Item ex mẽte & *intellectu*, Psal. 118. Item ex *obedientia* quadam voluntaria, vt Apostolus Rom. 6. & 10. & ad Galat. 3. & passim aliàs indicat. Quòd autem ad eiusmodi fidei actum, non possint paruuli per naturam cooperari, satis clarum est: Siquidem vsu *cordis* (id est, volũtatis) & *intellectus*, & *obedientiæ* carent. Quòd verò neq; id possint per singularem gratiam, qua in ipsis ad eum effectũ accenderetur tũc mentis & voluntatis vsus, patet etiã: Quia nullum prorsus habemus pro ea re diuinũ testimonium, cùm neq; Scriptura, neq; Ecclesia, tale qd ordinariè fieri doceat: Sed potiùs habemus testimonium cõtrarium, quòd scilicet paruuli nesciant distinguere inter bonũ & malum; atq; adeò rationis vsus sint expertes. Deuter. 1. *Paruuli vestri, etc. qui hodie boni ac mali ignorant discrimen.* Et accedit huc, quòd cõmuni etiam sensu fidelium, cogitationes istæ Sectariorum sunt planè paradoxæ. Quare rectè in Cõcilio Trident. sess. 7. can. 13. hæc opinio illorum damnata est, q etiam fuit Caluini lib. 4. Instit. cap. 16. sect. 20.

Sed vt Assertio nostra magis confirmetur, respondendum est ad fundamenta Sectariorum.

Primvm est, quòd Scriptura generatim adscribit iustificationem & gratiam ipsi Fidei: Ergo fidei quoq; assensu egebunt paruuli ad salutem.

Respondeo primùm, si eiusmodi sententias Scripturæ ad paruulos etiam pertinere velint, probabunt etiam contrà se, non modò fidei motum & assensum ipsum in paruulis necessarium esse; sed etiam liberum vsum eius, sicut est in adultis. Quod tamen isti non requirũt, vt antè notauimus ex Kemnitio. Id probatur: Quoniã Scripturæ sententię, quę fidem absolutè ad iustificationem requirunt, de eiusmodi fidei actu loquuntur, qui sit *voluntarius* ex *corde* & *obedientia* quadam profectus, vt antè dictum est. Dicendum igitur necessariò est, sententias eiusmodi nõ nisi ad eos pertinere, qui *possunt* illum actum fidei habere, quem Scriptura requirit ad salutem, nempe ad adultos. Quemadmodum etiam licet Scriptura generatim requirat *pœnitentiam* ad salutem; tamen eiusmodi sententias de pœnitentia non nisi ad eos accõmodamus, quos peccatorũ pœnitere potest, nempe ad adultos.

Secvndo obiiciunt illud: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*: qui verò nó crediderit, condemnabitur, Marci vlt. vbi generatim etiam significatur, omnes omnino damnatum iri, qui non ipsi crediderint in Baptismo.

Respondeo, sic oportere eos, qui baptizantur, credere, sicut oportet ipsos *doceri* & erudiri in fide. Nam sicut ibi cum Baptismo fides à D. Marco coniuncta est: ita etiam cum eiusdem administratione cõiuncta est *doctrina* de fide apud Matth. cap. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Porrò qui baptizantur, doceri debent, non nisi quãdo sunt doctrinæ fidei *capaces*; scilicet vel antè Baptismũ, si fuerint adulti; vel si fuerint paruuli, postea, cùm adoleuerint. Non enim ibi determinatur, vtrũ debeat præcedere Baptismus, an doctrina.

Similiter igitur intelligendum est, quod Marcus dicit, eos, qui baptizantur, *credere* oportere: vt scilicet necesse sit, eos etiam credere, sed non nisi cùm hoc facere *potuerint*: nempe aut ante Baptismum, si adulti fuerint, qui fidẽ ex auditu & doctrina concipere possunt; vel post Baptismũ, cùm id per ætatem poterint, si fuerint baptizati adhuc paruuli.

Tertio vrget Kemnitius ex aliorum etiam Sectariorum sententia, illud maximè, quòd paruuli in Baptismo non iustificantur, sine aliqua Spiritus sancti operatione: Est enim in illis etiam Spiritus efficax, minimeq; tunc ociatur, sed innouat & immutat paruulorum corda. Ergo excitat in ipsis motum fidei, quo salutem capiant & apprehendant.

Respondeo, Consequentiam esse nullius momẽti. Fatemur enim aliquid ibi agere Spiritum sanctum: nam *infundit* in paruulorum mẽtibus habitus & gratiæ iustificãtis, & Fidei, & Spei, & Charitatis, vt generatim de omnibus, qui iustificantur, definitũ est in Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. licet mendaciter calumnietur Kemnitius, hoc à Patribus præteritũ esse, quòd scilicet paruulis in iustificatione illa Baptismi tribuatur habitus ipse fidei: generatim .n. de omnibus, qui p Baptismum iustificantur, id Patres declarãrunt in illo cap. 7. Quanquam postea in can. 13. vbi de Baptismo paruulorum speciatim agitur, nõ repetierint id quidem, cùm non fuerit necesse.

Absurda igitur, vt ad istorum fundamentum redeam, illa Consequentia est: Spiritus sanctus dum paruuli iustificantur in Baptismo, aliquid in ipsis operatur: Ergo excitat in eis etiam motum fidei. Operatur omnino, infundendo gratiam iustificationis, & cum illa quoquè habitus illos Fidei, Spei, & Charitatis, vt dictum est. Sed non etiam motum actualem fidei.

Qvarto sic isti ratiocinantur: Ioannes Baptista *in vtero exultauit*. Ergo pari modo & à nobis intelligi, & à Deo fieri potest, vt paruuli habeant motum fidei in Baptismo.

Respondet Augustinus in epist. 57. ad Dardanum, & refellit accommodationem huius exempli ad rem præsentem ex instituto. Primùm: Quia non constat, qualis illa fuerit exultatio Ioannis, an scilicet fuerit mẽtis & arbitrij, vel tantùm motus aliquis extraordinarius infantis: *Neque enim*, dixit Elizabeth, ait Augustinus, *Exultauit in fide infans in vtero meo: sed exultauit in*

gaudio. Videmus autem exultationem non solùm paruulorum, sed etiam pecorum.

Deinde subiungit Augustinus: *Quanquam si adeò est in illo puero vsus rationis & volũtatis accelleratus, vt inter viscera materna posset agnoscere, & credere, & cõsentire, &c. etiam hoc in miraculis est habendũ diuinæ potentiæ, non ad humanæ trahendũ est exemplar naturæ. Nam quando Deus voluit, etiã iumentum mutum rationaliter est locutũ. Neq; ideo admoniti sunt homines in deliberationibus suis etiam asinina expectare consilia. Quocirca nec quod factũ est in Ioanne, contemno, nec inde regulam, quid sentiendũ sit de paruulis, figo: imò id in illo proposito mirabiliter prædico, quia in aliis non inuenio.* Hæc ibi Augustinus, perinde quasi in domo Lutheri Anno 1536. propriè contra illos Sectarios collocutus esset, qui miraculum illud Ioannis ad hanc rem ineptè accommodauerũt. Quod animaduertens Kemnitius, licet nequiter locum hunc Augustini dissimulauerit; tamen fateri coactus est ex illo exemplo Ioannis, nõ posse fieri Regulam generalem pro aliis paruulis, dum baptizantur.

Qvinto. Quamuis euidentissimum sit, ex Augustini sentẽtia, paruulis ad salutem satis esse fidem alienam, nec requiri propriam, vt ex illius verbis antè probauimus; tamen contendit violenter Kemnitius, authoritate quoque Augustini, probare opinionem suam; idque propter duas Augustini sententias.

Prima est, quòd paruuli sunt etiã in numero *fidelium & credentium*, vt ille asserit serm. 14. de verbis Apostoli, & lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 20. & 24. & epist. 23. ad Bonifaciũ.

Altera sententia est illa, quam in ea epist. 23. declarauit his verbis: *Vt possit regenerari paruulus per officium voluntatis alienæ, cùm offertur consecrandus, facit hoc vnus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus: Non enim scriptum est*, inquit Augustinus, *Nisi quis renatus fuerit ex parentũ voluntate, aut ex offerentium & ministrantium fide; sed, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. Aqua igitur exhibens sũ insecũs Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, regenerant hominem in vno Christo ex vno Adam generatum.*

Ex hoc igitur loco contendit Kemnitius, Augustini sententiã, prodesse quidem fidem alienam eatenus paruulo, vt rectè *offerri* ad Baptismum possit, & *responderi* pro illo: Sed non proximè valere illam alienã fidem ipsi, vt *iustificetur*; sed præterea operatione Spiritus sancti excitari in eo motum fidei, ex quo proximè iustificetur.

Respondeo ad *Primam* sententiam, eundem Augustinum in illa epistola 23. declarare, quomodo paruuli sint de numero *fidelium et credentium*; videlicet non quia ipsi credant, sed quia *fidei Sacramentum* recipiant. *Paruulum*, inquit, *etsi nondum fides illa, quæ in credẽtium voluntate consistit, fidelem faciat; iam tamen ipsum fidei Sacramentum facit fidelem. Nam sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur; non rem, mente annuendo; sed ipsius rei*

Sacramentum percipiendo. Idem declarat lib.1. de peccatorum meritis cap.24.& serm.14.de verbis Apostoli. Cum qua explicatione bene congruit illa sententia BERNARDI serm. 66. in Cantica: *Nemo*,inquit,*mihi dicat;quòd nõ habet fidẽ, cui Mater impartit suam,inuoluens illi in Sacramẽto, quousq; idoneus fiat proprio assensu euolutã,puramq; percipere.*

Ad *alteram* Augustini sententiam respondeo, impudentissimam esse illam Kemnitij interpretationem, cùm euidẽter & ex aliis locis,& ex illa ipsa epist.23.vt recitauimus, cõstet,Augustinum nihil minùs requirere ad paruuli iustificationẽ, quàm fidei motum eius proprium.Sensus igitur est, iustificationẽ ac beneficium gratiæ paruulis in Baptismo contingere, non virtute & merito voluntatis parentum, aut fidei alienæ;sed virtute Spiritus sancti operantis per ipsum Sacramẽtum ex opere operato; & non ex vllo merito *fidei*, vel propriæ ipsius susscipientis, vel alienæ,vt suprà ex multis Augustini locis docuimus, disp. præced. q.3. punct.1. cùm hanc virtutem *operis operati* defenderemus.

Itaq; sic ab Augustino illic dictum est, paruulum non iustificari ex fide aliena,sicut aliàs sæpè, vt suprà ostendimus, scripsit, adultos,cùm Sacramentum suscipiunt, non iustificari *merito & virtute* fidei propriæ, sed virtute Spiritus sancti operantis *per ipsum Sacramentum*. Et quemadmodum hoc non obstat, quò minùs ex sententia Augustini, fides nihilominùs propria in adulto requiratur tanquam dispositio, vt per Sacramentum iustificetur: ita etiam non obstante illa sententia Augustini de paruulis, quã obiecit Kemnitius, requiritur ex eiusdẽ Augustini sententia,fides aliena in paruulis, & valet ac sufficit in eis ad iustificationem, tanquam *dispositio* quędam moralis, proportionata quidẽ conditioni paruuli, sicut punct. præced. contra Caietanum notauimus. Neq; quicquam minùs in mentem Augustino venit illo loco, quàm vt præterea requireret in paruulis motũ fidei proprium, quo proximè gratiam apprehendant, vt peruersè Kemnitius est interpretatus.

Porro ex his etiã patet,nullius momenti fuisse argumentum ANABAPTISTARVM, qui, vt supra cõmemorauimus,ideo negant paruulis Baptismũ, quoniam non possint actu proprio credere;Qui etiã fuit error Petribusianorum, tempore Diui Bernardi, vt apparet ex eiusdem epist. 148. quorum author fuit quidam Petrus Bruis, qui fuit etiam ante Henricum illum, à quo Henriciani,qui Baptismum item paruulis negauerunt,vt suprà retulimus. Sed cõtrà omnes eiusmodi hæreticos, Baptismus paruulorum à nobis punct. præced. satis probatus est; & hîc etiam satis iam est explicatum, quemadmodum non oporteat illos actu proprio credere: Neq; ideo, quia non possint, illis Baptismum negandum esse.

QVARTA Assertio. Vt adulti rectè accipiant Baptismũ, atq; etiam vt eis rectè,id est,sine peccato mortali administretur, necessarium est, vt eos præteritorum peccatorũ mortalium pœniteat. Ita D.Thom. art.4. Et est certissima Ecclesiæ doctrina contra nõnullos veteres hæreticos, qui solam fidem, vt Baptismus prodesset, requirendam putabant,quos refellit ex instituto Augustinus in libro de fide & operibus, præsertim cap. 4. & seq.

Probatur autem Assertio nostra PRIMO Scripturæ testimoniis,quibus etiam Augustinus vtitur in illo libro. Nam Actor. 2. ideo Petrus monuit:*Pœnitemini igitur, & baptizetur vnusquisq; vestrũm*. Item ob eandem caussam Apostolus ad Hebr.6.Baptismum appellat *Pœnitentiam*. Et ad Rom. 6. ideo etiã docet, nos in Baptismo commori Christo, quod fit exuendo etiam veterem hominem per pœnitentiam, non autẽ sola fide. Rursus D.Petrus 1.epist. cap.3. *Saluos*, inquit,*nos fecit Baptisma,non carnis depositio sordium,sed cõscientiæ bonæ interrogatio in Deum*, id est, non tantùm qua ratione ablutio est corporis, sed etiam vt ex pœnitentia cordis respondetur simul illi interrogationi,an sit animus *renunciare diabolo & pompis eius*,sicut rectè argumẽtatur Augustinus. Quò etiam illud pertinet Matth.7. *Nolite sanctum dare canibus*. Item illud Matth.28. *Docete omnes gentes, baptizantes, etc.* id est, persuadete simul, vt velint esse & fieri Christi discipuli, abiecta veteri consuetudine peccatorũ per pœnitẽtiam.Hæc enim vel præcipua est pars illius doctrinæ, quæ in nomine Christi prædicanda est, & adhibẽda ad Baptismum, vt colligitur ex illis Dñi verbis Lucæ 24. *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum*. Deniq; Baptismus Ioannis requirebat pœnitentiam,vt ex Euãgelio patet, Matth.3. Ergo multò magis Baptismus Christi.

SECVNDO probatur idem authoritate Patrum, qui secundùm fidei traditionẽ ita docuerunt,CLEMENS Romanus lib.3.constitut.Apostolicarum, cap.16. DIONYSIVS lib. de Ecclesiast.hierarch. cap.2. TERTVLLIANVS in libro de Corona militis, & in libro de Baptismo, sub finem. Gregorius NAZIANZENVS Oratione in S. Lauacrum. BASILIVS libro 1. de Baptismo. CHRYSOSTOMVS homil. 21. ad populum Antiochenum. AMBROSIVS libro de his, qui mysteriis initiantur,cap.2. AVGVSTINVS in illo libro de fide & operibus, cap.6. & seq. & lib.2.de Symbolo ad Catechumenos, cap.1. SIRICIVS Papa epist.1.cap.2.

TERTIO probatur ex Cõciliis, Carthaginensi IV. cap.85. Aquisgranensi I. sub Ludouico Pio Imperatore, cap. 114. Tridentino sess. 6. cap.6. vbi ad modum præparationis ad iustificationem pertinere definitur, vt quis moueatur *aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.*

QVARTO

QVARTO probatur ratione.Nam quem peccatorum non pœnitet; in eo affectus ad peccatum viget.Ergo non est idoneus ad effectum Baptismi percipiendum, nempe gratiam, quam Deus non dat,nisi illam quis quodammodo acceptauerit, detestando contrarium statum peccati. Itaque impediret talis sacrilegè Sacramenti effectum, ac proinde peccaret illud sine pœnitentia susciendo. Item,qui Baptismum susscipit,nouam vitam profitetur. Ergo necesse est, vt à veteri vita per pœnitentiam recedat,sicut D. Thom.in art.4.argumentatur ex Augustino.Argumẽta verò illorum veterum hæreticorum diluit perspicuè D.Thomas in illo art.4.& ex instituto Augustinus in illo libro de fide & operib.

Porro etsi hæc nostra assertio vera sit;tamen valeret quidem Baptismus nihilominùs ab eo susceptus,quem peccatorum non pœniteret, licet non prodesset ad salutem. Ita D.Thomas significat in art.4. ad 3. & docet apertè quæst. seq. art.9. Estq; res extra cõtrouersiam. Notat etiam rectè Caietanus hîc art.4. quòd ne gratiam quidem impediret impœnitẽtia à peccatis tantùm venialibus:quãquam effectum quidem plenum Baptismi non consequeretur is, quem non pœniteret venialium: nõ enim obtineret remissionem *ab omni culpa & pœna*,vt patet.

Sed QVAESTIO hîc est, Qualis debeat esse hæc pœnitentia, quæ ad Baptismum requiritur? PRIMO dico, nõ oportere,vt sit reipsa tam perfecta, quàm est illa, quæ etiam extra Sacramentum sufficit ad iustificationem, estq; adeò *perfecta contritio*,id est, dolor supernaturalis de peccatis, quatenus sunt offensa Dei super omnia detestabilia.De hoc cõuenit ferè inter omnes; idq; probat bene Melchior Canus in Relectione de pœnitentia, part.3. Quoniam si talis pœnitentia ad Baptismum requireretur;nunquam fieret, vt Baptismus ipse cõferret primam gratiam, id est, iustificationem adultis;& tamen ad eam rem videtur Baptismus institutus, vt per illum regenerentur spiritualiter homines, atq; adeò consequantur primam gratiam.

SECVNDO dico,sufficere qualemcunq; pœnitentiam imperfectam, quæ tamẽ absolutè removeat *affectum* ad peccatum,id est,faciat,vt nõ ampliùs vigeat. Talis autem est illa pœnitentia, q̃ est de ipsis peccatis *in se*, sub quacunq; demùm ratione detestetur quis illa:siue ea ratio sit, quatenus sunt offensa Dei, siue vt habent reatũ pœnæ æternæ, siue vt habent ignominiam, vel ob quemcunque alium eiusmodi respectum. Quæ pœnitentia solet nominari *attritio* vel contritio *imperfecta*.

Ita sensit Scotus d.4.q.5. Durandus ead. dist. q.2. Paludanus ead. dist.q.1. Richardus ead. dist. art.3.q.1. Sotus d.6.q.vnica,art. 7. & lib.2. de natura & gratia, cap.15. Item Canus in Relectione de Pœnitentia, part.3. & 4. Et Sotus quidẽ apertè affirmat, vsque adeò sufficere re ipsa qualemcunque eiusmodi pœnitentiam, vt etiam necesse non sit eam *existimari* pœnitentiam perfectam ab ipso susciepiente Baptismum. Quo pacto illi etiã antiquiores,quos citaui,videntur hoc intellexisse:quamuis nõ ita expresè declarauerint.

Mouet me, vt hanc sententiam amplectar, PRIMO Concilium Tridentinum, sess.6. can.6. vbi idcirco de industria à Patribus dictum esse videtur, quòd requiratur *aliquod odium* & detestatio peccati. Quo dicendi modo subindicant, satis fore, si excludatur certè *affectus* ad peccatũ per qualemcunque pœnitentiam: saltem, cùm videantur relinquere libertatem sic opinandi,& hæc sententia facilior sit & suauior, videtur potiùs amplectenda.

SECVNDO me mouet authoritas D.Thomæ, qui inferius q.79.art.3.ad 2. disertè affirmat, rectè accedere ad hoc Sacramẽtum illum, qui habet etiam *conscientiam peccati mortalis*. Ergo ille etiam rectè accedit, qui dolet de peccatis, propter pœnas, aut alium respectum, etiamsi non doleat de illis,quatenus sunt offensa Dei; neque putet,se habere pœnitẽtiam perfectam: Si enim id putaret, non haberet conscientiam peccati mortalis. Nam si dolet, quatenus sunt offensa Dei,dubitare saltem potest, an non sic doleat de illis super omnia, atq; adeò perfecta contritione; Et si omnino putet, se eiusmodi perfectam contritionem habere; multò minùs iam habet conscientiam peccati mortalis.

TERTIO probatur eadem sententia ratione. Nam ob id pœnitentia requiritur ad Baptismũ, vt removeatur affectus à peccato,nè scilicet ampliùs vigeat. Sed hoc per qualemcunq; pœnitẽtiam, quæ de peccatis quidem ipsis *in se* sit,siue sub hac, siue sub illa ratione, fieri potest. Ergo qualiscunque eiusmodi pœnitentia est satis.

Sunt tamen ALII,qui cõtendunt,necesse esse, vt quis de peccatis doleat, quatenus sunt *offensa* Dei. In quorum opinionẽ inclinat Nauarrus in Manuali, cap.1.num.39. Sed ego,vt dixi,contrarium cẽseo esse verius. Nam quòd isti vrgent generales Scripturæ sententias de necessitate pœnitentiæ; intelligi illæ debẽt,nisi Sacramentum, & maximè Baptismi, suppleat perfectam illam pœnitentiam.

Alioqui enim,si ad Casum etiam Baptismi accommodare sententias illas velint, non modò probabunt, requiri ad Baptismũ pœnitentiam de peccatis,quatenus sunt offensa Dei;sed etiam pœnitentiam absolutè perfectam,quę scilicet sit *dolor super omnia*.Nam eiusmodi quoq; pœnitentiam absolutè requirit Scriptura. Deinde attritio illa,qualiscunq; etiam,est absolutè pœnitentia quædam. Itaque possumus generales illas Scripturæ sententias interpretari, vt sit sensus, necessariã esse pœnitentiam perfectã, atq; adeò de peccatis,vt sunt offensa Dei (id enim pertinet ad contritionem perfectam) si eam non suppleat Sacramentum;vel qualemcunque,si suppleat:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iam dico TERTIO, non eſſe neceſſarium, in hac pœnitentia, dolere *expreſsè* de *ſingulis* peccatis; ſed ſatis fuerit, dolere de aliquibus in ſpecie, & de reliquis in confuſo & in genere. Ita Sotus, & Nauarrus, locis citatis concedunt. Atq; in ea re maximè differt hæc pœnitentia, quæ ad Baptiſmum ſatis eſt, à dolore, qui requiritur in Sacramento Pœnitentiæ. Nam in Sacramento Pœnitentiæ debet eſſe de ſingulis peccatis mortalibus in *ſpecie*, licet non requirantur quidē *ſinguli* dolores de ſingulis; vnus tamen dolor debet eſſe de omnibus & ſingulis; idq; propterea, quòd in illo Sacramento ordinatur eiuſmodi dolor ad rectam Confeſsionem, quæ vt debet eſſe ſingulorum peccatorum, ita etiam oportet, vt dolor ſit de *ſingulis*. In Baptiſmo autem, cùm non ſit neceſſaria Confeſsio, neque omnium, neque ſingulorum peccatorum; debet quidem adeſſe dolor propter alias rationes ſuprà dictas; ſed nō in ſpecie de peccatis ſingulis.

Ex qua ratione poſſet non improbabiliter colligi, ne de vllis quidem peccatis in ſpecie neceſſe eſſe, vt aliquis in Baptiſmo doleat; ſed ſatis fore, ſi doleat in genere de omnibus: Vt nimirū facit is, qui vult rectè ſuſcipere Baptiſmū in remiſsionem peccatorum, quemadmodum ex intentione Chriſti & Eccleſiæ datur. Nam & hoc opinatur Caietanus q.86. art.2. circa reſponſionem ad 1. ſatis eſſe adultis, vt rectè ſuſcipiant Baptiſmum.

Neque tamen, vt aliqui interpretantur, ideo Caietanus vult, non eſſe ad Baptiſmum neceſſariam aliquam pœnitentiam *actualem*: expreſsè enim ibi affirmat, requiri *deteſtationē vitæ prioris*: Sed explicat ea re Caietanus pœnitentię *modum*, qui in Baptiſmo certè ſufficiat.

Animaduertendum autem eſt, ad eam pœnitentiam, quam dicimus in Baptiſmo ſatis eſſe, pertinere quoque propoſitum vitandi de cætero peccata. Id patet: Quoniam vt in Baptiſmo relinquit aliquis priſtinam vitam: ita etiam inchoat & profitetur nouam. Quare vtrumq; neceſſarium eſt, vt & de præteritis doleat, & nouā vitæ rationem ſibi proponat.

QVARTO dico, ad hanc pœnitētiam minimè pertinere, vt imponātur baptizatis aliqua opera *ſatisfactoria* pro peccatis præteritis, aut etiā exigatur ab eis *confeſsio* peccatorū. Quę res ſine controuerſia eſt certiſsima, vt docet D. Thomas art. 5. & 6. Ac ratio eſt: Quoniam in Baptiſmo omnis pœna cum ipſa culpa remittitur, vt explicatum etiam eſt in Concilio Trident. ſeſſ.14. cap.2. & 8. Itaq; nihil ſupereſt, pro quo tunc homini ſit ſatisfaciendum. Etſi autem hoc ita ſit; tamen ob alios fines rectè poteſt adhiberi aliqua Confeſsio, vt ſcilicet quis rectiùs inſtruatur, & animū ſuum erga Chriſtianam Religionē teſtetur: item etiam ad cautelam poſſet aliquod opus pium imperari, quo videlicet quis à peccando retraheretur.

Et hactenus quidem de diſpoſitione requiſita, vt rectè Baptiſmus ſuſcipiatur.

POSTREMO, Conſideratio etiā TEMPORIS, in quo Baptiſmus ſuſcipi poſsit, ad ea etiam pertinet, quæ requiruntur, vt rectè ſuſcipiatur Baptiſmus. Et dicendum breuiter eſt, ad *veritatem* quidem Baptiſmi, nullum determinatè tempus eſſe requiſitum; ſed quocunque tempore illud accipiatur, verum fore; modò cætera neceſſaria non deſint.

Vt autem *ſine peccato* poſsit ſuſcipi, hoc ſolum in adultis requiritur, vt niſi extrema vrgeat neceſsitas, ne baptizentur, antequam ſint ſufficienter inſtructi in Catechiſmo Chriſtiano, vt docet D. Thomas art.3. & pulchrè D. AVGVSTINVS lib. de fide & operib. cap.9. & 11. Quod quidem ſecundùm ius diuinum & naturale intelligi debet. Diuino quidem Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Et Marci vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Quomodo autē credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Rom.10. Iure autem naturali; quia nemo prudenter profitetur Religionem, quam non intelligat.

Iure autem Eccleſiaſtico videtur olim conſtitutum fuiſſe, vt non liceret citra extremā neceſſitatem adultos baptizare extra duo tempora, ſcilicet Paſcha, & Pentecoſten, ſicut ſuprà retulimus, cùm ageremus de Baptiſmi ritibus. Sed primùm Sotus d.5.q.vnica, art.3. vult hoc ita intelligi, vt illis duntaxat temporibus liceret cum peculiari quadam ſolennitate: ſine eiuſmodi enim ſolennitate etiam aliàs licuiſſe; modò ſufficienter eſſet iam quis inſtructus. Deinde quicquid de hoc iure antiquo ſtatuendum ſit; tamen iam illud exoleuit, & adminiſtratur Baptiſmus adultis, vel illis temporibus, vel aliàs, cùm commodè fieri poteſt, vt idem Sotus in eo loco notat. Quo autem tempore ab adultis *etiam debeat* ſuſcipi Baptiſmus, dicemus punct.ſeq. quod erit, vt initio huius Quæſtionis propoſitum eſt, de neceſsitate Baptiſmi.

Paruuli autem poſſunt & ritè & rectè baptizari tempore quocunque, etiam ſtatim à natiuitate: Imò id fieri deberet, ſi periculum aut neceſsitas vrgeret, quemadmodum decretum eſt in Concilio Gerundenſi, cap.5. Quod eſt notandū aduerſus quoſdā veteres hæreticos, qui cenſuerunt, non poſſe rectè Baptiſmum adminiſtrari paruulis ante octauum diem: Sicut neq; poterat olim Circumciſio. Cuius erroris etiam meminit CYPRIANVS lib.3. epiſtolar. epiſt.8. ad Fidum, & ex eo Auguſtinus lib.3. de peccatorum meritis, cap. 5. Sed nullum firmum fundamentum habebant illi hæretici. Nam de Baptiſmo nihil tale diuinitùs nobis eſt præſcriptum, ſicut de Circumciſione ſtatutum erat: hoc enim obiiciebant. Atq; hactenus quidem de tertio puncto principali.

PVNCTVM

PVNCTVM QVARTVM.

An omnibus omnino, ſiue adultis, ſiue paruulis, ſit etiam Baptiſmus neceſſarius ad ſalutem.

D. Thom. art. 1. & 2.

VM ſuperioribus punctis diſſeruerimus, an, & quatenus omnes baptizari *poſsint*, explicandum eſt modò, an, & quatenus omnes baptizari *debeant*. Quoniam autē hac de re multa & varia diſputari ſolent, complectar ordine & breuiùs nonnullis aſſertionibus ea, quę neceſſaria erunt.

PRIMA aſſertio. Baptiſmus iis, qui baptizari poſsunt, non ita ad ſalutem neceſſarius eſt, vt nullo alio modo, neq; in vllo caſu, ſine illo *reipſa ſuſcepto*, ſalutem conſequi valeant: Qua ſanè ratione eſt ad ſalutem neceſſaria ipſa gratia & remiſsio peccatorum, vt patet. Quando enim alicui non ſuppetit facultas ſuſcipiendi Baptiſmū, ſatis eſt Baptiſmus, quem vocāt *Flaminis*, id eſt, legitima pœnitentia & charitas. Ac multò etiam magis ſufficit Baptiſmus, quē dicunt Sanguinis, id eſt, cùm quis ex illa Dei dilectione, quā nulla maior eſt, oppetit mortem pro Chriſto.

Hæc Aſſertio ponitur à D. Thoma art. 2. eſtq; in Eccleſia certiſsima contra quoſdam hæreticos, quos commemorârunt atque refutârunt Hugo lib.2. de Sacramētis, p.6. cap.7. & Bernardus epiſt.77. Probatur autem PRIMO ex iis Scripturæ locis, in quib. promittitur ſalus verè credentibus, & pœnitentibus; & diligentibus; & morientibus pro Chriſto: Quæ procul dubio, quando Baptiſmus ſuſcipi non poteſt, rectè ſine Baptiſmo fieri poſſunt. Vnde Actor. 10. Cornelius, antequā copiam nactus eſſet Baptiſmi, iuſtificatus eſt. Eiuſmodi autē Scripturæ loca ſunt hæc: De Pœnitentia; Ezechiel.18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* De Charitate; Ioan.14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* De morte pro Chriſto; Matth.10. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam, &c.*

SECVNDO probatur ex definitione Eccleſiæ in Cap. *Apoſtolicam.* de Presbytero non baptizato, & cap. 4. de Baptiſmo & eius effectu, quod idem habet Clemens epiſt. 4. eſtq; etiam declaratum in Concilio Tridentino, ſeſſ.6. ca.4.

TERTIO ita docent Patres. ORIGENES homil.7. in lib. Iudicum. ATHANASIVS q.134. ad Antiochum. AMBROSIVS in oratione de obitu Valentiniani Imperatoris, cuius teſtimonio ad hanc rem vtitur D. Thomas art.2. AVGVSTINVS epiſt.108. ad Seleucian. & li.4. de Baptiſmo cōtra Donatiſt. cap.22. Item ISIDORVS lib.2. de Officiis, cap.4. CYPRIANVS in Exhortatione ad Martyriū, & lib.4. epiſtolar. epiſt.7. Bernardus epiſt.77.

QVARTO probatur ratione. Nam voluntas apud Deum pro facto reputatur, quando deeſt operis ipſius facultas. Ergo cùm quis non habet copiā Baptiſmi, ſatis erit apud eum Baptiſmi votum ſeu deſideriū pro ipſo Baptiſmo. Antecedēs probatur. Quoniam in *malis* operibus id ita eſſe videmus: Ergo etiam in *bonis*, cùm Deus propēſior ſit ad benefaciendum, quàm ad puniēdum. Deinde id Antecedens confirmatur etiam à D. BERNARDO in illa epiſt. 77. teſtimonio Apoſtoli, 2. Cor.8. *Si voluntas*, inquit, *prompta eſt, ſecūdùm id, quod habet, accepta eſt; nō ſecundùm id, quod nō habet.*

Neq; obſtat S. Greg. NAZIANZENVS orat. in S. Baptiſma, cùm ita ſcribit: *Si eum, qui animo tantùm & voluntate, non autem re ipſa cædem perpetrauit, cædis damnādum putas: ſit ſanè is quoq; apud te pro baptizato, qui Baptiſmum citra Baptiſmi ſuſceptionē expetiuit. Sin autem illud abſurdum eſt: quomodo hoc conſiſtere poſsit, haud ſanè perſpicio.* Oportet namq; hāc Gregorij ſententiā intelligere de eo, qui cupit quidē Baptiſmum, ſed ſine adiuncto pfectæ charitatis vel pœnitētiæ actu, quo aſſequatur nimirum præcipuum effectū Baptiſmi, nempe ſalutē, iuxta promiſsiones diuinas cōtentas in Scripturæ locis allatis. Talis quidē, quamuis ob nullum contemptum Baptiſmi punietur à Deo (iuxta id quod ibi etiā Nazianzenus dicit) tñ non conſequetur ſalutem. Neq; enim qualecumq; votum Baptiſmi ſufficere dicimus, ſed quod ſit coniunctum cum perfecta pœnitentia vel charitate.

Sed hoc ipſo poſito QVAERI ſolet, Quale debeat eſſe hoc votum Baptiſmi, quod deficiente Baptiſmi copia ſufficiat ad ſalutem? Explicitum ne, an verò ſufficiat implicitum? Neq; enim de hoc omnino conuenit inter Doctores. Sed optima ſententia eſt illa, quā Sotus d.5.q.vnica, art.2. & Andreas Vega lib.5. ſuper ſeſſ. 6. Concilij Trident. cap. 13. defendunt, nempe ſi quis non audiuerit expreſsè de Chriſto, Religioneq; Chriſtiana; ſatis eſſe votū Baptiſmi implicitum: Sicut etiam huic ſatis eſt fides Chriſti implicita: Et quidē ad iuſtificationem, & etiam ad vitam æternam, vt ex eorundem authorū ſententia diffusè probauimus tomo 3. diſput.1. de Fide, q.2. Et cōtinebitur illud votū Baptiſmi implicitum in ipſa legitima pœnitentia, & charitate, atque adeò in Baptiſmo ipſo Flaminis. Nam hoc ipſo, quòd aliqs legitima charitate diligit Deum, & peccatorum illum legitimè pœnitet, ita comparatus eſt, vt ſi de Baptiſmo audiret, vellet illū ſuſcipere; quod eſt habere votum Baptiſmi implicitum. Si quis autē Chriſti, Religionisq; Chriſtianę notitiā habet, huic votum etiā expreſſum Baptiſmi neceſſarium eſt ad ſalutem in caſu, quo baptizari reipſa debet. Quod mihi Patres Cōcilij Tridentini ſubindicaſſe videntur, cùm in ſeſſ.6. cap.6. dixerunt, poſt fidem Chriſti ex auditu conceptā, &c. neceſſarium ad iuſtificationem eſſe in adultis *Baptiſmi ſaltem propoſitum*. Etenim *propoſitum* quaſi conſilium quoddam expreſſum & deliberatum faciendi aliquid, ſignificat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed obiiciat aliquis contra 1. hanc nostrã Assertionẽ, quod in libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 73. legitur, Catechumenos, si absq; Baptismo decedant, non consequi vitam æternam, quantumlibet sese exercuerint in rectis operibus. Videtur igitur Baptismum ipsum *in re* necessarium esse ad salutem: neque satis esse vllum votum illius. Nam hoc procul dubio habuerũt ij Catechumeni, qui in rectis operibus se exercuerunt, neque tamen, vt ibi dicitur, consequentur sine Baptismo vitam æternam.

Respondet D. Thomas art. 2. ad 2. ità intelligendum esse, vt scilicet eiusmodi Catechumeni non statim consequantur vitam æternã, nisi Baptismum acceperint, per quem eis sit omnis culpa, & pœna etiam omnis remissa: alioqui saluabuntur, inquit D. Thomas, sic tamen, quasi per ignem, id est, postquam fuerint in Purgatorio plenè expiati.

Sed quia in illo loco de Ecclesiasticis dogmatibus absolutè significari videtur, tales omnino consecuturos non esse vitam æternam, respondet præterea Vega in libro illo 5. super Concilium Tridentinum, can. 15. Gennadium, qui eius libri author putatur (falsò enim inscribi solet Augustino) sicut in aliis quibusdam, ita etiam ea in re errâsse. Possumus etiam ita respõdere, sicut ante ad Gregorium Nazianzenum.

SECVNDA assertio. Adultis, cùm baptizari possunt, ita ex diuino præcepto Baptismus reipsa necessarius est ad salutem, vt si hoc facere omittãt, peccent omnino peculiari peccato mortali. Hæc Assertio ex fide item certissima est contra Manichæos & Massilianos hæreticos, qui, vt Augustin. in lib. de hæresib. cap. 46. & 59. refert, negabant esse aliquod præceptum de Baptismo. In quo errore fuerunt quoque Caiani hæretici, vt est apud Tertullianum in lib. de Baptismo.

Probatur autem PRIMO assertio hæc ex Scriptura hunc in modum: Quod Scriptura sacra sic ab hominibus requirit, vt sine eo neget salutem obtineri posse; id præcepto diuino imperatum hominibus est, quod proinde transgredi, si facultas suppetat adimplendi, peculiare peccatum erit. Sed Scriptura sacra isto modo Baptismum requirit. Ergo, &c.

Maior probatur. Quoniam si aliquid ad salutem necessarium est, quod nõ idem esset diuinitùs præceptum, nõ satis esset hominibus, seruare omnia præcepta diuina, vt salutem & vitam æternam consequerentur. At seruare omnia præcepta diuina, omnino ad eam rem est satis; vt patet Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Ergo quicquid ad salutem necessarium est, id est præceptum diuinitùs.

Itaq; meritò habent Theologi pro Axiomate, illa esse in præcepto, quæ sunt ad salutẽ necessaria. Cuius ratio, vt ostendimus, ex illo testimonio Christi: *Si vis ad vitam ingredi, &c.* necessaria ratiocinatione & consequentia ducitur. Quanq; id quidem de his necessariis ad salutem intelligendum est, quæ consistunt in *actu*, seu in *vsu quodam*; cuiusmodi etiam est Baptismus. Nam de *habitibus*, licet aliqui (vt Gratia ipsa & Virtutes Theologicę) ad salutem necessarij sint; nó tamen propriè dantur præcepta, sed de actibus, quibus consequimur eiusmodi necessarios habitus. Firma est igitur illa Maior probationis nostræ.

Iam probatur Minor etiam ex pluribus Scripturæ locis. Vt Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei.* Vbi eodẽ planè modo Baptismus requiritur ad salutem, quo requiritur pœnitentia apud Lucã, cap. 13. *Nisi pœnitentiã egeritis, omnes simul peribitis:* de qua dubium non est, quin sit præcepta. Quod autẽ ibi Ioan. 3. de ipso Baptismo aquæ, (nam & hoc hæretici quidam negant, vt pòst videbimus) sit sermo, est communissima & certissima sententia Ecclesiæ atq; Patrũ. Vt AVGVSTINI epist. 23. ad Bonifacium, & epist. 108. ad Seleucianum, vbi affirmat, necessitatem aquæ Baptismi *expressissimè* in illo loco Ioannis doceri: Item TERTVLLIANI libro de Baptismo, IVSTINI Apolog. 2. CHRYSOSTOMI homil. 28. in Ioannẽ, CYRILLI lib. 2. in Ioan. cap. 41. Vt meritò proinde in Concilio Trident. sess. 7. can. 2. de Baptismo definitũ sit, aquã ibi intelligi debere *veram & naturalem*. Præterea cùm iubet Christus Matth. 28. administrare omnibus Baptismum, satis indicauit, necessarium omnibus ad salutem esse, vt patet clariùs Marci vltimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.*

Atque ex hoc præcepto, quod Christus dedit ipsis Apostolis, alios baptizandi; illicò etiã colligi potest, præcepto quoq; diuino alios teneri, vt Baptismum suscipiant; Quemadmodum in materia de Sacramento Pœnitentię, rectè Doctores orthodoxi colligunt, teneri homines præcepto diuino ad Confessionem peccatorum, & vsum Sacramenti Pœnitentiæ, hoc ipso, quòd Apostolis, eorumq; successoribus præceptum, & authoritas data est ligandi atq; soluendi peccata, &c. Accedit illud ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis.* Et eiusmodi alia testimonia, quæ indicant, Baptismum ad salutem requiri. Itaque firma est etiam illa Minor.

SECVNDO probatur hæc Assertio ex vsu antiquissimo & traditione Ecclesiæ, in qua iam inde ab illius initio, Baptismus vsurpatus est, tanq; ex diuino præcepto necessarius. Vt Actor. 2. Baptizantur *tria millia*. Et 9. *Paulus*. Et 10. *Cornelius*, quãtumuis ante ipsum Baptismum fuerit iustificatus, vt ait expresè D. Augustinus lib. 4. de Baptismo cõtra Donatistas, cap. 21. & colligitur etiam ex illo loco Scripturæ.

Ac sunt eiusdem traditionis testes S. Patres, CLEMENS epist. 4. & lib. 6. Constitut. Apostolicar. cap. 15. & 16. TERTVLLIANVS lib. de Baptismo. IVSTINVS in Apolog. 2. BASILIVS lib. de Spiritu S. cap. 12. & 15. CHRYSOSTOMVS homil. 4. ad baptizatos,

AVGVSTINVS in Enchirid. cap. 51. & lib. 1. de peccator. meritis & remissione, cap. 24. FVLGENTIVS lib. de fide ad Petrum, cap. 3. 27. & 30.

TERTIO definita est eadem Assertio in Concilio Florentino, & in Tridentino sess. 7. can. 5. de Baptismo, & in Cap. *Maiores.* de Baptismo & eius effectu.

QVARTO accedit huc ratio. Nam omnes diuino præcepto tenentur ordinario modo profiteri ac suscipere Christianam Religionem. Sed hoc fit in Baptismo. Ergo, &c.

Consequenter apparet, PARENTES diuino & naturali iure teneri, vt curent baptizandos suos liberos: siquidem iure diuino tenentur salutem filiorum curare, & ex Scriptura constat, Baptismum esse ad salutẽ necessarium, & maximè paruulis, vt paulò pòst dicetur. Itaq; ex hac doctrina de necessitate Baptismi, consequenter, vt dixi, colligitur præceptum illud parentum, procurandi, vt baptizentur filij; vt rectè etiam notauit Sotus dist. 5. quæst. vnica, art. 3. Estq; res certa sine controuersia.

TERTIA assertio. Quædã sunt certa tempora, in quibus & adulti, & paruuli, ex præcepto diuino baptizari debent. Nam *Primò* eiusmodi tempus sine controuersia est, quando sunt in extrema necessitate, scilicet imminẽte morte.

Secundò pro ADVLTIS, cùm iam fuerint sufficiẽter in Catechismo instructi, posintq; commodè baptizari: Fas namq; non est vlterius Baptismum differre, vt patet ex iis, quæ pulchrè scribit S. Gregorius NYSSENVS in oratione cõtra eos, qui Baptismum differunt. Nec tenentur adulti iam expectare illa tempora, Paschatis & Pentecostes, vt notat Sotus quæst. vnica, art. 3. d. 5. Maximè si neque olim, vt idem Sotus vult, illa tempora præscripta absolutè fuerunt; sed tantùm vt cum maiore solennitate, administrarentur in illis Baptismus.

Quòd si de aliquibus sanctis aut piis olim hominibus legitur, eos diu distulisse Baptismum, atque adeò longo tempore Catechumenos tantùm fuisse: hoc fuit extraordinarium, ob aliquã in illis singularem reuerentiam erga Baptismũ, atque adeò significationem, quòd ita Deo placeret. Cæterùm ordinariè differre, postquã iam aliquis sufficienter instructus est, & potest commodè, minimè licet.

Tertiò, Tempus, quo etiam paruuli baptizari debent, est (vt Sotus loco citato rectè notat) quãdo possunt ad Ecclesiam deferri commodè. Neque interest, si in ea re sit aliqua latitudo spacij trium vel quatuor dierum. Alioqui differre sine ratione diu, mortale peccatum erit parentum, vt affirmat Sotus.

Porro ex his apparet, APOSTOLOS procul dubio fuisse baptizatos, vt affirmat AVGVSTINVS in epist. 108. & lib. 3. de origine Animæ, cap. 9. & D. Thomas suprà quæst. 38. artic. 6. ad 2. & Scotus in 4. dist. 4. quæst. 6. & Gabriel quæst. 2. atque alij. Quoniam minimè consentaneum fuisset, vt hi, qui doctrinã de necessitate Baptismi aliis tradituri erant, nó eam vsu suo & exemplo confirmarent. Neque oportebat, vt Christus in illo communi præcepto Baptismi cum eis dispensaret.

Quanquam negandum non est, quin hoc facere Christus potuerit. Itaq; non desunt, qui Apostolos fuisse baptizatos negauerint. Nam Chrysostomus homil. 1. in Acta Apostolorum, & Tertullianus in libro de Baptismo, putárũt, Baptismo certè Christi baptizatos non fuisse. Sed melior est illa sententia Augustini.

Quo autẽ tempore, & à quibus, aut à quo baptizati sint, non ita multùm interest scire. Nycephorus lib. 2. cap. 3. ex Euodio refert, à Christo ipso fuisse baptizatum Petrum; à Petro autem Ioannem, Iacobum, & Andream; & ab his deinceps reliquos Apostolos; & à Petro & Ioanne septuaginta duos discipulos. Quod autẽ Ioan. 4. dicitur, Christum ipsum nó baptizasse, intelligi id debet *ordinariè*. Nam quòd extraordinariè vnum aut alterũ baptizaret, nó est inconueniens, vt in illum locum Ioannis interpretatur Euthymius. Et quidem quòd ante passionẽ Christi fuerint Apostoli baptizati, colligi nõ absurdè potest ex illo sermone Christi apud Ioan. cap. 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.* Asserit item Sotus d. 5. q. vnica, art. 2. Ioannem Baptistã, Christi Baptismum suscepisse. Quod idem sensit Auctor operis imperfecti in Matth. homil. 4. & indicat Hieronymus in cap. 3. Matth. & docuit etiam D. Thom. suprà q. 38. art. 6. ad 3. Et idem affirmat de B. Virgine Sotus vbi suprà; vt scilicet per Baptismum quoq; susciperet incrementum gratiæ & characterem, sicut hi nimirum, qui antea licet iustificati baptizantur.

QVARTA assertio. Paruulis ita Baptismus *reipsa* necessarius est ad salutem, vt secundùm legem ordinariam nequeant sine Baptismo aquæ salutem consequi, excepto vnico casu, si videlicet interficerentur pro Christo. Est Assertio certissima contra multos, qui hac in re diuersis modis errauerunt.

Nam *Primò* Pelagiani arbitrati sunt, nõ indigere paruulos Baptismo, vt vitam æternã consequantur; sed vt posint ingredi in regnũ cœlorũ; sicut Augustinus refert, cap. 88. lib. de hæresib. & Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos, sub finẽ.

Secundò, VViclephus saltem dubitauit, an non etiam paruuli sine Baptismo vita defuncti, consequantur vitam æternã; vt videre est apud Thomam VValdensem, tomo 2. de Sacramentis, capite 99. & seq.

Tertiò, Caluinus in antidoto contra Concilium Trident. & lib. 4. Instit. cap. 16. sect. 24. 25. & 26. contendit, filios parentum fidelium, non per ipsum Baptismũ propriè, sed hoc ipso, quòd filij sunt fidelium, iustificari, ac proinde si cõtingat, eos sine Baptismo mori, nihilominus salutem

Universidad de Deusto
Biblioteca

consequi. Quæ est etiam opinio cæterorum Sacramentariorũ. Et Bucerus quidem in caput 3. Matthæi dicit, etiam ex diuina prædestinatione quandoq; fieri, vt paruuli aliqui consequantur vitam æternam sine Baptismo: quia scilicet ita sint ad eam prædestinati; vt videlicet absque Baptismo illam consequantur.

Quartò, Caietanus hîc art. 2. opinatur, paruulos iam natos, si facultas baptizandi non suppetat, posse nihilominus salutem consequi per *votum & fidem parentum*, qui scilicet cũ inuocatione *Trinitatis*, adhibito ipsis etiam *signo Crucis*, eos offerãt in illa necessitate Deo. Item in art. 11. simile votum & fidem parẽtum dicit fore satis his paruulis, qui in vteris maternis moriuntur, si videlicet cum inuocatione saltem Trinitatis offerãtur à parentibus Deo. Quam tamen sententiam Caietani Pius V. in editione illa Romana operum D. Thomæ iussit prætermitti. Sed extat tamen in prioribus editionibus. Ac fuit eadem opinio quoque Gersonis in sermone de B. Virgine, parte 3. consideratione 2.

Probatur autem Assertio nostra aduersus oẽs istos PRIMO sic ex Scriptura: Omnia salutis remedia, quæ secundùm legem ordinariam valẽt, docet Deus fideles suos, vel Scripturæ, vel Ecclesiæ voce. Sed præter Baptismum in re & Martyrium pro Christo, nullum aliud ordinarium remedium, quod paruulis ad salutem prosit, vel Scripturæ, vel Ecclesiæ voce vnquam Deus docuit. Ergo nullum aliud ordinarium remedium ipsis supereſt.

Maior certissima est, nisi velimus alioqui infinitam esse licentiam fingendi remedia salutis. Neque Deus aliter satis consuleret hominibus, nisi sufficienter eos & certò doceret, quæ sit omnino via ad salutem. At consulit sufficientissimè, vt patet ex illis Dei verbis, Isaiæ quinto: *Quid est, quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* & ex multis aliis locis, quæ adduximus tomo 2. quæst. 3. punct. 4. cum disseruimus de Gratia sufficienti.

Minor autem habet duas partes. Prima, quòd præter Baptismum aquæ & Martyrium, nullum aliud ordinarium remedium Deus docuit, aut per Scripturam, aut per Ecclesiam. Et hæc pars euidenter patet. Quoniam nihil in Scriptura tale extat: Neque in Ecclesia ante Gersonem & Caietanum vlli Catholicorum eiusmodi alia pro paruulis remedia in mentem venerunt; tantùm abest, vt Ecclesia ipsa proposuerit, & docuerit ex inspiratione Dei eiusmodi remedia Gersonis & Caietani. Secunda pars illius Minoris est, quòd illa duo remedia, scilicet Baptismum aquæ & Martyrium, Deus per Scripturã, vel per Ecclesiam doceat prodesse paruulis. Et hoc, quod ad Baptismum attinet, satis ex ipsa etiam Scriptura patet, vt suprà puncto primo docuimus, cùm probaremus, Baptismum valere omnibus.

Quod autem attinet ad *Martyrium*, docet id Deus per Ecclesiam saltem, conuenienter Scripturæ, quæ tantoperè vbique commendat mortem oppetitam pro Christo; & quidem hoc ipso etiam quòd mors propter Christum sit, & non tantùm, vt proficiscitur ex propria charitate: nam hoc propriè ad paruulos quidem non pertinet. Quòd autem id Ecclesia doceat, ostendimus tomo tertio, disputat. 8. quæstione de Martyrio.

Id enim patet primùm ex eiusdem Ecclesiæ vsu. Nam ideo celebrat solenniter festum diem Innocentium, tanquam omnino Sanctorum, hoc ipso, quòd Christi causâ sunt occisi. Itaque non aliquorum tantùm, sed omnium illorum Innocentium festum diem agit, licet verisimile alioqui sit, aliquos inter illos fuisse, quibus non fuerit applicatum aliud salutis remedium, nempe Circumcisionis. Nam probabile est, aliquos occisos fuisse ante octauum à natiuitate diem, quo primùm die circumcidere licebat: Occidebantur enim omnes sine discrimine *à bimatu & infrà*. Deinde etiam probabile est, aliquos ex illis fuisse filios Gentilium aliquorum, qui fortè tunc fuerunt in illis locis.

Secundò, quòd id etiam Ecclesia doceat, patet ex traditione, cuius testes sunt Patres, qui verem certissimam asserunt, paruulos saluari per Martyrium, vice Baptismi. Vt IVSTINVS in Quæstione ad Orthodoxos, quæstione 96. Vbi eruditè id confirmat ratione ducta ex illa sententia Apostoli ad Philippenses primo: *Vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Hinc enim colligit, *diuino*, vt inquit, *munere dignos haberi pueros, qui pro Christo* passi sunt, atque adeò cooptandos in Christi regnum, iuxta illud eiusdem Apostoli, secunda ad Thessalonicenses primo: *Iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cœlo, &c.* Et paulò antè: *Vt digni*, inquit, *habeamini regno Dei, pro quo & patimini.* Idem sensit CYPRIANVS in homilia de Stella & Magis, & in epistola ad Iubaianum. AVGVSTINVS epistola 28. ad Hieronymum, & libro tertio de libero arbitrio, capite vigesimo tertio. BERNARDVS in sermone de Innocentibus.

Atque hoc cùm sit certum, meritò Sotus distinctione tertia, quæstione vnica, articulo vndecimo, & alij communiter reputant plus quàm falsam, (id est, erroneam) & cum Ecclesiæ authoritate pugnantem opinionem Armacani libro 8. de qq. Armenorum, cap. 37. & Adriani in quæstione de Baptismo, quæstiuncula tertia ad tertium, qui negant, Martyrium per se prodesse paruulis, aiuntque, Ecclesiam non celebrare festum omnium illorum Innocentum; sed eorum tantùm, qui alioqui fuissent in Circumcisione iustificati.

Ex ea enim opinione primùm sequitur, Ecclesiam non celebrare tunc propriè Martyres; sed circumcisos paruulos, quod absurdum est & alienissimum à sensu & instituto communi fidelium. Deinde planè falsum est, quòd non celebret festum omnium illorum occisorum infantium: celebratur enim propriè hoc, quòd pro Christo fuerint occisi: Atque ita vt hoc omnibus illis commune fuit; sic Ecclesia communem diem festum illorum omnium agit; id quod etiam patet ex forma officij diuini, quod recitamus illo die.

Etsi verò quæstio sit, neque satis inter Doctores conueniat, *quomodo* Martyrium ipsum valeat ad salutem præsertim paruulis, qui non oppetunt mortem ex proprio actu charitatis; vt ex Soti disputatione apparet loco citato, & alioqui; tamen certum est, illud aliqua tandem ratione ad salutem valere. Et nonnulli quidem opinantur, quòd valeat *ex opere operato*, id est, ita, vt saltem tanquam causa moralis conferat, secundùm certam aliquam legem Dei, gratiam Martyribus. Quod propter paruulos, in quibus non habet locum opus operantis, puto disputari rectissimè, vt asserui tomo 3. disp. 8. quæst. de Martyrio. Neque tamen propterea Martyrium est Sacramentum, vt malè Ioannes Maior concesserit in 4. d. 4. q. 3. quem rectè refellit Sotus in dicta q. vnica, art. 11. Et ratio præcipua est: Quoniam licet Martyrium gratiam conferat; non tamen eam confert, vt signum ipsius ex peculiari institutione diuina.

Sed his omissis, quæ vberius tractauimus in suprà dicta q. de Martyrio, probatur SECVNDO nostra Assertio. Nam absurdum & contra fidem est, à generali propositione & regula Sacræ Scripturæ exceptionem facere sine authoritate vel eiusdem Scripturæ, vel certè Ecclesiæ, cui est etiam promissa recta intelligentia & interpretatio Scripturarum. Sed hoc facit illa opinio, quæ præter Baptismum aquæ & Martyrium, pollicetur vllo alio modo paruulis salutem. Ergo est erronea. Maior per se satis patet. Minor probatur. Quoniam Ioan. 3. extat illa sententia & quasi regula generalis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Inde autem secundùm *Scripturam* quidem apertè non excipiuntur, nisi qui vtuntur Baptismo *Flaminis*, aut certè *Sanguinis*, ex proprio motu & actu charitatis; quorum neutrum ad paruulos pertinet. Secundùm traditionem autem Ecclesiæ, præter illos, qui Baptismo Flaminis & Sanguinis, ex propria charitate iam adulti vtuntur, non excipiuntur paruuli, nisi in illo duntaxat casu *Martyrij* propter Christum. Itaque vera est illa Minor.

Sed occurri potest huic rationi OPPONENTO *primò*, quòd locus ille Ioan. 3. alium commodum sensum videatur habere posse, etiamsi non intelligatur propriè de Baptismo aquæ. Nam VVIclephus apud Thomam VValdensem in libro de Sacramentis, cap. 99. & seq. interpretatur metaphoricè, vt *ex aqua renasci*, illic sit, renasci ex fide in Christũ, de cuius in Cruce pendentis latere profluxit aqua. Caluinus item loco suprà citato dicit, sensum esse, *nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto, qui nos à peccatis abluit & mundat instar purissimæ aquæ, corpus purgãtis à macula aliqua alia.* Deniq; Kemnitius in Examine Can. 2. sess. 7. Concilij Tridentini, etsi non omnino sequi videatur huiusmodi metaphoricas eius loci expositiones; tamen obliquè eas confirmat, cùm notat ibi, Basilium aquam in illo loco interpretatum alicubi esse *tribulationem*.

Secundò contra illam nostram Probationem obiici potest, quòd Ioan. 6. extat planè sententia similis, cùm dicitur: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Neque tamen in hac generali sententia paruulos etiam comprehendi volumus, quasi hi nequeant vitam æternam consequi, nisi communicent de Sacramento Eucharistiæ. Cur igitur in illa simili sentẽtia Ioan. 3. comprehendi debeant?

Ad *Primum* respõdeo, interpretationes illas, quæ non ibi *propriè* accipiendam esse *aquam* contendunt, planè esse hæreticas, contra communẽ sensum & consensum Ecclesiæ, vt suprà pluribus testimoniis Patrum ad eam rem citatis ostendimus. Et quod ad Basilium attinet, nõ citat Kemnitius locum; neque illum ego reperi; sed reperi tamen alium locũ illustrem in BASILIO, libro de Spiritu sancto, cap. 15. vbi expressissimè Baptismum aquæ & eius necessitatẽ confirmat ex illa sententia Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* Quare si maximè alicubi metaphoricè quoque interpretaretur Basilius illam aquam; certum tamen est, ex eius sententia *propriè* imprimis accipi etiam in eo loco debere.

Ad *Secundum* respondeo, diuersam rationem atque vim vtriusque Sacramenti, scilicet Baptismi & Eucharistiæ, meritò nos debere mouere, vt in sentẽtia illa generali de Baptismo Ioan. 3. paruulos etiam esse comprehensos intelligamus. In alia verò de Eucharistia Ioan. 6. non item. Nam BAPTISMVS est ad *regenerationẽ*, sine qua nemo potest habere spiritualem vitam. Non enim aliquis prius viuit, quàm generetur. Et præterea dubium non est, quin huius generationis spiritualis paruuli quoque participes esse possint, vt p. 1. est probatum. EVCHARISTIA autem nõ est propriè ad regenerationem spiritualem; sed ad spiritualem *nutritionem*, atque adeo ad restaurationem spiritualis virtutis deperditæ per quotidiana peccata actualia. Hæc verò spiritualis nutritio, ad vitam spiritualem simpliciter quidem & absolutè necessaria omnibus non est; sed iis tantùm, qui quotidiano peccatorũ *vsu* subinde aliquid de spiritualibus viribus deperdũt. Nam & vitã temporalẽ potest aliquis absolutè quidẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

sine vlla restauratione naturalis virtutis aliquādiu viuere: Itaque non nisi adultos (qui peccare *actualiter* possunt, atque adeo aliquid de spiritualibus viribus perdere, quod restauratione indigeat) in illa sententia Ioan. 6. de necessitate Eucharistiæ ad vitam æternam, comprehendere debemus. In alia autem sententia de necessitate Baptismi, Ioan. 3. paruulos etiam oportet includere: quoniam hi quoque *regeneratione* spirituali simpliciter opus habent, vt spiritualem vitam viuant, & eius etiam regenerationis sunt capaces, vt antè dictum est. Est igitur firma quoque probatio illa secunda nostræ assertionis.

TERTIO probatur eadem Assertio ex definitione Ecclesiæ in Concilio Florentino, in Decreto de vnione Armenorum, & Tridentino sess. 5. in Decreto de peccato Originali, & in Cap. *Maiores.* Extra de Baptismo & eius effectu. Vbi asseritur paruulis etiam prodesse Baptismum ad salutem, quoniam alioqui essent sine remedio.

QVARTO probatur ex sanctis Patribus. AVGVSTINVS epistola vigesima octaua, octuagesima nona, nonagesima, nonagesima quinta, centesima quinta, & passim in tribus libris de origine Animæ: item in libro de natura & gratia, capite octauo, GREGORIVS libro septimo Registri, epistola quinquagesima tertia. BERNARDVS sermone sexagesimo sexto in Cantica. SIRICIVS epistola prima, capite secundo. ORIGENES homilia octaua in Leuiticum. BASILIVS libro de Spiritu sancto, capite decimo quarto & decimo quinto. HIERONYMVS in epistola ad Lætā. CHRYSOSTOMVS homilia tertia ad Neophytos. IVSTINVS in Apologia secunda, & quæstione quinquagesima sexta ad Orthodoxos.

Ex quibus patet, erroneam prorsus esse opinionem etiam illam Caietani & Gersonis, si voluerunt illa remedia prodesse paruulis secūdùm *legem ordinariam.* Et consequenter etiam, cùm illa remedia ex eiusmodi opinione adhiberentur paruulis, id est, vt secundùm legem ordinariam eis prodessent; peccatum esset sacrilegij & cultus falsus.

Si autem velint tantùm, quòd ex *priuilegio* in aliquo singulari casu, possit sine Baptismo, per illam oblationem & votum parentū, saluari paruulus: de hoc quidem dubium nō est, quin possit diuinâ potentiâ fieri; sed tamen sine speciali reuelatione nemo posset absq; errore & temeritate affirmare, quòd aliquis paruulus ita extraordinariè saluetur, vt rectè dixit Andreas Vega lib. 5. super sess. 6. Concilij Tridentini, capite decimo sexto.

Quod tamen intelligo in particulari & determinato casu, si videlicet aliquis affirmaret, hunc aut illum paruulum sic extraordinariè saluari. Nam vt quemlibet paruulum in casu determinato, si non baptizetur, negare debeamus consequi vitam æternam, satis nobis esse debet generalis Scripturę sententia, & lex ordinaria, quę Baptismum requirit. In genere autem opinari ac polliceri sibi de Deo, quòd aliquis paruulus aliquādo propter pietatem parentum extraordinariè sine Baptismo saluetur, non videtur esse erroneum aut temerarium. Nam & in aliis Casibus arbitrantur Theologi, Deum aliquādo supplere in administratione Sacramētorum, quod alioqui secúdùm legem ordinariam erat necessarium, vt disp. præced. q. 5. notauimus ex quorundam sententia, quando Minister subtrahit intentionem necessariam in ministerio.

SED quò magis hæc nostra quarta Assertio confirmetur, respondēdum est breuiter ad fundamenta illorum, quos suprà diximus contrà sentire. Et Pelagiani quidem illo suo fundamēto nituntur, quòd scilicet paruuli nullum contrahunt peccatum Originale. Quæ hæresis à nobis refutata est, tomo 2. q. 12. de peccatis.

VViclephus verò non aliud argumentum afferre videtur, nisi quòd potest Deus paruulos sinè Baptismo saluare, vt videre est apud Thomam VValdensem vbi suprà. Sed cùm extet lex ordinaria, quòd sine Baptismo non saluabuntur; non satis est, Deum aliud *posse*, vt vel asseramus, ipsos sine Baptismo saluari; vel etiam (vt VViclephus facit) dubitemus, an non sine Baptismo saluabuntur.

Præterea CALVINVS tribus testimoniis vtitur. PRIMVM est Genes. 17. vbi Dominus ad Abraham dicit: *Statuam pactum meum inter me & te fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus & seminis tui post te.* Hinc infert Caluinus, filios fidelium non propriè per Baptismum; sed per istam promissionem diuinam iustificari, hoc ipso, quòd filij sunt fidelium, atque adeo semen Abrahæ. Hanc enim habere vim illud, quod Deus promisit: *Ero Deus tuus & seminis tui*, id est, peculiari ratione tibi & semini tuo Deus ero, nempe per gratiam. Eius autē promissionis quasi sigillum dicit esse Caluinus Baptismi cæremoniam illam, quæ postea est adhibenda; licet iam ex vi solius promissionis paruuli sint iustificati.

SECVNDO obiicit illud, quod Apostolus 1. Cor. 7. affirmat, filios fidelium parentum *sanctos esse:* & quidem quamuis alter tantùm parentum fuerit fidelis, vt apparet ex disputatione Apostoli in illo loco.

TERTIO addit etiam in lib. institut. vbi suprà, dictum illud Christi de paruulis: *Talium est enim regnum cælorum.* Matth. 19.

Ad PRIMVM respondeo, semen Abrahæ, ad quod illa promissio pertinet, intelligi debere, non secundùm carnalem natiuitatem; sed secūdùm spiritum, vt Apostolus docet Rom. 9. & aliâs sæpè. Semen autem secundùm spiritum sunt ij, qui vel credunt ipsi, sicut credidit Abraham, vel certè per Sacramentum fidei, id est, Baptismum (qui etiam paruulos è numero fidelium facit, vt p. 2. docuimus ex Augustino) fiunt filij promissionis Abrahæ.

Itaque

Itaque ex illo loco Genes. 17. potius argumētari licet contra Caluinum, paruulos, nisi Sacramētum Baptismi suscipiant, minimè ex vi illius promissionis iustificari: quoniam ad id necesse est, vt sint semen illud Abrahæ, ad quod pertinet ea promissio.

Quòd si semen ibi intelligi deberet secūdùm natiuitatem carnalem, vt oporteret, ad stabiliēdam ex illo loco hæresin Caluini; absurda multa sequerentur: *Primò*, ex illius promissionis vi, non nisi eos iustificari, qui sint propriè secūdùm carnem de familia illa & stirpe Abrahæ. *Secundò*, ne in adultis quidem ad iustificationem propriè conferre ipsam fidem; siquidem alioqui sint secundùm carnem semen Abrahæ, quo ipso dicit Caluinus impleri promissionē illam. *Tertiò*, paruulos non contrahere peccatum Originale; sed in ipso primo instanti conceptionis esse iustos & sanctos ex vi illius promissionis: quoniam in illo primo instanti sunt secūdùm carnem semen Abrahæ. Itaque falsum esset illud Apostoli ad Ephes. 2. *Eramus naturâ filij iræ.*

Ad SECVNDVM testimonium rectè respondet Ruardus Tapper in expositione art. 2. fol. 83. & deinceps. Ac primò quidem cùm Pelagiani illum etiam locum obiecissent Augustino, vt probarent, filios fidelium nō contrahere peccatum originale, respondet Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 26. & lib. 3. capite 12. sanctitatem illam, quam Apostolus tribuit filiis fidelium, quomodocunque intelligatur; non tamen posse *eam* intelligi, quæ *gratia & iustitia* continetur: quasi hoc ipso, quòd de parentibus fidelibus paruuli sunt procreati, assequantur gratiam.

Id probatur *primò.* Nam similiter ibi Apostolus *sanctificari* dicit coniugem infidelem per alterum coniugem fidelem; & tamen certum est, hoc intelligi non posse de sanctificatione illa iustitiæ & gratiæ, quasi hanc coniunx infidelis, etsi in infidelitate maneat, consequatur hoc ipso, q̄ fideli coniugi matrimonio iunctus est. Nam sine propria fide *impossibile est* adultos *placere Deo;* ad Hebr. 11. Et: *qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum.* Ioan. 3.

Secūdò: Quoniam aliunde certissimè constat, paruulos, vt iustificentur, debere necessariò renasci per lauacrum regenerationis, & incorporari Christo. Ioan. 3.

Tertiò: Quia præter Pelagianos & Sacramentarios istos, nullus Patrum sic illam sanctitatem, de qua loquitur in illo loco Apostolus, est interpretatus, nempe cùm ait 1. Cor. 7. *Alioquī filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt.*

Sed qualis omnino ista *sanctitas* est? TERTVLLIANVS in lib. de Monogamia, & Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & in Epistola ad Paulinum, hoc quod Apostolus inquit de fidelium filiis: *Nunc autē sancti sunt*, sic interpretatur: Sancti, id est, *fidei candidati*, hoc est, deputati ad Christianam fidem & sanctitatem, hoc ipso, quòd alterius saltem parentis fidelis sunt filij, & quòd ita spes est, futurum illius operâ, vt Christianæ Religionis Sacramēto initientur; maximè cùm de illo coniuge fideli loquatur ibi Apostolus, cum quo alter infidelis *habitare consentit*, id est, quem permittit alter sine Christi iniuria viuere, & facere ex Christianæ Religionis instituto. Cōfirmat autem Hieronymus hanc interpretationem phrasi Scripturæ. Nam & vasa sacra dicuntur *sanctificari*, & templum vocatur *sanctuarium*, non nisi secundùm illam deputationem ad sanctos vsus.

Ac eodem modo secundùm Chrysostomum in illum locum, intelligi potest, quod ibidem Apostolus dicit, *sanctificari virum infidelem per mulierem fidelem*; & mulierem infidelem per virum fidelem: *quia spes est*, inquit Chrysostomus, *quòd à fideli coniuge altero pertrahetur ad fidem.* Quæ expositio ex illis etiam Apostoli verbis, quæ ibidē subiungit, confirmari potest: *Vnde enim*, inquit, *scis mulier, si virum saluum facies? aut vnde scis vir, si mulierem saluam facies?* Quasi dicat: fortasis, &c.

Præterea Ambrosius in illum locum, postquā illam interpretationem D. Hieronymi insinuat, sic interpretatur: Sancti, id est, *legitimi*, non immundi seu spurij, quasi ex adulterio: Id enim in hoc etiam sensu dixit Apostolus, vt (quod illic agebat) persuaderet coniugi fideli cohabitationem cum coniuge infideli, quando hic sine iniuria Christi consentit cohabitare. Quasi dicat Apostolus: Minimè verendum vobis est, ne propter differentiam Religionis filij vestri sint spurij & immundi: sancti enim, id est, legitimi sunt. Vtraque expositio est satis bona.

Ad TERTIVM respondeo, sensum esse, paruulos, quantum est ex parte illius ætatis, omnino etiam participes esse posse regni cœlorum; sed si *regenerentur in Christo*, sicut suprà ex eo etiam loco probauimus, eos per Baptismum regenerari omnino posse. Ad probandam igitur Baptismi virtutem in paruulis, non ad oppugnandam, vt peruersè Caluinus facit, vsurpari debet illud Christi testimonium.

Iam verò quod Bucerus dixit, ob diuinam *prædestinationem* fieri, vt saluentur paruuli, qui sine Baptismo decedunt: Si secundùm legem ordinariam intelligatur; planè falsum est. Nā cùm ex Scripturis probamus, secundùm legem ordinariam nō saluari sine Baptismo paruulos; consequenter euincimus, paruulos secūdùm legem ordinariam nō prædestinari ad vitam æternam sine Baptismo.

Restant modò CAIETANI argumenta, qui hæc potissimum vrget. PRIMO. Non est iam angustior ad salutem via, quàm fuit tempore legis naturæ. Sed tunc fides & votum parentum sufficiebat paruulis ad salutem. Ergo & modò, saltem in casu, quo Baptismus illis applicari nequit.

RESPONDET

Universidad de Deusto
Biblioteca

RESPONDET ad hoc argumentum in forma Diuus Thomas quodlib. 6. art. 4. ad 1. inprimis non eſſe certum, fidem ſolam parentum, niſi aliqua etiam exteriori cæremonia manifeſtaretur, profuiſſe illo tempore paruulis: Aliquos enim putaſſe, eiuſmodi aliquam cæremoniam, & proteſtationem externam, neceſſariam fuiſſe. Quod ſi ita eſt; accidere tunc etiam aliquando potuit, vt copia deeſſet adhibendi illam cæremoniam pro ſalute paruuli.

Deinde, ſi maximè nuda parentum fides fuerit tunc ſatis; reſpondet tamen D. Thomas, difficultatem illam, quæ nunc eſt propter neceſsitatem aquæ, aliunde hoc tempore legis gratiæ compenſari. Nam & vberior gratia nunc in Baptiſmo datur, & ſtatim patet illius virtute aditus ad regnum cæleſte, cuius ianua temporibus illis erat recluſa.

Accedit, quòd rariſsimè accidet ille caſus, vt aquæ defectu præſertim in ea parua quantitate, quæ ad Baptiſmum ſatis eſt, laboretur. Item omnes in neceſsitate poſsũt eſſe Baptiſmi Miniſtri. Denique etiam in illo tempore legis naturæ illis paruulis non conſulebatur, quorum parentes infideles erant; & tamen modò infidelitas parẽtum, ſi Baptiſmo abluantur aquæ, nihil illis oberit.

SECVNDO. Tempore legis veteris fides & votum parentum ſatis erat in neceſsitate paruulis, cùm ſcilicet ante octauum diem, quo duntaxat circumcidere licebat, morte præueniebantur. Sed modò non eſt arctior, quàm tunc, via ſalutis. Ergo, &c.

RESPONDEO. Primum, Alphonſus à Caſtro lib. de hæreſibus, Verbo Baptiſmus, hæreſ. 9. probat, erroneum atq; temerariũ eſſe aſſerere, quòd potuerit etiam in neceſsitate ante octauũ diem ſubueniri illis paruulis aliquo remedio. Id confirmat ex illo loco Geneſ. 17. *Maſculus, cuius præputij caro octauo die circumciſa nõ fuerit, peribit anima eius de populo ſuo*, id eſt, non annumerabitur Dei electis & ſanctis, &c. Sic enim hoc interpretatur AVGVSTINVS lib. 16. de Ciuit. Dei, cap. 17. & alij Patres.

Deinde affert etiam teſtimoniũ ex Cap. Maiores. de Baptiſmo & eius effectu, vbi ſimpliciter definitur, parem fuiſſe neceſsitatem Circumciſionis in octauo die neceſsitati, quæ iam eſt Baptiſmi abſolutè & ſimpliciter. Atq; ita etiam videtur ſenſiſſe D. Auguſtinus loco citato.

Item D. Thomas infrà q. 70. art. 3. ad 3. cùm refellit eorum opinionem, qui putárunt, in neceſsitate potuiſſe paruulos circumcidi ante octauũ diem; nullius omnino remedij, quod potuerit illis in eo caſu alioqui, pdeſſe, meminit; ſed ſimpliciter aſſerit intelligendam eſſe, vt ſonat, illam Scripturam, quę dicit, perituros fuiſſe illos paruulos, qui in octauo die non eſſent circumciſi.

Ruardus autem Taper in artic. 2. Louanienſi, dicit, fidem parentũ, tempore legis veteris, ſimpliciter & abſolutè profuiſſe fœmellis ad ſalutẽ, & maſculis etiam in neceſsitate, ante octauum diem, ſi videlicet mors tunc immineret. Neque hoc fuiſſe mirum, cùm illo tempore ante octauũ diem nõ liceret eos circumcidere. Nunc autem quia omni tempore paruulos baptizare licet, nunquam valet illis aliud remedium præter Baptiſmum, extra caſum illum peculiarẽ Martyrij. Poſt octauum autem diem etiam negat Taper valuiſſe maſculis in neceſsitate fidem aut votum parentum. Quanquam neſcio cur hic author diſtinxerit quo ad hoc inter tempus illud antecedens octauũ diem & ſubſequens. Inſinuat quoque D. Thomas q. 70. art. 4. ad 3. fuiſſe quoq; ante octauum diem aliquod remedium in neceſsitate, ſicut ante inſtitutam circumciſionem.

Sed quicquid ſit de hoc; reſpondeo deinde ad Caietani argumẽtum, aliunde difficultatẽ hanc neceſsitatis aquæ compenſari, etiamſi demus, tempore veteris legis potuiſſe ante octauũ diem paruulos per fidem ſolam & votum parentum ſaluari. Nam neq; tũc temporis ita copioſa gratia in circumciſione dabatur: neque aperta erat ianua regni cæleſtis.

TERTIO. Durũ videtur, quòd eiuſmodi paruuli, qui baptizari nequeunt, ſint relicti abſque ſalutis remedio. Ergo non ita putandum eſt.

RESPONDEO, ſi per ſe, & quantũ eſt ex parte Dei, res conſideretur; non eſſe illos abſq; remedio relictos. Deus enim ipſe non impedit, quõminus baptizentur: Quanquam neq; extraordinariè etiam impedit, aut voluntatem humanam parentum, aut curſum aliarũ cauſſarum, ex quibus fit, vt non baptizentur. Itaque hoc ſolum ex noſtra doctrina ſequitur, accidere interdum, vt remedium ſalutis, quod alioqui paruulis omnibus diuinitus præparatum eſt, quibuſdam non applicetur. Hoc autem accidens, etſi Deus non prohibeat; tamen non ideo iniuriam aliquam paruulis facit, neq; accuſari propterea iuſtè poteſt, cum nemini extraordinariam illam prouidentiam ipſe debeat, & alioqui propter peccatũ originale iuſtè paruuli priuentur beatitudine. Quæ eſt etiam reſponſio in hoc propoſito diui Auguſtini lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. 7.

POSTREMO. Si illi paruuli per fidem parentum ſaluari nõ poſſent; maximè id eſſet propter illam ſentẽtiam Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Sed hac ſententia nõ obſtante, concedimus paruulos ſaluari poſſe per remedium Martyrij; & etiam adultos, per Baptiſmi votum. Ergo etiam concedi poſſet, in Caſu neceſsitatis, paruulos ſaluari per fidem illam & votum parentum.

RESPONDEO, diſcrimen eſſe. Nam ad illas alias interpretationes, ſiue exceptiones illius ſententiæ, habemus certam authoritatem, partim Scripturæ, partim Eccleſiæ: ad huiuſmodi autem interpretationem non item, vt antè ſumus argumentati.

QVAESTIO

QVÆSTIO QVARTA.

De effectibus Baptiſmi.

D. Thom. 3. part. quæſt. 69.

QVANQVAM D. THOMAS HIC PER DECEM ARTICVLOS, plures Baptiſmi effectus prolixè enumeret; tamen quidam illorum neceſsariò ſe conſequuntur; & aliqui non re, ſed ratione tantùm differunt. Quare breuius tota res abſolui poteſt his duobus Punctis. PRIMVM eſt, Quinam ſint Baptiſmi Effectus. Et num æquè fuerit efficax Baptiſmus Ioannis. SECVNDVM eſt, An quotieſcunq; Baptiſmus legitimè ſuſcipitur, ſit efficax, hoc eſt, habeat in ſuſcipiente illos effectus ſuos: aut ſi aliquos non ſemper tunc habet, an poſsit poſtea illos habere, & quando.

PVNCTVM PRIMVM.

Quinam ſint Effectus Baptiſmi, & num æquè fuerit efficax Baptiſmus IOANNIS.

D. Thom. art. 1. vſq; ad 8.

EX EFFECTVS PRINCIPALES Baptiſmi rectè numerari poſſunt. PRIMVS Effectus eſt Character. Id quod ſuprà diſput. præced. q. 4. ſatis à nobis contra hæreticos probatũ & defenſum eſt.

SECVNDVS Effectus eſt Gratia iuſtificans, & virtutes, quæ ſunt cum ea connexæ, vt oſtendit D. Thomas art. 4. & etiam art. 6. in quo propriè docet, *paruulis* etiam infundi cum Gratia illas Virtutes: Ac etiam nos ſuprà diſput. præced. de Sacramentis, q. 3. hanc efficaciam Baptiſmi & aliorum Sacramentorum contrà hæreticos confirmauimus, qui, vt illic vidimus, non aliter putant Sacramenta nouæ legis gratiam conferre, niſi quia illam tanquam Symbola quædam externa & ſigilla promiſſionis diuinæ offerunt & exhibent hominibus, vt fide percipiatur. Vnde colligunt, eodem modo Sacramenta veteris legis gratiam exhibuiſſe.

Nos autem totam hanc illorum doctrinam illic refutauimus, oſtendimuſque, Sacramenta nouæ legis veras eſſe cauſſas gratiæ inſtrumentales: Quod totum ad Baptiſmum etiam pertinet. Et patet, illum eſſe ita efficacem, ex illo teſtimonio ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Et Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.*

Etſi verò hunc effectum, nempe Gratiam & virtutes, *inæqualiter* pro ratione inæqualis diſpoſitionis, in aliis atq; aliis adultis, efficiat Baptiſmus, vt docet D. Thomas art. 8. tamẽ ex vi ſolius Baptiſmi, hoc eſt, ſi conſideremus præcisè illud, quod virtute *operis operati* ſola, circũſcripta iam per intellectum, virtute diſpoſitionis accedentis, Baptiſmus efficere poteſt; in omnibus eſt hic effectus Gratiæ & virtutum æqualis ac determinatus ex certa lege diuina, vt rectè notauit Sotus d. 6. q. 1. art. 6. Idque patet ex iis, quæ loco citato docuimus in communi de virtute illa operis operati in omnibus Sacramentis.

Atq; ex hac doctrina rectè idem Sotus in illo loco refellit Scotum in 4. d. 4. q. 7. & Gabrielem ead. d. q. 2. qui contra D. Thomam in dicto art. 8. ſenſerunt, non omnibus paruulis in Baptiſmo dari æqualem gratiam; ſed Deum, quia inæqualiter illos *prædeſtinet*, id eſt, ad diuerſam gloriam, dare illis in Baptiſmo inæqualem gradum gratiæ: Item etiam hanc inæqualitatem poſſe prouenire ex precibus & deuotione inæquali offerentium paruulos ad Baptiſmum, vel etiam miniſtrantium. Quãquam fatentur quidem, illum inæqualem Gratiæ gradum non dari in Baptiſmo paruulis, per ipſum Baptiſmi Sacramẽtum; ſed ex beneuolentia quadam diuina, ob cauſſas illas iam dictas.

Sed hanc, vt dixi, opinionẽ meritò refellit Sotus. Quoniã Deus non prædeſtinat ad inæqualẽ gloriã niſi ſecũdum diuerſa etiã merita. Neq; etiã offerẽtes ad Baptiſmũ, aut miniſtri impetrãt inæqualẽ gradũ gratię, niſi iis baptizatis, quibus poſſunt impetrare diuerſam diſpoſitionẽ propriã, hoc eſt, perfectiorẽ motũ fidei, vel charitatis, vel pœnitẽtię in ipſo Baptiſmo. Quare ſi paruuli ante vſum rationis morituri ſint; nullaq; adeo habituri propria merita; nõ ad inæqualem, ſed ad æqualẽ gloriã prædeſtinantur, nempe ad illã, quæ correſpondebit æquali gratiæ acceptæ in Baptiſmo ex vi ſola operis operati.

Neque opus eſt, vt *omnes* beati ſint impares beatitudine; ſed ſolùm certum eſt, eſſe magnam latamque differentiam graduum beatitudinis,

& man-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& mansiones multas in illa cælesti domo, vt rectè loco citato declarat Sotus.

Sic etiam, neque in paruulis habet locum virtus illa deuotionis offerentium aut Ministrorũ, cùm non sint capaces inæqualium dispositionum, quas illis impetrare queant offerentes vel Ministri. Qua solùm ratione contingit ex alieno merito consequi inæqualem gradum gratiæ, vt optimis argumentis ostendit in illo loco Sotus.

Qui etiam ex iisdem fundamẽtis refellit ibidem aliam quandam opinionem Paludani in 4. dist. 4. q. 1. vbi voluit hic author, paruulis ante vsum rationis morituris ob eam causſam dari diuinitus in Baptismo gratiam inæqualem, quoniam singuli prædestinati succedunt in cælo in locum alicuius Angeli desertoris, ac proinde futurum est, vt omnes & singuli homines habeant inæqualem gloriam, sicut illi Angeli habituri erant inæqualem.

Respondet autem ac notat optimè Sotus, nõ ita scrupulosè & exactè illud accipi debere, ꝙ dici solet de successione hominum beatorum in locis & quasi sedibus, quæ erant paratę Angelis: sed sensus tantùm absolutè est, homines cooptandos in beatitudinem, à qua desciuerunt illi Angeli, licet fortè neque pari numero, & diuerso etiam gradu.

Porro quoniam (vt disp. præced. q. 3. probauimus) ex fide certum est, Baptismo, & cæteris etiam Sacramentis nouæ legis *proprium* esse habere omnino hunc effectum, qui est Gratia; consequenter apparet, hæreticam esse Sectariorum opinionem, cùm contendũt, Baptismvm Ioannis eundem habuisse effectum, quem habet Christi Baptismus, & eodem modo contulisse gratiam: hoc excepto discrimine, quòd, vt inquiunt, Baptismus Ioãnis exhibebat gratiam in virtute Christi nondum omnino exhibiti, id est, passi in Cruce pro nobis: Baptismus autem noster in virtute Christi *iam exhibiti*. Item, quòd veriorem propterea gratiam confert noster Baptismus. Dico autem, hanc istorum opinionem esse hæreticam. Quoniam statim ex fidei doctrina ostendam, in Baptismo Ioannis non hanc fuisse efficaciam, quam ex fide certa asserimus esse in Baptismo. Sed prius fundamenta, ac ratio doctrinæ istorũ de hac re breuiter est proponenda.

Ac nominatim quidem ita scripsit Caluinus lib. 4. instit. cap. 15. sect. 7. & 8. & Kemnitius quoque ex suorum sententia valdè prolixè idem conatur persuadere in Examine can. 1. sess. 7. Concilij Tridentini. Probant Primo ex illo modo narrandi Euangelistarum Luc. 3. & Marc. 1. *Venit Ioannes prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Si in remissionem: Ergo conferebatur illic Gratia, per quam peccata remitterentur.

Secvndo: Nam modus, quo Sacramentum Baptismi gratiam confert, est, quatenus illam exhibet & proponit hominibus, vt quoddã externum symbolum & quasi sigillum promissionis diuinæ, & doctrinæ de conferẽda salute propter Christum. Sed cæremonia illa Baptismi Ioannis similiter exhibebatur ex voluntate Dei, vt tale symbolum cuiusdam promissionis & doctrinæ de salute propter Christum. Ergo similiter illa cæremonia gratiam conferebat. Hoc enim quasi discursu animaduerto comprehendi omnia ea, quæ isti prolixè hinc inde secundùm suam doctrinam notant, vt hoc dogma de Baptismo Ioannis confirment.

Et de Maiore quidem huius Syllogismi, quã isti sumunt, iam suprà disput. præced. q. 3. dictum est. Minorem autem hìc probant: Quoniam Ioannes non solùm vt baptizaret in aqua, à Deo missus est; sed vt doceret & proponeret doctrinam de Christo. Itaq; eius virtutem apertè professus est: *Venit enim in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, & omnes crederent per illum*. Ioan. 1. Atque vt Zacharias ait, *ad dandam scientiam salutis plebi eius*. Itaque videtur omnino Ioannes doctrinam hanc salutarem de Christo, atque adeo promissiones diuinas, similiter illa Baptismi sui cæremonia, tanquam sigillo obsignasse, & hominibus probasse.

Ex qua re duo rursum hæretica dogmata deducunt isti. Vnvm est, Baptismum Ioannis vel nihil, vel propè nihil differre à Baptismo Christi, nisi quòd obsignabantur per illum promissiones Christi nondum omnino exhibitæ: per nostrum autem iam exhibentur, quæ est quasi differentia quædam cęremoniarum istarum accidentalis. Cæterùm quia similiter Ioannes baptizabat in remissionem peccatorum, & obsignabat easdem Dei promissiones, & eandem doctrinam salutarem Christi in illa cæremonia tradebat, & aquam quoque adhibebat; eadem cæremonia fuit illa, saltem quoad substantiam, & principalia ipsius, vt isti ratiocinantur.

Altervm hæreticum dogma est, quòd non fuerit necesse, eos, qui legitimè baptizati fuissent Baptismo Ioannis, baptizari denuò Baptismo Christi & Apostolorũ: Id quod probat Kemnitius *Primò*, quoniam Actor. 18. Apollo, qui tantùm erat solum Baptismo Ioannis, tantùm instruitur rectiùs & absolutiùs in via Domini: Neque ibi legitur, quòd fuerit etiã Baptismo Christi baptizatus.

Secundò profert locum Ambrosij lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. vbi is sentire videtur, Ioannem in nomine Iesv fuisse solitum baptizare, atque adeo etiam in nomine Trinitatis, quæ implicitè continetur in persona Christi: Eamque ob causſam si quis in fide Trinitatis fuisset rectè baptizatus Baptismo Ioannis, non debuisse eum denuò baptizari Baptismo Christi. Nam quod Actor. 19. quidam, postquam baptizati erant Baptismo Ioannis, deinde baptizati sunt Christi Baptismo, hoc ideo significat ibi Ambrosius

factum

factum fuisse, quia non rectè Baptismo Ioannis baptizati erant, cùm an Spiritus sanctus etiam esset, adhuc nescirent, vt in illo loco Actor. legitur. Vnde ibidem dicit Ambrosius, non fuisse in illis iteratum Baptisma, sed *nouatum*, quia *vnum est*, inquit, *Baptisma*. Quasi dicat, fuisse demùm absolutum & perfectum illud Baptisma Ioannis, supplendo in Baptismo Christi, quod in illo priori Ioannis defuerat, nempe fidem & doctrinam Trinitatis: quasi, cùm hæc adhibentur, non sit vllum discrimen inter ista Baptismata.

Postremò ad eandem rem, citat testimonium Magistri sententiarum in 4. d. 4. vbi ille ait: Qui rectam fidem Trinitatis habebant, & Baptismo Ioannis baptizati erant, non opus habuisse Baptismo Christi.

Sed hæc omnis doctrina istorum planè est falsa & hæretica. Et Primo, quòd Baptismus Ioannis non contulerit ipse gratiam & remissionem peccatorum (sicut suprà disp. præced. q. 3. probatum est, conferri per Baptismum, & alia legis nouæ Sacramenta) probatur Primo ex Scriptura. Nam Matth. 3. dicit ipse Baptista: *Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam*; sicut etiam in illis locis, quos isti obiiciũt, dicitur prædicasse Baptismũ *pœnitentiæ*. Ex quo dicendi modo colligit beatus Chrysostomvs homil. 11. in Matthæum, & alij Patres, gratiam & remissionem peccatorum, nõ fuisse proprium & immediatum effectum illius cæremoniæ Ioannis; sed ad hoc illam tantùm propriè valuisse, vt per similitudinem virtutis aquæ ad purgandum, ipse Ioannes excitaret & hortaretur in illa cæremonia homines ad pœnitentiam, qua purgantur peccata; & etiam homines illius cæremoniæ vsu, quasi protestarentur, se pœnitentiam acturos, qua abluerentur à peccatis. Quẽadmodum rem hanc totam verissimè, & ex orthodoxa doctrina declarat D. Thomas suprà q. 38. præsertim art. 3. ad 1. Itaque eatenus dicitur Baptismus ille Ioannis fuisse præparatio quædam ad Religionem & Baptismum Christi.

Ac ob eam rem rectè quoque à D. Avgvstino lib. 5. de Baptismo cõtra Donatistas, cap. 10. scriptum est, in Baptismo Ioannis datam fuisse remissionem peccatorũ tantùm *in spe: reipsa verò dari in Baptismo Christi*. Vbi non vult Augustinus, neque etiam nos volumus negare, quin accidere potuerit, vt homines in illius cæremoniæ vsu, consequerentur remissionem peccatorum ex operantis, id est, si legitimam & sufficientem fidem ac pœnitentiam tunc fortè haberent: Sed illud est, quod cũ Augustino asserimus, virtute quidem ipsius cæremonię non fuisse datam remissionem peccatorum reipsa, sed solùm *in spe*, quatenus scilicet excitabat homines ad pœnitentiam, per quam demum consequerentur remissionem peccatorum: In Baptismo autem & per Baptismum Christi, dari remissionem etiam *reipsa*, quoniam est ipse causſa instrumentalis gratiæ, vt disput. præced. q. 3. ostensum est. Quod notandum est, ne quis fortè præstigiis & cauillatiũculis Kemnitij in hoc loco decipiatur.

Secvndo probatur deinde Catholica hæc doctrina testimonio alio luculento ipsiusmet Baptistæ, qui declarasse hanc vtramque differẽtiam inter vtrumque Baptismum omnino videtur. *Ego*, inquit Matth. 3. *baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*. Et Ioan. 1. *Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto*. Quibus sanè locis non tantùm personam suam comparat cum persona Christi, id est, non tantùm significat, se solum esse ministrum aquæ, neque virtute propria peccata remittere; Christũ autem esse etiam in Baptismo Spiritus sancti datorem, & authorem interioris gratiæ, eamque virtutem suam visibili miraculo illum declaraturũ fuisse, quo die Spiritum sanctum Apostolis sub linguis igneis mitteret. Non, inquam, tantùm hoc in illis locis Baptista vult, vt sine vlla probatione isti contendunt; sed etiam indicat maximè in ipso quoque effectu Baptismatum differentiam, quòd scilicet proprius effectus illius cæremoniæ suæ non fuerit alius, nisi qui propriè esse potest effectus aquæ, vt scilicet *abluerit*, & excitârit adeo ad pœnitentiam in remissionem peccatorum & spirituales ablutionem animæ ab illis, propter *similitudinem*, &c. effectus autem Baptismi Christi proprius & immediatus is fuerit, qui sit effectus proprius ipsius *Spiritus sancti*, hoc est, ipsa Gratia & remissio peccatorum.

Tertio, sic omnino se rem habere, atque ita prorsus Scripturam in illis locis intelligendam esse, probatur aduersùs istos authoritate veterum Patrum, quos ipse etiam Caluinus & Kemnitius non sine magna impudentia, nobis concedunt, & fatentur, sic omnino de Baptismo Ioannis & Baptismo Christi docuisse, vt nos sentimus: sed aiunt, Scripturam scilicet ipsis suffragari cõtra nos & veteres Patres. Quasi verò melius isti, quàm veteres Patres, Scripturam intellexerint. Docet igitur ita Avgvstinvs in Enchiridio cap. 49. & Tractatu 4. & 5. in Ioannem, & lib. 5. de Baptismo contra Donatistas, cap. 9. & 10. & lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 37. Chrysostomvs homil. 11. in Matthæum, Basilivs libro de Spiritu sancto, cap. 15. Hieronymvs in caput 2. Ioëlis. Ambrosivs lib. 2. Comment. in Lucam, cap. 11. qui est locus, vt posteà recitabimus, pulcherrimus. Cyprianvs Serm. de Baptismo Christi. Cyrillvs lib. 3. in Ioannem, cap. 57. & 76. Tertvllianvs libro de Baptismo. Ivstinvs q. 37. ad Christianos. Leo Papa epist. 4. Beda in caput 1. Marci. Itẽ omnes Theologi in 4. d. 2. quibus tamen vniuersis volunt Sectarij, vt anteponamus recentia somnia & commentationes ipsorum. Rectè igitur in Concilio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tridentino ſeſſ. 7. can. 1. de Baptiſmo, ſub anathemate damnata eſt iſtorũ hæreſis, ſcilicet Baptiſmum Ioannis, eundem habuiſſe effectum, quem habet Chriſti Baptiſmus.

Porro conſequenter ex his apparet, Baptiſmũ Chriſti & diuerſum ſecundùm ſubſtãtiam eſſe à Ioãnis Baptiſmo, & omnino fuiſſe neceſſarium illis etiam, qui fuiſſent baptizati Baptiſmo Ioãnis: Quæ duo, vt anteà notatum eſt, Sectarij negant. Sed vtrumque probatur. Nam quòd omnino Baptiſmus Chriſti *diuerſus* ſit; patet primũ ex diuerſa ſignificatione & effectu proximo: Significat enim gratiam regenerationis, quæ per ipſum proximè detur: Illa verò cæremonia Ioannis, proximè quidem non niſi pœnitentiam ſignificauit, ad quã excitabat, vt declarauimus. Deinde idem patet: Quoniam Baptiſmi noſtri ſubſtantia conſtat etiam ex præſcripta illa forma verborum, quæ ſecundùm legem Chriſti ordinariam adhiberi debet: nempe, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: id quod ſuprà probatum eſt: Et confirmari quoq; ſolet illo teſtimonio Auguſtini, quod ab hæreticis etiam in hac materia vſurpatur: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Tract. 80. in Ioannem. In illa verò ablutione Ioannis non conſtat, an vlla præſcripta verba adhiberi debuerint, & multò minus quòd ordinariè oportuerit ibi exprimere Trinitatem, licet doctrina de ſalute obtinenda per Chriſtũ antecedere fortaſsis debuerit, quibuſcunque verbis illa traderetur. Itaque Actor. 19. quidam ſimpliciter & abſolutè dicuntur baptizati fuiſſe Baptiſmo Ioannis, qui tamen an *ſi Spiritus ſanctus eſſet*, omnino neſciebant: Quod argumento eſt, doctrinam de Trinitate non fuiſſe in illa cæremonia Ioannis ſaltem de ſubſtantia, licet fortè aliquo modo pertinuerit ad rectum vſum illius, vt ex Ambroſio lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 3. colligi poteſt.

Iam verò quòd Baptiſmus Chriſti etiam iis, qui Baptiſmo Ioannis baptizati eſſent, *neceſſarius* fuerit; patet euidenter ex illa vniuerſaliſsima Chriſti lege: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c.* Matth. vlt. Et: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*. Marci vlt. Vbi nemo excipitur ab obligatione ſuſcipiendæ Chriſtianæ Religionis in Baptiſmo, quibuſcunque demum cæremoniis, ſiue veteris legis, ſiue Ioannis anteà fuiſſet vſus. Denique totum hoc aſſeritur etiam à SS. Patribus locis ſuprà citatis: & nominatim à S. Basilio libro de Spiritu ſancto, capite decimo quinto, cum ait: *Vnum nouimus ſalutare Baptiſma*, nempe Chriſti.

Quare ad Primvm fundamentum Sectariorum dicendũ eſt, Scripturam illo modo dicendi (*prædicans baptiſmum pœnitentiæ in Remiſsionem peccatorum*) ſolùm indicare, quòd valuerit demum cæremonia illa Ioannis ad remiſsionem peccatorum, quatenus *excitabat* ad pœnitentiam, vt ſuprà declaratum eſt.

Ad Secvndvm reſpondeo, falſam eſſe Maiorem. Suprà enim probatum eſt, Sacramenta nouæ legis non illo modo ſolùm gratiam conferre. Ad locum autem Actor. 18. quem obiicit deinde Kemnitius, reſpondeo, ad inſtructionem illam, qua eſt Apollo ille melius edoctus in via Domini, hoc inprimis pertinuiſſe, vt Baptiſmo etiam Chriſti initiaretur, non obſtante, quòd ſuſcepiſſet Baptiſmum Ioannis. Quod ſatis licet colligere ex aliis Scripturæ locis, vbi extat vniuerſalis lex de Baptiſmo, licet in illo quidem loco Actor. 18. non expreſsè id dicatur.

Ad teſtimonium verò Ambrosii, quod idé Kemnitius obiicit, reſpõdeo primò, perſpicuum eſſe, quid hac de re ſenſerit Ambroſi' ex clariorì alio loco, quem ſuprà citauimus, ſcilicet lib. 2. Comment. in Lucam, cap. 11. Ibi enim interpretans illud Baptiſtæ, Lucæ 3. *Ego quidem aqua baptizo vos, venit autem fortior me, &c. ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne*: ita ſcripſit: *Aquà corpus abluitur: Spiritu animæ delicta mũdantur: aliud agimus, aliud inuocamus, licet etiam in ipſo fonte ſanctificatio diuinitatis aſpiret: non enim aqua omnis ablutio eſt, ſed hæc diuiſa eſſe non poſſunt. Et ideo*, inquit: *Aliud ſuit Baptiſma pœnitentiæ, aliud gratiæ eſt: iſtud ex vtroque* (id eſt, ex Spiritu mundante animæ delicta, & ex aqua mundante corpus) *illud ex vno* (id eſt, ex aqua tantùm mundante corpus) Ac rurſus in eodem libro, cap. 12. ſic inquit: *Baptizatus eſt ergo Dominus, non mundari volens, ſed mundare aquas, vt ablutæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognouit, Baptiſmatis ius haberent; & ideo qui ad Chriſti lauacrum* (notanter *Chriſti* dicit, non Ioannis) *venit, peccata deponit*. Hic certè clariſsimum eſt, idem, quod nos, Ambroſium de efficacia & differentia Baptiſmi noſtri ſenſiſſe & ſcripſiſſe.

Deinde reſpondeo, non eum eſſe ſenſum illius alterius loci, ſcilicet lib. 1. de Spiritu ſancto, capite 3. quem Kemnitius colligit. Sed cùm duæ potuerint reddi cauſſæ, cur hi baptizari debuerint rurſum Baptiſmo Chriſti, qui ſine inſtructione de Chriſto & Spiritu ſancto, Ioannis Baptiſmo baptizati erant (Actor. 19.) vna, quia non fuiſſent ita, vt oportebat, in doctrina Chriſti neceſſaria eruditi: altera, quia reuera differebat etiam quoad ſubſtantiam cæremonia illa Ioannis à Chriſti Baptiſmo, qui præterea omnibus neceſſarius erat: reddidit tantùm Ambroſius, iuxta inſtitutum diſputationis ſuæ in illo loco, priorem illam cauſſam; ſed tamen non excluſit poſteriorem. Nam quod ibidem dicit, in illis non fuiſſe *iteratum*, ſed *innouatum* Baptiſma: ſenſus eſt, non accepiſſe illos prius eundem Baptiſmum Chriſti, quoad ſubſtantiam, qui poſtea ſecundò iteratus fuerit; ſed alium *diuerſum* Baptiſmum *nouum*. Atque ita patet, locum illum magis etiam pro nobis contra Sectarios facere. Denique ille alius locus Ambroſij ſuper Lucam, vbi ex inſtituto Baptiſmum Chriſti & Ioannis comparat, longè illuſtrior eſt: cui proinde eſt

ſtandum. Et hactenus de Secvndo effectu Baptiſmi.

Tertivs Baptiſmi Effectus eſt *remiſsio* omnium peccatorum, id eſt, Originalis, & omnium Actualium. Ita diuus Thomas art. 1. ex certiſsima Scripturæ & Eccleſiæ ſententia docet. Et quidem quod attinet ad *actualia mortalia*; ſequitur hoc ex ſecundo effectu, quem diximus eſſe gratiam iuſtificãtem. Nã per gratiam omnia peccata mortalia ſimul remittuntur: & ita quidem, vt penitus deleantur, quod tomo 2. diſput. 8. de Gratia contra Sectarios probauimus, qui cenſent, eatenus ſolùm & originalia in Baptiſmo, & alia peccata mortalia remitti, quatenus per Chriſti gratiam non imputantur ad pœnam, & ideo velut tegũtur. Quod verò attinet ad peccata *venialia*, putauit VViclephus apud VValdenſem tomo 2. de Sacramentis, capite 108. per Baptiſmum non tolli illa, quæ conſiſtunt in omiſsione.

Sed noſtra aſſertio generatim de *peccatis omnibus* probatur *primò* ex Scriptura, quæ ſine vllius peccati exceptione docet, remitti omnia per Baptiſmum: Vt Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Item ad Rom. 6. Paulus ad baptizatos inquit: *Exiſtimate vos mortuos eſſe peccato*. Id verò eſt abſolutè mortuos eſſe peccatis, nullũ in ipſis poſt Baptiſmum peccatum viuere. Accedit, quòd ob eam rem Baptiſmus etiam appellatur *regeneratio*, Ioan. 3. & ad Tit. 3. quia ſcilicet exuit in illo quis vetuſtatem omnem priorum peccatorũ, & acquirit ſpiritualem vitam nouam. Denique cùm dicatur Chriſtus ipſe *mundare Eccleſiam ſuam lauacro aquæ*, ad Epheſ. 5. non eſt credẽdum, quòd in ea ille relinquat alicuius peccati maculam: ſiquidem omnino perfectè abluit.

Secundò probatur eadem Aſſertio (quòd ſcilicet omnia peccata verè in Baptiſmo remittantur) ex communi ſententia Orthodoxorum Patrum. Clementis Alexandrini lib. 1. pædagogi. cap. 6. Cypriani Sermone de ablutione pedum, & lib. 2. Epiſtolarum, Epiſt. 2. Avgvstini lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelag. cap. 3. & in Enchiridio cap. 43. & lib. 1. Retract. cap. 13. & lib. 6. contra Iulianum, cap. 5. & lib. 2. de peccatorũ meritis & remiſsione cap. 28. Hieronymi in Epiſtola ad Oceanum, Chryſoſtomi homil. 4. ad baptizandos. Gregorii lib. 9. Regiſtri, epiſt. 39. Prosperi lib. 1. de vocatione Gentium, cap. 5. Damasceni lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 10. Bernardi in Sermone de Cœna Domini.

Tertiò ita eſt etiam definitũ in Concilio Florentino, & in Tridentino ſeſſ. 5. & in Carthagineſi IV. cap. 1. & in Mileuitano can. 2. atq; etiam à Leone Magno in epiſt. 22. & à Leone X. in Bulla damnationis Lutheri: Idem deniq; habetur in Cap. *Maiores*. Extra de Baptiſmo & eius effectu.

Qvartvs Baptiſmi Effectus eſt, quòd liberat ab *omni pœna* diuinitus propter peccatũ conſtituta ipſi perſonæ, quæ baptizatur. Ita ex Orthodoxa ſententia docet D. Thomas art. 2. & definitum eſt in Concilio Florentino, & in Tridentino ſeſſ. 14. capite 1. & 2. & in dicto Cap. *Maiores*. Quod etiam aſſerit ex Eccleſiaſtica traditione diuus Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiſsione cap. 28. & lib. 1. Retract. cap. 13. & epiſt. 50. Ratio autem, quam pro hac Aſſertione affert in illo art. 2. D. Thomas, oſtendit quidem rectè huius rei congruentiam. Fundamentũ autem præcipuũ voluntas Dei eſt, cui placuit eam virtutem tribuere Baptiſmo.

Porrò liberare Baptiſmum ab omni pœna diuinitus decreta, diximus, vt excluderemus hîc pœnas alias conſtitutas poteſtate humana: Hæ enim nõ omnes per Baptiſmum tolluntur. Tollitur tamen per illum omnis irregularitas, licet ſit pœna humana, quæ incurritur propter *delictum*: Item illa quæ incurritur propter *homicidiũ* etiam voluntarium: non autem illa, quę contrahitur ex defectu Sacramenti, vt irregularitas *bigamiæ*, & quæ etiam ob defectũ natalium. Quod totum notat rectè Syluester in ſua Summa Verbo Baptiſmus 6. n. 2.

Diximus item tolli per Baptiſmum pœnam omnem diuinitus decretam *ipſi perſonæ*, vt excluderemus hîc pœnalitates illas, quę ſolent à Theologis dici pœnæ non tam ipſius perſonæ, quàm communes *naturæ* hominum, eò quòd propriè conſequuntur peccatum commune omnibus, ſcilicet originale; vt Mors, morbi, fomes concupiſcentiæ, &c. quæ pœnalitates, vt conſtat, in hac quidem vita per Baptiſmũ nõ tolluntur, quamuis tollantur poſt illam, vt D. Thomas docet art. 3. præſertim in reſponſione ad 3. argumentum.

Manent autem iam iſtæ pœnalitates & ad exercitium virtutum, & ad reprimendam hominũ ſuperbiam, vt Avgvstinvs dicit lib. 4. contra Iulianum cap. 2. & lib. 13. de Ciuitate Dei, cap. 4. & Tractatu 124. in Ioannem, & lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 25. In quo poſtremo loco *concupiſcentiam* & fomitem, quæ vna eſt ex eiuſmodi pœnalitatibus, affirmat *quotidie minui in proficientibus & continentibus*: Quod tamẽ non ita intelligendum eſt, quaſi ipſa *potentia* concupiſcibilis quoad *ſubſtantiam* ſuam ſubinde minuatur; ſed eſt intelligendum ſecundùm illius *actus*, quatenus ſcilicet cohibetur per gratiam Baptiſmi, quò minus inſurgat ita frequenter & vehementer contra rationem, eamque ſuperet, vt rectè animaduertit hoc Sotus in 4. d. 6. q. 1. artic. 2. Atque ita etiam intelligendum eſt id, quod ait Clemens Romanus in epiſt. 4. *debilitari* concupiſcentiam per Baptiſmum.

Qvinto in Effectibus Baptiſmi numerari poſſunt quædam, quę ex effectibus hactenus explicatis conſequuntur, & non niſi *ratione* ab illis differunt. Tale eſt, quòd aperire dicitur *ianuam* regni cæleſtis: quia ſcilicet remouet impedimẽta pœnæ & culpæ, quæ nobis aditum ad cælum præcludunt, vt D. Thomas declarat artic. 2. Item

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd homines *incorporat* Christo, eosque *illuminat* & fœcundat spiritualiter, vt clarè hæc explicat D. Thomas artic. 7. ex DIONYSIO libro de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 2. & AVGVSTINO lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 26. & Cassiodoro in Psal. 22. Quæ omnia facit Baptismus hoc ipso, quòd præstat gratiã & virtutes, quibus homo illuminatur & spiritualiter fœcundatur, &c.

SEXTO rectè etiam Baptismi effectus censeri potest, quòd *subiicit* hominem iurisdictioni potestatique Ecclesiasticæ. Quanquam hunc quidem effectum non hic commemorauit D. Thomas: sed, vt dixi, meritò notandus est. Nam ex eo fit, vt Ecclesia punire & coërcere baptizatos possit; quos tamen ante Baptismum non poterat; iuxta illud Apostoli, 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare?* Et ratio huius est. Quoniam per Baptismum fit aliquis membrum Ecclesiæ, & consequenter subordinatur atque subiicitur auctoritati eius, qui tanquam caput in Ecclesia præest.

Ex quo intelligitur, rectè sub anathemate damnatum esse errorem Erasmi Roterodami in Concilio Tridentino sess. 7. can. vlt. de Baptismo, qui, vt Petrus de Soto libro de institutione Sacerdotum, lectione sexta de Baptismo, sub finem testatur, atque etiam fatetur Kemnitius in examine illius Canonis, censuit, paruulos baptizatos, postquam adoleuerint, interrogandos esse, an stare velint promissioni, quam eorum nomine fecerunt parentes in Baptismo: Quòd si nolint, dimittendos liberos arbitrio suo esse, nec aliter ad Christianam Religionem cogendos, quàm ipsis negando Eucharistiam, & alia Sacramenta.

Qua in re minimè, vt oportebat, attendit Erasmus ad propriam, atque præcipuam rationẽ, cur Ecclesia dicatur posse pœnis coërcere baptizatos. Ea enim est: quoniam, vt diximus, hoc ipso, quòd legitimè vel voluntate sua, vel voluntate ac promissione parentum baptizati sunt, fiunt membra Ecclesiæ, & sunt adeò non iam foris, sed intus, vt iuxta sententiam Apostoli, pertineat ad Ecclesiã de ipsis iudicare. Quare sicut veritas Baptismi nõ pendet ex futura acceptione promissionis factæ per parentes: ita neq; inde pendet hoc, quòd Ecclesia habeat ius in eiusmodi baptizatos. Acquirit enim Ecclesia ius in illos per eiusmodi parentum promissiones, non propriè, quatenus posteà acceptabũtur; sed quatenus in præsentia satis sunt, vt *verè & legitimè* paruuli baptizentur, sicut q. præced. p. 1. est probatum. Quam sanè rem facilè quis sibi persuadebit, si diligenter consideret, Ecclesiam non arbitrio ipsius baptizati hanc potestatem accipere, sed à Deo, eo ipso, quòd quis baptizetur.

Confirmatur autem hæc doctrina ex Concilio Toletano IV. cap. 58. & 59. & ex Cap. *Maiores.* Extra de Baptismo; vbi habetur, quòd paruuli baptizati sunt omnino ad fidem compellendi

A posteà. Et accedit, quòd paruuli quoque olim *circumcisi* tenebantur eo ipso custodire legem, & ad id cogebantur sine alia acceptatione.

Deniq; ne ipsi quidem hæretici in hac re propriè nobis refragantur, vt videre est apud Kemnitium in examine illius Can. vltimi, sess. 7. Concilij Tridentini. Quanquã negant quidem, posse baptizatos ad seruandam fidem alia pœna cogi, præterquam excommunicationis. Sed hunc istorum errorem nos tomo 3. disputat. 1. de Fide, q. 11. p. 3. confutauimus, vbi egimus de iustis pœnis hæreticorum.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Baptismus sit semper efficax, quotiescunque suscipitur: vel saliquando non; an saltem posteà suos effectus habeat, & quandonam.

D. Thom. art. 9. & 10.

DICENDVM est PRIMO, Baptismũ quoad primum quidem & vltimũ effectum ex prædictis p. præcedente, scilicet quoad *characterem*, & *subiectionem*, etga Ecclesiam, semper esse efficacem, quandocunque *verè* suscipitur, vt patet: nõ autem quoad secundum, scilicet *gratiam*; & consequenter neque quoad alios effectus, qui cum gratia connexi sunt, cuiusmodi est in primis *remissio* peccatorum.

Hoc probatur & declaratur ex doctrina diui Thomæ in art. 9. Nam si quis accedat ad Baptismum fictus, non consequitur gratiam; hoc est, si simulet se rectè accedere, cùm accedat sacrilegè, quia scilicet vel non credit, vel eum non pœnitet suorum peccatorum, vel certè contemnit Sacramentum, etiamsi alioqui habeat *intentionem* illud suscipiendi.

Qui autem vsque adeo fictus accederet, vt ne *vellet* quidem suscipere iuxta intentionem Ecclesiæ Sacramentum; hic non verè Sacramẽtum susciperet. In proposito autem loquimur, cùm quis ita fictè accedit, vt nihilominus tamen verè suscipiat Sacramentum: quod fit maximè, vt rectè d. 6. q. 1. art. 7. notauit Sotus, quando quis simulat se credere, cùm non credat; aut se dolere de peccatis, cùm non doleat: licet D. Thomas in dicto art. 9. illam etiam fictionem ex Augustino commemoret, qua quis verè non vult accipere Sacramentum: Sed, vt dixi, non est hæc fictio vsque adeo ad propositum.

Quòd verò peccatum illud fictionis, quando quis non rectè credit, aut non dolet, impediat effectum, qui est Gratia, patet ex his, quæ suprà quæstione præcedenti, puncto tertio disputauimus de necessitate rectæ fidei, & pœnitentiæ in Adultis, vt Baptismus sit eis salutaris, licet ista

quidem

quidem non requirantur ad veritatem Baptismi.

SECVNDO dicendum est ex sententia eiusdẽ D. Thomæ art. 10. & omnium Theologorũ, Baptismum consequi posteà suum effectum (hoc est, gratiam & remissionem peccatorum antecedentium Baptismum) recedente per pœnitentiam illa fictione. Hanc Assertionẽ ponit vt certam diuus Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 2. his verbis: *Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cùm illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia vel sacrilegio perseuerante peccatorum abolitionem non sinebat fieri.* Et refertur hæc sententia in Decretis de Consecratione d. 4. Can. *Tunc valere*, & à Magistro in 4. d. 4.

Cuius assertionis rationem congruẽtem reddit B. Thomas in illo art. 10. de qua videndus est Caietanus ibi, & Sotus d. 6. q. 1. art. 8. Qui etiam rectè notant, fictionem illam, à qua oportet recedere, vt Baptismus valere incipiat, „priè quidem consistere non in ipso *peccato*, quod est in caussa, vt quis fictè accedat, siue illud sit aliquod peccatum præsens, siue macula peccati præcedẽtis, adhuc animæ inhærẽs; sed in ipsa susceptione Sacramenti in specie quidem *pia*, & re ipsa *sacrilega*, cùm quis, sicut oportebat, non recedit per pœnitentiam à peccato, vt rectè sanctèque suscipiat Sacramentum.

Atque hinc consequuntur tria, quæ sunt hoc loco diligenter notãda. PRIMVM est, peccatum illud fictionis non tolli posteà per ipsum Baptismum *directè*; sed per pœnitẽtiam illam, quæ post est necessaria, vt recedat eiusmodi fictio. Ratio est: Quoniam peccatum hoc fictionis, cùm consistat propriè in sacrilega Sacramenti susceptione, vt sacrilega est, posterius quiddam (saltem *naturâ*) est ipso Baptismo, quatenus ponitur (vt sic dicam) à ministro in ipso subiecto, hoc est, in persona, quæ indignè baptizatur: Atq; inde fit, vt eiusmodi susceptio passiua Sacramẽti, sit *Sacrilegij* peccatum: eò quòd indignè talis se habet ad Sacramentum, quatenus naturâ prius administratur. Iam verò Baptismus, vt antè dictũ est, recedente fictione, solum inducit gratiam & remissionem antecedentium peccatorum; nõ autem eorum, quæ fuerunt posteriora ipso Baptismo. Et dixi, per Baptismum *directè* nõ tolli peccatum hoc posterius fictionis: quia *indirectè* quidem hoc ipso, quòd Baptismus, recedente fictione, dat gratiam, per quam remittuntur peccata priora, tollit etiam peccata posteriora ipso Baptismo, atque adeo etiam illud peccatum fictionis. Omnia enim peccata tolluntur per eandem gratiam.

SECVNDVM, quod sequitur, est, peccatum illud fictionis omnino subiici clauibus Ecclesiæ, vt rectè Sotus in dicto art. 8. notauit. Et ratio est illa iam reddita: Quoniã contingit ea fictio post Baptismũ; saltem vt est Baptismus naturâ priùs in subiecto, quã *sacrilega* illius susceptio, in qua

A consistat ea fictio. Et consequenter tenetur aliquis id fictionis peccatum confiteri vnâ cum aliis post Baptismum commissis, quãdo Confessio quidem est ex præcepto facienda.

Neque tamen tenetur etiam is explicare in Confessione peccata ea, quæ fuerunt caussa eius fictionis, vt rectè Caietanus, & Sotus notãt. Ratio est: Quoniam illa fuerunt omnibus modis priora Baptismo. Itaq; satis erit in confessione dicere, susceptisse se sacrilegè Sacramentum, scilicet in peccato mortali. Nam in ea susceptione propriè consistit illud peccatum fictionis, quod est, vt diximus, subiectũ Ecclesiæ Clauibus. Addit tamen hic Sotus, debere illa etiam peccata, quæ sunt caussa fictionis, exprimi & declarari in Confessione, si sint valde enormia, vt inde videlicet cognoscat Confessarius quantitatem notabilem malitiæ in eiusmodi peccato fictionis.

TERTIVM, quod sequitur, est: Vt recedat illa fictio, & Baptismus adeo consequatur effectum suum, non satis hic esse attritionem illam, quæ suffecisset in ipso Baptismo, vt falsò putauit Paludanus in 4. dist. 4. q. 5. Sed requiri vel attritionem vna cum Sacramento Confessionis talem, qualis cum eo Sacramento sufficit: vel perfectam contritionem, si sit sine confessione, vt rectè probat Sotus in dicto art. 8.

Et probatur id *primò* ex Augustini verbis, qui, vt recitauimus, non qualemcunque pœnitentiam, sed *veracem* requirit. *Secundò* ratione: Nam requiritur pœnitentia eiusmodi, per quam directè & per se remittatur peccatum illud fictionis, & si quæ alia post Baptismum sint commissa: sed necesse est, vt eiusmodi pœnitentia sit vel attritio cum Sacramento Confessionis, qualis in eo Sacramento requiritur, vel alioqui sine Confessione perfecta contritio. Ergo, &c.

Maior probatur. Nam oportet omnino peccatũ illud fictionis habere remedium aliquod, per quod per se & directè remitti possit. At hoc remedium, vt antè probatum est, non est Baptismus antè susceptus. Ergo restat, vt sit illa pœnitentia, quæ posteà necessaria est, vt recedat eiusmodi fictio.

Minor autem probatur: Quoniam illud peccatum fictionis, & si quæ deinde committantur, subiicitur, vt dictum est, Clauibus Ecclesiæ, cùm sint post Baptismum: Peccata autem, quæ Clauibus Ecclesiæ post Baptismum subiiciuntur; *directè* quidem & per se, non nisi alterutro modo remittuntur, scilicet vel per Sacramentum Confessionis, & attritionem talem, qualis in eo Sacramento requiritur; vel per contritionem alioqui perfectam, in qua includitur quoq; votum Confessionis. Firma est igitur illa Minor, atque adeo probatio nostra tota contra Paludanum.

Denique illud etiam est NOTANDVM, cùm Baptismus ita reuiuiscit, habere quidem effectũ suum non nisi tanquam caussam *moralem*; quandoquidem iam amplius non est ipse actu, neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam ſupereſt tunc aliquod quaſi organum ipſius, quod ſe videlicet habeat actiuè, reſpectu gratiæ, quæ tunc à Deo producitur. Nam quod D. Thomas art. 10. dicit, Characterem ex Baptiſmo relictum, habere ſe vt formam, ex qua pòſt ſublato impedimento conſequatur effectus, qui eſt Gratia; non ita intelligi debet, vt ſonat, ſicut patet ex explicatione Caietani in illo art. quam etiam approbat Sotus loco citato.

Vult enim tantummodo dicere D. Thomas, perinde certò conſequi tũc gratiam ex ſola virtute diuina, ac ſi relictus ibi character eſſet tanquam quædam forma ſeu diſpoſitio actiua, ex cuius virtute conſequeretur Gratia. Itaque dicit hoc D. Thomas, quaſi inducés quoddam exemplum ex rebus naturalibus petitũ, propter non- A nullam analogiam, quam hîc etiam habet Character relictus cum formis naturalibus, quod attinet ad *certitudinem* effectus, qui poſtea, ſublato impedimento, conſequitur, vt latius explicat in illo art. Caietanus.

Quòd autem hæc interpretatio D. Thomæ admittẽda ſit, ex eo patet: Quoniam D. Thomas negauit alioqui q. 64. Characterem eſſe propriè diſpoſitionem ad illum effectũ, qui eſt Gratia, & multò minus eſt forma actiua eius: Imò contrà potius Gratia habet ſe vt forma, ex qua effluit Character, quando ſimul datur cum illo, vt Caietanus rectè notat in illo art. 10. An verò reliqua Sacramenta poſsint perinde habere ſuum effectũ, recedente fictione, videbimus infrà in propriis locis.

QVÆSTIO QVINTA.

De Circumciſione, quæ fuit Baptiſmi Figura.

D. Thomas 3. parte, quæſt. 70.

ETSI CIRCVMCISIONIS VSVS AD NOS NIHIL PERTINEAT; pertinet tamen nonnihil ipſa doctrina de Circumciſione, quatenus fuit nimirum illa cæremonia typus quidam Baptiſmi. Quod quidem qua ratione intelligi debeat, ſatis hîc declarat D. Thomas in art. 1. Præterea verò ſatis fuerit hîc breuiter explicare, An ad eum finem fuerit diuinitus inſtituta Circumciſio, vt conferret Gratiam.

PVNCTVM VNICVM.

An Circumciſio fuerit diuinitus inſtituta ad eum finem, vt conferret Gratiam.

D. Thom. art. 2. 3. 4.

EVISSE QVIDEM CONVENIENTER B inſtitutam Circumciſionem à Deo, & quoad *tempus*, & quoad ipſum *ritum*, perſpicuè idem D. Thomas docet in art. 2. & 3. Quæ doctrina cõtra Manichæos notanda eſt, qui cenſuerunt, nõ à Deo bono, ſed ab alio ſuo malo Deo inſtitutam Circumciſionem fuiſſe. Quem errorem refellit B. AVGVSTINVS lib. 6. contra Fauſtũ Manich. cap. 3. Item eſt id notandum contra Pelagianos, qui putârunt, totum illud fuiſſe inuentum quoddam humanum; idq; propterea, quòd peccatũ Originale, in cuius remedium diuinitus inſtituta eſſe aſſeritur Circumciſio, non agnoſcebant. Eos autem confutat quoq; D. Auguſtinus lib. 6. contra Iulianum, cap. 3.

Potiſsimùm autem diſcutiendũ hîc eſt illud, quod B. Thomas diſputat in art. 4. ſcilicet quomodo Circumciſio contulerit Gratiam iuſtificãtem. Nam quod in illius vſu cæremoniæ Gratia daretur, dubium nullum eſt: ſed ſolùm eſt diſputatio de modo. Et quidem certum inprimis eſt, Circumciſionem nõ eodem modo Gratiam contuliſſe, quo illam nunc conferunt Sacramẽta nouæ legis; ſed longè imperfectius. Id quod ſuprà diſputat. præced. q. 3. probatum à nobis eſt contra Sectarios. Atq; id ipſum annotari debet contra Scotum in 4. d. 1. q. 6. & Durandum q. 5. qui putarunt, Sacramenta nouæ legis non conferre Gratiam, niſi vt ſigna & conditiones quaſdam, vt loco citato commemorauimus; quo pacto etiam Circumciſio Gratiam conferebat.

Poſito autem, quòd imperfectius multò Circumciſio Gratiã contulerit, quàm noſtra Sacramẽta, QVAESTIO eſt, Quis fuerit iſte modus, quo imperfectius illa Gratiam contulerit? Qua de re variæ fuerunt olim opiniones. Nam Magiſter in 4. d. 4. & alij quidam, totũ hoc ad ipſum effectũ referebãt, aiebantq; Circũciſionẽ imperfectius contuliſſe Gratiã, quoniam non eam contulerit ſecundùm *oẽs* ipſius Gratiæ effectus; ſed tantùm C ſecundùm effectũ *priuatiuum*, ſcilicet remiſſionem peccati; non autẽ ſecundùm effectus etiam *poſitiuos*, vel certè non ſecundùm omnes illos, ſed tantùm ſecũdùm *ius*, quod per Gratiam tribuitur, ad beatitudinem; non verò ſecundùm *facultatem* repugnandi concupiſcentiæ, &c. Quas omnes opiniones rectè & perſpicuè D. Thomas euertit in art. 4. Quoniam minima Gratia ſufficit ipſa per ſe ad omnes eiuſmodi effectus. Itaq; ſi Gratiam Circumciſio dabat; dabat illam ſine diſcrimine, quoad omnes ipſius effectus.

Certior

Certior igitur & communior hac de re ſententia eſt illa, quam ibidem D. Thomas ponit, ſcilicet Circumciſionem ideo contuliſſe Gratiã imperfectiùs, quoniam non illa dabatur virtute ipſius Circũciſionis, ſicut iam datur virtute noſtrorum Sacramentorũ; ſed virtute *fidei*, vel propriæ in adultis, vel alienæ applicatę paruulis, cuius ea cæremonia Circumciſionis fuit quoddam ſignum & proteſtatio. Itaque Gratiam ipſa Circumciſio impropriè ſolùm conferebat, tãquam ſignum videlicet fidei in futurum Chriſtum, cuius virtute dabatur.

SED quanquam hæc ſententia, vt dixi, certior eſt, & diſput. præced. q. 3. ex Scriptura, & Patribus à nobis cõfirmata; habet tamen aliquid difficultatis, quod expedire hoc in loco oportet. Argumẽtabitur enim aliquis hoc modo: Motus ille fidei, vel propriæ, vel alienæ, paruulis applicatæ, Gratiam non conferebat, niſi tanquam cauſſa quædã *moralis*, & *conditio* requiſita, vt propter Chriſtum futurum illa Gratia daretur: Difficulter enim defendi poteſt, quòd ille fidei motus Gratiam etiam effecerit, tanquam cauſſa *inſtrumentalis phyſica*: neque vllus Doctorum, quod ſciam, hoc hactenus affirmauit. Sed tanẽ cauſſa quidem *moralis* & *conditio* requiſita, ipſa quoque Circumciſionis cæremonia Gratiã conferebat. Ergo nulla eſt ratio, cur aſſeramus, Gratiam illã collatã fuiſſe, non *virtute* Circumciſionis, ſed virtute *fidei*, cuius Circumciſio proteſtatio erat.

Reſpondeo, cùm Gratia illa dicitur collata fuiſſe propriè virtute fidei, nõ negatur, quin eo- A dem modo ſeu titulo, per ipſam quoq; cæremoniam Circumciſionis aliqua ratione collata etiã fuerit: ſed explicatur, quod fuerit propriè ratio, cur Circumciſio eo modo & titulo, ſcilicet tanquam cauſſa moralis & conditio requiſita Gratiam conferret. Ratio enim hæc fuit motus ille fidei, cuius ipſa Circumciſio ſignum & proteſtatio erat. Itaque ſenſus illius aſſertionis eſt, Circumciſionem quidem tanquã cauſſam *moralem* & *conditionem* requiſitam contuliſſe gratiam; ſed id tamen non per ſe & ſuapte virtute, quatenus *externa* quædam cæremonia erat; ſed quatenus ſubſtabat, vt ita dicã, illi *fidei*, cuius erat ſignum & proteſtatio, quæq; præcipuè eo modo & titulo ad illum effectum Gratiæ valebat. B

Sic mihi doctrina hæc cõmunis intelligenda omnino videtur; niſi quis commẽtari velit motum illum fidei fuiſſe cauſſam inſtrumentalem *phyſicam*, quod & hactenus puto eſſe inauditũ, & vt dixi, difficillimè defendi poterit, cùm præſertim motus ille fuerit quiddã internum, & reipſa nõ ita applicabatur paruulis, ſicut iam applicatur contactu phyſico ipſum Sacramentum.

Quanquam interim non nego, quin ſine eiuſmodi contactu rectè alioqui defendatur, humanitatem Chriſti concurriſſe ſupernaturaliter ad aliquos effectus mirabiles per modum cauſſæ inſtrumentalis phyſicæ, ſicut ſuo loco à nobis eſt defenſum. Sed vt hoc ſimiliter in propoſito de illo motu fidei aſſeratur, cùm res aliter commodè explicari poſsit; non video, cur ſit neceſſe.

QVÆSTIO SEXTA.

De Ritu Baptiſmi.

D. Thom. 3. part. quæſt. 71.

QVAE D. THOMAS DE ANTECEDENTIBVS BAPTISMVM ipſum ex Orthodoxa ſententia hîc docet, ferè ſunt à nobis ſuprà diſputat. præced. de Sacramentis in genere probata argumentis illis communibus, quæ pro Ritu Sacramentorum fecimus contra Sectarios. In ſpecie autem Ritus illi, qui poſt applicatam formam & materiam Baptiſmi adhibentur, ſuprà etiam quæſt. 1. punct. vltimo defenſi & confirmati ſunt. De aliis verò antecedentibus ipſum Baptiſmum, tria in ſpecie breuiter ſunt hîc explicanda. PRIMO, *An debeat Baptiſmum præcedere Catechiſmus & Exorciſmus.* SECVNDO, *Quiſnam ſit effectus Exorciſmi.* TERTIO, *Ad quem pertineat officium catechizandi & exorcizandi.*

PVNCTVM PRIMVM.

An debeat Baptiſmum præcedere Catechiſmus & Exorciſmus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. Thom. art. 1. & 2.

CERTVM est, debere præcedere Catechismum, vt docet D. Thomas artic. 1. Item Exorcismum, quo expellantur Dæmones, sicut asserit artic. 2. Vtrumque patet traditione ac vsu perpetuo Ecclesiæ. Cuius testes sunt, quod ad *Catechismum* attinet, DIONYSIVS libro de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 2. CLEMENS lib. 7. Constitut. Apostolicarum, cap. 41. & epist. 3. CYPRIANVS lib. 1. epistolarum, epist. 12. TERTVLLIANVS in libro de Corona Milit. AMBROSIVS libro 2. de Sacramentis, cap. vltimo. AVGVSTINVS libro de fide & operibus, cap. 8. 9. & 11. & epist. 78. HIERONYMVS libro contra Luciferianos, sub finem: Idque præcipitur in Concilio Laodicensi, can. 8. & 46. Carthaginensi IV. can. 12. & Braccarensi II. can. 1. Qua de re Isidorus videndus libro secundo de Officiis, capite 20. Rabanus libro de institutione Clericorum, capite 26. & 27. Hugo libro secundo de Sacramentis, part. 6. cap. 8.

Nititur etiam ea traditio ratione necessaria. Nam in Baptismo professio fit Christianæ fidei. Ergo necesse est, vt prius aliquis per Catechismũ intelligat fidem, quam ibi est professurus. Quãquam hæc quidem probatio ad eos tantùm pertinet, qui iam adulti baptizantur: in Baptismo autem paruulorum ideo etiam fidei Symbolum & professio breuiter proponitur: quoniam pro illis Patrini respondere debent, vt suprà quæst. 3. suo loco ex orthodoxa sententia confirmauimus: atq; ob eam rem etiam, vt inde Patrini admoneantur, de quibus rebus eiusmodi paruulos postea erudire pro officio suo debeant.

Quòd autem rectè adhibeantur quoq; *Exorcismi*, probatur similiter ex Ecclesiastica traditione. Cuius testes sunt, DIONYSIVS cap. 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. SYRICIVS epist. 1. CAELESTINVS epist. 1. cuius hac de re testimonium affert D. Thom. art. 2. LEO epist. 4. & 8. AMBROSIVS lib. 1. de Sacramentis, cap. 5. AVGVSTINVS lib. 1. de Symbolo fidei, cap. 1. & epist. 105. ad Sixtum Presbyterum, & lib. 6. contra Iulian. cap. 2. quo loco ait, eos, qui huic consuetudini exsufflandi per Exorcismum Dæmones, contradicũt, *esse ex orbe toto exsufflandos*. Item lib. 2. de Nuptiis & concupiscen. cap. 17. & 18. & 29. In quibus sanè locis vocat hãc Assertionem *fundatissimam veritatem in tota Ecclesia, & antiquissimam Ecclesiæ traditionem*: imò Ecclesiam etiam dicit in huius *fidei antiquitate firmatam*. Item lib. de Gratia Christi & peccato originali, cap. 40. OPTATVS lib. 4. contra Parmenianum Donatistam, Gregorius NAZIANZENVS Orat. in S. Lauacrum, CYPRIANVS lib. 4. epistolar. epist. 5. & 6. Cyrillus HIEROSOLYMITANVS catechesi 4. & 5. illuminatorum. Ac in libro de Ecclesiasticis dogmatib. cap. 31. dicitur, seruari eam consuetudinem per totam Ecclesiam. Id etiam habetur in Cõcilio Braccar. II. can. 1. & est definitum à Martino V. in Bulla contra VViclephum, & Huss. Qua de re similiter sunt legendi, Hugo, Isidorus, & Rabanus locis paulò antè citatis; atque etiam Thomas VValdensis in libro de Sacramentis, cap. 45. & deinceps contra VViclephum.

Habet verò ea res exemplum Christi, qui exsufflauit in energumenum, Marci 5. & etiam authoritatem, quod attinet quidem ad ipsum genus actionis. Siquidem Marci vltimo, dedit potestatem eiiciendi dæmonia. Denique Exorcismorum vsus apud Iudæos etiam in more erat, vt patet ex Iosepho lib. 8. antiquitatum, cap. 2. Hieronymo in caput 12. Matthæi, Irenço lib. 2. cap. 5. Origene Tractatu 35. in Matthæum, homil. 35. Chrysostomo homil. 5. in Marcum.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quisnam sit Effectus Exorcismi.

D. Thom. artic. 3.

VERISSIME docet D. Thomas articulo tertio effectum proprium huiusmodi Exorcismorũ esse expulsionem dæmonum; non quidem vt per peccatum dominantur homini baptizando (sic enim non expellitur dæmon, nisi per gratiam ipsam baptismalem, vt etiam colligere licet ex Cypriano lib. 4. epistolarum, epist. 6.) sed ne aliquo modo impediant administrationem ipsius Sacramenti, atque effectum eius, offundendo tenebras sensibus mentis, quò fiat, vt facilè baptizatus postmodum excidat ex gratia baptismali.

Vnde apparet, errâsse Præpositiuum, quòd senserit, pueros, quibus Exorcismus ille Baptismi adhibitus fuerit, si ante Baptismum ipsum è vita decedant, in minoribus tenebris versaturos, minoremque adeò pœnam experturos propter peccatum originale. Quam opinionem clarè refellit Diuus Thomas articulo tertio ad primum. Exorcismus enim per se solus, sicut neque ad peccatum delendum, ita neque ad abolendam aut minuendam pœnam valet; sed ad illum alium effectum, ne scilicet dæmon impediat Sacramentum, eiusque fructum, vt iam dictum est.

Porrò effectum huiusmodi omnino habent illæ cæremoniæ Exorcismi, non tantùm significando, sed etiam efficiendo, vt ex sententia D. Thomæ rectè confirmat & declarat Sotus dist. 6. quæst. 2. art. 3. Efficiunt autem id ex *opere operato*, quatenus nimirum certò impetrant ad eiusmodi effectum auxilium diuinum, & quidem efficax, nisi per ipsum baptizatum (cum is est adultus) steterit, quò minùs eiusmodi effectus sequatur. Neque obstat, quòd hæ cæremoniæ sunt, vt Theologi appellant, non Sacramenta, sed *Sacramentalia* tantùm, per Ecclesiam instituta. Haber enim

enim Ecclesia diuinitùs eam potestatem instituendi Sacramentalia ista ad eiusmodi effectus supernaturales, vt patet ex traditione, cuius testes antè produximus. Neq; verò ideo instituit Ecclesia Sacramenta. Non enim hæc Sacramentalia conferunt gratiam *instificantem*; quod est de ratione Sacramenti.

Præter hunc autem modum in administratione Baptismi expellendi dæmones, quem asserimus effectum esse propriè illorum Exorcismorum: expellitur etiam reipsa per illos dæmon à corporibus baptizandorum, quando accidit quidem, vt hi sint obsessi; aut etiam ab aliis corporibus ne noceant, &c. Sed hunc effectum rectè Sotus vbi suprà & alij notant, non esse certum & infallibilem; sicut illum priorem: sed sequi tantùm pro Dei beneplacito quandoque; cùm id expedit ad ædificationem Ecclesiæ; sicut experientia ipsa docet, id quandoque fieri, & quandoque nõ item. Et ratio est: Quoniam hæc potestas in dæmones data est Ecclesiæ, quatenus ad Dei beneplacitum pro loco & tempore, & aliis circumstantiis, expedit ad fidei confirmationem, vt etiam asseruimus tomo tertio, disputat. sexta, quæstione octaua, puncto secundo.

PVNCTVM TERTIVM.

Ad quem pertineat officium catechizandi, & exorcizandi.

D. Thom. artic. 4.

DICENDVM est breuiter cum Diuo Thoma artic. 4. hoc officium catechizandi & exorcizandi, pertinere ad *Sacerdotes* quidem, tanquam ad principales eius rei Ministros: ad *Lectores* autem & *Exorcistas* minùs principaliter, vt scilicet ministrent & assistant in ea re Sacerdotibus.

Postremò aduersus Sectarios in hoc genere, annotandum est, benedictionem sacri fontis niti antiquissima Ecclesiæ traditione. Id colligere licet ex DIONYSIO libro de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 2. CYPRIANO libro 1. epistolarum, epist. 12. & in homil. de Magis & Stella, sub finem. CLEMENTE lib. 7. Constitutionum Apostolicarum, cap. 42. & 43. AMBROSIO libro secundo de Sacramentis, cap. 5. & lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. & 7. AVGVSTINO Tractatu 80. in Ioannem, & epist. 118. Significatur verò hac cæremonia, non habere aquam virtutem regenerandi ex sese; sed à Christo, vt notat Hugo lib. 2. de Sacramentis, puncto 6. cap. 11.

FINIS DISPVTATIONIS QVARTAE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO QVINTA GENERALIS,

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

DIVISA IN QVÆSTIONES DVAS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM QVINTAE DISPVTATIONIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De natura & effectibus Sacramenti Confirmationis.

PVNCT.I. *Quænam Religionis cæremonia sit ea, quam Orthodoxi appellant Confirmationẽ: & an ea verè sit vnum è Sacramentis nouæ Legis.*
II. *Quænam sit huius Sacramenti materia.*
III. *Quænam sit huius Sacramenti forma, & qui Ritus.*
IV. *Quinam sint huius Sacramenti effectus.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Ministrantibus & Suscipientibus Sacramentum Confirmationis.

PVNCT.I. *Quinam sint huius Sacramenti Ministri.*
II. *Quinam possint esse participes huius Sacramenti.*
III. *An hoc Sacramentum sit ad salutẽ necessarium iis, qui eius participes esse possunt.*

DISPVTATIO QVINTA GENERALIS, DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

D. Thomas 3. parte, quæst. 72.

DVAS POSSVMVS DISTINGVERE QVAESTIONES in hac Disputatione. PRIMA erit de natura & effectibus istius Sacramenti. SECVNDA, de Ministrantibus & Suscipientibus illud. Disputant autem de hoc Sacramento Confirmationis Theologi in 4. d. 7. neque hi solùm, sed etiam veteres Patres illud asserunt, vt videbimus q. 1. p. 1.

QVÆSTIO PRIMA.

De natura & effectibus Sacramenti Confirmationis.

D. Thom. quæst. 72. ab art. 1. vsq; ad 7.

EXPLICANDA sunt quatuor. PRIMO, Quænam Religionis cæremonia sit ea, quã Orthodoxi appellant Confirmationem: & an ea sit verè vnum è Sacramentis nouæ legis. SECVNDO, Quænam sit huius Sacramenti materia. TERTIO, Quæ item forma, & ritus. QVARTO, Qui denique effectus. Ex quibus omnibus poterit elici perfecta Definitio huius Sacramenti. Descriptio autem eius per notionem nominis puncto primo proponetur.

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam Religionis cæremonia sit ea, quam Orthodoxi appellant Confirmationem: & an ea sit verè vnum è Sacramentis nouæ legis.

D. Thom. art. 1.

CONFIRMATIONIS vocabulo eam Religionis cæremoniam in Ecclesia vsitatam significare solent Orthodoxi, quæ ab effectu suo proprio nomen accepit *Confirmationis*. Nam præstat *robur & augmentum Gratiæ spiritualis*: catenusque baptizatos, qui sunt (vt D. Petrus epist. 1. cap. 1. loquitur) *sicut modò geniti infantes* confirmat, & reddit idoneos milites, vt vincant tentationes contra Christianam fidem. Et est id nomen in Ecclesia vsurpatum in Concilio Aurelianensi apud Gratian. de Conse. d. 5. Can. *Vt ieiuni.* imò ante mille ducentos annos à Melchiade in Epistola sua Decretali ad Episco-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pos Hiſpaniæ, cum ait, per hoc Sacramentum *confirmari* nos ad pugnam. Item: *Confirmatio*, inquit, *armat & inſtruit ad agonem vitæ iſtius.*

Sed habet præterea Sacramentum hoc, apud veteres, alias quaſdam appellationes; partim ex eius *forma*, partim ex *materia*, partim etiam ex effectu & ritu ductas. Nã ab *effectu* & *ritu* & *forma* quia fit ibi conſignatio, tum interior animæ per gratiam & characterem, tum exterior Crucis in fronte, eaque in verbis *formæ* explicatur; dictũ eſt à CLEMENTE in epiſt. 4. Sacramentũ *Conſignationis*. Quod etiã notatur ex Rabano de Cõſecratione, d. 5. Cap. *Nouiſsimè*. Itẽ à CYPRIANO in Epiſtola ad Iubaianũ, appellatũ eſt eadem ratione, *Signaculũ* Dominicum. Et ab AVGVSTINO lib. 19. contra Fauſtum, cap. 14. *Signum* Chriſti, poſt Baptiſmum & Euchàriſtiam, quæ ibi etiam cõmemorat. Item *Signaculum*, à Cornelio Papa, vt refert Euſebius Cæſarienſis lib. 6. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, cap. 33.

Rurſus nominatur à *materia*, Sacramentum *Chriſmatis*, vt vocat CYPRIANVS lib. 1. Epiſtolarum, epiſt. 12. & Auguſtinus lib. 2. cont. Petil. c. 104. Et à Dionyſio Areopagita dicitur *inunctio*, ca. 4. de Eccleſiaſt. Hierarchia. Vocat quoque Auguſtinus, *Oleum ſanctificatum*, lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 20. Item Dionyſius libro de Eccleſiaſt. Hierarchia, cap. 4. appellat *ſacrum vnguentum.*

Denique à *ritu* etiam, quo per Apoſtolos olim ſolebat dari effectus huius Sacramenti, Actor. 8. & 19. vocatur *Impoſitio* manuũ. Quo vocabulo vtitur etiam Auguſtinus tractans de hoc Sacramento lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 16. & alij paſsim Patres.

Ex quibus nonnulli eiuſmodi appellationes ſumunt ex ipſo modo loquendi Scripturæ in aliquibus locis, quos ad hoc Sacramentum illi accommodant. Nam AMBROSIVS libro de his, qui myſteriis initiantur, cap. 7. huc refert illud, quod Apoſtolus dicit 2. Cor. 1. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.*

Item AVGVSTINVS Tractatu 6. in 1. Epiſtolam Ioãnis, & Cyrillus HIEROSOLYMITANVS catecheſi 3. myſtagogica, accommodant ad hoc Sacramentum illud 1. Ioan. 2. *Et vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* Sic etiam Auguſtinus huc refert illud Pſalmiſtæ: *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron*: lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 4. Sed de Scripturis, quibus Patres cõfirmare conantur rationem huius Sacramenti, paulò pòſt dicemus.

Nunc ita explicata Vocabuli ratione, videndum eſt, an hæc Religionis cæremonia ſit omnino verum SACRAMENTVM nouæ legis. Etſi enim ſuprà Diſputat. præced. q. 6. cùm numerũ Sacramentorũ nouæ legis aſſereremus, ſatis à nobis Sacramentum hoc, ſaltem argumentis communibus pro toto illo ſeptenario Sacramẽtorum numero, defenſum ſit; tamen expediet propter importunitatem Sectariorum, propria quędam hoc in loco addere, tum de argumentis, quibus nos Aſſertionem huius Sacramenti probamus, tum etiam de obiectionibus hæreticorum contrariis, quod attinet propriè ad iſtud Sacramentum.

Eſt autem inprimis annotandũ, recentes Sectarios in reiiciendo huiuſmodi Sacramento, minimè carere exemplo hæreticorum veterum. Nam illud etiam olim reiecit Nouatus, vt author eſt Optatus Milleuitanus li. 2. cõtra Parmenianum, & Theodoretus lib. 3. fabularũ hæreticarum. In qua re Nouatianos deinde ſecuti ſunt Armeni, vt Armacanus cõmemorat lib. 9. de erroribus Armen. ca. 10. & hos præterea VVIclephus, contra quem Thomas VValdenſis diſputat Tomo 2. de Sacramentis, cap. III. & ſeq. Et denique horum omnium perfidiam in hoc approbauerunt Lutherani, & Caluiniani omnes, vt eſt videre apud Caluinum lib. 4. inſtitut. cap. 19. & Kemnitium in examine eius doctrinæ, quę de Confirmatione traditur ſub finem ſeſs. 7. Cõcilij Tridentini

Catholicorũ autem omniũ Aſſertio eſt, cæremoniã Confirmationis in Eccleſia vſitatam, eſſe verum Sacramentum, id eſt, *cultum diuinitùs inſtitutum, in quo ex promiſsione diuina detur Gratia, quam ea ipſa cæremonia ſignificet.*

Hanc Aſſertionem probamus PRIMO ex aliquot Scripturę teſtimoniis ita intellectis, ſicut expoſuit traditio Eccleſiaſtica, quam paulò poſt adferemus. Nã etſi Scriptura nõ exprimat quidẽ clarè totam rationem huius Sacramenti; tamen ex ſententia Patrum, in quibusdam Scripturæ locis ſignificatur *effectus* huius Sacramenti proprius, & etiã alicubi ipſe *ritus*, quo ab Apoſtolis conferebatur eiuſmodi effectus. Quo ipſo, ratione quidem eiuſmodi effectus & ritus, conſequenter cenſuerunt Patres ſignificari ibi ſaltem implicitè totum ipſum Sacramentum, ſicut eſt à Chriſto inſtitutũ, & in Eccleſia ex Apoſtolica traditione vſurpatum.

Et effectus quidem proprius illius indicatus eſt à Chriſto in iis locis, quibus poſt Baptiſmum promiſit diſcipulis Spiritum ſanctum, id eſt, donum ipſius. Vt Ioan. 16. *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et Lucæ 24. *Ego*, inquit, *mitto promiſſum Patris mei in vos. Vos autem ſedete in ciuitate, quoadusq; induamini virtute ex alto.* Item Actor 1. eadem promiſsio commemoratur: quam etiam fuiſſe completam, narratur deinde Actor. 2.

Ritus autem Apoſtolicus, quibus effectus ille huius Sacramenti proprius conferebatur, ponitur Actor. 8. & 19. vbi legimus, eos, qui baptizati erant, accepiſſe deinde per *impoſitionẽ manuum Apoſtolicarum Spiritum ſanctum.* Atq; hæc quidem teſtimonia Patres, & Pontifices paulo poſt citandi, referendi, referunt ad hunc effectum proprium huius Sacramenti; & maximè Euſebius, Melchiades, Damaſus, Ioannes, Pontifices, vt ſtatim indicabimus; atque etiam Dionyſius cap. 4. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, Hieronymus contra Luciferianos, Cyprianus lib. 2. Epiſtolarum, epiſt. 1. Auguſtinus lib. 15. de Trinitate, cap. 26.

Sunt autem & alia quædam Scripturæ loca, præſertim veteris teſtamenti, quæ nonnulli etiã Patres Allegoricè accommodant ad iſtud Sacramentum. Cuiuſmodi ſunt illa, quę ſuprà, cùm de nomine huius Sacramẽti diceremus, attulimus ex Auguſtino, & Ambroſio, & Cyrillo HIEROSOLYMITANO. Tale etiam eſt, quod idem Cyrillus catecheſi 4. huc accommodat ex Eccleſiaſtico, cap. 9. *Oleũ de capite non deficiet*: Atque illud etiã pſal. 22. *Impinguaſti in oleo caput meũ*, quod hic ipſe Cyrillus ibi refert ad hoc Sacramentum.

Sic etiã Cyrillus alter ALEXANDRINVS ad hoc Sacramentum pertinere ſignificat illud, quod Iſaiæ 25. legimus: *Vinum bibent, lætitiam bibent, vnguento vngentur, trade hæc omnia Gentibus.* Sic enim inquit in Commentariis eius loci: *Per vinum myſticam benedictionem, & incruentæ hoſtiæ modum ſignificat, quam in noſtris Eccleſiis ſolemus adminiſtrare: Vnguentum verò pulchrè nobis Sancti Spiritus vnctionem ſignificat.* Tum verbis ſequentibus manifeſtè ſignificat ibi Cyrillus, ſe de vnctione Spiritus ſancti loqui, *externa & ſymbolica*, & omnino eiuſmodi, quæ conſiſtat in peculiari aliquo Chriſtianę Religionis cultu, qui, vt ibidẽ Cyrillus addit, non ſicut cultus veteris legis illi ſoli populo, *ſed omnibus Gentibus ſit tradendus*, iuxta verbũ illud Iſaiæ: *Trade hæc omnia Gentibus.*

Cæterũ potiſsima huius rei teſtimonia Scripturę ſunt illa priora de effectu huius Sacramẽti, in quibus omnes ferè Patres cõmuniter conueniũt. Quod ſi illis & illo modo probandi nolent eſſe cõtenti Aduerſarij, fateri coguntur, ne Baptiſmũ quidem & Euchariſtiam poſſe ex Scriptura rectè probari. Vt. n. ſuprà diſput. 3. q. 6. p. 2. cùm de numero Sacramentorũ egimus, manifeſtè conuicimus; nec Sectarij ipſi poſſunt totã omnino rationẽ horum duorum Sacramentorum, quatenùs ſunt *ſigna & Sacramenta diuinitùs ad cultum inſtituta*, oſtẽdere manifeſtam in Scripturis: ſed tãtùm poſſunt oſtendere aliquid vel aliqua, quæ ad rationẽ horum Sacramentorum pertineant, & cõſequenter implicitè reliqua, ex quibus tota ratio iſtorum Sacramentorum perficitur. Id autẽ ſimiliter nos iam fecimus in huius Sacramenti probatione.

SECVNDO probatur eadem aſſertio ex Apoſtolica traditione Eccleſiæ, cuius teſtes ſunt Summi PONTIFICES, & Patres antiquiſsimi. Clemens in epiſt. 4. Vrbanus in Epiſt. Decretali ad omnes Epiſcopos, Fabianus in epiſt. 3. Cornelius apud Euſebium lib. 6. hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 33. Euſebius etiam Pontifex epiſt. 3. ad Epiſcopos Thuſciæ & Cãpaniæ, Melchiades in epiſt. Decretali ad Epiſcopos Hiſpaniæ, valde luculẽter, Damaſus in epiſt. 4. Innocentius I. in epiſt. 1. ca. 3. Leo I. epiſt. 88. Gelaſius epiſt. 1. Gregorius lib. 3. Regiſtri. cap. 9. & 26. Ioannes III. in epiſt. 1. Decretali ad Epiſcopos Germanię & Gallię, Innocentius III. in Tit. de S. Vnctione, cap. vnico.

Item alij quoq; PATRES. Dionyſius cap. 2. & 4. de Eccleſiaſt. Hierarchia, Tertullianus in libro de Baptiſmo, & libro de Reſurrectione carnis. Cyprianus lib. 2. Epiſtolarum, epiſt. 1. & in Epiſtola ad Iubaianũ. Baſilius libro de Spiritu ſancto ca. 27. Ambroſius libro de his, qui myſteriis initiantur, cap. 7. & lib. 3. de Sacram. cap. 2. Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 104. Quẽ locũ, quia inuictus & clariſsimus eſt, ſuprà diſp. 3. q. 6. p. 2. cùm defenderemus Sacramẽtorũ numerum, recitauimus. Ait enim, *Sacramentum Chriſmatis in genere viſibiliũ ſignorum, ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.*

Qua ex oratione euidenter apparet, Vnctionem ſacram hoc in loco non impropriè, vt perperam Kemnitius Auguſtini ſentẽtiam conatur interpretari; ſed maximè propriè ab Auguſtino *Sacramentum* cenſeri: ſiquidem eam ibi cõparat cum Baptiſmo, & quidem tanquam cæremoniã ab eo planè diuerſam. Nam & hoc diligenter etiam contra Sectariorũ vanas interpretationes annotandum eſt, qui ſuadere conantur, veteres ſacrã Vnctionẽ non habuiſſe, niſi pro ritu quodam Baptiſmi. Sed de hoc poſteà etiã dicemus.

Nunc ille locus, vt dico, Auguſtini contra id commentum diligenter obſeruetur, ſicut etiam alius locus eiuſdem lib. 19. contra Fauſtum, cap. 14. vbi *Signum Chriſti*, id eſt, Confirmationis Sacramentum, tanquam diſtinctum planè annumerat Sacramẽto Baptiſmi & Euchariſtiæ. Idem lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 19. & Tractatu 6. in 1. epiſtolam Ioannis, & aliàs paſsim huius Sacramenti meminit. Item D. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, & Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 3. & 4. myſtagogica, valde luculenter. Cyrillus Alexandrinus in Cõmentariis ſuper cap. 25. Iſaiæ, Iſidorus lib. 1. de. Officiis Eccleſiaſticis, cap. 25. & 26.

Quibus adde innumerabiles alios Patres in variis CONCILIIS antiquis olim congregatos. Vt in Elibertino can. 38. Laodicẽſi can. 7. & 48. Arelatenſi I. can. 8. Arelatenſi II. can. 17. Aurelianẽſi apud Gratianum de conſ. d. 5. Can. *Vt Ieiuni.* Et Meldenſi apud eundem ibi. can. *Vt Epiſcopi.* Toletano I. can. 20. Itẽ in Synodo VI. Generali. can. 7. Itẽ in Concilio Florentino, in decreto in Vnione Armenorum, & Tridentino denique ſeſs. 7. ſub finem, can. 1. de Confirmatione.

TERTIO, ſolent etiã Scholaſtici Doctores, pro eadem Aſſertione, quaſdam afferre rationes cõgruentiæ. Qualis illa eſt inprimis, quę ex ſimilitudine naturę ducitur. Nã vt poſt *vitam* naturalẽ adeptam aliquid præterea ad neceſſarium robur & augmentum hominis requiritur: ita conue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

niebat, aliud à Deo Sacramentũ institutum esse ad *vitam* & regenerationem *spiritualem*; aliud ad *robur* eius & augmentum.

Verùm huiusmodi quidem rationibus non præcipuè nitimur; sed probationibus illis ex traditione, & ex Scriptura secundùm traditionẽ intellecta: quę cùm omnino sint firmę; apparet, rectè in Concilio Tridentino vbi suprà sub anathemate damnatam esse hæresim Sectariorum, qui Confirmationẽ censent esse ociosam cæremoniã; non aũt propriè Sacramentũ nouę legis.

SED argumentantur illi & cõtra ipsam Assertionẽ nostrã, & etiã contra probationes eiusmodi, quibus vtimur, multis modis. Cõtra Assertionẽ quidẽ PRIMO obiiciunt, non extare *promissionẽ* diuinã de effectu Gratiæ per eiusmodi cæremoniã: id quod requiritur ad Sacramẽti rationem.

RESPONDEO. Iam ostensum est, extare prorsus; vt traditio, & Scriptura secundùm traditionem declarat. Quanquã si nusquam etiã vllo modo in Scriptura hoc indicaretur, sufficere nobis deberet traditio & cõsuetudo totius Ecclesiæ: vt in hoc ipso proposito rectissimè ostẽdit D. HIERONYMVS in Dialogo contra Luciferianos, cap. 4.

SECVNDO obiicit in primis Caluinus, atq; etiã Kẽnitius multis verbis, Assertionẽ hãc huius Sacramẽti, esse coniunctã cũ insigni iniuria *Baptismi*, eo quòd præcipui illi effectus Gratię spiritualis, scilicet *confirmatio & robur* ad militiam Christianã, sic tribuantur à Catholicis huic cæremonię, vt simul quasi per anthitesin negẽtur Baptismo. Et tamẽ Scriptura vel maximè Baptismo eos effectus adscribit. Nã Apostolus ad Rom. 6. clarè dicit, baptizatos *cõsepultos esse per Baptismũ in mortem*, &c. *vt destruatur*, inquit, *corpus peccati*, &c. Itẽ: *Quotquot baptizati essẽt, Christũ induisse*, Galat. 3. Itẽ ad Titum 3. *Saluos*, inquit, *nos fecit per lauacrũ regenerationis, et renouationis Spiritus sancti, quẽ effudit in nos abundè*. Si abundè: Ergo ad omnes effectus.

RESPONDEO. Primùm magna est calũnia, quòd isti mentiũtur & fingunt, nos eiusmodi effectus ita tribuere Sacramento Cõfirmationis, vt nulla ratione & modo eos etiã tribuamus Baptismo; sed simpliciter & absolutè, sicut isti significant, negemus. Hoc certè alienissimũ à Catholicorũ sentẽtia est. Nam agnoscimus & fatemur, minimam etiam gratiã per se, nedũ illam, quę datur in Baptismo, sufficere, si absolutè loquamur, ad vincendum omnes tentationes, &, vt vno verbo dicam, ad omnes effectus gratiæ, qui sunt ad salutem necessarij. Sed asserimus tamẽ, per *Confirmationẽ* dari Spiritum sanctũ *peculiari* quadã ratione, qua non datur per Baptismũ, id est, secundùm auxilia singularia quædã, quæ peculiariter valẽt ad effectum & finem propriũ huius Sacramenti, vt scilicet persistamus in gratia & fide.

In eo verò nullam à nobis iniuriam irrogari Baptismo, probatur PRIMO ex Scriptura, cuius est planè eadem sententia, idemque modus loquendi de Baptismo. Nam Actor. 8. Petrus & Ioannes mittũtur ad Samaritanos iam baptizatos, vt darent illis *Spiritum sanctũ*. Nã, vt ibi legimus, *nondum in quenquã illorum venerat, sed baptizati* (inquit) *tantùm erant in nomine Domini; tũc imponebãt manus super illos, & accipiebãt Spiritum sanctum*. Et Christus ipse Ioan. 16. *Si non abiero*, inquit, *paracletus non veniet ad vos: Si aũt abiero, mittã eũ ad vos*.

In his certè locis euidẽter significatur, aliqua ratione Spiritum sanctũ non dari per Baptismũ, qua tamen sine vlla Baptismi iniuria cõmunicatur ille posteà. Itaq; rectè D. HIERONYMVS cõtra Luciferianos, cap. 4. *Si quæris*, inquit, *quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum sanctum; disce hanc obseruationem ex ea auctoritate descendere, quòd post ascensionẽ Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit*: Quasi dicat: Nihil hìc docemus, quod non ipsa Scriptura similiter in hac re doceat.

SECVNDO id probatur. Quoniam si illa cauillatio Sectariorum hìc valeret; similiter argumentari possent, Assertionem Sacramenti Eucharistiæ (quod tamen ipsi admittunt) coniunctam esse cum iniuria Baptismi. Nam vel Sacramentum Eucharistiæ institutum est ad cõferendam gratiam sub aliqua ratione, qua non conferatur in Baptismo, vel nõ. Si non; superuacaneũ est igitur id Sacramentũ post Baptismum. Si sic; ergo fiet iniuria Baptismo, quòd ei negetur ille peculiaris effectus Eucharistiæ. Si hoc argumẽtum nõ concludit; neq; cõcludet omnino illud aliud Sectariorum contra Confirmationem.

Accedit TERTIO, quòd nos, vt antea faisi sumus, plenitudinem etiam Gratiæ tribuimus, suo quodam modo & ratione, Sacramento Baptismi, nimirum secundùm auxilia peculiaria, quæ valeãt ad effectum proprium eius & finem. Quod ipsum ex MELCHIADE etiam in Epistola sua ad Episcopos Hispaniæ, cap. 2. cuius auctoritatem in hac re sequimur, potuissent Sectarij cognoscere. Ibi enim ait: *Spiritus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte Baptismatis plenitudinem tribuit ad innocẽtiam: in Confirmatione autem, augmentum præstat ad gratiam*. Et nihilominùs ibi Melchiades ostendit discrimen, cùm item dicit: *In Baptismo homo ad militiam recipitur, in Confirmatione coarmatur ad pugnam*: in Baptismo *regeneramur ad vitam, post Baptismum ad pugnam confirmamur: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur*, &c. Vanissimæ igitur nugæ sunt ea, quæ isti tot verbis nobis obiiciunt de iniuria, quam in hac re faciamus Baptismo.

TERTIO obiicit contra nostram Assertionem Kemnitius, quod Alexander Alensis 4. p. q. 24. memb. 1. disputauerit, Confirmationem non à Christo, sed ab Ecclesia fuisse institutam.

RESPONDEO, hanc omnino falsam opinionem fuisse, & iam post tot alias Ecclesiæ declarationes esse planè erroneam & hæreticã. Nam certum ex fide est, omnia Sacramenta fuisse à Christo instituta. Itaque Alensem eodem tempore refutauit in ea re Albertus Magnus in 4. d. 7. art. 2. ad 1. & D. Thomas hìc art. 1. ad 1.

Quando autem fuerit hoc Sacramentũ Confirmationis à Christo INSTITVTVM, nonnulla Quæstio est. Sed probabilissimè in hac re dicitur, instituisse illud in vltima Cœna, vbi etiam Fabianus Papa & Martyr in epist. 3. suprà citata, secũdùm Ecclesiasticam traditionem, asseuerat, Christum docuisse Apostolos cõficere Chrisma, quod est huius Sacramenti materia.

Deinde obiicit Kemnitius contra PROBATIONES nostras ex traditione ductas. PRIMO, illas Epistolas Decretales Pontificum esse suppositias. Sic enim & Magdeburgenses Centuriatores sine vlla firma probatione finxerunt: Quoniam nimirum dolent, errores ferè suos omnes in illis Epistolis condemnari.

SED defensionem earũ Epistolarum suscepit Fracisscus Turrianus, in libro, quem pro illis aduersus Magdeburgẽses Centuriatores eruditissimè conscripsit, cui hactenus isti non responderunt; neq; satis vnquam respondere poterũt.

SECVNDO obiicit, aliquos ex illis Patribus, vt Cyprianum, & Tertullianũ, didicisse doctrinam hanc de Confirmatione & efficacitate eius, in schola Montanici paracleti, atque adeò montanizasse.

SED certè in eo, quod Tertullianus & Cyprianus significant, Confirmationem aliqua saltem ratione tribuere Spiritum sanctum, qua nõ tribuatur in Baptismo, non magis montanizarũt, quàm Christus, & D. Lucas, quorum testimoniis paulò antè docuimus, Spiritum sanctum aliquo modo saltem non dari in Baptismo, quo post Baptismum datur. Si autem Tertullianus, vel quisquam alius, voluit etiam *nullo modo* dari gratiam Spiritus sancti in Baptismo, id nos minimè approbamus.

TERTIO obiicit, Cyrillum Alexandrinum & alios, non satis rectè accommodasse ad hoc Sacramentum locos aliquos Scripturæ.

SED certè si Cyrillus hoc non rectè fecit; non melius Kemnitius ex Scripturæ locis contra Sacramentum Confirmationis argumentabitur.

QVARTO dicit, veteres de Vnctione & Confirmatione fuisse locutos, quæ non fuerit diuersum per se Sacramentum à Baptismo; sed tantummodò ritus quidam illius: idque constare ex his locis, vbi veteres describunt actionem Baptismi: ad eam enim referunt quoque istam Vnctionem, vt Dionysius cap. 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Tertullianus de Baptismo, Ambrosius libro de his, qui mysteriis initiantur.

SED in contrarium est, quòd plerique veterũ, & maximè Augustinus locis suprà citatis, comparãt istam Vnctionem cum Baptismo, & significant æquè esse *Sacramentum*, atque illum. Item, quòd ferè omnes disertè affirmant, per eiusmodi actionem dari Spiritum sanctum, adeoq; illi tribuunt planè Sacramenti efficaciam.

Neque obstat, quòd aliquo modo eam cæremoniã aliqui veteres ad actionem Baptismi retulerint: Ratio enim est, quoniam eodem tempore solebant Catechumeni simul & baptizari, & suscipere Eucharistiam, & denique confirmari. Sicut & hodie etiam vno & eodem die omnia ista Sacramenta administrari solẽt Catechumenis in Paschate, & Pentecoste. Non nego tamen, quin aliqua testimonia veterum possint intelligi de illa cæremonia Vnctionis, quæ adhibetur etiam per Sacerdotes in ipso ritu & administratione Baptismi.

Sed habemus tamen præterea, & adduximus alia testimonia plurima de Vnctione, quæ per se sit Sacramentum istud Confirmationis, quæque administratur per solos Episcopos.

Accedit, quòd Samaritani illi, (de quibus Actor. 8.) longè postquam baptizati erant, acceperunt ministerio Apostolorum, effectum hunc proprium Cõfirmationis. Ex quo satis apparet, non id pertinere omnino ad ipsam actionem Baptismi. Item quòd illius Minister est solus Episcopus, vt HIERONYMVS contra Luciferianos, cap. 4. & Cyprianus Epistola ad Iubaianum, fatẽtur: Baptismi autem Minister est etiam simplex Sacerdos. Quare differentia hæc Ministrorum, differentiam inter has duas cæremonias, tanquam inter diuersa Sacramenta, declarat.

QVINTO dicit Caluinus, impositionẽ illam manuum, cuius meminerunt veteres, non fuisse nisi quandã *Catechesin*, qua scilicet, qui in infantia baptizati fuerant, solebãt posteà illis Ecclesiæ temporibus reddere rationem breuem suæ fidei coram Episcopo, & instrui in his, quæ minus rectè intelligebant, eaque ratione in fide confirmari, addita illa cæremonia impositionis manuum, per quam oratione facta, inuocabatur ipsis Spiritus sanctus ad perseuerandum, &c.

SED id ita esse nullo idoneo testimonio probat, nec etiã probare potest Caluinus. Nã quod adfert ex Leone Epist. 37. moris fuisse, vt qui hæretici olim ad Ecclesiam reuertebantur, non rebaptizarentur; sed reciperẽtur per impositionẽ manuum, qua illis inuocaretur Spiritus sanctus: Quid hoc ad propositum? Fatemur enim sic moris fuisse: immò ad eiusmodi impositionem manuum, qua recipiebantur hæretici, fuisse in Oriente saltem adhibitam Vnctionem Chrismatis, vt colligitur ex Concilio Nicæno can. 31. iuxta editionem, quam euulgauit & defendit Franciscus Turrianus, & commemorat etiam D. Gregorius lib. 9. Registri, epist. 61.

Cæterùm ista manuum impositio, per quam ita recipiebantur hæretici, vel fuit ipsum Sacramentum Confirmationis (cùm vnctio quidem adhibebatur) quod antèa nimirum illi hæretici neglexerint: Vel si fuit alius quidam catechesis & reconciliationis ritus (etiam cum vnctio tũc adhibebatur) vt censuit Turrianus in Scholio illius Can. 31. concilij Nicæni: non ideò tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caluinus obtinet id, quod voluit, scilicet eam impositionem manuum, quam alioqui contendimus nos fuisse propriè apud veteres Sacramẽtum Confirmationis, fuisse solum illam reconciliationem & catechesin, & multò minus fuisse catechesin puerorũ, sicut somniat Caluinus. Etenim impositio manuum, quam nos dicimus Sacramentum fuisse, alia longè diuersa fuit, nimirum illa, quam asserunt veteres adhiberi solitam fuisse omnibus baptizatis, hoc ipso, quòd baptizati prius erant; & quidem fuisse adhibitam per solos *Episcopos* & in *fronte*, & ad *plenitudinem Spiritus sancti* obtinendam, & ad *robur*, &c.

Cuius rei luculentum testimoniũ præbet nobis idem B. Leo, quem pro se Caluinus testem citauit. Nam epist. 88. disertè commemorat vtrumq; genus impositionis manuum (siue fuerit quoad substantiã idem, siue diuersum) nempe illud, quo *recipiebantur hæretici*, & illud deinde, quo simpliciter *omnes cum vnctione Chrismatis in fronte per solos Episcopos*, vt ibidem docet Leo, confirmari oportebat.

Sed obiicit quoque Caluinus, atque etiam Kemnitius Augustini locum lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, cap. 16. vbi ait: *Quid aliud est manuum impositio, quàm quædam oratio?* Ex quo loco videtur sibi Caluinus confirmare figmentum illud suum, quòd Confirmatio per manuum impositionem fuerit olim quedam tantum oratio & catechesis.

Sed certè Confirmationem fuisse verisimũ Sacramẽtum ex aliis Augustini locis suprà citatis euidenter constat, & maximè ex illo contra literas Petiliani, cap. 104. vbi ait, *Sacramentum hoc esse sacrosanctum, sicut est ipse Baptismus.* Quare respondeo ad alterum illum locum, verisimè ab Augustino dici manuũ illam impositionem quasi quandam orationem esse. Sed non ideo Augustinus negat, aliquam aliam cæremoniam, nempe *vnctionem*, ad impositionem illam manuum & orationẽ adiunctam fuisse, in qua propriè consisteret Sacramẽtũ istud Cõfirmationis.

Vnde neque nobis obstat, quod de ea manuum impositione (vt Caluinus etiam obiicit) Augustinus ibi ait: *Non sicut Baptismus repeti non potest.* Etsi enim *Vnctio* ipsa, in qua consistit Substãtia huius Sacramẽti non magis quàm Baptismus repeti posit, (vt dicemus puncto quarto) tamen adiuncta illa cæremonia impositionis manuum, per se potest repeti ad alios etiam fines, & in aliis actionibus; Vt in ordinatione, & in reconciliatione, &c.

Sexto obiicit Kemnitius, veteres de vnctione longè diuersa fuisse locutos ab ea, quam ipsi vsurpamus & defendimus. Nam *primùm* illi vtebantur impositione manuum in illa vnctione: nos non. Secundò, nos vngimus tantùm in fronte: illi vngebant primò in fronte, secundò in auribus, tertiò in naribus, quartò in pectore, vt videre est apud Cyrillum Hierosolymitanum catechesi 3. & 4. *Item* Ambrosius libro de mysteriis initiandis, cap. 6. simpliciter dicit, solitum fuisse vngi caput, vt inde vnguentum efflueret. Neque verò meminerũt veteres etiam balsami, sed olei & vnctionis. *Tertiò*, veteres Baptismo quoque tribuebant effectum illius vnctionis, quod nos non facimus. Ex quibus tandem Kemnitius his verbis concludit: *Quando Pontificij multas cumulant hic sententias ex veteribus, opponenda est ipsis hæc diuersitas: quicquid enim de chrismate ex veteribus declamitauerint, tamen non habent illud Sacramentum, de quo antiquitas loquitur.*

Respondeo. Primùm accipimus libenter, quod iste à veritate coactus hîc fatetur, antiquitatem de aliquo *Sacramento* omnino loqui, cùm de Chrismatis vnctione loquitur. Id enim si ita est, multò minus Sectarij habebunt illud idem Chrismatis Sacramentum, quàm nos; siquidem illis neque eodem modo, neque etiam aliquo modo diuerso vtuntur tali Sacramento Chrismatis, atque veteres, postquam totum hoc, quicquid est sacrę Vnctionis, sacrilegè reiecerũt.

Deinde dico, totam illam diuersitatem pertinere non ad substantiam ipsam Sacramenti vnctionis; sed ad *ritum* & *modum*. Cæremonia enim tantùm accidentalis erat, illa impositio manuũ, item vnctiones illæ, quæ præter frontis vnctionem, quam Theologi docent esse substantialem, adhibebantur. Neq; nostra sententia est, Sacramentum fore nullum, si vnctio adhibeatur etiã per cæremoniam in aliis partibus, vt cauillari videtur Kemnitius; sed asserimus, vnctionem necessariò adhibendam esse *in fronte*, sicut etiam Cyrillus ponit.

Ambrosius autem in illo cap. 6. de iis qui mysteriis initiantur, non distinctè explicat, in qua parte capitis fieret illa vnctio, sed simpliciter dicit, in capite. Deinde in eo quidem loco potius loqui videtur de altera vnctione, quæ fit *in vertice* capitis *baptizati* ab ipso baptizante, & pertinet ad ritum & actionem Baptismi.

Quod verò attinet *ad balsamum*, primò falsum est, nullam eius esse mentionem apud veteres. Nam Fabianus Põtifex & Martyr antiquissimus eius expresè meminit in Epistola suprà citata, & Cyprianus Sermone de vnctione Chrismatis, & Patres Concilij Bracharensis II. cap. 4. & Gregorius in caput 1. Cant. Deinde alij nomine vnctionis & vnguenti generatim intellexerunt quoque balsamum. Quòd autem plerique distinctè non nominarint, fortè causa fuit, quoniam non planè compertum est, vtrum admixtio illa balsami sit de necesitate omnino & substantia istius Sacramenti, vt videbimus p. seq.

Postremò quod Kemnitius addit de *effectu*, friuolum est: siquidem suprà docuimus, neque nos simpliciter negare effectus illos Baptismo, sed tantùm ratione quadam peculiari tribuere Confirmationi, quod etiam faciunt ipsa Scriptura & veteres.

Septimo

Septimo conatur Kemnitius vanissimè ostendere, quæ fuerit quasi occasio errandi (scilicet) Ecclesiæ Catholicæ in hac huius Sacramẽti assertione. Et dicit, fuisse tres consuetudines apud veteres, ex quibus immeritò deinde fabricata fuerit hæc doctrina de Sacramento Confirmationis. *Prima* est, quòd ab hæresi resipiscentibus, manus imponerentur, eisque inuocaretur Spiritus sanctus, sicut antè dictum est. *Secũda* est, quòd qui in necessitate per laicos, vel Catechumenos baptizati essent, iubebãtur postea duci ad Episcopum, vt ille per manuum impositionem eosdem *perficeret*, quasi complendo videlicet solennitatẽ ipsam Baptismi, inquit Kemnitius. Ad quam rem citat Canonem 38. Concilij Elibertini. *Tertia* est, quòd ad baptizatos per Presbyteros in minoribus vrbibus solebat Episcopus excurrere, vt per impositionem manuum daret illis Spiritum sanctum. Ita enim refert Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, qui & addit, hoc in multis locis magis ad *honorem Sacerdotij*, id est, Episcoporum, quàm *ad legis necessitatem* factitatum esse.

Respondeo. Quod ad *primam* consuetudinem attinet, iam antè docuimus, manuum illam impositionem, quæ adhibebatur in reconciliatione hæreticorum, vel fuisse ipsum Sacramentum Confirmationis, ab hæreticis antea neglectum; vel si fuit alius ritus, tamen minimè derogasse ei impositioni manuum, quam nos probamus fuisse apud veteres *Sacramentum Confirmationis*. Cuius nostræ assertionis fundamentum est traditio & testimonium veterum de eiusmodi *vnctione & impositione manuum*, quæ per *solos Episcopos* adhiberi esset solita *in fronte* omnibus baptizatis.

Quæ verò de *secunda* & *tertia* consuetudine præterea memorat Kemnitius, testimonia sunt potius pro nostra assertione. Erat enim illa omnino praxis ipsa & vsus conferendi per solos Episcopos istud Sacramentum. Nam quod Hieronymus subiungit, id in multis locis *magis ad honorem Sacerdotij, quàm ad legis necessitatem factũ esse*, significat id quod verum est, Sacramentum istud non esse simpliciter *necessarium* ad salutem, (vt dicemus q. seq. p. vltimo) quasi per Baptismum alioqui nõ daretur gratia Spiritus sancti. Datur enim etiam in illo, vt ibi Hieronymus cõprobat. Atque ita insinuat Hieronymus, id in aliquibus locis, non tam quia necessaria esset ad salutem eius Sacramenti administratio, quàm vt *honorarentur Episcopi*, qui ad id ministerium accersebantur, & veniebant, factum esse. Quo ipso tamen minimè excludit Hieronymus, quin cum illo honore Episcoporum, coniuncta etiam esset, si non necessitas, saltem *maxima vtilitas spiritualis* suscipientium Sacramẽtum istud: quandoquidem ibidem exemplo & authoritate Scripturæ probat Hieronymus, fuisse datũ Spiritum sanctum per id ministerium Episcoporũ.

Obiicivnt isti deniq; cõtra probationem, quam ex Scriptura attulimus, Primo, quòd Apostoli per solam impositionem manuũ, & sine vlla vnctione Chrismatis soliti erant conferre Spiritum sanctum: & proinde ad nostrũ Sacramentum Confirmationis nihil illa testimonia Scripturæ pertinere.

Respondeo. Inprimis sententia est quorũdam probabilissima, Apostolos nunquam per illam impositionem manuum Spiritum sanctũ, atque adeò effectum Confirmationis nostrę dedisse; nisi adhibita simul substantiali materia huius Sacramenti, nempe *vnctione* chrismatis, & etiã *forma* verborũ solita. Idq; nominatim cõfirmat Thomas VValdẽsis Tomo 2. de Sacramentis cap. 113. adducto inter cætera testimonio Fabiani Papæ & Martyris, qui ait, Apostolos in Cœna fuisse doctos à Christo Chrisma conficere, &c.

Ac præterea potest idem probari ex sententia Avgvstini libro de fide & operibus, cap. 9. vbi de Baptismo tractans; Regulam nobis, quam in huiusmodi materia Sacramentorum rectissimè vsurpare possimus, indicauit, vt scilicet, cùm ex Scriptura cognoscimus aliquid propriè spectãs ad aliquod Sacramentum, fuisse gestum, inde colligamus, fuisse reliqua omnia in eiusmodi facto adhibita, quæ series traditionis Ecclesiasticæ declarat pertinere ad Sacramenti substantiam. *In eo*, inquit Augustinus, *quod Lucas de Eunucho scripsit, baptizauit eum Philippus, intelligere voluit, ea omnia, quæ licet taceantur in Scripturis, gratiâ breuitatis, tamen serie traditionis scimus implenda.* Hæc ibi Augustinus, quæ similiter ad nostrum propositum referri possunt.

Itaque respondendum est secundùm illam VValdensis sententiam, Apostolos impositionẽ manuum adhibuisse tantùm tanquam cæremoniam: Sacramentum autem quoad substantiam administrasse in eadem materia & forma, quæ est perpetuò deinde vsurpata in Ecclesia. Idque secundùm Augustini Regulam ex eo licet colligere, quòd in illis locis Scripturæ significat aliquid propriè pertinens ad hoc Sacramentũ per Apostolos gestum esse, nempe datum proprium *effectum* huius Sacramenti, adhibito illo ritu impositionis manuum, quem constat fuisse aliquãdo in Ecclesia velut quãdam cæremoniam eiusdem Sacramenti: quãuis cùm de substantia non fuerit, minimè sit necesse illam retinere.

Deinde, si cum D. Thoma hic art. 2. ad 1. & Paludano in 4. d. 7. q. 1. & cum aliis sentiamus, Apostolos ex aliqua dispensatione diuina, sine forma & materia ordinaria, dedisse proprium effectũ huius Sacramẽti, per solam impositionẽ manuum, accedentibus mirabilibus illis signis externis, quæ tunc sequebantur; possumus tamen nihilominùs rectè assertionem huius Sacramenti probare ex illis locis, hoc ipso quòd & expresè aliquid ibi cõtinetur propriè spectans ad hoc Sacramentum, nempe *effectus*, & traditio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiastica (secundùm quam Scriptura intelligi debet) docet, consequenter ibi insinuari totam reliquam rationem huius Sacramenti; siue illâ debuerint vti Apostoli, siue alij deinde successores Apostolorum.

Notandum autem est, secundùm hanc sentẽtiam, non negari, quin aliquando Apostoli vsi etiam fuerint materia & forma ordinaria: hoc enim eos feciſſe, quando deſierunt illa ſigna viſibilia & mira, quæ in confirmatis cõſpiciebantur, affirmat D. Thomas in illo art. 2. ad 1. & etiam art. 4. ad 1. idque rectè probat testimonio Dionysij cap. 4. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Solùm igitur aiunt D. Thomas & alij, non semper Apostolos confirmasse, adhibita materia & forma ordinaria.

SECVNDO cõtra eandem probationem nostram ex Scriptura obiiciunt Caluinus & Kemnitius, Apostolos per illam impositionem manuum non dedisse gratiam ipsam iustificantem; sed quasdã gratias gratis datas *linguarum*, & *virtutum*; idque ad tempus breuissimum durauisse, neque fuisse perpetuam de ea re promissionem, sicut esse oportet de effectu Sacramentorum.

RESPONDEO, negandũ sanè non esse, quin tũc vnâ cum Spiritu sancto, darentur quoq; illæ gratiæ gratis datę, vt patet ex Actis, cap. 1. & 19. Sed simul tamen dicimus, negari nõ posse, quin etiam Spiritus sanctus ipse secundùm donum inprimis *gratiæ gratum facientis*, & quidẽ ex promissione perpetuò valitura, daretur.

Id probatur *primò* ex modo loquendi ipsius Scripturæ. Nam simpliciter & absolutè asserit fuisse ibi datũ *Spiritum sanctũ*, & simul nõ obscurè distinguit modum illum, quo item dabatur secundùm gratias illas gratis datas, quasi secundariò & consequenter. Vt cum dicitur Actor. 1. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui.* Item Actor. 19. *Cum imposuisset Paulus manus super eos, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur, &c.*

Secundò id patet ex effectu illius gratiæ. Nam cùm anteà essent Apostoli timidissimi, vehemẽter per illam confirmati sunt, vt ne mori quidẽ dubitarent pro Christo. Qui sanè effectus inprimis est gratiæ gratum facientis, & quidem abundantis. Ex qua re simul apparet, eum effectũ gratiæ fuisse pro omnibus, & ad omne tempus diuinitùs promissum, siquidem omnes, qui vnquam sunt, aut erũt in Ecclesia, opus habent illa animi fortitudine.

Tertiò id patet. Quoniam Philippus, qui maximas alioqui virtutes faciebat, non potuit tamen dare Samaritanis Spiritum sanctũ illo modo: quoniam non erat videlicet Episcopus, sed necesse fuit ad illos mittere duos Apostolos, tãquam ad conferendum effectum maioris momenti, quàm sint illæ gratiæ gratis datæ.

Quartò accedit, quod Christus Ioan. 17. inquit: *Non pro eis tantùm rogo, sed pro illis etiam, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Agit autem ibi de eo inprimis, quod dixit Ioan. 16. *Ego rogabo Patrem, & aliũ paracletum dabit vobis*, &c. Vnde constat, promissionem de huius Sacramenti effectu fuisse *perpetuam*, quemadmodum Petrus etiam in Actis repetito testimonio Ioëlis de eiusmodi promissione dicit: *Vobis & filiis vestris facta est hæc promissio.*

Quintò id confirmat traditio, atq; etiam vsus Ecclesię, quæ *omni tempore & omnibus* hoc Sacramentum administrat, tanquam id, quod largitur vberrimam gratiam: sicut etiam ad Samaritanos omnes baptizatos Apostoli missi sunt, qui eos confirmarent. Manent igitur probationes illæ nostræ firmæ, ac proinde firma etiam Assertio Sacramenti istius.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam sit huius Sacramenti Materia.

D. Thom. art. 2. 3. 9.

HIVS Sacramenti Materia, secundùm Ecclesiasticam traditionem ante cõmemoratam, est CHRISMA. Quo vocabulo, etsi quoduis vnguenti siue vnctionis genus significari posit; tamẽ Ecclesiastici Doctores in hoc proposito, & in hac Sacramẽtorũ materia, semper intellexerũt cõpositionẽ ex oleo & balsamo.

Hanc ex diuina institutione esse huius Sacramenti materiam, testatur inprimis luculenter FABIANVS Papa in epist. 3. vbi affirmat, Christũ in Cœna docuisse Apostolos istud Chrisma conficere. Quare & Episcopos quosdam ibi reprehendit, quòd in balsamo inuestigando, & ad vsum huius Sacramenti conficiendo, negligentiores fuissent. Item CYPRIANVS in Sermone de Vnctione Chrismatis, & CLEMENS lib. 7. Constitutionũ Apostolicarum, cap. 28. & 44. & Dionysius cap. 4. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Qui sanè propter balsamum vocârunt Chrisma vnguentum *odoriferum*. Sic etiam & Ireneus lib. 1. cap. 18. Opobalsami meminit. Ita definitum est in Concilio Florentino in decreto vnionis Armenorũ, & indicatur id quoque in Concilio Bracharensi II. can. 4. & Cabilonensi II. can. 16. Item id habetur Extra de sacra vnctione, Cap. vnico. §. *Quia verò*. & 1. q. 1. Can. *Dictum est*. & can. *Statuimus*. Quæ res item asseritur in Catechismo Romano, atq; etiam declaratur rectè â D. Thoma hic ar. 2. redditis rationibus cõgruentibus pro eius materiæ institutione.

Datur enim in hoc Sacramẽto *abundans* gratia, qua non solùm sanctificetur & perficiatur aliquis in seipso; sed etiam per communicationem quandam aliis prodesse posit, defendẽdo Christianam fidem, strenueq; aduersus eius hostes pugnando. Itaque rectè factum est, vt ĩstius

Sacramenti

Sacramẽti materia sit, & *oleum*, quo significatur gratia; & etiam *balsamũ*, quod propter odorem habet quandam communicationem, qua sese diffundit ad alios.

Deinde etiam, vt D. Thomas in eod. art. in responsione ad 1. declarat, quædam est, in hac materia quasi analogia cum illis signis visibilibus, quę olim apparebant, quando effectus proprius huius Sacramenti diuinitus est tributus Apostolis: scilicet cum *linguis igneis*. Siquidem oleum nutrimentum est *ignis*, & balsamum odoris diffusione communicatur, sicut lingua communicat cũ aliis sermonem. Propter hanc igitur analogiam, asserit D. Thomas, sicut & alij Doctores Scholastici, in 4. d. 7. non incongruenter, oleum & balsamum esse istius Sacramenti materiam.

Neque tamen ideo hæc Assertio nititur his congruentiis & analogiis; sed potissimùm *institutione diuina* per Ecclesiasticam traditionem testata, & consequenter etiam Scripturæ testimoniis suprà adductis, & secundùm traditionem expositis. Quam rem ideo notare volui, vt facilius Kemnitij vanitas & impudentia deprehendi posit, cùm in examine illorũ Canonũ Concilij Tridentini de Cõfirmatione, congruentias istas & explicationes Scholasticorũ ita proponit & exagitat, quasi nostri non aliis argumentis & testimoniis, sed his solis rationibus in hoc negocio præcipuè niterentur, quod falsissimũ est.

SED cùm absolutè traditio hæc Ecclesiastica asserat, materiam huius Sacramenti, vt dictum est, esse *Chrisma*, id est, compositionem ex oleo & balsamo; primò quidem extra controuersiã omnem est, de substantia materiæ esse *vnctionem* aliquam, vel per vtramq; partem eius compositionis, vel per alterutram, sic planè, vt erronea iam reputetur opinio, quã Aureolus apud Marsilium in 4. sentent. q. 5. art. 1. indicat fuisse quorũdam Canonistarum, quibus videbatur posse Sacramentũ hoc etiam sine *vlla vnctione* ministrari. Quod esse planè erroneum & hæreticum, rectè ostendit Sotus d. 7. q. vnica, art. 2. qui etiam dubitat, an vlli omnino extent iam Canonistæ, qui id senserint.

QVAESTIO tamen est deinde inter Doctores, Vtrum, quod Ecclesiastica traditio simpliciter asserit, materiam esse eiusmodi Chrisma, ita intelligi debeat, vt materia huius Sacramenti *substantialiter* consistat in vtraque parte Chrismatis, scilicet in oleo, & balsamo: An verò ita, vt substantialiter quidem consistat in altero v. g. in *oleo*; atq; etiam declaratur rectè â D. Thoma hic ar. 2. accidẽtaliter verò in altero, scilicet in balsamo; quod proinde non sit de necessitate Sacramenti; sed tantùm de necessitate præcepti? Qua de re plures sunt sententiæ.

PRIMA fertur fuisse Melchioris Cani: cui placuit, vtrumque, scilicet & oleum, & balsamum, esse de substãtia materię, sed disiunctiuè, tanquã partes scilicet integrales materiæ: quemadmodum in Eucharistiæ Sacramento dicimus substantiam materiæ consistere in pane & vino; non quia nequeat illud Sacramentum constare, nisi ex vtroq; cõiunctim; sed ex vtroq; potest, & etiã ex quolibet disiunctiuè. Hęc sentẽtia licet inintelligibilis ipsa per se nõ sit; caret tamẽ sufficiẽti authoritate & probatione. Quare cùm sit ferè voluntaria, nõ est tuta in Quæstione tam graui.

SECVNDA sententia est, vtrumq; cõiunctim esse de substantia materiæ, atque adeò de *necessitate* Sacramenti. Quam opinionem Sotus d. 7. q. vnica, art. 2. appellat cõmunem, & sic etiam appellatur ab aliis: quoniã est ferè omnium Theologorum, in 4. d. 7. Eius verò fundamentum est *primò*: Quoniã ita sonare videtur traditio, cùm ex æquo loquatur de vtroque, quando asserit, materiam esse Chrisma ex oleo & balsamo confectum. *Secundò*: Quoniam si Sacramentum hoc absq; balsamo ministraretur, falsa esset Forma, in qua dicitur, vt postea docebimus, *confirmo te chrismate salutis, &c.*

Habet autem nihilominus hæc sentẽtia quædam incommoda. Primum: Quòd difficile est habere verum & genuinũ balsamum. Imò multi putant, nusquam iam verum colligi. Nam iam olim Plinius lib. 12. naturalis historiæ, notauit, in vno tantùm vel altero loco orbis reperiri, scilicet in Iudæa & Mesopotamia. Hoc saltem ex omnium sentẽtia certum est, illud facillimè adulterari solere.

Quod si quis dicat, ex diuina institutione materiam huius Sacramenti, quoad substantiam, esse balsamum qualecunque, siue verum sit, siue adulterinum; modò communi vsu loquendi appelletur balsamum: Hoc certè videtur non satis probabiliter dici: siquidem tam facilis & crebra in ea re contingere solet mutatio, vt proinde minimè videatur Christus vsque adeò parũ determinasse ipse institutione sua huius Sacramenti materiam. Nam verè illam solùm ea ratione definiuisset vsũ & modo *loquendi* hominũ, quod non est verisimile.

Secundum incommodum eius sententiæ est, quòd constat, balsamum rem esse preciosam, & quę difficillimè in omnia loca importari potest, cũ vix in aliquo vno loco, qualecunq; id tandẽ sit, reperiatur. Instituisse verò Christũ materiã alicuius Sacramẽti, quo ad eius substantiã, in re tam rara & preciosa, non satis videtur probabile esse, præsertim cũ Apostoli & primi successores illorum essent admodũ pauperes; qui tamen id Sacramentũ administraturi erãt. Neq; dici absq; incõmodo potest, illos tunc temporis aliter administrare potuisse ex peculiari Christi dispẽsatione: nõ. n. facilè ad huiusmodi dispensationes recurrendũ est, quãdo res aliter expediri potest.

Est igitur TERTIA sententia, *oleum* esse quidem de *necessitate* huius Sacramẽti, atque adeò in illo consistere *materiã* quoad suam substãtiam; balsamũ verò esse solũ de necessitate *præcepti*, vel Ecclesiastici, vel etiam Christi, propter authoritatẽ

illam

Universidad de Deusto
Biblioteca

illam Fabiani Papę. Atq; ita ſecũdùm hanc opinionem materia huius Sacramenti cõtinet quidem etiam balſamũ; ſed non niſi accidentaliter.

Eſt autem hęc ſententia iam tam illuſtrium & tam multorũ Doctorum, vt iure quidem illa ſecunda contraria vix nunc dici poſsit cõmunis. Ita enim ſentit Caietanus hìc art.2.& Sotus d.7. q. vnica, art.2.& Victoria in Summa de Sacramentis, q.41. Item Nauarrus in Manuali cap. 22.n.8.& lib.1. Conſil.Tit.15. cõſilio 1.atq; etiam Couarruuias li.1. variarũ reſolutionũ,ca.10.n.4.

Probant *primò* ex incõmodis, quę oſtendimus in ſecũda opinione. *Secundò* & fortiſsimè ex decreto Innocentij III. in Cap. *Paſtoralis*. Extra de Sacramentis non iterandis. Ibi enim Pontifex interrogatus,an Cõfirmatio cuiuſdam,quę erat adminiſtrata per ſolum oleum ſine balſamo, eſſet iteranda; reſpondit, *nihil eſſe iterandũ, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum*, id eſt, addendam vnctionem balſami.

Sed reſpondent, qui ſecundã opinionẽ tuentur, ſenſum eſſe, nihil eſſe iterãdum, quoniã prima actio nõ fuerat verè Sacramentũ Confirmationis,atq; ita nõ erat poſteà iterãdũ ipsũ Sacramẽtũ,quaſi prius etiã verè adminiſtratũ fuiſſet.

Verùm hæc interpretatio prorſus facit inanem, atq; etiam ridiculam reſponſionem Pontificis. Nam *primùm*, non de ſpeculatione, ſed de praxi,id eſt,de eo,quod faciendũ erat, interrogabatur ibi Pontifex, an ſcilicet illa actio Confirmationis fuiſſet denuo repetenda: Dicere autem,quòd non fuerit iteranda in illo ſenſu,ſcilicet quatenus prima verum fuerit Sacramẽtum, eſt reſpondere tantùm de *ſpeculatione*: & vt optimè argumẽtatur loco citato Couarruuias,ſi hoc tantùm ſignificare voluiſſet Pontifex,non dixiſſet, *nihil eſſe iterandum*; ſed repetendam quidem denuo actionem illam fuiſſe; neq; tamen ideò Sacramẽtum propriè iterari: ſiquidẽ illa prima actio non fuit Sacramentum.

Secundò, nam Pontifex non eſt putandus ibi reſpondiſſe de eo, quod extra cõtrouerſiam eſt, neq; cadebat in dubitationem. At Sacramentũ propriè non iterari, quando actio repetitur, eo quòd primò defuit illi aliquid neceſſariũ ad Sacramenti veritatẽ, res eſt extra omnẽ cõtrouerſiã,neq; de hoc vnquã potuit dubitari.Ergo non illud tantũ voluit reſpõdere Pontifex, ſed aliud planè ſignificauit contrariũ,nempe actionẽ illã abſolutè nõ eſſe denuo repetendã,atq; adeò fuiſſe eã primò verũ Sacramẽtũ,licet defuerit balſamũ,ſolũq; id ſupplendũ, quod cõtra pręcepti neceſsitatẽ prętermiſsũ fuerat,nempe balſamũ.

Rurſus interpretantur alij, reſpõdiſſe Pontificẽ,ne *publicè & ſolenniter* repeteretur illa actio; ſed cautè & occultè. Verùm etiam hæc expoſitio repugnat illis verbis Põtificis,quibus dicit,*cautè eſſe*, non quidem iterandum, quod antè factum fuerat; ſed *ſupplendũ*,quod fuerat prętermiſsum.

Videtur itaq; mihi propter iſtud maximè reſponsũ Innocentij III.tertia illa opinio eſſe probabilior.Oportet aũt ſecundùm illam, & etiam ex communi ſententia aliorum,vt oleum, quod adhibetur, ſit *oliuarũ*: quia illud eſt oleũ ordinariũ & propriè dictũ,vt D.Thom.docet ar.2. ad 3.

Ad fundamenta igitur ſecundæ ſententiæ reſpondendum eſt. Ad *Primum* dicimus,ſic eſſe intelligendã traditionem, ſicut illa tertia ſentẽtia probat. Ad *Secũdum*, nego fore tunc falſam formam. Nam verbum illud: *Confirmo te Chriſmate, &c.* ſignificabit tunc ipſam olei vnctionem. Vt autem verbum Chriſmatis vſurpetur in forma, quatenùs etiam ex vſu & accõmodatione Eccleſiaſtica ſignificat vnctionẽ balſami; conſequenter dicimus non eſſe *ſubſtantiale* formæ; ſed *accidentale* ex neceſsitate *præcepti*, vt anteà dictum eſt de ipſo balſamo, quatenus pertinet ad iſtius Sacramenti materiam.

Porrò Chriſma hoc, quod materiam huius Sacramenti eſſe aſſeruimus, neceſſe eſt, vt ſit cõſecratum ſeu *benedictum* ab Epiſcopo.Id patet ex traditione,cuius teſtis eſt FABIANVS vbi ſuprà, cùm affirmat, Chriſtum illud docuiſſe cõficere, vtique cum aliqua etiã benedictione.Item DIONYSIVS cap.4. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, vbi propterea dicit,hanc cæremoniam Confirmationis fuiſſe ab Apoſtolis *Conſecrationẽ* appellatã. Item plurima Cõcilia, quæ ideo ſtatuunt, ne ſimplex Presbyter benedicat. Vt Romanũ ſub Syluestro can.5.Toletanũ I.can.20.& Toletanũ VIII.can.7. vbi apertè ſignificatur, *diuina infusione* fuiſſe ſic inſtitutũ.Item Carthaginenſe II. can.3. & Carthaginenſe III.can.36.quibus D.Auguſtinus interfuit. Item Bracharenſe II. can.37. Florentinũ in vnione Armenorum, vbi definitur, materiã eſſe Chriſma per Epiſcopum conſecratum. Rationẽ congruẽtię addit S.Thomas art.3.quam facilè & perſpicuè defẽdit ibi Caietanus cõtra Durandũ in 4. d.7. q.2. & etiam Sotus d.7. q.vnica, art.3.

QVÆSTIO autem hìc eſt, An omnino ſit de neceſsitate *Sacramenti*, vt Chriſma benedicatur ab EPISCOPO; an ſolùm de neceſsitate *præcepti*, ita, vt ſi Sacramentum adminiſtretur per Chriſma benedictum à *Presbytero*, nihilominus ſit validum: & conſequenter poſsit etiam ſine peccato eam benedictionẽ adhiberePresbyter ex cõmiſsione & diſpenſatione Summi Pontificis.

Ad hoc inprimis ex ſententia Paludani d.7. q.4. art.3.& Soti ead. d.q. vnica, art.3.dico, vtà. liqua *determinata* benedictio adhibeatur per Epiſcopum, neque eſſe de neceſsitate *Sacramenti*, neque etiam *præcepti diuini*; ſed ſolùm Chriſtum inſtituiſſe,vt *aliqua* tandem benedictio adhibeatur per Epiſcopum: reliquiſſe autem in arbitrio Eccleſiæ, vt adhiberetur determinatè hæc vel illa. Id probat Sotus: Quoniam admodum veriſimile eſt, oleum illud, quo in caſu dicti Cap. *Paſtoralis*, Confirmatio adminiſtrata fuit, fuiſſe oleum benedictum, quod aſſeruari ſolet in Eccleſia pro infirmis: id quod aliam aliquã habet benedictionem ab ea, qua cõſecratur Chriſma; & tamen nihilominus Pontifex cenſuit,non fuiſſe Confirmationem illam iterandam, tãquam prius inualidam

Deinde dico, probabile eſſe, quòd non ſit de neceſsitate *Sacramenti*, vt per *Epiſcopum ſolum* adhibeatur aliqua omnino benedictio; ſed tãtùm de neceſsitate *præcepti*, & cõſequenter ex diſpenſatione Summi Pontificis, poſſe licitè Chriſma benedici à Presbytero. Ita probabiliter exiſtimat Caietanus hic art.3.& Victoria de Sacramẽtis q.43.& in eam etiam ſententiam magis propendet Sotus d.7.q. vnica, art.3. licet multi contrarium opinentur.

Id autem probat Caietanus: Quia non eſt minus *adminiſtrare* ipſum Sacramentum Confirmationis, quàm *benedicere* illius materiam. Sed adminiſtratio ipſa poteſt à Pontifice committi ſimplici Presbytero, vt dicetur infrà. Ergo,&c. Quamuis autem nec in hac materia Sacramentorum, neq; etiam in aliis bona ſit ſemper Conſequentia, vt ſi quis poteſt quod eſt maius; poſſit etiam id, quod eſt minus; tamen in hac Quęſtione & propoſito particulari, videtur ſatis probabilis eſſe illa probatio Caietani.

Ac confirmatur deinde hæc ſententia: Quoniam in illo Concilio Toletano I. can. 20. apertè ſignificatur, fuiſſe moris in aliquibus locis, vt Presbyter benediceret Chriſma; neque tamen ibi reputatur propterea, nullam fuiſſe Sacramenti adminiſtrationẽ per eiuſmodi Chriſma; ſed tantùm præcipitur, ne inpoſterum Presbyteri benedicant.

Eſt autem hæc materia, id eſt, Chriſma ſic benedictum, applicanda de neceſsitate Sacramenti in FRONTE, vt art.9.docet D.Thomas: & quidem per ſignum Crucis, vt patet ex forma, quã poſteà trademus. Id probatur ex traditione,cuius teſtes ſunt Innocentius I.Damaſus & alij Põtifices locis ſuprà citatis p.1.Item, Leo epiſt.88. Sylueſter in Edicto Conſtantini, Innocentius III. Cap. vnico, de ſacra vnctione, CYPRIANVS in Serm. de vnctione Chriſmatis, Tertullianus de præſcriptione hæreticorum, Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4.myſtagogica: Auguſtinus Tractatu 118. in Ioannem, & in pſal.141. Rabanus lib.1. de inſtitutione Clericorum,cap.40. & de Conſecrat.d.4.Can. *Presbyteris*, & d.5. Can. *Nouiſsimè*.Rationẽ congruentiæ reddit S.Thom. hìc ar.9.Atq; ita Theologi omnes docẽt in 4.d.7.

Quare valde deceptus eſt Victoria in libello de Sacramentis,q.51.vbi ſcripſit, vnctionem hãc in *fronte*, non eſſe de neceſsitate Sacramẽti. Non eſt quidem de Sacramenti neceſsitate, vt *tantum* fiat in fronte (ſicut ſuprà p.1. contra cauillationes Kemnitij notauimus) ſed vt fiat in fronte, omnino de neceſsitate eſt, ſicut omnes docent. Atque hęc ſint dicta de materia huius Sacramenti.

PVNCTVM TERTIVM.

Quænam ſit huius Sacramenti Forma, & qui Ritus.

D.Thom. art.4. & 12.

SACRAMENTI huius FORMA illis verbis continetur, quæ recitat D. Thomas hìc art.4. ſcilicet, *Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Id probatur ex Apoſtolica traditione.

Cuius traditionis argumentum eſt *primò* definitio Eccleſię vniuerſalis in Concilio Florentino, vbi hæc Forma traditur, tanquam accepta ex eiuſmodi traditione.

Secundò vſus etiam ipſe vniuerſalis Eccleſiæ, qui quando primùm inceperit,nõ poteſt oſtendi. Id autem indicium eſt euidentiſsimum traditionis Apoſtolicæ, vt apparet ex illa pulcherrima D.AVGVSTINI ſententia lib.4. de Baptiſmo contra Donatiſtas,cap.24. *Quod vniuerſa*,inquit, *tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi ab Apoſtolica authoritate traditum, rectiſsimè creditur.*

Tertiò, quòd licet Patres non commemorauerint quidem in aliquo loco ſimul totam illam ſeriem verborum huius Formæ; tamen omniũ ſigillatim,quæ in ea ſignificantur,meminerunt; & conſequenter Formam verborum nobis inſinuarunt, quibus ea ſignificarentur, quæ in adminiſtratione huius Sacramenti fiunt. Omnibus enim Sacramentis hoc eſt commune, vt ex forma verborum conſtent, in qua ſignificetur illud idem, quod in eorum ſit adminiſtratione.

Etenim Chriſmatis *& vnctionis* ad ſalutare robur & confirmationem omnes Patres ſuprà p.1. citati meminerũt.Item ſigni *Crucis* in fronte per eam vnctionem adhiberi ſoliti,quamplurimi ex illis mentionem etiam fecerunt. Vt Auguſtinus in pſal.141.& Tractatu 118.in Ioannẽ.Ambroſius de iis qui myſteriis initiantur, cap.7. Damaſus epiſt.4.Leo epiſt.88.Cyprianus in epiſt.ad Iubaianum,& in Serm. de Vnctione chriſmatis. Tertullianus in lib. de præſcriptione hæreticorum. Stephanus Papa de Conſecratione d.5. Can. *Nunquid*.

Itẽ SS. Trinitatis, & eius in adminiſtratione huius Sacramenti inuocationis, mentio fit in edicto Conſtantini. Ac etiam Ambroſius vbi ſuprà meminit diuinarum perſonarum, quarum efficacia dicit nos conſignari.

Quòd autem Patres nõ totam ſeriem Formæ poſuerint, de induſtria id fecerunt, ne ſcilicet proderent huiuſmodi myſteria irridenda Gentilibus, ſed ea traditione potiùs poſteris communica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

municarent. Quod fuiſſe Apoſtolorum, & ſucceſſorum eorum conſilium, teſtatur apertè D. Dionyſius cap. 7. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, cuius verba recitat ad hoc propoſitum D. Thomas hîc art. 4. ad. 1.

Atque etiam id euidenter apparet ex Innocentio I. ex epiſt. 1. cap. 3. vbi poſtquam aſſeuerat hanc conſignationem chriſmatis in fronte, ad ſolos Epiſcopos pertinere; ita ſubiungit: *Verba verò* (quibus ſcilicet Epiſcopi in ea conſignatione vtebantur) *dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere.*

Quin ſit igitur illa Forma huius Sacramenti, quam indicauimus, dubitari non poteſt; & quidem omnes Theologi in 4. d. 7. ſentiũt, de eſſentia eius formæ eſſe, vt omnia illa, quæ continet, ſignificentur; nimirum *actus* ipſe vnctionis ad ſalutem & robur, & ratio conſignationis, nempe per *ſignum Crucis*; & etiam cauſſa principalis effectus huius Sacramenti, quæ eſt SS. *Trinitas.*

Sed contra huius Formę aſſertionem, poteſt obiici PRIMO, quòd in Edicto illo Cõſtantini, ipſe Conſtantinus dicit, fuiſſe ſe à B. Syluestro cõfirmatum his verbis: *Signet te Deus ſigillo fidei ſuæ in nomine Patris et Filij et Spiritus ſancti, in conſignatione fidei.* Vbi, vt patet, omittitur ſignificatio vnctionis per chriſma.

SECVNDO obiicit Kemnitius vbi ſuprà, quòd ne apud recẽtiores quidem authores vna & eadem forma certa reperiatur. Nam Gabriel, inquit Kemnitius, recitat quoſdam dicere: *Confirmo te chriſmate ſanctificationis.* Et Gerſon ponit formam hanc: *Firmo te ſigno Crucis, & chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Ad PRIMVM reſpondeo, authorem illius Edicti introduxiſſe Conſtantinum non niſi ſummatim narrantem actionem & modum, quo ille confirmatus eſt, atque ita præteriuiſſe aliquid de forma, nempe ſignificationem illam *vnctionis.* Quanquam & illam putauit tacitè indicari illo verbo: *Signet te Deus.* Nam quòd Conſtantinus per vnctionem chriſmatis fuerit in illa ſua confirmatione à B. Syluestro ſignatus, ipſemet in illo eodem Edicto diſertè teſtatur.

Ad SECVNDVM, concedimus, aliquos ſolitos eſſe dicere, *Sanctificationis*, pro *Salutis*. Nam & hoc etiam D. Thom. hîc art. 4. in 1. argumento cõmemorat: Sed animaduertere debebat Kemnitius, Sanctificationis verbum in propoſito tãtundem valere, quemadmodum etiam D. Thomas loco citato reſpondet, & iam ſuprà diſput. 3. de Sacramentis in genere, q. 1. p. 2. ex communi ſententia docuimus, nihil intereſſe, ſi in forma adhibeantur verba, quæ vel ex vi ſua, vel ex vſus accommodatione tantundem valeant. Quod etiam rectè in hac Quæſtione repetiuit Sotus d. 7. q. vnica, art. 4. Atque ex eodem fundamento facilis quoque reſponſio eſt ad illum formæ modum, quem obiicit Kemnitius ex Gerſone. Tantundẽ enim ſignificat: Firmo te ſigno & chriſmate, atque Signo te ſigno, & firmo ſeu confirmo te chriſmate. Firmare enim ſigno, procul dubio eſt etiam ſignare illo ipſo ſigno. Et hactenus de Subſtantiali Forma huius Sacramenti.

Præter Formã verò, & Materiam, de qua egimus p. præcedenti, eſt aliquid, quod ad idem Sacramentum pertinet, ſicut ACCIDENS, nempe RITVS, qui in illo adhibetur. De quo aliqua, præſertim quoad *tempus* benedicendi chriſma, & illud ſolenniter adminiſtrandi, tractat perſpicuè D. Thomas in art. 12. Eodemque pertinet, quòd Epiſcopus confirmatum leuiter percutit alapa, ad ſignificandum, quemadmodum debeat fortiter tolerare iniurias & alias difficultates, quæ occurrunt in militia Chriſtiana. Item faſcia, quæ in fronte adhiberi ſolet, ne vnctio ſtatim diffluat.

De quibus etiam videndus eſt Sotus d. 7. q. vnica, art. 12. qui cenſet, nullum fore peccatum, ſi illa cæremonia alapæ omitteretur. Quod tamen procul dubio intelligit, ſi omittatur citra contemptum Eccleſiæ, quam diſputat. 3. de Sacramentis, q. 1. rectè alioqui adhibere huiuſmodi ritus & cæremonias docuimus. Illud tamen in hoc genere contra hęreticorum cauillationes in promptu habẽdum eſt, nos minimè in eiuſmodi ritibus ſubſtantias Sacramentorum conſtituere

PVNCTVM QVARTVM.

Quinam ſint huius Sacramenti Effectus.

D. Thom. art. 5, 6, 7.

DVPLEX eſt huius Sacramenti effectus. Vnus eſt GRATIA gratum faciens. Alter eſt CHARACTER. De vtroque igitur dicendum. Et primũ quidem ille effectus (ſcilicet GRATIA) communis eſt omnium Sacramentorum, vt ſuprà diſputat. 3. q. 3. probatum eſt, atque id etiam D. Thomas de hoc Sacramento aſſerit, ar. 7. Quo etiam referuntur illa peculiaria auxilia, quæ ad proprium effectum huius Sacramenti dantur, iuxta doctrinam, quam de hoc etiam in communi tradidimus loco citato

Porrò dupliciter accidit, per hoc Sacramentum conferri primum hunc effectum, ſcilicet gratiam gratum facientem. VNO modo *per ſe* & ex inſtitutione ipſius Sacramenti. Et ſic nunquã in hoc Sacramento datur Gratia, niſi ſecundùm *augmentum*. Nam antecedit prima gratia per Baptiſmum prius acquiſita. Ac ratione huiuſmodi effectus, & quoniam etiam ad illum accedũt præclara illa auxilia ad ſpiritualem pugnam; cenſuerunt Sancti Patres, Sacramentum iſtud eſſe præſtantius ipſo Baptiſmo. Quod ſignificauit Melchiades, cùm in Epiſtola ſua ad Hiſpanię Epiſcopos ſcripſit, eſſe *veneratione dignius*. Item Clemens,

Clemens, & Vrbanus, & Dionyſius locis punct. 1. citatis, idcirco appellant Sacramentum iſtud *perfectionem.* Qua verò ratione per hoc nulla fiat iniuria Baptiſmo, ſuprà punct. 1. à nobis ſatis explicatum eſt contra Sectarios.

ALTERO modo accidit, per hoc Sacramentũ Gratiam dari *per accidens*: & ita quidem per illud datur etiã interdum gratia ipſa *Prima*, id eſt, per quam aliquis redditur ex iniuſto iuſtus, vt aſſerit D. Thom. hîc art. 7. ad 2. cõmuniter receptus. Id autẽ fit, vt idem D. Thomas declarat, cùm alicui Sacramentum iſtud ſuſcipienti, vel non venit in mentem aliquod peccatum mortale, cuius macula adhuc ipſi inhæret, vt de eo doleat; vel ſi in mentẽ venit, non dolet de eo per Contritionem perfectam; ſed ſolùm per attritionem. Tunc ſanè Sacramentum ſupplet illum defectum doloris, & homo iuſtificatur.

Sed notandum eſt hîc PRIMO, hoc tum demùm ſic accidere, quando alioqui non viget in homine *affectus* etiam ad aliquod peccatũ mortale, quod ipſe fortè ignoret culpabiliter; ſed tantùm inhæret adhuc illi macula præteriti peccati, vt ante dixi.

SECVNDO rectè notat hîc Sotus d. 7. q. vnica, art. 7. attritionem illam, quæ ad hunc effectum ſufficiat, debere eſſe talem, vt certè videatur homini eſſe Contritio. Quam rem bene confirmat Sotus ex natura & inſtitutione huius Sacramenti. Nam cùm per ſe Gratia ipſa *Prima* illud antecedat, & ipſum non niſi ad *augmentum* illius ſit per ſe inſtitutum; ſaltem requiritur, vt arbitrentur ſe alioqui per Contritionem conſecutos eſſe gratiam ij, qui ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum accedunt.

Rectè autem idem Sotus in dicta quæſt. articul. 8. docet, non eſſe ad legitimè ſuſcipiendum hoc Sacramentum neceſſariam etiam Confeſſionem, neque vt aliquis ſit ieiunus. Quanquam ſignificatur quidem in Concilio Aurelianenſi, vt refertur de Conſecratione d. 5. Can. *Vt ieiuni.* decere, vt ieiunus ſit, & de peccatis confeſſus is, qui ad hoc Sacramentum accedit.

Denique multi etiam rectè putant, non eſſe neceſſarium, ad gratiam per hoc Sacramentum, vel per alia acquirendam, quod Caietanus hîc artic. 7. requirit, vt ſcilicet mens hominis *actu* moueatur erga Deum, in ipſius Sacramenti vſu, quando iuſtificatur. Satis enim eſſe videtur, vt eiuſmodi motus vel tunc ſit, vel antea fuerit, etiamſi in ipſo vſu Sacramenti, ob humanam infirmitatem, mens diſtrahatur. Quod etiam infrà in materia de Euchariſtia ex doctrina magis recepta probabimus.

Iam verò ex his apparet, Sacramentum hoc non ſemper conſequi huiuſmodi primum effectum, nempe gratiam. Poteſt enim aliquis accedere ad illud *fictus*, id eſt, ſine ſufficienti doloſictione illum effectum conſequatur, eo modo, quo diſputat. præced. diximus de Baptiſmo quæſtione 4. puncto 2. non eſt certum. Probabilis tamen eſt pars affirmatiua, vt intelligi poteſt ex his, quę diſputat Sotus diſt. 6. quæſt. 1. articulo 8. ſub finem.

Omnino autem, vt peccatum talis *fictionis* in propoſito remittatur, neceſſe eſt vel perfecta Contritio, vel attritio cum confeſsione: ſi quidem eſt omnino illud peccatum commiſſum poſt Baptiſmum. Neque dici poteſt, quòd tollatur per attritionẽ cum ipſo Sacramento Confirmationis. Non enim poteſt Sacramentum Confirmationis repeti, ſi antea verè adminiſtratum eſt, vt iamiam dicemus: Et per Confirmationem primò collatam poſtea non tollitur directè illud peccatum. Nam fuit admiſſum poſt illam (ſaltem ordine naturæ) eò quòd propriè id fictionis peccatum conſiſtit in ſuſceptione *ſacrilega* ipſius Confirmationis, ſicut ſuo modo docuimus diſputat. præced. de peccato fictionis in Baptiſmo.

ALTER Effectus huius Sacramenti (vt diximus) eſt CHARACTER, vt explicat Diuus Thomas articulo quinto, & nos ſuprà diſputat. 3. quæſt. 4. contra Sectarios probauimus. Hunc effectum ſemper habet, quandocunque verè adminiſtratur, ſicut etiam ſuprà diſputat. præced. quæſt. 4. punct. 1. docuimus de Baptiſmo. Atque hinc ſequitur, eſſe etiam hoc Sacramentum *iterabile*, quod ſuprà quoque probauimus de illo, & de Baptiſmo, & de Ordine. Atque ita habetur in Concilio Toletano VIII. can. 7. & Florentino, & Tridentino.

Sed obiiciet hîc aliquis AVGVSTINI locum, quem etiam Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 19. obiicit. Libro enim tertio de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 16. ita inquit: *Manuum impoſitio, non ſicut Baptiſmus, repeti non poteſt: quid eſt enim aliud, quàm oratio ſuper hominem?*

Reſpondendum eſt, loqui Auguſtinum quidem de illa *cæremonia* Confirmationis, quæ eſt manuum impoſitio; non autem de ipſa *Confirmatione*, quam in eo etiam loco aſſerit eſſe Sacramentum. Verum autem eſt, cæremoniam illam impoſitionis manuum repeti ad alios vſus potuiſſe; vt in ordinatione & reconciliatione, &c. ſicut ſuprà puncto primo docuimus. Hinc autem minimè ſequitur, quòd ipſa etiam ſubſtantia huius Sacramenti (quod alioqui Auguſtinus vocat *Vnctionem Chriſmatis*, & *ſacroſanctum Signum*) repeti poſſit ex ſententia D. Auguſtini.

Etſi verò omnino ſit peccatum, hoc Sacramentum iterare; communis tamen ſententia Theologorum eſt, eum, qui confirmat, vel confirmatur, non ob id incurrere irregularitatem, ſicut incurrit, qui rebaptizat, aut rebaptizatur. Ita docet Sotus diſt. 7. quæſt. vnica, art. 5. Scotus diſt. 7. quæſt. 5. Paludanus, Gabriel, & alij ead. diſt. Ratio autem eſt: Quoniam hoc eſt quidẽ de rebaptizatione expreſſum in Iure, Cap. *Qui bis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

de conf. dist.4.sed nusquam tamen in Iure reperitur de reconfirmatione statutum esse: Pœnæ autem & odia sunt *restringenda*, vt habet Regula Iuris.

Quanquam contrarium opinantur plerique Canonistæ. Ad quorum sententiam accedit etiam Nauarrus in Manuali, cap.27. num. 247. vbi fatetur tamen, sententiam Theologorum esse veriorem,si attẽdatur ius ipsum scriptum. Contrariam autem dicit probabiliorem esse saltem propter consuetudinem. Sed communiter iam absolutè defenditur illa sententia Theologorum; neque obstat vlla consuetudo, quæ in hoc habeatur iam pro lege, maximè cum credendum sit, Theologos nulla tali consuetudine obstante, in *praxi etiam* vti iam non malè opinione illa sua.

Porro ex his, quæ in hac quæst. de Materia, & Forma, & Effectu huius Sacramenti dicta sunt, colligi potest exacta eius definitio: quãuis nulla certa tradi solet à Doctoribus; sed ex eorum mente tamen, formaliter quidem, vt *est signum*, describi potest sic: *Confirmatio est Sacramentum roboris spiritualis, per vnctionem Chrismatis.* Secundùm rem autem substratam significationi huius Sacramenti, definiri potest sic: *Confirmatio est vnctio Chrismatis in fronte, sub præscripta forma verborum.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Ministrantibus & suscipientib. Sacramentum Confirmationis.

D. Thom. quæst. 72. artic. 6. 8. 9. 10. 11.

TRIA SVNT EXPLICANDA. PRIMO, QVINAM SINT HVIVS *Sacramenti Ministri.* SECVNDO, *Quinam possint participes esse huius Sacramenti.* TERTIO, *An hoc Sacramentum sit ad salutem necessarium iis, qui eius participes esse possunt.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quinam sint huius Sacramenti Ministri.

D.Thom. artic. 10. & 11.

HAC DE RE VARIAE FERVNTVR sententiæ. Sed Caietanus in art.11. rectè dicit, ex his opinionibus illam esse optimam, quam defenderunt hi, qui in hac re noluerunt sapere plus, quàm oportet; sed sapere ad sobrietatem. Ea verò sententia est illa, quam ponit Diuus Thomas hîc art.11.scilicet Ministrum *ordinarium*, & ex officio esse solum EPISCOPVM: ex *commissione* autem Summi Pontificis, si ipse de plenitudine potestatis ita velit & statuat, esse etiam *simplicem Sacerdotem*; aliàs non. Ita etiam docet D.Thomas in 4.dist.7. quæst.3. Alexander Alensis 4.part. quæst.28. memb.1. art.3. Richardus dist.7.art.2. q.1. Paludanus ead.dist. quæst.4. Marsilius in 4. q.5. art.3. Caietanus hîc artic. 11. Victoria quæst.50. de Sacramentis, Sotus dist.7. quæst. vnica, artic. 11. Nauarrus in manuali, capite 22.num. 8. Couarruuias lib. 1. variarum resolutionum, cap.10.

PRIMVM verò, scilicet Ministrum Ordinarium esse EPISCOPVM,probatur ex traditione, cuius testes sunt Eusebius Papa epist. 3.ad Episcopos Thusciæ, Vrbanus epist. ad omnes Christianos,Ioannes III. in sua epist.Decretali, Damasus in epist. ad Leonem Richaredum. Innocentius I. epistola prima, capite tertio. Leo epistola 88. Cyprianus in epistola ad Iubaianum. Hieronymus contra Luciferianos: quamuis is quidem Episcopale munus significat etiá communi vocabulo *Sacerdotij*; sed ex ipso loco appareat, illum omnino Episcopos intelligere. Item Innocentius III. in Cap. *Quantò*. Extra de Consuetud. & Cap. *Vnico*. Extra,de sacra vnctione. Isidorus libro secundo de Officiis, capite vigesimo sexto. Rabanus libro secundo de institutione Clericorum, capite 30. & alij. Ita etiam habetur in Concilio Florentino, & in Tridentino,sess.7.vbi agitur de Sacramento Confirmationis.

Deinde hoc idem probat Vrbanus loco citato,& alij Patres, ex Scriptura, Actorum octauo. Nam quia Philippus ille, qui Samaritanos baptizabat, erat tantùm discipulus,non autem Episcopus, idcirco oportuit mittere ad illos Petrum & Ioannem Apostolos, qui eos confirmarent. Non enim ille Philippus, fuit ille, qui ex Apostolis ita nominatus est; sed tantùm *discipulus* alius eodem nomine, vt asserunt Chrysostomus, & Beda, & Rabanus in illum locum Actorum. Item Anacletus epistola prima & alij communiter.

ALTERVM verò, scilicet ex dispensatione Summi Pontificis, Ministrum quoque esse posse *simplicem Presbyterum*,probatur ex concessione & decreto GREGORII lib.3.Regiſtri, epist.26.cuius verba refert hîc D. Thomas artic. 11. in argumento primo. Inter cætera ita dicit: *Vbi Episcopi desunt, vt Presbyteri in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.* Idem declaratur in Concilio Florentino in Decreto Vnionis, & insinuat etiam Tridentinũ, sess.7.can.3. de Confirmatione, cùm definit,episcopum esse quidem *ordinarium* Ministrum: quia videlicet extraordinariè posset etiam Presbyter esse. Etsi verò varij conati sint respondere ad authoritatem illam Gregorij; omnes illi tamen fecerunt hoc malè & insufficienter, vt apud Sotum & alios vbi suprà videri potest.

Defenditur autem facillimè ista sententia,si diligenter animaduertatur, *vtrumque* esse ex institutione *diuina*, videlicet vt & Episcopus sit Minister *ordinarius* per Episcopalem consecrationem suam; & Presbyter etiam per Characterem & ordinem suum Sacerdotalem, sit *extraordinariè* Minister, quando id quidem Summus Pontifex ex plenitudine suæ potestatis statuerit & dispensauerit; idque ita esse colligitur ex illa declaratione & facto Gregorij Summi Pontificis.

Neq; verò difficilè hoc est ad intelligendum, cùm similiter videamus, ex institutione diuina esse aliquos Ministros ordinarios Baptismi, & etiam aliquos extraordinarios in casu *necessitatis*, nempe Laicos. Quemadmodum igitur casus necessitatis, quando facit, vt Laici possint rectè administrare Baptismum, non mutat diuinam institutionem, sed implet: Ita etiam in nostro proposito, quando circumstantia illa commissionis particularis Summi Pontificis, facit, vt Presbyter omnino possit hoc Sacramentum validè administrare; nihil tunc Pontifex mutat de institutione diuina; sed illam potiùs adimplet & exequitur.

Quò fit, vt ciusmodi commissio & voluntas Summi Pontificis, si propriè loquamur, non sit omnino censenda *dispensatio*: siquidem nihil in eare facit Pontifex contra tenorem rationemque legis & institutionis diuinę, nec de illa quicquam relaxat: sed est tantùm quædam potiùs executio & *declaratio* institutionis diuinæ in extraordinario casu.

Hæc sententia cùm CERTA sit, imò habeatur iam,post Concilium Florentinum, tanquam de fide; reiici debent aliorum opiniones,quæ cum illa non congruunt. Ac inprimis error Armacani lib. 2. de quæstionibus Armenorum, cap.4. & VViclephi, qui putauerunt, Sacerdotes simplices esse Ministros *ordinarios* huius Sacramenti. Quem errorem bene confutat VValdensis, tomo 2. de Sacramentis, cap. 114. & 115. vbi etiam illorum argumenta facilè dissoluit.

Deinde reiicienda est quoque aliorum Theologorum sententia, qui, vt Caietanus dicit, voluerunt hîc *sapere plus, quam oportet*, videlicet Episcopos ita esse à Christo institutos Ministros huius Sacramenti, vt nullo modo ex authoritate Summi Pontificis possint illud administrare simplices Presbyteri. Quod sensit Albertus in 4. distinct. 7. artic.4. Bonauentura eadem dist. art.1. quæst.3. Scotus ibidem quæst. 1. Durandus quæstione 3. & 4. Gabriel quæst. vnica, artic.2.conclus. 3. & Ioannes Maior etiam quæst.vnica. Adrianus in quæst.de Confirmatione, artic. 3. qui tres postremi eò turpiùs in hac re lapsi sunt, quòd post Concilium Florentinum scripserunt. Omnia enim argumenta istorum nullo negotio diluuntur,si illud fundamentum rectè notetur, quod paulò antè diximus animaduerti debere ad defensionem nostræ sententiæ.

Est autem falsa alia opinio, quc fertur fuisse Ledesmæ in 4. sentent. scilicet, non modò Summum Pontificem, verùm etiam quemuis alium Episcopum posse in sua Diocœsi cõmittere ministerium istud simplici Sacerdoti. Sed hanc potestatem solius esse Pontificis Summi, propter eminentiam authoritatis suæ, rectè affirmat Sotus dist.7.quæst.vnica,art.11. Et planè illa opinio censetur singularis & pœnè temeraria.

Sed obiiciet aliquis PRIMO; Illud posse Episcopum in Ecclesia sua Diœcesana, quod potest Papa in vniuersa Ecclesia. Sed Papa potest committere illud ministerium cuilibet Presbytero de tota Ecclesia. Ergo Episcopus alicui de sua Diœcesi.

SECVNDO,quod in Concilio Toletano I. can. 20. legimus, Presbyterũ chrismare posse absente Episcopo,vel præsente, de eius facultate. Item Innocentius I. epist.1.cap.6. dicit, posse Presbyterum manus imponere, absente Episcopo. Itẽ Martinus Papa,Can. *Omni tempore*. de Consecratione. dist.4. & Can. Presbyter.95. dist. ita dicit: *Presbyter præsente Episcopo non signet infantes, nisi fortè ab Episcopo fuerit ei præceptum.*

Ad PRIMVM respõdeo, falsam esse Maiorem, nisi de his tantùm intelligatur,quę potest facere Pontifex in tota Ecclesia per vsum solius duntaxat *Ordinis & Consecrationis Episcopalis*, quam habet communem cum aliis Episcopis. Quando autem *committit* hoc ministerium Confirmationis simplici Presbytero, hoc ille inprimis facit per *eminentem* suam potestatem *iurisdictionis*, vt Sotus & alij rectè notant. Quod si illa Maior sine distinctione vera esset, posset etiam Episcopus in sua Diœcesi definire infallibiliter aliquam propositionem tanquam de fide; quod constat esse falsum. Hoc enim sicut & alia multa, pertinet solùm ad præeminentem authoritatem Summi Pontificis.

Quod verò attinet ad testimonia citata, respondeo, Concilium Toletanum & Martinum Papam de chrismatione ibi agere in *vertice capitis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

baptizati, vt rectè Sotus in dicto art. 11. & Glossa etiam in dicto Cap. *Presbyter*. interpretatur. Nam & illam vnctionē in vertice baptizati, quæ alioqui ad Presbyterum pertinere potest, vt disput. præced. docuimus, non poterat Presbyter adhibere olim præsente Episcopo, nisi de licentia eius, vt facilè colligitur ex epist. 66. Leonis. Liberam autem in hoc potestatem postmodum fecit Presbyteris Sylvester, vt refert Hugo libro 2. de Sacramentis, p. 7. cap. 3.

Innocentium autem in illo cap. 6. citato, certissimum est, de alia manuum impositione loqui, scilicet super energumenos, vt ipse expressè ibi declarat. Hanc autem ideo dicit Presbyteros absente Episcopo adhibere posse: quoniā olim in primitiua Ecclesia, illam etiam Episcopi soli vsurpare solebant, vt colligi potest ex hoc ipso loco Innocentij, atque etiam ex Dionysio, cap. 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & Tertulliano libro de Baptismo.

Est etiam in administratione huius Sacramēti adhibendus PATRINVS, qui cōfirmatum deinde erudiat ad pugnam spiritualem, vt D. Thomas declarat art. 10. Id patet 30. q. 4. Cap. *Si quis ex coniugio*, & Cap. *Si quis filiastrum*. 30. q. 1. & Cap. *Nedum*. de Cognatione spirituali, lib. 6.

Et nascitur hīc eodē modo, quo in Baptismo, cognatio spiritualis, quæ Matrimonium impedit, sicut de Baptismo, disput. præced. q. 2. p. 3. ex Concilio Tridentino notauimus. Item quemadmodum in Baptismo non est Patrinus de Sacramenti necessitate, sed de præcepto Ecclesiastico: Ita in proposito. Neque verò potest quis hic esse Patrinus, nisi fuerit cōfirmatus, vt patet de Consecrat. d. 4. Can. *De Baptismo*. Deniq; similiter est hoc officium prohibitū Monachis, vt in Baptismo. Id patet de Consecrat. d. 4. Can. *Non licet*.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quinam possint participes esse huius Sacramenti.

D. Thom. art. 6. 7. 9.

DICO PRIMO. Omnes baptizati possunt validè istud Sacramētum recipere, etiam qui carēt omnino vsu rationis, vt infantes, & perpetuò amentes. Hanc Assertionem ponit D. Thomas artic. 8. Et patet primùm ex Vrbano Papa. Can. *Omnes*. de Consecrat. dist. 5. & ex Melchiade, in epist. Decretali ad Episcopos Hispaniæ.

Secundò: Quoniam ex Dionysio cap. 2. de Ecclesiast. Hierarchia, colligitur, infantibus olim recens baptizatis, & Confirmationem & Eucharistiā illicò administrari solitā fuisse. Quod etiam probat VValdensis libro de Sacramētis, cap. 140. Id autem minimè in Ecclesia factū aliquādo fuisset, nisi verè posset hoc Sacramentum iis etiam, qui carent vsu rationis administrari.

Tertiò huc accedunt rationes Diui Thomæ in artic. 8. quibus ille ostendit, quemadmodum in omnibus omnino hominibus baptizatis possit hoc Sacramentum habere effectum illum potissimum, qui est Gratiæ augmentum, & consequenter incrementum etiam gloriæ.

Neque verò de hac Assertione sic posita, nempe quod attinet ad Sacramēti veritatem, vlla videtur esse controuersia apud Doctores, vt rectè Sotus d. 7. q. vnica, art. 8. iudicauit. Ac isto modo inprimis intelligi debent ij, qui absolutè concedunt, posse hoc Sacramentum administrari ante vsum rationis. Vt Sylvester Verbo Confirmatio, num. 4. & Gabriel d. 7. quæst. vnica, art. 3.

Cæterùm diximus in Assertione, omnibus *baptizatis* posse illud administrari: Quoniā nullum Sacramentum est validum, nisi antecesserit Baptismus, qui ideo *ianua* dicitur Sacramentorum, vt habetur in Cap. *Præter hoc*. d. 32. Item in Concilio Florentino. Atq; hinc D. Thom. art. 6. rectè definit, Characterem Confirmationis necessariò prærequirere Characterem Baptismi, Quod idē verum etiā est de Charactere Ordinis. Nam ideo in Cap. 1. de Presbytero non baptizato, iterum ordinari iubetur is, qui ante Baptismum Ordines sacros susceperat.

Characterem autem Confirmationis non ita sanè requirit necessariò Character ille Ordinis, sicut Characterē Baptismi: Quamuis in Cōcilio quidem Tridentino, sess. 23. cap. 4. de Reformatione, rectè alioqui præceptum est, vt ante omnē Ordinem suscipiatur Sacramentum Confirmationis, neq; aliās quis etiam ad primā Tonsuram admittatur. Veruntamen trāsgressionem huius præcepti, si citra contemptum fiat, rectè sentit Nauarrus in Manuali, cap. 22. num. 9. esse quidē peccatum; sed non mortale: neque habere annexam aliquam Censuram.

SECVNDO dico. Vt non modò validè, sed etiam *rectè* & conuenienter, Sacramentum Confirmationis his vel illis administretur; attendendum est ad consuetudinem præsentem Ecclesiæ cuiusque temporis. Nam quod illa pro ratione circumstantiarum in hoc genere vsurpabit, id sanè putandum est magis expedire.

Hac Assertione tanquam fundamento rectè nititur Sotus distin. 7. quæst. vnica, artic. 8. cùm probat, non esse necesse iam expectare in pueris duodecimum ætatis annum, vt putauit Glossa in Cap. *Vt ieiuni*. de Consecratione, distinct. 5. quam secutus est Marsilius in 4. quæst. 5. artic. 4. Solet enim Ecclesia iam antè id tempus confirmare pueros, dum incipiunt vti ratione, id est, ferè circa septimum ætatis annum, vt etiam in Romano Catechismo indicatur.

Item ex eodem fundamento rectè idem Sotus probat, non esse nunc confirmandos infantes ante vsum rationis; & consequenter neque perpetuò amentes; de quibus eadem est ratio. Non enim Ecclesia iam consuevit Confirmationem his

nem his administrare. Qui verò solent per interualla quandoq; vti ratione, confirmari possunt, tempore quo sunt sui compotes, vt rectè arbitratur idem Sotus.

PVNCTVM TERTIVM.

An hoc Sacramentum sit ad salutem necessarium iis, qui eius participes esse possunt.

Ad art. 8. D. Thom.

VPEREST, vt videamus, An Sacramentum hoc sit omnibus ad salutem necessarium ex præcepto diuino, aut Ecclesiastico. Et multi existimārunt, esse necessarium cum datur opportunitas illud suscipiēdi. Vt Richardus distinct. septima, articulo quinto, quæstione prima. Durandus eadem distinctione, quæstione prima (in casu saltem persequutionis) Paludanus quæstione quarta. Sylvester Verbo Confirmatio. num. 3. Marsilius in quarto, quæstione quinta, articulo quarto, dub. 2. Argentinensis in quarto, distinct. septima, quæstione vnica, articulo quarto, conclusione secunda. Et ex recentioribus Petrus à Soto libro de institutione Sacerdotum, lectione secunda, de Confirmatione.

Fundamentum præcipuum istorum est: Quoniam ita Canones Ecclesiastici indicare videntur, scilicet vel Iure diuino esse necessarium hoc Sacramentum, vt aliqui putant; vel certè ipso Iure eiusmodi Canonum Ecclesiasticorum. Nam de Consecratione, distinctione quinta. Can. *Omnes*, VRBANVS Papa sic dicit: *Omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum post Baptismum Spiritum sanctum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur*. Et Can. *Vt ieiuni*. eadem distinct. ita habetur: *Nunquam erit Christianus, nisi Confirmatione Episcopali fuerit chrismatus*. Item eadem dist. Can. *De his*, ex Melchiade dicitur, *non posse Baptismum sine Confirmatione ritè perfici*.

SED contraria tamen sententia his temporibus est communis, nempe ex nullo præcepto diuino aut Ecclesiastico, teneri homines suscipere hoc Sacramentum, ita, vt illud omittere, cùm recipere possunt, sit peccatum mortale. Quamuis communiter quidem conceditur, esse veniale, illud sine causa negligere, cùm propter rei præstantiam videatur in ea negligentia esse aliqualis deformitas: Item etiam esse omnino mortale, si omittatur ex *contemptu*, hoc est, quia parui fiat: qui tamen contemptus non eo ipso habetur, quòd hoc Sacramentum intermittatur, vt malè quidam auctores prioris sententiæ existimant.

Ita docet Diuus Thomas hīc articulo primo ad tertium, & artic. octauo ad quartum. Idem etiam docet Albertus in quarto, distinct. septima, articulo primo, Alexander Hal. quarta parte, quæst. 25. memb. 2. Bonauētura in quarto, distinctione septima, articulo tertio, quæstione secunda, Scotus eadem distinctione, quæstione secunda, Adrianus in quæstione de Confirmatione, articulo primo, Dominicus Sotus distinctione septima, quæstione vnica, artic. octauo, Caietanus in Summa, Verbo *Confirmatio*, Victoria quæst. 48. de Sacramentis. Nauarrus in Manuali, capite 22. num. 9. Couarruuias libro primo variarum resolut. capite decimo, numero 5. Atque idem quoque significare videtur Catechismus Romanus, cùm absolutè negat, esse hoc Sacramentum ad salutem necessarium.

Hanc sententiam probat inter cæteros Sotus loco citato optimis argumentis; & præcipuum est, quòd neque in Scriptura extat tale præceptum, sicut alioqui extat ibi de Sacramento Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: neque Canones illi Ecclesiastici cogunt nos omnino hīc agnoscere aliquod præceptum. Ex ipso enim modo loquendi apparet, ibi non significari præcepti necessitatem absolutè; sed tantùm necessitatem quandam ad *talem finem*, nempe vt quis per augmentum gratiæ *perfectus* euadat Christianus, & quandam velut *perfectionem* Baptismi assequatur. De qua tamen perfectione assequenda, non est necesse, vt sit aliquod præceptum. Quam sanè interpretationem illorum Canonum rectè ac subtiliter Couarruuias loco citato attigisse videtur.

Quòd si interdum etiam aliqui Patres videntur significare, negligentiam in hac re peccatum esse, causa est: quia si, cùm occasio suscipiendi datur, negligitur; communiter tunc interuenit vel contemptus, vel aliqua deformitas, saltem venialis, vt est ante dictum. Et hactenus de hoc Sacramento.

FINIS DISPVTATIONIS QVINTAE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO SEXTA GENERALIS,

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

DIVISA IN QVÆSTIONES VNDECIM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM DISPVTATIONIS SEXTÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

De Sacramento Eucharistiæ secundùm se.

PVNCT.I. *Quanam sit ratio Sacramenti Eucharistiæ.*
II. *An & quando Sacramentum istud fuerit à Christo institutum.*
III. *An istud Sacramentum consistat propriè in aliqua re permanente, vel potius in re successiua.*
IV. *An hoc Sacramentum sit vnum, vel potius plura Sacramenta.*
V. *An hoc Sacramentum sit ad salutem necessarium.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Materia Sacramenti Eucharistiæ.

PVNCT.I. *Quænam & qualis debeat esse Materia Eucharistiæ.*
II. *Quantam esse oporteat Eucharistiæ Materiam.*
III. *Quonam modo usurpari ea Materia debeat ad confectionem Eucharistiæ.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Materia Sacramenti Eucharistiæ, prout per consecrationem conuertitur in corpus & sanguinem Domini.

PVNCT.I. *Vtrum in ipsa materia, & specie panis & vini contineatur reuera corpus & sanguis Christi post consecrationem.*
II. *An Christus sit in hoc Sacramento præsens, per veram conuersionem substantiæ panis & vini in illum: Ita, vt non maneat in illis speciebus substantia panis & vini, sed tantum accidentia eius, sub quibus nimirum contineantur corpus & sanguis Christi.*
III. *Qualis sit omnino illa Conuersio substantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Domini.*

QVÆSTIO QVARTA.

De modo quo Christus est in hoc Sacramento.

PVNCT.I. *Quonam modo Christus secundùm se existat in hoc Sacramento.*
II. *Quonam modo Christus in hoc Sacramento existat respectu specierum Sacramentalium.*
III. *Quonam modo Christus in hoc Sacramento existat, respectu aliarum rerũ extrinsecarum ipsis speciebus Sacramentalibus.*

QVÆSTIO QVINTA.

De Accidentibus panis & vini in hoc Sacramento remanentibus.

PVNCT.I. *Quomodo illa Accidentia hic se habeant secundùm Esse suum absolutum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. *Quidnam agere possint illa Accidentia in res alias: & quomodo.*
III. *Quid item possint illa Accidentia pati à rebus aliis: & quomodo.*
IV. *An ita quoque pati possint illa Accidentia, vt ex iis aliquid generetur.*

QVÆSTIO SEXTA.

De Forma huius Sacramenti.

PVNCT.I. *Quænam sit Forma huius Sacramenti, quod attinet tum ad panis, tum ad vini speciem.*
II. *An & quomodo Forma huius Sacramenti sit vera.*
III. *An & quomodo forma huius Sacramenti sit efficax.*

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Effectibus huius Sacramenti.

PVNCT.I. *Qui sint omnino, & quales huius Sacramenti Effectus.*
II. *Qui sint participes effectuum huius Sacramenti.*
III. *Quænam sint impedimenta, quo minus is, qui vsurpat hoc Sacramẽtum, consequatur ipsius Effectus.*

QVÆSTIO OCTAVA.

De Vsu seu Sumptione huius Sacramenti in communi.

PVNCT.I. *Quibus modis Sacramentum hoc vsurpari possit, quantum est ex parte ipsius actus sumendi.*
II. *Quinam possint verè sumere hoc Sacramentum; siue id dignè, siue indignè fiat.*
III. *Qua præparatione sit opus, vt etiam possit vsurpari hoc Sacramentum dignè.*
IV. *Quam frequenter hoc Sacramentum vsurpari possit, aut etiam debeat.*
V. *Quonam modo sumi debeat hoc Sacramentum, quantum est ex parte ipsius Sacramenti: Vtrum scilicet necessariò in vtraque specie, an verò liceat in altera tantùm.*

QVÆSTIO NONA.

De Modo quo Christus ipse est vsus hoc Sacramento.

PVNCT.I. *Num ipse Christus in Cœna corpus & sanguinem suum sumpserit.*
II. *An etiam Iudæ dederit Christus suum corpus & sanguinem.*
III. *Qualenam corpus suum tunc Christus dederit, & nunc etiam det: passibiline, an impassibile? & quale etiam dedisset in triduo mortis.*

QVÆSTIO DECIMA.

De Ministro huius Sacramenti.

PVNCT.I. *Quinam possint consecrare & administrare hoc Sacramentum.*
II. *An plures possint eandem numero Eucharistiam, putà vnam hostiam, consecrare.*
III. *An ij qui possunt istud Sacramentum conficere, teneantur etiam id facere, & quando.*
IV. *An ij qui hoc Sacramentum conficiunt, teneantur etiam illud sumere.*
V. *Vtrum conditio Ministri conficientis, aliquando sit in causa, vt Sacramentum vel omnino infructuosum sit, vel certè minus fructuosum.*

QVÆSTIO VNDECIMA.

De huius Sacramenti Ritu.

PVNCT.I. *De oblatione Eucharistiæ, atque adeo de sacrosancto Missæ sacrificio.*
II. *De Veneratione huius Sacramenti.*
III. *De Circumstantiis celebrationis huius Sacramenti.*

DISPVTATIO SEXTA GENERALIS DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

D. Thom. 3. parte à quæst. 73. vsque ad quæst. 83.

IN HAC DISPVTATIONE EAM partitionem sequemur, qua rectè est vsus D. Thomas. Itaque vndecim in vniuersum Quæstiones erunt huius Disputationis. PRIMA, de ipso Eucharistiæ Sacramento secundùm se. SECVNDA, de illius Materia, prout est panis & vinum. TERTIA, de eadem Materia, prout conuertitur in corpus & sanguinem Christi. QVARTA, de Modo, quo post eam conuersionem Christus est in hoc Sacramento. QVINTA, de Accidentibus panis & vini in hoc Sacramento remanentibus. SEXTA, de Forma huius Sacramenti. SEPTIMA, de huius Sacramenti Effectibus. OCTAVA, de illius vsu siue sumptione. NONA, de Modo, quo Christus ipse fuit vsus hoc Sacramento. DECIMA, de Ministro huius Sacramenti. VNDECIMA, de Ritu & Celebratione eiusdem, atque adeo etiam de Sacrosancto Missæ Sacrificio. Differunt autem de hoc Sacramento Theologi in 4. à d. 8. vsque ad d. 13. & præterea scripsit de eadem materia Paschasius in libro de corpore & sanguine Domini: Lantfrancus in libro de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi contra Berengarium: & Guitmundus in libris tribus de eodem Sacramento: & Algerus in libris item tribus: & Petrus Cluniacensis in libro de Sacrificio Missæ, (vbi ait, Lantfrancum scripsisse perfectè, Guitmundum perfectius, Algerum perfectissimè) & Innocentius III. in libris 6. de Mysteriis Missæ: & Thomas Valdensis tomo 2. cap. 17. & seq. & Gabriel Biel in lectionibus super Missæ Canonem; & alij recentiores, qui differunt de fidei controuersiis horum temporum; ac Patres etiam de hoc Sacramento multa passim tradunt, sicut suis locis videbimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO PRIMA.

De Sacramento Eucharistiæ secundùm se.

D. Thom. 3. parte, quæst. 73.

EXPLICANDA SVNT QVINQVE. PRIMO, QVAENAM SIT ratio Sacramenti Eucharistiæ. SECVNDO, An, & quando, Sacramentum istud fuerit à Christo institutum. TERTIO, An istud Sacramentum consistat propriè in aliqua re permanente; vel potius in re successiua; & in quanam. QVARTO, An hoc Sacramentum sit vnum, vel potius plura Sacramenta. QVINTO, An sit ad salutem necessarium.

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam sit ratio Sacramenti Eucharistiæ.

D. Thom. art. 1. & 4.

EVCHARISTIA IDEM GRAECE significare potest, quod Latinè Gratiarum actio, aut etiam bona gratia: Vsu autem loquendi Ecclesiastico accommodatum est id vocabulum ad significandum vnum illud Sacramentum ex septem nouæ legis, quod disput. 3. q. 6. p. 2. cùm hunc numerum Sacramentorũ constitueremus, notauimus valere ad *spirituale alimentum* animarum: sicut Baptismus valet ad spiritualem regenerationem, & Confirmatio ad robur & augmẽtum spirituale. Atque esse rectam eam appellationem, facilè intelligitur ex huius Sacramenti descriptione, quam placet statim ponere. Cùm enim valde multa in hac Disputatione controuersa sint, refert initio constituere communissimam saltem huius Sacramenti notionem, quæ sine controuersia ab omnibus intelligitur ex eius nomine.

Est igitur Eucharistia *Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, in specie panis & vini diuinitus institutum ad alimentum seu refectionem spiritualem animorum*. Hæc descriptio *primùm* & Scripturæ ipsi, vbi de hoc Sacramento agitur, & sententiæ Sanctorum Patrum, atq; etiam Doctorũ Scholasticorum in 4. d. 8. consentanea est.

Deinde illas partes solùm continet, quæ sine controuersia tribuuntur huic Sacramento ab omnibus, non modò Catholicis, sed etiam hæreticis. Nam neque Sacramentarij negant omnino Sacramẽtum hoc esse Corporis & Sanguinis Christi, quibus suo quodam sensu & modo, quem isti, negata sacrilegè Christi præsentia, fingunt, alamur. Neque etiam Lutherani reiiciunt modũ illum loquendi, quo dicimus, Sacramentum hoc esse institutum in *specie* panis & vini; licet sacrilegè etiam ipsi substantiam vini & panis in hoc Sacramento restare contendant. Itaque continemus nos, dum ita Sacramentum istud describimus, in notione quadã generali & modo loquendi communi; neque ad ea descendimus, de quibus postea disputãdum est, cùm sint posita in controuersia.

Tertiò denique declarat vtcumque hæc descriptio rationẽ huius Sacramenti, tum pro *firmali*, quatenus nimirum *signum* est spiritualis illius alimenti; tum etiam pro *re subsistrata* huic significationi, cùm scilicet dicimus, esse in *specie* panis & vini institutum.

Iam verò ex hac descriptione facilè, vt diximus, intelligi potest, cur Sacramentum istud sit appellatum *Eucharistia*. Nam si vocabulum hoc *bonam gratiam* interpretemur; in hoc Sacramento Christus ipse nobis communicatur, qui fons est omnis gratiæ: ideoque rectè Eucharistiam illud dicimus. Si autem interpretemur *Gratiarum actionem*; illa etiam ratio eiusmodi appellationis subest, quòd in huius Sacramenti confectione gratiarum actio cum primis adhibetur. Item q ipse etiam Christus idem Sacramentum instituturus, antequam conficeret, *gratias egit* Deo Patri, vt Euangelistæ describunt.

Et appellatur porrò istud Sacramentum aliis nominibus, quibus Sancti Patres vsi sunt, vt illius variam dignitatem atque præstantiam commodius significarẽt, sicut etiam D. Thomas declarat hìc art. 4. Itaque dicitur etiam *Communio*; eò vel maximè, quòd nos coniungit ac necẽit cũ Christo ipso, vt cum capite, & inter nos ipsos vt membra cõmunis corporis. Ita enim rectè Damascenus interpretatur lib. 4. fidei orthodoxæ, cap. 14. Imò idipsum Apostolus 1. Cor. 10. verbis illis

illis expresit: *Calix*, inquit, *benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? quoniam vnus panis, vnũ corpus multi sumus in Christo omnes, qui de vno pane participamus.* Item dicitur *Synaxis*: quoniam populus in eius celebratione maximè congregari solet, *Religionis & cultus* caussã.

Et obseruandæ sunt diligenter istæ appellationum rationes aduersus Sectarios, qui perperam alioquin ex *Comunionis*, & *Synaxis* vocabulo probare quoq; nituntur, Ecclesiæ Sacramẽtum, nisi plures conueniant ad *communicandum*, non rectè celebrari: quasi nõ alia de caussa Communio, & Synaxis nominaretur. Sed fallũtur: Quoniam præcipuæ causæ huius appellationis sunt illæ, quas diximus, scilicet *vnio* membrorũ cum Christo capite in eodem quasi corpore, & *congregatio* fidelium ad Dei *cultum*. Qua de re infrà vberius dicemus.

Vocatur item hoc Sacramentum ab Augustino, *Sacramentũ Corporis & Sanguinis Domini*, lib. 3. de Trinit. cap. 4. & *Celebratio Corporis & Sanguinis Domini*, lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 9. Item appellatur *Viaticum*, in Concilio Nicæno I. can. 12. Et Carthaginensi IV. can. 77. & 78. & ab aliis Patribus: tum quia illo in huius vitæ peregrinatione sustentamur: tum quia fidelium mos est, vt ex hac vita discessuri eo se muniant: sicut etiam statutum id est in dicto Concilio Carthaginensi IV. can. 77. & Nicæno.

Item frequentissimè appellatur *Hostia* & *Sacrificium*: quòniam ad vsum etiam sacrificandi est à Christo institutũ, vt suo loco probabitur. Item vocari solet *Cœna Domini*, sicut appellauit Apostolus 1. Corinth. 11. & Chrysostomus homil. 1. de Cœna Domini. Quam sanè appellationem tanquam à veteribus Patribus vsurpatam, commemorat quoq; Catechismus Romanus: neq; verò eam improbat.

Sed tãmen Petrus à Soto in libro de institutione Sacerdotũ lect. 1. de Eucharistia, non malè hìc admonet, ab hac appellatione nobis meritò abstinendum esse, vel certè eã non vtendum sine cautela. Ratio est: Quoniam Sectarij communiter eo vocabulo abutuntur, ad significandum suum quendam errorem de Eucharistia, scilicet eam Sacramentum non esse, nisi in *vsu communionis*, & quasi *Cœnæ*, ad quam plures conueniant. Decet autem Catholicos, ne vocabula quidem cum hæreticis habere communia, quãdo illi ad errorem his abutuntur.

Itaque isto vocabulo vel non vtendum est, vel certè si aliquando vtamur, non aliud intelligere debemus caussam huius appellationis esse, nisi loci & temporis circumstantiam, qua istud Sacramentum institutũ est, nempe vltimam Christi cœnam. Nam & hanc etiam eius vocabuli rationem Catechismus Romanus reddit.

Ac illud quoq; annotandum hìc est, quamuis Sacramentum istud Cœna appelletur, tamen nõ inde sequi, quòd liceat iam nobis etiam non ieiunis illud vsurpare citra mortis periculum. Illa enim circumstantia, quòd scilicet Apostoli, quibus Christus istud Sacramentum administrauit, ieiuni non erant, sed in Cœna; non fuit à Christo tunc imperata & instituta; sicut neq; circumstãtia illius *temporis*, vt scilicet conficeretur hoc Sacramentum noctu. Quare rectè nihilominus fecit Ecclesia, quòd ob reuerentiam statuit, vt non nisi à ieiunis istud Sacramentum sumeretur. De quo infrà etiam suo loco dicetur.

PVNCTVM SECVNDVM.

An, & quando Sacramentum istud fuerit à Christo institutum.

D. Thom. art. 5. & 6.

OMNES, tam hæretici, quàm Catholici, sine controuersia fatentur. Sacramẽtum hoc esse vnum è Sacramentis nouæ legis, à Christo institutum in Cœna. Quod colligunt ex narratione Matth. 26. Lucæ. 22. Marc. 14. & Apostoli 1. Cor. 11.

Vbi tamen contra Sectarios illud est diligenter obseruandum, q̃ in superioribus aliquoties ipsis obiecimus: nẽpe si clarissima prorsus Scripturæ testimonia pro Sacramentorum assertione exigant; ne hoc quidem Sacramentum ipsos admittere debuisse: siquidem in illa narratione & historia Euangelica non prorsus euidenter significatur, quòd species illæ panis & vini sensibiles *ex institutione diuina* sint factæ & institutæ *signa* non modò commemoratiua Christi passionis; sed etiam significantia ipsam *gratiam sanctificantem*, quæ in *vsu* huius Sacramenti tribuatur: id quod sine vlla cõtrouersia pertinet ad Sacramenti rationem.

Aut igitur negare etiam hoc Sacramentũ isti deberent, aut si propter *rem ipsam* huius Sacramenti, quæ ibi ab Euangelistis describitur, colligi posse putant, fuisse ibi à Christo Sacramentum omnino institutum: pari modo coguntur fateri Assertionem aliorum Sacramentorum ex Scripturis etiam colligi posse, vt suprà aliquoties sumus argumentati.

Nunc accipimus sanè, quod nobis dant, hoc Sacramentum fuisse omnino à Christo institutum. Quam Assertionem præter illa testimonia Euangelistarum, confirmat etiam ratio congruentissima, quam affert D. Thomas hìc art. 1. ex analogia vitæ spiritualis & corporalis. Nam vt ad corporalem vitam, præter generationem & augmẽtum, requiritur etiam *alimentum* corporale: ita etiam ad vitam spiritualem, spiritualis *refectio* debuit institui & parari in hoc Sacramento, post Sacramentum Baptismi & Confirmationis, quæ sunt ad spiritualem regenerationem, & augmẽtum. Ac affert etiam VVilhelmus Alanus Cardi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nalis lib.1.de Eucharistia,cap.8. multas rationes & causſas huius inſtitutionis, & quidem doctè & vtiliter, maximè pro Concionatoribus.

Item conuenienter illo tempore, ſcilicet in vltima Cœna,inſtitutum fuiſſe, oſtendit perſpicuè D.Thomas hîc art. 4. Neq; ſolùm tum inſtitutum fuit; ſed etiam anteà promiſſum Ioan. 6. ab eo loco, vbi Chriſtus dicere cœpit: *Panis,quẽ ego dabo,caro mea eſt pro mundi vita,&c.* vt Chryſoſtomus in eius loci commentario,& omnes ferè Patres interpretantur.

Neque ibi ſolùm promiſſum fuit, ſed etiam multò anteà vaticiniis Prophetarum prænũciatum,vt AMBROSIVS in Pſalm.38.affirmat:item præſignificatum veteris legis cæremoniis & figuris, vt affirmat AVGVSTINVS libro 1. contrà Aduerſariũ Legis & Prophetarũ, cap. 18. Quam rem tractat diligenter & vtiliter etiam pro Concionatoribus Alanus lib.1.de Eucharistia, cap.7. & D.Thomas hic art. 6.

Quo loco rectè D.Thomas docet ex omnibus huius Sacramenti veteribus figuris præcipuam fuiſſe Ritum illum *Agni Paſchalis*. Nam tria maximè in hoc Sacramẽto conſiderari poſſunt:ſcilicet ſpecies ſenſibiles *panis & vini*;Chriſtus in eis contentus; & effectus gratiæ ſalutaris.Secũdùm hæc omnia, cæremonia & eſus illius Agni, fuit huius Sacramenti typus. Nam & comedebatur cum *panibus* azymis,ſicut hoc Sacramentum ſumitur ſub ſpecie panis; & Chriſtum Agnum innocẽtiſsimum in Cruce immolatum, qui in hoc Sacramento continetur & editur, ſignificabat; & deniq; per ſanguinem quoq; illius Agni ſunt filij Iſraël liberati à deuaſtante Angelo,atq; eruti de AEgyptiaca ſeruitute, quod ſit ſpiritualiter per effectum gratiæ ſalutaris.

Quia verò ægrè ferũt Sectarij,quòd cæremoniam illam Agni Paſchalis huius Sacramenti figuram conſtituimus,confirmandum hoc eſt teſtimoniis Patrum: dolet enim iſtis,quòd ex collatione iſtius figuræ cum veritate probemus, etiam rectè in cæremonia huius Sacramenti, *oblationem & ſacrificium* à nobis fieri, ſicuti ſacrificabatur quoque ille Agnus.

Ergo figuram hanc aſſeruit etiam Tertullianus lib.4.contra Marcionem.Chryſoſtomus homilia de proditione Iudæ valde pulchrè, & homil.83. in Matthæum. Auguſtinus lib. 2. contra Petilianum, cap. 37. Origenes Tomo decimo in Ioannem, Heſichius libro ſecundo in Leuiticum,cap. 8. Gregorius homil.22. in Euangelia. Leo ſerm.7.de Paſsione. Rupertus Tuicienſis in Commentariis ſuper Exodum. Paſchaſius in libro de corpore & ſanguine Domini,ſub finem. Idem etiam inſinuat Cyprianus lib. 2. Epiſtolarum,epiſt.3.& Clemens Romanus lib.5. Conſtitution.Apoſtolicarum,cap.18.& ipſi hac de re agemus infrà quæſt.11.

Fuerũt præterea aliæ huius Sacramenti figuræ;vel ſecundùm ſpecies ſenſibiles huius Sacramenti,vt ſacrificium Melchiſedech;vel ſecũdùm Chriſtum in eo contentum, vt ſacrificia Leuitica; vel ſecũdùm effectum ſpiritualem multiplicem, vt manna, quod habebat omnem ſaporis ſuauitatem,ſicut rectè in illo artic.6.D.Thomas declarat. Quin ſit igitur Euchariſtia *Sacramentum*,& à Chriſto in Cœna *inſtitutum*, & antè *promiſſum*,& à Prophetis *prædictũ*, & variis veteribus figuris *ſignificatum*,dubium prorſus nullum eſt.

PVNCTVM TERTIVM.

An iſtud Sacramentũ conſiſtat propriè in aliqua re permanente, vel potius in re ſucceſsiua.

Ad art.1.D.Thomæ.

CVm multæ ac diuerſæ res in hoc Sacramento concurrant; videndum eſt, quænam ex illis omninò ſit iſtud Sacramentũ propriè. Sũt enim in hoc Sacramento iſta quatuor. *Primò*, Conſecratio ſeu benedictio per verba præſcripta. *Secundò*, Species ipſæ panis & vini ita benedictæ ſeu cõſecratæ. *Tertiò*, Corpus Chriſti & Sanguis ſub illis ſpeciebus, vt infrà ſuo loco probabitur. *Quartò* accedit denique ſumptio & vſus illarum.

Quæſtio eſt igitur, in qua re ex iſtis omnibus inſit propriè huius Sacramenti ratio. Et contendunt omnes Sectarij, Sacramentum iſtud conſiſtere omnino in *tota ipſa actione*, qualis deſcribitur ab Euangeliſtis, hoc eſt, in *prolatione* verborũ illorum Chriſti: *Accipite & manducate, &c.* & in *diſtributione* vtriuſq; ſpeciei, atq; etiam in *vſu* ſuſcipientium aliquorum, ſicut tunc etiam ſuſceperũt Euchariſtiam Apoſtoli. In huiuſmodi igitur tota actione continua,ſentiunt propriè conſiſtere Sacramẽtum iſtud, atq; ideo negant permanere illud aut eſſe poſſe in aliqua re *durabili*, qualis eſt ipſa ſpecies panis & vini. Vnde etiam pernegant,ſpecies iſtas aſſeruatas,& extra illum vſum & actionem continuam, Sacramentũ vllo modo eſſe.

Eſt autem ſentẽtia hæc communis Caluinianorum Sacramentariorum, & Lutheranorum, vt videre eſt apud Caluinum lib.4. inſtit. cap.17. ſect. 15. & 39. & Kemnitium contra Can.1.ſeſſ.13. Concilij Tridentini,& latius contra Can.4.eiuſdem ſeſsionis.Probationes verò, quibus prolixè vtuntur, his argumentis continentur.

PRIMO. In eo conſiſtit iſtud Sacramentum, quod Chriſtus inſtituit & imperauit à nobis fieri in ipſius commemorationẽ. Sed totam illam actionem inſtituit & imperauit. Ergo, &c. Minor probatur. Nam poſt actionem illam totam ſubiungit: *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. & 1.Cor.11.

SECVNDO. Sicut Baptiſmus eſt Sacramentũ nouæ legis: ita & Euchariſtia. Sed Baptiſmi Sacramentum adeo conſiſtit in *operatione*, vt quantumcunque aliquis diceret verba formæ, ſuper nudam aquam, nihilo magis illa eſſet Sacramẽtum Baptiſmi, quàm quæuis alia aqua vulgaris. Ergo quantumcunq; & quæcunq; verba dicantur etiam ſuper ſpecie panis & vini, niſi illæ etiã applicentur & tribuantur hominibus ipſis *ad vſum*,nullo modo erunt Euchariſtię Sacramentũ.

TERTIO. Sacramentum iſtud in eo conſiſtit, quod ſignificatur verbis Chriſti, quibus neceſſe eſt,vt benedicantur & conſecrentur ſpecies: Talia enim verba ſunt de ſubſtantia formæ. Sed in his verbis formæ ſubſtantialibus, quædam ſunt, quæ ſignificãt etiam ipſum *vſum* & ſumptionem Euchariſtiæ. Ergo in hac etiam operatione & vſu ſitum erit hoc Sacramentum, ità, vt extra talem operationem non poſsit conſiſtere.

Minor probatur dupliciter. *Primò*: Quoniam illa etiam inter cætera ſunt verba Chriſti, *Accipite,& Manducate, Bibite, Hoc facite,&c.* At hoc Sacramentum conſecratur & conficitur omnino verbis ipſis Chriſti, vt veteres etiam Patres loquuntur. Immò Euſebius Emiſſenus homil.3.in Paſcha,clarè ſignificare videtur, quòd illa etiam verba: *Accipite,&c.* ſint de ſubſtantia formæ. Ita enim dicit: *Inuiſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſuum corpus conuertit dicens: Accipite & manducate, hoc eſt,&c.* Quod idem ſignificare videtur Ambroſius lib.4.de Sacramentis,capite 4.vbi dicit, Euchariſtiam *confici verbis Chriſti*.Et cap.ſeq. etiã ait,confici illam *non verbis Euangeliſtarum, ſed ipſius Chriſti*. Ac diſtinguens ibi illa verba Chriſti à verbis Euãgeliſtarum,dicit eorum initium eſſe: *Accipite & manducate, &c.* Huc accedit, quòd in antiquis Liturgiis etiam omnia illa verba ponũtur.

Secundò probatur eadem Minor ratione,qua inprimis vtitur Caluinus loco citato. Nam totũ Sacramentum refertur & pertinet ad *hominum vtilitatẽ*, quibus nimirum diuinitus tribuitur ad obſignandum ipſis, tanquam ſigillo quodam promiſsionem de effectu ſalutari. Debet igitur conſecrari & benedici verbis eiuſmodi,quę ſpectent non ad nudum ipſum elementum, ſed ad homines ipſos *ſuſcipiẽtes*: Talia autem verba ſunt illa: *Accipite & manducate,&c.* Quod etiam analogia Baptiſmi confirmat.Nam ibi cum ipſo ſuſcipiente Miniſter loquitur, non cum aqua muta.Dicit enim: *Ego te baptizo.*

POSTREMO ponderat Kemnitius,quòd cum in verbis formæ Baptiſmi *ſemel tantùm* ſignificetur actio; hîc in verbis Chriſti ſæpius inculcatur nobis. Nam, *Accipite*, inquit, *manducate, bibite, hoc facite,&c.* Ex qua re videtur non minus,ſed multò etiam magis, Euchariſtiam conſiſtere *in operatione*, quàm Baptiſmum.

Atq; ex his quidem Kemnitius & alij Lutherani colligunt, non eſſe Chriſtum in Sacramento,ſi conſecrentur ſpecies ea intentione, vt poſt aliquot dies, vel menſes, vel annos diſtribuantur,inquit Kemnitius. Quia tunc illa verba: *Hoc eſt corpus meum,&c.* ſeparantur â tota & continua actione, in qua ſola eſt Sacramentum; atque ita non habent efficaciam. Quòd ſi proferantur eo animo, vt vel tunc, vel paulò pòſt diſtribuantur ſpecies,atque ita coniungatur illa prolatio cum tota actione;videntur iſti non negare, quin ſit in illis ſpeciebus Chriſtus etiam ante punctum ipſum temporis,in quo ore ſumuntur. Et ita quidem ſe habet tota ratio cogitationis & doctrinæ ipſorum.

Nihilominus hæc ſententia rectè in Concilio Tridentino ſeſſ.13.can.4. tanquã hæretica,prorſus damnata eſt ſub anathemate. CERTISSIMA enim ex fide eſt illa doctrina orthodoxa, quam hîc D.Thomas art. 1. ponit & declarat, videlicet hoc intereſſe inter hoc Sacramẽtum & reliqua: quia iſtud non in ipſo *vſu* materiæ (ſaltem ſolo) vt cætera; ſed in ipſa materiæ *conſecratione*, ſeu in *materia conſecrata*, atque adeo in re *permanente & durabili*, etiam ad multum temporis conſiſtit.

Id probatur his argumentis. PRIMO, Nam ex Scriptura & narratione illa Euangeliſtarũ, eam colligere debemus rationem eſſe inſtitutionis huius Sacramenti, quam antiquus Eccleſiæ Catholicæ vſus atque ſententia interpretatur. Sed antiquus vſus & ſentẽtia Eccleſiæ Catholicæ docet, Chriſtum ibi Sacramentum Euchariſtiæ ita inſtituiſſe, vt eſſet inprimis aliquid *permanens & durabile*,conſecratum per illa verba: *Hoc eſt corpus meum*.Et: *Hic eſt,&c.* Reliqua autem,quæ ibi ad actionem pertinent, ſpectẽt ad vſum & ſumptionem ipſius Sacramenti; qui vſus vel non ſit de ſubſtantia Sacramenti; vel certè non ita ſit,vt citrà illum, Sacramentum non poſsit etiam in aliquo permanenti conſiſtere. Ergo hanc fuiſſe prorſus rationem inſtitutionis huius Sacramẽti,colligere debemus ex Scriptura.

Minor probatur Scriptis & teſtimoniis veterum Patrum,ex quibus conſtat,aliquid omnino *permanens & durabile*,quales ſunt ſpecies, per dicta verba conſecratæ, fuiſſe omnino in Eccleſia Catholica habitum pro ipſo Eccleſiæ Sacramẽto. Nam D.AMBROSIVS in libro ſeu Oratione funebri de Obitu fratris ſui Satyri,cap.7.magna cum laude commemorat eiuſdem Satyri conſilium & factum;eum ſcilicet *in naufragio,ne vacuus myſteriis exiret è vita, ab iis,quos initiatos ſacris eſſe cognouerat,diuinum illud fidelium Sacramẽtum* (quod procul dubio propter eiuſmodi pericula in nauim intulerat) *ſibi dari poposciſſe: non vt curioſos oculos infereret arcanis, ſed vt fidei ſuæ conſequeretur auxilium*; tum datum ſibi Sacramentum *ligari feciſſe in orario; orarium collo inuoluiſſe, atque ita in mare ſe deieciſſe,neque ſpe illum ſua fuiſſe fruſtratum: incolumem enim ante illos omnes in portum enatâſſe.*

Itẽ S. Cyrillus ALEXANDRINVS in Epiſtolâ ad Calothrium cõtra Anſyopomorphitas: *Inſaniunt*,inquit,*qui dicunt, myſticam benedictionem Euchariſtiæ, ſi ex eare manſerint in ſequentem diem reli-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quiæ, ad sanctificationem inutilem esse. Non enim sanctum Christi corpus mutabitur; sed benedictionis virtus & vivifica gratia perpetuò manent in illo.

Item S. HIERONYMVS in Epistola ad Rusticum refert, Exuperium Episcopum Tolosanum *portasse corpus Domini canistro vimineo inclusum*.

Item S. AVGVSTINVS lib.3. de Trinit. cap. 4. apertè significat, *Sacramentum corporis & sanguinis Christi, esse illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, rite sumimus ad salutem spiritualem*: Quod certè est aliquid per se durabile & permanens. Item lib.20. contra Faustum, cap.13. apertè etiam indicat, Sacramẽtum istud esse, durabilem *panem ipsum mysticũ, qui certa*, inquit, *consecratione, mysticus fit nobis, non nascitur*. Et lib.2. de visitatione infirmorum, cap. 4. *salutare* esse dicit Eucharistiam *seruari & deferri ad infirmos, tanquam viaticum*.

Item Apostolica doctrina CLEMENTIS Romani lib.8. Constitut. Apostolicarum, cap.13. iubet, vt *post Communionem reliquiæ reponantur in tabernaculum*. Vbi Franciscus Turrianus in suo super istum locum Scholio, eruditè hanc rem etiã confirmat. Atque idem Clemens Romanus de Consecrat.d.2. Can. Tribus gradibus, ad Diaconos affirmat pertinere, vt *cum timore & tremore reliquias fragmentorum sacræ Communionis custodiãt*.

Item Eusebius Cæsariensis lib. 5. historiæ, capite 24. refert, Epistolam quandam D. IRENAEI ad Victorem Pontificem Romanum, ex qua apparet, moris fuisse, vt Pontifices Romani, tanquam amicitiæ & concordiæ symbolum mitterent aliis Episcopis etiam procul Eucharistiam.

Item in Concilio VVormatiensi, vt refertur de Consecrat.d.2. Cap. *Presbyter*, iubetur, vt Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, vt ne quis infirmus sine communione moriatur. Et in Cap. *Qui bene*. eadem d. imponitur pœna ex Concil. Aurelian. si quis non bene custodierit.

Item in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. cap.20. ita habetur: *Statuimus in cunctis Ecclesiis, vt Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis conseruẽtur*. Quod ipsum etiam sanxit Honorius, qui huic Innocẽtio successit, in Cap. *Sanè*. Extra de Celebratione Missar.

Quin etiam ex Concilio Nicæno I. can.14. licet colligere, moris tunc fuisse, vt in tabernaculo aliquo vel capsa custoditetur Eucharistia. Decernitur enim ibi, vt *Diaconi, si non fuerit præsens Episcopus aut Presbyter, ipsi* PROFERANT *Eucharistiam & edant*.

Est etiam huius rei luculentissimum testimonium ipsa CONSVETVDO omnium Ecclesiarũ, Orientis & Occidẽtis, custodiendi videlicet Eucharistiam, quæ quando primùm inceperit, nullo modo potest ab Aduersariis ostendi. Atq; ita dubium nõ est, quin procedat hic mos ex Apostolica auctoritate iuxta regulam D. Augustini lib. 4. de baptismo, cap. 24. quam in superioribus etiam allegauimus.

Et accedit postremò ad huius rei confirmationem, quod ipsi etiam Aduersarij coguntur fateri, hanc fuisse praxin & sententiam veteris Ecclesiæ. Caluinus enim lib.4. institut. cap.17. sectione 39. cùm istam Ecclesiæ Catholicę consuetudinem asseruandi Eucharistiam improbasset, obiicit sibi quasi ex persona Catholicorum hũc in modum: *Sed enim*, inquit, *qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ exemplum*. *Fateor*, inquit. *Verùm in re tanta, & in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius est, quàm ipsam veritatem sequi*. Hæc Caluinus.

Nos verò primùm libenter habemus hoc loco reum confitẽtem, ne semper isti obiicere nobis possint, se contrà nos pro veteris Ecclesię institutis pugnare, quasi nos illa reliquerimus. Deinde ipsi etiam omnino fatemur, in re tanta nihil tutius esse, quàm ipsam veritatẽ sequi: Sed existimamus tamen, & meritò, veritatem hanc potius in Ecclesia veteri, quàm in Synagoga noua Sectariorum reperiri.

Item Kemnitius in examine can.1. sess.8. (seu potius 13.) sub finem, ita confitetur: *Quòd autem quidam leguntur Eucharistiam seruàsse, nihil mouere nos debet. Non enim quæstio est, quid aliqui antè nos, vt ex Cypriano*, inquit, *verba mutuemur, fecerint; sed quid ille, qui antè nos est & prior fecerit, & faciendum nobis mandauerit.*

Nos verò, etsi minimè laborandum esse intelligamus, quid vnus aut alter ex errore, & absque Ecclesiæ Catholicæ authoritate, sed potius contrà Ecclesiæ consuetudinem fecerit (tale enim erat illud prauum institutum offerendi calicem sine admixtione aquæ, in quod verbis illis Cyprianus inuehitur lib. 2. epist. 3.) tamen in controuersiis fidei omnino iudicamus vel maximam etiam quæstionem esse debere, quid Ecclesia, ipsa praxi cõmuni & vsu suo docuerit; vt ex ea re intelligamus, quid etiam Christus, qui ante omnes est, docuerit suam Ecclesiam. Velut in præsenti quæstione, quod Ecclesia custodiendo Eucharistiã fecit, rectè concludimus, à Christo fuisse institutum.

Atq; hoc rectè nos facere, probatur etiam exemplo CYPRIANI. Nam in illo ipso loco, scilicet in Epistola ad Cecilium, non modò testimonio Christi, qui ante omnes est, sed etiam *consuetudine Ecclesiæ Catholicæ* probat, ritum illum offerendi calicem in sola aqua, esse contra institutionem Christi.

Quod verò Kemnitius illic, nullo citato testimonio, addit, consuetudinem illam seruandi Eucharistiam, fuisse postea in Ecclesia prohibitam; res ipsa docet, esse magnũ figmẽtum. Nam illa consuetudo nunc etiam in Ecclesia obtinet, & præteritis seculis semper obtinuit. Quare firmum manet nostrum illud primum argumentum pro Assertione hac Catholica.

SECVNDO probatur eadem Assertio hunc in modum: Quando Ministri Ecclesiæ legitimi, id quod

quod est à Christo in Cœna institutũ, sic faciunt, vt nihil contra institutionem ipsam peccent; verè conficiunt Eucharistiæ Sacramẽtum. Sed hoc ita faciunt, quando per illa verba: *Hoc est corpus meum*. Et: *Hic est*, &c. aliquid *vt permanens & durabile* consecrant, & illud offerunt, & ipsi communicant; etiamsi species, quas consecrant, non aliis distribuant. Ergo verum est tunc Sacramẽtum, in re *durabili & permanenti* consistẽs, etiamsi non consequatur eiusdẽ *vsus*. Minorem copiosè ostendemus infrà q. 11. & summa est, quòd præceptum de illa distributione & communione est *affirmatiuum*, quod non obligat semper; sed quatenus expediat, consideratis circumstantiis, & inprimis considerata praxi Ecclesiæ Catholicæ, vtpote quæ est dispensatrix mysteriorum Dei: Non autem semper expedit, aut est opportunũ, vt illæ species aliis etiam *distribuantur in ipsa celebratione*. Quare licet quandoq; id prætermittatur, nihil propterea contra institutionem peccatur.

TERTIO. Quòd Sacramentum Eucharistiæ, constitutum sit in aliqua re permanenti & durabili, quæ verbis illis: *Hoc est*, &c. Et, *Hic est*, &c. durabiliter (vt ita dicam) significãtibus consecretur; amplificat magis beneficium Christi erga nos, & valet ad excitandam fidelium deuotionem, præsertim cùm ad Ecclesias conueniunt, in quibus est ipsum Sacramentum: Neque Scriptura, vbi de institutione huius Sacramẽti agit, neque etiam analogia aliorum Sacramẽtorum cogit, vt intelligere non debeamus, hanc esse rationem Sacramenti à Christo institutam. Ergo ita de huiusmodi Sacramento sentiendum est.

Assumptum probatur: Nam primùm quòd valeat ea res ad excitandam deuotionem fidelium, per se clarum est, ac eruditè confirmatur à Francisco Turriano in Scholio illo suprà citato: Qui & huc doctè accommodat sentẽtiam illam Propheticam Ezechiel. 37. *Dabo Sanctificationem meam in medio eorũ*. Vel (vt est apud 70. interpretes) *Ponam sancta mea in medio eorum*.

Quòd autem neque Scriptura, neque analogia aliorum Sacramẽtorum cogat aliter hoc intelligere; probatur: Quoniam ea, quæ de actionibus nostris circa hoc Sacramentum significãtur in narratione institutionis huius Sacramenti, rectè intelligere possumus, nõ ad substantiam ipsius Sacramẽti, saltem *necessariò*, pertinere; sed ad *vsum* ipsum Sacramenti, quod alioqui consistat in ea re, quæ per modum durabilem ac permanentẽ significatur illis præcipuis Christi verbis: *Hoc est corpus meum*. Et: *Hic est sanguis*, &c. Itẽ ratio aliorum Sacramentorum diuersissima est: Siquidẽ in verbis, quibus illa conficiuntur, nulla omnino sunt verba, quæ significent aliquid durabiliter & permanenter; sed omnia referuntur ad actionem. In verbis autẽ, quibus Eucharistia consecratur, est illa significatio permanẽs & durabilis: *Hoc est*, &c. Et, *Hic est*, &c. Itaque si Eucharistiam cum aliis Sacramentis comparemus; potius colligendũ est hoc discrimen, quòd Eucharistia in aliquo permanenti consistat: Cætera verò non nisi in operatione & vsu, quoniam vsus tantùm & operatio significatur per eorum formas. Quare ad argumenta Sectariorum contraria nunc respondendum est.

Et ad PRIMVM quidem neganda est Maior, sicut ab illis ea intelligitur, videlicet Eucharistiam in eo toto consistere, quod Christus ibi instituit & iusserit fieri. Dicimus enim, aliqua instituisse & iussisse, quæ pertineant tantùm ad *vsum* Sacramenti: in quo quidem vsu vel nõ consistat omnino ipsa Sacramenti substantia; vel certè nõ ita necessariò consistat, vt non possit in alia re permanenti citra vsum saluari. Quod ideo sic dico, quia vtrum *etiam* consistat hoc Sacramentum in *vsu*, tanquam in vna sui parte quasi integrali, sine qua videlicet possit etiã esse; nonnulla quæstio est apud Catholicos, vt pòst videbimus.

Nunc quod dicimus, non necesse esse, vt in eo toto, quod Christus instituit & iussit, substantia Eucharistiæ consistat, probari etiam potest ex analogia Baptismi. Christus enim instituens illud Sacramentum, simul iussit Apostolis, vt *proficiscerẽtur* ad omnes gentes, & eas baptizarent. Neque tamen aliquis ideo dicet, illam profectionẽ Apostolorum, aut aliorum Ministrorum, qui ad aliquem baptizandum vadunt, esse partem ipsius Sacramenti, quasi in illa etiam profectione illud consistat: & tamen sicut dixit simul, *Accipite, &c.* ita etiam simul dixit: *Euntes baptizate, &c.*

Deinde (quod ad Minorem attinet illius argumenti) non omnia, quæ isti putant, sunt ibi instituta & imperata à Christo. Nam fuerunt ibi quædam rei circumstantiæ, ad quas minimè referri debet præceptũ illud: *Hoc facite*, ex quibus etiam illa circumstantia fuit, quòd *plures tunc adfuerint, quibus bene & conuenienter distributa fuit Eucharistia*, vt ex iusto instituto probabimus infrà q. 11. Sicut etiam neq; præcepit Christus illã circumstantiam, vt Eucharistia conficeretur *vesperi, &c.*

Ad SECVNDVM argumentum quod attinet, iam ex dictis patet, esse maximam Eucharistiæ & Baptismi differentiam, vt colligitur ex diuersitate formarum, quibus vtrumque Sacramẽtum conficitur. Itaque non potest ex Baptismo rectè probari, quòd Eucharistia consistat tantùm in *vsu*; sed potius debet concludi contrarium, vt anteà sumus argumentati.

Ad TERTIVM negatur Minor. Ad probationem eius *primam* respõdeo, confici quidem Eucharistiam verbis Christi, non tamen illis omnibus, sed duntaxat illis: *Hoc est corpus meũ*; &, *Hic est, &c.* quæ sola, vt infrà suo loco probabimus, constituunt huius Sacramenti formam; sicut id etiam colligitur ex his, quę iam de vsu & sententia Ecclesiæ in hac re attulimus. Ac de illis quidem Christi verbis loquũtur Sancti Patres, quã-

Universidad de Deusto
Biblioteca

do absolutè dicunt, Eucharistiam Dominicis verbis consecrari.

Quod manifestissimum est ex AMBROSIO lib. 4. de Sacramẽtis, cap. 4. & libro de iis qui mysteriis initiãtur, cap. 9. Vult enim Eucharistiam illis verbis Christi conficiã, quib⁹ propriè significatur, non esse in hoc Sacramento panem & vinum; sed corpus & sanguinem Christi, in quæ panis & vinum diuinitus conuertãtur. Hæc autem verba in illo cap. 9. de iis qui mysteriis initiantur, expresè dicit esse illa: *Hoc est corpus, &c.* Et: *Hic est sanguis, &c.*

Atque idem apparet ex D. CHRYSOSTOMO in homilia de proditione Iudæ, vbi expresè dicit, per illud Christi verbum: *Hoc est corpus meum: proposita sanctificari.* Idem apparet ex Paschasio libro de Corpore & Sanguine Domini, cap. 12. & ex multis aliis, quos pro efficacia & modo consecrationis citabimus infrà quæst. 11. de Sacrificio Missæ.

Quòd verò AMBROSIVS lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. distinguens verba Christi ab Euangelistarum verbis, dicit illa incipere à verbo illo: *Accipite, &c.* non id facit, vt significet, illis omnibus consecrari Eucharistiam; sed vt ostẽdat certè, in qua parte narrationis Euangelicæ notanda & inuenienda sint illa Christi verba, quibus consecrari dicit Eucharistiam, nẽpe: *Hoc est, &c.* &, *Hic est, &c.*

Sic etiam Eusebius EMYSSENVS, quem nobis item obiicit Kemnitius, non voluit, quòd omnibus illis verbis Christus inuisibilis Sacerdos conuertat panem & vinum in suum corpus & sanguinem: Sed vult, quòd dicens Christus illa verba: Accipite, & quæ sequuntur, conuersionẽ eam fecit per illa: *Hoc est, &c.* &, *Hic est, &c.* Reliqua verò antecedentia: *Accipite, &c.* posuit ibi Emyssenus propter coniunctionem & ordinem cum consequentibus. Vt si v. g. dicas: Christus præscripsit formam Baptismi, dicens: *Euntes, baptizate omnes gentes in nomine Patris, &c.* non ideo velles, illud etiam Christi verbum: *Euntes*: esse ex institutione Christi de substantia ipsius formæ Baptismi; sed tantùm intelligeres verba consequentia. Ita igitur fecit Emyssenus in proposito.

Et accedit, quòd illud verbum: *Accipite*, propterea videtur etiam commemorasse, vt significaret *vsum* & quasi perfectionem ac finem ipsius Sacramenti, ad quem demum refertur illa conuersio. Sic enim & D. Thomas ad locum istum Emysseni respondet infrà quæst. 78. artic. primo ad secundum.

Atque ob eandem quidem rationem extant illa verba (*Accipite & manducate, &c.*) in Liturgiis, & etiam hodie recitantur in Missæ Canone. Quò accedit & alia causa, vt scilicet ex eiusmodi verbis intelligatur, Ministrum non in persona sua, sed Christi, qui ad discipulos ita tunc est locutus, consecrare Eucharistiam illis verbis: *Hoc est corpus meum, &c.*

Iam ad *secundam* probationem illius Minoris, ex Caluini imaginatione profectam, respõdeo vno verbo, illam etiam locutionem, *Hoc est, &, Hic est, &c.* maximè quoque *ad homines ipsos* referri. Hominibus enim ipsis significatio certa fit, quòd ibi sint corpus & sanguis Christi, & operentur ad alimentum spirituale. Non enim loquimur, dum illa verba proferimus, cum ipsis speciebus panis & vini; sed ad homines illa verba referuntur.

Si autem isti præterea velint, vt etiam proximè cum hominibus sermo habeatur, dando illis Sacramentum, & dicendo illa verba: *Accipite & manducate*, tanquam sint de Sacramenti substantia; negamus oportere, quod ad Sacramenti veritatem attinet, isto etiam modo in prolatione formæ loqui cum ipsis hominibus, vt hactenus à nobis est probatum.

Ad POSTREMVM, quod vrgebat Kemnitius, respondeo, Christum in illa institutione, *pluribus verbis* significantibus *actionem*, fuisse vsum; non quòd in actione Sacramentum ipsum constituerit; sed quoniam vsus huius Sacramẽti habet plures actiones, scilicet *administrationẽ, sumptionem*, & inprimis etiam *oblationem*, quam imperauit illo verbo: *Hoc facite*, vt infrà q. 11. p. 1. de Sacrificio, manifestè probabimus.

Nunc ita explosa sententia hæreticorũ, CONTROVERSIA manet apud Catholicos in eadem Quæstione de his duobus. PRIMO, cùm Sacramentum Eucharistiæ constituatur in re *permanenti*, & ibi permanenter sint tum *species* ipsæ panis & vini consecratæ, tum *corpus & sanguis* Christi sub illis; in quonám propriè consistat permanenter istud Sacramentum? in speciebus ne ipsis, vt continent Christum? an in corpore & sanguine Christi, vt continetur speciebus? SECVNDO. An in Eucharistia non solùm aliquid, quod sit ita permanens, sit Sacramentum; sed *etiam* ipsa *consecratio & sumptio* Eucharistiæ, licet sine sumptione etiam possit ipsum Sacramentum consistere, vt contra hæreticos disputatum est.

Et de PRIMO quidem Thomas VValdensis tomo 2. de Sacramentis, cap. 21. sentit, non ipsas species; sed *corpus Christi & sanguinẽ* esse propriè, & vt dicitur, in *recto*, Sacramentum Eucharistiæ. Itaque negat VViclepho hæretico, hoc Sacramentum esse *accidens*, quod ille obiiciebat. Id probat VValdensis potissimũ ex modo loquendi Sanctorum Patrum, qui corpus ipsum & sanguinem Domini vocant istud Sacramentum. Et AMBROSIVS sanè libro de iis qui mysteris initiantur, cap. 9. eo modo loquẽdi vtitur, cùm ita dicit: *In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi.* Accedit, quòd cùm absolutè dicimus, Sacramentum hoc adorari debere, Christũ ipsum nomine Sacramenti intelligere videmur.

Sed neutra probatio satis istam sententiã confirmat. Nam Patres corpus & sanguinem Christi ideo Sacramentum vocant, quoniam in hoc Sacramento

cramento corpus & sanguis Christi continetur. Deinde species etiam ipsæ, quatenus continent Christum, adorari possunt ac debent, saltẽ *secundariò* & ratione *alterius*, nempe Christi contenti, sicut suo modo etiã adoratur Christi humanitas, ratione alterius, nempe coniunctę diuinitatis.

Est igitur alia sententia, quæ asserit, *species ipsas* propriè & in *recto* esse Sacramentũ: quoniam illæ sunt visibiles formæ inuisibilis gratiæ. Christum autem sub illis, dicunt sentẽtiæ huius authores, esse *rem & Sacramentum* simul: Rem, quoniam, vt ibi existit, est quidam effectus formæ huius Sacramenti, nempe verborum consecrationis: Sacramentum autem simul, quoniã corpus & sanguis Christi, vt sub illis speciebus continentur, significant etiam vnitatem corporis mystici Ecclesiæ. *Rem* autem *tantùm* huius Sacramenti esse dicunt gratiam, quæ in illo datur. Ita Magister in 4. d. 8. & alij Doctores ibidem, & Hugo lib. 2. de Sacramẽntis, p. 8. cap. 7. & D. Thomas hîc artic. 1. & 6. & Sotus d. 8. q. vnica, art. 1. Atque ita etiam loquitur Innocentius in Cap. *Cùm Marthæ.* Extra de celebratione Missarum: nisi quòd ipse ibi etiam commemorat *virtutem* huius Sacramenti: quo nomine intelligit effectũ eius, nempe Gratiam. D. Thomas autem, atque etiam Sotus locis citatis, hoc nomine, scilicet *Virtus Sacramenti*, intelligunt hîc caussam ipsius Gratiæ: atq; ita dicunt, virtutem huius Sacramenti esse quoq; ipsum corpus & sanguinem Christi, quæ in hoc Sacramento gratiam efficiunt.

Neq; tamen ideo D. Thomas negat, in hoc Sacramento, concurrere etiam ad efficiendã illam gratiam virtutem Spiritus sancti, tãquam caussæ principalis, quasi corpus ipsum Christi & sanguis suppleant omnino vicem illius, vt malè est D. Thomam interpretatus Alanus lib. 1. de Eucharistia, cap. 5. Sed tãtùm vult D. Thomas, corpus etiam Christi & sanguinem habere se hîc eodem modo, quo se habet in aliis Sacramentis, & etiam in hoc ipso, virtus Spiritus sancti; idque propter aliquam analogiã, quæ scilicet consistit in hoc, vt sicut Sacramẽtum ipsum externum in virtute Spiritus sancti, tanquã principalis caussæ efficit instrumentaliter gratiam: ita etiã species panis & vini, in virtute corporis & sanguinis Christi præsentis, tanquam instrumenti *primarij* Spiritus sancti & *coniuncti* ipsi diuinitati, efficiũt & cõferunt instrumentaliter gratiam huius Sacramẽti, vt instrumẽta videlicet Spiritus S. *secundaria* & subordinata corpori & sanguini Christi, quæ sunt, vt dixi, coniunctum instrumentum & primum. Sed hoc obiter, vt intelligeretur rectè modus ille loquendi D. Thomæ.

Nunc ad propositũ Quæstionis nostræ quod attinet, conuenit inter authores huius sentẽtiæ, species ipsas panis & vini propriè & directè (vt diximus) esse ipsum Sacramentum. Atq; ideo dicunt, esse illas hîc *Sacramentum tantùm*, id est, non etiã *rem Sacramenti simul*. Et hoc quidem verisimum est. Sed cùm dicunt, corpus & sanguinem Christi sub his speciebus esse & *rem & Sacramentum simul*, propter illam significationem quam habent vnitatis corporis mystici Ecclesiæ; dubiũ est, an negare velint, vlla ratione cẽseri posse corpus & sanguinẽ Christi esse vnâ cũ specieb. ipsis *propriè* & in *recto* Sacramentũ ipsum Eucharistię.

Nam quòd hoc negare velint, inde colligi potest, quòd apud Doctores id, quod dicitur *Sacramentum & res Sacramenti simul*, nõ solet intelligi esse Sacramentum propriè: vt patet in Charactere Baptismi, quem suprà diximus dici solere *rem & Sacramentum simul* in Baptismo. Non enim ille est propriè ipsum Sacramẽtum, neq; per se, neq; vnâ etiam cum aqua. Deinde id etiã colligi potest ex eo, quòd, cùm explicant, quare corpus & sanguis Christi sint *& res & Sacramentum simul*, non aliã significationem in corpore & sanguine Christi ostendunt, nisi illã *vnitatis corporis mystici Ecclesiæ*, quæ tamen significatio, vt patet, minimè ipsa sufficit ad constituendum propriè Sacramentum. Est enim Sacramentum propriè non cuiusuis rei signum; sed signum *gratiæ sanctificantis*.

Ex alia verò parte nõ videtur vlla ratio firma, cur negemus, ipsum etiam corpus & sanguinem Christi vnâ cum speciebus panis & vini, & vt sub illis cõtinetur, significare quoq; *refectionem spiritualem* animæ, hoc est, gratiam, quę in hoc Sacramento datur. Vtrumq; enim est hîc cibus, scilicet corpus & sanguis Christi, & species panis & vini; quatenus ista cõtinent, & illa continentur. Atq; ita dici potest, vtrumq; etiã esse Sacramentum Eucharistię in recto & ꝑpriè: tametsi magis ipsæ species, quandoquidẽ sunt per se ipsæ sensibiles, corpus autẽ & sanguis Christi, non nisi per illas; ad modum (secundùm aliqualem analogiam) quo ipsa etiã substantia panis & vini fuisset sensibilis, non nisi per sua accidentia.

Accedit huc item, quòd aliqui sunt egregij authores, qui sic sentiendum esse putant, scilicet Sacramentum Eucharistiæ constare ex vtroque, nempe ex speciebus, & ex corpore & sanguine Christi sub illis. Ita enim Capreolus censuit in 4. d. 8. q. 1. & Victoria in libro de Sacramentis, q. 52. & Alanus id etiam rectè probat in lib. 1. de Eucharistia, cap. 5. Imò veterum etiam Patrum hæc videtur fuisse sententia. Nam in Cap. *Hoc est.* de Consecratione, d. 2. quod est AVGVSTINI ex libro sentent. Prosperi, expresè habetur, hoc Sacramentũ *duobus constare, scilicet visibili elementorũ specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi corpore et sanguine.* Ac in eandem sententiam B. IRENAEVS lib. 4. cap. 34. scripsit, Eucharistiam nostram *constare ex duabus rebus, terrena & cœlesti.* Deniq; pro hac re faciunt illi Patres, qui, vt VValdensis etiam commemorat, ipsum corpus & sanguinem Christi vocant Sacramentum. Placet mihi itaque sententia ista. Et hactenus de PRIMO, quod dixi esse controuersum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE SECVNDO autem, scilicet, An *etiam* consecratio & sumptio sint istud Sacramentum? Sotus distin. octaua, quæstione vnica, articulo primo dicit, Marsilij sentẽtiam esse in quarto, quæstione prima, articulo primo, & quæst. 6. artic. 2. quòd etiam consecratio, vt est actio quædam constituens ibi corpus & sanguinem Christi, sit Sacramentum. Sed certè Marsilius in neutro loco id declarat.

Nam in *altero* loco, tantùm Sacramentum Eucharistiæ vocat *simpliciter Sacramentum consecrationis*, quod potuit facere, etiamsi non putârit, consecrationem ipsam esse Sacramentum: sicut nos Sacramentum Confirmationis vocare possumus Sacramentum *impositionis manuum*, etiamsi minimè putemus, in illa impositione manuum constitutam esse substãtiam huius Sacramenti.

In altero verò loco solùm significare videtur Marsilius, consecrationem, vt consistit in verbis, esse *formam* Sacramenti Eucharistiæ. Hoc verò negari non potest. Etsi enim, Physicè loquendo, prolatio illa verborum non permaneat simul cum ipsis speciebus; tamen verè est forma substantialis huius Sacramenti propter coniunctionem cum speciebus *moralem*, vt suo loco docebimus. Atq; ita si consecratio accipiatur, non vt consecratio est, sed formaliter, vt est illa *prolatio* verborum; omnino ipsa est Sacramentum Eucharistiæ *inadæquatè*, id est, pars quædam eius.

Gabriel verò in 4. distinct. 8. quæst. 1. artic. 3. dub. 2. absolutè de consecratione loquens, ait, tum *consecrationem*, tum etiam *sumptionem* Eucharistiæ esse Sacramentum, atque adeò hæc omnia pertinere ad idem Sacramentum Eucharistiæ *aggregatione quadã & ordine*, eo videlicet modo, quo postea videbimus: & sic Gabriel declarat, Eucharistiam esse *vnum* Sacramentũ: quamuis hoc quidem de consecratione & *sumptione* asserat, vt inquit, non nisi *cum timore*.

Probat id autem: Quoniam definitio Sacramenti, scilicet *visibilis forma inuisibilis gratiæ*, seu *signum rei sacræ*, tam consecrationi, quàm sumptioni cõuenire videtur. Nam consecratio, quatenus fit per illa verba, signum est Christi præsentis. Deinde etiam, sicut diuinitùs institutum est, vt qui aqua Baptismi abluitur, consequatur gratiam & vitam æternam: ita etiam est institutũ diuinitùs, vt qui sumunt illas species, gratiam & vitam spiritualem consequantur. Ergo sicut ablutio Baptismi est signum illius gratiæ, quam in Baptismo consequimur; ita etiam sumptio specierum Eucharistiæ est signum gratiæ, quæ ibi datur.

SED hæ probationes non sunt firmæ. Nam quod ad *consecrationem* attinet, illa non propriè significat gratiam sanctificantem, si per se vt cõsecratio consideretur: quamuis vt est *prolatio* verborum, & forma huius Sacramenti, bene illam significat inadæquatè, sicut inadæquatè, vt ante diximus, est Sacramentum. Ita fit, vt non sit ipsa consecratio Sacramentum per se, vti vult Gabriel. Quoniam de ratione Sacramenti est, vt significet non quamcunque rem sacram, sed gratiam *sanctificantem*, vt suo loco definiuimus.

Deinde, quòd diuinitùs institutum sit, vt qui *sumit* species Eucharistiæ, consequatur gratiam; non est sufficiens argumentum, quòd *sumptio* specierum sit ex diuina institutione signum eiusmodi gratiæ. Quemadmodum etsi diuinitùs etiam institutum sit, vt qui bene operantur vsque in finem vitæ, mereantur & consequantur vitam æternam; tamen non eo ipso intelligimus, opera bona & merita esse signum diuinitùs institutum ipsius vitæ æternæ. Neque verò par est ratio de lauacro Baptismi. Nam illam ablutionem Ecclesia saltem nobis interpretatur esse diuinitùs institutam, vt per eam non quomodocunque, sed tanquam *per signum* consequamur puritatem gratiæ & spiritualem regenerationem.

Melior igitur & certior sententia est alterã communis, quam ibidem commemorat ipse Gabriel, & defendit Sotus distinct. 8. quæst. vnica, artic. 1. scilicet *consecrationem*, quatenus est *operatio* quædam, nõ esse nisi *Sacramentale* quoddam ipsius Sacramenti Eucharistiæ: *Sumptionem* autem esse etiam *Sacramentalem eius vsum*, nõ autem Sacramentum.

Quod præter rationes factas, inde etiam probari potest de *sumptione*. Quia nõ est aliqua præscripta forma verborum in celebratione Eucharistię substantialis & necessaria per quam necessariò significari debeat ipsa sumptio. Nam consecratio fit per sola illa verba: *Hoc est corpus meũ*, Et, *Hic est*, &c. quæ ipsa nõ significant sumptionem: & species consecratæ possunt administrari sine illis verbis: *Accipite & manducate*; aut aliis, quæ eiusmodi vsum significent, vt patet ex vsu & sententia Ecclesiæ, & ipsi etiam probabimus ex institutione Christi, quæst. 11.

Accedit, quòd sancti Patres de hoc Sacramẽto loquuntur, non nisi vt de re durabili & permanenti, cuius substantia nullo modo consistat in aliqua *operatione*. Vt cùm IVSTINVS in Apolog. 2. dicit: *Hic cibus à nobis Eucharistia appellatur*. Cibus autem, non aliqua operatio, sed res aliqua est permanens. Item idcirco passim Patres dicunt, Eucharistiam *offerri, portari, comedi*, &c. vt Hieronymus in 3. cap. Sophoniæ, & Ambrosius de vita Satyri, & alij loquuntur. Maneat itaque, Eucharistiam esse Sacramentum, & illud consistere *tantùm* in re *permanenti*, nempe in speciebus consecratis, & in corpore ac sanguine Christi, quatenus continetur sub illis.

PVNCTVM

PVNCTVM QVARTVM.

An hoc Sacramentum sit vnum, vel potiùs plura Sacramenta.

D. Thom. artic. 2.

MINIME deest ratio hac de re dubitandi in vtramque partem. Cùm enim sint in Eucharistia duæ diuersæ materiæ, & formæ; & de qualibet materia earum, vt habet ordinem ad suam formam, verè affirmemus, quòd sit Sacramentum Eucharistiæ; videntur esse duo Sacramenta. E contrario autem, cùm sint septem tantùm Ecclesiæ Sacramenta, ex quibus vnum est Eucharistia, videtur esse Sacramentum vnum.

RESPONDEO, illud ex fide certissimum esse, Eucharistiam aliquo tandem *vnitatis* modo esse Sacramentum *vnum*. Patet: Quoniam ex fide certum illud est, Sacramenta nouæ legis esse septem, de quorum numero Eucharistia sit vnum. SED de modo illius vnitatis est QVAESTIO.

Et Gabriel quidem in quarto, distin. octaua, quæstione secunda sentit, Eucharistiam esse vnum Sacramentum, non specie atoma, sicut est Baptismus vel Confirmatio; sed tantùm *ordine & respectu* quodam ad vnum totale *aggregatum* ex corpore & sanguine Christi, quod quælibet species significat, partim primariò, partim secundariò, propter concomitantiam sanguinis cum corpore sub specie panis, & corporis cum sanguine sub specie vini. Item *ordine & respectu* ad *vnam* & absolutam *refectionem*, quæ existat ex cibo & potu.

Atque isto eodem modo, scilicet secundùm hunc respectum, dicit ad hoc vnum Sacramentum pertinere Sacramentum illud, quod putat ipse esse in consecratione, & etiam in sumptione. Et nihilominus censet, omnia ista secundùm diuersas species, consecrationem, & sumptionem esse alioqui *diuersa Sacramenta*, *simpliciter loquendo*, sicut diuersi ordines censentur simpliciter esse *diuersa Sacramenta* specificè & essentialiter: Quamuis omnia dicantur esse vnum Sacramentum *vnitate cuiusdam ordinis*.

SED certior ac solidior est sententia communis, quam D. Thomas hîc ponit art. 2. & defendit Sotus dist. 8. quæst. vnica, art. 2. & Victoria, q. 52. & Alanus lib. 1. de Eucharistia, cap. 2. esse videlicet Eucharistiam *formaliter* vnum Sacramẽtum, secundùm *speciem atomam*: Materialiter autem esse plura, propter diuersitatem specierum, Vtrumque declarandum est.

Ac esse quidem *formaliter* vnum Sacramentum, ita intelligi debet. Ratio formalis & specifica Sacramenti huius est, significare spiritualem animæ refectionem, quam etiam efficit. Hæc significatio & in vtraque specie est, & in earum qualibet. Nam vt vtraque species, & quælibet, reficit corpus: ita etiam propter analogiam vtraque & quælibet significat animæ refectionem, vt refectio quidem *commune quiddam* est refectioni, quæ determinatè fit secundùm cibum, & refectioni, quæ fit etiam determinatè secundùm vini potum. Ita igitur & vtraque species & quælibet refectionem spiritualem similiter secundùm rationem specificam & communem refectionis significat & efficit, quantum ad salutem quidem satis est, vt infrà suo loco docebimus. Hoc autem cùm ita sit, consequitur, vtramq; speciem simul, & earum quamlibet per se, non esse specificè & formaliter nisi *vnũ et idem* Sacramentum: quoniam in vtraq; & in qualibet est eadem ratio Sacramenti formaliter, nempe illa significatio, vt est expositum.

Atque hanc rationem vnitatis huius Sacramenti, Scriptura etiã subindicâsse videtur, cùm de vtraque specie coniunctim agit tanquam de his rebus, quæ referuntur ad eandem animæ refectionem. Vt Ioann. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Et 1. Corinth. 10. *Vnus panis & vnum corpus omnes sumus in Christo, qui de vno pane & de vno calice participamus.*

Ac intelligitur ex eadem explicatione, deceptum fuisse Gabrielem, quòd non magis *vnum* esse intellexerit hoc Sacramentum quàm Sacramentũ Ordinis. In Ordinibus. n. suo loco docebimus esse rationes specificas Sacramentorum plures: hîc autem est vnica, vt explicatum est.

Quòd verò Eucharistia sit *materialiter* plura Sacramenta, ita etiam intelligi debet. Plura Sacramenta materialiter tunc inprimis sunt, cùm plures sunt res, in quibus inest ratio essentialis & specifica alicuius Sacramenti. Sunt autem plures res, in quibus inest ratio specifica Eucharistiæ, quam ante exposuimus, nempe illa refectionis significatio. Nam inest & in vtraque specie *coniunctim*, & in earum *qualibet*, vt est dictum. Iam verò vtraque species *coniunctim*, diuersa res est, ab altera specie sola, sicut includens & inclusum (vt dicunt) Item vna species ab altera etiam specie differt. Sunt igitur plura hîc Sacramenta materialiter.

Deinde etiam plura materialiter in aliqua specie rectè dicuntur illa, quæ cùm participent eandem rationem speciei; differunt tamen rationibus indiuiduis & determinantibus illam speciem. Sic autem & vtraque species *coniunctim* à qualibet sola, & vna species ab altera in proposito differunt. Nam præter significationem illam specificam, nempe *spiritualis refectionis* absolutè, quæ constituit formaliter hoc Sacramentum, possumus etiam hîc considerare *determinatam* significationem *talis* vel *talis* refectionis, scilicet aut per modum *cibi*, aut per modum *potus*, aut per modum *vtriusque coniunctim*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& integrè. Cùm verò illa significatio refectionis absolutè sit in hoc Sacramento *specifica*, intelligendum est, alterâ illam magis determinatam, scilicet per modum potus, aut cibi, aut vtriusq; , quæ inest in vna, vel altera, vel in vtraque specie, esse hîc individualem. Ita fit, vt in *individuo*, atque adeò materialiter, plura Sacramenta sint vtraque species coniunctim, & species vna, atque altera per se considerata.

Ac secundùm *individuam* quidem rationem, vtraq; tantùm species coniunctim est & dici solet Sacramentum Eucharistiæ *perfectum & integrum*: quoniam tantùm in vtraq; cõiunctim est integra significatio perfectæ & integræ refectionis, & quasi conuiuij, quod constat videlicet ex vtroque, nempe ex cibo & potu: & nihilominus tamen secundùm rationẽ *essentialem & specificam*, integrum & perfectum Sacramentum cõsistit in qualibet specie: Quoniam quælibet, vt dictũ est, significat simpliciter spirituale refectionem, & eam efficit, quantum ad salutem satis est, vt infrà etiam repetemus, & declarabimus magis, cum disputatio erit de communione Laicorum sub specie altera.

Perspicuum est igitur ex his, vtrumq; verum esse, diuersa ratione; scilicet Eucharistiam esse & *vnum* Sacramentum, & *plura*. Atq; hoc efficiunt argumenta illa priùs proposita in vtramq; partem. Et ob eam rem etiam à S. Patribus Eucharistia nunc vnum *Sacramentum* appellatur, nunc plura; vt cùm absolutè dicunt, *Sacramenta Dominica*, &c. Quemadmodum appellat Alexander Papa, apud Gratianum de Consecratione dist. 2. initio, & Cyprianvs in sermone de Cœna Domini, & Ambrosivs lib. 5. de Sacramentis, capite 1. & alij.

PVNCTVM QVINTVM.

An hoc Sacramentum sit ad salutem necessarium.

D. Thom. artic. 3.

Dicendvm est Primo ex communi sententia, quam ponit D. Thom. art. 3. non ita omnibus esse necessarium hoc Sacramẽtum, vt nisi quis *reipsa* illud suscipiat, saluus esse non possit: quãuis effectus quidem huius Sacramenti communis etiam Sacramentis aliis, scilicet vnio hominis cum Christo per gratiam, necessarius est omnibus, vt D. Thomas ibidem notauit. Sed quòd hoc Sacramentum non sit in re necessarium, patet: Quoniam multi salutem consequuntur sine illo in re suscepto; vt paruuli baptizati, & adulti etiam aliqui, cùm non possunt habere illius copiam.

Secvndo dicẽdum est, illud esse ad salutem necessarium ex *præcepto diuino* omnibus adultis. Id patet Ioann. 6. Nisi *manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Nam quòd ibi Christus de Sacramenti vsu locutus sit, est sententia omnium ferè Patrum, vt suo loco docebimus q. 8. Quanquam neque ita hic locus intelligendus est, vt oporteat ab omnibus & singulis comedi carnem Christi, & bibi sanguinem sub diuersis speciebus panis & vini, vt planum faciemus infrà in dicta quæst. 8.

Colligimus autem ex ea Christi sententia præceptum diuinum Eucharistię pro adultis, & non pro paruulis: Quoniam & vsus Ecclesiæ, & ratio quoque, & natura huius Sacramenti de ea re nos admonet. Nam vt nutrimentum corporale non est simpliciter ad vitam necessarium, sed quasi *ex hypothesi*; quia videlicet continuè minuitur per actionem caloris humor vitalis: ita etiam Sacramentum spiritualis nutrimenti ad spiritualem vitam, non intelligitur ex præcepto Christi esse necessarium, nisi iis, qui rationis vsu iam prædicti, possunt peccando aliquid amittere subinde virium spiritualium.

Alia verò ratio est de necessitate Baptismi: quoniam *regeneratio* spiritualis simpliciter & absolutè omnibus necessaria est ad vitam spiritualem: atq; ideo suprà disput. 4. q. 3. p. 4. ex illo simili loco Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* colligebamus, æquè paruulis atq; adultis esse Baptismum necessarium.

Accedit, quòd, cùm sumere Eucharistiam, sit *actio* quædam; non est intelligendum, paruulos ex illo Christi præcepto necessariò participare debere Eucharistiam, cùm hoc nõ possint facere *actione* sua propria *diiudicando* corpus Domini; vt facere oportet, ex sententia Apost. 1. Cor. 11. Baptismus autem cùm sit quædam *passio*, non mirum, si etiam paruulis necessarius sit, quoniã sunt *passiuæ regenerationis* capaces. De consuetudine autem illa, quæ olim obtinuit, vt Eucharistia citra præcepti diuini necessitatem, paruulis communicaretur, dicemus infrà quæst. 8. suo loco.

Porro cùm D. Avgvstinvs libro 4. contra duas epist. Pelagian. cap. 22. citatus à D. Thoma art. 3. significat, paruulis etiam necessariam esse Eucharistiam; intelligi debet secundùm *rem* seu *effectum* ipsius Eucharistiæ, qui est vnio per gratiam cum Christo capite; non autem secundùm rationem ipsam huius Sacramenti. Item intelligi debet secundùm quoddam *implicitum* votum Eucharistiæ, quod, vt hîc docet D. Thomas, continetur ipsa susceptione Baptismi. Nam & hæc propter sequentes caussas, censeri quodammodò potest Eucharistiæ votum.

Primò: Quoniam Eucharistia est finis & perfectio omnium Sacramentorum. Omnis autem res, quæ ad finem aliquem refertur, vel quæ affecta est re aliqua pertinente & ordinata ad aliquem finem, inclinatione quadam & quasi voto propendet in eiusmodi finem.

Secundò

Secundò: Quoniam vt vita naturalis eget nutrimento corporali, atque adeò in illud inclinatione quadam fertur: ita etiam qui per Baptismum obtinet vitam spiritualem, inclinatur ac propendet in Sacramentum spiritualis nutrimenti.

Tertiò: Quoniam gratia, quæ per Baptismum communicatur, hoc ipso, quòd rectè afficit animum, disponit eum quodammodò, secundùm inchoationem quandam, vt habeat suo tempore rectam illam voluntatem suscipiendi Eucharistiam, cùm eam suscipere oportebit. Itaque in ipsa gratia Baptismi, est quasi primordialiter hac ratione quoddam votum Eucharistię. Quoniam igitur paruulis etiam Baptismus necessarius est, & in Baptismo votum eiusmodi continetur Eucharistiæ; rectè dici potest, paruulis quoque esse necessariam Eucharistiam, secundùm tale illius votum: In re tamen non est ipsa eis necessaria.

Ex quo intelligitur, rectè D. Thomam hîc dixisse, Eucharistiam non tam esse necessariam ad salutem, quàm Baptismum. Cuius comparationis duas rationes reddit. *Prima*: Quoniam Baptismus requiritur tanquam *principium* quoddam vitæ spiritualis, quandoquidem per illum regeneramur: Eucharistia verò requiritur, *vt sit nos & perfectio* quædam Baptismi. Vnde deducit D. Thomas, Baptismum esse necessarium in re. Eucharistiam autem esse necessariam eo modo, quo solet finis requiri & esse, scilicet in *intentione* & in voto.

Hoc autem Caietanus in art. 3. & Sotus dist. 8. quæst. vnica, art. 3. ita declarant, vt sententia D. Thomæ sit, Baptismum *per se loquendo*, esse necessarium *in re*, quia requiritur vt principium spiritualis vitæ; & *per accidens* fieri, vt sufficiat in voto, cùm scilicet non potest illius copia haberi. E contrariò autem, Eucharistiam *per se* quidem, si videlicet cogitetur vt finis & perfectio vitæ spiritualis, esse necessariam *in voto*, vel Baptismi, vel etiam deliberatæ voluntatis in adultis: *Per accidens* autem requiri etiam illam *in re*, cùm scilicet ex præcepto diuino potest ac debet suscipi ab adultis, vt instauretur & reficiatur vita spiritualis. Et hoc quidem ita non malè dictum est, si vtrumque intelligatur intra limites necessitatis ex *diuino præcepto*, tum Baptismi, tum Eucharistiæ: quo pacto arbitror omnino D. Thomam hanc totam differentiam Baptismi & Eucharistiæ intellexisse.

Quod verò Sotus hanc differentiam refert ad necessitatem quandam, nõ tantùm ex præcepto diuino; sed etiam, quam vocant necessitatẽ *medij*, respectu finis, qui est vita æterna; non est satis solidum, neque, vt putò, secundùm mentem D. Thomæ. *Necessaria* enim isto modo, scilicet *necessitate medij*, ea solùm dici debẽt, sine quibus nullo modo fieri potest, vt aliquis salutem aut vitam ęternã consequatur; cuiusmodi est gratia, itemq; fides supernaturalis, de aliquo saltem supernaturali obiectio, &c. Constat autẽ isto modo, Baptismum *in re* non esse ad salutem necessarium; & multò minùs Eucharistiam. Quod si necessaria ad salutem ex hypothesi aliqua, velimus appellare necessaria *necessitate medij* ad salutem; omnia, quæ sunt necessaria ad salutem ex præcepto quocunque, obligante ad mortale, dici possent sic necessaria necessitate medij, scilicet cum possunt seruari, & id est opportunum ac debitum ex præcepto. Qui modus loquendi Theologis minimè est vsitatus.

Secunda ratio, quam D. Thomas affert, cur Eucharistia sit minùs necessaria, quàm Baptismus, est: Quoniã susceptio Eucharistiæ pluribus modis suppleri potest; scilicet non tantùm per votum propriæ ac deliberatæ voluntatis, sed etiam per votum illud implicitum, quod paulò antè declarauimus in ipso Baptismo contineri. Baptismi autem susceptio non potest suppleri per aliquod eiusmodi votum, quod in aliquo antecedente Sacramento contineatur: siquidem ipse Baptismus est Sacramentum omnium primum; sed solùm potest suppleri per votum propriæ voluntatis, quod est Baptismus Flaminis; aut etiam per Baptismũ Sanguinis in paruulis quoque, qui Baptismus etiam contineret implicitè votum Eucharistiæ. Est etiam Eucharistia necessaria ex præcepto *Ecclesiastico*. Sed qua ratione & quomodo, id præceptum obliget, docebimus infrà q. 8. suo loco.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO SECVNDA.

De Materia Sacramenti Eucharistiæ.

D. Thom. 3. part. quæst. 74.

TRACTATIO DE MATERIA SACRAMENTI EVCHARIstiæ quadripartita est, & ideo quatuor in ea Quæstiones sunt explicandæ. Videndum est enim primò, quænam materia sumi debeat ad conficiendam ipsam Eucharistiam; qua de re disputat D. Thomas in hac quæstione. Secundò videndum, qualis eiusmodi materia permaneat post ipsam confectionem Eucharistiæ: vtrum scilicet in illa adsit præsens corpus & sanguis Christi: & vtrum eiusmodi materiæ, quæ ad confectionem Eucharistiæ vsurpata fuerit, restet substantia, an solùm accidentia, &c. De quibus tractat D. Thomas quæst. 75. Tertiò videndum præterea, si corpus & sanguis Christi in eiusmodi materia, post Eucharistiæ confectionem sunt, quomodo nam ibi sese habeant. Quam rem D. Thomas explicat quæstione 76. Quartò denique videndum est, qua ratione etiam, quicquid illud est, quod de materia Eucharistiæ, post illius confectionem supereſt, sese ibi habeat. De quo D. Thomas agit, quæst. 77.

De conditione igitur Materiæ assumenda in confectionem Eucharistiæ, tria Puncta sunt explicanda in hac Quæstione. PRIMO, Quænam & qualis esse debeat Materia Eucharistiæ. SECVNDO, Quantam esse oporteat. TERTIO, Quonam modo vsurpari ea Materia debeat ad confectionem Eucharistiæ.

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam, & qualis esse debeat Materia Eucharistiæ.

D. Thom. art. 1, 3, 4, 5, 6, 7, 8.

EX FIDE CERTISSIMA EST ILLA A sententia, quam D. Thomas ponit hic articulo primo, scilicet Materiam Eucharistiæ esse PANEM, & VINVM. Id patet *Primò* ex Christi institutione. Nam accipiens *panem*, &c. & similiter postea *calicem*, &c. Matth. 26. Quòd enim in eo calice vinum consecrârit, ac instituerit materiam Eucharistiæ, perspicuum est ex narratione Matthæi, capite 26. & Lucæ 22. Nam apud Matthæum, vocat Christus id, quod continebatur in eo calice, *genimen vitis*, post eius consecrationem. Et apud Lucam ante consecrationem inquit: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis*, &c.

Deinde est eadem Assertio definita ab Ecclesia in Cap. Firmiter. de Summa Trinitate & fide Catholica. & in multis Canonibus. de Consecratione distinct. 2. & in Concilio Florentino in decreto Vnionis.

Tertiò huius institutionis rationes congruentes explicat Diuus Thomas hic articulo primo, ex quibus præcipua ducitur à commoditate, quæ est in pane & vino, ad significandam & effi-

ciendam refectionem spiritualem: Itemq; vnionem corporis Christi mysticè, id est, Ecclesiæ cum Christo, quæ etiam per hoc Sacramentum B significatur. Nam vt vnus panis ex multis frumenti granis conficitur, & vinum etiam ex multis vuis compressis: ita ex multis *fidelibus* vnum existit Ecclesiæ corpus vnitum cum suo capite Christo. Quæ consideratio fuit etiam in hoc proposito Diui Augustini, Tractatu 26. in Ioannem, & Bedæ super illud prima Corinthiorum decimo: *Vnus panis & vnum corpus omnes sumus in Christo.*

Porro cùm hæc Assertio certissima sit; rectè olim à sanctis Patribus refutatæ fuerunt variæ atque portentosæ hæreses de materia Eucharistiæ, quæ omnes pugnant cum Christi institutione: Quanquam nullos habeant iam Sectatores. Itaque breuissimè tantùm eas recitabo. Ac inprimis Cataphrygæ, vt Augustinus refert libro de hæresibus, capite vigesimo sexto, fari-nam miscebant cum sanguine, quem ex infantis alicuius corpusculo ad eam rem minutis vulneribus eliciebant. Item Peputiani ad panem adhibebant etiam caseum: vt Augustinus libro de hære-

de hæresibus, cap. 28. & Epiphanius hæresi 69. referunt. Vnde Artotyritæ dicti sunt illi hæretici. Quos duos errores D. Thomas etiam commemorat hic articulo primo. Præterea Manichæi farinam, quod erat horribilius, miscebant cum humano semine, vt scilicet materia illa sic mundaretur, & redderetur apta ad Eucharistiam. Quem errorem refert Augustinus libro de hæresibus, capite quadragesimo sexto. Item Ophitæ dicebantur quidam, quòd colubrum iuxta altare alerent, vt panem lambendo præpararet ad Eucharistiam, vt Augustinus commemorat de hæresibus, capite decimo septimo. Quanquam hi quidem, licet in ea re sacrilegè facerent, tamen si verum alioqui panem adhibebant, non ideo conficiebant inualidè Eucharistiam.

Rursus quod ad alteram materiæ partem attinet, VINVM scilicet, errarunt Aquarij, ideo sic appellati, quoniam aquam tantùm in calice offerebant, contra quos disputat Diuus Cyprianus libro tertio epistolarum, epistola secunda ad Cæcilium, & Chrysostomus homilia 83. in Matthæum, & Augustinus in libro de hæresibus, hæresi 64. Item Manichæi non adhibebant omnino vinum, eò quòd illud abominabantur; sed tantùm in altera illa sua turpissima specie, quam antè diximus, contra Christi institutionem Eucharistiam conficere conabantur: vt Augustinus passim commemorat in libris contra Faustum Manichæum, & Leo etiam refert sermone quarto de Quadragesima. Item Marcosiani, à quodam Marco sic appellati, in aqua cõficiebant, pauxillo albo vino admixto, quam quidem aquam incantatione quadam rubram reddebant, vt facerent aptam materiam Eucharistiæ: sicut colligere licet ex Irenæo libro primo aduersus hæreses, capite nono, & Epiphanio hæresi trigesima quarta. Alij offerebant lac vini loco, vt ex Concilio Braccarensi III. in præfatione apparet: vbi etiam fuerunt alij quidam notati, quòd vuarum botros compressos etiam sine succo offerrent in calice pro vino. Huiusmodi autem omnes errores, cùm certissimè repugnent ipsi institutioni Christi, planum est nullo potuisse niti probabili fundamento. Itaque recensuisse breuiter satis fuerit ad eorum refutationem.

SED cùm ex Christi institutione certum sit, panem & vinum, vt diximus, esse materiam huius Sacramenti, videndum est deinde, QVALEM panem, & QVALE vinum oporteat esse. Et quod ad PANEM attinet, quamuis à variis dicantur hic varia; omnes tamen in hac Assertione generali consentiunt, panem videlicet debere esse *verum*, & qui simpliciter censeatur atque appelletur panis, ordinatus videlicet ad victum hominum. Nam institutio diuina de eiusmodi pane simpliciter & absolutè loquitur.

Et Caietanus quidem hîc articulo tertio, non interesse putat, ex quibus granis panis fiat; sed illud tantùm attendendum, an sit *verus & humanus* panis, siue fiat ex granis huius speciei, siue illius. Nam fit sæpè, inquit, vt aliqua res vnius & eiusdem speciei conficiatur ex rebus specierum diuersarum; vt idem sanguis sit ex diuersissimis speciebus ciborum: Modò igitur panis verus, qui simpliciter talis dicatur, fiat, nihil referet, ex quibus granis ille conficiatur.

Et sanè verum est hoc, quod notat Caietanus, si mens eius est, illud tantùm *per se quidem* attendi debere, an panis, qui conficitur, sit verus panis. Quoniam ex institutione Christi hoc solum habemus, Eucharistiæ materiam panem esse debere. Nihilominus tamen attendendum erit, ex quibus granis panis conficiatur, vt inde etiam intelligi possit, an ille, postquam confectus est, habeat rationem *veri panis*: Quod (vt dixi) præcipuè & *per se* considerari in hac re debet.

Neque verò *natura* tantùm granorum ad cognoscendam veritatem panis considerari debet; sed etiam *modus*, quo panis conficitur ex granis. Nam ex vtroque capite, scilicet ex granis, vnde panis conficitur, & ex conficiendi modo pendent aliquæ particulares huius loci difficultates.

Et quod attinet quidem ad ipsam *naturam* granorum, communis sententia est, illum solum esse verum panem aptum ad Eucharistiam, qui sit ex tritico. Ita censet D. Thomas hîc articulo tertio. Alexander Alensis quarta part. quæstione 32. membro secundo. Richardus distin. 11. articulo secundo, quæstione secunda. Bonauentura distinct. 11. articulo primo, quæst. quarta. Scotus eadem distinct. quæstione sexta. Durandus quæst. 4. Paludanus quæstione prima. Victoria in libello de Sacramentis, quæst. 55. Sotus distinct. 9. quæst. 1. artic. 3. & quod plus est, ita etiam docet Concilium Florentinum sub Eugenio IV. cuius verba sunt: *Materia Eucharistiæ sunt panis triticeus, & vinum de vite.*

Sed notari tamen debet, *triticum* hîc vtcunque latè accipi. Nam Diuus Thomas & alij Doctores citati, granum etiam, ex quo contingit generari triticum, vel quod quandoque ex tritico generatur, intelligunt nomine tritici. Huiusmodi granum est *siligo*, vt Diuus Thomas & alij explicant. Item multorum etiam sententia est, ex *farre* & *spelta* confici posse eiusmodi verum panem, aptum ad Eucharistiam. Sic censet Albertus Magnus in quarto, distinctione vndecima, articulo decimo quarto. Paludanus eadem distinctione, quæstione prima. Caietanus hîc articulo tertio. Sotus dist. 9. quæst. 1. artic. 3. Victoria quæst. 55. de Sacramentis.

Hoc tamen de farre & spelta negat D. Thomas articulo tertio ad secundum, atque adeò

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm res non admodum certa sit, notat Victoria loco citato, atque etiam Petrus de Soto lectione secunda de Eucharistia, peccatum fore, si quis panem ex *farre*, aut ex *spelta* confectum vsurpat ad Eucharistiam. Ac multò etiam magis peccatum erit, si quis pane vtatur, de quo dubium est, an sit corruptus, vt idem Petrus de Soto & alij notant.

Ex hordeo autem, aut milio, aut fabis, & aliis eiusmodi, quæ propter necessitatem solent etiam ab hominibus *per accidens* ad victum vsurpari, extra controuersiam est, non posse confici panem aptum ad Eucharistiam: Quoniam talis nō est verè ac simpliciter panis *humanus*.

Item communis sententia est, non posse fieri ex amylo, quod est quasi lac quoddā expressum ex tritico. Ita docet D. Thomas hic art. 3. Scotus dist. 11. quæst. 6. Sotus dist. 9. quæst. 1. art. 3. & Victoria quæst. 55. de Sacram. Quamuis Paludanus dist. 11. quæst. 1. contrarium putat: sed malè.

Iam verò ex parte *modi* conficiendi huiusmodi panem, in primis necessaria est decoctio. Itaque omnes sentiunt, ex cruda farinæ pasta seu massa, non posse confici Eucharistiam. Quoniam illa non est verè ac simpliciter panis. Neque quilibet coquēdi modus satis est: sed oportet, vt fiat per modum assationis; vt sub cineribus, aut in furno, aut quod est perindè, in ferro calido. Vnde Sotus, Caietanus, & Victoria vbi suprà, rectè negant, posse fieri Eucharistiam ex massa *frixa* aut *elixa* in aqua, &c. Quoniam eiusmodi res non sunt verè panis; sed aliud quoddam genus obsonij, quomodocunque illud appelletur. Neque interest, vtrum propter diuersos istos modos decoctionis differant hæc species, an tantùm accidentaliter: satis nobis est, quod nisi massa assetur, non censetur moraliter fieri verum ac humanum panem.

Putat etiam D. Thomas hic artic. 7. ad 3. non fore verum panem, nisi ad farinam aqua adhibeatur simplex & naturalis: nec sufficere rosaceam aquam, aut alterius modi liquorem. Quod idem sentiūt Paludanus distinctione vndecima, quæstione prima, & Sotus distinctione nona, quæstione prima, articulo sexto. Sed Caietanus tamen in dicto articulo septimo censet, fore nihilominus verum panem, si propter aquam rosaceam cernatur tantùm differētia in pane quoad odorem, vel aliquod eiusmodi accidens. Neque mihi videtur hæc opinio Caietani improbabilis: etsi Sotus quidem dicat, illam non esse satis tutam; cuius tamen censuræ nullam reddidit rationem. Esset autem peccatum sine dubio, adhibere aliquam eiusmodi aquam nō naturalem.

Quod si quis velit defendere omnino sententiam D. Thomæ, scilicet non fore verum panem, nisi ex aqua naturali fiat; dicat, rationem esse: Quoniam alioquī non erit panis humanus & ordinarius secundum commune iudicium hominum *morale*; sed erit aliqua alia pasta confecta non tam ad victū hominis simpliciter, quàm ad voluptatem. Vt si farina misceretur cum lacte amygdalino v. g. & ita coqueretur, non esset simpliciter panis. Sed quia videtur non esse eadem ratio de aqua rosacea, vel alio eiusmodi liquore, qui sit aquæ naturalis simillimus, dico, vt antè dixi, opinionem Caietani non esse improbabilem.

Porrò PANIS aptus ad Eucharistiam, quod ad QVALITATEM quidem attinet, debet necessitate præcepti Ecclesiastici esse in Ecclesia Latina AZYMVS, sicut docet Diuus Thomas articulo quarto. In Ecclesia autem Græca debent Sacerdotes, secundùm illius Ecclesiæ consuetudinem, Eucharistiam conficere ex pane fermentato, vt idem Diuus Thomas docet. Qui proinde ob diuersas has Ecclesiæ Latinæ & Græcæ consuetudines, quarum vtraque suas rationes habet, peccare dicit Sacerdotem, qui in Ecclesia Græca conficeret in azymo: sicut peccaret, qui conficeret in fermentato, in Latina Ecclesia. Quod confirmatur decreto Concilij Florentini sub Eugenio IV. Ibi enim dicitur, Eucharistiam *in vtroque, scilicet in azymo & in fermentato, posse confici: Sacerdotes autē debere consecrare in altero, vnumquemq; secūdùm ritum suæ Ecclesiæ, Latinæ vel Græcæ.* Quam sententiam Concilij refert etiam Caietanus hic artic. 4.

Quare falsus est Paludanus in 4. dist. 11. quæstione prima, artic. 4. vbi scripsit, posse licitè in Ecclesia Græca confici Eucharistiam ex *azymo*, eò quòd nemo debeat se consuetudini illius Ecclesiæ conformare, cùm sit schismatica. Respondent enim ad hoc rectè Caietanus in dicto artic. 4. & Sotus dist. 9. quæst. 1. art. 1. eam consuetudinem non esse illius Ecclesiæ, quatenus schismatica est: siquidem fuit antiquior schismate; ac proinde seruandam à Græcis esse.

Neque tamen est dubitandum, quin vt asserit D. Thom. hic art. 4. Consuetudo Ecclesiæ Latinę sit rationabilior, & magis consentanea institutioni Christi: siquidem is in pane azymo Eucharistiam consecrauit. Nam eam instituit & consecrauit *primo die azymorum*, id est, decima quarta Luna, vt ostendimus disputat. 2. quæst. 3. De quo die primo azymorum, in lege ita præceptum erat: *In die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Israël, à primo die vsque ad diem septimum.* Exodi 12. Nec dubium est, quin exactè Dominus seruauerit tunc hoc præceptum, cum præsertim illo vltimo tempore cauere oportuerit, ne Iudæi viderētur habere probabilem causam illum accusandi.

Nunc quod ad alteram partem Materiæ attinet, nempe VINVM, sciendum est, illud omnino debere esse collectum ex vite, vt D. Thomas docet hîc articulo quinto, & sentiunt omnes Doctores. Id patet Matthæi 26. & Lucæ 22. Et est definitum

definitum in Concilio Florētino vbi suprà. Neque interest, vtrum vini ex vite sint plures species, an vnica, in qua plura ac diuersa indiuidua secundùm qualitates & accidentia multum distincta contineantur: Satis est, vt sit vinum ex vite, quoniam hoc solùm requirit Christi institutio; siue sit rubrum, siue album, &c.

Hinc PRIMO sequitur, Acetum non esse materiam aptam Eucharistiæ, vt Diuus Thomas hic & omnes Doctores docent. Quoniam est potiùs vini corruptio. Huius argumentum est, quòd non contingit regressus in vinum ex aceto, vt etiam docuit Philosophus 8. Metaphys. text. 14. In vino autem acescente, modò verum sit vinum, potest confici Eucharistia, sicut Diuus Thomas hic notat artic. 5. ad 2.

Ac de vino acescente accipi potest, quod ait Innocētius lib. 4. de Officio Missæ, cap. 30. scilicet vinum acidum, quod acetum, inquit, appellatur, posse esse materiam. Item sic fortè locutus est Isidorus lib. 20. Etymologiarum, cap. 3. vbi ait, Acetum esse quandam speciem vini, quod de vite sumitur: ad quod testimonium respondet hic D. Thomas loco citato. Fallitur igitur Glossa in Cap. *Sicut*. 1. de Consecratione, dist. 2. cum affirmat, ex aceto posse fieri Eucharistiam: propter quod rectè reprehenditur à Soto quæst. citata, art. 5. & à Victoria quæst. 59.

SECVNDO sequitur, neque ex *agresta* posse Eucharistiam confici. Ratio est: Quoniam nondum est vinum, cùm in ea desideretur adhuc necessaria concoctio, vt rectè Sotus, & alij cōmuniter notant.

TERTIO sequitur, vuas ipsas nondum esse aptam materiam. Primo: Quoniam dubium est, an liquor ibi contentus, etiamsi sit maturus, differat specie à musto & vino iam expresso, maximè cùm sit ibi ille liquor continuus vuarum pelliculis, vt notat Sotus loco citato. Deinde, & maximè: Quoniam ibi non est vini liquor, per modum *potabilis*; id quod requiritur, vt rectè Sotus, & etiam Victoria quæstione 59. de Sacramentis, ad hanc rem argumentantur. Quare quod in Can. *Didicimus*. de Consecrat. distinct. 2. permittitur, vt vuæ in altari benedictæ, deinde distribuantur post oblationem populo; non de consecratis vuis intelligendum est; sed de benedictis ad gratias agendas pro fructibus, vt rectè Sotus explicauit in dicto art. 5.

QVARTO sequitur, ob eandem rationem videri posse probabile, quòd censet Alanus libro primo de Eucharistia, capite vndecimo. Neque in vino prorsus congelato posse fieri consecrationem. Nam similiter non est sic potabile. Et quamuis contrarium probabiliter etiam sentit Sylvester V. Eucharistia 2. num. 15. circa finem, quia non differt specie, cum est congelatum, & quia est verum Sacramentum, quando post consecrationem fuit congelatum: tamen peccaret meo iudicio grauissimè (cum res sit dubia) qui congelatum vinum consecraret antequam liquefaceret, vt facilè fieri potest. Atque idem est iudicium Soti in 4. distin. 9. quæst. 1. artic. 5. in fine.

QVINTO sequitur, posse verè consecrari *mustum*, vt communiter omnes concedunt: quamuis sine aliqua necessitate non debeat hoc fieri. Ratio est: Quoniam mustum non differt specie à vino, sed tantùm accidentaliter, eò quòd non est vsque adeò decoctum. Atque ita concessit Iulius Papa huius nominis primus, de Cōsecratione, distinct. 2. Cap. *Cùm omne*, vt in necessitate vuæ exprimantur in calice, & sic fiat consecratio.

Præterea non satis est, vt sit verum vinum, sed etiam necessitate præcepti, quamuis non necessitate Sacramenti, oportet, vt AQVA modica misceatur, quæ scilicet facilè conuerti possit ante consecrationem in vinum. Id totum declarat D. Thomas hic articulo 6. 7. & 8. Ac probatur primùm, aquam esse vino admiscendam ex vsu Ecclesiæ antiquissimo, & testimonio totius antiquitatis, vt inter cæteros diligenter ostendit Guilielmus Alanus lib. 1. de Eucharistia, cap. 13. Nam in Liturgia seu ritu Missæ Basilij, & Iustini in Apolog. 2. atque etiam in officio Ambrosij, & in omnibus aliis Missæ formulis ab Ecclesia probatis ita habetur. Item in VI. Synodo, canone 32. & Concilio III. Carthaginensi, canone 24. cui Concilio interfuit Diuus Augustinus, & Braccarensi III. canone primo. Ita etiam in Florentino, & in Tridentino, sess. 22. can. 7. & canone 9. Atque idem decretum est in multis Canonib. de Consecrat. dist. 2. quorum aliqui sunt antiquissimorum Pontificum, vt Alexandri I. in epistola ad omnes Orthodoxos, & Iulij I. in epistola ad Episcopos Aegypti.

Ac idem asserunt communiter omnes Patres; maximè CYPRIANVS ex instituto lib. 3. epistolarum, epist. 2. vbi ex institutione & præcepto Christi probat, neque solam aquam, neq; solum vinum; sed vinum aqua mixtum esse in calice offerendum. Item AMBROSIVS lib. 5. de Sacramentis, cap. 1. AVGVSTINVS de doctrina Christiana, lib. 4. cap. 21. ex D. Cypriano. DAMASCENVS lib. 4. fidei Orthodoxæ, cap. 14.

Deinde id probatur exemplo & præcepto Christi, quem omnes veteres Patres, imò etiam recentes hæretici, (vt videre est apud Kemnitium in examine sess. 22. cap. 7. & can. 9.) credūt, vinum aqua dilutum in vltima Cœna vsurpauisse, ex more scilicet in illis locis Orientalibus, vbi vina sunt fortia, seruato ab illis saltem, qui erant ibi temperantiores. Itaque orthodoxi Patres citati etiam sibi persuadent, Christum, sicut ipse vinum dilutum consecrauit, ita etiā Apostoli, vt facerent, ac posteris traderent, præcepisse. Quod disputat præcipuè loco citato Cyprianus.

Vnde Pōtifices illi antiquissimi, cùm mixtionem hanc aquæ faciendā esse asserunt, tanquam

Universidad de Deusto
Biblioteca

de re loquuntur, quam non ipsi primùm præciperent, sed quæ necessariò fieri deberet ex traditione Christi & Apostolorum, vt rectè notauit Sotus dist. 9. quæst. 1. artic. 6. & Alanus libro 1. de Eucharistia, cap. 13.

Itaq; licet in Concilio Trident. illud tantùm dicatur, quod est certissimũ, scilicet esse hac de re præceptum Ecclesiasticum: probabilissimum tamen etiã est, esse item eiusdem rei præceptum Christi & traditionem Apostolicam.

Postremò, eandem Ecclesiæ praxin cõfirmant bonæ & congruentes rationes, quæ ex huius Sacramenti significatione ducuntur. Nam sanguis Christi effusus meliùs significabitur, si ad vinum in calice adhibeatur aqua, eò quòd de latere ipsius in cruce fluxit aqua & sanguis. Quam rationem reddidit huius rei Alexander Papa vbi suprà, Ambrosius, & alij. Item eadem aqua valet, vt meliùs significetur coniunctio populorum cum capite Christo: siquidé per aquam in Scriptura significantur populi. Quam rationem inprimis affert ad hanc rem Diuus Cyprianus vbi suprà.

Diximus verò necessitate *præcepti*, non autem necessitate *Sacramenti* esse aquam vino admiscendam: quia constat, illam non esse de substantia ipsius materiæ huius Sacramenti. Primò enim, Christus materiam Eucharistiæ indicans non commemorauit aquam; sed vinum tantùm: *Non bibam*, inquit, *de hoc genimine vitis, &c.* Matthæi 26. Luc. 22. Deinde, quoniam communiter ante ipsam confectionem, qua vsurpatur materia ad consecrationem Eucharistiæ, illa aqua est iam in vinum conuersa. Itaque materia solum est vinum.

Hoc cùm ita se habeat; fuerunt tamen Græci, qui hunc ritum miscendi vinum aqua, omnino improbarent, vt apparet ex Concilio Florentino. Neque id solùm fecerunt Græci; sed etiam Armeni aliqui, vt contra Caietanum hic articulo sexto, obseruârunt Sotus distinct. nona, quæstione prima, articulo sexto, & Alanus lib. 1. de Eucharistia, cap. 13.

Nunc verò SECTARII fatentur quidem, illum fuisse perpetuum Ecclesiæ ritum, atque etiam Christum in Cœna, vinum aqua dilutum sumpsisse, & dedisse Apostolis, sicut ante ex Kemnitio notaui: sed improbant tamen in hac nostra Assertione hæc tria, quæ colligit in illo loco Kemnitius. PRIMO, quòd hanc rem non habeamus pro adiaphora; sed arbitremur esse necessariam necessitate præcepti. SECVNDO, quòd sentiamus, non esse *calicem Domini*, nisi vino admisceatur aqua. TERTIO, quòd huic *mixtioni* tribuamus id, quod est ipsius *sumptionis* & vsus potius Eucharistiæ, scilicet *vnionem populorum cum Christo*. Has tantùm opiniones in hac re, dicit Kemnitius à suis taxari, & ideo vt verbo & exemplo contrarium ostendant, prætermisisse illos eum ritum, aquã videlicet miscendi: fortasis etiam, quoniam merum ipsis magis placet.

Sed quod ad PRIMVM attinet, mirum est, istos, cùm fateantur Christum in Cœna dilutum vinum bibisse, consecrasse, & dedisse discipulis, non agnoscere in hac re præceptum etiam Christi. Nam solent vbique argumentari, illud esse necessariò faciendum in celebratione Eucharistiæ, quod Christus primùm in Cœna fecit: immò si aliquid ex illa Christi actione circa Eucharistiam prætermittatur, nullum fore Sacramentum, hancque vim esse illius præcepti, quod Christus subiungit: *Hoc facite, &c.* Si igitur Christus mixtum vinum sumpsit, & dedit; quomodo sententiâ istorũ sumere & administrare mixtum vinum, res est in Eucharistiæ celebratione adiaphora?

Nam quod excipit Kemnitius, non constare ex narratione *Euangelica*, quòd Christus in *illa actione* miscuerit ipse vinum: esto sanè. At certè isti fatentur, Christum in illa actione sumpsisse & dedisse discipulis vinum mixtum, siue à se, siue antè ab alio. Hoc igitur est, quod ab illis quærimus, cur non saltem sumant etiam ipsi & administrent antè vel ab alio mixtum, si maximè miscere ipsis in ea actione non libeat.

Deinde, si narratione tantùm *Euangelica* niti volunt; non magis ex illa clarè constat, quòd sumpserit Christus & dederit vinum mixtum: ex more autem illius gentis, & consuetudine etiam conuiuiorum, sicut rectè colligitur, Christum sumpsisse & dedisse vinum mixtum, ita colligi non malè potest, quòd in ipsa Cœnæ actione, fuerit vel ab ipso Christo, vel ab aliquo præsente, vinum in calice mixtum: nam & sic fieri solet in conuiuiis.

Præterea peruersæ opinioni istorum, quòd admixtio aquæ, non sit nisi adiaphora, opponimus sententias veterum Pontificum, Conciliorum, & Patrum, qui hac de re vbique locuti sunt, tanquam de re omnino necessaria. Item etiam authoritatem Ecclesiæ, quæ si admixtio aquæ recta est, vt ipsi hæretici fatentur, certè potuit illam iusta lege præcipere, etiamsi daremus, hanc rem à Christo non fuisse præceptam. Quidquid enim rectum est, & ad ædificationem Ecclesiæ pertinet, potest Ecclesia lege etiam in conscientia obligante sancire, vt suo loco probauimus, tomo secundo, disputatione septima.

Ad SECVNDVM respondeo, Cyprianum esse, qui loco citato dicit, non esse *calicem Domini*, si vel solum vinum, vel sola aqua offeratur. Neq; nos tamen hoc ita intelligendum esse putamus, quasi non sit verum Sacramentum, nisi admisceatur aqua: sed quia non erit certè *talis* calix Domini, *qualem* Christus imperauit, scilicet aquâ mixtus, vt disputat Cyprianus. Et rectè

potest

potest intelligi, aliqua fuisse à Christo imperata in celebratione Eucharistiæ, quæ non sint tamen ab eo instituta tanquam de substantia Sacramenti Eucharistiæ, vt suprà ostendimus de vsu & sumptione, & latiùs docebimus infrà quæstione vndecima, cum disseremus de sacrificio Missæ.

Ad TERTIVM respondeo, non fieri Sacramento Eucharistiæ propterea vllam iniuriam, quòd asseramus, mixtionem illam aquæ typicè adumbrare populos vniri Christo, id est, ipsam quoq; significare hanc vnionem: Neq; enim ideo diffitemur, quin ipsum Sacramentum inprimis hanc vnionem significet, & efficiat per gratiam.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quantam esse oporteat Eucharistiæ Materiam.

D. Thom. artic. 2.

COMMVNIS Theologorum sententia est, nullam in hoc Sacramento requiri Materiæ quantitatem *determinatam*, siue quoad magnitudinem, siue quoad paruitatem; sed ex qualibet magna vel parua quantitate panis aut vini, posse confici Eucharistiam.

Quam ad rem Diuus Thomas hîc articulo secundo, tali ratione vtitur. Quantitas rei ex fine est metienda. Sed ad finem materiæ Eucharistiæ, nihil interest, quàm sit quantitas panis vel vini magna. Ergo potest ad Eucharistiam conficiendam valere quælibet magna quantitas panis & vini: nec requiritur ad hoc aliqua determinata. Minorem probat. Quoniam finis illius Materiæ est vsus fidelium, non qui statim in ipsa celebratione Eucharistiæ sumere Sacramentum debeant, sed qui absolutè possint illo vti, vel tunc, vel postea. Sed ad huiusmodi fidelium vsum absolutè quamlibet magna quãtitas materiæ consecrari & referri potest. Ergo, &c.

SED hæc ratio difficultatem habet aliquam, propter duo. PRIMO. Quia cùm doctrina communis sit, atque etiam ex mente Diui Thomæ, non esse aliquam determinatam materiam Eucharistiæ, neque quoad magnitudinem, neque quoad paruitatem: hæc tamen ratio solùm quoad *magnitudinem* probat, neque in ea D. Thomas, quoad paruitatem, loquitur.

SECVNDO. Quoniam ex ea ipsa ratione videtur posse sumi satis forte argumentum ad probandum etiam contrarium, quoad paruitatem materiæ, scilicet non posse Eucharistiam confici ex materia panis & vini quamlibet parua: & tamen, vt dixi, & vt defendit etiam Sotus distinctione nona, quæstione prima, articulo 2. doctrina vera & communis est, non modò non quoad magnitudinem, sed neque quoad paruitatem esse determinatam huius Sacramẽti Materiam.

Argumentum autem illud potest esse tale. Quantitas rei talis esse debet, qualem exigit rei finis (vt Diuus Thomas sumit in sua Maiore) Sed ad finem materiæ Eucharistiæ non sufficit quamlibet parua quantitas panis vel vini. Ergo non quamlibet parua quantitas panis vel vini satis erit ad conficiendam Eucharistiam. Minor probatur. Quoniam vt Diuus Thomas etiam dicit, finis materiæ Eucharistiæ est *vsus* fidelium, scilicet esus & potus. At non quamlibet parua quantitas panis vel vini, idonea esse potest ad hunc *vsum*, si morali & communi quodam iudicio, quo in materia Sacramentorum vti oportet, res æstimetur. Nam qui minutissimam, vel etiam minimam possibilem particulam panis sumeret, certè moraliter non censeretur comedere, seu cibum sumere; & multò minùs eiusmodi particulâ nutriri: Sic etiam neque potare censeretur, qui sumeret minimam particulam, quæ omnino esse possit, vini: Immò ne deglutirentur quidem huiusmodi particulæ minimæ panis & vini; sed ferè hærerent, &c. atque ita neq; comederetur ea ratione aliquid, neque biberetur.

Et confirmatur hoc Argumentum. Nam si tam magna quantitas aliqua panis & vini acciperetur, vt non posset valere ad vsum fidelium, id est, ad comedendum & bibendum; illa non esset apta materia Eucharistiæ, vt videtur colligi à contrario sensu ex ratione D. Thomę. Ergo neque erit apta materia, tam parua particula panis aut vini, quæ scilicet ad vsum comedendi & bibendi sumi non possit.

Denique idem confirmatur. Quoniam minima aquæ gutta ideo non potest esse idonea materia Baptismi, quoniam non valet ad vsum ablutionis, moraliter loquendo, quæ est eius materiæ finis. Ergo neque minima particula panis aut vini esse poterit idonea materia Eucharistiæ, postquam similiter non valet ad suum finem, scilicet ad vsum comedendi, & bibendi, moraliter loquendo. Antecedens suprà disputatione quarta, de Baptismo, quæstione prima, puncto secundo, à nobis probatum est. Consequentia videtur bona ex paritate rationis.

Certè difficile est Argumentum. Itaque mihi videtur Diuus Thomas primùm ea ratione tantùm probauisse, quòd non sit determinata Eucharistiæ materia quoad magnitudinem: Siue senserit etiam, non esse determinatam quoad paruitatem, siue non. Deinde etiam puto, vsum fuisse Diuum Thomam medio quodam ad illud ipsum, quoad magnitudinem, probandum, nõ necessario; sed potiùs abundanti. Nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

duxit rationem à *fine* materiæ Eucharistiæ, non proximo, sed *remoto*.

Duplex enim considerari potest eiusmodi materiæ finis. PRIMVS & proximus est, vt in ea *contineatur* & sistatur præsens corpus, & sanguis CHRISTI, per conuersionem substantiæ panis & vini in illa. Et hic quidem ita finis materiæ Eucharistiæ est, vt in eo ipso fine consistat etiam ipsa substantia huius Sacramenti. Nam est Sacramentum hoc (vt suprà quæstione præcedente, puncto tertio disputauimus) aliquid *permanens*, & durabiliter existens, nempe species panis & vini, vt continent CHRISTVM. Ab hoc fine non est argumentatus Diuus Thomas: & propterea dixi, illum non fuisse vsum medio necessario: quoniam solùm necesse est, quod ad substantiam & veritatem Sacramenti attinet, vt quantitas materiæ Eucharistiæ sit talis, qualis requiritur & sufficit ad hunc primum eius finem.

ALTER finis eius materiæ est remotus & secundarius, scilicet *vsus* Eucharistiæ, comedendo & bibendo. Et quoniam ab hoc fine Diuus Thomas Rationem illam suam petiuit, ideo dixi, vsum illum fuisse in eiusmodi ratione Medio non necessario, sed potius abundanti. Quia enim hic posterior finis, priori illi subordinatus est; fit, vt quæ quantitas materiæ Eucharistiæ est idonea ad hunc finem posteriorem, idonea etiam à fortiori sit ad finem illum priorem, & consequenter apta pro Sacramento Eucharistiæ. Sed tamen non perinde ex contrario, si quæ materiæ quantitas apta non fuerit ad hunc posteriorem finem, ideo etiam inepta erit ad finem priorem, atque adeò ad ipsam substantiam Sacramenti Eucharistiæ.

Medium igitur illud rationis Diui Thomæ, vt dixi, bonum quidem & abundans fuit, ad probandum, non esse determinatam materiam quoad magnitudinem; sed tamen non necessarium, quasi ex contraria ratione sequatur, vt si aliqua materiæ quantitas, scilicet quoad *paruitatem*, non sit apta ad illum posteriorem finem, ineptà sit eo ipso ad Sacramentum Eucharistiæ.

Atque hinc satis iam intelligi potest, non concludere illud argumentum, quod ex Ratione D. Thomæ ducebamus. Item etiam intelligi potest, falsam, neque ex mente Diui Thomæ esse illam propositionem conditionalem, quam sumebamus in illius Argumenti Confirmatione: scilicet, si magna aliqua panis aut vini quantitas esset inepta ad vsum bibendi & comedendi, non posse illam esse aptam materiam Eucharistiæ. Posset enim omnino, si nihilominus valeret ad finem primum & præcipuum materiæ Eucharistiæ, scilicet ad cõtinendum Christum, vt iam declaratum est.

Denique, quod in vltima Confirmatione, ex analogia materiæ Baptismi, obiiciebatur, longè diuersum est. Nam ablutio vera & moralis, est *primus & immediatus finis* materiæ Baptismi; & ita quidem, vt in eo ipso vsu aquæ consistat substantia illius Sacramenti. Vnde fit, vt minima gutta aquæ, nequeat esse materia Baptismi: siquidem non valet ad illum vsum, in quo est Baptismi substantia. Finis autem proximus materiæ Eucharistiæ, non est ille vsus bibendi & comedendi; sed *continentia*, vt sic dicam, corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. Quam ad rem etiam valet minima panis vel vini particula: dummodo sit verus panis, & verum vinum.

Quare, si Assertionem illam communem, scilicet non esse determinatam quantitatem aliquam materiæ Eucharistiæ, probare velimus simul, tam quoad magnitudinem, quàm quoad paruitatem; ratione vtendum erit, sumpta non ex fine secundario & remoto, sed primo & proximo materiæ Eucharistiæ, hunc in modum.

Ad Eucharistiam talis quantitas materiæ panis & vini sufficit & requiritur, qualis satis est vt sub speciebus panis & vini, CHRISTI corpus & sanguis, per conuersionem substantiæ panis & vini in illa, contineantur. Sed ad hoc, quamlibet magna & parua quantitas panis & vini sufficit. Ergo, &c. Maior probatur. Quoniam in illa permanente continentia, sita est huius Sacramenti substantia, vt suprà quæstione præcedente, puncto tertio contra hæreticos demonstrauimus. Minor etiam probatur. Quoniam vt per illam conuersionem, CHRISTI corpus & sanguis contineantur sub speciebus panis & vini, sufficit qualiscunque quantitas panis & vini, in qua fuerit antea vera substantia panis & vini, quæ ita scilicet conuerti potuerit. Sed quamlibet magna & parua quantitas veri panis & vini est talis. Ergo, &c.

Deinde probari etiam potest illa Assertio ex Christi institutione. Nam aliud inde non habemus, nisi quòd panis & vinum vitis sint huius Sacramenti materia; non autem, quòd in illa tantummodò quantitate, in qua ipse Christus panem & vinum tum consecrauit: alioqui nunquam liceret omnino, neque maiorem, neque minorem consecrare, quod sine controuersia constat esse falsum.

HINC Sotus distinctione nona, quæstione prima, articulo secundo, & alij, rectè reiiciunt opinionem Ioannis Maioris, qui in quarto, distinctione decima, quæstione prima censuit, non posse consecrari Eucharistiam in minore quantitate panis, q̃ sit minima, quæ videri valeat ab oculo aliquo perspicacissimo. Et Rationem assignat: Quoniam Sacramentum oportet esse signum sensibile.

SED fallitur Ioannes Maior. Nam si minor particula panis, quàm sit minima visibilis, contineat

tineat verè panis substantiam, sufficiet omnino ad Eucharistiam, etiamsi à nemine videri possit, vt patet manifestè ex nostra ratione. Non enim hic interest, vtrum videri possit: sed vtrum substantiam contineat, quæ possit conuerti in corpus & sanguinem Christi.

Deinde argumentum Ioannis Maioris infirmum est. Nam potest sentiri alio sensu, nempe gustu aut tactu. Neque enim omne Sacramentum est signum visu sensibile: non enim videtur Materia & Forma Pœnitentiæ, verbi gratia; non Matrimonij. Addit etiam Sotus, satis esse, si sit sensibile secundùm suam speciem; licet non in ratione sua indiuidua.

PVNCTVM TERTIVM.

Quonam modo vsurpari ea Materia debeat ad confectionem Eucharistiæ.

Ad art. 2. D. Thomæ.

VOD attinet ad Modum vsurpandi & adhibdēi materiam panis & vini ad confectionē Eucharistiæ, communis & vera sententia est, debere illam esse *præsentem*, vt consecretur. Quam sententiam bene declarant Sotus distin. 9. quæst. 1. art. 2. & Victoria, quæst. 58. de Sacramentis, cùm dicunt, hanc præsentiam iudicio quodam *communi & morali* definiendam esse.

Ita verò præsentem hîc esse oportere materiam, probat Caietanus artic. 2. ex significatione demonstratiua Pronominum illorum, *Hoc est*, & *Hic est*, &c. Nam hæc demonstratio debet in proposito fieri modo quodam *externo & morali*, atque adeo secundùm aliquem sensum externum, vt rectè etiam animaduertit Sotus. Qua ratione etiam vsus est ante Caietanū D. Thomas in 4. distinct. 11. quæst. 2. artic. 1. quæstiuncula tertia, vt hanc præsentiæ necessitatem probaret.

Et hinc sequuntur duo. PRIMVM est, falsò dixisse Ioannem Maiorem distinct. 10. quæst. 1. posse aliquem consecrare hostiam à tergo, vel interposito etiam pariete. Falsum est. Nam his modis non censetur hostiā, communi quidem iudicio & morali, esse ministro præsens.

SECVNDO sequitur, *per accidens* fieri quandoque posse, vt multitudo seu magnitudo materiæ impediat, quò minus vera fiat consecratio, quoad aliquam eius partē, vel partes. Vt si quis, verbi gratia, vellet consecrare omnes panes, qui sunt in ciuitate; nō consecraret hic omnes. Quoniam propter multitudinem fieret ex accidenti, vt multi illorum non essent præsentes. Et nihilominus tamen verum est illud, quod antea docuimus, scilicet nullam esse posse tantam multitudinem aut magnitudinem materiæ, quæ *per se*, quatenus tanta magnitudo vel multitudo est, obstet, quò minus verè in ea consecretur Eucharistia.

Atque hactenus de ista Quæstione.

QVÆSTIO TERTIA.

De Materia Sacramenti Eucharistiæ, prout per consecrationem conuertitur in corpus & sanguinem Domini.

D. Thomas 3. parte, quæst. 75.

OMNIS HVIVS QVAESTIONIS TRACTATIO EO PERTINET, vt intelligamus, qualis maneat, & quomodo se habeat materia Eucharistiæ post illius consecrationem. Et sunt tria puncta principalia, ad quæ reuocare possumus hanc totam Quæstionem. PRIMVM *punctum est, Vtrum in ipsa materia, & specie panis & vini, contineatur reuerà corpus & sanguis Christi post consecrationē.* SECVNDVM *punctum est, An si ibi contineatur, sit omnino ibi præsens per conuersionem substantiæ panis in Christi corpus, & vini in Sanguinem: ita, vt non maneat amplius in illis speciebus ipsa panis & vini substantia; sed tantum accidentia eius, sub quibus lateat Corpus & Sanguis Christi.* TERTIVM *punctum est, qualis sit omnino hæc conuersio substantiæ panis & vini, in Corpus & Sanguinem Domini.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM PRIMVM.

Vtrum in ipsa materia & specie panis & vini contineatur reuerà Corpus & Sanguis Christi post consecrationem.

D. Thom. art. 1.

HOC LOCO DE GRAVISSIMA ILla controuersia fusè (vt res tanta postulat) disserendum est, quæ nobis est cum hæreticis Caluinistis, & aliis eiusmodi Sacramẽtariis. Qui, cùm reuerâ impiè negent, Christi Corpus & Sãguinem in hoc Sacramento contineri; tamẽ ita callidè, ad simulationem quandam pietatis, sententiam suam solent proponere, vt appareat verissimè scripsisse sanctum IRENAEVM in præfatione lib. 1. aduersus hæreses, quandoque hæreticos *similia loqui orthodoxis, sed dissimilia sentire*: item, *errores suos nequaquam apertè ostendere, ne denudati facilè cognoscantur, sed quibusdam cooperimentis subdolè adornare*. Quod certè de nullis magis, quàm de Caluinistis dici potest.

Hi enim, turpitudinem sententiæ suæ, ne nuda conspiciatur, adeo subdolè verborum integumentis adornare solent, vt de mysterio Eucharistiæ interdum videri possint non modò similia, sed eadem planè, quæ orthodoxi loqui, à quorum tamen sententia tantum Caluinistica opinio differt, quantum exitialis hæresis à verissima & saluberrima fide. Notum est, quàm procul amandet Christum Caluinus ab Eucharistię Sacramento; nempe quàm procul cœlum summum distat à terra, vt ipse scribit in Defensione prima doctrinæ de Sacram. contra VVestphalum. Et tamen vide, obsecro, quali verborum integumento hanc impietatem adornet lib. 4. Instit. cap. 17. sect. 10. *Isthæc*, inquit, *piis tenenda regula est, vt quoties symbola videt à Domino instituta, illic rei signatæ veritatem adesse certò cogitent*. Et paulò post: *Dico igitur, in cœna mysterio per symbola panis & vini Christum nobis exhiberi, adeoq; corpus et sanguinẽ eius*. Nónne similia orthodoxis loquitur?

Audi etiam quid scribat ex suo Musæo tractator ille Caluinisticè Scolasticus & Theologicus, Antonius Sadeel, in Tract. de spiritual. manducat. pagina 64. *Si*, inquit, *vsquam aliàs nobis datur & offertur Christus, id fit cœnæ Dominicæ mysterio celebrando, vbi ad ipsam prædicationem Euangelij sacra symbola accedũt. Atq; id clarissimè testantur ipsa Christi verba. Accipite, comedite, Hoc est corpus meũ. Quæ quidem nullius momenti fuerint, si Christus à piis credentibus accipi non possit*. Quod operimentum turpitudinis Caluinianę centies ille tractator repetit, in dicto tractatu, & in altero de Mãducatione sacramentali.

Item Fortunatus Caluinista in Vindicatione cuiusdam Disceptationis suæ de Re Eucharistica, pag. 98. *verissimè, realissimeq; in Eucharistia Sacramento corpus Christi percipi, dicit*: idq; Caluinianæ impietatis tegumentum tam latè longeque passim extendit, vt etiam in libri sui titulo eo se contexerit. Audet enim iste in inscriptione & quasi fronte illius sui libri, sine vlla fronte profiteri, vindicare se responsiones suas, & argumenta à se allata, pro *vera* Christi in Eucharistia præsentia. Veram enim præsentiam homines vaferrimi appellant absentiam Christi tantam & tam veram, quanta non potest vlla esse maior. Quid enim est, quod verius ac longius absit ab Eucharistia, quæ est in terra, quàm cœlum supremum, vbi Christus ab istis includitur?

Sed nimirum aiunt, Christum in Eucharistia verè præsentem esse, & verè percipi *spiritualiter*, ore fidei; *non corporaliter*, ore corporis; cùm sit, inquiunt, cibus mentis non ventris: Hoc enim est altissimum Caluinisticæ doctrinæ mysterium. Quasi verò non possit instrumento etiam corporis id percipi, quod ad salutem animæ inprimis percipitur; nec verum esset testimonium illud TERTVLLIANI de Ecclesiæ Christianæ more diuinitus instituto, libro de resurrectione carnis: *Caro*, inquit, *abluitur, vt anima emaculetur. Caro inungitur, vt anima consecretur*. CARO *corpore & Sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur*.

Agè igitur istorum sententiam examinemus, & hoc ipsum etiã spirituale integumẽtum Caluinistico artificio vanissimè prætextum, ei detrahamus, vt nuda tantùm ipsius turpitudo pateat omnium oculis: id est, vt omnes intelligant, Caluinistas nudum tantummodo panem & vinum in Eucharistia tradere & accipere, sine vlla vel corporali vel spirituali corporis & sanguinis Christi præsentia. Hoc enim si effecero, ipsis etiã Caluinistis iudicibus, à me demonstratum erit, non nisi vanum, eoq; nullum apud ipsos celebrari Eucharistiæ mysterium. Nam nisi Christus in Eucharistia exhibeatur & accipiatur, vana prorsus fuerint illa Christi verba: *Accipite & mãducate: Hoc est corpus meum*; vt paulò antè audiuimus ex Theologico & Scholastico disputatore Sadeele. Et, vt idem ait in Tractat. de manducatione spirituali, pag. 103. *Si sõlus panis datur in cœna Domini: non est igitur sacramentum, quippe cùm in sacramento duo sint, videlicet signum & res significata*.

Proponitur sententia Caluinistarum & contraria sententia Ecclesiæ, ac status & ordo huius Disputationis. §. 1.

HAEC est sententia Caluinistarum: Corpus & sanguinem Christi, licet σωματικῶς καὶ ὑστωδὸν id est, corporaliter & essentialiter, non sint vel cum pane & vino, vel sub speciebus panis & vini in Eucharistiæ Sacramento, sed tantùm in cœlo, nihilominus tamen duplici modo in Eucharistiæ Sacramento verè percipi; spiritualiter, & sacramẽtaliter. *Spiritualiter* quidem ore mentis, id est, per fidem, & per arctissimam coniunctionẽ Christi cum animo communicantis, quæ fiat efficacitate Spiritus sancti. *Sacramentaliter* autem ore corporis, sumendo non ipsum Christi corpus & sanguinem eius, sed *signa* illorum, puta panem & vinum, quæ isti etiam dicunt esse quasi certa sigilla, quibus Christus nobis veluti obsignarit promissionem corporis & sanguinis sui spiritualiter in Eucharistia participandi.

Atque vtramque simul manducationem, spiritualem scilicet & sacramentalem, declarat Sadeel his verbis in Tractatu de manducatione sacramentali, pagina quarta: *Manducationem sacramentalem ita à spirituali manducatione distinguimus, vt cùm panis ex sacramentorum natura vocetur corpus Christi, cuius est certissimũ signum ac sigillum; illi dicantur corpus Christi manducare sacramentaliter, sine sacramentali manducatione, qui in cœna Domini sacrum illud corporis Christi signum ore corporis manducant. Illi autem dicantur manducare verum Christi corpus spirituali manducatione, qui ipsius animæ vere id est, vera fide percipiunt corpus Christi, eiusq; fiunt vere participes efficacitate Spiritus sancti*. Quam participationem sæpe repetit fieri per coniunctionem arctissimam Christi cum animo communicantis, vt diximus.

Sententia autem Ecclesiæ Catholicæ est: in sanctissimo Eucharistiæ sacramento post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM verum Deum atq; hominem, verè realiter corporaliter atque substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri, substantiâ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi conuersa (vt puncto sequenti copiosè demonstrabimus) ac proinde tum sacramentali, tum spirituali manducatione Christum in Sacramento percipi longè aliter, quàm Caluinistæ sentiunt. Nam sacramentaliter manducatur, non solùm quia signum ipsius in cœlo existentis ore corporis manducatur, sed quia ipse quoque substantialiter præsens in Sacramento, tametsi modo inuisibili & admirabili, verè percipitur ore corporis, non quidem ad naturale nutrimentum corporis, sed ad spirituale alimentum animarum; sicut Baptismus etiam corpore suscipitur, tametsi non ad naturalem corporis generationem, sed ad animarum regenerationem spiritualem. Manducatione autem spirituali sumitur idem Christus ἀνθρωπος in Eucharistia, quatenus ab eodem etiam, non absente sed substantialiter præsente, gratiam & alimentũ spirituale percipit animus eius, qui conscientia pura & fide non ficta dignè ipsum in Sacramento manducauit.

Iam verò percipi Christum in sanctissimo Sacramento non illo modo, quo Caluinistæ comminiscuntur, sed hoc, quo nos asserimus, (hic enim est status huius controuersiæ) duplici via demonstrare possumus. VNA, si inprimis probemus assertionem nostram esse veram, & consequenter Caluinistarum falsam. ALTERA via erit, si inprimis etiam ostendamus, assertionem istorum esse vanam & commentitiam, & consequẽter nostram veram, quandoquidem minimè illi negant, quin oporteat vel eo modo quo ipsi dicunt, vel substantialiter & corporaliter, vt nos asserimus, Christum præsentem in Eucharistia exhiberi & percipi. Vtraque igitur hac via (cùm res sit summi momenti) expugnare penitus & euertere istorum hæresin conabimur. Postremò autem respõdebimus ad illorum Obiectiones. Atque in illam quidem PRIOREM VIAM, quæ nos directè ducit ad ipsam veritatem, educemus septem genera argumentorum.

Probabimus namque orthodoxam Ecclesiæ sententiam. I. Ex historia certaminũ & opinionum, quæ de hac ipsa quæstione vnquam fuerũt in Ecclesia. Quo loco patebit, errorẽ Sacramentariorum iam olim multis orthodoxorum præiudiciis, atque etiam Conciliorum definitionibus, fuisse damnatum. II. Ex verbis quibus hoc Sacramentum à Christo institutum est. III. Ex aliis etiam Scripturæ noui Testamẽti locis. IV. Ex communi consensu orthodoxorũ Patrum. Vbi septendecim argumentis, ex testimoniis ipsorũ Patrum exstructis, contra Sacramentariorũ tergiuersationes & corruptelas demonstrabimus assertã fuisse à Patribus illam ipsam Christi præsentiã in Sacramento, quam hodie Ecclesia Catholica profitetur. V. Ex antiqua praxi Ecclesiæ Catholicæ circa hoc Sacramentũ. VI. Ex his quæ de vi atq; efficacia istius Sacramenti certissima sunt, & ipsi etiam Caluinistæ fatentur. Quo loco planum faciemus, vel nihil rei subesse istorũ doctrinæ & verbis, vel debere ipsos necessariò confiteri illam Christi præsentiam in Sacramento, quam nos defendimus. VII. Ex testificatione ipsius Dei externa, qui variis miraculis fidem atq; deuotionẽ populi Christiani circa præsentiam realem substantialem & corporalem Christi in hoc sanctissimo Sacramento confirmauit & auxit.

Probatur I. sententia Catholica ex historia certaminum de hac ipsa quæstione. §. 2.

PRINCIPIO ab historia hoc modo rationem concludo: Si quod dogma est tale, vt quicunque illi vnquam contradixerint, vel contradicere visi

Universidad de Deusto
Biblioteca

re viſi ſint, eos conſtet ab orthodoxis Doctoribus in Eccleſia Catholica fuiſſe repreſſos,& damnatos,tanquam repugnantes antiquæ & Catholicæ fidei; dubitandum non eſt, quin id dogma ſit Catholicum & certiſsimũ ex fide. Tale eſt autem hoc dogma de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia. Igitur dogma Catholicũ & ex fide certiſsimum eſt. Prior argumenti propoſitio certiſsima eſt. Nam euidens indicium id eſt, quòd tale dogma ſit dogma Eccleſiæ Catholicæ, quæ falli nequit, cum à ſpiritu veritatis regatur, vt oſtendimus tomo 3. diſput. 1. quæſt. 1. p. 7. Et hac ratione etiam IRENAEVS Valentinum & Cerdonem hæreticos refutauit, lib. 3. cap. 4. contra hæreſes. Et Epiphanius lib. 3. ſub finem, in compendiaria doctrina, & Tertullianus in præſcript. atq; etiam Vincentius Lyrinenſis vniuerſos hæreticos, in libro contra hæreſum nouitat. Poſterior autem propoſitio ex hiſtoria confirmãda nobis eſt. Itaque vt conſtet, quemadmodum in Eccleſia ſemper error cõtrarius aſſertioni de præſentia Chriſti in Euchariſtia, fuerit reiectus, breuiter repetemus, quinám hoc loco veritati Catholicæ fuerint vnquam refragati.

AC OMNIVM ſanè primi *hæretici* (vt AVGVSTINVS appellat in Pſal. 54.) qui eam veritatem negauerunt, fuerunt increduli illi Chriſti Diſcipuli, Ioan. 6. qui non obſtante explicatione myſterij per Chriſtum adhibita (ſicut infrà videbimus) *abierunt retrò* cum Capharnaitis. Fuit autem Iudas Iſcariotes vnus ex his, qui tunc myſterium iſtud non crediderunt, vt D. CHRYSOSTOMVS teſtimonio Chriſti & Euangeliſtæ Ioannis confirmat homil. 46. in Ioan. his verbis: *Intuere*, inquit, *Chriſti ſapientiam. Neq; Iudam manifeſtauit, neq; latere voluit. Illud, ne impudentius contenderet. Hoc, ne latere arbitratus, licentius auderet. Quare in ſequentibus apertius reprehendit. Prius ergo eum non credentibus annumerauit, cùm diceret: Sunt quidam ex vobis, qui nõ credunt. Quod his verbis confirmat Euangeliſta*: Ioan. 6. *Sciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent credentes, & quis traditurus eſſet eum. Cùm autem in malitia perſeueraret, vehementius eum arguit. Vnus, inquit, ex vobis diabolus eſt.* Eadem eſt ſententia D. Auguſtini, Tract. 27. in Ioan. qui dicit: *Manſiſſe tunc Iudam cum Chriſto, non ad intelligendum & credendum, ſed ad inſidiandum.* Quod cum ita ſit, illum eundem præceptorem ac ducem ſequuntur Sacramentarij *qui fuit dux eorum, qui comprehenderũt Ieſum*, Actor. 1. ſicut & ipſi modò in vnum duntaxat locum tanquam in carcerem Ieſum coniiciũt. Iudam autem & alios eiuſmodi diſcipulos incredulos ipſemet Chriſtus ſummus Eccleſiæ Doctor refutauit.

SECVNDO. Corinthij quidam videntur iſtud myſterium non credidiſſe, vt ex Apoſtolo 1. Corinth. 10. & 11. docet D. Cyrillus ALEXANDRINVS lib. 4. Pentabibli, apud Turrianum lib. 1. de Canonib. Apoſtol. & epiſtol. Pontif. capite 22. Nam aduerſus eiuſmodi errorem Corinthiorũ Apoſtolus tanta emphaſi & grauitate verborum inſtitutionem Chriſti reperit: *Conuenientibus*, inquit, *vobis in vnũ, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo. Nam oportet hæreſes eſſe.* & quæ ſequuntur. *Cùm enim*, inquit Cyrillus, *quidam ex iis ignorarent myſterij traditionem & vim, lauta conuiuia & cœnas populares in Eccleſiis agitabant.* Itaque non habuerunt Corinthij iſti Euchariſtiæ celebrationem pro re vſque adeò ſacra, vt ibi conteneretur ipſum corpus & ſanguis Chriſti, ſicut Apoſtolus affirmat, ſed pro cœna ferè vulgari, vel tantùm myſtica fortè, ob aliquam ſignificationis rationem. Quem errorem vt vnà cum aliis quibuſdam abuſibus refutaret Apoſtolus, Chriſti inſtitutionem repetiuit, ſicut ipſe etiam *accepiſſet à Domino*; quomodo ſcilicet dixiſſet: *Hoc eſt corpus meum, &c.* Ideo etiam videtur dixiſſe, eos *indignè* ſumere Euchariſtiam, qui non *diiudicarent corpus Domini*, quaſi illorum ſententiâ non ibi eſſet.

Hoc ipſum confirmare poſſumus ex AVGVSTINO epiſtola centeſima decima octaua, capite tertio, qui affirmat, idcirco ab Apoſtolo Corinthios reprehendi, quia non diſcernebant hoc Sacramentum à ceteris cibis *veneratione ſingulariter debita*: cùm nimirum in eo eſſe reuera Chriſtum non iudicarent: *Inde*, inquit Auguſtinus, *Apoſtolus indignè dicit acceptum ab eis qui hoc non diſcernebant à ceteris cibis, veneratione ſingulariter debita. Continuò quippe cùm dixiſſet, Iudicium ſibi manducat & bibit; addidit vt diceret, Non diiudicans corpus Domini. Quod ſatis*, inquit Auguſtinus, *ipſo loco in epiſtola ad Corinthios prima, ſi diligenter attendatur, apparet.* Vbi Auguſtinus inſinuat, huc etiam pertinere (ſicut & Cyrillus notat) illud quod præcedenti capite Apoſtolus ait: *Panis quẽ frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt? & calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* quaſi eſſent videlicet alii inter Corinthios, qui hoc negarent, etiamſi alij quidam id ſcirent & crederent, vt inſinuat quoque ibi Apoſtolus.

Atque huc etiam pertinet quod ait vetus auctor SEDVLIVS, in collect. ſuper epiſtolã Pauli, prima Corinthiorũ vndecimo, Apoſtolum hic docuiſſe Corinthios, *quaſi oblitos, quam magnum ſit huius myſterij Sacramentum.* Item illud quod Ambroſij commentarius affirmat in eum locum: *Deprehenſo*, inquit, *& correpto errore; vt de cetero corrigant, & ſciant hoc eſſe* VERVM, *quod dudum in primordiis ipſi didicerant. formam illis, quæ à Saluatore in huiuſmodi data eſt, iterat dicens: Ego enim accepi à Domino, &c.* Et denique illud quod ait ibidem Hieronymi commentarius: *Quia contentiones, inquit, habetis, neceſſe eſt vos vſque ad hæreſes peruenire.*

Nec verò me latet, quoſdam interpretes ſentire, Apoſtolum hoc loco non appellaſſe hæreſes, errores doctrinæ; ſed ſolùm vitia morum reprehendiſſe, quòd ſcilicet Corinthij quidam in Eccleſi

Eccleſia comeſſarentur nec admitterent pauperes ad communionem cœnæ Dominicæ: Sed tamen nullam eſſe cauſſam video, cur non ſimul de errore doctrinæ circa myſterij ſanctitatem, ex mente Cyrilli, & Auguſtini, & aliorum quos citaui, eum locum interpretemur. Ac certè illa verba: *Oportet hæreſes eſſe*, propriè de doctrinæ erroribus intelligunt Patres hoc loco, & nominatim D. CYPRIANVS, libro de vnitate Eccleſ. & lib. 3. ad Quirin. cap. 93. & D. AVGVSTINVS lib. 16. de ciuit. Dei, cap. 2. & lib. 1. de Geneſi contra Manich. cap. 1. & in Pſal. 67. &c. Habent igitur Sacramentarij ſatis antiquos erroris ſui patronos, ſed quos ipſemet Apoſtolus Paulus nominatim refutauit.

TERTIO. Sub initium quoque naſcentis Eccleſiæ, circa annum Domini 129. Gnoſtici, quorum *magiſter fuit Carpocrates*, vt ait IRENAEVS, lib. 1. cap. 24. & antè illos etiam Saturniani, ſicut apparet ex IGNATIO in epiſtola ad Smyrn. quia non credebant Verbum diuinum induiſſe corpus humanum, ſed tantùm figuram quandam ſeu imaginem humani corporis; conſequenter cenſebant in Euchariſtia ſolùm eſſe illam imaginem corporis humani. Eos refutarũt Irenæus lib. 5. cap. 2. & Ignatius apud Theodoretum in fragmento epiſtola ad Smyrn. recitato à Theod. dialogo 3. Quorum verba contra Sacramentarios clariſſima, infrà ſuo loco recitabimus.

QVARTO. Neque Manichæi crediderunt ſanguinem Chriſti eſſe ſub ſpecie vini, immò nec corpus ſub ſpecie panis, ſaltem per aliquam *certam conſecrationẽ*, vt colligere licet ex AVGVSTINO, lib. 20. contra Fauſtum, capite 13. & ex diuo LEONE, ſerm. 6. de ieiunio 7. menſis. Confutati autem ſunt ab iiſdem Patribus.

QVINTO. Non defuerunt etiam ex Arianis, qui exiſtimarent, in Euchariſtia, tantummodò virtute diuinitatis Chriſti, gratiam ſpiritualem participari, non autem ſumi etiam in illa ad ſalutem noſtram Chriſti humanitatem. Ita enim ſenſiſſe quendam Arianum refert diuus Cyrillus ALEXANDRINVS lib. 10. in Ioan. cap. 13. Contra quem inter cetera ita inquit: *An fortè putat ignotum nobis myſticæ benedictionis virtutem eſſe? quæ facit, communicatione carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habitare?* Et rurſus: *Qui manducat*, inquit, *meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Vnde*, inquit, *conſiderandum eſt, non habitudine ſolùm, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe; Verum etiam & participatione naturali.* Ac Arianos quoque notare videtur D. Gregorius Nazianzenus, cum ita fideles hortatur in orat. 2. de Paſch. circa medium: *Submota*, inquit, *omni duabitatione, corpus ede, ſanguinem bibe, ſi modò vitæ deſiderio teneris, nec doctrinæ carnis fidem abrogans, nec paſſionis ſermonibus offenſus. Sta firmus & ſtabilis, vt in nullo concutiaris ab* ADVERSARIIS, *nec verborũ lepore atque illecebris abripiaris.*

SEXTO. Quidam etiam Meſſaliani hæretici circa annum Domini 370. apud Theodoretum lib. 4. hiſtor. cap. 11. videbantur Euchariſtiam habere tãtùm pro communi pane; nam illam cenſebant eſſe rem indifferentem, quæ neque prodeſſet, neque noceret quidquam. Qui ab omnibus fuerunt tunc damnati, vt patet ex eodem Theodoreto.

SEPTIMO. Auguſtini tempore, quidam Vrbitius exiſtimaſſe videtur, non eſſe in pane Euchariſtico reipſa Chriſti carnem, neque in poculo ſanguinem. Cuius ſententiam D. AVGVSTINVS his verbis commemorat & redarguit Epiſt. 86. *Dicit*, inquit Auguſtinus, *ceſſiſſe in noua lege pani pecus: tanquam neſciens, & tunc* (in lege ſcilicet veteri) *in Domini menſa panes propoſitionis poni ſolere, & nunc ſe de agni immaculati corpore partem ſumere. Dicit, ceſſiſſe poculo ſanguinem: non cogitans etiã nunc ſe accipere in poculo ſanguinem. Quanto ergo melius vetera tranſiſſe, & noua in Chriſto facta eſſe, ſic diceret, vt cederet altare altari, panis pani, pecus pecori* (id eſt, Chriſto, agno immaculato, in Euchariſtia) *ſanguis ſanguini. Videmus enim in his omnibus carnalem vetuſtatem ſpirituali cedere nouitati.*

OCTAVO. Neſtorius item negauit in Euchariſtia ſumi carnem Verbo diuino vnitam. Refutatus autem hic error eſt in Concilio Epheſino, Anathem. 11. & eum etiam refutat D. CYRILLVS in declaratione eius Anath. his verbis: *Sanctum ac viuificum incruentumq; in Eccleſia celebramus ſacrificium; non hominis alicuius nobis ſimilis & communis corpus, conſimiliter & precioſum ſanguinẽ eſſe quod proponitur, credentes; ſed magis tanquam proprium viuificantis Verbi corpus & ſanguinẽ accipimus.* Et paulùm infrà: *Neſtorius & qui cum eo ſentiunt, hoc myſterium diſſoluunt.*

NONO. Circa annum Domini 700. & deinceps, magis incepit ſerpere opinio de abſentia Chriſti in Euchariſtia. Vnde à B. Damaſceno lib. 4. fidei, cap. 14. qui circa id tempus floruit, aliqui notati ſunt, qui dicerent, *tantum* ibi eſſe corporis & ſanguinis Chriſti figuram. Contra quos ipſe expreſsè diſputat, *non figuram tantùm, ſed ipſum Chriſti corpus & ſanguinem ibi eſſe.* Quod etiam per idem ferè tempus diſputauit æquè expreſsè Theophylactus, in cap. 26. Matthæi, & in cap. 14. Marci, & in cap. 6. Ioan. Et omnino ſcriptores omnes Eccleſiaſtici ab illo tempore, propter gliſcentem contrarium errorem, clariùs & cautiùs ſcribere & loqui de hoc myſterio cœperunt, quã à ſuperioribus factum fuiſſet; vt rectè hoc etiam obſeruauit Gulielmus Alanus lib. 1. de Euchar. cap. 24. Ac ſub idem etiam tempus, ſcilicet anno Domini 781. Synodus II. Nicæna notat Iconomachos de eodem errore, act. 6. tomo 3. ſub finem. Contra quos clarè ibi affirmat: *Sacrificiũ noſtrum à Chriſto & Apoſtolis nũquam fuiſſe vocatum imaginem aut ſimilitudinem, ſed ipſum corpus & ſanguinem Chriſti.*

DECIMO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DECIMO. Circa annum Domini 800. fertur quidam Ioannes Scotus, Monachus Benedictinus, & Caroli Magni Præceptor, eundem errorẽ de sola figura studiosius propugnauisse, ea de re libro edito, quem Landfrancus Episcopus Cantuariensis, qui postea, vt dicemus, contra Berengarium scripsit; lib. de Sacram. Euchar. non longè ab initio. testatur fuisse damnatũ in quodam Concilio Vercellensi. Paulò pòst liber etiam pro defensione eiusdẽ erroris scriptus dicitur à quodam Bertramo. Quanquam, vt videre est apud Claudium de Sainctes, Repetitione 2. de Euch. cap. vlt. dubium est, an iste Bertramus, quem alioqui Trithemius in catalogo Scriptorum Ecclesiast. commemorat fuisse pium & doctum virum, illius libri auctor fuerit, qui nunc inspersus fermento erroris Sacramentarij exstat. Ac fieri quidem potest, vt alij qui illius Ioannis Scoti seu Berengarij discipuli fuerunt, librum Bertrami Catholicè alioqui ab eo conscriptum (passim enim in eo leguntur sententiæ de Christi præsentia in Sacramento planè Catholicæ) fraudulenter corruperint. Liber tamen ille, qui nunc sub nomine Bertrami exstat, damnatus est, & meritò, in Indice Concilij Tridentini. Qui verò illa tempestate in eo errore Ioannis Scoti fuerunt, refutati sunt à Paschasio & Rabano in suis libris, qui hodie exstant, de corpore & sanguine Domini, & ab aliis.

VNDECIMO. 200. circiter annis pòst, id est, circa annum Domini 1000. cùm aliquandiu ille error omnino repressus fuisset, cœpit Berengarius Archidiaconus Ecclesiæ Andegauensis maiori contentione, quàm quisquam alius anteà, eandem hęresin propugnare. Quæ caussa est, cur S. Thomas hic q. 85. artic. 1. & alij ferè, præsertim Scholastici Scriptores, hunc Berengarium dicãt fuisse primum auctorem huius hæresis; cùm tamen certum sit, alios etiam ante Berengarium fuisse in ea hæresi, vt ex scriptis Paschasij, Rabani & aliorum antiquorũ patet. Narrat autem Gulielmus Bibliothecarius Malmesmerienſis lib. 3. de rebus gestis Anglorum. diuum Fulbertum, cùm moreretur, iussisse, hunc Berengarium adhuc iuuenem à conspectu suo remoueri, quòd prædiceret futurum eum instigante dæmone, quem ei astantem videret, magnum Catholicæ doctrinæ corruptorem.

Aduersus hunc Berengarium scripserunt illis temporibus quàm plurimi auctores, qui extant in vno volumine simul editi, Louanij Anno 1561. apud Hieronymũ VValleum. Vt Adelmannus quidam Episcopus Brixienſis: Landfrancus Archiepiscopus Cantuarienſis: Guidmundus Episcopus Auersanus in Apulia: Algerus Monachus. Sequebantur autem illum soli sceleratí, vt testatur Guidmundus, lib. 1. de Sacram. non procul ab initio. Item est damnatus à pluribus Pontificibus, & in Cõciliis pluribus (vt patet ex Guidmundo, libro 1. & ex Thoma VValdenſi tomo 2. de Sacramẽtis, cap. 43.) in quibus propter illius pertinaciam atq; etiam inconstantiam Pius de hac quęstione diligentissimè disputatũ est. PRIMO, in Concilio Vercellensi sub Leone IX. vbi præsente ipso Pontifice, Berengarius absens, cũ noluisset ad Concilium venire, post longam disputationem tandem est damnatus. SECVNDO, In Turonensi sub Victore II. successore Leonis, præside Hildebrando, qui postea fuit Gregorius VII. Vbi Berẽgarius coràm conuictus est, & iureiurãdo promisit se inposterum illam hæresin nõ defensurum. Verùm cùm mox in eam relaberetur, TERTIO, congregatum est vniuersale Concilium Romæ 113. Episcoporum à Nicolao II. vbi rursus conuictus est coràm Berengarius, proprioſq; libros præsente Pontifice ac tota Synodo ipse combusit, & iuramentum prius renouauit, ac formulã fidei clarius, quàm antè, „pfessus est, quæ exstat in decretis de Conſ. d. 2. Can. *Ego Berẽgarius*. Ceterùm rursus relapsus est, atq; adeo Romam vocatus, ad concilium alterum sub Gregorio VII. de quo Concilio vide Thomam VValdensem in illo cap. 43. tomo 2. de Sacram. Vbi tandẽ QVARTO damnatus & conuictus est. Atque ibi dicitur ex animo resipuisse, illamque confessionem ibi repetiuit, quæ exstat in decretis de Consec. d. 2. Can. *Ego Berengarius*, vt iam dictum est. Deinde vt refert Gulielmus Bibliothecarius libro 3. de gestis Angl. rectè & piè mortuus est. Fertur enim in die Epiphaniæ iam moriens dixisse: *Hodie in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus* IESVS CHRISTVS, *vel propter pœnitentiam, vt spero, ad gloriam, vel propter alios* (quos videlicet seduxerat) *vt timeo, ad pœnam æternam. Nam iam sanè*, inquit, *credimus, post benedictionem illa mysteria esse corpus & sanguinem Saluatoris, adducti & veteris Ecclesiæ auctoritate & multis nouiter ostensis miraculis*. Hæc tandem ille, vt narrat Gulielmus Bibliothecarius.

DVODECIMO. Quamuis ita tunc hæc hæresis damnata & reiecta fuerit; in nonnullis tamen aliquandiu delituit & resedit: nempe in Henricianis, Petrobrusianis, Albigensibus, VValdensibus. Contra quos sequentis ætatis scriptores diligenter etiam disputauerunt. Ex quibus fuit Petrus Cluniacensis, D. Bernardus, Hugo Victorinus, D. Anselmus, Innocentius III. Atq; etiam Magistratus Politici vi coërcere cœperunt eiusmodi Sacramentarios circa idem tempus, vt ostendit Alanus lib. 1. de Euch. cap. 21. Item florere cœperunt, nõ ita multò pòst, Scholastici Doctores, quorum doctissimę de hac re disputationes deniq; effecerunt, vt ferè 200. annis circa illa tempora consopiretur hæc hæresis.

DECIMO TERTIO. Anno Domini 1380. VVicleffus maxima contentione eãdem hæresin reclesſus maxima contentione eãdem hæresin renouocauit. Id patet ex Thoma VValdenſi tomo 2. de Sacram. cap. 2. & pluribus seq. Et ex Concil. Constãtiensi, sess. 8. art. 1. 2. & 3. VVicleffi. Ab hoc VVicleffo eandem didicit hæresin eodem tempore Hieronymus Pragensis, cùm ex Bohemia Oxoniam in Angliã veniſſet. Deinde hic in Bohemiam rediens, docuit eandem hæresin vnà cũ aliis Ioannem Huſs, cuius opera plurimi sunt seducti in Bohemia, vbi propter schisma, quod tunc erat in Ecclesia, tribus contendentibus de Pontificatu, valde illa hæresis grassata est. Tandem verò in Concilio Constantiensi, vbi sublato schismate Martinus V. electus est, damnatur ob eam hæresin & alias VVicleffus, & Huſs etiã comburitur.

Contra istos scripserunt circa id tempus plurimi, vt Turrecremata, Gerson, AEneas Syluius, Thomas VValdensis, & alij. Atq; etiam in Græcia, vt cõmunis fides omnium Ecclesiarum defenderetur, contra eandem hæresin scripserunt eodem tempore multi, nempe Nicolaus Metonensis, Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, Marcus Ephesinus, Besarion, &c. Ac tãdem denuò ex vtriusque Ecclesiæ Græcę & Latinæ consensu damnata est eadem hæresis in magno Concilio Florẽtino sub Eugenio IV. Quod etiam factum est in multis aliis Cõciliis prouincialibus vbique terrarum. Quare per centum fermè annos in Bohemia tantum hæc hæresis resedit apud Huſsitas.

DECIMO QVARTO. Denique anno Domini 1522. Carolstadius hanc hæresin iterum renouauit. Item Oecolampadius, Zvvinglius, Bucerus, Petrus Martyr, Caluinus, & alij, qui hodie communi vocabulo appellantur, propter eam hæresin, Sacramentarij. Qui omnes etsi diuersas interpretationes adhibeant verbis illis Christi: *Hoc est corpus meum*, Et: *Hic est sanguis meis*, adeò vt ad 80. & eo plures, expositionis modos excogitauerint, quos refert Claudius de Sainctes, Repetitione 1. cap. 10. sicut etiam varias istorum interpretationes memorat Ioachimus VVestphalus in Defensione contra cuiusdã Sacramẽtarij (Caluini) criminationem: Tamen reipsa conuenit inter istos omnes, ibi esse tantùm figuram & Symbolũ corporis & sanguinis Christi, propter virtutem videlicet quam Christus habet spiritualiter nos pascendi per gratiã. Atq; ita omnes hodie Sacramentarij docent, panem ipsum & vinum metaphoricè dici corpus & sanguinem Christi per metonymiã, quia sint signa corporis & sanguinis Christi. Ita docet quoque apertè Caluinus in defensione 1. & 2. contra VVestphalum, & lib. 4. institutionis, cap. 17. sect. 20. 21. Sicut imago Cæsaris dicitur Cæsar, quia est signum Cæsaris. Quocirca hi omnes negant sumi re vera ore corporis in hoc Sacramẽto corpus & sanguinem Christi.

Porrò hi etiam noui Sacramentarij damnati sunt (vt constat) ab omnibus Orthodoxis in Ecclesia Catholica, nempe ab omnibus Catholicis Academiis, ab innumerabilibus scriptoribus huius temporis, à Concilio Tridentino Oecumenico, ac multis etiam prouincialibus & Episcopalibus Synodis, à Pontificibus omnibus, & quidem singulis annis in Bulla cœnę, denique ab omnibus orthodoxorum hominum ordinibus.

Hanc narrationem ideo sic repetiui, vt ex cõtradictionibus perpetuis, quas hæc hæresis in Ecclesia habuit, euidenter intelligatur, aut nullam vnquam fuisse hæresin; aut opinionem certè nouorum Sacramentariorũ, hæresin esse. Ipse enim Caluinus satis agnoscit habere se Berengariũ authorem, In defensione 2. contra VVestphalum, non procul ab initio. Atque etiam Oecolampadius, lib. 3. epistol. suam opinionem retulit ad Ioannem illum Scotum. Quinimmò (velint, nolint) Iudam ipsum Iscariotem, & alios veteres hęreticos, de quibus diximus agnoscere debent Sacramẽtarij suos esse præceptores.

Probatur III. sententia Catholica ex verbis, quibus à Christo institutum est hoc Sacramentum. §. 3.

PRAETEREA pro sententia Catholica firmũ fundamentum Dei stat in clarissimis illis Christi verbis constitutum: *Hoc est corpus meum*, Et: *Hic est sanguis meus*, Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. Cor. 11. quæ ab Euangelistis tribus, & ab Apostolo Paulo referuntur. Sed quanquam nulla potuerint esse verba Christi clariora, quibus ille significaret, reuera corpus & sanguinem suum id esse, quod in manibus tum tenebat, tamẽ faciunt hîc Sacramentarij illud, quod diuus AVGVSTINVS notat moris etiam esse aliorum hæreticorum, lib. 3. de doctrin. Christ. cap. 10. *Si animum*, inquit, *occupauerit alicuius erroris opinio, quidquid aliud asseruerit Scriptura, figuratum arbitrantur*. Ita in hac quæstione Sacramẽtarij sensum illorum verborum esse dicunt: *Hoc significat corpus meum*, vel quod eodem redit, *hoc est figura seu signum corporis mei*. Probandum est igitur, non figuratũ, sed proprium fuisse illum Christi sermonem ex loci circumstantiis. vnde diuus AVGVSTINVS lib. 83. qq. q. 69. docet, cognosci oportere vtrum sermo Scripturæ sit proprius nec ne.

Igitur quod ad circumstantias illius Christi sermonis attinet, expendenda est diligenter I. Res ipsa, de qua sermo ibi fuit. II. Ratio & forma sermonis. III. Personæ ad quas est habitus. IIII. Tempus illud & locus vbi est habitus.

I. In RE *ipsa* sunt tria consideranda. PRIMO, Quòd ibi Christus Dominus cultum quendam externum instituebat ac præcipiebat; nõ autem in concione, vt aliàs, loquebatur, cùm scilicet facilius solet vsurpari sermo figuratus, vel ad exhortandum, vel ad amplificandum. Quare oportuit, sermonem, qui præceptum de cæremonia externa & cultu continebat, fuisse planissimum, ne postea circa executionem eiusmodi præcepti, ac circa ritum seu cultum talis cæremoniæ meritò esse posset ambiguitas aliqua. Nã

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ob hanc causſam videmus totam doctrinam veteris legis, in qua præcepta de cultu tradebantur, fuiſſe, quod ad vſum & executionem illarũ cæremoniarum attinebat, planam.

SECVNDO, In re etiam conſiderari debet, quòd tradidit ibi Chriſtus & docuit proprium ac ſingulare *fidei myſterium*, in quo videlicet ſit peculiaris & magna quædam difficultas à difficultatibus propriis aliorum fidei articulorum ſeu dogmatum. Ideo enim Sacramentum hoc ſemper in Eccleſia ſolitum eſt appellari myſterium fidei per antonomaſiam. Ideo CHRISTVS, cùm vellet primùm de hoc myſterio verba facere, ſtupendo miraculo animos auditorum dociles facere ſtuduit, Ioan.6. (vt notauit diuus Chryſoſtomus, Homil. 45. in Ioan.) cùm maximam hominum multitudinem pauciſsimis panibus ad ſaturitatem pauit. Ideo etiam (vt animaduertit diuus Cyrillus lib.4. in Ioan. cap. 22.) argumento, ex miraculo Aſcenſionis ſuæ futuræ ducto, myſterium hoc non eſſe incredibile confirmauit. Ioan.6. Huiuſmodi autem difficultatem, quæ ſcilicet ſit & *maxima* & *propria* iſtius myſterij, minimè in illo relinquunt Sacramentarij ſecundùm ſuos tropos. Nam quòd panis ſit ſymbolum viuificatricis virtutis corporis & ſanguinis Chriſti propter vim reficiendi, nõ eſt intellectu difficilè: & quòd in vſu huius Sacramenti corpus & ſanguis Chriſti ſpiritualiter è cœlo nos paſcant, id eſt, quòd tanquam inſtrumentum diuinitatis concurrant ad efficiendam in animo noſtro gratiam, qua ſpiritualiter cum ipſo Chriſto in cœlo abſente vniamur; id ex doctrina alioqui de iuſtificatione & ſanctificatione per Chriſtum, & de ſalutari Sacramentorum vſu, cognoſcimus & fatemur.

TERTIO conſiderandum eſt in re ipſa, Sacramentum iſtud Chriſtum inſtituiſſe & legaſſe Eccleſiæ tanquam teſtamento, cùm iam eſſet morti vicinus. Verba autem teſtamẽtaria clariſsima & planiſsima eſſe conſueuerunt.

II. Deinde in *ratione* ipſa & *forma* ſermonis quinque conſiderare oportet. PRIMO vim illius demonſtrationis ſingularis, *Hoc eſt*, & *Hic eſt*. Dixit enim aliàs Chriſtus in genere, cùm concionem haberet, ſe *eſſe eſtium*, vel *vitem*, &c. Si autem ſumpſiſſet vitem aut palmitem in manus & affirmauiſſet, illam rem eſſe corpus ſuum, ac cæremoniam aliquam cultus in ea re inſtituiſſet, ac præcepiſſet; non rectè intelligeremus ſermonem fuiſſe figuratum.

SECVNDO conſiderari debet, quòd in metaphoricis locutionibus, explicandi cauſſa, nudè ac ſimpliciter (id eſt, abſque expreſſa interpretatione metaphoræ) vſurpatis, non conſueuit affirmari de altero niſi tale aliquid, in quo proprietas ſecundùm quam metaphoræ ſimilitudo attenditur, eſt multò notior quàm in eo de quo id metaphoricè affirmatur. Quæ cauſſa eſt, cur ferè ſoleamus in metaphoricis locutionibus, id quod de altero affirmamus, non niſi in genere vel in ſpecie conſideratum affirmare, eò quòd generis vel ſpeciei proprietas notior eſſe ſolet, quàm proprietas rei ſingularis & indiuiduæ. Vt quãdo propter fortitudinem dicimus hominem quempiam eſſe leonem. Vel certè, ſi aliquid determinatum & indiuiduum affirmamus metaphoricè de alio, id non facimus niſi ſecundùm aliquam proprietatem, quæ in eo indiuiduo notiſsima ſit, atque adeò notior quàm in illo altero, de quo id affirmamus. Vt ſi quempiam propter eloquentiam dicamus eſſe Ciceronem. In propoſito autem nihil cernitur tale. Nam Chriſtus non de ſuo corpore aut ſanguine, panem aut vinum, in quo notior eſt vis reficiendi, affirmauit, (ſicut affirmauit aliàs ſe eſſe *vitem*, Ioan. 15. in qua vis vegetandi palmites notiſsima eſt) ſed contrà, ſuum corpus & ſanguinem, in quo illa virtus reficiendi erat minus nota, affirmauit de illis reficiendi erat minus nota, affirmauit de illis rebus ſingularibus (conſideratis ſecundùm ſubſtantię rationem communem & indiuiduam vagam, vt infrà explicabitur) quas in manibus tenebat, & in quibus virtus reficiendi erat longè notior. Neque etiam vſus eſt ad affirmationem aliqua re in genere ſiue in ſpecie, aut etiam ſingulari, quæ eſſet, quo ad eam proprietatem reficiendi omnibus notiſsima. Sed, *Hoc eſt* (inquit determinatè) *corpus meum*, &, *Hic meus ſanguis*. Corpus autem Chriſti ſingulare, & ſanguis Chriſti non ſunt res per ſe vſque adeò notæ ſecundùm illam vim reficiendi.

Accedit TERTIO, quòd corpus & ſanguinẽ ſuũ non affirmauit Chriſtus expreſsè de pane & vino; ſed vocabulo confuſè ſignificante vſus eſt *Hoc*, & *Hic*, ſub quo videlicet poſſet intelligi confuſè res ſeu ſubſtantia accidentibus panis & vini cõtenta, quę verè ac propriè, & nõ per metaphorã affirmaretur eſſe corpus & ſanguis Chriſti, vt infrà ſuo loco explicabimus. Contrà verò conſuetudo ferè metaphoricæ locutionis eſt, vt ſuis expreſsis nominibus ſignificentur, & affirmatione coniungantur res diſparatæ; vt inde videlicet intelligatur, locutionem non eſſe niſi metaphoricam. Vt cùm dixit Chriſtus exponens parabolici ſermonis metaphoram: *Semen eſt verbũ Dei*. Lucæ 8. Et Apoſtolus: *Petra autem erat Chriſtus*, 1. Cor. 10. Hoc autem loco non dixit: *Hic panis eſt corpus meum*, Et, *Hoc vinum eſt ſanguis meus*, ſed contrariis pronominibus (*Hoc*, circa panem, & *Hic*, circa vinum) vſus eſt, quæ potius ipſi corpori & ſanguini conuenirent, quàm pani & vino.

QVARTO, in ipſa forma ſermonis conſiderari etiam debet id, quod Chriſtus adiunxit, *Hoc eſt*, inquit, *corpus meum*, *quod pro vobis tradetur*. Lucæ 22. & 1. Cor. 11. Et apud Lucam Græcè habetur *ipſum quod pro vobis tradetur*. Item illud de ſanguine, *Qui pro vobis effundetur*. Matth. 26.

Marci 14. Lucæ 22. Omnino enim hæc declaratio à Chriſto addita eſt ad demonſtrandam proprietatem & veritatem antecedentis affirmationis. Etenim quando affirmatio eſt tantùm metaphorica, non ita ſolet aliquid ad verbum adiungi, niſi fortè id quod additur, declaret expreſsè eam rei proprietatem, ex cuius ſimilitudine metaphora ducitur. Vt ſi quis diceret: *Iſte eſt leo, qui eſt animal fortiſsimum*. Si autem ad verbum, quod de re aliqua affirmatur, fiat aliqua additio, nõ explicans eam proprietatem, in qua conſtituitur metaphoræ ſimilitudo, ſed abſolutè indicans rei ipſius affirmatæ veritatem; tunc quidem ſecundùm communem ac moralem vſum loquendi talis additio proprietatem præcedentis affirmationis oſtendit. Vt ſi quis dicat: *Idem ipſe Chriſtus paſſus eſt in cruce, qui natus eſt ex Virgine*. Item: *Chriſtus eſt ille ipſe Deus, qui fuit ab æterno genitus à Patre*. Huiuſmodi additiones certè determinant proprietatem antecedentiũ affirmationum. Atque ideo Apoſtolus, quoniã metaphoricè intelligi voluit illud, *Petra autem erat Chriſtus*, ſimpliciter id dixit, neque addidit: *Ille ipſe qui crucifixus eſt pro nobis*.

Iam verò verba illa: *Quod pro vobis tradetur*, quæ Chriſtus adiunxit; minimè quidem ſignificant virtutem illam reficiendi è cœlo noſtros animos, quam Chriſti caro vnita cum diuinitate habet; in qua conſtituunt aduerſarij metaphoræ ſimilitudinem; Sed ſignificant, Chriſti corpus ſeu ſanguinem fuiſſe pretium noſtrę redemptionis. Quod ipſum neque eſt illa reficiendi virtus, neque propria & proxima cauſſa eius (habet enim eam virtutem caro Chriſti propriè ex vnione cum diuinitate) licet id quidem accedere quoque debuerit, vt ea Chriſti virtus in noſtros animos ſeſe exereret. Quare reliquũ eſt, vt deterininauerint illa Chriſti verba (ſicut dixi) proprietatem antecedentis affirmationis.

QVINTO. In eadem forma Chriſti locutionis maximè etiam põderandum eſt, quod eiſmodi verbis eſt vſus, quibus clariſsimè ſignificare potuit, verè fuiſſe ſuum corpus & ſanguinem illud quod tenebat in manibus; & ita quidem, vt nullis aliis verbis aut clariùs, aut magis propriè id ſignificare potuerit, quàm ſimpliciter dicendo, vti dixit, *Hoc eſt*, Et, *Hic eſt*, &c. Neque enim addere debuit, *Hoc eſt Propriè*, Et, *Hic eſt Propriè*. Non enim hæc eſt conſuetudo loquendi: ne tum quidem, cùm maximè loquimur propriè. Quòd autem Chriſtus non ſolùm clariſsimè & commodiſsimè his verbis potuerit id propriè ſignificare, ſed etiam *voluerit*; ea ratione patet, quia, vt veriſsimè docet D. AVGVSTINVS lib. 3. de doctrina Chriſt. cap. 10. intelligere oportet, id õnino ſignificari ſcripturæ verbis, quod propriè per illa ſignificari poteſt, niſi inde ſequatur aliquod abſurdum: nullum autem abſurdum in propoſito cum propria verborum Chriſti ſignificatione coniunctum eſſe, euidenter infrà defendemus, cùm refutabimus obiectiones Sacramentariorum. Quod ſi alioqui liceret ad figuras referre huiusmodi ſimplices & abſolutas Scripturæ affirmationes; nullum ferè nobis eſſet certum fidei myſterium. Similiter enim poſſet aliquis fingere, in illa enunciatione: *Verbum caro factum eſt*, particulam, *eſt*, tantundem valere, quantum, *ſignificat*, & ſic in omnibus aliis myſteriis, quæ ſignificantur (vt eſt neceſſarium) per verbum, *eſt*, aut, *ſunt*.

Quo fit, vt planè ſit confitendum, euinci & probari ſatis ex his Chriſti verbis veritatem ſubſtantialis præſentiæ corporis & ſanguinis eius in hoc Sacramento: niſi fortè modum eum probationis requiras, qui faciat prorſus obmuteſcere aduerſarium etiam pertinaciſsimum. Quo ſanè pacto neque vllum aliud omnino fidei noſtræ myſterium ex Scripturæ verbis poteſt conuinci. Sicut autem alia myſteria ex ſcripturis comprobari poſſunt apud eos, qui nõ ſint proteruiſsimi, ita etiam & hoc illis Chriſti verbis. Id quod etiam exemplo & teſtimonio Lutheri, licet alioqui hæretici peruerſiſsimi, confirmari poteſt. Apertè enim in epiſtola ad Argentinenſes confeſſus eſt, ſe, licet maximè id cupiuerit, non potuiſſe tamen hæc verba Chriſti niſi propriè intelligere, quoniam ſunt, inquit, nimis clara. Quare quemadmodum (inquit in ſermone de Euchariſtia, impreſſo Aganoę anno 1527.) ſi Chriſtus dixiſſet: Hoc quòd do vobis, eſt panis & vinum; nemo de proprietate huius orationis dubitaſſet; ita neque dubitari poteſt, quin ſit corpus & ſanguis illud, quod ipſe dedit, dicens: *Hoc eſt corpus meum*, Et, *Hic eſt ſanguis meus*.

III. Iam verò in perſonis, cum quibus Dominus tunc loquebatur, conſideranda ſunt etiam tria. PRIMO, quòd fuerint ſoli Apoſtoli, ad quos ferè Chriſtus clarè loquebatur, iuxta illud: *Vobis datum eſt noſſe myſteria, ceteris autem in parabolis*, Lucæ. 8.

SECVNDO, quòd ſi aliquando Chriſtus ad ipſos etiam Apoſtolos obſcurè & parabolicè ſermonem habebat, hi eum interrogare, & hæſitare tũc ſoliti ſunt. Vt apud Matth. cap. 13. *Ediſſere*, inquiunt, *nobis parabolam Zizaniorum*. Et Matth. 15. *Ediſſere nobis parabolam iſtam*. Item apud Ioan. 16. *Neſcimus quid loquitur*. Et volebant eum interrogare. In illo autem Chriſti ſermone nihil tale, ſed vt ſimpliciter Chriſtus affirmat, ita illi ſimpliciter accipiunt, neque quidquam hæſitant aut interrogant. *Non turbati ſunt*, inquit CHRYSOSTOMVS, Homil. 83. in Matth. *cum hoc audiuiſſent, quia multa iam & magna de hoc antè diſſerut*. Ioan. 6.

TERTIO, illud etiam in iiſdem perſonis obſeruatione dignum eſt, quòd cùm Matthæus, qui adfuit præſens, & Lucas, ac Marcus, qui ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apoſtolis ipſis acceperunt poſtmodum, hiſtoriam inſtitutionis narrarent; ſimpliciter omnes aſſeuerationem illam Chriſti commemorant ſine vlla prorſus ſignificatione parabolę: Et, quod plus eſt, aliquot etiam poſt annis D. Paulus 1. Cor. 11. eodem modo hiſtoriam ſine vlla commonefactione de impropria Chriſti locutione commemorat. Cùm tamen, ſi falsò illa Chriſti verba ſecundùm proprietatem ſermonis accipiuntur, facillimum fuerit in ſenſu illorum verborum totum mundum errare: quem errorem ad doctorem Gentium Apoſtolum cum primis pertinebat aliqua ſignificatione præcauere.

IIII. Poſtremò, Tria etiam expendęda ſunt, quod ad circumſtantias temporis & loci attinet. PRIMO, tempus fuiſſe vitæ Chriſti penè poſtremum. In quo certè conueniebat, ſermonē Chriſti ad Apoſtolos, quos *eùm antè dilexiſſet*, maximè tunc ſub *finem diligebat*, Ioan. 13. eſſe apertiſſimum & planiſsimum.

SECVNDO, Quòd etiam rem dignam Chriſtus ipſius charitate erga diſcipulos tunc temporis facturus erat, ſi (quemadmodum potuit) ita ab ipſis abiret, vt etiam ſeipſum iis relinqueret in ſanctiſsimo Sacramento. Nam hoc ipſum facerent, ſi quomodo poſſent, alij, quando ab aliis, quos ardenter amant, recedendum eſt.

TERTIO accedit, quòd ea res ad ſtudium charitatis & religionis fidelium incitandum erga Chriſtum diſcedentem, maximè valitura erat. Qui enim non ferreus eſt, huius certè animus maximè commouetur, cùm cogitat, illum ipſum præſentem ſe habere & ſumere, cui tam multum debet, à quo tam multum & ſperare & timere poteſt. Itaque præclarè D. CHRYSOSTOMVS Homil. 45. in Ioann. *Cùm ſuum*, inquit, *Chriſtus in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniatur. Hoc enim amantium maximè eſt. Hoc Iob* (cap. 31.) *ſignificabat de ſeruis, à quibus maximè amabatur, qui ſuum amorē præ ſe ferētes, dicebant: Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur? Quod Chriſtus fecit, vt maiori nos charitate aſtringeret, & vt ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantùm videri permitteus deſiderantibus, ſed tangi & manducari, & dentes carni ſuæ inſigi, & deſiderio ſuo omnes impleri. Ab illa igitur Chriſti menſa tanquam leones ignem ſpirantes ſurgamus, diabolo formidoloſi, & caput noſtrum intelligamus, & quam in nos præſtiterit charitatem.*

Locus item fuit ſecretus & remotus à turbis, quibus aliàs Chriſtus in parabolis loquebatur. Atque hæc de ſecunda probatione ex verbis Chriſti & ex rei circumſtantiis, quæ certè (ſi præſertim expendantur ſimul omnes) maximam habere apud omnes vim debent, vt ſermonem Chriſti fuiſſe propriū intelligamus.

Probatur III. ſententia Catholica ex aliis Scripturæ locis. §. 4.

TERTIO confirmamus eandem veritatem quibuſdam aliis Scripturæ teſtimoniis. Nā Chriſtus apud Ioannem cum magna aſſeueratione PRIMO promittit, ſe ſuum corpus & ſanguinem daturum in potum & cibum: *Panis*, inquit Ioann. 6. *quem ego dabo, caro mea eſt.* SECVNDO, Addit etiam particulam, quæ proprietatem affirmationis indicaret: *Caro mea* VERE *eſt*, inquit, *cibus.* TERTIO confirmat cum magna verborum emphaſi hanc ſuam aſſeuerationem: *Amen, amen*, id eſt, certè, certè, *dico vobis, niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem* (hoc de ſanguine quomodo intelligendum ſit, explicabimus q. 8. in diſputatione de legitimo vſu Euchariſtiæ in altera tantùm ſpecie) *non habebitis vitam in vobis.* Quæ omnia ad Sacramentum referri debere omnes ferè Patres intellexerunt, Orig. homil. 16. in Num. Athan. li. 4. in Synopſi. Baſil. in moral. ſumma 22. cap. 1. & 2. Chryſoſt. hom. 45. & 46. in Ioan. Cyrillus li. 4. in Ioan. ca. 14. Cypr. in orat. Domin. & ſerm. de cœna Domini. Emiſſenus ſermon. 5. de Paſch. Auguſt. ſerm. 2. de verbis Apoſtoli. &c. QVARTO, ibidem diſtinguit myſticam benedictionem, vt inquit Cyrillus, lib. 4. in Ioan. cap. 16. à mana, huncque cibum mannā longè præſtantiorē eſſe affirmauit, quoniam præſtat ipſe *vitam aternam*; Et tamen manna ſignum ſanè ac ſymbolū Chriſti fuit. Quare hic cibus reuera oportet vt contineat ipſum Chriſtum, ſitque eatenus per ſe viuificus aliter quàm manna. Quod & diuus Cyrillus ibidem teſtatur, cùm hoc loco ait; *Nos per hanc benedictionem myſterij ipſum Filium Dei ſuſcipere.* QVINTO, cùm diſcipuli cogitaſſent, debere ſe carnem Chriſti comedere, more conſueto, ſicut eam quæ affertur ex macello; remouit quidem ille hunc modum carnalem à myſterio, vt Auguſtinus ibi exponit: Sed tamen adeò non potuit præterea, ſalua veritate huius myſterij, ibi declarare, tantummodò ſymbolum fui & figuram (quod fuiſſet ad credendum facillimū) comedi ore corporis & bibi debere, quo ab illo paſci ſpiritualiter animas (id quod iam antè diſcipuli ſciebant, vt apparet ex ſerm. Chriſti, Ioan. 3.) ſignificaretur; vt etiam permiſerit multos ex ſuis diſcipulis *abire retrò*, Ioan. 6. eò quod non crederent, ipſum *reuera*, tametſi non modo prorſus carnali (ſicut carnes quæ afferuntur ex macello) comedi debere.

Deinde Apoſtolus, PRIMO non ſine grauiſſimo illo prooemio ad faciendam tanti myſterij fidem (*Ego enim accepi à Domino, &c.*) refert Chriſti inſtitutionem & aſſeuerationem, quam ſine vlla ſignificatione metaphorę opponit illi errori Corinthiorum, 1. Cor. 11. de quo ſupra dictum eſt §. 2.

SECVNDO, Grauiſsimè affirmat, eum qui ſumit indignè, *reum eſſe corporis & ſanguinis Domini.* Et, *iudicium ſibi manducare ac bibere*, eò quod *non diiudicat corpus Domini*, quòd nimirum in eiuſmodi cibo inſit, atque adeò ſumma cum reuerentia & puritate animi accipi debeat.

Nam quod Sacramentarij interpretantur reum eſſe corporis & ſanguinis Domini, tantundem in eo loco ſignificare atque *grauiter offendere* Chriſtum, licet à Sacramento abſentem, (vt Caluinus in priori defenſione doctrinæ de Sacram. contra VVeſtphalum, & Miniſtri Tigurini in Apologia contra Teſtamentum Brentij) leuiſsimum eſt. Non enim ſimiliter dixiſſet Apoſtolus, eum qui indignè ſuſcipit Sacramentum Baptiſmi reum eſſe corporis & ſanguinis Domini, quia non diiudicet, ac diſcernat ab aliis rebus illud: tametſi dubium non ſit, quin indigna ſuſceptione Baptiſmi, Chriſtus ipſe, à quo eſt & inſtitutio & efficacia Baptiſmi, grauiter offendatur.

Non igitur id propriè eſt hoc loco reum eſſe corporis & ſanguinis Domini, ſed impura ſumptione cōtaminare, quantum eſt in ſe, & afficere contumelia ipſum corpus Chriſti præſens; non ſecus atq; fecerunt illi, qui ipſum crucifixerunt. Nā veriſsimè D. CHRYSOSTOMVS exponens hunc Apoſtoli locum Hom. 45. in Ioannem: *Si*, inquit, *qui Regis purpuram coinquinant, haud ſecus, quàm qui ſcindunt, puniuntur; quid mirum, ſi qui immunda cōſcientia Chriſti corpus accipiunt, idem ſupplicium ſubeant, quod qui ipſum clauis cruci affixerunt?* Et rurſus Homil. 83. in Matth. *Illi*, inquit, *acerbiſsimè corpus Domini trucidarunt. Tu poſt tot tantaq; beneficia, ſordida ſuſcipis anima.*

TERTIO, Vehementiſsima quoque eſt illa aſſeueratio Apoſtoli per interrogationem, 1. Cor. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne cōmunicatio ſanguinis Chriſti eſt? & Panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt?* quaſi dicat: Eſt prorſus. Vbi & illud obſeruandum eſt, Apoſtolū hac aſſeuerationē voluiſſe deterrere Corinthios ab vſu eſcarum, quæ idolis mactabantur: tanquā ſi hoc argumēto vteretur: Cùm participes ſimus corporis & ſanguinis Chriſti reipſa & ore corporis, ſicut alij edunt eſcas immolatas idolis, non æquum eſt, vt etiam de iis, quæ immolantur, participemus. Non enim decet participes eſſe, *& menſæ Domini, & menſæ Dæmoniorum*, vt ibi Apoſtolus dicit.

Probatur IV. ſententia Catholica ex authoritate Patrum ſeptendecim argumentis. §. 5.

QVARTO probatur aſſertio Catholica ex communi ſententia ſanctorum Patrum. Quorum teſtimonia, cùm ſimiliter atque verba Chriſti, à Sacramentariis adulterentur, & referantur ad figuras, & ſpiritualem tantùm cōmunicationem corporis & ſanguinis Chriſti per fidem; aliquot argumentis probandum eſt, eos intellexiſſe, quòd reuera corpus & ſanguis Chriſti ſint ſubſtantialiter & corporaliter præſentia, & ſumantur ore corporis in Euchariſtia.

PRIMO enim, cùm omnes veteres Patres affirment ſimpliciter, corpus & ſanguinem Chriſti in hoc Sacramēto ſumi: nullus omnino ex illis eſt, qui hîc adhibuerit illam interpretationē Sacramentariā; id eſt, qui dixerit tātùm hic eſſe *figuram*, & *ſpiritualem* cōmunicationem, ac vnionem cum Chriſto, quæ fiat non ore etiam corporis, ſed per fidem & gratiam *tantùm*. Quod tamen, ſi ita intelligi deberet; mirum eſt, ab omnibus veteribus fuiſſe hanc declarationē prętermiſſam.

Quod autem Patres omnes planè & ſimpliciter affirment (vt dixi) habere nos & accipere in Euchariſtia corpus & ſanguinem Chriſti; ita certum eſt, vt ne ipſi quidem Sacramentarij negare auſint. Habemus enim ea de re clariſsima teſtimonia illorum etiam antiquiſsimorum Patrum, qui primis Eccleſiæ ſeculis floruerunt. Vt Martialis, Dionyſij Areopagitæ, Clementis Romani, Anacleti, Ignatij, qui vixēre *primo* ſeculo, id eſt, primis centum annis. Item Alexandri I. Iuſtini, Irenæi, & Tertulliani, qui vixerunt *ſecundo*. Item ex *tertio* ſeculo habemus in primis teſtimonia Origenis, & Cypriani, & alia innumera ex omnibus ſequentibus ſeculis.

S. MARTIALIS in epiſt. ad Burdegalenſes cap. 3. *Quod Iudei*, inquit, *per inuidiam immolauerunt, nos in ara ſanctificata, ſalutis noſtræ cauſſa, proponimus.*

S. DIONYSIVS cap. 3. Eccleſ. Hierar. parte 3. *O*, inquit, *diuiniſsimum Sacramentum, perſpicue nobis fac appareas reuelatis enigmatum operimentis, quæ te ſymbolicè circumdant, & intelligentiæ noſtræ oculos tuo lumine comple.* Quem, obſecro, alium in Sacramento inuocat niſi Chriſtum?

S. CLEMENS Romanus lib. 8. conſtit. Apoſt. cap. 24. *Qui pretioſum corpus et pretioſum ſanguinem Chriſti participauimus, agamus gratias, quia dignatus eſt nos communione Sanctorum ſuorum myſteriorum.*

S. IGNATIVS in epiſt. ad Roman. *Panem*, inquit, *Dei volo, panem cæleſtem vitæ, qui eſt caro* IESV *Chriſti Filij Dei viui. Et potum volo ſanguinem eius.* Et rurſus de Saturnianis & Simonianis hæreticis ſui tēporis ita ſcribit in Epiſt. ad Smyrn. apud Theodoretum, dialogo 3. *Euchariſtias & oblationes non admittunt, quòd non cōfiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Seruatoris Domini noſtri* IESV *Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate liberauit.*

S. ANACLETVS Epiſt. 2. *Dominus*, inquit, *ſacri ſui corporis tractatores* (ſacerdotes) *a vilibus & reprobis perſonis infamari noluit.*

S. ALEXANDER I. Epiſt. ad omnes Orthodoxos. *Talibus*, inquit, *hoſtiis delectabitur & placabitur* DEVS, *peccataq; dimittet ingentia. Nihil enim maius in ſacrificiis eſſe poteſt, quā corpus & ſanguis Chriſti.*

S. Iuſtinus Apologia 2. ad Antonin. in fine. *Non*, inquit, *cōmunem vſitatumq; panem, vſitatamq;*

Universidad de Deusto
Biblioteca

potionem capimus, sed quemadmodum DEI *verbum homo factus* IESVS *Christus & carnem & sanguinem habuit, sic etiam cibum, qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus est, & quo sanguis carnesq; nostræ communione aluntur,* IESV *Christi eius, qui homo factus est, & carnem & sanguinem esse accepimus. Apostoli enim ita tradiderunt.*

S. IRENAEVS lib. 5. cap. 2. *Quando*, inquit, *mixtus calix, & fractus panis percipit Verbum* DEI, *fit Eucharistia corporis & sanguinis* CHRISTI, *ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia. Quomodo ergo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur?* Et paulò pòst: *Quæ*, inquit, *de calice, qui est sanguis eius, & de pane, qui est corpus eius, augetur.*

TERTVLLIANVS lib. de resurrectione carnis. *Caro*, inquit, *corpore et sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Et libro de oratione, sub finem. *Accepto*, inquit, *corpore Domini & reseruato* (secum enim olim deferebant, vt patet ex eodem Tertulliano lib. 2. ad vxorem. & ex Cypriano, Serm. de lapsis. & ex Nicephoro lib. 12. cap. 41.) *vtrumq; saluum est, & participatio sacrificij & executio officij.*

ORIGENES Homil. 7. in numer. *Antea*, inquit, *in ænigmate fuit Baptismus in nube & in mari: nunc autem in specie regeneratio est in aqua & in Spiritu sancto. Tunc in ænigmate erat manna cibus: nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus.* Et rursus Homil. 35. in Matth. *Cùm eos*, inquit, *hoc pane nutrit* (Christus discipulos) *ostendit propriù esse corpus.* Et clarissimè Homil. 13. in Exod. inquit, *Volo vos admonere religionis vestræ, exemplis. Nostis qui diuinis mysteriis interesse cõsuestis, quomodo cùm suscipitis* CORPVS *Domini, cum omni cautela et veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos esse creditis, et rectè creditis, si quid inde per negligentiã decidat. Quod si circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela, & merito vtimini: quomodo putatis minoris esse piaculi, Verbum Dei neglexisse, quàm corpus eius?*

S. CYPRIANVS lib. 2. epist. 3. *Obtulit Christus*, inquit, *panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* Tum videlicet, cùm *panem & calicem mixtum vino obtulit*, vt ait paulò pòst idem Cyprianus. Et rursus ibidem: *Sicut ad potandum vinum*, inquit, *veniri non potest, nisi botrus calcetur ante & prematur; sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset & pressus & calicem prior biberet, quem credentibus propinaret.* Et in serm. de lapsis, de his loquens, qui cùm fidem negassent, indignè cõmunicabant. *Vis*, inquit, *infertur corpori Domini & sanguini, & plus modò in Dominum* MANIBVS *atque* ORE *delinquitur, quàm cum Dominum negauerunt.*

Nec est opus recensere hoc loco testimonia omnium aliorum Patrũ, qui sequentibus seculis præsentiam Christi in Eucharistia similiter asseruerunt. Tum quia multa ex illis paulò pòst sæpe commemorabimus, tum quia sunt innumerabilia. Placet tamen hìc præterea adiungere testimonia aliorum quatuor illustrium Doctorum Ecclesiæ Latinæ, & item quatuor aliorum Ecclesiæ Græcæ, cum quibus dubium non est, quin reliqui omnes scriptores Orthodoxi consenserint, quacunque ætate floruerint.

Ex Ecclesia igitur Latina superioribus adiũgo Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, ex quibus singulis singulas tantùm sententias breuiter nunc referam.

S. AMBROSIVS lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Non erat corpus Christi ante consecrationem; sed post consecrationem dico tibi, quòd iam corpus est Christi.*

S. HIERONYMVS explicans illud Osæ 2. *Ego quasi nutritius Ephraim*, sic inter cetera loquẽtem Christum inducit: *Declinaui ad eos deferens regna cælorum, vt vescerer, cum eis assumpta forma hominis, siue dedi eis esum corporis mei: Ipse & cibus & conuiua.*

S. AVGVSTINVS lib. 2. contra aduersarium legis & prophet. cap. 9. *Christum* IESVM *carnem suam nobis manducandam, bibendumq; sanguinem dantem, fideli corde* ET ORE *suscipimus.*

S. GREGORIVS Magnus, Homil. 23. in Euang. *In nocte*, inquit, *agnum comedimus, quia in Sacramento modò Dominicũ corpus accipimus, quando adhuc ab inuicem nostras conscientias non videmus.* Et paucis interpositis: *Sed sola Redemptoris nostri precepta Sacramenta ad veram sõlennitatem mentis nos sufficiunt, nisi eis quoque bona opera iungantur. Quid enim prodest corpus & sanguinem illius* ORE *percipere & ei peruersis moribus contraire?* Paulò superiùs ita etiam dixerat: *Quid sit sanguis agni non iam audiendo, sed bibendo, didicistis. Qui sanguis super vtrumque postem ponitur, quando non solùm ore* CORPORIS, *sed etiam ore cordis hauritur.*

Ex Ecclesia quoque Græca profero Doctores alios celeberrimos quatuor, Athanasium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Epiphanium. Nam reliquos postea sæpius citabo.

S. ATHANASIVS approbans & recitans sententiam Synodi cuiusdam Alexandrinæ, in Apologia 2. ita inquit: *Mysticum poculum duntaxat, penes eos habetur, qui Ecclesiis præsunt. Solum enim vestrum est propinare sanguinem Christi & præterea nullius. Ceterùm vt impius est, qui hunc calicem frangit, ita multò magis est impius, qui sanguini Christi contumeliam facit; Contumeliam autem facit, qui præter Ecclesiasticam institutionem calice illo abutitur.* Ac rursus oratione in illud: *Qui dixerit verbum*, &c. refutans carnalem cogitationem Capharnaitarum, qui putabant sensibili & ordinario modo; (sicut etiam Augustinus notauit in Psal. 98. & tract. 26. in Ioannem) corpus Christi esse comedendum, & exponens sermonem illum Christi. *Verba quæ ego locutus sum vobis* (Ioan. 6.) *spiritus & vita sunt*; ita subiungit: *Perinde est*, inquit, *ac si diceret: Corpus meum quod ostenditur, & datur pro mundi, in cibum dabitur, vt spiritualiter* VNICVIQVE TRI-

BVATVR (vbi nisi in spirituali ministerio altaris?) *& fiat singulis tutamen, præseruatioq; ad resurrectionem vitæ æternæ.*

Quod autem loquatur hìc Athanasius de ipso corpore Christi, vt distribuitur modò insensibili & spirituali & diuino in Sacramento, ex alio etiam eiusdem Athanasij loco intelligi potest, in lib. de Imagine Saluatoris Beriti. cap. vltimo, vbi sic ait: *Nec aliter existimandũ est præter id, quod scribitur a nobis, quasi ex carne et sanguine Christi aliquid possit in mundo inueniri, nisi* ILLVD QVOD IN ARA ALTARIS *per manus sacerdotis quotidie spiritualiter efficitur*, id est, consecratur.

S. BASILIVS hanc quæstionẽ proponit in quæstionibus compendio explicatis, q. 172. *Quali timore aut quali certitudinis perfectione, aut quo affectu, corporis ac sanguinis Christi participes fiemus?* Respõdet autem his verbis: *Timorem quidem docet nos Apostolus, I. Cor. 11. dicens, Qui edit ac bibit indignè, iudicium sibiipsi edit ac bibit. Certitudinis autem perfectionem inducit fides verborum Domini, qui dixit: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, Hoc facite in meam commemorationem.*

S. Gregorius NYSSENVS in orat. de sancto Baptismate. *Panis*, inquit, *panis est initio communis: Sed vbi eũ mysterium sanctificauerit, corpus Christi & dicitur, &* EST. *Eodem modo vinum.*

S. EPIPHANIVS in Anchorato, pag. 520. *Euangelium*, inquit, *habet, quod surrexit Saluator in cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egisset, dixit: Hoc meum est, & hoc, & hoc. Et videmus quòd non æquale est, neque simile; non imagini in carne* (id est, non humanitati Christi) *non inuisibili Deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim est rotundæ formæ & inuisibile, quantum ad potentiam. Et voluit per gratiam dicere, Hoc meum est, & hoc, & hoc, & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit, esse* IPSVM VERVM, *sicut dixit, is excidit à gratia & salute.*

Obsecro, cum occurrerint hìc Epiphanio oĩa argumenta sensus humani, quibus hodie mouentur Caluinistæ, vt negent, Christi corpus esse in parua quantitate Eucharistiæ: Cur non etiam illi venit in mentem interpretatio Caluiniana, scilicet, quod Eucharistia solùm sit signum corporis Christi, si hæc interpretatio vera & Catholica est? Annón facillimè hac ratione argumentata illa omnia rationis humanæ expedire potellectum, & postponi iudicium sensus, & credi firmiter ipsum verum Christũ esse illud, quod Christus ipse Christum esse dixit?

Ergo cùm omnes etiam alij Patres (quos partim citaui, partim citabo) tam planè, tam assiduè ipsum nos habere & sumere in Eucharistia; neque vllus vnquam ex omnibus illis Caluiniantummodò Christi signum Christum appellent; rectè hoc argumento PRIMO concludimus, de vera prorsus ac reali & substantiali & corporali præsentia Christi in Eucharistia fuisse persuasos Patres, nec quidquam minus quàm hanc sententiam Sacramentariam somniauisse.

SECVNDO. Sunt etiam quidam ex Patribus, qui expressis verbis hanc Sacramẽtariam expositionem reiecerint, dixerintque *non tantùm hic esse figuram, neque tantùm secundùm fidem aut gratiam* vniri nos hìc cum Christi corpore, sed etiam *reipsa* sumi hìc corpus & sanguinem Domini: aliquo nimirum alio modo, quàm illud spiritualiter participant ij, qui cum ipso tanquam membra cum capite per fidem & gratiam sunt vniti.

Ita expresè D. DAMASCENVS, lib. 4. fidei. cap. 14. qui maximè ex sententia Ecclesiæ orthodoxæ, & aliorum etiam antiquorum Patrũ, in omnibus loqui & docere sibi propositum habuit: *Dominus ipse*, inquit Damascenus, *dixit: Hoc est, non corporis signum, sed corpus: nec sanguinis signũ, sed sanguis.*

Item THEOPHYLACTVS explicans illud, in cap. 14. Marci, & 26. Matth. *Hoc est corpus meũ: Hoc*, inquit, *quod sumitis. Non enim tantùm figura & exẽplar est corporis Dominici panis, sed in illum conuertitur Corpus Christi*, &c.

Et ante hos D. CHRYSOSTOMVS Homil. 60. ad popul. Antioch. *Semetipsum*, inquit, *nobis cõmiscet*, & NON *fide* TANTVM, *verùm & ipsa re nos suum efficit corpus.* Quod dicit propter coniunctionem & communicationem *corporalem* Christi, quæ fit in hoc Sacramento, de qua paulò pòst etiam dicemus. Item Homil. 61. ad eundem pop. *Vt itaque*, inquit, NON TANTVM *per charitatem, verùm etiam ipsa* RE *in illam misceamur carnem; per esçam efficitur, quam largitus est nobis.*

Item D. Cyrillus ALEXANDRINVS de hoc Sacramẽto loquẽs, li. 10. in Ioan. ca. 13. NON *habitudine*, inquit, SOLVM, *quæ per charitatẽ esse intelligitur, verũ etiam participatione naturali Christus in nobis est.*

Beatus etiam HILARIVS expressissimis verbis lib. 8. de Trin. asserit, nos suscipiendo istud Sacramentum, non tantùm concordia voluntatis per gratiã & religionem, sed etiam reipsa coniungi cum corpore & sanguine Christi: *Interrogo*, inquit, *istos, vtrum per naturæ veritatem Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis?* Et paucis interpositis: *Verè*, inquit, *cibo Dominico Verbum carnem sumimus, naturamq; carnis suæ sub Sacramento nobis admiscuit.* Et paulò inferùs: *Hæc à nobis*, inquit, *idcirco commemorata sunt, quia voluntatis tantùm vnitate hæretici personas diuinas vnitas esse interpretantur, & ad id exemplo vnitatis nostræ cum Deo vtuntur, quasi nobis ad Filium voluntate tantùm religionis vnitis, nulla per Sacramẽtum carnis* NATVRALIS *cõmunionis proprietas indulgeretur.*

Huc etiam pertinet, quod D. AVGVSTINVS sæpe clarissimè indicat, corpus Christi esse in hoc Sacramento, non solùm tanquam in signo, sed reipsa. Vt cum inquit lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 37. *Aliud est Pascha Iudæorum, quod adhuc de oue celebrant. Aliud autem, quod nos in corpo-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

re & ſanguine Domini accipimus. Celebratur igitur noſtrum Paſcha in corpore & ſanguine Chriſti reuera, & non tantùm in ſigno corporis & ſanguinis Chriſti. Nam huiuſmodi ſignum etiam fuit in Paſchate Iudæorum, & quidem multò illuſtriùs, cùm perfectiùs repræſentarit agnus Chriſtum in cruce immolatum, quàm panis. Item cùm ait lib.2. de peccator. meritis & remiſs. cap.26. *Catechumenos per quendam modum, ſcilicet per ſignum Chriſti,* (intelligit panem quendam benedictum, qui olim ſolebat dari) *& orationem puto ſanctificari. Quamuis enim non ſit corpus Chriſti, id quod accipiunt, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt.* Hîc Auguſtinus apertè diſtinguit Sacramentum illud propriè dictũ, quod eſt *corpus Chriſti*, & quod Catechumenis non datur (vt aliàs ipſe notat tract. 11. & 96. in Ioan.) à pane ſanctificato, qui tamen erat *ſignum Chriſti* (vt ait) & catenus communi quadam ratione dicebatur *Sacramentum*, prout Sacramentum dici poteſt quæcunque res ſacra myſticè aliquid ſignificans.

Cenſuit igitur Auguſtinus Euchariſtiæ Sacramentum *reuera* eſſe corpus Chriſti, & non tantùm ſignum illius, quale fuit etiam ille panis benedictus, quẽ & Paulinus vocat εὐλογίαν, Epiſt. 35. ad Alipium.

Alibi quoque diuus AVGVSTINVS lib. 3. de Trin. cap. 4. diligenter Sacramentum corporis Chriſti diſtinguit ab aliis rebus, per quæ ſignificari poteſt Chriſtus: *Quæ tamen ſigna*, inquit, *non dicimus corpus Chriſti & ſanguinem, ſed illud tantùm quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica cõſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritualem in memoriam Dominicæ paſſionis. Quod cum per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur, vt ſit tam magnum Sacramentum, niſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei.*

TERTIO. Vtuntur etiam ſancti Patres maxima orationis contentione ad perſuadendum, virtute & *omnipotentia* Dei in hoc Sacramento *mirabiliter* adeſſe Chriſtum, quantumuis aliud nobis ipſi ſenſus ſignificent; neque id eſſe in Euchariſtia, *quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit.* Vt planè appareat, eos pro illa reali & corporali Chriſti præſentia pugnare, quam hodie Sacramentarij, iudicio ſenſuum impediti, credere nolunt, non autem pro illa alia præſentia ſecundùm communicationem ſpiritualem, quam ſolam Sacramentarij admittunt, & in qua nulla peculiaris eſt difficultas, quæ nõ ſit alioqui in cõmuni articulo de iuſtificatione noſtra per Chriſtum, cui ſpiritualiter, vt membra capiti vnimur. Sed ipſos Patres audiamus.

D. AMBROSIVS lib. de iis qui myſter. initian. cap. 9. *Quantis*, inquit, *vtimur exemplis, non eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit. De totius mundi operibus legiſtis, quia ipſe dixit, & facta ſunt. Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt, mutare in id quod non erat? Liquet quod præter naturæ ordinem ſemel Virgo generauit: et hoc quod facimus, corpus ex Virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cuius partus fuit ex Virgine ſupra naturæ ordinem?*

S. EVSEBIVS Emiſſenus Homil. 5. de Paſch. *Recedat ergo*, inquit, *omne veritatis ambiguum, quãdoquidem, qui author eſt muneris, ipſe teſtis eſt veritatis. Nam inuiſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui ſecreta authoritate conuertit, ita dicens: Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. Et ſanctificatione repetita, Accipite & bibite, Hic eſt ſanguis meus.*

S. Cyrillus HIEROSOLYMITANVS Catech. 4. Myſtag. *Omni*, inquit, *cum certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus. Nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis.* Et paulò inferiùs: *Ne ergo conſideres tanquam panẽ nudum & vinum nudum. Corpus enim eſt, & ſanguis Chriſti, ſecundùm Domini verba. Quamuis enim tibi ſenſus hoc ſuggerit, tamen fides te confirmet. Ne ex guſtu rem iudices. Quin potiùs habeas ex fide pro certiſſimo, ita vt nulla ſubeat dubitatio, eſſe tibi donata corpus & ſanguinem.*

Et infrà: *Hoc ſciens & pro certiſſimo habens, panẽ hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti. Et vinum hoc, quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui vinum videtur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti.*

Item diuus HILARIVS lib. 8. de Trinit. *De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus. nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtra, verè caro eſt, & verè ſanguis eſt, & hæc acceptæ atque hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Anne hoc veritas non eſt? Contingat planè his verum non eſſe, qui Chriſtum IESVM Deum verum eſſe negant.*

S. CHRYSOSTOMVS Homil. 83. in Matth. *Credamus*, inquit, *vbiq, Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum videatur, quod dicit: Superet & ſenſum, & rationem noſtram. ſermo ipſius. Nam verbis eius fraudari non poſſumus. Senſus verò noſter deceptu facillimus eſt. Quoniam ergo ipſe dixit: Hoc eſt corpus meum; nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus.*

S. Gregorius NAZIANZENVS oratione 2. de Paſch. *Submota*, inquit, *omni dubitatione corpus ede, & ſanguinem bibe.* Vbi etiam pulchrè docet, hanc fidei firmitatem, ad hoc myſterium ſine titubatione animi credendum, fuiſſe ſignificatam baculis illis, quos iubebantur filij Iſraël manibus tenere, Exod. 12. cũ Paſchalem agnum, qui fuit huius Sacramenti typus, comederẽt. Similia reperiet Lector apud Iuſtinum, Apolog. 2. Cyrillum Alexandrinum lib. 4. in Ioan. c. 23. Auguſtinũ, ſerm. 2. de verbis Apoſtol. Leonem, ſerm. 6. de Ieiunio 7. menſis. Damaſcenum, lib. 4. fid. c. 14. Baſiliũ, in quęſtionibus cõpendio explicatis, q. 172. Epiphanium, in Anchorato pag. 520. & alios paſſim.

QVARTO.

QVARTO. Obſeruant etiam ſancti Patres, cum præſentia Chriſti in hoc Sacramento coniunctum eſſe illud *miraculum*, vt ſit Chriſtus ea ratione præſens ſimul in pluribus locis. Ex quo etiam euidentiſsimum eſt, eos de reali & ſubſtantiali & corporali præſentia, non de illa Sacramentaria loqui.

Ita CHRYSOSTOMVS lib. 3. de Sacerd. ſub initium: *O*, inquit, *miraculum. O Dei benignitatem. qui cum Patre ſurſum ſedet, eodem temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Et rurſus Homil. 2. ad populũ Ant. *Chriſtus*, inquit, *aſcendens in cælum carnem ſuã & nobis reliquit, & ipſam aſcendens habet.*

Item D. BASILIVS in liturgia. *Veni*, inquit, *ad ſanctificandum nos, qui ſurſum Patri conſidis, & hic nobis inuiſibiliter coës.*

Item S. Gregorius NYSSENVS oratione de paſchate: *Sicut diuinitas replet mundum, & tamen vna eſt: ita innumerabilibus locis conſecratur, & tamẽ vnum corpus eſt.*

Item S. AMBROSIVS in Pſalm. 38. *Chriſtus ipſe*, inquit, *offertur in terris, quãdo Chriſti corpus offertur.* Et alij Patres cõmuniter in ca. 10. epiſt. ad Hebr.

QVINTO. Amplificãt dignitatem huius myſterij pulcherrimis quibuſdam locutionibus & notationibus, quæ eſſent alioqui omnes futiles, niſi reuera intellexiſſent, Chriſtum in hoc Sacramento contineri. Vt quòd paſcat hac ratione Chriſtus ſuas oues *proprio cruore*: Quòd hic ſuſcipiamus noſtrum *ſponſum*, *Dominum omnium*, *Chriſtum crucifixum*, *Redemptorem*, *Pretium noſtrũ*, &c. In quo genere præclara multa ſcribit diuus Chryſoſtomus, itemque Auguſtinus.

Iudæi, inquit AVGVSTINVS in Pſalm. 33. *de crucifixo obtenebrati ſunt. Chriſtiani autem comedendo crucifixum illuminantur.* Item Epiſt. 120. ad Honoratum, cap. 27. *Quidam*, inquit, *manducantes in Sacramẽto Chriſtũ pauperẽ, dedignantur eſſe pauperes.*

Ac in pſalm. 33. tractans locum, vbi iuxta 70. legimus de Dauide: *Ferebatur in manibus ſuis*, 1. Reg. 21. ita inquit: *Hoc fratres quomodo poſſit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus alienis poteſt portari homo: Manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur: In ipſo Dauide, ſecundum* LITERAM *non inuenimus: in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait: Hoc eſt corpus meum.* FEREBAT *enim illud corpus in manibus ſuis.*

Quid hac, obſecro, diui Auguſtini oratione vel luculentius atque elegantius dici potuit, ſi Chriſtus reipſa in Sacramento præſens eſt; vel abſurdius atque ineptius, ſi Sacramentum eſt tãtùm Chriſti figura & ſymbolum? An enim eſt quiſquam qui ſymbolum ſui aut effigiem, ſuis ipſe manibus geſtare non poſsit?

Item S. CHRYSOSTOMVS, Homil. 83. in Matthæum, *Parentes*, inquit, *aliis ſæpe filios tradũt alendos. Ego autem non ita, ſed carnibus meis alo, & meipſum vobis appono.* Tum Homil. 60. ad populum Antioch. & 45. in Ioann. *Quod*, inquit, *nunc dicunt, vellem ipſius formam aſpicere, figuram, veſtimenta, calceamenta: Ecce eum vides, ipſum tangis, ipſum manducas. Et tu quidem veſtimenta videre cupis, ipſe autem tibi concedit, non tantùm videre, verum & manducare, & tangere, & intra te ſumere.* Atque etiam ibidem: *Quis*, inquit, *loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis paſtor oues proprio paſcit cruore? Et quid dico paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipſe non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.* Et illud in eodem genere præclarè Homil. 2. ad populũ Antioch. *Helias melotem diſcipulo reliquit: Filius autem Dei, aſcendens in cœlum, ſuam nobis carnem dimiſit. Sed Helias quidem exutus: Chriſtus autem & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit.* Hęc & ſimilia, quæ paſsim in libris occurrunt ſanctorum Patrum, quis non videt inaniſſimè dici, niſi reuera habeamus corporaliter in Sacramento, & ore quoque ſumamus corpus & ſanguinem Chriſti?

SEXTO. Accuratè quoque reddũt rationem, cur hîc voluerit Chriſtus adeſſe ſub aliena ſpecie, videlicet ne horrori eſſet alioqui ſumentibus. Quæ certè explicatio locum non haberet, ſi Chriſtus hîc non ſumitur ore corporis. Ita D. Ambroſius, Damaſcenus, Theophylactus, atq; etiam diuus Cyrillus Alexandrinus.

Didiciſti, inquit AMBROSIVS, lib. 4. de ſacram. c. 4. *quod ex pane fit corpus Chriſti; & quod vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione Verbi cæleſtis. Sed fortè dicis,* SPECIEM *ſanguinis nõ video. Sed habet ſimilitudinem.* (puta ſecundùm ſpeciem viſibilem, reuera tamen eſt ſanguis) *Sicut enim mortis ſimilitudinem ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem ſanguinis bibis,* VT NVLLVS HORROR *cruoris ſit, & precium tamen ſit Redemptionis. Didiciſti ergo, quia quod accipis, corpus eſt Chriſti.*

Item DAMASCENVS, lib. 4. cap. 14. *Quæris*, inquit, *quomodo panis corpus Chriſti, & vinum cum aqua coniunctum, ſanguis Chriſti fiat? Tibi reſpondeo: Spiritus ſanctus ſuperuenit, eaque efficit, quæ orationis facultatem ac mentis intelligentiam excedunt. Panis verò & vinum ob eam cauſſam adhibentur, quia Deo nota & exploratа eſt humana imbecillitas: quippe quæ, vt plurimum ea quæ vſu & conſuetudine minimè trita ſunt, graniter ferat, &* AVERSETVR.

Item THEOPHYLACTVS, in cap. 26. Matth. (idem in cap. 14. Marci) *Dicens*, inquit, *Hoc eſt corpus meum, oſtendit, quòd ipſum corpus Domini eſt panis, qui ſanctificatur in Altari, & nõ reſpondens figura. Non enim dixit: Hoc eſt figura, ſed, Hoc eſt corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamſi nobis videatur panis. Quoniam infirmi ſumus & abhorremus nudas carnes comedere, maximè hominis: ideo panis quidem apparet, ſed caro eſt.*

Item diuus Cyrillus ALEXANDRINVS, apud diuum Thom. in Catena circa cap. 22. Lucæ. *Decebat*, inquit, *Chriſtum noſtris quodammodo*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vniri corporibus per sacram eius carnem & pretiosum sanguinem, quæ accipimus in benedictione viuificatiua in pane & vino. Ne enim HORREREMVS *carnem & sanguinem apposita sacris Altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in* VERITATEM *propriæ carnis, vt corpus vitæ quasi quoddam semen viuificatiuum inueniatur in nobis.*

SEPTIMO. Accuratè explicant, quemadmodum neque corrumpatur, neque minuatur, neque consumatur Christus, etiamsi totus à singulis sumatur: quod etiam explicare esset superuacaneum, si non hîc sumitur reuera. Id verò proposuit quasi pro miraculo S. ANDREAS Agæo Proconsuli, vt retulerunt Presbyteri Achaiæ. Idem etiam ostendit S. CYPRIANVS, Serm. de cœna Domini. AVGVSTINVS, serm. 2. de verbis Apostoli. & apud Bedam in 1. Cor. 10. Cyrillus HIEROSOLYMITANVS Catech. 5. Myst. EMISSENVS Serm. 5. de Pasch.

OCTAVO. Studiosè etiam declarant, ex quibus naturis constet persona existens in hoc Sacramento, nempe non solùm ex *humana*, sed etiam ex *diuina*, atque ideo esse ibi cibum viuificum. Ita in Concilio EPHESINO, Anathe. 11. & in epist. ad Nestor. Atque etiam idem asserit Cyrillus Alexand. in declarat. illius Anath. & Theodoretus ex IGNATIO Dialogo 2. & 3. Et HILARIVS lib. 8. de Trin. *Verbum*, inquit, *caro factum est, & verè carnem verbum cibo Dominico sumimus.* Idem asserit Theophylactus in caput 6. Ioan.

NONO. Non modò simpliciter asserunt personam existentem in Eucharistia esse verum *Deum & hominem*, sed quod amplius est, hac etiam assertione tanquam firmissimo & notissimo fundamento sæpe vsi sunt ad refellendos varios hæreticorum errores. Nam IRENÆVS inde probat contra Valentinianos, lib. 4. c. 34. Christum esse Filium Dei Patris, *fabricatoris mundi, quoniam fateri eos necesse sit, Eucharistiam esse carnem Filij Dei*, ibidem etiam contra eosdem probat futuram nostræ carnis resurrectionem, *quoniam corpore*, inquit, *& sanguine Domini alitur.*

Item ex eodem fundamento probat contra Gnosticos, lib. 5. c. 2. Christum venisse in vera carne: Quoniam alioqui *neque calix*, inquit, *Eucharistiæ, communicatio sanguinis eius esset, neque panis quem frangimus communicatio corporis eius. Sanguis enim non est nisi à venis & carnibus, & areliqua, quæ est secundùm hominem, substantia.*

Et infrà inde etiam probat futuram resurrectionem: *Quomodo*, inquit, *negant, carnem capacè esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur*, id est, quæ carnem Christi reipsa percipit.

Præterea D. HILARIVS, lib. 8. de Trinit. probat, veritatem corporis & sanguinis Christi, ex eo quòd *vera caro & verus eius sanguis* sit in hoc Sacramento. Item probat ibi Patrem, & Filiũ, & Spiritum sanctum, non tantùm vnitate voluntatis, sed etiam vnitate *realí & naturali* vnum esse, sicut nos cum Filio efficimur vnum, reali & *naturali* coniunctione corporum in hoc Sacramento, vt suprà etiam ex Hilario recitaui.

Diuus etiam Cyrillus Alexandrinus ex eadẽ veritate confirmat contra Arianos, lib. 10. in Ioan. cap. 13. Christum non modò secundùm diuinitatem, sed etiam *secundùm humanitatem* influere in nos, tanquam vitem in palmites, vitã gratiæ, quia nimirum eius corpus & sanguis ad vitam spiritualem in Eucharistia sumitur. Suprà etiam vidimus ex eodem fundamento refutari ab Augustino quendam Vrbitium, Epist. 86.

DECIMO. Sæpe notant, propter hanc cõiunctionem realem *& naturalem* corporis nostri & corporis Christi, effici nos quasi *vnum corpus* cũ Christo, ad modum quo dicuntur cõiuges propter corporalem coniunctionem esse *vna caro*, Matth. 19. Ephes. 5. Atque hanc vnionem & quasi admixtionem realem & corporalem cum Christo, diligenter ideo distinguunt à coniunctione & vnione *spirituali* cum eodem per gratiam.

Huc pertinet quod D. IRENÆVS affirmat lib. 5. cap. 2. *Carnem nostram corpore & sanguine Christi nutriri, & membra nos fieri eius, de carne eius et ossibus eius.* Quod ita dicit, non quia caro Christi in nostram conuertatur, sicut corporalis cibus, sed quia corporaliter cum nostra carne in hoc Sacramento coniungitur; & illam eatenus vegetat, quatenus virtute carnis Christi sumptæ nũc in Eucharistia, consequetur nostra caro postea in resurrectione gloriæ immortalitatem: atque etiam ob id fortè, quod vires illi aliquas corporales mirabiliter suppeditat.

Huc item illud S. Gregorij NYSSENI spectat, in oratione Catech. *Quemadmodum*, inquit, *parum fermenti, teste Apostolo 1. Cor. 11. totam massam sibi similem reddit, sic corpus illud viuificum in corpus nostrum ingrediens totum in se transfert atque commutat, sibique simile & immortale* (futurum suo tẽpore) *reddit. Necessariũ enim est, quoad fieri potest, vt natura nostra vim salutarem intra corpus admittat.*

Item diuus Cyrillus de hac vnione corporali, quæ fit per vsum Eucharistiæ, differens lib. 10. in Ioan. cap. 13. *Quemadmodum*, inquit, *si quis igne liquefactam ceram aliæ cereæ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtriusq; factum videatur; sic communicatione corporis et sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso: Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatẽ et vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur.*

Ita quoque S. CHRYSOSTOMVS Hom. 45. in Ioann. & 83. in Matth. ait, Nostram hanc cum Christo coniunctionem *non tantùm fide* aut charitate, *sed etiam re ipsa* istius vsu Sacramenti fieri. Quod etiam asserit S. HILARIVS, lib. 8. de Trinit. & S. DAMASCENVS, lib. 4. cap. 14. & Haymo, in cap. 10. 1. Cor. & alij.

Atque ex hac quidem corporali nostra vnione cum

Christo, docent Patres, quasi effectum quendam consequi (nisi impuritas conscientiæ obsistat) illam alteram nostri vnionem cum eodem Christo secundùm gratiam; quia scilicet carnem Christi Dei & hominis viuificatricem sumamus, quæ sit instrumentum diuinitatis in efficienda gratia. Ita expressissimè S. CYRILLVS, lib. 4. in Ioan. c. 14. & 15. & TERTVLLIANVS, qui eleganter dixit, lib. de resurrectione carnis: *Caro nostra corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.*

VNDECIMO. Affirmant quoque corpus ipsum & sanguinem, etiam à malis & indignis hominibus ore sumi sacrilego, eamque adeò oralem tantùm sumptionem distinguunt à sumptione spirituali & fructuosa, quam simul ab omnibus requirunt. Ita expressissimè D. AVGVSTINVS, Tract. 27. in Ioan. vbi sic inquit: *Carnem Christi & sanguinem Christi non edamus & bibamus tantùm in Sacramento, quod & faciunt*, inquit, *multi mali, sed vsque ad Spiritus participationem manducemus & bibamus.* Et clarissimè lib. 5. de Baptismo contra Donat. c. 8. *Indignè*, inquit, *quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus Apostolus dicebat; Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.*

Et rursus lib. contra Fulgentium Donatist. c. 7. *Iudas proditor bonum* CORPVS, *& Simon Magus bonum Baptisma Christi percepit. Sed quia bono bene non vsi sunt, mali malè vtendo deleti sunt.* Idem etiam asserit lib. 2. contra literas Petil. cap. 55. & serm. 11. de verb. Domini, & lib. 1. de adulter. coniug. cap. 27. &c.

Ac similiter D. CHRYSOSTOMVS Homil. 83. in Matth. *Iudei*, inquit, *sacrosanctũ corpus trucidarunt: Tu post tantaq; beneficia sordidâ suscipis anima.* Quod ipsum expressè asserit Homil. 45. in Ioan. & in cap. 11. 1. ad Cor.

Item ORIGENES in Psalm. 37. *communicare*, inquit, *non times corpus Christi accedens ad Eucharistiam, quasi mundus & purus, & putas quod effugias iudicium Dei?*

Item clarissimè THEODORETVS in cap. 11. 1. Cor. *Quemadmodum*, inquit, *probris affecerunt Christum Iudæi, ita ignominia eum afficiunt, qui sanctissimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum & incestum* OS *immittunt.*

Eadem est sententia D. CYPRIANI, lib. 3. epist. 15. & BASILII, lib. 2. de Baptis. cap. 3. & D. LEONIS, Serm. 6. de ieiunio 7. mensis, qui inter cetera dicit, illud ipsum *ore sumi, quod fide creditur.*

Quam rem Sancti Patres Apostoli testimonio cõfirmant, 1. Cor. 11. qui ait: *Reum esse corporis & sanguinis Domini* illũ, *qui indignè manducat & bibit*, quia *non diiudicet corpus Domini*, quod nimirum ore sumit. Secundùm Caluinianam autem sententiam corpus ipsum & sanguis Domini non sumitur ore corporis, sed tantùm à iustis palato fidei (vt dicunt) secundùm participationem gratiæ & vnionem spiritualem cum corpore Christi.

DVODECIMO. Illud etiam obseruatione dignissimum est, quod asseuerãt Patres, Christum ipsum in vltima cœna comedisse in hoc Sacramẽto suummet corpus, & bibisse proprium suum sanguinem. Quod certè intelligi non potest secundùm gratiæ participationem Caluinianã. Nam neque gratiæ aliquid Christo post momẽtum incarnationis de nouo accesit, & inauditum est, quòd caro ipsa & sanguis Christi fuerit caussa instrumentalis, & effectiua alicuius gratiæ, quæ vnquam animæ Christi daretur. Oportet igitur de Orali sumptione intelligere, quod Patres dicunt, Christum sumpsisse suum corpus. Ita expressè CHRYSOSTOMVS Hom. 83. in Matth. *Ne turbarentur*, inquit, *Apostoli ipse suum sanguinem bibit.* Item HIERONYMVS ad Edibiã. *Ipse*, inquit, *conuiua & conuiuium, ipse comedens & qui comeditur.*

DECIMO TERTIO. Magno etiam consensu asserunt, Christum in illa cœna sese in pane & vino incruente sacrificauisse & obtulisse DEO Patri, vt plurimis & clarissimis testimoniis sanctorum Patrum ostendemus infrà q. 11. cum disseremus de Sacrosancto Sacrificio Missæ. Id enim asserunt Clemens Rom. lib. 8. constit. Apostol. cap. 5. & 16. Dionys. c. 3. Eccles. Hierar. in fine. Iustinus in dialogo cum Triph. Irenæus lib. 4. cap. 32. Cyprian. lib. 2. epist. 3. & alij, quos in illa quæstione citabimus. Qui etiam ideo asserunt, Christum, vt similiter Sacerdotes incruentè postea sacrificarent, ibi præcepisse verbis illis; *Hoc facite in meam commemorationem*, quod illic etiam ostendemus. At certè non sacrificatur & offertur, nisi res præsens, quæ scilicet veluti sistatur ante Deum. Vnde clarissimè diuus Ambrosius in Psalm. 38. *Christus ipse offertur*, inquit, *in* TERRIS, *quando Christi corpus offertur.*

DECIMO QVARTO. Est etiam illud maximũ, quod in quibus locis Eucharistia exististit, & à quibus rebus aliquo modo, aut etiam aliquo sensu, attingitur; in iisdem existere, & ab iisdem rebus attingi Christi corpus & sanguinem, similiter Patres affirmant; ratione videlicet Eucharistiæ. Quod non rectè dici posset, nisi ex sententia sanctorum Patrum ipsum corpus & sanguis Christi existant reuera in Eucharistia. Ea enim ratione fit, vt vbi existit Eucharistia, existat corpus & sanguis Christi.

Hinc igitur CHRYSOSTOMVS dicit Homil. 45. in Ioan. & 60. ad populum Antioch. Christum Dominum in hoc Sacramento *videri, & tangi, & intra nos sumi, & dentes eius carni infigi.* Et: *Degustari sanguinem Christi.* Homil. 61. ad populum Antioch. *Linguam tremendo Christi sanguine rubescere.* Et Homil. 83. in Matth. *Os igne spirituali*

Universidad de Deusto
Biblioteca

impleri, & linguam admirabili sanguine cruentari. Atque etiam CYPRIANVS eadem ratione dicit in serm. de lapsis. *Iacere corpus Domini in arca, contrectari manibus, concludi visceribus.* Sic HIERONYMVS quoque in Epist. ad Rusticum Monachum, in fine, *Portari* dixit *ab Exuperio sanguinem Christi in vitro, & corpus in vimineo canistro.* Ac OPTATVS Mileuitanus similiter dixit lib. 6. contra Parmen. *Altare sedem esse corporis Domini, & Calices portatores sanguinis.*

DECIMO QVINTO. Ad hæc accedit, quod sancti Patres vbique loquuntur de hoc sanctissimo Sacramento longè reuerentiùs ac diuiniùs non modò, quàm de Sacramentis veteris legis, quæ & ipsa etiam erant figuræ quædam Christi, Sed quàm de Sacramento Baptismi, & aliis Sacramentis nouæ legis, cùm tamen certum sit in aqua etiam Baptismi esse quoddam signum seu Symbolum corporis & sanguinis Christi, quatenus eius virtute abluimur spiritualiter in Baptismo.

Formo igitur ex hoc tale argumentum: Si ex sententia Christi & sanctorum Patrum, Eucharistia ideo solum est & dicitur corpus & sanguis Christi, quia est symbolum ipsius, vt nos in eo Sacramento spiritualiter reficit: & eatenus solum in Eucharistiæ vsu corpus & sanguis Christi sumitur, quatenus gratia & refectio spiritualis virtute atque efficacia corporis & sanguinis Christi in hoc Sacramento percipitur; pari modo ex sententia Christi & sanctorum Patrum esset ac dici posset aqua Baptismi corpus & sanguis Christi, & pari modo ex eiusdem Christi & sanctorum Patrum sententia in Baptismi vsu exhiberetur ac sumeretur corpus & sanguis Christi, vt videlicet spiritualiter ibi nos abluit. At summa dementia est putare, hanc fuisse Christi & sanctorum Patrum de Baptismo sententiam. Ergo insaniunt Sacramentarij, si sententiam Christi & sanctorum Patrum de Eucharistia, non nisi illam esse contendunt.

Prior argumenti propositio probatur; Quoniam, vt dictum est, similiter aqua Baptismi est symbolũ corporis & sanguinis Christi propter virtutem, quam ille habet, nos emundãdi à peccatis. Item maximè etiam per efficaciam corporis & sanguinis Christi, datur illa gratia spiritualis, quæ percipitur in Baptismo.

Posterior autem propositio patet, quoniam nunquam Christo vel sanctis Patribus in mentẽ venit, ita de Baptismi aqua affirmare, quòd sit corpus & sanguis Christi, sicut id affirmarunt de Eucharistia. Et sanè facere quoad hoc parem Baptismum Eucharistiæ, res est, quę abhorret etiam â communi sensu omnium fidelium, qui vnquam fuerunt.

DECIMO SEXTO. Huc item pertinet, quòd sancti Patres apertè testati sunt, hoc Sacramentum, propter Christum in eo existentem, esse adorandum; Quod facere, nisi Christus in eo reuera contineatur, esset idololatria. Testimonia verò ea de re Patrum sequenti §. citabimus, cùm argumentabimur ex Ecclesię praxi.

DECIMO SEPTIMO. Veritatem deniq; præsentiæ corporis & sanguinis Christi secundùm sententiam veterum Patrum, atque etiam fidelium omnium qui vnquam fuerunt, confirmat clarissimè suspicio Gentilium. Nam quia fideles tam constanter profitebantur, se corpus & sanguinem Christi in Eucharistia sumere, ideo Gentiles comminiscebantur, eos esse anthropophagos, eosque accusabant de nescio quo infanticidio, vt inde effusum sanguinem in mysteriis vsurparent; sicut videre est apud Tertullianum, in Apolog. cap. 7. & Eusebium, lib. 5. hist. cap. 1. atque etiam apud Prudentium, lib. περὶ στεφάνων. vbi elegantissimo carmine, quod paulò pòst recitabo, commemorat Præfectum Gentilem exprobrasse D. Laurentio Martyri, quod Christiani vterentur in sacrificiis *fumante sanguine.*

Probatur V. sententia Catholica ex antiqua Ecclesiæ praxi circa hoc Sacramentum. §. 6.

QVINTO, Eadem assertio Catholica probatur quoque ex antiqua Ecclesiæ Catholicæ praxi. Primò enim moris semper fuit, vt Eucharistia non vtcunque per respectum ad aliquid aliud ipsi extrinsecum (vt crux Christi, vel imago) sed secundùm id, quod substantialiter ipsa in se continet, *adoraretur*; quæ adoratio fuisset idololatria, nisi Christus verus Deus & homo in Eucharistia contineretur. Eius consuetudinis testes sunt sancti Patres. AVGVSTINVS Epist. 118. ad Ianuariũ cap. 3. docet, Eucharistiam *discerni à ceteris cibis veneratione singulariter debitã.* Et quod obseruatione dignum est, addit ibi Augustinus, idcirco Apostolum reprehendisse Corinthios, quia id non faciebant, cùm *non diiudicarent corpus Domini.* Idem de adoratione Eucharistiæ extat in Psalm. 21. & in epist. 120. ad Honor. cap. 27. quibus huc illud accommodat ex Psalm. 21. *Manducauerunt & adorauerunt.* Item declarans illud, Psalm. 30. *Adorate scabellum pedum eius: Christi*, inquit, *ex terra est, & nemo eam manducat, nisi prius adoret.* Quod ipsum adeò non eludit, vt affirmet fore potiùs peccatum *manducare & non adorare.* Idem prorsus eodem Psalmi loco docet diuus AMBROSIVS, lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 12.

Præterea id, quod est in Eucharistia, adorandum esse testatur CHRYSOSTOMVS, Homil. 24. in 1. Corinth. *Hoc corpus*, inquit, *in præsepe reueriti sunt Magi, & barbari cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur barbaros nos, qui eorum ciues sumus. Illi eum in præsepe viderunt. Tu verò non in præsepe, sed in altari.* Qui etiam narrat, lib. 6. de Sacerd. vidisse sanctum quendam Angelos inclinantes capita Christo in mysteriis.

Item

Item THEODORETVS Dialogo 2. *Intelligunt*, inquit, *mystica symbola, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur; vt quæ verè existunt ea, quæ creduntur.*

Item eiusdem consuetudinis testis est Gregorius NAZIANZENVS orat. de Gorgonia sorore. *Ad altare*, inquit, *cum fide procumbit, eum qui super illud colitur obtestans.*

Et Cyrillus HIEROSOLYMITANVS Catech. Mystagog. 5. *Accede*, inquit, *ad calicem sanguinis illius pronus, adorationis in modum.* Deniq; quia tantus olim erat cultus erga Eucharistiam, suspicabantur Gentiles, Christianos colere Cererem & Bacchum, vt testatur D. AVGVSTINVS, lib. 20. contra Faustum, cap. 13.

SECVNDO. Est etiam olim *inuocatus* Christus in ipsa Eucharistia. Id apparet manifestè ex Gregorio NAZIANZENO, Orat. de Gorgon. & ex D. BASILIO, lib. de spir. sancto, cap. 27. qui inter alias traditiones non scriptas numerat: *Inuocationis*, vt inquit, *verba, dum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis.*

Item D. DIONYSIVS de Eccles. Hierarch. cap. 3. de Synaxi. *O*, inquit, *diuinissimũ Sacramentum, perspicuè nobis fac appareas, reuelatis operimentis ænigmatum, quæ te symbolicè circumdant, & intelligentiæ nostræ oculos tuo lumine comple.*

Itẽ in Liturgiis BASILII & CHRYSOSTOMI compellatur Eucharistia his verbis: *Deus propitius esto mihi peccatori:* Atque etiam ibi Chrysostomus: *Domine*, inquit, *non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Quod & hodie etiam in Missa Latina vsurpatur, & ad Eucharistiæ adorationẽ accommodatum est ab ORIGENE, homil. 5. ex diuersis. & ab AVGVSTINO, Epist. 118. cap. 3.

TERTIO. Eiusdem rei argumentum est, quòd summa fuit semper religio in sumenda Eucharistia & tractanda, tanquam re omnium sacratissima. Hinc enim constitutum fuit, vt non nisi à ieiunis perciperetur, sicut Augustinus asserit in Epist. 118. item etiam vt summum peccatum duceretur dare non ieiunis, sicut ex Chrysostomo colligi potest epist. 3. ad Ciriacum. Nam cùm quidam finxissent, Chrysostomum non ieiunis administrasse Eucharistiam, respondit ille: *Hoc si feci, expungatur nomen meum ex albo Episcoporum, & abiiciat me etiam Christus à regno suo.*

Eadem causa fuit, cur diligens conscientiæ examẽ tantoperè ante vsum Eucharistiæ requireretur, tum ab ipso Apostolo, 1. Corinth. 11. tum ab aliis Patribus, qui grauissimũ scelus esse censuerunt Eucharistiam administrare homini flagitioso. Vnde CHRYSOSTOMVS libro 6. de Sacerdot. *Quantam*, inquit, *dignitatem exigimus ab eo, qui communionem Domini manibus pertractat? quales manus, qualem linguam esse oportet, &c.* Et rursus; Homil. 83. in Matth. Se potius sanguinem prodigium aliquem ad Dominicum sanguinem. prium effusurum dicit, quam admissurum *indi-*

Inde etiam summa cautela adhiberi solita est in percipienda Eucharistia. Itaq; Cyrillus HIEROSOLYMITANVS Catech. Mystag. 5. *Accedens*, inquit, *ad communionẽ, sinistram veluti sedem quandam subiicias dextræ, quæ tãtum Regem susceptura est. Sanctificatis autem diligenter oculis, tum sancti corporis contuitu communica. Caue autem ne quid excidat tibi. Quod enim amittis, hoc tanquam ex proprio membro amiseris.* Idem monuit grauissimis verbis ORIGENES, Homil. 13. in Exod.

Cautum etiam ex eadem religione diligentissimè olim est, ne vel sumeretur, vel etiam cerneretur istud Sacramentum ab infidelibus, vt apparet ex D. Dionysio. cap. 7. Eccles. Hierarch. & ex Beda, lib. 2. histor. cap. 5. & in Martyrolog. 18. Kal. Octob. Item Cautum ne videretur etiam à fidelibus nondum baptizatis. Ex quo Augustinus Tract. 11. in Ioan. *Corpus*, inquit, *Christi est manna absconditum à Catechumenis, quia Iesus adhuc non se credit illis.*

Atque ideo etiam Patres, cùm apud promiscuam multitudinem fidelium & infidelium de hoc Sacramento verba faciebant, vel etiam cùm aliquid scribebant, cautissimè loquebantur, vtebanturque quibusdam arcanis significationibus, & quasi ænigmatibus, quæ à solis fidelibus intelligerẽtur. Sicut etiam Apostolus, 1. Cor. 10. *Vt prudentibus*, inquit, *loquor.* Et AVGVSTINVS, serm. 2. de verbis Apost. *Sacramentum*, inquit, *fidelium norunt fideles.* Item: *Norunt qui mysteriis imbuti sunt.* Quo modo loquendi vsus est etiam ORIGENES, Homil. 13. in Exod. & 9. in Leuit.

Ideo etiam, ne mysterium proderent infidelibus, ferè vocabant istud Sacramentum *symbolum, mysterium, signũ* corporis & sanguinis Christi, *sacram figuram*: magisque de spirituali manducatione in popularibus sermonibus concionabantur, quàm de reali & sacramentali. Hanc enim rarò explicabant, propter caussam iam dictam. Quòd quia non satis attenderunt Sacramentarij, in quibusdam sermonibus Augustini popularibus scandalizati sunt, vt pòst videbimus.

QVARTO. Cùm propter morem sumẽdi priuatim propriis manibus, & deferendi domum Eucharistiam (quod olim quidem ob ministrorum penuriam & instantem ferè semper persecutionem infidelium expediebat, vt inquit BASILIVS Epistola ad Cæsariam Patriciam) lapsu temporis multa sacrilegia committerentur; ex eadem religione factum est, vt illa consuetudo tolleretur, & grauissimè præciperetur custodia sacræ Eucharistiæ: quod factum est in Concilio Tolet. I. Brach. III. Cæsar augustano, Remensi, & maximè in Lateranensi sub Innocentio III.

QVINTO. Eadem religione pro salutari *viatico* semper habita & vsurpata fuit Eucharistia ab his qui è vita decederent. Qua de re D. CHRYSOSTOMVS lib. 6. de Sacerdot. narrat sanctum quẽdam virum diuino munere cognouisse, eos,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui è vita migraturi corporis Christi purè & sanctè participes fierent, ab Angelis in cœlum adduci. De hoc salutari viatico præcipitur etiam in Concilio I. Nicæno, Can. 12. Ac licet colligere ex Eusebio, lib. 6. capite 34. & ex Paulino, in vita Ambrosij, quanta olim fuerit huius *viatici* religio.

SEXTO. Eiusdem veritatis argumentum etiã est praxis antiquissima Ecclesiæ in sanctitate & religione templorum, vestimẽtorum, vasorum, earumque rerum omnium quarum est vsus in huius Sacramenti celebratione. Quæ omnia, vt HIERONYMVS ad Theophilum Alexandrinum inquit: *Propter consortium corporis ac sanguinis Domini magna veneratione coluntur*; & *contaminata* (vt ait OPTATVS, libro 6. contra Parmen.) *sacrilegos faciunt*. Hinc est quod Ariani inter alia grauissima crimina, quæ D. Athanasio, vt eum infamarent, falsò obiecerunt, illud commenti sunt, quòd *mysticum calicem confregisset*. Quod maximum esse crimen, Patres Synodi Alexandrinæ fatentur, dum Athanasij innocentiam defendunt: *Mysticum* (inquiunt, in actis Synodi Alexand. quæ refert Athanasius Apol. 2.) *poculum, impium eum reddit, qui id vltrò frangit*. Et infrà: *Impius est qui hûc mysticum calicem frangit*.

SEPTIMO. Idem testatur *Sacerdotum* in Ecclesia summa dignitas, & summus honor ob id illis habitus, quia, vt HIERONYMVS ad Heliodorũ inquit: CHRISTI *corpus sacro ore conficiũt*. De quo dignitatis præcelso gradu, grauissimè sanè Gregorius Nazianzenus loquitur in Apolog. 1. & orat. ad Iulianum, & orat. ad Episcopos. Itemque Chrysostomus in libris de Sacerdotio, & alij Patres passim. Huc etiam pertinet, quod ob eandem caussam maxima fuit semper à Sacerdotibus sanctitas requisita, vt dignè videlicet istud Sacramentum tractent, quemadmodum inquiunt Ambrosius, in cap. 3. 1. ad Timoth. & D. Hieronymus contra Iouin.

OCTAVO. Propter hanc ipsam huius Sacramenti summam religionem iam olim non nisi ex rebus valdè preciosis, vt ex auro & argento, calices & ornamenta ad Eucharistiæ celebrationem parabantur. Itaque Gregorius Turonensis, in passione Polycarpi Martyris, mentionem facit *turris argenteæ* ad circumgestationẽ Eucharistiæ paratæ.

Et Symmachus fertur duo ciboria argentea fecisse, in quibus asseruaretur Eucharistia super altaria sancti Syluestri, & Andreæ. Ac Damasus, (vt apparet ex gestis eius tomo 1. Conc.) quinque calices argenteos dedit Basilicæ, quam ipse Romæ exædificãdam curauit.

Item Petrus Diaconus in vita Gregorij Magni narrat eum posuisse ciborium argenteum super altare diui Petri & Pauli. Ambrosius quoque vsum calicum aureorum suo tempore fuisse apertè significat, libro secundo offic. capite vigesimo octauo.

Item in Ecclesia Rhemensi, ante mille annos à D. Remigio calix aureus relictus est, cum hac inscriptione: *Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro*. Et in multis Germaniæ Monasteriis vetustioribus exstant adhuc antiquæ fistulæ aureæ vel argenteæ, quarum erat olim vsus ad sanguinem ex calice tutius hauriendum.

Quin etiam apud D. Prudentium in libro περὶ στεφάνων, Præfectus Gentilis D. Laurentio Martyri inter alia dicit: *Hunc esse vestris orgiis. Morémque & artem proditum est, Hanc disciplinam fœderis, Bibant vt auro antistites, Argenteis scyphis ferunt, Eumare sacrum sanguinem. Auroq; nocturnis sacris assare fixos cereos*. Quæ carmina etiam commemorauit Edmũdus Campianus Societatis IESV Martyr in Anglia, Ratione 10. vbi in suo libello contra Sectarios vtitur omnis generis testibus ad comprobandam antiquitatem Romanæ & Catholicæ religionis.

NONO. Tanta fuit huius Sacramenti religio olim, vt propter reuerentiam erga species panis & vini, quippe quæ Christum continent, diligẽtissimè cauerent fideles, ne quid etiam de *pane communi* aut vino excideret in terrã. Quem morem TERTVLLIANVS, libro de corona militis, commemorat & probat. Et adhuc hodie in prouinciis bene institutis & Catholicis id seruatur. Certè in Hispania panem cum reuerentia quadam osculantur, si in terram cecidit, idque religione quadam erga Eucharistiam. De aqua verò etiamsi ex illa constet sacro sanctum Sacramentum Baptismi, nihil vnquam simile à fidelibus obseruatum est.

DECIMO. Huc etiam pertinet illa fidei securitas, & certissima asseueratio, qua solent communiter fideles filios paruulos quasi ab infantia assuefacere ad religionem & reuerentiam erga istud Sacramentũ: vt planè sibi paruuli persuadeant, se Christum Dominum in illis speciebus videre. Quam consuetudinem & sensum parentum fidelium, etiam Augustini temporibus fuisse, satis ex eodem AVGVSTINO intelligi potest, libro tertio de Trinitate, capite decimo. Is enim tanquam de re omnino loquens, quę tunc temporis in vsu esset, ab eaque exemplum familiare petens, scribit: *Si parentes infantes suos grauissima auctoritate* (Christi, Matthæi vigesimo sexto) *docent, in Eucharistia esse corpus & sanguinem Christi, nihil aliud illos credere aut putare posse, nisi Christũ Dominum in illa specie panis apparuisse mortalibus, & de latere ipsius percusso liquorem illum omnino fluxisse.*

VNDECIMO. Moris etiã illis Augustini temporibus fuit, vt oblatione Eucharistiæ in iis locis, quibus visebantur dæmonum spectra, vterentur ad eos fugandos: sicut ex AVGVSTINO, constat euidenter libro vigesimo secundo de ciuitate, capite octauo. Quem locum adducemus infrà quæstione vndecima contra Sectarios cum disseremus de sacrificio Missæ: illa verò consuetudo procul dubio indicium est antiquæ fidei

de Christi

de Christi præsentia in hoc Sacramento, dæmonibus ipsis formidabili.

DVODECIMO. Denique & illud huius veritatis maximum à praxi argumentum est, quod à tempore Berengarij, qui vehementius oppugnare sacram Eucharistiam cœpit, aucta est in Ecclesia diuinitus religio erga illam, & culta multò magis, quàm antè. Nam sub id tempus circumferri etiam à Christiano populo cũ summa pompa & celebritate cœpit, in memoriam Christi ingressus in Hierosolymam triumphantis, sicut olim etiam circumferebatur Dei arca, quæ & ipsa fuit huius Sacramenti figura. Et quod obseruatione dignũ est, putatur hęc pompa vsurpari cœpisse primum Andegauis, vbi Berengarius ille fuerat Archidiaconus: in eaque vrbe dicitur etiam hodie esse illa pompa celeberrima, si vsquam alibi. Neque multò pôst Vrbanus IV. Pontifex, ad rei maiorem celebritatem, solenne festum corporis Christi instituit, & plurimis gratiis ornauit. Quæ omnia videntur certè facta diuinitus fuisse, ad oppressionem & ignominiam hæresis contrariæ.

Probatur V I. sententia catholica ex iis quæ Caluinistæ ipsi alioqui concedunt. §. 7.

SEXTO loco ex iis etiam, quæ de vi ac ratione huius Sacramenti Caluinistæ quoque saltem verbis coguntur fateri, hunc in modum argumentor. Si in vsu istius Sacramenti non solùm corporis & sanguinis Christi effectum, hoc est gratiam refectionis spiritualis, participamus; nec solùm secundùm eiusmodi effectum spiritualiter cum Christo vnimur; sed ipsam quoque realem substantiam corporis & sanguinis Christi verè sumimus, & cum Christo secũdùm suam ipsius substantiam realem verè vnimur: Si hoc, inquam, ita est, consequenter fatendum necessariò est, corpus & sanguinem Christi realiter contineri in ipsa Eucharistia, ita vt ore etiã corporis in ea sumi possit. Sed verum prius. Verum igitur & posterius.

Maior propositio huius argumenti euidentissima est. Corpus enim Christi, cùm non vniatur corpori aut animo nostro vnitate aliqua substantiali alicuius personæ vel naturæ, quæ ex vtroque resultet; si nihilominus secundùm substantiam suam verè ac propriè cum animo nostro coniungitur & vnitur, necesse est, vt vniatur secundùm indistantiam localem substantiæ vtriusque. Cumque satis constet substantiam animi nostri, quando Eucharistiam percipimus, non rapi in cœlum, vt ibi cum Christo localiter coniungatur: & certum etiam sit, extra Eucharistiam Christum in terris non esse; restat vt fateamur in Eucharistia illum coniungi cum animo nostro secundùm indistantiam localem; atque adeo in Eucharistia contineri, & ore corporis in ea sumi posse.

Quòd autem necesse sit, secundùm indistantiam localem coniungi cum animo nostro substantiam corporis Christi, si non tantùm coniungitur secundùm *effectum* aliquem, sed etiam secundùm suam realem *substantiam*, vt habet nostri argumenti propositio, patet euidentissimè. Nam omnis alius modus nouæ coniunctionis diuersarum substantiarum, qui non sit vel in vnitate aliqua substantiali (quæ hîc, vt dixi, non habet locum) vel secundùm indistantiam localem vtriusque substantiæ, necessariò debet esse tantummodo secũdùm aliquem *nouum effectum*, qui vel vtrique vel alteri coniunctorum accidat: & aliud planè implicat contradictionem. Si enim neque noua præsentia seu habitudo secundùm locum, neq; nouus vllus effectus substantialis aût accidentalis aduenit de nouo vlli coniunctorum; qui possunt de nouo dici verè ac realiter coniuncta ea quæ antè coniuncta non fuerunt? Aut quid aliud noui potest ipsis contingere, quod non sit vel aliquis *effectus*, vel habitudo secundùm effectum?

Quocirca in nostro proposito omnis alia cõiunctio, siue vnio, quæ non sit secundum indistantiam localem substantiæ corporis Christi & substantiæ animi nostri, erit tantummodo secundùm aliquem effectum, qui à Christi corpore, virtute etiam Spiritus sancti, promanet in animum nostrum: atque ita impropriè tantummodo & metaphoricè dicetur vnio corporis Christi & animi nostri, ob aliquam nimirum similitudinem, quæ ratione talis effectus erit inter habitudinem corporis Christi ad animum nostrum, & habitudinem aliarum duarum rerum verè ac propriè vnitarum. Exempli caussa. Cùm dicuntur iusti homines hoc ipso, quod iusti sunt, esse vniti cum ipso Christo, tanquam membra cum capite; metaphorica est locutio. Non enim significatur hac locutione coniunctio aliqua nostri cum Christo, secundùm aliquam naturalem vnitatem, vel secundùm localem indistantiam substantiarum, sed tantummodo quædam similitudo, quæ est inter habitudinem Christi ad animum nostrum, vt influit in hunc instar capitis vitam gratiæ, & habitudinem capitis naturalis ad membra reliqua cum ipso realiter & propriè vnita. Si igitur non tantummodo secundum effectum, sed verè ac propriè noster animus cũ ipsa substantia corporis Christi in vsu istius Sacramenti coniungitur; oportet cum ipso etiam vniri secundùm indistantiam localem substantiæ, atque adeo contineri in Eucharistia, vt ostensum est.

Nec sanè Hilarius, libro octauo de Trinitate, Chrysostomus homilia sexagesima & sexagesima prima, ad populum Antiochenum, & Cyrillus libro decimo in Ioãnem, capite decimo tertio, alium modum vnionis, nisi hunc, intellexerunt, cum affirmarunt, vt suprà vidimus, Christum nobiscum in Eucharistia non tantum se-

cundùm habitudinem aliquam per fidei & charitatis effectum, sed etiam *reuera* vniri. Itaq; patet, satis esse certam & euidẽtem propositionem maiorem nostri argumenti.

Minor verò propositio eiusdem argumenti: nempe non modò secundùm effectum, sed etiã secundùm suam ipsius substãtiam, corpus Christi verè vniri cum animo nostro, atque adeò verè ipsam substantiam corporis Christi exhiberi in vsu istius Sacramenti, patet euidenter primum ex Christi & Patrum sanctorum clarissimis verbis, quibus præsentiam Christi in hoc Sacramẽto confirmauimus in paragraphis præcedentibus. Deinde id ipsum probo aperto testimonio & confessione Caluini, atq; adeò Caluinistarũ. Hi enim partim, quia vident nimis esse clara pro hac re totius antiquitatis testimonia, partim vt quasi fuco religionis quodam oblinant & molliant prophanam sententiam suam, ne nudum panem (sicut reuera faciunt) populo exhibere videantur, sæpe asseuerant & inculcant, non tantùm gratiam, aut nudum signũ, sed etiam ipsissimum per se Christi corpus reuera exhiberi animis eorum, qui cum fide istud Sacramentum percipiunt, & cum his arctissimè vniri; atque eatenus præsens in vsu Sacramẽti esse, etiamsi longissimo spatio locorũ à nobis in cœlo dissitum sit, nec contineatur in Sacramento, nec in eo sumatur ore corporis. Atque hoc isti sanè tot modis & tanta sermonis calliditate, & verborũ contentione affirmant, vt qui non optimè perspectum habeat statum huius controuersiæ, possit putare illos planè Catholicè de præsentia Christi in hoc Sacramento loqui. Meminerit autem Lector, cùm aliquot Caluini locos in eam sentẽtiam me recitantẽ audiet, iam me demonstrasse inanem esse prorsus Caluinisticam hanc asseuerationẽ reiecta locali indistantia corporis Christi ab Eucharistia. Quocirca nihil eis ea confessio ad confirmationem sententiæ suæ prodest, sed nobis firmum argumentum ad eam euertẽdam suppeditat. Proderit hoc enim, vt istorum mentem clariùs percipere possimus, & simul eos cõfodiamus suo gladio, hoc est, refutemus ex his etiam quæ concedunt, vt nobis in hoc nostro argumento propositum est.

Inprimis igitur, cùm Ioachimus VVestphalus nouem argumentis, in defensione aduersus criminationẽ Caluini, ex doctrina Caluini productis, conatus esset ostendere, ex Caluini sententia non exhiberi reuera in Sacramẽto ipsum etiam corpus & sanguinem Christi, sed tantùm nuda signa, & gratiam tanquam corporis & sanguinis Christi effectũ; fortiter ei se opponit Caluinus, in defensione secunda, doctrinę de Sacramẽtis contra VVestphalum, & multis verbis defendere studet, præterea etiam ibi exhiberi sententiã sua ipsum reuera corpus & sanguinem Christi. Inter cetera sic dicit: *Ne quid ad perspicuitatem desit, duo nobis offerri dico, Christum, & quæ ex eo nobis proueniunt dona. Ita sicuti terrenis panis & vini symbolis constat sacra cœna; sic Christus mihi veluti spiritualis eius materia est, quæ symbolis respondeat. Vbi autẽ in sacram* CVM CHRISTO VNITATEM *coaluimus,* HINC MANAT *donorũ spiritualium fructus & vtilitas.*

Ac rursus lib.4. Institut. cap.17. sect.5. *Sunt,* inquit, *qui mãducare Christi carnem & sanguinem eius bibere, vno verbo definiunt, nihil esse aliud, quàm in Christum ipsum credere* (& per eam fidem obtinere illius gratiam; ita enim intelligũt) *sed mihi sublimius quiddam videtur voluisse docere Christus, vbi carnis suæ manducationem nobis commendat, nempe* VERA *sui participatione nos viuificari.* At si ista vera participatio non est etiam secundùm indistantiam localem, restat vt sit solùm secundùm aliquem gratiæ effectum: quo quidem modo nullus vnquam, qui confiteretur salutarem esse huius Sacramenti vsum, participari in illo carnem ipsam Christi negauit.

Item: *Non nego* (inquit ibidem, sect.6.) *manducationem istam esse fidei, non oris; sed simul tamẽ addo, nos fide complecti Christum non eminus apparẽtem, sed se nobis vnientem, vt ipse caput nostrum, nos verò membra eius simus.* Certè, si Christus eminus non est; cominus sit necesse est. Quare si non debet fidei apparere eminus; fatendum est, illum cominus esse. atque adeò in Eucharistia contineri. Alioqui nulla alia consistet peculiaris vnio Christi nobiscum, nisi secundùm gratiæ *effectum*, cuiusmodi est ea, qua vnitur nobiscum vt caput cũ membris, quam nemo negat, atque adeò neque illi, quos hìc voluit Caluinus refellere. Augustinus autem à Caluino hìc citatus, cùm dicit: *Crede, & manducasti*, de manducatione dũtaxat spirituali loquitur. Nusquam autem is negat, quin manducatione quidem Sacramentali manducetur etiam Christus ore corporis, sed id sæpe affirmat, vt suprà vidimus, §.4.

Itẽ ibi sect.6. *Id ipsum est,* inquit Caluinus, *quod scribit Chrysostomus, homil. 60. ad populum Antioch. Christum non fide tantùm, sed reipsa nos suum efficere corpus.* Optimè verò. Sed CHRYSOSTOMVS alio quodam verbo ibidem declarat, quomodo reipsa & non solum fide, nos suum efficiat corpus: Nempe, *quia se*, inquit, *nobis commiscet*, puta per realem suæ substantiæ coniunctionem, atque adeò per indistantiam localem. Omnis enim alius modus vnionis in proposito præter istum est tantùm secundùm aliquem gratiæ effectum, qui fide & charitate percipitur: ac proinde nemo alios modos vnionis negat.

Item ibidem sect.7. *Neque illi,* inquit, *præterea mihi satisfaciunt, qui nonnullam nobis esse cum Christo communionem agnoscentes, eam dum ostendere volunt, nos spiritus modò* (atque adeò gratiæ) *participes faciunt, præterita carnis & sanguinis mẽtione. Quasi verò illa de nihilo dicta sint; carnem eius verè esse cibum, sanguinem eius verè esse potum.* Neque ipse igitur reiicit

reiicit coniunctionẽ localem, & ea reiecta, nullus alius modus vnionis & communicationis supereſt, nisi secundùm gratiæ spiritualis effectum, vt antè demonstratum est.

Item sect.8. *Summa sit,* inquit, *non aliter animas nostras carne & sanguine Christi pasci, quàm panis & vinum corporalem vitam tuentur & sustinent. Neq; enim aliter quadraret analogia signi, nisi alimentum suum animæ in Christo reperirent. Quod fieri non potest, nisi nobiscum Christus* VERE *in vnum coalescat, nosq; reficiat carnis suæ esu, & sanguinis sui potu.* At neque hoc rursus VERE fieri potest, nisi Christus secũdùm localem (etiam indistantiam cum nostris animis coniungatur. Alioqui tantùm coniungetur secundùm effectum, non autem ipse secũdùm suam substantiam, vt est demonstratum.

Item sect.10. *Etsi autem,* inquit, *incredibile videtur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, vt sit nobis in cibum: meminerimus quantum super omnes sensus nostros emineat arcana Spiritus sanctus virtus, & concipiat fides Spiritum sanctum* VERE *vnire, quæ locis distincta sunt.* At meminisse etiã Caluinum oportebat, per arcanam Spiritus sancti virtutem non fieri aliquid, quod fieri nequeat, & planè sit nihil. Tale est autem, quòd substantia corporis Christi, nec loco, nec vnitate aliqua substantiali coniungatur nobiscum, & tamen coniungatur ipsa verè, & penetret ad nos vsque secundùm *se*, & non solùm secundùm aliquem effectum. Hæc coniunctio non modò incredibilis videtur, sed planè etiam incredibilis est, quia nihil planè illi subest, sed tãtùm fingitur inanibus verbis. Nec sanè quidquam esse potest tam commentitium, quod non isto modo palliari possit specioso titulo arcanæ Spiritus virtutis. Est quidem verum, non posse à nobis penitus percipi rationẽ ipsam propriam, & quasi vltimam mysteriorum, quæ fide credi debent: sed tamen oportet per aliquas saltem communes notiones, quæ vocabulis subsint, ea posse à nobis explicari, ne infinita licentia sit fingendi mysteria verbis inanibus, vt suprà disput.1. q.2. p.3. docui ex Augustino, lib.8. de Trinit. cap.5.

Explicent igitur nobis Caluinistæ aliqua saltem notione vocabulorum communi, quale sit istud Caluini mysterium, cùm vult ipsam substantiam corporis Christi nobiscum in tanta locorum distantia verè vniri. Estné ista vnio secũdùm aliquam vnitatem naturalem, quæ ex animis nostris, & ex substantia Christi resultet? Minimè. Estné tantummodo secundùm effectum? Non hoc solùm volunt. Estné secundùm indistantiam localem? Estné, inquam, vnio talis qua mirabiliter fiat, vt substãtia corporis Christi, quę prius loco dissita à nobis erat, nobiscum in Eucharistia loco iungatur, & ibi præsens animos nostros alat? Hoc quidẽ si diceret, verum, idemque màximè mirabile Eucharistiæ mysteriũ notionẽ mysterij per communes saltem notiones vocabulorum redderent. Sed nihil minus quàm hoc volunt. Quin immò omnes erroris sui neruos in id intẽdunt, vt persuadeãt corpus Christi in cœlo tantummodo esse, atque adeo neque contineri, nec sumi ore corporis in Eucharistia, sed tantum ab illa localiter distare quãtum cœlum à terra, vt alibi disertis verbis affirmat Caluinus, nempe defensione 1. doctrin. de Sacr. contra VVestphalũ. Quare restat, vt inane sit prorsus mysterium illud quod iactant, cùm nihilominus dicunt ipsam substãtiam corporis Christi verè cum nostris animis tanquam alimẽtum vniri.

Pergit Caluinus sect.10. vbi suprà lib.4. Instit. cap.17. *Nisi quis,* inquit, *fallacem, Deũ vocare volet, inane ab ipso symbolum proponi nunquã dicere audeat.* Quid autem aliud est symbolum vel signũ inane, quàm signũ vacans reipsa significata, id est, ipsam non continens? Ipse igitur Caluinus, dum dicit in Eucharistia Christũ non contineri, symbolum inane reuera dicit, & Deum fallacem vocat. Verba enim eius sunt ibidem sect.19. *Talem Christi præsentiam in cœna statuere oportet, quæ illum in panem nõ includat,* hoc est, nullam veram & realem præsentiam ipsius quidem *Christi secũdùm se*; quidquid isti aliud profiteri se simulent.

Pergamus. *Isthæc,* inquit sect.10. *piis tenenda regula est, vt quoties symbola vident à Domino instituta, illic rei signatæ veritatem adesse certò cogitent.* Et sect. 11. *Ea,* inquit, *veritas qualis sit, dum familiariter demonstrare volo, tria soleo ponere: Significationem; materiam, quæ ex ea dependet; virtutem seu effectum, qui ex vtraq; consequitur. Significatio in promissionibus est sita, quæ quodammodo sunt signo implicitæ. Materiam aut substantiam voco Christũ cum sua morte & resurrectione. Per effectum autem, redemptionem, iustitiam, sanctificationem, vitamq; æternam, & quæcunque alia nobis beneficia affert Christus, intelligo.* Et paulò pòst: *Dico igitur in cœna mysterio per symbola panis & vini Christũ nobis exhiberi, adeoq; corpus & sanguinẽ eius.*

Ex his (vt similia multa prætream) satis perspicuum est, de sententia Caluini, vt in argumẽto meo sumebam, non tantùm dari nobis in vsu istius Sacramenti effectum aliquem Christi, sed etiam ipsum secundùm se Christum, atque adeò illum non modò vniri nobiscum secũdùm effectum, sed etiã secundùm *seipsum*. Ex quo euidentissimè sequitur, Christum secundùm indistantiam localem nobiscum in Sacramento vniri, vt argumento meo concluſi. Quod cùm ita sit, ipsemet Caluinus, dum ad palliationem sui erroris, illa quæ recitauimus, concedit, planè confirmat sentẽtiam nostrã, & funditus euertit suam, quæ nihilominus negat, Christi corpus in Eucharistia contineri, ac in ea nobiscum locali indistantia suæ præsentiæ coniungi, solumq; concedit ibi esse signum corporis Christi.

Verba enim eius (ne quis fortè de istorũ sententia dubitet) hæc etiam sunt in illo capite 17. sect.12. *Præsentia Christi in Sacramento minimè talis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſomnianda nobis eſt, qualem Romanæ curiæ artifices confinxerunt (id eſt, qualem omnes Eccleſiæ orthodoxæ Patres profeſsi ſunt, vt demonſtrauimus ſupra §.4.& 5.) *ac ſi locali præſentia corpus Chriſti manibus attrectandum, atterendum dentibus, ore deglutiendum ſiſteretur.* Item ibidem: *Vt finitum*, inquit, *eſſe Chriſti corpus pro perpetua humani corporis ratione minimè ambigimus, cœlo, contineri, quo ſemel receptum eſt, donec ad iudicium redeat: itu ſub hæc corruptibilia elementa vt retrahere ipſum, aut vbique præſens imaginari* (iſtud quidem non malè dicit contra Vbiquiſtas) *prorſus ducimus nefas eſſe.* Item ſect.21. *Reſtat igitur*, inquit, *vt propter affinitatem, quam habent cum ſuis Symbolis res ſignatæ, nomen ipſum rei ſuæ tribuamus, attributum fuiſſe ſymbolo* (verbis illis, Hoc eſt corpus meum) *figuratè id quidem, ſed non ſine aptiſſima analogia.* Item ibidem: *Dico metonymicum eſſe ſermonem.*

Et tamen affirmat ſæpe nihilominus, vt antè vidimus, Chriſti corpus eſſe præſens in Sacramento, quatenus ibi noſtris animis verè vnitur & communicatur *ſubſtantialiter* (ita enim loquitur, ſect.19.) vt ſpiritualis cibus, licet abſens in cœlo: *Secundùm hanc rationem*, inquit, *corpus & ſanguis Chriſti in Sacramẽto nobis exhibetur.* Ac propterea dicit etiã poſteà: *Falluntur qui nullam Chriſti præſentiam in pane concipiunt, niſi in pane ſiſtatur.* Bene autem habet quod iam oſtendimus, ſublatã locali præſentia nullam aliam vnionem vel præſentiam, niſi impropriam reſtare, quæ videlicet ſit duntaxat ſecundùm aliquem gratiæ *effectum*: Cuiuſmodi quidem præſentiam & vnionẽ corporis Chriſti cum animis noſtris, nemo vnquam negauit eorum, qui ſalutarem eſſe vſum Euchariſtiæ concederent, quantumuis eam tantummodo ſignum corporis Chriſti eſſe arbitrarentur.

Quapropter, cum Caluiniſtæ (licet ſecum ipſi pugnantes) vlterius fateantur id, quod veriſsimum eſt, nempe ipſam etiam ſubſtantiam corporis Chriſti, & non tantum eius effectum, nobis in Sacramento communicari, & verè nobiſcum vniri; conſequens neceſſariò eſt, vt vel cum Eccleſia fateantur, vniri & communicari nobis Chriſtum præſentem ſecundùm locum, vel certè diffiteri amplius nequeant, quin mera tãtum & inania verba ſine vllo ſenſu & intelligẽtia populo dent, cùm ad ſimpliciorum animos decipiendos dicunt, ipſum etiam corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtiæ vſu exhiberi.

Obſecro enim (Nam libet mihi vrgere iſtum locum, in quo tota ferè ſumma Caluinianæ perfidiæ, & fraudis vel inſcitię continetur) obſecro, inquam, quid aliud præter merum fumum, ad perſtringendos & excęcandos lęctorum oculos, continent verba Caluini, cùm reiiciens localem præſentiam, neq; tamen contentus præſentia & vnione ſecundùm ſolum gratiæ effectum, nihilominus iam dicit, Chriſtum ad *nos vſq; penetrare*, vt animos noſtros ſuo corpore & ſanguine paſcat; iam, ad nos è cœlo *deſcẽdere*; iam, nos potius in cœlum ab ipſo *euehi*, vt ibi eo beneficio afficiamur? *Penetrat*, inquit, *ad nos Chriſti caro* (lib.4. Inſtit.cap.17.ſect.24.) *vt nobis ſit alimento.*

Item ibidem: *Dicimus Chriſtũ tam externo ſymbolo, quàm ſpiritu ſuo ad nos deſcẽdere, vt verè ſubſtantia carnis ſuæ & ſanguinis ſui animas noſtras viuificet.*

Item ibidem: *Nihil magis incredibile* (verè vocat incredibile hoc ſuum myſterium) *quàm vt toto cœli & terræ ſpatio diſiitas ac remotas, in tanta locorũ diſtantia, non ſolùm coniungi, ſed vniri, vt alimentum percipiant animæ ex carne Chriſti.*

Item: *Chriſtus* (inquit ſect.31.) *præſens illis non videtur, niſi ad nos deſcendat* (& tamen antè præſtigiator iſte dixerat, hoc Chriſtũ facere) *Quaſi verò ſi ad ſe nos euehat, non æquè potiamur eius præſentia.* Quid nos decipis Caluine? Subeſtnè his tuis omnibus verbis aliquid aliud, quàm quòd in vſu Euchariſtiæ gratiam tanquam *effectum quendam* corporis Chriſti in cœlo exiſtentis percipimus, vt ſpiritualiter alamur? Si nihil aliud ſubeſt, cur fraudulenter vteris vocabulis, quæ plus multò ſignificant? Cur ſimulas te plus huic Sacramento tribuere, quã alij, qui in ipſo contineri Chriſtum negauerint? Nemo enim eorum eſt (vt ſæpè antè dixi) qui non eo modo Chriſtum nobis in Sacramento exhiberi conceſſerit, hoc ipſo q gratiam virtute corporis & ſanguinis Chriſti in cœlo exiſtentis, exhiberi in hoc Sacramẽto conceſſerit. Si aũt aliam quandam vnionem & communicationem ſubſtantialem (vt ſect.19. loqueris) illis verbis tuis ſubeſſe atq; ſignificari vis; vt omnino propter teſtimonia Chriſti, & Patrũ & tua à me citata, velle debes; quænã alia vnio hæc eſſe poteſt, niſi ſecundùm indiſtantiam localem in Euchariſtia, vt argumento meo concluſi?

Quæſo vos atque obteſtor, per ſacroſanctum ipſum Chriſti corpus & ſanguinem, Caluiniſtæ, explicate vos ab his verborum technis Caluinisticis & fraudibus, & aperite oculos aliquando tandem, vt perſpicere poſsitis, ne ea quidem poſſe cõſiſtere, quæ concedi debere de efficacia huius Sacramenti, vos ipſi videtis, niſi ſententia Eccleſiæ Catholicæ de præſentia Chriſti ſecundùm locum in hoc Sacramento firmiſsima conſiſtat.

Hoc ego tum ab aliis Caluiniſtis, tum nominatim à Fortunato Caluiniano etiam atque etiã poſtulo, qui & ipſe in diſceptatione ſua, de Re Euchariſtica, pluribus ac diſertis verbis confirmauit hanc ipſam aſſertionem doctrinæ Caluinianæ (nempe vniri in hoc Sacramento Chriſtũ ſecundùm ſe & non tantùm ſecundùm ſignum & effectum) ex qua nos pro ſententia Eccleſiæ Catholicæ euidenter argumentati ſumus.

Iſtius enim ibi fol.5. hæc verba ſunt: *Etſi in cœlo, iam Chriſti corpus eſt, non in terra: nihilo ſecius tamen in cœna verè præſens eſt, quia manducantibus verè offertur: & a fide manducantibus verè, immò verius percipitur, quàm panis, tantæ rei Sacramẽtum, ore corporis apprehendatur.* Item: *Verè* (inquit fol.17.) *& realiter, immò veriſimè & realiſsimè, verius & realius, quam panis & vinum percipiuntur, verum Chriſti corpus, & verus eius ſanguis percipitur.* Item fol.23. improbat eorum ſententiam: *Qui nihil*, inquit, *niſi figuram & virtutem quandam carnis in hoc tremendo myſterio diſpenſari docebant.* Item fol.26. Conſitemur, inquit, *inter cætera, nec figuram tantùm, aut virtutem quandam corporis, in hoc Sacramento edi: ſed verum illud Chriſti corpus, quod pro nobis traditum eſt, & quidem quâ traditum eſt, ſed ita, vt ſicut ore corporis ſanctus panis recipitur & editur, ſic crucifixi corpus ore mentis fidelis, cuius cibus eſt, recipiatur & edatur, à qua non minus verè, immò verius percipitur, quam panis, tantæ rei Sacramentum, ore corporis percipiatur.*

Dicit autem, nos illis falsò affingere, quòd quædam tantùm virtus corporis Chriſti in Sacramento accipiatur, quia dicimus, myſterium Euchariſtiæ in eo ab iſtis poni; quòd illud Chriſti corpus tanto locorum interuallo à nobis diſſitum, è cœlo tamen ad nos vſque tranſmittere poſsit ſpiritualis gratiæ robur atque virtutem. At hoc ferè modo loquitur etiã Caluinus (vt eſt in pallianda turpitudine ſuæ ſententiæ multiplex & varius) cùm libro quarto Inſtitut. cap.17. ſectio. 12. ſic dicit: *Si ſolem conſpicimus, radiis in terram emicantem, ad generandos, fouendos, vegetãdos eius ſatus, ſuam quodammodò ſubſtantiã ad eam traiicere: cur inferior eſſet ſpiritus Chriſti irradiatio ad communionem corporis & ſanguinis eius in nos traducendam?*

Verùm optimè ſe res habet. Accipio libenter, quod Caluinus locis prius à me recitatis aſſerit, & iſte Fortunatus in explicatione doctrinæ Caluiniſticæ confirmat; nempe nõ modò virtutem ſeu effectum corporis Chriſti, atq; adeò corpus Chriſti ſecundùm aliquẽ duntaxat effectum (vt cenſuerunt alij quidam Sacramentarij, quorum ſententia iſtis etiã diſplicet) ſed etiã *ipſam ſubſtantiam* corporis & ſanguinis Chriſti verè nobiſcũ vniri, & à nobis percipi in vſu iſtius Sacramenti. Hinc.n. euidẽter ſequitur, corpus & ſanguinem Chriſti nobiſcum etiã vniri ſecundùm indiſtantiam localẽ in Euchariſtia, vt hactenus argumẽto meo concluſi: Vel certè iactãt Caluiniſtæ tantummodò myſteria ficta & inania, quibus nulla intelligentia ſubſit, vt etiam oſtendi.

Possvmvs etiã ex his, quæ Sacramentarij concedunt, argumentari præterea, p Catholica ſententia hoc modo: Si per vſum externũ iſtius Sacramenti reficitur ac ſuſtẽtatur in nobis vita gratiæ, ex certa & peculiari, p miſsione Chriſti, quæ ad eum ipſum Sacramenti vſum propriè pertineat: conſequens eſt neceſſariò, vt in vſu ipſo externo iſtius Sacramenti ore corporis Chriſtum ipſum percipiamus in Sacramẽto exiſtentẽ. Sed verum prius. Verum igitur & poſterius. Maior propoſitio probatur. Quia nuſq; in tota Scriptura ſacra, aut etiã in libris ſanctorũ Patrum commemoratur alia Chriſti promiſsio, quæ de ea re ad vſum ipſum externum huius Sacramẽti pertineat, præter illam, quę exſtat apud Ioannem 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus; Qui manducat meam carnem, et bibit meum ſanguinẽ, in me manet, & ego in illo.* Et: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, &c. Si igitur in ipſo, & per ipſum externum vſum Euchariſtię, non manducatur & bibitur ORE corporis (aliter enim non propriè & peculiariter per illum vſum externũ, ſed per actum mentis interiorẽ percipitur) Chriſti caro & ſanguis; nulla ſupereſſet Chriſti promiſsio propriè & peculiariter pertinens ad huius Sacramẽti vſum externum, ex qua certi redderemur, quòd per eiuſmodi vſum reficeretur & ſuſtentaretur in animis noſtris ſpiritualis vita gratię.

Nam vbinam aliàs exſtat tãlis aliqua promiſsio? An in illis Chriſti verbis: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem?* At hîc non dicit Chriſtus, futurum, vt per iſtud factum, hoc eſt, per iſtum vſum externum Euchariſtiæ gratiam acquiramus, qua vita noſtra ſpiritualis reficiatur, ſed vult piè tũc nos eſſe paſsionis eius memores. Etſi autem pia huiuſmodi commemoratio valeat conciliare gratiam, quæ ſuſtentet vitam ſpiritualem; tamen non hoc facit vi promiſsionis alicuius peculiaris, quę ad ipſum vſum externum huius Sacramenti pertineat, id eſt, ex qua peculiariter in ipſo & per ipſum externum vſum nobis gratia donetur; ſicut donatur in vſu & per vſum Baptiſmi ex vi peculiaris illius promiſsionis, quæ in illa commination include: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Ioannis tertio. Sed conciliat gratiam pia illa commemoratio paſsionis Chriſti ob generalem duntaxat promiſsionem Dei, qua eſt gratiam pollicitus iis, qui piis animi motibus, ita vt oportet, gratiam apprehendunt.

At, inquiunt Caluiniſtæ, Euchariſtiam eſſe tanquam ſigillum, quo voluerit Chriſtus ſuam promiſsionem obſignare, id eſt, nos reddere certos, quòd noſtros animos, quãdo ita, vt oportet, credimus, & memores paſsionis eius ſumus, velit paſcere ſpiritualiter; atq; eatenus per vſum Euchariſtiæ ſpiritualiter nos reficere. At iſtud nos quidem poſſumus cum certo fundamento & teſtimonio Chriſti dcere, non ipſi Caluiniſtæ. Nam, vt hoc firmiter aſſeratur, oportet certũ teſtimonium Chriſti proferre, quo conſtet per vſum externum iſtius Sacramenti conferri ex peculiari promiſsione gratiam, vt ita demùm intelligamus, ipſo ſymbolo externo Euchariſtiæ voluiſſe Chriſtum quaſi obſignare nobis talem promiſsionem, id eſt, noſtram fidem de eiuſmodi promiſsione excitare & confirmare. Quẽadmodum hoc rectè de Baptiſmo dicimus, quia teſtimonium Chriſti habemus, Ioan.3. quod per vſum illũ aquę externum, tanq; per inſtrumentũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoddam Spiritus sancti, renascimur spiritualiter. Tale autem aliquod testimonium Christi de vsu externo Eucharistiæ nos quidem proferimus, cùm affirmamus, ore corporis manducari Christi carnem per ipsum vsum externum Eucharistiæ, ac proinde ad eum vsum propriè pertinere illas Christi promissiones, suprà commemoratas, quæ apud Ioan. cap. 6. extãt, de gratia spirituali obtinenda per manducationem Christi carnis, nisi conscientiæ impuritas impediat. Caluinistæ autem, nisi nobiscũ admittant, Christi carnem per vsum ipsum externum Eucharistiæ, atque adeò ore corporis, manducari, non possunt ad eum vsum accommodare illa Christi testimonia & promissiones, quæ apud Ioannem exstant: neq; præterea illis superest vllum aliud testimoniũ Christi, ex quo appareat, per ipsum vsum externum Eucharistiæ nos gratiam consequi, vt antè ostendi. Quare prorsus fundamento firmo caret ipsorum speculatio, cùm iactitãt, voluisse Christum promissionem de gratia peculiariter obsignare & confirmare symbolo Eucharistiæ externo. Atq; ita vera & firma est propositio nostri argumẽti Maior: nempe Christum contineri & sumi ore corporis in Eucharistia, si per vsum externum huius Sacramenti reficimur spiritualiter *ex certa aliqua promissione*, quæ ad eum vsum propriè pertineat.

Minor autem propositio eiusdem argumenti: nempe verè nos spiritualiter refici per vsum externum huius Sacramenti ex peculiari aliqua promissione, quæ ad eum vsum pertineat; patet primò ex natura Sacramẽti. Id enim commune est omni vero Sacramento, vt habeat annexam aliquã peculiarẽ Dei promissionem, ex qua gratiam obtineamus, sicut ipsi etiam Caluinistæ & Sectarij oẽs concedunt. Secundò id patet ex plurimis testimoniis Patrum suprà §. 4. recitatis, ac nominatim ex D. Cyrillo lib. 4. in Ioann. cap. 14. Tertiò, ex Confessione Caluini, qui non semel asserit, aliquã promissionem ad vsum ipsum huius Sacramẽti pertinere. Vt cùm ita scribit lib. 4. Instit. cap. 17. sect. 11. *Significatio huius Sacramenti in promissionibus est sita, quæ quodammodo sunt signo implicita.* Item: *Christus* (inquit sect. 10.) *efficaciam spiritus sui illic* (in signo externo) *profert, qua impleat, quod promittit.* Item ibidem: *Si per fractionem*, inquit, *panis, Dominus participationem sui corporis verè repræsentat; minimè dubiũ esse debet, quin verè præstet atq; exhibeat.* Hæc & similia quomodo certò & cõstanter asseri possunt, nisi in ipso & per ipsum symbolum externum, atque adeò ore corporis, carnem Christi sumamus, vt ita ad ipsum externum symbolum & eius vsum propriè pertineant promissiones, quæ apud Ioannem exstant?

Firmum est igitur & hoc nostrum argumentum, quod ex doctrina etiam Caluinistica extruximus. Quare *auferatur iam dubitatio* (vt D. AVGVSTINI verbis & auctoritate grauissima contra istos vtar, lib. 1. de pecc. merit. & remiss. cap. 20.) *Dominum audiamus, non suspiciones cõiecturasq; mortalium; Dominum, inquam, audiamus* DE SACRAMENTO *sanctæ mensæ dicentem Ioann. 6. Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* In Sacramento igitur ipso externo atque adeò ore corporis sumitur ad vitam caro & sanguis Christi. Alioqui *euanida tantùm speculatio & incerta cõiectura ac suspicio* (vt Augustinus loquitur) erit illa doctrina Caluinistica de obsignatione promissionis gratiæ per istud Sacramentum, sicut demonstraui.

Probatur VII. sententia Catholica ex miraculis. §. 8.

SEPTIMO. Eadem præsentia Christi in Sacramento comprobatur, vt initio dixi, stupendis miraculis. Quæ certè non minus constat diuinitus patrata esse ad eum finem, vt Catholicorum fides de hac Christi præsentia confirmaretur, quàm constat, alia etiam miracula pro Christiana religione in vniuersum facta fuisse ad eum finem, vt Christianæ religioni fides haberetur. Nam sicut in illis communibus pro nostra religione miraculis, non alius finis animaduerti ab hominibus potuit, nisi ille qui sequebatur, vt scilicet Christiana religio vera putaretur, & à populis susciperetur: ita neque in miraculis, quibus fides de præsentia Christi in Eucharistia apud fideles est aliquando confirmata & aucta, vllus alius finis cognosci potuit præter eum ipsum, qui consequutus est, vt scilicet ea fides hominibus comprobaretur. Et quemadmodum ea ratione colligimus, secundùm diuinam prouidentiam nullum alium fuisse Dei finem in illis miraculis communibus (indicasset enim illum Deus, ne homines alioqui tam facilè decipi possent) ita rectè similiter colligimus, non alium in peculiaribus istis pro Eucharistia miraculis Deo propositum fuisse finem, nisi istum, qui putatus est ab iis, in quibus est eo modo fides de præsentia Christi in Sacramento confirmata & aucta. Item non minus constat, multa huius generis miracula fuisse facta Dei virtute, quàm alia pleraque communia, quæ pro veritate in vniuersum Christianæ religionis meritò putantur maximum habuisse & habere pondus.

Porrò eiusmodi miracula pro Eucharistia exstant maxima & antiquissima apud Diuum Cyprianum, sermone de lapsis. Nicephorum libro 13. capite septimo. Sozomenum lib. 8. cap. 5. Proesperum libro de prædict. part. 4. cap. 6. Gregorium libro secundo Dialog. cap. 24. & lib. 3. capite 3. apud quem videre est, quemadmodum isto Sacramento ingentia miracula patrauerit S. Benedictus. Item apud Petrum Diaconum in vita eiusdem Gregorij. Postquam hæresis autem contraria incepit serpere, maxima quoque miracu-

miracula exstiterunt, vt videre est apud Paschasium in lib. de corpore & sanguine Domini, capite 14. & Guidmundum lib. 3. de Sacramento, quibus miraculis ipse etiam Berengarius ad eiurandam hæresim permotus fuit.

Item post VVicleffum, qui Berengarij hæresim renouauit, narrat Thomas VValdensis tomo secundo de Sacrament. capite 63. se præsente in Ecclesia sancti Pauli, Londini, VVicleffistam quendam ab Episcopo Cantuariensi iussum esse Christi præsentiam confiteri, & adorare Eucharistiam: Hunc, cùm facere nollet, respondisse; Araneam digniorem esse veneratione: confestim horribilem ingentisque magnitudinis araneam ex summo templi tecto in os blasphemi descendisse, & vix eam multorũ manibus prohiberi potuisse, quò minus ad linguã & fauces vsque penetraret.

Neque verò opus est huiusmodi miracula petere ex libris, cùm in prouinciis ipsis & locis penè omnibus exstet ac retineatur in Ecclesia Catholica stupendorũ partim veterum, partim recentium miraculorum memoria, quæ hãc veritatẽ S. Eucharistię confirmant. Videatur libellus Colonię editus, anno 1584. apud Maternũ Cholinum, auctore Gulielmo de Gent. cuius inscriptio est: *Exempla illustrium miraculorũ circa sacram Eucharistiam.* Et hactenus quidem satis superque videmur progressi in PRIMA illa via argumẽtorum orthodoxæ sentẽtiæ, per quæ initio proposuimus nos directò probaturos veritatẽ ipsam.

Falsam prorsus esse sententiam Caluinisticam: Et quomodo id probetur. §. 9.

NVNC sequitur, vt transeamus ad POSTERIOREM quoq; viam argumentorũ, pro eadem orthodoxa sentẽtia, quibus initio item decreuimus expugnare penitùs & euertere cõmentitiam Caluinistarum sententiam (suprà propositã) probando scilicet, directè falsum omnino esse, quod aiunt, Christum corporaliter à Sacramento absentẽ, verè nihilominus in ipso Sacramento pecipi: & consequenter cõcludendo verissimũ esse, quod orthodoxi cõtra affirmant, Christum in hoc sanctissimo Sacramẽto verè, substãtialiter, & corporaliter præsentem percipi.

Ac vt facilius perspiciatur, quò nam propriè eiusmodi argumenta omnia per hanc posteriorẽ viam dirigẽda sint, principio discutiam cõmentum illud Caluinisticum, per huiusmodi RATIOCINATIONEM: Si Christus realiter & corporaliter absens à Sacramẽto, verè nihilominus in Sacramento percipitur; aut percipitur secundũ ipsius duntaxat *effectum*, puta secundùm gratiam, aut etiam secundùm se & suã *substantiam*. Sed neutro modo. Ergo nullo: ac per cõsequens, nullum Sacramentum, sed nudum panem & vinum dant & accipiunt Caluinistæ in sua cœna.

Maior propositio certissima est. Nam q̃ Caluinistæ fingunt, Christum ipsum, tametsi ab Eucharistia longissimè disitũ, verè nihilominus in Eucharistia percipi spiritualiter, necesse est prorsus alterutro è duobus modis ab ipsis intelligi, aut nihil omnino (quod mihi verisimillimũ est) de assertione sua intelligũt. VNO modo, vt illorũ sententia sit, Christum ab animo piè communicantis percipi verè, non secundùm se ipsum, sed secundùm ipsius *effectum*, puta secundùm gratiæ donũ, quo Christus tametsi in cœlo existens animum communicantis spiritualiter alat.

ALTERO modo, vt illorum sententia sit, Christum non tantũmodò secũdùm suum effectum, sed etiã secundùm *se ipsum*, & in se ipso, verè percipi ab animo communicantis: ita quidem, vt quamuis cõmunicantis animus & Christus, tanto locorum interuallo à se distent, quantum est inter cœlum & terram, tamen efficacitate Spiritus sancti arctissimè inter se & secundùm se cõiungantur, & ex ea coniunctione, quasi quidam effectus manet alimentum illud spirituale animi, ex corpore & sanguine Christi arctissimè sibi coniuncti.

Porrò alterutro modo ex his duobus oportere Caluinisticam sententiã intelligi, luce clarius est. Nam vt nõ possumus in proposito cogitare, nisi aut Christum ipsum *in se & secundùm se*, aut Christi *effectus* spirituales: ita est necesse, vt communicatio, perceptio, sumptio Christi, sit aut Christi secundùm effectus suos, aut Christi etiã secundùm se. Quocirca verissima est maior nostri argumenti propositio.

Minor autem nunc probãda est, scilicet, neutro modo ex illis duobus Christum in Sacramẽto verè accipi, si realiter & corporaliter abest à Sacramento, vt volunt Sacramentarij. Et quidẽ alij ex istis vno modo ex illis duobus, alij altero Christum in Sacramento accipi intelligunt; vt nimirum hac etiã nota prodant se esse Sectarios, quòd aliorum Sectariorum more sunt inter se dissecti. Nam Zuinglius & alij Sacramentarij, qui ante Caluinum extiterunt, non ipsum Christum secundùm se, sed *effectum* spiritualem Christi, puta gratiam, atque adeò Christum, quâ ad effectum ipsius duntaxat, in Sacramento percipi asserebant. Hos enim memorat Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. sect. 7. cùm ita inquit: *Neque illi mihi præterea satisfaciunt, qui nonnullam nobis esse cum Christo communionem agnoscentes, eam dum ostendere volunt, nos spiritus modo* (atque adeò gratiæ) *participes faciunt, præterita carnis & sanguinis mentione.*

Quin etiam Antonius Sadeel indicat, non deesse nunc inter Sacramentarios, qui sentiunt, *Christi tantùm dona & spirituales effectus* in Sacramento commemorari, & percipi, non autẽ *ipsum secundùm se* Christum. Ita enim scribit Sadeel, tract. de mandu. spiritual. pag. 4. *Iam exorti sunt nonnulli, qui putant sacram Domini cœnam esse tantùm symbolum Christianæ religionis & commemorationem mortis Christi & beneficiorũ eius, neq; in cœna Domini vllam esse præsentiã corporis & sanguinis ipsius.* Quorũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

infrà hoc argumentum refert, pag.70. *Si in cœna Domini manducatio corporis Christi & potus sanguinis ipsius spiritualiter intelligi debent: Ergo debent non de ipso Christi corpore intelligi, sed de Christi beneficiis, & inprimis de fructu mortis & sacrificiis ipsius.* Itaque sententia istorum est, non etiam ipsum Christum secundùm se, sed duntaxat secundùm *dona & effectus* spirituales ipsius, in Sacramento percipi: Siquidem hoc re ipsa nihil aliud est, quàm fieri in Sacramento communicationem donorum Christi, vt fatentur.

Caluinus autem & Beza, & Antonius Sadeel, & Fortunatus, & alij, qui in impia sua sententia pallianda de reali absentia Christi à Sacramento astutiores sunt, ipsum etiã *secundùm se* Christum, & non tantùm secundùm ipsius effectũ, aiunt in Eucharistia verè percipi, & verè vniri cũ animo communicantis. Itaq; sic inter cætera Caluinus scribit in defensione 2. doctrinæ de Sacramẽtis, contra VVestphalum: *Ne quid ad perspicuitatem desit, duo nobis offerri dico, Christum, & quæ ex eo nobis proueniunt dona.* Et rursus cùm sentẽtiam orthodoxã oppugnauisset lib.4. Instit. cap.17. sect. 19. *His*, inquit, *absurditatibus sublatis, quidquid ad exprimendam veram substantialemq; corporis ac sanguinis Domini communicationẽ, quæ sub sacris cœnæ symbolis fidelibus exhibẽtur, facere potest, libenter recipio.* Vtalia nunc omittam, quæ in eandem sententiam recitaui ex Caluino, suprà §.7.

Theodori etiam Bezæ eadem sentẽtia est, tum aliàs passim, tum nouissimè in respõsione ad acta colloquij Mompelgardensis, vbi loquens de modo, quo Christus in Sacramento percipitur, sic inter cætera scribit, parte 1. pag. 32. *Nullum dicimus fieri beneficiorũ Christi participem, q non ipsum quoq; Christum à quo emanant, possideat. Sicut cibo naturali nemo nutritur, nisi cibum ipsum sumat.*

Consentit cum his Sadeel. Nam in tractatu de spirituali mãducatione Christi, ex instituto eos Sacramẽtarios refellit, qui censent, Christi tantùm dona, atq; adeò Christum secundùm ipsius tantùm effectus, in Sacramento percipi. In altero etiam tractatu, qui est de Sacramentali manducatione Christi; sic scribit, pag. 103. *Credimus in S. Domini cœna Christum nobis suum corpus & sanguinem, seq; adeò ipsum (ne posthac isti nobis obiiciant, nos loco rei, vsum, beneficium & fructum reponere) Christum, inquam, ipsum, vnà cum suis donis ac meritis donare, vera fide per efficacitatem Spiritus sancti recipiendum.* Et infrà eos reprehendit, pag. 132. qui spiritualem Christi manducationem in Sacramento dicunt esse sumptionẽ corporis Christi & sanguinis ipsius, non secundùm se, sed secundùm eorum effectum, puta secundùm donũ gratiæ. Fortunatus quoque idem sæpe repetit in sua Vindicatione. Vt pag. 111. cùm ait: *Verũ Christi corpus, quà ad substantiam, non quà ad effectum duntaxat & gratiam, verè præsens est in Eucharistia, & à fide manducantibus verè percipitur.* Et rursus pag.112. *Verum Christi corpus in cœna præsens est, & sumitur, etiam quà ad substantiam: quia illud corpus, quod traditum est, sed quà traditum est, præsens est & sumitur.*

Quòd igitur Christus non tantùm quà ad ipsius *effectum* in Sacramento percipiatur, ipsi Caluinistæ nobiscum fatentur, contra quàm aliqui Sacramentarij senserunt. Atque id ipsum facilè probari potest. Nam primò Christus Dominus de eo, quod vel in rei veritate (vt Ecclesia verissimè sentit) vel in signo (vt Caluinistæ volunt) discipulis dedit, non dixit: Hoc est *effectus* corporis mei; sed, *Hoc est corpus meum*, Matth.26. Neque etiam Apostolus dixit, panem quem frangimus participationem effectus corporis Christi esse, sed, ipsius Christi *corporis*; & calicem, cui benedicimus, communicationem ipsius Christi *sanguinis*, 1.Corinth.10.

Secundò, Ioan.6. idem Dominus in sermone quem de communicatione sui corporis & sanguinis in hoc Sacramẽto (Patribus ita exponentibus, vt videbimus quæst.8.) habuit, vtramque communicationem, apertè distinxit, nimirum & sui corporis ac sanguinis *secundùm se*, & eorum *effectus spiritualis*, puta vitę spiritualis per gratiam & gloriam. Id patet ex illis verbis: *Qui manducat hunc panem, viuet propter me.* Et: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, &c.

Tertiò, non solùm effectus corporis & sanguinis Christi, sed reuera quoque ipsum corpus & sanguinem Christi in Sacramento percipi, Patres omnes apertissimè testantur, & verbis Christi confirmant: quorum testimonia recitauimus suprà §.5. Adde quòd Paschasius ante octingentos annos ex orthodoxa sentẽtia ita disertè scripsit in epistola ad Frudegardum: *Christus non ita dixit: Hoc est, vel in hoc mysterio est quædam* VIRTVS *figura corporis mei. Sed ait non fictè: Hoc est corpus meum. Et ideo hoc est, quod ipse dixit, non quod quisque fingit.*

Quòd autem neq; SECVNDVM SE percipiatur verè Christus in Sacramento, si, vt Caluinistę contendunt, realiter & corporaliter absit à Sacramento, id probandum à nobis est cõtra Caluinistas, vt nostra RATIOCINATIO, & ἀνάδειξις ex omni parte sit conspicua. Probabimus id autem his nouem mediis seu modis: PRIMO, ex Christi verbis, & institutione huius Sacramenti. SECVNDO, ex antiquorum Patrum testimoniis. TERTIO, ex ipsa notione vocabulorũ, & ex modo quo oportet differere de quibusuis Christianæ religionis mysteriis. QVARTO, ex nexu, quę esse oportet inter eas res, quæ verè vniuntur. QVINTO, ex modo quo Caluinistę asserũt Christũ vniri cum animis cõmunicantium. SEXTO, ex ratione Sacramentorũ. SEPTIMO, ex modo quo in hoc Sacramẽto Christi corpus & sanguis percipiatur & vinũ significantur secũdùm Caluinistas. NONO, ex OCTAVO, ex ratione veræ præsentiæ. magnitudine veri mysterij Eucharistiæ.

Refutatur

Refutatur I. sententia Caluinistica, ex Institutione huius Sacramenti. §.10.

PROBATVR autem id primò ex ipsa institutione huius Sacramenti, atq; adeò ex sacrosanctis Christi verbis, hoc modo: Commentitius prorsus censeri debet ille modus perceptionis corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, quo Christum corpus suum & sanguinem in vltima cœna exhibuisse Apostolis, ac Apostolos accepisse, minimè ex ipsa huius Sacramẽti institutione cõstat. Sed talis est omnino modus iste Caluinisticus pceptionis corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. Ergo cõmentitius prorsus cẽseri debet, atq; adeò à piis omnibus reiiciendus est.

Maior certissima est. Nam verissimè D. HILARIVS de hoc ipso mysterio loquens, lib.8. de Trinitate: *De naturali*, inquit, *in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atq; impiè dicimus.* Itaq; stultè ac impiè, Hilario iudice, Caluinistæ ea dicunt, quę de sola illa sua spirituali corporis & sanguinis Christi perceptione atque vnione cum animo communicantis tradunt, nisi certò posint monstrare, illa se didicisse ex facto Christi & Apostolorum in vltima cœna. Id enim Christus voluit deinceps, tãquam à se institutũ, fieri in vsu Eucharistiæ, quod tunc factum est; vt ex illis verbis perspicuum est, Luc.22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et ex illis etiã D. Pauli, 1.Cor.11. *Ego enim accepi à Domino, q; et tradidi vobis.*

Minor autem probatur. Nam nulla est syllaba in tota narratione institutionis huius mysterij, ex qua posimus certò colligere, dedisse Christũ discipulis aliquid in illa cœna, quod ab eis percipiendum esset *solis animis*, & nõ etiam ore corporis. *Accipite*, inquit, *& manducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter & calicem*, &c. Quid hîc porrigitur *solis* animis? Nónne Apostoli comedere & bibere *ore corporis* debuerunt id, quod mensæ assidentes comedere & bibere iussi sunt à Christo? At mens & sententia Christi fuit (inquiunt Caluinistæ) vt ore quidem corporis comederent & biberent signa illa externa corporis & sanguinis Christi; ore autem animi duntaxat, res ipsas significatas, puta corpus & sanguinem suum, quæ minimè in illis signis continerentur, sed significarentur & obsignarentur tanquam sigillis, quibus certi de Christi corporis & sanguinis exhibitione spirituali redderemur. At istud quidem Caluinistæ nõ ex Christo, sed ex suo cerebro discũt, & ideo, vt ait Hilarius, impiè ac stultè ita dicunt. Attende enim, obsecro, quàm hîc multa sunt, quæ isti non discunt à Christo, sed à solo Caluino.

PRIMO, Christum, *nudum signum* corporis sui, & nudum signum sanguinis sui, *ore quidẽ corporis* percipiendum exhibuisse Apostolis. Quo verbo dixit hoc Christus? Imò, quib. verbis potuit clarius contrarium dicere, quàm illis: *Hoc, hoc*, inquam, quod vobis ore corporis percipiendũ *do*, est, non figura corporis mei (inquiunt ex orthodoxa sententia Damascenus lib.4. fidei, cap.14. Paschasius in epist. ad Frudegardum. Theophilactus in cap.26. Matth. & 14. Marci) sed, *corpus meũ*, illud ipsum nimirũ, quod pro vobis tradetur.

SECVNDO, non à Christo, sed à solo Caluino isti didicerũt, illud quod Christus dedit ore corporis accipiendum, fuisse nominatum à Christo corpus suum *impropriè*, quia fuerit signũ corporis. Hoc etiã quonam verbo dixit Christus? Imò quorsum addidit illud: *Quod pro vobis tradetur*; nisi vt propriè corpus suum se nominare indicaret? Nónne nomen *corpus*, & relatiuum *Quod*, ad idem retulit? Aut igitur corpus suũ propriè vocabulo corporis significauit; aut si nomine corporis significauit corporis *signum*, (vt Caluinus contendit lib.4. Instit. cap.17. sect.21. Beza in Cõfess. fidei, cap.4. sect.50. Sadeel in tract. de manducat. Sacram. pag.134. Fortunatus in disceptatione sua, pag. 21.) signum corporis Christi fuit pro nobis traditũ, id quod vel cogitare impium est. Nec potest sanè paruipendere hoc argumentum Sadeel, nisi clarissimæ illi veritati tenebras offundat, quæ ipsimet, in suo musæo fortè dormitanti, vi maxima erupisse videtur ex conscientia, cùm in hęc verba scripsit: *Christus ita de suo corpore et sanguine locutus est: Quod pro vobis traditur, qui pro vobis funditur. Corporis autẽ similitudinem fuisse pro nobis traditam, aut similitudinem sanguinis pro nobis fusam, inter Christianos ne fundo quidem auditum est.*

TERTIO, didicerunt Caluinistæ à solo Caluino, & nõ à Christo, ad eam rem Christum dedisse Apostolis *signa nuda* corporis & sanguinis sui, *ore corporis* sumenda, vt eos certos faceret, se tunc etiam ipsorũ *solis animis* præbere res significatas, longissimè à signis illis distantes, puta corpus & sanguinẽ suum. Quibus enim Christi verbis tradita est hæc Caluinistica Theologia? Certè qui dat signum alicuius rei, non eo ipso etiam dat rem significatam, si ita significetur, vt tamen nõ contineatur in ipso signo. Nos quidem qui certissima fide persuasi sumus, Christi corpus & sanguinem in sacris illis signis realiter & substantialiter cõtineri; certissimi etiam sumus cùm ea signa nobis porrigũtur, dari nobis eo ipso Christi corpus & sanguinem, vt nõ solùm ore corporis, sed etiam ore animi, hoc est, summa fide, & reuerentia, tantum hospitem suscipiamus. Caluinistæ verò, qui tam procul ab illis signis corpus & sanguinem Christi reiiciunt, quàm abest cœlum à terra, quomodo possunt esse certi, corpus & sanguinem Christi vllo modo verè suscipiendum sibi præberi, eo ipso, quòd illa signa eis exhibentur? An, qui à Principe quopiam similitudinem pictã ciuitatis accipit, eo ipso accipit etiã ciuitatẽ? *Quomodo igitur* (inquit rectè Guidmundus lib.3. de Sacram.) *Si verbum carnẽ factum, cibo Dominico non substantiuè, sed vmbratilè sumimus; per hoc consequens est, vt in nobis substantialiter maneat Christus? Quæ est huius probationis necessitas? Quæ consequentia?*

Sed quor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed quorsum, inquient, daret Christus ea signa sui corporis & sanguinis, nisi vt tunc etiam corpus & sanguinem suum verè à nostris animis participandũ daret? Respondeat ipse Christus, Luc.22.& 1.Cor.11. *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem*. En, ad quem finẽ duntaxat putari posset, instituisse Christum illorũ signorũ vsum, si non etiã in illis signis continetur reuera Christus, vt in illis verè sumatur. Etsi autẽ à nobis illa pia commemoratio salutiferæ Christi mortis, ad spiritualem participationem Christi secundùm gratiam referri debeat: tamen hoc illi cum aliis omnibus piis actionibus cõmune est: Hic autem cum Caluinistis disputamus de *peculiari promissione* spirituali participationis Christi, & quidẽ non solùm secundùm gratiæ donum, sed etiam secundùm se, quæ promissio in ipsa institutione Eucharistię sit facta. Talem, inquã, promissionẽ dicimus à Caluinistis non posse in Eucharistiæ institutione ostendi, dum negãt Christũ realiter & corporaliter contineri in illis signis externis.

At, inquient rursus, Apostolum explicasse, obsignari nobis per illa signa spirituale exhibitionem & participationem corporis & sanguinis Christi, 1. Cor. 10. cùm dixit: *Panis quẽ frangimus, nónne participatio corporis Christi est?* Et: *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est?* At ego ab his quæro, vtrũ hoc ipso loco D. Paulus propriè, an figuratè de corpore & sanguine Christi loquatur. Si *propriè*: ergo ex sententia D. Pauli cùm percipimus ore corporis illum panem & illum calicem, eo ipso percipimus etiã *ore corporis* corpus Christi & sanguinẽ. Quo sensu verissimum quidem est, per illa symbola vini & panis, certò nobis obsignari exhibitionẽ corporis & sanguinis Christi realem & oralem, eandemq; maximè etiã spiritualem, cum ad spiritualem vtilitatẽ nostram tota pertineat. Si autẽ D. Paulus *figuratè* ibi loquitur de corpore & sanguine Christi; vt sit sensus, vsum & cõmunicationem illius panis & calicis, esse communicationẽ signorum corporis & sanguinis Christi; ergo per hanc sententiã minimè D. Paulus declarat, tunc exhiberi corpus & sanguinem Christi ab animis verè participãdum, cùm exhibentur illa externa signa corporis & sanguinis Christi. Nam, vt is, q dat externũ rei signum, non eo ipso dat etiã rem (sicut antè ostendi) ita qui dicit, *dari et cõmunicari* externũ rei signum, non eo ipso dicit aut explicat, dari etiam & communicari ipsam rem.

Quam ob rem adhuc hærent in eodem luto Caluinistæ, cùm neque ex Christo, neq; ex Paulo possint ostendere, in Eucharistia corpus & sanguinem Christi sic exhiberi, vt solo animi ore, & non etiam ore corporis percipi debeant. Tantùm enim id suadere conantur suis quibusdam sigillorum nescio quorum & obsignationũ obstrepitaculis à se excogitatis, quæ nullum habent firmum & illustre in institutione Dominica fundamentum.

At, inquient postremò, naturam Sacramẽtorum hanc esse, vt cùm sacro signo, in quo nimirum Sacramenti ratio consistit, simul etiam exhibeatur res sacra significata. Omnino ita est: Sed quæstio inter nos est, quo pacto voluerit Christus in hoc peculiari Eucharistiæ Sacramẽto, rem significatam exhiberi simul cum sacro signo. Nos dicimus, voluisse, vt exhiberetur simul contenta in signo, ita vt ore etiam corporis ad spiritualem animorum salutem vnà cum signo sumeretur. Hoc, inquam, nos dicimus, quoniam à Christo didicimus, qui idipsum apertissimè dixit, cùm dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; assentiente nobis tota antiquitate Orthodoxa, atque adeò vniuersa Ecclesia Catholica, vt suprà §.5. & 6. demonstrauimus. Caluinistæ autem dicunt, Christum voluisse, vt in hoc Sacramento res significata exhiberetur simul cum signo non contenta in signo, sed tam ab illo remota, quàm abest cœlum à terra. Hoc autẽ ipsum est, quod contendo nullo modo dixisse Christũ, ac proinde *stultè ac impiè* (iudice Hilario) à solis Caluinistis dici, cùm id non didicerint à Christo. Aut proferant illi ex tota institutione cœnæ Dominicæ vnicum saltem verbum, quo vel expressè (vt omnia ipsi volunt, in Scriptura à nobis demonstrari) vel obscurè id Christus dixerit.

Neque est, quod hìc mihi obiiciant, rem sacram significatam in Baptismo, puta gratiam spiritualis regenerationis, nõ exhiberi contentam etiã realiter in ipso signo; nisi prius ostendant, id Baptismo conuenire secundùm rationẽ etiam communem, qua Sacramentum est, & nõ solùm quatenus *tale* Sacramentũ est, in *operatione quadam* consistens, vt & reliqua Sacramenta præter Eucharistiam. Quod nunquam isti probare poterunt. Itaq; neq; ex eo, quòd Christus dedit Apostolis signum externum sui corporis & sanguinis, neq; ex eo, quòd id fuit sacrum signum, atque adeò Sacramentũ, possunt certò colligere Caluinistæ, præbere illum ex *peculiari promissione* in Eucharistia suum corpus & sanguinẽ ab animis verè participandum, nisi cõcedant substantialiter etiam contineri corpus & sanguinem Christi in eiusmodi signo.

Quarto, consequenter à solo Caluino, & nõ à Christo didicerũt Caluinistę id, quod de sigillis & obsignatione corporis & sanguinis Christi p externa illa signa garriunt. Nam cùm certi esse non possint, Christum ex peculiari promissione exhibere in Eucharistia suum corpus & sanguinem verè participandum, (vt iam probaui) consequens est, vt neque certò statuere possint, *obsignari* à Christo talem aliquã promissionem per illa externa signa.

Quinto, multò minùs à Christo, sed plane à solo Caluino didicerunt, quod aiunt, cùm exhibentur ori corporis illa externa signa, à quibus tantum, quantum cœlum à terra Christus abiit, *exhiberi*

exhiberi simul corpus & sanguinem Christi, verè à *solis animis* participandum non solùm secundum ipsius effectum, qui est gratia, qua spiritualiter alit animos, sed etiam secundùm *suam ipsius substantiam*. Nihilminus in Eucharistiæ institutione à Christo dictum aut insinuatum est. Nam inauditum hactenus & incognitum toti Orthodoxæ antiquitati est, Christum aliter quàm secundùm gratiam vniri cum animis, nisi cùm suscipitur vt *contentus realiter* in sacris illis signis, quem suscipiendi modum isti reiiciunt.

Cùm igitur tam multa sint in Caluinistica sententia, quæ isti certò confirmare non possunt ex verbis & institutione Christi, meritò concludimus cum Diuo Hilario, *stultè ac impiè* ab istis dici, quod de illa sua communicatione Christi *secundùm se*, ore duntaxat animi peragenda, fingunt. Verissimè enim ita scripsit etiã Guitmundus lib.3. de Sacr. *Illi, iudicio B. Hilarij, verba Saluatoris peruerse ac impiè intelligunt, qui simplici intellectu contempto, ad figuras, addendo quod sibi placet, ea traiiciunt.*

Refutatur II. sententia Caluinistica testimoniis veterum Patrum. §. II.

Secundo, ex testimonio piæ & orthodoxæ antiquitatis ita contra Caluinisticum mysterium argumentor. Si de cõmunicatione corporis & sanguinis Christi, quæ fit in Eucharistia, aliquid traditur, quod veterum & orthodoxorum Patrum sententiæ repugnat; id in Ecclesia nullo modo tolerari debet. Sed quod affirmant Caluinistæ, communicationem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia *solis animis*, & non etiam ore corporis peragi, repugnat prorsus veterum atque orthodoxorum Patrum sententię, quippe cùm disertis verbis veteres asseuerent, vniri Christum verè cum *nostris etiam corporibus* in Eucharistia, & *ore corporis* percipi. Ergo dogma istud Caluinisticum nullo modo in Ecclesia tolerari debet, sed repudiandum est tâquam adulterinum.

Maiorem isti vel non negant, vel non sine magno detrimento existimationis & fidei suæ apud prudentes, negant, si quando audent commenta sua anteponere sententiæ Patrum, quod non cui non maxime probetur iudicium illud Diui rarò impudenter faciunt. Nam nemo pius est, Avgvstini de veterũ auctoritate in fidei quæstionibus, libro secundo contra Iulianum: *Quod inuenerunt* (inquit) *in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.*

Minor autem propositio illustribus aliquot testimoniis veterum nunc probanda est, qui nõ quouis modo asserunt corpus Christi in Eucharistia percipi, sed percipi etiam *ipso corpore*, siue *ore corporis*. Ita enim retundemus quoque Fortunati Caluinistæ vel imperitiam vel impudentiam, qui in sua Vindicatione pagina 113. hunc in modum scribere ausus est: *Nusquam Patres illi scribunt, nos cum ipso corpore Christi corporaliter coniungi.* Loquitur autem de Hilario, Chrysostomo & Cyrillo Alexãdrino. Proferamus igitur & horum & aliorum testimonia.

S. Irenaevs lib. 5. cap. 2. *Quomodo*, inquit, *negat, carnem capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur?* id est, quæ reuera corpus & sanguinẽ Christi percipit, vt eius beneficio consequatur suo tempore immortalitatem, & eatenus quasi nutriatur. Nullum autem esset hoc argumentum Irenæi, si *carò* nostra solum signũ corporis & sanguinis Christi, & nõ ipsum corpus & sanguinem Christi, reuera percipit. Nam nudum signum, hoc est, merus panis, & merum vinum, non sunt res tantæ, vt si caro nostra est istarum rerum capax, consequens videri debeat, fore illam etiam capacem vitæ æternæ.

Ivstinvs Apol.2. ad Anton. in fine: *Cibum per preces verbi* Dei *ab ipso Eucharistiam factum*, Ex quo sanguis carnesque nostrae *per mutationem* (puta panis in illum) *aluntur*, Iesv Christi *eius, qui homo factus est, & carnem et sanguinem esse accepimus.*

Origenes homil. 5. in diuersa loca Euangel. *Quando sanctũ cibum, illudq;* Incorruptum *accipis epulum, quãdo vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc* Dominvs svb tectvm tvvm *ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Vbi enim* Indigne *ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.* Certè est perspicuũ, loqui Origenem hoc loco de ingressu Christi non in animam, sed in corpus nostrum: Cùm in animam nunquam contingat illum ingredi *indignè* & ad iudicium. Ac æquè est perspicuum, loqui de ingressu ipsiusmet Christi *secundùm se*, & nõ solùm secundùm sui signum: quandoquidem vocat epulum *incorruptum*, vitæ panem, & vult compellari & inuocari illis verbis: *Domine non sum dignus, &c.*

Tertvllianvs libro de resurrect. carnis: Caro *corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Loquitur autem de ipso corpore Christi *in se*, quale nimirum dicit alibi (lib. 2. ad vxorem) *non credi à gentili homine esse in Eucharistia.*

Cyprianvs, aduersus eos agens, qui cùm fidem negassent, indignè cõmunicabant, serm. 5. de lapsis: *Exhalãtibus*, inquit, *nunc etiam scelus suis faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus inuadunt?* Et paulò pòst: *Vis infertur corpori eius & sanguini. Et plus modò in Dominum* Manibvs *atq; Ore delinquunt, quàm cùm Dominum negauerunt.* Nunquid verò signum tantummodò corporis & sanguinis Dñi indignè suscipere, maius peccatum esset, quàm Dominum ipsum abnegare? Item de iisdem postea, quoniã ęgrè ferrent

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſibi Euchariſtiam negari: *Quod non*, inquit, *ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut* ORE *polluto Domini ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur.*

HILARIVS lib.8. de Trin. *Hæc vitæ noſtræ cauſſa eſt, quod in nobis* CARNALIBVS *manentẽ* PER CARNEM *Chriſtum habemus, victuris nobis per eam ea conditione, qua viuit ille per Patrem.* Explicat autẽ his verbis, quomodo viuat per Chriſtum is, qui mãducat illũ in Euchariſtia, iuxta illud: *Sicut miſit me viuẽs pater, & ego viuo propter patrẽ: et qui manducat me, viuet propter me*, Ioan. 6. Item de eodem myſterio loquens Hilarius: *Permanentem*, inquit, *in nobis* CARNALITER *Filium: & in* EO *nobis* CORPORALITER *& inſeparabiliter vnitis, myſterium veræ ac naturalis vnitatis eſt prædicandum.* An potuit clarius dicere, Chriſtum non ſolùm ſecundùm ſuam carnem nobiſcum, ſed etiam nos viciſſim corporaliter, id eſt, ſecundùm noſtrum corpus, vniri cum Chriſto in myſterio Euchariſtiæ?

Gregorius NYSSENVS in orat. catech. cap. 37. *Quoniam homo*, inquit, *eſt duplex, vt qui ſit compoſitus ac contemperatus ex anima & corpore, neceſſe eſt, vt qui ſeruãtur, ſequantur eum qui ducit ad vitam. Ergo anima quidem cum ipſo contemperata per fidem, hinc ſalutis habet occaſionem. Nam vnio cum vita vitæ habet ſocietatem. Corpus autem* ALIO MODO *venit ad participationem eius, qui dat ſalutem.* Hunc autem alium modum docet ibi eſſe eum, quo corpus noſtrũ Chriſti corpus verè percipit in Euchariſtia: *Oportet autem*, inquit, *ſicut exitiale, ita etiam ſalutare medicamentum admitti* INTRA *viſcera hominis, vt per illa diſtribuatur in vniuerſum corpus virtus eius, quod ſert opem. Ita cùm id guſtauerimus, quod noſtram diſſoluit naturam* (pomum nimirum vetitum in Adamo) *neceſſe eſt, vt opus habeamus eo, quod cogit & conciliat id, quod erat diſſolutum. Vt cùm* INTRA *fuerit hoc ſalutare medicamentum, veneni damnum, quod corpori fuerat inditum, per contrariam repellat affectionem. Quid hoc ergo eſt? Nihil aliud quàm illud* CORPVS, QVOD *& morte oſtenſum eſt fuiſſe potentius, & noſtræ vitæ fuit initium. Quomodo enim parum fermenti, vt dicit Apoſtolus, ſibi aſſimilat totã conſperſionem: Ita* CORPVS *à* DEO *morte affectum* (puta Chriſti) *cùm fuerit intra* NOSTRVM, *totum ad ſe tranſmutat & tranſfert. Quomodo enim, quod eſt exitiale, ſi miſtũ fuerit cum ſacro, quidquid eſt contemperatum ſimul, redditur inutile: ita etiã corpus immortale cùm fuerit* INTRA *eum, qui ſumpſit, vniuerſum quoq; tranſmutat in ſuam naturam. Sed fieri nõ poteſt, vt ſit aliquid aliter* INTRA CORPVS, *niſi per eſum & potionem* MISCEATVR VISCERIBVS.

Et in fine capitis explicans, quomodo Chriſti virtute hoc fiat: *Ea*, inquit, *de cauſſa, per ſuæ gratiæ diſpenſationem ſe* PER CARNEM *inſerit omnibus credentibus, commiſtus & contemperatus* CORPORIBVS *credentium, quibus ſubſtantia eſt ex pane & vino, vt* VNIONE *cum eo, quòd eſt immortale, ſit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem datur virtute benedictionis, in illud* TRANSELEMENTATA *eorum, quæ apparent* (panis & vini) NATVRA. Certè ſi hodie contra Caluiniſtas ex inſtituto probaret Diuus Gregorius Nyſſenus, non ſolùm ſpiritualiter per fidẽ accipi ab animis communicantium corpus & ſanguinem Chriſti, ſed etiam corporaliter ab ipſorum corporibus, non potuiſſet, aut vberius, aut clarius de hac re diſſerere, nec huius diuini conſilij cauſſas luculentius exponere.

Adduxit autem hoc idem teſtimonium Gregorij iam pridem Euthymius in Panoplia, parte ſecunda, tit. 21. Quod tam eſt dilucidum & graue, vt ſuo pondere facilè obruat omnia commenta Caluiniſtarum de ſigno corporis & ſanguinis Chriſti, quod pro ipſo Chriſti corpore & ſanguine nobis ſolent reponere. Ipſum enim verum Chriſti corpus, *dat nobis ſalutem, & ſirt operem, & cogit & conciliat, quod erat diſſolutum, & morte potentius fuit, & noſtræ vitæ initium*, & cætera, quę Gregorius Nyſſenus dicit. Sed alios quoque veteres audiamus.

Cyrillus HIEROSOLYMITANVS Catecheſi quarta Myſtag. *Sub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis, vt ſumpto corpore & ſanguine Chriſti, efficiaris ei comparticeps corporis & ſanguinis.* χειστοφόροι γινόμενοι; *ſic Chriſtophori erimus, hoc eſt, Chriſtum ferentes, cùm eius corpus & ſanguinem in* MEMBRA *noſtra receperimus, atque vt beatus Petrus dicit, diuinæ naturæ conſortes efficiemur.* Quid apertius à me etiam hodie contra Caluiniſtas dici poteſt?

CHRYSOSTOMVS homilia 60. ad populum Antiochenum, & 45. in Ioannem: *Quod nunc dicunt, vellem ipſius formam aſpicere, figuram veſtimenta, calciamenta: Ecce ipſum vides, ipſum tangis, ipſum manducas. Et tu quidem veſtimenta videre cupis. Ipſe autem tibi concedit, non tantùm videre, verùm & mãducare, & tangere, &* INTRATE *ſumere.*

Item libro tertio de Sacerd. *O miraculum? O Dei benignitatem? Qui cum Patre ſurſum ſedet in illo ipſo temporis articulo omnium* MANIBVS *proteꝯtatur.* An verò eſſet vllum miraculum, ſi eodem tempore, quo eſt ipſe in cœlo, ſignum eius tantùm hîc in terra MANIBVS corporeis tractaretur? En Caluiniſticum ſcilicet miraculum.

Item homilia illa 60. & 83. in Matthæum: *Non ſufficit ipſi hominem fieri, flagellis cedi, ſed nos ſecum in vnam* (vt ita dicam) MASSAM *reducit. Neque id fide ſolùm, ſed re ipſa nos corpus ſuum effecit.* Certè vocabulum etiam *Maſſa*, indicat reipſa nos ſecundùm corpus vniri cum corpore Chriſti, ex ſententia Chryſoſtomi.

Item homilia ad Neophytos: *Nunc*, inquit, *ſi viderit inimicus non poſtibus impoſitum ſanguinem typi* (id eſt, ſanguinem agni, quo ſignabantur poſtes Iſraëlitæ in Aegypto ne percuteretur ab Angelo) *ſed fidelium ore lucentem ſanguinem veritatis, multò magis ſe ſubtrahet. Si enim Angelus ceſſit exemplo, quanto magis terrebitur inimicus, ſi ipſam perſpexerit veritatem?* Audis, ipſum ſanguinẽ Chriſti non in ſigno ſeu typo, ſed in ipſa rei *veritate*, ORE corporis percipi?

Item homilia 83. in Matthæum: *Quali eſca fruimur? Quali ſumus digni audiamus & horreamus. Sanctis* CARNIBVS *ſuis nos dedit* IMPLERI, *ſe ipſum appoſuit immolatum.*

Cyrillus ALEXANDRINVS libro decimo in Ioannem, capite decimo tertio: *Non negamus, recta nos fide charitateq; ſyncera Chriſto* SPIRITVALITER *coniungi. Sed nullam nobis coniunctionis rationem* SECVNDVM CARNEM *cum illo eſſe, id profectò pernegamus, idq; à diuinis Scripturis omnino alienum dicimus.* Quod inter cætera illis verbis confirmat: *An fortaſsis putat ignotam in nobis myſticæ benedictionis virtutem eſſe, quæ cùm in nobis fiat, nonne* CORPORALITER QVOQVE *facit communicatione carnis Chriſti Chriſtum in nobis habitare?* Et poſt pauca: *Vnde conſiderandum eſt, non habitudine ſolùm, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verùm etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum, ſi quis igni liquefactam ceram alij ceræ ſimiliter liquefactæ ita immiſcuerit, vt vnum quid ex vtriſque factum videatur, ſic communicatione corporis & ſanguinis Chriſti ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura* CORPORIS *ad incorruptibilitatem et vitam traduci, niſi naturalis vitæ* CORPVS EI *coniungeretur. Non credis mihi hæc dicenti? Chriſto, te obſecro, fidem præbe. Amen, Amen*, inquit, *dico vobis* (Ioann. 6.) *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, &c. In vobis autem ipſis, dicit, id eſt,* IN CORPORE VESTRO. Certè nihil poteſt clarius dici cõtra myſterium Caluiniſtarum, qui tantùm Spiritu, & nõ etiam corpore à nobis percipi corpus & ſanguinem Chriſti contendunt.

BASILIVS libro ſecundo de Bapt. capite ſecundo: *Si tales minæ aduerſus eos poſitæ ſunt, qui temerè ad ea ſacra accedunt, quæ ab hominibus ſanctiſſimè curantur: Quid dicendum eſt de eo, qui in tantum ac tale myſterium temerarius eſt? Quantò enim maius aliquid is eſt templo ſecundùm Domini vocem, tantò grauius & terribilius eſt in animæ impuritate conſtitutum, corpus Chriſti temerè* CONTINGERE, *quàm ſit accedere ad arietes vel tauros.* Certè contactus non fit niſi corpore. Nec rurſus eſt terribilius accedere ad ſignum nudum corporis, puta ad panem, quàm ad arietes & tauros, cùm panis nõ ſit aliquid præſtantius quàm tauri & arietes, per quos etiam Chriſtus, qui fuit vera victima, ſignificabatur.

THEODORETVS in cap. 11. 1. ad Corinth. *Quemadmodum probris affecerunt Chriſtum Iudæi, ita ignominia eum afficiunt, qui ſanctiſsimum eius corpus immundis* MANIBVS *accipiunt, & in pollutum & inceſtum* OS *immittunt.* Sanctiſsimum Chriſti corpus dicit, illud nempe idem, quod fuit à Iudæis ignominia affectum.

HIERONYMVS in caput primum Malachiæ: *Polluimus panem, id eſt, corpus Chriſti, quando indigni accedimus ad altare, & ſordidi* MVNDVM *ſanguinem bibimus.* Certè qui indigni & ſordidi ſunt, non accipiunt corpus Chriſti & mundum ſanguinem eius ſpiritualiter animo, ſed realiter ſolo corpore.

AVGVSTINVS libro ſecundo contra aduerſ. Legis & Prophetarum, capite nono: *Mediatorem* DEI *& hominum Chriſtum* IESVM, *carnem ſuam nobis manducandam bibendumq; ſanguinem dantem fideli corde atque* ORE *ſuſcipimus.* EN, illud ipſum, quod fideli corde & animo ſuſcipitur, id eſt, ipſe Chriſtus *Mediator*, ſuſcipitur etiam ore corporis.

LEO ſermone ſexto de Ieiunio ſeptimi menſis: *Sic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis. Hoc enim* ORE *ſumitur, quod fide creditur.* Et ſermone 14. de paſſione: *Non enim aliud agit participatio corporis & ſanguinis Chriſti, quàm vt in id, quod ſumimus, tranſeamus, & in quo mortui, & ſepulti, & conreſuſcitati ſumus, ipſum per omnia, & ſpiritu, &* CARNE *guſtemus.*

GREGORIVS Magnus homilia 23. in Euangel. *Quid prodeſt corpus & ſanguinem Chriſti* ORE *percipere, & ei perueꝛſis moribus contraire?* Loqui autem Gregorium de ipſo corpore & ſanguine Chriſti vero, quod animo etiam ſuſcipiendum eſt, liquet ex eo, quòd ibi ita dixerat: *Quid ſit ſanguis agni, non iam audiendo, ſed bibendo didiciſtis: Qui ſanguis ſuper vtrumque poſtem ponitur, quando non ſolùm* ORE CORPORIS, *ſed etiam* ORE CORDIS *hauritur.* Atqui ſecundùm Caluiniſtas ore tantùm cordis hauriendus eſt.

Ex his & aliis huius generis veterum teſtimoniis, ſatis conſtare id puto, quod in argumento meo aſſumpſi, nempe repugnare orthodoxorũ Patrum ſententiæ, quod affirmant Caluiniani, non corporis inſtrumento, ſed ſolius animi, percipi Chriſtum in Euchariſtia. Quod cùm ita ſit, Caluiniſticum hoc myſterium minimè eſt orthodoxum, ſed planè paradoxum, & ideo reiiciendum, cùm non ſit à piis maioribus noſtris acceptum, qui, vt antè audiuimus ex Auguſtino, *quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.*

Refutatur III. ſententia Caluiniſtica ex ratione vnionis & communi notione vocabulorum. §. 12.

TERTIO, ex ipſa ratione vnionis ſeu coniunctionis, aduerſus myſterium Caluiniſticum hoc pacto argumentor. Id omne, tanquam vanum & commentitium repudiari debet, quod de myſteriis Chriſtianæ religionis ita aſſeritur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt per nullam communem notionem vocabulorum, aliquo saltem modo mente concipi, & explicari possit. Tale est autem istorum dogma, quo ponunt, corporis & sanguinis Christi substantiam, secundùm se etiam, verè percipiab animo piè communicantis, & verè cum illo vniri, quamuis loco ab eo distet. Igitur istud dogma, tanquam vanum & commentitium repudiari debet.

Maior negari non potest, quin illico infinita licentia concedatur fingendi mysteria in religione. Quid enim non asseri poterit, si sufficiat tantummodò dicere, neque vllam cogaris ostendere notionem vocabulorum, saltem communem, quæ tuis verbis verè subsit? Sunt quidem incomprehensibilia religionis nostræ mysteria, quâ ad ipsorum rationem propriam & specialem. Sed oportet tamen, vt in ea conueniant communes saltem aliquæ notiones vocabulorum, quibus illa enunciamus. Alioqui nulla suberit sententia nostræ fidei, sed verba sine sensu vsurpabimus, & ex illorum erimus numero, quos ait Apostolus, prima ad Timoth. 1. *Non intelligere, nec quæ loquuntur, nec de quibus affirmant.*

Itaque summa etiam nostræ fidei mysteria per notiones communes vocabulorum mente concipere & explicare aliquo modo possumus. Quid sublimius mysterio sanctissimæ Trinitatis? Et tamen de hoc mysterio nouimus, & explicare possumus, quod tres personæ, quarum vna non est alia, sunt vna quædam essentia simplicissima: idque per notionem communem *ternarij* numeri, & *personarum* & *essentiæ*. Vnde Avgvstinvs libro octauo de Trinitate, capite quinto: *Cum credimus*, inquit, *esse Trinitatem, nouimus quid sit Trinitas, quia nouimus quid sint Tria.*

Item de mysterio quoq; Dominicæ incarnationis nouimus & explicare possumus, quòd duæ naturæ, diuina & humana, coniunctæ sunt vnione substantiali in vna & eadem persona: Idque nouimus per communem notionem *vnionis substantialis*, ex qua existat vna substantia, quæ sit *persona*.

Et ne omnia mihi mysteria percurrenda sint, de mysterio, quod Ecclesia Catholica agnoscit in Eucharistia, nouimus & explicare possumus, quòd ita Christi corporis & sanguinis substantia est intimè coniuncta per quandam indistantiam & præsentiam localem accidentibus panis & vini, sicut erat antea panis & vini substantia: quamuis neque illis accidentibus, neque illorum loco substantia Christi informetur, aut circumscribatur: idque nouimus & explicare possumus per communem notionem substantialis *indistantiæ* & præsentiæ *localis*, & *informationis* ac *circumscriptionis*, quam de Christi substantia, vt est in hoc Sacramento, negamus sine vlla repugnantia, vt infrà defendam puncto sequenti. Item nouimus & explicare possumus, eatenus in hoc mysterio fieri conuersionem substantialem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quatenus modo dicto sic se habet substantia corporis & sanguinis Christi erga accidentia panis & vini, per quandam habitudinem sui substantialem, qua illis continetur, vt se prius habebat substantia panis & vini erga eadem. Itaque verissima est nostræ probationis Maior.

Minorem autem, videlicet per nullam communem notionem vocabulorũ, vllo modo concipi & explicari posse, quòd Christi corporis & sanguinis *substantia secundùm se ipsam* vera cõiunctione & *vnione* percipiatur in Sacramẽto, si realiter in Sacramento non sit, hunc in modũ probo. Nam secundùm communissimas vocabulorum notiones, si quæ res non modò secundùm effectum aliquem, sed etiam ipsæ secundùm se coniunguntur & vniũtur, eæ vel coniunguntur vnione *substantiali* ex altera, vel ex vtraq; parte, vel vnione *accidentali* per *informationem*, aut per *præsentiam localem*; neque est aut fingi potest aliqua alia communis ratio, seu notio vnionis seu coniunctionis aliquorum *secundùm se*. At Christus realiter absens à Sacramento, non coniungitur secundùm se cum animo communicantis vnione *substantiali* ex altera parte, vt vnitur substantia cum accidentibus, quibus per sui quandam substantialem habitudinem intimè coniungitur & continetur, vt ab eis informari possit: Neque vnione substantiali ex vtraq; parte; cùm ex Christo & animo communicantis nulla vel essentia substantialis, vel persona existat; neque vnione *accidentali* per *informationem* siue inhæsionem aliquam, vt satis constat: neque vnione accidentali per *continuitatem*, aut *contiguitatem*, aut per indistantiam & præsentiam *localem*, si abest longissimo locorum interuallo ab animo cõmunicantis. Per nullam igitur cõmunem notionem vocabulorum concipi vllo modo aut explicari potest, quòd substantia corporis & sanguinis Christi coniungatur *secundùm se* cum animo communicantis, atq; adeò verè ab ipso percipiatur, si abest realiter à Sacramento. Quare mysterium hoc Caluinisticum prorsus est commentitium.

Dicent primò, esse coniunctionem *supernaturalem* & *arcanam*. At etiam Vbiquistæ dicunt, cõmunicationem illam suam, quam fingunt diuinarum proprietatũ cum humana natura à Verbo diuino assumpta, esse adeò arcanam, vt neq; ab ipsis, neq; ab aliis intelligi possit. Sed, vt nihilominus commentum Vbiquisticum, tanquã cõmentitium meritò repudiamus, qa nequeunt Vbiquistæ per vllam communem notionẽ vocabulorum, illam suam communicationem arcanam salua veritate vtriusq; naturæ explicare, vti suprà demonstrauimus disp. 1. q. 2. p. 3. ita etiam reiici debet Caluinistica inuentio, cùm nihilo magis possint isti per communem aliquam vocabulorum notionem exponere communicationem & coniunctionem Christi secundùm se cum animo communicantis, si realiter Christus abest à Sacramento.

Dicent secundò, coniunctionem *substãtialem*, & coniunctionem *accidentalem* per informationem, aut per indistantiam localem, non opponi contradictoriè; ac proinde non esse necesse, vt coniunctio, quam ipsi astruunt, sit aliqua istarũ; Ita n. Fortunatus philosophus parum philosophicè ratiocinatur, in Vindicatione pag. 113. At qui quædam etiã non contradicentia sunt, quorum aliquod necesse est cõueniat rei, cui tribuimus commune ipsorum vocabulum. Si enim dicas, rem aliquam esse substantiam, necesse est ea sit vel substantia corporea, vel spiritualis. Et tamen corporeum & spirituale non opponuntur contradictoriè, nisi fortè secundùm Logicã Fortunati. Itaque, si quis fingeret esse quandam substantiam arcanam & supernaturalẽ, quæ neque esset corporea, neq; spiritualis, is omnibus videretur non minus insanire, quàm iam mihi Caluinistæ desipere videntur, quòd aliquam cõiunctionem fingant, quæ neq; sit tantùm secundùm habitudinem effectus, aut affectus; (qui etiam effectus quidam est) neque substantialis; neque accidẽtalis per informationem, aut per indistantiam seu præsentiam localem.

Dicent tertiò, nonnullis cõmunibus notionibus, & quidem conuenienter Scripturæ sacræ, se posse coniunctionem illam explicare: nempe quòd sit instar coniunctionis vitis & palmitis, Ioan. 15. stirpis & plantæ, Rom. 6. ædificij & fundamenti, Ephes. 2. membrorum & capitis, 1. Copli, & inhabitatoris, 2. Cor. 6. 1. Tim. 3. &c. Ita enim Sadeel in suo musæo speculatur. Sed parum Theologicè & Scholasticè. Nam in his rebus nõ est talis coniunctio, qualem asserunt Caluinistæ, esse inter Christum *secundùm se* & animum communicantis. Dicunt enim, hanc coniunctionem non esse propriè secũdùm effectum & influxum virtutis, (qualis est inter pleraſq; res cõmemoratas) neque etiam substantialem (qualis est quidem inter membra & caput, vitem & palmitem, stirpem & plantam) neque etiam accidentalem per contiguitatem, & continuitatem, aut per indistantiam, seu præsentiam localem (qualis est inter omnes res illas) sed esse quandam aliam coniunctionem arcanã substantiæ Christi *secundùm se*, & animi communicantis, in quam nulla communis notio coniunctionis conuenit. Quare ex his Scripturę similitudinibus nihil possunt Caluinistæ explicare de illa sua commentitia vnione.

Quinimò nos possumus optima cum ratione ex his ipsis similitudinib. firmum argumentum contra mysterium istud Caluinisticum ducere, & istorum caput intorquere hoc modo. Omnis spiritualis vnio Christi cum animis piorũ, quæ per illas similitudines veræ coniunctionis Christi nobiscum in Scriptura sacra propositas, explicari non potest, repudiari debet tanquã commentitia. Sed talis est illa Caluinistica vnio. Ergo repudiari debet tanquã cõmentitia. Maior probatur, quia vt iam ostẽsum est, in rebus illis, quarum similitudine adumbrat nobis Scriptura vnionem spiritualem nostri cum Christo, non est aliqua coniunctio, quæ sit rerum *secundùm se*, & non solùm secundùm effectum, & tamen neque sit substantialis, neque accidentalis secundùm informationem, aut continuitatem, aut contiguitatem, aut indistantiam seu præsentiam localem.

Dices, quorsum igitur Scriptura his similitudinibus vtitur? Respondeo, vt declaret, non magis posse vitam nostrã spiritualem consistere & perfici, si destituamur Christi gratia, quàm mẽbra, & palmites, & stirpes, si nullum vitalem influxum percipiant à capite, à vite, à radice: item, sic nos à Christo diligi, vt à sponso sponsam charissimam; nec secus illum curam nostri in rebus omnibus gerere, quàm est propria domus curę Patrifamilias, ac vicissim quoque à nobis obsequium & cultum exspectare, tanquã ex templis ipsius honori consecratis. Quæ omnia eò pertinẽt, vt intelligamus, Christum spiritualiter cum animis nostris vniri, tum secundùm effectum & virtutis spiritualis influxũ, instar capitis & mẽbrorum, vitis & palmitis, stirpis & plantę; tum etiam secundùm affectum, vt sponsum sponsæ, & patremfamilias domesticis quos diligit. Secundùm se autem, & quidẽ modo item maximè diuino & spirituali (vtpotè ad spirituale commodùm animorum ordinato) etiam Christus cum animis atque corporibus nostris vnitur per indistantiam & præsentiam localem, quatenus à nobis in Sacramento realiter præsens percipitur, vt suprà demonstrauimus.

Illa verò Caluinistica vnio spiritualis Christi, quæ sit non solùm secundùm Christi effectum, sed etiam Christi secundùm se, & tamen sine indistantia locali, prorsus est ignota Scripturæ. Nã quomodo Christus purè spiritualiter in nobis maneat, D. Ioannes illis verbis explanauit, 1. Ioan. 4. *In hoc cognoscimus, quoniam in Deo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Itẽ: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Vbi Avgvstinvs Tract. 8. in 1. epist. Ioan. *Vicissim*, inquit, *se habitant. Qui continet, & continetur*: puta per gratiam. Item Apostolus ad Ephes. 3. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati, &c.* Et D. Petrus, 1. Pet. 1. *Per quẽ magna & preciosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ cõsortes naturæ, etc.* Ex quib. & aliis consimilibus apparet, Christum Συνάφειαν secundùm dona & effectus spirituales suos esse in animis piorum, non autem secundùm se etiam nisi per indistantiam localem in Sacramento. Neque enim est vlla caussa cur putemus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

in his locis ab effectu tm̃ explicari existentiam Christi in nobis, & non ipsam rationem declarari, qua in nobis manet. Sed de tertio argumento contra mysterium Caluinisticum satis.

Refutatur IV. Sententia Caluinistica ex nexu quem esse oportet inter res eas, quæ verè secundùm se vniuntur. §. 13.

QVARTO sic argumentor: Si Christus non modò secundùm ipsius spirituales effectus, sed etiam secundùm sui corporis & sanguinis *substantiam*, cum animis communicantium verè cõiungitur; necesse est, aliquem alium esse quasi nexum huius coniunctionis, præter effectus spirituales Christi, puta præter fidẽ, charitatem, & alia dona gratiæ, quæ impertit ille animis communicantium. At nullus alius fingi potest talis coniunctionis quasi nexus, si negetur localis indistantia Christi à cõmunicantibus, vt negatur à Caluinistis. Ergo prorsus est commẽtitia Caluinistica hæc vnio, & perceptio corporis & sanguinis Christi secundùm se licet longissimè ab Eucharistia distantis.

Maior propositio patet. Nam si sola gratiæ dona sunt illius vnionis nexus, tunc non aliter Christus cum animis cõmunicantium vnietur, quàm per, & secũdùm suos *effectus*. Vna enim res non vnitur alteri nisi per id, & secundùm id, quo alteri connectitur. At isti volunt, vt suprà vidimus, non solùm secundùm effectus, sed etiam *secundùm se* vniri Christum cum animo communicantis, & ab eo verè percipi.

Quòd si isti, cùm hoc dicunt, abutuntur verbis, & materialiter solùm intelligũt, Christũ secundùm se vniri, quatenus ipse nimirum Christus est is, qui nexu dũtaxat suorum effectuum, atque adeò formaliter solùm per & secundùm suos effectus, cum animo communicantis vnitur: si ita, inquam, hoc intelligunt; nequaquam de re, sed solùm de vocabulis, immò ne de vocabulis quidem, cum illis Sacramentariis contendunt, qui non ipsum per se Christum, sed eius tantùm dona & effectus in Sacramento exhiberi & percipi sentiunt. Nam hi minimè negãt, quin hoc ipso, quòd exhibentur & percipiuntur in Sacramẽto dona Christi, exhibeatur quoque materialiter Christus, secundùm sua nimirum dona & spirituales effectus: Cùm ista duo re sint vnum & idem. Itaque Oecolampadius, qui inter Sacramentarios, multò etiam antequam Caluini & Caluinistarum nomen audiretur, fuit hæreticus non ignobilis, non dubitauit scribere, in lib. de genuina expositione verborum *Hoc est corpus meum*, tantundẽ fuisse dicere: Hoc est corpus meum, atq; dicere: *Ecce corpus quod pro vobis traditur, anima vestræ cibus & panis erit. Sicut autem accipitis et comeditis panem, ita & corpus meum spirituali modo manducate.* Atq; in eandẽ sententiam sæpe locutus est etiam Zuinglius in libro suo de vera & falsa religione.

Aut igitur de vocabulis solùm Caluinistę cum aliis Sacramentariis pueriliter contendunt, & in opinionem à se reiectam, & apertè falsam relabuntur, φ scilicet Christi corpus & sanguis, non quâ ad suã substantiã, sed solùm quâ ad suos effectus, exhibeatur & pcipiatur in Sacramento; aut si verè etiã quâ ad substantiam suam exhiberi & percipi volunt, necesse est, vt præter effectus corporis & sanguinis Christi, sit alius qdam nexus inter Christum & animum cõmunicantis, vt posuimus in argumẽti nostri Maiore. Maximè cum ipsi sæpe affirment, non solùm per fidem & alia eiusmodi dona, sed etiã re ipsa per efficacitatem Spiritus S. vniri Christum, quamuis longissimè disitum, cum animo communicantis.

Ita enim Caluinus scribit lib. 4. Instit. cap. 17. sect. 5. *Sunt qui manducare Christi carnẽ, & sanguinẽ eius bibere, vno verbo definiunt, nihil esse aliud quam in Christum ipsum credere. Sed mihi expressius quiddã ac sublimius videtur voluisse docere Christus in præclara illa concione, vbi carnis suæ manducationem nobis commẽdat: nempe vera sui participatione nos viuificari, etc. Quemadmodũ enim non aspectus, sed esus panis corpori alimentum sufficit: ita verè ac penitus participem Christi animam fieri conuenit, vt ipsius virtute in vitam spiritualem vegetetur.* Et paucis interiectis: *Illis meus ducatio est fides. Mihi ex fide consequi videtur. In verbis quidem paruum, sed in re non mediocre est discrimen.* Et infrà: *Atque idipsum est, quod scribit Chrysostomus, Christum non fide tantùm, sed re ipsa nos suum efficere corpus.* Et propterea etiam sæpè repetit duo nobis offerri, *Christum ipsum, & quæ ex eo nobis proueniunt dona*, vt suprà citauimus. Quod & Beza, & Sadeel, & Fortunatus locis suprà citatis sæpe asserunt.

Quanquam, vt sunt isti ob imperitiam, & ob naturam mendacij, inconstantes, nonnunquam etiam indicare videntur, se non nisi secundùm dona gratiæ hanc Christi coniunctionem cum animo communicantis intelligere. Vt cùm ait Caluinus libro quarto Instituit. capite decimo-septimo, sectione 12. *Si sólem conspicimus radiis in terram emicantem, ad generandos, fouendos & vegetandos eius fœtus, suam quodam modo substantiam ad eam traiicere* (non traiicit autem nisi secundùm effectum) *cur inferior spiritus Christi esset irradiatio ad communionem eius carnis & sanguinis in nos traducendam?* Item cùm ait Sadeel in Tract. de manducat. spiritual. pag. 109. & 110. *Si visus noster temporis momento cum solis corpore coniungitur, cur fides non coniunget nos cum ipso Christo, adeoq; cum humana eius natura in cœlo collocata?* Sed sit ita, vt ex istorum sentẽtia posuimus, nempe Christi corpus & sanguinem, non tantùm quâ ad ipsorũ effectus, sed etiam quâ ad suam substantiã verè percipi in Eucharistia ab animo cõmunicantis, & verè cũ eo vniri: certè aliquem tunc oportet esse nexum huius coniunctionis præter fidem & dona gratiæ, quæ sunt effectus corporis & sanguinis Christi, vt posuimus in Maiore nostri argumenti.

Nunc

Nunc probemus eiusdem argumenti Minorem: Nimirum non posse fingi ab istis vllum alium eiusmodi coniunctionis nexum negata locali Christi indistantia à communicãtibus. Nam quis est, obsecro? Audiamus Caluinum, vbi suprà sect. 12. *Vinculum*, inquit, *istius coniunctionis est, Spiritus Christi cuius nexu copulamur.* Atque idem sentiũt Sadeel & Fortunatus, cùm sæpissimè repetunt, eam coniũctionem fieri efficacitate Spiritus sancti. At ego istos ita redarguo. Non iam inquiro, quæ nam sit causa *efficiens* illam coniũctionem & eius nexum. Quam causam solùm assignant isti, cùm aiunt, eam coniunctionem fieri *efficacitate Spiritus sancti*. Sed, quæro, quid sit illud, quo proximè & formaliter Christus & animus communicantis ita nectuntur, vt *secũdùm se* etiam, & non solùm secundùm Christi ac Spiritus sancti effectum coniuncti dicãtur. Hoc isti minimè expediunt, cùm aiunt, nexum eius coniunctionis esse Spiritum sanctum.

Quod ita demonstro. Vel Spiritus sanctus est nexus huius coniunctionis, solùm quâ est Spiritus sanctus: Vel quâ aliquid in animo communicantis facit, Christo etiam id operante. Non potest dici, Spiritum sanctũ esse huiusmodi nexum, solùm quâ est Spiritus sanctus. Nam cùm Spiritus sanctus perpetuò ipse immutabilis existat; fieret tunc, vt dissoluta etiam illa coniũctione, ob hominis videlicet peccatum mortale, seu infidelitatem, illius tamen nexus duraret, & sic etiam ipsa: quod est ἄτοπον καὶ ἀδύνατον. Si autem Spiritus sanctus est nexus illius coniunctionis, quatenus vnà cum Christo aliquem effectum in animo communicantis operatur, vt puta fidem, aut aliquid eiusmodi: ergo nõ ipse Spiritus sanctus secundùm se est proximus & formalis (vt in scholis loquimur) nexus, sed potius ille ipse effectus Spiritus sancti, & Christi συνδρόπτα. Quod ita est: ergo non nisi secundùm *effectum suum* Christus coniungitur cum animo communicãtis; quando quidem nondum assignant isti aliquem nexum eius coniunctionis, præter Christi & Spiritus sancti effectum. Talem autem nexum dum non assignant, minimè obtinere possunt id quod asserunt, coniungi Christum quâ ad suã etiam substantiam cum animo communicãtis, vt argumento meo concluſi.

Dicẽt, esse arcanũ & inexplicabilem nexum. At ego præcedenti argumento aditum istis firmiter obstruxi ad hanc κατα φυγὴν, nisi velint eo-dem, quo Vbiquistæ, se tegere arcano fictitij myquoque, quãtumuis arcana posse aliquo modo per communes saltẽ vocabulorũ notiones explicari, si verà & non commẽtitia mysteria sunt. Atq; id nos quidem facimus, cùm asseueramus, Christum secundùm se etiam vniri cum corpotibus & animis nostris, quatenus in Sacramenterio realiter præsens percipitur. Nam huius vnionis nexum esse dicimus ipsam rationem indistãtiæ ac præsentiæ localis. Tametsi quo tandẽ modo à nobis in Sacramento non distet localiter, cùm in Sacramento circumscriptus & aspectabilis non sit, non satis in specie comprehendamus. Explicent igitur nobis Caluinistę similiter, quis nam sit nexus, quo Christus & communicantis animus secundùm se etiam, & non solùm secundùm Christi effectum vniantur, coniunctione non subſtantiali, neque accidentali per indistantiam localem, &c. Aut si id explicare nõ possunt, agnoscant, se fictitium mysterium his quos decipiunt, venditare.

Refutatur V. Sententia Caluinistarum, ex ipsorum doctrina. §. 14.

QVINTO hunc in modum argumentor. Eodem genere coniũctionis, ex sententia Caluinistarum, vnitur Christus spiritualiter cum animo communicantis, quo fideles veteris testamenti olim vniti fuerunt cum Christo venturo. Sed minimè fideles olim cum Christo venturo vniti fuerunt, nisi secundùm spiritualem fidei & gratiæ *effectum*, quem meritò passionis Christi futuræ perceperunt. Ergo fictitium & cum ipsa Caluiniana doctrina pugnãs est Caluinisticum mysterium, quo isti iactant, Christum licet à Sacramento absentem, reuera tamen secundùm se etiam, & non tantùm secundùm effectum, vniri cum animo communicantis, & ab eo percipi.

Maiorẽ probo ex his Bezæ verbis in actis Colloquij Mompelgartensis pag. 77. *Patres in veteri testamento non minus participes fuerunt corporis & sanguinis Christi, quàm nos sumus in cœna Dominica.* Et ex his Sadeelis in tract. de manduc. Sacr. pag. 191. *Ita*, inquit, *concludo: Si in vtroq; testamento eadem est gratia: & in nouo testamento Christi gratia illis demum confertur, qui Christum ipsum vera fide recipiunt: Ergo idem de veteri testamento statuendum est.* Dixerat enim antè, pag. 190. *Si infideles Israëlitæ & increduli Christum verè tentarunt; cur non vicissim Israëlitæ fideles Christum verè participarunt?*

Minorem autem probo. Nam vt Fortunatus etiam ex Philosophia nouit, & in Disceptatione sua fol. 22. fassus est, quod actu nõ est, id minimè potest reuera alteri vniri secundùm se: sed tantũ secundùm effectũ, vt caussa moralis (sicut Theologi loquũtur) ob cuius respectum aliquid fiat. Sed Christus vt homo nondum fuit actu temporibus veteris testamenti. Ergo non re ipsa secundùm se cum veteris testamẽti Patribus fuit vnitus, sed solùm secundùm effectum gratiæ, cuius fuit tũc Christus caussa moralis, & quam modò etiam per humanitatẽ suam, tanquã per instrumẽtum diuinitatis efficit in modũ causæ physicæ. Quod aũt Beza dixit in Colloquio Mompel. vbi suprà, Christũ tẽpore Abrahæ fuisse in potẽtia, tametsi nõ fuerit *actu*, nemo nõ videt ineptè dici in ꝓposito. Agimus enim de vnione actuali Christi cũ piorũ animis, nõ de vnione in potentia. Quòd autem nõ actu, sed solùm in potentia est, quomodo potest actu cum alio vniri?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Refutatur VI. ſententia Caluiniſtica ex ratione Sacramentorum.§.15.

SEXTO, ex ipſa Sacramentorum ratione, ſic aduerſus myſterium Caluiniſticum argumẽtor. Si corpus & ſanguis Chriſti ſolis animis percipiendum eſt, & non etiam ore corporis per vſum illum externum Euchariſtiæ; conſequẽs eſt, vt nullum prorſus verum Sacramentum ſit in vſu illo externo Euchariſtiæ. Sed falſum eſt conſequens. Falſum igitur & antecedens.

De minore propoſitione nõ eſt quæſtio. Nam ipſi etiam Caluiniſtæ agnoſcunt Euchariſtiam eſſe Sacramentũ. Maior verò propoſitio ita probatur. In cõfeſſo apud omnes eſt, vt aliqua actio ſeu cæremonia externa ſit Sacramentum, debere illam habere certam promiſſionem diuinam de gratia, quæ in eiuſmodi actione conferatur. Quod adeo fatetur Caluinus lib.4. Inſtitut.cap. 14.ſect.1.3.6.7.&c. & alij ferè omnes Sectarij huius temporis, vt etiã contendant, eiuſmodi promiſſionem diuinam debere eſſe clarè expreſſam in Scriptura noui teſtamenti: quam promiſſionem dicũt per ipſum Sacramentum ſeu ſacrum ſignum tanquam ſigillo quodam obſignari, & eo (vt inquit Caluinus lib.4. Inſtitut.cap.17.ſect. 11.) eſſe quodam modo implicitam. Atqui talem promiſſionem de gratia, quæ conferatur in vſu illo externo Euchariſtiæ, non poſſunt Caluiniſtæ in Scriptura oſtendere, niſi nobiſcum fateãtur, per externum illum vſum Euchariſtiæ percipi re vera Chriſtum *ore corporis*. Igitur neq; defendere poſſunt Euchariſtiam eſſe Sacramentũ.

Id ita demonſtro. Si vnica tantùm eſt via, qua poſsit talis promiſsio in Scriptura oſtendi, & ea via Caluiniſtæ vti non poſſunt: Ergo nequeunt illi prorſus talem promiſsionẽ oſtẽdere in Scriptura. Antecedens verum eſt. Verum igitur & conſequens. Antecedens ita probo. Non poſſumus eam promiſsionem in Scriptura oſtendere, niſi ratiocinemur hoc modo: Quicunque verè & dignè manducauerit Chriſti corpus (de potu ſanguinis eadem eſt ratio) percipit gratiam ex certa Chriſti promiſsione, ita dicentis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Ioan. 6. Et: *Qui manducat me, viuet propter me.* Et: *Qui manducat hũc panem, viuet in æternum*; & cætera quæ Chriſtus apud Ioãnem interpretibus ſanctis Patrib⁹ promiſit iis omnibus, qui verè & dignè perciperẽt Chriſti carnem & ſanguinem in myſterio Euchariſtiæ. Sed quicunque dignè percipit Euchariſtiam, eo ipſo comedit verè & dignè ore etiã corporis modo maximè diuino & mirabili corpus Chriſti, iuxta illud Matth.26. *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, &c.* Ergo quicunque dignè percipit Euchariſtiam, eo ipſo quoque ex certa Chriſti promiſsione percipit in illo vſu Euchariſtiæ externo gratiam. Hæc, inquam, ratiocinatio eſt vnica via, qua eiuſmodi promiſsio poſsit in Scriptura noui teſtamenti monſtrari. Nam ſi excipias ſermonem illum Chriſti à Ioanne ſcriptum in poſteriori parte ſexti capitis, quem interpretibus Patribus habuit Chriſtus de Euchariſtia, nullus omninò locus noui teſtamenti ſupereſt, in quo extet Chriſti promiſsio de conferenda gratia in vſu externo Euchariſtiæ. Nam non continetur talis promiſsio illis verbis: *Hoc eſt corpus meum.*; Hæc enim verba aſſertoria tantùm de præſenti ſunt, non autem promiſſoria de futuro, vt patet. Neque illis: *Quod pro vobis tradetur*; aut illis: *Qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorũ.* Siquidem hæc verba ad oblationem corporis & ſanguinis Chriſti, quæ pro ſalute omnium facta eſt Deo Patri, referuntur, nõ autem ad oblationem qua hæc eadem data ſint Apoſtolis in cœna, & nunc exhibentur fidelibus in Euchariſtia. Item neque continetur eiuſmodi aliqua promiſsio verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Lucæ 22. 1. Cor. 11. His enim Chriſti verbis mandatum quoddam Chriſti, non autem aliqua peculiaris promiſsio continetur. Nec ſunt vlla alia verba in Scriptura noui teſtamenti, quæ talem promiſsionem indicent, præter illa, quæ ex capite ſexto Ioannis commemorauimus.

Porrò vnica illa via & ratione, qua ex illis Chriſti verbis apud Ioannẽ monſtrari poſſe diximus talem promiſsionem gratiæ in vſu externo Euchariſtiæ, nos quidem poſſumus vti, cùm fateamur, per vſum externũ Euchariſtię corpus Chriſti verè manducari, atque adeò in eiuſmodi vſu dari gratiã ex promiſsionibus factis iis, qui verè & dignè manducant corpus Chriſti, & bibunt eius ſanguinem. Caluiniſtæ autem, cùm negent per illum vſum externum Euchariſtiæ, atq; adeò ore corporis, verè manducari Chriſti corpus; & præterea etiam putent, Chriſtũ in illo ſermone apud Ioannem nihil eſſe loquutum de ipſa propriè Euchariſtia, minimè poſſunt ad illum vſum externum propriè referre promiſsiones eas de gratia, quæ in illo Chriſti ſermone, vt dictũ eſt, factæ ſunt verè & dignè manducantibus corpus Chriſti, & bibentibus eius ſanguinem.

Quod cùm ita ſit; non debent ipſi igitur in actione illa externa & cæremonia Euchariſtiæ vllum agnoſcere Sacramentum, cùm deſtituatur ſecũdùm illos ea actio promiſsione diuina, quã ipſi quidem requirunt in Scriptura expreſſam ad Sacramenti rationem, vt ſumus argumentati. Neq; verò eſt, quòd hìc nobis iſti ſua ſomnia rurſus obtrudant, ac dicant, per vſum externum Euchariſtię percipi corpus & ſanguinẽ Domini, quatenus per panem & vinum tãquam per ſigillum obſignatur ſpiritualis exhibitio corporis & ſanguinis Domini, licet nõ in pane & vino contineantur. Hoc enim ſomnium nihil aliud eſſe quàm ſomnium, neque habere vllum fundamentum in verbis & inſtitutione Chriſti, argumento primo abundè demonſtrauimus, §.10.

Refutatur

Refutatur VII. ſententia Caluiniſtarum ex modo quo ſecundùm illos Chriſti corpus & ſanguis per panem & vinum ſignificatur. §.16.

SEPTIMO, ex modo quo Caluiniſtæ arbitrantur corpus & ſanguinẽ Chriſti ſignificari per panem & vinum, ita redarguo myſterium Caluiniſticum: Si corpus Chriſti non accipitur in Euchariſtiæ vſu niſi vt fuit mortuũ & exangue; nec ſanguis Chriſti niſi vt fuit ex Chriſti corpore fuſus & ab eo ſeparatus; conſequẽs eſt, vt iam in vſu Euchariſtiæ minimè accipiantur à ſolis animis corpus & ſanguis Chriſti ſecũdùm ſe, ſed ſolùm ſecundùm ipſorum *effectum* ſpiritualem, puta ſecundùm gratiam. Sed ex ſententia Caluiniſtarũ Corpus Chriſti in Euchariſtiæ vſu non accipitur, niſi vt fuit aliquando mortuum & exangue, neque Chriſti ſanguis, niſi vt fuit à Chriſti corpore fuſus, & ab eo ſeparatus. Ergo corpus & ſanguis Chriſti non accipiuntur ſecũdùm ſeà ſolis animis, ſed ſolùm ſecundùm ſpirituale effectũ, puta ſecundùm gratiam, niſi apertè repugnare velint ſententiæ ſuæ Caluiniſtæ.

Maior propoſitio patet. Nam Chriſti corpus & ſanguis ſecundùm illud eſſe ſuum quod non iam habent, ſed aliquando habuerunt, minimè iam poſſunt accipi *ſecundùm ſe*, quandoquidem nunc ipſa non ita ſecundùm ſe exiſtunt. Verum enim eſt, quod fatetur Fortunatus in diſceptatione ſua pag.22. non poſſe vniri *ſecundùm ſe* illud quod non eſt *actu*. Itaq; reliquum eſt, vt corpus & ſanguis Chriſti ſecundùm ſpiritualem effectũ duntaxat verè vniantur & percipiantur ab animis communicantium, ſi percipiuntur ſecundùm illud ſuum eſſe tantũmodo, quod aliquando habuerunt, & iam actu non habent.

Minor autem propoſitio probatur. Nam ex ſententia Caluiniſtarum corpus & ſanguis Chriſti in vſu Euchariſtiæ non aliter percipiuntur, quàm per panem & vinum ſignificantur, quę idcirco iſti appellant ſigilla corporis & ſanguinis Chriſti. At ex eorundem ſententia corpus Chriſti non niſi vt fuit mortuum & exangue, ſignificatur per panem: Et ſimiliter ſanguis non niſi vt fuit ex corpore Chriſti fuſus & à corpore ſeparatus, ſignificatur per vinũ. Quæ cauſa eſt, cur iſti Catholicorum doctrinam de *concomitantia* Chriſti corporis ſub ſpecie panis & Chriſti ſanguinis ſub ſpecie vini, irrideant. Nempe, quia negant, panis vt viuũ, cum quo ſcilicet realiter ſit conjunctus ſanguis, & ſanguinem item ſignificari vt in corpore.

Huc enim ſpectat, quod concomitantiam illam imperitè & petulanter exagitans Caluinus ita ſcribit libro quarto Inſtitut. capite decimo ſeptimo, ſect.47. *Si corpus eſt*, inquiunt, *totus Chriſtus eſt, qui à ſuo corpore iam diuelli non poteſt. Ergo & corpus ſanguinẽ per concomitantiam complectitur. Dominus panem oſtendens corpus ſuum eſſe dicit: calicem cùm oſtendit ſanguinem vocat. Humanæ rationis audacia contrà reclamat panem eſſe ſanguinem, vinum eſſe corpus. Ac ſi Dominus nulla cauſa corpus ſuum à ſanguine & verbis & ſignis diſtinxiſſet; & vnquam fando auditũ eſſet, corpus Chriſti aut ſanguinem Deum & hominem appellari. Sanè ſi deſignare ſe totum voluiſſet, dicere poterat, Ego ſum: qualiter loqui in Scripturis conſueuit: non autem, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.*

Item huc pertinet quod ita ſcribit Sadeel in tractatu de manduc. Sacramẽt. pag.44. *Quia præciſè verba Chriſti vrges, ego quoque verba Chriſti præciſè vrgeo ad hunc modum: Hoc eſt ſanguis meus, qui pro multis funditur, inquit Chriſtus. Ergo loquitur de ſanguine quatenus funditur: non quatenus eſt in corpore. Quorſum igitur illa tua concomitantia, qua vis ſanguinẽ eſſe in Euchariſtia vi conuerſionis, & eſſe in Chriſti corpore vi concomitantiæ. At ſi ſanguis funditur: non eſt igitur in corpore. Hæc enim dicuntur ἀνηφαπκῶς, ſanguinem fundi, & ſanguinem eſſe in corpore.*

Itẽ huc pertinet quod ſcribit his verbis Fortunatus in Vindicatione, pag. 194. *Sacramentum hoc, Sacramentum paſſionis eſt, & mortui Chriſti, in quo mortuum & exangue Chriſti corpus, & perennis illa victima nobis cum repræſentatur tũ offertur. Quid autem illud quod ſeorſum panem Dominus porrexit, ſeorſum vinum? quod panem non integrum, ſed fractum, vinum non abſolutè, ſed fuſum, & quidem in mortem iam iam iturus porrexit? nónne ſeorſum carnem ſuam ſeorſum ſanguinem, carnem fractam & mactatam, ſanguinem effuſum, & quaſi de latere profluentem; eum, inquam ſanguinem, qui ſub cruce diſſipatus eſt, bibi voluit & manducari?* Et in diſceptatione, fol. 27. *Corpus*, inquit, *Chriſti in cœna* NON VIVVM, *ſed mortuum, & quaſi in cruce appenſum editur, & ſanguis quaſi de latere fluens bibitur.*

Concludo igitur hoc modo: Corpus Chriſti ex Caluiniſtarum ſententia non viuũ, quale nũc eſt, ſed mortuum, quale fuit olim, ſignificatur & offertur, atque adeò percipitur in Euchariſtia. Ergo non ipſum *ſecundùm ſe* in Euchariſtia nunc percipitur, ſed duntaxat ſecundùm *ſpirituale ipſius effectum*, puta gratiam, quam Chriſtus nobis ſua morte promeruit. Atque eadem ſanguinis ratio eſt, ſi, vt iſti aiunt, non exiſtens in Chriſti corpore, ſed tantummodo vt fuſus & ſeparatus à corpore in Euchariſtia ſignificatur & exhibetur.

Porrò, quod iſti aſſerunt, Chriſti corpus & ſanguinem non niſi vt ſeparata fuerunt ſignificari, adeò in Chriſti verbis fundamentum non habet, vt illis etiam ſit vehementer contrarium. Nam, *Hoc*, inquit, *eſt corpus* MEVM. *Hic eſt ſanguis* MEVS. An non viuebat, & cum ſanguine coniũctum erat corpus illud, quod tunc erat Chriſti? Non etiam ille Chriſti ſanguis cum corpore cõiunctus fuit? Et nònne eſt iam quoque cum illo

Universidad de Deusto
Biblioteca

corpore coniunctus ille sanguis,& cum illo sanguine illud corpus? Cur nō igitur & tūc à Christo in cœna, & nunc à nobis similiter corpus & sanguis Christi coniuncta significentur? Enimuerò Christus nō dixit, *Hoc est corpus meum, quatenus pro vobis erit mortuum & cruci affixum*, sed: *Quod pro vobis datur*. Nec: *Hic est sanguis meus, quatenus fundetur*; sed: *Qui funditur*. Quæ Christi sententiæ verisimæ sunt hoc ipso quod illudmet corpus & sanguis Christi, quæ in cruce separanda fuerunt, in Eucharistia significantur *secūdùm se*, licet non ea solùm ratione, qua fuerūt in cruce separanda. Sed bene habet, quod etiam doctrina Caluinistarum, quantumuis falsa, nobis arma suppeditat, quibus expugnare possimus Caluinisticum mysterium.

Refutatur VIII. sententia Caluinistica ex ratione veræ præsentia. §.17.

OCTAVO, præstigiosum istorum mysterium qui asserunt, Christum licet toto cœlo distantem à pane & vino, tamen in pane & vino verè percipi solis animis: ex ratione veræ præsentiæ ita redarguo. Quod nullo modo in pane & vino verè præsens est; minimè in pane & vino percipitur. Sed Christus nullo modo in pane & vino Caluinistico verè præsens est, si ibi non cōtinetur realiter, vt isti aiunt. Ergo Christus minimè in pane & vino Caluinistico verè percipitur.

Maior ex ipsa notione vocabulorum lucet. Nam, vt esset apertum mēdacium dicere, in pane verè percipi id aurum, quod in pane nullo modo verè præsens est; ita etiam dicere, corpus Christi percipi verè in eo pane, in quo nullo modo verè præsens est. Ac propterea Fortunatus in inscriptione suæ Vindicationis profitetur se veram Christi præsentiam in Eucharistia propugnare, quia scilicet animaduertit, non posse *verè* Christum percipi in Eucharistia (quod isti ad errorem suum palliandum sæpe inculcant) nisi verè sit præsens in Eucharistia. Item ob eandē causam Sadeel de illis queritur, qui istis *obiectant*, (vt inquit in tract. de manduc. spiritual. pag. 3.) *quòd præsentiam Christi è sacra cœna tollant, nudis signis cōtenti.*

Minor autem probatur. Nam neque *corporali* aliquo nexu Christus est coniunctus cum illis signis, ex sententia Caluinistarum; neque etiam tali aliquo nexu *spirituali*, quali cū animo communicantis coniungi dicunt, sed solo *respectu* quodam & habitudine, sicut res signata cum signo, & vicissim signum cum re signata. Ita enim Beza in Colloquio Mompelgardensi explicauit sententiam Caluinistarum, de hac mutua coniunctione corporis & sanguinis Christi cum signis illis Sacramentalibus, in summa doctrinæ suæ & suorum Symmystarum de cœna Domini sectione III. *Sacramentalem*, inquit, *coniunctionem ponimus in mutua signorum & rerum significatarum* RELATIONE *& habitudine*. Itaque coniunctionem solùm *relatiuam* & σχετικὴν appellat.

At nexus huius relationis & habitudinis minimè sufficit, vt corpus & sanguis Christi sint ac dici debeant *verè* præsentia in illo pane & vino. Quis enim, obsecro, ferret eum, qui diceret, eam summam pecuniæ, cuius promissio literis sigillo obsignatis confirmata est, *verè* præsentem esse in literis & sigillo? aut Cæsarem *verè* præsentem esse in sua imagine à qua longissimè abest? Vel ne longè ab hac ipsa quæstione recedā, quis ferret eum, qui diceret, fuisse olim Christum vt hominem verè præsentem in sacrificiis veteris legis, quæ illius typi atque signa erant? Certè Apostolus, ad Colosſ. 2. & ad Hebr. 10. signa & typos rerum, quasi *vmbras* rerum esse dicit, nō autem esse res ipsas. Quo fit, vt minimè res adsint *verè* in suis signis. Itaque rectissimè Guitmundus libro tertio de Sacr. *Nulla*, inquit, *necessitas est, nulla consequentia, vt vbi est alicuius rei figura, ibi consequenter eiusdem rei substantia. Si enim diceremus licui: In hoc pariete est substantia tua, quia ibi est imago tua, nónne me diceret insanire?*

Sed excogitauit Sadeel pulchram metaphysicam, ex qua posit intelligi, illā etiam esse præsentiā, quæ præsentia nō est; in tract. de manduc. spiritual. pag. 108. (vide etiā pag. 110.) *Rectè*, inquit, *tradunt Philosophi, Ens & verū inter se conuerti.* Ex quo colligit, spiritualē illam suā præsentiam, qua Christus adsit solis animis communicantiū, esse *veram* præsentiam, quia est aliqualis præsentia, nempe *spiritualis*, & *Ens* & *Verum* conuertuntur. Ac similiter inde colligeret, præsentiam σχετικὴν Christi in pane & vino secūdùm relationem & habitudinem signi & rei significatæ, esse quoque veram præsentiam, cùm sit in illa quædam ratio Entis. Equidem censeo nullo fundamento magis quàm isto opus habere Caluinistas. Nam si reciprocatio illa Entis & veri huic negotio inseruit, facilè iam poterūt isti nobis persuadere, omnia quoque mendacia esse vera, atque adeo etiam totam Caluinisticam doctrinam. Quid enim prohibet, quo minus ita concludant. Omne mendacium est aliquod Ens: cùm sit quidmne mendacium est aliquod Ens: cùm sit quiddam menti contrarium. Omne autem Ens est Verum, cum Ens & Verum conuertantur. Ergo omne mendacium est Verum, & per consequēs vera est etiam doctrina Caluinistica.

Sed scire isti debent, cùm quæstio est, num aliqua res sit hoc aut illud *verè*, minimè vocabulum, *Verè*, accipi latissimè, prout significat communissimam illam & transcendentem veritatē, quæ conuertitur cum ente (nam sic mendacium etiam esset verum, vt dixi, & figura rei esset verè ipsa res, cùm sit quodammodo illa secūdùm habitudinem similitudinis, &c.) sed accipitur tunc vocabulum, *Verè*, angustius, prout scilicet significat determinatum modum veritatis eius rei, quæ num verè alteri conueniat, quæritur. Hoc pacto neque mendacium est verum pronunciatum, neque figura rei est ipsa rei veritas (vt Hieronymus quoque indicauit, in caput primum ad Titum) neque etiam coniunctio illa relatiua & σχετικὴ, de qua disputamus, est vera præsentia Christi in ipsius signis. Vera enim ratio *præsentiæ*, qualem omnes intelligere consueuerūt per præsentiæ vocabulum, minimè intercedit Christo cum illis signis per solam habitudinem relationis signi & rei significatæ, sine locali indistantia. Atque idem dico de illa coniunctione, qua isti fingunt, *verè* vniri Christum secundùm se cum solis animis communicantium. Neq; enim hæc coniūctio est vera præsentia, cùm ne sit ens quidem, sed merum somnium Caluinisticum, vt satis argumento tertio demonstraui.

Sed ait rursus Sadeel, in tract. de māduc. Sacr. pag. 263. *In pane dari & accipi Christi corpus, quatenus pane quasi sigillo obsignatur, licet non sit realiter in illo.* Quemadmodum etiam dicitur dari & accipi remissio peccatorum in aqua baptismi siue in baptismo, licet non sit realiter in aqua baptismi.

At ego quod isti dicunt de obsignatione illa per nudum signum; quod nō contineat corpus Christi, iam suprà §. 10. ostēdi esse cogitationem tantùm cordis Caluinistici, non sententiā Christi. Deinde, vt maximè impropriè dici possit, remissionem peccatorum dari & accipi in aqua baptismi, quia datur per ablutionem aquæ, tanquam per instrumentum; tamen nec verè nec rectè quis diceret, accipi Christum ipsum verè in aqua baptismi, seu sub specie aquæ baptismi: quo pacto Patres docent accipi corpus Christi in vel sub specie panis. Et ideo illum *situm esse in sacra mensa*, vbi est panis, affirmarūt Patres Concilij Nicæni primi, in actis illius Cōcilij quæ extant in bibliotheca Vaticana (ex quibus actis quædam etiam verba istis proxima citat Caluinus libro quarto Institut. capite decimo septimo, sect. 36.) & Chrysostomus in orat. de S. Philogonio. Et *coli super altari*, vt ait Gregorius Nazianzenus in oratione de Gorgonia sorore. Et *in altari portari Christi membra, & altare esse sedem Christi*, vt ait Optatus libro sexto contra Parmen. Et *altare esse locum sanctum*, quia ibi sanctus sanctorum requiescit, vt ait Isichius libro secundo in Leuit. capite octauo.

Itaque illa sola obsignatio corporis Christi per panem, & relatio panis ad corpus Christi, minimè sufficiunt, vt verum sit, quod aiūt Caluinistæ, verè corpus Christi esse præsens in pane, siue in Caluinistica cœna.

Quod si verè Christus in pane & vino Caluinistico non adest, verissimè igitur dant & accipiunt in sua cœna Caluinistæ nudum panem & vinum: & consequēter meræ sunt præstigiæ Caluinisticæ, quòd nihilominus aiunt, Christum se accipere & dare: qui tamen eis attestātibus tantum ab ipsorum cœna abest, quantum cœlum à terra, seu potius ab inferno.

Refutatur IX. sententia Caluinistica ex vera ratione huius mysterij. §.18.

POSTREMO, ex magnitudine veri mysterij Eucharistię contra fictitium mysterium Caluinisticum, firmissimum quoddam argumentum peti potest, quod aliās à me propositum, isti hactenus non potuerunt, neque vnquam poterunt refutare. Placet autem iam illud hac forma construere. Si Christus in vsu Eucharistiæ à solis animis percipitur, non autem ore etiam corporis, tanquam realiter contentus in Eucharistia; consequens est vt nullum agnoscere debeamus in Eucharistiæ vsu mysterium, quod sit quidem & *proprium* Eucharistiæ, & *maxima admiratione* dignum vt proprium Eucharistiæ. Falsissimū consequens. Falsissimum igitur & antecedens.

De Minore propositione non est controuersia. Nam minimè nobis audent negare Caluinistæ, quin sit aliquod mysterium Eucharistiæ maximè admirabile secundùm *propriam rationem* suam, qua differt à mysteriis cæteris. Verissimè enim diuus CHRYSOSTOMVS de hoc mysterio verba faciens homilia sexagesima prima ad populum Antiochenum: *Necessarium*, inquit, *est, dilectissimi, mysteriorum discere* MIRACVLVM, *quod tandem sit, & quare sit datum, & quæ rei vtilitas.* Et libro tertio de Sacerd. *O miraculum! ô Dei benignitatem, &c.*

Itaque Caluinus etiam de hoc ipso mysterio loquens lib. 4. Instit. cap. 17. sect. 7. *Nihil restat*, inquit, *nisi vt in eius mysterij admiratione prorumpam, cui nec mens planè cogitando, nec lingua explicando par esse potest.* Et Sadeel in tract. de manduc. spirit. pag. 14. *Veritatem*, inquit, *huius mysterij credo & adoro: Et quid sit arcana illa piorum cum Christo coniunctio, nec mente satis assequi, nec satis possum oratione exprimere.* Quanquam postea ineptè contendit in tract. de manduc. Sacr. pag. 80. & 81. non esse hic miraculum aliquod, quatenus miraculum dicitur, quod fit non ordinariè, sed extraordinariè. Nō enim sic iam appellamus miraculum, sed vt est aliquod *supernaturale*, excedens nostrū captum, atque adeò admiratione dignum. Quo pacto negari non potest esse aliquod peculiare & magnum mysterium in Eucharistia, atq; adeò miraculum, vt loquitur Chrysostomus. Deniq; hoc ipsum nobis sæpe concedit Fortunatus in Disceptatione pag. 19. & in Vindicatione pag. 123. & seq.

Maior autē nostri argumenti propositio probatur. Nam quidquid ostenderint nobis Caluinistæ in tali vsu Eucharistiæ, quo à solis animis Christus in cœlo absens percipiatur, id erit eiusmodi, vt vel mysterium non sit *admiratione* dignum, & per se difficile ad credēdum; vel si mysterium sit, minimè sit *proprium* Eucharistiæ, vt ea differt ab aliis mysteriis & articulis nostræ fidei.

Hæc enim mysteria possunt isti in ea re nobis ostēdere, quæ etiam collegit Fortunatus in Vin-

dicatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicatione.pag.124. PRIMO, simul Christum esse A
sursum in cœlo, & hic in terra, licet alio modo
quàm in cœlo: puta non secundùm se, sed secun-
dùm sui signum. At hoc non est aliquod mys-
terium, quod superet nostrum captum. Nam ego
vidi imaginem Caluini eo tempore in terra, quo
simul credidi & facilè intellexi fuisse ipsum Cal-
uinum in inferno.

SECVNDO, *Panem verum esse cibum cœlestem, quatenus est signum corporis Christi, quod tunc percipitur.* At neque istud superat nostrum captum,
quòd scilicet panis dicatur corpus Christi, atq;
adeo cibus cœlestis significatiuè.

TERTIO, *communem panem & commune vinum corporibus fidelium antidoton fieri contra venenum,* id
est contra mortalitatem, *quatenus signa sunt atque* B
sigilla corporis & sanguinis Christi, & eatenus sacramentalem relationem habent ad corpus & sanguinem Christi, quæ ἀλεξίφαρμακον sunt, quo mortifera veneni vis extinguitur. At neq; hoc superat nostrum captũ,
quòd scilicet panis & vinum significent & obsig-
nent nobis corpus & sanguinem Christi, quæ
antidoton sint corporibus.

QVARTO, *repræsentari hoc vsu panis & vini mortem Christi, atq; adeo in ea cæremonia perennem illam victimam in memoria viuere, & denuò quasi occidi & cruci affigi,* nèpe significatione. At in hac repræ-
sentatione & significatione quid, obsecro, mi-
raculi est, quod superet nostrum captum?

QVINTO, vnionem ibi fieri *spiritualem sanctorum omnium cum Christo capite & inter se.* At istud C
quidem magnum mysterium est: Sed primùm,
minimè vnionem illam spiritualem fieri in vsu
panis & vini, quæ Christum realiter non conti-
neãt, suprà argumento primo & tertio demon-
strauimus. Deinde quamuis daremus, talem v-
nionem in vsu Caluinistici panis & vini fieri, ta-
men hoc nõ est aliquod mysterium *proprium* Eu-
charistiæ. Nã etiã extra vsum Eucharistiæ, quo-
tiescunque aliquis iustificatur, ea vnio spiritua-
lis fit cum Christo capite, & cum eius membris,
vt ex instituto etiam Sadeel probare studet in
tract. de manduc. spirit. Quod autem id ipsum
per vsum Eucharistiæ, & per certa illa symbola
significetur, est quidẽ proprium Eucharistiæ, sed D
non est aliquid arcanum & mirabile, vt iam antè
diximus.

SEXTO, fieri vnionem eam spiritualem non
modò cũ Christi humanitate, sed etiam cũ eius
Deitate, & consequenter *cum Patre quoque & Spiritu sancto*, atque adeo cum tota Trinitate, D. Hi-
lario teste, lib. 8. de Trinitate. At hoc quidem ar-
canum aliquid & mirabile est, sed non est *propriũ*
Eucharistiæ. Nam quotiescunque aliquis iustifica-
tur, vnitur spiritualiter cum Christi humanita-
te, atque adeo cum eius Deitate, & consequẽ-
ter cum Patre & Spiritu sancto, & tota Trinitate,
idque non minus quàm cùm percipit Eucha-
ristiam, vt isti fatentur.

Nihil igitur isti in Eucharistia sua Caluinisti-
ca nobis ostendere possunt, quod & per se sit *mi-*
rabile, & sit *proprium* Eucharistiæ; ac proinde non
vsurpant veram Eucharistiam, quæ & peculiare
quoddã & maximè admirabile mysterium est,
vt argumento nostro conclusimus.

Porrò Catholici verissimè in Eucharistia *pe-*
culiare aliquod & *ingens mysterium* agnoscunt &
venerantur. Nam quid admirabilius, quã Chri-
stum qui ad dexteram Patris in cœlo sedet, præ-
sentem quoque realiter & substantialiter conti-
neri in sacris illis symbolis, quæ sunt in terra, ac
in eis verè percipi? Aut quid minus, quàm hoc,
aliis omnibus nostrę fidei mysteriis est commu-
ne? *O miraculum?* inquit Chrysostomus lib. 3. de
Sacerdotio. Qualenám verò miraculum? *Qui*
cum Patre, inquit, *sursum sedet, eodem temporis arti-*
culo omnium MANIBVS *pertractatur.* Quis non vi-
det, aliud esse hoc miraculum, quàm illud Cal-
uinisticum, nempe vt eodem tempore sit Chri-
stus in cœlo, & signum seu sigillum eius in terra?

At, inquiũt isti, magnum est mysterium quòd
in Eucharistia cum Christo tanquam cum capi-
te vniamur, vt simus *caro de carne eius, & ossa de os-*
sibus eius. At hoc etiam extra Eucharistiam fit, vt
sæpe iam diximus. Vniri aũt nos illi in Eucha-
ristia *proprio* alio quodam & arctiori modo, vtpote
qui cum ipso ibi vnimur reuera præsente & exi-
stente in ipsa Eucharistia, & in hoc propriè con-
sistere magnũ hoc Eucharistiæ mysteriũ, Chry-
sostomus ex orthodoxa sententia luculenter de-
clarat his verbis Homil. 61. ad populũ Antioch.
Necessarium, inquit, *est, charissimi mysteriorum di-*
scere miraculum: Quòd tandem sit, & quare sit datum, & quæ rei vtilitas. Vnum corpus sumus, & membra ex
carne eius, & ex ossibus eius. Sequamur autem initiati
quæ dicuntur: Vt itaque non TANTVM PER CHA-
RITATEM *hoc fiamus* (sicut fit quoque nimirum
extra Eucharistiam) *verùm* ET IPSA RE *in illam*
MISCEAMVR CARNEM, *hoc per* ESCAM *efficia-*
tur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderii
quam erga nos habet. Propterea SEMETIPSVM (non
tantùm sui signum) *nobis* IMMISCVIT, *& corpus*
suum IN NOS CONTEMPERAVIT, *vt vnum quid*
efficiamur, tanquam corpus capiti cooptatum; ardenter
amantium hoc est. Et infrà: *Volui frãter esse ve-*
nim amantium hoc est. Et infrà: *Volui frãter esse ve-*
ster, carnem propter vos & sanguinem assumpsi, vobis
ster, carnem propter vos & sanguinem assumpsi, vobis-
cum IPSAM *carnem & sanguinem, per quæ cognatus*
tus vester factus sum, trado. Certè non est cognatus
noster factus per *signum* suum tantùm.

Itaque lucet ex his clarissimè orthodoxa sen-
tentia à D. Chrysostomo explicata: Nempe pro-
prium mysterium, ac peculiare miraculum Eu-
charistiæ consistere in hoc, quòd cùm aliàs per
gratiam & charitatem Christo vt membra capi-
ti vniamur, arctiori multo coniunctione cum il-
lo eodem tãquam cum capite vnimur per vsum
Eucharistiæ, vt puta *reipsa* quoque coniuncti, &
quasi *commisti & contemperati* cum ipso realiter in

Eucharistia

Eucharistia præsenti per indistantiam localem, A
vt solent coniungi ardenter se amantes.

Concludamus igitur ex his omnibus argu-
mẽtis aduersus somnium Caluinisticum hacte-
nus adductis, hoc pacto: Quandoquidem extra
controuersiam est inter nos & Caluinistas, Chri-
stum *ipsum* in Eucharistia verè debere percipi:
Et hoc fieri non potest, nisi etiam *ore corporis* ad
animorum salutem spiritualem, non autem so-
lis animis, percipiatur; vt hactenus multis mo-
dis demonstrauimus: fateamur omnes necesse
est, nisi clarissimæ veritati velimus repugnare,
Christum realiter & substantialiter in Eucha-
stia contineri, vt *ore etiam corporis* ad animorum
salutem in Eucharistia verè sumi possit.

Atque ita redit nobis Catholica de hoc my- B
sterio ꝯtentia, quam initio proposuimus, &
mult aeribus argumẽtorum hactenus con-
firmau nus: Nempe in sanctissimo Eucharistiæ
Sacramento post panis & vini consecrationem,
Dominum nostrũ Iesum Christum, verum Deũ
atque hominem, verè realiter, corporaliter, at-
que substantialiter sub specie illarum rerũ sen-
sibiliũ contineri, substantia panis & vini in sub-
stantiam corporis & sanguinis Christi conuer-
sa (vt p. seq. copiosè demonstrabimus) ac pro-
inde tum sacramentali tum spirituali manduca-
tione Christum in Sacramento percipi longè a-
liter quàm Caluinistæ sentiunt. Nam *sacramenta-*
liter manducatur, non solùm quia signum ipsius
in cœlo existentis ore corporis manducatur, sed C
quia ipse quoque substantialiter præsens in Sa-
cramento, tametsi modo inuisibili & admirabi-
li, verè percipitur ore corporis, non quidem ad
naturale nutrimentum corporis, sed ad spiritu-
ale alimẽtum animarum; sicut Baptismus etiam
corpore suscipitur, tametsi non ad naturalem
corporis generationem, sed ad animarum rege-
nerationem spiritualem. Manducatione autem
spirituali sumitur idem Christus τὰνθρωπω in Sa-
cramento, quatenus ab eodem etiam, non ab-
sente sed substantialiter præsente, gratiam & a-
limentum spirituale percipit animus eius, qui
conscientia pura, & fide non ficta, dignè ipsum
in Sacramento manducauit.

Respondetur ad obiectiones ex Scriptura petitas. §. 19.

SVPEREST modò, vt Sacramentariorum ob- D
iectiones refellamus. Quod minimè erit dif-
ficile. Etsi enim argumenta, quæ hactenus pro
assertione Catholica adduxi, maxima & poten-
tissima sunt: tamen nescio an non illud videri
possit maius, quòd ad oppugnandam rem tan-
tam, tamq; in Ecclesia Catholica confirmatam,
non nisi leuissima hactenus argumenta inueni-
re Sacramentarij hæretici potuerũt. His autem,
ne quid desit, breuiter nunc respondebimus. Et
PRIMO loco obiiciunt quædam ex Scriptura:
quale est, quod Christus de ipso pane & vino di-
xit, Matth. 26. *Hoc est corpus meum.* Et: *Hic est san-*
guis meus. Ergo figurata est locutio. Nam panis &
Christi corpus res *disparatæ* sunt, & similiter vi-
num & sanguis. Vnum autem *disparatorum* non
potest de altero propriè affirmari, sed tantùm
figuratè: vt scilicet in proposito sit sensus, panẽ
esse signum corporis.

RESPONDEMVS, Christum de eo quidem
quod in manus suas accepit, dixisse: *Hoc est cor-*
pus meum, &, *Hic est sanguis meus*, non tamen de
eo secundùm rationem illam propriam & pe-
culiarem, qua id erat *panis & vinum*, sed secundũ
rationem substantiæ tum communẽ, tum etiam
indiuiduam vagam, vt id scilicet continebatur
illis sensibilibus accidentibus panis & vini. Hac
autem ratione consideratum illud, quod Chri-
stus in manus accepit, non fuit aliquid disparа-
tum respectu corporis & sanguinis, sed quiddã
potius quod diuerso tempore indifferenter esse
potuit verè ac propriè tum panis & vinum, tum
corpus Christi & sanguis: Et in initio quidem il-
lius enunciationis Christi (*Hoc est, &c.*) verè pa-
nis & vinum fuit: in fine autem (id quod satis est
ad veritatem enunciationis) verè ac propriè fuit
Christi corpus & sanguis per admirabilem pa-
nis & vini conuersionem in corpus & sanguinẽ
Christi iisdem Christi verbis factam. Ita non fi-
gurata, sed propria fuit illa Christi enunciatio.
Sic respondet, quod ad rem ipsam attinet, ex or-
thodoxa doctrina, & quidem irrefragabiliter
D. Thomas 3. p. quæst. 78. artic. 5. in fine corporis
& ad 2. Quam responsionem infrà magis dilata-
bimus, quæst. 6. cum disseremus de veritate For-
mæ huius Sacramenti.

Obiiciunt SECVNDO, quod in institutione
calicis Christus est vsus figurata locutione apud
Lucam, cap. 22. *Hic calix*, inquit, *nouum Testamen-*
tum est in meo sanguine. Vbi & calix figuratè acci-
pitur pro re in ipso contenta; & etiam ei rei non
nisi impropriè tribuitur, quòd sit nouum Testa-
mentum, quia scilicet Christi testamentũ & pro-
missionem de gratia, tãquam symbolum quod-
dam seu signum externum obsignat. Ergo sine
incommodo possent quoque figuratè intelligi
illa alia verba: *Hoc est corpus meum, &c.*

Sed ad hanc obiectionẽ rectè RESPONDERI
solet, valdè magnum esse discrimẽ. Primò. Quo-
niam habemus in Marco & Matthæo expressam
declarationem illius figuratæ locutionis, quod
attinet ad illa verba circa calicem. Nam eandem
sententiam Matthæus & Marcus expresserũt cla-
ris illis verbis: *Hic est sanguis meus noui Testamenti.*
Matth. 26. Marci 14. Vt autem hęc eadem senten-
tia (sicut necesse est) subiecta sit illis aliis verbis:
Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine: o-
portet prorsus calicem ibi accipi pro re conten-
ta, quæ est Christi sanguis; & consequẽter de hoc
sanguine testamentum seu promissionem non
nisi figuratè prædicari, quatenus promissionem
videlicet & testamentum confirmat, vt explicat

ille dicendi modus Matthæi & Marci in casu nominis obliquo; sanguis *noui Testamenti*.

Secundò. Quoniam monet per se ipsa ratio illius figuræ in locutione apud Lucam (cùm sit vsitatissima) vt non nisi figuratè id intelligere debeamus. Quemadmodum si dicas, Bibi cyathum vini; nemo dubitare potest, quin cyathus accipiatur metonymicè pro re contenta: idque propter genus ipsum vsitatissimæ locutionis.

Accedit tertiò, quòd aliud est, figuram admittere in minus principali parte orationis, sicut ibi est verbum *calix*. Si autem verbum *sanguis* aut *corpus* acciperetur figuratè pro *signo* corporis aut sanguinis: aut verbum *est*, pro *significat*: ad figuratam locutionem referremus orationis partes principales, quod minus licet: & tũ quidem id licet minimè, cùm nullum suppetit firmum indicium & argumentum figurati sermonis. Non suppetit autem in proposito, quod attinet ad illa verba: *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*; licet suppetat quidem, quod attinet ad illa, Hic calix, &c. sicut est declaratum.

Est etiam quartò hîc notandum, quòd diuus Lucas, atque etiam Apostolus, qui verbis illis circa calicem eodem modo sunt vsi, non tam ipsa Christi verba, quàm sensum voluerunt referre. Nam cùm verba Christi circa calicem alio modo Matthæus & Marcus, quàm Lucas & Paulus commemorauerint; neq; putandum sit, narrationem Lucæ & Pauli esse certiorem narratione Matthæi & Marci, aut è contrario; omnino credi debet, ab istis omnibus *sententiam* tantùm, non *verba* ipsa Christi, quod ad Calicem attinet, fuisse commemorata: & illis verbis Christum vsum fuisse, quæ ex perpetua traditione Ecclesia in consecratione calicis vsurpat: *Hic est calix sanguinis mei, &c.* Ita fit, vt illa locutio, quam diximus esse figuratam, quod attinet ad calicem, nõ fuerit locutio ipsius Christi, sed tantùm Lucæ Euangelistæ & Apostoli. Atque ita minus adhuc illa hæreticorum obiectio valet.

TERTIO obiiciunt, alias esse similes locutiones Scripturę, quæ tamen non propriæ, sed figuratæ sunt. Ex quo genere commemorat illa Caluinus libro quarto Institut. capite decimo septimo, sect. 22. *Hoc erit vobis fœdus mecum*. Genes. 17. *Agnus hic erit vobis phase*. Exod. 12. *Petra autem erat Christus*. 1. Corinth. 10.

RESPONDEO. Malè citat in duobus prioribus locis Scripturam Caluinus. Non enim legimus nisi ita: *Eritq; pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*. Et: *Hæc est religio* siue (vt est in Hebraico) *statutum phase*, id est transitus. Non igitur dicitur ibi, circumcisionem ipsam esse pactum seu fœdus, sed pactum de circumcisione facienda futurum fuisse in fœdus. Circumcisio autem ipsa solùm dicitur ibi fuisse futura in signum eius fœderis & pacti, vt patet ex illis verbis: *Hoc est pactum meum quod obseruabitis: circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, vt* SIT IN SIGNVM *fœderis inter me & vos*. Exod. 12.

Sic etiam neque in illo alio loco affirmatur de ipso agno (vt Caluinus falsariè citauit) quod sit phase, id est, transitus, sed de cæremonia ipsa esus agni affirmatur, quòd sit religio transitus, id est, qua celebrabatur transitus. Illius autem loci: *Petra autẽ erat Christus*, dispar ratio est. Nam cùm Christus nondum esset tunc secundùm humanitatem; necessariò debet intelligi figuratè, quod tunc ipse esset illa Petra, quatenus illa petra eum significauit.

QVARTO obiiciunt, quod Apostolus dicit quoque panem esse participationem corporis Christi, 1. Corinth. 10. quod tamen figuratè accipiendum est: Aliud enim (inquit Caluinus, libro quarto Instit. capite decimo septimo, sect. 22.) est participatio, quàm corpus.

RESPONDEO, Apostolum ibidem satis indicare, se non de pane Eucharistico absolutè & secundùm se loqui, sed de eo *vt frangitur & communicatur*: ita vt sit sensus, communicationem illius panis verè esse communicationem corporis Christi.

QVINTO obiiciunt, quòd Apostolus Eucharistiam appellat simpliciter *panem*; non est ergo corpus Christi. 1. Corinth. 10. & 11.

Verùm facilè quoque ex eiusdem Scripturæ phrasi ad id RESPONDEO, Eucharistiam vocari nihilominus panem, quia panis videtur, & quia ex pane conficitur, & quia reficit etiam ac nutrit vt panis. Quam phrasin postea puncto sequenti, cùm de transubstãtiatione agemus, docebimus, accommodari sæpe in Scriptura ad res alias.

SEXTO opponunt illud: *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*. Ioan. 6. Vbi audimus, carnem ipsam non prodesse, ideoque non esse (vt frustrà Capharnaitæ arbitrabantur) reipsa comedendam, quin immò spiritualiter verba Christi esse accipienda referendaque ad fidem Christi, & ad spiritualem eius communicationem per gratiam.

RESPONDEO, sensum esse *primò*, Cogitationem illam carnalem & insipientem Capharnaitarum nihil ad rem pertinuisse, cum scilicet falsò putarent, Christi carnem (vt notat diuus Augustinus, Tract. 27. in Ioan. & in Psalm. 98.) consueto more comedendam esse, sicut carnes ediuntur concisæ prius in macello. Ita enim carnem ibi pro cogitatione carnali secundùm vsitatum aliàs Scripturæ morem accepit Tertullianus, libro de resurrectione carnis. Chrysostomus homilia quadragesima sexta in Ioannem, Cyprianus sermone de cœna Domini. Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 4. Mystagog.

Atque hæc expositio maximè congruit cum ea sententia, quam Christus opposuit illi stultæ & carnali cogitationi: *Verba*, inquit, *quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*. Quasi diceret; Cogitatio vestra nihil ad rem facit, cùm spiritualis omnino longeque alius fuerit sensus meorum verborum. Vbi certè Christus non significare voluit, sua verba ea ratione *spiritualia* esse, quia *figuratè* accipi debeant; sic enim verba Virgilij & Ciceronis essent magis spiritualia, quàm verba Christi, siquidem abundant pluribus & elegantioribus dicendi figuris; sed significauit omnino Christus ibi *mysterium*, quod est maximè *spirituale et diuinũ*, propter modum quo Christi caro sub aliena specie comeditur in hoc Sacramento.

Secundò, potest etiam *caro* ibi accipi pro ipsa carne Christi non simpliciter, sed si modo illo, quem Capharnaitæ cogitarunt, sumeretur. Quæ interpretatio in primam ferè redit. Sic AVGVSTINVS expositi Tract. 27. in Ioan. *Caro*, inquit, *non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur*.

Tertiò, non prodest quidem sola caro sine spiritu & fide; neque etiam fide accedente prodest ipsa per se, sed vt instrumentum coniunctæ Christi diuinitatis. Ita enim expositi diuus AVGVSTINVS, cùm subiunxit ibidem. *Non prodest quomodo in macello venditur, sed quomodo spiritu vegetatur*. Item cùm ibidem addit Augustinus. *Sic dictũ est; Caro non prodest quidquã, quomodo dictũ est* (1. Cor. 8.) *scientia inflat. Et quid est, scientia inflat? Sola sine charitate. Ideo enim adiungit Apostolus; Charitas verò ædificat. Adde ergo scientiæ charitatẽ, & vtilis erit scientia. Sic etiam nunc caro non prodest quidquam; sed sola caro. Accedit spiritus ad carnem sicut charitas ad scientiam, & prodest plurimum. Nam si caro non prodest, Verbum caro non fieret, vt habitaret in vobis*. Hactenus Augustinus.

Est igitur sensus, nõ prodesse Christi carnem secundùm illam cogitationem Capharnaitarũ; neque etiam spirituali modo sub aliena Sacramenti specie, nisi accedat etiam fides & spiritus; ac ne ita quidem *per se*, sed vt viuifica est facta per coniunctam diuinitatem, cuius est instrumentum, vt etiam est expositum in Concilio Ephesino, in epistola ad Nestorium, & Anath. 11.

Atque debere quidem aliqua huiusmodi ratione, non autem simpliciter, illam Christi sententiam intelligi, necessariò fateri debent ipsi eidemipsi poterunt, quòd prosit è cœlo CARO Christi, secundum communicationem illam spiritualem, ad quam isti verba Christi referunt.

SEPTIMO obiiciunt sententiam illam Christi: *Me autem non semper habebitis*, Matth. 26. & alias similes, quibus significauit discessurum se fuisse ex mũdo. Non igitur illum corpore præsentem vllo modo iam habemus.

RESPONDEO. Vtrumque prorsus consistere, scilicet vt forma visibili Christus non amplius in hoc mundo, sed tantùm in cœlo sit: & vt sit etiã

tus sum vobis, spiritus & vita sunt. Quasi diceret; Cogitatio vestra nihil ad rem facit, cùm spiritualis omnino longeque alius fuerit sensus meorum verborum. Vbi certè Christus non significare voluit, sua verba ea ratione *spiritualia* esse, quia *figuratè* accipi debeant; sic enim verba Virgilij & Ciceronis essent magis spiritualia, quàm verba Christi, siquidem abundant pluribus & elegantioribus dicendi figuris; sed significauit omnino Christus ibi *mysterium*, quod est maximè *spirituale et diuinũ*, propter modum quo Christi caro sub aliena specie comeditur in hoc Sacramento.

Secundò, potest etiam *caro* ibi accipi pro ipsa carne Christi non simpliciter, sed si modo illo, quem Capharnaitæ cogitarunt, sumeretur. Quæ interpretatio in primam ferè redit. Sic AVGVSTINVS expositi Tract. 27. in Ioan. *Caro*, inquit, *non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur*.

Tertiò, non prodest quidem sola caro sine spiritu & fide; neque etiam fide accedente prodest ipsa per se, sed vt instrumentum coniunctæ Christi diuinitatis. Ita enim expositi diuus AVGVSTINVS, cùm subiunxit ibidem. *Non prodest quomodo in macello venditur, sed quomodo spiritu vegetatur*. Item cùm ibidem addit Augusti. *Sic dictũ est; Caro non prodest quidquã, quomodo dictũ est* (1. Cor. 8.) *scientia inflat. Et quid est, scientia inflat? Sola sine charitate. Ideo enim adiungit Apostolus; Charitas verò ædificat. Adde ergo scientiæ charitatẽ, & vtilis erit scientia. Sic etiam nunc caro non prodest quidquam; sed sola caro. Accedit spiritus ad carnem sicut charitas ad scientiam, & prodest plurimum. Nam si caro non prodest, Verbum caro non fieret, vt habitaret in vobis*. Hactenus Augustinus.

Est igitur sensus, nõ prodesse Christi carnem secundùm illam cogitationem Capharnaitarũ; neque etiam spirituali modo sub aliena Sacramenti specie, nisi accedat etiam fides & spiritus; ac ne ita quidem *per se*, sed vt viuifica est facta per coniunctam diuinitatem, cuius est instrumentum, vt etiam est expositum in Concilio Ephesino, in epistola ad Nestorium, & Anath. 11.

Atque debere quidem aliqua huiusmodi ratione, non autem simpliciter, illam Christi sententiam intelligi, necessariò fateri debent ipsi eidemipsi poterunt, quòd prosit è cœlo CARO Christi, secundum communicationem illam spiritualem, ad quam isti verba Christi referunt.

SEPTIMO obiiciunt sententiam illam Christi: *Me autem non semper habebitis*, Matth. 26. & alias similes, quibus significauit discessurum se fuisse ex mũdo. Non igitur illum corpore præsentem vllo modo iam habemus.

RESPONDEO. Vtrumque prorsus consistere, scilicet vt forma visibili Christus non amplius in hoc mundo, sed tantùm in cœlo sit: & vt sit etiã inuisibili modo & Sacramentali in Eucharistia. Quamobrem, quod Christus dicit: *Me autem nõ semper habebitis*; intelligi debet non simpliciter, sed illo modo consueto, quo cum discipulis erat, quando id dicebat. Nam & post resurrectionem suam, licet reuera aliquo modo cum discipulis suis erat, tamen quia non erat modo prius consueto, scilicet mortali & passibili; non esse se cum illis significabat, cùm aiebat Lucæ 24. *Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum*. Subaudimus enim hîc: Iam autem non sum. Et tamen aliquo alio modo procul dubio præsens etiam secundùm suam substantiam tũc erat.

Atque hac ratione diuus AVGVSTINVS Tractatu nonagesimo quarto & nonagesimo quinto in Ioannem, interpretatur illud Christi: *Ad patrem vado, & iam nõ videbitis me*, quod Christus ante passionem suam dixit, Ioannis decimo sexto: *Quid est*, inquit Augustinus, *ad Patrem vado, & iam non videbitis me? nisi quomodo sum, cùm vobiscum sum: tunc enim adhuc erat mortalis in similitudine carnis peccati, qui esurire poterat & sitire. Hunc ergo Christum, id est talem Christum, cùm transisset de hoc mundo ad Patrem, nõ erant iam visuri*. Hactenus Augustinus.

Quemadmodum igitur ex Augustini sententia non voluit Christus hîc significare, post passionem suam nullo modo se videndum fuisse à discipulis (viderunt enim & habuerunt præsentem tum etiam cùm iam resurrexisset) sed intellexit tantùm modo consueto & ordinario, quo ab ipsis antè erat visus: Ita in nostro proposito cùm dixit: *Me autem non semper habebitis*; nõ simpliciter, sed vno quodã modo id intellexit, scilicet *visibili & ordinario*, sicut antè in mundo versabatur.

Quod autem Sacramentarij negant, verum corpus alicubi esse posse, vbi non sit visibile, argumentum id est, inter cetera, illorum tum insciticæ, tum perfidiæ. Nam Christus verum corpus habebat, cùm subito *euanuit ab oculis discipulorũ*, Lucæ 24. Nec dubium est, quin posset Deus variis modis impedire, quò minus corpus aliquod, alioqui per se visibile, videri alicubi possit.

Porro autem existimare non debent Vbiquetarij se in Scripturæ locis qui sunt de Christi absentia ex hoc mundo, similiter excipere posse modũ inuisibilem suæ Vbiquitatis, sicut nos excipimus modum inuisibilis præsentiæ Christi in Sacramẽto. Nos enim pro hac nostra exceptione habemus clara testimonia Christi & totius antiquitatis, vt suprà vidimus. Vbiquetarij verò pro sua exceptione Vbiquitatis tantummodo habent sui capitis somnia, vt aliàs demonstraui.

OCTAVO obiiciunt Sacramentarij, quod ipse Christus Dominus Ioannis sexto, ex articulo de futura sua in cœlum ascensione videtur Capharnaitis probare voluisse, nõ fuisse futurum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt ipsamet eius caro vllo modo hîc præsens comederetur. Nam cùm illi id esse futurum intelexissent, subiunxit Christus ad remouendum scandalum illius opinionis: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius?* Quasi diceret: tunc certè apparebit, non ita sicut vos putatis, futurum, vt carnem meam præsentem comedatis. Siquidem postquam fuerit sublata in cœlum, non erit simul in terra præsens vbi comedi possit.

VERVM negamus Sacramentariis hunc illorum Christi verborum sensum esse. Quin potius cum AVGVSTINO Tractatu vigesimo septimo in Ioannē, interpretamur, voluisse illum eo modo dicendi remouere tantùm opinionem illam Capharnaiticam de manducationis *modo*. Itaq; sensus est iste: Cum videritis me *integrum* ascendentem in cœlum, tunc certè intelligetis minimè esse futurum, vt corpore meo vescamini tanquam aliis carnibus in macello concisis. Vel (secundùm diuū CHRYSOSTOMVM homilia quadragesima sexta in Ioannem) proposito futuro miraculo ascensionis, voluit fidem eius miraculi, de quo tunc agebat, comprobare. Quasi diceret: Cùm etiam sim ascensurus in cœlum, non debetis existimare, esse mihi impossibile dare vobis meam carnem ad māducandū. Vel, vt idē etiam Chrysostomus interpretatur ibidem, significauit istis verbis Christus, multò maius illorum scandalum fuisse futurum, quando etiam post ipsius ascensionem in cœlum oporteret eos credere, in terris quoq; eandem Christi carnem præsentem comedi oportere.

Itaque sensus est; Si cùm adhuc in terra tantùm sum, & non etiam in cœlo, hoc vos scandalizat; quantò magis tūc scandalizabimini, quādo ascendero in cœlum, & nihilominus credendum erit me in terra præsentē simul esse, vt mea carne vescamini in Sacramento. Quod profectò videtur à Christo Domino etiam de nostris Sacramentariis propheticè dictum esse. Ipsi enim nunc maximè scādalum illud Capharnaiticum impiè suscipiunt, propter Christi ascensionem in cœlum; ex qua inprimis argumentātur, Christum, cùm in cœlum euectus sit, non esse etiam præsentem in Sacramento, neque ore corporis ac reipsa, ibi sumi.

Omnes verò istæ expositiones Augustini & Chrysostomi rectè cum Christi verbis congruunt. Neque omnino quidquam obstat, quò minus omnes simul sint literales illius loci; sicut sæpe aliâs fit, vt in eundem Scripturę locum plures literales sensus conueniāt, quemadmodum luculenter docet diuus Augustinus libro duodecimo Confess. per plura capita, & nos ostendimus Tomo primo, disputatione prima, puncto quinto.

NONO obiiciunt quòd Apostolus ait 1. Corinth. 10. Patres veteris Testamenti *omnes eandem escam spiritualem manducauisse, & eundem potum spiritualem bibisse, bibisse autem de spirituali consequente eos petra*, quæ erat *Christus*. Hinc ita ratiocinātur: Illi patres non manducauerunt Christum nisi in figura: & tamen *eundem* cibum vel eūdem Christum nobiscum manducauerūt: igitur neq; nos Christum nisi *in figura* manducamus.

RESPONDEO. Primùm non ibi Apostolus dicit, Patres illos eandē escam spiritualem manducauisse *nobiscum*: sed eos omnes certè manducauisse *eandem* spiritualem escam. Quanquam cùm Paulus ibi declaret, escam illam esse Christum, qui noster est cibus; rectè sequitur ex Pauli sententia, eundem cibum illos Patres spiritualiter manducauisse, quo nos iam vtimur. Sed tūc respondeo deinde ad argumenti consequentiā, nullo modo inde sequi, nos Christum manducare tantùm in figura, si Patres illi in figura tantùm manducauerunt. Consistit enim optimè, vt *idem* cibus illorum fuerit, *qui* est nunc noster, & tamen *aliter* fuerit cibus illorum, & aliter iam noster.

Neque valet vllo modo consequētia ab identitate *rei* ad identitatem *modi* ipsius. Nam & AVGVSTINVS in Psalmū trigesimū tertiū, Christū vocat cibum Angelorum, neque tamen inde sequitur, Christum eodem modo ab Angelis, atque adeò in Sacramento manducari, sicut manducatur à nobis.

Quòd si illa consequentia valeret; pari modo probarent Sacramentarij, Christū in Sacramentis eiusdem prorsus rationis, cuius est Sacramentum nostrum Eucharistiæ, fuisse manducatum à Patribus veteris Testamenti; aut nos iam debere illum manducare vsu etiam Sacramentorum legis veteris, sicut illi Patres manducabant. Quæ absurda aduersarij minimè admittent. Quamcunque enim statuant ipsi rationem Sacramenti Eucharistiæ; agnoscunt tamen illam longè diuersam esse cæremoniam nunc in noua lege ab illis Sacramentis veteris legis.

Respondetur ad obiectiones ex Patribus. §. 20.

SECVNDO loco obiiciunt aliquas sententias veterum Patrum, quas perperam ad opinionem Sacramentariam detorquere conātur. Sed omnino per aliquā obseruationem ex SEPTEM, quas hic subiungemus, quæcunque eius generis sententiæ paulò obscuriores, commodè explicari poterunt.

PRIMA obseruatio est. Cùm Patres Eucharistiam vocant *signum* aut *figuram* corporis & sanguinis Christi, non hoc ipso asserunt, aut intelligunt, Christi corporis & sanguinis substantiam abesse ab Eucharistia. Aliud enim est, Eucharistiam esse & dici signum corporis & sanguinis Christi: Aliud verò, esse signum corporis & sanguinis *absentis*. Et est vitium quod Dialectici appellant ab amplo ad non amplum in ista consequentia: Eucharistia est signum Christi corporis *absentis*. Māris; Ergo est signū Christi corporis *absentis*. Māximè enim erit signum Christi corporis, si sit eius præsentis signum.

Nam Christus dicitur *figura substantiæ* Patris æterni, Hebr. 1. neque tamen inde rectè colliges, substantiam illam diuinam non esse etiam in ipso Christo. Item dicitur *imago Dei*, Colos. 1. licet etiam ipse suapte substantia sit Deus. Et *habitu & similitudine* dicitur *vt homo*, Philip. 2. cùm tamen reuera etiam sit homo. Quemadmodum igitur perperā ex his locis Marcion & Apollinaris argumentabantur, Christum, qui figurâ est vt homo, non esse verum hominem; ita etiam peruersè colligunt Sacramentarij; Eucharistiam quia figura sit corporis & sanguinis Christi, non continerere ipsa substantiam corporis & sanguinis. AVGVSTINVS certè Christū ipsum secundū humanitatē vocat *Sacramentum Filij Dei*, lib. 83. qq. q. 42. neque ideo tamen putauit Filium Dei abesse à Christi humanitate. Denique idem Augustinus alibi, lib. 3. de Trinitat. cap. 4. satis indicat Eucharistiam esse signum coniunctum cum significata veritate.

Hinc igitur exsistit candū est illud AVGVSTINI in Psalmum 3. sub initium. *Iudam adhibuit Dominus ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendauit & tradidit.* Vbi procul dubio intellexit Augustinus figuram corporis & sanguinis præsentis, vt in aliis multis locis citatis suprà §. 5. apertissimè significauit. Ac propterea etiam libro contra Adimantum, capite duodecimo dixit, Christum *cùm signum & figuram sui corporis daret; affirmauisse* tamen id quod dabat *esse suum corpus*: quia scilicet in eo signo continebatur res ipsa significata, de qua verè & propriè affirmare Christus poterat, quod esset suum corpus. *Non dubitauit* (inquit ibi Augustinus) *Christus dicere, Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui.* Vbi indicat Augustinus de signo non secundùm se, sed ratione rei contentæ & significatæ, affirmauisse Christū, quòd esset suum corpus. Quo etiam pacto ibi disputat Augustinus intelligi posse quod in Deuteronomio, capite duodecimo, *Sanguis pecoris* dicitur esse *anima* eius: vt intelligatur videlicet sanguis dici anima pecoris non secundùm se, sed ratione rei cuius est indicium & signum, nempe ipsius formæ animalis: quam certè constat, non esse absentem à sanguine.

Claudius tamen de Sainctes Repet. 3. capite quarto, & alij nonnulli probabiliter etiam existimant, Augustinum non hoc dixisse ex sententia sua, sed sumpsisse ex opinione Manichæorū: contra quos illic disputabat, posse sanguinem dici animam pecoris, non quia sit ipsa pecoris anima, sed quia sit signum illius. Sentiebant enim Manichæi, (vt memorat Vincentius Lyrinensis, libro aduersus hæreses) Christum non habuisse verum corpus, sed signum seu figuram quandam corporis. Itaque videtur Augustinus illic esse vsus exēplo ducto ex hac opinione Manichæorū, cùm ad explicandum contra eosdem, quemadmodum sanguis diceretur anima, quia esset eius signum, dicit Christum non dubitasse dicere, Hoc est corpus meum, cùm signum seu figuram daret corporis sui: nimirum secundùm Manichæorum opinionem.

Sed licet concedamus, Augustinum ex sententia sua sic dixisse; potius facit hic locus pro nobis, si quemadmodum antè fecimus, exponatur secundùm nostram primam obseruationem. Quæ sanè obseruatio idcirco etiam certissima est, quia nullus Patrum ex omni antiquitate proferri potest, qui vnquam dixerit, Eucharistiam *esse tantummodo signum* aut *figuram* Christi; sed contra potius aliqui id disertè negarunt, vt suprà demonstrauimus, §. 5.

Porrò Ruardus Tapper, Articulo decimo tertio, & alij quidam ex hac eadem obseruatione interpretati sunt locum quēdam TERTVLLIANI, libro quarto contra Marcionem. Vbi ille sic de Christo dicit: *Panem acceptum ac distributum discipulis corpus suum illud fecit, dicendo, Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei.* Hactenus Tertullianus.

Sed qui posterius de Eucharistia scripserunt, vt Sainctes, Repetit. 3. capite quarto, & Alanus, libro primo de Euchar. capite trigesio secundo, & alij, multò melius ex ipsa disputatione Tertulliani illud interpretantur. Quod enim addidit: *id est, figura corporis mei*, non debet referri ad *prædicatum* illius enūciationis, scilicet ad *corpus*, sed ad subiectum, nempe ad verbum illud, *Hoc*, quod ibi est positum pro pane secundùm rationem saltem panis substantialem & indiuiduam vagè, vt suprà expositum est. Itaque sensus Tertulliani est iste: Panem fecit suum corpus, dicendo; *Hoc* (id est, panis qui est figura corporis mei) *est corpus meum.*

Probatur hæc interpretatio, quoniam institutum Tertulliani ibi est consonantiam ostendere figurarum legis veteris, & veritatis noui Testamenti: Itemque quomodo figuris illis succesierit in nouo Testamento ipsa veritas. Nam inter cætera ex eo etiam confirmat, quòd panē, qui antè, vt ibi dicit, fuerat in veteri lege figura corporis Christi, fecit Christus postea reuera suum corpus. Ac propterea dicit ibidem, Christum non *peponem* aut aliam rem appellasse aut fecisse suum corpus, sed *panem*, qui, vt dictum est fuerat sui corporis figura, vt ita veritas figuræ succederet.

Cùm verò hîc dicit Tertullianus, panem factum esse Christi corpus, non intelligit, factum esse vt panis manens panis sit & esse affirmetur Christi corpus, sed intelligit, Christum de substantia, quæ sub speciebus panis continebatur affirmauisse, quòd sit suum corpus; atque adeò effecisse vt substantia, quæ sub illis speciebus contineretur, esset suum corpus, vt suprà docui.

cùm exponerem quid propriè demonstrauerit pronomen illud, *Hoc*, in oratione Christi.

Secunda obseruatio. Quandocunque Patres videnrur aliquid ipso modo dicendi detrahere de veritate & proprietate præsentiæ, aut etiam sumptionis corporis & sanguinis Christi in Sacramento; id totum non ad ipsam præsentiam aut sumptionem referri debet, sed ad *modum* sumptionis, vel præsentiæ: nempe vt intelligamus, non esse hic aut sumi corpus & sanguinem Christi *naturali & ordinario modo*, quem alioqui verbum, *est*, aut *manducatur*, aut *bibitur*, significat; sed alio planè extraordinario & miraculoso; qui sanè si ad vsitatum significandi modum istorum verborum, *esse*, *manducare*, *bibere*, spectemus, non nisi metaphoricè & impropriè per ista verba significatur.

Ex hac igitur obseruatione illud Avgvstini commodè intelligi poterit in Psalm. 98. *Non hoc corpus*, inquit, *quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramẽtum aliquod vobis commendo: spiritualiter intellectum viuificabit vos.* Intelligit nimirum Augustinus corpus non absolutè, sed secundùm modum ordinarium & visibilem, quo alioqui corpora existunt & sumuntur, quando dicũtur manducari. Hoc modo ordinario & carnali negat manducandũ fuisse corpus Christi, & bibendum eius sanguinem. Non autẽ id negat de corpore ipso & sanguine absolutè: quasi non verè & realiter in spirituali hoc & diuino Sacramento nobis commendato sumantur.

Quod autem hęc interpretatio necessariò admitti debeat, patet primùm ex eodem Augustino ibidẽ. Nam id disputat contra carnalem cogitationem Capharnaitarum: *Qui carnaliter* (inquit ibi Augustinus) *putauerunt, quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturis illis.*

Secundò. Quoniam alioqui locus hic Augustini etiam repugnaret ipsis Caluinistis, qui affirmant, corpus ipsum Christi *secundùm se* comedi oportere, licet nõ nisi modo imaginario Caluinistico, quem vanissimũ esse suprà ostẽdimus.

Tertiò. Quia similiter ipsemet Augustinus, Tract. 94. & 95. in Ioan. vt suprà vidimus, interpretatus est similem illum dicendi modũ Christi: *Iam non videbitis me*, Ioan. 16. id est, ordinario modo, quo iam vobiscum versor. Et sic etiam suprà ex eiusdẽ Augustini mẽte illud exposuimus; Me autem non semper habebitis. Matth. 26.

Quartò. Quia aliàs etiam in Scriptura de substantia ipsa rei dici quandoq; videtur absolutè, quod minimè dicitur de ea, nisi secundùm aliquem *modum*. Ita enim D. Paulus, 1. Cor. 15. vbi disputat idem omnino corpus resurrecturum, dicit tamen, *non quod futurum est seminari*. Vbi etsi videatur dicere absolutè de ipsa substantia corporis, quòd non idem sit futurũ; loquitur tamẽ non de substantia corporis absolutè, sed quoad qualitatem & *modum*, qui non erit idem post resurrectionem: *Seminatur enim*, inquit, *animale, surget spirituale*.

Ex eadem obseruatione illud etiam Augustini exponi debet, in Psal. 33. cùm ait, Christũ *quodammodo se portasse in manibus suis*, id est, *extraordinario quodam modo*, nẽpe *Sacramentali*. Nam quòd verè & realiter se in manibus ipse portauerit, cũ diceret: *Hoc est corpus meum*. prius euidentissimè significauit ibidem Augustinus, sicut suprà docuimus. §. 5.

Simile quiddam ex parte est, quod idem Augustinus dixit Epist. 23. *Secundùm quendam modũ Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: sicut Sacramentum fidei, fides est.* Etsi enim hic secũdùm primam obseruationẽ sit Augustinus interpretandus, cùm speciebus ipsis tanquam signo attribuat metonymicè appellationem rei significatæ: tamen verbo illo, *secundùm quẽdam modum*, obiter hìc etiam declarat rationem, qua iuxta hanc secundam obseruationem res ipsa significata, nempe corpus Christi, coniuncta est cum ipso signo, scilicet secundùm ipsendam modum *admirabilem & extraordinarium*.

Est etiã similiter illa eiusdem Augustini sententia declaranda, lib. 3. de doctr. Christ. cap. 16. vbi dicit: *Figuratũ esse*, quod Dominus dixit: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.* Quia *flagitium*, inquit, vel *facinus videtur iubere*; & quæ in Scriptura ad flagitium hortari videntur, figuratè accipi debent. Quare dicit Augustinus, figuratè ibi præcipi, vt *suauiter*, perinde ac si comederemus, *recondamus in memoria, quòd caro Christi pro nobis crucifixa est.*

Est autem hucomnino accommodanda illa secunda obseruatio. Nam hìc Augustinus non intelligit figuram, quoad *rem ipsam* significatam in ea locutione, vel quoad *sumptionẽ* Christi *carnis*, quasi illam verè non sumeremus vllo modo; sed ponit figuram tantùm in ea locutione quoad sumptionis *modũ ordinarium*, qui significatur secundùm vim ipsam verbi illo vocabulo *comedendi*. Nam & in eo dũtaxat modo, si propriè hìc significaretur, esset illud *flagitium*, seu *facinus*, ad quod videri posset scriptura hortari, vt ait Augustinus: nimirum si Christi carnem cum quadam suauitate & gustu sensus carnali sumeremus comedendo more consueto.

Pro hoc ergo sumptionis consueto modo, dicit Augustinus figuratè hìc præcipi, vt *suauiter*, perinde ac si ordinario modo comederemus, *recõdamus in memoria, quòd caro Christi pro nobis crucifixa sit*; id quod certè à nobis etiã maximè tunc fit, cùm alioqui reuera sumimus ore sub aliena specie Christi corpus in Sacramento.

Atq; hanc quidem expositionem esse omnino secũdum mentem Augustini intelligi potest ex ipso. Disputans enim in alio loco idem Augustinus, lib. 2. contra aduersarium legis & prophet. cap. 9. quemadmodum ex iis etiam rebus, quæ

quæ per se turpitudinem habent, rectè duci possint figuratæ locutiones; sic ad huius rei exemplum adducit hãc eandem Christi locutionem, vt clarissimè tamẽ explicet, se ibi tm̃ intellexisse figuram quoad sumẽdi *modum*; re autem ipsa sumi nihilominus carnem Christi non tantùm fide & recordatione, sed ipso etiam ore corporis. *Nos*, inquit, *audiamus & intelligamus duo testamẽta in duobus filiis Abrahæ, duabusq; Mulieribus eius commixtione fœtatis, sicut duos in carne vna Christum et Ecclesiam istis* (Manichæis) *nolentibus sine vlla obscœnitate cognoscimus, Et sicut Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum* Iesvm, *carnem suam nobis manducandam bibendumq; sanguinem dantem fideli corde atque* Ore *suscipimus, quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere; & humanum sanguinem potare, quàm fundere.* Hæc ibi Augustinus, qui clarissimè certè metaphoram ponit tãtùm in sumptionis modo, quandoquidem testatur nihilominus ibi grauissimè, non modò *corde*, sed etiam *ore* sumi à nobis ipsum Christum Mediatorem. Ex hoc igitur loco ille alius sic exponendus est.

Ac præterea est hìc notandum, aliam fuisse rationem illius sermonis, quem in concione Christus apud Ioannem, capite 6. habuit de Eucharistia; aliam verò eius, quo demonstratione facta ad sensum instituit hoc Sacramentum, inquiens: *Hoc est corpus meum*. In hac enim assecuratione, propriè omnino locutus est, neq; etiam expressit illam metaphoram in sumendi *modo*, quam Augustinus, non malè, quo ad *modum* quidem, notauit in illo sermone apud Ioannem.

Tertia obseruatio. Cùm verba Sacramentalia Patres transferunt ad spiritualem doctrinæ diuinæ manducationem per fidem; faciunt hoc illi non secundùm sensum verborum Christi literalem, sed *mysticum*, qui tñ secundùm Patrum sententiam minimè ipse pugnat cum literali de reali mãducatione, sed eò potiùs tanquã fundamento nititur. Vt cùm Origenes dixit: *Panis ipse, quem Deus corpus suum fatetur, verbum est nutritorium animarum*, in caput 26. Matth. Certè non vult, nihil aliud esse mãducare corpus Christi & illum panem, quàm audire Dei verbum; sed exponit sensum mysticum Christi verborum, qui sensus minimè tollit sensum literalem, sed in illo potiùs tanquam in suo fundamento subsistit. Alioqui nullum ex sententia Origenis relinquetur Sacramẽtum Eucharistiæ externum, quod ex illis Christi verbis iuxta literalẽ sensum probari posset. Itaque alio loco ipse Origenes clarissimè sensum literalem cum hoc mystico coniunxit, homil. 16. in Numer. eiq̃ve vt fundamentum supposuit, inquiens: *Bibere dicimur sanguinem Christi, & ritu Sacramentorum, et cùm sermones eius recipimus.*

Eodem referri potest quidam alius locus Clementis Alexandrini lib. 2. pædag. cap. 2. cùm explicans verba Christi circa calicem, ita inquit: *Verbum quod pro multis effundetur, sanctum lætitiæ fluentum allegoricè significat.*

Qvarta obseruatio. Cùm Patres dicunt, in ipso etiam vsu Sacramenti manducari oportere *spiritualiter* corpus Christi per fidem, minimè idcirco intelligunt, non debere ibi etiam ipsum corpus Christi manducari realiter ore corporis in Sacramento: sed docere tantùm volunt, realem manducationem tunc demum esse fructuosam, quando cum ea spiritualis quoq; manducatio coniungitur.

Huc illud Avgvstini pertinet Tract. 25. in Ioannem: *Vt quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti.* Et illud eiusdem Tract. 26. in Ioann. *Videte fratres, panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiã ad altare apportate.* Et illud Cypriani serm. de cœna Domini: *Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctũ frangimus & partimur.* Sic & alia similia.

Qvinta obseruatio. Cùm Patres aiunt, corpus Christi esse cibum spiritualem, non corporalem; solùm volunt significare, non esse cibum quo *nutriatur* corpus nostrum *more consueto*, sed quo *spiritualiter anima reficitur*. Nihilominus hic ipse cibus spiritualis, ex Patrum sententia, ore etiam corporis sumitur in Sacramento, vt ita sumptus reficiat animam spiritualiter.

Ita igitur intelligi debet illud Ambrosii de iis, qui initiantur mysteriis, cap. 9. *In Sacramento Christus est, quia corpus est Christi. Non ergo corporalis esca, sed spiritualis est.* Et illud Theophylacti in cap. 6. Ioann. *Animalis homo spiritualem cibum carnis Domini non intelligit.* Et si quæ sunt apud Patres similia.

Diuus autem Irenaevs cùm scribit lib. 5. cap. 2. *Corpus nostrum carne & sanguine Domini nutriri*; non ita hoc intelligit, quasi per carnem & sanguinem Christi, tanquam per corporalem alium cibum & potum, nutriatur, sed significat vegetari quodammodò nostrum corpus per Christi carnem, quatenus beneficio illius nũc in Sacramento sumptæ consequentur postea immortalitatem, & quia fortè vires aliquas Sacramentum istud mirabiliter corpori item addit, vt suprà etiam attigimus, & declarauit etiam Martyr Roffensis lib. 4. de Euchar. contra Oecolampad. Vel certè significat etiam Irenæus, corpus nostrum nutriri per corpus & sanguinem Christi secundùm accidentia Eucharistiæ, quibus ipsum Christi corpus & sanguis intimè subest.

Sexta obseruatio. Cùm videntur Patres significare, ab his solis manducari corpus Christi in Sacramento, qui sunt in gratia; non loquuntur de manducatione reali, quasi non etiam ore corporis indignè ab impiis mãducetur, vt est in Sacramento; sed solùm de mãducatione *spirituali & interna*, qua scilicet ipsum etiam *per se* corpus Christi, tanquam spiritualis cibus, palato mentis verè percipiatur.

Huc ſpectat illud Auguſtini lib. 21. de ciuit. cap. 25. *Non dicendum, eum manducare corpus Chriſti, qui in corpore non eſt Chriſti*; Id eſt, non ita manducat, vt eius manducationis beneficio liberetur ab æterno igne. Hoc enim ibi diſputat Auguſtinus.

Eodem modo intelligendum eſt illud ORIGENIS in cap. 15. Matth. *Verbum factum eſt caro, verusq; cibus, quem qui comederit, omnino viuet in æternum: quem nullus malus poteſt edere*. Loquitur de ſpirituali manducatione, qua ipſe Chriſtus ſecundùm ſe percipiatur animæ palato, ſitque animæ cibus, vt diximus. Nam quòd poſſit alioqui Chriſtus, vt eſt in Sacramento, realiter manducari ore corporis ab indignis, tum aliorum Patrum, tum etiam ipſius Origenis teſtimonio ſuprà manifeſtè probauimus. §. 5. Ita etiam intelligendæ ſunt aliæ ſimiles ſententiæ Patrum, ſi quæ tales occurrant.

Quod autem ait Chriſtus: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, Ioann. 6. intelligi debet, quantum eſt quidem *ex vi ipſius Sacramenti*, niſi impuritas conſcientiæ effectum Sacramenti impediat, atq; adeò, ſi corpus Chriſti in Sacramento comedatur etiam ſpiritualiter. Nec alio modo intelligẽdi ſunt Patres, cùm de effectu iſtius Sacramenti ſimiliter atque Chriſtus loquuntur. Nam & Baptiſmo quoque Chriſtus & Patres tribuunt vim regenerandi ſpiritualiter, Ioannis tertio, & tamen fieri poteſt, vt quis verum Baptiſmum ſuſcipiens non regeneretur ſpiritualiter, ſi videlicet improbitas animi impediat; vt agnoſcit etiam Caluinus in ſecunda defenſione doctrinæ de Sacrament. contra VVeſtphalum, ſub finem.

SEPTIMA obſeruatio. Cùm quædam Patres de corpore Chriſti, vt eſt in hoc Sacramento, ſcribunt, quæ ipſi quidem corpori ſecundùm ſe nõ competunt (vt quòd *atteratur* dentibus, quòd *frangatur*, quòd dentes illi *infigantur*, *&c.*) tantùm abeſt, vt propterea velint ſignificare, verum ipſum corpus Chriſti non eſſe in Sacramento, ſed ſolùm ſignum eius; vt maximè potiùs hac ratione indicent illud *reuera* in Sacramento cõtineri.

Nam propterea hæc de corpore Chriſti dicunt, quia non minus illud intimè coniunctum eſt accidentibus Euchariſtiæ, quæ *franguntur*, & *lacerantur*, & *figuntur* dentibus, quàm eſt coniuncta alia quæuis ſubſtantia accidentibus ſuis, ſecundùm quæ verè ac propriè frangitur & laceratur. Quòd ſi non hanc coniunctionem vellent eo modo loquendi ſignificare; non niſi admodum ineptè ad commendandam fidem huius myſterij ita loquerentur, vt ſuprà etiam notaui §. 5. Quantulũ enim myſterium eſt, nudum ſignum corporis CHRISTI dentibus atteri, & frangi?

Significant igitur iſto modo dicendi Patres, corpus Chriſti eſſe intimè coniunctum illi rei, quæ frangitur & atteritur dentibus, non minus quàm ſi ipſum etiam attereretur & frangeretur. Atque hoc ipſo ſenſu Berengarius, de conſecrat. diſt. 2. Canone, *Ego Berengarius*. Romæ iuſſus eſt huiuſcemodi verbis eiurare Sacramentariã hæreſim, & profiteri realem Chriſti præſentiam in Sacramento: quia ſcilicet maximè hic loquendi modus coniunctionem veram & realem corporis Chriſti cum ſpeciebus Euchariſtiæ ſignificat.

Deniq; obſeruãdum hoc loco eſt, quod prudenter ab aliis etiam Scriptoribus Catholicis annotatum eſt; Non mirum eſſe, ſi in hac quæſtione de Euchariſtia occurrant aliquæ ſententiæ obſcuriores Patrum, cùm etiam in aliis quæſtionibus contra Arianos, & contra Pelagianos ipſi etiam Patres veteres ſæpe laborauerint, vt partim ſuas, partim aliorum vetuſtiorum Patrum ſententias ab hæreticis obiectas defenderent à ſenſu hæretico Ariano vel Pelagiano. Cõſiderari enim debet, morem fuiſſe Patrum, vt de rebus fidei, cùm nondum eſſent apertè ſatis controuerſiæ ab hæreticis motę, ſecurius & ſimplicius in Eccleſia Catholica ſcriberẽt & loquerentur; quòd nimirum putarent, ſe non niſi Catholicè ab omnibus intelligi.

Qua de re elegantiſſimus locus exſtat apud Diuum AVGVSTINVM libro primo contra Iulianum, vbi hac ipſa obſeruatione circa morem veterum, excuſat Auguſtinus Diuum CHRYSOSTOMVM contra calumnias Pelagianorum, qui ipſum in quæſtione de peccato originali pro ſe ipſum citabant. Quò etiam pertinet id, quod ſuprà notaui de cautela à Patribus adhiberi ſolita, ne myſterium hoc ſacroſanctum Euchariſtiæ exponerent irridendum infidelibus, ſi nimis claris verbis explicaſſent illud pro concione & in ſcriptis popularibus.

Denique ſententiolis, quas hinc inde Sacramentarij ad confirmationem ſui erroris perpetram colligunt, opponenda eſt moles illorum argumentorum, quibus ſuprà §. 5. & 6. & 11. Maior propoſitio patet; quia neceſſe eſt, vt vel commenſuratiuè, vel non commenſuratiuè ſit: & nullo modo poteſt eſſe cõmenſuratiuè, cùm manifeſtè implicet contradictionem, vt corpus quantum maius, ſit in quanto minori cõmenſuratiuè, eſſet enim in illo æqualiter, & non æqualiter. Supereſt igitur, vt ſit ibi Chriſtus non commenſuratiuè.

II. Quòd autem id dogma naturam veri corporis non aboleat, duplici ratione manifeſtè probatur. Primò, quia non fit iſto modo, vt circumſcriptio & cõmenſuratio in loco, quatenus naturalis proprietas veri corporis eſt, à corpore Chriſti ſeparetur, ſicut iſti exiſtimant. Sed ſolùm hac ratione diuinitus fit, vt ſupra naturã corporis, & eius proprietatis naturalis, quidam alius modus exiſtendi alicubi, corpori Chriſti cõpetat. Circũſcriptio enim & cõmenſuratio in loco, non qualicunq; modo, ſed *quatenus eſt quidẽ ex ſui & natura* corporis, proprietas eſt naturalis corporis; ſicut τὸ γελαστικὸν hominis. Hãc proprietatẽ corpus Chriſti adhuc retinet. Nam nuſquam eſt non cõmenſuratiuè, ex vi quidem & natura ſui corporis, ſed vi atq; potentia diuina ſupra hanc naturã ſui corporis. Hoc modo nõ magis aboletur veritas corporis Chriſti, quam aboletur propterea, q̃ iam vi diuina eſt impoſsibile; cum tamen alioqui pati poſſe, proprietas etiã corporis phyſici ſublunaris (quale Chriſtus habet) ſit, *quantum eſt quidem ex vi atq; natura ſua*.

Secundò, id etiam ea ratione probo, quia ne aboleretur quidem neceſſariò veritas corporis Chriſti, etiamſi circumſcriptio ab illo ſepararetur, *quatenus* proprietas corporis eſt: atque ita multò minus iam aboletur, quando hoc non fit, vt eſt explicatum. Circumſcriptio enim in loco non eſt intrinſecum & eſſentiale quiddam vero & quanto corpori, cùm ſit quiddam poſterius; genera enim prædicamẽtorum *Vbi*, & *Situs*, quibus circumſcriptio in loco cõtinetur, poſteriora ſunt ex natura rei, quàm genus Prædicamenti *Subſtantiæ* & Prædicamenti *Quantitatis*, quibus continetur corpus quantum. Item neq; Circumſcriptio in loco eſt aliquid *Tranſcendens* Ens omne, quod proinde nequeat re ipſa ſeparari ab vllo ente, atque adeò, neq; à corpore: vt ſatis patet. Neque etiam eſt ſuapte ratione aliquod *diſiunctum* (vt par vel impar, curuum vel rectũ, &c.) quod proinde oporteat ſecundùm alterutram ſui partem prædicari de proprio ſubiecto, ne alioqui ſequatur, neutram partẽ contradictionis eſſe veram: Sed eſt (vt antè dixi) circumſcriptio hęc quoddã accidens peculiare corporis, quod eſt eo poſterius. Poteſt autem ſine contradictione omne prius conſeruari per Dei potentiam abſolutam, ſine eo, quod eſt extra illius eſſentiã, & eo poſterius, tanquã quoddam peculiare ſeu particulare accidens.

Non poteſt quidem ab eſſentia & veritate corporis quanti ſeparari ordo quidam, & *aptitudo*, & *potentia* ad circumſcriptionem in loco; eò quòd hæc eſt illi intima, & (vt Metaphyſici loquuntur) tranſcendentalis: ſed poteſt tamen ab eo ſeparari circumſcriptio *actu*. Quemadmodum τὸ γελαστικὸν (quod iſti exemplum proferunt) δυνάμει, ſiue ſecundùm *aptitudinem* non poteſt ſeparari ab humana natura ratione prædita: ſed *actu* tamen nihil obſtat, quò minùs poſſit ſeparari per Dei potentiam abſolutum.

III. Atque ex his ſatis etiam liquet, neque implicare id dogma vllam contradictionem. Debent enim iſti intelligere, duplicem eſſe modum Quantitatis. *Alterum* intimum & eſſentialem ipſi, qui conſiſtit in hoc, vt per eam partes ſubſtantiæ corporeæ minimè ſint inter ſe cõfuſæ, ſed aliæ extra alias in ipſo quidem corpore: vt collum extra humeros, caput extra collum, &c. Iuxta hunc modum dicere, aliquod corpus quantum alicubi eſſe non per modum Quantitatis, implicatio contradictionis eſſet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed hoc nos non dicimus. Aſſerimus enim, corpus Chriſti in Euchariſtia ſecundùm ſe quidem eſſe ſua quantitate extenſum,& habere alias extra alias partes.

Alter modus Quantitatis eſt ei accidentalis & extrinſecus, qui conſiſtit in quadam coëxtenſione quanti cum loco. Iuxta hunc modum nos dicimus, corpus Chriſti quãtum eſſe in Euchariſtia,non per modum Quantitatis videlicet accidentalem. Hoc autem minimè contradictionem implicat.

Cur enim non queat diuinitùs ſeparari à re modus quidam rei accidentalis & extrinſecus? Eodem modo decãdore ſiue albore dico: nempe quamuis nequeat albor eſſe ſine ſuo modo eſſentiali alboris,qui conſiſtit in eo, vt poſsit ex ſe diſgregare viſum, poſſe tamen diuinitùs eſſe ſine modo alboris aliquo accidentali, vt ſine extenſione, verbi gratia, ſi a Quantitate videlicet diuinitus ſepararetur, à qua accipit accidentaliter extenſionem.

Et quemadmodum ſine contradictione modus aliquis non eſſentialis, ſed accidentalis rei ſeparari à re poteſt: ita etiam modus, non quidem eſſentialis, ſed accidentalis, vnius rei poteſt diuinitùs alteri rei tribui, & quaſi accommodari, vt eo quidem affecta ſit, etſi non vt ſibi ex natura debito,ſed tanquam aduentitio.Nam cùm accidens ſit extra eſſentiam rei, fieri non poteſt, vt magis additio, quàm detractio accidentis,eſſentiam rei immutet.

Quod cùm ita ſit, nullam etiam contradictionem implicat id,quod ſimul docemus, corpus Chriſti quãtum eſſe in Euchariſtia per modum *ſubſtantiæ*; nempe ita, vt tota eius quantitas ſit in tota quantitate Euchariſtiæ, & in qualibet eius parte. Hic enim modus non eſt eſſentialis, ſed *accidentalis* ſubſtantiæ. Quare poteſt diuinitùs quantitati communicari itidem accidentariè, & vt quiddam aduentitium. Atque eadem ratione poſſet modus aliquis accidentarius nigroris communicari diuinitùs candori,vt eſſet ei aduentitius. Quænam enim eſſet in hac re implicatio contradictionis?

Hæc omnia diuinitùs poſſe fieri, vt meliùs capiant Sectarij,hac ratione rurſus probo & explano: Id omne Deus poteſt facere, quod ſine repugnantia & contradictione poteſt intelligi: Nam id omne eſt *Ens*, & omne Ens poteſt à Deo effici,cùm ſit is præditus potentia infinita: & id eſt,quod dixit Angelus,Lucæ primo, *non eſſe impoſsibile apud Deum omne verbũ*,id eſt,omne,quod ſine contradictione poſsit intelligi.

At vt eſſentia rei alicuius ſit detracto vel variato quocunque illius ſimplici & particulari accidente, quod ſit eâ poſterius, & extra illam, ſine contradictione poteſt intelligi: Non enim eſſentia etiam non erit hoc ipſo, quòd non ſit, aut quòd aliter ſit id,quod neque eſt ipſa, neque intrinſecum ipſi. Igitur poteſt diuinitùs fieri,vt quæuis eſſentia ſit abſque quocunque illius particulari & ſimplici accidente, ac etiam, vt alio quodam modo accidentali ſit affecta. Hæc certè clariſsima ſunt; & tamen ea fortè Sacramentarij pertinacia excæcati, & inſcitia impediti, non intelligent.

Non eſſe impoſsibile, vt vnum corpus ſit in pluribus locis. §. 22.

IAM verò poſsibilem eſſe PRÆSENTIAM Vnius & eiuſdem veri corporis, atque adeò etiam corporis Chriſti, in pluribus locis, non eſt difficilius confirmare & defendere. Sciendum autem inprimis eſt, dupliciter poſſe intelligi, quòd vnum corpus ſit in pluribus locis.

PRIMO ita locali & circumſcripto modo, ſicut video has voces ab aliquibus vſurpatas eſſe. Vt ſcilicet *circumſcriptè* & localiter res eſſe in loco tunc dicatur,cùm non tantùm ſubſtantiâ ſua re ipſa loco præſens eſt, neque tantùm commenſurata eſt loco,vt pars parti reſpondeat; ſed etiam ita in loco aliquo includitur & circumſcribitur, vt nihil eius planè exiſtat extra eum locum. Sic dubium nullum eſt, quin manifeſta ſit contradictio, aſſerere, corpus vnum, aut omnino rem aliquam ſimul eſſe poſſe in pluribus locis: quoniam eſſet ex hypotheſi, & non eſſet extra quemlibet eorum. Ac non niſi ſitò modo animaduerto negauiſſe Doctores quoſdam grauiores poſſe fieri virtute diuina, vt vnum corpus collocetur, atque circumſcribatur in pluribus locis. Sed non eſt hoc tantùm quod aduerſarij negant.

Quare ALTERO modo id quod dicunt, intelligi volũt. Vt ſcilicet nequeat vlla ratione vna res, neq; commenſurata loco,neque non commenſurata eſſe ſimul ſubſtantia ſuâ præſens in diuerſis locis. Hæc verò vaniſsima opinio eſt, quæ tum Scripturæ auctoritate, tum Patrum ſententiis,atque etiam rationibus confutari poteſt. Quanquam nobis quidem ſatis eſſet reſpondẽdo ad iſtorũ ratiunculas, ſi quas proferrent, (nullas enim præter obſtinationem video) defendere, quòd per omnipotentiam Dei id fieri poſsit. Sed probabimus etiam idipſum argumentis.

Et quoniam optima quædam argumenta ex iis, quæ ad eam rem ſuppetunt, ſine diſcrimine probant, vnum aliquod corpus ſiue non commenſuratum loco (vt Euchariſtiæ myſterio fieri,à nobis defenditur) ſiue etiam commenſuratum eſſe poſſe variis in locis ſubſtantia ſua præſens: nihil verebor illa etiam adducere. Maximè cùm opinio, quæ negat corpus in diuerſis locis ſecundùm commenſurationem eſſe poſſe, apud nos etiam reiici ſoleat tanquam minus reuera congruens cum certiſsima fide iſtius magni myſterij.

Probatur

Probatur ex Scriptura poſse vnum corpus eſſe ſimul in pluribus locis. §. 23.

AC ex diuina quidem Scriptura huiuſmodi argumentum confio: Quod diuinitùs aliquando factum eſt, id ſine omni dubitatione fieri diuinitùs poteſt.Factum eſt autem aliquando diuinitùs, vt Chriſtus corpore ſuo præſens ſimul eſſet in cœlo, & in terra, vel penes terram.Poteſt igitur fieri diuinitùs, vt Chriſti corpus, licet vnum ſit, non vnico tamen adſit tantùm in loco, ſed in pluribus re ipſa ſit præſens.

Maiore nihil poteſt euidentius eſſe. Minor autem tum probata erit, cùm ex Scriptura confirmauerimus ordine hæc duo. PRIMVM. Ex quo Chriſtus videntibus Apoſtolis in cœlum aſſumptus eſt, nullo temporis momento abfuiſſe vel abfuturum eſſe à cœlo, donec mundum iudicaturus ita veniat, quemadmodum diſceſsiſſe viſus eſt, vt Angeli ſignificauerunt, Actorum primo.

SECVNDVM. Aliquando nihilominus acciſſe,vt Chriſtus, poſt aſcenſionem ſuam in cœlum, fuerit reuera corpore præſens in terra,vel prope terram. Hæc duo cùm confirmata fuerint,Minor illa,vt dixi, probata erit. Nam ſi nũquam non in cœlo, & tamen aliquando in terra poſt aſcenſionem fuit Chriſtus; neceſſe eſt, vt vnoaliquo & eodem tempore in cœlo ſimul,& in terra fuerit.

Probatur ergo illud PRIMVM (ſcilicet Chriſtum poſt aſcenſionem nunquam abfuiſſe à cœlo) illuſtri teſtimonio Dauidis, Pſalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, DONEC ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*. Id eſt,vſque in *finem*, vt interpretatur Apoſtolus, 1. ad Corinth. 15. Cum ſcilicet *tradiderit regnum Deo & Patri: cùm euacuauerit omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem.*

Sed & alibi idem Apoſtolus multis modis ſignificauit firmam prorſus atque ſtabilem eſſe in cœlo hanc Chriſti ſedem ad Dei dexteram. Nam ob eam rem, verbis vſus maximè ſignificantibus firmitatem, nunc illum *in dextera maieſtatis* CONSEDISSE, ad Hebræos octauo, nunc ibidem CONSTITVTVM eſſe dicit, ad Epheſios primo, nunc omnes hortatur, vt quia *Chriſtus EST ad dexteram Dei* SEDENS (ad Coloſſenſes tertio) *quæ ſurſum ſunt ſapiamus*. Quæ profectò verba, poſtquam Chriſtus in cœlum conſcendit,nullo non temporis momento vſurpari verè ad eam adhortationem potuerunt. Quod ſi ita eſt, ſemper Chriſtus ad dexterã Dei fuit in cœlo ſedens. Id verò eſt, quod fuit nobis probandum primò.

Iam illud ALTERVM, nempe Chriſtum, etiam poſt aſcenſionem, aliquando fuiſſe in terra vel prope terram, haud difficulter ſanè probari poteſt. Sic enim ait Apoſtolus, prima Corinthiorum decimo quinto: *Tradidi vobis quod accepi,quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & quia ſepultus eſt ſecundùm Scripturas, & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim, deinde viſus eſt plus quam quingentis fratribus ſimul, deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus:* NOVISSIME *autem omnium tanquam abortiuo* VISVS *eſt & mihi.* Nimirum oculis corporeis prope terram ac in terra (vt probabimus) poſtquam in cœlum Dominus aſcenderat.

Itaque hunc locum interpretans B. CHRYSOSTOMVS,homil.83. in primã ad Corinthios: *Scripturæ*, inquit, *teſtimonio de reſurrectione producto,producit etiam* TESTES, *poſt Prophetas & Scripturas, ipſos Apoſtolos & cæteros pios citans. Quòd ſi de peccati reſurrectione loquatur, quid attinebat dicere,viſus huic eſt,viſus illi eſt? Hæc enim* CORPORIS *reſurrectionem probantis, non peccati libertatem ſignificantis vox eſt. Vnde non ſemel viſus eſt inquit, quanquam in communi poſita vox ſufficiebat. Atqui iterum & tertiò & in omnibus ferè qui* VIDERVNT, *eandem repetiuit.* VISVS *eſt inquit Cephæ, viſus eſt plus quàm quingentis fratribus,* VISVS *eſt & mihi.* Hactenus Chryſoſtomus.

Cuius hanc totam orationem teſtimonium confirmat Ananiæ.Qui vt eſt apud Lucam, Actorum 22. ſic ad Apoſtolum, poſtquã is Chriſtum admirabiliter in itinere viderat, alloquutus eſt: DEVS *Patrum noſtrorum præordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius, &* VIDERES *iuſtum & audires vocem ex* ORE EIVS, *quia eris* TESTIS *illius ad omnes homines, eorum quæ* VIDISTI *&* AVDISTI.

Congruit cum his & oratio ipſius Chriſti, qui vt Apoſtolum reſurrectionis ſuæ idoneum teſtem faceret, non in itinere ſolùm illi præſens adfuit, & ad id teſtimonium reddẽdum cohortatus eſt, verùm etiam in caſtris Claudij Lyſiæ Tribuni militum,cùm ibi in cuſtodia teneretur. Sic enim narrat Diuus Lucas, Actorum vigeſimo tertio: *Sequenti autem nocte* ASSISTENS *ei Dominus, ait, conſtans eſto. Sicut enim teſtificatus es de me in Hieruſalem, ſic te oportet & Romæ* TESTIFICARI.

Habemus ex his,Chriſtum,aliquot annis poſt aſcenſionem, viſum eſſe ab Apoſtolo Paulo, & quidem ita viſum ab eo eſſe, ſicut *viſus eſt Cephæ*, ſicut *viſus eſt Iacobo*, ſicut *viſus eſt plus quàm quingentibus fratribus* & Apoſtolis omnibus, vt non minùs ipſe quàm cæteri teſtimonium magna cum certitudine & fiducia reddere poſſet reſurrectionis CORPORIS (vt Chryſoſtomus probat) Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Habemus item, ipſum non modò VIDISSE iuſtum, id eſt, Chriſtum, ſed ita vidiſſe, vt, quemadmodum Ananias teſtatur, AVDIVERIT etiam verbum EX ORE EIVS, idque ſimiliter, vt rectè teſtificari poſſet, quæ ipſemet viderat & audiuerat.

Habemus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Habemus denique, Chriſtum ab eodem Apoſtolo, non eminus in cœlo ſtantem, ſed ipſi ASSISTENTEM, vt Lucas teſtatur, auditum eſſe. Hæc omnia certè, niſi violentiſsimè interpretari ſecus velimus, planè indicant, Chriſtum omnino cominus & conſueto more à D. Paulo, ſicut & à cæteris Apoſtolis, viſum reuera & auditum eſſe poſt aſcenſionem. Sic enim prorſus oportebat, vt teſtimonium etiam Apoſtoli de reſurrectione ſine omni exceptione eſſet.

Quare frigidum admodum eſt illud, quod Caluinus obiter libro quarto Inſtitut. capite decimo ſeptimo, vt ab hoc ſibi fortaſsis argumento caueret, de vna tantùm viſione cogitans ſcripſit, *Perſpicaciam diuinitùs Diui Pauli oculis datam eſſe, quæ cœlos penetraret, ibique Chriſtum è terra videret.* Atqui Scripturæ teſtimonia, quæ citauimus, non quouis modo viſum eſſe ab Apoſtolo CHRISTVM declarant, ſicut de Stephano tantummodò dicitur, *vidiſſe illum cœlos apertos, & IESVM ibi ſtantem à dextris virtutis Dei*, Actorum ſeptimo. Longè alia de Apoſtolo Paulo eſt narratio. Dicit enim Scriptura viſum eſſe CHRISTVM ab Apoſtolo, ſicut viſus eſt Cephæ, ſicut viſus eſt cæteris idoneis teſtibus reſurrectionis eius, qui fuerunt omni exceptione maiores. Teſtatur etiam, ipſi ASTITISSE: teſtatur, Paulum, cùm videret, AVDIVISSE etiam verbum ex ORE eius: teſtatur ipſi apparuiſſe non in cœlis vti Stephano, ſed *in via*, vt Ananias inquit, Actorum nono. Hæccine ſignificant eminus tantùm è terra conſpectum eſſe ab Apoſtolo Chriſtum in cœlo exiſtētem? Minimè verò: ſed prorſus propè.

Sed nónne, dicet aliquis, raptus illo tempore Apoſtolus eſt vſque ad tertium cœlum, atque item vſque *ad Dei paradiſum?* 2. Corinth. 12. Nónne ibi potuit Chriſtum cominùs videre? Ego verò credo prorſus ea contigiſſe, quæ Apoſtolus narrat de illo ſuo raptu. Sed *ſiue in corpore, ſiue extra corpus* (nam neque hoc ille ſciuit) raptus ita fit, conſtat certè diſtingui debere, quæ vel vidit, vel audiuit, vel illuſtratione diuina intellexit in eo raptu, à clara illa altera viſione Chriſti, non in cœlo, ſed IN VIA, vt Ananias eſt teſtatus.

Ac multò etiam eſt certius diuerſum fuiſſe miraculum illud, quando multo tempore poſt eum raptum, ab Apoſtolo eſt Chriſtus in carcere auditus, & quidem ipſi ASSISTENS, vt antè recitauimus.

Vidit igitur primùm & audiuit CHRISTVM præſentem *in via*. Deinde illo triduo, quo ſtupefactus poſt eam viſionem, neque vidiſſe, neque manducaſſe, aut bibiſſe ſcribitur, raptus ſiue in corpore ſiue extra corpus eſſe putatur, Actor. 9. Tum longo tempore pôſt, cùm in cuſtodia eſſet Claudij Lyſię Chriſtum ſibi ASSISTENTEM audiuit.

Noſtrum itaque argumentum ob eam rem eſt firmum, quoniam vidit IN VIA, & audiuit ASSISTENTEM in cuſtodia, & quidem in eum finem, vt non minùs ipſe quàm cæteri Apoſtoli, à quibus reuera cominùs viſus eſt, teſtis idoneus, ac ſine exceptione eſſet Dominicæ reſurrectionis.

Idem probatur rurſus ex Scriptura. §. 24.

EST & illud ad hanc rem, ex Scriptura duci ſolitum argumentum, nō inualidum. Nam ſi ſpectes ad naturæ conſuetudinem atque vim; quomodo nunquam fit, vt corpus vnum diuerſis adſit in locis: ita neque fit aliquando, vt locus vnus capiat corpora diuerſa, quorum alterum quidem ipſum compleat. Neque magis hoc, quàm illud ratio aſſequitur: cùm non ſit minus ab vno capi & contineri plura, quam vnum capi & contineri à pluribus: At compertum ex diuina Scriptura eſt, locum vnum continere potuiſſe, atque adeò continuiſſe illo modo diuerſa corpora, nempe Chriſti corpus & obſeratam ianuam, qua is eſt ingreſſus ad Apoſtolos, Ioannis vigeſimo. Item idem CHRISTI corpus, & clauſtrum Virginis intemeratum; cum natus eſt; atque etiam lapidem clauſi ſepulchri: vt de cœlis incorruptibilibus quos penetrauit, nihil iam dicam. Poteſt igitur eadem Dei virtute fieri, vt idipſum Chriſti corpus, licet vnum & idem, præſens diuerſis in locis adſit, maximè cum non ab illis locis capi, ſed illis in Sacramento mirabiliter contineri aſſeramus.

Verùm neque hic tacuit omnino Caluinus, libro quarto Inſtitutio. capite decimo ſeptimo. Nam vt hoc etiam argumentum effugeret, commentum excogitauit antea prorſus inauditum. *Quod Chriſtum*, inquit, *exiſſe è ſepulchro clauſo, & clauſis ianuis ad diſcipulos eſſe ingreſſum obiiciunt, nihilo magis eorum errori ſuffragatur. Nam ſicut non ſecus ac ſolidum pauimentum Chriſto iter præbuit ſuper lacum ambulanti: ita nihil mirum, ſi ad eius ocurſum ſe flexit lapidis duricies. Etſi probabilius eſt*, inquit, *eius imperio amotum fuiſſe lapidem, & mox tranſitu dato ad ſuum locum rediiſſe. Nec ianuis clauſis intrare tantundem valet, ac penetrare per ſolidam materiam, ſed ſibi aditum patefacere diuina virtute, vt repentè ſteterit inter ſuos diſcipulos planè admirabili modo, cum obſeratæ eſſent fores.* Hactenus Caluinus.

Quem procul dubio puduit, nefariam cogitationem, quam ſimiliter habuiſſe videtur de intemeratis clauſtris Virginis, oratione hoc in loco prodere. Cur enim de eo myſterio admirabilis partus Virginis non aliud, ſi quid habebat diuerſum, reſpondit?

Sed de obſeratis foribus videamus. Cyrillus quidem Alexandrinus de eo miraculo ſic ſcripſit, lib. 12. in Ioannem, cap. 53. (idem Athanaſius in diſputatione contra Apollinar. Ambroſius libro decimo in Luc. cap. 24. & alij) *Clauſis*,

Clauſis, inquit, *foribus repente Dominus omnipotentia ſua* NATVRA RERVM SVPERATA *ingreſſus ad diſcipulos eſt. Nullus igitur quærat, quomodo clauſis ianuis corpus Domini penetrauit: cùm intelligat non de homine nudo, vt modò ſumus nos, ſed de omnipotenti Filio Dei hæc ab Euangeliſta conſcribi.* Ac paucis interpoſitis, *ſi hanc*, inquit, *operationem Dei percipere nequeas, cur potiùs ingenij humani imbecillitatem non accuſas? cur non ſeruas ſilentio datam tibi à creatore menſuram?*

Hæc Cyrillus, qui Caluinum planè & Caluini diſcipulos diuina quadam mentis prouidentia redarguiſſe in hoc loco videtur. Hi ſunt enim, qui dum non capiunt, quomodo Chriſti corpus NATVRA RERVM ſuperata lignum penetrârit, imbecillitatem intelligentiæ ſuæ non reputant, ſed commentum excogitant, quod eſt etiam ridiculum. Nempe Chriſtum diuina virtute ſibi ianuas aperuiſſe, atque ita ingreſſum eſſe aditu ſibi patefacto ad diſcipulos, cum fores fuiſſent antè clauſæ. Magnum ſcilicet miraculum, aperuiſſe ianuas, quæ erant clauſæ & ianuis apertis eſſe ingreſſum. An hoc niſi diuina virtute fieri nequit? An res eſt quę ſuperet ianuæ naturam?

AEque ineptum eſt figmentū, quod ſimiliter de ſepulchri lapide cōminiſcitur. Nam hiſtoria Euangelica, Matth. 27. & 28. primum ab Angelo, poſtquàm reſurrexiſſet Dominus, (vt etiam D. Chryſoſtomus annotauit, Homil. 91. in Matth.) lapidem eſſe reuolutum indicat. Quibus de rebus, quoniā ſatis ſuperque diſſeruimus contra iſtos ſuprà Diſp. 2. q. 5. non eſt neceſſe plura nunc dicere.

Idem probatur ex Patribus. §. 25.

IAM ſancti Patres rem quidem maximè admirabilem eſſe agnouerunt, vt corpus vnicū, adſit diuerſiſsimis in locis: Sed eiuſmodi tamen rem hanc eſſe confeſsi ſunt, quæ fieri prorſus poſſit, imo quę ſummo Dei beneficio fiat in Euchariſtiæ celebratione quotidie. In quo genere præclara eſt valdè D. CHRYSOSTOMI oratio, lib. 3. de Sacerd. ſub. initium. *O*, inquit, *miraculum! ô Dei benignitatem! Qui cum Patre ſurſum ſedet in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur.*

Tum Gregorius NYSSENVS in orat. de Paſch. *Sicut diuinitas*, inquit, *replet mundum, & tamen via eſt, ita innumerabilibus locis conſecratur, & tamen vnum corpus eſt.* Hæc ille. qui exemplo certè eſſet vſus minimè accommodato, niſi ſenſiſſet variis locis poſſe Chriſti corpus per conſecrationem ſubſtantialiter in Sacramento præſens, quemadmodum ſubſtantialiter omnino replet mundum diuinitas.

Item BASILIVS in Liturgia ſic ad Chriſtum precatur: *Veni ad ſanctificandum nos, qui* SVRSVM *Patri conſides, & Hic nobis inuiſibiliter coës; & dignare nobis impartiri ſacroſanctum tuum corpus & pretioſum ſanguinem.*

Tum AMBROSIVS, in Pſalm. 38. *Chriſtus ipſe offertur*, inquit, *in* TERRIS, *quando Chriſti corpus offertur.* Sic Ambroſius, qui procul dubio nō ignorauit, Chriſtum tum etiam, cùm in terris offertur, eſſe in cœlis. Et infrà q. 11. p. 1. cum diſſeremus de Sacrificio Miſſæ, ſententias eorū Patrum allegabimus, qui cùm locum Epiſtolæ ad Hebræos de vnica Chriſti oblatione in cruce interpretantur, diſertè fatentur, vnum atque eundem Chriſtum eſſe, qui multis in Eccleſia locis plenus hîc & plenus ibi offeratur, atque adeò habeatur in tremendis myſteris præſens. *Vnum eſt*, inquit Chryſoſtomus, Homil. 17. in epiſt. ad Heb. *hoc ſacrificium: alioquin hac ratione, quoniā multis in locis offertur, multi Chriſti ſunt? nequaquā. Sed vnus vbique eſt Chriſtus, & Hic plenus exiſtens, &* ILLIC *plenus: vnum corpus. Sicut enim qui* VBIQVE *offertur vnum corpus eſt & non multa: ita etiam & vnum ſacrificium.*

AVGVSTINVS etiam lib. de cura pro mort. agend. cap. 16. tanquam de re tractans, quæ diuinitùs omnino fieri poſsit, quærit, vtrum ſanctī vita defuncti, eorum neceſsitatibus, qui ipſos inuocant, ſic opitulentur, vt ad eam rem diuerſiſsimis etiā in locis ſimul adſint ſpiritu ſuo præſentes. Quod certè non videtur eſſe facilius, quàm vt ſubſtantia etiam vnius corporis, modo præſertim ſpirituali atque inuiſibili, vt ſit in Sacramento, conſtituatur diuinitùs diuerſis in locis. Sed pergamus vlteriùs.

Idem probatur ex ratione. §. 26.

QVARTO nō eſſe, quemadmodum iſti contendūt, impoſsibile, vt corpus vnum diuina virtute in pluribus ſimul locis præſens adſit, ratione præterea & argumentandi forma in iis diſputationibus, quę ſunt de potentia Dei, valde firma, ſic probo: Quidquid non inuoluit vllo modo contradictionem Deus poteſt facere. Sed vt corpus vnum ſimul ſit in multis locis, non eſt res eiuſmodi, quæ inuoluat vllo modo contradictionem. Igitur vt corpus vnum ſimul ſit in multis locis, Deus poteſt facere.

Maior ex immenſitate omnipotentiæ diuinæ certiſsima ratione conuincitur. Quod enim ſine vlla cōtradictione aſſeri poteſt, id etiam ſine repugnantia poteſt intelligi. Quod autem intelligi poteſt, id & *veri* & *entis*, vt loquimur, rationem atque eſſentiam habet. Quidquid autem verum & ens eſt, id prorſus in eam potentiā cadere poteſt, quæ omnipotentia eſt, id eſt, quæ ſine vllis limitibus valet non ad has res tantùm vel ad illas, ſed ad omnes omnino, in quibus eſt ratio veri & entis. Talis eſt autem Dei potentia infinita. Et hanc rationem habet, quod Angelus aſſeuerauit, nullum non verbum eſſe Deo poſſibile, Lucæ 1.

Minorem illa mihi probatio planè perſuadet. Nam eſſe corpus alicubi præſens, id quidem nō niſi ſimplex quoddam & determinatū accidens

Universidad de Deusto
Biblioteca

corporis eſt,ſiue abſolutũ illud ſiue reſpectiuum ſit accidens.Præterea id accidẽs,ſic à corpore diuerſum,atq; etiã corpore poſterius eſt,vt diuina virtute poſſet cõſtare verũ aliquod corpus, neq; tamen vlli loco eſſe præſens.Id ſi quis neget, cogitet attentiùs an negare audebit, in poteſtate Dei fuiſſe, ſicut creauit ab initio vniuerſum hũc mundũ,ita vnum aliquod corpus, puta lignum vnum,aut vnũ lapidem tantũmodò creare. Hoc certè ſi Deus feciſſet,verũ aliquod corpus feciſſet, quod non habuiſſet tamen vllum accidens præſentiæ ad quemquam locum.

Iam,quæ ratio euidens afferri poteſt, quã ob rem nequeat ſine contradictione non multiplicato corpore,multiplicari accidẽs illud præſentię in corpore,quod neq; de eſsẽtia corporis eſt, & ita corpore poſterius,& à corpore diuersũ eſt, vt etiã poſsit penitus ſine illo corpus cõſtare?An ſequetur illicò eſſe vnũ corpus,& nõ eſſe corpus vnũ? Quomodo ? qua ratione id ſequetur? Corpus certè & vt corpus,& vt vnũ corpus ſubiectũ eſt illius accidentis præſentiæ,atq; adeò quiddã eiuſmodi accidẽte prius: & id ſanè ita,vt per virtutẽ Dei carere prorſus poſsit illo poſteriori accidente præſentiæ.Hoc cùm ita ſit,cur multiplicari præſentiam illam, erit etiam multiplicari corpus, eſſeque adeò corpus vnum,& non vnũ?

At vna eiuſmodi præſentia requirit tanquam ſuũ ſubiectum,totũ vnũ corpus; vt proinde non videatur in eodẽ corpore altera ſimul poſſe poni præſentia. Certè neq; poni ſolet neque poteſt poni per aliquã virtutẽ cauſæ naturalis; ſed poteſt tamẽ per virtutẽ diuinã.Hoc.n. contendo,ſi ad infinitã Dei potẽtiã vnũ corpus referas,nullã euidentẽ afferri poſſe rationẽ, cur in eo tanq; in ſubiecto nõ ſit capacitas ad præſentias diuerſas.

Atq; ego quidem eò magis perſuadeo id mihi, quòd aliquid non prorſus abſimile in alio quodam genere iam contingere (ſententiã ſaltẽ quorũdã nõ improbabili) animaduerto.Etenim vna relatio æqualitatis ad vnum æquale, in toto ſubiecto ſuo eſt,& vt ita dicã, illud quaſi totum occupat. Nihilominus tamen,vt quidam putãt, locus eſt in eodẽ ſubiecto alteri relationi æqualitatis ad alterum æquale. Cur nõ igitur aliquid ſimile,quod ad præſentiam in loco attinet,contingere poſſe per diuinã virtutem concedemus?

Hoc ſi parum aduerſarios mouet,demonſtrẽt quæſo mihi,quamobrẽ,vel, vt preſsiùs vrgeam, quam ob rationẽ propriè nequeat corpus vnũ in pluribus locis adeſſe ſimul? An quia *vnum*? At Deus (quod eſt ad hanc ipſam rem exemplũ D. Gregorij Nyſſeni,in orat. de Paſch.) multò magis vnum quiddam eſt;& eſt tamen totus diuerſiſsimis in locis.An quia eſt vnum aliquid,quod eſt *finitum* atq; *creatum*? At ſubſtantia rerum finitarum nõ loco propriè, ſed ſuo genere,atq; differentia finitur, vt ſuam ita tantum, non aliarũ rerum omnium perfectionem cõtineat. Ex qua re fit,vt ſi corpus vnũ eſſet totũ in pluribus locis,nihilominus eſſet finitũ.Nam & anima vnũ quiddã finitum atq; creatum eſt,& eſt tamen tota diuerſiſsimis in partibus. Angelus etiã, cùm ſit creatura,differentibus tamen in rebus ſiſtere ſeſe præſentem poteſt,in vnaquaque totum.

Sed hîc dicetur,neq; Angelũ neq; animã adeſſe partib.aut rebus ſic inter ſe diſsitis,quomodo diſtãt loca,in quibus affirmamus nos, adeſſe ſimul Chriſti corpus.Certè nihil obſtat,quo minùs in diuulſis etiã à ſe inuicẽ partibus & alibi atq; alibi collocatis poſsit diuina virtute anima præſens (vt erat in iiſdẽ partibus cõiunctis priùs) retineri ſublata tantũ informatione. Sic etiam Angelus, qui in duabus rebus cõiunctis,& in vnaquaq; earũ totus exiſtit, perſiſtere diuinitus in iiſdẽ tunc etiã poſſet, cũ altera ab altera procul remoueretur.Hoc ſi abſq; repugnãtia cõuenire poteſt vni ſpiritui; cur nõ etiã vni corpori eadẽ Dei virtute poſsit accidere,præſertim præſentię modo neq; locali prorſus,neque viſibili?

Obiiciunt Auguſtini ſententiam,epiſt.57.qui ſic ſcripſit ad Dardanũ: *Spatia locorũ tolle à corporibus, et nuſquã erunt: et quia nuſquã erunt, neq; erunt.* SED hic Auguſtinus minimè negat, corpus, per potentiã abſolutã Dei, alicubi eſſe poſſe modo non locali: ac multò minùs præſens eſſe poſſe per eãdem Dei virtutẽ multis in locis. Tantũ.n. diſputat non poſſe corpora naturali modo ſine locis,quib. cõtineantur, exiſtere. Id apparet ex antitheſi,quã ibi inſtituit.Nam Deũ comparat cum corporibus. Illum affirmat, in ſe ipſo præſentem eſſe, quia non continetur,inquit, ab eis, quibus eſt præſens, tanquã ſine eis eſſe non poſsit.Tum ſubiungit verba illa,quæ ſunt antè recitata, docetq; aliam rationẽ eſſe corporũ, quòd niſi in locis quibus cõtineantur eſſe nõ poſsint. Ita illud profectò docet,quod naturaliter competit corporibus. Quemadmodũ etiam perfectionẽ ibi naturalẽ Dei memorat,cùm cõtrà dictionẽ ibi naturalẽ Dei memorat, eſſe poſſe, cit illũ ſine locis,à quib. contineatur, eſſe poſſe.

Nihil igitur cum hac Auguſtini *doctrina* pugnat id, q̃ ipſi diſputamus per abſolutã potẽtiã Dei poſſe vnũ corpus alicubi eſſe modo nõ locali,& quidẽ diuerſiſsimis locis ſubſtantiã ſua reuera præſens.Cõtra hãc aſſertionẽ nihil prorſus obiici poteſt, quod non facile explicari poſsit,ſi ſimilitudinem intelligentiamq; à conſuetudine imaginationis auocemus.

AT id non capimus. Quàm multa iſto modo, quę ſunt certiſsima,negare deberemus? Nimirũ res eſt abhorrẽs à noſtri ſenſus atq; etiam ab ipſius naturæ conſuetudine.Sed nunquid his finibus diuinã potentiã metiemur,vt illã, niſi quod fieri ſolitũ eſt,atq; à nobis cogitatione comprehendi poteſt,non cõcedamus? Exiguæ profectò tunc eſſent diuinæ virtutis copiæ. Quare longè aliter ſentiendũ eſt,idq; cogitãdum, vt rẽ aliquã diuinitus fieri poſſe ſtatuamus, ſatis nobis eſſe non videre cur ea fieri nequeat, neq; etiã oportere,vt quomodo fieri poſsit,ipſi videamus.

Quã

Quã de re ſapienter admodum Hugo Victorinus lib.2.de Sacra.p.8.cap.11. *Dices mihi*,inquit, *quomodo corpus vnũ eodem tempore in diuerſis locis eſſe poteſt? Hic eſt, ibi eſt, totum vtrobiq; eſt, & in multis locis ſimiliter. Noli mirari. Qui fecit locum, fecit corpus, & fecit locum in corpore, et corpus in loco. Et qui fecit vt vnum corpus vno in loco eſſet, fecit ſicut voluit: Etſi voluiſſet, aliter facere potuiſſet. Nam quando vult, aliter ipſe facit, & eſt ſemper, ſicut ipſe vult. Quia antè ſic ipſe fecit, vt vnum corpus eſſet in vno loco: tu quod factum eſt vidiſti, & neſcis aliud, niſi quod factum eſſe vidiſti. Idcirco miraris quando aliud vides vel audis, quàm videre & audire conſueuiſti, &c. Cogita facientem, & deſinet eſſe mirabile, vel ſaltem incredibile non erit.* Hactenus Victorinus. Et hactenus de argumento PRIMO Sacramentariorum à ratione ducto.

PORRO, vt facilè etiam diſcutiantur alia argumenta, quæ aduerſus poſsibilitatem præſentiæ vnius Corporis in pluribus locis (præſertim *circumſcriptiuè*) vel ſolent vel poſſunt obiici, deducẽdo ad quædam, quę videantur abſurda;notari debent QVATVOR Pronunciata & velut Regulæ, ex quibus pendet totius huius rei diiudicatio, vt ſciamus, quidnam ſit aut non ſit cõſequens ex eo, quod aſſerimus,poſſe vnũ Corpus eſſe in pluribus locis.

PRIMVM Pronunciatũ. *Corpus exiſtens in pluribus locis, in quolibet eorũ poſſet ſe habere* EODEM MODO, *quoad omnia ea attributa ſeu prædicata, quæ nõ pendeãt* DETERMINATE *ex vno aliquo loco*; ſicut pendet v. g. diſtãtia corporis *tanta* & *talis* ab aliquo alio loco; vt v. g. diſtantia illa determinata (quoad lõgitudinem,& ſitum, &c.) quæ eſt inter Corpus exiſtens Ingolſtadij, & Auguſtam, &c. Nam hæc diſtantia non poteſt competere corpori alibi quàm Ingolſtadij.

Probatur autem hoc Pronunciatum quoad alia omnia attributa (vt dixi) ſeu Prædicata. Nã ſicut ipſa ſubſtantia Corporis poteſt diuinitus collocari in pluribus locis, ita etiam ſimul cum illa & in illa quodlibet aliud eiuſmodi attributum.Itaq; poteſt idem Corpus in quolibet eorũ locorum eſſe calidum v. g. aut album, & habere eundem modum ſitus ſiue poſitionis partium inter ſe, &c.

SECVNDVM Pronunciatum. *Contrà etiam, poteſt Corpus exiſtens in pluribus locis habere ſe in alio atque alio loco* ALITER ET ALITER, *quoad omnia ipſius attributa ſeu prædicata, quæ etiam non pendeant à determinato loco.* Vt v. g. poteſt in vno loco habere calorẽ atque adeò eſſe calidũ;& in alio non,ac proinde etiam habere in alio attributum contrarium, nempe frigus. Item poteſt pari ratione in vno loco habere animã ſibi vnitam atque adeò eſſe viuum, & in alio non, ac proinde *ſecundùm quid* (nempe ſecundùm alium illum locũ) eſſe mortuum; vel certè *non viuum*, ſi quis contendat de vocabulo, velitq; non debere vllo modo *mortuum* corpus dici,niſi quod *ſimpliciter* caret anima, ad quam eſt aptum, ita vt nuſquam illam habeat. Item pari ratione poteſt tale corpus in vno loco habere vnam poſitionem ſeu ſitum partium, & in alio aliam.Et ſic de quibuſcunque aliis attributis ſeu prædicatis Corporis.

Probatur autem manifeſtiſsima ratione iſtud Pronunciatum. Nam eodem modo quo poteſt Deus duas res coniunctas collocare in diuerſis locis, poteſt etiam in illis collocare alteram tãtum illarum ſine altera, puta Corpus ſine quolibet ipſius attributo ſeu Prędicato.Cur enim de vna re non poſsit facere, quod poteſt de duabus ſimul? vt de Corpore ſolo,quod poteſt de illo & ſimul de eius anima,vel de eius calore, &c. Ponat igitur corpus ſolum (non aũt ſimul etiam illius animã,aut calorẽ, &c.)in duobus locis; & tũc in vno erit viuum & calidum, in alio autem non viuum & non calidum, &c.

Nec verò iſtud erit cõtradictio.Non.n. idem prorſus prædicatũ (nempe Viuum, &Calidum, *abſolutè* & ſecundùm ſe)affirmaretur tunc & negaretur de eodem ſubiecto, id eſt, de corpore, ſed *aliud* & *aliud*. Affirmaretur .n. quòd eſſet viuũ *Ingolſtadij* v. g. & negaretur quòd eſſet viuum *Auguſtæ*, quę duo prędicata nõ minus differunt, quàm hæc duo, Albũ *ſecundùm dentes* (v.g.)& Albũ *ſecundũ faciẽ*.Itaq; vt nõ eſt contradictio affirmare, quod AEthiops ſit albus *ſecũdùm dentes*, & negare quod ſit albus *ſecundùm faciem*;ita neq; in noſtro propoſito eſt contradictio affirmare, quod vnum corpus ſit viuũm vel calidum *Ingolſtadij*; & negare quod ſit viuum vel calidum *Auguſtæ*. Et ſic de ſimilibus.

TERTIVM pronunciatum. *Sicut vnũ corpus per Dei potentiam poteſt* PERMANENTER *eſſe ſimul in pluribus locis, ita etiam* SVCCESSIVE; *ſic nimirum, vt ſerie quadam continua aut interrupta (prout* DEVS *vellet) nunc ſit in quibuſdam pluribus locis ſimul, & poſt in aliis pluribus, &c.*

Probatur manifeſta ratione. Nam hoc nihil aliud eſſet, quàm fieri per diuinam potentiam *ſæpius* illud ipſum,quod per eandem potentiam fieri poteſt *ſemel*,nempe vt vnũ corpus ſit in pluribus locis.Nullum autem eſt dubiũ,quin Deus poſsit ſæpe facere, id quod poteſt ſemel.

Atq; ex hoc Pronunciato clariſsimè apparet, poſſe Corpus in pluribus locis exiſtens,moueri etiam *localiter* diuerſis imò contrariis ſimul motibus. Vt Ingolſtadio verſùs Auguſtã,& Auguſta verſùs Ingolſtadiũ. Nã nihil aliud eſſet ad id neceſſe, niſi, vt quẽadmodũ ſimul fuiſſet Ingolſtadij & Auguſtę, ita ſerie quadã ſucceſsionis eſſet in plurib. illis locis ſimul,quæ intercedunt extra Ingolſtadium verſùs Auguſtam, & extra Auguſtam verſùs Ingolſtadium. Eatenus. n. Corpus mouetur verſùs aliquem terminũ, quatenus eſt ſucceſsiuè in locis,quæ ducũt ad eum terminũ.

Quin etiã poſſet tale Corpus moueri eiuſmodi motibus contrariis per *eandẽ* viæ ſemitam ſeu lineã. Quo caſu vitandę eſſent duæ quædã falſæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

imaginationes. VNA est ea, qua posset quis putare, fore tunc, vt in aliquo loco eius semitæ istud corpus sibimet ipsi *occurreret*. Nullus .n. hîc esset propriè *occursus*, cùm occursus talis non sit propriè nisi inter plura & diuersa. Hîc autem nõ essent plura & diuersa corpora, sed *vnicũ* quãtumuis in locis quibuslibet pluribus. Et attentè in hac tota quæstione seuocandus est intellectus à consuetudine sensus, ne ob *locorum* pluralitatẽ cogitet etiam pluralitatem *corporum*, sicut hæ pluralitates aliâs naturaliter coniunctæ esse solent. ALTERA imaginatio est ea, qua itidẽ falsò quis posset putare, fore tunc, vt in aliquo loco illius semitæ Corpus illud *secundùm se totum* penetraret se ipsũ, seu adesset sibi ipsi penetratiuè. Nam nec talis penetratio secũdùm *totum* haberet hîc locum; cùm penetratio non sit nisi inter *diuersa*, & hîc non diuersa corpora, sed vnicum esset, vt est dictum.

Omnino tamen futurũ tunc esset, vt aliquando esset illud corpus in vno tantùm aliquo loco illius semitæ & nõ in pluribus; nempe in illo, in quo alioqui duo corpora sibi occurrerẽt, si similiter mouerẽtur illis motibus contrariis per illã semitam. Item futurum tunc esset, vt in illo quidem loco se penetrarent *partes* anteriores & posteriores illius Corporis; siquidem aliæ deberẽt transire per locum aliarum contrario motu, vt consideranti patet. Neque tamen propterea oporteret dissolui illarum partium continuitatẽ in ea penetratione: Vt neque dissoluitur continuitas partium Corporum diuersorum, si vtrũque corpus atque adeò vtriusque corporis partes se penetrent in eodem loco, ad modum quo Christi corpus sepulchrum clausum penetrauit, &c.

Potest autem diuinitùs accidere eiusmodi penetratio per hoc, quòd aliquid supernaturali Dei virtute varietur circa *naturalem* corporis *situm*, siue circa naturale illius *Vbi*. Hoc enim *Vbi*, seu *situs* naturalis obstare solet naturaliter, quo minus diuersa corpora vel diuersæ corporum partes sint in vno & eodem loco, atq; adeò se penetrent. Itaque ratione eius *Situs* supernaturaliter variata (prout Deus nouit) poterit eiusmodi penetratio accidere.

QVARTVM Pronunciatum. *Corpus existens in pluribus locis, ob plures ipsius præsentias in locis pluribus, multa posset, quæ non posset aliàs existens tantùm in vno loco.* Hoc Pronunciatum ex se manifestum est. Nam posset tale corpus pro diuersitate locorum diuersissima tum agere in res alias loco distantes, tum ab eis pati, iuxta dicta etiam in Pronunciato secundo.

Peculiariter autem ob eiusmodi diuersas suas præsentias & situs diuersos in loco, posset *implere* plura spacia diuersorum locorum (etiam cõtinuorum, si in eis immediatè collocaretur) citra æqualitatem suarum dimensionum cum dimensionibus locorum eiusmodi: Quod est etiã mirabile, sed tamẽ non impossibile. Nam duntaxat secũdùm *vnicam* præsentiam localem impossibile est, maius à minori, & inæquali impleri; potest autem id fieri secundùm *plures* eiusmodi præsentias, atque adeò secundùm situm & præsentiam Corporis localem, sæpius quasi repetitam, &c.

Itaque ex his pronunciatis facilè discuti possunt argumenta varia, in hac quæstione, & rota hæc res diiudicari, non minus nec plus admittendo, quàm verè sit consequens ex assertione possibilitatis præsentiæ vnius Corporis in pluribus locis. Nunc progrediamur ad alia argumenta Sacramentariorum contra Christi corporalem præsentiam in sacra Eucharistia. Hęc enim hactenus disseruimus per occasionem PRIMI illorum argumenti à ratione ducti.

Respondetur ad alia argumenta Sacramentariorum ex ratione ducta. §. 27.

SECVNDO argumẽtantur, Christum similem per omnia nobis fuisse, excepto peccato, omnesque proprietates corporis humani assumpsisse: eius autem naturalem *proprietatem* esse, vt non sit vllo modo præsens nisi in vno loco.

Sed hoc etiam facillimè expeditur. Fateor enim proprietatem corporis esse, vt sit tantum in vno loco, quantum est quidem ex vi naturali corporis. Quam proprietatem etiam Christus assumpsit & retinet. Nam per vim quidem naturalem sui corporis non est nec fuit vnquam vno tempore nisi in vno aliquo loco. Hoc tamen non impedit, quo minùs supra naturam corporis Christo competat, vt sit simul in pluribus locis: alioqui similiter probaretur, illum neiam quidem esse immortalem & impassibilem, cùm proprietas corporis humani sit, quantum est quidem ex vi naturali illius, mori & pati posse.

Itaque cæci sunt, quòd non vident, si valeat hoc illorum argumentum, quónam absurditatum à nobis pertrahi possint. Sic enim parimodo argumentabor: *Proprietas Corporis naturalis est, vt pati & corrumpi possit; vt locum alio corpore repletum occupare nequeat; vt si viuum est, alimonia indigeat; si terrenum, adeò sit graue, vt consistere atque extare omnino & ingredi non possit, nisi per terram, &c. Sunt autem à Verbo diuino, vnà cum natura corporea naturales omnes corporis proprietates assumptæ. Christi ergo corpus iam etiam & patibile, & mortale est; & alimonia indiget neque aliquando vel nascens ex virgine, vel ex sepulchro exsurgens, vel ad discipulos clausis ianuis ingrediens, per locum alterò occupatum; corpore, permeauit; neque desum super aquas omnino extitit, aut est ingressus.*

Hoc certè argumentum, cuius conclusionem constat falsam esse, nihil differt ab argumento Sectariorum. Quare æquè illud atq; hoc captiosum est. Nam responderi debet, susceptisse quidem vnà cum natura Verbum diuinum proprietates omnes, seu accidentia corporis naturalis, ita vt, quãtum est ex natura sua quidem, nihil ei supra eas proprietates & accidentia competat: Sed non ita tamen, quin *diuina virtute* atq; gratia corpus illud sublimioribus aliquibus siue conditionibus siue attributis fuerit donatum, quæ tamen cum vera essentia corporis minimè pugnauerint. In eo genere, vt impatibilitas, subtilitas & aliæ dotes, ab inuitis etiam Sectariis poni debent; sic etiam præsentia Sacramentali modo pluribus in locis à nobis numeratur. Neque nobis magis in ea re, quàm Sectariis, vt concedant alias corporis Dominici dotes, quæ controuersia omni vacant, id argumentum obstare debet, quod ex contraria conditione corporis obiiciunt.

TERTIO. Solent maximè vrgere argumentum illud, quod in Colloquio Mompelgartensi, Anno 1586. proposuit Beza in actis, pag. 24. insignis Caluinianus, his verbis: *Etsi corpus Christi, quod in cœna sumendum præbetur, est verum corpus organicum: tamen analogia poscit, vt qualis est alimonia, & eius finis, talis sit illius alimoniæ percipiendæ modus. Atqui, rei Sacramentaliter significatæ, id est, carnis & sanguinis ipsius Christi, alimonia & finis sunt spirituales, id est, ad spirituale cõiunctionem cum Christo, & vitam æternam ex illo hauriendam spectant: Spiritualem ergo earundem rerum percipiendarum modũ esse necesse est; & animæ instrumento proprio, id est, fide, tam in verbo simplici, quam in Sacramentis peragi.*

RESPONDEO, in hoc argumento, quod video passim maximi fieri à Sacramentariis, quatuor vitia sunt. PRIMVM, quòd vt maximè totũ argumẽtum concederemus, tamen non id probat, quod per illud probare instituunt Sacramentarij contra nos; scilicet carnem & sanguinem Christi TANTVM spirituali modo, & non etiã corporali percipi in Sacramento debere; sed solùm probat, quod sine cõtrouersia verum est, & nos etiam fatemur, nempe debere sanè percipi spirituali modo per fidem perfectam charitate. Hæc directò est conclusio illius argumenti, sicut à Beza hîc propositum est, & non alia, vt consideranti argumẽti propositiones facilè patebit. Nihilominus tamen sua quædam alia cõsistet analogia inter hunc cibum & modum percipiendi ipsum, si simul etiam sumatur modo corporali, ea videlicet, quòd cùm ex corpore constemus, & corporalibus rebus assueti simus; aptissimè per res corporales salus spiritualis nostra diuinitùs procuratur, vt à diuo Chrysostomo notatum est, homil. 83. in Matth. & à D. Damasceno lib. 4. cap. 13.

SECVNDVM argumenti vitium est, quòd ita exstructum est, vt non modò non probet sentẽtiam Sacramentariorum, sed etiam posit à nobis contra illam pro nostra commodissimè retorqueri, hoc modo: Analogia postulat, vt qualis est alimonia & eius finis, talis sit illius alimoniæ percipiendę modus: Atqui res Sacramentaliter hîc significatæ, id est, caro & sanguis Christi, sunt alimonia, non modò spiritualis secundùm suum effectum & modum, quo mentem nutriunt, sed etiam secundùm se corporalis; verum enim & organicum corpus Christi in Sacramento præbetur, vt ipse Beza agnoscit; Item finis etiam huius alimoniæ non solùm est spiritualis, sed etiam corporalis, nempe futura corporis immortalitas, vt ex sententia Christi diuus IRENAEVS disertè confirmat lib. 5. cap. 2. Corporalem ergo modum earundem rerum percipiendarum esse, necesse est, atque adeò corporis item instrumento propriè, id est, ore, peragi oportet.

TERTIVM vitium est, quòd ex eiusmodi quadam Sacramentariorum imaginatione argumentũ istud proficiscitur, quæ posit similiter illos in ethnicismũ planè & abnegationem totius Christianæ religionis impellere. Cogitant enim non debere corporali modo seu instrumẽto corporis, aut per corpus geri, quod ad spirituale mentis commodum est institutum. Id si ita est, non debebit igitur Baptismus, qui ad spiritualem animæ regenerationẽ institutus est, per aquam, & in corpore administrari; imò nec debuisset verbum diuinum veram carnem assumere, neque verè in carne pati, neque in carne resurgere, neque in carne ascendere in cœlum, neque in carne venire ad iudicium, quandoquidem hæc omnia ad hominum spiritualem salutem instituta sunt, &c. En barathrum impietatis, in quod facillimè præcipitabitur, quisquis non resiliuerit ab istis fundamentis Bezanis & Caluinisticis.

Nos in eo fundamento firmiter consistimus, quod à Christo positum est, cui placuit nimirum, vt ex ipsius corpore & sanguine in Eucharistia vitam spiritualem, instrumento etiam corporis, id est, ORE, hauriremus. Nam *Accipite*, inquit, *& manducate* (ORE videlicet) *Hoc est corpus meum.* Ac præclarè TERTVLLIANVS istud Christi consilium, spiritualia cõmoda per corporis instrumentum communicandi, & nominatim spirituale alimẽtum animi per oralem manducationem Christi carnis, his verbis declarat, lib. de resur. carnis. *Caro*, inquit, *abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur.* CARO *corpore & sanguine Christi* VESCITVR, *vt &* ANIMA *Deo saginetur.*

QVARTVM argumenti vitium est, quòd ex vocabulis ambiguis procedit; quorum ambiguitas si per distinctionem tollatur, illicò appareret nihil minus per eam argumenti formam Sacramentarios concludere, quàm id quod instituunt. Cùm enim in prima argumenti propositione ait Beza, *talem* esse debere modum percipiendæ alimoniæ, *qualis* est alimonia & finis eius, vel

ius, vel intelligit debere eſſe planè ſimilem, per conuenientiam nimirũ in aliquo *prædicato*, quod ſit cõmune tum alimoniæ & eius fini, tum etiam modo illam percipiendi; vel ſolùm intelligit debere eſſe modum qualicunque tandem ratione *aptum*, & proportionatum alimoniæ, & eius fini, ita videlicet vt aptè & commodè ad effectum & finem alimoniæ conferat.

Si priori modo intelligit; vt intelligere ſe indicat, cùm deinde aſſumit, alimoniam & finem eſſe ſpiritualem, ac proinde idem *prædicatum* (nempe, *ſpirituale*) debere conuenire percipiendi modo, vt ſcilicet is quoque ſit ſpiritualis duntaxat; ſi ita inquam, intelligit, propoſitio eſt planè falſa. Nam neceſſaria analogia alimoniæ, & modi percipiendæ alimoniæ, non requirit talem ſimilitudinem, ſed ſolùm *proportionem* aliquam. Exempli cauſſa: Inter carnes quæ ſunt alimonia Bezæ in die ſancto Paraſceues, & *modũ* quo Beza *percipit* hanc alimoniam ore, analogia ſufficiens eſt, hoc ipſo, quod aptè confert hic modus ad effectum & finem eius alimonię, nempe vt ſubſtantia Bezæ nutriatur; quamuis minimè hic modus percipiendi ſit etiam aliqua ſubſtantia, ſicut ipſa alimonia eſt ſubſtantia, & etiam finis eius, nempe ſubſtantia Bezæ per nutritionẽ acquiſita: non enim eſt illa comeſtio carnium, niſi quidam *motus & operatio*, qua peccat alioqui Beza contra præceptum Eccleſiæ mortaliter.

Si autem Beza poſteriori modo propoſitionem ſuam intelligit; vera quidem eſt; ſed ex illa non deberet in eo argumẽto determinatè concludere, quòd oporteat modum percipiendæ ſpiritualis alimoniæ eſſe ſpiritualem, ſed tantummodò licebit concludere, neceſſe eſſe, vt is modus ſit talis, qui aptè conferat ad effectum & finẽ ſpiritualis alimonię. Talis autem modus eſſe poteſt, nõ ſolùm ille ſpiritualis per fidem, ſed etiam alter corporalis, vt antè cõfirmauimus, tũ ex Chriſti ſententia & inſtitutione, tũ præclaro teſtimonio Tertulliani.

Qvarto ſic etiã argumentantur. Sermo ille Chriſti fuit Sacramentalis: Sacramenta aũt ſunt ſigna quædã: Igitur ſecundùm analogiã doctrinæ Sacramentalis, exiſtimare debemus, non in ipſo Chriſti corpore & ſanguine, ſed tantùm in eius ſigno iſtud Sacramentũ eſſe conſtitutũ.

Sed ſi hæc forma argumentandi valeret, ſimiliter probarent iſti, Baptiſmi Sacramentum non in aqua, ſed in aquæ aliquo ſigno inſtitutum eſſe. Fuit enim & ille Chriſti ſermo Sacramentalis, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et Matth. 28. *Baptizantes eos, &c.*

Reſpondendum ergo eſt, ex eo quod ſermo ille fuerit Sacramentalis, rectè quidem conſequi, vt Euchariſtiæ Sacramentum eſſe debeat alicuius effectus ſpiritualis ſignum; ſed hoc tamen non impedire, quò minus hæc Euchariſtiæ ſignificatio ſubſiſtat in vera re. Hanc autem rem, ſecundùm ipſius Chriſti ſententiam, dicimus continere etiam præſens ipſum corpus & ſanguinem Chriſti: ſicut in re, in qua eſt ſignificatio Baptiſmi, continetur vera natura aquæ.

Postremo, negant eſſe vtile, immò perniciоſum fuiſſe futurum dicunt, vt Chriſti carnem præſentem apud nos haberemus. Nam & Apoſtolus monet, Coloſ. 3. vt *quæramus quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram.* Et etiam ea de re in celebratione Euchariſtiæ à miniſtro monemur. Et Chriſtus ipſe dixit, Ioan. 16. *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos*; Noluit q; nos ſuæ carnis præſentiæ affixos eſſe.

Verum hoc totum iſti vaniſsimè obiiciunt. Dubium enim non eſt, quin Chriſti præſentia ſub aliena Sacramenti ſpecie plurimum ad excitandam in noſtris animis ſanctam quandam erga Chriſtum reuerentiam, atque adeò ſummum pietatis ſtudium, valeat, vt ſuprà expoſuimus. Quòd autem ea, quæ *ſurſum ſunt, quærere, & ſurſum corda* attollere, in celebratione huius myſterij iubemur, id eò pertinet, vt cuius rei pignus nobis in hoc Sacramento diuinitùs donetur intelligamus; nempe vitæ æternæ, quam degemus cum Chriſto in cœlis, & nobis in omni re propoſitam debemus habere: Non autem id eò ſpectat, vt putemus (ſicut cogitant Sacramentarij ridiculè,) Chriſtum non eſſe etiam in terra præſentem ſub aliena ſpecie Sacramenti.

Denique Chriſtus ſolùm de præſentia cõſuetа ſub forma propria viſibili illud ad diſcipulos locutus eſt: *Si non abiero, &c.* De præſentia verò inuiſibili, in Sacramento quoque illud etiam rectiſsimè intelligi poteſt, Matth. 28. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*; vt etiam intellexerunt Patres in generali Concilio Vienneſi, lib. 3. Clementinarum. titulo de Reliquiis, & veneratione Sanct. Cap. *Si Dominum.*

Reſpondetur nominatim ad obiectiones Antonij Sadeelis Caluiniſtæ. §. 28.

Nec maioris momenti ſunt ea, quæ Sadeel in Tractatu de manducatione Sacramentali, maiori apud Caluiniſtas ſuos applauſu, quàm meretur, obiicit contra realem Chriſti exiſtentiam in ſanctiſsimo Sacramento.

Prima obiectio. *Si realis*, inquit, *exiſtentia corporis Chriſti ſub pane, vel nudis eius accidentibus, non eò ſpectat, vt corpus Chriſti & eius ſanguinem ſpiritualiter ore animi, & vera fide ad vitam æternam manducemus, reiicienda eſt. Si eò ſpectat, perperam & inutiliter ad illud aſſequendum adhibetur: ac proinde ſic erit etiam reiicienda.*

Respondeo. Inania ſunt verba. Quomodo enim nobis perſuadebis, inutilem eſſe realẽ illam inexiſtentiam ad eum finem aſſequẽdum, vt ſpiritualiter corpus & ſanguinem Chriſti ore animi, & vera fide ad vitam æternam manducemus? Nónne fides noſtra & charitas, ab eximia illa Chriſti erga nos charitate, qua ſeſe præſentem nobis impertit, plurimum concitari & augeri in animis noſtris poſſunt?

Veriſsimè enim D. Chrysostomvs Hom. 45. in Ioan. *Cùm ſuum*, inquit, *Chriſtus in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis cõmiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniatur. Hoc enim amantium maximè eſt, hoc Iob ſignificabat, de ſeruis, à quibus maximè amabatur, qui ſuum amorem præ ſe ferentes dicebant: Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur? Quod Chriſtus fecit, vt Maiori nos charitate aſtringeret, et vt ſuum in nos eſſẽderet deſiderium, non ſe tantùm videri permittens deſiderabilibus, ſed & tangi, et mãducari et dentes carni ſuæ infigi* (per accidẽs ſcilicet, quatenus intimè ſubeſt panis accidentibus) *& deſiderio ſuo omnes impleri.*

At, inquis, *fides & efficacia Spiritus ſancti ſunt media ſufficientia, & certa, vt ſpiritualiter cum Chriſto vniamur.* Non eſt igitur ad id neceſſaria realis inexiſtentia Chriſti in Sacramento.

Respondeo. Si quidquam valet iſtud argumẽtum, pari modo poſſent iſti cõcludere, qualecunque etiam Euchariſtiæ Sacramẽtum, in quo etiam realiter non exiſtat Chriſtus, ac proinde Sacramentum quoque Caluiniſticum, eſſe reiiciendum tanquam inutile. Nam ſimiliter argumentari poſſunt, ſufficere fidem & efficaciam Spiritus ſancti, vt ab animo noſtro ſpiritualiter percipiatur Chriſtus.

Quin etiam poſſent vlterius progredi & repudiare ob eandem rationẽ reliqua ferè omnia myſteria Chriſtianæ religionis. Nam cur non quoque venit illis in mentem, inutilem eſſe baptiſmum aquæ, cùm poſsit animus per ſolam gratiam Spiritus ſancti à peccatis purgari. Item inutilem fuiſſe diuini verbi incarnationem, atq; adeò Chriſti paſsionem, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem in cœlum, &c. quandoquidem poterant homines ſine his mediis beneficio diuinæ gratię ſalutem conſequi. Et certè huc redit ſumma Caluinianæ impietatis, vt ſi illius fundamenta firma ſint, nihil ſit firmum in Chriſtiana religione.

Dicendum eſt igitur, non ideo medium aliquod ad aſſequẽdum finem eſſe inutile & reiiciendum, quoniam abſolutè quidem neceſſariũ non ſit: ità enim omnia media ad ſalutem diuinitùs inſtituta eſſent inutilia, excepto vno vel altero, quod ad ſalutem ſufficeret, vt puta, baptiſmo, & perfecta fide, &c. Sed ſatis eſt quòd vnumquodque medium ſuo modo conferat & aptum ſit ad aſſequendum finem. Confert autem plurimum realis Chriſti exiſtẽtia in Sacramento, vt tam ſingulari Chriſti charitate commoti, arctius cum ipſo per fidem & charitatẽ coniungamur, ſicutiam intelleximus ex D. Chryſoſtomo. Sed inquit iſte, ſi tranſubſtantiatio, vel inexiſtentia realis aſſeratur, occurrere multa incõmoda, ex quibus minimè nos expedire poſſimus. At hoc nihil aliud eſt, quàm more Caluiniſtico petere principium.

Obiectio secvnda. *Si corpus Chriſti eſt cibus ſpiritualis, ac proinde animi, non corporis ore manducari debet, certè dogma iſtud de inexiſtentia corporis Chriſti ſtare non poteſt, &c.*

Respondeo. Rurſus principium petis, cũ ponis ideo corpus Chriſti non corporis ore, ſed animi manducandum, quia ſit cibus ſpiritualis. Quid .n. impedit, quo minus inſtrumẽto corporis id accipiatur, quod accipitur ad ſpiritualẽ vtilitatem animi? Nónne aqua baptiſmi ſuſcipitur corpore ad ſpiritualem ſalutem animæ? Videat lector, quæ ad hoc iſtorum argumentum reſpondimus §. præcedenti contra Bezam. Neq; enim Sadeel nouì aliquid hoc loco adfert præter quaſdam cauillationes.

Vt cum indicat, nõ alia de cauſſa corpus Chriſti vocari à nobis cibum *ſpiritualem*, niſi quia ſit cibus *inuiſibilis*. Atqui nos ideo inprimis ſpiritualem appellamus, quoniã ideo ſumitur, vt ſpiritualiter alatur animus, nõ vt nutriatur corpus.

Item cum ſignificat, ideo ex ſententia noſtra corpus Chriſti ore accipi, vt ea quaſi ianua patefacta in animum noſtrum ingrediatur. Nugæ Caluiniſticæ. Scimus enim poſſe etiã Chriſtum per fidem & charitatem ſpiritualiter *habitare in cordibus noſtris*, quamuis ore corporis non percipiatur. Sed tamen ore item corporis ipſum qua poſſumus reuerentia, ſuſcipimus, quoniam ore corporis ſuſcipiendum ſe ipſe ſumma charitate nobis exhibet. Vnde Avgvstinvs, lib. 2. contra aduerſ. legis & Prophet. cap. 9. *Mediatorem*, inquit, *Dei & hominum Chriſtum* Iesvm *carnem ſuã nobis manducandam, bibendumq; ſanguinẽ dantẽ, fideli* Corde *atque* Ore *ſuſcipimus.* Porrò ſententiã illam Chriſti: *Verba, quæ loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt*; minimè huic reali & orali corporis Chriſti perceptioni aduerſari ſupra demõſtrauimus.

Obiectio tertia. *Si corpris inexiſtentia in pane & ſub panis accidentibus locum habet, tollenda erit hæc formula:* Svrsvm corda.

Respondeo. Quamuis in Euchariſtia exiſtat Chriſtus, tamẽ rectè admonemur, vt *ſurſum corda* dirigamus in cœlũ. Oportet enim ita Chriſtum venerari in Euchariſtia, vt ſimul nobiſcum reputemus illum eſſe etiã ſurſum in cœlo, & ad vitam cœleſtem ibi cũ eo degendam aſpiremus. In hoc enim conſiſtit præcipuè iſtud myſteriũ, quòd *eodem temporis articulo, qui cum Patre* Svrsvm *ſedet, noſtris manibus pertractatur in terra,* vt Chrysostomvs ait, lib. 3. de Sacerdot. Itaq; ſimul in terra, & ſimul ſurſum in cœlo Chriſtus à nobis cogitandus eſt.

Errant autem turpiter Caluiniſtę, cùm putãt, deprimi animos noſtros in terram, ſi Chriſtum in Euchariſtia exiſtentem agnoſcimus. Nam animos potius tunc ſupra naturam rerum, & omnem captũ humanę rationis attollimus, cùm admirabile hoc opus diuinæ potentiæ, fidei oculis intuemur.

Qui autem in Euchariſtia nihil realiter exiſtere præter panem & vinum autumant, ij veriſsimè animos ſuos deiiciunt in terram, cùm cœ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

leste nihil in Eucharistia esse sentiant. Quamobrem bene ac sapienter Concilij Nicæni Patres ita monuerunt: *In diuina*, inquiunt, *mensa, ne humiliter intenti simus ad propositum panem & calicem: sed* ATTOLLENTES *mentem, fide intelligamus,* SITVM *in sacra illa mensa agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum.* Vtitur etiam hoc testimonio Caluinus lib. 4. instit. cap. 17. sect. 36. & habetur in actis illius Concilij, quæ sunt in bibliotheca Vaticana. Audis, Caluinista, tum mentem sursum attolli, cùm Christum SITVM esse in sacra mensa credimus, & ibi incruentè à Sacerdotibus immolari?

OBIECTIO QVARTA. *Dogmate de inexistentia corporis Christi Idololatria inuehitur. Est igitur exterminandum.*

RESPONDEO. Veterem hanc sectariorum contumeliam iam pridem nos pluribus libris, quos edidimus de idololatria, refutauimus. Vide Tom. 3. disp. 6. q. 11. p. 4. Et certè veteres Patres sine Idololatria Eucharistiam, vt continet Christum, seu (quod idem est) Christum vt contentum in Eucharistia adorarunt, & adorari debere docuerunt. Cuius rei aliquot illustria testimonia protulimus suprà §. 5.

Sed obiicit iste, vix aliquem intelligere distinctiones illas, quibus Theologi explicant Eucharistiæ adorationem non esse idololatriam. At quantula, obsecro, subtilitate opus est, vt quis intelligat, adorationem ac mentem ibi esse dirigendam ad Christum existentem in illa specie panis visibili? Hoc qui facit (faciunt autem, & docentur facere in Ecclesia omnes) tam longè abest ab idololatria, quàm non absunt sectarij à sacrilegij crimine, quòd nolint adorare Eucharistiam.

OBIECTIO QVINTA. *Si corpus Christi est simul in pluribus locis (id quod necessariò sequitur ex ista reali inexistentia) aut est in omnibus illis locis eodem modo, aut non. Si non, sequitur contradictio. Sic enim vnius eiusdemq; corporis præsentia præsentiæ repugnaret: & aliter esset in locis, quam in loco: Pluralitas autem nihil aliud est quam vnitates aggregatæ. Sin autem corpus Christi est in omnibus locis eodem modo, & verum est quod isti dicunt; Ergo corpus Christi nusquam est visibile, neque suis dimensionibus circumscriptum & præditum sua forma, & verum corpus. Consequentia patet. Quia illi ipsi dicunt, Corpus Christi in hoc mysterio non esse visibile, nec circumscriptum suis dimensionibus, nec sua forma præditum: Et certè si tale esset, dignosceretur ipsis sensibus corporis.*

RESPONDEO. Corpus Christi non esse vno modo in omnibus locis, in quibus est. Nam in quibus ideò est, quia in illis est Eucharistia, est modo *Sacramentali & per accidens*, nempe ratione Eucharistiæ. In cœlo autem est modo naturali & *per se*. Nec hinc sequitur vlla contradictio. Præsentia enim Sacramentalis eiusdem Christi corporis, & præsentia naturalis, in alio atq; alio loco, minimè inter se opponuntur contradictorie: cùm vtraque præsentia per affirmationem asseratur. Neque rursus est absurdum, quod iste absurdum reputat; nempe vt aliter Christus sit in vno quodam loco, puta in cœlo, quàm in aliis locis. Nam etsi pluralitas aliud nó sit, quàm vnitates aggregatæ, tamen potest constare ex vnitatibus diuersarum rationum, vt nemo ignorat, qui nomen Theologi aut Philosophi meretur.

Porrò quod addit iste, corpus Christi ex sententia nostra non esse in Eucharistia *præditum sua forma, nec circumscriptum suis dimensionibus*, vel ignorantia istius, vel calumnia, vel mendacium est. Aliud enim est, corpus Christi, vt est in Eucharistia, non *circumscribi* loco aut dimensionibus ipsius Eucharistiæ (quod nos dicimus) aliud autem, non circumscribi ipsum *in se* sua quantitate & dimensionibus, quod iste nobis affingit. Item aliud est, corpus Christi ita esse in Eucharistia, vt ibi non videatur (quod nos asserimus) aliud autem ipsum ibi non esse præditum sua forma & figura alioqui visibili: quod iste vel per calumniam, vel per ignorantiam nobis tribuit.

Nec denique oportet, vt si corpus Christi in Eucharistia præditum est sua vera forma visibili, sensibus ipsis ibi dignoscatur, sicut hîc Caluinista non ratione, sed sensu, & imaginatione sua concludit. Non enim semper videtur, aut aliis sensibus percipitur, quod præsens est, sed quod ita præsens est, vt eius sensibilia accidentia sensibus sint exposita naturali modo. Hic autem corpus Christi & eius accidentia non sunt exposita sensibus, sed sub alterius rei accidentibus continetur, & quidem intimè, ad eum modum, quo substantia cõtinetur sub accidentibus, si informationem & inhæsionem tantùm excipias.

Itaque quamuis in Sacramento verè sit corpus Christi, sua forma & accidentibus præditu, tamen ibi nõ percipitur sensibus corporis. Nam & aliàs quoque idem Christi corpus verum fuit, & tamẽ inuisibile. Vt Lucæ 4. cũ *transiens per medium* inimicorum *ibat*. Et cùm repentè euanuit ab oculis discipulorum, Lucæ. 24. Et cùm abscõdit se repentè, ne à Iudæis lapidaretur, Ioan. 8. Qua de re vide D. Hieronymũ, in epist. ad Pammachium de erroribus Ioannis Hierosol.

SEXTA OBIECTIO. *Si vera corporis inexistentia in pane, vel sub panis accidentibus locum habet: Ergo Christi corpus non est verum corpus. Tum quia erit vbique, tum quia non habebit suas dimensiones: cùm habeat dimensiones panis, quibus velatur, &c.*

RESPONDEO. Leuissimæ sunt omnes istæ consequentiæ. Nam primùm innumeræ res sunt, in quibus neque est, neque asseruatur sanctissimum Sacramentum. Itaque quamuis Christus est in omnibus locis vbi est Sacramentum; non tamen ideo est vbique.

Deinde, corpus Christi non habet dimensiones panis, cùm in eo non inhæreant, licet eis intimè

intimè coniunctum sit, vt suprà explicauimus: sed suis duntaxat dimensionibus in Sacramento præditum est, sicut extra Sacramentum. Sed operæpreciũm est, videre quibus argumentis iste contendat, corpus Christi esse vbique, si, vt nos asserimus, est in cœlo & in sanctissimo Sacramento. Affert autem rationes sex, vsque adeò sine ratione, vt eas referre sit confutare.

Primò, *Monachi* (inquit) *aiunt, Ecclesiam esse vbique, & vbicunque est Ecclesia, esse Sacramentum. Est igitur Christus vbique ratione Sacramenti.* Prorsus ineptè. Multæ enim res sunt nihilominus in quibus non est Sacramentum. Neque enim omnia loca sunt templa; neque templa replentur Sacramento.

Secundò, *Corpus Christi non est*, inquit, *in Sacramento circumscriptum suis dimensionibus, neque est etiam ibi circumscriptiue neque definitiuè: Ergo est vbique: quandoquidem nullis locorum spaciis circumscribitur.* Nihil leuius obiici potest. Quamuis enim in vno loco Eucharistiæ corpus Christi definitiuè non sit, cùm sit etiam extra illum, tamẽ in omnibus simul Eucharistiæ locis & in cœlo definitiuè est; cũ non sit extra cœlum & omnes locos Eucharistiæ. Quocirca minimè est vbique. Adde quod falsum est, corpus Christi non esse circumscriptum *suis* (suis, inquam) dimensionibus. Hoc nos minimè asserimus, sed non esse circumscriptum dimensionibus *panis*, quod longè aliud est.

Tertiò, *Ex istorum*, inquit, *sententia sequitur, corpus Christi ratione Sacramenti esse vbique: & vbiquitas non potest esse ex parte, sicut nec infinitas: planè igitur vbique est.* At iam explicatum est, nihil minus ex nostra sententia sequi.

Quartò, *Si non est vbique: Ergo est definitiuè alicubi.* Respõdeo. Omnino est definitiuè in omnibus simul illis locis finitis, in quibus est, quãuis non in aliquo illorum determinatè, vt ad secũdam rationem diximus.

Quintò, *Si corpus Christi neque est definitum, neq; vbique: Ergo etiam potest aliquid esse nec finitum, nec infinitum.* Respondeo. Iam explicatum est, qua ratione Christi corpus sit definitum locis illis omnibus, in quibus est: neque tamen est vbique, cùm illa loca non sint omnia omnino, sed quæsti sub accidentibus panis, & illis circumscribi aut definiri, vt iste hallucinans hîc imaginatur. Nam anima continetur sub qualibet parte corporis, nec tamen illa circumscribitur aut definitur.

Sextò, *Transubstantiatores*, inquit, *non solùm affirmant, corpus Christi esse sub quantitate panis, sed sub qualibet parte eius. Est igitur ὅλως ὅλον, id est, totaliter totum. Quidquid autem est tale, nullis locorum spaciis & finibus circumscriptum & definitum, id vbique est.* Respondeo. Nonne anima sub qualibet parte corporis est, & eatenus ὅλως ὅλον? An idcirco vbique est? Adde quòd locis illis omnibus, in quibus Christus est, definitur, ita vt non sit in omnibus omnino locis, vt aliquoties dictum est.

Porrò obiicit iste, *Monachos veritatem corporis Christi abolere, cùm dicunt, corpus Christi non esse in Sacramento suis dimensionibus circumscriptum.* Sed, obsecro, cur non pudet te toties de monachis scribere istud mendacium, nempe corpus Christi in Sacramento *non esse circumscriptum suis dimensionibus*? Apud nos enim neque monachi, neque non monachi hoc asserunt, quin constãter credimus, totum & integrum Christum esse in Sacramento (vt Patres etiam Concilij Trid. explicauerunt sessione 13. cap. 3.) atque adeò sua quantitate præditum, quam habet in cœlo. Sed de Sadeelis obiectionibus hactenus, atque adeò de toto isto Puncto, in quo satis manifestè à nobis probatum & defensum est, Christũ verè, realiter, substantialiter, & corporaliter præsentem in sanctissimo Eucharistiæ Sacramẽto contineri.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Christus sit in hoc Sacramento præsens per veram conuersionem substantiæ panis & vini in illum: Ita vt non maneat in illis speciebus substantia panis & vini, sed tantum Accidentia, sub quibus nimirum contineantur Corpus & Sanguis Christi.

D. Thom. art. 2. 4. 5. 6.

DISPVTANDVM nunc est de modo seu via, qua Christus sistitur præsens in hoc Sacramento; Vtrum scilicet hoc fiat per CONVERSIONEM substãtiæ panis & vini in illius corpus & sanguinem? Sectarij omnes negant: Ecclesia Catholica affirmat; Et ita sub anathemate definitum est in Concilio Tridentino, Sess. 13. cap. 4. & can. 2. Vbi docetur, fieri *hîc conuersionem totius substantiæ panis in Christi corpus, & totius substantiæ vini in Christi sanguinem, remanentibus tãtum panis & vini accidentibus*; quæ est ratio seu descriptio TRANSVBSTANTIATIONIS, vt Ecclesia hanc conuersionem appellat.

Porrò in hac assertione aduersarios habemus non modò Sacramentarios, qui cum præsentiam Christi negent, consequenter etiam dogma de transubstantiatione reiiciunt, sed etiam Lutheranos omnes Confessionistas, qui contendunt, substantiam panis & vini manere & esse vnà cum corpore Christi & sanguine in hoc Sacramento.

Neque hi solùm, sed etiam antiquiores quidam

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam hæretici sic senserunt. Nam vt refert VValdēsis tomo 2. de Sacram. ca. 65. & sequent. Valeranus quidam, paulò post Berengariū opinatus est, adesse simul substantiam panis & vini, & quidem non modò naturâ, sed etiam supposito, siue hypostasi sua propria distinctam à Christi corpore & sanguine. Hanc sententiam non ita multò pòst quidam Ioannes Parys, vt idem VValdensis refert, confutauit, propterea quod ponebat substantiam panis & vini habere hîc suas proprias hypostases. Itaque ipse Ioannes Parys commentus est, adesse quidem substantiā panis & vini, sed sustentari & assumi hypostaticè à diuino verbo, id est, à persona Christi, mediāte ipsius corpore & sanguine. Quare hinc iste declarabat fieri, vt panis ipse & vinum verè & propriè diceretur esse corpus & sanguis Christi; sicut Deus seu Verbum diuinum, propter vnionē hypostaticam duarum naturarum in Christo, verè & rectè dicitur homo.

Sed commentum hoc de *hypostatica vnione* panis & vini cum corpore & sanguine Christi in Eucharistiā, ab omnibus irrisum fuit: nec vllos habuit deinde sectatores. Primò, quoniam merum fuit somnium, quod nullo neque Scripturæ, neq; Ecclesiæ veteris testimonio, vel in speciem quidem probari potuit.

Deinde, quoniam nullo modo verisimilè est, toties Verbum diuinum assumere substantiam panis hypostaticè, & iterum deserere, quoties Eucharistia conficitur, & illæ externæ species corrumpuntur.

Tertiò, quoniam tunc verbum diuinum non quomodocunque naturam aliquam hypostaticè assumeret, sed naturam prius sustentatam proprio alioqui suo supposito & naturali hypostasi, quam ideo oporteret corrumpi. Panis enim & vinum, antequam fiant Eucharistia, dubium nullum est, quin vt naturam sic etiam hypostasim naturalem panis & vini habeāt. Vt autem natura, quæ in propria hypostasi sustentetur, assumatur hypostaticè à Verbo, multi putant rem esse impossibilem; vel certè res esset non cōsentanea, cum oporteret aliquid ad eam rem in natura destruere.

Denique nec illud satis intelligitur, quod ille Ioannes dicebat, assumi hypostaticè substantiam panis & vini, mediante ipso corpore Christi & sanguine. Maximè cum multi contendant, fieri nō posse, vt natura aliqua creata perfectionem habeat ad assumendam hypostaticè diuersam aliam naturam. Opinio illa igitur ab omnibus etiam hæreticis est deserta.

Quare Lutherani non nisi opinionem illam alteram Valerani sunt secuti, nempe adesse in Sacramēto substantiam panis & vini, supposito etiam suo proprio distinctam à corpore & sanguine Christi. Docent tamen corpus & sanguinem in pane esse Sacramentali quadam (vt dicunt) & singulari coniunctione, non minus cōiunctè & intimè, quàm ignem in candente ferro: propter quam opinionem communi vocabulo appellantur isti *Panistæ*, vel *Panitæ*.

Et est in hac istorum opinione animaduertenda etiam Lutherana vel inconstantia, vel astutia. Etenim Lutherus simpliciter antè scripserat, in lib. de abroganda Missa priuata, Christum, cùm dixit: *Hoc est corpus meum*; Et, *Hic est sanguis meus*, mutasse panem in suum corpus, & vinum in sanguinem. Item in sermone quodam de Eucharistia. *Non est ibi*, inquit, *panis & vinum, sed species tantùm panis & vini.*

Præterea in Confessione Augustana, art. 10 sicut Germanicè oblata primùm fuit Carolo Quinto Augustæ; aut senserunt isti, aut sentire se simularunt, Christum in Eucharistia præsentem adesse per transubstantiationem. Nam, vt testantur Andreas Fabricius, in Harm. Confess. Augustan. & Lindanus, in Apologia ad Germ. in illo autographo Germanico habebatur, *sub speciebus panis & vini adesse in cœna Dominica Christi corpus & sanguinem.* Quo modo loquendi, scilicet *sub speciebus* Catholici significare solent (vt isti minimè ignorabant) modum etiam & viam huius Christi præsentiæ, nimirum per transubstantiationem, externis tantum speciebus panis & vini remanentibus.

Quo factum est, vt & Catholici articulum Augustanæ Confessionis tanq̄ cum Catholica doctrina consentientem, tunc admiserint solumq; postularint paulò clariorē *trāsubstantionis* assertionem, vt videre est apud Fabritium.

Quin etiam aliqui ex ipsis hæreticis, istorum Confessionistarū aduersariis, planè intellexerūt admisisse eos in illo articulo Catholicorū dogma de transubstantiatione. Nam Heshusius idcirco dicit, lib. de præsent. corp. Christi in cœna, se arcliū illum dānare, & Hieronymus etiam Zanchius Caluinista, in suis Miscellaneis, fol. 278. similiter intellexit, astruere ibi Confessionistas dogma nostrum de transubstantiatione.

Accedit, quòd non sine caussa isti postea in aliquibus illius Confessionis editionibus modū illū loquēdi, *sub speciebus panis & vini* & pro eo substituerūt, *cū pane & vino* adesse corpus & sanguinem Christi. Quanquam exstant etiam nonnullę Confessionis eiusdem editiones, in quibus prior ille dicendi modus retinetur.

Fuit verò in hoc genere summa etiā impudētia Melāchthonis, qui Confessionē illam, Anno 30. Imperatori exhibitā, sic anno sequenti, addita etiā eius Apologia, latinè edidit, vt in art. quidē 10. Confess. nullā mentionē fecerit panis & vini; in Apologia verò affirmauerit, Catholicos doctores in eo decimo art. approbasse doctrinā Cōfessionis, in qua dicatur, *cū pane & vino* (sic. n. falsariè recitat Melanchthon) exhiberi corpus & sanguinē Christi. Quod adeò verū nō est, vt cum in art. 10. Confess. non satis clarè doceret de *transubstātiatione* isti posuissent, peti-

uerint Catholici, vt illā clariùs ibi profiterētur; sicut patet ex respōsione Catholicorum reddita nomine Imperatoris ad illum articulum, quam commemorat Andreas Fabricius.

Sed omissa istorū vel inconstantia, vel impudentia, vel astutia, demonstrabimus aduersus illos, & Sacramentarios, assertionē Catholicam, PRIMO, ex illis ipsis Christi verbis, quibus antè probauimus corporis & sanguinis Christi præsentiam: *Hoc est corpus meū*; Et, *Hic est sanguis meus*, Matth. 26. SECVNDO, ex cōsensu sanctorū Patrū, vbi refutabimus cōmenta oīa vanarū interpretationum, quas aduersarij adhibent. TERTIO, ex fine quodā Eucharistiæ, & ex duabus illius præcipuis figuris. QVARTO, ex Ecclesiæ definitione in aliquot Conciliis. Postea respondebimus ad obiectiones sectariorum.

Probatur I. Transubstantiatio ex Christi verbis. §. 2.

EX CHRISTI verbis formo tale argumentum. Quidquid substantiæ cōtinebatur sub speciēb. panis & vini, finita prolatione illorū Christi verborū; & quidquid nunc etiā ibi cōtinetur, quando à Sacerdote prolata sunt eadē verba: id totū verè &, propriè tunc fuit & nunc etiā est corpus & sanguis Christi. Sed nihil substātiæ panis, & similiter nihil substātiæ vini, tunc fuit aut nūc est verè & propriè corpus aut sanguis Christi, cū finitur illa prolatio verborū. Ergo nihil substantiæ panis & vini cōtinebatur tunc, aut nunc cōtinetur sub speciebus panis & vini. Quod si nihil ibi substātiæ panis aut vini cōtinetur, cùm tamē substantia panis & vini ibi antè fuerit; cōsequitur, panem esse conuersum in Christi corpus, remanentibus solis accidentibus, & similiter vinum in sanguinem.

Huius nostri argumenti Maior certissima est, tribus cōstitutis, quæ necessariò concedi debēt. PRIMVM est, enunciationem illam: *Hoc est corpus meū*, (idem intellige de sanguine) verificari propriè in vltimo instāti prolationis; sicut oportet omnes alias enunciationes tunc maximè veras esse.

SECVNDVM est, veram hāc esse enunciationem pro eo instanti, non figuratè, sed omnino *propriè*. Quod p. præcedenti satis est à nobis contra Sacramentarios probatum.

TERTIVM, quod diligentissimè notari debet, est, hāc esse vim illius pronominis demōstratiui, *Hoc*, vt, si ad rem aliquā applicetur, quę secundū conditionē suā non soleat aliquā aliam substantiam diuersam à sua cōtinere, sicut continet dominium v. g. vinū, aut marsupium pecuniam, demōstret omnino totū quidquid est substātiæ sub illis externis accidētibus rei, quæ sensu percipiuntur: demonstret, inquā, id totum saltē sub ratione substantiæ cōmuni & indiuidua vagè, per ordinem ad accidentia illa, quę sentiuntur, sicut in proposito accidere p. 1. declarauimus. Fit. n. per illud pronomē vsitata demonstratio ad sensum. Quò fit, vt si secundùm consuetudinē non soleat sub talibus externis accidentibus latere substantia alterius rei præter eā, quæ proximè & immediatè continetur ipsis externis accidentibus; totum quidquid est huius substantiæ (sub aliqua tandem ratione) & nihil aliud pronomē illud demonstret.

Iam verò certū est, panē non esse sicut marsupium, aut dolium; sed ex cōsuetudine exhibere tantùm sensibus illam substantiam totam, quæ proximè & immediatè subest illis externis accidentibus panis. Ita fit, vt Christus dicēs accepto pane, *Hoc est corpus meū*; totam substantiā (secundùm rationem quidem substātiæ in communi, & in confuso cogitatam, non autem secundùm propriam & distinctam rationem *panis*) sub illis accidentibus panis contentam demonstrauerit, affirmaueritque, quòd ea sit suum corpus: id quod verissimum fuit in fine prolationis eorum verborum. Ac similiter idipsum ex Christi institutione quotidie etiam nunc verè affirmatur.

Quemadmodum cùm aliquis de quauis alia re, quæ secundùm conditionem suam non soleat continere aliquid aliud diuersum, affirmat quidpiam simili demonstratione ad sensum facta; totam substantiam demonstrat: cùm non sit ratio, cur pronomen demonstratiuum, *Hoc*, indicet partem substantiæ rei, & non totam; aut cur indicet aliquam rem aliam, quando simpliciter quidem ad rem ipsam (non solitam alioqui continere intra se rem aliā) sine vlla limitatione aut determinatione illud pronomē applicatur. Quod si secus quis faceret; minimè verū loqui censeretur, sed planè haberetur impostor.

Exempli caussa: Verè dixeris, accepto marsupio in quo sit aurea pecunia: *Hoc est aurum*; quia cùm marsupium sit res, quæ ex conditione sua soleat continere aliquam aliam substantiam præter suam illam coriaceam vel sericā, quæ immediatè subest accidentibus sensibilibus marsupij; licitum est eo modo loquēdi demonstrare non quidquid est substantiæ sub illis accidentibus marsupij, sed pecuniam auream in marsupio, & de illa verè affirmare, quòd sit aurum. Si verò in pane includeres aurum, & accepto eiusmodi *pane* diceres simpliciter: *Hoc est aurum*; falsò & præter cōsuetudinē loqui iudicareris. Quare? Quia cùm panis non sit res, quæ soleat in se aliā substantiam diuersam continere; videreris de tota substantia, quæ proximè subest accidentibus panis, affirmare quòd sit aurum: cumque Deus non sis, qui possis virtute verborum tuorū efficere, vt substantia tota, quæ est sub panis accidentibus, fiat ac sit aurum; falsū dicere putareris.

Vera est igitur Maior nostri argumēti propositio: Nempe totum id quod fuit & nunc est sub accidentibus panis, finita cōsecratione esse corpus Christi: quia de eo toto id Christus propriè

Universidad de Deusto
Biblioteca

affirmauit, iuxta vim quam habet pronomen illud demõſtratiuum, *Hoc*, applicatum ad rem & ſubſtantiam, quæ fuit panis.

Minor etiam propoſitio eiuſdem argumenti (ſcilicet, nihil ſubſtãtiæ panis aut vini fuiſſe, aut eſſe propriè Corpus aut ſanguinem Chriſti) probatur manifeſtè. Quoniam impoſsibile eſt, vnum eſſe verè & propriè aliud, niſi vtrumq; ſit *idem*, ſaltem *ſuppoſito* & hypoſtaſi, ſi non etiam ſecundùm naturam & formam. Hæc enim identitas, vel omnino, vel certè ſecundùm ſuppoſitum, ſignificatur per *affirmationem* enũciationis, cùm dicimus; *Hoc eſt illud*. At nihil ſubſtantiæ panis eſt idem *ſuppoſito*, & multò minus *formâ & naturâ* cum corpore Chriſti. Ergo nihil ſubſtantiæ panis eſt verè & propriè corpus Chriſti. Et hęc fuit argumenti noſtri Minor: Sequitur ergo concluſio: quam certè vel hoc argumento ſatis apparet ex ipſis etiam Chriſti verbis, & non tantùm authoritate Eccleſiæ, conſtare.

SED occurrũt Lutherani duabus viis huic argumento; Quanquam vtram ex illis duabus viis magis ipſi probent, non ſatis declarãt. VNA eſt, cùm dicunt, (ſicut Kemnitius ex Lutheri ſententia docet, in exam. cap. 4. & can. 2. ſeſs. 13.) enũciationem illam & affirmationem Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, non eſſe omnino propriè accipiendam, vt verba ſonant, ſed ſignificare, Hoc *cõtinet* corpus meũ, vel, eſt *ſimul* cum corpore meo. Ac probat Lutherus, li. de captiuit. Babylon. hũc affirmationis ſenſum à nobis etiam debere hîc admitti, niſi velimus accidẽtia quoq; panis fuiſſe tranſaccidentata (vt inquit etiam Kemnitius) in Chriſti corpus. Remanſerunt enim in illa re demonſtrata à Chriſto ipſæ ſpecies externę accidentiũ panis; de quibus certè nõ propriè Chriſtus affirmauit, quòd eſsẽt corpus ſuũ, ſed quòd continerent tantum corpus, vel eſſent ſimul cũ corpore. Itaq; ſecundũ hanc viã primò negarẽt iſti Maioré propoſitionẽ illius argumẽti noſtri.

SED hæc prima via planè deducit Paniſtas Lutheranos ad caſtra Sacramentariorũ. Nam non retinet proprietatẽ Chriſti ſermonis: qua ſemel reiecta, non poſſumus eſſe certi ex illis Chriſti verbis de præſentia eius corporis in Sacramẽto. Si enim verbũ illud ſeu copula, *Eſt*, in enunciatione Chriſti *impropriè* interpreteris, vt nõ ſignificet *identitatem* ſubiecti & prædicati; nulla reſtat ratio colligẽdi certò ex illa oratione, quòd Chriſti corpus ſit ibi, vbi demonſtratur eſſe præſens illud, quod in ſubiecto illius enũciationis ponitur, & indicatur pronomine illo, *Hoc*. Si n. non eſt ſenſus, hoc reuera *eſſe* corpus, ſed *cõtinere* corpus vel eſſe *cum corpore*; quare non etiam obtrudant nobis Sacramentarij ſenſum ſuum improprium; Hoc eſt, id eſt, hoc *ſignificat* corpus? Aut vnde conſtabit, minus hanc figuratã locutionẽ Sacramentariã, quæ præſentiam corporis nõ requirit, habere hîc locum, quàm illam alteram Lutheri, hoc eſt, id eſt, hoc *continet*?

Certè non hoc probabunt Lutherani, etiamſi retineãt proprietatẽ ſenſus in enũciationis prædicato quod eſt *corpus*. Hanc enim proprietatem retinent etiam Sacramentarij, dum dicunt, ſenſum etiã eſſe, Hoc *ſignificat* corpus. Nã verũ Chriſti corpus ſignificari dicunt, licet abſens.

Certum eſt igitur proprietatem in ipſa copula, ſeu verbo, *eſt*, retineri debere, vt ita ex identitate *ſubiecti*, quod ibi præſens demõſtratur & *prædicati* quod eſt corpus, concludatur ibi eſſe præſens Chriſti corpus. Quare cũ ab hac proprietate Lutherani recedunt; etiam recedunt à firma & certa confeſsione præſentiæ Chriſti corporis.

Neque verò argumentatio illa Lutheri de accidentibus contra nos quidquã valet. Accidẽtia enim nõ propriè demonſtrantur per pronomẽ illud, *Hoc*, ſed ſubſtantia ſub accidentibus. Quare, vt ſecũdùm ſenſum verborũ vſitatum & proprium, res ibi demonſtrata dicatur eſſe corpus Chriſti, non eſt opus, vt illa accidentia tranſeant, ſeu tranſaccidententur (vt Kemnitius loquitur) in Chriſti corpus: ſatis eſt, ſi tranſeat in illud panis *ſubſtantia*.

ALTERA via ad occurrendũ illi noſtro argumẽto, quam Kemnitius, & ante illum etiam Lutherus oſtendit in epiſtola quadam de tranſubſtãtiatione, eſt, q̃ poſsit etiã verè & ꝓprie Chriſti corpus affirmari de ipſa ſubſtantia panis, vt *homo panis* eſt; quemadmodum, inquit, Chriſtus *homo verè & propriè eſt* DEVS; *ſed ſicut in iſta enunciatione, Chriſtus ſecundùm humanitatem* (ſic enim intelligit iſte Vbiquetarius) *eſt Deus, non eſt*, inquit, *exigenda hæc affirmatio ad Methaphyſicã Ariſtotelis, ita nec cùm dicitur, panis eſt corpus Chriſti, oportet ibi intelligere eandem rationem affirmationis, quæ eſt in aliis enunciationibus, de quibus egit Ariſtoteles, cùm docuit, ratione affirmationis conſiſtere in identitate prædicati & ſubiecti. In ſpiritualibus enim*, inquit, *vt aliquid de aliquo affirmemus, ſatis eſt ſingularis aliqua quidpiam & coniunctio.*

Quod aliquibus etiam exemplis confirmare nititur Kemnitius. Nam Chriſtus cùm inſufflãs in diſcipulos dixit, Ioan 20. *Accipite Spiritum ſanctum, flatum ipſum ſignificauit eſſe Spiritum ſanctũ, non quidem propter identitatem, quaſi flatus fieret tranſubſtantiatus in Spiritum ſanctum; ſed propter ſingularem coniunctionem.* Similiter Baptiſta columbam, quæ ſuper Chriſtum apparuit, ſignificauit *eſſe Spiritum ſanctum*, cùm dixit Ioan. 1. *Vidi Spiritum deſcendentem ſicut columbam.* Item ſpecies illæ angelicæ, in quibus olim apparebat Deus, dicebãtur propter peculiarem coniunctionem, *ipſe Deus*. Et cùm progrederetur arca Domini, ſimili modo dicebat Moyſes Numer. 10. *Surge, Domine, & diſſipẽtur inimici tui, &c.* Denique propter peculiarem modum coniunctionis duarũ naturarum, in Chriſto, non autem propter earum identitatem, Chriſtus homo *ſecundùm humanitatem* (vt iſti exſtimant) dicitur & eſt Deus. Simili igitur modo, propter admirabilem coniunctionem

iunctionem panis & corporis Chriſti in Sacramento, vult Kemnitius propriè eſſe & dici panem corpus Chriſti ſine identitate.

Atque id etiam rurſus confirmat exemplo, vt inquit, vulgari. Nam monſtrato vini dolio, dicere ſolemus, Hoc eſt vinum, quod mittit amicus: Et monſtrato marſupio, En pecuniã, quam tibi debeo. Neque tamen ſignificare volumus *identitatem* dolij & vini, aut marſupij & pecuniæ; ſed tantum peculiarem coniunctionem.

HÆC autem via nihilo magis quàm prior commoda eſt iſtis ad euadendum. PRIMO. Quoniam ſine ſenſu, ſine *notione communi* ipſorum verborum, affirmari dicunt alterum de altero, ſcilicet corpus de pane, quod eſt planè puerile, vt manifeſtè oſtendi ſuprà diſputat. 1. q. 2. p. 3. quando refutaui ſimile cõmentum iſtorum circa affirmationem illam, qua dicũt, Chriſtum nõ modò ſecundùm hypoſtaſim humanitatis ſuæ, ſed etiam ſecundùm ipſam humanitatem ſuam, eſſe & dici Deum. Communiſsima enim notitia, quæ ſubeſt vocabulo *affirmationis*, eſt identitas prædicati & ſubiecti, ſaltẽ ſecundùm ſuppoſitũ, ſi non etiam ſecundùm formam. Quare fingere, affirmationem aliquam vnius de altero, quæ ſit vera & propria, neque tamen habeat ſubiectam huiuſmodi identitatem, eſt pueriliter vocem fine re prorſus vſurpare. Oſtendi autem loco citato, quemadmodum in ſpiritualibus etiam myſteriis, notionibus nominum cõmuniſsimis oporteat nos vti, etiamſi rationem ipſam propriam myſteriorum non penitùs, quod ad ſpeciem quidem & modum ſingularem attinet, intropiciamus. Quam ad rem locum etiam citaui Auguſtini, lib. 8. de Trinit. cap. 5. vbi ille præclarè ex hoc fundamento docet, vti nos cõceptu & notione vſitata numeri *ternarij*, quando ipſas perſonas diuinas dicimus *tres* eſſe.

Quod autem iſti dicunt, ſatis conſiſtere proprietatem affirmationis vnius de altero, ſi aliqua vtriuſq; ſingularis coniunctio per affirmationem ſignificetur, euidentibus aliquot argumentis refutaui ſuprà loco citato. Inter cætera verò obieci, quòd ſi id ita eſt, nihil erit tam falſum & pugnans cum fidei myſteriis, quod non eadem ratione affirmari poſsit. Hæc enim propoſitio in ſanctiſsimæ Trinitatis myſterio, ſecundùm eam doctrinam Lutheranam eſſet vera: *Pater eſt Filius*. Quia Pater & Filius ſingulariſsima quadam coniunctione ſunt *vnum quidam*; iuxta illud Ioann. 10. *Ego & Pater vnum ſumus*. Et Ioann. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Item erit etiam vera enunciatio hæc: *Spiritus ſanctus eſt Pater & Filius*. Nam & *hi tres vnum ſunt*, 1. Ioan. 5. Item hæc: *Humanitas in Chriſto eſt diuinitas*. Quoniã iſtæ duæ naturę ſingulariter in Chriſto coniunctæ ſunt. Item hæc: *Anima rationalis in Chriſto & in aliis hominibus eſt corpus mortale*. Nam *anima rationalis & corpus*, inquit Athanaſius in ſymbolo, *ſunt vnus homo* per ſingularem coniunctionem. Omitto cætera argumenta, quibus euidenter demonſtraui illam doctrinam Lutheri eſſe falſam.

SECVNDO. Contra illam iſtorum euaſionem obiiciendum eſt, quod ſi illa valeret, nihil prorſus valuiſſent argumenta veterũ Patrum & Conciliorum, cùm aduerſus Neſtorium argumentabantur, hominem Chriſtum eſſe *idem* ſuppoſito ſeu perſonâ cum diuino Verbo, eò quòd in Scriptura homo ille Chriſtus dicatur verè & propriè Deus ſeu Verbum. Similiter enim Neſtorius potuiſſet reſpondere, eiuſmodi affirmatione non identitatem Chriſti & Verbi ſecundùm ſuppoſitum, ſed ſingularem coniunctionem ſuppoſiti Chriſti hominis, & ſuppoſiti Verbi ſignificari.

TERTIO. Obſtat iſtis, quòd Chriſtus iis pronominibus vſus eſt, quæ in fine prolationis verborum, non ad panem & vinum, ſed ad corpus & ſanguinem Chriſti potuerunt verè & rectè referri. Ex quo intelligitur, non affirmaſſe illum de pane & de vino ſecundùm propriam & diſtinctam rationem *panis & vini* ſuum corpus & ſanguinem, ſed de ſubſtantia illis accidentibus contenta, ſecundùm rationem ſubſtantiæ in communi & in confuſo cogitatam, quæ poſtea in fine prolationis erat futura corpus & ſanguis. Dixit enim, non, *Hic* eſt corpus meum, id eſt, panis eſt corpus; ſed, *Hoc*: Neque etiam dixit: *Hoc*, id eſt, vinum eſt ſanguis; Sed: *Hic* eſt ſanguis meus.

QVARTO. Neque exempla ſunt ad propoſitum, quæ Kemnitius affert. Nam Chriſtus non dixit, flatum eſſe ipſum Spiritum ſanctum: ſed cùm flaret, dixit, vt acciperent ſecundùm gratiam Spiritum ſanctum, cuius eſſet ille flatus aliquo modo ſymbolum. Similiter Baptiſta non dixit Spiritum ſanctum eſſe columbam, ſed ſolùm intellexit, columbam ſymbolum eſſe Spiritus ſancti, vt patet ex illis eius verbis: *Vidi Spiritum ſanctum deſcendentem. QVASI columbam.* Atque etiam ſpecies Angelicæ non niſi impropriè Deus, quem repræſentabant, dicebantur. Neque arca dicta propriè eſt vnquam Deus; ſed ideo Deus exſurgere dicebatur, cum exſurgebat & progrediebatur arca, quia pergebat Deus ad præſentiam arcæ patrare mirabiles effectus.

Quod verò Kemnitius in exemplum affert dolium & marſupium, facit etiam ineptè. Nam cùm dicimus, Hoc eſt vinum, quod mittit amicus; Vel, hæc eſt pecunia quæ debetur, non demonſtramus propriè per ea pronomina dolium ipſum, aut marſupium, atque adeò neque ſubſtantiam immediatè & proximè contentam accidentibus dolij & marſupij, de qua eo ſenſu, quo interpretatur iſte (ſcilicet ſecundùm coniunctionem tantùm) affirmemus, quòd ſit vinum & pecunia: Sed demonſtramus ſubſtantiam *vini* & *pecuniæ* in dolio & marſupio incluſam.

Cuius ratio est, quoniam vt antè notauimus, admittit eiusmodi demonstrationem conditio earum rerum, quę prętер suam ipsarum substantiam res alias continent. Panis autē non est ex genere istarum rerum: atque ita si illo in manus accepto demonstratio aliqua fit; tota substantia monstratur, quæ subest immediatè panis accidentibus. Quemadmodum igitur in illis exemplis, à Kemnitio adductis, propriè & secundùm identitatem illud, quod in dolio & in marsupio demonstratur, est vinū & pecunia, ita etiā *propriè* & secundùm *identitatem* est corpus Christi, quidquid substātiæ proximè & immediatè subest accidentibus panis.

SED probat prætерea Kemnitius per pronomen illud, *Hoc*, nō fieri hìc affirmationem *identicam*, sed de ipsa propria & determinata substātia panis affirmari corpus Christi, illo modo, quo ipse Kemnitius dicit, videlicet, vt solùm significetur *coniunctio* vtriusque. Nam Pontificij, inquit, tradunt, substantiam panis nō desinere, neq; trāsubstantiari, nisi in fine prolationis verborum, ita quidē, vt primū non esse prolationis, sit primum esse corporis Christi sub illis speciebus. Igitur cùm in principio dicitur, Hoc, non demōstratur tunc per istud pronomen nisi substantia panis, quæ sola tunc est præsens.

RESPONDEO, Demonstrari tunc quidem substantiam præsentem contentam sub illis accidentibus, vt ostendit optimè D. Thomas, 3. p. q. 78. art. 5. non tamen secundùm *propriam* rationem *panis*, sed præcisè secundùm *substantiæ rationem communem* & indiuiduam vagè per ordinem ad illa accidentia: qua quidem præcisè ratione substantia illa est ex se indifferens, vt sit panis (sicut est initio prolationis verborum) & corpus CHRISTI, sicut est reuera in fine prolationis: atque eatenus verè & propriè corpus esse CHRISTI affirmatur in sensu *identico*, quem satis est verificari in termino totius enunciationis: Sicut etiam suprà de hoc respondimus Sacramentariis, §. 9. ad argumentum primum. Quare manet illa probatio nostra ex ipsis Christi verbis firma.

ET CONFIRMATVR prætерea ex eo, quòd verba Christi ita exponenda sunt, vt commodissimè possit intelligi, quemadmodum per ea verba Christi corpus factum fuerit idoneum ad comedendum. Id verò commodissimè intelligitur, si ipsum Christi corpus loco substantiæ panis subsit proximè & immediatè (vt probatum est) panis accidentibus, sub quibus nimirum à nobis verè edatur, sicut solet substantia panis. Quod autem à Christo factum sit, vt corpus ipsius à nobis edi & sumi possit; patet ex ipsa consequentia verborum. Nam, Matth.

26. *Accipite*, inquit, *& comedite,*
Hoc est corpus meum.

Probatur III. Transubstantiatio ex Patribus. §. 3.

SECVNDO probatur assertio hæc Catholica ex sentētia antiquorū Patrum, qui hanc fuisse Christi verborum vim intellexerunt, vt non remaneret ibi substantia panis. Etsi enim vocabulo ipso *transubstantiationis*, quod in Concilio primùm Lateranensi, sub Innocentio III. circa Annum 1200. vsurpatum est, Patres antiqui non vsi fuerint; tamen vsi sunt ad idem mysterium explicandum verbis tantundem planè significantibus. Etenim dicunt, (vt statim audiemus) panem & vinum mirabili Dei virtute *converti* in corpus & sanguinem Christi, *mutari*, *transmutari*, & *transire* in illud, item *transelementari*, &c.

Sed nos, inquit hìc Kemnitius in examine sect. 13. *mutationem Sacramentalem in his Patrum dictis intelligimus. Quòd scilicet cùm antè esset tantùm communis panis & vulgare vinum, accedente verbo Christi non solùm panis & vinum, sed simul etiam ibi in Eucharistia corpus & sanguis Christi adsit, exhibeatur & sumatur.* His itaque verbis Kemnitius suam & suorum Confessionistarum sententiam de testimoniis veterum pro trāsubstantiatione interpretatur.

Nec dissimiliter quoq; Caluinus libro quarto Institut. cap. 17. sectione 14. & Sacramentarij exponunt, seu potius corrumpunt testimonia Patrum. Nam Fortunatus in sua disceptatione pag. 30. & alij passim dicunt, Patres intellexisse tantùm eiusmodi mutationem Sacramēntalem, qua solùm fiat, vt panis qui antè non erat Eucharistia, nec valebat nisi ad sustentationem corporis, postea sit Sacramētum Eucharistiæ, id est, vt tanquam signum corporis (tametsi absentis) peculiari benedictione sacratum, valeat etiam ad salutem animæ.

Nos verò fatemur etiam, mutationem ex sententia Patrum hìc fieri *Sacramentalem*, id est, per quam Sacramentum constituatur Eucharistiæ: Sed ex ipsis verbis Patrum, quæ recitabimus, euidenter aduersus istorum commentum ostendemus, eiusmodi mutationem Sacramentalem intellexisse Patres, qua fiat non solùm, vt panis peculiari benedictione sit signum corporis Christi absentis, vel, vt panis sit simul cum corpore Christi, sed vt *substantialiter* mutetur in corpus Christi, & iam non ibi sit panis.

Ac primùm quidem Diuus AMBROSIVS non obiter aut paucis, sed ex instituto ac multis rationibus & exemplis probat, non esse ibi quod natura formauit, *sed quod benedictio consecrauit*. ita enim scribit libro de iis, qui mysteriis init. capite nono: *Fortè dicas, aliud video; quomodo tu mihi asseris, quòd corpus Christi accipiam? Probemus igitur*, inquit, *nō hoc esse quod* NATVRA *formauit, sed quod benedictio consecrauit; maiorem q; vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione ipsa* NATVRA *mutatur.* Tum adductis multis exemplis aliarum mirabilium conuersionum; vt virgæ in serpentem, & serpentis rursus in virgam ministerio Moysis; Item fluuialis aquæ in sanguinem, & petræ in aquam; ita concludit: *Quod si tantùm valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba Saluatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit sermo Christi, vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit de nihilo facere quod non erat, nō potest ea, quæ sunt, in id mutare quod non erāt? non enim minus est nouas rebus dare, quam mutare naturas. Nunquid naturæ vsus præcesserit, cùm* IESVS *ex Maria nasceretur? si ordinem quærimus: viro mixta fœmina generare consueuerat. Liquet ergo, quòd prætер naturæ ordinem Virgo generauit: & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid hìc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm prætер naturam sit ipse* IESVS *partus ex Virgine? ipse clamat Dominus* IESVS, *Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur; post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dixit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur; post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen, id est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur.*

Hactenus ex Ambrosio hæc recitare voluimus quoniam grauissimum & clarissimum est hoc testimonium pro tota doctrina Catholica de *præsentia* corporis Christi in Eucharistia, & de *transubstantiatione*, & de *efficacia* verborum consecrationis, quam alioqui aduersarij sacrilegè vocare solent magiam; tum etiam vt clarissima luce fermonis Diui Ambrosij dissicerem tenebras & figmenta illius interpretationis Kemnitij & Caluini, & aliorum de mutatione illa sua Sacramentali, quæ verè non est transmutatio rei, quæ antè erat, sed coniunctio panis cum corpore Christi, aut nuda vsurpatio signi. Ambrosius autem *substantiæ* panis *mutationem* euidenter ponit. Qui sanè loquitur hac de re eodem prorsus modo in aliquot etiam aliis locis, libro quarto de Sacram. capite 4. & 5. & libro 6. cap. 1.

Atque etiam illustris illa sententia est, quæ ex eodem Ambrosio refertur à Gratiano, de consecr. dist. 2. can. Omnia. *Licet figura*, inquit, *panis videatur, nihil tamen aliud quàm corpus Christi, & sanguis post consecrationem credendum est.* Quam sententiam neque Kemnitius in Exam. sess. 13. cap. 4. & can. 2. Concil. Trident. diffitetur esse Diui Ambrosij: immò citat pro illa locum ex libro 4. Ambrosij de Sacramētis, cap. 5. Quanquā ibi quidem his ipsis verbis Ambrosius non vtitur: licet multa & ibi, & in illo toto lib. 4. passim dicat, ex quibus ea sententia planè ad mentem Ambrosij deduci possit.

Sed respondet Kemnitius ad eam Ambrosij sententiam, rectè dixisse Ambrosium, nihil aliud quàm corpus Christi & sanguinem in Eucharistia credendum esse, *quoniam panis*, inquit Kemnitius, *ipso sensu videtur, quod autem videtur, non creditur.* Sed certè vel hoc exemplo satis ostendit Kemnitius, se vanissimum esse sanctorum Patrum interpretem. Clarissimum est enim, verborum Ambrosij sensum esse, quòd tantùm Christi corpus credi debeat, non quia panis ibi clarè videatur, sed quia non sit ibi panis, etiamsi panis videatur.

Hoc apparet manifestè, si attendamus ad difficultatem seu dubitationem humanæ rationis, cui Diuus Ambrosius ibi voluit occurrere. Dubitatio enim hæc non est, vtrum illud etiam credi per fidem oporteat, quod sensu quoque percipitur esse, & verè est; Sed vtrum putandum sit, ibi panem reuera esse, cùm panis sensui appareat. Respondet enim & occurrit Diuus Ambrosius tacitæ illi obiectioni, quam in alio loco proposuerat his verbis, libro de iis qui mysteriis init. capite nono: *Fortè dicas: Ego aliud video, quomodo tu mihi asseris, quòd corpus Christi accipiam?* Item respondet ad obiectionem, quam libro quarto de Sacramentis, capite quinto, (quem locum citat hìc Kemnitius) insinuauit his verbis: *Potens est sermo Christi omnia conuertere, & ipse nobis testificatur, quòd corpus suum & sanguinem accipiamus. Nunquid debemus de eius testificatione dubitare?*

Denique hanc vanissimam interpretationem Kemnitij redarguit euidentissimè particula illa aduersatiua, qua (sicut omnes recitant) vsus est Ambrosius in illa sententia, de qua agimus: *Licet*, inquit, *figura panis videatur*, &c. Si enim voluisset dicere, quod Kemnitius interpretatur, non debuisset dicere; *Licet* figura panis videatur; sed potius isto modo; *quandoquidem* panis videtur, & quæ videntur non opus est credere; nihil aliud quàm corpus Christi credendum est. Atqui Ambrosius ex eo, quòd panis videtur, minimè colligit, panem credi non debere; sed quasi respondens ad obiectionem, quòd scilicet panis videatur; negat quidquam aliud quàm Christi corpus credi debere: idque propterea, quòd reuera non sit ibi panis, tametsi videatur esse.

Nunc pergo ad alios Patres. S. AVGVSTINVS serm. 28. de verbis Domini, sic dicit: *Ante verba Christi, quod offertur, panis dicitur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* Item apud Gratianum de consecrat. distinct. 2. can. *Vtrum sub figura*, & apud Mag. sent. in 4. dist. 10. *Corpus*, inquit, *Christi & sanguis, virtute Spiritus sancti, ex panis & vini substantia efficitur.* Item ibi. *Sicut ipse Christus est, qui baptizat; ita ipse est, qui per Spiritum sanctum hanc substantiā* (panis) *efficit carnem, & transit vinum in sanguinem.* Item in lib. sententiarum Prosperi ex Augustino; apud

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gratianum,can. *Nos autem*, de conſecrat. diſt.2. *Fideliter*,inquit,*fatemur,ante conſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formauit: poſt conſecrationem verò carnem Chriſti & ſanguinem eſſe, quod benedictio conſecrauit.* Item libro 20. contra Fauſtum, cap.13. *Noſter*,inquit,*panis & calix certa cõſecratione myſticus ſit nobis,non naſcitur.* Vbi ex ipſa Auguſtini diſputatione apparet,eum ſignificare velle, Euchariſtiam conſecratam alterius eſſe *naturæ et generis panem*, quàm ſit ille naturalis, qui è terra naſcitur,atque adeò nihil aliud ſecundùm ſubſtantiam eſſe,quàm corpus Chriſti.

HIERONYMVS epiſt. ad Heliodorum eandẽ tranſubſtantiationem intelligit,cùm ita ſcribit: *Apoſtolico gradui ſuccedentes*(ſacerdotes)*Chriſti corpus ſacro ore conficiunt.* Item epiſt. ad Euagrium: *ad Preſbyterorum preces corpus Chriſti ſanguisq; conficitur.* Item in cap.31. Ierem. *A frumento*,inquit,*& vino,de quo corpus Chriſti & ſanguis conficitur.*

Item GREGORIVS Magnus lib.4.Dialog.capite 58.cùm dixit: *In ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri,&c.*

Item CYPRIANVS ſerm. de cœna Domini: *Panis iſte*,inquit, *non effigie, ſed natura mutatus omnipotentia Verbi factus eſt caro.*

EMISSENVS homil.5. de Paſchate: *Sicut*,inquit,*quicunq; ad fidem Chriſti veniens,ante verba Baptiſmi adhuc eſt in vinculo peccati veteris;iis verò commemoratis mox exuitur omni face peccati;ita quando verbis cœleſtibus benedicendæ creaturæ ſacris altaribus imponuntur,antequam conſecrentur,ſubſtantia illic eſt panis & vini: Poſt verba autem Chriſti,corpus & ſanguis eius eſt. Nec dubitet quiſq; creaturas nutu potentiæ et præſentiæ maieſtatis in Dominici corporis trãſire poſſe* NATVRAM, *cùm ipſum hominẽ videat artificio cœleſtis miſericordiæ Chriſti corpus effectum.* Hoc certè teſtimonium clariſsimum eſt. Ibidem quoque dixit Emiſſenus: *Inuiſibilem Sacerdotem viſibiles creaturas in* SVBSTANTIAM *corporis & ſanguinis ſui ſecreta poteſtate conuertere.*

Nec minus clarè Cyrillus HIEROSOLYMITANVS catech.4. myſtag. *Aquam*,inquit,*mutauit in vinum in Cana Galilææ ſola voluntate;et non erit dignus cui credatur,quòd vinum in ſanguinẽ tranſmutârit? Si enim ad nuptias corporis inuitatus ſtupendum miraculum operatus eſt,cur non multò magis corpus & ſanguinem ſuum filiis ſponſi dediſſe confitebimur? Nempe*,inquit,*ſub ſpecie panis datur tibi corpus; ſub ſpecie vini ſanguis Chriſti:etiamſi ſenſus tibi aliud renuncietur, fides tamen te confirmet. Pro certiſsimo habe, panem hunc,qui videtur à nobis,non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat: & vinum,quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur,non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti.* An fortè Kemnitius ſimiliter hîc interpretabitur, velle tantùm Cyrillum, non opus eſſe, vt panis etiam credatur, ſiquidem ſenſu ipſo ibi eſſe percipitur? Certè nihil euidentius eſt, quàm hoc teſtimonio Diui Cyrilli non modò Chriſti præſentiam in Sacramento, ſed etiam modum præſentiæ confirmari; nempe per *conuerſionem* panis in corpus, qua fiat, vt non maneat ibi panis, licet panis videatur: ſicut locutus eſt etiam ſuprà Ambroſius.

Item Gregorius NYSSENVS in oratione Catech. capite trigeſimo ſeptimo: *Dei verbo*, inquit, *ſanctificatum panem, in Dei verbi corpus credo tranſmutari.* Et rurſus: *Chriſtus*, inquit,*ſe per carnem inſerit omnibus credentibus, commiſtus & contemperatus corporibus illorum, vt vnione cum eo, quod eſt immortale, ſit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem dat virtute benedictionis, in illum* TRANSELEMENTATA *eorum quæ apparent natura.*

Item Cyrillus ALEXANDRINVS perſpicuè dixit in epiſtola ad Caloſyrium (quem locum citat quoque Diuus Thom. ſuper caput 22. Lucæ) *oblata in veritatem propriæ carnis à* CHRISTO *conuerti.*

Et CHRYSOSTOMVS homil.83.in Matth. *Qui hæc*, inquit, *in Altari ſanctificat & tranſmutat, ipſe Chriſtus eſt, qui olim in cœna operatus eſt.*

DAMASCENVS libro quarto,capite decimoquarto: *Quemadmodum*, inquit, *naturaliter panis per cibum,& vinum & aqua per potum in comedentis ac bibentis corpus & ſanguinem immutantur, corpusq; alterum fiunt, atque à priori ipſius corpore diuerſum: Sic propoſitionis panis, ac vinum & aqua,per Spiritus ſancti inuocationem & aduentum, mirabili modo in Chriſti corpus & ſanguinem vertuntur, nec ſunt duo* (id eſt, non ſunt amplius ibi duæ ſubſtantiæ,altera panis & altera corporis) *ſed vnum & idem.*

THEOPHYLACTVS in cap.6. Ioan. *Attende*, inquit, *quod panis,qui à nobis in myſteriis manducatur,non eſt tantùm figuratio quædam carnis Domini, ſed ipſa caro Domini. Non enim dixit; Panis quem ego dabo, figura eſt carnis; ſed caro mea eſt. Transformadabo, figura eſt carnis; ſed caro mea eſt. Transformatur enim panis arcanis verbis per myſticam benedictionem & acceſsionem Spiritus ſancti,in carnem Domini.*

Sed redeamus ad Latinos.

GAVDENTIVS Epiſcopus Brixienſis,in tract. de Paſchate, qui D. Ambroſio putatur æqualis, ſic inquit; *Dominus qui producit de terra panẽ; de pane rurſus, quia poteſt & promiſit, efficit proprium corpus: Et qui de aqua vinum fecit, de vino etiam facit ſanguinem ſuum.*

Item B.REMIGIVS Epiſcopus Rhemenſis in Pſalm.21. *Panis*,inquit,*& vinum à Chriſtiana veritate dicuntur, non quòd naturam panis & vini poſt conſecrationem retineant, ſed quòd nutriant.*

BEDA libro de myſter.Miſſæ: *Ibi*, inquit,*forma panis videtur, vbi ſubſtantia panis non eſt.*

Diuus ANSELMVS in epiſtola de corpore & ſanguine Domini,diſertè ſcripſit: *Panem in Chriſti corpus migrare.*

Et pulchrè Diuus BERNARDVS ſermone de cœna Domini: *Hoſtia*, inquit, *quam vides,iam non eſt panis, ſed caro mea. Similiter liquor iſte, quem vides,iam non eſt vinum, ſed ſanguis meus. Quemadmodum illic ſpecies cernuntur,quarum res vel ſubſtantia ibi eſſe non creduntur, ſic res veraciter & ſubſtantialiter creditur,cuius ſpecies non cernitur. Videtur enim ſpecies panis & vini, creditur autem ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti: & tamen ſpecies non cernitur.*

Item PETRVS Cluniacenſis, lib.contra Henrician.& Petrobuſ. Bernardo æqualis, ſic in eandem ferè ſententiam Bernardi dicit: *Quid mirum, ſi omnipotentis miſericordia Dei in Altaris Sacramento panis & vini ſpecies humanis ſenſibus reſeruet,vt appareat in ipſo Sacramento panis & vinũ quod non eſt,& lateat oculos carnis caro & ſanguis,quod eſt?*

Eadem fuit ſententia circa idem tempus Hugonis, & deinde Magiſtri ſententiarum, & omnium Theologorum. Tum etiam qui paulò antè contra Berengarium pugnarunt, idẽ luculenter cõfirmant: nempe Landfrancus, Guidmũdus, & Algerus, & alij, de quibus ſuprà diximus.

Atq; etiam eſt huc accommodandum, quod Patres veteres paſsim ſcripſerunt: Panẽ *fieri* corpus Chriſti, vel ex pane *fieri* aut *confici* corpus Chriſti. Si quid enim verè dicitur *fieri* aliud; neq; tamen illud aliud hypoſtaticè ſibi coniungit (ſicut fecit Verbum diuinũ, cùm caro factum eſt) neceſſe eſt certè,vt id in aliud ſit commutatum. At conſtat, panem non ſibi vniuiſſe hypoſtaticè corpus Chriſti. Igitur cùm Patres dicunt,illum *eſſe factum* corpus Chriſti;mutatum eſſe in Chriſti corpus intelligunt.

Loquitur autem ita TERTVLLIANVS libro quarto contra Marcion. Nam *accipiens*, inquit, *panem, corpus ſuum illud fecit dicendo: Hoc eſt corpus meum.* Similiter præter Ambroſium, Hieronymum,& Auguſtinum ſuprà citatos, loquitur etiam Origenes lib.8. contra Celſum. Atq; idem dicendi modus exſtat in Liturgiis Diui Iacobi, Clementis, & Chryſoſtomi, & Baſilij, cùm in iis oratur Deus,vt panem *efficiat corpus Chriſti & vinum ſanguinem.* Denique huc pertinent quoque multa teſtimonia veterũ Patrum ſuprà punct. 1. citata pro Chriſti præſentia reali in Euchariſtia, ex quibus etiam veritas trãſubſtantiationis manifeſtè apparet.

Atque hæc cùm fuerit ſententia Patrum, ſatis iam intelligi poteſt vanitas & impudentia Caluini, qui libro quarto Inſtitut. cap.17. ſectio. 14. ſcripſit, tranſubſtantiationis dogma *deſtitui vetuſtatis patrocinio, nec ſolùm melioribus ſeculis, ſed etiam cùm iam eſſet admodum inquinata doctrinæ puritas, ignoratum in Eccleſia fuiſſe.* Cuius mendacij vanitatem, vt refelleremus, non modò aliorum veteſtimonia paulò antè recitauimus.

Neque minus impudens Lutheri mendacium fuit, qui in libro de captiuitate Babylonica etiam ſcripſit, ante annos primùm trecentos fuiſſe iſtud dogma in Eccleſiã inuectum: *Cùm cœpit*, inquit, *ſimulata Philoſophia Ariſtotelis in Eccleſia graſſari.* Sed obſtructum eſt iam os loquẽtium mendacia.

Probatur III. Tranſubſtantiatio ex fine & figuris Euchariſtiæ. §. 4.

TERTIO confirmatur aſſertio Catholica ex fine quodam Euchariſtiæ, atque etiam ex duabus eius figuris principalibus, in quibus exſtitit admirabilis quoque mutatio ſubſtantiæ. Etenim Deus, vt veteres Patres intellexerunt, ad eum etiam finem inſtituit Euchariſtiam, vt eſſet quaſi *memoria mirabilium ſuorum.* Itaque ad hoc etiam Sacramentum Patres accommodãt illud ex Pſalm. 110. *Memoriam fecit mirabilium ſuorũ miſericors & miſerator Dominus: Eſcam dedit timentibus ſe.* Quidquid autem fuit olim diuinitùs factum admirabiliter, id habuit aliquam ſingularem rerum mutationem: vt animaduertere licet maximè in iis ſignis, quæ edidit Moyſes, quemadmodum AMBROSIVS latè proſequitur libro de iis, qui init.cap.9. Imò etiam Chriſtus ipſe, Ioan.2. *Manifeſtare gloriam ſuam* in Cana Galilææ cœpit mutando *aquam in vinum.* Quare conſentaneum eſt, vt quod idem Chriſtus vltimo ſuæ vitæ tempore mirabiliter ad memoriam operum DEI mirabilium inſtituit, habuerit quoque ſingularem rei mutationem.

Porrò figuræ illæ duę, fuerunt *Manna*, & aquę fluentes de *petra*, vt Ambroſius etiam ſignificat loco citato. In his autẽ duabus rebus mirabiles item mutationes ipſius ſubſtantiæ acciderunt. Nam manna in varias ciborum ſubſtantias, vt quiſq; optabat, conuertebatur. Sic enim dicitur Sapient. 16. *Panem de cœlo præſtitit illi ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantiam enim tuam & dulcedinem tuam illis oſtendebas,& deſeruiens vniuſcuiuſq; voluntati ad quod q[uo]d volebat cõuertebatur.* Quod ipſum aſſeruit quoq; AVGVSTINVS lib.3. de Trin. cap.1.

Item aquarum ille fluxus ex conuerſione exſtitit ipſius petræ in aquas, vt Dauid teſtatur, Pſalm. 113. *Et conuertit*, inquit, *petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Quod etiã affirmat D.Gregorius NYSSENVS in vita Moyſis: *Miraculi*, inquit, *non obliuiſcar illius, quo dura & ſolida lapidis natura, in aquarũ conuerſa mollitiem, potus ſitientibus factu eſt.* Argumentatur autem ex his figuris AMBROSIVS, libro de iis, qui init. cap.9. & D.Cyrillus ALEXANDRINVS lib.4.in Ioann. cap.13. Et totum hoc argumentum ex Sandero & aliis Scriptoribus repetit fuſiùs Claudius de Sanctes, Repetit.7. c.3.

Probatur IV. Tranſubſtantiatio ex definitione Eccleſiæ. §. 5.

QVARTO probatur tranſubſtantiatio ex definitione Eccleſiæ. Primùm in quatuor Cõciliis contra Berengarium, ſcilicet Vercellenſi, Turonenſi, & Romano duplici, de quibus ſuprà punct. 1. §. 1. dictum eſt. Deinde in Lateranenſi

Universidad de Deusto
Biblioteca

sub Innocentio III.quod meritò solet appellari magnum. Fuit enim plus quàm 1200.Patrum ex vtraq; Ecclesia Græca & Latina; eiúe inter cæteros interfuerunt Patriarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, & 70. Archiepiscopi Metropolitani, quibus tamen omnibus sapientiores sunt, scilicet, nostri Sectarij Paniste. Igitur in can.1. eius Concilij, vbi de variis articulis fides Orthodoxa explicatur, ita dicitur: *Verum Christi corpus & sanguis in Sacramento altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continetur: trãsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina.* Tum etiam postquam in Can.2.reiicitur opinio quædam Abbatis Ioachimi pugnãs cum vno quodam articulo fidei ibi explicatæ; sic aduersus omnes hæreses generatim, quæ cum illa fide explicata in Can.1.pugnent, subiungitur: *Excommunicamus & anathematizamus omnem hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam, orthodoxam, et Catholicam fidem, quã et superiùs exposuimus.*

Quæ ex illo Concilio recitaui, vt manifestissimum Kemnitij mendacium appareat. Scripsit enim is in exam.can.2.sess.13.Concil.Trident. vbi transubstantiationis veritas sub anathemate definitur; *Tridentina hæc anathemata* (refero eius verba) *adeò esse recentia, vt ne Innocentij quidem ætate in rerum natura fuerint.* Et tamen Concilium sub Innocentio III. congregatum grauissimis verbis damnat & excommunicat hæresim omnem cum ea fide pugnantem, in qua fuit etiam vnus articulus de transubstantiatione.

Idem postea definitum est in Constantiensi Cõcilio sess.8.Vbi inter ceteros articulos VVicleffi fuerunt etiam illi duo damnati (Art.1. & 2.) nempe, in Eucharistia *manere panem & vinum.* Et; *accidentia non esse ibi sine suo subiecto.* Item in Florẽtino in decreto Vnionis, vbi docetur, *ipsorum verborum virtute substantiam panis in corpus Christi, & vini in sanguinem conuerti.* Hæc enim sunt Concilij verba. Quare mẽtitus est rursus more suo Kemnitius, cùm loco citato dicit: *Ne Florẽtini quidem Concilij tempore fuisse doctrinam de transubstantiatione communi Ecclesiæ sensu approbatam. Nam inter alios,* inquit, *articulos, in quibus tunc dissidebat Ecclesia Græca à Latina, quarto loco positum est de diuina trãsubstantiatione. Et cùm literæ vnionis conficiendæ essent, expresiè articulus ille exceptus est, ipso etiam Romano Pontifice concedente.* Mendacium est: nam in artic. 4. nihil hac de re habetur. In articulo autem octauo falsi sunt Græci *transmutationem* hîc fieri, tantumque fuit controuersia, num *per ipsa verba* consecrationis, an verò per aliam quandam precationem (sicut Græci volebant) fieret eiusmodi transmutatio.

Deniq; in Concilio Tridentino sess. 13. can.2. ista etiam veritas definita est, vbi habetur, fieri *conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi, & totius substantiæ vini in sanguinem.* Id quod planè sensit antiquitas, sicut apparet ex allegatis suprà testimoniis. Ac in alio nos loco tomo 3. disputat.1. quæst.1. punct.7. §. 44. contra Kemnitij prætextus manifestissimè conuicimus, aut nullos vnquam hæreticos fuisse, aut illos etiam esse hæreticos, qui hodie nolunt acquiescere sententiæ atque definitioni Concilij Tridẽtini. Lector argumentationem nostram, qua illic sumus vsi ad hanc rem, expendat.

Respondetur ad obiectiones ex Scriptura. §. 6.

SED CONTRA probant Paniste & Sacramentarij manere in Eucharistia substantiam panis & vini, quoniam Apostolus 1. Cor. 10. vocat Eucharistiam *panem*, etiã post benedictionem.

RESPONDEMVS, Christum ipsum, Apostolum, & sanctos Patres clarè nobis interpretari, quis & qualis sit *ille panis Eucharistiæ* post consecrationem. Nam *panis*, inquit Christus, Ioann.6. *quem ego dabo, caro mea est.* Et Matth.26. *Hoc est corpus meum.* Et præclarè quoque D. AMBROSIVS de cons. dist. 2. can. *Omnia.* & apud Magistrum sent.lib.4.dist.11. *Panem istum*, inquit, *quem sumimus in mysterio, illum vtique intelligo, qui manu Spiritus sancti formatus est in vtero Virginis, & in igne passionis coctus in ara crucis.*

Quin etiam ipse Apostolus Paulus 1.Cor.10. talem esse hunc panem apertè significat, cùm inquit, nos *omnes de vno pane participare*, cùm Christi corpus percipimus. Nisi enim hic panis vnicus, sit ipsum Christi corpus, quod vbique percipitur vnum & idem, non participaremus omnes de vnico pane, sed de alio atque alio; sicut in aliis atque aliis locis ad Eucharistiæ confectionem alius atque alius panis vsurpatur. Item declarat ibidem hoc Apostolus, cùm dicit: *Panis quem frãgimus, nónne participatio corporis Christi est?* Quasi dicat, distributionem & communicationem huius panis, nõ alterius rei (secundùm substantiam quidem) participationẽ esse, quàm ipsiusmet corporis Christi. Huc adde sententias plarimas Patrum suprà citatas, punct.1.§.5. quibus illi affirmant, eum panem Eucharistiæ reuera esse ipsum corpus Christi.

Vocatur autem Eucharistia *panis* secundùm vsitatam Scripturæ phrasim triplici potissimùm ratione. Primò, quoniam Eucharistia vt panis reficit. Secundò, quia panis videtur. Tertiò, quia ex pane confecta est. Sic Manna, quamuis panis non fuerit, tamen propter similitudinem vocatur *panis.* Psalm.77. & Sapient. 16. Sic etiam sæpe panis dicitur quicunque alius cibus, propter vim quam habet nutriendi instar panis. Sic etiam Angeli vocantur *viri*, Genes.18. quoniam viri videlicet propter speciem externam videbantur. Sic deniq; serpens, quem fecit Moyses, vocatur *virga*, Exodi 7. quoniam ex virga factus fuerat. Et sunt alia plurima in Scriptura exempla huiusmodi locutionum.

Sed valeret, inquit Kemnitius, ista interpretatio, si æquè certò constaret, panem hunc aliud nõ esse, quàm ipsum corpus Christi. atq; constat verò, vt antè ex ipsis Christi verbis probatũ est, omnino certissimè constat, panem hûc corpus Christi esse, atq; adeò non nisi impropriè secundùm phrases dictas panẽ appellari. Quæ interpretatio si nondum placeat Sectariis, probandũ ipsis est, hoc, quod dicimus, ex Scriptura non constare: quod hactenus non fecerunt, neq; facere vnquam poterunt. Itaq; caussa cadũt, cùm sint ipsi in hac cõtrouersia, sicut & in aliis omnibus, Ecclesiæ accusatores, ad quos proinde maximè pertinet munus probandi & conuincendi.

Deinde vrgent, quod Christus de ipso *pane* dixit: *Hoc est corpus meũ*, & id deinde dedit. Ergo ibi remanet panis. Sed ad hoc suprà Sacramentariis respondimus, p.1.§.9. ad argument.1. non de pane, vt de pane, id Christum affirmasse; sed communiter de substantia contenta illis speciebus, quę initio prolationis illorum verborũ fuit panis, & in fine corpus Christi: ac proinde nec panem dedisse discipulis, cùm illis dedit Eucharistiam, sed corpus suum verum.

Respondetur ad obiectiones ex Patribus. §.7.

SECVNDO loco conantur etiam isti opinionẽ & errorem suum confirmare auctoritate Patrum, quos volunt non aliam mutationem hîc intellexisse, nisi qualem ipsi comminiscuntur; vt maneat vera substantia panis, tantumque fiat signum sacrum corporis Christi; vel certè illi corpus Christi adiungatur.

AC PRIMO Kemnitius locum profert ex Magistro sententiarũ in 4.d.11.vbi dicit Kemnitius: *Magistrum expresè affirmare, nondum fuisse suo tempore in Ecclesia definitum, qualis sit illa mutatio & conuersio, de qua loquuntur veteres: Vtrum scilicet sit substantialis, vel formalis, vel alterius generis.*

Sed primùm, ibi Magister non dicit hoc non fuisse definitum, sed *definire*, inquit, *ipse nõ sufficio.* Dicit autem hoc postquã multis testimoniis antè in præcedẽte distinctione confirmauerat, panem in corpus Christi omnino conuerti, neque manere ibi substãtiam ipsius panis. Quare quæcit, non est nisi de *genere ipso* seu specie *mutationis*, ad quam reuocari debeat illa conuersio & mutatio substantiæ panis in corpus Christi, etiamsi alioqui constabat talem eam esse, vt nõ maneat ibi substantia panis. Itaque quærit Magister, vtrum sit mutatio *formalis* vel *substantialis* instar aliarum, aut cuius generis omnino. Quod rectè dixit se distinctè & clarè explicare non posse. Nã hęc mutatio prorsus dissimilis est aliis omnibus mutationibus. Nec de illa, quod ad genus suum, seu modum attinet, plus possumus ferè cognoscere aut dicere, quã quòd sit prorsus *singularis.*

Hanc verò fuisse omnino mentem Magistri, neque illum quidquam dubitasse, quin ibi non maneat panis substantia, probandum est aduersus impudentiam ac mendacium Kemnitij ex ipsius Magistri verbis. Nam d.10. præcedenti ita inquit: *Satis responsum est hæreticis, qui negant verũ corpus Christi in altari esse, Et panem in corpus mystica consecratione conuerti.*

Item d. ipsa 11. cùm commemorasset errorem quorundam, qui (sicut iam Paniste) putarunt manere substantiam panis, & simul ibi esse corpus Christi, & ea ratione dici illam substantiam fieri istam, quia vbi est hæc, est & illa; subiungit Magister censuram suam his verbis: *Sed quod non sit ibi*, inquit, *alia substantia nisi corpus Christi & sanguis, ex prædictis & subditis* (testimoniis veterum Patrum) *apertè ostenditur.* Adduxerat enim veterum testimonia de conuersione panis in corpus Christi, ante in d.10. contra illos hæreticos. Atquè etiam ibi subiungit quædam ex Ambrosio & Gregorio ad idem probãdum. Quamobrem dicit, ostendi id etiam apertè ex subditis (nempe testimoniis) quæ subiungit.

DEINDE conatur Kemnitius ostendere eam conuersionem intellexisse Patres, quam ipsi Sectarij ponunt: Talem videlicet vt maneat nihilominus substãtia panis: quoniam aliqui veteres omnino significant manere in Eucharistia illud idem quod antè erat. Nam Ambrosius sic dicit lib.4. de Sacr.cap.5. *Si tanta vis fuit in sermone Christi, vt inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius erit, vt sint quæ erant, & in aliud conuertãtur?* Et ibid. cap. 3. Eucharistiam vocat *creaturã solennem & notam.* Ergo manet in illa panis. Item Gelasius in fragmento de duabus Christi naturis contra Nestor. & Eutych. *Sacra*, inquit, *quæ sumimus diuina res sunt; propter quod per eadem efficimur diuinæ consortes naturæ; & tamen non esse desinit substantia vel natura panis & vini.*

Itẽ Theodoretus Dialogo 1. *Signa*, inquit, *quæ videntur; appellatione sui corporis honorauit, non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adiiciens.* Et rursus Dialogo 2. *Signa*, inquit, *mystica post significationem non recedunt à sua natura. Manent enim in priori substantia & figura & forma, vt videri & tangi possint sicut & prius.*

Item Ioannes Constantinopolitanus in epist. ad Cæsarium Monachum. *Panis*, inquit, *dignus habitus est Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in illo permãsit.* Deniq; Rupertus Abbas in cap.6. Ioã. negat hîc mutari substantiã panis. Quibus testimoniis etiã Caluinistæ abuti solẽt.

RESPONDEO, quod ad priorem locum Ambrosij attinet, reperiri quidem nunc illa verba lib.4. de Sacr. cap.5. Sed tamen grauissimus auctor Landfrãcus olim testatus est in lib. de Sacr. circa medium, in quibusdam Ambrosij codicibus locũ illum Ambrosij nõ nisi hoc modo legi: *Si tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperẽt esse quæ non erãt; quantò magis operatorius est, vt quæ erant in aliud commutentur;* Sicut etiã loquitur idẽ Ambros. in lib. de iis qui mysteriis initiantur, cap.9.

Sed vt maximè demus, illa alia verba, quæ nũc legimus, esse Ambrosij, sensus est; sermonẽ Christi multò magis operatorium esse, vt quæ erant, id est, panis & vinũ, partim sint & maneãt, nem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pe ſecũdùm *accidentia & proprietates panis & vini*; partim in aliud conuertantur, atq; adeò deſinãt eſſe, videlicet ſecundùm rationem *propriam ſubſtantiæ panis & vini*, ſicut apertiſsimè in aliis locis hoc ipſum Ambroſius affirmauit.id quod ſuprà ex ipſius verbis oſtendimus,§.3.

Alij reſpondent,ſenſum eſſe,ſermone Chriſti fieri,vt ſubſtantia,quæ antè erat,ſecundùm *generica quidem & indiuiduam vagam* ſubſtantiæ *rationem* maneat; in aliud autẽ conuertatur & deſinat eſſe ſecundùm *propriam & determinatam rationem panis*:Ita ſcilicet,vt ſubſtantia eadem(non identitate aliqua reali, ſed identitate rationis, ſecundùm ſubſtantiæ genus & indiuiduationẽ vãgam per ordinem ad illa accidentia) quæ antè fuit panis,ſit poſtea opus Chriſti. Quod in re nihil aliud eſt, quàm eſſe poſtea ſub accidentibus illis ſubſtãtiam, quæ eſt corpus & ſanguis Chriſti; cum antè ſub illis eſſet ſubſtãtia,quæ fuit panis & vinum. Vtraq; reſponſio bona eſt,& prior videtur etiam ſatis expedita.quam & Landfrancus indicauit, libro de Sacramento, cùm dixit, *impoſsibile eſſe, vt quod in aliud conuertitur, non deſinat eſſe ſecundùm eam partem qua conuertitur*.Et clarius cùm poſtea addidit, iuxta illam ſententiam Ambroſij,*eſſe quidem ſecũdùm viſibilem ſpeciem,quæ erant: commutari verò ſecundùm inuiſibilem eſſentiam in naturam rerum,quæ antè non erant*.

Illa verò alia verba diui Ambroſij nihil iſtis ſuffragantur:Creaturam enim *ſolemnem & notam* vocat Euchariſtiam propter *manifeſta accidentia* panis & vini, quæ remanẽt. Ac certè intolerabilis impudentia Sectariorum eſt, quòd audeant in hac quæſtione pro ſe citare Ambroſium, cùm nihil ſit euidentius, quàm tranſubſtãtiationem à diuo Ambroſio multis tum argumentis, tum exẽplis aſſeri, vt perſpicuum eſt ex verbis eius, quæ ſuprà recitaui,§.3.

De Gelaſio verò inprimis ſciendum eſt, non fuiſſe hũc eum Gelaſiũ,qui fuit ante annos mille Romanus Põtifex doctiſsimus, ſicut rectè oſtẽdit Melchior Canus,lib.6.de locis Theolog.cap. vlt.& Claudius de Sainctes,Repetit.8.cap.4.Sed fuit alius quidam Gelaſius Cæſarienſis. Id probatur,quoniam laudat iſte Gelaſius valdè Euſebium Cæſarienſem, cuius tamen libros penè omnes Gelaſius Romanus Pontifex damnauit. Item in Catalogo librorum Gelaſij Romani, à nemine commemoratur fragmentũ illud contra Eutychium & Neſtorium.Itaq; falsò Kemnitius & alij Sectarij gloriantur à Romano etiam Pontifice fuiſſe negatam tranſubſtantiationem.

Deinde ad teſtimonium ipſum illius Gelaſij, atq; etiã ad teſtimonium Theodoreti, rectè dici poteſt primò,*naturam* & ſubſtantiã panis ac vini ab eis appellatas eſſe *proprietates* panis & vini, idque maximè ob facultatem quæ in illis eſt eadẽ efficiendi,quæ vinum & panis efficere poterant. Huiuſmodi enim proprietates rerũ quaſi quædam externæ naturæ & ſubſtantiæ illarum ſunt.

Quod autem auctores illi rectè ita poſint exponi, patet *primò*, quoniam vterque in illis locis ſatis apertè fatetur panis & vini *tranſmutationem*. Gelaſius enim ibidem dicit, panem & vinum *in diuina tranſire, Spiritu ſancto perficiente ſubſtantiam*, ſcilicet corporis & ſanguinis Domini. Theodoretus quoq; in Dialogo 1. ſcribit, Chriſtum voluiſſe,vt hic *non attenderetur ad naturam eorum quæ videntur, ſed vt crederemus mutationi* (refero eius verba) *quæ hic fit ex gratia*. Item Dialogo 2. poſtquam dixit,vt antè citauimus,manere panem & vinum in priori ſubſtantia & figura; hæc verba ſubiunxit;*intelliguntur aũt* (ſymbola Euchariſtię) *ea eſſe,quæ facta ſunt,& creduntur & adorãtur,vt quæ illa ſunt,quæ creduntur*. Si Euchariſtia,ex Theodoreti ſententia, eſt adoranda; certè non eſt panis ſecundùm ſubſtantiam propriè dictam ex ſententia Theodoreti,ſed Chriſtus ipſe.

Secundò idem probatur,quoniam ad inſtitutum ſuarum diſputationũ ſatis his auctoribus fuit in eo ſenſu dicere, quòd maneat natura panis & vini, nempe ſecũdùm panis & vini *proprietates*.Voluerunt enim exemplo Euchariſtiæ confirmare, quemadmodum in Chriſti perſona ſint inconfuſæ & diſtinctæ duæ naturæ. Hoc autẽ,vt paulò pòſt etiam dicemus, ſatis exẽplo Euchariſtiæ declaratur hoc ipſo, quòd proprietates certè panis & vini manent ibi reipſa diſtinctæ a corpore & ſanguine Chriſti, neque cum eo confuſæ.In exemplis enim non requiritur ſimilitudo ex omni parte.

Tertiò idem probatur,quia non eſt inuſitatum aliâs, *proprietatem* ſeu affectionẽ rei alicuius, *naturam* rei ſeu ſubſtantiam appellare. Sic enim & Philoſophi de naturis rerum ſuos libros quãdoque inſcribunt, in quibus tamen propriè agunt de rerum operationibus & proprietatibus. Sic & Apoſtolus affectionem ipſam carnis carnem appellauit: *Caro*,inquit,*& ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt*.1.Corinth.15.

Quod ſi auctores illos nolint Paniſtæ nobiſcum ita interpretari, vt certè poſſent, dabimus aliud breue & ſimplex & ſine vllo incommodo reſponſum.Enimuerò antequam quæſtio illa de tranſubſtantiatione in Eccleſia palàm agitaretur,minimè mirum eſt, ſi vnus aut alter,aut etiã aliqui ex veteribus minus conſideratè & rectè hac de re ſenſerint & ſcripſerint: maximè cùm non tractarent ex inſtituto iſtam quæſtionem. Accedit quod Theodoretus ille de aliis quibusdam errorib⁹ in Cõcilio Epheſino notatus fuit, tametſi poſtea reſipuerit. Neq; etiam Gelaſius ille fuit auctor ſatis clarus. Non igitur debent nobis paucorum eiuſmodi teſtimonia, vtcunq; ea exponãtur, præiudicare, cùm habeamus pro veritate tranſubſtãtiationis nubem grauiſsimorum aliorum teſtium, quorum ſententias ſuprà recitauimus. Rectè enim Vincentius Lyrinenſis præcipit libro contra prophana. hæreſ. nouit. Vt *ſi in ipſa vetuſtate* diſcrepantes ſententias repe-

riamus

riamus, ſequamur ſententiam communiorem plurium & illuſtriorum Doctorum.

Similiter ad teſtimonium illius Ioannis Conſtantinopolitani reſpondeo, illud vel exponendum eodem modo, vel reiiciendum eſſe. Falſiſſimum enim eſt, quòd ille Ioannes fuerit D. Ioannes Chryſoſtomus, ſicut quidam hæretici voluunt.Nam Chryſoſtomus euidentiſsimè alioqui aſſeruit trãſmutationem ipſius panis, homil.83. in Matth. ſicut ſuprà recitaui, & etiam in homil. de Encæniis. Qua de re legatur Franciſcus Turrianus lib.1.de Euch.cap.18. qui apertè conuincit,alium fuiſſe Ioannẽ illum,non autem Chryſoſtomum.

Quod verò ad Rupertum Abbatem attinet, nihil hic auctor peculiare de trãſmutatione iſta docere voluit: ſed errorem quendam ſuum,qui pugnat etiam cum Philoſophia, huc ſimiliter,ſicut etiam ad alias rerũ mutationes,accommodauit.Eſt enim arbitratus, eandem eſſe ſubſtantiam panis,vini, corporis, ſanguinis, & aliarum eiuſmodi rerum,tantumq; eas differre accidentibus:ac proinde cenſuit,cùm panis & vinum in corpus & ſanguinem reuera tranſmutatur, non mutari ibi rei ſubſtantiam. Quare teſtimonium illud Ruperti ex pãrte quidẽ potius eſt pro nobis: ſiquidem ſenſit ita reipſa mutari hic panem in corpus Chriſti, ſicut mutari ſolet vna res in alteram, quãdo iuxta veram Philoſophiam mutatur ſubſtantialiter.

Tertio obiicit Kemnitius ex Patribus eas ſententias, in quibus illi interdum aſſerunt Euchariſtiam conſtare duabus rebus. Vt cùm ait Irenæus lib.4.cap.32.*Euchariſtia duabus rebus conſtat:Terrena & cœleſti*.

Et Auguſtinus de conſ.d.2. can. *Hoc eſt*. *Hoc eſt*,inquit,*quod modis omnibus probare contendimus, ſacrificium Eccleſiæ conſtare duobus, viſibili elemento-rum ſpecie, & inuiſibili Chriſti Carne & Sanguine*. Quod autem ibi per ſpeciem elementorum intelligat Auguſtinus, ipſam etiam naturam & veritatem elementorum, probare nititur Kemnitius, quoniam ſubiungit ſtatim Auguſtinus: *Sicut Chriſti*, inquit, *perſona conſtituitur ex Deo & homine,cùm ipſe ſit verus Deus & verus homo, quia omnes res illarum naturam rerum & veritatem in ſe continet, ex quibus conſicitur: Conficitur autem ſacrificium Eccleſiæ duobus,Sacramento,& re Sacramenti*,id eſt, corpore Chriſti.

Item Heſychius lib.2. in Leuit. cap.8. *Carnes*, inquit.*cum panibus comedi præcipit,vt intelligeremus illud ab eo myſterium dici,quod ſimul panis & caro eſt*. Huc adde alias eiuſmodi ſententias, in quibus Patres ſimpliciter dicunt in Euchariſtia videri panem. Vt Auguſtinus apud Bedam,1. Cor. 10. *Quod videtur*, inquit,*in Altari,panis eſt, quod etiam oculi renunciant*. *Quod autem fides poſtulat, panis eſt corpus Chriſti, & calix ſanguis*.

Respondeo,in ſententia Irenaei per rem terrenam poſſe nos rectè atq; etiam debere intelligere ipſas ſpecies,quæ remanent vini & panis.Nam & illa accidentia vtiq; terrena quædam res ſunt, de materia terrena, vnà cum ipſa ſubſtantia panis & vini, quæ deſiit,facta.

Avgvstinvs autem potius in illo loco ſuffragatur nobis. Aliud enim nõ vult,quàm quod ſacrificium Eccleſiæ prorſus conſtat ex ſpeciebus panis & vini,& ex corpore & ſanguine; idq; tam verum eſſe,quàm verũ eſt Chriſti perſonam ex duabus naturis diſtinctis & inconfuſis conſtare. Ac rurſus vtrumque Auguſtinus ibi bene probat ex eo,quod quælibet res verè retinet naturam ac veritatem illarum rerũ,ex quibus conficitur & conſtat. Hinc enim conſequitur, tum perſonã Chriſti retinere naturas, ex quibus conſtat, tum etiam ſacrificium Eccleſiæ, quod fit & offertur per duas illas res,nempe ſpecies elemẽtorum & corpus Chriſti, retinere etiam verè ipſam veritatem & naturam non ipſorum elemẽtorũ, vt perperam Kemnitius intellexit, ſed *ſpecierum* elementorum, de quibus ibi tantùm Auguſtinus loquitur, quaſq; vocat Sacramentum, ex quo & ex corpore Chriſti fit & conſtat *ſacrificium Eccleſiæ*.

Præterea Heſychius *panem* ibi appellat non ſecundùm ipſius ſubſtantiam, ſed ſecũdùm *proprietates & ſpeciem externam*. Quo pacto etiam intelligi debet ſententia illa poſtremò recitata ex Auguſtino. Cumque Patres Euchariſtiam aliâs appellant panem,eodem modo loquuntur,quo ſuprà ex phraſi ipſa Scripturæ interpretati ſumus, Paulum eſſe locutum, cum Euchariſtiam item nominat panem:nempe quia vt panis reficit,& panis videtur,& ex pane confecta eſt.

Qvarto vrget comparationẽ myſterij Euchariſtię cum myſterio vnionis duarum naturarum in Chriſto ſæpè vſurpatam à Patribus,vt apparet ex teſtimoniis aliquot hactenus recitatis. Inde enim iſti colligunt, ita eſſe veram naturam panis cum corpore Chriſti in Euchariſtia, ſicut eſt vera natura humana cum diuina in Chriſto.

Respondeo,vim illius comparationis propriè in hoc conſiſtere, quòd ſicut in Euchariſtia ſũt duæ res diſtinctæ & incõfuſæ,ita etiã in Chriſto duæ naturæ. Quæ ſimilitudo & comparatio ex hoc ipſo ſatis conſiſtit, quòd ſpecies externæ panis & vini minimè ſunt cũ corpore & ſanguine Chriſti confuſæ.Neq; ad id opus eſt,vt ſit etiã in Euchariſtia natura ipſa *interna* panis & vini. Alioqui ſi Paniſtæ velint comparationẽ ex omni parte quadrare, ſequetur quoq; ſecundùm ſententiam Patrũ, naturam panis ita eſſe in Euchariſtia,vt non habeat ibi *proprium* ſuppoſitum,ſed vnum & *commune* cum ipſo corpore Chriſti:ſicut in Chriſto natura humana commune ſuppoſitũ habet cum natura diuina. Et tamen Paniſtæ aſſerunt, differre panem in Euchariſtia à corpore Chriſti,etiam proprio ſuppoſito.

Ex fine igitur & ſcopo,quem ſibi Patres propoſuerunt, dum illa comparatione ſunt vſi,col-

ligendum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ligendum est id, in quo propriè constituerunt similitudinem. Ille autem finis & scopus fuit ostendere, quemadmodum naturę in Christo sint res distinctæ & inconfusæ. Ad hoc autem satis illis fuit sumere illud, quod sine controuersia de Eucharistia constabat omnibus: nempe, esse ibi in Eucharistia vnam quandam rem ad sensum, quæ videri scilicet & palpari possit, distinctam & inconfusam ab illa altera, quæ ibi creditur secundùm fidem, videlicet à corpore Christi. Neque descenderũt Patres ad modum & conditionem illius rei externæ, quæ ibi apparet: Vtrum scilicet esset panis etiam secundum naturam *internam*. Hoc enim nihil intererat ad similitudinem: cùm etiam species externæ panis sint (vt antè dictum est) res quædam distincta & inconfusa cum corpore Christi.

QVINTO opponit, quod etiam Patres hanc mutationem panis compararunt cum renouatione hominis & mutatione à statu peccati in statũ gratiæ; vt Ambrosius lib.4. de Sacr. cap.4. & Emissenus homil.5. de Paschat. Sed in eiusmodi mutatione homo nequaquam transubstantiatur, sed tantùm adiicitur illi gratia. Ergo neque in proposito, inquit Kemnitius, ita mutatur panis vt transubstantietur, sed tantùm additur illi corpus Christi.

RESPONDEO, similitudinem illam à Patribus in eo poni, quòd sicut in renouatione hominis accedente gratia *desinit* esse prorsus ipsum peccatũ: ita etiam ad præsentiam corporis Christi in Eucharistia *desinit* ibi esse panis; vt suprà §.3. ex testimonio Emisseni euidenter collegimus. Non autem ponitur ab illis similitudo in hoc, quòd ibi maneat eadẽ substantia hominis. Nam quatenus in Iustificatione *manet* idẽ homo, non sanè mutatur, sed quatenus in eo aliquid *desinit* esse, scilicet peccatum, & aduenit ei quiddam aliud, scilicet gratia. Quare similitudo illa potius fauet Catholicæ sententiæ de transubstantiatione.

Respondetur ad obiectiones ex ratione.§.8.

TERTIO loco respõdendum est ad quasdam ratiunculas, quibus Panistæ & Sacramentarij vtuntur. Prima est, quòd sensus iudicat ibi esse Panem. Item, quòd omnes ibi proprietates & operationes panis percipiuntur. Ergo sentiẽdum est esse ibi panem. Sic enim & Christus ipse probauit suis discipulis veritatem sui corporis ex proprietatibus illius, Lucæ 24. *Palpate*, inquit, *& videte, &c.* Sic & Patres contra hæreticos Christum habuisse verum corpus probauerunt, quoniam in eo proprietates corporis sentirentur.

RESPONDEO, Ex sensu rectè aliquid tunc probari cũ reuelatio fidei, cui potius credẽdum est, non corrigit sensum; aliud nimirum docendo intellectũ. Hic autem prorsus aliud docet: sicut ex verbis Christi, & ex tota antiquitate probauimus.§.2. & 3. Ita, non sensui, sed Christi verbis potius credendum est, quemadmodum veteres Patres suprà citati nos admonuerunt.

Neq; est illud simile, quod de probandi modo & Christi & Patrum in quæstione de veritate corporis Christi obiicitur. Nam ibi fides non reuelauit aliud. Esset autem simile, si quis ex proprietatibus naturalibus, quæ in Christo sentiebantur, voluisset probare, Christi naturam humanam habuisse *proprium suppositum*, sicut habẽt alij homines. Tunc enim similiter atque iam respondimus, dici deberẽt, fidem aliud docere, & propterea illi potius quàm sensibus innitẽdum esse.

Neq; ideo tamen hîc sensus fallitur circa proprium obiectum: quamuis & hoc potest aliquãdo quidem *per accidens* contingere. Proprium enim obiectum sensus non est ipsa substantia, sed externa accidentia, quæ manent hîc quidem sicut à sensu percipiuntur. Refutauit autem ilto ferè modo D. Thomas hîc q.85. artic.5. ad 3. hoc idem argumentum hæreticorum.

SECVNDO argumentantur, Rationem accidentium esse, vt *insint subiecto*. Quare non posse illa manere sine suo subiecto.

RESPONDERI solet, & rectè: non esse rationem accidentium, vt *actu* insint, sed vt ineſſe *possint*; vel quod idem est, vt insint *aptitudine*, quod etiam illis accidẽtibus in Eucharistia conuenit. Quod autẽ actu possint separari à subiecto, Philosophi etiã aliqui tradiderunt, nempe Platonici, & Pythagorici, vt videre est apud Auerroem, in epitome Metaphys. tract. 2. Id etiam affirmauit Auicebron in libro fontis vitæ, tract.2. Quin etiam nonnulli Patres senserunt, Deum produxisse & conseruasse lumẽ sine subiecto, antequã sol esset creatus. Ita Basilius hom.6. in Hexamer. Damascenus lib.2.cap.7. Procopius in cap.1. Genesis, & etiam Iustinus in explicatione fidei. Cur autem diuinitus factum sit, vt hîc accidentia remanerent, explicat rectè D. Thomas hîc art.5.

TERTIO obiiciunt, tolli à nobis huius Sacramenti significationem, cùm in eo negamus remanere substantiam *panis*. Significat enim, vt inquit Augustinus, Tract.26. in Ioan. ita ex multis fidelibus constitui vnum corpus Ecclesiæ mysticum, sicut vnus panis conficitur ex multis granis. Quod si panis ipse hîc non manet, non manebit ista significatio.

RESPONDEO. Primùm significatio huius Sacramenti præcipua & essentialis non est illa: sed ea potius, qua per nutrimentum *externum* significatur *interna* animi refectio spiritualis, quæ fit à corpore Christi. Hæc verò significatio omninò etiam in re nunc præsente manet, cùm maneat quoque in speciebus virtus nutriendi.

Deinde illa vnitas corporis Ecclesiæ mystici, non significatur per hoc Sacramẽtum nisi quatenus panis quidem ex multis granis antè fuit factus. Hoc autem nobis figura & proprietates panis, quæ remanent repræsentant. Nam neque ipsi Panistæ aut Caluinistæ, panem illum, ex quo constat ipsorũ Eucharistia, tum primùm in præsentia ex multis granis pinsunt & faciunt, cùm communicare volunt, aut continuò panem illum faciunt, ex quò constat secundùm ipsos Eucharistia.

Quamuis igitur substantia panis nõ maneat; tamen verum nihilominus est, panem illum, ex quo confecta est Eucharistia, fuisse factũ ex multis granis. Et de hoc ipso accidentia, quæ substãtiam illam præteriti panis repræsentant, nos admonent. Ita fit, vt constet nobis etiam illa vnitatis significatio sine remanente substantia panis. Atque hoc est, quod sibi D. Thomas hîc art. 5. ad 3. voluit, cùm respondens ad hoc ipsum argumentum hæreticorum dixit, sufficere species ipsas ad illam vnitatis significationẽ, quoniam per accidentia, inquit, cognoscitur substantia.

Respondetur ad obiectiones Sadeelis. §.9.

QVARTO loco respondere mihi visum est ad obiectiones quasdam Antonij Sadeelis Caluinistæ celebris, in Tract. de Manducatione Sacramentali, non quòd illæ aliquid virium habeant, sed vt ex earũ potius vanitate cognoscat lector, quàm sint exhaustæ vires istorũ in argumentando aduersus Transubstantiationem, siquidem quod opponant, præter eiusmodi inepţias, non amplius habent.

PRIMA OBIECTIO. DOGMA *de transubstantiatione panis negat id, quod expressis Apostolorum & Euangelistarum verbis affirmatur. Ergo, &c.*

RESPONDEO, Esse ociosam petitionẽ principij. Vide quæ paulò antè respondimus §. 6. ad obiectionem primam: *At*, inquit. *si Eucharistia vocatur in Scriptura panis, non quia verè panis sit, sed propterea quod panis est conuersus in corpus Christi, q. Eucharistia continetur, vt homo vocatur terra & cinis, quia de terra factus est: sequeretur, Christi corpus fieri de substantia panis, quæ sit ipsius corporis materia.*

RESPONDEO. Ineptissima consequentia. Nã homo terra nominatur non solùm quatenus factus est ex terræ materia (quæ certè neq; est nec dicitur terra & cinis) non solùm quia in terram & cinerem reuertetur, sed etiam ideo propriè, quia in illum terra conuersa est qualicunq; demum conuersione. Est autẽ panis verè conuersus in corpus Christi, per quandam quoq; conuersionem. Quare rectè ideo etiam Eucharistia, quæ substantialiter corpus Christi continet, appellatur panis. Neque enim oportet, vt in exemplis per omnia sit par ratio. Quod idem respondeo esto ad alia, quæ iste affert contra exemplũ, quod solet etiam peti ex conuersione virgæ Aaronis in serpentem, quæ tum etiam, cùm esset serpens, virga vocabatur. Quo exemplo etiam D. Ambrosius libro 4. de Sacr. cap. 4. vtitur ad fidem faciendam huius mysterij.

Adde quod alias præterea causas indicamus, cur Eucharistia rectè appelletur panis. Vide suprà §. 6. *At*, inquit iste, *ne ipsi quidem Pontificij volunt panem esse factum corpus Christi.* Respondeo. Falsum est: Nam retinent Pontificij sententiam illam Ambrosij orthodoxam loco citato: *Panis est ante verba consecrationis. Vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et D. Damascen. libro 4. de fide orthodoxa, cap.14. *Panem*, inquit, *& vinum corpus & sanguinem suum fecit.* Vt iam alia similia præteream.

SECVNDA OBIECTIO. *Si panis substantia convertitur in corpus Christi. Ergo cœna Domini non est Sacramentum. Probatur consequentia. Quia non erit in illa nutriendi facultas: ac proinde neq; similitudo & ἀναλογία inter signum & signatum, qua sublata Sacramentum etiam tollitur, iuxta Augustinum Epist.23.*

RESPONDEO, cùm D. Thoma, 3.p.q.77.art. 5. & 6. in solis accidẽtibus panis esse facultatem nutriendi, supplente diuinitus quantitate materiam panis, ex qua nutritio fieri solet, vt diuus Thomas ibi docet. Quãquam dicere etiam possumus, ἀναλογίαν inter accidẽtia illa panis & corpus Christi satis hoc ipso consistere, quòd sumptio illorum accidentium significat nutritionẽ, quæ per panem fieri solet, atque adeò quoque nutritionẽ spiritualem, quæ fit per corpus Christi. Quemadmodum licet aqua baptismi nullas maculas corporis abluat (neque enim est necesse, vt sordido corpore quis baptizetur) tamẽ sufficientem habet similitudinem cum re significata, hoc ipso, quod ablutionem sordium significat, atque adeò etiam ablutionem spiritualem à macula peccati.

Explicaui etiam suprà §. præced. quomodo per accidentia illa panis significetur quoque ex multis membris fieri vnum corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, sicut ex multis granis fit vnus panis, vt notat Augustinus ex Apostolo. Id enim significatur per illa accidentia hoc ipso, quòd panem secundùm substantiam, cuius accidentia fuerunt, & qui ex multis granis factus fuit, nobis repræsentant, atq; adeò etiam vnitatem corporis mystici huic vnitati panis similem.

Sed instat hoc loco iste: *Ergo aut panis fuit Sacramentum ante transubstantiationem; aut sequitur, id quod esse desiit, esse Sacramentum.* Respondeo. Non dicimus, per panem tantùmodo, qui antea fuit, significari illam vnitatem corporis mystici; sed asserimus, illam etiam significari per accidentia panis, quæ nunc supersunt, quatenus ea repræsentãt panem, qui ex multis granis antea factus fuit, vt explicaui. Ita fit, vt non panis qui fuit, aut aliquid quod esse desiit, sed accidẽtia panis, quæ sunt, vt continẽt quidem corpus Christi, sint Sacramentum.

TERTIA OBIECTIO. *In baptismo non transubstantiatur aqua: Ergo neq; in Eucharistia panis. Probatur consequẽtia, quia nulla idonea ratio discriminis afferri potest. Vtrumque enim est noui testamenti Sacramentum. Et de baptismo similia dicuntur in Scriptura iis quæ dicuntur de Eucharistia. Vt: Qui crediderit & baptizatus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

baptizatus fuerit, saluabitur, Marc.vlt. Baptizetur vnusquisq; in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, Actor.2. Et iis consimilia.

A

Respondeo. Consequentia vana est, & vana quoque illius probatio. Nam in omnium oculos, exceptis cæcis Caluinistis, incurrit nihilominus clarissimũ illud discrimen, quòd Christus panem accipiens dixit: *Hoc est corpus meum*. Nihil autem tale aut Christus, aut vllus sanctorum Patrum dixit de aqua baptismi.

At hoc (inquit iste) *est petitio principij. Hoc enim est controuersum, an illa verba Christi, Hoc est corpus meum, inferant transubstantiationem*. At ego ad refellendam quidem consequentiam huius argumenti non iam vrgeo ex illis verbis *inferri* transubstãtiationem; quamuis & id suo loco firmissimè demonstraui p.1. sed dico, illa verba esse à Christo dicta de pane Eucharistico, non de aqua baptismi. Hoc non est controuersum: & hoc mihi satis est, vt defendam, aliter Scripturam loqui de Sacramento Eucharistiæ, quàm de Sacramẽto Baptismi. Quocirca minimè peto principiũ.

B

Deinde nescire videtur iste, quodnam & quale sit vitium petitio principij. Sciendum igitur tunc principium peti, cùm id in argumento sumitur, quod est concludendũ. Quo fit, vt in probando tantùm, non autem in respondendo & defendendo vitium esse possit petitionis principij: Si quis nimirum id in probatione sumat, dè quo est controuersia. Nam qui respondet, necesse omnino habet assertione sua tãquam fundamento sæpe niti, vt ex ea etiam ostendat, fallax esse argumentũ quod contra obiicitur: quia vt respondet quidem, non debet ipse persuadere aliis assertionem suam esse veram, sed defendere non esse falsam, ob contrarium argumentum. Is verò qui probat, viciosè faciet, si illud ipsum sumat, quod est ei probandũ & concludendum tanquam controuersum.

C

Atque hoc vitium commisit iste iam antè aliquoties, & in hoc ipso argumẽto, cùm affirmat, ea quæ de baptismo dicuntur, æquipollere iis verbis, quibus sacra Domini cœna instituta est. Hoc enim ideo affirmat, quia ponit alioqui, verba institutionis sacræ cœnæ accipienda esse non κατὰ τὸ ῥητὸν, sed per tropum: vt illorum sensus sit; panẽ significare corpus Christi animas nostras sustentans, sicut aqua significat Christi sanguinem animas nostras emundantem à peccatis, cùm appellatur lauacrum regenerationis, in remissionem peccatorum, & in aspersionem sanguinis Iesu Christi, vt hîc iste memorat. At vtrũ illa verba, Hoc est corpus meum, impropriè accipienda sint, maximè est inter nos controuersum. Quare omnino iste petit principium.

D

Sed inquit iste: *Si propter illa verba: Hoc est corpus meum, adeò Eucharistia antecellit baptismo, vt illic fiat transubstantiatio, hîc verò non fiat: ergo Sacramenta veteris legis sunt etiam præstantiora baptismo. Nam in illis vsurpatur similis loquendi formula. Vt, Hoc est transitus, siue pascha. Hoc est fœdus meum, de circumcisione. Item: Petra erat Christus.*

Respondeo. Petra illa, quomodocunque eam interpreteris, non fuit aliquod Sacramentum. Circumcisio verò quæ Sacramentum fuit, nunquã nominata est Christi corpus aut sanguis. Ita nihil iste adfert vnde probet, ex nostra sententia sequi, baptismo antecellere Sacramenta veteris legis.

Qvarta obiectio. *Si his Christi verbis, Hoc est corpus meum, transsubstantiatio efficitur. Ergo explicari non potest, quid significetur pronomine, Hoc.*

Respondeo. Potest optimè: Nam significatur & demonstratur per id pronomen non propriè ipsum corpus Christi, (id enim potius prædicatur de re demonstrata per illud pronomen) neq; panis vt panis, neque panis accidentia, neque solum indiuiduum aliquod vagum (vt iste somniat nos dicere) sed substãtia illa indiuidua determinata contenta sub sensibilibus accidentibus panis, illa, inquam, nõ quidem secundùm rationem propriam panis, sed secundùm rationem substantiæ communem & indiuiduam vagè per ordinem ad illa accidentia. Quæ quidem substantia secundùm eam quidem rationem in principio illius enũciationis *(Hoc est corpus meũ)* est panis, & in fine corpus Christi.

Hanc rem totam explicabimus, & ratione atque Christi verbis cõfirmabimus infrà quæst.6. Itaque sua sponte corruit Scholastici tractatoris non tam speculatio quàm cauillatio hoc loco, dum probat, nec corpus Christi, nec sola panis accidentia, neque aliquod indiuiduum vagum demonstrari per illud pronomen. Refellit enim suas cogitationes, non interpretationem nostram.

Qvinta obiectio. *Si in cœna Domini substantia panis non remanet, sed sola accidentia superstant. Ergo accidentia nutriunt: Item, ex accidentibus generantur vermes & cineres. Quod vel opinari stultissimum est.*

Respondeo. Miror hunc tractatorem, cùm sese Scholasticum profiteatur, D. Thomam 3. parte, q.77. artic.5. & 6. hęc ipsa Theologicè & Scholasticè explicantem aut non legisse, aut si legit, non prius confutasse, quàm illius doctrinã appellare auderet stultissimam. Neq; enim vllam aliam probationem adfert, cur accidentia illa non nutriant, nec sint subiectum generationis, nisi quia id, inquit, vel opinari est stultissimum. At ego stultum & ἀδιάλεκτον esse non ita sentire, sic demonstro. Si experientia euidenti notũ est illorum accidentium vsu nutritionẽ fieri, & eorundem corruptione aliquid interdum generari; ac fide etiam certissimè constat, accidentibus illis minimè subesse substãtiam panis: Ergo stultum est, non putare nutritionem & generationem interdum fieri ex illis accidentibus. Antecedens verissimum est, cùm neque de experientia dubitari possit, & multò minus de verbis Christi,

Christi, ex quibus euidenter §. 2. transubstantiationem demonstraui. Ergo etiam verissimum est consequens.

A

Sed quomodo, inquies, ex accidentibus illis fieri potest generatio vel nutritio, quæ est etiam adgeneratio quædam? Paucis rem ita explico.

Panis ideo nutrit ac subiectum est generationis, quia ipsius materia duo præstat. *Primò* enim subiectũ est dispositionum antecedentium formam producendam generatione, aut nutritione introducendam. *Secundò* suscipit etiam ipsa, cùm est sufficienter disposita, formam, quæ generatione producitur, vel introducitur nutritione. *Primum* quantitas in Eucharistia secundùm rationẽ suam propriam facit, quæ vna cum aliis accidentibus remanet. Nam non est impossibile, vt dispositiones ad formam pendeant in esse & fieri à quantitate, tanquã à potentia quadam passiua & receptiua, atque adeò tanquam à subiecto. *Secundum* facit etiam hîc quantitas quodam modo: quatenus nimirum ipsa non secundùm rationẽ suam propriam, sed secundam rationem quandam communem *potentiæ passiuæ & receptiuæ*, transit & quasi refunditur (vt sic dicam) in quandam materiam, quam ipso puncto generationis siue adgenerationis Deus producit, vt posit substantialiter formam nutriti aut geniti suscipere; in quam proinde materiam diuina virtute quantitas tunc conuertitur.

B

Itaque hac ratione generatio & nutritio fit diuinitùs ex quantitate panis, quæ in Eucharistia tenet locũ materiæ panis. vt explicat diuus Thomas 3. parte, q.77. artic.5. & 6. Neque est hoc & consequens ex ipso mysterio transubstantiationis, quæ clarissimum & firmissimum habet fundamentum in Christi verbis. Qua de re infrà pluribus, q.5.

C

Sexta obiectio. *Si in cœna Domini sola panis & vini accidentia supersunt. Ergo rursus illa accidentia in substantiam transubstantiantur. Consequentia patet. Certum est enim in cœna Domini panis vinique saporem & gustum remanere. Ex quo efficitur, subesse substantia materiata esse non potest, neque hactenus audirum est vllius accidentis saporem esse.*

D

Respondeo. Nemo non videt totam istam consequentiam & argumentum carere prorsus sapientiæ sale & sapore. Nónne enim sapor accidens quoddam est de prædicamento qualitatis, quod est obiectum gustus, sicut color visus, & sonus auditus? Quid ergo prohibet, quo minus, vt alia accidentia, ita etiam sapor, qui gustari posit, maneat sine substantia in cœna Domini?

Sed *perspicuum est*, inquit iste deinde, *accidentia illa, quæ Pontificij sola superesse existimant, non esse quasdam mathematicas delineationes, sed esse corpora physica, materiam & πάθη eadem corporis naturalis habẽtia, cuiusmodi est longitudo, latitudo & profunditas, quæ omnia vel ipsi Pontificij negant ad Christi corpus pertinere. Quamobrem si quis existimat accidentia materiã constare, ille profectò accidens in substãtiam cõmutauit.* Præbeo, vt arbitror, hac recitatione nonnullum gustum lectori sapientiæ istius. Multa enim sunt hîc ab eo imperitè dicta.

Primò, accidentia illa esse *corpora physica*, cùm non sint mathematicæ delineationes. Quod est dicere, accidentia esse substantias. Nam corpus physicum in prædicamento substantiæ ab Aristotele quidem (nescio an etiam à Caluinistis) ponitur. Atqui non necesse est, vt quod non est mathematica delineatio, sit *corpus* physicum. Potest enim esse physicum *accidens*: sicut sunt omnino illa accidentia, quæ sola remanent.

Secundò, accidentia illa habere *materiam & proprietates corporis naturalis*. Sunt igitur quædam composita physicã.

Tertiò, si accidentia illa ex materia constant, *in substantiam commutari*. Atqui non in substantiã tunc commutarentur, sed essent quædam substantiæ compositæ. Sed istis relinquamus suam philosophiam verè Caluinisticam.

Septima obiectio. *Si in cœna Domini, sola panis accidentia remanent. Ergo stare non potest, quod dicitur in Scriptura de sacri panis fractione.*

Respondeo. Quantitas subiecta reliquis accidentibus frangitur, vt explicat D. Thomas 3.p.q.77.artic.7. *Atqui nos agimus*, inquit iste, *non de mathematica sed de vera fractione*. Atqui nos etiã, mi disputator. Itaque frustrà id probas.

Obiicis: *Si fractio vera est: Non igitur sola quantitas mathematica frangitur: quia in vera fractione non sola quantitas, sed ipsum quantum frangitur, hoc est, ipsa substantia quæ quantitatem habet.*

Respondeo. Etiam quantitas, vt est subiecta accidenti densitatis, & duritiei, hoc ipso quod ipsa etiam est verè continua & verè diuiditur, verè etiam frangitur. Determinata enim dispositio pororum secundùm raritatem & densitatẽ est causa, cur corpus verè frangi posit, vt docet Philosophus lib. 4. Metheor. summa 3. capite 2. Quamobrem cùm ea etiam dispositio maneat in quantitate, verè etiam quantitas frangitur.

Miror autem cur non venit hîc in mentem istî tractatori sua illa metaphysica, ex qua suprà p.1. concludentem illum audiuimus, præsentiam Christi Caluinisticã esse *veram* præsentiam, quia conuertuntur *ens* & *verum*. Poterat enim similiter concludere fractionem quoque ipsius quantitatis esse *veram* fractionem, siue sine substantia siue cũ substantia frangatur, cùm sit *ens quoddam*. Verùm enim verò principium illud metaphysicũ ineptè in huiusmodi quæstionibus accersitur, vt suprà p.1. ostendimus.

Octava obiectio. *Si in cœna Domini, sola panis vinique accidentia remanet: Ergo accidentia sine subiecto remanent.*

Respondeo. AEquè est apud nos vera, atque vetus hæc consequentia. Fatemur enim, accidentia omnia panis manere in hoc mysterio

Universidad de Deusto
Biblioteca

sine vllo *substantiali* subiecto, vt disertè docet diuus Thomas 3.parte,q.77.art.1. Quanquam docet is quidem rectè ibidem artic.2.in quantitate tãquam in subiecto *accidentali* inesse reliqua accidentia, quæ præter quantitatem hîc etiam supersunt.

Itaque non sine calumnia, iste D.Thomæ cauillator hoc loco ita scribit: *Respondet Thomas solam quantitatem dimensiuam subsistere sine subiecto, & in ea ipsa quantitate reliqua accidentia fundari.* Atqui D.Thomas 3.parte,q.77.art.1. generatim de omnibus accidentibus affirmat manere hîc illa sine subiecto, quod sit substantia. Quod quemadmodum fieri possit diuinitùs, cùm non sit essentiale accidenti, vt *actu* insit in subiecto, sed vt *aptum* sit inesse, præclarè idem D.Thomas docet. Ac nos etiam de eadem re dicemus q.5.

Sed probat iste, quantitatem non posse subsistere sine subiecto hoc modo: *Quantitas non potest esse dimensiua, nisi sit alicuius quanti dimensiua, hoc est, non potest dici quantitas dimetiens, nisi aliquod quantum dimetiatur. Hæc enim sunt ex tertio genere relatorum, τὰ μετρητὰ πρὸς τὸ μετρητόν. Iam hîc non agimus de quantitate mathematica, quæ sit ἐξ ἀφαιρέσεως, sed de quanto physico, quod videtur, contrectatur, mouetur, & quod est latum, longum & profundum. Itaq; quantitas illa dimetiens necessariò includit substantiam materiatam quam dimetiatur.*

Respondeo. Non est idem quod iste pro eodem accipit: nempe quantitatem physicam esse ex se substantiæ *dimensiuam*, & actu *dimetientem*. Actu dimetiens, seu mensurans substantiam, esse quidem non potest sine substantia actu mensurata: bene autem potest esse ex se *dimensiua*, & mensura *aptitudine*, etiamsi non actu per eã mensuretur substantia, vt cuiuis perspicuum est. Iam verò quantitas illa physica, quæ superest in Eucharistia, *dimensiua* quidem ex se est, non autem *actu dimetiens*, vt iste assumit imperitè. Non enim est de essentiali ratione quantitatis physicæ, vt actu sit dimetiens, sed vt sit dimensiua.

Deinde inquit iste, *Thomas petit principium. Nã qui dicit, quantitatem dimensiuam subsistere sine subiecto, ille dicit accidens sine subiecto subsistere.* Respondeo. Id ipsum quoq; mi disputator, dicit diuus Thomas, nempe accidens sine subiecto subsistere. In qua assertione, quam, obsecro, tu somnias petitionem principij?

Addis: *Tametsi quantitas proximè ad substantiam accedat, tamen qualitas & reliqua accidentia non possunt in quantitate fundari.* Petis principium, si loquaris, vt nos, secundùm potentiam diuinam. Quanquam ordinariè quidem verum est, fundari qualitatem & reliqua accidentia in substãtia quanta. Ac pari modo potest actio per potẽtiam diuinam oriri ex sola qualitate, vt est quasi loco substantię, tametsi ordinariè oriatur à substantia: Quod tu etiam exemplum adducis.

At inquis: *Cùm hoc loco omnes rationes, & Thomã, & reliquos transubstantiatores deficiunt, tandem pratexunt omnipotentiam diuinam.* Peto à Lectore vt cognoscat ex his verbis D.Thomæ, 3.p.q.77.art.1. an is sine ratione in hac re nitatur omnipotentia diuina: *Cùm effectus*, inquit, *magis dependeat a caussa prima, quàm à caussa secunda, Deus qui est prima caussa substantiæ & accidentis, per suam infinitam virtutem conseruare potest in esse accidẽs subtracta substantia, per quam conseruabatur in esse sicut per propriã caussam. Sicut etiam alios effectus naturalium caussarum potest producere sine naturalibus caussis.*

Quin etiam ea ratione nitimur, quod non est de ratione accidẽtis, vt *actu* in subiecto insit, sed vt insit *aptitudine*. Quamobrem nulla est contradictio vt accidens sit, & non sit actu in subiecto. Omne autem quod non implicat contradictionem, Deus potest facere. Vide 5. præcedenti, vbi etiam Philosophos citauimus, qui id fieri posse assererent, & nonnullos etiam ex veteribus, qui lucem sine subiecto productam esse censuerunt, antè nimirum quàm Sol esset creatus: vtcunq; variè sit ab aliis de productione illius lucis disputatum.

Sed obiicit iste, *lucem, eam præsertim, quam Moyses dicit initiò creatam esse, inter substantias numerari à doctissimis Theologis. Item apud Moysem legi de productione Solis & Lunæ: Et fecit duo luminaria magna. Ex quibus apparet Solem cum sua luce simul fuisse creatum. Nam luminare sine luce ne intelligi quidem potest.*

Respondeo. Primum, Quidquid sit de illo exemplo, nobis satis est, non defuisse veteres Caluinistis doctiores (ex illis enim est diuus Basilius homil.6.in Hexamer.) qui existimauerint, adeò non esse impossibile vt accidens sit sine subiecto, vt etiam id aliquando contigisse sint arbitrati. Deinde, qui nam illi doctissimi Theologi sunt, qui paradoxon illud sibi persuaserint, nẽpe lucem esse substantiam, & non qualitatem in corpore diaphano? Tertiò, Moyses, cùm creatus est Sol, ideo etiam luminare creatum esse potuit, dicere, quia eodẽ momento substantia solis fuit diuinitùs affecta luce, quæ prius esset producta, atque eatenus facta luminare.

Ineptum autem est illud quod ita iste obiicit: *Nos de ipsa rerum natura à Deo constituta confirmatą, disserimus: nõ de iis quæ perfectam absolutamq; naturæ constitutionem præcesserũt.* Quasi verò post perfectam naturæ constitutionem nequeat per Dei potestatem absolutam tale aliquid fieri, quale Deus fecit aut facere potuit, antequam omnis natura rerum esset perfectè constituta.

Nona obiectio. *Si posita transubstantiatione, substantia panis non posit in nihilum redigi, neq; resolui in materiam primam, neq; conuerti in substantiam corporis Christi. Ergo dogma de transubstantiatione meri figmenti est. Verum igitur & consequens. Antecedens verum est. Verum igitur & est somnium. Antecedens verum est.*

Respondeo. Antecedens est falsum, & mera petitio principij, quod attinet quidem ad conuersionem. Nam etsi in transubstantiatione, neq; annihilari substantiam panis dicimus, neq; resolui in materiam primam; *converti* tamẽ in corpus Christi asseueramus, & in ea ipsa conuersione rationem transubstãtiationis constituimus: vt explicatum est in Concilio Tridentino, sess.13. capite quarto. Itaque ociosè iste petiuit principium, cùm contrarium in Antecedente sumpsit.

Audiamus autem cur nõ existimet eam conuersionem in transubstantiatione fieri posse. Nãde annihilatione & resolutione in materiã primam, cùm ista minimè defendamus, non est necesse dicere. Quanquam non pauca sanè dicuntur circa hæc ipsa ab isto imperitè, quæ nũc prætereo. Tantũ agamus de conuersione, quæ à nobis asseritur. Has rationes contra eam conuersionem iste adfert.

Prima ratio: *Si vlla fieret conuersio, id fieret vi verborum Christi: At hic nullum est Christi verbũ, quod conuersionem significet. Nam verbum, Est, non significat conuersionem. Neque enim dixit Christus: substantia panis fiat substantia corporis mei.*

Respondeo. Multo minus verbum, Est, significat *obsignationem Caluinisticam* corporis Christi. Neq; etiam dixit Christus; substantia panis fiat *signillum illud* corporis mei, quo adulterant sententiam Christi commenta Caluinistica. Dico igitur, non esse opus vt verbum illud, Est, ex institutione sua significet conuersionem. Satis superque nobis est, quod significat, verè Esse corpus Christi illud, de quo affirmatur. Hinc enim necessariò sequitur, desinere idipsum esse substantiam panis, & incipere esse corpus Christi, cùm antea non fuerit; quod est substantiam panis in corpus Christi *conuerti*; vt euidentissimè pro transubstantiatione ex verbis Christi argumentatus sum, §.2.

At inquit iste: *Si vlla esset conuersio, certè illa præcederet verbum, Est, vt ita Christus de re iam ante facta loqui videatur.* At vnde probatis, oportere vt Christus loquatur de re iam antè facta? Nonne satis est, si loquatur de re quæ tum fiat, & sit facta in vltimo instanti prolationis verborum? Nonne in vltimo instanti prolationis sufficit enunciationes veras esse?

Falsò etiam & sine probatione iste negat, non posse adesse corpus Christi in ipsa conuersione, sed tantùm post conuersionem. Atqui conuersio illa puncto temporis fit, atque adeò simul fit & facta est, vt Philosophi tradunt de mutationibus momentaneis. Itaque tum etiam, cùm fit illa conuersio, adest Christus pro substantia panis.

Secũda ratio: *Si panis conuertitur in corpus Christi: Ergo materia ipsius panis est simul cum materia & essentiali forma corporis Christi.*

Respondeo. Consequentia est prorsus indigna eo etiam, qui vel somnier se Scholasticè & Theologicè disputare. Nam potius contrarium sequitur, si tota substantia panis (vt asserimus) in substantiam corporis Christi conuertitur. Si

enim ita est: ergo ne materia quidem panis manet.

Sed *consequentia*, inquis, *patet. Nam substantia panis nõ redigitur in nihilum: neq; etiam in primã materiam resoluitur: nec rursus manet sub suis accidentibus (vt volunt) & tamen est aliquid, ac proinde est alicubi. Itaq; si conuertitur in corpus Christi, certè non alibi quam in Christi corpore quærenda est.*

At, si *totus panis* substãtialiter in corpus Christi conuersus est; certè secundùm nullam rationem propriam substantiæ suæ, ac proinde nec secundùm suam materiam, in corpore Christi manet, aut inueniri potest: sed tantummodo secundùm *communem* substantiæ rationem, substantiali quadam habitudine intimè coniũctam cum illis iisdem determinatis accidentibus panis. Nam vt corpus Christi secũdum hanc communem substantiæ rationem pani succedit sub illis iisdem accidentibus, eatenus id quod antea fuit panis, est postea corpus Christi, per sui conuersionẽ substantialem in Corpus Christi, iuxta proprias rationes substantiæ vtriusque.

Et hęc ipsa caussa est, cur substantia panis non annihilatur. Nempe quia terminus mutationis illius non est simpliciter, *non esse*, sed, esse substãtiale corporis Christi, nõ quasi de nouo productum, sed quasi succedens substantiæ panis per habitudinem substantialem intimæ cuiusdam coniunctionis substantiæ suæ cum iisdem illis accidentibus, quibus antea erat quoque per suã substãtiam intimè coniunctus panis, & quidem prius etiam, quodam naturæ & rationis ordine, quàm ab illis informaretur. Habes hîc paucis, mi disputator, Theologicam & Scholasticã conuersionis huius explicationẽ, quàm si necdum intelliges, meritò claudes inposterum tuũ musæum, nec te Theologum Scholasticũ verè profiteberis. Sed dicemus de hoc latius p.seq.

Tertia ratio: *Si panis conuertitur in corpus Christi, sequeretur, formam essentialem panis in formam corporis Christi transire, assumptis ipsius corporis accidentibus, idque ex natura conuersionis. Iam quia hoc est de natura corporis, vt videri & contrectari possit, certè nõ iam panis, sed ipsum Christi corpus videretur. At contra fit, videtur enim panis, & corpus Christi non videtur.*

Respondeo. Ne tantillum quidem apparet rationis in hac ratione. Nam primùm ex natura conuersionis nihil minus quàm ista assumptio accidentium sequitur. Si enim tota substantia panis atque adeò etiam illius forma in substantiam Corporis Christi conuersa est: ergo non superest amplius forma panis, quæ assumere & induere possit accidentia corporis Christi.

Deinde, quamuis natura corporis sit, vt videri & contrectari possit, tamen potest suprà ipsius naturam diuinitùs ei tribui modus aliquis existendi, secundùm quem neque videri, neque contrectari possit. Rectè enim Ambrosius,

perinde ac si contra Caluinistas disputaret, idē-
tidem in hoc mysterio nobis obiicientes natu-
ræ ordinem, libro de iis qui init. myster. capite
nono: *Quid hic quæris*, inquit, *naturæ ordinem in
Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Iesus par-
tus ex Virgine? Ipse clamat, Hoc est corpus meum.* Est
igitur hic corpus Christi supra naturæ ordinem
inuisibile.

Et certè Ambrosius hoc ipsum argumentum
istius Caluinistæ refellere videtur, cùm ita etiam
scribit loco citato: *Fortè dicas; Aliud video. Quo-
modo tu mihi asseris quòd corpus Christi accipiam? Pro-
bemus igitur*, inquit, *non hoc esse quod natura formā-
uit, sed quod benedictio consecrauit, &c.*

Porrò nullo alio verius quàm mendacij voca-
bulo insignire possum id, quod iste deinde de
nobis ita scribit: *Respondent*, inquit, *substantiam
panis in substantiam corporis tantùm conuerti: Nec ta-
men adesse accidentia corporis, sed panis accidentia su-
pereſſe.* Atqui nos omnino fatemur, corpus Chri-
sti, in quod substantia panis conuertitur, præ-
ditum esse suis accidentibus, puta sua quantitate,
qualitate, figura, &c.

Quarta ratio: *Si panis conuertitur in corpus Chri-
sti, idque in instanti, & sine motu locali, vt Thomistæ
volunt: Ergo substantia corporis Christi non est sub pa-
nis accidentibus. Consequētia patet. Quia corpus Chri-
sti est in cœlo, Pontificiis assentientibus, ipsa autem acci-
dentia sunt in terra.*

Respondeo. Primum, sunt ne vlli alij Theo-
logi non Thomistæ, qui cum motu locali con-
uersionem hanc fieri velint? Nulli planè. Dein-
de, nimis est crassa & terrena ratiocinatio de tā
cælesti ac diuino mysterio, cùm iste infert, con-
uersionem eam ideo non fieri in instanti, quia
corpus Christi est in cœlo. Itaq; nego argumen-
ti consequentiam. Nam diuina virtus facit, vt
Christi corpus existens in cœlo, simul etiam in
momento existat sub accidentibus panis in ter-
ra: Idq; per habitudinem quandam substantia-
lem intimæ coniunctionis cum illius accidenti-
bus: Quo ipso substantia panis in Christi cor-
pus conuertitur, vt antea explicauimus.

Porrò vt ita nostram assertionē explicemus,
facit auctoritas Christi, qui de substantia con-
tenta in terra sub panis accidentibus verissimè
dixit, *Hoc est corpus meum*; id quod nunc etiam,
cùm ipse est in cœlo, vult à suis ministris verisi-
mè dici.

At, inquit iste, *si quid conuerteretur in aliud, quod
iam actu existeret, (id quod à nobis per concessionem
dictum sit) necessariò traheretur ad id in quod conuer-
teretur, & ibidem esset cum eo. Ac proinde substantia
panis in cœlum euolaret, in corpus Christi conuersa. Ibi
enim est corpus Christi. Alioqui corpus Christi dicere-
tur conuerti in panem, siquidem panem sequatur & in
panis locum resideat.*

Respondeo. Frustra hîc Disputator impone-
re nititur Deo legem, vt in rem præexistentem
nequeat aliquid conuertere, nisi id attrahat ad
locum rei præexistentis. Cur enim non posit
Deus secus facere? Et quî, obsecro, Christi cor-
pus dici posit conuerti in panem, si panis non
manet? Quis nō videat futilissimam esse totam
istam Caluinisticam Theologiam.

Pergit iste: *Cùm volunt*, inquit, *puncto temporis
panem conuerti in corpus Christi, & ibidem esse, vbi e-
rat panis, non possunt effugere, quin inferant corpus
Christi per illam conuersionē generari. Quia id in quod
aliquid conuertitur, per huius conuersionem esse incipit:
licet enim species præexista, tamen singulare τὸ δεῦτι non
præexistit. Et hoc dicitur ἀντιφατικῶς vnum singulare
conuerti in aliud singulare præexistens. Sequeretur e-
nim, idem simul iam esse & fieri.*

Respondeo. Si Caluinistæ vel primoribus la-
bris gustassent veram philosophiam, nequaquā
adeò turpiter hallucinarentur. Illis igitur obii-
cio ex philosophia hanc ἀντιφασιν. Forma nutrimē-
ti in formam viuentis substantialiter conuerti-
tur, atque adeò substantia nutrimenti in substā-
tiam viuentis secundùm formam. Et tamen for-
ma viuentis est τὸ δεῦτι, & res quædam singularis
præexistens, quæ minimè per nutritionem pro-
ducitur aut generatur. Quamobrem vel hoc v-
no exemplo discant isti, minimè requiri, vt ea
substantia per conuersionē producatur, in quā
aliquid substantialiter conuertitur; sed satis es-
se, vt nouam aliquam habitudinem substantia-
lem ad aliquod *tertium* vtrique *commune* acqui-
rat, ratione cuius vnum alteri substātialiter suc-
cedat.

Hoc fit tum in conuersione formæ nutrimen-
ti in formam viuentis, tum etiam in conuersio-
ne panis in corpus Christi. Nam forma viuentis
acquirit nouam habitudinem substantialem ad
materiam nutrimenti, quatenus de nouo eam
informat: & corpus Christi nouam item habi-
tudinem substantialem ad accidētia panis, qua-
tenus suapte substātia illis intimè coniungitur,
& eis continetur. Atque ex hac intima coniun-
ctione, tanquam ex proximo fundamento, se-
quitur per se respectus præsentiæ corporis Chri-
sti ad locum illorum accidentium: id quod non
perpēdit Scotus in quarto, distinctione decima,
quęstione prima, quem frustra hîc memorat iste
disputator, cùm etiam à nobis illius hac de re o-
pinio in scholis refellatur.

Nam quod illa intima coniūctio non sit for-
maliter ipsa *præsentia* in *loco* accidentium, inde
perspicuum est, quod posset ipsa consistere sine
vlla præsentia in loco accidentium, vt puta si
Deus absoluta sua potestate aliquam substantiā
cum suis accidentibus extra mundum produ-
ceret, & conseruaret sine vllo loco.

Porrò habitudo ista substantialis, qua dici-
mus intimè corpus Christi coniungi & contine-
ri accidentibus panis, eiusmodi est, vt *naturaliter*
quidem semper illi adiuncta esse soleat *inhæren-
tia* accidentium in ea substantia, quæ sic intimè
in illis continetur: & propterea in mysterio Eu-
charistiæ

charistiæ plena miraculi est, cùm sit sine tali in-
hærentia, hoc est, sine dependentia illorum ac-
cidentium à corpore Christi, tanquam à *subiecto*,
& vicissim sine vlla *affectione* corporis Christi per
eiusmodi accidentia, atque adeò etiam sine di-
mensione substantiæ ipsius per illam panis quā-
titatē. Quæ rursus causa est, cur hæc panis con-
uersio, quæ corpus Christi secundùm eam habi-
tudinem substantialem ad accidentia panis pro
termino habet, planè sit singularis & supernā-
turalis, & nulli alij conuersioni naturali similis,
vt diuus Thomas & alij Theologi docent, quos
iste disputator valde modicè intelligit. Si enim
satis sententiam nostram iste intelligeret, pude-
ret illum nobis obiicere hæc, quæ addit deinde.

Conuersionis, inquit, *patroni ita scilicet rem expli-
cant, vt conuersio sit substantialis successio, qua corpus
Christi succedit substantiæ panis, hoc est, vno verbo, vt
conuersio non sit conuersio, &c. Nam quinam sit in in-
stanti conuersio, si est substantialis successio?* Et nonne
etiam, mi disputator, substantialis conuersio in
instanti fit, quando vna res naturalis secundùm
formam substantialiter succedit alteri, vt puta
aër aquæ? Nónne etiam in resurrectione corpo-
rum anima rationalis in instanti succedet sub-
stantialiter in eadem materia formæ cinerum
seu cadaueris? Nempe istum decipit vocabulum
successionis, vel potius eo ipso vult decipere Le-
ctorem; quasi hîc agamus de successione motus
continui, quæ fit nimirum in tempore, & non in
instanti. Adeò futile est illud quod sequitur.

Item, inquit, *si succeditur substantiæ panis, illa igi-
tur recessit, aut non ei succeditur: & si non redigatur in
nihilum, quonam tandem euadet?* Nempe in corpus
Christi, in quod conuertitur, vt superius expli-
cui. Discedit autē procul dubio à suo proprio
esse, cùm in aliud esse conuertitur. Aut dicat iste,
quomodo etiā forma rei naturalis discedit, cui
alia forma succedit? Sed audiamꝰ reliquas istius
subtilitates de hac conuersione.

Item, inquit, *si substantia panis longè abest à cor-
pore, & nihil ei cum ipso Christi corpore commune est,
cur dicitur conuerti in ipsum corpus, in ipsum, in quam,
corpus, quod ne attingit quidem, imò à quo abest quam
longissimè, atque vbi nam terrarum sit, nondum potue-
rut magni isti somniatores somniare.* Næ tu mihi haud
vigil sed planè somnians, & quidem vt paruus
ac rudis somniator, hæc de conuersione loqui
videris. Ergòne res, quæ in aliam rem puncto
temporis cōuertitur, debet *attingere* rem in quā
conuertitur, & simul esse cum illa? Nondum di-
dicisti ex philosophia, formam substantialem,
quæ in aliam conuertitur, nunquam esse simul
cum ea forma, in quam conuertitur, sed illo ipso
temporis puncto esse desinere, quo altera in ma-
teriā introducitur? Quamobrem igitur in con-
uersione panis in corpus Christi, requiris vt pa-
nis corpus Christi *attingat*, & ibi sit, vbi est cor-
pus Christi, aut in vllo alio loco?

Sed *cur*, inquis, *si panis nusquam est, neque corpus
Christi attingit, conuerti in illud dicitur, & non redigi
in nihilum?* Euigila è somno vt intelligas. Nempe
ideo panis in corpus Christi conuerti dicitur,
quia licet secūdùm rationem suam *propriam* de-
sinat esse, tamen secundùm rationem substan-
tiæ *communem* sub illis accidentibus contentam,
transit quodammodo, & quasi transfunditur in
corpus Christi; vt iam verè dici posit, id quod
antea erat panis, esse postea secundùm eam qui-
dem *communem* rationē substantię, corpus Chri-
sti, vt suprà explicaui.

Quemadmodum ideo vna forma substantia-
lis in aliam conuertitur, quia licet secundùm ra-
tionem suam propriam tota desinat esse, tamen
secūdùm *communem* rationem formæ materiam
eandē informantis transit & trāsfunditur quo-
dammodo in formam alteram, ita vt verè dici
posit, id quod antea erat forma aquæ (verbi
gratia) esse postea secundùm eam quidem *com-
munem* formæ rationem, formam aëris.

Supereſt vltimum istius de conuersione som-
nium. *Denique*, inquit, *si corpus Christi, quod est in
cœlo, succederet substantiæ panis, quæ est in terra, quo-
modo id fieret sine motu locali?* Atqui nos ita potius
Theologicè & Scholasticè ratiocinamur: Si cor-
pus Christi, quod est in cœlo, posset succedere
pani in terra per motum localem: ergo potest e-
tiam diuina virtute id facere sine motu locali:
quandoquidem motus localis non esset aliquid
essentiale, & intrinsecum præsentiæ Christi sub
accidentibus panis in terra, sed esset quædam
quasi caussa illius; & Deus potest se solo efficere
quidquid potest facere per caussam secundam,
quæ sit ipsi rei extrinseca. Itaque manet firma
conuersio & transubstantiatio panis in corpus
Christi, nec poterit vnquam ab istis conuelli, e-
tiamsi neruos omnes impietatis Caluinianæ in-
tendant, & se totos in linguas & calamos con-
uertant.

Decima obiectio. *Si vi verborum Christi
panis conuertitur in corpus, & vinū in sanguinem Chri-
sti: Ergo separatur corpus à sanguine.*

Respondeo. Vana est consequentia. Nam
concomitantia seu coniunctio realis corporis &
sanguinis Christi facit, vt quando vi verborum
Christi conuertitur panis in corpus secundùm
reliquas partes præter sanguinem; consequen-
ter etiam adsit in eo sanguis.

Obiicis: *si in corpore continetur sanguis: Quor sum
igitur vinum in sanguinem seorsim transubstantiatur?*
Nimirum vt eò clarius mors Christi repræsente-
tur, si in sanguinem etiam, qui à reliquo corpo-
re fusus fuit, per verba quoque ad sanguinē pro-
priè pertinētia, vinum vicissim conuertatur, vt
explicuit etiam diuus Thomas 3. p. quæst. 76. ar-
tic. 2. In quo potuisses legere argumentum hoc
tuum & eius solutionem.

Obiicis; *Ineptum esse concomitantia vocabulum.
Nam pars non dicitur comitari totum, sed esse in toto,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſanguis autẽ eſt pars corporis viuentis. Obiectio longè ineptiſsima. Cur enim, homo Grammatice, non patieris nos vti in re nõ admodum perſpicua, perſpicuo & trito vocabulo? Quid aũt ſi tibi viciſsim obiiciam, ꝙ tu etiã vocabulo nõ magis latino dignat⁹ es alicubi dicere, *Teneꝛ conſequẽtia?* Quãquam quid tam eſt comeſ *totius*, quàm eius *pars*, quæ non ſolùm eſt & mouetur cum ſuo toto, ſed etiam eſt in illo, vt tu ipſe dicis. Equidem non dicerem, quidquid aliud comitatur, eſſe in *alio*; ſi quis autem viciſsim dicat, quidquid eſt in *alio*, comitari *aliud*, non magnum peccatum in ea loquutione video. Sed de vocabulo nõ plura.

Quæris deinde quid intelligamus *nomine corporis*, in quod ſolum dicimus vi verborum conuerti per ſe panẽ? Reſpondeo. Non aliquod corpus σαρξαφικὸν, ſiue vmbratile (vt tu ludis) neq; etiam corpus, vt conſtans item ex ſanguine, neque vt mortuum & carens ſanguine, ſed corpus vt conſtat etiam ex reliquis partibus cum quibus eſt coniunctus ſanguis. In corpus duntaxat ita conſideratum dicimus conuerti per ſe vi verborum panem. In quo corpore, quamuis reuera ſanguis etiam propter naturalem concomitantiam ſiue coniunctionem ſit: tamen nihilominus ad clariorem mortis Chriſti repræſentationem, vinum quoque ſeparatim conuertitur per ſe in ſanguinem, vt ſuprà dixi, & docet quoque D. Thomas 3. p. q. 76. art. 2. ad 1. & ad 3.

Ac certè, ſi propterea vultis non debere à nobis ſeparatim fieri conuerſionem in ſanguinẽ, quia ſanguis eſt in corpore; eadem ratione concludam ipſe contra vos, non debere à vobis *ſignificari* ſeparatim ſanguinem; quod tamen facitis. Quæro enim à vobis, cùm per panem ſignificatis corpus, an non etiam ſignificetis ſanguinẽ vt corporis partem? Si non; ergo non ſignificatis verum Chriſti corpus, quale nunc eſt, puta viuum, conſtans ex ſanguine, ſed tantùm vt fuit mortuum & exangue, quod tu ſatis hìc indicas. Ex quo rurſus ſequitur, non percipere vos iam in veſtra cœna corpus ipſum Chriſti ſecundùm ſe (vt vehementer contenditis) ſed tantùm quâ ad ipſius effectus, ſicut ſuprà etiam p. 1. §. 10. ſum argumentatus. Neque enim dicetis, vos percipere corpus Chriſti, niſi tale, quale per panem ſignificatis. Corpus autem *mortuum* non poteſt iam percipi aut vniri cum animis *ſecundùm ſe*, cũ nequeat ſecũdùm ſe iam percipi, niſi quale iam eſt, & iam non ſit mortuum ſed viuum. Si autem dicatis, à vobis ſignificari per panẽ corpus Chriſti etiã viuũ, vt illud ſecundũ ſe quoq; quale iam eſt, percipere poſsitis: ergo ſignificatis etiam tũc ſanguinem, tãquam viui corporis partẽ. Quorſum igitur rurſus ſanguinẽ per vinũ ſignificatis?

Reſpondebitis, opinor, id vos facere ad clariorem repræſentationem mortis Chriſti, ſicut etiam fecit in cœna ipſe Chriſtus. Idem nos, & multò rectius reſpondemus de conſecratione vini & conuerſione in ſanguinem, quam separatim ex Chriſti inſtitutione facimus. Itaq; omnia, quæ iſte contra nos cauillaur, poſſunt ſimiliter retorqueri contra *ſignificationem*, quam ſeparatim ipſi Caluiniſtæ faciunt.

Porrò ex eo quod Chriſtus dixerit; *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur.* Et: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis funditur*, minimè ſequitur, Chriſtum ſignificaſſe corpus ſuum duntaxat *vt mortuum*, & ſanguinem duntaxat *vt fuſum*, ſicut iſte hoc loco ratiocinatur; ſed ſignificaſſe quidem illud ipſum corpus, quod erat morti tradendũ, & illum ipſum ſanguinem, qui erat fundendus, atq; adeò in hoc myſterio commemorationem Chriſti mortis debere fieri.

VNDECIMA OBIECTIO. *Si panis tranſubſtantiatur in corpus Chriſti: Ergo anima ab eius corpore ſeparatur.*

RESPONDEO. Nego conſequentiam: Nam per concomitantiam adeſt ibi etiam anima, ſicut antè de ſanguine dictum eſt; Nec anima ſolùm, ſed etiam Chriſti diuinitas, vtpotè Chriſti corpori hypoſtaticè vnita. Quam rem totam declarat D. Thomas Theologicè, & Scholaſticè, & omnino ὁρθοδόξως 3. p. q. 76. art. 1.

Obiicis: *Qui dicit Deitatem comitari humanam Chriſti naturam, neſcit quæ ſit vis ἑνωτικὴ τῶν* vt *vnionis hypoſtaticæ.* Item: *Animam Chriſti non concomitari eius corpus, quaſi ſit aliquid externum & aduentitium, ſed eſſe in corpore non beneficio concomitantiæ, ſed veritate naturæ.* Item: *De iſta concomitantia nihil extat in verbo Dei.*

Reſpondeo. Per vocabulum *concomitantiæ* non intelligimus in propoſito aduẽtitiam acceſsionem vnius ad aliud; ſed ipſam ſubſtãtialem coniunctionẽ diuinitatis & humanitatis, & animæ & corporis in Chriſto, nominamus *concomitantiam*, quia cùm iſta inter ſe ſubſtantialiter coniuncta ſint, ſeſe ibi quaſi comitantur. Itaq; apparet, eſſe prorſus vana iſta, quæ contra obiicis, vrgẽs vim vocabuli non Theologicè ſed Grammaticè. Et hinc etiam liquet, vnum & eundem modum vnionis eſſe, quo anima & corpus Chriſti coniũgũtur *inter ſe veritate naturæ*, & quo conſti coniũgũtur *in Sacramento per concomitantiam*, non iunguntur *in Sacramento per concomitantiam*, vt iſte hoc autem varios modos & repugnantes, vt iſte hoc loco ſomniat ſine ratione ratiocinans.

Porrò fundamentum concomitantiæ eſt in illis Scripturæ verbis, Rom. 6. *Chriſtus iam nũ moritur.* Et Matth. 26. *Hoc eſt corpus* MEVM, nempe quod erat tunc, & eſt nunc etiam coniunctum cum anima & diuinitate. Et ſimiliter in illis: *Hic eſt ſanguis* MEVS.

Itaque cùm deinde quæris, an corpus, quod Chriſtus dedit diſcipulis, fuerit viuum corpus an mortuũ; Reſpondemus, fuiſſe *viuum*: ac proinde reipſa dediſſe etiam cum illo animã & diuinitatem, ſed non per ſe ex vi tranſubſtantiationis per illa verba: *Hoc eſt corpus meum*, ſed propter realem iſtorum coniunctionem, ſeu concomitantiam. Ex vi autem tranſubſtantiationis per ſe

per ſe dedit illis ſuum corpus vt *corpus*, atq; adeò etiam animam, non abſolutè & ſecundùm ſe, ſed ea præcisè ratione, qua dat materiæ gradum *corporeum organicum, potẽtia vitam & reliquos perfectione humanæ gradus habentem.* Materia enim cum tali eſſe ſeu gradu corporeo, eſt propriè corpus humanum. Hoc & non aliud colligitur ex eo, ꝙ Chriſtus dedit diſcipulis ſuũ corpus anima informatum. Lege D. Thomam 3. p. q. 76. art. 1.

DVODECIMA OBIECTIO. *Si panis tranſubſtantiatur in corpus Chriſti: Ergo cum Chriſtus dedit ſuum corpus diſcipulis, ipſum corpus (quod tũc erat paſſibile & mortale) fuit viſibile ſimul et inuiſibile.* ἀδύνατον. *Item, idem corpus erat ſimul realiter & actu miniſtrãs & miniſtratum, loquens & non loquens, agens & patiens, geſtans & geſtatum, porrigens & porrectum.*

RESPONDEO. Sine vlla repugnantia vel implicatione contradictionis potuerunt iſta omnia conuenire Chriſto ſecundùm alium & alium exiſtendi modum. Contradictio enim non eſt, niſi quando contradicentia & repugnantia tribuuntur eidem ſecundùm idem. Quod hìc minimè fit. Vnde Auguſtinus in Pſal. 33. non dubitauit de Chriſto, vt ſe in cœna præbuit diſcipulis, ſcribere, quod *portabatur manibus ſuis.* Et Hieronymus in epiſt. ad Hedibiam, q. 2. *Ipſe*, inquit, *comitia & conuiuium: Ipſe comedens et qui comeditur.* Lege de inſigni illo Auguſtini teſtimonio Guidmundum, diſputantem cõtra magiſtrum tuum Berengarium, lib. 3. de Sacramento.

DECIMATERTIA OBIECTIO. *Si panis trãſubſtantiatur in corpus Chriſti, ex verbis Chriſti præcise, ita vt ſonant intellectis: Ergo non illud ipſum corpus eſt in Euchariſtia, quod Apoſtolis porrectum eſt. Nam diſcipulis datum eſt mortale corpus. Quod pro vobis traditur, &c. At nunc affirmant Pontificij, panem trãſubſtãtiari in corpus Chriſti, quod eſt in cœlo immortale.*

RESPONDEO. Corpus Chriſti, quod erat mortale in vltima cœna, & nunc eſt immortale, *idem* corpus ſecundùm *ſubſtantiam* eſt. Et ea ratione in illud panis ab ipſo Chriſto tranſubſtantiatus eſt, & nunc etiam tranſubſtantiatur.

DECIMAQVARTA OBIECTIO. *Si panis trãſubſtantiatur in corpus Chriſti, vi verborum, quæ Chriſtus pronunciauit: Ergo cùm Pontificij addunt hanc conditionem: ſi ſacerdos habeat intentionem conſecrandi, ipſi ſibi repugnant. Sic enim vis ipſa verborũ Chriſti pendet à Sacerdote.*

RESPONDEO. Digna conſequentia iſto diſputatore. Cùm enim aſſerimus, *vi verborũ Chriſti* fieri tranſubſtantiationem; vtique intelligimus, vi verborum Chriſti prolatorum à miniſtro cõuenienter inſtitutioni Chriſti, atque adeò cum *intentione* faciendi illud ipſum, quod voluit Chriſtus fieri. Quamobrem cùm requirimus intentionem miniſtri, minimè repugnamus aſſertioni illi noſtræ, ſed eius vim potius ac ſenſum explicamus.

DECIMAQVINTA OBIECTIO. *Si requiritur intentio Sacerdotis: Ergo ruit quod dicunt, Miſſam eſſe opus operatum. Conſequentia patet, tum ex definitione operis operati, qualem illi proponunt, tum ex eo, quòd tranſubſtantiatio eſt pars præcipua, adeoq; ἐντελέχεια Miſſæ.*

RESPONDEO. Cur non protulit iſte diſputator noſtram definitionẽ *operis operati?* Illud enim ex opere operato valere ad effectum aliquẽ dicimus, quod effectum ſuum aſſequitur nõ ex merito aut dignitate *operantis*, ſed beneficio *inſtitutionis* Chriſti, hoc ipſo, quòd exerceatur à legitimo miniſtro, ex Chriſti inſtitutione, atq; adeò cum *intentione* debita faciendi quod vult fieri Chriſtus. Iam iſte videat, quàm bellè intellexerit *opus operatum*, qui obiicit tam ineptè, neceſsitatẽ intẽtionis miniſtri cum opere operato pugnare. Equidem cõſilium tum Caluiniſtis, tum aliis ſectariis do, vt deſinant aliquando moleſti eſſe iſti *operi operato*, quod minimè intelligunt.

DECIMASEXTA OBIECTIO. *Si ad tranſubſtantiationem neceſsariò requiritur intentio ſacerdotis: Ergo dogma de tranſubſtantiatione eſt inutile. Conſequentia patet. Nam niſi quis credat panem eſſe tranſubſtantiatum, tradunt Pontificij non poſſe accipere corpus Chriſti. Quis autem id credat, ſi pendeat ex intentione ſacerdotis, cum de illa poſsit dubitari, in tanta ſacerdotum ignorantia, &c.*

RESPONDEO. Conſequẽtia eſt æquè inepta & inutilis atq; argumenti præcedentis. Nam nõ tradunt Pontificij, vt iſte eis affingit, neceſſe eſſe hominẽ *abſoluta & indubitata* fide credere, panem à ſacerdote eſſe tranſubſtantiatum, vt poſsit accipere corpus Chriſti. Imò poſſet reuera quis illud accipere ſine vlla prorſus fide de trãſubſtantiatione: quanquam non niſi *ad iudicium* quidem illud acciperet; vt ſi Caluiniſta quiſpiam in templo aliquo Catholico ſimulata religione communicaret. Vt autem quis Chriſti corpus cum *fructu etiam* accipiat, ſatis eſt, ſi & generatim credat tranſubſtantiationem fieri cùm panis ex Chriſti inſtitutione conſecratur, & ad cõmunionem dignè & reuerenter accedat, aſſenſione quadam *humano modo certa* perſuaſus, ſacerdotem cum intentione debita perfunctum eſſe ſuo officio, vt communiter fit.

Et certè mirificum eſt miniſterium Caluiniſticum, ſi eſt efficax repugnãte etiam inſtitutioni Chriſti intentione miniſtri, de qua per fidem indubitatam minimè aliis cõſtare poteſt. Perinde enim hoc eſt, atq; eſſe poſſe miniſterium efficax ſine vllo miniſtro. Nam quod miniſter voluntate & intentione ſua non agit, id nõ agit vt homo, atque adeò vt miniſter. Niſi fortè beſtiæ ſufficiunt ad exequẽdum miniſterium Caluiniſticùm, aut ne beſtiæ quidem neceſſariæ ad illud ſunt, cum ſit reuera miniſterium nullum, vtpotè nihil commune habẽs cum legitimo miniſterio Eccleſiæ Chriſti legitimæ.

Porrò, quod ad ignorantiam ſacerdotum quorundã attinet, non eſt dubium, quin ſine vlla comparatione plures ſint apud nos docti ſa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cerdotes, quàm apud Caluinistas docti ministri, præsertim, si nullus apud istos est *verus minister*. Quanquam quid opus est, obsecro, magna doctrina, vt quis *velit* ministerio suo illud ipsum efficere, quod voluit Christus?

DECIMASEPTIMA OBIECTIO. *Si sacerdotis Pontificij intentio ad efficiendam transubstantiationẽ requiritur, neq; illa intentio requiritur in Baptismo, vt suum effectũ habeat (quod vtrumq; ipsi Pontificij affirmãt) Ergo baptismus est longè pstantior Eucharistia, etc.*

RESPONDEO. Manifestum esse mẽdacium in antecedenti, & ideo non esse opus progredi ad consequentiam. Nam ne per somnium quidem vnquam existimauimus, opus non esse intentione ministri in Baptismo. Imò hoc ipso, quod *per se ex opere operato* est efficax ministeriũ Baptismi, necessaria est in illo, & in aliis omnibus Sacramẽtis *intentio ministri*, sine qua nimirũ non exercetur ministeriũ ex *institutione* Christi, qua nititur opus operatũ, vt ad obiect. 15. diximus. Consultũ erit istis igitur, vt missum faciant istud *opus operatum*, de quo tam infeliciter vbiq; disserunt.

DECIMAOCTAVA OBIECTIO. *Si sacerdotis Pontificij intentio requiritur ad transubstantiationem: Ergo Pontificij non sibi constant, cùm affirmant, corpus Christi ab improbis etiã & impœnitentibus manducari. Nam si consecrantis intentio requiritur, quanto magis accipientis? Præterea, num recta intentio sine fide, aut vera fides sine pœnitentia esse potest?*

RESPONDEO. Nihil valet cõsequentia. Nam primùm etiãsi ad *accipiendum reuera* Christi corpus requireretur intentio faciendi, quod voluit Christus; non ideo tamen ad id oporteret hanc intentionem ex animo *bono & recto* proficisci, & sic posset etiam corpus Christi accipi nihilominus ab impiis *verè*, quamuis *non dignè*. Deinde sine intentione etiam vlla faciendi, quod Christus voluit, potest reuera ab impio accipi corpus Christi, sicut non minus ore, quàm manibus sæpe, & pedibus sacrilegis, acceptum est pessimè à Caluinistis.

Nec verò sequitur requiri *accipientis* intentionem, si requiritur intentio *consecrantis*. Nam qui consecrat, plus multò facit. Conficit enim eo ipso Sacramẽtum, & ideo necesse est habeat intentionem faciendi, quod voluit Christus fieri; vt ita demum fungatur ministerio suo *efficaciter* ex institutione Christi. Qui autem accipit corpus Christi, non conficit ipsum Sacramentum, sed accipit iam verè confectum, qualemcunque ipse intentionem habeat aut non habeat.

Postremò, neque verum est, veram fidem esse non posse sine pœnitẽtia, vt iste communi errore Sectariorum imbutus sibi persuadet. Sed id aliâs ostendimus esse falsissimum, nempe tertio tomo disp. 1. q. 4. p. 4. Maneat igitur firma Assertio Catholica, scilicet substantiam panis & vini in Eucharistia minimè remanere, sed in corpus, & sanguinem Christi conuerti, & transubstantiari.

PVNCTVM TERTIVM.

Qualis sit omnino illa conuersio substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Domini.

D. Thom. art. 3. & seq.

EXPEDITA iam in præcedente puncto Controuersia cum hæreticis, & confirmata Assertione Catholica, nempe talem hîc interuenire mutationem Sacramentalem, vt *non maneat* substantia panis & vini, de quo illi pertinaciter contendunt: quæstio vlterius restat propria Theologorum Scholasticorum, an scilicet, & qua ratione id sufficiat, vt asseramus verè & propriè hîc esse *substantialem conuersionem* seu *transubstantiationem*, sicut Ecclesia appellat.

Et dico esse Quæstionem propriam Theologorum: Quoniam hæretici duplici de causa ea de re non laborant. Primò. Quoniam negant, vt vidimus, desinere esse substantiam panis. Secundò. Quoniam cùm Theologi non sint, nescient, quod sit proprium munus Theologorum. Hi enim non tantùm de rebus ipsis fidei controuersis; sed etiam de aliis quæstionibus, quæ ad explicationem & defensionem faciliorem ipsarũ rerum fidei pertinent, vtiliter disputant. Quod genus minimè placet hæreticis puris controuersistis.

Est autem in hac Quæstione explicanda, magna apud Doctores (sicut est res sanè difficilis) varietas sententiarum & argumentorum, quæ *multiformia*, inquit Caietanus hîc art. 1. *& implicantia etiam mentes eruditorũ, circa hoc fiunt*. Quod quàm verè ab illo dictum sit, certè intelliget, qui prolixum ipsius Caietani Commẽtarium in hac Quæstione legerit, artic. 1. vsque ad art. 6. Item qui disputationes viderit Scoti & Durandi, præsertim in 4. dist. 10. & 11. & etiam Soti distinct. 9. quæst. 2. art. 2. vsque ad 6.

Ego verò, ne me etiam & alios implicem, constituti ex sententia & mente D. Thomæ, & Caietani (quẽ puto hac de re doctissimè omnium, sed simul obscurissimè scripsisse) rem & veritatem ipsam ita breuiter explicare, iuuante Deo, vt facilè de aliorum disputationibus, & sententiis, & argumentis, iudicium fieri possit.

Quare PRIMO loco ratione vna in partem *negatiuam*, omnia ferè capita difficultatis, quæ est in hac re, complectar. DEINDE ratione altera in partem *affirmatiuam* facta, simul probabo & declarabo Orthodoxam Assertionem, scilicet interuenire hîc quidem veram *conuersionem substantialem*, seu *transubstantiationem*. Quod ita faciam, vt ex ea ipsa probatione & declaratione diluantur omnia difficultatis capita, quæ, vt dixi, primò proponam.

Igitur

Igitur non esse hîc veram conuersionem substantialem panis in corpus Christi, huiusmodi argumento probari potest. Non est hîc noua aliqua operatio Dei, nec ipsius rei aliqua mutatio substantialis. Ergo neq; substantialis conuersio. Consequentia patet. Quoniã substantialis conuersio ista omnia sonat, nempe operationẽ nouam substantialem, & mutationem.

Antecedens verò sic probatur. Vt sit aliqua *noua operatio*, & *mutatio substantialis*, requiritur omnino aliquis terminus *ad Quem*, qui sit *& nouus, & substantialis*: item aliquis terminus *à Quo*: atq; etiam aliquod mutationis *subiectum*. Sed hîc neque omnia ista, neq; verò aliquid istorum inuenire licet. Ergo hîc non est aliqua noua operatio, aut mutatio substantialis.

Maior probatur. Quoniam cùm operatio est *transiens*, vt est in proposito, procul dubio necesse est, vt terminus *ad Quem* fiat per illam, atque adeò vt sit *nouus*. Quod si etiam sit operatio & mutatio substantialis, oportebit item eundem ipsum terminum esse *substantialem*: A termino enim dicitur operatio & mutatio *substantialis* vel *accidentalis*. Item terminum *ad Quem*, terminus aliquis *à Quo* necesse est antecedat, cumq; mutatio sit formaliter accidens, necesse est etiam habeat *subiectum*. Itaque patet illa Maior.

Minor autem probatur sigillatim. Primo, nõ est ibi terminus ad Quem, & *nouus*, & *substãtialis*. Aut enim ille est corpus Christi *absolutè*; aut corpus Christi, *vt præsens sub accidentibus*. At corpus Christi *absolute & secundùm se* est quidem aliquid substantiale, sed non itẽ aliquid *nouum*: Corpus autem Christi, vt *præsens sub accidentibus*, est quidẽ nouum aliquid, sed nõ item aliquid *substantiale* formaliter. Illa enim præsentia respectus est quidam, neque apparet, quid sit aliud.

Non est etiam ibi terminus *à quo*: quia si nullus est ad Quem, neq; erit à Quo. Item quia vel terminus à Quo, fuit *non esse* Christum hîc; Et hoc non: tum quia hoc est aliquid accidentale formaliter, cùm sit negatio quædam, & ita terminus à Quo non esset aliqua substantia, quæ hîc transubstantietur: Tum quia hoc ipso, quòd terminus *à Quo* hîc cõuertitur, oportet eum esse aliquid positiuum: Quod enim non est, nõ conuertitur. Vel certè terminus à Quo, fuit *panis*. Sed neq; hîc quidem. Nam siue Christi corpus, siue aliquod eius accidens, terminus ad Quem hîc esse dicatur, nulla videtur esse proportio, neq; vllus ordo *panis* ad illud. Cuius signum esse videtur, quòd posset desinere ibi esse panis; neque tamen ibi substitui corpus Christi; & item posset sub illis speciebus poni corpus Christi, etiamsi panis maneret ibidem penetratiuè.

Non est hîc denique *subiectum*: Quia neq; accidentia ipsa subiectum sunt, vt patet: neque panis, cùm hic non posit esse subiectum corporis Christi succedentis: neque Christi corpus, cùm neque hoc sit subiectum *panis*, à quo fit mutatio, tanquam ab vno termino.

Accedit pro CONFIRMATIONE, quòd substantia panis videtur hîc prorsus ANNIHILARI: siquidem desinit esse tota simpliciter. Quod autem in nihilum redigitur, nõ videtur quomodo in aliud aliquid conuertatur.

SED è contrario tamen, quòd sit hîc verissima conuersio *substantialis*, hac ratione probo & declaro. Tunc verè vna res *substantialiter* conuertitur in alteram, cùm illi desinenti res altera in aliquo munere siue habitudine *substantiali* succedit erga aliquid tertium. Sed pani desinenti succedit Christi corpus in aliquo munere seu habitudine substantiali erga tertium aliquid, nempe erga accidentia panis. Ergo panis verè conuertitur substantialiter in Christi corpus.

Maior declaranda est, tum ex conceptu communi nominis *Conuersionis*, tum exemplis earum rerum, quæ sine controuersia *substantialiter* conuertuntur. Etenim eo nomine omnes intelligunt conuersionem vnius rei in aliam tum fieri, quando in aliquo genere, quod sit vtrique rei commune, *idem* (non quidem secundùm *rem*, sed secundùm *rationem communem* & conuenientiam generis) quod antè erat vna res, postea peculiari ratione est alia, tranſitq́ue & quasi transfunditur peculiari ratione in illam. Hoc autem fit, cùm in aliquo genere vna res alteri in officio peculiari seu habitudine illius generis erga aliquod tertium succedit. Atque eam quidem esse notionẽ nominis *conuersionis*, vt ad mutationem vnius rei in alteram accommodatur, inde patet, quòd hoc nomen ex mutationibus localibus quoad situm circa *eundem locum* videtur esse translatum, vbi videmus, corpus *idem*, quod antè vno modo se habebat, habere se postea alio modo, propter quod dicitur *cõuerti*, seu verti. Itaq; cùm *conuersionis* nomen ad mutationem vnius rei in alteram accõmodatur, similis aliqua ratio nominis retinetur, vt scilicet ibi etiam significemus, *idem* aliquo modo, quod antè erat vna res, esse postea alteram, atq; ita conuersionem rerum fieri.

Deinde secundo, vt proposui, probatur illa Maior exemplo earum rerum, quæ sine controuersia tum in genere *substantiæ*, tum etiam in genere *accidentis* conuerti dicuntur & censentur ab omnibus. Cùm enim ex aëre fit ignis, forma aëris dicitur conuerti substantialiter in formam ignis: & ratione formæ aër quidem ipse in ignem. Cur ita? Quoniam scilicet forma ignis succedit in aliquo munere seu habitudine *substantiali* erga aliquid tertium formæ ipsi aëris, nempe in informatione *eiusdem materiæ*. Vnde fit, vt *quod* erat antè forma aëris, *idem* non quidem secundùm *rem* (tota enim res formæ aëris esse desinit) sed secundùm *communem rationem & conuenientiam formæ substantialis*, sit

postea

Universidad de Deusto
Biblioteca

poſtea peculiari ratione, propter functionem eiuſdem ſubſtantialis muneris, forma ignis, ſeu (quod idem eſt) in formam ignis transfundatur & tranſeat propriè; & propterea tunc dicitur *conuerſio* formarum fieri.

Item in genere *accidentis*, cùm quidpiam ex albo fit nigrum, cõuerti *accidentaliter* dicitur albedo in nigredinem, quoniam nigredo videlicet albedini ſuccedit in aliquo munere ſeu habitudine *accidentali* erga idem tertium, nempe in informatione accidentali eiuſdē *ſubiecti*. Vnde fit, vt *quod* erat antè albedo, *idem* ſecundùm rationem quidem cõmunem, & cõuenientiam generis *qualitatis*, ſit poſtea peculiari ratione nigredo, in eamq; quaſi tranſeat & transfundatur.

Et NOTANDVM hîc diligentiſsimè eſt, quid conſequatur ex eo, quòd rationem conuerſionis propriè & formaliter in eo conſtituimus, vt vna res alteri rei deſinenti ſuccedat in aliquo munere ſeu habitudine eius ipſius generis erga aliquid tertium. Hinc enim intelligitur, nihil ad veritatem *conuerſionis* intereſſe quedam, ſine quibus poteſt ratio hæc conuerſionis à nobis expoſita conſiſtere.

PRIMO enim nihil ad id intereſt, vtrum illa habitudo, in qua fit ſucceſsio, ſit ad tertium, tanquam ad *ſubiectum*, vt iam quidem euenit in omnibus conuerſionibus, quæ naturaliter contingunt; vel tanquam ad *formam*; vel tanquam ad aliquid *aliud*. Satis eſt, vt ſit certè habitudo eiuſdē generis ad tertium *quodcunq;*, & qualecunq; illud tertium fuerit. Quod patet exemplo manifeſto. Nam ſi Deus faceret, vt ſub vna & eadem *forma* vni materiæ deſinenti ſuccederet alia materia in eadē *habitudine ſubſtantiali*, nempe qualis eſt materiæ ad formam, tunc certè nõ minùs ibi concederemus conuerſionem ſubſtantialem materiæ fieri, quàm iam concedimus fieri conuerſionem formæ, cùm erga eandem materiam, tanquam erga *ſubiectum* noua forma ſuccedit alteri, in habitudine *ſubſtantiali informationis*.

SECVNDO nihil etiam intereſt, vtrum res, quæ alteri ſuccedit, incipiat ipſa *abſolutè & ſecundùm ſe de nouo eſſe*, per operationē conuerſiuam. Satis eſt, ſi incipiat in ea eſſe illa *habitudo ſubſtantialis* ad tertium, ſecundùm quam eiuſmodi res eſt terminus nouæ conuerſionis. Quod patet etiam clariſsimo exemplo. Nam forma quidem *nutrimenti* omnino conuertitur ſubſtãtialiter in formam viuentis, id eſt, *animam*; & tamen anima nõ incipit eſſe *ſecundùm ſe* per operationem nutrimenti conuerſuam: ſed ſola *habitudo* ſubſtantialis erga materiam nutrimenti incipit eſſe in anima, ſeu in forma viuentis, quando videlicet incipit illam eandem materiam nutrimenti ſubſtantialiter informare.

Neque verò propterea, quòd talis aliqua habitudo, ſine ipſa ſubſtantia rei, incipiat ſola de nouo in ipſa re eſſe, ideo licebit colligere, talem habitudinem non eſſe aliquid *ſubſtantiale*, ſed tantũ accidentale, quod ſcilicet adueniat & recedat, manente ſecundùm ſe rei ſubſtantia. Hoc dico, non rectè inde colligi. Quod enim aduenit ſubſtantiæ tum demùm eſt *accidens*, vt accidens contra ſubſtantiam diſtinguitur (ſic enim loquimur) quando aduenit ei vltra *totam latitudinem ſubſtantiæ*, etiam ſingularis. Sunt autem quædam habitudines, quæ aduenium quidem ſubſtantiæ, ſed intra latitudinem ipſius, ſaltem quatenus eſt ſingularis: & huiuſmodi habitudines non ſunt accidens, ſed ſubſtantiale quiddam.

Id demonſtratur manifeſtis exemplis. Nam cùm de ipſa ſubſtantia formæ viuentis concipimus, quod *informat de nouo* materiam nutrimenti, Item cùm de ipſa ſubſtantia ſubiecti concipimus, quod *ſubſtat actui* accidentibus, quæ de nouo ei aduenium: Item (vt hoc etiam exemplum afferamus) cùm de ipſa ſubſtantia perſonæ Verbi diuini de nouo potuit concipi, quod *terminauit & ſuſtentauit hypoſtaticè* naturam Chriſti humanam: In his, inquam, omnibus procul dubio quaſdam de nouo *aduenientes habitudines* concipimus: neque tamen tunc ideo concipimus aliqua eiuſmodi ſubſtantiarum accidentia; ſed planè intelligimus in illis quædam attributa ſeu prædicata habitudinum *ſubſtantialia*. Neque verò *habitudinis* appellatio quaſi reſpectum accidentalem mihi indicat, ſed *intimum* quendam & *tranſcendentalem*, qui poteſt etiam eſſe *ſubſtantiale* quiddam.

TERTIO, neque intereſt, vtrum in re ſuccedenti incipiat illa habitudo per acceſſionē nouæ entitatis re *diſtinctæ*, vel tantùm nouæ rationis *formalis*. Id patet in eodem exemplo formæ viuentis. Etenim illa *informatio* materiæ nutrimenti, non eſt aliquid *re diſtinctum* ab ipſa forma viuentis.

Neque verò hoc impedit, quòminùs illa habitudo, ſecundùm quam vna res ſuccedit alteri, poſsit eſſe verus *effectus* operationis conuerſiuæ. Quamuis enim re nõ diſtinguatur, tamen eſſectus eſt, vt eſt à cauſſa conuertente, id eſt, vt ſequitur ad vim illius. Sicut *motus* v. g. localis, licet (vt probabilis ſententia eſt) re non diſtinguatur à mobili; tamen eſt ſine cõtrouerſia *nouus effectus* virtutis motiuæ.

QVARTO, neque item ad rationem conuerſionis intereſt, vtrum res, quæ ſuccedit, propriè *mutetur* per illam aduenientem habitudinem. Mutatur enim res propriè accedente habitudine, quando aliqua *perfectio abſoluta & diſtincta* adueuit rei ſimul cum habitudine: Motus enim eſt rei in potentia ad *actum diſtinctum*, per quem aliquo modo perficiatur. Fieri autem poteſt, vt adueniat rei aliqua ſubſtantialis habitudo ſine eo, quòd ei accedat diſtinctũ aliquid, à quo officiatur. Nam Verbum diuinum v. g. nouã *habitudinem ſubſtantialē* ad naturam humanã acquiſiuit; ſed tamen non eſt mutatum, quoniam natura humana, accedente illa habitudine, non ipſum perfecit, eò quòd non erat ſimpliciter *in potentia* ad illam naturam humanam. Siquidem totum, quidquid fuit perfectionis illius, habebat Verbum ab æterno eminentiori modo, vt ſuperiùs diſput. 1. de Incarnatione, q. 1. p. 2. explicauimus. Item hoc inde patet, quòd niſi ſubiectum perficeretur etiam accidentaliter per accidentia, de nouo ipſi inhærentia; non ſatis eſſet acceſsio *habitudinis ſubſtantialis*, qua de nouo illis *ſubſtat*, ad hoc, vt diceremus, ꝓpriè ipſum ſubiectũ *mutari*.

QVINTO neq; intereſt ad conuerſionem, an vtriuſq; rei, in quarum ſucceſsione conſiſtit, ſit aliquod *commune ſubiectum*, an verò aliquid tantùm, quod analogia quadam ſit *quaſi commune* vtriuſque *ſubiectum*. Hoc patet. Quoniam licet conuerſio propriè debeat eſſe aliqua *operatio*; tamen non refert, vtrum etiam ſit propriè *mutatio*, quæ formaliter ſit *accidens etiam in ſubiecto*; an verò *quaſi mutatio*; quemadmodum de *Creatione* diximus, illam non eſſe propriè quidem mutationem, ſed quaſi mutationem. Cuius ratio eſt: Quia non datur aliquod commune ſubiectum phyſicè ipſius *non Eſſe*, & *Eſſe* conſequentis; qui ſunt termini Creationis: ſed *Logicè tantùm* eſt ibi quaſi commune vtriuſque termini ſubiectum, quatenus de eadem re, creata nimirum, enunciamus & intelligimus, quod iam eſt, cùm eadē antè non fuerit.

Sic igitur in propoſito, parum intereſt, vtrum in hac conuerſione ſit etiam propriè aliqua *mutatio*, vel tantùm *quaſi mutatio*. Neq; de hoc eſt huius Quæſtionis præcipua difficultas: ſed vtrum & quomodo ſit *noua operatio ſubſtantialis ad nouum & ſubſtantialem terminum*.

Et mutatio quidem propriè etiam eſt in his conuerſionibus, quæ ſunt tantùm *formarum*, eò quòd ſunt ab agente finito, quod agit nimirum tantùm quatenus eſt actu definito & limitato perfectum per ſuam formam. Ibi enim, ſicut eſt commune ſubiectũ formarum, quarum ſit conuerſio: ita etiam eſt ſubiectum *propriè dictæ mutationis*.

Si autem ab agente infinito conuerſio fiat rerum duarum, ſecũdùm *totam rei ſubſtantiam*, tum quidem non erit etiam in conuerſione *mutatio propriè dicta*: quia ſicut non erit ſubiectum cõmune ſubſtantiæ totius, quæ deſinit; & ſubſtantiæ totius, quæ ſuccedit: ita neque erit ſubiectum propriè dictæ mutationis. Quare erit in eiuſmodi conuerſione quædam ſoùm *quaſi mutatio*: quia nimirum *eadem* ſubſtantia, ſecundùm rationem quidem ſubſtantiæ *communem*, quæ anteà erat vna res, poſtea, vt ſuprà explicauimus, eſt peculiari ratione altera, vt ſuccedit priori in habitudine ſubſtantiali eiuſdem generis, erga aliquid tertium. Vnde fit, vt eadem ſubſtantia, ſecũdùm rationem communem, quaſi ſubiiciatur ibi (ſaltem Logicè loquẽdo) rei, quæ deſinit: & rei, quæ ſuccedit in eodem genere. Hoc totum rectè colligitur ex veriſsima doctrina D. Thomæ in hac

quæſt. artic. 4. vbi ipſe etiam declarat, quemadmodum hîc non ſit propriè mutatio in eodem ſubiecto, eò quòd eſt conuerſio *totius* ſubſtantiæ, virtute agentis infiniti.

Atque ex his, vt opinor, non modò ſatis iam probata & explicata eſt illa Maior noſtræ rationis; verùm etiam patefacta & expedita via, vt ſine impedimentis difficultatum, probemus item & declaremus nunc Minorem, in quæ videlicet aſſumpſimus, rationem illam conuerſionis ſubſtantialis hactenus explicatam, interuenire omnino in propoſito, cùm ſcilicet Euchariſtia ex pane conficitur. Id verò, vt probemus, diligẽter notandum eſt, quę ſint ſubſtantialia munera panis erga acidentia, vt inde oſtendamus, in quonam illorum munere ſuccedat pani ſubſtantialiter corpus Chriſti.

Sunt aũt duo eiuſmodi munera, quorũ vtrũq; quidem ſignificari poteſt, cùm dicitur ſubſtãtia quæuis *ſubſtare* ſuis accidentibus: VNVM eſt ſine controuerſia notiſsimum, nempe *terminare ſubiectiuè* inhærentiam ſeu dependentiam accidentium: ALTERVM eſt quædã *coniunctio prima* cum ipſis accidentibus, & habitudo ad ea talis, vt inde naturaliter conſequatur tum habitudo illa altera *ſubiecti* ad accidentia, de qua dictum eſt, tum etiam habitudo ſeu *reſpectus præſentiæ* ipſius ſubſtantiæ ad eundem locum, in quo ſunt accidentia.

Etſi autem hoc munus ſeu hæc poſterior habitudo nõ ita nota ſit, ſicut prima, neq; diſtinctè intelligi à nobis poſsit; tamen quòd concedi debeat, tum fides huius Myſterij, tum etiam ratio ſuadet. Myſterij quidem fides; quia ſic videlicet rectiſsimè declarabitur, vt ſtatim videbimus. Et oportet in huiuſmodi Myſteriis, vt rectè inquit Caietanus, homines eſſe facilè *perſuaſibiles*. Ratio autem id etiã ſuadet. Quia ſi Deus poneret v. g. duas ſubſtantias, vt lapidem & lignum, penetratiuè præſentes in eodem prorſus *loco*: atq; ex metum quæreres, Cur accidentia vnius, non inhæreant etiã in altera, ſiquidẽ quoad *locum quidem* ita præſens eſt ſubſtãtia vna accidẽtibus alterius, atq; altera illa, in qua inhęrent, rectè, & à priori reſponderẽ, quia non ita ſubſtantialiter intima quadã ac *prima* habitudine cõiuncta eſt cum illis accidentibus vna ſubſtantia, atq; altera, hoc eſt, non ita in eo caſu ſubſtantialiter coniungeretur lignũ cum accidentibus lapidis, atq; ipſe lapis; vnde fieret, vt non ita inhærerent in pane.

Ex hac autem reſponſione liquido apparet, duas eſſe ſaltem formaliter diſtinctas habitudines ſubſtantiales alicuius rei ad accidentia ſua: quarum vnam concipio, cùm de ipſa ſubſtantia rei cogito, quòd eſt modo quodã intimo, *primo*, & ſingulari cõiuncta cum accidentibus, quo nõ eſt alia, etiamſi ſit præſentiſsima illis, quoad locum: alteram verò, cùm de ipſamet ſubſtantia deinde concipio, quòd eſt id, in quo, tanquam *in ſubiecto*, inhærent talia accidentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iam facilè est confirmare & exponere nostram illam Minorem. Corpus enim Christi substantiæ panis succedit, nó in eo munere substantiali erga accidentia, quod est habitudo *subiecti*; sed in altero, quod est illa *prima* & radicalis coniunctio: Atque ita substantia in substantiam per successionem in substantiali hac habitudine erga tertium, nempe erga eadem panis accidentia, hîc conuertitur, quod assumpsimus in illa Minore. Et hæc quidem singularis ratio conuersionis significatur, cùm dici solet, hîc esse conuersionem *Sacramentalem*.

De qua conuersione rectè dicit Caietanus artic.1. quòd præter conuersionis rationem communem, includit aliquid nobis *secùndùm se* ignotum; *cognitum autẽ*, inquit, *vtcunq;* per hoc, quod scimus, illud esse *tale*, vt ex eo consequatur veritas illius propositionis demonstrantis corpus Christi sub accidentibus panis præsens, nempe, *Hoc est corpus meum*. Quia scilicet de munere illo seu habitudine substantiali, in qua Christi corpus pani succedit; hoc tãtùm intelligimus, eam esse *talem*, vt ex ea naturaliter *consequatur* & præsentia substantiæ ad locum eundem, in quo cernuntur accidentia, & inhærentia etiam ipsorum accidentium: Quanquam hæc quidem inhærentia supernaturaliter hîc impeditur.

Propter successionem etiam corporis Christi in hac substantiali habitudine, fit in proposito, iuxta cõmunem rationem antè declaratam, vt *idem*, *quod* erat priùs panis, sit iam peculiari ratione corpus Christi: *Idem*, inquam, non *re*, sed secundùm *communem* substantiæ rationem, quæ peculiari modo ex pane hîc transeat & quasi trãsfundatur in corpus Christi. Sic enim intelligi debet, quod Caietanus passim in his articulis, præsertim 2.3. & 4. dicit, *id quod erat panis*, esse per conuersionem istam *corpus Christi*; & terminum huius conuersionis esse *corpus Christi*, non absolutè, sed quatenus est *id*, *quod erat panis*: ratione videlicet illius successionis in eodem substãtiali munere ergà eadem accidentia.

In qua assertione miror à Dominico Soto d.9. q.2.art. 4. & ab aliis quibusdam recentioribus, ita Caietanum oppugnari, quasi is voluisset dicere, aliquid secũdùm *rem* idem, quod antè erat panis, esse post corpus Christi. Quod quàm sit à sententia Caietani alienum, tum ex commentario eius in citatis omnibus articulis, tum maximè ex his, quæ ille scripsit art.4. circa responſ. ad 2. euidẽter constat. Ibi enim sæpiùs repetit, *totam* quidem rem panis conuerti, nec quicquam illius substantiæ manere. Quanquã fatendum est, non vsque adeò plenè & planè difficultatem hanc totam à Caietano fuisse declaratam: sed omnino tamen, quæ diximus, sunt ex mente ipsius; atque etiam (vt videtur) Innocentij libro 4. de officio Missæ, cap.7. itemque VValdensis tomo 2. de Sacramentis, cap. 68. qui de hac conuersione ita loquũtur, vt Caietanus. Addo etiam Magistrum in 4.d.11. cùm in eandem sententiam dicit, *Substantia panis mutata in id, quod facta est, est corpus Christi, non autem manens eadem.*

Quin etiam Caietanus hoc ipsum sensisse putat D. Ambrosium lib. 4. de Sacramentis, capite 4. cùm dixit, fieri per hanc conuersionem, *vt sint, quæ erant, & in aliud conuertantur*. Ego verò verba hæc Ambrosij rectè ad istam sententiam accommodari posse, satis intelligo. Vtrum autem fuerit omnino speculatus Ambrosius idem quod Caietanus, nonnihil dubito: quæ causa est, cur alio etiam modo hæc eadem Ambrosij verba fuerim suprà p.2. interpretatus.

De D. Thoma autem nõ dubito, quin ita rem hanc intellexerit. Quod colligi potest maximè ex art.8. huius quæst. sub finem corporis. Item ex art.5.q.seq. vbi dicit, succedere corpus Christi substantiæ panis in hoc, quòd ita sub accidentibus panis *continetur*, sicut continebatur substantia panis, quamuis non etiam *in ipso* corpore Christi *inhæreant*, sicut inhærebant, inquit, in pane. Quo sanè loco satis perspicuè D. Thomas distinguit illas duas habitudines substantiæ ad accidentia, de quibus antè diximus. Item D. Thomas hoc ipsum indicat, cùm in art.6. eiusdem q. dicit, corpus Christi desinentibus speciebus, desinere esse in illis, *per hoc*, inquit, *quod tollitur habitudo corporis ad illa.*

Ex hac autem istius Conversionis explicatione, facilè quædã consequuntur, quæ de conuersione hac vtiliter deinde notari possunt, & notantur ferè partim à D. Thoma, partim à Caietano in hac quæst. & ab aliis. Primo sequitur, non esse hîc per se *duas* mutationes, sed vnam conuersionis, vt rectè Caietanus art. 2. notauit; cuius terminus *à Quo*, est panis; *ad quem* autem, corpus Christi, non absolutè, sed secundùm illam habitudinem substantialẽ ad accidẽtia panis, de qua diximus. Neque obstat, quòd panis hic de nouo desinat esse, cùm antea esset; & Christi corpus contrà de nouo hic incipiat esse, cùm anteà non esset. Hæc enim omnia ad conuersionem illam vnam referuntur, atque ita per se non sunt hic diuersæ mutationes.

Quemadmodum in generatione rei, vna tantùm per se mutatio esse dicitur, quia corruptio non est intẽta *per se*, sed *per accidens* ad generationem ordinatur. Quanquam video quidẽ, hanc Quæstionẽ de vnitate vel diuersitate mutationis in proposito, posse tantùm esse de nomine.

Secvndo sequitur, perperam Durandum d. 11. q.3. vt conuersionem hîc esse tueretur, affirmasse, conuerti tantùm *formam* panis, sicut fit in generatione, vel nutritione. Explicatũ namq; iam est, rectè constare conuersionem, etiam si *tota* substantia conuertatur; succedit enim nihilominus corpus Christi in habitudine quadam substantiali totius substantiæ panis, videlicet erga accidentia, in quo consistit, vt declaratũ est, ratio conuersionis. Et illa opinio Durandi explosa

explosa est iam ab omnibus tanquam erronea: Quoniam antiquitatis, & Ecclesiæ testimonia suprà punct.2. allegata, planè indicant, totã substantiam panis, præter sola accidentia, conuerti. Quod clariùs in Lateranensi Concilio sub Innocentio III. & Florentino, & clarissimè in Tridentino explicatum est, sicut suprà etiã punct.2. recitauimus.

Tertio sequitur, superuacaneam fuisse etiã Soti speculationem in 4. dist.9. q.2. artic.4. cùm esse hic *substantialem* conuersionem, atq; operationem, inde declarauit: Quoniam operatio, inquit, diuina, quæ substãtiam panis hîc cõuertit, *productiua* est corporis Christi, atque adeò illud planè produceret, si alioqui non esset impedimentum. Hanc opinionem dico primùm esse supernaturalem: quoniam ex accessione ipsius *nouæ habitudinis substantialis* corporis Christi, erga accidẽtia panis, rectiùs & faciliùs, vt patet ex dictis, declaratur, quemadmodũ corpus Christi, licet non absolutè, tñ secundùm eam habitudinẽ formaliter sit terminus conuersionis & operationis diuinæ, *nouus* & *substantialis*.

Deinde etiam aio, illam Soti opinionem non satisfacere difficultati. Cùm enim operatio trãsiens, sicut est in proposito, sit *ipse effectus vt sequitur ex virtute agentis*, necesse est, si operatio transiens sit substantialis, hoc declarare, non ex effectu substantiali, qui *potuisset* alioqui sequi; sed ex effectu omnino & termino substantiali, qui re ipsa sequatur.

Accedit, quòd operatio trãsiens, cùm formaliter fit quiddam *actuale*, & adæquatũ actuali suo termino (est enim, vt diximus, ipse terminus, vt est ab agente) non satis intelligi potest, quemadmodũ operatio aliqua formaliter, quatenus est *operatio actualis*, sit *factiua* alicuius alterius effectus, præter illum, qui per ipsam *fit actualiter*.

Cùm sermo quidem est tantùm de *potentia*, seu de facultate agendi, rectè dicitur ex illa aliquid posse sequi, & per eam fieri, quod alioqui non fit. Hoc autem quemadmodum rectè intelligi & dici possit de ipsa etiam *operatione actuali*, vt operatio est, non satis ipse intelligere possum.

Sed illud in hac re posset alicui occasio esse errandi, quòd aliquid quandoque pertinet ad ipsam operationem, aut cum ea coniunctum est, ex quo *potuisset* sequi alius effectus, quàm is, qui sequitur. Quam ob caussam largiùs quidem, & minùs propriè loquendo de operatione, dici posset, operationem fuisse *factiuam* alicuius effectus, qui non sequitur. Vt si diceres v. g. per generationem monstri potuisse generari perfectũ ac integrũ animal, propter *vim* scilicet, quæ fuit in semine ad illud generandum.

Nos autem de operatione formaliter, vt *operatio* est, loquimur, eamq; dicimus sic exæquari ei effectui, qui sequitur, vt ipsa certè, posito, q; liberè, ac multò minùs eius ratio accidentalis vel substantialis declarãda sit ex aliquo *alio* effectu, præterquam ex illo, qui sequitur. Quod certè similiter esset ei fatendum, qui actionem seu operationẽ transeuntem poneret formaliter in agente. Nam secundùm hanc etiam opinionem (alioqui minùs probatam & communem) actio etiam est vis quædam vltima & actualis adæquata suo effectui, qui sequitur, à quo etiã rationem accipit substantialis vel accidẽtalis operationis.

Qvarto sequitur, minùs fuisse necessariam, imò etiam ineptam videri posse, quorundam recentiorum opinionẽ, qui longiùs multò, quàm Sotus, pgressi, ausi sunt dicere, *ipsum corpus* Christi per consecrationem Eucharistiæ omnino ac verè *produci* in aliis atq; aliis locis. Atq; id putant æquè possibile esse, & æquè facilè defendi posse, atq; aliud, quod cõmuniter cõcedi solet, nempe posse rem eandem numero in alio atq; alio tempore sæpiùs produci. Cur non igitur (aiunt) eadẽ produci possit in alio atque alio loco?

Sed magnũ & clarissimum discrimen est. Nam potest res eadem produci de nouo in alio tempore, si esse desierit; neq; tũc aliquid obstat, quò minùs produci possit, siquidem potest, postquã esse desiit, de nouo iterum esse per productionẽ. In alio autem loco ideo nõ potest res aliqua denuò *produci*, substantialiter, quoniam non ponimus illã substantialiter esse desiisse. Est enim secundùm substantiã suam, licet non quidẽ in isto loco. Ita fit, vt quia nõ potest secundùm substantiam suam incipere de nouo esse, nequeat etiam produci substantialiter in alio loco: sed poterit tantùm produci quidem ac fieri *accidentaliter*, acquirẽdo nimirum de nouo *locum*, in quo priùs non erat.

Qvinto sequitur, minimè panis substãtiam Annihilari, si tota desinit esse, vt malè Scotus, & Durandus d.10. censuerũt. Rectiùs multò D. Thomas hîc art.3. & Caietanus ibi, & alij cõmuniter Doctores docent non annihilari, sed conuerti. Ratio autem huius est: Quoniam annihilari propriè est rem desinere per solam *non conseruationem* Dei, quæ sanè non est actio ad aliquem terminum per se ordinata, sed cessatio potiùs ab actione. Quomodo Deus hactenus nullam rem creditur in nihilum redegisse. In proposito verò non sic desinit tota substantia panis; sed desinit per accidens ex vi diuinæ *actionis* conuersiuæ, quæ quidem ad terminum aliquem *per se ordinatur*, nempe ad corpus Christi, quatenus peculiari ratione est id, quod erat anteà panis, id est, quatenus succedit pani in habitudine quadam substantiali ad accidentia, sicut est dictum. Quapropter minimè panis annihilatur, sed conuertitur, transit, & transfunditur in corpus Christi.

Quemadmodum in generatione, forma prior, licet tota ipsa esse desinat, tamen propriè nõ annihilatur. Cuius ratio nõ propriè est, quia manet in potestate materiæ; sed quia nõ desinit,

niſi per accidens ex vi *poſitiuæ operationis per ſe ordinatæ ad aliam formam*, in quam forma prior trāſit & transfunditur, vt rectè contra Durandum notauit Sotus diſt.9.quæſt.2.art.4. Poteſt autem & hîc etiam eſſe quæſtio de nomine, ſicut rectè monuit Victoria quæſt.61. de Sacramentis. Nam ſi annihilationem appellare libeat, cùm res tota, quocunque tandem modo deſinit eſſe; nō repugnabimus: ſed certè abutêris vocabulo annihilationis, propter rationem iam dictam.

SEXTO ſequitur, non modò falsò, ſed etiam ſine cauſſa quoſdam finxiſſe, quod panis hîc reſoluatur in *præacentem materiam*. Quorum opinionem rectè & clarè Diuus Thomas refellit hîc artic.3.

SEPTIMO ſequitur, conuerſionem hîc nequaquam habere ſe *per accidens* ad præſentiam corporis Chriſti in Sacramento, vt malè Scotus opinatus eſt diſt.10.q.1.3. & 4. ſed eſſe potiùs cauſſam per ſe eius præſentiæ, vt rectè defendit Caietanus artic.1.& 2. ex ſententia Patrum antiquorum & Conciliorum, qui rationem præſentiæ petunt ex conuerſione: atque etiam D.Thomæ art.2.& 3. vbi reputat impoſsibile, vt corpus Chriſti de nouo ſit in Sacramento, niſi per conuerſionem panis in ipſum; vel certè per motum localem. Vnde colligit, cùm per motum localem hîc non ſit, eſſe illud neceſſariò per conuerſionem panis in ipſum.

Quod tamen Caietanus declarat, non ita intelligi debere, quaſi ex D.Thomæ ſententia ſimpliciter & abſolutè impoſsibile fuerit, aliter quàm per conuerſionem, hîc eſſe corpus Chriſti: ſed quia ſecūdùm legem ordinariam, circa modum præſentiæ in hoc Sacramento, non poteſt hic eſſe aliter. Et ita quidem Caietanus D. Thomam interpretatur.

Sed mihi ſanè D.Thomas videtur abſolutè etiam cenſuiſſe, id aliter eſſe impoſsibile. Hoc enim ille in probatione ſumit, vt concludat, legem ordinariam à Deo inſtitutam, circa hoc Sacramentum, eam certè fuiſſe, vt eſſet hîc corpus Chriſti per conuerſionem panis in ipſum. Quòd ſi ad hoc concludendum tantummodò ſumpſiſſet, ſecūdùm legem ordinariam, de modo iſtius Sacramēti latam, id aliter eſſe impoſsibile, profectò petiuiſſet principium.

Quicquid autem ſit de mente D.Thomæ, ipſe Caietanus non malè concedit Scoto & Durando ibi, de potentia abſoluta potuiſſe poni præſens corpus Chriſti in Sacramento, ſine conuerſione panis in ipſum. Quod certè vel illa ratio mihi perſuadet: Quia etiam interueniente conuerſione, reſtat nihilominus in hoc Myſterio quiddam admirabile, quod ſi Deus quidem ſine conuerſione faceret, æquè eſſet præſens corpus Chriſti illis accidentibus vnà cum pane, atque iam eſt ſine pane. Id verò eſt, quod ſine motu locali cōiungitur arcana Dei virtute corpus Chriſti cum accidentibus panis, intima illa *habitudine ſubſtantiali*, de qua ſuprà dictum eſt. Ex qua quidem habitudine neceſſariò & per ſe ſequitur præſentia corporis Chriſti, & ſecuta fuiſſet, ſi ſubſtantia panis cum corpore Chriſti penetratiuè maneret, & ſimul etiam retineret ſuam ſimilem habitudinem ad eadem accidentia.

Neque enim repugnare videtur, vt ad eadem accidentia duæ diuerſæ ſubſtantiæ ſint affectæ per iſtiusmodi habitudinem: ſicut non repugnat, quòd ad eandem naturam duæ ſubſtantiæ diuerſæ ſint affectæ per habitudinem ſubſtantialem hypoſtaſis, quæ tamen eſt arctior habitudo, quàm illa, de qua nunc agimus.

Hoc tamen, ſi ſubſtantia panis maneret, eſſet diſcrimen, quòd tunc corpus Chriſti non eſſet præſens quidem per actionem Dei *conuerſiuam*, ſed per aliam, quæ ad illam habitudinem ſolam corporis Chriſti ad accidentia terminaretur. Nunc verò placuit Deo eam habitudinē in corpore Chriſti mirabiliter ponere, non niſi per actionem *conuerſiuam* panis in ipſum.

Atque hoc nobis ſatis eſt, vt contra Scotum & Durandum, ſicut anteà diximus, ſentiamus, conuerſionem hanc non *per accidens*, ſed *per ſe* ſecundùm legem Dei ordinariam, eſſe cauſſam Chriſti præſentiæ. Neque verò ad hoc defendendum neceſſe eſt, etiam aſſerere, quòd per potentiam Dei abſolutam non potuerit aliter, quàm per conuerſionem, corpus Chriſti eſſe hic præſens.

OCTAVO ſequitur, falſiſsimum id eſſe, quod Scotus diſtinct.10.quæſt.1. & Durandus diſtinct. 11. quæſtione prima dixerunt, corpus Chriſti hic eſſe per *ſolum reſpectum præſentiæ*. Hoc enim non eſſet ſatis, vt ſi accidentia panis ſumuntur, eo ipſo ſumatur etiā neceſſariò corpus Chriſti: Quod tamen fatendum omnino eſt, vt rectè Caietanus articulo primo, & Sotus diſtinct.9. quæſt.2. artic. 4. contra illos authores argumentantur. Id autem patet: Quoniam contingit, duas res eſſe ſibi præſentes, & tamen non neceſſariò meſpectus enim præſentiæ, per ſe eſt (vt ita dicam) diſſolubilis, vt alterum videlicet ſine altero poſſit ſumi.

Confitendus eſt igitur alius quidam in poſito modus, quo hîc ſit corpus Chriſti: nimirum per illam ſæpè dictam habitudinem ſubſtantialem ad accidentia panis. Quem modum Caietanus articulo primo, ſub finem, rectè dicit eſſe *ineffabilem & ſpiritualem*, de quo tantùm Lateranenſe Concilium ſignificat, quòd dici poſſit modus *continentiæ*. Qui quidem ſingularis eſt & proprius huic Sacramento, ſicut etiam Diuus Thomas in hac quæſt. ſubinde appellauit.

Non enim habemus exemplum ſimile, vbi ſcilicet aliqua ſubſtantia per illam duntaxat habitudinem affecta ſit ad accidentia. Et quia nulla proinde alia mutatio terminatur, ſicut iſta, ad illum ſolum modum; item, quia hîc *tota* ſubſtantia

ſtantia conuertitur; idcirco iſta mutatio diſſimilis eſt omnibus aliis mutationibus naturalibus ſecundùm rationem quidem ſuam *ſpecialem*, vt D.Thomas docet, art. 4. & facilè patet, ſi illius collatio inſtituatur cum omnib. aliis mutationibus.

Hinc etiam ſingularis hic modus conuerſionis, rectè ſingulari quoq; & proprio nomine ab Eccleſia dicitur *tranſubſtantiatio*, vt D. Thomas in eodem artic. notauit. Denique quoniam illum nequaquam ſatis intelligimus, bene monet Caietanus artic.1. ſub finem, vt cum *admiratione*, inquit, *& veneratione fateamur in hoc defectum cognitionis noſtræ*.

NONO ſequitur, conuerſionem hanc fieri ſanè *in inſtanti*, vt facilè declarat D. Thomas artic. 7. Succeſsiua enim eſt aliqua mutatio; vel quia eſt ad formam, quæ ſuſcipit *magis & minus*; vel quia eſt in ſubiecto, quod *paulatim* debeat diſpoſitiue vel quia eſt à virtute finita, & eiuſmodi, vt *indigeat* tempore ad perficiendam actionē. At iſta conuerſio eſt ad Chriſti *ſubſtantiam* (intellige, ſecundùm dictam illam habitudinem) quæ non ſuſcipit magis & minus; & ſubiecto *non indiget*, nedum ſubiecto ſucceſsiuè diſpoſito; & denique ſit ab *infinita* Dei virtute, quæ ſubito eſt efficax.

DECIMO, quoniam, vt dictum eſt, iſta mutatio ſeu conuerſio, communi *ſubiecto* vtriuſque extremi caret; inde etiam intelligi poteſt, quomodo liceat de hoc Myſterio loqui, & quomodo non. Qua de re agit Diuus Thomas artic. 8. Quæ enim enunciationes ſolam ſucceſsionem & ordinem terminorum *à Quo* & *ad Quem* ſignificare ſolent, vſurpari hic poſſunt: Vt hæc: *Expaniſit corpus Chriſti*. Quæ autem ſignificare ſolent communionem ſubiecti, atq; adeò conſubſtantialitatem quandam terminorum ex parte *ſubiecti*; hæ quidem vitari in hac re debent. Vt hæc: *Panis poteſt eſſe vel fieri corpus Chriſti*. Item hæc: *De pane ſit corpus Chriſti*. Quia particula, DE, ſignificat conſubſtantialitatem quandam, vt D. Thomas notat, art. 8.

Qui etiam rectè ibi admonet, quaſdam nihilominus eiuſmodi locutiones, impropriè hîc vſurpari poſſe, nempe has: *Panis fit, aut eſt, aut exit corpus Chriſti*. Vel etiam illa: *De pane ſit corpus Chriſti*. Ita tamen, inquit D. Thomas, vt nomine *panis* in his propoſitionibus non intelligatur determinatè ipſa ſubſtantia panis, neque tota, neque quoad partem; ſed in *genere*, *& confuſè* ſubſtantia contenta ſub ſpeciebus panis remanentibus, quæ cùm eadem (non quidem ſecundùm rem, ſed ſecundùm rationem genericam) antea eſſet panis, poſt eſt corpus Chriſti, vt ſæpè iam explicatum eſt.

POSTREMO ex dictis facilè poteſt intelligi, quid ad illam QVAESTIONEM reſpondendum ſit, quam hîc aliqui mouent; Vtrum quælibet res poſſit conuerti in quamlibet? Dicendum enim eſt, poſſe, exiſtentibus duabus conditionibus.

PRIMA. Vt ſint tales res, quarum vna poſsit alteri ſuccedere in habitudine aliqua ſubſtantiali erga tertium aliquid, quod ſaltem ſit poſsibile. SECVNDA Conditio. Vt res vna poſsit deſinere eſſe; & altera poſsit, ſecundùm habitudinem ſaltem aliquam ſubſtantialem, eſſe verus effectus actionis *conuerſiuæ*: ac proinde vt verè poſsit eatenus habere cauſſam.

Ex quo ſequitur, nullam rem creatam poſſe propriè conuerti in Deum. Ratio eſt: Quoniam non poteſt Deus ſecundùm vllam rationem eſſe verè effectus alicuius cauſſæ. Oportet enim effectum habere naturam diuerſam ab aliqua re, vel æquè perfecta, atque eſt ipſe; vel perfectiori, quæ nimirum ſit proinde eius cauſſa. Nulla autem res eſt, vel æquè perfecta, vel perfectior, quàm Deus, à qua Deus differat ſecūdùm ſuam naturam. Itaque nullam Deus poteſt habere cauſſam.

Quare bene dixit Caietanus hîc artic. 4. circa reſponſionem ad 3. eſſe non modò falſum, ſed etiam fatuum, aſſerere, quòd aliquid conuerti poſsit in Deum. Quanquam huius quidem rationem non reddiderit Caietanus. Multò verò magis falſum & fatuum eſſet dicere, Deum poſſe conuerti in aliquid: Siquidem nequit omnino ipſe eſſe deſinere.

HIS explicatis, nihil aliud in hac Quæſtione reſtat, niſi fortè RESPONSIO in forma, ad argumentum ſuprà poſitum in partem negatiuā, quòd ſcilicet hic non ſit vera conuerſio. Et patet ex dictis, negandum eſſe Antecedens, ſi de *mutatione* ibi ſit ſermo latiùs, videlicet ſiue propriè, ſiue analogiâ quadam, vt hîc mutationem defendimus. Ad probationem neganda eſt Minor. Rurſus ad probationem Minoris, nego non eſſe hîc terminum *ad Quem*, & nouum, & ſubſtantialem. Eſt enim ille, corpus Chriſti, non abſolutè, ſed vt ſecundùm nouam habitudinem, eſt *id, quod erat panis*, ratione ſæpiùs declarata, ſicut etiam Caietanus loquitur. Item eſt terminus *à Quo* ipſe panis, quem negamus non habere proportionem ad Chriſti corpus, vt eſt hîc terminus ad Quem. Habet enim hoc ipſo, quòd ratio *communis* ſubſtantiæ poteſt ſecundùm ſucceſsionem in habitudine ſubſtantiali ad eadem accidentia, tranſire & transfundi ex pane in corpus Chriſti, ſicut explicatum eſt. Ad CONFIRMATIONEM illius argumenti quod attinet, iam etiam declarauimus, quemadmodum hîc non fiat panis annihilatio.

QVÆSTIO QVARTA.

De modo quo Christus est in hoc Sacramento.

D. Thom. 3. parte, quæst. 76.

CHRISTVM IN HOC SACRAMENTO CONSIDERARE POSsumus, primò secundùm se. Secundò, respectu specierum ipsius Sacramenti. Tertiò, respectu rerum aliarum extrinsecarum, ad quas habent ipsæ species respectum: eiusmodi sunt locus, & ipsi sensus, quibus illæ species percipiuntur. Quicquid verò D. Thomas in hac quæstione per octo articulos tractat de Modo, quo Christus in hoc Sacramento existit, ad aliquam omnino considerationem ex his tribus refertur. Quare tribus Punctis Quæstionem hanc totam comprehendemus. PRIMO *videbimus, Quomodo Christus hic existat secundùm se.* SECVNDO, *Quomodo respectu specierum.* TERTIO, *Quomodo item respectu rerum aliarum extrinsecarum ipsis speciebus.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quonam modo Christus secundùm se existat in hoc Sacramento.

D. Thom. art. 1. 4. 8.

QVOD AD PRIMVM PVNCTVM attinet, hæc tenenda sunt. PRIMO, *totum* Christum, secúdùm substantiam suam esse præsentem in hoc SS. Sacramento, id est, secundùm corpus, sanguinem, animam, diuinitatem, & subsistentiam diuini Verbi. Hanc Assertionem ponit D. Thomas hìc artic. 1. Et est certa secundùm fidem.

Probatur PRIMO, argumento ducto ex ipsis Christi verbis hoc modo: Vbi tale corpus & talis sanguis Christi est, qualia Christus habuit, cùm diceret: *Hoc est corpus meum*. Et: *Hic est &c.* & qualia etiam nunc habet, quando in eius persona verba eadem à Sacerdote dicuntur; ibi est etiam tota Christi substantia, constans ex anima, & diuinitate, & subsistentia Verbi. Sed in hoc SS. Sacramento est tale corpus Christi, & talis sanguis, qualia tũc habebat, cùm id diceret, &c. Ergo Christus secundùm totam substantiam suam iam expositam, est in hoc Sacramento.

Maior probatur. Quoniam corpus Christi omnino tunc subsistebat, & nunc etiam subsistit ac viuit coniunctum substantialiter cum illis omnibus, &c. Minor quoq; probatur. Quoniã id prorsus subindicatur illa particula, *Meum*, & *Meus*. Vt si ipse similiter ostenderẽ pṡens corpus meum, inquiẽs: *Hoc est corpus meum*, certè subindicaret præsens etiã esse quicquid est substantialiter cõiunctum cum corpore meo, nempe aĩam & hypostasim meam: Id enim totum pertinet ad corpus meum, vt est *meum*, & vt subsistit ac viuit in me. Atque ita per eam particulam planè significarem, corpus meum tale, quale ipsum A est, quando id dicerem. Similiter igitur per eam particulam subindicauit etiã Christus, corpus suum præsens esse, tale quale tunc erat. Curautem non planè dicam, id *exprimi* per verba Christi; sed tantùm quasi consequenter *subindicari*, paulò pòst intelligetur, cùm declarabimus, non eodem prorsus modo ex vi verborũ Consecrationis, esse hìc animam aut diuinitatem, quo est corpus & sanguis.

SECVNDO probatur Assertio authoritate Patrum. Sanctus HILARIVS libro octauo de Trinitate, loquens de Verbo incarnato, atque adeò simpliciter de *toto* Christo: *Si verè*, inquit, *Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem* CIB *Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est?*

Sanctus Gregorius NAZIANZENVS epistola prima ad Cleidonum: *Vbi*, inquit, *nunc corpus* (Christi) *fuerit, nisi cum ea natura à qua assumptum est?*

Sanctus Cyrillus ALEXANDRINVS lib. 4. in Ioan. capite 15. Idem esse censet comedi Christi carnem in hoc Sacramento, & comedi ipsum totum Christum *filium Dei*. *Manet enim*, inquit, *inuiolata vtraque natura, & vnus ex vtrisque Christus est.* Et cap. 16. *Per hanc*, inquit, *benedictionem mysterij ipsum filium Dei suscipimus.*

Sanctus AMBROSIVS libro de iis, qui myst. init. cap. 9. *In illo*, inquit, *Sacramento Christus est, quia corpus est Christi.* Vbi planè indicat, totum C Christum esse vbicunque in Sacramento corpus eius est. Similia alij, quorum testimonia collegit Gratianus de Consecratione, distin. 2. Can. *Singuli*. Can. *Nec Moyses, &c.*

TERTIO

TERTIO probatur à Diuo Thoma sic. Si aliqua duo sunt realiter coniuncta; vbicunque est vnum realiter, oportet & alterum esse. Sed illa omnia, ex quibus constat substantia tota Christi, sunt realiter coniuncta. Ergo vbicunque est vnum, est & alterum, & sic erunt omnia in Sacramento.

Maior autem huius Rationis non accipienda est ita generatim, vt sonat; sed loquitur de duobus coniunctis absolutis, quorum alterum substantialiter *pendeat* ab altero: Sensusque est, vbicunq; est id, quod ab altero *pendet*, sicut pendet hic corpus ab anima, & ab hypostasi diuina; ibi esse & alterum.

Quòd si aliter illa Diui Thomę propositio intelligeretur, haberet sanè multas instantias. Nam manus & anima sunt realiter coniuncta: neque tamen vbicunque est & continetur anima, ibi est manus, non enim est in pede, in quo etiam anima continetur: quamuis bene contrà, vbicunque est manus, est etiam anima, quia substantialiter ab anima manus dependet. Item Verbum diuinum & Christi humanitas, realiter coniuncta sunt; neque tamen vbicunque est Verbum, ibi est humanitas: quamuis bene contrà, vbicunque illa humanitas est, ibi etiam est Verbum, quoniam à Verbo substantialiter illa *dependet*.

Atque exemplo illo quidem animæ ostenditur, non rectè Caietanum hìc articulo primo dixisse, propositionem illam Diui Thomæ veram C generatim esse, quando vnum ex coniunctis est in aliquare, non modò vt in *loco* (sicut Durandus in quarto, distinctione decima, quæstione secunda voluit propositionem illam Diui Thomæ limitare, atque excludere à proposito) sed etiam tanquam in *continente*, quocunque modo, sicut hic est Christi corpus in Sacramento. Nam ne ita quidem est vera generatim illa propositio. Nam anima, vt dictum est, suo quodam modo continetur in pede; neque tamen manus, quæ cum anima realiter coniuncta est, existit etiam in pede. Habet igitur illa D. Thomæ propositio eum sensum, quem exposuimus, quemque attigit etiam Alanus libro primo de Eucharistia, capite 38. ac Sotus etiam obscurè distinctione decima, quæstione prima, artic. 1. & inxta eum sensum rectè probatio illa Diui Thomæ procedit.

QVARTO probatur Assertio. Quoniam esset alioqui corpus Christi mortuum in Sacramento, si non esset coniunctum ibi cum anima. Christus autem, inquit Apostolus, *iam non moritur*, Rom. 6.

QVINTO probatur exvsu antiquissimo Ecclesiæ, quo tribuitur, vt superiùs vidimus quæst. præced. puncto primo, latriæ cultus Christo in hoc SS. Sacramento: quod non fieret, nisi ibi esset eius persona diuina. Dicimus autem, eam esse ibi (nam & hoc declarandum est) peculiari ratione, quatenus nimirum pertinet modo *peculiari* ad ipsam substantiam corporis Christi, sustentando illam *hypostaticè*. Vnde fit, vt non tantùm generali modo, diuina Christi persona intelligatur esse in hoc Sacramẽto, sicut est præsens per essentiam, præsentiam, potentiam ombus aliis rebus; sed etiam quodam *peculiari* modo & Sacramentali, ratione *corporis* Christi à se hypostaticè sustentati, quod est in hoc Sacramento.

SEXTO probatur eadem Assertio ex Ecclesiæ definitione in Concilio Florentino, sub Eugenio IV. in decreto de Sacram. & Tridentino sess. 13. cap. 1. & can. 1.

SECVNDO tenendum est, non modò secundùm substãtiam, sed etiam secundùm accidentia omnia sua *intrinseca* & *absoluta*, quæ habet in cœlo, atque adeò etiam secundùm ipsius *quantitatem* esse totum Christum in hoc SS. Sacramento, vt declarat Diuus Thomas hìc articulo quarto. Dicimus autem, secundùm accidentia *intrinseca* & *absoluta*, vt excludamus ea, quæ ipsi competunt, non nisi per respectum ad locum, sicut D. Thomas artic. 5. ad 3. apertè etiam notauit. Non enim habet in Sacramento *situm* illum, quem habet in cœlo.

Porrò verò hæc Assertio non ita putatur expressè esse de fide, sicut præcedens; nihilominus adeò certa censetur, vt contraria sententia reputetur erronea, & meritò. Ac primùm quidem Assertio nostra est sentẽtia communis omnium Theologorum dist. 10. excepto Durando ibidẽ, quæst. 2. qui probabilius esse putat, non habere Christum in Sacramento suam quantitatẽ. Item Ockamo in 4. quæst. 4. & in Tractatu de Eucharistia, cap. 39. qui cùm sentiat, quantitatem re idem esse cum substantia; dicit quidem Christum habere in Sacramento rem ipsam illius quantitatis, quam habet in cœlo, videlicet eo ipso, quòd habet in Sacramento substantiam sui corporis, quam iste quidem putat esse rem illius quantitatis; sed negat tamen habere Christum in Sacramento *formaliter* ipsam quantitatem, eò quòd non est extensus ibi in ordine ad locum, D neq; ei commensuratur, in quo author iste constituit formalem rationem quantitatis.

Sed, vt diximus, negare quantitatem Christi in hoc Sacramento, *erroneum* est, vt etiam appellauit Alexander Alensis 4. part. quæstione 40. memb. 3. articulo quarto, & Sotus distinct. 10. quæstione prima, articulo quarto, & Alanus libro primo de Eucharistia, cap. 38. vbi ait, pro hæretica penè opinionem illam Durandi haberi, & contrariam Assertionem censeri iam sententiam Ecclesiasticam.

Quæ probatur PRIMO ex ipsis Christi verbis. Cùm enim dixit: *Hoc est corpus meum*, ita corpus suum significauit, sicut aliàs secundùm communem loquendi modum, corpus humanum propriè significari & demonstrari solet.

At cùm *hoc* corpus *humanum* determinatè & singulariter dicimus; licet primariò quidem significemus substantiam; secundariò tamen, & quasi ex obliquo, etiã accidentia & dimẽsiones quantitatis significare solemus, per quæ nimirũ constituitur corpus *organicum*, partiũ atq; membrorum varietate distinctum. Tale igitur corpus, nempe suis accidentibus & dimensionibus præditũ, Christus in Sacramento adesse affirmauit, & quotidie nunc affirmatur verbis Christi.

SECVNDO probatur. Nam certum est, rectè deduci ex verbis Christi, esse eum quoad substãtiam suam totum in hoc Sacramento: illis enim tanquam firmo fundamento in ea re Concilia nituntur. Sed idem medium, & eadem prorsus ratio suppetit, vt ex eisdem Christi verbis colligamus, esse eum in hoc Sacramẽto totum etiam quoad *accidentia*. Ergo rectè istud quoque deducitur ex Christi verbis. Minor probatur. Quoniam quòd sit totus in Sacramento quoad suam substantiam, propterea ex verbis Christi rectè colligitur, quia reliqua omnia, quæ ad Christi substantiam pertinẽt, sunt *realiter coniuncta* cum illius corpore, & cum illius sanguine. Item etiã, quia particulæ *Meum* & *Meus* subindicant, in Sacramento tale Christi corpus esse, quale reipsa illud in se erat, & nunc etiam est. Sed accidentia etiam *realiter sunt coniuncta* cum corpore Christi, atque item secundùm illa quoque erat Christi corpus, & nunc est in se re ipsa *tale*. Ergo, &c. Quòd si hac ratione nõ rectè probatur istud quoad accidentia; certè carebimus firmo argumento, vt illud alterum ex verbis Christi probemus quoad Christi substantiam.

TERTIO, eam fuisse Christi verborum vim, probatur deinde ex communi sensu fidelium, qui est certissimus Scripturæ interpres. Nam si aliquis in concione fidelis populi negaret, Christum in Sacramento ita esse, vt ibi habeat caput, oculos, humeros, brachia, & alia membra formata ac distincta, certè iudicaretur repugnare illi Christi sententiæ: *Hoc est corpus meum*; neque toleraretur vllo modo. At si Christi quantitas in Sacramento non est, sequitur planè, ipsum ibi non habere caput, oculos, & alia membra consueto modo formata & distincta, cùm hæc formatio & distinctio membrorum & organorum corporis fiat per quantitatem. Ergo opinio, quæ negat Christi quantitatem in Sacramento, planè pugnat secundùm sensum fidelis populi cum illis Christi verbis.

QVARTO. Cùm Christus dixit, *Meum*, certè suum corpus significauit, quatenus erat corpus illud *singulare ac proprium ipsius*, & *distinctum* ab aliis quibuscunque humanis corporibus indiuiduis. At humanum corpus quantitate etiam *signatur*, & fit *singulare*, *proprium atque distinctum ab aliis*. Ergo, &c.

QVINTO accedit, quòd qualenam corpus Christus tunc diceret, ipse etiam determinasse videtur, cùm adiunxit: *Quod pro vobis tradetur*. Quasi diceret, eiusmodi planè & tale secundùm se, quale tradetur in cruce. Atqui in cruce traditum, & ibi etiam passum est, non nisi præditum sua quantitate.

SEXTO, nam sequeretur alioqui Christum ibi esse quiddam planè deforme, & quidem multò magis, quàm sit rudis aliqua & informis massa: siquidem careret consequenter omni figura. Hoc autem cùm esset nihilominus substantia quædam materialis, cogitatu est valde absurdum. Atque rursus etiam ex hac parte pugnat huiusmodi opinio cum communi sensu fidelium. Certè enim omnes refragarentur, si audirent Christi corpus in Sacramento eo modo secundùm substantiã humani corporis esse, quo nunquam corpus humanum venit in hominis cogitationem seu imaginationem. Semper enim corpus humanum imaginamur quantitate præditum, neque aliter sanè possumus.

SEPTIMO, id etiam Concilia, quamuis non omnino expressis atq; distinctis verbis, significare planè videntur. Affirmant enim simpliciter absq; vlla limitatione, Christum ipsum *totum esse* in Sacramento. Qui autem *totum* dicit, neque addit particulam exclusiuam, vt scilicet ea totalitas intelligatur *tantùm* quoad substantiam; totum secundùm integritatem etiam quantitatis significat: hanc enim significare etiam maximè consueuimus, nomine *totius* hominis, aut corporis. Etsi verò Concilium Tridẽtinum sess. 13. cap. 3. declaret, esse Christum hic totum, quoad animam, diuinitatem, &c. tamen illam particulam exclusiuam integritatis accidẽtium nusquam addidit.

POSTREMO, hanc fuisse sententiam Patrum, non est dubium, præsertim Emisseni, homil. 5. de Paschate, Ambrosij in præparatione ad Missam, Augustini in serm. ad infantes apud Bedã, 1. Corinth. 10. Aiunt enim, *totum & integrum*, Christum à *singulis* percipi, *tantumq; esse in exiguo, quantum existit in toto*. Atq; huc etiam pertinent illi loci Patrum, in quibus nituntur aduersus cogitationes humanæ rationis & sensus cõfirmare fidem fidelium de huiusmodi Mysterio. Quare quidem loci suprà à nobis recitati sunt aliqui, quæst. præced. punct. 1. §. 5.

Porrò verò fundamentum, quo pro contraria opinione nititur Durandus, ferè continetur huiusmodi ratione. Si quantitas Christi tota continetur parua quantitate hostiæ; necesse esset, eam ibi existere *indiuisibiliter*. Nam si diuisibiliter esset, contineri à minore quantitate nó posset. At repugnat ipsi rationi & essentiæ quantitatis, esse alicubi *indiuisibiliter*. Ergo. Minor probatur. Quoniam essentia ipsa quantitatis est *diuisibilitas & extensio*.

SED hæc tota argumentatio nullo negotio diluitur à Caietano hic art. 3. & à Soto distin. 10. quæst. 1. artic. 4. & ab aliis, alio quodam fundamento posito, quod ex doctrina D. Thomæ recẽtè constituit Caietanus, & est sanè verissimum. Illud est, distinguendam esse duplicem *extensionem* seu *diuisibilitatẽ* quantitatis. VNA est ipsi prima & essentialis, qua scilicet partes substantiæ materialis separantur & componuntur *inter se*, vt caput sit extra humeros, &c. quo ipso quantitatis munere fit etiam ipsa substantia materialis *apta*, vt sit & extendatur commensuratiuè ac diuisibiliter in *loco*, id est, vt tantùm pars respondeat loci parti, & totum toti loco.

Hæc autem prima quantitatis extensio, nullo modo potest à quantitate separari, atque adeò neque quantitati ipsi conuenire potest inextensio, vt sic dicam, & indiuisibilitas huic primæ extensioni opposita, qualis est v.g. indiuisibilitas substantiæ immaterialis, vt Angeli; vel etiã substantiæ materialis, si cogitetur ipsa *secundùm se*, vt re vel ratione à quantitate distinguitur.

ALTERA extensio quantitatis est secundaria & quasi effectus quidam prioris, nempe extensio partium substantiæ in ordine ad *locum commensuratiuè*, cùm scilicet actu pars respõdet parti loci, & totum toti loco. Quæ secundaria extensio seu diuisibilitas formaliter nõ est ipsa extensio quantitatis, sed potius in ea consistit essentialiter genus aliud quoddam accidentis, q̃ dicitur *Situs*, vt rectè notauit Caietanus.

Hæc igitur extensio cùm sit posterior & extrinseca ipsi quantitati, potest omnino per potentiam Dei absolutam ab ea separari. Vt si Deus creauisset v. g. vnicum tantùm lapidem, aut nũc etiam extra totum mundum illum crearet; extensum quidem esset *in se* per suarum partium quantitatem; neque tamen commensuratiuè *coextensum* vlli omnino loco.

Atque hinc etiam consequenter apparet, *inextensionem* seu *indiuisibilitatem*, directò quidem oppositam non illi primæ, sed huic posteriori extensioni & diuisibilitati, quæ est actu in ordine ad *locum*, posse per eandem Dei potentiam absolutam, conuenire quantitati, sicut conuenit substantiis immaterialibus, quæ sunt totæ in toto, & totæ in qualibet parte; & sicut etiam conuenit substantiæ materiali *secundùm se*, si cogitetur vt subest ipsi quantitati. Sub tota enim quãtitate aquæ v. g. & sub qualibet parte ipsius est verè substantia aquæ indiuisibiliter.

In proposito igitur asserimus, isto modo separari virtute diuina à Christi corporis quantitate posteriorem illam extensionem, ac proinde conuenire ipsi indiuisibilitatem, huic diuisibilitati, quæ non est de essentia quantitatis, oppositam; vt scilicet vnà cum ipsa substantia corporis Christi sit tota in toto, & tota in qualibet parte quantitatis speciei, sicut paulò inferius ex doctrina diui Thomæ magis declarabitur. Dum verò argumentatio solùm probat, non posse quantitatem alicubi esse indiuisibiliter, ea indiuisibilitate, quæ directò opponatur extensioni quantitatis primæ & essentiali, scilicet partium substantiæ *in se*.

Atque ex hac eadẽ doctrina intelligitur, quis fuerit error in fundamẽto Ockami. Falsò enim hic author posuit rationem ipsam & essentiam quantitatis in extensione actuali partium substantiæ in ordine ad *locum*. Hæc enim extensio ad aliud *genus* (scilicet situs) formaliter pertinet, vt est dictum; quod hîc quidẽ ne ex quantitate consequatur, diuina virtute mirabiliter impeditur. Ratio aũt quãtitatis nõ est nisi extensio partium in seipsis, quæ eadẽ quidem secũdùm *aptitudinem* etiam est in ordine ad locũ, sed nõ actu.

Vnus tamen est AVGVSTINI locus in epistola 57. ad Dardanum, quo abutuntur etiam Sacramentarij, ad probandum, non posse corpus alicubi esse, nisi vt *in loco*, atque adeò diuisibiliter & commensuratiuè. *Spacia*, inquit Augustinus, *tolle corporibus, & nusquam erunt: Et quia nusquam erunt, omnino non erunt*. Sed q. præced. p. 1. manifestè ex eodem Augustini loco ostendi, disputâsse hoc ibi Augustinũ tantummodo secundùm legem corporũ ordinariam & naturalem: nihil autẽ eum ibi cogitasse minus, quàm quòd per potentiam quoque Dei absolutam fieri nequeat, vt corpus sit alicubi non localiter.

TERTIO tenendum est, totum Christum, & quoad substantiam, & quoad accidentia, esse in hoc Sacramento *tamdiu*, quamdiu species manent *incorruptæ*, saltem quoad earum *quantitatem*, quæ est hîc accidens præcipuum & fundamentũ reliquorum, vt D. Thomas docet art 8. Hoc probatur. Nam tamdiu Christus hîc manet, quamdiu hîc supereſt verum Eucharistię Sacramentũ. Sed Sacramentum Eucharistiæ supereſt tamdiu permanẽter, quamdiu manent ipsæ species consecratæ, vt suprà q. 1. p. 2. cõtra Sectarios ex Christi verbis, & antiquo Ecclesiæ vsu asseruandi Eucharistiam probatum est. Ergo, &c. Ad q̃ etiam D. Thom. hic art. 6. ad 2. affert testimonium Cyrilli ALEXANDRINI suprà à nobis recitatum, qui in Epistola ad Calosyrium dicit, *insanire eos*, qui hoc negant.

Porro quia tamdiu manet hîc Christus, quãdiu species incorruptæ manent, rectè inde colligit D. Thomas art. 8. tum etiam, cùm vel puer, vel aliquid eiusmodi in Sacramento miraculosè apparet, manere Christũ in illo. Ratio est: Quia vel hæc apparitio fit per solam immutationem miraculosam *sensus*; & tunc nihil in speciebus ipsis mutatur: vel fit per mutationem in ipso *obiecto*, quod tunc quidem accidit, quando apparens figura *diu permanet*, & eadem omnibus apparet. Et in eo casu nõ est ipsa caro Christi illud, quod apparet; manet enim diu, & seruari etiam ex consilio Episcoporum in pyxide solet, quod nefas esset, inquit S. Thomas, Christo ipsi facere secundùm propriam speciem. Quare putãdum est, tunc solùm fieri mutationem aliorum accidentium, vt coloris, figuræ, &c. manere autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

incorruptam quantitatem, atq; adeò Chriſtum etiam in Sacramento. Quam ſentétiam D.Thomæ facilè defendit Sotus d. 10. q.1. art.8. contra Durandum, ead.d.q.4.

Notat verò Caietanus in illo art.8.tũc etiam mutari quantitatem, cùm vſque adeò illa ſub alia figura vel colore extéditur, vt vinum aut panis, qui fuit antè conſecratus, non potuiſſet certè ſub tanta quantitate manere. Vt ſi v.g. fuiſſet anteà pauxillum vini conſecratum, poſtea verò totus calix ſanguine plenus cerneretur. Tũc dicit Caietanus, illum ſanguinem miraculoſum eſſe adorãdum, ſicut veſtem Chriſti, & alia eiuſcemodi: non autem manere ibi Chriſtum, nec eſſe ibi adorandum, tanquam in Sacramento.

Quare putat Caietanus, doctrinam illam diui Thomæ eſſe intelligendam, quando dimenſiua quantitas panis vel vini, nõ ita quoad extenſionẽ ſub alio colore vel figura mutatur, quin ſubſtantia ipſa panis vel vini prius conſecrati potuiſſet eſſe ſub illa.

Cenſuit quoque S.Thomas in 4. diſt. 10. q.4. artic.1. quæſtiuncula 3. non licere eiuſmodi ſanguinem aut carnem miraculoſam ſic apparentem ſumere. Ratio eſt: Quoniam non habet tũc *modum*, vt ſecundùm conſuetudinem & conditionem huius Sacramẽti comedatur & bibatur, quod etiam notauit Victoria in libello de Sacramentis, q. 71.

Quamobrem communiter docetur, debere tunc Sacerdotem, ſi in ſacro eiuſmodi apparitio accidat, conſecrare aliam hoſtiam, vt ſacrificiũ videlicet *perficiatur*, etiam ipſa *communione* Sacerdotis, id quod eſt de iure diuino. Atq; hactenus de PRIMO Puncto huius Quæſtionis.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quonam modo Chriſtus in hoc Sacramento exiſtat, reſpectu ſpecierum Sacramentalium.

D.Thom. art.2.3.5. 6.

VIDENDVM iam eſt, quomodo ſit hîc Chriſtus, reſpectu ipſarum ſpecierum. Et PRIMO dicendum eſt, non eſſe in illis tãquam in *loco*. Hoc D.Thomas in art. 5. egregiè probat & declarat. Nam ita eſt corpus Chriſti ſub illis accidentibus, ſicut erat ſubſtantia panis. At ſubſtantia ipſa panis non erat in illis, tanquã in loco, ſed modo indiuiſibili, id eſt, tota (intellige ſecundùm ſubſtãtiam ſeu eſſentiam ſpecificam ex materia & forma panis conſtitutam) in qualibet particula dimenſionum quantitatiuarum, & tota etiã ſub illis totis. Ergo ſimiliter corpus Chriſti erit ſub illis, non vt in loco, ſed modo illo indiuiſibili ſubſtantiæ panis, ita videlicet, vt totum ſecundùm rationem ſuam, id eſt, vt organicum & humanum corpus, ſit ſub illis totis, & ſub qualibet parte.

Maior probatur: Quoniã corpus Chriſti ſuccedit ſubſtantiæ panis ſub illis accidentibus, excepto ſolùm illo modo *inhærentia*, quo erãt eiuſmodi accidentia in pane. Minor item eſt clara. Nam ſubſtantia aliqua materialis, non eſt ipſa *ſecundùm ſe* in loco, ſed per ſuam quantitatẽ. Sub ſua verò quantitate & ſuis accidentibus, eſt per modum ſubſtantiæ indiuiſibiliter, ſicut de pane dictum eſt.

Modus itaque, quo Chriſtus eſt ſub illis ſpeciebus, omnino eſt ſingularis & proprius huius Sacramẽti, qui videlicet ea ſola habitudine ſubſtantiali corporis Chriſti ad accidẽtia panis cõtinetur, ſecundùm quam q.præced.p.3. declaraui mus, illud eſſe hîc terminum conuerſionis ſeu tranſubſtantiationis. Id quod etiam ſentit planè D.Thomas, vt ſuprà vidimus, & attigit quoq; bene Alanus lib.1.de Euchariſtia, cap.37.

Atq; hinc ſequitur PRIMO, etiam Chriſti *quãtitatem* eſſe ſub ſpeciebus modo item indiuiſibili, ſicut eſt ipſa Chriſti ſubſtantia. Quod rectè D.Thomas hîc artic. 4. ad 1. inde declarat, quòd quantitas Chriſti hîc non eſt, niſi ratione ipſius ſubſtantiæ corporis Chriſti, in quã fit panis conuerſio. Vnde eſt conſequens, vt quantitas hîc nõ ſit modo ſuo naturali & ordinario, ſcilicet commenſuratiuè, & tanquam in loco; ſed modo ſubſtantiæ, atq; adeò indiuiſibiliter: ſequitur enim conditionẽ & modum eius, ratione cuius & per quod ipſa hîc eſt, nempe corporis Chriſti. Neq; verò iſte modus indiuiſibiliter exiſtendi, quantitati ipſi repugnat, vt p. præcedenti ſatis contra Durandum declaratum eſt.

SECVNDO ſequitur, Chriſti corpus *ſub illis ſpeciebus*, neq; *ſtans*, neq; *pronum*, neque *ſupinum* eſſe, neq; vllum omnino *ſitus* modũ habere: quoniã iſtiuſmodi ſitus differentiæ non conueniunt corpori, niſi exiſtenti alicubi tanquam in *loco*. Eſt igitur Chriſti corpus ibi, ſi quis hoc interroget, non niſi *indiuiſibiliter*, modo quodam ſingulari, quem *Sacramentalem* dicimus.

TERTIO deniq; ſequitur, neq; *definitiuè*, neq; *circumſcriptiuè* Chriſtum hîc eſſe, vt rectè declarat D.Thomas art.5. Non *definitiuè*: quoniam ita eſt in vnis ſpeciebus, vt ſimiliter ſit etiam in aliis alibi. Neq; etiam *circumſcriptiuè*, vt patet: quia non eſt commenſuratum illis ſpeciebus, vt ſit totum in totis, & nõ etiam in ſingulis earum partibus. Quam rem rectè etiam declarauit Sotus diſt.10. q. 1. art. 5. vbi meritò reprehendit Gabrielem & alios, qui modũ exiſtendi definitiuè in loco deſcribunt eſſe, cùm res aliqua eſt alicubi *indiuiſibiliter*, id eſt, tota in toto, & tota in qualibet parte, ſicut ſunt Anima, Angelus, & Deus: quo pacto corpus Chriſti etiam hîc eſſet definitiuè, vt patet. Sed melior atque conuenientior ipſi vocabulo deſcriptio eſt, vt eſſe definitiuè in aliquo, ſit ita definiri & quaſi claudi illo, vt non etiam eadem res ſit alibi. Quæſtio tamen iſta non poteſt eſſe niſi de nomine.

De Quæ-

De Quæſtione autem illa, quam per occaſionem, vel ſine occaſione potius quidam hîc diſputant, Vtrum ſcilicet vnũ corpus poſſit etiam *circumſcriptiuè & commenſuratiuè* eſſe ſimul in diuerſis locis, nõ eſt cur in præſenti dicamus: tum quia nõ magis eſt iſta diſputatio huius loci, quã aliorum: tum quia ex his, quæ in q. præced. p. 1. §. 22. & ſeq. aduerſus perfidiam Sacramentariorum diſſerui, ſatis intelligi poſſe puto, nihil obſtare, quo minus per potẽtiam Dei abſolutam, id fieri poſſit.

SECVNDO aſſerimus, totum Chriſtum eſſe illo modo non tantùm ſub vtraq; ſpecie ſimul, ſed etiam ſub earum qualibet. Quæ Aſſertio eſt certa ſecũdùm fidem, quam confirmat rectè, & declarat D.Thomas art.2. Probatur autem PRIMO illis omnibus argumentis, quibus p. præced. probatum eſt, totum Chriſtum eſſe in ipſo Sacramento, indiſtinctè loquendo de illo; Ex omnibus enim illis mediis & argumentis poſſumus etiam ſimiliter concludere, eſſe totum in qualibet ſpecie Sacramenti huius, ſicut conſideranti patebit.

SECVNDO facit ad hoc ille locus, 1. Ioan. 4. *Omnis Spiritus, qui diſſoluit Ieſum, eſt Antichriſtus.* Sed qui putat, in altera ſpecie tantùm eſſe corpus, & in altera tantùm ſanguinem, diſſoluit Ieſum. Ergo, &c.

TERTIO probatur ex Patribus. Ita enim aſſerit Cyprianus in ſermone de Cœna Domini, vbi ait, panem mutari in corpus & ſanguinẽ. & Cyrillus lib. 4. in Ioannem, cap. 15. vbi ſupponit, ſub qualibet parte totum Chriſtum dari. Item Hieronymus apud Gratianum de Conſecrat. diſt. 2. Cap. *Singuli*, & Hilarius Papa ead. d. Cap. *Vbi pars*. Et idem etiam Auguſtinus in homil. ad infantes apud Bedam, 1. Corint. 10. Emiſſenus homil. 5. de Paſchate. Ambroſius in præparatione ad Miſſam. Bernardus in ſermone de Cœna Domini, & omnes Theologi in 4. d. 10. Galatinus quoque lib. 10. de arcanis Catholicæ veritatis, cap. 6. ſententiam commemorat cuiuſdam Rabini *Chana* nomine, qui antè Chriſtum natum ſcripſit ſuper ipſius Meſſiæ. Ex quo ſequitur, Meſſiam ipſum contineri totum ſub ſpecie panis.

QVARTO probatur ex definitione Eccleſiæ in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 13. Florentino, & Tridentino ſeſſ. 13. can. 3. & cap. 3. Qua de re infrà quoq; q. 8. cùm diſſeremus de communione ſub altera tantum ſpecie.

TERTIO aſſerimus, Licet totus Chriſtus ſit, vt dictum eſt, in qualibet ſpecie; non tamen eodem modo eſſe ſub vna, atque ſub altera, ſecundùm corpus ſuum & ſanguinem. Nam ſub ſpecie *panis*, ex vi quidem conſecrationis & primario, tantummodo eſt *corpus*; per *concomitantiam* verò & quaſi conſequenter & ſecundario, eſt ibi etiam ſanguis, & reliqua, quæ ad Chriſtum pertinent. E contrario autem, ſub ſpecie *vini*, tantùm eſt ſanguis, ex vi conſecrationis & primario; per *concomitantiam* verò corpus etiam & reliqua. Hæc Aſſertio rectè explicatur à D. Thoma in dicto artic. 2. atque etiam expreſsè ponitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 13. cap. 3. eſtq; ſentiendi & loquendi modus communis Theologorũ.

Ac ratio quidem huius neceſſaria ſumitur ex verbis conſecrationis, quibus id, quod in hoc Sacramento fit, ſignificatur. Nam *corpus* expreſsè & primariò ſignificatur per verba conſecrationis panis: Sanguis autem & reliqua, non niſi conſequenter & ſecundariò ac tacitè, per illam particulam, *Meum*. E contrario autem, per verba conſecrationis calicis, primariò & expreſsè ſignificatur *ſanguis*, ſecundariò autem & tacitè, corpus & reliqua, per particulam *Meus*. Quo ſanè pacto rem iſtam, ex verbis ipſis Chriſti iam olim antiqui Theologi Scholaſtici declararunt, vt Alanus quoq; notauit lib. 1. de Euchariſt. cap. 38.

Item ducitur huius Aſſertionis ratio ex illa coniunctione reali eorum, quæ ad Chriſtum totum pertinent, ſicut ſuprà p. 1. ex ea coniunctione ſumus etiam cum D. Thoma argumentati.

Porrò autem *corpus*, quod ex vi conſecrationis ſub ſpecie panis eſſe dicimus, nõ Logicè aut Metaphyſicè accipiendum eſt, vt ſcilicet eſt vnũ quoddam genus in Prædicamento Subſtantiæ; neque etiam Mathematicè, vt eſt ſcilicet trina Quantitatis dimenſio; ſed *Phyſicè*, vt eſt videlicet altera pars compoſiti ſubſtantialis.

Quid autem omnino ſit iſtud corpus Phyſicè acceptum, variè diſputatur à Scholaſticis Doctoribus. Sed verior ac ſolidior ſententia eſt illa, quam ex mente D. Thomæ Sotus rectè defendit & declarat d. 10. q. 1. art. 2. ac tuetur quoque Alanus lib. 1. de Euchariſtia, capite 38. & alij: nempe corpus iſtud eſſe materiam ipſam, vt ab anima quidem accipit Eſſe *corporeum*; ita ſanè, vt in recto ſit ipſa materia, & quaſi in obliquo anima, ſecundùm illud *Eſſe corporeum*. Quo ipſo differt à corpore Logicè ſeu Metaphyſicè accepto. Nã vt corpus eſt Genus, vtrumq; eſt in recto, nempe & materia, & forma etiam, vt dat materiæ Eſſe corporeum in genere Subſtantiæ.

Similiter quoq; ſanguinem hîc intelligimus, vt eſt hominis viui quædam pars, ſiue anima Rationali informetur, ſiue non. Nihil enim hoc ad rem præſentem intereſt, ſicut rectè Sotus declarat d. 10. q. 1. art. 2.

Quoniam verò realis hæc coniunctio corporis cũ ſanguine, & è contrario, eſt ratio, cur ſanguis ſub ſpecie panis comitetur corpus, & corpus ſub ſpecie vini ſanguinem; conſequens eſt, vt ſi in triduo mortis Chriſti fuiſſet hoſtia conſecrata aut ſeruata, ſolum ibi eſſet corpus ſine ſanguine; atque etiam ſolus ſanguis ſub ſpecie vini ſine corpore, ſi vinum item illo triduo fuiſſet conſecratum aut reſeruatum. Nam ſicut re ipſa & in ſe, alterum ab altero tunc inueniretur ſeparatum: ita etiam ſeparatum eſſet in ipſo Sa-

cramento

cramento, vt rectè docet D. Thomas art.2.& declarat ibi bene Caietanus.

QVARTO asserimus, non modò sub qualibet specie, sed etiam sub qualibet *particula* cuiuslibet speciei esse totum Christum, modo iam explicato. Ita D.Thomas docet ex orthodoxa sententia art.3. Et quidem quòd post separationem vel diuisionem speciei sit sub qualibet particula separata; est certũ ex fide. Ita enim expressè habetur in Concilio Florentino,& Tridentino sessione 13. can.3.& colligitur manifestè ex Euangelio Matth.26.& Marci 14. Ibi enim habetur, ex vno & eodem calice à Christo consecrato, eiusdem Christi sanguinem sumpsisse Apostolos omnes, diuisis inter eos videlicet partibus speciei vini.

Sed antè separationem tamen, quidam hoc olim negauerunt, vt refert Alexander Alensis 4.p. q.40. memb.3. art.5. quos etiam refellit diuus Thomas hîc art. 3. Fuit autem ea opinio Altisiodorensis lib.4. suæ Summæ, in Tract. de Eucharistia, cap.4. quam opinionem etiam citat & reiicit Innocentius III. lib.4. de myst. Missæ, capite octauo. Nihilominus quòd sit etiã sub qualibet particula ante separationem, sententia est communis Theologorum, ita certa, vt contraria opinio putetur erronea.

Id probatur PRIMO: Quia cùm per separationem nihil de nouo Sacramentaliter fiat; ideo tunc est Christus sub qualibet parte speciei, quia priùs certè etiam erat per vim Consecrationis.

SECVNDO: Quia succedit Christus substantiæ panis in modo existendi sub illis speciebus, secluſa tantùm inhærentia. Sed substantia panis tota, quoad essentiam panis, erat sub qualibet particula, etiãm antè separationem. Ergo etiam Christus, &c.

TERTIO. Si non totus Christus est antè separationem in qualibet particula: igitur alicubi, id est, in aliqua particula hostiæ, non erit Christi caput, vel aliqua alia pars. Hoc autẽ non est consentaneum illi modo, quo suprà constituimus, Christum esse sub his speciebus *indiuisibiliter*, & non per modum quantitatis.

QVARTO. In Concilio Tridentino sess.13. capite tertio, absolutè & sine distinctione dicitur, *in qualibet parte esse totum*: quamuis postea quidẽ can.3. vbi idem sub anathemate definitur, subiungitur particula, *post separationem*. Item de Consecrat.d.2. Can. *Vbi pars.* absque distinctione hoc etiam simpliciter & absolutè dicitur.

PVNCTVM TERTIVM.

Quonam modo Christus in hoc Sacramento existat, respectu aliarũ rerum extrinsecarum ipsis speciebus Sacramentalibus.

D.Thom. art.5.6.&7.

DICENDVM est PRIMO, non esse Christum in loco specierũ propriè *localiter*: licet secundùm substãtiam quidem suam, hoc ipso, quòd est intimè coniunctus cum speciebus, præsens sit etiam illi loco, vbi sunt species. Hanc Assertionem clarè probat D.Thomas artic. 5. ex eo, quòd quantitas specierum, non est quantitas in corpore Christi *inhærens*: Corpus autẽ non est propriè & localiter in aliquo loco nisi commensuratiuè per sibi inhærentem quantitatem.

SECVNDO nihilominus dicendum est, cùm species illæ mouẽtur localiter, *per accidens* etiam Christum *ipsum localiter moueri*, vt D.Thomas docet art.6.& rectè ibi Caietanus contra Durandi, & Scoti obiectiones quasdam, defendit. Nec sanè res habere potest difficultatem, si rectè intelligatur. Nihil enim aliud volumus, quàm quòd motis ad aliquem locũ speciebus, incipit Christus ibi secundùm suam substantiam *per accidens* esse præsens, ratione scilicet specierum, quæ ibi esse incipiunt. Quod certè verissimum est, cùm vbicunque species ponantur, ibi sit Christi corpus substantiâ sua coniunctum cum illis.

Hoc tamen intelligimus, cùm hostia planè mutaret *locum*. Nam si tantùm motu circulari mutaret positionẽ seu *situm* in eodem loco, nullo modo Christus ipse localiter tũc moueretur. Non enim ipse etiam habet ibi certum aliquem situm, quem per illum motũ circularem hostiæ mutaret. Quare maneret eodem modo ipse præsens illi eidem loci spacio, cui anteà. Quod etiã rectè notauit Sotus d.10. q.1.art.6.

TERTIO dicẽdum est, nullo alio genere mutationis, præterquam *localis*, posse Christum à vi aliqua corporis alicuius extrinseca, in Sacramẽto similiter affici, atque dicimus ipsum per accidens *localiter*. Ratio est: Quoniam terminus motus localis, saltem secundens hîc moueri seu mutari *localiter*. Ratio est: darius, esse quoque intelligitur noua præsentia ipsius *substantiæ* ad locũ, quæ præsentia verè quoque de nouo aduenit ipsi corpori Christi, cùm species mouẽtur localiter. Atq; ita quoad hunc motus localis terminum peculiari quadam ratione dicimus, Christi corpus localiter moueri per *accidens*, ratione specierum, sicut antè declaratum est.

Terminus autem aliarũ mutationum, vt corruptionis, alterationis, accretionis, diminutionis, &c. quiddam tantùm esse intelligitur, quod nullo modo hîc conuenire potest de nouo ipsi corpori Christi in se, per aliquam vim extrinse-

cam,

cam, ne consequenter quidem ratione specierum. Est enim corruptionis terminus, desinere esse simpliciter: Alterationis autẽ, accessio nouæ qualitatis inhærentis, vt caloris, aut frigoris: Accretionis, accessio nouæ quantitatis: Diminutionis, amissio: Diuisionis, discontinuatio partium. Nullo autem ex istis modo affici potest in hoc Sacramento ab aliqua vi corporis extrinseca Christus: omnis enim eiusmodi vis opus habet ad agendum contactu: contingi verò nequit hîc corpus ipsum Christi, cùm nõ existat hîc modo quantitatiuo & locali.

Quòd si alicubi apud Patres legimus, ipsum Christi corpus attingi, frangi, dentibus atteri, & similia: Communis interpretatio Theologorũ est, huiusmodi locutiones nõ esse omnino proprias; sed vsurpari quidẽ rectè ad certiùs & clariùs significandam Christi corporis præsentiam; sensumque esse, corpus Christi non minus præsens subsistare (excepta tantùm inhærentia) illis accidentibus, quæ tanguntur, franguntur, atteruntur, &c. quàm substat aliqua alia substantia accidentibus suis, cùm secundùm illa verè ipsa tangitur, atteritur, & frangitur.

Quare non est assentiendum Alano libro 1. de Eucharistia, capite 37. vbi contra communem sententiam Theologorum, quos ipse etiam eo nomine reprehendit, nescio quo pacto contendit eiusmodi locutiones Patrum habere omnino sensum proprium, non minus quàm cùm dicimus, substantiam ipsam alicuius panis tangi, frangi, & atteri. Sed certè, qua nã ratione æquè verè ac propriè id in proposito fiat, nec ipse Alanus satis declarat, neque quisquam pius intellegere potest, cũ impium sit cogitare, ipsas Christi corporis partes, hîc per fractionem discontinuari, aut diuidi, aut discerpi, sicut franguntur & discerpuntur alicuius alterius substantiæ partes.

Neque sanè dubium est, quin verissimè conuenienterq; sententiæ sanctorum Patrum illud in solennitate Corporis Christi canat Ecclesia: *Nullatenus sit scissura, signi tantùm sit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur.* Item: *Non confractus, nõ diuisus, integer accipitur.* Quod etiam idem diuus Thomas, qui fuit solennis eius Officij author, luculenter ex communi Ecclesiæ doctrina asserit q.81.art.7. præsertim in responsione ad 3.

Sed commentatur Alanus, propter Sacramẽtalem *coniunctionem* Christi corporis cum speciebus illis habere hîc quoque locum communicationem quandam *idiomatum*, vt quæ de ipsis speciebus dicuntur, dicantur etiam de corpore Christi, quatenus continetur sub illis. Hoc verò admitti quidem potest, si non velit hic author retinere sensum æquè proprium, cùm eadẽ dicuntur de ipso corpore Christi; sed illum alium, quo significetur vera Christi præsentia, sicut antè expositum. Si autem communicationem talem idiomatum astruere hîc velit Alanus, vt etiã contendat, æquè propriè affirmari eadẽ de corpore Christi, scilicet quòd *frãgatur* ipsum verè ac propriè, & atteratur, &c. non est admittenda in proposito eiusmodi communicatio idiomatũ.

Non enim idem isto Mysterio fit, quod Mysterio Incarnationis, vbi eadem idiomata propriè accommodantur & communicantur vtriq; Christi naturę in *concreto* significatæ, atque adeò secũdùm *idem suppositum*. Ibi enim idem est suppositum subsistens in vtraque natura, & ex vtraque constans formaliter, vt est Christus: quod proinde Suppositum, sicut verè ac propriè est Deus & homo; ita etiã propriè de illo, siue huius, siue illius naturæ nominibus concretis significetur, attributa vtriusque naturæ, enunciantur. In proposito autem non est aliquid simile, non enim species illę accidentales & suppositũ Christi, constituunt vnam aliquam *substantiam* per se, de qua proinde propriè enuncientur, quæ conueniunt etiam illis accidentibus; sed constituũt tantummodo vnũ quoddam *Sacramẽtum*, nempe Eucharistiam: quæ licet ex duabus quidem rebus, terrena & cœlesti (vt Irenæus lib.4. capite 32. loquitur) sit constans; non est tamen vna aliqua substantia per se; sed, vt dictũ est, vnum Sacramentum ex mirabili coniunctione diuersarum rerum constitutum.

QVARTO dicendum est, neq; corporeo *oculo* alicuius, neque vllo alio *sensu* posse naturaliter percipi Christi corpus in hoc Sacramento. Ita D.Thomas art.7. Scotus dist.10. q.5.& 9. Richardus ead.d.art.5.q.2. Sotus dist.10. q.1.art.7.& alij communiter: quamuis contrarium opinati sunt Ockam in 4.q.5.& Ioannes Maior d.10. q.5. qui dicunt, Christum quidem, vt fides nostra habeat meritum, occultare hîc sese, cęterùm posse alioqui hîc videri naturaliter. Alanus autem vbi suprà, *propriè etiam* videri ipsum, nescio quo pacto vult defendere.

Sed ratio pro contraria sententia communi est clarissima. Quamuis enim adsit hîc *potentia* visiua, & *obiectum*; deest tamen *conditio* naturalis requisita ad videndum, quæ est, vt obiectũ proponatur secundùm accidentia sibi inhærentia coëxtensum loco: sic enim & non aliter immutatur sensus, vt experientia etiam docet.

Cùm verò Patres dicũt, ipsum Christi corpus hîc videri, & tangi, &c. tantũ volunt isto loquendi modo cum energia quadam significare præsentiam Christi corporis; sensusq; est, subsistantiam corporis Christi ita intimè præsentem esse illis accidentibus, quæ videntur, sicut substantia alia accidentibus sibi inhærentibus, secundùm quæ videri propriè ipsa dicitur, sicut suprà quæstione præcedenti, puncto primo, similes locutiones Patrum fumus interpretati.

Ac simili ratione probatur, neque Christum in hoc Sacramento existentem naturaliter posse videre nos, aut aliquo sensu percipere quę circa Sacramentum ipsum fiunt. Videt tamen ibi

seipsum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

scipsum, vt asserit D.Thomas art.7.ad 2.& declarat bene Sotus d.10.q.1. artic.7. ex eo, quòd cùm sit illius corpus beatum, est totum perspicuum, atque ita possunt ipsius species per ipsummet peruenire & deduci ad eius ipsius oculũ. Quòd autem etiam intellectu ibi cogitet de nobis, & attendat ad nos, præsertim cùm Sacramentum illud tractamus, non dubium est.

Item per potentiam Dei absolutam posse illum in Sacramento videri ab aliquo alio oculo corporeo, concedit S. Thomas in 4. d.10. q.vnica, art.4.& Scotus q.9. ead. d. & Sotus q.1. art.7. qui rectè id defendit contra Paludanũ ead. d. & Capreolũ, q.4. Nã potest Deus facere, vt res agat sine ordinaria *conditione* requisita: itẽ, vt visio fiat etiam sine specie impressa ab obiecto coextẽso.

B Qvinto dicendum est, multò minus posse aut visu, aut alio sensu percipi ipsum *modum*, quo existit corpus Christi in hoc Sacramento. Primo. Quoniam is modus non est aliquid sensibile, sed tantùm intelligibile, vt rectè D.Thomas docet in dicto art.7.

Secvndo. Quoniam ille modus est omnino secundùm se supernaturalis, eò quòd est, vt suprà q. præced. p.3. docuimus, per solam habitudinem substantialem ad accidentia panis sine *inhærentia* eorundem, ꝙ est supernaturale quiddam & admirabile. Ex quo item fit, vt neque ab vllo etiam intellectu creato, possit naturaliter ille modus *distinctè* cognosci, vt rectè defendit Caietanus art.7. contra Scotum.

Beati autem omnes, cùm sint supernaturali lumine beatitudinis illustrati, meritò putantur modum istum distinctè & clarè cognoscere, eò quòd pertinet ad vnum quendam exprecipuis fidei articulis. Satiatur enim postea & expletur mens in illa beatitudine, succedente clara cognitione eorum, quæ obscurè in hac vita credimus, vt rectè Caietanus loco citato ratiocinatur. Et hæc de ista Quæstione.

QVÆSTIO QVINTA.

De Accidentibus panis & vini in hoc Sacramento remanentibus.

D.Thomas 3. parte, quæst.77.

TOTA MATERIA HVIVS QVAESTIONIS CONTINETVR QVATVOR Punctis principalibus. Primvm *est, Quomodo illa Accidentia hîc se habeant secundùm Esse suum absolutè.* Secvndvm *est, Quidnam agere possint illa Accidentia in res alias, & quomodo.* Tertivm *est, Quid item possint illa Accidentia pati à rebus aliis, & quomodo.* Qvartvm *est, An ita quoque pati possint illa Accidentia, vt ex eis aliquid generetur.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quomodo illa Accidentia hîc se habeant secundùm Esse suum absolutè.

D.Thom. art.1.& 2.

C Certissime inprimis tenendum est, eiusmodi accidentia non esse in subiecto substantiali *eodem*, in quo ante consecrationem erãt, nempe in pane, & vino: sic enim non staret fides transubstantiationis, vt perspicuè argumentatur diuus Thomas articulo primo. Vtrum autem in nullo sint omnino substantiali subiecto, videri fortè posset non esse satis expresè tanquam de fide definitum.

Nam Concilia in hac re solùm videntur declarauisse illud, quod necessarium est, vt constat veritas transubstantiationis panis & vini, nempe eiusmodi accidentia sine *suo proprio subiecto* manere. Deinde D. Thomas hîc art.1. non fidei testimoniis, sed rationibus tantùm refellit quorundam falsam opinionem, qui censuerũt, hæc Accidentia esse in aëre circumstante, tanquã in subiecto. Ac ratione quoq; similiter probat, nó esse tanq̃ in subiecto in corpore Christi.

Sotus

Sotus tamen in 4. sentent.d. 11. q.2. art.1. non A dubitat asserere, hæresim esse, si quis neget manere absolutè hæc accidentia sine subiecto. Cui planè assentior. Nam in sess.8. Concilij Constãtiensis, distinctè primùm dãnatur quidam VViclephi articulus, qui est ordine primus, vbi ille aiebat, manere substantiam panis & vini in Sacramentò. Deinde etiam articulus alius, qui ordine est secundus, vbi absolutè quoque idem hæreticus negabat, accidentia panis manere *sine subiecto*. Neque verò dubito, quin hi duo articuli VViclephi, cùm in primis numerati ibi fuerint, sint ex illis pluribus articulis, quos generatim in illa sessione Concilium pronunciauit esse *notoriè hæreticos*. Quòd autem fieri *possit*, vt sine vllo subiecto substantiali maneant illa accidentia, suprà defendimus contra hæreticos etiam ex sententia quorundam Philosophorum ac Patrum, quod fecit quoque diligenter Thomas VValdensis Tom.2. de Sacramentis, ca.76.& 77. Atque etiam sine vllo subiecto substantiali iam reipsa manere, clarè ostendit D. Thomas hîc art.1.

B Sed Quæstionem tamen mouet ibi Caietanus de Modo, quo diuinitùs hæc accidentia panis & vini existant *sine subiecto*. Qua de re duas dicit esse sententias. Vnam Scoti, qui in 4. d.12. q.1. asserit, *nihil noui* addi accidentibus, vt existant sine subiecto: sed ea ratione tantùm sine subiecto existere, quatenus Deus, qui antè cõseruabat in accidentibus duo, scilicet existere, & existere in subiecto (licet enim ista duo ratione saltem distinguere) iam conseruat prius sine posteriori.

Alteram sententiam dicit Caietanus esse D. Thomæ in hac q. nempe accidentia eatenus hîc existere sine subiecto, quatenùs diuinitùs acquirunt *modum quendam substantialem*, ex vi cuius per se ipsa subsistunt. Quod putat Caietanus B. Thomam significare, cùm in hac q. subinde repetit, accidentibus communicari vim, virtutẽ, ac proprietatem substantiæ.

Atque hanc opinionem ipse Caietanus amplectitur. Primo: Quoniam ex ea intelligitur, quemadmodũ *quasi naturaliter*, & non quasi violenter, vel certè quomodo *miraculosè* conseruentur eiusmodi accidẽtia sine subiecto, posito videlicet, quòd iam semel per vnicum miraculum acquisiuerint modum substantialem, cui debetur existentia *per se*.

Secvndo: Quoniam id est necessarium ad quædam intelligenda, quæ de his accidentibus traduntur D. Thomas & alij communiter. Vt quòd iam existant tanquam *Quod*, & non tantùm vt *Quo*, sicut priùs: id quod D. Thomas affirmat art.1. ad 4. Item quòd Quantitas hîc sit subiectũ *sustentans* reliqua accidentia, & non tantùm recipiens vt Quo, id quod etiam docet D. Thomas art.2. vt posteà declarabimus. Item quòd *adhuc* possint illa accidentia efficere substantiam:

C ac virtus est *propria* substantiæ, siquidẽ solæ substantiæ talem existentiam habent. Quanquam secũdùm hanc quidem præcisè rationem, nondum intelligimus existentiam per se aliquid esse formaliter *subsistantiale*, nisi præterea addamus conuenire hunc existendi modum rei ex *vi naturæ seu essentiæ ipsius*, vt rectè attigit D. Thomas art. 1. ad 2. Sed tamen quamuis secũdùm illam præcisam & inadæquatam rationẽ, existentia per se, vt dictum est, nondum intelligatur esse formaliter aliquid substantiale; est tamen secundùm legem ordinariam, vt dixi, quiddam *proprium* substantię. Quoniam in substantiis solis existentia per se etiam secundùm eiusmodi inadæquatam rationem, ordinariè reperitur.

D Iam si hoc priori modo velit tantùm intelligere Caietanus *modum illum proprium* substantiæ; tum quidem nec Scotus, nec quisquam repugnârit, quò minùs accidẽtia nouum talem modum substantiæ proprium diuinitùs hîc acquisiuerint. Imò idipsum est, quod Scotus asserit, cùm aliis verbis dicit, existere hîc accidentia eo ipso, quòd diuinitùs in illis conseruetur existẽtia absolutè absque hoc, quòd in iisdem conseruetur *existentia in alio*. Neque verò multò aliter, quàm Scotus, idipsum affirmat D. Thomas, cũ art.1. dicit, Deum, qui est prima causa substantiæ & accidentis, per suam infinitam virtutem conseruare posse in Esse accidens, subtracta substantia, per quam anteà etiam conseruabatur.

Et denique quòd etiam *passiuè* ex ipsis quædam substantiæ fiant, vt experientiâ quoque compertum est.

Tertio probat ob eã rem hanc opinionẽ Caietanus, quòd solùm ponit vnum hîc miraculũ, nempe in communicatione illius *modi substantialis* cum accidentibus, qua fit, vt sint iam ipsa accidentia *vice substantiæ*. Quo miraculo posito, reliqua deinde consequuntur naturaliter, quæ in eiusmodi accidentibus experimur; Vt quòd agunt, quòd patiuntur, &c. sicut iam est dictum.

Mihi verò videtur sententia hæc secunda, quã Caietanus commemorat & amplectitur, Falsa prorsus esse, & aliena à mente D.Thomæ, si non tantùm loquendi modo, sed etiam re (vti sanè videtur) differat ab illa altera sententia Scoti, quæ profectò verissima est in re, & ex mente etiam D. Thomæ, atque omnium ferè Doctorum, vt Sotus quoque d. 11. q. 2. art. 1. asseuerat.

Nam quod Caietanus dicit, acquirere accidentia diuinitùs *substantiæ modum*: id bifariam intelligi potest. Primo, vt modus ille substantiæ nihil aliud sit, quàm quòd *actu* iam accidentia *non pendeant* à subiecto; sed existãt ipsa solius Dei conseruantis virtute, neque sustententur *inhærendo*, & afficiendo accidentaliter vnam aliquam substantiam. Quod ipsum, si legem quidem Dei ordinariam spectemus, modus & vis

SECVNDO potest *nouus* ille substantiæ *modus* ita intelligi, vt sit sensus, aliquid reipsa *substantiale*, quod naturâ sit prius ipsa existentia, diuinitùs additum esse in proposito essentiæ accidẽtium, vt eo videlicet reddantur *positiuè* (vt sic dicam) apta, vt existant sine subiecto. Atque istud velle Caietanum, ex argumentis, quæ facit pro illa sententia, videri potest, præsertim ex eo, quod dicit, propter illum substantiæ modum accidẽtibus additum, esse iam ipsis *quasi naturalem* existentiam per se, vimque agendi, & patiendi, instar substantiarum.

Hæc verò sententia sic intellecta, & falsa est, vt dixi, & aliena prorsùs à mente D. Thomæ. Falsa quidem, quoniam nihil quod sit & *substantiale*, & naturâ *prius* existentia, communicatur his accidentibus. Neque enim tale aliquid communicatur his accidentibus tanquam *subiectum*: siquidem omni subiecto substantiali carent; Nec tãquã *firma*, cùm accidens nõ informetur substãtiâ sed contrà; Nec tanquã *essentia*, aut *pars essentiæ* ipsorum, cùm manifestè repugnet essentiam Accidẽtis aut omnino, aut ex parte, esse aliquid *substantiale*; Nec tanquam indiuiduationis eorũ *principium* aut *pars*; nam vt tota ratio indiuidualis substantiæ clauditur substantiæ latitudine, & in Prædicamento Substantiæ ponitur: ita etiam ratio indiuidua tota accidentis, intrinsecè quidem clauditur accidentis latitudine, reponiturque in accidentis Prædicamento. Neque etiam aliquid substantiale communicatur his accidẽtibus, tanquam eorum *modus*: siquidem rei modus quiddam absolutè minus & imperfectius est quàm ipsius rei natura: Nihil autem, quod sit substantiale, est minus ac imperfectius his accidentibus: aut si maximè esset, non tamen satis intelligeretur, quemadmodum substantiale aliquid sit accidentalis modus.

Huc accedit, quòd ipsemet Caietanus art. 1. fatetur, nihilo plus entitatis esse in his accidentibus separatis à subiecto, quàm anteà, cùm in subiecto essent; id est, colorem hostiæ aut quantitatẽ cum modo illo nouo ac proprietate substantiæ, non aliam entitatem esse, præter entitatem coloris aut quantitatis. Ex quo certè tale potest formari argumentum. Impossibile est, vt res incipiat re ipsa de nouo esse, aut habere aliquid, nisi vel ei aliquid entitatis accedat, vel per mutationem alicuius rei extrinsecæ desinat, aut incipiat esse in ipsa aliquis talis respectus ad rem extrinsecè; vnde fiat, vt formaliter incipiat esse & denominari talis, qualis anteà non erat. Sed nec noua entitas accedit in proposito, vt ipse etiam Caietanus agnoscit, nec respectus aliquis nouus accidentis aduenit, vel in eis ita desinit, vt intelligi possit, quòd formaliter incipiant habere nouum aliquem modum substantialem. Ergo, &c.

Minor probatur: Quia tantummodò hîc esse desinit substantia, quæ erat subiectum illorũ accidentium. Ex quo quidem solùm sequitur, vt diuinitùs hæc accidẽtia conseruentur & existãt *non in subiecto*, sicut S. Thomas & Scotus suprà loco citato loquuntur; non autem, vt acquirant positiuum aliquem modum nouum, qui sit ipse formaliter substantialis seu substantia. Quomodo enim, aut per quem nouum respectum id fieret, cùm potiùs *desinãt* tantùm habere *respectũ inhærentiæ* ad subiectum, quem anteà habebant? Ex quo, vt dictum est, tantùm sequitur, quòd *nõ sint in subiecto*; idque non ex vi suæ essentiæ, sed per solam virtutem diuinam; quòd, vt sic, non est aliquid formaliter substantiale.

Diximus etiam, sententiam illam Caietani, posteriori modo intellectã, alienam esse à mente D. Thomæ. Quod probo ex art. 1. huius q. Ibi enim dicit D. Thomas ita conseruare DEVM accidentia sine substantia, sicut solet quosdã effectus se solo producere sine naturalibus causis, vt *corpus humanũ*, inquit, *in vtero Virginis, sine humano semine*. Constat autem, non ideo DEVM aliquid peculiare ad effectum ipsum addere, quoniam illum se solo producat, sed tantùm producit eundem se solo sine concursu alterius causæ, eò quòd infinitæ virtutis cùm sit, abundè (secundùm potentiam quidem Dei absolutam) satis est effectui diuinus concursus, vt existat, sicut D. Thom. rectè ratiocinatur. Pari ergo modo in proposito, cùm DEVS conseruat accidẽs sine subiecto, non dat illi secundùm mentem D. Thomæ, nouum modum substantiæ, quem anteà non habebat; sed tantùm illud ipsum accidens conseruat ipse solus in existentia *sine subiecto*.

Item eod. art. ad 2. clarè dicit, in hoc Sacramento non dari accidentibus modum, qui consequitur definitionem Substantiæ, scilicet *vt ex vi suæ essentiæ* existat sine subiecto; sed tantùm vt existant ex diuina virtute sustentante. Vbi apparet, D. Thomam nihil agnoscere in his accidentibus substantiale prius, ratione cuius existant sine subiecto; sed id refert tantùm ad *solam diuinam virtutem*.

Quod autem subinde in hac q. repetit, communicari accidentibus vim, modum & proprietatem substantiæ, iam suprà interpretati sumus, nihil aliud reipsa significare, quàm quod communicatur illis, vt existant, & *non in subiecto*, quanquã id quod etiam est *proprium* substantiæ, quanquã nondum ea præcisè ratione aliquid substantiale formaliter, nisi addatur, quòd talis existentia sine subiecto oriatur ex rei essentia, sicut suprà notauimus.

Quòd si quæras, Vtrum istud *existere sine subiecto*, abstrahendo ab hoc, quod est, sic existere ex vi essentiæ rei, sit formaliter aliquid accidẽtale, cùm, vt diximus, non sit vt sic aliquid substantiale? Respondendum est, secundùm eam quidem rationem præcisè & inadæquatè cogitatam, neque substantiale aliquid, neque accidentale formaliter id esse; sed esse quendam modum Entis, qui secundùm legem ordinariam quidem, solis substantiis conuenit; secundùm potentiam verò Dei absolutam, etiam accidentibus cõuenire potest. Si verò ratio huius, quod est *existere sine subiecto, adæquatè concipiatur*, erit tũc vel substantiale aliquid, si sit existere sine subiecto *ex vi essentiæ rei*; vel accidentale, si sit existere sine subiecto, non ex vi essentiæ rei; sed ex *sola virtute diuina*, quomodo contingit in proposito.

Iam RESPONDEO ad fundamenta Caietani, si quemadmodum dixi, velit sententiam illam, quam secundo loco posuit, re differre à sentẽtia communi Scoti & aliorum. Ad PRIMVM dico, nihil esse necesse defendere, quòd *quasi naturaliter* illa accidentia conseruentur. Imò verò ne id quidem posse satis defendi, etiamsi substantialis ille Caietani modus accidentibus communicaretur. Non enim existentia sine subiecto tantum est supernaturalis ei rei, quæ caret *modo*, cui existentia per se debeatur; sed etiam ei rei, quæ caret *essentia*, cui debeatur existentia per se, etiamsi modum alioqui haberet, cui talis existentia deberetur. Iam verò accidentia, etiam secundum sententiam illam Caietani, carent saltem *essentia*, cui debeatur existentia per se, imò potius eorũ essentię debetur existentia in alio. Quare ne Caietanus quidem ipse in eorũ accidentiũ conseruatione, miraculũ omninò vitare potest.

Ad SECVNDVM respondeo, omnia illa posse satis defendi, etiamsi non tueamur, communicatum esse accidentibus modum illum substantialem Caietani, vt planum faciemus p. seq.

Ad TERTIVM dico, dupliciter intelligi posse, quòd in hac re *vnum* tantùm interueniat miraculum. *Primò*, vt sit sensus, esse tantùm vnum miraculum, quasi *principale*, videlicet in ipsa cõsecratione: quod proinde miraculum dicatur esse vnum, quoniam si quid aliud cõtingit hîc admirabile, totũ id quasi cõsequitur ex illo primo miraculo transubstantiationis per consecrationem, & conseruationis accidentiũ sine subiecto. *Secundò*, vt sit sensus, *vnum omnino* hîc fieri admirabiliter supra naturam, nempe transubstãtiationem illam, & præterea nihil, ne consequenter quidem ac minus principaliter.

Priori modo etiam nos tuebimur, vnicum tantùm esse hîc miraculum, licet illum modum substantialem Caietani in accidentibus non admittamus. *Posteriori* autem modo, neque necessarium, neque verò posibile (etiam secundùm opinionem Caietani) est, defendere, vnum tantùm hîc esse miraculum. Nam præter transubstantiationem, illud saltem sine controuersia est supra naturam, quod ex eiusmodi accidentibus generatur quandoque substantia, vt vermes, &c. cùm tamen in accidentibus ipsis nõ præfuerit substãtialis materia, quæ recipiat formam rei genitæ; quod quemadmodum fiat, pòst declarabimus, p. 3.

Nunc illud in hoc puncto animaduertendũ restat, accidentia ista, licet careant, vt hactenus defensum est, omni subiecto *substantiali*; non tamen omnia carere subiecto *accidentali*; sed solam quantitatem: reliqua verò insunt & sustentantur in quantitate, tanquam in subiecto, vt docet D. Thomas art. 2. Id verò hac ratione ex sententia D. Thomæ, & Caietani hîc, & aliorum, commodè intelligetur. Natura coloris, saporis, & eiusmodi materialiũ accidentium ea est, vt requirant in substantia quantitatem, quò eã *afficiant*, accidentaliter, & in ipsa *inhæreant*. Quod nihil aliud est, quàm in Esse suo dependere à substantia *quanta*, tãquam actum seu perfectionem quandam ipsi substantię extrinsecam à potentia passiua sua quadam seu perfectibili. Hanc ob causam, quia scilicet eatenus quantitas reddit demùm substantiam *aptam* ad subiectiuè recipiendum reliqua accidentia; ipsa etiam quãtitas, cùm adest rei substantia, dicitur subiectũ *Quo* accidentium reliquorum: quia, vt dictum est, in substantia hæc inhærent mediante quãtitate, vt D. Thomas etiam dicit hîc art. 2.

Non dicitur autem quantitas subiectũ *Quod*, aut etiam subiectum *sustentationis*: quia secundũ legem quidem ordinariam, non habet ordinem ad reliqua accidentia, tanquam potentia ad actum talis, vt ab iis accidentibus ipsa per se *afficiatur*, atque adeò vt in sola ea illa *inhæreant* & sustententur. Non enim naturaliter ipsa per se quantitas est alba aut dulcis; sed substantia *quãta* est alba, dulcis, &c. Propter hoc itaque non subiectum Quod, aut sustentationis, sed *receptionis Quo* reliquorum accidentiũ quantitas dicitur.

Neque operæprecium est de nominibus ac de modo loquendi hîc pugnare, cur videlicet non etiam dicatur quantitas subiectum *sustentationis Quo*, quandoquidem vt in esse quoque reliqua accidentia sustententur, requirunt in suo subiecto quantitatem. Satis nobis est in proposito, rem ipsam ita intelligere, vt dictum est, quibuscunq; tandem verbis placuerit authoribus eam significare.

Nunc, cùm secundùm legẽ ordinariam Quãtitas ad reliqua accidentia sic se habeat; fit in proposito per potentiã Dei absolutam, vt ipsa per se Quantitas per potentiam passiuam obedientialem, quam sine vlla repugnantia ad id habet, *afficiatur* etiam diuulsa à substantia illis materialibus accidentibus hostię, eaque tanquã subiectum *Quod* recipiat atque *sustentet*, id est, vt ab ipsa in Esse depẽdeant. Et nihilominus illud mirum hîc supereſt, quòd non ita pendeant ea accidẽtia ab vllo subiecto *substantiali*: Item, quòd ne ab accidentali quidem aliquo subiecto pendet ipsa Quantitas.

Hinc porrò sequitur, vt quantitas quidem omnibus modis existat hîc tãquam *Quod*, & nullo modo vt *Quo*: siquidem nullum subiectum vllo modo ipsa afficit, cui tanquã Quo, det ipsa

aliquod Esse accidentale: reliqua autem accidẽtia existunt quidem vt Quod, quatenus existũt independenter à subiecto *substantiali*, respectu cuius antè existebant vt Quo, dando videlicet illis suum Esse. Simul tamen dici possunt existere nunc etiam vt *Quo*, quatenus afficiunt hostiæ quantitatem, dantque ipsi Esse suum accidentale, vt Esse *coloratum*, *sapidum*, &c. Atque sic est intelligendus D. Thomas hîc art. 1. Et hactenus de primo Puncto principali.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quidnam agere possint illa Accidentia in res alias: & quomodo.

D. Thom. art. 3. & 6.

STATVENDVM est, Accidentia hæc *agere* posse illa omnia, quæ poterãt anteà, cùm illis subesset substantia panis & vini, vt S. Thomas ponit art. 3. Probatur id hunc in modum. Quidquid accidentia illa agere poterant, cùm in substantia panis, & vini antea inhærerent, id ea ratione agere poterant, quatenus erant *virtus* quædam, *organum*, seu *instrumentum* substantiæ. Sed cùm desinente substantia, ipsa perseuerant, sunt etiam virtus, organum, seu instrumentum substantiæ. Ergo tunc etiam possunt agere id omne, quod poterant, cùm illis subesset substantia panis & vini.

Maior probatur. Quoniam actio omnis, quæ fit ab his accidentibus, primò & principaliter promanat ab ipsa rei substantia, quippe cui primò ipse effectus debetur: Accidentibus autem non nisi, quatenus sunt *aliquid* substantiæ, vt patet ex Philosophia, & D. Thomas repetit hîc art. 3. ad 3. Id verò est, agere accidentia vt *virtutem*, *organum* seu *instrumentum* substantiæ, largè tamẽ accipiendo *instrumentum*, vt omne id, quod agit in *virtute alterius*, dici potest quasi instrumentũ.

Neque verò hoc, quod dicimus, saporem, vel frigiditatẽ hostiæ v. g. esse virtutem seu organũ substantiæ; significat in sapore entitatem aliquã peculiarem, præter entitatem saporis: sed est illa ipsa entitas, quatenus est aliquid ipsius substãtię hostiæ. Quam rem bene declarat exemplo Caietanus hîc art. 1. Nam similiter cùm dicimus, semen v. g. esse virtutem seu instrumẽtum animalis; ipsam tantùm entitatẽ seminis significamus, quatenus est quidem aliquid ipsius animalis.

Iam probatur argumenti Minor: nam etiam desinente substantia panis & vini, rectè ac verè intelligimus, accidentia hæc esse *aliquid substantiæ* panis & vini; tametsi absque eiusmodi substantia ibi relictum, tanquã vice illius. Quemadmodum semen animalis, etiamsi animal non sit superstes, est tamen quoddam organum & quasi instrumentum illius. In hoc ipso autem consistit illud, quod in Minori assumpsimus, videlicet accidentia eiusmodi, etiam desinente substantia panis & vini, esse eius virtutem, organum, atque instrumentum.

Hinc sequitur PRIMO, non tantùm accidẽtia *similia* posse fieri ab accidentibus istis, sed etiam eas *substantias*, quæ potuissent anteà virtute formæ substantialis panis per illa accidentia, tanquam per organa fieri, vt rectè D. Thomas, ar. 3. ad 3. docet. Quod etiam bene defendunt Caietanus ibi & Sotus d. 11. q. 2 art. 3. contra Scotum in 4. d. 12. q. 3. vbi putat, formam substantialem non fieri ab *accidentibus*, etiã virtute formæ substantialis; sed immediatè à forma ipsa substantiali. Quæ opinio refellitur in Philosophia, & etiam diligenter à Caietano 1. p. q. 51.

Reiecta verò hac opinione Scoti, ratio nostri Corollarij est: Quoniam accidentia ista, vt simpliciter & absolutè sunt tanquã aliquid *vicarium* ipsius substantiæ, licet non iam existentis: ita etiam simpliciter & absolutè sunt *virtus* & instrumentum substantiæ ad agendum, quicquid poterant priùs agere in virtute substantiæ. Neque verò effectus substãtialis tunc sequetur quasi ex vi ipsorum accidẽtium *per se* (cùm hæc sint multò imperfectiora) sed inprimis ex *vi substantiæ*, cuius illa accidentia tanquam *vicaria* sunt ibi, cuique primò effectus debetur, præsertim cùm est substantialis.

SECVNDO sequitur, non esse per se nouũ miraculum, quòd illa accidentia sic agant, posito quidem, quòd miraculosè sine subiecto conseruentur. Ita significat D. Thomas art. 3. præsertim ad 3. & asserunt Caietanus, & Sotus vbi suprà, & Victoria q. 72. de Sacramentis. Ratio est: Quoniam *naturale* est vnicuique rei, vt agat pro bet actu, vt rectè D. Thomas art. 3. sumit. Sed hæc accidẽtia, cùm diuinitùs sine substantia cõseruantur, actu nihilominus habent virtutem, seu quod plus est, ipsa sunt virtus agendi quædã, quatenus, vt dictum est, sunt aliquid eius substantiæ, quæ præextitit. Ergo *naturale* est illis, vt tunc etiam eadem agant.

Si autem obiiciat aliquis, supra naturam instrumenti esse, vt agat, nisi actu illo vtatur principale agens, quod in proposito est substantia, quæ iam actu esse desiit: Respondendum est, accidentia in proposito, vt antè dictum est, non nisi latè sumpto vocabulo, agere tanquam *instrumenta* substantiæ. Agunt enim, non quatenus actu mouentur & *vsurpãtur dispositiuè* à causa habente perfectam virtutem ad aliquem effectum principalem (id quod est instrumenti propriè dicti) sed quatenus sunt ipsa quidẽ *virtus quædam vltima* causæ; quod etiam eis competit, cũ substãtia desiit esse; idq; hoc ipso, quòd sustentat illius. Quẽhilominus tũc quasi quoddã *organũ* illius. Quemadmodum semẽ etiam agit vt *virtus* & vt instrumentum (latè sumpto vocabulo) animalis, etiam tunc, cùm animal non est actu.

PVNCTVM

PVNCTVM TERTIVM.

Quid itemposint i lla Accidentia pati à rebus aliis: & quomodo.

D. Thom. art. 4. 7. 8.

RESPONDENDVM est, Accidentia illa posse pati omnia ea, quæ pati poterant, cùm in substantia inessent. Id ostendit rectè D. Thomas art. 4. Ac possumus ex eius mente rationem sic formare. Accidẽtia illa cùm essent in substãtia, ob tres rationes pati poterant; *primò*, quia tũc *Esse* habebant, quod posset alterari, & corrumpi per actionem cõtrariorum accidẽtium; aut etiam, quod attinet ad Quantitatem, per additionem & diminutionem, iuxta quod Aristoteles 3. Metaphys. citatus ad hoc à D. Thoma hîc art. 4. dicit, per diuisionem, vnam dimensionem corrumpi & fieri duas; per additionem, ex duabus fieri vnam. *Secundò*, quia illorum Esse sic erat proportionatũ ipsi substantiæ, quam afficiebat, vt si quid esset tale, quod corrũperet substantiam panis & vini, etiã consequenter corrupisset illius accidentia. *Tertiò*, quia neq; subiectum deerat, in quo recipi posset operatio extrinseci agẽtis immutans atque corrumpens eiusmodi accidentia. Sed desinente nunc substãtia, nihilominus eædem istæ rationes immutationis & corruptionis illorũ accidentiũ supponunt. Ergo perinde nunc ipsa pati possunt, quidquid pati potuissent anteà.

Maior patet ex Philosophia. Minor probatur: Quoniam in illis accidentibus conseruatur nũc diuinitùs idem *Esse*, & æquè *proportionatum* ipsi substantiæ panis & vini, licet iam quidem ea esse desierit. Nam vt supra p. 1. explicatum est, quantitas etiam diuinitùs hîc succesit substantiæ panis & vini in munere *subiecti*: ita, vt non minùs ea iam sustentet illa accidentia, ac recipere prosit accidentia contraria corrumpẽtia, quàm sustentasset atque recepisset ipsa substantia. Quare hæc accidentia, vt rectè concludit D. Thomas, non tantùm *per se*, cùm scilicet cõtraria directè & per se ipsis immittuntur, sed etiam *per accidens* corrumpi poterunt, ratione subiecti prioris, nempe substantiæ panis & vini, cui manent secũdùm suum Esse *proportionata*. Nam etsi iam non maneat subiectum illud substãtiale, ad cuius actualem corruptionem per accidẽs etiã ipsa accidẽtia corrumpantur; tamen potest iam in illis talis fieri mutatio, quæ si substantia panis & vini adesset, eam corrumperet, & consequenter corrumperentur tunc quoque & nunc corrũpuntur ea ratione ipsius accidentia, eò quòd, vt dictum est, adhuc retinent Esse, quod est substantiæ panis & vini proportionatum.

Porro ex hac Assertione sequitur PRIMO, non miraculosam, sed naturalem esse immutationẽ & corruptionem istorum accidentium, supposito videlicet illo primo miraculo, quo retinent idem Esse, quod antè, vt D. Thomas art. 4 ad 3. notat. Item posito, quòd diuinitùs etiam quantitas subiit, quoad hæc omnia, vicem *subiecti substantialis*, vt in ea recipiatur operatio agentis extrinseci.

SED argumentatur hîc contrà Durandus in 4. d. 12. q. 2. saltem Quantitatem non corrumpi hîc naturaliter, sed *miraculosè*. Nam neque *per se* corrumpitur à contrario, cùm illo careat. Secũdùm Aristotelem in Prædicamentis; neque *per accidens* etiam ad corruptionem subiecti, cùm nullum habeat; neque etiam per additionem aut diminutionem: siquidem quamlibet parua vel magna quantitas, est sanè quantitas, atque adeò potest additio vel diuisio quantitatis fieri, salua quantitate, in infinitum. Nullo igitur modo naturaliter hîc corrumpitur quantitas.

Addo etiam ego ad argumentum Durandi, quòd si in proposito verum illud sit, quod D. Thomas ex Aristotele hîc asserit, corrũpi quantitatem *vnam* per diuisionem, & fieri duas; cõsequens erit, vt quando hostia consecrata diuiditur, desinat esse illa *vna numero* quantitas, quæ ante diuisionem erat consecrata. Vnde rursus consequetur, desinere esse ibi Christum, quod constat esse falsissimum.

RESPONDEO ad argumẽtum Durandi, corrumpi nihilominus naturaliter hîc quãtitatem, *per accidens* ratione subiecti, & consequenter per aliquam interdum *diuisionem*, quando scilicet diuiditur in partes minores, quã potuissent sufficere ad panis substantiam conseruandam. Ratio est: Quoniam non ea tãtùm mutatio corrumpit quantitatem, aut alia accidentia, ratione subiecti, quæ corrumpit *actu* ipsum subiectum existẽs; sed etiã ea, quæ illud corrumperet, si adesset. Nam inde etiã consequenter & *per accidens* fit, vt quia quantitas & alia accidentia retinent hîc Esse proportionatum priori subiecto, ipsa etiam per eiusmodi mutationem corrumpãtur, vt ex doctrina D. Thomæ paulò antè notauimus.

Quando igitur vel ipsa quantitas diuiditur in partes minores, quàm quæ sufficerent substantiæ panis, vel etiam aliæ qualitates hostiæ sic immutantur, vt non ampliùs alioqui substantiam panis conseruare possent; tunc quidem ratione *subiecti* corrumpitur naturaliter quãtitas, vt rectè etiam Sotus d. 11. q. 2. art. 4. contra Durandum, & ipse D. Thomas expresè quoque art. 4. declarat.

Argumentum autem Durandi bene probat, posse fieri in infinitum diuisionem quantitatis, salua Quantitatis ratione, si tantùm *Mathematicè* consideretur; non autem si consideretur *Physicè*, vt videlicet habet Esse proportionatum substantiæ alicui, quæ vel iam sit, vel anteà fuerit illius subiectum.

Ad aliud dico, nec Aristotelis, nec D. Thomæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentem esse, quòd per *quamlibet* diuisionē corrumpatur absolutè vna numero quantitas secūdùm suam entitatem indiuiduam *Physicè* consideratam; sed loquuntur de vnitate quadam *continuitatis*, vt est tanta vel tanta quantitas: quæ etsi tollatur quidem per quamlibet diuisionem hostiæ consecratæ; manet tamē in qualibet parte diuisa eadem numero entitas *indiuidua* quantitatis, quæ antè erat consecrata. Illa enim ratio continuitatis, secundùm quam videlicet est tanta quantitas, vel maior aut minor, non nisi accidentalis est ipsi entitati quātitatis *indiuiduæ*, physicè consideratæ.

SECVNDO sequitur ex illa Assertione, quantitatem hostiæ posse etiam *frangi*, vt D. Thomas hìc ostendit art. 7. Ratio est: Quoniam potest diuidi, vt dictum est: fractio autem consistit in diuisione rei densæ ac duræ, quæ densitas ac durities etiam est in hostia, vt D. Thomas eod. art. 7. docet. Atque ibi etiam rectè explicat, quemadmodū nullo modo corpus ipsum Christi hìc frangatur, quod item nos q. præced. p. 2. probauimus contra falsam quandam sententiam Alani.

Et fallitur quoque Sotus d.11.q.2. ar.7. cùm ex D. Thoma in dicto art.8. ponit conclusionem, quasi ille sentiat corpus Christi ita frangi *per accidens* ad fractionem specierum, sicut per accidens mouetur localiter ad motū ipsarum. Hoc quidem neque D. Thomas ibi asserit, neque verum est. Nam in motu locali præter ipsum Vbi seu Situm in loco, intelligimus quendam alium terminum, quem verè etiam consequitur ipsum Christi corpus per motum localem specierum, nempe nouam substantiæ *præsentiam* ad nouum locum: Fractionis autem aut diuisionis nullus alius intelligitur esse terminus, præter separationem aut discontinuationem partium, quæ nullo modo contingit ipsi corpori Christi in se, ratione fractionis specierum, vt suprà loco citato latiùs hoc explicuimus.

Cùm autem D. Thomas illo art. 8. ad 3. dicit, corpus Christi non frangi, *nisi secundùm speciem Sacramentalem* (quasi videatur dicere, frangi quidem secundùm illam) ipse statim declarat, esse impropriam eam locutionem, neque aliud significare, quàm quòd *species ipsæ frangantur*, sub quibus ita contineatur verè corpus Christi, sicut alia quæuis substantia sub suis accidentibus, secundùm quæ verè ac propriè ipsa frāgitur. Quo sanè pacto D. Thomas ibi, & nos suprà q. præced. p.1. exposuimus verba quædam Confessionis Berengarij, atque etiam similia dicta Sanctorum Patrum.

TERTIO sequitur, posse vino consecrato *permisceri* alium liquorem; siue alterius speciei, vt aquam; siue eiusdem, vt vinum non consecratum, sicut D. Thomas declarat in art. 8. Patet: Quoniam talis permixtio fit per diuisionem & intercalationem partium vtriusque liquoris; atque etiam per mutuam actionem & passionē, si mixta habuerint virtutes actiuas contrarias. Sed, vt dictum est, quantitas vini consecrati potest & diuidi, & agere, & pati, secundùm vini qualitates, quæ ibi cum quantitate supersunt. Ergo etiam permisceri.

HIC autem QVAERITVR, Vtrum & qua ratione accidat, per eiusmodi mixtionē corrumpi aliquando species consecratas, atque adeò desinere ibi esse Christi sanguinem? Quæ quidē quæstio, cùm ad praxim in re grauissima pertineat, necessariò à nobis explicanda est. Respōdet autem D. Thomas in eod. art. 8. si liquor, qui admiscetur, sit *tantus*, vt per *totum omnino vinum consecratum* penetret; prorsus non manere ibi sanguinem: Et id quidem, siue liquor sit eiusdem speciei, nempe vinum; siue alterius. Probat: Quoniam fit per mixtionem, vt neutrū miscibilium maneat, sed existat ex vtroq; quoddam tertium; vel diuersum etiam specie, si miscibilia sint diuersæ speciei; vel certè diuersum numero, si sint miscibilia eiusdem speciei. Si autem liquor admixtus, esset *minor*, ita, vt non penetraret per totum vinum consecratum; sed tùm per *aliquam partem*; idem iudicium est tunc D. Thomæ, quoad illam quidem partem, scilicet non manere in ea quidem Christi sanguinē: Quoniam ex illa, & ex liquore admixto, fiet tertium aliquid, vel specie, vel certè numero diuersum ab vtroque, ob rationem iam dictam. Maneret autem tunc sanguis in aliis vini consecrati partibus, quas admixtus videlicet ille liquor non attingeret, aut intersecaret.

HAEC sententia D. Thomæ, in eo, quod asserit, per mixtionem liquoris *etiam eiusdem speciei*, vel in totum, vel in partem corrumpi vinū consecratum, & desinere ibi esse sanguinem; ab omnibus difficilis existimatur, & à nemine, quod sciam, ita, vt sonat, absolutè defenditur. Potest enim fieri, vt vinum, quod admiscetur, sit plane similē, non modò secundùm speciem, sed etiam secundùm qualitates. Vt si sumatur v. g. ex eodem dolio, vnde sumptum esset illud, quod anteà fuisset consecratum. Item fieri potest, vt quamuis per totum penetret, non tamen diuidat, ac intersecet partes minimas consecratas, quæ ad substantiam vini conseruandam sufficiant. Id quod vix etiam fieri posset, nisi quoad aliquas partes, quando fieret maximo cum impetu mixtio.

Cùm verò nec in specie, nec in qualitatibus diſſimilitudo esset, neque etiam esset facta diuisio partium minimarum; sentit rectè Durandus in 4.d.12.q.3. & Sotus d.11.q.2.art.8. & communiter alij omnes, nullam neque in totū, neq; in partem fieri corruptionem specierū vini consecrati. Nam neque corruptio talis fieret tunc per aliquam actionem, cùm actio non fiat nisi à *dissimili*, vti docet Philosophia: neque etiam per coniunctionem seu intercalationem quantitatum; solùm enim fierent illæ tunc vnum quoddam nouum *accidentali* quadam vnitate *cōtiguitatis* vel *continuitatis*, (nolim enim de hoc cōtendere) retinerent autē partes eiusmodi quantitatum minimæ suas nihilominus entitates indiuiduales diuersas *Physicè*.

Neque verò esset absurdum aut impossibile, quòd *eadem* tunc quantitas vnitate & *identitate* contiguitatis vel continuitatis, esset secundùm diuersas sui partes Physicè distinctas, partim *in subiecto*, nempe in vino non consecrato, quod accessisset; partim *non in subiecto*, secundùm eas videlicet partes, quæ priùs fuissent consecratæ, vt rectè hoc declarauit Durandus quæstione citata ad 1.

Accedit eodem quoque firmissima quædam ratio, qua vtitur ad hanc rem Sotus loco citato. Etenim si vinum vnum consecratum misceretur per totum alteri vino consecrato, præsertim per omnia simili, nemo auderet ideo negare, ibi esse sanguinem, atque adeò manere species consecratas easdem numero: & tamen certum est, non minùs penetrari seu intersecari ab inuicem partes panis & vini consecrati, cùm admiscentur, quàm alias non consecratas.

Propter hæc itaque non recipitur à Soto & ab aliis illa sententia D. Thomæ nisi *conditionaliter* intellecta, scilicet si fieret admixtio etiam per diuisionem partium quantitatis *minimarum*, quę substantiæ vini sufficerent (quod ipsum tamen an accidat, nunquam ferè constare poterit) aut etiam appareret talis dissimilitudo liquorum saltem in qualitatibus vt locū ibi haberet prorsus dicta mixtio, quā Aristoteles definiuit esse *mixtionem miscibilium per actionem mutuam alteratorum*: alioqui enim, vt rectè Durandus notauit, tantùm ibi erit quædam iuxtapositio, non autem propriè mixtio, de qua quidem sola illud ab Aristotele dictum est, quod D. Thomas assumit, scilicet neutrum miscibilium manere, sed fieri ex illis quoddam tertium.

Esset verò in qualitatibus illa dissimilitudo vini si vnum v. g. esset valde acerbum, alterum suaue, vt arbitratur Sotus; non autem ideo solum, quòd vnum esset album, alterum rubrum, vt rectè idem Sotus & Durandus notant. Et ratio est: Quoniam per mixtionem albi & rubri, vel omnino non fit alius color, nisi secundùm apparentiam propter iuxtapositionem partium minutarum vtriusque coloris, vt ait Durandus; vel si maximè fieret alius color, non tamen ideo vinum corrumperetur, cùm color minimè sit de substantia illius. Quod inde probat Sotus: quia posset per artem in eodem vino color immutari.

Est etiam hìc illud annotandum, in partibus liquoris accedentibus ad vinum consecratum, siue illæ maneant incorruptæ, siue per corruptionem acquirant aliam formam, vel vini (vt si minima particula aquæ adderetur, quæ statim conuertitur in vinum) vel alterius speciei; non esse quidem sanguinem Christi, quippe cùm illæ non fuerint antè consecratæ. Et idem dico de partibus vini consecrati, quæ fortè per admixtū liquorem corrumperentur actione mutua: desineret enim in illis esse, vt patet, sanguis Christi.

In casibus autem quibus dubitabitur de specie vini propter mixtionem aliquam eiusmodi factam (quam satis alioqui constat non posse fieri sine peccato) num sanguinem Christi contineat, tractanda omnino ea species est reuerēter & summenda à Sacerdote perinde atq; verè consecrata, vt vitetur nimirum Sacrilegij periculum.

PVNCTVM QVARTVM.

An ita quoque pati possint illa Accidentia, vt ex eis aliquid generetur.

D. Thom. art. 5. & 6.

SENTIENDVM est, ex hostiæ *quantitate* affecta illis accidentibus, posse fieri & generari quidquid antea generari poterat ex *materia* panis. licet non prorsus eadem ratione & modo. Et quidem quòd possit ex eiusmodi quantitate generari quidquid poterat ex materia panis, experientia etiam constat. Fiunt enim quandoq; ex hostia ob incuriam, vermes, pulueres, &c. Et quidem ex ipsa omnino hostia, vt euidentibus rationibus ostendit hìc D. Thomas art. 5. contra falsam quorundam opinionem, qui contra sensum ipsum putauerunt, fieri ista non nisi ex aëre circumstante.

Quòd autem *non eodem modo* prorsus eiusmodi res ex quantitate hostiæ generentur, atque ex materia panis, ostendam iam ea ratione, quæ simul etiam, secundùm veriorem sententiam, hāc totam rem declarabit. Etenim cùm ex materia panis, tanquam ex principio quodam *passiuo*, rem aliquam generari dicimus, duo significamus.

Primò, materiam panis tanquam *subiectum* (adæquatum, vel inadæquatum, nihil enim id interest ad propositum) recipere dispositiones eas, quæ certam ac determinatam formam antecedunt. Vnde fit, vt dispositiones eæ materiā ipsam signare atque determinare dicantur ad susciendam in puncto ipso generationis hanc formam rei genitę, & non aliam.

Secundò, eandem ipsam materiam, quę dispositionum antecedentium subiectum fuit, subesse quoque posteà dispositionibus vltimis (siue

illæ ſint eædem numero cũ diſpoſitionibus antecedentibus; ſiue eædem tantùm ſpecie; nam neque hoc quidquam iam refert) & ipſi formæ rei genitę; atque adeò tam ex ea, quàm ex aduenięnte forma conſtitui ſubſtantialiter rem genitam.

Quod ad *primum*, non eſt in propoſito differentia inter materiam panis, & hoſtiæ quantitatem. Nam hæc etiam quantitas, vt ſuprà p. 1. explicatum eſt, *recipit* tanquam *ſubiectum*, accidentia ea, quæ ab agente extrinſeco introducuntur, quæque ſunt diſpoſitiones ad rei alicuius formam.

Quod ad *ſecundum* verò, eſt quædam differentia inter materiam panis, cum ex eo quidpiam generatur, & hoſtiæ quãtitatem, cum ex ea item generatur aliquid, propter quam differentiam *non eodem modo* ex hoſtiæ quãntitate generatur aliquid, quo ſolet aliãs ex materia panis: vt diximus. Nam materia quidem panis *manet eadem numero* ſub forma rei genitæ, & diſpoſitionibus eius vltimis, atque adeò eadem quoque ipſa numero componit rei genitę ſubſtantiam. Quantitas verò hoſtiæ, neque numero, neque ſpecie, neque genere *eadem* manet, aut componit ſubſtantiam rei genitæ; ſed *eadem* ſolùm ſecundùm *communem* quandam & abſtractam rationem *potentiæ paſſiuæ* & receptiuæ per modum ſubiecti. Quæ quidem ratio in puncto generationis per *conuerſionem* quantitatis in rei genitæ materiam, de nouo (vt creditur) diuinitùs tunc productã, tranſit atq; transfunditur, vt ita dicam, ex quantitate in eiuſmodi materiam.

Cuius quidem conuerſionis ratio ex his, quæ ſuprâ q. 3. p. 3. de Conuerſione generatim docuimus, facilè intelligi poteſt. Diximus enim cõuerti vnam rem in alteram, cùm vna res alteri ſuccedit in eodem aliquo munere erga tertium: In propoſito verò materia de nouo producta, ſuccedit quãtitati in munere *ſuſtentandi*, tãquam potentia paſsiua, eaſdem *numero*, vel certè *ſpecie* diſpoſitiones ad formam, quas ſuſtentabat priùs ipſa quantitas. Atque ita ſecundùm eam quidem rationem potẽtiæ paſsiuę communiſimã, *idem*, *quod* erat antè quantitas, eſt poſteà per eam conuerſionem materia ſub iiſdem diſpoſitionibus, & ſub forma rei genitæ. Id quod ſatis eſt, vt ſecundùm abſtractam certè & *communem* rationem *identitatis*, dici poſsit in propoſito quãtitas hoſtiæ non modò ſubiectum eſſe diſpoſitionum antecedentium, ſed etiam *eadem* ſubeſſe poſteà (non in ſe, ſed in materia, in quam eſt transfuſa & conuerſa) iiſdem diſpoſitionibus, atq; etiam formæ ſubſtantiali, & cum ea conſtituere ſubſtantiale compoſitum. Quæ duo, vt antè dictũ eſt, ſignificamus, cùm dicimus, *aliquid generari ex materia*.

Neq; verò difficile ad intelligẽdum eſt, quòd in eodem inſtanti, ſeu puncto generationis ab agente quidem naturali fiat forma tantùm, atq; adeò compoſitum ſecundùm illam rationẽ prędecentium diſpoſitionum, quas in quantitate induxit, & à Deo ſimul producatur illa materia per conuerſionem quantitatis in ipſam, vt eſt dictum.

Hoc modo commodiſsimè rem hanc totam explicari poſſe cenſuit meritò ex ſententia D. Thomæ Capreolus in 4. d. 12. q. vnica, art. 3. in reſponſione ad argumenta cõtra 3. concl. & indicauit etiam Caietanus hîc art. 5. quorum mihi ſententia magis, quàm aliæ quædam de hac ipſa re, placet: etſi illi quidem, qui de hoc probabilius ſenſerunt, huic etiã ſententiæ Caietani, quod ad rem quidem attinet, planè etiam ſuffragentur, vt paulò pòſt videbimus.

Ac Primo AEgidius Romanus (dicam enim ad maiorem explicationem, de aliorum etiam ſententiis) theoremate 44. & 45. & Ferrarienſis lib. 4. contra Gentes, cap. 66. & alij quidam exiſtimãrunt, *eandem ipſam numero* quantitatẽ planè ſubiici poſteà in puncto generationis diſpoſitionibus vltimis ac formæ rei genitæ, & eſſe ipſã in ſe vice materiæ, atque adeò vnã cum forma conſtituere ſubſtantiale compoſitum. Cui ſententiæ ſuffragari D. Thomas in art. 5. videtur, cũ inquit, nõ creari hîc materiam vllam, ſed ipſam quantitatem omnino ſupplere materiæ vicem.

Contra hanc verò ſententiam cõmuniter alij Doctores argumentantur, quòd ex accidẽti & forma ſubſtantiali, quomodocunq; iſta duo vniantur, non poteſt conſtitui vnum compoſitũ *per ſe ſubſtantiale*, & eiuſdem ſpeciei cũ aliis ſimilibus, ſicut apparet vermes eſſe, qui hîc quãdoque generantur.

Sed ad hoc fortè reſponderi poſſet, verũ id eſſe de accidenti, vt accidens eſt; hîc autẽ quantitatem non ſupplere materiæ vicem, niſi ſecundùm rationem quandam *potentiæ paſsiuæ obedientialis*, ad quamcunq; formam; ſecundũ quam rationem cenſeri poſsit ipſa etiam quantitas

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam, vt antè dixi, sequitur Caietanus art. 5. & admittit quoque Sotus d. 11. q. 2. art. 5. Quod attinet quidem ad rem totam illius conuersionis quantitatis in materiam de nouo productam; nisi quod reprehendit frustà modum illum loquendi Caietani, scilicet *idē, quod anteà erat quantitas*, posteà esse *materiā* vermis. Qua in re lapsus errore est Sotus, dum falsò existimauit Caietanum velle, quòd idem *numero*, quod antè erat quantitas, posteà sit materia. Id quod Caietano nunquam venit in mentem; sed tantùm volnit illud, quod suprà explicauimus.

A

Ex his ad extremum sequitur, posse etiam istiusmodi species consecratas *nutrire*, vt S. Thomas art. 6. defendit. Est enim hoc intelligendū eo modo, quo hactenus exposuimus, posse aliquid ex illis speciebus *generari*, cùm nutritio sit quædam adgeneratio, per nouam videlicet informationem materiæ alimenti à forma viuentis.

QVÆSTIO SEXTA.

De Forma huius Sacramenti.

D. Thomas 3. parte, quæst. 78.

TRIBVS PVNCTIS PRINCIPALIBVS CONTINENTVR EA, quæ ad hanc Quæstionem spectant. PRIMVM est, Quænam sit Forma huius Sacramenti, quod attinet tum ad panis, tum ad vini Speciem. SECVNDVM est, An, & quomodo Forma huius Sacramenti sit vera. TERTIVM est, An, & quomodo Forma huius Sacramenti sit efficax.

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam sit Forma huius Sacramenti, quod attinet tum ad panis, tum ad vini Speciem.

D. Thom. art. 1, 2, 3.

QVOD AD PRIMVM PVNCTVM attinet, variæ ac multæ sunt opiniones circa Formam huius Sacraméti, partim falsæ, partim etiã hæreticæ, quæ breuiter atq; ordine refellendæ sunt, antequam confirmemus veram ea de re sententiam.

PRIMO igitur Manichæorum hæresis fuit, nullam omnino esse necessariam in hoc Sacramento Formã verborum, vt ex D. AVGVSTINO apparet lib. 20. contra Faustum Manichæum, cap. 13. Arbitrabantur enim in ipso pane & vino alioqui inesse Christum, sine vlla verborum cõsecratione. Cõtra quos ipse Augustinus ibi: *Noster*, inquit, *panis & calix certa benedictione fit nobis, non nascitur; proinde quod ita non fit, alimentum est refectionis, non Sacramentum Religionis.*

Buccerus etiam in caput 26. Matthæi, & quidam alij hæretici ex recentioribus censuerunt, ipso potiùs *vsu* panis & vini à Christo imperato, quàm vllis verbis eiusmodi res consecrari & effici Sacramentum Eucharistiæ. Contra hos omnes certa fide tenendum est, aliquam omnino requiri Formam verborum, quibus & panis & vinum in Eucharistiæ Sacramentum consecrẽtur.

Id patet *primò* communibus illis argumentis, quibus suprà disput. 3. de Sacramẽtis in genere, q. 1. p. 2. probauimus, omnia Sacramenta constare ex rebus, tanquam materia; & verbis, quibus tanquam *forma* determinetur magis eorum significatio, iuxta tritum illud Augustini dictũ Tractatu 80. in Ioannem: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

B

Quæ sentẽtia definitione Concilij Florentini in Decreto de Instructione Armenorum confirmata est. Nam primò enumeratis ibi septem Ecclesiæ Sacramentis, & inter illa Sacramento Eucharistiæ, subiungitur: *Hæcomnia Sacramẽta tribus perficiuntur: videlicet rebus, tanquam materia, verbis, tanquam forma, & persona ministri, &c.* Deinde infrà, cùm nominatim agitur de Sacramento Eucharistiæ, sic dicitur: *Forma huius* SACRAMENTI *sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum.*

C

Deinde peculiariter de hoc Sacramento id probatur testimonio D. Pauli 1. Cor. 10. vbi proptereà vocat *calicem benedictionis, cui benedicimus.* Benedictio enim propriè fit verbis.

Tertio ex vsu Ecclesiæ Catholicæ, quæ verba perpetuò adhibuit: cuius praxis initium cùm nequeat ostendi; intelligendum est, id institutum ex traditione Christi & Apostolorum videlicet sit confecta. Ratio eius est; Quia si non esse adorandam Eucharistiam sine illis verbis consecratam; nisi fortè sub conditione, si rimaximè ea verba (de quo ipse quidem dubitat) non sint de Forma; sunt tamen, inquit, conditiõ requisita ad hoc vt reliqua verba Formę (sci-

Quartò id ipsum patet consentientibus testimoniis veterum Patrum, qui omnes asserunt, *mystica benedictione* seu *consecratione* cõfici Eucharistiæ Sacramentum. Ita præter D. Augustinum antè citatum, affirmat B. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. & 5. & lib. de iis qui initian. mysteriis, cap. 9. Irenæus lib. 4. aduersus hæreses, cap. 34. Iustinus Apolog. 2. pro Christianis. Cyrillus Alexãdrinus in Epistola ad Callosyriũ, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. & 5. mystagogica, Cyprianus in Sermone de Cœna Domini. Eusebius Emissenus homil. 3. & 5. de Paschate, & alij communiter, quos infrà etiam citabimus.

Neque verò ideo verba censeri non debẽt esse propriè huius *Sacramenti* Forma, sed solum *Consecrationis*, quia manet posteà durabiliter & permanẽter hoc Sacramentum in speciebus consecratis, euanescentibus & minimè permanentibus verbis. Etenim quamuis *physicè* quidem & *re ipsa* non maneant verba, tamen manent *morali* quodam modo, & secundùm *rationem*, per quẽdam nimirum *rationis* respectum & ordinem ad illa, qui permanet in cõsecratis speciebus. Atq; hoc satis est, vt verè ac propriè dicatur manere hoc Sacramentum in speciebus cõsecratis: cùm Sacramentum propriè & formaliter non sit aliquod Ens vnum entitate & vnitate *physica* & *reali* sed *morali* & secũdùm *rationem*, vt patet ex dictis Disp. 3. q. 1. p. 1. Vnde quãuis verba *physicè* quidem non maneant, tamen expresè in Concilio Florẽtino vbi supra, dicuntur esse Forma huius *Sacramenti*.

B

SECVNDO ex his, qui sibi persuaserunt, Sacramentum hoc aliqua constare verborum forma, quidam dubitârunt, quænam omnino sit forma illa verborum: vel certè quibus ex verbis *præcise ac determinatè* illa constet; nec ea de re putant aliquid certi constitui posse. Ob quam dubitationẽ Erasmus, & Scotus ab aliis Doctoribus meritò arguuntur.

Nam Scotus quidem in 4. d. 8. q. 2. etsi fatetur, verba illa: *Hoc est corpus meum*; &, *Hic est sanguis meus, &c.* pertinere ad Formam; arbitratur tamen, incertum esse, num his solis verbis, an etiam antecedentibus Christi, quæ recitantur in Canone Missæ, illa contineatur. Quapropter suasit, vt sacerdos omnia illa verba dicat, cum generali quadam intentione consecrandi per ea verba, quæ à Christo instituta sint tanquam Forma.

C

Addit etiam, non valere consecrationem nisi etiam præmittantur à Sacerdote verba illa: *Deinde, conuersus ad discipulos suos, dicens: Accipite, &c.* atque adeò non esse adorandam Eucharistiam sine illis verbis consecratam; nisi fortè sub conditione, si rimaximè ea verba sint confecta. Ratio eius est; Quia si videlicet

D

Alicet *Hoc est corpus meum*; Et: *Hic est sanguis, &c.*) dicantur à Sacerdote, in personą, non sua, sed Christi; quod est sanè ad Formam necessarium, vt ita videlicet per particulam, *Meum*, significetur corpus Christi; non autem ipsius Sacerdotis corpus.

Erasmus verò de totã etiam omnino Forma ambigere videtur, quænam fuerit à Christo instituta. Quod illa ipsius oratio valdè suspecta, & certè temeraria in annotationibus super 11. cap. 1. Epistolę ad Corinth. declarat: *Vtinam*, inquit, *traderet nobis Paulus verba, quibus consecratus est panis ille à Christo.* Item: *Quî nobis constat*, inquit, *hoc pactum nobiscum initum esse, vt referentes aliena verba, consecremus & ipsi, cùm verba etiam Christi videantur*, inquit, *potius esse porrigentis cõsecratum, quam consecrantis.* Hactenus ille.

Refert etiam Clitoueus lib. 2. de officio Missę, cap. 24. Lutherũ similiter ante Erasmum, de tota Forma à Christo instituta, addubitasse.

SED rectè hæc licentia *dubitandi omnino* de Sacramentorum formis reprehẽditur & refutatur à Francisco Victoria, q. 72. de Sacramentis, & à Dominico Soto in 4. d. 11. q. 1. art. 2. & Alano li. 1. de Eucharistia, cap. 16. & ab aliis communiter Catholicis Scriptoribus. Nam cùm Sacramenti ratio maximè constet ex Forma, atque adeò vis etiam & effectus illius ex ea pendeat; certè totũ Sacramentum reddetur nobis dubium, si de institutione & ratione illius Formæ *omnino dubitare* liceat, ita vt nesciamus quidem (saltem indeterminatè) in quibus verbis vel signis contineatur Sacramenti Forma. Quomodo enim tunc poterit certus esse Sacramenti vsus?

Accedit quòd vt Ecclesia in Concilio Florentino determinatè tradit, materiam Eucharistiæ esse vinum & panem, & Baptismi aquam, &c. ita etiam, vt posteà videbimus, non minùs determinatè ibi tradit Formã Eucharistiæ. Quare quòd illo modo Erasmus scripserit post Concilij Florẽtini doctrinã, certè videtur vix excusari posse.

Et vt Alanus vbi suprà, rectè notauit, in eo vel maximè Erasmus hallucinatus est, quòd nõ intellexit, *aliam* Quęstionẽ esse, vtrum Christus ipse illis verbis, *Hoc est corpus meũ, &c.* cõsecrauerit; & *aliã*, an illa verba sint à Christo *nobis* institutа pro Forma. De primo .n. aliqua fuit & est adhuc inter Doctores Quæstio, vt posteà videbimus, quæ res istũ decepit. De secundo autẽ dubitare non licet, quod perperã facit Erasmus. Quemadmodũ dubitari potest, vtrum Christus per potestatẽ suam, quam vocant Excellentiæ, cõmiserit Apostolis, vt aliter baptizarent, quã adhibita forma inuocationis Trinitatis, non tamen vtrũ illa certè forma secundùm legem ordinariam sit à Christo instituta pro Baptismo.

Item Scotus in eo *primò* falsus est, quòd sine firma ratione aliquid aliud putauit ipse esse cõditionem necessariò requisitam ad veritatem Sacramenti, præter materiam & formam, & in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentionem Ministri. Neque id modò per se falsum est, sed etiam minimè omnium à Scoto putari debuit, sicut rectè Sotus loco citato notauit. Sentit enim alioqui Scotus, ne formam quidem aut materiam Sacramenti aliter ad effectũ Sacramenti concurrere, quàm vt *conditionem sine qua non*, vt suprà disput. 3. de Sacramentis in genere, q. 3. p. 1. vidimus. Inde autem videtur esse consequens, vt si quæ verba, opinione Scoti, concurrant ad effectum huius Sacramenti, id est, ad consecrationem vt conditio sine qua nõ, eadem ab illo debeant censeri pertinere ad Formam: quod tamen ipse in proposito non affirmat, etiamsi statuat quidem, illa verba Christi antecedentia, esse saltem conditionem sine qua non.

Deinde in eo falsus etiam est, quòd censuit, non posse à Sacerdote *in persona Christi* illa verba proferri: *Hoc est corpus meum, etc.* nisi priùs dicat illa: *Deditque discipulis suis dicens*, *Accipite*, *&c.* Possunt enim, modò id nihilominus intendat Sacerdos, vt docet D. Thomas hîc art. 1. ad 4. & defenditur contra Scotum ibi à Caietano, & à Soto d. 11. q. 1. art. 2.

Quod ipsum tamen intelligendum omninò puto in casu, quo ex aliqua morali circumstantia, & verbis illis à Sacerdote prolatis, intelligi posit, illam esse Sacerdotis intentionem, nempe proferre ea verba in persona Christi. Qui casus semper ferè continget, quandocunq; ea verba à Sacerdote seriò proferentur, nec aliud interueniet, vnde constare posit, eum non habere illam intentionẽ proferendi in persona Christi, sicut est moris.

Ratio autem, ob quam puto doctrinam eam D. Thomæ ita debere intelligi, est: Quoniam necesse est, vt verba Sacramentalia significent sensum omnino Formæ à Christo præscriptæ, vel præcisè quidem ex vi atque impositione sua, vel certè ex accommodatione & vsu *morali*, attentis circumstantiis, sicut suprà disput. 3. de Sacramentis in genere, q. 1. p. 2. docuimus ex communi sententia. At in proposito, si neque verba illa antecedentia: *Deditq; discipulis suis dicens, &c.* præmitterentur à Sacerdote, neque ob aliam circumstantiã moralem, ex prolatione intelligi posset, intentionem Sacerdotis proferentis illa sola verba, *Hoc est corpus meum*, esse, ea proferre in persona Christi; tunc certè neutro modo per particulam, *Meum*, significaretur ipsum Christi corpus, vt patet. Quæ tamen significatio ad veritatem Formæ necessaria est.

Atque hinc, vt hoc obiter etiam notem, intelligi potest, superuacaneè, neque etiam satis verè & solidè adhiberi hîc à Caietano art. 1. quandam distinctionem ad hanc rem declarandam contra Scotum: cùm scilicet dicit, sufficere illã intentionem Sacerdotis ad significandum corpus Christi per illa verba, quatenus ea quidem *significatiuè* profert: non autem quatenus ea profert etiam *recitatiuè*, id est, simul etiam denotãdo, quòd à Christo fuerint item ea verba dicta. Nam vel considerat Caietanus illa verba secundùm vim, quam habent præcisè ex institutione siue *impositione sua*; vel vt etiã significare possunt ex *accommodatione* propter casus circumstantias morales. Priori modo, ne vt *significatiuè* quidem proferuntur sine aliis à Sacerdote, significabit ipsa sola *corpus Christi*, vt patet, cum verbũ illud, *meum*, additum ad verbum, *Corpus*, ex impositione sua præcisè significet corpus non alienum, sed verba ea proferentis. Posteriori autem modo considerata ea verba, etiam *recitatiuè* significabunt corpus Christi. Circumstantia enim prolationis facit, vt simul ex prolatione intelligatur, Christum item ea verba dixisse, suumque proinde corpus per illa indicasse, hacque intentione & modo dici à Sacerdote in persona Christi.

TERTIO. Ex aliis, qui de Forma verborum huius Sacramẽti sine ambiguitate aliquid in alterutram partem opinati sunt, Guido Carmelita in sua Sũma de hæresibus, cap. 9. refert, VValdenses censuisse, Formam huius Sacramenti nõ contineri iis verbis Christi, quæ narrantur ab Euangelistis; sed oportere tantùm recitare scripties precationem Dominicam & Salutationem Angelicam. Verùm AEneas Syluius in libro de origine Bohemorum, cap. 35. vbi errores VValdensium diligenter commemorat, eius opinionis non meminit. Quare meritò Alphonsus de Castro libro de Hæresibus, Verbo Eucharistia, hæres. 3. dubitat, vtrum ita illi senserint; maximè cùm ex AEnea Syluio loco citato, videatur colligi posse contrarium, vt ibi Alphonsus ostendit.

Opinio tamen hæc per se, cuiuscunque tandẽ sit, est absurdissima: siquidem neque in Scriptura, neque in Ecclesiastica traditione & praxi, vllum fundamentum habet, imò vtrique repugnat. Perpetuò enim Ecclesia in confectione huius Sacramenti, Euangelica verba vsurpauit.

Neque obstat quod D. Gregorius lib. 7. Registri, epist. 63. dicit, Apostolos ad solam Orationem Dominicam solitos fuisse cõsecrare. Nã tantùm vult Gregorius hoc loco, illos (propter imminens fortè periculum) absque aliis cæremoniis ac precibus consecrasse; per verba tamẽ ipsa consecrationis, quæ posteà asseremus esse Formam. Quòd enim ea verba Apostoli non omiserint, constat ex Patribus, & antiquissimis Liturgiis, sicut posteà videbimus.

Neque etiam mouere debet, quòd Patres sæpè, cùm de consecratione Eucharistiæ loquũtur, dicere solent, eam fieri *inuocatione diuini nominis*, vel oratione, aut *prece*. Quo pacto loquitur Iustinus in Apolog. 2. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 3. & 4. myst. Augustinus lib. 3. de Trinitate, cap. 4. Hieronymus in Epist. ad Euagrium. Hoc, inquam, mouere non debet. Non enim ideo Patres excludũt à consecratione verba ipsa Euangelica; sed vt rectè obseruauit Alanus lib. 1. de Eucharistia, capite 17. precibus fieri generatim dicebant, quoniam in actione ipsa & ritu consecrationis preces adhibebantur: atque ideo eiusmodi appellatione libenter vsi sunt, ne semper alioqui apertè declararent Sacramenti mysterium, propriaque verba illius formæ, quæ non erant illis temporibus passim patefacienda, vt D. Dionysius monuit, cap. vlt. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: Vel certè ipsam consecrationem vocarunt *precem* seu *inuocationẽ* propterea, quòd per verba consecrationis, sicut etiã per formas aliorum Sacramẽtorum inuocatur & impetratur diuina virtus ad Sacramenti effectum.

Atque ad hanc peculiarem rationem deprecationis significandam, quæ inest etiam in his Sacramentorum formis, quæ non habent ipsæ modum deprecatorium, vt Baptismi, &c. quibusdam ferè verbis peculiaribus Patres vsi sunt, quibus non vtuntur, cùm loquuntur aliàs simpliciter de oratione seu precibus. AVGVSTINVS enim idcirco lib. 3. de Trinitate, cap. 4. dixit, consecrationem *prece mystica fieri*, & lib. 5. de Baptismo contra Donatistas, capite 20. Formas Sacramentorum dixit esse deprecationes, quæ fiant *super materiam*. Ait enim, *homicidam quoque ministrum exaudiri deprecantem super aquã, super oleum, super elemẽtum, super capita eorum, quibus manus imponitur*. Atque etiam Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Callosyrium, dixit, Eucharistiam consecrari *benedictione mystica*.

QVARTO. Quorundam Græcorũ error fuit, pertinere ad Eucharistiæ formam, non modò illa verba: *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est, &c.* sed maximè etiam quandam precationem, quam post illa verba adhibere est solita Ecclesia Græca, & qua illi putãrunt potissimùm fieri hîc conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Quæ precatio in eorum Liturgiis sic habet: *Rogamus te sancte Pater, vt mittas Spiritum tuum super nos, & super hæc apposita munera, & fac panem istum quidem preciosum corpus filij tui, & quod est in calice isto, preciosum sanguinem Christi tui.*

Hunc errorem inprimis defenderunt contra Ecclesiam Latinam, Petrus quidam Cabasilas, & Marcus Ephesinus. Quorum argumentum fuit, quòd frustrà alioqui illa oratio adhiberi esset solita, si per sola antecedentia verba *Hoc est corpus meum*, Et: *Hic est, etc.* consecratio perageretur. At minimè sentiendum est, eam orationem adhiberi frustrà, cùm contineatur in Liturgiis Iacobi, Basilij, & Chrysostomi. Igitur non peragitur consecratio illis verbis antecedentibus. Accedit, quòd D. Dionysius libro de Ecclesiastica Hierarchia, capite 3. dicit, Sacerdotem *post verba Domini petere, vt dignus fiat consecratione corporis Domini.*

SED contrarium tamẽ, nempe *verbis ipsis Christi*, & non subsequẽtibus vllis aliis precibus, fieri consecrationem; atque adeò sola verba Christi esse Formam, est certissimum. *Primò*. Quia in aliquibus vetustissimis liturgiis non habetur illa oratio, vt in Ambrosij, & Iustini.

Secundò. Quia apparet, eam fuisse compositam à Patribus, cùm nullus Euangelistarum, neque Paulus vllam mentionem eius precationis faciat: Verba autem Formæ à Christo ipso sunt instituta.

Tertiò. Quoniam etsi veteres Patres dicant, in confectione Eucharistiæ adhiberi preces; tamẽ expresè etiam testantur, consecrationem ipsam non vllis precibus, sed verbis Christi fieri. Vt AMBROSIVS apertè libro quarto de Sacramẽtis, capite quarto & quinto, & libro de iis qui mysteriis initiantur, capite nono, & Augustinus libro sexto de Baptismo contra Donat. capite vigesimo quinto, & Iustinus Apolog. 2.

Quartò. Nam essent tunc verba Christi falsa, si saltem in vltimo instanti prolationis non esset ibi corpus Christi. Hoc enim requiritur omnino ad enunciationem de præsenti, qualis est illa: *Hoc est corpus meum*, *&c.* sicut infrà magis declarabitur.

Quintò. Quia ipsorum etiam Græcorum consuetudo fuit, vt antè illam orationem statim, atque verba illa, *Hoc est, &c.* responderet populus, *Amen*, id est, *verum est*, sicut beatus Ambrosius libro de iis qui mysteriis initiãtur, capite nono, eam vocem interpretatur, vbi etiã huius consuetudinis apud Latinos meminit.

Sextò. Quoniam apud ipsos etiã Græcos statim post prolationem illorum verborum, *Hoc est, &c.* proponitur populo Sacramentum adorandum, sicut apud nos; & ipse Diaconus in Ecclesia Græca, ter statim adorat, vt patet ex illorum Liturgiis.

Vltimò deniq; in Concilio Florentino in decreto vnionis, sub Eugenio, absolutè dicitur, Formã huius Sacramẽti esse *verba saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum*, quod etiam posteà magis asseremus.

Ad hæc autem fundamentum illud Cabasilæ, & Marci Ephesini, respõdit Bessarion, & ipse Græcus, Patriarcha Constantinopolitanus & Cardinalis, in libro de Eucharistia, qui contra illum errorem recentiorum Græcorũ scripsit pro Ecclesia Latina. Respondet autem primò, petiuisse Patres illa oratione, tantũ, vt fieret corpus Christi non naturale, sed *mysticum*, id est, vt fideles fierent *vnum* per gratiam perceptam ex vsu Sacramenti huius, seu etiam sacrificij.

Sed ista interpretatio in illam quidem Formam precationis Græcorum non videtur conuenire: petunt enim, vt fiat etiam *sanguis* Christi: fideles autem per gratiam vniti consueuerunt quidem appellari mystice *corpus* Christi, nõ per-

inde sanguis. Item cùm in illa precatione dicitur, vt fiat panis preciosum Christi corpus; vocula, *Preciosum*, satis indicare videtur, sermonem ibi esse de ipso Christi corpore naturali.

Ideo secundò & rectiùs respondit idem Bessarion, orationem illam ad momentum temporis antecedens, quo per verba Christi fit consecratio, referendam esse, sicut Ecclesia etiam Latina quædam ante pũctum consecrationis dicit per anticipationem, quæ non referũtur ad tempus, quo dicuntur; sed ad punctum, quo fit postea consecratio, in quo substantialiter quidem & Sacramẽtum & Sacrificium perficiatur. Similiter igitur è contrario per temporis dilationẽ, ad idem punctum consecrationis illa Græcorũ precatio pertinet.

Neque verò hoc aut ineptè, aut sine vlla caussa à Græcis illis Patribus ita factũ videri debet. Deus enim cùm futura etiam præuideat, perinde quoq; induci potest ad aliquid prius faciendum, propter sequentem orationem, sicut ad faciendum aliquid postea propter antecedentem. Deinde rectè potuerunt illi Patres, post factum ideo velle adhibere orationem, quæ ad antecedens tempus referatur, vt ea re significarẽt, quo affectu esse debeat Sacerdos in celebratione SS. Eucharistiæ. Facit enim sæpe magnitudo affectus in Sãctis, vt in solam rem, quam ad gloriam Dei aptant, intenti, illud tanquam in extasi quadam petant à Deo, quod tamen iam factũ est. Vt cùm postulant, vt ab Angelis, vel ab aliis Sanctis in cœlo & in terra Deus benedicatur, id quod alioqui certissimè fit. Itẽ cùm Dauid plerumque in psalmis exaudiri se à Deo petit, cùm tamen antea sit exauditus, vt ex ipsis psalmis sæpè apparet.

Accedit, quòd cùm Ecclesia velit varia in ipsa actione Eucharistiæ significare, tum de Sacramento, tum de Sacrificio; neque tamen omnia posit in illo puncto seu tempore consecrationis complecti, facere commodè vix potest, quin eiusmodi figuris anticipationis vel dilationis temporis in dicendo vtatur. Atque ita etiam in Ecclesia Latina petitur postea, vt illa perferãtur manibus Angelorum in conspectum Dei, &c. & vt acceptũ fiat sacrificium illud, &c. Quæ similiter per dilationem temporis exponenda sunt, si eiusmodi certè precationis sensus sit etiam, vt ipsum Sacrificium absolutè, & vt non tantùm à Ministris offertur, sit gratum Deo: atque item vt per Angelos repræsentẽtur etiã oblata, non tantùm vt nobis prosint, sed etiam vt diuina virtute consecrentur: id quod anteà per ipsa verba consecrationis est factum; sicut etiam ipsum sacrificium per se, quatenus Christum continet, antè illam orationem fuit Patri acceptissimum. Atque hoc quidem pacto hęc verba Ecclesiæ Latinæ intellexisse videntur Græci, quãdo in Concilio Florentino interrogati, quid sibi vellent illa oratione sua suprà dicta; responderunt, se eodem modo ibi precari, sicut Ecclesia Latina precatur illa altera, quam diximus, oratione.

Ad locum autem D. Dionysij respondetur ex B. Maximo illius Scholiaste, non intelligere ibi illa verba Domini, quibus Eucharistia *consecratur*; sed quibus laudatur à Sacerdote Deus antè consecrationem, vt ibi etiam faciẽdum esse notauit D. Dionysius, quod & hodie fit.

QVINTO. Opinio ferè nunc communis Sacramentariorum, & Lutheranorum Confessionistarum est, in confectione Eucharistiæ omnia verba Christi adhibenda esse, quæcunq; narrant Euangelistæ ipsum vsurpauisse in institutione & distributione illius: ita quidem, vt non minus ad eam rem necessaria sint & valeant verba illa: *Accipite & manducate, &c.* quàm illa: *Hoc est corpus meum.* Quòd si omnia eiusmodi verba æquè adhibeantur, non videntur isti magnopere repugnare, quò minus illa omnia nominari possint *Forma* huius Sacramẽti, ea quidem ratione, qua significationem & vsum Sacramenti ipsa declarant. Item etiam non laborant, *quomodo* illa verba dicantur, aut ex quo potius Scriptore Canonico sumantur; modò recitetur certè & explicetur sententia illorum omnium Christi verborũ; siue vt narrãtur ab aliquo Euãgelista, siue vt sunt apud Paulum 1. Cor. 11. vt plerumq; isti faciunt. Hanc verò esse istorum sententiam & mentem, intelligi potest ex Caluino lib. 4. Institut. cap. 17. sect. 37. & Kemnitio in exam. Canon. 1. & 7. sess. 13. Concilij Tridentini.

Fundamentum illorum est *primò*. Quoniam necesse est, Sacramenti Formam, seu Sacramenti *verbum* (vt illi vocant) esse tale, vt per id explicetur Sacramenti ratio & essentia. Sed si illa etiã verba omnia: *Accipite & manducate, &c.* non dicantur, minimè satis per Formam explicabitur huius Sacramenti essentia. Ergo, &c. Minorem eà ratione confirmant. Quoniam existimant, istud Sacramentum consistere maximè in ipso *vsu* non minùs, quàm alia Sacramenta, vt suprà quæst. 1. p. 3. ex istorum sententia vidimus, quam etiam ibi refutauimus.

Secundò id probant. Quia Sacramentum hoc demum ritè peragitur, si in eius confectione seruetur præceptum illud Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*. Sed nisi illa verba omnia dicantur, quæ Christus dixit, non seruabitur illud præceptum. Ergo, &c.

Tertiò adhibent huc testimonium Eusebij Emisseni homil. 3. de Paschate, & Ambrosij lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. & 5. qui asserunt, verbis Christi confici Eucharistiam; in quibus numerant etiam illa: *Accipite & manducate, &c.*

SED contrariis fundamentis nos aduersus istos probabimus sententiam orthodoxam, quę negat, vt postea videbimus, illa Christi verba antecedentia: *Accipite & manducate*; sicut etiam illa subsequentia: *Quod pro vobis tradetur*; esse de essentia Formæ.

Primò

Primò igitur sic argumentor. Quæ verba non sunt necessaria ad significandam essentiam Sacramenti, ea sanè ad formam pertinere non rectè probatur ex Sacramẽti essentia. Sed illa verba: *Accipite, &c.* non sunt necessaria ad significandam essentiam huius Sacramenti. Ergo ex huius Sacramenti essentia, nullum argumẽtum duci potest ad probandum, quòd pertineant ad Formam.

Maiorem isti concedunt. Minor patet ex his, quæ suprà disputata sunt quæst. 1. p. 3. vbi contra Sectarios fusè probauimus, Sacramenti huius essentiam non in *vsu*, qui per illa verba significatur; sed in aliquo *permanenti* consistere, nempe in speciebus ipsis, vt continent corpus & sanguinem Christi, atque in corpore & sanguine, vt illis speciebus continetur. Quod ea re maximè ostendimus, quoniam antiquissima Ecclesię consuetudo fuit, vt reseruaretur hoc Sacramẽtum, tanquam aliquid per se *durabile & permanens*.

Et sanè falsissimum est, quod Kemnitius contra Canon. 7. sess. 13. scribit, eam consuetudinem fuisse postea ab Ecclesia prohibitam. Quãquam verum est quidem, interdictum fuisse, ne reseruaretur Eucharistia *ab iis* certè, qui illam in Ecclesiis communicandi gratiã à Ministris acciperent; sed statim eam ibi consumerent, non autem domum deferrent, sicut aliquando fuit etiam moris, vt suprà quæstione prima, p. 3. meminimus.

Atque huc solùm pertinent duo Canones, quos perperam Kemnitius citat: Vnus Concilij Toletani 1. can. 14. qui sic habet: *Si quis acceptam a Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur.* Alter Canon est Concilij Cæsaraugustani ordine tertius, qui ita habet: *Eucharistia gratiam si quis probatur acceptam non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum.* In his certè Decretis ex ipsa illorum forma perspicuum est, de particularibus tantùm, cùm in Ecclesia *accipiunt* Eucharistiam, præcipi; ne scilicet illam reseruent, sed statim communicent. Nihil autem hic minùs prohibetur, quàm ipsa per se consuetudo reseruandi Eucharistiam in Ecclesiis propter infirmos, &c. de qua suprà loco citato diximus.

Et accedit, quòd si maximè consuetudo ista in vniuersum fuisset postea sublata, aut aliquando etiam tolleretur; tamen ad Argumenti nostri vim satis est, quòd aliquando ea consuetudo sic in Ecclesia obtinuit, vt minimè dubitatum sit, quin in illis speciebus permanentibus, quæ reseruabantur, inesset vera ratio Sacramenti. Fundamentum igitur PRIMVM Sectariorum nullum est: falsa est enim Minor.

Secundò argumentor contra illos ex eodem illo præcepto institutionis: *Hoc facite, &c.* vnde ipsi pro sua etiam sententia argumentabantur. Verba enim quæ in confectione Eucharistiæ, nõ iubemur dicere illo præcepto: *Hoc facite, &c.* minimè pertinẽt ad essentiam formæ Eucharistiæ. Sed illa verba antecedentia: *Accipite, &c.* non iubemur dicere illo præcepto. Ergo non sunt de essentia Formæ Eucharistiæ. Maior est certissima. Quoniam Formam inprimis, atque adeò verba omnia, ex quibus illa constat, omnino iubemur proferre eo ipso, quòd illo præcepto iussi sumus conficere ipsam Eucharistiam. Minorem autem infrà probabimus q. 11. cùm agemus de Sacrificio.

Et summa probationis est, quòd cùm illud præceptum affirmatiuum: *Hoc facite, &c.* præceptum sit, non *loquendi* præcipuè, sed *faciendi* ad eum quidem finem, vt similitudine aliqua ipsius *facti*, memoria Christi in cruce morientis excitetur; ea solùm verba ex vi illius præcepti, necessariò proferri debent, quæ ad *factum* ipsum exercendum, quod hic nobis per se imperatur, necessaria sunt. Si quæ autem verba à Christo tunc dicta fuerũt, sine quibus perinde possit factum ipsum, quod ibi imperatum est, exerceri; ea quidem non debemus intelligere esse item per illud Christi mandatum præcepta: Talia verò sunt illa verba: *Accipite & manducate*. Certum enim est, actum illum manducandi, atq; etiam accipiendi, & dandi, sicut Christus dabat, quæ sequenti illo præcepto: *Hoc facite, &c.* secũdùm rationem præceptorum affirmatiuorum (id est, quatenus expediret pro loco, & tempore, &c.) imperauit: Certum, inquam, est, hunc actũ æquè bene posse exerceri, siue inter accipiendum, & dandum, & manducandum, dicas illa verba: *Accipite & manducate*, siue non dicas.

Hæc igitur ratio est, cur intelligi non debet prolatio eiusmodi verborum esse etiam imperata illo præcepto faciendi, *Hoc facite* in meam commemorationem. Quam rem facili exemplo declaro. Nam si Paterfamilias domesticis suis porrigeret panes, inquiens: *Accipite & manducate, & date etiam ipsi pauperibus*; ac deinde subiũgeret præceptum dicens: *Hoc facite similiter, quãdocunque commodum erit*: Nemo intelligeret à Patre illo familias iuberi tunc domesticos inter manducandum, & dandum pauperibus, etiam proferre illa verba: *Accipite & manducate, &c.* Sed mãducare tantùm, & distribuere pro opportunitate pauperibus. Cur ita? Quoniam præceptũ illud nimirum, præceptum esset inprimis *faciendi*, & ita non etiam obligaret ad proferendum ea verba, sine quorum prolatione æquè bene factum ipsum imperatum, nempe *comedere, & dare*, exerceri posset. Similis planè ratio est in nostro proposito.

Atq; hinc etiam eodem modo probatur, neque pertinere ad essẽtiam Formę, verba illa subsequentia, *Quod pro vobis datur* seu *tradetur*, quæ post illa: *Hoc est corpus meum*, referuntur Lucę 22. & 1. Corinth. 11. Actio enim, quæ per illa verba significatur, & quæ adeò præcipitur sequenti mãdato, *Hoc facite*, perinde exerceri potest, siue illa

Universidad de Deusto
Biblioteca

verba proferantur, siue non proferantur. Significatur namque ibi Christi *oblatio*, qua se ipse obtulit Deo Patri sacrificium pro nobis per mortem crucis. Quæ quidē Christi actio subsequenti etiam illo præcepto, *Hoc facite*, imperatur Ecclesię ministris, vt eam etiam in confectione Eucharistiæ ipsi exerceāt, modo quo possunt, nempe *incruentè* eundem ipsum Christum Deo Patri offerendo, sub speciebus panis & vini, vt consentiente tota antiquitate ex ipsa Christi institutione copiosè ostendemus quæst. II. Hęc verò oblatio incruenta cùm aliud non sit, quàm referre animo atque intentione ad Dei gloriam, immutationem ipsam Sacramentalem, qua Christus sub illis speciebus præsens sistitur, atque adeò etiam ipsum corpus Christi & sanguinem, vt ibi sistitur; perinde potest fieri, siue illa verba, *Quod pro vobis datur*, proferantur, siue non. Non enim verbis oblationem significantibus, sed *intentione ipsa* Ecclesiæ, atque adeò *animo Ministri* illa relatio immutationis Sacramentalis ad gloriam diuinam, ac proinde oblatio ipsa fit. Quare cùm ea verba non sint necessaria ad hoc *factum*, quod per ea significatur; intelligere non debemus, ea etiam esse præcepta per mandatum illud: *Hoc facite*.

Atque vt magis confirmetur hæc explicatio illius præcepti, quæ certè est ad multas in hac materia controuersias vtilis, placet afferre aliud exemplum ex Scriptura ipsa, atque ex materia etiam Sacramentali sumptum. Cùm Christus Matthæi vigesimo octauo, Formam baptizandi tradidit Apostolis, iisque vt baptizarent imperauit; certè etiam dixit: *Euntes in mundum vniuersum, docete omnes gentes, baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Neq; tamē quisquam tam importunus est, vt propterea putet, ad formam Baptismi illa etiam verba Christi pertinere, quibus ille significauit & imperauit diligentiam & vsum Baptismi, nempe *Euntes, docete, baptizantes.* Quare? Quia sine prolatione illorum perinde potest exerceri illud ipsum *factū*, quod inprimis Christus ibi mandauit, modò illa alia verba proferantur, quæ Ecclesia semper intellexit esse de Forma, scilicet *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Eâdem igitur ratione in proposito, neq; illa antecedentia aut subsequentia verba sunt imperata per præceptum illud, *Hoc facite*; sed illa tantùm, *Hoc est corpus meum*; Et: *Hic est sanguis meus*, &c. sine quibus factū ipsum imperatum, q̄ consistit in Sacramenti & Sacrificij confectione, exerceri non potest, sicut semper in Ecclesia ex Christi institutione intellectum est, vt postea declarabimus. Atque ita ad FVNDAMENTVM secundum hæreticorum satis responsum est. Falsa est enim Minor.

Tertiò retorqueo etiam in illos authoritatem Patrum, quam ipsi nobis obiiciūt. Passim enim, vbi explicant veteres, quænam sint verba Christi, quibus hoc Sacramētum conficitur, illa tantùm commemorare solent: *Hoc est corpus meū, etc.* sicut postea ipsos locos & sententias Patrum indicabimus. Atque nominatim id facit is, quem Kemnitius obiicit, Ambrosius libro de iis qui initiantur mysteriis, cap. 9.

Quare ad testimonium illius & Eusebij rectè suprà quæstione prima, puncto tertio, à nobis responsum fuit, eos propter continuitatem orationis cepisse recitare sermonem Christi ab illis verbis, *Accipite, &c.* vt indicarent videlicet eam partem narrationis Euāgelistarum, in qua verba formæ à Lectore notanda sint, nempe illa, *Hoc est corpus meum, &c.* Vel id fecerunt, vt commonefacerent de ipsius etiam Sacramenti vsu & quasi secundaria perfectione, quæ illis verbis, *Accipite, &c.* significatur. Sic enim diuus Thomas quoque ad Eusebij locum respondit hic artic. 1. ad 2.

Et esset simile, si quis diceret, Baptismi Sacramentum verbis Christi confici, proferretque, vt id probaret, totam illam Christi orationem: *Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes, &c.* qui certè non idcirco existimari deberet, in illis etiam verbis: *Euntes, docete*: vel ponere Formam Baptismi. Error itaque Sectariorū de istius Sacramenti Forma, hunc in modum refutatus sit.

SEXTO. Quorundam Scholasticorū sententia est, Formā iis omnibus verbis contineri, quæ secundùm ritum Ecclesiæ Latinæ proferuntur, non modò super panē, sed etiam super calicem; excepta tamen particula *(Enim)* quam D. Thomas hîc articulo secundo, & omnes fatentur nō esse de essentia; sed addi propter verborum coniunctionem. Reliqua autem verba omnia, *id est*, illa etiam, quæ super calicem adduntur, *Noui & aterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, &c.* quidam, (vt dicebam) sentiūt pertinere ad Formam, ita, vt si aliquod ex eiusmodi verbis prætermittatur, consecratio non fiat.

Quæ planè videtur esse sententia diui Thomæ hîc articulo tertio, cùm dicit, illa omnia verba ad *substantiam* formæ calicis pertinere. Quam quam Sotus quidem distinctione vndecima, q. 1. artic. 3. conatur diuum Thomam interpretari, quasi ille velit *de substantia* esse, non quia sint necessaria ad ipsam Formæ veritatem & essentiam; sed quia sint de *integritate* quadam Formæ: discut digitus, verbi gratia, hac ratione est de substantia quidem hominis, non autem de essentia. Sed certè diuus Thomas inter *essentiam & substantiam* formarum Sacramentorū non ita consuuit distinguere. Et præterea interpretatio illa atq; opinio Soti, stare ipsa non potest, vt postea docebo.

Itaque diui Thomæ sententiam in altero sensu, scilicet quòd omnia illa verba sint de essentia Formæ, amplectuntur quidam eiusdem diui Thomæ Sectatores, vt Paludanus in quarto, distinctione octaua, quæstione tertia, Capreolus eadem distinctione, quæstione prima, concl. 6.

Petrus à Soto in Institut. Sacerdotum, lect. 2. de Eucharistia, & quidam Bartholomæus de Spina Dominicani Ordinis in peculiari opusculo, Ꝙ hac de re composuit.

Fundamentū huius sententiæ est *Primò*. Quia omnia ista verba vocantur Forma ab Innocentio III. in Cap. *Cum Marthæ*. Extra, de celebratione Missarum. Dicit enim ibi, *Formam verborū, sicut in Canone reperitur, & à Christo Apostolos, & ab ipsis eorum successores accepisse*; licet non omnia illa recitentur in Euangelio.

Secundò. Quia in Decreto Concilij Florentini de Sacramentis sub Eugenio IV. absolutè dicitur, *Formam huius Sacramenti esse verba Saluatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur*. Omnia autem illa verba super calicem dicuntur tanq̄ à Christo dicta.

Tertiò. Quia similiter hæc verba omnia proferuntur ab Ecclesia super calicem, & eodem genere characterum peculiari, ab aliis verbis Canonis distingui solent.

Quartò. Quia non prius calix adorandus proponitur, quàm omnia illa prolata sint.

Quintò. Quia determinant atque declarant prædicatum illud, *sanguis*, vel, *sanguinis mei*, scilicet quemnām Christi sanguis habuerit effectū, vt D. Thomas exponit art. 3.

SED contraria tamen sententia est communis, & à nobis tenenda, nempe illa verba, *noui & aterni testamenti*, & reliqua, quæ sequuntur, non esse de essentia formæ. Quod & ipse Magister satis etiam in 4. distinct. 8. subindicauit. Expresè autem ita sentit Alexander Alensis 4. p. quæst. 33. m. 4. artic. 3. §. 1. Albertus Magnus in 4. distinct. 8. art. 7. ad 1. argumentum quæstiunculæ 1. Bonaventura eadem distinctione, art. 1. quæst. 2. Henricus Gandauensis quodlib. 9. quæst. 10. Durandus distinct. 8. quæst. 2. art. 2. Caietanus hîc art. 3. Sotus distinct. 11. quæst. 1. art. 3. Victor. quæst. 74. de Sacramentis, Alanus lib. 1. de Eucharistia, capite 19. & alij communiter, tam antiqui, quàm recentiores Theologi.

Et primùm quidem, quod attinet ad tria verba ex illis, nempe *Mysterium Fidei*, & *AEterni*, quæ non habentur in Scriptura, certissima videtur hæc sententia esse. Nam constat, in multis Liturgiis illa non haberi, secundùm quarum tamen ritum non dubium est, quin consecratio fiat validè. Non enim habentur illa verba in Liturgiis Iacobi, Basilij, Chrysostomi, AEthiopica, neque etiam in Liturgia quadam seu Missali D. Isidori, quod vocāt in Toletana Ecclesia Missale *Mozarabum*, vbi quibusdam in Sacris est additus eius Missalis.

Neque verò est probabile, quòd Capreolus vbi suprà absque fundamento dicit, istos habere diuinam dispēsationem, vt sine illis verbis consecrent: ac multò etiam minus probabile est, q̄ dicit Paludanus, illos non verè consecrare. Nam vt bene obiicit Sotus, nunquam illi ab Ecclesia Romana eo nomine notati aut reprehensi sunt.

Secundò probo in vniuersum, nec dicta tria verba, neq; etiam reliqua, scilicet *noui Testamenti, qui pro vobis, &c.* esse de essentia formæ. Nam quorum verborum prolatio nó est Ecclesiæ ministris imperata à Christo, illo præcepto: *Hoc facite, &c.* ea quidem verba minimè sunt de essentia Formę, quantumuis in Scriptura & in omnibus Liturgiis ponantur. Sed nulla verba ex illis sunt imperata Ecclesiæ ministris per id præceptum. Ergo, &c.

Maiorem suprà asseruimus, cùm inde aduersus hæreticos probaremus, neque illa esse de essentia Formæ, *Accipite, &c.* Et: *Quod pro vobis tradetur*. Minorem probo. Quia cùm illud sit præceptum *faciendi*; tantùm per id iubemur facere id, quod vel in actione aliqua consistit; vel certè in prolatione aliquorum eiusmodi verborum, sine quibus factum illud, quod imperatur, exerceri non possit, sicut etiam suprà declarauimus. Verba autem illa, de quibus disputatio nunc est, partim significant *circumstantias* quasdam *effectus* ipsius Sacramenti, quæ non sunt quidē illo Cœnæ & Passionis tempore factæ per Christum; neque nos ipsi debemus eas facere, sed in ipsa Dei lege & voluntate positæ sunt: partim etiam quādam Christi operationē, quam perinde nos imitari possumus, siue illa verba dicamus in consecratione calicis, siue non. Ita fit, vt quemadmodum in Minori nostræ ꝓbationis assumpsimus, nulla verba ex illis ex præcepto quidē illo Christi dicere debeamus.

Hoc ita declaro. Verbis illis, *Noui, & aterni testamēti, mysterium fidei* (vt summatim complectar, quæ fusè D. Thomas articulo tertio declarat) significatur, gratiam, quæ hîc accipitur, requirere quidem in sumentibus rectam *fidem*; itemque eandem ipsam gratiam, atque adeò ius ad cœlestem hæreditatem dari in hoc Sacramento, ex vi æternæ Dei *promissionis* firmatæ instar *testamenti*, non per mortem & sanguinem hircorum & taurorū, vt prius typicè in lege veteri; sed per mortem & sanguinem ipsiusmet vnigeniti Filij Dei Christi, sicut accuratè D. Paulus rationem hanc *noui testamenti* declarat in Epistola ad Hebræos. Atq; hoc totum est, quod dixi pertinere in verbis illis ad *effectus* huius Sacramenti *circumstātias* quasdam, quæ sunt in diuina lege & voluntate positæ.

Alia verò verba reliqua, nempe *Qui pro vobis tradetur, &c.* operationem quidem Christi significant, qua offerens sese Deo Patri in cruce, fudit suum sanguinem, ad remouenda videlicet peccata, quæ nobis impedimento sunt, quò minus effectum huius Sacramenti consequamur, nempe gratiam, & æternę beatitudinis hereditatem. Hæc autem actio Christi est illa, quam dixi, nos modo, quo iam licet, etiam sine prolatione eiusmodi verborum posse imitari. Nam imitamur

Universidad de Deusto
Biblioteca

illam Sacrificio ſeu *oblatione* eiuſdem Chriſti *incruenta*. Quæ ſanè vt fiat, minimè indiget prolatione eiuſmodi verborũ: vt neq; illorum etiam, *Quod pro vobis tradetur*, quibus itidem id ſacrificium Chriſti ſignificatur, neque tamen ideo ad ſacrificandum incruentè neceſſaria ſunt. Huius rei ſuprà in refutatione ſententiæ Sectariorum de *Forma*, explanaui rationem, quæ ſimiliter ad hęc verba, *Qui pro vobis, etc.* accommodari debet. Firma eſt igitur probatio noſtra.

Ex qua quidem intelligitur, ſine firmo fundamento Richardum in 4. d. 8. art. 3. q. 2. à communi illa ſententia, quam defendimus, in eo receſsiſſe, quod putat, ſaltem illa verba, *Noui teſtamenti, qui pro vobis, &c.* eſſe de eſſentia Formæ, quandoquidem in Scriptura, & in Liturgiis omnibus reperiuntur. Non enim id eſt ſatis: Sed ad verum fundamentum huius Quæſtionis diiudicandæ, nempe ad mandatum illud Chriſti, *Hoc facite*, reſpiciendum eſt. Ex quo, vti oſtendimus, apparet, ne illa quidem verba eſſe de eſſentia; non magis, quàm illa alia, *Quod pro vobis tradetur*, etiamſi à Chriſto dicta eſſe Scriptura narret.

Nunc ad argumẽta contrariæ ſententiæ, quæ omnia eiuſmodi verba putat eſſe de eſsẽtia, RESPONDENDVM eſt. Ad *primum* reſpõdeo, Innocentium ibi non ſtatuiſſe, omnia illa verba eſſe Formam huius Sacramenti; ſed Formam certè illam, ſeriemq; verborum totam fuiſſe à Chriſto prolatam. Quæſtio enim erat illi propoſita, non quibus aut quot verbis cõſtaret eſſentialis Forma; ſed quomodo illa verba, quæ ſupra calicem dici ſolent, proferantur omnia, tanquam dicta ab ipſo Chriſto, cùm quædam illorum non habeantur in Scriptura, illa videlicet, *Myſterium fidei, &c.* Ad hanc autem Quæſtionem reſpondet ibi, conſtare nihilomnus ex traditione Apoſtolorum, quòd ea etiam verba Chriſtus protulerit. Atq; idem defendit D. Thomas hîc articulo tertio ad nonum.

Quòd ſanè eſſe veriſimum, duplici ratione patet. *Primò*: Quia vſus ille hęc omnia verba proferendi, omni memoria inuenitur eſſe in Eccleſia antiquior. Quod argumento eſt, iuxta Regulam diui Auguſtini ſuprà citatam, habere eum vſum originem atque authoritatem Apoſtolicam.

Deinde quia cùm verba Chriſti circa calicem aliter recẽſuerit Matthæus, aliter Marcus, aliter Lucas, &c. ſatis conſtat, non *ipſa verba*, quibus ille vſus eſt; ſed *ſententiã* voluiſſe eos referre. Quare ſtandum eſt in ea re Eccleſiaſticæ conſuetudini & traditioni, cùm ex Scriptura non poſsit determinatè conſtare, quibus potius verbis ſit Chriſtus circa calicem vſus. Quo argumento infrà etiam q. 11. vtemur cum agemus de Sacrificio Miſſæ, vbi magis hanc rem contra hæreticos dilatabimus.

Ad *ſecundum* argumentum reſpondeo, indefinitè loqui illud Decretum Florentinum de *verbis Saluatoris*: Itaque non de omnibus illis, ſed de quibuſdam intelligi debet quod ait, Formã huius Sacramenti eſſe verba Saluatoris. Alioqui ſimiliter inde probaretur, antecedentia quoque illa verba, *Accipite, &c.* atq; etiam illa ſubſequentia, *Quod pro vobis tradetur*, eſſe de eſſentia: quod tamen ſine controuerſia apud omnes quidem Catholicos falſum eſt.

Ad *tertium* reſpõdet Sotus, propterea eodem modo notari & proferri illa verba, quia licet nõ ſint de eſſentia Formæ; ſunt tamen de illius ſubſtantiæ *integritate*, ſicut ſuprà monuimus, ab hoc authore exponi ſentẽtiam D. Thomæ. Atq; eam quidem integritatem ſubſtantiæ in hoc conſiſtere interpretatur Sotus, quod *ex intentione*, inquit, *Eccleſiæ omnia illa verba concurrunt ad conſecrationem, neque ante illa perficitur, quàm omnia finiantur*. Quanquam ſi quis intenderet conſecrationem perficere verbo illo, *Sanguinis mei*, perficeret ibi, inquit Sotus; ſed *grauiter peccaret*, cùm intentio Eccleſiæ ſit, inquit, vt per omnia illa verba integrè fiat conſecratio. Ita hic author diſtinctione vndecima, quæſtione prima, articulo tertio, præſertim circa ſecundum argumentum principale D. Thomæ.

SED hæc opinio non immeritò diſplicet Alano lib. 1. de Euchariſtia, cap. 19. & aliis Theologis recentioribus: *Primò*, quia non niſi abſurdè etiã dici poteſt, pleraſq; Eccleſias non habuiſſe Formam *integram*, ſed mancam, quoad *ſubſtantia* quidem integritatem; quod tamen eſt conſequens ex illa Soti opinione, cùm conſtet, vt ſuprà diximus, in pleriſque Liturgiis non haberi illa verba omnia.

Deinde, quia æquè etiam abſurdum dictu videtur, quòd eſſentia & veritas Formæ, conſtet ſine illis poſterioribus verbis; & tamen conſecratio ex *intentione Eccleſiæ*, non perficiatur, donec reliqua illa poſteriora verba proferantur: *Id* verò ſine vllo firmo fundamento Sotus opinatur, quod in re quidem tam graui periculoſum eſt.

Sic enim contrà argumentor. Intentio Chriſti & Eccleſiæ, non eſt, immò ex hypotheſi quidem, nõ poteſt eſſe, vt poſtquam per legitimum Miniſtrum cum generali intentione conficiendi verum Sacramentũ, vera Forma Sacramenti ad verã etiam eiuſdem materiam applicata eſt, non ſit tamen adhuc verum Sacramentum. Sed cum primùm prolatum eſt illud verbum, *Sanguinis mei*, iam eſt à legitimo Miniſtro cum generali intentione conficiendi verum Sacramẽtum (vt ſupponimus illum habere) vera Forma Euchariſtiæ adhibita, & applicata ad verã etiam eius materiam, nempe ad vinum. Igitur intentio Chriſti & Eccleſiæ non eſt, neque ex hypotheſi certè eſſe poteſt, vt non ſit tunc verum iam Sacramentum Euchariſtiæ, & vera conſecratio.

Minorem

Minorem ipſe Sotus concedit. Maior autem eſt euidens. Cùm enim verum Sacramentum nihil aliud ſit, quàm quoddam compoſitum ex vera materia, & ex vera Forma, adhibitis cum intentione faciendi generatim, quod fieri debet per miniſtrum legitimum; implicat contradictionem, vt quando Forma & materia vera ſic adhibitæ ſunt, non ſit tamen verum Sacramentum. Quare ne poteſt quidem id intẽdere Chriſtus & Eccleſia: quinimò cùm vtriuſque intentio rectiſsima ſit; omnino intendunt, vt tum ſit verum Sacramentum Euchariſtiæ, cùm partes eius ſunt veræ.

Poſtremò illud etiam cohærere nõ poteſt, quod dicit Sotus, *intentionem Eccleſiæ eſſe*, vt per *omnia* illa verba conſecratio fiat, & tamen conſecratum Sacerdotem, licet peccet, ante illa poſteriora, Noui & æterni teſtamenti, &c. ſi ita intendat. Vel enim talis habet intentionem etiam generalem faciendi, quod intendit Eccleſia, vel non. Si nõ habet; nullo modo conſecrat. Si habet; tũc illa quidem intentio præponderat intẽtioni ſuæ particulari, atque adeò non fit conſecratio, niſi in fine omnium verborum, ſi ita quidem (vt vult Sotus) intendit Eccleſia.

Vt enim latè ſuprà diſput. 3. de Sacramentis in genere q. 1. p. 2. declarauimus, qui habens generalem intẽtionem Eccleſiæ, ſimul habet ſuam aliquam particularem, hanc quidem nõ habet, niſi ſub tacita conditione, quatenus videlicet cum generali Eccleſiæ intentione cõgruat. Quæ ſi alia ſit, illi proinde cedit intentio particularis. Non poteſt igitur vllo modo opinio illa Soti conſiſtere.

Neque verò exempla, quibus eam ille confirmare nititur, valent. Dicit enim, ita poſſe intelligi, verba illa poſteriora eſſe de *ſubſtantia*, & non de eſſentia Sacramenti, ſicut *digitus* eſt de ſubſtãtia hominis, & non de eſſentia. Item ſicut *tertia* merſio in Baptiſmo eſt de ſubſtantia, quando quis per eam etiam baptizare intenderet; non autem de eſſentia. Item ſicut vox, *Nouum Teſtamentum*, cùm quis vteretur Forma, quæ eſt apud Lucam, nempe *Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*. Et denique ſicut *mora* in prolatione illius verbi, *Meum*, quando eſſet aliquantò productior, eſſet de ſubſtantia Formæ, non tamen de eſſentia.

Hæc exempla dico non valere. Nam quod ad primum attinet, perſpicuum eſt, eſſe longè diſparem rationem. Digitus enim eſt de ſubſtantia, quatenus eſt de integritate corporis *in ſe*. In poſito verò ſubſtantiam Sacramenti, vt eam Sotus diſtinguit ab eſſentia, interpretatur ipſe per reſpectum *ad effectum* Sacramenti: quo pacto habemus probauimus, non poſſe illa verba ſubſequentia circa calicem eſſe de ſubſtantia Formæ, & non de eſſentia.

Similiter neque illa alia exempla, quæ in eodem genere, ſcilicet per reſpectũ *ad effectum* Sacramenti, adhibet, idonea ſunt. Nam in Baptiſmo quidem, ſi ante tertiam merſionem quis abſoluat totam prolationem Formæ, eo ipſo iam erit tunc verus Baptiſmus cum vera materia & forma; & ſic ante tertiam merſionem verè baptizauerit ex intentione Eccleſiæ, quicquid ille peculiari intẽtione ſua intendat. Si autem producat Formæ prolationem vſq; ad merſionem tertiam; tũc quidem tertia merſio ideo erit de ſubſtantia, hoc eſt, concurret ad effectũ Sacramenti, quia nondum tunc completa erit eſſentialiter Baptiſmi Forma. In propoſito autem noſtro ante illa verba poſteriora, eſt iam completa eſſentialis Forma & materia Euchariſtiæ, & ſic etiam verè atque eſſentialiter ipſum Sacramentum, ac proinde ante illa verba omnino fit conſecratio, ſine qua minimè exiſtit Sacramentum Euchariſtiæ.

Atque ob hanc ipſam rationem ſunt etiam à propoſito aliena reliqua duo exẽpla Soti. Cùm enim quis vteretur illa Formæ ſerie & diſpoſitione, quæ eſt apud Lucam; non eſſet completa eſſentialiter Forma tum, cùm diceret, *Nouum teſtamentum*, ſed cùm adderetur poſteà, *In meo ſanguine*. Quamobrem ante illa verba, Nouum Teſtamentum, ſicut non eſſet tunc verum Sacramentum: ita neque conſecratio. Eaque ratione faciliùs quidem defendi poſſet, quòd eiuſmodi etiam verba, *Nouum Teſtamentum*, concurrerent tunc ad conſecrationem, eſſentque eatenus de Formæ ſubſtantia. Et dico, *faciliùs* defendi poſſe, quia ne id quidem video neceſſariò conſequi, vt ſcilicet, quoniam illa tunc verba antecedunt voculam eſſentialem Formæ, nempe in meo ſanguine, idcirco illa etiam efficiãt conſecrationẽ.

Sic etiã productior *mora* in prolatione voculæ, *Meum*, vel antecedit complementum ac terminum ipſum eſſentialis Formæ, qui nimirum continetur completa prolatione eius vocis, vt ſignificatio illius tota compleatur; & tũc diſpar eſt ratio in propoſito, vt ex dictis patet: Vel certè ſubſequitur; & tũc ſimiliter negamus, per talem moram prolationis fieri etiam cõſecrationem, eatenusq; illam eſſe de ſubſtantia Formæ.

Cùm igitur tota illa Soti doctrina planè ſingularis & falſa ſit, aliter ad *tertium* illud argumẽtum reſpondemus: Nempe idcirco verba illa ſimili modo notari & proferri, quia peculiari quadam ratione ſunt *accidentalis* quædam perfectio Formæ calicis, eò quòd explicant rationẽ & vim illius prædicati Formæ, nẽpe, *Sanguinis mei*: quòd ſcilicet Chriſti ſanguis in remiſsionem peccatorum effuſus ſit, &c. Quæ quidẽ declaratio, vt D. Thomas docet art. 3. ad 7. potius debuit addi ad *prædicatum* Formæ in conſecratione Sanguinis, quàm in conſecratione Corporis, eò quòd ſanguinis conſecratio ſeorſim facta, expreſsiùs, quàm conſecratio Corporis, repræſentat nobis paſsionem Chriſti, in qua Sanguis nimirum eſt à corpore Chriſti ſeparatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vel poteſt etiam reſponderi, idcirco eodem modo notari illa verba & proferri, quia cùm nõ ſit damnata illa opinio, quæ omnia ea verba vult eſſe de eſſentia Formæ; tutiſsimum eſt omnia eodem modo ad calicẽ adhibere, intentionemque habere eo modo & per ea verba conſecrandi, quibus Chriſtus inſtituit, & Eccleſia intendit: quemadmodũ in hac quidem parte omnes Doctores faciendum eſſe monent.

Quanquam id quidem fieri non debet cum illa ancipiti dubitatione Scoti, qui vt ſuprà vidimus, nihil putat in alterutram partem eſſe determinatè ſentiendum de formis. Sed ideo illa intẽtio generalis adhiberi debet, quia licet certior ſententia ſit, illa verba non eſſe de eſſentia Formæ calicis; ſunt tamen inter orthodoxos Doctores, qui aliter ſentiant: & officium miniſtri Eccleſiaſtici eſt, Sacramenta modo certiſsimo atque tutiſsimo, quoad eius fieri poſsit, conficere.

Atque ex hac notatione patet ſimiliter reſpõſio ad argumentum *Quartum*. Ob eandem enim cauſſam calix non proponitur adorãdus, donec finitis omnibus illis verbis conſtet ſine controuerſia ibi adeſſe Chriſti ſanguinem.

Ad *vltimum* argumentum reſpondeo, explicare quidem illa ratione D. Thomam, cur congruenter factum ſit, vt ea verba addantur peculiariter ad *formam* calicis, tãquam illius quædam *accidentalis* perfectio, vt paulò antè explicatũ eſt, ſed non ſatis tamen oſtendit ea ratio congruentiæ, quòd ſint ea verba omnino de eſſentia formæ. Nam ſimiliter declaratio prædicati formæ panis, per illa verba, *Quod pro vobis tradetur*, pertineret ea ratione ad eſſentiam formæ panis, quod tamen ſine controuerſia apud Catholicos falſum eſt.

Et quòd peculiaris ratio congruentiæ ſit in aliis illis verbis, quæ adduntur ad calicem, facit id quidem, vt peculiariter ponantur tanquam perfectio *accidentalis* eius formæ, ſicut dictum eſt: nõ autem vt ſint de eſſentia, quę ſanè, vt rectè etiam notauit Alanus vbi ſuprà, minimè definiri debet eiuſmodi congruentiis.

Sciendum eſt tamen, omnium ſententiam nihilominus eſſe, non poſſe illa verba in conſecratione calicis prætermitti ſine graui ſacrilegio: tum quia Eccleſia vult illa adhiberi: tum quia oportet tutiſsima ratione, quoad eius fieri poſsit, conſecrare, vt ſuprà dictum eſt.

Nvnc reiectis hunc in modum ſententiis de Forma huius Sacramenti falſis, eo ipſo magna iam ex parte confirmata eſt vera de hac re ſentẽtia; nempe Formam huius Sacramenti, quoad conſecrationem *panis* eſſe, *Hoc eſt corpus meum*: & quoad conſecrationẽ *vini*, *Hic eſt ſanguis meus*: vel quod idem in re ſignificat, *Hic eſt calix ſanguinis mei*. Iam enim ſuprà diſput. 3. de Sacramentis in genere, q. 1. p. 2. docuimus, nihil ad *veritatem* quidem Formæ intereſſe, quibus vocibus illam ſententiam ſignifices, quæ ex inſtitutione Chriſti ſignificari debet verbis Formæ: modò illam ipſam quidem ſignifices. Quod idem in noſtro propoſito ſpeciatim notatur à Dominico Soto d. 11. q. 1. art. 2. & à Franciſco Victoria q. 74. de Sacramentis, & ab aliis communiter. Quanquam non *licet* quidem immutare illa verba determinata, quibus Eccleſia ex Apoſtolica traditione vtitur, vt antea dixi.

Probatur igitur *Primò* hæc ſentẽtia vltima tali argumento ex inſtitutione huius Sacramenti & eiuſdem natura ducto. Forma huius Sacramẽti illis verbis Chriſti & non aliis, omnino continetur, quæ ſola cõuenienter tum rationi ipſi huius Sacramenti, tum eiuſdẽ inſtitutioni, Formæ rationem habere poſsint. Sed talia Chriſti verba ſunt, *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hic eſt ſanguis meus*; vel his æquipollentia (vt dictum eſt) & non alia. Igitur his, & non aliis verbis determinatè continetur iſtius Sacramenti Forma.

Maior certiſsima eſt, cùm euidenter conſequatur ex duabus propoſitionibus certis ex ſide. *Vna* eſt, Formam huius Sacramenti continẽri quidem verbis Chriſti, vt ex ipſa Chriſti inſtitutione vniuerſa Eccleſia perpetuò docuit, & vſu ſuo in Liturgiis omnibus confirmauit, Patreſque omnes ex eadem inſtitutione aſſerũt. Quod & definitũ eſt in Concilio Florentino, & in Cap. *Cùm Marthæ*, Extra de celebratione Miſſarum, & in multis aliis Decretis de conſecrat. diſtinct. 2. *Altera* propoſitio eſt, à Deo in Sacramentorum materia, ſicut & in aliis rebus omnibus, nihil nisi bene & conuenienter inſtitutum eſſe.

Minor autem quoad vtramque partem probatur. Nam cùm ratio & *natura* huius Sacramenti ſit ſolùm quiddã *permanens*, nempe Chriſtus, vt continetur ſub ſpeciebus; vel ſpecies, vt continent Chriſtum, & hoc ipſum illis ſolis verbis ſignificetur; ſatis hinc apparet, conuenientèr ipſi *naturæ* huius Sacramenti, ſtatui eius Formam in ſolis illis verbis. Item etiam ex eo ipſo intelligitur, conuenire quoq; eam aſſertionem cum ipſo præcepto *inſtitutionis*, per quod ſanè conſtat, imperari maximè Sacramenti Formam. Nam in Sacramentis nouæ legis ex præcepto inſtitutionis eorum ſignificari omnino debet per verbum, ſeu per Formam ipſa natura Sacramẽti. Neque aliter Sacramentum, niſi eiuſmodi ſignificatione confici legitimè poteſt. Quam ob cauſſam ſine controuerſia ſemper Eccleſia intellexit, illa quidem verba, *Hoc eſt corpus meum*, &c. eſſe omnino de eſſentia Formæ Euchariſtiæ. Quòd autem alia Chriſti verba, neque cum ſententia, neque cum præcepto illo, *Hoc facite in meam commemorationem*, conueniant, vt ſcilicet Forma etiã in illis ſtatui poſsit, clariſsimis rationibus hactenus oſtẽdimus in refutatione quintæ & ſextæ ſententiæ. Patet igitur quoad vtramque partem illa Minor.

Secundò

Secundò accedit ad huius rei confirmationem, quòd veteres Patres, cùm vrgent, *verbis Chriſti cõficiſi hoc Sacramentum*, ferè commemorant etiam ac proferunt illa ſola verba: *Hoc eſt corpus meum*: De quibus ita loquuntur, vt indicent, planè idẽ ſe de illis aliis ſentire, *Hic eſt ſanguis meus*, quorũ eſt ſimilis ſignificatio.

Gregor. Nyssenvs in oratione Catechetica, cap. 37. *Panis*, inquit, *ſanctificatur per verbũ Dei & orationem, non per cibum et potum procedens ad corpus Dei, ſed à verbo, quemadmodum dictum eſt transmutatus, nempe* (inquit) *Hoc eſt corpus meum*.

Item ſanctus Chrysostomvs homilia de proditione Iudæ: *Hoc eſt*, ait, *corpus meum, hoc verbo propoſita*, inquit, *dona conſecrantur*.

Damascenvs lib. 4. fidei orthodoxæ, cap. 14. *Dixit Dominus, Hoc eſt corpus meũ, hoc facite, & omnipotenti eius verbo efficitur, donec veniat*.

Germanvs Conſtantinopolitanus libro de Theoria Eccleſiaſtica, ipſe dixit: *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hoc facite. quod non dixiſſet, niſi vim inditurus ficiſſet, vt id aliis etiam facere liceret*. Atque in eandem ſententiam loquuntur alij Græci. Vt Origenes homil. 9. in Leuiticum, Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4. & 5. myſtag.

Nec diſſimiliter Latini. Ita enim Tertvllianvs lib. 4. contra Marcionem: *Panem accepiſſe Chriſtus fecit corpus ſuum, dicendo: Hoc eſt corpus meum*.

Item Cyprianvs de Cœna Dñi: *Summus Sacerdos*, inquit, *panẽ profert & vinum dicendo, Hoc eſt corpus meum: Ante illa verba cibus erat communis: at poſtquam a Domino dictum eſt, & quotieſcunque his verbis & hac fide actum, panis ſubſtantialis iſte ſolenni benedictione ſacratus, ad totius hominis vitam ac ſalutem proficit*.

Ambrosivs lib. de iis, qui myſter. init. cap. 9. *Conſecrationem*, inquit, *diuinã ipſa verba Saluatoris operantur: ſermone enim Chriſti hoc cõficitur Sacramẽtum. Clamat enim Dominus: Hoc eſt corpus meũ: et antè benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti eſt*.

In eandem ſententiam loquitur Auguſtinus ſerm. 28. de verbis Domini, Hieronymus in epiſt. ad Euagrium, & in caput 14. Marci, Gregorius 4. Dialog. cap. 36. Paſchaſius libro de Corpore & Sanguine Domini, cap. 12. Rabanus libro item de corpore & ſanguine Domini, cap. 34. Bernardus in ſerm. de Cœna Domini.

Et denique ita intelligẽdum eſt, quod omnes veteres abſolutè dixerunt, ipſis verbis Domini conſecrari & fieri Euchariſtiam, vt Irenæus lib. 4. cap. 32. & 34. & 57. & lib. 5. cap. 2. & Iuſtinus Apolog. 2. Verba enim Domini ea in propoſito eſſe intelligunt, quæ alij Patres locis antè citatis diſertè expreſſerunt; quorum ſententiæ non eſt pro hac Quæſtione de Forma; ſed etiam pro Quæſtione de præſentia & de efficacitate horũ verborum diligentiſsimè notandæ ſunt.

Ad extremum pro ampliori huius ſententiæ confirmatione, notandæ etiam ſunt illæ D. Thomæ rationes, quibus hîc art. 2. & 3. perſpicuè declarat hanc Formarum congruentiam; & inprimis cur potiùs dici debuerit, Hoc eſt, & Hic eſt, &c. quàm, Hoc fit corpus meum.

Hunc in modum aſſerta Forma huius Sacramenti, ſolet deinde hîc Qvaeri, Vtrum nõ modò Chriſtus Formam hanc pro aliis inſtituerit, ſed etiam eâdem ipſe vſus fuerit ad ſui corporis & ſanguinis conſecrationem in vltima Cœna? Et ratio dubitandi eſt: Quoniã ita Euangeliſtæ narrant, actam rem eſſe, vt videatur corpus Chriſti fuiſſe ſub ſpecie panis priùs, quàm Chriſtus illa verba diceret: *Hoc eſt corpus meum*. Sic enim legimus: *Accipiens panem, benedixit & fregit, deditq; diſcipulis ſuis*, Dicens; *Accipite, hoc eſt corpus meũ, &c.* Hinc ſanè videtur priùs *dediſſe*, quàm illa verba diceret. At dedit ſuũ corpus. Igitur priùs illud erat ſub ſpecieb. panis, q̃ ea verba diceret.

Hæc ratio dubitandi peperit olim varias hac de re ſententias. Innocentius libro de Sacramẽto Altaris, cap. 6. opinatus eſt, Chriſtum primò conſecraſſe ſine vllis verbis, per poteſtatem videlicet ſuam, quam vocant *Excellentiæ*. Deinde autẽ protuliſſe ea verba, quæ vellet à nobis vſurpari tanquam Formam. Quam opinionem ex recentioribus, quod ſciam, ſequitur Catharinus in Opuſculo peculiari de hac re. Alij voluerunt, eum conſecraſſe verbis aliis nobis ignotis; quibus *benedixerit* nimirum, vti Euangeliſtæ narrant. Alij, q̃ iiſdem verbis, Hoc eſt corpus meum, &c. quæ ipſe tũ priùs etiam occultè dixerit, dum *benediceret* & poſtea iterum repeteret publicè.

Sed has opiniones omnes D. Thomas perſpicuè art. 1. ad 1. oſtẽdit, carere prorſus ſolido fundamento. Quo loco ipſe communem ac veram ſententiã rectè declarat, nẽpe Chriſtum illis verbis conſecraſſe, *Hoc eſt corpus meum*, & quidem quatenus palàm audientibus Apoſtolis ea protulit, ſicut Euangeliſtæ narrant. Quod certè ſentiunt veteres oẽs Patres, vt ex ſententiis illorum paulò ſuperiùs recitatis manifeſtè apparet.

Neq; obſtat modus ille, quo Euangeliſtę narrationem rei geſtæ compoſuerunt. Senſus enim eſt, Chriſtum, *dum* benediceret quidem & frangeret, daretq; diſcipulis ſuis, *dixiſſe*: Hoc eſt corpus meum. Itaq; ſub illud idem tempus, & quidem his ipſis verbis illum benedixiſſe, vult D. Thomas hic, & ſentiunt communiter S. Patres. Quanquã Sotus quidem d. 11. q. 1. art. 2. probabile putet, eum aliis quibuſdã verbis benedixiſſe; licet Euangeliſta illa nobis non narret.

Quòd aũt narratio illa Euangeliſtarum, quod ad rem quidem attinet, eum ſenſum habeat, quẽ dicimus; dupliciter defendi poteſt, ſicut etiam Diuus Thomas exponit. *Primò*, ſi dicamus, non eundem tenuiſſe Euangeliſtas in narrando ordinem, qui fuit ipſius rei geſtæ: id quod beatus Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum,

cap. 31.

cap. 31. & sequentib. in Scripturæ historia sæpè animaduertendum esse docet. Atque hoc quidem fundamento Sotus loco citato, opus habet in eo, quod asserit, priùs fuisse *fractum* à Christo panem, quàm datum & consecratum, contra quam habet ordo narrationis; sed hoc quidem parùm interest. *Secundò* potest ille sensus constare, etiamsi non dicamus, alium ordinem Euangelistas tenuisse in narrãdo, quàm ipsius rei fuerit. Nam participium illud, *Dicens*, eam vim habet, vt præcedentia coniungat vno & eodẽ tempore continuo cum sequentibus; qualiscunque tandem in his ordo fuerit. Atque hæc explicatio magis probatur D. Thomæ.

POSTREMO illud etiam notetur, etsi Sectarij velint, hęc verba formę dici debere, sublata voce in prędicantium morẽ; nullo tamen firmo argumento id ab illis probari. Christus. n. non dixit: Hoc *prædicate*, vel Hoc *cõmemorate elata voce*; sed, *Hoc*, inquit, *facite in meam cõmemorationem*, id est, oblationem meam in cruce ipsi repræsentate *facto*, quoad eius fieri potest, ita simili, vt memoria ex eo ipso excitetur in vobis mei, nẽpe oblatione eiusdem Christi incruenta, sicut Ecclesia Catholica facit. Atq; hoc est verisimè *facto* ipso annunciare mortem Domini, sicut infrà q. 11. cùm disseremus de sacrificio Missæ contra Sectarios defendemus. Et hactenus de primo Puncto huius Quæstionis principali.

PVNCTVM SECVNDVM.

An, & quomodo Forma huius Sacramenti sit vera.

D. Thom. artic. 5.

EXPLICATIO huius rei difficilis redditur variis ex capitibus, quæ & ipsa etiã diligẽter ppendenda sunt, vt cõmodiùs postea rẽs tota intelligatur.

PRIMO enim oritur difficultas ex parte MINISTRI proferentis illa verba, *Hoc est corpus meum*. Potest enim dupliciter ea proferre. VNO modo *recitatiuè*, vt vocant, & materialiter, id est, animo referendi tantùm, quæ verba Christus in vltima cœna vsurpauerit, ad significandam præsentiam sui corporis & sanguinis, sub specie illa panis & vini, quam tũc in manib. habebat. Et isto modo minimè quidẽ significaret minister id, quod in Sacramento nũc fit; sed id tantùm, quod aliquãdo fuit factũ. Quare defendere Formæ veritatẽ secundùm hunc proferendi modum, nequaquã est satis. ALTERO modo proferre potest ea verba *personaliter & significatiuè*, id est, vt intentio ministri sit, non modò referre illa, tanquã à Christo olim dicta; sed etiã exercere iam in præsenti ipsorum significationem. Et isto modo quidem oratio videtur planè falsa. Nam voculâ, *Meum*, nõ significabit Minister hac ratione corpus ipsum Christi, sed planè suum. Atq; ita non significabit id, quod reuerà hîc fit & est, nempe corpus Christi sub speciebus illis, quæ iam non consecrantur; sed id potiùs, quod non est, neque fit, nempe suum proprium corpus esse præsens sub eiusmodi speciebus.

SECVNDO oritur etiam difficultas ex parte SVBIECTI illius enunciationis, quod est Pronomẽ illud demonstratiuum, *Hoc*. Necesse est enim, vt per illud significetur, seu indicetur aliquid omnino, quod tunc sit *præsens* in pane & vino, quãdo id Pronomen profertur. Est enim id Pronomẽ in *præsenti* demonstratiuum. At quidquid omnino tunc præsens in pane & vino per id Pronomẽ demonstretur, enunciatio videbitur falsa. In pane enim cùm hoc Pronomen profertur, non est aliquid præsens, præter illius *accidentia*, & *substantiæ* singularem, atq; *individuam* secũdùm omnia panis prædicata *essentialia*, tum specifica, tum generica, vsq; ad ipsam rationẽ *Entis*, quæ in illo est etiam individua, iuxta illud Axioma verissimum Philosophorum: *Principia individuantia substantiã, individuant illam vsq; ad Ens*. Nihil verò istorum verè est illud, quod significatur per prædicatum illius ennunciationis, nempe *corpus* Christi, vti rem consideranti facilè patet.

TERTIO oritur difficultas ex parte COPVLÆ illius enunciationis, nempe verbi, EST, in quo quidem maximè consistit essentia ipsius enunciationis. Nam cùm sit de *præsenti*; videtur oratio non esse vera, nisi vera sit illo ipso momẽto, quo verbum, Est, profertur: in quo tamen vera non est, cùm corpus Christi nondum ibi præsens adsit; sed tum primùm, cùm omnia verba Formæ sunt finita.

QVARTO, quædam etiam CONDITIO huius enunciationis parit difficultatem. Dicitur enim esse enunciatio ita PRACTICA, vt ipsa etiam *efficiat* suum significatum, nempe vt Christi corpus ibi præsens adsit. Hoc si ita est; antecedit igitur (saltem naturâ) hæc enũciatio suum significatum, id est, prius naturâ erit ipsa, quàm res habeat se ita, vt significatur. Quare ea quidẽ ratione non erit vera; sed falsa, & consequenter vtique falsa, efficiet suum significatũ, quod absurdum quoque per se videtur.

SED dubitandum tamen non est, quin hæc Forma sit VERISSIMA, vt D. Thomas defendit art. 5. quippe cùm Christus, qui est Veritas, eã vsus fuerit, & etiam nunc vtatur per suos Ministros. Hanc Assertionem vt declarem atq; confirmem, ipsa capita difficultatis, quæ sunt proposita, ordine iam explicabo.

Et de PRIMO quidem difficultatis capite ognio fuit Innocentij libro 4. de Mysterio Missæ, cap. 17. Ministrum proferre illa verba non nisi *recitatiuè & materialiter*, sicut proferri solent illa etiam Christi: *Ego sum lux mundi*. Idem asserit Glossa in Cap. *Timorem*, de consecratione, distinct. secunda, & Durandus in quarto, distin. 8. quæst. 2. Ockam quodlib. 2. quæstione vltima, Ioannes

Ioannes Maior in 4. d. 8. quæst. vnica, ad 2. argumentum. Picus Mirandulanus in Apologia suarum assert. q. 10. Catharinus in Opusculo de his verbis Domini. Probant: Quoniam antecedentia verba dicuntur recitatiuè tantùm, nempe illa: *Accipite & manducate*: Ergo similiter sequẽtia, *Hoc est corpus meum*, &c. Addit Durandus: Si nõ accipiantur recitatiuè tantùm, falsam fore Formam, saltem quoad illam partem, *Qui pro vobis effundetur*. Non enim est iam effundendus Christi sanguis.

SED hanc sententiam fortiter impugnat ratio illa, qua vtitur etiã D. Thom. hîc art. 5. Non enim tunc applicarentur ea verba ad materiam id ipsum significando, quod nunc fit, vt antea quoq; argumentabamur.

Sententia igitur D. Thomæ hîc art. 5. & lect. 5. in cap. 11. 1. ad Cor. omnino tenenda est, nempe proferri ea verba *significatiuè & personaliter* à Sacerdote; non quidem *per se*, sed quatenus peculiari ratione *induit & repræsentat* in ea re Christi personam. Vt cùm legatus aliquis v. g. sustinens personam sui Principis, dicit aliquid *significatiue* nomine ipsius perinde, ac si ipse Princeps præsens loqueretur. Ita etiam sentiunt communiter alij Doctores. Halensis 4. p. q. 33. memb. 3. art. 2. §. 1. Bonauentura dist. 8. 2. parte distinct. art. 1. q. 1. Richardus ead. dist. art. 3. quæst. 1. ad 3. Marsilius in 4. quæst. 6. art. 1. dub. 4. Sotus dist. 11. quæst. 1. artic. 5. Alanus libro 1. de Eucharistia, cap. 17.

Notat tamen expressè D. Thomas, simul etiam proferri ea verba *recitatiuè*, quatenus nimirum intentio Ecclesiæ etiam est, vt simul denotetur, illa fuisse à Christo dicta super materiam, quam ipse consecrauit in vltima cœna. Quod etiam expressè notatur à Soto, & Alano vbi suprà: & est quidem ex mẽte aliorum Doctorum, quos pro hac sententia citauimus, excepto Marsilio, qui incautus scripsit, non accipi etiam ea verba recitatiuè, quem bene eo nomine refellit Sotus. Notant autem rectè quoque idem Sotus & Alanus, minimè debere dici in nostra sententia, quòd proferantur simul illa verba *materialiter*. Vocula enim, Materialiter, denotat in proposito, quòd *solum* recitatiuè, & non etiam significatiuè proferantur hæc verba.

Ad fundamentum verò contrariæ sententiæ facilè respondetur, non esse eandem rationem antecedentium illorum verborum, *Accipite & manducate*. Nam illa non sunt de essentia Formæ, quæ, vti diximus, applicari debet ad materiam, significando id omnino, quod in præsentia *fit*. Quare nihil mirum, si illa verba antecedentia proferantur solùm recitatiuè, atque adeò materialiter: Reliqua verò, in quibus consistit Forma, nempe, *Hoc est corpus meum*, non solùm recitatiuè, sed etiam significatiuè.

Ac similiter ad rationem Durandi respondetur illa verba sequentia, *Qui pro vobis effundetur*, non esse de essentia Formæ, ac proinde tantùm recitatiuè & materialiter proferri, vt bene notauit Sotus. Quo quidem pacto vera sunt, cùm ad tempus illud referũtur, quo sanguis Christi fuit effundendus.

Patet etiam ex declaratione nostræ sententiæ, quemadmodum particula, *Meum*, minimè significet corpus Sacerdotis (vt suprà obiiciebamus) sed ipsius Christi. Etsi enim Sacerdos id verbum proferat significatiuè; non illud tamen profert per se ipse sine respectu ad Christum, sed *in persona* Christi.

Quod sanè, vt rectè notauit Sotus, in administratione huius Sacramenti est quiddã singulare. Nam etsi virtute Christi conficiat Minister instrumentaliter alia etiã Sacramenta; tamen non perinde induit personam Christi in proferendo verba, sicut facit hîc. Quinimò ipse etiam in aliis Sacramentis *per se*, hoc est, in persona *sua* profert verba, quatenus sunt quidẽ significatiua. Sicut per se facit ipse illum quidem actum externum, quem verba significant. Vt ablutionem v. g. in Baptismo. Quanquam in persona Christi, ac illius quidem virtute & verba profert & actum facit, quatenus in his est Sacramentalis *virtus*. In proposito autem nostro, non modò verba Formæ profert in persona Christi, quatenus sunt *effectiua* Sacramentaliter; sed etiã quatenus sunt simpliciter *significatiua*, & adeò significant adesse Christi corpus.

DE SECVNDA difficultate longũ esset referre omnes opiniones Sectariorum, quæ sunt de significatione illius Pronominis, HOC, atque adeò de pauciss imis illis Christi verbis. Nam octuaginta & ampliùs interpretationes falsissimæ ex eorum libris collectæ sunt à variis Catholicis Scriptoribus. Quæ tamen omnes, licet vnaquæque peculiarem aliquam vanitatem suam habeat, ad vnam præcipuam reuocantur, quæ communis est ferè Sacramẽtariorum, & Lutheranorum omnium.

Nam cùm inter omnes istos conueniat, ibi manere substantiam *panis*; facilè omnes concedunt per Pronomen, Hoc, ipsam substãtiam panis singularem ac individuam *determinatè* demonstrari posse; modò alteruter tamen sit sensus; scilicet vel hic panis *significat* corpus Christi absens, vt contendunt Sacramentarij; vel hic panis *est coniunctus* Sacramentaliter cum ipso corpore Christi, vt interpretantur omnes Lutherani.

Vtrumq; autem sensum nos suprà copiosè refutauimus q. 3. p. 1. & 2. in Assertione præsentiæ corporis Christi, atque etiam transubstantiationis panis in hoc sanctissimo Sacramento. Quibus duabus veritatibus constitutis, omnes illæ adulterinæ interpretationes istorum, quod attinet ad Pronomen illud, HOC, per se cõcidunt; quæ videri possunt, si cui vacat & libet, apud Claudium

Claudium de Saincles, repetit. 1. de Eucharistia, cap. vlt. vbi recenset atque assignat suis authoribus octoginta quatuor eiusmodi interpretationes vanissimas, quarum aliquas etiam commemorauit Alanus libro primo de Eucharistia, cap. 20.

Theologorum autem Scholasticorum non eadem etiam est sententia omnino de significatione illius Pronominis: tametsi omnes illi veritatem præsentiæ & transubstantiationis retinent. Immò eam *supponunt* planè in suis interpretationibus. Vnde ob eam causam illorum quidam falluntur, quòd ita interpretantur illa verba, vt non possit ex illis etiam *probari* præsentia Christi, sed debeat in eiusmodi interpretationibus *supponi*, tanquam aliunde certa, sicut fuit sanè apud eiusmodi Doctores omnes extra controuersiam.

PRIMA igitur sententia fuit Alexandri Hall. 4. p. q. 33. memb. 3. art. 2. qui ita interpretatur, Hoc, id est, id, in quod panis est conuertendus, quodque significatur per panem, est corpus meum. Quo ferè pacto idem verbum interpretatur Marsilius in 4. q. 6. art. 1.

Hanc interpretationem refellit D. Thomas hîc art. 5. Quoniam tunc non significaretur in proposito illud idem, quod nunc *fit*: non enim nunc fit, vt id, quod per panem mysticè significatur, sit Christi corpus; cùm id in rei veritate nihil aliud sit, quàm Christi corpus, (quod per panem significatur) esse Christi corpus; quod nō opus est fieri, cùm per se verum sit: Sed fit modo vt id, quod adest hîc *præsens*, sit omnino corpus Christi.

Deinde non posset secundùm eam interpretationem *probari* ex illis verbis *præsentia* corporis Christi realis in hoc Sacramento. Nam etiamsi Christi corpus esset tantùm in cœlo; tamen æquè verè tunc diceretur, id, quod per panem illum mysticè significatur, esse corpus Christi.

Denique quamuis hæc interpretatio non sit planè eadem cum interpretatione Sacramentariorum (aliud enim est, hoc *significat* corpus, quod Sacramentarij dicunt; aliud, id, quod per hoc *significatur*, est corpus) tamen fauet eorum hæresi, quatenus planè ita eneruat orationem Christi, vt inde non possit *probari* præsentia, ac multò minùs *transubstantiatio*, quam ibi Alexander *supponit*, sicut & significationem mysticā corporis Christi per panem.

SECVNDA opinio est Bonauenturæ dist. 8. in 2. parte illius distinct. artic. 1. quæst. 1. nempe sensum esse, Hoc est, id est, hic panis *fit* corpus Christi. Sed contrà est, quòd nisi retineamus proprietatem in verbo, Est, nō habebimus præsidium in illa oratione ad *probandum*, quòd per conuersionem hîc *fiat* panis corpus ipsum Christi: sed oportebit id aliunde pro certo *supponere*, vt ista videlicet interpretatio habeat locum.

TERTIA opinio est Ockami quodlib. 2. quæstione vlt. Pronomen, Hoc, demonstrare rem ipsam, quæ est Christi corpus; & sensum esse: Hoc, quod hîc erit statim, est corpus meum. SED hæc sententia eodem modo confutatur. Nam recedit à proprietate demonstratiui illius Pronominis; *Hoc*; Nisi enim de aliquo *præsenti* secundùm verborum ipsam proprietatem vera ostendatur esse illa Christi demonstratio; non poterimus ex illis Christi verbis probare id ipsum, quod Ockā asserit, nempe, id, quod paulò post ibi futurum sit, esse corpus Christi.

QVARTA opinio est Ioannis Maioris in 4. dist. 8. longè reliquis deterior. Nam cùm opinaretur, per Christi verba *recitatiue* solum dicta, consecrari Christi corpus sub speciebus panis, non putauit esse laborandum in explicando, quemadmodum demonstratione alicuius rei in pane per Pronomen illud, *Hoc*, consecretur: Atque ita vult, per Pronomen illud non demonstrari nunc, nec demonstratum fuisse à Christo, aliquid in pane, sed ipsum Christi corpus, quod aſsidebat mensæ, idemq; nos demonstrare nūc, sed non nisi materialiter & recitatiuè tantùm. Quæ interpretatio fuit etiam Carolstadij hæretici, Sacramentariorum patris. Sed est absurdissima.

Primò, quoniam series verborum Christi planè indicat, demonstrasse ipsum id, quod habebat in manibus, & porrigebat discipulis, vt comederent. Ait enim: *Accipite & manducate, hoc est corpus meum.* Vt si quis (inquit bene Sotus d. 11. q. 1. art. 5.) in conuiuio diceret: Accipe & manduca; Hoc est ex perdice, &c. vbi certum est, id demonstrari per Pronomen, Hoc, quod porrigitur.

Secundò: Quia tunc minimè significaretur his verbis id ipsum, quod nunc *fit*; neque posset ex illis *probari* præsentia Christi: in quod incommodum omnes istæ sententiæ incurrunt, eoque nomine planè sunt improbabiles, ne quo iam grauiori vocabulo eas censeam: tametsi omnes isti Scholastici Doctores ea quidem ratione excusari debeant, quòd crediderunt nihilominus, in Sacramento Christi præsentiā, & panis transubstantiationem, vt antè diximus.

VERA igitur sententia, & fidei orthodoxæ planè consentanea, consistit in quatuor Assertionibus. PRIMA, per Pronomen illud demonstrari quidem eam rem totam atq; substantiam, quæ sub accidentibus panis præsens continetur tum, cùm profertur illud Pronomen. Hæc assertio probatur: Quoniam alioqui non reneremus in illa Christi oratione eam proprietatem, quæ necessaria est, vt inde *probemus* tum Christi præsentiam, tum panis in illum transubstantiationem, vt suprà quæst. 3. punct. 1. & 2. fecimus ex Ecclesiæ sententia.

SECVNDA assertio: Non tamē demonstrari eam rem secundùm notionē aliquam eius *distinctam & peculiarem*, quæ *determinatè* conueniat soli *pani*; sed secundùm aliquam notionem *communiorem*, minusque distinctam, quæ indifferenter & pani, & corpori Christi æquè conueniret hîc posit. Probatur: Quoniam falsum erit alioqui, rem illam esse corpus ipsum Christi; id quod tamen per ea verba significatur.

TERTIA: Non igitur demonstrari eam rem secundùm rationem panis specificam aut genericam *talem*, quæ non sit pani cum humano corpore communis: item neque demonstrari secundùm suam rationem *indiuiduam determinatam*, aut etiam vagam *talem*, quæ corpori Christi minimè in proposito conuenire possit, quandiu est quidem habitudo ad illa numero accidentia quatenus ita rem illam continent, vt ei *inhæreant*. Hæc assertio patet consequenter ex secunda.

QVARTA: Omnino eam rem præcisè demōstrari secundùm rationē *substantiæ indiuiduā vagā*, cōsistentem propriè in eius subst ātiæ ordine seu habitudine ad illa numero accidentia, quatenus est illis *intimè coniuncta*, atque sub iis adeò continetur *præsens*; non cogitando hîc vlteriùs, quòd contineatur sub illis numero accidentibus tanquam *subiectum*, cui ea inhæreāt: id quod pertinet quidem ad indiuiduam rationem determinatam ipsius panis.

Hæc Assertio probatur ex præcedentibus. Nam si secundùm hanc rationem ea res hîc demonstretur; illa omnia rectè constabunt, quæ in proposito requiruntur, vt ciusmodi demonstratio fiat verè. Primùm enim talis est ea res secundùm hanc rationem præcisè considerata, vt non minùs possit esse *idem* cum corpore Christi, quàm cum pane: id quod necesse est, vt illa tota oratio sit vera: significamus enim, illam rem demonstratam, esse *identicè* ipsum corpus Christi, quod saltem oportet esse verum in fine illius orationis, vt paulò pōst videbimus.

Deinde rectè etiam isto modo intelligitur, quemadmodum simul illa oratione connotetur fieri hîc veram *conuersionem*, non rei qualiscunque, sed substantiæ *panis* in substantiam *corporis* Christi. Connotatur enim ita, *eandem* substantiam, quæ prius erat panis (*eandem* inquam, non secundùm rationem indiuiduam determinatam, aut specificam, aut genericam propriam *panis*; sed secundùm illam substantiæ rationem *communem* & indifferentem, iam dictam) postea esse corpus Christi, quatenus coniungitur intimè iisdem accidentibus, eatenusque succedit pani: in quo suprà quæst. 3. punct. 3. docuimus consistere hanc conuersionem.

Atque hoc ipsum est, quod planè docet D. Thomas hîc articulo quinto sub finem corporis articuli, & præsertim ad secundum argumentum, vbi sic dicit: *Pronomen, Hoc, non demonstrat ipsa accidentia, sed substantiam sub accidentibus contentam, quæ primò*, inquit, *fuit panis, & postea est corpus Christi: quod licet non informetur his accidentibus; tamen sub eis continetur.* Hæc ille.

Postremò secundùm istam explicationem, satis etiam retinetur proprietas demonstratiui illius Pronominis, *Hoc*. Nam posuimus demonstrari illam substantiam secundùm rationem etiam aliquam *indiuiduam vagam*, quatenus videlicet continetur his numero accidentibus, non cogitando iam de *informatione*, vt rectè etiam D. Thomas notauit. Id autem satis est, vt demonstratio hæc defendatur esse *ad sensum*, sicut requirit sanè vis illius Pronominis. Vt si quis v. g. in alieno horto, herbam aliquam indicans dicat: *Hæc herba nascitur etiam in horto meo*; demonstrationem quidem facit ad sensum, quamuis non secundùm rationem indiuiduam *determinatam* (non enim eadem determinatè herba nascitur duobus in hortis) sed *vagam*, per respectum ad similia accidentia.

Quanquam negandum quidem non est, quin demonstratio indiuidui *determinati*, magis sit ad sensum; sed potest tamen ad sensum etiam fieri secūdùm rationē indiuiduā vagam. Et præterea demōstratio, quę in proposito fit per illud Pronomen, *Hoc*, multum certè accedit ad modum demonstrationis secundùm rationem indiuiduam determinatam: siquidem fit per respectū ad *eadem* accidentia *etiam numero*, & sub illis substantia demonstratur, quod est maximè fieri demonstrationem substantiæ ad *sensum*, vt D. Thomas hîc art. 5. ad 2. respondit.

Porrò de prima, secunda, & tertia Assertione nostra, prorsus conuenit inter D. Thomam hîc artic. 5. & lectione 5. in 1. Corinth. 11. & Scotum in 4. dist. 8. quæst. 2. Richardum ead. dist. artic. 3. quæst. 1. Durandum quæst. 2. Capreolum quæst. vnica, ad argumentum contra quintam conclusionem, Victoriam quæst. 75. de Sacramētis, Caietanum hîc art. 5. Sotum dist. 11. quæst. 1. art. 5. etsi Sotus quidem nec opinionem Caietani (à quo falsò putat se in re dissentire) neq; Scoti videatur satis esse assecutus.

Quarta etiam Assertio nostra est præcipuè D. Thomæ, & Caietani hîc art. 5. & omnium aliorū, quos citaui, excepto Scoto, qui voluit, demonstrari hîc illam rem secundùm rationem indiuiduam vagam non *substantia*, sed *Entis*. Hoc tamen rectè confutat ea ratione Caietanus, quòd tunc per illam demonstrationem non magis denotaremus, fieri hîc conuersionem *substantiæ*, quàm accidentium: imò magis videremur denotare conuersionem accidentium, eaque demonstrare, cùm magis illa pateāt ad sensum, & ipsis quoque ratio Entis communis sit. Vt igitur demonstratio fiat prorsus cū ipso mysterio conuenienter, dicendum potiùs est, rem illam demonstrari sub ratione *substantiæ*.

RESTAT nūc, vt breuiter etiam expediamus tertiam, & quartam difficultatem suprà propositam circa veritatē huius Formæ. Et de TERTIA

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidem conuenit inter omnes, significationem verbi, *Est*, referri ad vltimum instans prolationis, atque adeò ipsam enunciationē pro eo momento esse veram: antea enim non est corpus Christi illud, quod sub accidentibus cōtinetur.

Nonnulla tamē dubitatio est, Vtrum isto modo satis defendatur, ipsam enunciationem *naturâ sua* esse veram? Negat enim id Scotus in 4. distin. 8. quæst. 2. Quia cùm sit oratio de præsenti, oporteret ipsam esse veram pro illo momento, quo pfertur verbū illud, *Est*, vt suprà argumētabamur. Quare dicit, solum esse veram ex *intentione* Sacerdotis, qui ad vltimum instans significationem refert.

Sed sententia D. Thomæ contraria rectè defenditur à Caietano hic artic. 5. & à Soto dist. 11. quæst. 1. art. 5. nempe enunciationem etiam de *præsenti* naturâ sua non exigere sui veritatem, nisi pro momento, quo finitur eius prolatio: Quamuis pro conditione quidem rei subiectæ per accidens interdum contingat, vt significatum enunciationis verum sit etiam antè enunciationis terminum.

Ratio huius sententiæ manifesta est: Quoniā antè prolationis terminum non completur essentia enunciationis, atque adeò nec ipsius significatio. Verbum enim in enunciatione significat *compositionem*, quam sine extremis *intelligere non est*, inquit Aristoteles lib. 1. perihermenias. Donec enim audimus *prædicatum*, indifferens est prolatio subiecti, aut etiam verbi, *Est*, vt sit hæc aut illa enunciatio. Vt si dicas, Petrus est; nondum est determinatè aliqua enunciatio, cùm possis addere, *albus*, vel *Musicus*; vel etiam ibi sistere, vt sit oratio (sicut vocant) de *secundo adiacente*.

QVARTAM difficultatem ea ratione expedit D. Thomas hic art. 5. ad vltimum argumentum, quòd etsi in genere causæ *efficientis* illa oratio, quatenus significando efficit, naturâ sit prior suo significato; non tamen eâ quidem ratione est illo prior tempore, sed simul, in fine videlicet prolationis, vt antè explicatum est. Id autem satis est, vt intelligamus, ipsam orationem vt verā, efficere suum significatum. Nam vicissim eodē instanti in alio genere est prius naturâ ipsius significatum quàm illa, nempe vt *obiectum* illam specificans, veramque reddens. Vt enim rectè Sotus dist. 11. quæst. 1. artic. 5. ex Philosopho notat, fit sæpè, vt res simul tempore sint sibi inuicem causæ in diuerso genere: Sicut ingressus v. g. aëris per fenestram, in genere causæ *efficientis*, est causa apertionis fenestræ, & vicissim in genere causæ *materialis*, apertio fenestræ est causa ingressus aëris, quippe alioqui non ingrederetur, nisi fenestra pateret, priùs saltem natura.

Sed remanet in hac explicatione tamen hæc difficultas. Nam significatum illius orationis primùm est in *termino* prolationis eius, vti dictum est: At in eo termino iam oratio illa non est, sed immediatè priùs fuit, & tunc incipit non esse (desinit enim per primum sui non esse) Igitur non solùm naturâ, sicut D. Thomas docet; sed etiam tempore est illa oratio prior suo significato. Quod si ita est, ne in alio quidem genere videtur fieri posse, vt veritas illius orationis vicissim dependeat à suo significato, tanquam à causa.

Respondeo. Si genus illud, in quo dicimus veritatem eius orationis pendere ab illius significato, esset genus *causæ*, vel formalis proprie, vel *materialis*, vel *efficientis*; certè nobis illud obstaret, quod nunc obiecimus, esse illud significatum etiam duratione posterius illa oratione; atque adeò etiam ipsius veritate. Sed cùm istud genus, in quo veritas eius orationis pendet ab illius significato, non sit nisi velut causæ *finalis*, rectè nihilominus intelligi potest, quòd veritas illa orationis dependeat ab hoc suo significato, etsi hoc sit illâ posterius. Nam & operatio Medici v. g. dependet in genere causæ finalis à sanitate, quæ tamen est effectus eius operationis, tempore etiam eâ posterior.

Et quia hoc fortè considerauit D. Thomas, non putauit esse exactiùs declarandum in proposito, quali modo essent *simul* illa oratio, & eius significatum; an scilicet omnino & in rigore; an verò tantùm secundùm instans extrinsecè *terminatiuum* ipsius orationis. Nam & hic modus sanè multatis satis est, vt quemadmodum dixi, tanquam finis specificet veritatem illius orationis. Neque refert, si malis istud causæ genus vocare *vt vera* habeat suum effectum; sicut etiam exterorum Sacramentorum Formæ, tanquam veræ quidem sunt suo modo efficaces.

PVNCTVM

PVNCTVM TERTIVM.

An, & quomodo Forma huius Sacramenti sit efficax.

D. Thom. art. 4. & 6.

SECTARII prorsus putant, nullum realem effectum ipsa Formæ verba efficere, & nos, quia sic arbitremur, insimulant passim magicæ incantationis. Qua quidem in re conuenienter illi suis erroribus de Euchatistiæ ratione, sentiunt. Nam vt infrà q. 11. cùm agemus de sacrificio Missæ dicam, & etiam attigit Ruardus Tapper art. 14. fol. 314. & 315. conuenit inter Sacramentarios & Lutheranos, per opus ipsum Ecclesiastici Ministerij tātummodo panem & vinum effici *signum* Christi, atq; adeò ad sacrum destinari vsum: minimè autem per id opus *efficaciter* hîc sisti etiam Christum ipsum præsentem interueniente conuersione panis & vini.

Quod quidē Sacramentarij ideo negant: quia tollunt prorsus Christi realem præsentiā. Lutherani autem Protestantes, quoniam putant Christum illa sua vbiquitate adesse alioqui in pane & vino. Ita fit, vt vtrique negent, esse hîc aliquem effectum realem, qui existat ex virtute verborū Formæ huius Sacramenti per opus Ecclesiastici ministerij. Quòd enim panis & vinū per id opus *signum* tantummodò fiant Christi absentis, vel alioqui præsentis, hoc quidē non est aliquid *reale*, quod re ipsa *efficiatur*, cùm ratio signi sit Ens tantùm rationis.

Sed tamen vt suprà q. 3. p. 2. ex fide probauimus, conuersionem hîc fieri panis & vini in corpus & sanguinem Christi, eaq; ratione sisti illum in Eucharistia præsentē: ita nunc asserimus, hunc *realem effectum* omnino etiam *fieri* per virtutem verborum Formæ, tanquam per Dei quoddam instrumentum, atque adeò per opus ipsum Ecclesiastici ministerij. Sic enim in decreto Concilij Florent. de Sacramentis sub Eugenio IV. expresè declaratum est. Quod & rectè asserit D. Thomas hic art. 4. Ac probatur, eam fuisse vim Christi institutionis, testimonio omniū Patrum, vt q; panlò superiùs p. 1. recitauimus, dicūt verba ipsa *operari & efficere*, vt ibi sit corpus Christi. Idq; colligunt ex facto ipso Christi & institutione.

Accedit, quòd Sacramenta nouæ legis significando efficiant id ipsum, quod significāt, vt suprà disput. 3. de Sacramētis in genere q. 3. p. 1. probatum est. Sed verba illa, vt significant esse præsens corpus Christi, sunt de substantia ipsius Sacramenti, vt hactenus probatum est. Ergo idipsum efficiunt tanquam pars Sacramenti. Et consequenter fatendum etiam est, ipsum Ministrum, vt ea verba profert, concurrere quoque vnà cum filiis instrumentaliter ad cōuersionem: siquidem & Minister & opus ipsum Ecclesiastici Ministerij censeri debent, tanquam vnum instrumentum integrum & absolutum, quod attinet ad Sacramenti effectum, sicut suprà disput. 3. q. 5. p. 3. asseruimus. Id quod etiam in hoc nostro proposito sancti Patres docuerunt.

HIERONYMVS enim in epist. ad Heliodorū ita dicit: *Clerici Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt.* Item CHRYSOSTOMVS lib. 3. de dignitate Sacerdotum, cap. 5. *Qui non manducat*, inquit, *carnem Domini, nec bibit sanguinem eius, non habebit vitam æternam, quæ*, inquit, *per nullius alterius, quam sanctis efficiuntur manibus Sacerdotum*.

Quanta verò Sectariorum stultitia sit, quòd propter hanc doctrinam orthodoxam obiiciūt nobis magiam, exponam clarè infrà q. 11. in Tractatu de sacrificio Missæ. Magia enim (vt docuimus tomo 3. disput. 6. q. 13. punct. 1. & seq.) est, cùm quis effectum aliquem procurat eo modo, qui neque ex natura sua, neque ex institutione diuina, ad eum effectum vlo modo valet: Valent autem hîc verba ad effectum consecrationis, maximè ex ipsa institutione diuina, tāquam instrumentum, vt omnes Patres intellexerunt: Atque hinc loco citato probabimus, Prædicantes potiùs esse verisimos Magos, cùm sine ordinatione legitima tentant ipsi conficere Sacramentum Eucharistiæ; id quod neque virtute naturali perficere possunt, neque etiam institutione diuina, quando sunt quidem (vt sunt ferè isti, exceptis Apostatis) merè Laici, non legitimè in Ecclesia ordinati.

TRIA tamen in hac Assertione efficacitatis verborum hoc loco addenda sunt. PRIMVM est, virtutem illam instrumentalem, quam dicimus inesse verbis, ad consecrationem, non esse aliquā *qualitatem* in ipsis permanentē, sed consistere in *vsu passiuo* illorum, quo diuinitùs ad eum effectū referuntur: iuxta doctrinam, quam suprà disp. 3. q. 3. p. 1. generatim de virtute hac *instrumētali* tradidimus. Nec aliud, quàm cum *vsum passiuum* verborum intelligit D. Thom. hic art. 4. cùm dixit, inesse virtutem creatam in verbis instrumētalem, quemadmodum etiā Sotus d. 11. q. 1. art. 4. & Caietanus in dicto art. 4. rectè interpretātur.

SECVNDVM est, eiusmodi quidem effectum consecrationis sine mora consequi ex verbis, quæ proferuntur circa panem, quod attinet ad *corpus*; neque ad id expectari prolationem verborum circa calicem. Hoc probat facillimè D. Thomas hic art. 6. Quoniam aliàs non esset vera illa oratio de præsenti: *Hoc est corpus meum*. Neq; verò inde sequitur, corpus esse sub specie panis sine sanguine, vt quidam falsò putauerunt, quos illic refellit D. Thomas in solutione primi argumēti. Est enim ibi etiam sanguis per *concomitantiam*, vt suprà quæst. 4. punct. 1. docuimus.

TERTIVM est, non modo ad effectum consecrationis, qui statim consequitur, sed etiam ad gratiam, quæ vsu ipso Eucharistiæ postea percipitur, concurrere hæc verba Formæ, tanquam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei instrumentum. Probatur. Quia omnium aliorum Sacramentorum Formę concurrunt vnâ cum suis materiis ad hunc effectum Sacramentalem, & nulla est firma ratio, cur ea efficacitas negari debeat Formæ Eucharistiæ.

Quamuis enim ipsa secundùm se quidem nõ permaneat cum sua materia, id est, cum speciebus; manet tamen quodammodò *virtute*, quatenus nimirum species ipsæ per illa verba antecedentia sunt & manent determinatę ad significandum hîc præsentem Christum & cibum spiritualem animarum. Quod ipsum satis est, vt intelligamus, illum etiam effectum gratiæ consequi, tanquam quiddam debitum Formæ illi antecedenti verborum, vt instrumento, maximè cùm iste modus, quo Sacramenta concurrunt instrumentaliter ad gratiam, sit supernaturalis, vt suprà disputat. 3. quæst. 3. punct. 1. exposuimus.

Hoc tamen, quod attinet ad Formam, fatendum hîc est discrimen inter Eucharistiam & reliqua Sacramenta, quòd illa non sunt quidem, nisi dum est etiam sua Forma secundùm se: Vel certè non nisi illo ipso tempore, loquendo moraliter. Cuius ratio est: Quoniam in ipso *vsu* cõ-

A fistunt. Sacramentum autem Eucharistiæ, quoniam est quiddam permanens, etiã manet tum, cùm Forma transiuit quidem secundùm se; manet autem tantùm virtute in materia, ratione paulò antè explicata. Neque verò hoc facit, vt non sit tunc idem Sacramentum Eucharistiæ secundùm essentiam: Est enim essentia huius Sacramenti ipsa significatio Christi præsentis, vt spiritualis cibi per materiam, & formam manentem saltem virtute, in materia, modo declarato. Quæ ratio tota, vt patet, similiter perseuerat, etiamsi Forma secundùm se quidem transierit. Atque ita manet nihilominus essentia huius Sacramenti. Quod sanè ob eam causam mi-

B nùs mirum videri debet, quoniam cõstat in hoc genere Sacramẽtorum minimè rationem compositionis ex materia & forma ad normã compositionis naturalis substantiarum esse exigendam, vt satis patet ex iis, quæ suprà disputat. 3. quæst. 1. punct. 1. sunt tradita, & ex iis etiam, quæ speciatim de hoc ipso Sacramento, quoad eius permanentiam notaui suprà hac in quæst. puncto primo.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Effectibus huius Sacramenti.

D. Thom. 3. part. quæst. 79.

HOC LOCO DE HIS EFFECTIBVS, QVOS HABEAT SACRAMENTVM in ipso sui vsu, dicendum est. Nam conuersio panis in Christi corpus, & vini in sanguinem, atque adeò consecratio, de qua hactenus in superioribus quæstionibus multa disputata sunt, nõ Sacramenti ipsius, cùm vsurpatur; sed formæ tantùm effectus est, cùm Sacramentum istud conficitur. Explicanda verò hîc sunt tria. PRIMO, Qui sint omnino & quales huius Sacramenti effectus. SECVNDO, Qui sint participes eiusmodi effectuum, Vtrum scilicet non ij tantùm, qui Sacramentum sumunt; sed etiam alij. TERTIO, Quæ sint impedimenta, quò minùs is, qui vsurpat hoc Sacramentum, consequatur ipsius effectus.

PVNCTVM PRIMVM.

Qui sint omnino, & quales huius Sacramenti effectus.

D. Thom. art. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

C SCIENDVM EST, QVOSDAM EFfectus habere hoc Sacramentum *primariò* & per se ex institutone sua; alios *secundariò*, vt contigit videlicet in aliquo casu, eum esse affectũ, qui Sacramentum istud suscipit. Priori modo id efficit (analogiâ quadam) in vita spirituali animæ cõfirmanda & stabilienda istud Sacramentum, quod efficit cibus & potus in statuenda & roboranda corporis vita: tum etiam præstat isto modo ex institutione sua quædam, ad quæ peculiariter Scriptura significat ipsum valere.

Itaque *primariò* quidẽ, & ex *institutione sua* Sacramenti istius effectus rectè numerantur. PRIMVS effectus est, quòd confert *augmentum* gratiæ habitualis, & conciliat etiam homini peculiaria

A culiaria quædam auxilia diuina *actualia*, vt exercitio charitatis, aliarumq; virtutum, calori concupiscentiæ resistendo possit conseruare vitam gratiæ. Quo ipso gratiæ augmento & auxiliis, etiam recuperat quis illum feruorem charitatis, qui quotidianis peccatis quasi æstu quodã eiusdem concupiscentiæ idẽtidem minuitur: itemque delectatur ac gustat aliquis spiritualiter eo ipso, *quàm suauis est Dominus*.

Hoc probatur optimè à D. Thoma artic. 1. ex analogia cibi & potus corporalis. Nam vt hic sustentat vitam corporalẽ, & eam auget, & instaurat debilitatam actione continua caloris naturalis, atque etiam delectat: ita oportet hæc omnia spiritualiter præstet in spirituali vita hic cibus & potus spiritualis. Præstat id autem conferendo gratiæ augmentum, & auxilia eo modo, quo breuiter declaraui. Atque ex eiusmodi gratię augmento & auxiliis conflatur sanè ea gratia *Sacramentalis*, quæ proprius atq; præcipuus huius Sacramenti effectus est, iuxta doctrinam generalem, quam de ratione gratiæ Sacramentalis suprà tradidimus disput. 3. q. 3. p. 2.

Hanc etiam vim habent sententiæ Patrum, vbicunq; ij facultates & energiam spiritualis cibi huic Sacramento tribuunt. Quod facit luculenter Ignatius in epistola ad Ephes. Tertullianus libro de carne Christi. Cyprianus libro primo epistolarum, epistola secunda, & sermone de Cœna Domini. Chrysostomus homil. 45. in Ioãnem. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. & in sermone de S. Agnete. Augustinus Tractatu 27. in Ioannem, & in sermone de S. Laurentio. Idcirco figura huius Sacraméti fuit mãna, quod habebat in se *omnis saporis suauitatem*.

Denique hic effectus confirmatur à Patribus sermone Christi apud Ioan. cap. 6. *Qui manducat*, inquit, *me, viuet propter me*. Item: *Caro mea verè est cibus*. Et rursus: *Qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in eo*. Atque ita est definitum in epistola Synodica Concilij Ephesini, & can. 11. eiusdem, vt patet ex declaratione D. Cyrilli in illum 11. Anathematismum. Item in Cõcilio Florentino in Decreto de Sacram. & in Tridentino sess. 13. cap. 2.

Ex quibus argumentis satis refutatur error Massalianorum, qui, vt est in tripartita historia lib. 7. cap. 11. arbitrati sunt, *hunc cibum neque prodesse quidquam, neq; ledere*. Prodest verò maximè eo modo, quo antè declaratum est.

Quanquam transformamur quidem per illum ipsi potiùs in Christum, id est, reddimur ei similes per gratiam; non autem illum conuertimus in nos, sicut corporalem cibum; quod benè explicari potest illis verbis AVGVSTINI libro septimo Confess. cap. 11. *Cibus*, inquit, *sum grandium, crescе & manducabis me; nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me*. Ita etiam notauit D. Cyrillus libro quarto in Ioannem, capite 17. Chrysostomus homil. 45. in Ioannem, & 60. ad

C populum Antiochenum, Leo serm. 14. de Passione.

Quòd si verò non sentitur aliquando à sumentibus illa etiam *delectatio* & suauitas, quam ad hunc primum effectum diximus quoq; pertinere; caussa non est, quia ipsum per se Sacramentum eam non afferat, præstando auxilium ad charitatis motus feruentes, vt explicatum est: sed quia vel animi palatus est male affectus, vel nõ satis meditatione quasi masticatur hic cibus, vt inquit rectè VVilhelmus Parisiens. in Tractatu de Eucharistia, hoc est, quia à peccatis venialibus impedimur, neque satis rem tantam nobiscum reputamus, ac meditamur.

B SECVNDVS effectus est *remissio* peccatorum *venialium*, ad quæ tamen non amplius in animo vigeat affectus. Ita docet D. Thomas art. 4. Ac sequitur hic effectus ex primo. Nam peccata venialia post præteritum actum consistunt in priuatione *feruoris cuiusdam* charitatis. Sed hic feruor, vt antè docui, restituitur per istud Sacramẽtum. Igitur per illud etiam peccata venialia delentur, atque adeò condonatur eo ipso diuinitùs illa parvula Dei offensa, quæ incurritur per eiusmodi peccata.

Deinde id confirmatur ex eo, quòd quicquid illud est mali in peccatis venialibus, id quidem quædam quasi labes est vitę spiritualis, quam incurrimus ferè vitio interni quasi caloris ac fomitis concupiscentiæ. Sed ad istud Sacramentum omnino secundùm eius institutionem pertinet instaurare omnem eiusmodi iacturam, vt suprà dictum est. Ergò etiam delere peccata venialia.

Ita etiam definitũ est in Concilio Tridentino, sess. 13. cap. 2. & asseritur luculenter à S. Patribus. Ambrosio lib. 4. de Sacramentis, cap. 6. & lib. 5. cap. 4. Paschasio de Consecratione dist. 2. Can. *Literarum*, Gregorio ead. dist. Can. *Sanguis*, Bernardo in sermone de Cœna Domini.

TERTIVS effectus est, quòd *præseruat* à peccatis etiam *mortalibus*, vt D. Thomas art. 6. docet ex duplici capite. *Primò*. Quoniam ea est etiam vis cibi, vt robur suppeditet vitæ, quo valeat ipsa resistere contrariis: Id autem facit hic cibus spiritualis hoc ipso, quòd augmentum illud gratiæ & auxilia confert, de quibus diximus in primo effectu: quæ duo valent ad perseuerandum.

D *Secundò*. Quia Christi passionem modo quodam suo repræsentat, quæ cùm sit dæmonibus formidabilis, eo ipso istud Sacramentum deterret dæmones à tentando. Quo pertinet illud CHRYSOSTOMI homil. 45. in Ioannem: *Vt leones*, inquit, *flammam spirantes: sic ab ipsa mensa discedamus terribiles effecti diabolo*. Hunc effectũ tribuũt etiam huic Sacramento Patres suprà citati.

QVARTVS effectus est, quòd eo ipso quoque per gratiam fideles & cum Christo capite, & inter se *vnit*. Quamobrem in pane & vino institutum est, quæ res sunt symbolum vnitatis, cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

panis ex multis granis, vinũ ex multis acinis fiat, vt docet D. Thomas art. 1. ex Augustino Tractatu 26. in Ioannem. Itaque Sacramentum *vnitatis & charitatis* ab eodem Augustino ibi appellatur. Hoc etiam docet Apostolus 1. Corinth. 10. illis verbis: *Vnus panis, vnum corpus omnes sumus in Christo.* Neque verò solùm per gratiam, sed etiam *re ipsa & corporaliter* nos per hoc Sacramẽtum cum Christo vniri testantur Patres, vt suprà q. 3. p. 1. contra Sacramentarios ostendimus.

QVINTVS effectus est *Ius* ad vitam æternam, & eius adeptio suo tempore: idque non solùm ratione illa generali, quatenus videlicet id ius est consequens ex gratia, quam confert istud Sacramentum; sed quia peculiariter ex sua ratione sustentat *vitam*, non, perituram ex sese, vt cibus corporalis; sed *æternam* per se. Aeterna. n. est ex sese vita gratiæ, quæ hic incipit, & perdurat ipsa perpetuò in beatitudine. Hinc Christus, Ioannis 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et: *Vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur:* quod ad vitæ gratiam sempiternam, quantum est quidem ex vi Sacramenti, referri debet, vt interpretatur D. Augustinus Tractatu 26. in Ioannem, & lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 25.

Accedit etiam alia peculiaris ratio, cur hoc Sacramentum vitam æternam conferat: quia scilicet vires præstat, vt ad illam perueniatur. Quocirca *Viaticum* dicitur, cuius figura præcessit in pane illo subcinericio, in cuius fortitudine ambulauit Helias vsque ad montem Dei Oreb, 3. Regum 19. Ita igitur & doctrina D. Thomæ hîc art. 2. & aliorum Patrum intelligẽda est, cùm effectum huius Sacramenti asserunt esse vitam æternam. Quod facit Chrysostomus homil. 24. in 1. ad Corinth. & 45. in Ioannem, & 61. ad populum Antioch. Cyrillus lib. 4. in Ioannem, cap. 16. Ambrosius libro de iis, qui mysteriis initiantur, capite octauo, Augustinus vbi suprà, & alij.

SEXTVS effectus est *immortalitas corporis post resurrectionem*, vt hæc etiam sit vis illius sententiæ Christi: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*: Sicut etiam ibidem clariùs ait: *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die*, nempe immortalẽ. De quo effectu præclarè etiam differunt S. Patres; vt Ignatius in epist. ad Ephes. vbi propterea vocat Eucharistiam *medicamentum immortalitatis*. Item Irenæus lib. 4. cap. 34. & lib. 5. cap. 2. Cyrillus lib. 4. in Ioannem, cap. 14. & 15. & lib. 10. cap. 13. Gregorius Nyssenus in Oratione Catechetica, cap. 37. Cyprianus de Cœna Domini. Deniq; quidquid dignitatis & efficaciæ à Patribus huic Sacramento secundùm institutionem eius tribuitur, id ad aliquem istorum effectuum, quos hactenus numerauimus, facilè reuocari poterit.

Sunt autem & ALII EFFECTVS huius Sacramẽti *per accidens*, seu *ex consequenti*, pro dispositione videlicet eius, qui illud suscipit, vt suprà dicebamus. Sunt autem tres. PRIMVS est, quòd confert *primam gratiam*, atq; adeò remissionem etiam peccati *mortalis*. Id fit, quando euenit, vt aliquis sine sua culpa (id est, probabiliter putãs, se esse in gratia) accedit tamen, percipitque hoc Sacramentum in peccato mortali, cuius neque conscientiam habet, & affectum etiam alioqui deposuit. Vt si v. g. habuit *attritionem*, quæ sãtis per se non fuerit ad gratiam illi conciliandam, licet ipse quidem putârit, habere se veram contritionem; vel si probabiliter putes, te fuisse legitimè absolutum in Confessione, cùm tamen non sis.

Ita docet D. Thomas hîc art. 3, & magis infrà declarat quæst. seq. art. 4. ad 5. Item Scotus in 4. dist. 9. quæst. 1. & cõmuniter alij Theologi. Atq; id etiam haud dubiè volunt sancti Patres, cùm absolutè tribuunt huic Sacramento remissionem *peccatorum*, eò quòd sit instrumentum passionis Christi, vt indicatur verbis illis in consecratione calicis: *Qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum*; quod huc Patres accommodant; Sicut etiam ea ratione id declarat D. Thomas hîc artic. 1. & 3. Significat autem id imprimis Ignatius in epistola ad Ephes. Cyprianus de Cœna Domini. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. Cyrillus lib. 4. in Ioannem, cap. 15. Chrysostomus homil. 81. ad populum Antioch. Nyssenus in Oratione Catechetica, capite 37. Damascenus libro quarto fidei orthodoxæ, cap. 14.

SECVNDVS effectus huius Sacramenti *ex accidẽti* est remissio item *pœnæ temporalis*, si eius reatu tenetur, qui suscipit. Hunc autem effectum habet *consequenter*, quatenus excitat motum charitatis, qui pro sua quidem perfectione valet, vel plus, vel minus, ad satisfaciendum propẽna. Ita declarat hoc Diuus Thomas artic. quinto. Quanquam si hoc Sacramentum consideretur, non tantùm vt sumitur tanquam Sacramentum; sed etiam quatenus offertur, vt *Sacrificium*: sic quidem ex institutione sua valet etiam ad satisfaciendum, vt D. Thomas ibidem declarat. De quo infrà q. 11. vbi disputabitur de Sacrificio.

TERTIO non absurdè in effectibus *per accidens* huius Sacramenti numerari etiam potest illud *malum*, quod sibiipsi creant, qui sumunt indignè: iuxta illud Apostoli: *Iudicium sibi manducat & bibit*, 1. Cor. 11.

Hæc cùm ita se habeant, duplex hîc QVAESTIO restat. VNA est de tempore, quo primus ille effectus per se, nempe *augmentum* gratiæ, atque etiam primus per accidens, nempe *prima gratia*, & remissio peccati mortalis, conferatur per hoc Sacramentum; quæ quæstio à Catholicis Doctoribus tractatur. ALTERA Quæstio est mota ab hæreticis nostri temporis, An non scilicet remissio peccati mortalis debeat imprimis numerari in effectibus huius Sacramẽti primariis & per se.

De PRI-

De PRIMA Quæstione sententia est Caietani hîc art. 1. toto illo spacio, quo species in sumente manẽt incorruptæ, esse tempus collationis eiusmodi effectuum gratiæ; nõ quòd continẽrer toto illo tempore conferatur, sed quòd soleat in aliquo momẽto illius conferri, prout citius vel tardius sub illud tempus quis habet necessariã *dispositionem*; ad quam ipse Caietanus (licet falsò, vt postea videbimus) putat pertinere etiã *actualem* aliquam deuotionem seu motum liberi arbitrij erga Deum.

Probat autem Caietanus sententiam suam, q̃ ad tempus illud attinet: Quoniam alioqui facilè esset effectu huius Sacramenti hominem frustrari, si non ita latè pateat illud tempus, quo dispositio ad eum effectum necessaria, atque adeò etiam illa actualis deuotio, vt Caietanus quidẽ putat, prodesse ad id posit.

Item Ioannes Maior in 4. d. 9. q. 1. ad 5. argum. sentit, non esse determinandum aliquod instans toto illo tempore pro collatione gratiæ; sed posse eam conferri in quolibet illius temporis instanti. Quare concedit, posse accidere, vt quis, dum sumit, peccet mortaliter, & postea si doleat ante digestionẽ specierũ, accipiat gratiam; aut etiam augmẽtum eius, si per sufficientẽ alioqui contritionẽ gratiã sub illud tẽpus recuperârit.

Item Ruardus Tapper artic. 15. pag. 364. arbitratur, toto illo tempore, quo Sacramentũ manet in sumente, operari: imò dicit, operari tunc perpetuò, modò aliquis non sit indispositus. Quòd tamen si intelligat vi etiam *operis operati*; non videtur probabile, cùm omnia alia Sacramenta eum effectum operis operati simul operentur in aliquo instanti.

Contra hos omnes defendit Sotus dist. 11. q. 2. art. 1. Sacramentum hoc non operari, nisi in *fine* comestionis, cùm scilicet peruenit ad ventriculum, neq; antè, neque pòst. Probat: Quia Sacramenta tunc operantur, quando sunt applicata suscipienti. Modus autem applicationis in proposito est comestio, vt patet Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Et Matth. 26. *Accipite & manducate.* Quam sententiam omnino arbitror esse veram; si loquamur de tempore, quo ne sua est efficax in suscipiente. Item puto nullo modo ante finẽ illius comestionis illud operari, ne tunc quidem, cùm ore susceptum est, vt recẽte ostẽdit Sotus. Nam quòd ante sumptionem quidem non habeat suum effectũ, extra controuersiam est. Loquor autẽ de effectu *operis operati*.

Quòd autem post sumptionem & comestionem toto tempore, quo incorruptũ manet, possit, saltem *per accidens*, habere effectum, si homo sit, saltem tunc disponatur, puto esse valde probabile, atque eatenus sanè Caietano, & Maiori, & Ruardo assentiẽdũ. Decet enim misericordiam Dei, vt latè pateat illud tempus, quo necessaria dispositio ad effectum, quem istud Sacramentũ habet ex opere operato, quoquo modo valere possit, nempe saltem *per accidens*. Id quod etiam attigit Petrus à Soto lect. 12. de Euch. in fine. Atq; ita quidẽ facilè patiemur accommodari à Caietano huc illud Christi: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*: vt etiã in proposito tamdiu Christus similiter sit efficax, quamdiu manet ratione Sacramenti in nobis. Non tamen Caietano concedimus, illam *actualem* deuotionem pertinere in proposito ad dispositionẽ necessariam: de quo infrà, p. seq.

De SECVNDA Quæstione doctrina est Sectariorũ, *remissionẽ* peccatorum mortaliũ esse *præcipuũ* effectum Eucharistiæ. Ita contendit Kemnitius in exam. Concil. Trid. sess. 13. cap. 2. & can. 5. Atq; eadẽ videtur esse mens Caluini lib. 4. Instit. cap. 17. sect. 2. & 3. & istorũ omnium. Probant id verò suis ex fundamentis, quæ continentur hoc Syllogismo: Externa remedia salutis nostræ, sicut Sacramentũ v. g. Baptismi, hoc ipso habent pro effectu primario gratiam & remissionẽ peccatorũ, quòd tanq̃ sigilla quædam secundùm institutionẽ suam nobis obsignãt diuinã promissionẽ, qua nobis gratia, propter Christũ, & remissio peccatorũ offertur, vt illã fide erga eiusmodi promissionem apprehẽdamus, atq; etiam retineamus eiusdẽ fidei perpetuo exercitio. Sed Eucharistia quoq; isto modo promissionẽ gratiæ & remissionis peccatorum nobis obsignat, atq; adeò nos excitat, vt certò & constãter illi promissioni fidẽ habeamus, statuamusq; prius in nobis eam adimpleri. Ergo Eucharistia habet etiã pro effectu *primario* gratiã & remissionẽ peccatorũ.

Maiorẽ putant ea ratione esse certã, quòd per solum Christũ redempti sumus. Minorẽ declarat Kẽnitius ex eo, quòd gratia & remissio peccatorum non est, inquit, sicut color, seu qualitas hærens immobiliter in subiecto, vt semel accepta non opus sit amplius de ea cogitare. Quinimo in hac carnis deprauatione nullũ momentũ est, inquit, in quo nõ opus sit nobis quærere, apprehendere, & complecti gratiam Dei, reconciliationem & remissionem peccatorum. Atq; in hunc vsum Deus præter Verbum, instituit etiam externa Sacramenta, vt pluribus modis diuina promissio nobis obsignaretur, ac si certò apud nos statueremus, eam in nobis impleri. Ita illic Kemnitius. Huc addunt, quòd etiam Patres, vt suprà notauimus, absolutè dicunt, per istud Sacramentum *remitti* peccata.

Ecclesia verò Catholica non negat, quin etiã Eucharistia vim habeat conciliandi primã gratiã & remissionẽ peccatorũ mortalium, cũ casũ euenit, vt quis nõ indignè accedens, ea indiget, vt suprà est declaratum. Sed docet tamẽ in Concil. Trident. cap. 2. & can. 5. sess. 13. non esse ad id primariò & præcipuè institutam Eucharistiam.

Hoc probatur euidenter ex Scriptura sacra sic: Sacramentum, quod est propriè institutum ad vsum eorũ, quos oportet alioqui habere gra-

tiam primam & remiſsionẽ mortalium peccatorũ; minimè eſt tale, vt eius effectus primariò ac præcipuè, ſit gratia prima & remiſsio mortalium peccatorum; ſiue ea ſit qualitas aliqua, ſiue non. Sed Euchariſtiæ Sacramentum propriè eſt inſtitutum ad vſum eorum, quos alioqui oportet habere eam gratiam & remiſsionem mortalium peccatorum. Ergo, &c.

Maior probatur manifeſtè. Quoniã neceſſe eſt, vt in iis maximè Sacramentum habeat effectum ſuum præcipuum, ad quorum vſum propriè illud inſtitutũ eſt. At iis, qui alioqui habent gratiam primam & remiſsionem mortalium peccatorum, ne poteſt quidem conferri gratia prima & remiſsio peccatorũ. Siue enim gratia hæc ſit qualitas (vt eſſe probauimus in diſp. de Gratia) ſiue fauor quidam Dei extrinſecus tantum, quo peccata condonentur, vt hæreticè volunt Sectarij; tamen tunc propriè intelligimus gratiam primam & remiſsionem peccatorũ alicui conferri, quando habere gratiam incipit, cùm antea non habuiſſet: alioqui non fieri & conferri remiſsionem peccatorũ & gratiam primam, ſed *conſeruari* dicimus.

Minor probatur tripliciter, *primò* ex ratione ipſa huius Sacramẽti, quatenus illam nobis deſcribit Scriptura. Eſt enim propriè inſtitutum in cibum ſpiritualem, id eſt, vt idem præſtet in ſpirituali vita, quod præſtat cibus corporalis in vita corporis. At cibus corporalis non eſt certè niſi ad eorum vſum, qui alioquin habent vitam, vt ſuſtentetur illa videlicet, & confirmetur, & augeatur. Ergo pari modo in propoſito. *Secundò* probatur illa Minor teſtimonio Apoſtoli 1. Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Ex quo loco vniuerſa Eccleſia perpetuò intellexit neceſſarium eſſe, vt ſine conſcientia peccati mortalis ad hoc Sacramentum accedas, nempe vita præditus ſpirituali gratiæ; vel certè ita tibi perſuaſus. *Tertiò* eadem Minor probatur ex doctrina Sectariorum. Nam ipſi etiam iudicant, indignè eos accedere, qui non ſibi per fidem antea gratiam conciliare ſtuduerint.

Ad argumentum igitur iſtorum reſpondeo, in Maiori & Minori eſſe plures errores. *Primus* error in Maiori eſt, quòd illa ratione tãtùm obſignationis Sacramenta conferant gratiam. Falſum namque hoc eſt, vt ſuprà contra iſtos oſtendimus diſput. 3. q. 3. p. 1. *Secundus* error eſt, quòd fidem ibi intelligunt ſuam illam ſpecialem, ſæpè à nobis aliàs confutatam. *Tertius* & præcipuus in propoſito eſt, quòd vt medium ſalutis externum habeat pro effectu primario, remiſsionem peccatorum & gratiam primam: ſatis eſſe putãt, quòd ad illam *conſeruandam* valeat. Id enim omnino falſum eſt; Nam gratiam primam & remiſsionem peccatorũ abſolutè quidem & propriè, eius rei effectum eſſe dicere conſueuimus, quæ illam conciliat primò atq; confert. Quòd ſi tantum eam conſeruat; tum quidem nõ ipſa remiſsio peccatorum & gratia prima, ſed potius eius *conſeruatio & perſeuerantia* in ea dicetur abſolutè talis rei eſſe effectus.

Atque hoc eſt tantùm, quod iſti ſecundùm doctrinam ſuam probare poſſunt illo argumẽto, nempe ad perſeuerantiam in gratia *& remiſsionẽ* peccatorum, quatenus hæc durabiliter ipſa gratia continetur, valere etiam ex ſua inſtitutione iſtud Sacramentum: quod quidem vltro nos quoque ſuprà conceſsimus, cùm numeraremus effectus huius Sacramenti primarios.

In Minori quoq; argumenti iſtorum primus error eſt, quòd Euchariſtia primariò ſecundùm inſtitutionem ſuam nobis obſignet promiſsionem diuinam, quatenus eſt non tantùm de conſeruanda in nobis gratia, ſed etiam de ea conferẽda, cùm illam acquirimus; quod falſum eſt, vt patet ex dictis. Secundus eſt, quòd ibi etiam admiſcẽt fidem ſuã, id eſt, perſidiam ſpecialem.

Ad Patres dico, eos intelligi debere non niſi conuenienter naturæ huius Sacramenti, vt ſcilicet *venialia* quidem peccata remittatur per hoc Sacramentum primariò & ſecundùm eius inſtitutionem, quia ſunt videlicet quaſi labes quædam eorum etiam, qui viuunt *vita ſpirituali*, pro quibus eſt inſtitutus hic cibus. Mortalia verò, cũ quis indiget quidem eorum etiam remiſsione, neq; tamen accedit ad Sacramentum indignè, vt ſuprà declaratum eſt.

Atque ex his quidem apparet, improbam eſſe Kemnitij calumniam, quòd loco citato ſententiam Catholicorum ita refert, quaſi nullo modo hi tribuerẽt Euchariſtiæ vim remittendi peccata mortalia; ſed tantùm venialia: Mortalia autem, vt iſte quidem calumniatur, putarẽt remitti ſolum per Miſſas, peregrinationes, & alia huiuſmodi. Impudentiſsima calumnia eſt. Et hæc de primo puncto.

PVNCTVM SECVNDVM.

Qui ſint participes effectuum huius Sacramenti.

D. Thom. art. 7.

REm hanc facilè D. Thomas hîc art. 7. ex doctrina orthodoxa explicat. Sacramentum enim Euchariſtiæ conſiderari poteſt, & vt percipitur, & vt offertur, ſicut *Sacramentum*; & vt offertur, ſic cadit in cruentum *Sacrificium*. Priori modo ſolum eſt efficax in eo, qui ipſũ ſumit. Cuius ratio manifeſta eſt: Quia vt Sacramentum, *ſumptione* duntaxat applicatur ipſi homini. Poſteriori autem modo poteſt etiam non ſumentibus prodeſſe, vt contra Sectarios infrà q. 11. pun. 1. defendemus. Ratio eſt: Quoniam vt Sacrificium quidem hoc *offertur*: poteſt autem offerri etiam pro his, qui non ſumũt, vt patet.

PVNCTVM

PVNCTVM TERTIVM.

Quænam ſint impedimenta, quò minus is, qui vſurpat hoc Sacramẽtum, conſequatur ipſius effectus.

D. Thom. art. 8.

IN hac re de tribus conuenit inter omnes; & de vno eſt controuerſia.

PRIMO conuenit inter omnes, cõſcientiam peccati mortalis impedire, quò minus quis conſequatur huius Sacramenti effectum, vt D. Thomas aſſerit art. 3. Nam talis *iudicium ſibi manducat & bibit*, 1. Corint. 11. & vt dicitur in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 53. *grauatur is magis, quàm purificetur* Euchariſtiæ perceptione.

SECVNDO etiam conuenit, peccata venialia præterita, ad quæ animi affectus non vigeat, minimè impedire vllum effectũ iſtius Sacramenti. Imò remittuntur per illud, vt p. 1. dictum eſt. Si autem ad ea vigeat affectus, impedietur quidem effectus ille, qui fuiſſet eiuſmodi peccatorum remiſsio, vt patet.

TERTIO conuenit, peccata venialia commiſſa in ipſo actu ſumendi Euchariſtiam, impedire illum effectum, qui eſt guſtus quidam ſpiritualis refectionis per actus charitatis. Hunc enim gaudium minimè habebit is, qui per peccata venialia mente diſtractus ſumit hoc Sacramentũ, vt D. Thomas probat hîc art. 8.

CONTROVERSIA autem Scholaſtica hîc eſt, Vtrũ etiam effectus huius Sacramenti *habitualis*, nempe *gratia* & eius *augmentũ*, poſsit per aliquod *veniale* peccatũ in ipſo tempore ſumptionis admiſſum impediri? Caietanus affirmat hîc art. 1. nempe per talem mentis euagationem & diſtractionem, vt non habeat quis eo tempore *actualem* deuotionem, id eſt, motum bonum liberi arbitrij erga Deũ. Quin etiam ſi talis diſtractio eſſet ſine vlla culpa; tamen putat Caietanus hoc ipſo, quòd deſit ille motus erga Deum, impediri Sacramenti effectum habitualem. Quæ ſententia eſt etiam Alexandri Alenſis 4. p. q. 41. memb. 3. art. 2. Bonauenturæ in 4. d. 12. art. 1. q. 1. in 2. parte diſtinctionis, Durandi ead. d. q. 4. ad 2. Atque idem placet Petro de Soto in inſtitutione Sacerdotum lect. 12. de Euchariſtia, quando diſtractio quidem eſſet valde notabilis.

Probat hoc Caietanus *primò*: quoniam ita diuus Thomas in 4. d. 12. q. 2. art. 1. docuit. *Secundò* probat: Quoniam alioqui in immenſum augeſceret gratia in iis, qui quotidie celebrãt. Quod tamen plerique eorum minimè oſtendunt ipſis operibus; quod indicio eſt, non eſſe illos prædi*gratia, ſi eſt*, vt D. Gregorius inquit. *Tertiò*. Quia hoc Sacramentũ reficit ſpiritualiter, ſicut cibus: Sed non nutrit, niſi interueniente actione etiam ipſius viuentis. Ergo, &c. Addit tamẽ Caietanus, habere poſtea Euchariſtiam hunc effectũ, quando quis habet poſtea eiuſmodi *actualem* deuotionem, quæ ipſi in vſu Sacramenti defuit.

SED contraria ſententia communiter iam defenditur, nempe nullum peccatum veniale, neque vllum adeò defectum *actualis* deuotionis ſeu motus boni liberi arbitrij, impedire gratiæ effectum eo tempore, quo alioqui Sacramẽtum iſtud eſt efficax in ſumente. Ita expreſsè diuus Thomas hîc art. 8. quẽ fruſtrà, omnium iudicio, aliter conatur ibi interprerari Caietanus. Ita etiam Adrianus q. 4. de Euchariſtia, art. 1. Victor. q. 76. de Sacram. Sotus d. 11. q. 2. art. 3. & alij recentiores communiter. Fundamentum præcipuum eſt, quòd nullum peccatum veniale pugnat cum gratia, vel eius augmento: Igitur nullum obſtat, quò minus Sacramentum ſit efficax. Deinde quòd nihil aliud conſtat requiri neceſsariò ad eum effectũ huius Sacramenti, præterquam idoneam probationem & præparationẽ ſui, vt quis nõ *indignè* accedat, ſicut docet diuus Paulus. Qualis autẽ hæc præparatio eſſe debeat, dicetur q. ſeq.

Ad *primum* igitur argumentum Caietani reſpondeo, aliam poſtea fuiſſe D. Thomæ ſententiam hîc in Summa. Et accedit, quòd in 4. etiam ſentent. d. 15. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 2. ad 2. ſatis eſſe putauit D. Thomas motum liberi arbitrij *præcedentem*, qui continetur ipſa ſui probatione & præparatione.

Ad *ſecundum* reſpondeo, ſi ij, qui aſsiduè celebrant, ita vitam inſtituant, vt abſtineant longo tempore à peccatis mortalibus, ſatis eo ipſo in illis elucere gratiæ, quantumuis præſtantis, magnitudinẽ. Sin verò quandoque mortaliter peccant; nihil mirum eſt, ſi in illis gratiæ præſtantia minus emineat: ſiquidem ſubinde per peccatũ mortale ex omni gradu gratiæ, quem erant antè conſecuti, excidunt. Et difficile eſt eundem gradum gratię recuperare, vt maximè gratiam quidem ipſam per Pœnitentiam recuperes.

Accedit, quòd ſi argumenti illa forma, qua vtitur Caietanus, valeret; pari propemodum ratione probaret, ne *actualem* quidem motum liberi arbitrij ſatis eſſe, vt Euchariſtia conferat gratiam. Vix enim ex iis, qui aſsiduè celebrant, vllus eſt, qui ſub illud ſaltem totũ tempus, quo Sacramenti ſpecies incorruptæ manẽt (id quod Caietanus ſatis eſſe putat) non habeat aliquem actum liberi arbitrij erga Deum. Et tamẽ de his etiam poſſet ſimiliter obiici illud, quod vrget Caietanus, nempe non tantùm in illis gratiam eminere, quantum oporteret, ſi quotidie augeretur.

Ad *tertium* reſpondeo, minimè oportere, vt analogia & ſimilitudo cibi corporalis & ſpiritualis in propoſito ſit omnino ſecundùm omnia. Certum enim eſt, in *modo* ſaltem, quo cibus ſpiritualis eſt efficax, latum eſſe diſcrimen. Quare ſatis eſt, vt illi *actioni* viuentis in nutrimentum reſpon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

respondeat in proposito illa actio, qua quis sese probat ac præparat sufficiēter, vt dignè (hoc est, sine peccato mortali) ad Eucharistiam accedat.

Quod verò addebat Caietanus, habere nihilominus Eucharistiam postea suum effectū, cùm primùm suppletur ille defectus actualis deuotionis: Si hoc quidem intelligat, etiam postquā species Sacramenti corruptæ sunt (vti Caietanus intelligere debet loquendo consequenter suæ sententiæ) non est vllo modo probabile. Sequeretur enim, vt bene argumentatur Sotus, aliquem sine perfecta contritione, & sine præsenti vsu Sacramenti gratiam aliquando posse consequi, quod absurdum est.

Id patet in casu, quo quis accepisset Eucharistiam attritus, putans se contritum fuisse: aut nō legitimè absolutus in Confessione, putans se rectè fuisse absolutum. Tunc ponamus, illum non habere actualem motū liberi arbitrij, sub illud quidem tempus, quo posset Sacramentum conferre gratiam, nempe quamdiu manet incorruptum: supplere autem eum motum postea, neq; tamē habere tunc veram contritionem. Iam secundùm Caietanū consequeretur tunc primam gratiam, quam nimirum potuisset antè ex vi Sacramenti obtinere; & tamen illam, vt patet, neq; per veram contritionem, neq; per vsum præsentem Sacramenti in eo casu consequeretur.

Item ex sententia quidem D. Thomæ (quem Caietanus in hac re sequi se putat) falsa est hæc opinio Caietani, quod attinet etiam ad primarium Eucharistiæ effectum, qui est Gratiæ *augmentum*. Nam neq; hoc datur opinione D. Thomæ, nisi vel per Sacramentum in re, vel per actū meritorium intēsiorem præcedenti habitu charitatis. vt D. Thomas in 2.2. q. 24. art. 6. docet; nō autem per quemliber bonum actum sine Sacramento. Vel certè requiritur ad augmentū illud, vt potentia voluntatis per præcedentes aliquos actus fuerit sufficiēter exercita, vt docuimus tomo 3. disp. 3. q. 2. p. 3. Quare falsum est, quemliber actum bonum erga Deum sufficere, corruptis iam Sacramenti speciebus, ad illud gratiæ augmentum acquirendum.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Vsu seu Sumptione huius Sacramenti in communi.

D. Thom. 3. parte, quæst. 80.

QVINQVE SVNT EXPLICANDA. PRIMO, QVIBVS MODIS Sacramentum hoc vsurpari possit, quantum est ex parte ipsius actus sumendi. SECVNDO, qui possint verè sumere hoc Sacramentum; siue id dignè, siue indignè fiat. TERTIO, Qua præparatione sit opus, vt etiam possit vsurpari dignè. QVARTO, Quàm frequenter vsurpari possit, aut etiam debeat. QVINTO, Quomodo sumi debeat, quantum est ex parte ipsius Sacramenti: Vtrum scilicet necessariò in vtraque specie; an verò liceat etiam in altera tantùm.

PVNCTVM PRIMVM.

Quibus modis Sacramentum hoc vsurpari possit, quantum est ex parte ipsius actus sumendi.

D. Thom. art. 1.

HOC LOCO VVLGATA ILLA DISTINCTIO, quæ ex doctrina veterum Patrum, etiam repetitur in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 8. notanda est, nempe tripliciter hoc Sacramentum sumi posse. PRIMO, *Sacramentaliter tantùm*, vt à peccatoribus, cùm indignè communicant. SECVNDO, *spiritualiter tantùm*, videlicet ab his, qui voto saltem & desiderio illud suscipiunt, ac fide per charitatē viuam, participes fiunt fructus huius Sacramenti, nempe gratiæ, qua fit vnio cum Christo. TERTIO, *Sacramentaliter & spiritualiter simul*, nempe cū & reipsa, & dignè illud Sacramentum percipitur. Hanc doctrinam asserit etiam hīc D. Thomas art. 1. quamuis non ponit quidē expresè, nisi duo membra distinctionis, nempe Sacramentalem, & spiritualem sumptionem. Sed non prohibet tamen, quò minus coniunctione vtriusq; modi fiat tertium distinctionis membrum, vt ponit Concilium Tridentinum.

Porrò tum in primo, tum in secūdo huius distinctionis membro aliquid animaduertēdū est. In PRIMO, *Sacramētalem tantùm* Eucharistiæ māducationē non ea ratione ab Ecclesia dici, quasi per eam manducationem solùm sumantur species illæ, vt significant; non autem ipsius etiam Christi *corpus*, quod hīc est res præcipua istius Sacramenti: sed docet Ecclesia sumi per eam manducationem Sacramentum sine illius *fructu spirituali*, nempe sine *gratia*, quæ ita quidem est res huius Sacramenti, vt non sit etiam Sacramētum simul. Corpus autem Christi, cùm sit etiam Sacramentum vnâ cum speciebus, vt suprà q. 1. p. 3. declaratum est, minimè excluditur, cùm Ecclesia dicit, manducationem *Sacramentalem tantùm*; sed potius eo ipso includitur.

Quod diligenter contra Sacramentarios obseruandum est. Qui, cùm re vera negent, corpus Christi aliter, quàm secundùm ipsius effectum, nempe gratiam, in Sacramento re ipsa participari; manducationem *Sacramētalem tantùm*, eam esse intelligunt, in qua nuda tantùm signa percipiuntur à peccatore sine gratia; eos tamen suprà q. 3. p. 1. satis etiam quod ad id attinet, refutauimus; præsertim cùm pro reali præsentia argumentaremur ex Patribus. Hi enim planè affirmant, à peccatoribus etiā ore ipso accipi corpus Christi ad iudicium; vt asserunt Augustinus lib. 1. contra Cresconium, cap. 25. & lib. 5. contra Donatistas, capite 8. & epist. 122. Hieronymus in caput 2. Malachiæ, Hilarius in Psal. 127. Chrysostomus homilia de proditione Iudæ, & homilia 24. in 1. ad Cor. & homil. 3. in epist. ad Ephes. Cyprianus de Cœna Domini, Cyrillus lib. 9. in Ioan. cap. 16. Origenes in Psal. 37. Gregorius in caput 1. primi Regum, lib. 2. cap. 1. ac alij.

Et nihilominus tamen rectè negant Patres, à peccatoribus accipi Sacramentum ipsum *spiritualiter* ac fructuosè. Quam doctrinam etiam recipiunt Confessionistæ Lutherani, vt patet ex Kemnitio in examine Concilij Tridentini loco citato, vbi ponitur illa distinctio.

Notetur etiam, pertinere ad hanc manducationem Sacramentalem, si propriè quidem loquamur, vt Eucharistia accipiatur *intelligenter* (saltem ex præcedente intentione) tanquam sacrum signum; alioqui materialiter tantùm sumetur ex parte accipientis, vt notat D. Thomas art. 3. ad 2. & 3.

Item in SECVNDO distinctionis membro aduertendum est, quamuis nos de manducatione *spirituali* ipsius Sacramenti, atque adeò Christi, nē tamen ideo negare, quin extra Sacramētum etiam ipse Christus māducari spiritualiter possit; neque id etiam negat vbi suprà Concilium Tridentinum. Dicitur enim à sanctis Patribus ipse etiā Christus absolutè manducari spiritualiter, hoc ipso, quòd participatur ipsius passionis fructus. Et id quidem duobus modis.

Primo modo minus propriè, nempe hoc ipso, quòd aliquis per gratiam, qualis etiam in Baptismo percipitur, est vnitus cum Christo: quo pacto nemo est, aut vnquam fuit iustus, siue paruulus, siue adultus, qui non manducauerit spiritualiter corpus Christi, vt apparet ex Augustino lib. 2. de ciuitate Dei, cap. 25. & serm. 2. de verbis Apostoli, vbi ita latè de spirituali manducatione loquitur. Item cùm Tract. 26. super Ioannem ait: *Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, non manducat corpus Christi.*

Altero modo manducatio spiritualis Christi est participatio fructus passionis eius per *actum fidei viuæ*, in quo maior quidem analogia seu similitudo est comestionis propriè dictæ, quippe quæ est *actus* aliquis vitalis. Sic de manducatione sui spirituali locutus est Christus in priori parte illius sermonis, quem habuit apud Ioannem, cap. 6.

Ac de ea etiam manducatione spirituali loquuntur frequentius sancti Patres. Vt Augustinus Tract. 25. in Ioan. *Crede*, inquit, *& manducasti*, Et serm. 11. de verbis Domini, & lib. 2. de sermone Domini in mōte, cap. 12. Origenes homil. 16. in Numeros, Hieronymus in caput 3. Ecclesiastæ, Hilarius in Psal. 127. & alij. Item D. Thomas hic art. 2.

Neque verò hanc Christi ipsius spiritualem manducationem per *fidem* in illum, negare voluit Concilium Tridentinum, vt improbè cauillatur Kemnitius: etsi egit quidem propriè, vt dictum est, de spirituali manducatione ipsius Sacramenti, quæ continetur eius voto. Adde, quòd neq; est negandum, quin etiam istud Sacramentum ratione quadam manducauerint spiritualiter Patres veteris testamenti, videlicet in eius *figura*, quæ fuit *manna*. Quamobrem dicit Apostolus 1. Cor. 10. eos *eandem escam spiritualem manducasse*, id est, idem manna, quod significabat secundùm literæ quidem sensum spiritualem, eūdem Christum, etiam quatenus est noster cibus in Sacramento: de quo Augustinus in Tract. 26. & 45. super Ioannem. Atque hæc sufficiant pro primo puncto.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quinam possint verè sumere hoc Sacramentum; siue id dignè, siue indignè fiat.

D. Thom. art. 2. 3. 9.

DICENDVM est, spiritualiter quidē, aut etiam *Sacramentaliter propriè*, solos homines ratione vtētes; vel certè qui ratione anteà vsi sint, & desiderium habuerint huius Sacramēti; posse illius esse participes. Id patet ex doctrina D. Thomæ art. 3. ad 2. & 3. vbi ad manducationem *Sacramentalem propriè* requirit, vt quis *intelligenter* sumat, sub ratione videlicet *signi*. Et ostēditur etiam satis perspicuè ab eodem D. Thoma hic art. 2. vbi idcirco negat, Angelos manducare spiritualiter id Sacramentum. Frustrà enim haberent

Universidad de Deusto
Biblioteca

berent votum illud sumendi, cùm non possint actu quidem verè vitali sumere: siquidem carēt corpore. Quanquam bene quidem ipsum Christum manducant spiritualiter, quatenus ei vniuntur fruitione perfectæ charitatis, vt idem explicat D.Thomas: quo pacto *panis Angelorum* dicitur Christus.

Item patet ea doctrina ex iis quæ tradit diuus Thomas art.9.vbi rectè idcirco asserit, neque infantibus, neque perpetuò amentibus Eucharistiæ Sacramētum dandum esse: Bene autem (saltem in fine vitæ) iis, qui aliquando sui compotes desiderium huius Sacramenti habuerunt, nec extra gratiam esse putātur. Quod patet ex Concilio Arausicano can.3. rélato etiam à Gratiano 26.q.6.Can. *Qui recedunt*, & ex Concilio Carthaginensi IV. can.76.

Et quidem quòd dāda sit Eucharistia iis, qui in *morbo* repente corripiuntur aut phrenesi, aut eiusmodi aliqua insania, si citra periculū id fieri possit, & antè desideraverint; certum est ex citato loco Concilij Carthaginensis: neque tantùm id intelligi debet, cùm aliqualem rationis vsum eiusmodi phrenetici, siue insani habent; sed etiā cùm prorsus reddūtur morbo expertes vsus rationis: vt rectè defendit Sotus dist.12.q.1.artic.9. contra Gabrielem in 4.d.9.q.2. artic.3.dub.4. ac planè etiam sentit D. Thomas dicto art.9.

Quòd autem aliis etiam, qui diu emotæ mentis fuerunt, possit, saltem licitè, sub finem vitæ dari Eucharistia, si aliquando quidem desiderauerint; longè probabilius est, & rectè defenditur loco citato à Soto; sicut id planè docere videtur diuus Thomas, ac affirmat simpliciter Victoria q.84. de Sacramentis. Quanquam secundùm Caietanum quidem, non accipient tales gratiæ augmentū, ob defectum videlicet præsentis deuotionis actualis, quam ad id requirit Caietanus. Sed hæc illius opinio à nobis suprà refutata est q.præced.p.1. Quare accipiunt nihilominus eiusmodi insani effectum illum Sacramenti, qui est Gratia, vt Sotus & Victoria loco citato defendunt ex sententia D.Thomæ.

PARVVLIS autem ante vsum rationis, certū est, non esse necessariam Sacramentalem communicationem *in re* ad salutem, vt suprà q.1.p.5. probauimus. Et est definitum in Concilio Tridentino sess.21.cap.4.& can.4. vbi etiam Kemnitius scribit, nullam se ac suos controuersiam de hoc habere cum Ecclesia.

Deinde certum est, minimè iam quidem licere ipsis dare Eucharistiam. Fieret enim contrà consuetudinem Ecclesiæ, quæ non nisi iis qui ad annos discretionis peruenerint, istud Sacramētum administrari vult, vt patet ex Cap. *Omnis vtriusq; sexus*. Extra de pœnit. & remissionibus.

Neq; obstat, quòd aliquando viguit contraria consuetudo in quibusdam Ecclesiis, vt suprà q.1.p.5.notauimus, ac significauit etiam Concilium Tridētinum loco citato. Mutari enim possunt eiusmodi consuetudines, pro vt ad id suppetunt variæ rationes pro circumstantiis locorum & temporum, sicut in Concilio Tridentino notatur.

Quòd si paruulis Eucharistia omnino nunc daretur, putat rectè Victoria in dicta q.84. futurum tunc, vt in illis gratia augeretur, sicut credendum est auctam fuisse, cùm olim fieri solebant participes Eucharistiæ. Nam vt omnis qui viuit vita corporali, est capax corporalis nutrimēti, ita etiam omnis qui viuit vita spirituali (sicut viuunt etiam Infantes baptizati) est reipsa capax nutrimenti spiritualis, si & illis reipsa nutrimentum spirituale applicetur (quod scilicet continetur hoc Sacramento) & non obstet peccatum aliquod mortale, cuius nimirum baptizati Infantes sunt expertes.

TEMPVS verò, quo ad Eucharistiam admitti possunt pueri, illud est, cùm eiusmodi pollere incipiunt rationis vsu, vt possint satis discernere hunc cælestem cibum à cæteris. Quod ordinariè contingere solet circa decimum ætatis annum, vt notat Sotus d.12.q.1.art.9.

Cur autē antè vsum rationis Eucharistia non debeat dari, ratio est illa, quam suprà ex D.Thoma reddidimus, scilicet quia tunc non acciperet Sacramentum *propriè*, quatenus est *signum sacrū*.

Atque ex hoc sanè sequitur, si casu accideret, vt brutum sumeret hostiam consecratam; minimè tunc esse dicendum, quòd *propriè* sumat Sacramentum, vt *Sacramentum*: Non enim sumeret vt *signum*; sed tantùm vt rem quandam.

Quanquam negandum minimè est, quin ibi etiam maneret corpus Christi, quamdiu species manerent incorruptæ, vt probat D. Thomas artic.3.ad 3. contra Magistrum in 4. dist.13. & alios quosdam, qui censuerunt, statim, atque hostia caperetur à bruto, desiturū ibi esse corpus Christi. Immò Hugoni Victorino lib.2. de Sacramentis p.8. cap.13. & Innocentio lib.4. de Sacrificio Missæ, cap.15. & Glossæ in Can. *Tribus*. de Consecratione, d.2. visum etiam est, tamdiu solùm manere corpus Christi in speciebus, quæ ab homine, siue bono, siue malo sumūtur, quamdiu sensu quidem in ore ipso percipiuntur; & non diutius. Quæ omnes opiniones reiiciendæ sunt: neque sanè sunt tolerabiles, vt rectè ostendit Soto vbi suprà art.3.

Nam præterquam quòd sunt contra aliorum Theologorum communem sententiam, pugnāt etiam reuera cum veritate & efficacitate Formæ huius Sacramenti, cuius ea vis est, vt planè stabiliter & permanenter faciat esse corpus Christi illud, quod pani succedit sub illis accidentibus, quamdiu quidem illa manent. Id patet ex his, quæ suprà q.3.4.& 5. disputata sunt.

Neque verò horribilius aliquid videri debet, quod sub aliena specie Christus attingatur à bruto, aut sit in stomacho, quàm quòd sub propria etiam specie fuerit indignissimè tractatus à peccatoribus homicidis: vel quàm, si iam hostia sacrilegè proiiceretur in lutum. Vbi tamen negādum non est, quin Christus nihilominus maneret, vt rectè D.Thomas argumentatur. Quid autem esset faciendum, casu quo brutum caperetur, à quo esset hostia sumpta; docet Syluester, Verbo Eucharistia 2.num.13. dicto 4. & attingit in genere D.Thomas infrà q.83.art.vlt.ad vlt.

PVNCTVM TERTIVM.

Qua præparatione sit opus, vt etiā possit hoc Sacramētum vsurpari dignè.

D.Thom. art.4.5.6.7.8.

VOD ad hanc rem attinet, quædam præparatio requiritur ex parte Animi, & aliqua etiā ex parte Corporis. Itaque dicemus de vtroque præparationis genere.

Et quod ad ANIMI quidem necessariam præparationē attinet, VNVM sine controuersia constare video apud omnes, tum Catholicos, tum etiam Sectarios; nempe requiri iure diuino talem probationem ac præparationem sui, vt accedens ad percipiendam *Sacramentaliter* Eucharistiam (ad istum enim percipiēdi modum pertinebit, quicquid deinceps dicetur) haud temerè statuere possit, se in gratia Dei esse.

Id apparet ex illis verbis Apostoli, 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini*. Atque etiam id patet ex natura & dignitate istius Sacramenti. Quò pertinet doctrina D.Thomæ hic art.4. & 5. vbi perspicuè ostendit, & peccatū esse mortale, & admodum etiam grane, Eucharistiā in peccato mortali sumere. Vnde illud Chrysostomus comparat cum peccato eorum, qui Christum occiderūt, homil. 60. ad populum Antiochenum, & 46. in Ioan. & homilia de non contemnēdis mysteriis. Item Theophylactus & Glossa in caput 11.1. ad Cor. Atq; etiam Augustinus, cum peccato Iudæ proditoris, Tractatu 62. in Ioan. & Beda in caput 22. Lucæ, & Remigius in caput 26. Matth. Item cum peccato Iudæorum, qui Christum blasphemabāt, Chrysostomus homil.24. in 1. Corinth. Ambrosius, ad Hebr.10.

Quanquam rectè nihilominus docet hîc diuus Thom. grauiora ex suo genere esse illa peccata, quæ committuntur in *diuinitatē*, contra virtutes nimirū Theologicas. Affirmat tamē, istud Sacrilegij peccatum longè grauius his omnibus peccatis esse, quæ committi possunt contra puras Creaturas: Quod est intelligendum *ex suo genere*. Nam ex *circumstantiis* quidē, & ex *modo*, gratiæ esse potest aliquod peccatum contra proximum. Vt homicidium v.g. ratione damni illati, sicut rectè Caietanus hîc artic.5. explicat, vbi hac ratione facilè defendit doctrinam D. Thomæ contra Durandum in 4.d.9.q.2.art.2.

Cùm itaq; tam graue peccatum istud sit; dubium nullum est, quin oporteat hominem ita accedere ad hoc Sacramentum, vt quemadmodum dicebam, haud temerè iudicare possit, se esse in gratia Dei.

SED vt latè patet tale aliquod hominis iudicium, quod videlicet minimè sit leue, aut temerarium: ita quædam deinde sunt hoc loco partim cum Sectariis, partim etiam inter ipsos Catholicos CONTROVERSA, quæ ordine iam expedienda sunt.

Quæri enim PRIMO potest, vtrum illud iudicium debeat esse certum certitudine *fidei*, id est, absque vlla formidine? SECVNDO, Si satis sit illud iudicium esse certum morali tātum ac probabili certitudine; requiratúrne saltem, vt *re ipsa sit verum*, nempe vt homo verè sit in gratia, sicuti putat? TERTIO, Si nec requiritur, vt re ipsa id Iudicium sit verum; sed satis est, vt probabiliter appareat verum; an saltem sit necesse, iudicium id niti non tantùm conscientia doloris seu pœnitentiæ internæ de peccatis; sed etiam *Confessione Sacramentali*, quam ideo præmittere oporteat, vt eò probabilius, qui ad Eucharistiam accessurus est, putet se reuera esse in gratia?

De PRIMA Quæstione communis hæresis Sectariorum huius tempestatis est, adeò iudicium illud debere esse *fidei infallibilis*, vt etiam illud solum reddat hominem ad percipiendam Eucharistiam dignum; non quòd omnes isti simpliciter negent, requiri etiam pœnitentiam, & propositum non peccandi; sed quia omnes alioqui docent, sola illa fidei persuasione de gratia propria, apprehendi ipsam gratiam, quæ facit hominē ad Eucharistiam percipiendam idoneum seu dignum: etsi simul quidem, vt illorum plerique fatentur, requiratur pœnitentia vera ad fulciendam eiusmodi persuasionem fidei. Hoc sensu declarat Kemnitius contra Concilium Tridentinum sess.13. capite 7. & can.11. scripsisse Lutherum in libro de captiuitate Babylonica, dignam præparationem ad Eucharistiam non esse, nisi *fidem*. Id quod etiam art.15. ex damnatis in Bulla Leonis X. asseruit.

Cùm verò hic error non nisi communibus illis argumentis nitatur, quibus alioquin isti ad asserendam perfidiam suam specialem in materia de Iustificatione abutuntur; satis iam à nobis aliàs refutatus est tomo 2. disp. 8. de Gratia, q.4.p.4. vbi copiosè ostendimus, adeò nos non debere illa certitudine fidei statuere, nos esse in gratia, vt ne posimus quidē aliter ea de re certi esse, nisi *moraliter*: item eod. tomo, disput. 7. q.6. de differentia veteris & nouæ legis, p.4.& disputat.8.q.5.p.4. vbi similiter confutauimus manifestè, quod aiunt, sola illa fide à nobis gratiam apprehendi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tantùm hoc loco animaduertendum eſt, etiã in eo ſenſu, quo Kemnitius exponit, damnatam eſſe hanc hæreſim in Concilio Tridentino, can. illo 11. citato: Quamuis eâ quidem forma verborum, vt in primis damnentur ibi, qui exiſtimant, nullo prorſus modo & reſpectu pœnitẽtiam requiri; qui eſt error conſequens ex doctrina eorum Lutheranorum rigidiſſimorum, qui in vniuerſum negant omnem neceſsitatem bonorum operum, quos ipſe Lutherus vocauit *ἀντινόμους*. Quanquam ne ipſe quidem videatur eius erroris fuiſſe ſemper expers, vt oſtendi in dicta q. de differentia veteris & nouæ legis.

Atque hoc quidem diligenter contra cauillationes & calumnias Kemnitij in illum Canonẽ Concilij Tridentini obſeruandum eſt. Multa enim ibi de doctrina noſtra cauillatur, ne dicam, mentitur, ad quæ in aliis locis ſæpè reſponſum eſt. Vt quòd ipſi putemus, per præparationes noſtras & opera, verè nos *mereri iuſtificationem*; quòd in hac præparatione ad Euchariſtiam *ſperemus fidem, &c.* Neq; tamen ad eam calumniam aliud habuit fundamentum, niſi quòd Concilium nõ in illo etiam Canone explicârit, requiri fidem: Quaſi verò omnia deberent dici in omni loco. Nos verò fatemur in primis, gratis nos per fidem legitimam in Chriſtum iuſtificari, atque adeò ſine illa neminẽ dignè vſurpare poſſe Euchariſtiam, vt apertè etiam ipſum Concil. Trident. ead. ſeſſ. cap. 8. indicauit. Sed hæc aliâs.

De Secvnda Quæſtione; non minus falſa, quàm ſingularis opinio fuit Ioãnis Maioris, qui in 4. d. 9. q. 1. ſcripſit, indignè eum accedere, atq; adeò peccare omnino, qui *renera* non accedit in gratia. Fundamentũ illius præcipuum fuit: Quia vel talis facit, quod facere tenetur, vt in gratia accedat; vel non facit. Si facit, eo ipſo verè acquirit gratiam: Si non facit, eo ipſo peccat, atq; ita minimè excuſabitur, ſine gratia accedendo.

Sed contraria ſententia eſt communis & vera; nempe vt dignè quis accedat, ſatis eſſe, vt *probabiliter putet*, ſe in gratia accedere; etiamſi caſu aliquo in ea re fallatur, ob ignorantiam videlicet inculpabilem alicuius defectus, qui acciderit vel in dolore interno, vel etiam in abſolutione Sacramentali, &c. Ita D. Thomas hic art. 4. & q. præced. art. 3. Halenſis 4. p. q. 46. mem. 3. art. 2. Scotus d. 9. q. vnica. Bonauentura d. 9. art. 2. q. 3. Richardus ead. diſt. art. 2. q. 1. Durandus q. 4. Gabriel ſuper Canonem lect. 8. Marſilius in 4. q. 4. artic. 4. concl. 1. Adrianus q. 1. de Euchariſtia, Victoria q. 77. de Sacramentis, Sotus d. 12. q. 1. art. 4. qui rectè dicit, Ioannem Maiorem *reſpexiſſe ad pauca*.

Nam cùm nemo teneatur facere ſummum, q̃ poteſt, vt gratiam recuperet; ſed ſatis ſit, ſi adhibeat nõ leuem diligentiam, hoc eſt, iudicio quodam humano ſufficientem; poteſt accidere, vt licet faciat quis, quod tenetur, ſiue in examinãda conſcientia, ſiue etiam in procurando dolore; tamen reuera non acquirat gratiam, propter defectum videlicet perfectæ pœnitentiæ internæ, aut etiam legitimæ abſolutionis in Confeſſione acceptæ, de quibus quidem non prorſus certò alicui conſtare poteſt.

Dvbitatvr hîc autem à quibuſdam, Vtrũ talis non tantùm dignè accedat, ita, vt *non peccet*, ſed etiam *fructuosè*, hoc eſt, ita, vt gratiam primã (qua caret vt ponimus) ex vi Sacramenti Euchariſtiæ acquirat. Negat enim hoc ex Doctoribus antè citatis, Bonauentura. Item Gabriel vbi ſuprà, & in 4. diſt. 9. q. 1. ſaltem putat, non conferri gratiam tali ex *opere operato* ipſius Sacramẽti; ſed ex benignitate diuina, excitante in illo bonum animi motũ, qui alioqui per ſe ſufficiat ad gratiam conciliandam. Ac Paludanus d. 9. q. 2. certè etiam dubitat, vtrùm ex *opere operato*. Item Caietanus q. præced. art. 1. videtur negare, gratiã primam tum conferri caſu, quo attritio eſſet valde exilis. Adrianus quoque vbi ſuprà reſpondet, *interdum* conferri: Quo modo loquendi vtitur etiam Nauarrus in Manuali, cap. 21. num. 47.

Sed abſolutè tamen ſentiendum eſt, talem accedere etiam *fructuosè*, & gratiam acquirere *ex opere operato* Sacramenti, quantulamcunq; affectum attritionem, modò ea quidem probabiliter ab ipſo putetur contritio, & ſit omnino depecatis omnibus mortalibus, ita ſcilicet, vt nullius affectus adhuc in ipſo vigeat. Ita ſentiunt diuus Thomas, & expreſsè Alex. Halenſis 4. p. q. 46. m. 3. artic. 2. in fine, & reliqui omnes Doctores antè citati, præſertim Sotus, & Victoria. Pertinet enim hoc ad huius Sacramenti dignitatem. Nec eſt vlla ratio, cur ea efficacitas ei denegetur, aut vllo modo limitetur. Eſtque planè id conſentaneum ſententiæ ſanctorum Patrum, vt ſuprà q. præced. p. 1. oſtendimus.

Quod cùm ita ſit; ſequitur ſanè in vno ſolo caſu poſſe accidere, vt aliquis nec peccet vſurpando Euchariſtiam, neque etiam gratiam recipiat. Talis caſus eſſet, ſi in animo vigeret adhuc affectus ad aliquod peccatum mortale, cuius omnino reus eſſes, ſiue quia ex malitia, ſiue quia ex ignorantia culpabili commiſiſſes; & tamen illius merè naturaliter & inculpabiliter in confeſsione vel extra confeſsionem oblitus, ad Euchariſtiam deinde accederes.

In caſu autem, quo accedas de omnibus mortalibus attritus, atque adeò ſine vllius peccati mortalis affectu, nunquam continget illud medium, vt ſcilicet neque pecces accedendo, neq; tamen gratiam acquiras, vt rectè Sotus loco citato defendit ex ſententia D. Thomæ. Vel enim putas tunc probabiliter, te eſſe contritum & in gratia; & ſic nihil deerit, quò minus vi Sacramenti eam conſequaris, vt dictum eſt: Vel non putas; & tunc eo ipſo accedis indignè.

Iam de Tertia Quæſtione, quorũdam ſententia fuit, non etiam eſſe neceſſariò præmittendam *confeſsionem*. Ita Panormitanus in Capitulo, *De homine*, Extra de celebratione Miſſarum, & Ioannes Medina in Tract. 2. de Confeſsione, & Caietanus hîc art. 4.

Fundamentũ huius ſententiæ eſt *Primò*: Quia neq; diuinum præceptum ea de re videtur extare; neq; humanum. Non *diuinum*: Quoniam id ſolùm iubet, vt *probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*. Poteſt autem probare ſe & præparare per propriam contritionem; & quidem ita, vt probabiliter ea ratione poſsit exiſtimare, ſe eſſe in gratia. Neq; verò ibi etiam præcipitur, vt *probetur* à Confeſſario quis: *Non enim*, (inquit Chryſoſtomus in illum locum Pauli) *iubetur, vt alter alteri probetur: ſed vt ipſe ſibi; non publicum faciens iudicium, & ſine teſte argumentum*. Item neq; extat tale præceptum *humanum*: Nam hoc ſolùm iubemur ſemel in anno confiteri.

Secundò: Quod ſi iure diuino id facere oportet; nunquam liceret, niſi præmiſſa Confeſsione accedere, quod ſine controuerſia falſum eſt.

Tertiò: Quoniam non eſt id neceſſarium ad alia Sacramenta vſurpanda: etſi illa quoq; conferant gratiam.

Sed contraria ſententia adeò certa iam eſt, vt in Concilio Tridentino ſeſſ. 13. capite 7. & can. 11. ſub excommunicatione ſit prohibitũ, opinionem illam Caietani, & aliorum, defendere. Ita ſentit D. Thomas in 4. d. 16. in explicatione textus & d. 17. q. 3. art. 1. quæſtiuncula 4. & alij omnes Theologi in 4. d. 9. & Canoniſtæ item communiter cum Gloſſa in Cap. *De homine*, Extra de celebratione Miſſarũ. Ita etiam Nauarrus in Manuali, cap. 2. num. 7. & cap. 21. num. 49. Sotus diſt. 12. q. 1. art. 4. Victoria q. 78. de Sacramentis.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quòd Eccleſia perpetuò intellexit eam eſſe vim illius diuini præcepti, quod commemorat D. Paulus: *Probet autem ſeipſum homo*. Cuius rei multa ſunt indicia & argumenta. Primvm eſt ipſa Eccleſiæ *conſuetudo*, omni memoria antiquior, quæ certè obtinuit, vt confeſsio, tanquam præparatio neceſſaria præmitteretur ab iis, qui ſibi eſſent conſcij alicuius peccati mortalis in Confeſsione antea nõ patefacti. Id patet ex communi vſu & ſenſu ipſo fidelium. Nam vel non audent omnino alioqui accedere, ſi boni & pij ſint; vel ſi aliqui, qui ſint deteriores id audent, omnino ſentiunt ſe malè facere.

Itaque apud Euſebium lib. 6. Eccleſ. hiſtoriæ, cap. 24. legimus, Philippum Imperatorem, cùm communicare vellet, nõ fuiſſe ad Euchariſtiam admiſſum, antequam faceret confeſsionẽ. Quare ſtatuendum eſt, ita traditum ab Apoſtolis fuiſſe, vt patet ex Auguſtini Regula lib. 4. de Bapt. contra Donatiſtas, capite 24. & aliâs, cuius ſuprà diſputationibus præcedentibus ſæpè mentionem fecimus.

Secvndvm huius rei argumentum continetur teſtimoniis Patrum, qui ex illo loco Pauli ita docent; vt Cypriani lib. 1. Epiſtolarum, epiſt. 3. & lib. 3. epiſt. 5. 14. 15. 18. & ſerm. 5. de lapſis. Auguſtini in Pſal. 118. & lib. de ſalut. document. capite 33. Baſilij in præparatione ad Liturgiam. Chryſoſtomi homil. 30. in Geneſin, & homil. 10. in Matthæum, & homilia de Saule, & etiam in præparatione ad Liturgiam. Ita quoq; habetur in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 57. Item Anſelmi, 1. Corinth. 11.

Tertivm eius rei argumentum eſt, quòd diuus Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 3. & Chryſoſtom. homil. 61. ad populum, & homil. 3. in Epiſtolam ad Epheſios, docent, eſſe munus Sacerdotis, indignos repellere ab hoc Sacramẽto, & dignos ad illud admittere: quod maximè fit, cognito ſtatu pœnitentis in confeſsione, vt moris eſt in Eccleſia. Nam alia certè via raro accidit, vt de alicuius indignitate Sacerdoti conſtet.

Qvartvm argumentũ ducitur ex huius Sacramenti præſtantia. Etenim ratio ipſa nos docet, ad neceſſariam præparationẽ, vt res tam diuina ſumatur, eum modũ pertinere, qui ad gratiæ dignitatẽ acquirẽdam, quoad eius fieri poſsit, ſit omnium certiſsimus. Hic autẽ modus eſt, vt cum dolore atq; pœnitentia interna coniungatur etiam Confeſsio Sacramentalis; vt ſi caſu contingat, dolorem non eſſe alioqui talem, qui ſine Sacramento ſufficiat ad conciliandam gratiam, ſuppleat eum defectum Sacramentalis abſolutio.

Accedit, quòd ne Sectarij quidem negare audent, talem confeſsionem peccatorũ ante vſum Euchariſtiæ fieri debere, qualem alioqui Patres orthodoxi frequẽter commemorãt, vt rem, quæ ſit fidelibus neceſſaria. Itaq; ipſi etiam hæretici ſuo more, nempe in *genere*, prius confitẽtur Miniſtro, quàm ad Euchariſtiam accedant, vt Kemnitius teſtatur in examine Concilij Tridentini ſeſſ. 13. cap. 7. Quanquam alterius modi confeſsionem eam eſſe, de qua doctrina orthodoxa loquitur, quæq; adeò ad iſtud Sacramentũ requiritur, infrà diſput. ſeq. de Sacramento Pœnitentiæ, contra Sectarios oſtendemus.

Iam ad *primum* argumentũ ſententiæ contrariæ reſpondetur, poſt Concilium quidẽ Tridentinum, euidens etiam eſſe, quòd ſit præmittenda Cõfeſsio iure certè poſitiuo *humano*. Sed præterea affirmamus, eſſe etiam præmittendam iure *diuino*, vt Concilium Tridẽtinum planè ſignificat, & Patres ſentiũt.

Ad rationem autem Caietani reſpondeo, ex argumentis, quæ fecimus, debere intelligi, eam certè eſſe vim eius præcepti diuini, quod commemorat Paulus: licet ipſe quidem non ita expreſsis verbis hoc declarauerit. Neq; verò Chryſoſtomus id negat: præparatio enim, quæ ſit Sacramentali *confeſsione*, etiam ſit ſine *teſte*, & ſine *publico iudicio*. Itaq; tantùm vult Chryſoſtomus, minimè opus eſſe, vt *aliis etiam* probetur dignitas illius, qui ad Euchariſtiam acceſſurus eſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad *Secundum* reſpondeo, illud præceptũ, etſi ſit diuinum, eſſe tamen *affirmatiuum*, quod proinde nõ obligat in caſu, quo rectè adimpleri nõ poteſt. Talis caſus eſt, ſi vrgeat neceſsitas communicãdi, neq; tamen ſuppetat tũc copia Confeſſarij: in eo quidem caſu ſatis eſt pœnitẽtia interior, cũ propoſito, quàm primùm fieri poſsit, confitendi, vt etiam in Concil. Trident. loco citato explicatum & conſtitutum eſt. Quod rectè declarat Nauarrus in Manuali cap. 2. nũ. 7. pertinere etiam ad Laicos, quod attinet ad illã obligationem, *cùm primùm poſſit ea confitendi.*

Porrò iudicatur à Doctoribus vrgere in propoſito illam neceſsitatẽ in his caſibus. *Primò* in *articulo mortis*, vt notat Sotus diſt.12.q.1.art.4.qui etiam dicit, poſſe illum ipſum, qui in diſcrimine vitæ conſtitutus eſt, ſi ſit Sacerdos, Sacramẽtum ſibiipſi conſecrare, quando alioqui nõ haberet: Quod puto, intelligit Sotus, cùm id facere poſſet ritu Miſſæ conſueto.

Secundò. Quando alioqui propter quaſdam circumſtantias incurreres infamiam. Ita Sotus vbi ſuprà, Victoria q.79. de Sacramẽtis, Nauarrus in Manuali, cap.21. num.49. & alij communiter. Qui caſus latè patet.

Tertiò. Ne alioqui deſis officio aliis debito. Vt ſi Parochus ſis, & oporteat, ſi Confeſſarium adire velis, populum deſtitui ſacro in die feſto. Ita Sotus vbi ſuprà.

Quartò. Ne minus alioqui decẽter te geras in ſacro faciendo, aut in communicando, vt ſi Miſſam ſis iam exorſus, vel iam ad altare ſis applicatus communicandi gratiâ, & alicuius tunc peccati in Confeſsione non patefacti veniat in mẽtem. Ita Scotus in 4. d.9. q. vnica, Sotus loco citato, Syluester Verbo Euchariſtia 2. q. 7. Nauarrus, Victoria locis citatis. Ac declarat Victoria id intelligi, ſi ſaltẽ Introitum Miſſæ dixeris. Scotus autem loco citato id extendit, & meritò, ad quemcunq; caſum in quo iam eo vſque progreſſus ſis, vt differre celebrationẽ, vel communionem non poſsis ſine ſcandalo, etiam ſi fortè indueris tantummodò veſtes ſacerdotales, &c.

Non ſunt aũt audiendi, Richardus in 4.d.17. art.3.q.6.& Adrian.q.3.de Confeſsione, qui cenſent, poſſe aliquem vel ſolùm ea de cauſſa ſine Confeſsione communicare, vt Confeſſariũ expectet, quẽ magis ſibi profuturũ putat. Sed neq; ſolo prætextu adimplendi Eccleſiaſticũ præceptũ communicandi in Paſchate, cùm Confeſſarius non adeſt; ſine confeſsione communicare licebit, vt tandem re melius conſiderata ſtatuit Sotus vbi ſuprà, præſertim ſi peccato ſis obſtrictus, q̃ Superiori ſit reſeruatum. Ratio eſt. Quia præponderare debet *diuinum* præceptũ de non communicando ante legitimam confeſsionẽ, ſi peccati mortalis tibi conſcius ſis. Item etiã neq; in aliquo ex prædictis caſibus, præterquã in primo, nẽpe in articulo mortis, licet Euchariſtiam ſumere, ſi peccatum, q̃ non es confeſſus, habeat annexam excommunicationem, niſi prius ab illa abſoluaris. Ita ex communi doctrina notat vbi ſuprà Sotus.

Iam ad *tertiũ* argumentum Caietani facilè reſpõderi ſolet, aliam eſſe rationem reliquorũ Sacramentorũ, quippe quibus Euchariſtia longè antecellit. Quanquã qui ſacrũ aliquem Ordinẽ ſuſcepturus eſt, confiteri prius debet, cũ debeat etiã communicare, vt notauit Nauarrus in Manuali, c.2. nũ.7. & docet D. Thom. quodlib.1.q.6.

Porrò, cùm ad percipiendã Euchariſtiam ea ſit opus animi præparatione, quæ hactenus explicata eſt; facilè ex ea doctrina intelligi poteſt, quid Miniſtro Eccleſiaſtico faciendum ſit, cùm Peccator aliqs ab eo poſtulat Euchariſtiã. Quã quidẽ rem diffusè à Doctoribus tractatam, nos breuiùs complectemur ſequẽtib⁹ Aſſertionibus.

Primvm igitur, ſi peccator ſit *notorius*, neganda prorſus eſt, etiamſi publicè coram aliis petat. Ita D. Thom. hic art.6.& oẽs Doctores ſine controuerſia. Quod etiam admonuit Cyprianus lib.1. Epiſtolarum, epiſt.10. & refertur de Conſecratione, d.2. Cap. *Pro dilectione*. Item Auguſt. ead.d. Cap. *Multi*. Chryſoſt. homil.83. in Matthæum, & 63. ad populum Antiochenum.

Notorius autẽ peccator in propoſito dicitur, cuius crimen eſt manifeſtum, aut per ſentẽtiam in Iudicio; aut per publicam in eo confeſsionẽ; aut per euidentiam rei talem, vt nulla poſsit tergiuerſatione celari. Ita declarat D. Thom. art.6. & infrà q.82.art.9.ad 3. Sotus in dicta diſt.12.q.1. art.6. Nauarrus in Manuali, cap.21. num.55. Idq; patet ex Cap. *Tua nos*, & Cap. *Quæſitum*. Extra de cohabitatione Clericorum & mulierum, & ex Cap. finali. Extra de temporibus ordinationum.

Neq; verò ſufficit, vt per duos vel tres teſtes aliquo modo ex dictis illud eſſe *notorium*, vt notant locis citatis Nauarrus, & Sotus, qui rectè putat, prudentum deniq; iudicio exiſtimandum eſſe, vtrũ ſit *infamia* atque *euidentia* rei talis, vt nullus ſa, cùm aliquis eſt apertè & publicè vſurarius.

Secvndo aſſerimus, ne poſt actam quidem pœnitẽtiam dandam eſſe publico peccatori Euchariſtiam publicè, niſi *publicè* etiam conſtiterit de illius pœnitẽtia: Poteſt autem ei dari ſecretè. Ita Paludanus d. 9. q. 4. Nauarrus vbi ſuprà, Victoria q.80. de Sacramentis.

Tertio, cùm conſtiterit tamẽ de peccatoris pœnitentia, omnino danda eſt illi Euchariſtia, præſertim in extremo vitæ. Id patet ex Cõcilio Nicæno can.12. Ancyrano can.5. Agathenſi can. 11. Arauſicano can.3. Item ex Cap. *Super eo*. lib.6. de hæreticis. Quãquam Sotus loco citato, & Cajetanus eneatur dare Euchariſtiã peccatori occulnitur nihilominus conſuetudinẽ quãdam excuſare, quæ apud Hiſpanos obtinuit negãdi Euto publicè petenti, quo tẽpore alioqui communicare debet; æquè etiã eum vrget, qui non ſit ilcharistiã iis, q extremo ſupplicio eſſet afficiẽdi. lius Parochus, & quouis itè tẽpore. Ratio enim potiſſima, vel etiã ſola, eius obligationis Paſtoris ꝓprij eſt, non quia per baptiſmũ habeat quis ius exigẽdi à *proprio* ſuo paſtore, ſed ne proprius paſtor alioqui eiuſmodi peccatorẽ occultũ *diffamet*, vt patet ex doctrina D. Thomæ art.6. ad 2. ꝙ etiã faceret qui nõ eſt ꝓprius paſtor, ſimiliter negando peccatori occulto. Etſi enim is, qui baptizatus eſt, remota quadã ratione habeat eo ipſo ius quoddã ad Euchariſtiã; tamen niſi præterea etiã ſit *in gratia*; non habet reſpectu Miniſtrum, etiam ſuum Parochum, vt ſibi tanquam ex officij debito communicet Euchariſtiam. Quare vel ſola, vt diximus, vel certè potiſſima ratio, cur Parochus eiuſmodi peccatori Euchariſtiam dare debeat, non niſi illa eſt, ne ſcilicet eum alioqui diffamet.

Neq; obſtat, ꝙ D. Thom. in corpore, art.6. ius illud remotũ, ꝙ propter Baptiſmũ habet occulmas facit, nõ vt ex eo ſolum concludat, occulto peccatori eſſe dandã Euchariſtiã, quaſi ex officij debito; ſed vt ea ratione indicet, oportere certè illi dare ad vitandã alioqui eius infamiã, ſi peccatũ, ꝓpter ꝙ illi negari poſsit, non ſit aliàs manifeſtũ. Quoniã ſi non ei tunc daretur, oẽs nimirũ intelligerent, idcirco ei negari, quia propter peccatũ aliq̃ mortale deſit ipſi ius *propinquum & abſolutũ* ad Euchariſtiã, cũ alioqui minimè ad id careat iure illo remoto Baptiſmi. Atq; ita fieret, vt talis peccator, quẽadmodũ dixi, diffamaretur.

Atq; ex hoc ipſo fundamẽto ſequitur Primo, *occulto* excõmunicato publicè petenti, eſſe etiã impertiendã Euchariſtiã: quãquam, vt rectè notat Sotus loco citato, *occultũ excõmunicatũ* in hoc quidẽ ꝓpoſito oportet ita intelligere, ſicut occultũ peccatorẽ, id eſt, qui nõ ſit aut euidẽtia infamiæ, aut ex actu aliquo *iudicij publici* notorius.

Quod ꝓpterea attendendũ eſt, quia in Concilio Conſtantienſi, vbi alioqui ſit facultas communicandi cũ excõmunicatis *occultis*, quatenus id quidem pertineat ad fauorẽ & commodum eorum, qui cum eis communicant, *occultus* excommunicatus dicitur aliter, nempe ſi non ſit *nominatim* denunciatus talis, aut *manifeſtus* percuſſor Clerici, etiamſi alioqui ſit ex rei euidentia manifeſtus excommunicatus.

At verò in ꝓpoſito noſtro, cùm dare Euchariſtiam excommunicato *manifeſto*, ex rei euidentia, aut ex actu aliquo iudiciali, occulto tamen illo alio modo Concilij Conſtantienſis; minimè ex natura quidẽ ipſius actus, pertineat ad commodum ipſius Miniſtri, nequaquam id facere licebit beneficio illius conceſsionis Conſtantienſis, vt rectè idem Sotus notauit.

Secvndo ſequitur ex eodem fundamento, peccatori, qui in vno loco eſt occultus, dandam eſſe Euchariſtiam, ſi ibi publicè petat, etiamſi alibi ſit notorius, vt notat Sotus vbi ſuprà. Victoria tamen q.80. de Sacramentis, id putat verum eſſe, quando infamiæ quidem rumor non facilè videretur peruenire alioqui poſſe ad eum locũ, vbi eiuſmodi peccator eſt occultus. Ac certè exiſtimo ſaltem non fore mortale peccatũ negando Euchariſtiam talem infamare in loco, ad quẽ facilè poſsit peruenire ex alio loco infamia, vt patet ex his, quæ tomo 3. diſp.5. q.17. p.2. de Detractione diſputauimus de illa Quæſtione, An infamatum in vno loco, liceat alibi infamare.

Veriſimè autẽ addit Sotus, quòd liceat ſimpliciter, atq; etiam oporteat vbiq; negare, ſi crimẽ alibi manifeſtũ ſit *contagioſum*, & Reipublicæ *perniciоſum*, ac peccator non putetur emendatus eſſe: vt patet ex iis quæ notauimus tomo 3. loco citato.

Qvinto præterea aſſerimus, ſi peccator occultè & priuatim, vbi ſcilicet non ſit periculum eum infamandi; negandam omnino illi eſſe Euchariſtiã; ſiue petat à proprio Parocho, ſiue non; ſaltem quãdo illius peccatũ & impœnitentiam Miniſter ſciuerit extra illius confeſsionẽ Sacramentalẽ. Ita oẽs Theologi cõmuniter docuêre, nempe D. Thom. in 4.d.9. q.1. art.5. quod itẽ hic art.6. planè ſentit, quãdoquidem ſolum in caſu, quo alioqui peccator occult⁹ infamaretur, pu-

tat, omnino dari debet Euchariſtia, vt ex communi etiã ſententia docet D. Thom. in dicto art. 6. Item Auguſt. id aſſerit de conſecrat. d. 2. Cap. *Non prohibeat*, & Chryſoſt. homil.83. in Matthæũ. Quod verum eſt, etiamſi nõ petat à proprio Parocho, aut etiam ſi eo tempore petat, quo aliàs communicare nõ tenetur, vt rectè defendit Caietanus hic art. 6. & Sotus q.citata art.6. contra Durandum d.9. q.5. qui vult, peccatori occulto etiam publicè petẽti poſſe negari Euchariſtiam, ab eo, qui nõ ſit illius Parochus; atq; etiam à Parocho, ſi petat eo tẽpore, quo alioqui communicare nõ tenetur. Id quod videtur etiam putare Nauarrus in Manuali, cap. 21. num. 56. ac ſenſit Paludanus in 4.d.9.quæſt.4.concl.3.& Adrianus quodlib.3. q.3.

Sed tamẽ D. Thom. & oẽs alij Doctores, vt Sotus etiam teſtatur, abſq; vlla diſtinctione vel Miniſtri, vel temporis defendunt, ſemper eſſe dandam Euchariſtiam occulto peccatori publicè id petenti; ꝙ rectè probat Caietanus hic art. 6. ex Chriſti exemplo, qui licet omnino nõ teneretur tribuere Euchariſtiam Iudæ, aut etiã illo Cœnæ tempore tribuere; tamen quia occultus ille peccator erat, & quodãmodo publicè petebat, vel certè ſibi, vt daretur, expectabat, hoc ipſo, ꝙ illi actioni publicè ita intererat, ſicut Apoſtoli cæteris ipſi etiam Chriſtus porrexit. Quo argumẽto vius eſt ad hanc rem confirmandam Chryſoſtomus vbi ſuprà.

Itẽ id ꝓbatur. Nam cauſſa cur proprius Parochus teneatur dare Euchariſtiã peccatori occulto publicè petenti, quo tẽpore alioqui communicare debet; æquè etiã eum vrget, qui non ſit illius Parochus, & quouis itè tẽpore. Ratio enim potiſſima, vel etiã ſola, eius obligationis Paſtoris ꝓprij eſt, non quia per baptiſmũ habeat quis ius exigẽdi à *proprio* ſuo paſtore, ſed ne proprius paſtor alioqui eiuſmodi peccatorẽ occultũ *diffamet*, vt patet ex doctrina D. Thomæ art.6. ad 2. ꝙ etiã faceret qui nõ eſt ꝓprius paſtor, ſimiliter negando peccatori occulto. Etſi enim is, qui baptizatus eſt, remota quadã ratione habeat eo ipſo ius quoddã ad Euchariſtiã; tamen niſi præterea etiã ſit *in gratia*; non habet reſpectu Miniſtrum, etiam ſuum Parochum, vt ſibi tanquam ex officij debito communicet Euchariſtiam. Quare vel ſola, vt diximus, vel certè potiſſima ratio, cur Parochus eiuſmodi peccatori Euchariſtiam dare debeat, non niſi illa eſt, ne ſcilicet eum alioqui diffamet.

Neq; obſtat, ꝙ D. Thom. in corpore, art.6. ius illud remotũ, ꝙ propter Baptiſmũ habet occulmas facit, nõ vt ex eo ſolum concludat, occulto peccatori eſſe dandã Euchariſtiã, quaſi ex officij debito; ſed vt ea ratione indicet, oportere certè illi dare ad vitandã alioqui eius infamiã, ſi peccatũ, ꝓpter ꝙ illi negari poſsit, non ſit aliàs manifeſtũ. Quoniã ſi non ei tunc daretur, oẽs nimirũ intelligerent, idcirco ei negari, quia propter peccatũ aliq̃ mortale deſit ipſi ius *propinquum & abſolutũ* ad Euchariſtiã, cũ alioqui minimè ad id careat iure illo remoto Baptiſmi. Atq; ita fieret, vt talis peccator, quẽadmodũ dixi, diffamaretur.

Atq; ex hoc ipſo fundamẽto ſequitur Primo, *occulto* excõmunicato publicè petenti, eſſe etiã impertiendã Euchariſtiã: quãquam, vt rectè notat Sotus loco citato, *occultũ excõmunicatũ* in hoc quidẽ ꝓpoſito oportet ita intelligere, ſicut occultũ peccatorẽ, id eſt, qui nõ ſit aut euidẽtia infamiæ, aut ex actu aliquo *iudicij publici* notorius.

Quod ꝓpterea attendendũ eſt, quia in Concilio Conſtantienſi, vbi alioqui ſit facultas communicandi cũ excõmunicatis *occultis*, quatenus id quidem pertineat ad fauorẽ & commodum eorum, qui cum eis communicant, *occultus* excommunicatus dicitur aliter, nempe ſi non ſit *nominatim* denunciatus talis, aut *manifeſtus* percuſſor Clerici, etiamſi alioqui ſit ex rei euidentia manifeſtus excommunicatus.

At verò in ꝓpoſito noſtro, cùm dare Euchariſtiam excommunicato *manifeſto*, ex rei euidentia, aut ex actu aliquo iudiciali, occulto tamen illo alio modo Concilij Conſtantienſis; minimè ex natura quidẽ ipſius actus, pertineat ad commodum ipſius Miniſtri, nequaquam id facere licebit beneficio illius conceſsionis Conſtantienſis, vt rectè idem Sotus notauit.

Secvndo ſequitur ex eodem fundamento, peccatori, qui in vno loco eſt occultus, dandam eſſe Euchariſtiam, ſi ibi publicè petat, etiamſi alibi ſit notorius, vt notat Sotus vbi ſuprà. Victoria tamen q.80. de Sacramentis, id putat verum eſſe, quando infamiæ quidem rumor non facilè videretur peruenire alioqui poſſe ad eum locũ, vbi eiuſmodi peccator eſt occultus. Ac certè exiſtimo ſaltem non fore mortale peccatũ negando Euchariſtiam talem infamare in loco, ad quẽ facilè poſsit peruenire ex alio loco infamia, vt patet ex his, quæ tomo 3. diſp.5. q.17. p.2. de Detractione diſputauimus de illa Quæſtione, An infamatum in vno loco, liceat alibi infamare.

Veriſimè autẽ addit Sotus, quòd liceat ſimpliciter, atq; etiam oporteat vbiq; negare, ſi crimẽ alibi manifeſtũ ſit *contagioſum*, & Reipublicæ *perniciоſum*, ac peccator non putetur emendatus eſſe: vt patet ex iis quæ notauimus tomo 3. loco citato.

Qvinto præterea aſſerimus, ſi peccator occultè & priuatim, vbi ſcilicet non ſit periculum eum infamandi; negandam omnino illi eſſe Euchariſtiã; ſiue petat à proprio Parocho, ſiue non; ſaltem quãdo illius peccatũ & impœnitentiam Miniſter ſciuerit extra illius confeſsionẽ Sacramentalẽ. Ita oẽs Theologi cõmuniter docuêre, nempe D. Thom. in 4.d.9. q.1. art.5. quod itẽ hic art.6. planè ſentit, quãdoquidem ſolum in caſu, quo alioqui peccator occult⁹ infamaretur, pu-

tat ei tribuendã Eucharistiam, vt patet in primis ex responsione ipsius ad 2. arg. Ita etiã Halensis 4.p.q.49. memb.1. Bonauent. d.9.art.2.q.4. Richard.ead.d. art.3.q.1. Durand.q.5.Victor.q.80. de Sacram. Addidi aũt, *saltem quãdo peccatũ & impœnitentiã minister scinerit extra confessionẽ sacramentalem:* Nã Paludanus d.9.q.4.concl.3.arbitratur, Parochum quidem occulto peccatori, si occultè petat tempore, quo aliâs communicare tenetur, debere dare Eucharistiam, quãdo peccatũ ipsius quidem nouit in confessione. Quod etiam sentit Nauarrus, cap.21. num.56. & approbat Sotus in dicto art.6.d.12.q.1. Immò addit etiam Sotus, debere illi dare petenti extra tempus, quo alioqui teneretur talis peccator communicare, modò non nimis sæpè peteret ita indignè.

Ego verò etsi video aliorũ sentẽtiam cõmunẽ (quos primò allegaui) ꝓcedere etiã in casu quo peccatũ occultũ sit cognitũ in Confessione (vt etiã agnoscit Sotus) tamẽ puto meliorẽ & tutiorem esse opinionẽ Paludani, Nauarri, & Soti, ꝙ scilicet, saltem peccatori occulto, cuius peccatũ in Confessione quidem cognitum sit, non liceat Eucharistiam negare, saltẽ cum petit à proprio pastore & eo tempore, quo proprius alioqui pastor eam administrare subditis tenetur, vt sentiũt Paludanus, & Nauarrus. Nam etsi tũc Minister talẽ peccatorẽ occultum non diffamaret, tamẽ reuelaret quodãmodo sigillũ Confessionis, absoluto iam toto Confessionis actu, pœnitẽti quasi exprobrãdo auditum peccatum, hoc ipso quòd ꝓpter illud solũ ei negaret Eucharistiam. Quod nõ perinde habet locũ extra casum, quo alioqui Minister nõ teneretur administrare Eucharistiam: siquidem tunc posset rationabiliter negare non prætendendo auditum peccatũ, sed dicẽs se ad id alioqui nõ teneri, vt ait Paludanus.

Deniq; hîc NOTETVR, nullo casu fas esse, dare peccatori hostiam non consecratam caussâ vitandi illius sacrilegij. Ita enim maioris etiã peccati occasio ipsi præberetur, nempe Idololatriæ, vt D. Thomas hîc art.6.ad 2.notat, & alij Doctores communiter. Quod sanè peccatum Idololatriæ saltẽ ipsi Ministro imputaretur, etiamsi ab illo propter ignorãtiam inuincibilem facti, excusaretur ipse suscipiens, & adorans hostiam nõ consecratam. Et accedit, quòd nihilominus talis secundùm opinionem & intentionem suam quidẽ peccaret peccato Sacrilegij, putãs se accipere hostiam consecratã, qua tamẽ est indignus.

Item neq; vltro iis, qui sint suspecti de aliquo crimine, probandi, siue periclitandi caussâ, Eucharistia porrigenda est, vt monet D. Thom. art. 6. in responsione ad 3. vbi ostendit, esse in eo genere quædã antiqua Iura abrogata: Quod & ipse annotaui tomo 3. disp.6.q.14.p.1. Et hęc quidem hactenus, ꝙ attinet ad præparationem ex parte ANIMI in eo necessariã, q ad Eucharistiã accedit.

Iam verò ex parte CORPORIS vnũ est tantùm, quod ad eam præparationẽ requiritur, propter præceptum Ecclesiasticum, nempe vt, quemadmodum docet D. Thomas artic.8. omnino nihil eo die, aut cibi, aut potus sumpseris; sed planè IESVVS accedas. Talis fuit Ecclesiæ institutio atque consuetudo iam inde à temporibus Apostolorum, vt defendũt Patres: ac inprimis luculeter D. AVGVSTINVS in Epist. 118. ad Ianuarium, cuius verba sunt: *Placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramẽti, prius in os Christiani corpus Dominicum intret, quam cæteri cibi. Nam ideo*, inquit, *per vniuersum orbem mos iste seruatur.* Item Tertullian. in lib. ad Vxorem, Clemẽs Epist.2.ad Iacobum. Cyprian. lib.2. Epistolar. epist.3. Gregorius Nazianzen. oratione in Sacrum Lauacrũ, Chrysost. homil.27. in 1. ad Cor. Sedulius in 1. Cor. 11. Isidorus lib.1. de officiis Ecclesiast. cap. 18. Beda in caput 22. Lucæ. Anselmus in 1. Cor. 11. Ita etiã habetur de Consecratione d. 1. Can. *Sacramenta*, ex Concilio Carthaginensi III. can.29. & VII.q.1. Can. *Nihil*, ex Toletano VII. can.1. & Cap. *Ex parte*. Extra de celebratione Missarũ. Item in Concilio Braccarensi I. can.16. & II. can.10. & deniq; in Concilio Constantiensi sess.13.

SED cùm hoc ita sit, breuiter præterea declarãdum est, tum quæ sit vis huius præcepti Ecclesiastici, tum etiã quidnam sit cõtra illud. PRIMO igitur D. Thomas hic art.8. ad 5. & alij Doctores communiter intelligunt, ieiunium hoc debere incipere à media nocte, vnde incipit dies naturalis secũdùm consuetudinem Ecclesiæ Romanæ. Quanquam Sotus quidem d.12.q.1.art.8. addit, stãdum in hoc esse consuetudini patriæ, quæ ab Ecclesia sit approbata. Cæterùm hæc omnino consuetudo illa iam est, vt à media nocte, sicut dictum est, id ieiunium incipiat.

SECVNDO asserunt D. Thom. & alij communiter, oportere hoc ieiunium esse *strictissimum*, ꝙ vocãt *naturale*; ita videlicet, vt ne minimum quidem aut cibi aut potus sumatur, quod nutrire posit. Id quod apertè colligitur ex dicto Cap. *Ex parte*, & aliis Decretis ante citatis. Si autem quispiam dum os abluit, exiguum aliquid forte deglutiat, minimè id impedit: quoniam nõ prodeglutiat, minimè id impedit: quoniam nõ prodeglutiat, minimè id impedit: quoniam nõ prode

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deinde dicimus, Apostolum illic minimè aut dixisse, aut significasse, vt post sumptam cœnam domi, deinde conuenirent ad Eucharistiam; sed prohibuit certè, ne *cœnæ prophanæ* haberentur in ipsa Ecclesia sub communionis tempus, vt Augustinus vbi suprà dixit. Quamuis neque ibi iusserit Apostolus, vt ieiuni sumerent.

Ad *Tertium* respondeo, rationem illam prorsus leuem esse; neque enim timendum est, ne Christus percipiat eius, qui ipsum sumit, anhelitum, vt maximè ante cibum sit ille corruptior, vel etiam post, sicut multis potest accidere: alioqui probarent isti, aliquos debere perpetuò ab Eucharistia abstinere, in quibus scilicet perpetuò est fœtidus anhelitus. Est igitur illud fœtidum argumentum.

Quod autem Kemnitius de Augustino dicit, illius sententiâ *liberam* hanc esse Quæstionem, impudentissimum mendacium est. Sæpè enim Augustinus in illa epistola repetit, hanc consuetudinem esse omnino totius Ecclesiæ. De quo quidem genere consuetudinum ibidem negat Augustinus, sine *insolentissima insania* disputari posse.

Quæstio verò, quam ibi Augustinus dixit, pendere ex varia Ecclesiarum consuetudine, atque adeò *liberam* esse, non fuit, nisi de communione in ipsa Feria V. Cœnæ Domini; Vtrum scilicet eo die, quo peculiaris illa consuetudo, de qua suprà dictum est, in aliquibus Ecclesiis vigebat, esset bis celebranda Eucharistia, *manè* scilicet à *ieiunis* (secundùm ordinariam & vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem in reliquis diebus) & *vesperi à cœnatis*; vel an tantùm vesperi post cœnam, aut antè cœnam, &c.

De hac Quæstione, proposita sibi â Ianuario, Augustinus ibi respondet, id illis temporibus fuisse faciendum, quod erat in more cuiusque Ecclesiæ. Neque enim Augustini tempore, vt ex hac epistola apparet, erat vbiq; abolita peculiaris illa consuetudo, quam paulò antè diximus in quibusdam Ecclesiis obtinuisse illo die Cœnæ Domini. Hoc igitur exemplum etiam obseruetur, vt quàm soleat agere Kemnitius in illo suo examine mendaciter & fraudulenter, doceri possit. Et de Iebynio quidem, quod ad præparationem ad communionem necessariam ex parte corporis pertinet, hæc dicta sint.

Dubitare autem præterea quis posset, num aliqua immunditia ex parte corporis impedimento esse debeat, quò minùs sumatur Eucharistia. Quæ sanè quæstio inprimis hîc moueri solet propter pollutionem nocturnam. Sed eam rem satis perspicuè & copiosè explicat hîc D. Thomas artic. 7.

Summa est, omnino nihil aliud, præterquam peccatum mortale, ita impedire, vt si sumas, peccesiac proinde ne pollutionem quidem, nisi vel *in se*, vel ratione suæ *causæ* (sicut quando-

A que nocturna esse solet) sit peccatum mortale: iuxta ea, quæ de hac re tradidimus tomo tertio, disputat. nona, quæstione tertia, puncto tertio. Decere autè ob eiusmodi immunditiam, quamuis peccatum non esset, aut per Confessionem statim subsequentem esset expiata, abstinere ab Eucharistia, si distractio præsertim mentis ex ea consequatur. Ita communiter Theologi de hac re docent. Neque est hîc locus de eiusmodi re copiosiùs disputandi, quod facit, vt dixi, satis prolixè D. Thomas.

PVNCTVM QVARTVM.

B *Quàm frequenter hoc Sacramentum vsurpari possit, aut etiam debeat.*

D. Thom. art. 10. & 11.

In primis hoc loco constituendum est, præcepto non modò *Ecclesiastico*, quod ext. in Cap. *Omnis vtriusque sexus.* Extra de Pœnitentiis & remiss. sed etiam *diuino* eos, qui rationis vsu & idonea ad id discretione vti possunt, obligatos esse ad hoc Sacramentum percipiendum. Ita D. Thomas hîc articulo decimo docet ex illis locis: C *Nisi manducaueritis, &c. non habebitis vitam in vobis*, Ioan. 6. quam sententiam de Sacramentali sumptione Patres intellexerunt, vt infrà puncto quinto ostendemus. Item Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Vbi verbum, *Facite*, præceptum omnino continet, quemadmodum exprefsè indicatur in Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 1. & omnes Patres intellexerunt, quorum testimonia prolixè infrà q. 11. de sacrificio Missæ, punct. 1. recitabimus ad probandum ex eo Christi præcepto institutum sacrificandi in Missa. Itaque cùm ad actionem eam, quam Christus ibi verbo illo generali, *Hoc facite*, imperauit, maximè etiã vsus *percipiendæ* & *administrandæ* aliis Eucharistiæ pertineat, hunc etiam vsum intelligere debemus ibi imperatum esse.

D Quamobrem licet id præceptum, *Hoc facite*, ad solos Apostolos & eorum successores Sacerdotes directò quidem pertinuerit; tamen consequenter ad alios etiam fideles pertinere sentiendum est. Nam vt rectè argumentatur Sotus dist. 12. quæst. 1. art. 11. si Ministri tenentur Eucharistiam administrare populo; consequitur, ipsum etiã populum debere sumere Eucharistiã. Quæ sanè Consequentia in proposito bona est propter rationem atque naturam huius Sacramenti, quod videlicet tanquam cibus quidam spiritualis necessarium est ad salutem iis, qui rationis vsu pollent, & frequentibus peccatis subinde robur vitæ spiritualis labefactare possunt, vt suprà quæstione prima, puncto quinto declarauimus.

Simili

Simili enim ratione, quoniam Baptismi, & Pœnitentiæ Sacramentum suo modo necessaria sunt ad salutem, rectè etiam colligimus, populum debere ista Sacramenta vsurpare eo ipso, quòd Ministri quidem iussi sunt illa populo administrare.

Non est igitur vllo modo assentiêdum iis, qui contrà putauerunt, absolutè quidê non extare præceptum diuinum de *sumenda* Eucharistia; sed tm de *referendo* ipsius vsu ad Christi *commemorationem*, quandocunq; illa sumeretur.

Quod etiam hîc Caietanus artic. 11. putat defendi posse. Sed fallitur. Nam quamuis hæc etiam omnino sit vis illius præcepti, sicut colligitur ex Paulo 1. Cor. 11. & ex modo item ac verbis, B quibus sententiam illam Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, recitat Ecclesia in Missæ canone; tamen non id solum à Christo imperatum est; sed omnino sensus hic est, *Hoc facite*, & facite, cùm feceritis, *in meam commemorationem.*

Quin sit igitur præceptum diuinum absolutè etiam sumendi Eucharistiam, minimè dubitandum est, vt rectè affirmat vbi suprà Sotus. Quod idem, præter D. Thomam, asseruit Durandus in quarto, distinct. 9. quæst. 2. Paludanus ead. dist. quæst. 1. Roffensis libro 4. de Eucharistia contra Oecolampadium cap. 8. Victoria q. 86. de Sacramentis. Ruardus Tapperus art. 15. fol. 367. Ita etiam senserunt Patres. Chrysostomus homil. 45. & 47. in Ioannem, Cyrillus lib. 3. in Ioannem, C cap. 37. Ambrosius libro quinto de Sacrament. cap. 4. Cyprianus in Orationem Dominicam. Concilium Cabillonense II. sub Carolo Magno, cap. 46.

Neque iam vllus Catholicorum contrarium docet: etsi id quidem falsò docuerint aliquando nonnulli Scholastici, nempe Alensis 4. par. q. 51. memb. 2. Bonauentura dist. 12. artic. vltimo, q. 1. Gabriel lect. 87. in Canonem Missæ, sub finem. Quibus nequaquam est assentiendum.

Quæstio autem tunc est, *Quando, & quoties* Eucharistia necessariò sumenda sit? Paludanus loco citato, & alij quidam putant, iure diuino semel tantùm in vita, atq; item imminête mor- te. Sed hæc sententia meritò displicet Soto vbi suprà, & aliis Theologis. Nam cùm hoc Sacramentum sit cibus spiritualis; ratio eius indicat, sæpius esse sumendum eodem iure, quo alioqui necessariò sumendum est, nempe diuino. Itaque Patres ad communionem sanè adhortantur, tãquam ad rem, quæ sæpè etiã necessariò vsurpari debeat. Vt Tertullianus libro de Oratione, Cyprianus in Orationem Dominicam, super illud: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, Ambrosius lib. 5. de Sacramentis, cap. 4.

Quam ob rem latiùs aliquãtò Respondendum est. Nempe iure quidem Divino tum esse Eucharistiam sumendã, cùm prudenter iudicatur, esse illã necessariam homini ad eum finem, cuius caussa instituta est, videlicet ad conseruan-

A dam & roborandam vitam spiritualem contra tentationes. Ita generatim & conuenienter naturæ similium præceptorum *affirmatiuorum*, respondet Sotus vbi suprà, & Victoria quæstione 86.

Talis autem necessitatis tempus ab illis authoribus, & ab aliis communiter putatur esse *Primò* in articulo mortis. Quod asserit etiam Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio, & communiter alij Patres, qui idcirco Sacramentum istud appellauerunt *Viaticum*, vt suprà quæstione prima, punct. 1. vidimus. Etsi sentiunt quidem Sotus, Victoria, Paludanus vbi suprà, eum minimè peccaturum, saltem mortaliter, qui paulò B antè illud tẽpus imminentis mortis, v. g. biduo aut circiter, communicasset, & citra contemptũ aut scandalum sub ipsum mortis periculum cõmunicare intermitteret.

Secundò, tempus illud in ipsa vita necessariò communicandi, toties instat, quoties iudicio prudentis videatur omnino esse eo etiam salutari remedio opus alicui, vt vincat aliquas grauiores tentationes: in qua re maximè circumspecta debet esse prudentia, præsertim Confessarij.

Tertiò affirmat Victoria vbi suprà, iure diuino cõmunicandum esse tum, cùm quis existimat, se non ampliùs in vita habiturum eius rei opportunitatem. Quod mihi quidê non improbatur. C Nam cùm nemo sit, cui non graues in vita tentationes immineant, ad quas superandas opus etiam sit hoc sanctissimo Sacramẽto; debet vnusquisque eo se remedio saltẽ præmunire, si alioqui futurũ sit, vt tunc temporis illo vti non possit, quo oporteret.

Iam verò iure positiuo & Ecclesiastico omnes fideles, cùm *ad annos discretionis peruenerint*, tenentur semel in anno, videlicet in Paschate, communicare. Ita demùm statutum est ab Innocentio III. in Cap. *Omnis vtriusq; sexus.* Extra de Pœnitentia & remissione. cùm tamen ante illud Innocentij tempus varia fuisset in hac re variis temporibus consuetudo & lex Ecclesiastica, vt Diuus Thomas hîc artic. 10. ad 5. com- D memorat.

Nam initio nascentis Ecclesiæ, cùm maxima esset fidelium charitas, omnes, qui intererant Eucharistiæ sacrificio (& non solùm Ministri altaris, vt quidam falsò putant) tenebantur quotidie communicare peracta consecratione, vt apparet ex Anacleto epistola prima, & ex Canone decimo Apostolorum. Quod ipsum maximè etiam facere tenebantur ipsi altaris Ministri, vt constat ex Canone nono Apostolorum.

Deinde verò cùm feruor ille charitatis minueretur, statutum est â Fabiano Papa, vt saltem ter in anno, nempe in Natali, Paschate, & in Pentecoste fideles communicarent, vt habetur de consecrat. d. 2. Can. *Etsi non frequentius.* ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

eiuſdem Pontificis epiſtola. Atque etiam Soter Pontifex addidit, vt in die quoq; ipſo Cœnę Domini, quemadmodum refertur de conſecratione diſt.2.Can. *In cœna*, ex eiuſdem Pontificis epiſtola ad Epiſcopos Italiæ.

Tandem decreſcente adhuc magis charitate, ſtatutum eſt, vt diximus, ab Innocentio, vt omnes minimum ſemel in anno, nempe in Paſchate communicent. Quod rurſus ita neceſſariò faciendum eſſe ſub anathemate definitum eſt in Concilio Tridentino, ſeſsione 13. can.9. vbi illud Innocentij præceptum iiſdem fermè verbis repetitur.

SED animaduertenda ſunt hîc quædam. PRIMVM eſt, antè annum ætatis duodecimum, non obligare id Eccleſiæ præceptum, vt bene Sotus notat d.12. quæſt.1.artic.11. Etſi enim antè quoque aliquibus contingat habere eam diſcretionem rationis, vt *poſsit* quidem eis dari Euchariſtia, quemadmodum ſuprà punct.2. dictum eſt; non tamen ante illud tempus ætatis habẽt eam diſcretionem, qua opus eſt, vt etiam teneantur recipere Euchariſtiam, vel etiam confiteri, inquit Sotus.

SECVNDVM eſt, impleri id præceptũ, ſi quis communicet ſub id tempus, quod octo diebus ante diem Paſchæ, & octo pòſt continetur, vt ab Eugenio IV. declaratum eſſe notat Nauarrus, cap.21. numer.45. Quod etiam declaratur ſatis per ipſam Eccleſiæ conſuetudinem. Item Innocentius in dicto Cap. *Omnis*, explicuit, poſſe vltrà id etiam tempus differri communionem, ob aliquã cauſſam rationabilẽ iudicio Confeſſarij. Atq; etiã ſufficeret quolibet Quadrageſimæ die cõmunicare, vbi talis eſſet conſuetudo *præſcripta*, quemadmodum notat loco citato Nauarrus.

TERTIVM eſt, Conſequenter, ſiquis ſub illud tempus Paſchæ aliqua Cenſura impeditus ſit, quò minùs communicare tunc poſsit, omnem debet, quod in ſe eſt, dare operam, vt ab eiuſmodi Cenſura legitimè abſoluatur. Quòd ſi per illum certè id nõ ſteterit, minimè tunc peccabit, omittendo communionem: vt illic etiam notat Nauarrus.

QVARTVM eſt. Si ſub illud tempus aliquis non communicet, idq; facere differat vſq; ad alterum Paſcha inſequentis anni; nõ peccabit *nouo peccato* contra præceptum quidem Eccleſiæ propterea, quòd vſque ad alterum annum *differat*. Ita D.Antoninus 2.par.tit.9.cap.9.§.3. Syluester Verbo Euchariſtia 3. q.15. Ioannes Medina Tractatu 2. de Confeſsione, q.14. circa finem, quibus tamen in hac re Nauarrus loco citato refragatur; cæterùm ſine firma ratione.

Nam reuerà præceptum illud communicandi, vt eſt quidem *Eccleſiaſticum*, pertinet *determinatè* ad illud ipſum tempus Paſchatis. Vnde fit, vt ſi tunc transgrediaris illud, omittendo communionem; non obligeris deinde ab eodem præcepto ſub nouo peccato communicare ante tempus alterius Paſchatis. Quemadmodum, quia præceptum recitandi horas Canonicas pertinet ſimiliter ad vnumquemque diem; ſiquis illud vno die tranſgrediatur, non tenetur ſequenti die illud idem ſupplere, dicendo videlicet bis horas Canonicas, ſemel pro ipſo die, & iterum pro die antecedente.

Quòd autem non niſi ad illius Paſchatis tempus *determinatè*, vt diximus, præceptũ illud pertineat, patet ex illius tenore. Dicitur enim in Cap. Omnis vtriuſq; ſexus, teneri fideles cõmunicare *ſingulis annis, ad minùs in Paſchate*. Item in Concilio Tridentino, teneri illos id facere *ſingulis annis, ſaltem in Paſchate*. Qui modi loquendi tantundem omnino valent, ac ſi dictum eſſet, teneri ſemel in Paſchate.

Et quoniam eodem tenore, vt Sotus etiam diſt.12. quæſt.1.artic.11. fatetur, poniturin dicto Cap. *Omnis*, præceptum *confitendi* ſingulis annis in Paſchate, ſcilicet ob cõmunionem; probabile eſt, neque eos peccare *nouo* peccato contra iſtud præceptum Eccleſiaſticum, qui prætermiſſa eo tempore Confeſsione, eam *differunt* vſque ad ſequentis anni Paſcha. Quod ſanè ſentiunt ſimiliter Antoninus, & Syluester vbi ſuprà, etſi non etiam Ioannes Medina.

QVINTO tamen diligenter notãdum, Eccleſiam, cùm ſolùm exigit vt *ſemel* ſub illud Paſchæ tempus fideles cõmunicent, nequaquam propterea immunes illos facere ab obligatione alioqui iuris *diuini*, quo nihilominus interdũ fieri poteſt, vt ſæpiùs etiam intra annum teneatur quis communicare, ſicut patet ex doctrina antea tradita de tempore, quo iure *diuino* Euchariſtia eſt neceſſaria. Quare accidere poteſt, vt licet contra Eccleſiaſticum quidem præceptum in ea re non pecces, aut certè nõ *nouo* peccato pecces, ſi ne in Paſchate quidem communices; tamen pecces contra ius diuinum, prætermittendo ſeu differendo id facere. Quanquam neq; negandũ eſt, quin plerique videantur ſatisfacere etiam iuri diuino communicando intra annum ſemel ſecundùm inſtitutum Legis Eccleſiaſticæ, vt ſatis indicat Sotus vbi ſuprà, & alij Doctores. Verùm ea res omnino ex perſonarum circumſtantiis prudenter exiſtimari debet, maximè iudicio Confeſſarij, vt ſuprà monuimus.

SEXTO, cùm hæc ita ſe habeãt, quod pertinet ad præcepti *neceſſitatẽ*; minimè tamen eſt negandum, quin citra legis etiam vllam neceſſitatem, ſaluberrimum ſit, *quàm frequentiſſimè* communicare, modò dignè id fiat. Quod quidem intelligendum eſt, ſi genus ipſius actionis per ſe conſideretur. Nam *per accidens* fieri poteſt, vt quibuſdam aliquando conſultum ſit, abſtinere ab creberrima communione, qualis eſſet quotidiana, &c. nempe ſi ex ea re nimium in aliquibus reuerentia erga diuinum iſtud Sacramẽtum minueretur. Qua de re admodum ſanè, piè & prudenter D.Thomas in artic. 11. diſſerit. Quod

Quod fecit itidem S. Auguſtinus epiſt. 118. ad Ianuarium, & ex recentioribus Gabriel lect. 87. in Canonem Miſſæ, & Adrianus in 4. in materia de Euchariſtia, nõ longè ab initio; & copioſiſsimè ſuperioribus annis Doctor Matridius Societatis noſtrę, in peculiari libro, quem de frequenti communione contra eius inſtituti obtrectatores conſcripſit.

Certè S. Patres populum ad *frequentem* cõmunionem, tãquam ad rem ſalutarem paſsim hortantur. Ignatius in epiſt. ad Epheſios. Iuſtinus Apolog.2. Baſilius in epiſt. ad Cæſariam Patriciã. Chryſoſtomus homil.5. in 1. epiſt. ad Timotheũ, & homil.28. in 1. ad Cor. & homil.3. in epiſtolam ad Epheſios. Cyrillus lib.3. in Ioan. cap.37. Theophylactus in 1. Cor. 11. Tertullianus lib. de Orat. Cyprianus in Orationẽ Dominicam. Hieronymus lib.1. cõtra Pelagianos. Ambroſius lib.4. de Sacramentis, cap. 6. & lib. 5. cap.4. Auguſtinus ſerm.28. de verbis Domini, & epiſtola 118. ad Ianuarium. Gregorius in caput 1. lib. 1. Regum, lib. 2. cap. 1.

Atq; erat etiam frequens apud veteres cõmunicandi conſuetudo, nempe diebus Dominicis; vel certè bis aut ter in hebdomade, vt videre eſt apud Iuſtinum vbi ſuprà, & Chryſoſtomum homil.61. ad pop. Antiochen. & Hieronymum in epiſt. ad Lucilium, & apud Socratem lib. 5. Eccleſiaſt. hiſt. cap.22. Quod item apparet ex libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap.53. Neque pauca etiam in Actis Apoſtolorum occurrunt exempla frequentis communionis.

Hæc quidem cùm ex Catholicorũ ſententia ſic ſe habeant, minimè ferri debet impudentia KEMNITII, qui in ſuo examine ita Canonem illũ 9. ſeſſ. 13. Concilij Trident. calumniatur, quaſi Patres ibi voluiſſent, omnino ſatis eſſe, ſemel tãtùm in anno cõmunicare; neq; prętерea ampliùs aut iure diuino id vnquam facere oportere, aut etiam frequentiùs facere, fore ſalutare: *Num, inquit iſte inter cetera, volunt Tridentini Patres, ad crebriorem communionem homines exhortandos? Profectò ne vnum quidẽ verbũ in tota illa Seſsione animaduertitur, quod vel leuiter ſignificet.* Itẽ, *ne verbo quidẽ*, inquit, *mentionem faciunt crebrioris communionis*. Hactenus iſte.

Cuius impudentia vt retũdatur, illa verba Patrum pulcherrima in eadem ipſa ſeſſ. cap. 8. nobis *hortatur, rogat, et obſecrat, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, vt omnes & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſentur, in hoc vnitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis tandem aliquando concordent, memoresq; tantæ Maieſtatis, & tam eximij amoris Ieſu Chriſti, &c. hæc ſacra Myſteria Corporis & Sanguinis eius, ea fidei conſtantia & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate & cultu credant et veneretur, vt panem illum ſuperſubſtantialem FREQUENTER ſuſcipere poſsint, vt verè ſit eis animæ vita, & perpetua ſanitas mentis, cuius vigore confortati, ex huius miſeræ peregrinationis itinere, ad cœleſtem patriam peruenire valeant.* An verò hoc eſt, ne *verbo quidem* mentionem *crebrioris* communionis facere?

Ergo & hoc etiam exemplum obſeruetur, vt redargui poſsit impudentia Kemnitij. Qui & illud ibi manifeſtiſsimè certè mentitus eſt, quod item ſcribit, eſſe *apud nos perſuaſionẽ, idem eſſe, ſpectare Miſſam* (refero eius verba) *atq; vti cõmunione: Immò minori*, inquit, *cum periculo, & maiori cũ fructu, ſpectaculum Miſſæ coniunctum eſſe, quam ipſam communionem*. Hanc certè Kemnitij calumniam nemo non videt eſſe coniunctam cum inſigni mendacio. Sed de quarto Puncto principali hactenus.

PVNCTVM QVINTVM.

Quonam modo ſumi debeat hoc Sacramentum, quãtum eſt ex parte ipſius Sacramenti: Vtrum ſcilicet neceſſariò in vtraque ſpecie, an verò liceat etiam in altera tantùm. §. 1.

D. Thom. artic. 12.

CLEBRIS controuerſia eſt; Vtrum exſtet præceptum diuinum, quo fideles omnes teneantur vtramque ſpeciem Sacramenti ſumere quotieſcunq; communicant; & Eccleſiæ miniſtri vtramque illis præbere quandocunque petierint? Eccleſia Catholica negat. Sectarij omnes affirmant.

Et quidem auctores, è quorum numero inprimis eſt hic art.12. Caietanus, aſſerunt, ita etiam ſenſiſſe Neſtorium & Pelagium. Id tamen incertum eſt. Nam neque ex Conciliis, in quibus illi hæretici damnati ſunt, neque ex antiquis Scriptoribus conſtat, eam illorum fuiſſe ſententiam.

Illud autem compertum eſt, ante annos circiter 170. ita pertinaciter in Bohemia docuiſſe Iacobellum quendam Miſnenſem, cùm Pragæ tũc ageret publicum concionatorem, qui & fertur fuiſſe ad eam rem incitatus à quodam Petro Dreſdẽſi ex eadem Miſniæ prouincia exule propter hæreſes VVicleffi & Huſs, quas complexus erat.

Itaque illius Iacobelli auctoritate, qui magni nominis tunc habebatur factum eſt, vt Bohemi, qui erroribus VVicleffi, & Huſs alioqui erant infecti, vtraq; ſpecie tanquam ad ſalutẽ omnibus neceſſaria vtendum ſibi exiſtimaret, ac publicò etiam edicto decernerent, vt lib. de orig. Bohem. cap.35. & in epiſt.130. Aeneas Syluius memorat. Atq; eadem eſt ſententia Græcorum Schiſmaticorum, præſertim hoc tempore, vt ex Patriarchæ in Cenſura Orientalis Eccleſiæ, cap.21. Hieremię reſponſione ad Proteſtantes intelligi poteſt.

Porrò

Universidad de Deusto
Biblioteca

Porrò Lutherus in hac quæſtione, ſicut in aliis, varius admodum, & inconſtans fuit, ideoq; omni prorſus fide apud prudentes indignus. Nam vtrumq; aliquoties aſſeruit. Nam tomo 7. Germanico, VVittenbergæ edito, fol. 17. pag. 2. & in lib. ad nobilitatem Germanicam, & in ſermone de Sacramento & confraternitatibus, liberum eſſe aſſeruit, vel vtramque, vel alteram tantùm ſpeciem ſumere aut miniſtrare; contrà verò, vtramque ſpeciem præcepto diuino eſſe omnibus neceſſariam affirmauit in aſſertione ſuorum articulorum, artic. 16. & lib. de captiuit. Babylon. Licet conceſſerit, poſſe eos, qui in altera tantum communicant à peccato excuſari, vel ob ignorantiam, vel quia non ſit ipſis vtriuſque copia.

Nec ſolum in libris diuerſis, ſed quãdoq; etiã in vno & eodẽ libro, ita turpiter ſpiritus Lutheri minimè diuinus, ſibi contradixit. In libro enim de captiuitate Babylonica, primùm ita inquit: *Chriſtus non permittendo, ſed præcipiendo dicit, Matthæi 26. Bibite ex eo omnes. Et iſtud non poteſt ſolis preſbyteris dictum intelligi, ſed omnibus.* Illico verò in eodem libro poſt duas paginas ita dicit, vel potius ita ſibi contradicit: *Non peccant, qui vna ſpecie vtuntur, cum Chriſtus non præceperit vlla vti, ſed arbitrio cuiuſque reliquit, dicens: Quotieſcunque hæc feceritis, in meam memoriam facietis. Sed illi peccant, qui hoc arbitrio volentibus vti, prohibent vtramque dari.*

Nec diſſimili inconſtantia Melanchthon ſcripſit in Locis communibus ab ſe recognitis, & Anno 23. Argentorati editis, in loco de abrogatione legis, pag. 76. *Ita non peccare eum qui vtitur altera Sacramenti ſpecie, ſicut non peccat is, qui libertate Chriſtiana carnem ſuillam edit, aut ab illa abſtinet.* Cùm tamen in Confeſsione Auguſtana art. de abuſibus, & in Apologia eiuſdem Confeſſionis, etiam docuerit vtramque ſpeciem omnibus eſſe neceſſariam.

Simpliciter autem Lutherus in aſſertione eorum articulorum, quos LEO X. damnauit, ſententiam Græcorum & Bohemorũ propugnandam ſuſcepit, eamque retinent mordicùs omnes Sectarij. Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 7. ſectio. 47. & ſeq. Et Proteſtantes in Confeſſ. Auguſtana artic. de abuſibus. Kemnitius in examine ſeſſ. 31. Concilij Trident. &c. Qui tanta paſsim vehementia pro calice contendunt, vt ad eos non immeritò referri illud poſsit, quod ab Iſaia cap. 24. propheticè dictũ Thomas VValdenſis lib. 2. de Sacram. cap. 87. in Bohemos vſurpauit: *Clamor, inquit Iſaias, erit in Plateis ſuper vino.* Quo loco D. Hieronymus vinum etiam interpretatus eſt erroris ebrietatem, qua certè ſi vlli alij hæretici, iſti correpti ſunt maximè cùm tantoperè contendunt pro vino. Cæterum impletur etiam, quod ibidem propheticè Iſaias dixit: *Non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam.*

Etenim Eccleſia Catholica in Concil. Conſtan. ſeſſ. 13. & in Baſilienſi ſeſſ. 30. item in Tridẽt. ſeſſ. 21. cap. 1. 2. & 3. & can. 2. & 3. contrà ſentit, Fideles omnes & ſingulos, minimè præcepto aliquo diuino ad communicandum in vtraque ſpecie teneri, neque vtramque illis eſſe neceſſariò exhibendam, cum petunt. Quod cum ſit veriſsimum; vel ob hanc etiam cauſſam rectiſsimè negat Eccleſia vini ſpeciem populo, ne ſi concedat, fortaſsis ea re confirmetur falſa aduerſariorum opinio de neceſsitate illius etiam ſpeciei in ſingulorum communione. Ex quo Eccleſiæ iudicio fit, vt iuxta adductum Iſaię vaticinium; aut vinum in communione Laici nõ bibant, aut iis, qui contra Eccleſiæ iuſtiſsimam legem bibunt, amara, hoc eſt pernitioſa ſit illius potio.

Iam verò, vt hanc Eccleſiæ doctrinam Methodicè confirmemus, & aduerſariorum contraria argumenta eãdem opera refellamus, talẽ principio RATIONEM formo: Si aliquod eiuſmodi diuinum præceptum exſtat; neceſſe eſt illud oſtendi poſſe. I. Vel ex verbis aliquibus Chriſti, quæ id præceptum contineant. II. Vel ex inſtitutione huius Sacramenti. III. Vel ex eiuſdem ratione atque natura. IV. Vel ex Chriſti facto & exemplo. V. Vel ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine. VI. Vel denique ex antiquorum Patrum teſtimonio & traditione. Ac nullo modo exiſtis tale aliquod Chriſti præceptum euinci poteſt, igitur planè illud non exſtat. Iam confirmemus ſingula.

Non poſſe colligi diuinum præceptum de communione ſub vtraque, ex Chriſti verbis. §. 2.

AC primum, quod ad verba ipſa Chriſti attinet, probo nulla eſſe eiuſmodi, quæ præceptum illud contineant. Nam ſi quæ eſſent, maximè illa inſtitutionis, Lucæ 22. *Accipite, manducate, Hoc facite in meam commemorationem.* Et Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes.* Et 1. Corinth. 11. *Hoc facite quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem:* Aut etiam illa, Ioann. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nam & his verbis maximè Petrus ille Dreſdenſis hunc errorem initio perſuaſit Iacobello Pragenſi, vt lib. de orig. Bohem. cap. 35. Aeneas Syluius vbi ſuprà memorat. Quanquam nunc quidem Sectarij omnes illa tantum alia verba Chriſti in inſtitutione ad hanc rem vrgent, ſicut §. 4. poſtea videbimus.

Sed quod illa verba inſtitutionis tale præceptum non contineant, manifeſtè conuincitur. Nam vt maximè demus illa verba Chriſti, quæ recitauimus: *Accipite, &c.* fuiſſe non modò *concedentis* Sacramenti vſum, & poteſtatem illud deinceps ſimiliter conficiendi, ſed etiam *imperantis* planè, (quod tamen Ruardus Tapperus art. 15. pag. 374. Alanus lib. 1. de Euchar. cap. 44. Caietanus hìc art. 11. & 12. & multi Scholaſtici, negari poſſe exiſtimant) tamen nullum verbũ in omnibus

omnibus illis eſt, quo videri Chriſtus poſsit *imperaſſe* omnibus abſolutè vſum etiam calicis, vel vt ille omnibus adminiſtretur. Quod enim ait: *Hoc facite in meam commemorationem*, id eſt, benedicite, ſeu conſecrate, accipite, manducate, ac diſtribuite etiam aliis; id verò ad ſolam ſpeciem panis retulit, vt apud Lucam, cap. 22. & Paulum 1. cor. 11. videre eſt, qui eorum Chriſti verborum ſoli meminerunt.

Quod etiam dicit: *Bibite ex hoc omnes*, id quidem ad ſolos Apoſtolos dictum eſſe, vt erant illæ perſonæ duodecim numero, rectè videri poteſt. Apparet enim eodem ſenſu Chriſtũ, Matth. 26. dixiſſe, *Bibite ex eo omnes*, quo Marcus, cap. 14. dixit: *Et biberunt ex eo omnes.* Quod inde confirmatur, quia propter Iudam ita Chriſtus dixit, vt ille etiam biberet; ſicut in caput 26. Matth. Theophylactus ex ſententia quorundam veterũ annotauit.

Verùm, etſi hanc interpretationem non improbo, tamen cùm *vſus calicis* (vt paulò poſt dicemus) ipſis quidem *miniſtris* Euchariſtiam conficientibus, *diuino* præcepto ſit iniunctus, tanquam quiddam pertinens ad munus eius miniſterij; magis probo aliam interpretationẽ, quæ hìc adhiberi ſolet. Aſſero igitur illa verba *Bibite ex eo omnes*, ad ſolos Apoſtolos dicta eſſe, non ſolùm, vt erant illæ determinatæ *perſonæ* numero duodecim; (quanquam & ſic etiam, vt cõuincunt rationes prioris interpretationis.) neq; ea præciſè ratione, qua erant Chriſti *diſcipuli*, & *fideles*; ſed vt erant futuri deinceps Euchariſtiæ conficiendæ *miniſtri*: ac proinde id præceptum ad ſolos ſacerdotes pertinet, qui ſunt ſucceſſores Apoſtolorum in eo miniſterio. Ita plerique ſcriptores Catholici, planè irrefragabiliter hanc rem reſponderunt, vt Roſſenſis art. 16. contra Lutherũ. Alfonſus à Caſtro in ſumma de hæreſ. verbo Euchariſtia, hæreſ. vlt. Caietanus hìc ar. 12. & ante hos omnes Thomas VValdenſis Tom. 2. de Sacram. cap. 90. vt alios iam præteream.

Et quidẽ quod ad ſolos tunc Apoſtolos Chriſtus loqueretur, ex Euangeliſtis Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. perſpicuum eſt, qui certè non ita accuratè numerum ipſum *duodecim* Apoſtolorum cum Chriſto in cœna accumbentium commemoraſſent, ſi alij præterea menſæ tũc aſſediſſent; neque aliud hactenus ab vllo ſanctorum Patrũ vel cogitatum vel literis proditum eſt, quàm quod duodecim illi tantum cum Chriſto cœnauerunt.

Cùm autem ibi Apoſtoli fuerint non ſolùm Chriſti *fideles*, verùm etiã *ſacerdotes*, ac *miniſtri* Euchariſtiæ deinceps conficiendæ à Chriſto inſtituti; ſermonis Chriſti circumſtantia clariſsimè oſtendit, rectè nos poſſe interpretari, ad eos & ſucceſſores eorum illa verba: *Bibite ex eo omnes*, Chriſtum dixiſſe, non propriè & præciſè, quatenus Chriſti *fideles* erant, quo pacto omnes etiam Chriſtiani Apoſtolorum ſucceſſores ſunt, ſed omnino, quatenus erant quoque functuri munere *Sacerdotali*, ſicut dictum eſt.

Quod probo. Nam eodem modo licet intelligere, ipſis à Chriſto dictum eſſe: *Bibite ex eo omnes*, quomodo etiam eiſdem antè dixerat: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quemadmodum eſt perſpicuum ex ipſa conſequentia ſermonis. Conſtat autem verba illa (*Hoc facite*) quadam ratione ad ipſos pertinuiſſe propriè, quatenus ſimul etiam inſtituebantur *Sacerdotes*, id eſt, Euchariſtiæ conficiendæ & diſtribuendæ miniſtri. Ergo hac eadem ratione intelligi poteſt, ad eos dictum eſſe: *Bibite ex eo omnes.*

Nam, quod ne ipſi quidem Sectarij negare poſſunt, inprimis fecit Chriſtus illis verbis (*Hoc facite*) poteſtatem Apoſtolis benedicendi, ſeu conſecrandi, & adminiſtrandi Euchariſtiam. Quam functionem non ad omnes fideles ſed ad delectos Eccleſiæ miniſtros pertinere, ipſi etiã ſectarij cõfitentur: licet alioqui hæretice (vt infrà q. 11. demonſtrabo) negent, eiuſmodi miniſterij authoritatem valere propriè ad offerendum *ſacrificium* aliquod peculiare Euchariſtiæ externum, cuius reſpectu propria quadam ratione, miniméque communi cum aliis fidelibus, Eccleſiæ miniſtri dicantur Sacerdotes.

Atque iſtud ipſum confirmamus authoritate orthodoxorum Patrum, qui docent Apoſtolos in illa poſtrema cœna accepiſſe à Chriſto Sacerdotalem poteſtatẽ, per illa verba: *Hoc facite, etc.* Aſſeuerant id autem, Dionyſius cap. 3. Eccleſ. Hierarch. Irenæus lib. 4. cap. 32. Clemens Romanus lib. 5. conſtit. Apoſtol. ca. 18. Chryſoſtomus Homil. de prodit. Iudæ. Damaſcenus lib. 4. fidei, cap. 14. Cyprianus lib. 2. Epiſt. 3. Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 4. & alij. Quod etiam declaratum eſt in concilio Tridentino ſeſsio. 22. cap. 1. Itaque ſatis patet verba illa: *Bibite ex eo omnes*, rectè ad omnes Apoſtolos eorumque ſucceſſores referri, quatenus erant propriè obituri munus *ſacerdotum*, conſecrando videlicet Euchariſtiam, & illam adminiſtrando, vt ipſa etiã conſuetudo & authoritas Eccleſiæ certiſsimè interpretatur.

Quod cùm ita ſit, non negamus, quin Sacerdotes quidem, quando in Euchariſtia conficienda ſacerdotum munere funguntur, vtraq; ſpecie communicare ex præcepto diuino teneantur, vt etiam declarat D. Thomas hìc art. 12. & confirmat Caietanus ibidem, ac Sotus in 4. ſentent. diſtinct. 12. q. 1. art. 12. & alij Doctores ſupra citati. Atq; id ipſum in primis ex Concilio Toletano XII. ca. 5. vt etiãhabetur in ca. *Relatũ*, de conſec. diſt. 2. & ex Gelaſio in ca. Comperimus, eadem diſt. probatur. Quamobrem in Cõcilio etiam Tridentino ſeſs. 21. cap. 1. ſoli Laici, atque Sacerdotes tum cùm non conſecrant, neque adeò ad communionem tanquam Sacerdotes accedunt, eximuntur à præcepto diuino ſub vtraque ſpecie communicandi. Quod rectè fieri

Universidad de Deusto
Biblioteca

posteà etiam magis defendemus, cũ respondebitur ad cauillationes Sectariorum.

Præterea verò, quòd neq; illud vniuersale præceptũ cõtineatur illis aliis verbis à solo D. Paulo 1. Cor. 11. recitatis: *Hoc facite, quotiescunq; bibetis in meã cõmemorationem*, clarissimè probari potest. Quòd n. ibi Christus peculiari illo modo dicẽdi (*quotiescunq; bibetis*) vsus est; argumẽto est, id præceptum non fuisse ita absolutũ & generale, sicut fuerat illud de cõsecranda, & administrãda, & sumẽda specie panis. Ibi n. absolutè & generatim dixit, Lucæ 22. 1. Cor. 15. *Hoc facite in meã commemorationẽ*. Quib. verbis rectè intelligi potest, Christũ absolutè præcepisse, nõ modò *relationem* seu ordinẽ actus ad finẽ, nempe vt fieret ad *cõmemorationem* Christi passionis, sed etiã ipsum *exercitium* actus absolutè. Vt sit sensus: hoc totũ facite circa panẽ; & facite ad meam cõmemorationem. Circa calicem aũt non ita dixit, sed sic: *Hoc facite, quotiescunq; bibetis, in meam cõmemorationẽ*. Vbi planè assentior Caietano hic art. 12. qui verissimè dicit; *Luce meridiana esse clarius*, quòd Christus nõ præceperit absolutè his verbis, vt illud circa calicẽ faceret, atq; adeò neq; vt *biberẽt*, & *ministrarent ad bibendũ*, sed tantũ vt facerent *in suam cõmemorationem, quotiescunq; id alioqui fieret*, id est, nõ vt actionẽ ipsam absolutè exercerẽt, sed vt eã certè *referrent* ad illũ finem, quandocunq; eã exercerent. Quoniã verò Caietanus hanc interpretationẽ tanquã manifestã quidem, & ipsa luce clariorem, ponit, non aũt etiam probat: & sic sæpe euenit Sectariis, vt præcæcitate palpent in meridiana luce, ego illam præterea confirmabo ex Apostolo Paulo.

Sic igitur argumẽtor. Christus per verba: *Hoc facite*, quæ dixit circa calicẽ, non absolutè præcepit exercitiũ earum actionũ, quarum per adiuncta illa verba: *Quotiescunq; bibetis*, fecit hypothesin, id est, quas supposuit alioqui fieri, sed tãtùm præcepit *relationem* earũ actionũ ad finem cõmemorãdæ suæ passionis, quotiescunq; exercerentur. At omniũ actionũ circa calicẽ, & maximè actionis bibendi & administrandi ad bibendum, Christus fecit hypothesim, per illa verba: *Quotiescunq; bibetis*. Igitur Christus per verba: *Hoc facite*, nullius actionis exercitiũ circa calicẽ absolutè imperauit, ac omniũ minimè actionẽ bibendi & administrãdi ad bibendũ; sed solùm *relationẽ* eiusmodi actionũ ad finẽ cõmemorandi passionẽ Christi, quotiescunq; illæ alioqui exercerentur.

Prior huius argumẽti ꝓpositio euidẽtissima est. Nã aliàs hic esset sensus eius præcepti: *Facite hoc, quotiescunq; hoc ipsum facietis*. Quam præcepti formã nemo nõ videt esse absurdissimam. Nam posito quòd aliquid fiat, necessariò fit. Quare minimè opus est præcepto, vt fiat tum, cùm fit.

Alterã etiam argumenti ꝓpositionem cõfirmo. Nam omnes actiones circa calicẽ iussit ibi Christus referri ad sui cõmemorationẽ per verbũ, *Hoc facite*, vt in confesso est: earundẽ autem actionum omnium, quas in eũ finem iussit referri, fecit etiam hypothesim, per verbum, *Quotiescunque bibetis*.

Etenim ita latè verbũ illud: *Quotiescunq; bibetis*, accipiendũ esse, vt non solũ significet nudum actũ bibendi ministrorũ, sed cõnoret etiam oẽs actiones circa calicem, quæ referri iubentur ad Christi cõmemorationem per illud verbũ, *Hoc facite* (puta consecrationem etiam calicis, & administrationẽ, atq; adeò actum quoq; bibendi aliorũ, quando illis calix administraretur) cõfirmari perspicuè potest, tũ ex Apostolo Paulo, tũ ex verbis quæ iã inde ante oẽm memoriã in oblatione calicis vsurpat Ecclesia, tũ etiã ratione.

Apostolus n. recitato illo Domini mandato, è vestigio conuertit sermonem ad oẽs fideles: vt scilicet declaret, quẽadmodum ab illis etiam id præceptũ seruari posit ac debeat. Nam subiungit 1. Cor. 11. *Quotiescunq; n. mãducabitis panẽ hunc, & calicem Domini bibetis, mortẽ Domini annunciabitis*. Quod si Christus ad Apostolos dicẽs: *Hoc facite, quotiescunq; bibetis*, verbo *bibetis* tantũ intellexisset ipsũ actũ bibendi Apostolorũ & Sacerdotũ, cũ quibus loquebatur; nihil tũc in eo præcepto cõtineretur, ꝙ expleri posset, vel deberet à reliquis fidelibus, quotiescunq; biberent. Sin aũt, vt diximus, omnem actionẽ circa calicem, cum actu illo *bibendi* Sacerdotũ, verbo *bibetis*, in eo præcepto Christus cõprehendit; tunc rectè quidem quadrat interpretatio & accõmodatio Pauli ad reliquos etiã fideles. Erit n. hæc vis ac sententia præcepti: Quotiescunq; bibetis, aut ipsi soli aut vnà cũ aliis; cùm iis videlicet calicẽ quoq; administrabitis; id facite, aut ipsi soli, aut vnà etiã cum aliis *in meam cõmemorationem*: id est, ꝙ vos facietis benedicẽdo, seu cõsecrando, & bibendo, & administrãdo calicẽ; & etiam quod illi facient (quandocunq; quidem facient) bibẽdo; id totum fiat in meam cõmemorationem. Neq; aliter sanè hunc Apostoli locum patres intelligũt, cùm vel illo vtuntur, vel illũ interpretãtur.

Verba aũt Ecclesiæ, ex quibus idem confirmari dixi, sunt illa, quæ subiungi solent post consecrationem calicis: *Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis*. Vbi cũ generali verbo *faciendi*, declaret Ecclesia eandẽ etiã illã sententiã Christi: *Hoc facite, quotiescunq; bibetis, in meam commemorationem*, satis ostendit, vocabulo, *bibetis*, *totam actionẽ* circa calicẽ voluisse Christum indicare.

Accedit præter Apostoli, & Ecclesiæ authoritatẽ, huc ratio ex ipsa forma illius præcepti deducta. Nam Christus non minus alias actiones circa calicem, quã nudum actum bibendi ministrorũ, voluit referri ad sui cõmemorationem, quotiescunq; illę fierent. Ergo omniũ actionum ęquè fecit hypothesim, in eo præcepto per verbũ *Quotiescunq; bibetis*, quas per verbum, *facite*, iussit referri ad ipsius cõmemorationem. Sed omnes actiones circa calicem iussit omnino referri ad eum finem, sicut dictum est. Ergo earũ omnium ibi hypothesim fecit per verbũ: *Quotiescunq; bibetis*, id est, eas oẽs supposuit fieri, & hoc supposito, iussit easdem referri ad sui cõmemorationẽ.

Quod cùm ita sit, cõsequitur, hanc esse sentẽtiam illius præcepti Christi: *Hoc totũ quod ad calicem pertinet, quotiescunq; facietis, facite in meam commemorationem*. Hinc verò rursus luce meridiana clariùs, vt antè cum Caietano affirmaui, sequitur, Christũ eo quidem præcepto non absolutè imperasse *exercitium* vllius actionis circa calicẽ, sed facta potius hypothesi eiusmodi actionum, id est, supposito ꝙ *fierent*, præcepisse tantũ *relationem* earũ ad certum quendã finem, nempe ad Christi cõmemorationem: quotiescunque alioqui illæ exercerentur. Nã si vtrumq; ibi Christus præcepisset, scilicet & *exercitiũ* actionis absolutè, & *relationem* actionis ad finem; oportueret nõ sine absurditate hunc esse præcepti sensũ: Hoc totum facite, quotiescunq; hoc ipsum facietis, & facite tunc ad meam cõmemorationẽ. Quis autem fuisset ille modus imperandi, *Hoc facite, cum facietis?* an potest aliquid tum cùm iãm fit, non fieri? vt præcepto opus sit ad hoc, vt quando fit, fiat?

Repeto igitur, luce meridiana esse clarius, Christum ibi nõ absolutè exercitium actionum circa calicem imperauisse, sed relationẽ earum ad finem. Alia verò ratio est illius præcepti circa speciem panis, Lucæ 22. & 1. Cor. 11. *Hoc facite in meam cõmemorationem*. Nam cùm ibi non itidẽ interposuerit illã *facti* hypothesim; *Quotiescunq; facietis*, rectè ibi possumus intelligere, nõ modò *relationem* ipsius facti seu actionis ad finem, sed etiam *exercitium* ipsum absolutè actionis, seu facti, cadere in id Christi præceptum, vt suprà etiam concessimus.

Quocirca appositissimè etiã Caietanus hîc ar. 12. dixit, argumẽtum Sectariorum, cùm pro cõmunione sub vtraq; tantopere vrgent, verbum Domini, *hoc facite*, tum circa panem, tum circa calicem, cõtinere verum præceptũ, omnino esse gladium Goliath, id est, ipsosmet posse à nobis illo suo argumento iugulari. Nam ex differẽtia vtriusque præcepti luce meridiana clarius intelligimus exstare præceptum Domini de sumenda panis, ꝙ etiam cõmuniter obliget Laicos ad illam percipiendam, vt D. Thom. hîc art. 11. ꝓbauit, non aũt de administranda etiam sub specie ipsi quidem Sacerdotes sumere ob alterũ illud præceptum, Matth. 26. *Bibite ex eo omnes*, ꝙ ad solos sacerdotes pertinuit, vt antè declaratũ est.

Et certè existimare debemus non sine singulari prouidentia, diuinoque consilio aliter isto modo de vsu calicis, quàm de vsu speciei panis præcepisse Christum. Prorsus vt videatur ad illas rationes respexisse, quibus posteà secũdùm Ecclesiæ iudicium docebimus, minimè rem esse, quæ expediat, vt fideles omnes & singuli sub vtraque specie communicent, nedum vt ea res diuino etiam præcepto iniungeretur.

Ceterũ vt nullum pertinaciæ locum Sectariis relinquamus, ostendemus etiã, quomodocunq; aliter ille locus (1. Cor. 11. *Hoc facite quotiescunq; bibetis*) explanetur, minimè tamẽ ex eo posse colligi præceptũ, ꝙ vllo modo obliget oẽs fideles ad cõmunicandum sub vtraq; specie, quandocunque cõmunicant. Et quidem Caietano q. de cõmunione sub vtraq; specie, Tom. 3. opusculorum ipsius, tractatu 12. visum est, ibi Christũ inter *facere* & *bibere* distinxisse, atq; adeò facta tantùm hypothesi actus bibendi ministrorum & aliorũ fideliũ (ad hoc. n. etiam Apostolus 1. Cor. 11. accõmodat eam hypothesim *Quotiescunq; bibetis*) & consequenter actus etiam administrãdi calicem ad bibendũ; præcepisse, vt calix cõsecraretur, & offerretur in sui commemorationem.

Hæc interpretatio si maximè vera esset (omnino aũt est falsa, vt patet ex dictis) tamẽ satis patet eã nullo modo suffragari aduersariis. Inde. n. solum sequeretur, ꝙ etiam *exercitium* absolutè ipsius actus consecrandi, & offerendi calicem, præciperetur ibi à Christo, non aũt ipse etiam vsus bibendi, aut administrandi ad bibendum: quippe cùm eius certè fiat ibi hypothesis, quoad exercitium absolutè, secundùm eiusmodi interpretationem.

Deinde, si demus etiã aduersariis illud, ꝙ lõgè magis adhuc falsum est, nẽpe hunc sensum esse: *Benedicite & bibite, & administrate aliis calicem, atq; adeò omnia, quæ ad calicẽ pertinẽt facite: & facite, cùm id facietis, in meam commemorationem* (qui sensus planè est cõtra formã ipsius præcepti: cùm enim in eo nihil præcipiatur, nisi supposita ipsius *facti* hypothesi; nõ eo præcipitur absolutè ipsum etiã *factum*, vt antè demonstratũ est) tamẽ ne tũc quidem sequetur, oẽs fideles debere *semper* cõmunicare sub vtraq; specie, aut ipsis semper vtramq; specie ministros tribuere debere; sed solũ inde sequeretur, ministros ex præcepto quodam Christi *affirmatiuo* teneri generatim ad administrandũ calicem. Est aũt hæc natura præceptorũ *affirmatiuorũ* omnium, vt nõ obligent pro omni tempore, sed pro tempore *necessitatis*; tum videlicet cùm pro ratione circumstantiarũ, & rei ipsius & loci, & temporis, & personarũ, &c. iudicatur, & rectè posse obseruari, & etiam necessariò obseruari debere eiusmodi præcepta affirmatiua. Cuius rei exemplũ in promptu est in præcepto honorandi parentes illisq; subueniendi, & in aliis eiusmodi præceptis affirmatiuis.

PORRO iudicare in hoc nostro proposito de *necessitatis* tempore, inprimis pertinet ad Ecclesiam. Agitur enim de dispensatione seu administratione Sacramenti, id est, cuiusdam è mysteriis diuinis. Hæc administratio seu dispensatio, Ecclesiæ est diuinitùs commissa, iuxta dictum Pauli 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*. Quod tamẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

non inuiti fatemur ita intelligendum eſſe, vt fas nō ſit, aliquid in ea diſpenſatione cōmitti ab Eccleſia cōtra præceptum Domini ſui. Id.n. ſi faceret, nō fideliter, nec in ædificationē diſpenſaret, quēadmodum oportet, vt idē oſtendit Apoſtolus 2. Cor. 10. Sed aliud eſt, cōtra præceptum facere; aliud determinare tempus, quo neceſſariò obliget affirmatiuum præceptum generatim à Chriſto propoſitum. Illud non poteſt Eccleſia facere; hoc poteſt.

Nunc cū hoc ita ſit; & Eccleſia his temporib. iudicet, neq; *neceſſariū*, neq; etiam *bonū* (circumſtantiis omnib. de quibus infrà dicetur, cōſideratis) eſſe, vt omnib. & ſingulis fidelibus adminiſtretur calix; conſequitur, Eccleſiæ miniſtros non teneri his temporibus quidem illum adminiſtrare, & conſequenter neque fideles ipſos illum ſumere, etiamſi maximè alioqui extaret ea de re generale Chriſti præceptum.

Neque verò hìc obiici ab aduerſariis poteſt, iam Chriſtum determinaſſe tempus, quo calix adminiſtrari debeat, nempe cùm adiunxit 1. Cor. 11. *Hoc facite quotieſcūq; bibetis.* Etenim quomodocunque præceptum illud: *Hoc facite*, interpretemur; Certiſsimum ex Apoſtolo eſt, particulā, *Quotieſcunq; bibetis*, eſſe referendā non ad *exercitium* ipſum actus imperati abſolutè; quaſi ſenſus ſit, tūc eiuſmodi actū neceſſariò eſſe exercendū, cùm bibitur: ſed ad *relationem* actus in finem: nempe vt ſenſus ſit, *tunc* ad Chriſti cōmemorationem eū actum *referendum* eſſe, *cū bibitur*. Itaq; tempus quo neceſſariò ea relatio facienda eſt, illa particula determinat, non aūt tempus quo actio præcepta (ſi maximè demus eſſe abſolutè præceptā) *exerceri* abſolutè debeat. Id patet, vt dixi, ex Apoſtolo. Nam vt vim eius particulæ, *Quotieſcunq; bibetis*, & quò illa referri debeat, declaret, ideo ſubiunxit: *Quotieſcunq; n. manducabitis panē hūc et calicē Domini bibetis, mortē Domini annūciabitis:* Quaſi apertè diceret; Hoc eſt, ꝙ determinatè Chriſtus iuſsit fieri tū, cū bibitur, nēpe vt mors ipſius annūcietur, & cōmemoretur.

Quod alia rurſus ratione manifeſtiſsimè ℞batur. Nā cùm illa facti hypotheſis: *Quotieſcunq; bibetis*, interprete Apoſtolo 1. Cor. 11. pertineat etiā ad oēs fideles; ſi illa determinaret tempus, quo abſolutè calix adminiſtrari debeat fidelib. præcepti ſenſus eſſet abſurdiſsimus; nēpe hic: *Date calicem fidelibus, quotieſcunq; fideles vobiſcum, atque adeò vobis dantibus, bibent.* Quid hoc eſſet præcepti? Poteſtne calix non dari cum datur?

Sed neq; fuiſſet etiā rectæ rationi cōſentaneū determinatè iubere, vt ſpectata ſola circumſtātia tēporis, quo Sacerdotes biberent, ſemper calix aliis adminiſtraretur. Quid.n. ſi quo caſu Sacerdote alioqui neceſſariò celebrante, atq; adeò bibēte, tantū illi adeſſent parati ad cōmunicandum, qui vel naturæ conditione, vel morbo ſic à vino abhorrerent, vt ſumere non poſſent ſine periculo reiiciendi? Quanq; cū habeamus in hac re manifeſtā, vt dixi, declarationē Apoſtoli, non magnopere hìc indigemus aliis argumentis.

Iam neque illud hìc obiici poteſt ab aduerſariis, præcepto, *Hoc facite*, id etiā iniunxiſſe Chriſtum Eccleſiæ miniſtris, vt quotieſcunq; Euchariſtiā conficerent, aliquos *adeſſe* curarēt, quibus ſpeciē vtramq; rectè adminiſtrare poſſent, ſicut ipſe Chriſtus vtramq; dedit Apoſtolis. Hoc Chriſtū ibi præcepiſſe nō magis aduerſarij defendere poſſunt, q̄ quòd etiam præceperit, vt *noctu & poſt cœnā*, & poſt eſum *agni paſchalis*, & præmiſſa *lotione pedū*, & XII. tantùm præſentibus, iiſq; Euangelij miniſtris, Euchariſtia cōficeretur, & adminiſtraretur, ſicūt eiuſmodi fuerunt tunc circumſtantiæ actionis Chriſti.

Id manifeſtè ita declaro & ℞bo. Præceptum illud: *Hoc facite*, nec poteſt, nec debet ad ea referri, q̄ verbis antecedētib. in ipſa narratione inſtitutionis Euchariſtiæ, Scriptura nō ſignificat à Chriſto, vel ab Apoſtolis facta aut faciēda fuiſſe. At ꝙ in illa vltima cœna aliqui *adfuerint* tales, quib. rectè potuerit dari vtraq; ſpecies Euchariſtiæ, ℞priè quidem nō ſignificatur antecedentibus verbis narrationis à Chriſto vel ab ipſis Apoſtolis factū aut faciendū fuiſſe; ſicut neq; ſignificātur illę alię circumſtantię, quas cōmemorauimus. Ergo præceptū illud: *Hoc facite*, minimè debet ad id referri, ſicut propter eandem rationem non refertur ad illas circumſtantias *nocturni* temporis, *lotionis* pedum, &c.

Prior huius argumenti ℞poſitio per ſe ipſa patet. Nam ea vis eſt ℞nominis demōſtratiui, *Hoc*, & verbi, *facite*, vt præceptum, ꝙ his duob. verbis cōtinetur, ad eas tantū actiones referatur, quas tunc in præſentia Chriſtus vel faciebat, vel faciendas ſignificabat, quæ quidem actiones incipiuntur narratione ipſa inſtitutionis, quæ incipit ab illis verbis: *Accipiens panem, &c.* Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22. 1. Cor. 11.

Poſteriorem aūt propoſitionem argumenti ℞bo. Nam verba quib. id ℞priè ſignificatū eſſe, alicui forſā videri poſſet, nō ſunt niſi illa: *Dedit diſcipulis ſuis*, q̄ tū circa panem, tū circa calicē cōmemorantur. At iis, ℞priè verbis nequaq̄ talis actio ſignificatur, qua factū ſeu ℞curatum ſit, vt ibi *adeſſent* tales, quib. rectè daretur vtraq; ſpecies, ſed tantū ſignificatur actio illa Chriſti, qua iis qui & alioqui parati ad accipiendā vtramq; ſpeciem *aderāt*, & quib. habita tūc ratione circumſtantiarū vtraq; tūc dari poterat, vtramq; dedit. Itaq; ſimilis actio ſolū præciperetur miniſtris illo mādato: Hoc facite, nēpe vt calicē miniſtrārēt, cùm tales *adeſſent*, qui iuxta iudiciū Eccleſiæ rectè vellent, & poſſent percipere; dato quòd exercitium præcedentium actionum circa calicem abſolutè ibi imperaretur.

Neq; verò licet inde inferre, cōſequenter eodem præcepto imperari miniſtris id, ſine quo actio illa dandi, exerceri nequit, nempe, vt *adſint* quibus rectè calix adminiſtrari poſsit, qui nimirum ſunt

rum ſunt tanq̄ obiectum eiuſmodi actionis dādi. Non.n. ſi aliqua actio præcipitur, illico etiā eodem præcepto illud imperatur, ꝙ eſt obiectū neceſſariū aut circūſtantia illius actionis. Imperat.n. Deus actionem ſiue officium illud, ꝙ beneficentiā erga pauperes cōtinetur: neq; tamen eo etiā præcepto teneris efficere aut procurare, vt ſint aliqui pauperes, quib. eleemoſynam erogare poſsis, &c. & ſic de aliis multis præceptis.

Quanquā non nego, quin ſi ipſi miniſtri haberent præceptū diuinū adminiſtrandi calicē; cōſequenter etiam fideles tenerentur præcepto quoq; affirmatiuo & generali illū dignè percipere. Sed tamē ſicut id præceptū non obligaret miniſtros, vt darent niſi pro tempore *neceſſitatis*, iudicio inprimis Eccleſiæ, iuxta naturā *affirmatiorum* præceptorū, & rei, de qua in ℞poſito agitur, vt ſuprà dictum eſt; ita neq; fideles, vt acciperēt. Quo fit, vt vtriq; iam excuſarentur, cùm his videlicet tēporib. habita ratione omnium circumſtantiarū (de quib. infrà) Eccleſia iudicet neque neceſſarium, neque expediens eſſe fidelibus adminiſtrari, & ab his ſumi calicem.

Quod ſi hìc obſtrepāt aduerſarij, atq; obiiciant, id iudiciū Eccleſiæ eſſe cōtra Domini præceptū; petunt principiū ſuo more, ꝙ ſanè in hac quæſtione perpetuò faciūt. Etenim illud ipſum eſt, ꝙ nos falſum eſſe defendimus, & probamus; nempe Eccleſiam, vt aiunt iſti, præcepto ſui Domini in hac re repugnare. Et certè hactenus ſatis demonſtratum eſt in ipſis quidem verbis inſtitutionis non contineri tale Chriſti præceptum.

Reſpondetur ad obiectiones petitas ex verbis Inſtitutionis. §. 3.

QVOD vt firmius maneat, quibuſdā præterea iſtorū cauillationib. circa verba inſtitutionis reſpondendū eſt. Vrgēt.n. Lutherus in lib. de captiu. Babylon. Kemnitius in exam. Concilij Trident. Seſs. 21. & Caluinus lib. 4. Inſtitut. ca. 17. Sect. 48. & alij cōmuniter: PRIMO, vim illius particulæ vniuerſalis; *Bibite ex hoc omnes*, Matth. 26.

RESPONDEO. Omnino eſſe vniuerſalē illius particulæ ſignificationē, ſed in *certo genere*, nēpe Sacerdotū, vt ſuprà expoſuimus. Quēadmodum ibi etiā apud Matth. cap. 26. & Marcū ca. 14. vniuerſaliter illa particula (*omnes*) accipitur etiamſi magis adhuc reſtrictè: nēpe intra limites numeri *duodenarij* Apoſtolorum, quatenus erāt determinatè illi homines. Vt cū ſubiunxit Chriſtus apud Matth. *Omnes vos ſcandalū patiemini in me in iſta nocte.* Itē cū dicit Marcus: *Et biberūt ex eo omnes.* Etſi verba quidē illa: *Bibite ex eo oēs*, Matth. 26. cū formā præcepti habeant ad munus Eccleſiaſtici miniſterij pertinētis, nō inuiti fatemur ad Apoſtolos pertinuiſſe oēs non ita reſtrictè, vt ſcilicet erāt tātū homines illi numero XII. Sed etiā vt erāt futuri *miniſtri* Eccleſiæ; atq; adeò ptinuiſſe quoq; id præceptū ad illorum in eo munere ſucceſſores, nēpe Sacerdotes, vt ſupra explicuimus.

Accedit ꝙ Lutherus in lib. de captit. Babylon. faſſus eſt, ipſos quidē fideles nō eſſe obligatos ad vtendum etiā calice, ſed tantū miniſtros debere ipſis illū adminiſtrare, cùm petūt. Itaq; ſecundū illā Lutheri ſententiam minimè ad fideles ipſos pertinuit illud: *Bibite ex eo oēs*, Etſi falſum etiā ſit, ꝙ ait Lutherus, neceſſariò illis eſſe dandū calicē quādocunq; petūt, vt ſatis hactenus oſtēſum eſt.

Neq; verò huc accōmodari poteſt illud Chriſti ad Apoſtolos Marc. 13. *Quod vobis dico, omnibus dico.* Id.n. de iis rebus tantū intelligi debet, quę cùm ad vitæ Chriſtianæ & morū inſtitutionem ptinerent, cōmunes Chriſtus eſſe voluit omnib. fidelib. cum Apoſtolis. Quòd apparet ex verbo ꝙ ſtatim ſubiunxit: *Vigilate.* Multa aūt ad officij authoritatē pertinētia Chriſtus dixit Apoſtolis, quæ minimè dicta quoq; eſſe voluit fidelib. reliquis. Vt illud; *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Matth. 18. & illud in noſtro propoſito, *Hoc facite*, Lucæ 22. & 1. Cor. 11. id eſt, *benedicite, &c.* & alia eius generis.

SECVNDO cauillatur Kemnitius, ſi demus, illa verba: *Bibite ex eo omnes*, ad Apoſtolos eſſe dicta, tanq̄ ad Sacerdotes, fore inde cōſequens, vt ſalté Sacerdotes etiā tū, cùm Euchariſtiā non cōficiunt, debeāt cōmunicare ſub ſpecie vini, ꝙ tamē Conciliū Trident. negat Seſs. 21. ca. 1. vt ſuprà vidimus. Id ℞bat. Quoniā tūc Apoſtoli non cōficiebāt in illa cœna, & tamē bibere tūc iuſsi ſunt. *Hic* (inquit Kēnitius) *eſt nodus inſolubilis Ieſuitis.*

RESPONDEO, in illo præcepto (*Bibite ex eo oēs*) duplicem vim attendendā eſſe. Altera eſt ꝙ iuſsi ſunt Apoſtoli in illa cœna aliquid facere, ꝙ ſoli ipſi, vt *perſonæ quædā particulares*; tūc præſētes exequi in illa cœna potuerūt, & debuerūt, licet Euchariſtiā tunc nō conficerent. Nā eo modo etiā fuiſſe ipſis particulare præceptum datum, & ab eis tūc impletū declarat euidēter Marcus ca. 14. cùm ſubiūgit: *Et biberūt ex eo oēs.* Altera vis illius præcepti fuit, ꝙ iuſsi ſūt etiā poſteà bibere, tanq̄ miniſtri futuri Euchariſtiæ, vt ſupra expoſitū eſt.

Iam verò illud præceptū non pertinet ad ſucceſſores Apoſtolorū Sacerdotes, qua ratione ꝑ illud præſcribebatur Apoſtolis quid ipſi, vt *perſonæ particulares*, in illa cœna facturi eſſent, cū nondum ſacerdotū munere fungebantur. Sic.n. non eis ℞priè Sacerdotes noſtri ſuccedunt, vt Sacerdotes ſunt, neq; etiā poſſunt iam in illa cœna determinatè, quæ iam præteriit, quicq̄ ipſi facere. Sed pertinet id præceptū ad Sacerdotes noſtros, quatenus ſimul iiſdē verbis præſcribebatur Apoſtolis, ꝙ erant poſt illam cœnā deinceps facturi, cùm Sacerdotes, id eſt, adminiſtri Euchariſtiæ conficiendæ forent, eoq; munere fungerentur.

Ita ſit, vt ſucceſſores Apoſtolorū Sacerdotes minimè illo præcepto iuſsi ſint ſumere ſimiliter calicē, quando nō conficiunt. Nam id facere, ad Apoſtolos, ſicut declaratū eſt, tātùm pertinuit, quatenus in illa ipſa cœna erant quædam *perſonæ particulares*, quæ licet Euchariſtiā tunc non conficerent, tamen illo ipſo tempore debebant etiā

id facere, ꝙ tunc facere iubebantur, nempe bibere. Vt aũt poſteà etiam biberent, non ſunt iuſſi, quatenus erãt perſonæ particulares: Sed quatenus ipſis, vt ſuperius argumẽtabamur, dictum etiam erat: *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. id eſt, *conſecrate etiam*, &c. ꝙ tunc in illa cœna minimè debuerunt facere, ſed poſteà tanquam Sacerdotes. Quare tum cùm etiam cõſecrarent, iuſsi fuerunt bibere; & conſequenter neq; aliter etiam tenentur id, nunc facere Sacerdotes. Vtrumq; .n. præceptum coniunctim, ſcilicet & *conficiendi*, & *bibendi* Apoſtolis, vt Sacerdotali munere functuris, datum eſt. Quæ duo præcepta cùm ad idem myſterium integrè â miniſtris perficiendũ pertineant, non tenentur illi alterum ſine altero implere, ſed vtrumque ſimul cùm Euchariſtiam conficiunt, ſicut dictum eſt. Atque ita nodus ille Kemnitianus ſolutus eſt.

TERTIO vrgent vehementer, Lutherus, & Kemnitius, & Caluinus locis ſuprà citatis, & alij paſsim, ꝙ Apoſtolus 1. Cor. 11. interpretari videatur, præceptũ ſumendi vtramq; ſpeciem, nõ tantùm ad Apoſtolos, ſed etiã ad omnes fideles pertinuiſſe. Nam ſcribens fidelibus Corinthiis, totam inſtitutionẽ vtriuſq; ſpeciei narrat, quam etiam inſtitutionem affirmat ſe illis *tradidiſſe*, & explicaſſe, *ſicut acceperat à Domino*, quo ipſo indicat, ad omnes illam inſtitutionem totam pertinere.

Et confirmat id Kemnitius ex ipſius Epiſtolæ inſcriptione, quæ eſt huiuſmodi: *Paulus Apoſtolus Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto, vocatis ſanctis cum omnib. qui inuocant nomẽ Domini noſtri* IESV *Chriſti in omni loco*, 1. Cor. 1. Ex quo intelligi poteſt, doctrinam illam, de vtriuſq; ſpeciei inſtitutione nõ tantùm ad ipſos Corinthios, ſed ad omnes etiam alios fideles pertinere.

RESPONDEO inprimis, obſeruationem hãc Kemnitij, ꝙ ad *titulũ* epiſtolæ attinet, potius iſtis obſtare quàm ſuffragari, ſi authoritatem quidẽ Hieronymi, vel certè illius authoris, cuius commentarij in epiſtolã ad Corinthios Hieronymo tribuũtur, ſequeremur. Non .n. præcisè dicit Apoſtolus: *Cum omnib. qui inuocant nomẽ Domini in omni loco*, vt truncatè Kemnitius citauit, ſed; *In omni* (inquit) *loco ipſorum et noſtro*. Vbi Heronymus interpretatur, Apoſtolum intellexiſſe ibi ꝓpriè *Sacerdotes*, ad quos ex peculiari officio pertinet *Inuocare nomẽ Domini*: quo in munere, & ſuũ illi & Apoſtolorũ locum tenent. Id enim arbitratur Hieronymus ſignificare Apoſtolum, cùm ait: *In omni loco ipſorum & noſtro*: quoniam *Sacerdotes* (inquit Hieronymus) *& ſuo, et Apoſtolorũ loco funguntur*.

Sed non valdè ꝓ iſta interpretatione pugnabimus. Fatemur .n. vltro hîc duo. *Primò*, nõ modò cum Sacerdotib. ſed etiã cum aliis fidelibus, atq; adeò cum omnibus Eccleſiæ ordinibus, Apoſtolum ibi loqui, ſiue qui fuerunt tũc Corinthi, ſiue qui erãt etiã alibi. Immõ ad omnes vnquam futuros fideles illum ſermonem Apoſtoli pertinere concedimus, vt Chryſoſtomus quidẽ Hom. 1. in epiſt. 1. ad Corinth. in illũ locum & alij interpretãtur. *Secundò*, Apoſtolũ ibi non nudè tantùm narrare hiſtoriam inſtitutionis, ſed etiã ad *ipſam Eccleſiam* accõmodare *præcepta Domini*, quæ vel in illa inſtitutione cõtinentur, vel ex ea deducuntur: Sicut inprimis, ꝓpter diuiniſsimæ rei præſtantiã deducit Apoſtolus ibi ex ipſa inſtitutione præceptum illud; *Probet autem ſe ipſum homo*, &c. 1. Cor. 11.

Sed cùm ibi Apoſtolus ad *totam* Eccleſiam, in qua ſunt *varij* fidelium ordines, & de *tota* ratione inſtitutionis, in qua ſunt *varia* Domini præcepta, loquatur; quæſtio eſt hîc PRIMO, vtrum ita fecerit accommodationem inſtitutionis ad Eccleſiam, vt voluerit omnia & ſingula inſtitutionis præcepta pertinere ad omnes & ſingulos Eccleſiæ ordines? SECVNDO, ſi non omnia præcepta voluit ad omnes & ſingulos pertinere, quomodo illa diſtribui voluerit, & quæ ad quos referri? Et quod ad PRIMAM quæſtionẽ attinet, aduerſarij quidem ita confusè illam accõmodationẽ Apoſtoli ad Eccleſiã vrgent, quaſi oporteat ad oẽs ex ęquo omnia præcepta inſtitutioni adiuncta ptinere. SED certiſsimum eſt, minimè hoc Apoſtolum voluiſſe. Nam ſaltem præcepta *conficiendi, & adminiſtrandi* Euchariſtiam, quæ cõtinentur verbo illo Lucæ 22. & 1. Cor. 11. *Hoc facite*, dicerdotes ſeu miniſtros Eccleſię, voluiſſe Apoſtolum referri. Itaq; CERTVM eſt, ꝙ ad primam quæſtionem attinet, non ita fieri ibi ab Apoſtolo accõmodationem inſtitutionis ad Eccleſiam, vt *omnia* præcepta inſtitutioni annexa pertinere intelligantur ad *omnes* & ſingulos Eccleſiæ ordines.

De SECVNDA aũt quæſtione, quid ſentiendũ ſit, non obſcurè colligi poteſt ex eodẽ ſermone Apoſtoli. Inprimis .n. cùm profitetur ſe idipſum *tradere, quod à Domino acceperat*, ſatis indicat nõ aliter velle ſe illa præcepta Domini diſtribuere & accõmodare ad varios Eccleſiæ ordines, quã ipſe Dominus in inſtitutione fecit. Quid aũt Sacerdotibus ſolis, & quid omnibus etiam fidelibus (iuxta expoſitionẽ etiam Paulinam in hoc ipſo loco) Chriſtus ipſe præcepit, ſuprà declarauimus: ſic, vt planè defenſum ſit, non eſſe iuſſos omnes & ſingulos fideles cõmunicare ſub vtraq; ſpecie. Sed talis omnino fuit à Chriſto facta diſtributio præceptorum, vt præceptum quidem *conficiendi* Euchariſtiam, & *adminiſtrandi* eam ſub ſpecie panis, & *ſumendi* ſub ſpecie calicis, ad ſolos Sacerdotes pertineat: Præceptum aũtem ſumendi ſub ſpecie *panis*, & *referendi* ad Chriſti cõmemorationem, quiquid ſiue circa panem, ſiue circa calicem etiam fiat, pertineat ad omnes. Apoſtolus igitur eandem etiam inprimis accommodationem præceptorum Domini ad Eccleſiam in illo loco facit, vt ſuprà quoque probauimus, maximè ex declaratione quam adhibuit illis verbis Domini, *quotieſcunque bibetis*, &c.

Deinde, quòd præcipuè pertinet ad inſtitutũ Apoſtoli in illo loco, duo diuina præcepta ad omnes Eccleſiæ ordines pertinentia deducuntur ex ipſa Euchariſtiæ inſtitutione, illiusq; eximia, propter Chriſti præſentiam, dignitate: de quibus vt Corinthios atque adeò fideles omnes Apoſtolus admoneret, inſtitutionem *totam* repetiit, vt ex ea nimirum confirmet eiuſmodi duo præcepta, & ad omnes ordines illa accommodet. ALTERVM præceptum eſt, ne res tam ſancta, tamque diuina, hoc eſt, ne vſus corporis & ſanguinis Domini vllo modo prophanetur: quod faciebant Corinthij, ſicut Apoſtolus ibi redarguit. ALTERVM præceptum eſt, vt corpus & ſanguis Domini, quandocunque ſiue in alterutra, ſiue etiam in vtraque ſpecie vel à Sacerdotibus, vel etiam à reliquis fidelibus ſumatur, *dignè*, hoc eſt, bona & pura conſcientia ſumatur, *diiudicando* videlicet *corpus & ſanguinem Domini*, atque adeò ſeſe ad id *probando* & præparando.

Hæc duo præcepta ſic Apoſtolus ad omnes Eccleſiæ ordines ibi accommodat, vt nunquam omnino ſignificet, omnes teneri abſolutè vſurpare vtramque ſpeciem: ſed procedens ex *facti* hypotheſi, quòd ſcilicet vel vtraque ſpecies, vel alterutra vſurpetur; notat tũc exſtare præceptũ circa facti *modum*, ne ſcilicet aut *prophanè* tractetur, aut indignè ſumatur Euchariſtia.

In priori enim ſermonis parte, vbi cõtra prophanationẽ agit, tantùm inuehitur ſimpliciter in ipſam actus peruerſitatem, eorum videlicet qui *ſuas cœnas præſumebant ad manducandum*. De altero autem præcepto idem clariſsimè patet ex ipſa forma verborum, quibus illud deduxit Apoſtolus ex Euchariſtiæ inſtitutione. Vbi enim hanc recitauit, è veſtigio ſubiunxit: *Itaque quicunque manducauerit*, VEL *biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini*. Quaſi dicat; oportet bono & ſancto modo ſumere Euchariſtiam, ſiue in hac, ſiue in illa ſpecie ſumatur.

Quo loco obſeruandum eſt, Apoſtolum minimè eos reprehendere, qui vel manducãt tantùm, vel bibunt tantùm, vel vtrumque ſimul faciunt: quin potius illo modo ponendi *facti* hypotheſim: *Quicunque manducauerit*, VEL *biberit*, &c. tanquam certum inprimis ponit, per Chriſti quidem legem licere interdum vel alterutrum, vel vtrumque facere, pro conditione nimirum perſonæ, aut iuxta Eccleſiæ iudicium. Quamuis enim omnes tenentur ſumere ſpeciem panis, vt ſuprà explicatum eſt, tamen cùm id præceptum ſit generale & *affirmatiuum*, fieri poteſt, vt quandoque non obliget, ſed poſsit ſuprà etiam docebimus.

Deinde poſita eiuſmodi hypotheſi *facti*, indicat Apoſtolus illa comminatione, *Reus erit corporis*, &c. diuinum exſtare præceptum de facti *modo*, vt ſcilicet ſumatur dignè Euchariſtia, quãdocunque &, quomodocunque ſumatur, ſiue ſub altera, ſiue ſub vtraque ſpecie.

Atq; hanc tãtùm vim huius præcepti eſſe rurſus indicat, cùm deinde bis repetit idem præceptum verbis illis: *Probet autẽ ſe ipſe homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui .n. manducat & bibit indignè, iudiciũ ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini*. Vbi nihil intereſt, vtrum Apoſtolus per particulã, *Et*, fecerit hîc hypotheſim vtriuſq; ſpeciei cõiunctim, vel diuiſim (vtramq; .n. vim habere ſolet particula Et) cum cõſtet iam, vſum quidẽ abſolutè vel alterius, vel vtriuſq; ſpeciei non eſſe illud, ꝓpriè, quod ibi Apoſtolus ſignificat eſſe præceptũ, ſed *modum* talis vſus: Quod euidenter declarat particula illa *Sic*, qua ibi vtitur Apoſtolus, inquiens; *Et ſic*, nempe dignè, ſuique præmiſſa probatione, non autem indignè, *edat et bibat*. Hîc enim *modus* actionis eſt, quem ibi Apoſtolus propriè declarat eſſe imperatum

Nihil igitur D. Paulus in hoc loco ſententiæ Sectariorũ de neceſsitate vtriuſq; ſpeciei ſuffragatur, quin potius huius loci authoritate planè illa euertitur, cũ manifeſtè Apoſtolus ſignificet, licitum alioqui eſſe vſum, vel vnius, vel alterius, vel etiam vtriuſq; ſpeciei, modò non ihdignè vel altera, vel vtraq; vſurpetur. Et nihilominus tamen quemadmodum ibi Apoſtolus fecerit accõmodationem inſtitutionis ad totã Eccleſiam, ſatis iam, vt arbitror, eſt explicatum.

Ceterũ, ꝙ attinet ad particulam illã *vel biberit*, qua in eo loco Apoſtolus vſus eſt, dupliciter nobis occurrit Kemnitius in examine Concilij Trident. Seſs. 21. Primò dicit, illa verba; *Quicunque manducauerit vel biberit*, non eſſe verba ipſius inſtitutionis Dominicæ, neq; per illa Paulum narrare ipſam inſtitutionẽ, quin potius inſtitutionẽ fuiſſe ab eo recitatã per particulam copulatiuã, cum dixit, *Similiter Et calicem*, &c. Proinde non poſſe ex illa Pauli ſententia aliquid cõcludi contra neceſsitatẽ vtriuſq; ſpeciei: *Quod ſi in verbis* (inquit) *inſtitutionis, et in locis illis vbi diſponitur et deſcribitur forma cœnæ Dominicæ, Scriptura videretur particulis diſiunctiuis non parum certè roboris haberet argumentum*. Hactenus Kemnitius. Secundò retorquet ineptè & ridiculè valde illam Pauli ſententiã in nos, tanquam hîc etiam ſit illius ſenſus: *Qui manducat ſolum, vel bibit ſolùm; hoc ipſo facit indigne contra inſtitutionẽ Chriſti*, qui iuſſerit ſcilicet vtramque ſumi.

Vanitas aũt iſtiuſmodi cauillationũ facit eminere magis vim noſtri argumẽti. Quod .n. primò dicit, illa verba nõ eſſe *inſtitutionis* neq; per ea inſtitutionẽ narrari, id nihil intereſt. Quãuis .n. D. Paulus p ea verba neq; ſignificauerit, neq; recitauerit nobis inſtitutionẽ, tamẽ indicauit certè nõ eam fuiſſe inſtitutionis vim, vt vtraq; ſpecies

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessariò sumi debeat ab omnib. Quod si sententiâ atq; vim institutionis ex illis tantũ verbis liceret colligere,quib. aut significatur, aut recitatur ipsa institutio;ne possemus quidẽ ex illo Apostoli loco,ꝓbare,eos cõtra vim institutionis facere,qui sine sui ,ꝓbatione sumũt Eucharistiã *indignè*. Obiiciet.n. hic similiter ineptus aliquis Kemnitius, verba illa Pauli, *Probet autem se ipsum homo*,& quę sequũtur,non esse verba ipsius institutionis neq; per illa narrari institutionem, aut describi formam ipsam cœnæ Dominicæ.

Particula aũt illa copulatiua(similiter *et* calicẽ)nihil istos iuuat. Certũ.n. est non debere eã referri nisi ad similitudinem quandã generalẽ actionũ Christi circa calicẽ,& circa panẽ; nempe vt sit sensus, Christũ itidẽ accepisse calicẽ, & benedixisse,& instituisse, & dedisse,& imperasse etiã aliquid circa illũ, videlicet illius *vsũ* sacerdotibus conficientib.& omnib.etiã *relationem* eius, ad cõmemorandam Christi passionẽ, quandocunq; ille,& à quibuscunq; tandẽ vsurpetur; sicut suprà explicatum est. Ceterùm vt alia nihilominus fuit forma consecrationis in specie Vini , quàm in specie panis, ita etiam alia forma præcepti circa calicem , vt ex ipsa differẽtia verborum Christi suprà demonstrauimus.

Iam verò secundũ subterfugiũ Kemnitij lõgè leuius est. Ipse.n. Apostolus sequentib.verbis euidẽter declarat,quẽ ibi intelligat sumere indignè,nẽpe illũ qui *non diiudicat*, atq; discernit *corpus & sanguinẽ Domini* ab alio cibo & potu vulgari. Hoc aũt non ,ꝓriè is facit,qui bona cõscientia alioqui & reuerẽter sumit vnã vel alterã speciẽ,sed is,qui vel cõscius sibi alicuius peccati sine sui ,ꝓbatione & præparatione sumit Eucharistiam , quasi esset cibus aliquis aut potus communis ; vel illum vulgari & prophana actione tractat, vt faciebant Corinthij.

Qvarto cõtra nostrã illam responsionẽ, qua dicimus,Christũ non omnib.fidelibus,sed Apostolis, quatenus *Sacerdotes eos instituebat*, dixisse, *Bibite ex hoc oẽs*, Matth.26. Qvinqve nobis quæstiones ,ꝓponit Calvinvs lib.4.Institutionũ,c.17. Sect 48.49.50. *Velim*, inquit, *ad quinq; postulata mihi respondeãt, quib. elabi non poterũt, quin facile cũ suis mendaciis reuincãtur*.Audiamus igitur, & dent veniam Caluinistæ, si ego verius conuicero , in his ipsis quæstionibus proponendis Caluinum aliquoties mentitum fuisse.

Primvm (inquit) *quæro,quo oraculo reuelatam habeant, hanc solutionem?*

Respondeo. Ego quoq; primum quæro,quonam oraculo reuelatũ habuerit Caluinus, quod ibi Christus imperauerit vsum calicis omnibus fidelibus , cùm nullus ibi fuerit fidelis præter Apostolos,quos Eucharistię ministros tũc instituebat, nec vsquã scriptura exponat, ad omnes *fideles* ea quidem verba pertinere?

Deinde dico,cõtrariũ nos habere reuelatũ oraculo illius,qui iuxta Christi promissionẽ, Ioan. 16. docet Ecclesiam *omnem veritatem*, eiq; (Ioan. 14.)*suggerit* intelligẽtiã certissimã *omniũ quæcunq; dixit* Christus. Itẽ colligimus ex ipsa circũstantia Christi sermonis,eum ad Apostolos ibi tanꝝ ad Sacerdotes esse loquutũ, vt superius ostẽdi.

Sed *Scriptura* ,inquit Caluinus, *non ibi appellat Apostolos sacrificos*. Respondeo. Quid tũ? An ideo ibi nõ fuerũt Eucharistię ministri instituti atq; adeò Sacerdotes, quia ministri & Sacerdotes non sunt ibi appellati? Certè multo minus sunt appellati prædicantes; & tamen sunt apud Sectarios (vtinam non essent) prædicantes.

Adde ꝙ Deus ipse alioqui per Isaiã c.61.& 66. ministros Ecclesiæ noui testamẽti *Sacerdotes* diserte appellat,qua de re infrà q.11.in Tractatu de sacrificio Missæ,dicemus. Adde etiam quod Patres suprà §. 2. citati affirmant, Apostolos ibi accepisse Sacerdotalem potestatem.

At,inquit Caluinus,*etsi Christus duodecim tũ dederit,præcepit tamẽ vt sic facerent, nẽpe vt sic inter se distribuerẽt*. Respõdeo. Certũ est, nescisse hoc loco Caluinũ,quid diceret.Nã quodnã Christi præceptũ nobis hîc obiicit?an illud circa calicem,ꝙ solus Luc.ca.22.memorat, *Accipite et diuidite inter vos*;de hoc.n. loqui videtur Caluinus.At hoc nõ dixit Christus de calice consecrato,in quo sanguinẽ suũ porrexit,sed de calice in quo prius exhibuit discipulis vinum commune,vt in cap.22. Lucæ Theophylactus & alij notarunt,& ex ipso loco Lucæ perspicuum est.

Quod si maximè de calice,in quo esset sanguis, ea verba Christus dixisset,tamẽ ipsi etiã prędicantes suo vsu (velint,nolint,) testãtur, id præceptũ nõ pertinuisse ad alios præterꝙ ad Apostolos, vt erãt illæ personæ duodecim numero. Nam neq; ipsi Prædicantes nũc inter se *diuidunt*, sed quisq; illorum plerumq; sibi sumit,& porrigit Populo.

Si verò loquitur hîc Caluinus de illo altero præcepto 1.Cor.11.*Hoc facite,quotiescunq; bibetis,in meã commemorationẽ*, iam suprà §. 2. abundè demõstrauimus,solam *relationẽ* actionis ad finem cõmemorandi passionẽ Christi, non aũt ipsam *actionem absolutè*, fuisse iniunctam hoc præcepto.

Secvndo(quærit Caluinus)*cur meliori illo seculo ab Apostolis ad mille vsq; annos postea, sine exceptione omnes fiebant vtriusq; speciei participes?*

Respondeo. Falsum est, fuisse semper illo tẽpore factos oẽs participes vtriusq; speciei. Quin immò semper fuit etiã vsus aliquis alterius speciei tantũ. Sicut infrà §. 8. suo loco docebimus. Quamuis licuit etiam per Christi legẽ omnib.vtrãq;dare. Vt.n.Christus hoc nõ præcepit,ita nec prohibuit.Et quomodo prior consuetudo recte postmodũ abolita sit §. 10.infrà videbimus, atq; etiã §.9. respõdebimus ad testimonia veterũ, ex quib. hîc ꝓbat Caluinus calicẽ olim fuisse in vsu.

Tertio (quærit Caluinus) *cur Christus de pane simpliciter dixit vt ederẽt, de calice vt omnes biberent?*

Respondeo. Falsò hîc inprimis ponit Caluinus, sicut etiam Lutherus lib. de captiu. Babyl. Christum

Christũ de pane simpliciter dixisse,vt ederẽt,immo dixit: *Accipite & mãducate ex hoc* Omnes.Nam etsi illũ ita dixisse, nullus Euangelistarũ, neq; D. Paulus referat, tamen id certissimè testificatur traditio Apostolica, ex qua iã inde ab initio accepit Ecclesia ista Christi verba; sicut & illa quoque vt verba Christi cõmemorant D.Ambrosivs lib.4. de Sacram. cap. 5.& Paschasius lib.de corpore & sanguine Domini,cap.15.Neq; .n.omnia quæ vel fecit, vel dixit Christus, cõprehensa in Scriptura sunt, vt ex Euangelista Ioanne cap. 21. satis intelligi potest, & ostendit doctè Innocentius III. in capitulo. *cum Martha*,extra de celebr. Missarum. in hac ipsa quæstione de verbis,quæ Christus dixit in institutione Eucharistiæ.

Sed cur tandẽ dixit Christus vt biberẽt *omnes?* Respondeo. Non vt significaret, fideles oẽs debere bibere,sicut Caluinus lib.4.Institut.vbi suprà, & Lutherus lib. de captiu. Babyl. & alij sectarij, ex anticipato errore sibi imaginãtur. Sed tres aliæ rationes eius locutionis reddi possunt.

Prima: quoniam voluit Christus , vt oẽs Apostoli biberent,non quidẽ ea præcisè ratione,qua erant Christi fideles, sed vt erãt illæ personæ numero *duodecim* , & vt instituebantur *ministri* Eucharistiæ, sicut suprà §. 2. defensum est.

Neq; verò,si præceptũ *comedẽdi* ad Apostolos, vt erãt etiam cõmuni ratione fideles , atq; adeò ad oẽs alios pertinuit; ideo etiam debuit pertinere ad illos ea ipsa ratione præceptũ *bibẽdi*. Nã est necesse, vt eadem ratione vtrumq; sit datum.

Deinde est discrimen, ꝙ *panis* vsus omnibus cõuenit, & facilior atq; communior est, ꝙ vini; item ꝙ actus bibendi spectat ad vltimã quandã Eucharistiæ *perfectionem*, ꝙ illi peculiariter adhibere debent,qui Eucharistiam cõficiunt,alij verò nõ item,vt infrà docebimus. Quare præceptũ comedendi Apostolis omnib. vt erant cõmuni ratione fideles,dari debuit; præceptum autẽ bibendi , nõ nisi vt simul etiã instituebantur Eucharistiæ conficiendæ *ministri*. Sicut in eadẽ ipsa cœna, & eodem sermone,alia quædã præcepta, puta *conficiendi & administrandi* Eucharistiam,nõ omnibus fidelibus,sed solis ministris data sunt, vt paulò post oportuno loco explicabimus.

Secunda ratio illius locutionis fuit, vt eo minus Iudas tergiuersaretur ac recusaret bibere, sicut fortè huius rei circa speciẽ panis aliquam significationẽ dederat, vt ex quorundã sentẽtia notat Theophylactus in cap.26.Matth.Nõ enim adhibuerat Iudas fidẽ huic mysterio, vt ex Euãgelista Ioan.ca.6. intelligi potest. Nam cũ dixisset Christus : *Sunt quidam ex vobis,qui non credunt, Iesvs qui essent non credentes,& qui traditurus esset eũ.* cõtinuò subiũgit Ioannes: *Sciebat enim ab initio*

In quem locum ita etiam scripsit Avgvstinvs Tract.27. in Ioan. *Sunt quidam* (inquit) *qui non credunt , & ideo non intelligunt, quia non credunt*. Et paucis interpositis : *Ibi*, inquit, *erat & Iudas : nam quidam scandalizati sunt. Ille autem mansit ad infidiandum , non ad intelligendum*.

Et clarissimè quoq; D. Chrysostomvs Hom. 46. in Ioan. explicans illa verba Christi, Ioan.6. *Nonne ego duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Cùm dixisset Petrus* (inquit Chrysostomus) *nos credimus:eximit è numero Iudam.* Et paulò post: *Prius* (inquit) *eum aliis annumerauit, cùm diceret: sunt quidam ex vobis qui non credunt; quod confirmat Euangelista his verbis ; Sciebat enim, &c. Cùm autem in malitia perseueraret,vehementius eum arguit:vnus, inquit, ex vobis diabolus est.*

Tertia ratio fuit,ne quis fortè discipulorũ horrens potũ sanguinis, quem Christus affirmabat se dare in calice , bibere detrectaret,maximè cũ potus sanguinis esset alioqui prohibitus in lege. Ideo quasi animans eos dixit, Bibite ex hoc *oẽs*. Nã & ob eandẽ causam *ipse primus bibit de calice*,vt D.Chrysostomus Hom.83.in Matth.annotauit.

Adde ꝙ non est humanæ intelligẽtiæ,perspectas habere prorsus causas, cur hoc modo , aut illo Christus locutus sit : *Quis .n. cognouit sensum Domini?* Rom. 11. Quin etiã ne sui quidẽ sermonis homo rationem semper reddere potest , cur hoc vel illo modo rem explicuerit. Nimis igitur curiosa & inepta est illa tertia quæstio Caluini.

Qvarto (quærit Caluinus) *Si sua cœna Dominus solos sacrificos (vt volunt) dignatus est, quis vnquam hominum ausus esset vocare in participationem extraneos, qui à Domino exclusi essent?*

Respondeo. Dupliciter hoc loco mentiri dignatus est Caluinus : vt vocabulo ego ,ꝓprio veritatẽ dicam. Quis .n. vnquam Catholicorũ dixit, Dominũ *solos* Sacerdotes dignatum esse sua cœna ? Quis dixit, Dominũ *exclusisse* à sua cœna reliquos? Nihil volumus minus. Tantũ dicimus, Dominũ non iussisse quidẽ vt reliqui etiã ad vtramq; speciem Sacramẽti admitterẽtur. Sed tamẽ cùm neq; hoc ,ꝓhibuerit , sed reliquerit Ecclesiæ liberum;hoc ipso oẽs vtraq; specie dignatus est,& neminẽ excluſit. Quod cũ ita sit , nihil mirũ est, ꝙ Ecclesia aliquando potestate sua vti ausã fuerit , id est, quod admiserit quandoq; fideles ad participationem vtriusque speciei, per se alioqui salutarẽ, quandoquidẽ hoc fuit Ecclesiæ relictum liberum, & minimè prohibitum.

Errauit aũt turpissimè Caluinus existimans non posse sine *diuino mandato* quemꝙ admitti ad hoc Sacramentũ in specie vtraq; ,siue,vt ille vocat, ad cœnã. Hoc .n. ipso in omni materia, atq; adeò etiam in materia religionis aliquid licet, ꝙ ,ꝓhibitum non est; neq; præterea requiritur , vt præcipiatur. Sicut Tom.3. disp.6. q.11.p.1. cõtra cõmunem Sectariorũ errorem defendimus, & probauimus, explicatis omnibus Scripturæ locis, quibus illi abutuntur. Præceptum enim non propriè facit rem licitam, sed *necessariam*.

Aut dicant mihi Caluinistæ,vbi scriptũ est,vt Deũ veneremur illo cultu religionis , qui in *venendo* consistit?Hoc ne igitur illicitum nobis est

quia

quia nusquã præcipitur? Dicat etiam Caluinista quispiã minister quonam præcepto diuino ipse debuerit minister Eucharistiæ benedicendæ & administrãdę initiari? Ideóne igitur ad eius authoritatẽ ministerij admitti non potuit, quia id ministerium susc ipere, diuino præcepto non tenebatur?

Intelligant ergo, satis hoc ipso potuisse quẽlibet fidelẽ ad vsum vtriusq; speciei admitti, ꝙ hic vsus per se est salutaris & nemini ꝓ Christũ prohibitus, quãuis nec sit omnibus imperatus. Adde ꝙ de administrãda omnib. specie saltẽ panis diuinũ præceptũ exstat, vt suprà §. 2. docuimus.

QVINTO, (quærit Caluinus) an mentiebatur Paulus 1. Cor. 11. cùm dicebat, *se accepisse à Domino, quod illis tradiderat*?

RESPONDEO. Minimè, Sed nullũ tamẽ Domini præceptũ illis tradidit, quo fideles oẽs teneantur vtramq; speciẽ vsurpare, vt euidenter suprà §. 2. demonstrauimus. Quare rursus Caluinus (quod Paulus minimè fecit) mentitus est, cũ absq; vlla probatione subiungit: *Postea declarari à Paulo traditionẽ, vt oẽs promiscuè vtroq; Symbolo cõmunicarent*. Nihil minus Paulus declarauit, vt anteà clarissimè ostẽsum est. Expedita sunt igitur illa quinq; Caluini postulata, quę nobis obiicit cõtra communionem sub altera tantùm specie.

POSTREMO duo quædam alia (vt omnia exhauriamus) possent nobis hîc obiici. *Alterum* est, ꝙ præceptũ illud 1. Cor. 11. *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*; ad oẽs fideles pertinuit, vt supra §. 2. ex Paulo docuimus. Igitur ad eosdem etiam pertinuit illud, Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes*, quandoquidem vtraq; verba Dominus in eadẽ cœna locutus est, & vtrobiq; eodem vocabulo bibendi est vsus.

RESPONDEO. Nihil valet consequẽtia. Nam similiter illud præceptũ quo iussit Christus, vt vsus speciei panis *referretur* ad sui cõmemorationem, inquiens Lucæ 22. *Hoc facite in meam cõmemorationem*, pertinuit quoq; ad oẽs fideles, vt ex Apostolo Paulo 1. Cor. 11. patet; nec tamen ideo ad oẽs fideles pertinuit præceptum, quo etiam Christus in eadẽ cœna, & iisdem ipsis verbis iussit, vt species panis *consecraretur*, & *offerretur*, & *administraretur*, sed ad Apostolos duntaxat pertinuit hoc præceptum, tanquam ad Eucharistiæ ministros siue Sacerdotes.

Eodem igitur modo, cùm per præceptum illud; *Hoc facite quotiescunq; bibetis*, solum iusserit Dominus, vt actio circa calicem, *quotiescunq; & à quibuscunq; exerceretur*, referatur ad sui cõmemorationẽ; (vt suprà §. 2. ex Apostolo demonstrauimus) ad omnes fideles quoque pertinuit hoc præceptũ, si quidem oẽs referre actionem suam in eum finem cõuenit. Illius aũt præcepti, *Bibite ex hoc omnes*, diuersa forma & vis est: nam præcipitur per illud absolutè ipsum etiã *exercitiũ* bibendi, atq; ita nõ est opus, vt ad fideles omnes pertinuerit, licet in eadẽ cœna sit traditum; sed pertinuit tãtùm ad Apostolos tanq; ad Eucharistiæ ministros, vt suprà §. 2. cõfirmauimus. Ministris. n. qui Sacramentum *conficiunt*, incumbit, vt illud etiã omnino *perficiant* per vtriusque speciei vsum; nõ perinde aũt aliis qui Sacramentum ipsi non cõficiunt, vt infrà §. 6. quoq; declarabitur.

Adde, quòd non eodem verbo traditur illud præceptũ; *Hoc facite, quotiescunq; bibetis, in meam cõmemorationem*; & illud: *Bibite ex hoc omnes*. Per verbum. n. illud *Bibetis*, nihil ibi præcipitur, sed tantùm fit hypothesis *facti*, id est, supponitur id factum, ꝙ iubet Dominus *referri* ad sui cõmemorationem per verbum Facite. Ex quo etiã intelligitur, non esse necesse, vt ad eosdem pertineret vtrumque præceptum.

Adde etiã ꝙ in illo ipso præcepto: *Hoc facite, quotiescunq; bibetis in meam cõmemorationem*; non planè directè, sed quasi in obliquo, & cõsequenter loquitur Christus cum fidelibus; directè aũt loquitur cũ Apostolis vt Eucharistiæ ministris, quibus solis dixerat: *Bibite ex hoc omnes*. Sensus .n. illius præcepti: *Hoc facite quotiescunq; bibetis*, est, hoc facite in meam cõmemorationem, aut ipsi soli, aut vnà cum aliis, quando cum aliis bibetis, sicut suprà §. 2. exposuimus. Ex quo etiã apparet nõ esse necesse, vt ad fideles etiam dicta sint illa verba: *Bibite ex hoc omnes*, quæ Christus dixit Apostolis; neq; etiam est opus vt indirectè ad eos hæc verba pertinuerint, cùm diuersa sit ratio & vis vtriusque præcepti, & alia etiam præcepta in eadem cœna nullo modo pertinuerint ad fideles, sicut est explicatum.

Alterum, ꝙ potest hoc loco obiici, est, Si, quemadmodum diximus, per illud præceptum; *Hoc facite, quotiescunq; bibetis*, non est imperatus vsus etiam ipsarũ actionum circa calicẽ, quoad *exercitium*, sed tantùm *relatio* earum ad finem cõmemorandę Christi passionis, cõsequens inde esse, quòd ne *oblatio* quidem ipsa & cõsecratio calicis sit imperata Sacerdotibus, quoad exercitium.

Respondendum aũt est, ex vi nihilominus illius præcepti Christi verborũ esse eam actionẽ illis imperatam, nempe per illa: *Hoc facite in meam cõmemorationem*, Lucæ 22. Hoc ipso .n. quòd per hæc iussi sunt offerre & cõsecrare Eucharistiam sub specie *panis*, cõsequenter intelligi debet eos etiã iussos esse cõsecrare & offerre sub specie *vini*. Nã hoc exigit necessariò natura huius Sacramenti & Sacrificij. Si .n. vna species absq; altera cõficiatur, Sacrilegiũ cõmittitur, vt docebimus. Quãmobrem in Concilio Trident. sess. 22. ca. 2. Quãmobrem in Concilio Trident. sess. 22. ca. 2. absolutè dicitur, *Sacerdotes iussos esse offerre vtramq; speciẽ* illis verbis Domini: *Hoc facite in meam commemorationẽ*. Quæ forma verborum solũ est vsurpata à Christo circa panem, vt suprà vidimus.

Item colligitur præceptum confecrandi etiã calicẽ, quod Sacerdotes obliget, ex illis verbis: *Bibite ex hoc omnes*, Matth. 26. Cùm enim ibi Sacerdotes iussi sint etiam bibere, quando Eucharistiam conficiunt, vt suprà explicatum est; & hoc non

hoc non possunt facere, nisi consecrauerint calicem; id etiam consequenter facere tenentur. Quo autem tempore, vel vtrũ omnino aliquando, præceptum istud consecrandi & offerendi Eucharistiã, omnes & singulos Sacerdotes obliget, disputabimus infrà q. 11.

Et hactenus quidem à nobis defensum est in ipsa Christi institutione nullum contineri præceptũ, quod omnes & singulos fideles ad vsum vtriusque speciei obliget.

Non posse colligi præceptum de Communione sub vtraque ex verbis Christi,
Ioan. 6. §. 4.

NVNC ostendamus, neque in verbis illis: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ioan. 6. tale præceptum contineri. Et quidem Thomas VValdensis Tom. 2. de Sacrament. cap. 91. Caietanus hîc art. 12. Et Tom. 3. suorum opusculorum Tract. 12. cap. 1. Et Tapperus art. 15. sub finem, & quidam alij facili negotio rem hãc expediunt. Quippe arbitrantur, manducare & bibere secundùm illam Christi sententiam tantùm esse incorporari tanquam membrum viuũ Christo pro nobis crucifixo; siue id fiat per actus fidei & caritatis in illum, siue per vsum alicuius Sacramenti & inprimis Baptismi. Quo pacto pertinet etiam hæc sententia ad infantes.

Probat Caietanus hanc interpretationem, quoniam sequeretur alioqui Baptismum non sufficere ad salutem, si præterea ad vitam spiritualem necessarius sit vsus Sacramenti Eucharistiæ. At Baptismus sufficit ad salutem. Ergo non est in eo loco sermo de vsu Eucharistiæ, quasi is etiam sit necessarius ad salutem. Assumptã propositionem probat illis testimoniis: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*, Marci vltimo. Et: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*. ad Tit. 5.

Tapperus addit illam rationem, quòd Christus de eo modo manducandi & bibendi loquebatur, quo etiam tum, cùm id dicebat, manducari ipsius caro, & bibi ipsius sanguis poterat. Subiungit enim in eodem loco similiter: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. At tunc non poterat nisi *spiritualiter* caro Christi manducari, & sanguis bibi. Ergo tantum de mãducatione spirituali ibi est sermo. Propositio assumpta probatur. Quoniã nondum erat tunc temporis Eucharistiæ Sacramentũ institutum, sed triennio post ferè. Neq; sanè iam Sectarij vlterius vrgent hũc locum pro communione sub vtraq;: quin illi etiam de spirituali manducatione similiter eũ interpretantur.

Ceterũ multæ sunt rationes collectæ à Rossenſi in prooemio lib. 5. de Eucharistia, contra Oecolampadium, & ab Alphonso de Castro in summa de hæres. verbo Eucharistia, hæres. 4. & à Sandero in Tract. peculiari de hoc 6. cap. Ioan. Et ab Alano lib. 1. de Eucharistia, cap. 31. & ab aliis, ob quas oporteat hanc partem illius Christi sermonis de Sacramentali etiam vsu Eucharistię intelligere

Ac potissima est, quod ita veteres ad ipsã Eucharistiam hunc locum accõmodant, vt videantur non tantùm id facere, per qualemcunq; alluſionem, sed planè interpretando ipsa Christi verba de Sacramẽto Eucharistiæ. Ex quibus sunt Origenes Hom. 16. in Num. Basilius in moralib. summa 21. ca. 1. & 2. Athanasius lib. 4. in Synopsi, & Epist. ad Serapionem, in illa verba: *Qui dixerit verbũ contra filiũ hominis*. Chrysostomus hom. 45. & 46. in Ioann. Emyssenus Hom. 5. de Paschate. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioann. ca. 14. Damascenus lib. 4. fidei, cap. 14. Theophylactus in cap. 6. Ioan. Theodoretus lib. 4. hist. ca. 11. Cyprianus li. 1. cõtra Iudæos, ca. 22. & in orat. Domi. & in serm. de cœna Domini. Hieronymus in ca. 1. ad Ephesios. Ambrosius lib. 6. de Sacramẽtis, ca. 1. August. Tract. 26. in Ioann. & Serm. 2. de verbis Apost. & lib. 1. de peccat. merit. cap. 20. & 24. & lib. 1. contra Cresc on. cap. 25. Hilarius lib. 8. de Trinitate. Leo Serm. 6. de ieiunio septimi mẽsis. Item patres Concilij Ephesini epist. ad Nestoriũ & Concilij Cabilonẽsis sub Carolo Magno c. 46. Quin etiã Conciliũ Tridentinũ sess. 13. cap. 2. ad Sacramentum illam sententiã accõmodat: *Qui mãducat me, ipse viuet propter me*. Quamuis sess. 21. cap. 1. significat nihilominus liberũ esse de spirituali, vel de reali manducatione hunc Christi sermonem intelligere.

Neq; nobis obstat, ꝙ bona pars illius Christi sermonis de spirituali tantũ mãducatione ipsius per fidẽ sine cõtrouersia intelligitur. Fecit enim Christus transitionẽ ad mysteriũ Eucharistiæ ab eo ferè loco, cũ dixit: *Panis quẽ ego dabo, caro mea est pro mũdi vita*, vt D. Chrysost. Hom. 45. in Ioan. notauit. Itaq; reliqua etiã quæ sequuntur in illo cap. 6. Ioann. de reali vsu Sacramẽti Eucharistiæ accipiẽda sunt, vt ferè iã oẽs interpretãtur.

Argumẽta verò Caietani & Tapperi nõ conuincũt. nam, ꝙ ad rationẽ Caietani attinet, distinguendũ est id, ꝙ assumit, Baptismũ sufficere ad salutem. Si .n. hoc intelligat citra casũ necessitatis adimplẽdi alia diuina præcepta; verũ est, & id solùm probatur illis scripturę testimoniis à Caietano citatis. Si aũt intelligat simpliciter & absolutè, quasi neq; aliquãdo, nec aliquibus aliquid aliud præterea sit necessariũ ad vitã siue salutẽ spiritualẽ; Falsissimũ id est. Tunc .n. probaret eadẽ argumenti forma Caietanus, obseruationẽ mandatorum non esse necessariã ad spiritualẽ vitam habendã; contra illud Christi: *Hoc fac et vives*, Et: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, Matth. 19. Vt igitur præter Baptismũ obseruatio aliorũ mandatorum pro circumstãtiis personæ, & rei, & temporis, ad salutẽ requiritur, ita etiam obseruatio præcepti de sumendo re ipsa Eucharistiã, quod proinde præceptum saluã sufficiẽtia & efficacitate Baptismi, potest cõtineri illis verbis Domini, *Nisi manducaueritis, &c.*

Neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Neque verò hinc sequetur infantibus quoq; necessariam esse Eucharistiam ad salutem præter Baptismum. Etenim materia huius præcepti de Eucharistia eiusmodi est, vt solos adultos obliget, quippe illi soli peccando labefactant vitã spiritualem, atque adeò spirituali cibo ad vitam tuendã indigent. Alia verò ratio est illius similis sententiæ Christi, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei.* Hic enim sermo est de *regeneratione* in nouã vitam spiritualem: cuius quia infantes etiã participes esse possunt, & hi quoque propter peccatum originale, illa indigent, ad eos item pertinet illa Christi sententia de necessitate Baptismi.

Ratio autem Tapperi non malè mihi probare videtur, quòd sit etiam locus ille intelligendus de mãducatione *spirituali*, nempe de incorporatione in Christo per fidem viuã, aut etiam per aliquod Sacramentum. Hoc enim video esse ex mente D. Augustini lib. 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 20. & lib. 3. cap. 4. & epistol. 106. & lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 4. & lib. 1. contra Iul. cap. 1. & passim aliâs, cùm ex ea sententia Christi probat contra Pelagianos, non posse paruulos habere vitam spiritualem nisi Christo incorporentur, atque adeò consequantur *effectum* saltem Eucharistiæ, qui est vnio cum Christo secundùm gratiam, quæ datur etiam in Baptismo. Quo pacto ex eodem loco Ioannis pro necessitate Baptismi paruulorũ est etiam argumentatus Diuus Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, cap. 25. & Innocentius I. in epist. ad Concilium Mileuitanum, quę est nu. 93. inter epistolas Augustini.

Itaque non repugno quò minus de vtroque genere manducationis, scilicet *spirituali*, & *Sacramentali*, Christus ibi loquutus sit, vt etiã Tapperus initiò bene dixerat, nisi ad extremum tãdem inclinaret in opinionem Caietani, qui voluit eum Christi sermonem de spirituali tantùm intelligi. Et certè intelligi de spirituali etiã sæpe significant sancti Patres, ac inprimis D. August. Tract. 27. in Ioan. & lib. 3. de peccatorum meritis, cap. 4. & Cyprianus de Cœna Domini.

Quòd autem tantùm de spirituali Christus sit loquutus, non credo. Neque ratio Tapperi, vt dicebam, hoc concludit; Nam etsi verbo præsentis temporis, ibi etiam Christus vsus sit, inquiens: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, &c* tamen per figuram Enallagen, id est, per mutationem temporis, aliâs sæpè vsurpatam in Scriptura, simul significauit futurum vsum Sacramenti. Qua quidem figura dictionis ideo vsus est, vt sermonem etiam accommodaret ad spiritualem manducationem, quam tunc tẽporis ab auditoribus requirebat. Hoc igitur, vt dixi, probat solum ratio Tapperi, nempe intelligi etiam eum locum de spirituali manducatione.

Ex quo intelligitur nullius esse momenti rationem, qua mouentur Kemnitius, & alij Sectarij, vt in illo sermone nihil putent Christum esse locutum de Sacramento ipso Eucharistiæ, nempe quia Sacramentum illud nondum instituerat. Nihil enim impedit, quo minus intelligamus, Christum fuisse locutum de re, quam posteà erat instituturus. Quod & aliâs sæpe fecit. Vt cùm, Matth. 16. Petro promittens claues regni cœlorum, illi simul explanauit efficaciam eiusmodi potestatis, quam Ioan. vltimo posteà erat ei traditurus. Ita igitur Sacramentum Eucharistiæ prius promisit, eiusque vim declarauit Ioan. 6. ab illis verbis, *Panis quem ego dabo, &c.* Deinde demum instituit in cœna.

Cùm hæc autem sit interpretatio illius loci, explicandum restat, quomodo verbis illis Nisi, &c. non imperauerit Christus omnibus & singulis vsum vtriusque speciei, cùm tamen sit etiam locutus de Sacramentali perceptione. Id intelligitur, si & *occasio*, & *forma*, & *conclusio* illius Christi sermonis diligenter perpendatur. Occasio fuit incredulitas Capharnaitarum. Quorũ difficultas propriè quidem non erat, vtrum in vna, vel in vtraque simul specie sumenda esset caro & sanguis Christi: Sed an omnino posset ille suam carnem verè dare omnibus ad manducandũ, ita vt propterea non cõsumeretur. Nam cùm ille id promisisset, inquiens: *Panis quem ego dabo, caro mea est; Litigabant ad inuicem*, vt Euangelista subiungit, *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Forma autẽ sermonis eiusmodi est, vt in illa sententia, *Nisi, &c.* nullam fecerit mentionem alicuius *speciei* Eucharistiæ, sed tantum est locutus de rebus ipsis, nempe de *carne* & *sanguine*, quæ non solum in vtraque specie, sed etiam in qualibet continentur propter inseparabilem iam Christi carnis & sanguinis cõcomitantiam. In aliis etiã sententiis eiusdem sermonis, vbi alicuius speciei mentionem fecit, non meminit nisi *panis*. Denique *conclusio* sermonis fuit illa: *Qui mãducat hunc panem, viuet in æternum.*

Iam cùm in actu Sacramentali comedendi Christi carnem, & item in actu bibendi illius sanguinẽ, duo sint; nempe ipsa *perceptio realis* & vera corporis & sanguinis Christi in Sacramento; & *modus* percipiendi in specie manducabili vel potabili: ex occasione illa, & forma, & conclusione sermonis apparet, Christum eiusmodi comminatione, *Nisi manducaueritis, &c.* non significasse necessitatem perceptionis Sacramentalis corporis & sanguinis, quoad vtriusq; modum, sed quoad *rem & veritatem perceptionis* tum carnis, tum sanguinis in Sacramento. Quæ duo non solùm sub vtraque, sed etiam sub alterutra specie bene & realiter percipiuntur.

Hoc enim propriè est illud, quod Christus ad retundendam incredulitatem Capharnaitarum asseuerare voluit, nõ modò nõ fore impossibile, sicut

sicut illi (nihil adhuc litigantes de vsu alterius vel vtriusq; speciei) omnino putabant, sed etiam necessarium ad vitã spiritualem tuendã. Quare neq; in ipsa sententiæ forma *species* expressit, sed res tantùm ipsas, quæ sub qualibet specie sumũtur, nempe carnem, & sanguinem. Atque ideo etiam in *conclusione*, cùm dixit: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, planè significauit, vsu alterius speciei, illud ipsum fieri, quod ante dixerat esse ad vitam necessarium: quia nimirum sumendo vnam speciem verè & realiter tum caro, tum sanguis percipitur. Habet autem hæc confirmatio ab eiusmodi conclusione eò maiorem vim, quò sæpius in eodem illo sermone Christus significauit, alterius speciei vsum, qui est mãducatio, valere ad vitam. Vt cùm ait: *Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Item: *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Quas sententias vrgent ad hanc rem etiam Patres Concilij Tridentini, sess. 21. cap. 1.

Quod si quærat aliquis; quamobrem Christus, vt significaret necessitatem *realis perceptionis* carnis & sanguinis, quoad rem & veritatem, verbo comedendi & bibendi, quod *modum* etiam percipiendi connotat, vsus sit; facilè ratio reddi potest. Voluit enim Christus necessitatem realis perceptionis carnis & sanguinis ita significare, vt simul etiam indicaret illius vim atque vtilitatem ad vitam spiritualem tuendam. Hoc vt commodè faceret, verbum vsurpauit *comedendi, & bibẽdi*; vt eiusmodi videlicet perceptionis fructus ex Analogia esus & potus, in quibus est perfecta virtus reficiendi, aptissimè intelligeretur.

Etsi verò hãc interpretationem, quam hactenus exposui, quamq; adhibent huic loco communiter Doctores Catholici, iudicè esse satis solidam, tamen non propterea reiicio quasdam alias, quæ item à Catholicis Doctoribus rectè hoc in loco adhiberi solent. Nam vt sapienter admonet Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. vlt. in fine: *Non vno tantùm Scripturarũ sensu, sed quot quot reperiri possunt, vti debemus: Tanto enim fortius conuincuntur hæretici, quanto plures exitus patent, ad eorum laqueos euitandos.* Hactenus Augustinus.

Igitur, si maximè concedamus, Christum ibi necessitatem etiam perceptionis suæ carnis & sanguinis, quoad percipiendi *modum* voluisse significare; dupliciter adhuc illa sententia potest exponi. Primo, vt non ad singulos omnia illa verba referantur, sed generatim ad Ecclesiã, sitque iste sensus: *Nisi manducaueritis & biberitis*, vtrentes nimirum altera saltem specie omnes & singuli, & etiam vtraq; ij, quos pro ratione officij aut dispositionis Ecclesiæ oportebit, *non habebitis vitam in vobis.*

Quæ expositio valde etiam confirmari potest, tum ex occasione illius Christi sententiæ, tum ex forma ipsa verborũ. Dubitatio enim Iudæorum, quæ illi sententiæ occasionẽ dedit, non fuit, an singuli possent, aut deberent comedere & bibere simul sub vtraq; specie carnem & sanguinem, sed an omnino vel alterutrum, vel vtrũque posset fieri ab omnibus, vel etiam ab aliquibus. Item Christus non vtitur illa forma verborum, qua vsus est, cùm docere necessitatem Baptismi, Ioan. 3. Cùm enim ibi vocabulo numeri singularis vsus, dixit: *Nisi quis renatus, &c.* ipso dicẽdi modo declarauit, incumbere Baptismi necessitatem etiam singulis. Hìc autem nõ eodem modo dicit, sed ad omnes generatim loquitur: *Nisi manducaueritis, &c.* Quæ forma orationis sanè patitur, vt non ex omni parte accommodetur illa sententia etiam ad singulos.

Neq; verò huic interpretationi obstat illud, quod in 4. sentent. dist. 12. quæst. 1. art. 12. Sotus obiicit. Nempe Christum, cùm dixit: *non habebitis vitam in vobis*, eo ipso indicasse, se cum singulis loqui. Fateor enim cum singulis esse loquutum, non tamen ita, vt omnem illius sententiæ vim ex omni parte ad singulos ptinere voluerit, sed quia ex aliqua saltem parte ad singulos etiam eiusmodi sententia pertinuerit, eò quòd, vt diximus, alicuius saltem speciei vsus sit necessarius omnibus & singulis, vt in se habeãt ipsi spiritualem vitam.

Potest etiam Secundo dici, particulam, *Et*, in illa sententia non copulatiuè, sed disiunctiuè accipi, vt tantundem valeat, quantum particula *Vel*, more in Scripturis vsitato, vt Exodi 21. *Qui percusserit patrem suum & matrem, morte moriatur.* Vbi certissimum est particulam, *Et*, quæ in Hebraico textu ibi vsurpatur, tãtundem etiam valere, quantum particula, *Vel*. Sic etiã Apostolus 1. Cor. 11. de hoc ipso Sacramento tractans: *Qui manducat*, inquit, *et bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Quo loco particulã, Et, disiunctiuè etiam vsurpat; nam eum etiam qui alterutrũ indignè faciat, significare vult iudicium sibi mãducare seu bibere. Quemadmodum antea etiam dixerat disiunctiuè: *Quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit, &c.* Secundum hunc igitur Scripturæ morem rectè quoque possumus interpretari eandem particulam in illa sententia, Ioann. 6. vt non solùm copulatiuè, sed etiã disiunctiuè significet. Quod itidem ex occasione illius sermonis & cõclusione confirmari potest, vt ex dictis patet.

Et certè omnes istæ tres expositiones stare simul possunt diuersa consideratione. Nihil enim impedit, quo minus ibi Christus significarit, omnes & singulos vtrumque copulatiuè, scilicet carnem & sanguinem, *verè & realiter percipere* debere, iuxta primam expositionem, siue sub vna, siue sub altera specie: & item ab Ecclesia in genere debere sumi sub vtraque specie, secundùm alium atque alium fidelium ordinem iuxta expositionem secundam: & denique ab omnibus & singulis necessariò esse sumendam, vel vnam, vel alterã speciem, quatenus illa particula

ticula, Et, habet etiam vim diſiunctiuam, vt eſt dictum in vltima expoſitione.

Nam cur hic non etiam locum habeat, quod de intelligentia Scripturarũ rectiſsimè præcepit D. Avgvstinvs lib. 12. Confeſſ. cap. 31. *Cùm alius*, inquit, *dixerit, hoc ſentit ſcripturæ auctor quod ego, & alius, immò illud quod ego; religioſum arbitror dicere, cur non vtrumq; potius, ſi vtrumq; verum eſt? & ſi quid tertium, et ſi quid quartum, et ſi quid omnino aliud verum quiſpiam in his verbis viderit, cur non illa omnia vidiſſe credatur* (Spiritus ſanctus) *per quem vnus Deus ſacras literas vera & diuerſa viſuris multorum ſenſibus temperauit?* Hæc Auguſtinus. Nulla igitur eſſe omnino verba Chriſti, ex quibus præceptum cõmunionis ſub vtraque colligi poſsit oſtenſum eſt.

Non poſſe colligi præceptum de Communione ſub vtraq; ex eo, quòd Sacramentum iſtud in vtraq; ſpecie inſtitutum ſit. §. 5.

IAm probo, neque illud neceſſariò colligi ex hoc propriè, quod Sacramentum iſtud Chriſtus inſtituerit in vtraq; ſpecie. Vtar autem claritatis cauſſa tali forma argumenti. Si inſtitutio vtriuſq; ſpeciei, quatenus eſt *inſtitutio diuina*, neceſſariò haberet coniunctum præceptũ; quod ad vtramque ſpeciem vſurpandam omnes & ſingulos obliget; ſequeretur, vſum etiam aliarum rerum, quæ diuinitùs ſunt inſtitutæ, omnibus & ſingulis eſſe imperatum. At hoc conſequens eſt apertè falſum. Ergo etiã illud ex quo ſequitur.

Prior propoſitio patet. Quia quod propriè & neceſſariò conuenit alicui rei, vt eſt talis, id ſemper ei conuenit. Quare ſi *inſtitutio diuina*, vt talis, habet in propoſito præceptum cõiunctum vſus rei inſtitutæ; in omni etiam genere haberet.

Poſterior quoq; propoſitio argumẽti probatur. Nam Matrimonium, v. g. diuinitus eſt inſtitutum, neq; tamen hoc ipſo tenentur omnes Matrimoniũ inire, aut eo iam inito vti omni modo & tẽpore, quo poſſent alioqui ſecũdùm illius inſtitutionẽ. Itẽ auctoritas Eccleſiaſt. miniſterij in Eccleſia, diuinitùs certè inſtituta eſt, neq; tñ omnes iuſsi ſunt illud miniſterium ſuſcipere.

Atq; vt propiùs ad rem præſentem accedam, diuinitùs Luc. 22. & 1. Cor. 11. inſtitutũ eſt ipſum *munus* conficiendæ & adminiſtrãdæ Euchariſtię, neq; tamen cum hac inſtitutione coniunctum eſt præceptum, quo teneantur omnes id munus obire. Immò ne poſſunt quidem omnes & ſinguli ſententiâ quoq; Sectariorum.

Sic & in lege veteri, Exod. 29. Num. 15. 18. 28. multis in ſacrificiis diuinitùs inſtitutum erat, vt ſimul offerretur aliqua menſura vini, neq; tamẽ omnes ij, quibus alioqui ſacrificij carnibus veſci licebat, illo vino etiam vti tenebantur.

Quando igitur aduerſarij *inſtitutionẽ* propter verbi quoq; ambiguitatem, cum *præcepto* cõfundunt; his exemplis & aliis conſimilibus illorum ſiue fraus, ſiue inſcitia refutanda eſt, monſtrandumq; diſcrimen inter vtrumq;. *Inſtitutio* enim propriè tanq; rei quædam productio eſt, quæ ſcilicet rationẽ atq; ſubſtantiã rei ipſius ſecundùm ſe ſancit atq; conſtituit. Et quamuis ad vſum rei tandẽ eiuſdem inſtitutio referatur, eò q; res omnis eſt propter ſuum vſum, tamẽ nihil ipſa inſtitutio propriè de vſu præcipit. *Præceptum* autẽ vlterius præſcribit, an & quomodo res neceſſariò ſit vſurpãda. Quare, vt ex eo propriè, quod omnes creaturæ ſint diuinitùs productę, nequaquã rectè colliges, ſingulos eſſe obligatos ad vtẽdum omnibus creaturis, ita neque in propoſito ex inſtitutione vtriuſq; ſpeciei propriè colligi poteſt, oẽs & ſingulos obligari ad vtramq; vſurpandã.

Quod cum ita ſit, rectiſsimè Patres Concilij Conſtantienſis potuerunt in hac quæſtione loqui illo modo, quẽ paſsim Sectarij, vel malitiosè, vel imperitè calumniantur. Verba Patrum ſeſſ. 13. hæc ſunt: Licet *Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtrauerit ſub vtraq; ſpecie, Tacie panis & vini hoc venerabile Sacramentum*; Tamen *hoc non obſtante ſanctorum Canonum auctoritas & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit & ſeruat, quod huiuſmodi Sacramentum nec conficiatur poſt cœnam, nec ſumatur à non ieiunis, niſi in caſu neceſſitatis, &c. Et ſimiliter*, Licet *in primitiua Eccleſia huiuſmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus ſub vtraque ſpecie*, Tamen *ad euitanda aliqua pericula & ſcandala, hæc conſuetudo eſt rationabiliter introducta, vt à conficientibus ſub vtraque ſpecie, & à Laicis tantummodò ſub ſpecie panis ſuſcipiatur*.

Hîc Sectarij (fortaſsè pleriq; illorum ex inſcitia) vociferantur, fateri Concilium ipſum Contia) vociferantur, fateri Concilium ipſum Conſtantienſe, quòd Eccleſiæ conſuetudo de communione ſub altera ſpecie, ſit contraria Chriſti præcepto; quandoquidẽ vtitur illo modo dicẽdi: Licet *Chriſtus inſtituerit & miniſtrauerit ſub vtraq; ſpecie*; Tamen *hoc non obſtante, &c.* Concilium autem his verbis potiùs declarat, nõ ideo fieri cõtra aliquod Chriſti præceptum, quia non ſuſcipiatur Euchariſtia in vtraque ſpecie, ſicut in vtraq; ſpecie fuit inſtituta: Cùm longè aliud ſit *inſtitutio, & præceptum*, vt hactenus demõſtrauimus: quę duo partim ex ignorantia, partim ex malitia Sectarij confundunt. Vbi autem inſtitutioni præceptum adiunctum non eſt, nihil peccatur cõtra inſtitutionem, ſi nõ illud omne vſurpetur, quod eſt inſtitutum. Ex inſtitutione igitur vtriuſque ſpeciei, non propriè colligi poſſe præceptum diuinum de communione ſub vtraque, ita breuiter ſit oſtenſum.

Nec poſſe colligi præceptum de Communione ſub vtraq; ex huius Sacramenti Natura. §. 6.

SEd neq; id præceptũ neceſſariò colligitur ex huius Sacrameti natura. Nam ſi ex illa colligitur; oportet ſanè eam eſſe talẽ, vt vel ipſi Sacramento, vel illud percipienti fiat aliqua iniuria, ſi ſub altera tm̃ ſpecie, ab eo qui non ipſum conficit, ſumatur. At natura huius Sacramenti nõ eſt talis. Ergo ex eo non colligitur eiuſmodi præceptum. Aſſumptam propoſitionẽ facilè oſtẽdam, ſi quædam Considerandа ordine & breuiter propoſuero, ex quibus ea propoſitio confirmatur.

Nam Primo, ſicut in vtraque ſpecie coniunctim, ita etiam in earum qualibet eſt tota veritas, & eſſentia huius Sacramenti, quemadmodum definitur in Concilio Tridẽtino, ſeſſ. 21. capite 3. Eſt enim inprimis ibi totus Chriſtus, qui, vt inquit Apoſtolus, Rom. 6. *iam non moritur*, ac proinde nuſquam habet corpus ſine ſanguine, nec ſanguinem ſine corpore; nec ſanguinem aut corpus ſine anima & diuinitate, vt ſatis conſtat ex Concilio Epheſino Anathe. 11. & ex communi ſententia Patrum, vt Cyrilli lib. 4. in Ioãnem, cap. 27. Euſebij Emiſſeni homil. 5. de Paſchate. Baſilij in epiſt. ad Cæſariam Patriciam, &c.

Neque obſtat, quod obiicit hic Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 17. ſect. 47. Chriſtum circa ſpeciem panis ſolum ſui corporis meminiſſe, cùm dixit: *Hoc eſt corpus meum*; & ſimiliter ſolum ſanguinis circa ſpeciem vini. Reſpondemus enim; ſanguinem nihilominus eſſe cum corpore, & corpus cũ ſanguine, propter vtriuſq; realem *concomitantiã*. Sicut eadem ratione caro animata, & ſanguine prędita Verbum diuinum factum eſt, licet Ioannes expreſsè ſolùm meminerit carnis, inquiens Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*.

Quin etiam hanc Eccleſiæ ſententiam illis ipſis verbis, quę Caluinus obiicit, Chriſtus indicauit. Ait enim Matth. 26. *Hoc eſt corpus meum*. Et: *Hic eſt ſanguis meus*. Quale autem tunc fuit, & nunc eſt corpus Chriſti? Nónne ſanguine prædituṁ? Et qualis ſanguis? Nónne cum corpore cõiunctus? Nihil autem mirum, quòd Caluinus ſeparet in ſpeciebus Sacramẽti corpus Chriſti à ſanguine, cum reuera nec corpus, nec ſanguinem in illis eſſe fateatur, ſed tantùm aſſerat, apprehendi in illis, modo neſcio quo ficto & imaginario (vt ſuprà quæſt. 3. punct. 1. oſtendi) quo poſſent quęuis alia quantumuis coniuncta, itidem imaginariè diſiungi.

Secvndo, eſt etiam in ſpecie qualibet *tota ſignificatio* refectionis ſpiritualis; tota, inquam, *eſſentialiter*, vt ad refectionem videlicet ſpiritualem animi referrtur. Quo pacto huius Sacramẽti eſſentiam conſtituit. Neque enim aliam atque aliam, ſed vnam & eandem refectionis gratiam ſpiritualem ſignificat cibus & potus, vt expreſsè ex ipſa Scriptura licet colligere, quæ ideo ſine diſcrimine ſpiritualem animæ refectionem, quę fit per gratiam, aliquando declarat ſimilitudine *panis*, Eccleſ. 15. aliquando *aquæ*, Ioan. 4. aliquando *potus*, 1. Cor. 12. & *cibi*, Ioan. 6.

Etſi negandum non eſt, quin eius ſpiritualis refectionis vis & commoditas clariùs vtraq; re ſimul, ſcilicet cibo & potu, atque adeò vtraque ſpecie, ſignificetur. Ideo enim hoc Sacramentũ, quod attinet quidem ad rationem ſuam *indiuidualẽ* perfectius eſt in vtraq; ſimul ſpecie, quàm in altera. Etſi in qualibet etiam habet perfectionem ſuam totam & integritatem *eſſentiæ*, itemque rationem aliquam *indiuiduam*, tametſi non vſque adeò perfectam ex parte ipſius *ſigni*. Ex parte autem *rei contentæ*, nimirum Chriſti, æquè prorſus perfectum eſt in altera atq; in vtraque, nam in qualibet eſt totus Chriſtus, quod & iam ferè concedunt ij Sectarij, qui Chriſtum in Sacramento eſſe fatentur: quamuis id aliquando negauit impiè Lutherus in libello aduerſus Epiſcopum Miſnenſem, vt teſtatur Eckius homil. 32. & 34. de Sacramentis.

Tertio, eſt item in qualibet ſpecie ſignificatio altera *coniunctionis* fidelium, tum inter ſe, vt membrorum corporis Eccleſiæ, tum cum Chriſto tanquam cum capite. Nam vt ait Auguſtinus Tractatu 26. in Ioannem: *Etiam panis ſit ex multis granis redactis in vnum, & ſimiliter vinum ex multis racemis*. Quæ cauſſa eſt, cur non ſolùm in vtraque, ſed etiam in qualibet ſpecie ſit ſymbolum illius coniunctionis & vnitatis corporis Eccleſiæ. Nam & Apoſtolus 1. Cor. 10. in pane etiam hãc ſignificationem eſſe indicat, cùm dicit; *vnus panis vnum corpus omnes ſumus in Chriſto*.

Qvarto, quælibet etiam ſpecies per ſe aptè repræſentat mortem Chriſti, ad cuius commemorationẽ vſus Euchariſtiæ referri debet. Species enim panis *ſeorſum ſignificat* corpus Chriſti *ſine ſanguine*; ac viciſsim ſpecies vini ſanguinem *ſine corpore*. Quare ipſe etiam Chriſtus ad vtramlibet ſpeciem ſigillatim adiunxit illud præceptum Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. *Hoc facite in meã commemorationem*.

Qvinto, cum *efficacitas* Sacramenti ſit coniuncta cum illius ſignificatione (efficiunt enim Sacramenta quod ſignificant) inde fit, vt quemadmodum in altera quoque ſpecie eſt tota ſignificatio *eſſentialis* huius Sacramenti, ſic etiã in ea ſit tota illius virtus ad efficiẽdum per ſe, vt paulò pòſt magis declarabitur.

Sexto, & illud conſideretur, *vſum* ipſum alterius, vel etiam vtriuſque ſpeciei, non eſſe eiuſmodi rem, in qua *conſiſtat* ſubſtantia huius Sacramenti, aut per quam etiam *fiat*. Nam Sacramentum Euchariſtiæ quiddam *permanens* eſt, quod fit ipſa conſecratione ſola, vt conſtat ex ſententia orthodoxorum Patrum, Tertulliani lib. 4. contra Marcion. Irenæi lib. 5. cap. 2. Ambroſij lib. 4. de Sacrament. cap. 4. & 5. & libro de myſteriis initian. cap. 9. Cypriani de Cœna Domini. Auguſtini ſermone 28. de verb. Domini. Gregorij Nyſſeni oratione de Baptiſmo, & orat. Catech. cap. 37. Chryſoſt. homil. de proditione Iudæ. Cyrilli Hieroſolym. catech. 3. & 4. myſtago. Damaſce. lib. 4. cap. 14. &c. & ex forma ipſa verborum inſtitutionis (*Hoc eſt corpus meum*. Et, *Hic eſt ſanguis meus*) quæ quiddam permanens & ſtabile ſignificat, & ex antiquiſsima praxi Eccleſiæ,

quæ (vt lib. 4. Institut. cap. 17. sect. 39. Caluinus, & Kemnitius in Exam. Concil. Tridēt. sess. 8. can. 1. sub finem fatentur, & nos etiam postea §. 8. defendemus) solita fuit Eucharistiam asseruare. Quare *vsus* istius Sacramenti, siue in altera, siue in vtraque specie, tantùm est quædam eius perfectio *accidentalis*, sine qua videlicet tota ipsius *essentia*, atque etiam substantia consistere potest, quidquid Sectarij contra garriant. Ac proinde, licet magis illud perficiatur accidentaliter, tum cum sub vtraque specie sumitur, tamen nihil substantiale ei accedit ex eo, quòd vel in altera, vel in vtraque vsurpetur, neque etiam detrahitur ex eo, quòd in neutra, vel non in vtraque sumatur.

Quamobrem nullo modo, ne quoad rationem quidem *indiuidualem* substantiæ, istud Sacramentum *mutilatur* (sicut calumniantur Sectarij) ab iis, qui alteram speciem tantùm sumunt: sed tantùm non *vsurpant* illud quidem secundùm se totum. Etenim quàm diu species sumpta perseuerat incorrupta, tam diu retinet respectum quendam ad speciem alteram, etiamsi non hæc in eodem loco, vel etiam in eodem omnino tempore cum specie sumpta coniuncta sit. Itaque propter illum respectum vna species cum altera significat nihilominus completè & integrè; atque adeò constituit vnum completum Sacramentum in *indiuiduo*, quatenus formaliter quidem Sacramentum continetur in genere signi.

Neque enim de istius Sacramenti integritate ita per omnia cogitandum est, sicut de integritate alicuius rei *physicæ* seu naturalis, quæ scilicet non consistit, nisi eius partes coëxistant prorsus in eodem tempore & loco. Alioqui, etiam ab his, qui vnam speciem post alteram sumunt, Sacramentum istud mutilaretur, tunc quando suscipiunt primam seorsim, & non simul vtramque. Item etiam à Sacerdote, quando consecrat ptimam ante alteram, & non simul vtramq;. Satis igitur est ille respectus, quem diximus vnius speciei ad alteram, vt istius Sacramenti secundùm se integritatem, quoad completam significationem constare intelligamus.

Adde, quod ratio *indiuidua* significationis *essentialis* huius Sacramenti non solùm in vtraque specie, sed etiam in qualibet consistit: nam non modò vtraque, sed etiam quælibet suo modo indiuiduo significat *refectionem spiritualem*; quod est in Eucharistia essentiale, vt antè dictum est. Hinc verò etiam fit, vt Sacramentum istud minimè dici possit in altera specie mutilatum esse, quamuis secundùm rationem indiuiduam minus perfectum sit in altera, quàm in vtraque. Non enim idem est, indiuiduum vnum alicuius speciei esse *minus perfectum*, quàm alterum eiusdem speciei indiuiduum, & esse *mutilatum*; ita enim quodlibet indiuiduū in omni genere mutilatum esset, cum quolibet posit esse aliud perfectius; sed id indiuiduum mutilatum dicimus, quod spectata natura & ratione suæ speciei habet aliquem defectum turpem & deformem. Nullum autem talem defectum habet Eucharistiæ Sacramentum in altera specie, liquidè quælibet species significat *refectionem spiritualem*, & habet sufficientem vim efficiendi propter essentialem significationem, & integrum Christum in qualibet contentum.

Septimo, consideretur etiam, non ideo Sacramentum istud, vocari quandoque *cœnam Dominicam*, quia illius essentia instar cœnæ cōsistat in *vsu* cibi ac potus; sed cœna appellatur à quibusdam eius accidentibus, nempe à circumstantia *temporis & loci*, in quo institutum est, & ab vsu ipsius in illis speciebus, quæ in cœna Dominica vsurpatæ fuerunt, licet ipsum Sacramentum essentialiter sit quiddam *permanens*, quod in specie panis & vini diuisim vel coniunctim, extra vsum consistit, vt ex Scriptura & Patribus probatum est.

Quod si ad essentiam huius Sacramenti ideo pertineret vsus cibi & potus, quia pertinet alioqui ad rationem cœnæ; etiam ad eiusdem Sacramenti essentiam pertineret vsus aliorum obsoniorum, & circumstātia nocturni vel vespertini temporis, & alia huiusmodi, quæ spectare solent ad cœnas, & spectarunt quoque ad cœnam Dominicam. Quæ tamen nemo sanus in essentia istius Sacramenti requirit.

Octavo, discrimen quoque diligenter considerandum est, inter eum, qui conficit hoc Sacramentum, & eum, qui nō conficit, sed tantùm eo vtitur. Etenim ad eum, qui rem ipsam *facit*, pertinet etiam, vt rem perficiat: ad illum autem, qui re tantùm vtitur, non item.

Iam his omnibus diligenter consideratis certè apparet, secundùm rectæ rationis iudicium, non esse talem huius Sacramenti naturam, vt aliquid in illius dignitatem prauè ac deformiter committatur, si ab eo, qui illud non conficit, vsurpetur tantùm sub altera specie. Suscipit enim is nihilominus id, in quo essentialiter est tota veritas, tota significatio, tota efficacitas huius Sacramenti. Tantummodò illud non omni ratione & modo accidētali ipse perficit. Sed hoc quidem non ostendit in eiusmodi vsu alterius speciei aliquam deformitatem.

Etenim obligatio *perficiendi* istud Sacramentum illi solum ex natura rei, id est, spectata Sacramenti dignitate, incumbit, qui etiam illud *conficit*. Debet enim is, quandoquidem rem tam diuinam facit, non vtcunque facere, sed perfectam facere. Itaque tenetur inprimis vtramque speciem consecrare: Tum vt huic Sacramento omnis perfectio sua substantialis, cōstet: Tum etiam quoad rationem indiuiduam, cōstet: Tum enim, vt *oblatione* vtriusque speciei separatim, expresè repræsentet sacrificium crucis cruentum, quod separatione sanguinis à corpore perfectum est.

Itemque debet vtramq; speciem ipse sumere, vt in conficiendo nimirum tam diuino Sacramento non prius ab opere ministerij desistat, q̄ rem perducat ad absolutam sui perfectionem etiam *accidentalem*. Nam & ad causas etiā naturales pertinet suos effectus secundùm accidētia quoq; perficere. Atq; hoc quidem de Sacerdotibus ita decretum est ab Ecclesia de cōsecrat. d. 2. can. *Relatum*. ex Concil. Tolet. XII. Item in can. *Comperimus*, eadem dist. ex Gelasio, vt etiam D. Thomas notauit hìc art. 12. ad 8.

Ei autem, qui re tantùm vtitur, sicut is facit, qui Eucharistiam vsurpat, nec eam etiam conficit, nō perinde eiusmodi obligatio rem omnino perficiendi incumbit: sicut antè dictum est. Atq; ita satis iam confirmatum est, nullam iniuriam fieri *Sacramento ipsi* secūdùm se, propterea quòd altera tantum species percipiatur, quemadmodum in argumento nostro assumpsimus.

Iam verò, quod neque fiat hac ratione iniuria aliqua ipsi *percipienti*; ex dictis item probari potest. Etenim hoc Sacramentum, tam est per se fructuosum & efficax in altera quàm in vtraque specie. Quod probo sic: Vis per se efficiēdi in Sacramentis, ex essentia specifica & veritate illorū, nō autem ex ratione indiuidua existit, vt in aliis etiam omnibus rebus. Sed verum & integrū Sacramentū Eucharistiæ, quoad essentiā, sumitur etiam in altera specie, vt expositū est. Ergo in altera etiam est, equè per se fructuosum & efficax.

Ex qua ratione sequitur *Primò*, nō modò conferri in altera specie tantam gratiam, quanta iuxta naturam huius Sacramenti est necessaria ad salutem, id quod extra controuersiam est apud Catholicos, & definitur in Concilio Trident. sess. 21. cap. 1. & 3. sed etiam simpliciter, quanta per se & *ex opere operato* potest cōferri in vtraque. Sicut plerique Theologi rectè sentiunt, vt Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 12. Caietanus hìc artic. 12. Alanus lib. 1. de Euchar. cap. 43. &c.

Secundò sequitur, ad huius assertionis defensionem minimè opus esse fundamento quodam falso Caietani hìc art. 12. qui existimat non ipsas species, sed Christum solum, qui æquè est in earū qualibet, esse in hoc Sacramento causam efficientem gratiam, quod meritò displicet Soto, & aliis, cùm ipsæ etiam species sint hic Sacramentum, ideoque instrumentaliter etiam conferant ad gratiæ productionem. Satis autem nobis est ad illam assertionem, quòd species ipsæ nō sunt per se efficaces ex opere operato, nisi vt subsiant significationi essentiali huius Sacramenti. Quæ significatio æquè est in specie qualibet, vt dictum est.

Tertiò sequitur, nullo fundamento niti, q̄ Lutherus lib. de captiuit. Babyl. & Philippus Melāchton in Apolog. Confess. Augustan. art. de abusibus, aiūt, debere præcepto diuino *ministros* Ecclesiæ *exhibere* vtramq; speciē fidelibus, vtramq; petētibus, etiam si fideles ipsi vtramq; percipere non tenerentur. Nam cùm in altera etiam ministretur æquè verū & æquè efficax Sacramētum, non possunt iure fideles vtramque flagitare.

Quartò ex dictis sequitur, ineptissimum esse argumētum Lutheri lib. de captiuit. Babyl. cum obiicit, si liceat alterā speciem Laicis detrahere, posse etiam illis partem Baptismi, & partē absolutionis in pœnitentia negari: *Cùm sit* (inquit) *vtrobique par ratio*.

Nos verò negamus, esse vtrobiq; parem rationem. Nam si Baptismo desit sua forma vel materia, ex quibus tanquā ex partibus constat, non erit verum Sacramentum. Neq; etiam erit verum Sacramentū, Pœnitentiæ, nisi constet ex vera absolutione tāquam ex forma. At Eucharistiæ Sacramentum nō modò in vtraq; simul specie, sed etiam in qualibet verā *essentiam* suā habet. Nam non solùm panis & vinum simul, sed etiam panis vel vinū est vera & essentialis materia huius Sacramenti; & similiter nō modò panis & vini cōsecratio, sed etiam cōsecratio panis vel vini, vera est eius forma. Cuius caussa est, quia non modò vtrumq; istorum, sed etiam quodlibet significat *eandem refectionem spiritualem* animi, vt D. Cyprianus suprà citatus, docet, in qua significatione posita est essentia huius Sacramēti, vt ante dictū est. Hinc ergo fit, vt posit Ecclesia negare Laicis alterā speciem Eucharistiæ, non aūt partem aliquam essentialem Baptismi, aut Pœnitentiæ.

Atq; eadem ratione refellitur alterum Lutheri argumentum, in assertione suorum articulorum art. 16. qui etiam obiicit, aliud Sacramentū percipere ministros Ecclesiæ, & aliud dare laicis, non vnum & idem. Respondemus enim, secundùm *essentiam* & veritatem specificam vnum & idem esse in altera specie, & in vtraq; licet nō secundùm rationem *indiuiduam*. Quemadmodum etiam neq; idem Sacramentum Baptismi secundùm rationem indiuiduam accipiūt diuersi homines, sed aliud & aliud.

Quintò ex dictis sequitur, Sacerdotes, qui vtramq; speciem sumunt, nō propterea plus gratiæ accipere ex opere quidem operato ipsius Sacramenti; quin immò, vt rectè præ cæteris notat Alanus lib. 1. de Euchar. cap. 43. vtraq; tunc species concurrit, vt vnum quoddā instrumentum diuinum, quod ad eundem effectum faciendum vsurpatur. Quamobrē species panis ante sumptā speciem vini, non operatur in Sacerdote: quoniā non sumitur tūc sine respectu ad vini speciē, qua demum cōpletur illud vnum Sacramentū, illiusq; vsus, quatenus tunc quidem secundùm rationem *indiuiduam* continetur vtraq; specie.

Per accidens autem nō est dubium, quin vsus vtriusq; speciei posit esse fructuosior, eo quòd potest maiorem deuotionem cōmouere in percipiente: vnde fiat, vt propter maiorem dispositionem consequatur ille vberiorem gratiam ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacramento. Quamuis enim Sacramenta exopere quidem operato certum gratiæ gradum conferant: tamen etiam conferunt eam nunc maiorem, nunc minorem vltra illum gradum, pro diſpoſitione percipientis.

Neque verò ex ea re ſequitur, iniuriam iis fieri quibus altera tantùm ſpecies adminiſtratur. Nam primùm, quæ *per accidens* ad gratiam conferre poſſunt, innumera ſunt, quorum proinde non tenetur Eccleſia habere rationem. Deinde, eſt nihilominus in cuiuſq; poteſtate, cum auxilio Dei, ſe ad tantam & maiorem etiam gratiam in vſu alterius tantùm ſpeciei præparare. Item ex alia parte præbetur laicis ſatis magna occaſio augendæ deuotionis in Communione alterius ſpeciei, per actum ſubmiſſionis atque obedientiæ in eiuſmodi re erga Eccleſiam. Nam ex hoc ipſo vſque adeò magnum deuotionis fructum nonnulli pij atq; Catholici quandoq; ſentiunt, vt etiamſi alioqui Sacerdotes ſint, libentiſsimè vtantur occaſione communicandi ſub altera, quâdo ipſis non conficientibus eius rei opportunitas ſuppetit.

Denique rationes, quæ mouent Eccleſiam, vt propter maiorem Dei gloriam, religionemque erga iſtud Sacramentũ (ſicut poſtea videbimus) altera tantùm ſpecies adminiſtretur, præponderare debent illi qualicunque detrimento laicorum; ſi quod propterea accipiant, quia non habeant ipſi illam occaſionem augẽdæ gratiæ, quæ exiſtit ex vſu vtriuſque ſpeciei.

Et certè hac ipſa ratione ſolidè defendi poteſt, nullam in ea re laicis iniuriam fieri, etiamſi alioqui ex opere operato plus gratiæ tribueretur per vtramque ſpeciem, quàm per alteram, modò tamen illi non fraudarentur gratia neceſſaria ad ſalutem. Deberet enim tunc etiam laicorum commodo maior gloria Dei præponderare, quam in hoc negotio ſapienter, vt videbimus §. vltimo, cogitat Eccleſia: Ac proinde ne tunc quidem iure poſſent conqueri laici. Non enim, ſi quis vſu alicuius rei priuatur, illico fit ei iniuria, ſed tunc tantùm quando ad id non ſuppetit iuſta ratio.

Quemadmodum igitur propter bonum alioqui commune, vel propter Sacramenti quandoque religionem, iuſtè quibuſdam interdicitur prorſus omnis vſus Euchariſtiæ (vel in pœnam, vel propter vomitum, &c.) ita etiam intelligere poſſumus, propter quaſdam alias rationes, quæ ad eandem Sacramenti religionem pertineant, iuſtè interdici laicis vſum quidem Calicis.

Hinc etiam fit, vt neque iniquo animo ferre debeant, quod non æquè clarè & expreſsè vſu alterius tantùm ſpeciei ſignificent ipſi atq; repræſentẽt mortem Domini. Nam & hoc incommodum, ſi vllum eſt, poſtponi debet maiori bono: & præterea accedit, quòd per Sacerdotem nihilominus id etiam faciunt; quippe qui totius Eccleſiæ nomine, & tanquam *omnium Legatus* (vt ait libro ſexto de Sacerdotio Chryſoſtomus) in vtraque ſpecie ſacrificium perficit, ad cõmemorandam expreſsè omnium loco mortẽ Dominicam. Et iam antè docuimus, per ſpeciem quamlibet fieri alioqui ſignificationem & commemorationem Chriſti mortis.

Porrò, quod iam diximus rationem religionis, quam in hoc ſpectat Eccleſia, præponderare debere, conſiderandum eſt etiam, vt neque ipſi Sacraméto ſecundùm ſe aliqua iniuria fieri putetur, propterea quod à laicis non ſumatur ſub vtraque ſpecie, id quod etiam ex aliis multis circumſtantiis antea declarauimus.

Non colligi præceptum Diuinum communionis ſub vtraque ex CHRISTI *exemplo.* §. 7.

ITEM probo, neque ex Chriſti *exemplo* colligi poſſe præceptum Communionis ſub vtraque. PRIMO, quia ſi Chriſti exemplum propriè, vt Chriſti exemplum eſt, imitari neceſſe ſit, multa alia, tum in aliis rerum generibus, tum etiam in ipſo Euchariſtiæ vſu, neceſſariò facienda erunt, quæ tamen ſine controuerſia conſtat non eſſe à Chriſto præcepta. Dedit enim ille Euchariſtiam iis, qui iam cœnati erant, & duodecim tantùm, & noctu, &c. quæ nihilominus circumſtantiæ minimè iam neceſſariæ putãtur, ne ab ipſis quidem Sectariis.

Vt enim in epiſt. 118. ad Ianuarium Auguſtinus docet, ſuis quibuſdam rationibus Chriſtus tunc mouebatur, vt hoc vel illo modo faceret; quæ cauſſæ nobis iam non perinde ſuppetunt. Et quod ad propoſitum noſtrum ſpectat, ideirco tunc ille dedit Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie, quoniam vtriuſq; vſum, tam ad Sacramentum, quàm ad ſacrificium perficiendum inſtituit, ac docere Apoſtolos voluit: licet non eo ipſo imperauerit omnibus fidelibus, vt ſuprà ſatis defenſum eſt.

SECVNDO idem probo, quoniam Chriſtus non modò vtramque, ſed etiam *alteram* ſpeciem tantùm aliquando dedit; nempe in Emaus diſcipulis, cùm Luc. vlt. *Cognouerunt illum in fractione panis.* Quem locum de Sacramento interpretatur D. Auguſtinus lib. 3. de conſ. Euangel. cap. 25. & epiſt. 59. ad Paulinum, quæſt. 8. & ſerm. 146. de temp. & Paulinus epiſt. ad Auguſtinum, quæ eſt epiſt. 58. inter epiſtolas Auguſtini. Et auctor Operis imperfecti in Matth. homil. 17. Et Theophylactus, & Beda, & Euthymius in caput illud 24. Luc. Quam interpretationem etiam loci circumſtantia confirmat, cùm planè eodem modo narret ibi Lucas, Chriſtum cum recumberet ex omnibus aliis cibis ſingulariter accepiſſe panẽ, & benedixiſſe, fregiſſe, porrexiſſe, ſicut Luc. 22. narrauerat factum ab eo fuiſſe in Cœna.

Ex quo patet, non de vulgari benedictione menſæ, quæ adhiberi ſolet omnibus cibis initio, ſermonẽ ibi eſſe: neq; etiam fractionem panis eo loco propriè fuiſſe opus ipſum diſcipulorũ, quo erga Chriſtum fuerunt munifici excipiendo illum hoſpitio, vt aliqui ſectarij perperam interpretati ſunt. Loquitur enim diuus Lucas planè de actione panis, quæ fuerit fractio ipſius Chriſti, dum menſæ accumberet.

Quamuis per accommodationem quandam non malè quidem ex ea hiſtoria doceri poteſt, quinam fructus conſequantur ex beneficentia in pauperes ſeu peregrinos, eò quod illi diſcipuli tum demum illuminati ſunt, cum Chriſtũ hoſpitio & epulo exceperunt. Vt etiam diuus Gregorius homilia vigeſima tertia in Euangel. hunc ipſum locum tractãs annotauit. Cæterùm eſt nihilominus per fractionem & porrectionẽ panis eo loco Euchariſtiæ vſus propriè intelligendus, vt diximus. Neque nobis in hac interpretatione magnopere iam Kemnitius aut alij Sectarij repugnant.

Verùm reſpondent, per Synecdochen debere nihilominus ibi intelligi alterã ſpeciem, quamuis Lucas illam non expreſſerit. SED hoc refellitur primò, Nam in Actis etiam loquẽs ſæpe Lucas de Communione Euchariſtiæ ſimiliter eam vocat tantùm fractionem panis, vt ſtatim videbimus. Non eſt autem probabile aut conſentaneum ſoliditati & veritati hiſtoriæ, toties illum eodem modo vti illa Synecdoche.

Secũdò quoniam illico ſubiungit, Chriſtum *euaniſſe ab oculis* diſcipulorum poſteaquã porrexit panem. Neque eſt fingendum ab eo fuiſſe prius porrectum vinum conſecratũ contra ordinem quem in Cœna ipſa ſeruauerat. Neque certè, ſi vinum etiam porrexiſſet, id factum taceret ibi D. Lucas; ſicut non tacuit deſcribens cœnam.

Tertiò accedit quod Chriſtus, vt ex Luca colligi poteſt, ad eum finem accubuit menſæ cum illis diſcipulis, vt eo argumento poſſent clarè cognoſcere ac ſibi perſuadere ipſum viuere, atque adeò à mortuis reſurrexiſſe. At hunc finem conſilij ſui Chriſtus conſecutus eſt, ſtatim atque porrexit illis panem. Ergo nõ eſt cur debeamus exiſtimare, cum vlteriùs proceſsiſſe ad conſecrãdum & porrigendum illis vinum. Id patet ex ipſa ſerie narrationis, Lucæ vigeſimo quarto: *Inuauit, inquit, cum illis; & factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis; & aperti ſunt oculi eorum & cognouerunt eum, & ipſe euanuit ex oculis eorum.* Quis non ſtatim ex hoc narrationis contextu clariſsimè intelligit, Chriſtum, poſtquam porrexit illis diſcipulis panem, nihil præterea tunc apud eos egiſſe?

Sed obiicit Kemnitius, ſi in narratione illa Lucæ non admittamus ſynecdochen, ſimiliter ex eo loco probari poſſe, quòd liceat panẽ abſq; vino conſecrare. Nam neq; illud à Chriſto conſecratum fuiſſe narrat Lucas. Verùm ad hãc cauillationem ita reſpondeo: Fateor ne vinum tũc quidem à Chriſto conſecratum fuiſſe, vt iam antea diximus: potuit ſiquidem ipſe excellenti ſua poteſtate facere quod vellet circa Sacramenta. Hinc autem non ſequitur, quòd abſolutè liceat etiam nobis panem ſine vino conſecrare. Sed tãtum ſequitur non eſſe hoc illicitum, ſi ad ſolum exemplum Chriſti reſpiciamus. Nam neque nos exemplum Chriſti, qui non porrexit tunc ſpeciem vini, ideo vrgemus, vt ex eo ſolo concludamus communionem alterius tantum ſpeciei eſſe ex omni parte licitam. Id enim ex aliis ſimul Capitibus, quæ initio huius Controuerſiæ diſcutienda propoſuimus, tandem concludimus. Sed vtimur hac Lucæ hiſtoria, vt ex ea comprobemus, eſſe licitam communionem alterius tãtum ſpeciei, ſi ad ſolum Chriſti exemplum, quatenus Chriſti exemplum eſt, reſpiciamus: atque adeò exemplum Chriſti, qui in cœna vtramque dederit, non eſſe pro neceſsitate vtriuſque ſpeciei vrgendum, quatenus Chriſti exemplum eſt, cum habeamus etiam ipſius exemplum de diſtribuenda altera tantum ſpecie.

Ita fit, vt neque ex Chriſti exemplo, qui tunc etiam non conſecrauit ſpeciem vini, concludi poſſit abſolutè & ſimpliciter, licitum eſſe conſecrare ſolam ſpeciem panis (quemadmodum Kemnitius cauillatur) ſed tantum inde poteſt ſimiliter colligi, exemplum Chriſti, qui in cœna vtrumque conſecrauerit, non eſſe pro neceſsitate conſecrationis vtriuſque ſpeciei, propriè vrgendum, quatenus eſt præcisè Chriſti exemplũ: Cùm etiam exſtet exemplum eiuſdem, vbi non item vinum conſecrauit.

Neque verò nos exemplo Chriſti, ſed aliis rationibus obligationem conſecrandi vtramque ſpeciem ſuprà §. 6. probauimus, nempe ex natura huius Sacramenti & Sacrificij. Quamuis nec deſint Theologi graues, qui putent nõ ita iſtud præceptum conſecrandi vtramq; obligare, quin in aliquo caſu ſpeciali propter circumſtantias, liceat conſecrare alteram tantum. Ita enim ſentit Adrianus in quarto libro ſententiarum, in materia de Euchariſtia, quæſtione de impedimento cibi & potus. Lege etiam Claudium de Sainctes repetitione decima, capite tertio, vt alios prætereã. Sed hac de re (de qua infrà quæſtione decima, puncto quarto) nunc non ago. Tantum diſputo, non poſſe ex ſolo Chriſti exemplo colligi diuinum præceptum aut percipiendi, aut etiam conſecrandi ſpeciem vtramque.

Neque ex antiqua Eccleſiæ praxi poſſe colligi diuinum præceptum de communione ſub vtraque. §. 8.

NVNC ſequitur vt probemus, neque ex antiqua Eccleſiæ praxi colligi poſſe diuinum præceptũ communionis ſub vtraque. Id autem duplici modo demonſtramus. PRIMO, quia non ideo aliquid eſt iuris diuini, quia olim illud Ec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

clesia vsurpauerit. Nam, vt alias antiquas cõsuetudines præteream, & in hac ipsa materia exemplum ponam, exhibuit olim Ecclesia Eucharistiam infantibus, vt ex diuo Dionysio, capite septimo Eccles. Hierarch. parte tertia, & ex diuo Cypriano in sermone de lapsis patet. Et tamen ipsi Sectarij agnoscunt, hoc nõ esse necessarium ex præcepto diuino. SECVNDO, quoniam vt minimè negamus fuisse olim in vsu communionẽ etiam sub vtraque; ita multis modis compertũ habemus, communionem quoque alterius speciei vsurpatam in antiqua Ecclesia fuisse. Quod his argumentis colligimus.

PRIMO, Actor. 2. ita legimus: *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorũ & communicatione fractionis panis & orationibus.* Vbi loquitur diuus Lucas de recèns conuersis, & baptizatis, quorũ mos fuit, statim vti Eucharistia. Dicit etiam *communicationem fractionis panis*, qua phrasi Paulus Lucæ præceptor Eucharistię vsum significare solitus est, vt patet 1. Corinth. 10. Agit item de *perseuerantia* in re maximè pertinente ad cultum, in qua idcirco perseuerantiam laudat. Denique orationes ibi Lucas significauit verbo Græco προσευχαῖς, quo diuus Augustinus epistola quinquagesima nona ad Paulinum affirmat, à diuo Paulo 1. Timoth. 2. etiam significari eas preces quæ fieri solerent inter distribuendum Eucharistiam. Iam ex his omnibus loci circumstantiis planè intelligitur, diuum Lucam eo loco per *panis fractionem* significare vsum Sacramenti in specie panis, quod sentit etiã diuus Chrysostomus homilia vigesima septima in 1. Corinth. Idque concedunt etiam nonnulli Sectarij, vt Caluinus libro quarto Institut. capite decimo septimo, sect. 35. & Kemnitius in exam. Concilij Tridentini, sess. 21.

Respondent autem, intelligendam ibi esse synecdochen, id est, per partem alteram significari à diuo Luca vsum vtriusque speciei. SED hoc nihil aliud est, quàm euertere sine caussa proprietatem historiæ. Neque enim (vt Augustinus libro tertio de doctrin. Christian. capite decimo & sequentibus) figuræ in interpretatione Scripturæ admittendæ sunt, si planus alioqui sensus conuenit cum vsu ipso Ecclesiæ, neque aliunde cogit aliqua ratio recurrere ad figurã, sicut hic planè nullam cogere, quæ ex institutione, vel ex verbis Christi, &c. ducatur, satis hactenus monstratum est.

Accedit quod plerique ex illo numero erant conuersi ad fidem ex Iudaismo, qui alioqui propter legis consuetudinem abhorrebãt à sanguine, vel certè non erant consueti bibere etiam vinum in sacrificiis. Item non pauci illorum erant Nazaræi, vt colligere licet ex Actis, capite decimo octauo, & vigesimo primo, qui voto tenebãtur abstinere à vino. Ex quibus etiam circumstantiis probabilius fit, speciem quidem vini in illo Ecclesiæ Hierosolymitanæ primordio, non fuisse administratam: quemadmodum planè significat, vt dictum est, ipsa historia. Condescendum. n. erat in ea re consuetudini priori abstinendi à sanguine, & à vino in Sacrificiis, vt ea ratione tolleretur scandalum pusillorũ. Quemadmodũ ex contrario etiam, conuersis ex Gentibus vtraq; species administrabatur, vt de Corinthiis constat, 1. Corinth. 10. ne, qui assueti erãt vti calice dæmoniorum, minus sibi de sacris Christianis participare viderentur.

Porro huc etiam pertinet locus ille Actor. 20. *Vna autem sabbathi, cum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, protraxitque sermonem, &c.* Quod similiter de fractione panis in vsu Eucharistiæ intelligit diuus Augustinus in epistola octuagesima sexta ad Casulanũ. Quin etiam eodem modo interpretatur Auctor operis imperfecti, homilia decima septima in Matthæum, locum Actorum vigesimo septimo, vbi legimus: Paulum in naui *sumpsisse panem, & cùm fregisset, gratias egisse in conspectu omnium Deo, & cùm fregisset, cœpisse manducare.* Quanquam hunc quidem locum non valde vrgeo, sicut neque illud quod Actorum secũdo, dicitur recens conuersos, *quotidie frangentes circa domos panes, sumpsisse cibum cum exultatione & simplicitate cordis.* Satis ad nostrum institutum est. Quod alia saltem duo testimonia Actorum secundo & vigesimo, de Sacramenti vsu in specie panis intelligantur, vt ex locorum circumstantia probant Patres citati.

Neque hìc valet, quod obiiciunt Sectarij, nisi per synecdochen in his locis significatus sit etiã vsus calicis, consequens esse, vt species tantùm panis fuerit etiam tunc consecrata.

Hoc minimè sequitur. Etenim de consecratione vnius vel vtriusque speciei, nihil in eiusmodi locis vel per synecdochen, vel sine synecdoche narrat diuus Lucas, sed tantùm significat vsum & dispensationem alterius speciei, idque absque vlla synecdoche. Aliunde autem, nempe ex lege Christi ordinaria, licet non ex illa quidem Lucæ historia (quod facilè concedimus) nobis constat, illam ipsam speciem panis, quæ sola tunc frangebatur & dispensabatur, non fuisse solam consecratam: sed vnà cum altera, eo quod id exigit natura istius Sacramenti, vt suprà §. 6. vidimus.

Quanquam rectè ex eiusmodi Lucæ historia colligi potest, in maiore quantitate fuisse tunc solitam consecrari speciem panis, quàm speciem vini: quod iure ac meritò fieri debuit, vt in illa præsertim Sacerdotum paucitate, & deuotione ac necessitate fidelium, haberetur semper in promptu Eucharistia consecrata, in ea specie, quæ sine periculo corruptionis commodè posset ad quotidianum vsum reseruari.

SECVNDO. Post tempora etiam Apostolorũ communionẽ alterius speciei fuisse in vsu, constat inprimis ex aliquot historiis. Nam sanctus Ambro-

Ambrosius, *statim atque escam corporis Domini*, (apud Paulinum in eius vita) de manu Honorati Sacerdotis Ecclesiæ Vercellensis *accepit, emisit spiritum.*

Item D. Basilius apud Amphilochium in eius vita, diuidens *panem Sacrum in tres partes, vnã sumpsit, alteram imposuit columnæ aureæ super altare*, & postea etiam moriturus *tertiam partem sumpsit, & reddidit spiritum Domino.*

Item *veteri more Ecclesiæ Constantinopolitanæ particulas corporis Christi relictas pueri impuberes manducabant.* vt narrat Euagrius lib. 4. historiæ, capite 35. *Panis* consecratus edi solebat *ante alios cibos*, vt apparet ex Tertulliano libro secundo ad vxorem.

Item id colligimus hac ratione, quod Eucharistia olim ad communicandi vsum, extra ipsius etiam sacrificij tempus diu reseruari solita est; neque est vllo modo probabile, illam in specie etiam vini, quæ facilè corrumpitur, conseruatam diu fuisse.

Id patet *primò*, quoniam seruabatur in Ecclesia semper ad communionem ægrotorũ & morientium, vt apparet ex Concilio Niceno can. 12. & 14. Item ex Eusebio libro 6. hist. capite 35. & ex Gregorio Nazianzeno, in oratione de Gorgonia sorore. & ex Beda lib. 4. hist. Anglicanæ, capite 24. & ex Amphilochio in vita Basilij, & ex Gratiano de consecrat. d. 2. can. *peruenit*, & can. *presbyter.*

Secundò. In more etiam positum fuit, vt priuati deferrent secum Eucharistiam domum, vbi seruabãt, vt pro oportunitate & necessitate priuati ipsi communicarent. Cuius consuetudinis testes sunt Tertullianus lib. 2. ad vxorem, & lib. de orat. & libro de corona militis. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatũ. Cyprianus serm. de lapsis & libro de spectaculis. Basilius in epist. ad Cæsariam patriciam. Hieronymus in Apol. ad Pammachiũ, pro lib. suis contra Iouinian. circa medium, Augustinus serm. 252. de tempore. Cuius etiam ætate ea res fuit in more, immò etiam ætate Bedæ, vt licet colligere ex illius historia Anglicana lib. 4. cap. 24. Nec mentionem hi faciunt, nisi speciei panis, quam vocãt *corpus Christi*. Et Augustinus sanè dicit, in *linteolo mundo*, fuisse solitas mulieres Eucharistiã sumere. Quod de sola specie panis oportet intelligi. Atque hic mos secum asportãdi Eucharistiam & priuatim sumendi potissimum obtinuit apud Eremitas, quibus id facilius concedebatur, ne subinde cogerentur communicandi caussa ad remotas vrbes adire, vt colligitur præsertim ex Basilio.

Tertiò. Dum non consumebant Eucharistiam, ea etiam ad tutelam vtebantur: quod ipsum argumento est, solitam ab iis diu reseruari. Quò pertinet historia Ambrosij, in oratione de excessu fratris Satyri. Qui in naufragio *Sacrarium* genus sacri indumenti, quo Sacerdotes in orando & sacrificando vtebantur, vt notant Sipõtinus in commẽt. de lingua latina pag. 642. & Durandus de diuinis officiis lib. 3. cap. 9. qui ait, esse quiddam simile *superhumerali*, & Onuphrius Panuinus lib. de interpret. vocabul. Eccles. qui dicit, fuisse *stolam.* Item huc etiam spectat historia Bedæ in Martyrologio, die 15. Augusti, vbi commemorat Tharsitium Martyrem ita secum deportasse Eucharistiam, vt reperire illam in eius vestibus Ethnici nõ potuerint. Nec tamẽ diffiteor, quin tandẽ hæc consuetudo priuatim asportandi & seruãdi Eucharistiam, propter multos abusus, alioqui sacrilegos, prohibita fuerit, vt patet ex Concilio Tolet. I. can. 14. & Cæsaraugustano, can. 3. Sed tamen non fuit idcirco prohibita, quoniam vsurparetur illa ratione tantum altera species.

Quartò. Fuit & illa consuetudo Græcorum, vt non nisi die sabbathi & Dominico Eucharistia consecraretur, aliis autem diebus quinque vterentur fideles *præsanctificatis*, id est, his speciebus, quæ Dominico die, & sabbathi consecratæ fuissent, vt patet ex Concilio Laodicensi can. 49. & ex 6. Synodo can. 52. in Trullo. Neque est probabile, ad quintum vsq; diem fuisse seruatam speciem etiam vini consecratam.

Quintò. In Ecclesia Hierosolymitana, si quid supesset Eucharistiæ reseruabatur in pyxide ad communionem peregrinorum, teste Leone IX. in epist. ad Michaëlem Imperatorem.

Sextò. Ex Apostolica traditione obtinuit in Ecclesia mos, vt in ipso die Parasceues, aut etiam sabbathi Sancti (nisi quatenus eo die celebratur iam Missa de resurrectione) *præsanctificata* Eucharistia vsurpetur, neque consecretur eo die, teste Innocentio I. in epist. ad Decentium Eugubinum Episcopũ, capite quarto, cuius etiam instituti meminit Rabanus libro secundo de Institutione Clericorũ, capite trigesimo septimo. Atque hoc quidem factum iam olim esse in sola specie panis, testatur hodierna etiam Ecclesiæ consuetudo, de cuius initio minimè constat. Nam ipso die Parasceues neque consecratur vinum, neque pridie consecratum & reseruatum sumitur, sed solùm hostia cum ablutione, cuius institutionis rationem reddit optimè Thomas VValdensis tomo secundo de Sacrament. capite 88. & 89.

Septimò. Episcopis, cùm Romam religionis caussa venirent, obuiam mittebatur Eucharistia in communionis & pacis symbolum; vt apparet ex Epistola Irenæi ad Victorem Romanum Pontificem apud Eusebium libro quinto hist. capite vigesimo quarto, vnde colligitur, illã fuisse semper in promptu, atque adeò in specie sola panis, maximè cùm non ita commodè & reuerenter in specie vini transmitti longius potuerit.

Neq; tamen negamus, quin aliquando etiam species vini fuerit reseruata ad breue tẽpus, vel

etiam

etiam ad aliquem absentem propinquum trãsmissa, vt colligitur ex Hieronymo in epistola ad Rusticum Monachum, sub finem, & ex Chrysostomo epist. 1. ad Innocentium, & ex Iustino Apolog. 2. sub finem. Sed hoc asserimus, diu & ordinariè non nisi in specie panis Eucharistiam fuisse conseruatam.

TERTIO, fuisse olim vsurpatam quandoq; alteram tantum speciem, colligimus ex vsu communicandi in specie panis madefacta vel intincta, aut communi vino, aut consecrato, vt facilius ab ægrotis sumeretur, non obstante oris ariditate. Quo pacto puellæ Energumenæ, quæ per dies octoginta duos dæmone prohibente, nihil deglutiuerat, Eucharistiam intinctam administratam fuisse in Ecclesia Carthaginẽsi narrat B. Prosper lib. de prædict. & promiss. Dei, parte 4. cap. 6. Siue autem intincta fuerit vino consecrato, siue communi, nihil hoc interest, cum vtroq; modo constet non sumi speciem alteram per modum *potus*, quem Sectarij vrgent.

QVARTO, decretum atque etiam vsu receptũ fuit olim, vt *sola species vini* daretur iis ægrotis, qui deglutire alioquin nullo modo possent panis speciem. Ita decernitur in Concilio Carthaginensi IV. capite 76. vbi statuitur, vt si is, qui Sacramentum Pœnitentiæ petiuisset, postea mentem amitteret, *infunderetur eius ori Eucharistia*. Atque eadem consuetudo colligi potest ex Concilio Toletano XI. cap. 11.

Hinc Serapioni morienti Sacerdos, qui & ipse ægrotabat, per puerũ transmittit parum Eucharistiæ, vt *infusum præberet, & ori eius instillaret*, sicut narrat Eusebius lib. 6. histor. cap. vlt. Etsi nõ desint, qui putent posse id intelligi de particula Eucharistiæ madefacta. Cæterùm magis videtur consentaneum historiæ, vt de sola vini specie id intelligamus, quandoquidem *infundendum*, & *instillandum* fuit ori ægroti, quidquid illud erat Eucharistiæ. Itẽ ex Cypriano serm. de lapsis colligi potest, fuisse aliquando administratum puellæ sanguinem solum in Ecclesia ipso præsente.

QVINTO fuit etiam in multis Ecclesiis consuetudo, vt infantibus communio daretur, sicut ex Cypriano loco iam citato, & ex D. Dionysio, cap. 7. de Eccl. Hier. p. 3. apparet; neq; credibile est, Eucharistiam illis nisi in specie vini datã esse.

SEXTO, fit nonnunquam apud veteres mentio communionis *Laicæ*, ad quam solam admittebantur interdum Clerici, in pœnam quorundum criminum, vt videre est in Concilio Elibertino, cap. 76. & Sardicensi, cap. 1. & Agathensi, capite 33. & apud Cyprianum lib. 4. epist. 2.

Neq; est satis probabile, communionẽ illam Laicam fuisse positam in *modo tantum* percipiendi Eucharistiam: vt Laica communio diceretur, cùm non ipse Clericus communicans eam propria manu acciperet, sed aliquo alio illam administrante, in vtraque tamen specie, & non inter Clericos, sed inter Laicos.

Apparet enim ex locis citatis, huiusmodi Clericos solitos fuisse puniri ipso etiam *genere* communionis; ita scilicet vt altera tãtum species (sicut quandoq; Laicis) ipsis administraretur: altera autem (atq; adeò ipso ministerio conficiẽdi Eucharistiam in vtraq;) priuarentur in pœnam.

Nam in Concilio illo Elibertino imponitur etiam Diacono eiusmodi pœna; qui tamen non poterat alioqui conficere, neq; etiam præsente Episcopo vel Sacerdote accipere ipse Eucharistiam, sed oportebat eum de manu illorum accipere, vt sub idem tempus fuit decretũ in Concilio Nicæno I. can. 14.

SEPTIMO, fit etiam à veteribus mentio communionis *peregrinæ*, qualis videlicet in locis religiosis semper erat parata pro aduẽtãtibus quouis tempore peregrinis, vt ex Leone IX. in epist. ad Michaëlem Imperatorem. & ex Hieronymo in libro de septem ordinibus tomo 2. vel 9. intelligi potest. Atq; huiusmodi etiam communio peregrina in pœnã decernebatur Clericis propter furtum & alia crimina, vt patet ex Concilio Agathensi, can. 1. & 4. Ex quibus licet conijcere, communionem hanc fuisse in altera tãtum specie. Nam neq; species etiam vini seruari diu poterat, vt esset parata semper pro peregrinis, neq; habuisset ea communio vsq; adeò insignem pœnã notam, si in vtraq; specie iis Clericis, qui graue quid deliquissent, dabatur.

OCTAVO, non est credibile, eos qui *olim* naturâ essent abstemij, aut vinum ob aliam causam ferre non possent, semper fuisse ab Eucharistiæ vsu omnino prohibitos.

NONO, accedit, q̃ vix intelligi potest, quemadmodum calix etiam tũc administrarerur populo, cùm & maximo numero ad communionem conueniebatur, neque erat in vna vrbe, nisi vna Basilica, neq; plus quàm vnum Sacrum fiebat, vt sæpè sine dubio in illis initiis vsu venit.

Nam quod in alio maiore vase, quàm in mediocri calice, aut in pluribus calicibus eodem tempore, aut sæpius quàm semel in vno Sacro, seu synaxi, consecratus aliquãdo fuerit sanguis, inauditum in Ecclesia est, neque res fuisset consentanea Christi institutioni.

Itaque cum quidam aliquando plures simul calices consecrarent, hoc reprehendit Gregorius III. in epist. ad Bonifacium, tomo 2. Concilior. tanquam alienũ ab institutione Christi. Et videmus antiquissimos calices, qui supersunt nunc, esse sanè exiguos. Quin etiam Damasus in vita Sylvestri, memoriæ prodidit, Constantinũ Ecclesiæ dedisse dono calices aureos & argenteos, quorum singuli essent ponderis vnius tantum libræ. Quomodo igitur tunc vnus eiusmodi calix in ampliſsima vrbe, & in vnico Sacro, & in maxima communicantium frequẽtia omnibus sufficiebat?

Nam

Nam quod dicũt aliqui Sectarij, post exhaustum semel vinum consecratũ, deinde aliud eidem calici fuisse infusum, quod sine noua verborum consecratione Eucharistia fieret, eo ipso quod ad vsum fidelium in eadem cœna siue synaxi destinaretur; Id verò contra institutionis præceptum est. Christus enim non nisi illum panem, & illud vinum porrexit, quod ipse peculiaribus verbis in præsentia consecrauerat. Atque hoc ipsum Apostolos, eorumque successores similiter iussit deinde facere, nempe vt panem & calicem verbis itidem consecrarent. Neque verò Sacramentum legitimum fieri potest, nisi *accedat verbum ad elementum*, iuxta vulgatum Augustini testimonium Tract. 80. in Ioan. ab ipsis etiam Sectariis receptum.

Porrò quæ hactenus commemorauimus, satis ostendunt, *alterius* speciei vsum habitum olim fuisse pro licito, quamuis neque semper, neque ab omnibus, neque semper in publico, sed plerumq; priuatim altera tantùm species vsurpata fuerit: Non enim iã disputamus, quid semper, & vbique Ecclesia vsurpauerit, sed quid aliquando saltem, & ab aliquibus, & interdũ etiam in publicis Ecclesiis, vt ostensum est, vsurpatum fuerit sine vlla reprehensione in Ecclesia. Inde enim consequitur, sententiã Ecclesiæ, non fuisse vsum vtriusq; speciei omnibus & singulis diuinitùs præceptum, ita vt nisi in vtraq; communicare nemini liceat, quẽadmodum Sectarij contendunt.

Quòd si per Christum licuit, priuatim, & aliquando, & nonnunquam etiam in publico templo, communicare sub altera specie; certè etiam licuit id facere semper, & omnibus illo tempore, si ita Ecclesia tunc disposuisset. Christus enim instituens Eucharistiam nihilomagis aliq̃d præscripsit de eo quod esset faciẽdum ab omnibus, vel in loco publico, vel semper, quã de eo quod faciendum erat priuatim & ab aliquibus & aliquando. Sed absolutè Sacramentum ipsum instituit, & generatim de ipso locutus est.

Alioqui verò minimè negamus, quin vtraq; species frequentissimè olim etiam administrata fuerit, vt apparet ex Paulo 1. Cor. 10. & ex Cypriano lib. 1. epist. 2. & ex Athanasio Apolog. 2. in 3. cap. Sophoniæ, & ex Leone serm. 4. de ieiunio quadragesimæ, & ex historia tripartita lib. 9. ca. 30. & ex D. Gregorio homil. 22. in Euang. & passim ex aliis veterum testimoniis, de quibus paulò pòst. Item ex D. Thoma hîc artic. 12. qui etiam suo tempore in aliquibus Ecclesiæ administratum calicem fuisse, significat.

Sed cum in praxi fuerit etiã vsus alterius tantum speciei: rectè concludimus, ex praxi Ecclesiæ, non posse magis de vtraque quam de altera colligi diuinum præceptũ. Adde quòd cùm Ecclesia quædam vsurpet, quæ citra diuinum præceptum ipsa instituit & sanxit ad ædificationem fidelium; etiãsi tota Ecclesia, & semper, illis primis temporibus vsurpasset communionẽ vtriusque speciei, minimè liceret ex ea cõmuni praxi colligere diuinum ea de re præceptum.

Neq; ex Traditione aut testimoniis veterum colligi posse diuinum præceptum de Communione sub vtraque. §. 9.

IAM verò, neque ex traditione Ecclesiastica & testimonio antiquitatis conuinci posse eiusmodi præceptum, ea ratione probo, quòd cum plurimas Kemnitius & alij Sectarij cõquisierint sententias Patrũ pro communione sub vtraque, nulla omnino ex illis omnibus est, quæ vel vsum vtriusq; speciei omnibus & singulis iure diuino necessarium esse affirmet, vel vsum alterius hoc ipso propriè & per se damnet, quod fuerit *vnius tantum* speciei vsus, & nõ etiam vtriusque. Quod vt commodius à nobis defendi possit, quædam capita explicationũ, siue obseruationum in scriptis Patrum annotãda hic erunt, ad quorũ aliquod pertinet quidquid est eiusmodi testimoniorum.

PRIMA obseruatio. Quarundam sententiarũ ea tantũ vis est, vsum calicis omnibus per Christi quidem legem *licitum* esse, hoc est, nemini fuisse à Christo prohibitũ: cùm contra in lege veteri diuinitùs populo interdiceretur vsus quarundam rerum in Sacrificiis, quibus tantum Sacerdotibus participare licebat.

Huc pertinet illud quod à D. CHRYSOSTOMO homil. 18. in 2. epist. ad Corint. tum cùm calix erat in communi vsu, scriptũ est: *Est*, inquit, *vbi nihil differt Sacerdos à subdito, vt quando fruendũ est mysteriis. Similiter enim omnes, vt illa participemus, digni habemur: non sicut tempore veteris testamenti, quædam Sacerdos, quædam populus comedebat, nec fas erat populum participare illis, quorum Sacerdos particeps erat. Sed nunc omnibus vnum corpus proponitur et vnum poculum.*

In eandem sententiam loquitur IGNATIVS in epist. ad Philadelph. cum dicit: *vnum esse calicem totius Ecclesiæ.* Et THEOPHYLACTVS in cap. 11. 1. Cor. cùm ait: *ex æquo traditum esse cunctis*, quia tunc nimirũ, Christo nulli prohibente, & Ecclesia ita expedire iudicante, omnibus rectè administrabatur calix.

SECVNDA obseruatio. Cùm Ecclesia in genere præceptum etiam habeat bibendi sanguinem, sicut suprà §. 4. exposuimus, rectè etiam dici potest, absolutè in nouo quidem testamento *præcipi* sanguinis potum, qui tamen in lege veteri prohibebatur.

Quo pacto loquitur CYPRIANVS in sermone de cœna Domini, vbi ita dicit: *Lex prohibet esum sanguinis; Euangelium præcipit vt bibatur.* Cùm autem ibi etiam insinuat, omnes Christianos ex præcepto & traditione Christi, Ioan. 6. debere *comedere illius carnem, & bibere sanguinem*, ipse euidentissimè declarat, quis sit ille modus sumendi in Sacramento carnem & sanguinem, quem

sub

sub vocabulo *comedendi & bibendi*, necessarium omnibus esse significat. Nempe hunc modum esse dicit, vt spiritualiter & fructuosè, tum caro, tum sanguis in Sacramento sumatur, hoc est, ita vt per Sacramenti vsum Christo vniamur & *incorporemur*, id quod fieri potest sumẽdo carnem & sanguinem Christi, siue sub vtraque, siue sub altera tantùm specie, vt suprà declarauimus. Atque ideo ibi Cyprianus subiungit, eum actum comedendi & bibendi, *ad vnam & eandem rationem pertinere*, vt scilicet, *vita spiritus nutriatur*.

Debet item ad generale hoc præceptum Ecclesiæ datum referri illud, quod Nicephorus libro primo hist. capite vigesimo octauo, recitata Christi institutione dicit fidelibus similiter traditum esse id faciẽdum, quod Christus instituit. Quem locum nisi ita intelligimus, sequeretur alioqui, omnes & singulos fideles debere etiam, secundùm Nicephori sententiam, *conficere & administrare* Eucharistiam.

Tertia obseruatio. Quando vsus fuit calicis, rectè quoque dici potuit, omnibus illum debuisse esse communem; non quia omnibus ex Christi præcepto necessariò administrandus fuerit, sed quia ad eam rationem communicandi, quam Ecclesia vnoquoque tempore rectè & licitè vsurpat secũdùm institutionem Christi, nemo alioqui dignus excludi debet.

Huc pertinet quod Hieronymus 1. Corint. 11. vel quisquis ille auctor fuerit, inquit: *Cœnam Domini* ab Apostolo ibi explicatam, *omnibus debere esse communem, cùm ille omnibus discipulis suis, qui aderant, æqualiter tradiderit Sacramẽta*, id est, neminem excluserit ab illa communione, quam tunc dispensauit. Agit enim ibi Hieronymus, vel ille auctor, contra prauam consuetudinem Corinthiorum, qui quosdam ab vsitata communione excludebant, eo quòd non attulissent ipsi secum panem & vinum, vt consecraretur.

Quarta obseruatio. Ob eandem causſam, cùm esset in communi vsu calix, rectè dici potuit, omnes habere ad illud ius quoddam. Ita illud Cyprianiintelligi debet lib. 1. epist. 2. *Quomodo*, inquit, *ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus?*

Ita etiam illo tempore, quo vtraque species ex more Ecclesiastico vsurpãda erat, dici potuit; non nisi vtraq; iure ac rectè communicari. Necesse enim est secũdùm Ecclesiæ morem vnumquemque communicare, exceptis iis casibus, in quibus aliud ipsa Ecclesia permittat, sicut sæpè etiam olim permisit vsum alterius speciei.

Quare quo tempore Ecclesia voluit vtriusq; speciei vsu separatim significari redemptionem atque salutem tum animi, tum corporis (significatione nimirum quadam clariori) tum quidem rectè dici potuit, non nisi vtrâque specie *iure atque bene* communicari, sicut planè in hanc ipsam sententiam loquitur Paschasius libro de corpore & sanguine Domini, cap. 18.

Quinta obseruatio. Quoniam minister Eucharistiæ non in sua, sed in Christi persona Eucharistiam siue in vtraque, siue in altera specie administrat; Idcirco quando calix etiam in vsu fuit, ipse Christus dici poterat calicem tum præbere populo, ipsisque fidelibus, quasi dicere: *Bibite ex hoc omnes*, sicut dixit olim Apostolis tradens eis calicem. Non quasi fidelibus tunc præciperet ipse vsum calicis, sed quia ipse tunc quidem per ministrum daret calicem.

Hoc sensu, Paschasius libro citato de corpore & sanguine Domini, cap. 18. sic scriptũ reliquit: *Christus est*, inquit, *qui frangit hunc panem, & per manum ministrorum distribuit credentibus; similiter & calicem porrigit eis, dicens: Accipite, & bibite ex hoc omnes, tam ministri quàm reliqui credentes.* Vbi ad Christum, quo tempore quidem per ministros dè accommodat Paschasius verba illa eiusdem Christi, cùm discipulis daret calicem, inquiens: *Bibite ex hoc omnes.*

Eodemque illa oratio Sacerdotis in Liturgia Chrysostomi, & Basilij pertinet. *Dignare Domine dare nobis corpus & sanguinem tuũ, & per nos populo.*

Item illud Damasceni libro quarto fidei, capite decimo quarto, cùm inquit: *Christum instituisse nouum testamentum discipulis, & per eos aliis credentibus*, vt scilicet discipuli administrarent populo illud nouum testamentum siue in vtraque siue in altera specie; neq; aliis, præterquam ministris, administrare illud liceret. In quam sententiam Catholici quoque hodie in hymno canunt: *Cuius officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit, vt sumant & dent cæteris.*

Sexta obseruatio. Cùm necesse sit ex præcepto Christi Sacramentum non nisi in ea materia consecrari & administrari, quam Christus instituit; consequẽs est, vt quo tempore calix etiam administratur, necessariò fuerit in specie vini, non autem in sola aqua, administrandus. Quod minimè idem est, atq; absolutè debuisse vnquà ex præcepto Christi calicé populo administrari: sed est, debere illum tali modo, id est adhibito vino ministrari, quãdocunq; & quibuscunq; calix administretur.

Atque huc pertinet disputatio Cypriani lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium, cùm aduersus Aquarios, pro principio & velut axiomate sumit, in calice offerendo, & ministrando, *id necessariò faciendum esse, quod Christus fecit & præcepit*, neque liquid huic contrarium, sicut faciebant perperam Aquarij solam aquam in calice adhibentes.

Cùm autem aduersarij nostri volunt hanc disputationẽ Cypriani ad huius controuersiæ instítutum accommodare, quasi ex illo axiomate Cypriani sequatur etiã omnibus & singulis calicem esse administrandum, peruntprincipium; vt qui supponũt ex sententia Cypriani, aut etiã reuera, tam esse contra præceptum Christi institutionis prætermittere administrationem calicis, quàm illum consecrare & offerre & administrare in aqua sola, vt faciebant illi Aquarij. Hoc autem illud est, quod istis incumbit probãdum, neque vnquam probare possunt, vt satis à nobis anteà defensum est.

Septima obseruatio. Quia Sacramentũ hoc æquè est efficax in specie vini; atq; in specie panis, ideo etiam quando *calix* in vsu fuit, verissimè à Patribus dici potuit, illum esse *salutarem* omnibus, itemque in eo vsurpando commemorationem Christi mortis fieri, illiusque fructum repræsentari, atque etiam figuras quasdam veteris legis impleri, &c. Neque verò inde consequitur, Patres sensisse, calicis vsum esse etiam absolutè ex præcepto Christi omnibus necessariũ. Quemadmodum neque sequitur, *quotidie* Sacramentũ istud omnibus necessarium esse, eo quod *quotidie* sit & dicatur à Patrib⁹ maximè salutare.

Huc pertinet illud Ambrosij lib. 5. de Sacram. cap. 3. *Quotiescunque bibis, remissionem accipis peccatorum.* Et lib. 4. cap. 6. *Si quotiescunq; effunditur sanguis in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata remittantur; Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.*

Et illud Cypriani lib. 1. epist. 2. *Quos hortamur ad martyrium, nõ inermes relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus.*

Et illud Hilarij lib. 8. de Trinitat. *Hæc accepta (corpus & sanguis Domini) & hausta efficiunt, vt & nos in Christo & Christus in nobis sit.*

Et illud, quod in calice quodam D. Remigius in Ecclesia Rhemensi insculpi curauit: *Hauriat hinc populus vitam de sanguine Sacro.*

Et illud Augustini Tract. 26. in Ioan. *Cùm cibo & potu hoc appetant homines, vt non esuriant, neque sitiant; hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit.*

Et illud eiusdem lib. 20. contra Faustum, capite 18. *Christiani*, inquit, *peractã Christi Sacrificij memoriam celebrant sacrosanctæ oblationis & participationis corporis & sanguinis Domini.*

Et illud Ambrosij 1. Cor. 11. (vel quisquis fuit ille auctor) *Quod*, inquit, *morte Domini liberati sumẽdo & potando corpus & sanguinem significamus.*

Et illud quod D. Thomas 3. part. q. 76. art. 2. ad 1. docet, per vsum vtriusq; speciei significari salutem tum animæ, tum corporis: de quo etiam diximus antea in explicatione cuiusdã loci Paschasij.

Et illud Chrysostomi homil. 23. in 1. Corinth. *Sicut tu*, inquit, *sanguinem bibis, ita & illi* (in veteri lege) *aquam de petra biberunt.*

Et illud Ambrosij de iis qui myst. init. cap. 9. *Illas*, inquit, *ad horam satiauit aqua de petra; te sanguis diluit in æternum.*

Et illud Augustini Tract. 26. in Ioan. *Omnes*, inquit, *eundem potum spiritualem biberunt, aliud illi, aliud nos; sed specie visibili, quod tamen idem est virtute spirituali.*

Et illud Gregorij homil. 27. in Euang. *Quid sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis. qui sanguis super vtrumq; postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed ore cordis hauritur.*

Octava obseruatio. Potest etiam dici, potum sanguinis necessariũ esse ad vitam spiritualem, non tamen respiciendo ad *modum* sumendi, in specie potabili, sed ad rem & veritatẽ *perceptionis*, itemque ad *effectum* eiusmodi potus: quæ duo communia sunt speciei panis, vt quæ eandem effectum gratiæ salutaris habet, & re ipsa etiam sanguinem continet.

Atque hoc modo intelligi illud non incommodè posset, quod Augustinus q. 57. in Leuit. ità dicit: *Cùm Dominus dicat, Ioan. 6. Nisi manducaueritis, &c. Quid sibi vult, quòd à sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibebatur, si illis Sacrificiis hoc sacrificiũ* (Christi) *significatur, in quo vera fit remissio peccatorum: à cuius tamen Sacrificij sanguine in alimentum sumendo non solùm nemo prohibetur, sed etiam omnes exhortantur, qui volunt habere vitã?* Vbi intẽtus videlicet fuit Augustinus ad ipsum *effectum* sanguinis, sine quo, iuxtà sententiam illam Christi, vita non conseruatur.

Quanquam intelligi etiam hic locus Augustini rectè potest de actu bibendi sanguinẽ spirituali, à quo neq; iam, neque vnquam vllus hominum prohibitus est, sed omnes ad illum obligati. Nam præterea quæsiuit eo loco Augustinus, cur vsus sanguinis in illis sacrificiis, quæ fructum significabant istius participationis spiritualis sanguinis atq; sacrificij Christi, prohiberetur; cum semper omnes obligati fuerint ad bibendum spiritualiter Christi sanguinem in veteribus sacrificiis significatum. Atq; ideo induxit sententiam illam Ioan. 6. quæ etiam de actu manducandi & bibendi *spirituali*, ad quẽ omnes & singuli tenentur, intelligitur: immò secũdùm Sectarios quidem de illo solo.

Quo fit, vt ipsi sanè nõ possint iure nobis obiicere hunc Augustini locum pro communione sub vtraque: Et tamẽ obiecit illum nihilominus Kemnitius, sed sentẽtiam ipsam Augustini mutilans, & callidè illud dissimulans, quod Augustinus ait: *Cum dicat Dominus, Ioan. 6. &c.*

Nona obseruatio. Etsi Patres quandoque significent, tum demum ex omni parte *complete & perfectè* communicari, quando vtraque species vsurpatur, vt fiat expressior significatio effectuũ huius Sacramenti: tamen non ideo censuerunt necessitatem communicãdi sub vtraq; incumbere iis etiam qui non conficiunt. Est enim horum longè dispar ratio, vt suprà §. 6. docuimus, nec tenentur ipsi omnino perficere id Sacramẽtum, quod nõ conficiunt. Nihil igitur nobis ob-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtat, quod ob eam rem D.Laurentius apud Ambroſium lib.1.off.cap.41.diſpenſationem calicis ſignificauerit eſſe *conſummationẽ huius Sacramẽti*: Nec, quòd alias etiã vocetur calix *complementum* communionis. Iſta enim nos vltro concedimus.

Decima obſeruatio. Cùm Sacramẽtum iſtud, vt dictum eſt, in vſu demum vtriuſq; ſpeciei habeat ſuam quandam *perfectionem indiuidualem & complemẽtum*: licet nullo diuino præcepto neceſſarium ſit adminiſtrare illud omnibus ſecũdùm eam perfectionem & complementum (vt ſuprà oſtenſum eſt) tamen error omnino eſt putare, illud in ſpecie panis, vel ſola prorſus, vel etiam intincta tantum ſanguine, perfectè omni modo & completè adminiſtrari. Neq; immeritò, qui hoc putaret, redargui poſſet ex ipſa Chriſti inſtitutione. Siquidem Chriſtus in vtraq; ſpecie ſeparatim, quarum altera per ſe ederetur, altera per ſe etiam biberetur, illud inſtituit, eiuſq; diſpenſationem compleuit ipſe atq; perfecit in cœna.

Tantùmodo igitur hunc errorẽ ex ipſa Chriſti inſtitutione redarguit apud Gratianum de conſec.d.2.Can. *Cum omne*. Iulius I. in epiſt. ad Epiſcopos AEgypti. Vbi inter cætera quoſdam etiam reprehendit, qui eo tempore, quo ex Eccleſiæ inſtituto abſolutam vndequaq; & completam communionẽ adminiſtrare ordinariè populo oportebat, putabant ſe ſatis id completè & perfectè facere, Euchariſtiam *tantummodo intinctam* adminiſtrando. Quã Euchariſtiæ intinctionem ideo vocabant complementũ communionis. Etſi notandum eſt, epiſtolam illam Iulij inter alias eiuſdem epiſtolas minimè reperiri; citatur tamen à Gratiano.

Et certè idem decretum, & iiſdem verbis legitur in Concilio Braccarenſi III. can.1.ꝙ Concilium fuit celebratum 250. circiter annis poſt Iulium, quo tempore, vt apparet, repullulabat ille idem error & abuſus.

Nec tamẽ eſt improbabile, quod quidam hîc ſuſpicantur, falsò decretum illud fuiſſe aſcriptũ Iulio, cùm debuerit fortè aſcribi Iuliano Epiſcopo Hiſpalenſi, qui ſecundo loco ſubſcripſit in illo Braccarenſi Concilio, vt apparet ex eius Concilij actis.

Item aduerſus Kemnitij quoddam artificium notari debet, in eo decreto non abſolutè dici, abuſum illum propriè eſſe contra *diuinos ordines*, aut Apoſtolicas *traditiones*, vel contra *Euangeliũ*, ſed id propriè ibi dicitur de aliis quibuſdam abuſibus, qui ſimul ibi damnantur; Eorum videlicet, qui lac pro vino in ſacrificio offerebant, aut certè aquam, in qua pannum abluiſſent, quem multo antea conſecrato vino intinxiſſent, & anno integro ad eum vſum inficiendi aquam pro ſacrificio conſeruauiſſent.

Contra eos autẽ, qui ſpeciem alteram intinctam pro *completa* communione diſpenſabant, ideo etiam affertur ibi Chriſti inſtitutio, vt ex ea oſtendatur, minimè fuiſſe completã illam communionem, in qua non etiam ſanguis ipſe ſeorſim diſpenſaretur, ſicut tunc oportebat, quem admodum antè explicauimus. Qua tamẽ ex re, ſuprà §.8. defenſum eſt, non poſſe colligi diuinũ præceptum, quo citra Eccleſiæ decretum vtraq; ſpecies ab iis debeat percipi, qui non ipſi conficiunt Euchariſtiam.

Vndecima obſeruatio. Inter alios inſanos errores Manichæorum & Priſcillianiſtarum, ille etiam fuit, quòd omne vinum tanquam *fel principum tenebrarum* (ſicut illi delirantes appellabãt) ex quadam ſuperſtitione abominabantur; teſte Auguſtino lib. de hæreſib. cap. 46. Quapropter Sacramentum iſtud non niſi in ſpecie panis vel conficiebant, vel vſurpabant. Quo ipſo myſteriũ à Chriſto in vtraque ſpecie inſtitutum ſacrilegè *diuidebant*, ſiquidem ad illud nequaquam arbitrabantur ſpeciem etiam vini, aut eius vſum vllo modo pertinere.

Horum igitur ea in re ſacrilegam ſuperſtitionem, qua arbitrabãtur obſequium ſe *illi ſuo Deo lucis* præſtare contra principes tenebrarum, non autem ipſum per ſe vſum communicãdi ſub altera tantum ſpecie, tum Leo Magnus, tum Gelaſius I. illius non multo poſt in Romana ſede ſucceſſor, grauiter & meritò notarunt, atq; deteſtati ſunt, cum ſuis temporibus adhuc multi ex illa hæreticorum ſecta ſupereſſent.

Ac Leo quidem eius ſuperſtitionis indicio illos internoſci ab aliis fidelibus (quibus, in deteſtationem quoq; eiuſmodi erroris, communis tum erat vſus calicis) voluit, vt apparet ex eius verbis ſerm. 4. de quadrageſima, vbi de Manichæis loquẽs inter cætera dicit: *Cùm ad tegendam infidelitatẽ ſuam noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in Sacramẽtorum communione ſe temperant, vt interdum tutius lateãt. Ore indigno Chriſti corpus accipiũt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ omnino bauire declinant. Quod ideo veſtrã ſcire volumus ſanctitatem, vt nobis eiuſmodi homines & iis manifeſtetur indiciis, ex quorũ deprehẽſa fuerit ſacrilega ſimulatio notati & proditi à Sãctorũ ſocietate ſacerdotali auctoritate pellãtur.*

Vbi obſeruandum eſt, Manichæos nunquã ſe ſimulaturos fuiſſe ea ratione Catholicos, nempe ſumẽdo alteram tantùm ſpeciem, niſi id alioqui factitatum ab ipſis Catholicis aliquãdo fuiſſet. Etſi tũc quidem communiter id non fieret, quo melius eo indicio, quinam illa ſuperſtitione & hæreſi Manichæorum obſtricti eſſent, dignoſci poſſet, ſicut Leo admonuit. Item obſeruetur, ꝙ Leo inquit, illos *omnino declinaſſe, &c.* quo dicẽdi modo ſignificauit abominationẽ illam alterius ſpeciei, quam propter vini naturã, ipſis execrabilem, horrebant prorſus Manichæi.

Eoſdem item vt dictũ eſt, notauit Gelaſius in epiſt. ad Maioricum & Ioãnem Epiſcopos, apud Gratianum de conſecrat. d.2. can. Comperimus: *Comperimus*, inquit, *quòd quidã ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacrati cruoris abſtineant, qui procul dubio, quoniã neſcio qua ſuperſtitione docea-*

tur aſtringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuiſio vnius eiuſdemq; myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire.

Diligenter autem notandum eſt, quos hic dicat Gelaſius myſteriũ *ſacrilege diuidere*, ſumendo tantùm vnam ſpeciem. Nempe illos, qui ex *ſuperſtitione* illa Manichæorum docebãtur, id eſt, perhibebantur eo tempore, ab altera ſpecie abſtinere. Nam & huiuſmodi etiam Manichæos hic Pontifex Gelaſius acriter inſectatus eſt, ac Roma expulit, eorum ſcriptis combuſtis, vt in decretis Gelaſij tomo 1. Conciliorum recenſetur.

Qui verò vnã tantùm ſpeciem ita ſumunt, vt nihilominus myſterium ipſum in vtraq; veneretur, ij minimè quidem myſterium ipſum *diuidunt*, licet non totum in indiuiduo vſurpent, vt ſuprà §. 6. explicatũ eſt. Quamobrem nihil nobis aduerſatur hic canon, etiamſi intelligatur nõ modò de Sacerdotibus, qui *conficerẽt* Euchariſtiam (vt inprimis intellexit ipſe Gratianus & D. Thomas hic art. 12. ad 1.) ſed etiam de illis omnibus, qui ſuperſtitioſo illo modo calicẽ auerrentur. Porro epiſtola illa Gelaſij, ex qua Gratianus recitat eum canonem, minimè exſtat.

Hæ igitur obſeruationes teſtimoniorũ antiquitatis oſtendũt, nihil valere illa omnia, quæ à Kemnitio & ab aliis Sectariis in hoc genere collecta ſunt, vt ſimplicibus perſuadeant, vſum alterius ſpeciei fuiſſe per ſe improbatum à veteribus; Nihil enim minus, ſed aliud illi egerunt, vt iam oſtenſum eſt.

Et certè, cùm paſsim veteres omnem Euchariſtiæ *efficaciam* ſoli etiã corpori Chriſti ſub ſpecie panis attribuant; ſatis eo ipſo indicant, veritatem Sacramenti in altera etiam ſpecie conſiſtere, quantum ſatis eſt, & ad vitam animæ ſpiritualem tuẽdam, & ad Chriſti præceptum adimpiendum, vt quod refertur totum ad eum finem tuendæ vitæ ſpiritualis. Neq; enim probabiliter dicitur, Patres, quoties alterius tantùm ſpeciei meminerunt, eamq; aſſeruerunt eſſe ſalutarem, toties per Synecdochen alteram etiam ſpeciem voluiſſe intelligi. Faciũt enim id frequẽtiſsimè; maximè cum 6. Ioannis caput interpretãtur (ſicut ſuprà §. 4. docui) de Euchariſtia, quo loco Chriſtus ipſe affirmat, vſum etiam panis valere *ad vitam æternam*. Ac D. ſanè Ambroſius in libris de Sacram. de ſola ſpecie panis frequentiſsimè loquitur & alij paſsim.

Deniq; non poſſunt ex omni antiquitate Sectarij vel vnum locum proferre, vbi dogmaticè diſputatum ſit, vſum alterius ſpeciei, in his qui non conficiunt Euchariſtiam hoc ipſo per ſe, ꝙ non altera etiã ſpecies ſimul vſurpetur, pugnare cum præcepto Chriſti.

Eſſe poſitum in Eccleſiæ arbitrio, vt vtraq; vel altera tantum ſpecies adminiſtretur; & ob iuſtas cauſſas adminiſtrari tantum alteram. §. 10.

CVm igitur neq; ex *verbis* vllis Chriſti, neq; ex *inſtitutione*, neq; ex Chriſti *exemplo*, neque ex

natura huius Sacramenti, neque ex *antiqua praxi* Eccleſiæ, neque ex illius *traditione* aut *teſtimoniis antiquitatis*, diuinum præceptũ de communione fidelium ſub vtraque colligi poſsit; conſequitur neceſſariò, diſpenſationẽ atq; vſum alterius vel vtriuſque ſpeciei, quod ad *non conficientes* attinet, eſſe rem in Eccleſiæ poteſtate & arbitrio poſitã. Ad eam enim ſpectat, illa quæ in adminiſtratione Sacramentorum diuinitùs determinata non ſunt, ſalua Sacramentorũ natura & veritate, ita conſtituere, vt ad ædificationẽ fidelium, & maiorem Dei cultũ, conſideratis omnibus circumſtantiis, expedit. Quemadmodum rectè in Concilio Tridentino ſeſſ. 21. cap. 2. explicatum eſt.

Id patet illis teſtimoniis 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti et diſpenſatores myſteriorũ Dei.* Et rurſus de vſu huius Sacramenti Paulus agens. 1. Cor. 11. *Cætera*, inquit, *cùm venero, diſponã.* Item D. Avgvstinvs epiſt. 118. c. 6. ad Ianuarium: *Non*, inquit, *præcepit Deus, quo deinceps ordine Euchariſtia ſumeretur, vt Apoſtolis* (intellige, etiã eorum ſucceſſoribus) *per quos Eccleſiam diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locũ.* Nempe, vt ipſi decernerẽt quod pro ratione temporum & aliarũ circumſtantiarũ in eo genere expediret. Etenim generatim id ab Auguſtino dictũ eſt de his omnibus, quæ ad Sacramẽti vſum, ſalua illius veritate pertinent, vt inde ſpeciatim confirmaret, rectè etiã facere Eccleſiam quod illud adminiſtret nõ niſi *ieiunis*, de quo inſtituto agebat ibi determinatè Auguſtinus. Quapropter principium iſtud, ꝙ ibi ad eam rem Auguſtinus ſumit, optimè etiam ad noſtrũ propoſitũ accommodari poteſt, cùm ſit generale.

Neq; verò in hoc tantum adminiſtrando Sacramento ea poteſtate Eccleſia vtitur, ſed etiã in aliorum Sacramentorum vſu. Baptiſmus enim quandoq; in *trina merſione* adminiſtratus fuit, ꝙ iam non eſt neceſſariũ. Et tamen trina illa merſio, cùm adhibebatur, ad ſubſtãtiã indiuiduam ipſius Baptiſmi pertinebat. Erat enim de integritate quadam materiæ. Licet ex ea quidem veritas atq; eſſentia Sacramenti non penderet. Item ad matrimonium quædam perſonæ, nunc ob Eccleſiæ decretũ non ſunt idoneæ, quæ tamẽ aliquando fuerũt, nempe certo conſanguinitatis gradu coniunctæ, ſicut ſuo loco à Catholicis ſcriptoribus defenditur, & nos infrà aſſeremus diſp. 10.

Hac igitur Eccleſiæ auctoritate, quod ad Euchariſtiam attinet, *ipſo vſu* primùm comprobata eſt conſuetudo communicandi ſub altera tantũ ſpecie, & deinde etiam pro *lege* ſancita, poſteaq; in omnibus tandẽ Eccleſiis occidentalibus obtinuiſſet. Et quidem quando primũ vigere cœperit ea conſuetudo in aliquibus Eccleſiis, minimè conſtat, vt etiam confeſsio Auguſtana artic. 21. confitetur. Neq; id alicuius pontificis decreto vſurpari cœptum eſt, ſed ipſo Eccleſiarum *vſu, & conſenſu* fidelium, ꝓpter cauſſas de quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

postea dicetur. Quin etiam aliquē vsum alterius tantum speciei fuisse semper iam inde ab initio in Ecclesia suprà §. 8. ostendimus.

Cœpit autē ea consuetudo in Ecclesia Latina esse generalis, non multò ante tempora Concilij Constantiensis sess. 13. in quo tandem pro *lege* ab omnibus eam consuetudinē esse habendam, decretum est. Quod rursus est constitutum in Concilio Basilienſi sess. 30. & Tridentino sess. 21.

Quanq; Thomas VValdensis, qui sub ipsum tempus Concilij Constantiensis scripsit, satis apertè declarat relictā tunc à Concilio Constantiensi fuisse facultatē maioribus prælatis, nempe Episcopis, vt quādo expedire iudicarēt, personas quasdā insignes, vt Principes, Doctores insignes, & Ministros etiā altaris, aut alios fide, vel pietate præstātes, ad communionē sub vtraque admitterēt. Quin etiam nonnullis religiosorum præpositis, vt calicem ipsi quoq; impertirent suis fratribus. Apparet enim hāc veluti extraordinariam consuetudinem tempore etiam Concilij Constantiensis viguisse, ipsaque adeò praxi tunc fuisse declaratū, non improbari eiusmodi consuetudinē *extraordinariam* à Concilio, vt satis apertè indicat VValdensis illo capite 94.

Iam aūt, cùm ea praxis à longo tempore cessauerit, hoc ipso declarari videtur, non esse amplius facultatē in eiusmodi prælatis, vt extraordinariè concedant calicē, sicut satis etiam indicauit, Ruardus Tapperus a. 15. fol. 376. Quare totum hoc in auctoritate ipsius Ecclesiæ, atq; adeō summi pontificis est positū. Et certè in Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. expresè declaratū est, cōsuetudinem illam communicādi sub altera, quam Ecclesia in Concil. Constant. instar legis obseruandam statuit, nō nisi eiusdem Ecclesiæ auctoritate mutari posse. Itaq; in sess. 22. eiusdē Concil. Trid. in Pontificis arbitrio relictū est, vt ipse statuat, num quibusdam conditionibus positis, quę in ipso Concilo explicatę sunt, expediat, alicui vel regno, vel nationi, cōcedere vsum calicis.

Porro Cavssas, quæ Ecclesiam mouerint, vt consuetudinē sub *altera* communicandi probaret, atq; etiam pro lege obseruādam esse decerneret, nō tam est nostrū discutere aut inquirere, quàm ipsi decreto simpliciter obtemperare, existimareq; omnino eas fuisse iustas, vt rectissimè in Concil. Trid. sess. 21. can. 2. definitū est. Memores enim hoc loco illius diuini præcepti esse debemus Deut. 17. *Facies quodcunq; dixerint, qui præsunt loco, quē elegit Dominus.* Id q̄ multo etiam strictius Ecclesię subditis Christi fidelibus Matt. 18. est iniunctum. Sunt autem eius rationes potissimū duæ à Doctoribus explicatæ, quas & ipsum Concilium Constantiense insinuauit.

Prima est, vt occasio tollatur irreuerentiæ erga sanguinē, quæ sanè ꝓpter effusionis periculum esset alioqui maxima in tanta iam fidelium multitudine, & varietate, & negligentia etiā rerum sacrarū, propter imminutum caritatis atq; religionis studium. Nam & suo tempore aliquas in eo genere prophanationes contigisse testātur AEneas Syluius, epist. 130. de errore Bohemorū. Et quanta cura, ne quid in huius Sacramenti religione cōmittatur, adhiberi hoc in genere debeat, docet ratio, & ab ipsis etiam patribus notatum est; vt ab Origine hom. 13. in Exod. & Augustino lib. 50. homil. hom. 25. & à diuo Cyrillo catech. 5. mystag. & ab aliis. Vide etiā in Decretis de consecrat. d. 2. cap. *si per negligeneiam* & seq.

Quam ob caussam rectè D. Thom. hic art. 12. docet, communionē sub sola specie panis, si ex parte ipsorū communicantiū consideretur, magis esse conueniētem, quā sub vtraque, licet hæc alioqui esset perfectior, si tantūmodo ipsum Sacramentū per se spectaretur, & non etiā religio summa, qua vsurpari illud debet. Quod ipsum similiter sentiunt ac docent reliqui Theologi Scholastici, vt recitatis multis illorum testimoniis, quæ sunt in promptu, fusè ostendit Thomas VValdensis tomo 2. de Sacram. c. 94.

Ac sanè confirmat ea re admodū eruditè Caietan. hic art. 12. communionē sub altera specie *absolutè & simpliciter*, omnibus circumstantiis vndequaq; spectatis, vtiliorē esse ipsi populo, atq; etiā magis consentaneā voluntati & institutioni Christi, quæ eò demum pertinet, vt Sacramentū illud summa cū religione tractetur. Si enim sub altera tantum specie populus communicet; vt supra demonstratum est, nullum Christi præceptum ea re violatur. Si autem sub vtraque communicaret, periculum esset sæpe violandi diuinum præceptum de Sacramento isto tractando non nisi summa cum reuerentia.

Quamobrem, cū ad rectores communitatis pertineat scādala atq; pericula peccatorū, quoad eius fieri possit remouere; facit Ecclesia rectissimè, quod vsu calicis, alioqui nō necessario per Christi legem, interdicit populo. Hæc igitur doctrina D. Thomæ & aliorum Scholasticorum aduersus Kemnitij vanitatem notanda est, qui ex ipsis Scholasticis (scilicet) admodum sanè inepte, conatur suadere, communionem sub vtraque simpliciter esse commodiorem.

Secvnda ratio est, vt tollatur etiā occasio errandi. Possent enim arbitrari simplices non esse Christum totū in qualibet specie, si eorsim alia & alia species daretur: quod iam olim nonnullis vsu venisse intelligi potest ex Alexandro Halensi 4. parte, q. 53. m. 1. Qui narrat fluxisse mirabiliter ex hostia sanguinē, cùm quidam dubitaret num Christi etiam sanguis in illa contineretur. Atq; ea etiā re confirmat ibi Halensis institutū communicandi sub altera. Etsi non credit quidem Kemnitius fuisse illud verū miraculum, sed miraculi commentum appellat homo prophanus. Quasi verò non alia æquè stupenda miracula de isto Sacramento narrauerint passim, ac summa fide suspexerint veteres Patres; vt Gregorius Nazianzenus in orat. de laudibus Gorgoniæ sororis, Cyprianus serm. de lapsis, Gregorius Magnus lib. 2. dialog. cap. 24. & lib. 3. cap. 3.

Deinde etiam rectissimè facit Ecclesia, quòd ipsa praxi contraria refutat eorum hæresin, qui vtramq; speciem iure diuino necessariā omnibus esse perperam contendunt. Quæ ratio iure optimo inter cæteras considerata est in Concilio Constantiensi contra Bohemos, & in Tridentino contra recentiores Sectarios.

Errant enim qui putant, eum errorē concessione caliois commodè posse tolli. Quin potius contrariis institutis efficacius errores extirpantur, vt egregiè notauit Ruardus Tapperus art. 15. pag. 362. & 363. Quod & aliās contra hæreticorū errores ab Ecclesia olim vsurpatū est. Nam quo tempore Ebionitæ censuerunt, iure diuino esse necessarium in azymo pane consecrare Eucharistiam, contrà instituit Ecclesia, vt in fermentato tūc consecraretur. Item Nestorij temporibus voluit, vt B. Virgo vocaretur mater Dei, nō mater Christi, sicut contendebat ille hæreticus, & sic in aliis.

Tertio, ad has rationes accedit, quòd maximè conuenit, vt Sacramentum *vnionis & communionis* eodem modo â fidelibus vbiq; vsurpetur, neq; potest commodè sub specie etiā vini sumi ab omnib⁹. Difficulter enim posset pro infirmis haberi semper illa species in promptu, & multi à vino abhorrent, vt sine manifesto periculo vomitus id sumere nequeant, & in aliquibus procinctis summa vini penuria laboratur.

Qvarto, decet quoq; vt Altaris ministri, qui Eucharistiā conficiunt, & Sacrificium peragūt, plus de Sacrificio participēt, quàm reliquus populus: vt ex instituto & ratione veteris Testamēti, quod fuit figura noui, doctè confirmat Thomas VValdensis tomo 2. de Sacram. c. 88. & 89.

Neq; verò habet quidquā ponderis illud, ꝙ aduersus has & similes rationes opponūt Sectarij, nō videri illas iustas esse, quādoquidē iis minimè obstantibus rectè fecit antiquior Ecclesia, cū populū ad communionē calicis admittebat.

Primùm enim non æquè illis initiis rationes illæ vrgebant, atq; postea sequentibus temporibus. Nam neque Ecclesia ita latè diffusa erat, & maior erat fidelium deuotio atq; cura in rebus sacris religiosè tractandis. Quo fiebat, vt non esset tunc in communi vsu calicis tantum periculum, quantum progressu temporis ipsa experientia inesse docuit. Et sæpe per circumstātiarum varietatē instituta Ecclesiastica, quæ ad praxin pertinent, rectè mutantur, quamuis bene illa prius vsurpata fuerint.

Quō pertinet illud Innocentij III. in cap. *Non debet*, ext. de consang. & affin. *Non debet*, inquit, *reprehensibile iudicari, si secundùm varietatem temporum statuta quandoque mutentur humana, præsertim cùm urgens necessitas, vel euidens vtilitas id exposcit, quoniam ipsē Deus ex his, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutauit in nouo.*

Deinde, si maximè rationes illæ habuissent etiam olim aliquem locum, tamē non fuit facilè abroganda ea consuetudo, quæ semel fuerat nō malè introducta; quin potius exspectandū fuit, donec tandem ipsa experientia satis euidenter doceret mutationis vtilitatē. Etenim *consuetudinis mutatio*, vt inquit Augustinus Epist. 118. cap. 5. *adimunat quidē vtilitate, nouitate autē perturbat.* Nec sanè dubiū est, quin in vsu olim administrādi Eucharistiam infantibus, & permittendi priuatā communionem in ædibus, diu fuerint animaduersa multa incommoda, antequam ille demum consuetudines abolerentur. Quò etiā pertinet doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 97. art. 5. qui ob eandem rationem docet, non esse leges humanas facilè mutandas, etiamsi aliquid occurrat melius.

Tertiò dicimus, nihil detrahi de Ecclesiæ dignitate, si nonnulla quæ ad praxin pertinēt, rectius postea progressu temporis, quā antea, constituta sint. Quis enim dubitet, quin satius multo sit infantibus Eucharistiam non dare, q̄ cum periculo, & citra necessitatem diuini Iuris, ipsis eam impertiri, sicut aliquando (vt patet ex Cypriano in serm. de lapsis, & ex Dionysio cap. 7. Eccles. Hierarch. p. 3.) factum est?

Nihil igitur prohibet, quò minus, spiritu sancto suggerente, proficiat Ecclesia in animaduertendis incommodis, aut etiam commodis, quæ ad morū instituta pertinent. Quod nisi ita esset, vix materiam aliq̄, quod ad mores attinet, haberent Canones Ecclesiastici, & Conciliorum Decreta, quæ ad ædificationē fidelium subinde in Ecclesia sanciri, saluberrimum est. Et certē quædam posterioribus temporibus rectius constituta esse in Ecclesia, quàm initio haberent, satis etiam indicauit Ambrosius ad Ephes. 4. cuius auctoritate id quoq; confirmat Thomas VValdensis tomo 2. de Sacram. cap. 94.

Denique Dvae res sunt, quæ, si nihil aliud esset, omnibus prudentibus persuadere deberent, Ecclesiam nō sine iustissimis rationibus populo calicem interdicere.

Vna est, quòd nullum alioqui consequuntur inde Ecclesiarum Prelati temporale commodū. Quod enim detrimētum acciperent, si vini pauxillum ad particulā panis adderent, quod communicanti impertirēt? Equidem, si vinum esset eliquatum aurum, non tantopere admirarer, quòd Sectarij suspicarentur propter aliq̄ commodum negligi ab Ecclesia diuinum præceptū in hoc genere. Nunc verò, cùm putēt Ecclesiam in deneganda re tantilla, suis commodis, nō autem idoneis rationibus, ipsiusq; populi vtilitate moueri, non Hæretici tantùm atq; Schismatici, sed etiam vanissimi mihi esse videntur.

Nam quod dicunt, stabiliri ea ratione sacrificium Missæ, quo sublato, scilicet, Ecclesiarū præpositi ad nescio quam inopiam redigerētur; Id verò non minori cū vanitate ab istis hominibus leuissimis iactatur. Primū enim, non illico Missæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſacrificiũ ipſi plebeij facerẽt, ſi calice etiã communicarẽt. Deinde, habẽt quoq; præpoſiti Prædicantes, ac Pſeudoepiſcopi Sectariorũ, modũ, vt quãuis nec Miſſas celebrẽt, neq; preces canonicas recitent, aliaq; multa eius generis officia Eccleſiaſtici miniſterij negligant, tñ vitã non in ſumma paupertate traducãt: Modò norint Catholicos ex ſuggeſtu maledictis omnib⁹ ꝓſcindere. Quare opinor, ſi Miſſæ Sacrificium à Chriſto inſtitutum non eſſet, aut ſi populo calix adminiſtraretur, minimè propterea fame fuiſſe interituros Eccleſiæ Catholicæ Prælatos.

ALTERA res, ob q̃ id Eccleſiæ inſtitutũ iuſtum exiſtimari debet, eſt, ꝙ eiuſdẽ Eccleſiæ in OEcumenicis Conciliis, poſt accuratiſſimas doctiſſimorũ totius orbis diſputationes & deliberationes, ſanctiſſima & infallibili auctoritate approbatum eſt.

Demonſtraui.n.euidenter tomo 3. diſp. 1. q.1. p.7.§.44. vaniſſimos eſſe prætextus Kẽnitij contra definitiones huiuſmodi Conciliorũ, & hæreſim eſſe manifeſtã his definitionibus refragari, ſi vlla vnquam fuit hæreſis manifeſta in Eccleſia.

Quod ſi Chriſtus præcepiſſet, vt oẽs ſub vtraque ſpecie communicarent, nunq̃ profectò Eccleſia, quæ à Spiritu ſancto regitur, conſuetudinem approbaſſet communicandi ſub altera. Licet.n.mihi in hac quæſtione ita loqui, ſicut Auguſt. in alia quadam ad eandẽ Eccleſiæ auctoritatẽ infallibilem attendens, locutus eſt: *Non præcepit Chriſtus* (inquit in epiſt. ad Ianuarium 118. cap.6.) *quo deinceps ordine ſumeretur Euchariſtia, vt Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locũ. Nam ſi hoc ille monuiſſet, vt poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo ꝙ. eum morẽ nemo variaſſet.*

Concludamus nos igitur præſentem controuerſiam ſimiliter: ſi Chriſtus præcepiſſet, vt ſub vtraq; ſpecie ſemper Euchariſtia ſumeretur, credo cum Auguſtino, *quòd eum morem Eccleſia minimè variaſſet*, quidquid contra ſibi perſuadeant increduli Sectarij.

QVÆSTIO NONA.

De Modo, quo Chriſtus ipſe eſt vſus hoc Sacramento.

D. Thom. 3. part. quæſt. 81.

EXPLICANDA SVNT TRIA. PRIMO, NVM IPSE CHRISTVS IN Cœna Corpus & Sanguinem ſuum ſumpſerit. SECVNDO, An etiam Iudæ dederit Chriſtus ſuum Corpus & Sanguinem. TERTIO, Qualenam corpus ſuum tunc Chriſtus dederit, & nunc etiam det; paſsibile nè, ac impaſsibile? Et quale etiã dediſſet in triduo mortis.

PVNCTVM PRIMVM.

Num ipſe Chriſtus in Cœna Corpus & Sanguinem ſuum ſumpſerit.

D. Thom. art. 1.

VERA ET COMMVNIS PATRVM ASSERTIO eſt ea, q̃ ponit D. Thom. art. 1. nempe Chriſtũ ipſum omnino etiam ſumpſiſſe in Sacramento ſuũ corpus & ſanguine. Ita CHRYSOSTOMVS hom. 83. in Matth. *Ipſe quoque*, inquit, *bibit ex eo* (ex calice) ne diſcipuli *perturbarentur*. Et HIERONYMVS in Epiſt. ad Hedibiam, q. 2. *Ipſe*, inquit, *comedens, & qui comeditur*. Et Heſichius lib. 2. in Leuit. cap. 8. Gloſſa in lib. Ruth. cap. 3. Quam tñ Aſſertionem Luthero libuit negare in lib. de abroganda Miſſa priuata, eò quòd non expreſsè id dicatur in Euangelio.

At ex eò certè colligitur: primũ ex illis verbis Chriſti apud Lucã, cap. 22. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha mãducare vobiſcum, anteq̃ patiar*. Quod inprimis dicebat propter Euchariſtiæ myſterium, de quo ipſe videlicet aueret ſumere cũ diſcipulis ſuis, vt Tertullianus interpretatur lib. 4. contra Marcionem, Emiſſenus homilia 5. in Paſcha. Theophylactus in illum locum. Item Matth. 26. *Amodò*, inquit, *non bibam de iſto genimine vitis, donec, &c.* Quod de vino conſecrato dixit, atq; ita ſignificauit, ſe etiam de illo tunc bibiſſe.

Secũdò. Ita ipſe accepit panem & calicem, ſicut voluit à diſcipulis accipi, nempe vt etiã ipſe ſumeret, ſicut rectè D. Thom. art. 1. ratiocinatur.

Tertiò. Non conueniebat in comuni cœna & conuiuio, Chriſtũ, qui inuitârat, abſtinere ab his rebus, quas conuiuis porrigeret. Deniq; in lege veteri ipſe Sacerdos prius de hoſtiis participabat, quam reliqui.

Docet aũt rectè D. Thom. non modò Sacramentaliter, ſed etiã *ſpiritualiter*, ratione quadam Chriſtum ſumpſiſſe ſuum corpus & ſanguinem. Nam etſi nulla facta fuerit ad illius gratiam acceſsio; ſenſit ille tñ ſpiritualem delectationem ex vſu tanti Myſterij à ſe in illa Cœna inſtituti.

Ad extremũ ex hac re confirmari poteſt, rectè in Eccleſia fieri, quòd Euchariſtiam Sacerdotes ipſi, dum ſacrificant, ſumunt, ſiquidem debent facere quod Chriſtus fecit.

PVNCTVM

PVNCTVM SECVNDVM.

An etiam Iudæ dederit Chriſtus ſuum corpus & ſanguinem.

D. Thom. artic. 2.

SENTENTIA D. Hilarij can. 30. in Matthæum, atq; etiam Clementis Romani lib. 5. conſtitution. Apoſtolicarum, cap. 13. eſt, Chriſtum nõ dediſſe Iudæ Sacramentum Euchariſtiæ, ſed illo abſente, & iam è cœna digreſſo, poſt acceptam intinctam bucellam, Chriſtum inſtituiſſe & tradidiſſe diſcipulis illud myſteriũ: id quod etiam Turrianus in Scholio illius loci Clementis conatur perſuadere. Quæ item fuit ſententia Innocentij III. libro quarto de myſterio Miſſæ, cap. 13.

SED contrarium defendit rectè D. Thomas hic artic. 2. atque idem affirmant reliqui Patres. Chryſoſtomus homil. 83. in Matthæum. Cyrillus lib. 9. in Ioann. cap. 19. Theophylactus 1. Cor. 11. Cyprianus ſerm. de Cœna Domini, Hieronymus in Pſalm. 40. & 54. & lib. 2. contra Iouinianum, Auguſtinus Tract. 62. in Ioannem, & epiſt. 162. ſub finem. Sedulius in Opere Paſchali, Remigius in Matth. 26. Haymo in 1. Cor. 11. Bernardus ſermone de Cœna.

Idem etiam docuiſſe Dionyſium cap. 3. Eccleſiaſt. hierarch. arbitratur hìc D. Thomas, quo loco videlicet Dionyſius ait, Iudam *ſacra concœnaſſe, non ſanctè*. Quanquam Turrianus interpretatur, ſacra illa Dionyſio in eo loco eſſe, ſacrificium Agni Paſchalis. Sed non cogit tamen ratio, qua Turrianus id probat, & multi cum D. Thoma de Sacramentali communione Euchariſtiæ Dionyſium in eo loco intelligunt.

Item Papa Eugenius in Cap. *Si Sacerdos*. Extra de officio Iudicis Ordinarij, ea ratione confirmat, occulto peccatori non eſſe negandam Euchariſtiam, quia *Chriſtus non removit Iudam à communione*. Etſi verum ſit quidem rationes eas, quibus mouentur in ſuis Decretis Pontifices, non illicò ab eis proponi tanquam infallibiles.

Confirmatur autem ea ſententia maximè ex narratione Lucæ 22. Commemorat enim Lucas, Chriſtum, cùm diſtributo pane conſecrato, ſimiliter præbens calicem, illa verba finiuiſſe: *Qui pro vobis fundetur, &c.* continuò ſubiunxiſſe: *Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa*. Ex Marco autem capite decimo quarto certum eſt, omnes, qui Myſterio interfuerunt, communicauiſſe. Ait enim: *Et biberunt ex eo omnes*. Neque ſanè videtur Lucas alio ordine ibi retuliſſe ſeriem verborum Chriſti, quàm ab ipſo fuerunt dicta, vt rectè notat Ianſenius.

Fundamentum autem contrariæ ſententiæ facilè refellitur, ſi notetur, quo tempore cœnæ factum ſit illud, quod narrat Ioannes, capite decimo tertio, Chriſtum videlicet *intinctum* bucellam Iudæ porrexiſſe, & ea accepta, continuò Iudam exiuiſſe: nempe id factum eſt, poſt inſtitutum & vſurpatum Euchariſtiæ Myſterium.

Hic enim fuit ordo rei geſtæ: Primùm menſæ cum diſcipulis Dominus accubuit, & comedit Agnum Paſchalem. Deinde ſurrexit, & lauit pedes diſcipulorum. Rurſus recubuit, vt conſtat ex Ioanne, quo tempore toto adhuc aderat Iudas. Ait enim tunc Chriſtus: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes*. Item: *Vnus veſtrum me tradet*. In eo verò ſecundo accubitu Sacramentum inſtituit, & diſtribuit omnibus. Quam rem Ioannes quidem in hiſtoria præteriit: alij autem Euangeliſtæ narrauerunt. Poſtremò cùm diſtributo calice dixiſſet, vt eſt apud Lucam: *Veruntamen ecce manus eius, &c.* Itemque: *Vnus veſtrum me tradet*, vt narrat Ioannes: Tandem Ioanni in Chriſti pectore recumbenti, eaque opportunitate ſecretè percontanti, proditorem manifeſtauit indicio bucellæ intinctæ: qua accepta, ille continuò exiuit. Atque ex hoc ordine hiſtoriæ intelligitur, minimè bucellam illam fuiſſe conſecratam, quemadmodum bene etiam à D. Auguſtino Tractatu 26. in Ioannem, notatum eſt, & confirmatur hìc à Diuo Thoma articulo ſecundo æd tertium.

PVNCTVM TERTIVM.

Qualenam corpus ſuum tunc Chriſtus dederit, & nunc etiam det; paſsibilène, an impaſsibile? & quale etiam dediſſet in triduo mortis.

D. Thom. art. 3. & 4.

HAEC TOTA res ex illo certiſsimo fundamento, quod Diuus Thomas articulo tertio & quarto confirmat, facilè expeditur, nempe Chriſtum *talem* ſiſti & eſſe, & accipi in Sacramento, *qualis* ipſe ſecundùm ſe exiſtit, extra Sacramentum: etſi alium quidem exiſtendi *modum* in Sacramento habet.

Ex hoc fundamento, quod à nobis etiam in ſuperioribus Quæſtionibus ſatis eſt expoſitum, conſequitur PRIMO, Chriſtum in Cœna corpus ſuum dediſſe *per ſe patibile*, quale nimirũ eo tempore illud erat: etſi modo quidem impaſsibili, quatenus exiſtebat in Sacramento, vt rectè D. Thomas art. 3. declarat, vbi merito proinde confutat Hugonem, qui lib. 2. de Sacramentis, p. 8, cap. 3. contrà ſentit, accepiſſe diſcipulos tunc corpus Chriſti impatibile.

SECVNDO ſequitur inde, ſi triduo mortis Chriſti fuiſſet Euchariſtia conſecrata, corpus tantum in hoſtia, & ſanguinem tantùm in ſpecie

Universidad de Deusto
Biblioteca

vini fuisse futurum: itemque si eodem tempore hostia priùs consecrata reseruata esset, morituram etiam fuisse Christum in eiusmodi hostia, dissoluta nimirum per mortem eiusdem Christi concomitantia illa reali corporis & animæ & sanguinis, quæ sola efficit alioqui, vt anima & sanguis sint vnâ cum corpore in hostia, sicut suprà explicatum est. Ita docet D. Thomas articulo quarto. Et nihilominus tamen rectè notat Sotus distinct. 12. quæst. 2. artic. 4. potuisse secundùm potentiam Dei absolutam fieri, vt separata anima à corpore Christi per mortem extra Sacramentum, in Sacramento tamen maneret coniuncta, atque adeò viueret nihilominus in illo Christus.

TERTIO, ex eodem fundamento sequitur, desipuisse planè Fortunatum Krelium Caluinistâ in Disceptatione de Re Eucharistica, fol. 27. cùm contendit, corpus Christi in Eucharistia *non viuum, sed mortuum nunc edi.* Quanquam facilè dedero, à Caluinistis quidèm nec viuum, nec mortuum corpus Christi edi: siquidem nullum corpus Christi, sed merum panem Caluinisticum edunt, vt quæst. 3. probatum est. Quin autem edatur viuum Christi corpus ab iis, qui verum participant Sacramentum Eucharistiæ, certo certiùs est.

Illud enim corpus Christi ab iis iam editur, quod iam est; siue illud edant Sacramentaliter tantùm, siue Sacramentaliter & spiritualiter simul. At iam corpus Christi non est nisi viuum. Ergo viuum corpus Christi ab his editur; & vi consequentis efficitur, planè blasphemare Fortunatum, cùm dicit, non edi corpus CHRISTI viuum.

Quin etiam sibi iste & Caluino suo repugnat. Suprà enim folio 18. dixit, Christi corpus *sursum in cœlo, vbi*, inquit, *verè agnus iste apponitur, & quo nobis velut aquilis euolandum est, è manu Summi Pontificis accipi.* Caluinus etiam sæpè repetit libro quarto Institut. cap. 17. præsertim sect. 31. eatenus edi Christi corpus, quatenus vi Spiritus efficitur, vt cũ illo quãtumuis à nobis disito, in cœlo vniamur. An verò in cœlo Christi corpus non viuit? Omnino. *Est enim ad dexteram Dei semper viuens, ad interpellandum pro nobis*, Hebr. 7. neque ampliùs *moritur*, Rom. 6.

SED inquit Krelius, Corpus Christi *crucifixum & traditum pro nobis*, atq; adeò *mortuum* edi. RESPONDEO, dupliciter hoc intelligi posse. VNO modo, vt sensus sit, illud corpus Christi à nobis edi, quod licet nunc viuum sit, & viuum proinde edatur; tamen fuit aliquando crucifixum & mortuum; ac ideo nobis iam in Eucharistia fructuosum est, si hoc etiam ipsum, quemadmodum oportet, credamus. Hoc modo verissimum est, corpus Christi mortuum & crucifixum edi, idque solum probant verba institutionis, quæ Fortunatus ibi commemorauit. Sed sic etiam ore corporis potest in Sacramento edi corpus Christi mortuum & crucifixum, vt patet.

ALTERO modo id potest intelligi, vt sit sensus, corpus Christi non alia ratione nunc edi, nisi quatenus fuit crucifixum & mortuum, atque adeò non edi, vt iam est viuum. Et, si hoc modo corpus Christi mortuum & crucifixum ederetur, non posset quidem verè ac realiter ore corporis edi; sed fide & recordatione tantùm apprehendi. Nam sic corpus Christi non est aliquid præsens, sed præteritum: quod autem non præsens, sed præteritum est, id non potest ore corporis apprehendi, sed sola cogitatione, quæ omnes temporis differentias percipit. At putare, quòd isto modo Christi corpus mortuum, & non viuum edatur, sicut Fortunatus putauit, manifesta blasphemia est, pugnans cum institutione, & Sacramenti natura, & testimoniis omnium Patrum, qui tale Christi corpus edi, quale iam Christus in cœlo habet, asseuerãt: immò etiam istorum doctrinam Caluinisticam euertit, vt ostensum est.

Verba autem Christi, quæ in defensione illius sui scripti Fortunatus obiicit, nempe, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, non significant, corpus Christi nõ nisi vt traditum est, percipi; sed percipi sanè *illud ipsum* corpus, quod traditum est, & idipsum esse recolendum per eadem, iuxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis*, 1. Corinth. 11. Hæc Christi, hæc Apostoli, hæc Patrum sententia est, vt suprà q. 3. punct. 1. explicauimus.

Nec illum iuuant illa, quæ ex Gregorio Nyseno, & ex Hesychio citat. Non enim hi volunt, Christi corpus tantummodò vt mortuum accipi in Eucharistia; sed debuisse quidem mori, vt illius in Eucharistia manducatio nobis salutaris esset. Sentẽtia NYSSENI Oratione prima de Resurrectione sic habet: *Qui potestate sua omnia disponit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Iudæorum, quasi prædonum impetum, non iniquam Pilati sententiam expectat, vt eorum malitia sit communis salutis principium & causa; sed consilio suo anteuertit, & ARCANO sacrificij genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis* HOSTIAM OFFERT, *& victimam immolat, Sacerdos simul existens & agnus Dei ille, qui mundi peccatum tollit.* QVANDO *id præstitit?* CVM *corpus suum discipulis simul congregatis edendum, & sanguinem bibendum præbuit. Tunc apertè declarauit, agni sacrificium iam esse perfectum* (nempe quia idem sacrificium, puta suum corpus, obtulit etiam tunc alio modo, nimirum incruento) *Nam victima corpus non est ad edendum idonea, si animatum sit* (fuit autem mystico corpus Christi immolatum in cœna modo illo incruento) *Quare cùm corpus edendum & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcana & mysterium aspectabili ratione corpus erat immolatum, vt ipsius*

mysterium per agentis potestati collibuerat. Vbi velim notari à Fortunato, de sententia Nysseni, Christum eo mysterio, quod peregit in cœna arcano & incruento vtique modo, seipsum sacrificasse, ac proinde à nobis etiam in Eucharistiæ mysterio sacrificari debere vi illius Christi præcepti, Hoc facite in meam commemorationem.

Nihilo plus isti fauet illud HESYCHII lib. 11. in Leuitic. cap. 2. *Sic & Christi crux, fortis quidem tantùm fuit, vt omnem creaturam subiiceret crucifixo: carnem autem eius, quæ ad comedendũ ineptæ erat ante passionem (quis enim comedere cupiebat carnem Dei?) aptam cibo post passionem fecit. Si enim nõ fuisset crucifixus; sacrificiũ corporis eius minimè comederemus.* Et mox modum mãducationis subiicit: *Comedimus autem nunc cibum, sumentes eius memoriam passionis.* Id est, cùm verè comedimus sanctum hunc cibum: memoriã simul resumimus eius passionis. Quod autem dicit, carnem Christi fuisse ineptã cibo ante passionem, non significat eam nunc, vt mortuam tantummodò sumi, sed non fuisse neque esse cibo aptam, nisi intercedente *respectu* ad passionem; siue futuram, vt in vltima cœna; siue præteritam, vt iam.

Quòd autem vt viuum Christi corpus, quod fuit quidem mortuum, percipiatur in Eucharistia, Patres apertè testantur, maximè cùm aiunt, *Mediatorem nostrum, Regem nostrum, Sponsum nostrum*, illum ipsum, qui sursum in cœlo sedet, à nobis percipi, cuius generis testimonia multa citauimus, quæst. 3. punctο primo.

QVÆSTIO DECIMA.

De Ministro huius Sacramenti.

D. Thomas 3. parte, quæst. 82.

EXPLICANDA SVNT QVINQVE. PRIMO, QVINAM possint consecrare & administrare hoc Sacramentum. SECVNDO, An plures possint eandem numero Eucharistiam, puta vnam hostiam, consecrare. TERTIO, An, qui possunt istud Sacramentum conficere, teneantur etiam id facere; & quãdo. QVARTO, An quando id faciunt, debeant etiam ipsi sumere Eucharistiam. QVINTO, Vtrum conditio Ministri conficientis, aliquando efficiat, vt Sacramentum vel omnino infructuosum sit; vel certè minùs fructuosum.

PVNCTVM PRIMVM.

Quinam possint consecrare & administrare hoc Sacramentum.

D. Thom. art. 1, 3, 5, 7. & 8.

ASSERTIO INPRIMIS EX FIDE certa est, omnes & solos SACERDOTES posse validè cõficere istud Sacramentum, vt ex perpetua Ecclesiæ traditione, ab ipsa Christi institutione ducta, definitum est in Concilio Florentino, & Tridentino, sess. 23. capite primo, & can. 1.

Et quidem si Sacerdotum nomine generatim tantùm intelligantur delecti quidam ad id munus Ministri, nõ negatur hæc assertio à Sectariis. Nam ipsi etiam fatentur, munus *cõficiendæ & administrandæ* Eucharistiæ, ad quosdam tantùm in Ecclesia pertinere, qui ad ministerium id Ecclesiasticum obeundum, legitimè destinati sint, vt videre est apud Kemnitium in examine, sess. 23. cap. 1. & can. 1. Concilij Tridentini. Neq; magnoperè isti repugnant, quòd minùs eiusmodi Ministri vocentur Sacerdotes, ea ratione videlicet, quoniam res sacras populo exponant & administrent, vt idem Kemnitius notat.

Sed illud est, quod isti pertinacissimè negant, ministerium Eucharistiæ conficiendæ, ad tales Sacerdotes propriè pertinere, quales Ecclesia Catholica agnoscit. Nempe, qui supernaturalem quandam, realemque *potestatem* ad id munus obeundum accipiant, per vsitatam in Ecclesia Catholica ordinationem, qua videlicet in eorum ordinem redigantur, quibus à Christo dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem*, vt rectè declarat Diuus Thomas hic articulo primo. Sentiunt enim isti, si de *potestate* conficiendi atque administrandi Eucharistiam agatur, omnes Christianos esse pares, & æquè ad id munus idoneos, hoc ipso, quòd Christiani sunt. Neque aliquid præterea realis potestatis ad id

Universidad de Deusto
Biblioteca

officium legitimè obeundum requiri; sed solùm desiderari *vocationem* quandã atq; *deputationem*.

Atque ob id docent, omnes Christianos esse Sacerdotes, tum propter potestatem, quam omnes alioqui habeant obeundi Ecclesiastici ministerij, si ad id deputentur: tum etiam propter communem omnibus facultatem offerẽdi Deo spiritualia sacrificia bonorum operum. Præter quæ negant aliquod externum sacrificium propriè dictum fieri debere in consecratione Eucharistiæ. Ita desipuit primò VViclephus, contra quem disserit VValdensis tomo secundo de Sacramentis, capite septimo & 28. Deinde Lutherus in libro de abrogãda Missa primata, idem censuit, quem in hoc secuti sunt reliqui omnes Sectarij.

Porrò hæc hæresis infrà refutanda est, cùm in materia de Sacramento Ordinis ostendemus, spiritualem aliquam & realem *potestatem*, quam Characterẽ vocamus, in ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, diuinitùs conferri; & quod per eam potestatem externum etiam sacrificium in Eucharistiæ confectione offeratur, docet Diuus Thomas quæst. seq. nosq; ibi conuincemus.

Hoc autem loco id accipimus, quod dant nobis Sectarij, *munus* conficiendæ Eucharistiæ, non ad omnes demùm Christianos, sed ad tales Ministros & Sacerdotes pertinere, quales oportet esse in Ecclesia. Hos igitur omnes & solos dicimus posse validè conficere Eucharistiam: neque vlla res, quo minùs Eucharistiæ Sacramẽtum ab illis confectum, ratum sit, impedimento esse potest; modò neq; intentio illis desit, & debitã adhibeant materiam ac formam.

Quare si ritè ordinatus Sacerdos fueris; etiamsi peccato mortali obstrictus, si hæreticus, si schismaticus, si excommunicatus, si degradatus sis; verum nihilominus conficere poteris Sacramentum, vt ex communi sententia perspicuè asserit Diuus Thomas artic. 5. 7. & 8. Est enim *potestas* illa Ordinis prorsus *indelebilis*, quæ ne per *degradationem* quidem tollitur, etsi inhibetur quidem per eiusmodi pœnam vsus Ordinis in perpetuum. Quam ob caussam Degradatio dicitur, vt notat etiam art. 8. D. Thomas.

Cæterùm grauissimum SACRILEGIVM est, aut peccato mortali obstrictum, aut aliqua eiusmodi *Censura*, vel *quasi Censura* Ecclesiastica irretitum, Eucharistiam conficere, vt idem D. Thomas asserit: quin etiam Irregularitas incurritur, violãdo in eo genere Censuram Ecclesiasticam, nèpe si quis illa obstrictus celebret, vt videre est apud Nauarrum in Manuali, cap. 27. num. 241.

Iam verò *ministrare* seu dispensare aliis Eucharistiam, omnino etiam pertinet ad Sacerdotes. In eorum enim persona dicit Apostolus 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Dei, & dispensatores mysteriorum eius.* Vbi generatim de *Mysteriis* loquitur, maximè propter Sacramenta, quorum præcipuum est Eucharistia.

Non tamen perinde proprium est Sacerdotum, Eucharistiã administrare, atq; eandem cõficere. Nam sub specie quidem sanguinis (quando hæc esset in communi vsu) Diaconi quoque illam ex officio suo administrare possunt, vt rectè exponit D. Thomas art. 3. ad 1. Atque ita olim vsurpatum fuisse constat ex Ambrosio lib. 1. de Officiis, cap. 41. & ex Maximo serm. 1. de D. Laurentio, & Cypriano in serm. de lapsis, Isidoro libro 2. de Officiis, cap. 8. Epiphanio hæres. 79.

Item possent DIACONI sub *specie panis* administrare Eucharistiam, iubente Episcopo, vel in necessitate, in absentia Sacerdotis, vt idem D. Thomas docet loco citato. Quod ita factũ iam olim esse, apparet ex Cõcilio Carthaginensi IV. can. 38. & Arelatensi II. can. 15. & Nicæno can. 14. Atque id ipsum confirmat D. Thomas in 4. dist. 13. quæst. 1. artic. 3. quæstiuncula 2. & Halensis 4. part. quæst. 50. memb. 3. Paludanus dist. 13. quæst. 1. Sotus ead. dist. q. 1. art. 3. qui etiam arbitratur, posse Diaconum in necessitate id facere, etiam præsente & reclamante Sacerdote, quando is quidem iniquè negaret Eucharistiam indigenti.

DVBIVM autem est, An in necessitate posset administrare Eucharistiam Subdiaconus quoque, vel etiam aliquis Laicus? Syluester Verbo Eucharistia, 3. q. 4. refert, Henricum quẽdam affirmasse, qui, vt ex Syluestro apparet, hoc argumento mouebatur. Subdiaconus & Laicus possunt *contingere* Eucharistiam, & leuare, si in terram deciderit; aut etiam accommodare, ne decidat, quando eius rei esset aliquod periculum, vt D. Thomas artic. 3. & alij communiter concedunt. Ergo etiam id facere poterunt, vt periculo & necessitati proximi succurrant. Hanc tamen opinionem Syluester ibi reiicit, & Sotus dist. 13. quæst. 1. art. 3. & alij communiter. Quia Sacramentum istud non est, inquiunt, tantæ necessitatis. Quin etiam Sotus dicit, esse eiusmodi opinionem intolerabilem.

Mihi verò neque improbabilis esse illa opinio videtur, nec eius ratio contemnenda, maximè cùm non sit alioqui prohibitum iure diuino Laicis, ne Eucharistiam contingant; sed iure Ecclesiastico, de Consecratione, dist. 2. Can. *Peruenit*. Suprà enim quæst. præced. p. 5. vidimus, moris aliquando fuisse, vt priuati secum deferrent domum Eucharistiam, & ibi sumerent, licet id postea propter incommoda multa sublatũ sit. Notat quoq; Sotus, non fore mortale, si quis Laicus etiam peccati mortalis sibi conscius, Eucharistiam reuerenter attingeret, vt è terra tolleret.

Deniq; & illud notandum est, dispẽsationem Eucharistiæ, non tm̃ esse actum Ordinis; sed eiam cuiusdam iurisdictionis. Quò fit, vt quamuis iure diuino possint Sacerdotes & Diaconi, quãtum est ex parte Ordinis, Eucharistiã administrare, eo modo quo dictum est; indigeãt tamen præterea ad id iurisdictione; vel ordinaria, qualẽ habent

habent Parochi; vel ex commissione, aut ex priuilegio, quale habent Religiosi, Cap. *Religiosi.* de priuilegiis, excepto tempore Paschatis, cùm in suis quique Parochiis communicare debent, nisi aliud eis liceat per proprios Parochos. Et hactenus de primo Puncto.

PVNCTVM SECVNDVM.

An plures possint eandem numero Eucharistiam, puta vnam hostiam, consecrare.

D. Thom. artic. 2.

RATIO hac de re dubitandi orta est ex consuetudine quarundam Ecclesiarum, in quibus, teste etiam D. Thoma hîc art. 2. obtinuit, vt qui Sacerdotio initiantur, simul celebrent cum Episcopo.

Et quidem, si *eodem* omnes *momento* finiant verba consecrationis; extra controuersiam est, consecrationem tunc ab omnibus fieri. Nam & idem Baptismus à pluribus conferri potest, si eorum quilibet formam & materiam adhibeat, & omnes eodem temporis puncto finiant Formæ prolationem, vt suprà disputatione quarta, quæstione 2. puncto secundo, cum Diuo Thoma docuimus.

QVAESTIO autem hoc loco est, An possit eadem hostia consecrari à pluribus, etiam tunc, cùm non omnes illi finiant *simul* prolationem Formæ. Qua de re duæ sunt sententiæ. VNA est Durandi in quarto, distinct. decima tertia, quæstione tertia, qui censet, minimè consecrare eos, qui post alios vel alium, finiãt verba consecrationis; sed illum tantùm, vel illos, qui simul primò finiunt.

Argumentum huius sententiæ est. Quoniam in fine primæ prolationis, Forma est vera, & pro eo momento significat, vt suprà quæst. 6. puncto 2. à nobis declaratum est: Eo igitur momento fit consecratio. Quod si ita est; sequitur, eos nihil facere, qui postea finiunt. Eadem sententia Durandi propter eiusmodi argumentũ, placet tandem Caietano hîc artic. 2. & Soto dist. 13. quæst. 1. art. 2.

CONTRARIA tamen sententia est D. Thomę hoc loco art. 2. qui secutus Innocentium III. libro 4. de Sacrificio Altaris, cap. 25. affirmat, omnes nouos Sacerdotes, qui cum Episcopo celebrant, consecrare, licet finiant alij post alios; modò intentionem suam referant ad vnum aliquod & idem instans consecrationis; nempe ad illud, in quo vltimus vel vltimi, simul finiũt prolationem verborum. Atq; hanc ego sententiam magis probo propter authoritatem illarum Ecclesiarum, in quibus moris est sic facere. Neque enim dici potest, nouos Sacerdotes cum Episcopo finire semper prolationẽ in eodem momento, cùm vix aliquando videatur id fieri posse, si sint multi.

Neq; porrò ad hoc Ecclesiarum institutum satis respondent probabiliter Durandus, Caietanus, & Sotus. Durandus ait, consuetudinẽ illam esse *periculosam*, quæ aboleri potiùs, quàm defendi debeat. Hoc verò non sine temeritate aliqua dicitur. Habet enim illa consuetudo non incongruẽtes rationes, vt ex D. Thoma hîc art. 2. intelligi potest: tametsi neque sint sanè rationes illæ prorsus cõuincentes, quod frustrà opponit Durandus. Non enim hîc Quæstio est, qd necessariò fieri debeat; sed quid non malè fieri possit.

Caietanus interpretatur, Sacerdotes nouos secundùm institutum illarum Ecclesiarum proferre quidem omnia verba Canonis vnà cum Episcopo; sed consecrationis verba *recitatiuè* tantùm dicere, nõ autem ad consecrandum. Quod probat: Quia in Põtificali Romano antiquo, ita præcipitur nouis Sacerdotibus: *Dicant omnia, quæ sunt in Missali, sicut si celebrarent.* Quo ipso, inquit Caietanus, insinuatur, eos non celebrare; sed tãtùm recitare illa verba.

Mihi verò potiùs isto modo insinuari videtur, eos non modò recitatiuè, sed etiam ad consecrandum dicere debere. Nam ita dicere iubentur, sicut si *ipsi per se* Missam illam celebrarẽt. Si autem ipsi celebrarent, dicere deberent non solùm recitatiuè, sed animo *consecrãdi*, vt cõstat.

Accedit, quòd à tempore Innocentij VIII. vt Caietanus notat, præcipitur in Pontificali Romano, vt Episcopus tardiùs & elatiori voce verba consecrationis dicat, vt noui Sacerdotes eadem cum illo proferant, eodem momẽto, id est, vt quoad eius fieri possit, conentur simul dicere. Hoc autem præceptum certè est indicio, Sacerdotes nouos, vt sic moris est, debere etiam proferre animo consecrandi. Ideo enim conari iubentur simul dicere.

Neque obstat, quòd in antiquiori Pontificali, vt Caietanus ait, non habebatur ęiusmodi admonitio. Quòd enim postea tempore Innocentij VIII. adhibita illa sit, argumento esse debet, eum etiam fuisse antiquum vsum, vt intentione consecrandi illa verba dicerentur à nouis Sacerdotibus.

Neque verò est impossibile illud præceptum, sicut Caietanus obiicit. Non enim iubentur prorsus eodem temporis puncto omnes finire; sed vt quoad possint, conentur id facere; vt quò minori temporis interuallo omnes finiant, eò possit esse efficacior illa relatio intentionum ad idem instans vltimum, de quo Diuus Thomas post Innocentium monet. Vnde etiam intelligi potest, non satis considerauisse Caietanum, quò hæc admonitio D. Thomæ spectaret, cùm ex ea etiam suadere nitiur, Sacerdotes nouos nõ ideo in Pontificali iuberi proferre simul: quia debeant etiam ipsi consecrare.

Nihilo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nihilo magis probari debet, quod respondet Sotus, nempe licet ij, qui postea proferunt, non consecrent; tamen illam cõsuetudinem minimè esse malam, quandoquidem certum est, per aliquem, vel aliquos hostiam tunc cõsecrari, adeoque nullum inde imminet Idololatriæ periculum, & quilibet putare potest, se cõsecraturum. Et accedit, inquit Sotus, quòd non imprimitur hîc aliquis Character, sicut in Baptismo.

Hæc autem explicatio non simpliciter & absolutè ostendit, illam consuetudinem esse licitam, posito, quòd non etiam consecrent ij, qui posteriùs proferunt; sed tantùm docet, non esse quidem illicitã ex parte ipsorum nouorum Sacerdotum, quasi quilibet, aut aliquis ex illis tũc peccet, iterando ex intentione consecrationem. Itemque non esse illicitam, ratione alicuius periculi Idololatriæ, aut propter impressum aliquẽ characterem.

Dicet autem nihilominus aliquis, fore illicitam illam consuetudinem ex parte ipsorum *Prælatorum* Ecclesiarum, qui deberent scilicet prouidere, ne forma Eucharistiæ toties frustrà & superuacaneè applicaretur ad materiam, quoties in illo ritu accidit, vt alij post alios finiant verba consecrationis: cumque hoc, nisi consuetudo tollatur, prouideri moraliter non possit, debere illam tolli à Prælatis.

Vt igitur ex his omnibus difficultatibus euadamus, in sententia D. Thomæ & Innocẽtij persistendum est; quæ præterea ea re confirmatur, quòd, si is solus, qui primus finiret, consecrat; aliquando accideret, vt Episcopus in sacro illo, quod ipse celebrat, non consecraret, si videlicet ab aliquo è nouis Sacerdotibus anteuerteretur; & consequenter neque tunc ipse Episcopus sacrificaret, quod dictu est absurdum.

Ad argumentum autem contrariæ sententiæ RESPONDENDVM est, ex congruenti caussa, & Ecclesia ita permittẽte, rectè fieri posse, vt significatio verborum protrahatur, ad instãs aliquod post finem prolationis. Neque hoc est cõtra naturam enunciationũ de *præsenti*: Quamuis enim illæ satis vim suam retineant, si pro vltimo instanti prolationis significent; nõ est tamen semper ad earum veritatẽ id necessarium. Quinimò moraliter quidem sæpè fit, vt significẽt pro momento insequente aliquantò post. Vt si dicas: *Hoc est verbũ, quod iam volo dicere*: & demùm post prolatam eiusmodi enunciationem incipias illud verbum explicare.

Accedit, quòd etiam indigent hac ipsa responsione Caietanus & Sotus, cùm locis citatis fatentur, nouum Episcopum, qui cõsecratur, omnino celebrare & conficere Eucharistiam, vnâ cum Episcopo se consecrante. Quemadmodum expressè habetur in antiquo Pontificali Romano. Si enim tunc accidat, vt alter altero posterius finiat verba consecrationis, oportet similiter tunc respondere satis esse, si vterque ad idem instans referat intentionem suam.

Neque multum contra hanc explicationem nostram valet, quod OBIICIT Caietanus, pari ratione debuisse D. Thomam suprà quæst. 67. concedere, quòd à duobus conferatur idem Baptismus, etiam in casu, quo alter proferat verba Formæ prius, modò vterque ad vltimum instans vtriusque prolationis referat suam intentionẽ. Quod tamen D. Thomas non explicuit; sed simpliciter negauit, Baptismum tunc cõferri ab eo, qui postremò finit verba Formæ.

RESPONDEMVS enim D. Thomam supposuisse in eo loco, non suppetere iustam caussam, aut approbationem Ecclesiæ ad hoc, vt duo conferre simul velint eundem numero Baptismum, sicut suppetit in proposito nostro, vt eadem Eucharistia à pluribus conficiatur, quemadmodum ipse D. Thomas ad hoc argumẽtum de Baptismo respondens id declarat hîc art. 2. Quare rectè negauit suprà, Baptismum conferri tunc ab eo, qui posteriùs finiat verba: non enim est in cuiusque arbitrio positum, suspendere ad libitum significationem Formæ Sacramenti alicuius. Quod si aliquo casu ob iustam caussam id ipsum in Baptismo probaret Ecclesia; cõcedimus similiter in eo casu vtrumque posse tunc baptizare, beneficio illius relationis intentionum ad vltimum instans. Neque hoc negare voluit vnquam D. Thomas.

Ad extremum duo breuiter hîc notentur. VNVM est, cùm sint hæc de re, vt vidimus, diuersæ sententiæ, tutissimum in praxi ipsa fore id quod monent rectè Caietanus & Sotus, nempe vt noui Sacerdotes, vbi illa viget consuetudo, non habeant intentionem determinatè consecrandi, aut non consecrandi, dum verba proferunt; sed *generatim* velint habere intentionem eam, quam habere *debent*.

ALTERVM est, minimè etiam debere eos tũc sumere sanguinẽ, etiamsi consecrent: non enim gerunt se tunc ipsi, tãquam Ministri principales, qui videlicet per se celebrent, seu cõficiant istud Sacramentum.

PVNCTVM TERTIVM.

An ij, qui possunt istud Sacramentum conficere, teneantur etiam id facere, & quando.

D. Thom. artic. 10.

DIVERSAE sunt hac de re Theologorum sententiæ, Alex. Halensis 4. par. q. 51. memb. 2. & Bonauentura in 4. dist. 12. art. vltimo, q. 1. existimant, Sacerdotem, cui neque animarum cura, neque peculiaris alia obligatio incumbit, non peccare mortaliter, etiamsi in vita nunquam celebret. Itemque Caietanus hîc art. 10. indicat, non peccare, saltem mortaliter. Argumentum istius sententiæ est, quia nullum extare videtur eiusmodi præceptum diuinum, aut humanum.

CONTRARIA tamen sententia est communior & longè certior, nempe Sacerdotes hoc ipso, quòd *Sacerdotes* cõstituti sunt, teneri sub peccato mortali aliquando celebrare. Ita D. Thomas hîc articulo decimo. Richardus in quarto, distinct. 13. articulo secundo, quæstione secunda. Durandus & Paludanus ead. dist. q. 2. Syluester Verbo Missa 1. q. 7. Sotus dist. 13. q. 1. art. 10. Nauarrus in Man. cap. 25. num. 88.

Probatur hæc sententia *Primò* illis verbis Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*: quæ præceptum continent inprimis pertinens ad Sacerdotes, vt suprà confirmauimus, & expressè declaratum est in Concilio Tridentino, sess. 22. capite primo. *Deinde* probatur. Quoniam rectæ rationis iudicio, grauis deformitas est, otiosum habere perpetuò tantum gratiæ charisma spirituale, quantum est illa potestas Sacerdotalis, quæ in ordinatione accipitur. Quo argumento vtitur hîc Diuus Thomas rectè ad hoc propositum accommodans illud Apostoli 1. Corinth. 6. *Hortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et accedit, quòd finis muneris Sacerdotalis est, vt *offerantur dona & sacrificia pro peccatis*, Hebr. 5. Nec leuis culpa esse potest, rem tantam frustrare suo fine. *Tertiò.* Hæc est communis fidelium existimatio, vt intelligi potest ex magnitudine scandali, quod populo præbent ij Sacerdotes, quos constat nunquam celebrare.

Quando autem, vel *quoties* in anno celebrandum necessariò sit, non satis certò & determinatè constat. Communis tamen Doctorum, quos antè citaui, existimatio est, debere Sacerdotem celebrare minimum ter vel quater in anno; vt in festis principalibus, in quibus populus cõmunicare est solitus; vel ex præcepto olim, vel iam ex denotione, nempe in Natali Domini, in Pascha, & Pentecoste; vel certè aliis diebus ter aut quater, quemadmodum Sotus dist. 13. q. 1. art. 10. hoc explicat ex mente D. Thomæ hîc artic. 10. Quo etiam pacto videntur intelligendi Nauarrus, & Syluester, & alij vbi suprà citati, cùm aiunt, sicut Diuus Thomas, in Festis principalibus esse celebrandum.

Porrò quòd omnino *ter* vel *quater* oporteat intra annum celebrare, colligitur ex Cap. *Dolentes*. Extra de celebratione Missarum, vt à Nauarro & aliis notatum est. Ibi enim Pontifex iniquo animo fert, quosdam fuisse, qui neq; *quater* quidem in anno celebrarent, eosque reprehendit, tanquam ad id alioquin tenerentur. Olim autem vitio vertebatur, si quis Sacerdos non quotidie celebraret, vt apparet ex Concilio Toletano 1. can. 5.

Et certè antiqui Pontifices ea ratione probabant, Sacerdotes debere esse cælibes: quoniam oporteret eos assiduè celebrare. Vt Syricius epistola 1. Innocentius I. epist. 2. Quin etiam Concilium Tridentinum, sess. 23. cap. 14. de Reformatione, ita præcipit: *Curet Episcopus, vt Sacerdotes, saltem diebus Dominicis & Festis solennibus (si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant) Missas celebrent.* Hactenus Concilium.

Vbi tamen rectè notat Nauarrus loco citato, Sacerdotes non priùs teneri ad hoc faciendum, quàm ab Episcopo ad id obligentur, iuxta præceptum Concilij, quod ad Episcopos propriè pertinet. Qui tamen curam habent animarum, ij per se alioqui iure diuino & naturali tam frequenter tenentur celebrare, quàm est necesse, vt *suo muneri satisfaciant*, sicut admonet Cõcilium Tridentinum.

PVNCTVM QVARTVM.

An ij, qui hoc Sacramentum conficiunt, teneantur etiã illud sumere.

D. Thom. artic. 4.

SVPRA quæst. præced. à nobis declaratum est, Sacerdotes, qui Eucharistiam conficiunt, debere etiam sumere, vt iterum probat hîc D. Thomas artic. 4. Nonnullum tamen hîc DVBIVM est, An *sub vtraque* specie semper teneantur consecrare, & etiam sumere Eucharistiam?

Adrianus in 4. in materia de Eucharistia, & Albertus Magnus in libro de Corpore & Sanguine Domini, & Gabriel lectione 53. in Can. & Turrecremata super Can. *Comperimus*, de consecrat. distinct. 2. sentiunt, aliquando posse in hoc dispensari per Pontificem, vt consecratio fiat in altera tantùm specie. Vt si esset alicubi magna penuria vini.

SED contraria sententia censetur probabilior, eò quòd ad Sacerdotem ex natura rei pertinet *perfectè* conficere hoc Sacramentum, sicut quæst. præced. docuimus. Quod nisi faciat, cõmittet sacrilegium, vt satis indicat D. Thomas quæst. 80. art. 12. ad 1. & 2. & clariùs quæst. 74. art. 1. ad 2. Atque ita etiam sentit Innocentius lib. 4. de Sacrificio Altaris, cap. 22. & 23. & Sotus in 4. distinct. 11. quæst. 1. art. 6. & ante quoque dist. 9. quæst. 1. art. 1.

Item ob eandem rationem, vt scilicet Sacramentum perficiatur, debet Sacerdos semper sumere speciem à se consecratam, nisi in casu, quo miraculosè appareret sanguis vel caro in ipsa Sacramenti specie; aut etiam venenum esset infusum, &c. Tunc enim potest alia species consecrari & sumi, vt D. Thomas hîc artic. quarto ad tertium, & quæstione seq. articulo sexto ad tertium docet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM QVINTVM.

Vtrum conditio Ministri conficientis, aliquando sit in causſa, vt Sacramentũ vel omnino infructuoſum ſit, vel certè minùs fructuoſum.

D. Thom. art. 6. & 9.

STATVAM hac de re nonnullas Aſſertiones. PRIMA. Si loquamur de fructu, quem ex *opere operato* habere poteſt Euchariſtia, vt Sacramẽtum & Sacrificium, in his quidem fidelibus, qui iuſti ſunt, quiq́ue non petiuerunt ipſi Sacrificium fieri; nulla cõditio Miniſtri in cauſſa eſſe poteſt, vt Sacramẽtum hoc & Sacrificium ſit vel *inutile*, vel *minùs* fructuoſum. Ita colligitur ex doctrina D. Thomæ hîc art. 6. ad 2. & 7. ad 3. Quam etiam aſſerit bene & breuiter Nauarrus in Manuali, cap. 25. num. 79.

Et ratio eſt: Quoniam ille fructus Sacramenti & Sacrificij, non nititur bonitate Miniſtri; ſed *veritate* Sacramenti & Sacrificij, quæ ſatis ipſa conſtat, ſi à Miniſtro habente poteſtatem Ordinis, confectum ſit Sacramentũ in perſona Chriſti. Quod vt validè fiat, nihil intereſt, qualis ſit Miniſter, vtrum bonus aut malus, aut etiam aliqua Cenſura Eccleſiaſtica irretitus.

Atque hac quidem ratione facilè aſſentior Soto, qui diſtinct. 13. quæſt. prima, artic. octauo aſſerit, Miſſam excommunicati & præciſi ab Eccleſia, vtilem aliis fidelibus eſſe poſſe, etiamſi ipſi quidem nihil proſit. Neque intereſt, quod ad hoc attinet, vtrum talis toleretur ab Eccleſia, vel non toleretur: Sicut ij non tolerantur, qui ſunt *nominatim excommunicati*, aut *notorij percuſſores* Clerici, poſt decretum videlicet Concilij Conſtantienſis. Non enim Sacrificium valet ex opere operato, quatenus fit etiam *Eccleſiæ* nomine; ſed qua ratione fit nomine, & in perſona Chriſti, vt D. Thomas articulo ſeptimo ad tertium explicat. Fit autem in perſona Chriſti hoc ipſo, quòd fit ab habente poteſtatem Ordinis, qualiſcunque ille ſit.

SECVNDA Aſſertio. Poteſt tamen conditio Miniſtri eſſe in cauſſa, vt Sacramentum & Sacrificium non proſit ex opere operato *ipſi Miniſtro*; aut etiam iis, qui vel ab illo *petiuerunt*, vt Euchariſtiam conficeret & adminiſtraret; vel ab eo *accipiunt*; vel Sacro illius *interſunt*.

Hoc etiam patet ex doctrina D. Thomæ artic. 6. 7. & 9. Quod ita explicamus. Nam ſi Miniſter ſit obſtrictus mortali peccato, aut etiam aliqua cenſura impeditus; conſtat, neque Sacrificium, neque Sacramentum quidquam illi prodeſſe, cùm peccet potiùs illud vſurpando. Item, ſi abſque vrgente aliqua cauſſa quis *petat* à malo Miniſtro pro ſe Sacrum fieri, aut ſibi Euchariſtiam adminiſtrari, ſimiliter ipſe peccabit, atque adeò nullum fructum ex Sacrificio aut Sacramento conſequetur. Præbebit enim Miniſtro occaſionem peccandi, & communicabit adeò indirectè peccato illius, vt D. Thomas docet, artic. 9. & Nauarrus in Manuali, cap. 25. num. 78. ex cõmuni ſententia.

Item peccabit, neque aliquid fructus conſequetur is, qui ab *excommunicato nominatim* aut *notorio percuſſore* Clerici accipiet Sacramẽtum, cùm talis non habeat poteſtatem conferendi, neque adeò liceat cum illo in ſacris communicare.

Item etiam, qui ſine vrgente cauſſa *audit* Miſſam mali Miniſtri, quando idipſum putatur occaſioni ei futurum, vt in peccato *perſeueret*. Sicut notat etiam vbi ſuprà Nauarrus. Quod facilè poteſt iis euenire, qui audiunt illorum Miſſas, qui ſunt *notorij* concubinarij.

Alioqui iam his temporibus non eſt abſolutè & per ſe peccatum eorum Miſſas audire, præſertim vbi ſunt iſti frequentiores: quamuis olim quidem ab Eccleſia prohibitum id fuerit, Can. *Nullus*. diſt. 32. vt docet etiam D. Thomas hîc artic. 9. ad 3. Quod ius iam eſt contraria conſuetudine antiquatum, & ideo non eſt per ſe id illicitum: vt notat Sotus d. 13. q. 1. art. 9. & Gabriel in 4. ead. diſt. quæſt. 1. art. 3. dub. 4. ex aliorum etiam ſententia, & Ioannes Maior in 4. d. 9. quæſt. 4. in fine, & etiam Adrianus in 4. in materia de Euchariſtia, non longè à fine, ſubindicat eſſe anti-quatam prohibitionem illam, dum ait, *olim* quidem fuiſſe id prohibitum iure humano.

Neq; aſſentior Nauarro, qui cap. 25. num. 80. abſolutè dicit, eſſe id iam mortale: quanquam Doctores quidam antiquiores idem aſſeruerũt, quippe cùm vigeret ius illud eorũ temporibus. Rectè autem notant Nauarrus & Gabriel, minimè hanc Iuris prohibitionem patefaciendam eſſe vulgaribus hominibus, qui probabiliter alioqui eam ignorant: & ſine controuerſia excuſantur, audiendo huiuſmodi hominum Miſſas. Quod tamen Nauarrus putat intelligendum eſſe, quando nihil alioqui videretur profuturæ eiuſmodi admonitio. Sed, vt dixi, iam illud ius eſt antiquatum: Itaq; non oportet nunc in earum conſcientiis iniicere aliquem ſcrupulum.

Iam pono TERTIAM Aſſertionem huiuſmodi. Si de fructu loquamur, quem habet Sacrificium ex opere *operantis*, hoc eſt, ex merito ipſius Miniſtri: aut etiam de fructu non propriè ipſius Sacramenti & Sacrificij; ſed earum *Orationum*, quæ in confectione Sacramenti & Sacrificij à Miniſtro adhibentur; omnino poteſt conditio Miniſtri eſſe in cauſſa, vt celebratio Sacramenti & Sacrificij ex ea quidem parte ſit inutilis, aut minùs certè fructuoſa.

Id probatur ex doctrina D. Thomæ artic. 6. & artic. 7. ad 3. Nam vis operis operantis, quam habet Sacrificium, nititur merito ipſius etiam Miniſtri: item illæ Orationes habent vim impetrandi duplici ratione, ſcilicet quatenus fiunt in perſona totius Eccleſiæ, & quatenus etiã funduntur ab ipſo Miniſtro, ſi iuſtus fuerit, aut certè *pie* orauerit, cum aliqua deteſtatione peccati, &c. Iam igitur, ſi Miniſter ſit peccato mortali obſtrictus, nihil valebit ex illius quidem merito Sacrificium. Item, ſi fuerit ab Eccleſia præciſus per Eccleſiaſticam cenſuram, nullam ab Eccleſia quidem habebunt efficaciam illius Orationes, vt D. Thomas rectè docet art. 7. ad 3. Et ratio eſt clara: Non enim Eccleſia vult per talem Miniſtrum preces Deo offerre: Item, ſi ſit in peccato, neque piè oret, nullam etiam habebunt eius Orationes vim impetrandi, quatenus ab *ipſo Miniſtro* fiunt, vt probat D. Thomas artic. 6. illo teſtimonio: *Qui declinat aures ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*, Prouerb. 28.

Notandum autem eſt, preces, quæ in Sacrificio fiunt, qua parte quidem vim impetrandi habent, ab ipſa Eccleſia, hoc eſt, à cœtu fidelium, in quorum perſona funduntur, eò maiorem vel minorem vim habere, quò variis temporibus plures aut pauciores iuſti ſunt in Eccleſia. Plus enim impetrant plures iuſti, quàm pauci, cæteris paribus.

Ac idem iudicium eſſe debet de vi impetrandi, quam habet ipſum Sacrificium ex merito, & opere *operantis*, tum Miniſtri, tum ipſius Eccleſiæ, in cuius etiam perſona offertur. Eò enim maior hæc Sacrificij vis erit, quò plures fuerint in Eccleſia iuſti; & hac etiam ratione fructuoſior erit Miſſa boni Sacerdotis, quàm mali: Quia tunc, cæteris paribus, à pluribus iuſtis illa offertur, quàm alioqui offerretur, ſi Miniſter etiam non eſſet iuſtus. Et id ſolùm videtur voluiſſe Scotus in 4. diſtinct. 13. quæſt. vltima, citatus hîc etiam à Caietano artic. 6. neq; id eſt contra mentem S. Thomæ.

Atque ex his omnibus conſequitur, Miſſam boni Sacerdotis, omnibus quidem ſpectatis, fructuoſiorem eſſe, quàm mali: ideoque multùm intereſſe, à quonam poſtules offerri Sacrificium, vt rectè monuit Nauarrus capite 25. numero 59. Et hactenus de hac Quæſtione.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De huius Sacramenti Ritu.

D. Thom. 3. part. quæſt. 83.

SACRAMENTI RITVM IN PROPOSITO APPELLAMVS rationem ac modum illud conficiendi & celebrandi. Porrò in ratione celebrandi iſtud Sacramentum, conſiderare oportet tum actiones, quibus ipſum Sacramentum propriè tractatur; tum circumſtantias earum actionum. Actiones eiuſmodi poſſumus in proposito diſtinguere quinq;, Conſecrationem Sacramenti, Oblationem, Sumptionem, Adminiſtrationem, Venerationem. Circumſtantiæ ſunt, locus, tempus, veſtium ornamenta, verborum & geſtuum cæremoniæ, quibus condecorari celebratio iſtius Sacramenti debeat. Iam verò quod attinet ad ipſas actiones, ſatis ſuprà diſſeruimus de quibuſdam illarum, cùm de Forma, Vſu, & Miniſtro huius Sacramenti dictum eſt, nempe de Conſecratione, Sumptione, & Adminiſtratione.

Quare ſupereſt, vt in hac Quæſtione diſputentur tria de reliquis duabus actionibus, nempe PRIMO, *de Oblatione ſeu Sacrificatione Euchariſtiæ.* SECVNDO, *de illius veneratione.* TERTIO, *de circumſtantiis illis Celebrationis huius Sacramenti, id eſt, Conſecrationis & Oblationis; quas circumſtantias perſequitur ordine D. Thomas artic. 2. 3. 4. & 5. Et referuntur ad eaſdem etiam Celebrationis circumſtantias illa, quæ ad extremum D. Thomas in art. 6. diffuſè notat de modo, quo ſit occurrendum variis Caſibus, qui poſſunt accidere Sacerdoti, dum celebrat.*

PVNCTVM PRIMVM.

De oblatione Euchariſtiæ atque adeò de ſacroſancto Miſſæ Sacrificio.

D. Thom. artic. 1.

DE SACROSANCTO Missæ sacrificio fusè aliás in duob. libris contra Sectarios disputauimus, & nominatim contra Herbrandum & Kemnitium, qui aliorũ ferè omnium Sectariorũ argumenta collegerũt. Sed necessariam & sufficientẽ hac de re doctrinã adhibita methodo cõuenientẽ, cõplexi sumus in priori libro ex illis duobus. Inde igitur (quoniam nunc meliora non occurrunt) explicationẽ huius controuersiæ huc trãsferemus, paucis additis, & intermissis nõnullis, quæ alibi in his cõmentariis tradidimus. Distinguemus autem disputationẽ eam per certos paragraphos, ne alioqui minus grata Lectori sit illius longitudo.

Quisnam sit status cõtrouersiæ de sacrificio Missæ. §.1.

SECTARII, vt facilius possint offundere tenebras veritati, valde confundunt statum huius controuersiæ. Ita enim de illa scribunt, ac si tm ferè contineat vnam quæstionẽ. Vt cum in sacrilega sua disputatione cõtra Missam, n.1. ait Herbrandus: *quæstionem esse an Missa, in qua* (inquit) *offerre se iactitant sacrificuli corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi sub speciebus panis & vini: sit verè propitiatorium sacrificium pro peccatis viuorũ & mortuorum aliisq; necessitatibus. Hoc enim*, ait, κεκώμενον *est inter nos & Romanenses.*

Si aũt considerentur argumenta oĩa inanissima, quib. & iste, & Kemnitius in exam. sess. 22. Cõcilij Trid. & Caluin. lib. 4. Instit. cap. 18. & reliqui hæretici mysterium hoc sacrosanctũ diuersè oppugnant; plures hoc loco videbuntur esse distinguẽdæ quæstiones inter illos & Romanã, hoc est Catholicam Christi Ecclesiã, non sine magno ipsorum scelere cõtrouersæ? PRIMA, exhibeant ne Deo Sacerdotes nostri in Missa verũ sacrificium? SECVNDA, si verũ sacrificium exhibent, vtrum illo seruatoris nostri corpus & sanguinẽ omnino sub speciebus panis & vini offerãt? TERTIA, nũ ab illis huiusmodi sacrificium, illius specie cõsiderata, rectè ac legitimè hoc est ex diuina volũtate peragatur? QVARTA, an propitiatoriũ sit, hoc est, an per se valeat Dei beneuolentiã hominibus ita cõciliare, vt ipsis peccatorũ remissionem aliaq; tum animæ, tum corporis cõmoda beneficiaq; obtineat? QVINTA, quibus nam illud ea ratione sit vtile? solisne Sacerdotibus, qui sacrificant, an etiam aliis fidelibus, pro quibus offeratur? & num aliquibus etiam ex iis, qui vita more Christiano sunt defuncti.

Has oẽs quæstiones inter se differre, certò scio neminẽ ex Catholicis eruditis fore, qui nõ ipso doctrinę ordine admonitus statim perspiciat: de Sectariis, quia doctrinæ rectũ ordinem simul cũ vera doctrina perdiderũt, non idẽ mihi polliceri possum. Quare cùm magni referat, sicut apparebit postea, eos, vt insciti am atq; errorem cognoscant suum, hanc etiam quæstionum differentiã cognoscere, breuiter est illis monstranda.

Igitur cùm rei notitiam atq; intelligentiam quærẽdo inuestigemus, tot possunt de re moueri diuersæ quæstiones, quot ipsius diuersæ notitiæ cõcipi mente possunt. Est autem alia notitia ea, qua *sacrificij* ratio generatim cogitatione apprehẽditur: alia, qua cognoscimus *rem ipsam* determinatam, q̃ offertur: alia, per quã vtrum *rite ac legitimè* sacrificium cõficiatur iudicamus: alia, qua sacrificij *conditionẽ* virtutemq; discernimus, sitne duntaxat εὐχαειστικὸν, an etiã pro peccatis, &c. alia postremò illa, qua nobis innotescũt ij, *quib. cõducit* sacrificium. Ita fit, vt totidẽ de sacra Missæ actione diuersę sint q̃stiones, nimirũ illę quinq;, quas istorum perfidia diximus esse excitatas.

Ac peculiariter quidem, quòd differant PRIMA & TERTIA quæstio ex illis (scilicet an in Missa verum *sacrificium* fiat: & an *rectè*, & ex diuina voluntate atque institutione fiat) patet ex iis, quæ tomo 3. disp. 6. q. 4. p. 1. & 2. docuimus de ratione externi & propriè dicti sacrificij, de quo nine mirum nunc agimus.

Porrò notata hũc in modum & animaduersa differentia hac illarum quinq; quæstionũ, facilè iam intelligi potest non modò quisnam sit inter Christi Ecclesiam, & eius hostes Lutheranos cõtrouersiæ status, verũm etiã quid illi hactenus in huius argumẽti tractatione, aut ignoranter, aut malitiosè peccauerint. Primum enim, vbi cõtrouersiam (vt fecit Herbrandus) ita proponũt, ac si *vnam* tantùm quæstionem haberet, ipsi nesciũt, quorsum singula argumẽta, quæ opponunt, referre debeant, & quæ sit cuiusq; illorum propria explicatio. Ita fit, vt eorum omnis disputatio fluctuet. Dum enim probare volunt, in Missa sacrificium *legitimum* non fieri, non hoc propriè, sed illud *propitiatoriũ* non esse, aut omnino *sacrificium* non esse, aut certè *defunctis* non conducere, vel in eo *corpus & sanguinem* Christi non offerri concludant. Quod cùm in aliorum libellis, tum in Herbrandina disputatione passim lector eruditus deprehendere potest.

Præterea inde fit etiã, vt cum singulis istorũ argumẽtis vanissimis abũdè à Catholicis satis fiat, & apertissimè etiã singulis in quæstionib. redarguantur, semper tũ illi sibi videantur habere aliquid (si tũ ita putant & nõ simulant) quod rursus vel explicationi, vel argumentationi nostræ opponãt. Nam elabuntur subitò, & ex q̃stione vna ad aliã transeunt, quasi nihil vna aliqua responsione, aut argumentatione effici, quoad quæstionem vnã, possit, nisi simul eadem ratiocinatione alteri quæstioni satisfiat. Quod ideo reguntur, quia vt veritatem, sic etiam rectam atq; distinctam veritatis inueniendæ concludendæq; viam ignorant, & quod est deterius, hoc ipsum ignorare se nesciunt: ex quo fit, vt illos ignorantię suę, ob quam mediocriter eruditis valdè sunt contemptibiles, nihil pudeat.

Nam vt omittã nũc Sectarios cęteros, quos in aliis etiã controuersiis hoc eorum omnium cõmune vitium valdè impedit, quò minùs ad metã veritatis perueniant; ex Mart. Kemnitij certè, &, q̃ eius etiam verba interdum describit, Herbrãdi commentationib. de Missæ sacrificio, de quo nunc agitur, exempla huius erroris (nisi fortè fraudis, dici debeat) proferre satis luculẽta possum. Proferam autem vnum vel alterum.

Concilij Trident. Patres sess. 22. cap. 1. cùm doctrinã de hoc augustissimo sacrificio orthodoxã tradere instituerẽt, in primo statim definitionis capite nonnulla breuiter argumẽta indicarunt, quib. præcipuam solùm quæstionem ex his, quas antea distinximus (nũ videlicet in Missa *legitimũ* sacrificium fiat) affirmando explicauerũt. Deinceps aũt reliquam doctrinam sunt prosequuti, nempe sacrificium eiusmodi verè ,ppitiatorium esse; ac defunctis prodesse; nõ tam confirmando singula, quàm definiendo, vt decebat fidei iudices. Neq; enim ,ppositum ipsis Patribus fuit argumentari & probare, sed auditis prius disputationib. hominum doctissimorũ, req; apud se diligentissimè ad fidei regulam examinata, cõtrouersiam cum authoritate decernere.

Kemnitius aũt à se ipso, Concilij, hoc est, orbis terrarum ac suorum iudicum examinator & iudex constitutus, vbi statũ huius cõtrouersiæ admodũ infideliter, vt postea docebo, ,ppositum esset, examinaturus argumẽta illa, quæ Patres, vt dixi, initio insinuauerunt, & ad vnam tm retulerunt quæstionem de sacrificio Missæ; nescio maiori ne fraude, an insciti a, ita de argumẽtis illis pronũciat: *Hoc est*, inquit, *quod* SINGVLA *argumenta firmiter, & perspicuè probare & efficere debet: Primum, corpus & sanguinẽ Christi in cœna Dominica tractandum esse historica illa representatione, verbis, ritibus, gestibus, actibus, sicut Missa Põtificia facit. Secundum, talẽ representationẽ esse sacrificium a Christo institutum & Deo Patri acceptissimũ. Tertium, esse sacrificium propitiatorium ad expianda & delenda peccata, ad consequenda à Deo beneficia, & tandẽ pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus viuorum & mortuorum. Quartum, per illud sacrificium applicari meritã passionis Christi, si quis curet pro se celebrari Missã; sacrificulus illud voluerit applicatione sua cõmunicare. Hæc debent in singulis argumentis concludi esse, ex bona, certa, firma, & manifesta ratione consequentia. Quod si omnib, & singulis argumentis hoc non conficiatur, iudicium facilè erit, quid de Tridentina Pontificia Missa meditatione sentiendum & statuendum sit.*

Consideret nunc obsecro lector, quàm vt ita, dicam, turgida & multiplicia & mõstrosa oporteret esse singula argumẽta, si vnum quodq; deberet ea omnia efficere, quę apertè contra Concilij Patrum institutum, & oẽm disserendi artẽ homo iste vult: Tum etiã qualis hic examinator Ecclesiasticæ atq; cõmunis omnium orthodoxorum Patrum doctrinæ esse possit, qui ad talẽ probandi nostram singula argumẽta exigẽda putet. Vt taceam interim, ne separatim quidem concludi oportere, id quod iste statum controuersiæ inuertẽs, *secundo loco* requirit, actionem totã Missæ sacrificium esse à Christo institutum. Hoc enim Ecclesia non sentit: vt pòst dicemus.

Herbrandum eodem ignorantiæ vel malitiæ vitio suis in cõmentis oberrare hęc exempla disputationis ipsius contra Missam docere possunt. *Primò*, solemne atq; externũ sacrificium à Christi Ecclesia *legitimè* vsurpari, ex eo etiã Catholici Doctores non malè suadere conantur, quòd sacrificandi officium sit legi naturæ consentaneũ: Legem autem gratiæ legem naturę non destruere. Ex quo principio solo nõ tam illi concludere simpliciter volũt, Missam in specie esse sacrificiũ *vndequaq; legitimum*, quam nõ ideo certè illegitimum esse, quia nunc in *legę gratiæ* pòst Christum passum vsurpetur, sicut Sectarij inter cætera argumentãtur; imò potiùs nunc etiam esse sanctũ & religiosum, si naturæ nostræ inclinationẽ hoc etiã gratiæ tempore cõsideremus: neq; alia conditio obsistat; q̃ aliis est argumentis definiendũ.

Huic aũt nostræ argumentationi iste, quoniã non vidit quorsum propriè tenderet; quasi oĩa, quæ sunt aliqua de re cõtrouersa, oporteat simul concludere, sic occurrit: *Etiamsi hæc omnia* (inquit in disputatione contra Missæ sacrificium, num. 50.) *concederemus, quæ sibi sumunt*, (sacrificiorum vsum naturalem esse, & gratiã non destruere naturam) *tamen non sequeretur, quòd isti intendũt: Missam suam esse sacrificium verè propitiatorium pro peccatis viuorum & mortuorum. Est enim fallacia à non distributo ad distributum.* Rectè: si oporteret id totum ex illo principio efficere. At nihil minus est necesse.

Secundò Irenæi, & Augustini & aliorũ Patrum testimoniis, quæ infrà citabimus, planè confirmatur, Malachiæ prophetiam, vbi de *oblatione munda in omni loco* ab Ecclesia Christi offerenda loquitur, ad sacrificium Missæ pertinere. Quod adduci solet ad probandum propriè, eam oblationem atq; sacrificiũ esse *legitimum*. Respondet iste in disput. contra Missam, n. 82. eos Patres ad cœnam quidem Dñi locum illum referre: sed nõ ad oblationem corporis & sanguinis Christi *priuatam, multò verò minùs* (refero eius verba) *quòd ea sit sacrificium verè propitiatorium pro peccatis viuorum & mortuorum aliisq; necessitatibus. Hoc enim*, inquit, *est* κεκώμενον. Quasi oporteat, simul hæc omnia vno & eodem testimonio comprobare: alioqui nnihil efficiatur.

Tertiò ibidem n. 108. sic concludit: *Nequaquam igitur sequitur: Missa à Patribus dicta est sacrificium; ergo est verè propitiatorium sacrificiũ pro viuis & mortuis. Plus enim est in consequentia quàm in antecedẽte.* Ostendunt quidẽ nostri, sacrificium hoc, sententia Patrum, esse *propitiatorium pro viuis & mortuis.* Sed hoc non faciunt, vt iste fingit, neq; verò efficere debent ex illis locis, vbi tantùm Patres asserunt, esse *sacrificium*. Sic neque locum Malachiæ

propriè eò conferunt, vt euincant, Missam *viuis & defunctis* prodesse. Sed eam certè continere verum sacrificium, & quidem nouum noui Testamenti, quod veterib. succesſerit, quemadmodũ Patrum etiam authoritate ſuo loco aſſeremus.

Quarto ibidem n.76. *Non ſequeretur* (inquit) *etiamſi Malachias dixiſſet, offeretur mihi oblatio noua vel munda; ergo Miſſa Pontificia eſt verè ſacrificium propitiatorium pro peccatis viuorum & mortuorum. Quis ſanæ mentis*, inquit, *ita argumentabitur?* Nullus omnino; neque nos id ita concludemus poſtea ſuo loco, ſed aliis argumentis probabimus, quæ eò propriè pertineant.

Omitto cætera, quæ in iſtius diſputationibus paſsim occurrunt, ex quibus facilè apparet, ipſum ſicut cæteros collegas, vti diximus, in eo multum errare, quòd quæſtiones huius controuerſiæ, & quorſum vnumquodque ſpectet argumentum, ſiue ſuum, ſiue noſtrum, non ſatis diſtingunt. Quæ cauſſa fuit, quamobrem, vt commodiùs & noſtra probaremus & refelleremus contraria, neceſſariò mihi ad ſtatum controuerſiæ rectè conſtituendum, quæſtiones illæ, quas propoſui, diſtinguendæ fuerint; & hæc pauca breuiter annotanda de iſtorum in diſſerẽdo inconſtanti & lubrica & perturbata ratione.

Nam quod fortaſsè dicent, nos nõ modò non omnia ſimul, quę ſunt de hoc myſterio controuerſa, ſingulis argumẽtis efficere, ſed ne ſeparatim quidem vllo argumento aliquid; id verò q̃ ſit vanum, deinceps videbimus. Ad quæſtiones enim propoſitas Chriſto adiuuãte ordine ita reſpondebimus, vt aduerſarios potius omnino nihil, quod alicuius momenti ſit, afferre, planum efficiamus. Neq; quidquã eorum prætermittimus, quæ ipſi ex pertinaci quadam, vt mihi videtur, inſcitia reprehendunt; Vt quod docemus, meritorum Chriſti *applicationem* per hoc ſacrificium fieri, & illud ex *opere operato* (quorum verborum vim ignorant) valere, & *ſolo* Sacerdote *cõmunicante* offerri poſſe. Hæc enim & ſimilia in ipſa propoſitarum quæſtionũ, præſertim tertiæ & quartæ explicatione oportunè à nobis expedientur.

QVÆSTIO PRIMA.

An fiat in Miſſa veri nominis ſacrificium. S. 2.

RESPONDEMVS omnino *in Miſſa* verum fieri *Sacrificium*, vt etiam ſeſſ.22. can.2. & can.1. ſancta Synodus Tridẽtina loquitur, non autem aſſerimus *totam Miſſæ actionem* ſacrificium eſſe, vt Kemnitius Patres eius Concilij & alios Scriptores Catholicos velle, mala fide ſcripſit, & paſsim etiam ſignificat Herbrandus. Scimus enim, plures Miſſæ partes pertinere ad cæremoniam, qua ſacrificium cõdecoretur, non autem ad ſacrificij ſubſtantiam; vt precationes, benedictiones, Euangelij lectio, &c. Neque hoc vllus illorum Doctorum ignorauit, quorum peruersè Kemnitius & mentem & orationem interpretatur.

Loquimur autẽ in hac aſſertione de ſacrificio non communiter dicto quale eſt, quoduis bonũ opus, iuxta Apoſtolũ ad Philip. 4. & ad Hebr. 11. & iuxta Auguſtinum lib.10. de ciuit. Dei, cap.6. ſed de ſacrificio EXTERNO *propriè dicto*. Quod vt tertio tomo vbi ſuprà docuimus, tunc fit cum res aliqua, hoc ipſo offertur Deo, quod ad eius Maieſtatem reçognoſcendam, atq; etiam ad internam mentis deuotionem & ſeruitutem erga Deum, tanquã omnium rerum Dominum proteſtandam, certo ritu ac cæremonia conficitur, ſeu immutatur. Vt cùm animal mactatur, aut comburitur; vel cùm panis frangitur & comeditur, ſicut poſt Theophylactum in cap.8. ad Hebr. B. Thomas 22. q.85. art.3. ad 3. annotauit. De huiuſmodi enim ſacrificio nobis eſt cum Sectariis controuerſia.

Huiuſmodi igitur ſacrificiũ aſſerimus in Miſſa fieri. Id quod ratione huiuſce generis ſacrificij iam conſtituta, euidenter ex facto ipſo noſtrorum Sacerdotum confirmari poteſt, hunc in modum: Sacrificium hoc propriè dictum, tum maximè fit, cùm à delecto miniſtro, res aliqua externa ita diuinæ maieſtati offertur, vt aliqua etiam ratione in Dei honorem cõficiatur & immutetur: Hoc autem in Miſſa prorſus fit. Verum igitur in Miſſa ſacrificium offertur. Propoſitio prior ſatis eſt confirmata tertio tomo vbi ſuprà: Altera pertinet ad *factum*, quod facillimè comprobari poteſt.

Nam primùm, patet omnium oculis in Miſſa miniſtrũ ad id muneris delectum, certo ritu & modo, hoc eſt, benedictione, conſecratione, fractione, miſtione, ſumptione cõficere & immutare eam rem externam, quam panis viniq; ſpecies cõtinent; ſiue ea res ſit ſubſtantia panis & vini, vt Caluiniani & Lutherani admodum hæreticè, diuerſis licet fundamentis nixi, vt poſt patebit, arbitrãtur; ſiue verum corpus & ſanguis Domini, (qui ibi immutetur quatenus præſens ibi ſiſtitur Sacramẽtali modo, vt ſub illis ſpeciebus ore ſumi poſsit) vt fides Catholica docet, quam poſt defendemus, cùm inquiretur, quæ nam res offeratur in hoc ſacrificio.

Nihil enim hoc intereſt, ad hoc quod modò agimus, rem certè aliquã ſacrificari in Miſſa, atq; adeò verũ aliquod in illa ſacrificium peragi cuiuſcunq; tandem rei ſit illud. Nam vt de aliis rerum generibus iam non dicam, ſimilæ certè ſubſtantiam conſperſam oleo, rem idoneam ad ſacrificiũ fuiſſe conſtat ex ſacris literis. Itaq; ſi maximè panis viniq; ſubſtantia ſola, nõ corporis & ſanguinis Dñi ſub ſpeciebus panis & vini à Sacerdotibus Catholicis in Miſſa vſurparetur, q̃ quòd minùs intelligeremus, rem aliq̃ obſtaret, ſacrificandũ aptã ea ratione, qua diximus à Catholico miniſtro in Miſſa tractari & confici.

Quòd

Quòd aũt, vt etiã aſſumebamus, Eccleſiæ Sacerdotes rẽ contẽtã huiuſmodi ſpeciebus, diuinæ maieſtati offerãt atq; adeò conſecrẽt diuino honori, factũ quidẽ eſt, nõ ita oculis ſpectabile, ſed eiuſmodi tñ, q̃ nemo inficiabitur, q̃ intelligat qdnã ſit, opus aliq̃ vel rẽ Deo eiuſq; honori cõſecrare. Nã vt tom.3. vbi ſuprà docuimus, qdpiã offerre & conſecrare Deo tũ dicimur, cũ aliquo officij genere ſiue rei alicuius vſu, quãtũ in nobis eſt, conciliare inſtituimus gloriã Deo, id eſt, exiſtimationẽ Dei maieſtate dignã. Id verò facimus, quãdo rei vſũ officiúmue aliq̃ deliberata voluntate eò referimus, vt ſeruitutis vinculum, quo Deo tanq̃ creatori ac ſummo domino deuincti ſumus, adeoq; immẽſam eius dignitatem proteſtemur. Ad hũc autẽ finem Sacerdotes Catholici planè referunt totam illam actionem ſacrificandi, vt illi omnes conſtanter aſſeuerant.

Neq; n. hoc (cũ in *facto* & voluntate conſiſtat) ꝓbari aliter poteſt aut debet, niſi cõmuni ipſorum Sacerdotũ teſtimonio, qui ſi rogẽtur, affirmabunt, hoc ſe prorſus velle & agere q̃ inſtituit Catholica Eccleſia, vt nimirũ rebus iis conficiẽdis & tractãdis, quæ ſpeciebus panis & vini continentur, cultum religionis adhibeant Deo; id eſt, vt gloriam & exiſtimationem eius maieſtate dignam ipſi concilient eo genere officij.

Cùm autẽ hoc, aut expreſſa aut tacita voluntate velle, ſit, vt demonſtratum eſt, Deo rem offerre eiuſq; honori conſecrare; perſpicuum eſt, rem, quæ hũc in finẽ à Sacerdote refertur, prorſus offerri & conſecrari Deo; ac proinde eam verè ſacrificari, cum conſtet etiam, vt antea oſtenſum eſt, eam ritu ſacrificij confici.

Atq; hæc probatio ſatis eſſe videtur ad id, ꝓ nunc contra Sectarios agimus, nempe aliquod veri nominis in Miſſa fieri *ſacrificiũ*, quod exgenere atq; natura ſua ſpectet ad religionẽ. Quapropter ne ſcopum prætergrediar, quem hoc in loco mihi præfixi, pluribus argumentis iam abſtinebo. Nam rationes, teſtimoniaque Scripturæ, & Patrũ, quibus poſtea ſumus probaturi ſacrificium hoc & legitimum, & diuinitus inſtitutum, & Deo acceptiſsimum, & propitiatorium, &c. eſſe, abunde confirmabunt etiam, illud eſſe verum ſacrificium. Et non tam Sectarij ſacrificium in Miſſa negant, quàm rectum legitimumque in ea ſacrificium fieri.

De QVÆSTIONE autem illa, qua Catholici doctores inquirunt, quænam potius actio ad ſacrificium hoc pertineat ex illis, quibus ante docuimus illud cõfici; breuiter aſſerimus, placere nobis eorum opinionem, qui arbitrantur, etſi non tñ conſecratio, ſed benedictio etiam, & fractio, & miſtio, & ſumptio ad huius ſacrificij confectionẽ ſpectent, præcipuè tamen illud conſiſtere in *conſecratione*. Nam præcipuè per Conſecrationẽ iſtud Sacrificium conficitur; quæ ideo ipſius rei vis tranſubſtãtiatione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti *facit*, vt arcano illo modo, quem ſacramẽtalem vocamus, ſub panis viniq; ſpeciebus Chriſtus contineatur, ſic vt ſumi poſſit. Et nihilominus tamen, quia ſpecies ſeu ratio ſacrificij vt *ſacrificium* eſt, in genere virtutis Religionis, eſt tñ veluti indiuidua & *accidentalis* (propriè, n. loquendo, vt ab aliis officiis religionis diſtinguitur, non habet eſſentialem ſpeciem ſibi propriam, ſed communẽ cum illis, ſicut ab eadem virtute religionis procedit, quæ vt diuinam gloriam reſpicit, vnica virtus ſpecie eſt) diuerſis ex partibus, quarum alteram etiam ab altera ſeparari interdum accidat, conſtare poteſt. Itaq; in fractione quoque & ſumptione, quæ ad ſenſum etiam patent, ſacrificij huius ſubſtãtiam ſeu ſpeciem (licet minus principaliter) ponendam eſſe exiſtimamus; ſic, vt opus illud totum, moraliter vnum, ꝓ ex iis actionibus conſtat, ſit iſtiuſmodi ſacrificium. Hinc. n. in Concil. Tolet. XII. (vt etiam habetur de conſe. d.2. ca. *relatum*) Patres ſignificarũt, ad rationem huius Sacrificij pertinere quoq; Sacerdotis communionẽ, cum aiunt: *Quale ſacrificiũ erit, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur?*

Sed videamus modò, ꝓ ad controuerſiam cũ hæreticis attinet, quibus illi argumentis, ꝓpriè contendant, omnino in Miſſa ſacrificium nullũ offerri. Omiſsis autem illis, quę licet huc referre velle videantur, aliò tamen pertinent (ob iſtorũ, vt initiò monebam, perturbatã diſſerendi rationẽ) hæc colligo ex diſputatione Herbrandi, quibus antea Lutherus vſus eſt, & alij paſsim Sectarij vtuntur.

PRIMVM. Catholici Sacerdotes res ſpeciebus panis & vini contentas ſoli abſumũt; ergo nihil earum offerunt Deo. Huiuſmodi. n. collectionẽ indicare voluiſſe arbitror Herbrandum in diſp. illa contra Miſſam num.67. cùm dixit: *Soli ipſi id, quod Deo ſe offerre mentiuntur, vorant & abſumunt.* Atq; etiam Lutherus in lib. de abroganda Miſſa priuata, argumentum hoc, tam eruditis ſcilicet ingeniis dignũ tractat his verbis: *Natura Sacrificij eſt, præſertim perfectiſsimi, quod holocauſtum vocat, totũ Deo offerri, nihil ex eo hominibus relinqui; Si autem victima aut pro peccato fuerit, ſaltem aliquam partem Deo relinqui totam. Cur ergo nos panem & vinum totum comedimus & bibimus? Cur non totum ei relinquimus, cùm velimus hoc perfectiſsimum eſſe ſacrificiũ? Vbi hic ſubſiſtit ratio ſacrificij? Neq; enim garrire ſufficit, Chriſtum offerri à nobis ſub pane & vino. Nam & ipſum ſumimus ſub pane & vino: at nihil ſumi à nobis debet de ſacrificio & holocauſto domini. Pugnant, offerri Deo, & ſumi à nobis.*

Et concludit tandem: *Prorſus inauditum igitur monſtrũ eſt ſacrificium iſtud Papiſticũ, vt ferè ipſe Papa cum ſuo corpore toto nõ ſit æquè monſtroſus. Totũ nos voramus, & totũ Deo offerimus. Hoc eſt tantum dicere: neq; voramus ſi offerimus, neq; offerimus ſi voramus; & ita dum vtrumq; facimus neutrũ facimus. Quis audiuit vnquã talia? omnia ſibi pugnantiſsimè contradicũt,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& inuicem sese consumunt, aut necessariò & infallibiliter concludunt, Eucharistiam sacrificium esse non posse. Diluant hæc ergo Louanienses & Parisienses.

Hìc si Lutherũ & Lutheranos istos vnâ imperterem, stolidissimũq; argumẽtum hoc pro merito exagitarem, iustissimè faceré. Sed statui de re tãtum succinctè dicere. RESPONDEO ergo, non esse opus Parisiensib⁹ & Louaniensib⁹ qui diluãt id argumẽtũ. Nã vt possumus simul Eucharistiã totã *sumere*, & nihilominus benedictionẽ, consecrationẽ, fractionẽ, mistionẽ, sumptionẽ eius, ad significandã, protestandãq; diuinã excellentiam *referre*; ita fieri omnino potest, vt Eucharistiam, quam totam sumimus, totã nihilominus offeram⁹ diuinæ Maiestati. Docuimus n. tom. 3. vbi suprà, non ita quidpiam offerri Deo, quasi ei ad necessarios vsus accommodetur: vt ꝙ nostris vsibus totũ cedit, nequeat simul attribui Deo, sicut Lutherica & Herbrandica imaginatio, ex qua illud est natũ argumẽtum, somniasse videtur. Sed dare Deo est, aliq̃d ex instituto referre ad gloriã existimationemq; Deo conciliãdam.

Itaq; vt holocausta, quæ igne penitus absumebantur, tũ, quia simul eorũ absumptio ad honorẽ Dei referebatur, Deo tota cedebant: Sic Eucharistia tametsi à Sacerdotibus tota sumatur, Deo nihilominus tota cedit, quoniam, vt dictũ est, tota eò refertur, vt existimationẽ & gloriam pariat Deo. Alioquin si ideo offerri Deo nequit, quoniã tota editur, multò minus holocausta olim offerri Deo potuissent, cũ igne tota consumerentur. Quid enim? an nõ magis absumitur, quod igne comburitur, quàm quod editur?

At holocausta à Sacerdotibus ipsis nõ sumebantur. Fateor; sed hinc solũ consequitur, sacrificium nostrũ non esse omnino illius speciei ac modi, cuius illa prisca holocausta fuerunt. Est tũ sacrificium eiusdẽ communis generis; nempe externũ & à delecto ministro certo ritu exhibitũ: rationem n. sacrificij communem nõ tollit, ꝙ res oblata humano cedat vsui: siquidem olim etiam sæpe comedebantur hostiæ; iuxta illud Apostoli 1. Cor. 10. *Nónne*, inquit, *qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Vt ergo ineptum esset colligere, ꝓpterea sacrificium in Missa nõ fieri, quia in ea non vt olim pecudes mactantur: sic etiã est absurdissimũ id concludere, quoniã res oblata sumitur à ministro, secus quã fiebat olim in oblatione holocaustorũ. Patent enim latissimè determinatæ rationes, quibus sacrificium verè institui potest, modò res oblata ad diuinam gloriam referatur; id quod fieri potest, siue illa à ministro, siue ab igne, siue aliter conficiatur.

SECVNDO ita isti argumentãtur: Fieri nequit, vt quod Sacramentũ est, idem sit verè & propriè sacrificium, quia in Sacramentis à Deo nos aliquid accipimus; in sacrificiis aliq̃d Deo damus: Sed Eucharistia adeoq; res contenta speciebus panis & vini, Sacramentũ est; non igitur sacrificium. Hoc argumento vtitur Caluinus lib. 4. Institu. cap. 18. sect. 7. vbi ait: *Quantũ interest inter dare, & accipere, tantũ à Sacramento cœnæ sacrificiũ differt.* Et in eandẽ sententiã, vel potius iisdem fere verbis Herbrandus in disp. contra Missam, num. 42. cùm ita concludit: *Quantum igitur differunt accipere à Deo, & dare Deo, tantum interest inter Sacramenta & sacrificia.*

Apertius aũt Lutherus lib. de abrogãda Missa priuata, cũ ex eo, ꝙ Eucharistia res est nobis testamento Dñi donata idẽ ita concludit: *Asserui sse sacrificium, est negare testamentũ, cùm impossibile sit idẽ sacrificium & testamentũ esse; cum illud demus, hoc accipiamus; illud ad Deum, hoc à Deo veniat; illud per nos, hoc sine nobis fiat. Et quid pergam,* inquit, *differẽtias dati & accepti afferre, cùm bestiæ & inanimata hoc sentiant?*

Hoc argumentũ apertè indicat, Sectarios cũ suo Luthero ignorauisse id, ꝙ ille siue verè siue falsò dicit bestias sentire; differentias nimirũ, & rationes *dati & accepti* inter hominẽ & Deum. Ita enim ratiocinantur, ac si Deo *dare* sit ei rem attribuere ad aliquem finem, quem ipse consequi nequeat, si simul eandẽ rem munere diuino homo acceperit, ad propriumque conuertat vsum: atque ideo quod est Dei donum, nequaquam simul possit offerri Deo in sacrificio.

Quod, si prorsus ita se habet, quid aut olim potuit, aut iam vlla ratione poterit diuinæ maiestati offerri & consecrari? An sumus, vel habemus, vel agimus omnino aliquid, ꝙ munificentiæ diuinæ acceptũ ferre non debeamus? *Iusti*, inquit Apostolus Actor. 17. *viuimus, monemur, & sumus.* Quid ergo secũdùm illam rationẽ dati & accepti Lutheranicam reddere ipsi poterimus?

Prætẽrea, si quod nobis ad vsum Deus dat, hoc nos ei offerre nequimus; non modò nullum esse poterit sacrificium *externũ propriè dictũ*, sed etiã *commune* sacrificium iustitiæ, ꝙ diuino obsequio continetur: Cùm ne per hoc quidem aliquid offerri Deo possit, ꝙ non sit munus diuinũ. Itaq; inanes illæ Apostolicæ adhortationes erũt, quas alioquin isti non tam obedienter audire q̃ prædicare intẽpestiuè solent, *Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentẽ, Deo placentẽ, rationabile obsequium, &c.* Rom. 12. Tum Petrus 1. Pet. 2. *Et ipsi tanq̃ lapides viui superædificamini domus spiritualis Sacerdotiũ sanctũ offerre spirituales hostias, &c.*

Longè igitur rectiùs quàm Lutherus eam rationẽ *dati & accepti*, quæ inter Deum & homines instituí debet, Propheta intellexit, contrariọq; prorsus modo concluſit illis verbis: 1. Paral. 29. *Tua sunt Domine omnia, & quæ de manu tua accepimus reddimus tibi.* Nimirum tum reddimus, vt suprà dictũ est, cùm rem aut officiũ referimus ad infinitam diuinæ maiestatis dignitatem testificandam. Ita fit, vt quoniam ipso vsu eius rei, quã diuino munere accepimus, diuinam excellentiam protestari velle possumus; illud ipsum, ꝙ de manu Dei accepimus, etiam tunc cùm à nobis vsurpatur, Deo reddere valeamus.

Falsum

Falsũ igitur illud est, ꝙ in argumento assumebatur, non posse Eucharistiã simul esse & Sacramentũ testamento Dominico nobis *donatum*, & sacrificiũ *nostrum*. Potest. n. diuersa ratione. Nam Sacramentũ & donũ est, quatenus ad vtilitatem spiritualẽ nostrã signũ est rei sacræ diuinitus institutũ; Sacrificiũ aũt, quatenus hoc diuinũ munus ex benignissima Dei manu acceptum ad illi conciliandam existimationem & gloriam gratis animis referimus, ipsique adeò reddimus.

Quod ipsa verba Canonis à Sacerdotibus post consecrationẽ vsurpata declarant; subiungimus enim: *Vnde & memores domine nos serui tui, sed & plebs tua sanctu eiusdẽ filij tui Domini nostri Iesu Christum beatæ passionis nec non ab inferis resurrectionis, sed & in Cœlos gloriosæ ascensionis* OFFERIMVS *præclaræ maiestati tuæ de* TVIS *donis ac datis hostiã puram, &c.*

Quare ex calumniis pestilentissimis, quibus liberilli magis diabolicus, quàm Luthericus de abrogãda Missa, est plenus, vna est, quod impudentissimè fingit, Ecclesiã ita sacrificare in Missa, vt non aguoscat neq; accepter simul munus diuinum, ꝙ accepit in Eucharistia. *Non enim*, inquit Lutherus, *accipere ab eo quidquam, sed tantum offerre ei volunt.* Quod est mẽdacium maximum.

Sed opponit prætereа, Eucharistiã non posse alio respectu sacrificiũ esse & alio testamentum, hoc est, res testamento legata. *Quoniã tantùm*, inquit, *vnus est Deus & vna tantum Ecclesia, inter quos solos mediat deorsum testamentũ, & sursum sacrificium.* Quasi verò nos cum dicimus Eucharistiã, vt ab Ecclesia Deo redditur, sacrificium esse; & Sacramentũ, vt à Deo datur Ecclesiæ; non etiã loquemur de *vnico* Deo, à quo donũ hoc ad Ecclesiã deorsum descẽdat, & de *vnica* itẽ Ecclesia, à qua idem donũ dirigatur sursum ad Deũ ipsiq; offeratur. Nam ꝙ subiungit, non verum Deum, sed idolum humani cordis esse, cui nos hoc sacrificium exhibemus, Lutherica est assertio, id est falsa, & impudens, & probatione destituta.

TERTIO ita obiiciunt: Sacrificiũ opus est diuinitus institutũ: Oblatio Eucharistiæ, quam Catholici Sacerdotes vsurpant, diuinitus instituta non est: Non est igitur verũ sacrificiũ. Hoc argumentũ num. 41. & aliàs passim attingit Herbrãdus, cum requirit diuinam institutionẽ in sacrificio: Quod etsi infrà refutandum sit, nunc ideo recitare volui, quoniam directò assertionẽ eam oppugnat, quam hoc loco stabiliendam suscepi, nempe in Missa fieri sacrificium.

RESPONDEO autẽ breuiter, vtramq; ꝓpositionem assumptam esse falsam. Prior quidem quia tomo 3. vbi suprà ostensum est, veri nominis sacrificiũ patere latiùs, quàm sacrificiũ diuinitus institutum ac legitimum. Constit. n. Sacrificij essentia in hoc, vt res aliqua externa diuino nomini offeratur aliquo modo confecta & immutata. Quod opus etsi p se atq; ex suo genere consideratũ, malum nõ sit, sed potius aptum, vt nisi quæ conditio vitiosa adiũcta fuerit, officium sit religionis, nõdum tũ in ipsius ratione exprimitur, ꝙ sit officium *instituti diuinitus*, vel legi siue instituto religionis alicuius consonũ; Nam hoc quidẽ tanq̃ accidens ꝙdam Sacrificij est, ꝙ num Sacrificio conueniat, postea quærendũ est cùm disputatũ fuerit, illud esse verũ sacrificium. Esse aũt posteriorẽ illius argumenti propositionem etiam falsam, nõ hìc, ne ordinẽ propositũ anteuertamus, sed infrà euincemus, cùm ꝓbabimus, sacrificium Missæ, legitimum etiam & diuinitus institutum esse sacrificium. Reliqua istorum argumenta infrà sunt aliis locis diluenda, quoniã non propriè efficiunt, in Missa sacrificium non esse, sed illud certè aut corporis & sanguinis domini sacrificium non esse, aut non esse propitiatorium, &c. de quibus ordinẽ dicemus.

QVÆSTIO SECVNDA.

An in Missa fiat Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini. §. 3.

RESPONDEMVS omnino Corporis & Sanguinis Dñi Sacrificium in Missa fieri. Huius assertionis probationẽ, quoniã latè patet, principio ita concludo: Catholici Sacerdotes id omnino in Missa sacrificant, ꝙ speciebus panis & vini, peracta consecratione, contentũ, Ecclesiæ Catholicæ ritu tractant, & conficiunt, & offerũt, vt demõstrauimus §. superiori: Hoc aũt est corpus & sanguis Christi Dñi: Corpus igitur & sanguinẽ Christi sacrificant. Assumptã modo propositionẽ, scilicet, corpus & sanguinẽ Christi Dñi esse id, ꝙ in Missa Catholico ritu instituta sub speciebus panis & vini Sacerdotes Catholici tractant, conficiunt & offerunt, de qua omnis nũc restat controuersia, tũ Sacramentarij, tum Lutherani confessionistæ negãt: Sacramentarij quidẽ quia negant corpus & sanguinẽ Christi sisti præsentia sub speciebus panis & vini quãtũcunq; in celebratione Eucharistiæ seruetur Institutio Christi: Lutherani autẽ quia negant seruari à nobis Christi institutionem in celebratione Eucharistiæ, atq; adeò habere nos in ea corpus & sanguinem Christi.

Sed illã propositionem à nobis assumptã, nos breuiter & ordine demonstrabimus, ex duabus aliis ꝓpositionibus, quarũ alterã contra Sacramentarios, alterã contra Lutheranos confirmabimus, PRIMA ꝓpositio est hæc: cùm à legitimis noui testamenti ministris & Sacerdotibus, Eucharistiæ Sacramentũ secũdùm Christi institutionẽ ita conficitur, vt contra præceptũ illud institutionis, *Hoc facite in meã commemorationem*, omnino nihil peccetur; verum corpus & sanguis Christi sub ſpecieb⁹ panis & vini præsens continetur: Hæc ꝓpositio est contra Sacramentarios. SECVNDA propositio: In Missa, ita secundũ Christi institutionẽ Eucharistiæ Sacramẽtum à legitimis nouæ legis ministris Sacerdotibus q; conficitur, vt nihil contra præceptũ illud institutionis ab ipsis peccetur. Hæc est cõtra Lutheranos.

Ex his

Ex his duabus propositionibus euidèter illud concluditur, quod, vt probaremus in Missa Sacrificium corporis & sanguinis Christi fieri, assumpseramus, videlicet in Missa verũ corpus & sanguinẽ Christi peracta consecratione sub speciebus panis & vini contineri, à Sacerdotibusq; consueto Catholicæ Ecclesiæ ritu tractari. Quã conclusionẽ Sacramẽtarij ideo negãt, quia propositionẽ priorẽ, quã modò posuimus, inficiantur; Confessionistæ aũt Lutherani, quia negant alterã. Vtraq; igitur erit nunc ordine probanda.

Ac Prima quidẽ satis confirmata erit, si cõtra Capharnaitas istos constitutũ sit, Christũ Dominũ in vltima cœna ita Eucharistiã confecisse, vt corpus & sanguinẽ ,,priũ sub panis & vini speciebus, manibus suis tractauerit, Apostolisque porrexerit edendũ. Hoc enim demõstrato; si Sacerdotes legitimi Eucharistiam similiter absq; peccato vllo contra institutionẽ rectè confecerint, vt Apostoli eorumq; successores facere iussi sunt, (secundũ mandatũ illud Lucæ 22. *Hoc facite in meã commemorationẽ*) dubiũ esse non poterit, quin vt Christus ipse, sic etiam illi corpus & sanguinẽ Christi sub speciebus panis & vini præsentia tractent, atque adeò sacrificent.

Qua ratiocinatione vsus B. Ioan. Damascenvs lib. 4. fidei orth. cap. 14. *Dixit in principio*, inquit, *producat terra herbam virentẽ (Gen. 1.) & vsq; nunc pluuia fucta producit germina diuino eo adiuta & vigorata præcepto. Dixit Deus: Hoc est corpus meũ, & hic meus est sanguis, &; Hoc facite in meã commemorationẽ; & omnipotẽti eius præcepto, donec veniat efficitur.*

Nec dissimiliter B. Chrysostomvs in homilia de proditione Iudæ, *Sicut illa vox*, inquit, *quæ dicit, crescite & multiplicamini & replete terrã, semel quidẽ dicta est, sed omni tempore sentit effectũ ad generationẽ, operante natura; ita & vox illa, (Hoc est corpus meum) semel quidem dicta est: sed per omnes mensas Ecclesiæ vsq; ad hodiernum diem & vsq; ad Christi aduentum præstat sacrificio firmitatem.*

Christũ aũt in vltima cœna corpus & sanguinẽ suũ atq; adeò semetipsum, vt August. in Psal. 33. ait, sub panis vinique speciebus suis in manibus habuisse & præbuisse, satis superque probauimus contra Sacramentarios suprà q. 3. p. 1.

Seruari in Missa institutionem Domini. §. 4.

Veniamvs igitur ad propositionem Alteram assumptã contra Lutheranos confessionistas, scilicet, in Missa sic Eucharistiam secundùm Christi institutionẽ à legitimis noui testamenti Sacerdotibus confici, vt omnino nihil ab illis contra institutionis præceptũ peccetur. Quod vt certius ostendamus, necesse inprimis est, diligenter inuestigare, quid propriè Christus Apostolis eorumq; successoribus præceperit, inquiens Lucæ 22. & 1. ad Cor. 11. *Hoc facite in meam commemorationẽ.* Omnino enim hisce verbis Christus non tantũ eius potestatis, quã Eucharistiæ conficiendæ contulit Euangelicis ministris, vsum ostendit, vt quidã minus circumspectè scripserunt; neq; tantum iussit, in Eucharistiæ confectione fieri *commemorationẽ* mortis ipsius, sed simpliciter etiã imperauit, vt ad eam commemorationem faciendã Euangelici ministri Eucharistiam conficerent, adeoq; ritè exercerent potestatẽ ad id muneris sibi traditam: quemadmodum veteres omnes, quorum sententias suis locis infrà recitabo, & ex orthodoxa doctrina Patres Concilij Tridentini, sess. 22. cap. 1. & 2. docuerunt, atq; etiam S. Thom. suprà q. 80. art. 12.

Itaq; vt probemus id, q̃ confirmãdũ sumpsimus, in Missa sic à ministris Euangelicis Eucharistiam secũdùm Christi institutionẽ confici, vt contra hoc institutionis præceptũ nihil peccetur: Vis eius præcepti, quod, vt dicimus, verbis illis, *Hoc facite, etc.* continetur, primò intelligenda est. Quam ad rem, & *verba*, quæ in narratione institutionis antecedunt, & *formã* ipsam conditionemq; istius præcepti, quàm diligentissimè considerare oportet; vt ita certius cõstituamus, quô propriè sit referenda particula illa, *Hoc facite*, ex his enim liquebit, quid & quatenus ex eius præcepti vi teneantur facere Sacerdotes in confectione Eucharistiæ.

Igitur q̃ attinet ad *antecedentia verba*, ea si ex omnibus scriptoribus canonicis plene colligere velimus, hunc in modũ habent: (*Cœnantibus aũt eis* (Matth. 26.) *accepit Iesus panẽ, benedixit, gratias* (Lucæ 22.) *egit, ac* (Matth. 26) *fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite & comedite. Hoc est corpus meum*, quod (Lucæ 22.) *pro vobis datur, hoc facite in meã commemorationẽ. Et accipiẽs calicẽ* (Matth. 26.) *gratias egit, & benedixit*, (sicut patet ex illo: *similiter & calicem*, &c. Lucæ 22. & 1. ad Cor. 11.) *& dedit illis, dicẽs, accipite & bibite ex hoc omnes* (Matth. 26.) *Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis* (Lucæ 22.) *effundetur in* (Matth. 26.) *remissionem peccatorum.* (*Hoc facite* (1. ad Cor. 11.) *quotiescunq; bibetis, in meã commemorationem*.

Ex quibus apparet, circa panẽ quidẽ actiones omnino decẽ, prius quàm subiiciatur præceptũ illud, *Hoc facite*, commemorari: quas omnes ipse Christus obiuit, excepta *septima & octaua*, quibus sunt discipuli perfuncti. Prima, accepit panem. Secunda, *benedixit*; Tertia, *gratias egit*; Quarta, *fregit*; Quinta, *deditq; discipulis suis*; Sexta, *dicens*; Septima, *accipite*; (alia enim actio fuit ea Christi loquutio; & alia illa acceptio exercẽda re ipsa à discipulis) Octaua, *& comedite*; Nona, *hoc est corpus meum.* (fuit enim & horũ verborũ prolatio, quædam Christi actio) Decima, *q̃ pro vobis traditur*, siue *datur*, siue *frangitur*, &c. id est, q̃ offeretur à me pro vobis in cruce mactatũ, iuxta illud Isaiæ 53. *Oblatus est quia ipse voluit*, &; ad Ephes. 5. *Qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo*, &, Ioan. 10. *Ego pono animam meam pro vobis.*

Circa calicem autem actiones item commorantur nouẽ, priusquam etiam ponatur præceptum, *Hoc facite*, &c. Prima, *& accipiens calicem*;

Secunda,

Secunda, *gratias egit*; Tertia, *& benedixit*; Quarta, *& dedit illis*; Quinta, *dicens*; Sexta, *accipite*; Septima, *& bibite*; Octaua, *Hic est enim sanguis meus noui testamenti*; Nona, *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

In ipsa verò *forma* & conditione huius præcepti, tum genus, tum speciem eius opus est accuratè etiam expendere. Est enim ex genere eiusmodi præceptorum, quæ docẽdi caussa consueuimus vocare *affirmatiua*, quoniam propriè non vetant aliquid, sed iubẽt atq; præscribunt, quid agendum sit. Secundùm speciem suam aũt præceptum istiusmodi, præceptũ est, non cogitandi aut loquendi præcipuè, sed Faciendi, ad commemorandam videlicet ipsius *facti* repræsentationem mortem, quam vltro Christus pro nobis obiuit in cruce.

Igitur qua ex parte præceptum illud est *affirmatiuum*, idipsum, quod reliquis omnibus affirmatiuis, ei conuenit; videlicet, vt obligandi quidem vim habeat semper, at non obliget tamen pro omni loco & tempore, sed quatenus illud exequi necesse est secundùm rectam rationem ac dispositionem imprimis Ecclesiæ, quæ mysteriorum Dei est dispensatrix.

Ex ea verò parte, qua præceptũ hoc secũdùm speciem suam est præceptum Faciendi, postq; aliquot actiones ante commemoratas, per pronomen illud demonstratiuum; *Hoc*, datur; duo consequuntur. Primo, si quæ sunt actiones ante id præceptum commemoratæ, quæ non in *facto*, quod *tunc* in se vel gestum vel gerẽdum *significaretur*, sed in dictis consistant, eas non eiusmodi præcepto imperari, nisi quatenus ad factum aliquod necessariæ sint. Quare si quæ dicta relata fuerint ad factũ aliquid, quod æquè possit exerceri sine illis, non erũt ex huius præcepti vi ad eiusmodi exequutionem proferenda: quia cùm fit, vt diximus, præceptum *faciendi*, id tantum iubet, quod vel in facto aliquo consistit, vel ad factum aliquod est necessarium.

Secvndo etiam inde sequitur; si quæ *circumstantiæ*, in actionibus illis ante præceptum hoc commoratis ita concurrerunt, vt verbis, quibus actiones eiusmodi narrantur, non propriè significentur per eas ipsas actiones aut gestæ aut factæ esse, sed aliunde concurrerint, eas nõ esse istiusmodi præcepti vi in Eucharistię confectione aut celebratione adhibendas. Non enim ad eiusmodi circumstantias pertinebit præceptum illud, *Hoc facite*; siquidem neq; factæ neq; faciendæ significantur verbis antegressis, ad quæ pronomen illud demonstratiuũ, *Hoc*, referri debet.

Exempli caussa, Actionis cœnę dominicæ circumstãtia fuit, quod noctu & post lotionem pedum, & coram duodecim discipulis etiam celebrata fuit; sed quia verbis institutionis, quę præceptum illud *faciendi* antecedũt, Christiq; actiones facta, sed concurrisse aliàs tantum in *facto* Christi; minimè nunc hæc adhiberi debent ex Christi præcepto in Eucharistiæ celebratione.

Hoc igitur modo animaduersis Verbis illud præceptũ antecedẽtibus, quibus institutio ipsa narratur; atq; etiam Forma & conditione ipsius præcepti; explicandũ, vti proposuimus, est, quo sit pronomẽ illud demonstratiuũ, *Hoc*, referendum in eo præcepto, atq; adeò quæ sit vis eius.

Id verò B. Lucas, cap. 22. ac Paulus 1. Cor. 11. q̃ ad ea quidẽ attinet, quæ de institutione Eucharistiæ sub specie *panis* narrantur, explicauisse nõ obscurè videntur. Cùm enim, quid à Domino accepissent, quidq; Christus instituisset, docere vellent, primùm actionem illam totam retulerunt, quę verbis illis antegressis continetur; *Accepit panem, & gratias agens benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens; accipite & comedite, Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur.* Tum simpliciter subiunxerunt, *Hoc facite in meam commemorationem*. Quamobrem particula: *Hoc facite*, ad eas omnes actiones accommodari debet, quas inter illas *decem* suprà numeratas, iuxta ea, quæ antea notauimus, animaduerterimus esse eiusmodi, vt verbis antecedentibus nũc recitatis propriè significatæ fuerint, tanquam in facto aliquo per se consistentes, vel tanquam necessariæ certè ad aliquod eiusmodi factum: cùm nulla sit ratio (vt rectè etiam notauit doctissimus Caietanus, tomo 3. opusculorum suorum tract. 10. cap. 3.) cur minus ad vnam quam ad aliam actionem ex iis, quæ sint eiusmodi, præceptum istud referatur.

Quod verò attinet ad mandatum post expositam actionem totam circa *calicem* à Paulo item positum, illis verbis: *Hoc facite quotiescunq; bibetis, in mei commemorationem*, non est æquè planũ, quô sit hoc loco referendum pronomen istud, *Hoc*, Non enim hîc simpliciter & absolutè Christvs dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, sicut peractis iis, quæ ad panem pertinebant, subiunxisse ipsum antea vidimus; sed, *Hoc*, inquit, *facite, quotiescũq; bibetis, in meam commemorationem.* Qua sanè forma loquendi, cùm inter *facere* & *bibere* distinguat; significationẽ illius verbi, *Facite*, ita coarctauisse & restrinxisse videtur, vt referre illã non debeamus ad totam actionẽ circa calicem, secundùm ea videlicet, quæ pertinent etiam ad bibendi vsum, adeoq; ad administrationem calicis vt bibatur, sed, vt Caietano tomo 3. tract. 12. cap. 1. visum est, ad *confectionem* Sacramenti sub specie vini, adeoq; sacrificationẽ sanguinis, quæ illis verbis, vt infrà probabitur, continetur: *Hic est enim sanguis meus, &c.*

Vel certè si ad omnes actiones circa calicem ea particula, Hoc facite, referenda est (vt suprà q. 8. p. 5. §. 2. verius esse ostendimus) non præcipitur eo præcepto *exercitium* ipsum absolutè earum actionum, sed solùm *relatio* earum actionũ ad finem commemorandi passionem Christi, quandocunque illæ exerceantur, vt euidenter ostendi q. 8. p. 5. §. 2. Vnde non oportet ex vi eius

præcepti

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcepti *administrare* semper calicé in celebratione Eucharistiæ, sed eam actionem referre ad commemorandam Christi passionem quandocunque exerceatur.

Verùm vt maximè demus, in hoc etiam præcepto, particulam, *Hoc facite*, atque adeò hoc etiam præceptum *faciendi* referri similiter absolutè, & quoad exercitium debere ad eas actiones omnes, quas inter illas nouem circa calicem suprà numeratas animaduertimus, esse eiusmodi, vt verbis antecedentibus propriè significentur, tanquam in *facto* aliquo per se consistentes, aut ad factum eiusmodi aliquod necessariæ; proindeque sensum illorum verborum esse, *Hoc totum facite; & facite quotiescunq; faciet is in mei commemorationem*; quamuis hoc inquam demus, docere nihilominus, ex iis quæ à nobis iam notata sunt, possumus id quod probãdum sumpsimus; in Missa videlicet, secundùm Christi institutionẽ, sic Eucharistiam à catholicis Sacerdotibus, tum sub specie *panis*, tum sub specie *vini* confici, vt prorsus nihil contra præceptum institutionis dominicæ peccetur. Quod vt ordine ac perspicuè fiat, percurrendæ primùm sunt actiones illæ decem, quas circa Eucharistiam sub specie *panis* ex scripturę verbis suprà collegimus & numerauimus, deinde etiam illæ aliæ nouẽ circa *calicem*.

Ergo quod attinet ad speciem PANIS, priores *quatuor* actiones suprà numeratas, scilicet, *accepit panem; & gratias agens: benedixit: & fregit*: nemo nõ videt in Missa exerceri. Quintam autem, *deditq; discipulis suis*; quoniam Sectarij non intelligunt, quid his verbis propriè significetur gestum esse, & quatenus id facere iubeamur, existimãt à nobis in Missa cõtra institutionis præceptum prætermitti, quia non semper curemus interesse sacris aliquos, quibus Eucharistiam communicemus. Sed ignorantia vel malitia potius, vt in plerisq; aliis excæcantur. Primùm enim nequaquã Dominus ea actione, quam verba illa denotant, *Deditq; discipulis suis*, effecit, vt discipuli plures illic præsentes *adessent*, qui de suo corpore & sanguine participarent; sed iis, qui & alioquin aderant, & de manu sua, quidquid ipse porrigeret, volebant accipere, & ad accipiẽdum dignè præparati erãt, corpus suum sub specie panis dedit.

Quod enim tũc discipuli plures adessent, quibus fuerit Eucharistia distribuẽda, hoc quidem non fuit propriè actio ipsa significata verbis illis, *Deditq; discipulis suis*, ad quam sit referendum (iuxta ea, quæ suprà docuimus) mãdatum illud, *Hoc facite*, sed fuit id actionis eius circumstãtia, quæ non per ipsam actionem facta, sed aliunde cum ea actione concurrit. Est autẽ, vt suprà notauimus, certissimum, & ab ipsis etiam aduersariis necessariò, nisi planè desipiant, concedendum, mandatum illud Christi, *Hoc facite*, referri debere ad actiones ipsas tãtùm, quas verbis antegressis propriè significari ostẽdimus, non autem etiam ad eiusmodi actionum circumstãtias siue conditiones, quæ cũ ipsis tunc aliunde concurrerunt.

Alioquin quæram ab Herbrando & sociis prædicantibus, cur non etiam noctu tantùm, & cœnantibus, siue iam cœnatis, & ministris Euangelij solis, & præmissa lotione pedum, imò etiã (si iudaizare ipsis libeat) veteri paschate celebrato, hoc Sacramentum administrent? Neq; enim dubitare possunt, has ab Apostolo & Euangelistis narrari circumstantias earum actionũ, quas Christus deinceps à noui testamenti Sacerdotibus exerceri iussit inquiens, *Hoc facite in meam commemorationem*.

Aut igitur omnia ista similiter ipsi faciãt: aut si ea se facere non debere intelligunt, quoniam, vt diximus, ad circumstantias pertinent, quæ nõ sunt effectæ illis actionibus, quas verba præcedentia propriè significant, ad quæ est verbũ *Hoc facite*, referendum; intelligant etiam eadem ratione neq; nos, vt ex Christi instituto Missam celebremus, plures qui communicent, conuocare debere; quoniam ne hoc quidẽ verbis illis, *Dedit discipulis suis*, propriè significatur esse factũ, *ditq; discipulis suis*, propriè significatur esse factũ. Sed neq; aliãs dignis atque paratis ad sacram Eucharistiam accipiẽdam eam impertiri exemplo Christi ita iubemur, vt semper hoc facere cũ operamur sacris teneamur. Vt enim suprà exposuimus, *affirmatiuum* est illud præceptum, *Hoc facite*; quod proinde vt ad vsum etiam atq; administrationem Eucharistiæ accommodatur, non pro omni tempore & loco obligat, sed cum id facere, iuxta rationem rectam ac imprimis Ecclesiæ dispositionem, necesse est. Quare nõ ideo contra institutionis præceptum delinquimus, quoniam non semper in Missis distribuamus Eucharistiam.

Iam verò Sextam actionem, quæ vocùl *dicit*, *accipite* indicatur, id est, orationem illam Christi, *accipite & manducate*, qua inter distribuendum Eucharistiam vsus est; ex iis quæ paulò antè notauimus, perspicuũ est, illo præcepto, Hoc facite, nequaquam ad Eucharistiam distribuendam necessariò requiri: quoniam illud ipsum opus, ad quod Christus ea verba retulit, æquè potest fine eiusmodi verbis fieri; nimirum vt Sacramẽtum aliis administretur. Quo fit vt etsi eiusmodi verba Catholici Sacerdotes inter distribuendum Eucharistiam prætermittant, (quãquam aliãs quidem in Canone Missæ ipsa recitant) non ideo tamen contra Christi institutionem & mandatum peccent.

Vt si paterfamilias quispiam, præsente suo OEconomo, panes pauperibus distribueret, *dicens*, accipite hos panes & comedite; conuersusque ad OEconomum diceret, *Hoc tu quotidie facito similiter*; id solùm OEconomo præcipere putaretur, vt pauperibus ipse quoq; panes quotidie distribueret; nõ autem vt necessariò etiam inter distribuẽdum diceret, accipite hos panes & comedite.

Septimam

Septimam verò actionem, & octauam, quas iisdem ipsis verbis: *Accipite & manducate*, discipulis, vt eas ipsi exercerent, Christus intimauit, exploratum est, Catholicæ Ecclesiæ ministros minimè præterire: accipiunt enim consecratũ panem & sumunt. Neque quidquam omnino refert, quòd non de aliena manu accipiũt. Cùm enim ea solùm de causa Christus voluerit discipulos *accipere* panem, vt comederẽt; ex illis etiã, quæ suprà sunt notata à nobis de forma huius præcepti institutionis, perspicuè apparet, non aliter vt acciperent iussisse, quàm vt satis ipsis ad comedendũ erat. Itaq; cùm nihil sit opus, vt id, quòd comesturus es, de manu *aliena* accipias, nõ id existimandus est Christus ministris Euangelicis præcepisse.

Nona verò actio quæ in verbis illis: *Hoc est corpus meum*, sita est, quoniam, vt infrà probabimus, per ea Christus panem in suum corpus conuertit, ideoque ad confectionem Eucharistiæ necessaria est; à Sacerdotibus Catholicis in Missa cumprimis adhibetur.

Decimam, *Quod pro vobis datur*, siue *tradetur*, tum certissimè exequuntur, cum modo, quo licet (sicut etiam, vt infrà ostendemus, ipse Christus fecit,) nempe *incruentè*, in Sacramento Christi corpus æterno patri offerunt, id est, eò referũt confectionem eius sub specie panis, vt secundũ ea quæ superiori §. dicta sunt, dignam existimationem ipsius maiestati concilient. In quo etsi non Christi actionem imitentur, qua ratione etiam corpus ipse suum in cruce cruẽtum & moribundum obtulit, at imitantur eam, (quod solum sunt inusi) vt possunt; nimirum quatenus corpus certè *suum* verisimè Christus in cruce *obtulit*, cùm illud obtulit cruentum.

Quod est diligẽter pro sequentibus animaduertendum, vbi latiùs ratione & authoritate confirmaturi sumus, eam etiam vim esse illius præcepti, *Hoc facite in meam commemorationem*, vt necessariò sit corpus Christi in Eucharistia æterno patri offerendum. Nam vt loquar iam de sola oblatione Christi cruenta, cuius in verbis cœnæ sine controuersia mentio fit, quamuis Christus, cùm esset in cœna, nondum se in ara crucis æterno patri obtulisset, cogit tamen consequentia sensusq; verborum, vt verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*; referamus item ad actionem Christi, quæ verbis illis futuri temporis, *quod pro vobis tradetur*, tunc indicatur.

Primò, quoniam particula, *Hoc facite*, posteà sequitur; & vt suprà diximus, non est vlla ratio, cur minus ad vnum quàm ad aliud verbum ex præcedentibus, (quæ quidèm aliquid per se geritum aut gerendum significent) referatur; & futuram etiam (quæ tunc in præsenti significare-tur) actionem ea particula monstrare potuit. Alioquin nõ permittemus aduersariis, vt eam referant ad illas actiones, *Accipite, & manducate*, quæ tunc etiam vt futuræ significabãtur, & præcipiebantur.

Deinde, quia, si Dominus nõ hoc etiam præcepisset, vt scilicet ipsi quoq; offerremus in Eucharistiæ vsu, & celebratione corpus eius & sanguinẽ æterno patri incruẽta oblatione, nõ vtiq; præcepisset, nos facto aliquo *reipsa* simili referre atque repræsentare sacrificium & oblationem, qua sese Christus ipse in cruce moriens obtulit in odorem suauitatis. At hoc præcepisse ipsa verba declarant. Non enim ait, Hoc dicite, aut prædicate, aut etiam commemorate, sed hoc *facite* in meam commemorationem, id est, ita efficite, vt vestro *facto*, magis quàm voce memoriam excitetis eius sacrificij, quod sum in cruce perfecturus. Sic enim ex D. Augustini doctrina lib. 3. de Trinit. cap. 4. colligi potest Apostolum interpretatum esse id Domini præceptum, cum subiunxit: *Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis*.

Quod qua ratione aptè fieri possit, nisi nos item, quomodo in Eucharistia possumus, ipsum etiam Christi corpus & sanguinem offeramus, non equidem video. Indicat enim manifestè Apostolus hoc loco, Eucharistiæ vsum ex Christi institutione eum esse debere, qui peculiari quodam & *proprio* suo modo, Christi in cruce morientis sacrificium in memoriam reuocet, mentisque oculis repræsentet. Quod quidem minimè facere potest ob eam tantùm causam, quia Eucharistia instrumentũ est ad Christi passionis fructum participandum, (id enim cùm cæteris est illi Sacramentis commune) neque ideo solũ q̃ in celebratione Eucharistiæ corpus & sanguis separatim consecrantur; hoc enim mortem quidem Christi, qua sanguis est à corpore separatus, absolutè repræsentat. nõ autem ipsum se in cruce *obtulisse*: cuius etiam fieri in Eucharistiæ vsu significationẽ voluit. Quare supereſt, vt Eucharistiæ vsus ideo proprio quodam suo modo repræsentare debeat sacrificium crucis, quia per oblationem & sacrificium eiusdem corporis & sanguinis Christi (eo modo quo ibi licet) inesse debet in Eucharistiæ vsu simiiitudo sacrificij in cruce peracti.

Quod per analogiam aliarum etiam institutionum diuinarum, quibus Deus ea beneficia, quę hominibus fecisset, aliqua re simili commemorari voluit, confirmari potest. Nam quòd olim Exod. 12. percutiens omne primogenitum in terra AEgypti à *primogenito Pharaonis, qui in solio sedebat, vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum*, filios Israël ab AEgyptiaca seruitute liberauit, hoc oblatione *primogenitorum* etiam significari ab ipsis voluit. *Separabis*, inquit Exod. 13. *omne quod aperit vuluam, Domino, & quod primitiuum est in pecoribus tuis*. Et post pauca: *Cumque interrogauerit filius tuus cras dicens, quid est hoc? Respondebis*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

in manu fortí eduxit nos Dominus de terra Ægypti de domo ſeruitutis. Nam cùm induratus eſſet Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito hominis, uſque ad primogenitum iumentorum: idcirco immolo Domino omne, quod apperit vuluam maſculini ſexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo. Erit igitur quaſi ſignum in manu tua, & quaſi appenſum quid ob recordationem ante oculos tuos, eò quòd in manu fortí eduxit nos, &c.

Quid ni igitur paſcha etiam noſtrũ, hoc eſt, tranſitum & vindicationem à ſeruitute dæmonis in liberatem filiorum Dei, quam Chriſtus vnigenitus Dei filius ſeſe oblationem & hoſtiam in cruce offerẽs nobis impetrauit, oblatione quoque *eiuſdem vnigeniti filij Dei* commemoremus? Similiter memoriã eiuſdẽ egreſſus ex AEgypto, Exod. 12. *Cùm tulit populus conſperſam farinam antequam fermentaretur, & ligans in paliis poſuit ſuper humeros ſuos*; feſto Azymorum, hoc eſt, panis *non fermentati* celebrari voluit Dominus, Item quòd eos in deſerto habitare in *tabernaculis* fecit & cuſtodiuit; *tabernaculorum* feſto ad recordationem accepti beneficij celebrare ipſos voluit.

Ex quibus id etiam eſt perſpicuum, Catholicos Sacerdotes, quamuis non ſemper in Miſſa paſſionem Dominicam ſublata voce deprædicent, ſicut Prædicantes Sectarij faciunt, nihilominus tamen verè *facere*, quæ Dominus in ſui commemorationem fieri præcepit. Nam *facto* ipſo ſignoque perſimili, nempe oblatione Chriſti, mortem & Sacrificium eius in cruce factum annunciant; ſicut faciendum eſſe indicant ipſa verba inſtitutionis.

Sequitur vt item actiones omnes, quas numerauimus circa CALICEM ſimiliter percurramus, vt probemus, nihil etiam, quod ad has actiones attinet, contra inſtitutionis præceptum in Miſſa peccari. Quod facere breuiſsimè poſſumus, cùm multa ex his, quæ de actionibus circa panem expoſita & confirmata ſunt, huc etiã pertineant. Nam primas tres actiones, ſcilicet, *Accipiens calicem*; *Gratias egit*; *Benedixit*; æquè certum ac euidens eſt ad calicem ac ad panem in Miſſa accommodari.

Quartam autem, *Deditque diſcipulis ſuis*, putant Sectarij à nobis contra inſtitutionis præceptum prætermitti, quia non facimus, vt adſint in Miſſa, qui de calice quoq; participent. Sed eodem errore ignorantiaque decipiuntur, qua ſuprà diximus, impediri eos, quo minus videant, non idcirco nos contra præceptum inſtitutionis delinquere, quoniam in Miſſa non plures conuocemus, quib. corpus dominicũ diſtribuamus.

Etenim cum Chriſtus dicitur calicẽ diſcipulis ſuis præbuiſſe, nõ aliam actionem, ꝓpriè ab ipſo geſtã eſſe, eiuſmodi verbis ſignificatur, quàm ꝙ rectè ac meritò pro ratione illius temporis ac loci volentib. paratiſq; ad calicẽ rectè legitimeque participandũ ſub ſpecie vini, proprium ſanguinem exhibuerit. Quod autem tunc *adſuerint* plures (ſicut etiã ꝙ hi fuerint diſcipuli) qui ſanguinem legitimè poſſent ac vellent ſumere; hoc quidem circumſtantia eius actionis fuit, nõ per eam ipſam actionem geſta, ſed aliunde aſcita. Quapropter ea circumſtantia, (vt à nobis ſuprà eſt diſputatũ) nihilo magis ex inſtitutione Chriſti nobis eſt in celebratione Euchariſtiæ adhibẽda, quàm aliæ multæ, quæ tunc in cœna dominica, vt ſuprà quoq; diximus, concurrerunt.

Alioquin Sectarios Prædicantes vrgebimus, vt calicem nõ dent niſi duodecim Prædicantibus, quos ipſi miniſtros Euangelij putant: quoniam ea etiã tunc fuit Chriſti actionis circumſtãtia, vt calicẽ is non niſi duodecim diſcipulis ſuis Euangelij miniſtris daret dicens, *Bibite ex hoc omnes*.

Vt maximè igitur præceptum illud: *Hoc facite*, ad id etiam referamus, quod Chriſtum propriè circa calicem feciſſe, verbis illis, *Deditq; diſcipulis ſuis*, ſignificatur, (habet enim hoc vt ſuprà notauimus, peculiarem difficultatem) tamẽ minimè eo præcepto iubentur Sacerdotes euocare plures, qui de calice participent.

Neque verò etiam tenentur aliàs participare volentibus ſemper & vbiq; cum Euchariſtia cõficitur, calicem adminiſtrare. Nam cùm præceptum illud ſit *affirmatiuum*, generatim tantùm & determinatè (iuxta ea, quæ ſuprà notauimus) iubet id facere, quatenus pro ratione temporis, locorum, & perſonarum & inprimis Eccleſiaſticæ diſpoſitionis contigerit bonum & neceſſarium eſſe.

Quod enim Chriſtus, referente Apoſtolo, præcepit, *Hoc facite quotieſcunque biberis, in meam commemorationem*, non ſignificat, quotieſcunq; Sacerdotes de calice bibunt, & Euchariſtiam conficiunt, debere eos omnia præcedentia ſimpliciter facere, atq; adeò calicem etiam adminiſtrare; ſed quotieſcunq; Euchariſtiam conficiunt & præcedentia vel omnia, vel aliqua, quatenus bonum & neceſſarium iuxta naturam affirmatiui præcepti fuerit, faciunt, id ipſis ad cõmemorandam Chriſti mortem faciendum eſſe.

Itaque ſi admittamus, verbis illis, Hoc facite, *quotieſcunq; bibetis*, in meam cõmemorationem, Chriſtum præcepiſſe, & omnia præcedẽtia fieri, & ea cùm fiunt, fieri ad ipſius commemorationem, tunc ſanè particula illa: *Quotieſcunq; bibetis*, non debet referri ad primum iſtorum, quaſi determinet, quando omnia illa debeant abſolutè fieri; Tunc enim ſenſus præcepti eſſet, vt bibatur etiam poſito quod bibitur; quod eſſet præceptũ abſurdũ, vt oſtendimus q. 8. p. 5. s. 2. Sed referri tunc ea particula debet duntaxat ad ſecundum, vt ſit ſenſus ille quẽ diximus; videlicet, quotieſcunq; fiũt illa præcedentia vel omnia vel aliqua (prout iuxta naturã affirmatiui præcepti bonũ & neceſſarium erit) ea *in cõmemorationem* mortis Chriſti facienda eſſe. Sicut Apoſtolus ipſe indicauit ſubiungens; *Quotieſcunq; enim manducabitis panem*

panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat: Non dicit quotieſcunq; calicem bibetis, facietis omnia præcedentia; ſed mortem Domini annunciabitis, &c.

Quapropter in his locis & temporibus, quib. Eccleſia myſteriorum DEI fideliſsima diſpenſatrix, iudicat, neq; neceſſarium neque vtile eſſe, iis qui Miſſa interſunt aut cõmunicant, præbere calicem; Sacerdotes Catholici propterea, quòd calicem populo non adminiſtrent, minimè cõtra præceptum Inſtitutiones prætermittunt id, quod Chriſtus in cœna fecit, cùm calicẽ legitimè dedit diſcipulis ſuis. Nam id, quãdo non adſunt, quibus neceſſe ſit calicem adminiſtrare, quique legitimè velint recipere (vt iam propter Eccleſiæ diſpoſitionem adeſſe tales nõ poſſunt) minimè ex inſtitutione Chriſti fieri debet.

Quod ſi hoc loco obiiciant Sectarij, idipſum ex Chriſti præcepto ſtatui atq; curari ab Eccleſia debere, vt plures adſint, qui calicem etiam vſurpare velint: ipſis vt ex Eccleſiæ inſtituto legitimè volentibus, calix etiam adminiſtretur; Primùm, iam ante docuimus, id certè, vt præceptũ illud, *Hoc facite*, exequutioni mãdetur, fieri aut curari non debere: quoniam non id propriè geſtũ eſt per actionem illã Chriſti, *Deditq; diſcipulis ſuis*; ad quã id inſtitutionis præceptum referendũ eſt.

Deinde quonã obſecro Chriſti verbo expreſſo mouentur noſtri nouatores, vt contra Eccleſiæ veriſsimam ſententiam, & ipſius etiã Chriſti, Lucæ 24. Atq; Apoſtolorum, Actor. 2. 20. 27. &c. exemplum, pertinaciter contendant, Chriſtum alibi ſimpliciter præcepiſſe omnibus hominib. vt quotieſcunq; cõmunicant, omnino etiam de calice participent, adeoq; vt Eccleſia omnibus illum adminiſtrari curet? Dixitne Chriſtus: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, *ſub ſpecie panis*, & ſimul biberitis eius ſanguinem, *ſub ſpecie vini*, non habebitis vitam in vobis? Minimè: ſed res ipſas, panis viniq; ſpeciebus ſignificatas contentaſque, neceſſariò, ſiue ſub vna tantùm, ſiue ſub vtraq; ſpecie ſumẽdas eſſe affirmauit. Et occaſio ipſa nempe incredulitas Iudæorum, quæ vt hoc aſſeueraret, ipſum mouit; tum etiam totius ſermonis concluſio declarant, nihil minus tunc Chriſtum egiſſe, quàm vt doceret ſimul *ſub ſpecie vini* ſuũ ſanguinem, & ſub *ſpecie panis* ſuam carnẽ omnes & ſingulos ſumere debere: ſed hoc tantũ confirmauiſſe, vt carnem ſuam atque ſanguinem (ſiue ſub altera ſiue ſub vtraque ſpecie) fideles verè ac realiter ſumerent, adeò non fore impoſsibile, quemadmodum Iudæi inuicem liſgantes cogitabant, vt id etiam ad vitam animę ſpiritualem neceſſarium eſſet futurum. Quod ne foret aliter intelligendum putaretur, quaſi ſalutem obtinere nemo valeat, qui nõ etiam ſub ſpecie vini ſanguinem bibat, de vna tantùm ſpecie loquens ſermonem ad extremum concludit, inquiens: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*.

Verùm omiſſa nunc hac controuerſia de cõmunione ſub vtraque, quam ſuprà q. 8. p. 5. copioſè explicauimus, ad Chriſti actionem quinto loco circa calicem ſuprà memoratã tranſeo. Ea verò cum verbis illis à Chriſto inter porrigẽdum calicem prolatis contineatur, *accipite & bibite ex hoc omnes*, ſatis intelligitur ex ſuprà dictis, per ſe non fuiſſe præceptam illo mandato, Hoc facite. Expoſuimus enim quemadmodum non ſit neceſſe verba Chriſti relata ad factũ aliquod, quod ſine illis ſimiliter fieri poſsit, ad eius *facti* exequutionem dicere. Sicut neceſſe non eſt, Euchariſtiæ miniſtros, dũ ſpeciẽ panis populo prębent, dicere, *accipite ac manducate*; quia perinde poſsunt illam adminiſtrare his verbis prætermiſsis.

Et accedit præterea, quòd his temporibus, vt prius oſtendimus, ne ipſum quidem illud factũ, ad quod Chriſtus ea verba retulit, exequi ex vi præcepti inſtitutionis tenemur; ſcilicet vt calicẽ etiam exhibeamus. Quare multo minus tenemur ad eius exequutionem *facti* illa verba dicere. Quanquam aliàs quidem ipſa in Miſſæ canone recitamus.

Sextam porrò actionem ad Apoſtolos ipſos ſpectantem, quæ illis ipſis verbis indicata eſt, *Accipite*; conſtat Catholicos Sacerdotes in Miſſa exercere. Sic etiam Septimam: *Bibite ex hoc omnes*: ſiquidem calice omnes Catholici Sacerdotes in Miſſa communicant. Octauam item, quę verbis demonſtrantibus in calice ſanguinem in eumque vinum conuertentibus continetur, tũc certiſsimè quoq; Sacerdotes Catholici exequũtur, cùm verba illa proferunt; *Hic eſt enim calix ſanguinis mei*, &c.

Nihil enim obſtat, quod verba cõſecrationis calicis neque Apoſtolus, neq; Euangeliſtarum aliquis ſub hac ipſa forma omnino retulerit. Cũ enim non omnes illi eodem modo verba, quæ ſunt à Chriſto circa calicem dicta, ſed alius alio retulerit; ſatis hoc ipſo declararunt, ſe non ea præciſè verba, quibus in ea re Chriſtus vſus eſt, recenſere inſtituiſſe, ſed eorum certè ſenſum aliis verbis, quæ tantundem valerent. Quocirca minimè dubitandum eſt, quin verba, quibus in conſecratione calicis iam inde ab initio ex Apoſtolica procul dubio traditione Eccleſia vtitur, ea ipſa ſint, quæ CHRISTVS circa calicem vſurpauit. Sicut etiam illa, quibus ad panis cõſecrationem vtitur, à Chriſto ſine vlla dubitatione prolata fuerunt, cùm ea concorditer & eodem modo referantur ab Apoſtolo & Euangeliſtis. Excepta tamen particula, *enim*, quam Eccleſia non tanquam omnino ad conſecrandum neceſſariam, vt Herbrandus fingit, ſed coniunctionis cauſa interponit; Sicut ea etiã in conſecratione calicis recitanda Matthæus vtitur.

Denique nona actio à Chriſto in cruce perfecta ac illis verbis ſignificata, *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum*; modo

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo fieri potest, in Missa quoque adhibetur; videlicet incruenta oblatione dominici sanguinis sub specie vini, ad fructū passionis eius participandū, adeoque ad obtinendam remissionem peccatorum, ea ratione qua sumus infrà exposituri.

Itaque patet in Missa nullo modo peccari contra illud institutionis præceptum, *Hoc facite in meam commemorationem*, sed omnino conuenienter ei institutioni confici Eucharistiā tum sub specie panis, tum sub specie vini. Sectarij autem, cùm verba institutionis huius Sacramenti vrgere maximè soleant, eorum tamen ignorant vim, in magnoque versantur errore. Nam actionem, quam Christus Dominus potissimè, verbis illis, *Hoc facite*, imperauit, nimirum, sicut infrà magis ostendemus, Dominici corporis & sanguinis *oblationem*; neque exequuntur, neque diuinitùs esse institutam putant. Id autē quod Christus fieri propriè non iussit, nempe vt semper vtraque species populo præbeatur; se iussos esse facere, falsò arbitrantur.

SED vt propositionem aduersum illos superius sumptam omni ex parte confirmemus, non satis est docuisse, id totum in Missa fieri, quod in Eucharistiæ celebratione Christus fieri iussit. Ostendēdum breuiter præterea est, id à *legitimis* noui testamenti ministris fieri: Nam & hoc assumpsimus. In qua re confirmanda eò minus hoc loco laborandum mihi erit, quòd aduersarios scio, non tam laborare vt probent noui testaméti nos ministros non esse legitimos, quàm vt se, quidquid de nobis demum constituatur, ministros etiā legitimos esse defendant. Etenim sunt sibi non bene conscij, quin aut norunt aut certè suspicantur, per ostium se ordinarium in ouile ouium minimè intrauisse, sed ascendisse aliunde. Itaque tanquam fures & latrones facilè nos in possesione nostra manere paterentur, modò illis quoque locum aut partem aliquam in ministerio isto concederemus.

Sed ostēdamus nihilo secius breuiter id, quod instituimus. Ministri legitimi noui testamenti ij sunt, qui Christi authoritate per apostolos aut eorum in Episcopali ministerio successores vocati & constituti sunt. Tales sunt autem Catholici Sacerdotes. Sunt igitur legitimi Ministri noui testamenti.

Maior propositio ex scriptura sacra compertissima est. Ait enim Christus Ioan. 20. *Sicut misit me pater, et ego mitto vos: accipite spiritum sanctum, &c.* Ex qua sententia colligitur, sicut Christus à patre, sic etiam Apostolos à Christo, & Apostolorum successores ab Apostolis missos esse, cum authoritate vocandi & instituendi deinceps ministros legitimos aliaque faciendi, quæ ad gregem dominicum doctrina Sacramentisq; in finem vsque seculi pascendum pertinerent, quatenus quidem eiusmodi Christi authoritas ministris tanquam DEI coadiutoribus conuenire potest. Vt huc etiam accommodari possit illud Ioan. 17. *claritatem quam dedisti mihi, dedi eis.*

Apostolus etiam hoc idē indicat illis verbis, ad Hebr. 5. *Nec quisquam*, inquit, *sumit sibi honorem, sed qui vocatur à* DEO *scilicet Aaron.* quem constat Sacerdotem fuisse authoritate diuina per Moysen inauguratum. Hac autem eadem authoritate Apostolus vsus est, tum per se ministros constituendo, vt constat 1. ad Tim. 4. & 2. ad Tim. 1. & ad Tit. 1. tum illis vt alios deinceps constituerent committendo; sicut Tito dicit: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.*

Sed & ipse Deus, Actor 13. *Segregate*, inquit, *mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos: Tunc ieiunantes & orantes imponentesque manus dimiserunt eos.* Denique Diaconos Apostolica etiam authoritate cōstitutos esse legimus, Actor. 6. *Conuocantes enim duodecim multitudinem discipulorum dixerunt; non est æquum derelinquere nos verbum* DEI *& ministrare mensis: Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, quos constituamus super hoc opus, &c.*

Ex his itaq; & aliis id genus, quæ adduci possent testimoniis, perspicuum est id, quod assumpsimus, illos noui testamenti legitimos ministros esse, qui sunt vel ab Apostolis, vel ab eorum successorib. diuina authoritate cōstituti. Quod Lutherus etiam in caput suum fuorumque fatellitum prophetans, aliquādo fassus est in comment. epist. ad Gal. Cùm enim exponeret illa verba ad Gal. 1. *Paulus Apostolus non ab hominib. neq; per hominem, &c.* ita scripsit. *Omnia eò tendunt, vt videas, quāta cura Christus Ecclesiam suam instituit atque muniit, ne temerè quisquam docere præsumeret,* NISI AB IPSO VEL A SE MISSIS MISSVS SIT.

Nunc ita (vt ante etiam feci) subsumo & concludo: Catholici Ecclesiæ Sacerdotes ab Apostolorum successoribus, adeoque ab authoritate diuina missis, missi sunt: Sunt igitur hi legitimi nouæ legis ministri. Negabunt fortè hāc propositionem subsumptam aduersarij: Verūm quod illis probādum incumbit, vt nos à nostro iure pacificaque multorum seculorum possessione, quam allegamus, deiiciant, docere nunquam poterunt, videlicet per quos Episcopos, quibus in Ecclesiis, & quando fuerit successionis series apud nos interrupta & finita. Existerunt quidem ad tempus aliquando schismata, sed rursus tamen Ecclesiæ authoritate (quæ in huiusmodi, vt Herbrandus quoque fatetur in compendio suo, loco de ministerio Ecclesiastico, tanquam materfamilias potestatem habet) iterum successionis legitimę filum colligatum atque ad hæc tempora ductum est; vt facilè demonstrari potest.

Quod autem isti aiunt, Catholicos Ecclesiæ minis-

ministros, vt maximè Apostolorum authoritate secūdùm ordinariam successionem locorum & personarum ordinati sint, doctrinam tamen veram & Apostolicam eos non retinere, ideóque ministros non esse legitimos; prætextus etiam fuit leuissimus hæreticorum omnium, qui vnquam ab Ecclesia Catholica eiusque legitimis ministris semetipsos segregauerunt. Quando enim miseri demonstrabunt doctrinam nos contrariam Apostolicæ doctrinæ sequi? Hactenus certè hoc non fecerunt; quin potius singulis in controuersiis ipsi ab Ecclesia Catholica sunt de manifestissimis erroribus conuicti; quamuis adeò cæci & ignorantes sint, vt hoc nondum sentiant.

Sed ne longius in alterius loci vel potius in communi locorum omnium controuersia progrediar, vtar iam etiam ad meum propositum alia probatione: Euidentissimè constat, Sacerdotes nostros neque vocationis, neque doctrinæ genere quicquam differre ab iis Sacerdotibus, qui multis ante Lutherum natum seculis in mundo agniti fuerunt; Hoc autem negare legitimos fuisse ministros, per Apostolorum successores constitutos, deliramentum est maximum: Igitur nec negari sine insigni stultitia potest, præsentes Ecclesiæ Catholicæ Sacerdotes legitimos etiam ministros esse authoritate diuina per Apostolorum successores constitutos.

Quid enim? potuítne tot seculis Ecclesia legitimis ministris carere? Non magis certè quàm funditùs interire, quod est impossibile. Nam quij dixit Matth. 28. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*; ipse etiam 1. ad Cor. 12. & ad Ephesios quarto: *In Ecclesia posuit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationē Sanctorū in opus ministerij, in adificationem corporis Christi*; DONEC *occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionem filij* DEI, *&c.* Nimirum corpus est Ecclesia Christi, quod, vt idem inquit Apostolus 1. ad Cor. 12. non est vnum membrum sed multa, neque cæcum est vnquam, orbatum omnibus oculis, hoc est, pastoribus & doctoribus, qui cæteros doctrina & Sacramentorum administratione (qua carere non potest Ecclesia DEI) erudiant & pascant.

Vnde etiam manifestum fit, oportere hos oculos in populorum conspectu tāquam in fronte esse positos, vt posint fideles doctrinæ lucem ab iis, ne circumferantur omni vento, accipere, & Sacramentorum gratia pasci. Prorsus vt magna insipientia sit existimare, ante desertorem Lutherum præteritis seculis, alios fuisse legitimos in Ecclesia ministros præter eos, qui soli fuerunt in orbe cogniti, vt talesque recepti, quique à præsentibus Ecclesiæ ministris, vt assumpsimus, nihil differunt: vt manifestè ostendi Tom. 3. disputatione prima, quæstione prima, puncto 7. §. 24. & 25. Qua quidem in re vel ipsi inimici nostri Husitæ hæretici sint iudices. Hos enim compertum est, in eo plus quàm Lutheranos sapere, quod ministros nullos recipiunt, qui non fuerint à nostris Episcopis ordinati. Itaque suos alumnos ad Catholicas Ecclesias astutè mittunt, vt in his vel impia saltem simulatione religionis, hierarchicam potestatem non per vim latronum more rapiant, quod frustrà Lutherani tentant; sed clanculum quasi furentur; vsque adeò est certum & euidens, aut nullos omnino in mundo esse legitimos noui testamenti ministros, aut eos certè esse, qui ritu Catholico initiantur.

Sed ea de re Tomo tertio loco citato, disserui pluribus. Nunc satis mihi est, iis qui mediocri vel eruditione vel iudicio sunt præditi, sufficienter probatum esse quod sumpseram: Nempe in Missa sic Eucharistiam à legitimis noui testamenti ministris confici, vt omnino nihil peccetur contra Dominicæ institutionis præceptum.

Porrò cùm aduersus Caluinianos etiam alteram propositionem suprà quęstione tertia, puncto primo, probauerimus, scilicet CHRISTI corpus & sanguinem sub panis & vini speciebus præsentia tunc adesse & tractari, cùm à legitimis noui testamenti ministris secundùm Christi institutionem sic Eucharistia conficitur, vt contra institutionis præceptum nihil peccetur; rectè initio concluſimus, in Missa, vbi hoc effici iam ostendimus, re vera corpus & sanguinem Christi sub eiusmodi speciebus præsentia tractari; atq; adeò (quod nūc demonstrandum nobis fuit & asserunt quoque Patres posteà oportunis locis citandi) re vera in Missa fieri Sacrificium Corporis & sanguinis Christi. Nam iam ante necessaria ratione conuicimus, verum in Missa Sacrificium offerri eius rei, quæ speciebus panis & vini continetur.

Refelluntur obiectiones quibus probant Sectarij, non sacrificari in Missa Corpus et sanguinem Christi. §. 5.

NVNC argumenta contraria Sectariorum collecta ab Herbrādo in disputatione contra Missam, numero 127. & 128. quę quidem propriè pertineant ad hunc locum, sunt refellenda. PRIMVM est, quòd *cęsi verba primæ institutionis*, vt Herbrandus inquit, *recitemus; at non seruamus Christi instituentis voluntatem.* Vnde concludunt non verum nos in Missa corpus & sanguinem Christi habere aut offerre, sed vulgarem tantùm panem & vinum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RESPONDEO. Primùm cupio ab istis cõcordari huius argumẽti conclusionẽ cum eo, quod Lutherus (Schmidelino teste in præfatione disputationis de Maiestate hominis Christi) commentus est, omnipræsentiã Christi vbique, adeò coniunctam esse cum eius maiestate, vt etsi nunquam Christus dixisset, *Hoc est corpus meum*, credere tamen contra Sacramentarios deberemus, ipsum in pane, adeoq; in Eucharistia suapte maiestate præsentem adesse. Certè si hoc verum est; quamuis non faceremus, quod Christus voluit in Eucharistiæ celebratione fieri, neque etiam verba primæ institutionis diceremus, tamen nihilominus Christum in pane & vino præsentem haberemus, quem proinde possemus offerre in sacrificiũ. Quare aut negent isti Prophetam suũ Lutherum: aut si cum illo sentiunt, non contẽdant, ideo nos CHRISTVM in Missa præsentem non habere, quoniam aliquid prætermittamus pertinens ad institutionem; non enim pendet præsentia hæc Domini ex institutionis exequutione, si Christus in pane & vbique suapte maiestate præsens est. Sed nimis essemus istis importuni, si semper eos compelleremus vt conuenienter non dico fidei veræque doctrinæ, sed vel ipsorum propriæ hæresi (qualis hæc est vbiquitaria) sentirent & argumentarentur, cùm talem consuetudinem non habeant.

Itaque vbiquitario commento nunc omisso, simpliciter ad argumentum respondeo, esse vanissimum id quod isti assumunt, nos ab institutione Christi discedere. Nihil enim in institutionis mandato prætermittimus eorum, quæ Christus propriè fieri iussit illis verbis: *Hoc facite, &c.* quemadmodum hactenus, istorum etiam ignorantia demonstrata manifestissimè probauimus.

SECVNDVM argumentum: Antequam consecrationis verba proferantur, ipsi Sacerdotes profitentur, panem & vinum esse sacrificium quod offerunt; sic enim incipit Canon: *Te igitur clementissime pater per* IESVM CHRISTVM *filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, vti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata: in primis quæ tibi offerimus, &c.* Non igitur corporis & sanguinis Christi sacrificium faciunt.

RESPONDEO. Si maximè concederemus, hæc verba referri ad ipsam *panis vinique* substantiam; tamen non ideo sequeretur, in Missa Christi corpus & sanguinem non sacrificari: Sed tantùm liceret inde colligere, offerri simul in ea minùs principaliter panem & vinum. Nihil enim hoc obstaret, quò minùs posteà corpus & sanguis Christi (sicut verè, non tam verbis quàm re ipsa totaque actione fit) offerantur vt principale sacrificium. Quod ex illis Herbrandi verbis etiam conuincitur: *Hæc omnia*, inquit, *de pane & vino nondum consecratis sacrificuli dicunt; offerentes ea, quæ certè neque sacrificium sunt, neque Sacramentum, sed panis tantùm & vinum*, POSTEA *demum per consecrationem transubstantiata offerenda.*

Et non desunt doctores quidam Catholici & eruditi, qui planè significant, ipsam etiam substantiam panis & vini vt quædam DEI dona ac munera sanctificari & offerri DEO, à quo simul petat Sacerdos, vt ipsa velut idonea, in quibus transubstantiationem panis & vini in Christi corpus & sanguinem perficiat, acceptare benedicereque dignetur. Sed tamen ipse magis probo, quod alij sentiunt, Ecclesiæ intentionem esse, vt eiusmodi verba atque oblatio non referantur ad substantiam præsentem panis & vini, sed ad Christi corpus & sanguinem paulò post sub panis vinique accidentibus futura, quæ, vt ibi dicitur, *prosperitatis & incolumitatis offerimus, &c.*

Quod quidem vt commodè fieri possit, non solùm consuetudo facit, qua solemus de rebus iam iam instantibus tanquam de præsentibus loqui, & constituere, sed etiam præsentia eorundem accidentium, sub quibus mox est CHRISTVS pro pane & vino substituendus diuina virtute & offerendus; sicut & ante quoque offertur, non quidem vt iam præsens, sed vt proximè futurus præsens, tum oratione, tum inprimis animo intentioneque.

Quæ causa est, quamobrem non ineptè mysticæ cruces super panem & vinum, tanquam si præsens sacrificium indicarent, tunc etiam designentur: siquidem accidentia ipsa adsunt, sub quibus CHRISTVS offertur: quæque ideo nonnihil etiam ad sacrificium Dominici corporis & sanguinis pertinent: Vt non immeritò sacrificium hoc ab Augustino & aliis Patribus *panis & vini* sacrificium dicatur: quemadmodum alio in loco nobis posteà repetendum erit. Sed dicit Herbrandus vbi supra numero 128. nos hac explicatione nihil proficere: *Cùm verba*, inquit, *& res manifesta in contrarium sint.* Hoc autem cùm ille tantùm dicat & non probet, nihil suo more proficit.

TERTIVM argumentum: Christus voluit in Eucharistiæ celebratione annunciari publicè & prædicari suam mortem. Hoc autem non faciunt Sacerdotes Catholici. Non igitur institutioni parent, sicut oportet vt Christi corpus & sanguinem habeant, quæ offerant.

RESPONDEO. Hoc suprà refutatum est, cùm ex Christi verbis, conuenienter sententiæ Augustini libro tertio de trinitate, capite quarto docuimus, annunciationem illam non voce publica, sed inprimis *facto ipso* fieri debere: vt etiam Apostolus indicat prima ad Corinthios vndecimo.

QVARTVM

QVARTVM argumentum eodem tendit, quoniam videlicet vtramque speciem non dispensemus. SED in hoc etiam demonstraui suprà omnino nihil Sacerdotes Catholicos peccare contra præceptum illud; Hoc facite.

QVINTVM. *Consecratio ipsa cœnæ Dominicæ*, inquit Herbrandus vbi suprà numero 129. *non magica est incantatio, ad quam opus sit certo hominum ordine, ad hoc peculiariter certis quibusdam cæremoniis oleo & Chrismate, charactere indelebili vncto & consecrato, vt corruptis verbis, & mutilata ac mutata Christi verborum forma, certo Aaronico variarum vestium habitu & panoplia corpus & sanguinem Christi ex pane & vino mirabiliter in ea transformet; sed quia recitata & exposita* DEI *ordinatione, per Ecclesiæ ministrum, panis & vinum huius Sacramenti vsui sacro destinantur, vt sint veri corporis & sanguinis Christi Sacramenta vna cum signo verè exhibentia, quod sonant verba.* Quasi ex his velit colligi, nos Christum non habere præsentem, quem offeramus; sed panem tantum & vinum, quandoquidem ea faciamus, quæ sunt magica vel Aaronica, & à Domini institutione aliena.

Etsi autem responsione hoc loco sit Herbrandi authoritas indigna, cùm dicat tantùm & nihil probet; RESPONDEBO tamen breuiter & ordine ad singula, ne quid isti desiderent. Ac I. quod ait, consecrationem non esse *incantationem magicam*, verissimum est. Sed non ideo in Ecclesia magicè vel profanè Consecratio ea fit, quia *certo hominum ordini* committitur. Nam & Christus Dominus solis Apostolis eorumque successoribus Sacerdotibus hoc munus commisit, quibus solis dixit Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Itaque prophani potius & peiores quàm magici atque incantatores sunt Sectarij Prædicantes, qui cùm sint meri Laici, nec ab Apostolis, neque ab eorum legitimis successoribus vocati, sed quasi fures aliunde ingressi, tamen hoc officij genus sacrosanctum obire frustrà tentant.

Est enim magica superstitio (quod fortasse isti nescíunt) si quis aut sermone aut facto alicui id efficere conatur, quod nec per sermonis aut facti naturalem vim, nec per authoritatẽ diuinam, secundùm ordinariam DEI institutionem ac legem, efficere potest. Quare cùm neutro modo laici Prædicantes, dum cœnæ Dominicæ institutionem recitant, conficere valeant Eucharistiam; verissimè sunt Magici, quando eam conficere conantur.

Eorum enim ordinationes quales sint, pseudoapostolicæ atque inanes, iam olim ita ad vitium TERTVLLIANVS descripsit, libro de præscriptionibus hæreticorum, paulò antè finem: vt non de aliis hæreticis, sed de Lutheranis planè loquutus esse videatur. *Ordinationes*, inquit, *eorum temerariæ, leues, inconstantes; nunc neophytos collocant, nunc obstrictos seculo, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium; vbi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector, hodie præbyter, qui cras laicus. Nam & laici* (sicut hodie facit laicus Magistratus apud Lutheranos) *Sacerdotalia munera iniungunt.*

II. Sed neque magia vlla est, quod Sacerdotes nostri *certis cæremoniis* Sacerdotio initiantur. Nisi fortè Apostoli magi fuerint, quòd Actorum sexto, & 13. *ieiunantes & orantes, manus* etiam non sine cæremoniæ quadam specie *eis imponebant*, quos præficiebant Ecclesiastico ministerio. Sicus Herbrandus etiam impositionem manuum in suorum proselytorum ordinationibus sacrilegè & magicè vsurpatam disertè appellat *cæremoniam* in suo compendio, cùm agit de ordinatione.

III. Item neque magia est, quod in sacris ordinationibus, sicut etiam in Confirmatione, & Baptismo, *vnctio* sancti Chrismatis, ex Apostolica traditione ad significationem mysticam, adhibetur. Qua de re quoniam alterius loci controuersia est, sufficiat modò audire Cyprianum in tractatu de operibus cardinalibus Christi, sermone de lotione pedum & vnctione sancti Chrismatis. *Sicut oleum*, inquit, *fluctuat & humidis quibuslibet superfertur, ita excellentia Sacerdotalis & Regiæ dignitatis secundùm formam* DEI *& Christi, sub se omnia continens, regimen vt munimen tam actiuæ quàm contemplatiuæ vitæ obtinet.* Ac rursus infrà: *Nec tamen*, inquit, *cessantibus his, quæ ritu antiquo inoleuerunt, cùm iam in populo Christiano circumcisio videretur damnabilis, & sacrificia idololatriæ imputarentur, vnctionis mysterium religio Christiana contempsit. Sed cæteris generali sanctorum consensu, damnatis, non solùm in Regibus &* SACERDOTIBVS *vnctionis honor permansit; sed in omnem populum Catholicum effusa est huius gratiæ plenitudo. Et sicut Christus à Chrismate dictus est, eo quòd singularis excellentia oleo vnxit eum* DEVS, *ita & participes eius quotquot sunt, consortes sint tam vnctionis, quam nominis, vt dicantur à Christo Christiani.* Videant ergo Sectarij, qui adeò vbique oderunt sacrosanctum Chrisma, num sint Christiani à Christo: vel potius illorum paganorum similes, quos à Prudentio in Apotheosi proditum est suis in sacris solitos fuisse proclamare: *Discedat hinc lotus & vnctus.*

IV. *Characterem* porrò indelebilem ad magiam Herbrandus cum suis ideo refert, quoniam eius rationem non intelligit. Est enim nihil a-

Universidad de Deusto
Biblioteca

liud, quàm spiritualis potestas, quæ in opus ministerij ad ædificationem corporis Domini iis qui ordinantur, conceditur, quos quia à reliquis laicis discernit, *Character* nominatur: Sicut etiam *gratia* dicitur, qua ratione diuinitus conceditur. Vnde Apostolus 1. ad Tim. 4. huius procul dubio potestatis & Characteris acceptæ Timotheum commonefaciens: *Noli*, inquit, *negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* Et iterum 2. ad Timotheum 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam* DEI, *quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Non tantùm, quæ data est tibi, inquit, sicut alia dona quæ amitti & deleri possunt, sed addit etiam: *Quæ est in te*: procul dubio durabiliter: vt nemo sit tam sui officij immemor, & improbus Ecclesię minister, cui non prælatus secundùm formam ab Apostolo præscriptam dicere similiter possit: *Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ data est tibi, quæ in te est.* Non enim propter Timotheum solùm, qui non tantopere eiusmodi admonitione indigebat, sed propter alios præsertim negligētes aut infideles ministros, vt similiter admonerentur, id scripsit Apostolus.

Itaque in ministro manet & est specialis gratia & potestas, qualiscunque sit tandem, ideoque indelebilis etiam character. Quod Tertullianum lib. de præscript. hæreticorum non ignorauisse, satis apparet ex eo loco, quem paulò ante citauimus, vbi alienum ab Hierarchia Ecclesiastica, propriumque Schismaticorum hæreticorum esse significat, vt *cras sit laicus, qui hodie minister.*

Neque dubitauit affirmare Diuus Augustinus lib. de bono coniugali, capite 24. ita in ordinatis ministris Sacramentum ordinationis manere, vt etsi aliqua culpa quisquam ex illis ab officio remoueatur, *Sacramento Domini semel impositio non careat quamuis ad iudicium*, inquit, *permanente.* Sed de Charactere, suprà disputat. 3. egimus suo loco.

V. Vanum etiam est, quod addit, nos *corrumpere ac mutilare* institutionis verba. Quæro enim qua ratione mutilationem hanc isti probabunt. An propterea quòd caput vndecimum prioris ad Corinthios, sicut ipsi in prophana cœna sua faciunt, non recitamus? At quomodo ex consequentia verborum CHRISTI docebunt, præceptum illud: *Hoc facite*; ad eiusmodi recitationem etiam esse referendum? Erat ne tunc scriptum illud caput, cum Christus præceptum illud daret? Aut disseruerat iam tunc Paulus de necessaria probatione sui, & iudicio, quod indignos manducare, illic dicit & de aliis de quibus illic concionatur? Nihil ergo minus quàm vt hæc recitarentur, mandauit tunc Dominus illo præcepto, *Hoc facite.*

Quod autem attinet ad alia verba, quæ sunt à Christo dicta, iam ostendimus suprà nullum nos eorum prætermittere, quod dicere quidem iubeamur tanquam necessarium ad efficiēdum id quod Christus nos facere voluit, dicens: *Hoc facite.* Nā verba illa quæ prætermittimus: *Quod pro vobis datur*, vel *tradetur*; minimè sunt eiusmodi; cùm oblationem tantùm siue futuram siue præsentem Christi significauerint, quæ perinde in Missa exerceri à Sacerdotibus potest, siue illa verba proferantur, siue non proferantur

Neque verò ideo formā corrumpimus, quòd in consecratione calicis non iisdem prorsus verbis, quibus vel Apostolus, vel Euangelistarum aliquis sententiam Christi referat, vtamur, sed illis tantundem valentibus; *Hic est enim calix sanguinis mei noui & æterni*, &c. quæ semper ab initio, velut à Christo prolata vsurpauit Ecclesia, sic ab Apostolis edocta. Cui si non credit Herbrandus, obsecro quò prouocabit? Ad scripturámne, ex qua certius quæ sit in consecratione calicis vsurpanda forma discamus? At in hoc certè causæ genere non solùm hæretica, vt in cæteris, verùm etiam stultissima hæc foret appellatio.

Cùm enim verba spectantia ad calicem aliter Apostolus, aliter Matthæus, aliter Marcus, aliter Lucas retulerit; neque ex illis alius alio retulisse fideliùs existimari debeat; nullam ex ipsis certam ac determinatam verborum formam addiscere possumus, sed reliquum est, vt Ecclesia nos determinatè certóque doceat, quæ fuerint à Domino propriè verba vsurpata; quorum sententiam tantùm aliis iisque diuersis verbis, quæ tantundem significent, authores illi sacri, vt antea quoque notauimus recensuerint.

VI. Valdè verò crassi sunt isti, quòd inter ritum sacrarum vestium, quibus iam Ecclesiæ ministri vtuntur, & ritum cæremoniamque vestium Aaronicarum, nesciunt distinguere. Quasi nequeat omnino propria religionum differentia cum aliqua similitudine constare. Hac ratione Lutheranos prędicantes ego quoque probabo Sacerdotes Aaronicos esse (Si tamen hoc titulo honorandi sint, & non potius Pharaonici Sacerdotes, qui à plebe similiter creabantur, dici debeant) ex authoritate Herbrandi. Is enim in Compendio suo affirmat, *impositionem manuum*, quam isti quoque in suis ordinationibus, vel inordinationibus potius, tanquam Catholicorum Simiæ adhibent, *cæremoniam* esse, quæ fuerit quoque vsurpata in Aaronicorū Sacerdotum inauguratione. Quin etiam cùm hoc ipsum ex diuinis literis constet; Aaronicos oportebit quoque fuisse illos, qui eo modo sunt ab Apostolis ordinati Actor. 6. & 13. 1. ad Tim. 4. 2. ad Tim. 1.

Sed

Sed quoniam offeret se postea in alio loco necessaria occasio, vt paulò accuratius explicemus, quemadmodum non sit à Christiana religione alienū, quidquid alicuius generis ratione cum prisco cultu conuenit; aliud iam non respōdeo, quàm quod Aaronicæ vestes non qualescunque Sacerdotales vestes fuerunt, sed definitæ rationis, quę cum ænigmatico illo cultu congruebat, & suo modo adumbrabant mysteria Christi futura, sicut cætera, quæ propria fuerunt eius populi. Huiusmodi autem non sunt nostrorum vestes Sacerdotum, sed aliò pertinet earum cæremonia significatioque mystica, vt est à Catholicis Doctoribus sæpe explicatum.

Itaque vt Cyprianus de sacra Chrismatis vnctione disputans, serm. de lotion. ped. & vnctione Chrismat. dixit: *Mortuus est Moyses & veteris literæ putruerunt ænigmata; à facie noui olei desiccata sunt vnctiones antiquæ*; Sic nos dicere possumus, nequaquam vestes Aaronicas in Ecclesia retineri, sed à facie nouarum vestium Sacerdotalium, veteratas abrogatasque esse Sacerdotales vestes antiquas. Vbi velim obseruēt Sectarij, quàm habeāt ipsi ingenium à Cypriani ingenio diuersum. Isti enim quoniam chrismatis vnctio vestiumq; cæremonia in Ecclesiæ cultu adhibetur, Aaronicas vestes & vnctionem in vsu apud Catholicos esse vel malitiosè vel ignoranter calumniantur: Cyprianus autem, Ecclesiæ traditioni inhærens, eiusque rationem intelligens, antiquari potius censuit Aaronicas vnctiones adeoque vestes (par enim existit ratio) per nouam vnctionē nostram & vestes, ob diuersam nimirum conditionem harum & illarum vnctionum ac vestium.

VII. Iam quis Herbrādo credat, *transformationem* (vt ille loquitur,) siue (vt nos rectiùs) *conuersionem* panis & vini per consecrationis verba, in corpus & sanguinem Christi, esse magiam? cū eam Sancti Ecclesiæ Patres ex Christi verbis & institutione luculenter asserant? Eusebius EMISSENVS in serm. de corpore & sanguine Domini perspicuè dixit: *Benedicendæ verbis cælestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur: antequam inuocatio & vini: post verba Christi, corpus est et sanguis Christi.*

AMBROSIVS lib. 4. de Sacram. cap. 5. *Ante quam consecretur, panis est, vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi.*

HIERONYMVS ad Heliodorum, *Clericio Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro* ORE *conficiunt.*

Cyrillus HIEROSOLYMITANVS cate. 9. *Si ad nuptias corporales aquam in vinum mutauit, nunquid non mutat ad nuptias spirituales vinum in suum sanguinem, cùm vinum sit sanguini magis propinquum quàm aqua vino?*

Cyrillus etiam ALEXANDRINVS ad Calosyrium affirmat, DEVM *influere oblatis vim vitæ & ea in veritatem propriæ carnis conuertere.*

CHRYSOSTOMVS lib. 3. de dignit. sacerdot. cap. 5. *Qui non manducat carnem Domini, nec bibit sanguinem eius, non habebit vitam æternam. Quæ per nullius alterius quàm sanctis* EFFICIVNTVR (vocet si placet, hic Herbrandus Chrysostomum magum) *manibus Sacerdotum.*

Apud AVGVSTINVM quoque serm. 28. de verbis Domini. & Ambrosium lib. 5. de Sacram. cap. 4. hæc eadem verba, siue alterius tantùm, siue vtriusque illa sint, legimus: *Memini sermonis mei cum de Sacramentis tractarem, dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur. Vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.*

Item Augustinus, siue quis alius ex patribus sit ille, cuius verba à Gratiano de consecratione d. 2. can. *vtrum sub figura*, & à Magistro sententiarum lib. 4. sent. d. 10. hoc modo citantur: *Sicut de virgine per spiritum Sanctum vera caro creatur; ita per eundem ex substantia panis & vini, mysticè idem corpus Christi consecratur.*

Rabanus ex aliorum etiam Patrum sententia lib. de corpore & sanguine Domini, ca. 34. *Sicut nomine Christi, ipso teste, etiam à ministris diaboli dæmonia pelluntur, ita eiusdem virtute in Sacramēto Altaris corpus & sanguis conficitur.* Idem lib eodem, cap. 31. *In hoc ergo verbo: Hoc est enim corpus meū, conficitur illud corpus, Quia diuinum verbum est, &c.* Idem lib. de corpore & sanguine Domini, ca. 12. *Quotiescunq, fit* (quod Christus circa confectionem Eucharistiæ instituit) *Catholicè, verè hoc fit, quod dictum est: Hoc est corpus meum.* Quibus verbis fundamentum habere sententiam hanc mōstrauit in ipsa institutione. Quia videlicet præceptum illud: *Hoc facite*; ad verba illa etiā quę antecedunt, *Hoc est corpus meum*, referre oportet, sic, vt etiam *efficiant* Sacerdotes, Christi corpus & vinum esse illud, quod sub speciebus panis & vini Christus indicauit, videlicet eius corpus & sanguinem.

Rectissimè autē hic author dixit, *Quotiescunq, id quod iussit Christus, fit* CATHOLICE, *verè hoc fieri, quod dictum est; Hoc est corpus meum.* Vt animaduertāt Sectarij prædicantes, se ideo panem & vinum in corpus & sanguinem Christi cōuertere neque velle neque etiam posse, quoniā Eucharistiam celebrant, non Catholicè ex institutione Domini, sed hæreticè pro sua libidine: ita scilicet, vt recitatione verborum, quemadmodum Herbrandus ait, non corpus Domini *conficiant*, hoc est, præsens faciant, per conuersionē panis in ipsum, sicut fieri docet recitata Patrum Ecclesiæque sententia, sed *tantùm vsui sacro panis & vinum destinentur, vt sint corporis & sanguinis Domini Sacramentum, vnà cum signo exhibentia quod sonant.*

Vult autem dicere noster iste Catharus (siquidem Catharorum etiam fuit hæc hæresis apud

Thomam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Thomam VValdens. Tom 02. cap. 27.) ex pane corpus Christi non *confici* aut *sisti præsens*; cum per se illud alioquin non in pane tantùm, sed vbiq; locorum sit, vt isti Vbiquistæ docent. Itaque secundùm illos Eucharistia confecta nullum propriè continet admiratione dignum mysterium, quod humanam atque Angelicam intelligentiam vincat, vt passim Ecclesiæ sancti Doctores declamant: sed res est intellectu facillima, nempe vt panis ex voluntate & institutione CHRISTI, *destinetur* ad significandum CHRISTVM in ipso pane alioquin latentem, sicut in cæteris rebus, suapte maiestate. Qua quidem in re Confessionistæ Lutherani, quod ad *effectum* consecrationis attinet, planè sunt Sacramentarij. Nam similiter vt Sacramentarij docent, per cõsecrationis verba non poni de nouo Christum in Sacramento, sed panem constitui signum Domini. Quæ est sententia Sacramẽtariorum. Hæc enim VViclephi etiam Sacramentarij apud VValdensem vbi suprà hæretica oratio fuit: *Nihil horribilius quàm quod quilibet Sacerdos quotidie celebrans facit vel consecrat quotidie corpus Christi. Nunc Deus noster*, inquit, *non est* DEVS *recens, nec corpus eius est sic sacrabile vel nouiter faciendum.* Et iterũ: *Notum*, inquit, *est, quod non quotidie à Sacerdote idiotico & indigno fit nouiter corpus Christi.* Quid est ergo illud, quod secundùm VViclephum & alios Sacramentarios à Sacerdote propriè fit? *Efficax*, inquit, *Christi signũ.* Hæc verò etiam est vox & sententia Herbrandi & aliquorum Lutheranorum.

A

B

C

D

At nos, inquient isti, signum dicimus Christi non secundùm vim & energiam tantùm, sed etiã *realiter præsentis*, ac proinde eatenus efficax, quatenus exhibet non modò Domini gratiam, sed ipsum etiam Dominũ realiter, quem repræsentat. Audio: sed hinc tantùm efficitur, istos ad Sacramentariorum errorem, de proprio consecrationis *effectu*, errorem alium æquè vanum ac impium vbiquitatis addere, nõ autem ab eo Sacramentariorum errore discrepare. Conuenit enim inter istos & Sacramentarios, per ministri opus, secũdùm institutionem diuinam, hoc solum fieri, vt panis sacro *destinetur vsui*, sitq; signũ Christi (id quod reuera non est aliquid fieri; Signum enim propriè non efficitur) Quod autem sit signũ Christi præsentis, & eatenus efficaciter exhibens ipsum Christum; hoc isti præterea affirmant, non quia per Eucharistiæ confectionẽ & opus ministerij propriè id *fiat* (sicut Ecclesia contra Sacramẽtarios & istos docet) sed quia vanissimè fingunt, aliũde id accidere, nempe quia Christus aliàs, etiam secundùm humanitatẽ, sit in omni re adeoq; etiam in pane præsens: ex quo fit, vt si panis cõstituatur signum Domini, nõ nisi Dominũ præsentem significet, & Christum etiã cũ eiusmodi pane sumat, quicunq; ex ipso edit. Sicut eadem etiam vbiquitatis assertione cogũtur isti absurdissima concedere, illum etiam qui vulgarem panem non consecratum, aut carnes, aut quoduis aliud obsonium edit, humanitatem Domini vbique inexistentem vnâ sumere, & edere, non minus quàm is, qui de Eucharistia cõmunicat.

Sed de vbiquitate non solùm apud nos, sed vbiq; etiam apud plerosq; hæreticos explosa, nõ est vbiq; dicendũ. Illud iam quod ad propositũ spectat, dico, in eo q̃ concorditer Lutherani cũ Sacramentariis negant, per opus ministerij de nouo quotidie *fieri*, vt quod panis viniq; speciebus subest, sit corpus & sanguis Domini, manifestissimè pugnare cum huius Sacramenti Institutione. Firmum enim fundamentum Dei stat, inuictis illis verbis constitutum: *Hoc est corpus meum*: &, *Hic meus est sanguis.* Vt enim de nouo Christus, ac nouæ procul dubio rei discipulos suos admonens, hæc verba protulit: ita etiã sine vlla dubitatione nouum existendi modum tunc significauit sub speciebus panis & vini habere suum corpus & sanguinem, quæ pronominibus illis (Hoc) & (Hic) sub eiusmodi speciebus demonstrauit. Et consequenter, dicens: *Hoc facite*, planè imperauit nos itidẽ efficere, vt sub panis viniq; specieb. corpus & sanguis Domini de nouo sint. Sicut rectè indicauit Rabanus, vbi suprà. Verbum enim (Est) in illis Domini verbis, existentiam propriè significat, vt suprà ostẽdimus, non autem significationem vel figuratione tropologicè. Itaque si eius verbi significatum fuit tunc nouum, & nunc etiam per opus ministerij nouum est quotidie in confectione Eucharistiæ necesse est concedatur noua etiam sub speciebus panis & vini existẽtia Dominici corporis & sanguinis.

Atque iisdem etiam ex verbis transubstãtiationis veritas, quam iste Ouidianam Metamorphosin prophana scurrilitate appellat, irrefragabiliter cõprobatur. Etenim rem & substantiã Christus totam, quam manibus tenebat, demonstrauit, inquiens, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic meus est sanguis.* Nam *accipite*, inquit, *et comedite.* Quid? *Hoc* (nemo non animaduertit vim pronominis substantiui demonstrantis substantiam totam præsentem) *est corpus meum.* Itaq; efficitur, nihil ibi fuisse substantiæ, quod non fuerit corpus Domini, ac proinde nihil substãtiæ panis; siquidem hanc constat Domini corpus non esse propriè, sicut est illud de quo propriè, vt suprà probauimus, ait Dominus: *Hoc est corpus meum*, vt latius probaui suprà q. 3. p. 2. Vbi etiam ostendi, cur nihilominus Eucharistia à patrib. interdum atq; etiã ab Apostolo vocetur panis: Videlicet, quia panis videtur; quia vt panis reficit; quia ex pane confecta est. Atque hęc fuerint satis, quod ad eas istorum obiectiones attinet, quibus vanè suadere conantur, nos à Christi institutione & præcepto in Eucharistiæ vsu discedere ideoq; Christum non habere præsentem, quem in sacrificio offeramus. Quod enim præterea obiectant, ad ea quæ Dominus instituit, quædam nos addere *sine*

sine Dei mandato; ex hoc quidem minimè potest effici, nos aliquid peccare propriè cõtra *institutionem* huius Sacramenti. Nam hæc nõ vetat aliquid addi aut fieri, sed solũ iubet fieri ea, quæ suprà etiam ostendimus, Catholicos Sacerdotes minimè contra institutionis præceptum præter-mittere. Ac ostendemus paulò pòst oportunè, q̃ sit etiam vana insulsaque ea obiectio ad concludendum, omnino nos vlla ex parte in Eucharistiæ vsu peccare, aut illegitimè perficere nostrũ sacrificium. De hoc enim, iuxtà propositum initio ordinem, iam disserendum est.

QVÆSTIO TERTIA.

An in Missa legitimè conuenienterque diuinæ voluntati Sacrificium fiat. §. 6.

RESPONDEMVS, omnino rectè, legitimè, atq; conuenienter diuinæ voluntati sacrificium hoc fieri. Exponenda autẽ breuiter, priusquam probetur, orthodoxa hæc assertio est. Quia enim suprà veri nominis sacrificium descripsimus in eo consistere, vt res aliqua immutata confectaq; referatur ad conciliandam, per eam ipsam immutationem seu cõfectionem DEO gloriam, & eatenus diuino numini offeratur & consecretur; vsus sanctarum etiam scripturarum obtinuit, vt sacrificij nomẽ, nunc ad *rem ipsam*, quę offertur, nunc ad *actionem* siue officium offerendi, nunc ad vtrumque, rem videlicet & actionem, qua res offertur, accõmodetur. Nos aũt cùm affirmamus, sacrificiũ corporis & sanguinis Domini in Missa legitimè cõuenienterq; diuinę volũtati *fieri*, hac ipsa loquutionis forma indicamus, *sacrificiũ* à nobis hoc loco accipi non tantũ pro reipsa oblata, nẽpe corpore & sanguine Dominico, quæ sine omni dubitatione sunt æterno patri acceptissima (vt qui 2. Pet. 1. in vnigenito suo sibi bene cõplacuit) sed vt est etiã positum in *actione* Sacerdotis, qui offert. In hoc enim vertitur cardo controuersiæ.

Cuius vt status rectius percipiatur adhuc sciendum est, oblationẽ siue sacrificiũ corporis & sanguinis Dominici, vt actio siue officiũ quoddam est, cõsiderari bifariã posse. *Primò* quasi *speciẽs*, ea nimirum ratione præcisè, qua opus est quoddam Sacerdotis tanq̃ ministri CHRISTI, qui vt ex patrũ sententia pòst docebimus, principaliter offert. *Secundò* determinatè magis, &, vt dicitur, *in individuo*; vt est videlicet actio Sacerdotis *talis*: nempe boni, aut mali: vnde quoq; rectè, aut perperã (ob circumstantiam aliquã modi vel finis, vel tẽporis vel personę prauã) offerentis, &c.

Hic priori modo, de quo omnis controuersia est, Sacrificium corporis & sanguinis Dominici cogitamus, cùm asserimus hoc *Sacrificium* pro ea etiam actione acceptum, rectè fieri. Nam si posteriori modo cõsideretur, nihil in alterutrã partem de ipso pronũciari vniuersè potest, cùm cõstet pro diuersa ratione circumstantiarũ posse illud *in individuo* nunc bene, nunc prauè peragi.

Quare sacrificium Missæ pro oblatione etiam acceptum bonũ & legitimum esse sic dicimus, quomodo generatim dicere solemus, administrationem Baptismi vel alterius Sacramenti bonam & rectam esse secundùm *speciem suam*, iis circumstantiis particularibus cogitatione circumscriptis, ex quibus non est vllum dubium, quin contingat eam administrationem & bonum, & prauum opus in individuo existere.

Hunc in modum assertio nostra explicata cò iam à nobis validius comprobabitur, quò non recentibus argumẽtis vtemur; sed veteribus orthodoxorum Patrum, quę propter Sectariorum recentes cauillationes, denuò à Kenitio, & Herbrando & aliis repetitas, ipsi etiam cõstituimus denuò ꝓponere, & nonnulla luce fortassis addita, confirmare, vt eorũ vim grauissimã atq; pondus ab istorum inani leuitate defẽdamus. Quod fiet tũ cõmodius, tum breuius, si ordine ac simpliciter Catholicæ sententiæ fundamentis in aptam probationũ siue argumentorum formam redactis, è vestigio quid isti ad singulorum eneruandã vim opponant, subiiciamus depellamusque, atq; adeo illa etiam refutemus, quæ vrgent peruersissimè, vt absolutè euincant, hoc sacrificium ex ipsa officij ratione esse peruersum.

Probatur I. ex Institutione Eucharistiæ, & variis eius circumstantiis, legitimum esse Missæ Sacrificium. §. 7.

PRIMA PROBATIO. Quod est à Christo institutum & imperatum, id sine omni cõtrouersia legitimũ diuinæq; volũtati acceptum est. Inst[illegible]aũt & imperauit CHRISTVS sui corporis & [illegible] sacrificiũ, inquiẽs Lucæ 22. & 1. Cor. 11 [illegible]*e in meam commemorationem.* Est igitur id legitimũ sacrificium. Propositio minor non solùm authoritate Patrum, qui (vt videbimus) magno cõsensu præceptum illud Domini eam etiam vim habuisse intellexerunt, sed etiam ex variis loci circũstantiis cõprobanda est; ne quid præterea Herbrandus & Kemnitius & alij Sectarij requirant, qui, nobis nihil repugnãtibus, dicunt, ex circumstantiis subiectaq; materia diiudicandum esse, num alicubi verbũ, *facere*, significet sacrificare seu offerre.

I. Verbum enim Christi, *Hoc facite*, ad omnia præcedẽtia, non solũ quę actionẽ tunc præsentẽ, sed etiã quę actionem futurã significarent, vt suprà docuimus, referri debet. Præcesserat aũt inter cætera: *Quod pro vobis tradetur*, id est, dabitur atq; offeretur in cruce in *odorẽ suauitatis*, vt Apostolus ad Eph. 5. interpretatus est. Est igitur vis etiã illius præcepti, sacrificate & offerte vos itẽ, vt licet, idem corpus eundemq; sanguinem meum, nimirũ modo *incruento*, sicut suprà etiã §. 4. conclusimus, quò est istis redeundum, si volunt hæc, quæ iam dicimus, oppugnare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. Quod Chriſtus fieri iuſsit, id ad commemorandam ex ipſius *facti* ſimilitudine atque repræſentatione, eius in cruce oblationem, qua inſigni erga nos caritate tradidit ſe morti pro nobis, fieri imperauit; vt ex ipſius Domini verbis conuenienter doctrinæ & Apoſtoli interpretationi ſuprà demonſtrauimus. Hoc autem fieri niſi per *oblationem ſimilem* non poteſt; quemadmodum conſentiente etiam ſcripturarum analogia, quam indicauimus ſuprà §. 4. eſt à nobis probatum. Igitur vt etiam offeremus imperauit, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*.

III. Id Chriſtus fieri iuſsit, quod ipſe tunc primus Euchariſtiam conficiens & exhibens, erga eam geſsiſſe cognoſcitur; exceptis illis circumſtantiis, quæ aliunde tunc in Chriſti facto concurrerunt; quæque non propriè verbis, quibus actio Domini narratur, ſignificantur geſtæ; ſicut copioſè ſuprà §. 4. diſſeruimus. Item eo excepto, quod neceſſe fuit eſſe Domini proprium. Vt quòd non alienum, ſed *ſuum* corpus & ſanguinem conſecrauit; quòd ipſam item Euchariſtiam tunc eiuſque vſum poteſtate ſua, quam Theologi vocant *excellentia*, inſtituit. In cœna autem Chriſtum ſe ſe *incruenté* ſub panis vinique ſpeciebus æterno patri ſacrificauiſſe, nó modò Concilij Tridentini Patres ſeſs. 22. cap. 1. ſed etiã ante mille & trecentos annos Cyprianvs lib. 2. epiſt. 3. ad Cęciliũ ex receptiſsima procul dubio Eccleſiæ ſentẽtia ſcripſit. *Si*, inquit, Iesvs Christvs *Dominus et Deus noſter, ipſe eſt ſummus Sacerdos* Dei *patris, & ſacrificium Deo patri ſe ipſum primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem* Praecepit, *vtique ille Sacerdos* Vice *Chriſti verè fungitur, qui id, quod Chriſtus fecit, imitatur; Et ſacrificiũ verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe*. Ex quibus & aliis concludit, in vino Chriſti ſanguinem conſecrandum & offerendum eſſe, quoniam ita Chriſtus *conſecrauit et obtulit*.

In quam ſententiam luculenter ſanè B. Gregorius Nyssenvs in oratione 1. de ſancto feſto paſchę & reſurrectione Domini ante mille quoque ducentos annos: *Pro ineffabili arcanoque*, inquit, *ſacrificij modo, ſua diſpoſitione & adminiſtratione præoccupat impetum violentum, ac ſe ſe oblationẽ & victimam offert pro nobis Sacerdos ſimul & Agnus* Dei, *qui tollit peccata mundi. Quando hoc accidit? cùm ſuum corpus ad comedendum & ſanguinem ſuum familiaribus exhibuit ad libendum.*

Atque his longè antiquior, idemque grauiſſimus teſtis Clemens Romanus in Apoſtolorum perſona lib. 8. conſt. Apoſtolicarum, cap. 36. *Primus*, inquit, *natura pontifex vnigenitus Chriſtus, non ſibi honorem rapuit, ſed à patre conſtitutus eſt, qui factus pro nobis homo, hoſtiam* Spiritvalem Deo svo *eidemque patri* Ante passionem *offerens conſtituit nobis ſolus, vt hoc faceremus, &c.*

Quod vt aliorum Patrum teſtimonia prætream ex ipſo etiam Chriſti facto, ſicut ab Euangeliſtis narratur, manifeſtè cõuincitur. Oſtendimus enim ſuprà, §. 2. tunc verè ſacrificium offerri, cũ res aliqua peculiari modo mutatur, & conficitur in eum finem, vt per eam ipſam immutationem & confectionem concilietur Deo gloria, hoc eſt, exiſtimatio ipſius maieſtate digna: Non eſt autem dubium quin hunc in finem etiam, & quidem præcipuè, Chriſtus Dominus (qui paterna gloria nihil habuit in opere vllo antiquius) corpus & ſanguinẽ ſuum in cœna peculiari modo confecerit & Sacramentaliter, vt ita dicam, immutauerit, cùm ſub ſpeciebus panis & vini ſe ipſum ſiſteret, vt ex Euangeliſtis anteà probatum eſt. Obtulit igitur incruentum corporis & ſanguinis proprij ſacrificium.

Neque verò eadem ratio de aliis miraculis eſt, quibus Chriſtus, paternam gloriam etiam ſpectãs, res aliquas immutauit. Etenim eiuſmodi operibus gloriã ille patri ſuo conciliare voluit, non ipſa præcipuè imitatione ſiue *confectione* rerum, vt ſubiectæ erant diuino *dominio* (quod ſuprà §. 2. docuimus propriè pertinere ad Sacrificium) ſed inprimis oſtenſione manifeſta ſuæ potentiæ, aut etiam ipſo beneficio temporali, quod eiuſmodi operib. ex miſericordia & charitate hominibus impertiebat. In eo autẽ facto, quod Chriſtus in cœna circa panem, & vinum geſsit, præcipuũ fuit ipſa corporis & ſanguinis Dominici ſub ſpeciebus panis & vini *confectio*, ad diuinam gloriam ordinata. Quare meritò ad id factum præ aliis, quæ Chriſtus item mirabilia geſsit, ſacrificij rationem accommodamus.

Ex quo intelligitur myſterio nõ vacare, quod apud Lucam verbis preſentis temporis legimus, Dominum dixiſſe: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis* Datvr; (ſi verbum Græcum latinè reddamus) *Et Hic eſt calix noui teſtamenti in ſanguine meo, qui pro vobis* Fvnditvr. Admonere nãmque ea loquendi formula nos ſpiritus ſanctus voluit, vt id verbum Chriſti non tantùm ad futuram obtionem in cruce, ſed etiam ad *præſentem*, qua ſeſe in ipſa cœna obtulit, referamus. Cùm enim vtroque modo, vt probatum eſt, ſe Chriſtus obtulerit; ad vtramque oblationem verbum illud referri poteſt ac debet, ſcilicet ad futurã tranſlatè per figuram Enallagen, ad præſentem autẽ *propriè*, vt paulò poſt in explicatione cauillationis cuiuſdam Herbrandinæ, qua eſt vſus etiam Kemnitius, repetendum erit.

IV. Eius myſterij quod in Euchariſtia Chriſtus inſtituit & commendauit, figura fuit, vt plerique Patres animaduerterunt, vetus Iudæorũ Pascha; Quã ob cauſam non niſi veteri paſchate eadem in cœna celebrato, Euchariſtiã inſtituit & celebrauit, velut nouum paſcha, in memoriã tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, vt compleret nimirum figuram veritate. Ita enim

Chry-

Chrysostomvs in ſermone de prodit. Iudæ. *Ille*, inquit, *agnus vmbra fuit, hic veritas. Sed poſtquã ſol iuſtitiæ radiauit, vmbra ſoluitur luce. Et ideo* In ipsa mensa *vtrumq; paſcha & typi & veritatis celebratum eſt. Nam ſicut pictores pingendam tabulam veſtigiis quibuſdam adumbrare conſueuerunt: ita Chriſtus fecit in meſa: & typicum paſcha deſcripſit, & paſcha veritatis oſtendit.* Cui ſententiæ conuenienter alibi idem Chryſoſtomus homilia octogeſima tertia in Matth. indicat (vt etiam Tertull. lib. 4. contra Marcion. Eſychius lib. 2. in Leuit. cap. 8. Paſchaſius lib. de corp. & ſang. Domini ſub finem) nõ illud vetus præcipuè, ſed hoc nouum paſcha, nempe ſuum corpus & ſanguinẽ, ſub ſpeciebus panis & vini, fuiſſe illud, quod Chriſtus affirmauit, *deſiderioſe deſiderauiſſe cum diſcipulis ſuis manducare, antequam moreretur*, ſuumq; proinde corpus & ſanguinem ſub eiuſmodi ſpeciebus ſumpſiſſe ipſum, priuſquam diſcipulis ſuis porrigeret.

Certùm autem eſt, ad veteris paſchatis cæremoniam non tantum eſum agni, ſed inprimis eius etiam *oblationem* atque *ſacrificium* ſpectaſſe. Ita enim præcepit Dominus Exod. 12. *Ite tollentes animal per familias veſtras &* Immolate *phaſe*. Et infrà: *Cum dixerint vobis filij veſtri quæ eſt iſta religio? Dicetis eis*, Victima *tranſitus Domini eſt, &c.* Apertiùs autem Numer. 9. *Si quis autem & mundus eſt, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phaſe, exterminabitur anima illius de populis ſuis, quia* Sacrificivm Domino *nõ obtulit tempore ſuo, peccatum ſuum ipſe portabit.*

Cùm igitur inter legalem vmbram & corpus; inter figuram & veritatem, ſimilitudinem eſſe oporteat; conſequitur, Chriſtũ Dominum, cùm ius phaſe vetus fuit figura, non tantùm inſtituiſſe, vt Euchariſtia ederetur, ſed etiam vt ſacrificaretur.

V. Fatentur etiam aduerſarij, ſæpenumerò verbum Facere, cùm de cultus agitur cęremoniis, tantundem valere quantũ Sacrificare, ſi aliunde ſuppetant indicia, quæ oſtendãt, eam huic verbo vim atque ſentẽtiam eſſe ſubiectam. Vt Exod. 29. *Hoc eſt quod facies in altari: Agnos anniculos duos per ſingulos dies iugiter.* Atque item Leuit. 23. *Facietis & hircum pro peccato, duoſque agnos anniculos.* Et apud Matthæum, capite vigeſimo ſexto, apud Marcum, capite decimo quarto, legimus, *paſcha immolari:* & apud Lucam Lucæ 22. *occidi.* Et Dominus: *Scitis quia poſt biduũ paſcha fiet.* Pro quo poẽta: Cùm faciam vitula pro frugibus, ipſe venito. In propoſito autem noſtro, vt verbũ Chriſti, *Hoc facite*, ſacrificationem etiam ſignificare intelligamus, præter alias inſtitutionis circumſtãtias, quas hactenus indicauimus, illud etiam mouere debet, quòd cum Dñs imperare voluerit non tantum ſacrificium, ſed *actionem hanc totam & cultus cæremoniam*, ea quidem ratione, qua §. 3. declarauimus; conſentaneum fuit, vt vteretur generali verbo, *Facite*, quod ſacrificationem & reliqua comprehenderet.

Confirmatur iudicio & auctoritate Patrum ſuperior probatio ex Inſtitutione ducta. §. 8.

Qvæ ex Inſtitutione hactenus attulimus apud eos, qui perfidia & hæreſi non penitus obduruerunt, & mediocri iudicio præditi ſunt, non dubito, quin plus ponderis ſint habitura, vt cum Eccleſia Catholica credant, Chriſtum generali verbo, *Hoc facite*, etiam ſacrificationem complexum fuiſſe, quàm Sectariorum nugæ (de quibus poſt viderimus) vt cum illis abnegent hanc Eccleſiæ fidem. Si qui autem ſunt, qui de re iudicare ipſi aut nolint, aut non poſsint, malintque niti alieno iudicio & authoritate, quod ad ſenſum attinet verborum Chriſti; hos precor, vt ne velint iudicium authoritatemque Sectariorum leuiſsimam iudicio veterum Eccleſiæ patrum authoritatiq; grauiſsimæ anteponere, qui ſacrificium etiam Chriſtum imperaſſe, cùm diceret; Hoc facite, multò verius, quàm iſti intellexerunt.

Etenim Clemens Romanus lib. 5. conſtit. Apoſtolicarum, cap. 18. in Apoſtolorum perſona ſic inquit: *Excitato Domino à mortuis, facite ſacrificium veſtrum, de quo vobis per nos conſtituit, inquiens: Hoc facite in meam commemorationem*. Ac paucis interiectis, ad cæremoniam agni paſchalis tanquam ad figuram huius ſacrificij alludens; *Et ſit*, inquit, *hoc vobis legitimum ſempiternum* (ſicut de phaſe Devs conſtituerat) *vſque ad conſummationem ſeculi, donec veniat Dominus.*

Idem etiam aſſerit lib. 8. conſt. Apoſt. cap. 36. *Primus*, inquit, *natura pontifex vnigenitus Chriſtus, non ſibi honorem rapuit, ſed à patre conſtitutus eſt. Qui factus pro nobis homo hoſtiam ſpiritualem* Deo *ſuo eidemque patri ante paſsionem offerens, nobis conſtituit* Solis, *vt hoc faceremus: cùm eſſent alioqui nobiſcum alij etiam ex eorum numero, qui in ipſum crediderant.* Poſſũtne hæc detorqueri ad ſacrificium Chriſtianis omnibus commune?

Item eodem lib. 8. conſt. Apoſt. cap. 5. idem vir Apoſtolicus ex Apoſtolorum ſententia formam precationis in ordinatione Epiſcopi facienda præſcribens: *Da*, inquit, *ipſi Domine omnipotẽs participationem Spiritus ſancti, vt habeat poteſtatem remittendi peccata, &c. placendique tibi in manſuetudine & corde mundo, offerendo tibi ſine culpa ſemper & ſine crimine ſacrificium mundum, &* Incruentvm *quod per Chriſtum* Constitvisti *myſterium noui teſtamenti in odorem ſuauitatis.*

Item S. Martialis in Epiſt. ad Burdegalenſes, cap. 3. *Quod Iudei*, inquit, *per inuidiam immolauerunt* (corpus Chriſti immaculatum) *nos in ara ſanctificata ſalutis noſtræ cauſſa proponimus* (paulò ſuperiùs dixerat, *cuius corpus & ſanguinem offerimus, in vitam æternam*) *hoc ſolo remedio ſcientes vitam nobis præſtandam & mortẽ effugiendam: Hoc enim*

ipſe Dominus noſter IVSSIT *nos agere in ſui commemorationem*.

Sanctus quoq; DIONYSIVS Areopagita & ipſe vir Apoſtolicus libro de Eccleſiaſtica Hierarchia,cap.3.verſus finem: *Laudans autem Sacerdos*, inquit, *cultum diuinarum actionum & inuiſibilem contemplationem intellectualibus oculis inſpiciens, in Symbolicam* (id eſt,non cruentam, ſed cruentæ repræſentatiuam) *ſacrificationem venit.* ET HOC DEO TRADENTE, &c. *ſacrè ad ipſum reboans: Tu dixiſti* (*Lucæ 22.*) HOC FACITE *in meam recordationem*.

Nec aliter inſtitutionem dominicam intellexit antiquiſsimus etiam pater Alexander Romanus Pontifex & martyr, qui anno 119.floruit, Epiſt.1. decretali ad omnes orthodoxos: *Ipſa enim*, inquit, *veritas nos* INSTRVIT *calicem & panem in Sacramento offerre,quando ait, Accepit* IESVS *panem & benedixit, dediq; diſcipulis ſuis dicens;accipite & manducate;hoc eſt enim corpus meum,quod pro vobis tradetur:ſimiliter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens, &c.*

S. IVSTINVS Martyr, anno Domini 140. in dialogo cum Triphone aduerſus Iudæos. *A nemine*,inquit,DEVS *hoſtias accipit niſi à Sacerdotibus ſuis:vniuerſos igitur, qui per nomen iſtius offerunt ſacrificia, quæ* IESVS CHRISTVS FIERI TRADIDIT *in Euchariſtia panis & poculi,quæ in omni loco à Chriſtianis ſiunt*, DEVS *præuertens, ſibi gratæ eſſe teſtatur. Quæ autem à vobis* (Iudæis) *offeruntur renuendo abiicit,inquiens; ſacrificia veſtra nõ ſuſcipiam de manibus veſtris.*

S. IRENÆVS Chriſti Martyr & pater Apoſtolicus lib.4. aduerſus hæreſes, c.32. *Noui teſtamenti nouam* DOCVIT *oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert* DEO.

S. CYPRIANVS lib.2. epiſt.3. IESVS CHRISTVS (inquit) *Dominus & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos* DEI *patris, &* SACRIFICIVM DEO *patri ipſe primus obtulit & hoc fieri in ſui commemorationem* PRAECEPIT.

AMBROSIVS in c.10.Epiſt.ad Hebræos: *Pontifex noſter ille eſt, qui obtulit hoſtiam nos mundantem. Ipſam offerimus nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem ſit eius, quod factum eſt. Hoc enim facite, inquit,* (*Lucæ 22.*) *in meam commemorationem*.

Et contra Fauſtum Manichæum S. AVGVSTINVS lib.20. cap.21. in idem Domini præceptum inſtitutionemq; intuens: *Sacrificare*, inquit, *martyribus dixi* (eſſe peccatũ) *non dixi, ſacrificare* DEO *in memoriis martyrum, quod frequentiſsimè facimus, illo duntaxat* RITV, QVO SIBI SACRIFICARI NOVI TESTAMENTI MANIFESTATIONE PRAECEPIT.

Ac rurſus Epiſt.5.ad Marcellinum. *Aptum fuit*, inquit, *primis temporibus* (veteris teſtamenti) *ſacrificium, quod præceperat* DEVS, *nunc autem non ita eſt; aliud enim* PRAECEPIT, *quod huic tempori aptum eſſet.*

PRIMASIVS etiam Vticenſis Epiſcopus, qui Auguſtini diſcipulus fuit, in capite 10. Epiſt. ad Hebr. *In hoc*, inquit, *differt ab illo veteri ſacrificio ſæpiùs repetito iſtud* NOSTRVM, (quod paulò ſuperiùs dixerat, *aſſiduè offerri* in Eccleſia) *quia iſtud eſt veritas, illud figura: iſtud perfectum reddit hominem, illud minimè: & iſtud non cauſſa infirmitatis ſuæ repetitur, ſed in commemorationem paſſionis Chriſti. ſicut ipſe dixit:* (Lucæ 22.) *Hoc facite in meam commemorationem.*

HAYMO in cap.5.Epiſt.ad Hebr. *Chriſtus factus eſt Sacerdos non temporalis ſed æternus: nec offerens victimas legales, ſed inſtar illius* (Melchiſedech) *panem & vinum, carnẽ videlicet & ſanguinem ſuum, de quibus ipſe dixit, caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Iſta quoq; duo munera, panem videlicet & vinũ,* COMMISIT ECCLESIAE SVAE IN MEMORIAM SVI OFFERENDVM.

ISIDORVS Epiſcopus Hiſpalenſis libro de vocatione gentium ad Florentiam Sororem ſuam, cap. 26. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, hoc eſt*, inquit, *in ara ritum huiuſmodi ſacrificij, quod & in paſſione perficiens Chriſtus impleuit, quodq; etiam & Apoſtolos in commemorationem ſuã* FACERE IVSSIT. ANSELMVS, in comment.cap.11. prioris ad Corinth. *Vos*, inquit, *Sacerdotes facite, id eſt ex pane corpus meum per myſticaverba conſecrate in memoriam paſſionis meæ, nõ recognitetis eam, dum iſtud* SACRIFICIVM *obtuleritis.*

Hoc autem præceptum Chriſti ab Eccleſia ſideliter obſeruari, Miſſæ canon declarat, cuius eam partem, quæ huc ſpectat, penè ad verbum AMBROSIVS ante annos mille ducentos tanq; in Eccleſia iam olim receptiſsimã recitauit lib. 4. de Sacram. cap. 6. propoſito enim Dominico præcepto his verbis: *Quotieſcunq; hoc feceritis, toties mei commemorationem facietis, donec iterum veniam*: quam Eccleſiæ obedientiam è veſtigio indicans, ſubiũgit: *Et Sacerdos dicit, Ergo memores eius gloriosiſsimæ paſſionis, & ab inferis reſurrectionis & in cœlum aſcenſionis, offerimus tibi hanc immaculatã hoſtiam, hunc ſtiam, rationabilem hoſtiam, incruentam hoſtiam, hunc panem ſanctum, & calicem vitæ æternæ: & petimus & precamur, vt hanc oblationem ſuſcipias in ſublimi altari tuo per manus angelorum tuorum.*

Reſpondetur ad obiectiones contra ſuperiorem probationem ex Inſtitutione ductam. §. 9.

SED non eſt pluribus teſtimoniis onerandus lector: Illa nunc videamus, quæ obiiciunt aduerſarij, vt argumenti noſtri ex Chriſti inſtitutione atque præcepto ducti, tantorumque & totius testium iudicio & confeſsione hactenus à nobis confirmati, vim infringant.

I. Præcipua & vnica ferè Herbrandi obiectio eſt, in diſp.còtra Miſſ. num.4.6.8.9.10.&c. quòd *nullum*, inquit, *ex verbis, quibus inſtitutio Dominicæ cœnæ narratur, ſignificat, Miſſam vel ſacrificium aut oblationem* DEO *patri cæleſti factam, vel faciendam.* Hoc iſte paſsim, & Kemnitius in examine ſeſſ.22. contra

contra arg.4. & Caluinus lib.4. Inſtit. cap.18. & alij, abſq; vlla tamen probatione inculcant; niſi quod loco probationis ſubinde principium petunt, admodumque inſulsè errorem ſuum reſumunt, vt cùm Herbrandus ſubiungit: *Si verba inſtitutionis inſpexerimus, nullum inuenimus ſacrificium. Nihil tale verba præ ſe ferunt: Non enim Deo patri cœleſti obtulit ſe ſe, ſuumq; corpus & ſanguinem, ſed diſcipulis ſuis dediſſe comedendum, non autem offerendum* (attẽdat obſecrò lector, quoties iam breui hac ortaione, quod erat probandũ, aſſumpſerit) *ſcribitur.* Nam quod probatiunculas aliquas videtur admiſcere, illæ ad aliam quæſtionem pertinent, videlicet num ſit à Chriſto inſtitutũ *propitiatorium* ſacrificium, de quo poſtea diſſerendum eſt.

Nunc quod attinet ad verba Cœnæ, quæ iſti vrgent, breuiter RESPONDEO: Sectariis qui non conſueuerunt intellectu rationeque ad res ipſas vocabulis ſignificatas penetrare, ſed auriũ tãtùm iudicio vocabulorum ſonum percipere, de vocabuliſq; tantùm diſſerere, ſicut cæcus de colore diſputans; nihil eſſe mirum, ſi verba inſtitutionis Euchariſtiæ *ſacrificium* non ſignificent: verum enim eſt, ibi ſacrificij *vocem* auribus non inſonare, quod iſtis eſt non ſignificari ſacrificiũ. Eccleſiæ autem patribus orthodoxis, quos citauimus, quoniam ſacrificij rationem probè tenebant, & actionis Dominicæ circumſtantias, quas antè proſecuti ſumus, expenderunt, omnino verba inſtitutionis, ſimul animaduerſa & collata, ſignificarunt *ſacrificium*, hoc eſt, Chriſti actiones duas, in quarum vnaquaque ineſt ipſiſſima ratio ſacrificij: videlicet *conſectionem ſiue immutationem* Sacramentalẽ ſui corporis & ſanguinis ad gloriam æterni patris indicatam illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, &, *hic eſt ſanguis meus*, & *oblationem* in cruce, ſignificatam illis aliis verbis, *quod pro vobis tradetur*. Quare cùm poſt hæc omnia Chriſtus ſubiunxit: *Hoc facite in meam commemorationem*; præceptum etiam ſimiliter ſacrificandi dedit, vt rationibus ex ipſo textu ductis, granſsimoq; patrum iudicio confirmatis, euincimus. Quod cum ita ſit; ignorantiſsimè iſti iubent, nos filij DEI teſtamentum ſuperordinare & corrumpere, nec ex prima inſtitutione ſacrificium noſtrum confirmare ac defendere nos poſſe; quia videlicet non *legitur ibi ſacrificium*.

Quæ probatio iſtorum ſi valeat; pari ratione concludẽdum erit, Chriſtum in cœna ne Sacramentum quidem Euchariſtiæ inſtituiſſe, ſed *meram cœnam* duntaxat, qualem iſti habent. Vbi enim Apoſtolus, aut Euangeliſtarũ aliquis, mentionem vllam Sacramenti in Euchariſtiæ Inſtitutione facit? Tantum *rem ipſam* indicant. In qua quidẽ & Sacramenti & ſacrificij rationem animaduertere, æquè facilè eſt iis, qui rationem Sacramenti & ſacrificij nouerunt. Prædicantes autem Sectarij cum Sacramentum admittunt, ſacrificium verò negant; oſtendunt, ſe planè nec Sacramenti nec ſacrificij rationem compertam habere, ideoque quaſi fortè fortuna, vt in cæteris omnibus cæcorum inſtar, alterum complecti, alterum declinare, cùm ratio veræ fidei & ſolidæ Theologiæ æquè vtrique ſuffragetur. Verùm ſic illis accidat neceſſe eſt, qui cùm malint ſpiritu erroris duci, à Diabolo quàm captiui ad ipſius voluntatem teneri, quàm iudicium propriũ captiuare in obſequium fidei, dono ſunt fidei & ſcientiæ ſanctorum deſtituti, ſolamque habent pro ratione hæreſim. Sed ad reliquas iſtorum obiectiones pergamus.

II. Chriſtum ſeſe in cœna non obtuliſſe inde probant, *quod nec patrem*, inquit Herbrandus, *alloquitur in ea, ſed cum diſcipulis ſermo ipſi eſt; his dat, qui & accipiunt, verùm non vt offerant*.

RESPONDEO. Primùm, ſi maximè Chriſtus ſeſe non obtuliſſet in cœna, tamen aliæ circumſtantiæ à nobis antea indicatæ ſuppetunt, vnde probem, ipſum ſui corporis & ſanguinis ſacrificium Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus mandauiſſe. Etſi enim quod ipſe circa Euchariſtiam fecit, à nobis itẽ, vt antea expoſuimus, fieri iuſſerit, neque quidquã aliud quod huic repugnet facere liceat, ſicut Cyprianus lib. 2. epiſt.3. rectè diſputat; non tamen iuſsit *illud ſolùm* fieri. Iuſsit enim Euchariſtiam celebrari *in memoriam paſſionis ſuæ* adeoq; illius recordationem fieri, nec tamen ipſe eam ſimiliter celebrauit, cùm nequiuerit in memoriam tũc reuocari, quod geſtum nondum erat. Sic iubere etiam potuit oblationem crucis à nobis, modo quo poteſt, incruentè repeti, quam paulò pòſt futuram commemorauit, dicens: *Quod pro vobis tradetur*; etiamſi ipſo cœnæ tempore nondum ſe ſacrificauiſſet.

Sed quoniam ſacrificium quoque *incruentum* ab ipſo Domino in cœna factum, noſtræ cauſſæ certiſsimum firmiſsimumq; fundamentum eſt, tametſi non *vnicum*, (vt ſuo more mendaciter ſcripſit Kemnitius in exam.ſeſſ.22. ad arg.4.) dicimus deinde, Herbrandũ in eo, quòd aſſumit, Chriſtum cum patre tunc non eſſe loquutum, Euangelio aduerſari; in eo autẽ, quòd inde colligit, ipſum ſeſe patri non obtuliſſe, inſcitiam ſuã luculenter prodere. *Accepit*, ait Euangeliſta, *panem, & gratias egit*. Certè non diſcipulis gratias egit, ſed æterno patri. Quod ſi patri gratias egit, proculdubio patrem eſt etiam alloquutus. Quanquam non recenſuerunt quidem Euangeliſtæ, ſicut aliàs, verba, quibus in ea gratiarum actione eſt vſus. Quod ſi maximè nulla tunc verba feciſſet ad patrem, tamen non liceret inde colligere, ipſum patri nihil obtuliſſe. Docuimus enim ſuprà §. 2. ſacrificium non in verbis ſed in reali immutatione rei ad Dei gloriam conſiſtere, & quemadmodum animi motu imprimis res aliqua offeratur DEO, ſi per illam quis velit dignam exiſtimationem conciliare diuinæ maieſtati. Ex quibus perſpicuum eſt, Chriſtum Dominum vt ſeſe ſub panis vinique ſpeciebus mi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rabiliter immutatum seu confectũ æterno patri vel antè, vel in ipsa actione obtulerit, nullis verbis indiguisse. Sicut etiam nostra oblatio nõ verbis præcipuè, quæ quidem oblationem *significent*, sed ipsa *sacra actione* ad gloriam DEI exercita continetur, vt suprà indicauimus.

III. Probant isti præterea, Christum in cœna non obtulisse sacrificium; quia tunc non opus fuisset postea in cruce pati pro peccatis nostris.

SED hoc facillimè expeditur. Etsi enim Christus sacrificio cœnæ incruento (sicut & quolibet alio opere ex iis, quæ in vita gesit) cùm infinitæ dignitatis fuerit, potuerit humanum genus redimere; tamen quia ad eum effectum illud non ordinauit, necesse fuit, ipsum secundùm consilium suum atque etiam voluntatem æterni patris in cruce demum soluere integrum precium nostræ redemptionis eo modo, quo infrà sumus explicaturi. Et nihilominus tamen sacrificium illud cœnæ quadantenus etiam ad remissionem peccatorum valuit; ea videlicet ratione, qua infrà quoque (salua prærogatiua sacrificij crucis quo redempti sumus) ostẽdemus, valere ad eum effectum sacrificium Missæ.

IV. Quod apud Lucam verbis præsentis temporis CHRISTVS inquit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis* DATVR. Id ad sacrificium præsens, quod in cœna Christus obtulerit, accommodari non posse, neque inde institutionem sacrificij Missæ suaderi debere, duabus rationibus Herbrandus contra Missam, num. 26. & 27. à Kemnitio sess. 22. ad arg. 8. sumptis probare conatur. Primò, quoniam *vsitata est*, inquit, *in scriptura sacra numeri Enallage, qua non solùm præsentis sed etiam præteriti temporis verba pro futuris vsurpantur*. Secũdò, Quia *si hæc*, inquit, *substantialia Missæ verba sunt; quod pro vobis datur, &c. vt sunt cœnæ Dominicæ, Missa prorsus sacrificium erit nullum. Quia in Canone ea non habentur, sed penitus in consecratione sunt omissa*.

RESPONDEO. Quod ad primum attinet, nõ negamus, verbum illud per Enallagen posse etiam referri ad oblationem, quæ tũc erat in cruce peragenda. Itaque frustra laborauit Herbrãdus vt hoc probaret. Sed dicimus, posse simul ac debere idem verbum, iuxta *propriam* significationem ad sacrificium etiam præsens in cœna factum accommodari. Siquidem aliũde grauissimæ suppetunt rationes, vt intelligamus, tũc etiam Christum sese incruentè sacrificauisse.

Illud autem quod deinde, de verbis substantialibus comminiscitur, perinde ineptum est, ac si quis propterea, quòd Baptismus ex illis Christi verbis cofirmatur, *Euntes in mũdum vniuersum, &c. baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Matth. 28. & illis Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* colligeret, substantialia verba Baptismi esse illa etiam: *Euntes in mundum vniuersum, &c. Baptizantes eos, &c.* Et; *nisi quis renatus fuerit, &c.* adeoque Baptismum non valere, nisi minister etiam ea proferat simul cum illis: *Ego te baptizo*.

Intelligant ergo isti, non illico sequi, aliqua Scripturæ verba ad *substantiam* Sacramenti aut sacrificij necessaria esse, si ex illis Sacramenti aut sacrificij praxis comprobetur; Sed si ex institutione Christi, absque eorum pronunciatione, Sacramẽti vel sacrificij praxis exerceri nequeat, vt suprà §. 4. explicuimus. Oblationis autem vsus non pendet à prolatione verborum illorum: *Quod pro vobis datur*. Vt enim docuimus §. 2. Eucharistiam offerre, est Christi corpus & sanguinem ad conciliandam DEO gloriam conficere, siue immutare sacramentaliter. Immutantur autem sic corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini per sola verba consecrationis, videlicet, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est*, &c. cùm per se ista sola verè significent, & efficiant, corpus & sanguinem adesse sub panis vinique speciebus. Neque verò opus est, vt ea immutatio ficiebus. Neque verò opus est, vt ea immutatio fiat prolatione confectio ad gloriam DEI referatur prolatione illorum verborum, *quod pro vobis datur*, cũ id inprimis interno animi motu fiat.

V. Obiiciunt etiam isti, quòd Christus non duas vel cœnas vel actiones diuersas, in vna & eadem cœna instituit. Quasi fieri nequeat, vt eadem Eucharistia tanquam Sacramentum sumatur, & offeratur vt sacrificium; ac proindè minimè hæ duæ diuersæ actiones sint à Christo institutæ.

RESPONSVM verò est superiùs §. 2. diuersis rationibus rectè posse ista duo in eandem rem cõuenire. Quemadmodum olim diuinitus fuit institutum, vt idem agnus paschalis vsurparetur & ad sacrificandum (vt scriptura testatur Exod. 12. & Numer. 9.) & ad *vescendum*, quod Herbrandus disputat. contra Missam, num. 46. ait Sacramenti cæremoniam fuisse. Sic igitur Christus voluit, vt Eucharistia, cuius illa religio agni figura extitit, primò sacrificaretur & deinde ederetur; vt ex ipsa institutione, suffragante nobis contra Sectarios antiquitate, confirmauimus.

Neque ita sacrificatio & sumptio Eucharistiæ sunt actiones diuersæ, vt nõ possint propter subordinationem & dependentiam vnius ab altera (sacrificatio enim præcedat est necesse) reputari tanquam vna totalis actio à Christo institutæ. Quemadmodum actio ministri exhibentis Eucharistiam, & actio laici eandem sumentis, etsi simpliciter non sint vna, tamen propter subordinationem vtraque est à Christo instituta tanquam pertinens ad vnum & eũdem cultum Eucharistiæ.

VI. Ei argumento, quòd etiam ex pascha veteri duximus, Herbrandus contra Missam, num. 46. & 47. & Kemnitius contra sess. 22. ad arg. 7. opponunt *primò*, quòd ex figura petitum argumentum non esset firmum.

RESPONDEO primùm, non figura tantum nos niti, sed inprimis institutione testamentaria Christi, quam inter cætera hæc etiam figura illustrat. Deinde similitudinẽ figuræ cum significata re argumentando concludere minimè leue genus probationis esse, cum non leui sed graui ratione constat, rem quampiam fuisse significatam per aliquam figuram. Nam & Apostolus 1. ad Corinth. 9. & ad Galat. 4. eo argumentandi genere est vsus. Sacram autem Eucharistiæ cæremoniam, veteris paschæ cæremoniã figuratã fuisse, patres quos suprà citauimus eruditissimi & sanctissimi affirmant.

Opponunt *secundò*, cæremoniam illam non Eucharistici mysterij, sed sacrificij Christi in cruce figuram extitisse: iuxta illud 1. Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Et *quid verbis & testimonis multis*, inquit Hebrandus, *est opus? Expresse Ioannes testatur cap. 19. Typum hunc agni paschalis à Christo* NEQVAQVAM IN COENA, *sed in cruce expletum, cum testimonium eius allegat ex Moyse, Exod. 12. os non comminuetis ex eo*.

SED hoc ita expeditur. Fateor figuram illam, qua ex parte oblationem agni *cruentam* continebat in cruce impletam esse, vbi Agnus DEI qui tollit peccata mundi, est mactatus: id quod mendaciter Kemnitius more suo, scripsit à Pontificiis negari. Vt verò in ea figura *oblatio sacrificij* cumque simpliciter & absolutè erat, circumscripta iam per cogitationem mactatione *cruenta*, sacrificio in cœnæ quoq; sacrificio fuit incruentè completa: vt nos patres supra citati, quorum de Scripturis sensu iudicium, Herbrandi & Kemnitij iudicio anteferre debemus, verissimè docuerũt.

Itaque Ioannes cap. 19. typum agni paschalis in cruce fuisse expletum testatus est quidem: in cœna verò *nequaquam expletum etiam fuisse*, quod Herbrandus peruersè asserit, minimè Ioannes est refutatus. Imò CHRYSOSTOMO auctore, homilia de Iciunio 1. paschæ, sacrificio Christi, in cœna sub specie azymi panis & vini, facto, pascha vetus adimpletum esse testatus est Paulus in eo ipso loco 1. ad Corinth. 5. quem imprudentes isti pro se citant, vbi dixit; *Pascha nostrum immolatus est Christus*, 1. Corinth. 5.

Ex sanè oblationem Eucharistiæ à Christo factam, & ab Ecclesia deinceps iam inde ab initio repetitam, hoc loco Apostolum pascha nostrum dixisse (siue simul etiam oblationem crucis intellexerit, siue non: de quo iam nolim contendere) præter Chrysostomi authoritatẽ quæ conuestigio sequitur, confirmat: *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis, &c.* Hoc efficere non tantùm ad significationem Iudaici paschatis azymorum, sed etiam ad *panem azymũ, nostrum*, Christus, *immolatum* etiam incruentè sit.

Tertiò obiiciunt, quòd *in allegoria illa agni paschalis*, vt inquit Herbrandus, contra Miss. n. 46. *non fuit sacrificium propriè, sed Sacramentum veteris populi*.

SED hoc paradoxon certissimè pugnat cum scriptura sacra superius citata, in qua nominatur cæremonia illa non solùm *victima* immolanda, Exodi 12. verùm etiam (quem locum præteriuit Herbrãdus) perspicuè *sacrificium* Num. 9. quod Domino fuerit suo tempore sub mortis comminatione offerendum.

Quare nihil Herbrandus proficit, cum de vno tantum Scripturæ loco Exodi 12. laborans, obiicit: quod vsitata translatio habet, IMMOLABIT eum omnis multitudo, in Hebræo esse שְׁחָטוּ quod proprie, inquit, *mactare* significat. Primùm enim ipse ibidem fatetur, & verum est, nihilominus verbum id Hebraicum simul accommodari solere ad significandam immolationem Sacrificij: quia scilicet non nisi mactata prius animalia DEO offerebantur.

Deinde quomodo interpretabitur illa verba, quæ alio in loco, scilicet Numeri nono, de hac ipsa cæremonia paschatis Hebraicè legũtur hoc modo: כִּי קָרְבַּן יְהוָה לֹא הִקְרִיבוּ Pro his certè verbis dubium non est, apud hebraicæ linguæ peritos, quin illa verba latina propriè rectèque sint reddita: *Quia sacrificium Domino non obtulit*.

At, inquit, *non à Sacerdotibus Deo offerebatur, vt propitiatorium esset sacrificium, sicut inde erat, sed ab vniuersa multitudine Israël mactabatur, vt habet textus, in memoriam liberationis ex Ægypto: Nihilque de eo Domino offerebatur, sed totus comedebatur*.

Respõdeo. Num illud fuerit sacrificium propitiatorium (sicut planè Chrysostomus fuisse significat homilia octogesima tertia in Matth.) adeoque vt tale etiam, propitiatorij sacrificij nostrique figura; postea videbimus, cùm Missæ sacrificium maximè propitiatorium esse confirmabimus. Illud quod ad rem præsentem attinet iam dico; Vt maximè concedamus id, quod non satis exploratum videtur, scilicet cæremoniam agni paschalis non à Sacerdotibus solis multitudinis nomine, sed promiscuè à populo vsurpatam fuisse, tamen minimè inde sequi, quòd non fuerit verum sacrificium. Etsi enim sacrificium offerre externum præcipuè munus sit delectorum ministrorum; tamen vt ab illis solis offeratur, non est ex ratione & essentia sacrificij; vt tomo tertio, disputatione sexta, cum sacrificij naturam explicaremus, est à nobis indicatum.

Multò verò minus veritati illius sacrificij paschalis obstat id, quod Herbrandus imperitè addidit, contra Missam, numero quadragesimo sexto, in more fuisse, vt *totus* agnus comederetur: Quasi verò offerre illis temporibus DEO pecudes, fuerit, ipsi relinquere aut totum aut partem ad vescendum, vel ad alium vsum; vt idcirco, sicut iste argumentatur, offerri ei agnus ille nequiuerit, cùm *totus absumeretur*. Hanc istorum insciti am suprà §. 2. redargui, vbi exposui, quemadmodum

Universidad de Deusto
Biblioteca

admodum ſacrificium offerre DEO ſit, rem ad maieſtatis diuinæ proteſtationem immutatione aliqua conficere: ideoque oblationem fieri poſſe quantumcunque res aut edendo, aut alio modo tota conſumatur.

Poſtremò, quod ad hunc locum ſpectat ſatis ex dictis apparet, vanam eſſe cauillationem aliam Kemnitij, & Herbrandi, locis ſuprà citatis, videlicet, ſi ex cæremonia illius agni argumentari velimus, concludendum eſſe pariter, ſacrificium Miſſæ non à Sacerdote tantùm, ſed à multitudine, & quidem cruentè, ſicut ille agnus, offerendum eſſe.

Nam vt ſecundùm eas circumſtantias, veteris paſchæ figuram ad paſcha noſtrum minimè applicemus, facit tum ipſius rei impoſsibilitas; ſiquidem *Chriſtus reſurgens ex mortuis*, iam neque mactari, neque *mori* poteſt, ad Romanos ſexto, tum etiam inſtitutio Chriſti, qui ſolis dixit Euangelij miniſtris: *Hoc facite in meam commemorationem*.

Quanquam nonnullo ſanè modo ſecundùm eas ipſas circumſtantias correſpondet veritas figuræ. Nam & multitudo etiam fidelium Chriſtianorum per Sacerdotes, vti conſtat ex canone Miſſæ, offert; & in hoc ſacrificio, qua ratione ſeparatim ſolum corpus ex vi conſecrationis panis, & ſolus ſanguis, ex vi conſecrationis vini conficitur, cruenta Chriſti mors ſacramentali quadam eiuſdem mactatione, vt ſancti patres etiam loquuntur, repræſentatur ad viuum. Id enim vi conſecrationis ſpecierum fit, quod ſi ſolum fieret, Chriſtus verè moreretur: nam tunc ſub vna ſpecie ſolum corpus & ſeparatim; in altera, ſolus ſanguis poneretur: eaque ſeparatione diſſolueretur Chriſti vita. Sed tamen ea ipſa virtute diuina, ex qua conſecrationis verba efficaciam habent, mirabiliter ſimul fit, vt per *concomitantiam*, cum corpore ſit coniunctus ſanguis ſub ſpecie panis, & cum ſanguine coniunctum corpus ſub ſpecie vini, fiatque proinde ſacrificium incruentè: quoniam Chriſtus *iam non moritur*.

Cuius aſſertionis fundamentum ſitum eſt in ipſis verbis inſtitutionis Dominicæ. Oſtendimus enim ſuprà, ex interpretatione Patrũ, Chriſtum Dominum corpus ſuum ſub ſpecie panis confeciſſe illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*, & ſanguinem ſub vini ſpecie illis: *Hic eſt ſanguis meus*; ſicut etiam Sacerdotibus, vt ſimiliter conficerent, iuſsit, ſubiiciens: *Hoc facite*. Cùm autem verba per ſe non plus efficiant quàm per ſe ſignificant; fit vt ex *vi* verborum conſecrationis *panis* ſolùm corpus, quod illa ſignificãt, ſub ſpecie panis; & *ex vi* verborum conſecrationis *vini*, ſolùm ſanguis, quem ſimiliter verba conſecrationis calicis ſignificant, ſub ſpecie vini conficiatur: Chriſto videlicet ſapientiſsimè ita inſtituente, vt magis ad viuum, eiuſmodi mactatione ſacramentali antè expoſita, mentis oculis Chriſti mors ſubiiceretur. Sed prior probatio Catholicæ ſententiæ, quam duximus ex inſtitutione Dominica, ſatis hactenus confirmata atque defenſa eſſe videtur.

Probatur II. legitimum eſſe Miſſæ ſacrificium ex prophetarum vaticiniis: & primo ex vaticinio de futuro Chriſti Sacerdotio ſecundùm ordinem Melchiſedech. §. 10.

SECVNDA PROBATIO. Si quod eſt prophetarum vaticiniis prædictum commẽdatumque ſacrificium externum, id ſine vlla dubitatione eſt legitimum; Eſt autem Miſſæ ſacrificium vaticiniis prophetarum prædictum & commendatum: Confitendum eſt igitur, illud eſſe legitimum. Minorem propoſitionem aſſumptam, de qua omnis eſt controuerſia, ſatis ſuperque confirmabimus, ſi teſtimonia prophetarũ aliquot, quibus ſunt præcipuè ad hanc rem ſancti patres vſi, repetiuerimus, ab iſtorumque vindicauerimus corruptela, ex quibus ſacrificium aliquod externum, & illud quidem celebre, Deoq; gratum in Eccleſia Chriſti fuiſſe futurum, conſtet.

Nam cum ſit certiſsimum, vaticinia, ſi quæ ſint eiuſmodi, vera fuiſſe, adeoque iam eſſe completa per Chriſtum & Apoſtolos, qui Eccleſiæ ſtatum, iuxta illius perfectionem præcipuam, atque formam in lege prophetiſque adumbratam conſtituerunt; neceſſe eſt omnino ad Miſſæ ſacrificium, præter quod nullum aliud vnquam fuit ſacrificium externũ ab Eccleſia Chriſti ſolenniter vſurpatum, vaticinia iſthæc accommodare. Maximè cùm ferè ipſis ex teſtimoniis prophetarum appareat, non niſi in hoc ſacrificium ea conuenire poſſe.

I. Ordiar igitur ab illo teſtimonio, in quo abundantius volens DEVS oſtendere immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum. Etenim *iuranit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Pſalm. 109. Quem locum nolo meis ſed patrum verbis interpretari, vt eorum grauiſsimo iudicio conſtet, ſcripturam teſtimonium pro nobis dicere contra Sectarios.

Sanctus AVGVSTINVS libro decimo ſeptimo de ciuitate Dei, capite decimo ſeptimo: *Exeo*, inquit, *quod iam nuſquam eſt Sacerdotium & ſacrificium ſecundùm ordinem Aaron, & vbique OFFERTVR SVB SACERDOTE CHRISTO, quod protulit Melchiſedech, quando Geneſis decimo quarto, benedixit Abraham, quis ambigere permittitur de quo iſta dicantur?*

Ac libro primo contra aduerſarium legis & prophetarum, capite vigeſimo: *Dictum eſt*, inquit, *Iurauit Dominus, &c. Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchiſedech, quando benedixit Abraham, & iam ſunt participes eius; vident TALE SACRIFICIVM NVNC OFFERRI DEO TOTO ORBE TERRARVM, DEI autem iuratio incredulorum* (Sectariorum) *eſt increpatio. Et quod Deum non pœnitebit, ſignificatio eſt, quia hoc Sacerdotium non mutabit. Mutauit quippe Sacerdotium ſecundùm ordinem Aaron.*

Sanctus HIERONYMVS etiam in epiſtola ad Euagrium, teſtimonio primùm Hippolyti, Irenæi, Euſebij Cæſarienſis, Euſebij Emiſſeni, Apollinaris, & Euſtrathij docet, ordinem illum Melchiſedech, iuxta quem affirmat Propheta, DEI filium Sacerdotem eſſe in æternum, in eo etiam fuiſſe ſitum, quòd *non carnis & ſanguinis victimas immolauerit, ſed panem & vinum, ſimplici purõque ſacrificio CHRISTI dedicauerit Sacramentum.* Deinde ſubiungit: *Affirmat autem Apoſtolus, quod Aaron Sacerdotium, id eſt, populi Iudæorum, & principium habuerit & finem: Melchiſedech autem, id eſt, Chriſti & ECCLESIAE, & in præteritum & in futurum æternum ſit.*

Sanctus AMBROSIVS libro 5. de Sacrament. cap. 1. (vide etiam lib. 4. cap. 3.) *Cognouimus*, inquit, *figuram iſtorum Sacramentorum* (Altaris) *Abrahæ temporibus præceſsiſſe, quando OBTVLIT ſacrificium ſanctus Melchiſedech.*

S. ISIDORVS lib. de vocatione gentiũ ad Florentiam ſororem ſuam, cap. 26. *Melchiſedech Sacerdos Dei excelſi cùm benediceret Abraham, panẽ & vinum Domino obtulit in ſacrificio ob myſterium futuri holocauſti. Hoc enim ille primùm in typo filij Dei expreſſit, ad quem Pſalmiſta ex perſona patris: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

Et his omnibus antiquior multò CYPRIANVS lib. 3. epiſt. 2. *Quod Melchiſedech*, inquit, *typũ Chriſti portaret, declarat Spiritus ſanctus in Pſalmis: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinẽ Melchiſedech. Qui ordo vtiq; hic eſt de ſacrificio illo veniẽs, et inde deſcendens, quòd Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quòd PANEM et VINVM ORTVLIT,* (attendãt Sectarij num Cyprianus ad materiam etiam ſacrificij figurã applicet) *quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos DEI ſummi quàm Dominus noſter IESVS Chriſtus, qui ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinẽ? Quod* infrà, vt ſuprà recitauimus, diſputat in ipſa cœna factum à Chriſto eſſe.

Item S. DAMASCENVS lib. 4. fidei orthodo. cap. 14. *Sacerdos ille* (Melchiſedech) *Chriſti veri Sacerdotis figuram præ ſe ferebat & imaginem. Tu es, inquit, Sacerdos in æternum, &c. Hunc panem panes figurabant propoſitionis. Hæc eſt pura ſcilicet hoſtia & incruenta, quam ab ortu vſque ad occaſum ipſi offerri per Prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet & ſanguis Chriſti in ſtabilimentum animæ noſtræ.*

OECVMENIVS in cap. 5. epiſt. ad Hebr. *Hic* (Melchiſedech) inquit, *primus hoſtiam ſine ſanguine Deo obtulit, nempe panem & vinum. Et licet Chriſtus non obtulerit* (in cruce) *carentem ſanguine hoſtiam, ſibiquidem ſuum ipſius corpus obtulit; attamen qui ab ipſo ſanguntur Sacerdotio, quorum Deus Pontifex eſſe dignatus eſt, ſine ſanguine offerunt: Nam hoc ſignificat: in æternum. Neque enim de ea, quæ à Deo ſemel facta eſt oblatio & hoſtia, dixiſſet, in æternum; ſed reſpiciens ad præſentes ſacrificos, per quos medios Chriſtus ſacrificat & ſacrificatur, qui etiam in myſtica cœna, modum illis tradidit huiuſmodi ſacrificij.*

THEOPHYLACTVS in idem cap. 5. ad Hebr. *Dicant nobis Iudæi, quis nam fuerit alius Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech præter Chriſtum? Solus enim ille pane et vino ſacrificium conſecrauit, perinde ac Melchiſedech. Quid verò dixit; Tu es Sacerdos in æternum? Quoniam, etiam num vnà cum corpore, quod pro nobis immolauit, apud Deum, & Patrẽ intercedit, etc. Vel quia, quæ in ſingulos dies fit, et futura eſt in perpetuũ OBLATIO, ipſum habet Pontificem & Sacerdotem Dominum.*

Quis iam, quæſo (vt prætereã alia teſtimonia) credat, Herbrandum, & Kemnitium, aut Caluinum, & reliquam turbam Sectariorum, Scripturæ locum de Sacerdotio Melchiſedech, rectiùs quàm hos Patres intelleXiſſe? *Importunè*, inquit Caluinus libro quarto Inſtitution. cap. 18. ſect. 2. *hinc excudunt myſterium, cuius nulla ſit mentio.* Item: *Quæ eorum*, inquit, *eſt improbitas, ad impietatẽ ſuam tuendam exemplo Melchiſedech ſe armant.* Ita ne improbi & impij tot Patres? Nec minus impudenter Herbrandus, qui eſt auſus ſcribere, *nullius eſſe prorſus momenti ſigmentum pontificium* (ſic enim doctrinam communem Patrum vocat) *quo dicunt, pſaltem cùm canit; Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech, ad hiſtoriam Geneſeos alludere eamq; explicare.*

Reſpondetur ad obiectiones ſectariorum contra ſuperiorem probationem, ex vaticinio de Sacerdotio Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech. §. 11.

SED videamus, quibus argumentis contendant iſti ad hunc ordinem ſacrificij Melchiſedech, ſecundùm quem Chriſtus Sacerdos dicitur, nulla ratione panis & vini oblationem pertinere.

I. OPPONVNT Herbrandus, Kemnitius, & Caluinus, Melchiſedech panem & vinum nõ ſacrificaſſe Deo, ſed præbuiſſe Abrahę eiusq; exercitui de prælio redeunti ad veſcendum: negatque Herbrandus particulam (*Enim*) quæ videtur indicare, eum tanquam Sacerdotem panem & vinum ſacrificauiſſe, vbi nos legimus, Geneſ. 14. *Melchiſedech proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos DEI altiſsimi*; Hebraicæ phraſi reſpondere: Ita namque legendum eſſe: *Et ipſe Sacerdos DEI altiſsimi.*

Nos autem his primùm obiicimus authoritatem Cypriani, Ambroſij, Hieronymi & aliorum Patrum, qui, vt antè citauimus, diſertè fatentur, Melchiſedech panẽ & vinum obtuliſſe Deo, vt in eo etiam demõſtrent ſimilitudinem ordinis Sacerdotij Melchiſedech & Chriſti. Quod quidem

etiãsi particula (enim) ex textu remoueatur, perinde possumus ex historia ipsa colligere, quẽadmodum Augustinus, Cyprianus, & alij collegerunt, qui sine eiusmodi particula locũ recitant. Non enim ea particula, sed cõmemoratio in primis Sacerdotalis dignitatis, statim post mẽtionẽ factã vini & panis indicat, fecisse Melchisedech earum rerum oblationem Deo in gratiarum actionem, pro Abrahæ victoria. Refertur enim eius dignitatis cõmemoratio, vt series ipsa textus indicat, non ad sequentia verba, quibus significatur ipsum benedixisse Abrahæ, vt Kemnitius in exam. sess. 22. ad arg. 4. & Caluinus vbi suprà, absque vlla probatione fingunt; sed ad priora, quibus dicitur *protulisse panem & vinum*, vt intelligeremus, ipsum tanquam Sacerdotem panem ad offerendum deprompsisse.

Deinde dico, sacrificiũ hoc Melchisedech, quo is Deo panẽ & vinũ obtulerit, rectè nihilominus constare, etiãsi cùm Hieronymo, Epiphanio, & aliis cõcedamus, ipsum Abrahæ quoq; panẽ illũ & vinũ dedisse ad refectionem. Imò hac ratione pleniùs intelligitur, in facto Melchisedech designata fuisse sacrosancta mysteria Eucharistię. Nã vt Eucharistia primùm offertur Deo, & deinde sumitur, & paratis ac legitimè (vt suprà explicatum est) petentibus distribuitur; sic Melchisedech sacrificio primùm panis & vini Deo pro parta victoria gratias egit, Abrahamo simul, vt historia narrat, benedicens: deinde oblatum panem & vinum ad refectionem eidem præbuit.

Quod mihi Clemens Alexandrin. lib. 4. Stromat. non multò ante finem, duobus videtur verbis explicauisse, vbi ait; *Melchisedech vinũ & panẽ* SANCTIFICATVM, *dedisse nutrimentũ, in typum Eucharistiæ.* Quæ sanè typica Eucharistiæ significatio potiùs, quàm aliqua Abrahæ ipsius q; exercitus necessitas, videtur ratio fuisse, cur Melchisedech panẽ & vinũ, Deo sic prouidente, tunc *protulerit*. Omnino namque verisimile est, non defuisse cibaria inter alia spolia, quæ sacra historia significat, Abrahæ exercitum affatim ex hostibus tunc retulisse, Regique Sodomorum restituisse.

Nam quod Abraham Sodomorum Regi nihil prẽter homines de spoliis postulanti, respondit Gen. 14. *Non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, exceptis his, quæ comederunt iuuenes*: nequaquam propterea significat ab illis fuisse absumpta omnia, quæ ad alimoniam pertinebant, vt Herbrãdus disput. contra Missam, num. 63. fingit; Sed ostendit Abraham se præter ea, quæ consumpta fuerant, nihil accepturum. Quod dicere potuit, etiamsi in iis, quæ erãt reliqua, aliquid adhuc esset cibariorum; vt fuisse est verisimile.

II. Vrget præterea Caluinus, & post eũ Kemnitius, & Herbrandus Apostolum Paulum in epistola ad Hebræos, cap. 7. collationem instituisse Sacerdotij Melchisedech, & Sacerdotij Christi, neque tamen mentionem vllam fecisse panis & vini in sacrificium oblati: *Quod si oblatio Melchisedech*, inquit Caluinus, *sacrificij Missæ figura fuit, An Apostolus rem adeò seriam fuisset oblitus?*

VERVM si consideretur scopus collationis inter Sacerdotium Melchisedech, & Sacerdotium Christi à Paulo ibi institutæ, facilè apparebit, *oblationem panis & vini* non ideo ab illo fuisse ibi præteritam, quia non pertineat ad ordinẽ Melchisedech, secundùm quẽ Christus est Sacerdos, sed quoniã ea certè collationis pars ad id, quod tunc Apostolus agebat, prorsus nihil iuuabat.

Propositum enim Apostolo in eo loco fuit, non, vt isti falsò putant, omnia persequi, quæ Sacerdotio Christi sunt cum Melchisedech Sacerdotio communia; sed argumento, quantum oportebat ex Melchisedech Sacerdotio petito, Iudæis ostendere, Sacerdotium Christi, tum dignitate, tum fructu longè antecellere Sacerdotio Leuitico. Hinc enim concludit, consentaneũ fuisse, vt per Christi Sacerdotium & legem, Sacerdotium Leuiticum lex q; vetus, quam (vt ibi inquit Apostolus) sub eo Sacerdotio populus acceperat, consummaretur, atq; ita reprobatio fieret præcedentis Sacerdotij & mandati, *propter infirmitatem eius.*

Hoc autem, vt Apostolus ex typo Sacerdotij Christi, qui in Sacerdotio Melchisedech præcesserit, ita concluderet, ea solùm in Sacerdotio Melchisedech indicare debuit, quæ præ Sacerdotio Leuitico speciem haberent excellẽtiæ ac dignitatis. Si quid autem ad illud Sacerdotium pertinuit, in quo non præmineret Sacerdotio Leuitico, commemorandum hoc in eiusmodi disputatione non erat.

Fuit autem in Sacerdotio Melchisedech singularis dignitas, *Primò*, quòd nõ à quouis admodum fuerit, sed à rege; & rege nominis augustissimi, nẽpe *Melchisedech*, quod *interpretatur*, inquit Apostolus, *Rex iustitiæ & pacis*, quam item illius ditionis ac terræ nomen, *Salem*, significat. *Deinde*, quòd à tali rege, eius, cuius perinde ac filius æternus fuisset, sempiternum q; habuisset Sacerdotium, neq; pater, neq; mater, neq; genealogia scribitur. *Tertiò*, qui talis fuerit ac tantus Sacerdos, vt ab Abraham (adeoq; quadantenus à Sacerdotibus Leuiticis, qui tunc in lumbis Abrahæ continebantur) *decimas acceperit*, tantumque Patriarcham, qui repromissiones haberet, tanqua eo sine vlla cõtradictione melior, benedixerit.

Ex parte autem *materiæ*, in qua Melchisedech Sacerdotium exercebatur, non fuit illud Leuitico Sacerdotio præstantius, cùm minimè *panis & vinum* eæ res sint, quæ antecellerẽt pecudibus, quas Sacerdotes Leuitici ad sacrificandum vrebant. Materiã igitur Sacerdotij Melchisedech meritò in illa disputatione Apostolus præteriit, cùm ad ipsius propositum nihil attineret: tumq; recensuit prærogatiuas personæ, quas diximus, quippe, quę id Sacerdotium præ Leuitico condecorabant: vt cùm illæ animaduerterentur, multò multò illustriores, agnosceretur etiam illius esse Sacerdotium multò quàm Leuiticum excellentius, quod illud ideo antiquare potuerit.

Ipse enim Christus Rex fuit, non quidẽ nominẽ tenus, sed re ipsa *iustitiæ atq; pacis.* Ipse benedixit nõ tantùm Abrahæ, sed omnibus quoscunq; à captiuitate dæmonis sua morte liberauit, qui & in ipso quoq; sunt ab æterno Patre *omni benedictione in cœlestibus benedicti*, sicut promissum fuit Abrahæ. Ipse suo iure ab omnibus tanquã à seruis, quos proprio sanguine *emit*, iustum obsequium, quasi decimas exigit. Ipse denique, quoniam *manet in æternum* (ad Hebr. 7.) *sempiternum habet Sacerdotium*; *vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.*

Præterea ex typo Melchisedech apparere voluit Apostolus, Christi Sacerdotium dignius fuisse Leuitico, ea ratione consideratum, qua Leuiticũ Sacerdotium consummauit, & adimpleuit legẽ, adeoq; quatenus exercitũ fuit in cruce, in qua negotium veteris Sacerdotij, ac legis *consummatum est*, Ioan. 18. Itaq; eas duntaxat conditiones Sacerdotij Melchisedech expendere in ea disputatione debuit, quæ ad Christi Sacerdotiũ, quatenus habuit etiam vsum *in cruce*, accommodari possent; non autem panem & vinum, siquidem eius oblatio non est in cruce facta.

Non est etiam contemnendum, quod alij respondent, ob id Apostolum noluisse in ea collationẽ panis & vini, quòd Hebræis tunc scribenti adhuc in fide infirmioribus, quàm vt deberet illis explicari tm̃ mysterium. Ita enim Apostolus Hebr. 5. *Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex his, q̃ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperãtibus sibi caussa salutis æternæ, appellatus a Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech. De quo, inquit, nobis grandis sermo & ininterpretabilis ad dicẽdum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendũ. Etenim cùm deberetis esse magistri propter tempus, rursus indigetis, vt vos doceamini, quæ sunt elemẽta exordij sermonum Dei, et facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo*, &c. Quibus verbis apertè indicauit, minimè consilium suum id fuisse, quod post Caluinum perperam interpretatus est Herbrandus, contra Miss. num. 69. videlicet totius negotij Melchisedech enarrationem integram suscipere.

Et hallucinatur etiã vehementer Kemnitius, contra sess. 22. Concilij Trid. ad arg. 4. cùm huic explicationi obstare putat, quod Apostolus paulò post ait, ad Hebr. 6. *Quapropter intermittentes inchoationis sermonem, ad perfectionem feramur.* Non enim his verbis illico mutasse cõsilium putandus est. Itaque non illis proponit enodare mysteria, quæ de Sacerdotio Melchisedech paulò antè cẽserat esse reticẽda propter auditorum infirmitatẽ. Sed, vt ex contextu ipso manifestè apparet, exhortationis ea verba sunt, quibus eos admonet, vt his præstitis, quæ inchoationis sermo iubet, hoc est, vt relictis peccatis, actaq; pœnitẽtia ab operib. mortuis, ad pietatẽ se ipsos exerceant studeantq; vitæ sanctitate & innocentia sese idoneos reddere, quibus solidior cõmunicetur cibus, id est, maiora mysteria proponantur.

Quod si nullam harum certissimarum causarũ reddere possemus, cur Apostolus in illo loco panis & vini à Melchisedech oblati nõ meminerit; qualis quæso argumentatio hæc est: Apostolus non scripsit Sacerdotium Melchisedech ratione panis & vini oblati fuisse etiam typum Sacerdotij Christi; Ergo non ita est.

III. Item argumentantur Kemnitius & Herbrandus, typum Sacerdotij Melchisedech in iis consistere, quæ nõ communia habet cum Sacerdotio Aaronico: Panem aũt & vinum Aaronicos quoq; Sacerdotes solitos fuisse offerre: proinde ordinem Sacerdotij Melchisedech ab Aaronico diuersum, secundùm quẽ Christus Sacerdos est, non esse in eiusmodi oblatione cõstituendum.

RESPONDEO, nusquam in Scriptura legi Sacerdotes Aaronicos siue Leuiticos *panem & vinũ simul* obtulisse, tanq̃ *præcipuam & vnicam materiã* sacrificij, sicut fecit Melchisedech, qui, vt ait Oecumenius in cap. 5. ad Hebr. *primus hostiam sine sanguine Deo obtulit.* Sed ad iuge sacrificium agni anniculi manè & vesperè, Exod. 29. atque ad alia etiã holocausta, & victimas, Num. 15. certã partem similæ conspersæ oleo, (quæ tamen propriè nõ est panis, sed ex ea panis coquitur, Leuit. 24.) & certam etiam vini mẽsuram ad libandũ addebant. Quæ res nõ erãt materia *præcipua*, & multò minùs *vnica*, eiusmodi sacrificij, sed adhibebantur ad ritum cæremoniamq; *oblationis cruentæ*, in qua præcipuè sacrificia illa Leuitica cõsistebant.

Id apparet ex illis verbis, Num. 28. *Alterum q̃ agnum similiter offeretis ad vesperam iuxta omnem* RITVM SACRIFICII MATVTINI *et libamentorum eius, oblationem suauissimi odoris Domino.* Atq; item ex illis, Leuit. 23. *Et libamẽta offerentur cũ* EO (agno) *duæ decimæ similæ consperſæ oleo in incensum Domini odoremq; suauissimum: liba quoq; vini.* Commemoratur etiam in libris Moysis aliquoties, Exod. 29. Leuit. 7. & 23. &c. oblatio *panis*, sed qui sine vino tamen cum aliis rebus cruentis sacrificaretur, vt ex citatis locis apparet.

Quare maneat sacrificium incruẽtum *panis et vini simul*, quæ sola ac præcipuè offerẽtur, *propriũ* fuisse Melchisedech, atq; ideo ordinẽ proprium Sacerdotij Melchisedech, in huiusmodi etiã sacrificio panis & vini constitui debere.

IV. Illam quoq; Herbrandus cauillationem attingit: Si ad ordinem sacerdotij Melchisedech oblatio panis & vini pertinuit propriè; necesse erit alterutrum fateri è duobus, quorum neutrum Catholicis placebit, videlicet, aut in Missa *substãtiam* panis & vini sacrificari, quemadmodũ sacrificauit Melchisedech, si panem & vinum obtulit: aut si corpus & sanguis Christi sacrificatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

catur, minimè Sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech in Missa exerceri; sed Sacerdotium Leuiticum secundùm ordinem Aaron, qui *corpora* (inquit Herbrandus) *pecudum in sacrificio obtulit.*

SED huiusmodi argutiæ mediocriter eruditos nihil mouere possunt. Duo enim discernēda sunt in oblatione Melchisedech, etiā vt à sacrificiis Leuiticis differebat. VNVM est, quod *substantiam* panis & vini obtulit. ALTERVM, quod obtulit eo ipso substantiam *aliquam*, quæ sub panis & vini accidentibus proprietatibusque contineretur: quæque ideo vt panis obiiceretur sensibus, eosque tanquam panis immutaret.

Cùm autem ex Ecclesiæ sententia dicimus, Sacerdotium Christi esse secūdùm ordinem Sacerdotij Melchisedech, etiam ratione rei oblatæ; ordinem eius Sacerdotij consideramus, non quatenus exercebatur oblatione eius substantiæ *determinatæ*, videlicet panis & vini, sed quatenus eo Sacerdotio Melchisedech perfunctus est in oblatione alicuius substantiæ, quæ sub panis vinique proprietatibus contenta, tanquam panis afficeret sensus. Ita facilè intelligitur, exerceri in Missa Sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, tametsi non substantia *panis & vini*, sed (vt superius conuicimus) Christi corpus & sanguis sub panis vinique accidentibus offeratur. Nam sic etiam aliqua certè substantia offertur, quæ sub panis viniq; proprietatibus atque accidentibus contenta, perinde vt panis, immutat sensus, quæque ideo panis nominari potest, quia vt panis reficit, & panis videtur, & ex pane confecta est, vt suprà exposuimus.

In eo verò, quod Herbrandus concludit, si corpus Christi in Missa offertur; sacrificium fieri secundùm ordinem Aaronis, quoniam hic *pecudum*, vt inquit, *corpora* obtulit, facit ille quidem neque subtiliter, neque reuerenter. Nam si nonnulla similitudine niti vult, quæ inter sacrificium hoc, vt *corporis alicuius* oblationem continet, & Leuiticum, animaduerti potest, cogitationem, orationemque retrahere debet à pecudibus olim oblatis, earumq; corpora considerare, non *vt pecudum*, sed præcisè vt *corpora vita ac sensu prædita*, vel certè *organica*; ne Christi corpus in Missa oblatum simile pecudum corporibus, & non humanum fuisse significare videatur. Quod si omnino, propter illam similitudinem ita præcisè & cautè, vt diximus, consideratam, velit, hoc Missæ sacrificium secundùm ordinem Aaronis etiam vocare; de appellatione non multum pugnabo; modò simul de re constet, esse quoque sacrificium hoc secundùm ordinem Melchisedech, ob rationem antè expositam.

Quamuis cùm similitudo in hoc genere sacrificiorum, in eo præcipuè notari soleat, quod patet sensibus, vix loquendi consuetudo admittit, vt sacrificium sanguinis & corporis Christi, quod incruentè & tectè sub aliena specie in Missa fit, dicatur vlla ratione secūdùm ordinem Aaronis: quippe qui corpora non nisi cruentè, & in propria specie immolabat. Paterer potius, cruentum Christi sacrificium in cruce, cuius Aaronica sacrificia magis propriè typus fuerunt, secundùm ordinem Aaronis quadantenus ab Herbrando appellari. Quanquam ne hoc quidem loquutionis genus sit vsitatum. Sed de primo testimonio prophetico abundè satis contra istorum corruptelas disputatum est.

Probatur item sacrificium Missæ esse legitimum, ex vaticinio Malachiæ. §. 12.

II. VENIO ad illud alterum admodum etiam celebre vaticinium Malachiæ 1. *Advos*, inquit, *ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, &c. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

In quem locum S. CHRYSOSTOMVS homil. 95. in Psalm. *Vide*, ait, *quam luculenter quamque dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est hostia* INCRVENTA.

Atque item S. AVGVSTINVS lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 35. *Malachias* (inquit) *prophetans Ecclesiam, quam per Christum iam cernimus propagatam, Iudæis apertissimè dicit ex persona Dei: Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra, &c. in omni loco sacrificabitur & offeretur nomini meo oblatio munda.* HOC SACRIFICIVM PER SACERDOTIVM CHRISTI SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDECH, *cùm in omni loco ab oriente vsque ad occasum* DEO *iam videamus offerri: Sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est: Non est mihi voluntas in vobis, & munus non accipiam de manibus vestris, cessasse, negare nō possint* (Iudæi) *quia adhuc exspectant alium Christum, cùm hoc, quod Prophetatū legunt & impletum vident, non potuerit impleri nisi per ipsum?* In quam sententiam vide etiam eundem Augustinum libro primo contra aduers. legis & Proph. cap. 20. & libro 19. de ciuit. capite 23. & libro decimo sexto, cap. 22. & libro 17. cap. 17.

Item EVSEBIVS Cæsariens. libro primo demonstrat. Euangelicę, capite decimo: DEVS, inquit, *reiectis Mosaicis sacrificiis, quod futurum erat, nostrum institutum nunciat dicens: quoniam ab ortu solis vsque ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo & hostia munda. Sacrificamus igitur* DEO *altissimo sacrificium laudis, & sacrificium* DEO *plenum odorem afferens. Sacrificamus* NOVO MORE SECVNDVM NOVVM TESTAMENTVM HOSTIAM MVNDAM.

Et pau-

Et paucis interpositis, quibus hunc locum Prophetæ ad sacrificium etiam internum orationis & spiritus contribulati accommodat, vt admoneret etiam, neque hoc interno sacrificij genere vacare debere celebrationem Eucharistiæ, adiungit hæc verba: *Igitur & sacrificamus & incendimus; Aliàs quidem memoriam illius magni sacrificij* (crucis) *secundùm ea, quæ ab ipso tradita sunt mysteria celebrantes, & gratias* DEO *pro salute nostra agentes religiosoque hymnos & orationes sanctas offerentes: Aliàs nos ipsos totos ei consecrantes.*

IRENAEVS libro quarto, capite trigesimo secundo: *Noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso orbe offert* DEO, *ei qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum in nouo Testamento. De quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit: Non est mihi voluntas in vobis, &c. Manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessauit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offertur ei: & hoc purum.*

IVSTINVS Martyr in Dialogo cum Tryphone: *Omnia*, inquit, *sacrificia, quæ suo nomine facienda Christus tradidit, id est, in Eucharistia panis & poculi, quæ in omni loco a Christianis fiunt, præoccupatione vsus* DEVS *sibi grata esse testatur. Quæ autem a vobis vestrisque Sacerdotibus fiunt, improbat his verbis: Sacrificia vestra de manibus vestris non accipiam; quod ab Oriente vsque ad Occidentem Nomen meum gloria affectum est in Gentibus, &c.*

HIERONYMVS in Commentario eundem Malachiæ locum interpretans, Prophetam quoque significare dicit: *Non in vna orbis prouincia Iudæa, nec in vna Iudææ vrbe Hierusalem, sed in omni loco offerri oblationem nequaquam immundam, qua a populo Israël. Sed* MVNDAM VT IN CAERIMONIIS CHRISTIANORVM. Tum sub finem Commentarij planè admittens nunc esse in Ecclesia Sacerdotes, qui negligenter interdum OFFERVNT VICTIMAS Domino: eorum tamen opinionem reiicit, qui exprobrationem Domini à Malachia propositam eo loco non ad Iudaicos, sed ad hos Ecclesiæ Sacerdotes referunt. Dixerat enim *regulam Scripturarum esse, vbi manifestissima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non extenuare, quæ scripta sunt*, ideoque propriè ad Sacerdotes Iudæorum, qui offerebant cæcum & claudum, &c. sermonem illum Domini dirigi.

DAMASCENVS etiam libro quarto fidei orthodoxæ, capite decimo quarto, vbi de Eucharistia disserit: *Hæc est*, inquit, *pura & incruenta hostia, quam ab ortu ad occasum vsque ipsi offerri per Prophetam Dominus indicauit.*

Atque vt alia nunc testimonia præteream, ad eundem planè Malachiæ locum CLEMENS Romanus respexisse videtur, cùm Apostolorum sententiam referens libro octauo constitution. Apostolicarum, capite quinto ait: SACRIFICIVM MVNDVM (sicut Propheta loquitur) *& incruentum à Christo constitutum esse mysterium noui Testamenti in odorem suauitatis.*

Respondetur ad obiectiones contra probationem ex vaticinio Malachiæ. §. 13.

SED Caluinus, Kemnitius, atque Herbrandus modò nobis audiendi sunt; vt videamus, an iustam excusationem habeat eorum vel pertinacia, quòd tam multis, tamque locupletibus testibus refragantibus, prophetiam hanc aliò detorqueant: vel inscitia certè atque cæcitas, quòd non intelligant rem à Propheta *dilucidè, luculenter, & manifestissimè*, vt Irenæus, & Chrysostomus loquuntur, significatam.

I. Exclamat Herbrandus contra Missam, numero 72. sceleratè deprauari locum à Catholicis, quòd in eo disputent, prædixisse Deum, fuisse futurum, vt veteris legis abrogatis sacrificiis nouum aliquod sacrificium nouę legis succederet: *Non habetur*, inquit Num. 75. *in textu*, NOVA. *Sicut falsarij Papistæ textum corrumpunt: Sed munda oblatio.*

RESPONDEO. Valdè cæcum atque impudentem oportet esse istum, quòd interpretationem sanctissimorum Patrum, Irenæi, Augustini, & cæterorum, velut recentem loci corruptelam, tam procaciter insectetur. An non clarissima Irenæi verba sunt, NOVI TESTAMENTI NOVAM DOCVIT OBLATIONEM, *&c. de quo in duodecim Prophetis* MALACHIAS *sic præsignificauit; Non est mihi voluntas in vobis?*

Item AVGVSTINVS libro primo contra aduers. legis, capite vigesimo: *Mutauit*, inquit, *sacrificium secundùm ordinem Aaron. Vnde Prophetа dicit ad eum, qui carnaliter est Israël: Non est mihi voluntas in vobis, & hostiam non accipiam de manibus vestris. Ecce quod est secundùm ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit & dicit: Quia ab ortu solis vsque ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo &* HOSTIA PVRA. *Ecce quod est secundùm ordinem Melchisedech.* In loco etiam paulò superiùs citato perspicuè dicit, Sacrificia secundùm ordinem Aaron cessasse & sacrificium Ecclesiæ secundùm ordinem Melchisedech, vt à Malachia prædictum est, vbique offerri. Et apertiùs libro decimo septimo de ciuit. cap. 20. *Hoc sacrificium successisse omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti.*

At non habetur in textu, inquit Herbrandus, *Noua*, sed, *munda* oblatio. Fateor: neque vllum ego Catholicum Doctorem scio, qui recitādo eum textū, NOVA PRO MVNDA substituerit. Sed tantùm ex Patrum sententia, quam planè contextus exhibet, declarant scriptores Catholici, locum accipiendum esse de oblatione ac sacrificio *nouo*, quod in veterum locum Deus promiserit. Itaq; non Papistæ textum corrumpunt,

sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed Herbrandus quæ sit sententia textus ignorat, neq; solum in eos, quos Papistas vocat, verùm etiam in Irenæum, & Augustinum, & alios Patres eruditissimos, qui eodē modo, quo nos, textum intelligunt, homo cæcus inuehitur.

II. Opponit deinde Herbrandus, n. 77. idem quod & Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. & Kemnitius cōtra sess. 22. ad argum. 8. & reliqui Sectarij frustrà opposuerūt; videlicet, ad sacrificium cōmune bonorū operum, ac præcipuè *prædicationis Euangelij*, quæ vbiq; terrarum erat futura, nō autem ad aliquod sacrificium externum, Malachiæ prædictionem accommodandam esse. *Non agit*, inquit, *his verbis Propheta de sacrificiis propriè sic dictis. Nec instituit Dominus antithesin sacrificiorum noui & veteris Testamenti. Non enim de sacrificio nouo, sed de oblatione munda loquitur, & more Prophetarum*, (eadem penè sunt verba Caluini & Kemnitij) *quibus sōlenne est vocabulis & phrasibus cæremoniarum veteris Testamenti cultum noui Testamenti describere, oblationis vocabulo vtitur, sed loci tantùm antithesin facit. Illic enim in vno tātùm loco offerebatur: hìc in omni loco, vt verba eius habent.*

Respondeo. Fatemur, hunc locum ad spiritualia quoq; sacrificia iustitiæ referri posse: sed sic tamen, vt simul ad sacrificium aliquod *externum* propriè dictum accōmodari debeat. Nam si, vt sanctus Basilivs homil. 10. in Hexameron ait, blasphemia est, putare aliquod in Scriptura verbum esse otiosum, existimare non debemus, ratione vacare, quod non tantùm dixit Propheta, *in omni loco sacrificatur*, aut *offertur*, sed duplici verbo est vsus, *sacrificatur & offertur* nomini meo *oblatio munda*. Vt intelligeremus, de vtroque genere sacrificij locum esse accipiendū, sicut apertiùs septuaginta interpretes verterūt: *In omni loco incensum offertur nomini meo: & sacrificium mundum*.

Quæ causa est, quamobrem Patres, vt sermonis occasio requirebat, ex hoc Malachiæ loco disseruerint, iam de sacrificio spirituali tātùm, vt Tertullianus lib. 4. contra Marcionem; iam de sacrificio vtroque simul, spirituali scilicet & externo, secundùm ordinem Melchisedech: vt Irenæus lib. 4. cap. 32. Euseb. lib. 1. de demonstr. Euangel. cap. 10. Hieronymus in cap. 1. Malachiæ. Augustinus lib. 1. contra aduers. leg. cap. 20. Itaque faciunt vel ignoranter, vel fraudulenter Sectarij, cùm aut Prophetæ vaticinium, aut interpretationes Patrum, quæ de vtroque genere intelligi debent, ad spiritualia tantùm sacrificia referri volunt: quasi ideo de illis tantùm accipi debeant, quia de illis etiam certè accipi possunt.

Deinde Propheta non tantùm *loci*, vt Herbrandus falsissimè fingit, sed inprimis *sacrificiorum*, & quidem eiusdem *generis*, videlicet *externorum* antithesin facit. Quod Augustinus loco iam citato apertissimè declarat, cùm indicat, *munus*, quod negat se Deus accepturum, esse sacrificium secundùm ordinem Aaron: *oblationem* autem *mundam*, quam probat, & dixit fore, vt sibi vbique offeratur, esse *sacrificium secundùm ordinem Melchisedech*.

Imò loci quidem nullam propriè facit antithesin, quasi aliquod sacrificij genus in vno loco probet, quod in alio loco repudiet. Nam sacrificia Aaronica simpliciter significat fore, vt vbiq; sibi displiceant, siue in Iudæa, siue in quacunque alia orbis parte fiant; oblationem autem mundam, quam illis anteponit, simpliciter etiam prædicit futurum, vt sibi sit vbique locorum gratissima, siue in Iudæa, siue in alia quauis prouincia offeratur. Itaque non locorum propriè, sed sacrificiorum antithesin facit, quorum alia vbique repudiet, alia vbique accepter.

Neq; obstat, quòd non dixerit, oblatio noua, sed *munda*. Hac enim voce (munda) veteribus sacrificiis per antithesin etiam opposuit futurum aliquod sacrificium, quo nullū mundius fuisset antea, atq; adeò *nouum*, quale est vtique corporis & sanguinis Christi sacrificium. *Quid enim tam mundum*, ait Avgvstinvs lib. 4. de Trin. cap. 14. *pro mundanis vitiis mortalium, quam sine vlla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in vtero, & ex vtero virginali? Et quid tam gratè offerri & suscipi posset, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri?* Quæ licet scripserit Augustinus de sacrificio corporis Christi in cruce facto propriè disserens, non immeritò nos accommodamus ad sacrificium etiam Eucharistiæ ab eodem Augustino sæpe aliàs asserto, in quo idem Christi corpus mundissimum offertur.

Isti verò, qui oblationem mundam interpretantur spirituale sacrificium tantùm, quod contineatur, aut omni, aut quodā genere boni operis, quale est prædicatio Euangelij; expedire neq; queunt, quomodo eiusmodi sacrificium tam insignem per sese sanctitatem atq; munditiem habeat, quàm Prophetæ verba præ se ferūt. Etenim vt dicitur Isai. 64. *Omnes iustitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatæ*, hoc est, vt nos interpretamur, *ipsa vitiosa*, cum lege Dei pugnantes, & per se ita prauæ, vt nisi misericordia Dei tanta esset, hominem æternæ damnationi obnoxium facerēt. Quo magis mirandum est, istos *oblationē mundam* interpretari vllius operis sacrificium, adeò ipsorum sententia non mundum, vt sit etiā natura sua horribile peccatū. Quem nodum expedire isti commodè nunquam poterunt.

Quod autem adiunxit post Caluinū & Kemnitium Herbrandus, vsitatum esse Prophetis, veterum cæremoniarum vocabulis per metaphoram appellare noui Testamenti cultum, non diffiteor. Sed si hoc aliàs factum est, non inde sequitur à Malachia etiam in hoc loco esse factum, sicut non etiam sacrificium propriè dictum secundùm ordinem Melchisedech, intellexerit; vt longè

longè rectius quàm isti, Augustinus, aliique Patres sunt interpretati. Non enim si alicubi locutio metaphorica admitti potest, vbique est admittenda. Alioquin pax Lutheranis cum Sacramentariis etiā ineunda erit, qui propterea, quòd vt Christus alicubi se vitem per metaphoram dixit, ita illud: *Hoc est corpus meum*, per metaphorā dictum esse concludunt.

III. Pergit Herbrandus num. 78. & à Kemnitio contra sess. 22. & 8. argum. deceptus, qualis illa oblatio munda sit, Prophetam ipsum declarasse dicit, quòd videlicet *nomen suum magnum sit in gentibus. Hoc est* (inquit) *publicè passim gloria nominis mei, diuulgatione Euangelij, fideli opera Apostolorum eorumq; successorum facta, celebratur & prædicatur in toto terrarum orbe.*

Respondeo, Lector verba Prophetæ iterum attendat diligenter, & videat an non in laqueo isto, quem isti hominēs parauerunt, comprehensus sit pes ipsorum: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnū est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus dicit Dominus exercituum.* Cum perspicuis verbis Dominus prænunciet Primò, *Prædicationem magnificationemq; sui nominis apud gentes*, quis credat, sequentibus è vestigio verbis, atque oratione, à priori prorsus differenti, non aliud officij genus, quàm eam ipsam sui nominis celebritatem & gloriam, idque obscuriùs per metaphoram sacrificij & oblationis mundæ, præsignificasse?

Est quidem in sacris literis nonnunquam vsitatum, vt eadem res in aliis atque aliis locis verbo proprio & metaphorico indicetur: Sed hoc in eodem loco, duabus diuersis enunciationibus, nescio an vnquam fiat, nisi cùm diuersum aliquid enunciatione altera significatur. Vt cùm ait Apostolus, ad Hebræos decimo tertio: *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci; Talibus enim hostiis promeretur* Deus. Officia, quæ suis propriis vocabulis in priori enunciatione nominārat, hostias per metaphoram in posteriori nominat, sed aliud quiddam significans; videlicet eiusmodi officia *meritum* habere apud Deum. Si autem ita dixisset: Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci; neque etiam obliuiscamini hostiarum, quibus promeretur Deus; nemo existimaret, ipsum in enunciatione posteriori non aliud officium per hostias, quàm beneficentiam & communionem hospitalitatis intellexisse: quoniam tunc idem prorsus enunciatione posteriori significaretur obscurius, quòd priori clariùs dictum erat, qui est dicendi modus ineptus, atque adeò alienus à Scriptura sacra, quæ obscura quidem aliquando & difficilia ad intelligendum est, inepta nunquam est.

Hoc ipso igitur Malachias *magnificationē diuini nominis* vbiq; gentium, ante, & post prænunciationem *oblationis mundæ* vbiq; faciendæ commemorat, adeò non indicat, se per oblationē mundam intelligere eam magnificationē diuini nominis in gentibus, vt etiam euidenter ostendat, aliud sacrificij genus eo nomine esse intelligendum. Non enim ter eandem rem tribus orationibus distinctis iam clarè, iam obscurè significauisse putandus est.

Itaque Propheta ibi cùm præmittit primò: *Ab ortu enim solis vsq; ad occasum magnū est, etc.* originem religionis indicat eius hostiæ mundæ; videlicet prædicationem Euangelij per Apostolos factā, à quibus *Ecclesia* eam hostiam *accipiens, in vniuerso orbe* (sicut Irenæus inquit) *offert ipsam Deo.* Cùm autem subiungit: *Et in omni loco sacrificatur, &c.* ipsam hostiam & oblationē sacrificij ostendit. Quam quidem modo ipso loquēdi satis declarat esse eiusmodi, q & vnius speciei, atq; modi vbiq; sit, & singularem quādam atq; inusitatam prius sanctitatem habeat. Talis autem hostia nō certè est quoduis bonorū operum sacrificium, cùm illud sit multiplex, & vsitatū semper, & modicè etiam mundum: neq; etiam sacrificium impropriè dictum in precatione diuini nominis situm, quod iam suo proprio vocabulo commemorat; sed est aliquod aliud sacrificium propriè dictum, quod iam ab Ecclesia iuxta veritatem prophetiæ vbique vsurpetur. Hoc autem sacrificium non aliud est, nisi corporis & sanguinis Domini sacrificium in Eucharistia, siquidem crucis sacrificium non vbique factum est. Denique cùm repetitur: *Quia magnum est nomē meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*; lector admonetur, vt animaduertat, hoc ipsum ideo prius etiam esse dictum, vt quemadmodū notauimus ratio atque via indicaretur, qua est eius religio sacrificij in orbem inuecta.

Atque hæc sanè interpretio loci perinde procedit, siue cum vulgato interprete legamus: *Ab ortu* Enim *solis, &c.* Et; Qvia *magnum est nomen meum, &c.* siue lectionem etiam recipiamus Vatabli, quàm Herbrandus recitare maluit; vt pro Enim, & Quia, subst ituamus vtrobique; *Certè*. Quanquam vulgata versio planiùs indicat magnificationem diuini nominis apud gentes fuisse causam, vnde habuit illa oblatio ortum, & multò illa rectiùs quàm Vatablina Hebraicæ phrasis reddit sensum. Ita enim Hebraicè legimus כִּי גָדוֹל שְׁמִי בַּגּוֹיִם Quamuis enim particula כִּי vim etiam habeat affirmandi, sicut Latina dictio, *certè*, communior tamen eius vsus est, vt causam indicet, tantundemq; valeat, quātum Latinè aduerbium *quoniam, vel quia*.

IV. Fingit etiam Herbrandus, numero 79. ex suo & Kemnitij capite, locum Malachiæ de oblatione munda, in aliis Scripturæ locis: eorundem verborum vsurpatione exponi: Vbi similiter *oblatio* pro Euangelij prædicatione &

Universidad de Deusto
Biblioteca

magnificatione diuini nominis accipiatur. Vt apud Isaiam capite vltimo, *Ex quo Malachias*, inquit Herbrandus, *sua verba est mutuatus, ideoque ex eo*, inquit, *interpretanda: Mittam ex iis, qui saluati fuerint, ad gentes in mare, annunciabunt gloriam meam in gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus*, מִנְחָה (id est munus, seu oblationem) *Domino in equis & quadrigis ad montem sanctum meum Hierusalem, oblationem in vase mundo in domum Domini*. Et Apostolus ad Romanos decimo quinto, inquit iste, λειτουργὸν *se vocat, id est sacrificulum Christi sacrificantem Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium (passiuè*, inquit, *pro ipsis gentibus, quibus ad Dei agnitionem suo ministerio vocatis & adductis*, DEO *quasi litabat) accepta & sanctificata in Spiritu sancto. Sic Petrus*, 1. Petri 2. *ad hunc*, inquit, *Malachiæ locum respicit, eumque ex euentu interpretatur, dicens: Vos autem regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis (non dicit, vt Missas celebretis) eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen*.

RESPONDEO. Multa sunt in hac allegatione vitia. 1. Isaiæ locus corruptè & truncatim recitatus est, vt lector facilè deprehendet, si Isaiã ipsum adeat. Non enim dicit Propheta, adducẽdas esse gentes oblationem *in vase mundo*, sicut iste corrumpit. Sed comparatione vsus, dicit, adducendas donum siue oblationem Domino מִנְחָה id est, *quomodo si inferant*, inquit, *filij Israël munus in vase mundo in domum Domini*. Quod non est omnino idem atque simpliciter dicere, *oblationem mundam*, quod est verbum Malachiæ.

2. Porro Malachiam esse sua verba *mutuatum ab Isaia* eo loco, quis quæso reuelauit Herbrãdo? Certè scriptori canonico Spiritus sanctus per se verba suggerit, non tantùm quando ex se loquitur, sicut ibi Malachias, sed etiam tunc, quando scriptoris alterius testimonium citat. Et iam ostensum est, Isaiam nõ habere, *oblationẽ mundam*. Quare non potuit Malachias ab Isaia mutuari verbum, quod Isaias non habuit. Nec satis erit Herbrando respondere, quoad sententiam fuisse mutuatum: Sententiam enim eandem Isaiæ Malachiam mutuatum fuisse, inde concludere Herbrandus voluit, quòd Isaiæ *verba* sit mutuatus. Proinde, si verba non est mutuatus, vt verè nõ est (non enim vnum nos Malachiæ verbũ vrgemus, sed vtrumque *oblatio munda, &c.*) argumentum Herbrandi erit nullius momenti.

3. Iam verò D. Paulus Rom. 15. *Oblationem mundam* non habet; Diuus autem Petrus, 1. Petr. 2. neutro verbo vtitur. Et quod is nõ dicat, *vt celebremus Missas*, nihil vel nobis repugnat, vel aduersariis suffragatur. Nã neq; dicit, vt Missas *non celebremus*. Imò sunt, qui non malè, *regale Sacerdotium* eo loco interpretantur Sacerdotium non singulis Christianis commune, sed propriè dictum, quod Christianorum omnium esse ideo dicatur, quoniam ex Christiano populo ad eius functionem ministri deliguntur, iuxta illud Isaiæ vltimo: *Et assumam Sacerdotes ex eis*. Sicut etiam Exodi 19. quoniam ex populo Israëlitico Sacerdotes eligebãntur, totus populus est appellatus *regnum Sacerdotale*. Itaque iuxta hanc expositionem, potiùs indicat D. Petrus eo loco, celebrandas esse Missas, quàm negat; quippe cùm significet, vsum aliquem in Ecclesia debere esse Sacerdotij propriè dicti, adeoque sacrificij etiam externi, cuius generis nullum, præter Missam, fuit vnquam in Ecclesia vsurpatum.

4. Si maximè Isaias, Paulus & Petrus iisdem omnino verbis, quibus Malachias vsus est, magnificationem diuini nominis oblationem & sacrificium mundum per metaphoram appellassent; quomodo probabit Herbrandus, aut Kemnitius, aut alius quispiam Sectarius, Malachiam, cum *oblationem mundam* dixit, eãdem metaphora fuisse vsum, intellexisseque similiter diuini nominis glorificationem? Sunt, aiunt, isti Malachiæ interpretes eademq; de re loquuntur. At hoc ipsum est, quod isti neque probant, neque vnquam probare poterunt. Nisi quod admodum frigidè ac sine vllo sapore dicunt, dulcissimum hunc esse consensum & harmoniam Prophetarum & Apostolorum de eadem re loquentium: scilicet, vt ipsi de suo cerebro vanissimè somniant. Quid enim? An non fit sæpe, vt vocabulum, quod in vno Scripturæ loco ad vnam rem per metaphoram transfertur, idem nihilominus alibi rei alteri propriè tribuatur?

Qualis est igitur consequentia: Isaias & Paulus magnificationem DEI apud gentes impropriè dixerunt oblationem: Ergo etiam Malachias? Potuisse quidem Malachiam etiam sic loqui, non absurdè inde colligas, ita verò loquutum fuisse, concludes insipientissimè. Maximè cùm manifestas rationes præter authoritatem Patrum reddiderimus, cur Malachiæ vaticinium de oblatione munda, neque ad communem cultum, neque ad magnificationem DEI in gentibus, quam separatim ibi, & quidem bis commemorat, referri debeat, sed ad sacrificium propriè dictum secundùm ordinem Melchisedech, quod ibi per antithesin sacrificiis etiam propriè dictis, nempe Leuiticis, anteponit.

5. Accedit quod ipsa interpretatio Herbrandi & collegarum euidenter pugnat cum eo, quòd volunt concludere, scilicet Malachiam fuisse locutũ de illa eadem re, quam Isaias & Apostolus oblationem gentium vocant. Hi enim oblationem gentium appellant *conuersionem* gentium *passiuè*, vt Herbrandus etiam exponit, quibus vocatis & adductis spiritualiter Apostoli sacrificarunt DEO. Malachias autem cùm dicit; *Magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*, magnificationem diuini nominis, istorum sententia, memorat, quæ consistat in *prædicatione* Euangelij, p Apostolos & eorũ successores facta; a

qua certum est, *conuersionem passiuam* gentium, sicut effectum à caussa differre.

Quod si isti dicant, conuersionem etiam gentium passiuam cum prædicatione Euangelij, sicut effectum cum caussa, Malachiam simul fuisse cõplexum: Obstat quòd verba ipsa præ se ferunt, & vnicuiq; planè, qui modò non sit hæresi anticipata impeditus, statim significant, de eo tantum sacrificij genere Malachiã egisse, quod *vnius* speciei atq; modi sit (sicut erat vnumquodq; sacrificium Leuiticum ex his, quæ per antithesin reprobat ibi Deus) quodq; non semel tantùm, sed *sæpius* in vnoquoque loco faciendum esset. Ait enim: *In omni loco* OFFERTVR ET SACRIFICATVR (vtiq; cum frequentatione, sicut offerebãtur sacrificia Leuitica, quibus hoc sacrificium per antithesin anteponit) *nomini meo*, non oblationes, sed, *oblatio* (vna videlicet vbique & vnius modi) *munda*. Prædicatio autẽ Euangelij & conuersio passiua gẽtium simul accepta, neq; sacrificium vnius modi est (& multò minùs, si ad conuersionem, preces, & alia religionis officia addas) neq; oblatio eiusmodi, quæ cum frequẽtatione in vno & eodem loco sæpius soleat fieri. Non enim sæpius, sed semel tantùm vniuscuiusque prouinciæ gentes ab ethnicis superstitionibus ad Christi legem conuertuntur.

Quamobrem meritò scriptores Catholici affirmant, ad Malachiæ locum, illã potius Christi sententiam, Luc. 22. *Hoc facite in meam cõmemorationem*, qua is Prophetæ vaticinium impleri præcepit, accommodandam esse: atq; illã item Dauitidis in persona Catholici Sacerdotis: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam* (vtiq; ad retribuendum & offerendũ Deo mundissimum Christi sanguinẽ, iuxta Malachiæ prædictionem) *& nomen Domini inuocabo*. Nam & hunc sensum præter alios, quos hic idem locus admittere potest, multò rectiùs ex his verbis colligas, quàm illum alterum, quẽ ex Vatablo assignat Herbrandus, disput. contra Missã nu. 84. ita prophanum & bibulum, vt ad illum refellendum satis sit referre: *Quasi dicat, inquit, in omni conuiuio gratulatorio me hilarem exhibebo, ex eorum quibus hilariter bibam, attollendo calicẽ, quo significem conuiuis, me illius ope seruatum, semper nomen Dei colam*. Tantùm defuit vt adderet, Dapro salute Dei, à quo beneficium accepisset, sicut honoris caussa dicunt interdum conuiuæ se bibere pro salute principis.

Sed vt Malachiæ locum concludamus, cùm isti cæteris artibus, quibus eum corrumpere conantur, parum fidant, ad commune perfugium vel malitiæ, vel ignorantiæ suæ, quod in omnem euentum habent in hac controuersia paratum, se recipiunt. Et *si maximè*, inquiunt, *Malachias de sacrificio aliquo externo secundùm ordinem Melchisedech loquatur, non sequitur*, inquiunt, *Missam esse sacrificium propitiatorium pro peccatis viuorũ & mortuorum aliisq; necessitatibus. Hoc enim*, inquit Herbrandus, *est* κενόμενον.

Hanc verò insciti am vel fraudem suprà §. 1. deteximus. Non enim singulis argumentis volumus aut debemus cõfirmare omnia, quæ sunt hac de re controuersa. Itaque iam non hoc agimus, vtrum sit *propitiatorium* hoc sacrificium, & pro quibus valeat; de hoc enim postea; sed vtrum *legitimum* sit. Quod præter alia argumenta ex hoc Malachiæ vaticinio, sicut ex aliis aliorum Prophetarum, suffragante nobis contra istos testimonio eruditissimorum Patrum rectè probamus.

Et nihil isti proficiunt vnum aut alterum patrem citando, qui ad spiritualia sacrificia Malachiæ locũ retulerit. Iam enim antea notauimus, non ideo excludi sacrificium propriè dictũ, sed ad illud simul accommodandũ esse locum, sicut sentẽtiæ Patrum, quas recitauimus, sunt perspicuæ. Quis enim sibi persuadeat, Irenæum lib. 4. cap. 32. quando *nouam* etiam oblationem cõmemorat, *ab Apostolis Ecclesia traditam, quæ in vniuerso orbe offeratur*; non etiam maximè de aliquo externo & propriè dicto sacrificio verba facere? Et similiter Augustinũ locis citatis, cùm de sacrificio etiã Melchisedech ex eo Malachiæ loco disserit; Itemq; Hieronymum, vbi distinctè primum orationum Thymiama, deinde oblationẽ mundam in cæremoniis Christianorum vbique offerri solitam commemorat.

Tertullianus verò lib. contra Iudæos, vbi non de *terrenis*, sed de *spiritualibus sacrificiis litãdum esse* ex Malachia docet, Leuitica & Leuiticorũ similia sacrificia terrestrium rerum excludit, non verò sacrificiũ, in quo Christus offertur de cœlo cœlestis. Neq; huius sacrificij Tertullianum nõ meminisse, reiecisse ipsum est. Et habemus aliorum Patrum perspicua testimonia. sed pergam ad reliqua vaticinia.

Probatur item sacrificium Missæ esse legitimum, ex vaticinio Isaiæ de Sacerdotibus noui Testamenti. §. 13.

III. DOMINVS per Isaiam Prophetam, ita de Apostolica atque hierarchica ministrorũ Ecclesiæ vocatione functioneq; prædixit, vt ad extremum oratione illa cõcluderet, Isa. vlt. *Et assumam ex eis* (ex gentibus Apostolico ministerio conuersis ad Christum) IN SACERDOTES ET LEVITAS *dicit Dominus*. Cum qua sentẽtia illud etiam congruit, quod in eodem Propheta Apostolis eorumq; successoribus dictum legimus, Isai. 61. *Vos autem* SACERDOTES DOMINI VOCABIMINI MINISTRI DEI NOSTRI. Quibus ex locis in hunc modum licet concludere: Sacerdotes propriè dicti, qui scilicet peculiari delectu ex reliquo hominum cœtu assumantur, ad id muneris eliguntur, vt offerant *proprie dictum sacrificium*. Ait enim Apostolus ad Hebr. 5. non speciatim, omnis Pontifex *Leuiticus* (vt peruersè

Universidad de Deusto
Biblioteca

interpretatur Herbrandus num. 117. ex Kemnitio contra ſeſſ. 22. ad argumentum ſextum) ſed vniuersè OMNIS PONTIFEX, (ſiue Sacerdos; pro eodem enim eo in loco vtrumque nomen indifferenter accipit,) EX HOMINIBVS ASSVMPTVS, *pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad* DEVM VT OFFERAT SACRIFICIA ET DONA *pro peccatis*. Quod ipſum ex notione nominis eſt perſpicuum. Nam vt ij Sacerdotes impropriè dicuntur, qui ſacrificia impropriè ſic dicta offerunt: ita Sacerdos propriè is eſt, qui offert proprij nominis ſacrificium. Aſſumuntur autem diuinitùs in Eccleſia delectu habito ex communi Chriſtianorum cœtu Sacerdotes, qui proinde veri nominis Sacerdotes ſint, & eam ob cauſſam iidem *miniſtri* etiam Domini dicantur, vt ex his Iſaiæ teſtimoniis patet. Eſt igitur ſacrificium aliquod propriè dictum in Eccleſia, ad quod offerendum deligantur Sacerdotes à Deo, quodque ſit bonum, atque legitimum. Porro nullum aliud huius generis ſacrificium in Eccleſia præterquam ſacrificium Miſſæ vſurpatum eſt: Miſſæ igitur ſacrificium eſt illud, ad quod bene legitimeque offerendum, Deus, vaticinium Iſaiæ adimplens, deligit Sacerdotes.

Hoc argumento propterea libenter vtor, quoniam ex eo ſimul lector cognoſcet duplicem errorem Herbrandi. PRIMVS eſt, quod Sacerdotes noui Teſtamẽti iuxta Iſaiæ vaticinium diuinitùs eligendos, ait Diuum Petrum interpretatum fuiſſe, prima Petri ſecundo; *non peculiare ſacrificulorum Miſſaticorum genus* (vtor ipſius verbis) *ſed omnes verè credentes Chriſtianos*. Vſque adeò enim iſte odio erga Sacerdotes obcæcatus eſt, vt non videat, vel ab ipſis pueris, qui Iſaiam legere ſciant, redargui ſe euidenter poſſe hoc modo: Iſaias de Sacerdotibus eiuſmodi loquitur, qui delectu habito ex Chriſtianorum cœtu aſſumantur, atque adeò ſint *miniſtri* in his, quæ ſunt ad Deum pro Chriſtiano populo; ita enim eius verba ſonant. At non *omnes* verè credentes Chriſtiani ex Chriſtianorum cœtu *peculiari cum delectu* aſſumi poſſunt (hoc enim ne intelligi quidem poteſt) ſed aliqui tantùm. Magna igitur dementia eſt cogitare, Iſaiam eo loco fuiſſe loquutum de Sacerdotibus impropriè dictis, nempe de omnibus verè credentibus Chriſtianis.

Quod ſi hoc ita eſt; qualis etiam blaſphemia eſt ſcribere, in eam ſententiam amentiſsimam, Iſaiæ locum fuiſſe à beato Petro expoſitum? Somnium eſt vaniſsimum eiuſdem generis, cuius ſunt reliquæ Scripturarum collationes, ab iſtis inſtitutæ. Quod enim beatus Petrus Chriſtianos omnes *regale Sacerdotium* vocat, dupliciter intelligi poteſt. Primò, vt ſignificet, apud Chriſtianos tantùm eſſe dignitatem Sacerdotij propriè dicti, quoniam ex eorum populo Sacerdotes eliguntur, ſicut eadem ratione totus populus Iudæorum, Exodi 19. dictus eſt Sacerdotale regnum. Secundò, vt ſignificet omnes & ſingulos Chriſtianos Sacerdotio impropriè dicto fungi, cùm offerunt ſpirituales hoſtias.

Si priori modo, qui nonnullis, vt antè dictũ eſt, placet, eam ſententiam accipiamus, congruit illa quidem cum Iſaiæ vaticinio; Sed tunc Herbrandum iugulat, cùm confirmet, vaticinium Iſaiæ impletum eſſe per miniſterium Sacerdotum in Eccleſia, qui non communiter Sacerdotes ſint, quales ſunt omnes Chriſtiani, ſed propriè, peculiari delectu ex Chriſtianis *aſſumpti*: vt Iſaias prædixit. Neq; huic interpretationi illius loci Diui Petri obſtat, quòd & verbis antecedentibus B. Petrus ibi *ſpirituales hoſtias* commemorat, & ſequentibus omnes hortatur ad *annunciandas virtutes* diuinas, quod eſt offerre ſacrificium laudis. Potuit enim eodem in loco de Sacerdotio, tum communi, tum proprio diſſerere.

Si autem illam B. Petri ſententiam poſteriori modo, ſcilicet de Sacerdotio ſpirituali, quod omnibus & ſingulis Chriſtianis conuenit, interpretemur: nequaquã ad Iſaiæ vaticinium, tanquam illud exponat, referenda eſt: cùm euidenter oſtenſum ſit, Iſaiam de alterius generis Sacerdotio prænunciaſſe; quod non omnibus, ſed aliquibus delectis demandetur. Atque hæc de primo errore.

SECVNDVS error communis Herbrando eſt cum Caluino libro quarto Inſtitut. capite decimo octauo, ſect. 14. & cum Kemnitio, contra ſeſſ. 22. ad argumentum ſextum. Exiſtimant enim iſti, ſic decepti à Luthero lib. de abrogand. Miſſ. priuata, Nullos eſſe in nouo Teſtamento Sacerdotes peculiares & propriè dictos. Contrarium autem ex adducto vaticinio Iſaiæ euidentiſsimum eſt.

Sed conantur Kemnitius & Herbrandus hùc errorem ſuum probare ex eo, quòd in nouo, inquiunt, Teſtamento præter Sacerdotium Chriſti nuſquam Sacerdotij, aut Sacerdotum mentio fit, niſi vbi ea nominatio omnibus Chriſtianis ex æquo tribuitur. Miniſtri autem Euangelij nunquam Sacerdotes, ſed aliis, inquiunt, nominibus appellantur.

At primùm, quale, quæſo, argumentum hoc eſt: Miniſtri Euãgelici Sacerdotes ex nomine nõ appellantur: Ergo Sacerdotes propriè non ſunt? Certè hæc concluſio nihilo firmior eſt, quàm ſi quis colligat, Euchariſtiam aut Baptiſmum Sacramentum propriè non eſſe; quoniam nuſquã in Scriptura veteris aut noui Teſtamẽti Sacramentum apertè nominatur.

Deinde non deſunt auctores eruditi, qui tum locum illum Petri, de quo iam diximus, tum etiam locum illum Ioannis, Apocalyp. 1. & 5. *Fecisti nos Domine regnum & Sacerdotes*, ad Sacerdotium propriè dictum referunt. Rectè enim intelligi poteſt, quòd hoc dicatur à Chriſtiano populo, non in perſona omnium & ſingulorum fidelium, ſed miniſtrorum Euangelicorum, qui ſunt præcipua membra ipſius, ex ipſoque ad Sacerdotale munus deliguntur.

Tertiò ex Herbrando, & Kemnitio quæro, cùm Iſaias vbi ſuprà dicit: *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, miniſtri Dei noſtri*; & Iſaiæ vltimo: *Aſſumam Sacerdotes & Leuitas ex eis*; cuiuſnam cõditionis homines, & ipſe appellat, & ab aliis appellandos eſſe prædicit Sacerdotes? Non certè omnes Chriſtianos; quippe quos nemo ſanus dixerit ex Chriſtianis deligi & aſſumi. Neque verò miniſtros veteris Teſtamẽti, ſed noui, de quibus eſt vaticinium.

Quod ſi miniſtros noui Teſtamenti peculiariter Sacerdotes vocat Iſaias, & vocandos prædicit; qd eſt, cur Sectarij requirant, vt *in Scriptura* etiam noui Teſtamenti Sacerdotes appellentur? An de authoritate Iſaiæ dubitant? aut huius authoritas minor illis eſt, quàm authoritas ſcriptorum noui Teſtamenti?

Cùm igitur habeamus firmiſsimum Propheticum ſermonem, quo miniſtri Euangelici delecti ex reliquis, peculiari ratione Sacerdotes nominentur; Sacerdotij propriè dicti in Eccleſia ſit vſus neceſſe eſt. Neque quidquam refert, quod in nouo Teſtamento eiuſmodi miniſtri non dicantur Sacerdotes, ſi maximè hoc concederemus.

Quæ cum ita ſe habeant, apparet etiam, ſatis conuenienter his locis Iſaiæ aliquos Scriptores Catholicos cenſere, Malachiam cùm de Chriſto inter cætera prædixit, Malachiæ tertio: *Et purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia*; indicare voluiſſe, non propriè Chriſtianorum omnium *emundationem* ad offerendas hoſtias impropriè dictas, ſed eorum miniſtrorum Eccleſiæ tantùm, quorum filij Leui propriè typus fuerunt, quosque Eſaias peculiari ratione, tanquam ex cæteris delectos Sacerdotes nominat. Nam maximè hos miniſtros Eccleſiæ ad piè ſanctèque offerenda corporis & ſanguinis Domini ſacrificia, quæ idem Propheta priùs dixerat *oblationem mundam*, Deus purgat & emundat, emendando poſtactam pœnitentiam: adeoque ipſos ſua miſericordia præparat ad iudicij diẽ, de quo illic fit ſermo, vt in eo non ſeueram, ſed clementem ſententiam audiant.

Quæ expoſitio non mea, ſed B. HIERONYMI eſt. Ita enim ſuper illa verba, & *purgabit filios Leui*, inquit in cap. 3. Malach. *Tempus eſt enim, vt iudicium incipiat à domo Dei. Et alibi ſcribitur: A Sanctis meis incipite. In filiis autem Leui omnem Sacerdotalem intellige dignitatem. Si autem Sacerdotes purgandi ſunt & colandi, vt purum aurum remaneat & argentum, quid de cæteris* (hic certum eſt, Hieronymum non omnes Chriſtianos intelligere nomine Sacerdotum) *eſt dicendum?* Tum addit: *Qui cùm emundati fuerint & colati, tunc offerent Domino ſacrificia, & placebit ſacrificium eorum, quod offerunt pro Iuda & Hieruſalem, hoc eſt, pro his, qui Dominum confitentur, & pacem eius mente conſpiciunt, ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui, vt quomodo in principio placuerunt* DEO, *ſic poſt peccatum & pœnitentiam placere incipiant, cùm omni fuerint peccatorum ſorde purgati.*

Et tamen auſus Herbrandus eſt, contra Miſſam, num. 79. ore impuro impuriſsimum genus hominum appellare eos, qui hunc Malachiæ locum, ita vt Hieronymus, referunt tantùm ad Eccleſiæ Sacerdotes propriè dictos. Credo, quoniam, vt verba eius ſignificant, ignorantia & cõuiciandi libidine obcæcatus, putauit nos propterea negare, reliquos etiam Chriſtianos à peccatorum ſordibus purgari per CHRISTVM, quod nunquam nobis in mentem venit. Sed dicimus cùm Hieronymo, Prophetam non illis verbis de communi Chriſtianorum purgatione agere, ſed de emundatione Sacerdotum, quos, frangantur licet Sectarij, habet Eccleſia propriè dictos ad offerendum veri nominis ſacrificium.

Probatur item legitimum eſſe Miſſæ ſacrificium ex vaticinio Danielis, & alio quodam Iſai. §. 14.

III. VTVNTVR orthodoxi Doctores alio teſtimonio ex prophetia Danielis, quod quia illuſtre eſt, ac ſimul etiam indicat, miniſterium aduerſariorum in oppugnãdo ſacrificio Miſſæ improbum & Antichriſtianum eſſe, valdè malè iſtos habet. Illud igitur, quoniam ab Herbrando & Kemnitio ſimiliter in alienum ſenſum detorquetur, breuiter etiam exponemus.

Cùm Gabriel Angelus de mundi fine commonefaceret Danielem: *Veniet tempus*, inquit, Daniel. 12. *quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt vſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro. Et multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam: alij in opprobrium, &c.* Cui Daniel ſtudio incitatus cognoſcendi quàm diu eſſet duraturum id tempus: *Vſquequo*, inquit, *finis horum mirabilium?* Gabriel autem cùm *eleuaſſet dextram & ſiniſtram ſuam in cœlum, & iuraſſet per viuentem in æternum*, reſpondit: *Quia in tempus, & tempora & dimidium temporis*. Ac paucis interpoſitis, exponens quantum ſpacium temporis per *tempus & tempora*, & *dimidium temporis* intelligeret, tum etiam quando id ſpacium fluere incœpturum eſſet, ſubiunxit: *Et a tempore cùm oblatum fuerit inge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem: dies mille ducenti & nonaginta.* Quam ſummam dierum conficiunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

anni tres cum dimidio. Itaque per tempus, *annum*; per tẽpora, *annos duos*; per dimidium temporis, *dimidium annum*, phrasi aliâs etiam in Scripturis sanctis vsitata significauit. Atque exordium eius spacij, tribulationumque, quæ in illud incident, significat tunc futurum, quãdo & *sacrificium iuge* abolitum & *abominatio* fuerit in desolationem posita.

Ex hoc vaticinio tale ad nostrum propositum argumentum ducitur: Dubium non est, quin sacrificium illud iuge tribus annis cum dimidio antè mundi finem abolendum, legitimum Deoque gratum sit: nam sine vituperatione aliqua, immò potiùs cum commendatione quadam, velut rem sacram illud Gabriel commemorat, & abolitionem eius cum abominatione desolationis coniungit, tanquam vtrumque sit futurum facinus Antichristianum & impium. Id autem sacrificium iuge interpretari neutiquam possumus sacrificium communiter dictum *iustitiæ & bonorum operum*, aut *magnificationis diuinæ gloriæ, &c.* Primò, nam hoc sacrificium multiplex est, non *vniusmodi*, sicut significatur esse illud *iuge*. Secundò, quia aliqua officia continet, quæ repeti *iugiter* (sicut illud) ab iisdem personis, & in iisdem locis non possunt; cuiusmodi est conuersio Gentium, quam Sectarij in sacrificio spirituali præcipuè ponunt ex Apostolo ad Romanos decimo quinto. Tertiò, quia multa huiusmodi sacrificia extremo illo tempore fient. Scriptum est enim à Daniele, capite duodecimo, futurum tunc temporis, *vt eligantur & dealbentur, & quasi ignis probentur multi*. Qui persequente videlicet crudelissimo Tyranno Antichristo, ardentibus precibus diuinam opem implorabunt, neq; sacrificium tantùm offerent Spiritus contribulati & contriti cordis, sed etiam incensi eiusmodi charitate, qua nemo maiorem habet, se ipsos offerent hostiam viuentem in odorem suauitatis Deo, ipsique tam magnifica fidei confessione ingentem gloriam dabunt. *Veniet enim* (Antichristus) *in multitudine magna* (inquit Daniel, capite vndecimo) *vt conterat & interficiat plurimos.*

Necesse est igitur, sacrificium aliud propriè dictum esse illud *iuge*, de quo vaticinatur Daniel. Atqui, vt sæpe dictum est, præter sacrificium Missæ, quod fit *iugiter*, nullum aliud sacrificium externum aut nouit, aut vsurpauit, aut vsurpatura est vnquam Ecclesia, cùm sit iam ad eam formam perducta, quæ in Prophetis & Lege cumprimis fuit prædicta. Hoc ipsum igitur sacrificium est illud, quod Antichristus eodem tempore, quo *in templo* Dei *sedebit*, (vt Apostolus secunda ad Thessalonicenses secundo inquit) adeoque *abominatio erit in desolationem posita*, sic oppugnabit atque tollet, vt Ecclesiæ ministri partim timore impediti, partim religione etiam, ne sanctum detur canibus, aut omnino sacrificare desistant, aut non, nisi vbi occultissimè posint, id faciant.

Sed obiiciunt hic Kemnitius, & Herbrandus, prophetiam Danielis non esse intelligendam de sacrificio Missæ, quod & Antichristus postea deleturus sit, & ipsi nunc, vt Antichristi præcursores oppugnant, sed ad literam quidem de *toto cultu Leuitico* per regem Antiochum Hierosolymis olim deleto, quem à *parte* iuge sacrificium, de quo scripsit Moyses, per synecdochen nominarit; allegoricè autem de cultu noui Testamenti, abrogato iam (scilicet) per Pontificem Romanum, quem homines isti infelicissimi Antichristum vocant.

Verùm euadere hac via isti non possunt, quin Antichristi satellites sint & maneant. Triplex est enim in proposito obseruanda Danielis prophetia. Prima in capite octauo, de vastatione Hierosolymitana per Syriæ regem, quem ibi appellat *Cornu modicum*, quod postea *factum grande deleuerit iuge sacrificium, & deiecerit locum sanctificationis eius, & fecerit peccatum desolationis.* Et hanc prophetiam non tantùm Chrysostomus, quem Kemnitius citat, sed Hieronymus in commentario illius loci, & alij accommodant ad Antiochum Epiphanem, qui vastauit Hierusalem, & aboleuit ad aliquod tempus totum cultum Leuiticum, vt ex primo Machabæorum libro apparet, atque etiam, vt Hieronymus quoque refert, in templo posuit Idolum Iouis. Per allegoriam autem plurimi ex Ecclesiæ scriptoribus, Hieronymo etiam teste, hunc ipsum locum Danielis referunt ad Antichristi factum in mundi fine.

Secvnda Prophetia habetur capite nono de euersione altera Hierosolymitana, & prophanatione ac destructione templi per Imperatores Romanos post interfectum Christum. In qua prædixit etiam Angelus fuisse futurum, *vt deficeret hostia & sacrificium* Iudæorum, & poneretur *abominatio desolationis in loco sancto*; quæ desolatio duratura sit vsque ad consummationem mundi, sicut adhuc durare videmus, Iudæis vbique dispersis sine sacrificio. Atque hanc prophetiam allegoricè significasse quoque ea, quæ euenient sub mundi finem, satis apparet ex Christi sermone apud Matthæum vigesimo quarto, vbi occasione sumpta ex futuro vrbis excidio per Romanos, conuertit sermonem ad ea, quæ euenient sub consummationem mundi.

Tertia Prophetia, eaque illustris, ex qua nos tantùm argumentati, non allegoricè, vt Sectarij putant, sed ad literam sumus, poni-tur in capite duodecimo, vbi sermo fit de *tribulatione magna* per tres annos cum dimidio computandos à *tempore, cùm oblatum etiam fuerit iuge sacrificium, & abominatio in desolationem posita.*

Hunc

Hunc locum manifesta insania est referre ad Antiochum. Nam de abrogatione iugis sacrificij loquitur, quæ in eiusmodi tempus incidat, *quale non fuit prius, ex quo gentes esse cœperunt*: & in quo *saluetur populus omnis, qui scriptus fuerit in libro*: & in quo *multi resurgent, alij in vitam æternam, alij in opprobrium*, quodque duret tribus annis cum dimidio. Hæc autem omnia, vt beatus Hieronymus illic contra impium Porphyrium demonstrat, nequaquam illi tempori conueniunt, quo Antiochus vastauit Hierusalem. Nam neque illud fuit tale, quale non fuisset vnquam; neque in eo multi surrexerunt ad vitam æternam, cùm eius via esset tunc clausa: &, vt Hieronymus probat, tribus tantum annis durauit.

Sed ad literam quadrant ista omnia in tempus trium annorum & dimidij proximè antecedens mundi finem extremique iudicij diem: quemadmodum Christus ipse Matthæi vigesimo quarto, ad id tempus planè prophetiam hanc Danielis accommodat, similiter vt Daniel dicens, futuram tunc *tribulationem magnam, qualis non fuit ab initio mundi.*

Quod autem ad alterum Danielis locum videtur Christus respexisse Matthæi vigesimo quarto, cùm abominationem desolationis commemorat, stantem in loco sancto, id est, *in templo*, cuius Daniel, capite nono, expressè mentionem facit; nihil obstat. Vt enim Christus illic & de vastatione vrbis Hierosolymitanæ, & arrepta inde occasione, de consummatione mundi disseruit; sic etiam ad vtramque prophetiam Danielis, nempe ad secundam & ad tertiam respexisse putandus est, quarum altera, vt diximus, prænunciauit euersionem Hierosolymitanam, altera mundi consummationem.

Quin etiam, cum vrbis euersio figura fuerit consummationis mundi, vt ex consequentia Christi sermonis apparet, ideoque Danielis prophetia secunda allegoricè significet extremam persecutionem Antichristi, mundi fini vicinam, quam prophetia tertia ad literam describit; hoc ipso quod Christus Dominus prophetiam secundam commemorat, alludit etiam ad prophetiam tertiam, eamque tacitè referri vult ad mundi tempus extremum, de quo præcipuum sermonem instituit. Nam & huius rei videtur mihi nos admonuisse Euangelista, cùm post illa verba Christi: *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta stantem in loco sancto*, subiunxit siue ex sua, siue ex Christi sententia, per parenthesin, *qui legit intelligat*; id est, animaduertat, desolationem eam abominationis seu prophanationis templi, a-liam deteriorem significare, de qua Daniel postea vaticinatus fuerit, & ad quam Christi sermo imprimis dirigatur; nempe *hominem peccati & filium perditionis* Antichristum *sedentem* sub mundi finem *in templo* Dei, *tanquam sit* Devs, secunda ad Thessalonicenses secundo.

Certum itaque est, Danielem in vltimo loco (vt Hieronymus etiam ostendit contra Porphyrium) ad literam agere de sacrificio aliquo *iugi* sub finem mundi abolendo, quod vt antea deduximus, non aliud intelligi queat nisi Missæ sacrificium.

Postremo (vt probationem ex vaticiniis ductam concludamus) obseruandus est etiam alius locus valdè illustris apud Isaiam, capite quinquagesimo sexto, vbi Propheta vaticinatur de *sacrificiis & holocaustis* tempore noui Testamenti in Ecclesia materiali super altari etiam materiali imponendis. Loquens namque de tempore noui testamenti, interprete Cyrillo Alexandrino libro quinto commentariorum in eundem Prophetam ita dicit: *Adducam eos* (*filios aduenæ*, id est, gentes) *in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ*, (id est, in Ecclesia & templo materiali, ad quam hunc locum accommodauit Christus Matthæi vigesimo primo) *holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, &c.* Quod aliàs aduersus Herbrandum exposui & defendi, ad sacrificia Deo gratissima Sacrosanctæ Eucharistiæ, quæ vbique in Ecclesiis Catholicorum super altari fiunt, referri oportere. Sed de probatione Tertia ex vaticiniis hactenus.

Probatur Tertio *principaliter Sacrificium Missæ esse legitimum, ex ipsa ratione Sacrificij. §. 15.*

Tertia probatio. *Quatuor*, inquit beatus Avgvstinvs libro decimo tertio de Trinitate, capite quarto, *considerantur in omni sacrificio*: Cvi *offeratur*; *à* Qvo *offeratur*; Qvid *offeratur*; *pro* Qvibvs *offeratur*. His ergo, vt rationem pleniorem faciam, addo, Qvomodo; & ad quem Finem offeratur; & cuius Legis tempore fiat. Quibus positis, quod hactenus scripturæ testimoniis probatum est, ratione ducta ex natura Sacrificij ita confirmo: Sacrificium aliquod tunc sine dubio bonum & legitimum est, quando ex omnibus his capitibus vndequaque consideratum est rectum & acceptum Deo. Tale est autem Sacrificium Missæ. Bonum igitur & legitimum Sacrificium est. Id probandum nunc est discurrendo per singula eiusmodi capita.

Etenim res Qvae in hoc sacrificio offertur, dignissima & acceptissima Deo est ex omnibus, quæ de manu eius accepimus, nempe Dei filius factus homo, qui summa charitate *datus* est nobis, in quo sibi pater *bene complacuit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Is cvi sacrificium hoc exhibetur, hic ipse pater æternus est, de quo dubium non est, quin sit talis rei sacrificio dignissimus.

Qvi *principaliter* offert, vt à sanctis patribus est annotatum (Ambrosio libro primo officiorum, capite quadragesimo octauo, Chrysostomo homilia secunda in secundam ad Timotheum, Theophylacto in caput tertiũ & quintũ ad Hebræos, OEcumenio in idem caput quintũ & aliis) Ipse Christus est, quippe qui per suum ministrum tanquam per instrumentum ad honorem æterni patris conficit sub specie panis & vini proprium corpus & sanguinem, quod est, vt §. secundo docuimus, sacrificare. Quemadmodum similem ob causam *ipse est, qui baptizat*.

Ministri, qui minus principaliter offerunt, non qualescunque sunt, sed cum delectu, & quidem, vt suprà probatum est, legitimè ad munus tam sanctum vocati & consecrati.

Hi pro Qvibvs offertur, fideles omnes sunt, qui cum singulari ratione sint curæ Deo, non potest obsequium aliquod ideo ingratum esse diuinæ maiestati, quia pro illis & illorum nomine ipsi exhibetur. Quæ quidem consideratio, quod ad hanc circumstantiã attinet, nobis nunc satis est, vt, quod modò agimus, ostendamus sacrificium Missæ, quatenus sacrificium est (sicut præcisè iam à nobis consideratur) non vitiari ex parte eorum, pro quibus offertur. Nam quòd fidelibus viuis & defunctis per id sacrificium Ecclesia velit impetrare remissionem peccatorum, aut alia beneficia, hoc proximè ad sacrificium Missæ spectat, non præcisè quâ Sacrificium est, sed quâ ponitur esse *propitiatorium*, quo pacto cõsideratũ non instituimus iam probare illud fieri bene (patebit enim hoc postea, cùm ostẽdemus reuera propitiatorium esse) sed secundùm ea præcisè, quæ in ipso consideramus, vt est sacrificium.

Iam sacrificandi cæremonia & Modvs omnino habet nihil, quod cum aliqua Lege vel diuina (vt suprà fusè ostensum est) vel naturali, vel humana pugnet; nisi quod Sectariorum leuissimo suffragio non etiam comprobatur, cùm hactenus non refutauerint, sed irriserint tantùm miseri, quæ sunt grauiter de significatione, & commoditate, & vi cæremoniarum Missæ à pluribus viris doctissimis exposita. Quanquam hic quidem modus cum velut alia actio à sacrificatione distincta sit, nec si vitiosus esset, sacrificiũ vitiaret.

Finis etiam est optimus atq; nobilissimus, nempe insignem gloriam Deo patri dare, tam præclara sacrificatione protestando maiestatem ipsius, quod Christum videlicet *prædestinauerit filium suum in virtute*, eique *corpus adaptauerit*, spirituque gratiæ animam ipsius repleuerit, vt *ex plenitudine eius nos omnes acciperemus, &c.* Itemque sacrificium in cruce factum memoria grata prosequi.

Lex denique gratiæ, cuius tempore sacrificiũ hoc vsurpatur, à sacrificio externo, præsertim tali, quale hoc secundùm speciem suam est, adeò non abhorret, vt illud potius, & quâ *diuina lex est* cultum præscribens, & quâ *nobis hominibus* ratione naturaque humana præditis data est, maximè sibi vendicet & tanquam in societatem admittat.

Quatenus *diuina* est quidem; nam si hoc non esset perpetuum consilium Dei vt lex quæcunque, quam ipse sanxit hominibus, annexum sacerdotium adeoque sacrificium habeat, non rectè concluisset Apostolus ad Hebræos septimo. Legem Leuiticam idcirco *translatam esse*, quoniam eius est *translatum Sacerdotium*, & *Sacerdotio* alicuius legis *translato, necesse est, vt legis translatio fiat*. Responderi enim posset, legem sine Sacerdotio potuisse manere. Itaque cum ad illud concludẽdum generalem illam propositionem sumit: *Translato enim Sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat*; tacitè propositionem alteram ponit, decretum Dei videlicet hoc esse, vt ipsius lex nulla sine Sacerdotio adeoq; sine sacrificio consistat. Si enim speciatim de lege sola veteri significaret, non posse absq; Sacerdotio & sacrificio constare, id ipsum sumeret, quod concludere instituerat; quod est in argumentando vitiosum.

Quatenus autem lex gratiæ *nobis*, natura humana præditis, data est, idcirco sacrificium externum, tale præsertim, quale hoc est, admittere putari debet, quoniam, cũ sit suauis & optima, nõ extirpat, sed tuetur potius ac perficit ea, quæ sunt secundùm rectam inclinationem humanæ naturæ. Huius autem generis esse sacrificij alicuius externi religionem, declarat primò ipsa naturæ nostræ ratio, quæ vt animo & corpore diuinitus donata est, ita conuenit, vt Deo corporis etiam præstet obsequium, corpoream aliquam rem conficiendo ad ipsius maiestatẽ tandem authoris omnium protestandam: Secundò, omnium gentium consensus hac in re, si nõ quidem consensum beatus Augustinus Epistola vigesima nona ita commemorat, vt cum ratione consentaneus sit, minimè vituperet, prudenterq; moneat, non ideo gentes aliquas peccauisse, quia compulsæ hac inclinatione naturæ sacrificandi officium vsurparent, sed quia sacrificarent *dæmoniis*, vt Apostolus inquit, & non vero Deo. Etsi enim corruptæ naturæ vitium erat, quòd *dæmoniis* quidem sacrificarent: tamen ipsum officij genus, nempe quòd diuino numini, communi quadam notione apprehenso sacrificare instituebant, ex recta, vt dictum est, naturæ inclinatione proficiscebatur.

Cum

Cum igitur Sacrificium Missæ ex omnibus his capitibus rectum sit; nempe ex materiæ siue rei, quæ offertur, præstantia; Ex eius maiestate, cui offertur; atq; item eius qui principaliter offert; ex vocatione dignitateque ministrorum, qui offerunt; ex eorum, pro quibus, vel quorum nomine offertur, conditione; ex offerendi modo; ex fine; & denique ex conditione legis Euangelicæ, qua hoc tempore obligati tenemur; cum ex his inquam omnibus capitibus, bonum atque legitimum esse secundùm suam speciem sacrificium Missæ ostenderimus; quid est obsecro, cur tantopere Sectariis malum, &, vt Herbrandus blasphemat in titul. disp. contra Miss. abominandum videatur?

Respondetur ad obiectiones contra superiorem probationem ex ratione. §. 16.

Primvm non probant, quod in hac controuersia, aut in aliis, quę de religionis cultu sũt, iudicium etiam rationis ad probandum adhibeamus. Quoniam sit (vt inquit Herbrandus numero quinquagesimo primo, quinquagesimo secundo, quinquagesimo tertio, & Kemnitius contra sessionẽ vigesimã secundã, ad secundum argumentum) in diuinis & spiritualibus nostra ratio cæca & natura corrupta.

Ego verò concedo multa diuinitus reuelata & instituta esse, de quibus neque cogitare neque iudicare vnquam, secluſa Dei reuelatione, mens humana potuisset, quæque hominibus animantibus, qui fidei luce sunt destituti, *stultitia* appareant, vt Apostolus inquit prima ad Corinthios secundo. Illud etiam do, propter ignorãtiæ vulnus, quod nobis est à peccato inflictum, sæpe accidere, vt de his, quorum cognitionem aliquã ratio nostra percepit, falsum tamen iudicium ferat, probando quod improbari debet, aut improbãdo quod est honestum & probabile. Sed quòd iudicium rationis à disputatione de religione prorsus repellatur tanquam omnino cæcum, quod nullam in his rebus vnquam facere fidem queat; hoc verò neque idipsum iudicium, quo in his etiam rebus quotidie vtimur, neque scriptura sacra feret.

Nam primò cùm dubitatio ob contingentes casu aliquo circumstantias incidit, quid nam potius in materia *religionis* faciendum sit, sæpe cogimur, præter Dei verbum, quo res interdum particularis determinari sufficienter nequit, iudicium rationis aduocare, & quid sit rectius definire aliis argumentis, quæ inditum naturæ lumen suppeditat.

Secundò, nam ipsa lex naturalis, quæ dictamen rationis naturalis est, adeoque ratione synderesis, vnde proficiscitur, in mente est insita, vel, vt Apostolus loquitur ad Romanos secũdo: *Scripta in cordibus*; sine dubio versatur etiam in *religione* erga Devm. Nã continet in primis præcepta primæ tabulæ, quæ sunt de vnius Dei cultu. Legem verò naturalem aliud non esse quàm rectum Rationis iudicium, in confesso est apud eruditos omnes. Quin etiam hoc ipsum ab Apostolo traditur, non tantum vbi gentes laudat, quæ scriptam *legem non habebant*, & *opus legis scriptum in cordibus* (vtique in materia quoque religionis erga Deum) *faciebant*, sed etiam cùm ad Romanos septimo, *legem mẽtis bonam* esse docet. Non enim si legem hanc mentis, legem etiam Dei vocat, legem tantùm fidei naturali legi superadditam intelligit, vt obtusissimè ratiocinatus est Herbrandus disputatione contra Missam, numero quinquagesimo tertio. Dei enim est etiam, & maximè quidẽ, naturalis lex, quippe cùm ipse nobis vt naturæ author impresserit habitum atque lumen naturalis synderesis, ex qua dictamẽ legis naturæ proficiscitur; quæ quidem eatenus nos obligat, quatenus hac ratione à Deo derivatur, vt patet ex iis quæ de lege naturali tradidimus tomo secundo, disputatione septima.

Cùm igitur rationis iudicium (hoc est lex naturæ) possit præscribere atque iniungere Dei cultum (vt vnum esse tantum diuinum numen colendum; cum reuerentia esse nomen eius vsurpandum; ipsius prouidentiæ & protectioni fidendum esse, &c.) certè etiam poterit verè nobis, citra obligationem, ostendere cultum aliquem bonum, & naturæ consentaneum esse.

Vnde Abel, Noë, Iob & alij Patriarchæ, ad quos non spectauit lex scripta, Rationis iudicio ducti ea obtulerunt spontè sacrificia, ad quæ in specie neque naturalis, neque diuina lex ipsos obligabat, sicut beatus Clemens libro octauo constitutionum Apostolicarum, capite quinto, & beatus Anacletus Epistola secunda testantur. Nam quod *fide* etiam, sine qua impossibile est placere Deo, obtulerint, vt Apostolus de Abel testatum reliquit; hinc minimè, vt Herbrandus putat, Numero quadragesimo nono, sequitur ipsos obtulisse ex diuino præcepto, aut ex reuelatione, qua illa sacrificia in specie bona esse cognoscerent, sed tantum sequitur sacrificauisse eos etiam ex fide in Deum, cui crederent genus ipsum recti cultus placere.

Verùm de Sectariorum errore circa humanæ rationis vsum in rebus Theologicis tomo primo, disp. 1. quæstione prima, p. secũdo, diximus. Nunc hęc attingenda fuerunt, vt intelligeretur, rectè me concluisse, sacrificium Missæ legitimũ esse, quoniam sacrificiorum externorum genus, quo illud continetur, probauit meritò, omniũ nationum consensus tanquam naturæ consentaneum, vt ex Augustino & ex ratione apparet, & in huius sacrificij specie, nihil vlla ex parte prauum ratio deprehendit.

II. Sed obiiciunt præterea, cultum diuinitus non constitutum & mandatum, idololatriam

esse:

esse: Sacrificium autem Missæ inuentum esse humanum, non diuinum decretum.

RESPONDEO. Vtrumque falsum est: Nam & voluntarium cultum seruorum nō inutilium constat DEO cum primis placuisse, nedum idololatriam non esse, vt exemplis, ratione, & authoritate docui tomo tertio, disputatione sexta, quæstione vndecima. Vbi istos etiam idololatriæ rationem hactenus ignorauisse conuici; & suprà quoque abundè ostensum est, sacrificium hoc à Christo institutum & à prophetis ex DEI sententia commendatum fuisse.

Quanquam si maximè cultus hic institutus non esset à DEO; concludi tamen ab istis non posset, illud non esse legitimum, cùm id ad bonitatem cultus vel sacrificij minimè requiratur, vt ex allatis etiam paulò antè exemplis patet. Sed tantum illud forsitan (quod postea suo loco falsum etiam esse docebimus) sequeretur, videlicet non esse ex diuina lege *propitiatorium*, sic vt gratiam conciliare possit. Hoc enim, vt beatus Thomas prima secundæ, quæstione centesima octaua, præsertim articulo secundo, verè disputat, iis tantùm mediis conuenit, quæ à Deo sunt constituta tanquam ab auctore gratiæ.

III. Illud leuissimum est quod reprehendunt, successu temporis alias ab aliis Pontificibus cæremonias & verborum & factorum additas esse ad sacrificium Missæ. Quasi idcirco malè & illegitimè fiat. Quæro enim vbi interdictum fuerit Pontificibus Summis ne hoc facerent?

In cœna ne? At supra ostendi, per institutionem huius Sacramenti in cœna, cùm affirmatiuum duntaxat contineat præceptum: *Hoc facite*, nihil prorsus fuisse prohibitum. An verò in Deuteronomio, Deuteronomij quarto & duodecimo, verbis illis: *Non addetis ad verbum quod loquutus sum vobis*. Et, *Quod præcipio tibi hoc tantùm facito Domino* DEO *tuo*? At tomo tertio, disputatione sexta, quæstione vndecima, demonstraui, huiusmodi præceptis tantum cauisse DEVM, ne quid contrarium iis, quæ docuisset aut præcepisset ipse, superadderetur; cuiusmodi erat ritus gentilium, à quo illic præcipuè populum deterrebat. Vnde alibi Esther nono, sine aliqua reprehensione scriptum legimus, additas fuisse cæremonias & festa ad legem, quæ tamen cum legalibus cæremoniis non pugnarent.

Sic cùm Christus Matthæi decimo quinto ex Isaia dicit: *Sine causſa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum*; nequaquam propterea ipsum institutum per se humanarum constitutionum damnat; sed in humanas traditiones inuehitur diuinæ legi contrarias, cuius generis erat illa de qua Christus ibidem: *Quare & vos transgredimini mandatum* DEI *propter traditionem vestram? nam Deus dixit: Honora patrẽ tuum, &c.* Vel etiam præposterum pharisæorum studium reprehendit; qui contempta lege diuina plus nimio leuiora quædam & minuta vrgebant, tametsi per se illa quoque bene potuissent & debuissent suo gradu fieri.

Vt cum ait Matthæi vigesimo tertio, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ quia decimatis mentam & anethum ac cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Et iterum: *Væ vobis quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Mundate prius quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id quod deforis est mundum.* Tum apud Marcum, capite septimo: *In vanum*, inquit, *me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum:* RELINQVENTES ENIM MANDATVM DEI *tenetis traditiones hominum baptismata vrceorum & calicum & alia similia his facitis multa.*

Hoc igitur est quod vetat Christus, ne (quod aduersarij mendacissimè calumniantur nos facere) in humanis ordinationibus, contemptis diuinis, præcipuum cultum ponamus. Minimè autem vetat, quo minùs autem ad cultum diuinitus institutum addamus cultum etiam qui diuinæ legi non repugnet, sed rationi, adeoq; voluntati DEI, qui in scripturis sanctis (Romanorum duodecimo) *Rationabile obsequium*, & iudicium in cultu probat.

Quin imò tanquam sapiens Paterfamilias Christus *peregrè profectus* in cœlum, *relinquensque suis seruis*, vt est apud Marcum, capite vigesimo secundo, CVIVSQVE *operis potestatem*, Apostolis ac imprimis Petro eiusque successoribus faculatem fecit, vt salua semper ordinatione diuina, ea quæ pro ratione temporum ad ædificationē Ecclesiæ expediunt, tum in aliis rebus, tum etiā in cultu constituerent. Nobis autem non tantum in hoc aut illo genere, sed simpliciter per Apostolum mandauit, ad Hebræos decimo tertio, vt *Præpositis nostris obediremus, in omnibus videlicet quæcunque pro munere suo iustè statuerent. Cretæ, vt ea quæ deessent corrigeret.* Et vt ministerium Episcopale Petri ac reliquorum Apostolorum non in Petro & Apostolis expiraret, sed ad successores, quam diu Ecclesia duraret, pertranſit; ita non in illis tantùm (vt Herbrandus ex suo cerebro dicit cōtra Missam, numero centesimo vigesimo quarto) sed successoribus etiam ea potestas attribuitur; cùm omni tempore sit necessaria Ecclesiæ.

Itaque si Pontifices, (quod non diffitemur) diuersis temporibus quædam ad exornandum sacrificij cultum, ex quibus bona pars actionis Missæ constat, addiderunt, officio sunt functi suo. Neque ideo, vt isti leuissimè obiiciunt, testamentum DEI superordinarunt, mutando illud in actionem contrariam. Probatum enim a nobis

nobis est, & sacrificationem ipsam testamento CHRISTI simul cum Sacramenti confectione ac vsu mandatam fuisse, & actiones alias vel ab Apostolis vel à Pontificibus superadditas non fuisse prohibitas testamentaria Christi institutione, sed, vt loquar cum Dauide Psalmo quadragesimo nono, *ordinauerunt* ea ratione Pontifices *testamentum eius super sacrificia*, hoc est, modum addiderunt & præscripserunt, quo voluntas testamentaria CHRISTI, cum decore dignitateque adimpleretur, vt iam fit actione tota Missæ.

IV. AT inquiunt præterea, cœnam Domini publicam fuisse actionem: Missam plerumque priuatim fieri, neque in ea annunciari palàm, lingua omnibus nota, passionem Christi.

Hæc autem suprà confutata sunt, cùm manifestè ostendimus, præcepto illo: *Hoc facite*, illud tantum iuberi, quod antegressis verbis propriè significatur à Christo gestum esse; non autem circumstantias alias cum facto Christi concurrentes: è quibus vna fuit, quòd præsentibus pluribus res gesta est. Quanquam eatenus quidem actio publica, (licet coram vno tātùm fiat) Missa censeri debet, quatenus Ecclesiæ nomine & pro omnibus fidelibus Sacerdos (vt Chrysostomus libro sexto de Sacerdotio loquitur) *ad Deū legatus intercedit, vt omnibus*, inquit, *non viuentibus modò, sed & mortui* (qui eius beneficij capaces sunt, vt inferius explicabimus) *propitius fiat*.

Neque iubemur voce aut lingua siue latina siue vulgari intonare semper passionem Christi. Sed FACERE *in Christi commemorationem*: quod est annunciare Christi passionem re ipsa, vt Apostolus 1. Corinth. 11. indicat, & suprà etiam notauimus. Et pridem contra vulgarem istorū vulgari lingua celebrari solitam cœnam liber à Iacobo Ledesma prodiit, quem illi hactenus refutare non potuerunt.

V. Quod aūt dicitant, sacrificium externum ideo cum statu nouæ legis pugnare, quoniam sit veteris legis cæremonia iam abrogata; agnosco planè ingenium Sectariorum Prædicātium, quibus si vllis omnino, maximè ignotæ sunt, vt Aristoteles loquitur vltimæ *differētiæ* rerum. Sed neque rerum *genera* cognouerunt. Si enim cognoscerent, facilè animaduerterent, sacrificium Missæ, quamuis *genere* conueniat cum sacrificiis externis testamenti veteris, differentia tamen ac ratione sua *propria* plurimum ab illis discrepare, ideoque non propterea nouæ legi repugnare, quoniam sacrificium externum sit. Non enim genus totum cæremoniarum veteris legis, sed vt Clemens Romanus libro sexto constitutionum, capite vigesimo tertio, indicauit *species* ac *differentiæ* propriæ illarum per nouam legem sunt antiquatæ, succedentibus aliis, quarum illæ typus fuerunt, vt Apostolus disputat 1. Corinth. 10.

Alioquin oportebit istos vlterius progredi, & ne duo quidem illa Sacramenta externa Baptismi & Eucharistiæ, quæ vix è septem admittunt, retinere: quoniam Sacramenta externa tempore legis veteris non minus quàm externa sacrificia fuerunt in vsu. Quod si propter differentiam nostrorum Sacramētorum externorum, & illorum quæ lex vetus habebat, Sacramentis externis in noua lege locus est; cur eadem lex noua non possit etiam admittere externum sacrificium à veteribus sacrificiis differens? Maximè cùm illud lex noua, & quatenus *diuina* est, & quatenus *hominibus* anima & corpore compositis data est, vt Sacramentorum, sic etiam externi sacrificij cultum peculiari quadam ratione sibi vendicet, vt antè sumus argumentati.

VI. Non prorsus caret, inquiunt, Sacerdotio & sacrificio externo lex noua sed illud in cruce tantùm à Christo vsurpatum est, manetque semper in effectu & fructu, qui inde perpetuò in Ecclesia colligitur.

AT ratio, qua suprà sumus vsi, vlterius concludit, in noua lege concedendum esse aliud Sacerdotium *ministeriale*, vt ita dicam, & sacrificiū etiam, cuius semper sit in Ecclesia vsus, tametsi ratione rei oblatæ, vt infrà exponemus, non differt à sacrificio crucis. Sacrificium enim crucis secundùm *effectum* & *fructum* non tantùm iam in Ecclesia habet vsum, verùm etiam antè habuit in lege veteri, & naturæ, iam inde vsque ab exordio mundi. Nunquam enim fuit *aliud nomen*, in quo esset salus præterquam IESV CHRISTI, per cuius *gratiam & meritum saluati sunt, qui vnquam salui fuerunt*, vt definiuit Apostolus Petrus Actorū decimo quinto in Antiochena synodo. Quā ob causſam Christus dicitur agnus *occisus ab origine mundi*, Apocalypsis decimo tertio, quoniam eius passio diuinis oculis ab initio præsens, nunquam non fuit accepta Deo pro peccatis hominum.

Et tamen ita exigente natura hominum, ad eamque Deo accommodante suum consilium, alterius Sacerdotij & sacrificij vsum lex vetus habuit. Quare cum eadē nunc naturæ conditio in hominibus perseueret, eamque secundum inclinationes bonas, qualis est ad sacrificādum, lex gratiæ tueatur & perficiat: Nunc itidem præter *effectum* Sacerdotij & sacrificij Christi in cruce, patietur & admittet lex gratiæ Sacerdotium & sacrificium externum, cuius adhuc sit vsus.

Itaque cum Dauid Psal. 109. & Apostolus ad Hebr. 7. Christum *Sacerdotem in æternum* dixerunt, non respexerunt tantùm ad fructum perpetuum sacrificij crucis, qui Christo etiam in cœlis assistente & intercedente semper pro nobis in Ecclesia colligitur: Sed ad sacrificium, q nunc etiam Christus, Sacerdos magnus, principaliter offert, & ministri etiam Sacerdotes sub

Christo

Christo & per Christum. *Neque enim* (inquit OE- A
cumenius in cap. 5. ad Hebr.) *de ea quæ à* DEO *semel facta est oblatio, & hostia dixisset Apostolus,* IN ÆTERNVM: *Sed respiciens ad præsentes sacrificos, per quos medios Christus sacrificat, & sacrificatur. Qui etiam mystica cœna modum illis tradidit huiusmodi sacrificij.*

Et sanè ipsa Scripturæ phrasis huic interpretationi suffragatur. Nam vt ineptè diceres Petrum, exempli causſa, etſi conſulatum amplius non gerat, tamdiu tamen conſulem eſſe, quamdiu perſeuerat in ciuitate opus, quod ipſo curante, ſui conſulatus anno perfectum eſt; ita incommodè à Dauide & Apoſtolo *Sacerdos in æternum* Chriſtus diceretur, ſi tantùm ſignificare vellent, permanere ſemper illius Sacrificij & Sa- B
cerdotij fructum, quo ille ſemel functus eſt, & non etiam ſemper ipſum vſque ad conſummationem ſeculi per ſuos miniſtros ſacrificium offerre.

Qua ex re illud etiam intelligitur, in noua lege non perinde vt in veteri *plures* conſtitui Sacerdotes, quorũ videlicet alij aliorum, qui morte prohibeantur permanere, ſint ſucceſſores, & per ſe independenter ab aliis offerãt; ſed omnes ſunt *miniſtri* eius, ſub quo offerunt; nempe Chriſti, qui vt Apoſtolus ait, ad Hebræos ſeptimo, *eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium*; quo etiam per ſuos miniſtros fungitur, vt eſt dictum.

Itaque non diffitemur illud, quod vult Herbrandus, cont. Miſſ. num. 15. nempe eius ſacrificij, in quo Chriſtus offertur, proprium eſſe, vt ab ipſo Chriſto offeratur nimirùm principaliter vt eſt dictum. Quòd autem addit iſte vniuerſè, non magis fieri poſſe, vt ab aliis etiam Chriſtus offeratur, quàm vt moriatur iterum, admodum inſcitè dicit. Nam vt ab aliis tanquam à miniſtris in honorem DEI ſub ſpeciebus panis vinique incruentè conficitur, ſic etiam & quidem eo ipſo ab aliis tanquam à miniſtris Chriſti incruentè legitimeque offertur, vt hactenus ſcripturarum authoritate, & patrum, & ratione probatũ eſt. Ac demonſtrabimus etiam infrà, neque ea ratione hoc ſacrificium fieri malè, vel, vt iſti ineptè colligunt, cum iniuria paſſionis Chriſti, quâ D
illud *propitiatorium* eſſe pro peccatis volumus: hoc enim loco, vt antea monui, ſolum contendimus, illud rectè ac legitimè fieri, quatenus conſideratur ſimpliciter, vt eſt *ſacrificium*, rectè fieri.

Probatur quarto principaliter, legitimum eſſe Sacrificium Miſſæ ex praxi, teſtimonio, & authoritate totius Eccleſiæ, & Patrum. §. 17.

QVARTA PROBATIO. *Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia, de eo quin ita faciendum ſit diſputare* INSOLENTISSIMAE INSANIAE *eſt*, inquit beatus AVGVSTINVS Epiſtola centeſima decima octaua rectiſsimè: Quoniam Spiritu ſancto Eccleſia regitur, & illuſtres promiſsiones Chriſti habet, vt errare tota non poſsit. Sed Euchariſtiæ Sacrificium *ab Apoſtolis Eccleſia accipiet*, vt IRENAEVS teſtatur libro quarto, capite trigeſimo ſecundo, *in vniuerſo mundo offert* DEO. Inſolentiſsima igitur inſania Sectariorum eſt, qui diſputare audeant, hoc Sacrificium non rectè fieri.

Hìc cùm conſecutio ſit bona, & Maior Auguſtini, & Minor beati Irenæi, an non hoc vno argumento Sectarij omnes, velut *inſani*, iſtorum patrum teſtimonio *inſolentiſsimi* reuincuntur?

Quomodo enim ſe expedient? Negabúntne temporibus Lutheri, ante abrogatam Miſſam VVittembergæ, Anno 1522. Sacrificium hoc in toto orbe, per omnes Eccleſias Orientis & Occidentis, Auſtri & Aquilonis, nulla neque regione neque prouincia excepta, vbi Chriſtiana religio vigeret, vſurpatum fuiſſe? Aut adeò inſanire pergent vt cœtus illos omnes hominum & miniſtrorum, apud quos vel per quos hoc ſacrificium vbique fiebat, nihil ad Eccleſiam pertinuiſſe dicant? Hoc certè, cùm præter eiuſmodi hominũ congregationes nullæ aliæ fuerint, quæ communiter ad Eccleſiam pertinere, ne per ſuſpicionem quidem putarentur, nihil aliud eſſet quàm dicere, illo tempore nullam Eccleſiam fuiſſe, ad quam vnicuiq; liceret ſe recipere tanquam ad aſylum *ſupra montem* poſitum, & omnibus conſpicuum (Matthæi quinto) cuius portæ C
paterent die ac nocte; nullos homines quorum *ſemen* & genus *benedictum* à Domino, *ſcriptum in gentibus*; (Iſaiæ ſexageſimo primo) nullos *Doctores*; *Paſtores* nullos (ad Epheſios quarto) quorũ & vocem audire, & ducatũ ſequi, & à quibus tum doctrina, tum Sacramentorum adminiſtratione paſci oues Chriſti poſſent. Quod quid aliud eſt, quàm tunc temporis nullam omnino Chriſtum in terris habuiſſe Eccleſiam talem qualem Scripturæ ſanctæ nobis deſcribunt, *vt teſtificantur* eſſe perpetuò duraturam.

Hoc igitur ne conſequatur; fatẽdum ſine dubio eſt, & Lutherum cum primo cœpit Miſſæ Sacrificium oppugnare, & genimina Lutheri Sectarios, qui deinceps in eodem impio miniſterio ſucceſſerunt, id ex inſolentiſsima inſania impugnauiſſe & oppugnare, quod *tota per orbem* rectiſsimè *frequentabat Eccleſia*, & eadem nunc etiam legitimè frequentat, exceptis iis locis, vbi Lutheri ſemen inſanum & maledictum, ab illis ſparſum atque excultum eſt, qui ſegregauerunt ſemetipſos.

Quod ſi prioribus ſaltem ſeculis Eccleſiam hoc ſacrificium vſurpauiſſe negent; nihilo faciliùs ſe extricabunt. Nam primùm cùm eadem Eccleſia ſit, prioribus & poſterioribus ſeculis vſque ad mundi finem, eodemque Spiritu ſancto perpetuò regatur, non magis errare tota poteſt vno ſeculo quàm alio; vt ſi quo tempore aliquid

per

per orbem vniuerſum obſeruet, de eo quin rectum ſit, ſine inſolentiſsima inſania diſputari nequeat. Obſeruatione enim dignum eſt, Auguſtinum non dixiſſe inſaniam eſſe, diſputare de eo, quod Eccleſia vbique *frequentauit*, ſed de eo quod *frequentat*. A

Deinde magna & multa argumẽta habemus, quòd Euchariſtiæ ſacrificium iam inde ab initio Eccleſia vſurpauerit; *ab Apoſtolis*, vt Irenæus ait, *illud accipiens*. Tametſi cæremoniæ, quibus etiam actio Miſſæ conſtat non eædem ſemper fuerint; quas conſtituere, ad officium pontificum pertinuit, quorum eſt *diſponere*, & *corrigere*, & adhibere quæ deſunt, vt ante docuimus.

I. Primùm enim Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. ad *ſacrificium*, quod in Euchariſtiæ celebratione fit, aliquoties ſuis in ſententiis reſpicit. Vt cum ait: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, &c.* Quem locum beatus AVGVSTINVS tractans, Epiſtola quinquageſima nona, ad celebrationem Euchariſtiæ (cuius *in ſancto altari oblationem fieri* dicit) accommodandum eſſe cenſet. Vt obſecrationes ſiue orationes, de quibus Apoſtolus loquitur, intelligantur eſſe orationes, *quæ fiunt antequam illud quod eſt*, inquit, *in Domini menſa, incipiat benedici*: orationes autem, *precationes illæ, quæ fiunt, cùm id benedicitur & ſanctificatur, et ad diſtribuendum comminuitur, quam totam petitionem*, ait, *ferè omnis Eccleſia Dominica oratione concludit*: Interpellationes autem ſiue poſtulationes, *eæ orationes quæ fiunt, cum populus benedicitur: Quibus*, inquit, *peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam*, inquit, *verbis vltimam commendauit Apoſtolus.* B

Item idem Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. vt fideles ab eorum vſu quæ dæmoniis immolabantur dèterreret, ponit primò, eos *qui edunt hoſtias, participes fieri altaris*: id eſt, approbare quodammodo eius ſacrificij cultum, quo ſunt oblatæ tales hoſtiæ. Quod probat exemplo ducto ab Iſraëlitis ſecundum carnem, qui videlicet ita facerent cùm immolatis hoſtiis veſcebãtur. Tum ſubiungit: *Nolo autem vos Socios fieri dæmoniorum, non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum, non poteſtis menſæ Domini participes fieri, & menſæ dæmoniorum.* Quaſi hoc modo ratiocinaretur: Si de calice dæmoniorum biberitis, de menſa eorum participabitis, id eſt, cultum dæmoniis exhibitum quodammodo approbabitis, adeoq; veluti ſocij eritis dæmoniorum, quoniam *qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris*. Ita fiet, vt nequaquam rectè & cum fructu ſicut oporteret, calicem Domini bibatis, & de menſa ipſius participetis: Quia non poteſtis hoc ſimul dignè facere. C

Vbi contra cauillationes aduerſariorum, de quibus poſtea dicam, duo diligenter animadD
uertenda ſunt, ex quibus concluditur ſignificare Apoſtolum in hac argumentatione, aliquod *altare* fuiſſe tunc in Eccleſia, in quo ſicut iam fit, hoſtia ſiue ſacrificium calicis ſalutaris, adeoque Euchariſtiæ Domino exhiberetur, cuius participes eſſent, qui de calice communicarent. VNVM eſt, quòd per *menſam* Domini, & *menſam* dæmoniorum idem prorſus ſecundùm *genus* intelligit, quod per *altare*, quo Iſraëlitæ vtebantur ad offerendas hoſtias, videlicet locum ad ſacrificandum *hoſtias* calicis Domini, & calicis dæmoniorum. Nam velut de re eiuſdem generis atque modi loquens; menſæ dæmoniorum & menſæ Domini participes fieri eos, qui de calice Domini & calice dæmoniorum bibũt, ex eo probat, quoniam qui edunt hoſtias, participes ſunt *altaris*, ſicut Iſraëlitis contingebat. Quæ probatio nõ eſſet apta, niſi idem per menſas intelligi vellet quod per altare.

ALTERVM eſt, quòd diſtinctè & ſeparatim commemorat participationem *menſæ Domini*, & vſum *calicis* Domini; ſicut etiam participationẽ *menſæ* dæmoniorum: & eorum *calicis*. Vt intelligamus, non idem prorſus fuiſſe tunc participare de *menſa* Domini, quod calicem aut panem Euchariſtiæ *ſumere*: ſed aliud quiddam; videlicet ſumendo calicem & panem, quodammodo approbauiſſe oblationem eiuſmodi hoſtiarum factam in *menſa*, id eſt, in *altari*, atque adeò fuiſſe participes illius cultus DEO exhibiti.

Congruit autem cum hoc loco quod idem Apoſtolus ad Hebræos decimo tertio, planius ait; *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo* (ritu Iudaico) *deſeruiunt*. Eſt autem Græcum verbum pro quo interpres *altare* dixit θυσιαστήριον. quaſi *ſacrificatorium* ad ſacrificium. Quod ſi ſacrificatorium & altare tunc in Eccleſia fuit, igitur & ſacrificium, à quo ſacrificatorium dicitur, vt latius tum alij, tum Franciſcus Turrianus vir è Societate noſtra doctiſsimus, contra Boquinum diſputauit.

II. Abdias Apoſtolorum diſcipulus libro ſeptimo Apoſtolicæ hiſtor. refert, Matthæum Apoſtolum & Euangeliſtam, ſacra myſteria ad ALTARE celebrantem ab Hyrtaci ſatellitibus fuiſſe interfectum propter Ephigeniam AEgli- E
pi regis filiam, quæ illo authore virginitatem vouerat.

Referente quoque, ex literis presbyterorum Achaiæ, Philacteto, Andreas Apoſtolus cum ab AEgea proconſule Diis immolare iuberetur: *Ego*, inquit, *omnipotenti* DEO, *qui vnus & verus eſt*, IMMOLO *quotidie nõ taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum in* ALTARI.

Extat etiam cum aliis liturgiis, ſancti Iacobi Apoſtoli Miſſa ad ſacrificium tota ſpectans, de quo Patres ducenti viginti ſeptem in Trullo ſub Conſtantino Pogonato congregati, cum offerendum calicem non niſi aqua mixtum ſtatuũt,

ita inquiunt in ſexta vel quiniſexta (vt vocant) ſynodo can. 32. *Nam & Iacobus Domini noſtri* IESV CHRISTI *ſecundùm carnem frater, & Baſilius Cæſarienſis Archiepiſcopus, cuius gloria omnem terrarum orbem peruaſit,* MYSTICO NOBIS INSCRIPTO SACRIFICIO, *ita peragendum in ſacro myſterio ex aqua & vino ſacrum poculum ediderunt.* Et paucis interpoſitis: *Si quis ergo Epiſcopus vel preſbyter non ſecundùm* TRADITVM AB APOSTOLIS ORDINEM *facit, deponatur.*

Item Clemens Romanus libro octauo conſtitut. Apoſtolic. capite quinto, & trigeſimo ſexto, & apertiſsimè quoque libro ſexto, capite vigeſimo tertio, ex Apoſtolorum ſententia ſacrificij huius non tantum mentionem facit, ſed etiam teſtatur illud à Chriſto *inſtitutum fuiſſe myſterium noui teſtamenti.*

III. Pontifices alij ſanctiſsimi & antiquiſsimi, quorum teſtimonia multa collegit Gratianus de conſecrat. diſt. 2. ſimiliter iſtud Sacrificium commemorant tanquam rem planè iam inde ab initio ſine vlla controuerſia receptam vbique, & vſitatam. Anacletus, de conſ. diſt. 2. can. *Epiſcopus.* Alexander I. eadem diſtinct. can. *nihil.* Iulius eadem diſtinct. can. *cum omne crimen.* Felix de conſ. diſt. 1. can. *ſicut non alij.* Euſebius eadem diſt. 1. can. *conſulto.* Syricius Epiſt. ad Cumerium. Soter, Epiſt. ad Epiſcopos Italiæ, & de conſ. diſt. 1. can. *vt illud.* Innocentius I. Epiſt. ad Exuperium, & alij.

IV. Idem fecerunt Patres in antiquis Conciliis congregati, quos dinumerare præ multitudine vix poſsis. In Nicæno I. can. decimo quarto, in Epheſino, Epiſt. decreali Cyrilli, & Synodi, ad Neſtorium. In Synodo ſexta, vel potius Quiniſexta, can. 32. & 52. Lateranenſi ſub Innocentio III. Cap. *firmiter.* in Toletano I. can. 5. Et Toletano XI. can. 14. Et Toletano XII. can. 5. in Bracharenſi III. can. 1. in Antiſiodorenſi, can. 8. in Carthaginenſi III. can. 24. in Carthaginenſi IV. can. 84. in Neocæſarienſi, can. 9. & 13. in Laodicenſi, can. 19. Arelatenſi I. can. 20. Quibus adde Florentinum, in vnione Armenorum. Conſtantienſe in damnatione quinti articuli VVielephi, & Tridentinum ſeſſ. 22.

V. Nec diſsimiliter hac de re loquuntur alij ſancti Patres, quorum teſtimonia plurima, præter alia quæ paſsim occurrunt, in ſuperioribus citauimus, vt argumenta ex ſcripturis ducta eorum auctoritate confirmaremus.

VI. Et præclarè D. AVGVSTINVS libro quarto contra Donat. capite vigeſimo quarto: *Quod vniuerſa*, inquit, *tenet Eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſsimè creditur.* Sacrificium autem altaris (non dico has vel illas cæremonias Miſſæ: ſine quibus ſacrificij ſubſtantia conſtat) quàdo primùm in Eccleſia vel probari vel vſurpari cœperit, docere eſt impoſsibile: cùm ſemper antiquiora ad eius probationem liceat proferre teſtimonia. Igitur rectiſsimè iuxta hanc diui Auguſtini regulam creditur ab Apoſtolis illud, ſic à CHRISTO inſtitutis, traditum Eccleſiæ fuiſſe, vt IRENAEVS etiam manifeſtè teſtatur libro quarto, capite trigeſimo ſecundo. Quæ cùm ita ſe habeant, ſi maximè ſcripturæ ſanctæ teſtimoniis, quibus bono numero ſacrificium hoc certiſsimè probauimus, careremus; an nō inſolentiſsima inſania Sectariorum eſſet, qui de eo, num liceat, diſputant, quod vniuerſa toto orbe terrarum & frequentat, & ſemper frequentauit Eccleſia? Quid enim hîc habēt quod iure opponant?

Reſpondetur ad obiectiones contræ precedentem probationem. §. 18.

I. Negant, Apoſtolum vbi dicit, non poſſe nos *participes menſæ Domini & menſæ dæmoniorum eſſe*, de ara vel *altari* ad ſacrificandum loqui, ſed loqui contendunt de menſa ſimpliciter, vnde ſumitur Euchariſtia; ſicut etiam de mēſa, vbi gentes conuiuia inſtruebant de idolothytis.

ATHæc deprauatio manifeſtè cum textu pugnat. Vt enim antè oſtendi, idē per menſas quod per altare, quali populus Iſraël ad ſacrificia vtebatur, intelligit Apoſtolus. Nam ſi non aliud quàm participationem menſę ſimpliciter ad bibendum & comedendum paratæ intellexiſſet; abſurdè diſtinxiſſet participationem *menſæ* & participationem *calicis* de menſa. Participatio enim menſæ ad comedendum & bibendum inſtructæ, & participatio *calicis* aut *cibariorum*, quæ proponuntur in eiuſmodi menſa, aut non differunt; aut certè ita metaphyſicè differunt, vt in diſputatione de cultu & moribꝰ, qualis illa erat Apoſtoli, ineptum ſit ea commemorare ſeparatim. Si ergo aliquid ad rem loquitur Apoſtolus, (vt omnino loquitur) cum adeò accuratè participationem menſæ, & participationem calicis diſtinguit; de menſa Domini procul dubio loquitur, quæ ſit etiam *altare*, & quidē altare eiuſmodi, in quo non quacunque ratione Chriſtus oblatus fuerit, ſicut (crux altare hoc modo dici poteſt) ſed in quo *calix* Domini fuerit hoſtia, hoc eſt, ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini; vt hac ratione qui de calice tanquam de hoſtia participant, cenſeantur etiam participes ſacræ menſæ ſiue altaris, in quo eſt calix oblatus, ſicut ratiocinatur Apoſtolus.

Quæ ſi rectè lector conſideret, animaduerteret nihil etiam iſtos proficere, cum contendunt, ſacrificium cuius participes fiunt Chriſtiani, de Euchariſtia participantes, non aliud eſſe quàm ſacrificium ſemel factum in ara crucis. Apoſtolus enim de ſacrificio loquitur & *calicis*, & *altaris* eiuſmodi, quod ſit etiam *menſa*, vnde ad rem quæſtionem ſumatur id quod oblatum fuerit; quorum neutrum conuenit ſacrificio crucis.

Simul

Simul etiam hinc apparebit, quanta iſtorum hominum ſit vanitas, qui quoniam in illo loco Apoſtoli, ex quo argumentamur, mentio menſæ dæmoniorū fit; dæmonia nos ſeu dæmoniorum cultum in ſacrificij Miſſæ patrocinium adducere obiiciunt. Cuius impudentiæ vt iſtos magis pudeat, & boni omnes intelligant, quo candore & animo cauſſa religionis ab hoc hominum genere tractetur, adſcribam breuiter Kemnitij & Herbrandi verba, licet non ita differentia ſint, quin ad conuiciandum etiam & calumniandum coniurationem ab iſtis factam eſſe deprehendi poſsit.

Ex Ethnicorum ſacrificiis, inquit Kemnitius, *quæ dæmoniis offeruntur, deplorata Miſſæ ſuæ ſubſidium accerſere non verentur. Non diſsimili ratione ſicut ille apud Virgilium inquit:*

Vos mihi manes
Eſte boni: quoniam ſuperis auerſa voluntas.

Herbrandus contra Miſſam, n. 86. quanquam Socij fraudem animaduerterit, non potuit tamen ſibi temperare, quin ea etiam altero idoneo verſiculo illuſtrata vteretur. Itaque prætitionis figura propter conſcientiam reclamantem vſus. *Non dicam*, inquit impudenter dicens, *quod ex Ethnicorum ſacrificiis, quæ dæmoniis ſunt oblata, mutuatum argumentum, ad Miſſæ ſacrificium tranſferant, iuxta illud:*

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

An non hoc ipſum eſt, iſtos, cum à ſana cœleſtique doctrina auerſi & ad prurientes fabulas conuerſi ſint, Acheronta mouere, indeque diabolicas calumnias accerſere? Nugantur impoſtores. Non enim ex dæmoniorum ſacrificiis, ſed ex *Apoſtoli teſtimonio*, vbi à ſacrificiis dæmoniorum ad ſacrificij noſtri rectum cultum & incontaminatam participationem fideles auocat, contra doctrinas iſtorū dæmonicas ſubſidium petimus.

II. Parum deinde Kemnitium mouet, contra ſeſſionē vigeſimā ſecundā, ad quintū argumentum, quòd Apoſtolus Hebræorum decimo tertio, in Eccleſia ſignificauerit haberi vſurpatique memorare ἀναπαυσεως in cœlis; nec tamen inde concludi poſſe externi ſacrificij vſum in cœlis ſacrificia in Eccleſia fieri debeant, nempe ſpiritualium hoſtiarum, & altare interpretari, quod *per Chriſtum*, inquit Kemnitius, *tales hoſtias placentes* DEO *offeramus.*

RESPONDEO. Primùm, quod Ioannes Apocalypſis ſexto, vno ex locis ab iſto citatis inquit: *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & teſtimonium quod habebant, &c.* Beatus AVGVSTINVS ſermone vndecimo de ſanctis, non ad altare in cœlis, ſed ad altare *in Eccleſia*, in quo Chriſti *corpus offertur* accommodat: vt animas occiſorum Ioannes per ſynecdochen intellexerit ipſos Martyres propter Chriſtum occiſos, qui ſecundùm corpus ſub altaribus reconditi ad memoriam in Eccleſia cuſtodiuntur. Ait enim Auguſtinus; *Quid reuerentius, quid honorabilius dici poteſt, quàm ſub illa ara requieſcere,* (Martyres) *in qua* DEO *ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua Dominus eſt Sacerdos, ſicut ſcriptum eſt: Tu es Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech? Rectè ſub altari iuſtorum animæ requieſcūt, quia ſuper altari corpus Domini offertur.*

Deinde Apoſtolus non quoduis altare memorat, ſed *altare* de quo fideles, cū in viuis ſunt, ſoleant *edere*: non autem ij qui Iudaicis cæremoniis nauant operam. Id verò altare non niſi abſurdè interpretabitur quis eſſe Chriſtum in Cœlo, per quem noſtra officia æterno patri grata ſint. Quin imò locorum collatio docet, hoc altare illud ipſum eſſe, quod alio in loco appellauit *Domini menſam*, prima ad Corinthios decimo, ex qua id, quod verè ſacrificatum eſt, dignè participare non poſſunt ij, qui ſimul communicent de menſa dæmoniorum, vt ſuprà oſtendimus.

Nec ſi in vno loco altare metaphoricôs dicitur; neceſſe eſt in alio, eodē modo dici, vbi nullum ſit præſertim metaphoræ indicium. Falſum enim eſt, quod ſumit Kemnitius: Apoſtolū ibi, cum de ſpiritualibus hoſtiis bonorum operum agit, exponere, quale ſit ſacrificium illud, quod ſit in altari à ſe commemorato. Sacrificia enim eius generis, impropriè dicta, *in aram mentis impoſita*, vt loquitur Lactantius, offerri rectè dixeris, non autem impoſita *in eiuſmodi altari*, ex quo fidelibus *edere liceat*, de quo agit Apoſtolus.

III. Contendunt præterea Kemnitius, ſeſſione vigeſima ſecunda, ad argumentum duodecimū, & Herbrandus numero octogeſimo octauo & ſequenti, Sacrificium Miſſæ nō fuiſſe ab Apoſtolis aut Apoſtolorū tempore vſitatum. Quoniam Gregorius, & alij ex Catholicis Scriptoribus perhibeant, Apoſtolos ſolitos fuiſſe conſecrare oblationis hoſtiam, oratione tantùm Dominica ad Chriſti verba adhibita.

SED primùm ſubſtantiam ſacrificij Miſſæ nō in cæremonis quibuſuis verborum aut factorū nos ponimus, vt iſti nobis impudēter imponūt; ſed in oblatione corporis & ſanguinis Dominici. Itaque ſi maximè præter conſecrationem & oblationem nullas eiuſmodi cæremonias Apoſtoli vel vſurpaſſent vel inſtituiſſent, ſed ſequentes Pontifices (vt ſupra oſtendimus, id ab ipſis pro officio ſuo rectè fieri potuiſſe) abſurdum eſſet inde colligere, ignotum Apoſtolis fuiſſe ſacrificiū hoc, quoad eius ſubſtantiam. Imò contrarium probat illud ipſum teſtimonium GREGORII libro ſeptimo Regiſtri, epiſtola ſexageſima tertia, quod imprudenter iſti pro ſe adducunt, ſcilicet Apoſtolos *ad ſolam orationem Dominicam* CONSECRASSE OBLATIONIS *hoſtiam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deinde pleraſque cæremonias verborum atque factorum, quibus hodie in Miſſa vtitur Eccleſia, ab Apoſtolis inſtitutas fuiſſe, tum ex Liturgiis Marci, & Iacobi, tum etiam ex DIONYSIO Areopagita, capite tertio, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, conſtare poteſt; Qui huius ſacrificij modum ac ritum ab Apoſtolis traditum deſcribēs, commemorat, quemadmodum *Pontifex* ſiue Sacerdos, qui *ſacrificat diuiniſſima, oret ſuper altare; adoleat incenſum-; circumeat ſacri chori* ſeu templi *ambitum-; ex Pſalmis aliquid canat* adhibita etiam per miniſtros aliarum *ſcripturarum lectione*, id eſt, Epiſtolæ & Euangelij; *confeſsionem fidei faciat; oret; pacem nunciet; lauet manus; regrediatur ad medium altare; conſiſtat ibi circumſtantibus miniſtris; conficiat ſeu ſacrificet diuiniſſima; oſtendat ſeu leuet*, ad videndum; aliaque huius generis faciat, quæ hodie Schleidano, Kemnitio, Herbrando ac ſimilibus Sectariis, cùm ſint ſpiritu bono atq; intelligentia rerum ſacrarum deſtituti, hiſtrionica tātum geſticulamenta videntur.

Fieri igitur potuit; vt quoniam ad ſacrificij ſubſtantiam cæremoniæ huiuſmodi non pertinent; ſine ipſis quidem initio, ſola oratione Dominica recitata, ſacrificarent Apoſtoli; poſtea verò iiſdem modum ritumque ornatiorem præſcriberent, quem aut ipſi etiam vſurparent, aut aliis certè vſurpādum traderent. Quem modum deinceps ſubſequentes Pontifices, vt ſupra docuimus, ex authoritate ſibi diuinitus attributa addendo vel mutando, quod pro temporum ratione expedire viſum eſt, rectè perfecerunt.

Itaque non id ſequitur, quod Herbrandus contra Miſſam, numero nonageſimo concludit, *Si Miſſæ Canon per Gelaſium, qui anno Domini 500. præfuit, perfectus eſt, nullam Miſſam quingentis illis annis prioribus celebratam in Eccleſia fuiſſe.* Falſum enim eſt quod ait, nos negare, Miſſam ſine Canone tali, qualem Gelaſius creditur diſpoſuiſſe celebrari poſſe. Poteſt omnino, quoad ſacrificij ſubſtantiam: licet ſacrificandi modus ab Eccleſia præſcriptus obſeruari debeat.

IV. Iam verò PATRVM ſententias, quas pro confirmatione ſacrificij noſtri haud paruo numero in ſuperiobus recitauimus, non tam fidenter (vident enim pleraque teſtimonia eſſe valde perſpicua) quàm impudenter iſti deprauare ſtudent. Actionem enim Cœnæ Dominicæ ſacrificium à Patribus impropriè dici interpretantur. 1. vel per catachreſin tantum, quia ſacrificium à Chriſto in cruce factum ſignificet. 2. vel quia præcipuus eſt noui teſtamenti cultus, qui ob generis ſimilitudinē ſacrificium impropriè dicatur. 3. vel quia ſolebant olim fideles ad altare panem & vinum, vnde Euchariſtia conficeretur *offerre*, quæ munera à patribus dicerentur ſacrificia. 4. vel ratione precum, quę in Euchariſtię adminiſtratione fiunt, ſuntque ſacrificium DEO gratiſsimum, ſicut & cætera pietatis officia.

Quis verò tam hebes eſt, cui perſuadere iſti poſsint, non plus aliquid ſignificare patres voluiſſe, cùm in actione ſacræ cœnæ affirmant, *ſacrificium incruentum* corporis Chriſti *confici*; Sacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech exerceri; offerri Euchariſtiam *ex inſtitutione & mandato Chriſti* ad commemorationem *oblationis* in cruce factæ; vt iam alias loquendi formulas ab ipſis vſurpatas præteream? An verbis clarioribus vti debuerunt aut potuerunt, vt propriè ſacrificium hoc eſſe ſignificarent? Si ad tropos has ſententias referre licet, quibus teſtimoniis erit in vlla quæſtione ad probationem vtēdum? An illis tantum, quibus diſertè quoque falſæ interpretationes eorundem, quæcunque adhiberi poſsint, refellantur? At iſto modo non antiquitatis teſtimonia flagitare Sectarij debent, ſed præſentium tantum doctorum, quorum nequeant ſententias corrumpere.

Quid quod AVGVSTINVS libro vigeſimo contra Fauſtū, capite decimo octauo, & CHRYSOSTOMVS homilia ſeptima ad Hebræos, quos iſti in confirmationem falſæ ſuæ interpretationis citant, manifeſtè contra eos teſtimonium dicunt? *Hebræi*, inquit Auguſtinus, *in victimis pecudum quas offerebant, multis & variis modis, ſicut res tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ vitimæ, quam Chriſtus obtulit. Vnde iam Chriſtiani pertimæ, quam Chriſtus obtulit. Vnde iam Chriſtiani pertacti eiuſdem ſacrificij* MEMORIAM *celebrant*. SACROSANCTA OBLATIONE ET PARTICIPATIONE CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI. Potuitne clarius diſtinguere *memoriam* ſignificationem ſacrificij crucis, ab *oblatione*, quæ ipſa memoriâ celebratur, itemque actionem *offerendi* ab actione *participandi*, quæ ſacrificium impropriè eſt?

Item Chryſoſtomus: *Offerimus*, inquit, *ſed* AD RECORDATIONEM FACIENTES MORTIS EIVS. *Et ipſam* (hoſtiam) *offerimus nunc, quæ tunc eſt oblata. Hoc autem quod facimus* IN COMMEMORATIONEM *quidem fit eius quod factum eſt*. AN OFFERRE AD RECORDATIONEM ET AD COMMEMORATIONEM, nihil aliud quàm recordari & commemorare eſt? Quis hîc non videat, ita ſignificationem & commemorationem ſacrificij crucis iſtos patres in actione cœnæ conſtituere, vt eius quaſi fundamentum ſtatuant incruentam eiuſdem hoſtiæ oblationem?

Iam quòd preces & ipſa Euchariſtiæ participatio, vt eſt actio recta, ſacrificium quoque *impropriè* dici poſsint, ſicut iſti aliquot teſtimoniis fruſtrà probant, non negamus. Sed ſimul affirmamus, in eadem actione cœnæ ſacrificium verum, atque legitimum interuenire, ex ſcriptura ſancta, patrumque ſententia, vt hactenus probatum eſt.

Et quod panem & vinum fidelibus ad altare oblata, patres interdum *ſacrificia* nominauerint, potius iſtos redarguit. Eius enim appellationis ratio erat, quoniam ad verum ſacrificium à Sacerdote

cerdote conficiendum ea munera deſtinabantur. Sic enim AVGVSTINVS Epiſtola centeſima vigeſima ſecūda indicat, vbi dolens vicem quarundam fœminarum, quæ captiuæ erant, inquit; *Nec poſſunt vel* FERRE *oblationem ad altare Dei, nec inuenire ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo.* Quē locum Kemnitius, vt interpretationē ſuam ſpecioſiorem faceret, ſuo more corrupit. Notat enim, Auguſtinum dixiſſe: *Mulieres* OFFERRE *ſacrificium ad altare Domini, vt per Sacerdotem Deo offerretur.* Cùm tamen Auguſtinus non offerre, ſed *ferre*, dixerit. Cuius corruptelæ & fraudis Herbrandus contra Miſſam, numero nonageſimo nono, vel ex ignorātia culpabili, quod Kemnitio, non bonæ fidei homini, Auguſtini loco nō inſpecto credideri; vel malitioſè certè, reus factus eſt; cùm ſimiliter, & quidem maiuſculis literis, vt eſſet deprauatio ſplendidior, Auguſtini locum recitauit.

Quod autem iſti ex Magiſtro ſententiarum libro quarto, diſtinctione duodecima, locum recitant, vbi dicat, illud quod offertur & conſecratur à Sacerdote vocari ſacrificium & oblationem, *quia memoria eſt & repræſentatio veri ſacrificij & ſanctæ immolationis factæ in ara crucis*, nihil ipſos iuuat. Magiſter enim docet quidem, propter ſignificationem præcipui ſacrificij crucis, actionem Sacerdotis vocari etiam ſacrificium: Sed non negat tamen, per ſe quoque eſſe incruentum ſacrificium atque oblationem, quæ ſit videlicet eius repræſentationis ſignificationiſque fundamentum. Imò hoc manifeſtè ponit, cum ibidem ait: *illud* QVOD OFFERTVR ET CONSECRATVR A SACERDOTE. Et ad finem capitis: *Ex his*, inquit, *colligitur* ESSE SACRIFICIVM ET DICI QVOD AGITVR IN ALTARI: *& Chriſtum ſemel oblatum-, quotidiè offerri;* SED ALITER VNC, ALITER NVNC.

Deuocabulo, *Miſſa*, quod aiunt non illo ſuiſſe græcos authores vſos, ſed eorum interpretes latinos; non magnopere moramur. Primū, quoniam nobis ſufficit, tam Græcos quàm Latinos, diſertè ſacrificium & oblationem ſacram in actione cœnæ commemoraſſe, vt apparet ex locis quos in ſuperioribus citauimus, atque etiam ex IGNATII teſtimonio in Epiſtola ad Smyrn. ita etiam reddito, vt Herbrandus numero nonageſimo quinto citat, ſcilicet: *Sine Epiſcopo ſacrificare neliceat, neq; omnino* SACRAS OFFERRE OBLATIONES *epulāſue peragere; Sed de huiuſmodi ſententia Epiſcopi conſulatur.* Deinde quoniam græca vocabula, pro quibus Latini interpretes Miſſas reddiderūt, generalia ſunt, quæ totam actionem ſacræ cœnæ, in qua Patres aliâs ſignificarūt ſacrificium fieri, ſignificent. Quapropter iure interpretes Miſſas dixerunt, quod nomen ſignificat etiam totam actionem. Hæc autem tota actio, vt probatum eſt, inter cætera continet legitimum *ſacrificium*, à quo, vt plerique notarunt, per Synecdochen tota actio cœnæ MISSA dicitur: ſiue id verbum ab emittendo hoſtiam dicatur, ſiue deductum ſit ab Hebraico verbo מִשְׁפָּה quod ad oblationem ſignificandam accommodari poteſt.

Verùm nos non ex vocabulorum nominatione, ſed ex diuinæ ſcripturæ teſtimoniis ita intellectis, vt veriſimè ſancti Patres intellexerunt, itemq; ex firmis rationibus ſacrificij noſtri bonitatem confirmandam eſſe duximus, & hactenus confirmauimus.

Quod aūt iſti, Kemnitius in examine ſeſſionis vigeſimę ſecundę, & Herbrandus in diſputatione contra Miſſam, numero centeſimo nono, (deſperantes ſe poſſe teſtimonia patrum ſufficienter ad decipiendum eludere) tandem aiunt, non debere illos contra Chriſtum eiuſque Apoſtolos veros Eccleſiæ patres audiri, omnino etiā ipſi concedimus. Neque enim quidquam minus ab iſtis contendimus; quā vt Patres contra Chriſtum eiuſque Apoſtolos audiant; ſed petimus vt moueantur Patrum iudicio, ex quo apparet, nos in ſacrificio hoc aſſerendo Chriſtum & Apoſtolos ſequi, iſtos autem in eodem oppugnādo velut Antichriſti manipulares contra Chriſtum & Apoſtolos agere. Itē petimus ab iſtis, ne ita ſulteſcant, vt putent nos ex ipſis potius, quām ex patribus debere addiſcere, vtra potius de hac quæſtione ſententia ſit ſecundùm Chriſti Apoſtolorumque doctrinam.

CYPRIANVS certè libro tertio, epiſtola ſecunda, vbi ait, *in ſacrificio quod Chriſtus eſt, non niſi Chriſtum ſequendum eſſe*, non agit contra traditionem communem Eccleſiaſticam, quaſi non ex ea Chriſti ſententia diſci debeat, ſed contra priuatam quorūdam conſuetudinem, qui calicem ſine vino peruersè offerebant. Quin etiam eodem ipſo loco Cyprianus manifeſtè dicit, Chriſtum ſe in cœna obtuliſſe, vt ſupra recitauimus, & callidè reticuit Herbrandus, contra Miſſam, numero centeſimo primo, hunc ipſum Cypriani locum citans.

Neque verò Herbrandus, aut Kemnitius, Cyprianus eſt, (vt æquè certò ac ille putare poſsit, ſe Chriſtum ſequi) ſed Sectarius prædicans. Neque cauſſa iſtorum, & illa quam Cyprianus tūc agebat, eſt eadem. Nam iſti ſacrificium Euchariſtiæ oppugnant: Cyprianus aūt ſacrificium Euchariſtiæ ſicut à Chriſto inſtitutum eſt, vt ſcilicet in vino aqua permixto conficiatur, defēdit. Sed quoniam ſatis hactenus probauimus, ſacrificium Miſſæ eſſe legitimum, idque ex ipſa inſtitutione cœnæ Dominicæ; ex vaticiniis prophetarum; ex ratione; ex antiquitatis teſtimonio, vbique iſtorum cauillationibus omnibus, quæ huc pertinebant, refutatis, ad reliquas inſtitutæ diſputationis partes

transeundum

eſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO QVARTA.

An in Miſſa fiat Sacrificium verè PROPITIATORIVM *pro peccatis, & aliis neceſsitatibus.* §. 19.

RESPONDEMVS omnino fieri in Miſſa tale ſacrificium propitiatorium. Sicut autem ſuprà, cum propoſuimus probandum, Sacrificium hoc eſſe legitimum; ita nunc de eo loquimur, non vt conſiſtit in re tantùm oblata, neque in oblatione tantùm, ſed in vtroq; ſimul. Atq; etiam illud conſideramus per ſe, circumſcripta miniſtri aut probi aut improbi conditione, ex natura ac ſpecie tantùm ſua, vt eſt præcisè corporis & ſanguinis Dominici oblatio à Chriſto principaliter per miniſtrum facta. Ita igitur conſideratum hoc Sacrificium; ex ordine, quem initio propoſuimus, propitiatorium eſſe probare aggredimur.

Ac primùm quidem ſi *propitiatorium* officium communiter interpretemur id, quod DEO quacunque ratione placitum eſt, ideoque DEI beneuolentiam erga hominem excitat, & commouet; nihil eſt neceſſe addere ad ſuperiora, vt ſacrificium Miſſæ ſecundùm ſuam ſpeciem propitiatorium eo modo exiſtere comprobemus. Nam iſto modo propitiatoriæ apud Deum cenſeri debẽt omnes rectæ actiones, quâ rectæ ſunt, adeoque hoc etiam ipſum ſacrificium, cùm ſit, vt ſuprà demonſtratum eſt, opus rectum atque legitimum. Ad omnia ſiquidem opera pia generatim pertinet illud, quod legimus in libro ſecundo Paralipomenon cap. trigeſimo: *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde quærunteum.*

Sed præcipua huius loci quæſtio eſt, an, vt peculiari ratione *propitiandi* vis in ſcriptura tribuitur precibus, quatenus beneficia diuina ex miſericordia DEI per illas impetramus; ita etiam ſacrificium hoc Miſſæ, *ſua quadam ratione propria*, quatenus obſequiũ eſt religionis inſigne, Deoque, vt probauimus antea, acceptiſsimum, valeat diuinam beneuolentiam hominibus conciliare, Deumque flectere ad bene faciendum, vel remittendis peccatis, vel aliis neceſsitatibus ſubleuandis.

Et negãt aduerſarij: licet nõ valde repugnãt, quò minus cœna Dominica appelletur ſacrificium εὐχαριστικὸν, id eſt, gratiarum actionis ac laudis, & iuxta communem & impropriam Sacrificij notionem, qua cultus quiuis aut bonum opus ſacrificium dici poteſt; hæretica tamen illa ſententia retenta, qua contra Chriſti inſtitutionem, ſcripturæ ſacræ, & patrum, adeoque Eccleſiæ authoritatem, & contra rationem (vt ſuperius vidimus) negant, in ea actione ſacrificium *externum propriè dictum* fieri poſſe legitimè.

Nos verò ſacrificium corporis & ſanguinis Domini propriè dictum, quod hactenus in Miſſa fieri, & legitimè fieri docuimus, gratiarum actionis & laudis eſſe prorſus fatemur. Eò enim pertinet Chriſti paſsionis *commemoratio*, cuius cauſſa ex Chriſti mandato Sacrificium hoc fit; vt ſcilicet eodem ipſo ſacrificio pro eximio beneficio redemptionis gratias Deo & agamus & referamus, illius gloriam laudemque promouendo, tam præclaro officio religionis. Nec eſt tolerabile Herbrandi mẽdacium, cùm ſcribit, contra Miſſam, numero cẽteſimo quarto, *quòd Chriſtus iuſſit in ſui commemorationem Euchariſtiam conficiid iam à ſeribus Pontificibus* (ſic enim loquitur) *eſſe damnatum*. In ſancta certè Tridentina Synodo, ſeſsione vigeſima ſecunda, can. 3. quam iſte calumniari hoc loco videtur, anathemate damnantur ij, qui dicerent, Miſſæ ſacrificium TANTVM eſſe laudis & gratiarum actionis, aut NVDAM commemorationẽ ſacrificij in cruce peracti: nequaquam autem ij qui ſine particula illa excluſiua, *tantum*, dicant illud eſſe commemoratiuum, gratiarumque & laudis.

Itaq; non inficiamur quin ſit ſacrificium hoc *gratiarum & laudis*, ſed aſſerimus ſimul, illud peculiari ea ratione, qua paulò antè dictũ eſt, *propitiatorium* etiam eſſe. Quod prius quâ confirmemus, explicandum breuiter aduerſariis eſt. Non enim nos intelligunt.

Et primò quidẽ perturbare non debet, quòd vni eidẽq; ſacrificio diuerſas appellationes tribuimus, cum illud eſſe dicimus, & *commemoratiuum*; & *gratiarum actionis*; & *laudis*; & *propitiatorij*. Etenim his nominibus rationes ſignificantur eiuſmodi, quæ in vnam rem rectè conuenire poſſunt. Dicitur namq; Sacrificium hoc *commemoratiuũ*, quatenus recordationem paſsionis Dominicæ facit. Et *gratiarum actionis*, quatenus eo inſigne obſequium diuinæ maieſtati pro accepto redemptionis beneficio rependitur. Et *laudis*; vt ſummam eſſe dignitatem DEI in quem tale tantumque ſacrificium conueniat declarat. Et *propitiatorium* denique; quatenus ita Deo placet, vt ipſius bonitatem commouere valeat ad benefaciendum.

Deinde illud quoque conſiderandum, non vno eodemque modo nos ſacrificium hoc ponere propitiatorium pro peccatis, & pro aliis commodis impetrandis. Nam *remiſsionem peccatorum* ex certa DEI lege & promiſsione, ipſum via atq; dignitate ſua obtinere defendimus: tanquam eiuſmodi videlicet officium religionis, quo DEVS ad eum effectum, certa promiſsione atque lege acceptet. Vnde quia ſacrificium hoc, vt initio admonui, habet hunc valorem ſecundùm *ipſius operis ſpeciem* circumſcripta propria conditione miniſtri; dicere conſueuimus valere illud ex eiuſmodi lege Dei ad remiſsionem peccatorum *ex opere operato*, id eſt, hoc ipſo quod à Chriſto principaliter per Euangelicum miniſtrum exercetur, non autem vt ab homine fit huius aut illius conditionis, ſcilicet bono vel meliori, &c. ſicut

ſicut inde valere dicuntur bonæ actiones, quando illas propriè ex operante æſtimamus. Ac ſimili ratione etiam dicimus, Sacramenta *ex opere operato* prodeſſe, quia ex lege diuina, rectè diſpoſitis, per ſe ſunt ſalutaria, hoc ipſo, quòd eis legitimi miniſtri operâ conferuntur, non attenta hunc ad effectum priuata conferentis cõditione.

Itaque labuntur inſcitia, ſicut in pleriſque aliis, aduerſarij, cùm hoc quod dicimus, Sacramenta & ſacrificium Miſſæ *ex opere operato* ad remiſsionem peccatorum valere, ſic intelligunt, quaſi diceremus illam *promereri ex condigno*. Non hoc propriè aſſerimus. Cùm enim alicui operi *merendi ex condigno* vim attribuimus, ad operantis gratiam iuſtitiamque reſpicimus, ex qua, vt ſacræ literæ docent, exiſtit id meritum. Quando autem dicimus, ſacrificium & Sacramenta valere ex opere operato, cogitationem à propria conditione miniſtri, atque adeò à gratia & iuſtitia eiuſdem ſeuocamus; quoniam, vt dictum eſt, non inde valor operis operati exiſtit, quippe cum per impium etiam miniſtrum applicari poſsit, ſed lege DEI nititur, qui exercitum opus, vt ad religionem ſecundùm ſpeciem propriam ſpectat, ad ſpiritualem effectum acceptat.

Quod ſi ſacrificandi officium, ſicut etiam adminiſtrationem Sacramentorum cõſideremus, vt opus eſt quoddam humanum à miniſtri perſona ſuſceptum; erit quidem meritorium & ſatisfactorium (ſi miniſter ſit in gratia) ex conditione *operantis*, vt alia opera piorum. Sed vt diximus, non attendimus nunc valorem, quem ex operante poteſt habere ſacrificium: ſed quid iuxta ſpeciem ſuam ex opere operato valeat. Quo pacto remiſsionem quidem peccatorũ ex certa lege & promiſsione Dei illud obtinere posnimus, vt iam dictum eſt.

Alia verò commoda, vt ſanitatem, fructus terræ, aëris temperiem, &c. non eodem modo, ſcilicet ex certa Dei lege, & promiſsione illud impetrare ſemper arbitramur, ſed interdum ex congruitate quadam, pro bona Dei voluntate citra legem & obligationem. Quod ipſum quamuis huic item ſacrificio attribuamus ſecundùm ipſam ſpeciem operis, circumſcripta propria conditione perſonæ miniſtri, tamen non conſueuimus dicere, hoc illi ex opere operato conuenire; quoniam obtinuit vſus, vt valorem ex *opere operato* eum duntaxat nominemus, qui in opere iuxta ſuam ſpeciem exiſtit *certa ex lege & promiſsione diuina*.

Quanquam ſi ob hoc ſolum ex opere operato vim ex congruitate impetrandi eiuſmodi commoda in hoc ſacrificio eſſe, velit quis dicere, quoniam id non illi ex propria miniſtri conditione, ſed ex ſpecie ſua conuenit; non eſt de vocabulo magnoperè pugnandum. Satis eſt, ſi de re ipſa conſtet, hoc intereſſe inter eam virtutem, quam hoc ſacrificium ex ſpecie ſua habet impetrandi remiſsionem peccatorum, & eam quam habet itidem ex ſua ſpecie obtinendi alia commoda, quòd illam ex certa Dei lege habet, hanc non item, ſed ex congruitate quadam, ſicut expoſitum eſt, pro DEI beneplacito.

Vtrumque igitur nunc aduerſus Sectarios ordine confirmandum eſt, ſcilicet ſacrificium hoc pro remiſsione peccatorum ex lege diuina propitiatorium eſſe; & ad aliarum neceſsitatum ſubſidium ex congruitate quadam valere. Illud enim, quod propter diuerſas Catholicorum etiam ſententias explicationem requirit; nempe qualem, quorumque peccatorum remiſsionem, ex Dei lege, ſacrificium hoc obtinere valeat; poſtea exponemus, finita cum hæreticis controuerſia, qui omni modo & ratione negant, ſacrificium hoc eſſe propitiatorium pro peccatorum remiſsione.

Probatur primò ex inſtitutione Chriſti, & ex Apoſtolo, ſacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium pro remiſsione peccatorum. §. 20.

I. ERGO quod attinet ad remiſsionem peccatorum; ex inſtitutione Chriſti, & iis, quæ in eius explicatione latiùs à me ſuprà diſputata ſunt, hunc in modum rationem deduco: Si quod opus ad remiſsionem peccatorum per illud obtinendam mandato Chriſti faciendum eſt, dubium non eſt, quin id opus ex diuina lege & promiſsione remiſsionem peccatorum obtinere valeat. Nec enim Chriſtus poteſt nos fallere, vt id ad remiſsionem peccatorum facere iubeat, quod remiſsionem peccatorum nõ conciliet. Sacrificium autem Miſſæ ad obtinendam remiſsionem peccatorum ex mandato Chriſti faciendum eſt; cùm præceptum illud, Luc. 22. & 1. ad Corinth. 11. *Hoc facite*, ad omnia præcedentia, è quibus vnum erat: *Quod pro vobis tradetur*; Et, *Effundetur in remiſsionem peccatorũ*, referri debeat, vt in ſuperioribus eſt copioſè probatum. Non eſt igitur dubium vllum, quin ſacrificium Miſſæ ex Dei lege ac promiſsione valeat remiſsionem peccatorum obtinere, aliquo tandem modo, quo per Chriſtum etiam ea fiat, tametſi non omni, vt poſt declaraturi ſumus.

Præterea, *Omnis Pontifex*, ſiue Sacerdos, *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, ait D. Paulus ad Hebræos quinto. Miniſtri autem Euangelici, vt ex Eſaiæ vaticiniis, Iſa. 61. & vltimo, ſuprà comprobatum eſt, verè ac propriè dicti Sacerdotes diuinitus conſtituuntur ad offerendam Euchariſtiam. Igitur Dei voluntas, adeoque ordinatio eſt, vt illam offerant pro peccatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed inquit Herbrandus, numero 117. sententiam illam Apostoli ad Sacerdotes tantum veteris Testamenti pertinere. Vbi non videt, se isto modo Apostoli ratiocinationem ineptam facere. Nisi enim Apostolus propositionem illam: *Omnis namque Pontifex, &c.* vniuersè, sicut verba ipsa sonant, posuisset, non rectè ipsam accommodauisset ad concludendum speciatim id, quod immediatè antea dixerat in fine capitis quarti ad Hebræos, habere *nos Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos*, IESVM *filium* DEI, cuius beneficij efficacia *misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Responderi enim posset, CHRISTVM non esse Sacerdotem *Testamenti veteris*, vt iuxta propositionem illam ab Apostolo sumptam, si de his tantùm Sacerdotibus intelligatur, sacrificium pro peccatis obtulerit.

Neque verò vllum in eo Apostoli loco signum indicat, voluisse eum ex officio Sacerdotum veteris Testamenti, qui pro peccatis offerrent, tanquam ex figura concludere, Christum item sacrificauisse pro peccatis. Sed planè propositionem particularem ex vniuersali colligi voluit, scilicet, Christum cùm Sacerdos à Deo constitutus esset, sacrificasse pro peccatis; quoniam id sit Dei consilium, vt *omnis omnino Sacerdos* ex diuina voluntate creatus pro peccatis etiam sacrificet.

Atq; has quidem probationes illud illustrat, quod ab aliquibus Scriptoribus Catholicis est annotatum: videlicet, vt preces petitionem continent expressam, sic sacrificij oblationem, præsertim adeò excellentis, vt est istud nostrum, esse quasi petitionem quãdam tacitam. Nam Deum commouet, vt quæ ipsius bonitas ac munificentia est, aliquid beneficij rependat pro oblato sibi munere. Quapropter rationi quoque consentaneum est id ipsum, quod ex Scriptura probatum iam est, sacrificium Missæ non minus, quàm preces ad remissionem peccatorum ex promissione Dei valere.

Quanquam verum sit interim hoc esse discrimen, quòd misericordia Dei ad benefaciendum propter Christi merita precanti, non ipsa precum dignitate, vt preces sunt, sed miseria necessitateque precantis excitatur. Hoc autem sacrificium, quoniam, vt superius demonstrauimus, gratissimum Deo est, ipsiusque Christi corpore & sanguine continetur, dignitate ac præstantia etiam sua bonitatem Dei commouet, non quidem tanquam meritum, vt Sectarij ex ignorantia cogitant, (quanquam Christi merita ibi Patri repræsentantur & applicantur nobis) sed tanquam munus excellentissimum religionis, vti prius à nobis est declaratum.

Sed hæc quidem ad ipsius Catholicæ sententiæ, quam nunc confirmandam suscepimus, explicationem valent: ad eiusdem autem probationem, Scriptura sacra adeóque Christi *institutione*, vnde sumus argumentati, præcipuè nitimur. Quæ Institutio num à nobis rectiùs in hac cõtrouersia, quàm ab aduersariis intelligatur, nolo equidem, vt Lector iudicet ex nostra, aut ipsorum authoritate, sed ex sanctorum Patrum iudicio, quod istiusmodi Sectariorum iudicio, sine insigni temeritate, ac dementia postponi nequit.

Probatur secundò, sacrificium Missæ esse propitiatorium pro peccatis, ex Patribus. §. 21.

II. Sanctus MARTIALIS in epistola ad Burdegal. capite tertio, cuius testimonium suprà etiam recitauimus: *Quod Iudæi*, inquit, *per inuidiam immolauerunt*, (corpus Christi immaculatum) *nos in ara* SANCTIFICATA SALVTIS NOSTRAE CAVSA *proponimus*, (ante dixerat, *cuius corpus & sanguinem offerimus* IN VITAM AETERNAM) *hoc solo remedio scientes* VITAM *nobis præstandã & mortem effugiendam.* HOC *enim ipse Dominus noster* IVSSIT *nos agere in sui commemorationem.*

Item S. ALEXANDER I. in epist. 1. decretali ad omnes orthodoxos, & ipse Martyr antiquissimus, qui anno 119. Ecclesiæ præfuit; *Ipsa veritas nos instruit*, inquit, *calicem & panem Sacramento* OFFERRE, *quando ait: Accepit* IESVS *panem & benedixit, deditque discipulis suis, dicens; Accipite & manducate, hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter postquam cœnauit, accepit calicem, deditq; discipulis suis, dicens; Bibite ex eo omnes, quia hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis fundetur,* IN REMISSIONEM PECCATORVM. CRIMINA ENIM ATQVE PECCATA OBLATIS HIS DOMINO SACRIFICIIS DELENTVR. *Idcirco & passio eius in his commemoranda est, qua redempti sumus, atque hæc Domino offerenda.* TALIBVS HOSTIIS DELECTABITVR ET PACABITVR DEVS, PECCATAQVE DIMITTET INGENTIA. *Nihil enim in sacrificiis maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi, nec vlla oblatio hac purior est, sed hæc omnes præcellit, Quæ pura conscientia Domino offerenda.* An potuit clariùs affirmare, sacrificium hoc esse propitiatorium? vel apertiùs id ex institutione Dominica præstantiáque corporis & sanguinis Dominici, sicut Concilij quoque Tridentini Patres fecerunt, sessione vigesima secunda, Canone secundo, comprobare?

Item sanctus etiam Martyr nec multò Alexandro posterior IVSTINVS in Dialogo cum Triphone: *Vacca*, inquit, *quæ pro his, qui Elephantia expiarentur immolari iussa est, figura erat, & quasi quoddam simulachrum panis Eucharistiæ: quę pro his quorum animi* AB OMNI SCELERE EXPIARENTVR, IESVS CHRISTVS DOMINVS NOSTER FACIENDVM TRADIDIT. Vbi *faciendi* verbum pro verbo *offerendi* vsurpasse, ex verbis, quæ consequuntur, apparet: subiungit enim continenter: *De hostiis, quæ à nobis gentibus vbique* OFFERVNTVR, *id est*, DE PANE EVCHARISTIAE ET POCVLO SIMILITER EVCHARISTIAE, *tum prædicit, cùm ait, à nobis nomen suum gloria affici, a vobis autem pollui.*

Non minùs est illustre testimonium sancti Cyrilli HIEROSOLYMITANI, Catechesi quinta Mystagog. DEVM, inquit, *oramus, vt super illa proposita Spiritum sanctum emittat, quatenus panem quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinem Christi. Omnino enim, quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur. Deinde verò, postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus,* DEVM *obsecramus* SVPER IPSA PROPITIATIONIS HOSTIA. Et aliquot interiectis, quæ suo loco contra istos etiam allegabimus: *Christum*, inquit, *pro nostris peccatis mactatum* OFFERIMVS, VT ET NOBIS AC ILLIS (defunctis) EVM QVI EST BENIGNISSIMVS PROPITIVM REDDAMVS.

Et perspicuè ORIGENES homilia decimatertia in Leuiticum, postquam docuit, panes propositionis, qui olim ad commemorationem offerebantur coram Domino, typum fuisse mysterij Eucharistiæ: *Si inspicias*, inquit, *illam commemorationem, de qua dicit Dominus: Hoc facite in meam commemorationem; inuenies quòd ista est commemoratio sola, quæ Deum* HOMINIBVS FACIT PROPITIVM.

Item sanctus AMBROSIVS libro primo de Officiis, capite 48. *Ante*, inquit, *agnus offerebatur: Offerebatur vitulus.* NVNC *Christus offertur, quasi homo, quasi recipiens passionem: & offert se ipse quasi Sacerdos, vt* PECCATA *nostra* DIMITTAT.

Tum AVGVSTINVS quæstione 57. in Leuiticum: *Quid sibi vult*, inquit, *quod à sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantoperè populus prohibetur, si illis sacrificiis vnum hoc sacrificium (Eucharistiæ) significabatur,* IN QVO VERA FIT REMISSIO PECCATORVM.

Et Augustini discipulus PRIMASIVS, in commentar. epist. ad Hebræos capite decimo: *Quia quotidie*, inquit, *peccamus, & quotidie indigemus mundari, quia ille non potest iam mori, dedit nobis hoc Sacramentum corporis & sanguinis sui, vt sicut passio illius, redemptio & absolutio fuit mundi: Ita etiam ista oblatio* REDEMPTIO ET MVNDATIO SIT OMNIBVS IN VERA FIDE OFFERENTIBVS.

Nec differt multum ab hac Primasij oratione, PASCHASII sententia, libro de corpore & sanguine Domini, capite nono: *Quia quotidie, inquit, labimur, quotidie Christus pro nobis mystice immolatur, & passio Christi in mysterio traditur, vt qui semel moriendo mortem vicerat, quotidie recidiua delictorum per hæc Sacramenta corporis & sanguinis Christi* PECCATA RELAXET.

Et hæc est, inquit beatus DAMASCENVS, libro quarto fidei orthodoxæ, cap. decimo quarto: *Pura scilicet hostia & incruenta, quam ab ortu solis vsq; ad occasum ipse* OFFERRI *per Prophetam Dominus loquitur, corpus scilicet & sanguis Christi* IN STABILIMENTVM ANIMAE NOSTRAE, *&c.* OMNIMODI NOCVMENTI REPARATIO, SORDIS OMNIS PVRGATIO, *&c.*

Quibus, ne omnium sententiis percensendis molestus lectori sim, vnum addo CYPRIANVM, cuius est etiam testimonium hac de re clarissimum, in sermone de cœna Domini: *Ex quo*, inquit, *à Domino dictum est: Hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, & hic est sanguis meus; quotiescunque his verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit:* SIMVL MEDICAMENTVM ET HOLOCAVSTVM AD SANANDAS INFIRMITATES, ET PVRGANDAS INIQVITATES EXISTENS.

Quæso, quis credat, non aliud his & aliis eiusmodi sententiis docere Patres voluisse, quàm *vsu* tantùm Eucharistiæ, vt Sacramẽtum est, non etiam eiusdem *oblatione* repræsentari sacrificium crucis, illiusque valorem participari ad remissionem peccatorum?

Respondetur ad obiectiones Sectariorum, contra Sacrificium propitiatorium. §. 22.

AT (inquiũt Sectarij) repugnat Apostolus in epist. ad Hebræos, inquiens, 1. Christum *semel se obtulisse pro peccatis.* 2. *Semel per proprium sanguinem introisse in sancta æterna redemptione inuenta.* 3. *Vnica oblatione consummasse in æternũ sanctificatos.* 4. *Alios plures factos esse Sacerdotes eò, quòd morte prohiberentur permanere, Christum autem eò, quòd maneat in æternum, sempiternum habere Sacerdotium, ideoque saluare per se ipsum posse.* 5. Repetitionem sacrificiorum veteris legis argumento fuisse, quòd *non potuerint perfectos facere*, vel auferre peccata, *alioquin cessassent offerri:* Vnde consequi videtur iniuriam fieri sacrificio crucis, si iterum Christus ad remissionem peccatorum sacrificetur, quasi crucis sacrificium imperfectum fuerit, quod non valuerit auferre peccata. 6. *Sine sanguinis effusione* (qua vacat sacrificium Missæ) *non fieri remissionem peccatorum.* 7. *Vbi est peccatorum remissio*, quam sacrificio crucis Christus obtinuit, iam non esse oblationem pro peccato.

Hæc enim est summa eorum, quæ Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. & Kemnitius, & Herbrandus vbi suprà, & passim alij sectarij, cõtra propitiandi vim, quam sacrificio Missæ tribuimus, ex epistola illa D. Pauli, non ignoranter modò, sed admodum etiã temerariè opponunt. Vt enim per

Universidad de Deusto
Biblioteca

se non intelligerent, quemadmodum istæ Apostoli sententiæ cum frequentatione sacrificij nostri propitiatorij consistant; tamen vt cõsistere arbitrarentur, aliquidque in his Apostoli locis suspicarentur latere, quod ipsi non caperent, eruditissimorũ Patrum authoritate moueri debuissent. Hi namque, etsi eam Diui Pauli epistolam diligenter legerint, ac difficultatem etiam, si quam in recitatis locis habet, probè senserint, sicut pòst videbimus; rem tamen ita explicare conati sunt, vt sacrificij iugis in Ecclesia vsum, quem in Scripturis aliàs probari videbant, nihilominus tuerentur. Agè igitur aliquantò planius istis declaremus, quæ nam & qualis ea sit Christi OBLATIO *pro peccatis*, quam Apostolus *vnicam* esse docet, quæ *repeti* non debeat; & quomodo rectè nihilominus quotidie in sacrificio Missæ Christus pro peccatis offeratur. Pendet autem huius rei explicatio ex modo, quo Christus passione atque morte sua nos Deo reconciliauit. Quam rem, quia grauissima est, & omnino eiusmodi, quam decet propter perspicuitatem & securitatem, certa & constanti ratione vbique tradi; iisdem penè verbis hoc loco summatim repetã, quibus eam suprà disput. 1. q. 22. punct. 1. explicaui.

Ita igitur dissero. Offensa & indignatio DEI, quam propter peccata iure incurrit humanum genus, duobus vt ita dicam, tanquam gradibus continebatur. Nam primò, ita Deus à nobis abalienatus fuit, vt & gratia nos beneuolentiaq; sua destitueret, & secundò firmiter etiam statuit, nobis, quidquid per nos ad compẽsandam iniuriam faceremus, nunquam reconciliari, sed æternæ damnationi, quantum in peccatis nostris situm erat, addicere.

Ita fit, vt absoluta peccatorum remissio, qua indignationem hanc contra homines omni ex parte Deus deponat, duobus etiam gradibus constet: Quorum primus est, vt Deus quantum in ipso est, hominibus reconciliari *velit*, adeoq; suppeditare ipsis præsidia, quibus indigent, vt in ipsius gratiam redeant, & pœnam pro peccatis debitam euadant: Alter, vt eos tandem in gratiam recipiat reatuque pœnæ soluat.

Ac vtrumque quidem remissionis gradum Christus, *in quo* (ad Ephesios primo) *omni benedictione spirituali benedicimur*, mortis suæ merito obtinuit humano generi: Sed alio atque alio modo. Priorem quidem ita, vt sine vllo medio omnes homines hoc ipso tantùm, quòd Christus semel passus est, eum consequerentur. Hoc enim est, *deleuisse ipsum*, vt Apostolus inquit, ad Colossen. 2. *ac sustulisse de medio Chirographum decreti contrarium nobis, & affixisse illud cruci*; flexisse nimirum à seueritate quam peccata merebantur, ad misericordiam æternum Patrem; vt quãtum in ipso est, *vellet* omnibus reconciliari opemque ferre, vt in eius gratiam redirent reatuque pœnæ soluerentur. Posteriorem autem gradum, scilicet vt homines in gratiam *re ipsa* tandem reciperet, pœnamque euaderent, ita Christus illis obtinuit, vt non nisi *certis mediis* illum consequerentur. Cuiusmodi *media* sunt, fides, pœnitentia, baptismus, obedientia, &c. Iuxta illud Marci decimo sexto: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et Lucæ vigesimo quarto: *Vt prædicaretur in nomine eius pœnitentia & remissio peccatorum.* Et ad Hebræos quinto: *Factus est omnibus obtemperantibus sibi caussa salutis æternæ*: vt iam alia loca præteream.

Hinc primò intelligitur, quare cùm Christus passus sit, adeoque omnes homines remissionem peccatorum, vt priori illo gradu continetur, obtinuerint, sintque Deo propter Christum reconciliati *quantum est ex parte ipsius Dei*; non omnes tamen ex parte sua remissionem peccatorum, quoad posteriorem gradum (scilicet *re ipsa*) adipiscantur. Nempe caussa est, quia multi non adhibent requisita *remedia*, sine quibus noluit Christus peccatorum remissionem re ipsa contingere.

Deinde hinc etiam intelligitur, perfecta redemptione per Christum, qua is vtrumque remissionis gradum, ita diuerso modo, vt explicatum est, obtinuit, adhuc posse aliquid fieri ex parte hominum, quod ad remissionem peccatorum aliqua ratione valeat, adeoque reconciliare propitiareque Deum homini possit, quo ad illum posteriorem gradum, qui pendet ex vsu mediorum; vt scilicet quis in gratiam *ipsa* tandem recipiatur, soluaturque reatu pœnæ. Id quod Apostolus planè docuit, secunda ad Corinthios quinto, vbi vtrumque gradum remissionis peccatorum reconciliationisque inter Deum & homines à nobis explicatum sic distinguit, vt primò quidem omnes, *quantum est ex parte* DEI, reconciliatos esse DEO, iuxta primum remissionis gradum significet, inquiens: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*; Deinde nos ad reconciliationem rursus ex parte nostra, iuxta posteriorem remissionis gradum, operandam hortetur, cùm subiungit: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*, RECONCILIAMINI DEO. Sicut secunda ad Corinthios septimo etiam monet, vt *emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes* SANCTIFICATIONEM *in timore Dei.*

Neque idcirco tamen, sicut Sectarij ex ignorantia cauillantur, officium Christi proprium (quatenus, prima ad Timotheum secundo, *vnus fuit mediator Dei & hominum*, nosque in sanguine suo redemit) ponimus ex nostris etiam coope rationibus aut mediis constare, aut ab illis ita adiuuari, quasi non ipse solus id, quod redemptoris erat, peregerit. Vt enim disputatione prima, vbi suprà, exposuimus, hoc propriè Christus redemptoris officio functus est, quòd suorum meritorum vi ex iustitia obligauit æternum Patrem, vt *quantum in ipso est*, sponsione facta, *vellet* omnibus reconciliari conferreque salutem, atq; adeò etiam id faceret, quatenus ipsi homines vterentur mediis, quæ propter eorum gloriam, atque vtilitatem maiorem, quasi ex conuentione inter Christum & ipsum æternum Patrem inita, ad eum effectum valerent. Hanc autem obligationem sine adminiculo prorsus cooperationis nostræ, aut mediorum vsu ex parte nostra, Christus per semetipsum æterno Patri (vt ita dicam) iniecit. Quare in solidum illi totũ Redemptoris officium relinquimus, tametsi diuersorũ mediorum ex parte nostra vsum conferre etiam doceamus, vt salutem *re ipsa* consequamur merito redemptionis per solum Christum, vt dictum est, nobis comparatam.

His ita explicatis, ad ea, quæ sunt ex epistola ad Hebræos obiecta generatim primò respondemus, Apostolum illud solùm docere, *vna* tantùm oblatione (vt ita dicam) *primaria* Christum in cruce remissionem peccatorum omni ex parte absolutam, iuxta vtrumque illum remissionis gradum iam expositum, obtinuisse; neque vsum alterius oblationis, quæ sit eiusdem efficaciæ & modi, amplius in Ecclesia esse: atq; adeò non vt in lege veteri, plura sacrificia prorsus diuersa æqualisque efficacitatis iam fieri, quorum nulla videlicet sit dependentia ab aliquo *vno*: & consequenter neque Sacerdotes plures Ecclesiam nunc habere, quorum alij aliis simpliciter succedant, quique non alicuius *vnius* semper vicentis fungentisque principaliter Sacerdotio, *ministri* sint.

Minimè autem Apostolus negare aut improbare voluit frequentationem oblationis *alterius modi & efficaciæ*, quæ vt commemoratiua videlicet illius *primariæ* in cruce factæ, eandemque numero hostiam, nempe Christum continens, remissionem peccatorũ, iuxta posteriorem duntaxat illum gradũ antea explicatum, obtineat, eatenusque fructum sacrificij crucis, tanquam medium quoddam & canalis illius, ad homines deducat, iisque applicet; sicut Sacramenta etiam, & alia media, vnumquodque modo suo, id ipsum faciunt.

Hanc autem rectam esse interpretationem Apostoli, probare possumus non tantùm sanctorum Patrum iudicio, cui Sectarij cedant necesse est, nisi velint esse impudentes, verùm etiam ex disputationis Apostolicæ in illis locis I. EX FINE quidem; nam is fuit, fideles è Iudæorum populo conuersos ea etiam ratione confirmare, quoniam non per sacrificia legis *consummatio* erat, hoc est, non illa remissionem peccatorum, iuxta vtrumque gradum suprà expositum, à Deo obtinebant. Sed hoc fuit officium Christi, diuinitus constituti Sacerdotis secundùm ordinem Melchisedech. Id quod inter cætera ex eo etiam probat, quoniam *plures* Sacerdotes prorsus *diuersi* in lege fiebant, pluresque etiam hostias offerebant *diuersas* planè, & paris omnino modi atque efficaciæ, quæ proinde nullo respectu ab aliqua vna illius temporis penderent. Inde enim colligitur, non illis fuisse impetratam remissionem peccatorum, siue reconciliationem *ex parte Dei*, iuxta priorem illum gradum, quẽ ante exposuimus. Nam quod medium hominibus Deum illo modo reconciliat, id non est necesse, vt sæpius repetatur: cùm Deus animum non mutet, sed in eo permaneat, quod semel statuit, videlicet vt hominibus, si sibi ipsi non desint, propitius esse *velit*. Si quæ verò media repetuntur seu multiplicantur; indidicium id est, ipsa ad remissionem tantùm & reconciliationem ex parte hominum, quippe qui mutantur sæpius, valere. Itaque, vt contraria ratione Apostolus suaderet, per Christum fuisse impetratam absolutam peccatorum remissionem etiam ex parte Dei, satis illi fuit sumere, Christum non plures feciisse oblationes eiusdem modi & *efficaciæ*, sed vnicam tantùm primariam in cruce, qua *in æternum consummaret sanctificatos*; obtinendo videlicet remissionem quoad vtrumque gradum, licet modo diuerso, vti suprà exposuimus.

II. EX VERBIS item Apostoli id etiam licet colligere, quoniam sæpe significat, se, cùm dicit, *vnicam* Christi fuisse oblationem, intelligere *cruentam* illam crucis & aspectabilem, in propria videlicet Christi specie, & perfectiorem quoad *effectum*, vt quæ *precium* redemptionis nostræ cõtinuerit, adeoque plenam vndequaq; remissionem, iuxta vtrumque illum gradum impetrârit. Vt cùm inquit ad Hebr. 9. *Nunc autem semel in cõsummatione seculorum ad destructionem peccati per hostiam suam* APPARVIT. Et: *Neq; per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium* SANGVINEM *introiuit semel in sancta, æterna* REDEMPTIONE *inuenta.* Et ad Hebr. 10. *Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Verbum enim CONSVMMANDI in Scriptura noui Testamenti redemptionis *Opus* absolutum significat, quod præterea admittit vsum mediorum, quibus remissio peccatorum comparetur *re ipsa* ex parte hominis, iuxta posteriorem illum remissionis gradum, suprà expositum. Vt cùm Christus moriens dixit: CONSVMMATVM EST, Ioan. 19.

Et per antithesin huius vnius oblationis satis etiam Apostolus declarat, se tantùm excludere ab Ecclesia *plures hostias* eiusdem modi, & *efficacitatis*, vt diximus, quæ non pendeant ab vna principali, sicut erant in veteri lege. Ait enim ad Hebræos decimo: *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum..., per singulos annos* EISDEM IPSIS HOSTIIS, (id est, eiusdem modi sine aliqua vna primaria, ad quã reliquæ referantur) *quas offerunt indesinenter, &c.* Quibus deinde opponit per antithesin, illam

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnam oblationem Chriſti, cùm addit: *Quia hoſtias, & oblationes, & holocauſtamata, & pro peccato, noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundùm legem offeruntur: Tùc dixi, Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, vt ſequens ſtatuat. In qua voluntate ſanctificati ſumus per* OBLATIONEM *corporis Ieſu Chriſti* SEMEL.

III. Demum ex iis, quæ aliàs in ea epiſtola Apoſtolus docet, manifeſtè quoque ſequitur, non illum reiicere qualeſcunque alias *oblationes Chriſti*, quæ videlicet ad ſacrificium crucis pertineant, tanquam canales, per quos eius virtus ad homines deriuetur. Perſpicuè enim affirmat, etiamnum continenter Chriſtum ſeſe Patri æterno in cœlis pro nobis offerre: *Talem*, inquit ad Hebr. octauo, *habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis: Sanctorum* MINISTER, *& tabernaculi veri, quod fixit Dominus & non homo. Omnis enim Pontifex ad offerendum* MVNERA ET HOSTIAS *conſtituitur. Vnde neceſſe eſt* HVNC *habere aliquid* (ſe ipſum videlicet) *quod* OFFERAT. Et ad Hebræos nono: *Non enim in manu facta ſancta* IESVS *introiuit exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum, vt* APPAREAT NVNC VVLTVI DEI PRO NOBIS.

Magnam certè aduerſariorum cæcitatem eſſe oportet; qui non videant, ita de redemptionis efficacia in cruce peractæ non detrahi, ſi CHRISTVS ipſe in terris per *ſuos Miniſtros* (ſicut ex ſanctis Patribus ſuprà docuimus) ſeſe ad fructum ſuæ paſſionis communicandum offerat, vt nihil de illa detrahitur eo ipſo, quòd Apoſtolo teſte, idem ipſe Chriſtus adhuc *pro peccatis noſtris* in cœlo ſe offert.

Prætereo, bene etiam quoſdam ad ſacrificia Miſſarum incruenta referre locum illum eiuſdem epiſtolæ, ad Hebræos nono, vbi Apoſtolus ait: *Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium his* (ſacrificiis legis) *mundari: ipſa autem cœleſtia* (id eſt Eccleſiam, cuius forma fuerit in monte Moyſi de cœlo monſtrata; vel quæ magis ad viuum, quàm Synagoga, ſtatum cœleſtis patriæ repræſentat) *melioribus* HOSTIIS *quàm iſtis*.

Vt enim per *cœleſtia* hîc Eccleſiam interpretemur, & non ipſam patriam cœleſtem, illa ratio mouet, quòd in cœlis nihil *coinquinatum* eſt (Apocalypſis vigeſimo primo) quod vllis poſsit hoſtiis melioribus emundari. Itaque de hoſtiis loquitur, quibus Eccleſia hîc mundetur: de hoſtiis, inquam, & pluribus, & eiuſmodi, quarum hoſtiæ veteris legis typus & imago fuerint, quæque ideo propriam habeant ſacrificij rationem, qualem in ſolis Miſſarum oblationibus Eccleſia agnoſcit. Quocirca nihil minus voluit Apoſtolus, quàm omnes omnino Chriſti oblationes reiicere: Sed tantùm docuit, vnam quandam fuiſſe velut primariam, ad quam reliquæ tanquam ipſius canales, vt dictum eſt, pertineant, ſicut illa pertinet, quam CHRISTVS ſine controuerſia nunc facit in cœlis.

IV. Neque dubium vllum eſt, quin hunc in modum ſancti Patres exiſtimauerint, Apoſtolum eſſe intelligendum. Huc enim pertinet id quod aiunt, frequentem ſacrificij incruenti in Eccleſia vſum, propterea non repugnare ſententiis illis, quibus Apoſtolus docet, vnica oblatione CHRISTVM redemptionem noſtram perfeciſſe, quia non planè hoſtiam diuerſam, & parem quoad efficaciam, nunc offerimus, ſed eandem quidem ſecundùm *rem oblatam*, alterius autem modi & efficaciæ. Non enim hanc nunc offerri ad recõciliandum Deo de nouo genus humanum, ſed ad commemorationem illius primariæ oblationis in cruce, ad eius communicandum fructum.

Quo fit, vt hoſtia hæc ex vnica illa primaria oblatione, tanquam ex principali, cuius canalis eſt, dependeat; & ideo licet diuerſum habeat modum finemque & effectum (in quo probando gratis laborauit Herbrandus, contra Miſſam, numero decimo octauo, & ſequent.) vna tamen eademq; cum illa crucis quadantenus cenſeri poteſt; iuxta tritum illud Philoſophorum axioma: Vbi eſt vnum propter alterum, ibi eſt tantùm vnum.

AMBROSIVS ſanè hunc in modum obiicit & reſpondet in caput decimum eiuſdem epiſtolæ ad Hebræos: *Quid ergo nos*, inquit, *nõne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna eſt hæc hoſtia, non multæ. Quomodo vna eſt & non multæ? Quia ſemel oblata eſt illa, oblata eſt in ſancta ſanctorum. Hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius, id ipſum ſemper offerimus. Nec nunc quidem alium Agnum, craſtina die alium, ſed ſemper id ipſum. Proindè vnum eſt hoc ſacrificium. Alioquin hæc ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt? Nequaquam, ſed vnus vbique eſt Chriſtus, Pontifex noſter. Hoſtiam mundantem nos obtulit. Ipſam offerimus & nunc. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem fit eius quod factum eſt. Hoc enim ait, facite in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium ſicut Pontifex; ſed id ipſum ſemper facimus.*

Item THEOPHYLACTVS in cap. 10. ad Hebræos. *Quæret*, inquit, *aliquis, num & ipſi ſine ſanguine immolemus. Ita quidem, ſed Chriſti tunc veſanguine immolemus. Ita quidem, ſed Chriſti tunc veminiſcimur obitus, & vna nobis eſt immolatio, non multæ. Eundem enim ſemper offerimus. Quocirca cuſtat vtique vnicum eſſe noſtrum ſacrificium, legis verò multiplex.* Atque ibidem; *Neque in veteri lege, inquit, hodiernus agnus ita cædebatur aut offerebatur, vt prioris alicuius vlla haberetur mentio.*

Et OECVMENIVS in idé caput 10. ad Hebr. *Nunquid non etiam nos incruentas ſemper offerimus hoſtias? Caterùm vnius eiuſdemque mortis Chriſti meminimus.*

Et hoc

Et hoc antiquior SEDVLIVS in eundem locum: *Quamuis nos*, inquit, *non ceſſemus offerre; tamen idipſum offerimus ſacrificium, non alium agnũ hodie, alium cras offerentes.* Et paulò inferius: *Nos in commemorationem Dominicæ ſemel paſſionis, quotidie noſtræq; ſalutis cauſa offerimus.* Quæ eſt etiã ſententia Primaſij in comment. Epiſt. ad Hebr. cap. 10. atque aliorum.

Ex qua doctrina, vt ad eas ſententias, quę fuerũt antea ex Apoſtolo obiectæ, ſpeciatim etiam reſpondeamus, ſatis apparet, quemadmodũ illa intelligi debeant, I. *Semel Chriſtum* ſe pro peccatis obtuliſſe. II. *Semel per proprium ſanguinem intrauiſſe in ſancta.* III. *Vna oblatione conſummaſſe in æternum ſanctificatos, &c.* Videlicet vnicam fuiſſe dicit oblationem Chriſti principalem, quod ad efficaciam quidem attinet, qua precium ille redemptionis noſtræ ſemel tãtùm in cruce motiens, exoluerit, vt eſt explicatum.

Et ſicut nõ negat, ſæpe nihilominus fieri poſſe ſacrificiũ corporis & ſanguinis Chriſti, quod referatur ad ſacrificium crucis modo ſuprà expoſito: Ita quod additum eſt, IV. *Alios plures eſſe factos Sacerdotes; Chriſtum autem Sacerdotium habere ſempiternum*, non ſic accipiendũ eſt, quaſi neget nũc in Eccleſia eſſe Sacerdotes plures, qui ſint Chriſti Sacerdotis in æternum miniſtri, ſub eoque ſacrificent; ſed negat, nunc eſſe multiplicationem Sacerdotum eiuſmodi, qui ab vno aliquo Sacerdote non dependeant, quales erant in veteri lege, vti docuimus.

V. Iam quod etiam ſignificat, repetitionem hoſtiarũ veteris legis fuiſſe indicium imperfectionis earum, interpretationem noſtram potius adiuuat. Hinc enim vult colligi, nullam hoſtiarum legis ita obtinuiſſe peccatorum remiſſionem, vt per ſe Deum flexerit ad ignoſcendũ, quantum eſt ex parte ſua, hominibus, atque adeò per nullam earum factam fuiſſe humani generis redemptionem, ſed per vnam aliquam principalem Chriſti oblationem, quæ modo eodem atque fine non amplius repetatur. Quia vt explicuimus antè, cùm immutabile ſit Dei conſilium, non neceſſe eſt ſæpius id medium repetere, quod ad remiſſionem peccatorum etiam ex parte DEI valet, id eſt, quod DEVM inclinat, vt quantum in ipſo eſt, homini reconciliari velit.

Quod ſi eadem ratione colligas, ſacrificium ſaltem incruentum Miſſæ, carere eiuſmodi perfectione; quoniam idem eodemque modo repetitur; verè concludes, quod ad rem quidem attinet, modò non intelligas, ſacrificium Miſſæ (vt illa legis veteris) dignitate carere, qua *potuerit* ad redemptionem noſtram ſufficere, (eſt enim oblatio rei immenſæ dignitatis) ſed tantũ non fuiſſe ad eum effectum diuinitus ordinatũ. Quod veriſimum eſt. Nam ideo dicimus valere iſtud Sacrificium ad remiſſionem peccatorum, eatenus tantùm quatenus vt medium quoddam hominibus applicat virtutem primarij ſacrificij, quo redempti ſumus, non verò quaſi per ipſum redimamur.

Neque hîc Sectarij proficiunt quicquam, cũ dicunt, ſolùm miniſterium diuini verbi & fidem vniuſcuiuſq; media eſſe, quibus virtus paſſionis Chriſti applicetur. Dicunt enim hoc illi valdè frigidè, ſed ne tenuiter quidem probant. Nos autem ex diuina Scriptura ſic intellecta, vt intellexerunt eruditiſsimi Eccleſiæ Patres, conuicimus, præter prædicationem verbi Dei & fidem quæ ſuo modo ad ſalutem hominibus proſunt, ſacrificium quoque Miſſæ ex inſtitutione Chriſti eſſe mediũ, per quod virtus Chriſti paſſionis ad homines deriuetur.

VI. Cùm verò neget Apoſtolus *ſine ſanguinis effuſione peccatorum remiſſionem fieri*, non de ea remiſſione peccatorum, quæ per legitima Eccleſiæ media nunc fit, ſed de ea loquitur, quæ fiebat in veteri lege per relationem ad Chriſtum in typicorum vſu ſacrificiorum; vt inde doceat, conueniẽter figuris præcedentibus *Chriſtum per proprium ſanguinẽ ſemel introiſſe in ſancta ſanctorum æterna redemptione inuenta.* Sic enim habent Apoſtoli verba ad Hebr. 9. *Omnia pene in ſanguine* SECVNDVM LEGEM *mundantur & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.*

Et tamẽ ita poſſumus dicere in ſacrificio Miſſæ effundi Sacramentaliter Chriſti ſanguinem, quomodo ſuperius ex patrum ſententiis declaranimus, in eo Chriſtum Sacramentaliter immolari, non ſolùm quia mors repræſentatur illius, ſed quia ex vi verborum conſecrationis ſeparatim ſolum corpus, & ſolus ſanguis conficitur. Quo ipſo verè corpus à ſanguine ſepararetur atque adeò funderetur ex corpore, niſi aliunde fieret, vt & ſanguis corpus, & corpus ſanguinem coniunctione indiſſolubili comitetur, quoniam *Chriſtus iam non moritur.* Rom. 6.

VII. Denique ſententiæ illius, *vbi eſt peccatorum remiſſio, iam non eſt oblatio pro peccato*, contextus ipſe declarat, ſenſum eſſe, peracta redẽptione per Chriſtum in cruce ſemel, non eſſe reliquam aliam hoſtiã eiuſdem modi ac efficaciæ, in qua ſicut in illa crucis fiduciam conſtituere poſsimus. Ex quo Apoſtolus ibi concludit, minimè tutum eſſe, nobis in peccatis ac vitiis, quibus Chriſti ſanguis & crux iniuria afficitur vllo modo blandiri: ſed iudicij tantùm ſeueritatem terribilẽ exſpectandam eſſe, niſi virtutem eius ipſius victimæ oblatæ in cruce, per vitæ innocentiã, vel pœnitentiam certè, aliaque media nobis accõmodemus, ac proinde in ea re diligẽtiſsimè laborandum eſſe, cùm non ſuperſit aliud remedium, cui præterea liceat inniti.

Huiuſmodi enim exhortationem illa mihi verba ad Hebr. 10. habere videntur, quæ Apoſtolus continenter ſubiunxit: *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen* (id eſt, carnem ſuam) *& Sacerdotem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

magnum super domũ Dei, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda à cõscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilẽ (fidelis enim est qui repromisit) & consideremus inuicem in prouocationem, &c. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptã notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia; Terribilis autem quædam exspectati o iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Irritum quis faciens legem Mosi sine vlla miseratione duobus aut tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filiũ Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutũ duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Quasi dicat; Cùm non alia in re præterquã in sanguine Christi redemptionis nostræ summa sit constitutra.

Sic etiam in eandẽ sententiam prius dixerat, ad Hebr. 9. *Quemadmodũ statutum est hominibus semel mori, post hoc aũt iudicium; sic Christus semel oblatus est ad exhaurienda multorũ peccata, secundò sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem.*

Oblationem igitur eiusdẽ efficaciæ & modi, cuius fuit illa crucis, negare voluit Apostolus superesse post illã, quæ in cruce semel ad redemptionem nostram facta est; nõ aũt alterius modi oblationes, quibus illius nobis communicetur virtus.

Sed cùm iam aduersus istos probatũ atq; defensum sit, sacrificium Missæ propitiatorium esse pro peccatis; QVAERET nunc aliquis, quorũ ad remissionẽ peccatorũ, & quatenus illud valeat? quoad pœnámne tantũ, an etiam quoad culpam? Et si quoad culpam, num etiam valeat pro peccatis mortalibus? Nam & hoc anteà dicebamus explicatione indigere.

Est aũt hæc quæstio Catholicorum doctorum propria, qui non, vt Sectarij, in iis tantum putãt sibi consistendum esse, quæ fide prorsus explorata sunt, ab omnibusq; credi debent; sed ad eorum etiã quæ sunt fidei, explicationẽ maiorem, faciliorem q; defensionem, vlterius progrediendum, ac ex iis quæ fides docet, adiuncta ratiocinatione sua, vel ꝓbabiliter saltem, statuendum etiam de eo, quod cùm quæstionem habeat ad intelligẽtiam rei vtilem, non est tamen aut scripturæ sententia, aut Ecclesiæ definitione expeditum. Cuius generis hoc ipsum est, de quo iam quæritur. Constat enim ex fide, vt hactenus probatum est, sacrificiũ Missæ pro peccatis esse propitiatorium; sed pro quibus peccatis, & quatenus, non perinde constat ex fide.

Itaque sunt qui censeant, Sacrificium istud ad *pœnarum* tantùm relaxationem valere, quæ luendæ restant post condonatam culpam, vt probauimus Tom. 2. disputat. 6. q. 17. p. 5. Quorum opinio meritò iudicatur minus probabilis. Nã vt pœna non est propriè peccatum, sed peccati effectus, ita neq; remissio pœnæ peccatis debitæ propriè est remissio peccatorum, quamuis ita dicatur per tropum. At ex institutione dominica simpliciter probatum est, sacrificium hoc esse propitiatorium pro peccatis. Valet igitur ad remissionem etiam culpæ, quæ propriè peccatum dicitur.

Deinde, nam potest DEVS pœnam relaxare, etiamsi pœnitentiæ donum & gratiam peculiarem homini non concedat. Hoc autem sacrificium, vt ex veterum sententia concilij Tridentini Patres sess. 22. cap. 2. declararunt, ad remissionem peccatorum valet, impetrando gratiam & pœnitentiæ donum. Non igitur ad solius pœnæ relaxationem, sed etiam ad condonationem culpæ conducit.

Alij sentiunt, valere quidem Sacrificium istud etiam ad remissionem *culparum* non tamẽ mortalium sed venialium: quoniam institutum sit pro amicis, sicut etiam Sacramentũ ipsum Eucharistiæ, quos videlicet antè oporteat obtinuisse in Sacramento baptismi aut pœnitentiæ gratiam, atq; adeò mortalium peccatorum remissionem.

Progrediuntur vlterius alij atq; id etiam diuino huic sacrificio tribuendum putant, vt ad culparum *mortalium* remissionem valeat. Quibus profectò sententiæ Patrum suprà citatæ fauere multum videntur. Aiunt enim Patres, hoc sacrificio *iniquitates purgari*, & crimina etiã *ingentia* dimitti, &c. Quod & cõcilij Tridentini Patres sess. 22. cap. 2. expressè dicunt, atque etiam addunt, *hoc sacrificio placatum* DEVM *gratiam & pœnitentiæ donum*, quibus eiusmodi remittantur crimina concedere. Vnde consequi videtur, ad remissionem quoque mortalium prodesse: cùm constet inter Theologos, venialia peccata vt gratia hominem nõ priuant, ita sine gratia remitti posse.

Videtur autem ex duabus istis posterioribus sententiis in concordiam redactis sententia vna quasi componi posse expeditior, quæ & vtriusq; illarum fundamentis nitatur, & huius sacrificij dignitatẽ sic efferat, vt Sacramenti tamen pœnitentiæ necessitatem (in quo huius rei præcipua difficultas existit) non eleuet. Si enim institutionis huius sacrificij finem *primarium* consideremus; non ad remissionem mortalium culparum sed *venialium*, atque item *pœnæ temporalis* vrum sed *venialium*, atque item *pœnæ temporalis* vtrisque debitæ valet. Nam vt rectè secũdæ sententiæ authores notauerunt, *pro amicis* est institutum, sicut & ipsum Sacramẽtum Eucharistiæ, ad quod tanquam ad conuiuium amici Dei inuitantur. Itaq; ex primario fine eatenus ad peccatorũ remissionem sacrificium hoc valet, quatenus Dei amici remissione peccatorum indigent; quos constat non culpis mortalibus, sed *venialibus* ac *temporali pœna* vtrisque debita, obstrictos esse posse.

Secundariò autem atque ex accidenti verum est, quod postremæ sententiæ authores aiunt, Sacrificium istud conciliare gratiam quoque ac remissionem *mortalium* culparum: si videlicet contingat, vt ij pro quibus sacrificium hoc fiat, mortali aliqua culpa obstricti sint, quæ cùm occulta esset, in affectuque vigeret; neq; per confessionem, tametsi legitimè factam, neque etiã pòst, per contritionem sine Sacramento sufficientem, fuerit deleta.

Quemadmodum etiam cõmunis veraq; sententia est, Sacramentum ipsum Eucharistiæ ex *primario* quidem suo fine non valere ad remissionem peccatorum *mortalium*, & ad conferendã *iustificationis* gratiam, (sed ad eam tãtùm augendam) valere autem ad id *secundariò* & ex accidẽti, si quis peccato mortali ita obstrictus, vt iã exposítum est, bona fide illud vsurpet.

Ita fit, vt iuxta explicationem hanc neq; contra sententias Patrũ huic sacrificio vim obtinendi gratiam & remissionẽ peccatorum *mortalium* omni modo negemus, neq; etiam eodem modo illi, quo Sacramento pœnitentiæ, virtutem eam tribuamus. Pœnitentiæ enim Sacramento non ex accidenti sicut sacrificio, sed ex primario fine ac per se vis illa competit.

Quare minimè aut satis ad iustificationẽ est, aut etiam licet, neglecto pœnitentiæ Sacramento, ad sacrificium Missæ recurrere pro remissione mortalium peccatorum. Sicut neque ad eum finem fas est, absque Sacramento pœnitentiæ vsurpare Eucharistiam; tametsi illa quoque in eo casu, quo paulò ante dictum est, ex accidenti & secundariò valeat conferre gratiam, qua peccatum mortale remittatur.

Atque hæc arbitror hoc loco satis esse de hac quæstione. Tantum præterea notetur, ex his cõsequi, sacrificium Missæ, quatenus propitiatoriũ pro peccatis est, infinitum effectum nõ habere, sed definitũ & taxatum pro voluntate diuina, sicut Baptismus & alia salutis nostræ media. Quamuis enim per hoc sacrificium offeratur res valoris infiniti, videlicet Christus Dominus, tamen non est à Christo destinatum neque ab æterno Patre acceptatum nisi ad effectum limitatum; qualis videlicet sufficit, vt cõdonetur culpa venialis, & temporalis pœna, veniali & mortali culpæ debita, atque etiam ex accidenti culpa mortalis.

Neque tamen scire possumus, quantum pœnæ temporalis huius sacrificij vi remittatur. Hoc scimus, *aliquantum* remitti iis, pro quibus fit: id quod est *intensiuè* taxatum esse effectum huius sacrificij. Quantum autem illud sit, DEVS nouit.

Num verò etiam *extensiuè* istius sacrificij effectus, quoad pœnæ relaxationem, sit definitus, ita scilicet, vt siue pro pluribus siue pro paucioribus illud fiat, *certa summa* relaxationis taxata sit absolutè, cuius ꝓinde minor aut maior pars vnicuique obueniat, vt pro pluribus vel paucioribus sacrificium factum fuerit; an verò *tantum intensiuè*, vt scilicet non eadem remissionis quãtitas diuidenda inter omnes, sed certa quædam vnicuique taxata sit; quæ proinde illi eadẽ proueniat, siue pro pluribus siue pro paucioribus aliis offeratur; ex iis, quæ infrà dicturi sumus, intelligetur.

Pro aliis etiam necessitatibus Sacrificium Missæ esse propitiatorium. §. 23.

NVNC illud est breuiter expediendum, quod etiam posuimus, sacrificium hoc pro aliis quoque NECESSITATIBVS, siue spiritualibus siue corporalibus ex congruitate quadam esse propitiatorium. Id verò probatur I. Quoniam ad subsidiũ in quibusuis necessitatibus ex congruitate quadam à DEO impetrandum, dubiũ non est, quin prosit eiusmodi obsequia præstare DEO, quæ ipsi sint quàm acceptissima: decet enim tunc bonitatem DEI, vt ipse vicissim sit in seruos liberalis. Est autem, vt probatum est, sacrificium Missæ obsequium religionis Deo acceptissimum ex omnibus, quæ illi exhibere possumus. Igitur rectè facimus, si hoc sacrificio munificentiam Dei erga nos, quacunque tandẽ necessitate oppressi simus, commouere conamur.

II. Item, quia non minoris virtutis est hoc sacrificium, quàm illa legis veteris, cùm illis omnibus, Augustino authore libro 17. de Ciuit. DEI, cap. 20. successerit: At pro variis illa necessitatibus rectè offerebantur. Ergo istud etiam.

III. Habemus hac de re perspicua testimonia patrũ, ex quibus licet colligere, cõsuetudinem, quæ obtinuit, vt pro cuiusque generis necessitatibus sacrificium hoc fieret; primùm à Sectariis iniustè & ignorãter fuisse reprehẽsam, ante illos verò in Ecclesia fuisse ab omnibus meritò comprobatam.

Cyrillus enim HIEROSOLYMITANVS Catechesi Mystagog. ante annos 1200. tanquam de re in Ecclesia valde indubitata, hunc in modum scripsit: *Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, Deum obsecramus:* SVPER IPSA PROPITIATIONIS HOSTIA *pro communi Ecclesiarum* PACE, *pro* TRANQVILLITATE MVNDI, *pro* REGIBVS, *pro* MILITIBVS, *pro* SOCIIS, *pro* AEGROTIS, *pro* AFFLICTIS, *et in summa pro* HIS OMNIBVS, QVI INDIGENT AVXILIO.

CYPRIANVS item in serm. de cœna Domini non tantùm *ad iniquitates purgandas*, sed etiam ad *infirmitates sanandas* dicit esse holocaustum.

CHRYSOSTOMVS Homil. 77. in Ioan. *Pro terra*, inquit, *marisque & vniuersi orbis* FRVCTIBVS, *sacrificamus.*

AVGVSTINVS lib. 22. de ciuit. cap. 8. etiam id fuisse suo tempore ex maiorum traditione cũ fructu vsitatum, satis illa Historia commemoranda probat: *Vir*, inquit, *tribunitius Hesperius qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum, Cubbedi appellatum, vbi cum afflictione animalium, & seruorum suorum domum suam spirituũ malignorũ vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros, me ab-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sente; presbyteros, vt aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, OBTVLIT IBI SACRIFICIVM CORPORIS CHRISTI, (vtique non ad communicandam aliis Eucharistiam in fundo, &c. sed pro illa necessitate) *orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio; Deoq; protinus miserante cessauit.*

Atque hoc testimonium cùm sit valdè perspicuũ, audet tamen Herbrandus contra Missam, numero 116. comminisci ex suo cerebro, Augustinum non sacrificio sed *orationibus* tantùm ascribere effectum illum. Tam cæcus est, vt non perspexerit illorum verborum vim: *Obtulit ibi sacrificium corporis & sanguinis Christi, orans, &c.* Si enim orationibus tantummodo erant fugandi dæmones, quid opus fuit etiam sacrificio? aut cur illud eam ad rem factum esse sine vlla reprehensione Augustinus commemorat? Et idémne est, presbyterum *sacrificauisse orantem*, vt vexatio cessaret, & *tantùm orauisse* eum in finem?

Iam illud, cui persuadebit Herbrandus numero 115. contra Missam, Chrysostomũ, cùm ait; *Sacrificamus pro terræ marisque fructibus, &c.* hoc tantùm voluisse dicere, *oramus* vt ista proueniant? Quid interest, vtrum omnino patrum testimonia reiicias, & contemnas, (vt isti tandem coguntur facere) an ita frigidè & ridiculè interpreteris? Nihil omnino: nisi quod hac ratione isti causam suam peiorem faciunt, dum eo friuolo conatu significant, meritò in his controuersiis authoritatis patrum habendam esse rationem, quorum iudicio ipsi damnentur, cùm eorum nequeant satis probabiliter in alienum sensum detorquere sententias.

IIII. An verò est aliqua vel dictio vel syllaba in scripturis, quæ sacrificium hoc pro eiusmodi necessitatibus fieri prohibeat? Cur igitur si per se præstantissimum Deoque acceptissimum, vt copiosè suprà ex scripturis confirmauimus, officium est, non liceat illud offerre ad excitandam Dei erga nos benignitatem in quauis necessitate? Nónne scriptura passim indicat, Dei erga nos munificentiam rectis officiis commoueri?

At non extat, inquient, in scriptura præceptum, quo iubeamur id facere. Hæc istorum non minus absurda, quàm frequens apud eosdem vox, illud prorsus mihi, credo etiam prudenti lectori, significat: oportere contra sententiam ac voluntatem Christi, *seruos nos esse inutiles*, qui nihil omnino sponte ad obsequium Domini facere velimus, quod non simus aliquo præcepto iussi facere. De quo paradoxo dicerem plura, nisi dixissem de illo Tomo tertio, disputatione sexta, quæstione vndecima, puncto primo & secundo, & disputatione decima, quæstione quarta, puncto primo. Trãseamus igitur ad postremum huius disputationis caput, eamque aliquando concludamus. Argumenta enim, quibus isti consuetudinẽ sacrificandi pro necessitatibus variis oppugnent, nulla habent propria, præter vnam pertinaciam & perfidiam. Ea verò quibus frustrà contendunt, sacrificium hoc propitiatorium pro peccatis non esse, iam antè sunt à nobis confutata.

QVÆSTIO QVINTA.

An Missæ sacrificium, vt est propitiatorium, non modò offerenti Ministro, sed etiam aliis fidelibus viuis & defunctis prosit. §. 24.

RESPONDENDVM est, omnino aliis etiam fidelibus viuis & defunctis prodesse. Erit autem huius assertionis vltimę probatio eò brevior, quò est ex iis, quæ pro sacrificij nostri ratione, bonitate atque vi in superioribus disputata sunt, facilior. Atque etiam ob eam causam, quoniam aduersarij hoc loco non tam argumẽtis quàm ignorantia & tarditate quadam ad intelligendum repugnant.

Quia enim inter sacrificij & Sacramenti vsum quid interst, non satis intelligunt; putant sic non posse Eucharistiam ab Euangelico ministro confectam & vsurpatam, prodesse aliis fidelibus, vt nequit Baptismus (hoc enim exemplo vtuntur) ab vno susceptus prodesse aliis, qui non item illum vsurpent. Quæ est magna deceptio.

Nam Sacramentum, cùm ad hominem *motu* quodam applicetur, non prodest, nisi hoc ipso quòd recipitur: eamque ob causam sit, vt quia Sacramentum vnum numero recipi nisi ab vno non potest, vni tantùm sit vtile. Sacrificium autem prodest hoc ipso quòd *offertur*. Quare ita potest aliis etiam præter ministrum prodesse, vt sine controuersia potest per ministrum, aliorum plurium nomine, atque adeò pro aliis pluribus offerri. Iuxta id quod ait Apostolus ad Hebræos quinto, Sacerdotem *pro hominibus constitui in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona* (nomine videlicet aliorum) *& sacrificia pro peccatis.*

Probemus igitur breuiter, Eucharistiam, esse vt Sacramentum est, illi tantùm, qui eam sumit, sit salutaris; prodesse tamen vt est (sicut suprà demonstrauimus) veri nominis sacrificium, pro peccatis propitiatorium, non ministro tantùm, qui sacrificat & sumit, verùm etiam aliis fidelibus viuis ac defunctis.

Quæ res omnino confirmari PRIMO potest ex institutione ipsa Dominica. Christus enim cũ sacrificium hoc ad remissionem peccatorum, vt antè probatum est, offerri voluit, nullos præscripsit limites; vt scilicet, ministro, aut viuis tantùm illud prodesset, sed absolutè *ad remissionem peccatorum*, vt fieret, mandauit; quemadmodum ipse quoq; pro remissione peccatorum omnium,

omnium, quibus remitti peccata quacunque ratione possunt, semetipsum tradidit. At non Sacerdos tãtùm, sed etiam alij fideles tum viui, tum etiã (vt ex scriptura Matth. 12. 1. ad Corinth. 3. & sententiis Patrum, quas etiam nunc adferemus, aliàs probatur) ij qui vita functi purgatoriis expiantur pœnis, remissionis peccatorũ capaces sunt, eaque indigent. Igitur his omnibus hoc sacrificium ad peccatorum remissionem prodest: Quod si, vt hæc ratio planè probat ex institutione Christi, hoc sacrificium non pro viuis tantùm, sed etiam pro his defunctis valet, qui remissione peccatorum indigent; apparet profectò, illud eiusmodi defunctis etiam prodesse ex *opere operato*, sicut & viuis, id est, certò, secundùm legem diuinam, vt ex his licet colligere, quæ sunt suprà disputata de valore operis operati.

SECVNDO. Nam Sacrificiis omnibus, quæcunque ex voluntate Dei pro peccatis offerri solita vnquam sunt, commune id fuit, vt pro peccatis non solùm offerentis, sed etiam *aliorum* propitiatoria essent. Quò respiciens Apostolus ad Hebræos septimo, vbide prærogatiu a Christi Sacerdotij loquitur, ipsum dixit *non habere necessitatem quotidie*, QVEMADMODVM SACERDOTES, PRIVS *pro suis delictis hostias offerre, deinde* PRO POPVLO. Et de Iob legimus, Iob. 1. quòd *sanctificabat filios suos, consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos; dicebat enim ne forte peccauerint filij mei, &c.* Cùm igitur suprà probauerimus, sacrificium hoc ex voluntate & institutione diuina rectè fieri, ac meritò pro peccatis offerri; dubitari non debet, quin valeat aliis etiam præter sacrificantem, quicunque peccatorum indigent remissione.

TERTIO accedit, quòd nisi hæc doctrina habita esset in Ecclesia semp pro indubitata & cõsentienti cum sacra scriptura, minimè tam multa tamque illustria veterum testimonia nobis ad eius confirmationem suppeterent. Cyrillus quidem HIEROSOLYMITANVS Catech. 5. Mystag. cuius etiam suprà testimonio vsi sumus, manifestè inquit: *Postquam confectum est illud spirituale sacrificium & ille cultus incruentus, Deum obsecramus super ipsa* PROPITIATIONIS HOSTIA *pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro his* OMNIBVS QVI EGENT AVXILIO: *egemus autem omnes. Postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt. Primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorũ, Martyrum*, (vt hodie quoque fit in canone) *vt Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat.* (notetur hic obiter etiã in Missa inuocatio Sanctorum) *preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis patribus & Episcopis. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt*: MAXIMVM ESSE CREDENTES ANIMARVM IVVAMEN, PRO QVIBVS OFFERTVR OBSECRATIO SANCTI ILLIVS ET TREMENDI, QVOD IN ALTARI POSITVM EST, SACRIFICII. *Nos enim pro defunctis precationes adhibentes, quamuis sint peccatores, non quidẽ coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum* OFFERIMVS, *vt nobis* AC ILLIS, *eum qui est benignissimus*, PROPITIVM REDDAMVS.

Item ATHANASIVS in q. 34. ad Antiochum: *Intelligimus*, inquit, *peccatorum animas participare aliqua beneficentia ab* EXANGVI IMMOLATIONE *& gratificatione pro ipsis facta: Sicut solus ordinat.* ET PRAECEPIT, *qui viuorum & mortuorum curam gerit* DEVS *noster.*

CHRYSOSTOMVS lib. 6 de Sacerdotio: *Sacerdos*, inquit, *pro vniuerso orbe legatus intercedit, estque apud Deum deprecator*, (vtrumque distinctè memorat, scilicet deprecationem & officiũ Sacerdotis proprium, quo is sacrificãdo videlicet intercedit) *vt omnium non viuentium modò, sed etiã* MORTVORVM PECCATIS FIAT PROPITIVS.

Et Homil. 69. ad populum. *Non temerè* AB APOSTOLIS HAEC SANCITA FVERVNT, *vt in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum posse contingere* LVCRVM, VTILITATEM MVLTAM. *Cùm enim totus consliterit populus extensis manibus, Sacerdotalis plenitudo, & tremendũ proponatur* SACRIFICIVM, *quomodo* DEVM *non exorabimus pro his deprecantes?*

CYPRIANVS lib. 1. Epist. Epistola 9. cũ decretũ antecessorum suorũ Episcoporum commemorasset, vt si quis frater excedens de seculo ad tutelã vel curã bonorum suorum presbyterũ nominaret, pro eo nõ offerretur, neq; ꝓ dormitione eius sacrificiũ fieret; contra Victorẽ quẽdã eius decreti transgressorẽ hãc sententiã pronunciauit: *Ideo victor, cum contra formã nuper à Sacerdotib. datam, Geminum Faustum presbyterũ ausus sit authorem constituere, non est*, QVOD PRO DORMITIONE EIVS APVD VOS FIAT OBLATIO *aut deprecatio aliqua in Ecclesia eius nomine frequẽtetur, vt Sacerdotum decretum religiosè et necessitate factum seruetur à nobis: simul & cæteris fratribus detur exemplũ, ne quis Sacerdotem* DEI *ad seculares molestias deuocet.*

AMBROSIVS in quadã Epistola consolatoria ad Faustinũ de morte sororis; *Ego*, inquit, *non tã deplorandã* (illius sororem mortuã) *quàm orationibus prosequendam reor; non mœstificandã lachrymis, sed magis* OBLATIONIBVS ANIMAM EIVS DEO COMMENDANDAM.

Et in oratione funebri de obitu Valẽtiniani Imperatoris: *Date*, inquit, *manib. sancta mysteria, etc. animam piam nostris oblationibus prosequamur.*

THEOPHYLACTVS in illud Lucæ. 12. *Eum timete, &c. Non semper* (ait) *qui moriuntur peccatores, mittũtur in gehennã, sed sunt in potestate* DEI, *vt etiam dimitti possint. Hoc autẽ dico propter* OBLATIONES QVAE FIVNT PRO DEFVNCTIS.

AVGVSTINVS lib. de cura pro mortuis agẽda cap. 1. *In Machabæorũ*, inquit, *libris legimus, oblatũ pro mortuis sacrificiũ: sed etsi nunquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parua hac* CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca

SVETVDINE *claret authoritas, vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino* DEO *ad eius altare funduntur* (vtiq; ad id etiã altaris sacrificio conferente, sicut conferebat etiã commemoratum ab Augustino sacrificium Machabæorum) *locum suum habet commemoratio mortuorum.*

Idem in Enchirid. cap. 110. *Neq; negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium* MEDIATORIS OFFERTVR, *vel eleemosynæ in Ecclesia pro iis fiunt.* Tum etiam ibidem: *Cùm ergo sacrificia siue* ALTARIS, *siue quarumcunque Eleemosynarum pro Baptizatis defunctis offerũtur; pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis* PROPITIATIONES SVNT.

Sed & pro eodem Augustino mortuo, ex recepta ab ipsoque viuo probata Ecclesiæ consuetudine, sacrificatum esse, commemorat POSSIDONIVS in vita Augustini, cap. 31. *Nobis*, inquit, *astantibus, & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, obdormiuit in pace, cum patribus suis: pro eius cõmendanda corporis depositione* SACRIFICIVM DEO OBLATVM EST, *& sepultus est.*

Sic etiam ipse Augustinus Monicam matrem suam pro se mortua vt sacrificaretur, desiderauisse scribit: *Non ista*, inquit lib. 9. confess. cap. 13. *mandauit nobis* (vt pompa in eius sepultura adhiberetur) *sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit: cui nullius diei prætermissione seruierat;* VNDE SCIRET DISPENSARI VICTIMAM SANCTAM (id est, applicari virtutem redemptionis) *qua deletum est Chirographum, quod erat cõtrariũ nobis; qua triumphatus est hostis computans delicta nostra, & quærens quid obiiciat, & nihil inueniens in illo, in quo vincimus.*

Nec verebor hic etiam grauissimum GREGORII Magni testimonium opponere Herbrandi & aliorum Sectariorum leuitati leuissimæ, qua fidem hac de re tanti patris adeoq; totius Ecclesię communem atq; certissimam suis cachinnis oppugnari posse putant. *Multum*, inquit lib. 4. dialogor. cap. 55. vir ille Sanctissimus, *solet animas etiam post mortem* SACRA OBLATIO HOSTIAE SALVTARIS ADIVVARE.

Quibus testimoniis ne omnia persequar vnicum addo CLEMENTIS Romani lib. 6. constit. Apostol. ca. 29. grauissimi & antiquissimi patris in Apostolorum persona sic præcipientis: *Conuenite in cœmiteriis ad legẽdos sacros libros, & canendos Psalmos pro mortuis martyribus et sanctis omnibus, qui sunt à seculo defuncti;* AC PRO FRATRIBVS VESTRIS, QVI IN DOMINO MORTVI SVNT, ET EVCHARISTIAM DEO ACCEPTAM (cur hoc loco acceptam diceret, nisi vt significaret prodesse illis posse?) *antitypũ id est Sacramẽtũ regalis corporis Christi* OFFERTE *in Ecclesiis vestris: atq; etiã cum excedunt è vita prosequimini cãtu psalmorũ, si fuerint fideles; preciosa enim (psalm. 115.) in cõspectu Domini mors Sanctorũ eius, etc.*

Eant nunc igitur Herbrandus, & Kemnitius cũ reliqua turba Sectariorũ, & vsque ad satietatẽ nugentur, purgatoriũ fictionem esse poëticã ac Missas pro defunctis imposturas. Prudẽtes certè authoritate potius mouebũtur Cyrilli, Cypriani, Chrysostomi, Augustini, Ambrosij & reliquorũ Patrũ, qui in scripturis sanctis exercitatissimi vtrumq; constanter asserunt, mouebuntur, vt certissimè credant, Sectarios, quòd ista sugillent & imposturas esse censeant, verissimos esse impostores; quibus *indicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.*

Quid enim habẽt isti, quod tantæ tamq; cõsentienti patrũ sanctorũ authoritati opponant. Nihil omnino, nisi q̃ nolunt credere, & ad seducendos simplices, Platonicas fabulas & nescio quas nugas appellant. Itaq; nõ opus est vllis istorum argumẽtis hoc loco respondere, quoniã nulla habent ꝓpria. Si quid enim contra Missas pro defunctis obiiciunt, iam id in superioribus refutatum est; non enim hanc nostræ assertionis partem ꝓpriè, sed sacrificij rationẽ absolutè, aut eius propitiãdi vim oppugnant, quia vt initio admonui, quòd vnumquodque pertineat argumentum, homines ignorantia vndequaque cœci non vident.

Tantùm Herbrandi palpabile ac impudens mendaciũ hoc loco notari volo, q̃ scribere veritus nõ sit, contra Missã, num. 107. *Scelerate nos attexere eruditæ vetustati id, quod nec sensit nec scripsit,* cũ patres dicimus (sicut multis iam rebus demõstrauimus) *sacrificium propitiatorium etiã pro defunctis asseruisse.* Atq; eiusdem item simplicitatẽ vel potiùs astutiam nimis simplicem, q̃ præclare satisfacturum se nobis putauerit, si vnum locum Chrysostomi nobis citaret. Num. 105. & 106. vbi ille etiam commemoret, sacrificia fuisse facta in memoriam Sanctorum Patrum & Martyrũ, non ad peccatorum remissionẽ ipsis impetrandam, sed ad eorum laudes celebrandas gratiasque agendas DEO pro beneficiis in ipsos adeoque in Ecclesiam collatis.

Scimus ipsi quoque hoc factum esse, vt aliqua etiã testimonia, quæ recitauimus, indicant, imò id ipsum facimus hodie, sicut apparet ex Missæ Canone. Sed illud præterea euidentibus Patrum testimoniis cõfirmamus, ad propitiandum Deum iis defunctis, qui à peccatis nõdum omnino expurgati sint, etiã fieri posse sacrificium. Quod ex eodem Chrysostomo nõ solùm in locis antea recitatis, sed etiã in Liturgia, quam Herbrãdus citauit, vel maximè potest ostendi. Nã inter cætera ibi docet, Sacerdotẽ offerre etiã debere *pro recordatione, &* REMISSIONE PECCATORVM *eorum, qui extruxerunt sanctam mansionem*, id est, templũ in quo celebratur; vt iam alia ex illo loco non commemorem, quæ id ipsum declarant.

Neque minus etiam ineptè Herbrandus facit in præfatione, disp. contra Missam, quod aduersus fidem eius historię, in qua Gregorius narrat, animas nonnunquam defunctorum diuina dispositione & virtute apparuisse viuis, vt pro se sacrificium fieri peterent, illa opponit, quæ sunt etiam rectè à Chrysostomo disputata cõtra magicas

gicas & necromanticas, adeoq; diabolicas hoc in genere præstigias. Etsi apparitionibus istiusmodi quidem vt nullam adhibere fidem, si sint graui præsertim testimonio probatę, hominum ceruicosorum, plerumque etiam stultorum esse putamus, ita doctrinam nostram nõ illis, sed argumentis iis, quæ ex scriptura sacra & ex patrũ authoritate duximus, præcipuè niti intelligimus.

Quonam modo Sacrificium Missæ prosit fidelibus viuis & defunctis. §. 25.

CVM probatum contra Sectarios sit, sacrificium Missæ, vt propitiatorium est, non ministro tantùm, sed aliis etiam fidelibus viuis & defunctis prodesse, quicunque remissione peccatorum indigent, eiusque compotes esse possunt; meritò quæret aliquis, an sacrificium ipsum per se, quotiescunque fit, æqualiter prosit omnibus fidelibus viuis & defunctis ex *opere operato*, hoc est per virtutem, quam lege diuina habet taxatam? an verò aliis plus, aliis minus?

Et DICENDVM est, Sacrificium hoc, vt propitiatorium est, pro remissione *etiam pœnæ* non æqualiter prodesse omnibus omnino viuis & defunctis; sed aliis plus, aliis minus, vt magis aut minus aliis, atque aliis, ex intentione Ecclesiæ conuenienter naturæ & efficacitati, quam ipsum Sacrificium habet, applicatur.

Quod vt commodè intelligi possit, cogitatione distinguẽdæ sunt varię quasi portiones effectus seu fructus, quem ex opere operato istud Sacramẽtum habere potest, quod attinet ad remissionem *pœnæ*. Quædam enim portio contingit *omnibus omnino fidelibus* viuis & defunctis, qui ea quidem remissione indigent, eiusque participes esse possunt: quemadmodum omnino etiam posse defunctos in purgatorio, testatur expressè D. Augustinus libro 20. de Ciuitate Dei, capite 19. Alia quædam portio contingit peculiariter illis, qui ex Ecclesiæ instituto *nominantur in Missa*, vt Pontifex, Rex. Quædam iis, qui *procurant*, vt sacrificium fiat. Quædam iis, qui *assistunt* Sacrificio. Quædam iis, qui in eo *ministrant*. Quædam *Sacerdoti* sacris operanti. Quædam illi, cui Sacerdos vult *peculiari intentione* Sacrificium applicare. Nam ad eam etiam rem authoritatem ille quandam habet, vt rectè notauit Scotus quodlibeto 20. quem in hac opinione meritò sequuntur Nauarrus in Manuali, capite 25. numero 92. & alij.

Porrò quæ sit proportio istarum portionum, iuxta varios eiusmodi hominum titulos, DEVS nouit. Illud constat, quòd plures ex illis titulis in vnum aliquem & eundem fidelem concurrerint, eò ipsi fore Missæ Sacrificium vtilius: siquidem pluribus nominibus ei proderit. Est autem inter vltimam portionem, quam potest *applicare* Sacerdos, & reliquas, hoc discrimen: quòd reliquæ sunt diuinitùs taxatę solùm *intensiuè*; illa autem, quæ est applicanda per Sacerdotem, taxata est tum *intensiuè*, tum *extensiuè*, secundùm meliorem sententiam.

Hoc autem ita explicamus. Partem fructus *intensiuè* taxari dicimus, cùm vni quidem homini non potest ex opere operato Sacrificij maior, quàm in certa quantitate, contingere: Taxatur autem *extensiuè* etiam, cùm ipsa *secundùm se* taxatur, ita, vt quò plures sint, qui habeant titulum eam participandi, eò minor illius portio proueniat singulis. Asserimus igitur, Sacrificiũ istud non minus singulis fidelibus prodesse secundùm portionem taxatam pro *fidelium* ordine, quamuis sint plures fideles; & sic de reliquis portionibus supradictis, iuxta cuiusque titulum, præter illam, quam *peculiariter applicat* Sacerdos.

Hanc autem portionem à *Sacerdote applicandam* dicimus etiam esse *extensiuè* taxatam, atq; adeò si pro pluribus velit Sacerdos eiusmodi peculiari intẽtione offerre Sacrificium, minùs illud valiturum cuilibet eorum, quàm si pro illo solo offerretur. Atque hac quidem ratione sententiam illorum sequimur, qui censent, Missam oblatam pro pluribus, minus valere singulis, ideoque non licere Sacerdoti pro alio etiam Sacrificium offerre, quando aliàs tenetur illud facere pro vno aliquo; vt ex communiori sentẽtia & veriori, rectè etiã docet Nauarrus in Manuali, capite 25. numero 92. Atque hæc nunc sufficiant de illa actione, qua Eucharistiæ Sacramentum sacrificatur.

PVNCTVM SECVNDVM.

De veneratione huius Sacramenti.

Ad art. 5. D. Thom.

VOD attinet ad venerationem huius Sacramenti, certissima fide tenendum est, diuino cultu latriæ interno & externo illud adorandum esse, vt in Cõcilio Tridentino definitum est sess. 13. capite quinto, & canone quinto, ex perpetua Ecclesiæ Catholicæ sententia & praxi, quam probauimus suprà quæstione tertia, puncto primo. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi ipsæ creatæ species panis & vini primariò & per se diuinis honoribus affici debeant; sed quia Christus, vt est illis Sacramentaliter vnitus, eo cultu prosequendus est. Quo ipso ad illas etiam species secundariò quidem & per accidens pertinet idem cultus, vt à nobis explicatum & defensum est contra Sectarios Tomo tertio, disputatione sexta, quæstione vndecima, puncto quarto.

Atque hinc potest intelligi, Kemnitium in examine Cõcilij, loco citato, & alios Sectarios, cũ iam fatentur, Christum ipsum quidem in Sacramento existẽtem, diuino cultu externo & interno afficiendũ esse; non aũt ipsas species panis &

Universidad de Deusto
Biblioteca

vini, nequaquam intelligere sententiam Ecclesiæ Catholicæ; vel certè malitiosè illã interpretari, vt calumniari probabilius possint. Perinde .n. contra nos disputãt, quasi vellemus ipsas species *per se & absolutè* esse diuino cultu prosequẽdas: à qua Idololatria longissimè abest Ecclesiæ praxis & sententia, vt Tom. 3. loco citato ostẽdi.

Quòd autem nullo modo isti censent, ad species ipsas illam venerationem pertinere, in eo quidẽ hæreticè pugnant cõtra perpetuũ vsum & sensũ Ecclesiæ, vt patet ex illis antiquitatis testimoniis, quæ suprà de hoc ritu adorãdi Eucharistiam recitauimus quæstione tertia, puncto primo. Atq; etiam in ea re inscitiam suam isti produnt. Hoc enim ipso quòd Christus, vt peculiari modo est in illis speciebus, afficitur cultu diuino, pertinet *per accidens* suo quodam modo ea veneratio ad species. Quemadmodum suo modo etiam, hoc ipso, quòd adoratur diuinũ verbum in humanitate assumpta, pertinet eiusmodi diuinus cultus ad illam humanitatem creatã secundariò; neq; in hoc est aliqua Idololatria.

Porrò cùm extra vsum etiam Sacramentum Eucharistiæ permaneat: consequitur, etiam extra vsum posse ac debere in illo Christum adorari. Quod Kemnitius & alij Sectarij impiè negãt. Neque nituntur in ea re alio fundamento, nisi illo suo hæretico, quod suprà q. 1. p. 3. euertimus, nempe Sacramentum istud consistere in vsu & actione tantùm,

Denique & illud notandum, cùm genus venerationis externæ, quo interior cultus Christi in hoc Sacramento existentis significari potest, minimè sit diuinitùs determinatum, ac definitum; omnino licere Ecclesiæ pro ratione temporum ita illud constituere, vt expedit ad gloriam Dei, & ædificationem fidelium. Ex quo vnico fundamento satis refutatur, quicquid omnino nugarum, cauillationum, & mẽdaciorum Kemnitius & alij Sectarij solent contra solennitatem Festi Corporis Christi effutire, quippe illum diẽ, tanquam Sacramenti hostes, de quibus Christus tunc quasi triumphat, vehemẽter oderunt. Huius tamen diei festi institutum, quàm sit Ecclesiæ faustum & salutare, grauissimis verbis est explicatum in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 5. & canone VI. dicto anathemate iis, qui contra loquuntur.

PVNCTVM TERTIVM.

De Circumstantiis celebrationis huius Sacramenti.

D. Thom. art. 2. 3. 4. 5.

DE hoc toto genere accuratè inter alios scripserunt Innocentius III. in sex libris de Mysteriis Missæ, & Thomas VValdensis Tom. 3. de Sacramentalibus, titulo 4. & Robertus Bellarminus libro 2. de Missa. Possunt autem omnes Circumstãtiæ, quibus celebratur hoc sanctissimum Sacramentum & sacrificium, ad hæc septem capita reuocari.

PRIMO enim quædam circumstantiæ pertinent ad finem Celebrationis. Aliæ SECVNDO ad illius modum. Aliæ TERTIO ad illius ornatum siue apparatum. Aliæ QVARTO ad ea, quæ in hac celebratione aguntur à Sacerdote. Aliæ QVINTO ad ea quæ ab eodem dicuntur. Aliæ SEXTO ad locum celebrationis. Aliæ SEPTIMO ad tempus.

Quod ad PRIMVM Caput attinet, FINIS quidem *principalis* huius celebrationis solũ est gloria Dei, cui etiam soli sacrificium offertur, vt suprà puncto primo docuimus, & docuit etiam expressè S. AVGVSTINVS libro octauo de Ciuitate Dei, capite 27. & libro 20. contra Faustum, capite 21. Cuius sententiam constanter Ecclesia nunc etiam sequitur & retinet, quicquid contra cauillentur Sectarij. Nam sic etiam declaratum est in Concilio Tridentino Sessione 22. capite 3. vbi dicitur: *Quamuis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueuerit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed* DEO *soli qui illos coronauit. Vnde nec sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificium Petre vel Paule, sed* DEO *de illorum victoriis gratias agens.* Quæ sunt ferè verba Augustini locis citatis.

Secundarij autem fines multi esse solent, ac meritò esse possunt. PRIMO, vtilitas spiritualis, quam tum viuis tum defunctis in purgatorio existẽtibus adfert Eucharistia, vt est quidem Sacrificium; quemadmodum satis superq; probauimus p. 1. suis locis.

SECVNDO, Vtilitas spiritualis, quam Eucharistia adfert viuis duntaxat, vt est quidem Sacramentum, iuxta ea quæ de illius effectibus tradidimus suprà q. 7.

TERTIO laus & gloria Sanctorum, in quorũ memoriam (partim in genere, partim in specie ac nominatim) Missæ celebrantur. Quod re- ctissimè fieri patet ex antiquissimo vsu primitiæ Ecclesiæ, qui obtinuit, vt in Eucharistiæ celebratione sancti nominarentur cũ honore illorum & gratiarum actione pro gratia ipsis à DEO collata.

Id apparet manifestè tum ex Apostolo 1. ad Timotheum secundo, qui interpretẽ Chrysostomo ibi Homilia sexta, & Augustino epistola 59. & *vniuersa penè Ecclesia* (vt ait ibi Augustinus) iussit in celebratione huius Sacramenti fieri *gratiarum actiones*; Vtique pro quibuscunque Dei beneficiis, qualis est gratia data Sanctis. Deinde id apparet manifestè ex Cyrillo Hierosolymitano Catechesi quinta Mystagog. & Epiphanio hæresi 75. & Chrysostomo homilia 21. in Acta Apostolorum, & Cypriano libro tertio, Epistola sexta, & Augustino libro octauo de Ciuitate Dei, capite 27. & libro 22. capite 10. Atque idem patet ex Liturgiis Iacobi, Clementis, Basilij, Chrysostomi.

Quin

Quin etiam rectissimè Sancti tanquam intercessores nostri apud Deum in huius Sacramẽti celebratione compellantur. Nam id aliàs licet, vt conuicimus Tom. 3. Disputat. 6. q. 2. de Oratione. Ergo etiam licet dum Eucharistia celebratur, cùm per eius institutionem nihil minus quàm hoc sit prohibitum. Item licet intercessionem petere tunc à circumstantibus viuis; vt fit per illa verba, *Orate fratres, &c.* Cur non igitur etiam à Sanctis? Item extat ea de re luculentissimum testimonium S. AVGVSTINI Tract. 84. in Ioan. vbi loquens de Sanctis Martyribus: *Ad ipsam*, inquit, *mensam* (Domini) *non sic eos commemoramus quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis vt orent ipsi pro nobis, vt eorum vestigiis adhæreamus, quia impleuerunt ipsi charitatem, qua Dominus dixit non posse esse maiorem.* Et idem apparet manifestè ex Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 5. Mystag. & ex Liturgiis Basilij, & Chrysostomi.

Quanquam minimè quidem *per* ipsum Sacrificiũ (vt pote quod minimè fit Sancto) sed *in* sacrificio imploratur intercessio Sancti. Atq; hoc est quod vult S. AVGVSTINVS lib. 22. de Ciuit. cap. 10. cùm ita scribit: *Nos Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt Spiritus, fabricamus; neque ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed vni* DEO *& Martyrum & nostro sacrificium immolamus. Ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine numerantur, non tamen à Sacerdote qui sacrificat, inuocantur*: nimirũ per ipsum sacrificium quasi ipsis oblatum. DEO *quippe* (subiungit continenter Augustinus) *non ipsis sacrificat.*

Quod ad SECVNDVM Caput attinet, in MODO celebrationis huius Sacramenti potissimum considerari debet, quòd ex parte quidem eius fructus, qui ad *omnes fideles* redundat ex hoc sacrificio (iuxta dicta p. 1. sub finem) atque etiã ex parte *Ministri*, qui vt publicus atque communis Ecclesiæ Minister pro omnibus sacrificiũ offert, omnis Missa est reuera atque censeri debet *communis* & nulla merè priuata; vt verissimè in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 6. definitum est. Rectè enim & orthodoxè S. CHRYSOSTOMVS homil. 6. in 1. epist. ad Tim. scribit, *quasi communem quendam totius orbis parentem Sacerdotem esse*: Et quidem *in obsequio quotidiano perpetuoque diuinæ Religionis ritu*, vt inferius ait Chrysostomus. Qui & lib. 6. de Sacerdotio ait, *Sacerdotem pro vniuerso orbe legatum apud Deum intercedere.* Et in eandem sententiam dicitur in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, capite 30. *Sanctarum plebium præsules mandata sibi legatione fungi, & apud diuinam clementiam humani generis agere causam, & totã secum Ecclesia congemiscente postulare & precari, &c.*

Aliis tamen quibusdam nominibus possunt quædam MISSAE censeri simul quodammodo PRIVATAE, pro quarum vsu etiam habemus testimonia & approbationem antiquitatis. PRIMO propter *tempus*, quia scilicet Missa fiat non festo die, quo soleat communis populus ad Sacrum conuenire, sed die profesto. Quod olim etiam factitatum esse patet exemplo eorum veterum, qui quotidie sacrificare solebant, vt S. Andreas: sicut narrant in eius Martyrio presbyteri Achaiæ. Et S. Cassius episcopus Narniensis, apud S. Gregorium homilia 37. in Euangelia. Et vulgo etiam alij Sacerdotes, teste Chrysostomo homil. 3. in epistolam ad Ephes. & Hieronymo in Caput 1. epistolæ ad Titum & Augustino Epist. 23. ad Bonifacium, vbi est illa AVGVSTINI sententia: *Nonne semel immolatus est Christus in seipso? Et tamen in Sacramento non solum per omnes paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur.*

SECVNDO propter *locum*; cùm scilicet Missa celebratur non in templo, sed in priuato oratorio vel domo; exemplo S. Gregorij Nazianzeni apud Sozomenũ lib. septimo, cap. quinto. Et S. Cassij apud S. Gregorium homil. 37. vbi suprà. Et S. Luciani apud Nicephorum libro octauo, cap. vndecimo. Imo etiam exemplo ipsius Christi, qui in priuata domo primò celebrauit, & Apostolorum qui frangebant *circa domos* panem Eucharistiæ, Actor. 2.

Item sunt Missæ priuatę ob locum eæ, quę etsi in Ecclesia celebrentur, tamen celebrantur non in præcipuo altari, vt illæ ad quas potissimum solet conueniri communionis causâ, sed in aliquo alio particulari altari. Id quod olim etiam factum fuisse patet ex vsu non vnius sed multorum altarium in eadem Ecclesia: Vt videre est apud S. Gregorium libro quinto Regĩstri, epist. 50. & apud S. Ambrosium epist. 33. Item ex eo quod multi Sacerdotes quandoque celebrabãt in eadem Ecclesia eodem die, vt apparet ex Eusebio libro quarto, capite 45. de vita Constantini. Sicut etiam iam olim tria Sacra, vt nunc, ab eodem Sacerdote fiebant in die Natalis Domini; vt apparet ex S. Gregorio in homil. de Natali Domini. Ac S. LEO epist. 81. capite secundo, iussit etiam iterari Sacrificium in eadem basilica eodẽ die: *Cùm plenum*, inquit, *pietatis atque rationis sit, vt quoties basilicam, in qua agitur præsentia nouæ plebis, impleuerit, toties sacrificium subsequens offeratur.*

TERTIO potest priuata censeri Missa ex parte *auditorum*: si nimirum pauci ei intersint; quantumuis & in Ecclesia & in altari etiã primario fiat. Et pro vsu quoq; huiusmodi Missarum habemus authoritatem & exemplum antiquitatis; vt patet ex testimoniis allatis pro Missis in priuato *loco*; & ex Gregorio lib. 4. epist. 43. Vbi in Monasteriis quidẽ vetat fieri Missas publicas, in quibus fiat *Conuentus popularis*, vt inquit, atq; vult ibi

priuatas

Universidad de Deusto
Biblioteca

priuatas tantummodo Missas fieri. Ac tale fuit etiam Missæ sacrificiũ, quod AVGVSTINVS lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. narrat fuisse peractum in domo quadã rustica: Et illud item quod obtulit Ambrosius in ædibus cuiusdam matronæ Romanæ teste Paulino in illius vita. Quamuis vt offertur quidem sacrificium ex vna & eadem communi ac publica Ecclesiæ fide, *publica* Missa censeri potest, etiamsi coram paucis & in priuato loco fiat. Quo sensu ait BASILIVS in psal. 115. *Non in latebris delitescens sacrificabo* (id est, in schismaticorum angulis & conuenticulis) *sed publicũ exhibebo tibi sacrificium*.

QVARTO potest censeri aliquo modo priuata Missa ex parte Communionis ea, in qua solus sacerdos *communicat*, & non etiã alij. Atq; huiusmodi etiã Missas fuisse olim in vsu, apparet manifestè ex S. CHRYSOSTOMO hom. 3. in epist. ad Ephes. cum ait: *Frustrà habetur oblatio quotidiana, cùm nemo sit, qui simul participet*. Quo loco Chrysostomus non reprehendit ipsam oblationẽ sine communicantibus, sed eos qui cùm poterant & debebant communicare, id negligebant facere. Quemadmodum minimè Chrysostomus aut alius Concionator reprehendit officium ipsum concionãdi, cùm queritur, se frustrà & sine fructu cõcionari, sed ipsos auditores, qui non proficiunt ex concionibus.

Idem apparet manifestè ex præceptis Ecclesiasticis, quę olim pro varia ratione temporũ data fuerunt fidelibus de communicando; in quibus præceptis planè supponitur, sæpe contigisse vt absq; vllis cõmunicantibus offerretur sacrificium, idq; rectè alioqui, quãtum erat ex parte sacerdotis & sacrificij. Vt cùm in can. 10. Apostol. & in Concilio Antiocheno can. 2. sub excõmunicatione iubentur fideles communicare in Sacrificio. Et aperte etiam in Concilio Agathensi, vbi in can. 38. fideles solum iubentur cõmunicare in Natali & Paschate & Pentecoste; cùm tamẽ in eodem Concilio can. 31. iubeantur Missæ interesse singulis diebus Dominicis, non autem etiam communicare, sicut in illis aliis tribus solennitatibus.

Quin etiam ex Concilio Nannetensi, cap. 30. apud Iuonem, parte 3. Decretorum, cap. 70. colligitur, quandoq; Missas fieri fuisse solitas nemine prorsus præsente. Siquidem ibi aboletur ea cõsuetudo, cùm iubentur Sacerdotes, ne soli Missam celebrent, nisi habeant vnum saltem qui respondeat. Deniq; in Concilio Toletano XII. can. 5. vt legitimum sit Sacrificium non aliorũ communionem, sed ipsius Sacerdotis indicatur esse necessariam, cùm dicitur: *Quale erit illud sacrificiũ, in quo nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?* Et refertur à Gratiano de Consec. d. 2. can. *Relatum*.

QVINTO ac postremò priuata Missa quodã modo potest censeri ex parte *finis* ea, quæ licet fortè habeat communicantes, tamen fit peculiariter in honorẽ alicuius sancti, aut pro aliquo defuncto, aut pro peculiari aliqua viuorum necessitate, &c. Et huiusmodi etiã Missas esse licitas patet ex testimoniis antiquitatis, partim hìc citatis circa primum caput cæremoniarum celebrationis, partim p. 1. cùm asseruimus, sacrificium Missæ esse propitiatorium quoque pro defunctis & pro necessitatibus viuorum.

Atq; huc peculiariter pertinet Augustini testimoniũ de Sacrificio Missæ celebrato pro matre sua defuncta, iuxta ipsum cadauer lib. nono Confess. capite 12. & libro 22. de Ciuit. cap. 8. de sacrificio oblato in domo rustica ad propulsandam inde vexationẽ dæmonum. Item testimonium Bedæ lib. 4. histor. Anglor. cap. 14. vbi memorat reuelationem quãdam Sanctorum Petri & Pauli de Missis celebrandis in memoriam S. Osualdi Regis. Et hactenus de SECVNDO capite Cæremoniarum.

Quod ad TERTIVM caput attinet, hæc sunt ferè quæ pertinent ad celebrationis ORNATVM. PRIMO vestes sacræ. Pro quibus habemus testimonium Polycratis ante annos 1400. qui apud Eusebium lib. 5. histor. cap. 24. memorat sanctũ Ioannem Sacerdotem fuisse & gestasse *pontificale Petalon*, quod Græcè significat ornamentũ alicuius Sacerdotale. Itẽ Chrysostomi quod siue insigne Sacerdotale. Itẽ Chrysostomi homil. 83. in Matth. & Hieronymi libro 1. contra Pelag. qui meminerunt vsus candidarum vestiũ in administratione sacrificij. Item Damasi in vita Sylvestri, qui ait à Sylvestro statutũ, vt Diaconi vterentur Dalmaticis & Palla linostina ad læuam. Item S. Gregorij, qui in Angliam misit ornamenta altarium & Sacerdotalia vestimẽta, teste Ioanne Diacono in eius vita lib. 2. cap. 37. & Beda lib. 1. hist. Anglor. cap. 29. Item Iuliani Pomerij, qui ante 900. annos in vita S. Hildephonsi apud Surium Tom. 1. narrat, Sacerdotalem vestẽ ab ipsa Beatissima virgine fuisse illi sancto datã. Item Alcuini & Amalarij qui ante 800. annos de Officiis Ecclesiasticis scripserunt, & ratione reddunt singularum vestium quibus nunc in Sacrificio vtimur; id quod etiã faciunt alij posteriores. Vt Rabanus lib. 1. de Institut. Clericor. & Hugo Victorinus lib. 2 de Sacram. parte 4. & Innocentius III. lib. 1. de Mysteriis Missæ. & Walfridus Strabo in lib. de obseruationibus Ecclesiasticis.

Secundò pertinent ad eundem ornatum siue apparatum VASA sacra: quorum passim veteres meminerunt. Vt Chrysostomus in libro siue Oratione de S. Babyla. Gregorius Nazianzenus Orat. de se ipso contra Arrianos. Athanasius Apologia 2. Ambrosius lib. 2. de officiis, cap. 28. (vbi tamen verè docet, vasa ex materia pretiosa prius confracta rectè posse vendi ad sustentationem pauperum, & proinde non esse omnino ad sacrificium necessaria) item Augustinus in psal. 113. &c. Qua de re aliqua etiam testimonia adduximus suprà q. 3. p. 1.

Tertio, ad eundem apparatum pertinent accensi interdiu CEREI, pro quibus habemus testimonium insigne S. HIERONYMI in libro contra Vigilãtium, cap. 3. *Quando legitur*, inquit, *Euangelium, accenduntur luminaria iam sole rutilãte; non vtique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum*. Et in Concilio Carthaginensi IV. Can. 6. dicitur: *Acolythus in ordinatione ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, vt sciat se ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari*. Item tradit Isidorus 7. lib. Etymolog. capite 12. debere Acolythum accendere cereum cũ Christi corpus offertur. Denique in Liturgia S. Chrysostomi Sacerdos progreditur ad altare ministro præcedente cum lumine.

Quod ad QVARTVM Caput attinet, hæc ferè sunt, quæ ad quandam celebrationis cæremoniam AGVNTVR à sacerdote. Eleuat quandoque & expandit *manus* ad significandum affectum & desiderium impetrandi & accipiendi à Deo quod petit: exemplo nimirum Dauidis psal. 62. *In nomine tuo leuabo manus meas*. & psal. 141. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Item exemplo Salomonis, de quo legimus 3. Reg. 8. *Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel, & expandit manus suas, & ait, Domine, &c.* Item Moysis, de quo Exod. 17. *Cumq; eleuaret Moyses manus vincebat Israel*. Vnde Apostolus 1. ad Tim. 2. *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco leuantes puras manus*. Quod fuisse in more Christianis testatur Tertullianus in Apolog. capite 30.

Item eleuat in cœlum *Oculos*, exemplo etiam Dauidis psal. 122. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis*. Atque etiam Christi Ioan. 17. *Sublevatis oculis in cælum dixit, Pater, &c.* Quod & in Eucharistiæ celebratione fecisse habetur ex Apostolica Traditione non modò in ordine siue Liturgia Romana, sed etiam in Liturgia S. Iacobi, & idem affirmat AMBROSIVS libro 4. de Sacram. cap. 5. *Qui pridiè*, inquit, *quam pateretur, respexit in cælum ad te sanctæ Pater omnipotens æterne Deus; gratias agens benedixit, fregit, &c.*

Item adorat Deum *inclinans* corpus & *flectens* genua, in testimonium humilitatis; exemplo non modò Danielis, cap. 6. & Apostoli ad Ephesios tertio, & Actor. 21. & aliorum Sanctorũ, sed etiam ipsius Christi, qui ad nostram vtique instructionem *positis genibus orabat dicens, Pater, &c.* Lucæ 22. Et in Liturgia Chrysostomi *Sacerdos egreditur ex paruo ostio et cõuersus ad Christi imaginem inflexo capite cum exclamatione dicit, &c.* Atque etiam in Liturgiis S. Iacobi, & Basilij *Sacerdos inclinatus*, seu *cernuice inclinata* dicit aliquas orationes.

Item quandoque *tundit* pectus, in signum pœnitentiæ & cõpuncti cordis; exemplo publicani à Domino laudati, Lucæ 18. & eorum qui crucifixo Domino compuncti *reuertebantur percutientes pectora sua*, Lucæ 23.

Item *miscet* aquam vino: quod faciendum esse probauimus suprà suo loco q. 2. p. 1. Item *eleuat* in offertorio coram Deo panem & vinum consecrãdum, vt habetur non modò in ordine Romano scripto ante annos 900. Sed etiam in antiquioribus Liturgiis. Idque fit meritò ad protestãdam internã voluntatem Deo sacrificandi.

Item *lauat* manus priusquam consecret: quæ cæremonia *symbolum est*, inquit S. Cyrillus HIEROSOLYMITANVS Cateches. 5. Mystag. *oportere nos à peccatis omnibus & iniquitatibus mundari*. Et meminit eiusdem cæremoniæ S. Dionysius, cap. 3. de Eccles. Hierarch. parte 3.

Item *ostendit* populo consecratam hostiam & calicem ad adorationem; cuius cæremoniæ meminit S. Dionysius, capite 3. de Eccles. Hierarch. parte 3. & S. Basilius in lib. de Spiritu S. cap. 27. ex Apostolica Traditione, & habetur in eiusdem Basilij Liturgia, atque etiam in Liturgia Chrysostomi.

Item *frangit* hostiam consecratam & commiscet partem sanguini: Vt habetur in Liturgiis, S. Iacobi, & CHRYSOSTOMI, qui & Homil. 24. in 1. ad Cor. de hac cæremonia, circa illud Apostoli, *Panis quem frangimus*, &c. ita scribit: *Quare addit Quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet. In cruce autem minimè, sed omnino contra. Os enim eius, inquit, non conteretur. Sed quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi permittit*.

Item facit varias consignationes *crucis*. Quæ cæremonia passim habetur in Liturgiis Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, ac præsertim in Liturgia Iacobi sæpe legimus *crucis signacula*. Vnde etiã S. AVGVSTINVS Tract. 118. in Ioannem affirmat nisi *signum crucis adhibeatur sacrificio, non rite perfrui*. Et CHRYSOSTOMVS homil. 55. in Matth. *Cùm regeneramur*, inquit, *crux Domini adest; cùm sacratissimo alimur cibo; cùm in ordine consecrãdi statuimur; vbiq; ac semper id victoriæ insigne nobis assistit*.

Item *Thurificat* ad significãdum bonum famæ odorẽ, quem habere cõuenit Ministros Euãgelij & directam in Deum intentionẽ animæ in orando, sicut fumus incensi sursũ ascendit, &c. Iuxta illud psal. 141. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo semper*. Cuius cæremoniæ meminit Dionysius, cap. 3 de Eccles. hierarch. par. 3. & Clemens Romanus Can. 4. Apostol. & extat in Liturgiis Iacobi, & Chrysostomi.

Itẽ *osculatur* vel altare, vel librũ Euangelij, in signũ reuerẽtiæ, vel ministrũ in signum pacis, &c. Cuius cæremoniæ meminerunt passim veteres. Iustinus Apolog. 2. ad Antoninũ. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5. Mystag. vbi ait: *Osculũ hoc reconciliatio est, atq; idcirco sanctũ. De quo et Paulus dicit, salutate vos inuicẽ in osculo sancto. Et Petrus inquit in osculo dilectionis*. Meminit etiã huius rei Tertullianus in lib. de Oratione, in fine, vbi de hoc osculo loquens ait: Quale sacrificium est à quo sine pace receditur?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item aspergit populum *aqua benedicta* in symbolũ puritatis animi requisitæ in tam diuino sacrificio. Quam Cęremoniam tanquam omnino antiquam memorauit ante annos 600. Micrologus in libro de obseruationibus Ecclesiasticis, cap. 46. Ac benedictionis aquæ ex Apostolica Traditione meminit S. Basilius in libro de spiritu Sancto, cap. 27. & alij veteres, quos citauimus q. vltima de Baptismo, p. vltimo. Atque hęc de QVARTO capite.

QUOD ad QVINTVM caput attinet in iis, quæ DICVNTVR in Missa, consideranda sunt potissimum duo; scilicet *Modus*, quo dicuntur & significantur, & *Veritas ac pietas* eorum, quæ dicũtur & significantur.

Ad MODVM hæc pertinent. PRIMO quòd non *lingua vulgari*, sed latina dicuntur ob quandam Sacrificij dignitatem & reuerẽtiam, id quod rectè fieri definitũ est in Concilio Tridentino sess. 22. Can. 9. Quod probatur ex antiquissimo vsu Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis; siquidem in Orientali non aliæ fuerunt Liturgiæ nisi Grecæ, in Latina non nisi Latinæ; tametsi iam olim Græca lingua in Oriente, & Latina in Occidente desiit esse vulgaris; imo in quibusdam prouinciis nunquam vulgaris fuit.

Deinde idem probatur ex natura huius sacrificij, quod nimirum *commune* esse debet omniũ fidelium, & ita celebrari conuenit lingua maximè vna & communi omnibus nationibus, etiã diuersarum linguarum. Neque est necesse vulgari lingua Sacrificiũ hoc celebrari ex parte Dei ad quem tota hæc actio dirigitur, siquidẽ is nullam linguam ignorat. Neque ex parte fidelium, cùm hæc actio minimè ad eum finem instituta sit, vt per eam quidem fideles instituantur & doceantur, sed vt offerant per Sacerdotem sacrificium & communes preces; ad quod satis est ab ipso sacerdote intelligi ea quæ leguntur; itemq; vt pascatur pane cœlesti, quod fieri potest absq; illa verborum intelligentia. Quod autem ait Apostolus 1. Cor. 11. *Quotiescunq, enim manducabitis panem hunc, &c. mortem Domini annunciabitis*: Nõ intelligitur de annũciatione facienda *voce* à singulis; sed *re ipsa* potius à Sacerdotibus per oblationem repræsentantem Christi sacrificium in Cruce, vt p. 1. diximus, & patet ex AVGVSTINO libro 20. contra Faustum, cap. 18. vbi ait: *Christiani iam peracti Sacrificij memoriam celebrant sacrosancta oblatione & participatione corporis Christi.*

SECVNDO ad eundem *modũ* pertinet, quod quædam dicuntur à sacerdote *summissa voce*, ad maiorem scilicet populi reuerentiam. Id quod rectè fieri definitum est à Tridentino Concilio in dicto Can. 9. Et patet ex antiquissimis Liturgiis Basilij & Chrysostomi; Itemque ex Innocẽtio I. epist. 1. ad Decentium Eugubinum Episcopum, cap. 1. vbi ait pacem esse dandam *post ea*, inquit, *quæ aperire non debeo, & quæ aguntur* (vt posteà ait) *in mysteriis*, hoc est, plane secretò. Mysteriũ enim rem secretam & arcanã significat. Vnde in supra dictis Liturgiis μυστικῶς, id est, planè secretè dicenda quædam præscribuntur. Sunt autem hæc illa, quæ dicuntur in Missæ Canone ab illo loco. *Tè igitur, &c.* vsque ad illud, *Per ipsum & cum ipso & in ipso est tibi Deo Patri omnis honor & gloria.*

Post quæ dum sacerdos concludens totum Canonem elata voce subiungit, *Per omnia secula seculorum*, & populus per ministrũ respondet, *Amen*, omnia præcedẽtia in persona etiam omnium fuisse dicta à Sacerdote, significatur.

TERTIO pertinet ad eundem *modum*, quòd quandoque aliqua dicuntur & significantur nõ qualitercunque, sed etiam *cantu*. Quem ritum defendimus tomo 3. disput. 6. quæst. 9. & pro eo habemus exemplum Christi, qui in sacra cœna *hymno dicto exiuit in montem Oliueti*, Matthæi 26. & Marci 14. Rectè enim AVGVSTINVS enarratione in Psalm. 72. initio: *Hymni*, inquit, *cantus sunt, continentes laudes Dei. Si sit laus & non cantetur, non est hymnus.*

QVARTO denique ad eundem *modum* pertinet, quòd aliqua dicuntur seu significantur, vt aliâs, voce, aut cantu, sic etiam quandoq; instrumentis *musicis*. Qui ritus ad excitendam maiorem in animis deuotionem vsurpari in Ecclesia cœptus est ante annos circiter mille, tempore Vitaliani Papæ, vt habet Pontificale & Platina in Vitaliani vita; vel certè ante annos octingentos tempore Ludouici Pij, vt arbitratur Aimonius li. 4. de gestis Francor. cap. 114. Habetautem hæc res exemplum Dauidis, qui piè ludebat coram Domini arca *& percutiebat in organis armigatis*, etc. 2. Reg. 6. Et hæc quoad MODVM (vt dixi) eorũ, quæ in Missa dicuntur.

Quod autem attinet ad eorundem VERITATEM atque PIETATEM facilè quoque ea perspicientur, si breuiter illa percurramus. Igitur principio fit breuissima *fidei protestatio* & inuocatio per illa verba, *In nomine Patris et filij, etc.* Cui catio per illa verba, *In nomine Patris et filij, etc.* Cui adiungitur illo versiculo, *Gloria Patri & filio & Spiritui S. &c.* Quam glorificationem Trinitatis memorat inter alias Traditiones non scriptas S. Basilius lib. de spiritu S. cap. 27. Et quidem iam olim Catholici hunc versiculum vsurpabãt, vt hæc quasi notâ ab Arrianis dignoscerentur, qui non ita dicebant, sed *gloria Patri per filium in Spiritu sancto*, vt videre est apud Theodoretum lib. 2. histor. cap. 24. & in Cõcilio Vasensi antiquissimo Can. 7. Vbi etiam dicitur *per totum Orientem & per totam Aphricam & Italiam, propter hæreticorum astutiam, qua Dei filium non semper cum patre fuisse, sed à tempore incepisse blasphemant, in omnibus clausulis post Gloria Patri, &c. dici, Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula, &c.*

Deinde sequitur *Confessio* peccatorum. Quæ rectè fit non solùm Deo, sed etiã sanctis, & aliis, quando-

quandoquidem illi quoq; suo modo offenduntur, quando offenditur communis omniũ Deus. Et sicut aliâs rectè imploratur intercessio Sanctorum, vt probauimus fusè tomo 3. disp. 6. q. 2. ita etiam in ea confessione. Et in Liturgia S. Iacobi similiter Sacerdos à cõfessione peccatorũ orditur, inquiens: *Peccatorum multitudine inquinatum ne me sprueueris Domine Deus noster, &c.*

Sequitur illa oratio, *Misereatur vestri, &c.* quæ nihil habet reprehensione dignũ: sicut neq; aliq, quæ interponuntur ante Missæ Introitum. Nam quod in vltima earum obsecratur Deus *per merita Sanctorum, quorum in altari reliquiæ sunt*, cõstat ex iis, quæ diximus tomo 2. disp. vlt. q. vltima licitũ esse; maximè cum imprimis oretur Deus *per Christum Dominum nostrum*, qua clausula concludũtur omnes Missæ orationes.

Postea sequitur *Introitus* Missæ, qui constat ex Antiphona sumpta plerũq; ex aliquo loco Scripturæ; & additur versus ex eadẽ, cum *Gloria Patri, &c.* de quo iam dictũ est. Quam cæremoniam antiquissimã esse apparet ex S. Dionysio, cap. 3. de Eccles. hierarch. p. 3. vbi meminit *psalmodiæ* in initio synaxis, ad q̃ Catechumeni admittebãtur.

Deinde seqtur inuocatio illa *Kyrie eleyson*, id est, Dñe miserere. Quæ Greca inuocatio antiquissima est apud Latinos etiam; vt patet ex Augustino epist. 178. quæ continet disceptationẽ Augustini cũ Pascentio Ariano, & ex Concilio Vasensi, can. 5. & ex S. Gregorio lib. 7. Registri, epist. 63.

Proximè subiungitur Hymnus; *Gloria in excelsis Deo, &c.* qui adeò nihil continet reprehẽsione dignum, vt illum etiam approbauerit Lutherus in Formula suæ Missæ. De hoc hymno scribit Innocentius III. lib. 2. de Mysteriis Missæ, cap. 20. *Thelesphorus* IX. *à beato Petro ad Missam nocturnam Natalis Domini (quam idem constituit) cantari præcepit, & in eo ea, quæ sequuntur ad verba Angelorum adiecit. Quanquam à pluribus*, inquit, *asseratur, quòd ea B. Hilarius Pictauiensis adiecerit.*

Post hunc hymnum Sacerdos salutat populũ per illa verba, *Dominus vobiscũ*, ac simul eum cõpellat & excitat ad simul orãdum; sicut olim religiosi (quod & nunc fit) *cum se videbant*, solebant salutare & cõpellare se per hæc verba, *Deo gratias*, vt refert S. AVGVSTINVS enarratione in Psalm. 132. circa medium, vbi eum morem defendit aduersus irrisiones veterum hæreticorum.

Sequuntur *Collectæ*, id est, Orationes; sic dictæ, attributo parti nomine totius actionis Missæ; q̃ quoniã ad eã colligebatur populus, *Collecta* olim nominabatur, vt apparet ex Tertull. in lib. de fugã, circa finẽ, & Augustino in Breuiculo Collationis, collat. tertij diei. Hæ orationes ad Deum ipsum semper diriguntur, & *per Christum* terminantur, & antiquissimæ ac maximè piæ sunt.

Post Collectas sequitur ea lectio Scripturæ, q̃ *Epistola* propterea nominatur, quia plerumq; sumitur ex aliqua epistola Apostolica, tametsi nõnunquã sumatur ex aliquo Propheta. Itaq; non potest de illius, vel veritate, vel pietate dubitari. Meminit autẽ eius lectionis Iustinus Apolog. 2. sub finem, & Dionysius de Eccles. hierar. cap. 3. par. 3. & Tertullianus in Apologet. cap. 39.

Finita epistola subiungitur *Graduale*; sic dictũ, quia solebat dici, dum Diaconus ascẽderet superiorem locum ad cantandũ Euangeliũ, vt aliqui ꝓbabiliter exponunt. Sumitur aũt ex scriptura, & additur *Alleluia* (id est, laudate Dñm) vel quãdoq; etiam *prosa* seu *sequentia*. Itẽ quandoq; loco Gradualis dicitur *Tractus* (hoc est, aliqui alij versus ad animum compungendum & excitandum ad pœnitentiam accõmodati) sine Alleluia, tẽpore scilicet destinato peculiariter pœnitẽtię: vt quadragesima, cum minus conuenit lætitia, quę in Scriptura cõiungi solet cum Dei laude, & eatenus significatur per *Alleluia*, vt patet Tobiæ 13. & Apocal. 19. Vnde in Concil. Toletano IV. can. 10. sic legimus: *Statuimus, vt in omnib. diebus Quadragesimæ Alleluia non cantetur, quia tempus mœroris est.* Sumũtur autem *Tractus* huiusmodi cõmuniter ex Scriptura. Itaq; reprehendi non possunt.

Deinde sequitur lectio ex *Euãgelio* petita prius benedictione, & præmisso illo titulo, *Sequentia S. Euangelij, etc.* ad excitandam attentionẽ populi, ministro respõdente, *Gloria tibi Domine, &c.* Quæ omnia habẽtur etiã in Liturgia S. Chrysostomi, nec possunt absq; impietate reprehendi: Vt nec recitato *symboli* fidei, quæ post Euangeliũ sequitur; de quo instituto in Cõcil. Toletan. III. can. 2. sic præceptũ est: *Petitione Reccaredi regis* (ante mille videlicet annos) *per oẽs Ecclesias Hispaniæ et Galliæ, secundùm formã Orientaliũ Ecclesiarum, Concilij Constantinopolitani symbolum fidei recitetur.* Quod tamẽ cõmuniter appellatur *Nicænũ*, quia reuera est Nicænũ aliquanto explicatius, vt patet ex iis, quæ tradidimus tomo 1. disp. 2. q. 10. p. 2. & tomo 3. q. 1. p. 5. Rectè autem subiũgitur fidei symbolum audito Euangelio; *Cùm fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, Rom. 10. Atque hic finitur ea pars Missæ, q̃ olim nominabatur *Missa Catechumenorum*, quoniã ad eam partem tantũmodò admittebantur, vt intelligi potest ex S. Dionysio cap. 3. de Eccles. hierarch. part. 3.

Deinde sequitur *Offertoriũ*, id est, versus illi ex Scriptura, qui dicũtur seu cantantur ꝓximè ante oblationẽ materiæ. Addũtur aũt iam à multis seculis (vt patet ex Micrologo in lib. de officiis Ecclesiast. cap. 11.) aliquæ orationes in eo offertorio. Prima est illa, *Suscipe sancte Pater, etc.* Vbi quod panis nondum consecratus dicitur *immaculata hostia*, & offerri *pro peccatis, &c.* non de substantia panis, prout tũc est, sed prout paulò post erit (conuersa scilicet in corpus Christi) dicitur, relata ad tempus proximè subsequens intentione Sacerdotis, vt suprà punct. 1. diximus.

Secunda est illa, *Offerimus tibi Domine calicem salutaris, &c.* Quæ similiter intelligẽda est. Et dicitur *Calix salutaris*, id est, Calix salutaris sanguinis Christi statim ibi futuri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia est illa, *In spiritu humilitatis, &c.* Vbi non precamur, vt sacrificium hoc per se placeat Deo, quatenus continet Christum (quod nō opus est petere) sed vt placeat, quatenus fit & offertur à *nobis*, sicut patet ex illis verbis; *Et sic fiat sacrificium nostrum, vt placeat tibi, &c.*

Quarta est illa, *Veni sanctificator, &c.* In qua petimus, vt Deus benedictione suâ reddat efficax hoc sacrificium nō in se, sed *nobis*, & ex parte nostra, reddēdo nimirum nos eius fructu dignos.

Quinta & vltima est illa: *Suscipe sancta Trinitas, &c.* per quam rectè etiam dicitur offerri hoc sacrificium in memoriam Sanctorum, *Vt illis proficiat ad honorem, &c.* eo modo, quo suprà declarauí circa primum caput cæremoniarum. Deinde additur, *Orate fratres, &c.* & commendatur Deo oblatio ex parte nostra per Collectas secretas; de quo genere iam suprà dictum est.

Post hęc sequitur *Præfatio*, per quā ad sacrificiū in cōsecratione cōsistens prēparatur animus. Ex qua illud, *Sursum corda, etc.* Et, *Gratias agamus, &c.* memorat S. Avgvstinvs lib. de bono perseuerāt. cap. 13. *Quod in Sacramētis*, inquit, *fidelium dicitur, Vt sursum corda habeamus ad Dominū; Munus est Domini. De quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere, à sacerdote post hāc vocē, quib. dicitur, admonētur, & dignum & iustū esse respondent.* Atq; eadē, & quæ sequuntur vsq; ad, *Sanctus, sanctus, etc.* memorat S. Cyrillus Hierosolymit. Catech. 5. Mystag. Quę nam autē, & quot sint huiusmodi pfationes, tradit Gratianus de cōsec. d. 1. can. *Inuenimus*, ex Pelagio II. qui præfuit ante mille annos, & can. *Sāctorū*. d. 70. vbi præfationē de B. Virgine ait fuisse propositā ab Vrbano II. q. pfuit ante annos 500. neq; vlla illaru cōtinet aliquid, quod in dubium reuocari possit circa veritatem aut pietatem.

Post prefationē sequitur Canon *Missæ*, à verbis illis, *Tē igitur etc.* In quo plures sunt orationes quarū ferē etiā antiquissimi authores meminerunt. *Prima* est illa, *Te igitur, etc.* vsq; ad illud, *Per eundem Dominum nostrū.* In qua quod dicitur, *Vti accepta habeas & benedicas, etc.* eo modo intelligi debet, quo diximus, circa Offertoriū, scilicet ex *parte nostra, etc.* Item nō fruſtrà repetitur, *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, etc.* sed ad significandam magnitudinē affectus & voluntatis in offerendo. Vt cū ex affectu repetimus sæpius idē in orando; sicut Dauid Psal. 142. *Domine exaudi orationem meā, auribus percipe obsecrationem meam.* Et Psal. 54. *Exaudi orationem meam, et ne despexeris deprecationem meā, Intende mihi, & exaudi me*, & alibi sæpe. Atq; eodem modo accipi potest, quod ibi repetitur offerri hoc sacrificium *p fidelibus omnibus*, pro *orthodoxis*, pro *Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus, pro iis, quorum fides Deo cognita est, &c.*

Quod autē ibid. dicitur, *Hoc sacrificium laudis*, non excludit, quo minus simul sit sacrificiū propitiatorium, vt p. 1. docuimus. Itē quod dicitur offerri *pro redēptione animarū, etc.* intelligi debet, quoad *efficaciam* & *applicationē* Christi passionis, qua demum cum effectu redimimur, nō autem quoad solutionē *sufficientis* etiā precij pro salute nostra, quo modo per sacrificiū Crucis iam ante Christus oēs redemit. Indigēt autem illa redemptione, quoad efficaciam, quādoq; etiam aliqui fideles, qui licet vtcumq; sint deuoti, non sunt tamen in gratia, pro quibus ideo rectè petitur.

Item illud, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, non fruſtrà dicitur, sed significat, vtrumque conuenire fidelibus; scilicet, & vt offerant per Sacerdotem (præsertim qui præsentes adsunt) & vt pro eis offeratur.

Itē illud, *Quorum meritis precibusq́, concedas, etc.* cōmune est aliis orationibus, quibus rectè (vt aliās probatum est) oratur Deus propter Sanctorum merita. Reliqua in hac prima Oratione per se facilia sunt. Vt illud, *Memēto Domine, etc.* id est, benefac instar eius, q. recordatur, &c. sicut Psalmista orauit, *Memento Domine Dauid, &c.* Psalm. 131. & sæpe aliās. Illud autem *Communicantes, &c.* ad ipsos in hac vita fideles inter se refertur: Vt ostendit id, quod sequitur, *Et memoriam venerātes imprimis gloriosæ, &c.*

Secunda oratio Canonis est illa, *Hanc igitur, etc.* vsq; ad, *Per Christum Dominū nostrū, Amen.* Refertur autē hæc oratio à Gratiano ex Augustino de consec. d. 2. can. *Vtrum sub figura.* In qua Oratione S. Gregorius dicitur addidisse illa verba, *Diesq́, nostros in tua pace disponas*, vt refert Ioan. Diaconus in vita illius, lib. 2. cap. 17. & Beda lib. 2. histor. Angl. cap. 1. Petitur autem, vt hanc *oblationē*, quatenus fit à nobis, *Deus placatus accipiat, etc.* sicut de aliis huiusmodi orationibus dictum est.

Tertia oratio est illa, *Quam oblationē, etc.* Cuius orationis tanq̄ à Sacerdote iam olim dici solitæ meminit S. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 5. Petimus autē, vt in omnibus per diuinā *benedictionem* sit efficax hæc oblatio, postquam scilicet præsens subſtantia panis & vini fuerit cōuersa in corpus & sanguinem Christi; & vt hæc ipsa cōuersio fiat, ad huncq́; effectum materia illa præsens *adscribatur* & destinetur, *ratаq́* & idonea habeatur, & denique, vt à nobis hoc sacrificium *rationabiliter*, id est, rectè & piè (vt par est) offeratur.

Quarta oratio est illa post consecrationē, *Vnde & memores Domine, &c.* vsq; ad, *Per eundē Christum Dominum nostrum, etc.* Cuius orationis & initium & reliquas partes penè oēs memorat S. Ambrosivs lib. 4. de Sacram. cap. 6. Et in ea dicitur S. Leo I. addidisse illa verba, *Sanctam sacrificium, immaculatam hostiam*, vt scribitur in Pontificali in eius vita, & refert VValfridus Strabo in libro de Obseruationib. Ecclesiasticis, cap. 22. & Innocentius III. lib. 4. de mysteriis Missę, cap. 4. & alij.

Quod autē ibi dicitur, *Offerimus præclarę, &c. iestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, &c.* referri potest & ad *panem & vinum*, quæ sunt donа Dei, ex quibus per conuersionem habemus ibi corpus & sanguinem Christi, quæ offerimus, & ad ipsum *corpus & sanguinem Christi*, qui etiam nobis

nobis est datus, Isai. 9. Et est simile, quod S. Irenaevs lib. 4. cap. 34. de oblatione Eucharistiæ loquens, ait: *Offerimus ei, quæ sunt eius.* Et cap. 32. in Eucharistia Deo *offerri primitias suorū munerum.*

Itē quod petimus, vt *supra hac propitio ac sereno vultu respicere, & accepta habere dignetur Deus, sicut munera Abel, &c.* de oblatione non per se, vt continet Christum, quo nihil Deo gratius esse potest, sed vt à *nobis offertur* intelligi debet, sicut de aliis eiusmodi orationibus suprà dictum est.

Itē eius, quod dicitur, *Iube hæc perferri per manus S. Angeli tui in sublime altare tuum, &c.* sensus est, vt velit & dignetur Deus Angelica etiam intercessione nostrum officium ipsi commendari, vt in cœlo, tanquam in sublimi altari ei placeat.

Quinta oratio est illa, *Memento etiam Domine*, vsq; ad illud, *Et dormiūt in somno pacis.* In quā rectè orari pro defunctis satis probauimus suprà p. 1. cum ostendimus illis quoq; sacrificiū prodesse.

Sexta oratio est illa, *Nobis quoq; peccatoribus, etc.* vsq; ad, *Per omnia secula seculorum.* In qua Sacerdos *partem* (id est sortem) & societatem cum Sanctis petens, eo ipso petit partē & societatem in cœlis cum Christo, vbi nimirum cum illo sunt Sancti, iuxta illud, Ioan. 14. *Accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.* Et similiter Apostolus ad Colos. 1. ait: *Gratias agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum, etc.* Deniq; dicimus in ea Oratione, per Christum vtpotè verum Deum *hæc omnia bona*, quæ offerimus, quoad materiam quidē priorem, quæ in hæc fuit conuersa, *semper creari*, id est produci; & *sanctificari*, id est, *vtuificari*, id est, conuerti in corpus & sanguinem Christi viuificum; & *benedici*, vt nimirum habeāt in nobis effectum; & *præstari nobis, &c.*

Et hic finitur Canon propriè dictus. Quem esse Antiqvissimvm, quoad potissimas saltē sui partes, patet ex eo, quòd eas, vt omni memoria in Ecclesia antiquiores, atq; adeò ex Apostolica traditione memorat Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 5. & 6. vt diximus. Item ex eo, quòd Gregorius, & Leo (& ipsi antiqui) feruntur quædam ad Canonem, tanquam longè antiquiorem *addidisse*; vt circa secundam & quartam Orationē annotauimus. Et deniq; ex eo, quòd eius etiam sub aliis nominibus antiquissimi auctores meminerūt. Vt Ambrosius in caput 2. 1. ad Timoth. sub nomine *regulæ Ecclesiasticæ*, & Optatus lib. 2. cōtra Parmenianum, sub nomine *Legitimi*. Gregorius autem lib. 7. epist. 63. & alij posteriores *Canonem* expresè nominarunt.

Quod autem ibi ait Gregorivs, *Precem Canonis à quodam Scholastico compositam* (siue in eo loco Gregorij *Scholasticus* sit nomen alicuius proprium, siue nomen docti viri, iuxtà dicta à nobis de hoc vocabulo tomo 1. disp. 1. q. 1. p. 1.) non de toto Canone, sed de *prece* Canonis vltima, post quam dicitur oratio Dominica, intelligendum est, vt facilè deprehendet, qui Gregorium attente ibi legerit. Item quod ibidem Gregorius ait, Apostolos ad solam orationem Dominicam solitos fuisse consecrare, nō debet intelligi ita ordinariè, vt nunquam adhibuerint suprà dictas partes potissimas Canonis, sed quod aliquando propter imminentia pericula solerent consecrare adhibita solum Dominica oratione. Vnde S. Avgvstinvs epist. 59. affirmat, *Ecclesiam totam* intelligere locū illum Apostoli, 1. ad Timoth. 2. *Obsecro fieri orationes, &c.* de precibus, quæ fierent tempore illo Apostolorum ante & post consecrationem Eucharistiæ. Et sanctus Isidorvs lib. 1. de Officiis, asserit S. Petrum primò composuisse certas aliquas eiusmodi preces.

Post Canonē recitatur *oratio Dominica*, vt tradit S. Gregorius in dicta epist. 63. lib. 7. & habetur apud Cyrillum Hierosolymitan. Catechesi 5. mystag. & in omnibus Liturgiis. Ac S. Hieronymvs lib. 3. contra Pelagianos ait, Apostolos orationem Dominicam adhibuisse in Eucharistiæ celebratione ex præcepto Domini.

Deinde sequuntur duæ Orationes. *Prima* est illa, *Libera nos quæsumus Domine ab omnib. malis, etc.* In qua non malè oratur Deus intercedentibus Sanctis, vt suprà dictum est. *Secunda* est illa, *Hæc commixtio & consecratio, &c. fiat accipientibus nobis in vitam æternam, Amen.* Vbi nō petimus, vt consecratio tunc fiat (iam enim ante facta est) sed vt *nobis fiat*, id est, prosit in vitam æternā. Est autem sermo de cōmixtione corporis & sanguinis non secundùm se, sed secundùm illas species. Ac petimus, vt ea commixtio ratione rerum quidem commixtarum *nobis* (vtpotè eas res *accipientibus*) *prosit in vitam, &c.*

Extat autem hæc mixtio in Liturgia S. Iacobi, vbi *Sacerdos, quod tenet in manu dextra immergit in Calicem, dicens: Vnio sanctissimi corporis & pretiosi sanguinis Domini & Dei nostri Iesu Christi.* Item in Liturgia Chrysostomi, & Basilij, & in Ordine Romano. Longè verò aliud est, quod in Communione populi Iulius Pontifex in epist. ad Episcopos Aegypti, (apud Gratian. de cons. d. 2. can. *Cum omne.*) prohibuit, *intinctam Eucharistiam populis porrigere pro* Complemento, vt inquit, *Communionis*, id quod etiam prohibetur in Concilio Bracarensi III. can. 1. De qua prohibitione suprà diximus, q. 8. p. 3. sub finem.

Postea sequitur illa oratio, *Agnus Dei, etc.* ex institutione Sergij Papæ, ante annos 1100. vt refert VValfridus Strabo in lib. de obseruationib. Ecclesiast. cap. 22. & Innocentius III. lib. 6. de Myster. Missæ, cap. 4. & alij.

Deinde sequuntur tres orationes ante cōmunionem dici solitæ à Sacerdote inclinato. Quod vsurpasse primò putātur deuoti Religiosi, vt apparet ex Micrologo libro de Officiis Ecclesiast. cap. 18. & omnino piæ sunt. Et illud, *Domine non sum dignus, &c.* ex Euangelico Centurione.

Postea sequitur Communio, & Collectæ, (de quibus suprà) tum, *Ite Missa est*, id est, Missio seu

Universidad de Deusto
Biblioteca

dimissio populi; (sicut apud Cyprianum lib.3. epist.8. dicitur peccati *Remissa*, pro remissione) vel, *Benedicamus Domino*, in Missis minus solennibus. Deinde illa oratio, *Placeat tibi sancta Trinitas hoc sacrificium, &c.* quatenus à Sacerdote quidem offertur, vt suprà diximus. Ad extremum, *Benedictio*, Ante quam iubetur populus è Missa non discedere in Concilio Agathensi antiquissimo, cap. 47. aliâs 31. Et hactenus de QVINTO capite.

Quod ad SEXTVM caput attinet LOCVS celebrationis debet ordinariè esse Ecclesia vel alius consecratus. de consec. d. 1. cap. *Nullus*. Vel certè (in necessitate) ad id idoneus & decens iudicio Episcopi. cap. *Missarum*, ead. dist. & ad diuinum cultum dedicatus, vt præscribitur in Cõcilio Tridentino sess. 22. in Decreto de obseruãdis & vitandis in celebratione Missæ. Item debet celebrari non nisi super *Altari* saltem portatili, Can. *Concedimus*, de consec. dist.1. Pro consecratione autem Ecclesiarum, vide testimonia à nobis citata, tomo 3. disp.6. q.3. p.3.

Quod ad SEPTIMVM caput attinet, TEMPVS celebrationis omni die est idoneum, vt patet ex dictis circa secundum caput. Præcipuè autem die Dominico; exemplo Apostolorum, qui, *vna Sabbathi*, id est, prima die post Sabbathum conuenire solebant ad *frangendum panem*, Actor. 20. Et idem postea fuisse moris testatur Iustinus, Apolog.2. sub finem. Horæ autem ad id idoneæ sunt ordinariè ab aurora circiter vsq; ad meridiem, excepto die Natalis, vbi licet celebrare media nocte, Can. *Nocte*, de consec. dist.1. Quo die licet ter celebrare, vt patet ibidem; Cùm aliàs id minimè liceat. Can. *Sufficit*, ead. dist. nisi ob necessitatem, in quibusdam casibus relatis à Nauarro in Manual. cap.25. De ieiunio autem ad celebrationem requisito, suprà quæst. 8. punct.3. diximus. Et de his hactenus.

PORRO in his omnibus circumstantiis, quibus huius Sacramenti celebratio cõdecoratur, hæc sunt potissimùm, quæ non probantur à Sectariis. PRIMO, quòd Ecclesia velit *necessariò* illas seruari, atq; adeò ad eas obliget sub peccato: Itemq; quòd vsurpari eas velit, non vt res adiaphoras; sed tanq; in illis etiam consistat aliquis Dei cultus. Ad hoc autem suprà disp. 4. de Sacramentis in genere, q.1. p.5. satis responsum est, cùm defendimus institutum cæremoniarum, quibus sine diuino præcepto Ecclesia vtitur in administratione Sacramentorum.

Et proficiscitur hic istorum error ex aliis duobus erroribus, quos in aliis locis confutauimus. Vnus est, quòd non possit Ecclesia in vniuersum præcipere sub peccato id, quod non sit diuinitùs alioqui mandatum. Quam hæresim refutaui tomo 2. disput.7. de Legib. q.5. Alter est, omnẽ cultum sine Dei mandato susceptum esse illicitũ & idololatricũ. Quam istorum stultitiam satis etiã coarguimus tomo 3. disp.6. q.11. de Idololat. p.1.

Notanda est autẽ peculiariter hîc fraus Kemnitij, qui in examine sess.22. cap.5. & can.7. ita disputat contra necessitatem istam cæremoniarũ, quasi vellet Ecclesia vbiq; locorum seruari easdẽ omnino cæremonias p omnia. Quod falsum est. Nam in quibusdã Ecclesiis est nõnulla varietas.

SECVNDO execrantur isti pleraq; ex iis, quæ pertinent ad cæremonias *verborum*, & inprimis Canonem Missæ, eò quòd hæc cõtineant, vt istis videtur, falsas & ineptas sententias, & errores quosdam, nempe inuocationem Sanctorum, & meritorum doctrinam, &c. Atque etiam obiiciunt, Canonem per partes fuisse compositum: siquidẽ quædã addita fuerunt à Leone I. & Gregorio; vt ne nos quidem Catholici diffitemur.

SED esse verissima & maximè pia omnia, quæ in Missa dicuntur, satis iam à nobis declaratũ est circa quintũ caput huiusmodi cæremoniarum. Ac nominatim nullum esse errorem, inuocare Sanctos tãquam intercessores post Christum, & per Christum, ostendimus satis superq; tomo 3. disp. 6. q. 2. Item nullum esse errorem, tribuere vim meriti bonis iustorum operibus ex Christi gratia factis: imò potiùs manifestam esse hæresim hoc meritum damnare, demõstranimus tomo 2. disputat. 8. quæst. vlt.

Neque quicquam illud obstat, quòd quædam sint addita à duobus illis Pontificibus in Canone. Hoc enim Pontificum officium est, vt quæ ad diuini cultus ornamentum expedire videantur, pro tempore instituant, sicut defendimus p.1. s. 16. Nec propterea aliquid reiiciendum est, quod à pluribus sit compositum. Alioqui reiicere oportebit ipsum volumen Scripturæ, vtpotè à pluribus, nec vno tempore compositum. Itemq; symbolũ Apostolicum, quod fuit compositum à pluribus Apostolis, vt vidimus tomo 3. disp.1. q.1. p.5. Adde, quòd antiquitatẽ Canonis planè Apostolicam, quoad præcipuas eius partes, iam ante probauimus circa caput quartum cæremoniarũ, & nominatim luculento testimonio Ambrosij lib.4. de Sacramentis, cap.5. & 6. vbi bonã ille Canonis partem, tanquam semper ante sua etiam tempora in Ecclesia vsitatam recitat; id quod suprà quoque p.1. annotauimus. Ac multa in hoc genere luculẽter disputat Thomas VValdensis tomo 3. de Sacramẽtalibus, tit. 4. Ex quibus facilè est refellere nugas Kemnitij in exam. sess.22. cap.4. & can.6. vbi istorum blasphemia in eiusmodi Canonẽ, iusto anathemate plectitur.

TERTIO contendunt, Eucharistiæ Sacramentum lingua vulgari, & perpetuò elata voce celebrandum esse, contrà quàm Ecclesia solet, cuius in hac re consuetudo probatur in Concilio Tridentino sess.22. cap.8. & can.9. Sed istis hoc loco sic occurrendum est. *Primò*, non imperauisse Christum, qua lingua, vel quomodo ea esset vtẽdum in conficienda seu celebranda Eucharistia; sed tantùm præcepit sententiam ipsam Formæ (*Hoc est corpus meum, &c.*) significare, quatenus id ad

id ad confectionem Eucharistiæ sit satis, vt suprà q.6. ostendimus, eò quòd præceptum istud institutionis, *Hoc facite, &c.* inprimis fuit præceptũ *faciendi*; loquendi autem non nisi quatenus loquutio ad veritatem facti requiratur & sufficiat, vt ostendimus etiam in hac quæst. p.1. Iam verò significatio illa Formæ, si respiciamus solum diuinum præceptum, æquè fieri potest quocunq; idiomate, nec minùs submissè, quàm elata voce: quamuis in ea quidẽ re, Ecclesiæ instituto & consuetudini conformare se quisque debet.

Deinde perpendendum hîc est, quomodo ea, quæ in Missæ actione dicuntur, referantur alioqui ad instructionem fidelis populi, vt recte etiã dicitur sess.22. cap.8. Concilij Tridentini. Nimirum nõ ita, quasi omnia in specie oporteat omnes intelligere: sed quia generatim omnes intelligere oportet quædam, nempe ibi fieri consecrationẽ corporis & sanguinis Christi, & offerri orationes pro omnibus. Id quod satis est, vt non absurdè vel per se, vel per Ministrum populus respondeat, *Amen*, generali videlicet quodam cõceptu approbans illud idem, quod facit Sacerdos nomine omnium.

Item est instructio populi Missæ actio mediatè (vt sic dicam) qua ratione nimirũ lingua vulgari ea, quæ ex Scriptura sacra ibi leguntur, populo deinde explanantur, sicut etiam interdum ipsa quoque mysteria Missæ explicare conuenit. Id quod iniungit Concilium Tridentinum sessione 22. cap. 8. Parochis & aliis curam animarum gerẽtibus, vt per se vel per alios diebus Festis & Dominicis hoc faciant.

Alia autem ratio est, quando per se & directè fidelis populus instruendus est concione & exhortatione. Tunc enim absurdum esset, ad illum loqui submissè, aut eiusmodi lingua, quam non intelligeret. Quo sanè pertinet admonitio Diui Pauli, 1. Cor.14. vbi vetat in Ecclesia *loqui lingua ignota* sine interprete, ac præcipit tũc tacere, sibique tantùm loqui & Deo. Intelligit enim, rationem loquendi in modum docentis, aut exhortantis: quo etiam pacto vetat ibidem mulierem in Ecclesia loqui.

Ex qua re potest intelligi, quàm ineptè Kemnitius in examine Concilij Tridẽt. sess.22. cap.8. & can.9. ac alij Sectarij hoc Pauli loco abutantur contra vsum Latinæ linguæ in sacris Catholicorum. Scripsit autem hac de re accuratum librum Iacobus Ledesma Societatis nostræ, ac ipsi etiam de hoc aliquid diximus in Apologetico de sacrificio Missæ, cap.3. sub finem, vbi etiã respondimus ad quoddam testimonium Innocentij III. & Iustiniani Imperatoris, quibus perperam in hac re Sectarij abutuntur.

Innocentius enim in Cap. *Quoniam in plerisq;*, Extra de officio Ordinarij, tantùm præcepit, vt *inextã diuersitatem rituum & linguarum cuiusq; gentis* promideantur ministri, qui rectè & cõuenienter administrent ipsis Sacramenta *instruendo* illos de iis lingua quæ ab illis intelligatur.

Iustinianus autem in nouellis, Constit.123. indefinitè seu generatim tãtùm admonet Episcopos, vt curent *celebrari clara voce* Eucharistiam, & dicere *preces* in Baptismate ad *maiorem populi deuotionem excitandam*. Quod sanè etiam fit, cùm lectiones Scripturæ in Missa, itemq; Orationes, (vt & in Baptismo) clarè pronunciantur; etiamsi quidam adsint fortè, qui immediatè quidem, & in specie non omnia intelligant. Quæ res ex alia parte non parùm commouet populi deuotionem: sicut etiam illud secretum, quo proferũtur quædam à Sacerdote. Nam & in lege veteri videmus non parùm ad pietatem in populo excitandam valuisse, quòd summus Sacerdos *solus intrabat in sancta sanctorum*, intercessurus ibi in secreto pro populo apud Deum.

QVARTO detestantur isti Missas, quas ipsi vocant *priuatas*, in quibus videlicet solus Sacerdos communicat, aut etiam quæ non fiunt præsentibus pluribus. Sed suprà punct.1. & in Apologetico de sacrificio Missæ, cap.3. ad hãc istorum obiectionem satis respõdimus. Considerandum enim *Primò* est, Christum nequaquam præcepisse, vt semper adessent plures, aut etiam communicarent: non enim ipsis verbis institutionis, ad quæ referendum est illud præceptum, *Hoc facite*, propriè narratur, id Christum tũc in cœna procurauisse; sed *circumstantiæ* eæ fuerũt illius actionis Christi. Quæ quidem circumstantiæ nõ magis propterea à Christo imperatæ sunt illo præcepto, *Hoc facite*, quàm vt noctu & corã duodecim tantùm (sicut tunc factum est) Eucharistia celebretur, vt latè p.1. defendimus.

Secundò, ad refellendas nugas Kemnitij contra cap.6. & can.6. sess.22. Concilij Tridentini, vbi Missæ eiusmodi approbantur, notãdum est, ex antiquitate non posse proferri vllum testimonium, vnde constet, nunquam fuisse celebratas Missas sine communicantibus, aut pluribus, qui adessent: licet Missæ etiam *peculiares* aliquando vocarentur à veteribus illæ, in quibus quandoque aliqui communicarent priuatim in aliquo Sacello, & non in magnis Basilicis in frequentia populi, vt frustrà Kemnitius loco citato laborat probare. Non enim, si aliquando id factum est, illicò sequitur, quotiescunque in priuatis locis Eucharistia olim celebrata est, ita factum fuisse, id est, interfuisse, qui etiam communicarent. Immò verò contrarium licet colligere ex quibusdam veterum testimoniis, quæ antea pro huiusmodi Missis citauimus circa secundum caput cæremoniarum.

AVGVSTINVS enim lib.22. de ciuit. Dei, cap. 8. narrat, in fundo cuiusdam Hesperij Tribunitij viri, fuisse à Sacerdote *oblatum Sacrificium* Eucharistiæ, ad fuganda spectra, quibus ille locus infestabatur. Neq; sanè est verisimile, ibi in fundo fuisse institutam communionem: nec talis

communionis vllam ibi facit mētionem D. Auguſtinus. Item apud Sozomenum lib. 7. cap. 5. & lib. 9. hiſtoriæ tripartitæ, cap. 8. de D. Gregorio Nazianzeno narratur, ſolitum eum fuiſſe Conſtantinopoli *in parvo Sacello ſacra facere.*

Et clariſsimè D. CHRYSOSTOMVS (vt ſuprà notauimus) homil. 3. in 1. cap. ad Epheſios indicat aliquando fuiſſe ſacrificatum ſine communicantibus: ſiquidem reprehēdens eos, qui cùm dignè ad communionem accedere poſſent, id facere negligebant, dicit: *Fruſtrà habetur quotidiana oblatio, fruſtrà ſtamus ad altare, nemo eſt, qui ſimul participet.*

Ex quo loco perſpicuè intelligitur, vſurpatum fuiſſe temporibus Chryſoſtomi, vt etiam ſine vllis communicantibus, Euchariſtiam Sacerdotes in altari celebrarent. Neq; illos Sacerdotes, quòd hoc facerent, reprehēdit; ſed alios, qui communionem negligerent, ſeq́ue fruſtrarent communionis Sacramentalis fructu vberiori, cùm eius alioqui participes fieri poſſent. Et tamen vſque adeò fuit impudens Kemnitius, vt ex hoc Chryſoſtomi loco truncatim recitato, perſuadere voluerit, illicitas eſſe eiuſmodi Miſſas, ſi nemo ſit, qui communicet.

Neque minoris impudentiæ ac leuitatis eſt, quod idem ſuadere conatur ex loco Apoſtoli, 1. Cor. 11. vbi eos reprehendit Apoſtolus, qui ſuas in Eccleſia cœnas *præſumebant ad manducandum*; neq; alios expectabant ad communionē. Aliud enim eſt, excludere aliquos à communione, qui alioqui eſſent parati, ac vellent communicare; id quod meritò in eo loco reprehendit Apoſtolus: aliud, Euchariſtiam conficere, etiam ſine cōmunicantibus, cùm nullus eſt alioqui, qui communionem petat. Hoc enim nuſquam eſt vel à Chriſto prohibitum, vel ab Apoſtolo reprehenſum. Cùm verò Chryſoſtomus & alij Patres in eum locum Apoſtoli dicunt, cœnam Domini debere eſſe omnibus *communem*; ſenſus eſt, neminem ab ea excludi debere, vt ſuprà etiam expoſuimus, quæſt. 8. punct. vltimo.

Notandum hîc etiam *Tertiò*, nequaquā Sectariis concedendum eſſe, eiuſmodi Miſſas, quibus neque interſunt, neque cōmunicant plures, eſſe *priuatas* omni modo & ratione. Nam vt ſuprà circa caput ſecundum cæremoniarū indicauimus, Communes reuerà ſunt eiuſmodi Miſſæ, quatenùs nomine *omniū* fidelium, & pro illis *omnibus* à Sacerdote, tanquam à publico Miniſtro fiunt, ſicut in Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 6. declaratum eſt. Quæ res ex D. CHRYSOSTOMO lib. 6. de Sacerdotio, confirmari poteſt, vbi hunc in modum dicit: *Sacerdos pro vniuerſo orbe Legatus intercedit, eſtq́; ad Deum deprecator, vt omnium non viuorum modò, ſed etiam mortuorum peccatis propitius ſiat.*

QVINTO calumniātur iſti, à nobis committi Idololatriam, eò quòd ſacra faciamus in honorem & memoriam Sanctorum. At nos nō in Sacrificio Sanctos ita colimus, quaſi illud ipſis offeramus; ſed quatenùs in ſacrificio, vni Deo à nobis oblato, peculiarem *memoriam* celebramus Sanctorum, eoſq́; adeò in eiuſmodi actione veneramur honore alterius generis, nempe duliæ, ipſis conueniente. Quod genus officij neque Idololatricum, neque malum, aut vſquam prohibitum eſt, vt latiùs defendimus Tomo 3. diſput. 11. quæſt. 6. punct. 5. producto etiam ad eam rem AVGVSTINI loco lib. 20. contra Fauſtum, cap. 21. vbi Auguſtinus (ſuprà circa cap. 1. cæremoniarum à nobis citatus) eodem modo pro Catholicis Fauſto Manichęo reſpondit, cùm is morem hunc Eccleſiæ ſimiliter atque hodie hæretici, inſimularet idololatriæ.

SEXTO ſubſannant quoque iſti ipſas *actionis* cæremonias vſurpari ſolitas in Miſſa, tanquam ſint per ſe ineptæ & inutiles. SED eas nos ante Scripturæ & antiquitatis teſtimoniis confirmauimus circa caput 4. cæremoniarum. Et quantoperè prodant hac ipſa ſubſannatione ſua Sectarij eſſe ſe homines animales, omniſque ſenſus pietatis expertes, ſatis ex ſignificatione ipſa iſtiuſmodi cæremoniarum intelligi poteſt. Quā ſignificationem fusè & diligenter explicat D. Thomas hîc artic. 5. & Durandus in Rationali diuinorum Officiorum, & VValdenſis Tomo 3. de Sacramentalibus, tit. 4. & Sotus in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 5. & alij paſsim Scriptores, vt nihil præterea ſit neceſſe in eo genere à nobis nunc dici. Videatur circa alias quoque ſupradictas circumſtantias Celebrationis D. Thomas hîc articulo 2. 3. & 4. & Nauarrus in Manuali, cap. 25. n. 82. & ſequentib. Quomodo autem Caſibus in Celebratione incidentibus occurrendum à Sacerdote ſit, ſufficiēter explicatur hîc à D. Thoma artic. vltimo. Et etiam ea ratio eſt expoſita vulgò in ipſis Miſſalibus, quò poſsint Sacerdotes in ipſo tempore neceſsitatis ſtatuere, quid facto opus ſit. Hactenus igitur de ſanctiſsima Euchariſtia.

FINIS DISPVTATIONIS SEXTAE.



DISPV-

DISPVTATIO SEPTIMA GENERALIS,

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

DIVISA IN QVÆSTIONES VIGINTI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX
QVAESTIONVM ET PVNCTORVM SEPTIMAE DISPVTATIONIS.

QVÆSTIO PRIMA.
De Pœnitentia secundùm se, vt est quoddam Sacramentum.

PVNCT. I. *An omnino sit tale aliquod Sacramentum Pœnitentiæ, quale esse dicitur.*
II. *Quænam sit huius Sacramenti Materia.*
III. *Quænam sit huius Sacramenti Forma.*
IV. *An præter Materiam & Formam Impositio etiam manuum requiratur ad substantiam huius Sacramenti.*
V. *Quæ sit huius Sacramenti comparatio cum Sacramentis aliis, & maximè cum Baptismo.*
VI. *Quisnam debeat esse vsus huius Sacramenti. An scilicet illud sit ad salutem necessarium: & quando, & quoties vsurpari debeat.*

QVÆSTIO SECVNDA.
De Pœnitentia vt est quædam Virtus.

PVNCT. I. *Vtrum omnino Pœnitentia peccatorum sit virtus: & qualis.*
II. *In qua potentia Animæ insit propriè hæc virtus tanquam in subiecto.*
III. *Quanam via & ratione Virtus Pœnitentiæ in animis nostris generetur.*

QVÆSTIO TERTIA.
De Effectu Sacramenti Pœnitentiæ, quoad remissionem peccatorum Mortalium.

PVNCT. I. *An omnia omnino peccata mortalia per Pœnitentiam remitti possint.*
II. *Vtrum possint remitti peccata mortalia sine Pœnitentia.*
III. *An vnum peccatum mortale sine alio possit remitti per Pœnitentiam.*
IV. *An vnà cum culpa per istud Sacramentum remittatur omnis pœnæ reatus, itemque omnes reliquiæ peccatorum.*

QVÆSTIO QVARTA.
De Effectu Pœnitentiæ quoad remissionem peccatorum venialium.

PVNCT. I. *Vtrum non etiam alia ratione peccata venialia remitti possint sine Pœnitentia.*
II. *An remitti possint peccata venialia sine gratiæ infusione.*
III. *Vtrum peccatum veniale possit remitti sine mortali.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO QVINTA.

De Effectu Pœnitentiæ quoad reditum eorum peccatorum, quæ semel per illam sunt remissa.

PVNCT.I. *An ita per Pœnitentiam peccata remittantur, vt nunquam per se redeant vel imputentur propter sequentem lapsum.*
II. *Vtrum peccata remissa redeant aliquo saltem modo & ratione per sequentẽ lapsum.*
III. *Vtrum remissa peccata redeant secundùm pœnæ reatum per sequentem lapsum.*

QVÆSTIO SEXTA.

De Effectu Pœnitentiæ, quoad recuperationem virtutum per peccatum amissarum.

PVNCT.I. *An beneficio Pœnitentiæ recuperet aliquis virtutes, ex quibus exciderat; & quomodo.*
II. *An per Pœnitentiam restituatur quis in pristinam omnino dignitatem vndequaq; spectatam.*
III. *An opera bona ante Pœnitentiam facta, eiusdem Pœnitentiæ beneficio valere incipiant ad consequendam vitam æternam.*

QVÆSTIO SEPTIMA.

De partibus Pœnitentiæ generatim.

PVNCT.I. *Quænam sint partes Sacramenti Pœnitentiæ secundùm orthodoxam doctrinam.*
II. *Quasnam assignent Sectarij Pœnitentiæ partes; & quàm falsò.*

QVÆSTIO OCTAVA.

De Contritione (quæ est prima huius Sacramenti pars) quoad eius notionem & necessitatem.

PVNCT.I. *Quænam sit propria ratio illius actus Pœnitentiæ, qui Contritio dicitur.*
II. *Quomodo Contritio differat ab Attritione.*
III. *An Contritio sit necessaria ad salutem.*
IV. *Quando sit necessaria Contritio.*
V. *Quanta debeat esse Contritio.*
VI. *Qualis debeat esse Contritio. An scilicet de omnibus & singulis peccatis, & cum expresso proposito non peccandi de cætero.*

QVÆSTIO NONA.

De Confessione, quoad eius rationem & necessitatem.

PVNCT.I. *Quænam sit ratio Sacramentalis Confessionis.*
II. *An Confessio sit necessaria ad salutem, & quo Iure.*
III. *Vtrum omnibus omnino Confessio sit necessaria.*
IV. *Quando sit necessaria Confessio.*
V. *An adeò necessaria Confessio sit, vt cum nemine dispensari possit ne confiteatur.*

QVÆSTIO DECIMA.

De Confessionis Ministro.

PVNCT.I. *Vtrum soli Sacerdotes possint excipere Sacramentalem Confessionem.*
II. *Vtrum omnes etiam Sacerdotes indifferenter possint quorumlibet Confessiones excipere.*
III. *An & quando teneatur etiam alterius Confessionem excipere is Sacerdos, qui legitimè alioqui eam potest excipere.*
IV. *Quem tandem modum Confessarius in administrando suo munere seruare debeat.*

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Confessionis Qualitate.

PVNCT.I. *Qualem, seu quibus conditionibus prædita m oporteat esse Sacramentalem Confessionem.*
II. *Vtrum euenire possit vt Sacramentalis Confessio, quantumuis omnibus suis necessariis conditionibus prædita, careat tamen fructu, hoc est, frustretur effectu suo, qui est Gratia; sitque adeò informis.*
III. *Vtrũ aliquando sit necessarium, Confessionẽ eam, cui nulla qualitas requisita defuerit iterare; vel quando omnino Confessio semel facta necessariò repetenda sit.*

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Confessionis Effectu.

PVNCT. VNIC. *Quinam & quales sint Effectus Confessionis.*

QVÆSTIO DECIMA TERTIA.

De Sigillo Secreti in Confessione seruando.

PVNCT.I. *Quo Iure nitatur Sigillum Confessionis.*
II. *Quinam sint obligati ad Confessionis Sigillum.*
III. *Quàm multa cadant in Confessionis Sigillum.*
IV. *Vtrum fieri possit aliqua ratione, vt manifestare quæ sunt in Confessione cognita, non sit contra Religionem huiusmodi Sigilli.*

QVÆSTIO DECIMA QVARTA.

De Satisfactione, quæ est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ.

PVNCT.I. *Quid nomine Satisfactionis in proposito intelligatur, & quæ sit omnino Satisfactionis ratio.*
II. *An Satisfactio sit possibilis & necessaria.*
III. *Qualis debeat esse Satisfactio.*
IV. *Quomodo necessaria sit Satisfactio.*

QVÆSTIO DECIMA QVINTA.

De Suscipientibus Sacramentum Pœnitentiæ.

PVNCT. VNIC. *Quinam & quatenus possint suscipere hoc Sacramentum.*

QVÆSTIO DECIMA SEXTA.

De potestate Ministrorum huius Sacramenti, quæ nomine CLAVIVM regni cœlorum significatur.

PVNCT.I. *Quænam sit ratio atque efficacia potestatis Clauium.*
II. *Quam latè pateat, seu quotuplex sit hæc potestas Clauium.*
III. *Quibusnam hæc potestas Clauium competat, & in quos exerceri possit.*

QVÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

De illo Actu Clauium, qui est censura Excommunicationis.

PVNCT.I. *Quid sit Excommunicatio: & an omnino sit in Ecclesia potestas excommunicandi.*
II. *Quotuplex sit Excommunicatio; & qd vnaquæq; operetur, seu quam vim habeat.*
III. *Quinam possint excommunicare.*
IV. *Quinam possint excommunicari.*
V. *Quæ caussa subesse debeat ad excommunicandum.*
VI. *Qua forma & ratione sententia Excommunicationis ferenda sit.*
VII. *Quando seu quo modo contingat aliquem excusari, quo minus incurrat Excommunicationem.*
VIII. *Quis possit absoluere ab Excommunicatione, & qua forma & modo sit absolutio (danda.*

QVÆSTIO DECIMA OCTAVA.

De duabus aliis Ecclesiasticis Censuris, scilicet Suspensione & Interdicto.

PVNCT.I. *De Suspensione.*
II. *De Interdicto.*

QVÆSTIO DECIMA NONA.

De quatuor aliis quasi Censuris, scilicet Irregularitate, Depositione, Degradatione, & Cessatione à diuinis.

PVNCT.I. *Quomodo ista quatuor differant à Censuris; & quæ sit singulorum ratio.*
II. *De Irregularitate in genere.*
III. *De speciebus Irregularitatis in particulari. Et primùm, de prima specie quæ oritur ex defectu Sacramenti.*
IV. *De reliquis tribus quasi Censuris.*

QVÆSTIO VIGESIMA.

De illo actu Clauium qui exercetur per Ecclesiasticas Indulgentias.

PVNCT.I. *Quid sit propriè Indulgentia Ecclesiastica.*
II. *Vtrum verè sit in Ecclesia auctoritas conferendi Ecclesiasticam Indulgentiam.*
III. *Quibusnam competat eiusmodi auctoritas tribuendi Indulgentias, & quam latè illa pateat: vbi dicendum erit de differentia Indulgentiarum.*
IV. *Quid requiratur ad legitimum eius auctoritatis vsum.*
V. *Quibusnam prosint Ecclesiasticæ Indulgentiæ, & quid necessarium sit, vt reuerà prosint.*

DISPVTATIO SEPTIMA GENERALIS, DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

D. Thom. 3. parte, à quæst. 84. vsque ad quæst. 28. Supplementi.

SCRIBVNT DE HAC MATERIA Doctores Theologi cum Magistro lib. 4. sententiarum d. 14. & sequentibus: itemq; Doctores Juris Canonici in Tit. de Pœnitentiis & remissionibus, & in Decretis per septem distinctiones, quæ ibi extãt de Pœnitentia. Scripsit etiam S. AMBROSIVS libros duos de Pœnitentia. Et S. CHRYSOSTOMVS duos item libros de compunctione cordis. Tomo 5. & ibidem de pœnitentia sermones 12. inter sermones 60. de variis. Item extat liber de vera & falsa pœnitentia, tomo 4. operum Augustini, & tomo 9. liber de pœnitentiæ medicina, & alter de pœnitentiæ vtilitate. Et ad hanc ipsam disputationẽ pertinet sermo S. CYPRIANI de lapsis. Diuus autem Thomas Tractatum hunc totum diuisit in septem partes principales, ex quibus duas tantùm priores (quòd morte sit præuentus) ipse absoluit: reliquas autem ex illius in lib. 4. sententiarum scriptis, discipuli ipsius compleuerunt in Supplemento, seu Additionibus (quas vocant) tertij libri Summæ Theologicæ diui Thomæ, vbi etiam additi sunt Tractatus reliquorum Sacramentorum.

Vniuersam autem hanc Disputationem, Quæstionibus viginti complectemur. PRIMA erit de Pœnitentia secundùm se, vt est quoddam Sacramentum. SECVNDA, de eadem Pœnitentia, vt est quædam virtus. Sacramentum enim hoc ideo Pœnitentiæ Sacramentum nominatur, quoniam ex pœnitentia ipsa peccatorum constat: Pœnitentia autem hæc non modò est Sacramentum, quatenus aliquid ex Christi institutione significat, vt declarabimus; sed etiam ipsa est per se quædam virtus. TERTIA Quæstio erit de Effectu Sacramenti Pœnitentiæ, quoad remissionem peccatorum Mortalium. QVARTA, de Effectu eiusdem, quoad remissionem peccatorum Venialium. QVINTA, de Effectu eiusdem, quoad Recuperationem Virtutum per

peccatum amissarum. SEPTIMA, de partibus Sacramenti Pœnitentiæ generatim. OCTAVA, de CONTRITIONE, quæ est prima huius Sacramenti pars. NONA, de CONFESSIONE, quæ est secunda huius Sacramenti pars, quoad eius rationem & necessitatem. DECIMA, de Confessionis Ministro. VNDECIMA, de Confessionis Qualitate. DVODECIMA, de Confessionis Effectu. DECIMA TERTIA, de Secreti sigillo in Confessione seruando. DECIMA QVARTA, de tertia parte huius Sacramenti, scilicet de SATISFACTIONE, quoad eius rationem, necessitatem, qualitatem, etc. DECIMA QVINTA, de Suscipientibus hoc Sacramentum. DECIMA SEXTA, de Potestate Ministrorum huius Sacramenti, quæ nomine CLAVIVM regni cœlorum significatur. DECIMA SEPTIMA, de illo actu Clauium, qui est Censura EXCOMMVNICATIONIS. DECIMA OCTAVA, de duobus aliis actibus earundem Clauium, qui sunt Censura SVSPENSIONIS, & INTERDICTI. DECIMA NONA, de aliis actibus siue effectibus earundem Clauium, qui sunt quædam quasi Censuræ, scilicet de Irregularitate, Depositione, Degradatione, Cessatione à diuinis. VIGESIMA, de alio quodam præcipuo actu Clauium, qui exercetur per Ecclesiasticas INDVLGENTIAS.

QVAE-

QVÆSTIO PRIMA.

De Pœnitentia secundùm se, vt est quoddam Sacramentum.

D. Thomas 3. parte, quæst. 84.

EXPLICANDA SVNT SEX. PRIMO, AN OMNINO SIT TALE aliquod Sacramentum Pœnitentiæ, quale esse dicitur. SECVNDO, Quænam sit huius Sacramenti Materia. TERTIO, Quæ item Forma. QVARTO, An præter Materiam & Formam Impositio etiam manuum requiratur ad Substantiam huius Sacramenti. QVINTO, Quæ sit huius Sacramenti comparatio cum Sacramentis aliis, & maximè cum Baptismo. SEXTO, Quisnam esse debeat Vsus huius Sacramenti: An scilicet illud sit ad salutem necessarium; & quando, & quoties vsurpari debeat.

PVNCTVM PRIMVM.

An omnino sit tale aliquod Sacramentum Pœnitentiæ, quale esse dicitur.

D. Thom. art. 1. & 7.

QVOD AD PRIMVM PVNCTVM attinet, inprimis notare necesse est communem notionem ipsius vocabuli *Sacramenti Pœnitentiæ*. Cùm enim quærimus, an reuera sit tale aliquod Sacramentum Pœnitentiæ, quale esse dicitur; propriè quærimus de veritate eiusmodi communis notionis; an scilicet sit vera, & solida, & non commentitia, quemadmodum in aliis etiam rerum generibus hæc eadem est ratio quæstionis, quæ primò proponi solet, *An est*.

Igitur nomine *Pœnitentiæ*, vt absolutè quidem vsurpatur hoc vocabulum, rectè significari solet displicentia quædam & dolor de aliquo præterito facto, vt q. seq. p. 1. asseremus contra Lutherum, cùm agemus de pœnitentia, vt est Virtus. Nam vt ex recepta veterum Latinorum sententia fatetur Aulus GELLIVS lib. 17. noctium Atticarum, cap. 1. *Pœnitere tum dicere solemus, cùm quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate nostroq; consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamq; in his nostram demutamus.*

Sed in hac quidem quæstione vocabulum *Pœnitentiæ* vsurpamus, vt ad Sacramentum quoddam accommodatur. Itaq; vocabulo pœnitentiæ nunc intelligimus *Sacramentum quoddam remissionis eorum peccatorum, quæ post Baptismum committuntur, institutum in absolutione Sacerdotis, & in actibus pœnitentis, nempe Contritione, Confessione, & Satisfactione*; non iam discernendo, an omnes isti actus tum Sacerdotis, tum Pœnitentis, æquè pertineant ad substantiam huius Sacramenti; an verò aliqui eorum requirantur tantùm ad Sacramentum alia quadam ratione: de quo differendum erit in sequentibus.

Hoc posito, Ecclesiæ Catholicæ Assertio secundùm fidem certa, contra hæreticos quos postea memorabo, est, huiusmodi Sacramentum esse reuera vnum quoddam Sacramentum nouæ legis, à Christo institutum: id est, in actione illa, seu actionibus Sacerdotis & pœnitentis, Christum constituisse vnum quoddam signum eius gratiæ, qua remittuntur peccata post Baptismum commissa; ac voluisse, eiusmodi signũ esse efficax, itemque cæremoniam seu cultum Religionis quendam. Istę enim conditiones generatim sunt illæ, quæ communiter conueniunt in rationem genericam Sacramenti propriè accepti, vt suprà disput. 4. de Sacramentis in genere, q. 1. & 6. explicauimus.

Hanc Catholicam Assertionem PRIMO ex Scriptura ita probamus. Si quæ *res* extat in Scriptura & sic ab Ecclesia alioqui vsurpatur, vt tanquam in illa prorsus vel sola, vel vnà cum alia re aut aliis rebus, insit reuera ex institutione Christi, ratio ipsa Sacramenti propriè accepti; de hac re minimè dubitandum est, quin sit Sacramentum nouæ legis propriè sumptum. Sed *res* illa actionis Sacerdotis & pœnitentis antè proposita, extat in Scriptura, & ab Ecclesia Catholica sic omnino vsurpatur, tanquam in ipsa omnino insit ratio Sacramenti propriè accepti. Igitur quin eiusmodi actio sit tale Sacramentum, quale antè dictum est, minimè dubitari debet.

Maior probatur. Quia nisi illud sufficiat, vt aliquid statuatur esse reuera Sacramentum; ne Baptismus quidem, aut Eucharistia, verum ac propriè dictum Sacramentum censeri poterit. Etenim extat quidẽ in Scriptura *res* ipsa, in qua inest ratio Sacramenti Baptismi: itemque *res*, in qua inest ratio Sacramenti Eucharistiæ; nempe

ablutio, & species *panis* ac *vini* consecratæ, &c. Sed quòd huiusmodi rebus verè & propriè conueniat ratio Sacramenti, id est, quòd sint ab ipso Deo institutæ, vt sint signa efficacia illiusmet gratiæ, quæ in earum rerum vsu tribuitur, &c. hoc verò nequaquã extat expressè in Scriptura. Sed quoniam hæ res Baptismi & Eucharistiæ ita demùm ab Ecclesia vsurpari sunt solitæ, tanquã in illis omnino insit ex Christi institutione illa ratio Sacramenti, ideo verè in Ecclesia censentur eiusmodi res esse Sacramenta. Quare firma est prorsus illius nostri argumenti Maior, quam item suprà constituëramus disputat. 4. quæst. 6. punct. 2.

Nunc probatur Minor. Et quidem quod ad Scripturam attinet, ex illis locis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retẽta sunt.* Ioan. 20. Quo loco expressè Christus loquitur de potestate Sacerdotibus collata ad remittendum peccata, itemq; de eius vsu, qui in Sacramento Pœnitentiæ maximè exercetur. Quô fit, vt rectè etiam Concilij Tridentini Patres sess. 14. cap. 1. definiuerint, in eo præcipuè loco à Christo institutum fuisse Sacramentum Pœnitentiæ.

Item pertinet huc ille etiam locus Matth. 16. *Quodcunque solueris super terram, &c.* Quo sanè testimonio, quatenus referri etiam potest ad ipsam Ecclesiam, eiusque adeô Ministros, vtitur D. Thomas hîc artic. 7. ad confirmandam huius Sacramenti institutionem. Etsi potius ibi quidem Christus videatur *promisisse* istud Sacramentum & potestatem per illius administrationem soluendi à peccatis, quàm instituisse: quemadmodum etiam illud clarius promisit Matth. 18. Apostolis communiter, inquiens: *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solueritis super terram, erunt solata & in cœlis.* Quomodo autem rectè & conuenienter tota ratio huius Sacramẽti, quoad ministerium, vsum, & effectum illius, bene & conuenienter à Christo instituta sit, explicat commodè D. Thomas in dicto art. 7.

Nunc quod ad praxin ipsius Ecclesiæ attinet, probatur eadem Minor ex definitione expressa in Cap. *Ad abolendam.* Extra, de hæret. & in Concilio Florentino sub Eugenio IV. vbi inter Sacramẽta nouæ legis quarto loco numeratur Sacramẽtum Pœnitentiæ; & in Tridentino sess. 14. cap. 1. & can. 1.

Secundo probatur eadem assertio ex Traditione veteris Ecclesiæ. Cuius locuples testis est sanctus Augustinus libro primo de adulterinis cõiugiis, capite vigesimo octauo, vbi istud Sacramentum comparauit cum Baptismo: *Quæ, inquit, Baptismatis, eadem Reconciliationis est caussa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Docet autem hoc loco Augustinus, Sacramenta Baptismatis & Reconciliationis, pœnitenti, cùm is de vita periclitatur, impertiẽda esse in casu, quo *credibilius est* (vt idem Augustinus inquit eodem libro, capite vigesimo sexto) *eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum, ea Sacramẽta percipere, sine quibus iam credidit non se oportere de corpore exire.* Vbi ex collatione vtriusque loci Augustini manifestum est, ab Augustino ita censeri Reconciliationem Sacramentum, sicut Baptismum.

Similiter vtrumq; Sacramentũ inter se confert, & asserit diuus Ambrosius libro primo de Pœnitentia, capite septimo: *In Baptismo, inquit, remissio peccatorum omnium est. Quid interest, vtrum per Pœnitentiam, an per lauacrum hoc in sibi datum Sacerdotes vindicent? Vnum in vtroque mysterium est. Sed dices, quia in lauacro operatur mysterium gratia. Quid in Pœnitentia? Nonnè Dei nomen operatur?* Quasi dicat. Etiam Pœnitentia mysterium, atque adeò Sacramentum est, sicut & lauacrum.

Nec dissimiliter diuus Gregorius Nyssenvs in libro de vita Moysis: *Moyses, inquit, per lapidem inundare aquis eremum fecit. Quæ res quantum qualeq; sit Pœnitẽtiæ Sacramentum, docet. Nam qui ad Ægyptias voluptates, postquam biberunt de liquido, lapsi sunt; possunt tamen virtute Pœnitentiæ lapidem, quem dereliquerunt, inuenire.* Similia scribit Tertullianus in libro de Pœnitentia, & sanctus Hieronymus libro primo & secundo contra Pelagianum, & alij. Denique diuus Bernardus in vita Malachiæ, eodem modo de Confessione & Pœnitentia loquitur, quo de Sacramento Confirmationis.

Tertio accedit quòd non solùm Ecclesiæ antiquioris, sed etiam præsentis, quocunq; tempore authoritas ad certò explicanda, quæ sint credenda ex fide, atq; adeò in materia etiam Sacramentorum habenda est pro infallibili, vt ex diuo Augustino patet. Is enim epistol. 118. ad Ianuarium, non tantùm insolentissimam esse insaniam dicit, de his disputare, quæ frequentauit per vniuersum orbem Ecclesia; *sed de eo, inquit, quod vniuersa Ecclesia frequẽtat.* Quo modo dicendi Ecclesiæ etiam præsenti quouis tempore eam authoritatem tribuit.

Sic etiam libro quarto contra Donatistas, capite vigesimo quarto: *Quod vniuersa, inquit, tenet Ecclesia* (Non dicit tantùm *quod tenuit*) *nec Concilijs authoritate traditum esse, rectissimè creditur.* Non potest autem ostendi, quando primùm in Ecclesia existimari cœperit, Pœnitentiam esse Sacramẽtum, aut tanquam Sacramentum vsurpari. Igitur ita docuisse Apostolos credendum est.

Iam verò cùm hæc sit Assertio Ecclesiæ, Contra tamen sentiunt hæretici, cùm veteres, tum recentiores. Quanquam non nituntur vtrique eodem fundamento. Nam Montanistæ & Nouatiani hęretici veteres Sacramentum Pœnitentiæ ideo reiecerunt, quia prorsus existimabant, nullum superesse ministerium reconciliationis per Pœnitentiam post Baptismum: itaq; rem etiam Sacramenti Pœnitentiæ negabant: teste sancto Hieronymo libro secundo contra Vigilantium, capite secundo, cuius hæc sunt verba: *Montanus & Nouatus contendunt non posse renouari per pœnitentiam eos qui crucifixerunt sibimet filium Dei & ostentui habuerunt, &c.* Quod idem de istis testatur epistola quinquagesima quarta, ad Marcellam: Et de Nouato Augustinus in libro de hæresibus, capite trigesimo octauo, à quo dicit appellatos *Nouatianos.* Inter quos fuit etiam illius Nouati (Carthaginensis presbyteri) assecla quidam Nouatianus nomine, Romanus presbyter; vt apparet ex Hieronymo in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Nouatiano.

Recentiores verò Sectarij admittunt quidem rem ipsam Pœnitentiæ post Baptismum, idque toties, quoties contigerit in peccatum labi: non credunt aũt esse in eiusmodi pœnitentia à Christo institutum aliquod Sacramentum tale, quale nos asserimus, quod scilicet sit signum gratiæ remissionis peccatorum post Baptismũ, illamque efficaciter conferat. Quanquam, vt Kemnitius in examine Concilij Trident. sess. 14. cap. 1. & can. 1. ex sententia Philippi Melanchthonis in Apologia Confessionis Augustanæ, & aliorum Sectariorum interpretatur, non impediunt sanè, quo minus ministerium Ecclesiasticum annunciandi hominibus etiam priuatim Euangelium, atq; adeò proponẽdi ipsis gratiæ promissionem per Christũ, vt illam fide apprehendant, posito extenso vocabulo nominari Sacramentũ.

Concedunt enim isti, vt notat Kemnitius, per id ministerium applicari singulis Euãgelij promissionem, atque eatenus remitti illis peccata. Sed quòd Sacramentum propriè dictum in hoc ministerio contineatur, id verò est, quod negãt. Etsi concedunt præterea, homines non debere remissionem peccatorũ quærere extra eiusmodi ministerium Ecclesiasticum: quo scilicet vel in genere omnibus pro concione, vel in particulari singulis annuncietur Euangelium, id est, promissio gratiæ per Christũ: ne terroribus (vt aiunt) conceptis ex consideratione peccatorum & iræ Dei cognitæ per legem, impediantur, quò minus statuant sibi omnino remitti peccata per Christum, atq; adeò gratiam apprehendant hac sola fide.

Argumenta verò, quibus mouentur, vt negẽt Sacramentũ Pœnitẽtiæ, collegit vbi suprà Kemnitius. Primvm est, quòd in vsu Pœnitentiæ *nulla res externa* per Ministrũ adhibetur, ad quam cùm accesserit verbum, fiat Sacramẽtum, iuxta illud vulgatum D. Augustini dictũ Tract. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Sed hoc argumentum ab ipso etiam D. Thoma hic art. 1. propositum est primo loco, & bene confutatum. Nõ enim pertinet ad communem rationem Sacramenti nouæ legis, vt aliqua eiusmodi res externa applicetur per Ministrum, sed vt vnâ cũ verbis Formæ sit aliquid *sensibile*, quod habere possit rationem materiæ; siue illud sit externa res, siue actus aliqui sensibiles, cuiusmodi sunt in proposito actus pœnitentis. Neq; Augustinus in illo loco posuit vim in elemento, vt elementum externum est, sed vt est res quędam *sensibilis*, cuius significatio Sacramentalis determinetur magis per verba Formæ. Cur autẽ in quibusdam Sacramentis, res aliqua externa applicetur ab ipso Ministro; in aliis autem, vt in Pœnitentia & Matrimonio non item; caussæ congruentes adducuntur â D. Thoma hic art. 1. ad 5. & ab aliis Theologis. Omnino autem huius rei fundamentũ est ipsa institutio & voluntas Christi, à qua pendet inprimis tota ratio Sacramentorum.

Secvndvm argumentum. Si Sacramentum istud Pœnitentiæ statuatur; auocabuntur (inquiunt isti) à Christo pœnitentes, vt scilicet arbitrentur, se non per Christi merita, sed propter suos actus, nempe Contritionem, Confessionẽ, & Satisfactionem, consequi reconciliationem post Baptismum; contra illud Petri: *Non est aliud nomẽ datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Actor. 4. Et: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere in nomine illius.* Actor. 10.

Sed hoc argumentum non minus ineptum, quã familiare istis est. Nihil enim impedit, quò minus actus illi pœnitentis, vt subiiciuntur absolutioni Sacerdotis, concurrant instrumentaliter ad gratiam & remissionem peccatorum, & simul hanc vim habeant ex meritis, & propter merita Christi, quorum proinde efficaciâ in primis illa gratia conferatur.

Tertio argumentatur Kemnitius hoc modo. Pœnitentia non fuit verè & propriè Sacramentum antè promulgatum Euangelium; neq; etiam post illud promulgatum, est Sacramentũ iis, qui nondum sint baptizati. At post Euangelium promulgatum non alterius Pœnitentiæ vsus esse debet, nisi eius ipsius, quæ fuit etiam ante Euangelium vsurpãda, atq; etiam post Euangelium ab illis quoque, qui nondum sint baptizati. Igitur non magis post Euãgelium, aut post Baptismum, Pœnitentia censeri debet Sacramẽtum, quàm anteà.

Maiorem concedunt Concilij Tridentini Patres sess. 14. cap. 1. & oẽs alij Theologi. Minorem probat Kemnitius ex Paulo Actor. 26. vbi rationem reddens Agrippæ Regi eius doctrinæ, quã prædicabat: *Annunciabã*, inquit, *vt conuerterentur ad Deũ, digna pœnitẽtiæ opera facientes.* Ac mox subiungit: *Auxilio adiutus Dei vsq; in hodiernum diem sto, testificans maiori atque minori, nihil extra dicens, quã ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse & Moyses.* Ex quo loco intelligitur, Apostolum non aliam pœnitentiam prædicasse, quàm illam, quam ipsi etiam Prophetæ ante Euãgelium prædicauerũt.

Cumq; non nisi illa pœnitentia, quam Apostolus prædicauit, à reliquis deinde fidelibus, vel antè, vel post Baptismum vsurpanda fuerit; consequitur, non debere apud fideles esse vsum, nisi illius Pœnitentiæ, quam prędicauerunt Prophetæ, quæque non fuit Sacramentum.

RESPONDEO ad hoc argumentum, distinguendam esse Minorẽ. Nam si de Pœnitẽtia, vt est virtus, intelligatur: verum est, nõ aliam post Euangelium aut Baptismũ vsurpãdam esse Pœnitentiam, nisi illã ipsam, quæ fuit etiam in vsu prius. Si aũt intelligatur ea Minor de Pœnitentia simpliciter, vt sit sensus, nulla prorsus alia ratione vsurpari iam post Euangelium & Baptismũ Pœnitentiam debere: absolutè neganda est Minor. Et tunc ad probationẽ ex loco Pauli respondendum, sententiam Apostoli ibi nequaq; esse, nihil omnino ipsum prædicasse, quod non fuerit distinctè & *in specie* prædictũ à Moyse & Prophetis, sed quod non fuerit ab eis prædictum implicite & in genere, saltem hoc ipso, quod de futuro Legislatore & institutore Ecclesiæ noui Testamenti Christo prædixerunt. Hoc autem modo etiam Pœnitentiæ Sacramentum à Prophetis, implicitè scilicet & generatim, prænunciatum est: siquidem est vnũ ex illis, quæ à Christo sunt instituta.

Et quòd necesse sit hoc modo illam Apostoli sententiam interpretari, euidenter probatur. Nam alioqui poterũt similiter Aduersarij concludere, non esse in Ecclesia vsurpandum aliquẽ eiusmodi Baptismũ, qui *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti* necessariò conferendus sit. Vbi enim aliquis Prophetarum aut Moyses, distinctè & in specie hanc fuisse necessariò futurã Baptismi Formam prædixit? Quin & poterunt rursus contra se, suarumq; Synagogarũ vsum concludere isti, nõ rectè fieri, quòd ad Ministros Ecclesiasticos homines priuatim adeant, quærentes in illo *ministerio* Ecclesiastico annunciandi Euangelium remissionem peccatorum. Nam neque hoc vsquam distinctè & in specie prædictum est fuisse faciendum.

Quemadmodum igitur de Baptismo, & aliis omnibus Christi præceptis, D. Paulus concionabatur, etiamsi pleraq; huiusmodi distinctè & in specie non essent à Prophetis prænũciata: sic credendum est, illum quoq; de Pœnitentiæ Sacramento dixisse. Obseruabat enim procul dubio in proponenda Christiana doctrina præceptum illud Christi Matth. 28. *Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.*

Atq; vt hoc ita intelligamus, ipsa ratio verborum, quibus ibi est vsus D. Paulus, patitur. Dicit enim generatim, se inter cætera annunciasse, *vt digna pœnitentiæ opera facerent.* Inprimis autẽ Pœnitentiæ internæ dignũ opus est ipse vsus istius Sacramenti, cùm scilicet adhibita etiam *Confessione* quæritur certius remissio peccatorum, ex institutione Christi, quã infrà docebimus, cùm de Confessione agemus q. 9. & seq.

QVARTO argumentantur. Ministri Euangelici sic à Christo missi sunt ad conciliãdam hominibus remissionem peccatorũ, sicut ipse Christus erat ad eam rẽ missus à suo Patre, vt patet ex illo testimonio Ioã. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, &c.* At Christus nõ per ministerium alicuius Sacramenti Pœnitentię, sed annũciando hominibus Euangelium, & annũ placabilem, sicut ab Isaia prædictum erat, conciliauit hominibus remissionem peccatorum. Ergo eodem modo ministri Euangelici eam illis conciliare debent, non aũt per aliquod Pœnitentiæ Sacramentum.

RESPONDEO, non esse illorũ Christi verborum sententiam, quòd eodem prorsus modo *in specie* ministri Euangelici id facere debeãt, quod fecit Christus: sed similitudo significatur à Christo tantùm *in genere*, quòd scilicet ita illi à Christo mittãtur cum potestate & auctoritate id faciendi suo modo, sicut ipse Christus à Patre etiã cum potestate missus est idem faciendi *suo modo*, nimirũ tam *excellenti*, vt etiam citrà Sacramenti Pœnitẽtiæ vsum, impertiri potuerit hominibus remissionem peccatorũ. Ad illum aũt specialem modũ, quo Ministros oportuit idipsum facere, dicimus pertinere ministeriũ huius Sacremẽti.

Quòd si alioqui velint Aduersarij similitudinem illã missionis Christi à Patre, & ministrorũ à Christo, *in specie etiam* vrgere; concludi etiã poterit, ne debere quidem Ministros per vsum Sacramenti Baptismi homines cum Deo reconciliare. Etenim de Christo etiam scriptũ est, quòd *ipse neminem baptizabat.* Ioan. 4.

QVINTVM argumentum. Si tale aliquod Sacramentũ Pœnitentię asserendum esset; maximè propter illum locum Ioan. 20. *Quorum remiseritis, &c.* Sed eius Christi sententiæ longè alia vis est. Ergo non est id Sacramentum asserendum. Minorẽ probant isti: Quoniam sensus, inquiũt, est: *Quorum remiseritis peccata*, id est, quibus annũciatione Euangelij *proponetis* gratiæ promissionem, vt illam fide apprehendant, atq; adeò quibus remittetis eatenus peccata, remittentur eis: *& quorum retinueritis*, id est, quos proposita etiam ira Dei & seueritate legis, ob illorum impœnitentiam terrebitis, ostendetisque, eos manere irretitos peccatis, & obnoxios iræ Dei, his peccata non remittentur. Hunc enim comminiscũtur isti vsum esse Ecclesiæ clauium in soluendo & ligando; nõ autem illum *iudicialem*, quem nos ponimus exerceri à Sacerdotibus in ministerio Sacramenti Pœnitentiæ.

Quod rursus dupliciter isti confirmant. *Primò.* Quoniam in lege veteri etiam ministri DEI remittebant peccata; neque tamen alia ratione, quàm per annunciationẽ gratiæ, sicut fecit Nathan Propheta, cùm Dauidi pœnitenti diceret: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* 2. Reg. 2. *Secundò.* Nam vnum & idem ministerium remittendi peccata significatur apud Ioannem illis verbis: *Quorum remiseritis peccata, &c.* Ioan. 20. Et apud

apud Lucam cap. 24. cùm dicit Christus: *Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis: vt prædicaretur in nomine eius Pœnitentia et remissio peccatorum in omnes gentes.* At in isto loco apud Lucam nõ est sermo de alio ministerio remittẽdi peccata, nisi de eo, quod consistit in prædicatione ipsius remissionis peccatorum & Pœnitentię. Igitur neq; in illo alio loco apud Ioannẽ. Minorem probãt. Quoniam debuit illa remissio peccatorũ & Pœnitentia prædicari ad oẽs gentes, atq; adeò etiam ante vsum Baptismi, quo tempore vsurpari non debet aliquod Sacramentum Pœnitentiæ.

RESPONDEO, inprimis interpretationem illius loci apud Ioannem (*Quorum remiseritis, &c.*) quam isti adhibent, minimè esse sufficientem. Quod ita probamus. Nam Christus in eo loco eam potestatem remittendi peccata significat se Ministris tradere, quam antea iisdẽ promiserat, inquiens: *Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: Et quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis*, Matth. 18. At hæc potestas nõ est qualiscunq;, sed planè cũ *auctoritate iudiciaria* cõiuncta, vt scilicet cognita caussa & statu hominis peccatoris, ipsi remittantur vel retineantur peccata. Ergo & illa, quæ apud Ioannẽ fuit data.

Minorem confirmamus auctoritate D. Augustini lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 9. vbi illud Apocalyp. 20. interpretans: *Vidi sedes & sedentes super eas, & iudicium datum est*: ita inquit: *Nec hoc putandum est de vltimo iudicio: sed per sedentes super sedes ipsi Præpositi sunt intelligendi, per quos nunc Ecclesia gubernatur: iudicium autem datũ nullum melius accipiendum videtur, quam id, quod dictum est: Quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in cœlo.* Hactenus Augustinus. Et sanè ita locum illum Matthæi & Ioannis intelligendum esse, ipsa ratio Christi verborum & circumstantiæ persuadere debent. Eos enim significat auctoritatem habituros soluendi & ligandi; ideoq; in symbolum eius potestatis *insufflat, & dat Spiritum sanctum.*

Ad illud autem, quod isti obiiciunt de Ministris legis veteris, facilis responsio est, illis nõ vsque adeò fuisse commissum *perfectum* ministerium, sicut est commendatum ministris nouę legis. Neq; Aduersarij vllo firmo argumento probant, parem in hoc debere esse Ministrorum Euangelicorum rationem.

Ad aliam probationem extructã ex collatione loci apud Lucam; respondeo primò, non esse necesse, vt intelligamus, vnam & eandem rem, seu idem ministeriũ significari in loco vtroq;, quoad omnia. Deinde hoc cõcesso, dico, ad ministerium conciliandæ remissionis peccatorum per prædicationẽ pœnitentiæ in omnes gentes, maximè etiã pertinere doctrinã de vsu Sacramenti Pœnitẽtiæ post Baptismum susceptũ. Hæc enim doctrina etiã omnib. gentibus tradi debuit: non quia vsus Sacramenti Pœnitentiæ debuerit apud gentes esse ante Baptismũ; sed quia oia illa etiã, quæ post Baptismũ secundum Christi legem fieri debẽt, oportuit gentibus p̃dicari. Ait enim ipse Christus Matth. 28. *Baptizate oẽs gentes, docentes eos seruare* OMNIA, *quæcunq; mandaui vobis*: in quibus multa procul dubio sunt, quæ non nisi post Baptismum susceptum vsurpari debent.

SEXTO obiiciunt, doctrinã de Sacramento Pœnitentiæ originẽ habere non nisi ex externis spectaculis *publicæ* pœnitẽtiæ, quę olim vsurpabatur in Ecclesia. Itaque fingunt isti, errore paulatim fuisse commutata illa spectacula (vt inquiunt) in Sacramenti cæremoniam externam.

SED hoc prorsus fictitium est. Neq; enim vllo testimonio isti probãt, aut probare possunt, talẽ huius doctrinæ esse originem. Quin potiùs iuxta regulam D. Augustini lib. 4. contra Donatistas, cap. 24. statuendum est, originem habere istud Sacramentum ex ipsa traditione Apostolica secundùm institutionem Christi, quandoquidem non potest vllum tempus indicari, quo primùm vsus huius Sacramenti in Ecclesia esse cœperit, vt magis confirmabimus infrà, cùm agetur suis locis de Pœnitentiæ partibus.

POSTREMO obiicit Kénitius, quòd ne Gratiani quidem temporibus erat in Ecclesia certũ, num esset necessaria *confessio secreta* peccatorum. Is enim in Decreto d. 1. de Pœnitẽtia, cùm varias sententias recitasset in vtramque partem eius Quæstionis, tandem in Can. *Quamuis plenitudo.* ead. dist. ita concludit: *Cui autem harum sententiarũ potiùs assentiendum sit, Lectoris iudicio reseruatur: Vtraq; enim fautores habet sapientes & religiosos viros.*

SED ad hoc respondemus, inprimis nõ sequi, si aliquando dubitatũ fuit, vtrum Confessio Sacramentalis sit *necessaria* ad salutem, dubitatum etiam fuisse, an fuerit *instituta* vt sit Sacramenti quædã pars. Aliud enim propriè est Sacramenti institutio; aliud necessitas. Nam & Sacramẽtum Confirmationis sine cõtrouersia creditur ab orthodoxis fuisse institutũ Sacramentum; & tamẽ ab iisdem disputatur, vtrum sit necessarium.

Deinde dicimus, nullas sententias à Gratiano illic allatas eò pertinere, quasi Confessio secreta nunquam necessaria sit etiam tempore, quo fieri potest, & suppetit copia Confessarij: Etsi quædam significant, posse aliquem ante actualem Confessionem factam Sacerdoti, consequi remissionem peccatorum, si internam pœnitentiã habeat, & ipsi Deo confiteatur.

Et certè ex Can. vltimo illius distinct. apparet, Ecclesiæ sententiam Gratiani tempore fuisse, q̃ secreta confessio facta sacerdoti sit necessaria, vt ibi testatur quidã Archiepiscopus Cantuariensis, cuius testimonium in eo Canone Gratianus recitat. Quin in ipso etiã Can. *Quamuis plenitudo*, eandem Confessionis necessitatem, tãquam de re certa asserit D. Leo Papa. Sed in hac tota re, quo modo fuerit hallucinatus Gratianus, & quàm fraudulenter eius hallucinatione Kemnitius abusus sit, planũ faciemus postea, cùm disseremus de Confessione infrà quæst. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PORRO cùm hactenus constitutum sit, quòd in illa actione Sacerdotis & pœnitentis istud Sacramẽtum sit à Christo institutum: QVAESTIO est, Vtrum ex omnibus omnino actibus, tum Sacerdotis, tum pœnitentis, constet substantia huius Sacramenti.

Et est PRIMA opinio Scoti in 4. dist. 16. q. 1. substantiam huius Sacramenti simpliciter consistere in sola absolutione Sacerdotis. Probat *Primò*. Quoniã Sacramẽtum ita est signum gratiæ, vt sit etiam eius caussa. Sed solus actus Sacerdotis gratiam hîc confert, per potestatem videlicet clauium; nullus autem actus pœnitentis. Ergo, &c.

Secundò. Quia pœnitentia interior non est res sensibilis. Ergo illa saltem non est Sacramentum. Et consequenter negat Scotus Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem esse *partes* Pœnitentiæ; sed ait, esse tantùm *dispositiones* ad istud Sacramentũ in absolutione sola cõsistens.

SECVNDA opinio est Durandi dist. 14. q. 1. & 3. & Marsilij in 4. quæst. 10. art. 1. & Gabrielis distinct. 14. q. 2. art. 1. substãtiam huius Sacramenti consistere solùm in Absolutione & Confessione. Probant *Primò*. Quia pœnitentia interior non est sensibilis.

Secundò probat hoc Gabriel. Quoniam siquis absque Contritione confiteatur, verum nihilominus vsurpat Sacramẽtum Confessionis: licet illud quidem *informe*, vt Theologi vocant. Ergo non est necessaria Contritio, tanquam pars substantiæ.

Tertiò idem probatur de Satisfactione. Nam est quid posterius, sine quo etiam potest veritas huius Sacramenti constare, vt patet in illo, qui cùm antea confessus & absolutus fuerit, postea tamen impositam pœnitentiam non adhibuit. Atq; ex his infert Durandus, potiùs esse appellandum istud Sacramentum *Confessionis*, quàm Pœnitentiæ.

TERTIA sententia est, vt communior, ita longè verior, nempe substantiam huius Sacramenti ex absolutione sacerdotis, & omnibus illis tribus actibus pœnitentis constare: quamuis nõ ex omnibus eadẽ ratione. Absolutio enim, & Confessio, & aliquis dolor de peccatis, vt sunt offensa Dei, cum proposito vitandi in posterum (siue eiusmodi dolor sit reuerà Cõtritio perfecta, siue imperfecta, de quo infrà dicemus) ita cõstituunt substantiam huius Sacramenti, vt sint etiam de illius *essentia* & veritate. Satisfactio autẽ à Sacerdote imposita est de substantia huius Sacramẽti tantùm, vt pars *integralis*, sine qua proinde potest constare essentia. Ita declarat hoc rectè Sotus d. 14. q. 1. art. 1. ex sententia communi eorũ Theologorum, qui absolutè affirmant, ex omnib. his actibus constare Sacramentum Pœnitentiæ: Vt D. Thomas hic art. 1: Alensis 4. p. q. 60. memb. 2. Richardus in 4. d. 16. art. 1. q. 1. &c. Caietanus hic art. 1. &c.

Fundamentum huius sententiæ potissimum iam est, quòd in Concilio Florentino in Decreto Vnionis Armen. simpliciter dicitur, *Formam* huius Sacramenti esse absolutionem Sacerdotis; & actus pœnitentis, nempe Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, esse *quasi materiam*. Quod idem repetitur in Tridentino sess. 14. cap. 3. & additur ibi, *pertinere eos omnes actus ad integritatem Sacramenti*.

Cùm autem dicuntur actus Pœnitentiæ esse *quasi materia*; non hoc ita intelligendum est, quasi propriè materia nõ sint: sed quia se ita habent in hoc Sacramento, sicut *res externa* à Ministro adhiberi solita in aliis Sacramentis, vt aqua in Baptismo, Chrisma in Confirmatione, &c. sicut bene hoc Sotus explicat loco citato, & etiã notat Catechismus Romanus.

Contritio autem in his Conciliis aliquantulũ extenso vocabulo intelligitur aliquis dolor de peccato propriè, vt peccatum contra Deum est, hoc est, vt est offensa Dei, cum proposito vitãdi, siue ille dolor sit perfecta contritio, siue non, de quo infrà. Quare in Concilio Florentino tantũmodò dicitur, ad hanc Contritionem pertinere, vt *doleat pœnitens de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*, quod rursus repetitur in Tridentino, sess. 14. cap. 4.

Ad *Primum* igitur argumentũ primæ opinionis Scoti, respondeo, per actus etiam pœnitẽtis, vt subiiciuntur quidem potestati Clauium, produci instrumentaliter gratiam, vt S. Thomas infrà q. 86. art. vlt. docet, & Richardus in 4. dist. 16. art. 1. q. 2. Sotus d. 14. q. 1. art. 1. Caietanus hic art. 1. Quamuis verum sit, præcipuè in Sacerdotis absolutione esse positam vim & efficaciam huius Sacramenti, vt à D. Thoma hîc art. 3. & etiam à Patribus Concilij Tridentini, sess. 14. cap. 3. declaratur.

Item concedendum hîc est, per Satisfactionẽ quidem, cùm post acceptam in hoc Sacramento gratiam adhibeatur, nõ eodem modo effici eam ipsam gratiam, quo fit per absolutionem & Confessionem præsentem: sed ea tantùm ratione, quatenus absolutio sanè & cõfessio gratiam efficiunt cum respectu quodam & ordine ad Satisfactionem: quo ipso, saltem moraliter concurrit etiam futura Satisfactio ad gratię collationẽ. Neq; verò hîc obstat, quòd in alio caussæ genere ipsa vicissim Satisfactio accipiat vim suã ab illa eadẽ gratia, quę in Sacramẽto ipso Confessionis acquisita est, tanquã à principio videlicet suo effectiuo. Sunt enim res sibi inuicẽ caussæ diuerso modo, vt etiã contingit in rebus naturalibus.

Ad *Secundum* respondetur, pœnitentiã internam, licet absolutè quidẽ & per se nõ sit sensibilis; esse tñ sensibilem, qua ratione per exteriorẽ Confessionem, tanquã per accusationem quandam peccatorũ, manifestatur. Idque satis est, vt vnà cum aliis actibus pœnitentis, posit constituere substantiam huius Sacramenti.

Ac sanè

Ac sanè Scotus, cùm huiusmodi pœnitentis actus, *partes* esse ipsius Sacramenti negat, temerè loquitur, vt non immeritò alij Theologi iudicant. Etenim in Cap. *Ad abolendam*. Extra de hæreticis, Sacramẽtum istud vocatur etiam Sacramentũ *Confessionis*. Et infrà suis locis videbimus, omnes eiusmodi actus fuisse iam olim in Ecclesia tanquam Pœnitentiæ partes vsurpatas, sicut posteriora Concilia magis explicauerunt.

Ad argumenta verò secundæ opinionis Durandi; similiter respondetur. Ad *Primum* iam dictum est, pœnitentiam internam esse *sensibilem*, saltem per accidens, quod satis est.

Ad *Secundum* respondeo, si quem, dum confitetur, non etiam pœniteat peccatorum; aut pœniteat quidem, sed non vt sunt offensa Dei, cum proposito vitandi; tum quidem Sacramentum fore nullum, atque adeò ne *informe* quidem Sacramentum esse dicendum, quatenus informe dici solet, cùm est illud quidem validum, sed nõ fructuosum: eò quòd obstet affectus aliquis occultus ad peccatum mortale. Quæ omnia, cùm agemus infrà de Confessione informi, accuratiùs exponentur, secundùm doctrinam Theologorum veriorem, quam asserit bene Sotus d. 18. quæst. 3. art. 2. & 3.

Ad *Tertium* respondeo, nihil obstare nostræ assertioni, quòd sine Satisfactione consequente posit alioqui veritas huius Sacramenti constare: inde enim nõ sequitur, eam nullo modo pertinere ad substantiam huius Sacramenti, sicut in illo argumento concludebatur; sed non ita pertinere ad substantiam, tanquam sit etiam de veritate & essentia. Est autem nihilominus, quemadmodum diximus, substantiæ pars *integralis*. Vt manus v. g. est pars integralis substantiæ hominis, etiam si posit homo sine manu cõsistere.

Ex quibus intelligi potest, satis bene etiã appellari istud Sacramẽtum, *Pœnitentiæ* Sacramentum: quum & Confessionis quoq; Sacramẽtum (vt Durandus vult) sæpe nominetur, vt in dicto Cap. *Ad abolendam*. Postquam enim non tantùm Confessio, sed etiã pœnitentia interior pertinet ad eius substantiam, rectè ab vtraq; parte denominari potest. Vt Baptismus vocatur Sacramentum ablutionis, ab actu abluendi, qui est illius Sacramenti substantia tanquam materia.

Iam verò cum ex omnibus huiusmodi actibus constet substantia istius Sacramenti; QVAERIT præterea Sotus distinct. 14. quæst. 1. artic. 1. & multis verbis disputat, an ipsum vocabulum, *Sacramentum Pœnitentiæ*, pro illis omnibus actibus Sacerdotis & pœnitentis, ex æquo supponatur, id est, pro aggregato illorum: an verò pro solis actibus pœnitentis, connotando tantùm actum Sacerdotis, nempe Absolutionem. Ac respondet isto posteriori modo, scilicet pro actibus tantùm pœnitẽtis supponi id vocabulum.

Probat: Quoniam est nomen quasi rei cuiusdam artificialis & accidentaliter compositæ, vt scamnum, album, &c. Cuius generis nomina supponi dicuntur pro re, quæ in eiusmodi compositis accidentalibus se habet vt materia; vt scamnum pro ligno, album pro substantia, quæ habet albedinem, &c.

Sed Quæstio est tota de nomine, neq; satis pertinens ad Theologum. Nam si *supponi* vocabulũ sit, per illud rem significari quomodocunq;, vt apud Theologos sæpe id verbum accipitur; tunc quemadmodum vocabulum, *Sacramẽtum Pœnitentiæ*, significat totũ illud aggregatum actionũ; ita dici potest, pro toto illo supponi. Si autẽ *supponi* sit, significari per vocabulum rem, non quomodocunq;, sed tãquam *subiectum* in aliqua rerũ compositione; tũc verum est, quod dicit Sotus.

Quod autem ad rem ipsam attinet, satis est scire, ex omnibus illis actibus Sacramenti substantiam cõstare, sicut compositum illud, quod dicimus album, re ipsa quidem non solùm ex *subiecto* constat, sed etiam ex forma albedinis. Et hæc de primo huius Quæstionis puncto.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam sit huius Sacramenti Materia.

D. Thom. artic. 2.

DECLARANDA est deinceps in hoc & duobus sequẽtibus Punctis magis distinctè huius Sacramenti *substantia*; exponẽdo videlicet, tum Materiam, tum Formam eius: atque etiam discutiendo, Num aliquid aliud præter Materiam & formam pertineat ad illius substantiam.

Et MATERIA quidem *proxima* istius Sacramenti sunt actus illi pœnitentis, vt in Concilio Florentino, & Tridentino præced. punct. citatis declaratum est. *Remota* autem materia huius Sacramenti dicuntur ipsa etiam peccata, quorum est pœnitentia, vt D. Thomas hîc articulo secundo, & alij omnes Theologi docent. Quod tamen ita intelligi debet, vt remota materia dicantur in proposito esse peccata, non sicut materia *ex Qua*, sed sicut *circa Quam* destruendam & abolendam versantur illi actus pœnitentis, vt D. Thomas declarat.

Cæterùm cùm peccata latè pateant, explicandum est, Quænam PECCATA hoc loco dicantur materia *remota* Sacramenti Pœnitentiæ. Est enim aliud peccatum *Originale*: aliud *actuale*, idque vel mortale, vel veniale, quod & ante & post Baptismum committitur. Cùm autem eatenus peccata hîc dicantur materia remota, quatenus circa illa pœnitentis actus versantur; ac rursus Sacramentum istud non nisi post Baptismum vsurpari posit; generatim dicendum est, ea omnia & sola peccata esse huius Sacramenti

materiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

materiam remotam, quæ & post Baptismum cõmittuntur, & quorum pœnitentia propriè (hoc est, dolor de malo propria volũtate commisso) debet aut potest esse.

Hinc fit, vt duplici de caussa peccatũ ORIGINALE nõ sit materia huius Sacramenti remota. Primò. Quia non contrahitur post Baptismum; sed per illum deletur. Secundò. Quia neq; contrahitur *propria* voluntate, vt notauit etiam D. Thomas art.2.ad 3.

Quòd si Pœnitentia minùs propriè sumatur, pro qualicunq; videlicet præteriti mali detestatione, sic rectè D.Thom. ibi docet, posse de peccato Originali esse pœnitẽtiam, vt etiam loquitur Augustinus, vel quisquis est ille author, libro de vera & falsa pœnitentia, cap.8.& lib.de pœnitentiæ medicina, cap.2. Qui rationem quoq; ibi reddit, ob quam eos etiã, quibus peccatum Originale in Baptismo remissum est, pœnitere illius posit: Quia scilicet secundùm ipsius effectus, nempe concupiscentiam, &c. impedimento esse potest, quò minùs consequamur gloriam, corpore videlicet animam aggrauante, &c.

Atq; eandem doctrinam posuit D.Thomas in 4.d.16.q.1.art.2.quæstiuncula 2.vbi dicit, nõ modò posse, sed etiã debere isto modo pœnitẽtiam haberi de peccato originali. Quod tamen nõ ita intelligendum est, quasi talis pœnitentia sit necessaria, vt remittatur peccatum originale: aut etiam eius pœnitentiæ exercitium absolutè sit præceptum: Non enim est. In qua re probanda superuacaneè laborare videtur Ioannes Medina in Codice suo de Pœnitentia, tract.1.q.3. Sed vult D.Thomas, necessariò esse sic pœnitendum de Originali, saltẽ necessitate quoad actus *specificationem*, id est, neminẽ posse voluntate sua approbare malum illud peccati Originalis; sed si alterutrum actum erga illud elicere velit, necessariò debere detestari & improbare, non autem approbare, quod verissimum est.

Nec valet aliq,d, quod præterea contra S.Thomam obiicit Ioan. Medina, cõsequens inde esse, quòd posit nos ac debeat similiter pœnitere istius vitæ, quatenus etiam impedimento nobis est, quò minùs ad beatitudinem perueniamus, dum in ea videlicet vita manemus. Cùm enim Augustinus & D. Thomas aiunt, pœnitere nos posse ac debere peccati Originalis, vt est impedimentum consecutionis gloriæ: non hoc intelligunt ea ratione solùm, quatenus per suos *effectus* nos retardat à beatitudine; sed inprimis, quatenus potest nobis occasio esse, eam *simpliciter amittendi*, si prauam inclinationem concupiscentiæ sequamur. Hoc autem modo non ita propriè ac directè ipsa *vita* impedimentum absolutè dici potest consequendæ beatitudinis: quin potiùs ipsa etiam est vnum quoddam medium diuinitùs nobis prouisum, vt ad æternam beatitudinem peruenire possimus.

Peccata porrò VENIALIA licet sine pœnitentia remitti possint, tamen quia propria volũtate, & etiã post Baptismum committuntur, materia esse possunt remota huius Sacramenti, vt infrà in materia de Confessione magis declarabitur. Etsi principaliter quidem hoc Sacramentum nõ est ad remissionem venialium, sed mortalium institutum, vt Diuus Thom. hìc artic.2. ad tertium docet.

PVNCTVM TERTIVM.

Quænam sit huius Sacramenti Forma.

D. Thom. artic. 3.

FORMA huius Sacramenti consistit in illis verbis Sacerdotis, *Ego te absoluo*: in quibus tamen verbis tantummodò illa duo sunt de essentia, *Te* & *Absoluo*, vt Sotus d.14.q.1. art.3. ex communi sententia declarat. Nam tantundem significabis, si dicas, *Absoluo*, ac si dixeris, *Ego absoluo*.

Probatur autem eam esse Formam, PRIMO: Quia forma vniuscuiusq; Sacramenti in iis verbis consistit, quæ vel vi sua, vel ex accõmodatione & vsu significant proprium effectum Sacramenti. Sed illa verba saltem ex accommodatione & vsu significant proprium effectum Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo, &c.

Maior patet ex dictis suprà disputat.3.q.1.p.2. & sequitur ex duabus propositionibus, quæ sunt certæ & extra controuersiam. Vna est, Sacramẽta constare ex rebus aliquibus vt materia, & verbis vt forma; id est, significationem cuiusq; Sacramenti, tum in rebus, tum in verbis aliquibus institutam esse: vt suprà suo loco iam citato docuimus. Altera est, Sacramenta, vt ex verbis & rebus constant, esse signa *efficacia*, hoc est, p verba & res illud ipsum significari, quod fit in vsu Sacramenti, vt suprà disputatione tertia, quæstione prima, puncto primo, & quæst.3. puncto primo probatum est. Minor autem probatur. Quia effectus proprius huius Sacramenti est remissio & liberatio à peccatis post Baptismum commissis: Hunc autem effectum significant illa verba Sacerdotis, hoc ipso quòd ab eo proferuntur post factam à pœnitente confessionem eorum peccatorum, quæ post Baptismum sunt commissa.

SECVNDO probatur. Nam sicut Christus ministerium Baptismi significauit illis verbis: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Matth.28. ita ministerium Sacramenti Pœnitentiæ illis: *Quæcunque solueritis, &c.* Matth. 18. Sed quia Christus ministerium Baptismi ita significauit, rectè colligitur, illa verba, Baptizo te, &c. esse Formam Baptismi. Ergo pari ratione rectè colligimus, Formam huius Sacramenti esse illam: *Absoluo te, vel soluo te, &c.*

SECVNDO

TERTIO, ita Ecclesiæ docet traditio & vsus, de cuius initio minimè constat. vt meritò proinde hanc esse Formam huius Sacramenti, definitũ sit in Concilio Florentino, & Tridentino sess.14. capite 3. Deniq; cur ea verba rectè dicantur *Forma*, optimè D. Thomas hìc art.3. declarat. Et est ad eam rem hæc etiam ratio notanda. Cùm significatio Sacramenti sit communis Formæ & Materiæ illius; hæc est differentia Formæ & Materiæ in significando, quòd materia minùs distinctè effectum ipsum Sacramenti significat, forma magis distinctè. Vt ablutio, quæ est materia in Baptismo, minùs clarè ipsa significat ablutionem interiorem animæ à peccatis; clariùs id faciunt illa verba, *Ego te baptizo, &c.* quæ proinde rectè dicũtur Forma, respectu illius ablutionis, eò quòd determinant quasi illius ablutionis significationem, vt non nisi ad illam interiorem animi ablutionem referatur. Sic in proposito, pœnitentis actus minùs distinctè (nempe proportione tantùm quadam & ordinis analogiâ) significant effectum huius Sacramenti, scilicet liberationem animi à peccatis: quatenus contritio peccatorum, & eorum confessio, & Satisfactio pro illis, eò nimirum pertinẽt, vt destruatur tandem atque aboleatur penitùs peccatum. Verba autem illa Sacerdotis, *Absoluo te*, longè distinctiùs & clariùs significant hanc abolitionem peccatorum. Est enim tantundem id dicere, ac si apertè diceretur, te *libero* à peccatis. Imò quod ad rem ipsam & effectum attinet, significantiùs id indicatur per illa verba: Ego te *absoluo*, eò quòd magis his verbis declaratur magnitudo beneficij, quod in peccatorem ea ratione confertur. Significatur enim, eum non vtcunque peccatis subiectum fuisse; sed ita illis constrictum, vt vinculis, à quibus sine singulari Dei gratia solui nequiuerit; iuxta illud Prouerb. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum quisque constringitur*: Itemque illud Isaiæ 58. *Dissolue colligationes impietatis*. Cùm itaq; verba illa Sacerdotis longè clariùs significent effectum huius Sacramenti, quàm ipsi actus pœnitentis, atque adeò eiusmodi actuum significationem determinent; rectè dicuntur in hoc Sacramento esse *Forma* talium actuum, tanquam eiusdem Sacramenti materiæ.

Neque verò refert, quod attinet quidem ad veritatem Sacramenti, quibusnam verbis hanc ipsam sententiam significes; modò eam certè significes. Quod patet ex doctrina generatim suprà de Formis Sacramentorum tradita disput.3. de Sacramentis in genere, quæst. prima, puncto secundo. Itaque rectè Caietanus hìc articulo tertio, & Sotus distinct.14. quæst. prima, articulo tertio, & alij concedunt, validum fore istud Sacramentum, etiamsi Sacerdos dicat: *Remitto tibi peccata*: quia tantundem id significat. Et eo etiam verbo Christus ipse vsus est, Ioann. 20. Quanquam conuenientiùs dicitur: *Ego te absoluo*, vt Diuus Thomas declarat articulo tertio, & apparet ex dictis. Item valeret Sacramentum, si Sacerdos diceret, *Sacramentum absolutionis tibi impendo*, vt docent D. Thomas hìc artic.3. ad vltimum, & Sotus vbi suprà, & Caietanus hìc art. 3. qui hoc rectè declarat. Significat enim, quod ad rem attinet, hoc tantundem.

Esset tamen peccatum, his modis mutare verba Formæ: quamuis non ex genere suo mortale, vt rectè censet Sotus dist.14. quæst.1.art.3. Posset autem esse mortale, ratione alicuius scandali. vt si putaret pœnitens, inquit Sotus, se non verè absolui.

Porrò hac doctrinæ explicatione posita, facilè confutantur aliquę FALSAE opiniones de huius Sacramenti Forma. PRIMA est Abulensis, qui in 1. part. sui Defensorij, cap. 6. simpliciter negat, verbo *Absoluendi*, propriè significari id, quod fit in hoc Sacramento, nempe remissionem peccatorum quoad culpam, aut etiã quoad pœnam. Probat: Quoniam peccata non sunt vincula propriè, siquidem nihil sunt positiuè, & transeunt actu: neq; etiam pœna tollitur in ministerio huius Sacramenti, cùm nondum illa sit, sed tantùm sit futura. Quare dicit, non à culpa, vel à pœna; sed à solo *reatu* pœnæ, hoc est, ab obligatione ad illam dici posse hominem absolui.

Sotus in 4.dist.14.quæst.1.art.3. dicit, Abulensem hac in parte vsque adeò voluisse exactè vsurpare vocabulum absoluendi, *vt nesciam*, inquit, *an quidpiam expuerit sanguinis*. Argumentum autem illius contra Abulensem est, quòd cùm Ecclesia vtatur hac Forma, eamque in Concilio Florentino comprobauerit, & sit sumpta ex Euangelio, non licet, inquit, de eius proprietate hæsitare.

Et certè, si cum dixit Abulensis, non propriè significari eo verbo effectum huius Sacramenti, voluit etiam indicare (vt videtur) eo ipso non satis significari *bene & commodè*, audiendus non est. Quamuis enim in *modo* ita significandi aliqua metaphora vsurpetur; tamen effectus ipse remissionis peccatorum, quod ad rem attinet, commodissimè & significantissimè eo vocabulo declaretur, vt antea exposuimus. Atque hoc quidem rectè confirmat Sotus authoritate Ecclesiæ & Euangelij.

Neque argumentum Abulensis plus probat, quàm quòd aliqua metaphora per id vocabulum vsurpetur in *modo* significandi hunc Sacramenti effectum. Quod nemo negat, sicut neque negari etiam potest, quin peccata metaphoricè tantùm appellentur *vincula*.

Videtur etiam Abulensis non satis considerauisse, quemadmodum culpa etiam habitualiter manet post actum prauum, à qua proinde verè absoluitur & liberatur peccator. Item neque quid significet illud, quod dici solet, aliquem absolui etiam à *pœna*. Non enim est

sensus,

ſenſus, liberari à pœna, quam nondum luit; ſed à *reatu* certè & ab obligatione ad pœnam: ſicut bene Sotus notat, & ipſe Abulenſis concedit. Nam & Iudex ſæcularis v. g. dicitur Reum à pœna in Iudicio abſoluere hoc ipſo, quòd illum à *reatu & obligatione* incurrendæ pœnæ liberat, quam tamen nondum incurrerat.

SECVNDA opinio fuit cuiuſdam Theologi, aduerſus quem D. Thomas compoſuit opuſculum 22. Is aiebat, Formam debere eſſe deprecatoriam hoc modo: *Abſoluat te Deus*, ſicut etiam eſt Forma Extremæ vnctionis: *Indulgeat tibi Deus, &c.*

SED hanc opinionem D. Thomas in illo opuſculo appellat præſumptuoſam & temerariam: Imò etiam erronea dici poteſt. Nam effectus Sacramenti, atque adeò actus Miniſtri, tali forma verborum debet ſignificari, qualis ex Scriptura & vſu Eccleſiæ habetur. Talis autem eſt in propoſito illa, quæ continetur modo Indicatiuo: *Ego te abſoluo*; non autem deprecatiuo. Ait enim Chriſtus: *Quæcunq; ſolueritis, &c.* & *quorum remiſeritis peccata, &c.*

De Forma autem Extremæ vnctionis alia ratio eſt, vt D. Thomas in illo opuſculo reſpondet. Etenim ex loco Iacobi 5. *Et oratio fidei ſaluabit infirmum, etc.* apparet, Chriſtum voluiſſe, vt deprecatorio modo ſignificaret Miniſter effectum eius Sacramenti. Accedit, quòd tota hæc ratio Sacramentorum, ex inſtitutione & voluntate Chriſti dependet, quam nobis ſanè declarat traditio & vſus Eccleſiæ.

Concedit autem Sotus d. 14. q. 1. art. 3. ſub finem, valituram Formã huius Sacramenti, ſi modo quidem non deprecatiuo, ſed *imperatiuo* vteretur Sacerdos, inquiens: *Abſoluaris à me.* Nam quòd modus hic imperatiuus quoad Formæ complationem, tantundem in re, quantum indicatiuus valeat; ex vſu Græcorum colligitur, qui quidem ab Eccleſia cẽſentur verè baptizare, quamuis dicant, *Baptizetur* ſeruus Chriſti, vt ſuprà diſput. 4. de Baptiſmo, quæſt. 1. vidimus.

TERTIA opinio, niſi potiùs error dici debeat, eſt Magiſtri ſententiar. in 4. d. 18. verbis illis Formæ, Ego te abſoluo, nequaquã ſignificari, quòd *ipſe Sacerdos abſoluat* à peccatis, aut remittat peccata: Sed ſenſum eſſe, Ego te à peccatis diuinitùs abſolutum eſſe *oſtendo*. Quare cenſet, efficaciter quidem nunquam à Sacerdote pœnitẽtem abſolui, niſi priùs fuerit beneficio veræ contritionis abſolutus â Deo. Tunc enim ſolùm efficaciter & reipſa oſtenditur abſolutus, quod Magiſtri opinione, eſt abſoluere.

Probat PRIMO: Quia ſolus Deus eſt, qui poteſt remittere peccata. Iſaiæ 43. *Ego ipſe deleo iniquitates & peccata populi.* Et Ambroſius, vt refertur diſt. 3. de Pœnitentia, Can. *Verbum Dei*, ita dicit: *Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos eſt Iudex. Sacerdos quidem officium ſuum exhibet, ſed nullius poteſtatis iura exercet.* Et Auguſtinus in illud Ioann. 1. *Ecce Agnus Dei, &c. Nemo*, inquit, *tollit peccata, niſi ſolus Deus.*

SECVNDO. Nam Euangelici Sacerdotes ita remittunt aut retinẽt peccata, ſicut olim Sacerdotes legales *mundabant*, vel nõ mundabant à lepra, inquit Magiſter. Sed illi tantùm mundabãt oſtendendo, ſeu iudicando eſſe mundos, aut nõ mundos. Ergo pari ratione Sacerdotes Euangelici. Maiorem confirmat Magiſter verbis D. Hieronymi lib. 3. Comment. in Matth. vbi ſuper illa verba Matth. 16. *Quodcunq; ligaueris, &c.* ita inquit: *Epiſcopi & Preſbyteri quidam, non intelligentes hunc locum, aliquid ſumunt de ſupercilio Phariſæorum, vt damnare innoxios, vel ſoluere ſe putent noxios; cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. In Leuitico ſe oſtendere Sacerdotibus iubentur leproſi, quos illi non faciunt leproſos vel mundos; ſed diſcernunt; qui mundi & immundi ſunt: ita & hîc oſtenditur, quòd non ſemper ſequitur Deus Eccleſiæ iudicium, quæ per ſubreptionem & ignorantiam interdum iudicat: Deus autem ſemper iudicat ſecundùm veritatem. Et in retinendis vel remittendis culpis id iuris habent Euangelici Sacerdotes, quod olim habebant ſub lege legales in curandis leproſis. Hi ergo peccata remittunt vel detinent, dum dimiſſa vel retenta intendicant & oſtendunt: ponunt enim Sacerdotes nomen Domini ſuper filios Iſrael, ſed ipſe benedixit*, vt legitur Num. 6. Hactenus Hieronymus à Magiſtro citatus.

Hæc opinio, quod attinet ad remiſſionem *quoad culpam*, defenditur ab Halenſi 4. p. q. 80. memb. 1. & Bonauentura d. 18. part. 1. art. 2. q. 1. Et eam etiam auidè arripiunt hæretici, negantes eiuſmodi aliquam poteſtatem Clauium, quã ipſi Sacerdotes verè remittant peccata. Quamquam non ſuffragatur illis quidem omnino Magiſter, quippe qui nihilominus concedit Sacerdotibus eiuſmodi poteſtatem Clauium, quæ per modum *iudicij*, cognito in ſpecie per Confeſsionem ſtatu peccatoris, exerceri debeat.

Reiicitur autem meritò iſta ſententia Magiſtri ab omnibus aliis Theologis, quippe quæ pugnat reuerà cum ipſa Scriptura & authoritate ſanctorum Patrum, adeoq; etiam ipſius Hieronymi, quem Magiſter non rectè intellexit, vt poſtea videbimus. Probatur igitur, Sacerdotem ipſum verè, vt cauſſam inſtrumentalem, per Sacramenti miniſterium, remittere culpam, idque propriè per formã ſignificari. PRIMO ex Scripturæ verbis Matth. 18. & Ioann. 20. *Quæcunque ſolueritis, &c.* Et: *Quorum remiſeritis, &c.* quæ prioè & ſimpliciter ita, vt ſonant, intelligi debẽt, cùm nullum inde ſequatur incommodum. Etenim ipſe Sacerdos impendat beneficium gratiæ & remiſsionis peccatorum; tamen hoc non facit niſi vt Dei inſtrumentum, atque vt Chriſti miniſter, cuius perſonam gerit. Quod ipſum potius illuſtrat Chriſti gratiam, iuxta illud Apoſtoli, 2. Corinth. 2. *Si quid donaui, in perſona Chriſti donaui.*

SECVNDO.

SECVNDO. Quoniam ſi interpretationem illam Magiſtri admittamus; manifeſta erit abuſio illorum vocabulorum Formæ, Ego te *abſoluo*: neque credendum eſt, Eccleſiam in Sacramenti forma vſque adeò vocabulis abuti.

TERTIO, ita etiam ſecundùm proprietatem verborum Scripturæ definitum eſt in Concilio Conſtantienſi ſub finem, vbi hæreticum cenſet Martinus V. eum, qui negat, *Sacerdotem verè abſoluere*. Item in Concilio Florentino, vbi dicitur, *Abſolutionem à peccatis eſſe effectum huius Sacramenti*. Et in Tridentino, ſeſſ. 4. cap. 3. & 6. vbi ſic dicitur: *Quamuis abſolutio Sacerdotis, alieni beneficij ſit diſpenſatio: tamen non eſt ſolùm nudum miniſterium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata; ſed ad inſtar actus iudicialis, quo ab ipſo velut a Iudice, ſententia pronunciatur.*

QVARTO. Eam etiam vim fuiſſe illorũ Chriſti verborum, intellexerunt ſancti Patres. Hilarius enim can. 16. in Matthæum, & Cyprianus lib. 1. epiſtolarum, epiſt. 2. ad Cornelium, ſic interpretantur traditam eſſe eam poteſtatem Sacerdotibus, vt *prius* quidem (ſaltem naturâ, tanquam inſtrumẽta) abſoluant illi à peccatis, & ea remittant in terris, quàm Deus in cœlo. Quod rectè colligunt ex illis Chriſti verbis: *Quæcunque ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in cœlo*, id eſt, ſoluentur etiam in cœlo. Cum qua ſententia nullo modo congruere poteſt illa interpretatio Magiſtri: quippe cùm ponat priùs omnibus modis hominem abſolutum diuinitùs eſſe à peccatis, ac tum demùm declarari tantùm à Miniſtro, quòd ſit abſolutus. Atque eodem illo argumento, quo Cyprianus, Diuus etiam Bernardus ſermone in die Petri & Pauli; & eius æqualis Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis, par. 14. cap. 8. eleganter concludunt, ſententiam Petri peccata remittentis, *præcedere* ſententiam in cœlis.

Item D. Chryſoſtomus lib. 3. de dignitate Sacerdotali, apertè teſtatur, quòd *ſicut filius hominis verè remiſit peccata* paralytico, inquiens: *Vt ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatẽ in terra dimittendi peccata; ita hanc eandẽ poteſtatem transfudit in Sacerdotes, quos miſit ipſe, ſicut miſerat eum Pater*, Ioã. 20.

Atque in eandem planè ſententiam loquitur D. Ambroſius lib. 1. de Pœnitentia, cap. 2. & 7. & libro 2. cap. 2. Auguſtinus lib. 2. de adulterinis coniugiis, cap. 9. & q. 33. ſuper Numeros, & in pſalm. 101. concione 2. Hieronymus ad Hedibiã, q. 9. Cyrillus lib. 12. in Ioann. cap. 55. ſub finem. Leo epiſt. 91. (aliàs 89.) vbi ægrotis, qui teſtimonium habent, quòd pœnitentię remedium petierint, etiamſi non ampliùs ſui compotes ſint, docet Leo poſſe à Sacerdote impẽdi beneficium remiſsionis peccatorũ. Item Beda in cap. 5. Lucę.

Porrò cùm aſſerimus, Sacerdotem ipſum peccata remittere, & ab illis verè abſoluere, idq; ſignificari per formam: intelligendum hoc eſt, *quantum eſt quidem ex parte ipſius Sacramenti*, atq; etiã miniſterij, quo Sacerdos fungitur, vt rectè declarat Caietanus hîc art. 3. ad vltimum, & etiam D. Auguſtinus lib. 2. de adulterinis cõiugiis, cap. 9. vbi ea ratione, ſcilicet quãtum eſt ex parte ipſius Sacramenti & miniſterij, aſſerit in vſu Pœnitentiæ *non dubitari, quin per Claues*, inquit, *regni cœlorum fiat remiſsio peccatorum.*

Ex quo intelligitur, veram eſſe hanc Formam abſolutionis etiam tunc, cùm in præſentia quidem & *actu* non remittuntur pœnitenti per abſolutionem peccata. Quod accidit, quando vel ante abſolutionẽ eſt ille iam cõſecutus gratiam per Contritionem perfectam; vel certè obſtat ei aliquid, quò minùs illam per abſolutionẽ conſequatur. Vt ſi affectum habeat ad aliquod peccatum occultũ, aut confiteatur ſine vllo dolore, aut non integrè; tum dicimus, veram nihilominus & certã eſſe abſolutionis Formam. Nam tũc etiã verum eſt, Sacerdotẽ abſoluere, *quantum eſt quidem ex parte ſui miniſterij*, atq; etiã Sacramenti.

Qua ſanè explicatione etiã Magiſter, vt ſuam opinionem defenderet, opus habuit. Dicit enim Sacerdos, *Ego te abſoluo*, etiam tunc, cùm à Deo pœnitens nõ abſoluitur, obſtante nimirum aliquo peccato occulto, vel deficiẽte neceſſaria diſpoſitione. Quare licet Magiſtro concederemus, verborum illorũ ſenſum eſſe: Ego te *oſtendo à Deo abſolutum*; neceſſe tamen eſt, vt hoc intelligatur, *quantum eſt quidem ex parte miniſterij et Sacramenti*, alioquin falsò idipſum etiã diceret tum, cùm reuera accidit, vt pœnitens nõ ſit abſolutus à Deo.

Sic etiam eadẽ explicatione ſectarij indigent, vt defendãt, verè ac certò ſe *annunciare* remiſsionem peccatorum, in miniſterio illo ſuo priuatæ abſolutionis, etiam tunc, cùm non conſequitur pœnitens remiſsionem peccatorum, obſtante videlicet aliqua animi fictione. Vt ſi nõ verè doleat, vel non credat, &c.

Atq; ex hac rurſus doctrinę explicatione, quę vera & communis eſt, conſequitur, Sacramenta, adeoq; Formas Sacramentorum, licet illud totum, quod in illorum miniſterio fit, ſignificent; nõ tamen illud ſignificare omni modo & reſpectu, hoc eſt, non etiam vt *actu* ponitur talis effectus in re, atq; adeò vt omnibus circumſtantiis vndequaq; conſideratis exiſtit. Ita enim ſæpe accideret, vt ſignificatio Sacramentalis eſſet falſa, nempe cùm aliquid obſtat ex parte percipiẽtis, quò minùs Sacramentum in eo ſit actu efficax. Ac tunc ſanè alterum eſſet cõcedendum è duobus, quorum vtrumque eſt incommodum & abſurdum: nempe aut Sacramentum nunquã eſſe validum, cùm eſt *infructuoſum*, id eſt, actu inefficax (quod nullo modo dici debet) aut eſſe aliquãdo validum Sacramentũ, ſine ſignificatione vera, quod minimè etiã videtur probabile, cùm non informis aut determinatè falſa, ſed vera ſignificatio, vt vera, cõſtituat eſſentiã Sacramenti.

Intelligendum eſt igitur, per Sacramenta, eorumq; formas, totũ quidem effectum Sacramẽtalem ſecundùm ſe & ſimpliciter ſignificari; ſed

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen non vt actu existit, aut recipitur in percipiente Sacramentum; sed vt habet ordinem ad ministrum & Sacramentum; seu quod idem est, vt *exit à ministro*, quantum est ex parte *ministerij*, vt breuiter & subtiliter notauit Caietanus in hac quæst. art. 3. Atq; eatenus quidē semper certò ac infallibiliter significat Sacerdos pœnitētem absolui à peccatis, vt etiam D. Thomas hic art. 3. ad vltimū docet ex Augustino lib. 2. de adulterinis coniug. c. 9. cuius verba paulò antè recitauimus.

Quibus ita explicatis, ad PRIMVM argumentū Magistri respondemus, illius generis testimoniis tātummodò probari, quòd à solo Deo peccata remittantur per authoritatem causſæ *principalis*, vt D. Thomas rectè respondet hic art. 3. ad 3. Id tamen non impedit, quò minùs per ministerium peccata etiam remittantur à Sacerdote, tanquam ab *instrumento* Dei. Ipse enim Deus est qui remittit, cùm ita remittit Sacerdos. Quod rectè intellexit venerabilis BEDA, cùm in cap. 5. Lucæ, in illam sententiam Pharisæorum: *Quis potest peccata remittere, nisi solus Deus?* ita inquit: *Verum dicunt Pharisæi, quia nemo peccata dimittere, nisi Deus potest, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem.* Hactenus Beda.

Et explicat hoc idem Sotus d. 14. q. 1. art. 3. accommodato exemplo. Si enim dicas: *Solus faber tractat fabrilia*, non ideo negas, quin id faciat per artis instrumēta: ita licet solus Deus dicatur remittere peccata, non idcirco excluduntur ab eiusmodi opere Dei instrumenta.

Ad SECVNDVM argumentū respondeo, rationē ministerij Sacerdotum Euangelicorum, partim esse similem, partim dissimilē ministerio Sacerdotum legalium, quod attinebat ad emundationem illam legalem leprosorum. In illo enim legali ministerio duo erant. PRIMVM, quod Sacerdotes ipsi quidem non poterant *arbitratu suo* pronunciare mundos, legaliterque ab eiusmodi immunditia absoluere eos, quos vellent; sed eos tantùm, qui *reuerà* iam essent mundati diuino beneficio. ALTERVM, quòd eos, qui reuerà Dei beneficio mundabantur, nequaquam ipsi etiam Sacerdotes reipsa mundabant, sed antè tantùm mundatos *pronunciabant* mundos esse, eaque ratione liberabant à legali immunditia.

In PRIMO quidem est similitudo ministerij Euāgelici & illius ministerij legalis, quatenus videlicet efficacia ministerij ex nutu ipsius Dei & dispositione ipsa hominis; non autē ex nutu ministri pendet. Nequaquam enim est in arbitrio Sacerdotis positum, quoslibet, etiam indispositos, reipsa absoluere; sed eos tantùm, qui videntur idonei, vt à Deo absoluantur, concurrente etiam legitimo ministerio Clauium. Atque hoc est tantùm, quod disputat D. Hieronymus in eo loco, quē Magister citat, vt euidenter colligi potest ex eiusdē Hieronymi verbis, suprà recitatis.

In ALTERO autem nequaquā est similitudo. Quinimò *ordine* quodam instrumenti, præcedit sententia Sacerdotis in terra soluentis, sententiā in cœlis, vt ex Patrū doctrina paulò superiùs declarauimus. Et certè D. Chrysostomus lib. 3. de dignitate Sacerdotali eleganter disputat, ita ministeriū Euangelicorū Sacerdotum antecellere ministerio legalium, sicut Sacramenta Euāgelica præstant illis Sacramentis veteribus.

Atq; ex hac explicatione intelligi potest, quo etiā pertineat sententia D. CYPRIANI, qui lib. 4. epistolar. epist. 2. dicit, Dūm aliquando *emendare seruorum suorum sententiam.* Et lib. 1. epistolar. epist. 3. *Plerumq; pacem à non veris Presbyteris verbis fallacibus annunciari.* Intelligenda enim hæc & similia sunt, quādo sua potestate & ministerio, secus q̄ oportet, vtuntur Sacerdotes. Alioqui si rectè illa vtātur, nihil de illorū ministerij efficacia dubitādum esse putauit Cyprianus. Quinimò in serm. de Baptismo Christi expresè dicit, *totius bonitatis authorem manum apponere visibilibus Sacramentis & consecrationibus*, vt ministerium nimirum sit efficax.

In quam sententiam D. LEO epist. 91. ad Theodorum Episcop. Foroliuiensem: *Operi*, inquit, *reconciliationis Saluator interuenit, nec vnquam in his abest, quæ ministris suis exequenda cōmisit.* Et CHRYSOSTOMVS lib. 3. de dignitate sacerdotali: *Sententiam*, inquit, *seruorū suorū Dominus ipse corroborat.* Hæc aduersus opinionem Magistri ob eam rem paulò fusiùs disputare volui, quoniam valent etiam contra hæresim Sectariorum, qui negant, veram & realem potestatem Clauium: quorum argumentis suprà ferè p. 1. responsum est, cùm Assertionem huius Sacramenti cōfirmaremus.

QVARTA opinio etiā falsa circa significationem formæ istius Sacramenti, fuit aliquorum, quos Magister in 4. d. 18. commemorat; nempe verbis illis significari remissionem tūm *pœnæ æternæ*, à qua sola proinde absoluāt reuerā Sacerdotes, cū Deus solus absoluerit ab ipsa culpa. Quā opinionem videntur Halensis, & Bonauētura ubi suprà secuti. Atq; in huius rei symbolum aiebant illi, vt Magister meminit, Christum posteaquam Lazarum ipse solus ad vitā reuocasset, Apostolis eum tradidisse, vt ipsum iam alioqui viuum, sed tamen ligatum soluerēt. Sic aiebant, solum Deum gratiæ vitam, remissa culpa, restituere; ministros autem deinde tollere vinculum reatus æternæ pœnæ.

SED hæc etiā opinio ab omnibus aliis Theologis meritò repudiatur. *Primò*, Quoniam verba Formę sic ab Ecclesia in ministerio vsurpātur, sicut à Christo vsurpata sunt, cùm potestatē eius ministerij traderet, inquiens: *Quæcunq; solueritis*, Et: *Quorū remiseritis, etc.* At verba ista Christi simpliciter & absolutè sonant remissionem à peccatis, etiam quoad culpam, in qua propriè & essentialiter peccatum consistit. Ergo eam quoq; vim habent in absolutionis forma, & cōsequenter à culpa etiam absoluunt Sacerdotes.

Deinde non satis illud intelligibile est, quod dixerunt

dixerunt Theologi illi, à Deo solo tolli culpam; & tamen adhuc manere reatum æternæ pœnæ, à quo per ministerium postea homines soluerentur. Qui enim in gratiam Dei, dimissa culpa, receptus est, is secundùm legem quidem ordinariam nequaquam est obnoxius pœnæ æternæ: siquidem *nihil est damnationis iis, qui sunt in Christo Iesu*, inquit Apostolus ad Rom. 8.

Tertiò, in hoc etiam peccat illa sententia, sicut etiam opinio Magistri, quòd ponit, hominem iam debere esse in gratia, quādo beneficium absolutionis à Sacerdote accepturus est. Id quod falsum est, vt rectè inter cæteros ostendit Sotus dist. 14. quæst. 1. art. 3. Nam potest obstare aliquis affectus occultus ad peccatum, vel etiam imperfectio Contritionis, cùm nō est tantā, vt sine Sacramento alioqui gratiam conciliare ipsa possit: de quo infrà suis locis dicemus.

Postremò valent etiam cōtra hanc quartam opinionem, testimonia Patrum ante citata aduersus Magistrum, ex quibus constat, ita remitti peccata per ministerium à Sacerdotibus, sicut remittebantur ab ipso Christo, qui certè remittebat etiam quoad culpam.

QVINTA opinio est Durādi in 4. d. 22. q. 2. vbi ait, probabiliter dici posse, Formā huius Sacramenti nō præcisè consistere in illis verbis: *Ego te absoluo*; sed necessariò aliqua verba etiā addenda esse, vel præmittēda, quibus minister significet, se absolue re authoritate Dei principalis agētis: Vt, Ego te absoluo, *authoritate Dei*, vel *Christi*, vel si in fine addat, *in nomine Patris, etc.* Probat: Quoniam in aliis Sacramentis, vbi actus ministri exprimitur, exprimitur aliqua in uocatione authoritas Dei principaliter operātis. Ergo hīc item exprimi debet, cùm exprimatur actus ministri, illo verbo, *te absoluo*.

Et potest confirmari hæc Durandi opinio, ex modo loquēdi Cōcilij Florent. & Tridt. de Forma huius Sacramenti, Florentinum enim dicit, Formā esse: *Ego te absoluo*, & addit, *etc.* Itē Trident. sess. 14. cap. 3. inquit, *Formam esse positā in illis verbis: Ego te absoluo, etc.* Quibus locis cùm hęc Concilia non præcisè loquātur; sed addant particulā, *&c.* videtur sanè significare, esse quoq; de essentia, alia verba, quæ in hac Forma adiungi solent, nēpe illa: *Ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, &c.*

SED contraria nihilominus sententia est cōmunis & tenenda, videlicet quamuis conueniat quidem reliqua illa verba addere, sicut fieri solet, non esse id tamen necessarium ad Formæ essentiam: imò ne fore quidem peccatum vllum, illa omittere, secluso contemptu aut scandalo, vt notat Sotus loco citato. Argumentum pro hac sententia aduersus Durandum est, quòd necessitas eiusmodi verborum colligitur.

Quare ad contrarium argumentum Durandi respondetur, rationem, cur in aliis Sacramentis exprimatur authoritas causſæ principalis, non esse, quia exprimitur actus ministri; sed id totum esse positum in Christi institutione, quæ nobis maximè innotescit ex traditione, & vsu Ecclesię. Et cur in Baptismo, & Confirmatione inuocatio Trinitatis sit de essentia, alia peculiaris est ratio: Nempe, quia in Baptismo sit professio fidei, cuius maximus articulus est de sanctissima Trinitate: Et in Confirmatione accipitur robur ad tuendam eandem fidem.

Ad illud autem, quod ex Concilijs obijciebamus, respondendum est, particulam, *etc.* nō ideo à Conciliis addi, quasi definiant, reliqua verba esse de essentia; sed vt insinuent, posse illa certè addi conuenienter ad Formam, sicut moris est, vt antea diximus.

SEXTA opinio est Paludani d. 22. q. 3. verbum illud, *A peccatis*, esse de formę essentia. Argumētum illius est: Quoniā Christus dixit: *Quorū remiseritis peccata.* SED hoc parùm valet. Etenim suprà explicauimus, satis significari absolutionē à peccatis, per illa sola verba: *Te absoluo*: hoc ipso, quòd à Sacerdote ea dicuntur post pœnitentis confessionem. Et hactenus quidē de Materia & Forma istius Sacramenti generatim ita dictum sit.

PVNCTVM QVARTVM.

An præter Materiam & Formam, Impositio etiā manuū requiratur ad substantiā huius Sacramenti.

D. Thom. artic. 4.

SENTIENDVM est, præter Materiā & Formam, non requiri ad huius Sacramenti essentiam vel substātiam, cæremoniam illam ab aliquibus vsitatam *Impositionis manuum*, vt ostēdit facilè D. Thomas hic artic. 4. & opusculo 22. cap. 4. aduersus quendam, qui falsò sentiebat, eam cæremoniam esse necessariam: Cuius argumenta in dicto art. 4. soluit.

Nihilominus vbi hæc cæremonia vsitata est, non est cōtemnenda. Nam & olim in Sacramēto Pœnitētiæ vsurpata fuit, quemadmodum ex antiquitate ostēdit VValdensis tomo 2. de Sacram. cap. 147. cōtra VViclephum, qui eiusmodi cæremoniam irridebat. Id aūt patet: Nam in Concil. Nicæno cap. 9. & 1. q. 1. can. *Manus.* ex Augustino lib. 3. de Baptismo, cap. 16. vocatur Sacramentum Pœnitentiæ manuum impositio, ab illa videlicet cæremonia.

Nunc verò temporis, vbi in tota prouincia talis cæremoniæ vsus nō esset, Sotus d. 14. q. 1. art. 4. censet, nō expedire illa vti, neq; oportere etiam eleuare manum inter absoluendum.

Expositum igitur hactenus, quæ sit substātia & ratio huius Sacramenti, id est, quæ materia & forma: Quæ sanè dicuntur in ,ppositō *Sacramentum tantùm*: Res autem huius Sacramenti tūm, id est, *effectus*, est reconciliatio cum Deo, seu remissio peccatorū, vt in Concilio Trident. sess. 14. cap. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

explicatur,& docet etiã D.Thom. hic art.1. ad 3. *Rem* autem & *Sacramentum ſimul*, docet idem D. Thom.loco citato,poſſe in propoſito dici ipſam pœnitentiam interiorem, quatenus & ſignificat ſuo modo effectum huius Sacramenti, & rurſus ab actibus externis abſolutionis & confeſsionis accipit, vt ſit pars huius Sacramenti, tanquam quiddam per accidens ſenſibile: Eaque ratione quodammodò eſt ipſe etiam effectus Sacramẽti. Ita enim intelligo in illo loco D.Thomam, cùm declarare nititur, quemadmodum in hoc etiam Sacramento ſit *Sacramentum tantùm*, id eſt, propriè Sacramentum, & *res ac Sacramentum ſimul*, & *res tantùm*: quæ tria in aliis etiam Sacramentis diſtingui à Theologis ſolent.

PVNCTVM QVINTVM.

Quæ ſit huius Sacramenti comparatio cum Sacramentis aliis; & maximè cum Baptiſmo.

D. Thom. artic. 6.

PŒNITENTIAE quidem Sacramẽtum à Baptiſmo, cæteriſque Sacramentis differre, iiſdem argumentis conuincitur, quibus ſuprà p. 1. demonſtratum eſt, eſſe tale aliquod Sacramentum Pœnitentiæ, quale initio deſcripſimus. Habet enim illud & materiam, & formam, à materia & forma Baptiſmi ac aliorum Sacramentorum diuerſam, vt patet. Tum etiam ex parte miniſtri & effectus à Baptiſmo differt.

Nam *Miniſter* Baptiſmi nõ fungitur aliqua Iudicis authoritate in eo, quem baptizat, nec cognoſcit de illius ſtatu & peccatis. Cuius ratio eſt: Quia qui ad Baptiſmum accedit, nondum eſt in Eccleſia: De his autem, *qui foris ſunt*, non pertinet ad Eccleſiæ miniſtros iudicare, 2. Cor. 5. In adminiſtrando autem Pœnitentiæ Sacramento, miniſter fungitur officio Iudicis, in eos nimirum, qui iam per Baptiſmum ad Eccleſiam adiuncti ſunt, vt in p.1. & 2. probatum eſt.

Item *effectus* remiſſionis peccatorum longè eſt in Baptiſmo vberior. Nam ibi ex opere operato remittuntur oĩa peccata quoad culpã, & quoad oẽm pœnam, vt ſuprà diſp.4. q.4. docuimus. In Sacramento autẽ Pœnitentiæ reatus aliquis pœnæ tẽporalis relinquitur, dimiſſa culpa, vt infrà defendemus q.14. cùm erit diſputatio de Satisfactione, quæ eſt tertia pars huius Sacramenti.

Hunc in modum differentiam Sacramẽti Pœnitẽtię & Baptiſmi ex orthodoxa doctrina repetiuerunt etiam Patres Concilij Trident. ſeſſ.14. cap.2. & can.2. SECTARII verò, quoniã Sacramentum ipſum Pœnitentiæ, quale ſuprà p.1. deſcriptum eſt, negant, conſequenter etiam negãt differentiã eius à Baptiſmo. Quare Caluin. lib.4. Inſtit.cap.19.ſect.17. cenſet, ipſum duntaxat Baptiſmum appellari debere Sacramentum Pœnitentiæ, cùm *in confirmationem*, inquit, *gratiæ et fiduciæ, quaſi ſigillum iis datum ſit, qui pœnitentiam meditantur*. Qui Caluini error meritò in Concilio Tridentino ſeſſ.14. can.2. eſt condemnatus.

Suprà enim p.1. dilutis iſtorũ argumentis probauimus, præter illam pœnitentiã, quæ ante Baptiſmum requiritur ab adultis, eſſe etiam Sacramentum peculiare in pœnitentia conſtitutũ pro iis, qui poſt Baptiſmum peccant. Neq; tamen repugnamus, quin Sacramentum Baptiſmi ea etiã ratione Sacramentũ Pœnitentiæ nominari poſſit, quatenus gratia per illũ exhibetur iis adultis, quos ita peccatorum pœnitet, ſicut ante Baptiſmum oportet. Quo ſanè pacto in libro de Fide ad Petrum, cap.30. ex Auguſtini ſentẽtia, Baptiſmus appellatur *Sacramentum fidei & pœnitentiæ*. Id quod repetitur 15. q.1. Can. *Firmiſſimè*. Quin etiam Apoſtolus Hebr. 6. eodem ſenſu Baptiſmum ſignificauit pœnitentiæ vocabulo. Sed aſſerimus nihilominus, eſſe ꝓterea peculiare aliud Sacramentum eius pœnitentiæ, quę poſt Baptiſmum etiã agi debet, quod proinde Sacramentũ à Baptiſmo differat, vt ſuprà probatum eſt, p.1.

Iam ordo & *comparatio* huius Sacramenti cum Baptiſmo & aliis, eiuſmodi eſt, ꝙ inter Sacramẽta quidẽ, quæ ad bonum hominis *priuatum* proximè referuntur, priorem locũ teneat Baptiſmus, Cõfirmatio, & Euchariſtia: poſteriorem aũt Pœnitentia & Extrema vnctio. Cuius rationẽ reddit facilè D.Thom. hic art.6. Nam quod in vnoquoque genere eſt *per ſe*, prius eſt eo, ꝙ eſt *per accidens*. Ad vitam aũt ſpiritualem (quò tota ratio Sacramentorũ pertinet) *per ſe* valent Baptiſmus, Cõfirmatio, & Euchariſtia. Vt enim viuas, per ſe requritur generatio, augmentũ & nutritio, quę quidẽ ſpiritualiter efficiuntur illis tribus Sacramentis. Pœnitentia autẽ & Extrema vnctio, cùm ad remiſsionẽ peccatorum, quæ poſt Baptiſmum cõmittuntur, valeant, non niſi *per accidens* conducunt ad vitam ſpiritualem, ſi nimirum cõtingat, vt per peccatũ eam amiſeris, vt latiùs hanc rem totam explicuit D.Thomas ſuprà q.65. art.2.

Atque ex hac doctrina intelligi poteſt, rectè à Patribus eam Pœnitẽtiam, quæ poſt Baptiſmum agenda eſt, atq; adeò Sacramẽtum ipſum Pœnitentiæ, vocari *ſecundam tabulam* poſt naufragium animæ ſpirituale. Ita vocauit D. HIERONYMVS in caput 3. Iſaiæ, & in epiſt. ad Demetriadem, & in epiſt. ad Oceanũ & Pammachium, & D. Ambroſius libro ad Virginem lapſam, & his antiquior Tertullianus libro de Pœnitẽtia. Quo modus loquendi probatur à Patribus Concilij Tridentini ſeſſ. 14. cap. 2. & defenditur à D. Thoma hîc ex inſtituto artic. 6. & à Magiſtro, & ab aliis Theologis in 4. diſt.14.

Etenim vita hæc præſens tanquã mare quoddam eſt, in quo variis homo tentationum fluctibus agitatur. Inſtar autem integrę nauis, qua facillimè ad portũ æternę beatitudinis homo vehi poterat, fuit ſtatus innocentiæ. Fracta eſt hæc nauis

nauis peccato primi parentis. Quare ſi quis ad portũ nihilominus æternæ ſalutis appellere vellit; reſtat, vt Sacramentis, tanquam reliquis poſt illud naufragium tabulis innitatur, hoc eſt, vt eorum beneficio diuinam gratiam recuperet, ne mergatur huius vitæ tentationũ procellis. Cùm autem primò Baptiſmus ad hunc finem vſurpari debeat, rectè ille dicitur quaſi *prima tabula* in eiuſmodi naufragio: Pœnitentia verò, in qua iis deinde, qui poſt Baptiſmum peccãt, remedium ad gratiam recuperandam ſupereſt, commodè etiam dicitur *ſecunda tabula*, cuius nimirum beneficio ij ſaluari adhuc poſsint, qui ex gratia Baptiſmi, tanquam ex prima tabula exciderunt.

Ita rationem huius metaphoricæ locutionis reddũt Magiſter & alij ferè Theologi Scholaſtici loco citato: itemq; ex recentioribus Ioãnes Medina Codice de Pœnitentia in principio, & alij. Quæ explicatio cõmodior & planior mihi videtur, quàm altera D. Thomæ hîc art. 6. & Soti d. 14. quæſtione 1. artic. 6. qui Baptiſmum potiùs comparant cum naui integra, quatenus cõfert quidem plenam remiſsionẽ peccatorum; licet non planè ita integram iuſtitiam, qualis fuit in ſtatu innocentiæ. Verùm iuxta hanc interpretationẽ vix reddi ratio poteſt, cur Pœnitẽtia dicatur *ſecunda tabula*. Habet enim ſecũda tabula poſt nãufragium, reſpectum ad primam item aliquã poſt naufragium tabulam: neq; tamen poſt Baptiſmum remedium aliquod ante Pœnitentiam ad recuperandam gratiam inſtitutum eſt, quod prima tabula ex Baptiſmi quaſi naufragio relicta dici poſsit. Quare vt communior, ita etiam commodior eſt illa prior expoſitio.

Neq; rationes Soti cõtra illam quicquam valent. *Primò* obiicit, ſtatum innocentiæ fuiſſe patiſsimum, & idcirco neq; illum fluctuoſo mari, neque innocentiam naui, vt quæ inter ſcopulos & fluctus progreditur, comparari poſſe.

Secundò: Si Baptiſmus, inquit, nõ quaſi nauis, ſed quaſi tabula ſit, non rectè dicetur frangi; & tunc ſequitur, Pœnitentiã non poſſe dici ſecundam tabulam, quæ ex naufragio reſultet.

Tertiò: Remedia ad tranandum quoq; mundi mare non eſſe niſi Sacramenta, quæ nulla in ſtatu innocentiæ fuerint; proinde nihil in illo ſtatu cum naui comparari debere.

Ad *Primum* reſpondeo, ſtatum innocentiæ nõ ita fuiſſe pacatum, vt omnibus omnino tentationum fluctibus, & quaſi ſcopulis caruerit. Niſi fortè nullus ille fluctus fuiſſe videtur, quo ſunt primi parentes in peccatum impulſi. Vt præteream, ſecuro etiam & tranquilliori mari quandoque nauim procedere.

Ad *Secundum* reſpondeo, ſimilitudinem hîc non attendi, quatenùs ſolẽt alioqui tabulæ exiſtere & ſumi ex ipſo naufragio, ſiue ex naui fracta. Nam neq; Baptiſmus ſic ſumitur ex innocẽtia, neq; etiam pœnitẽtia ex Baptiſmo. Sed ſimilitudo in ꝓpoſito eſt, quòd ſicut tabula eſt reliquum remedium (vndecunq; ſumatur) ad ſalutẽ poſt naufragium: ita hîc Pœnitentia poſt Baptiſmum, quæ ideo rectè dicitur ſecũda tabula. Mitto, quòd ſine ratione Sotus negat, tabulam etiam frangi dici poſſe.

Porrò in tertia ratione petit Sotus principiũ. Hoc enim affirmant reliqui Theologi, non modò Sacramenta, ſed etiam ipſam innocẽtiam ſeu iuſtitiam illam primam fuiſſe remedium ad tranandum hoc quaſi vitæ mare, quæ proinde rectè cum naui comparari poſsit.

SED quamuis in exponenda ratione huius Metaphoræ, nõnihil diſcrepent, vt vidimus, Catholici authores; omnes illi tamẽ *rem* ipſam hac ſignificatam Metaphora, tanquam fide certam confitentur: nempe Pœnitentiam, atq; adeò Sacramentum ipſum Pœnitentiæ *poſt Baptiſmum valere* ad remiſsionem peccatorum, quę eſt apud Catholicos notio illius vocis, *Secunda tabula*.

Hanc rem negant Sectarij, ideoque modum ipſum etiam loquendi, cùm Pœnitentia dicitur ſecunda poſt Baptiſmum tabula, deteſtantur, vt videre eſt apud Caluinum lib.4. Inſtitut. cap.19. ſect. 17. & Kemnitium in examine Concilij Tridentini ſeſſ. 14. cap.2. & can.2.

Argumentum illorum eſt, quoniam gratia & remiſsio peccatorũ etiam tũc, cùm poſt Baptiſmum agitur pœnitẽtia, planè acquiritur beneficio *eiuſdem promiſsionis*, eiuſdemq; pacti diuini, ꝙ in *Baptiſmo* hominibus proponitur, & tanquam obſignatur eo externo ſymbolo. Neq; enim vis illius pacti ſeu ꝓmiſsionis, per peccata, quę poſt Baptiſmum cõmittuntur, exinanitur: ſed opus, inquiunt, tantummodò eſt, ad illud pactum ſeu promiſsionẽ redire per pœnitentiã, vt illius fructũ, id præſtando, quod viciſsim à nobis exigitur (nempe pœnitentiam) denuò participemus.

Hinc iſti concludunt, poſt Baptiſmum non ſupereſſe aliam ad ſalutem tabulam; ſed ipſum Baptiſmum rurſus inſtar tabulæ nobis eſſe debere, quatenùs in vſu nimirum Pœnitentię denuò nobis diuinum pactum & promiſsionẽ Baptiſmo obſignatã repræſentamus, illiusq; fructus participes per fidẽ efficimur. Addit in Antidoto ſuo cõtra Concilium Tridentinũ Caluinus; ſi Pœnitentiam tabulam ad ſalutẽ eſſe velimus, non iam ſecundam tantùm, ſed *tertiam*, & *quartam* appellari à nobis debere: ſiquidem non ſecundò tantùm, ſed tertiò & quartò remiſsionem peccatorum per pœnitentiam recuperare licet.

RESPONDEMVS ad principale argumẽtum, confundi ab iſtis admodũ imperitè *promiſsionem* diuinã, & *media* ac velut organa, quorum *actuali* vſu (non aũt recordatione ſeu repræſentatione tm̃) oportet nos gratiam ac remiſsionem peccatorum illius promiſsionis diuinæ beneficio percipere. Quamuis enim ex parte ipſius Dei, v na & eadẽ ſit promiſsio, cuius virtute & in Baptiſmo, & in Pœnitẽtia, & in omnibus deniq; ſalutis noſtræ remediis gratia nobis confertur: manet tm̃

Universidad de Deusto Biblioteca

salvum discrimen ipsorum remediorum, quæ nobis ad eius promissionis vim percipiendam varia suppetunt.

Quod nisi ita esset, pari modo concludere deberent Sectarij, ne Eucharistiã quidẽ esse distinctum salutis medium aut Sacramẽtum à Baptismo. Etenim ex parte Dei vna & eadem est promissio, cuius vi, tum in Baptismo, tum in Eucharistiæ vsu gratia tribuitur: & tñ quia diuersæ res sunt Baptismus & Eucharistia, ac sub alia etiã & alia ratione in iis gratia tribuitur; duo remedia salutis atq; Sacramẽta diuersa esse cẽsentur Eucharistia & Baptismus. Ita igitur in proposito. Quamuis ex parte quidẽ Dei vna & eadem promissio sit, quæ & in Baptismo, & Pœnitentiæ vsu est efficax (nõ enim sunt in Deo plures actus ꝓmissionum) tamen quia diuersæ res sunt Baptismus, & ea Pœnitẽtia, quæ fieri debet post Baptismum, ac vtraq; res ad gratiã & remissionẽ peccatorum sub alia & alia ratione comparandam valet; rectè censemus, Baptismum, & Pœnitentiã eiusmodi, esse remedia duo salutis. Quod sanè intelligimus, cùm Baptismum *primam*, Pœnitẽtiam autem *secundam* tabulam appellamus.

Huc accedit, quòd secundùm doctrinam quidem Sectariorũ, vt aliqua duo censeantur *diuersa esse remedia* salutis, satis est, si illa sint res aliquæ diuersæ ad *gratiam remissionis peccatorum* consequendam institutæ diuinitùs: neq; discrimẽ remediorũ huiusmodi magnoperè ijsti putant esse sumendũ ex aliqua differentia rationũ, sub quibus ꝓ aliud atq; aliud remediũ diuerso respectu & ratione ea gratia conferatur. Nam & Eucharistiam dicunt esse institutã ob eandem gratiã remissionis peccatorũ complectẽdam, quæ in Baptismo tribuitur. Cùm itaq; ea Pœnitentia, quæ debet fieri post Baptismũ, & ipse Baptismus, diuersæ res sint, & vtraq; hæc res ad remissionem peccatorũ ex diuina institutione valeat; negare isti nõ possunt (quicquid tandem de differentia effectus vtriusq; statuatur) quin sint duo diuersa remedia, atq; adeò *prima*, & *secunda* tabula.

Ad aliud argumentum Caluini ita respondeo. Cùm dicimus, Pœnitẽtiam esse *secundam* tabulã, rationem ipsam atq; speciem Pœnitentiæ, eiusq; ordinem ad antecedẽtem Baptismum tantummodò attendimus. Quod cum cogitatur, omnis quidem pœnitentia quãdocunq; fit post Baptismum, siue ea fiat tertiò, siue quartò, siue quintò, &c. rectè dici potest secũda tabula. Nam omnis eiusmodi pœnitentia, ex sua quidem specie considerata, ordine est secundum remedium post Baptismum. Caluini autem cauillatio nõ aliud efficit, quàm quòd posset pœnitentia dici & tertia, & quarta tabula, & sic deinceps, si in eiusmodi appellatione attenderemus non ad ordinem specificum, quem habet pœnitẽtia respectu Baptismi; sed ad ordinem numericũ, & ad vicissitudinem eam, quæ potest esse intra eandẽ ipsam speciem Pœnitentiæ. Quod minimè negamus.

PVNCTVM SEXTVM.

Quisnam esse debeat vsus huius Sacramenti? An scilicet illud sit ad salutem necessarium: & quando, & quoties vsurpari debeat?

D. Thom. art. 5. 8. 9. & 10.

DE hac tota re sequentes statuo Assertiones. PRIMA. Certa fide tenendum est, lapsis post Baptismum, Sacramentum Pœnitentiæ esse salutare, idque toties, quoties lapsi fuerint. Hanc probat ex Orthodoxa doctrina D. Thomas hìc art. 10. aduersus veteres quosdam hæreticos, qui in hac re grauissimè errauerunt. Nam Montanus censuit, nõ superesse omnino lapsis post Baptismum remedium Pœnitẽtię, vt refert D. HIERONYMVS lib. 2. contra Iouinian. cap. 2. Quem errorem Nouatus deinde secutus est, teste Eusebio lib. 6. historiæ cap. 33. Huius assęclæ fuerunt Cathari, vt testantur Augustinus libro de hæresib. cap. 38. & Epiphanius hæresi 59. Cathari autem sunt nominati quasi mundi, eò quòd se nũquam peccare, neque adeò pœnitentia indigere isti Nouatiani profitebantur.

Neque tamen illi oẽs similiter errabant. Quidam enim prorsus negârunt, pœnitentiam post Baptismum habere vllum locũ: Alij, semel tantùm vsurpari posse concedebant, non amplius vt D. Thomas etiam art. 10. notat ex Augustino, (vel quicunque fuit ille author) libro de vera & falsa pœnitentia, cap. 5.

Colligi etiam potest ex HIERONYMO in Psal. 95. concessisse quosdã ex Nouatianis, posse Pœnitentiã post Baptismum agi de peccatis leuioribus, qualia ipsi putarunt esse mendacium, furtum, & periurium; non autem de grauioribus, vt de homicidio, fornicatione, &c.

Aduersus hos omnes errores iam pridem in Ecclesia obsoletos, probatur simpliciter assertio nostra PRIMO ex Scriptura, quæ multis in locis veniam peccatoribus absolutè pollicetur, nullis præscriptis limitibus, quod attinet ad grauitatẽ vel numerum peccatorum, vel etiam ad peccandi vicissitudinem. Vt Isaiæ 1. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*, &c. Et Hieremiæ 3. *Reuertere auersatrix Israël, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis*. Et Ezechiel. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis & viuat?* Et Ioëlis 2. *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, & præstabilis super malitia*. Et ad Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ contemnis, ignorans, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Et huc etiam maximè pertinet illud Matth. 16. QVODCVNQVE *solueris*, &c. Et illud itẽ Matth. 18. & Ioan. 20. QVAECVNQVE *solueritis*, &c. Vbi Christus generatim omnia omnino peccata, qualiacunque, & quotcunq; illa sint, complectitur. Itẽ illud Matth. 18. *Non dico tibi vsq; septies, sed vsque septuagies septies*, id est, semper, vt Patres exponũt. Et illud Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*, etc. Nunq; enim non debemus ipsi dimittere fratribus, vt rectè D. Thom. ex hoc loco argumẽtatur.

SECVNDO facilè idem confirmari potest ratione ducta ex ipsa hominum natura fragili, & Dei benignitate, & etiam ratione ipsius Sacramenti Pœnitentiæ, quod cùm sit institutum absolutè ad salutem recuperãdam post Baptismũ; non minus secũdò, aut tertiò, q̃ primò; neq; magis contra hæc, q̃ contra illa peccata, per se valet.

TERTIO eandem rẽ probant Patres luculenter in variis Tractatibus. Tertullianus in libro de Pœnitentia. Ambrosius libris duobus de Pœnitentia. Cyprianus in serm. de lapsis. Chrysostomus epist. 5. ad Theodorum lapsum, quæ etiam inscribitur liber de reparatione lapsi. Hieronymus epist. 30. ad Oceanum, & lib. 2. contra Vigilantiũ, cap. 2. Epiphanius contra hæres. 59. & alij.

QVARTO. Ita quoq; ab Ecclesia definitũ est in Concilio Romano sub Cornelio Papa, quod ex instituto contra eiusmodi errorẽ congregatum fuit. Item in Nizæno can. 8. & 11. & in multis aliis. Deniq; confirmatur hæc Assertio iis argumentis, quibus tomo 2. disp. 8. de Gratia q. 3. p. 4. disputauimus, nemini peccatorum vnq̃ Deum subtrahere auxilium necessarium ac sufficiens, vt conuerti possit.

Argumẽta verò contrarij erroris doctissimè soluit D. Thomas hìc art. 10. In quo genere illud præcipuè notandũ est, quod in responsione ad 1. rectè explicat Apostolum, cùm ad Hebr. 6. dicit, *impossibile esse, eos qui semel illuminati sunt, & prolapsi fuerint, renouari rursus ad pœnitentiam*, Baptismũ ibi significare pœnitentiæ nomine. Disputat enim eo loci aduersus quosdam ex Iudæis conuersos, qui vt in veteri lege sæpius instituebantur variæ ablutiones: ita putabant, iterari sæpius posse Baptismũ. Quam interpretationem adhibet etiam illi loco Epiphanius vbi suprà, & alij Patres, & nos dehac etiam sentẽtia Apostoli suprà disputat. 4. de Baptismo q. 1. p. 4. quædam diximus.

SECVNDA Assertio. Non modò vtile, sed etiam *necessarium* ad salutem est istud Sacramentũ in re vel in voto, iis, qui post Baptismum peccauerint mortaliter: idq; necessitate (vt Theologi appellant) tum *medij*, tum *præcepti* diuini: & quidẽ toties, quoties relapsi fuerint. Necessitatem autẽ *medij* tũ appellamus, cùm non potest simpliciter finis aliquis, nisi per tale mediũ, obtineri, secundùm legem quidẽ Dei ordinariam. Necessitatẽ autẽ *præcepti*, cùm est id necessarium pro ratione opportunitatis & circumstantiarum variarum.

Hoc posito, probatur Assertio ex sacris literis PRIMO hoc modo. Quibus effectus ipse alicuius medij diuinitus instituti necessarius simpliciter ad salutem est, iis etiam illud ipsum mediũ in re, vel in voto, est ad salutẽ necessarium, vtroq; illo modo necessitatis. Sed effectus Sacramenti Pœnitentiæ, est ad salutẽ simpliciter necessarius iis, qui post Baptismũ mortaliter peccarint. Ergo etiã ipsũ Sacramentũ Pœnitentiæ in re, vel in voto erit illis necessariũ vtroq; modo necessitatis.

Maior patet. Nam idcirco Deus media quædã ad fines certos & effectus instituit, vt nõ nisi per ea, vel re vsurpata, vel certè acceptata animo & voluntate (quod tantundem apud Deum valet, quando opportunitas ipsius rei deest) ad eiusmodi fines perueniatur. Atq; id ex ordine diuinæ prouidẽtiæ in omnibus aliis rerũ generibus confirmari potest. Neq; sanè in negotio salutis aliquo contrario exemplo potest conuelli Maior illa nostra.

Minorẽ probo. Nã remissio peccatorũ, præsertim mortaliũ, quæ post Baptismũ cõmittuntur, est effectus huius Sacramẽti, vt suprà demõstrauimus ex illis locis: *Quæcunq; solueritis*, &c. Et: *Quorũ remiseritis*, &c. Matt. 18. & Ioan. 20. Sine remissione aũt peccatorũ mortaliũ nemo vnq̃ salutẽ consequi poterit. Ideo n. Christus dicit: *Nisi pœnitẽtiã habueritis, oẽs similiter peribitis*. Luc. 13. q̃ ipsum patet ex innumeris aliis Scripturæ locis.

SECVNDO. Eõdẽ etiã spectat vis illorũ Christi verborũ Ioan. 20. *Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorũ retinueritis*, id est, quibus ipsi nõ remittetis, *retẽta erũt*. Vnde intelligitur, Christũ ad ministeriũ ipsũ hui⁹ Sacramẽti ita remissionẽ peccatorũ quasi alligasse, vt nisi illius respectu in re, vel in voto, nemini illa ꝓuenire possit.

TERTIO cõfirmatur Assertio authoritate sanctorum Patrũ, qui eiusmodi Scripturæ testimoniis edocti affirmant, ita necessarium esse Sacramentũ Pœnitentiæ lapsis post Baptismum, sicut est ipse Baptismus necessarius iis, qui nondũ illum susceperunt: quæ doctrina in Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. repetitur. Ita D. AVGVSTINVS epist. 180. ad Honoratũ, vbi ob eam caussam eiusdẽ periculi esse censet, vel Catechumenum nondũ baptizatum, vel baptizatũ non reconciliatũ, è vita decedere. *An non cogitamus*, inquit, *aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationẽ, aliis etiam ipsius Pœnitentiæ actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem & erogationem; si ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de isto seculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati?*

Itẽ B. AMBROSIVS lib. 1. de Pœnitentia, cap. 7. disputans contra Nouatianos, quòd negarent, Sacerdotes posse ipso ministerio huius Sacramenti remittere peccata, sic inquit: *Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo vtiq; remissio omnium peccatorum est. Quid interest, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes vendicant? Vnum in vtroq; ministerium est*. Qui Ambrosij locus contra Sectarios nostros obseruandus est, in eo etiam verissimè Nouatianos, quòd & ipsi realem potestatẽ Clauium negant, vt suprà vidimus.

Item D. Leo in Epistol. 91. (aliâs 89.) ad Theodorum Foroliuiensem Episcopũ, & refertur de consecrat. d. 1. Can. Multiplex. *Multiplex*, inquit, *misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, vt qui regenerationis dona violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent, sic diuinæ bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotũ, nequiret obtineri.* Hæc D. Leo. Atq; ob hãc maximè Pœnitentiæ necessitatem, *secunda tabula* post naufragium appellata ipsa est à Patribus, quos p. præcedenti allegauimus.

Quarto. Sic ab Ecclesia definitũ est in Concilio Constantiensi *sub finem*, & in Tridentino sess. 14. cap. 2. & in quodam Concilio Complutensi per Sixtum IV. confirmato, in quo Doctor quidam damnatus est, quòd assereret, absq; vllo respectu ad Ecclesiæ Clauium authoritatem, remitti peccata per Contritionem. Porrò Sectarij hanc Sacramenti istius necessitatẽ ideo negant, quia contendunt, non esse tale aliquod Sacramentũ Pœnitentiæ ad remissionem peccatorũ institutũ, quem errorẽ suprà p. 1. & 2. reiecimus.

Tertia Assertio. Cùm ponimus, Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto esse necessariũ ad salutem; non ita hoc intelligendum est, quasi necessarium esse putetur votum etiam explicitũ ipsius Sacramenti, siue necessitate medij, siue necessitate præcepti, extra id quidem tempus, quo alioqui est opportunitas, & vrget necessitas suscipiendi reipsa istud Sacramẽtum. Censemus enim sufficere si eiusmodi votum sit virtuale & implicitum; quale continetur in actu ipso perfectæ contritionis, quatenus is sanè, qui verè cõteritur, ita comparatus est, vt confessionem etiã peccatorum omnino sit facturus, cùm hoc facere possit ac debeat.

Hoc votum virtuale seu implicitum sufficere, docet etiam Sotus in 4. d. 14. q. 1. art. 5. secutus alios Theologos antiquiores, nempe Alexãdrum Halensem 4. p. q. 76. mem. 2. art. 1. sub finem. Richardum d. 17. art. 2. q. 1. Atque idem etiam sensit Adrianus q. 1. de Confessione in respõs. ad 2. arg. Nec D. Thomas, vbi de hoc voto agit, explicat requiri *explicitè*.

Melchior tamẽ Canus in Relect. de Pœnitentia parte 5. arbitratur, omnino explicitum votũ Sacramenti Pœnitentiæ esse necessarium lapsis necessitate medij, ad gratiam acquirẽdam. Cæterùm nullis firmis argumentis id probat.

Et probatur nostra sententia, quod attinet ad necessitatem *medij*. Nam Scriptura sacra statim ac per Pœnitentiam ad Deum conuertatur peccator, veniam ei pollicetur. Vt patet Ezech. 33. *Impietas impij non nocebit ei in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua.* Et Psal. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et aliis locis similibus. Sed fieri potest, vt quo tẽpore peccator ita conuertitur, Confessio ipsa Sacramentalis non succurrat memoriæ. Igitur absque illius explicito voto poterit iustificari.

Accedit, quòd magnitudo doloris sic animũ aliquando occupare potest, vt ipsa sit impedimento, quò minus confessio veniat in mentem. Neq; verò est probabile, tum hominẽ frustrari talis ac tanti doloris fructu, eò quòd explicito voto Confessionis careat. Etenim faciamus aliquem, cùm inopinato raperetur ad Martyrium, partim ipsa rei difficultate, partim flagrantissima charitate erga Deum, maximaq; pœnitentia peccatorum sic præpediri, vt ne cogitet quidem de Confessione: quis iam diceret, talem charitatem & pœnitentiam, quia explicitum votũ Confessionis nõ habeat, gratiã conciliare nõ posse?

Postremo confirmatur ea sentẽtia ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. vbi expressè habetur, satis esse ad salutem id votum Sacramenti Pœnitentiæ, *quod in ipsa Contritione includitur.* At hoc nõ est nisi implicitum. Et sanè, vt inquit Sotus, raro homines habent eiusmodi explicitum votum Confessionis extra tempus quo tenẽtur alioqui Confessionem ipsam in re facere: & tamen sæpenumero interioris pœnitentiæ beneficio iustificantur antè id etiam tempus.

Iam verò quòd neq; illud votum explicitum sit necessarium necessitate *præcepti*, hoc est, sub peculiari peccato, extra tempus quidem, quo alioqui Confessionis ipsius præceptum vrget, licut in Assertione loquimur, patet: Nam voluntas confitendi non alia ratione ex præcepto necessaria est, nisi quatenus requiritur certè ad ipsam Confessionẽ, quæ inprimis præcipitur. Igitur quo tẽpore ipsa Confessio ex præcepto fieri non debet (cùm scilicet vel opportunitas deest, vel necessitas non vrget) non est necessaria voluntas expressa confitendi, siue Confessio alioqui veniat in mentem, siue non veniat. Quanq; non est negandum, quin extra id etiam tempus vtiliter & magno cũ merito votũ ipsum Confessionis expressũ habeatur, vt Sotus rectè notauit.

Sed occurrit contra doctrinã hanc tale argumentum. Sacramentũ Pœnitentiæ ita necessariũ est lapsis post Baptismum, sicut ipse Baptismus nondum baptizatis, vt ex orthodoxa sententia paulò antè probauimus. At Baptismi votum expressum necessitate medij & præcepti est necessarium iis, qui de Baptismo iam cognouerunt, vt suprà disp. 4. q. 2. docuimus. Igitur etiam expressum votũ Sacramẽti Pœnitentiæ æquè Christianis lapsis post Baptismum necessarium erit: siquidem omnes illi de eo iam audiuerunt.

Respondet Sotus loco citato, discrimen esse, quòd Baptismus statim, inquit, ac est oportunum suscipi debet: Sacramentum aũt Pœnitentiæ non item, sed tempore ab Ecclesia determinato: proinde Catechumenũ, qui de Baptismo est instructus, debere statim petere Baptismum: Sacramentum autem Pœnitentiæ satis esse velle suscipere,

suscipere, quo tempore est necessarium. Hæc responsio nõ mihi satisfacit. Nam neq; Baptismus iure diuino debet administrari ac suscipi statim eo tempore determinatè, quo primùm potest: quin differri res aliquãdiu posset pro commoditate. Itaq; olim etiam erant præstituti quidam dies ad Baptismum administrandum. Neq; antè conferebatur, etiamsi aliqui Catechumeni essent alioqui instructi, vt patet ex iis, quæ docuimus in materia de Baptismo.

Respondeo igitur ad argumenti Maiorem, necessitatem Baptismi, & Sacramenti Pœnitentiæ esse quidem parem, si tantùm in vtroq; propriè consideretur vis ad iustificandum peccatorẽ: quo pacto ista duo inter se Sacramenta comparantur à Patribus. Cæterùm maior est simpliciter Baptismi necessitas ex ea parte, qua in ipso sit propriè Christianæ Religionis ac fidei *professio*: id quod Sacramento Pœnitentiæ non competit. Iam verò quòd expressum Baptismi votũ requiratur statim atque aliquis est de Baptismo instructus, hoc quidem nõ ideo propriè fit, quoniam Baptismus habet vim iustificandi; sed quia cõtinet peculiariter Christianæ Religionis professionẽ, quam statim tenetur aliquis velle amplecti atq; acceptare, cùm primùm de fide instruitur; sicut etiam statim tenetur credere, atq; adeò sibi proponere Baptismum, & cogitare de mediis, quibus tandem ad illum peruenire bene ac legitimè possit.

Quòd si vis tantùm iustificãdi, quæ est in Baptismo, consideretur, satis etiam est, votum eius implicitum ad iustificationẽ, etiam in eo, qui de Baptismo alioqui cognouit. Id patet casu, quo Catechumenus primùm habuisset voluntatem profitendi Christianam Religionẽ in Baptismo, & postea lapsus in peccatũ mortale, doleret vehementer de peccato, non amplius cogitans de Baptismo, aut certè non actu exercens voluntatem illam eum suscipiendi, etiamsi maximè veniret in mentem eo tempore, quo alioqui suscipere nõ posset: vt si raperetur ad martyrium, &c. is certè sine voto explicito Baptismi iustificaretur, vt patet ex argumentis suprà factis: neq; esset aliunde illi hoc votum necessarium, qua parte videlicet Baptismus continet professionem Christianę Religionis, si iam anteà habuisset voluntatem eam, vt ponimus.

Vltima Assertio. Posteaquã semel saltem Pœnitentiæ Sacramẽtum vsurpatũ est, non tenetur aliquis ex præcepto quidem de iisdem peccatis iterum pœnitere: quanquã id alioqui valdè salutare sit, imò etiam durare perpetuo debeat pœnitentia interior habitualiter, & quidem vsq; in finem vitæ, sicut S. Thom. art. 8. & 9. facilè declarat. Hoc verò nihil aliud est, quàm quòd nunquã licet homini aliquid cõmittere, quod repugnet ipsi habitui Pœnitẽtiæ: item quòd debet semper sic esse affectus, vt nunq; ei placeat peccatũ, atq; adeò vt semper ei displiceat *negatiuè*, quẽadmodum Caietanus D. Thomam interpretatur, cùm in art. 8. dicit, semper debere displicere peccatũ.

Quanq; potest & hoc intelligi de displicentia *positiua*, nõ quia semper in exercitio debeat peccatũ displicere; sed quia necessariò quoad specificationẽ actus, semper displicere debet, ita, vt si aliquis voluntatis actus erga peccatũ habeatur, debeat esse displicentiæ, non cõplacentiæ. Quomodò autem sit nihilominus bonum & salutare peccata, quæ semel aliquis confessus est, iterum confiteri, docebimus infrà suo loco. Atq; hactenus de hac Quæstione.

QVAESTIO SECVNDA.

De Pœnitentia, vt est quædam Virtus.

D. Thomas 3. parte, quæst. 85.

QVONIAM SACRAMENTVM POENITENTIAE, VT SVPRA DOCVIMVS, constat ex actibus eius Virtutis, Quæ Pœnitentia dicitur, nõ immeritò in hac Quæstione instituimus quædam de natura huius Virtutis generatim tradere, quò melius ipsa huius Sacramenti ratio perfecta esse posset. Et sunt tria Puncta principalia huius Quæstionis. Primvm est, *Vtrum omnino Pœnitentia peccatorum sit Virtus, & qualis, & quàm latè patens.* Secvndvm est, *In qua potentia animæ insit propriè, tanquam in subiecto.* Tertivm est, *Quanam via & ratione ista Virtus in animis nostris generetur.*

PVNCTVM PRIMVM.

Vtrum omnino Pœnitentia peccatorum sit Virtus; & qualis; & quàm latè patens.

D. Thom. art. 1. 2. 3. & 6.

Virtvtis poenitentiae non minvs frequens, quàm virtutum aliarũ, in Sacris literis mentio fit. Ac peculiariter Apostolus Actor. 29. de virtute pœnitentiæ non secus ac de Virtute Fidei loquitur, cum ait: *Testificans Iudæis atq; gentilibus in Deũ Pœnitentiam, & Fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.*

Cæterùm quomodo Pœnitentia sit virtus, & qualis virtus, & quàm latè pateãt eius actus, explicari

Universidad de Deusto
Biblioteca

plicari commodè non potest, nisi prius communis aliqua ratio exposita fuerit, quam inter oēs constet significari in proposito per vocabulum Pœnitentiæ. Ea ex Theologorum sententia, & ex re etiam ipsa, ita colligi potest. Peccatum, quod semel cōmissum est, etsi non amplius ponit quidem non esse commissum; potest tamen multis modis eneruari, exinaniri, expiari, destrui, & aboleri. Quod sanè fit, quādo multiplex illud malum peccatoris tollitur, quod ex peccato relinquitur.

Nam etsi peccatū transit quidem actu, tamen efficit, vt in sensus maneat peccatori Deus; & relinquit in peccatoris mente maculam, hoc est, diuinæ gratiæ priuationem, quæ & ipsa quoque dicitur peccatum habitualiter manens; & denique pœnæ reatum. Hæc omnia mala ex peccato relicta, à Deo in primis singulari beneficio auferuntur: sed homine ipso tamen ad id etiam liberè cooperante cum eiusdem Dei auxilio, vt in materia de Gratia & Iustificatione probatur.

Iam si communem rationem Pœnitentiæ ita in proposito (quod facere conuenit) assignare velimus, vt omnem Pœnitentiæ vim & quasi latitudinem complectatur; commodissimè dicemus, eam esse positam in *detestatione peccati; quatenus illud à nobis cum diuino auxilio expiari, exinaniri, destrui, & aboleri potest ac debet, tanquā Dei offensa.*

Vbi sanè *detestationis* vocabulum latius vsurpādum est, quàm vt solum dolorem, vel expressam reprobationē peccati significet: nempe pro omni eo, quod pertineat & valeat per se ad destruendum, & abolendum peccatum, id est, illa mala peccatoris, quæ ex peccato relinquuntur. Latissimè enim patet (vt postea dicemus) hæc vis Pœnitentiæ in abolendo peccato.

Atq; huc illud pertinet, quod D. Thomas ex orthodoxa sententia in hac q. præsertim art. 1. 2. & 3. sæpè repetit, Pœnitentiam occupari in *emendando, destruendo, & delendo* peccato præterito, vt est offensa Dei. His enim ille vocabulis vtitur. Neque scio vllum ex Catholicis authoribus, vel ex hæreticis esse, qui hāc communem pœnitentiæ notionē ita generatim ꝓpositam inficietur.

Nam neq; Lutherus ipse, (à nobis postea refutandus) qui alioqui in Sermone quodam de Pœnitentia, & in art. 6. & 7. à Leone X. condemnatis, dixit, Pœnitentiam nihil aliud esse, quàm propositum melioris vitæ, negasset, in hoc ipso melioris vitæ *proposito* contineri quandam veluti detestationem, atq; destructionē præteriti peccati, vt fuit offensa Dei. Detestationem enim hīc latè accipimus, pro omni eo, quod spectat ad emēdationem & abolitionem peccati, vt, quemadmodum loquitur Apostolus ad Roman. 6. *destruatur corpus peccati.*

Porrò sicut ratio iustitiæ & temperantiæ, & aliarum Virtutum consistit & in *actu* & in *habitu*: ita quoq; illa ratio *detestationis*, quam in proposito rationem Pœnitentiæ esse dicimus.

Ex hac igitur Pœnitentiæ ratione omnia iam facilè consequūtur, quę spectant ad primū Punctum huius Quæstionis. Ac PRIMO quidem ex eo intelligitur, verissimum esse, quod in art. 1. & 2. D. Thom. docet, Pœnitentiam omnino esse *Virtutem*, & quidem certam quādam atq; *specialem*, quæ à reliquis omnibus Virtutibus distinguatur.

Virtutem enim oēs appellant eum habitum, qui in materia alioqui difficili cum deliberatione atq; electione quadam id operatur, quod est rectæ rationi consentaneū, vt etiā Philosophus docuit lib. 2. Ethic. cap. 2. & 6. Talis autē habitus est Pœnitētia. Est igitur Virtus. Minor probatur. Quia rationi prorsus consentaneum est, debito cū modo eniti, vt destruatur atq; aboleatur peccatū, quatenus offendit Deum; id quod est munus Pœnitentiæ. Nec verò id caret sua difficultate.

Accedit, quòd præcepta diuina non sunt nisi de Virtutis actibus. Extat autem de actu Pœnitentiæ præceptum diuinum Matth. 4. *Pœnitentiam agite, &c.* & in multis aliis locis. Quare sequitur, Pœnitentiam esse virtutem.

Denique sancti Patres mentionem passim faciunt *Virtutis pœnitentiæ*, eamq; in abolendo peccato versari (vt diximus) indicāt: ac nominatim S. CHRYSOSTOMVS homil. 23. in Matth. cùm ita ait: *Non est aliquod omnino peccatum, quod non cedat pœnitentiæ Virtuti.* Et S. GREGORIVS lib. 9. Registri, epist. 39. vbi ait: *Magna est contra peccatum Virtus pœnitentia.*

Et expressius, ac subtiliter (more suo) illam ipsam quam diximus huius virtutis rationem ac vim indicauit S. Gregorius NYSSENVS in oratione contra eos qui alios acerbius iudicant, cū dixit: *Quid aliud est Pœnitētia, nisi dissolutio & Eversio præteritorū, quæ vel re vel cogitatione sunt admissa?*

Quòd autem Pœnitentia sit Virtus *specialis*, à cæteris distincta, sic ꝓbatur. Cuius Virtutis obiectū formale sub ea ratione, quam in illo proiectū formale sub ea ratione, quam in illo proprie virtus respicit, à cæterarum Virtutū formalibus obiectis diuersū est, ea virtus à cæteris Virtutibus distinguitur, atq; adeò specialis quædā virtus est. Sed obiectum formale Virtutis Pœnitentiæ, qua ratione propriè à Pœnitentia respicitur, differt à cæterarum Virtutū obiectis formalibus. Igitur Virtus Pœnitentiæ distinguitur à cæteris Virtutibus, atq; adeò specialis quędam virtus est. Maior patet. Quia differentia Virtutū ex differētia obiectorū sumitur. Minorem probamus. Quia obiectum formale Pœnitentiæ, vt declarauimus, est peccatum, quatenus destrui, & aboleri debet, vt fuit Dei offensa: Hāc autem obiecti rationem nulla reliquarum virtutū propriè & formaliter respicit, vt rectè ostendit articulo primo diuus Thomas, & patet, si singulas percurras.

Ex quo fundamēto apparet, falsas fuisse quorundam authorū de hac virtute opiniones. VNA fuit,

fuit, Pœnitentię Virtutem esse ipsam Dei gratiā. Quam sententiam refert & reiicit meritò Bonauētura d. 14. parte 1. art. 1. q. 1. Primùm, quia gratia ipsa propriè non est habitus *operativus*, cuiusmodi est Pœnitentia. Deinde, quia potius ipsa est finis Pœnitentiæ. Eo enim demùm Pœnitentia incumbit, vt in gratiam cum Deo redeamus, isque nobis placatus sit.

ALTERA opinio fuit aliorum, qui existimauerunt, Pœnitentiam non esse specialem Virtutem differētem ab aliis Virtutum habitibus: sed illis omnibus contineri, quatenus ad vnam quāque Virtutē spectat in suo genere detestari peccatum sibi contrarium. Eiusdem enim virtutis esse, & complecti obiectū rationi atq; dignitati suæ consentaneum, & auersari contrarium: proinde Pœnitentiā, licet vno vocabulo appelletur, tamen non tam esse Virtutem aliquam peculiarem, quàm velut conditionem quandam generalem omnium Virtutum. Hanc opinionem refert Halensis 4. p. q. 54. m. 1. art. 2. in fine, & diuus Thomas in 4. d. 14. q. 1.

Sed ea etiam facilè refellitur ex ratione Pœnitentiæ speciali, quam assignauimus. Etsi enim vnaquæq; virtus peccatum in suo genere detestetur, vt pugnat cum recta hominis ratione, & cum ipsa proinde dignitate propria cuiusq; virtutis; non tamen id facit sub ea ratione propriè, qua illud est *offensa* Dei, debetq; adeò destrui & aboleri ad placādum iratum Deum. Hæc autem ratio propria est, vt diximus, Virtutis Pœnitentię. Quod adeò verum est, vt ne ad charitatē quidem in Deū sub ea ratione spectet detestari peccata. Auersatur enim charitas omne peccatum, vt est quidē contra Deum, qua ratione is est *bonus*, & omni amore dignissimus; non tamē propriè & formaliter, vt peccatum est *destruendum*, tanquam *offensa* Dei irati & placandi.

TERTIA opinio fuit Scoti in 4. d. 14. q. 2. vbi ponit, quatuor esse actus Virtutis Pœnitentiæ: *Primò*, velle punire peccatū, cùm scilicet homo in ipso vlciscī, respiciens nimirum ad illud: *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur.* 1. Corinth. 11. Et secundùm hūc actum censet quidem esse peculiarem Virtutem; sed non distinctam à Virtute Iustitiæ vindicatiuæ. *Secundò*, nolle peccasse, seu displicere alicui, quòd peccarit. Et secundùm hunc actū arbitratur, Pœnitentiam nō esse specialem Virtutem; sed contineri omnibus Virtutibus, vt ponebat secunda opinio. *Tertiò*, velle acceptare punitionem illam pro peccato: quem actū dicit pertinere posse ad virtutē eam, sub cuius ratione aliquis velit eiusmodi punitionem exercere; vt ad Charitatem, si in ea re spem, si id faciat propter consequendā beatitudinem, &c. *Quartò*, pœnam susceptam patienter ferre; quem actū ait ad Virtutem ipsam Patientiæ pertinere.

Cæterùm in ista actuum varietate necdum satis Scotus propriam vim Pœnitētiæ, neq; quàm eius actus latè pateant, aut in quā ratione illi omnes conueniant, expositi vt ex his, quæ paulò pòst dicemus, magis intelligetur. Atque vt rectè Caietanus hīc art. 3. animaduertit, actus ille *punitionis*, non est primarius actus Pœnitentiæ: sed præcipuum in Pœnitentia est dolor quidam ob peccatum, cum agnitione & submissione sui ad placandum iratum Deum. Neq; etiam pœnitēs in vsu Pœnitentiæ se propriè gerit, vt Dei minister, etiam cùm voluntariè se punit (qua ratione quidē ea punitio pertinet quoq; ad virtutē Pœnitētię) sed potius vt altera pars, nempe vt Reus, qui Deo qualicunq; modo compensare studet offensam, vt rectè Caietanus notat. Deniq; quod in summa vult Scotus, Pœnitentiam partim esse idem cum Virtutibus aliis omnibus, partim cū earum aliquibus, id verò patet iam esse falsum ex propria ratione obiecti Pœnitentiæ, quam assignauimus.

QVARTA opinio est Durandi in 4. d. 14. q. 2. Pœnitentiæ Virtutem esse ipsam *iustitiam*, quatenus ei imperant Virtutes Theologicæ, vt reddat Deo debitam satisfactionē (qualem scilicet potest) pro offensa. Et intelligit Durandus in illo loco Iustitiam *commutatiuam* moralem, quæ scilicet, vt à Virtutibus Theologicis quasi dirigitur, reddat Deo illam compensationem pro offensa: Sicut Religio mota etiam à Virtute Fidei, reddit eidem debitam gratiam pro acceptis beneficiis. Quod idcirco Durādus ita dicit, quia Iustitia alioqui moralis sine adminiculo Fidei & Spei non posset in Deum respicere vt iratum & *placandum* per eum vsum Pœnitentiæ, quæ secundùm fidem requiritur.

Fundamentum autem Durandi est, quoniam si Pœnitentia esset virtus quædam specialis; sequeretur, eum, qui sæpius peccasset, esse pluribus Virtutibus præditū, adeoq; meliorē, quàm qui perpetuò esset innocens, si nimirum sæpius etiam resipiscens haberet iam habitum Pœnitentiæ, quo caret innocens. Hoc autem, inquit Durandus, irrisorium est.

SED hoc Durandi argumentum nullius ponderis est. Nam sanctitatis præstantia nō tam numero, quàm qualitate & magnitudine virtutum absolutè metienda est. Alioqui eodem argumēto probaretur, debuisse Christum habere virtutem etiam Fidei, & Spei, ne ab aliis Sanctis Virtutum numero superaretur. Non igitur sequeretur, eum, qui sæpius peccauit, innocenti antecellere ob id propriè, quòd vnam Virtutem Pœnitentię amplius haberet, qua careret innocens. Quanquam quo nam modo etiam innocentes virtutem Pœnitentiæ habere possint, infrà p. 3. dicetur, vbi errorem quoq; Durandi redarguemus, quòd neq; Pœnitentiam, neq; vllam aliam virtutē præterTheologicas *infundi diuinitus* putauit, sed tm̄ acquiri plurium actuū exercitatione.

Nunc

Nunc quod ad propositum attinet, reprehẽdendus in eo etiam Durãdus est, quòd illam rationem propriam obiecti Pœnitentiæ à ratione Iustitiæ & aliarum Virtutum differentem non vidit. Consistit enim in eo propriè, vt *destruatur* peccatum, quatenus est *offensa* Dei irati, vt nõ sit tibi amplius iratus, sed placatus. Iustitia autẽ in compensandis offensis vel iniuriis, propriè quidem & formaliter tantũmodo nititur restituere alteri quod ei ablatũ est, atq; adeò alterũ alteri *exæquare*: siue alter post compẽsationẽ acceptam maneat tibi nihilominus infẽsus, siue placatus.

QVINTA opinio est Caietani hîc art. 2. Pœnitentiam non esse virtutem differentem à virtute Religionis: sed esse ipsam *Religionem*, quatenus sub ratione cultus reddit *debitum* DEO in quocunq; genere. Explicat aũt ac probat suam hanc sentẽtiam *primò*: Quia sicut pro beneficiis acceptis debetur DEO gratia: ita pro offensis recompensatio. Sed gratiam pro beneficiis referimus Deo virtute Religionis vt quoddam debitũ sub ratione cultus. Ergo etiam recompensationem Pœnitentiæ pro offensa.

Secundò: Quia nulla virtus specialis requirit, vt suũ contrariũ sit aut fuerit in subiecto ipsius: quin semina virtutũ ita sunt nobis ingenita, inquit Caietanus, vt possimus illas habere, cũ diuino auxilio, absque eo, ꝙ ad id necesse sit prius peccare. At pœnitẽtia esse non potest in aliquo, nisi prius in eodẽ fuerit eius contrarium, nempe peccatum. Ergo Pœnitentia non est specialis virtus. Atq; *hæc ratio*, inquit Caietanus, *conuincit intellectum meum*.

Tertiò: Nam Christus habuit omnes Virtutes (inquit etiam Caietanus) neque tamen habuit Pœnitentiam. Ergo illa non est specialis Virtus.

Quartò: Nam duo, inquit, pertinent ad Pœnitentiam, scilicet *recompensare offensam*, quod est, inquit, satisfacere pro culpa; & *recompẽsare indulgentiam*, qua nobis videlicet plus nimio peccando indulsimus, quod est, inquit, satisfacere pro pœna. Sed ad neutrum istorum opus est speciali virtute. Ergo Pœnitentia non est virtus specialis. Minorẽ probat: Quia offensam recompensabis, si tria præstiteris; primò, vt tibi offẽsa displiceat, quod fit per *Charitatẽ*. Secundò, vt peccatũ tuum agnoscas, & confitearis. Tertiò, vt te submittas ei, quem offẽdisti. Quæ duo in proposito *Religio* præstare potest sub ratione cultus, cùm sint Deo debita ab homine peccatore. Recompensatio aũt indulgentiæ, quæ fit luendo pœnam, potest referri, inquit Caietanus, ad Iustitiam *vindicatiuam*, quatenus pœnitens videlicet vt Dei minister seipsum punit; vel certè ad eandẽ ipsam virtutẽ Religionis, quatenus illa pœnæ solutio est Deo debita sub ratione cuiusdam cultus.

Postremò confirmat Caietanus suam sententiam: Quoniam Pœnitentia de offensa illata alteri homini, non est specialis virtus. Ergo nec Pœnitentia, quæ fit ob offensam Dei.

Peccat autem in hac opinione Caietanus non multò secus, quàm Scotus & Durandus, quos antè refutauimus. Nam neq; ipse, quam propriè rationem in obiecto respiceret pœnitentia, satis animaduertit; sed in vnam rationem *debiti cultus* intentus fuit. At Pœnitentia in destruendo peccato nõ propriè versatur sub ratione debiti cultus diuini; sed quatenus ita demum tollitur Dei *offensa*, atque adeò redditur ille nobis ex offenso placatus, vt antè explicatum est.

Quanquam negãdum non est, quin hæc ipsa ratio obiecti Pœnitẽtiæ, sicut & aliarum omniũ Virtutum, ad cultum etiam diuinum, per Virtutem Religionis referri possit. Verùm hinc non efficitur, quòd Pœnitentia sit Religio; aut actus Pœnitentiæ, actus Religionis: sed quòd Virtus Religionis Virtuti Pœnitentiæ, sicut & aliis Virtutibus, imperare possit. Quocirca & *Sacrificium Deo* Spiritus per Pœnitentiam *contribulatus* dicitur. Psal. 50. non quia ipsa Pœnitentia sit actus proximè elicitus à Religione (vt falsò Caietanus est opinatus) sed quoniam illi Religio, vt dictum est, imperat.

Nec verò Caietani argumenta sunt firma. *Primum* enim solùm concludit, recompẽsationem Pœnitentiæ sub ratione quidem *debiti cultus*, ad Religionem pertinere, sicut & relationem gratiæ debitam pro beneficiis: id tamen non impedit, quò minus sub illa altera ratione, nempe vt ea re tollitur Dei *offensa*, pertineat ad specialem virtutem Pœnitentiæ.

Ad *Secundum* respõdemus, Maiorem esse falsam, si vniuersaliter sumatur, vt sumi necesse est ad illius argumẽti Conclusionem. Nec verò potterit ea Maior probari Inductione aliarum Virtutum præter Pœnitentiam. Illis enim, quòd nõ requirant, vt peccatum in subiecto fuerit, commune sanè est, non vt habent communem rationem *Virtutis*, id quod oporteret, vt cuicunque speciali Virtuti idem conueniret: Sed id habent secundùm rationem aliam accidentaliter ipsis solis communem. Hæc verò ratio est, quòd versantur primariò in eiusmodi obiectis, quæ non sunt tanquam mala auersanda, sed tanquã bona prosequenda. Pœnitentia autem, cùm in malo *destruendo* tãquam medicina quædam versetur, nihil mirum si secus atq; aliæ Virtutes exigat vt prius fuerit in subiecto aliquid sibi cõtrarium, nempe peccatum. Vt Iustitia etiam *vindicatiua* sola requirit, vt peccatũ aliquod admissum fuerit, quod ipsa videlicet possit vlcisci.

Illud verò facilè concesserim, Virtutibus omnibus, hoc ipso, quòd Virtutes sunt, cõuenire debere ne indigeant *præsentia etiam* sui contrarij in eodem subiecto: id quod rectè notauit Ioan. Medina in Codice de Pœnitentia, Tractatu 1. q. 1. Quòd autem necesse sit ad consistentiam alicuius virtutis, vt illius contrarium in subiecto præcesserit, id nihil est absurdi.

Ad

Ad *Tertium* respondetur, Antecedens esse omnino falsum. Non enim Christus habet Spem virtutem Theologicam, non Fidem, vt suprà in Tractatu de Incarnatione ipse D. Thomas etiam docuit.

Ad *Quartum* respõdeo, in omnibus illis, quæ Caietanus distinguit, & ibi numerat, attẽdendã esse præterea illam propriam rationem obiecti Pœnitentiæ, quæ non propriè & formaliter attingitur ab vlla earum virtutum, quas Caietanus commemorat; sed tantùm à speciali virtute Pœnitentiæ. Nec tamen negamus, quin ipse etiam actus Pœnitentiæ, quo indulgentia illa nimia in peccando vindicatur, materialiter sit quoque actus *Iustitiæ vindicatiuæ*, qui proinde à pœnitente sub ea ratione vindicatiuæ Iustitiæ exerceatur, tanquam à ministro Dei. Vt autẽ idem actus est etiam virtutis Pœnitentiæ, à pœnitente elicitur, nõ vt à ministro Dei, sed vt ab altera parte (id est Reo) quæ sibi Deum placare nititur, vt suprà diximus.

Ad *Quintum* Caietani respondet Sotus d. 14. q. 2. art. 3. fortè etiam requiri virtutem similem Pœnitentiæ ad tollendum peccatum commissum in amicum. Quod mihi non improbabile viderur. Nam etiam ibi erit peculiaris ratio obiecti, si quis velit tollere & detestari peccatum in amicum, quatenus ipsi prius erat ille infensus, atque adeò vt illum sibi reconciliet.

Nec obstat, quòd huiusmodi pœnitentiæ erga hominem Philosophi non meminerunt, vt nec pœnitentiæ erga Deum, de qua nunc agimus. Tractarunt enim illi de his Virtutibus, quæ cùm in bono versentur, sunt *per se & absolutè* ab omnibus expetibiles: talis autem non est pœnitẽtia de peccato in Deum vel in hominem commissa. Quanquam ab eo quidem, qui peccauit, & in quo proinde pœnitentia est virtus, per se est ipsa expetibilis, vt notauit bene Ioannes Medina q. 1. de Pœnitentia ad 1.

Addit præterea Sotus, nõ esse omnino parem rationem pœnitentiæ erga Deum, & pœnitẽtiæ erga hominem. Nam illa materiam habet latissimè patentem, in qua versetur, nempe qua debere debet Dei offensam, eumq; sibi facere placatum, per propositum etiam emendandi cum illius auxilio *totam vitam*; ad quod proinde nõ mirum est, si specialis Virtus Pœnitentiæ destinata sit. Amicus autem offensus ferè placatur proposito emẽdandi aliquem specialem actum, quo fuerit anteà offensus: neque requirit propositum omnia rectè faciendi in omni genere, saltem propriè sui causa. Quare potest facilius ea emendatio offensæ in amicum materialiter referri ad *Charitatem* in illum, vel etiam ad aliquam aliam virtutem specialem, cõtra quam in amicum anteà peccatum sit.

Maneat igitur, Pœnitentiam *virtutem* esse, & eam quidem certam ac *specialem*, à reliquis distinctam, vt ex ratione communi Pœnitentiæ à nobis assignata, primo loco deduximus. Quod etiã ex ea re satis patet, quia nolle pœnitere, est speciale peccatum: Ergo pœnitentia est specialis virtus.

Quæ sententia, quantumuis Caietanus reluctetur, est D. Thomæ hic art. 1. & 2. vbi expressè dicit, ad nullam aliam virtutem pertinere detestationem peccati, vt est Dei offensa. Item in 4. d. 15. q. 4. art. 7. ad 2. vbi expressè dicit, Pœnitentiæ virtutem distingui à Religione. Præterea eadem est sententia Halensis 4. p. q. 54. mem. 1. art. 2. Bonauenturæ d. 14. parte 1. art. 1. q. 2. Richardi ibidem, Marsilij in 4. q. 10. Ioannis Medinæ Tractatu 1. de Pœnitentia q. 1. Soti d. 14. q. 2. art. 2. & 3. & omnium aliorum Theologorũ, præter eos, quorum opiniones hac de re falsas iam refutauimus.

Illud tamen nihilominus rectè notat in art. 2. Caietanus, quæ in hoc Tractatu de Pœnitentia explicanda restant, æquè disputari posse, siue Pœnitentia asseratur specialis & distincta virtus, siue ponatur esse eadẽ cum Virtute Religionis, aut etiã Charitatis, &c. modò intelligatur, Pœnitentiam versari in detestando peccato ea ratione, qua suprà dictũ est: siue sit peculiaris habitus, siue non.

SECVNDO ex illa communi ratione Pœnitẽtiæ potest intelligi, quemadmodum omnes illi ACTVS, qui ab orthodoxis Doctoribus, Pœnitẽtiæ esse censentur, verè sint actus huius Virtutis, quantumlibet varij ac dissimiles videantur: nempe *dolor* interior de commisso peccato: *propositum* non amplius peccandi: *Confessio* peccatorum: *Satisfactio* pro pœna debita, siue ea ieiuniis, siue aliis corporis afflictionibus fiat. Omnibus enim his actibus commune est, quòd verè pertinent ad *destruendum* peccatum, habentque adeò quandam peccati detestationem.

Nam cùm te DEVM offendisse *dolet*, & *propositũ* tibi est, nunquam amplius eum offendendi, & cum submissione tui quadam peccatum ita vt oportet accusas & *confiteris*; DEVM inclinas, vt deposita indignatione condonet tibi propter Christum culpam, teque in gratiam recipiat: itemque vt te soluat reatu pœnæ, cùm teipsum *punis*. Ita fit, vt his omnibus actibus demum auferatur, Deo iuuante, Christique beneficio, totum illud malum varium & multiplex, quod ex peccato relinquitur. Id quod est, peccatum ipsum aboleri, sicut suprà explicuimus.

Itaq; vt huc tandem spectant eiusmodi actus, omnes illi quidem sunt eiusdem speciei, tanquã eliciti videlicet sub ea ratione in genere moris ab eadem Virtute Pœnitentiæ. Quod quidem rectè potest consistere, etiamsi secundùm alias rationes nonnulli ex illis actibus differant inter se *specie*, & aliqui etiã *genere*. Nam *dolor*, cùm prosè in quadam fuga seu *recessu* voluntatis à peccato, sit positus, genere eatenus differt ab aliis illis actibus, nempe à proposito, satisfactione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

confessione, quæ non in fuga aut recessu, sed in *prosecutione* quadam consistunt.

Item *propositum* non peccãdi, si in genere quidem habeatur, Charitatis actus est, quatenus respicit *bonum*, quod placet Deo, & ipsi etiã homini est salutare. Si verò habeatur etiam in specie, ad illam virtutem spectat, cuius bonum aliquis sibi proponit contrarium peccato: Vel certè ad varias simul eiusmodi virtutes, si plura eiusmodi bona simul aliquis sibi in specie proponat.

Sic etiam *Satisfactio* ad varias virtutes potest pertinere; vt ad Temperantiam, ad Misericordiam erga proximum, ad Religionem; cùm scilicet fit aut ieiuniis, aut eleemosyna, aut Oratione, aut his omnibus: item etiam ad Iustitiã vindicatiuam, quatenus se pœnitens, vt minister Dei punit, sicut suprà diximus.

Denique *Confessio* etiam vt est vera, pertinet sanè ad virtutem quandam moralem, quæ Veritas dicitur. Etenim tom. 2. disputat. 2. q. 2. p. 2. docuimus, genus moris hoc differre à genere naturæ, quòd quia illud pendet à volũtate & ratione, possunt in eo iidem actus secundùm varias rationes & respectus esse in diuersis speciebus, in quarum altera conueniant, in aliis differant: In genere autem naturæ vna res in vnica tantùm est specie sub eodem genere proximo. Ita fit, vt nullum sit in proposito incommodum, quòd actus prædicti in genere moris sint omnes eiusdẽ speciei, nempe vt versantur sub vna quadam ratione in obiecto formali Pœnitentiæ, & simul in aliis speciebus diuersarum virtutum, quibus inter se differant, vt est explicatum.

Patet etiã inde, quemadmodum tristitia quoque seu dolor, qui in appetitum sensitiuũ ex interiore dolore volũtatis quandoque redundat, sit Virtutis Pœnitentiæ actus. Eòdem enim ista tristitia tendit, scilicet vt *destruatur* peccatum. Item patet, non solùm actum illum volũtatis, qui in fuga & abominatione quadam præteriti peccati consistit, esse huius Virtutis actum, sed etiã eum, quo *conditionaliter* vellet aliquis, se non peccasse, si id videlicet sibi iam esset possibile; vel etiam quo simplici quidem voluntate velit absolutè se non peccasse. Nam & voluntas *simplex absoluta* potest esse de eo, quod est ex hypothesi aliqua impossibile, vt rectè affirmauit Ioannes Medina q. 1. de Pœnitentia ad 2. argum. post Caietanum 1. p. q. 63. & alios, id quod etiam nos confirmauimus tomo secundo, disputatione secunda, q. 8. p. 2. Etsi intentio quidem seu voluntas efficax exequendi non possit esse de impossibil.

Tertio ex illa ratione Pœnitentiæ intelligi potest, non modò omnes eos actus, scilicet *dolorem, propositum, confessionem, satisfactionem*, rectè in actibus Pœnitentiæ numerari posse; sed etiam esse necessarios, vt ritè & sufficienter Pœnitentia peragatur. Nam si vel vnum ex illis actibus prætermittas, nequaquam *destruetur* penitus ipsum peccatum. Nisi enim doleas, te Deum offendisse; nisi proponas tibi meliora; nisi confitearis quando oportet; causſam habebit Deus, quamobrem culpam non condonet, sed infensus tibi esse pergat: item nisi satisfacias, reatus pœnæ aliquis remanebit.

Atque ex hoc perspicitur, quãm turpiter errauerit Lutherus, qui sermone illo de Pœnitentia, & art. 6. & 7. suprà citatis scripserit, ad Pœnitẽtiam non pertinere dolorem de peccato *præterito*; sed tantùm vitæ emendationem: *Multò*, inquit, *maiore, imò solo hoc labore tibi cogitandum est, quomodo futurã vitam agas bonam, quam quomodo odias aut deseras præterita mala.* Et infrà: *In vsu*, inquit, *Scripturæ sacræ, Pœnitentia non dicitur dolor, sed mutatio mentis & consilij: ac pœnitere, est sapere post erratum, animumque ad rectè viuendum instituere.*

Probat autem id *primò* ex illo dicto vulgari: *Optima pœnitentia est noua vita: Quod*, inquit, *prouerbium verissimum est, & omni doctrinã de Contritionibus hucusque datã præstantius.*

Secundò ex illo loco ad Galatas sexto, *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.*

Tertiò. Quia Pœnitentia dicitur Græcè μετάνοια, quod vocabulũ significat mentis mutationem & resipiscentiam, vt Lactantius libro sexto diuin. institut. capite 24. & Erasmus etiam in 3. caput Matthæi notârunt.

Nos verò huius opinionis vanitati præter illa, quæ dicta sunt, Primo obiicimus authoritatem Sacræ scripturæ, quæ vbique significat, ad Pœnitentiã inprimis pertinere dolorem de cõmissis anteà peccatis. Vt Ioël. 2. *Conuertimini ad me in ieiunio, fletu, & planctu*, hoc est, cum vera significatione doloris, vt patet ex eo, quod subiungit: *Scindite corda vestra, &c.* quòd Niniuitæ fecerunt, & Petrus, & Magdalena, & alij agentes pœnitentiam. Item Hierem. 8. *Nullus est, qui agat pœnitentiam de peccato suo dicens: Quid feci?* Vbi Propheta quasi rationem nobis pœnitentiæ describit, nempe quòd peccatum præteritum respiciat, de quo dolendum inprimis sit. Et Micheæ 4. *Dole & satage filia Syon quasi parturiens, &c.* Et Baruch. 2. *Anima, quæ trista est super magnitudine mali, & incedit curua, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam & iustitiam Domine.* Similia Isaiæ 20. & 38. vbi illud inter cætera legimus de pœnitentia Ezechiæ: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et Ezechielis 18. & 2. Cor. 7. *Tristitia, quæ secundùm Deum operatur. Et est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et passim alibi.

Secundo obiicimus, authoritatem Sanctorum Patrum, qui passim ad legitimam pœnitentiam

tentiam requirunt inprimis dolorem. Vt S. Cyprianus in Serm. de lapsis: *Conuertamur ad Dominum*, inquit, *mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes Dei misericordiam deprecemur.*

Et S. Avgvstinvs in Enchiridio capite 65. *In actione*, inquit, *pœnitentiæ, vbi tale crimen commissum est, vt is qui commisit, a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quam doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit.* Similia alij quos paulò pòst citabo.

Tertio obiicimus ei errori ipsam notionem vocabuli. Pœnitere enim dicitur quasi pœnam, hoc est, dolorem, tenere: vt Augustinus, vel quisquis est vetus ille & magnæ in Ecclesia authoritatis author notat libro de vera & falsa pœnitentia, capite octauo. Vnde factum est, vt ferè Doctores Pœnitentiam per dolorem describerint: quoniam etsi latiùs, quàm dolor, ipsa Virtus Pœnitentiæ pateat, vt ex dictis constat; tamen dolor est præcipuus & maximè proprius illius actus.

Itaque Magister in 4. d. 14. dixit: *Pœnitentia est gratia seu virtus, qua mala commissa cum emendationis proposito plangimus & odimus.* Et Gregorius homil. 34. in Euangelia, & libro nono Registri epist. 39. *Pœnitentia*, inquit, *est peccata præterita plangere, & plangendo iterum non committere.*

Hinc etiam Chrysostomvs homil. 23. in Matth. *Correptionem*, inquit, *de pœnitentiæ Dolore, tuo magno commodo arripe.* Et infrà loquens de Manasse: *Post tot*, inquit, *tantaque flagitia, ab omnibus est mundatus pœnitentiæ fletu.*

Et S. Hieronymvs in psalm. 118. circa illud, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, &c. Verum*, inquit, *semper pœnitentiam agit hic Sanctus, & non cessat fluentis lachrymarum antiqua delicta diluere. Vt intelligas, nisi veram pœnitẽtiam egeris, tibi facilè non dimitti quæ gesseris. Vera est. n. pœnitentia, iugiter fletibus commissa diluere & abluta non iterare.*

Sed & Lactantivs à Luthero citatus, libro 6. institut. diuin. cap. 24. vbi ait, μετάνοιαν dici resipiscentiam Latinè, statim subiungit: *Respicit autem ille, quem peccati piget, & seipsum accusat dementiæ, & castigat ad rectius viuendum.*

Nec solùm authores Ecclesiastici, sed etiã prophani pro cõperto hoc habuerunt. Nam Cicero pœnitendi vocabulũ ad præteritum sæpè refert. Vt cùm in Tuscul. qq. dicit: *Sapientis est proprium, nihil quod pœnitere possit, facere.* Et Ausonius ita μετάνοιαν quasi loquentem inducit:

Sum Dea, quæ facti, non facti, exigo pœnas,
Nempe vt pœniteat, sic Metanœa vocor.

Accedit, q & Lutheranos ipsos huius erroris Lutheri iã piget & pœnitet. Fatetur. n. Kemnitius ex sua & Collegarũ sententia, in examine Concilij Tridẽtini sess. 14. cap. 4. & can 5. omnino etiã ad pœnitentiam pertinere peccati præteriti detestationem. Nec sanè videtur Lutherus in illis locis citatis satis sobrius contrariũ effutiuisse. Cuius error meritò in Concilio Tridẽtino, & à Leone X. condemnatus est.

Ad *primum* autem Lutheri argumentum respondet optimè Ruardus Tapperus art. 4. sub finem, nouam vitam non ideo dici optimam pœnitentiam, quoniam ipsa sola ad pœnitentiã satis sit; sed quia indiciũ est veræ atq; optimæ pœnitentiæ: item q; quoniam propositum emendãdi vitam, pars quædam est pœnitentiæ. Atq; isto modo id intellexit Ambrosius, cùm in Cõmentariis 2. Cor. 2. ita scripsit: *Hæc vera pœnitentia est, cessare iam à peccato: sic enim probat, dolere se sibi, si de cætero desinat.* Hactenus ille.

Ad *Secundum* respõdeo, nouã illam creaturã, quæ sola valet, minimè creari nisi intercedente dolore de peccato cõmisso. Nec dicit Paulus, hũc dolorem nihil valere; sed *præputium, & circumcisionem*, hoc est, obseruationem legis naturalis, vel Mosaicæ, sine gratia Christi: Quæ quidem per pœnitentiam atq; adeò detestationem peccati comparari debet.

Tertium Lutheri argumentum nullius prorsus est ponderis. Nam ad μετάνοιαν illam & resipiscẽtiam dicimus etiam pertinere dolorem de peccato, vt ex Lactãtio, ex Ausonio, & ex aliis paulò antè audiuimus. Et intelligere debuit Lutherus, transmutationem illam mentis, quæ Metanœæ vocabulo significatur, non tãtùm accessu ad terminum *ad Quem*, sed etiam recessu à termino *à Quo* contineri, quemadmodum & alias omnes mutationes. Receditur autẽ in proposito à termino, id est, à peccato, per dolorem: acceditur aũt ad terminum, per melioris vitę propositum.

Sed de tota ratione huius doloris, qui & *Contritio* dicitur: item q; de illius necessitate, & tempore ac modo, quo haberi debet, dicetur infrà, cùm agemus de ea Pœnitẽtiæ parte, sicut etiam de ratione & necessitate Cõfessionis & Satisfactionis, quę sunt reliquę partes huius Sacramẽti.

Qvarto ex ratione Pœnitentiæ antè posita intelligere licet, ad quam Virtutem Cardinalem possit hæc virtus Pœnitentiæ reuocari. Sentiendum. n. est cum D. Thoma hic art. 3. eam reuocari ad *Iustitiam commutatiuam*, tanquam ad speciem eius quandam seu partem (vt vocant) *potentialem*. Quod ita declaro & probo. Cùm omnes inter se virtutes specie distinctæ sint; tamẽ aliqua earum tanquã species seu pars potẽtialis quædam, ad eam peculiariter reuocari dicitur, cum qua similitudinẽ peculiarem habet, nec tamen participat perfectè eius rationem. Vt Religio v. g. ad Iustitiã. Quia sicut Iustitia reddit alteri debitum; ita Religio Deo, licet non omnino secundùm æqualitatem, vt facit Iustitia. Sed Pœnitentiæ virtus peculiarem habet similitudinem cum Iustitia; nec tamen illius rationem perfectè participat. Igitur ad Iustitiam reuocatur, tanquam eius species quædam seu pars potentialis.

Maior patet ex inducto exemplo,& asseritur
A fusiùs à D. Thoma in 2. 2. q. 80. Minoré declarat pulchrè idé D.Thom.hic art.3.Pœnitétia.n. non deleret,neq; emendaret offensam (quod est munus eius ꝓprium)nisi suis actibus quandam veluti recõpensationem redderet Deo pro eadem offésa. Itaq; quatenus hoc quidé facit, debitum quasi quoddam reddit, atq; adeò ex ea parte similis est Iustitiæ cõmutatiuæ. Ad hanc.n. Iustitiam pertinet, recompensationem reddere pro offensis,sicut etiam pœnam pro illis (mediante vindicatiua iustitia) retribuere, cùm vtrumque sit quædam quasi *commutatio*.

Ex altera verò parte in eo deficit Pœnitentiæ virtus à perfecta ratione Iustitiæ cõmutatiuæ, ꝙ minimè reddit Deo in ea recõpensatione *iustum*
B *& æquale simpliciter*, sicut facit Iustitia, quæ exercetur inter æquales; sed iustum tantũmodò *secundùm quid*, quale nimirũ habet locum inter illos, quorũ vnus est sub potestate alterius: vt inter seruum & Dominũ,filium & Patré, vxorem & virum, quemadmodum docet Philosophus 5. Ethic. capite 6. *Unde pœnitens*, inquit pulchrè D. Thomas, *recurrit ad Deum cũ emẽdationis proposito, sicut seruus ad Dominum*: iuxta illud psal.122. *Sicut oculi seruorũ in manibus Dominorũ suorum: ita oculi nostri ad Dominum* Deum *nostrum, donec misereatur nostri*. Et sicut filius ad Patrem; secundùm illud Lucæ 5. *Pater peccaui in cælum, & coram te*. Et sicut vxor ad virum,secundùm illud Hierem. 3. *Fornicata es cum amatoribus multis,tamẽ reuertere ad me,*
C *dicit Dominus*. Et sanè quòd ea quidé ratione ad Iustitiam reuocetur virtus Pœnitentiæ, ex illo etiam testimonio Baruch.2. intelligi potest: *Anima*,inquit,*quæ tristis est super magnitudine mali,dat tibi gloriam & iustitiã Domine*, id est, reddit compẽsationem pro offensa,qualem qualem potest.

Porro non obscurat,vt Sectarij hallucinãtur, doctrina hæc vim meritorũ atq; satisfactionis Christi: quin potius illustrat maximè.Ipse namque Christus suis meritis secundùm omnem Iustitiæ rigorẽ nobis ab æterno Patre promeritus est, vt ex promissione gratis & liberaliter nobis ad id facta acceptet illam qualemcunq; recompensationem nostram pro offensa, quæ dolore videlicet, & cognitione,& confessione peccati,
D & submissione quadam animi cõtinetur, vt Caietanus hîc art.2.& 4. explicat.Quemadmodum ipse etiam Christus nobis meritus est, vt per ieiunia, orationes, & alia eiusmodi opera satisfaciamus pro pœna, quæ dimissa culpa exsoluenda restat ad compẽsandam nimiam erga nos indulgentiam,vt Caietanus etiam loquitur.

Verùm hîc animaduertendum est, quamuis in actu Pœnitentiæ sit quædam recompensatio pro offensæ remissione, vt hîc D. Thomas art. 3. docet,& 1.p.q.21.art.4,ad 1. & Caietanus hîc art. 2. &. 4. & Sotus in 4. d. 19.q. 1. art. 1. & alij;tamẽ non esse concedendum, quòd in ea recompensatione pro offésa sit *verum meritum* remissionis culpæ: quod tamen meritum verè est in satisfactione,quæ deinde fit pro pœna.Ratio huius est: Quoniam recompensatio illa pro offensa non sanè acceptatur, vt est à gratia gratum faciente (etiamsi aliquando ab ea etiam proficiscitur in puncto iustificationis) sed vt est ab auxilio Dei, & libero arbitrio, & tédit eatenus in ipsam gratiam gratum facientem, per quam remittitur culpa. Meritum autem propriè dictum non est in vllo opere nostro,nisi quatenus illud perficitur à gratia etiam gratum faciente, sicut Tom.2. disput. vltima,q. vltima docuimus. Vnde fit, vt ipsa gratia gratum faciens non possit cadere in tale meritum, atque adeò nec remissio culpæ mortalis.

Alia verò illa satisfactio pro *pœna* (quæ & magis communiter Satisfactio dicitur) etiam acceptatur, vt est à gratia gratum faciente, iam anteà recepta in remissione culpæ. Quò fit, vt habeat etiam hæc Satisfactio rationem veri meriti, respectu relaxationis illius pœnæ.

Patet iam itaq;, quomodo Pœnitentiæ virtus sit veluti pars quædã Iustitiæ. Quæ doctrina D. Thomæ longè cõmodior iudicari debet eã, quã tradidit Ioannes Medina q.1. de Pœnitentia, in respons. ad 5. argum. principale, nempe Virtutẽ Pœnitentiæ ex *obiecto* quidé ad eam virtutem revocari posse,cui est contrariũ illud peccatũ, de quo agitur Pœnitẽtia: ratione aũt *finis* ad eam, ad quam finis pertinuerit,cuius caussã aliquem pœnitet; vt ad Charitatem, si sit caussã amicitiæ instaurandæ cũ Deo: Vel ad Iustitiam,si sit caussã vindicandi & puniendi in se peccatum.

Hanc doctrinã esse minus cõmodam dico. Oportet.n. Virtutem aliquã ad eam Virtutem potiùs reuocare, cũ qua ex obiecto suo habet peculiarem similitudinẽ,quam nõ perinde cum aliis Virtutib. habeat. Sic aũt Pœnitentia similitudinem habet peculiarem cum Iustitia, ꝓpter rationem antè explicatam: non aũt cum ea Virtute,cui contrariũ est peccatũ de quo fit pœnitẽtia:siquidem communiter de *omnib.* peccatis, quę sunt contra omnes Virtutes,pœnitentia haberi potest.

Quinto intelligitur,ex suprà dicta Pœnitẽtiæ ratione,virtutẽ hanc Pœnitentiæ,si naturæ quidem ordo spectetur, posteriorẽ esse quoad vsum Virtutib. reliquis,*per se loquendo*, vt D.Thom. hic art.5.docet.Nam versatur in malo: aliæ autẽ omnes in bono: bonum aũt naturaliter est prius malo, cùm hoc sit priuatio illius. Per accidens autem prius ordine naturæ exerceri debet Pœnitentia in eo, qui est impius, vt videlicet recedat à peccato. Atque etiam aliqui actus, quibus homo excitatur ad pœnitẽtiam, prius tempore præcedunt alias Virtutes; vt actus Timoris, Spei, &c. Quo pacto intelligi debet D.Thomas, cùm art.6. dicit, Pœnitentiam quoad *actus* eius, prius tempore esse in peccatore, quàm aliquarum aliarum Virtutũ actus. Loquitur enim de Pœ-

de Pœnitentiæ actibus, non qui à Virtute Pœni-
A tentiæ eliciuntur (ea enim non infunditur, neq; exercetur prius tempore,quàm Charitas, vt postea videbimus) sed qui ad Pœnitentiam ordinantur: Quo pacto etiam de actibus Pœnitentiæ idem D. Thomas loquitur in art. 5. vt rectè ibi Caietanus admonet. Et hactenus de primo Puncto principali huius Quæstionis,

PVNCTVM SECVNDVM.

In qua potentia Animæ insit propriè hæc Virtus,tanquam in subiecto.

D. Thomas art. 4.

B

Quàm latè pateant Pœnitentiæ actus, non est facilè constituere, in quanam potiùs Animę potentia collocari illa debeat. Cõplectitur enim actus non modò Voluntatis,cuiusmodi est dolor;sed etiã appetitus sensitiui quandoque consequentes ex illo dolore Voluntatis; item externos actus; vt Temperantiæ, Eleemosynæ, &c. sicut ex dictis patet.

Breuiter autem ex sententia D. Thomæ hîc art.4. & aliorum Theologorum statuendum est, Pœnitentiæ virtutem in *Voluntate* inesse,tanquã in proprio subiecto. Ratio est *primò*: Quia cùm sit pars Iustitiæ, versatur circa *alterum*, nempe
C circa Deum, cui recompensatur offensa, vt p. præced. dictum est. Virtutes autem, quæ circa alterum versantur, sunt in voluntate, vt docet D.Thom.1. 2. q. 56. & hîc etiam repetit.

Secundò. Quia cuius Virtutis obiectum non potest attingi à cognitione sensitiua, sed tãtùm à ratione;ea virtus non in appetitu sensitiuo,sed in rationali, hoc est, in *voluntate* est. At obiectũ Pœnitentiæ à sola ratione attingi potest. Ergo, &c. Minor probatur. Quoniam obiectum Pœnitentiæ est emendatio & abolitio offensæ Dei
D irati: quæ ratio est,vt Virtus hæc Pœnitentiæ habeat proinde ipsum etiam Deum obliquè pro obiecto, cùm scilicet recompensare offensam studet. Atque ea etiam ratione per Pœnitẽtiam dicitur homo passim in Scriptura ad Deum ipsum conuerti. Deus autem remotissimus est à sensibus,atque adeò nec illam rationem obiecti Pœnitentiæ potest sensus attingere.

Accedit *tertiò*, quòd difficultas in pœnitẽdo, hoc est, in tollenda Dei offensa, porissimùm est Voluntatis: quare in ea oportet collocare Pœnitentiæ virtutem. Quod ipsum indicauit S. Chrysostomvs homil. 23. in Matth. cum ad *pœnitentiæ virtutem pariter retulit fletum & studium voluntatis*, loquens de pœnitentia Manasses.

Neque obstat, quòd actus etiam exteriores, item que appetitus sensitiui, vt tristitia, &c. sunt etiam actus Virtutis Pœnitentiæ. Non enim secundùm se absolutè illi producũtur ab ipsa Virtute Pœnitentiæ: sed eatenus quidem in genere moris dicuntur esse actus Pœnitentiæ, quatenus per *electionem* Voluntatis referuntur ad Pœnitẽtiæ obiectum. Vt actus exterior Virtutis Temperantiæ verbi gratia non alia ratione eius Virtutis actus dicitur, nisi quatenus in genere moris refertur ad illius obiectum.

Ex hac autem doctrina sequitur, defectum Tristitiæ aut doloris in appetitu sensitiuo, non esse certum indicium impœnitentiæ, multoque minùs defectum lachrymarum. Nam cùm hæc Virtus in voluntate sit, potest absque motu appetitus sensitiui exerceri: quod etiam sæpe fit, vel propter sensus alioqui hebetudiné, vel propter spiritualem delectationem, quam ex diuina contemplatione in ipso etiam dolore de peccatis quandoque homo percipit. Quæ delectatio impedimento est tristitiæ, vt rectè Sotus notauit d. 14.q. 2. art.4. Cùm verò talis in appetitu sensitiuo tristitia sequitur, & à Voluntate in obiectum Pœnitentiæ dirigitur; omnino ad hanc etiam Pœnitentiæ Virtutem pertinebit, vt dictũ est. Quin etiam salutare est,præsertim incipientibus,huiusmodi tristitiam, quantum eniti possunt, in sese excitare.

Nec valet, si quis hoc in loco argumentetur: Tristitia est de iis,quæ nobis nolentibus accidũt: Ergo non potest esse voluntaria, atque adeò neque actus Pœnitentiæ virtutis. Argumentum est
C nullius momenti, licet magnum negotium exhibuerit Scoto in 4. d. 14. q. 1. art. 3. Aliud enim est, tristitiam esse de iis, *quæ* nollemus; aliud, ipsam quoque tristitiam esse aliqui tale, *quod* oporteat nolle. Hoc secundum falsum est, nec sequitur ex primo. Nam potest aliquis velle tristari de eo obiecto,quod nollet accidisse,vt facilè ad hoc argumentum respondent Sotus,& Ioannes Medina vbi suprà.

Nonnulla tamen Quæstio hîc est, Vtrum frequenti exercitio actuum eiusmodi tristitię in appetitu sensitiuo, generetur in eodem aliquis habitus Virtutis, quæ propriè perficiat appetitum, vt moderatè de peccatis tristetur, nec plùs, nec minùs, quàm oportet. Et putat Sotus loco citato, non absurdè posse id concedi: Quanquã
D & arbitratur quoque negari posse.

Ego concedendum potius censeo. Nam nec appetitus in ea re caret sua propria difficultate, ne deflectat videlicet ad alterum extremum: vt aut nimis exilis, aut immodica sit tristitia. Hic autem habitus nõ est specie idem cum ipsa Virtute Pœnitentię: siquidem non ipse attingit Pœnitentiæ obiectum suo actu per se, quatenus est quidem actus appetitus sensitiui; sed vt ad id dirigitur per actus Pœnitentię,hoc est,per electionem Voluntatis, vt à Pœnitentiæ virtute perficitur. Quare alia Virtus est hic habitus in appetitu, annexa videlicet ipsi Virtuti Pœnitentiæ, & similis illi.

PVNCTVM TERTIVM.

Quanam via & ratione Virtus Pœnitentiæ in animis nostris generetur.

D. Thom. art. 5. & 6.

HOc loco inter habitum, & actum Virtutis Pœnitentiæ, cũ D. Thom. hîc art. 5. distinguendum est. Nam *habitus ipse* diuinitùs infunditur vnà cum Charitate & aliis Virtutibus infusis, nec à nobis producitur. *Actum* autem Pœnitentiæ ipsi diuinitus adiuti efficimus.

Quidam tamen actus hunc actum Pœnitẽtiæ in nobis antecedunt. Nam tanquam à primo principio oritur ab actione Dei per auxilium speciale conuertentis cor, iuxtà illud Thren. vltimo: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Deinde sequitur motus Fidei. Tertiò, motus Timoris seruilis, hoc est, timor suppliciorum. Quartò, spes veniæ per Christum consequendæ. Quintò, motus Charitatis. Sextò, motus timoris filialis, quo veretur aliquis ex amore separari à DEO, tanquam à Patre. Quibus tandem motibus impellitur animus ad actum Pœnitentiæ voluntariè eliciendum, vt peccatum emendet. Atque ita fit, vt actus Pœnitentiæ à timore quidem seruili oriatur, vt à primo principio inter ea, quæ ex parte affectus ad Pœnitentiam conducunt; à filiali autem, tanquam à principio proximo.

Hæc doctrina Diui Thomæ, licet verisima sit, tamen partim à quibusdã Theologis Scholasticis, partim à Luthero & asseclis repudiatur. Quare vtrique iam ad eius doctrinæ defensionẽ refellendi sunt.

Et primùm quòd *habitus* ipse Pœnitentiæ diuinitus *infundatur*, neque Scotus in 4. d. 14. quæst. 3. neque Durandus eadem distinct. quæstione secunda, credit. Ille, quia ex frequentatis actibus pœnitentiæ, putat posse *acquiri* Pœnitentiæ habitum rectæ rationi consentaneum, qui etiam permanere possit post peccatum mortale commissum. Durandus autem, quoniam in vniuersum negat, aliquas esse virtutes *per se infusas*, præter Theologicas, è quarum numero non est Pœnitentia. Vocamus autem Virtutes *per se infusas* eas, quæ non possunt nisi Deo infundente acquiri: qualem hîc censemus cum Diuo Thoma, esse Pœnitentiam Virtutem. Infusæ autem per accidens esse dicerentur Virtutes illæ, quæ cùm alioqui possint humanorum actuum exercitio acquiri, vt Temperantia, & Iustitia, &c. tamen diuinitùs alicui ingenerarentur sine vllis eius actibus. Quo pacto putatur Adam habuisse multos habitus initio infusos.

Iam verò sententia D. Thomæ aduersus Scotum & Durandum rectè defenditur à Caietano hîc art. 5. & à Dominico Soto d. 14. q. 2. art. 5. Quæ inprimis quidem confirmari potest testimonio illo Apostoli 2. ad Tim. 2. *Ne quando Deus* DET *illis pœnitentiam, &c.* Siquidem hoc de habitu etiam pœnitentiæ potest intelligi.

Deinde probatur ratione hoc modo. Omnes illæ Virtutes sunt per se diuinitùs *infusæ* cũ Charitate, quæ perficiunt hominem non propriè secundùm statum vitæ naturalis, sed secundùm statum gratiæ. Pœnitentiæ Virtus est eiusmodi. Ergo, &c.

Maior probatur. Quoniam ad perfectionem diuini operis pertinet, vt quemadmodum rem naturalem producit simul præditam omnibus suis naturalibus potentiis, ita etiam hominem secundùm Esse gratiæ perficiat simul instructum omnibus Virtutibus, quæ in eo genere gratiæ se habent ad animæ essentiam sicut Potentiæ naturales ad essentiam rei naturalis.

Minor itẽ probatur. Nam Cuius Virtutis obiectũ formale est eiusmodi, vt à ratione naturali sine fidei lumine attingi nequeat, ea Virtus minimè perficit hominem propriè secundùm statum vitæ naturalis, sed secundùm statum gratiæ, vt patet. Obiectum autem formale Pœnitentiæ omnino est eiusmodi. Nam versatur in abolendo peccato, vt est talis offensa Dei, qualis à Christianis cognoscitur, quæ scilicet hominem priuet gratia diuina, & reum æternæ pœnæ faciat. Qua ratione non cognoscitur peccatum nisi per fidem. Quanquam vt est illud sanè contra hominis rectam rationem, atque adeò contra Virtutem, & consequenter etiam contra voluntatem Dei naturæ authoris, potuit quidem vtcumque naturaliter cognosci à Philosophis, & eatenus ab illis agi Pœnitentia secundùm aliqualem rationem; non tamen illa, quæ est propriè Pœnitentia Christiana.

Et ad fundamentum Scoti respondet Caietanus hîc art. 5. & Sotus vbi suprà, posse quidem frequentibus actibus Pœnitentiæ, qui sine Charitate habeantur, acquiri habitum *secundùm quid*, similem Virtuti Pœnitentiæ, quo scilicet doleat aliquis de peccato, vt est offensa Dei, nõ ita perfectè, vt oportet, scilicet super omnia: non autem posse illis actibus acquiri habitum, qui sit verè *ac simpliciter* ipsa virtus Pœnitentiæ. Nam hæc hominem DEO reconciliat, quod non fit sine Charitate; ac proinde huiusmodi quidẽ Pœnitentia per se à Deo infunditur vnà cum Charitate, quæ DEVM diligit super omnia, nec sine illa permanere aut acquiri potest. Quod autem Durandus opinatur, nullas Virtutes præter Theologicas esse per se infusas, id suo loco secuti sententiam Diui Thomæ & aliorum, Theologorum, refutauimus, nempe tomo secundo, disputatione quinta, quæstione sexta, puncto primo.

Nunc cùm Virtus Pœnitentiæ non actibus, sed infusione diuina acquiratur, facilè patet, quid probabiliter dici possit ad eam QVAESTIONEM, qua etiam solet quæri, Vtrum omnes omnino iusti participes esse possint Virtutis Pœnitentiæ; ita vt ea etiam fuerit in Angelis, in Christo, in Apostolis, in B. Virgine, in Innocentibus pueris post Baptismum, & etiam in his, qui actualiter nondum peccauerunt, quamuis adulti. Dicendum est enim generatim ex probabiliori sententia, quam Sotus d. 14. q. 2. art. 5. declarat, eos iustos omnes & solos participes esse Pœnitentiæ Virtutis, qui & arbitrio sint flexibili, & saltem secundùm naturalem statum suum possint peccare, vel anteà aliquando peccauerint.

Itaque non fuit Pœnitentia in Sanctis Angelis, qui nunquam peccauerunt, neque si peccassent, pœnitere potuissent, cùm sint inflexibilis arbitrij. Non in Christo, qui peccare non potuit: tum quia idem fuit DEVS: tum quia beatus ab initio. Apostoli autem, quia secundùm suum ordinarium statum, potuerunt peccare mortaliter, licet ex priuilegio fuerint confirmati in gratia: & quia etiam simpliciter potuerũt peccare venialiter; non est negandum, quin fuerint Pœnitentiæ Virtute præditi. Respicit enim hæc Virtus illam etiam offensam, quæ continetur peccato veniali, vt priuat scilicet feruore Charitatis, & reum facit temporalis pœnæ.

Item arbitratur Sotus concedi posse de B. Virgine, quòd habuerit Pœnitentiæ Virtutem infusam: non quia potuerit peccare, saltem venialiter, vt inconsideratè & malè scripsit Paludanus d. 14. q. 4. sed quia statum habuit in quo alioqui potuerit peccare: itemque quoniam potuit certè exercere actum aliquem Virtutis Pœnitentiæ conditionalem, nempe hunc: *Dolerem, si peccarem.* Sic etiam pueris in Baptismo virtus hæc vnà cum aliis infunditur: quoniam exercere illam suo tempore poterunt: itemque eadem perseuerat in adultis innocentibus, ante etiam, quàm peccent, quoniam eam saltem exercere possunt illo actu conditionali.

Denique & in Beatis manet: tum quia anteà peccauerunt: tum quia est ipsis quasi ornamentum quoddam, & veluti insigne triumphi de præteritis peccatis. Quamuis non possunt in illo statu Beati exercere talem actum doloris, qualem in hac vita. Nam neque tristitia, neque luctus, neque vllus dolor erit ibi amplius. Et hactenus quidem modus, quo ipse HABITVS pœnitentiæ generatur in nobis, à D. Thoma traditus, sic à nobis defensus sit.

Iam verò in modo, quo deinde D. Thomas docuit, ipsum etiam ACTVM Pœnitentiæ exerceri, animaduertendum inprimis est, dolorem de peccatis posse concipi & ex solo timore pœnarum, hoc est, seruili bono (quem pòst declarabimus) & ex timore filiali solo: & ex vtroque simul actualiter & explicitè. Quando Pœnitentiæ actus ex timore seruili solo concipitur, est quidem tunc actus illius Pœnitentiæ, quam paulò antè diximus esse Virtutem similem ipsi Pœnitentiæ Virtuti; sed nequaquam est perfectus actus, ab ipsa Virtute Pœnitentiæ elicitus. Hic enim semper est coniunctus cum timore etiam filiali: quia vt paulò superius dictum est, ipsa Virtus Pœnitentiæ nunquam seiungitur à Charitate, quæ quidem vel formaliter, vel certè virtualiter habet illum timorem filialem. Quando autem ille dolor concipitur à solo filiali timore; vel ab illo, & à seruili (etiam explicitè & formaliter) simul; tum quidem actus est ipsius Pœnitentiæ Virtutis, & perfecta Contritio dicitur. Et de tali pœnitentiæ actu loquitur in illo art. 5. D. Thomas, cùm dicit, actum Pœnitentiæ oriri à timore seruili, vt à *primo* motu affectus ad Pœnitentiam ordinato; & à filiali, vt à principio proximo.

Ex hoc verò, quod asserimus, eum etiam dolorem, qui ex vtroque timore, nempe filiali & seruili oritur, esse etiam actum ipsius Pœnitentiæ Virtutis, atque adeò bonum & laude dignũ; illico est consequens, alterum etiam illum dolorem imperfectæ pœnitentiæ, qui scilicet concipitur ex solo timore seruili pœnarum, ideoq; *imperfecta Contritio*, vel absolutè *Attritio* dicitur, esse bonum, ac minimè quidem ex sua ratione malum, tametsi non vsque adeò perfectum, vt gratiam ipse citra Sacramenti vsum conciliare possit. Si enim dolere de peccatis ob gehennæ dolorem, per se esset malum; semper ab hac ratione, actus doloris vitiaretur, quantumcunq; esset alioqui bonus ex ea parte, qua simul oriretur à timore filiali. Existit enim bonum (vt dici solet) ex integra caussa: Malum autem ex quocunque defectu.

Hanc autem doctrinam de dolore, qui concipitur ex SOLO timore pœnarum (sicut sæpè initio fit) quòd scilicet per se bonus sit, vt ex doctrina illa D. Thomæ hîc art. 5. colligitur, & cæteri omnes Orthodoxi tradunt, oppugnauit LVTHERVS art. 6. à Leone X. vnà cum reliquis condemnato. Exposuit autem suam ibi hac de re sententiam his verbis. *Contritio*, inquit, *duplici via paratur. Primò, per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis, vt dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum grauitatem, damnum, fœditatem, multitudinem; deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia, quæ possunt tristitiam ac dolorem excitare. Hæc autem tristitia facit hypocritam, immò magis peccatorem: quia solum timore præcepti & dolore id facit: & tales omnes indignè absoluuntur, & communicantur. Secundò paratur Contritio per intuitum & contemplationem speciosissimæ Iustitiæ. Hæc facit verè pœnitentem: quia amore Iustitiæ id facit. Et hi sunt digni absolutione.* Hactenus Lutherus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Probat autem deinde, illum priorem dolorẽ facere & hypocritam, & magis peccatorem: *hypocritam*; quia Contritio, quæ non concipitur ex amore Iustitiæ, & charitate Dei, *non est*, inquit, *vera, sed simulata, cùm non fiat ex toto corde; nec voluntarie, sed coactè. Hoc autem*, inquit, *est esse hypocritam*: iuxta illud Christi Matth. 15. *Cor autem eorum longè est à me.* Magis autem peccatorem facit ea Contritio; quoniam *collectio illa peccatorũ*, inquit ibi, *non nisi legem sibi præstituit, ad quam peccata confert. Lex autem facit abundare peccatum. Rom. 5. & per legem augentur transgressiones. Unde 1. Cor. 15. Lex dicitur virtus esse peccati, hoc est, facit*, inquit, *lex, vt qui nondum apprehendentes Iustitiam per Christum, intendunt solum, modo, ad legem, magis odiant legem, doleantque quòd sibi peccare non liceat, prohibente lege.* Huiusmodi enim est Theologia Lutheri, quam pluribus verbis impertinẽtibus in illo articulo velut somnians persequitur.

Nos verò asserimus, si quis propter pœnas, tanquam propter *maximum*, quod horreret, *malum*, summeque auertendum, de peccatis doleret, talem dolorem omnino fore malum, quoniam oriretur ex peruersissimo sui amore, quo suam videlicet incolumitatem, tanquam finem suum vltimum aliquis sibi in ea re proponeret. Sed non est necesse, vt isto modo propter pœnas doleat, quicunque ex pœnarum consideratione mouetur vt de peccatis doleat.

Itaq; vt rectiùs intelligi possit ratio eius doctrinę Orthodoxæ, quam aduersus hæc commẽta Lutheri confirmare instituimus; diligenter animaduertendum hîc est, eum qui de peccatis dolet ex timore pœnarum, propter eas effugiendas, vel etiam propter aliam quamcunq; rem præter Deum, tripliciter affectum esse posse. VNO modo ita, vt in eiusmodi dolore, tanquam finem præcipuum & vltimum (sicut iam dictum est) sibi proponat incolumitatem à pœnis, vel aliam quamcunque rem præter DEVM.

ALTERO modo ita, vt quamuis non proponat sibi illam incolumitatẽ, aut aliam rem præter DEVM, tanquam *finem vltimum*; tamen illâ certè moueatur vt conditione *sine qua non*; ita videlicet, vt nisi pœnæ, vel illa alia res esset, omnino nollet dolere propter Deum.

TERTIO modo ita, vt moueatur quidem ad dolorem illa incolumitate à pœnis, vel alia quapiam re prẽter DEVM, non tanquam fine præcipuo, nec tanquam conditione sine qua non, sed solùm vt *motiuo quodam*, quo ad dolẽdum ita impellitur, vt facilè etiam hoc ipsum motiuum, tanquam medium quoddam in finem, sit ordinatè relaturus deinde ad DEVM, atque etiam habiturus dolorem caussâ quoque ipsius Dei, licet pœnæ inferni non alioqui imminerent; postquam de re tota videlicet cogitauerit.

Dolor, qui PRIORI modo ex timore pœnarum concipitur, malus est, vt rectè notauit Ruardus Tapperus in art. 4. fol. 195. & colligitur ex D. Thomæ doctrina 2. 2. q. 19. art. 4. Nec talis dolor propter pœnas à nobis defenditur. Oritur enim eiusmodi dolor ex peruerso sui amore, cùm scilicet aliquis incolumitatem suam pluris æstimat, seu plus diligit *appreciatiuè*, vt dicitur, quàm Deum: Itemque ex peruerso timore, quo magis quis horret pœnæ malum, quàm culpæ, & quàm offensam Dei,

Item etiam est malus dolor is, qui oritur ex timore pœnarum SECVNDO modo, vt notauit Sotus d. 14. q. 2. art. 5. Peruersum enim est, & ab eo animo alienum, quo erga Deum affecti esse debemus, sic dolere, vt nisi essent pœnæ, nolles dolere ipsius Dei caussâ. Hoc enim ipso meritò offenditur Deus: sicut etiam offenderetur Dominus aliquis ab eo seruo, quem sciret, sui caussâ nihil velle sponte facere, nisi pœnam timeret.

Atque hoc etiam sensu D. Augustinus libro de Spiritu & litera cap. 8. improbat ea, quæ ex timore fiunt. Vbi de Iudæis loquens, qui olim eo modo ex metu operabantur: *Non erat*, inquit, *in voluntate quod coram hominibus apparebat in opere, potiusq; ex illo rei tenebantur, quod eos nouerat. Denique malle, si fieri posset, impunè committere.* Itemque in lib. 3. contra duas. Epist. Pelag. ad Bonifacium, cap. 4. de iisdem Iudęis loquens: *Terrena*, inquit, *cupiditas, metusq; carnalis in eis operabatur: Sic autem præcepta qui facit, procul dubio inuitus facit, ac per hoc in animo non facit: mauult enim omnino non facere, si secundùm ea, quæ cupit & metuit, permittatur impune: ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, vbi ipse qui præcipit, inspicit* DEVS. Hæc Augustinus.

Dolor igitur, qui his modis ex timore seruili concipitur, malus est, atque adeò ipse quoque timor seruilis his modis etiam est malus: quoniam tunc non modò seruilis denominatur ex eo, quod habet pro obiecto pœnam, quam seruui formidare solent: sed quia ex amore sui peruerso oritur, quo videlicet incolumitas à pœna vel præfertur obsequio Domini, tanquam finis; vel certè expetitur tanquam conditio, sine qua nollet alioqui seruus officium præstare propter Dominum. Itaque vtroque modo peruersus ille amor atque timor est, atque adeò ad obsequium Domini impellit, non spontaneum, sed quasi coactum, contra voluntatem videlicet, saltem conditionalem, qua nollet quis facere, quod debet: sicut plerumque mali serui affecti esse solent. Quæ caussa est, cur hunc *modum peruersum* seruilis timoris vocet Diuus Thomas 2. 2. loco citato, *seruilitatem*, quæ semper sit mala, quamque non semper est necesse inesse in ipso seruili timore, vt ex eo solùm seruilis denominatur, quod est de pœnis, quibus alioqui serui cõmoueri solent.

Dolor igitur propter pœnas, quẽ nos in præ-

sentia

sentia cõtra Lutheri deliria defẽdimus esse bonum, nõ est nisi ille, qui ex timore seruili pœnarum concipitur TERTIO modo suprà dicto: cùm scilicet mouetur quidẽ aliquis ad dolendum incolumitate à pœnis sibi proposita; sed neque vt fine, neque vt conditione sine qua non; sed tantùm vt simplici quodam *motiuo*, sine quo etiam facilè esset alioqui habiturus dolorem propter ipsum Deum, vt diximus.

Hunc dolorẽ non esse malum, probamus hoc modo. Vel talis dolor esset malus, vt per se est talis, nempe ꝓpter pœnas effugiẽdas: Vel quia nõ est etiam actu & expresè propter Deum. Sed ob neutrã rationem est malus. Ergo simpliciter nõ est malus. Maior necessariò cõcedi debet. Oportet enim, si malus est ille dolor, vel ob id malum esse, quod habet; vel ob id, quod non habet. Minor quoad vtramque partem probatur.

Et quòd per se dolor ille quia *talis*, nõ sit malus, probatur tripliciter, nempe ex Scriptura, ex Patrib. & ex ipsa ratione. Primò ex Scriptura; quoniã passim illa significat, detestationẽ peccati ex timore pœnarũ conceptam, esse bonã & salutarem. Vt Isaiæ 26. *A timore tuo Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus Spiritũ salutis*, id est, Pœnitentiæ salutaris. Itaq; sæpè etiã ipsi Prophetæ pœnas & mala, quæ peccatũ alioqui cõsecutura essent, hominib. proposuerũt, vt timore videlicet ad Pœnitentiam inducerentur. Id fecit Ionas, Nathan, Hieremias, atq; etiã Baptista, Matth. 3. *Quis*, inquit, *demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Iam securis ad radicẽ arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonũ, excidetur, & in ignem mittetur.* Immò ipsemet Christus Lucæ 13. *Nisi pœnitentiã*, inquit, *habueritis, omnes similiter peribitis.* Et Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; eũ timete, qui postquã occiderit corpus, habet potestatẽ mittendi in gehennam ignis.* Huc etiã pertinet modus ille, quo grauiter ad pœnitentiam exhortatus est D. Paulus, Rom. 2. *Secundùm impœnitens*, inquit, *cor thesaurizas tibi iram in die ira.* Vt iam similia loca præteream.

SECVNDO ita sentiũt Sancti Patres. AMBROSIVS in psalm. 118. super illud: *Confige timore tuo carnes meas.* & lib. ad Virginẽ lapsam, cap. 8. vbi inter cætera admonet, *pœnitentem cogitare debere, se quasi positum iam prope ipsas tenebras exteriores.*

Item AVGVSTINVS Tract. 9. super 1. Canonicã Ioannis, vbi timorẽ pœnarum ita introducere Charitatem dicit, sicut seta sutoris introducit linum: *Si nullus est timor*, inquit Augustinus, *non est, quã intret Charitas: sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur; seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primò occupat mẽtem, non autẽ ibi remanet, quia ideo intrauit, vt introduceret Charitatem.* Et rursus: *Stimulat*, inquit, *timor; noli timere: intrat charitas, quæ sanat quod vulnerat timor.*

Qui tamen Augustini locus non ita intelligi debet, quasi semper necessariũ sit, timorẽ actualem pœnæ præcedere charitatẽ, nec vnquam ille actu manere possit charitate introducta: sed id exponit Augustinus, ꝓ ferè solet accidere, nempe vt primò stimuletur aliquis actu tali timore: deinde illum actu quidẽ deponat, posteaquam flagrans in Deum charitas animum occupauit, atq; adeò cùm fuerit eâ re spes aucta. Quo pacto & illud Ioannis 1. epist. cap. 4. intelligi debet: *Perfecta charitas foras mittit timorem.*

Idem, ꝓ Augustinus & Ambrosius iam citati, sentit etiã D. Gregorius in Registro lib. 6. epist. 187. & Hieronymus in cap. 25. Isaiæ, Cassianus in multis locis, præsertim collatione 3. & 4. & collat. 11. cap. 6. & collat. 9. cap. 29. vt diligenter ostẽdit Rossẽsis art. 6. aduersus Lutheri impudentiã, qui Cassianũ alioqui ꝓ assertione sua citârit.

Item D. CHRYSOSTOMVS lib. 1. de cõpunctione cordis, sub finẽ: *Quid*, inquit, *corporis viribus opus est, cùm cor cõterere debeamus? Hoc à nobis exposcitur, vt semper recordemur mala nostra, & conscientiam gestorũ nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo, & gehennam ponamus in conspectibus nostris; & Angelos, qui in die Iudicij vbiq; discurrunt, & congregant de omni orbe terrarũ eos, qui trudẽdi sunt in gehennã ignis. Ponamus etiã et illud ante oculos, quanti doloris est, excludi & proiici à regno cælorum. ꝙ vt mihi videtur, grauius est ipsa gehẽna.* Hęc Chrysostomus, qui in Sermone quodã de Pœnitẽtia & cõfessione, docet, sigillatim esse recolligenda & lugenda peccata. Similia Bernardus serm. 10. in Cant.

TERTIO, denique confirmatur idem manifesta ratione. Nam cùm tria considerari possint in eo dolore, qui ex timore pœnarum concipitur; nempe quòd aliquis *timet* illas pœnas; quòd *dolet* de peccatis; quòd ad eiusmodi doloris actũ *mouetur* atq; impellitur ex timore illo pœnarũ, vt scilicet sit ab eo malo incolumis; nihil omnino ex his tribus est, quod aliquã peruersitatem contineat. Etenim peccata obiectum sunt eiusmodi, de quo meritò capitur *dolor*: itemq; pœnę rectè & conuenienter rationi *timentur*, cùm sint etiam malum quoddã: sicut contra incolumitas ab eiusmodi pœnis, tale obiectum est, quod meritò ab homine tanquam bonum quoddam expetitur & amatur, vt aliquod videlicet medium, quod referri possit in ipsum Deum, eiusque obsequium. Rursus si & *dolor* ille de peccatis, & *timor* pœnarum, ac *amor* moderatus illius incolumitatis, boni per se sunt actus; certè nihil obstiterit, quò minus bene etiã & cõuenienter rationi aliquis ad eum actũ doloris, actu illo timoris, & amoris, tãquam motiuis quibusdã *impellatur*. Nã bonis actibus ad actum bonũ incitari, per se non nisi bonum esse potest. Nihil est igitur in illo dolore de peccatis, quem defendimus, quamobrem per se malus iudicari debeat.

Quòd autem nõ ob id propriè sit malus, quia non etiam *actu* concipiatur ex *amore Dei*, probatur. Quoniam nec naturali, nec diuino aliquo præcepto semper necessaria est illi actui doloris

talis cir-

talis circumſtantia, nempe vt oriatur ex Dei etiã amore. Non præcepto *naturali*: quia ſine eiuſmodi circumſtantia actus ille naturâ ſua habet quandam bonitatem, conſonantiamque cum ratione, & nullam malitiam, vt antè oſtenſum eſt. Non diuino: quia nuſquam tale præceptum extat, vt ſcilicet nunquam de peccatis doleas quin etiam actu doleas propter Deum.

Et confirmatur hæc ratio. Nam nullum extat præceptum, quo teneatur aliquis actu diligere Deum, quotieſcunque ſeipſum, ſuamque incolumitatem diligit: quin poteſt omnino bene ſe diligere, licet non ſimul actu diligat Deum eodem ipſo tempore, quo ſe diligit. Ergo etiam poteſt ſine eiuſmodi actuali dilectione bene (non dico, omni ex parte perfectè, ſed bene) dolere de peccatis, vt inducunt malum contrarium ipſi ac ſuæ incolumitati. Conſequentia patet ex ratione contrariorum.

Denique pono, aliquem dolere de peccatis eo tempore, quo alioqui eum non obligat præceptum affirmatiuum Charitatis ad diligẽdum actu Deum: & tunc ita argumentor: Poteſt talis eo tempore ſimpliciter abſtinere ab actu dilectionis Dei, ſi non etiam doleret de peccatis. Ergo etiam poteſt, ſi doleat. Probatur Conſequẽtia. Quia dolor ille ex natura ſua non requirit propriè eam dilectionem, vt ſit bonus, ſicut iam probatum eſt; licet bene, vt ſit profectior.

Atque iiſdem modis probari poteſt, bonum eſſe eum dolorem, qui paratur ex collectione omnium peccatorum, & ex conſideratione eorũ grauitatis, multitudinis, peruerſitatis, &c. etiã ſine actuali dilectione Dei, quo tempore alioqui non eſt ipſa neceſſariò ex præcepto exercenda. Hæc enim omnia in peccatis perpendere, per ſe bonum eſt, & prorſus valet ad excitandum eiuſmodi dolorem. Igitur cùm ipſe quoque dolor etiam ſine actuali dilectione Dei per ſe alioqui ſit bonus, rectè ad illud incitari poſſumus eiuſmodi conſiderationibus.

Accedit, quòd Scriptura quoque eum modũ parandi pœnitentiam cõmendat, atq; hominib. proponit. Vt Iſaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et Hierem. 8. *Nullus eſt, qui agat pœnitentiã ſuper peccato ſuo dicẽs: Quid feci?* hoc eſt, quale & quantum commiſerim malum. Et cap. 2. *Scito & vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum* DEVM *tuum & non eſſe timorem meum apud te.*

Rectè igitur & cõuenienter Scripturis ſanctis in Concilio Tridẽtino ſeſs. 14. cap. 4. & can. 5. aduerſus illam Lutheri blaſphemiã, definitum eſt, eiuſmodi pœnitentiã, atq; dolorem vtilem eſſe, *& donum Dei, & ex impulſu Spiritus ſancti, non quidẽ adhuc inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad Iuſtitiam parat.* Etſi nõ ita quidem hoc intelligendũ eſt, quaſi nunquam poſsit eiuſmodi dolor imperfectus propter pœnas haberi ſine ſupernaturali & ſpeciali auxilio Dei (poteſt enim, vt Sotus d. 14. q. 2. art. 5. & d. 15. q. 1. art. 1. & alij communiter ſentiunt) ſed quia eiuſmodi certè eſt, vt ſæpè homini diuinitùs inſpiretur tanq; bonus & ſalutaris, & aliquo modo (remotè ſcilicet) ad iuſtitiã præparãs & diſponens.

AT inquit Kemnitius in examine illius loci Concilij Tridentini, Scholaſticorum doctrinã eſſe, quòd *per eiuſmodi dolorem ſufficienter homo diſponatur ad gratiam eamq; mereatur & obtineat vi & efficacia illius doloris, excluſis in hac re meritis Chriſti.* Atque hoc illud eſſe vult, quod Lutherus improbauit.

SED primùm manifeſta calumnia in Scholaſticos hæc eſt, quam videtur pudor Lutherani dogmatis extorſiſſe à Kemnitio, vt ſcilicet eã impoſtura tegeret blaſphemias illas Lutheri. Nemo enim Scholaſticorũ docuit, ſatis eſſe ad gratiam acquirendam illum dolorẽ imperfectum; ſed tantùm dicunt, eſſe *diſpoſitionem remotam*. Ac multò minus docent, noſtrarum actionum efficacia, excluſis Chriſti meritis, obtinere nos remiſsionem peccatorum. Deinde Lutherus non tantùm illum dolorẽ ad gratiam ſufficere negauit; ſed etiam aſſeruit, ſimpliciter illum eſſe malum, & facere hypocritam & magis peccatorẽ, vt patet ex eius verbis ſuprà recitatis.

Et ſanè hanc fuiſſe ſententiã Lutheri, ipſe etiã Kemnitius ſatis alioqui agnoſcit, cùm eã confirmare perperam nititur ex Auguſtino in libro de Spiritu & litera, & ad Bonifaciũ, ſuprà à nobis citato. Cuius verba ex illo libro de Spiritu & litera à nobis recitata, Kemnitius etiã malitioſè corrupit, non indicato capite, vt eò difficiliùs corruptela deprehẽderetur. Ceterùm iam antè explicauimus, quid in illis locis Auguſtinus voluerit, nempe rectum non eſſe illud Dei obſequium, quod ita ex timore fit, vt niſi timor eſſet, minimè præſtaretur, quodque proinde non eſt ſpontaneum. Lutherus autem perperam ſenſit, omnem dolorem, qui ex timore cõcipitur, proficiſci ſemper iſto modo ex timore, & eſſe ſimpliciter malum, quod falſum eſſe oſtendimus.

Quare ad argumentũ Lutheri facilè RESPONDEMVS, eum, qui timore pœnæ ita pœnitentiam agit, vt nihilominus etiã eſſet eam acturus; nullo modo coactè agere. Nec ſequitur, eũ omnino nõ facere voluntariè, ſi non facit *actu perfecto* voluntatis, hoc eſt, dilectione Dei ſuper omnia ex toto corde. Neq; item eſt aliqua hypocriſis aut ſimulatio, imperfectè etiam de peccatis dolere. Non enim ideo aliquis ſimulat, ſe in animo habere quod non habet, vt illi faciebant de quibus Chriſtus ex Iſaia dicit: *Populus hic labiis me honorat, cor aũt eorum longè eſt à me.* Qui enim verè dolet, licet imperfectè, is quidẽ animo etiam dolet.

Quod autem Lutherus obiicit, illum, qui ad legem & eius comminationes intendit (vt facit is, qui propter pœnas dolet) magis peccare ex odio quodam legis; idque ſignificare Scripturã, cùm per legem dicit augeri peccatum, &c. deli-

rum

rum admodum commentum eſt. Vt enim demus, aliquibus id euenire, ſcilicet vt legem intuentes, eam deteſtentur, ac ægrè ferant, quòd peccare non liceat; probari tamen nullo modo poteſt, id eſſe omnibus commune, aut legem ipſam per ſe hoc efficere. Si enim ita eſſet, perperam DEVS vellet homines *in lege meditari*, pſal. 1. & ad eam *attendere*, pſalm. 77. vt paſsim etiam alibi admonet ſacra ſcriptura.

Longè igitur aliud eſt, quod Apoſtolus ſignificat, cùm peccatũ quaſi refert in ipſam legem: nempe vult, niſi lex eſſet, nullum fore peccatũ *Vbi enim*, inquit, *lex non eſt, ibi neque prænaricatio legis.* Rom 4. Item ex eo augeri culpam, quòd homo cognoſcens clarè peccatum per legem, nihilominus tamen peccat, vt D. Auguſtinus explicat in libro de Spiritu & litera, capite 8. & ipſe etiam Apoſtolus, inquiens ad Roman. 7. *Per legem enim cognitio peccati.*

Item auget lex peccatum ex accidenti, propterea quòd ferè homines id magis expetunt, q̃ ipſis interdicitur, vt AVGVSTINVS etiam expoſuit eod. lib. cap. 4. *Lex*, inquit, *quãuis bona, auget prohibendo, deſiderium malum: Sicut aquæ impetus, ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito, cuius molẽ cùm euicerit, maiore cumulo præcipitatus violentius per prona prouoluitur. Neſcio enim quomodo hoc ipſum quod concupiſcitur, fit iucundius dum vetatur.* Etſi autem omnibus his modis propter legem abundet peccatum, tamen non ideo neceſſe eſt, vt qui ad legem intuens propter pœnas de peccatis dolet, peccet eo ipſo contra legem. Atque hactenus de iſta Quæſtione.

QVÆSTIO TERTIA.

De Effectu Sacramenti Pœnitentiæ quoad remiſſionem peccatorum Mortalium.

D. Thom. 3. part. quæſt. 86.

QVADRIPARTITA EST DISPVTATIO DE EFFECTIBVS SAcramenti Pœnitentiæ, quæ idcirco continebitur hac & tribus ſequentibus Quæſtionibus. Nam primò videndum eſt, an & quomodo per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur peccata Mortalia. Secundò, an & quomodo per illud remittantur etiam Venialia. Tertiò, vtrum ita efficaciter per iſtud Sacramentum remittantur peccata, vt poſteaquam ſemel ſunt remiſſa, minimè rurſus imputentur homini, cùm deinde in peccatum relabitur. Quartò, An non tantùm peccatorum remiſsionem per iſtud Sacramentum quis conſequatur, verùm etiam reſtituatur in priſtinam virtutum dignitatem, à qua per peccatum exciderat.

In hac autem Quæſtione Quatuor ſunt explicanda. PRIMO, *An omnia omnino peccata mortalia per Pœnitentiam remitti poſsint.* SECVNDO, *Vtrum ſine illa remitti poſsint.* TERTIO, *Vtrum remitti poſsit per illam vnum peccatum Mortale ſine alio.* QVARTO, *Vtrum vnâ cum culpa per iſtud Sacramentum remittatur omnis pœnæ reatus: itemque omnes reliquiæ peccatorum.*

PVNCTVM PRIMVM.

An omnia omnino peccata Mortalia per Pœnitentiam remitti poſsint.

D. Thom. art. 1. & 6.

QVOD AD PRIMVM ATTINET, HANC Aſſertionem ponit D. Thomas ar. 1. tanquam ex fide certam: Nullum omnino peccatũ eſt, quod per Pœnitentiam remitti nõ poſsit. Quod ipſum paucis verbis aſſeruit ex orthodoxa ſententia S. CHRYSOSTOMVS homil. 23 in Matth. cùm ita dixit: *Non eſt aliquod omnino peccatum, quod non cedat pœnitentiæ virtuti: imo gratiæ* DEI, *qui cum ad meliora cõuertimur, continuò nobis cooperator efficitur.*

Probatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Probatur autē ea assertio à D. Thoma ex duabus aliis propositionibus, quæ ex Scriptura cōstant. *Prima* est, nullum esse peccatum, de quo non posit agi pœnitentia in hac vita cum auxilio Dei. *Secunda*, omne peccatum, de quo pœnitentia agitur, deleri posse per eandem ipsam pœnitentiam. Si enim aliquod peccatum esset, q̄ per pœnitentiam remitti non posset, caussam esse oporteret, quia vel de eo pœnitentia agi nō posit; vel quia etiamsi agatur, non tamen sufficeret pœnitentia ad illud delendum: Quorum vtrumque, inquit D. Thomas, est erroneum.

Itaque hoc modo ex sacris literis pro assertione posita argumentamur: Omne illud peccatum per pœnitentiam remitti potest, de quo posit cum Dei auxilio agi pœnitentia. Sed de omni omnino peccato pœnitentia in hac vita cū diuino auxilio agi potest. Ergo omne omnino peccatum potest in hac vita remitti per pœnitentiam.

Maior probatur. Nā Pœnitētia ritè acta, delere potest omnia illa peccata, quæ merito passionis Christi aboleri possunt: cùm vnū ex instrumentis passionis Christi ad remittenda peccata sit pœnitentia; iuxta illud Lucæ 24. *Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum.* Possunt autem merito passionis Christi omnia omnino peccata deleri; iuxta illud 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam totius mundi.* Item probatur eadem Maior, quia repugnaret aliud misericordiæ diuinæ, contra illud Ioëlis 2. *Benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Quò & pertinet illud Ezechiel 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Vbi nullum omnino peccatum excipitur. Et illud Matth. 18. *Quæcunque solueritis, &c.* & alia quæ suprà contra Nouatianos allegauimus.

Minor autem patet ex his, quæ tom. 2. disput. 8. de Gratia, q. 3. p. 4. disputauimus ad probandum, nemini deesse auxilium sufficiens in hac vita ad salutem. Inde enim sequitur, omnibus peccatoribus auxilium diuinum præstò esse, vt pœnitentiam agant, quandoquidem hoc illis ad salutem est necessarium. Quo spectat illud Ezechiel. 33. *Nolo mortem impij, sed magis vt conuertatur & viuat.* Vbi etiam nullum Scriptura impium excipit. Et illud 1. Timoth. 2. *Qui vult omnes homines saluos fieri.* Et illud ibidem. *Vnus Mediator homo Christus* IESVS, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Quo quidem ex loco in materia de Gratia conuicimus, fidem de articulo nostræ redemptionis stare nullo modo posse, nisi concedatur, omnes omnino posse remissionem quorumcunque peccatorum consequi.

Præterea eadem assertio Catholica confirmatur passim à Sanctis Patribus, ac nominatim à S. CYPRIANO in Sermone de lapsis, vbi inter cætera ait: *Pœnitenti, operanti, roganti potest Deus clementer ignoscere, &c.* Et S. AMBROSIVS lib. 1. de pœnitentia, capite 2. *Qui culpam,* inquit, *exaggerauit, exaggeret & pœnitentiam. Maiora enim crimina maioribus abluuntur fletibus.* Et S. HIERONYMVS in epist. 8. ad Demetriadem: *Pœnitentia,* inquit, *quasi secunda post naufragium tabula misericordiæ sit.* In quam sententiam loquitur etiam Tertullianus in libro de pœnit. & Pacianus epist. 1. ad Sympronianum. Item AVGVSTINVS in Enchiridio, cap. 65. *Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in Sancta Ecclesia* DEI *desperanda est misericordia agentibus pœnitentiam.*

Quod cùm ita sit, reiicienda est penitus tanquam erronea opinio Armacani, qui libro 9. de quæstionibus Armenorum, capite 27. censuit, aliqua esse peccata, quę remitti omnino nō possint; & quosdam in hac vita sic obstinatos in malo esse, vt pœnitentiam non possint agere. Cuius authoris præcipua argumenta sunt illa, ad quæ perspicuè D. Thomas hìc art. 1. respondet, & fusius Sotus d. 15. q. 1. art. 1. & nos tom. 2. disput. 8. de Gratia, q. 3. p. 4. vbi etiatu refutauimus alios, qui nō omnibus suppetere necessaria auxilia ad salutem censuerunt.

Et animaduertendum est, remitti omnia peccata per Pœnitentiam, tum vt est Virtus (quo pacto aliquando etiam habet effectum suum citra vsum Sacramenti) tum etiam vt est Sacramētum, hoc est, vnà cum absolutione Sacerdotis; & quidē isto posteriori modo præcipuè, vt perspicuè D. Thomas explicat hìc art. 6.

Neque obstat, quòd D. Thomas art. 4. ad 2. asserit, remissionem peccati esse à gratia operāte, non autem à *cooperante*: vnde videtur sequi, non esse eam etiam ab actu virtutis Pœnitentiæ, cùm hic sit actus liberi arbitrij diuinæ gratiæ *cooperantis.* Respondendum enim est, per actū Pœnitentiæ, aut per alios motus liberi arbitrij erga Deum, qui concurrunt in ipsa iustificatione impij, non propriè dici nos cooperari gratiæ, licet alioqui actiuè à libero etiam arbitrio proficiscantur: sed esse ipsos effectus quosdam gratiæ operantis, illisque annumerari. Cuius ratio est: Quoniam non procedunt ex priori aliqua *intentione finis* in ordine supernaturali; sed ipsi potius sunt circa finem, nempe circa Deum, atque adeò non omnino perfectè dicitur homo per eos actus seipsum mouere, & gratiæ diuinæ cooperari, sicut facit posteà per alios actus circa media ad finē, hoc est, ad beatitudinem consequendā, vt latius hoc exposuimus ex mente D. Thomæ & Augustini Tomo secundo, disput. 8. de Gratia, quæstione tertia, p. 5.

Itaque cùm D. Thomas hìc art. 4. dicit, remissionem peccatorum esse à gratia operante, non excludit ibi à nomine gratiæ operantis eiusmodi motum Pœnitētiæ, qui est effectus ipsius gratiæ in iustificatione; sed illum potius vnà cum illis aliis

iis aliis motibus erga Deum includit, vt rectè, (licet obscurè) notauit Caietanus hìc artic. 6. & Sotus d. 15. q. 1. art. 6.

Adde, quòd aliter remissio est per gratiā gratum facientem, & aliter per actum Virtutis Pœnitentiæ. A gratia enim est in genere caussæ formalis: ab actu autem virtutis Pœnitentiæ, vt à dispositione: qui rursus actus, quatenus habet ordinem ad absolutionem, illique subest, atque adeò vt Sacramentum est, etiam concurrit ad peccati remissionem, vt instrumentū Dei quoddam, sicut patet ex dictis q. 1.

PVNCTVM SECVNDVM.

Vtrum possint remitti peccata Mortalia sine Pœnitentia.

D. Thom. art. 2.

DISTINGVENDVM hoc loco est inter Pœnitentiam, vt est Virtus, & vt est Sacramentum. Sine Pœnitentia enim, vt est *Sacramentum*, omnes fatentur, posse quādoq; remitti peccatum mortale, vt docet D. Thomas hìc artic. 2. Potest enim aliquis omni momento iustificari, non autem actu suscipere Sacramentū. Sine Pœnitentia verò, vt est Virtus, idem D. Thomas ibi & alij communiter censent, esse impossibile, vt remittatur peccatum mortale. Quod dupliciter intelligi potest. VNO modo, secūdùm legem Dei ordinariam: ALTERO, secūdùm potentiam Dei absolutam.

PRIORI modo (scilicet secundùm legem ordinariam) sine controuersia verum est, requiri ad remisionem peccati mortalis actum Virtutis Pœnitentiæ in adultis. Quod patet ex conditionalibus illis sententiis Scripturæ: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet.* Ezech. 18. Et: *Si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. 13. Vt alia similia præteream.

Quanquam hoc quidem ita accipiendum est, vt si de remissione peccatorum etiām *in ipso vsu Sacramenti Pœnitentiæ* loquamur, intelligere debeamus Virtutem Pœnitētiæ paulò latius, cùm dicimus, sine illius actu non posse adultis peccata remitti: ita scilicet, vt complectamur nō modò Virtutem illam Pœnitentiæ, quæ reconciliat ipsa per se hominem Deo, estq; semper coniuncta cum Charitate, vt suprà docuimus, & affirmat in hac q. D. Thomas art. 3. sed etiam illam animam, quam diximus esse Virtuti Pœnitentiæ similem, à qua scilicet est actus Pœnitētiæ imperfectus, qui dicitur Attritio. Videbimus enim infrà suo loco, in ipso vsu Sacramenti Pœnitentiæ, satis esse ad remissionem peccatorū attritionem vnà cum Sacramento; supplente nimirum ipso Sacramento vim perfectæ Virtutis Pœnitentiæ. Si verò loquamur de remissione peccatorū extra Sacramenti vsum, tum quidem Scripturæ testimonia citata eiusmodi vim habent, vt nequeant secundùm legem ordinariam remitti adultis peccata mortalia sine actu perfectæ Virtutis Pœnitentiæ.

Cæterùm cùm actus hic perfectę Virtutis Pœnitentiæ dupliciter haberi posit: Primò, formaliter & explicitè: Secundo, virtualiter & implicitè, cùm scilicet aliquis diligit Deum super omnia simpliciter: QVAESTIO hic est, An vtrolibet modo actus hic pœnitētiæ ad remisionem peccati mortalis sufficiat? an verò necessariò requiratur explicitè & formaliter? Nec nunc quærimus, an ex diuino præcepto Pœnitentia formalis & explicita necessaria iis sit, qui mortaliter peccauerunt. Id enim suprà q. 1. constituimus, & infrà etiam, quo tempore præceptū id obliget, à nobis declarabitur. Quin etiam fatemur, quando ex præcepto Pœnitentia exerceri debet, omnino quoq; propositum item explicitum & formale de cætero non peccandi, habendum esse, vt rectè Ruardus Tapperus artic. 4. fol. 181. & Sotus d. 15. q. 1. art. 2. notauerunt. Sed Quæstio nūc est, An Pœnitentia hæc formalis & explicita, quæ & præteriti peccati detestatione, & proposito vitæ melioris contineatur, necessaria sit ad iustificationem, necessitate etiam (vt vocant) *medij*: ita, vt secundùm legem ordinariam nunquam sine illa impius iustificetur, neque ad id sufficiat illa virtualis Pœnitentia, quæ in dilectione Dei super omnia includitur?

Sotus lib. 2. de natura & gratia, cap. 16. & in 4. sentent. d. 15. q. 1. artic. 2. post Ioannem Maiorem in 4. d. 14. q. 1. aliquot argumentis contendit, explicitam omnino Pœnitentiam requiri necessitate medij ad Iustificationem; præterquam in duobus Casibus, in quibus fatetur sufficere actū explicitum Charitatis, quæ *verè* sit Dei super omnia, ita scilicet, vt nullius peccati mortalis affectus vigeat in animo. Vnus casus est in Martyrio, propter præstantiam videlicet Charitatis eius, quâ nulla maior est, vt ait Christus. Alter Casus est, cùm quis post diligentem sui examinationē, nullius peccati mortalis meminit. Si autem alicuius peccati mortalis veniat in mētem, aut per diligentem examinationem venire potest; putat hic author, non sufficere ad iustificationem actum Charitatis, sine Pœnitentia explicita, extra illum alterum Casum Martyrij.

Probat PRIMO: Nam cùm Scriptura requirit Pœnitentiam ad salutem, simpliciter, vt sonat, intelligi debet, atq; adeò de Pœnitētia formali. Quòd si de Pœnitentia implicita eiusmodi sententias interpretari liceat, pari modo quod Apostolus inquit Hebr. 11. *Sine fide impossibile esse placere Deo*, posset aliquis exponere de fide implicita: id quod esset absurdum.

SECVNDO: Quia ne virtualiter quidē ac implicitè Pœnitentia præteritorum peccatorum continetur in actu dilectionis. Quod probat exemplo ducto à rebus humanis. Non enim, in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quit, Charitas eius, qui verè dicit, ſe inimicum ex animo diligere, virtute includit Pœnitẽtiam præteritæ iniuriæ, quam ei intulit. Nam cum illa (inquit) dilectione ſtat, vt non eum iniuriæ illatæ pœniteat: quin imò quoniam animo ſuo iam ſatisfecit, iniuria alterum afficiendo, ideo vult ipſi eſſe amicus, alioqui non futurus.

TERTIO. Hoc ipſum videntur Leo X. & Concilium Tridentinum determinaſſe, cùm aduerſus Lutherũ ſtatuunt, Pœnitentiam, quę ad ſalutem neceſſaria eſt, non tantùm propoſitum vitę melioris, ſed veteris etiam vitæ odium continere. Niſi enim de odio & deteſtatione peccatorũ explicita loquãtur, nihilò plus, quàm Lutherus in Pœnitentia requirunt. Etenim deteſtationem peccati præteriti in vitę melioris propoſito contineri implicitè, atq; adeò ad ſalutem implicitè requiri, Lutherus nunquam negaſſet, ait Sotus.

ACCEDIT, quòd D. Thomas hîc art. 2. ſimpliciter dicit eſſe impoſsibile, vt peccatum mortale ſine Pœnitentia remittatur: atque etiam q. ſeq. art. 1. dicit expreſsè, ad remiſsionẽ peccati mortalis exigi, vt homo actualiter illud deteſtetur. Item talem affectum hominis in Deum, vt quicquid ſibi occurreret Deo contrarium deteſtaretur, non ſufficere ad remiſsionem peccati mortalis, niſi illud aliquis poſt diligentem inquiſitionem eſſet oblitus. Et hoc quidem ita ſe habere ſibi Sotus perſuadet.

Cæterùm aliam ſententiam animaduerto eſſe communiorem, quam ipſe probabiliorem etiam eſſe cenſeo, nempe neceſsitate quidem *medij*, non requiri ad iuſtificationem pœnitentiam explicitam & formalem; ſed ſatis eſſe virtualem, quæ includitur in actu dilectionis Dei ſuper omnia ſimpliciter, hoc eſt, tali & tanta, vt nõ modò ad præſens & futurum tempus, ſed etiam ad præteritũ pertineat, ſic, vt per eam homo rebus omnibus, quæ vnquã charæ & gratæ ipſi eſſe potuerunt, Deum anteponat. Cùm enim ita Deus ſuper omnia diligitur, tum demum animus ita eſt affectus, vt facilè ſit etiam peccatum præteritum deteſtaturus ſuper omnia, quando id ſit ex præcepto neceſſarium, vel etiam opportunum; id quod eſt *virtualiter* ſeu *implicitè* habere pœnitentiam.

Hanc ſententiam ſequitur & confirmat egregiè Andreas Vega lib. 6. ſuper Conciliũ Tridentinum, cap. 34. poſt Hadrianum quodlib. 7. q. 4. & Gregorium Ariminenſem in 1. d. 7. & Scotum in 4. diſt. 14. q. 1. & Caietanum 3. parte, q. 83. art. 1. Atq; ita etiam ſentit Gabriel in 4. d. 14. q. 1. art. 2. concl. 2. & 3. & in 3. d. 17. q. 1. Et Ioannes Medina, q. 2. de pœnit. Et Nauarrus in Man. cap. 1. n. 10. (alias 5.) Nec contrarium ſentit locis citatis diuus Thomas, vt poſtea videbimus.

Probamus autẽ eam ſententiam PRIMO hoc modo. Si *charitatis actus* ſine formali pœnitentia gratiam non conciliat; cauſſa erit, quia vel abſque pœnitentia haberi non poteſt; vel quia ipſe ſolus ad id certè non ſufficit, quantumuis abſq; pœnitentia formali habeatur. At neutrum dici poteſt. Ergo nec eſt negandum, quin actus charitatis abſque formali actu pœnitentiæ gratiam conciliet. Maior patet. Nam ſi haberi ſolus ille actus poteſt, & per ſe ſolus ſufficit ad gratiã conciliandam; nihil deerit, quò minus ſolus ipſe id præſtet. Minor quoad primã partem probatur. Nam actus ille charitatis diuerſum obiectum, adeoq; diuerſam eſſentiam ſpecificam habet ab actu Virtutis Pœnitentiæ: Quò fit, vt quemadmodum ſolus in mentem atq; cogitationem venire ipſe poteſt, ita etiam ſolus poſsit à voluntate cũ auxilio Dei exerceri ſine formali actu Pœnitentiæ, vel alterius virtutis ad appetitum ſeu voluntatem pertinentis. Et certè ſi ita eſſentialiter actus charitatis cum actu Pœnitentiæ eſſet coniunctus, vt ſine illo haberi non poſſet, conſequens eſſet vt nec in Martyrio vnquã iſtiuſmodi actus ſepararentur: In quo tamen etiam authores contrariæ ſententiæ concedunt, charitatis actum ſine actu Pœnitentiæ ſufficere ad iuſtificationem, vt antè vidimus. Dicere verò, quòd in martyrio poſsit haberi actus charitatis ſine actu Pœnitentiæ formali, & aliâs non, vt Sotus reſpõdet, eſt tãtùm pro libito ſine ratione dicere: Neque id Sotus confirmat, ſed dicit obiter, non ſatis fortè conſideratè.

Quo ad alteram autem partem, probatur etiam illa Minor. Nam ſi charitatis actus vim ipſe per ſe ſolus non habet conciliandi gratiam diuinam; & per ſe ipſe ſolus, vt iam oſtenſum eſt, haberi poteſt: fieri poterit aliquando, vt homo ex toto corde diligat Deum ſuper omnia; nec tamen diligatur ipſe à Deo, ſed odio habeatur. Hoc autem nõ niſi abſurdiſsimè concederetur, cùm & à recta ratione, & à bonitate Dei, atque adeò ab ipſius Dei promiſsionibus paſsim in Scriptura ſacra ꝓpoſitis, plurimùm abhorreat.

Primùm enim, vt is non redamet, qui ſummè ab altero diligitur, peruerſum etiam inter homines eſt, multoq; magis ſummam illam Dei bonitatem dedecet. Deinde illuſtria ſunt illa Scripturæ teſtimonia. *Ego diligentes me diligo.* Prouerb. 8. Et: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, &c. & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ioan. 14. Quibus addè alia loca vbi vis abolendi peccata apertè tribuitur Charitati. Vt illud: *Vniuerſa delicta operit charitas.* Prouerb. 10. Et: *Charitas operit multitudinẽ peccatorum.* 1. Petri 4. Et: *Remiſſa ſunt illi peccata multa, quoniam dilexit multum.* Lucæ 7.

Nec verò in his locis ita duntaxat tribuitur Charitati vis conciliandi gratiam diuinam, remittendiq́ue peccata, ſicut alibi tribuitur Eleemoſynæ, & aliis eiuſmodi Virtutũ actibus, quos conſtat non per ſe ſolos ad eam rem ſufficere. Longè enim alia horum actuum, quàm Charitatis eſt ratio. Eleemoſyna enim, aut timor, aut alij actus eiuſmodi, non ſunt tales, vt per ſe ipſi ſoli,

ſoli, ſuaq́ue natura, hominis animum totum in Deum conuertant, & abſtrahant à peccatis; neque in illis ſumma, caput, & finis totius legis, vt in Charitate continetur. Ita fit, vt quoniam aliũde ex Scriptura compertũ habemus, neminem in gratiam Dei recipi, cuius animus non ſit in Deũ totus conuerſus, & auerſus à peccatis, vim iuſtificandi eatenus tãtùm illis actibus Eleemoſynæ, Timoris, &c. tribui in Scriptura putare debeamus, quatenus animũ hominis aliquo modo ad iuſtitiam parant, commouendo videlicet miſericordiam Dei, vt auxiliis ſingularibus homo impellatur ad actus Charitatis vel Pœnitentiæ, qui gratiam demum & remiſsionem peccatorum concilient.

Charitati autem, cùm & animum maximè in Deum conuertat, & finis totius legis ſit, atq; omnibus aliis Virtutũ actibus antecellat, abſurdiſsimum eſſet intelligere, non ita in Scriptura vim iuſtificandi tribui, vt ea etiam ſola gratiam conciliet, ſicut antè probatum eſt.

SECVNDO probatur hæc eadem ſententia ex Patribus. Nam Auguſtinus in ſermone vel libro de Laudibus Charitatis ita inquit: *Si Charitas deſit, fruſtrà habentur omnia: ſi autem adſit, habenter omnia.* Et paulò poſt: *Mors*, inquit, *eſt criminum, Virtutum vita.* Et in illud Rom. 5. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Si Deus*, inquit, *non reciperet confugientes adſe, eſſet in eo iniquitas.* Quis autem potius ad Deum confugere dicendus eſt, quàm is, qui ex toto corde ipſum diligit?

Et D. GREGORIVS homil. 33. in Euangelia: *Tantò*, inquit, *amplius peccati rubigo conſumitur, quãtò peccatoris cor magno Charitatis igne concrematur.*

Et HIERONYMVS ad Galat. 5. *Ex Charitate*, inquit, *naſcuntur vniuerſa, quæ bona ſunt.*

Et BERNARDVS Epiſt. 107. *Nemo*, inquit, *ſe amari diffidat, qui iam amat: libenter Dei amor noſtrũ, quem præuenit, ſubſequitur. Nam quomodo redamare pigeat, quos amauit necdum amantes?*

Et Hugo Victorinus Tractatu de Laudibus Charitatis: *Via*, inquit, *eſt hominis ad Deum, & via Dei ad hominem.* Quibus addi poſſunt ea omnia, quæ D. Paulus 1. Cor. 13. congeſsit in Laudẽ Charitatis, quæ minimè certè de Charitate tam magnificè prædicari deberent, ſi is, qui adhuc ſit inimicus, eius actus particeps eſſe poſsit.

TERTIO eadem ſententia probatur ea ratione: quòd cùm actus Pœnitentiæ formalis ideo ſufficiat ad remiſsionem peccatorum, quia & animum ad Deum conuertit, & Deo offenſam recompenſat; conſequitur, actum etiam Charitatis ad id ſufficere. Nam & is quoque, & quidem multò maximè, animum conuertit in Deum; & quod ad voluntatem attinet (quam præcipuè Deus reſpicit) qui Deũ diligit ſuper omnia, iam eſt paratiſsimus, recompenſationem offenſæ facere, ſicut & ſeruare reliqua omnia mandata.

Itaq; ipſe Sotus rectè alioqui ſcripſerat lib. 2. de natura & gratia, cap. 13. vnicum motum liberi arbitrij cum auxilio Dei ſatis eſſe ad iuſtificationem: ac proinde ſufficere etiam ad id eum actũ Pœnitentiæ, qui ſit actus Charitatis: Talis autem actus Pœnitentiæ non eſt certè niſi pœnitentia *virtualis*. Nam formalis pœnitentia non eſt propriè Charitas, ſed ſpecialis alia Virtus, vt Sotus etiam ſentit.

Quare ad argumentum PRIMVM contrariæ ſententiæ reſpondemus, non ſubeſſe parem rationem, vt teſtimonia Scripturæ de *Fidei* neceſsitate interpretemur de Fide aliqua virtuali, quę non ſit formaliter Fides. Fides enim eatenus in Scriptura ſignificatur eſſe neceſsaria, quatenus eſt ſupernaturalis aliqua diuinarum rerum cognitio, ſine qua nimirum illæ ſperari & quæri, ſicut oportet, ad ſalutem non poſſunt. Ideo non ſufficit ad ſalutem aliqua alia cognitio, quæ nõ ſit *ſupernaturalis*, atq; adeò quæ non ſit formaliter Fides. Scripturæ autem, quæ Pœnitentiam eſſe neceſsariam eſſe indicant, eatenus illam neceſsariam eſſe indicant, quatenus continet conuerſionem mentis in Deum, eiuſq́ue auerſionem à peccatis. Quæ duo cùm excellentius etiã eluceant in Pœnitentia virtuali, quæ eſt actus Charitatis; fit, vt de hac etiam pœnitentia meritò illæ Scripturæ intelligi poſsint, qua ratione quidem ſignificant, Pœnitentiam neceſsitate etiam *medij* requiri ad iuſtificationem.

Ad SECVNDVM reſpondeo, nos non de quacunque dilectione loqui, ſed de ea, quæ ſit *ſimpliciter ſup omnia*. Hæc dilectio omnino etiã eſt Pœnitentia virtualis. Illa autem dilectio humana, quã Sotus ait non eſſe virtualiter pœnitentiam de iniuria alteri homini illata; non vtiq; eſſet dilectio eiuſmodi hominis ſuper omnia: quoniam non plus ille tunc diligeretur, quàm bonum apparens, quod ex iniuria ipſi irrogata putaret ſe conſecutum eſſe ille alter, qui gauderet, ſe iniuriam intuliſſe, vt ait Sotus.

Ad TERTIVM reſpondeo, Lutheri errorem eum fuiſſe, quòd ad ipſam formalem rationem Pœnitentiæ nõ putauit *deteſtationem* peccati pertinere, ideoq; ne *præcepti* quidẽ neceſsitate cenſuit requiri vnquam pœnitẽtiam explicitam & formalem, quæ explicitam etiam habeat deteſtationem: Sed optimam omnino & ſufficientem ad ſatisfaciendum etiam præcepto pœnitentiam eſſe nouam vitam. Contra hunc autem errorem Concilium & Leo X. Põtifex definiuerunt, omnino ad Pœnitentiam formalem & explicitam, qualis neceſsitate quidẽ præcepti nihilominus requiritur, pertinere etiam deteſtationem peccati præteriti. Atq; ita patet, quem admodum longè plus Concilium & Pontifex de Pœnitentiæ ratione & neceſsitate tradiderint, quàm Lutherus, etiamſi minimè definiuerint, neceſsitate quidem *medij* requiri ad iuſtificationem Pœnitentiam explicitam & formalem: nõ enim de hoc cum Luthero diſceptatio erat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nec valet, si hîc OBIICIAS, posteaquam aliquis per Charitatem, atque adeò per Pœnitentiam implicitam, gratiam consecutus est, non videri esse causſam, quamobrem teneatur deinde ex præcepto Pœnitentiam formalem & explicitã habere. RESPONDENDVM enim est, causſam nihilominus eius obligationis inprimis esse sitam in ipsa ratione formali Virtutis Pœnitẽtiæ, quæ vt diuersa est à ratione Charitatis & aliarum Virtutum, ita suum quoddam atq; diuersum præceptum habet. Deinde cùm nemo scire possit, an ita, vt oportet, super omnia Deum diligat, tenetur nihilominus virtutem ipsam Pœnitentiæ, vt certiùs gratiam consequatur, explicitè & formaliter exercere. Quod præceptum, quando & quomodo obliget, infrà suo loco docebimus.

Quod autem POSTREMO obiiciebatur ex diuo Thoma, qui in artic.2. huius q. dicit, impossibile esse peccatum remitti sine Pœnitentię actu, rectè etiam intelligi potest de Pœnitentiæ actu formali vel *virtuali* qui continetur actu Charitatis. Ideo enim Pœnitentiam ad id esse necessariam dicit, quia sine mentis mutatione, quæ est in conuersione in Deum, & auersione à peccatis, remissio peccatorum fieri nõ possit. Huiusmodi autem mutationem non modò Pœnitentia formalis, sed etiam illa virtualis, & quidem excellenter habet, vt docuimus.

Quod item D.Thom.q.seq.art.1.dicit, actum explicitum Pœnitentiæ ad remissionem peccati mortalis necessarium esse. Caietanus ibi notat, intelligendum esse *ordinariè* & ad plenam remissionem, non modò quoad culpam, sed etiam quoad omnem pœnam: sic enim putat ibi Caietanus nõ remitti peccata mortalia ordinariè sine pœnitentia etiam formali. Ego autem existimo, D. Thomam potissimum ibi respexisse ad id, quod ex præcepto quidem necessarium est ad remissionem mortalium: Quo pacto verum est, vt est dictum, requiri Pœnitentiam formalẽ.

Sed deinceps DVBIVM est, Vtrum Pœnitentia formalis, vel virtualis, non modò secundùm legem ordinariam, sit necessaria ad remissionẽ peccatorum mortalium, quomodo hactenus locuti sumus; verùm etiam absolutè, ita, vt ne per potentiam Dei quidem *absolutam*, sine illa remitti possint?

Qua de re duæ sunt sententiæ. VNA est Soti loco citato qui partem tuetur negatiuam. Immò censet, ne posse quidem per vllam potentiam peccatum mortale remitti sine Pœnitentia *formali*: quam, vt vidimus, dixerat esse necessariam secundùm legem ordinariam. Atque eam putat esse sententiam D. Thomæ hîc art.2.

Probat autem hanc opinionem ratione diui Thomæ, quæ est talis: Peccatum mortale ita necessariò remitti oportet, quomodo remittitur Dei offensa. Sed offensa Dei remitti non potest sine Pœnitentia. Ergo nec peccatũ mortale. Maior patet. Quia hoc ipso peccatum remittitur, quòd Deus desinit peccatori esse offensus. Minor probatur. Quoniam Dei offensa remitti nequit nisi homo recipiatur in Dei gratiam. Id enim est, Deũ homini esse offensum, siue (vt Caietanus rectè D. Thomę mentem interpretatur) *habere se* vt offensum erga hominem, excludere illum à sua gratia. Sed non potest aliquis in gratiã Dei recipi sine pœnitentia. Ergo nec remitti absq; pœnitentia peccatum.

Probatur rursus hæc Minor. Quia cũ aliquis per bonam Dei voluntatem erga ipsum in gratiã Dei recipitur, hoc ipso mutatur à statu peccati in statum gratiæ, & fit bonus. Est enim bona Dei voluntas causſa omnis boni creati, facitque adeò ipsa suum obiectum; contrà, ac videmus in bona voluntate hominis, quæ non facit ipsa bonitatem in obiecto, sed supponit illam, aut veram, aut apparẽtem. Erat autem anteà homo auersus à Deo, & conuersus ad bonum commutabile, atq; inde Dei offensa existebat. Igitur oportet, cùm in gratiã recipitur, ab eo statu mutari; quod fit, cùm per pœnitentiam volũtas hominis conuertitur ad Deum cum detestatione præteritæ conuersionis ad bonũ commutabile.

ALTERA nihilominus sententia mihi videtur probabilior, nempe posse Deum per potentiam *absolutam* remittere peccatum mortale, cuius neq; formaliter, neq; etiam virtualiter peccatorem pœniteat. Ita Scotus in 4. d.14.q.1. licet non bene hoc probet, vt statim videbimus. Item aliqui ex Sectatoribus D. Thomæ, vt ipse Sotus commemorat, qui idcirco putant, D. Thomam, cùm hîc art.2. asserit, peccatum mortale absque Pœnitentia remitti non posse, loqui tantùm secũdùm potentiam ordinariam, quod etiam notat in eo art. Caietanus.

Probat autem hanc sententiam Scotus. Nam hominẽ esse in peccato mortali, nihil aliud est, quàm eum propter actum malum præteritum, *reum* esse pœnæ, id est, diuinitus destinari & obligari ad pœnam. Sed potest Deus per potẽtiam absolutam, peccatori, etiam non pœnitenti remittere omnem pœnam, nimirũ ad nullam pœnam eum obligando. Ergo, &c.

Hæc probatio minimè bona est. Nam licet Minor communiter concedi soleat, vt à Soto hîc d.15.q.1.art.2.& ab aliis; tamen Maior est falsissima. Vt enim tomo 2. disp. 6. de Peccatis, q.16.p.1. docuimus, quiddam prius est, hominem esse in peccato, quàm eundem obligari ad pœnam. Est enim illud, gratia diuina priuatum esse propter præteritam legis transgressionem; quod ipsum & macula peccati, & peccatum habitualiter manens, dici solet.

Aliter igitur ex veris fundamentis probamus illam sententiam, hoc modo: Peccatum mortale tunc alicui remittitur, cùm recipitur in gratiam Dei. Sed potest aliquis per potentiam Dei absolutam, in gratiam Dei recipi, licet eum præteriti peccati, nec formaliter, nec virtualiter pœniteat. Ergo potest peccatum mortaler emitti sine pœnitentia formali vel virtuali. Maior est in cõfesso. Minorem probo. Quoniam hoc ipso Deus hominem in gratiam recipit, quòd eius animã ornat dono gratię gratum facientis, ratione cuius est ille obiectũ supernaturalis Dei dilectionis, vt tomo 2. disp. 8. de Gratia, q.1.p.1.& q.5.p.3. probauimus. Illud autem donũ gratiæ ab omni actu hominis distinctum essentia sua est, neque ab vllo ita pendet, vt contradictionem implicet, ipsũ poni sine aliquo ex eiusmodi actibus. Quare cùm Pœnitentia formalis, vel virtualis, sit aliquis actus, vt ex supradictis patet; omnino nihil est, cur negemus, posse Deum per potentiam suam absolutam illud donum gratiæ in hominis mente ponere, absque vlla ipsius pœnitentia formali vel virtuali.

Et confirmo hãc rationem. Nam potest Deus per potentiam absolutam, peccatorem, quem peccati nõ pœnitet, nihilominus ita diligere supernaturaliter, vt eum afficiat ipso præstantissimo dono beatitudinis, quatenus in visione diuinæ essentiæ consistit. Igitur poterit etiam eum ita diligere, vt eum afficiat gratiæ dono, cùm & minus hoc donũ sit, neq; magis ipsum pendeat ab actu Pœnitentię, quàm donum beatitudinis. Antecedens Sotus etiam ipse loco citato putat haud improbabiliter posse concedi; nec tamen reddit vllam rationem, quamobrem oporteat negare Consequentiam.

Accedit, quòd omnibus consideratis nõ fuit minus homines ita à Deo diligi, vt filium suum vnigenitum ipsis ad remedium daret, quàm sic aliquem ita diligi, vt ornetur gratiæ dono. Sed illud donum nobis impertiuit Deus, cùm *adhuc inimici* & peccatores etiã impœnitẽtes essemus. Ergo hoc etiam gratiæ donũ potest de potentia sua absoluta impertiri impœnitenti peccatori.

Ad argumentum contrariæ sententiæ sic respondeo. Concedo Maiorem, nempe peccatum remitti non posse nisi eo modo quo Dei offensa remittitur. Sed nego deinde Minorem, videlicet *offensam* sine Pœnitentia remitti non posse. Item nego quod in probatione rursus sumitur, non posse sine pœnitentia hominem in gratiam Dei recipi. Et cùm præterea dicitur, mutari hominẽ à pristino statu hoc ipso, quòd in Dei gratiam recipitur; verum quidem hoc est: sed affirmo tamen, hanc mutationem posse per Dei potentiam absolutam fieri sine pœnitentia formali vel virtuali. Id autem fiet hoc solùm, quòd diuinitus homo exornetur gratię dono, quo prius erat orbatus. Sic enim mutabitur à statu priuationis gratiæ, atque adeò peccati habitualis, in statum gratiæ; & secũdùm eam quidem gratiam in eiusmodi mutatione de nouo acquisitam, satis intelligi poterit esse iam obiectum diuinę dilectionis, hoc est, esse Deo supernaturaliter dilectus seu gratus, cùm anteà non fuisset.

Vt autẽ is, qui in gratiam Dei recipitur, mutetur etiam secũdùm voluntatis motum actualem, quo pristinam sui auersionẽ à Deo formaliter vel virtualiter detestetur, ac in Deum actu conuertatur; requiritur id quidem secundùm legem ordinariã (quo pacto putamus à D. Thoma eam propositionem assumi) non autem secundùm potentiam *absolutam*, vt anteà probatum est. Potest enim Deus non excludere à sua gratia peccatorem, etiamsi propter impœnitẽtiam id ipse mereatur, cùm scilicet non detestatur pristinam sui auersionem à Deo. Et hactenus de Secundo Puncto dictum sit.

PVNCTVM TERTIVM.

An vnum peccatum Mortale sine alio possit remitti per Pœnitentiã.

D.Thom. art.3.

STATVENDVM est breuiter cum diuo Thoma hîc art.3. neq; de potentia *ordinaria*, neq; etiam de potentia *absoluta*, peccatum vnum Mortale posse remitti sine altero. Ita etiam Sotus dist.15.q.1.art.3. qui rectè interpretatur, D. Thomã etiam secundùm potentiam Dei absolutam sensisse, id esse impossibile.

Quod maximè conuincitur prima eiusdem D. Thomæ ratione, quæ est talis. Peccatum mortale per nullam potentiam remitti potest, nisi homo recipiatur in Dei gratiam. Ergo per nullam potentiam potest remitti vllum peccatum mortale sine aliis. Antecedens fusè probatum est tomo 2. disput. 8. de Gratia, q.5.p.5. patetq; ex eo, quòd esse in peccato mortali, aliud nihil est propriè & formaliter, quàm diuinâ gratiâ priuatum esse, propter præteritam legis transgressionem. Consequẽtia probatur. Quoniam gratia diuina omnibus peccatis mortalibus æquè opponitur, & æquè omnia excludit. Hoc enim ipso, quòd aliquis in gratiam recipitur; vtiq; desinit esse gratiâ priuatus: neque potest hærere in peccato aliquo mortali, quamdiu gratiâ priuatus non est propter præteritam trãsgressionem actualem vel originalem, cùm in tali priuatione peccatum habitualiter manens consistat, vt dictum est.

Porrò quòd secũdùm legem certè *ordinariam* nequeat vnum peccatum mortale sine aliis remitti, assertio etiam fidei est. Quæ patet ex illis Scripturæ locis, in quibus ij, qui Christi membra per gratiam fiunt, abluti & immaculati esse dicuntur, *nihilq; habere damnationis*, &c. vt Roman. 8. & aliàs passim.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM QVARTVM.

An vnâ cum culpa, per iſtud Sacramentum remittatur omnis pœnæ reatus: itemq; omnes reliquiæ peccatorum.

D.Thom. art. 4. & 5.

VERISSIME ad hoc D. Thomas ex orthodoxa ſententia in artic. 4. & 5. reſpondet negatiuè. Ratio, quod attinet ad *pœnam*, eſt: Quoniam licet reatus pœnæ æternæ, quæ auerſioni à Deo in peccato reſpondet, dimiſſa culpa tollatur; tamen ob conuerſionem finitæ malitiæ (ex parte ſaltem voluntatis) ad bonum commutabile, quæ eſt etiam in peccato, tamdiu remanet, quædam inordinatio hominis erga Deum, quamdiu per pœnam aliquam item finitam & temporalem ipſi Deo non ſatisfit. Iuſtum eſt enim, vt qui plus nimio ſibi indulſit, peruerſo modo ad creaturam ſe conuertendo, is aliquid patiatur. Hæc autem pœna non ſemper ſatis exſoluitur ipſis actibus hominis, qui in iuſtificatione concurrunt, niſi quando illi ſunt valdè intenſi. Neque rurſus Satisfactio Chriſti pro eiuſmodi pœna hominib⁹ applicatur, niſi per actus quoſdam illorum certos, aut per Baptiſmũ. Ita fit, vt quandoq; dimiſſa culpa, & conſequenter pœna æterna per pœnitentiam; remaneat tamẽ aliquis pœnæ temporalis reatus.

Quod quidem ex ipſa Scriptura licet etiam colligere. Nam 2. Reg. 12. Nathã Dauidi ex ſententia Dei ita nunciat: *Tranſtulit quoque Dominus peccatum tuum, veruntamen filius, qui natus eſt tibi, morte morietur. Quamobrem nõ recedet gladius à domo tua vſq; in ſempiternũ.* Quibus verbis ſatis Propheta ſignificauit, Dauidem, quantumuis obtenta venia pro culpa, tamen obnoxium pœnæ manſiſſe. Et Numer. 14. Moyſi Deum oranti, vt populo peccatũ Idololatriæ dimitteret, reſpondit Dominus: *Dimiſi propter verbum tuum: attamen omnes, qui tentauerunt me, nõ videbunt terram, pro qua iurani Patribus eorum.* Id quod pœna procul dubio fuit aliqua. Vt alia iam omittam quibus hãc ipſam aſſertionẽ ex inſtituto probauimus contra Sectarios tomo 2. diſp. 6. q. 17. p. 5.

Quòd autem nõ deleantur per Pœnitentiam peccatorum etiam *reliquiæ*, oſtendit art. 5. diuus Thomas. Nam *reliquias* peccatorum vocãt Theologi quaſdam propenſiones ad malum; ſeu diſpoſitiones illæ ſint, ſeu habitus, qui ex peccãdi conſuetudine relinquuntur in animo: Hæ autem non niſi contrariorũ actuum exercitio tolluntur: quãquam debilitantur quidem per eam etiam gratiã, qua culpa remittitur, nempe qua ratione illa facit, vt animo propenſiones illæ ne dominentur. Vnde colligit rectè Sotus d. 15. q. 1. art. 1. ne per Baptiſmum quidem tolli eiuſmodi *reliquias* in adultis. Vt neq; etiam per illum tollitur peccati *fomes*, qui ex peccato Originali exiſtit etiam in paruulis. Itaq; ad eas peccatorum reliquias extirpandas, Sacramentum Extremæ vnctionis propriè inſtitutũ eſt, vt infrà videbimus ſuo loco.

Porrò manere aliquem reatum pœnæ, remiſſa culpa, Lutherus art. 5. à Leone X. condemnato, pernegauit, quem ſequuntur reliqui omnes hæretici. Sed eum errorem tomo 2. vbi ſuprà, refutauimus, dilutis iſtorum argumentis, quæ etiam ipſe D. Thomas hîc artic. 4. diligenter propoſuit, & doctiſsimè diluit.

Interim illud notetur ex Caietano in eod. artic. 4. D. Thomam, vt probet, dimiſſa culpa, remanere pœnæ temporalis reatum, non aſſumpſiſſe, quòd maneat in homine adhuc ipſa *conuerſio* animi ad bonum commutabile; ſed quòd maneat certè quędam *illius inordinatio*, donec per aliquam pœnam res ad æqualitatem redigatur, ſi nimirum, qui plus ſibi indulſit, aliquid etiam patiatur, vt anteà in ratione D. Thomæ explicãda declarauimus.

Hoc autem ideo Caietanus meritò notauit, quoniam ſæpè fit, vt anteà etiã, quàm obtineat aliquis remiſsionẽ culpæ, abhorreat & auertatur ab illo bono commutabili, cuius vſu peccauit: Et tamen tunc, licet non maneat conuerſio; manet tamen illa inordinatio conuerſionis, id eſt, deſideratur aliquid, donec per pœnam redigatur illa inordinatio ad rationem cuiuſdam iuſtitiæ erga Deum. Id q̃ ſatis eſt ad inſtitutum illius probationis diui Thomæ.



QVAESTIO QVINTA.

De Effectu Pœnitentiæ quoad remiſſionem peccatorum venialium.

D. Thomas 3. parte, quæſt. 87.

TRIA SVNT EXPLICANDA. PRIMO, VTRVM NON ETIAM ALIA ratione Venialia remitti poſsint ſine Pœnitentia. SECVNDO, Vtrum poſsint remitti ſine gratiæ infuſione. TERTIO, Vtrum peccatum Veniale poſsit remitti ſine Mortali.

PVNCTVM PRIMVM.

Vtrum non etiam alia ratione peccata Venialia remitti poſsint ſine Pœnitentia.

D. Thom. artic. 1. & 3.

DE PRIMO PVNCTO CVM DIVO Thoma hîc art. 1. & aliis Theologis aſſerimus PRIMVM, non tantùm per Pœnitẽtiam explicitam & formalem, ſed etiam per *virtualem* remitti peccata Venialia.

Ac Pœnitentiam quidẽ *virtualem* alicuius peccati Venialis in propoſito cum eodẽ D. Thoma appellamus eiuſmodi aliquẽ affectum hominis in Deum, vel in res diuinas, vt ſi peccatum illud Veniale in mẽtem veniret, futurum eſſet, vt homini diſpliceret, dóleretq; ſe commiſiſſe.

Huius igitur motus animi beneficio aſſerimus remitti ea peccata Venialia, quibus talis motus *contrarius* ſit, & ad quæ non vigeat adhuc in animo *affectus*. Quod ideo adiungimus, quia ſiquis per affectum ad Veniale aliquod peccatũ opponat obicem illius remiſsioni; conſtat, tale peccatum Veniale tunc non remitti. Item quia ex illis peccatis Venialibus, ad quæ affectus non viget, ea duntaxat per bonum animi motum erga Deum vel res diuinas remittuntur, quibus talis motus eſt *contrarius*, & quorum adeò cenſeri poteſt pœnitẽtia virtualis eſſe, vt rectè notauit Sotus diſt. 15. quæſt. 2. art. 1.

Itaque ſi talis eſt ille motus, vt quicquid omnino peccatorum Venialium occurreret, feruorem charitatis retardans, eſſet diſpliciturũ; omnia tunc peccata Venialia beneficio illius motus remittuntur. Atque eo modo loquitur in art. 1. D. Thomas. Sin verò ſit talis ille motus, vt aliquod duntaxat, vel aliqua Venialia commiſſa eſſent diſplicitura, non autem omnia; tunc aliquod tantum quatò, vel aliqua per illũ motum remitterentur, non omnia.

Porrò fundamentum huius doctrinæ ſic explicatum, eſt; quia cùm peccata Venialia non auertant ſimpliciter à Deo, tanquam ab vltimo fine, ſed ſolùm impedimento ſint, quò minùs feruenti motu charitatis animus feratur in Deum; ſatis ille bonus motus eſſe videtur ad illorũ reconciliandam remiſsionem.

Eſt autẽ hæc doctrina D. Thomæ media inter duas alias opiniones hac de re extremas & falſas. VNA eſt Scoti, qui in 4. d. 21. q. 1. §. *Siiſte modus*, cenſuit, peccatum Veniale remitti in hac vita per quemlibet actum bonum, qui Deo ſit magis acceptus, ſeu magis ei placeat, quàm diſplicuerit peccatum veniale.

Contrà eſt *Primò*, q̃ tunc omnis actus bonus meritorius conciliaret remiſsionem peccatorũ Venialium. Quilibet.n. actus meritorius magis Deo placet, q̃ diſpliceat peccatum Veniale: q̃ppe cùm valeat ad comparandã vitam æternam, eaq; compenſetur; quæ tñ per nullum peccatũ veniale amittitur. Tam facilem aũt & amplã rationẽ ponere remiſsionis Venialium, abſurdũ eſt, & à ſenſu fidelium alienũ. Ita enim vix vllo tempore hæreret iuſtus in aliquo peccato Veniali, cuius affectus non in eo vigeret, cùm nullum fermè ſit tempus in iuſtis vacuum ab omni actu bono & meritorio. Et tamen cõtrà videmus, Eccleſiam ſolicitè prouidiſſe de variis ac peculiaribus remediis (vt pòſt dicetur) ad impetrandam remiſſionem Venialium, tanquam res hæc ſit minimè alioqui facilis, vt ſanè eſſet, ſi ad eam quiuis bonus actus ſufficeret.

Deinde: non omnis actus bonus & meritorius cuiuis veniali peccato contrarius eſt, vt patet. Abſurdum autem eſt, ei actui, qui contrarius nõ ſit peccato Veniali, tribuere vim conciliandi illius remiſsionem, niſi aliundè præſtantia Sacramenti, aut Sacramentalis alicuius (de quo poſtea) defectum actus ſuppleat.

ALTERA ſententia in alio extremo eſt Durandi in 4.d.16. q.2. & d. 21. q.1. qui putat, ad remiſsionem Venialium omnino requiri *formalem* actum Pœnitentiæ, nec ſufficere vllum actum Charitatis in Deum, vt docet D. Thomas. Fundamentum eius eſt: Quia neque actus quilibet Charitatis, neq; etiam actus Charitatis feruentior, eſt contrarius peccato Veniali. At illud non remittitur, niſi per actum contrarium, qualis eſt pœnitentia formalis de illo. Ergo, &c.

Maior probatur. Nam poteſt aliquis Deum actu diligere ex Charitate, & feruenter etiam diligere, & ſimul tamen reus eſſe alicuius peccati Venialis: quod patet in Diuo Ioanne. Is enim feruentiſsimè DEVM diligebat, & tamen verè nihilominus dicebat: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Vt igitur per actum contrarium peccatum Veniale remittatur, neceſſaria erit explicita & formalis pœnitentia eius.

SED hæc opinio nimis rigida eſt, cùm ne ad Mortalium quidem remiſsionem neceſſaria ſit ſemper pœnitentia *formalis*, vt quæſt. præced. p.2. oſtendimus. Quare in D. Thomæ ſententia perſiſtendum eſt.

Nec argumentum Durandi valet. Reſpondemus enim, actum Charitatis talem, & ita feruentem, vt ſi peccatum Veniale prius commiſſum in mentẽ veniret, eſſet diſpliciturum, omnino eſſe *contrarium* peccato Veniali, quantũ ſatis eſt in propoſito. Quòd autẽ poſsit aliquis Deum diligere, & feruẽter diligere, ac ſimul tamẽ peccati alicuius Venialis reus eſſe; inde quidẽ ſolùm ſequitur, non qualemcunq; actũ Charitatis, nec quouis modo feruentẽ, etiamſi ſit intẽſiſsimus, cõtrarium eſſe cuiuis peccato Veniali. Eſt tamen cuique peccato Veniali nihilominus contrarius actus aliquis charitatis, qui *certa quadam ratione* ſit feruidus. Quæ ratio non in intenſione, ſed in actus *modo quodam indiuiduali* ſita eſt, nempe cùm ita fertur animus in Deum, vt ſi peccatũ Veniale occurreret, maximè illud diſpliciturum eſſet, quemadmodum antè expoſuimus. Atque hoc modo D. Thomas intelligi debet, cùm hìc art. 1. ad 3. docet, peccata Venialia remitti per *feruorem* Charitatis. Loquitur enim de feruore, qui conſiſtat non in qualicunque intẽſione, ſed in *peculiari illo modo* actus iam expoſito.

Sed OBIICIET hìc aliquis, veritatem huiuſmodi propoſitionum conditionalium; *ſi hoc vel illud occurreret, hoc aut illud iſte faceret, vel non faceret, &c.* nihil vel ad laudem, vel ad vituperium hominis valere. Multi .n. peccatores ſunt, quibus ſi daretur occaſio Martyrij, eam amplecterẽtur: nec tamen hoc ipſo merentur aliquid apud Deum. Et contra, multi iuſti, oblata occaſione aliqua peccandi, peccarent; nec tamen eo ipſo aliquid demerentur, aut peccant. Vnde videtur ſequi, nõ propterea quempiam obtinere remiſsionem peccati Venialis, quòd ita feratur affectu in Deum, vt ſi veniale peccatũ occurreret, illud ei diſpliceret, ſicut ait D. Thomas. Nihil enim ea conditionalis valet ad laudem vel meritum.

Ad hoc ita RESPONDEO. Fateor, eiuſmodi conditionales veritates *per ſe* quidem non valere ad laudem, vel ad vituperium: nec nos per affectum in Deum, cui conditionalis illa veritas adiuncta ſit, ideo aſſerimus, remitti peccata venialia, quia eiuſmodi veritas conditionalis *per ſe* valeat aliquid corã Deo; ſed quia indiciũ eſt certè *peculiaris perfectionis*, quæ ſit in eo affectu, cum quo eſt coniuncta, & in quo quaſi fundatur. Hæc perfectio actus, quam à poſteriori per illam conditionalem explicamus, facit, vt eiuſmodi actus valeat ad remiſsionem. Quemadmodum igitur Pœnitentia *virtualis* ſufficiat ad remiſsionem Venialium; ita expoſitum ſit.

SECVNDO aſſerimus, ſine Pœnitentia alioqui formali, vel virtuali tali, qualem hactenus expoſuimus, poſſe remiſsionem Venialium obtineri, beneficio quorundã remediorũ, quæ ab Eccleſiaſtica poteſtate Clauium, id eſt, ab authoritate remittẽdi peccata, quã Eccleſia habet, ſunt ad id inſtituta. Huiuſmodi remedia ſunt aqua benedicta, benedictio Epiſcopalis, Oratio Dominica, Confeſsio generalis, Oratio in Eccleſia conſecrata, Tunſio pectoris, Eleemoſyna, Vnctio aliqua Sacramentalis, &c. Quæ omnia vocari ſolent *Sacramentalia quædam.* Quorum vſu, quando eſt cum aliqua erga Deum reuerentia, & ſaltẽm implicitè refertur ad eum finem ad quem ſunt eiuſmodi remedia inſtituta; dicimus cum Diuo Thoma hìc art. 3. & aliis orthodoxis Doctoribus, remitti peccata Venialia.

Id probamus ex antiquiſsima traditione & vſu Eccleſiæ. Nam de *aqua benedicta* id habetur Can. *Aquam.* de Conſecratione, d. 3. ex Alexandro I. qui fuit quintus à D. Petro.

De *benedictione Epiſcopali* habetur 1. q. 1. Can. *Dictum eſt*, ex Auguſtino: idq; à fortiori cõfirmatur ex Leuitic. cap. 6. vbi Deus illis etiam Sacerdotibus legalibus promiſit fore, vt qui ab ipſis benedicerentur, eſſent benedicti.

De *Confeſsione generali* id colligitur ex Can. *De quotidianis.* diſt. 3. de Pœnitentia, ex Auguſtino in Enchiridio, cap. 61. quamuis falsò citatur ex Chryſoſtomo à Gratiano.

De *Oratione Dominica* patet ex dicto Can. *De quotidianis*, & Can. *Tres ſunt.* de Pœnitentia, diſtinct. 1.

De Oratione in *Eccleſia conſecrata*, confirmatur ea Eccleſiæ traditio ex 3. Reg. cap. 8. & 9. & 2. Paralip. cap. 6. & 7. vbi tam magnificè pollicitus eſt Deus, ſe fuiſſe exauditurum orantes in templo à Salomone conſecrato: quantò igitur magis in templo, vbi etiam ipſe reſidet Chriſtus? De *Tunſione pectoris* habetur [illegible] dicto Can. *Tres ſunt.* de Pœnitentia, diſt. 1. ex Auguſtino epiſtola 108. ad Seleucianum, non ad Felicianum, vt falsò citat Gratianus.

De Vn-

De *Vnctione* Sacramentali colligitur ex Cap. *Vnico.* de ſacra Vnctione.

De *Eleemoſyna* habetur can. *Medicinam.* de Pœnitentia. d. 1. ex Ambroſio, & Can. *Quamobrem.* eod. diſtin. ex Hieronymo. Et colligitur ex Scriptura paſsim. Vt Daniel. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime.* De quibus remediis videndus eſt Paludanus in 4. diſt. 16. q. 1. art. 2. concl. 4. Antoninus 1. p. Summæ Theologicæ, tit. 10. §. 5. Hoſtienſis ſuper Cap. *Omnis vtriuſque ſexus.* Extra de Pœnitentiis & remiſsionibus.

Et quanquam de aliquibus eiuſmodi remediis non extarent textus vſque adeò expreſsi, rectè dicit Sotus diſtinct. 15. quæſt. 2. articulo 3. ſatis illa defendi poſſe ipſo vſu & antiqua traditione Eccleſiæ. Siquidem contra eam diſputare *inſolentiſsima inſania eſt.* vt affirmat ſanctus Auguſtinus epiſt. 118. Neque verò habent aduerſus hæc hæretici, quod obiiciant nobis, niſi quod non extat mandatum Dei, vt quædam ex his vſurpemus eo modo, & ad eum finem, vt Deum per illa colamus, & quęramus remiſsionem peccatorum: Idololatriam enim eſſe, aliquid in materia cultus facere ſine Dei mandato. Sed hanc iſtorum vanitatem tomo tertio, diſputatione ſexta, quæſt. vndecima, de Idololatria ſatis ſuperque coarguimus.

Eſt autem hìc diligenter notandum illud, quod diximus, *beneficio* iſtiuſmodi Sacramentalium ſine Pœnitentia alioqui formali vel virtuali tali, qualẽ antè expoſuimus, remitti Venialia. Significare enim ita volumus remitti per hæc ex *opere operato*, modò reuerenter vſurpentur, vt rectè defendit Sotus diſtinct. 15. quæſtione ſecunda, articulo tertio, contra quoſdam, qui tantùm volnerunt iſta valere ad remiſsionem peccatorum, excitando animum ad deuotionem & virtualem pœnitentiam, ratione cuius demum remittantur Venialia. Quæ opinio non ſatis congruit cum exiſtimatione, quam habent fideles de vſu harum rerum. Arbitrantur enim, ſe quotieſcunque reuerenter vſurpant aquam benedictam, remiſsionem Venialium conſequi: neque tamen ſemper tunc excitãtur ad talem motum, qui citra eiuſmodi aquæ vſum valeat ad illam remiſsionem.

Item, quia vel iſta Sacramentalia excitant ad eiuſmodi motum certò & ſemper, quotieſcunque vſurpantur; vel non niſi contingenter & aliquando. Primum dici non poteſt, cùm ipſa etiam experientia conſtet nobis contrarium. Si autem ſecundum detur, vt neceſſe eſt; ſequitur multò magis tribuendam eſſe vim dimittendi Venialia imagini Crucifixi, vel lectioni Scripturæ, aut alicui eiuſmodi rei, quæ longè, quàm aqua, ſit accommodatior ad affectum in Deum contingenter quandoq; excitandum. Id autem concedere, à communi ſenſu fidelium abhorret. Non igitur ratione motus, ad quem excitẽt iſta Sacramentalia; ſed per ſe, vt ſunt ab Eccleſia inſtituta, cõciliant remiſsionem Venialium, quotieſcunque reuerenter vſurpantur.

Neq; verò, ſi hanc authoritatem Eccleſiæ tribuimus, vt virtute Clauium poſsit quædã ad remiſsionem Venialium referre, quæ ex *opere operato* ad id valeant; illicò ſequetur, ipſam inſtituere Sacramenta. Rectè enim ad hoc reſpondit S. Thomas ſuprà q. 65. art. 1. ad 6. Sacramenti effectum ſpiritualem non eſſe qualemcunque, ſed conſiſtere in ſanctificatione hominis per *gratiam gratum facientem*, vel eius *augmentum*: hunc autem effectum minimè habere iſta Sacramentalia. Poteſt enim remiſsio Venialium fieri ſine infuſione aut etiam augmento gratiæ, vt punct. ſeq. dicemus.

Cùm verò S. Thomas hìc art. 3. docet, iſta Sacramentalia remittere peccata Venialia, quatenus excitant ad motum aliquem in Deum, vel cum eo ſunt coniuncta: ideo id dicit, quia oportet illa ſecundùm cuiuſq; cõditionem reuerenter aliquo animi motu vſurpari; idque ad finem, ad quem ſunt inſtituta, ſaltem implicita intentione. Item quoniam ex ſe certè poſſunt ad eiuſmodi motum etiam feruentem excitare, vt rectè Sotus mentem D. Thomæ interpretatur. Quia enim illa Sacramentalia, quãtum eſt in ipſis, excitant ad talem motum; ideo rectè ab Eccleſia deſtinantur ad eiuſmodi finem remiſsionis Venialium. Atque hoc vult D. Thomas: non autem quòd nunquam remittant niſi actu excitando ad talem motum.

TERTIO aſſerimus cum eodem D. Thoma artic. 3. remitti etiam Venialia per vſum Sacramentorum omnium, & maximè *Euchariſtiæ*, & *Extremæ vnctionis*. De Euchariſtia id habetur, Can. *Cùm omne crimen.* de Conſecratione, diſt. 2. ex Iulio I. & Can. *Species.* eadem diſtinct. ex Diuo Gregorio. Ac ipſi etiam ea de re ſuprà diſputat. præced. de Euchariſtia, quæſt. 7. puncto primo diximus.

De Extrema vnctione id etiam colligitur ex Innocẽtio III. cap. 1. de ſacra Vnctione. Et generatim de omnib. Sacramẽtis id probat D. Thom. Quoniam per illa omnia infunditur gratia.

Qua ex re dupliciter Sotus d. 15. q. 2. art. 3. concludit, per quodlibet Sacramentum ex *opere operato* remitti Venialia, etiamſi in illius vſu non interueniat motus animi talis, qui per ſe alioqui ſufficiat ad eiuſmodi remiſsionem. *Primò.* Quia cùm ex opere operato remittãt mortalia; à fortiori etiam remittent Venialia, hoc eſt, obtinebũt etiam à Deo peculiaria incitamẽta ad vſum feruentem Charitatis. *Secundò.* Quia ſi vſurpare reuerenter aquam benedictam, aut aliud Sacramentale, ſatis eſt, ſine alio perfectiori motu, ad remiſsionem Venialium; quantò magis ſuſcipere ritè Sacramentum? Quare cenſet, vt per Sacramentum remittantur Venialia, non alium actum requiri, præter illum, qui eſt ipſa ſuſceptio legitima Sacramenti.

Quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ ſententia mihi ſanè probatur. Etſi video quidem, non ſatis conſtare, an ſit etiam hæc doctrina ex mente D. Thomæ. Is enim art. 2. huius quæſt. ideo dicit, remitti Venialia tũ cùm infunditur gratia, quia *non contingit*, inquit, *infundi gratiam adultis ſine actuali motu liberi arbitrij in Deum, & in peccatum*. Quibus verbis ſignificare videtur, non ex opere operato remitti Venialia per Sacramenta, ſed ex vi eius *motus liberi arbitrij*, qui in Sacramentorum vſu concurrat cum gratiæ infuſione.

Cęterùm arbitror, D. Thomam non tanquam cauſſæ, ſed tãquam *conditioni requiſitæ* tribuere hîc remiſſionẽ Venialium ei motui, qui in infuſione gratiæ interuenit: ita, vt mens illius ſit, quandocunque gratia infunditur, remitti Venialia, ipſius gratiæ vi: nec tamen tunc deeſſe conditionem requiſitam, nempe aliquẽ bonum actum. Semper enim cum infuſione gratiæ, aliquem bonum actum concurrere erga Deum & peccata, ſaltem virtualiter: quo pacto in Deum & peccata ſpectare cenſeri poteſt ipſe actus ritè ſuſcipiendi Sacramentum.

Nec verò caret ratione hæc interpretatio huius loci D. Thomæ. Si enim ibi remiſsionem Venialium tanquam cauſſæ tribueret illi motui, qui cum infuſione gratiæ concurrit; nõ abſolutè dixiſſet, remitti Venialia *quandocunq;* gratia infunditur: non enim ſemper motus cõcurrens cum infuſione gratiæ eſt ita feruidus & talis, qualem alioqui D. Thomas requirit, nempe vt ſi peccatum Veniale in mentem veniret, eſſet diſpliciturum. Quem ſanè nodum non ſatis ſoluit hîc Caietanus art. 2. dum aliter D. Thomam conatur interpretari, eumque ad ſuam illam opinionem trahere, ſuprà à nobis diſput. 6. de Euchariſtia q. 7. p. 2. refutatam, nempe ſine actuali motu liberi arbitrij, diſtincto à ſuſceptione ipſa legitima Sacramenti, non conferri gratiam in Euchariſtia aut aliis Sacramentis.

Neque etiam puto illud tantùm in eo loco D. Thomam aſſerere voluiſſe, quod dicit Sotus, videlicet regulariter, ſeu vt plurimum, remitti Venialia quando infunditur gratia: quoniã vt plurimum tunc concurrit talis motus liberi arbitrij, per quem virtualiter etiam diſpliceant Venialia. Loquitur enim abſolutè D. Thomas, tanquam omnino id *ſemper* contingat. Quare non ex vi motus, ſed ex vi gratiæ, quæ etiã habet coniuncta incitamenta ad feruorem Charitatis, remitti Venialia, quotieſcunq; gratia infunditur, exiſtimandus eſt dicere D. Thomas; concurrente aliquo motu vt conditione, ſicut anteà diximus. Verùm qualiſcunque omnino ſit mens D. Thomæ in illo loco, mihi ſolida & vera videtur ſententia illa Soti, videlicet per omnia Sacramenta remitti ex opere operato Venialia, ſicut anteà diximus.

Ponit præterea Scotus in 4. d. 21. q. 1. aliũ modum remiſsionis Venialium, per ſolam videlicet *ſolutionem* pœnæ debitæ: quo pacto dicit illa remitti in Purgatorio. Idque colligit ex illo ſuo fundamento, quòd eſſe in peccato Mortali vel Veniali, aliud non ſit, quàm obligari ad pœnam luendam. Vnde rurſus colligit, etiam in Inferno poſſe Venialia remitti.

Sed illud fundamẽtum falſiſsimum eſt, vt ſuprà diximus, atq; adeò etiam illa, quæ ex eo deducit Scotus. Maximè autem illud abſurdum eſt, quod ait in Inferno, vbi alioqui *nulla eſt redemptio*, poſſe Venialia remitti. Vt enim concederemus, remitti poſſe peccatũ Veniale per ſolutionem pœnæ; tamen nunquam in Inferno remitteretur: quia nunquam ibi *acceptaretur* à Deo pœnæ ſolutio, cùm non eſſet ab illius amico. Quare per accidẽs quidem, ratione ſtatus, ſemper in inferno punietur aliquis etiam pro Veniali, vt Caietanus notat in hac quæſt. artic. 4. & nos ſuo loco explicuimus tomo 2. diſput. 6. de Peccatis, quæſt. 17. punct. 4.

QVAERET autem aliquis, Quatandem ratione Venialia remittantur in Purgatorio, ſi non propriè per ſolutionem pœnæ? D. Thomas q. 7. de Malo, art. 12. in fine corporis ſubindicat, remitti pet eum actum Charitatis, quem anima habet initio Purgatorium ingrediens, poſteaq; continuat. Sotus d. 15. q. 2. artic. 2. veriſimilius eſſe arbitratur, quòd per ipſum actum Charitatis & Pœnitẽtiæ, quo anima propriè acceptat & ſubit pœnas illas peccatis Venialibus debitas, remittantur illi eadem peccata quoad *culpam*. Vtrumque dicitur probabiliter, mihique placet ſententia Soti.

Qui verò dixerunt, per gratiam *finalem* remitti in morte omnia Venialia quoad culpam, quos D. Thomas in 4. diſt. 21. q. 1. art. 2. refellit, nequaquam ſunt audiendi. Certum eſt enim, non modò apud Theologos in 4. d. 21. cum Magiſtro ibi, ſed etiã apud ſanctos Patres, in ipſo Purgatorio remitti quoq; quoad culpam Venialia, quæ proinde non ſint remiſſa per finalem gratiam in hac vita. Ita D. GREGORIVS lib. 4. Dial. c. 39. cuius ſententia recitatur à Gratiano 25. d. Can. *Qualis*. Affirmat enim expreſsè Gregorius quaſdã culpas in futuro ſæculo poſſe laxari: nempe leuiores non vtique in Inferno (vbi nulla eſt redemptio) ſed in Purgatorio. Et idem non obſcurè indicat D. AVGVSTINVS lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 26. Et patet ex illo loco Matth. 12. *Non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. Vnde intelligi debet, ſic in altero ſæculo remitti aliquãdo quædam peccata, quomodo in hac vita remitti ſolent, nimirum etiam quoad culpam. Quo teſtimonio vtitur D. Gregorius vbi ſuprà. Hæc de primo Puncto.

PVNCTVM

PVNCTVM SECVNDVM.

An remitti poſsint peccata Venialia ſine gratiæ infuſione.

D. Thom. artic. 2.

RESPONDEMVS breuiſsimè cum D. Thoma articulo ſecundo, poſſe omnino remitti peccata Venialia, atque adeò ſæpe remitti ſine gratiæ infuſione. Et ratio eſt expedita. Peccata enim Venialia, quatenùs manent in modum habitus, tranſacto iam actu, non conſiſtunt in priuatione gratiæ, ſed in priuatione feruoris Charitatis, vt tomo ſecundo, diſputat. 6. de Peccatis, quæſt. 2. punct. 1. diligenter expoſuimus. Igitur vt remittantur, ac aboleantur, non opus erit infuſione gratiæ, ſed ſatis fuerit, ſi reſtituatur ille feruor Charitatis. Id autem fit, cùm peculiaribus rurſus incitamentis diuinis homo ad promptum vſum Charitatis excitatur, vt diximus tomo ſecundo, loco citato, & ſuprà diſputatione ſexta, quæſtione ſeptima, puncto primo.

PVNCTVM TERTIVM.

Vtrum peccatum Veniale poſsit remitti ſine Mortali.

D. Thom. artic. 4.

DOCTRINA vera & cõmunis Theologorum eſt ea, quam in artic. 4. ponit D. Thomas, videlicet peccatum Veniale ſine Mortali non poſſe remitti. Ratio eſt primò: Quoniam nullum actum inimici, id eſt, eius qui peccato Mortali obſtringitur, Deus acceptat ad fructum aliquem ſeu effectum ſpiritualem, cuiuſmodi eſt etiam remiſsio peccati Venialis.

Atque huc demùm ſpectat illud, quod Diuus Thomas in articulo ad eam aſſertionem probandam ſumit, nullius peccati remiſsionem vnquã fieri, niſi virtute gratiæ; ſiue ea immediatè & formaliter deleat peccatum, vt accidit in remiſsione mortalis, ſiue eliciat certè & informet aliquem hominis actum, cuius beneficio peccatum remittatur, vt in remiſsione Venialis contingit.

Quod confirmatur à D. Thoma ex Apoſtoli diſputationẽ ad Rom. 4. vbi *gratiæ* Dei in vniuerſum tribuitur, quòd *peccatum non imputetur*. Ac poſſunt eôdem rectè accommodari omnia Scripturę teſtimonia, quibus alioqui probatur, nullum opus ſine Charitate aliquid homini valere ad ſalutem, aut Deo acceptũ eſſe. Cuius generis eſt illud Eccleſiaſt. 34. *Dona iniquorum non probat altiſsimus*. Et illud 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*.

Accedit ſecundò, quòd ſi Veniale abſq; Mortali remitti poſſet, poſſet etiã accidere, vt alicui, qui ex odio & appetitu vindictæ in proximum, peccaret mortaliter, Deus nihilominus remitteret aliquod Veniale ſine illo Mortali. Hoc aũt illi ſententiæ Chriſti, Matth. 6. repugnat: *Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra*, vt rectè Sotus d. 15. q. 2. art. 4. ad hanc rem eſt argumentatus.

Ex quibus argumẽtis intelligitur, aberrauiſſe à vero Durandum in 4. d. 16. q. 2. vbi licet ſentẽtiam D. Thomæ agnoſcat eſſe cõmunem, ſentit ipſe tamen contrà, poſſe peccatum Veniale ſine Mortali remitti. Quod confirmat *Primò*: Quia cùm in peccato Mortali ſint tria, ſcilicet deordinatio actus, priuatio gratiæ, & reatus pœnæ: in peccato tamen veniali tantum eſt primum, & tertium. Quare ſine gratiæ infuſione, qua deleantur etiam Mortalia, poterit Veniale remitti hoc ſolo, quòd deordinatio illa actus tollatur per diſplicentiam, & pœna exſoluatur.

Secundò: Quia ſi puer moreretur cum Veniali & Originali peccato ſolo, remitteretur illi tandem illud Veniale in limbo per ſolutionẽ pœnę finitæ: non enim æternâ pœna pro veniali puniretur: pœnam autem finitam etiã in hac vita poteſt aliquis perſoluere; & ſic conſequi remiſsionem Venialis non minùs, quàm in limbo.

Tertiò: Quoniam opera eius, qui exiſtit in mortali, acceptantur ad prędmium temporale tanquã meritoria, ſaltem ex congruo. Ergo ſine abſurditate dici poteſt, illa etiam acceptari ad remiſsionem Venialium.

Quartò: Poſſumus hanc ſententiam confirmare ex eo, quòd vnum Veniale poteſt ſine altero Veniali remitti, vt concedit D. Thomas hîc artic. 4. ad 3. Quare igitur nõ poſsit Veniale etiam remitti abſque mortali?

Ad *Primum* reſpondeo, diſplicentiam illam non acceptatum iri ad remiſsionem, niſi homo ſit Dei amicus, vt iam antè probauimus.

Ad *Secundum* reſpondeo, ſi caſus ille eueniret (quanquam D. Thomas non admiſiſſet, cùm 1. 2. quæſt. 89. artic. 6. ſentiat, neceſſe eſſe in primo inſtanti vſus rationis, vt vel peccet aliquis mortaliter, ſi ad Deum non conuertatur; vel liberetur ab Originali, ſi conuertatur) futurum, vt talis puniretur *per accidens* pœna æterna propter Veniale, ratione ſcilicet perſonæ, cui nunquam dimitteretur culpa, & cuius proinde perpeſsio non acceptaretur à Deo ad remiſsionem vllam, vt rectè Caietanus hîc reſpondet articulo quarto. Quo pacto Scoto etiam ſuprà reſpondimus, falsò contendenti, quòd poſſet remitti Veniale in Inferno, atque adeò ſine Mortali, vt tenet Durandus.

Ad *Tertium* reſpondeo, diſparem longè rationem eſſe effectus *ſpiritualis*, qualis eſt remiſsio etiam venialis culpæ.

Ad *Quar-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad *Quartum* dico, in hoc esse discrimen, quòd qui in peccato mortali est, caret gratia, ex vi cuius acceptetur diuinitùs aliquis eius actus ad remissionem Venialis alicuius, sine Mortali. Qui autè est in gratia, & simul in pluribus peccatis venialibus hæret; huic nihil deest, quò minùs si vnius tantùm illorum formaliter aut virtualiter eum pœniteat, vnum tantùm sine altero remittatur. Ita fit, vt vnum Veniale absque altero Veniali remitti possit; non autem vnum veniale sine mortali.

A

Sed vrgebit hic aliquis hoc modo. Peccatum veniale nõ remittitur nisi restituatur *feruor* Charitatis, cùm consistat habitualiter in huius feruoris priuatione. Igitur fieri nequit, vt vnum Veniale remittatur, & aliud non. Probatur consequentia. Quia si iam feruor Charitatis est restitutus, nõ amplius manet aliquis priuatus feruore Charitatis, & consequenter in nullo hæret veniali peccato; cùm peccatum veniale, seu eius macula, quatenus manet quidem habitualiter donec remittatur, non nisi in priuatione feruoris Charitatis consistat.

B

Et confirmatur argumentum hoc ex eo, quod simili modo à nobis suprà quæst. præced. puncto 3. probatum est, non posse vnum mortale peccatum remitti sine altero mortali: quia scilicet oportet ad id tolli gratiæ priuationem, in qua consistit peccatum mortale; qua proinde sublata, non hæret amplius homo in vllo peccato mortali.

Respondeo ad argumentum, negando Consequentiam. Ad probationem dicendum, Charitatis *feruorem* latè patere, & idcirco vtrumque stare posse, nempe vt feruor aliquis Charitatis restituatur, in cuius priuatione consistebat illud Veniale peccatũ, quod remittitur; & simul maneat quis priuatus aliquo item feruore, qui sit videlicet impeditus per aliud Veniale, quod necdum remittitur. Ratio huius est: Quia vt tomo 2. disput. 6. q. 2. p. 1. & suprà disput. 6. q. 7. docuimus, consistit in proposito ille feruor Charitatis in quadam proxima facultate promptè exercendi charitatem: quæ facultas propriè existit ex variis auxiliis seu incitamentis diuinis ad charitatis exercitium. Hæc autem auxilia varia sunt, & multum latè patent. Ita fit, vt ille etiam feruor Charitatis latè pateat, sicut diximus. Quod autem attinet ad peccata mortalia, alia ratio est: nam priuatio gratiæ, in qua illa habitualiter cõsistunt, indiuisibilis quoad gratiæ rationem est, atque adeò fieri nequit, vt simul aliquis habeat, & gratia sit priuatus. Ex quo proinde rectè suprà concludimus, non posse vnum peccatum Mortale remitti sine alio.

C

QVAESTIO QVINTA.

De Effectu Pœnitentiæ quoad reditum eorum peccatorum, quæ semel per illam sunt remissa.

D. Thom. 3. part. quæst. 88.

Explicanda sunt tria. Primo, An ita per Pœnitentiam peccata remittantur, vt nunquam per se redeant, vel imputentur, propter sequentem lapsum. Secundo, *Vtrum redeant aliquo saltem modo, & qua ratione.* Tertio, *Vtrum redeant secundùm pœnæ reatum, quem induxerant.*

PVNCTVM PRIMVM.

An ita per Pœnitentiam peccata remittantur, vt nunquam per se redeant, vel imputentur propter sequentem lapsum.

D. Thom. art. 1.

Assertio communis et vera Theologorum in 4. distin. 22. est ea, quam D. Thomas hic artic. 1. confirmat, nempe peccata semel per Pœnitentiam remissa, nequaquam per sequentem lapsum redire, secũdùm suas *proprias* rationes; licet redeant quidem secundùm id, quod est omnibus peccatis commune.

C

Quod ita intelligi debet. *Propria* ratio cuiusque peccati Mortalis (de hoc enim inprimis agimus) quatenùs manet in modum habitus, actu ipso præterito, consistit in gratiæ priuatione, non quomodocunque consideratа, sed vt ea priuatio consequitur ex hac vel illa transgressione legis speciali, nempe ex furto, aut ex adulterio, &c. *Communis* autem ratio peccatorum est ipsa priuatio gratiæ, atque adeò habitualis auersio à Deo, quatenus quoduis peccatum est contra legem.

Hanc priuationem gratiæ & auersionem à Deo, vt est omnibus peccatis mortalibus *communis*, dicimus quidẽ redire. Quo pacto & illud Iacobi intelligitur: *Quicunq; offendat in vno, factus est omnium reus*, Iacob. 2. Quia scilicet quomodocunque quis offendat mortaliter Deum, peccat contra legem; vt interpretatur hunc Iacobi locum S. Hieronymvs lib. 1. contra Pelagian. cap. 7. Illam verò *propriam* rationem cuiusq; peccati, scilicet priuationem gratiæ, & auersionem à Deo, vt consequitur ex *tali* vel *tali transgressione*, negamus redire per sequens peccatum.

Quam Assertionem aduersus quosdam, quorum etiam meminit Magister distin. 22. ita probat Diuus Thomas articulo primo. Opus Dei non potest rescindi per opus hominis. Sed remissio præcedentium peccatorum per Pœnitentiam semel facta, est opus Dei. Ergo non rescinditur & aboletur per sequens peccatum, quod est opus hominis, & consequenter non redeunt priora peccata per illud.

Cæterùm vt hæc ratio sit firma atque etiam roboretur auctoritate Scripturæ, aliquid in assumptis propositionibus addendum erit. Alioqui enim similiter probari posset, per sequens peccatum non amitti gratiam ipsam, quæ fuit collata in *iustificatione*, & remissione peccatorũ; cùm hominis iustificatio per gratiam maximè fiat etiam Dei opus.

Hoc igitur modo ex mente D. Thomæ formanda est ratio. Si quod opus Dei non amplius pendet vllo modo secundùm effectum suum ab homine, illud nequaquam rescindi aut impediri potest per opus hominis. Tale est autem illud Dei opus, quo peccata præterita per Pœnitentiam sunt remissa. Ergo, &c.

Maior satis patet à contrario: propterea enim peccatum hominis impedimento est, quòd minùs opus diuinum in *conseruanda* gratia hominis procedat, quia pendet continuatio iustitiæ & gratiæ, ab homine, eatenùs, quatenùs ad id necesse est, vt se ipse à peccãdo abstineat cum auxilio diuino. Minorem probo. Quia peccata hoc ipso remissa sunt, quòd Deus respiciens ad Pœnitentiæ *actum præteritum*, gratiâ hominem de nouo donauit, cùm antea is fuisset eâ destitutus. Hoc autem opus Dei non pendet amplius ex vllo actu hominis; sed hoc ipso effectum suum habet, quòd semel homo Pœnitentiam *egit*; id quod iam in fectum esse non potest.

Et confirmatur hoc ipsum illo testimonio Ezechiel. 18. *In quacunque hora ingemuerit peccator, amplius iniquitatum eius non recordabor.* Ex quo loco intelligi debet, remissionem peccatorum fieri diuinitùs independenter ex futuro, si tantùm videlicet hominem semel pœnituerit ita vt oportet. Vt igitur is, qui pœnitentiam fecit, non potest facere, vt Pœnitentia non sit ab eo facta; ita nequit vllo opere suo impedire, quò minùs per opus Dei peccata præterita sint ei absolutè remissa.

A

B

D

Quòd si Deus de potentia sua *absoluta* sic remitteret alicui peccata, vt si postea relaberetur, vellet rursus propter illa eadem ipsi irasci, & eum priuare gratiâ, ita, vt eiusmodi remissio ex futuro etiam euentu penderet; tum quidem per sequentem lapsum, peccata prius remissa, redirent, vt consistunt in priuatione gratiæ propter præteritam transgressionem. Atque hoc modo id intelligendo, facilè assentirer Scoto in 4. dist. 22. quæst. 1. articulo primo, cùm dicit, posse Deum de potentia absoluta facere, vt peccata remissa redeant: neq; id solùm concederem, quoad *reatum* pœnæ (in quo solo alioqui falsò constituit Scotus rationẽ peccati habitualiter manentis) sed etiam quoad maculam seu *culpam* habitualem: quæ nimirum consistit in hoc, vt gratiâ sis priuatus propter transgressionem hãc vel illam præteritam. Item etiam redirent tunc peccata, quatenùs per eiusmodi gratiæ priuationem ex præterita transgressione prouenientem (siue ea homini adhuc placeat, siue non) dicitur homo *auersus habitualiter* à Deo.

C

Cæterùm cùm asserimus, peccata remissa non amplius redire, id intelligimus secundùm legem *ordinariam*, posteaquam videlicet sunt remissa modo ordinario, nempe independenter ab euentu futuro, vt ante exposuimus. Atque ad hoc confirmandum, rectè demùm accommodatur illud Apostoli testimonium ad Roman. 11. *Sine Pœnitentia sunt dona Dei.* Vis enim huius sentẽtiæ est, eo modo & ratione, qua Deus confert aliqua dona in homines, certò & immutabiliter ea ipsum conferre, neque vnquam illa, quantum est in ipso reuocare: quod sanè in proposito faceret, si posteaquam independenter ex euentu futuro propter pœnitentiam *semel actam* remittit peccata, rursus illa imputaret homini, cùm tamen adhuc verum esset, ipsum hominem egisse semel de illis pœnitentiam. Hoc in Deum cadere nullo modo potest: siquidem ipse tunc mutaretur.

Quare rectè etiam dici potest, ne secundùm potentiam quidem Dei absolutam fieri posse, vt peccata remissa redeant, *posito*, quòd fuerint remissa eo modo, quo ordinariè remittũtur, nempe independenter ex euentu futuro. Nam mutari Deus ipse non potest. Et huc etiam accommodare possumus dictum Chrysostomi homil. 40. ad populum Antioch. de pœnitentia loquentis: *Non est*, inquit, *sicut homo Deus, neq; enim exprobrat præterita, &c.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque vt commodè reſpondeatur ad illam Quæſtionem, quam poſt Scotum vbi ſuprà mouet Sotus diſtinct. 16. quæſtione prima, articulo primo, Vtrum ſcilicet per potentiam Dei abſolutâ fieri poſsit, vt redeant peccata? diſtinctione vtendũ eſt. Nam poſito, quòd illa remiſerit Deus modo ordinario, fieri id non poteſt: quo pacto procedit quod loco citato diſputat Sotus in partem negatiuam eius quæſtionis. Si autem alio modo remiſiſſet; poſſet id fieri, vt iam à nobis expoſitum eſt: Quo pacto, vt dixi, poteſt admitti affirmatiua ſententia Scoti in 4. diſtin. 22. quæſt. 1.

Ac ſimiliter ratiocinandum eſt ſuo modo de remiſsione & reditu peccatorum Venialium, prout ipſa quoque tranſacto actu conſiſtunt habitualiter in priuatione feruoris Charitatis, iuxta dicta quæſtione præcedenti, puncto vltimo.

PVNCTVM SECVNDVM.

Vtrum peccata remiſſa redeant aliquo ſaltem modo & ratione per ſequentem lapſum.

D. Thom. art. 2 & 4.

DICENDVM eſt, peccata remiſſa, cùm aliquis rurſus peccat, redire quadam ratione, nempe virtualiter, & in effectu ſuo quodam. Hic effectus eſt quædam maior deformitas, quæ cæteris paribus, eſt in iis peccatis, quæ committuntur poſt remiſsionem aliorum. Habent enim hoc ipſo quandam *ingratitudinis* circumſtantiam, quę inde nimirum exiſtit, quòd rurſus peccando contemnitur quaſi ſuſceptum anteà beneficium diuinum in remiſsione peccatorum priorum. Atque eatenus huiuſmodi *ingratitudo* cenſetur eſſe quaſi effectus quidam peccatorũ præcedentium, ratione cuius ea quodammodò redire dicuntur, non in ſe, ſed *virtualiter* per illum ſuum effectum, vt explicat rectè D. Thomas hîc artic. 2. & 4.

Nec tamen hæc ingratitudo ſpeciale peccatum Ingratitudinis cenſeri debet, niſi quando ea intẽtione peccatum committeretur, vt (quod raro fit) beneficium diuinum in priorum peccatorum remiſsione acceptum vili pendatur, quemadmodum idem Diuus Thomas articulo quarto perſpicuè docet. Quando autem hæc intentio abeſt, non eſt ea ingratitudo niſi conditio quædam generalis eorum omnium peccatorum, quæ poſt remiſsionem prioris peccati committuntur. Itaque *materialiter tantùm* ingratitudo dici ſolet, nempe quia eſt deformitas talis, vt ex ratione ſua, eò quòd violat quodammodò diuinum beneficium, poſsit pertinere ad ſpeciem Ingratitudinis, ſi modò acceſſerit illa praua intentio.

Vtrum autem ea conditio peccati ſit neceſſariò in confeſsione aperienda, nonnullum DVBIVM eſt. Et Scotus quidem in 4. diſt. 22. quæſt. 1. artic. 3. ita putat. Quare cenſet, in genere ſaltem debere dicere pœnitentem, ſe etiam antea grauia peccata commiſiſſe, quæ putet ſibi fuiſſe remiſſa, vt ex ea re nimirum Confeſſarius intelligat circumſtantiam ingratitudinis in peccatis poſtmodum commiſsis.

Sed mihi in hac re placet ſententia Soti d. 16. q. 1. art. 4. non eſſe id neceſſarium, niſi fortè quãdo ſæpiſsimè aliquis & grauiter eſſet relapſus: quoniam tunc ſolùm ea circumſtantia ſeu conditio notabiliter aggrauaret peccata ſequentia; aliàs non item. Quòd ſi ea intentione quis peccaret, vt de induſtria vili penderet beneficium præteritæ remiſsionis, extra controuerſiam eſt, debere tunc talem circumſtantiam in Confeſsione declarari, cùm ſit ſpeciale peccatum ingratitudinis. Cæterùm de his rebus commodiùs iudicari poterit ex his, quæ à nobis infrà de Cõfeſsione diſputabuntur.

Iam verò quamuis iſto modo, ratione Ingratitudinis, per quoduis omnino peccatum redeant peccata priùs remiſſa; tamen peculiari quadam ratione dicuntur redire per quatuor genera peccatorum, videlicet per Odium fratrum, per Apoſtaſiam à fide, per Contemptum Confeſsionis Sacramentalis, per Diſplicentiam anteactæ pœnitentiæ: quæ his verſiculis iam olim vulgò comprehenſa commemorat D. Thomas artic. 2.

Fratres odit, apoſtata ſit, ſpernitq; fateri,
Pœnituiſſe piget: priſtina culpa redit.

Cauſſa autem, cur per hæc peccata peculiariter dicatur redire peccatum antea remiſſum, eſt: Quoniam non vtcunque ſunt illa contra beneficium in remiſsione peccatorum acceptum, vt reliqua omnia peccata, vnumquodque magis vel minùs, prout maius vel minus eſt: ſed contra formam etiam & rationem eiuſmodi beneficij.

Quam rem ita D. Thomas art. 2. doctè declarat. In forma & ratione eiuſmodi beneficij aliquid eſt conſiderandum ex parte Dei *benefactoris*; aliquid ex parte hominis *pœnitentis*, cui beneficium id remiſsionis peccatorum exhibetur. Ex parte Dei cõſiderandum eſt, quòd *benignè* ignoſcit ac remittit debitum homini. Atq; hinc propria quadam ratione eſt cõtra formam eius beneficij peccatum *Odij* fratris, per quod ideo peculiariter redeunt peccata priùs remiſſa, ratione ingratitudinis, vt eſt dictum: Id quod etiam affirmat D. GREGORIVS lib 4. Dialog. cap. 60. & confirmat teſtimonio Euangelij, Matth. 18. *Veritatis*, inquit, *voce atteſtante didicimus, quod ſeruus qui decem millia talenta debebat, cùm pœnitentiam ageret, abſolutionem debiti à Domino accepit. Sed quia conſeruo ſuo centum ſibi denarios debenti debitum non dimiſit; & hoc eſt iuſſus exigi, quod ei fuerat iam*

iam dimiſſum. Ex quibus dictis conſtat, quia ſi hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus; & illud rurſus exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus.

Ex parte autem *pœnitentis*, tres in ea re actus, qui cumprimis ad remiſsionem peccatorum concurrunt, attendi poſſunt. Vnus eſt motus Fidei: Alter motus Pœnitentiæ: Tertius eſt propoſitum confitendi, vel ipſa etiam Confeſsio, qua ſubiiciuntur peccata poteſtati Clauium Eccleſiæ. Ratione primi actus, peculiariter eſt contra formam eius beneficij peccatum *Apoſtaſiæ*: ratione ſecundi, peccatum, quo *diſplicet* acta Pœnitentia: ratione tertij, peccatum *contemptûs* Cõfeſsionis.

Atque hoc cùm ita ſe habeat; tamen nihil hæc doctrina obſtat, quò minùs abſolutè quidem per aliquod aliud peccati genus magis redeant peccata remiſſa, ſi illud ſit abſolutè grauius, quàm illa, quæ numerauimus. Quamuis enim non æquè illud ſit contra *formam* accepti priùs beneficij; repugnabit tamen magis ipſi beneficio abſolutè.

Eſt autem hîc duplex Dubium, vtrumque breuiter explicandum. VNVM, An etiam per peccatum Veniale cenſeri debeant redire peccata præcedentia aliquo modo, ratione alicuius ingratitudinis? ALTERVM, Vtrum non ſit maius peccatum ratione ingratitudinis illud, quod cõmittitur ab innocente, id eſt, ab eo, qui adhuc ſit prædituſ gratiâ Baptiſmi, quàm illud, quod committitur ab eo, cui aliquando peccata per pœnitentiam remiſſa fuerunt?

Ratio PRIORIS Dubij eſt: quoniam D. Thomas articulo 2. ad 2. abſolutè negat, per peccata venialia redire peccata priùs remiſſa: *Quia*, inquit, *non committit ingratitudinem, qui peccat venialiter, cùm non faciat contra Deum, ſed præter Deum.*

Ex contrario autem licet argumentari, quòd etiam poteſt eſſe aliqua *formalis* ingratitudo erga Deum, quæ tamen ſit veniale peccatum, puta leuis ingratitudo, ſine plena deliberatione. Ergo etiam poteſt aliqua conditio ſeu circumſtantia ingratitudinis *materialis*, venialiter aggrauare ea peccata Venialia, quæ fiunt poſt remiſsionem priorum peccatorum; & conſequenter ratione illius poſſunt eiuſmodi priora peccata redire, ſecundùm effectum videlicet ſuum, hoc eſt, ſecundùm illam deformitatem ingratitudinis venialem.

Accedit, quòd quamuis peccata Venialia non ita ſint contra Deum, vt ab eo penitùs hominem auertant, ſicut mortalia; ſunt tamen contra Deum, quatenus illum tandem offendunt. Et certè aduerſantur Dei voluntati, quo ipſo quandam quoque ingratitudinem ipſa continent, cùm poſt beneficium diuinum in remiſsione priorum peccatorum acceptum committuntur.

Itaque ipſe etiam Diuus Thomas dicit, peccata quoque Venialia redire per ſubſequentia peccata mortalia, ratione ingratitudinis erga beneficium acceptum in venialium remiſsione. Si igitur tantulum illud deformitatis quod habent peccata venialia ſufficit, vt per ſequẽs mortale dicantur ipſa redire: cur non etiam id ſatis erit, vt per ea viciſsim, tum mortalia, tum venialia dicantur redire quodammodò ratione alicuius ingratitudinis?

Nec obſtat illud, cp dicit D. Thomas, venialia eſſe præter legem Dei, nõ contra legem. Hoc enim ideo ſolum dicit, quia non tollunt finem legis, hoc eſt, charitatem: licet verè ſint alioqui prohibita per legem; ſecùs enim non eſſent verè peccata. Itaque fortè voluit tñ D. Thomas aſſerere, quòd per venialia nõ redeant priora peccata ſecundùm aliquam notabilem ingratitudinem, quæ ſcilicet ſit contra finem legis.

Ad SECVNDVM autem Dubium quod attinet, Scoti ſententia eſt in 4. diſtinct. 22. quæſt. 1. artic. tertio, grauius peccatum illud eſſe, quod committitur ab innocente, nempe ab eo, qui eſt in gratia Baptiſmali. Quod ipſum videtur ſentire Caietanus articulo primo. Ratio Scoti eſt: Nam cùm innocens peccat, facit contra maius Dei beneficium, quàm is, qui peccat poſteaquã per pœnitentiam remiſsionem peccatorum eſt conſecutus. Beneficium enim *innocentiæ* antecellit beneficio *remiſsionis* peccatorum in pœnitente; ſpectando quidem rationes ipſas formales talis remiſsionis, & innocentiæ. Quod ideo adiungo: quoniam ſi gratia, per quam fit illa remiſsio, ſit vberior, quàm gratia illa, qua conteneatur alicuius innocentia, tunc materialiter quidem maius beneficium erit ſine controuerſia remiſsio talis peccatorum, quàm innocentia illa.

Diuus autem Thomas hîc articulo ſecundo ad tertium contrà ſentit, maius peccatum eſſe ratione ingratitudinis illud, quod committitur poſt acceptum beneficium remiſsionis peccatorum per pœnitẽtiam, formaliter etiam ſpectando rationem talis remiſsionis, & innocentiæ. Vbi ad illud ipſum argumentum, quo Scotus vtitur, diſertè reſpondet, grauitatem ingratitudinis non ſolùm exiſtere ex quantitate beneficij, contra quod eſt, ſed etiam, & multò maximè, ex modo beneficij, cùm illud videlicet collatum eſt in minùs dignum. Inde enim apparet, affectum benefactoris in benefaciẽdo fuiſſe maiorem, atque adeò maiorem etiam extitiſſe obligationẽ gratitudinis, vt quæ non tam quantitatem beneficij, quàm affectum benefactoris reſpicit, vt docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 106. artic. 2. & cenſuit Richardus in 4. diſt. 22. art. 1. q. 5. & alij Theologi. Proinde quamuis ſecundùm rationem ſuam maius *per ſe* ſit beneficium *innocentiæ*, quàm *remiſsionis* peccatorum per pœnitentiam; tamen maior eſt obligatio gratitudi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis ob beneficium remissionis, quàm ob beneficium innocentiæ. Confertur enim remissionis beneficium in minus dignum. Et consequenter maius peccatum est, ratione ingratitudinis illud, quod contra beneficium remissionis committitur, quàm quod committitur contra beneficium innocentiæ. Ita præter D. Thomam sentit etiam Sotus dist.15. quæst.2. art.2.

PVNCTVM TERTIVM.

Vtrum remissa peccata redeant secundùm pœnæ reatum per sequẽtem lapsum.

D. Thom. artic.3.

RESPONDEMVS, peccata prius remissa, nõ redire secundùm reatum per se & simpliciter, sed tãtùm virtualiter & secũdùm effectum suum quendam: quatenus videlicet reatus pœnæ sequentis peccati eò est maior ratione ingratitudinis, quò maior reatus peccatorum ante fuerit homini remissus vnâ cũ ipsius prioribus peccatis. Ita D. Thomas art.3.

Ac ratio est plana. Nam cùm pœnæ reatus consequatur culpam, ita redeunt peccata secundùm reatum, sicut secundùm culpam. Sed per sequens peccatum non redeunt priora peccata secundùm culpam simpliciter, sed tantùm virtualiter, ratione ingratitudinis, vt punct.1. & 2. est explicatum. Ergo isto modo etiam redeunt secundùm reatum.

SED contrà obiiciet aliquis; æternam pœnam *damni*, quæ in priuatione beatitudinis consistit, æqualem esse constitutam omnibus peccatis, cum priuatio vnius & eiusdem beatitudinis nõ possit esse maior vel minor: proinde quamuis in reatu pœnæ *sensus*, quæ est inæqualis, possit habere locum quod diximus, peccata non redire simpliciter quoad talem pœnæ reatum; non tamen id habere locũ in pœnæ damni reatu. Hanc enim vel omnino non redire, vel oportere redire totam.

Hoc argumento Durandus in 4. dist.22. q.1. motus est, vt opinaretur, redire semper totum pœnæ damni reatum: quia nimirũ vnus & idem respondeat omnibus omnino peccatis. Quam sententiam complexi sunt Paludanus eadem distinct. quæst.1. (quamuis sub dubio) & Capreolus ead. dist. quæst.2. art.3. qui approbat sententiam in hoc Paludani & Durandi.

Sed contrarium rectè defendit Sotus dist.16. quæstione prima, articulo primo & tertio. Nam etsi priuatio beatitudinis (sicut neque vlla alia priuatio) per se non sit maior vel minor priuatio; est tamẽ maior vel minor *pœna*, quatenus habet ordinem ad maiora vel minora peccata, quę sunt illius caussa. Cuius rei indicium est, quòd magis ob ipsam priuationem beatitudinis contristabitur in inferno is, qui priuabitur illa propter grauiora peccata, atque adeò ex maiori inimicitia & odio Dei erga ipsum.

Nec verò hìc dico, eiusmodi pœnam damni maiorem consistere propriè in maiori illa tristitia: sed hanc tristitiam maiorem, quæ tanquam effectus est eius, argumento & indicio esse, quòd ipsa *pœna* damni, quatenus consistit in priuatione gratitudinis propter grauiora peccata maior sit pœna in tali, quandoquidem maiorem afflictionem inducit.

Adde quòd si propterea pœna damni esset æqualis in omnibus, quia in priuatione consistit; pari ratione maculæ peccatorum, seu ipsa peccata, vt manent habitualiter, essent omnia paria; consistunt enim in priuatione gratiæ: Et tamen inæquales nihilominus maculæ peccatorum sunt, quatenus habent ordinem ad maiorem vel minorem transgressionem legis, quæ fuerit in praua conuersione ad creaturas, vt D. Thomas quæst. præced. articulo primo docuit. Ita igitur & pœna damni secundùm ordinem ad suam caussam, inæqualis censeri debet, atque adeò de illa etiam procedit, quod asseruimus, non redire totum illius reatum per peccatum sequens. Hæc de ista Quæstione.

QVÆSTIO SEXTA.

De Effectu Pœnitentiæ, quoad recuperationem virtutum per peccatum amissarum.

D. Thom. 3. part. quæst. 89.

EXPLICANDA SVNT TRIA. PRIMO, AN BENEFICIO Pœnitentiæ recuperet aliquis virtutes, ex quibus exciderat; & quomodo. SECVNDO, Vtrum omnino etiam in pristinam dignitatem vndequaq; spectatam restituatur. TERTIO, An opera bona ante pœnitentiam facta, eiusdem Pœnitentiæ beneficio, consequantur valorem ad vitam æternam.

PVNCTVM PRIMVM.

An beneficio Pœnitentiæ recuperet aliquis Virtutes, ex quibus exciderat; & quomodo.

D. Thom. art. 1. & 2.

SCIENDVM INPRIMIS EST, VIRtutes, à quibus aliquis per peccatum excidit, non esse illas morales, quas vocant *acquisitas*; nec omnes etiam Theologicas: manent enim Fides & Spes informes, cùm peccatum est aliud, quàm Infidelitatis vel Desperationis. Charitas igitur, & Virtutes Morales *infusæ*, sunt illæ Virtutes, quę per peccatum mortale cõmuniter amittuntur, vnâ cum ipsa gratia, cum qua sunt connexæ, & ex qua fluunt tanquam potentiæ quædam ex essentia, sicut D. Thomas hic art. 1. resumit ex iis, quæ de hoc Virtutum genere disputata ab eo sunt in 1. 2. q. 56.

Hoc posito, PRIMO asserimus, recuperari quidem beneficio Pœnitentiæ eiusmodi virtutes absolutè: Quod facilè in art. 1. confirmat D. Thomas. Nam quod valet conciliare ipsam gratiam per peccatum amissam, consequenter conciliat homini Virtutes eas, quæ cum gratia connexæ sunt. Sed Pœnitentia cõciliat homini gratiam antè amissam. Ergo etiam suprà dictas Virtutes.

Atque hæc efficacia Pœnitentiæ à Patrefamilias significata est in parabola, quam Christus proposuit Luc. 15. cùm iussit ille videlicet filio iam resipiscenti restitui *stolam primam*, & *annulum*, & *calciamenta*, hoc est, gratiam, & ornamenta Virtutum, vt in eo loco Patres interpretantur. Ac nominatim sanctus HIERONYMVS libro 2. contra Pelagianos, cap.10. pro certo ponit, eos, qui iustificantur *post peccatum*, *in statum pristinum restitui*. Id quod latiùs confirmat in epist.146. ad Damasum, vbi pulchrè explicat totam illam parabolam Lucæ 15. Neque est de hac Assertione vlla controuersia apud Theologos: nisi quod Durandus & Scotus cùm negent, esse aliquas Virtutes morales per se infusas, consequenter negarent etiam, illas per Pœnitentiam recuperari vnâ cum gratia. Sed Durandum & Scotum in ea re confutauimus tomo secundo, disputatione quinta, quæst.6. punct.1.

SECVNDO asserimus, non semper restitui per Pœnitentiam gratiam & Virtutes in eodem gradu intensionis, quo prius aliquis eas habebat, sed in maiori, vel minori, vel etiam æquali, pro ratione ipsius actus Pœnitentiæ, quo sese aliquis disponit ad gratiam recuperandam. Ita Diuus Thomas articulo secundo. Quæ est etiam sententia antiquorum Theologorum. Vt Alexandri Hallensis quarta parte, quæst.57. membro quinto. Alberti Magni in quarto, dist.14. art.30. Bonauenturæ secunda parte eiusdem distin. articulo secundo, quæstione prima. Durandi dist. 31. quæst.2. quod attinet ad Virtutem Charitatis, quam saltem Durandus agnoscit vnâ cum gratia restitui.

Est autem hæc SECVNDA assertio exponenda prius, quàm probetur. Dupliciter enim intelligi potest, quod dicimus, gratiam & Virtutes, secundùm proportionem Contritionis, quæ se quis *disponit*, restitui. VNO modo ita, vt iuxta eam proportionem gratia & Virtutes restituantur secundùm ipsam duntaxat *rationem* gratiæ & virtutum absolutè: ita scilicet, vt pro quantitate dispositionis detur plus vel minus de ipsa gratia & Virtutibus, quas secundùm eandem rationem seu essentiam aliquis prius habebat; non autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem plus vel minus de ipsis etiam gradibus intensionis, in qua prius aliquis ante lapsum fuerat eiusmodi gratia & Virtutibus præditus.

ALTERO modo ita, vt non tantùm ex gratia & Virtutibus secundùm rationem illarum restituatur plus vel minus pro quantitate dispositionis, sed etiam de ipsis gradibus *intensionis* pristinæ gratiæ & Virtutum. Ac interest plurimùm, vtro modo ex istis sententiam illam Diui Thomæ interpretemur. Nam si PRIMO modo exponitur; consequens erit, vt Contritio perfecta, verbi gratia, vt quatuor, non plus gratiæ conciliet illi, qui aliquando fuerit in gratia, quàm ei, qui nunquam fuit in gratia. Etenim de gratia & Virtutibus secundùm earum rationem absolutè, ei etiam, qui nunquam in gratia fuit, plus vel minus similiter dabitur pro ratione dispositionis suæ. Si autem illa sententia exponatur POSTERIORI modo; cõsequenter erit sentiendum, eum, qui in gratia aliquando fuit, plus de gratia & Virtutibus acquisiturum per eandem Contritionem, quàm alterum, qui nunquã fuit in gratia. Tunc enim magnitudo & proportio Contritionis attendetur, vt plus tum de gratia & Virtutibus absolutè, tum etiam de illarum pristina *intensione* ipsi detur.

Neque verò minus isto modo posteriori constabat Theologicum illud axioma, in Concilio Tridentino, sessione sexta, capite septimo positum, videlicet *Unumquemq; suam propriam gratiam & iustitiam recipere, secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.* Qui enim & de gratia, & de pristinæ gratiæ intensione, pro ratione suæ dispositionis accipit; is etiam verisimè iustitiam propriam accipiet secundùm Spiritus sancti mensuram, & *dispositionem suam.*

Hoc posito, quibusdam ex Sectatoribus Diui Thomæ visum est, illius sententiam, aliorumque antiquorum Theologorum, tantùm PRIORI modo intelligi debere. Quam interpretationem Sotus distinct. 16. quæst. 2. articulo secundo tribuit Capreolo in quarto, distinct. 14. quæst. 2. vbi simpliciter ille dicit, gratiam dari secundùm proportionem dispositionis: nec vllam mentionem facit pristinæ intensionis, quæ per se etiam restituatur.

Hanc autem expositionem, cuiuscunque illa sit, meritò reiicit Sotus. Sequeretur enim ex illa, eum, qui longissimo tempore sanctissimè vixisset, & postea in peccatum mortale laberetur, à quo per Contritionem perfectam vt quatuor, verbi gratia, resurgeret, non maiorem gratiam acquisiturum, atque adeo neque gloriam, si statim moreretur, quàm flagitiosissimum hominem, qui per Contritionem item vt quatuor, ad Deum conuerteretur: Hoc autem à diuina bonitate, & quodammodo etiam à Iustitia abhorreret. Nam & iniquus homo is censeretur, qui famulum suum antè obsequentissimum, postea ab aliquo peccato resipiscentem, non in maiorem gratiam reciperet, quàm alterum anteà perpetuò inobedientem, cùm similiter à peccatis resipisceret.

Nec verò aliquid est caussæ, quamobrem Diui Thomæ sententiam illo priori modo interpretemur. Solùm enim asserit, gratiam & Virtutes dari secundùm dispositionem pœnitentis: quod, vt antè exposuimus, eque constare potest, etiamsi non modò gratiam & Virtutes absolutè donentur secundùm dispositionis proportionem, sed simul detur secundùm eandem proportionem plus vel minus de illarum pristina intensione. Ac satis est, vt comparando eum pœnitentem, qui anteà in gratia fuerit, ad alterum item, qui in gratia fuerit, eâdem proportione alter consequatur intensiorem gratiam & Virtutes, quàm alter, qua proportione alterius dispositio fuerit maior dispositione alterius.

Accedit, quòd nisi pristina etiam *intensio* gratiæ & Virtutum, secundùm dispositionem pœnitentis restituatur, non satis propriè intelligi poterit, quemadmodum gratiæ & Virtutes pristinæ verè restituantur: id quod agit in illo articulo secundo Diuus Thomas. Cùm enim gratiam pœnitenti *restitui* dicimus, aliquam pœnitentis singularem prærogatiuam & commoditatem, quæ ad peculiarem ipsius consolationem valeat, significare eo ipso videmur. Si autem cùm is in gratiam redit, nihil ad maiorem gratiam obtinendam ei prodest, quòd prius gratiam habuerit, sed duntaxat tantum ei de gratia datur, quantum alioqui daretur, si nunquam in gratia fuisset; obsecro, quæ prærogatiua, aut quæ consolatio peculiaris pœnitenti proponetur, cùm ei dicitur, fore, vt *restituatur* ipsi pristina gratia, à qua exciderat?

Est igitur sententia illa Diui Thomæ POSTERIORI modo à nobis accipienda. Quæ sanè duobus principiis positis facilè confirmatur. VNVM est, Deum, qui suauiter omnia disponit, non conferre homini formam illam supernaturalem, quæ est Gratia, nisi secundùm proportionem dispositionis *subiecti*: quemadmodum etiam in rebus naturalibus videmus, eas formas, quæ latè quoad intensionem patent, secundùm dispositionem subiecti, magis aut minùs intensas reperiri. Quæ est ratio Diui Thomæ hic articulo secundo.

Atque idem ex natura ipsa gratiæ probatur. DEVS enim tantum nos diligit supernaturaliter, quantum gratiæ nobis impertit: quippe cùm per gratiã ipsam nos diligat; ac vicissim nos tantum formaliter vel virtualiter ipsum diligimus, quantum ad illius gratiam recipiendam disponimur. Disponimur enim ad eam rem per actum Pœnitentiæ, quæ habet adiunctam dilectionem

dilectionem formaliter vel virtualiter. Atqui dubiũ non est, quin iuxta proportionem, qua Deum diligimus, vicissim ipsi à Deo (qui diligentes se diligit) diligamur; Neq; enim consentanea res est, vt is, qui magis Deum diligit, minus ab ipso diligatur. Ergo secundùm proportionem dispositionis nostræ Deus nobis largitur suam gratiam.

ALTERVM principium ad confirmandã eam D. Thomæ sententiam, est, Deum longè ad benefaciendum hominibus, quàm ad puniendum eos, esse propensiorẽ, vt cuius miserationes sunt super omnia opera eius, sicut passim Scriptura testatur. Qua ex re sequitur, non ita ipsum *absolutè* priuare homines gratia sua propter peccata, sicut remittit iisdem peccata propter pœnitentiam. Nam ad illam eius bonitatem propensissimam in homines pertinet, vt peccata quidem remittat omnino independenter ex futuro; ita, vt nunquam amplius eadem imputare velit, quemadmodum declaratum est quæstione præcedenti: contra autem gratia & virtutibus cum ea connexis propter peccata ita priuet, vt tamen velit eam restituere postmodum, cùm peccatum fuerit abolitum per pœnitentiam.

Neque nos hîc conturbare debet, quòd Ezechiel. 18. sicut de pœnitente peccatore dicit Dominus: *Omnium iniquitatum eius non recordabor*: ita ibidem de iusto delinquente dicit: *Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Hoc, inquam, nos mouere non debet, vt existimemus ita independenter ex futuro iustum delinquentem peciuari gratia, sicut peccatori pœnitenti remittuntur peccata. Oportet enim vnumquemque Scripturæ locum intelligere secundùm analogiam fidei, & eiusdem Scripturæ in aliis locis. Itaque cùm aliunde ex fide compertum sit, Deũ propensiorem ad miserendum & benefaciendum, quàm ad irascendum esse; haud immeritò illum locum Ezechielis ita interpretamur, vt quod ibi de peccatore pœnitente dicitur: *Amplius iniquitatum eius non recordabor*, intelligatur omnino *absolutè*: Quod autem de iusto delinquẽte dicitur: *Iustitiæ eius non recordabuntur*, intelligatur solùm, quamdiu delicti reus manserit.

Quam expositionem, atque adeò illam diui Thomæ sententiam, rursus aliquibus testimoniis confirmare licet. Nam Ioël. 2. vbi Dominus ad pœnitentiam illis verbis hortatur: *Conuertimini ad me in ieiunio, fletu, & planctu*: illum etiam fructum pœnitentiæ pollicetur: *Et reddam*, inquit, *vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca.* Quæ verba tantundem valere interpretatur ibi Glossa interlinearis, ac si Dominus diceret: *Non patiar perire vbertatem* (scilicet gratiæ & bonorum operum) *quam animi perturbationibus*, hoc est, peccando *amisistis.* Et Ezechiel. 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque hora egerit pœnitentiam.* Noceret autem, nisi etiam pœnitentiæ beneficio gratiam per peccatum amissam recuperare posset.

Item hæc etiam est vis parabolæ Patrisfamilias Lucæ decimo quinto, qui filio resipiscenti reddi iubet *stolam*, non qualemcunque, sed *primam*. Et huc illud pertinet ad Hebræos sexto: *Confidimus autem de vobis fratres meliora & viciniora saluti: Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri boni, &c.* Vbi satis Apostolus significat, Deum, cùm iusti peccant, non penitus eorum pristini status boni obliuiisci, sed expectare, dum rursus conuertantur, vt quod boni fuerat anteà in illis, id ipsis prosit atque restituatur, quemadmodum in illum Apostoli locum notant Beda, & Theophylactus.

Et in eandem sententiam HIERONYMVS, circa illud ad Galatas tertio: *Tanta passi estis sine caussa, si tamen sine caussa. Spes est*, inquit, *quòd quicunque ob Christi fidem laborauerit, & postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine caussa dicitur passus fuisse, dum peccat: sic rursus non perdet ea, si ad pristinam fidem, & ad primum studium reuertatur.*

Atque idem in eundem locum notant, Glossa interlinearis, & Anselmus: idque meritò. Significat enim Apostolus illa correctione (*si tamen sine caussa*) potuisse fieri, vt Galatis, qui tunc à recta fide aberrabant, prodessent bona priora, si rursus videlicet in viam redirent.

Item diuus AVGVSTINVS Epistola quinquagesima quarta ad Macedonium: *Deus*, inquit, *facit super peccatores oriri Solem suum, nec minus tribuit, quã antè tribuebat, largissima munera vitæ ac salutis.* Quod maximè quidem dixisset etiam Augustinus de peccatoribus, postquam rursus agunt pœnitentiam.

Et CHRYSOSTOMVS epistola quinta ad Theodorum lapsum, & refertur de Pœnitentia, distinctione tertia, Canone *Talis*: *Deus*, inquit, *suscipit eum qui velit reuerti ad virtutis viam & libenter amplectitur, & facit omnia, quatenus eum reuocet ad priorem statum.* Et homilia sexta in Genesin. *Per misericordiam*, inquit, *Dei, si modo condemnare facta nostra voluerimus, poterimus statim ad pristinam abundantiam redire.*

Porro Sotus vbi suprà hoc etiam argumento vtitur ad probandum, tum absolutè, tum etiam ex D. Thomæ sententia, restitui pœnitenti pristinam gratiæ & virtutum intensionem, pro ratione *dispositionis.* Nam certum est, pristina etiam merita, hoc est, opera bona in gratia facta, viuificari per sequentem pœnitentiam, id est, rursus valere ad vitam æternam, vt ex aliquot testimoniis citatis patet, & D. Thomas articulo quinto docet, nosque puncto tertio, ex omnium Theologorum sententia asseremus. Igitur ipsa gratia pristina restituitur etiam per pœnitentiam. Probatur Consequentia. Quoniam per illam pristi-

nam gratiam ea opera fuerunt prius viua. Ergo si rursus viuificantur, illam eandem pristinam gratiam oportet restitui.

Hanc probationem non puto esse firmam. Responderi enim posset, satis viuificari priora opera per minimum etiam, quod de gratia absolutè secundùm rationem gratiæ daretur, iuxta proportionem dispositionis: neque opus esse, vt merita viuificentur semper per gratiæ vitam in eodem gradu perfectionis, quo antè. Imò contrarium est necessariò sentiendum, etiam in sententia nostra, quam ex diui Thomæ mente defendit ipse Sotus. Nam cùm alicuius dispositio non est tanta, vt totam intensionem gratiæ pristinæ recuperet; verè etiam illius merita priora viuificantur, neque tamen per gratiæ vitam in eadem perfectione, qua antè.

Itaque quod Theologi sine controuersia dicunt, merita priora per pœnitentiam viuificari, perinde stare potest, siue per pœnitentiam pro ratione dispositionis restituatur aliquid de pristina etiam intensione gratiæ, siue non. Non enim volunt ea re Theologi significare, quòd ita perfectè reddantur viua, sicut antea; sed absolutè dicunt, ea viuificari & valere ad vitam æternam beneficio pœnitentiæ; siue id consequatur ex restitutione pristinæ gradus gratiæ, quoad partem, vel quoad totum, siue omnino ex noua gratia.

Neque valet hîc rursus huiusmodi obiectio. Merita priora beneficio Pœnitentiæ acceptantur & valent ad vitam æternam, non nisi quatenus fuerunt facta ex gratia pristina, eatenusque viuificantur. Igitur gratia ipsa pristina per Pœnitentiam restituitur: rectèque id colligetur ex hoc, quòd priora merita viuificantur, vt Sotus argumentatur. Consequentia probatur. Quoniam oportet hominem ea gratia præditum esse, ratione cuius opera acceptâtur ad præmium. Non enim aliter operibus debetur aut redditur præmium, nisi quatenus persona ipsa est grata: & quidem secundùm ipsius gtatiæ proportionem. Antecedens autem probatur. Quoniam si opera illa viuificantur, necesse est ea acceptari ad vitam æternam, nisi vt facta ex aliqua gratia. At non acceptantur vt facta ex ea gratia, quę de nouo acquiritur. Non enim ab illa fiunt, cùm iam antea fuerint facta. Reliquum est igitur, vt acceptentur quatenus processerunt ex pristina gratia.

Ad hanc Obiectionem respondendum est, negando Consequentiam. Et ad probationem dico, falsum id esse, quod assumitur, oportere hominem præditum, esse ea gratia, ratione cuius acceptantur illius opera ad præmium. Satis est, vt aliqua omnino gratia sit præditus; siue ea sit illa, à qua opera processerunt; siue illa, in quâ de nouo recipitur, & per quam est Deo gratus. Vtroq; enim modo verum erit, quòd præmium non debebitur neq; reddetur, nisi personæ gratæ Deo.

Atque hinc corollariè sequitur, non oportere, vt præmium semper respondeat quantitati eius gratiæ, à qua merita processere: quinimo potest quandoque minus esse. Patet hoc in casu, quo merita viuificantur per gratiam minorem. Eiusmodi enim gratiæ respondebit tunc quantitas præmij; non autem pristinæ gratiæ magnitudini, vt rectè diuus Thomas docet in hac quæstione, articulo quinto ad tertium. Siue enim multa, siue pauca, siue magna, siue parua fuerint merita, semper gloria respondebit quantitati eius gratiæ, qua persona inuenitur prædita, & secundùm eius gratiæ proportionem demum æstimatur valor meritorum in præsenti, siue ab ea gratia merita processerint, siue ab alia priori, quæ sit antè amissa. Sententia igitur D. Thomæ non illo argumento Soti, sed aliis, quæ prius fecimus, confirmari debet.

Quòd si iam aliquis QVAERAT, Quæ & qualis sit illa proportio, secundùm quam dicimus, pro ratione dispositionis restitui plus vel minus de pristina etiam intensione gratiæ? Respondet Sotus loco citato, esse talem in latitudine totius intensionis gratiæ pristinæ, qualis est proportio ipsius dispositionis in tota latitudine perfectionis, quæ posit in dispositione reperiri. Verbi gratia, Si dispositio est summa, quæ possit esse, tunc tota pristinæ gratiæ intensio restituitur: Si autem dispositio habet ,,portionem mediam, vel tertiam, vel quartam ad summam dispositionem possibilem; tũc in eadem proportione pristinæ gratiæ intensio restituitur, nempe media, vel tertia, vel quarta, respectu totius intensionis, quam prius aliquis habuerat.

SED hæc explicatio non satis solida mihi videtur. Nam vt concedamus, secundùm legem quidem ordinariam, dari posse aliquam dispositionem summam, qua nulla perfectior (talem attendendo ad prædestinationem diuinam, licet non ad ipsam præcisè naturam Charitatis, quæ in infinitum maior & maior esse potest) esse in homine viatore possit; tamen sine illa ferè poterit recuperari tota intensio pristinæ gratiæ per dispositionem non vsque adeò perfectam. Patet: Quia nunquam ferè accidit, vt pristina gratia fuerit summa secundùm ordinariam legem prædestinationis; sed sæpè fuerit non adeò magna. Non est autem verisimile, quòd requiratur summa dispositio possibilis, vt secundùm eius proportionem restituatur ea gratia, quæ fuit minor, quàm summa possibilis. Itaque apparet, non satis rem hanc à Soto explicari, cùm tantùm dicit, recuperari totam gratiam pristinam per dispositionem summam. Recuperari enim etiam potest per dispositionem, quæ non sit summa; cuius tamen rei modum Sotus non declarat.

Dicendum

Dicendum est igitur, in ea *proportione* restitui plus vel minus de pristina intensione gratiæ, *quã* habet dispositio, nõ ad summam dispositionem posibilem, sed ad eam, quæ iudicio Dei (quod nobis arcanum est) vnicuiq; sufficeret ad recuperandam totam intensionem gratiæ, qua prius fuerat prædituS. Itaq; si proportione media, vel tertia, vel quarta, dispositio pœnitẽtis se habeat ad eam dispositionem, quæ ad totam pristinæ gratiæ intensionem recuperandam illi suffeciset; tunc mediam, vel tertiam, vel quartam partem intensionis gratiæ pristinæ recuperabit.

Cùm autem dicimus, secundùm hanc proportionem & hoc modo restitui pristinæ gratiæ intensionem; id intelligi debet de intẽsione pristina, vltra eum gratiæ gradum, quem pœnitens acquirit ex vi suæ dispositionis absolutè, quemque adeò acquireret, etiamsi nunq̃ fuisset prius in gratia. Exempli caussa. Habebat aliquis prius gratiam vt decem, postea verò resurgit per talẽ dispositionem, quæ vi atq; perfectione sua absolutè illi conciliat gratiam vt quatuor: Quod nũc dicimus secundùm proportionem talis dispositionis præterea illi restitui pristinæ gratiæ intensionem, de intensione reliqua vltra quartum gradum ad decimum vsque intelligi debet. Nã intensio, quæ primis quatuor gradibus continetur, non propriè rursus illi restituitur: neq; id ipsi est opus, cùm eam intensionẽ alioqui iam cõsequatur ex vi suæ dispositionis absolutè, perinde ac si nunquam anteà fuisset in gratia.

Iam verò postquam hoc modo sententia diui Thomæ explicata atq; confirmata est, facilè de aliorũ opinionibus hac de re falsis iudicari poterit. VNA est Henrici Gandauensis quodlib. 5. q. 24. vbi vult, omnes resurgere per Pœnitẽtiam ad æqualem omnino gratiam. Arbitratur enim falsissimè, gratiam neutiquam dari secundùm proportionem *dispositionis*, sed vi huius tantùm *negationis*, quòd aliquis non resistit auxilio diuino. In qua negatione cùm propriè non sit inæqualitas; concludit, neq; gratiam dari pœnitentibus inæqualẽ. Quamuis fatetur nihilominus, postea magis eam aut minus in aliis atque aliis augescere, vt quisque in studium pietatis magis aut minus incumbit.

Verùm eam opinionẽ reliqui Theologi meritò censent esse erroneam: imò verè est per se hæretica, licet author ipse, cùm pertinacia caruerit, hæreticus censeri nõ debeat. Primò: Nam habemus compertum ex Scriptura, nõ tantùm per *non resistentiam* propriè, sed multò maximè beneficio ipsius *motus* animi erga Deum, qui in nobis diuinitus excitatur, gratiam comparari. Vt ex illis locis apparet: *Conuertimini ad me in toto corde vestro*: Ioël. 2. & Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*. Et Lucæ 7. *Remittũtur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Et cap. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*. Et cap. 24. *Vt prædicaretur in nomine eius pœnitentia in remissionem peccatorum*. Quòd si Charitas & Pœnitentia per se ad gratiam conciliandam conferunt; certè maior pœnitentia & Charitas magis ad id conducent, adeoque maiorem gratiam conciliabunt.

Deinde, nam ex illa Henrici opinione sequeretur, si quis totam vitam sanctissimè traduxisset, & ad extremum lapsus in peccatum, per feruentissimam pœnitentiam demum resipiscęret, nõ plus gratiæ aut gloriæ consecuturum, quàm sceleratissimum latronem, qui itidem in extremo vitæ conuerteretur. Quod sanè est absurdũ, minimè cum bonitate atque æquitate Dei congruens.

Nec est vllius momenti Henrici fundamentum præcipuum, cùm argumentatur, gratiam datum iri secundùm merita, si secundùm proportionem dispositionis detur. Nihil minus sequitur. Non enim in gratiæ largitione proportio dispositionis ideo attẽditur, vt ipsius dispositionis bonitas per ipsam gratiam, tãquam meritum per mercedem iustè compensetur; sed vt subiecto ptectius disposito, aptè tribuatur gratiæ forma perfectior, vt tomo 2. disp. 8. de Gratia, q. 5. p. 4. recentioribus hæreticis respondimus.

ALTERA opinio fuit Ockami in 4. q. 8. & Gabrielis, & Almaini, & Maioris, & aliorum Nominalium in 4. dist. 22. hominem pœnitentem semper redire in maiorem gratiam, quàm ea fuerit, à qua exciderat. Censent enim isti, qualiscunque fuerit pœnitẽtis dispositio, semper eum beneficio Pœnitentiæ, recuperare totam gratiã, à qua exciderat: & præterea illam acquirere, quę per se respondet proportioni dispositionis. Quã sententiam Ioannes etiam Medina in suo Codice de Pœnitentia q. 8. complexus est.

SED hæc opinio magis est benigna & misericors, quàm vera & solida. Sequitur enim ex illa, eum, qui aliquamdiu sanctissimè vixisset, & postea diu etiam sceleratissimè, si ad extremũ per actum Pœnitentiæ minimum conuerteretur, in momento pristinam gratiam totam recuperaturum, eodemque apud Deum loco futurum, quo prius fuerat: Quod Sotus vbi suprà, non sanè immeritò putat esse incredibile. Et certè est contra communem existimationem sanctorum Patrum, qui rem minimè facilem esse arbitrantur, ea damna resarcire, quæ incurrit peccator. Ex quo genere est illud HIERONYMI, quod refertur d. 50. Can. *Quicunque*, & D. Thomas hîc artic. 3. arg. 2. commemorat. *Quicunque*, inquit, *dignitatem diuini gradus non custodierint, contenti fuerint animam saluare; reuerti enim in pristinum gradum, difficile est*. Atque inter ipsos homines videmus, nequaquam alicui Principi vitio verti, si à seruo flagitioso multum exigat pœnitentiæ, vt eum in gratiam pristinam recipiat.

Accedit, quòd non satis tueri potest ea opinio certissimum illud axioma Theologorum,

nempe

Universidad de Deusto
Biblioteca

nempe gratiam secundùm proportionẽ dispositionis dari, sicut definitum est in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. Fateri enim debet, aliquã omnino gratiam dari nequaq; secundùm proportionem dispositionis, videlicet pristinam: Siquidem ponit, eam totam, quantacunq; fuerit, recuperari per qualemcunq; dispositionem.

Nisi fortè authores illi responderent, dari etiam illam gratiam pristinã secundùm proportionem dispositionis non præsentis, sed præteritæ, quæ nunc videlicet reuiuiscat ad effectum conciliandi pristinã gratiam beneficio præsentis pœnitentiæ: Quod ipsum nec satis conuenienter illi axiomati Theologorum, atq; adeò neque Concilio Tridentino dici posse iudico. Ita enim Concilium Tridentinum de ea re loquitur, vt planè significet, totam gratiam, quæ pœnitenti in præsenti datur, dari secundùm præsentem illius dispositionem.

Deniq; quantum illa opinio benignitate sua pœnitentes peccatores consolatur, tantum videtur iniicere tepiditatis & facilitatis ad peccãdum iustis atq; piis hominibus, vt qui non tantopere peccatũ formidaturi sint, si sibi persuaserint, se postmodum quantulacunq; pœnitentia, totum pristinæ gratiæ gradum recuperaturos esse.

Nec verò argumenta illorum authorum tantum efficiunt, quantum ipsi volunt. Nam quòd vrgent Scripturæ testimonia, quibus absolutè significari videtur, gratiam perditam recuperari (quibus nos etiam ad confirmandam D. Thomæ sententiam vsi sumus) ea minimè prohibẽt, quò minus id tamen intelligamus fieri, non nisi secũdùm proportionem *dispositionis*. Nam & hoc satis est vt intelligamus, ei, qui non per tantam dispositionem resurgit, quanta ad recuperãdam pristinam gratiam totam requireretur, nõ propriè in ea re nocere *peccatum* præteritũ, sed suam potius tepiditatẽ, ac proinde talem sibi imputare debere, quòd se non satis ad id disponat; vt stet illud: *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque hora pœnitentiam egerit*. Ezech. 18. Quòd si nihil de pristina gratia secundùm proportionem dispositionis redire posset, tum demum præteritum *peccatum* dici posset aliquid pœnitenti nocere, cùm non sit alioqui vsq; adeò facile, talem tamque perfectam dispositionem habere, vt *per se* illius beneficio acquiratur absolutè tanta gratia, quanta fuit pristina, si fuit vtcunque magna.

Deniq; neque illud argumentum valet, quod pro eiusmodi opinione vrget inprimis Ioannes Medina. Sequeretur alioqui, inquit, quòd perpetuò puniretur pœnitens propter peccatum præteritum, atque adeò etiam tum, cùm iam in cœlo esset beatus. Semper enim propter præteritum peccatũ maneret priuatus eo gradu gratiæ, atq; adeò gloriæ, quem alioqui habuisset; si illum quidem non recuperat per pœnitentiam: nempe si dispositionẽ talem non habuerit, qualis ad totam gratiam recuperandam requirebatur, & statim post actam pœnitentiam mortuus est, nec præterea auxit gratiam.

Respondeo, illud, quod infert Medina, non sequi. Priuatio enim illa non esset propriè pœna præteriti peccati, quasi Deus adhuc *intẽderet* per illam punire peccatũ præteritum; sed esset tantùm defectus quidam consequens ex illo priori defectu, videlicet imperfectioris pœnitentiæ & dispositionis. Quemadmodum quòd innocens alioqui, qui nũquam mortaliter peccauerit, maiorem gratiam & gloriam in cœlo non habeat; priuatio quædam & defectus est, consequens ex alio quodam ipsius defectu libero: quia scilicet non vlterius in gratia processit studio pietatis, dum viueret: neq; tamen eiusmodi priuatio est aliqua pœna in cœlo. Fertur hîc alia quædam opinio Scoti falsa ad eandem fermè quæstionem pertinẽs: sed eam nos commodius discutiemus p. 3. Quare hactenus de primo satis dictum sit.

PVNCTVM SECVNDVM.

An per Pœnitentiã restituatur quis in pristinam omnino dignitatem vndequaque spectatam.

D. Thom. art. 3.

AEc Quæstio superuacanea non est, licet sit hactenus constitutum, restitui per Pœnitentiam homini gratiã & Virtutes. Dignitas enim personæ latius patere potest, quàm personæ gratia & Virtutes. Itaque rectè D. Thomas hîc art. 3. ad hanc Quæstionem adhibita distinctione respondet. Nam quædam personæ dignitas est apud Deũ; quædam apud Ecclesiam. Illa rursus est duplex: Vna *primaria*, quæ consistit in gratia & Virtutibus; quam dignitatem p. præcedenti ostensum est restitui. Altera *secundaria*, quę cernitur in quibusdam aliis rationibus, quę ad prerogatiuam aliquam coram Deo spectent. Vt Innocentia, Virginitas.

Hæc secũdaria dignitas nõ magis restitui potest, quàm potest fieri, vt quod factum est, sit infectum: id quod planè implicat contradictionẽ. Quare nec à Deo fieri potest, vt AVGVSTINVS asserit lib. 26. contra Faustum, cap. 5. & HIERONYMVS in Epistola ad Eustochium de custodia Virginitatis, & ANSELMVS libro de concordia Prædestinationis & liberi arbitrij, cap. 4. Loquimur autem hîc de dignitate Virginitatis, vt consistit etiam in puritate corporis: item de Innocentia propriè, vt idem est, quod nunquam peccasse, saltem mortaliter.

Huiusmodi dignitates p nullã pœnitẽtiã posse restitui asserimus: quia non potest fieri, vt posito, quòd corruptio, & peccatum accidit, non acciderit, sicut latius disputauimus tomo 1. disp. 1. q. 25. p. 3. vbi nihilominus etiam docuimus, quẽ admodũ (vt vocant) in *sensu diuiso* posset defendi, quod Gregorius Ariminensis in 1. d. 44. q. 1. art. 2. & Altisiodorensis lib. 1. suæ Summę, cap. 12. de Potentia Dei q. 6. & Gilbertus Porretanus super librum Boëtij de Trinitate, sentiunt, posse fieri, vt præteritum non fuerit.

Iam verò dignitas illa altera apud Ecclesiam, seu *Ecclesiastica*, ferè consistit vel in *facultate*, vel in *vsu* ritè administrandi res Ecclesiasticas, vt apud Syluestrũ videre est in Summa, Verbo, Dignitas. Hæc dignitas non semper solius pœnitẽtiæ beneficio restituitur. Quin sæpè fit, vt post impetratam culpę remissionem, maneat aliquis nihilominus priuatus dignitate Ecclesiastica, eòquòd aliqua censura vel impedimento Canonico, vt Irregularitate, tenetur adhuc irretitus, vt declarat D. Thomas hîc art. 3. & patet ex materia de Censuris, de quibus infrà q. 19. dicetur.

Nunc verò tantùm hîc notetur, non habere iam locum, quod D. Thomas secundùm Iura sui temporis hic artic. 3. scribit, eum etiam esse irregularem, qui in sui defensione alterum occidit: postea enim in Concilio Viennensi exceptus est Casus, in quo cum moderamine inculpatæ tutelæ, aliquis interficit alterum, vt patet ex Clementina vnica, de Homicidio, quæ incipit, *Si furiosus*.

PVNCTVM TERTIVM.

An opera bona ante pœnitentiam facta, eiusdem pœnitentiæ beneficio, valere incipiant ad consequẽdam vitam æternam.

D. Thom. art. 4. 5. & 6.

EX hãc ita expedimus. Opera bona, quæ aliquis antè pœnitentiam facit, in duplici sunt differentia. Quædam dicuntur mortua *priuatiuè*, quia scilicet vita gratiæ carẽt. Hæc sunt bona opera *moraliter*, quæ non etiam procedunt ex gratia, quasi ex vitali quodã principio: & appellãtur mortua priuatiuè, vt discernantur ab operibus mortuis *effectiuè*, vt Theologi etiam vocant, quæ scilicet sunt peccata mortalia, quæ mortem afferunt animæ, hoc est, eam priuant vita gratiæ. De quibus operibus mortuis loquitur Apostolus ad Hebr. 9. cùm inquit: *Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis*.

Alia bona opera ante pœnitentiam facta vocantur opera *mortificata*. Hęc sunt illa, quæ etiam ipsum peccatum antecesserunt, atque adeò processerunt ex gratia, sed per peccatum impedita sunt, quò minus habeant quendam effectum vitæ spiritualis, qui est perducere ad vitam æternã: Atq; eatenus *mortificata* dicuntur, vt D. Thomas explicat hîc art. 4.

Iam de operibus mortuis *effectiuè*, hoc est, de his, quæ sunt peccata mortalia, non hîc agimus. Ea. n. extra controuersiam est, nõ ad aliud, præterquam ad damnationem valere: iuxta illud Apostoli ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors*. Atque adeò nunquam illa viuificari possunt per pœnitentiam, sed aboleri per eam debent, vt S. Thomas art. 5. docet.

Quinimo ne peccata quidem venialia, quæ ad mortalia dispositiones quædam sunt, & proinde mortua etiam opera *effectiuè* quodammodo dici possunt, viuificari per pœnitentiam queunt, vt ad vitam æternam valeant. Sunt enim & ipsa etiam opera mala, per pœnitentiam destruenda. Itaq; Quæstio in proposito solùm est de operibus *mortuis priuatiuè*, & etiam de operibus *mortificatis*.

Et est communis sententia Theologorum in 4. d. 14. & 22. ea, quam D. Thomas hîc asserit artic. 5. & 6. viuificari quidem per pœnitentiam opera *mortificata* sic vt ad vitam æternam consequendam valeant: opera autem *priuatiuè mortua*, hoc est, bona duntaxat moraliter, non item.

PRIMVM de operib⁹ *mortificatis* patet ex fundamentis, quæ iecimus p. 1. & ex aliquibus testimoniis illic allatis. Pertinet enim ad bonitatẽ & facilitatẽ Dei erga homines, vt iusto delinquenti non adeò irascatur propter peccatum, vt independenter omnino ex futuro euentu, velit ipsum orbare gratia, quam habebãt, & mercede vitæ æternæ, quæ ipsius operibus in gratia factis debebatur; sed tantùm si is in peccato perseuerarit.

Atq; hoc quidem est fundamentũ eius, quod D. Thomas in art. 5. sumit, opera bona in gratia facta, etiam post peccatum manere in acceptatione diuina, vt si quis per pœnitentiam resipuerit, tũc demum recuperent efficaciam ad eum perducẽdum in vitam æternam; cui rei erat impedimento peccatum.

Atq; id quidem ita fieri, præter testimonia p. 1. allegata, confirmari potest illis verbis D. AMBROSII lib. 2. in Lucam: *Vide*, inquit, *quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis, non solùm ablata restituit; sed etiam insperata concedit*. Denique cùm sit ea Assertio communis omnium Theologorum, valde temerarium esset contrà opinari, vt rectè notat Sotus d. 16. q. 2. art. 5.

ALTERVM autem, scilicet opera *mortua priuatiuè*, hoc est, bona duntaxat moraliter non reuiuiscere, obscurè probat D. Thomas art. 5. sub finem corporis. Sed ratio ex eius mente formari debet hoc modo. Opera aliqua per pœnitẽtiam viuificari, aliud non est, quàm ea, beneficio Pœnitentiæ consequi, vt quatenus processerunt ex gratia, valeant efficaciter conciliare vitam æternam, remoto impedimento peccati, quod ei rei obstabat. Sed hoc non possunt beneficio Pœnitentiæ consequi opera bona duntaxat moraliter. Igitur nequeũt per Pœnitentiam viuificari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maior probatur. Quoniam secundùm legem ordinariam, non acceptãtur ad vitam æternam nisi actiones supernaturales ex parte *principij*, nempe quæ à gratia processerint, vt tomo 2. disput. 8. de Gratia, q. 6. disputauimus, eò quòd id exigat proportio, quæ esse debet apta inter merita & præmium, quod est supernaturale. Itaque ab Apostolo idcirco gratia Dei appellatur *vita æterna*. Rom. 6. Non quia sine meritis ipsa datur; sed quia datur *pro his meritis, quæ contulit gratia*, vt ex Augustino exposuimus loco citato.

Minor autem patet. Quia opera bona moraliter, quæ semel iam transierunt, vt non amplius eadem ipsa fieri possunt; ita neque possunt amplius à gratia, tanquam à principio procedere, & consequenter neque per pœnitentiam consequi, vt tanquã à gratia procedentia valeant conciliare vitam æternam.

Est autem notandum circa illud PRIMVM, q̃ diximus, opera bona *mortificatæ* viuificari, non hoc ita intelligendum esse, quasi semper beneficio pœnitentiæ totum suum valorem ad vitam æternam consequendam recuperẽt. AEstimandus enim est illorum valor non nisi secundùm eum gratiæ gradum, quem aliquis in præsenti per pœnitentiam acquirit, partim de nouo, ex vi præsentis dispositionis *absolutè*, partim ex pristina gratiæ intensione, secundùm ea, quæ declarauimus p. 1. ex sententia D. Thomæ. Hic autem gratiæ gradus sæpè minor est, quàm pristinus erat; atque ita minus tunc opera, quæ reuiuiscũt, valebunt, quàm anteà.

Ex quo intelligitur, falsam fuisse opinionem SCOTI in 4. d. 22. q. vnica, art. 2. vbi censuit, eum, qui per pœnitentiam resurgit, semper recuperare ius ad maiorem gloriam, quam antea; licet non semper recuperet maiorem aut æqualem gratiam. *Primum* probat. Quoniam gloria respondet meritis, & omnia merita præterita reuiuiscunt, & præterea accedit nouum meritum gloriæ, quod ipso pœnitẽtiæ præsentis actu continetur. *Secundum* probat: Quia gratia datur secundùm proportionem dispositionis, quæ in pœnitente aliquando est minor, quàm oporteret vt maior vel æqualis gratia, ac anteà, acquiratur.

Error huius opinionis est, quòd non satis expendit Scotus, quemadmodum gloria respondeat meritis. Nempe illis correspondet non nisi secundùm proportionẽ eius gratiæ, qua est persona ipsa prædita. Vnde fit, vt nequeat aliquis habere minorem gratiam, & simul tamen ius ad maiorem gloriam ratione meritorum; quasi alia gloria respondeat meritis, alia gratiæ, vt Scotus falsissimè opinatur. Existit enim ius hæreditatis ad gloriam ex ipsa gratia, qua videlicet cõstituimur per adoptionem filij Dei, iuxta illud ad Rom. 8. *Si filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Et quod Scriptura dicit, Deum redditurum vnicuique mercedem vitæ æternæ *secundùm opera sua*; non ad numerum operum, sed ad illorum *valorem*, quem habent, pro magnitudine gratiæ, qua persona est prædita, referri debet, ita, vt maior gloria pro operibus detur, non quò maior fuerit eorum numerus; sed quò maior fuerit eorum *valor* secũdùm personę gratiam. Fieri enim potest, vt vnus aliquis opportunitatem nactus in pluribus se exerceat operibus meritoriis, quã alius, qui sibi & Deo in rerũ diuinarum contemplatione vacet; & tamen hic maiorem gloriam consequatur, eò quòd sit præditus maiori gratia.

Ad extremum NOTANDVM est, non modò per primam Contritionem pro illius magnitudine reuiuiscere merita, & etiam gratiam pristinam restitui, sed etiam per sequentes de iisdem peccatis repetitas: imò etiam per alia quæuis opera Charitatis facta post iustificationem. Nam & inter homines videmus in redintegranda pristina amicitia, non minorem rationem haberi eorum officiorum, quæ aliquis post reconciliationem confert deinde in amicum prius offensum, quàm doloris, quem ob illatam ipsi iniuriam primò suscepit.

Item etiam reuiuiscunt merita, & restituitur gratia per attritionem vnâ cum Sacramento, & quidem secundùm eius proportionem, vt à Sacramẽto adiuuatur & perficitur. Est etiam probabilissimum, per Martyrium totam gratiam pristinam semper restitui, quandoquidem est opus summæ charitatis. Quæ omnia rectè etiam à Soto d. 16. quæst. 2. art. 2. notata sunt. Et hactenus de hac Quæstione.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De partibus Pœnitentiæ generatim.

D. Thomas 3. parte, quæst. 90.

DVO SVNT BREVITER EXPLICANDA. PRIMO, QVAENAM SINT *partes Sacramenti Pœnitentiæ secundùm orthodoxam doctrinam*, SECVNDO, *Quasnam assignent Sectarij Pœnitentiæ partes; & quàm falsò.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam sint partes Sacramenti Pœnitentiæ, secundùm orthodoxam doctrinam.

D. Thom. art. 1. 2. 3. 4.

RES HAEC FERE A NOBIS DECLARATA est suprà q. 1. huius Disputationis. Summa autem est, Sacramenti Pœnitentiæ, qua ratione illius *Materia* humanis actibus continetur, tres esse partes *integrales*, nempe Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, vt D. Thomas hic art. 1. 2. & 3. repetit, & ponitur in Concilio etiam Tridentino sess. 14. cap. 3. & in Florentino, in Decreto Vnionis. Quarũ partium vnicuique, quemadmodum verè competat ratio vera *Pœnitentiæ* Virtutis, vt versatur in abolendo peccato, quæque est materia huius Sacramenti, suprà nos exposuimus q. 2.

Et has ipsas tres pœnitentiæ integrales partes asseruit iam olim S. CHRYSOSTOMVS in sermone de pœnitentia qui extat tomo 5. post homilias 10. eiusdem argumenti; his verbis: *In corde pœnitentis contritio est, in ore eius Confessio, in opere tota humilitas*; qua scilicet Satisfactio continetur. Et subiungit Chrysostomus: *Hæc est perfecta & fructifera pœnitudo.*

Si verò de partibus *essentialibus* huius Sacramenti quæratur, tantùm duas illius esse partes dici debet: scilicet *Materiam*, quæ tribus illis actibus continetur; & *Formam*, quæ est Absolutio Sacerdotis: sicut etiam aliorum Sacramẽtorum duæ eiusmodi sunt essentiales partes, vt D. Thomas notat hic artic. 2. Atque isto modo etiam in in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 14. Pœnitentiæ partes consideratæ fuisse videntur, cùm ibi definitur, *Christiani hominis pœnitentiam post peccatum continere non modò cessationem à peccatis, & eorũ detestationem, & cor contritum & humiliatum: verùm etiam eorũdem Sacramentalem confessionem saltem in voto & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionẽ, & Satisfactionem, &c.* Quo loco absolutio Sacerdotis reliquis partib⁹ annumeratur, quatenus est pars *essentialis* huius Sacramenti.

Itẽ si Pœnitentiæ VIRTVS consideretur, quatenus scopus eius & FINIS est destruere peccatum cum quadam immutatione & emendatione vitæ; tum docet D. Thomas hic art. 4. posse diuidi Pœnitentiam tanquam in species, atq; adeò tanquam in partes suas subiectiuas, in Pœnitentiam *ante Baptismum*, & Pœnitentiam *mortalium* post Baptismum, & Pœnitẽtiam *Venialium*. Quæ diuisio Pœnitentiæ ab Augustino (vel quicunq; fuit ille author) libro de vtilitate pœnitentiæ, & de medicina pœnitentiæ, cap. 2. traditur. Ratio autem eiusmodi diuisionis est: quoniam ad aliã vitæ immutationẽ pertinet Pœnitentia *ante Baptismum*; ad aliam autem Pœnitentia *mortalium* post Baptismũ, nempe ad eam, quæ fit in reformatione vitæ prioris iam *corruptæ*; & ad aliã Pœnitentia *Venialium*, nempe vt vita spiritualis melius & *perfectius* traducatur.

Nec puto valde vtilem fore Quæstionem, Vtrum istæ tres Pœnitentiæ verè ac propriè differant specie, sicut videtur significare D. Thomas; an verò sint tantùm quasi specie distinctæ, eò q̃ ad diuersam immutationem vitæ pertinent, atque adeò diuersum quasi finem habent. Id quod etiam satis esset ad authoritatem tuendam diui Augustini, vel alterius illius authoris, qui eam Pœnitentiæ diuisionem posuit.

Cæterùm vtcunque se id habeat, vix eius diuisionis Pœnitentię aliquis vsus est, nec magnopere illa cõmemoratur ab aliis authoribus: sed illa omnino diuisio Sacramenti Pœnitentiæ, in Contritionem, Confessionem, & Satisfactionẽ, tãquam in eas partes integrales, quibus constat perfectio illius *Materiæ*, celebris apud Doctores est, de qua inprimis agitur in hoc Tractatu. Cuius ratio cũ suprà q. 1. explicata sit in genere, & infrà etiã in specie sigillatim & accuratè sit declarãda; non est cur de ea iam pluribus hoc loco agamus.

Illud tantùm obiter notetur, quod bene obseruauit hîc Caietanus artic. 2. ex mente D. Thomæ in eod. art. in respons. ad 2. Satisfactionẽ, vt est *à Confessario* imposita, atq; adeò vt est pars Sacramenti, plus valere ad remissionẽ pœnæ temporalis peccato debitæ, quàm si vltro assumeretur à pœnitẽte. Valet enim illa ratione etiam ex *opere operato*, vt Sacramenti nimirũ pars integralis. Quomodo autẽ possit Satisfactio esse huius Sacramenti integralis pars, licet absq; ea possit constare veritas huius Sacramenti, q. 1. explicauimus contra Scotum, & Durãdum, quos etiam refellit hîc Caietanus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM SECVNDVM.

Quaſnam aſſignent Sectarij Pœnitentiæ partes; & quàm falsò.

Ad art. 1. D.Thom.

DE partibus Pœnitentiæ in genere recentiores hæretici ſecus quàm orthodoxi ratiocinantur. Neq; enim admittunt, Contritionẽ, Confeſsionem, & Satisfactionem (quales Eccleſia aſſerit) tres eſſe patres Sacramenti Pœnitentiæ. Nam Confeſsionem, & Satisfactionem prorſus reiiciunt, vt ſuis locis videbimus.

Itaque ſubſtituunt ipſi alias Pœnitentiæ partes, quas dicunt eſſe DVAS; nempe *Terrores* incuſſos conſciẽtiæ ex conſideratione legis & iræ Dei aduerſus peccatum (ad quam partem referunt peccati deteſtationem ex eiuſmodi terroribus conceptam) & *Fidem* ex Euangelij promiſsione, ſiue in genere pro concione, ſiue priuatim à miniſtro annunciata, conceptam, qua quis ſine vlla prorſus formidine credat abſolutè & in particulari ſibi remiſſa eſſe peccata per Chriſtũ. Ita Proteſtantes docent in art. 11. Confeſsionis Auguſtanæ, & explicat Melanchthon in Apologia eiuſdem Confeſsionis, & Kemnitius in examine Concilij Tridentini ſeſſ. 14. cap. 3. & can. 4.

Fundamentum iſtorum in ſumma eſt: Quia per Pœnitentiam conſequimur remiſsionẽ peccatorum: Sed ſic ſe res habet, vt primùm *terroribus* concuſsi à lege, deindè ab illa tanquam à Pædagogo ad Chriſtum ablegati, *fide* remiſsionem iſtam peccatorum conſequamur. Igitur iſtę ſunt omnino partes Pœnitentiæ, nempe terrores, & fides ſupradicta.

Huc illud pertinet, quod in Apologia Confeſsionis Auguſtanæ aduerſus Catholicos, qui eam doctrinam repudiauerãt, ſcribit Melanchthon ad Carolum V. his verbis: *Negant*, inquit, *fidem eſſe alteram partem Pœnitentiæ. Quid hìc, Carole inuictiſsime faciamus? Hæc eſt propria vox Euangelij, quòd fide conſequamur remiſsionem peccatorũ. Hãc vocem Euãgelij damnant iſti Scriptores.* Hactenus ille. Quaſi hunc in modum argumentaretur: Pœnitentiâ conſequimur remiſsionem peccatorũ: Sed ad remiſsionem etiam peccatorum ducit *fides*, iuxta Euangelium. Ergo fides eſt pars Pœnitentiæ. Et conſequenter qui hoc negant; negant etiam vocem Euangelij, nimirum fide nos conſequi remiſsionem peccatorum: vſq; adeo enim turpiter, vt ſtatim oſtendemus, hallucinantur iſti Euangelici.

Caluinus autem lib. 3. inſtitut. cap. 3. ſect. 3. & deinceps, partes iſtas Pœnitentię Proteſtantium reiicit. *Nam quòd Fidem ſub Pœnitentia complectuntur, pugnat*, inquit, *cum eo, quod Paulus in Actis, capite 20. dicit, ſe Iudæis ac Gentibus teſtificatum fuiſſe in Deum Pœnitentiam, & fidem in Ieſum Chriſtum. Vbi tanquam duo diuerſa* (inquit in hoc non malè Caluinus) *pœnitentiam, & fidem enumerat.*

Quare ipſe Caluinus in illo cap. ſect. 8. partes Pœnitentiæ dicit eſſe *Mortificationem, & Viuificationem*. Definit enim ibi ſect. 5. Pœnitentiam, vt ſit *conuerſio in Deũ ex timore profecta, quæ carnis mortificatione, & Spiritus viuificatione conſtet*. Mortificationem autem hãc eſſe interpretatur *receſſum à peccato*: Viuificationem autem *renouationem mẽtis* per Spiritus ſancti gratiam & exercitium Virtutum. Quas duas Pœnitentiæ partes ait ſignificari à Dauide illis verbis, Pſal. 34. *Declina à malo, & fac bonitatem*. Et ab Eſaia, cap. 1. illis: *Diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo*.

Probat autem hanc ſuam Theologiam Caluinus non minus quàm Proteſtantes ineptè ex eo, quòd *pœnitentia*, inquit, *aliud nihil eſt, quam regeneratio hominis eò ſpectans, vt imago Dei, quæ per Adæ tranſgreſsionem fœdata, & tantùm non obliterata fuerat in nobis, reformetur*: At iſta regeneratio continetur mortificatione veteris hominis ſeu carnis, & viuificatione Spiritus: Ergo Mortificatio hæc & Viuificatio ſunt duæ partes Pœnitentiæ. Hæc ſumma eſt eorũ, quæ ad probationem huius Aſſertionis ſuæ Caluinus illic abſque rei intelligentia verboſiſsimè ſcribit. Vterque igitur error à nobis iam breuiter refellendus eſt.

Et PROTESTANTES quidem in eo errant, q; inter ipſam *Pœnitentiam* propriè, & ea, quæ quauis ratione *concurrunt*, ad Pœnitentiæ effectum, minimè diſtinguunt. Cùm enim quæritur, Quæ ſint partes Pœnitentiæ Virtutis, atque adeò Sacramenti Pœnitentiæ ſecundùm ipſius Materiã; propriè Quęſtio eſt, Quàm latè pateãt illi actus, in quibus vera & *ſpecifica ratio Pœnitentiæ* Virtutis inuenitur? Hoc non explicant Proteſtantes, cùm *terrores*, & *fidem*, partes Pœnitentiæ eſſe dicũt; ſed declarant tantũmodo, quinam etiam actus, qui propriè ſint *alterius ſpeciei*, ad effectũ conducant Pœnitentiæ, nempe ad remiſsionem peccatorum. Quòd ſi aliquid ad effectum Pœnitẽtiæ valere, ſufficit, vt id dicatur pars Pœnitentiæ; poterunt etiam iſti dicere, dilectionem Dei, & lectionem Scripturæ, & prædicationem, & alia id genus, quæ ad effectum Pœnitentiæ conferunt, eſſe partes Pœnitentiæ; quod omnino eſt abſurdum.

Nos itaq; minimè negamus, fidem in Chriſtũ legitimam, & timorem etiam concurrere ad effectum Pœnitentiæ, & ad ipſam adeò Pœnitentiam. Imò luculenter id aſſerit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. & 14. Sed dicimus, non eas eſſe propriè *partes Pœnitentiæ*, vt ſunt Contritio, Confeſsio, & Satisfactio, quibus vera & ſpecifica ratio Pœnitentiæ propriè competit, vt ſuprà q. 2. declaratum eſt. Item fidem illam *ſpecialem*, hoc eſt, temerariam perſuaſionem ſine formidine, de abſoluta & independente à propria diſpoſitione remiſsione peccatorum in particulari, quam hìc & aliàs iactant Sectarij, non modò nõ vt partem Pœnitentiæ, ſed ne vt conducentem quidem vllo modo ad Pœnitentiæ effectum admittimus.

mittimus. Eſt enim vaniſsima, vt tomo 2. diſp. 8. de Gratia, q. 4. p. 4. diligenter comprobauimus.

Itaq; calumnia eſt impudens, mendaciumq; Kemnitij magnum, quod vbi ſuprà ſcribit, nos *omnino à Pœnitẽtia excludere fidem de remiſsione peccatorum propter Chriſtum, ipſamq; remiſsionem aſcribere tantùm noſtris humanis actionibus*. Falſum eſt, vt ex illis verbis Concilij Tridẽtini ſeſſ. 6. cap. 6. perſpicuè apparet: *Diſponuntur*, inquit, *homines ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum*, CREDENTES *vera eſſe, quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt; atq; illud inprimis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitia timore, quo vtiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiã ſe conuertendo, in ſpem erigiuntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitiũ eſſe, illumq; tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea mouentur aduerſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmũ* (intellige, eam etiam, quã poſt Baptiſmum, cùm pòſt aliquis denuò iuſtificatur) *agi oportet*. Hactenus verba Concilij. Ex quibus certè conſtat, & *timorem*, & *fidem*, quæ vera nimirum atq; legitima fides ſit, ad effectum Pœnitentiæ, & ad Pœnitentiam ipſam ſecũdùm Eccleſiæ doctrinam concurrere.

Quare cùm poſtea idem Concilium ſeſſ. 14. cap. 3. & can. 4. doctrinam Proteſtantium damnat, quòd fidem ponant partem Pœnitentiæ, nõ *fidem omnino*, vt mendaciter calumniatur Kemnitius, à pœnitentia excludũt, ſed negant, fidem eſſe *propriè partem Pœnitentiæ*, atq; etiam reiiciunt illam *ſpecialem* fidem aliàs refutatam, quam in Pœnitentia iſti requirunt: Itemq; damnant errorem, quòd non agnoſcant, partes eſſe Pœnitentiæ, Contritionem, Confeſsionem, & Satisfactionem.

Hæc vis eſt ſententiæ Concilij in illo cap. 3. & can. 4. ſi ſimul vterq; locus coniungatur. In capite enim 3. ſic dicitur: *Hæc de partibus & effectu huius Sacramenti Sancta Synodus tradens, ſimul eorum ſententias damnat, qui Pœnitentiæ partes incuſſos conſcientiæ terrores, & fidem eſſe contendunt*. Et in can. 4. ita: *Si quis dixerit, duas tantùm eſſe Pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ, agnito peccato; & fidem conceptam ex Euangelio, vel abſolutione, qua credit quis, ſibi per Chriſtum remiſſa peccata, anathema ſit*.

Hæc autẽ cùm decernit Sancta Synodus, minimè negat, quin modus agendi pœnitentiam ſit, cùm aliquis agnito peccato per legem Dei illud prohibentem, iram Dei expauefcit, & deinde per fidem & ſpem à lege tanquam à Pædagogo ad Chriſtum (ſciens, *quia non iuſtificabitur ex operibus legis omnis caro*) ad miſericordiam Dei per redemptionẽ, quæ eſt in Chriſto, confugit. Hoc, inquam, non negat Concilium, cùm ſuprà ſeſſ. 6. cap. 6. eam rationem agendæ pœnitentiæ diſertè propoſuerit, vt vidimus. Sed damnat Synodus vanitatem Sectariorum, quòd fidem illam *ſpecialem* in ea re requirant, veriſq; partibus Pœnitentiæ reiectis, dicant eas eſſe Pœnitentiæ partes, quæ *propriè* non ſunt.

Quapropter ſi ex modo, quo videntur Sectarij ſpeciosè pingere iuſtificationem impij per fidem & pœnitentiam, illud detrahatur, quod à Catholicis acceperunt (nimirum pauorem iræ Dei ex cognitione legis & peccati, & refugium ad miſericordiam Dei per Chriſtum tanquã ad vnicũ ſalutis aſylum) nihil illis proprium, præter meram vanitatem *fidei ſpecialis* in ea commẽtatione reliquum erit.

Quæ cùm ita ſint, ad argumentum Proteſtãtium facilè RESPONDEMVS, eos, præter errorem fidei ſpecialis, vehementer hallucinari, cùm concludunt, id eſſe partem Pœnitentiæ, quod ad Pœnitentiam conducit, vt antè expoſitum eſt. Nec malè etiã Caluinus contra eos ex Scriptura Actor. 20. (vt vidimus) argumentatur, fidem à Pœnitentia longè differre, ac proinde non eſſe illius partem. Eſſe autem Pœnitentiæ partes neceſſarias, Contritionem, Confeſsionem, & Satisfactionẽ, quod iſti negant, infrà ſuis locis confirmabimus, cùm de illis partibus in ſpecie agemus.

Atque ex his liquidò intelligi poteſt, quemadmodum CALVINVS quoq; in aſſerendis ſuæ Pœnitentiæ partibus ſit hallucinatus, & quidem turpius, quàm Proteſtãtes. Minimè enim ſequitur, *Mortificationem*, & *Viuificationem* eſſe partes Pœnitentiæ, ſi ad ipſum effectum Pœnitẽtiæ, qui eſt *renouatio mentis per gratiam* iſta duo pertinent. Neque enim quod eſt pars *effectus* rei, pars etiam *rei* eſſe debet.

Et falſiſsimè etiam ſumit, Pœnitentiam eſſe *regenerationem* hominis: quinimo regeneratio, propriè loquẽdo, ne effectus quidem eſt omnis Pœnitentiæ; ſed eius tantummodo, quæ fit ante Baptiſmũ, in quo videlicet ſolo aliquis propriè in *nouam vitam* regeneratur.

Quòd ſi regeneratio latius vſurpetur, pro quacunq; *iuſtificatione*; ne hoc quidem iuuat Caluinum. Vt enim ſæpè dictum eſt, non illud dici debet pars *rei*, quod pertinet ad rei *effectum*. Atque hactenus de iſta Quæſtione, atque adeò de omnibus, quas D. Thomas in tertio libro ſuæ Summæ Theologicæ à ſe inſtitutæ, ante mortem ſcripſit.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Contritione (quæ est prima huius Sacramenti pars) quoad eius rationem & necessitatem.

Supplement. D. Thom. à q. 1. vsq; ad q. 5.

ATHEOLOGIS ILLIS, QVI SVPPLEMENTVM TERTIAE partis Summæ D. Thomæ ex eiusdem scriptis in 4. sententiarum collegerunt, aliqua in quinque de Contritione Quæstionibus, superuacanea repetita sunt, quæ ipse diuus Thomas suprà exposuerat, dum egit de Materia huius Sacramenti, atque etiam de Pœnitentia vt est Virtus, in Quæstionibus præcedentibus. Quod Sotus etiam d. 17. q. 2. art. 2. notat, & non immeritò reprehendit.

In Quæstione enim secũda huiusmodi Additionum agitur de obiecto *Contritionis, nempe quòd solum sit peccatum propria voluntate commissum: quam rem suprà q. 84. art. 2. ad 3. D. Thomas expediuit, & nos q. 1. eo loco, quantum satis est, declarauimus, cùm ageremus de iis peccatis, quæ possunt esse materia* remota *Sacramenti Pœnitentiæ, atq; adeò etiam Contritionis, quæ est vna Pœnitentiæ pars.*

Item in q. 4. Additionum, agitur de duratione *Contritionis, an & quomodo durare possit vel debeat per totam vitam; quod suprà q. 84. art. 8. & 9. à D. Thoma, & à nobis q. 1. p. 6. expositum est.*

Item in q. 5. agitur de effectu *Contritionis: quemadmodum scilicet Contritio valeat ad remissionem peccatorum. Quæ res satis superq; explicata est suprà à D. Tho. q. 86. & 87. & à nobis q. 3. & 4. vbi disputauimus de* efficacia *Pœnitentiæ virtutis, atque adeò Contritionis, quæ est illius actus, ad remissionem tum Mortalium, tum Venialium peccatorum.*

Præter hæc igitur, quæ in superioribus tractata sunt, sex puncta explicanda de Contritione restãt. PRIMO, Quænam sit propria ratio illius actus Pœnitentiæ, qui Contritio dicitur. SECVNDO, Quomodo Contritio differat ab Attritione. TERTIO, An Contritio sit necessaria ad salutem. QVARTO, Quando sit necessaria. QVINTO, Quanta esse debeat. SEXTO, Qualis item debeat esse. An scilicet de omnibus & singulis peccatis, & cum expresso proposito non amplius peccandi. In quorum Punctorum explicatione, si quid etiam minutum præter superius tractata fuerit vtile in illis quinque Quæstionibus Additionum de Contritione, id à nobis declarabitur.

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam sit propria ratio illius actus Pœnitentiæ, qui Contritio dicitur.

Suppl. D. Thom. q. 1. art. 1. & 2.

A QVAMVIS DESCRIPTIO CONTRItionis differentibus verbis ab aliis atq; aliis Doctoribus tradatur; tamen omnes ferè in re ipsa explicãda conueniunt. Ac ne vocabuli ambiguitate laboremus initio notãdum est, secundùm *communissimum* vocis vsum, omnes nomine *Contritionis* intelligere *dolorem aliquem* de peccatis, cum *proposito* actuali vel virtuali ea vitandi de cætero. Quando enim istud *propositum* omnino deest, non dicitur ille dolor Contritio; imò neq; Attritio quidem propriè vocari debet, vt rectius Sotus d. 17. q. 2. artic. 5. sentire videtur, quàm Caietanus, qui tomo 1. suorũ Opuscul. q. 1. de Contritione dicit, esse quãdam Attritionem sine absoluto proposito vitãdi peccata, qualem habent Vsurarij, Concubinarij, meretrices, &c. q̃ ipse proinde vocat *Attritionem impœnitentium.*

Sed vt vt sit, talis dolor seu Attritio nunquam vocatur Contritio; Imò ne pœnitentia quidem. Rectè enim S. AVGVSTINVS serm. 7. de tempore. *Multi*, inquit, *assiduè se dicunt peccatores: & tamẽ adhuc eos peccare delectat. Professio est, non emendatio. Accusatur anima, nõ sanatur. Pronunciatur offensa, nõ tollitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei.* Itaq; vt diximus, nomine Contritionis omnes intelligunt dolorem de peccatis aliquem, qui sit cum absoluto *proposito* ea vitandi de cætero, saltem *virtuali*; nempe vt ita aliquis eiusmodi dolore affectus sit, vt facilè velit impositum vitare, si hæc illi cogitatio de peccatis futuris veniat in mentem.

Cùm verò non omnem eiusmodi dolorem, sed *aliquem* dicamus intelligi propriè nomine *Contritionis*, rursus vt indagemus, quisnam igitur dolor cum tali proposito sit Contritio, præterea

ANIMAD-

A ANIMADVERTENDVM est, tribus omnino modis posse quempiam dolere de peccatis. PRIMO, vt dolor sit de peccato, non vt peccatũ & offensa Dei est, sed tãtùm vt pœnæ reatum *inducit*, aut aliud affert incommodum; vt infamiam, ægritudinem, &c. ita quidem, vt neq; actu, neq; etiã virtute eiusmodi dolor suscipiatur caussâ ipsius Dei offensi, etiamsi nulla alia ratio intercederet dolendi. Quod accidit, quando ita quis dolet de peccato, vt nisi pœnam vel aliud malum timeret, non doleret.

SECVNDO modo ita, vt dolor quidem sit de *peccato* propter pœnas, aut malum aliud; sed simul tamen *actu* vel *virtute* propterea, quòd est *offensa* Dei, etiamsi nulla alia subesset ratio dolendi, tametsi non habeatur de peccato eiusmodi dolor, tanquam de summo malo super omnia detestabili. Quod accidit, quãdo oritur ille dolor actu vel virtute ex dilectione Dei *qualicũque*, sed non ex dilectione Dei super omnia simpliciter, quæcũq; possent animum abstrahere à Deo.

TERTIO modo, vt sit dolor de peccato, quatenus est & Dei *offensa*, & *summum malum* super omnia detestabile, oriaturq; proinde vel actu, vel virtute ex dilectione Dei simpliciter super omnia.

Iam dolor PRIMO modo neq; Contritio, neque Attritio propriè nominari debet. Quoniam communiter nomine Contritionis, vel etiã Attritionis, solet intelligi dolor *bonus*: ille autẽ dolor est actus malus, vt suprà q. 2. p. 3. docuimus, & notat etiam ex orthodoxa sententia Nauarrus in Manuali, cap. 1. num. 37. Quamuis initio quidem incautè ibi videatur talem etiam dolorem approbare.

Quòd si apud Doctorem aliquem Catholicum alicubi legatur, dolorem ob *solum* metum pœnæ esse bonum, vt ipse etiam Nauarrus ibi nu. 11. loquitur; intelligi id debet de dolore, qui *actu* quidem sit propter solum eiusmodi metum; sed virtute tamen sit etiam de peccato, vt est Dei offensa; etiamsi nulla alia ratio interueniret dolendi: Quo pacto satis etiã Nauarrus illo nu. 11. declarat, id se intellexisse. Alioqui enim certissimum est, dolorem, qui nec actu, nec virtute sit etiam propter Deum, esse malum.

Dolor autem SECVNDO modo suprà dicto propriè dici solet *Attritio*, & latius etiã sumpto vocabulo, *Contritio imperfecta*: estq; eiusmodi dolor actus bonus, vt suprà q. 2. p. 3. contra Lutherũ defendimus. Ac de eiusmodi dolore in Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. sermo est, cũ ita ibi scribitur: *Illam verò Contritionem imperfectum, quæ Attritio dicitur; quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur; si voluntatem peccãdi excludat, cum spe veniæ; declarat Sancta Synodus, non sõlùm non facere hominẽ hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, nõ adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiu-*

B

C

D

tus viam sibi ad iustitiam parat. Et paulò inferius, cùm de eadem Attritione seu Contritione imperfecta dicitur, *eam quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem peccatorem perducere nequeat; tamen ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere.*

Atq; ad hunc eundem dolorem secundi modi, qui Attritio, vel Contritio imperfecta vocatur, reuoco dolorem etiam illum, qui *actu* quidem esset de peccato, nõ propter pœnas, sed solùm vt est *offensa* Dei dilecti aliquo actu dilectionis absolutè, quæ non esset tamen charitatis super omnia. Eadem enim ratio huius doloris est: siquidem non pertingit ad Contritionem perfectam.

Dolor verò TERTIO modo, qui scilicet est de peccato, vt *sup omnia detestabili*, & actu, vel virtute oritur ex dilectione Dei super omnia simpliciter, maximè propriè & perfectè à Doctoribus nominatur *Contritio*.

Hac igitur distinctione adhibita, non erit difficile, & rem ipsam tenere, & etiam intelligere, quò pertineant variæ sententiæ & dicta authorũ de ratione Contritionis; quæ licet variæ sint, nõ tamen reipsa inter se sunt pugnantes. Etenim cũ QVAERITVR, quid propriè sit *Contritio*; vsus vocabuli distinguendus est. Nã si paulò *latius* Contritio accipiatur, videlicet secundùm rationem doloris communem dolori tum SECVNDO, tũ TERTIO modo suprà dicto, aliquanto etiam latior descriptio Cõtritionis assignanda est: nempe vt sit *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, (vt peccatum nimirum & offensa Dei est) cum proposito non peccandi de cætero.*

Quibus verbis in Concilio Florentino, & postea in Tridentino sess. 14. cap. 4. Contritio definita est. Vbi etiam, quoniam ita latè vsurpatur, in duas deinde quasi species ab ipsis Cõcilij Patribus diuiditur; nempe in Contritionem *charitate perfectam*, quam proinde declarat ibi Concilium recõciliare hominem Deo, antequam Sacramẽtum ipsum actu suscipiatur: & in Contritionem *imperfectam*, quæ etiam Attritio nominatur, vt notat ibi Concilium. Contritionem autẽ charitate perfectam, vocat illum dolorem TERTIO modo antè explicato, qui videlicet oritur ex dilectione Dei *super omnia* simpliciter: Contritionem verò imperfectam vocat dolorem SECVNDO modo antè etiam exposito, qui & Attritio dicatur.

Neq; verò est audiendus hìc Caietanus, qui in 1. tomo suorum opuscul. q. 1. de Contritione putat, quandam esse Contritionem *acquisitam*, solis videlicet naturæ viribus elicitam, quæ sit detestatio peccati super omne detestabile, oriaturq; ex dilectione Dei *super omnia*, & tamẽ sit *informis*, hoc est, non coniuncta cum charitate & gratia. Quæ Contritio si esset, non iã duo membra tantùm illius Cõtritionis latius sumptæ, sicut fecit Concilium; sed tria assignari deberent, nempe

vt adderetur etiam Contritio acquiſita de peccato ſuper omne deteſtabile.

Caietano autē meritò in hac re contradicunt Nauarrus in Manuali, cap. 1. num. 36. & 37. & Sotus d. 17. q. 2. art. 5. Nam ſecundùm communiorem & tutiorem ſententiam Theologorū, quam tomo 2. diſput. 8. de Gratia, q. 5. p. 4. ipſi defendimus, *vltima* diſpoſitio ad gratiam, qualis eſt dilectio Dei ſuper omnia, & deteſtatio peccati ſuper omne deteſtabile, nunquā ſeparatur à charitate & gratia, ac proinde nunquam eſt *informis*.

Nec poteſt etiā Deus diligi ſuper omnia ſimpliciter dilectione acquiſita ſolis viribus naturalibus, vt ex certiori & ſecuriori ſententia illic etiam probauimus q. 1. p. 4. Ac omnino falſum eſt illud, quod, vt eam opinionem probet, ſumit Caietanus, conſequens videlicet fore, vt aliquis poſsit certò ſcire, ſe eſſe in Dei gratia, ſi omnis dilectio Dei ſuper omnia ſit ſemper informata charitate & gratia: quoniam quilibet, inquit, certò ſcire poteſt, ſe diligere Deū ſuper omnia. Falſum eſt. Poteſt enim formidare, num in animo ſuo aliquis occultus affectus ad peccatū aliquod mortale vigeat, quo proinde rem aliquam Deo ipſi anteponat. Et vt bene dicit Sotus d. 17. q. 2. artic. 5. ne ſi doleat quidem de peccato *vt eſt offenſa* Dei, certò ſcit aliquis, cùm quandoque contingat, vt putes, te ea ratione dolere, & tamē non doleas niſi propter pœnas.

Contritionis igitur *latius* illo modo acceptæ, vt vſurpatur & definitur (quemadmodum diximus) in Concilio Tridentino, non niſi duæ illæ ſpecies ſunt, quæ etiam aſsignantur ibi in Concilio, nempe deteſtatio peccati ſuper omne deteſtabile, charitate perfecta; & deteſtatio eiuſdē peccati, ppter pœnas (vt illic etiam explicatur) actu, & etiā ſimul actualiter vel virtualiter propter Deum, licet non adhuc ſummè dilectum, vt nos antè expoſuimus. Nec debet hīc addi pro tertio membro Contritio illa de peccato ſuper omnia deteſtabilia *informis* Caietani: quoniam nulla eſt talis, vt eſt probatum.

Si autem vocabulum Contritionis *preſsius* vſurpetur, vt ſignificat tantùm dolorem illū perfectum, & charitate formatum, qui non etiam Attritio dici ſoleat; tūc quidem preſsius CONTRITIO deſcribenda eſt: nempe, vt ſit *deteſtatio peccati ſuper omnia deteſtabilia, ex Dei etiam dilectione ſuper omnia profecta, cum ſpe veniæ, & cum actuali vel virtuali propoſito vitandi de cætero peccata inprimis mortalia, atque adeò ſeruandi omnia mandata, & peculiariter illud, quod eſt de Confeſsione Sacramentali ſuo tempore faciēda & de Satisfactione*. Ad hæc enim duo peculiarem habet reſpectum Contritio. Quod in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. explicatum eſt, cum ibi dicitur, Contritionē perfectam charitate non reconciliare hominem cū Deo ante Sacramenti ſuſceptionem niſi quatenus includit ipſius Sacramenti Votum. Atque hæc demum Contritio maximè eſt illa certa *pœnitentia quam nō niſi odium peccati & amor Dei facit*, vt ait AVGVSTINVS ſerm. 7. de tempore.

Porrò deſcriptiones aliæ Contritionis, quæ traduntur à Doctoribus, ferè pertinent ad Contritionem *latius* ſumptam, vt includit etiam deteſtationem peccati, quæ nō ſit ſuper omnia deteſtabilia. Cuiuſmodi eſt illa deſcriptio, quę primo loco ponitur à D. Thoma, q. 1. Additionum, artic. 1. *Contritio eſt dolor pro peccatis aſſumptus, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi*: Et illa Concilij Tridentini ſuprà recitata: Et illa Magiſtri in 4. diſt. 4. ex AVGVSTINO libro de vera & falſa pœnitētia, cap. 8. *Contritio eſt dolor voluntarius pro peccato puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe*. Et illa ISIDORI lib. 2. de Summo bono, cap. 12. *Contritio eſt compunctio & humilitas mentis cum lachrymis, veniēs de recordatione peccati & timore iudicij*. Quæ deſcriptio ducitur ex quibuſdam circumſtantiis ſeu accidentibus Contritionis, vt pater.

Aliæ verò deſcriptiones pertinent ad Contritionem *perfectam*, quatenus ipſa ſola efficaciter poteſt delere peccatum. Vt eſt illa AVGVSTINI ſuper Pſal. 146. in illud Dauidis: *Qui ſanat contritos corde: Contritio*, inquit, *eſt dolor remittens peccatum*. Et illa D. GREGORII homil. 22. ſuper Ezechielē. *Contritio eſt humilitas ſpiritus annihilans peccatum, inter ſpem & timorem*. Humilitatem vocat, quia eſt nimirum coniuncta cum humilitate.

Cæterùm *perfecta* Contritionis illa magis explicata definitio eſt, quam paulò antè tradidimus. Quam etiam iiſdem pœnè verbis ex communi ſententia Doctorū ponit Nauarrus, cap. 1. ſui Manualis, num. 1. Itaq; breuiter iam eius definitionis particulæ exponendæ ſunt.

Ac primum cum in illa aſſerimus, Contritionem eſſe *dolorem*, Doloris nomine intelligimus non paſsionem appetitus, ſed actum in ipſa *Voluntate*, qui ſit deteſtatio peccati, vt diuus Thomas hīc quæſt. 1. art. 2. Nauarrus vbi ſuprà, & Sotus diſt. 17. quæſt. 2. art. 1. & omnes communiter notant, ipſique ſuprà expoſuimus quæſt. 2. Atq; inde fit, vt Cōtritio *perfecta* omnino ſit actus eius Virtutis Pœnitentiæ, quæ, vt ſuprà quæſt. 2. docuimus, eſt in Voluntate. Item, vt non eſſentialiter pendeat hæc Contritio à triſtitia & dolore, qui ſolet ex ea redundare in appetitum ſenſitiuum, vt etiam in illa q. 2. ſatis declaratum eſt.

Dico autem, *perfectam* hāc Contritionem eſſe actum Pœnitentiæ Virtutis, non autem Contritionem imperfectam, quā antè ex Concilio Tridentino notauimus vocari Attritionem. Nam vt docuimus ſuprà quæſt. 2. actus Pœnitētiæ Virtutis ſemper eſt cum charitate coniunctus, habetque vim ipſe conciliandi peccatorum remiſsionem, quod non perinde facit Attritio, ſeu Contritio illa imperfecta. Quare cùm Contritio largè ſumpta, vt complectitur perfectam & imperfectam Contritionem, dici ſolet actus Virtutis Pœ-

tis Pœnitentiæ, non vna tum & eadem Virtus ſpecialis Pœnitentiæ cogitanda eſt, cuius vtraque Contritio ſit actus; ſed in communi oportet tum cogitare Virtutem Pœnitentiæ, prout ipſa etiam latè patet, & duabus quaſi ſpeciebus continetur, nempe Virtute ipſa perfecta Pœnitentiæ, de qua ſuprà quæſtione ſecunda actum eſt; & alia etiam Pœnitentiæ Virtute illi priori ſimili, à qua elicitur actus Attritionis, ſeu Pœnitentiæ imperfectæ, vt in illa quæſtione ſecunda à nobis etiam notatum eſt. Itaque Contritio ſic latè ſumpta dicetur ſecundùm hoc actus *Virtutis* Pœnitentiæ, quia erit ipſius Virtutis Pœnitentiæ *perfectæ*, ſi ſit perfecta Contritio; vel alterius Virtutis illi *ſimilis*, ſi ſit Contritio imperfecta, ſeu Attritio.

Cur autem dolor ille, ſeu deteſtatio peccati, quæ eſt in Voluntate, nominatus ſit *Contritio*, recētè declarat S. Thomas hīc quæſtione prima, articulo primo. Illud enim conteri propriè dicitur, quod cùm anteà eſſet durum quiddam & ſolidum, & non facilè tactui cedens, in minutiſsimas partes comminuitur, atque adeò deſtruitur; cùm alioqui res aliqua frangi tantùm dicatur, ſi diuiditur in partes maiores, vt notauit etiam Philoſophus 4. Meteor. ſumm. 3. capite 2. Inde autem per Metaphoram dolor de peccato, *Contritio* voluntatis dictus eſt, eò quòd per illum deſtruitur & aboletur peccatum, atque adeò quædam quaſi durities Voluntatis cōminuitur & tollitur.

Cuius enim animus peccato obſtrictus tenetur, eius voluntas dura etiam per peccatū metaphoricè dicitur, quatenus non cedit, ſed reſiſtit nimirum legi Dei: ſicut quod propriè dicitur durū, non cedit, ſed reſiſtit tactui. Vnde Exodi 7. *induratum* dicitur *cor Pharaonis*. Et ad Rom. 2. loquens Apoſtolus cum impœnitente peccatore: *Tu autem*, inquit, *ſecundùm duritiam tuam & impœnitens cor, &c.* Vt prætereā iam alia loca, in quibus vſurpatur eadem phraſis.

Ac ſecundùm iſtam quidem rationem appellationis, ille dolor de peccatis, quem antè definiuimus, qui ſit de peccato vt ſummè deteſtabili, maximè & perfectiſsimè dicitur Contritio: quoniam ille maximè peccatū delet, atq; adeò comminuit & frangit illam Volūtatis duritiem. Nec Theologorum modò, ſed etiam Scripturæ vſus eſt, vt eiuſmodi dolor Cōtritio nominetur. Vt Pſal. 50. *Cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicies*. Et Pſal. 146. *Qui ſanat contritos corde*. Et Iſaiæ 61. *Vt mederer contritis corde, miſit me Dominus*. Et aliās.

Qualis autem actus voluntatis ſit iſte dolor; vtrum ſcilicet *conditionalis*, quo nollet aliquis, ſe peccaſſe, ſi iā id eſſet poſsibile; vel *abſolutus*, quo abſolutè peccatum præteritum improbet & deteſtetur; de quo aliqui diſputant, nō eſt hīc prolixius diſputandum. Suprà enim quæſt. 2. puncto primo docuimus, vtroque modo poſſe eiuſmodi dolorem haberi, & vtroq; modo ſatis intelligi poſſe, quòd eiuſmodi dolor ſit actus Virtutis Pœnitentiæ.

Diximus præterea in definitione, Contritionem eſſe deteſtationem de peccato *ſuper omnia deteſtabilia ex dilectione Dei ſuper omnia, &c.* quod intelligendum eſt ſecundùm *æſtimationem* quandam, ſeu *appreciatiuè*, vt loquuntur Theologi; hoc eſt, vt malit aliquis, ſe non peccaſſe, quàm immunem eſſe à quocunque alio malo, quantumcunque deteſtabili; magisque peccatum exhorreat, quàm aliud eiuſmodi malum quodcunq;.

Quæ deteſtatio vt habeatur, minimè opus eſt in *ſpecie* comparare cum peccato hoc aut illud malum, nempe mortem, vel pœnam æternam, &c. Imò ſæpe temerarium & periculoſum eſt, eiuſmodi comparationes inſtituere, aut alteri, vt dolorem debitum concipiat, proponere, ſicut ſapienter notat D. Thomas hīc quæſt. 3. artic. 1. ad 4. & Nauarrus in Manuali, cap. 1. num. 21. & Sotus diſtinct. 17. quæſt. 2. artic. 4. ſed ſatis fuerit, vt in genere, ac in confuſo, cogitando omnia alia mala deteſtabilia, malit aliquis carere peccatis, quàm illis, vt idem Nauarrus ex communi ſententia illic notat. Vtrum autem debeat eſſe talis Contritio etiam intenſiuè maxima, dicemus punct. 5.

Ad extremum quod poſuimus in definitione, eiuſmodi dolorem eſſe *cum ſpe veniæ, & propoſito actuali vel virtuali vitandi peccata, & adimplendi præcepta, &c.* hoc ideo ita diximus, quia licet ex præcepto quidem, quo tempore Contritio neceſſariò habenda eſt, propoſitum etiam *explicitum* neceſſariò haberi debeat, vt infrà pūcto quarto dicemus, & ſuprà etiam quæſt. 3. p. 1. obiter notauimus; tamen extra tempus neceſsitatis præcepti poteſt eſſe vera Contritio delens peccatum, cum ſolo propoſito *virtuali*, vt rectè aſſerit & probat Nauarrus poſt alios Theologos in Manuali, cap. 1. num. 15. Et colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. vbi habetur, Contritionem iuſtificare propter *Votum* Confeſsionis, quod ipſa *includit*, nempe virtualiter.

Quod autem Sotus diſt. 17. q. 2. art. 1. diſputat, debere eſſe *expreſſum* hoc propoſitum; verum quidem eſt, loquendo de neceſsitate *præcepti*, & quando præceptum id obligat, ita, vt niſi inculpabilis incogitantia, vel defectus ſufficientis temporis excuſet, peccet aliquis, non habendo illud propoſitum *expreſsè*, quando alioqui præceptum Contritionis vrget, vt ſatis etiam Nauarrus illic ſignificauit.

Atque idem dicendum de *ſpe* veniæ, nimirum ſufficere, illam habere *virtualiter* extra tempus neceſsitatis præcepti. Etenim *tacitum* & *expreſsum* exæquari ſolent, vt probat Nauarrus ex Lege *Cùm quid*. ff. de rebus creditis, niſi quando peculiariter præceptum alicuius actus exigit illum expreſsum ſecundùm ſuam rationem formalem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Illud autem in Nauarro non probo, quòd definiens Contritionem, dixerit, eam eſſe dolorem *actualem vel virtualem*, &c. Cùm enim definitur aliquid, formaliter ipſum definitur ſecundùm ea, quæ ſunt actu de ipſius eſſentia: atque adeò cùm Contritio *formaliter* definiatur, nõ niſi formalis & actualis dolor eſſe, definiri debet; quippe cùm dolor ſit de illius eſſentia, tanquã ipſius genus. Quare in hoc rectè reprehenditur Nauarrus, tametſi id quidem tacitè, à Dominico Soto diſt. 17. quæſt. 2. art. 1.

Neque verò eſt ſimilis ratio de *propoſito*. Nam illud pertinet ad definitionem Contritionis, non niſi vt quædam illius circumſtantia, quam proinde *virtualiter* etiam ſatis eſt haberi ad veritatem Contritionis. Nec verò propterea quòd Contritio, atque adeò dolor virtualis, ſufficit extra tempus neceſsitatis præcepti ad ſalutem, vt ſuprà quæſtione tertia, ex communi ſententia (quam etiam Nauarrus illic ſequitur) docuimus; ideo rectè definietur, veram Contritionem eſſe etiam dolorem *virtualem*, id quod Nauarrum fefelliſſe videtur. In definitione enim rei alicuius, non quicunque rei modus, quo res ſufficiat ad aliquem effectum, ponendus eſt; ſed modus, quo ipſa res *eſſentialiter & in ſe ac formaliter* ſubſiſtit, & non tantùm in alio æquiualenter, ſicut Contritio dicitur æquiualenter & virtualiter ſubſiſtere in actu Charitatis, quod attinet ad effectum conſequendæ ſalutis.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quomodo Contritio differat ab Attritione.

Suppl. D. Thom. q. 1. art. 3.

EXPOSITA iam præcedenti puncto ratione Contritionis propriè dictæ, facilè fuerit explicare, quemadmodum Contritio differat ab Attritione. Vnde rurſus petemus explicationem illius etiã Quæſtionis, qua quæri ſolet, Num attritio fieri poſsit Contritio? de quo etiam diſputat Diuus Thomas hìc quæſt. 1. addition. art. 3.

Ac Scotus quidem in quarto ſentent. diſtinct. decima quarta, quæſtione ſecunda, ita de Attritione & Contritione diſputat, quaſi Contritio differat tantùm ab Attritione certo quodam gradu *intenſionis*, qui & ipſe debeat aliquamdiu quoque continuari. Ait enim, poſſe de peccato aliquem dolere ſuper omnia per ſolas naturæ vires, huncque actum, quamdiu non peruenit ad certum quendam gradum intenſionis, eſſe Attritionem: poſtea verò cùm gradum illum intenſionis aſſequitur, & in eo aliquamdiu continuatur, eſſe Contritionem, quæ proinde conciliet ipſa gratiam. Sed hæc opinio communiter reiicitur à Theologis, & planè falſa eſt, vt poſtea commodiori loco docebimus.

Item alia quædam opinio Caietani tomo primo ſuorum Opuſculorum, Tractatu de Contritione, quæſtione prima, communiter in hac materia reputatur falſa: idque meritò. Ponit enim quandam accidentalem & quaſi extrinſecam differentiam Attritionis & Contritionis, in hoc conſiſtentem, quòd eundem dolorem ſolius naturæ viribus elicitum, qui ſit quidem de peccato ſuper omnia deteſtabilia, prius non ordinet Deus efficaciter ad iuſtificationem, poſtea verò efficaciter illum ad eam ordinet, ſic, vt gratiam aliquis conſequatur per illum tandem actum, tanquam per diſpoſitionem, Deo ita miſericorditer volente. Hunc actum, cùm nondũ refertur diuinitùs efficaciter ad iuſtificationẽ, dicit eſſe Attritionem: cùm autem refertur, Contritionẽ.

Sed hæc etiam ſententia, vt dicebam, falſa eſt. Nam vt puncto præcedenti aduerſus Caietanum probauimus, nec dolor de peccato ſuper omnia deteſtabilia, neque adeò dilectio Dei ſuper omnia, ex qua ille dolor oritur, poteſt haberi ſine auxilio Dei ſupernaturali: neque vnquam talis dolor ac dilectio habetur, quin illicò aliquis eius beneficio gratiam conſequatur.

His igitur opinionibus reiectis, Sotus diſt. 17. quæſtione ſecunda, articulo quinto, quinque modis aſſerit differre Cõtritionem ab Attritione. Primò, ex parte *obiecti*: quoniam Contritio, inquit, eſt dolor de peccatis, vt ſunt offenſa Dei, ſeu quod idem eſt, propter Deum: Attritio autẽ propter pœnas. Secundò, ex parte *cauſſæ*: quia Contritio oritur ex timore filiali: Attritio ex ſeruili. Tertiò, ex *eodem* capite: quia Contritio non poteſt haberi ſolis naturæ viribus ſine auxilio ſupernaturali Dei: Attritio autem poteſt. Quartò, ex parte *effectus*: nam Contritio gratiam conciliat, ad eam diſponendo hominem ſufficienter: Attritio non item. Ex quo rurſum conſequitur quintum diſcrimen, quod *Contritio* nũquam eſt informis, hoc eſt, non perfecta à Charitate: *Attritio* autem aliquando eſt informis, nempe cùm habetur extra legitimum vſum Sacramenti Pœnitentiæ.

Mihi primum & ſecundum diſcrimen ex parte *obiecti*, & ex parte *cauſſæ*, nec ſatis expeditè, nec ſolidè videtur Sotus aſsignauiſſe. Cùm enim quæritur, Quî differat Contritio ab Attritione, ſanè de eo, quod eſt vtriuſque proprium & non commune, quæritur. Quòd autem Contritio verſetur circa peccatum, vt eſt offenſa Dei; id nõ ita proprium eſt Contritionis, quin conueniat etiam alicui Attritioni, nempe illi, quæ oritur, vt punct. 1. explicauimus, ex dilectione Dei, tametſi non ſuper omnia. Vt interim prætereamus, *virtualiter* quidem omnem Attritionem, quæ verè Attritio dici poſsit, debere eſſe de peccato vt eſt Dei offenſa, ſicut ſuprà punct. 1. ex ipſius etiã Soti ſententia confirmauimus.

Atque

Atque inde conſequitur, neq; etiam prorſus Contritionis eſſe proprium, vt oriatur ex timore *filiali*, vt ait Sotus in ſecundo diſcrimine. Qui enim propter Deum quem diligit, quemque veretur offendere, dolet; is etiam ex timore filiali dolere dici poteſt, tametſi non ita perfectè, vt ille, qui dolet ex dilectione DEI ſuper omnia.

Si igitur ex parte *obiecti*, & ex parte *cauſſæ* volumus diſcrimen inter Contritionem & Attritionem aſsignare, rectiùs dicemus, ex parte quidem *obiecti* ea re differre, quòd *Contritio* ſemper eſt de peccato, vt eſt *ſummè malum*, atque adeò ſuper omnia deteſtabile, quatenus eſt videlicet offenſa Dei, qui ſuper omnia diligatur: *Attritio* non item, etiamſi non tantùm virtualiter, ſed actu eſſet de peccato vt eſt offenſa Dei vtcunque dilecti.

Ex parte autem *cauſſæ* ſatis eſt illud tertium diſcrimen ponere, quod aſsignauit Sotus, nempe Contritionem haberi non poſſe ſine auxilio Dei ſupernaturali: Attritionem poſſe, cùm per ſe quidem non diſponat ipſa ſufficienter ad gratiam. Nec verò hìc obſtat Concilium Tridentinum, ſeſſ. 14. cap. 4. cum ponit, Attritionem eſſe Dei donum, & à Spiritus ſancti impulſu. Etenim ex argumento, quod Patres in eo loco tractant, apparet, non ita donum Dei ab illis eſſe dictam Attritionem, quaſi nunquam haberi illa poſsit abſque Spiritus ſancti peculiari impulſu & auxilio: ſed quia ſæpe certè Spiritus ſanctus ad eam peculiari inſtinctu impellit & adiuuat.

Hoc enim Patres ibi definiuerunt, vt refellerent errorem Lutheri, qui cenſebat, Attritionem facere hominem magis peccatorem, imò etiam hypocritam, atq; adeò eſſe malam. Quod dogma Lutheri vt falſum appareat, non fuit opus Patribus pronunciare, Attritionem vſque adeò eſſe donum Dei, vt nequeat aliquando ſine peculiari auxilio haberi: ſed ſatis fuit velle ſignificare, ſic illam eſſe donum DEI, vt nonnunquam habeatur Spiritu ſancto peculiariter impellente. Nam ſi vel ſemel Spiritus ſanctus ad eam impellit; certè ſequitur, eam non eſſe malam, aut facere magis peccatorem, vt Lutherus deſipuit, quem ſuprà quæſt. 3. punct. 3. nos confutauimus.

Differt igitur Contritio ab Attritione *quatuor* modis. Nempe primò, ex parte obiecti ita vt nos explicauimus, & declarat etiam bene Ioannes Medina in Codice de Pœnitentia, quæſt. 5. ſub finem. Secundò, ex parte cauſſæ, vt iam ex ſententia Soti dictum eſt; & præterea duobus vltimis modis, quos Sotus aſsignauit, atque etiam Medina vbi ſuprà, & alij.

Qua re conſtituta, non eſt difficilis explicatio illius QVAESTIONIS, Vtrum Attritio fieri poſsit Contritio? Diſtinguendum enim eſt. Nam ſi quæritur, Vtrum Attritio manens attritio, poſsit Contritio propriè dicta fieri; certum eſt non poſſe, vt rectè notat Medina loco citato: imò inuolueret contradictionem qui fieri poſſe diceret. Nam ſi eſt Attritio, differt multis modis à Contritione, vt ante expoſitum eſt, atque adeò non eſt Contritio. Itaque ſi ponitur ipſa eſſe Contritio; contradictio implicatur.

Quanquam ſecundùm opinionem quidem Scoti, atque etiam Caietani, quos paulò antè refutauimus, idem actus doloris, ſecundùm rem & eſſentiam manens idem, poteſt eſſe primò Attritio, & poſtea Contritio, ſi primò non habuerit certum gradum *intenſionis*, & poſtea habeat; vel ſi primò non ordinetur à Deo *efficaciter* ad iuſtificationem, & poſtea ordinetur. Sed iſtæ ſententiæ falſæ ſunt, vt diximus.

Si autem quæritur, Num ex Attritione, quæ ipſa non permaneat, poſsit ſecundùm ordinem ſaltem cuiuſdam ſucceſsionis, fieri Contritio, vt ex albedine v. g. dicitur nigredo fieri? ſic non dubium eſt, quin poſsit, vt rectè Caietanus quæſtione prima de Contritione notat. Nihil enim aliud id erit, quàm eum hominem, qui modò eſt attritus, poſtea fieri contritum: Si demum habeat veram contritionem, quod quotidie accidit.

Verùm eſt alius quidam modus, quo Sotus loco citato, & alij communiter ſolent concedere, attritionem, quæ propriè & intrinſecè Attritio maneat, poſſe fieri Contritionem: nempe, ſi Vocabulum, Contritio, non propriè, ſed impropriè, & largè ſumatur. In Contritione enim duo conſiderare poſſumus. VNVM eſt illius eſſentia, quam habet ex obiecto, hoc eſt, vt ſit dolor de peccato, vt eſt offenſa Dei ſummè dilecti, atq; adeò vt eſt malum ſuper omnia deteſtabile. ALTERVM quaſi extrinſecum; nimirum quòd eſt *coniuncta* cum gratia, & ab ea informatur, ſeu perficitur, vt ante dictum eſt.

Propter hoc ſecundum, quod in Contritione cernitur, omnis ille dolor, qui cum gratia coniunctus ſit, & ab ea informetur, latè atque impropriè ſumpto vocabulo, *Contritio* dici poteſt, ab ea videlicet extrinſeca conditione Contritionis, quæ eſt *coniunctio* cum gratia. Hoc igitur modo Attritio, manens Attritio, ſit Contritio tum cùm beneficio Sacramenti conſequitur homo, vt habens tantùm attritionem, perinde conſequatur gratiam, atque ſi eſſet verè contritus. Tunc enim illa Attritio, *coniuncta* eſt iam cum gratia, & ab ea quaſi informatur. Nec habet plus myſterij illud, quòd Sotus vbi ſuprà, & alij communiter dicere ſolent, Attritionem non poſſe fieri Contritionem intrinſecè; ſed bene *extrinſecè*.

Atque iſto quidem modo, vim habet Sacramentum ex *opere operato*, vt certò & ſemper faciat ex *attrito contritum*; non autem habet vim, vt eum, qui alioqui tantùm habet attritionem,

faciat

Universidad de Deusto
Biblioteca

faciat habere cõtritionem propriè dictam, hoc est, intrinsecè & ex obiecto. Ita inter alios verissimè docuit Ruardus Tapper artic. 4. fol.185.& Sotus d.17. quæst.2. art.5. Ac ratio manifesta est: Quoniam vt optimè inquit Sotus, Sacramentum non constituit aliud obiectum actui voluntatis. Prorsus vt sit improbabile, sicut idem Sotus affirmat, quod nonnulli contrà sunt opinati, scilicet Sacramentum vi sua facere, vt qui tantùm erat attritus, fiat actu contritus per veram & intrinsecam contritionem ex obiecto. Hoc enim ipsa experientia docet, non nisi contingenter planè in vsu Sacramenti quandoque accidere: id quod est argumento, non esse eum effectum Sacramenti certum, & ex opere operato.

Per distinctionem igitur facilè hunc in modum expeditur Quæstio proposita. Quod si iam vno verbo vellemus ad eam respondere, rectè & propriè à nobis diceretur, Attritionem non posse fieri Contritionem: id quod absolutè sanè respondet Diuus Thomas quæstione prima addition. articulo tertio. Quanquam nolim de illius ratione disputare. Itemque Melchior Canus in Relect. de pœnit. parte tertia, quæstione tertia, & Nauarrus in Manuali, capite primo, num. 41. qui ibidem dicit nihilominus virtute Sacramenti fieri hominem ex attrito cõtritum. Quod est intelligendum, vel extrinsecè tantùm (vt explicatum est) si secundùm *actum* Contritionis id accipiatur; vel certè habitualiter, eò quòd Sacramenti beneficio vnà cum aliis virtutibus infunditur homini habitus ipse virtutis Pœnitentiæ, quo habitualiter quidem est contritus. Atque hæc de hac re scire, satis esse videtur.

PVNCTVM TERTIVM.

An Contritio sit necessaria ad salutem.

Suppl. D. Thom. q. 2.

CERTVM inprimis est, Contritionem esse præcepto diuino necessariam. Id patet PRIMO ex Scriptura, in qua passim vsus pœnitentiæ eius, quæ hominem Deo reconciliat (id quod sine vera contritione, per virtutem pœnitentię non fit) requiritur ab homine, vt necessarius ad salutem, atq; adeò vt diuinitus præceptus: siquidem actus omnis necessarius ad salutem est præceptus, iuxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Eius generis sunt hæc Scripturæ loca. Ezechiel.18. *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et infrà: *Reuertimini & viuite.* Et Matthæi quarto: *Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum.* Nam quòd his Domini verbis præceptum contineatur, collatio eius loci cum altero, Luc.13. docet, vbi Dominus inquit: *Si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis.* Hinc enim constat requiri à Domino pœnitentiæ actũ tanquam ad salutem necessarium, & consequenter diuinitùs præceptum, vt paulò antè ex communi veroque axiomate Theologorum, & ex testimonio Christi, Matth. 19. asseruimus.

Porrò hunc pœnitentiæ actum, qui tanquam necessarius ad salutem diuino præcepto imperatus est, veram *Contritionem* esse, (vt diximus) *Primùm* patet ex eo, quòd reconciliat ipse hominem DEO, vt ex Scriptura patet; id quod non alius pœnitentiæ dolor facit, nisi vera contritio.

Secundò ex eo, quòd imperfecta contritio siue attritio, minimè à Deo tanquam ad salutem necessaria præcipitur. Neque enim est vllus casus, in quo necesse sit per attritionem procurare salutem; cùm semper satius sit, & abundè sufficiat id facere per veram contritionem. Quare dolor ille pœnitentiæ, qui in Scripturis præcipitur, non est nisi vera contritio.

Tertiò idem patet ex eo, quòd Scriptura requirit dolorem de Dei offensa proportionatum ipsi malitiæ, quæ in Dei offensa inest, ac proinde non qualemcunque, sed planè super omnia: sicut malum ipsum, offensæ Dei, non est qualecunque malum, sed omnium summmum. Id autem patet peculiariter ex illo loco Isaiæ trigesimo primo, *Conuertimini*, SICVT *in profundum recesseratis.*

Quartò probatur idem ex eo, quòd eâdem forma verborum extat præceptum huius Pœnitentiæ in Scriptura, & præceptum dilectionis Dei, quam constat debere esse super omnia. Nam vt Exodi vigesimo dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: ita etiam dicitur Ioelis secundo: *Conuertimini ad me*, nimirum per Pœnitentiam, *ex toto corde vestro.* Id autem est *ex toto corde* per pœnitentiam in Deum conuerti, ob nullam rem aliam, vel æquè, vel magis, *appreciatiuè quidem* dolere, atque ob Dei offensam: atque adeò propter illam solam dolere super omnia. Si enim ob aliquam aliam rem secundùm æstimationem quidem magis aliquis doleat, is eam rem secundùm æstimationem quoque magis amabit, quàm Deum, atq; adeò minimè hic ageret legitimam pœnitentiam: iuxta illud Matthæi decimo: *Qui amat patrem & matrem plus, quàm me, non est me dignus.* Itaque dubium esse non debet, quin vbi in Scriptura extat salutaris pœnitentiæ præceptum, ibi dolor de peccatis præcipiatur super omnia, vt etiam Sotus distinct. 17. quæstione secunda, artic. 4. rectè animaduertit.

SECVNDO probatur principaliter idem præceptum diuinum Contritionis auctoritate Patrum, qui similiter atque Scriptura, passim asseruerunt necessitatem pœnitentiæ verę ac salutaris, quæ (vt dictum est) non consistit absq; vera contritione. In specie norentur hęc testimonia: Sanctus GREGORIVS Nyssenus oratione in eos, qui alios acerbius iudicant, eum qui pœnitentiam negligit, *peccatum duplicare* affirmat. Et subiungit: *Animaduerte morbum quo affectus es: Suscipe ex eo dolorem quantum maximum potes, &c.*

Sanctus BASILIVS in quæstionibus compendio explicatis, quæst.12. *Necesse est*, inquit, *vt quæ ab Apostolis & Prophetis de pœnitentia dicta sunt, ea à nobis præstentur, vt appareant iudicia iustitiæ Dei & misericordia eius consummetur ad condonationẽ peccatorum.*

S. Gregorius NAZIANZENVS oratione in S. Lauacrum. Pœnitentiam *secundam purgationẽ* appellat, qua omnino *indigeant*, qui post Baptismum labuntur. Et ad eam citò faciendam tanquam omnino ad salutem necessariam, hortatur, ne *mors* eam præueniat, &c.

S. AMBROSIVS in lib. ad Virginem lapsam, cap.8. *Pœnitudo*, inquit, *necessaria est, sicut vulneratis medicamenta.*

S. HIERONYMVS in caput 3. Isaiæ: *Secunda*, inquit, *post naufragium tabula pœnitentia est, & consolatio miseriarum.* Similia alij.

Quod cùm ita sit, audiri minimè debet Nauarrus, qui in Manuali cap.1. num.37. inconsideratè, vt videtur, scripsit, nullum extare in Scripturis præceptum expressum, vt peccatum detestemur super *omnia detestabilia*: nec vllũ sanctorum Doctorum ita Pœnitẽtiæ præceptum, quod in Scripturis extat, interpretari. Vtrumque falsissimum est. Vbicunque enim vel in Scripturis, vel apud sacros Doctores est expressum præceptum veræ & legitimæ contritionis ac pœnitentiæ, ibi expressum præceptum censeri debet doloris de peccato super omnia. Nam hæc ipsa est ratio Contritionis veræ ac legitimæ, vt ipsemet Nauarrus eodem cap. numero primo definit, expresseque AVGVSTINVS serm. 7. de Tempore affirmat, veram ac *certam pœnitentiam non facere nisi odium peccati & amorem Dei*, vtique super omnia; qualis debet esse. Nec D. Thomas hîc aut vllus Doctorum vnquã ea de re dubitauit: quin ex omnium sententia quæst.5. addition. artic.1. affirmat dolorem de peccato debere esse summum appreciatiuè.

Huc accedit, quòd ibidem Nauarrus num.32. Contritionem, quam initio definiuerat, esse dolorem de offensa Dei super omnia dilecti, confitetur esse in quibusdam casibus, de quibus postea videbimus, necessariam, procul dubio ex diuino illo præcepto, quod in Scripturis extat. Itaque hic auctor non tantùm cum veritate, sed etiam secum ipse pugnare videtur.

SED occurrit hoc loco difficile & perplexum ARGVMENTVM huiusmodi: Sine ea Pœnitentia, quæ in Scripturis præcipitur, nunquam omnino contingit impium iustificari. At

sine Contritione, quæ sit dolor de peccato super omnia, contingit aliquando impium iustificari. Igitur Pœnitentia, quæ eiusmodi dolore contineatur, non est in Scripturis præcepta.

Maior probatur. Quoniam de ea ipsa Pœnitentia, quæ in Scriptura aliâs præcipitur, inquit Christus, Lucæ decimo tertio: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Vbi videtur nullum omnino casum ab eiusmodi lege ordinaria & vniuersali posse excipi. Item etiam de eadem Pœnitentia, quæ in Scripturis præcipitur, dicit absolutè AVGVSTINVS: *Nemo potest nouam vitam inchoare, nisi quem veteris vitæ pœnitet.*: quod dictum refertur, Can. *Omnis.* de Consecratione dist.4.

Minor autem probatur. Nam in vsu *Sacramenti* Pœnitentiæ potest aliquis iustificari etiam sine perfecta illa Contritione, quæ est dolor de peccato super omnia, vt communiter Theologi concedunt. Quæ causa est, cur in Concilio Florentino, & Tridentino, sess.14. capite quarto. Contritio ea, quæ vna quædam pars Sacramenti Pœnitentiæ est, tantùm definitur esse dolor de peccato, cum proposito non peccandi de cætero: nõ autem dicitur esse dolor *super omnia*, quasi desideraretur pars Sacramenti necessaria ad iustificationem, cùm eiusmodi dolor super omnia desideratur.

HOC argumentum ita propositum, in varias sententias de necessitate Contritionis potest impellere, quæ & suos quoque graues habent authores. Ac pro illarum sententiarum diuersitate, variè oportebit ad id argumentum respondere. Quare quid in ea varietate opinionum verisimè sentiri possit, diligenter hoc loco videndum est.

PRIMA igitur opinio, ad quam permouere istud argumentum potest, est illa Nauarri, nempe Pœnitentiam, quæ sit dolor de peccato super omnia, non esse in Scripturis præceptam. Qui proinde author facilè concederet totum illud argumentum cum eius conclusione. Propterea enim negauit, dolorem super omnia in Scripturis præcipi, quoniam vt ipse illic testimonio præsertim iam allegato Concilij Tridentini, & Florentini probat, aliquando contingit hominem sine eiusmodi dolore iustificari. Ex qua propositione extructum est illud argumentum. Sed hæc sententia omnino falsa est, vt antè ostendimus, ac proinde cùm sit illius argumenti conclusio, minimè id argumentum admitti debet: sed tanquam captiosum diluendum est; quod postea faciemus.

SECVNDA SENTENTIA est in altero extremo, Nempe dolorem de peccato super omnia vsque adeò esse præceptum, vt simpliciter etiam sit in *re ipsa* necessarius ad iustificationem, tanquam *Medium* ad finem; ita, vt nunquam omnino, ne in vsu quidem Sacramenti,

contin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

contingat, absq; eiusmodi dolore impium iustificari. Quæ opinio multos habet fautores, nempe omnes illos, qui negant, aliquando accidere, vt Confessarius ipse per absolutionem Sacramentalem remittat peccata quoad culpam, cõferendo reipsa gratiam. Ita Magister sententiarum in 4. dist. 18. Alexander Halensis 4. p. q. 80. memb. 1. Bonauentura dist. 18. part. 1. art. 2. q. 1. Abulensis in prima parte sui defensorij, cap. 6. Gabriel dist. 14. quæst. 2. Maior eadem dist. & quæst. & Ioannes Medina in Codice de Pœnitentia, Tractatu de Confessione quæst. 38. vbi fusè probat, requiri Pœnitentiam ex dilectione Dei super omnia ad iustificationem etiam in Sacramento. Quod idem videtur vrgere Petrus de Soto in instit. Sacerdotum, Tractatu de Pœnitentia passim. Itaque omnes isti ad argumentum illud propositum responderẽt, negando Minorem.

Verùm hæc sententia tot habet incommoda, vt his præsertim temporibus vix sit tolerabilis. *Primò* enim est contra receptissimum aliorum omnium Theologorum axioma, quòd Sacramẽtum suppleat ex *opere operato* defectum Contritionis, & conferat proinde nõnunquam primam gratiam reipsa. Quod sentit D. Thomas in 4. distinct. 18. quæstione prima, articulo tertio, & tertia parte quæst. 86. articulo sexto. Scotus distin. 14. quæstione quarta, articulo tertio. Durandus, & Paludanus, & alij dist. 18. Marsilius in quarto, quæst. 12. Roffensis artic. 5. contra Lutherum, Ruardus Tapper artic. 4. fol. 185. Melchior Canus in sua Relectione de Pœnitentia, Sotus, Caietanus, Nauarrus, & alij omnes recentiores passim.

Secundò pugnant aduersus eam opinionem illa omnia, quæ in assertione huius Sacramenti suprà quæst. 1. ex Scriptura & sententiis Patrum adduximus ad probandum contra Sectarios, verè datam esse Sacerdotibus potestatem reipsa remittendi quoad *culpam* peccata, per infusionem gratiæ, ad quam illi nimirum concurrant, tanquam Dei instrumenta. Quo loco satis etiam confutauimus opinionem Magistri qui censuit, Sacerdotes habere tantum potestatem declarandi, peccata esse remissa: Itemq; Alexandri, & aliorum, qui dixerunt, solùm eos habere potestatem remittẽdi quoad pœnam æternam. A qua opinione parùm, vel potiùs nihil differt, opinio Medinæ vbi suprà, qui commentus est, Sacerdotem remittere peccatum tantummodò quoad *impedimentum* ingrediendi in regnũ cœlorum; quod tantundem est, atque remittere tantùm quoad pœnam damni, vt ipse Medina tandem fatetur: qui tamen eam ipsam opinionem de remissione tantùm quoad pœnam ibidem oppugnauerat.

Et præter alia testimonia suprà quæst. 1. p. 1. allata, extat contra eiusmodi opiniones luculentum illud testimonium S. Chrysostomi libro tertio de Sacerdotio, vbi sic ait: *Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum Sacerdotibus solis licebat, &c. At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed* Purgare *prorsus concessum est.*

Tertiò, videtur iam manifestè ea opinio de necessitate Contritionis in Confessione reiecta esse à Patribus Concilij Tridentini sess. 14. capite quarto, vbi de Attritione ita dicitur: *Quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Quo loco *proximè* omnino attritionem disponere ad gratiam, si Sacramentum accedat, Patres intellexerunt. Nam remotè quidem etiam extra Sacramenti vsum disponit eiusmodi Attritio ad gratiam, vt omnes Orthodoxi sine controuersia fatentur, & ipsi etiam Patres Concilij eodem loco verbis antecedẽtibus docuerunt, cùm de illa absolutè pronunciãt, quòd sit Spiritus sancti impulsus, *non quidem adhuc inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitẽs adiutus, viam sibi ad iustitiam parat.*

Quartò accedit, quòd nisi aliquando contingeret, vt sine vera contritione in re Sacramentum conferret gratiam, exiguum admodum, vel potiùs nullum beneficium fuisset, quòd Christus instituerit, contulerit́que Ecclesiæ authoritatem remittendi peccata per potestatem Clauium regni cœlorum: imò fuisset id potiùs quoddam quasi onus & detrimentum fidelium. Essent enim obligati ad patefacienda peccata Sacerdotibus (quæ grauissima res est) nec tamen ex eo Sacerdotum ministerio in Clauium vsu certiùs sibi polliceri possent diuinam gratiam, quàm ex proprio conatu suo ad habendam veram Contritionem cum Dei auxilio: quẽ conatum perinde potuissent habere, si non fuisset illud ministerium Clauium institutum, vt optimè sanè vrget Sotus in 4. distinct. 20. quæst. 2. artic. 1.

Est igitur Tertia sententia Diui Thomæ, Scoti, Durandi, Paludani, & aliorum, quos paulò ante contra secundam sententiam citauimus, amplectenda: Nempe verum actum Contritionis formalem, vel certè *virtualem* esse quidem necessarium, vt aliquis extra Sacramenti vsum iustificetur, non autem vt iustificetur in vsu Sacramenti. Dico autem, actum Contritionis formalem vel *virtualem*. Quia suprà quæst. 3. ostendimus, per solum actum formalem dilectionis Dei super omnia, posse aliquem iustificari: In quo quidem virtualiter solùm continetur Contritio. Porrò hæc tertia sententia media est inter duas priores extremas: quarum altera, vt vidimus, non tam necessariam esse Contritionem ponit, quàm oportet: altera plùs etiam quàm oportet. Atq; vt hæc sentẽtia communior est, ita etiam verior, & omnino tenenda.

Fundamen-

Fundamentum autem illius situm est partim in lege quadam vniuersali, partim in quadam exceptione ab illa ipsa lege: quorum vtrumque nempe & lex, & exceptio, planè continetur in sacra Scriptura. Nam quod dicimus, *extra Sacramentum* neminem posse sine Contritione iustificari, id patet ex ordinaria Dei lege vniuersali, quæ locis illis continetur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis, vita viuet, & non morietur.* Ezech. 18. Et; *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Lucæ 13. Quæ loca, & alia eius generis de Contritione intelligi debent, vt antè probauimus contra Nauarrum.

Quod aũt dicimus, sine tali pœnitentia posse aliquem iustificari *beneficio Sacramenti*, id probatur. Quia casus, quo Sacramentum Pœnitentiæ vsurpatur, planè ab illa lege vniuersali exceptus est in iis Scripturæ locis, quibus continetur institutio *Clauium Ecclesiæ* ad aperiendum cœlum per veram & realem remissionem peccatorũ. Cuiusmodi inprimis est ille locus Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis.*

Hoc verò huiusmodi ratione concludi debet. Si in eiusmodi Scripturæ locis non cõtineretur illa exceptio; consequens esset, Christum, cùm potestatem Clauium instituit, non contulisse reuera suis Ministris authoritatem remittendi hominibus peccata, neque ea etiam institutione fecisse beneficiũ hominibus peculiare, quod ad facultatem attinet obtinendi peccatorum remissionem, vt paulò antè contra sententiam secundã argumentabamur. At hoc Consequens est falsissimum, vt partim antè, partim etiam superius quæst. 1. fusè disputauimus. Igitur fatendum necessariò est, eam vim esse illorum locorũ, vt exceptio illa, quam diximus, ab vniuersali lege in ipsis contineatur.

Atque hæc nimirum argumẽtandi forma facilè ostendit, doctrinam illam Theologorum, cum docent, Sacramentum Pœnitentiæ facere *ex attrito contritum*, (hoc est, sine Contritione in re ipsa posse gratiam conferre, à qua attritio, vt suprà exposuimus, nominetur Contrio extrinsecè) omnino habere solidum fundamentum in Scriptura. Oportet enim Scripturam ita intelligere sicut necesse est ne institutio diuina superuacanea atq; inutilis hominibus videri possit. Itaque omnino sentiendum est in proposito, Christum per institutionem Clauium voluisse hominum infirmitati ita subuenire, vt cùm ij alioqui non possent remissionem peccatorũ, nisi per veram Contritionem, quæ difficillimè habetur, obtinere; alium præterea haberent modum, quo etiam absque eiusmodi Contritione diuinam gratiam certò consequerentur sola attritione, beneficio potestatis Clauium, in vsu Sacramenti.

Ac simili ferè modo in Scriptura illud fundãdum est, quod grauiores Theologi hanc ipsam virtutem faciendi ex attrito contritum (hoc est, sine vera Contritione quandoque conferendi primam gratiam) tum Baptismo, tum etiam reliquis omnibus Sacramentis tribuunt. Dicendum enim est, in iis Scripturæ locis, quæ sonant, in huiusmodi Sacramentis esse vim conferendi etiam reipsa gratiam ei, qui illam alioqui non habeat, contineri *tacitè saltem* exceptionem ab illa vniuersali lege de necessitate Contritionis veræ. Id quod ea ratione probandum est: Quia nisi id concedatur, nunquam accideret, vt eiusmodi Sacramenta *reipsa* conferrent gratiam non habenti: quod pugnat, vt iam suppono, cum sententia eorum locorum Scripturæ, in quibus vis & ratio illorum Sacramentorum continetur.

Quibus rebus explicatis, facillimum iam erit illi argumento Respondere, quod suprà obiiciebamus, ad probandum, non extare in Scripturis de Contritione præceptum. Maior enim neganda est. Scilicet, absque ea pœnitentia quæ in Scripturis requiritur, nunquam contingere hominem iustificari. Et ad probationem dicendum, leges illas vniuersales, quæ in eiusmodi Scripturæ locis continentur, habere suas exceptiones, quas non voluntariè ipsi fingimus, sed in eadem Scriptura solidè fundamus, vt secundùm illam tertiam sententiam, quam sequimur, expositum iam à nobis est.

Hæc solutio & expedita, & ob eam rem etiam commodissima mihi videtur: Quoniam stat bene cum hac explicatione, non aliam Pœnitentiam, vel absolutè, vel in aliquo casu esse in Scripturis præceptam, nisi perfectam illam & verã, quæ Contritione continetur: quod omnino sentiendum est. Nam vt in locis Scripturæ, quibus extat præceptum de dilectione Dei, non nisi vnicam & vnius modi dilectionem intelligimus, quæ nimirum sit *super omnia*: ita etiam consentaneum est, vt in iis Scripturæ locis, quæ præceptum Pœnitentiæ similiter continent, non nisi vnam item Pœnitentiam intelligamus, veram videlicet & genuinam, quæ est dolor de peccato *super omnia* detestabilia. Vt enim nunquã necessaria homini ex præcepto est dilectio Dei aliqua imperfectior, quã ea, quæ sit super omnia: ita neque imperfectior Pœnitentia, quàm sit illa, quæ est vera Contritio: Quare hæc solùm in Scriptura præcipitur. Quòd autem attritio in aliquibus casibus sufficit ad iustificationem, vt iam dictum est, id non est, quia per illam præcepto de Pœnitentia propriè satisfiat; sed quia casus illi sunt excepti à lege ordinaria de necessitate Pœnitentiæ ad iustificationem.

Quod ideo notãdum putaui, ne fortè aliquis existimet, commodè in hoc proposito dici posse, vim præcepti, quod in Scriptura extat de Pœnitentia, indeterminatam tantum esse, vt scili-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cet quis vel conteratur extra Sacramenti vsum; vel certè atteratur in vsu Sacramẽti, vt incõsideratè videtur sensisse Canus in Relect. de pœnit. parte 4. quæst. 2. Hoc enim nec expeditè, nec rectè dicitur, cum in Scriptura non nisi de vnica vera pœnitentia sermo sit, cùm pœnitentia præcipitur. Quo fit, vt etiam sit in quæstione positum (vt paulò pòst videbimus) an non etiam in Sacramenti vsu teneatur aliquis necessitate quidem *præcepti* habere Contritionem, atque adeò ad id conari; licet alioqui in re ipsa (sicut hactenus dictũ est) non sit in Sacramento Contritio necessaria ad iustificationem necessitate, vt vocant, *medij*: ita videlicet, vt si ipsa in re desit, iustificationem aliquis ne in Sacramento quidem consequatur.

Quòd igitur in Scripturis extet absolutè quidem præceptum de vera Contritione, vbicunque videlicet in Scripturis Pœnitentia præcipitur, hoc modo à nobis expositum atque defensum sit: id quod etiam diligenter probauit Melchior Canus in Relectione de Pœnitentia p. 4. quæst. 1. contra Franciscum à Victoria, qui, vt ipse Canus & etiam Nauarrus vbi suprà referunt, putauit, nullum de Pœnitentia extare præceptum. Nunc eius præcepti assertione constituta, progrediendum est ad explicationem reliquorum punctorum, quæ initio huius Quæstionis præterea proposuimus circa Contritionis necessitatem.

PVNCTVM QVARTVM.

Quando sit necessaria Contritio.

Suppl. D. Thom. q. 4.

COMPLECTAR hanc rem totam maioris claritatis & distinctionis gratia, nonnullis Assertionibus. PRIMA. Minimè aliquis tenetur ex præcepto Contritionis, statim autqe peccauit, conteri. Hoc probat inter cæteros diffusè ac diligenter Ioannes Medina in Tractatu de pœnitentia quæst. 6. Quod idem asserit Sotus d. 17. quæst. 2. art. 6. Nauarrus in Manuali, cap. 1. num. 31. Caietanus in Tom. 1. opusculor. Tract. 17. q. vnica de Contr. Canus in Relectione de Pœnitentia p. 4. q. 2. & alij communiter.

Fundamentum huius assertionis est potissimum communis sensus fidelium: Qui enim non statim ac peccat, pœnitẽtiam agit, minimè eo ipso putatur *nouũ* peccatũ mortale admittere; sed tantũ manere in priori iam admisso. Deinde cũ hoc præceptum Pœnitentiæ sit *affirmatiuum*, non obligat nisi aliorum affirmatiuorum more, videlicet tempore peculiaris necessitatis.

Cæterùm in diluendis præcipuis quibusdam ARGVMENTIS, quæ aduersus hãc Assertionem obiici possunt, eamque magis declarandi occasionem præbent, non mediocris hoc loco est difficultas. PRIMVM est. Si vllum tempus est, in quo peccator non tenetur pœnitere: Igitur licebit eo tempore nolle pœnitere; seu, quod idem est, non velle pœnitere. At hoc Consequẽs est falsum, Ergo & Antecedens.

Maior probatur. Quia nemo peccat propterea, quod velit illud, quod ipsi non est peccatũ; aut quia nolit facere, quod ipsi non est ex præcepto necessarium: At ponimus in proposito, hoc, quod est, non pœnitere pro aliquo tempore, non esse peccatum: Item hoc, quod est, pœnitere pro aliquo tempore, nõ esse necessarium ex præcepto. Ergo licebit pro eo tempore nolle pœnitere; seu, quod idem est, velle non pœnitere.

Minor probatur: tum quia *non pœnitere*, non est per se bonum obiectum; contra verò pœnitere, est quiddam bonum: Ergo neque illud licet velle, neque hoc nolle. Tum quia is, qui non vult pœnitere, hoc ipso vult manere in odio & inimicitia Dei, & carere gratia diuina; quod sanè est, velle sibi maximum malum, atque adeò seipsum odio prosequi, quod minimè licet.

Et accedit huc, quòd si aliquis vellet, proximum suum esse & manere extra diuinam gratiam, absque dubio contra charitatem proximo debitam peccaret. Ergo multò magis contra charitatem, qua seipsum inprimis debet diligere, peccabit, si illud idem malum sibiipsi velit.

SECVNDVM argumentum est. Cùm primùm aliquis proximi morbum corporalem aliquo remedio depellere potest, sine mora tenetur id facere. Ergo multò magis statim, ac potest, debet remedio Pœnitentiæ sese ab animæ morte spirituali liberare, cùm longè grauius hoc sit malum, quàm quicunque morbus corporalis.

TERTIVM argumentum. Nullo momento licet esse in peccato. Igitur statim tenetur aliquis peccatum relinquere, & consequenter agere pœnitentiam, sine qua peccatum tolli nó potest. Antecedens patet. Quoniam cùm peccatum per se sit quiddam illicitum, implicatio contradictionis est, asserere, quòd esse in peccato liceat. Quam etiam ob caussam disertè D. Thomas 2. 2. quæst. 62. art. 8. affirmat, nec per modicum quidem temporis licere in peccato morari; sed quemlibet debere illud statim deserere: iuxta illud Ecclesiastici 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum.*

QVARTVM & vltimum argumentum, Videtur id præceptum de agenda pœnitentia statim, contineri illis verbis Ecclesiastici 5. *Non tardes conuerti ad Dominum: nec differas de die in diem: subito enim venit hora eius.*

Ad PRIMVM argumẽtum Melchior Canus in Relectione de Pœnitentia puncto 4. quæstione 2. & in

& in sententia quoque Sotus distinct. 17. quæstione secunda, articulo sexto, respondent, negando Maiorem. Nec rationem aliam, cur negent, reddunt, nisi quia non pœnitere, obiectum, inquiunt, est *non bonum*: quamuis neque etiam sit malum pro illo tempore, quo non vrget pœnitendi præceptum. Inde concludunt, actum, quo velit aliquis etiam pro eo tempore *non pœnitere*, esse malum: quia cùm non sit de obiecto bono, non est bonus: Et rursus cùm non sit bonus, consequitur, vt sit malus; quoniam nullus actus datur indifferens in indiuiduo, hoc est, in ipsa praxi particulari, vt Sanctus Thomas prima secundæ docet. Addunt tamen, non fore talem actum voluntatis peccatum mortale, sed solùm *veniale*, eò quòd non sit de obiecto bono, sicut oporteret.

Hæc responsio mihi non probatur. Nam esto, sit illius actus obiectum indifferens, atque adeò *non bonum*; minimè tamen inde sequitur, eum actum oportere in particulari esse malum. Poterit enim ex circumstantia finis alicuius boni honestari, vt multi alij actus, qui sunt quidẽ de obiecto indifferenti, nec tamen ideo in particulari oportet eos esse malos. Vt remouere lapidem, verbi gratia, ex obiecto actus est indifferens, qui tamen bonus ex fine reddi potest, si nimirum lapidem remoueas, vt non obstet offendiculum in via. Ita in proposito, posset aliquis tempore, quo pœnitendi præceptum non vrget, velle *non pœnitere*, vt liber ab ea animi cura & cogitatione, commodius & attentius vacaret tunc studiis, vel alicui alteri necessariæ aut vtili deliberationi.

Ab hac profectò circumstantia minimè probat Canus vel Sotus actum illum honestari non posse, posito, quòd pro aliquo tempore *non pœnitere*, obiectum sit non malum, vt illi dant, tametsi non sit bonum. Sed neque expediunt satis illam Consequentiam: Obiectum illius actus non est per se illicitum. Ergo neque actus ipse voluntatis eo nomine illicitus esse poterit, quòd tale obiectum respiciat. Nam quod dicunt, non posse eum actum vllo modo honestari; id voluntariè, sine probatione dicunt, vt iam ostensum est.

Rectiùs igitur ad id argumentum respondet Ioannes Medina in Tractatu de Pœnitentia, quæstione sexta, vbi admittit illam Maiorem argumenti, nempe quòd liceat velle *non pœnitere* eo tempore, quo præceptum pœnitendi non obligat; & tunc negat Minorem, videlicet id esse absurdum. Cùm autem in probatione eius Minoris obiicitur, obiectum illud non esse bonum, patet ex dictis, non inde sequi, quòd actus circa illud sit malus, vt contra Sotum & Canum, qui tacitè in ea re oppugnant Ioannem Medinam, demonstraui.

Cùm rursus obiicitur, id esse, velle *permanere extra Dei gratiam*: hoc verò negandum est; ac quòd rectè hoc negetur, ita ostendo: Si velle, non pœnitere, idem esset, quod velle permanere extra Dei gratiam, alterutram caussam huius assignare oporteret: nempe quia vel non pœnitere, & esse extra Dei gratiam, vnum & idem sint; vel quia vnum est consequens ex altero: vnde fiat, vt qui vult Antecedens, velit etiam, saltem tacitè, Consequens. At neutra caussa rectè in proposito assignari potest. Ergo velle non pœnitere, non est velle permanere extra Dei gratiam.

Minor probatur. Nam primùm alia ratio est huius, quod est *non pœnitere*; & alia huius, quod est, esse *extra Dei gratiam*. Itaque velle vnum istorum, non est, velle alterum expressè & formaliter. Deinde quamuis secundùm legem quidem ordinariam, bona sit ista Consequentia: Petrum non pœnitet peccati: Ergo Petrus est extra Dei gratiam; tamen non quotiescunque aliquis vult Antecedens, vult etiam Consequens, nisi Consequens ordinetur per se, tanquam medium quoddam ad Antecedens; vel è contrario; vt ratione videlicet eius ordinis, qui vult vnum, censeatur tacitè saltem & virtualiter velle alterum.

Quod probatur his exemplis. Rectè enim sequitur: Iudas punitur æterna pœna in inferno; Ergo Iudas mortaliter peccauit; & tamen Deus vult illud Antecedens, Consequens autem nullo modo. Cuius ratio est: Quia peccatum mortale non est aliquod medium per se ordinatum ad eiusmodi punitionem; sed quiddam tantùm ex accidenti ad eam *præsuppositum* præter voluntatem punientis. Item, rectè sequitur: Pœnitet me peccasse; Ergo peccaui; & tamen Antecedens volo, & non volo Consequens, videlicet me peccasse; sed detestor potiùs. Cur ita? Quia neque hic peccatum est aliquod medium per se ordinatum ad Pœnitentiam; sed quiddam tantùm ad illam *præsuppositum*, præter præsentem voluntatem eius, quem pœnitet.

Ita igitur in proposito, quamuis rectè sequitur, Hunc nunc non pœnitet; Ergo manet extra gratiam Dei; tamen non est necesse, vt qui vult illud Antecedens, velit hoc Consequens. Ac ratio est eadem, scilicet quia manere extra gratiam Dei, non est medium per se ordinatum ad hoc, vt te nunc non pœniteat: neque etiam è contrario, *non pœnitere iam*, quando quis non tenetur, est caussa aut medium eius, quod est, *manere extra gratiam Dei*. Non enim propterea, quòd te nunc, quando minimè teneris, non pœniteat; sed quia prius peccasti, manes extra

gratiam Dei. Quod ipsum, nempe priùs peccauisse, nec est medium quidem per se ordinatum ad eam rem, vt extra gratiam Dei sis; sed quiddam ex accidenti ad id *præsuppositum*.

Ad Secvndvm argumentum respondet Canus, negandam esse Consequentiam: & rationem discriminis esse dicit, quòd nemo est Dominus aut vitæ corporalis *suæ*, aut salutis, vel etiam proximi: Bene autem salutis, aut vitæ suæ spiritualis, vtpote quam suo studio, diuinitus adiutus, acquisiuit. Inde autem fieri, vt salutem ac vitam corporalem suam vel proximi statim ac potest aliquis tueri teneatur, tanquam rem videlicet non suam, sed communis omnium Domini, qui Deus est: Salutem autem ac vitam spiritualem suam possit arbitratu suo negligere, tanquam rem videlicet suam propriam.

Hæc responsio nullo modo mihi probatur. Nam vt maximè concederem, illam vtcunque explicare, quemadmodum is, qui suum commodum spirituale negligit, non peccet quidem contra *iustitiam*; aut contra fidelitatem ei debitam, qui sit Dominus peculiaris eius rei, quæ negligitur; tamen minimè ea responsio declarat, illum item non peccare contra charitatem sibi ipsi debitam, quæ videtur omnino postulare, vt statim ac quis potest, consulat vitæ ac incolumitati propriæ spirituali. Fieri enim potest, vt quis abusu etiam eius rei, cuius est Dominus, maximè peccet contra sui charitatem. Vt si quis verbi gratia in extremo vitæ discrimine ob longam abstinentiam constitutus, panem, cuius ipse est Dominus, abiiceret, neque eo ad sustentationem vti vellet; procul dubio is contra charitatem, quam sibi ipsi debet, grauissimè peccaret.

Magis igitur probo rationem, quam Ioannes Medina loco suprà citato reddidit, cur sit neganda illa Consequentia. Discrimen enim est, quòd vita corporalis, si semel amittitur, non potest ampliùs humano studio recuperari, atque ideo quando mors corporalis certò imminet nisi periculoso morbo statim occurratur; lex charitatis obligat, vt statim id fiat. Vita autem spiritualis potest omni vitæ huius tempore recuperari. Neque cùm mors alioquin non imminet, vt iam suppono, vsque adeò propinquum ac certum periculum est, fore, vt nisi statim spiritualem vitam recuperes, posteà non possis. Quare non statim præceptum Pœnitentiæ obligat. Maximè cùm aliunde ex aliis præceptis satis alioqui homo vrgeatur ad statim agendam pœnitentiam: vt scilicet vitet ea peccata, quibus alioqui tenetur obstrictus, dum eum non pœnitet, sicut statim dicemus.

Et confirmatur hæc responsio ex eo, quòd similiter, si talis aliquis morbus corporalis esset, cuius curatio sine certo aut probabili periculo differri posset; non statim esset medicina necessario adhibenda. Quemadmodum nec statim tenetur aliquis per fraternam correctionem consulere proximi saluti spirituali, si opinio est, posse perinde commodè ac vtiliter postea id fieri, vt rectè ad hoc propositum notat Medina vbi suprà.

Ad Tertivm argumentum similiter negandа est vltima Consequentia. Tenetur enim aliquis quouis momento deserere peccatum ex illo *eodem* præcepto, contra quod propriè peccatum illud sit, in quo hæret; non autem ex speciali præcepto *Pœnitentiæ*, ita, vt si non statim deserat, admittat speciale pecatum impœnitentiæ. Ac tametsi postquam iam quis est in peccato, peccatum id vitare nequeat sine pœnitentia (formali vel virtuali) minimè tamen hinc sequitur, ex præcepo pœnitentiæ ipsi ad illud peccatum vitandum necessariam esse quouis momento Pœnitentiam; sed tantùm sequitur, pœnitentiam quouis momento ipsi & possibilem esse, & etiam in reipsa necessariam, necessitate quadam *medij* ad quendam *finem*, nempe si vult statim vitare peccatum illud in quo hæret contra aliud præceptum, sicut potest sanè & tenetur vitare.

Itaque longè aliud est, pœnitentiam (formalem, vel *virtualem*, inclusam scilicet in charitate) esse omni momento necessariam peccatori, vt vitet illud peccatum, in quo est; quàm, esse illi necessariam, vt vitet *peccatum peculiare* contra præceptum speciale Pœnitentiæ. Primum verum est: Secundum autem falsum. Sicut etiam aliud est, omni momento teneri peccatorem deserere peccatum aliquo tandem præcepto, nempe illo ipso, aduersus quod peccauit; aliud verò, ad id teneri propriè & per se *speciali* præcepto *Pœnitentiæ*. Primum verum est, idque solum vult D. Thomas in argumento citatus: Secundum autem falsum.

Ad Vltimvm, Sotus, Canus, Medina, Nauarrus vbi suprà, & alij communiter ac bene respondent, locum illum Ecclesiastici continere quidem salutare consilium, non autem præceptum. Vel possumus dicere, explicari illo loco, eam esse vim omnium præceptorum communium, vt necesse sit statim agere pœnitentiam, non ad vitandum peculiare peccatum impœnitentiæ, sed ad deserendum alia peccata, in quibus alioqui hæret aliquis contra alia præcepta. Atque hactenus de Prima Assertione sit dictum.

Secvnda Assertio. Non tenetur homo habere Contritionem tum, cùm peccatum commissum, aut speculatiuè (vt res quædam absolutè) aut practicè (hoc est, vt quiddam agibile, seu detestabile) memoriæ occurrit. Ita Adrianus in 4. q. 3. de Confessione, Caietanus tomo primo, opuscul. opusculi, quæst. vnica de Contritione, Sotus distinct. 17. quæstione secunda, articulo sexto, Canus in Relectione de Pœnitentia, parte quarta, quæstione secunda, Ioannes Medina Codice de Pœnitentia, tract. 1. quæstione sexta, Nauarrus in Manuali, capite primo, num. 32. contra communem antiquorum Theologorum sententiam (vt eam appellat Nauarrus) qui arbitrati sunt, esse peculiari præcepto Contritionem necessariam, quoties peccatum commissum *practicè* saltem occurrit memoriæ. Quod sensit Alexander Halensis quarta parte, quæstione 68. m. 2. articulo secundo, §. 1. Diuus Thomas in 4. distinct. 17. quæstione tertia, articulo secundo, quæstiuncula quarta. Richardus distinct. 14. articulo nono, quæstione prima. Paludanus distinct. 17. quæstione prima, articulo 3. Gabriel ead. d. Syluester, verbo Dominica, q. 6. dicto 4. & alij.

Ratio autem nostræ Assertionis est: Quoniam, vt suprà dictum est, habet præceptum hoc Pœnitentiæ naturam aliorum præceptorum *affirmatiuorum*, quæ non obligant nisi pro tempore peculiaris alicuius necessitatis. At hæc peculiaris necessitas non illico existit ex cogitatione vel memoria practica eius rei, in qua versatur actus ipse præceptus. Quare vt non statim confiteri teneris, si de peccatis cogites: ita neq; conteri, nisi pro certo tempore. Potes enim tùc, cùm de peccato cogitas, suspendere omnem voluntatis actum circa ipsum, ita, vt neque illud approbes, neque eius te pœniteat. Neque hoc pro tempore quidem, quo necessitas alioqui Contritionis non vrget, ad contemptum Dei pertinebit, vt falsò quidam authores cõtrariæ sententiæ arbitrati sunt.

Si verò alteruter actus voluntatis erga peccatum, cùm eius cogitatio subit, eliciendus sit, scilicet vel complacentiæ, vel Pœnitentiæ, certum est, necessariò ex ea quidem hypothesi, debere elici actum Pœnitentiæ, non ex ipso præcepto affirmatiuo Pœnitentiæ, sed ex vi præcepti alterius, contra quod est ipsum peccatum, atque adeò complacentia de illo.

Atque hoc modo fortasse potest illud intelligi, quod Diuus Thomas in 4. sentent. distinct. 17. loco citato dixit, peccatorem debere pœnitere, cùm occurrit memoria peccati: vt sit sensus, debere quidem, non absolutè quoad exercitium actus, sed ex hypothesi, seu quoad actus *specificationem*, vt scilicet, si actus aliquis circa peccatum eliciatur; debeat necessariò esse pœnitentiæ, non complacentiæ: id quod ferè in ipsa praxi locum habebit, cùm rarò fiat, vt aliquis, occurrente cogitatione, præsertim practica, de peccato, cohibeat omnem voluntatis actum erga illum, sicut bene notauit Canus vbi suprà, qui & ipse eo modo arbitratur exponi posse dictum illud D. Thomæ.

Ex quibus apparet, multò minus esse probabile, quod quidam ex illis Doctoribus dixerũt, etiam de peccato prius remisso debere hominem tum conteri, cùm illud occurrit memoriæ practicè; idque toties, quoties occurrat. Postquam enim semel peccatum est condonatũ beneficio Sacramenti, nunquam ampliùs tenetur aliquis habere Contritionem de illo, vt habet communis sententia Theologorum. Quamuis id quidem esset consultum, vt quàm frequẽtissimè aliquis de eodem peccato contereretur, nisi fortè memoria illius frequens, esset alicui periculosa: tunc enim potius esset obliuione obruendum.

Tertia Assertio. Neque tum necessariò obligat Contritionis præceptum, cùm est dies festus, vt falsò senserunt aliqui relati à Ioanne Medina in Tract. 1. de pœnit. q. 6. sub finẽ. Quam opinionem rectè ibi confutat Medina; sicut etiã Sotus in 4. d. 17. q. 2. art. 6. & Canus 4. p. de Pœnitentia, quæst. 2. Fundamentum nostræ assertionis est. Quia neq; diuino, neq; Ecclesiastico iure constat, neque aliqua ratione bona probari potest, diei festi circumstãtiam facere, vt vrgeat præceptũ Contritionis. Aut enim id colligeretur ex natura actuũ *Religionis*, qui sunt in die festo præcepti; nempe vt Sacrum audiatur; vt ab operibus seruilibus vacetur, &c. Vel ex *fine*, cuius caussa eiusmodi Religionis actus tunc imperantur, qui est, vt Deus in illis maximè diebus super omnia diligatur. At ex neutro capite rectè id colligi potest.

Nam *ratio* & substantia actuum illorum Religionis, alia est â ratione Cõtritionis, & sine hac omnino possunt exerceri secundùm suam substantiam, secundùm quam nimirum sunt imperati. Item *finis* præcepti minimè cadit in ipsum præceptum. Quare dilectio Dei super omnia, quæ est finis Religionis festorum, non cadit in ipsum præceptum de Obseruatione festorũ. Sed neq; etiam absolutè præceptum ipsius Charitatis obligat die festo; vt probauimus Tomo tertio, disp. 3. q. 19. p. 1. contra Scotum in 3. d. 27. q. vnica: cui proinde tribuit etiam Sotus vbi suprà, quòd senserit, præceptũ etiam Contritionis obligare diebus festis; quia scilicet nequeat dilectio Dei super omnia haberi sine Contritione.

Sed id quidem Scotus non dicit. Neq; etiam videtur esse consequens ex eo, quod Scotus dicit de dilectione. Nam quamuis necessitate saltem præcepti, tempore quo necessaria Contritio est, sit necessaria dilectio Dei, eo quod dilectio naturâ sua est principium Contritionis, vt diximus tomo tertio, non tamen vicissim necesse est expresè cõteri tempore quo necesse est diligere: Cùm non similiter Contritio sit origo dilectionis. Sed cuiuscumque tandem sit illa opinionis de præcepto Contritionis obligante in die festo, falsa est: cùm neque id præceptum colligatur

ligatur ex natura actuum Religionis, qui sunt exercendi in die festo; neque ex illorum fine, qui est Dei dilectio, vt iam probatum est.

Quarta Assertio. Neque obligat præceptum Contritionis tum, cùm Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ vsurpandum est, & consequenter minimè ad dignum vsum eiusmodi Sacramentorum requiritur, vt quis *putet saltem* se habere Contritionem. Neque enim hæc existimatio *per se* requiri potest, sed *per accidens*, si videlicet præceptum aliquod tunc ab homine exigeret veram Contritionem, atque adeò conatum ad illam, sic, vt homo putet, aut putare probabiliter posit, eam se habere: quod præceptum cùm in Assertione negemus, consequenter etiam, vt dixi, negamus in eiusmodi Sacramentorum vsu requiri *putatam* Contritionem.

Hanc verò Assertionem, quod attinet ad Sacramentum *Pœnitentiæ*, pono peculiariter contra Sotum, qui in 4. distinct. 17. quæstione secunda, articulo sexto, putat, toties præceptum Contritionis obligare, quoties obligat præceptum Confessionis, atque adeò tunc requiri existimatam saltem Contritionem. Quod autem attinet ad Sacramentum *Baptismi*, eam item Assertionem pono contra Nauarrum, qui in Manuali, cap. 1. numero 38. non improbans, quod Sotus in 4. loco citato, & distinct. 12. quæstione prima, articulo quarto, & distinct. 18. quæstione tertia, articulo secundo, & distinct. 20. quæstione secunda, articulo primo, & libro secundo, de natura & gratia, capite 15. asserit, in vsu Sacramenti Pœnitentiæ requiri Contritionem saltem secundùm conatum & *opinionem* pœnitentis, atque adeò ex præcepto: Hoc, inquam, non improbans Nauarrus, existimat item, eodem modò esse necessariam Contritionem in vsu Baptismi; quod tamen de Sacramento Baptismi Sotus locis citatis negat.

Item est hæc nostra assertio quoad vtramque partem, contra Doctores aliquos, qui sine vlla exceptione absolutè asserunt, præceptum Contritionis obligare, quando suscipiendum vel administrandum est aliquod Sacramentum: id quod ita absolutè affirmat Nauarrus vbi suprà numero 31. & Ioannes Medina Tractatu 1. de Pœnitentia q. 6.

Nostra autem assertio est expresè D. Thomæ: vbicunque is docet, *Attritionem* sufficere ad dignè suscipienda illa Sacramenta, ac proinde minimè peccare eum, qui sciens, se esse propter peccatum mortale spiritualiter mortuum, ad illa accedit; qui procul dubio dum eam conscientiam habet, nondum adhuc existimat se habere veram Contritionem. Id autem docet D. Thomas 3. p. quæstione 79. articulo tertio ad 2. & quæstione 80. articulo quarto ad 2. & in 4. distinct. 24. quæstione secunda, articulo tertio, quæstione prima ad 3. Item est reuera ea assertio aliorum omnium Doctorum, qui vbique absolutè dixerunt, in Sacramento Baptismi & Pœnitentiæ sufficere Attritionem, vt patet in 4. præsertim distinct. 14. & 17. quorum nullus ante Sotum (quod ego sciam) addidit, oportere, vt talis Attritio *putetur saltem* Contritio, atque adeò requiri ex præcepto, vt homo in eiusmodi Sacramentorum vsu conetur habere Contritionem; quæ videtur planè fuisse opinio tantùm ipsius Soti singularis, quemadmodum & ipse quoque tanquam suam peculiarem vbique eam inculcat, nullius authoritate Doctoris pro se citata.

Item est nostra illa Assertio expresè & nominatim doctissimi Ruardi Tapperi in explicatione articulorum Louanienſium articulo quarto, fol. 185. vbi authoritate tum D. Thomæ, tum aliorum Doctorum, atque etiam ratione ex instituto probat, Attritionem, quæ etiam Attritio existimetur, satis esse ad dignè & cum fructu suscipienda illa duo Sacramenta. Quod ipsum & alios Theologos D. Thomæ Sectatores sentire, ipse Sotus in 4. d. 12. quæst. 1. art. 4. confitetur.

Et certè Melchior Canus in Relectione sua de Pœnitentia p. 4. paulò post quartam propositionem, disertis verbis affirmat, Deum minimè exigere Contritionem ab eo, qui Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ suscipit, sed Attritione tunc contentum esse. Quòd si diuinum præceptum Contritionem tunc non exigit; certè nec requiretur, vt putet tunc aliquis, se Contritionem habere.

Iam probatur Assertio *primò* eadem ratione, qua D. Thomas, Ruardus, Canus optimè illam confirmant. Nam Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ, ad eam rem per se & primariò institùta sunt, vt conferant *reipsa* gratiæ vitam iis, qui ea carent, & spiritualiter per peccatum sunt mortui: & ex sententia Scripturæ sacræ docet D. Thomas locis anteà citatis. Et patet peculiariter de Baptismo ad Eph. 5. vbi propterea vocatur lauacrum *regenerationis* in nouam scilicet vitam: iuxta illud quoque Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Item de pœnitentia, Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam, &c. vita viuet. Igitur minimè peccat, sed conuenienter potius naturę horum duorum Sacramẽtorum facit is, qui ad illa accedit, vt eorum beneficio vitâ spiritualem consequatur, *sciens* se eam nondum habere.

Secundò potest etiam ex eodem fundamento formari argumentum hoc modo: Contritio in reipsa non est necessaria ad effectum primarium eiusmodi Sacramentorum percipiendum: imò obstat potiùs, quò minus ille sequatur. Igitur absurdum

absurdum esset præceptum, quod Contritionẽ ad eam rem requireret, vt conuenienter & fructuosè ista Sacramenta suscipiantur: quemadmodum absurdè certè faceret Medicus, qui ægroto præciperet, vt non susciperet medicamẽtum, nisi priùs conatus esset absque medicamento morbũ depellere, & arbitraretur, id iam se effecisse.

Tertio confirmo hanc assertionem authoritate Concilij Tridentini sess. 14. capite quarto, vbi Patres docent, Attritionem propter peccãti *turpitudinem*, aut *pœnas* inferni conceptam, *si cum spe veniæ coniuncta sit, & voluntatem peccandi excludat, quamuis sine Sacramento nequeat peccatorem ad iustificationem perducere, tamen eum disponere ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam*. Ex quo loco planè colligitur, ad iustificationem in Sacramento non requiri Attritionem, quæ *putetur* Contritio: quinimò eam sufficere, quæ etiam existimetur attritio. Etenim attritio propter turpitudinem peccãti, aut pœnas inferni, de qua loquitur ibi Concilium, quamdiu retinet tantùm rationem talem, non potest à prudenti putari Contritio. Hæc enim debet habere aliud obiectum formale, nempe vt sit de peccato, non tantùm quatenus turpe, vel quatenus inducit pœnæ reatum, sed inprimis vt est contra Deum summè dilectum. Concilium autem, illam attritionem, etiamsi nullum aliud *obiectum* formale habeat, præterquam peccatum vt *turpe*, aut quatenus inducens *pœnæ* reatum, asserit, sufficere in Sacramento ad gratiam impetrandam, modò sit cum spe veniæ, & excludat peccandi voluntatem. Non enim tantummodò significat ibi Concilium, quòd disponat remotè talis Attritio, ad iustificationem in Sacramento impetrandam (quo quidem pacto etiam extra Sacramentum disponit, vt superius quoque argumentabamur) sed vult vtique eam disponere ad iustificationem in Sacramento impetrandam *proximè & sufficienter*.

Iam verò si Attritio, putata Contritio, non requiritur in Sacramento, vt reipsa iustificeris; certè consequitur, Contritionem in Sacramento non esse ex præcepto necessariam. Si enim ex præcepto necessaria tunc esset, non contingeret in Sacramento iustificari nisi secundum conatum saltem & existimationem tuam ibi adhiberes Contritionem. Ac propterea Sotus putatam Contritionem putauit requiri ad iustificationem in Sacramento, quoniam opinatus est, ex præcepto esse ibi Contritionem necessariam. Itaque in vtroque est falsus.

Animadvertendvm autem est hoc loco, nos cùm attritionem censemus ad rectum ac etiam fructuosum vsum Sacramenti Pœnitentiæ sufficere, nouisi eam Attritionem existimare, quæ Attritionis nomen in disputatione huiusmodi Theologica verè & propriè mereatur, qualem suprà puncto primo descripsimus. Etenim talis Attritio habere primò debet aliqualem respectum ad Deum, ita scilicet, vt sit de ipso peccato cogitato vt est contra Deum, seu vt Dei offensa: quamuis ratio, quæ actu & formaliter moueat ad dolendum de illo, sit eius turpitudo, vel pœnæ reatus, vel quid simile. Secundò debet hæc Attritio *virtualiter* saltem esse dolor talis, vt etiamsi nulla alia caussa dolendi esset præterquam ipse Deus, adhuc hominem peccati pœniteret, sicut explicuimus quoq; in illo puncto primo.

Hæc demum Attritio est Pœnitentia quædam *secundùm Deum*, qualis etiam in Sacramento requiritur, vt rectè attigit Nauarrus in Manuali, cap. 1. litera D. (aliàs numero 45.) & latiùs confirmauit Ruardus Tapperus articulo quarto, fol. 187. & 188. aduersus quorundam falsam opinionem, qui censuerunt, per qualemcunque peccati detestationem (etiamsi nihil cogitetur de offensa Dei sed tantùm de infamia aut pœna consequenti, &c.) posse aliquem beneficio Sacramenti gratiam obtinere, modò inuincibiliter ignoret, se non esse ad id sufficienter dispositum. Quod nimis est laxè dictum. Cùm enim tota illa actio & administratio Sacramenti, Dei authoritate geratur, & ad instaurandam hominis amicitiam cum Deo spectet; omnino est consentaneum, vt peccator iam adultus, qui beneficio eiusmodi Sacramenti iustificatur, aliquo ibi actu Pœnitentiæ peccatum detestetur *secundùm Deum*, vti dictum est, ne nihil ipse videatur ad eius ministerij effectum voluntate sua cooperari.

Arbitror autem, huiusmodi Attritionem, *secundùm Deum* esse, & in Sacramento sufficere posse, non modò cùm dolet aliquis de Dei offensa propter supernaturales inferni pœnas, sed etiam cùm de eadem Dei offensa dolet propter infamiam, vel ipsam peccati turpitudinem (vt satis apertè in Concilio Tridentino sessione 14. capite quarto, indicatur) aut etiam ex amore Dei naturali: quamuis de his quidem Ruardus vbi suprà, contra sententiam aliorum Theologorum, quam ibi commemorat, nonnihil dubitet.

Et certè negari non debet, quin quando ratio formaliter mouens ad Attritionem, est supernaturalis (vt est illa, propter inferni pœnas) multò magis Attritio in Sacramento sufficiat. Est enim talis Attritio semper Dei donum, hoc est, nequit sine peculiari Dei auxilio & impulsu haberi, cùm sit de obiecto supernaturali, vt bene notauit Canus in Relectione de Pœnitentia, parte 3. quæst. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex qua ſententia facilè poteſt explicari locus Concilij Tridentini ſeſs. 14. capite quarto, vbi dicitur, Attritionem eſſe Dei donum, quatenus ibi eſt ſermo de attritione propter pœnas inferni: quanquam ex ea parte, qua etiam ibi eſt ſermo de attritione, quæ concipitur ex conſideratione naturali turpitudinis peccati, bona eſt illa explicatio, quam nos ei loco adhibuimus puncto ſecundo, cùm declararemus diſcrimen Attritionis & Contritionis ex parte cauſſæ. Quod ſanè procedit, loquendo de attritione, quæ habet pro motiuo rationem aliquam naturalem. Quam attritionem etiam Canus vbi ſuprà affirmat poſſe haberi ſine Dei auxilio peculiari.

Nunc ita expoſita & confirmata noſtra Aſſertione, argumentis Soti & Nauarri contra illam, breuiter reſpondendum eſt. Ac Sotvs quidem dupliciter probat, præceptum Contritionis obligare in Sacramento Pœnitentiæ. *Primò*: Quia niſi aliquis doleat de peccato, vt eſt offenſa Dei; non erit reuera Confeſsio talis qualis eſſe debet, nimirũ accuſans & improbans peccata, vt ſunt contra Deum.

Secundò: Quia cùm præceptum diuinum de Contritione, ſit alioqui quoad tempus obligationis, indeterminatum; ipſa Eccleſia videtur id tempus determinaſſe, cùm imperat Confeſsionem, id eſt, Sacramenti Pœnitentiæ vſum ſingulis annis.

Et *tertiò* in confirmationem huius opinionis addi poteſt, quòd in Concilio Florentino, & Tridentino, & communiter à Doctoribus dicitur Contritio eſſe vna ex tribus *partibus* huius Sacramẽti: Ergo quando tenetur aliquis Sacramentum iſtud vſurpare, etiam tenebitur habere Contritionem.

Navarrvs autem vbi ſuprà itidem probat, Contritionem in Baptiſmo *ſaltem putatam*, atq; adeò ex præcepto, requiri. Quam ad rem ea Scripturæ & Patrum teſtimonia vrget, quibus Pœnitentia etiam in Baptiſmo abſolutè requiritur. Ex quo genere inprimis videtur eſſe illud D. Petri, Actor. 2. *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrùm, in remiſsionem peccatorum veſtrorum*. Vbi loqui videtur de eadem Pœnitentia, quæ aliàs in Scriptura requiritur, nempe de Contritione.

Ad *Primum* argumentum Soti ita reſpondeo. Vt intelligamus, in Confeſsione Sacramentali contineri quandam velut accuſationem peccati, vt eſt contra Deum, ſatis eſt, ſi cum ea Confeſsione coniuncta ſit attritio, quæ ſit *ſecundùm Deum*, hoc eſt, quæ aliquem reſpectum habeat ad ipſum Deum, vt iam explicatum eſt: nec ad id oportet, vt actu & formaliter ſit dolor propter Deum; quamuis ſi is dolor accederet, magis quidem in illa Confeſsione emineret accuſationis quædam ratio: Sed negamus tamen, vſque adeò perfectam rationẽ accuſationis peccatorum ibi requiri.

Ac eſt vitium aliud in illo Soti fundamentõ. Vt enim daremus, requiri dolorem de peccato formaliter, vt eſt offenſa Dei, non inde ſequeretur illico, requiri Contritionem. Suprà enim puncto primo expoſuimus, aliquam attritionem poſſe formaliter eſſe de peccato, vt eſt offenſa Dei: propriam autem rationem Contritionis in eo præterea conſiſtere, vt ſit formaliter de offenſa Dei quatenus eſt malum quoddam ſuper omnia deteſtabile.

Ad *Secundum* reſpondeo, duplex in propoſito cogitandum eſſe diuinum præceptum, & vtrumque *quoad tempus* non expreſsè à Deo determinatum. Alterum de *Contritione*, vt eſt actus Pœnitentiæ Virtutis. Alterum de *vſu* Sacramenti Pœnitentiæ, atque adeò de Confeſsione, vt ſuo loco videbimus. Iam per Eccleſiæ præceptum de annua Confeſsione, non illud de Contritione præceptum, ſed hoc de Confeſsione & vſu Sacramenti determinatur.

Ad *Tertium* reſpondeo, cùm Contritio vel à Conciliis, vel à Theologis Doctoribus, vna quædam *pars* neceſsaria & ſubſtantialis Sacramenti Pœnitentiæ dicitur, latè Contritionis vſurpari vocabulum: vt ea nimirum ſit dolor de peccato, atque adeò de offenſa Dei, cum propoſito non peccandi, ſicut in allegatis Conciliis illa Contritio deſcribitur. iuxtà ea quæ puncto primo notauimus. Ea verò ratio doloris, tum Cõtritioni veræ, tum etiam Attritioni *ſecundùm Deum* (quæ & ipſa imperfecta quædam Contritio à Conciliis appellatur) communis eſt. Itaque per illam etiam attritionem ſatisfaciet aliquis præcepto de Sacramento vſurpando.

Ad fundamentum verò *Nauarri* reſpondeo, naturã Sacramenti Baptiſmi poſtulare, vt quando vel Patres, vel Scriptura requirunt in genere *pœnitentiam* ad Baptiſmum, minimè intelligamus, eos requirere determinatè eam Pœnitentiam, quæ ſit vera Contritio, ſed aliquem tandem dolorem de peccato, cum propoſito non peccandi & ſpe veniæ, qui ſit aliquo modo (ſaltem implicitè & virtualiter) *ſecundùm Deum*. Ratio eſt: Quoniam ex Scriptura conſtat, Baptiſmum inprimis, ſicut etiam Sacramentum Pœnitentiæ, eſſe per ſe inſtitutum ad conferendam primam gratiam ei, qui alioqui non ſit eam conſecutus per Contritionem, vt ſuprà ſatis diſputatum eſt.

Dixi autem, requiri ad Baptiſmum *aliquem dolorem*, qui ſit *ſaltem implicitè & virtualiter ſecundùm Deum* aliquo modo; quia fortè non æquè in Baptiſmo, atque in Sacramento Pœnitentiæ, eſt neceſsarium, vt cogitetur, peccatum eſſe per

eſſe per ſe offenſam Dei, atque adeò vt dolor de illo habeat aliquem reſpectum actualem ad Deum: ſed ſufficeret fortè, velle ſuſcipere Baptiſmum, tanquam remedium contra peccata inſtitutum, quæ etiam quis aliquo modo ſecundùm ſe ipſa deteſtetur, vt ſuprà diſputatione quarta de Baptiſmo, quæſtione tertia, puncto ſecundo, ex ſententia Caietani notabamus.

Ac ratio huius diſciminis ea reddi poteſt, quòd cùm in Sacramento *Pœnitentiæ* conferatur gratia homini, tanquam deteſtanti & accuſanti in quodam quaſi tribunali ſua peccata contra Deum commiſſa; in Sacramento autem *Baptiſmi* non niſi per modum cuiuſdam ſimplicis regenerationis in ſpiritualem vitam; conſentaneum eſt, vt magis in Sacramento Pœnitentiæ, quàm Baptiſmi oporteat dolorem adhiberi *ſecundùm Deum*: quod fiet, ſi in vſu Sacramenti Pœnitentiæ debeat habere dolor aliquem reſpectum *actualem* ad ipſum Deum: in Sacramento autem Baptiſmi ſatis ſit, vt eiuſmodi reſpectum habeat *virtualem*, ſicut dictum eſt.

Quum autem hîc dico, reſpectum *actualem & virtualem* ad Deum; id diſcrimen ad cogitationem quandam actualem de Dei offenſa, referri volo; vt actualis ſcilicet reſpectus, ſaltem materialiter, in dolore de peccato ſit, cùm actu cogitatur eſſe Dei offenſa: Virtualis autem, cùm non actu id quidem cogitatur, ſed ſi cogitaretur, etiam quis doleret de peccato ita cogitato.

Qvinta Aſſertio. Probabile admodum eſt, nec tum quidem propriè ipſum Contritionis præceptum obligare ſub peculiari *impœnitentiæ* peccato, cùm aliquod Sacramentum ex aliis (præter Baptiſmum ſcilicet & Pœnitentiam) ſuſcipiendum vel adminiſtrandum eſt. Hoc autem cùm dico, minimè nego, Contritionem, ſaltem ſecundùm *conatum* quendam & *opinionem* hominis, vel certè Confeſsionem Sacramentalem cum attritione, neceſsitate quadam *medij ad quendam finem* tunc requiri; vt euitetur ſcilicet Sacrilegij peccatum, in adminiſtratione vel ſuſceptione eiuſmodi Sacramentorum: Sed aſſero, eſſe probabile, quòd non requiratur tunc ex præcepto ſpeciali Pœnitentiæ, ſub peculiari *impœnitentiæ* peccato. Ita Sotus diſtinct. 17. quæſtione ſecundâ, articulo ſexto, & Canus in Relectione de Pœnitentia puncto quarto, paulò poſt quartam propoſitionem. Quamuis excipit hic author vnum quendam Caſum ſanè ſatis conſtanti ratione, vt ſtatim videbimus.

Probatur autem abſolutè hæc Aſſertio. Nam cum aliquis ob defectum Contritionis indignè adminiſtrat, vel ſuſcipit aliquod eiuſmodi Sacramentum, minimè cenſetur tunc duplici peccato delinquere, nempe omiſsionis Pœnitentiæ, & Sacrilegij; ſed ſolùm vnico peccato *Sacrilegij*: Ergo actus Pœnitentiæ non erat tunc illi neceſſarius ex præcepto peculiari Pœnitentiæ. Conſequentia eſt euidens: & Antecedens patet ex communi modo loquendi & ſentiendi. Vocatur enim illud, vnicũ peccatum *Sacrilegij*, & vt tale aperitur in Confeſsione, & abſoluitur à Confeſſario: quod Sotus ſanè & Canus diſertè affirmant locis citatis.

Nec ſcio, an aliquis Theologorum hactenus explicauerit, peccarii in ea re dupliciter. Nam quod nonnulli ponunt etiam illum Caſum, quo præceptum Pœnitentiæ obliget, ſcilicet cùm aliquod Sacramentum adminiſtrandum aut ſuſcipiendum eſt, videri certè poſſunt tantummodò reſpexiſſe ad neceſsitatem Pœnitentiæ, vt peccatum Sacrilegij vitetur: cùm tamen non idem ſit, ad eum finem Pœnitentiam eſſe tunc neceſſariam; & eam tunc eſſe præceptam ſub peculiari peccato impœnitentiæ. Quemadmodum etiam non idem eſt, pœnitentiam eſſe ſtatim neceſſariam, vt peccatum commiſſum relinquatur; & eam ſtatim ex peculiari præcepto, ac ſub nouo peccato neceſſariam eſſe, vt ſuprà in Aſſertione prima declarauimus.

Atque hinc apparet, non ſatis conſtanter Canum facere loco citato, cùm aſſerens, in vſu indigno Sacramentorum non niſi *vno* peccato Sacrilegij peccari, excipit Caſum, in quo indignè ſuſcipitur Euchariſtia, vbi vult peccari dupliciter, ſcilicet peccato impœnitentiæ, & Sacrilegij: Quoniam extat, inquit, peculiare præceptum diuinum de Contritione adhibenda in vſu Euchariſtiæ. Hoc aio non dici à Cano conſtanter. Nam æquè in vſu indigno Euchariſtiæ, atque aliorum Sacramentorum, videtur inauditum eſſe, quòd peccetur plus, quàm vnico Sacrilegij peccato. Nec ſanè videtur extare ſpeciale præceptum diuinum de Contritione in vſu Euchariſtiæ; ſed tantùm de *digna ſumptione*; ſeu, quod idem eſt, de ſumptione non indigna; id quod propriè eſt præceptum Religionis, non Pœnitentiæ. Ea enim vis eſt illius præcepti, quod eſt apud Apoſtolum Paulum, prima ad Corinth. vndecimo: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, &c.* id eſt, videat, vt dignè, non autem indignè ſumat: quod patet ex his, quæ Apoſtolus ibi ſubiungit: *Qui enim manducat & bibit indigne iudicium ſibi manducat & bibit.*

Quamuis autem ad id præceptum Religionis implendum, neceſſe ſit conteri, ſi copia Confeſſarij deeſt; & ſi illa non deeſt, cùm fieri poteſt, confiteri, vt in Concilio Tridentino ſeſſione 13. capite ſeptimo, explicatum eſt: non tamen hoc idem eſt, ac ipſam Contritionem, ſeu

Universidad de Deusto
Biblioteca

Confessionem esse ad eam rem singulari præcepto Pœnitentiæ præceptã, vt sæpè iam explicaui. Quocirca magis in hac re probo sententiã Soti, qui d.17. quæstione secunda, art. sexto, tandem ad extremum concludit, vnico solùm Sacrilegij peccato delinqui in vsu indigno Eucharistiæ, nec tunc ipsum speciale præceptum Pœnitentiæ per se obligare.

Dixi autem tantummodò in Assertione, *probabile* esse, non obligare præceptum Contritionis in administrando & vsurpando eiusmodi Sacramenta: Quoniam si quis non reputaret incommodum, concedere, quòd in vsu indigno illorum Sacramentorum dupliciter peccetur, scilicet per Sacrilegium, & impœnitentiam; posset consequenter defendere, quòd tunc obliget etiam propriè ipsum Contritionis præceptum; vt Doctores illi, qui absolutè dicunt, illud obligare, quando aliquod Sacramentum sumendum vel administrandum est, significare videntur. Ex quibus est etiam Nauarrus in Manuali, capite primo, numero 31. Mihi verò contrarium longè videtur probabilius: imò etiam ex communi sententia & mente Doctorum, nisi quòd rem hanc quidam non satis discussisse videntur.

Dixi etiam in declaratione eius Assertionis, me non propterea negare, quin necessitate quadam *medij* ad finem vitandi Sacrilegium, requiratur in eiusmodi Sacramentorum vsu Contritio, saltem secundùm *conatum & opinionem* hominis: quod idcirco addidi, quia si, vt ponit verissima sententia Theologorum, eiusmodi etiam Sacramenta (præter Baptismum & Pœnitentiam) faciunt ex attrito contritum; satis fuerit ad Sacrilegium in illorum vsu vitandum, & gratiam consequendam, ita conari ad habendum dolorem de peccatis, vt bona fide putet aliquis, vel putare possit, se habere contritionem. Atque dum hoc satis esse ad eam rem dico, simul etiam necessarium esse intelligi volo. Nam cùm ea Sacramenta per se non nisi pro iis, qui iam sint in gratia, instituta fuerint; nisi quis saltem bona fide putare possit, se iam per Contritionem in gratia esse, atque adeò etiam id putet, indignè ad illa accederet. Atque hactenus, quando præceptum Contritionis non obliget, explicatum est. Nunc sequitur, vt quando illud obliget, explicemus.

Sit igitur SEXTA Assertio. Tempus, quo præceptum id obligat, est inprimis in periculo mortis *corporalis*. Deinde in periculo etiam mortis *spiritualis*, hoc est, cùm peculiare ac proximum periculum alicui imminet incidendi in aliud vel alia peccata, nisi de iam commissis pœnitentiam agat, id quod frequenter accidit, iuxta dictum illud D. Gregorij homil. vndecima in Ezechielem: *Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Tertiò id præceptum obligat, instante aliqua populi necessitate graui, quæ peculiarem orationis ad Deum atque deuotionis feruoré exigere videatur.

Primum casum ponunt communiter omnes Doctores. Ac nominatim Ioannes Medina Tractatu 1. de Pœnitentia, quæstione sexta. Canus Relectione de Pœnitentia, parte quarta, quæstione secunda. Sotus distinct. 17. quæstione secunda, articulo sexto. Nauarrus in Manuali, capite primo, numero 39. *Secundum* Casum ponit etiam Medina in dicta quæstione sexta ad primũ argumentum principale, & Canus in dicta quæstione secunda ad quartum argumentum principale. *Tertium* Casum ponit Adrianus in 4. quæstione tertia de Confessione, & Nauarrus in Manuali, capite primo, numero 31.

Quibus authoribus & ipse assentior, quod ad omnes illos tres Casus attinet. Quoniam si quis attentius de re consideret, in omnibus illis cernitur peculiaris quædam necessitatis ratio, quæ hominem vrget, vt per verum actum Pœnitentiæ, Deum sibi placatum atque propitium studeat reddere, si vnquam aliàs hoc debet facere, vt maximè debet.

Ac nisi vererer in quæstione morali aliquid sine certa aliorum authoritate asserere, libenter tribus illis Casibus ipse quartum adderem, in quo mihi videtur verisimillimum, obligare etiam istud Contritionis præceptum. Nempe cùm adultus aliquis suscepturus ac *professurus* in Baptismo est Christianam Religionem. Nam etsi Baptismus ad suam aut efficaciam, vt Sacramentum quoddam est, non requirat in suscipiente veram Contritionem, sed sufficiat ex ea parte Attritio, vt suprà docebamus; tamen quatenus continet quidem peculiarem quandam Christianæ vitæ atque Religionis *professionem*, quædam profectò ratio vrgere videtur, vt sub idem tempus, quo in Baptismo nouum Christianæ vitæ institutum inchoatur, studeat quis per Pœnitentiam veram, DEVM placare, ipsique vel ea ratione vtcunque compensare offensas vitæ prioris: siue id faciat paulò antè Baptismi susceptionem, siue paulò pòst.

Hanc ego sententiam sanè putarem non malè ex Scripturis etiam cõfirmari posse. Nam quòd inprimis Christus *pœnitentiam in remissionem peccatorum* prædicari per Apostolos voluit, certè significat, vel maximè in Christianę vitæ exordio, & quasi prima professione, pœnitentiam esse necessariam. *Oportebat*, inquit, *Christum pati, & resurgere à mortuis, vt prædicaretur in nomine eius pœnitentia & remissio peccatorum.* Lucæ 24. Atque ideo D. Petrus Actor. 2. iis, quos ad Christianam

Religio-

Religionem suscipiendam paratos videbat: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Item D. Paulus: *Testificans*, inquit, *Iudæis atque Gentibus, in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum* IESVM *Christum.* Actor. 20. & 26. Hinc etiam *Baptismus Pœnitentiæ* peculiariter dicitur. Actor. 13. & 19. Atque etiam absolutè *Pœnitentia* Quæ appellatur ad Hebr. 6. certè appellationes indicio esse videntur, tunc maximè, cum Baptismus suscipitur, verum actum Pœnitentiæ necessarium esse: si non qua ratione Sacramentum remissionis peccatorum est Baptismus; certè quatenus continet nouam Christianæ religionis *professionem*.

Denique testimonia illa vel Scripturæ, vel Patrum, quibus Nauarrus in Manuali, capite 1. num. 39. & alij mouentur, vt putent, verã Contritionem ad dignam ac fructuosam susceptionem Baptismi requiri, facilè mihi probarent, requiri quidem, non quia Baptismus Sacramẽtum est, quasi non sufficiat ad illud ea ratione Attritio; sed quatenus continet Christianæ Religionis *professionem*, quæ nimirum postulat, vt vel antè, vel paulò post Baptismi vsum, hoc est, sub illud idem tempus, conetur aliquis Deum per verum etiam actum Virtutis Pœnitentiæ sibi placare. Sed, vt dixi, nollem hac de re, quam à nemine hactenus Theologorum discussam esse video, aliquid ipse asseuerare; satis sit, rem ipsam, & quid mihi probabilissimum videatur, ita exposuisse.

Nunc autem vt ad Casus illos redeam, in quibus alij etiam Doctores ponunt præceptũ Contritionis obligare, duo sunt ad extremum, quæ obseruari in ea re velim. ALTERVM est, nec certam, nec solidam esse Cani explicationem, qui loco citato, paulò pòst assertionem quartã, vult, præcepto illi veræ Pœnitentiæ seu Contritionis, etiam quo tempore illud aliàs obligat, satisfieri, si quis solummodò attritus suscipiat *Sacramentum ipsum Pœnitentiæ.* Quod certè dum hic author asserit, funditus ipse videtur euertere præceptum Contritionis, id est, actus veræ ac legitimæ Virtutis Pœnitentiæ: quod tamen ibi anteà confirmârat. Si enim huius Virtutis actus, tanquam actus nimirum cuiusdam Virtutis peculiaris speciali præcepto imperatus est; certè necesse est, vt in aliquibus Casibus, cuiusmodi sunt illi tres supradicti, per se ipse sit ex præcepto eo necessarius, vt sunt actus aliarum Virtutum, qui specialibus præceptis imperati sunt. Quare non satisfieret illi præcepto, si alius quidam diuersus actus exerceatur, cuiusmodi est vsus Sacramenti, cum sola attritione.

Neque verò sequitur, præceptum Contritionis per se in illis Casibus non obligare, si iam peccata per Sacramẽtum tunc, vel antè vsurpatum remissa videantur: vt neque id sequitur, si videantur peccata iam esse remissa per actum dilectionis Dei super omnia, quem morali cer-

titudine putet aliquis se tunc in illis Casibus, vel antè habuisse. Intelligendum est enim, obligationem præcepti Contritionis ex ipsa etiã laude per se Virtutis Pœnitentiæ existere in illis Casibus, duabus circumstantiis positis. VNA, quòd homo quidem peccauerit antè mortaliter: ALTERA, quòd eum peccati mortalis nondum per actum verum Pœnitentiæ Virtutis pœnituerit.

His duabus circũstantiis positis, ipsum omnino præceptũ Pœnitẽtiæ obligat in illis Casibus, etiamsi eiusmodi Virtutis actus non videretur alioqui tunc necessarius ad effectum consequẽdi remissionem peccatorum, vt doctissimè attigit Ioannes Medina Tractatu 1. de Pœnitentia, quæst. 3. §. *Ex dictis sequitur*. Constat enim, sine eiusmodi etiam effectu cõstare satis posse ipsam per se rationem obiecti Pœnitentiæ, atque adeò exerceri etiam Virtutis Pœnitentiæ actum, vt sæpe fit cùm aliquis de iisdem peccatis iteratò pœnitet.

Dixi autem, præceptum Pœnitentiæ obligare, posito etiam, quòd aliquem peccati mortalis anteà commissi nondum per *verum actũ Contritionis* pœnituerit: quonam si iam ita vel semel quem pœnituerit, non tenetur amplius de eodem peccato habere iterum Cõtritionis actum. Extat enim Pœnitentiæ præceptum de Pœnitẽtia agenda, non de repetenda: tametsi & repetere quoque sit salutare.

Itaque quemadmodum aliquis tenetur confiteri, posito, quòd peccauit mortaliter, & nondum peccatum mortale confessus est, licet alioqui putet, per Contritionẽ, vel per dilectionem se iam remissionem peccati fuisse consecutum: sic etiam præcepto Contritionis tenetur in illis Casibus supradictis conteri, posito, quòd mortaliter peccauit, & nondum peccati mortalis habuit veram Contritionem. Nam vt præceptũ de Confessione, speciale quoddam præceptum est: ita hoc etiam de Contritione præceptum, quod suo proinde tempore similiter per se est adimplendum.

Huc accedit, quòd cùm nunquam homo possit esse omnino certus, an remissionem peccatorum sit etiam in Sacramẽto consecutus (semper enim vereri potest, ne quid ex parte sua vel ex parte Ministri obstiterit) non immeritò in suprà dictis Casibus præcepto Contritionis aliquis, licet confessus sit, ad eam etiam rem vrgebitur, vt per veram Contritionem, atq; adeò certiùs pluribusq; modis enitatur remissionem peccatorum obtinere, præsertim verò in periculo *mortis*. Quo sanè tempore, licet aliquis anteà veram Contritionem de peccato mortali habuisset; tamen ex charitate, quam sibi ipse debet, putarem, eum teneri nihilominus sibi tunc maximè remedio atque vsu veræ Contritionis in illo articulo consulere, eaque re conari, reddere suam salutem certiorem.

Hinc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hinc enim D. Augustinum solitum dicere commemorat in eius vita Possidonius, neminẽ, etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, vt sine Pœnitentia migraret è vita: quod & ipse Augustinus studiosè cauit. Nam cùm discessum è vita sibi instare intelligeret, psalmos Dauidis, qui ad Pœnitentiam pertinẽt, in conspectu positos, profusis lachrymis legebat, inquit Possidonius. Quanquam verum sit quidem, ex ipso speciali præcepto Pœnitentiæ, non teneri aliquem habere tunc Contritionem de peccatis, quorum anteà illam habuit: quoniam præceptum Pœnitentiæ non est de Pœnitentia iteranda circa idem peccatum, sed de agenda, vt anteà dicebamus. Puto autem esse probabile, quòd ad id teneretur ex *charitate* ergà se, quam ita tunc exercere deberet, vt dixi. Et hactenus de PRIMO illo quod diximus notandum esse contra Canum.

ALTERVM quod hoc loco notari debet, est, cum eo, quod asseruimus, præceptum speciale Pœnitentiæ, morte imminente, obligare, atque adeò speciale tunc peccatum esse non pœnitere; minimè id pugnare, quod rectè nihilominus D. Thomas 2. 2. quæst. 14. art. 2. & alij Theologi dicere solent, *impœnitentiam finalem*, seu vsque ad mortem, non esse ipsam per se speciale peccatum, sed circumstantiam peccati. Vsurpant enim tunc vocabulum *Impœnitentiæ* aliter; nempe vt præcisè & solùm significat permanentiam in peccato vsque ad mortem, atque adeò simplicem quandam negationem pœnitentiæ, qua peccatum fuisset deletum, vt ipse D. Thomas loco citato satis apertè dictum illud suum declarat. Hoc autem modo perspicuum est, impœnitentiam finalem non esse nisi *circumstantiam* seu *conditionem quandam communem*, eorum peccatorũ, quibus obstrictus aliquis è vita discedit.

Nos autem cùm impœnitentiam in morte, *speciale peccatum*, esse dicimus, significamus eo vocabulo omissionem pœnitentiæ, quatenus hæc quidem, morte imminente, ex peculiari præcepto est debita: Quæ omissio ea ratione cõsiderata, speciale omnino peccatum est. Quòd si quis morte admodum subita tolleretur, vt ne cogitandi quidem de peccato spacium haberet, is non dubium est, quin ab eo peccato impœnitentiæ speciali excusaretur, vt Sotus etiam distinct. 17. quæstione secunda, art. 6. sine controuersia notauit.

PVNCTVM QVINTVM.

Quanta debeat esse Contritio.

Suppl. D. Thomas q. 3.

VIDENDVM nunc est, quantam oporteat esse Contritionem tum, cùm ex præcepto haberi debet. Ad quam Quæstionem breuiter respondemus, non requiri, vt sit summa *intensiuè*; sicut falsò opinatus est Adrianus. quæst. 2. de Pœnitentia, & quodlib. 5. art. 3. Nec etiam, vt habeat certam *intensionem*, soli DEO cognitã, & vt ad certum vsque tempus *continuetur*, vt item falsò putauit Scotus in 4. d. 14. q. 2. Sed satis esse, vt sit summus de peccato dolor *appreciatiuè*: quod fit, quando ita quis peccatum detestatur, vt mallet illo carere, quam alio quouis malo, saltem in genere de malis aliis omnibus cogitando. Ita D. Thomas hic q. 3. addition. art. 1. ex 4. sentent. d. 17. Sotus eod. d. q. 2. art. 4. Nauarrus in Manuali, cap. 1. num. 8. & seq. Canus Relectione de Pœnitentia p. 3. q. 5. & satis etiam fusè ac diligenter Ioannes Medina Codicis de Pœnitentia Tractatu 1. q. 5. & alij communiter.

Fundamentum huius Assertionis est *primò*: Quia cum qualibet *intensione* graduali, & cum qualibet etiam *duratione* potest consistere vera Cõtritio, hoc est, verus actus Pœnitentiæ ex obiecto, si videlicet sit de offensa Dei, tanquam de malo super omnia detestabili: Sed per verã Pœnitentiam & Contritionem omnino satisfit præcepto diuino de Pœnitentia: Ergo sine *summa*, vel certa *intensione* aut *duratione*, potest id præceptum impleri.

Maior probatur. Quia quælibet intensio & continuatio cuiuscunque actus, est quiddam accidentale & extrinsecum ei essentiæ, quã habet actus ex obiecto formali suo, ac proinde sine illa potest actus in essentia sua consistere.

Minor patet ex his omnibus Scripturæ locis, quibus apertè significatur, eum, qui per veram Pœnitentiam conuertitur ad DEVM, illico in Dei gratiam recipi. Vt Ezechiel. 18. & Zachar. 1. &c. Quod quidem non fieret, nisi per veram pœnitentiam, quantulacunque illa sit intensiuè, & quantulumcunq; duret, satisfieret diuino præcepto.

Et confirmatur valde hæc ratio authoritate D. CHRYSOSTOMI qui in epistola ad Theodorum lapsum, ex sententia procul dubio orthodoxa, ita scribit: *Talis est erga homines pietas Dei, vt nunquam spernat Pœnitentiam, si et sincerè & simpliciter offeratur, &c. etiamsi non potuerit quis expletre in præsenti satisfaciendi ordinem, quantulamcunque tamen & qualibet breui tempore gestam non respuit pœnitentiam. Suscipit etiam ipsam: nec patitur, quamuis exiguæ conuersionis, perire mercedem.* Hæc Diuus Chrysostomus, tanquam si esset contra Hadrianum & Scotum propriè locutus; cuius sententia refertur in Decretis de Pœnitentia, distinct. 3. Can. *Talis*.

Secundò pro eadem assertione facit, quòd cùm erga eas res maiore conatu soleamus naturâ cõmoueri, quę nobis sunt cognitione sensuum notiores, & hoc modo ratio peccati, vt est contra Deum, parùm nota sit; difficillimum sanè fuisset Pœnitentiæ præceptum, à suauitateque diuinæ prouidentiæ abhorrens, si de peccato *magis*, secundùm actus etiam *intensionem*, dolere deberemus, quàm de quouis alio malo nobis notiori, vt rectè Sotus & alij argumentantur. Quòd si putari non debet Deus à nobis exigere, vt intensiùs, quàm de aliis malis, de peccato doleamus; multò minùs requirere putandus est, vt doleamus de peccato dolore simpliciter *summo*, quo nullus intensior esse possit, vt Hadrianus videtur requirere, maximè cùm nullus eiusmodi dolor tam magnus esse possit, quo non possit esse maior, vt rectè Nauarrus vbi suprà obiicit Hadriano. Nam & quouis etiam charitatis actu (ex quo videlicet Contritio oritur) potest aliquis charitatis actus elici maior, vt suo loco docuimus tomo tertio, disputatione tertia, quæstione secunda.

Neque obstat, quod Scriptura requirit, vt *toto corde* ad Deum conuertamur. Id enim non ita intelligendum est, quasi oporteat Pœnitentiæ dolorem elici toto cordis conatu: sed quia necesse est, in eiusmodi dolore, à solo Deo, tanquam ab vltimo fine, qui cæteris rebus omnibus anteponatur, totum cor occupari. Quod fit, quando secundùm æstimationem quidem magis de offensa Dei, quàm de vllo alio malo quis dolet, dum ita videlicet eo dolore afficitur, vt mallet, se carere peccato, atque adeò inhærere per gratiam Deo, quàm immunem esse à quocunque alio malo: hoc enim est, Contritionem esse debere summam *appreciatiuè*, vt in Assertione posuimus.

Neque verò, vt aliquis ita doleat; necessarium est sed plerumque potiùs periculosum, in specie comparationes peccati cum hoc aut illo malo, puta morte, infamia, &c. instituere: sed satis est, vt malit aliquis peccato carere, quàm quouis alio malo, generali & confusa quadam cogitatione apprehenso, vt rectè Sotus, & Nauarrus, & Ioannes Medina locis citatis, atque alij monent.

Item neque necesse est (saltem sub peccato mortali) vt de maiori peccato magis quis doleat appreciatiuè, quàm de minori: quod fit, dum ita afficitur dolore de suis peccatis, vt & malit quouis illorum carere, quàm quocunque alio malo, quod non sit peccatum; & inter illa ipsa peccata mallet etiam carere maiori, quàm minori. Hunc, vt ita dicam, *ordinem* doloris asserto cum Soto, & Nauarro vbi suprà, non esse (saltem sub mortali) necessarium; sed sufficere, vt quis doleat simpliciter de peccato magis appreciatiuè, quàm de *alio quouis malo*, quod non sit peccatum.

Sotus tamen veniale saltem peccatum putat esse eius ordinis peruersitatem: quod haud scio, an non ociosè videatur à Soto notatum. Etenim cùm quis habet Contritionem simpliciter de suis omnibus peccatis sicut ipsa sunt per se detestabilia, neque in specie aliquam illorum comparationem in dolendo facit (sicut talis comparatio rarò fit) semper censeri potest dolere de illis eo modo & ordine, quo oportet & conuenit, atque adeò magis secundùm æstimationem de maiori, quàm de minori.

SED obiiciet ad extremum aliquis, iisdem rationibus probari posse, Contritionem non debere esse summam *appreciatiuè*, quibus à nobis probatum est, non debere eam esse summam intensiuè. *Primò*: Quia vt quantitas intensionis est aliquid accidentale essentiæ ipsi Contritionis; ita videtur accidentale aliquid esse quantitas etiam secundùm *æstimationem*, quandoquidem ea item est quędam actus quantitas.

Secundò: Quia similiter durum videtur, vt circa malum peccati, quod non ita facilè nobis notum est, dolorem habere debeamus summum *appreciatiuè*.

Ad *Primum* respondeo, cùm dicimus dolorem summum *appreciatiuè*, quantitatem quidem actus aliquam (saltem secundùm rationem, seu intelligentiam) significari; sed planè *transcendentalem*, ipsi essentiæ Contritionis, atque adeò inseparabilem prorsus à modo essentiali ipsius, id est, ab ordine, quem actus Contritionis habet essentialiter ad suum obiectum, vt est de offensa DEI tanquam vltimi finis, quem rebus omnibus homo anteponat, & cuius proinde iniuriam magis execretur, quàm quodlibet aliud malum. Ita fit, vt eodem præcepto, quo requiritur vera Contritio, requiratur etiam summus dolor de peccato appreciatiuè. Est enim hæc quantitas Contritionis quasi quædam passio transcendens ipsius, & ab ea penitus inseparabilis, vt dictum est. Et dico, esse quasi passionem *transcendentem*: quia etiam eadem quantitas reperitur in quocunque alio dolore, de quacunque alia re, qui sit super omnia appreciatiuè, sicut esse certè potest, & aliquando est, propter hominum peruersitatem.

Dixi autem, esse eam *quantitatem secundùm rationem & intelligentiam*: quoniam reuera non nisi in quadam *relatione rationis* consistit, quatenus videlicet intelligimus, hominem, qui dolet de peccato, vt est offensa Dei vltimi sui finis, ita esse affectum, vt malit eo malo carere, quàm quouis *alio*. Sed quia ab hac relatione rationis, actum illum doloris vocamus *summum appreciatiuè*, & vocabulum, *Summum*, à quantitate sum-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptum est, nimirum imaginamur illam relationem actus, quasi *quantitatem* quandam esse: re autem vera id neque intensionis, neque etiam perfectionis essentialis quantitas est in Contritionis actu.

Quod ex eo patet: nam id, quod per vocabulum *Summum appreciatiuè* significamus, potest etiam in alio dolore, qui non sit Contritio, reperiri, modò sit dolor super omnia, de alio malo, præter peccatum. Quantitas autem perfectionis essentialis alicuius rei non potest nisi in illa re reperiri. Vt quantitas essentialis perfectionis hominis non potest reperiri nisi in homine.

Ac similiter de quantitate appreciatiua dilectionis Dei super omnia, ratiocinandum est, nempe esse eam relationem quandam rationis transcendentem omnem dilectionem alicuius rei tanquam vltimi finis diligentis: quatenus scilicet intelligimus, eum, qui rem aliquam, vt vltimum suum finem amat, ita esse affectum, vt malit illi rei adhærere, eaque frui, quàm quauis *alia*.

Ad *Secundum* argumentum respondeo, consideratione illam, quòd scilicet peccati ratio, vt est contra Deum, non ita secundùm sensum percipiatur, debere quidem mouere, vt existimemus, futurum fuisse durum præceptũ, quod & appreciatiuè & *intensiuè* simul exigeret summum de peccato dolorem; qua sanè ratione procedit secunda probatio nostræ Assertionis. Non ostendit autem ea consideratio durum etiam esse præceptum illud, quod appreciatiuè duntaxat summum de peccato dolorem requirat. Maximè cùm intellectus & ratio facilè sibi persuadeat, Deum esse debere homini vltimum finem, atque adeò summè appreciatiuè dolendum esse de illius offensa.

PVNCTVM SEXTVM.

Qualis debeat esse Contritio. An scilicet de omnibus & singulis peccatis, & cum expresso proposito non peccandi de cætero.

Suppl. D. Thom. q. 2. art. 3. & 6.

VID hac de re sit sentiendum, per nonnullas Assertiones explicabo. Itaque PRIMO assero, quo tempore quidem vera Contritio ex peculiari præcepto necessaria est; eodem tempore requiri eam ex eodem præcepto *specialem* de omnibus & singulis peccatis, vel specie, vel numero distinctis. Vocamus autem *specialem* Contritionem, non quòd de singulis peccatis secundùm numerum, aut etiam secundùm speciem, singuli Contritionis actus haberi debeant; sed quòd oporteat omnia & singula peccata secundùm speciem & numerum in mentem reuocare, & de his secundùm se in specie & numero consideratis, dolere; siue id per plures Contritionis actus fiat, siue per vnum.

Hanc Assertionem pono ex communi sententia Theologorum contra Caietanum tomo primo suorum Opusculorum, Tractatu quarto, quæstione secunda, vbi putat, satis esse, vt Contritio sit de omnibus peccatis in genere cogitatis. Contrà sentit Diuus Thomas tertia parte, quæst. 87. articulo primo, & in quarto, distin. 17. quæstione tertia, articulo secundo ad secũdum. Alexander Halensis quarta parte, quæstione 69. membro octauo, articulo secundo. Richardus distinct. 16. articulo quarto, quæstione secunda. Durandus distinct. 17. quæst. 2. ad 1. Paludanus eadem distin. quæstione prima, articulo secundo, conclus. quinta. Hadrianus quæstione tertia de Baptismo sub finem. Ioannes Medina Tractatu primo de Pœnitentia, quæstione tertia. Melchior Canus in Relectione de Pœnitentia, parte tertia, quæstione octaua. Sotus distinctione decima septima, quæstione secunda, articulo tertio. Nauarrus in Manuali, capite 1. num. 25. (aliàs 23.) sub finem.

Probo autem eam Assertionem *primò*, hoc modo. De omnibus & singulis peccatis, tum secundùm speciem, tum secundùm numerum, tenetur aliquis ex præcepto Pœnitentiæ *propriè & formaliter* conteri. Sed nihil aliud est, propriè & formaliter de omnibus & singulis peccatis secundùm speciem & numerum conteri, quàm distinctè & in specie dolere de his, vt secundùm speciem & numerum in mentem reuocantur, adeoque cogitantur & cognoscuntur actu. Ergo prorsus tenetur aliquis eodẽ ipso præcepto Pœnitentiæ, ita distinctè & in specie dolere de omnibus & singulis peccatis.

Maiorem probo. Nam cùm speciale præceptum datur de aliquo Virtutis actu, vtique de ipso actu *propriè & formaliter* exercendo datur, qua ratione videlicet ille secundùm suam speciem differt ab aliarum Virtutum actibus: Secùs enim non esset illud speciale præceptum. At omnino extat in Scriptura speciale præceptum Contritionis (hoc est, actus Virtutis Pœnitẽtiæ) de omnibus omnino peccatis, tum secundùm speciem, tum secundùm numerum, nempe secundùm omnem illam rationem, qua ipsa peccata in vsu & praxi ipsa patrata fuerunt, vt euidenter patet ex illis locis: *Conuertimini*, SICVT *in profundum recesseratis*. Isaiæ 31. Et; *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis, &c.* Ezechiel. 18. & aliis similibus. Non est igitur dubitandum, quin formalis Pœnitentia & Contritio de omnibus & singulis peccatis secũdùm rationes illorum, tum specificas, tum etiam individuales seu numericas, præcipiatur in Scriptura, sicut in Maiore sumpsimus.

Minor

Minor autem patet, quoniam obiectum actum Voluntatis, atque adeò etiam Contritionis oportet esse cognitum, secundùm illam rationem, qua voluntati obiicitur. Non enim tendit voluntas, nisi in rem cognitam. Si igitur ex præcepto Pœnitentię debet quis propriè & formaliter conteri de peccatis secũdùm ipsorum rationem, tum specificam, tum etiã numericam; debebit vtiq; ex eodem Pœnitentiæ præcepto sibi peccata secundùm specificam & numericam rationem repræsentare, hoc est, in mentem ac cogitationẽ reuocare, quoad poterit, adhibita ad eam rem sufficienti diligentia.

Secundò probo eandem Assertionem ex aliis etiam Scripturæ locis, in quibus forma eius Pœnitentiæ, quæ aliàs in Scriptura præcepta est, ita planè describitur, vt in ea recogitari omnino, commemorari, atque discuti debeant distinctè omnia peccata, secundùm suas proprias rationes. Vt cùm apud Isaiã cap. 38. inquit Ezechias: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et Hierem. 8. *Attendi*, inquit, *& auscultaui, nullus est qui agat pœnitentiam super peccatum suum dicens: Quid feci?* Et Psal. 76. *Cogitaui dies antiquos, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercebam, & scopebam spiritum meum.* Vbi AVGVSTINVS: *Seipsum*, inquit, *interrogabat, seipsum examinabat, in se iudex erat.*

Tertiò, accedit eòdem authoritas sanctorum Patrum, qui eam peccatorum discussionem in Pœnitentia requirunt. AMBROSIVS in libro ad Virginẽ lapsam, cap. 8. & CHRYSOSTOMVS lib. 1. de compunctione cordis, sub finẽ, & homil. 2. in Psal. 50. vbi inter cætera ait: *Proser in medium conscientiam tuam, & reminiscere peccata tua, si quid in verbo seu in facto, vel in cogitatione peccasti, &c.* Similia scribit D. GREGORIVS lib. 4. Moraliũm, cap. 17. & lib. 8. cap. 16. & D. BERNARDVS sermone 10. in Cantica. Et alij passim.

Porrò quod asseruimus in explicatione nostræ Conclusionis, non ita specialem oportere esse Contritionem, vt de singulis peccatis habeãtur *singuli* Contritionis actus, etiã notatum est à Ioanne Medina, Cano, Soto, locis citatis: itemque à Nauarro in Manuali, cap. 1. num. 25. in principio cõtra quosdam authores, in quorum tamen numero immeritò ponit is author D. Thomam 3. pãr. q. 87. art. 1. & Paludanum in 4. dist. 17. q. 1. articulo 2. Non enim illi exprimunt, debere ita Contritionem haberi de singulis, vt *singulæ* Contritiones de peccatis singulis habeantur; sed tantùm volunt, quòd *in specie & distinctè* oporteat Contritionem de illis esse, *sicut Confessio* (inquit ibi Paludanus concluſ. 5.) *debet etiam esse de singulis*. Constat verò, vnica etiam oratione posse aliquem confiteri distinctè mille peccata mortalia: Vt si dicat v. g. peieraui millies: Ergo similiter ex sententia quoque Paludani, vnico actu detestationis potest quis plura peccata *distinctè & in specie* detestari. Itaque sufficiet omnino vel vnico actu Contritionis detestari omnia secundùm speciem & numerum suum cogitata.

Quamuis autem eo modo asseramus, ex præcepto Pœnitẽtiæ debere in specie Contritionem esse de omnibus & singulis peccatis, non propterea tamen negamus, quin possit quandoque aliquis per Contritionem de omnibus in genere tantùm cogitatis, iustificari: si talem videlicet Contritionem habeat alio tempore quo præceptum ipsum de Cõtritione in specie & formaliter habenda non obligat: Vel etiã eo ipso tempore, si aliqua tunc ratione vel casu repentino præpeditur, quò minùs ad memoriam in specie possit peccata reuocare. Vt si præoccupetur v. g. morte subitanea: ideoque nequeat implere præceptum ex ea parte, qua obligat, vt etiã formaliter & in specie habeatur Contritio de singulis. Ita & rectè notant Sotus, Medina, & Nauarrus vbi suprà.

Atque hoc tantummodò conuincit ratio Caietani, cùm in quæst. illa 2. de Contritione argumentatur, in quocunq; momẽto posse peccatorem subitò per cordis gemitum & Cõtritionem cõsequi remissionem peccatorum, vt Scriptura significat; cùm tamen nõ possit quouis momento reuocare in specie ad memoriã omnia peccata. Probat, inquam, hæc ratio, Contritionem in specie de omnibus, non esse actu quidem & formaliter necessariam, necessitate *medij*, ad iustificationem, sic, vt nũquam contingat iustificatio peccatori absque illa: non autem probat, quòd non sit suo tempore necessaria ex *præcepto*, cùm adhiberi ea commodè possit.

Neq; verò si Contritio generalis sufficit ad iustificationem, illicò sequitur, Contritionem specialem non esse necessariam ex præcepto: Nam nec propterea quòd actus Charitatis sufficit ad iustificationem, sequitur, nullam omnino pœnitẽtiam formalem esse ex præcepto necessariam. Quæ certè Consequentia si bona esset, vlteriùs deberet Caietanus concludere, ne generalem quidem Contritionem esse ex præcepto necessariam, vt optimè Medina vbi suprà contra illum argumẽtatur. Nam sine vlla formali Contritione, atq; adeò sine illa etiam generali, potest quis per *formalem* actum dilectionis Dei super omnia iustificari, vt suprà quæst. 3. ex certiori sententia Theologorum docuimus.

Intelligendum est igitur, præceptum Contritionis specialis non hoc propriè respicere, quòd homo gratiã consecutus esse non videatur; sed q̃ peccauerit quidem mortaliter, & nondũ habuerit formalem Contritionem in specie: hoc enim ipso præceptũ id obligat, quãuis alioqui possit homo sine eiusmodi Cõtritione speciali consequi gratiam iustificationis, aut etiam sit consecutus, sicut suprà etiã notauimus sub finem puncti 4.

Cùm autem aliquis per solam Contritionem generalẽ, aut etiam sine illa per actũ dilectionis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei super omnia, iustificatur; tum quidem gratiam consequitur, quatenus in eo ipso actu virtualiter certè cõtinetur etiam Contritio specialis. Quod nihil aliud est, quàm eum, qui generatim cõteritur, aut diligit Deum super omnia, ita hoc ipso esse affectum, vt in specie etiam esset de peccatis dolorem habiturus, si memoriæ illa occurrerẽt. Qua sanè ratione, nempe *virtualiter tãtùm*, videtur mihi Canus vbi suprà asserere, quòd Contritio in specie sit etiam necessaria ad iustificationem, necessitate *medij*. Atque hoc modo, scilicet *virtualiter*, ad ea etiam peccata, quæ quis est oblitus, pertinet Contritio, quæ habetur de peccatis memoriæ occurrentibus.

A

Secvndo assero, cùm quis Sacramentũ Pœnitentiæ suscepturus est, minimè illum teneri ex præcepto *Pœnitentiæ* ad habendã veram Contritionem in specie de omnib. & singulis peccatis; sed eodem ipso præcepto *Religionis*, quo tenetur bene confiteri, consequenter obligari, vt vel Contritionem, vel Attritionem certè habeat in specie de omnibus & singulis.

B

Primam partem Assertionis probo: Quoniam ob respectum Sacramenti Pœnitentiæ, ne generalem quidem Cõtritionem veram tenetur aliquis habere, vt superiùs p.4. ex cõmuni sententia contra Sotum probauimus. Ergo neq; eam tenebitur habere in specie. Item probo *secundam* Assertionis partem. Quoniam aliàs nõ fiet confessio peccatorũ talis, qualis fieri debet, nempe vt sit accusans & detestans omnia & singula peccata secundùm speciem & numerum.

C

Quo argumento eandem assertionem probat Sotus vbi suprà, & Canus in Relectione de Pœnitentia p.3.q.8.concl.2.& alij. cùm asserũt, propter respectum ad Sacramentum, debere quidẽ Contritionẽ esse in specie de omnibus & singulis peccatis. Qui sanè authores, excepto Soto, Contritionis vocabulum tunc vsurpant latè, vt etiam complectitur Attritionẽ, quæ est, vt suprà punct.1. diximus, quædam etiam Contritio imperfecta. Etenim cẽsent, præter Sotum, ne Contritionem quidem vllam perfectam requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Extat autem loquendi modus quidã antiquorum Theologorũ, cuius hoc loco meminit Sotus, & Caietanus q.2. de Contritione, nempe requiri in Confessione singulas detestationes per attritionem singulorum peccatorũ eo ordine & modo, quo illa quis confitetur; & postea in fine satis esse vnam generalem Contritionem de omnibus illis. Quem loquendi modũ etiam amplectitur Caietanus ibi, explicans tamen, Contritionem ab eiusmodi Theologis tunc intelligi etiam eam, quę extrinsecè tantummodò dicitur Contritio, à coniunctione videlicet cum gratia in Sacramento impetrata, sicut suprà punct.2.ex Caietani sententia explicuimus.

D

Sed rectè mihi Sotus vbi suprà videtur dicere, modũ hunc loquendi non satis aut intelligibilẽ, aut credibilẽ esse. Quorsum enim requiratur in Confessione plus, quàm vnus dolor de omnib. peccatis, quæ quis in specie cõmemorat & confitetur? Certè ille sufficit, vt Confessio censeatur detestatiua esse peccatorũ: id quod satis est. Nisi fortè non alias detestationes ibi Doctores intellexerunt, quàm quæ cõtinentur virtualiter saltẽ in ipsa Confessione & enumeratione peccatorũ, quatenus eam quidẽ vel antecedit vel sequitur dolor aliquis de omnibus & singulis peccatis, quæ quis vel confessus est, vel est cõfessurus. Sed quæcunque tandem fuerit mens ac sententia eiusmodi authorum, non magnoperè censet Sotus esse iam de ea laborandum.

Et certè quod ad rem ipsam attinet, satis fuerit, vt in Assertione nostra posuimus, quòd quis vnica etiam detestatione doleat de omnibus & singulis in specie, quę vel cõmemorat iam & cõfitetur, vel statim est commemoraturus & confessurus, referẽdo se videlicet in illa detestatione ad Confessionem factam vel statim faciendam. Quod propterea ita declaro: quoniam vtrouis modo consueuit is dolor de peccatis à pœnitentibus in Confessione adhiberi, scilicet vel ante Confessionẽ, vel post: & vtroq; modo satis intelligitur, Confessionem esse peccatorũ in specie detestatiuã, quantum requiritur quidẽ in proposito, atq; adeò vterq; modus sufficit ad adimplendum præceptũ Confessionis, vt satis significat Sotus in illa d.17.q.2.ar.3.circa finẽ, & Nauarrus in Manuali cap.1. numero 25. & confirmat etiam ipse vsus Pœnitentium in ea parte varius, qui à nemine improbatur.

Tertio assero, ad suscipiendum Sacramentum Baptismi, non esse necessarium, vt quis per Contritionem, vel etiam Attritionem doleat in specie de omnibus & singulis peccatis; sed satis esse, si doleat, de omnibus in *genere*, vt rectè notat Nauarrus in Manuali, cap.1. num.40. in fine. Et ratio Assertionis est posita in discrimine Sacramẽti Baptismi & Pœnitẽtiæ. Nam cùm in illo nulla requiratur *specialis Confessio* peccatorum, vt requiritur in Sacramento Pœnitentiæ; non est etiam ad eius vsum necessarius dolor specialis. Atque ex hoc capite non incommodè potest explicari, quemadmodum minùs perfecta pœnitentia requiratur ad vsum Sacramenti Baptismi, quàm ad vsum Sacramenti Pœnitẽtiæ, vt Nauarrus item bene notat loco citato.

Postremo assero, eodem præcepto, quo retinetur aliquis veram pœnitẽtiam agere, obligari etiam, vt habeat *propositum explicitum* nõ peccandi de cætero. Ita Ruardus Tapper art.4. fol.181. Sotus d.15.q.1. art.2. Canus in Relect. de Pœnitentia p.1. q.2. & omnes Theologi antiquiores, qui cùm passim asserant, requiri in pœnitentia istud propositũ, de formali omnino & explicito proposito intelligi debent, vt vocabulum ipsum sonat. Præsertim cùm nũquam de *implicito* proponat. Præsertim cùm illi sententiam interpretẽtur, vt rectè

virget

virget Sotus. His igitur authoribus potiùs assentior, quàm Ioãni Maiori d.15.q.1. & Ioanni Medinæ Tract.1. de Pœnit.q.3. qui contrariũ senserũt.

Probatur *Primò* Assertio. Nam Scriptura vbiq; indicat, Pœnitentiam talem esse oportere, vt in ea contineatur quędã ratio *conuersionis* in Deum, per voluntatem custodiendi omnia illius mandata: quod explicitè & formaliter, vt sonat, intelligi debet. Vt Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitẽtiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit præcepta mea, vita viuet, & non morietur.* & Ioël.2. & Zachar.1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.*

Secundò probatur. Nam eiusmodi propositũ est etiam vnus quidam præcipuus actus Virtutis Pœnitentiæ, pertinens omnino ad placandum iratum Deum, vt suprà q.3. p.1. explicuimus. Ergo cadit in pœnitentiæ præceptum.

Tertiò accedit, quòd in Concilio Tridentino, & Florentino absolutè dicitur, Contritionem habere etiam *propositum* non peccandi de cętero. Ea verò, quæ Maior & Medina afferunt pro sua opinione, tantummodò euincunt, non requiri expressum istud propositum necessitate *etiam medij*, ad iustificationem; sed quãdoq; posse peccatorem cum implicito tantùm eiusmodi proposito, quod ipsã videlicet detestatione peccati præteriti contineatur, iustificari: nempe extra tempus præcepti; vel etiam præcepti tempore, si tum aliquis subitaneo casu præpediatur, quò minùs de futuro cogitare posit.

A

B

Notandvm est autem hoc loco, non idem esse, *habere* aliquem propositum istud non peccandi de cætero; & *opinari*, se de cætero non esse peccaturum. Etenim cum contraria opinione, quòd scilicet futurum sit, vt pecces, potes habere propositum non peccandi, si videlicet animo & voluntate conniti velis contra id ipsum, quod euenturum alioqui opinaris, idque ex animo auerseris. Vt igitur quis habeat illud propositũ, minimè requiritur, vt putet, se nõ peccaturum, vt rectè etiam Nauarrus in Manuali, cap.1. num. 12. annotauit.

Porrò quomodo Contritio & dolor Pœnitentiæ non ob id vitietur, quod nascatur ex timore pœnarum, suprà ostendimus quęstione secunda, puncto tertio contra Lutherum.

Itaque hactenus de Contritione sit dictum.

QVÆSTIO NONA.

De Confessione, quoad eius rationem & necessitatem.

Supplem. D Thom. q. 6. & 7.

QVINQVE SVNT EXPLICANDA. PRIMO, QVAENAM SIT *Ratio Sacramentalis Confessionis.* Secvndo, *An Confessio sit necessaria ad salutem; & quo iure.* Tertio, *Vtrum omnibus omnino Confessio sit necessaria.* Qvarto, *Quando sit necessaria Confessio.* Qvinto, *An adeò necessaria Confessio sit, vt cum nemine dispensari possit, ne confiteatur.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quanam sit Ratio Sacramentalis Confessionis.

Ad artic. 1.

QVANAM Confessionem nobis in proposito sermo sit, intelligi potest ex illa sentẽtia Augustini homil.8. de verbis Domini: *Pia est Confessio*, inquit, *siue cùm te reprehendis, qui rem es sine peccato; siue cùm laudas Deum, qui non potes habere peccatum.* Hic non de Confessione laudis, sed de Confessione Sacramentali, quæ haber reprehensionem *peccati*, disputatio à nobis instituitur: quamuis & ea ipsa reprehensio nostra *laus est quædam Dei*, vt inquit eleganter illic D. Augustinus.

C

Nomine igitur Confessionis in proposito, intelligimus *accusationem peccatorum, in spem facilem Sacerdoti ad obtinendam illorum remissionem, beneficio Clauium Ecclesiæ.* Atq; eam vim habẽt descriptiones aliæ communes huius Confessionis, quas D. Thom. hic q.7. art.1. & alij ponũt. Vt illa ex lib. Aug. de vera & falsa Pœnitẽtia: *Confessio est, per quam morbus latens Spe veniæ aperitur.* Et illa D. Gregorij homil.40. in Euangelica: *Confessio est peccati detestatio, & ruptio vulneris.*

Porrò ex hac ipsa Ratione Cõfessionis ita generatim exposita, oriuntur ferè quæstiones omnes, quę de Confessione Sacramẽtali, siue cum hæreticis, siue inter ipsos Doctores Catholicos sunt controuersæ. Et certè ea Confessionis ratio in omnibus eiusmodi quæstionib. inprimis supponitur. Quæ causa est, quamobrẽ putauerim, eam communissimam rationem esse in notione

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsius vocabuli Confessionis ante omnia explicandam: licet soleant quidem alij eam Confessionis descriptionẽ tum primùm tradere, cùm post tractatam quæstionem, *An sit Confessio necessaria*, inquirunt præterea de ipsius quidditate, vt videre est apud D. Thomam q. 7. & Sotum distinct. 18. q. 2. art. 1. & alios.

Sed vix certè in proposito ea ratio *vocabuli*, quæ disputationibus omnibus de reipsa supponi debet, à ratione *quidditatiua* ipsius rei, hoc est, Sacramentalis Confessionis distingui potest, eò quòd, vt dixi, omnes quæstiones, quæ sunt de Sacramentali Confessione nascuntur ex descriptione illa.

Porrò vt *Confessio* valet etiam suo modo ad *destructionem* peccati, formaliter est vnus quidam actus Virtutis Pœnitentię: quod ipsum nos item exposuimus suprà quæst. 2.

Item illud etiam notandum est, Confessionẽ eiusmodi, vt sit *Sacramentalis*, qua ratione est actus Pœnitentiæ, sicut iam de illa loquimur, debere adiunctum habere doloré aliquem de peccato, qui sit *secundùm Deum*, vt suprà quæst. præced. latè explicuimus. Alioqui non haberet rationem cuiusdam *accusationis* proprij peccati, quam omnino habere debet.

Denique si secundùm rationes alias Confessio huiusmodi consideretur, nempe vt est manifestatio quædam *veritatis*; vel etiam vt est quædam *protestatio* Christianæ Religionis, & quasi cultus cæremonia externa, &c. sic quidem ad alias etiam Virtutes hic idem actus Confessionis pertinere potest, vt ad Virtutem *Veritatis*, & ad *Religionem*.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Confessio sit necessaria ad salutẽ, & quo iure.

D. Thom. art. 1. & 2.

VOD ad secundum punctum attinet, multorum hæreticorũ sententia fuit, & est, Confessionem Sacramentalem in Ecclesia Catholica vsitatam, nec institutã à Christo esse, neque imperatam, atque adeò minimè ad salutem esse necessariam, sed inutilem potiùs aut etiam superstitiosam. Ita censuerunt inprimis Montanistæ hæretici, vt constat ex Hieronymo in epist. ad Marcellam de Montani erroribus. Et Messaliani, vt ex Damasceno lib. de hæres. c. 80. apparet, & cõmemorat quoq; Thomas VValdẽsis tomo 2. de Sacram. c. 135. Item Iacobitæ, vt refert idem auctor, ex Guidone Carmelita, in suo opere de hæresib. Item VVicleffus, qui vt Thomas VValdẽsis illic etiam auctor est, Confessionem scripsit *pernitiosam* potiùs esse Ecclesiæ, *hæresesq; multas inducere*.

Lutherus etiam sensit, non esse necessariò cõfitenda omnia mortalia in specie, sicut in Ecclesia fit, vt videre est, articulo octauo & nono, ex damnatis à Leone X. & in libello quodam, quẽ de ratione confitendi scripsit anno 1520. ad Alexium quendam Crosnerum.

In eodem errore sunt hodie Lutherani & Caluiniani omnes, quem præcipuè nititur confirmare Caluinus libro tertio suarum Institut. capite quarto, & ex Lutheranis Kemnitius in examine, capite quinto, & canone sexto, septimo, & octauo, sessione decima quarta Concilij Tridentini.

Quin & auctores quidã Catholici in eundem errorem, sine pertinacia tamen, atque adeò sine nota hæresis impegerunt, vt scilicet non putauerint iure diuino Confessionem esse institutam. Nam Glossa Decreti, Ioannis cuiusdam Teutonici, in principio distinct. 5. de Pœnit. & Panormitanus in cap. *Omnis vtriusque sexus*. Extra de pœnitẽtiis, & remissionibus. Ac Petrus quidam Oxomensis, cuius sententia in Cõcilio quodam Complutensi, vt postea videbimus, damnata est, ex statuto tantum, seu traditione quadã Ecclesiæ, Confessionem originẽ habere opinati sunt.

Item Erasmus, in scholiis super epistolã Hieronymi ad Oceanum de Epitaphio Fabiolæ, negat istiusmodi Confessionem fundamentum in antiquitate habere. Denique recens ille Tertulliani scholiasta, cui nomen est Beatus Rhenanus (in hoc minimè felix & beatus, vt rectè dicit Canus, in Relectione de Pœnitẽtia) Confessionem iure diuino institutã esse similiter negat, in suis Annotationibus ad Tertulliani librum de Pœnitentia, sub initium.

Catholica verò Assertio, istorum errore nihil obstante, est, Confessionem & à Christo institutam esse, & ad salutẽ necessariam in re vel in voto, (quoad peccata quidem mortalia) atq; adeò diuinitùs præceptam. Quam assertionem primò confirmabimus ex Scriptura noui Testamẽti: Secundò, auctoritate veterum Patrum: Tertiò, ex Ecclesiæ Catholicæ definitione: Quartò, ex eiusdem Ecclesiæ vsu perpetuo.

PRIMO igitur, Confessionem à Christo institutam esse ex Scriptura sic intellecta, sicut à sanctis Patribus intelligitur, ita probo: Si à Christo Domino quædam actio externa, quasi tribunal quoddam pro conscientiis fidelium, institutа est, in qua illorum peccata iudicio atque sententia legitimorum Ecclesiæ ministrorum, vel remittantur, vel retineantur; dubium esse non debet, quin etiam à Christo institutum sit, vt fideles peccata sua quorũ recordari possint, ministris Ecclesiæ legitimis ad obtinẽdam, eorum iudicio atque sententia, veniam, confiteantur. At talis actio, & quasi tribunal, pro fidelium cõscientiis omnino est à Christo institutа. Igitur & Confessionem illam esse ab eo institutam, sine omni dubitatione fatendum est.

Maiorem

Maiorem huius argumenti propositionem ea ratione confirmamus; quoniam nequeunt Ministri prudẽter ac discretè, vt oportet, iudicium de fidelium peccatis ferre, num scilicet remittenda vel retinenda sint, nisi cognitionem habeant conscientiæ ipsorum fidelium, quo modo scilicet se erga peccata habeant; nec rursus possunt ministri hanc cognitionem habere, nisi fideles ipsi suam conscientiam illis aperiãt. Quis enim hominum (vt ait Apostolus 1. Cor. 2.) *scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Quin etiam cùm nunquam fiat dimidiata peccatorum mortalium remissio, sed vel nullũ peccatum mortale, vel omnia simul remittãtur: neque peccata quoq; venialia sine Mortalibus remitti possint; necesse est omnino de omnibus saltem peccatis mortalibus, hoc est de conscientia & animo peccatoris erga vnũquodque mortale peccatum, æquè ministrum cognoscere; vt cum iudicio & discretione sententiam remissionis vel retentionis ferat eorum peccatorũ quæ peccator ei aperit. Denique in omni genere ratio ipsa docet non esse à Iudice sententiam ferẽdam, nisi caussa in specie probè cognita. *Qui enim iudicat quod nouit*, hic demum *Iudex est iustitię*, id est, rectus, & sapiens, Prouerb. 11.

Vt igitur minimè dubitaremus, esse Imperatorio iure institutam delationẽ alicuius criminis, hoc ipso quod tribunal & iudices ad iudicãdum in externo foro de eiusmodi subditorum crimine Imperator instituisset: Ita etiam neque dubitandum est, quin accusatio & confessio omnium peccatorum in specie sit à Christo institutа, si is quasi tribunal & iudices instituit, ad sententiam ferendam de remissione seu retentione peccatorũ omnium, quæ à fidelibus commissa essent. Itaq; firma est illa nostræ argumentationis Maior.

Minor autem eiusdem argumenti propositio, nempe tale quasi tribunal ad iudicãdum de peccatis fidelium à Christo institutum esse, multis modis probatur. *Primò* ex illo loco Ioãnis 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quo loco patet, quam potestatẽ Christus à Patre accepit, remittendi peccata, hanc ipsum ministris suis deleganisse, vt eam per ministerium ipsi quoque exercerẽt; sicut disertis verbis testatur D. Chrysostomus, lib. 3. de Sacerdotio, & Cyrillus, lib. 12. in Ioãnem, cap. 55. sub finem, & cap. 56. In quam etiam sententiam planè loquitur D. Ambrosius, lib. 1. de Pœnitentia, cap. 2. & 7. & lib. 2. cap. 7. & 9. 33. in Num. & in Psalm. 101. con. 2. & D. Hieronymus, ad Ediabiam, q. 2. At minimè dubium est, quin adhibito iudicio quodam & discretione, atque adeò cum cognitione conscientiæ peccatoris, potestas illa remittendi peccata, quam à Patre Christus habuit, ex voluntate eiusdem Patris à Christo exercenda fuerit: iuxta illud Ioannis 5. *Pater non iudicat quemquam*, id est, non iudicat ipse solus, *sed omne iudicium dedit filio*. Et illud, Matt. 28. *data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*, quod inprimis intelligitur de potestate iudicãdi. Ergo similiter eadem potestas ex Christi voluntate & instituto exerceri debet cum discretione quadam & iudicio in ministerio reconciliationis fidelium. Quãdoquidem sic sunt Christi ministi ad id ministerium missi, sicut fuit missus ipse Christus à Patre. Quod eam planè vim habet, vt quidquid auctoritatis possit competere ministris Christi, in ministerio & vsu eorum remediorum, quę ad hominum salutem à Christo sunt institutа, id totũ intelligere debeamus esse illis à Christo tributum. Cumq; ea potestate remittendi vel retinendi peccata cum cognitione & iudicio, nisi aliqua actione externa erga fideles ipsos ministri vti non possint (non enim aliter homo in hominẽ auctoritate aliqua fungitur) hoc ipso certè, quod vsus eius potestatis à Christo institutus est, consequitur, actionẽ quãdam externam à Christo institutam esse, velut tribunal quoddam pro conscientiis fidelium, in quo ex sententia legitimorum Christi ministrorum, vel remitti, vel retineri possint peccata fidelium illis subiectorum, vt assumpsimus in Minore nostræ argumentationis.

Secundò eandem Minorem confirmamus exemplo clarissimo. Si enim filius Cæsaris cũ potestate iudicandi, itemque cum auctoritate eam ipsam potestatẽ aliis delegandi mitteretur à suo patre; isq; alicui homini diceret, *sicut misit me pater, ego mitto te, quorũ remiseris delicta, &c.* minimè tunc dubitaremus, quin eiusmodi homo à filio Cæsaris constitutus esset *iudex* delegatus. Cùm igitur filius Dei, Christus Iesus, cui *omne iudicium* à Patre datum est, omnisque potestas in cœlo & in terra, dixerit Apostolis eorumque successoribus, *sicut misit me Pater, &c.* ambigi nulla ratione debet, quin sint à Christo constituti iudices eorum fidelium, qui eis fuerint subditi, vt illorũ peccata cum cognitione ipsius caussæ vel remittere vel retinere possint.

Tertiò idem probatur ex ipsa forma verborũ, quibus eam potestatem Christus & promisit & contulit suis ministris. Promiserat enim eam, Matth. 18. illis verbis: *Quæcunque solueritis, &c.* Et: *Quæcunq; ligaueritis, &c.* Constat autem actũ soluendi & ligandi, iudicialem esse. Item contulit demũ eam potestatem post resurrectionẽ suam Ioan. 20. illis verbis: *Accipite Spiritũ sanctum. Quorũ remiseritis, &c.* Quæ certè verba similiter *iudicij* quandam discretionem & auctoritatẽ denotãt.

Quartò idem confirmo auctoritate sanctorũ Patrum, qui hoc ipso modo quo nos, intellexerunt eiusmodi Scripturas. AVGVSTINVS, libro vigesimo de ciuitate Dei, capite nono, interpretans locum illum Apocalypsis vigesimo: *Vidi sedes & sedentes super eas, & iudicium datum est*, ita in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quit. *Non hoc putandum eſt de vltimo iudicio dici, Sed per ſedentes ſuper ſedes ipſi præpoſiti intelligẽdi ſunt, per quos nunc Eccleſia gubernatur. Iudicium autem datum, nullum melius accipiendum eſt, quàm id quod dictum eſt Matthæi decimo octauo, Quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata & in cœlo, &c.* Quæ profecto interpretatio Auguſtini ad illum etiam locum Ioãnis vigeſimo, Quorum remiſeritis, &c. Vbi de eadem re agitur, ſimiliter pertinet.

Item diuus GREGORIVS, homilia vigeſima ſexta in Euangelia, quæ eſt de octaua Paſchatis. interpretans illud: *Quorum remiſeritis peccata, &c. Principatum*, inquit, *ſuperni iudicij ſacerdotes ſortiuntur, vt vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent.* Ac rurſus ibi repetit Gregorius, *Apoſtolorum ſucceſſores, animarum & vitæ alienæ iudices fieri.* Ibi etiam comparat Sacramentum pœnitentiæ, cum iudicio forenſi, vbi cauſſæ primũ cognoſcuntur, deinde iudicantur.

Item diuus CHRYSOSTOMVS, libro tertio de Sacerdotio: *His*, inquit, *datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus optimus neq; Angelis neq; Archangelis datam eſſe voluit; neq; enim ad illos dictum eſt; Quæcunq; alligaueritis, &c. Habent quidem & terreſtres principes vinculi poteſtatem, verum corporum ſolùm. Id autem quod dico ſacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos vſque peruadit, vſque adeò, vt quæcunque inferne ſacerdotes cenſuerint, illa eadem Deus ſuperne rata habeat, ac ſeruorum ſententiam* (ſententiam, inquit) *Dominus confirmat.*

Item diuus HIERONYMVS, in caput vigeſimum quintum Matthæi, ſacerdotibus tribuit *auctoritatem iudicandi peccata per* poteſtatem clauium, ſicut ſacerdotes veteris legis *iudicabant inter lepram & lepram*, quod non faciebant niſi bene perſpecta morbi cauſſa.

Item à diuo AMBROSIO, libro primo de Pœnitentia, capite ſecundo, eiuſmodi ſacerdotum auctoritas vocatur propterea IVS *ligandi & ſoluendi.*

Atque etiam à diuo HILARIO, canone decimo ſexto in Matthæum, *iudicium terreſtre* dicitur vſus eiuſmodi auctoritatis. In quam ſententiam & reliqui Patres paſsim loquuntur. Et hactenus quidem confeſsionem diuinitus à Chriſto INSTITVTVM eſſe ita ex Scriptura, iuxta Patrum expoſitionem, probatum ſit.

Eſſe autem NECESSARIAM quoque ad ſalutem (quoad peccata quidẽ Mortalia) vt item in Aſſertione noſtra poſuimus, facilè probamus ex eadem ipſa inſtitutione diuina, hoc modo: Si effectus alicuius medij diuinitus inſtituti neceſſarius eſt hominibus ad ſalutem; ipſum etiã medium eſt illis ad ſalutem neceſſarium; præſertim ſi hominibus non ſatis conſtet, eiuſmodi effectum per aliquod aliud medium ſe iam conſecutos eſſe. At effectus inſtitutæ diuinitus confeſsionis, reſpectu mortalium quidem peccatorum neceſſarius eſt omnino ad ſalutem; neque eõmuniter ſatis conſtat hominibus, quòd hunc effectũ per aliquod aliud medium obtinuerint. Ergo ipſa etiam confeſsio eſt illis neceſſaria ad ſalutem.

Maior huius argumenti propoſitio probatur, quia cùm nihil à diuina prouidentia ſuperuacaneè conſtitutum ſit, omnino vult Deus vt homines procurent vnumquemq; effectum per medium ſeu media ad illum inſtituta, quam diu præſertim ipſis non ſatis conſtat ſe illum effectũ ad finem aliquem neceſſarium; ad eundem finem vult Deus neceſſariò (pro loco ac tempore) vſurpari ea media, quæ ſunt propter eum effectũ non fruſtrà conſtituta. Nec ſanè poteſt vllo exemplo in aliquo genere oſtendi huius contrarium.

Minor quoque argumenti propoſitio patet, quoniam effectus eiuſmodi confeſsionis eſt *remiſsio* mortalium peccatorum, quæ committũtur poſt Baptiſmum. Hunc autem effectum ad ſalutẽ neceſſarium eſſe ex Scriptura paſsim conſtat, quæ vbiq; docet ſine remiſsione peccatorũ mortalium neque gratiam Dei, neque vitam æternam haberi poſſe. Neque verò communiter hominibus ipſis conſtat, vtrum per alia media, puta per actum contritionis, ſeu dilectionis Dei ſuper omnia, &c. eum effectum conſecuti ſint. Quare communiter tenentur, ad effectum eiuſmodi certius procurandum, vſurpare etiam illud peculiare medium confeſsionis, quod eſt ad eam rem inſtitutum.

Sicut etiam tenentur, qui nondum baptizati ſunt, vſurpare ad remiſsionem peccatorum certius procurandam, peculiare illud mediũ, quod eſt ad eam rem in Baptiſmo inſtitutũ, licet fortè quidam opinari poſſent, ſe iam per actum veræ cõtritionis aut dilectionis eam remiſsionem eſſe conſecutos.

Quin etiam ſi alicui in particulari per diuinam reuelationem ſatis certò conſtaret, ſe iam eſſe ſine Sacramento Baptiſmi, aut ſine confeſſione, remiſsionem peccatorum conſecutum, tamen teneretur is nihilominus lege Baptiſmi & confeſsionis. Non enim quia ceſſet *finis* legis in vno homine particulari, ideo ad illũ non pertinet obligatio legis, quę in communi omnibus propter eum finem poſita eſt, vt rectè docent Theologi. Itaque quamuis Chriſtus inſtituens, Ioannis vigeſimo, confeſsionem, non expreſſerit quidem verbis præceptum illius, tamen ex natura ipſa rei inſtitutæ præceptum illud rectè à nobis colligitur, ea quidem forma probationis, qua ſumus vſi. Alij autem aliter ex inſtitutione id præceptum deducunt. Sed hæc forma noſtræ probationis eſt ſatis firma, quam ex parte quoque attingit Durandus, in quarto, diſtinctione decima ſeptima, quæſtione nona.

SECVNDO confirmo principaliter eandem aſſertionem auctoritate veterum Patrum, qui &

ipſi ex Scriptura didicerunt, confeſsionem omnium mortalium neceſſariò Sacerdoti faciendam eſſe ad impetrandam gratiam in reconciliationis miniſterio, atque adeò ex inſtitutione diuina.

Diuus DIONYSIVS Areopagita, in epiſtola ad Demophilum: *Tu verò*, inquit, *vt tuæ literæ indicant, procidentem Sacerdoti impium, vt ais, & peccatorem, neſcio quo pacto contra diſciplinæ ordinem aſtans calce abieciſti, cùm ille quidem verecundè, quod oportuit, fateretur, ſe ad peccatorum remedia quærenda veniſſe: neque exhorruiſti inſuper ſacerdotem optimũ lacerare conuiciis, miſerabilem eum dicens, qui peccatorem & impium iuſtificaſſet.*

In quo teſtimonio diligenter obſeruari debet, Dionyſium ibi eam *impij confeſsionem* commemorare, quam oportet facere, ad *remedia peccatorum quærenda*. Item quæ ſecretò fieret, à *procidente* nimirum peccatore coram ſacerdote, cui proinde aſtare eſſet cõtra Eccleſiaſticæ diſciplinæ ordinem. Item quæ ad eam rem adhiberi eſſet ſolita, vt peccatorem ita confitentem ſacerdos verè & efficaciter *iuſtificaret*. Quæ omnia planè oſtendunt de confeſsione peccatorum in ſpecie prorſus tali, qualis hodie in Eccleſia vſurpatur, ſermonem ibi Dionyſio eſſe.

Hanc igitur dicit *oportuiſſe* adhiberi iam inde ab Eccleſiæ primordio, in quo ipſe floruit Dionyſius, procul dubio tanquam rem ſacroſanctã, & ad iuſtificationem à ſacerdote impetrandam ex Chriſti & Apoſtolorum traditione neceſſariam, vt ſatis ipſe Dionyſius ibi ſignificat.

Item ORIGENES, homilia ſecunda, in Pſalmum trigeſimum ſeptimum: *Pronunciationem, inquit, iniquitatis id eſt, confeſsionem peccati frequentius diximus. Vide ergo quid nos edocet Scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare interius: fortaſſe enim, ſicut qui habent intrinſecus incluſam eſcam indigeſtam, aut humores, aut phlegmata ſi vomuerint, releuantur; ita etiam ij, qui peccauerunt, ſi occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus vrgentur, & promodum ſuffocantur ab humore peccati. Si autem ipſe ſibi accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum, & confitetur, ſimul euomit & delictum, atq; omnem morbi cauſſam digerit. Tantummodo circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum, proba prius medicum, cui debeas cauſſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente; vt ſi quid ille dixerit, ſi quid conſilij dederit, facias & ſequaris. Si intelligis talem eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſsis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hac deliberatione, & ſatis periti medici conſilio procurandum eſt.*

Sed hunc locum Origenis, ait Kemnitius intelligendũ eſſe, non de confeſsione *omnium* peccatorum, quæ neceſſariò facienda fuerit ſacerdoti, ſed de confeſsione *aliquorum*; ad petendum videlicet à ſacerdote conſilium, num expediret in conuentu totius Eccleſiæ publicè exponi delicta, ſicut ad maiorem ſignificationem pœnitentiæ fieri olim quandoque à fidelibus ſolebat. Probat ex eo, quod Origenes ibi dicit; *proba prius medicum, ſi intellexeris talem eſſe languorẽ, &c.* Item quoniam in principio eius homiliæ, de Confeſsione, quæ fieret *publicè* in Eccleſia loquitur Origenes: ob quam quidam maledicè aliis exprobrarent delicta, vel ita confitentes irriderent, vel deſpicerent, vt commemorat ibi Origenes; quod ne accideret, conſilium erat capiendum prius à Sacerdote, num & quando, & de quibus peccatis eiuſmodi publicam confeſsionem facere expediret. Hoc igitur ſolum velle ibi Origenem contendit Kemnitius.

Cæterùm manifeſtam hanc eſſe corruptelam Origenis ſententiæ, ex ipſo loco apparet, ſi recitetur integrè, vt nos fecimus, non truncatim, vt fecit malitioſè Kemnitius. Non enim Origenes ob eam rem tantum confeſsionem peccatorum perito medico faciendam eſſe dixit, vt is videret, num expediret in conuentu Eccleſiæ peccatum exponere (quam ſolam partem ſententiæ Origenis, cæteris prætermiſsis, malitioſè Kemnitius, aliorum videlicet hæreticorum more, recitauit) ſed etiam, vt, ne in animo *incluſum peccatum animam quaſi ſuffocaret*, ſed confeſsione potius velut noxius quidam humor ex animo expelleretur. Item, vt, ſi quid *omnino conſilij ad* remedium peccatorum ille dediſſet, hoc peccator exequeretur. Ac tum demum poſtea ſubiungit illam quoq; cauſſam, vt miniſter ſtatueret, num expediret publicè etiam peccatum exponi.

Conſtat autẽ certè priores illas rationes, cur perito medico confeſsionem fuiſſe faciendam ibi dixit Origenes, ad omnia æquè peccata pertinere, & non tantum ad ea, de quibus dubium eſſe poſſet, num eſſent prodenda in publicum. Quare de confeſsione etiam *omnium* peccatorũ mortalium neceſſariò faciẽda ſacerdoti, vt quis videlicet liberaretur à peccato (qui finis omnino neceſſarius eſt) Origenes ibi loquitur.

Item TERTVLLIANVS, in libro de Pœnitentia, de iis agens, qui poſt ſuſceptum baptiſmum nihilominus infeſtatione Satanæ ad rurſus peccandum incitantur, ita inquit: *Hæc venena huius hoſtis prænidens Deus, clauſa licet innocentiæ ianua, & intinctionis ſera obſtructa*, (quia ſcilicet baptiſmus iterari non poteſt) *aliquod adhuc permiſit patere remedium. Collocauit in veſtibulo pœnitentiam ſecũdam, quæ pulſantibus patefaciat.* Paulò autem inferius ad hanc ſecundam pœnitentiam pertinere dixit *Exomologeſim*, qua *delictum*, inquit, *noſtrum Domino confitemur, non quidem vt ignaro, ſed quatenus ſatisfactio* (nimirum per Sacerdotes, cauſſa cognita, imponenda) *confeſsione diſponitur, confeſsione pœnitentia naſcitur, pœnitentiã Deus mitigatur.*

Quibus verbis Tertullianus omnium trium actuum, quos Materiam pœnitentiæ eſſe ſentit Eccleſia, mentionem facit: nempe confeſsionis, ſatisfactionis, & contritionis, quam ibi nomi-

nat *pœnitentiam*, quæ etiam oriri & confirmari solet ex ipsa humili confessione.

Quod enim ibi Tertullianus de confessione loquatur, quæ fit Deo, non quomodocunque, sed vt Dei vicem tenet Minister, quæque adeò fit simul ipsi ministro, patet primùm ex eo, quod dicit eiusmodi *confessione satisfactionem disponi*, sicut antè diximus. Deinde ex eo, quod subiungit, eos, qui hanc Exomologesin faciebant *presbyteris* etiam solitos esse *aduolui*, tanquam iis videlicet quibus peccata aut patefacta, aut patefacienda iam iam essent. Item id patet clarissimè ex eo quod hæc verba ibidem addidit Tertullianus: *Pleroſque autem*, inquit, *hoc opus, vtpote publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis: velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.*

Hoc certè loco Tertullianus de confessione, quæ alteri debeat fieri tanquam medico, loquitur, & quam ita quidam erubescunt facere, vt malint potius in peccatis mori. At confessio, quæ fit vel soli Deo, vel in genere tantùm ministro, minimè sanè eiusmodi erubescentiam vsq; adeò magnam habet. Quod autem ibi Tertullianus eiusmodi confessionem vocat *publicationem* sui, ideo facit, quoniam per eam certè manifestatur peccatum sacerdoti, id quod homo erubescit. Item quoniam adiunctam habebat ea confessio aliquam pœnitentiam publicam illis temporibus, aut etiam euulgationem quorundam peccatorum ad maiorē ædificationem atque satisfactionem aliorum, vnde poterat intelligi hominis ita confitentis delictum.

Omnino autem sentiendum est Tertullianū hîc de *secreta* inprimis confessione peccatorum etiam loqui, quæ fieret prius sacerdoti tanquam medico, vt rectè quoq; de hoc loco Tertulliani notauit Andreas Vega, libro decimo tertio in Concil. Trident. capite vigesimo nono. Quod patet præterea ex duobus, quæ Tertullianus in eo loco confessioni tribuit. VNVM est, quòd fuerit à Deo ipso *instituta* confessio illa, seu Exomologesis: ALTERVM est, quòd non vtcunque à Deo illa instituta fuerit, sed planè tanquam necessaria ad salutem, atque adeò ad effugiendam pœnam gehennæ. Quæ duo certè de confessione *publica* dici non possunt, cùm nemo Theologorum vnquam senserit, eam à Deo institutam fuisse, & multo minus eam esse ad salutem *necessariam*, ex institutione Christi. Immò nec satis prudenter Ecclesiastica lege sanciretur confessio *publica*, vt rectè in Concilio Tridentino sessione decima quarta, capite quinto asseritur, propter infamiam videlicet, quam habet adiunctam, ad quam subeundam homines fideles obligare admodum esset durum. Itaq; non modò in Ecclesia Catholica nullus iam illius confessionis publicæ vsus est, sed neque apud vllos sectarios vsurpatur. Quo ipso & illi etiam coguntur fateri non esse eiusmodi publicam confessionem à Christo institutam, vt necessariam.

Quod autem illa duo, quæ dixi, scilicet & *institutionem* diuinam & *necessitatem* tribuat Tertullianus confessioni, de qua ibi loquitur, patet tum ex verbis eius antè recitatis, tum etiam ex eo, quod clarissimè sub finem eius libri ita dicit: *Igitur cùm scias*, inquit, *aduersus gehennam positi prima illa intinctionis monimenta*, id est, post Baptismum, *esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? Cur cessias agredi, quod scias mederi tibi? &c.* Loquitur igitur de confessione secreta, cuius duntaxat & institutio & lex videri potest fidelibus *secundi subsidij* loco à Deo proposita tanquam tolerabilior. Cumque Tertullianus de eiusmodi confessione loquatur, non magis respectu horum, quàm illorum peccatorum mortalium; de confessione omnino peccatorū omnium mortalium loqui censendus est; quandoquidem æquè omnia peccata mortalia inducunt reatum gehennæ, quā monet ibi Tertullianus effugiendam esse per confessionem.

Neque verò mouere hîc debet, quod præterea ibi Tertullianus exemplum subiungit Nabuchodonosoris, qui Exomologesin atque pœnitentiam fecerit. Id enim exemplum inducit propter aliquam similitudinem atque analogiam, quæ est inter pœnitentiam illius Regis & nostram, quod ad externam actionem pœnitentiæ & satisfactionem attinet: non autem quòd velit Tertullianus non aliam confessionem atque pœnitentiam à fidelibus lapsis post baptismū requiri, quàm olim requireretur ante promulgatam Euangelij legem. Alioqui non toties ibi Tertullianus dixisset huiusmodi lapsis post baptismū esse faciendam hanc Christianam pœnitentiam & Exomologesin ad remedium peccatorum *secundo loco* post baptismum diuinitus institutam. Sed hactenus de Tertulliano.

Est & in diuo CYPRIANO Tertulliani studiosissimo, alius locus, sermone de lapsis, ad hāc ipsam assertionem confessionis comprobandā, valde illustris ac firmus. Qui quoniam malitiosè admodum à Kemnitio, loco suprà citato corrumpitur, paulò etiam diligentius est à nobis tractandus. Ibi igitur Cyprianus reprehendens illos, qui in persecutione lapsi fuerant, & posteā sine pœnitētia & confessione sui criminis communicare sacrosanctæ Eucharistię mysteriis volebant: quinque potissimum rationibus eos ad pœnitentiam & confessionem peccati faciendam adhortatur.

Primò, quoniam diuino præcepto ad id tenerentur, quò spectat id quod ibi ait Cyprianus: *Quid surdæ aures salutaria præcepta non audiunt? quid monemus? quid cæci oculi pœnitentiæ iter non videntes? quod ostendimus? Quid perculsa & alienata mens remedia vtilia non percipit, quæ de Scripturis cœlestibus aut discimus, aut docemus?* *Secundò*, quia multi ob neglectam confessionem Apostasiæ, vel etiam aliorum criminum, siue ea occulta, siue manifesta essent, mirabiliter à Deo puniti fuerunt: præsertim cùm vellent indignè mysteriis etiam sacris communicare. Ex quo genere cum aliquod memorabilia exempla recitasset ibi Cyprianus, tum subiungit generatim: *Quam*, inquit, *multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti sui* CONSCIENTIAM *confitentes, immundis spiritibus adimplentur? quàm multi vsq; ad insaniam mentis excordes dementiæ furore quatiuntur?* Vbi illud diligenter obseruandum est, quod dicit, nec delicti sui *conscientiam* confitentes, quo ipso satis indicat se de delictis etiam *occultis*, vel simpliciter ac per se, cuiusmodi sunt peccata *cordis*, vel certè de occultis in aliquo loco, soliq; conscientiæ peccatoris cognitis, loqui. Agebat enim ibi procul dubio Cyprianus contra omnes lapsos, si qui fortè aliunde etiam venissent, & essent ibi occulti.

Tertiò, quoniam etsi aliquis peccatum suum ministro non fateatur, tamen illud Dei oculos & iudicium latere non potest. *Deum*, inquit, *subterfugere & vitare non poterit, cùm dicat Spiritus sanctus in Psalmo: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Et iterum: homo videt in facie, Deus videt in corde, &c. Videt ille corda & pectora singulorum, & iudicaturus est non tantùm de factis, sed etiam de verbis & cogitationibus nostris. Omnium mentes voluptates q; conceptas in ipsis adhuc clausi pectoris latebris intuetur.*

Quarto, ad eiusmodi etiam pœnitentiam & confessionem faciēdam illos, qui lapsi fuerant, monet exemplo aliorum bonorū fidelium proposito, qui etiam conceptam tantùm in animo, neque opere ipso patratam Apostasiam, confitebantur: *Quantò*, inquit, *& fide maiores, & timore meliores sunt, qui quamuis nullo sacrificij, aut libelli facinore sint constricti* (Libelli facinus hîc appellat peccatum illorum qui etsi non eo vsque processerant, vt idolis sacrificarent, tamen mercedem scripto pollicebantur Tyrannorum præfectis, ne ipsos ad sacrificandum compellerent; atque adeò ne ipsis ea re occasionem darent, vt cum vitæ discrimine fidem Christianam apertè profitentur, quemadmodum ex epistola Cypriani quinquagesima secūda ad Antonianum colligi potest: vbi & istos qui sic delinquebant appellat Libellaticos) *quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt; hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, Exomologesin* CONSCIENTIÆ *faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirūt, sciētes scriptum esse, Deus non deridetur, &c. Minus planè aliquis peccauerit non videndo idola, nec sub occasu circumstantis atque insultantis populi sanctitatem sabbati profanando, nec polluendo manus suas funestis sacrificiis, nec sceleratis cibis ora maculando. Hoc*, inquit, *eo proficiet vt sit minor culpa. Nam & innocens conscientia facilius potest ad veniam criminis peruenire. Non est tamen immunis à crimine: nec cesset in agenda pœnitentia, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur.*

Quintò, quoniam, vt ibidem è vestigio subiungit, in hac demum vita confessio illa sacerdoti facta salutaris esse potest. *Confiteantur singuli*, inquit, *quæso vos fratres dilectissimi delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* Atq; vt magis ad eam confessionem faciendam moueat, addit ibi ad extremum, hominem alioquin *animam spiritualiter mortuam* per peccatum *& quasi funus suum portare.*

Iam ex his omnibus rationibus, quibus eo loco Cyprianus ad confessionem *conscientiæ* peccatorum faciendam hortatur, perspicuum certè est, insigniter hunc locum adulterari à Kemnitio, cùm is dicit, Cyprianum non velle confessionem omnium peccatorum atque adeò etiam occultorum esse ad salutem necessariam, sed tātùm ibi agere de confessione *publica* quorundam criminum maiorū, vt apostasiæ. Itemque commemorare exempla quorundam ferentiorum fidelium, qui cùm animo concepissent eiusmodi crimina publica pœnitentia digna, hoc ipsum Sacerdotibus priuatim, sua spōte confitebantur, nulla ad id præcepti diuini necessitate adacti. *Dicit enim*, inquit Kemnitius, *hoc feciſſe eos, qui fide maiore & timore meliore erant.* Quam solam particulam ex tota Cypriani oratione Kemnitius astutè recitauit, nec eam nisi corruptè, vt statim dicemus.

Hæc verò interpretatio stare nullo modo potest cum iis rationibus, quibus ad confessionē Apostasiæ Cyprianus, vt vidimus, hortatur. Etenim *præceptum diuinum* ex Scriptura diuina petitum, quod in *prima* ratione vrget, nequaquam est de confessione *publica*, sicut suprà circa locū Tertulliani ostendimus: nec verò de secreta aliquorum tantummodo peccatorum, sed æquè certè *omnium*, quorum remissio lapsis post baptismum sit necessaria, iuxta locum Ioannis vigesimo, ad quem ibi alludere Cyprianum apparet ex ratione eius quinta.

Item in *secunda* ratione generatim etiam proponit terribiles exitus eorum, qui *conscientiam* delictorum etiam occultorum non essent confessi, vt illic annotauimus.

Similiter & *tertia* ratio ad omnia omnino peccata æquè pertinet, siquidem omnia æquè sunt alioqui *nuda & aperta coram oculis Dei*, quod ibi Cyprianus ad confessionem faciendam vrget.

Item eos quos in *quarta* ratione commemorat animo tantùm concepta crimina confiteri solitos, nequaquam pro arbitratu suo, sed necessitate diuini præcepti adactos id fecisse, satis apertè ibi declarat Cyprianus, cùm caussan. cur id facerent illam subiungit: *scientes*, inquit, *scri-*

ptum esse, Deus non deridetur. Quæ verba Cypriani, cùm essent in eadem periodo coniuncta, malitiosè atq; callidè reticuit Kemnitius: sicut etiam totum illud, quod ad eandem rem consequenter, vt recitauimus, ibi Cyprianus addidit; nempe, crimen animo tantum conceptũ, minus crimen esse, sed tamen crimen esse nihilominus, ac proinde non esse de eo *negligendam satisfactionem* illam atque pœnitentiam. post quę verba proximè illud subiungit: *Confiteantur igitur singuli fratres, &c.*

Sed neque ibi Cyprianus *absolutè* dicit, eos, qui fide essent *maiores*, & timore *meliores*, eiusmodi peccata solitos confiteri, vt Kemnitius peruersè recitat; quasi sensus sit, inter ipsos alioquin bonos Christianos, qui nihil ex præcepto diuino necessariò faciendum prætermitterẽt, quosdam qui fide & timore Dei inter alios excellerent illa peccata solitos fuisse vltra ac citra præceptum Dei confiteri. Non hoc vult, neque ita loquitur Cyprianus: sed malis atque improbis Christianis, qui etiam Apostasiæ peccatum opere ipso admissum confiteri nolebant, opponit cum quadam emphasi, aliorum Christianorum exemplum, qui exactè & cumulatè facientes id, quod vtique debebant, atq; adeò sine vlla comparatione illis aliis meliores, etiam animo tantum concepta crimina nedum opere perpetrata, *simpliciter* & apertè confitebantur sacerdotibus *ad medelam*, (vt loquitur) & salutem animi quærendam. Hoc sibi Cyprianus illa Emphatica interrogatione vult: *Quantò & fide maiores, & timore meliores sunt, qui, &c.* Kemnitius autem vt est vbiq; sententiarum Patrum corruptor insignis & malitiosissimus interpres, perperam hîc recitauit Cyprianũ absolutè sic dixisse. *Qui fide sunt maiores, &c.*

Denique tota etiam *quinta* ratio Cypriani, ad omnia æquè peccata mortalia pertinet. Nam omnium confessio & remissio *per Sacerdotes facta*, salutaris & accepta Deo est in hac vita. Omnia etiam illa inducunt *mortem spiritualem*, & quasi *funus animæ, &c.* Itaque non iam ibi solos lapsos per Apostasiam Cyprianus propriè alloquitur, sed omnes: *Confiteantur*, inquit, *singuli delictum suũ*, & cætera quæ recitauimus.

Certè est euidentissimum, ex sententia Cypriani atque adeò veteris Ecclesiæ, iure diuino confessionem omnium peccatorũ mortalium necessariò faciẽdam esse sacerdotibus. Ea enim re Cyprianus tanquam vniuersali quadam regula & lege proposita, vrget ad confessionem lapsos in persecutione, vt est demonstratum.

Item LACTANTIVS Firmianus huius planè confessionis, quæ in Ecclesia necessariò vsurpãda sit figuram fuisse veterem carnis circumcisionem elegãter exponit, libro quarto diuinarum institutionum, capite decimo septimo: *Quoniam pars*, inquit, *illa hominis, quæ circumciditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda, ob hãc caussam Deus nudari eam iussit, vt hoc argumento nos admoneret, ne inuolutum pectus haberemus, id est, ne quod pudendum facinus, intra* CONSCIENTIAE *secreta velemus. Hæc est cordis circumcisio, de qua Prophetæ loquuntur, quam Deus à carne mortali, ad animam transtulit, quæ sola mansura est. Volens enim vitæ ac saluti nostræ consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, vt si cor nudauerimus, id est, si peccata confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus & admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem sicut homo, sed intima & arcana pectoris intuetur.* Quo loco idem planè Lactantius & sentit & loquitur, quod D. Cyprianus, quem ille libenter imitabatur.

Ac ne hæreticus tergiuersari hîc possit, obseruandum est, de confessione eiusmodi Lactãtium hîc loqui, quam postea capite vltimo eiusdem libri, affirmat, velut notam quandam esse, qua posit Ecclesia Catholica ab hæreticorum conuenticulis discerni. *Quia singuli*, inquit, *hæreticorum cœtus se potissimum Christianos esse, & suam Ecclesiam Catholicam putant, sciendum est illam esse veram, in qua est religio, confessio & pœnitentia, qua peccata & vulnera, quibus est subiecta imbecillitas carnis salubriter curat.*

Agit igitur Lactantius de ea confessione, quæ neque *tantummodo* fiat Deo, qualem vel omnes vel plerique hæretici vsurpandam esse facilè concedunt; neque tantummodo in *genere* ministris facienda sit, quo pacto non habet tam magnum pudorẽ, quàm ibi Lactantius significat; sed quæ *in specie* illis tanquam medicis fiat de omnibus criminibus, quæ *intra conscientiæ secreta latentia*, quantumuis pudenda sint, vt expresè Lactantius loquitur.

Item AVGVSTINVS libro quinquaginta homiliarum, homilia quadragesima nona: *Agite*, inquit, *pœnitentiam qualis agitur in Ecclesia, vt oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, occultè ago, nouit Deus, qui mihi ignoscit quæ occultè ago. Ergo sine caussa dictum est. Quæ solueritis in terris soluta erunt & in cœlo? Ergo sine caussa sunt data claues Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium Dei? Frustramus verba Christi? Promittimus nobis quod ille negat.?*

Item ibidem homilia vigesima septima: *Elevatus est*, inquit, *Lazarus, processit tumulo & ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam. Iam processerunt à morte, nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto & tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suis inquit? Quæ solueritis in terra, &c.*

Et Tractatu quadragesimo nono super Ioannem: *Si tanta quantam dixi*, inquit, *contemnis septimus iaces: quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo te manifestare? Sed vt confitearis, Deus facit magna voce clamando, id est, magna gratia vocando. Ideo cum processisset adhuc ligatus & confitens, & adhuc reus, vt solueretur, ministris*

stris dixit Dominus, soluite eum & sinite abire. Quid est soluite & sinite abire? Quæ solueritis in terris, erunt soluta in cœlis.

Et libro quinquaginta homiliarum, homilia quinquagesima: *Implicatus ergo motiferis vinculis peccatorum detrectat aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claues Ecclesiæ, quibus soluatur in terra vt sit solutus in cœlo, & audet sibi post hanc vitam salutem aliquam polliceri?* Et paulò pòst, *iudicet seipsum homo voluntariè cùm potest, ne, cùm iam nõ poterit, etiam præter voluntatem iudicetur à Domino. Veniat ad Antistites per quos illi claues administrantur, & ordine custodito à sacrorum præpositis accipiat satisfactionis suæ modum, vt in offerendo sacrificio cordis contribulati deuotus & supplex, id tamen agat, quod non solum illi prosit ad accipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum: vt si peccatum eius, nõ solùm in graui eius malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur ministro, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non reuerecundet.*

Ex quo loco & aliis similibus Augustini manifestè apparet, nõ modò petendi consilij caussa, vtrum confessio & pœnitentia publicè facienda esset peccatorum, debuisse fieri olim confessionem ministro (quæ quidem publica pœnitentia, tantùm ex decreto Ecclesiæ & *salubri consilio*, vt ibi vocat Augustinus fiebat, quod postea tamen, vt videbimus, abolitum fuit) sed etiam ad peccatorum *remissionem*, atque adeò ad animæ *salutem*, (vt Augustinus dicit) obtinendam, beneficio ac ministerio clauium Ecclesiæ. Quo sanè respectu non magis horum, quàm illorum, sed æquè *omnium* peccatorũ mortalium confessio in ministerio clauium fieri debet ex diuina Christi institutione. Itaque ibidem Augustinus omnia penè genera peccatorum, quorum remissionem oportet quærere in ministerio clauium, enumerauit. Nempe illa *opera carnis*, quæ recensет Apostolus in epistola ad Galatas capite quinto, in quibus etiam sunt peccata quædam interna, vt *hæreses, inuidiæ, &c.*

Quamobrem & aliâs idem Augustinus in Psalmum sexagesimũ sextum de omnium peccatorum confessione, ita inquit generatim: *Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat. Adhibet medicus pharmaca verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in corruptione tribulationis. Tu agnosce medici manum, confitere, & exeat in confessione omnis* (inquit) *sanies.* Item ibidem: *Si non confessus, latues, non confessus damnaberis. Damnaberis tacetus, qui posses liberari confessus.*

Item in Psalmum quinquagesimum: *O incredibilis*, inquit, *insania. De vulnere ipso non erubescis, de ligatura vulneris erubescis? nonne nudum vulnus (hoc est, nondum obligatum) fœdius & putidius est? Confuge ergo ad medicum, age pœnitentiam, &c.*

Et in epistola centesima octogesima, & libro primo de adulterinis coniugiis, capite vigesimo octauo, æquè ad salutem necessarium ministerium istud clauium, atque adeò confessionem, censet Augustinus, ac ministerium ipsum *baptismi*, vt iam aliasimilia Augustini testimonia præteream.

Quæ autem ex libro illo quinquaginta homiliarũ hîc attulimus, minimè dubitatur, quin sint Augustini, vt patet etiam ex indiculo Possidonij, & ex Bedæ collectaneis, ipseque stylus planè est Augustini; & vt Augustini, passim illa testimonia ab orthodoxis iam olim citata sunt. Homiliam tamen illius libri secundam, quartam, septimam, decimam quintam, vigesimam secundam, quadragesimam quintam, quidam censent non esse Augustini. Sed de Augustinõ hactenus.

Præterea AMBROSIVS, libro secundo de Pœnitentia, capite primo: *Agenda est*, inquit, *pœnitentia non solùm solicitè, sed etiam maturè.* Et paulò pòst: *Non erubescamus confiteri Domino peccata nostra. Pudor est vt vnusquisque crimina sua prodat, sed ille pudor spinas tollit perpetuas.* Ex quibus verbis satis apparet Ambrosium loqui de eiusmodi confessione, quæ fit Deo in suis ministris, quæ videlicet illam erubescentiam in se prodẽdo habet. Agit enim ibi de confessione facienda ad obtinẽdam remissionem per *sacerdotum ministerium*, vt patet libro primo, capite septimo, cuius ministerij auctoritatem contra Nouatianos ex instituto in illis libris de pœnitẽtia defendendam suscepit. Itaque & capite septimo libri secundi, suscitationem Lazari affirmat typum fuisse huius confessionis faciendæ, ministeriiq́ue sacerdotum in remittendo peccata iis, qui per confessionem *exeunt foras ex conscientiæ quasi tumulo & latebris.* Qua de re eodem planè modo ibi scribit diuus Ambrosius, quo D. Augustinus paulò antè à nobis citatus. Atq; ad extremum ibi Nouatianos, qui huiusmodi ministerij auctoritatem sacerdotibus concedi non ferebant, cum Iudæis illis comparat, qui indignabantur ob suscitatum Lazarum, & vinculis solutum ab Apostolis. Quorum proinde Iudæorum duritiei ac perfidiæ dicit Ambrosius quasi hæredes esse Nouatianos.

Item diuus HIERONYMVS, in caput decimũ Ecclesiastes: *Si tacuerit*, inquit, *quem Diabolus peccati veneno infecerit, & non egerit pœnitentiam, nec vlcus suum fratri & Magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescit ægrotus vulnus medicõ confiteri, quod ignorat medicina non curat.* Vbi videtur etiam D. Hieronymus alludere ad locum illum Iacobi quinto: *Confitemini alterutrum peccata vestra & orate pro inuicem vt saluemini.* Qui locus vt disputat diligenter Sotus, in quarto sententiarum, distinctione decima octaua, quæstione

prima, articulo primo, sanè probabiliter potest etiam intelligi de confessione, quæ sit facienda fratri Sacerdoti & Magistro, vt sensus sit: Confitemini non tantùm Deo, sed etiam alterutrum, id est *homo homini*, sed sacerdoti nimirum & *Magistro*, vt Hieronymus loquitur. Nam & Sacerdos ac Magister, est vtique homo, ac proximus quidam & frater.

Nam quod de eiusmodi confessione necessariò facienda fratri, qui sit Sacerdos & Magister, loquatur maximè ibi diuus Iacobus, illud argumento videtur esse, quod addit, *vt saluemini*. Quæ verba non tantùm ad illud, *& orate pro inuicem*, sed ad illud etiam quod in eadem periodo præcedit, *Confitemini alterutrum peccata vestra*, referri debent. Confessio autem ea quæ fit quandoque fratri æquali ad petendum consilium, non est perinde necessaria ad salutem, sed illa demum, quæ fit fratri magistro, vt Hieronymus loquitur, id est Sacerdoti & medico spirituali.

Item diuus GREGORIVS, libro primo Registri, epistola vigesima quarta: *Cùm pastores*, inquit, *condescensionis suæ patientiam abluendis peccatorum confessionibus præparant, velut ante fores templi luterem portant, vt quisquis intrare æternitatis ianuam nititur, tentationes suas menti pastoris indicent, & quasi in boum lutere cogitationis vel operis manus lauent*.

Item diuus BASILIVS in quæstionibus compendio explicatis, quæstione ducentesima octogesima octaua: *Necessarium est*, inquit, *confiteri peccata iis, quibus administratio mysteriorum Christi concredita est*. Et aliàs, in quæstionibus fusè explicatis, quæstione vigesima sexta, apertè etiam dicit, *oportere quoque occulta peccata confiteri iis, qui auctoritate*, inquit, *præditi sunt*, Vbi similiter atque Hieronymus alludere videtur ad locum illum Iacobi quinto, ne quis putet illam eius loci interpretationem minus esse probabilem, de qua paulò antè dictum est.

Item CHRYSOSTOMVS, homilia vigesima in Genesin, ait: *Oportere ad confessionem facinorum festinare & conscientiæ vlcus medico ostendere, qui curet & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui, nullo alio conscio, & omnia ei dicere cum diligentia. Confessio enim*, inquit, *peccatorum, abolitio est delictorum*.

Neque verò obstat, quod ibi Chrysostomus significat, medicum, cui ea confessio facienda sit (vt Kemnitius etiam obiicit) esse ipsum Dominum, qui aliàs omnia nouit. Intelligit enim Chrysostomus Dominum, non in se, & per se, sed vt repræsentatur à suo ministro, cui nimirum est facienda hæc confessio, non vt homini, sed vt vicem Dei tenenti, idque *in secreto, nullo alio conscio*. Alioqui quorsum Chrysostomus ibi tantopere inculcaret, *omnia esse dicenda*, & quidem *cum diligentia medico, vt remedia singulorum peccatorum accipiantur?* Quorsum etiam aliàs, libro tertio de Sacerdotio, tantopere potestatem sacerdotibus datam remittendi peccata commendaret, si confessio non etiam illis facienda sit, vt ipsi suo ministerio peccata remittant?

Huc accedit & illa eiusdem Chrysostomi, libro secundo de sacerdotio, sanè illustris ad hâc rem confirmandam sententia. *Multa*, inquit, *arte opus est, vt qui laborant Christiani, vltro*, (id est, nó coacti) *sibi persuadeant, sacerdotum curationibus se submittere oportere*. Quod certè nemini prudenti Kemnitius persuadebit de confessione tantùm generali, aut quæ non nisi ad petendum consilium facienda quandoque sit, à Chrysostomo scriptum esse. Dicit enim *oportere* se submittere curationibus sacerdotum, id est, ab illis nimirũ propria, & singularia remedia peccatorum accipere, quæ proinde peccata in specie proculdubio exponenda sint. Atque etiam ibi addit, esse *difficile hominibus persuadere, vt habeant etiam gratiam iisdem Sacerdotibus propter curationem*.

Et homilia prima in Psalmum trigesimum septimum: *Deus*, inquit, *sicut corpori medicamenta præparauit, ita & animæ, Archiatros Christus est, medici sunt ministri verbi, quibus curandorum vulnerum commissa est disciplina*. Neque est vllo modo verisimilis expositio Kemnitij, quòd scilicet ad huiusmodi medicinam animæ in ministerio sacerdotum procurandam, noluerint Patres necessariam esse confessionem omnium peccatorum in specie factam. Quomodo enim conuenientem illi medicinam vnicuique peccato, nisi illud in specie cognouerint, adhibere poterunt? Atqui propriè & accommodatè vnumquodque peccati vulnus in eiusmodi ministro curandum esse, omnino voluerunt veteres Patres, sicut in iis locis Chrysostomus, & Augustinus vbi suprà, ac maximè etiam epistola tertia ad Iulianum Comitem, & alij citati.

Præterea idem Chrysostomus, homilia de Pœnitentia, quæ incipit, *Prouida mente*, manifestè dicit, perfectam pœnitentiam, habere in corde contritionem, in ore confessionem, in opere humilitatem, quem etiam Chrysostomi locum pro asserenda necessitate huiusmodi confessionis citat Gratianus, de Pœnitentia, distinctione prima, canone, *perfecta*. Accedit quod idẽ Chrysostomus dicitur librum etiam scripsisse de confessione, quẽ se vidisse in bibliotheca Regis Galliæ testatur Marianus Victorinus Reatinus, in libro suo, quem item de confessione conscripsit, vt refert Iacobus Pamelius, in annotationibus suis super Cypriani sermonem de lapsis, numero nonagesimo octauo. Quæ omnia idcirco de Chrysostomo volui referre, quoniam huius ferè tantummodo sententiâ perperam intellectâ conantur Sectarij necessitatem confessionis oppugnare, vt postea videbimus.

Item diuus PROSPER, libro secundo de vita contemplatiua, capite septimo, disertis etiam verbis necessitatem confessionis asserit, quæ refert

fert quoque Gratianus, de Pœnitentia, distinctione prima, canone trigesimo primo: *Illi*, inquit, *quorum peccata humanam notitiam latent, non ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri vel emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt & vltorem. Et quid illis prodest humanũ vitare iudicium? &c.*

Et clarissimè D. LEO, epistola octogesima ad Episcopos Campaniæ. *Illam*, inquit, *contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnoui a quibusdam illicita vsurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri, ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publicè recitetur, cũ reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei, videatur esse laudabilis, quæ propter timorẽ Dei, apud homines erubescere non veretur: tamen, quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare; remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta sua referare, quibus possunt legum constitutione percelli: sufficit enim illa confessio, quæ primũ Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis*.

Cæterùm huic etiam Leonis testimonio, quãtumuis magno, & illustri, tenebras suarum deprauationũ Kemnitius conatur offundere. Ait enim non loqui D. Leonem de *omnium* peccatorum confessione, sed de confessione tantum enormium criminum, quorum antea videlicet, secũdùm quendam Ecclesiasticæ disciplinæ ordinem fuisset solita fieri confessio & pœnitentia publica, quam proinde ibi Leo abrogat. Et probat hoc Kemnitius ex eo, quòd *ipse*, (inquit) *Leo ostendit se loqui de iis criminibus, quæ si publicarentur possent legum constitutione percelli*.

Sed manifestam hanc esse testimonij Leonis deprauationem euidentissimè probatur ex ipsis verbis & sententia D. Leonis. *Primò*, quoniam eorum peccatorum confessionem publicè fieri vetat, & secretè fieri vult ibi Leo, quorum publicam facere confessionem seu recitationẽ censet esse *contra Apostolicam regulam*, vt disertis verbis initio dicit, quę quidem malitiosè ac improbè more suo Kemnitius silentio præteriuit. At recitatio publica enormium duntaxat criminum, quę secundùm Ecclesiasticam disciplinam aliquando fieri solebat, minimè fuit contra Apostolicam regulam, siquidem in tota Ecclesia bene & laudabiliter pro ratione illorum temporum vsurpabatur, vt ipse etiam Kemnitius, & alij passim hæretici coguntur fateri: Ergo non enormium tantum peccatorum confessionem publicam fieri vetat, & secretã fieri vult ibi Leo, sed *omnium omnino* peccatorũ mortalium, quorum nimirum confessio priuato aliquorum locorum abusu publicè antè fieret.

Secundò, idem probatur ex eo, quod ait de *singulorum peccatorum genere* illam publicam recitationem per abusum solitam fuisse fieri: tantùm autem valet dicere de *singulorum*, atque de *omniũ* propriè & distinctè.

Tertiò, quoniam absolutè etiam ibi subiungit, *sufficere reatus conscientiarum indicare confessione secreta*; non igitur propriè hos aut illos reatus, sed *omnes* æquè vetat publicè recitari, & vult indicari secretè.

Quartò id ipsum manifestè probo ex ratione, quam D. Leo reddit, cur non debuerit exigi illâ confessio publica, quia non *omnium*, inquit, *pœnitentium peccata* sunt huiusmodi, vt ea *non timeat publicare*, sed quædam possunt etiam constitutione legũ puniri: quasi apertissimè dicat, propterea non debuisse exigi omnium peccatorum confessionem publicam, quoniam etsi aliqui absque timore alicuius ciuilis pœnæ potuissent eam facere, qui scilicet non haberent illa delicta enormia, tamen alij qui eiusmodi aliqua delicta haberent, meritò talis pœnæ timore ab ea confessione abstherreri poterant. Fiebat igitur illa confessio publica de iis etiam peccatis, quæ sine timore pœnæ ciuilis explicari ab aliquibus potuerunt. Atque ita quod ibi D. Leo commemorat de peccatis, quæ *legum constitutionibus poterant percelli*, id non commemorat, quasi de confessione tantùm illorum agat, vt perperam & contra conscientiam suam, vt credo, interpretatus est Kemnitius: sed quia si non oportuit eorũ etiam criminum enormium confessionem exigi amplius in Ecclesia, omnino etiam neque debuit contra Apostolicam regulam *omnium delictorum* confessio publicè à quibuscunque pœnitentibus exigi, vt qui nonnunquam haberent etiam eiusmodi crimina enormia.

Quintò, idem confirmo ex eo quòd de illorũ peccatorum confessione ibi agit D. Leo, quæ inprimis oportet *ipsi Deo confiteri*, & tum etiam *Sacerdoti*. Sed omnia omnino peccata mortalia necesse est confiteri Deo. Ergo de confessione *omnium* D. Leo agit, hancque planè censet contra Apostolicam regulam exigi publicè, & secũdùm eandem fieri secretè.

Denique eam fuisse D. Leonis mentem euidenter ea ratione patet, quòd de confessione & remissione eorum peccatorum ibi agit, quam *deprecatione* & *ministerio* Sacerdotum oportet à Deo obtinere, vt patet ex eius verbis. At sententiâ D. Leonis *omnium* omnino peccatorũ mortalium quæ post baptismum committuntur, remissionem oportet quærere in illo ministerio Sacerdotum. Ergo ex ipsius sententia omnium omnino peccatorum mortalium confessionem secretam oportet facere Sacerdotibus. Id autẽ probatur, quoniam alibi, epistola nonagesima prima ad Theodorum Foroliuiensem Episcopum, ita inquit D. Leo: *Multiplex misericordia*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei ita lapſibus medetur humanis, vt non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, & qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes ad remiſsionem criminum peruenirent, ſic diuinæ bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, vt eadem ſalubri ſatisfactione purgatos ad Sacramentorum communionē per ianuam reconciliationis admitterent. Qui locus Leonis admodum etiam perſpicuus eſt, tum pro *inſtitutione*, tum pro *neceſsitate* confeſsionis.

Et certè ſenſiſſe veteres Patres, confeſsionem omnium peccatorum mortalium diuinitus *inſtitutam* & *neceſſariam* ad ſalutem eſſe, ex allatis hactenus teſtimoniis ſatis euidenter apparet. Quod ipſum, quantumuis tergiuerſetur Kemnitius, tamen ad extremum ipſemet agnoſcere, & confiteri videtur, cum poſtquā multa in ſententiis Patrum eſſet cauillatus, ita nihilominus inquit: *Licet inueniantur alicubi apud veteres ſententiæ duriores inclinantes ad neceſsitatem confeſsionis, poſſunt tamen opponi aliæ diſsimiles veterum ſententiæ, ſicut & Gratianus*, inquit, *in vtramque partem ſententias collegit.* At nos omnino negamus tales ſentētias Patrum, quæ neceſsitatem confeſsionis negent, aut opponi poſſe, aut à Gratiano collectas eſſe, vt paulò pòſt oſtendam. Et hactenus de Secunda probatione neceſsitatis confeſsionis ex auctoritate veterum Patrum.

Tertio, eadem aſſertio Catholica principaliter probatur auctoritate etiam Eccleſiæ infallibili, quæ confeſsionem à Chriſto inſtitutam eſſe, vti docuimus ex Scriptura, non ſemel definiuit: nempe in Concilio Conſtantienſi, ſeſsione octaua, vbi damnatur contrarius error VVicleffi. Item in Florentino, in decreto vnionis, Vbi Sacramentum pœnitentiæ cum ſuis partibus, quarum vna ponitur ibi eſſe *confeſsio*, à Chriſto inſtitutum eſſe dicitur. Item in capit. *ad abolendam*, extra de hæreticis, à Lucio III. tanquam hæreticus damnatur, qui de Sacramento confeſsionis aliter ſenſerit, quàm Eccleſia Romana. Item in Concilio quodam Complutenſi per Sixtum IV. confirmato, vbi damnata eſt tanq̄ hæretica cōtraria Aſſertio cuiuſdam Petri Oxonienſis. Item in cap. *omnis vtriuſq; ſexus*, de pœnitentiis & remiſsionibus, ex Concilio Magno Lateranenſi ſub Innocentio III. Vbi planè ſupponitur confeſsionem eſſe neceſſariam iure diuino, & facta ea hypotheſi, determinatur præcepto Eccleſiaſtico tempus confeſsionis faciēdæ, nempe ſingulis annis, vt poſtea declarabitur. Neque enim ibi primùm neceſsitas confeſsionis eſt aſſerta, vt perperam Sectarij ſunt cauillati: quandoquidem exſtant pro illa teſtimonia omni memoria antiquiora, vt antè vidimus. Denique idem definitur etiam in Concilio Tridentino, ſeſsione decima quarta, capite quinto, & canone ſexto, ſeptimo, & octauo. Quantum autem Eccleſiæ definitioni, in materia præſertim Sacramentorum, tribui debeat, vel ex eo patet, quod ſi quis eius ſententiam & interpretationē in hoc genere reiiciat, is ne Baptiſmum quidē atque Euchariſtiam Sacramenta à Chriſto inſtituta eſſe, ex Scriptura ſatis euincere poterit. Nā vbi nam quæſo Scriptura id apertè tradit?

Quarto & vltimò, eadem Aſſertio probatur ex vſu ipſo Eccleſiæ, qui perpetuò fuit vt confeſsio hæc Sacramentalis vſurparetur, tanquam à Chriſto inſtituta, & ad ſalutem neceſſaria, vt apparet ex citatis veterum teſtimoniis. Vel doceant Sectarij, quando illa primùm vt talis vſurpari cœperit: quod facere certè nó poterunt. Atque ex hoc quidem vſu Eccleſiæ maximum robur iis argumentis accedit, quæ pro inſtitutione, & neceſsitate confeſsionis ex ipſa etiam Scriptura ſuperius fecimus, quandoquidem Eccleſiæ vſus ipſe, certiſsimus Scripturę interpres eſt.

Reſpondetur ad obiectiones Sectariorum contra Confeſsionem.

Iam verò contra inſtitutionem & neceſsitatem confeſsionis tanta mole teſtimoniorum à nobis firmatā Kemnitius, & alij hæretici, præter Patrū corruptelas quas antè reuicimus, dupliciter pugnant. Primo quædam obiiciunt contra argumētum illud, quod primo loco pro aſſertione noſtra ex Scriptura duximus. Praeterea etiā obiiciunt alia directè contra ipſam Aſſertionem.

Contra argumentum illud noſtrum obiiciunt Primo, remiſsionem illam peccatorum, de qua eſt ſermo apud Ioannem, capite vigeſimo, non eſſe niſi annunciationem Euangelij, id eſt, Remiſsionis peccatorum, per Chriſtum, quę annunciatio per miniſtrū, vel publicè pro concione, vel priuatim fieri debeat iis quos ſuorum peccatorum pœnitet, quique illa in *genere* confitentur.

Respondeo. Miniſterium illud remiſsionis non eſſe propriè in annunciatione remiſsionis poſitum: ſed omnino in ipſa remiſsione efficaci cum auctoritate quadam *indicij*, vt patet ex teſtimoniis veterum & rationibus à nobis allatis. Ait enim Chriſtus, non, quibus annunciaueritis remiſsionem, ſed, *quorum remiſeritis, &c.* Nō idem autem eſt annūciare remiſsionem, ſeu abſolutionem, atque remittere, & abſoluere. Nam & præco, verbi gratia, annunciat remiſsionem ſeu abſolutionem criminis, neque tamen ab illo ipſe abſoluit, illúdue remittit reo, ſed iudex. Neq; verò ſuam in hac re contrariam fictionem probāt vlla firma ratione Sectarij. Quo ipſo certè cauſſa cadunt, cùm illis, vtpote Eccleſiæ accuſatoribus, præcipuè incumbat onus conuincendi & probandi. Itaque cum Sacerdotes ex inſtitutione

tutione Chriſti verè remittant peccata, & ab iis abſoluant, non ſunt tantummodo remiſsionis præcones, vt ſunt Prædicantes, ſed remittunt ipſi & abſoluunt cum auctoritate tanquam *iudices* à Chriſto conſtituti.

Secvndo obiiciunt, neque Chriſtum, neq; Apoſtolos, cùm peccata hominibus remitterēt, ab iis exegiſſe confeſsionem peccatorū in ſpecie. Non igitur alios miniſtros eam requirere debere: ſiquidem miſsi ſunt vt peccata remittant, ſicut Chriſtus & Apoſtoli ea remittebant.

Respondeo, Chriſtum quidem, vt peccata cum iudicio quodam & diſcretione remitteret, confeſsione ipſorum opus non habuiſſe, quippe cùm ipſe ſatis *ſciret, quid eſſet in homine.* Miniſtri autē Chriſti, quia ſimiliter vt Chriſtus (nempe cauſſa cognita) quoad fieri poteſt, debent remittere peccata fidelibus ſibi cōmiſsis, nec conſcientiam illorum cognoſcere ſine ipſorū confeſsione poſſunt, omnino ad vſum eius miniſterij confeſsione fidelium opus habent, ſicut ſupra concluſimus. Atque idem de Apoſtolis dicimus.

Negamus autem conſtanter, Apoſtolos vnquam miniſterium illud reconciliationis fidelium abſque eorum ſpeciali confeſsione exercuiſſe. Neque id probare vllo modo poſſunt Sectarij, niſi quia non expreſsiſsimis id verbis in Scriptura narratur, quod ineptū eſt genus probationis. Nam neq; locum Scripturæ expreſſum illi proferre poterunt, vbi ab aliquo Apoſtolorum priuatam alicui abſolutionem more Lutherano tributam eſſe narretur.

Et certè etiam, vt Apoſtolorum tempore ſpecialem confeſsionem in miniſterio reconciliationis fidelium adhiberi fuiſſe ſolitam arbitremur, longè grauiſsimas cauſſas nos habemus: Cùm ipſi contrà Sectarij, vt id negent, nullam idoneam habeant. Habemus enim inprimis ipſam confeſsionis inſtitutionem hactenus probatam, quam putandum minimè eſt ab Apoſtolis in miniſterio fuiſſe neglectam. Quin potius iuxta præceptum D. Auguſtini, lib. 3. contra Maximinum Arian. cap. 3. *Ex eo quod ſcriptum eſt, illud etiam colligere debemus, quod non eſt ſcriptum.*, nempe conſuetudinem Apoſtolicam in requirenda confeſsione ex ipſius confeſsionis inſtitutione, quam ex Scriptura ipſa confirmauimus.

Habemus præterea teſtimonium D. Lucæ, Actor. 19. vbi legimus, multos credentium commotos prędicatione & miraculis Apoſtolorum, veniſſe *annunciantes & confitentes actus ſuos*, in quibus peccauerant. Ex quo loco, ſi quis vſum confeſsionis omnium peccatorum in ſpecie probare velit, hic certè ab hæreticis nullo firmo argumento poterit confutari. Nam cùm abſolutè & generatim à D. Luca illud de annunciatione & *confeſsione actuum* narratum ſit; non eſt ratio cur non æquè de confeſsione omnium actuum, in quibus eſſet peccatum, & quorum remiſsione ad reconciliationem fideles illi egebant, id intelligatur.

Nam quod Kemnitius & alij hæretici dicunt de confeſsione tātum *in genere* id accipi debere, voluntariè & ſine probatione dicūt. Quod enim ibi ſubiunxit D. Lucas, Multos ex illis credentibus, *qui fuerant curioſa ſectati*, attuliſſe etiā in medium *libros ſuos & combuſsiſſe*, id quidem indicio eſſe debet confeſſos eos fuiſſe ſua *in ſpecie* peccata, & inter ea illud etiam peccatum curioſitatis periculoſæ, vel etiam pernitioſæ. Nec enim eſt ratio, cur minus alia peccata, quàm iſtud eos ibi confeſſos fuiſſe intelligere debeamus, cùm, vt dictum eſt, abſolutè de illorum confeſsione ibi Lucas narret. Id quod prętereà confirmari ex eo poteſt, q̄ dicit, fuiſſe confeſſos *actus ſuos*, nempe quid egerint in ſpecie, hoc enim vocabulum ipſum ſonat. Neque verò ſi id quod narratur apud Matthæum cap. 3. quòd multi *baptizabantur à Ioanne confitentes peccata ſua*, de confeſsione generali poteſt intelligi (quod ipſum tamen eſt incertum) ſimiliter illud, Actor. 19. intelligere oportet. Agit enim ibi D. Lucas de confeſsione eorū, qui iam erant Chriſtiani: pro quibus nimirum, vt antè probatum eſt, Chriſtus inſtituit ſpecialem confeſsionem. Quapropter meritò arbitramur eiuſmodi confeſsionem tum illos iuxta inſtitutionem Chriſti vſurpaſſe. Et certè, vt dixi, quo minus ita locus ille Actorum intelligi debeat, nihil ſatis firmum videtur obſtare poſſe.

Denique vt eam confeſsionem Apoſtolorum tempore exiſtimemus fuiſſe vſurpatam, etiam habemus veriſimā regulam D. Auguſtini, lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 24. qui affirmat, Si quid eſt tam in Eccleſia antiquum, vt de illius prima origine minimè conſtet, id *ab Apoſtolica conſuetudine & traditione deſcendere, rectiſſimè credi.* Omni autem memoria vſitatæ confeſsionis in Eccleſia poteſt proferri aliquod eius teſtimonium antiquius, vt patet ex veterum teſtimoniis, quæ paulò antè ad illius etiam aſſerēdam neceſsitatem citauimus.

Tertio obiiciunt, in baptiſmi etiam miniſterio remitti legitimè peccata, & quidem per illam ipſam poteſtatē, miniſtris datam apud Ioannem, cap. 20. Neque tamen, vt id baptiſmi miniſterium ritè exerceatur, vel requiri, vel adhiberi eſſe ſolitam ſpecialem confeſsionem.

Respondeo. Eſto ſanè, pertineat ille locus Ioannis 20. generatim ad poteſtatem & miniſterium remittendi peccata, tum in Baptiſmo, tum etiam in Sacramentō pœnitentiæ, & reconciliationis fidelium poſt baptiſmum. Nam quod ibi Chriſtus contulerit poteſtatem remittendi peccata etiam in baptiſmo, Cyprianus in epiſtola ad Iubaianum, & lib. 1. epiſtol. 6. ad Magnum, & D. Ambroſius, lib. 1. de pœnit. cap. 7. & alij Patres ſentiunt, neq; obſcurè ex ipſo loco Ioannis 20. & ex eius collatione cum loco Matth. 28. vbi de miſsione Apoſtolorum ad baptizandum agitur,

colligi potest. Videtur enim omnino Christus eam ibi auctoritatem remittendi peccata tribuisse, qua essent Apostoli functuri erga omnes illos homines quibus omnia peccata remitti possent, & ad quos Apostoli mittebantur: atque adeò etiam erga illos quos primum ad baptismum admissuri erant. Quod autē is locus pertineat quoq; ad potestatem remittendi peccata in ministerio pœnitentiæ & reconciliationis fidelium, qui post baptismum labuntur, D. Ambrosius etiam, loco citato, & alij Patres passim verissimè disputant contra Nouatianos, qui illud inprimis ministerium reconciliationis post baptismum in Ecclesia superesse negabant. Immò illud solùm, atq; adeò eam solam remissionem peccatorum, quæ fit per illud Sacerdotum ministerium post baptismum, nō autem remissionem omnem absolutè, quæ fiat per pœnitentiam *coram solo Deo*, Nouatiani negarunt, vt doctè & diligenter ostendit Ioannes Hasselius in sententia sua proposita Concilio Tridentino super facto quodam Nectarij Archiepiscopi Constantinopolitani, de quo dicemus postea. Idque colligit rectè ex historia Socratis libro quarto, capite decimo, & capite vigesimo octauo, & Sozomeni, libro primo, capite vigesimo secundo. Cui Hasselio in hac etiam re subscribit Ruardus Tapper, articulo quinto de confessione sub finem. Quod ipsum etiam nouatores nostri, noui Nouatiani impiè negant. Etenim cum Christus dixit absolutè: *Quorum remiseritis, &c.* nequaquā certè ab eius ministerij beneficio excluſit fideles baptizatos qui in peccatum relaberentur. Quinimmò etiam ipsi ad se referre possunt illam Christi promissionem, & ea freti quærere in externo & efficaci Sacerdotum ministerio remissionem peccatorum.

Hoc ita constituto iam respōdeo ad tertium illud argumentum: Quamuis locus hic Ioannis vigesimo, ad ministerium remittendi peccata tū in Baptismo, tum in Pœnitentia & reconciliatione fidelium, vt dictum est, pertineat: tamen rectè nos ex eo loco colligere in ministerio quidem reconciliationis fidelium debere ministrū tanquam in conscientiarum quodam tribunali, & iudicio, cognoscere *in specie* conscientiam peccatoris, per specialem nimirū ipsius confessionem (cùm aliter nō possit) in ministerio autem baptismi, nō item, sed satis ibi esse, vt cognoscat peccatoris conscientiam in genere per significationem videlicet, quam ipse peccator det in genere, quod ita detestetur peccata, sicut ad rectè suscipiendum baptismum est opus.

Id autem ita declaro & probo. Cum Scriptura vbique iuxta conditionem subiectæ materiæ, de qua sermo est, intelligi debeat; necesse est illius loci Ioannis vigesimo, qui de auctoritate remittendi peccata cum discretione, tum in baptismi, tum in pœnitētiæ & reconciliationis ministerio agit, eam vim esse, vt talis cognitio peccatoris conscientiæ in vtroq; ministerio requiratur, qualem iuxta vtriusque ministerij conditionem atq; naturam propriam, ministrum habere conuenit. Est autem vtriusque ministerij in proposito variis ex capitibus diuersa conditio atque ratio. Primùm enim in baptismo remissio peccatorum datur non nisi per modū cuiusdam *regenerationis* in spiritualem vitam: In ministerio autē pœnitentiæ, per modum *reconciliationis* post amicitiam cum Deo sponte violatam. Secundò in baptismo proinde facilior, quàm in ministerio recōciliationis, est remissio. Tertò in baptismo remissio datur ei, qui alioqui non est Ecclesiæ ministris subditus, sed primùm ibi subditus illis fit. In ministerio verò recōciliationis ei, qui iam est omnino subiectus, propter Christianæ religionis professionem in baptismo antè factā.

Istæ verò rationes discriminis clarè ostendūt, cognitionem ministri de conscientia peccatoris ex vi illius loci Ioannis vigesimo, *longè* debere esse exactiorem in reconciliationis ministerio, quàm in ministerio baptismi. Cùm enim illic remissio detur post diuinam amicitiam per summam ingratitudinem violatam; cùm difficilius detur; cùm ad eam rem proinde plus hucusque militatis & submissionis meritò exigi possit à reo; cùm denique res illic agatur cum subdito, qui & ministri auctoritate magis proinde retenetur, & cui vicissim etiam minister propter officium magis deuinctus est, vt sollicitius ipsius attendat saluti, & statu eius perspecto, prospiciat etiam de remediis, quæ præseruent à recidiua: cùm inquam hæc illius ministerij reconciliationis ratio atq; conditio sit; planè consequitur, oportere ministrum ibi habere perspicuam omnino & *in specie* cognitionē conscientiæ peccatoris, qualis nimirum haberi solet à iudice de causis subditorum. Atq; adeò ipsum peccatorem debere perspicua confessione suorum peccatorū, vt antea argumentati sumus, humiliare ibi sese, vt vel ea ratione arduum illud, & difficile ad impetrādū *reconciliationis* beneficiū obtineat.

In ministerio autem baptismi; vbi per modū simplicis cuiusdam *regenerationis*, & facilius, & proinde minus ad id ipso peccatore cooperante, & nondum subdito, remissio datur; satis omnino illa generalis cognitio peccatorum fuerit, nec requiritur etiā specifica & quasi iudicialis: maximè cum absolutè Apostolus 1. Cor. 5. asseruerit, non esse in Ecclesia *de iis, qui foris* sunt iudicandum. Quod quidem à fortiori videtur etiā intelligendum esse de forma iudicij in huiusmodi foro interno.

Hæc certè explicatio nullo firmo argumento à sectariis conuelli potest, nisi quòd eā non probabunt ob pertinaciam suam & hæresim iam anticipatam. Sed opus nobis non est, vt nostra illi approbent, modò neque conuincere ea possint, quod tamen illis tanquam accusatoribus Ecclesiæ, sicut antè dixi, facere incumbit.

QVARTO

QVARTO obiiciunt, Quosdam etiam ex Catholicis auctoribus fuisse, qui Confessionem à Christo non esse institutam disputauerint, vt suprà notauimus. Non igitur rem vsque adeò esse certam, vt ex Scriptura possit probari.

RESPONDEO, Quandoque euenire, vt à vera sententia fidei, Doctores alioqui Catholici aberrent, in quibusdam quæstionibus, præsertim si minus illæ fuerint antè in Ecclesia agitatæ, vt habemus etiam exemplum in sententia Diui Cypriani de rebaptizandis hæreticis, & in aliis. Neque tamen ideo eiusmodi Doctores censeri debent hæretici. Non enim in errore sunt pertinaciter, id est, non eum tuentur agnoscentes contrariam sententiam proponi ab Ecclesia Catholica: Sed id vel propter incuriam & negligentiam aliquam, vel propter rei nondum satis explicatæ obscuritatem, ignorantes. Quanquam ipsa quidem Assertio, pugnans cum sententia Fidei, per se semper hæresis est.

Itaque in illo Concilio Complutensi per Sixtum IV. approbato, tanquam hæretica damnata est propositio illius Petri Oxomensis, in qua is negabat, Confessionem esse de iure diuino. Quam propositionem verē esse atque semper fuisse per se hæreticam, rectè Adrianus in quarto, quæstione secunda de Confessione, & Sotus distinctione decima octaua, quæstione prima, articulo primo, & Ruardus artic. quinto, & Canus in Relectione de Pœnitentia, parte sexta defendunt, contra nonnullos, qui videntur dicere, non fuisse semper hæreticam. Neque enim idem est potuisse aliquando excusari aliquos in ea re per ignorantiam à peccato hęresis (quod fieri potuit) & ipsam propositionem cum fide pugnantem non fuisse per se hæreticam.

DEINDE verò contra ASSERTIONEM ipsam Catholicam de institutione diuina & necessitate Confessionis, Kemnitius & alij hæretici, præter ea, quæ hactenus refutauimus, hæc habent, quæ directè opponant.

PRIMO, quod NECTARIVS Archiepiscopus Constantinopolitanus, antecessor D. Chrysostomi, vir alioqui apud veteres magnæ existimationis, sustulit *Presbyterum pœnitentialem* (vt historiæ appellant) qui in vnaquaque Ecclesia erat præfectus muneri audiendarum Confessionum secretò, voluitque vt vnusquisque fideliū in posterum relinqueretur cōscientiæ suæ, vt secundùm eam vel accederet ad communionem, vel ab ea abstineret, quemadmodum videre est in historia Tripartita lib. 9. cap. 35. ex Sozomeni narratione.

RESPONDEO, Nectarium minimè Cōfessionem ipsam secretam omnium peccatorum abrogasse, sed quoddam aliud institutum quod à tempore hæresis Nouatianæ in Ecclesia obtinuerat, quodque erat additum tanquam *appendix quædam* (vt Socrates libro quinto suæ historiæ, cap. 19. vocat) ad vetus ipsum ministerium reconciliandi lapsos post Baptismum in secreta Confessione.

Id autem institutum seu *appēdix* erat, vt in singulis Ecclesiis præesset audiendis Confessionibus certus quidam presbyter, vir discretus, & secretum seruās, qui auditis fidelium peccatis, vel omnibus, vel certorum quorundam generum ab Episcopis designatorum (nec enim vtro potiùs modo id fieret satis certrò ex historiis colligi potest) ad Episcopum referret ex illis quædam, vt is adhibita discretione, publicè postea in Ecclesia ea recitaret, aut recitari faceret, ad fidelium ædificationem & disciplinam illis temporibus vtilem: itemque vt certæ quædam atque præscriptæ pœnitentiæ publicæ, pro eiusmodi delictis à pœnitentibus fierent.

Ratio autem, cur Episcopi huiusmodi Presbyterum pœnitentialem disciplinamque recitationis publicę peccatorum, ac certam præscriptamque formam publicarum pœnitentiarum instituerint, fuit, quoniam grassante Nouatianorum hæresi, fides de auctoritate, quę est in Ecclesia ad remittendum peccata lapsis, languidior apud plerosque (vt quadam hæresum malignitate fieri assolet) reddebatur. Itaque expedire illis temporibus Episcopi iudicarunt, studium ipsum pœnitentiæ, publicis illis ac manifestis significationibus, certaque publicarum pœnitentiarum præscriptione, atque forma, excitare & augere in fidelium animis. Huc enim recitatio illa publica maiorū peccatorum pertinebat, nempe vt populo ea re inculcaretur, nullum esse tam enorme peccatum quod auctoritate ministerij Ecclesiastici non remitteretur: eodemque spectabat pœnitentiæ & satisfactionis illius publicæ certa & præscripta ab Episcopis forma, videlicet vt manifesta illa pœnitentis animi significatione, peculiari quodam & præscripto modo instituta, cæteri fideles ædificati, eò minùs admirarentur, si hi qui lapsi fuerant, rursus pœnitentes admitterentur ad communionem sacram, quod quidem fieri non debere Nouatiani contendebant.

Atque hæc quidem certæ & præscriptæ formæ publicarum pœnitentiarum, vt in Canonibus pœnitentialibus extat, ratio atque origo in Ecclesia fuit. Neque enim eiusmodi Canonum vlla memoria extat ante Nouati tempora: cùm tamen ministerium reconciliationis, atque adeò priuata Confessio omnium peccatorum semper in Ecclesia ex Christi institutione fuerit, & esse debuerit, vt hactenus à nobis probatum atque defensum est.

Quò fit, vt non, quemadmodum nugantur Sectarij, Confessio secreta in Ecclesia ex certa illa forma, & præscriptione pœnitentiarum publicarum ortum & occasionem habuerit: sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

contra potiùs, hæc illis Canonibus pœnitentialibus fuit antiquior, atque etiam tum vsurpata, cùm & ante illos Canones fuit vsus aliquis varius pœnitentiarum publicarum, sicut ex Tertulliano, in libro de Pœnitentia, licet colligere, & post illos canones, atque adeò post Nouatum certus quidam, vt dictũ est, & præscriptus. Quod & ex veterum ipsis testimoniis ostendimus, qui de Confessione omnium æquè peccatorum loquuntur, tanquam de re instituta ab ipso Christo, quæ semper proinde debuerit in Ecclesia vsurpari.

Iam verò caussa cur postea Nectarius *presbyterum illum certum pœnitentialem*, itemque certam illam disciplinam pœnitentiæ publicę in sua Ecclesia abrogauerit, eam historiæ tradunt, quòd cùm progressu temporis, vt fit, minus bene ac discretè illud institutũ obseruaretur, nescio quo casu factum est, vt peccatum cuiusdam primariæ fœminæ cum quodam Diacono in ipsa Ecclesia Constãtinopoli commissum, præproperè, & indiscretè, & citra iudicium Episcopi (vt apparet) euulgaretur. Qua ex re cùm magnum scãdalum in populo, aduersus Sacerdotes & Ministros Ecclesiæ oriretur; putauit de consilio quorundam Nectarius disciplinam illam, quæ iam negligentius obseruari cœperat (vt ex historia ipsa retulimus) partim ad sedandum ortum scandalũ, partim ne quid tale deinceps accideret, esse abolendam. Itaq; Presbyterum illum pœnitẽtialem, illamq; rationẽ publicæ pœnitentiæ sustulit, vnicuiq; fidelium permittẽs, vt *iuxta conscientiã suam* (sicut inquit historia) *communicaret mysteriis*.

Quod quidem non ita intelligendũ est, quasi voluerit licere eis imposterũ sine confessione ac pœnitẽtia seu satisfactione secreta accedere ad Eucharistiã (vt Kemnitius, & alij hæretici ineptè planè ac sine historiæ fundamẽto interpretãtur) sed quod non foret amplius ad eam rem opus *publico illo fidelium indicio*, communique approbatione, ex qua post peractam nimirum publicam pœnitentiam antea solerent dignè communicare Eucharistiæ mysteriis.

Itaq; voluit Nectarius de cætero id iudicium vnicuiq; permittere, vt iuxta conscientiã suam, si & legitimè confessus (q. ex institutione Christi semper facere oportebat) esset, & satis sibi conscius esset se priuatim egisse pœnitentiã, ad Eucharistiam accederet. Istud verò factum Nectarij paulatim & alij quoque Episcopi temporis progressu suis in Ecclesiis imitati sunt, donec tandẽ disciplina illa publicæ pœnitentiæ omnino obsoleuit.

Ita planè factum illud Nectarij se habet, vt ex historia præsertim Socratis, lib. 5. cap. 19. diligẽter inspecta & collata cũ Sozomeni narratione apparet, & ostendit etiam antè magna ex parte Ioannes Hasselius Theologus Louaniẽsis, in sententia sua de facto Nectarij, Concilio Trident. exposita, & Antuerpiæ Anno 1564. excusa. Quã etiam rem ita ferè declarauit Ruardus Tapper, secutus sententiam Hasselij, artic. 5. sub finem, & & etiam attigit Andreas Vega, lib. 13. in Concil. Trid. ca. 29. Et quidem eo modo, quo est res ista à nobis explicata, nullũ omnino puto reliqui in ipsa historia scrupulũ, vt facilè animaduertere poterint, qui eam diligenter cõsiderauerint.

Secvndo obiiciũt, quod Nectarij successor Chrysostomvs eandem Cõfessionem secretam omnium peccatorũ improbasse videtur, sic enim inquit homil. 31. in epist. ad Hebr. *Non dico tibi, vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti, revela Domino viam tuam. Ante Deum ergo confitere peccata tua.* Et in Psalm. 59. *Peccata*, inquit, *tua dicito, vt deleas illa. Si confunderis alicui dicere, quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico vt confiteris conseruo tuo, vt exprobret: dicito Deo, qui curat ea: neque enim, si non dixeris, ignorat ea Deus.* Item in sermone de Pœnitentia: *Necessarium*, inquit, *non est præsentibus testibus confiteri. Solus Deus te confitentem videat.* Et homil. 5. de incomprehensibili Dei natura: *Non te in theatrum conseruorum duco, non hominibus peccata tua detegere rogo.* Et concione quarta de Lazaro: *Cane homini dixeris peccata tua, ne tibi exprobret. Neque enim conseruo confiteris, vt in publicũ proferat, sed ei, qui Dominus est.*

Ad hæc autem facilè patet Responsio ex iis, quæ de Nectarij illius antecessoris facto expositа iam sunt. Non enim Chrysostomus improbat secretam Confessionem, quæ Sacerdoti atque adeò ipsi Deo, cuius vicem Sacerdos tenet, in *secreto* absque *arbitris* fieri debet. Sed illam publicationem Confessionis, seu recitationem peccatorum, quam ipsius antecessor Nectarius non sine caussa sustulerat. Quod ipsum certè ex verbis eiusdem Diui Chrysostomi patet. Ait enim; *Non dico, vt te prodas in publicum.* Item; *Necessarium*, inquit, *non est præsentibus testibus confiteri.* Item; *Non in theatrum te duco, &c.* quibus iisdem verbis Sozomenus etiam lib. 9. historiæ Tripart. cap. 35. commemorat morem illum publicę pœnitentiæ, qui sublatus à Nectario est.

Quòd autem in eiusmodi locis Chrysostomus non improbet eam Confessionem, quæ sub sigillo secreti fit Sacerdoti, nõ vt homini & cõseruo, sed vt vicario Dei, atq; adeò, quæ ita fit Deo: confirmari etiam potest consuetudine loquendi aliorum Patrum, qui passim pro eodem accipiunt, confiteri Deo, & confiteri *Sacerdoti, vt vicario Dei*. Vt Origenes, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, locis suprà citatis.

Et certè multa argumenta ostendunt Patres, ac ipsum etiam D. Chrysostomum, cùm absolutè commendant fidelibus Confessionem, quæ *fit Deo*, plerumque intelligere eam Confessionem, quæ fit quidem Deo, sed in ministerio tamen reconciliationis, atque adeò, quæ fit Deo, vt is repræsentatur à suo vicario, & ministro.

Primò,

Primò, quoniam inprimis etiam consuetudo fidelium illis Patrum temporibus fuit, vt isto modo Deo confiterẽtur: sicut patet ex antiquitatis testimoniis suprà allatis. Igitur cum Patres absolutè de Confessione *Deo facienda* scribunt, aut concionantur, rectè plerunque intelliguntur de eiusmodi Confessione loqui: non secus certè quàm iam in Ecclesia, cùm Confessio, quæ fit Deo in suis Sacerdotibus, vsitata sit; de ea omnino loqui intelligimus eos, qui vel pro concione, vel in scriptis cõmendant his temporibus fidelibus absolutè, vt peccata sua confiteantur.

Secundò, quoniam ad eam Confessionem, tanquam ad rem, quæ apud homines communiter magnam quandam, ac sibi propriam difficultatem habeat, cum vehementia quadam orationis Patres exhortantur, vt patet ex iis locis Chrysostomi, de quibus nunc agimus: itemque ex sententiis Patrum suprà citatis, præsertim Lactantij, Augustini, & Ambrosij.

At Confessio quę fit simpliciter ipsi p se Deo, cùm propriè aliud non sit, quàm cõscientia quędã peccati, cùm scilicet quis corã Deo agnoscit, & animo suo fatetur se malè, & contra diuinã legem egisse: minimè habet apud omnes homines cõmuniter vsque adeò magnã & singularem aliquam difficultatem: imò nullam planè difficultatẽ ea cognitio, pprij peccati habet apud illos, qui non ex ignorantia peccant, quorũ certè est maxima pars. Patres autem, oẽs omnino, & eos etiã maximè, qui ex malitia scientesq; atq; adeò grauiùs peccauerũt, ad confessionẽ Deo faciendã magna vehementia hortantur. Non igitur de illa cõfessione, quę fit simpliciter ipsi per se Deo, sed de illa, quæ fit ei, vt repræsentatur in suis ministris, quæque adeò singularem difficultatem habet, tunc Patres loquuntur.

Nec verò dici potest, Patres nunquam hortari ad Confessionem propriè, vt Confessio est; sed vt dolorem de Dei offensa & accusationem peccati habet. Quamuis enim ita etiam illi quantumcunq; tamen sæpe quoq; aliàs vrgent ipsam rationem propriam *Confessionis*; Vt cum admonent, esse confitendum Deo, quãdoquidem ipse alioqui omnia scit, &c. sicut loquitur etiã D. Chrysostomus. Item ne alioqui damnetur aliquis tacitus & latens, qui potuisset saluari confessus, vt loquitur Augustinus suprà citatus in Psalm. 66. & alij Patres. Itaque ad Confessionem etiam secundùm propriam illius rationem adhortantur. Quamuis velint sanè ipsam cum vera item pœnitentia & dolore coniungi.

Tertiò, idem probatur ex eo, quòd conscientia, seu agnitio proprij peccati coram solo Deo non vsq; certò & apud omnes cõmuniter, & semper vsq; adeò magnam *erubescentiam* habet, tametsi habere quidem deberet maximam. At S. Patres ad eam Confessionem Deo faciendã hortantur, quæ apud omnes cõmuniter, quasi necessariò, & certò, & semper habet summam quandam erubescentiam, ob manifestationem videlicet sui. Sicut patet ex Lactantio, Augustino, Ambrosio & aliis Patribus suprà citatis. Itemque ex auctore operis imperfecti in Matthæum, homilia tertia, qui sic dicit: *Nunquid nescimus, quia Confessio peccatorum habet pudorem, & quia hoc ipsum erubescere pœna est grauis? sed ideo*, inquit, *magis iubet Deus confiteri peccata nostra, vt verecundiam patiamur pro pœna. Nam & hoc ipsum pars est iudicij pœna.* Certè, vt dixi, Confessio, quæ fit soli Deo, aut ea etiam, quæ more Sectariorum fit prædicanti ministro *solum in genere*, non habet huiusmodi erubescentiam vsque adeò singularem, vt ad eam effugiendam malint aliqui quandoque in peccatis suis perire, sicut Tertullianus, Lactantius, & alij Patres suprà citati loquuntur.

Quartò, nam Patres de ea Confessione Deo facienda loquuntur, per quam aliquid *fiat notum*, quod ante *prorsus latebat*. Vt patet præsertim ex Lactantio & Avgvstino, locis suprà citatis, qui etiam ita inquit in Psalmum 66. *Confiteri times Deo, ne confessum damnet. Si non confessus lates: non confessus damnaberis.* At per Confessionem, quæ simpliciter fit Deo soli, nihil omnino alicui innotescit, quod ante non esset ei notum. Nam neque peccatori ipsi, nec Deo, qui antea quoque omnia nouit. Loquuntur igitur Patres de Confessione facienda Deo, vt is repræsentatur à suis ministris, quibus nimirum aliquid de nouo per eam Confessionem innotescit.

Quintò, nam significant etiam, Confessionem eam, de qua loquuntur, ob eam caussam ab aliquibus quandoque negligi, quia non agnoscunt illi, nec reputant cum vero dolore sua peccata *coram Deo*, id est, quia non prius confitentur soli Deo, ita vt oportet. Igitur perspicuum est, Patres non solùm ad hanc Confessionem, quæ fit soli Deo, sed ad aliam, quæ fiat eidem Deo, vt repræsentatur ab ipsius Vicario, adhortari. Id apparet certè ex ipso Diuo Chrysostomo in Psalmum quinquagesimum, qui ita dicit: *Quanti sunt peccatores, securè degentes, qui nolunt intelligere* (id est, considerare & perpendere) *quod iniquè agũt, nec agnoscere volunt superuenturam sibi calamitatem, insuper fiducialiter, quæ mala sunt, agunt, & sic*, inquit (id est, ideo) *nec ingemiscunt, nec lachrymam proferunt, nec confitentur; quos saluari*, inquit, est *impossibile*. Insignis profectò locus. Ex quo luce meridiana clariùs patet, hoc loco Chrysostomum non tantùm de ea Confessione, quæ fit soli Deo, vt peruersè Kemnitius est interpretatus, sed de alterius etiam generis Confessione loqui, quæ idcirco nimirum ab aliquibus negligatur, quia Confessio etiam talis, qualem oportet soli Deo facere (cognoscendo & perpendendo peccatum) ab iis negligitur.

Sextò,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sexto huc accedit, quòd Patres, ac inprimis etiam ipse Diuus Chysostomus, in sermone de Pœnitentia suprà citato, ad veram pœnitentiam ita *necessariò* requirunt *in ore* Confessionem, sicut Contritionem in corde. At certum est non esse ad veram pœnitentiam necesse ore cõfiteri peccatum soli ipsi Deo (vt qui cor ipsum videt.) Igitur Patres omnino etiam requirũt eam Confessionem, quã oporteat *ore ipso* facere vicario Dei, ac proinde ipsi Deo, vt in suo Vicario repræsentatur.

Et verò de huiusmodi Cõfessione Chrysostomũ loqui in illis ipsis locis, quos hæretici nobis obiiciunt, colligi etiam potest ex iis, quæ ibi dicit: *Solus*, inquit, *te Deus confitentem videat.* Cui nam verò confitentem? certè subaudire hîc possumus, Sacerdoti & Ministro vicem Dei tenenti. Item; *Neque enim*, inquit, *conferuo confiteris, vt in publicum proferat, sed ei qui Dominus est*, vbi etiam rectè subaudimus, quando scilicet ministro Dei confiteris.

Quod autem in quodam loco ex illis adiungit: *Dicito peccata tua quotidie in anima tua*, ideo adiungit, quia saluberrimum etiam est, ipsi soli Deo cum vera animi pœnitentia iugiter cõfiteri, eaque ratione eniti ante Confessionem etiã, quæ suo tempore Sacerdoti facienda est, in gratiam cum Deo redire. Itaque ad hoc etiam non immeritò Chrysostomus hortatur.

Quo similiter modo accipi potest, quod itidẽ Kemnitius ex Pinusio Abbate refert, qui apud Cassianum dicit; *Si verecundia retrahente, reuelare peccata coram hominibus erubescis; illi, quem latere non possunt, confiteri ea iugi supplicatione non desinas, ac dicere: tibi soli peccaui, qui absq; vlla verecundiæ publicatione curare, & sine improperio donare peccata consueuit.* Hæc tamen nihil obstãt, quo minus suo quidem tempore Confessio Sacerdoti facienda sit, verecundia omni postposita, ne alioqui *latens præpudore & tacitus quis pereat*, vt Tertullianus, Lactãtius, Augustinus, Ambrosius, locis suprà citatis, seriò admonẽt. Vt interim præteream Pinusium eo loco non nisi de facienda Confessione *in publico*, quæ quidẽ non est necessaria, loqui videri.

TERTIO obiiciunt, Gratianum, in Decret. de Pœnit. dist. 1. proposita quæstione, *An Confessio hæc necessariò facienda sit Sacerdoti*, plures in vtramque partem sententias veterum citauisse: atq; ad extremum in Canone, *quamuis plenitudo*, ead. distinctione lectori reliquisse liberũ iudicium, vt quã mallet sententiam eligeret; *Vtraque enim*, inquit, *fautores habet sapientes, & religiosos viros.* Non igitur fuit semper in Ecclesia certum & indubitatum, Cõfessionem eiusmodi esse necessariam, inquit Kemnitius, atq; adeò nec illud verum erit, quod sess. 14. cap. 5. affirmat Concilium Tridentinum, vniuersam Ecclesiam semper intellexisse Confessionem omnium peccatorum esse à Christo institutam & necessariam. Accedit quod Glossa, in principio distinctionis 5. de Pœnit. & alij quidam censuerunt non esse de iure diuino.

RESPONDEO, priuatum planè Gratiani errorem atq; hallucinationem fuisse, quòd plures *religiosos & sapientes viros* esse putarit, qui Confessionem Sacerdoti necessariò faciendam non esse arbitrati sint: ac multò etiam magis, quòd existimarit talium virorum sententias aliquas contra necessitatem Confessionis in illa distin. 1. de Pœniten. se adduxisse; sicut & aliàs non rarò hic Gratianus deceptus in aliquibus est, vt à multis est animaduersum.

Cùm enim Canones omnino nonaginta in illa dist. posuerit, nullus penitùs ex omnibus eiusmodi Canonibus est, qui sententiam aliquã vllius Patris contineat, ex qua probari possit, non esse Confessionẽ necessariò faciendã Sacerdoti suo tempore. Quod ipsum certè argumento est, nec aliàs exstare vllam talẽ alicuius veteris sententiam, quãdoquidem nec Gratianus ipse, vbi maximè id sibi proposuerat, talem aliquam sentẽtiam proferre potuerit, nec hæretici etiam inuenerint. Nisi quod passim Kemnitius, errore atque hallucinatione Gratiani callidè abusus, contra conscientiam, vt credo, suam, inculcat, multorum virorum sapientium & religiosorum sententias esse collectas à Gratiano contra necessitatem Confessionis.

Hanc autem, quam dico GRATIANI hallucinationem & Kemnitij fraudem, manifestè deprehendet, qui attentè & diligenter Canones illos omnes nonaginta, dist. 1. de Pœnitentia, perlegerit ac perpenderit. Quos ideo opere preciũ esse duxi sigillatim hoc loco excutere; vt retundatur magis vafricies Kemnitij.

Etenim priores quinque Canones, quos Gratianus illic partim ex Ambrosio, partim ex Chrysostomo, partim ex Augustino ponit, nihil aliud indicant, nisi, quod quandoque accidit vt homo iustificetur etiã *ante actualem Confessionem*, quæ est suo tempore faciẽda Sacerdoti: si nimirum cum vera animi contritione peccatum suum Deo cõfiteatur: vt fecit D. Petrus, cùm propter Christi negationem *fleuit amarè*, sicut ibi, Can. 1. cõmemorat Ambrosius. Quod verissimum est.

Atque huc etiam illæ Dauidis sententiæ spectãt, quas ibi, Can. 3. & 4. Gratianus recitat: nempe illud ex Psalmo 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Et illud Psalm. 31. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Hoc nos minimè negamus. Neque enim id obstat, quo minus postea ex *præcepto* fieri debeat suo tempore Confessio Sacerdoti.

Reliqui autem Canones à sexto vsque ad tricesimum planè sunt ad hãc quæstionem impertinentes. Nisi quod in Canone tricesimo, sub finem, Gratianus annectit verba quędam quasi ex auctore operis imperfecti, homil. 26. in Matth. desumpta: nempe, *mercedem seu remunerationem deberi voluntati, non operi.* Ex quo rursus colligit Gratianus, quia Confessio sit *operis*, Contritio autem *cordis*; consequens esse, vt per solam Contritionem sine Confessione posit homo iustificari.

Sed primum auctor operis imperfecti non dicit, remunerationem deberi voluntati, & non operi; sed deberi quandoque *voluntati sine opere*, si nimirũ operis facultas nõ sit, vt in illa homil. 26. sub finem, manifestè ipse auctor loquitur. Deinde, vt iam dictum est, minimè sequitur, Confessionem nõ esse ex præcepto & suo quodam tempore necessariam, si posit etiam per solã Contritionem aliquis iustificari.

Porrò Canon tricesimus primus, & tricesimus secũdus ex Prospero desumpti, manifestè asserunt necessitatem Confessionis.

Canon verò tricesimus tertius, & tricesimus quartus, qui sunt ex Scriptura sumpti, vbi Deus dicit: *Conuertimini ad me.* Item; *Scindite corda vestra, &c.* nihil aliud nisi necessitatem Contritionis, seu Pœnitentiæ absolutè continent. Itaque sunt ad hanc quæstionẽ impertinentes. Ipse verò Gratianus in iis, quæ ibi subiungit, tantùm velle videtur, quòd aliquando per solam Contritionem ante Confessionem *actualem*, contingat iustificatio. Ex quo certè apparet, eum fuisse, sicut diximus, hallucinatum, & cõfudisse hoc loco diuersas quæstiones.

Canones deinde tricesimus quintus, & tricesimus sextus, & tricesimus septimus planè sunt etiam ad hoc propositum impertinentes.

Canon autem tricesimus octauus ex Ambrosio libro de paradyso, cap. 14. Et item tricesimus nonus ex eodem, prorsus confirmant necessitatem Confessionis.

Item quadragesimus ex Chrysostomo in homilia de Pœnitentia, & quadragesimus primus ex eodem, pro Confessione ab ipso Gratiano citantur.

Canon quadragesimus secundus, & quadragesimus tertius ex Augustino necessitatem tantum Pœnitentiæ in genere continent.

Canon quadragesimus quartus ex Augustino, ex lib. 50. homil. homilia 49. de Pœnit. planè facit etiam pro necessitate Confessionis, quem locum suprà citauimus.

Canon quadragesimus quintus ex Origene, & quadragesimus sextus ex Ambrosio, solum de necessitate Pœnitentiæ absolutè loquuntur.

Sic etiam Canon quadragesimus septimus, & quadragesimus octauus ex eodem Ambrosio: quamuis ille quidem Canon quadragesimus octauus aliquo etiam modo valet pro necessitate Confessionis.

Canon quadragesimus nonus ex Leone, epistola 95. planè etiam facit pro nobis, quẽ locum etiam suprà citauimus.

Canon quinquagesimus ex Ambrosio, solum loquitur absolutè de Pœnitentia.

Canon quinquagesimus primus, secundus, tertius, quartus, ex eodem Ambrosio, planè etiam faciũt pro nostra Assertione, quos Ambrosij locos, suprà etiam magna ex parte citauimus.

Canon autem quinquagesimus quintus, & quinquagesimus sextus, ex eodẽ, valent quidem ad probandam necessitatem satisfactionis, nec sunt ad hanc quæstionem pertinentes.

Canon item quinquagesimus septimus ex Cypriano, libro quarto, epistola secunda, & Canon quinquagesimus octauus ex Hieronymo, ad Damasum, sunt etiam pro nobis.

Quinquagesimus nonus, & sexagesimus sunt ad hoc impertinentes. Quæ autem ibi in sexagesimo subiungit ipse Gratianus, omnia pro necessitate Confessionis faciunt.

Sic etiam pro eadẽ valet Canon sexagesimus primus ex Leone, epist. 80. suprà citata, sic etiam sexagesimus secundus ex eodem.

Canon autem sexagesimus tertius ex Augustino, tantum valet pro necessitate Satisfactionis Deo ipsi faciendæ.

Canon sexagesimus quartus, & sexagesimus quintus planè sunt etiam impertinentes.

Canon verò sexagesimus sextus, septimus, octauus, & nonus, ex Hieronymo valent pro satisfactione.

Septuagesimus autem ex eodem in cap. 5. ad Ephesios, pro necessitate Confessionis facit.

Septuagesimus primus, secundus, tertius, quartus, ex eodem, pro necessitate tantum Pœnitentiæ in genere.

Septuagesimus quintus ex eodem, & septuagesimus sextus ex Ambrosio, item septuagesimus septimus ex Chrysostomo, & septuagesimus octauus, & nonus, & octogesimus ex Ambrosio, pro satisfactione etiam tantùm.

Sic etiam octogesimus primus, ex Augustino, & octogesimus secundus ex Gregorio, & octogesimus tertius & quartus ex Augustino.

Canon autem octogesimus quintus ex eodem Augustino facit pro Confessione, & octogesimus sextus ex Alcuino, pro Satisfactione. octogesimus septimus ex Chrysostomo, planè est impertinens.

Ibi autem subiungit ipse Gratianus multa pro necessitate Confessionis, & ad quædam loca Chrysostomi, quæ videntur contrà facere, tandem ad extremum respondet eodem modo, quo nos suprà ad eadem illa loca.

Præterea Canone octogesimo octauo, ipse Gratianus asserit etiam necessitatem Confessionis.

Item Canon octogesimus nonus ex Leone epistola octogesima, pro eadem omnino facit.

In Canone denique nonagesimo, qui est vltimus, recitat Gratianus sententiam cuiusdam Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, qui dicit, quosdam putare Confessionem non esse necessariam, vt Græci, inquit; alios autem omnino esse necessariam, *vt vniuersa*, inquit, *ferè Ecclesia*.

Illud autem quod dicit hic Theodorus, Græcos putare non esse necessariam, si de Græcis Patribus veteribus loquitur (nam schismaticorum posteriorum non est habenda ratio, cùm in multis etiam aliis errent) planè falsum est. Nullus enim illorum necessitatem Confessionis negat, quin potius eam asserunt: vt patet ex testimoniis suprà citatis. Illud autem sine *ferè*, Theodorus hic verissimè dicere potuit, *vniuersam Ecclesiam sentire Confessionem esse necessariam*, sicut planè sentit, non obstante, quòd pauci quidam priuato errore fuerũt in ea re decepti, sicut paulò pòst dicemus. Atque res quod attinet ad Gratiani errorem ita se habet.

Iam verò GLOSSA, in principio distinctionis quintæ de Pœnitentia, & illi alij Doctores non eam auctoritatem habent, quin illorum sententia seu potius errore priuato minimè obstante, verissimè in Concilio Tridentino dictum sit, vniuersam CHRISTI Ecclesiam semper sensisse Confessionem iure diuino institutam & necessariam esse. Sunt enim quasi nulli isti pauci, si cum reliquis Doctoribus orthodoxis comparentur. Et accedit, quod acriter illi etiam eo nomine ab aliis Scriptoribus reprehensi sunt. Vt à Durando in quarto, distinctione decima septima, quæstione octaua, numero nono, qui recitatis illius Glossæ verbis affirmat, *plures in ea esse errores intolerabiles*, quod ipsum censuerunt etiam multi alij. Quanquam cum controuersia ista non fuisset illis temporibus vsque adeò explicatè ab Ecclesia determinata, non sunt illi Doctores putandi pertinaciter errauisse.

QVARTO, obiicit etiam Kemnitius: Confessionem istam gratuitæ condonationi peccatorum propter CHRISTVM, substituere nostrum meritum. Itemq; iducere dubitationem num simus in gratia, quandoquidem semper dubitare possumus, num sufficienter fuerimus confessi.

SED ad hanc Kemnitij & aliorum hæreticorum obiectionem sæpe in similibus quæstionibus à nobis abundè responsum est. Ecclesia enim confessionem vsurpat quidem non vt per eam gratiam reconciliationis mereamur; vt vel stolidè, vel malitiosè de nobis isti vbique fingunt, sed vt gratiam per illam, tanquam per vnum quoddam medium à Christo institutum consequi, quantum in nobis est, beneficio meritorum Christi enitamur. Nec verò, aut possumus, aut debemus vnquam de gratia propria, sine omni formidine esse certi, vt sæpe à nobis aliàs contra istorum in eo genere temeritatem ostensum est.

Et hactenus quidem de primo puncto huius quæstionis principali. Nam quod præterea Diuus Thomas hìc in supplem. quæstione sexta, articulo secundo, & alij probant, Confessionem Sacramentalem, non esse etiam iure naturali necessariam, id per se propemodum absq; vlla probatione est notum: qua de re bene scribit Sotus in quarto, distinct. 18. quæstione prima, articulo secundo, vbi etiam facilè declarat, neque esse Confessionem necessariam ex iure diuino antiquo ante Euangelicam legem.

PVNCTVM TERTIVM.

Vtrum omnibus omnino confessio sit necessaria.

D. Thom. art. 3. & 4.

DICENDVM est, Confessionem siue ius diuinum, siue Ecclesiasticum spectemus, iis omnibus & solis necessariam esse, qui post Baptismum mortaliter peccauerũt. Ita Durandus, in quarto, distinct. 17. quæst. 9. & alij, eadem distinctione. Item Caietanus tomo primo suorum Opuscul. quæstione prima de Confess. Sorus in quarto, distinct. 18. quæstione prima, articulo tertio. Medina in Tract. de Confessione, quæstione quinta, & Nauarrus in Manuali, capite 2. num. 5. cum explicat, quomodo Confessio debeat esse integra. Item Victoria in summa de Sacram. quæst. 129.

Et ratio huius assertionis, quod attinet ad *ius diuinum*, est *primò*, quoniam ex diuina institutione Confessionis solùm licet colligere, ad remissionem peccatorum obtinẽdam, ea peccata necessariò à fidelibus iam baptizatis confitenda esse, quorum remissio in hac vita sit illis ad gratiam & salutem necessaria. Sed talia peccata sunt mortalia duntaxat, quæ post Baptismum cõmittuntur. Ergo iure diuino illis omnibus & solis necessaria Confessio est, qui post Baptismum mortaliter peccauerunt. Maior propositio patet ex modo, quo suprà puncto primo, necessitatem Confessionis ex eiusdem institutione deducendam esse ostendimus. Minor probatur, quia sine remissione venialiũ potest aliquis decedere in gratia Dei ex hac vita, ac proinde salutem consequi.

Nec verò hìc obstat, quòd Christus sine vlla exceptione peccatorum venialium, Ioann. 20. absolutè dixerit: *Quorum remiseritis, &c.* Inde enim rectè quidem sequitur posse etiam bene & vtiliter de peccatis venialibus Cõfessionem fieri Sacerdotibus, qui videlicet sine vlla exceptione accipiunt à Christo (mediante nimirum auctoritate summi Pontificis & Episcoporum) potestatem omnia peccata remittendi; non tamen inde

inde sequitur, quòd ea etiam necessariò fieri debeat, sed tantùm de iis peccatis quorum remissio in hac vita sit necessaria ad salutem, vt patet ex dictis puncto præcedente.

Quod autem attinet ad *ius Ecclesiasticum*, probatur consequenter eadem assertio, quoniã hoc quidem non aliorum peccatorum Confessionem præcipit quàm illorum, de quibus præcipit ipsum ius diuinum; sed determinat tantummodo tempus, quo Confessio iure alioqui diuino necessaria fieri debeat, nempe singulis annis, vt postea docebimus.

Secundò accedit ad confirmationem huius Assertionis, quòd Concilium Tridentinum, sess. 14. cap. 5. primùm explicat, iure diuino Confessionem venialium non esse necessariam; & deinde etiam sub finem capitis declarat, Ecclesiam non præcepisse Confessionem, sed determinasse tantùm *tempus*, in quo illa, iure alioqui diuino necessaria, fieri debeat. Qua re apertè Concilium significat, iure etiam Ecclesiastico non alia peccata *necessariò* confitenda esse præter illa, quæ alioqui necesse est confiteri iure diuino, quæ sunt nempe mortalia.

Cùm verò Concilium ibidem dicit, aliis remediis citra Confessionem posse peccatorum Venialium remissionem obtineri; minimè idcirco vult, posse illa sine applicatione meritorum Christi remitti, vt ineptissimè Kemnitius illic est cauillatus, sed docet, ad illorum sanè remissionem non esse necessarium illum certum *modum* applicationis meritorum Christi, qui est per Sacramentalem absolutionem, sed satis fore, si per alia remedia fiat eiusmodi applicatio, quod attinet quidem ad Venialium remissionem.

Tertiò, eadem Assertio confirmatur ex ipsa forma præcepti Ecclesiastici. Iubentur enim omnes fideles confiteri peccata sua *omnia* semel in anno, idque facere prætermittentibus decernitur grauis pœna; nempe vt viui arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & mortui careant Ecclesiastica sepultura. At omnia peccata Venialia velle confiteri res esset infinita, nec tam grauis pœna, qui non facerent, mulctari deberent: qua sanè ratione Diuus etiam Thomas adducus est in hanc sententiam hìc articulo tertio ad tertium, cùm tũ antea ibi, & in corpore articuli dixisset ex statuto Ecclesiastico venialia etiam esse confitenda.

Quod si quis dubitaret, num aliquod peccatum Veniale esset mortale, vel esse existimaret; tum quidem ratione eiusmodi conscientiæ *dubiæ*, quoad illam deponeret, confiteri teneretur, vt bene notat Ioannes Medina, vbi suprà, & Nauarrus in Manuali, capite vigesimo primo, numero 34. Qui addit, si quis ita hæreret in aliquo peccato veniali, vt planè existimaret se ea occasione peccatum etiam aliquod mortale commissurum, nisi remedium eiusmodi venialis in Confessione quæreret; omnino debere eum tũc illud confiteri, sicut etiam notatum est à Diuo Bonauentura in quarto, distinctione 16. sub finem.

Item addit Caietanus in quæstione prima de Confessione suprà citata, Monachos *nigros*, id est, Benedictinos, vt explicat clarius Nauarrus in Manuali, cap. 2. num. 6. debere etiam venialia confiteri singulis mensibus, etiamsi nõ habeant mortalia: idq; propterea, quoniam in Clementina, *Ne in agro*. de statu Monach. iubentur illi simpliciter accedere ad Confessionem singulis mensibus, neque ibi dicitur, vt confiteantur omnia, quod indicio est, inqt Caietanus, debere ipsos etiam de venialibus confiteri, quæ non oportet omnia confiteri. Quæ Caietani opinio confirmari etiam illa ratione posset, quòd de iis peccatis huiusmodi religiosi iuberi videtur cõfiteri singulis mensibus, in quæ solent aliàs religiosi frequenter incidere, qualia nimirum sunt peccata venialia. Nam mortalia siquis singulis mensibus committeret, hic ne religiosi quidem nomine dignus esset.

Cæterùm Sotus distinct. 18. quæst. 1. articulo quarto arbitratur, similiter determinari tantúmodo in Clementina citata tempus, quo debeant frequentiùs eiusmodi religiosi confiteri, si habeant mortalia. Et quicquid sit de hoc, probatur tamen illud mihi, quod Sotus ibi dicit, saltem sub peccato mortali non obligari eos religiosos ad Confessionẽ faciendã singulis mensibus de venialibus.

Atque hæc in hoc tertio puncto principali notasse sufficiat, quæ sunt sanè obseruanda aduersus iam obsoletas quorũdam Theologorum sententias, qui existimarunt peccata etiam ante Baptismum commissa, itemque venialia, saltem ex præcepto Ecclesiastico esse necessariò confitenda. Quæ placita nullo firmo fundamento nituntur, vt facilè ostendit Sotus & alij, vbi suprà. Ac multò etiã minus peccatum alienum, quod videlicet quis non fecit, necessariò confiteri oportebit, vt facilè ostendit hìc art. 4. D. Thomas. Tenetur tamen quis sine controuersia confiteri peccatum suum quod admiserit in cooperando directè aut indirectè peccato alieno.

PVNCTVM QVARTVM.

Quando sit necessaria Confessio.

D. Thom. artic. 5.

DISTINGVENDVM est inter ius diuinum & Ecclesiasticum. Nam iure *diuino*, PRIMO debet aliquis sine controuersia confiteri imminente probabili periculo mortis. Vt in morbo graui; item ante nauigationem periculosam, & ante prælium, & in summa cum aliquid faciẽdum est, vnde soleat moraliter mors sequi. Sicut Nauarrus, cap. 2. num. 8. Sotus dist. 18. q. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

art.4. Victoria quæst.134. & alij communiter explicant. Atque eam olim fuisse fidelium consuetudinem satis colligitur ex AVGVSTINO epist. 180. ad Honoratum, qui *eiusdem periculi esse* censet *aut Catechumenum non baptizatum*, aut *baptizatum non reconciliatum* per istud Sacramẽtum, *exire*, vt inquit, *ex hac vita*. Itaque casum istum imminentis mortis omnes Doctores sine controuersia ponunt.

SECVNDO, tenetur aliquis iure diuino confiteri, cùm peccatum commisit superiori reseruatum, cui nisi statim confiteatur, futurum sit, vt postea non possit. Ita, & bene in 4. dist.7. quæstione 10. Durandus.

TERTIO, cùm ad remedium efficax aliquorum peccatorum, iudicio præsertim prudentis Confessarij videtur necessarium esse alicui, vt confiteatur, quemadmodum satis significat Nauarrus cap.21.num.34. paulò antè citatus, & etiam cap.2. nu. 10. cùm dicit, illum peccare mortaliter circa Confessionem, qui iuxta præceptum Confessarij non confitetur. Confessarius enim nõ ipse obligat ad Confessionem, sed declarat, iure diuino quempiã in particuli aliquo casu ad eam teneri.

Atque hoc item confirmatur ex eo, quod Sotus in 4. d.18. q.1. art.4. bene probat, præceptũ diuinũ quod extat de Confessione, non tantùm cùm ex vita excedendum est, sed etiam in vita aliquãdo obligare, quippe cùm institutum sit ad commoditatem spiritualem ipsius vitæ.

Sensit præterea Marsilius in 4. quæst. 12. debere aliquem iure diuino tunc confiteri, cùm alioqui putat futurum, vt peccati à se commissi obliuiscatur, nec possit illud de cætero confiteri. Quam sententiam inprimis videtur approbare Sotus distinct. 18. quæstione prima, articulo quarto, conclus. 7. cùm absolutè dicit, necessariò esse confitendum iure diuino, cùm est id periculum obliuionis. Cæterùm postmodum ea ibidem subiungit Sotus, quæ planè illud ipsum euertunt, & certè cum illa sua conclusione 7. cohærere non possunt.

Quare rectiùs negat absolutè Nauarrus in Manuali, cap.21.num.35. propter eiusmodi periculum debere aliquẽ iure diuino cõfiteri; quod idem negat Victoria q.132. Primùm enim opinio illa Marsilij admodum est scrupulosa: cùm pauci sint, qui non possint existimare futurum intra annum, vt aliquorum peccatorum saltem quoad numerum obliuiscantur. Deinde, quia non tenetur aliquis cõfiteri nisi omnia illa peccata, quæ post diligentem conscientiæ examinationem memoriæ occurrerint, vt satis videtur explicatum esse in Concilio Tridentino, sess. 14. cap.5. & rectè ad propositum attigit Nauarrus vbi suprà. Vt autem illa opinio Marsilij consisteret, oporteret fundamẽtum illius esse, quòd teneatur ex vi præcepti aliquis confiteri, non solùm illa omnia, quæ post sufficientem discussionem *occurrerint* suo tempore, cùm scilicet alioqui Confessio fieri debet; sed omnia omnino, quæ reipsa aliquando commiserit, siue illorum sit oblitus siue non. Quod falsum est, vt apparet ex explicatione Concilij, & ex eo, quòd notat Nauarrus.

Sensit etiam Gerson Tract. de Pœnit. & nonnulli alij, debere hominem statim atque potest, confiteri iure diuino. Sed hæc sententia communiter ab omnib. & meritò est explosa. Nam cùm præceptum confitendi sit *affirmatiuum*, non obligat nisi pro tempore alicuius necessitatis, vt affirmatiua alia.

Iam verò iure ECCLESIASTICO *omnes cùm ad annos discretionis peruenerint*, tenẽtur ex peculiari Ecclesiæ *statuto* semel in anno confiteri, vt patet ex Canone, *Omnis*, de pœnitentiis & remissionibus, de quo sanè statuto Ecclesiastico quatuor hoc in loco breuiter annotanda sunt.

PRIMO notandum, illud omnino habere vim præcepti sub *mortali* obligantis, sicut omnes Doctores intellexerunt, excepto Durando, qui in 4. dist.17. quæst.14. temerè dubitat, Vtrum illud statutum contineat tantummodò quoddam salutare cõsilium, in quam opinationem ipse tandem magis propendet. Quod autem sit verisimum *præceptum*, patet primum, præter auctoritatem Doctorũ, ex ipsa praxi, & sensu fidelium. Deinde ex pœna, quæ transgressoribus ibi decernitur. Quæ quidem pœna non tantùm ad transgressores præcepti, quod ibi quoque ponitur de *communicando* in Paschate, vt malè Durandus coniicit, sed etiam ad transgressores huius præcepti de *Confessione* pertinet, vt apparet ex ipso contextu illius decreti, & omnes Doctores interpretantur.

Neque omnino illud verum est, quod obiicit Durandus; nõ posse Ecclesiam cognoscere, quinam id statutum transgrediantur; sicut neq; cognoscere potest, quinam commiserint intra annum peccata mortalia, quæ sola alioqui oportet ex vi eius statuti confiteri. Respondemus enim, posse Ecclesiam satis hoc præsumere de illo, qui nec confitetur, post id temporis spatium, neque etiam se sistit pastori suo, vt ei indicet se non habere conscientiam peccati mortalis, quod confiteatur. Id quod ex vi illius statuti, quando quis conscientiam peccati mortalis non habet, fieri debere affirmat D. Thomas hîc art.3. ad 3. & notant etiam alij Doctores.

Accedit, quòd cõmuniter tales homines sunt cumulati variis criminibus, vel certè nõ ita pij & sancti, vt possit Ecclesia probabiliter existimare illos intra spatiũ anni nullum cõmisisse peccatum mortale, quin potius, contrarium omnino rectissimè præsumere potest: id quod sufficit, ad eos illa pœna mulctãdos, quæ in illo statuto decreta est.

SECVNDO notandum, *per se* quidem istud statutum, nõ obligare, vt hoc vel illo tempore anni *determi-*

determinatè quis confiteatur, sed satis ab eo impleri, qui Confessionem vltra anni spatium non differt, quocunque demum anni tempore confiteatur, vt rectè notat Sotus in 4. dist. 18. q.1. art.4. Et ratio est clara, cùm statutum tantummodò in genere iubeat, vt Confessio fiat *semel in anno*.

Ex *accidenti* autem, quoniam ex eodem statuto quilibet tenetur sumere Eucharistiã *determinatè in tempore Paschali*, fit, vt si conscientiam peccati mortalis tunc habeat, teneatur etiam tum confiteri, ea lege, qua necessaria est alioqui Cõfessio vt quis dignè suscipiat Sacramentum Eucharistiæ. Atque eadẽ ratione, similiter ex accidenti, tenetur aliquis Cõfessionem facere tum, cùm est susceptурus sacrũ aliquem ordinem; nõ quidem ratione ipsius ordinis, sed quia est tum *communicaturus*, sicut est moris in Ecclesia. Neq; tamen si susceptурus Eucharistiam prętermittat facere Confessionem, amplius quàm vnico peccato *sacrilegij* peccabit, propter indignam videlicet Eucharistię sumptionem, vt rectè censuit Sotus in 4. dist.18. q.1. art.4.

Atq; hoc quidẽ ita se habet, si vim ipsam præcepti de Confessione semel faciẽda, *per se* spectemus, quemadmodum dixi. Si aũt attendamus etiam ad cõmunem fidelium consuetudinem, arbitratur sanè Ioannes Medina Tract. de Confessione, q.14. ea consuetudine declarari, vim illius statuti esse, vt Confessio, quæ fieri præcipitur semel in anno, *determinatè* fiat ipso tempore *Quadragesimæ*. Probat ea ratione, quoniam tunc temporis soliti sunt cõmuniter confiteri fideles. Itẽ, quoniã tunc pastores Ecclesiarũ inquirere, atq; punire eos solent, qui nõ confitẽtur, quasi tunc temporis nimirum instet præcepti obligatio.

Cæterùm hoc, quod Ioannes Medina de consuetudine ita notat, cùm ab aliis Doctoribus nõ videam etiam esse annotatum, opinor non esse vsq; adeò certum, immò ne verum quidẽ. Nam si ita esset; sequeretur, eum, qui aliàs intra annum cõfessus esset, teneri etiam determinatè cõfiteri tempore Quadragesimę, si conscientiam habeat peccati mortalis, etiãsi aliquo casu (propter morbum scilicet aliquem, vel aliquod eiusmodi impedimentum) excusaretur alioquin ab obligatione sumendi Eucharistiam in Paschate. Hoc autem consequens planè est alienum à communi sententia Doctorum, qui tantum *per accidens* ratione *Eucharistiæ* requirunt illo determinato tempore Confessionem. Sed neque est id consequens satis ipsi statuto Ecclesiastico consentaneum, siquidem ille, de quo in casu loquimur, iam fuisset intra anni spatium *semel* confessus, id quod tantùm iubet illud statutum.

Consuetudo autem illa fidelium cõfitendi in Quadragesima, nõ obligationis per se tunc confitendi, sed *commoditatis* cuiusdam & *consilij opportuni* ipsorum fidelium, argumẽtum & indicium est, qui nimirum cùm alioquin etiã ratione Eucharistiæ sumendæ tenerentur sub illud tempus confiteri, si (vt cõmuniter plerisq; accidit) essent obstricti peccato mortali; volunt eodem quasi labore vtriq; obligationi, scilicet & cõfitendi & communicandi, sub illud tempus facere satis. Quæ consuetudo, postquã ob eam rationem ita obtinuit, rectè etiam faciũt Ecclesiarum Pastores, quòd tunc temporis diligẽtiam illam adhibere solent in inquirendo quinam contra illud præceptum Confessionis deliquerit.

TERTIO notãdum, si quis vltra anni spatium Confessionem differat, teneri illum ex vi illius statuti, quàm primum eam facere, nec licere ad alterum annum differre; ac proinde neq; posse, nisi statim Confessionem prætermissam faciat (si habeat Cõfessarij copiam) legitimam habere contritionem, per quã sine Confessione consequatur gratiã. Ita, & rectè notat Sotus d. 18. q.1. artic.4. & Ioannes Medina in supradicta q.14. de Confess. §.4. cõtra Antoninũ 3.p.tit.14. c.19.§.3.

Et ratio huius est: quoniam si quod præceptũ iniungit aliquid faciendum, intra aliquod tempus non spectata ad id propriè circumstãtia seu conditione *determinati* temporis, sed *vtilitate* absolutè eorũ, quibus datur præceptum: tum quidem si intra id tempus præceptũ non impleatur, quàm primũ id fieri poterit, impleri debet. Sed præceptum de confessione faciẽda *semel in anno*, propter fidelium inprimis vtilitatem spiritualẽ, non spectata propriè conditione alicuius temporis, positum est. Igitur si non impletur intra annum; quàm primùm impleri debet.

Maiorem huius argumenti propositionem confirmat optimè Ioannes Medina loco citato à contrario; nam idcirco nõ statim elapso tempore præscripto à quibusdã præceptis tenetur aliquis postea actum imperatũ exercere, quoniam eiusmodi præcepta tanquam cãussam iubendi respiciunt propriè ipsam circumstantiã seu conditionem temporis determinati. Vt si quis, v. g. vno die prætermittat horas Canonicas, vel ieiunare in vigilia alicuius Sancti; nõ tenetur postea elapso illo die illud præceptum adimplere ieiunando, aut horas recitando illius diei; quoniam eiusmodi præcepta respiciunt propriè determinatam circumstantiã illius temporis. Item si quis tempore Paschali prætermittat suscipere Eucharistiam, nõ tenebitur postea ante alterum Pascha cõmunicare ex vi præcepti Ecclesiastici, sed poterit ad illud vsq; tempus differre, vt Sotus, & Medina locis citatis, & alij Doctores concedunt. Cuius ratio videlicet eadem est, nempe quia præceptum illud de Eucharistia in Paschate sumenda, propriè respicit illud tempus, in quo nimirũ Christi pasio in Ecclesia soleniter celebratur, cuius cõmemoratio fit maximè ipso vsu Eucharistiæ, vt rectè notat Medina.

Quando igitur præceptum non ita temporis circumstantiam respicit, sed absolutè datur, spectata ratione atq; commoditate ipsius actus, qui iniungitur; tunc si tẽpore præstituto, non adim-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pletur; quàm primum postea adimpleri debebit. Vt si quis v. g. non dissoluat creditori debitum die constituto, quàm primum tenetur soluere, illo etiam die elapso. Itaq; vera est illa Maior, quam idcirco rectè Medina quasi *regulam* quandam constituit, vt in similibus quæstionibus diiudicetur, num præceptum quod præfixo tempore neglectũ est, quamprimum postea adimpleri debeat.

Iam probatur Minor eiusdé argumenti, quoniam Ecclesia spectans inprimis *vtilitatem* spiritualem fidelium, nulla spectata circumstantia diei aut temporis, præcipit in genere, vt Confessio fiat *semel in anno*. Quod tantundem est atque præcipere *ne vltra annum certè* ea differatur.

Neq; tamen idcirco volumus toties aliquem de nouo peccare mortaliter, quoties elapso anno Confessionem differt, cùm posset confiteri; sed dicimus, manere illum obstrictum eodem illo peccato, quod admisit non confitendo intra annum; idq; tamdiu, quamdiu anno elapso cõfessionem differt: ac proinde teneri illum statim confiteri, sub illo eodem peccato, nec posse alioqui legitimam contritionem habere, sicut antè exposuimus.

Qvarto notandum, tũc aliquem iuxta illud Ecclesiæ institutum peruenire ad annos *discretionis*, cùm incipit esse doli capax, ac discernere inter bonum & malum. Quod quidé optimis exemplis docet distinguere Nauarrus in Manuali, cap. 21. nu. 33. Cùm autem alij aliis citiùs istud tempus attingant, rectè docet Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. sub finem, ante *duodecimum* ætatis annum Ecclesiam communiter neminem adigere solere ad Confessionem censuris, aut aliis pœnis.

PVNCTVM QVINTVM.

An adeò necessaria Confessio sit, vt cum nemine dispensari possit ne confiteatur.

D. Thom. artic. 6.

Ententia est D. Thomæ hîc art. 6. & omnium Theologorum communis ac certa, non posse ita absolutè cum aliquo in ea re dispensari, vt nunquam ille confiteri teneatur. Est enim præceptum Confessionis proprie & directè *diuinum*: à quo idcirco non potest aliquis solui omnino per potestatem humanam. Maximè cùm præceptum istud diuinum, non sit quantumcunque, sed de vsu *Sacramenti cuiusdam* necessarij ad salutem. Posset tamen Ecclesia dispensare cum aliquo, ne hoc vel illo tempore, vt verbi gratia, ne omnino intra annum, confiteri teneatur. Atque hactenus satis dictum esse videtur de Confessionis necessitate.

QVÆSTIO DECIMA.

De Confessionis Ministro.

Supplem. D. Thom. q. 8.

Qvatvor svnt explicanda. primo, vtrvm soli sacerdotes possint excipere Sacramentalem Confessionem. Secvndo, *Vtrum omnes etiam Sacerdotes indifferenter possint quorumlibet Confessiones excipere.* Tertio, *An & quando teneatur etiam alterius Confessionem excipere is Sacerdos, qui legitimè alioqui eam potest excipere.* Qvarto, *Quem tandem modum Sacerdos in administrando hoc suo munere seruare debeat.*

PVNCTVM PRIMVM.

Vtrum soli Sacerdotes possint excipere Sacramentalem Confessionem.

D. Thom. art. 1. 2. 3.

Certa Fide tenendvm est, solos Sacerdotes esse à Christo præfectos destinatosque huic muneri, vt definitum est in Concilio Constantiensi in Bulla Martini V. & in Florentino, in Decreto Vnionis, & in Tridétino sess. 14. cap. 6. & can. 10. & declaratur hîc benè congruenterq; à D. Thoma art. 1.

Id autem probatur ex Scriptura: Quoniam Christus Dominus nõ nisi Apostolis dixit: *Quæcunque*

cunque solueritis in terra, &c. Et; *Quorum remiseritis peccata, &c.* Matth. 18. & Ioan. 20. Et quidem quatenus eos ministros Euãgelij esse volebat, vt apparet ex illis verbis antecedentibus: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctũ, &c.* Hanc autem authoritatem etiam aliis ministris successoribus Apostolorum, qua ratione illi Sacerdotes erant, tributam à Christo esse (saltem *mediatè*, quatenus contulit potestatem Ecclesiæ, vt ea ministris auctoritatem hanc tribueret, iuxta ea, quæ dicemus puncto secundo) patet ex vsu perpetuo atq; traditione Ecclesiæ, cuius locupletissimi testes sunt sancti Patres suprà quæstione præcedẽti, puncto secundo, à nobis citati.

Atque ex hoc quidem Scripturæ fundamento, sicut illa ab Ecclesia intelligitur, satis Lutheri hæresis confutatur, qui in libro de abroganda Missa priuata, & art. 13. per Leonem X. condemnato, asseruit, omnes fideles, etiã pueros & mulieres habere potestatem remittendi pœnitentibus peccata. Quamuis, vt Kemnitius in examine sess. 14. cap. 6. & can. 10. Concilij Tridentini, aliique discipuli Lutheri exponunt, nõ liceat vnicuiq; Christiano sine certa vocatione seu deputatione authoritate illa *vti*, ministeriumque reconciliationis vsurpare. Fuit autem etiam illa Lutheri hæresis VViclephi, vt Thomas VValdẽsis author est tomo 2. de Sacrament. cap. 135. Cæterùm vt dixi, nostro ex fundamento facilè confutatur hic error. Nam vt Christus non omnibus Christianis dixit, Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum sanctum*, sed tantùm Apostolis, & suis successoribus, Euangelij ministris: ita neque omnibus *authoritatem* ipsam ministerij reconciliationis tribuit per illa verba, quæ continenter subiunxit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.*

Nonnulla verò difficultas hîc est, Vtrum in casu saltem *necessitatis*, cùm copia videlicet non suppetit Sacerdotis, possit Laicvs excipere Confessionem, atq; adeò fungi huiusmodi ministerio reconciliationis. Lutherus locis citatis ita omnino putauit. Cuius sententiam cõfirmat Kemnitius vbi suprà authoritate Magistri sententiarum in 4. distinct. 17. & Gratiani de Pœnitentia, distinct. 5. *Qui idipsum*, inquit Kemnitius, *quod Lutherus, docuerunt.*

Secundò potest idem confirmari testimonio Avgvstini, vel quisquis ille fuit author libri de vera & falsa pœnitentia, qui cap. 10. ita dicit: *Tanta est virtus Confessionis, vt si desit Sacerdos, confiteatur proximo.* Qua sententia idem etiam confirmat Magister in 4. dist. 17.

Item Beda super illa verba Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata*, ita dicit: *Coæqualibus quotidiana & leuia, Sacerdoti verò grauiora pandamus.* Vbi saltem venialium peccatorum Confessionis Laicos etiam videtur hic author ministros facere.

Tertiò accedit huc tale argumentum. Sicut Sacramentum Baptismi necessarium est ad salutem nondum renatis; ita etiam Sacramentum Pœnitentiæ lapsis. Sed propter Baptismi necessitatem Laicus etiã potest esse illius Minister extraordinarius in casu necessitatis, licet Sacerdos sit alioqui minister eius ordinarius. Ergo similiter potest in casu necessitatis Laicus esse minister extraordinarius Sacramenti Pœnitentiæ.

Vervm hæc res tota sic expeditur. Duobus modis Confessio peccatorum homini Laico fieri posset. Primo, eadem prorsus ratione eodem animo, quo fieri debet Sacerdoti, vt scilicet à Laico etiam virtute *Clauium*, accipiatur tanquam à Iudice & Ministro reconciliationis, peccatorum remissio. Qua ratione Confessio peccatorum etiam dicitur *Sacramentalis*. Ac huiusmodi sanè Confessionem non licet in vllo casu facere Laico: quinimò sacrilegium cõmitteret tum is, qui ita confiteretur, tum etiam ipse Laicus, si per potestatem *Clauium*, conaretur talem absoluere.

Atque etiam eiusmodi Laicus incurreret irregularitatem, vt notat Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. & Sotus dist. 18. quæst. 4. art. 1. & affirmat etiam Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 242. sub finem: licet id quidem neget Syluester Verbo Confessor. 1. Sed probatur tamen manifestè ex Cap. *Si quis*, & Cap. *Ex literis*. Extra de Clerico non ordinato, vbi decernuntur irregulares, qui exerceant actum proprium eius Ordinis, quem non habeant. Absolutio autem actus est proprius Ordinis Sacerdotij.

Et in eo quidem sensu Concilium Tridentinum vbi suprà definit sub anathemate, *solum Sacerdotem* esse Ministrum Confessionis; vbi contrarius error Lutheri damnatur, qua ratione is voluit per ipsam potestatem *Clauium* perinde posse Laicum in necessitate absoluere atque Sacerdotem, seu ministrum reconciliationis ordinarium. Quod manifestè aduersatur illi loco Ioan. 20. sicut antea probauimus. Neq; verò eo modo vlli vnquam orthodoxi authores censuerunt, à Laico excipi posse peccatorum Confessionem.

Altero modo posset Laico Confessio fieri, vt ipsa humilitate atq; erubescentia Confessionis commoueatur flectaturq; magis Dei misericordia erga peccatorem, eoq; certiùs peccatorũ remissio, non per Laici aliquod ministerium seu opus, sed ab ipso Deo solo impetretur. Atq; hoc sanè pacto Gratianus, & Magister sententiarum, & D. Thomas hîc, & alij Doctores dixerũt, Confessionem quandoq; Laico fieri posse, vt perspicuum est authores ipsos legẽti: quod longè quidem differt ab errore Lutheri.

Quamuis autem hoc fine & modo solita olim fuerit Confessio fieri aliquando Laicis; tamen negat Sotus loco citato, consultum iam fore, eiusmodi Confessiones vsurpare. Et certè vix ea-

rum est iam vllus vsus. Quin etiam Nauarrus in Manuali cap.21.num.41. ex communi sententia rectè notat,peccatum esse mortale, in eiusmodi aliqua Confessione imprudèter se apud Laicum infamare,nisi causa grauis subsit, quam ob rem quis cum fructu possit conscientiam suam alteri alicui Laico manifestare, consideratis rei circumstantiis particularibus : vel certè nisi simplex ac bona fides ex ignorantia iuris orta (cùm scilicet aliquis putat,id nõ esse illicitum) quempiam à mortali in hac re excuset, vtibidem notat Nauarrus.

Quòd si nec consultum communiter & periculosum etiam est, eiusmodi Confessiones Laicis facere;certè neque est id vllo modo iure præceptum, vt rectè notat Sotus vbi suprà,& Ioannes Medina in Tractatu de Confessione, quæst. 28. Nec sanè Magister sententiarum, aut Diuus Thomas,aut alij Doctores videtur omnino sensisse,quod aliquando fuerit necessarium id facere: sed significant, potuisse & debuisse fieri per modum *consilij*.

Ad id igitur, quod Kemnitius in confirmationem erroris Lutheri affert, satis iam patet, non idem Magistrum sententiarum,& alios Doctores sensisse,quod in hac re sensit Lutherus.

Ad secundam autem obiectionem ex testimonio Bedę,& authoris libri de vera & falsa Pœnitentia respondetur, non aliud eos voluisse, quàm iam declarauimus, postea docuisse Magistrum,& D.Thomã, & alios. Quod certè ex verbis,quæ subiungit ille author libri de vera & falsa Pœnitentia, perspicuum est. Cùm enim dixisset,tantam esse vim Confessionis,vt etiam Laico in necessitate vtiliter fiat: hanc rationem huius rei reddidit: *Etsi enim*, inquit, *ille,cui confitebitur, potestatem soluendi non habet ; sit tamen dignus venia ex desiderio Sacerdotis is,qui socio confitetur turpitudinem criminis*. Quo loco remissionem peccatorum ascribit nimirum nõ absolutioni factæ per Laicum,sed pudori atque humilitati Confessionis, vt diximus : itemque *desiderio* illi habendi Confessarium, vt docet etiam authorem hunc secutus Magister sententiarum in illa dist.17.

Ad *Tertium* argumentum respondetur, diuersam esse rationem Baptismi. Nam ille quibusdam certè est simpliciter *in re ipsa* necessarius, nempe paruulis. Itaque in casu quidem necessitatis ipsa traditio & vsus Ecclesiæ declarauit, quemlibet posse administrare Baptismum, inprimis quidem paruulis, quibus aliter omnino succurri nequit; deinde etiam *adultis*, posteaquam constat, non esse prorsus eiusmodi ministerium Baptismi alligatum ad ordinem Sacerdotij. Sacramentum autem Pœnitentiæ nullis omnino est *in re ipsa* necessariũ simpliciter, cùm sit tantùm pro adultis institutum, qui videlicet possunt sibi prospicere per Contritionem.

Quamobrem neque traditio, neque vsus Ecclesiæ vnquam habuit, vt per Laicum in aliquo casu tribueretur absolutio Sacramẽtalis : quanquam absolutionem quidem ab iniunctis pœnitentiis, atque adeò à pœna peccato debita, aliquando etiam Diaconus in necessitate potuerit conferre, vt ex D. Cypriano colligitur libro 3. epistolarum, epist.17. sicut rectè notat Sotus dist.18. quæst.4. art.1. Huc accedit, quòd Baptismus peculiariter continet *professionem* Christianæ fidei. Itaq; ob eam etiam rationem oportuit maiorem & faciliorem illius fieri copiam in necessitate, quàm Sacramenti Pœnitentiæ.

PVNCTVM SECVNDVM.

Vtrum omnes Sacerdotes indifferenter possint quorumlibet Confessiones excipere.

D. Thom. artic.3.4.6.

In hoc loco illud inprimis,tãquam certissimum fundamentum, statui debet, nempe non satis esse Sacerdotibus ad audiendas Confessiones potestatem *Ordinis*; sed requiri etiam potestatem Iurisdictionis, seu ordinariam, seu legitimè delegatam: ac proinde non quemlibet Sacerdotem indifferenter posse cuiuslibet Confessionem excipere; sed eius tantùm,in quem habeat Iurisdictionem. Ita in Cõcilio Constantiensi, Florentino, & Tridentino locis punct. præced. citatis ex orthodoxa sententia asseritur.

Iurisdictionis autem potestatem appellamus authoritatem quandam in alterum, tanquam in subditum, saltem quod attinet ad illum actum cognoscendi conscientiam illius, soluendique ac ligandi. Quo posito, facilè profluit hæc Assertio ex iis, quæ suprà disputata sunt quæst.9. Nam si ne huiusmodi potestate Iurisdictionis,nemo potest in alterum sententiam proferre, tanquam *Iudex*. At ministerium excipiendarum Confessionũ,& remittendi peccata, omnino exercẽdum est à Sacerdotibus,tanquã à quibusdam Iudicibus, vt suprà q.9.p.2.ex Scripturæ & Patrum authoritate contra Sectarios defendimus. Igitur Iurisdictione prorsus ad eius muneris functionem opus habent.

Atq; ex hoc intelligi debet, non Iuris tantùm Ecclesiastici institutionẽ hanc esse, vt sine Iurisdictione nullus Sacerdos vsurpet istud ministerium;sed omnino Iuris *diuini*, hoc ipso q; Christus voluit,ministeriũ illud à Sacerdotibus, tanquam à *Iudicibus quibusdam* interni fori exerceri, vt intellexerunt vbique S.Patres, suprà q.9.p.2.à nobis citati:& maximè D.Ambrosius lib.1.de Pœniten. cap.2. & lib.2.de Cain & Abel,cap.2. & Augustinus lib.20.de ciuit.Dei. cap.9. & Innocentius I. in epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum, cap.7.& alij.

Quocir-

Quocirca minimè Armacanus lib.11. de quæstionibus Armenorum audiri debet, qui necessitatem hanc Iurisdictionis à Iure solùm Ecclesiastico pẽdere censuit. Quam opinionem communiter confutant alij Doctores, & inter illos bene Sotus d.18.q.4.art.2.

Nec tamen idem est, ex institutione Christi *necessariam* esse Sacerdotibus hanc Iurisdictionem; & eam omnibus Sacerdotibus hoc ipso, q; Sacerdotes fiunt,tribui à Christo absolutè. Hoc enim secundum, omnino falsum est, nec ex primo sequitur. Non enim voluit Christus hãc authoritatem iurisdictionis aliter Sacerdotibus competere, nisi qua ratione id expediat ad salutem ipsorum fidelium,& bonum Ecclesiæ commune. Expedit autem omnino ad hunc finem, vt ita demum ea authoritas Sacerdotibus competat, sicut summus Ecclesiæ pastor, cui summa gubernationis Ecclesiæ à Christo commissa est, per se vel per alios inferiores Ministros, quibus ipse potestatem communicat, statuerit.

Itaq; à Pontifice ipso;vel,q; idem est,ab Ecclesia,(quatenus Ecclesiæ quidẽ authoritas residet in Põtifice, & in aliis subordinatis ministris) accipiunt Sacerdotes propriè hãc iurisdictionem, non autem immediatè à Christo; nisi fortè tanquam à caussa quadam vniuersali, quæ videlicet in hoc genere non operatur, vel tribuendo, vel conseruando in aliquo Sacerdote hanc iurisdictionem , nisi quatenus ipsa Ecclesia operatur, quæ est nimirum quasi caussa *secunda & proxima* tribuendæ huiuscemodi iurisdictionis. Ipse autem Summus Pontifex solus à Christo proximè plenissimam iurisdictionis authoritatẽ habet, qui & Petro & cuiuis eius successori dixit: *Pasce oues meas*. Ioan. 21. Et: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*.Matth.16.

Atque huc summa redit eorum omnium,quę post Doctores alios, Ioannes Medina in Tractatu de Confessione q.35.& Sotus d.18.q.4.artic.2. prolixè disputant, vt ostendant, iurisdictionem non habere Sacerdotes immediatè à Christo. Quod sanè fundamẽtum necessariò in hac materia constituendum est, vt quædam, quæ deinde circa hoc docebimus, quæq; sunt certissima, possint consistere. Cuius generis illud inprimis est, quod sæpe potest accidere, vt ob defectum iurisdictionis absolutio Sacramentalis sit inualida,sicut exponemus,& defendit prolixè Ioannes Medina in dicta q.35. Ac proinde nõ tantùm perperam facit,qui sine iurisdictione tentat absoluere ; sed etiã nihil omnino facit: faceret autem,si ab ipso Christo immediatè Sacerdotes omnes haberent iurisdictionem.

Neque hic nobis obstat,quod Christus,& Apostolis,& futuris omnibus Sacerdotibus in ipsis Apostolis dixit: Quorum remiseritis peccata remittũtur eis,Ioan,20.Et:*Quæcunq; solueritis,etc.* Matth. 18. Intellexit enim ea nimirum peccata, quæ illi remitterent per potestatem etiam iurisdictionis legitimè acceptam, qualem quidem ipsi Apostoli omnes ab ipso Christo immediatè obtinuerunt, vt ponit communior ac certior Doctorum sentẽtia: Reliqui autem Sacerdotes immediatè quidem non nisi ab ipsa Ecclesia,iuxta Summi Pastoris arbitrium accepturi erant, sicut est dictum.

Porro ex hac doctrina multa consequũtur, quæ hoc in loco notari debent, & prolixè à Doctoribus disputata sunt. Primo sequitur,necesse esse, Sacerdotes, vt per potestatem Ordinis & Iurisdictionis ministerium istud validè exercere possint, ea *scientia & prudentia* præditos esse, vt spectata cuiusq; pœnitentis conditione, & peccatorum rationes disernere, & conscientiarum vulneribus commodè mederi valeant; sicut rectè notant omnes Doctores. Nam si eiusmodi præsidiis Sacerdos careat, non poterit authoritate illa *iurisdictionis* in subditos vti : neque adeò verè fungetur officio tum Iudicis, tum Medici spiritualis. Notat autem rectè Sotus dist.18. q.4. art.3. satis fore,si saltem is nouerit,cùm opus sit, *dubitare*, vt ad peritiores recurrens, tandem intelligat,quid sibi facto in vnoquoque casu opus erit.

Secundo sequitur,vnumquemq; fidelium posse legitimè confiteri, & absolutionem accipere nõ modò à suo Parocho,sed etiam,ac multò magis, ab Episcopo suo, tanquam à Pastore totius Diœcesis;& multò etiam maximè ab ipso Summo Pontifice,tanquam à Pastore totius Ecclesiæ. Patet hoc sine controuersia ex eo, quòd quilibet istorum est Superior *Ordinarius*,vt constat, licet magis aut minus immediatus.

Tertio sequitur,cuiuslibet istorũ ministrorum facultatem seu delegationem sufficere, vt aliquis possit Confessiones audire. Exẽpli caussa. Si Parochus potestatẽ alteri Sacerdoti faciat, vt sui Parochiani confessionem excipiat;sufficit ea Parochi facultas, nec præterea est necesse, ad id requirere facultatem Episcopi aut Pontificis. Ac multò etiam magis sufficiet facultas Episcopi sine facultate Parochi; & multò maximè facultas Papæ sine Episcopi & Parochi facultate, nisi quando ipse Pontifex vellet ab Episcopo eiusmodi facultatem etiam peti.

Ratio aũt huius tertij corollarij est. Quoniam sicut quilibet minister *Ordinarius* ex illis potest ipse excipere confessionem sui subditi:ita etiam ille,cui ipse *delegauerit*,vt sine controuersia constat ex ipsa ratione & iure cõmuni, quandoquidem quilibet potest authoritatem sui muneris ordinarij alteri delegare. At vt Parochus audiat ipse Confessionem, non opus habet speciali facultate Episcopi aut Pontificis, & multò minus Episcopus aut Pontifex, vt confessiones audiãt, indigebunt facultate Parochi. Ergo neque Parochi *delegatus*, indiget Episcopi aut Pontificis facultate;ac multò etiam minus facultate Parochi indigebit delegatus Pontificis aut Episcopi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVARTO hinc sequitur, RELIGIOSOS, quibus per varia Pontificum indulta ac priuilegia, potestas audiendarum Confessionum facta est, nequaquam indigere facultate Parochorum. Id patet manifestè ex corollario præcedēte, & confirmatur ac defenditur fusè à Dominico Soto distinctione decima octaua, quæstione quarta, articulo tertio, & à Ioanne Medina Tractatu de Confessione, quæstione vigesima nona, & omnium doctissimè ab ipso D. Thoma hîc articulo quinto, ex libro quarto sentētiarum, distinctione decima septima, aduersus nonnullos, qui temerè putauerunt, necessariam esse his Religiosis licentiam Parochi; vel certè eos, qui ipsis ex priuilegio essent confessi, debere rursus eadem peccata confiteri suo Parocho. Quæ quidem opinio omnino falsa atque temeraria est, vt communiter Theologi affirmant, & ex dictis patet.

Neque verò hîc obstat, quod in Cap. *Omnis vtriusque sexus.* Extra de Pœnitent. & remission. omnes iubentur *semel in anno confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri de licentia proprij.* Hinc enim potius sequitur, satisfieri huic præcepto per eam Confessionem quæ fit Religiosis ex sola facultate Pontificis. Quod sanè æquè ostendam, siue *proprius* Sacerdos in illo statuto dicatur, quicunque est *ordinarius* Superior pœnitentis, ita scilicet, vt proprium ibi intelligamus distingui contra alienum, qui scilicet non sit Superior ordinarius ipsius pœnitentis, vt interpretatur Sotus dist. 18. quæst. 4. artic. 2. & Ioannes Medina quæst. 29. de Confessione: Siue *proprius* Sacerdos ibi intelligatur ille tantùm Superior ordinarius, qui est etiam *immediatus* seu proximus, hoc est, inter quē & subditum, non intercedant alij Superiores, cuiusmodi est Parochus; vt probabilius tandem vocem illam, *Proprio Sacerdoti*, interpretatur in eadem illa quæstione sub finem Ioannes Medina: itemque Melchior Canus in Relectione de Pœnitentia parte 6. in responsione ad sextum argumentum principale, & alij.

Ac primùm quidem si *proprius* Sacerdos ibi dicitur quicunque Superior *ordinarius*; satis patet, eum, qui confitetur Religiosis ex indulto Pontificis, eo ipso confiteri illis de licentia Sacerdotis proprij, hoc est, Superioris sui *ordinarij*, & consequenter abundè satisfacere illi statuto, neque teneri amplius eadem peccata confiteri.

Sin autem proprius Sacerdos ibi dicatur is, qui est Superior *immediatus*, nempe Parochus; tunc à fortiori quidem manifestè constat, debere ibi etiam tacitè subintelligi eum quoque Superiorem, qui ipso etiam Parocho superior est, & à quo Parochi facultas omnis deriuatur, vt necessaria ratione Canus, & Medina, & alij Doctores concludunt. Absurdum enim esset, si, quod Parochus potest facere absque facultate Episcopi aut Pontificis, nempe dare facultatem alieno, vt audiat Confessionem; id non posset facere Episcopus aut Pontifex sine facultate Parochi.

Et confirmatur hoc ipsum euidenter. Nam ita accipitur *proprius Sacerdos*, cùm in illo statuto fit potestas confitendi alieno de licentia Sacerdotis proprij, sicut cùm primò in eodem statuto præcipitur, vt omnes confiteantur *proprio Sacerdoti*. Sed cùm ibi præcipitur, vt omnes confiteantur proprio Sacerdoti, necessariò subintelligendus est etiam Superior *mediatus*, à quo ipse etiam Parochus authoritatem accepit, nempe Episcopus, vel Pontifex, ita, vt multò etiam maximè statutum illud adimplere censeatur is, qui Episcopo vel Pontifici confiteretur. Ergo similiter Episcopus etiam & Pontifex subintelligi debent, cùm postea in eo statuto fit potestas confitendi alieno de licentia *proprij*, ita, vt Episcopi quoque aut Pontificis licentia abundè etiam ad id sufficiat.

Maior propositio patet ex ipso tenore statuti. Neque enim in eodem contexu orationis ambiguitas & æquiuocatio in modo loquendi de Sacerdote proprio, admittenda est, vt rectè vbi suprà notauit Canus. Minor autem manifestè probatur. Nam qui Pontifici ipsi vel Episcopo semel in anno confiteretur; is sine omni controuersia præceptum illud Ecclesiæ adimpleret, nec teneretur rursus Parocho item confiteri.

Certissimum itaque est, sufficere eam confessionē, quæ fit Religiosis ex licentia Papæ, etiamsi *proprius* Sacerdos in illo statuto dicatur, vt diximus, is, qui non modò non est alienus (quo pacto proprius etiam dici potest quicunque ordinarius, atque adeò Papa, & Episcopus) sed etiam est *immediatus*, vt Parochus. De quo sanè propterea statutum illud inprimis loquitur, quoniam intelligebat videlicet Pontifex, homines communiter non solere confessiones suas facere Episcopo vel Papæ, vt bene notauit Canus.

Quamobrem autem nulla PAROCHO fiat iniuria, si illius etiam licentia ab eiusmodi Religiosis non requiratur, manifesta ratione docet hîc diuus Thomas articulo quinto in responsione ad primum argumentum, cuius verba, quia nec multa & plenissima grauitatis atque veritatis sunt, visum est mihi hoc loco recitare. *Præiudicium*, inquit, *non fit alicui, nisi ei subtrahatur quod est in fauorem eius indultum. Iurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in fauorem suum; sed in vtilitatem plebis, & in honorem Dei: & ideo si Superioribus Prælatis expedire videatur ad salutē plebis, & honorem Dei promouendum, quæ sunt iurisdictionis, aliis committere; in nullo propterea fit præiudicium inferioribus Prælatis; nisi illis*, inquit D. Thomas, *qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, & qui gregi præsunt, non vt eum pascant, sed vt ab eo pascantur.* Hactenus diuus Thomas. Qui & in solutionibus aliorum argumentorum eandem ibi rem doctissimè confirmat.

Denique

Denique eiusmodi Confessiones, quæ ex indulto Pontificis Religiosis fiunt, ratas esse, neq; esse rursus Parochis faciendas, determinatū est à Benedicto XI. in Extrauaganti, *Inter cunctas*, de priuilegiis, & à Ioanne XXII. in Extrauag. *Vas electionis*: idque iuxta Pontificum præcedentium concessiones, videlicet Alexādri IV. Vrbani IV. Clementis IV. Ac Romæ etiam quidam Ioannes de Poliaco, qui contrà sentiebat, errorem suum reuocare compulsus est, vt ex dicta Extrauag. *Vas electionis*, apparet.

Neq; obstat quod hîc ex quadam Martini V. Extrauag. (quæ tamen non extat in Iure) obiici solet, nempe fecisse illum fidelibus potestatem confitendi Religiosis, ea lege tamen, vt rursus confiterētur suo proprio Parocho, iuxta decretum illud Concilij Lateranensis, quod extat in dicto Capit. *Omnis vtriusque sexus.* Primùm enim existimandus non est voluisse, vt fideles eadem peccata rursus tenerētur Parocho proprio confiteri, sed alia mortalia semel in anno, si quę forte post confessionem vel confessiones intra annū Religiosis factas commisissent. Deinde quomodocunque Martinus eam facultatem ita limitatam concesserit fidelibus: tamen non derogauit ipse concessioni aliorum Pontificum, qui absque vlla tali restrictione & limitatione fecerunt potestatem confitendi Religiosis perinde ac ipsis parochis, & eatenus adimplendi præceptum illud de semel confitendo intra annum, proprio parocho, vel alij de licentia eius, vt antè probauimus. Atq; ita ferè ad illam Martini Extrauagantem à Doctoribus respondetur, & præsertim à Ioanne Medina Tractatu de Confessione, quæst. 29. non longè à fine, & à Soto dist. 18. quæstione quarta, articulo tertio, qui etiam valdè probabiliter ait, Extrauagantem illam Martini non fuisse receptam quoad limitationem illam.

Etsi autem, quod ad Parochos attinet, hoc ita sit; tamē debent Religiosi petere facultatem ab ordinariis Diœcesium, vt possint in illis audire Confessiones, sicut statutum est in Concilio Viennensi, & habetur in Clementina. *Dudum.* de Sepulturis. Itemq; in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 11. Qua de re Nauarrus potissimū est legendus in Manuali, cap. 27. num. 260. & deinceps. Vbi quædam summatim notat ad huius rei praxin pertinentia: quæ omnia tamen intelligi debent saluis peculiaribus priuilegiis, quæ variorū Ordinum Religiosi circa hæc fortè habeant: sicut etiam illa, quæ de hoc ipso notat Sotus dist. 18. quæst. 4. art. 3.

QVINTO ex doctrina superius tradita sequitur, nihil interesse, vtrū à *Iure*, vel ab *homine* (hoc est, per concessionem ordinarij ministri) vel à *consuetudine*, quis obtinuerit iurisdictionē, modò eam certè sit legitimè adeptus aliquo modo existis tribus, vel etiā aliquibus, vt patet ex his, quæ de hac re disputātur communiter à Doctoribus, præsertim à Ioanne Medina in quæst. 31. de Confess. & Soto dist. 18. quæst. 4. art. 2.

Et quidem à IVRE eam iurisdictionem habet inprimis quilibet ordinarius *Superior*. Deinde quicunque habent ad eam rem priuilegia iure concessa, vt de Religiosis iam dictum est. Tertiò QVILIBET Sacerdos in tribus potissimum Casibus.

Primò, cùm pœnitens est in articulo mortis, vt patet ex Capit. *Pastoralis. §. Præterea.* Extra, de Officio Ordinarij. Nec tamen *articulus* mortis in proposito idem est, quod *periculum* mortis, vt rectè Sotus in dicta q. 4. art. 2. notat contra Syluestrum Verbo Confessor. 1. num. 6. qui nimis hunc articulum extendit, cùm ait, esse etiam, quando vel mare, vel prælium aliquis est ingressurus. Sed *articulus* mortis in proposito dicitur, cùm mors ipsa est *in fieri*, inquit bene Sotus: siue per causam naturalem, siue per violentam, vt tunc, quando per Ministros Iustitiæ aliquis occidendus est.

Neque verò habet quilibet Sacerdos hanc iurisdictionem in eo casu iure diuino, vt falsò sensit Paludanus dist. 20. q. 1. art. 2. Sed iure tantùm *humano*, vt post Durandum dist. 19. q. 2. rectè probauit Sotus loco citato. Atq; ita intelligi debet D. Thomas hîc art. 6. Christus enim nulli Sacerdoti competere voluit aliquam iurisdictionem, nisi per Summi Ecclesiæ Pastoris authoritatem, sicut suprà docuimus. Quod licet ita sit, non idcirco tamen poterit rectè aliquando Pontifex in illo mortis articulo negare Sacerdoti iurisdictionem, quò minus hominem in ea necessitate constitutum absoluat. Itaque credendum non est, id aliquando Pontificem tentaturum, vt bene notauit Sotus.

Ioannes autem Medina q. 35. de Confessione, subdubitare nonnihil videtur, vtrum quilibet Sacerdos possit in articulo mortis absoluere? Et certè id negat facere posse excommunicatū. Sed contraria sententia est omnium communissima & certissima. Quæ tamen intelligenda est, cùm nō adest alioqui Confessarius, habens certam iurisdictionem in eum, qui est in illo articulo constitutus. Et sicut à peccatis potest quis tunc à quolibet Sacerdote absolui: ita etiam ab omnibus Censuris, vt D. Thomas hîc art. 6. & omnes tradunt. Et patet ex Capit. *Eos qui*, de sententia Excommunicationis lib. 6. Decretalium. Vbi tamen qui sic ab aliqua censura absoluuntur iubentur sub pœna eiusdem censuræ de facto incurrendæ, sistere se postea suo ordinario Superiori (si euadant periculum) vt satisfaciant iuxta illius arbitrium & præceptum.

Secundò habet quilibet Sacerdos à Iure iurisdictionem ad audiendam Confessionem cuiuslibet *Episcopi*, cùm ab eo ad id deligitur, & etiam cuiuslibet inferioris *Prælati*, cuiusmodi est quilibet Superior in aliqua Religione, vt Sotus in dicta q. 4. art. 2. interpretatur. Id autem patet ex

conces-

Universidad de Deusto
Biblioteca

concessione Gregorij IX. in Cap. *Ne pro dilatione*. Extra de Pœnitent. & remission. Hoc autem quod ad Religionum Prælatos attinet, saluis earum Legibus seu Constitutionibus intelligi debet.

Tertiò, Si Sacerdos, cuius alioqui curæ quispiam commissus est, fuerit planè ignarus, tunc alius quilibet Sacerdos iure potest excipere Cõfessionem eius, qui ignaro illi Sacerdoti commissus erat. Ita statuit Vrbanus Papa in Can. *Placuit*. de Pœnitentia d. 6. vt Ioannes Medina q. 30. & 31. de Confess. & alij communiter notant: idq; intelligunt absolutè & generatim, etiamsi Sacerdos ille ignarus, sit proprius Parochus, quèadmodum etiam Glossa illius Can. *Placuit*. exponit.

Sotus tamen in dicta q. 4. artic. 2. hoc de Parocho quidem non concedit, nescio quid ibi circa textum illius Vrbani, contra interpretationem Glossæ diuinans, & perplexè loquens de sensu illius Canonis: sicut etiam facit Melchior Canus in Relectione de Pœnitentia parte 6. cùm tamè textus illius Canonis Vrbani planè loquatur generatim de Sacerdote, cui aliquis *commissus* fuerit, conceditque, vt liceat alteri confiteri, si ille fuerit ignarus.

Iam verò ab HOMINE potestatem iurisdictionis ad audiendas confessiones habere dicitur is, qui eam habet ab aliquo *Ordinario superiore* superstite specialiter *delegatam*, vel etiam à Vicario Ordinarij, quando ei *plenum* Ordinarij officium commissum est; vt qui à Viceparocho haberet potestatem excipiendi confessionem Parochiani, sicut rectè ostendit Ioannes Medina q. 32. de Confessione. Et quando ea facultas non datur restrictè pro vna tantum vel altera vice, sed absolutè; toties quoties libuerit, poterit valide vsurpari, vt notat post alios Syluester verbo Confessor 1. n. 7. Fauores enim sunt ampliandi, vt habet regula Iuris.

Item qui ipsius Pontificis Summi confessionem audit, ab *homine* etiam dicitur iurisdictionem ad id obtinere, nempe ab ipso Pontifice, cũ se is arbitratu suo alicui Sacerdoti subiicit in hoc foro Sacramenti Pœnitentię, vt rectè disputat Ioannes Medina q. 35. de Confessione in respons. ad 2. arg. principale, & Sotus d. 18. q. 4. artic. 2. contra quosdam, qui falsò & absque fundamento putauerunt, Sacerdotes omnes ab ipso Christo accipere iurisdictionem, vt Pontificem possint absoluere.

Notatur autem hoc loco à Doctoribus, semper oportere ab eo Confessario, cuius alioqui curæ quispiam *commissus* est, licentiam petere, vt alteri confiteri possit, excepto illo casu, quo Superior ille, cui commissus est, sit ignarus, sicut iam antè dictum est. Hoc autem debet intelligi, nisi quis alioqui eam facultatem habeat, vel à Iure, vt explicatum est; vel à consuetudine, vt paulò pòst dicetur.

VTRVM autẽ, quando quis habet iustam causam confitendi alteri, satis sit ad eam rem *petere* facultatẽ à suo Confessario, siue illam obtineat, siue non: an verò etiam oporteat illam *obtinere*, diuersæ sunt sententiæ Doctorum. Et quæstio omnis est, quando causa iusta est eiusmodi, vt nequeat aliquis sine proprio damno confiteri suo Confessario. Vt v. g. quia solicitaturus putatur pœnitentem ad malum, vel reuelaturus confessionem, &c. Nam si causa confitendi alteri est tantummodo maior vtilitas, quæ ex ea re speretur, tunc neminem Doctorum sensisse video, Ꝙ sufficiat petere facultatẽ, licet non obtineatur.

In casu igitur, quo *periculum* pœnitenti immineat, si Confessario suo confiteatur, sunt de ea quæstione duæ sententiæ contrariæ. Nam Richardus dist. 17. art. 3. q. 1. ad 3. (licet non satis expresè) & Paludanus ead. d. q. 3. art. 3. concl. 1. casu 1. & Antoninus 3. p. tit. 17. capite quarto, & Syluester Verbo Confessor. 1. n. 6. & Adrianus in 4. q. 5. de Confessione, dubio 3. & Ioannes Medina in Tractatu de Confessione, q. 33. sub finem, existimant, posse tunc pœnitentem alteri confiteri, etiamsi à proprio facultatem non obtineat. Et addit Medina, id etiã posse facere, quando proprius nolit omnino, aut non possit excipere illius confessionem.

Alij verò Theologi contrà sentiunt, id non licere; sed debere talem pœnitentem tũc recurrere ad Superiorem, & si ne ab eo quidem facultatem impetrârit, aut impetrare non possit alieno confitẽdi, debere potius prætermittere confessionem, & per solam Contritionem sibi prospicere, atque adeò etiam sine Confessione accedere ad Eucharistiam in Paschate, quemadmodum hoc idem in Paschate licitè facere potest sine controuersia, qui nullam habet omnino Confessarij copiam. Ita D. Thomas hic art. 4. ad 5. & Marsilius in 4. quæst. 12. art. 1. Caietanus in Summa, Verbo, Absolutio, Sotus d. 18. q. 4. art. 2. Victoria in Summa de Sacramentis q. 145. & 146. Canus in Relectione de Pœnitentia parte 6. circa responsionem ad 6. arg. principale.

Et hæc sententia mihi etiam videtur probabilior, magisque consentanea statuto Ecclesiæ in Cap. *Omnis vtriusque sexus*, vbi præcipitur, vt si quis ex iusta causa velit confiteri alieno, id non faciat, nisi de licentia proprij. Quo loco generatim de *omni causa iusta* Pontifex loqui videtur. Vt iam alia bona argumenta præteream, quibus & Canus præsertim, & Sotus confirmant hanc sententiam.

Porrò cùm *ab homine*, hoc est, ab ordinario ministro, seu Pontifex ille sit, seu Episcopus, seu Parochus, potestatem *absolutè* habet subditus confitendi alieno Sacerdoti, *cui velit*; non tantùm intelligendum est, posse illum pro arbitrio confiteri cuicunque alteri Parocho, aut cuicunque alteri ad audiendas confessiones per Episcopum expositio, vt putauit Canus in dicta Re-

lectione

lectione de Pœnitentia p. 6. sed omnino posse confiteri cuilibet Sacerdoti, qui ad id alioqui sit *idoneus*. Ita sentiunt communiter Theologi, vt Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 2. Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 7. Gabriel distinct. 17. quęst. 2. art. 3. dub. 5. Syluester Verbo Confessor 1. num. 5. Ioannes Medina quæst. 34. de Confessione, Sotus dist. 18. quæst. 4. art. 3. Iuxta quam sententiam etiam possunt eligi Religiosi, qui per suos Superiores peculiariter impediti non fuerint, quò minus validè Confessiones excipiant & absoluant, vt docet bene Medina loco citato, & ante illum Paludanus, Antoninus, & Syluester locis citatis.

Denique circa modum istum obtinendi iurisdictionem *ab homine*, notandum est, non modò expressam facultatem Superioris ad id sufficere, sed etiam eius *ratihabitionem* præsumptam de *præsenti*, cùm eam ille aliquo signo exteriori significat, saltem hoc ipso, quòd scit, suum subditum confiteri velle alteri, & tacet, nec vllum omnino indicium dat, quòd id sibi displiceat. Ita sentit & rectè Ioannes Medina Tractatu de Confessione, quæst. 31. sub finem, & Victoria in Summa de Sacramentis quæst. 153. etiam sub finem; quamuis hic auctor adeò claram videatur requirere significationem exteriorem eius Ratihabitionis, vt iam non Ratihabitio sed expressus consensus futurus esset. Vt si Superior diceret (quod est Victoriæ exemplum) Gauderem si hic audiret Confessionem talis, &c. Arbitror igitur satis esse scire & non contradicere, nec dare signum quod id displiceat. Nam hoc ipso voluntas Superioris censeri potest voluntas *exterior*, atque adeò idonea ad conferendam alteri Iurisdictionem.

Dixi autem ratihabitionem de *præsenti*, quia ratihabitio post absolutionem datam, non efficeret validam absolutionem præteritam, quæ scilicet iam semel ob defectum ratihabitionis præsentis atque adeò consensus Superioris, invalida fuit. Et in hoc sensu rectè concludit post Paludanum, Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 4. in fine, non valere in proposito ratihabitionem, scilicet de præterito.

A CONSVETVDINE etiam (vti dicebamus) multi quoq; obtinent audiendarum confessionum iurisdictionem. Vt presbyteri Cardinales ad audiẽdas confessiones suorum familiarium, seu commẽsalium, vt Caietanus in Summa, Verbo, Absolutio, & Sotus in dicta quæst. 4. artic. 2. notãr. Item quilibet Sacerdos ad confessionem audiendam cuiuslibet alterius Sacerdotis, vt iidem authores, & Medina quæst. 31. de Confess. & alij communiter notant. Item Sacellanus Imperatoris ad audiendam confessionem ipsius, atque etiam Imperatricis, secũdùm Hostiensem in Capit. *Omnis vtriusque sexus*. Quanquam de hoc dubitat Sotus loco citato: qui & rectè notat, nihil ad praxim interesse, vtrum id ita sit, an secus: quandoquidem & Imperator, & Reges, & alij etiam Principes, communiter habent priuilegia & facultates, vt cui velint, confiteantur.

Possunt etiam vi consuetudinis *peregrini & vagabundi* confiteri ei Parocho, cui voluerint, in loco, vbi sunt. Nec licet illis cuilibet Sacerdoti confiteri, qui nõ sit Parochus, vel habeat alioqui ad id certam facultatem, ne videantur melioris conditionis esse, quàm ipsi incolæ, vt rectè notat Sotus in dicta quæst. 4. artic. 2. & Ioannes Medina quæst. 31. de Confessione, & Caietanus in Summa Verbo Absolutio. Notat tamen Victoria quæst. 155. de Sacramentis, quòd si peregrini maneant in aliquo loco aliquamdiu, vt quinque vel sex menses, tenebuntur quidem confiteri ei Parocho, ad quem pertinuerit eorũ hospitium.

Præterea vi etiam consuetudinis, quilibet item Sacerdos iurisdictionem habet ad audiendam cuiuslibet confessionem de *venialibus* tantùm: itemque de iis mortalibus, quorum prius etiam *confessio facta* sit. Et quidem quod eiusmodi cõfessiones quilibet possit audire, rectè probat Medina quæstione trigesima sexta de Confessione. Nec videtur dicendum, quòd eiusmodi confessiones audiantur sine vlla iurisdictione. Etsi enim Confessarius nõ possit cogere pœnitentem ad dicẽdum omnia venialia, vel mortalia, quæ iam antè confessus sit; tamen de iis, quæ vltro ipse confitetur, potest certè cum iurisdictione quadam & authoritate inquirere quæ pertinere putat ad officium suum rectè exequẽdum, iuuandumque pœnitentem. Idque ius acquirit Confessarius, posito, quòd ipse quidem pœnitens, quod attinet ad eiusmodi confessionem, vltro se Confessario subiecit. Hoc enim ipso facit Confessario potestatem exequendi aliqua ratione cum authoritate quadam suum munus.

Hanc autem iurisdictionem absoluendi à venialibus, & à mortalibus, quæ iam anteà aliquis confessus sit, non est putandus quilibet Sacerdos à Christo *immediatè* habere, vt quidam dixerunt, quos refellit Sotus, & Ioannes Medina locis citatis: Sed ab ipsa Ecclesia vi consuetudinis. Quanquam negat quidem Sotus, posse quemlibet absoluere à mortalibus, quæ iam fuerit pœnitens confessus: itemque dicit, sine vlla iurisdictione absolutionem fieri à venialibus. Sed hæc ille non satis probat. Quare potius in hac re assentior Ioanni Medinæ in dicta quæstione trigesima sexta.

Denique ob consuetudinem in aliquibus Academiis (vt in hac etiam Ingolstadiensi) fit, vt Scholares certo cuidam Parocho Academico confiteri debeant (nisi confiteantur aliis, qui habeant ad id potestatem) etiamsi domicilium fortè habeant, quod ad aliam Parochiam pertineat.

Est autem hîc NOTANDVM, *consuetudinem* in prædictis casibus, ea demum ratione valere, vt

quis

Universidad de Deusto
Biblioteca

quis iuriſdictionem ad audiendas confeſsiones acquirat, quia cùm illa ſciente & tacente Superiore obtinet, eo ipſo conſenſus etiam *Superioris* tacitus interuenire cenſetur.

Qua ex re primùm intelligitur, non pugnare cum iis, quæ de cõſuetudine hactenus diximus, Capitulum, *Si Epiſcopus.* de Pœnitent. & remiſſion. libro ſexto, vbi dicitur, *nulla poſſe conſuetudine introduci, vt quis ſine licentia ſui Superioris eligat Confeſſarium.* Quæ enim nos hactenus diximus, intelligi debẽt de conſuetudine, cum qua concurrit etiam *tacita* ſaltẽ facultas Superioris ſcientis & non prohibentis, vti iam expoſuimus. Capitulum autem illud loquitur de nuda conſuetudine, ad quam non etiam accedat ille conſenſus ſaltem tacitus Superioris. Vt ſi fortè conſtaret, ipſam conſuetudinem Superiori diſplicere. Tunc enim per illam nequaquam acquiri iuriſdictio poteſt. Atque ita ad hoc Capitulum reſpondet bene Ioannes Medina q. 31. de Confeſsione, & Sotus d. 18. q. 4. art. 2.

Deinde etiam inde patet, eum, qui cùm non ſit Superior alicuius ordinarius, iuriſdictionem tamẽ habet ad audiendam confeſsionem illius, ſemper cenſeri poſſe habere ad id facultatem à Superiore ordinario. Nam vel eam iuriſdictionem obtinuit ab homine, vel à Iure, vel à Conſuetudine, vt dictum eſt. Si *ab homine*, clarum id eſt. Si à *Iure*, hoc ipſo etiam habet facultatem à Pontifice, qui eſt conditor Iuris. Si à *Conſuetudine*, hoc etiam ipſo facultatem habet ſaltem *tacitè* ab eodem Pontifice, vel etiam ab Epiſcopo & Parocho, ſcientibus & non improbantibus conſuetudinem, vt iam explicatum eſt, & exponit rectè Medina vbi ſuprà.

Quare bene à nobis initio dictum eſt, requiri iuriſdictionem, aut *ordinariam*, aut legitimè *delegatam*, ſicut etiam id generatim ita dicitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. & etiam in Florentino, in Decreto Vnionis. Iuriſdictio enim legitima, ſi non ſit ordinaria, ſemper eſt delegata à Superiore ordinario, ſaltem *tacitè*, vt expoſitum eſt.

QVOD autem hactenus diximus prædictis modis poſſe aliquem acquirere IVRISDICTIONEM, vt confeſsiones legitimè audiat, intelligi debet habere locũ, niſi per Eccleſiaſticam CENSVRAM aliquis impediatur. Et quidem ſi ſit *nominatim* denunciatus, aut manifeſtus percuſſor *Clerici*, abſolutio non valebit, niſi in articulo mortis, vt notat Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 271. & fatentur etiam alij. Aliàs autem excommunicatus, peccat quidem audiendo confeſsionem; ſed tamen abſolutio valet, vt eſt explicatum in Extrauag. Ad *euitandam.* ex Concilio Conſtantienſi.

SEXTO ac vltimò ex dictis conſequitur, integrum eſſe Summo Pontifici, & Epiſcopis, & aliis Superioribus ordinariis, quibus ea authoritas per Pontificem Summum ad Eccleſiæ vtilitatem concedatur, Ius abſolutionis à quibuſdam generibus peccatorũ ſibi RESERVARE. Patet manifeſta ratione: Quoniam inferiores Confeſſarij eatenus habent, aut non habent iuriſdictionem ad abſoluendum, quatenus iudicio Summi Paſtoris, id expedit ad bonum ipſorum fidelium, vt ſuprà ex ipſa ratione inſtitutionis Chriſti, quę tota ad vtilitatem Eccleſiæ referri debet, docuimus. Ergo poteſt etiam hæc iuriſdictio ad eum ipſum finẽ certa quadam ratione inferioribus illis miniſtris *limitari*, ſicut etiam in vniuerſum quibuſdam aut negari, aut ſubtrahi.

Atque ita in Concilio Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. & can. 11. ex orthodoxa Eccleſiæ doctrina & praxi immemoriali definitum eſt: aduerſus quam Concilij definitionẽ præter conuitia ferè & cauillationes leuiſsimas, quod opponeret Kemnitius in examine illius loci, non habuit. Fingit enim abſque vlla probatione, Chriſtum omnibus miniſtris Eccleſiæ legitimè inſtitutis & vocatis, independenter ab ipſius Eccleſiæ iudicio authoritateque dare poteſtatem ad abſoluendum quemcunque à quibuſcunque peccatis: Et tum demũ infert, Eccleſiam, cùm quoſdam caſus ſeu quædam genera peccatorum reſeruanda putat, facere in ea re contra Chriſtum. At nos ex ipſo inſtitutionis fine, qui eſt vtilitas fidelium, oſtendimus, eam authoritatem miniſterij reconciliationis nõ niſi per arbitriũ Summi Pontificis ad inferiores miniſtros deriuari debere, vt quæque oues Chriſti non niſi ab his, & eo modo, quo expedit, in Eccleſia paſcantur.

Quòd autem certa *iuriſdictio* ad hoc miniſterium requiratur (id quod ibi Kemnitius, & alij Sectarij negant) ſuprà à nobis probatũ eſt, q. 1. p. 1. & 2. & q. item 9. p. 2. Sed AMBROSII, inquit hic Kemnitius, *præclarum dictum eſt: Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos miniſter eſt exhibẽs quidem officium ſuum, nullius verò poteſtatis iura exercens.*

Hunc verò Ambroſij locum vnde ſumpſerit, non dixit Kemnitius, ne facilè inſignem ipſius fraudem & corruptelam Lector deprehendere poſsit. Recitatur enim à Magiſtro ſententiarum in 4. d. 18. & à Gratiano in Decret. d. 1. de Pœnitentia, can. 51. his verbis: *Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos eſt* IVDEX, *Sacerdos quidem ſuum officium exhibet, & nullius poteſtatis iura exercet.* Kemnitius autem pro verbis illis, *Sacerdos eſt Iudex*, falſariè more ſuo ſubſtituit illa: *Sacerdos miniſter eſt*: ne videlicet D. Ambroſius aliquam Sacerdoti *iuriſdictionem* tribuiſſe videatur, vt maximè illam quidem indicat vocabulum *Iudicis*, quod in eo loco Ambroſij vſurpatur.

Cæterùm ſuprà q. 1. p. 2. in refutatione cuiuſdam falſiſsimæ opinionis Magiſtri ſentẽtiarum reſpondimus, ex eo loco tantùm colligi, quòd non ſit ipſe Sacerdos is, qui authoritate ſua, tanquam cauſſa *principalis* peccata remittat: quòd autem tanquam inſtrumentum id re ipſa *faciat*, & quidem tanquam Iudex, non negat Ambroſius; ſed ſæpè potius contra Nouatianos aſſerit, præſertim lib. 1. de Pœnitentia, cap. 2.

Porrò ex quo loco Ambroſij ſententiam illã ſumpſerint Gratianus, & Magiſter ſententiarũ, non ſatis conſtat, niſi quòd aliquid ſimile habet lib. 2. de Cain & Abel, cap. 4. vbi hæc Ambroſij verba leguntur: *Remittuntur peccata per Dei verbum, cuius Leuites interpres & quidam executor eſt: remittuntur etiam per officium Sacerdotis, ſacrumque miniſterium.* Sed hæc verba nihil errori Sectariorum, ſed potiùs Catholicæ ſententiæ de efficacia atque authoritate huius miniſterij ad remittendum reipſa peccata patrocinantur.

Quod autem Kemnitius illic etiam obiicit, omnes Apoſtolos fuiſſe D. Petro pares, quaſi inde velit inferre, omnes etiam Sacerdotes & miniſtros iam pares eſſe, ac proinde nullos poſſe ſibi quorundam peccatorum abſolutionem *reſeruare*: id nullius momenti eſt. Primùm: Quoniam falſum eſt, omnes Apoſtolos fuiſſe authoritate *inrisdictionis* D. Petro pares: quamuis omnes fuerint *Apoſtolatus* quidem dignitate æquales, vt in diſputatione de Primatu Petri à Theologis fusè demonſtrari ſolet, & nos etiam commonuimus Tom. 3. diſput. 1. quæſt. 1. p. 7. §. 26. Deinde, ſi ea obiectio cõtra nos valeret, etiam valeret contra ipſos Sectarios miniſtros, quorum alij aliorum Superintendentes ſeu Præpoſiti vocantur, nec volunt omnes eſſe authoritate in miniſterio pares.

Qui nam autem ſint Caſus *reſeruati* Pontifici vel Epiſcopis, & quædam de hac re minutiora tractat Nauarrus in Manuali, capite 27. numero 254. & ſeq. vbi tamẽ falsò in initio ſignificat, Sacerdotibus ab ipſo Chriſto tribui iuriſdictionem, quæ tamen poſteà per authoritatem Eccleſiæ limitetur. Non enim habent iuriſdictionem, niſi ab ipſa Eccleſia, vt ſuprà docuimus.

Docet etiam Sotus in 4. diſtinct. 18. quæſtione ſecunda, articulo quinto, eiuſmodi reſeruationes non niſi iuſta ex cauſſa debere fieri: neque etiam debere peccata purè mentalia reſeruari. Item ibi meritò redarguit Durandum, qui in 4. diſtinct. 17. quæſtione 15. numero 13. negauit, Pontificem, ſeu Eccleſiam Romanam aliquos caſus quoad *culpæ* abſolutionem, ſolere ſibi directè reſeruare; ſed tantùm quoad abſolutionem à *Cenſuris* quibuſdam. Contrarium enim habuit & habet Eccleſiæ praxis, vt facilè ibi oſtendit

Sotus.

PVNCTVM TERTIVM.

An, & quando teneatur etiam alterius Confeſſionem excipere is Sacerdos, qui legitimè alioqui eã poteſt excipere.

Ad art. 1. D. Thom.

VIDENDVM eſt, an is Sacerdos, qui poteſt confeſsionem alicuius pœnitentis legitimè excipere, toties etiam *teneatur* id facere, quoties ipſe pœnitens vuult illi confiteri. Et eſt inprimis ſententia communis, eum, qui non eſt proprius Confeſſarius, cui ſcilicet ex *officio* id incumbat, ſed *delegatus*, non eſſe eiuſmodi lege obligatum.

De proprio autem *parocho* diuerſæ ſunt ſentẽtiæ Doctorum. Nam Richardus in 4. d. 18. art. 2. q. 3. putat, ſolùm teneri, quando pœnitens ipſe vel iure *diuino*, vt in articulo mortis, vel iure *Eccleſiaſtico*, vt ſemel in anno, confiteri tenetur. Quam ſententiã ſequitur Syluester, Verbo Cõfeſſor 1. numero 14. & Ioannes Medina in Tractatu de Confeſsione, quæſtione 37. Nam nequè ex charitate, neq; ex officio ſuo videtur proprius Parochus ad audiendam confeſsionem ſubditi extra illud tempus neceſsitatis obligari. Nõ ex *charitate*: quia tunc alius etiam, qui non eſſet Confeſſarius proprius, teneretur ſimiliter extra eiuſmodi caſus audire pœnitentem; quod tamen communiter negatur. Et conſequentia patet: Quoniam lege charitatis omnes ſimiliter obligati ſunt. Nec etiam ex proprio *officio*: quoniam huic abundè videtur aliquis ſatisfacere, ſi quod Ius & Superiores præſcribunt, præſtet, & in propoſito aliud non eſt, inquit Medina, quàm vt audiat Parochus confeſsionem ſubditi in illis caſibus neceſsitatis.

Altera verò ſententia, quam ipſe magis probo, eſt Adriani in 4. q. 5. de Confeſsione, dub. 8. & Soti d. 18. q. 4. art. 2. qui cenſent, debere Parochum toties audire confeſsionem ſubditi, quoties ſubditus ipſe ex *iuſta* & honeſta cauſſa confiteri vult. Fundamentum huius ſententiæ eſt: quia cùm adminiſtratio Sacramentorum ſit actus quidam principalis in officio Paſtoris; hac quaſi lege & pacto tacito populus cenſetur ſtipendium dare Paſtori, vt Sacramenta adminiſtret, quoties id fuerit ſubditis non modò neceſſarium ſimpliciter, ſed etiam *ſalutare*, ſeruata in hoc quidem ex parte ſubditorũ honeſta quadam moderatione diſcretionis, ne nimis videantur importuni.

Atque id ſanè fundamentum huius ſententię confirmari poteſt ex ipſo ſenſu Chriſtiani populi. Communiter enim putant fideles, iniuriam ſibi fieri à proprio Paſtore, ſi abſque iuſta cauſſa ille renuat excipere ipſorum confeſsiones. Item

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam putãt Iure ſuo vti, cùm à Paſtore proprio Sacramentum ſibi adminiſtrari poſtulãt. Quòd ſi illi ad hoc Ius habent, vt concedit etiam Ioannes Medina: certè non niſi iniuria Paſtor id illis officium negabit.

Nec ſatis huic argumento facit Medina, cùm reſpondet, habere quidem illos ius; ſed non ita, vt poſsint cogere. Si enim intelligat, non poſſe ita cogere, vt poteſt Superior, cum quadam authoritate; hoc planè nihil intereſt. Si autem vult, non poſſe eatenus cogere, vt niſi illorũ petitioni Paſtor ſatis faciat, peccet contra ſuum officium; falsò negat, poſſe eos ſic cogere ſuum Paſtorem. Immò poſſunt certè hoc ipſo, quòd iure ab illo petunt Sacramentum ſibi adminiſtrari: alioqui ſi eos iure id petere, nihil aliud ſit, quàm licitè & honeſtè petere; ſequeretur, eodem modo iure ſuo vti, qui Sacramentum petit à miniſtro non ſuo, vt v. g. à Religioſo, atque ſi peteret à proprio Parocho extra tempus neceſsitatis: quod tamen nemo facilè conceſſerit. Et Sequela patet: quoniam etiam à Religioſo, qui ad id habeat facultatem, poteſt honeſtè & licitè Sacramentum peti. Illa igitur poſterior ſententia probabilior eſt.

Ad fundamentum autem contrariæ ſententiæ reſpondeo, teneri ad id Parochum ex *officio proprio*, vt iam dictũ eſt. Et cùm contra hoc obiicit Medina, nec ius, nec Superiores Parochum ad id obligare, petit principiũ. Hoc enim ipſo, quòd rario officij à Parocho id poſtulat, *iure* ad id ille obligatur. Quòd ſi iuſta de cauſſa Parochus impeditur, quò minus audire confeſsionem ſubditi poſsit, excuſatus erit à peccato. Nec tamen hoc ipſo ſolùm, quòd ille tũc non audiat, cẽſendus erit ſubditus habere facultatem confitendi alieno, vt falsò Richardus vbi ſuprà docuit; ſed requiritur ad id licentia proprij, vt Sotus, & Adrianus cõtra Richardum probant, vel expreſſa, vel certè *tacita*, per talem ratihabitionem, qualem ſuprà ex ſententia Victoriæ, & Ioannis Medinæ, ſufficere in hoc genere docuimus.

PVNCTVM QVARTVM.

Quem tandem modum Confeſſarius in adminiſtrando ſuo munere, ſeruare debeat.

Ad art. 7. D. Thom.

SI in ſpecie quæratur, quid Confeſſario, & quo modo, in audiendis Confeſsionibus faciendum ſit, integro, vel potiùs integris libris opus erit. Maxima enim pars earum rerum, quæ in Theologia tractantur, huc pertinet. Et ſunt notata quædam magis propriè ad eam rem ſpectantia, à Nauarro in Manuali, cap. 5. & 10. & 26. & etiam 27. ſub finem.

Generatim autem pro inſtituto noſtro illud hîc notandum eſt, ita ſe gerere Confeſſarium in hoc miniſterio debere, vt non ſolùm *ipſe* bene ac legitimè præſtet quod propriè eſt ſuarum partium, ſed etiam *pœnitentem*, quantum opus erit, adiuuet, vt & is quoque bene faciat, quod eſt ſui muneris. Vtriuſque enim officium neceſſarium eſt ad ipſius Sacramenti finem, quem ſpectare inprimis debet, qui illud adminiſtrat.

Cùm autem tres eſſe debeant actiones pœnitentis, nempe Confeſsio, Dolor, & Satisfactio; ad omnes illas rectè obeundas dirigere & adiuuare ipſum debet Confeſſarius. Ad *Confeſsionem*; inquirendo quæ putauerit opus eſſe circa *circumſtantias* peccatorum, de quibus ſuo loco dicetur, aut etiam circa ipſa *peccata* abſolutè, ſi nõ ſatis per ſe paratus accedere pœnitens videatur. In qua re magna prudẽtia vtendũ eſt, vt ne quid minus aut amplius inquiratur, quàm vel ipſa res, vel ſtatus ſeu conditio perſonæ poſtulare videtur.

Ad *dolorem* autem incitabit, ea proponendo, quæ vel timorem, vel amorem Dei, vnde dolor oriatur, commouere poſsint. Ad *Satisfactionem*; eam pœnitentiam iniungendo, quæ iuſta quadã proportione, idque ſecundùm conſuetum in Eccleſia morem, culpæ reſpondere videatur; conſiderata tamen & doloris quantitate, & Cõfeſsionis pudore, atque etiam ipſa efficacia abſolutionis: Quibus omnibus aliquid de pœna debita remittitur. Itaque meritò in pœnitentia iniungenda, ad hæc etiam attendendũ eſt, ſicut rectè D. Thomas hîc articulo 7. monet. Præterea prouidere debet Confeſſarius, vt non *pœne* modò, ſed etiam *remedij* & medicinæ rationem pœnitentia iniuncta habeat, quò poſsit pœnitẽs cauere deinceps peccata. Quam ad rem quibuſcunque poterit admonitionibus atque conſiliis, debebit ipſum tanquam bonus ac prudens Medicus adiuuare.

De quibus omnibus rebus, atque *in ſumma* de ipſo munere Confeſſarij in genere, maximè vtilia documenta & optima methodo, à Ioanne Polãco in Directorio Cõfeſſariorũ, tradita ſunt. Quare ſatis nobis hoc loco fuerit in genere de iis admonuiſſe; præſertim cùm infrà commodiori loco de modo iniungendæ & acceptãdæ pœnitentiæ, dicendum ſit, cùm agemus de Satisfactione, quæ eſt tertia pars Pœnitentiæ.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Confeſſionis Qualitate.

Supplem. D. Thom. quæſt. 9.

AD TRIA PVNCTA PRINCIPALIA REVOCARI POSSVNT omnia, quæ hac de re copioſè diſputari ſolent. PRIMVM eſt, Qualem, ſeu quibus conditionibus præditam oporteat eſſe Sacramentalem Confeſsionem. SECVNDVM eſt, Vtrum euenire poſsit, vt Sacramentalis Confeſsio, quantumuis omnibus ſuis neceſſariis conditionibus prædita; careat tamen fructu, hoc eſt, fruſtretur effectu ſuo, qui eſt Gratia, ſitque adeò informis, vt appellant Doctores. TERTIVM eſt, Virum aliquando ſit neceſſarium, Confeſsionem eam, cui nulla Qualitas requiſita defuerit, iterare; vel quando omnino Confeſsio ſemel facta neceſſariò repetenda ſit.

PVNCTVM PRIMVM.

Qualem, ſeu quibus conditionibus præditam oporteat eſſe Sacramentalem Confeſsionem.

D. Thom. art. 2, 3. & 4.

COMMVNITER DOCENT Doctores, Confeſsionem *ſexdecim* conditiones habere debere, quas Albertus Magnus in 4. diſtinct. 17. articulo 36. & hîc etiam D. Thomas articulo 4. & alij communiter quatuor illis Verſibus comprehenſas referunt.

Sit ſimplex, humilis, Confeſsio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Cùm autem variè à variis authoribus quædam iſtarum conditionum exponantur, mihi nullus videtur earum omnium rationem commodiùs explicare, quàm ipſe D. Thomas hîc articulo quarto, qui articulus ex eiuſdem D. Thomæ ſcriptis in 4. ſentent. diſtinct. 17. quæſtione tertia, articulo quarto, deſumptus eſt. Summa autem eſt, duas quidem conditiones ex illis, nempe vt Confeſsio & *frequenter*, & *celeriter*, hoc eſt, ſtatim poſt commiſſum peccatum fiat, requiri quidem, vt Confeſsio maiorem laudem habeat, & vt ſit vtilior, non tamen requiri neceſsariò. Ex reliquis autem quatuordecim conditionibus, nullam eſſe omnino, quæ non ſit Confeſsioni neceſsaria ſecundùm aliquam rationem ex quatuor, quæ in Confeſsione conſiderari poſſunt. Videlicet aut quatenus eſt illa actus *Virtutis*, in genere cogitando Virtutem: aut quatenus eſt actus determinatæ Virtutis in ſpecie, nimirum *Pœnitentiæ*: aut quatenus eſt in indiuiduo *talis actus* Virtutis Pœnitentiæ, qui ſcilicet conſiſtit in manifeſtatione peccatorum: aut denique quatenus ſecundùm eam ipſam indiuiduam rationem ſuã eſt *pars* Sacramenti Pœnitentiæ.

Secundùm primam rationem, nempe vt Cõfeſsio eſt actus VIRTVTIS, requirit quatuor conditiones ex illis quatuordecim: videlicet vt & *diſcretè*, hoc eſt, ſcienter; & *libenter*, hoc eſt, ex electione quadam voluntatis; & *purè*, hoc eſt, propter bonum finem; & *fortiter* ſeu immobiliter, hoc eſt, non obſtante verecundia, vel vlla alia difficultate, confitearis. Quas conditiones quatuor Philoſopus etiam 2. Ethic. capite quarto, docuit eſſe neceſsarias in omni actu Virtutis.

Vt autem eadem Confeſsio eſt actus Virtutis PŒNITENTIÆ, neceſsariæ ſunt tres aliæ conditiones ex illis; nempe vt & *verecundè*, hoc eſt, ex aliquali horrore turpitudinis peccati; & *lachrymabiliter*, hoc eſt, cum dolore (ſaltem interno, qui lachrymis ſignificari ſolet, quamuis illæ quidem neceſsariæ ſimpliciter nõ ſint) & *humiliter*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

militer, hoc est, cum quadam depressione & abiectione sui, aliquis confiteatur.

Vt autem est *talis* actus pœnitentiæ, videlicet peccatorum MANIFESTATIO, requirit item alias conditiones quatuor ex illis; nempe vt & *fideliter*, hoc est, verè; & *nudè*, hoc est, ita apertè, vt intelligi possit ipsa ratio peccatorum; & *simpliciter*, hoc est, absque impertinenti multiloquio, quod rem inuoluat & obruat, ne à Sacerdote notari atque animaduerti possit; & *integrè*, hoc est, nulla mortali culpa celata, confitearis.

Vt autem est PARS Sacramenti, sic quidem necessariæ sunt aliæ tres conditiones, quæ sunt iam reliquæ ex illis quatuordecim: nempe vt talis Confessio sit *accusans*, hoc est, vt non quasi historiam aut fabulam narres, sed cum detestatione aliqua, teque profitearis reum in illo foro esse; & *parere parata*, vt scilicet velis sententiæ Sacerdotis stare; & *secreta*, vt non imprudenter, ac sine necessitate aliis etiam audientibus peccata tua prodas.

PORRO antequam sigillatim de quibusdam istarum conditionum eą disputemus, quæ tractari potissimùm hoc loco à Doctoribus solent, quatuor sunt in communi de tota ista ratione conditionum annotanda. PRIMVM est. Cùm D. Thomas inter illas conditiones modo, quo dictum est, distinguit, & alias atque alias secundùm aliam & aliam rationem ex illis quatuor, quæ Confessioni conueniunt, necessarias eidem Confessioni esse dicit, minimè negare vult, quin re quidem ipsa pleræque conditiones, quæ secundùm vnam rationem necessariæ Confessioni sunt, sint etiam eidem necessariæ secundùm rationes alias. Est enim quælibet ferè illarum conditionum Confessioni necessaria, secùdùm quamlibet quoque rationem ex illis quatuor, vt rem animaduertenti erit perspicuum. Sed distinguit tamen D. Thomas ordinis atque doctrinæ caussâ rationes formales illarum conditionum, & alias atque alias ad aliam & aliam rationem ex illis quatuor, quæ in Confessione considerantur, aptè & propriè accommodat.

SECVNDVM est. Quamuis illæ iam enumeratæ conditiones omnino requirantur, vt Confessioni conueniant omnes illæ quatuor rationes, quas etiam in ea distinximus; tamen ad propositum nostrum maximè eæ conditiones spectant, quæ Confessioni necessariæ sunt, vt verè habeat tertiam, & quartam rationem ex illis, hoc est, vt verè sit & peccatorum *manifestatio*, & eatenus *pars* Sacramenti Pœnitentiæ.

Inquirimus enim potissimùm eas conditiones, seu qualitates Confessionis, quæ necessariæ sunt & sufficiunt, vt confessio sit talis, qualis esse debet, vt per eam adimpleamus *præceptum* ipsum diuinum & Ecclesiasticum de *Confessione* facienda. Hoc autem speciale præceptum eo ipso adimplemus, quòd Confessionem facimus, quæ sit talis manifestatio peccati, qualis est illa, quæ verè est *pars* Sacramenti: siue hic quidem actus Confessionis sit actus elicitus à Virtute, atque adeò etiam à Virtute Pœnitentiæ, siue non sit. Nam, vt per alia præcepta specialia, ita etiam per hoc actus ipse secundùm suam *substantiam*, non autem *modus* actus (vt scilicet procedat ex Virtute) præcipitur, sicut rectè Sotus d. 18. q. 3. art. 3. ad hoc propositum animaduertit.

Itaque vt non censeretur transgressor præcepti de ieiunio verbi gratia, qui ieiunat quidem, quando iubetur, sed ieiunat tamen propter vanam gloriam, atque adeò non ex virtute: sic neque censeri debet non implere præceptum Cõfessionis, qui confitetur quidem peccata sua mortalia integrè, vt debet; sed hoc facit tamen propter aliquam vanam gloriam, in qua sit culpa venialis, atque adeò non ex ipsa virtute Pœnitentiæ. Et dico, in qua esset culpa *venialis*: Nam si de industria quis in Cõfessione peccaret mortaliter, tum quidẽ aliundè fieret, vt ea Cõfessione præceptum de cõfitendo non adimpleretur, scilicet quia non illud etiam peccatum talis cõfiteretur, vel certè non vero dolore & proposito illud confiteretur: quandoquidem, vt supponimus, vellet illud nihilominus tum committere.

Ex hac igitur explicatione patet, conditionem illam quidem *puræ intentionis*, quam Diuus Thomas numerat inter necessarias, vt Confessio sit actus Virtutis; non esse necessariam, vt per Confessionem adimpleamus cõfitendi præceptum. Aliæ autem conditiones, quas præterea dicit requiri, vt & Virtutis, & Virtutis Pœnitentiæ actus Confessio sit, eatenus sunt quidem necessariæ ad præceptum Confessionis implendum, quatenus etiam *reipsa* necessariæ sunt vt Confessio sit *talis manifestatio* peccatorum, qualem esse oportet vt sit *pars* Sacramenti Pœnitentiæ, quemadmodum facilè patebit rem attentè consideranti.

TERTIVM, quod notare oportet, est, pleraſque ex illis conditionibus ita diuersam aliquo modo rationem habere, vt tamen sint ferè inter se connexæ, aliæque ad alias reuocari possint. Exempli caussa. Si Confessio sit verè *accusans*; hoc ipso, quod ad rem quidem attinet, erit *humilis & lachrymabilis & fortis*, eo modo & ratione, qua exposuimus has conditiones in Confessione debere inesse. Ac similiter idem dici potest de plerisque conditionibus aliis, vt animaduertenti patebit. Ex quo profecto sequitur, potuisse conditiones omnes necessarias minori numero comprehendi, nisi quòd

quòd non inutiliter maioris explicationis gratia dilatantur quandoque huiusmodi res à Doctoribus.

QVARTVM est: Sicut ipsæ conditiones non nisi ratione quadam inter se differunt, & ferè inseparabiles sunt; ita etiam ab ipsa *substantia* seu essentia veræ Confessionis Sacramentalis, non nisi ratione tantùm distingui, esseque cum illa, quod ad rem attinet, sic connexas, vt si *vera Confessio Sacramentalis* sit (saltem respectu peccatorum mortalium) eo ipso conditiones illas omnes necessarias habeat. Sin autem careat aliqua conditione ex illis, hoc ipso non sit verè Cõfessio Sacramentalis. Vbi tamen illa conditio *Secreti* excipi debet, sine qua potest quidem vera Confessio Sacramentalis fieri, & licitè etiam fieri in quibusdam Casibus, de quibus postea dicemus.

Patet autem hoc, quod quartò notauimus, ex ipsa ratione Sacramentalis Confessionis, quã suprà quæstione nona, constituimus. Est enim *manifestatio peccatorum facta Sacerdoti, ad obtinendam veniam beneficio Clauium*. Cuius descriptionis ea est vis, vt nisi habeat illa manifestatio rationem cuiusdam *accusationis* sui, & fiat *integrè* omnium peccatorum mortalium, & cum aliquo, saltem implicito *proposito* parendi sententiæ Sacerdotis, & denique sit prædita reliquis conditionibus, quæ cum iis sunt connexæ, minimè censeri possit Confessio Sacramentalis. Non enim esset alioqui apta secundùm rationem suam ad impetrandam, Clauium beneficio, veniam: id quod est de essentia Sacramentalis Confessionis.

NVNC ita in communi exposita ratione totà illarum conditionum, reliquum est, vt iam ordine explicemus ea, quæ de quibusdam illarum propriè hoc loco disputari solent. Sunt autem eiusmodi conditiones, quæ disputationem propriam requirunt, tres; nempe Fidelitas, Integritas (ad quam etiam pertinet, vt Confessio sit aperta & nuda) & Secretum. Nam de conditione Doloris, quæ dicenda erant, superiùs, cùm de Contritione ageremus tractata sunt.

Quomodo Confessio debeat esse fidelis, & integra.

CIRCA conditionem igitur FIDELITATIS, nonnulla disputatio est, Vtrum mentiri in Confessione, semper sit peccatum *mortale*? Nam Caietano 2. 2. quæst. 69. art. 1. ad 3. ita visum est. Quinimò quodcunque mendacium, non solùm in hoc interno conscientiæ foro, sed etiam in foro externo dictum, censet esse mortale. Fundamentum eius est: Quia grauis iniuria esse videtur, decipere, quantum est in se, ea ratione Iudicem. Item, quia contra Religionis Virtutem, quæ in vsu Sacramenti exercetur, nullum videtur admitti peccatum posse, quod leue sit.

SED contraria sententia, quam asserit Nauarrus in Manuali, capite 21. numero 37. & Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 2. articulo quarto, & alij communiter, est tenenda: nempe mendacium in Confessione non esse mortale, nisi cùm est circa materiam *necessariã* Confessionis, qualis est sanè peccatum mortale, quod aliàs non sis confessus: itemque illud peccatũ veniale, quod solum confitearis: puta, si diceres tantùm in Confessione vnicum peccatum veniale, quod ipsum tamen non commisisses. Tunc enim, vt rectè notauit Nauarrus, mortaliter peccares mentiendo; non ideo propriè, quia in Confessione mentireris; sed quia nullam in vniuersum subiiceres absolutioni Sacerdotali veram materiam. Quod est Sacrilegium magnum, aduersus ipsam Religionem Sacramenti.

Fundamentum autem huius posterioris sententiæ est: quia vt in aliis materiis, ita etiam in materia *Religionis* atque *Iudicij*, seu externi, seu interni, rei paruitas excusat à mortali peccato, vt rectè notat Sotus loco citato, & nos etiam latiùs disputauimus aduersus Caietanum tomo tertio, disputatione quinta, quæstione 13. puncto primo.

De INTEGRITATE autem Cõfessionis prolixior disputatio est: quam nos tamen breuiter, quoad eius fieri poterit, aliquot Assertionibus complectemur. PRIMA Assertio sit. Necesse est omnia peccata mortalia secundùm speciem & numerum confiteri, quæ post diligentẽ conscientiæ examinationem memoriæ occurrant. De hac Assertione non est vlla controuersia apud Catholicos. Contra Sectarios autem iam suprà quæstione 9. puncto secundo, satis probata est; tum ex vi institutionis huius Sacramenti; tum etiam testimonio & vsu totius antiquitatis. Atque ita definitum est in Concilio Florentino, in Decreto Vnionis, & in Tridentino sess. 14. capite 5. & can. 7. Cùm enim ibi dicitur, *omnia peccata mortalia, quæ post diligentem sui discussionem* memoriæ occurrunt, esse confitenda; de omnibus est sermo simpliciter, atque adeò secundùm *speciem & numerum*, sicut in specie videlicet & numero commissa sunt. Quod ipsum vt magis declararetur, additum est in dicto canone septimo, confitenda etiam *singula* esse. Alioqui nisi omnia etiam quoad *numerum* exponantur, non satis erit Sacerdoti conscientia pœnitentis cognita: quod tamen ipsa ratio huius ministerij postulat, cùm sit institutum in quadam forma *Iudicij*, vt suprà ex institutione probatum est, quæstione nona, puncto secundo.

SED vt vis tota huius Assertionis, quam etiam confirmat hic Diuus Thomas articulo secundo, intelligatur; quædam sunt hic notanda. PRIMO, *diligentem* conscientiæ examinationem eam in proposito censeri, quæ spectata conditione personæ, iudicio prudentis videri

posit sufficiens, vt omnia peccata in memoriam reuocentur, quemadmodum ex communi doctrina notat Nauarrus in Manuali, capite 9. numero 13. & Canus in Relectione de Pœnitentia p. 6. & Sotus distinct. 18. quæstione 2. art. 4. ad 3.

Quo loco rectè tamẽ addit Nauarrus, attendendam in hoc etiam esse *voluntatem* ipsius pœnitentis, si nimirum is velit etiam à Confessario interrogari. Nam eiusmodi interrogatio Confessarij magnam partem necessariæ diligentiæ potest supplere, vt inquit Nauarrus. Quãquam si causſa peculiaris aliud non postularet (qualis esset periculum mortis, scandalum, vel etiam ruditas personæ, aut quid simile) pœnitentem, qui sufficienter paratus non venisset, dimittere deberet Confessarius, vt se ipse præpararet, & posteà rediret, sicut notat ibi Nauarrus ex sententia Hadriani.

Quod tamẽ non puto ab iis Doctoribus præcipi, tanquam simpliciter necessarium. Nam si Confessarius vltrò velit subire illum laborem iuuandi suis interrogationibus pœnitentem, vt conscientiam examinet; non dubium est, quin etiam eo modo satisfaciat pœnitẽs obligationi, qua tenetur commemorare peccata. Eatenus enim is examinare ac discutere conscientiam tenetur, quia confiteri certè peccata sua debet. Quare omnis ille modus examinandi conscientiam sufficiet, qui sit aptus, vt quis possit peccata in memoriam reuocare; siue id faciat ipse per se, siue adiutus alterius operâ; siue antequã veniat ad Confessionem, siue post.

SECVNDO est notandum circa eandem Assertionem, cùm latè pateat diligentia, quæ *iudicio prudentis* videri possit sufficiens, non requiri, vt sit *summa*, aut *admodum magna*; sed satis erit, eo tempore, quo fieri Confessio debet, *mediocrem* diligentiam adhibere: quod fit, cùm aliquis, quantum decet & commodè potest, considerat res à se actas, notatis etiam temporibus, locis, atque personis cum quibus egit, si id conditio ipsius pœnitentis, & tempus, quod ab vltima fluxit confessione, postulare videatur. Ita rectè Sotus, & Canus locis citatis notant.

Vnde sequitur, non esse aliquem obligatum ad scribendum peccata statim, atque illa committit, etiamsi vereretur futurum, vt postea memoria excidant, quemadmodum rectè asserunt iidem Doctores, atque etiam Franciscus Victoria quæstione 161. de Sacramentis: Sicut nec teneris propter eiusmodi obliuionis periculum statim confiteri, vt suprà ex sententia communiori docuimus quæstione nona, puncto quarto. Esset enim onus propè intolerabile, homines ad diligentiam vsque adeò magnam, quò peccata omnia confiteri possint, obligare: nec iam semel tantùm in anno, sed frequentissimè (quod est absurdum) teneretur quilibet confiteri, inquit rectè Canus, cùm nemo ferè sit, præsertim homo mundanus, qui intra annum non subinde aliquorum peccatorum, saltem quoad numerum, obliuiscatur.

Itaque quamuis absolutè quidẽ tenetur quilibet omnia peccata mortalia confiteri (vnde consequitur, teneri quoque omnia inquirere, examinando conscientiam, vt in Concilio Tridentino sess. 14. capite septimo, dicitur) tamen non tenetur certè confiteri omnia cum tam exquisita diligentia, vt statim illa scribere debeat, aut statim confiteri, ne obliuiscatur: Sed satis fuerit, confiteri illa omnia, quæ post *mediocrem* diligentiam adhibitam ad commemorandum omnia, quando tempus ipsum necessariò confitendi instat, occurrerint memoriæ. Quo pacto intelligi debet illud, quod in dicta q. 9. circa hãc rem diximus.

Quæ autem peccata mediocri diligentia adhibita, nihilominus quis obliuiscitur; ea simul cum aliis per eandem absolutionem quasi *indirectè* remittuntur, vt notant communiter Doctores, & in Concilio Tridentino sess. 14. capite quarto, explicatum est; ita tamen, vt posteaquam rursus in memoriam venerint, tenearis illa confiteri, tunc certè, cùm rursus Confessio *necessariò* facienda est.

TERTIO notandum est; quod dicimus, omnia peccata, etiam quoad *numerum*, aperienda esse, intelligi debere, quoad fieri hoc potest; ita scilicet, vt plus minus verisimiliter exprimas numerum. Vt verbi gratia si dicas, peieraui vicies plus minus. Quòd si, cùm ita dixisti, posteà recorderis, te bis, verbi gratia, & vicies peieraſſe, non est opus, id ampliùs in confessione exprimere. Nam hoc ipso confessus id es, quòd dixisti, te peieraſſe vicies plus minus, vt rectè notat Sotus vbi suprà, & alij. Secus, si valde notabiliter maioris numeri posteà recordareris, vt idem Sotus rectè monuit.

Si verò quispiam, ne quidem plus minus possit verisimiliter commemorare determinatum numerum; notat Nauarrus in Manuali, capite sexto, numero 14. & Sotus loco citato, & alij Doctores, tum quidem sufficere, vt explicet tempus *consuetudinis* peccandi, exponẽdo simul, quàm sæpè plus minus quotidie, aut per hebdomadam, vel mensem deliquerit. Quin etiam satis quibusdam erit explicare vitæ statũ & tempus, quo in illo perseuerauerint. Vt si meretrix dicat, se per annum prostitutam omnibus fuisse, &c. aut Concubinarius tamdiu se in concubinatu vixisse, vt ex communi sententia notat Nauarrus in dicto capite 6. numero 15. & Sotus vbi suprà.

SECVNDA Assertio. Vt Confessio sit integra, omnes illas peccatorum mortalium *circumstantias* oportet quoque explicare, quæ mutant vel addunt in peccato peculiarem culpæ speciem: vt circumstantiam verbi gratia loci sacri in furto, ex qua exsistit etiam in illo culpa Sacrilegij. De hac Assertione nulla apud Orthodoxos controuersia est: estq; in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. & can. 7. definita. Et patet: quoniam perinde est committere peccatum cum circumstantia, quæ cõtineat peculiarem peccati *speciem*, atque committere diuersa peccata specie. Sed peccata diuersa specie necessariò in Confessione aperienda sunt, vt Sacerdos sufficienter cognoscat conscientiam pœnitentis, sicut suprà q. 9. p. 2. probatum est. Ergo etiam illæ peccatorum circumstantiæ, quę continent ipsæ peculiarem speciem.

Hoc autem de circumstantiis quidem, quæ mutant vel addunt speciem peculiarẽ in genere *moris*, non in genere naturæ seu physico, intelligendum est, vt sine controuersia notauit Sotus distinct. 18. quæstione 2. articulo quarto. Itaque non necesse est, vt explices, vtrum per astra v. g. vel per somnia *diuinaueris*, vt etiam notauit Caietanus Tom. 1. opuscul. Tract. 18. quæst. 3. de Confessione. Nam in genere quidem *moris* vtrumque peccatum diuinationis est eiusdem speciei, licet differentia sit in genere naturæ: & sic de aliis.

Notat autem Sotus in dicto art. 4. circumstãtiam *Virginitatis* in concupiscentia quidem *interiori*, non esse talem, quæ sit necessariò confitenda. Sed contrarium sensit Nauarrus in Manuali, cap. 6. num. 7. sub finem; cuius opinio mihi videtur probabilior, loquendo saltem de Virginitate puellæ sub cura parentum constitutæ: quo pacto circumstantia Virginitatis trahit peccatũ Luxurię ad aliam Intemperantiæ speciem, nempe Stupri, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæstione 154. articulo sexto, & ibi ostendit Caietanus.

Circumstantia autem *temporis sacri* non mutat speciem peccati, vt rectè Sotus d. 18. q. 2. art. 4. & Nauarrus in Manuali, cap. 6. num. 9. asserunt. Neque etiam *loci sacri* circumstantia, nisi in iis peccatis, quæ expresè prohibita sunt ibi fieri speciali præcepto, pertinente ad virtutem Religionis. Quare si eiusmodi peccata, vt *furtum* v. g. solo consensu interiori committantur in loco sacro, non addet illis ea loci circumstantia specialem speciem Sacrilegij: quoniam solus actus ipse *externus* speciali Ecclesiæ *præcepto* in loco sacro prohibetur in materia quorũdam peccatorum. Ita Nauarrus in dicto capite sexto, numero 10.

Quanquam Ioannes Medina q. 9. de Confessione, contrarium senserit, nempe loci circumstantiam in actu etiam interiori mutare speciẽ, & esse necessariò confitendam. Cæterùm falsò, & absque fundamento id asserit: sicut etiam falsum est, quod dicit, si quis peccet *contra conscientiam*, hoc est, sciens se malè facere, mutare hanc circumstantiam speciem, & necessariò esse confitendam. Non enim id explicandum est, nisi quando *ob id solùm* aliquis peccat, quòd facit cõtra cõscientiam, qua ipse videlicet ex errore putet se peccare in aliqua re, vt rectè hoc etiam à Nauarro in dicto cap. 6. notatum est.

Atque vt generatim rem totam complectar, tunc solùm in vniuersum circumstantia mutat seu addit *speciem*, estque necessariò confitenda, vt talis, quando per se ipsa aduersatur alicui speciali præcepto, quod ad specialem aliam Virtutem pertineat. Vt patet in illo exemplo furti in loco sacro commissi, quod pugnat etiam cum speciali *præcepto* de euitando *Religionis* causſa in eo loco tale peccatum.

Iam verò siquis peccatum ipsum confessus, circumstantiam specialem, quæ erat necessariò confitenda, oblitus fuit dicere, non tenebitur posteà peccatum etiam ipsum iterum confiteri, sed satis erit confiteri solam circumstantiam. Vt si iurauerat aliquis v. g. se non percussurum, & posteà percusſit; idque feciſſe confessus est, sed oblitus est dicere, quòd fecerit contra Iuramẽtum; satis erit, si alia vice confiteatur in genere, se aliquid mali commisisse, quod iurauerat, se non facturum, vt rectè notauit Nauarrus in dicto cap. 6. num. 20.

TERTIA Assertio. E contrario etiam, si quæ circumstantiæ sunt eiusmodi, vt actus principalis, qui alioqui esset mortale peccatum, propter illas desinat esse tale; necessariò etiam aperiendæ in confessione sunt, posito quidem, quòd actum ipsum principalem dixeris. Vt si constitutus in extrema necessitate verbi gratia, rem alienam surripuisti; tunc quidem si te illam abstuliſſe dicis, necesse etiam est explices, te id feciſſe compulsum extrema necessitate: alioqui Sacerdotẽ in re graui deciperes, vt qui putaret, te mortaliter peccauisse, cùm tamen illa te circumstantia necessitatis à peccato excusauerit. Ita ex communi sententia notat Sotus in dicta quæstione secunda, articulo quarto. Dixi autem in Assertione, debere eiusmodi circumstantias aperiri, *posito*, quòd actum ipsum principalem patefacias: nam absolutè quidem posses tacere vtrumque, posteaquã in eiusmodi actibus nullum est peccatum mortale.

QVARTA Assertio. Circumstantiæ peccati, quæ vel nihil attinẽt ad genus ipsum morale; vel in eo quidem genere nõ mutant aut addunt peculiarem *speciem*; neque etiam *notabiliter* peccatum in eadem specie aggrauant; aut certè tales sunt, quæ communiter coniunctæ esse soleant cum actu ipso principali: Eiusmodi, inquam, circumstantiæ, non sunt necessariò confitendæ. Hæc Assertio nullam controuersiam apud Doctores habet. Constat enim, non oportere explicare, vtrum gladio vel lapide occideris: vtrũ aliquantulò plùs in delectatione *morosa* perseueraueris: vtrum occisurus aliquem prius fue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris odio & iracundia erga illum commotus: vtrum libidinosè allocutus sis aut attigeris mulierem, cum qua peccasti; & similes circumstantias, quæ ordinariè solent cum actu ipso principali coniungi.

Vbi tamen rectè notat Nauarrus in Manuali, capite sexto, numero 17. & 18. tot numero peccata committi in huiusmodi generibus, quoties aliquis repetit voluntatem aliquod scelus patrandi, posteaquam illam interruperat per pœnitentiam, aut mutationem consilij, aut actionem aliam ad destinatum facinus impertinentem: ac proinde debere verisimiliter plus minus exponere, quoties illa interruptio acciderit. Alioqui si continenter aliquo tempore absq; eiusmodi interruptionibus quis habeat plures actus eiusmodi malæ voluntatis, totum reputatur vnicum peccatum, saltem quod ad faciendā confessionem attinet.

QVINTA Assertio. Circumstantias, quæ non addunt, vel mutāt speciem peccati peculiarem, etiamsi *notabiliter* intra eandem speciem peccatum aggrauent, non est necessarium confiteri: licet id quidem bonum atque consultum sit. Ita sensit Diuus Thomas in 4. distinct. 16. quæstione tertia, articulo secundo, quæstiuncula 5. Bonauentura distinct. 17. articulo secundo, quæstione vltima, Scotus eadem distinct. quæstione prima, articulo secundo, Richardus eadem distinct. articulo tertio, quæstione quinta, Durandus distinct. 16. quæstione quarta, Adrianus iti 4. in materia de Confessione, quæstione quarta, concl. 2. Ioannes Medina quæstione septima, de Confessione, Nauarrus in manuali, capite 6. numero 7. Et denique est communis sententia Doctorum, vt eam ibi Nauarrus appellat, & Victoria quæstione 176. de Sacramentis, & Sotus etiam distinct. 18. quæstione secunda, articulo quarto, dicit esse ferè communem. Quamuis ipse quidē contrariam sententiam sequitur (nempe notabiliter aggrauantes intra eandem speciē necessariò esse confitēdas) quæ sententia fuit Altisiodorensis libro quarto suæ summæ, in materia de Confessione capite tertio, quæstione tertia, & Alexandri Hall. 4. p. quæst. 77. membr. 3. articulo secundo, §. 2. & Marsilij in 4. quæst. 12. articulo 1. Ego verò sententiam illam communem probabiliorem esse puto, & prorsus talem, cui nemo magnoperè contradicturus sit, modò & rectè illa intelligatur, & quædā ab eadem exceptiones fiant.

Inprimis enim oportet hanc Assertionem intelligere de circumstantiis, quæ verè sint *circumstantiæ*, & accidentaliter quasi se habeant ad ipsum peccatum, non modò secundùm suam speciem consideratum, sed etiam secundùm suam substantiam singularem & *individuam*: cuiusmodi sanè circumstantię sunt Actus duratio, intensio, locus, & tempus, & modus, & similia, quibus cogitatione ab actu remotis, nihilominus intelligi potest tota substantia actus in *individuo*, quæ consistit videlicet in determinato actus ordine ad tale determinatum obiectum in genere moris. Nam si quid est tale, quod ad ipsam substantiam individuam peccati in genere ipso morali pertineat; id non propriè dicetur circumstantia peccati commissi vndequaque considerati; sed erit necessariò exponendum in Confessione hoc ipso, quòd omnia peccata, nō solùm secundùm speciem, sed etiam secundùm numericam seu *individuam* rationem confitēda sunt, vt constituimus in prima Assertione.

Atque hoc quidem fundamentō nituntur quædam, quæ verè & rectè hac de re sunt notata singulariter â Nauarro in Manuali, capite 6. vt cùm ibi numero 2. explicat, peccatorum *numerum*, licet speciem non mutet, non esse tamen circumstantiam, quæ proinde reticeri possit. Et similiter modum actus, in hoc consistentem, quòd actus sit vel exterior, vel interior, quamuis circa idem specie obiectum non mutet speciem, minimè tamen esse circumstantiam; quin omnino in Confessione exprimendum esse, num actu interiori tantùm, vel etiam exteriori peccaueris, vt rectè ibidem notat numero 20. Horum enim omnium ratio est: quia quamuis numerica ratio, aut etiā modus actus interioris vel exterioris, non est de substantia actus si consideretur hic præcisè secūdùm suam speciem; est tamen de substantia eiusdem si consideretur secundùm rationem suam *individuam*, qua videlicet differt tanquam substantialiter in genere moris ab alio actu eiusdem speciei, per *determinatum* ordinem ad obiectum suum.

Ex hoc item fundamento sequi arbitror, secundùm illam communem etiam sententiam, quam tuemur, necessariò confitendum esse, quantum furatus fueris, vtrum scilicet decem, an centum, an mille: item cum qua persona consanguinea, vtrum videlicet cum sorore, vel consobrina peccaueris: siue istæ differentiæ consanguinitatis faciant diuersos specie incestus, siue non. Ac ratio est planè eadem. Quamuis enim *quantitas* pecuniæ, verbi gratia, sit accidens quoddam & quasi circumstantia ipsius *rei*, quæ est pecunia; tamen verè & propriè loquendo, non est circumstantia ipsius *actionis furti*, si in *individuo* illud consideretur; sed est potius *determinatum* illius obiectum morale, atque adeò quiddam pertinens ad illius quasi substantiam indiuiduam. Item etiam licet hic aut ille gradus consanguinitatis sit accidens & quasi circumstantia ipsius *personæ* consanguineæ; tamen non est in rei veritate circumstantia eius *actus*, qui est incestus perpetratus cum persona in hoc aut illo gradu consanguinea; sed est potius obiectū determinatum illius, atque adeò quiddam pertinens ad eius substantiam, saltem consideratam in indiuiduo.

Acpro-

Ac propterea nimirum antè dicebam, neminem facilè contradicturum illi communi sententiæ, quæ negat, circumstantias vllas non mutantes speciem, esse necessariò confitendas, si ea sententia, eo modo, quo debet, intelligatur atque exponatur, nempe de Circumstantiis quę actus etiam in *individuo* considerati verè sint *Circumstantiæ*. Etenim Sotus & alij, qui huic cōmuni sententię aduersantur, ideo vel maximè aduersantur, vt obtineant, oportere in Confessione dicere, num decem, verbi gratia, vel cētum, vel mille furatus fueris: num cum sorore vel matre peccaueris (quos incestus Sotus & alij putant omnino non differre specie: quamuis Nauarrus in Manuali, capite octauo, differre existimat) nec satis fore, si dicas, te commisisse furtum mortale, aut peccasse cum persona consanguinea. Quod idem omnino etiam tenendum est, si sententia illa communis ita, vti debet, defendatur. Gradus enim consanguinitatis, & quantitas ablatæ pecuniæ, vt iam exposui, non est verè circumstantia ipsius etiam actus incestus aut furti in *individuo*; sed obiectum *determinatum*, vt dixi, pertinens ad actus substantiam indiuiduam moralem, quæ omnino explicari debet.

Nec sanè me mouet, quod ab Aristotele 3. Ethic. & à D. Thoma 1. 2. quæstione septima, articulo quarto, inter alias actus circumstantias numeratur etiam ipsum obiectum actus determinatum, nempe *Quid*, vel *Circa quid*: vt quantum aliquis sit furatus. Id enim faciunt, quia voluerunt etiam complecti circumstantias actus secundùm *speciem* quoque præcisè considerati. Obiectum autem determinatum est certè circumstantia quoque actus secundùm speciem considerati: quo pacto in illo articulo quarto ad 3. Diuus Thomas explicat, quantitatem pecuniæ esse circumstantiam *furti*, quatenus illud quidem est *ablatio rei alienæ* secundùm suam speciem.

In nostro autem proposito, quod sententia illa communis ponit, circumstantias non mutantes speciem, non esse necessariò confitendas, intelligendum est de iis circumstantiis, quæ propriè dici possint *circumstantiæ* & accidentia actus quoque in *individuo* spectati, hoc est, secundùm determinatum ordinem ad determinatum obiectum tale, quo scilicet vnus actus ab alio actu eiusdem speciei numericè differat quasi substantialiter in genere *moris*: quoniam differentia peculiaris obiecti, quæ ad genus moris nihil interest, neque in eo notari solet, non pertinet propriè ad substantiam moralem actus etiam indiuiduam. Obiectum autem determinatum morale esse circumstantiam actus etiam in indiuiduo spectati, nemo authorū dixit; neque verò dici potest. Nam vt species actus sumitur ab obiecto secundùm speciem, ita substantia *individua* actus à tali obiecto determinato intra eandem speciem moralem obiecti.

Exceptiones autem, quas etiam dicebam fieri debere ab illa sententia communi, collegit Nauarrus in Manuali, capite sexto, numero 7. & 8. *Primò* enim, si circumstantia intra eandem speciem notabiliter aggrauans esset talis, vt propter illam peccatum *reseruetur* Superiori, necessariò etiam esset confitenda ex sententia Nauarri. *Secundò*, si haberet annexam excommunicationem, vel efficeret, vt absolutio ab excommunicatione ei annexa esset reseruata Pontifici. *Tertiò*, si aliquam eiusmodi circumstantiam notabiliter aggrauantem, Confessarius interrogandā à pœnitente putet: tunc enim de ea etiam is tenebitur apertè confiteri, hoc ipso, quòd debet parere Sacerdoti in iis, quæ ad eius ille bonum pertinere meritò existimabit.

Primæ autem & secundæ exceptionis potissima ratio esse debet ipse vsus fidelium, & sensus eorum, qui timoratæ sunt conscientiæ in hoc genere. Et certè si circumstantiæ illæ suprà dictæ gradus *consanguinitatis*, & *quantitatis* pecuniæ sublatæ, sint etiam circumstantiæ ipsorum actuū in indiuiduo (quod tamen verum esse non puto, vt antè ostendi) inprimis item essent ab illa sententia communi excipiendæ. Vix enim arbitror probabiliter defendi posse, satis eum apertè confiteri, qui tantum dicat, se furatum esse mortaliter, vel peccasse cum persona consanguinea; cùm secundùm iudicium quidem morale circa malitiam pœnitentis, longè plus intersit, vtrum decem vel mille furatus sis, vtrum cum persona consanguinea in primo vel in tertio gradu peccaueris; quàm vtrum bis verbi gratia, an semel tantùm fueris inebriatus; quod tamen sine controuersia est in Confessione aperiendum. Et quicquid sit de circumstantiis aliis, vel intensionis, vel durationis actus, certè vix aliquis timoratæ conscientiæ vir reperietur, qui putet, se in Confessione satisfacere, si non aperiat etiam quantitatem furti, vel gradum consanguinitatis personæ, cum qua fortè peccauit.

De continuatione autem valde *diuturna*, vt vnius hebdomadæ vel diei, &c. nō quia circumstantia continuationis est, sed quia sæpiùs esset actionibus aliis impertinentibus interrupta, esset confitendum, vt scilicet exprimatur *numerus* peccatorum saltem in *individuo* differentiū, qui existeret ex illis interruptionibus, iuxta id, quod suprà notauimus.

Iam verò sic explicata atque limitata sententia illa communis ea potissimū ratione à Theologis probatur, quòd esset alioqui propè intolerabile præceptum Confessionis, si quascunque circumstantias notabiliter aggrauantes cō-

fiteri

Universidad de Deusto
Biblioteca

fiteri oporteret. Vix enim vlla peccata committuntur, quæ vel *intenſione*, vel *durationc*, &c. non notabiliter ſecundùm grauitatem differãt; neque tamen in eiuſmodi circumſtantiis ſoliciti eſſe ſolent, aut Confeſſarij, vt interrogent, aut pœnitentes etiam conſcientiæ timoratæ, vt ſeſe accuſent. Quod ipſum argumento eſt, vim præcepti de Confeſſione non eouſque pertinere, vt iſta etiam declarari debeant.

Accedit, quòd cùm in Concilio Tridentino ſeſſione 14. capite ſeptimo, & canone ſeptimo, definitur, *omnes circumſtantias mutantes ſpeciem, eſſe neceſſariò confitendas*, & de aliis nihil ibi additur; ſaltem hoc ipſo ſignificatur, non eſſe certum, quòd aliæ notabiliter intra eandem ſpeciem aggrauantes confitendæ ſint. Itemque ſatis probabiliter poſſe defendi, quòd conſiſtat Confeſſionis integritas ex præcepto neceſſaria, ſine eiuſmodi circumſtantiarum declaratione. Quare ea potiùs ſententia eſt nobis eligenda, cùm & probabilis per Concilium Tridentinum ſit, & leuet onus Confeſſionis, quod alioqui per ſe eſt ſatis graue.

Sexta Aſſertio. Ad integritatem Confeſſionis non ſatis eſt, vtcunque omnia peccata mortalia cum circumſtantiis mutantibus ſpeciem confiteri; ſed neceſſe eſt illa *vni & eidem* Sacerdoti confiteri, vt D. Thomas hîc articulo ſecundo, & omnes orthodoxi Doctores docent. Si enim omnia ita confitereris, vt non niſi quædam vni, & quædam alteri Sacerdoti explicares; non vnam aliquam ſingularem confeſſionem faceres, quæ ipſa eſſet integra, ſed duas ſingulares, quarum quælibet eſſet, vt patet, *dimidiata*. Attenditur enim ſingularitas Confeſſionis ex *Sacerdote* etiam, cui ipſa fit: ſiquidem is item in deſcriptione Sacramentalis Confeſſionis ponitur, vt ſuprà vidimus.

Hæc autem Aſſertio intelligẽda eſt, cùm peccata omnia eidem Sacerdoti dici poſſunt ſine notabili damno proprio vel alieno. Nam quæ vel non poſſunt dici, vel non ſine proprio aut alieno damno notabili dici poſſunt, non tenetur quis dicere: neque tunc erit Confeſsio dimidiata propriè & formaliter, ſed tantùm materialiter & præter intentionem: *formaliter* autem cenſebitur nihilominus *integra*, quantum eſſe nimirum poteſt & debet; vt Caietanus in Summa, verbo Confeſsio, conditione 10. Canus Relectione de Pœnitentia p. 6. Sotus diſt. 18. quæſtione ſecunda, articulo quinto, Ioannes Medina quæſtione decima de Confeſsione, & alij communiter explicant.

Atque inde fit, vt in multis Casibvs liceat quædam peccata in Confeſsione præterire ſine violatione præcepti de illius integritate. Quos caſus vtile fuerit iam enumerare.

Primvs Caſus eſt, ſi vel ex parte Confeſſarij, vel pœnitentis, in articulo alioqui neceſsitatis impendendi abſolutionem, morbus aliquis, aut mors imminens impediat, quò minus vlteriùs in Confeſsione procedi poſsit, vt omnes ſine controuerſia notant. Imò quicquid Sotus diſtinct. 18. quæſtione ſecunda, articulo quinto, diſputet, probabilior iam ſententia exiſtimatur propter imminentem mortem, poſſe cenſeri Cõfeſsionem ſufficientem eam, quam æger nutu, aut ſigno, aut deſiderio Confeſſarij ſaltẽ in genere fecit, ſignificando nimirũ, ſe peccauiſſe, & cupere abſolutionem: quoniam tunc etiam confitetur is eo ipſo quantum poteſt, atque ita non eſt illi neganda abſolutio; modò conſtet, ipſum ea ſigna dediſſe. Patet ex Concil. Carthaginenſi IV. Can. 76.

Secvndvs Caſus eſt, ſi graue periculum animæ aut corporis, ex Confeſsione alicuius peccati, vel ipſi pœnitenti, vel Confeſſario, vel alicui alteri perſonæ imminet. Ita ſine controuerſia notant omnes, & declaratur id bene à Ioanne Medina quæſtione ſeptima de Confeſsione, & à Nauarro in Manuali, capite ſeptimo, numero quarto. Qui tamen addunt, de periculo quidem Confeſſarij hoc intelligi debere, quando ipſi immineret ob infirmitatem aut ignorantiam, non autem ob malitiam.

Tertivs Caſus eſt, ſi Confeſſarius putetur reuelaturus aliquod peccatum, vt omnes etiam notant.

Qvartvs, ſi peccatum aliquod confiteri nó poſsis, quin peccatum etiam tertiæ perſonæ Confeſſario notæ, manifeſtes. Ita Hoſtienſis in cap. *Omnis.* de pœnitent. & remiſsion. Nauarrus in Manuali, capite ſeptimo, num. 2. & 3. & Ioannes Medina q. 7. de Confeſsione, ſub finem. Et Canus item in Relectione de Pœnitentia p. 6. circa reſponſionem ad 3. argumentum principale idem aſſerit, quando ſpectata quidem conditione pœnitentis & tertiæ perſonæ, mediocrem illam ſaltem iacturam famæ ea re faceret. Quo pacto non dubium eſt, quin etiam ab aliis authoribus hæc ſententia ſit intelligenda.

Fundamentum autem huius opinionis eſt: quia præceptum de non infamando proximo, maius eſt, quàm præceptum de integritate Confeſsionis; cùm illud ſit iuris diuini *naturalis*, iſtud iuris diuini *poſitiui*: quare illud potiùs debet ſeruari, quando vtrumq; ſimul ſeruari ſatis non poteſt.

Nec verò rectè hoc in loco reſpondebitur, compenſari ſatis iacturam illam famæ proximi cum vtilitate, quæ percipitur ex abſolutione peccati. Hæc enim vtilitas propriè non proximi, ſed ipſiuſmet pœnitentis eſt: ac proinde iacturam quidem exiſtimationis qualem qualem, quam incurrit ipſe pœnitens ex cõfeſsione ſuorum peccatorum, illa vtilitas abſolutionis compenſat, non autem iacturam famæ proximi, cùm is non etiam percipiat illam vtilitatem, vt rectè argumentatur Canus loco citato.

Sunt

Sunt tamen plerique Doctores, qui ſentiunt, priuatam iacturam famæ tertiæ perſonæ apud *ſolum Confeſſarium*, quando inde præterea non ei perſonæ immineat aliud periculum vel corporis, vel infamiæ publicæ, non debere obſtare, quò minus teneatur quis illud peccatum confiteri cum indicatione perſonæ tertiæ. Quã ſententiam Sotus ſecutus eſt diſtinct. 18. quæſtione ſecunda, articulo quinto, & Caietanus in Summa, verbo Confeſsio, conditione 3. ſi attentiùs legatur, quàm videtur fuiſſe lectus à Cano loco citato. Sed quamuis ea ſententia communior ſit, vt etiam Nauarrus vbi ſuprà confitetur; contraria tamen & veritati & rationi magis conſentanea videri debet, vt pluribus argumentis oſtendit idem Nauarrus.

Excipit autem in hac noſtra opinione Canus articulum mortis, in quo putat, poſſe, atque adeò debere pœnitẽtem ob vtilitatem ſuam ſpiritualem, cui maximè illo extremo tempore ſtudere debet, integrè omnia confiteri, neglecta etiam iactura priuata famæ proximi apud Confeſſarium: idque proximum ipſum in illa alterius neceſsitate boni conſulere debere.

Ego verò rationem huius exceptionis non ſatis intelligo. Nam poſito, quòd ad infamiam proximi vitandam licet peccatum tacere; æquè certò per abſolutionem Sacerdotis accipies indirectè remiſsionem etiam illius peccati, ſi illud ob eam cauſſam taceas, atque acciperes directè, ſi illud alioqui, eiuſmodi cauſſa non intercedente, diceres. Quare non certiùs in articulo mortis conſules vtilitati tuæ eiuſmodi peccatum dicendo, quàm tacendo: & conſequenter nó magis tibi in morte licebit infamiã illam proximi negligere, quàm in vita.

Quæro enim, vnde fiat, vt magis in articulo mortis, quàm aliàs, id liceat? Non certè ex parte ipſius priuatæ infamiæ, atque adeò damni, quod incurret proximus: pono enim futurum, vt æquè incommodes proximo, dicendo illud peccatum in morte, atque ſi diceres in vita. Neque etiam ex parte ipſius articuli mortis: æquè enim alioquin (ſi non etiam magis) præceptum ipſum per ſe de non infamando proximo te obligat in articulo mortis. Neque etiam ex parte peculiaris tui cõmodi: ſiquidem nihilo certiùs expectare potes remiſsionem illius peccati, ſi dicas, quàm ſi ad euitandam infamiam proximi taceas, vt antè oſtendebam. Non igitur exiſtimo, illum Caſum imminentis mortis eſſe excipiendum ab illa ſententia, quã ſequimur: maximè cùm neque illum excipiat Nauarrus, aut alij Doctores.

Qvintvs Caſus, quo poteſt aliquod peccatum in Confeſsione reticeri, eſt, ſi cõfiteri illud non poſsis, quin violes ſigillum Confeſsionis. Vt ſi Epiſcopum v. g. à peccato Simoniæ tentaſti abſoluere, cùm id legitimè facere non poſſes, & poſteà ſi id peccatum tuum Parocho confitearis, futurum ſit, vt is agnoſcat, Epiſcopum fuiſſe illum, qui tibi confeſſus eſt peccatum Simoniæ; licebit tunc id peccatum tacere, vt Ioannes Medina q. 10. de Confeſsione, & Nauarrus, capite octauo, num. 6. & alij communiter docent.

Ratio eſt: Quoniam præceptum de ſigillo ſeruando, maius eſt, quàm præceptum de integritate Confeſsionis: quare illud potiùs ſeruãdum eſt, vt rectè argumentatur Medina in dicta quæſtione 10. & Nauarrus, capite 8. num. 6. & 7. confirmat.

Tenetur tamen quis dare operam omnem, vt alicui alteri confiteri omnia ſine eiuſmodi periculis poſsit, iuxta ea quæ ex cõmuni ſententia notat idem Nauarrus cap. 7. num. 5. & Caietanus Verbo, Confeſsio, conditione 3. & 10. Quòd ſi alterius Confeſſarij copiam habere non poſsit, nec aliqua ratione perſonã ſuam & confitẽdi modum diſsimulare, ita, vt Confeſſarius non intelligat de tertia perſona; tunc ſanè tacere illud peccatum poteſt propter eiuſmodi incommoda, quæ diximus.

Sextvs Caſus eſt cùm accidit ex parte Confeſſarij, vt licitè peccata reticeantur à pœnitente; nempe cùm pœnitens habet peccata Superiori reſeruata, & ipſi Superiori grauioribus rebus occupato non vacat illius audire integram per omnia Confeſsionem, cauſaſq; habet idem Superior, cur nolit alteri poteſtatem facere pœnitentem à talibus peccatis reſeruatis abſoluendi Tunc ſanè, vt Caietanus Verbo Confeſsio, conditione 10. & Sotus diſtinct. 18. quæſtione ſecunda, articulo quinto, ex ipſo etiam vſu & praxi Eccleſiæ Romanæ confirmant, poteſt Superior, aut eius pœnitentiarius audire tantùm peccata reſeruata, & de illis abſoluere Sacramentaliter: neque tunc pœnitens violabit præceptum de integritate Confeſsionis: ſiquidem confitetur omnia, quæ iuxta rationabile iudicium Superioris debet & poteſt ſine detrimento negociorum maioris momenti.

Tenebitur autem is poſteà ſuo tempore confiteri reliqua peccata inferiori. Nam quamuis à reliquis etiam peccatis non reſeruatis Superior tunc etiam abſoluat indirectè; neceſſe eſt tamen illa eadem directè etiam ſubiicere poteſtati Clauium, vt & ipſa quoque directè remittantur; quemadmodum neceſſe eſt, peccata oblita, cùm in memoriam redeunt, confiteri ſuo tempore, quamuis ab illis etiam fueris anteà indirectè abſolutus.

Notant verò iidem Doctores, ſi quando non pateat aditus ad Superiorem, & neceſſariò tamẽ confitendum ſit, puta ad vitandum ſcandalum, vel ad communicandum in Paſchate, &c. debere tunc pœnitentem, qui habet peccata reſeruata, confiteri inferiori peccata omnia etiam reſeruata, cum propoſito, quàm primùm poterit,

recur-

recurrendi ad Superiorem; eoque casu directè quidem à solis nò reseruatis absolui ab inferiore: indirectè autem etiam à reseruatis, quæ proinde tenebitur rursus, quàm primùm poterit, Superiori confiteri, vt ab iis directè absoluatur.

Hoc tamen intelligendum est, quando peccatis reseruatis non esset annexa excommunicatio, à qua inferior absoluere non posset. Nam tunc peccaret mortaliter, & pœnitens, & inferior confessarius, vsurpando istud Sacramentũ; vt pote sine absolutione præuia ab excommunicatione. Neque tunc posset etiam pœnitens accedere ad Eucharistiam excommunicatione irretitus, nisi fortè ad euitandum grauissimum scandalum, vt Sotus loco citato notat.

Atque hoc in summa circa absolutionem & cõfessionem de peccatis *reseruatis* tenendum est, quod ipsa etiam Ecclesiæ praxi rectè post Caietanum Sotus in dicta q. 2. art. 5. confirmat, prolixè confutatis quorundam aliorum opinionibus, qui minus probabiliter de hoc toto genere docuerunt: neque aliud iam nobis superest notandum propriè de Confessionis integritate.

Quomodo debeat Confessio esse Secreta.

IAM verò de conditione SECRETI hæc etiam tenenda sunt. PRIMO. Quamuis non sit de essentia Confessionis Sacramentalis, vt secretò (hoc est, vt nulla persona tertia conscia) fiat; ordinariè tamen seu regulariter, vt Doctores dicũt, secretò fieri necesse est sub peccato mortali. Ita ex communi sententia notat Nauarrus in Manuali, cap. 2. num. 5. & Sotus d. 18. q. 2. art. 6. & alij.

Ratio est: Quoniam ordinariè nemini licet sine iusta caussa sese infamare, peccata sua prodendo. Atque hinc facilè intelligitur rectè & conuenienter institutioni Christi fieri Confessionem secretè: licet ipse quidem Christus, neque vt publicè, neque vt secretè fieret, propriè instituerit; vt in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 1. explicatum est. Oportet enim institutam à Christo confessionem non nisi *rectè* fieri: rectè autem non fit ordinariè nisi secretè, vt est dictũ. Quare cùm secretè fit; conuenienter ipsi institutioni Christi fit.

SECVNDO asserimus, quando peculiaris aliqua caussa subest, posse quidem bene ac laudabiliter aliquo alio, vel etiam aliis conscìis, confessionem fieri; sed nunquam aliquis eam sic facere tenebitur. Vt ignarus v. g. linguæ potest per interpretem confiteri; sed non tenebitur. Item vulneratus potest confiteri præsente chyrurgo, & peste infectus clara voce eminus aliis etiam audientibus: sed tamen non necessariò in in his & similibus Casibus confessio est sic facienda. Ita docet Caietanus Verbo Confessio, conditione 11. Nauarrus in Manuali, cipite 2. numero 5. Victoria quæstione 171. de Sacramentis, Sotus distinct. 18. quæstione 2. articulo sexto, & alij.

Et quidem quòd propter bonum finem licitè *possit* aliquando Confessio palam fieri, Concilium etiam Tridentinum sess. 14. cap. 5. explicauit. Quòd verò nemo vnquam ad id *teneatur*, probant Doctores ex eo, quòd minimè putandum sit, præceptum confessionis esse adeò graue, vt cum eiusmodi difficultate obliger. Quò etiam respexisse videntur Patres Concilij Tridentini loco citato, cùm asseruerunt, neque Christum instituisse publicam peccatorum confessionem, neque etiam illam per aliquam Ecclesiæ legem posse satis bene præcipi.

Canus in Relectione de Pœnitentia, parte 6. fatetur quidem, communem esse hanc sententiam, quòd nemo per interpretem, aut aliis conscìis confiteri teneatur; sed putat ipse, esse excipiendum ab illa articulum mortis, in quo putat, iure certè diuino teneri aliquem confiteri, si potest, per interpretem. Hunc verò articulum cùm alij Doctores non excipiant, nec ego puto excipiendum; maximè cùm nec suam exceptionem Canus satis probet, & possit aliquis in eo articulo aliquis per Contritionem sibi consulere.

Quod autẽ in Assertione diximus, posse quidem quandoque licitè fieri confessionem, alio vel aliis conscìis, non ita intelligendum est, quasi hoc etiã possit fieri per *internuncium* aut *literas*, sic, vt etiam pœnitens ABSENTI Sacerdoti ita confiteatur, & Sacerdos etiam eodem modo impendat absenti pœnitenti Sacramentalem absolutionem. Hoc enim modo nulla esset absolutio, vt rectè probat Caietanus Verbo Confessio, conditione 11. & Victoria q. 171 de Sacramentis, & Sotus d. 18. q. 2. art. 6. contra Paludanum, qui in 4. d. 17. q. 2. opinatus est, posse vtrumque ita fieri.

Argumentum autem contra illum potissimũ est, quòd sicut formæ aliorum Sacramentorum significant materiam præsentem: ita etiam forma absolutionis, vt patet ex illo pronomine demonstratiuo personæ pœnitentis, *Absoluo* Te, &c. Igitur vt ob eam caussam requiritur ad veritatem Sacramentorum aliorum præsentia materiæ: sic etiam ad veritatem Sacramenti Pœnitentiæ, nempe vt pœnitens ipse adsit præsens.

Atque hęc quidem ratio propriè euincit, non posse absolutionem dari *pœnitenti absenti*, quod inprimis Caietanus & Victoria rectè vrgẽt. Nam quòd ipsa certè Confessio possit fieri per *nuncium* aut *literas*, Sacerdoti absenti, modò ipse Sacerdos non nisi præsentem posteà absoluat; omnino est probabile, neque reiici ex ea quidem parte debet opinio Paludani. Vt v. g. si æger aliquis absentẽ Sacerdotem per literas aut per nũcium accersat, ac timens futurum, vt morbo postea oppressus, confiteri illi in præsentia non possit, per easdem literas vel nũcium ipsi confiteatur, vt aduenies demum Sacerdos se quantumuis morbo impeditum absoluat. Hoc assero rectè fieri posse. Et ita prorsus concedendum est, non modò secũdùm sententiam illam Paludani, sed etiam secundùm opinionem, quam suprà dixi in praxi iam haberi probabiliorem, nempe posse aduenientem Sacerdotem impendere absolutionem morièti, quem constet, absolutionem expetiuisse. Confessio enim illa in genere facta per id desiderium, quæ tunc reputatur (vt suprà dixi) sufficiens, absenti Sacerdoti facta est, vt patet.

Nec sunt firma argumenta ea, quibus Sotus loco citato cõtra Paludanum etiam probat, neque Confessionem posse fieri absenti. Moraliter enim rem æstimando, satis etiam quis per nuncium aut literas confitetur. Nam quòd interea posset animus pœnitentis mutari, vel nuncius falsum referre; id nihil quidem interest: posset enim & animus eius, qui in præsentia est confessus, mutari, antequam accipiat absolutionem: itemq; potest is etiam falsum dicere: quæ tamen non obstant, quò minus Confessarius habeat de pœnitentis conscientia eam certitudinem *moralem*, quæ sufficiat, vt absoluere illum possit. Quæ moralis certitudo vsque adeò latè patet, vt censeamus eam etiam, quantum satis est, haberi posse, si quis per literas aut nuncium confiteatur.

Huc accedit, quòd pro *Confessione* facienda nõ est aliqua præscripta forma verborum, quæ requirat præsentiam Sacerdotis, sicut contrà, vt dixi, certa verborum forma est necessaria in *absolutione*, quorum significatio non constat, nisi pœnitẽs præsens adsit. Quare nõ perinde Confessio facienda necessariò est præsenti, atque absolutio præsenti dari debet. Quanquam peccatum quidem esset mortale sine vrgente necessitate in absentia Sacerdotis per nuncium aut literas confiteri. Quó fit, vt neque talis confessio esset valida, obstante nimirum peccato mortali, quod in ea committeretur.

Præterea asserimus TERTIO, non solùm neminem vnquam teneri confessionem facere aliis conscìis; sed neq; eo quidem modo, qui suapte ratione facilè euulgari possit, videlicet per *scriptum*, vt quod facilè potest aliquo casu in aliorum manus venire. Quamobrem si quis aliquo morbo impeditus non aliter confiteri posset, nisi scripta sua peccata Sacerdoti ostendendo, confiteri quidem ea ratione minimè teneretur. Ita Caietanus in Summa, verbo Confessio, conditione 11. Victoria quæst. 173. de Sacramentis, Sotus dist. 18. quæst. 2. art. 6. contra quosdam. Et ratio est fere eadem, quæ præcedentis Assertionis. Onus enim præcepti Confessionis, quoad fieri potest, leuari debet, ne alioqui homines

à confessione abhorreant, tanquam à re intolerabili.

Si quis autem de scripto, vel quia aliter non potest, vel vt memoriæ defectum suppleat, velit confiteri, licet quidem, & quandoq; etiam consultum est id facere; ita tamen, vt ipse pœnitens, si potest, peccata scripta pronunciet. Oportet enim, quantum potest fieri, voce confiteri, vt rectè D. Thomas hîc artic. 3. declarat, & omnes docent. Quin etiam Sotus loco citato notat, chartam tãtummodo inspiciendam inter confitendum esse, vt commemorare possis peccata, ac tũ ea simpliciter explicanda; nõ autem legentium in morẽ recitanda. Et certè siue dicas, siue legas, ita explicanda peccata sunt, vt te ipsum accusare, non historiam recitare videaris.

QVARTO asserimus, si quis mutus, aut linguę ignarus, aut aliter impeditus, possit signis aut nutibus peccata sua explicare, debere eum, quãtum commodè poterit, ita confiteri. Sic docet Caietanus Summa, verbo Confessio, conditione 11. & Sotus dist. 18. q. 2. artic. 6. & Canus in Relectione de Pœnitentia p. 6. & alij communiter. Ratio est: Quoniam ex tali modo confitendi nõ magis imminet periculum aliquod euulgationis, quàm ex ea Confessione, quæ fit significatione verborum. Sicut enim verborum signa nõ manent: ita nec nutus, aut aliæ id genus gesticulationes.

Dixi autem, debere *nutibus* confessionẽ fieri, quantum *commodè* fieri potest: Quia vt rectè notat Sotus, non est necessaria nimia in eo genere solicitudo, vt omnia omnino peccata significare possis. Quin etiam probabiliter sentit idem Sotus, nec illam diligentiam, quam Caietanus loco citato ostendit, fore necessariam; vt scilicet mutus, qui nouit scribere, habeat omnia genera peccatorũ, quæ ab hominibus committi possunt, scripta absolutè, sine indicatione personæ suæ, & ostensa postmodum Confessario charta, nutibus ei significet, quænam ex illis ipse commiserit. Hanc diligentiam nõ quia pateat euulgationis periculo, etiamsi ad aliorum manus veniret illa charta (siquidem ponit Caietanus, non ibi debere indicari vllo modo personã) sed quia nimia, nimisque subtiliter excogitata videtur, censet Sotus non esse necessariam, cui ego etiam in hac re assentior.

Quamuis autem Confessio huiusmodi per signa & nutus, aut etiam per scripti ostensionem sine voce, ad Sacramenti quidem veritatem & essentiam sufficere possit; tamen citra necessitatem non licet illa vti. Oportet enim ad Confessionem vti communiori modo significandi, qui est per vocem, vt diuus Thomas hîc articulo quinto, & omnes notant. Si tamen aliquis citra scandalum aut contemptum eo modo, cùm voce alioqui posset, confiteretur, putat Sotus in dicta quæst. 2. art. 6. non fore id saltem peccatum mortale.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Immò Canus etiam in Relectione de Pœnitentia p. 6. censet, posse secundùm prudentiam Confessarij quandoque ad sublevandā nimiam pœnitentis verecūdiam (vt alicuius puellæ v.g.) licitè fieri Confessionē scripto sine voce. Quod & ego ita credo: quanquam rarus erit eiusmodi Casus, vt idem Canus etiam notat. Et hactenus de primo huius Quæstionis puncto principali.

PVNCTVM SECVNDVM.

Vtrum euenire possit, vt Sacramentalis Confessio, quantumuis omnibus suis necessariis cōditionibus prædita, careat tamen fructu, hoc est, frustretur effectu suo, qui est Gratia, sitq; adeò informis.

D. Thom. art. 1.

Sensvs huius Quæstionis est, Vtrū possit quandoque ita fieri Confessio, vt & legitima sit, & tamen neque dum ipsa fit, habeat gratiam coniūctam, neque etiam vnà cum absolutione conciliet gratiam, à qua velut formari & perfici dicatur? Et mouetur hæc Quæstio propriè de Confessione sacramentali, præcisè vt Sacramentalis est. Nam si de Confessione loquamur quatenus est aliquando actus elicitus ab ipsa Virtute *perfectæ Pœnitentiæ*, certum est, talem Confessionem nunquam esse informem, vt etiam notat ipse D. Thomas hîc art. 1. Etenim vt Pœnitentia ipsa Virtus semper est coniuncta cum charitate & gratia (quemadmodum suprà q. 2. docuimus) sic etiā illius actus, qui proinde semper formatus atque perfectus gratia & charitate dici potest. Quæstio igitur est de Confessione, quæ sit Sacramentalis, atque adeò illis suis conditionibus prædita, quantumuis non sit alioqui actus elicitus ab ipsa Virtute Pœnitentiæ.

Et quidem Hadrianus in 4. q. 5. de Confessione, dub. 5. & Ioannes Maior in 4. d. 17. q. 9. quoniam existimarunt, Confessionem non esse legitimam, neque adeò Sacramentalem, nisi coniuncta cum vera *Contritione* sit; consequēter censent, nunquam posse Sacramētalem Confessionem esse informem. Si enim aliquis non habeat Contritionem, non eum confiteri legitimè: si autem illam habet, consequenter habere gratiam, à qua & ipsa Confessio dicatur formata.

Sed hanc opinionem satis confutauimus suprà quæstione octaua de Contritione, cùm explicaremus, quis dolor in Confessione sufficiat. Nimis enim multum ad legitimam Confessionem ea opinio requirit. Sicut contrà in alio extremo nimis parum ad eandem requisiuit quidam Bernardus de Ganaco, qui vt Capreolus in quarto, distinctione decima septima, quæstione secunda, articulo tertio, meminit, omnem Confessionem, modò sit integra, censuit esse legitimam & validam, etiamsi cum nullo prorsus dolore coniuncta sit. Quam opinionem falsissimā esse, inde patet, quòd confessio, quæ nullum habet dolorem, neutiquam est peccatorum *accusatio*, & sic caret vna quadam necessaria conditione, vt verè sit Sacramentalis.

Ad Quæstionem igitur propositam ex sententia D. Thomæ hic articulo primo, & aliorum Theologorum communi respondemus, omnino posse esse Confessionem aliquam veram & Sacramentalem, & tamen Informem. Quod cùm perplexè sanè à plerisque authoribus confirmetur, nos ita explicamus & probamus. Si potest accidere, vt Confessio legitima fiat, vigente adhuc reipsa in animo affectu ad aliquod peccatum mortale; dubitari non debet, quin Confessio legitima possit esse quandoq; informis. Sed prorsus potest accidere, vt Confessio legitima, eiusmodi aliquo affectu vigente, fiat. Ergo potest omnino Confessio legitima esse quandoque informis.

Maior patet. Quoniam gratia diuina stare cū affectu ad peccatum mortale non potest, atque adeò neque datur vnquam ei, in quo vigeat huiusmodi affectus. Intelligimus autem, affectum ad peccatum mortale *vigere* in animo, nō solùm quando actu peccas mortaliter; sed etiam quando proposuisti id facere aut repetere, vel in eiusmodi certè statu es, vt neque te in specie vllius peccati pœniteat, neque si generatim de omnibus tuis peccatis doleas, censeri à prudente possit eiusmodi dolor ad peccatum etiam illud absolutè & efficaciter se implicitè extendere. Vt si nihilominus in occasione proxima peccatum illud rursus committendi perseueras, sicut, verbi gratia, concubinarius. Vel quod ad propositum nostrum magis pertinet, si peccatum id esse alioqui non putes, & occasionem in promptu habeas illud rursus sicut prius, committendi, videarisque proinde æquè facilè, atque antea, facturus.

Iam probatur Minor. Nam pono primùm, ex ignorantia culpabili iuris aut facti vigere in aliquo eiusmodi affectum ad peccatum aliquod mortale, esseque ideo illius peccati mortalis adhuc reum. Secundò pono, hunc eundem adhibere nihilominus iudicio prudentis diligentiam sufficientem, vt omnia sua peccata reuocet in mentem; neq; tamen in cognitionem ac memoriam illius sui occulti peccati venire. Potest enim iudicio prudētis *videri* sufficiens diligentia ad recolenda omnia peccata (id quod ad legitimam Confessionem satis est, vt suprà vidimus) & tamen in *re ipsa* non esse sufficiens; atque adeò accidere, vt per diligentiam iudicio prudentis sufficientem, non omnia tamen peccata in memoriam reuocentur. Tertiò pono, de illis tamen omnibus peccatis, quæ per eiusmodi diligentiam ille homo in memoriam reuocat, habere attritionem talē, qualem suprà docuimus in Confessione sufficere. Quartò pono, omnia illa peccata, quæ huic ita occurrunt, ipsum integrè confiteri, & absolutionem à Sacerdote accipere. Hoc sanè casu *legitimè* talis confitetur, vt patet, & tamen affectus in animo eius viget ad peccatum mortale, vt patet ex prima hypothesi. Potest igitur omnino accidere, vt legitimè quis confiteatur, & tamen vigeat in eius animo affectus ad peccatum aliquod mortale, sicut in Minore nostræ probationis assumpsimus, & consequenter vt gratiam non acquirat, sitq; Confessio *informis*, quemadmodum concluſimus.

Nonnulla tamen hîc Qvaestio est, Vtrum, quando Confessio informis est, & consequenter Sacramentum totum inefficax, sortiatur tamen illud postea suum effectum tum, cùm in homine vigere desinit ille affectus peccati, qui obstitit, quò minus gratiam ille in Sacramento consequeretur? Quæ quæstio aliis verbis obscurius proponi solet, cùm quæritur, Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ reuiuiscat, recedente fictione?

Interest autem non parum, quid ad hāc Quæstionem respondeatur. Nam si dicamus, consequi postea idem Sacramentum effectum suum hoc solo, quòd obex ille affectus peccati remoueatur; accidere quandoq; poterit, vt qui prius gratia diuina caret, eam postea & sine *Contritione* vera, formali aut virtuali, & sine vsu etiam nouo *Sacramenti* consequatur; nempe si absq; Contritione formali aut virtuali, & absq; vsu nouo Sacramenti, per solam mutationē occasionis aut circumstantiæ personæ, aut etiam per specialem attritionem, desinat in eius animo, qui Confessionem informem fecerat, vigere pristinus affectus ad aliquod peccatum mortale, & tunc ex vi acceptæ prius absolutionis & Confessionis factæ, gratiam, quam antè non obtinuit, acquirat. Si autem negauerimus, isto modo præteritam absolutionem & Confessionem, atque adeò Sacramentum ipsum Pœnitentiæ reuiuiscere possē; nunquam continget, vt, qui nunc gratiam nō habet, eam postea sine nouo vsu Sacramenti, aut Contritione vera formali vel virtuali acquirat, sicut rem consideranti patet. Atque ita non tam latè patebit efficacitas & fructus huius Sacramenti.

Et quidem Adrianus in quarto, quæstione quinta, de Confessione, dub. 5. & Gabriel distinctione decima septima, quæstione prima, articulo tertio, dub. 2. non existimant, Sacramentū istud sic reuiuiscere. Quam etiam opinionem Scotus distinctione decima octaua, quæstione tertia, articulo tertio tuetur. Sed contraria tamē sententia, quæ est D. Thomę hîc articulo primo, rectè confirmatur à Cano in Relectione de Pœnitentia p. 6. estque etiam Caietani quæstione quinta de Confessione, & mihi quoque magis placet. Tum quia amplificat Sacramenti huius dignitatē, & affert maiorem pœnitentibus consolationem. Tum quia si id non conceditur; alterutrum sequatur necesse est; nempe aut debere hominem rursus quærere aliam absolutionem Sacerdotis de iisdem peccatis, quæ legitima Confessione informi prius confessus est; aut aliquando posse homini sine virtute Clauium peccata ita remitti per aliud aliquod medium, vt ne teneatur quidem remissionem eiusmodi peccatorum quærere in ministerio reconciliationis per virtutem Clauium, etiamsi sciat, sibi anteà non fuisse virtute Clauium remissa. At & primū communiter negatur (non enim debent peccata in legitima Confessione semel exposita necessariò iterum absolutioni subiici) & secundum quoque pugnare videtur cum illa Christi lege & institutione: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioannis vigesimo. Ex quo loco consequens omnino videtur, vt omnis, qui sibi conscius est aliquorum peccatorum, quæ nondum sibi remissa fuisse aut post remitti per virtutem Clauium sciat, teneatur certè eorum remissionem in illo ministerio quærere.

Porrò posterior hæc sentētia facilè etiam defenditur à contrariis argumentis, si sentiamus, non ita quidem absolutionem postea reuiuiscere, vt tanquam caussa instrumentalis *physicè* ipsam gratiam efficiat cùm iam illa præterierit; sed quia conciliat illam certè, sicut caussa moralis, quatenus nimirum Deus habito respectu ipsius Confessionis & absolutionis præteritæ, confert gratiam, sublato obice. Atque hoc idem non solùm de Baptismo, sed etiam de reliquis omnibus Sacramentis D. Thomas hîc articulo primo affirmat, & sentit Caietanus loco suprà citato. Sed potest etia defendi quòd absolutio illa licet præterierit, sit instrumētalis caussa gratiæ *physicæ*, vt patet ex iis quæ disputauimus suprà disputatione prima, quęstione decima tertia, & disputatione secunda; quæstione tertia & quinta.

Cùm autem addit hîc D. Thomas, debere nihilominus hominem postea confiteri fictionem illam, quæ primò obstiterat, quò minus gratia, consequeretur: *fictionē* appellat illud ipsum occultum peccatum, vigens in animo, quod gratię obex fuit, quatenus nimirū illud obstabat, quò minus reuera homo esset idoneus ad recipiendam absolutionem; cum tamen idoneus secundùm humanum quidem tum ipsius tum Sacerdotis *indicium* ad id videretur, atq; eatenus quasi *fictus* accederet.

Quod propterea ita declaro, quoniam si quis de *industria* ita fictè ac simulatè accessisset, tacēs videlicet aliquod peccatum; ne fuisset tunc quidem confessio valida, vt patet. Quare de eius-

modi fictione minimè loquitur hîc diuus Thomas, quando agens de Confeſsione valida licet informi, dicit, eam reuiuiſcere, recedente *fictione*, quam ſolam proinde oporteat poſtea confiteri; ſed loquitur, vt explicui, de fictione quaſi *materiali*, & præter hominis intẽtionem, hoc eſt, de ipſo *occulto peccato*, quod obſtiterat gratiæ. Et hactenus de ſecundo puncto: nam quæ præterea ſolent de Confeſsione informi dici, ea potius ad ſequens Punctum pertinent.

PVNCTVM TERTIVM.

Vtrum aliquando ſit neceſſarium, Confeſsionem eam, cui nulla qualitas requiſita defuerit, iterare; vel quando omnino Confeſsio ſemel facta neceſſariò repetenda ſit.

Ad art. 1. D. Thom.

IN hac Quæſtione rectè inprimis â Soto diſtinctione decima octaua, quęſtione tertia, articulo tertio, generalis REGVLA ex communi ſententia Theologorum ſtatuitur, Confeſsionem, ſi valida & verè Sacramentalis fuit, nunquam eſſe neceſſariò repetendam, ne ſi informis fuerit quidem.

Et ratio euidens eſt. Quoniam ſi valida fuit Confeſsio, per eam etiam fuerit adimpletũ præceptum Confeſsionis; & conſequenter non debebit rurſus repeti: ſiquidem præceptum nõ eſt de repetenda, ſed de facienda Confeſsione. Hoc autem intellige, cùm Confeſsio ita fuit valida, vt etiam *actu* fuerit *pars* Sacramenti, quod non ei conuenit, niſi ad eam etiam fuerit abſolutio Sacerdotis adhibita.

Quare ſi quis bene alioqui fuiſſet confeſſus, non tamen accepiſſet abſolutionem, repetere illam confeſsionem teneretur, vt Sotus in dicta q. 3. a. 3. expreſsius notauit. Quãuis neq; hæc quidem annotatio ab aliis authoribus (vt ipſe Sotus putat) penitus prætermiſſa eſt. Omnes enim illi pro certo vbiq; ponunt, obligare præceptũ, vt actu quidem per Confeſsionem *vſurpes* ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſt præcipuè in abſolutione ſitum. Atque ideo ſanè propter defectus etiam aliquos, qui accidant in abſolutione, paſsim iidem Doctores notant, iterandam quandoq; Confeſsionem eſſe, vt paulò pòſt videbimus.

Iam verò ex illa ipſa Regula generali, modò conſtituta, videlicet nunquã eſſe neceſſariò repetendam Confeſsionem validam & Sacramẽtalem, alia item generalis REGVLA ſumi poteſt, ad dignoſcendum quando omnino oportebit rurſus de iiſdem peccatis confiteri. Nempe tunc ſolùm id neceſſariò faciendum eſt, quandocunque vel ex parte perſonæ aut officij *pœnitentis*, vel ex parte etiam *Confeſſarij*, aliquis in Confeſsione prius facta ſubſtantialis defectus acciderit, ob quem ipſa Confeſsio valida non fuerit: ad hæc enim duo capita, ſcilicet ex parte pœnitentis, & Confeſſarij, video generatim omnes eiuſmodi defectus reuocari.

Et primùm quidem ex parte perſonæ POENITENTIS, nonnulla Quæſtio inter Doctores eſt, Vtrum, ſi is, quando confitetur, ſit maiore vel minore excommunicatione obſtrictus, Confeſsio ſit inualida, atque adeò iteranda. Videtur enim inualida eſſe, quoniã abſolutio etiam, quæ excommunicato impenditur, minimè videtur valere, atque adeò neque Confeſsio fuerit actu Sacramentalis. Atque ita ſenſit Angelus, Verbo, Confeſsio 1. §. 4. & Verbo, Confeſsio 5. §. 10.

SED contrariam ſententiam, poſt Richardũ in quarto, diſtinctione decima octaua, articulo nono, quæſtione quarta, & Caietanum, Verbo, *Abſolutionis impedimenta*, & Verbo, *Confeſsionis iteratio*, rectè defendit Nauarrus in Manuali, capite nono, numero tertio & quarto, videlicet ſi quis quomodocunq; neſciens, aut nõ cogitans, ſe excommunicatum eſſe, aut etiam excommunicationem debere obſtare vſurpationi Sacramenti, bene alioqui confiteatur, abſolutionem fore validam, & conſequenter Confeſsionem etiam, neq; debere illam iterari. Et dico, *quomodocunque neſciens, &c.* quia ſi de induſtria vellet aliquis contra Eccleſiaſticam prohibitionem recipere Sacramentum in excommunicatione, aliunde tum fieret, vt Confeſsio eſſet iteranda, nempe quoniam eo ipſo ſcienter committeret in ipſa Confeſsione ſacrilegium mortale, atque ita Confeſsio non eſſet legitima & integra. Illa igitur poſterior ſententia, ſicut Nauarrus etiam notat, tunc ſanè procedit, cùm quis confiteatur neſciens, aut nõ cogitans, ſe excommunicatum eſſe, aut excommunicato non licere Sacramentum ſuſcipere.

Neque verò intereſt, quod ad hoc attinet, vtrum huiuſmodi incogitantia, vel ignorantia ſit culpabilis, aut inculpabilis, vt rectè ab eodẽ Nauarro notatũ eſt. Poſſunt enim hæc duo conſiſtere, nempe vt quis peccet etiam mortaliter, ex culpabili ignorantia ſuſcipiens Sacramentũ in excommunicatione, & ſimul tamen confiteatur alioqui integrè, & cum debita attritione omnia illa peccata, quæ poſt diligentem, *iudicio prudentis*, examinationem conſcientiæ, in mentem venerunt: quo ipſo quidem valida erit tunc Confeſsio, tametſi informis. Sicut enim euenire poteſt, vt quis per eam conſcientiæ examinationem, quæ iudicio prudentis videatur ſufficiens, minimè veniat in cognitionem alicuius occulti peccati præteriti, quemadmodum ſuprà notauimus: ita etiam, vt non veniat in cognitionem occulti peccati, quod in præſentia committit,

neque

neque magis tunc peccatũ præſens, quàm præteritum obſtabit, quò minus Confeſsio ſit quidem legitima, tametſi informis.

Hac igitur explicatione adhibita, facilè probatur ſententia illa poſterior. Nam ſi Confeſsio ita facta ab excommunicato eſſet inualida & iteranda; aut ideo eſſet, quia eo ipſo aliqua neceſsaria conditio ex ſuprà conſtitutis deeſſet ei confeſsioni; aut quia excommunicatio certè id operatur, vt nequeat prorſus ab excommunicato recipi verum Sacramentum: At neutra ratio reddi poteſt. Ergo nihil obſtat, quò minus ſit ea Confeſsio valida.

Quod enim ad *conditiones* neceſsarias attinet, iam expoſuimus, poſſe nihilominus eam Confeſsionem eſſe *integram*, & cum ſufficienti attritione de iis quidem peccatis, quæ poſt ſufficientem, iudicio prudentis, diligentiam in mentem veniant. Quo ipſo conſequenter etiam habebit ea Confeſsio reliquas neceſsarias conditiones cum his connexas, iuxta ea, quæ ſuprà p. 1. de ratione tota eiuſmodi conditionum gẽeratim explicata ſunt.

Excommunicatio autem ipſa non operatur, vt nequeat omnino verum Sacramentum percipi, ſed vt nequeat licitè percipi, vt aliquot etiam exemplis rectè oſtendit Caietanus in Summa, Verbo, *Confeſsionis iteratio*, & poſt illũ Nauarrus in Manuali, cap. 9. nu. 2. 3. & 4. Sacramentum enim Confirmationis & Ordinis, quantumuis ab excommunicato ſuſcipiantur, vera Sacramenta ſunt, vt patet.

Quin etiam ſi ignorantia eius, qui in excommunicatione confitetur, aut ſuſcipit aliud Sacramentum, ſit prorſus inculpabilis, vel ita certè inculpabilis, vt excuſet ſaltem â mortali; gratiam etiam per Sacramentum acquirere is poterit. Excommunicatio enim non pugnat cum gratia coram Deo. Atque ita vt poteſt excommunicatus per veram Contritionem, antequam ab excommunicatione abſoluatur, gratiam acquirere, ita etiam per Sacramentum, cùm validè illud ſuſcipit, & affectus aliquis peccati non obſtat.

Secus autem ſi ipſe Confeſſarius eſſet excommunicatus: nam tũc quibuſdam in Caſibus nec abſolutio, neque adeò Confeſsio erit valida, ex defectu nimirum iuriſdictionis neceſsariæ, quæ requiritur quidem ad Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandum, non autem ad *recipiendum*. Vt proinde mirum videri non debeat, quod dicimus, Sacramentum Pœnitentiæ ſuſceptum ab excommunicato eſſe validum, adminiſtratum autem ab excommunicato non item, in quibuſdam Caſibus, ſicut exponemus.

Hoc igitur ita conſtituto, tres iam CASVS reſtant, in quibus Confeſsio ob defectus ex parte *pœnitentis*, eſt ſine controuerſia inualida, ac proinde ITERANDA. PRIMO, ſi ſufficientem examinationem conſcientiæ ille omnino negligat, hoc eſt, ſi eam non ita adhibeat, quomodo adhibendam neceſsariò eſſe explicuimus ſuprà puncto primo, aſſertione prima, circa integritatem Confeſsionis.

SECVNDO, ſi abſque dolore debito confiteatur: qui dolor qualis omnino in confeſsione eſſe debeat, & ſufficiat, ſuprà quæſtione octaua, puncto ſecundo, ex veriori ſententia latè oſtendimus.

TERTIO, ſi quis non integrè confiteatur, eo quidem modo, quo id debere fieri, fusè etiam p. 1. oſtendimus.

Non autem erit Confeſsio ob id inualida & iteranda, quòd pœnitentiam à Confeſſario impoſitam vel extra gratiam imples, vel omnino etiam non imples, ſiue ex contemptu, ſiue ex negligentia eam adimplere prætermittas; vt rectè ac meritò aſſeuerant Caietanus in Summa, Verbo *Confeſsionis iteratio*, & Nauarrus in Manuali, capite nono, numero decimo quarto, & alij, contra nonnullos Summiſtas. Quamuis enim perfectio quædam *integralis* Sacramento accedat per illam Satisfactionem; omnino tamen ſine illa etiam conſtat Sacramenti veritas, vt ſuprà q. 1. docuimus.

Si tamen pœnitens, cùm ei ante abſolutionem pœnitentia imponitur, eam contemnat, vel ſufficientem curam & attentionem non adhibeat, vt recordari eius poſtea, eamque adimplere queat, putat loco citato Nauarrus, Confeſsionem reddi eo ipſo irritam, ac proinde neceſsariò eſſe iterandam: non quia pœnitens pœnitentiam non adimplet, inquit Nauarrus, ſed quia quando illa iniungebatur, peccauit, & de illo peccato non ſe accuſauit, atq; ideo non fuit Confeſsio integra.

Et quidem quando pœnitentia *contemnitur*, non dubito, quin hoc ita ſe habeat, vt dicit Nauarrus: quando autem ad illam aliquis *non attendit*; primùm non erit hoc peccatum mortale, niſi ſentiamus, obligari alioqui pœnitentem ad pœnitentiam impoſitam à Confeſſario acceptãdam. De qua re nonnulla diſputatio eſt, vt poſtea videbimus quæſtione decima quarta. Deinde ſecundùm eam ipſam ſententiam incuria illa in attendendo ad pœnitentiam, quæ imponitur, quamuis eſſe poſsit aliquando mortalis; tamen non eſt neceſſe, vt tum reddat ſemper inualidam Confeſsionem, niſi vel ſit affectata & de induſtria; vel certè nimis craſſa, ſic, vt nequeat quidem iudicio prudentis videri pœnitens cum ſatis diligenti examinatione & exploratione conſcientiæ confiteri, niſi ad illud etiam ipſum peccatum aduertat, quod ob craſſam illam incuriam in ipſa confeſsione committit: alioqui erit quidem ob id peccatũ Confeſsio informis,

non autem inualida, vt ex suprà dictis satis intelligi potest. Et hæc quidem ita se habent.

A

Dvbivm autem circa casum illum primum, in quo ob defectum debitæ diligentiæ Confessio iterari debet, est, vtrum id omnino procedat, quotiescunque non fuit adhibita diligentia sufficiens, etiamsi pœnitens ipse *putet*, se adhibuisse sufficientem diligentiam. Et simile quoque dubium est circa Casum secundum de defectu doloris debiti, an scilicet quotiescunq; dolor non est talis, qualis esse debet, Confessio sit iteranda, etiamsi pœnitens *putet*, se eiusmodi dolorem habere. Quæ duo Dubia, antequam veniamus ad defectus ex parte Confessarij, sigillatim sunt modò explicanda.

B

Et quod ad Primvm Dubium de *diligentiæ* defectu attinet, putat Sotus distinctione decima octaua, quæstione tertia, articulo tertio, & Canus in Relectione de Pœnitentia, parte sexta distinguendum esse. Nam si negligentia in ea re fuit *affectata*, aut *nimis crassa*, tunc non erit valida Confessio; sed omnino iteranda: Si autem fuit quidem negligentia culpabilis, non tamen affectata, aut nimis crassa, tunc quidem censent, Confessionē fore validam, quamuis informem sanè, si negligentia illa fuit mortalis (vigeret enim adhuc eiusmodi peccati affectus) formatā autem, si negligentia tantùm fuit venialis, cùm peccatum Veniale minimè sit obex gratiæ. Vbi satis apparet, loqui authores istos in casu, quo diligentia quidem sufficiens eo modo, quo sufficiēs debet adhiberi, nempe iuxta *iudicium prudentis*, defuerit. Nam ponunt nihilominus, talem hominem, ob defectum diligentiæ, tūc peccare mortaliter vel venialiter; & tunc tamē Confessionem esse validam, si negligentia non fuerit affectata, aut nimis crassa: non peccaret autem in ea re vllo modo, si diligentiam, iudicio quidem prudentis, adhibuisset sufficientem, vt patet. Quare omnino authores isti loquuntur, vt dixi, quando deest diligentia sufficiens, iudicio etiam prudentis.

C

Probant autem illi eam suam sentētiam *primò*: Quia talis intentionem certè habuit adhibendi diligentiam sufficientem: Ergo eo ipso videtur satisfacere præcepto, nisi negligentia fuerit nimis crassa. *Secundò* vrget præsertim Canus, quòd si vulgaris quispiam homo integrè de omnibus peccatis, quæ memoriæ occurrunt, confiteretur, omitteret tamen vnum aliquod à se ex ignorantia non nimis crassa commissum; nemo idcirco eum cogeret repetere præcedentem Confessionem. Vt si quis, inquit Canus, putasset, periurium pro conseruanda vita hominis esse licitum, vel si muliercula superstitionem aliquam existimasset esse rectum cultum, & sic de similibus. Ergo pari ratione neque negligentia in examinanda sufficienter conscientia obstabit integritati Confessionis, quando ea non fuerit nimis crassa.

D

Ego verò his non obstantibus, potius assentior in hac re Nauarro, qui in Manuali, capite nono, numero decimo tertio, absolutè affirmat, Confessionem, si diligentia debita (intellige, secūdùm iudicium prudentis, vt iam loquimur) defuerit, non esse validam, sed omnino iterandam: quoniam incidit tunc defectus substantialis, inquit rectè Nauarrus, in ipsa Sacramentali Confessione.

Quod ea ratione probo: Quia Confessio, quæ non est integra illa integritate, quæ ex præcepto requiritur, quæque esse potest, non est vera Confessio Sacramentalis. At Confessio, quæ quomodocunque *reipsa* sit sine diligentia; iudicio quidem *prudentis*, sufficienti, (quidquid ipse pœnitens putet) non est integra ea integritate, qua posset & deberet ex præcepto esse. Ergo non est verè Sacramentalis. Minor patet. Quoniam suprà ex sententia Concilij Tridentini sessione decima quarta, capite quinto, & Theologorum communi declarauimus, integritatem Confessionis in eo consistere, vt quis post *sufficientem*, iudicio *prudentis*, diligentiam, confiteatur omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt: hoc autem eum facere, qui ex quacunque ignorantia seu negligentia prætermittit diligentiam illam, dici non potest: Igitur non facit is Confessionem integram, & consequenter nec validam.

Et confirmo hoc argumentum. Nam qui de industria adhibere nollet diligentiam, iudicio prudentis sufficientem, tantumque diceret ea omnia peccata, quæ sine eiusmodi diligētia memoriæ occurrunt; is ideo non faceret Confessionem integram, quia sine diligentia eiusmodi confiteretur. Sed qui præter intentionē ex qualicunque ignorantia eandem diligentiam reuera omitteret, etiam sine eiusmodi diligētia confiteretur. Ergo neque is faceret Confessionem integram. Nam quòd is certè intentionem habuerit adhibendi diligentiam sufficiētem eamque se adhibuisse putet; id quidem ad veram & integram Confessionem minimè sufficit: integritas enim ac veritas Confessionis non ex intentione & voluntate adhibendi diligentiam *iudicio prudentis* sufficientem, sed ex ipsa diligentia ita sufficienti constituitur: nec præceptum Confessionis tantummodo à te requirit, vt intendas ac velis adhibere diligentiam eiusmodi, & vt putes te adhibuisse; sed vt eam re ipsa adhibeas, & tum demū quæ occurrerint, omnia confitearis. Quare si tibi vel de industria, vel ex qualicunque ignorantia diligentia illa defuerit, nequaquam certè impleueris id præceptum. Quāquam poteris quidem pro ignorantiæ ratione, magis vel minus excusari à peccato Sacrilegij in Confessione admisso propter neglectam debitam diligētiam. Cæterùm aliud longè est, minnit

vel

vel impediri ab ignorantia id peccatum sacrilegij; aliud autem, beneficio eius ignorantiæ implere te præceptum ipsum affirmatiuum Confessionis integræ, si te *non integrè*, hoc est, sine debita conscientiæ examinatione, confiteri ignores. Ignorare enim se non implere præceptum, & intendisse implere, nequaquā est præceptum implere. Quæ mihi non videntur satis à Cano, & Soto fuisse in hac Quæstione considerata.

A

Ad *Primum* igitur illorum argumentum, satis iam responsum est. Ad *Secundum* concedimus Antecedens, & negamus in nostro proposito Consequentiā. Ratio enim disparitatis est, quòd si quis præterit in Confessione aliquod occultum *peccatum* ex ignorantia non nimis crassa à se commissum, non hoc ipso deficit aliquid in substantia Sacramentalis Confessionis. Potest enim nihilominus cum hoc stare, quòd talis adhibuerit diligentiam in se examinando, iudicio quidem *prudentis*, sufficientem, atque adeò quòd integrè ac validè sit confessus, nec teneatur iterum Confessionem repetere. Non enim est necesse, vt per diligentiam, quæ iudicio prudentis sufficiens videri possit, illud ipsum occultum peccatum ex ignorantia non nimis crassa commissum, in mentem venerit, sicut patet ex suprà dictis. In nostro autem proposito, quando non iam tantummodò peccatum aliquod ex ignorantia non nimis crassa cōmissum tacetur, sed ipsa etiam diligentia iudicio prudentis sufficiens quomodocunq; ignoranter prætermittitur, deest hoc ipso iam aliquid de substantia Sacramentalis Confessionis, nempe integritas, vt est antea expositum, atque ita Confessio minimè valet.

B

Quæ profectò responsio ad id argumentum, & firmissima est, & clarè etiam ostendit, quodnam contrariæ opinionis Cani & Soti sit vitium. Discrimen enim ignorantiæ, quæ est affectata, aut nimis crassa, ab ea, quæ non est talis, nihil quidem interest ad valorem Confessionis, quādo ipsa *diligentia* debitæ examinationis ignoranter prætermissa est; bene autem, quando tantummodò *peccatum* aliquod ex ignorantia commissum præteritur in Confessione. Quando enim peccatum eiusmodi ex ignorantia affectata, aut nimis crassa commissum fuit, communiter etiam Confessio illa, in qua illud tacetur, non erit valida: quia communiter quidem nequeque examinatio conscientiæ sufficiens fuisse iudicio prudentis tunc videri poterit, quandoquidem per eam non venerit in mentem peccatum ex tali & tam supina ignorantia commissum. Quando autem peccatum ex ignorantia leuiori commissum tacetur in Confessione, non ideo erit Confessio censenda inualida. Nam nihilominus potuerit certè adhiberi diligentia iudicio prudentis sufficiens, per quam non mirum est, si peccatum ex tam occulta ignorantia commissum in mentem non venerit.

C

Atque hoc ipsum est fundamentum veræ & communis eius doctrinæ, quam Nauarrus in Manuali, capite nono, numero duodecimo, ponit, nempe ignorantiam legis diuinæ, quamuis aliquando non excuset à peccato, efficere tamen, vt Confessio, in qua eiusmodi peccatum ex tali ignorantia commissum præteritur, nihilominus sit valida. Quod sanè intelligi debet de ignorantia non affectata, aut nimis crassa, vt patet ex ipsis exemplis, quibus id Nauarrus declarat. Vitium igitur Cani & Soti fuit, quòd hāc distinctionem affectatæ aut nimis crassæ ignorantiæ, & eius, quæ non est talis, non tantùm ad ipsa *peccata*, quæ alioqui committuntur ex ignorantia, & præteriri idcirco in Confessione solēt; sed etiā ad ipsum defectum debitæ & sufficiētis *diligentiæ* in proposito accommodarunt, neq; inter ista satis distinxerunt.

Nunc quod attinet ad aliud Dvbivm similiter circa defectum debitæ *Attritionis* propositum, sciendum est, dupliciter accidere posse, vt in re ipsa defuerit alicui debita attritio, cùm ipse putet, se illam habuisse. Primo sic, vt postquam ipse pœnitens explicaret, quo animo affectus in Confessione fuerit, iudicio quidem prudentis videri non posset debitam attritionem habuisse. Vt si diceret, verbi gratia, se non habuisse absolutum propositum restituendi, aut vitandi peccatum aliquod mortale in posterum, aut relinquendi concubinam, &c. sed tantummodò quandam velleitatem, vt vocant, hoc est, voluntatem conditionalem relinquendi peccata, quæ solet explicari illis verbis: *Vellem*, si non esset hoc aut illud, &c. Et tunc certum est, Confessionem non fuisse validam, vt colligitur ex iis, quæ hac de re sine controuersia bene notat Nauarrus capite nono, numero decimo, initio. Et probatur manifesta ratione, quia Confessio, per quam aliquis nondum adimplet præceptum de confitendo, non est valida, vt constat ex suprà dictis. At per illam Confessionem, in qua debita attritio ita deest, vt ne iudicio quidem prudentis videri possit adhibita, non implet aliquis præceptum de Confessione. Ergo talis Confessio non est valida. Minorem probo. Nam quamdiu iudicio *prudentis* (quod est nimirum quasi regula proxima, & mensura actuum in omni materia virtutum) nō facit aliquis eum actum, qui erat ipsi necessariò ex præcepto exercendus, tamdiu is censetur nō adimplere præceptum, vt patet. Est autem præcepto ipso Confessionis imperatus etiam actus attritionis debitæ, vt suprà vidimus. Ergo quādiu quis attritionem debitam (qualē suprà q. 8. descripsimus) in Confessione iudicio prudentis non habuit, minimè adimpleuit id præceptum Confessionis.

D

Altero modo potest ita in Confessione defuisse attritio, vt iudicio tamen prudentis videri possit adfuisse. Et tunc omnino est sentiendum,

valuisse

valuiſſe Confeſsionem, neque eam eſſe iterandam, etiamſi reuerà attritio ipſa debita defuerit. Atque ita quidem intelligendum eſt, quod Canus in Relect. de Pœnitent. par. 6. ex ſententia D. Thomæ in 4. d. 17. q. 1. art. 4. & Nauarrus in Manuali, cap. 9. num. 10. rectè docent, nõ eſſe repetendam Confeſsionem propterea, quòd attritio reuerà non fuerit tam perfecta, vt cum Sacramẽto fieret Contritio: Quod tantundem eſt ac dicere, non eſſe inualidam propterea, quòd non ſit ea, quæ deberet eſſe. Quando enim talis eſt attritio, qualis debet eſſe, ſemper fit contritio ſuo modo per Sacramentum, ſicut ſuprà explicuimus, niſi fortè obex occulti peccati impediat.

Satis igitur eſſe ad veritatem Confeſsionis, ſi iudicio prudentis videri poſsit aliquis habuiſſe hanc attritionem, probatur manifeſtè. Nam id ſatis eſt, vt adimpleas præceptum de confitendo. Ergo vt validè confitearis. Conſequentia patet, & Antecedens probo. Quoniam in omni genere non aliter actus aliquis præcipitur, niſi iuxta iudicium *prudentis*, hoc eſt, ita ſanè, vt tũc aliquis cenſeatur præceptum adimpleuiſſe, quando iudicio quidem prudẽtis videri poſsit actum imperatum exercuiſſe, etiamſi caſu quandoque ob propriam actus conditionem occultam poſsit reipſa ſecùs eſſe, quàm prudens iudicet. Alioqui ſi eiuſmodi iudicium prudentis ad ſatisfaciendum præcepto non ſufficit, ſemper oportebit aliquem eſſe perplexum & anxium, num adimpleuerit præceptum, quo actus talis iubetur, qui per ſe quidem non vſque adeò patet.

Atque hinc ſequitur, poſſe etiam ex parte ipſius per ſe doloris requiſiti, Confeſsionem eſſe informem, etſamſi nullus alioqui affectus ad peccatum obſtet gratiæ. Nempe ſi contingat, non habere quempiam talem reuerà attritionẽ, qualem eſſe oporteret; & tamen prudens illum eam habuiſſe iudicare poſsit: tunc enim Confeſsio erit quidem valida, vt diximus, & ſimul tamen ob defectum perfectionis in dolore, non conciliabit gratiam, atque adeò erit informis. Quod aliis verbis ſignificant ſuprà citati authores, cùm dicunt, poſſe eſſe validam Confeſsionem, etiamſi attritio non fuerit tam perfecta reuerà, vt per Sacramentum facta fuerit Contritio. Nam vt ſuprà quæſt. 8. explicauimus puncto ſecundo, attritionem fieri Contritionem, non niſi extrinſecè intelligendum eſt, quatenus videlicet ipſa Attritio in Sacramento conciliat gratiam, atque adeò cum illa coniungitur, ſicut ſolet coniungi Contritio. Et hactenus de defectibus ob quos ex parte POENITENTIS fit Confeſsio inualida & ideo iteranda.

Iam verò defectus, ob quos ex parte CONFESSARII accidit, vt Confeſsio reddatur inualida, ſitque iteranda, breuiter ſunt iſti. Primò, ſi Confeſſarius *nominatim* per ſententiam ſit excommunicatus, aut ſuſpenſus, aut interdictus, aut ſi ſit notoriè ipſo iure excommunicatus ob *manifeſtam* percuſsionem Clerici, quę nulla poſsit tergiuerſatione celari. Etenim talis caret iuriſdictione, vt ex Extrauag. Martini V. quæ incipit, *Ad euitanda*, notant communiter omnes, & nominatim Nauarrus explicat capite 27. num. 35.

Excipimus tamen hîc articulum mortis, in quo, etiam abſolutio à tali collata valeret, vt ſuprà quæſt. præced. notauimus ex ſententia Nauarri in dicto cap. 27. num. 271. qui id rectè colligit ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. & notat etiam Sotus diſt. 18. quæſt. 4. art. 4. & Caietanus Verbo *Abſolutio*, & omnes ſine controuerſia, quando Sacerdos ille quidem excommunicatus, ſit alioqui Catholicus. Si autem ſit *hæreticus*. Sylueſter, Verbo Confeſſor 1. §. 20. ait, non valere, etiã in articulo mortis, abſolutionem ab eo datam. Quam tamen exceptionem alij authores non faciunt, ſed ſimpliciter dicunt, à quouis omnino Sacerdote poſſe quempiam in articulo mortis ab omnibus peccatis & Cenſuris abſolui; & ita videtur potiùs tenendum. Quamuis Sotus quidem loco citato, magis illam Sylueſtri exceptionem in hac parte probare videatur, etſi de ea quoque dubitat.

Aliàs autem excommunicati, extra illos videlicet Caſus Extrauag. Martini V. validè abſoluunt, ſi abſoluant aliquem: vt in eadem Extrauaganti declaratum eſt. Quanquam ex accidenti quandoq; poſſet fieri, vt Confeſsio ipſis facta, non eſſet valida; ſi videlicet pœnitens aut inducat directè eos ad Sacramentum adminiſtrandum, aut ſine cauſſa rationabili eorum abſolutione vti velit, cùm poſſet alteri confiteri. Tunc enim peccat mortaliter, vel directè inducendo proximum ad peccatum (peccat enim ipſe Sacerdos, adminiſtrando malè in Excommunicatione Sacramẽtum) vel vtendo illius peccato, ad illudq; adeò offerendo occaſionem, nõ vrgente aliqua peculiari cauſſa. Et cõſequenter Confeſsio eſt inualida propter peccatũ mortale in ipſa commiſſum, de quo (vt pono) Confeſsio non fit. Secus autem, ſi ſubſit aliqua rationabilis cauſſa confitendi tali propter quam cenſeatur quis rectè & meritò poſſe ſui commodi ſpiritualis cauſsã lapſum proximi negligere: Vt ſi nimirum non poſſet alteri confiteri. Et idem eſt, ſi planè neſciens, illum eſſe excommunicatũ, aut alia Cenſura obſtrictũ, ipſi confiteris: tunc enim valebit Cõfeſsio & abſolutio, vt notat quoq; Nauarrus in Manuali, cap. 9.

SECVNDO erit etiam Confeſsio iteranda, ſi Confeſſario ordinaria vel delegata *iuriſdictio* defuit. Conſtat enim tunc neque abſolutionem, neque adeò Confeſsionem fuiſſe validam, vt patet ex his, quæ fusè de neceſsitate eiuſmodi iuriſdictionis quæſtione præcedenti dicta ſunt.

TERTIO

TERTIO, neque valebit procul dubio, ſi vel formam abſolutionis legitimam Confeſſarius non adhibuerit, vel intentionem non habuerit abſoluendi. Qui Caſus rariſsimus eſt.

QVARTO item, ſi Confeſſario vel ſcientia, vel prudentia neceſsaria, vt iuriſdictione vti poſsit, defuerit: quæ ſcientia & prudẽtia qualis eſſe debeat, quæſt. præced. etiam explicuimus. Atq; hîc rectè monet Nauarrus in Manuali, cap. 9. nu. 9. duplici via poſſe prudentem Confeſſarium dignoſcere, quando pœnitentis Confeſsio antè facta fuerit inualida ob imperitiam eius, cui facta eſt. Primò, ſi hominis inſcitiam alioqui perſpectam habuerit. Secundò ex ipſo etiam diſcurſu, quem habet pœnitens in Confeſsione: Vt ſi grauia peccata non intellexerit antea ex priori Confeſſario eſſe mala, vt v. g. fornicationem, vel omiſsionem Communionis in Paſchate, & ſimilia.

In quibus igitur Caſibus ob defectus vel POENITENTIS, vel CONFESSARII, Confeſsio ſit iteranda, ita ſit hactenus expoſitum. Qua de re duo ad extremum ſunt hîc annotãda. PRIMVM eſt, quamuis cùm Confeſsio extra eiuſmodi Caſus fuit valida, nunquam debeat neceſsariò iterari, vt ſuprà conſtituimus; poſſe tamen eam quandoque iuxta perſonæ conditionem & conſilium Confeſſarij, varias ob cauſſas & licitè & vtiliter iterari, vt inter cæteros fusè ac diligenter confirmat Caietanus tomo 1. ſuorũ opuſcul. Tractatu 5. de Confeſsione, quæſt. 4. atq; etiam Ioannes Medina in Codice de Cõfeſsione, quæſtione 25. Neque de hoc iam eſt apud Catholicos vlla controuerſia: tametſi Scotus olim in ea parte non rectè de vtilitate eiuſmodi repetitarum Confeſsionum ſenſerit, quem abundè cõfutant citati authores.

ALTERVM eſt. Quandocunque propter aliquem defectum ex ſuprà dictis, Confeſsio iterari debet, eam ſi non eidem Confeſſario, ſed alteri fiat, omnino de integro & in ſpecie repetendam eſſe, vt ſine controuerſia omnes notant. Si autem eidem Confeſſario facienda ſit, diſtinguendum eſt. Nam ſi Confeſſarius recordatur peccatorum, quæ prius audiuit & pœnitentiæ quam antea impoſuit, ſatis erit dicere in genere: Confiteor tibi de iis, quæ antea dixeram, &c. vt Nauarrus cap. 9. num. 16. & alij communiter notant.

Si autem peccatorum quidẽ ſit oblitus Confeſſarius, recordatur autem pœnitentiæ quam impoſuit, atque adeò ſtatus (aliquo modo) in quo iudicauit eſſe pœnitentem; tunc etiam ſatis erit ſimiliter in genere Confeſsionem repetere, iuxta ea, quæ rectè de hoc notant Paludanus in 4. diſt. 17. q. 5. art. 3. & Nauarrus loco citato.

Si autem & peccatorum & pœnitentiæ (atque adeò ſtatus pœnitentis) Confeſſarius oblitus ſit; tunc etiam opinatur Adrianus in 4. quæſt. 4. de Confeſsione. §. *Sipetas*, & Ioannes Medina, quæſtione 24. de Confeſsione, ſatis fore, accuſare ſe in genere de iis, quæ antea quis dixerat, eratque confeſſus. Et probant hoc Adrianus & Medina: Quòniam inprimis vt abſolutio ſit valida, non eſt in Confeſſario neceſsaria memoria peccatorum, à quibus abſoluturus eſt: Vt patet inquiũt, ſi quis vt magis ſuæ conſcientiæ ſatisfaceret, inſtitueret prolixam multorum dierum Confeſsionem, ita, vt in fine Confeſſarius eſſet iam oblitus eorum peccatorum, quæ antè in progreſſu audiuerat: neque enim tunc teneretur pœnitens eadem peccata repetere. Deinde quod ad pœnitentiam attinet, ex eo contendunt non requiri eius recordationem, quia non ſit abſolutè neceſsarium pœnitẽtiam imponi; vel acceptari à pœnitente. Quod ſi velit quidem pœnitẽs per conuenientem pœnitentiam à Confeſſario impoſitam, ſatisfacere; tum quidem debere peccata, quorum ſit Confeſſarius oblitus, repeti, vt id rectè fiat.

Cæterùm hæc ſententia procedit ex illo fundamento de non neceſsariò imponenda & acceptanda pœnitentia, quod vel nimis incertum, vel etiam omnino falſum eſt, vt poſtea ſuo loco videbitur. Quare ſequenda eſt alia ſententia communis, nempe ſi Confeſſarius non modò peccatorum, ſed etiam pœnitentiæ, quam iuſtè antea impoſuerat, oblitus ſit, Confeſsionem debere in ſpecie repeti, vt ſenſit Paludanus in 4. diſtinct. 17. quæſt. 5. art. 3. & Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. & Sylueſter Verbo Confeſsio 1. q. 3. & alij.

Cui ſententiæ addit Nauarrus ſatis probabiliter cap. 9. num. 16. tantundem fore, quod ad hoc propoſitum attinet, ſi ſaltem recordetur Confeſſarius in confuſo & in genere eius ſtatus, in quo antea cognouerat fuiſſe pœnitentẽ: tunc enim non oportebit in ſpecie repetere Confeſsionem: quia vel non errabit tunc Confeſſarius, vel certè non notabiliter errabit in actu illo Iudiciali fori interni; Sed imponet pro peccatis præteritis cõuenientem & iuſtam (arbitrio ſuo) pœnitentiam; habito videlicet reſpectu ad priſtinum peccatoris ſtatum à ſe antea cognitum. Quod mihi etiam probabiliter ita defendi poſſe videtur, cùm debeat alioqui Confeſsionis onus, quoad fieri poteſt, reddi leuius.

Quòd ſi Ioannes Medina in hoc caſu, cùm ſcilicet Confeſſarius ſaltem in genere, recordatur *ſtatus* pœnitentis, voluit opinionem ſuam intelligi; non malè ſenſit, vt etiam annotauit Nauarrus: quamuis tunc quidem vti non debuit illo ſuo fundamento de non neceſsariò imponenda & acceptanda pœnitentia.

QVAESTIO

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Confessionis Effectu.

Supplement. D. Thom. quæst. 10.

MATERIA HVIVS QVAESTIONIS PERSPICVA EST EX IIS, quæ suprà à nobis tractata sunt quæst. 3. Itaque breuissimè dicendum est, Quinam & quales sint Effectus Confessionis,

PVNCTVM VNICVM.

Quinam & quales sint Effectus Confessionis.

D. Thom. artic. 1. & seq.

SCIENDVM EST, CONFESSIONEM Sacramentalem illos ipsos effectus habere, quos habet ipsum Sacramentũ Pœnitentiæ. Nam cùm Confessio sit Sacramenti pars; ipsa certè inadæquatè operatur, quod operatur adæquatè ipsum totum Sacramentum. Porrò quinam sint ipsius Sacramenti effectus, fusè suprà quæst. 3. & deinceps docuimus.

Quemadmodum igitur Sacramentum Pœnitentię delet, peccata etiam *mortalia*, & remittit aliquid de *pœna temporali* debita, habetque adeò alios Effectus cum his cõnexos, sicut suprà exposuimus: ita & ipsa Confessio; Id quod clarè exponit D. Thomas hîc in quinque articulis huius Quæstionis. Vbi inter cætera docet, quẽadmodum Confessio liberet à morte peccati, aperiat paradisum, afferat spem salutis, &c. Totum enim hoc, quicquid est eiusmodi effectuũ, reipsa est consequenter cõiunctum cum remissione peccati mortalis, quoad *culpam*, & aliqua etiam ratione quoad *pœnam*: quæ remissio est primarius effectus Sacramenti Pœnitentiæ, atq; adeò Confessionis.

Vnde Patres, vt vtilitatem hanc omnem & efficaciam Confessionis commendent, rectè comparare solent confitentẽ cum ægroto prouido ac sapiente, qui morbum suum medico patefacit, & ita demum salutis compos fit. Vt cùm ait S. Gregorius NYSSENVS oratione in eos, qui acerbius alios iudicant: *Audaciter ostende Sacerdoti, quæ sunt recondita: Animi arcana tanquam occulta vulnera medico retege.*

Et S. HIERONYMVS in caput 10. Ecclesiastæ: *Si quem*, inquit, *serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno interfecerit; si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri; Magister, qui linguam habet ad sanandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus suum medico confiteri, quod ignorat medicina nõ curat.* Similia alij citati suprà quæst. 9. punct. 2.

Notat autem & illud rectè in artic. 5. D. Thomas, quamuis eadem Confessione obtineatur remissio illorum etiam peccatorum, quæ quis oblitus est; debere tamen ea, cùm in memoriam redierint, in Confessione exponi, eò quòd oporteat ipsa etiam subiicere iudicio Confessarij, & potestati Clauium *directè*, sicut ex superioribus satis patet. Nec aliud superest notandum in hac Quæstione.

QVÆSTIO DECIMA TERTIA.

De Sigillo Secreti in Confessione seruando.

Supplem. D. Thom. q. 11.

SIGILLVM SECRETI CONFESSIONIS IN PROPOSITO vocamus per Metaphoram obligationem illam, qua secretò teneri debent, quæ sunt cognita ex Confessione Sacramentali, vt D. Thomas hîc art. 3. & alij Doctores notant. Et ratio Metaphoræ est, quòd quemadmodum Sigillo aliquid obsignatur & clauditur: ita etiam illa obligatio facit, vt id celetur, quod euulgare non licet.

Quare PRIMO *in hac Quæstione explicandum est, Quo iure constet illud Sigillum.* SECVNDO, *Quinam eo Sigillo obligati sint.* TERTIO, *Quàm latè pateat istud Sigillum, hoc est, quàm multa in illud cadant.* QVARTO, *Vtrum omnino fieri possit aliqua ratione, vt manifestare, quæ sunt in Confessione cognita, non sit contra Religionem huiusmodi Sigilli.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quo Iure nitatur Sigillum Confessionis

D. Thom. artci. 1.

CONVENIT INTER OMNES, OBligationem istius Sigilli triplici Iure contineri, nempe naturali, diuino, & humano. NATVRALI quidem duplici ratione, vt inter cæteros rectè explicat Ioannes Medina, quæst. 45. de Confessione. *Primò*, ne proximi fama lædatur. *Secundò*, ne quid committatur contra fidelitatem. Sacerdos enim, cui confidenter & in secreto peccata tua exponis, quique proinde secretò illa accipit, iure quodam fidelitatis tenetur eadem celare, sicut etiam tacitè saltem promittit, id se facturum.

Iure autem DIVINO positiuo existit etiam hæc Sigilli obligatio duplici ratione. *Primò*, quoniã hoc ipso, quòd Christus instituit & præcepit Confessionem peccatorum fieri, censetur etiam instituisse & præcepisse illam fieri eo modo, quo possit commodè ab ipsis hominibus, illorum natura atq; conditione spectata, vsurpari. Ad hunc autem modum inter cætera illud quoque secretum earum rerum, quæ in Confessione patefactæ sunt, vel maximè pertinet. Nam si ea, quæ sunt in Confessione dicta, euulgare liceret; communiter homines à Confessione facienda deterrerentur. Quemadmodum simili ratione suprà ex ipsa etiã institutione & præcepto Cõfessionis colligebamus, iure diuino (saltem per quandam rationis consequentiam) debere ordinariè quidem fieri Confessionem non publicè, sed secretè: quoniam hoc ipsum necessarium est, vt attentâ hominum natura Confessio ritè fiat.

Secundò apparet, obligationem hanc Sigilli ex Iure diuino existere ea etiam ratione, quòd scandalum aliis præbere, præsertim vt violent præceptum diuinum, Iure diuino est prohibitum, vt constat ex multis Scripturæ locis. At qui Confessionem reuelaret, is scandalum hominibus præberet, vt præceptum ipsum de Confessione facienda, quod est Iuris diuini, violent: siquidem deterrerentur tunc homines à Confessione, vt antè dictum est. Ergo Iure diuino maximè prohibita est illa reuelatio Confessionis, sicut rectè Ioannes Medina in dicta quæst. 45. hinc argumentatur.

Affert autem etiam Diuus Thomas hîc articulo primo, rationem aliam sanè congruentem, cur ipsamet Religio huius Sacramenti, atque adeò diuina illius institutio Secretum huius Sigilli planè requirat. Sacerdos enim audiendarum Confessionum munere fungitur non vt homo; sed planè vt Vicarius Dei, atquè adeò vt Deus (sicut Diuus Thomas, & alij Doctores in hac materia loqui solent) hoc est, exequitur illud officium, nomine & loco Dei, quẽadmodum rectè præ cæteris Sotus distinctione decima octaua, quęstione quarta, articulo quinto, modum istum communem loquendi interpretatur. Igitur omnino est consentaneum, vt Sacerdos celandis iis rebus, quas in Confessione cognouit, Deum ipsum imitetur, qui peccata pœnitentis nequaquam palàm facit; sed eorum potiùs, vt est apud Ezechielem, cap. 18. postquam ingemuerit *peccator*, veluti *obliuiscitur*, eaque tegit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atque hoc est, quod vult D. Thomas, cùm dicit, in hoc Sacramento id debere actione Sacerdotis significari, quod fit interiùs à Deo; ac proinde sicut pœnitens ita Deo se subiicit, vt Deus tamen illius peccata non pandat, sed tegat: sic etiam Sacerdotem debere pœnitentis Confessionem, cùm se is in Confessione illi subiicit, audire, vt etiam quę audit, seruet secretò. Quæ profectò ratio Diui Thomæ licet per se non conuincat, neque demonstratiua sit (non enim est illud prorsus necessarium, quod Diuus Thomas sumit, illum etiam modum subiectionis pœnitentis erga Deum debere in hoc Sacramento significari) est tamen congruentissima, hoc est, ostendit, meritò alioqui sigillum Secreti ad huius Sacramenti Religionem additum esse Iure diuino; vt rectè Sotus in dicto articulo quinto defendit contra Durandum, qui in quarto, distinct. 21. quæstione quarta hanc rationem Diui Thomæ perinde oppugnat, ac si D. Thomas voluisset per illam penitùs demóstrare Sigilli obligationem.

Præterea Iure etiã HVMANO constare istam obligationẽ Sigilli, patet ex Cap. *Omnis vtriusq; sexus.* de pœniten. & remission. Vbi inter cætera sic præcipitur: *Caueat Sacerdos, ne verbo, vel signo, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem.* Quo etiam loco pœna *depositionis & perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monasterio peragendæ* constituitur iis, qui Sigillum id violent.

Atque item in Can. *Sacerdos.* de Pœnitentia, dist. 6. Gregorius sic præcipit: *Sacerdos ante omnia caueat, ne de iis, qui ei confitentur, peccata sua alicui recitet, quod ea confessus est: non propinquis, non amicis, non extraneis, neque quod absit, pro aliquo scandalo. Quod si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* Hactenus Gregorius. Ea tamen pœna *peregrinationis*, tanquam minùs expediens, in alteram illam pœnitentiæ in arcto Monasterio fuit postea commutata, vt Sotus distinct. 18. quæst. 4. artic. 5. & alij notârunt.

Quòd si iam quærat aliquis, ad quodnam peccati genus violatio istiusmodi Sigilli propriè pertineat: respondendum est, quatenus Sigillum id quidem est illius Iuris *diuini*, quo instituta est ipsa Confessio, itemque Iuris *humani*, propriè esse *Sacrilegium*, contra Virtutem videlicet Religionis. Huius namque Virtutis caussa & respectu, tum Ius illud diuinum, tum Ius humanum requirit necessariò illud Secretum. Vt scilicet sanctitas religioque diuini cultus, qui est in isto Sacramento, consistere possit. Atque ad hanc quidem deformitatem Sacrilegij, quæ est in hoc peccato, potissimùm Doctores attendere solent, & inde simpliciter illud nominant Sacrilegium.

Si autem consideretur id peccatum, vt est etiam contra Ius *naturale* de fidelitate seruanda, & de fama proximi non lædenda; sic quidem & *Infidelitatis* cuiusdam & *Detractionis* rationem habet. Quinimò ex ea parte est etiam contra debitam proximo charitatem: quoniã illum scandalizat, vt ante expositum est. Quo Iure igitur nitatur sigillum Confessionis, & quale peccatum sit, illud violare, ita sit hactenus in primo Puncto explicatum.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quinam sint obligati ad Confessionis sigillum.

D. Thom. artic. 3.

STATVENDVM EST, non modò Sacerdotem, sed etiam quemcunque alium, qui quouis Casu ex Confessione aliquod peccatũ cognoscat, teneri Iure diuino id celare; tametsi non vsque adeò strictè, atque Sacerdotem ipsum. Ita docet Diuus Thomas hîc articulo tertio, & cõfirmat Sotus distinctione decima octaua, quæstione quarta, articulo quinto, conclusione quarta, & Nauarrus in Manuali, capite octauo, num. 7. & Ioannes Medina quæst. 46. de Confessione, & alij communiter.

Ac ratio huius est: Quoniam obligatio celandi ea, quæ ex Confessione Sacramentali cognita sint, tam latè patet, quàm est necesse, vt Religio & vsus huius Sacramenti inter fideles commodè conseruetur. At propter istum finem omnino necesse est, vt quicunque alij etiam præter Sacerdotẽ cognoscunt ex Cõfessione quidpiam secretò, id celent. Ergo ad hoc etiam ipsa obligatio secreti seruandi pertinet. Maior patet ex puncto præcedenti. Minor probatur. Quoniam similiter redderetur Cõfessio hominibus odiosa, si iis, qui quouis Casu eam cognoscerẽt, propalare liceret.

Diximus tamen, *non vsque adeò strictè alios* teneri hoc Sigillo, atque ipsum Sacerdotem: quoniam ipse quidem Sacerdos, sicut est minister istius Sacramenti; ita multò magis tenetur ad ea, quæ pertinent ad illius conseruationem. Item, quoniam tenetur is ad hoc Secretum illa ratione peculiariter, qua est *loco Dei*, debetque adeò in ea re, sicut puncto præcedenti diximus, secretum ipsum diuinum imitari & significare. Denique Sacerdos ad id etiam tenetur speciali Iure *humano*, vt antè vidimus, & sub peculiaribus pœnis, quæ non sunt similiter decretæ aliis, qui Confessionem aliquo casu cognitam reuelarent.

Atque propter has quidem causssas simpliciter dicit hîc Diuus Thomas articulo tertio, & alij quoque Doctores dicere solent, teneri quidem alios præter Sacerdotem seruare secretò, quæ cognouerint ex Confessione, sed non illo

eodem Sigillo Confessionis, quo tenetur Sacerdos, hoc est, non ita *sacro & stricto* Sigillo teneri, sicut ipse Sacerdos tenetur. Ita enim loquendi iste modus Doctorum intelligi debet. Etenim minimè alioqui negandum est, quin præceptum diuinum, quo propter sanctitatem etiam ipsius Sacramenti, tenentur tales seruare secretum, sit præceptum Virtutis *Religionis*; ita, vt absolutè quidem *Sacrilegij* peccatum ij etiam committant, si faciant contra id præceptum: tametsi non tam magnum Sacrilegium id erit, quàm illud, quod Sacerdos ipse reuelando Confessionem committit.

Quod idcirco noto, vt cautè legatur Sotus loco citato, vbi absolutè videtur negare, Sigillum illud, quo alij præter Sacerdotem tenentur, esse *sacrum*, & eius violatores *sacrilegos*. Si enim tantummodò vult, non ita, neque tot nominibus Sigillum id esse sacrum, atque Sigillum, quo ipse Sacerdos tenetur; rectè dicit, & id fòlùm euincunt illa, quæ disputat ad eius rei confirmationem. Si autem omnino vult, esse Sigillum non pertinens ad Virtutem Religionis, quod proinde violare, minimè *Sacrilegij* peccatum sit; falsum est, quod dicit. Tenentur enim procul dubio tales seruare secretum propter ipsam etiam sanctitatem huius Sacramenti, atque adeò ex Virtute Religionis, cuius ea sanctitas obiectum est: quam proinde Virtutem sacrilegè violant, si id secretum reuelent: tametsi nõ perinde, atque Sacerdotes, ob id puniantur ab Ecclesia, vt antè dictum est.

PVNCTVM TERTIVM.

Quàm multa cadant in Confessionis Sigillum.

D. Thom. artic. 2.

VT de variis Casibus particularibus in hoc genere ex certo aliquo cõmuniq́ue principio iudicari possit, hæc quasi REGVLA ex sententia omnium tenenda est. Obligatio Sigilli non modò ad ipsa peccata pertinet, sed etiam ad quiduis aliud in Confessione cognitum, cuius quidem propalatio meritò possit per se reddere Cõfessionem hominibus grauem & odiosam; atque etiam quidquid est eiusmodi, eatenus secretò seruandum erit, quatenus oportet, ne homines alioqui meritò à Confessione deterreantur.

Ratio huius Regulæ, tum quoad res ipsas secretò seruandas, tum quoad modum secretò illa seruandi, satis iam ex dictis patet. Cùm enim eò pertineat omnis hæc obligatio Sigilli, vt Religio & praxis Sacramẽtalis Confessionis commodè consistere inter homines possit; ad ea omnia se extendit, quorum euulgatio obstaret huic fini: itemq́ue ad omnem illum seruandi secreti modum, qui eundem ad finem est requisitus. Atque ex hac quidem Regula quædam magis particularia cõsequuntur, ex quibus poterit facilè fieri iudicium in hac materia de similibus.

PRIMO igitur sequitur, vi huius Sigilli non ea solùm celanda esse, quæ cognita sint ex Confessione Sacramentali, quæ *reuerà Sacramentalis* fuerit integrè & perfectè, ita scilicet, vt per eam aliquis adimpleuerit præceptum ipsum de Cõfessione facienda; sed etiam illa, quæ pœnitens cœperit dicere, animo perficiendi Confessionem verè Sacramentalem, tametsi aliquo casu postea demùm accidat, vt ea non sit verè Sacramentalis, propter aliquem videlicet defectum. Ratio est: Quoniam si ea etiam Confessarius patefaceret, hoc ipso quoq; redderet meritò Confessionem hominibus odiosam.

Non autem erunt celanda ex Confessionis Sigillo illa, quæ aliquis alteri, vel Laico, vel etiam Sacerdoti dicit, se velle significare sub Sigillo Confessionis, cùm id tamen non facit animo tunc faciendi Sacramentalem Confessionem, etiamsi alioqui ad maiorem cæremoniam præmitteret Confessionem generalem, aut genua flecteret, facto signo Crucis, &c. vt rectè Sotus distinct. 18. quæstione quarta, articulo quinto, & Nauarrus in Manuali, capite octauo, numero 17. notârunt. Et ratio est clara. Quoniam vt aliquid ex vi ipsius Sigilli Confessionis necessariò celandũ sit, non pendet ex sola voluntate hominis, qualiscunque demùm adhibeatur protestatio & cæremonia; sed requiritur ad id inprimis ipsa etiam actus circumstãtia, vt scilicet aliquis tunc faciat aut facere incipiat Sacramentalem peccatorum Confessionem. Quæ tamen ita dicerentur sub secreto, celari quidem deberent ex *fidelitate*, sed non ex illo Confessionis Sigillo.

SECVNDO sequitur, illum etiam violare hoc Sigillum, qui rem aliquam pœnitenti ignominiosam in Confessione cognitam, licet per se ipsa non sit peccatum, aliis reuelat. Vt quòd sit natus sordidis aut infamibus parentibus, aut non ex legitimo Matrimonio, sicut rectè notauit Sotus in dicto artic. quinto. Et ratio est eadem. Siquidem hoc etiã faceret Confessionem odiosam.

TERTIO sequitur, illum etiam violare Sigillum, qui licet verbis quidem non dicat peccata pœnitentis; tamen aliquid aliud, aut dicit, aut facit, aut insinuat, ex quo possint alij ea cognoscere. Id enim perinde est, quod ad propositum attinet, ac si disertis verbis rem propalaret. Itaque ne verbo, aut signo, aut quouis alio modo persona indicetur, districtè ab Ecclesia in Canonibus, suprà citatis præceptum est.

QVARTO sequitur, quadam etiam ratione Sigillum Confessionis violare eum, qui cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

eodem ipso pœnitente postea extra Confessionem tractat de peccatis in Confessione auditis, vt rectè notauit Sotus in dicta quæstione quarta, articulo sexto. Quia id etiam est per se graue & odiosum pœnitenti. Quòd si verò error aliquis in Confessione commissus fuit, ob quem videatur omnino fuisse absolutio inualida; debet tunc Confessarius id in genere significare pœnitenti, vt vel ex eius licentia possit cum eodem in specie de ea re agere, vel rursus ille, si velit, confiteatur: sicut rectè monet Sotus. Quod si neutrum ille voluerit facere, sibi imputabit.

QVINTO sequitur, minimè eum violare Sigillum, qui tantùm dicit absolutè, hunc aut illum sibi *confessum* fuisse, aut de *venialibus* peccatis esse sibi confessum; aut si in genere diceret, Confessum sibi fuisse de *suis peccatis*. Ita Sotus dicta quæstione quarta, articulo quinto, conclusione tertia, & Nauarrus capite octauo, numero 12. & alij communiter. Et ratio est: Quoniam iis modis nihil dicitur, quod meritò reddat odiosam, aut magis difficilem Confessionem, quàm alioqui est ipsa per se. Constat enim aliàs omnibus, eum, qui confitetur, hoc ipso habere aliqua peccata, quæ confiteatur. Nec si dicas, illum habuisse peccata *venialia*, aliquid dices graue & ignominiosum; sed potiùs quod ad commendationem quandam pertinet, cùm alioqui necesse sit, *saltem venialia* confiteri, si quis confitetur, idque sit in hoc genere minimum.

Itaque Nauarrus loco citato putat, non violare Sigillum, eum, qui diceret: Audiui Confessionem talis, qui me suis minutissimis peccatis fatigauit, vt solet. Secùs, si aliquod in specie peccatum veniale reuelaretur: hoc enim communiter omnes negant licere: Quia quòd hoc vel illud peccatum veniale quis cõmiserit, non alioqui constat hoc ipso, quod confitetur. Itaque id manifestare, per se odiosum est.

Quod si quis duorum Confessiones audiuisset, non liceret de vno singulariter, tacendo de altero, dicere illum quidem venialia tantùm fuisse confessum. Hoc enim ipso significares, alterum fuisse confessum peccata mortalia, atque adeò violares Sigillum: nam significare aliquem fuisse confessum peccata mortalia, contra Sigillum est secundùm omnes.

Ponit etiam Nauarrus in dicto capitulo octauo, numero vndecimo, vnum Casum, in quo non liceret absolutè dicere, aliquam personam esse tibi confessam, si videlicet illa persona iustam habet causam, cur velit tibi occultè confiteri peccatum aliquod, & non alteri. Vt si verbi gratia, vxor fratris Parochi, quæ solita est Parocho confiteri, commisit adulterium, & timens, ne fortè Parochus illud reuelet fratri, confiteatur id peccatum alicui alteri occultè, vt postea sine periculo possit alia peccata more solito Parocho confiteri. Tunc sanè non liceret illi alteri Confessario dicere, eiusmodi mulierem esse sibi confessam: Veniret enim ea tunc facilè in aliquam suspicionem apud maritum, vel Parochum.

SEXTO sequitur, non violari Sigillum ab eo, qui tantùm ipsa per se peccata audita in Confessione ita dicit, vt neque directè, neque indirectè personam indicet, nec possint alij vllo modo venire in notitiam eius. Ita Sotus loco citato contra Panormitanum, in Cap. *Omnis vtriusque sexus*, & Nauarrus vbi suprà numero duodecimo, & alij communiter notant. Ratio est: Quoniam tunc nulli debet propterea Confessio fieri onerosa, cùm nullus manifestetur. Et quòd *peccata ipsa* sint celanda, satis etiam in ipso Cap. *Omnis.* indicatut, hoc debere intelligi cum relatione quadam ad ipsam *personam*, nempe vt eatenus celentur, quatenus id sit necesse & sufficiat, ne cognoscatur persona.

In hac tamen re cauendum etiam est infirmorum scandalum, quod fæpe sanè oritur, cùm audita peccata in Confessione commemorantur coram iis, qui ea sunt confessi. Facilè enim ij putant, Confessionis Sigillum tunc violari. Quamobrem prudenter monet Sotus, Confessarios Principum aut aliorũ Magistratuum, non debere loqui de peccatis, quæ committuntur in Reipublicæ gubernatione.

Atque etiam rectè idem author censet communiter facere imprudenter & scandalosè eos, qui in genere dicunt, se talia & talia peccata audiuisse in Confessione: licet non ideo quidem Sigillum violatur, si nullo modo indicetur singularis persona. In casu autem aliquo, quando id alicuius vtilitas postulare videretur, posset etiam, necessariâ cautela adhibita, quis dicere in genere, se tale vel tale peccatum aliquando audiuisse in Confessione, vt satis indicat Nauarrus dicto cap. 8. num. 12. qui bene ac prudenter hac de re loquitur.

SEPTIMO sequitur, non violare Sigillum eum, qui audita Confessione alicuius *publici* peccatoris, quem non absoluit, dicit, se illius Confessionem audiuisse, & *feciſſe ſuum officium*: quod ita cautè respondendum esse, cùm aliquis fortè interrogatur, rectè monent Nauarrus, Sotus, & alij. Tunc enim nihil ampliùs dicit Confessarius, quàm id, quod alioqui scitur, hoc ipso quod Confessionem quis audit. Constat enim debere illum tunc fungi suo officio, siue absoluendo, siue non absoluendo.

Vtrum autem violaret aliquis Sigillum, si diceret determinatè, se aliquem *non absoluiſſe*, nonnulla QVAESTIO est. Quia cùm soleat etiam propter alias causas, quàm propter impœnitentiam non dari absolutio (vt cùm differtur, &c.) non ideo videretur talis significare, peccatorem esse impœnitẽtem, vt Caietanus ad hanc rem in Summa, Verbo *Confeſſori neceſſaria*, argumentatur.

Sed

Sed nihilominus tamen tenendum est, violari ea ratione Sigillum, ac proinde non licere ita absolutè dicere, vt rectè Sotus in dicto articulo quinto, & Nauarrus in Manuali, capite octauo, numero decimo quarto, & tandem etiam ipse Caietanus loco citato definiunt. Etenim quando absolutè dicit Confessarius: Ego illum non absoluo: communiter ingeneratur aliis opinio de confitentis impœnitentia. Secùs, si diceret, se non absoluisse, quia nondum esset Confessio completa, aut adderet quid simile.

OCTAVO sequitur, violare Sigillum eum, qui ob *ſolam notitiam*, quam de pœnitente in Confessione accepit, aliquid postea circa illum facit, quod vel aliis, vel saltem ipsi pœnitenti, videri possit propter nullas alias causas facere; sed tantùm propter illa, quæ de pœnitente cognouit in Confessione. Vt verbi gratia, si Prælatus intelligens in Confessione munus aliquod esse periculosum pœnitenti subdito, illum deponat ab eiusmodi officio, aut ei non det suum suffragium ad illud, concurrentibus talibus circumstantiis, vt videri possit, sicut dixi, hoc facere propter solam illam notitiam in Confessione acceptam.

Quin etiam si hoc facere, videri quis posset propter alias causas: quamuis tunc quidem non violaretur Sigillum iuxta doctrinã D. Thomæ hîc articulo primo ad quartum, & aliorum cõmuniter, cùm nullo modo talis indicaret tũc, se audiuisse in Confessione peccatum tale eiusmodi personæ: siquidem id quod facit, videri posset, vt pono, facere, propter alias varias causas: tamen aliundè arbitror, esse illicitum, ob solam notitiam Confessionis, tale aliquid erga pœnitentem facere. Nempe quia hoc ipso redditur Confessio non parùm odiosa, atque adeò tractatur irreuerenter. Deterrerentur namque pœnitentes à Confessione facienda iis, quos scirent, vel eo etiam modo notitiâ Cõfessionis erga se vsuros.

Quod si ad aliquid simile faciendum aliæ causæ reuerà suppetant, & id ipsum notum esse possit; licebit propter illas solas facere; neque erit tunc opus niti ipsa notitia Confessionis.

NONO sequitur, non violari Sigillum ab eo, qui peccatori publico, accedenti ad Eucharistiam, quem ipse antè audiuit, & propter impœnitentiam non absoluit, Sacramentum negat, ita inquiens: Iste, quantum quidem apparet, adhuc manet in suo peccato, neque facit pœnitentiam publicam. Itaque cùm alioqui fuerit hactenus peccator publicus, mihi non est integrum, ipsi nunc Sacramentum administrare, donec publicè etiam ostendat, esse se verè pœnitentem.

Ita rectè Caietanus, Verbo *Confeſſori neceſſaria*, & Nauarrus in Manuali, capite octauo, num. 11. Et ratio est: Quoniam qui ita diceret, id solùm diceret, quod alioqui sciunt, aut probabiliter suspicantur omnes. Non tamen liceret determinatè ac peculiari quadam cum asseueratione affirmare, illum omnino nolle pœnitentiam agere, vel in peccato manere constituere: quasi hoc videlicet tu, qui illius Confessionem audiuisti, certiùs nõris, quàm alij, apud quos ille tantum laborat infamia publica. Si enim ita diceres, reuelares hoc ipso id, quod propriè cognouisti in Confessione, atque adeò Sigillum violares, vt rectè Caietanus loco citato monuit. Atque ex his quidem, vt initio dixi, poterit fieri iudicium in vtramuis partem de similibus Casibus particularibus.

PVNCTVM QVARTVM.

Vtrum fieri poſſit aliqua ratione, vt manifeſtare, quæ ſunt in Confeſſione cognita, non ſit contra Religionem huiuſmodi Sigilli.

D. Thom. artic. 4. & 5.

COMMVNIS omnium sententia est, vnicum tantùm esse Casum, in quo reuelare Confessionem liceat sine peccato contra Sigillum. Ille est, cùm *pœnitens* ipse spontè, siue id quidem vltrò, siue ex iusta causa rogatus, *facit potestatem* Confessario, alicui alteri manifestandi, quod in Confessione audiuit.

Tunc enim omnino id facere licet, vt docet Diuus Thomas hîc articulo quarto, & confirmat rectè Ioannes Medina, quæst. 49. de Confessione, & Sotus distinct. 19. quæstione quarta, articulo quinto, & Nauarrus in Manuali, capite octauo, numero 15. & alij communiter. Quicquid contrà senserit Alexander Halensis quarta parte, quæst. 78. membro secundo, articulo tertio, & Scotus in quarto, distinct. 21. quæstione secunda, §. *Ad argumenta.* & Durandus eadem distinctione, quæstione quarta, num. 9. qui putauerunt, id non licere, nisi rursus pœnitens illud idem narret Confessario extra Confessionem, vt Confessarius eo modo illud iam sciat *vt homo*, & ita possit illud dicere.

Cæterùm rectè ait Sotus, hoc, quod isti authores requirunt, esse cæremoniam superuacaneam & metaphysicam. Etenim hoc ipso, quòd facit pœnitens Confessario potestatem, vt aliquid dicat; iam illud ei significat vt homini, hoc est, vt possit aliis etiam dicere, tametsi in specie id iterum Confessario non repetat, quemadmodum ipse etiam S. Thomas hîc art. 4. satis apertè explicauit.

Ratio igitur, cur absolutè liceat de facultate pœnitentis, quod est in Confessione cognitum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

reuelare, eſt: Quoniam tunc iam ſcit illud Confeſſarius *vt homo*, ſicut iam dictum eſt, & præterea non facit ea re odioſam Confeſsionem, ſiquidem ipſo pœnitente conſentiente manifeſtat, quod in ea nouit: atque ita ſanè tunc ceſſat omnis cauſſa Sigilli.

Extra hunc autem Caſum, vt diximus, nullo modo licet, quod aliquis tantùm in Confeſsione cognouit, reuelare; ne propter ſeruandam quidem vitam propriam aut alienam; neq; etiam propter quemcunq; alium finem, quantumuis videatur ad bonum commune referri; vt latè inter cæteros perſequitur Ioannes Medina, quæſtione quadrageſima quinta de Confeſsione, reſpondens ad varia argumenta, quæ ex variis Caſibus peti poſſent, & contra hanc Aſſertionem obiici.

Ac fundamentum huius, ex quo non difficulter ad omnia huiuſmodi argumenta reſponderi poteſt, eſt: quia nullus eſſe poteſt finis, propter quem liceat facere id, quod *per ſe malum* eſt, qua ratione quidem eſt & perſeuerat malum. At manifeſtare, quæ ſunt in Confeſsione cognita, hoc ipſo per ſe, communi omnium iudicio, intelligitur eſſe malum, & prohibitum Iure diuino, quod ſine *conſenſu pœnitentis* fiat, ac proinde id poſsit, quantum eſt ex ſe, à Confeſsione ipſa facienda deterrere. Ergo propter nullum finem, neque prorſus in vllo caſu, licebit hoc facere: ſiquidem *non ſunt facienda mala, vt eueniant bona*, quantumcunque ſint magna bona. Itaque nec propter ſcandalum quidem vitandum id debere fieri, dicit Gregorius in Can. *Sacerdos.* de Pœnitentia, diſtinct. 6. vt ſuprà recitauimus. Atque hic eſt & fuit ſemper communis ſenſus & ſententia Eccleſiæ: nec debet hîc aliquis propter vllas ſpeculationes velle plus ſapere quàm oportet.

Quod ſi quis interroget Confeſſarium de ea re, quam in Confeſsione tantùm cognouit, vtrum illam ſciat; tunc quidem ſiue ille, qui interrogat, ſuperior ſit, ſiue æqualis, reſpondere licet, & iureiurando etiam confirmare ſecundùm omnes, *ſe neſcire*, nempe intelligendo, ſe neſcire vt hominem, qui poſsit deinde propalare.

Quin etiam ſi aliquis malitioſè interrogaret, vtrum ſcias in Confeſsione, atque adeò vtrum ſcias *vt Deus*; poteris etiam reſpondere & iurare, te neſcire, neque alterum eſſe tibi aliquid tale confeſſum, intelligendo ſemper, *vt dicas*, aut aliquâ aliam ſimilem amphibologiam in mente concipiendo; idque, vt dixi, iurare; ſicut rectè Nauarrus in Manuali, cap octauo, in fine definit, quidquid Sotus contra diſtinct. 18. quæſt. 4. artic. 5. dicat.

Non enim teneris tunc reſponſionem conformare vllo modo ad formam interrogationis intentionemque interrogantis: quin omnino potes illum deludere, dicendo videlicet aliquam aliam impertinentem veritatem, quam vel amphibologicis per ſe verbis explices, vel partim verbis exprimas, partim mente concipias. Neque verò id erit mendacium; ſed iuſta & licita diſſimulatio eius veritatis, quam iniuſtè alter nititur à te extorquere, vt latiùs contra Sotum ex ſententia Nauarri & aliorum, rem hâc totam confirmaui & explicui tomo 3. diſput. 5. quæſt. 13. punct. 2.

Ac viciſsim etiam licebit eodem modo pœnitenti eludere interrogantem ſe temerè, vtrum hoc aut illud dixerit Confeſſario. Similiter enim & pœnitens ius habet, vt ad auertêdum incommodum ſuum, diſſimulet vnam aliquam veritatem per ſignificationem alterius veritatis impertinentis, ſiue integram verbis ex ſe amphibologicis, ſiue partim verbis, partim mente conceptam.

NOTANDVM eſt hîc autem ex ſententia Diui Thomæ in hac quæſtione, articulo quinto, & aliorum omnium iam communi, atque etiam communiori olim, teſte eodem D. Thoma, quòd ſi quis illud idem, quod in Confeſsione cognouit, alia etiam via, ſiue ante, ſiue poſt Confeſsionem auditam intelligat, poteſt illud manifeſtare, non vt in Confeſsione cognouit, ſed vt à ſe aliâs cognitum. Quare vt communiter Doctores notant, non licebit dicere, ſe hoc audiuiſſe in Confeſsione, neque ita illud alioqui manifeſtare, vt putare alij poſsint, illum tantummodò in Confeſsione cognouiſſe: tunc enim iam manifeſtaret, vt in Confeſsione cognitum, atq; adeò violaret Sigillum.

Debet igitur id, quod & in Confeſsione, & alia via ſcitur, ita cautè, quando eſt neceſſe, manifeſtari, vt tantummodò ſicut aliâs cognitum dici videatur, vt rectè inter cæteros monuit Nauarrus in Manuali, capite octauo, numero 15. Atque ea quidê cautione adhibita, bene D. Thomas contra aliorum quorúdam opiniones iam obſoletas, ea ratione probat id licere, quoniam alioqui Iuſtitiæ rigor in Rebuſpub. neceſſarius multùm relaxaretur. Eſſet enim procliue iis, qui crimen aliquod conſcio Sacerdote commiſiſſet, illud eidem Sacerdoti confiteri, ne propalare poſsit, quantumuis à Magiſtratu requiſitus.

Accedit, quòd aliâs habet Sacerdos ius id crimen manifeſtandi, quod vel ante, vel poſt Confeſsionem alia via cognouit. Neque eſt ſanè ratio, cur propterea, quòd in Confeſsione audit idem crimen, ius illud amittat: quandoquidem Sigilli Religio conſtare poteſt, dummodo crimen non manifeſtetur, quatenus in Confeſsione cognitum eſt. Hoc enim poſito, non poteſt meritò propterea reddi Confeſsio pœnitenti odioſa: ſiquidem non quia in Confeſsione auditum eſt crimen, ſed quia aliâs eſt cognitum, manifeſtatur.

Quin

Quin etiam vt bene Sotus diſtinct. 18. quæſt. 4. articulo ſexto notat, non modò quando Confeſſarius alia via euidenter ſcit crimen, quod in Confeſsione audit, poteſt illud manifeſtare, ſed etiam *denunciare*, quando habet alioqui probabilia indicia, quòd aliquis inter confitendum, crimen aliquod admiſit. Vt ſi latro, inquit Sotus, ſurripiat inter confitendum clàm crumenam Sacerdoti, iſq; poſtea ſublatam tunc temporis ſibi crumenam eſſe animaduertens, dicat Iudici, tali hora & loco ſibi crumenam ſublatam fuiſſe, eoque tempore & loco hominem ſibi adfuiſſe, &c. Atque hoc patet inde, quòd tunc is Sacerdos manifeſtat tantùm indicia *aliàs* à ſe animaduerſa. Quod ſi verò vel crimen, vel indicia in Confeſsione tantùm cognita manifeſtarentur; tunc quidem non poſſet Iudex ad puniendum procedere, vt ex communi ſententia Nauarrus in Manuali, capite octauo, num. 7. notat: tanta eſt nimirum Religio huius Sigilli.

Atque hactenus de tota iſta materia Confeſsionis.

QVÆSTIO DECIMA QVARTA.

De Satisfactione, quæ eſt tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Supplement. D. Thom. quæſt. 12. vſque ad q. 15.

QVATVOR PVNCTA PRINCIPALIA ESSE ANIMADVERTO, quibus hæc tota de Satisfactione diſputatio comprehendi poſsit. PRIMVM eſt; Quid nomine Satisfactionis in propoſito intelligatur, atque adeò quæ ſit Satisfactionis ratio. SECVNDVM eſt; Vtrum Satisfactio ſit poſsibilis & neceſſaria. TERTIVM; Qualis omnino debeat eſſe Satisfactio; tum ex parte Satisfacientis, tum ex parte peccatorum, pro quibus ſatisfaciendum eſt; tum ex parte operum, per quæ ſatisfieri debet; tum denique ex parte modi, quo ſatisfacere oportet. QVARTVM; Quomodo ſit neceſſaria Satisfactio, id eſt, num ex peculiari aliquo præcepto, & ex quonam, Satisfactio fieri debeat.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid nomine Satisfactionis in propoſito intelligatur, & quæ ſit omnino Satisfactionis ratio.

D. Thom. quæſt. 12.

SI VIM OMNEM VOCABVLI SPECTEMVS, *Satisfacere* dici poteſt quicunq; in aliquo genere facit quantum debet. Nam & is, qui ſoluit debitum, ſatisfacere dicitur, & qui reſpondet etiam exſpectationi, quæ de eo eſt; & qui rationem ſufficientem reddit earum rerum, de quibus interrogatur. Quo pacto id vocabulum Satisfactionis à Diuo etiam Petro vſurpatum eſt, 1. epiſt. cap. 3. cùm admonuit, vt ſimus *parati ſemper ad Satisfactionem omni poſcenti nos rationem de ea, quæ in nobis eſt ſpe & fide.*

Paulò autem anguſtior eſt eius vocabuli ſignificatio, quatenus Satisfactionem appellamus compenſationem, quæ ſecundùm iuſtitiæ æqualitatem quandam fit alteri, non pro re aut beneficio accepto, ſed pro illata ipſi iniuria. Iuxta quem vſum vocabuli, Satisfactionê in propoſito noſtro appellamus *compenſationem offenſæ ſiue iniuriæ illatæ Deo per peccatum.* Atq; huius iam Satisfactionis ratio plenius explicanda eſt, vt ex illa deinde progrediamur ad controuerſiam, quæ exiſtit hoc loco de Satisfactionis poſsibilitate & neceſsitate, ſicut in puncto ſecũdo diſputandum erit.

Sunt autem duæ aſſertiones apud Catholicos ſine controuerſia certæ, ex quibus eiuſmodi ratio Satisfactionis ducitur: quæ proinde aſſertiones, antequam eam ratione exponamus, notandæ hoc in loco ſunt. PRIMA eſt, per peccatum mortale ita Deum offendi, vt non modò ſua gratia hominem is priuet, & ad pœnam æternã damni, id eſt, ad priuationem vitæ æternæ perpetuam, deſtinet, ſed etiam eidem decernat æternam quoque pœnam ſenſus, qua in inferno torqueatur; cùm tamen peccato veniali per ſe quidem non

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem non nisi temporalis pœna constituta sit.

Ratio autem huius assertionis est, Nam sicut in peccato mortali sunt duo, scilicet *auersio* à Deo, tâquam ab vltimo fine, & *conuersio* ad creaturam, quæ peruersè anteponitur Deo vltimo fini, ita oportuit, vt præter pœnam *damni*, quæ propria quadam ratione respondet illi auersioni, cõstituta etiam peccatori sit pœna *sensus*, quæ respondeat ratione quadam illi peruersitati, quę est in conuersione ad creaturam, iuxta illud Apocalyp. 18. *Quantum se glorificauit et in delitiis fuit, tantum date ei tormentorum, & luctus.* Porrò, propter infinitam offensam, quam illa peruersa cõuersione peccator intulit infinitæ Dei Maiestati, meritò etiam pœna sensus debet esse infinita, quam diu peccator in culpa ipsa peccati mortalis perseuerat. Neque tamen hæc pœna infinita esse potest secundùm cruciatus *intensionem*. Non enim finita hominis natura capax est infinitè intensi cruciatus. Quare reliquum est, vt sit decreta peccato mortali pœna sensus infinita secundùm *durationem*, atque adeò, vt diximus, æterna. Et hæc quidem prima assertio etiam conceditur communiter à Sectariis.

Secvnda Assertio est, inter pœnam æternam damni, & pœnam æternam sensus, quod attinet ad remissionem vtriusque, post Baptismum, hoc esse discrimen, quòd pœna æterna *damni* per se quidem hoc ipso tota remittitur, quòd remittitur peccatum mortale secundùm *culpam*, id est, secundùm illud malum priuationis gratiæ & amicitiæ diuinæ, quod homini attulerat. Pœna autem æterna *sensus* hoc ipso, quòd pẽccatum mortale quoad culpam remittitur, remittitur quidem secundùm *perpetuitatem* durationis, vt scilicet iam non sit luenda in inferno æterna; sed tamen non remittitur secundùm se tota simpliciter; quin immò lui adhuc debet *ad tempus*, breuius vel longius, pro ratione & grauitate peruersitatis, quæ fuit in ipsa peccati mortalis *conuersione*.. Quam rem totam fusè declarauimus, & probauimus contra Sectarios tomo 2. disp. 6. q. 17. p. 5. refutatis omnibus illorum obiectionibus.

Nvnc his ita positis, facilius ratio Satisfactionis intelligetur. Est autem illa eius descriptio tanquam omnium commodior & communior ponenda: *Satisfactio est compensatio pœnæ temporalis, debitæ ob iniuriam Deo per peccatum illatam, secundùm aliquam æqualitatem iustitiæ, & cum proposito saltem virtuali non peccandi imposterum.* Ita D. Thomas ferè etiam Satisfactionis rationem explicat hic in supplemento, q. 12. art. 3.

Dicimvs autem, Satisfactionem esse compensationem *pœnæ temporalis, &c.* quoniam pro peccato quidem mortali quoad ipsam culpam, itemq; quoad pœnam æternam, nõ propriè nos satisfacimus iis actionibus, quæ post acceptam gratiam fiunt ad satisfaciendum, sicut hîc de Satisfactione loquimur. Itaq; cùm Deus duplici-

A ter, quod attinet ad propositũ, reddatur homini propter peccatũ infensus & iratus; Primò, quatenus priuat illum sua *gratia*, & destinat ad pœnã *æternam*; Secundò, quatenus vult etiam post remissam culpã eum subire malum illud *pœnæ temporalis* reliquæ; intelligi debet compensationem illam, quâ Satisfactionis rationem contineri dicimus, non esse compensationem offensæ diuinę secundùm priorem considerationem, sed tantummodò secundùm posteriorem. Nam si quod opus hominis in compensationem Deus acceptat, id oportet esse opus hominis Deo amici; nihil enim Deus nisi ab amicis acceptat. Homo autem Dei amicus nequaquam debet Deo pœ-
B nam *æternam*: cùm hæc illi remittatur per gratiam vnâ cum culpa. Potest autem debere pœnã aliquã *temporalem*, vt tomo 2. vbi suprà vidimus. Ita fit, vt pro pœna temporali homo satisfacere possit, non autem pro pœna æterna.

Diximus etiam Satisfactionem esse compensationem secundùm *aliquam æqualitatem iustitiæ*, quoniam si ad ipsam offensam diuinæ maiestatis respiciamus, quatenus Deus videlicet sic homini manet infensus, vt velit meritò ipsum subire malum illud pœnæ temporalis; non potest pro eiusmodi offensa fieri insta prorsus & æqualis compensatio à nobis. Nam illa offensa habet ex parte diuinæ maiestatis quandam infinitatem. Nos autem nihil possumus offerre Deo,
C quod sit valoris infiniti. Quare non est in proposito æqualitas secundùm quantitatem, sed secundùm quandam *proportionem*: quæ præportio consistit in hoc, quòd ita nos secundùm nostrã conditionem & facultatem nitimur Deum nobis placare, sicut Deus ipse, iuxta conditionem etiam suam meritò nobis erat infensus, quod attinet ad reatum illum pœnæ, quemadmodum D. Thomas hîc q. 12. art. 2. & alij Theologi communiter declarant.

Qvod si verò tantùm ad ipsam pœnam *temporalem*, quę est exoluenda, respiceremus; *sic* quidem potest homo per Christi gratiam, aliquam compensationem offerre, quæ secundùm æstimationem sit omnino æqualis illi pœnæ. Cæte-
D rùm hæc compensatio, quæ in Satisfactione fit, non tantùm habet respectum ad pœnam illam exoluendam, sed ad nõnullam etiam offensam, & iram Dei, quæ per eiusmodi compensationem auerti debet. Atque ex ea parte, vt diximus, non potest esse huiusmodi compensatio æqualis nisi secundùm quandam proportionem.

Porro ex ista descriptione Satisfactionis intelligi potest, satisfactionem actum esse virtutis, vt declarat D. Thom. hîc quæst. 12. art. 1. Offerre enim illam compensationẽ pro offensa, & eatenus eniti destruere, atque abolere funditus peccatum, id est, malum illud totũ quod peccatum affert; opus est per se laudabile, atq; adeò actus virtutis. Vnde rursus intelligitur, cuiusnam virtutis propriè hic actus sit; Est enim actus virtutis

tis pœnitentiæ, quæ in peccato destruendo propriè versatur, vt 3. p. q. 85. docet idem D. Thomas, & nos suprà q. 2. declarauimus.

Cvm autem omnem virtutis actum oporteat esse voluntarium; hic quoque actus Satisfactionis, quem describimus, sponte & cum electione quadã fieri debet; siue ille vltro suscipiatur, siue iniũgatur à Sacerdote per potestatem clauium; qua ratione est tertia pars Sacramenti pœnitentiæ. Atque hactenus de primo puncto.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Satisfactio sit possibilis, & necessaria.

D. Thom. q. 13.

Robandvm nunc est, Satisfactionẽ, quam p. præced. descripsimus, & possibilem esse eo modo quo illic declaratum est, & etiam ita necessariam, vt nisi aliter nobis pœna temporalis peccato debita remittatur (potest enim per indulgẽtiam, aut per cruciatus purgatorij remitti, vt aliâs disputatur) non possimus absque eiusmodi Satisfactione ingredi statim post mortem in regnum cœlorum, atque adeò consequi vitam æternam.

Qvae sanè possibilitas & necessitas Satisfactionis ab omnibus Sectariis pernegatur, hoc ipso, quòd negant vllam superesse pœnam temporalẽ peccato debitam. Et nominatim oppugnatur à Luthero in assertione suorum Articul. art. 5. vbi ait: *Vehementer se odisse vocabulum etiam ipsum Satisfactionis & voluisse sublatum*; item à Caluino lib. 3. Institut. cap. 4. sect. 25. & deinceps, & à Kemnitio in Exam. cap. 8. & can. 12. 13. & 14. sess. 14. Concil. Trid.

Ab Ecclesia autem Catholica constanter defenditur ea necessitas & etiã possibilitas Satisfactionis. Quæ quidem facilè à nobis nunc probabitur, posteaq; tomo 2. disp. 6. q. 17. p. 5. fusè contra Sectarios ꝓbatum atq; defensum est, superesse pœnam aliquam temporalem luẽdam post remissam culpam: ex quo, inter cetera p. præced. ostendimus pendere rationem totam istius Satisfactionis.

Principio igitur rationẽ, ad quam omnis probatio Satisfactionis reuocari debet, formo ex Scriptura hûc in modum: Si post culpam peccati remissam, temporalis aliqua pœna peccatis decreta est; omnino fatẽdum est posse eam pœnam per Satisfactionem redimi, idq; etiam necessariò debere fieri, vt quis absque mora possit consequi regnum cœlorum, nisi, vt dictum est, aliter ipsi illa pœna remittatur. Sed talis pœna temporalis peccatis prorsus decreta est. Omnino igitur fatendum est, posse illam ac debere, eo modo, quo est dictum, per Satisfactionem redimi. Posterior huius argumenti propositio, (scilicet talem pœnam temporalem peccatis decretam esse post culpam remissam) tomo 3. vt dixi, fusè probata est.

Prior autem eiusdem argumenti propositio probatur quadrupliciter. Primo. Nam ex Scriptura sacra compertum est, posse hominem iustum in hac vita cum diuina gratia id agere, vt statim atq; mortuus fuerit, sit in regno cœlorũ cum Christo. Eccles. 11. vers. 28. 2. Cor. 5. vers. 1. vsque ad 10. Philip. 1. vers. 23. &c. Non posset autem homo id obtinere, nisi posset etiam à reatu eiusmodi pœnæ temporalis se liberare in hac vita, diuinæ iustitiæ per pœnitentiam satisfaciendo: siquidẽ nemo reatu pœnæ obstrictus potest ingredi regnum cœlorũ, in quod *nihil* vllo modo *coinquinatum intrabit*, Apocal. 21. Cùm autem homo iam Dei amicus per pœnitentiam se à pœnę
B temporalis reatu liberat; eius certè pœnitentia in compensationem quandam illius pœnæ diuinitus admittitur. Quid enim homini iam Dei amico, & pœnitenti, vel obstat, vel deest, quo minus eius pœnitentiæ labor fic à Deo acceptetur?

Secvndo probatur testimonio illo diuino Ierem. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo q̃ locutus est aduersus eam, agam & ego pœnitentiam sup malo q̃ cogitaui, vt facerem ei.* Atq; etiam testimonio illo Pauli 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur.* Ex his enim testimoniis apparet, posse hominem sua pœnitentia auertere quamcunq; pœnam sibi diuinitus decretam, vt etiam D. Avgvstinvs in Enchirid. cap. 66. &
C D. Chrysostomvs homil. 42. in Matth. illo testimonio Pauli distertè confirmant.

Tertio probatur testimonio nõ solùm Augustini & Chrysostomi, sed etiam aliorum Patrũ, qui id ipsum luculenter asserunt. Vt Tertvllianvs libro de pœnit. *In quantum non peperceris tibi, in tantum, crede, Deus tibi parcet.*

Origenes homil. 3. in lib. Iud. *Tu ipse præueni tortoris manus, &c.* Ambrosivs lib. ad Virg. lapsã, c. 8. *Nobis parcet Deus, si nobis ipsi nõ pepcerimus.*

Hieronymvs, in cap. 9. Amos: *Comminatur Deus, & dicit se illaturum supplicia. Si agamus pœnitentiam, ipsum quoq; pœnitebit suæ sententiæ.*

Similia Gregorius lib. 9. moral. c. 27. Pacianus in Paræneſi ad pœnitentiam. Maximus, Centuria 2. de char. cap. 41. & alij. Quod si autem pœna
D temporalis post culpam remissam debita, auertatur per pœnitentiã eius, qui iam remissa culpa sit amicꝰ Dei; eo ipso satisfaciet is Deo pro eiusmodi pœna; cùm nihil obstet quo minus Deus acceptet in quandam pœnæ compensationem opus atq; pœnitentiam amici, vt paulò antè explicauimus.

Vnde Patres expresè etiam tribuunt iustorũ bonis operibus *Satisfaciendi* vim, cũ passim docent, ab iis item quos peccatorũ pœnituit, Deo *satisfieri* oportere ieiuniis, orationibus, & eius generis castigationibus carnis, vt redimantur ea ratione peccata; itẽq; sic pœnas peccatis debitas purgari, cõpẽsari, redimi, tegi, iudicẽ placari, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ORIGENES enim (vt tomo tertio vbi suprà commemorauimus) homil.15.in Leuit.vocat opera illa *pretium*, quo peccata *redimuntur*. Et homil.4.in Psal.56.ait,peccatum commissum *satisfactione expurgari*. CYPRIANVS lib.1. epistolarũ epist.3.affirmat:*Satisfactionibus delicta redimi*;& epist. 8. *Dominum longa & continua Satisfactione esse placandum*. Et lib.3.epist.14. Pœnitentes *precibus & operibus suis Deo misericordi satisfacere*.Et in libro de opere & eleemosynis: Peccata & sordes post Baptismum contractas,*eleemosynis ablui*.

Item AMBROSIVS,lib.ad virginem lapsam, c.8. asserit,*grãde scelus grandi indigere Satisfactione*.

Item AVGVSTINVS in Enchir.cap.70. *Deum propitiãdum esse per eleemosynas*.& homil.50.cap.11. *Satisfactionẽ* per Ecclesiæ præpositos impositam, ita esse implendam, vt & *ad exemplum aliorum & ad salutem etiam recipiendam illi prosit*.

Item HIERONYMVS in cap.1. Ioëlis, *offensas Dei vitæ austeritate compẽsari*. Similia scribit diuus Gregorius Magnus, lib.9. in Iob, cap.27. & 43. D.Chrysostomus homil.22.ad Populũ Antioch. & homil.3. de Lazaro. Basilius,concione 1.de ieiunio.Theodoretus in libro diuin. decretorum, cap.de Pœnitentia,& alij Patres, passim quoque citati à Gratiano in decret.de pœnit.d.1.

Ex quibus testimoniis tomo 3. vbi suprà manifestè colligebamus, satisfaciẽdi studium olim in Ecclesia,non tantũ disciplinæ cuiusdam caussa,& in veræ pœnitentiæ interne quoddam testimonium, fuisse vsurpatũ; sed etiam, vt ipsi Deo illata iniuria aliquo modo compẽsaretur, & redimeretur pœna peccatis debita. Quod adeò verum est, vt licet Kemnitius & alij Sectarij conentur vetus illud Ecclesiæ institutum in Satisfactionibus publicis,ad externam quandam Ecclesiæ disciplinam, vtilem illis temporibus, referre; tamen ipsimet denique plurimis veterum testimoniis, qualia iã quædam retulimus, conuicti, coguntur agnoscere & fateri, fuisse etiam Satisfactiones illas vsurpatas *ad placãdum* ipsum Deum & *expianda peccata*.

Itaque Kemnitius ipse ad eiusmodi aliqua testimonia veterum, aliud quod respondeat non habet, quàm quod impudentissimè dicit, eiusmodi sententias excidisse illis Patribus *inconsideratè nimiumq; esse transcendentes veritatem*.Item hyperbolicè magis quàm verè similia Patres scripsisse.Tandẽ enim coguntur isti reiicere & damnare Patrum, atque adeò Ecclesiæ consensum de Satisfactione, propterea ꝙ cum illorum hæresi præiudicata non congruit.Itaq; ipsi inimici nostri sunt iudices, doctrinã à nobis Orthodoxam Ecclesiæ veteris de Satisfactione defendi.

QVARTO deniq; probatur, & possibile omnino & necessarium esse eo modo,quo suprà diximus, satisfacere pro illa pœna in hac vita, nisi aliter nobis eiusmodi reatus pœnæ relaxetur. Nam Scriptura ipsa monet, vt conemur in hac vita piis exercitiis pœnitentiæ & bonorum operũ ita nos comparare,vt sine impedimento possimus in morte consequi vitã æternam; ad quod necesse est prius facere satis pro debita illa temporali pœna.

Vt cùm ait D.Paulus,1.Cor.11.*Si nosmetipsos iudicaremus,à Domino non iudicaremur*. Quam Apostoli sententiam expresè D. Augustinus ad redemptionem pœnæ temporalis iudicio diuino debitæ post hãc vitam, accommodat in Enchir. cap.66.cuius auctoritas omnibus aliis Sectariorum interpretationibus meritò à nobis anteponi debet.

Item,cùm Ioannes Baptista,Matth.3.& Luc.3. homines hortabatur,vt *facerent fructus dignos pœnitentiæ*, absolutè hortabatur ad ea opera pœnitentiæ, quæ possent funditus destruere & abolere peccatum,atq; adeò redimere etiam quamcunque pœnam temporalem peccato debitam. Ita enim demum talia opera nominari *pœnitentiæ quidam fructus* verissimè possunt; si videlicet congruant cum sua quasi *radice* & arbore,id est, cum ipsa *virtute* pœnitẽtiæ. Vt quemadmodum hæc virtus tota in destruendo & abolendo fundditus peccato versatur,ita etiã illa opera eò conferant, vt penitus, sicut dictũ est, peccatum exinaniatur, atq; adeò tollatur etiam cuiuscunque pœnæ temporalis reatus. Quæ profectò consideratio perspicuè ostendit, rectè à Doctoribus orthodoxis Baptistæ illam exhortationem ad *Satisfactionis* opera accommodari, quantumuis frustrà Sectarij,nõ intelligentes,quæ sit vis pœnitentiæ fructuum, reluctentur.

PERTINET huc etiam, ꝙ Daniel, cap.4. Regi Nabuchodonosor consuluit, vt *peccata eleemosynis redimeret,& iniquitates suas misericordiis pauperũ*. Itemq; similiter alia id genus Scripturę testimonia,quibus eleemosynæ & aliis huiusmodi operibus tribuitur vis *extinguẽdi* peccata. Hęc enim, cùm sine limitatione vlla dicantur; eò etiam valere bona opera,intelligi debet, vt reatus quoq; pœnæ temporalis peccatũ consequens soluatur.

QVOD autem, vt in assertione posuimus, sit huiusmodi Satisfactio necessaria ad consequendam *sine mora & impedimento* vitam æternã,quando per aliud aliquod medium illa pœna temporalis non relaxatur; id quidem suprà etiam facilè probauimus: siquidem constat non posse aliquem beatitudinem illam adipisci,si sit alicuius pœnæ reatu obstrictus.

Porrò obiectiones oës,quibus Sectarij oppugnant doctrinam hanc de Satisfactione, & pœna temporali reliqua post remissam culpam;fusè confutauimus tomo 3.disp.6.q.17.p.5.Vbi diligenter explicauim⁹ quomodo posibilitas hęc & necessitas Satisfactionis nostrę nihil detrahat de dignitate & præstantia cumulatissimæ Satisfactionis à Christo exhibitæ pro Redemptione generis humani. Id quod etiam intelligi potest ex iis quæ suprà disput.1.q.22.p.1.disseruimus de Officio proprio Christi Redemptoris.

PVNCTVM

PVNCTVM TERTIVM.
Qualis debeat esse Satisfactio.

D.Thom.q.14.& 15.& art.2.q.13.

IN tertio puncto vidẽdum est qualis debeat esse Satisfactio, idq; ex quadruplici parte. PRIMO, ex parte ipsius satisfactionis. SECVNDO, ex parte ipsorum peccatorum,pro quibus satisfaciendum est.TERTIO,ex parte operum,per quæ Satisfactio fieri debet. QVARTO, ex parte formæ seu modi,Satisfactionis.

ET QVOD ad SATISFACIENTEM ipsum attinet, cõmunis & certa sententia est, necessariũ esse,vt is sit præditus gratia diuina & charitate, adhoc vt Satisfactio valeat.Ita D.Thom.hîc q.14. a.2.& alij Theologi cõmuniter in 4.d.15. contra quosdam, quos eadẽ dist. Magister commemorat, & quorum opinionem vnus Scotus in ead. dist. sequutus est,ab omnibus iã cõmuniter explosus.

PROBATVR aũt hæc cõmunis assertio ea ratione;quòd Satisfactio nostra ab ipso Deo acceptari debet, vt suũ valorẽ habeat: At Deus minimè vlla opera quæ non proficiscantur à persona ipsi grata, accepta habet, vt ex iustitia quadã remuneret ea seu cõpenset; Ergo necesse est hominẽ esse gratia p̃ditũ vt Satisfactio eius valeat. Prior huius argumenti ꝓpositio ꝓbatur, quoniam si excludamus acceptationẽ diuinã, nõ est in vllis nostris operibus ea vis,vt per se ipsa, seclusa gratiæ acceptatione,Deũ ad cõpensandũ obligent, sicut sæpè D. Thom. docet, & alij Theologi. Posterior etiã propositio probatur illis Scripturæ locis:*Victimæ impiorum abominabiles Domino*, Prouerb.15.Itẽ:*Dona impiorũ non probat altissimus*, Eccles.34.Itẽ:*Si distribuero omnẽ substantiã meã in cibos pauperũ, & tradidero corpus meũ, ita vt ardeam, charitatem autẽ non habuero,nihil mihi prodest*, 1.Cor.13.

QVAESTIO tũ hoc loco est, vtrũ Satisfactio exhibita extra gratiam & charitatẽ, postea valere incipiat, quando rursus redit homo in Dei gratiam.De qua re PRIMO illud conuenit inter oës Theologos,si Satisfactio eiusmodi nõ fuerit imposita à Sacerdote in confessione, neq; etiã fuerit talis,quæ reliquerit aliquem quasi permanẽtem effectũ (sicut relinquit v. g. eleemosyna,diminutam nempe substantiam, & ieiunium carnem debilitatam,&c.) nequaquam postea recuperata quantumuis gratia reuiuiscere.

SECVNDO, si Satisfactio eiusmodi sit talis quæ reliquerit post se aliquẽ *effectũ*, putat sanè Paludanus in 4.d.15.q.1. concl.7. & Capreolus ead.d. & Sylu.Verbo,*Satisfactio.*§.7.obtinere postea suũ valorẽ accedente gratia. Quod ipsum videtur etiam docuisse D.Thom.hîc q.14.art.3.ad 3.Videtur enim ipsa tunc Satisfactio manere quodammodo in suo *effectu*, vt ꝓinde ab accedente gratia viuificari possit.

SED eam tũ opinionẽ meritò reiiciunt Adrianus in 4.q.1.de Satisfact. Caietan.tomo 1.opusc. tract.5.de Satisfact.q.2.Sotus in 4.d.19.q.1.art.5. & alij. Nam ꝙ aliquis sit relictus effectus ex Satisfactione,vel non sit,nihil interest; quãdoquidem ipsa certè Satisfactio secundũm se nõ manet. Manere aũt illam *secundùm se* oporteret,vt à gratia accedente tanq̃ à principio & radice valorem acciperet; siquidem nõ valet, vt antea vidimus,nisi quatenus ex gratia ipsa proficiscitur, seu ab illa informatur. Quod autem iam nõ est, non potest informari iam de nouo à gratia.

NEC verò, si potest tũc aliquis de nouo vti effectu Satisfactionis præteritæ, tanq̃ *obiecto* quodam actus noui,quo satisfaciat, volũtate sua nimirũ illum effectũ acceptando, & referendo in ipsum Deũ;illico censeri debet reuiuiscere præterita Satisfactio,quę ob gratię defectũ fuit nulla. Multum.n.inter actũ nouum, circa effectũ ex præterita Satisfactione relictũ,& ipsam præteritam Satisfactionem interest, vt patet. Quod aũt attinet ad D.Thomã,quid ille in 4. sent. senserit (vnde supplementum istud 3.p.collectũ est) non magnoperè in hac quæstione curãdum est,postquam eiusmodi sententiam nõ ei licuit in summa postea recognoscere.

TERTIO,si Satisfactio fuit à Sacerdote imposita per *potestatẽ clauium*, tum quidem sentit Caietanus in illa q.2. de Satisfact. reuiuiscere illam postea recuperata gratia. Probat, quoniam talis Satisfactio fuit quædam pars Sacramenti pœnitentiæ. Sed Sacramẽtum pœnitentiæ reuiuiscit, quod ad suum effectũ totum attinet accedente postea gratia. Ergo etiã illa Satisfactio. Assumptio potest confirmari ea etiam ratione, ꝙ confessio, quæ est altera pars Sacramenti pœnitentiæ,obtinet suum effectum postea, sublato peccati mortalis obice,sicut Theologi tradũt:Ergo etiam Satisfactio, quando ea quoq; fuit Sacramentalis. Atq; hanc sententiam Caietani sequitur Nauarrus in manuali, cap.3. nu.5. vbi etiam dicit,illam esse sententiam communem.

MIHI tũ sententia Adriani in 4.q.1. de Satisfact.& Soti d.19. q.1. a.5. magis ꝓbatur,qui censent, ne tunc quidẽ reuiuiscere Satisfactionem, cùm fuit à Sacerdote imposita. Et quidquid sit de istorũ auctorum argumentis, sic ego illorum sententiã probo.Sacramentũ aliquod,atq; adeò etiã Sacramenti pars, tunc accedente gratia reuiuiscit, cùm nihil illi de perfectione & veritate sua defuit adhoc,vt posset habere effectũ;sed tũ peccati mortalis obex obstitit, quo minus actu efficax esset. At in nostro ꝓposito, non solũ obstitit peccati mortalis obex, quo minus Satisfactio extra gratiã facta esset actu efficax: sed etiã defuit illi reipsa aliquid de vi & veritate Satisfactionis:Neq; verò id postea accedente graria recuperat:Ergo non ipsa similiter reuiuiscit.

Maior huius argumenti propositio probatur. Quoniam si Sacramento, aut parti Sacramenti, aliquid,quod sit de ipsius veritate,desit:nunquã postea,quàm diu non rursus repetitur, erit verè

Sacramen-

Sacramentũ vel Sacramenti pars; & consequenter, nunquam tanquam Sacramentum aut pars Sacramenti poterit habere suum effectum. Minor etiam propositio probatur. Quoniam, vt antea vidimus, vis atq; adeò veritas Satisfactionis, (id est, eius actus per quem Deo reuera satisfieri posit) minimè absq; gratia & charitate consistit, sed ex ea oriatur necesse est: Ergo in actu, qui non fuit ex gratia & charitate profectus, aliquid de vi etiã & veritate Satisfactionis defuit.

Et confirmatur hoc argumentum. Nam confessio, propterea sublato peccati mortalis obice, reuiuiscit, quoniam ipsa quidem vera confessio prius fuit, neq; gratia præsente opus habuit, vt efficax per se esse posset, sed tantum obstitit impedimentum peccati, quo minus etiam actu esset efficax. At Satisfactionis, quæ extra gratiã fuit peracta, longè alia ratio est, vt iam ante est ostensum: Ergo nõ illa similiter aduenìte postmodum gratia reuiuiscit. Non enim ideo solùm efficax non fuit, quia impedimentum aliquod peccati suo effectui obstaret, sed quoniã defuit illi radix (vt ita dicam) valoris sui, id est, gratia & charitas.

QVARE ad argumentum Caietani facilè iam respõdetur, Sacramentum vel Sacramenti partem, tunc solum reuiuiscere, quando solum ex parte ipsi' subiecti defectus aliquis obstitit, quo minus actu esset efficax. In proposito autem nostro deest Satisfactioni etiam *principium & radix* vigoris ipsius. Et quod in illo argumento assumebatur, illam Satisfactionẽ, quæ fit extra gratiam, esse *Sacramentalem*, id est, partem quandam Sacramenti; distinguendum est. Si enim intelligatur completè & quasi formaliter, eo scilicet modo, quo satisfactio ex gratia proficiscens est Sacramentalis, concedi absolutè non debet. Vt enim patet ex dictis, non inest in illis operibus factis extra gratiam, vera omnino ratio Satisfactionis coram Deo, & consequenter neque eiusmodi operibus continetur formaliter & completè illa pars Sacramenti, quæ propriè dicitur Satisfactio pro pœna, quæq; proinde exhibetur ab homine iam cum Deo reconciliato, cui solum superst reatus pœnæ; qualis Satisfactio, vt patet, non exhibetur ab eo, qui est extra gratiam. Si autem eiusmodi Satisfactio extra gratiam facta, dicatur Sacramentalis, seu Sacramẽti pars, incompletè, & quasi materialiter; verum quidem id est, sed tamen non est opus, vt quod isto modo est Sacramenti pars, postea gratia adueniente reuiuiscat.

Non est tamen negandum, quin per eiusmodi Satisfactionem extra gratiam factam adimpleatur præceptum ipsum de exequenda pœnitentia à Confessario iniuncta. Præceptum enim hoc (quod nunc quidem pono obligare, de quo postea disputabitur) tantum exigit ipsum actũ, quoad suam substantiam, nõ autem illum etiam *modum*, ex quo habet, vt sit completè & formaliter Satisfactio coram Deo, nimirum vt proficiscatur ex gratia: & consequenter, neque obligat nisi ad partẽ illam Sacramenti adiiciendam saltem incompletè & materialiter. Alioqui, cùm nemo scire possit, vtrum pœnitentiam iniunctã in gratia existens adimpleat; nemo etiam sciret, an aliquãdo adimpleret illud præceptum, semperq; vereri posset, ne nouũ peccatum committeret ob illius transgressionẽ, id quod minimè putãt Theologi in hoc proposito esse admittendum. Quare omnes communiter censent, satis impleri illud præceptum, quod attinet quidem ad effectum vitandi nouam culpam, si actus ipse iniunctæ pœnitentiæ exerceatur, quoad suam *substantiam*.

Et hæc quidem ita se habent. Nihilominus tamen, si quis sequi mallet opinionem illam Caietani & Nauarri: consequenter is deberet dicere, pœnitentiam à Sacerdote iniunctam, non modò valere ad effectum remissionis pœnæ, quatenus est vera & formaliter Satisfactio corã Deo, cùm scilicet fit ex gratia: sed etiã quatenus materialiter est quędam Satisfactio per potestatem clauium ad eum effectũ ordinata; ita scilicet vt vtroq; modo censeri debeat esse medium quoddam, per quod ex *opere operato* nobis applicetur effectus ille passionis Christi, qui cõsistit in pœnæ temporalis relaxatione; licet vberius id fiat, quando in eiusmodi pœnitentia est etiam completè & formaliter ratio Satisfactionis.

Ceterùm idcirco puto, non vsq; adeò probabiliter hoc ita dici posse, quia quod absolutè ab orthodoxis, & etiam passim in Canonibus Ecclesiasticis, dici solet, per Satisfactionem tanquã per tertiam partem Sacramenti pœnitentiæ, remitti pœnam, potius videtur propriè formaliter de Satisfactione esse accipiendum, sicut verba ipsa sonant.

Pertinet etiam ad *qualitatem* Satisfactionis ex parte SATISFACIENTIS illa cõsideratio, nempe, si quis in gratia opus aliquod Satisfactionis exerceat, non tantùm sibi ipsi, sed etiam alicui alteri prodesse illum posse, atq; adeò posse pro ALTERO satisfacere, si suum opus ad illum referre velit, & ille etiam alter sit in gratia, vt fructũ Satisfactionis participare possit. Ita D. Thomas hîc q.13.art.2. Estq; assertio communis omnium orthodoxorum, contra errorem VVicleffi apud VValdensem, tomo 2. de Sacrament. tit.10. cap. 100. damnatum in Concilio Constantiensi in fine, & Lutheri etiam errorem damnatum in bulla Leonis X.

Ac probatur hæc assertio ex articulo fidei de *communione Sanctorũ*. Nam cùm Ecclesia sit quoddam quasi corpus, cuius fideles ipsi sub Christo capite sunt mẽbra; consequitur, posse vnũ membrum alteri prodesse satisfaciendo, sicut vnum membrum solet in eodem corpore prodesse alteri. Deinde probatur ex natura charitatis, ex qua vim suam habet Satisfactio. Nã Deus pro-

cul

cul dubio Satisfactionẽ, ex charitate profectã, conuenienter ipsi conditioni & naturæ charitatis acceptat: Natura autem charitatis hæc est, vt habeat quandam *communionem* mutuæ amicitiæ, ex qua proficiscatur communicatio mutuorũ officiorũ, atq; adeò vt quemadmodum quis potest pro se satisfacere, ita etiã pro amico, vt videmus quotidie fieri in vita ciuili.

NEQVE verò de modo, quo aliquis pro se & altero satisfacere potest, Theologi hîc distinguunt; quin omnino sentire videntur, posse aliquem sicut pro se, ita etiam pro altero, ex *quadã iustitia* Deo satisfacere, quæ nitatur tamen vtrobiq; ipsa etiam acceptatione gratiæ. Iustum est enim, vt quod vnum membrum in hoc Ecclesiæ corpore exhibet & offert pro altero, id diuinitus acceptetur ad remissionẽ pœnæ. Quod ideo noto; quia non videtur mihi satis illud cautè addidisse Ioannes Medina, q̃ in q.5. de Satisfactione dicit, posse alterum pro altero satisfacere, *saltem de congruo*. Nemo enim aliorum auctorum, q̃ sciam, hoc ita limitat, quin simpliciter censent id fieri posse, atque adeò de *condigno*, accedente acceptatione ex gratia.

QVOD si obiiciat hîc aliquis, non posse alterum alteri promereri ex condigno gratiæ augmentum, aut etiam præmium vitæ æternæ; ex quo videtur consequens, neq; posse alterum pro altero ex condigno satisfacere; respõdet ad hoc ipsum argumentum D. Thom. hîc q.13.a.2.ad 1. discrimen inter hæc esse. Nam præmium, id est, *merces* meriti, diuinitùs donatur homini nõ nisi certa quadam dispositione præparato, in qua sit quædam etiam proportio ad ipsum præmium, cùm videlicet præmium sit quiddam *positiuum*. Eam autem dispositionẽ contineri propriis cuiusq; operibus, quibus vnusquisq; sibi ipse promeretur: nisi quòd Christus, quoniã habuit vim ad merendum infinitam, potuit etiam aliis mereri gratiã, quæ illis daretur sine eiusmodi proprium meritorũ dispositione. At verò in nostro proposito, fructus Satisfactionis nõ est perinde aliquid *positiuũ*, quod exigat certam dispositionẽ in eo cui applicatur, sed consistit solùm in relaxatione pœnæ, id est, in hoc, vt quis non amplius sit ad pœnam obligatus. Quare potest hîc Satisfactionis fructus alicui prouenire beneficio etiam Satisfactionis alienæ.

Iam verò ex parte ipsorum PECCATORVM, pro quibus fit Satisfactio, id breuiter notãdum est; si loquamur de Satisfactione propriè pro tẽporali pœna remissa iam culpa, fieri quidẽ posse, vt actu quispiam satisfaciat pro vno peccato, & non pro alio; sicut rectè notant Ioãnes Medina, q.5. de Satisfact. & Sotus in 4.d.19.q.1.art.4. Vt si v.g. ieiunium iniungeretur alicui pro adulterio, & eleemosyna pro furto; tunc per ieiunium satisfaceret pro adulterio, & nõ pro furto, quoad pœnam. Hoc enim exemplum ponit Sotus loco citato. Et tamen nihilominus quadam ratione (nempe virtute & quasi in radice) dici posset talis per ieiunium satisfacere etiã pro furto, quatenus ieiunium illud ex gratia nimirum proficiscitur, per quam potest demum etiam actu satisfieri pro furto, vt idem Sotus declarat.

Si autem loquamur de Satisfactione non ita propriè & strictè sumpta, scilicet quoad *pœnam*; sed minus propriè, quatenus scilicet nonnulla Satisfactio in contritione pro *culpa* ipsa quoque esse videtur; sic quidem non potest pro vllo peccato mortali satisfieri, quin etiam satisfiat pro altero. Nam non potest esse vera contritio de vno peccato, & non de altero. Quapropter, neq; potest acceptari illa qualiscũq; Satisfactio contritionis pro vno peccato, & non pro altero. Atque hoc modo intelligi debet D. Thomas, & ita loquitur de Satisfactione, hîc q.14.art.1.cum dicit, non posse pro vno peccato satisfieri, nisi simul satisfiat pro altero; vt ex eius probatione licet colligere, & notarunt etiam Ioannes Medina, q.5. de Satisfact. & Sotus in 4.d.19.q.1.a.4.

PORRO ex parte OPERVM, per quæ satisfieri debet, PRIMO generatim asserendum est, duo debere inesse in illis: Alterum, vt placeant & sint grata Deo: Alterum, vt habeant quandam difficultatem seu molestiam, vt Theologi inquiunt. Cuius ratio ducitur ex ipsa natura & vi Satisfactionis. Cùm enim per illam placãdus Deus sit; oportet vt ei sit accepta, in eiusq; honorem cedat. Item cùm per eam etiam sit puniendus peccator, illaq; peruersitas prauæ conuersionis ad creaturam vindicanda; necesse etiam est, vt habeat aliquam molestiam: Et ob eam rem item vt caueat quis inposterum, ne rursus in peccatũ delabatur.

ATQVE hoc ipsum est, quod Anselmus, & etiam liber de Ecclesiasticis dogmatibus, quibusdam definitionibus Satisfactionis significauerunt. Nam quòd debeat Satisfactio esse grata Deo, D. ANSELMVS indicauit, cum lib.1. Cur Deus homo, cap.11. descripsit Satisfactionem esse *honorem debitum Deo impendere*. Molestiam autem illam, atque etiam rationem medicinæ ad cautelam, indicauit conuenire in Satisfactionẽ liber de Ecclesiasticis dogmatibus, cap.54. cùm definiuit Satisfactionem *esse peccatorũ causas excindere, & eorum suggestionibus aditum non præbere*.

PORRO ex hac assertione sequitur PRIMO, per omnia omnino virtutum opera, siue interna siue externa, quæ ex charitate procedant, posse fieri Satisfactionem, vt rectè notat Sotus dist.19. q.2. art.1. ex communi sententia Theologorum. Id probatur PRIMO, quoniam in omnibus eiusmodi operibus inest vtraque illa conditio Satisfactionis, nempe vt & sit opus *acceptum* Deo, & habeat aliquã *molestiam*. Quodlibet enim opus virtutis est difficile, atque adeò ex ea parte molestum. Et præterea quodlibet est acceptũ Deo, si ex gratia fiat. SECVNDO, idem probatur ex Concil. Trident. sess.14. can.13. vbi vniuersim &

absolutè

Universidad de Deusto
Biblioteca

absolutè dicitur satisfieri Deo *pietatis* operibus. TERTIO, Ex formula in verbis absolutionis Sacramentalis vsitata. *Quidquid boni feceris, &c. sit tibi in remissionem peccatorum.* QVARTO, Quoniam quodlibet opus pium valet ad meritum vitæ æternæ & augmenti gratiæ: Ergo etiam ad Satisfactionem quæ minus quiddam est, vt rectè Sotus argumentatur.

SECVNDO sequitur, posse etiam fieri Satisfactionem per opera bona, quæ sint alia ratione *debita*, videlicet ex aliis præceptis. Ita docet rectè Caietanus q. 1. de Satisfact. & Nauarrus in Man. cap. 3. num. 4. & Sotus loco citato, & alij Theologi *communiter*, vt Nauarrus illic affirmat. Ratio est, nam quòd opus aliquod sit ex alio præcepto debitum, id minimè impedit, quo minus in illo sit vtraque illa conditio, ex qua existit in opere vis & ratio Satisfactionis; nempe vt sit gratum Deo, & vt molestiam habeat. Ergo quatenus habet hanc vtramque conditionem, potest omnino esse Satisfactorium, licet alia etiam ratione sit debitum. Eo enim ipso, quòd illas conditiones habet, diuinitus acceptatur ad pœnæ relaxationem.

QVAMVIS autem hoc ita sit; communiter tamen notant Theologi, non debere confessarios ordinariè constituere pœnitentias in operibus alioqui debitis. Itaq; cùm iniunguntur à Confessario, v. g. ieiunia; non intelliguntur ea ieiunia iniungi, quæ sunt alioqui ex præcepto Ecclesiastico adimplenda. Si tamen aliqua esset peculiaris ratio, cur alicui pœnitenti vtile ac salutare fore videretur, pœnitentiam ei decernere in operibus alioqui debitis, quæ ipse nimirum soleret facilè negligere; prudèter hoc faceret Confessarius, vt rectè notauit Sotus in 4. dist. 19. q. 2. art. 1. concl. 3.

TERTIO sequitur, peculiari quadam ratione, & quasi per antonomasiam, satisfieri Deo illis operibus, quibus secùndum rationem *obiecti proprij* illorum, priuamus nos aliquo bono vtili seu delectabili. Ita communiter Theologi notant. Et ratio est, quoniam in eiusmodi operibus per antonomasiam inest illa conditio Satisfactionis, quæ in molestia consistit.

Ea verò opera in vniuersum reuocari solent ad TRIA genera, vt rectè D. Thomas hîc q. 15. artic. 3. & alij Theologi communiter animaduerterunt; nempe ad *orationem, ieiunium, & eleemosynam*. Quoniam istis tribus generibus operum, quasi priuamus & abdicamus nos tribus etiam bonorum generibus ad quæ referuntur omnia; nempe bonis corporis per *ieiunium*, bonis fortunæ per *eleemosynam*, & quodammodo etiam bonis animæ per *orationem*; non quia oratio nobis omnino illa detrahat, (nec enim possunt animi bona per aliquem virtutis actum penitus aufferri) sed quia illa per orationem certè Deo subiicimus, & eatenus quidem quodammodo nos illis abdicamus.

ATQVE est etiam alia ratio, cur omnia opera satisfactoria ad hæc tria genera reuocari possint; nempe si in Satisfactione rationem etiam *medicinæ* & cautelæ consideremus. Ita enim ad orationem referri possunt opera quæ valent ad euitanda ea peccata, quæ committuntur ex *superbia* vitæ; Ad ieiunium, quæ valent ad cauendũ illa quæ committũtur ex *concupiscentia carnis*; Ad eleemosynam, illa quæ valent ad cauendum ea, quæ committuntur ex *concupiscentia oculorum*. Ex quibus tribus quasi radicibus oriuntur omnia peccata, quæ sunt in mundo, vt ait D. Ioannes. Quæ explicatio etiam est D. Thomę loco citato.

QVARTO sequitur, omnino etiam posse hominem satisfacere per quascunque ærumnas & afflictiones, quas patienter tolerat; vndecunque illæ proficiscantur, siue à Deo, siue ab homine, siue ab aliis causis violentis vel naturalibus; atque adeò per ipsos morbos & mortẽ. Ratio est, quoniam in tolerãtia etiam quarumcunq; eiusmodi afflictionum insunt conditiones Satisfactionis. Est enim illa patientia maximè grata Deo, & habet molestiam, vt patet. Atq; ita id explicatum est in Concil. Trident. sess. 14. can. 13. Et confirmatur ex verborũ formula vsitata in absolutione Sacramentali. Additur enim in illa etiam, vt in remissionem peccatorum pœnitentis sit, *quidquid mali sustinuerit, &c.*

CETERVM notat bene hoc in loco Sotus dist. 19. q. 2. art. 2. discrimẽ esse in proposito inter eas calamitates, quas cõmuniter homines solẽt tolerare, secundùm ipsam *naturam*, post peccatum corruptã, & eas quas peculiariter Deus singulari quidentia aliquibus *infligit* ad vlciscenda illorũ peccata. Etenim per illas communes & naturales calamitates homo satisfacit, non nisi secundùm quantitatem & proportionem actus patientiæ, quo eas acceptat & tolerat. Per aliàs autẽ peculiares afflictiones diuinitus immissas, satisfacit homo, non solùm secũdùm proportionem actus patientiæ, sed etiam secundùm quantitatem & proportionem ipsarum afflictionum.

Et ratio huius discriminis hæc reddi potest, quòd illæ communes & naturales ærumnæ, sunt alioqui consequẽtes, & quasi *debitæ*, ex communi peccato & corruptione naturę humanę. Et sic in Satisfactione ea, quæ illarum tolerantia continetur, non ipsarum ærumnarum per se, sed patientiæ actus ratio attenditur. Peculiares autem aliæ calamitates, singulari prouidentia ad eum finem diuinitus infliguntur, vt sint peccatorum expiatio & redemptio quædam eius pœnæ, quæ esset alioqui in altera vita luenda. Vnde fit, vt quantitas Satisfactionis quæ est in patientia ærumnarum eiusmodi, ex quantitate etiam earũdem æstimetur.

POSTREMO circa MODVM Satisfactionis, quem dicebamus in *qualitate* Satisfactionis considerari quarto loco debere, illud solũ animaduertendum est, olim quidem solitas fuisse pœnitentias

tentias & Satisfactiones iniungi & adimpleri *publicè*, sicut de eo ritu exstant multi & varij antiqui Canones quos collegit præsertim Gregorius Neocæsarienſis, postea verò bonis de causſis, ea consuetudo in Ecclesia obsoleuit; vt iã non iniungantur pœnitentiæ nisi secretè; qua de re præsertim legendus est Sotus in 4. d. 19. q. 2. art. 5. Et hactenus de tertio puncto principali.

PVNCTVM QVARTVM.

Quomodo necessaria sit Satisfactio.

Ad q. 12. D. Thom.

VARTVM punctum principale erat de modo quo necessaria est Satisfactio. Qua de re quæstio est: Vtrum in hac vita nõ modò debeat fieri Satisfactio ad eum finem, vt obtineatur remissio pœnę, sicut hactenus explicatum est, sed etiam vt euitetur *speciale peccatum*, ita vt sub peculiari præcepto sit in hac vita Satisfactio necessaria. Et est ratio de hac re dubitandi, *primò*, quòd cũ possit in Purgatorio post hanc vitã solui temporalis illa pœna; nõ videtur quis obligatus esse peculiari præcepto ad eam in hac vita compensandam. *Secundò*, quia potest quoq; redimi illa pœna per Indulgentias.

CONTRA verò est *primò*, quod Satisfactio vnus quidam actus virtutis pœnitentiæ est. At exstat de vsu virtutis pœnitentiæ speciale præceptũ diuinum: Ergo etiam de Satisfactione. *Secundò*, quòd aliquando certa Satisfactio à confessario in Sacramento pœnitentiæ iniungitur; ac tunc quidem videtur iniuncta pœnitentia necessariò implenda.

IN hac quæstione duplex est difficultas, vt ex rationibus quas obiecimus intelligi potest. VNA est, vtrum Satisfactio sub peculiari præcepto sit necessariò vsurpanda, etiamsi nulla alioqui à Confessario sit iniuncta. ALTERA difficultas est, vtrum teneatur quis exequi Satisfactionem seu pœnitentiam iniunctam à Confessario.

Et quod ad PRIMAM difficultatem attinet, negat Sotus in 4. d. 20. q. 2. art. 2. Satisfactionem in hac vita esse per se necessariam peculiari præcepto, secluso imperio Cõfessarij. Ac multò magis id negassent Scotus & alij, qui etiamsi imponatur à Confessario, putant in hac vita non esse necessariò implendam, vt statim videbimus.

SED contraria sententia est Magistri sent. dist. 16. & D. Thom. & aliorum Theologorũ ibidem: nempe exstare præceptum diuinum de satisfaciendo absolutè per aliquod opus in hac vita: quamuis, vt attigit Ioãnes Medina, quæst. 41. de confessione, in respons. ad 3. non obligat istud præceptum determinatè vt per hoc aut illud opus, vel hoc aut illo modo, Satisfactio fiat. Atq; hanc sententiam ego reputo probabiliorem.

Nam vt contritio & confessio, sic etiam Satisfactio ad vsum illum pœnitentiæ, de quo exstat in Scriptura præceptum, pertinere omnino videtur; idque præceptum intelligunt DD. citati explicatum esse à Ioanne Baptista illis verbis, Matth. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Cuius pœnitentiæ vis, quemadmodum etiam in Satisfactione sese exerat, suprà explicuimus. Deindè ipsa ratio & ordo charitatis, quam vnusquisque sibi ipsi in procuranda sua salute & incolumitate debet, exigere videtur, vt pœna illa acerbissima, quæ alioqui esset luenda in altera vita, redimatur in ista quàm certissimè fieri possit, saltẽ ex parte, propriis etiam Satisfactionibus.

Et hinc patet responsio ad *primam* rationem dubitandi pro parte negatiua. Ad *secundam* autẽ respondeo, neq; per Indulgentias relaxari obligationem qua quis tenetur per satisfactionem quoque propriam procurare incolumitatem à pœna iudicio Dei debita: vt ostendemus infrà q. 20. de Indulg. p. 3.

Porrò hoc præceptum diuinũ de Satisfactione cùm *affirmatiuum* sit; nõ satis constat, pro quo tempore obliget. Puto autem hoc ipso ordinariè impleri, quod aliquis adimplet pœnitentias â Confessario sibi impositas. Et dico *ordinariè*, quoniam si cui peculiariter studium in Satisfactionis operibus se aliàs exercendi, necessarium ad cauendum aliqua peccata videretur, id omnino tenetur facere, præsertim accedente iudicio prudentis Confessarij. Esset enim reputandum id tempus necessitatis, quo proinde affirmatiuum illud præceptum obligaret.

QVOD autem Sotus aduersus hanc posteriorem sententiam, quam sequimur, argumẽtatur: Si quis iure diuino absolutè tenetur satisfacere, consequens fore, vt teneatur pro tota pœna exactè satisfacere; id quod valde durum esset; facilè refellitur. Primũ enim cùm nemo sciat, quantus pœnæ temporalis reatus post contritionem, & alia media, quibus ille minuitur, maneat; non est ex *præcepto* quidem necesse, admodum anxiè incumbere in magnum studium Satisfactionis. Deinde onus eius præcepti de satisfaciendo, vt & aliorum diuinorum præceptorum, suaue esse, putãdum est. Quocirca tantum ad hoc obligat, vt mediocri saltem studio nitatur homo satisfacere, siue totam pœnam debitam eo studio redimat, siue non tantum.

ALTERA difficultas huius quæstionis erat, vtrum pœnitens omnino teneatur implere Satisfactionẽ seu pœnitentiam sibi impositam à *Confessario*. Et loquimur de iniuncta pœnitentia, quæ spectatis omnibus circumstantiis, videatur iusta & rationabilis, quæq; adeò iniungitur claue potestatis non errante, vt Theologi hoc explicare solent. Quamuis enim pœnitentiæ secũdùm arbitrium Confessarij sint iniungendæ, vt habetur can. *Mensuram*, de pœnit. d. 1. & cap. *Deus*, extra de pœnit. & remiss. tamen varias circumstantias in pœnitentia pro arbitrio suo imponẽda debet attẽdere Confessarius, sicut rectè docet D. Tho-

mas hîc in suppl. 3. p. q. 8. art. 7. & explicat bene Sotus, d. 20. q. 2. art. 3. Et latius Nauarrus in Man. ca. 26. n. 15. & seq. Nec. n. solùm grauitas peccati, sed etiã facultas & cõmoditas adimplendi pœnitentiam, iuxta pœnitentis statum & conditionem; itemque quantitas contritionis, & absolutionis sacramẽtalis vis, & alia opera quibus pœnæ reatus minuitur, attendi debent.

QVOD si his omnibus consideratis manifestè videatur pœnitẽtia esse iniusta; extra controuersiam est, posse illã tunc à pœnitente repudiari: & dico *manifestè videatur*, quoniã in dubio iudiciũ Confessarij præualere debet, eiq; pœnitẽs debet stare, vt rectè notat Sotus loco citato: maximè cũ pœnitentia iusta non consistat in aliquo quasi puncto indiuisibili, sed quandam latitudinem habeat, vt rectè declarat idem auctor.

DIFFICVLTAS igitur quæstionis est, vt dixi: Vtrũ pœnitens teneatur implere pœnitentiam iniunctã, quæ *iusta* videatur. Qua de re tres sunt sententiæ. Prima est Scoti in 4. d. 18. quẽ sequitur Gabriel dist. 16. q. 2. Et Nauarrus in Man. cap. 26. n. 20. Et Ioãnes Medina, q. 41. de confessione. Hi putant, integrum esse pœnitenti pœnitentiam iniunctã non acceptare, sed remittere se ad Purgatorium. Si tamen vltrò eam acceptet, dicunt teneri illum implere, aliãs non.

CETERVM quædam argumenta sunt, quibus hæc sententia facilè refutari potest. PRIMVM est, quòd quilibet subditus omni iure tenetur obtemperare sententiæ sui legitimi iudicis & superioris. At pœnitens subiicitur Confessario tanq; legitimo iudici & superiori, quoad conscientiæ forum, vt ex verbis Christi, Ioan. 20. & Matth. 18. & institutione Sacramenti huius aliãs probari solet. Ergo omni iure tenetur obtemperare sententiæ Confessarij, iustã pœnitentiã imponentis.

SECVNDVM argumentum est, quod potestas ligandi à Christo instituta, qua Confessarij præditi sunt, ad eum etiam ligãdi modum se extendit, quo ipsis pœnitentibus certam pœnã decernant, sicut expresè in Concil. Trid. sess. 14. cap. 8. & can. 15. definitũ est. Non autẽ esset ea potestas, verè potestas *ligandi*, nisi in ea etiam re Confessarij pœnitentes obstringerent, atq; adeò ad acceptandã & ad implendã pœnitentiam obligarẽt.

TERTIVM argumẽtum est, q̃ in ead. sess. Concil. Trid. ca. 8. apertè dicitur, Confessarios ipsos *debere* iniungere pœnitentibus Satisfactionẽ seu pœnitentiam; q̃ certè non esset consentaneum, nisi vicissim quoq; pœnitentes ipsi debeant iniunctam pœnitentiam acceptare & implere.

QVARTVM est, q̃ in ead. sess. cap. 3. itẽ dicitur, Satisfactionẽ in pœnitentibus *ex Dei institutione requiri ad integritatem Sacramenti, & ad plenam peccatorum remissionem*. Quo loco nõ videtur solùm asseri necessitas Satisfactionis respectu illius finis, qui est integritas Sacramẽti & plena remissio; sed etiam necessitas *præcepti*, quod sit coniũctum cum illa diuina institutione; ita scilicet vt ad eum finem sub peculiari peccato debeat pœnitẽs adhibere & exequi etiã illam partẽ Sacramenti, quæ est Satisfactio iniũcta à Confessario.

QVINTVM argumentum est, q̃ in cap. *Omnis vtriusq; sexus*, extra de pœnit. & remiss. item dicitur, *debere pœnitentem studere adimplere pœnitentiam sibi iniunctam*. Accedit postremò sensus ipse communis fideliũ, bonæ & timoratæ præsertim conscientiæ, qui si pœnitentiam sibi iniunctã adimplere negligant, hoc ipso peccare se putant, & de ea re se accusant.

SEXTVM argumentum est, q̃ etiam Patres de ea Satisfactione quæ cũ Confessione coniuncta esse debet, & quæ ideo solet imponi à Sacerdote, loquũtur planè tanq; de re necessaria iure diuino, nõ minus quàm est ipsa Confessio. Vt S. CYPRIANVS in serm. de lapsis: *Confiteantur*, inquit, *singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in seculo est; dum admitti Confessio potest; dum Satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Conuertamur ad Dominum mente tota, &c.*

Et PACIANVS in paræneſi de Pœnitentia & Confessione, eos qui rectè confitentur, & Satisfactionem negligũt, *similes* dicit *esse illis, qui plagas quidem aperiunt ac tumores, medicisq; etiam accedentibus confitentur; sed admoniti quæ imponenda sunt, negligunt, & quæ bibenda, fastidiunt*. Ac similia leguntur apud alios Patres quos p. 2. citaui. Neque video sanè quid ad hæc omnia argumenta auctores illi primæ sententiæ solidè respondeant, aut respondere possint.

NEQVE etiam contraria illorum argumenta pro sua opinione alicuius põderis sunt, quæ potissimũ sunt duo. *Primum* est, quòd, vt contendit Scotus, Confessarij non sunt tanq; iudices ordinarij, sed tanq; *arbitri*, ex electione scilicet & acceptatione pœnitentium, quoad illos actus, in quibus velint pœnitentes se Confessariis subiicere. Vnde sequitur, pœnitentes tũc debere implere pœnitentiam si illam acceptent, atq; adeò si se Confessariis in ea etiam re velint subiicere, aliãs non. *Secundum* argumentum est, quòd possunt alioqui pœnitẽtes pœnã debitam in Purgatorio luere, vt initio quæstionis obiiciebamus.

Sed ad *primum* facilè respondetur, falsũ id esse quod Scotus sumit, nempe Confessarios quasi iudices *arbitros* esse. Non enim ab ipsis pœnitentibus, sed à Christo, & ab Ecclesiæ ꝓpositis auctoritatem sui muneris atq; functionis in illo conscientiæ foro habent. Quare omnino sunt censendi iudices ordinarij. Quemadmodum rectè inter ceteros annotauit contra Scotum Sotus in 4. d. 20. q. 2. art. 2. *Ordinarios* aũt iudices hîc vocamus non prout distinguũtur contra delegatos, quales, vt aliãs docuimus, sæpe sunt Confessarij; sed vt distinguuntur contra *arbitros*, qui ab ipsis subditis q̃ ad actum causſam iudicandi attinet, auctoritatem accipiant, vltro se iudicio illorum submittẽtibus. Tales igitur iudices arbitri cum Confessarij non sint, sed ordinarij, vt est dictum;

consequi-

consequitur, pœnitentes debere simpliciter illorũ sententiæ stare, atq; adeò acceptare pœnitentiam iniunctam: Neq; quòd ad hoc obligentur, ex ipsorum aliqua acceptatione pendere.

ATQVE hoc quidem fundamento posito, facilè intelligitur, non satis rectè ab Auctoribus illius primæ sententiæ dici, si pœnitentes acceptent pœnitentiam, teneri eos illam implere, si autem non acceptent, non teneri. Etenim illorum acceptatio, non eos obligaret ad pœnitentiam implendã, si alioqui auctoritas ipsius Confessarij ad id eos non obligat, vt illi auctores putant. Quod enim quis postea non faciat id quod prius acceptauit & voluit facere, per se quidem peccatũ non est; nisi fortè quis acceptauerit per *promissionẽ*, qua propria sua voluntate se ipse ad id obligare voluerit. Quo pacto non videtur cõmuniter acceptari iniuncta pœnitentia ab ipsis pœnitentibus, sed solum per quoddam propositũ illam adimplendi. Est igitur falsa & incommoda prior illa sententia.

AD secundum aũt argumentum illius sententiæ facilè item respondetur; Quamuis posit aliquis in Purgatorio debitam pœnam luere, tamẽ hoc quidem non posse sine magno incolumitatis suæ spiritualis detrimento, & idcirco iure nihilominus, tum præcepto diuino absolutè, tum etiã imperio Confessarij, qui est superior ac iudex ordinarius, ad satisfaciẽdum in hac vita obligari, vt ea ratione consulat ex charitate sibi debita indemnitati suæ.

SECVNDA sententia de hac quæstione est Caietani, in q. 2. de Satisfactione. Is primùm asserit, non teneri pœnitentem pœnitentiam iniunctã acceptare; & in eo quidem conuenit cum Scoto. Secundò, contra Scotum ipse addit, ne tum quidem, cùm pœnitens iniunctam pœnitẽtiam acceptauerit, teneri illum eam adimplere, saltem sub peccato mortali, etiamsi per *promissionẽ* Confessario factã illam acceptasset. Nec enim putat Caietanus eiusmodi aliquam promissionẽ per se obligare pœnitentẽ sub peccato etiã mortali.

CETERVM hæc sententia Caietani, q̃ attinet ad primam illius assertionem, iam illis argumẽtis, quæ fecimus contra sententiam priorem, refutata est. In secunda verò assertione rectius ac etiam magis conueniẽter opinioni suæ videtur Caietanus sentire quàm Scotus; si verum esset, quod vterq; ponit, Confessarium auctoritate alioqui sua non obligare pœnitẽtem ad implendum pœnitentiam.

Est igitur tertia sententia & communior & verior, debere simpliciter pœnitentem & acceptare & implere pœnitentiam sibi iniunctam à confessario. Ita Magister sent. in 4. d. 16. & 18. & D. Thom. ead. d. q. 1. a. 3. Richardus ibid. art. 1. q. 5. Paludanus d. 20. q. 2. Sotus, d. 20. q. 2. art. 2. Canus in relect. d. Pœnit. parte 5. & alij cõmuniter. Quæ sententia satis illis argumentis probatur, quæ fecimus contra primam opinionem. Quorum argumentorum ea est vis, vt planè intelligere debeamus, esse peccatum mortale ex suo genere, pœnitentiam iniunctam nõ adimplere. Propter paruitatem autem materiæ, id est, si leuicula aliqua pœnitentia esset imposita, puta pro peccatis venialibus, fieri posset, vt iniunctam pœnitẽtiam negligere non esset nisi veniale peccatum, vt rectè Sotus loco citato notauit.

DVO tamen restant circa hanc quæstionẽ annotanda. VNVM est, etiamsi quis iniunctã à Confessario pœnitentiam adimpleat, quandoq; tamen contingere, vt pro iisdem peccatis maneat obnoxius alicui pœnæ soluendæ postea in Purgatorio; si videlicet spectata imbecillitate pœnitentis & aliis circumstantiis, oportuit illi leuiorem pœnitentiam imponere, quam vt per eam tota pœna alioqui diuinitùs peccatis illis constituta, redimi possit, vt bene Sotus in 4. dist. 20. q. 2. a. 3. animaduertit. Quamuis enim pœnitentia iniuncta per potestatem clauium, ipsarũ clauium beneficio, longè plus de pœna debita in Purgatorio redimat, quàm si vltro fuisset suscepta; non est tamẽ necesse, vt semper redimat totam illam Purgatorij pœnam, si eiusmodi pœnitentia, vt dictum est, ob aliquam circumstãtiam fuerit parua, quemadmodũ fit ferè iam semper. Quamobrem consultũ est, aliis etiam remediis vti, quæ ad redemptionẽ illius pœnæ purgatorij diuino beneficio suppetunt: cuiusmodi sunt in primis Indulgentiæ, de quibus infrà q. 20. disputabimus: Itemq; alia Satisfactionis opera, quæ præter iniunctam pœnitentiam ad eum etiam finem vltro suscipiantur.

ALTERVM q̃ notari debet est, pœnitentiam ab vno Confessario pœnitenti impositam, si postea sine detrimento notabili corporis, aut animæ impleri nequeat, posse non solùm ab eodem Confessario, sed etiã ab altero commutari, quãdo non patet recursus ad primũ. Et quidem posse illã commutari ab altero, qui sit primo superior, extra controuersiam est apud Doctores. Vt v. g. Pœnitentia, quę fuit imposita à Parocho, potest postea mutari ab Episcopo.

VTRVM autẽ posit mutari quoq; ab æquali, vel etiam inferiori Cõfessario, controuersia est. Et communior quidem sententia est, ab æquali etiam & inferiori mutari posse; modò ille æqualis, vel inferior Confessarius, habuerit potestatẽ absoluendi eundem pœnitentẽ ab illis peccatis, pro quibus eiusmodi pœnitẽtia fuerit iniuncta. Ita Syluester, verbo Confessio, 1. q. 27. & Nauarrus in man. ca. 26. n. 22. & alij Canonistæ, quos ij auctores citãt. Quin immò addit Syluester, posse mutari pœnitẽtiam ab inferiori Confessario, etiam si fuisset imposita pro peccatis superiori reseruatis, si vel necessitas, vel notabilis vtilitas id exigeret, quoniam tunc, inquit, præsumendũ est, superiorem tacitè facere inferiori Confessario ad eam rem facultatem. Et sic suppeteret inferiori ratihabitio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sotus tamen in 4. d. 20. q. 2. a. 3. putat non posse pœnitentiam mutari, nisi à Confessario superiore, quando illa quidem iustè, id est, *claue non errante*, imposita fuisse videtur, quemadmodum iam de pœnitētia ab altero imposita loquimur. Nam si videretur fuisse irrationabilis, non dubium est, quin posset postea à quolibet mutari, vel potius, vt Sotus bene inquit, quilibet posset tunc declarare, pœnitentem ad eiusmodi pœnitentiam non esse obligatum.

ARGVMENTVM autem, cur putet Sotus non posse eiusmodi pœnitentiã nisi à superiori commutari, est, quoniam par in parem nõ habet potestatem, & multò minus inferior in acta superioris: At cùm pœnitētia prius imposita postea mutatur, quædã videtur potestas exerceri ab eo, qui mutat, in eum, qui pœnitetiam imposuerat, siquidem rescinditur illius sententia: Ergo non potest eiusmodi pœnitentia mutari vel à pari vel ab inferiori.

CETERVM hoc argumentum nõ me mouet, quo minus putem standum illi sententiæ communiori Syluestri, & aliorum. Cùm enim ex rationabili caussa pœnitētia à pari vel ab inferiori Confessario mutatur, non exercetur ea re propriè potestas aliqua siue auctoritas in parem vel superioré Confessarium: Sed consulitur necessitati spirituali pœnitētis alioqui subditi illi pari vel inferiori Confessario; nempe quod attinet ad pœnitētiam impositam pro iis peccatis, quæ subsint quoad absolutionem iurisdictioni atq; auctoritati illius etiam paris vel inferioris Confessarij.

QVOD autē hac ratione possit etiam per parem aut inferiorē Confessarium necessitati pœnitentis subueniri, idcirco existimandũ est, quoniam esset alioqui iugum cõfessionis & obligatio illa implendi pœnitentias nimis dura & grauis. Et deinde hoc ipsũ vsu & consuetudine confirmatur, quę vt ipse quoq; Sotus fatetur, sic obtinuit, vt per alios etiam Confessarios, & non solùm per superiorem, pœnitentiæ ex rationabili caussa commutari possint. Quæ sanè consuetudo propter vnius Soti auctoritatem non videtur esse improbanda.

EST tamen notandum, vt pœnitentia rectè commutari possit, omnino fore necesse, vt peccata, pro quibus imposita fuit, illi patefiant aliquo modo, qui est eam commutaturus. Quamuis non est quidem opus, vt ei manifestētur rursus per Sacramentalem confessionem. Ita enim Nauarrus loco citato rectè notat. Et hactenus de Satisfactione satis disputatum esse videtur.

QVÆSTIO DECIMA QVINTA.

De Suscipientibus Sacramentum Pœnitentiæ.

Supplem. D. Thom. quæst. 16.

QVAESTIO HAEC BREVITER EXPEDIRI POTEST EX IIS, QVAE in superioribus Quæstionibus sunt disputata. Est autem explicandum, Quinam & quatenùs possint suscipere hoc Sacramentum.

PVNCTVM VNICVM.

Quinam, & quatenùs possint suscipere hoc Sacramentum.

D. Thom. quæst. 16.

POENITENTIAE SACRAMENTVM dupliciter cogitari potest. PRIMO, vt integrè constat tum ex tribus actibus pœnitētis, Contritione, Cõfessione, & Satisfactione, tum ex absolutione Sacerdotis. Et si ita quidem consideretur, quæstio hæc iam est ex superioribus expedita. Nã vt soli fideles baptizati, qui post Baptismum in aliquod peccatum inciderunt, conteri, confiteri, satisfacere, & absolutionem à Sacerdote accipere possunt: Ita illi soli sunt capaces istius Sacramenti. Et quidem hoc modo Sacramentum Pœnitentiæ in hoc loco, vbi titulus Quæstionis est de suscipientibus illud, considerari solum deberet. Cæterùm qui Supplementũ istud D. Thomæ in hoc loco addiderũt, eiusmodi Articulos subiecerunt isti Quæstioni, vt appareat, non hoc, sed alio quodam modo ipsos Sacramentum Pœnitentiæ considerauisse.

Potest igitur SECVNDO illud cogitari inadæquatè tantùm secundùm quãdam sui partem, nempe vt constat ex actu interiore Pœnitentiæ. Atq; ita considerato isto Sacramento, tria de illo asserenda sunt, quæ traduntur in tribus Articulis huius Quæstionis ex scriptis D. Thomæ in 4. sentent. in hunc locum translatis.

PRIMVM est, Pœnitentiæ Virtutem etiam in *innocentibus* esse posse. Ac innocentes hoc loco vocantur, qui post acceptam in Baptismo gratiam, mortaliter non peccauerunt. In iis Pœnitentiæ Virtutem habere locum, inde probatur, quòd possunt illam exercere saltem in detestatione

tione peccatorum venialium, à quibus nemo est prorsus in hac vita immunis. Deinde, quoniam naturâ quidem sua peccare quoq; mortaliter possunt. Quare non alienum est, vt vnâ cum gratia & aliis Virtutibus, virtus quoq; Pœnitentię in Baptismo tribuatur, qua etiam vti possint innocentes in detestandis peccatis venialibus, & eatenùs assuefieri, vt si quãdo pòst per peccatum mortale eam Pœnitentiæ Virtutem vnâ cũ Gratia & Virtutibus aliis amittant, promptius ad eiusdem Virtutis studium reuertantur, eaq; consequantur gratiam diuinam.

SECVNDVM est, Virtutem hanc Pœnitentiæ perseuerare quoque in *beatis*. Nam & hi possunt habere etiam quendam actum Virtutis Pœnitētiæ, quo videlicet agant gratias Deo pro misericordia accepta in eo, quòd ipsis fuerint relaxata peccata. Hic enim actus, vt respicit quidē ipsam destructionem & abolitionem peccati præteriti, ad formale obiectum Virtutis Pœnitentiæ refertur, atq; adeò ea quidē ratione actus est Virtutis Pœnitentiæ, vt ex iis intelligi potest, quæ suprà q. 2. de huius Virtutis obiecto explicuim⁹. Accedit, quòd quamuis beati non habeãt eiusmodi detestationem præteriti peccati, cum qua sit coniuncta aliqua tristitia, siue ægritudo animi; tamen nihil obstare videtur, quo minus simplici motu & auersione voluntatis suæ peccatũ etiam execrentur.

TERTIVM est, in Angelis *bonis* nullo modo Pœnitētiam habere locum: quoniam nulla peccata illi habuerũt. In Angelis verò malis, & iam damnatis posse aliquem esse *Pœnitentiæ* actum, sicut & in aliis damnatis erit, vt patet Sap. 5. non tamen eiusmodi actũ, qui sit actus Virtutis. Cæterùm hanc opinionem, quam habuit D. Thomas in 4. sent. postea videtur saltem tacitè retractasse, cùm 1. p. q. 64. art. 2. docuit, Angelos damnatos inflexibilis esse omnino arbitrij, ita, vt ⁊ semel arbitratu suo sibi delegerunt, nequeant postea detestari. Qua de re tomo 1. disp. 3. q. vlt. diximus, nec de hoc nunc est disputandum. Quinimò ne ista quidem tria, quæ de subiecto ipsius Pœnitentiæ disputãtur, pertinent propriè ad propositam Quæstionem. Hæc enim vno illo verbo expeditur, quo initio dixi, Sacramẽti Pœnitentiæ fideles baptizatos qui in peccatum aliquod post Baptismum inciderunt, esse capaces, dum sunt in hac vita: id quod satis patet ex superioribus.

QVÆSTIO DECIMA SEXTA.

De potestate Ministrorum huius Sacramenti, quæ nomine CLAVIVM regni cœlorum significatur.

Supplem. D. Thom. q. 17. vsq; ad q. 20.

SI NVDE ET SIMPLICITER DE POTESTATE MINISTRORVM huius Sacramenti differendum esset, nihil præterea superesset iam dicendum, postea quam suprà q. 10. fusè tradidimus, quinam sint Ministri Sacramentalis Confessionis, & quinam & quatenus possint Sacramẽtaliter absoluere. Iidem enim, Ministri Confessionis & Sacramenti Pœnitentiæ sunt: imò eatenùs administrare Sacramentũ Pœnitentiæ dicuntur, quatenùs cum authoritate absoluunt & excipiunt Sacramentalem Confessionem. Cæterùm quoniam potestas huiusmodi Ministrorum Sacramenti Pœnitentiæ comprehenditur etiam nomine CLAVIVM regni cœlorum, quarum mentio fit Matth. 16. quasq; proinde constat esse in Ecclesia; idcirco quædam in his Quæstionibus præterea disputantur, quæ pertinent, tum ad rationem, tum ad varietatem, & effectum, & subiectum istiusmodi Clauium, item q. ad quosdam illarum præcipuos actus, à q. videlicet 21. vsque ad q. 27. quæ sunt de Excommunicatione & Indulgentiis. Nos quoniam illa ferè, quæ sunt de ipsis Clauibus aliàs explicantur, summatim rem totam hoc ordine & modo complectemur. PRIMO explicabimus, Quænam sit Ratio atq; efficacia huius potestatis Clauium. SECVNDO, Quàm latè pateat, seu quotuplex sit hæc potestas Clauium. TERTIO, Quibusnam hæc potestas Clauium competat, & in quos exerceri possit. De Actibus autem huiusmodi Clauium in sequentibus Quæstionibus differendum est.

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam sit Ratio atque efficacia potestatis Clauium.

D. Thom. q. 17. art. 2. & q. 18.

QVAE DE HAC RE STATVENDAE nobis sunt assertiones. PRIMA Assertio. Claues Regni cœlorũ, quamlibet potestatem spiritualem significant, communissimè vsurpando id vocabulũ, cuius vsu cum authoritate quadam fidelibus aliquo modo patefiat aditus ad regnum cœlorũ, aut etiam aliquo modo intercludatur, nempe cùm illis iure & merito beneficium aliquod spirituale ab Ecclesiastico Ministro ex officio negatur,

gatur,eoque ipso illis indirectè clauditur regnũ cœlorum,quatenus ipsis negatur illud,quod eis ad beatitudinem consequendam conduceret. Quemadmodum eadem ratione quæcũq; eiusmodi potestas spiritualis dici solet potestas *sõlnendi* atq; *ligandi*, quatenus spiritualis videlicet potestatis vsu tollitur alicui impedimentum, q̃ ei obstat, quò minus ad beatitudinem peruenire possit, aut certè commodè possit; vel etiam non tollitur.

Quoniam igitur Clauium officium est vel *aperire*, vel *claudere*, inde per Metaphoram,nomen *Clauium* regni cœlorum ad eiusmodi potestatẽ spiritualem translatum est: siue per eam cœlum aperiatur, administrando Sacramenta, siue regendo, siue docendo, &c. Itaq; Clauis à Doctoribus communiter his verbis definitur: *Clauis est potestas ligandi atq; soluendi, qua Ecclesiasticus Iudex dignos recipere, & indignos excludere debet à regno.* Quam definitionem ponit Magister in 4. d. 18. & Glossa ordinaria ex Hieronymo in illud Matth.16.*Tibi dabo claues regni cælorũ, &c.* Et confirmatur à Ioanne XXII.in Extrauag.*Quia quorundam*. De verborum significatione. Atque etiam defenditur hìc à D.Thoma q.17.art.2.

Neque verò obstat, quòd Clauis alioqui non ligare aut soluere, sed aperire & claudere solet. Explicatur enim in ista definitione Actus ille Clauium Ecclesiasticarum, qui in *reipsa* exercetur, quiq; adeò non solùm vocabulis aperiendi & claudendi, sed etiam *ligandi* & *soluendi* commodè significari potest. Et satius fuit,in hac descriptione alludere ad Christi sententiam, qui Matth. 16. actus istarum Clauium per vocabula item *soluendi* & *ligandi* expressit, quàm prosequi Rhetoricè Metaphoram ipsam Clauium per vocabulum aperiendi & claudendi. Atq; hoc est breuiter ita notãdum, propter quosdam Sectarios, qui modum illum Claues Ecclesiæ describendi, ineptè irrident.

Secvnda Assertio. Effectus Clauium regni cœlorũ est remissio culpæ & pœnæ, vt hìc diuus Thomas q.18.docet, & Sotus confirmat dist. 20. q.2.ac nos suprà q.1.p.2. fusè disputauimus contra hæreticos. Sicut etiam q.14.p.3.explicatum est,quem modum debeat Sacerdos tenere in ligando ad pœnã, quod repetitur hìc rursus q.18. art.3.& 4.& tractatur à Soto d.20.q.2.art.2.& 3.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quàm latè pateat, seu quotuplex sit hæc potestas Clauium.

D.Thom. q.17.art.3.

Cvm Claues Ecclesiasticæ dicantur authoritates, seu potestates ad actus aliquos spirituales; vt actus isti sunt varij,sic etiam variè traduntur diuisiones huiusmodi Clauium, vt videre est hìc apud D. Thomam q. 17. art.3. Sunt autem duæ potissimum diuisiones notandæ.

Prima est in Clauem Ordinis,& Clauem Iurisdictionis. Et *Ordinis* quidem Clauis non differt reipsa à Charactere Sacerdotali, sicut docet D.Thomas q. 17. a. 2. ad 1. & declarat bene Franciscus Victoria in Summa de Sacram. cum agit de Clauibus:sed est ipsa potestas,quæ est Character, quatenus illa potest aperiri & claudi regnũ cœlorum, accedente tamen alia item claue Iurisdictionis, quæ etiã requiritur ad absoluendũ.

Altera diuisio Clauis est in Clauem scientiæ, & Clauem potestatis. *Scientiæ* Clauis dicitur authoritas discernendi,vtrum aliquis sit dignus vel indignus eo beneficio, quod confertur per potestatem Clauium. *Potestatis* autem Clauis dicitur authoritas illud ipsum exequendi reipsa, quod iudicatum est, nempe recipiendo dignũ, aut excludendo indignum à regno,sicut S.Thomas declarat in q. 17. a. 3. Et potest etiam appellari Clauis *scientiæ*, peculiari nomine authoritas illa, quæ est in Pontifice ad *definiendum* controuersias de doctrina fidei,de qua fusè egimus tomo 3.disp.1.q.1.p.7.

Modus autem iste nominandi Clauem *Scientiæ* sumptus videtur ex Christi sermone apud Lucam,cap.11.vbi Iurisperitos veteris legis dixit *tulisse Clauem scientiæ*. Quanquam secũdùm aliam quidem considerationẽ Ministri illi legales non propriè habuerunt Claues regni cœlorum,sicut sequenti p. dicemus.

PVNCTVM TERTIVM.

Quibusnam hæc potestas Clauium cõpetat,& in quos exerceri possit.

D.Thom.q 19.& 20.

Ponam hac de re quinq; Assertiones.Prima: Claues istæ,si *totã amplitudinem* authoritatis, quæ illarũ vocabulo significari potest, consideremus, soli D.Petro, & successoribus eius, Romanis Pontificibus, atq; eatenùs ipsi Ecclesiæ, tributæ à Christo sunt, vt ostendimus tomo 3.disp.1.q.1.p.7.§.28.& seq. *Primùm* enim illi soli Christus Claues promisit Matth.16. *Secundò*, illi soli promisit ac contulit omnem omnino authoritatem spiritualem, pertinentem ad bonum statum Ecclesiæ. Tertiò, ita asseruerunt sancti Patres,quorum testimonia illic §.34. citauimus,idemque docet D.Thomas hìc q. 20. art.1.ad 1.

Secvnda Assertio: Nihilominus tamẽ quoniam aliis etiã Ministris Ecclesiæ competit authoritas magis aut minus ampla ad *quosdam vsus* eiusmodi Clauium, & quælibet talis authoritas nomine Clauium significari potest; alij quoque Ministri Ecclesiastici Claues habere dicũtur. Et quidem ipsi Apostoli amplissimam post D. Petrum authoritatem Clauium ab ipso Christo æceperunt.Nam in quoscunque fideles vbiq; ter-

rarum, actus omnes spirituales Clauium exercere potuerunt, excepto quòd non habuerunt authoritatem *regendi* etiam ipsum D. Petrum: Item excepto, quòd in *vsu* eiusmodi authoritatis potuit illis modus præscribi à D. Petro, tanquam ab eorum etiã Pastore & Præposito, vt loco citato,§.28. à nobis explicatum est.

Neque verò reliqui Apostoli mediatè solùm à Christo Claues acceperũt,videlicet per Petrum, vt sensit falsò Turrecremata lib. 2. de Ecclesia, cap.77. sed immediatè, vt rectè confirmãt Sotus in 4. dist. 20. q.1. art. 2. & Caietanus in Tractatu de primatu Romani Pontificis,cap.5.& Victoria in Summa de Sacramẽtis, sub finem, vbi agit de Clauibus. Idque patet Matth. 18. & Ioannis 20. cùm ipse Christus per se Apostolis dixit: *Quæcũque solueritis, &c.* Item: *Ego mitto vos, &c. Accipite Spiritum sanctum,quorum remiseritis, &c.* Quin etiam D.Paulus, qui tunc non adfuerat, tamen ad Galat.1. gloriatur,se Apostolum esse constitutũ, *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum*.

Illud tamen notandum est, quod etiã loco citato,§.28. confirmauimus, plenissimã illam authoritatem non ita fuisse Apostolis immediatè à Christo collatã, vt item ad illorum successores tota deriuaretur. Quo ipso etiam D. Petro fuêre inferiores, cui tributa est authoritas Pastoris vniuersalis, non solùm pro ipso, sed etiã pro successoribus,vt loco citato fusè probauimus.

Quando aũt Apostolis reliquis Claues collatæ fuerint à Christo,nonnullũ dubium est. Nam Armacanus lib.11.de quæstionib. Armenor. cap. 14.& 15.putauit, eam illis omnib. tributã fuisse, Marci 3. quando à Christo nominati & instituti sunt duodecim Apostoli. Sed hæc opinio cõmuniter reiicitur ab omnibus; idque meritò. Nam longè post Christus promisit Claues D. Petro, Matthæi 16. qui tamen etiam fuerat Apostolus, Marci 3. institutus. Item passim veteres Patres censent, Matth.18.& Ioan. 20. atq; etiam in Cœna per illa verba, *Hoc facite*, Apostolis authoritatem tributam esse.

Est igitur certior sententia,quam Sotus d.20. q.1.artic.2.ex cõmuni aliorum etiam Doctorum consensu,ponit,nempe Matth. 18.fuisse Apostolis datam in cõmuni authoritatem iurisdictionis,tum in foro *externo*,tum etiã in *interno*. Quod patet ex ipsa etiã generalitate illorum verborũ: *Quæcunq; solueritis,&c.* Id quod contra Turrecrematam vbi suprà,& etiam contra Victoriam notandum est,qui falsò existimauerunt, tantùm in foro externo accepisse illos iurisdictionem eiusmodi verbis. Quamuis enim in foro etiã externo eam tunc acceperint, indeq; D. Avgvstinvs lib.1.contra aduers. Legis & Prophetarum, cap. 17.& Theologi Scholastici authoritatem excõmunicandi, quæ est in foro externo, probent:tamen non solùm in externo, sed etiam in interno, iurisdictionem tunc acceperunt.

Vtramque enim Iurisdictionem planè complectitur S.Avgvstinvs illic,cùm ait: *Ignoscẽdi mansuetudo per quam dictum est, non solùm septies, verùm etiam septuagies septies fratri remittẽda esse peccata,non ad hoc valet,vt sit iniquitas impunita,aut torpens & dormiens disciplina, quod potius obsit quàm diligens vigilansq; vindicta. Claues quippe regni cœlorum sic dedit Christus Ecclesiæ, vt non solùm diceret, Quæ solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis: vbi absolutè bonum non malum pro malo reddit Ecclesia: Verùm & adiungeret, Quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in cœlo:quia bona est & vindicandi iustitia, &c.* Itaq; vtramq; potestatẽ & iurisdictionẽ tunc Apostoli acceperũt,scilicet & in foro *interno*, (qualis est potestas *remittendi* peccata) & in foro *externo*, qualis est potestas *puniendi* per Excommunicationem, de qua mox loquitur ibi Augustinus.

Deinde verò in Cœna Christus eisdem Apostolis authoritatem consecrandi contulit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*: ibique adeò Sacerdotes instituit. Et denique Ioannis 20. post resurrectionem expressiùs, magisque determinatè authoritatem absoluendi & ligandi in foro interno.Diuo autem Paulo,Matthiæ,& Barnabæ,quando nam authoritatem Apostolicam Christus contulerit, minùs constat. Et existimandum est, illo ipso tempore, quo illos in Apostolos elegit.

Tertia Assertio. Non soli Apostoli, sed etiam illorum successores, Episcopi, & Sacerdotes, suas habent in Ecclesia Claues pro ratione authoritatis illorum: sed has tamen non accipiunt immediatè à Christo, sed à Summo Ecclesiæ Pastore, successore Diui Petri, vel certè secundùm dispositionem illius. Ita enim ad bonum Ecclesiæ statum conuenit, vt suprà etiam quæstione decima docuimus, cùm de Ministris Confessionis,& de authoritate iurisdictionis illis necessaria agebamus. Atque ea dispositio ad officium ipsum Summi Pastoris pertinet,cui cura incumbit totius Ecclesiæ gubernationis, vt sic illa instituatur, sicut conuenit: id quod magna ex parte pendet ex delectu ipsius Ministrorum.

Neque hìc obstat, quod in Cap. *Firmiter*. de summa Trinitate & fide Catholica,dicitur Christus contulisse Claues Apostolis & illorum successoribus. Quod enim de illorum successoribus dicitur, intelligi debet *mediatè*, per suum videlicet Vicarium,vt Victoria rectè exponit loco citato de Clauibus.

Qvarta Assertio. Sacerdotes legales non æquè habuerunt olim spirituales Claues, atque iam habent Sacerdotes noui Testamenti, vt docet D.Thomas hìc q.19. artic.1. Ratio est: Quoniam illi suo ministerio nequaquam efficaciter aperiebant fidelibus regnum cœlorum, ita, vt faciunt noui Testamenti Sacerdotes. Quod satis patet ex iis, quæ suprà disputatione tertia

Universidad de Deusto
Biblioteca

de Sacramentis in genere, quæst. 3. de præstantia atque efficacitate nostrorum Sacramentorum, qua longè antecellunt Sacramentis veteris legis, disputata sunt.

Et nihilominus tamen sicut aliquo modo ministerium illud Sacerdotum legalium hominibus conducebat, vt per fidem in Christum venturum salutem consequerentur, atque adeò suo etiam tempore ingrederentur postea regnum cœlorum: ita quoq; potuit authoritas illius ministerij significari nomine Clauium regni cœlorum: id quod testimonio Isaiæ, cap. 22. confirmare possumus. Ibi enim Dominus dicit ad Eliachim Sacerdotem, qui figuram gerebat Christi: *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius,* hoc est, potestatem.

Christus autem plenissimè, & quidem per *excellentiam*, vt D. Thomas dicit q. 19. art. 2. habuit & habet claues regni cœlorum, hoc est, potestatem hominibus illud aperiẽdi: iuxta illud, quod legimus Apocalyp. 3. *Hæc dicit, qui habet clauem Dauid, &c.*

Ministerialiter verò potestatẽ quidem vtriusque Clauis, scilicet Ordinis, & Iurisdictionis soli Sacerdotes in Ecclesia habent, vt superius quæst. 10. contra hæreticos disputatum est. Potestatem autem solius Iurisdictionis *non Sacerdotes* etiam habere possunt, vt patet in Episcopis electis & confirmatis, & nondum consecratis, aut nondum etiam initiatis Sacerdotio.

Non tamen possunt *mulieres* habere Clauem Iurisdictionis spiritualis. Imò ne ipsæ quidem Prælatæ Religiosarum mulierum propriè potestate Iurisdictionis spiritualis præditæ sunt; sed tantùm habent *commissionem* quorundam *actuũ* eiusmodi Clauium, quod attinet ad correctionem & disciplinam domesticam subditarum, eò quòd viri sine incommodo nequeunt ipsi per se illud munus obire. Ita docet rectè D. Thomas hîc quæst. 19. art. 3. ad 4. & declarat bene Couarruuias in Cap. *Alma mater*, parte 1. §. 11. nu. 2. & Sotus dist. 20. quæst. 1. art. 4. vbi rectè censet, eiusmodi Prælatas nõ habere potestatem, vt possint præcipere sub *peccato mortali* illud, cuius alioquî transgressio ex grauitate materiæ per se mortalis culpa non esset: sed iudicandum esse de illarum præceptis, vtrum ad mortale vel veniale obligẽt ex ratione materiæ. Qua de re bene etiã loquitur Victoria loco suprà citato, de Clauibus.

Hinc sequitur, potestatem Clauium non esse à Christo collatam immediatè *toti corpori* Ecclesiæ, sicut Sectarij opinantur, qui censent, etiam pueros & mulieres, habere quidem ipsam potestatem ministerij Ecclesiastici, quamuis illud exercere nõ possint, quoniam ad eius vsum specialiter non deputentur. Quem errorem suprà quæst. 19. refutauimus. Item neque potestas illa Clauium secundùm totam suam amplitudinem fuit à Christo collata ex æquo Ecclesiæ Prælatis etiam in Concilio congregatis; sed *soli* Petro, eiusq; successori Romano Pontifici, vt ostẽdimus tomo 3. disp. 1. q. 1. p. 7. §. 44. de Conciliis.

QVINTA Assertio. Non quilibet Ecclesiæ minister potest in *quemlibet* exercere potestatem hanc Clauium; sed duntaxat in sibi subditum. Quod tunc etiam verum est, cùm aliquis suum alioqui Superiorem absoluit à peccato per potestatem Clauium. Nam cùm quis hoc facit, etiam exercet eam potestatem in subditum, quod attinet quidem ad *illum actum*. Porrò hanc quintam Assertionem satis declarauimus & confirmauimus suprà quæst. 10. quæ item hîc ponitur à D. Thoma quæst. 20.

In subditum autem quo minùs aliquis vtatur efficaciter & validè potestate Clauium, minimè per peccatum mortale impeditur: quamuis ipse quidem in ea re peccet. Item neque impedit huius vsus efficaciam excommunicatio, aut alia Censura Ecclesiastica, nisi in illis duobus Casibus Concilij Constantiensis, nempe cùm aliquis est *nominatim* denunciatus, aut *notorius* percussor Clerici, sicut suprà quæst. 10. docuimus. Diuus autem Thomas cùm hîc dicit quæst. 19. artic. 6. excommunicationẽ absolutè impedire, loquitur secundùm ius antiquum, quod illo tempore obtinebat ante Concilium Constantiense.

Atq; hæc quidem satis nũc sint ad rationem, varietatem, effectum, & subiectum Clauium in genere, cognoscenda. De quibus rebus quædam etiã eruditè disputat Franciscus Victoria in Relectione sua de potestate Ecclesiastica. Nunc sequitur, vt de actibus Clauium peculiariter disseramus in quatuor reliquis Quæstionib. huius disputationis.

QVAESTIO

QVÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

De illo Actu Clauium, qui est censura Excommunicationis.

Supplem. D. Thom. q. 21. vsque ad q. 25.

DISPVTANT DE HOC ARGVMENTO THEOLOGI CVM MAgistro lib. 4. sententiarum d. 18. Item Iurisperiti lib. 5. & 6. Decretalium, tit. de sententia Excommunicationis, & in Extrauagantibus tit. 13. & lib. 5. & in Clementinis lib. 5. tit. 10. & in Decreto 11. q. 3. & 24. q. 1. 2. & 3. ac fusè Didacus Couarruuias in Commentario super Capitulũ, Alma mater, de sententia Excommunicationis, lib. 6. Item Summistæ Verbo Excommunicatio, ex quibus potissimùm Caietanus, & Syluester videri debent. Item Nauarrus in Manuali, cap. 27. & Sotus in 4. dist. 22. q. 1. & 2. ac optimè etiam istud argumentum tractat Petrus de Soto in sua institutione Sacerdotum.

Sunt autem à nobis, vt materiam totam recto ordine complectamur, nouem Puncta principalia breuiter explicanda. PRIMVM *est, Quid sit Excommunicatio, & an omnino sit in Ecclesia potestas excõmunicandi.* SECVNDVM *est, Quotuplex sit Excommunicatio, & quid vnaquæq; operetur, seu quam vim habeat.* TERTIVM, *Quinam possint excommunicare.* QVARTVM, *Qui possint excommunicari.* QVINTVM, *Quæ causa subesse debeat, ad excõmunicandum.* SEXTVM, *Qua forma & ratione sententia Excommunicationis ferenda sit.* SEPTIMVM, *Quando, seu quomodo contingat, aliquem excusari, quò minùs incurrat vinculum Excommunicationis.* OCTAVVM, *Quis possit absoluere ab Excommunicatione, & qua forma sit Absolutio danda.* NONVM, *Qua ratione in particularibus casibus diiudicari possit, incurrerit ne aliquis Excommunicationem.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Excommunicatio; & an omnino sit in Ecclesia potestas excommunicandi.

D. Thom. q. 21. art. 1. & 2.

QVOD AD PRIMVM ATTINET, *Excommunicationis* nomine in Ecclesia iam inde ab initio significari cõsueuit separatio quædam Christiani hominis à communione & societate Ecclesiæ. De qua Excommunicatione ita scriptum reliquit TERTVLLIANVS in Apologetico, cap. 39. agens de disciplina Christianorum: *Iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu: Summumq; futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur.*

Hoc posito duas Excommunicationis definitiones commemorat D. Thomas hîc quæst. 21. artic. 1. Vna est, quam tradit Magister, & communiter alij Doctores in 4. dist. 18. vt Excommunicatio sit *separatio à communione Ecclesiæ, quoad fructum & suffragia*, id est, quoad Sacramenta & orationes communes, vt D. Thomas in illo loco interpretatur. Altera definitio est huiusmodi: *Excommunicatio est à qualibet licita communione fidelium separatio.*

Cæterùm si ipsa propria ratio Excommunicationis in *communi* aptè & generatim describenda est, paulò aliter secundùm communem etiam doctrinam omnium Doctorum definire oportebit. Etenim illa prima definitio non conuenit omni Excommunicationi, sed soli *maiori*, quam vocant, vt ipse etiam D. Thomas art. 1. fatetur, & alij omnes notant. Excommunicatio enim *minor* non priuat *communicatione suffragiorum*, sed tantùm participatione *passiua* Sacramẽtorum. Et tamẽ ista Excommunicatio quamuis non ita perfecta sit, tamen Excommunicatio & vera Censura Ecclesiastica est.

Altera verò definitio nimis est ampla & generalis. Quædam enim licitæ communicationes sunt, quæ per Excommunicationem non prohibentur. Vt communicatio cum excommunicato de iis rebus, quę illum ad resipiscendum mouere possint. Item communicatio quædam fructus spiritualis orationum & bonorum operũ, quẽ aliquis participat hoc ipso, quòd præditus gratia sit (id quod etiã excõmunicato cõtingere potest) neq; ꝓhibetur, neq; verò ꝓhiberi potest ꝓ Excommunicationẽ, vt postea explicabimus.

Commo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Commodiùs igitur ex mente & doctrina omnium, quam etiam ponit D. Thomas hîc q. 21. artic. 1. ad 2. definiemus hoc modo: EXCOMMVNICATIO *eſt Cenſura Eccleſiaſtica, per quam Eccleſiæ ſubditus priuatur eiuſmodi aliquo communi bono, cuius communicatio pendeat alioqui ex ipſius Eccleſiæ placito, ſeu peculiari intentione.*

Dicitur autem inprimis Excõmunicatio *Cenſura Eccleſiaſtica*, vt ſignificetur, eam eſſe quãdam ſpiritualem animaduerſionem ſeu *vindictam*, aut *pœnam*, vt illam diſertè vocat D. AVGVSTINVS lib. 1. contra epiſtolã Parmeniani. cap. 7. & epiſt. 75. Qua quidem ratione conuenit in eodẽ *genere* Excõmunicatio cum aliis duab. Cenſuris, nempe cum Suſpenſione, & Interdicto. Tres enim hę tantũmodo Cenſuræ Eccleſiaſticæ numerantur, vt colligunt cõmuniter Doctores ex Cap. *Quærenti*, Extra de verborũ ſignificatione, vbi id ſatis videtur declaraſſe Innocentius III. Quod, vt apparet, non attendit Sotus in 4. diſt. 22. quæſt. 3. artic. 1. vbi incogitanter maiorem numerum Cenſurarum Eccleſiaſticarum facit.

Differt verò Excommunicatio eãdem ipſa ratione à quatuor aliis quaſi Cenſuris, quę nõ ſunt propriè Cenſuræ, ſed *impedimenta* quædam *Canonica*, vt appellant Doctores: nempe ab Irregularitate, Depoſitione, Degradatione, & Ceſſatione à diuinis officiis.

Deinde differt quoq; Excommunicatio per illam ſuam rationem genericam, nempe *Cenſuræ Eccleſiaſticæ*, à peccatis mortalibus. Quæ quidem licet ſuapte ratione priuent cõmunione Sacramentorum, & cõmunicatione per gratiam, non ideo tamen cenſeri debent Excommunicatio, vt malè ſenſit Gabriel in 4. diſt. 18. q. 2. art. 1. Peccatum enim mortale non eſt Eccleſiaſtica cenſura, ſed culpa, quæ per cenſuram Eccleſiaſticã quandoq; mulctatur, vt rectè Sotus in 4. diſt. 22. art. 1. q. 1. contra Gabrielem argumentatur. Quamuis *impropriè* quidẽ hoc ipſo quòd mortalia peccata priuant, vt dictũ eſt, aliqua cõmunicatione poſſunt dici quædam Excommunicatio, vt loquitur etiam Couarruuias in Cap. *Alma mater*, parte 1. initio, num. 6.

Iam verò reliquæ particulæ poſitæ in definitione, ſunt quaſi differentiæ loco. Ex illis enim poteſt intelligi, qualenam oporteat eſſe *cõmune* illud bonum membrorum Eccleſiæ, à quo prohibeat Excommunicatio. Nam QVODDAM commune bonum eſt, cuius applicatio nõ pendet ex peculiari Eccleſiæ *intentione*, ſed hoc ipſo illius aliquis particeps eſt, quòd gratia diuina eſt præditus, atque adeò per illam cum reliquis Eccleſiæ membris & cum Chriſto capite cõiungitur. Hoc enim ipſo quidam fructus bonorum omnium operum, & orationum, & ſatisfactionũ ad vnum quemq; fidelem gratiâ præditum deriuatur, quatenus eſt membrum eiuſdem Eccleſiæ corporis: iuxta illud Dauidis Pſal. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te.* Quod patet etiam ex articulo de cõmunione Sanctorum. Ab hoc autem cõmuni bono nõ priuat Excommunicatio; quamuis Excommunicatio *maior* præſupponat quidem hominem iam antè propter peccatum mortale eſſe illo priuatum.

ALTERVM genus bonorum communium eſt, cuius participatio pendet ex *peculiari intentione* ipſius Eccleſiæ. Vt fructus earum orationum & ſuffragiorum, quæ fiunt à miniſtris *nomine* ipſius Eccleſiæ. Item etiã vſus ac fructus Sacramentorum, quæ vt patet, niſi Eccleſia ipſa volẽte, applicari alicui nõ poſſunt. Item etiam externa conuerſatio & cõuentus in orationibus publicis, & ſimilia, quibus poteſt quoq; per auctoritatẽ Eccleſiæ alicui interdici. Huius igitur poſterioris generis oportet eſſe bonum *illud commune*, à quo prohibet Excommunicatio, & hoc declaratur in illa poſtrema parte definitionis. Itaq; cõmuniter Doctores notant, *priuato* quidẽ nomine poſſe quemuis orare pro excommunicato; imò etiam addit Nauarrus in Man. ca. 27. n. 36. poſſe Sacerdotem *priuata* ſua intentione applicare excõmunicato non *ſacrificium ipſum* Miſſæ, ſed *opus* ſuum bonum offerendi illud pro alio vel aliis, quibus ex intentione Eccleſiæ debet.

Atq; ex hac quidẽ deſcriptione Excõmunicationis, ſatis iam intelligi poteſt, excõmunicandi actũ omnino pertinere ad vſum illũ Eccleſiaſticarũ Clauium, q. eſt *ligare*. Vnde & D. AVGVSTINVS epiſt. 75. diſertè dicit, per Excommunicationem *animam ipſam obligari*; iuxta illud Matth. 18. *Quæcunq; ligaueritis, etc.* quod ibi Auguſtinus inducit. Quatenus enim priuatur aliquis eo bono, quod poſſet ei conferre ad ingrediendum in regnum cœlorum; quodam modo aditus illi ad regnum cœlorum intercluditur, & quaſi opponitur illi obſtaculum, quò minùs eò expeditè perueniat: quod eſt metaphoricè hominem ligari, ne ad illum terminum contendere poſſit.

Nunc AVCTORITATEM excommunicandi eſſe in Eccleſia, probatur PRIMO ex illis verbis Chriſti, Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Actum ſubiungit: *Amen dico vobis: Quæcunq; ligaueritis ſuper terrã, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolueritis, &c.* Quo loco apparet, poſſe Eccleſiam ita ſe gerere erga eum, qui contumaciter peccat, ſicut ſe gerit erga *Ethnicum* aliquem ſeu publicanum, id eſt, erga infidelem non baptizatum. At Eccleſia erga eiuſmodi Ethnicum ita ſe ſolet gerere, vt non illi communicet bona quædam ſpiritualia communium ſuffragiorum, neque etiam eam cum illo conſuetudinem conuerſationis externæ habeat, quam habet cum ſuis membris. Igitur poteſt etiam Eccleſia ex conceſſione Chriſti membrum aliquod ſuum, quando cõtumaciter peccauerit, eodem illo genere bonorum communium ſimiliter priuare, atque adeò illum, quantum in ipſius Eccleſiæ arbitratu poſitũ eſt, Ethnici loco habere.

Et confir-

Et confirmatur hoc ex verbis Apoſtoli, 1. Corinth. 6. *Quæ pars*, inquit, *fideli cum infideli?* Quaſi dicat; Nihil debet eſſe illis cõmune. Vnde ſequitur, Eccleſiam, quæ pro Ethnico fidelem contumaciter peccantẽ habere poteſt; poſſe illum omni eiuſmodi bono cõmuni priuare, cuius applicatio pendeat ex arbitratu eiuſdem Eccleſiæ.

Item id rurſus confirmatur ex eo, quòd Chriſtus è veſtigio generatim ſubiunxit: *Quæcunque ligaueritis, &c.* quaſi dicat: Quomodocunq; fratrem contumaciter peccantem à communione veſtra excluſeritis, reputaueritisq; tanquã Ethnicum, pro tali habebitur etiam in cœlo.

SECVNDO probatur eadem Aſſertio teſtimonio veterum Patrum, qui hanc authoritatem excommunicandi competere Eccleſiæ magno conſenſu aſſeruerunt. S. AMBROSIVS libro primo de Pœnitent. cap. 14. *Sequeſtrari*, inquit, *oportet grauiter lapſum: ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat.* Et libro primo de officiis, cap. 27. *Boni*, inquit, *Epiſcopi affectus eſt, vt optet ſanare infirmos: ſerpentia auferre vlcera: adurere aliqua, non abſcindere: Poſtremò quod ſanari non poteſt cum dolore abſcindere.*

S. AVGVSTINVS Tract. 50. in Ioann. *Cùm excommunicat Eccleſia, in cœlo ligatur excommunicatus.* Et quæſt. 39. in Deuteron. *Hoc*, inquit, *nunc agit in Eccleſia Excommunicatio, quod agebat tunc* (in lege veteri) *interfectio.*

Et epiſt. 75. *Tunc*, inquit, *ad terrorem viuentium mortalia corpora perimebantur, quandoque vtique moritura. Spiritualis autem pœna, qua fit quod ſcriptum eſt, Quæ ligaueritis in terra erunt ligata & in cœlo; animas obligat, de quibus dictum eſt, Anima Patris mea eſt, & anima Filij mea eſt. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur*, Ezech. 18.

Similia ſcribunt ORIGENES homil. 2. in lib. Iudicum. Vrbanus Papa & Martyr epiſtola de communi vita & obligatione fidelium. Hieronymus, & Chryſoſtomus in illum locum Matthæi 18. & alij multi, quorum teſtimonia recitat Gratianus in Decretis vndecima, quæſt. 3. & 24. quæſt. 3.

TERTIO probatur eadem Aſſertio ex vſu atque exemplo ipſorum Apoſtolorum. Nam D. Paulus 1. Corinth. 5. auctoritate excommunicandi vſus eſt, inquiens: *Si is, qui frater nominatur, eſt fornicator aut auarus, &c. cùm eiuſmodi ne cibum quidem ſumere.* Item 2. Theſſalonicen. 3. *Si quis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur.* Et ad Titum 3. *Hæreticum*, inquit, *hominem poſt vnam aut alteram admonitionem deuita.* Et Diuus etiam Ioannes ſecunda epiſtola, cap. 1. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, neq; Aue ei dixeritis.*

Maximè autem D. Paulus ſignificat, hac ſe authoritate vſum fuiſſe, cùm dicit, conſtituiſſe ſe tradere aliquos impios *Satanæ*.. Vt inceſtuoſum illum hominem Corinthium, 1. Corinth. 5. Item Alexandrũ & Hymenæum, 1. ad Timotheum 1. Nam & nunc per Excommunicationem traditur quis Satanæ, quatenus etiam tradere Satanæ, eſt hominem communibus Eccleſiæ ſuffragiis deſtitutum, exponere vehementibus tentationibus dæmonum, vt exponit ſanctus Thomas lect. 1. in cap. 5. 1. ad Corinth. & ante illum Origenes homilia ſecunda in librum Iudicum, ſub finem, & alij.

Atque exiſtimant etiam quidam, id genus Excommunicationis, quod illis temporibus vſurpabatur, ſolitum fuiſſe manifeſto ſigno externo indicari; ita, vt viſibiliter corriperentur excommunicati à dæmone. Quemadmodum è contrario gratia Spiritus ſancti, quæ in Baptiſmo communicabatur, ſigno externo ſignificari ſolita fuit. Atque id colligi poteſt ex verbis Apoſtoli, cùm dicit, 1. Corinth. 5. ſtatuiſſe ſe tradere hominem illum *Satanæ in interitum carnis.* Quanquam horum verborum ſenſus etiam eſſe poteſt, quòd eo conſilio Apoſtolus voluerit hominem illum excommunicare, atque adeò exponere dæmonum incurſibus, vt pudefactus & vexatus ea ratione tandem reſipiſceret, & extingueret in ſe cum diuino auxilio incendium illud carnis, quo ad inceſtum fuerat impulſus, ſicut Sotus in quarto, diſtinct. 22. quæſtione prima, articulo primo, non malè interpretatur, & expreſsè etiã annotauit Origenes loco citato.

POSTREMO confirmatur eadem Aſſertio cõſuetudine ipſa Eccleſiæ Catholicæ, quę omnibus temporibus obtinuit, vt hæretici excommunicarentur. Id quod factum eſt cùm aliàs, tum in primis illis quatuor celeberrimis Conciliis. Denique huius generis pœnæ Eccleſiaſticæ paſſim extant mentio in ſcriptis veterum Patrum, vt patet 11. quæſtione tertia. & 24. quæſt. 3. apud Gratianum.

Porrò quòd Eccleſia poſſit impios & contumaces excommunicare, non penitùs negant, quantum animaduertere poſſum, horum temporum HAERETICI. Quinimò poſſe à communione Eccleſiæ ſeparari, abſolutè concedit Caluinus libro quarto Inſtitut. cap. 11. Item Confeſsio Auguſtana articulo vltimo. Et Lutherus ipſe aliquod etiam genus Excommunicationis admiſit, vt eſt videre in artic. 23. ex illis, quos Leo X. condemnauit.

Sed errant tamen iſti circa rationem & modum Excommunicationis, variis modis. PRIMO enim Lutherus in illo articulo 23. dicit, per Excommunicationem non poſſe hominem priuari aliquo bono *ſpirituali interno*, ſed tantùm *externa conſuetudine* Eccleſiæ, ſiue in politicis actionibus, ſiue etiam in conuentibus Eccleſiaſticis ad Sacramẽta & orationes publicas. Et probat: Quoniam ſi quis habeat fidem, eo ipſo participat omne bonum ſpirituale: fide autem nemo poteſt inuitus priuari.

Atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atque hic quidem error aliis item Sectariis omnibus communis esse videtur, quandoquidē etiam illorum est illud Lutheri fundamētum de sola fide: licet neq; Caluinus quidē, neque Confessio Augustana locis citatis, disertè explicent, per Excommunicationem hominē nullo bono interno priuari.

SECVNDO errat etiā ineptè Lutherus in eo, quòd dicit, Excommunicationem Ecclesiasticā non esse *timendam, sed potiùs optandam*; idque probat art. 24. ex eo, quòd Excommunicatio etiam à Catholicis dicitur esse medicinalis ac salutaris pœna, vt habetur in Cap. *Cùm medicinalis*. De sententia Excommunicationis libro 6. Quem impudentem errorem à VViclepho Lutherus didicisse videtur, qui similiter negabat, Excommunicationem esse formidandam, vt patet ex Concilio Constantiensi sess. 8. vbi hic etiā VViclephi articulus inter alios illius condemnatus est. Quin & Erasmus in Colloquiis de Fide, parùm Catholicè scriptum reliquit, Excommunicationem quidem territare pueros, nō autem viros fortes.

TERTIO Lutherus addit, crudeliter admodum Ecclesiam facere, cùm excommunicat, si Excommunicatio priuat aliquo bono *spirituali interno*.

QVARTO errat etiam turpiter Augustana Confessio in eo, quòd asserit, posse quidem Ecclesiam excommunicare: sed *sine vi* (inquit) *vlla humana*.

Contra PRIMVM errorem facit manifestè, quod præter illud commune bonum spirituale internum (scilicet gratiæ) quod fide viua percipi ab vnoquòque potest, ac præter bonum item externæ consuetudinis in actionibus, seu politicis, seu Ecclesiasticis, est etiam maximum bonum commune illud, quod continetur ipsis orationibus ac suffragiis, quæ ab Ecclesiæ ministris ex peculiari Ecclesiæ intentione pro fidelibus fiunt. Igitur quantumcunq; aliquis fide præditus sit, poterit ex peculiari eiusdem Ecclesiæ decreto & voluntate, priuari illo bono communi Orationum & suffragiorum.

Accedit, quòd non frustrà Diuus Paulus Alexandrum & Hymenæum iam hæreticos, atque adeò eo bono, quod per fidem viuam percipitur, destitutos, nihilominus excommunicauit, & quidem priuando eos etiam vtilitate aliqua spirituali, atque eatenus exponendo tentationi dæmonis, vt Patres, sicut suprà vidimus, intellexerunt.

Item huc pertinet, quòd Christus conferens Ecclesiæ potestatem excommunicandi, promisit fore, vt quæcunque ipsa ligauerit in terra, sint quoq; ligata in cœlo, id est, vt etiam in *cœlo* habeatur Excōmunicationis sententia rata. Quod certè non haberet locum, nisi sententia Excommunicationis posset esse talis, vt priuet etiam aliquo bono spirituali coram Deo. Etenim quod ad priuationem attinet boni duntaxat externæ consuetudinis, potest Excommunicationis sententia esse firma & efficax, etiamsi in cœlo peculiariter non approbetur.

Postremò iam antè ostendimus, sine vlla limitatione concessum esse Ecclesiæ, vt possit habere subditum suum aliquem tanquam Ethnicum planè, ita, vt illum priuet omni ea communicatione, quam cum Ethnicis non soleat habere, & quæ pendeat ex ipsius Ecclesiæ arbitratu & applicatione. Talis est autem illa communicatio Orationum & suffragiorum. Quare hac etiam potest priuare.

Iam verò contra SECVNDVM errorem manifesta suppetit ratio. Quamuis enim Excommunicatio sit medicinalis, tamen est simul *pœna* quædā & graue malum. Sicut contrà, bonum illud, quo priuat, orationum communium, bonum est, multumq; iiis, qui gratiâ destituti sunt, prodesse solet. Si enim Stephani vnius oratio multùm profuit Paulo, cùm adhuc is esset illius neci consentiens, Actor. 7. quantò plus proderit alicui oratio totius Ecclesiæ, id est, quæ fit nomine Sanctorum omnium, qui in Ecclesia Deo placent, & vnquam placuerunt?

Nec obstat, vt dixi, quòd sit Excommunicatio *medicinalis & nō mortalis*, vt ait Innocētius IV. in cap. 1. de sententia Excommunicationis, lib. 6. Nam etiam cùm brachium alicui, salutis caussā, abscinditur, medicinæ cuiusdam loco id remedium adhibetur; nec tamen ideo malum illud, quod est in ipsa priuatione brachij, extimescendum non est. Sic igitur & malum Excommunicationis quamuis medicinale sit, tum ipsi excōmunicato, tum aliis, quatenus ad Excommunicati salutem, & ad aliorū exemplum valere potest, tamen quia simul grauissima pœna est, & verè priuat fructu interno spirituali suffragiorum, meritò timeri debet. Vnde & pœnæ mortis, quæ in Ecclesia veteris Testamenti vsurpabatur, in Ecclesia Christiana successit, vt ait Diuus AVGVSTINVS quæst. 39. super Deuteronom. & CYPRIANVS libro primo epistolarum, epistola vndecima.

Atque hæc est caussa, cur verum sit, quod rectè Couarruuias in cap. *Alma mater*, part. 1. initio, num. 12. contra nonnullos asserit, posse Iudicem ferre sententiam excommunicationis etiam in eum, quem scit non rediturum ad meliorem mentem per illam. Etenim habet Iudex nihilominus ius vindicandi & puniendi delictū ad exemplum aliorum per excōmunicationem, tanquam per quandam iustam pœnam, etiam si ea, vt est simul medicina, non consequatur illum alium effectum emēdationis delinquentis. Addit tamen ibi num. 13. Couarruuias, abstinendum tunc esse à sententia excommunicationis, quando constaret eam non modò non profuturam peccatori, sed etiam nocituram, quia scilicet magis indurābitur, &c. Quod ego tūc solum existimo

existimo verum esse, quando circumstantiæ non essent tales, vt propter exemplum & bonum cōmune redundaturum ex tali excommunicatione videretur meritò posse negligi priuatum detrimentum illius.

Præterea cōtra TERTIVM errorem, exemplum Apostoli inprimis opponendum est. Qui si non perperā, atq; crudeliter faciebat, cùm per excōmunicationem tradebat impios Satanæ, eosque vitari ab Ecclesiā iubebat, neq; nunc etiā habet crudelitatem ipsum institutū excōmunicandi: Cōsiderandus enim finis est excōmunicationis, qui nimirū est salus & resipiscentia excōmunicati, sicut Apostolus etiam dicebat, se Alexandrū & Hymenæū tradidisse Satanæ, *vt discant*, inquit, *non blasphemare*. Item 2. Thessal. 3. inobedientem fratrē declinari volebat, *vt confundatur*, inquit. Et quantū eiusmodi confusio inducta per excommunicationem conducere possit ad salutem, exemplum inprimis declarat Imperatoris Theodosij, qui ab Ambrosio excōmunicatus resipuit, vt habetur lib. 9. historiæ tripartitæ, cap. 30.

Accedit, quòd minimè subtrahit Ecclesia excōmunicato omne charitatis atq; humanitatis officium. Nam licet vnicuiq; illum ad pœnitentiam adhortari, & de iis rebus cum eo agere, quę ad emendationem vitæ mouere possint. Quod faciendū esse, monuit Apostolus, cùm 2. Thessal. 3. de illo, quem vitari iubebat, subiunxit: *Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem*.

Quod verò in QVARTO errore Confessio Augustana addebat, non esse in excōmunicatione vtendum *vi humana*, facilè refellitur ea ratione, quòd nisi Ecclesia posset efficaciter procurare, vt sententia excōmunicationis, quam iure suo in aliquem fert, executioni mandetur, non satis esset illi de authoritate prouisum in ordine ad finem spiritualem, quem in gubernando & cōrcendo habet sibi propositum. Vt enim hūc finem assequi possit, necesse est, illam authoritate quoq; temporali, atq; adeò eiusmodi, qua possit etiam inuitos cogere, præditā esse, vt doctissimè disputat Franciscus Victoria Relectione 1. de potestate Ecclesiast. sect. 6. propos. 8. Qua de re nos fusè disseruimus Tom. 3. disp. 1. q. 12. p. 2.

Hactenus igitur, & quid sit Excommunicatio, & quemadmodum auctoritas excommunicādi omnino Ecclesiæ competat, expositum est. Et quidem ita, vt possit Ecclesia per Excommunicationem aliquo bono spirituali interno priuare, ratione cuius ipsa pœna excommunicationis ad *animam* etiam vsq; penetret; sicut D. CHRYSOSTOMVS lib. 3. de dignitate Sacerdotali. & S. AVGVSTINVS epist. 75. probant ex eo, quòd quæ ligantur per Excommunicationem, sunt etiam *ligata in cœlo*, vt nos quoque antè sumus argumentati.

Ac patet omnino ex probationibus huius Assertionis, potestatē hanc excommunicandi, non quomodocunq;, sed iure etiam *diuino*, id est, institutione Christi, esse tributā Ecclesiæ. Quanquam nulla quidem Excōmunicatio est iam lata iure ipso diuino, sed omnis eiusmodi potestatis *vsus* pendeat ex ipso iudicio atq; decreto Ecclesiæ, vt rectè Sotus in 4. d. 22. q. 1. art. 1. defendit contra Almainum, qui in 4. d. 18. q. 1. putauit, hæreticos saltem esse iure diuino excommunicatos. Quod verum non est. Tametsi Paulus quidē ipse hæreticum hominem post vnam aut alterā admonitionem excommunicauerit, quatenus pro illo etiam tempore iudicabat ita expedire; sicut iam quoq; hoc ipsum iudicat Ecclesia, exercens similiter in hæreticos authoritatem excommunicandi, qua est prædita.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quotuplex sit Excommunicatio, & quid vnaquæque operetur, seu quam vim habeat.

D. Thom. q. 23. & art. 1. & 4. q. 21.

SIcvt potest Excommunicatio variis modis considerari, seu ex variis capitibus: ita etiam variæ tradi solent diuisiones Excommunicationis. Possumus autem ex quadruplici capite Excommunicationem considerare. Primò, ex parte *boni* cōmunis, quo priuat. Secundò, ex parte eius, *à quo* illa fertur. Tertiò, ex parte eius, *cui* tanquam pœna infertur. Quartò, ex parte *circumstantiarum & modi*, quo ipsa fertur.

PRIMO igitur ex parte Boni, quo excōmunicatio priuat, sicut illud latè patet, sic etiā excōmunicatio. Itaq; diuiditur ex hoc capite generatim in Excōmunicationem *Maiorem*, & *Minorē*. Cuius diuisionis rationem explicat etiam hic D. Thomas q. 21. art. 1. & communiter alij Theologi in 4. d. 18. & Couarruuias in Cap. *Alma mater*. parte 1. initio, num. 4. & Petrus de Soto in instit. Sacerdotum, lect. 2. de Excōmunicat. & alij.

Vt aūt vtriusq; Excommunicationis vis plenius intelligatur, animaduertendū est, quòd cū Excommunicatio sit Censura Ecclesiastica & pœna quædā Iuris, non se extēdit ad priuationē omnis omnino boni, quod possit esse membris Ecclesiæ commune, sed eius duntaxat, q̄ subest dispositioni ipsius Ecclesiæ, vt suprà etiam p. 1. monuimus. Quodnam verò illud bonum commune sit, patebit ex enumeratione eorū, in quibus communicant Ecclesiæ membra.

Primò igitur communicant in *Gratia* & Charitate. Secundò, in *fructu* Orationum & bonorū operū, qui ad singulos redundat hoc ipso, quòd in gratia & charitate sint, iuxta illud psalm. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te*. Tertiò in hoc, quòd aliqui *actiuè* administrant Sacramenta, & alij *passiuè* eadem percipiunt. Quartò, in

Universidad de Deusto
Biblioteca

actibus quibusdam publicis *Religionis & diuini cultus*; quales sunt, conuenire ad publicas preces faciendas, ad audienda sacra, &c. Quintò, in actibus etiam *politicis*; cuiusmodi sunt, salutationes, sermones, & alij id genus pertinentes ad societatem vitæ communis. Sextò, in fructu ipso communiũ suffragiorum & Orationũ, quas *peculiariter* Ecclesia curat pro suis membris fieri.

Iam ex istis omnib. generibus cõmunicationis mutuæ, primum, & secundum non subest dispositioni Ecclesiastici Iuris, cùm sit omnino internũ, & à sola gratia diuina pendens, atq; ita nõ se extẽdit Excõmunicatio ad illud; sed potiùs ea supponit, & declarat, iam antè p peccatũ Mortale hominem esse exclusum ab eiusmodi duobus generibus Communicationis. Cætera verò genera omnia sub Ecclesiæ dispositione sunt, vt constat.

Atque ex his patet, quid sit Excommunicatio MAIOR. Est enim priuatio omnis omnino communicationis actiuæ, & passiuæ, quæ subsit Ecclesiastici Iuris *dispositioni*. Atq; hęc Cẽsura Excõmunicationis Maioris idem est, ℘ Anathema, vt habetur Can. *Certũ*. 24. q. 3. quo vocabulo significatur, aliquem tanquã separatũ ab omni aliorum communicatione, expositũ esse abominationi & detestationi hominũ, vt HIERONYMVS explicat super caput 1. Epistolæ ad Galathas. De quo vocabulo latè Couarruuias in Cap. *Alma mater*. par. 1. §. 8. num. 6. vbi notat decerni solere Anathema cum maiori quadam solennitate.

MINOR verò Excommunicatio est tantummodò priuatio boni cõsistentis in vsu *passiuo* Sacramentorum. Hæc distinctio cõmemoratur etiam in Can. *De Presbyterorum* 17. q. 4. & Can. *Nemo Episcoporum* 11. q. 3. Ac consequenter patet ex dictis, alios etiam per præceptũ Ecclesiasticum prohiberi, ne cum excommunicato excommunicatione maiore aliquid habeãt consuetudinis in iis, à quibus ille per eiusmodi Censuram prohibitus est. Et quidẽ qui cum eo communicant, prꝛterquã quòd peccant, incurrunt etiam ordinariè excommunicationem *minorem*, vt habetur in Cap. *Nuper*. & Cap. *Cum voluntate*. Extra de sententia Excommunicationis.

Verùm NOTANDA est hoc loco Martini V. cõstitutio ex Concilio Constantiensi, qui peculiari Extrauaganti, quæ incipit *Ad euitanda*, (renouata in Cócilio Basiliensi sess. 21. & Lateranensi sub Leone X. sess. 11.) limitauit hoc ad casum, quo quis esset excommunicatus *notoriè*, cùm vel à Iudice expressè & *nominatim* denunciatur; vel certè ex *euidentia facti*, quod nulla tergiuersatione celari potest, cognoscitur, incurrisse Excommunicationem à Iure latam: quod tamen factũ communiter Doctores restringunt, vt solùm intelligatur de *percussione Clerici*. Quæ restrictio saltem vsu iam & cõsuetudine confirmata esse videtur. Itaq; extra eiusmodi duos casus nõ peccabitur, neq; incurretur Excõmunicatio minor, ꝓpter communionem cum excommunicato Excommunicatione maiore.

Est autem in eadem Extrauagante notãdum, quod ibi additur, per hanc limitationem nõ intendere Pontificem releuare ipsos excommunicatos; sed tantùm illis consulere, qui cum ipsis fortè communicant. Hinc enim intelligitur, excõmunicatum habere quidem iurisdictionem ad hoc, vt si extra illos duos casus conferat Sacramenta, aut aliud officium iurisdictionis exerceat, validè id faciat, in fauorem scilicet eius, in quem exercet ministerium suum: cæterùm peccare nihilominus, cùm hoc facit. Nam vt dictum est, non ipse excommunicatus releuatur vllo modo per illam Extrauagantem.

Si tamen subditus excommunicati iure alioqui ab eo peteret sibi Sacramentum administrari, nec per ipsum excommunicatum staret, quò minus ab excommunicatione absolueretur, nõ peccaret tum quidem talis excõmunicatus administrando Sacramentum subdito. Probatur: Quoniam alioqui oporteret illum esse in eo casu perplexum, ita, vt necessariò peccaturus esset, siue Sacramentum subdito conferret, siue negaret. Non enim alioqui negare Sacramentũ subdito Pastor potest, cùm ille iure petit.

Deinde etiam notandũ est, siquis in Casibus illius Extrauagantis communicet cum excommunicato tantùm in *politica* consuetudine citrà contemptum & scandalum; non esse quidem communiter nisi peccatum veniale, vt docet D. Thomas q. 23. art. 3. & ex doctrina communi ponit Nauarrus, cap. 27. num. 28. & Dominicus Sotus d. 22. quæst. 1. art. 4. & Petrus de Soto in Instit. Sacerd. lect. 3. de excommunicat.

Sed neque id vllum peccatum erit, quando subsit aliqua caussa communicandi ex numero illarum, quæ versiculis istis referuntur:

Hæc anathema quidem soluunt, ne possit obesse,
Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Qui versus commemorantur à Glossa in Cap. *Cùm desideres*. Extra de sententia Excommunicationis, & à D. Thoma hìc q. 23. art. 1. & à Nauarro, capite 27. num. 26. à quo & bene secundùm mentem etiam D. Thomæ explicantur. *Vtile* enim significat, posse cum excõmunicato agi de rebus, quæ vel animo illius, vel etiam corpori seu fortunis notabiliter prosint. *Lex*, posse etiam agi cum illo à coniuge in rebus pertinentibus ad matrimonium. *Humile*, posse etiam illi seruos famulari. *Res ignorata*, & *necesse*, quid significent, satis per se patet.

Extra hos tamẽ Casus omnino est peccatum, communicare cum excommunicato excõmunicatione maiore. Et quidem si cum eo communices in rebus sacris, vel etiam in crimine ipso, propter quod est lata excommunicatio, non solùm peccabis mortaliter, sed etiam incurres maiorem excommunicationem, vt D. Thomas asserit quæst. 23. art. 2. & alij Doctores paulò ante citati.

citati. Quod tamen intelligit Nauarrus, in Manuali, capite 27. numero 33. quando est communicatio in crimine posteaquam ob illud alter incurrit excommunicationem, non antè. Communicare autem in aliis *politicis* rebus, tantùm est peccatum veniale: quamuis propter illud etiam incurritur excommunicatio minor, vt idem D. Thomas & alij omnes docent.

Excommunicatio autem MINOR, per se loquendo, solùm impedit, quò minus licitè aliquis *suscipiat* Sacramenta, vt suprà etiam diximus. Per accidens autem etiam obstare potest, quò minus aliquis *administret*. Vt si non possit administrare, quin etiam *recipiat*, sicut Episcopus, qui non potest conferre Ordines sacros nisi etiam ipse Sacramentum Eucharistiæ percipiat.

Et quidem vitandi sunt excommunicati eo modo, quo dictum est, statim atque quacunque via sufficienter constiterit de illorum excommunicatione, vt patet ex iis quæ post alios rectè de hoc tradit Couarruuias in Cap. *Alma mater*. parte 1. §. 2. numero 1. & seq. vbi etiam excommuni sententia notat, prohibitam quoque esse cùm excommunicatis communicationem per literas & internuncios, cùm hæc videlicet sit vera communicatio. Atque hoc ipsum planè præsupponit Innocentius III. in Cap. *Si aliquando*; extra de sententia excommunicationis.

Est autem hoc loco DISCRIMEN animaduertendũ, quoad participationem cum excommunicato in Pœnitentiæ Sacramento, & in aliis Sacramentis. Nam recipiens ALIA Sacramenta in Excommunicatione maiori, & minori, validè ea recipit; iuxta ea quæ ex cõmuni sententia notat Couarruuias in Cap. *Alma mater*. parte 1. §. 6. numero 5. & seq. Quamuis peccat qui scienter id facit, aut qui non adhibuit sufficientem diligentiam, vt cognosceret, se per Excommunicationem impediri, quò minus illa Sacramenta vsurpare possit.

POENITENTIAE verò Sacramentum, si scienter, aut prætermissa illa debita diligentia recipiatur ab excommunicato, ne validè quidem recipietur, vt docet Sotus in 4. dist. 22. quæstione prima, articulo primo, & Couarruuias in Cap. *Alma mater*. parte 1. §. 6. num. 7. & alij communiter.

Huius autem ratio non est propterea, quòd Excommunicatio minor aut etiam maior *reipsa* obstet veritati, aut etiam efficaciæ absolutionis; sed quoniam excommunicatus qui sciens, aut scire negligens, se tunc non posse accedere, nihilominus accedit, peccat mortaliter: de quo peccato cùm non doleat, nec illud confiteatur, idque ex defectu (vt pono) debitæ diligentiæ; inualidè absoluitur, vt patet ex his, quæ suprà q. 11. de Qualitate Confessionis docuimus. Et consequenter non modò infructuosum, sed etiã nullum prorsus est illud Sacramentum: tametsi Caietanus in Summa, verbo, *Absolutio*, validum illud esse putet, licet infructuosum: cui meritò in ea re Sotus loco citato contradicit, deest enim in rei veritate tunc integritas Confessionis.

Neque refert, quod ad hoc attinet, vtrum maiore an minore Excommunicatione irretitus, indignè illo modo aliquis absolutionem percipiat. Est enim etiam peccatum mortale, Sacramentum vsurpare in Excommunicatione minore, vt patet ex Cap. *Si celebrat*. Extra de Clerico excommunicato. Ac proinde ob defectum doloris & Confessionis de eiusmodi peccato, reddetur etiam absolutio inualida. Quod est notandum contra Sotum in 4. d. 22. q. 1. art. 1. qui sine caussa concedit Caietano, Sacramentum in illo casu fore validum, si illud quis scienter aut negligẽter vsurpauit in Excõmunicatione non maiore, sed minore.

Esset autem Sacramentum non solùm validum, sed etiam fructuosum, si excommunicatus post adhibitam alioqui sufficientem, iudicio prudentis, diligentiam, ignorans se esse in excommunicatione, neque animo affectus adhuc erga aliquod peccatum mortale, absolueretur, vt suprà quæst. 11. disputauimus.

Porrò QVAESTIO illa quam aliqui mouent; an Communicatio cum excommunicato in casibus quibus nõ licet, sit prohibita iure Diuino, nullam mihi videtur habere posse difficultatem si res bene intelligatur. Nam posito quod quis per authoritatem Ecclesiasticam maneat excommunicatus, nec per eandem authoritatem excommunicatio vel in totum vel in partẽ sit relaxata; iure diuino est prohibita Communicatio cum illo, quatenus iure videlicet diuino oportet obtemperare Ecclesiæ & parere sententiæ ac præceptis eius. Posito autem quod per eandem Ecclesiæ authoritatem excommunicatio alicuius tollatur (vt sine dubio potest) aut relaxetur, tunc neque iure diuino neque etiam humano erit prohibita communicatio cum illo quoad illa in quibus excommunicatio fuerit relaxata. Ac per hanc explicationem facilè poterit ferri iudiciũ de iis, quæ circa hoc differit Couarruuias post alios, in Cap. *Alma mater*. parte 1. §. 1. num. 1. & seq. Et hactenus de prima diuisione & effectu Excommunicationis.

SECVNDA diuisio Excommunicationis oritur ex consideratione eius, *à quo* fertur. Inde enim diuiditur in Excommunicationem latam à *Iure*, & Excommunicationem latam ab *homine*. Neque verò aliqua Excommunicatio est, quæ non feratur ab homine, absolutè loquendo. Est enim totum Ius, atque adeò quæuis etiam Excõmunicatio, *humana* alicuius authoritatis decretum. Sed ideo quædam Excommunicatio ferri ab *homine*, quædam à *Iure* dicitur, quoniam diuersus est finis huius & illius, & diuerso modo authoritate humana hęc & illa fertur, vt iamiam intelligetur.

Est enim Excõmunicatio lata à IVRE illa, quæ est annexa præcepto alicui, vel constitutioni Iuris, sic ad bonum commune pertinenti, vt simul in ea Constitutione proponatur quædam veluti *forma* ac *regula*, ad quam non solùm priuati, sed etiam ipsi Iudices in iudicando se conformare debeant. Excommunicatio autem lata ab HOMINE dicitur ea, quam Iudex ipse quidem adiungit alicui præcepto suo, pertinenti solùm ad executionem efficaciorem & certiorem sui muneris.

Hinc igitur intelligi potest, verum esse illud discrimẽ, quod Nauarrus ex sententia communi proponit in Manuali, capite 27. numero secundo, inter vtramque Excommunicationem: quòd scilicet lata à *Iure* durat etiã eo defuncto, qui illam tulit, nisi reuocetur ab alio habente authoritatem æqualem: Lata verò ab *homine* extinguitur, ipso defuncto. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi illo defuncto, non teneatur aliquis ampliùs eiusmodi excommunicatione, neque absolutione ab illa opus habeat; sed quòd nullus certè de nouo incidit in excommunicationem vi *illius præcepti*, aut sententię Iudicis iam defuncti, vt rectè notauit Nauarrus in illo loco.

TERTIA diuisio Excommunicationis sumitur ex parte eius, vel eorum, *cui* vel quibus infligitur. Atque ita diuiditur in Generalem, & Specialem, vt colligitur ex Cap. *Anobis* 1. Extra de sententia excommunicationis. GENERALIS est illa, quæ non fertur in aliquam vel aliquas personas determinatè; sed generatim in eos omnes, qui hoc aut illud fecerint, vel non fecerint. SPECIALIS est ea, quæ fertur determinatè in aliquem vel in aliquos tantùm. Idque fieri potest dupliciter, videlicet aut quando *nominatim* ipsæ personæ exprimuntur; aut quando excommunicatio respicit aliquod factum particulare, quod non ad omnes, sed ad certum vel certos aliquos pertinet. Vt cùm Excommunicatio fertur in eum, qui hoc aut illud factum vel damnum fecit, & non satisfecerit, &c. Atque ex hac explicatione apparet, specialem excommunicationem non nisi ab *homine* ferri solere. Ius enim ipsum non constituit circa determinatos tantùm & particulares casus.

QVARTA & vltima diuisio Excommunicationis sumitur ex parte *modi* quo illa fertur, bene aut malè. Et sic diuiditur Excommunicatio in Iustam, & Iniustam, secundùm Glossam Decreti in Summ. 11. quæstione tertia. IVSTA est ea, in qua nulla debita circumstantia desideratur: INIVSTA, quando aliqua, vel aliquæ circumstãtiæ desunt in ipsa Excommunicationis sententia.

Iniusta quoque pro diuersitate circumstantiarum, quæ desiderari possunt, diuiditur rursus in *Inualidam*, quæ vim scilicet & effectum non habet; & *Validam*, quæ nihilominus vim habet, vt Diuus Thomas etiam hîc docuit q. 21. articulo 4.

Inualida est in quinque Casibus, quos Sotus distinct. 22. quæstione prima, articulo tertio, & Nauarrus, capite 27. numero quarto, perspicuè ponunt, ex Glossa in Cap. *Præsenti*, de sententia Excommunicationis, libro sexto. *Primus* est, quando fertur à non habente authoritatem. *Secundus*, si fertur contra priuilegia alicuius. *Tertius*, si continet manifestum & intolerabilem errorem in causa: vt si propter opus bonum inferatur. *Quartus*, si fertur post legitimam appellationem. *Quintus*, si prætermisso ordine Iuris: vt si Iudex excommunicet participantes cum excommunicato à se, & tamen eos non excommunicet nominatim, trina monitione præuia cum aliquot dierum interuallis. Qui casus meri Iuris positiui est in Cap. *Statuimus*, & Cap. *Constitutionem*. de sententia Excommunicationis, libro 6. de quo bene locis citatis Sotus, & Nauarrus.

Quamuis autem Excommunicatio in his Casibus verè dicatur *per se* nullam habere vim, neque in foro interno, neque etiam in externo; ita videlicet, vt sic excommunicatus se publicè tanquam excommunicatum gerere debeat; *per accidens* tamen, ratione scandali deberet talis vt excommunicatum se gerere, donec sententiæ vitium populo fieret manifestum.

Iniustæ verò Excommunicationis *valide*, solent proferri duo exempla. *Primum*: Si solùm in Iudice deesset circumstantia *recti finis*, aut alia circumstantia extrinseca, pertinens tantùm ad solennitatem, non ad substantiam ipsius sententiæ. Et de hac Excommunicatione conuenit inter omnes, quòd æquè suum operetur effectum in vtroque foro, atque si nulla circumstantia deesset. Talis enim Excommunicatio, illicita potiùs ipsi Iudici, quàm per se iniusta respectu excõmunicati, censenda esset.

Secundum exemplum est. Si causa non fuisset *reuera* sufficiens, quamuis ipsi Iudici sufficiens probabiliter videretur: & de hac asserunt Nauarrus in dicto capite 27. numero tertio, & Caietanus in quæstione quadam de effectu Excommunicationis, eam esse validam & ligare in foro *externo*, ita scilicet, vt teneatur excommunicatus vitare communicationem aliorum *publicè*. Addunt tamen, in foro interno non obligare talem excommunicationem, neque priuare precibus & suffragiis communibus Ecclesiæ. Ratio Caietani est: Quoniam talis excommunicatio *reipsa* est iniusta: Iudicium autem iniustum, non est reuera iudicium, quod obliget, sicut ait Diuus Thomas 2. 2. quæstione 70. articulo. 4.

Et qui-

Et quidem quod dicunt hi authores de obligatione in foro *exteriori*; absolutè verum est, posito nimirum, quòd Iudici probabiliter, secundùm allegata nẽpe & probata, visa fuerit causa sufficiens. Id enim satis est, vt sententia, quantum pendet quidem ex authoritate & intentione Iudicis, efficax sit. Iudicium enim probabile, humano modo est verum ac certum iudicium, neque aliter proceditur in tribunali humano.

Quod verò attinet ad forum *internum*, vt certiùs intelligamus, quantam vim habeat prædicta excommunicatio, oportet distinctè considerare in *effectu* Excommunicationis duo. VNVM, est id, quod Ecclesia ipsa sola per excommunicationem inducit: hoc autem est *priuatio* Orationum & suffragiorum communium, seu non applicatio eorum pro tali. Et hunc quidem effectum semper videtur habere Excommunicatio lata ex causa sufficienti secundùm iudicium quidem Iudicis probabile. Hoc enim iudicio intercedente, nihil præterea expectat Ecclesia, quin illicò per Ecclesiastici Iudicis sententiam atque ministerium, intendat absolutè priuare excommunicatum orationibus atque suffragiis cõmunibus: quemadmodum etiam in aliis tribunalibus & causis ex iudicio moraliter certo Magistratuum, absolutè proferri & executioni mandari solet sententia pœnalis. Atque ita omnino D. Thomas docere videtur hîc q. 21. art. 4. vt maximè intelligi potest ibi ex responsione ad argumentum primum. Et hoc ipsum etiam sine dubitatione affirmat Sotus d. 22. q. 1. art. 3. Ac de tali sententia Excommunicationis, quæ scilicet *iudicio probabili* Iudicis, tametsi non re ipsa, causam habeat iustam, debet inprimis intelligi quod inquit D. GREGORIVS homil. 26. in Euãgelia, *sententiam Pastoris, siue iusta, siue iniusta sit, timendam esse*. Quod dictum refertur etiam à D. Thoma hîc q. 21. art. 4. & in Decretis. 11. q. 3. Can. 1. & Can. 27.

ALTERVM verò, quod in effectu Excõmunicationis cõsiderare oportet, est id quod pendet ex obedientia & executione quadam ipsius excommunicati. Illud autem est priuatio communionis *externæ* cum aliis, tum in Sacramentis, tum in aliis diuinis officiis, atq; actionibus publicis. Et quod ad hoc quidem attinet, vtrum Excommunicatio etiam obliget in foro conscientiæ, quando iudicio solùm probabili Iudicis est iusta, decernendum est rursus distinguẽdo ex parte ipsius excommunicati.

Nam aut is *euidenter* est sibi conscius innocẽtiæ suæ, aut non est. Si est, non obligatur per illam excommunicationem in foro conscientiæ. Atque isto modo bene procedit opinio Caietani, & sic etiam intelligi debet Doctrina D. Thomæ, quam ille pro se affert. Cuius rei fundamentum est: quoniam vt homo teneatur suo Superiori parere, necesse est, vt iudicium suum cum iudicio Superioris prudenter possit conformare: id quod facere nequit, quando euidenter ipse iudicat secus, atque suus Superior, de quo fusius egimus tomo 3. disputat. 5. quæstione 14. punct. 4.

Si verò in prædicto casu excommunicatus innocentiæ suæ euidenter conscius non est (vt solet quidem inprimis accidere, quando controuersia non est de *facto*, sed de Iure) tũc sanè, quod attinet ad illum effectum vitandi alios, in foro etiam conscientiæ interno obligaretur per sententiam excommunicationis; ita, vt ne secretò quidem contra illam facere posset, antequam absolueretur. Ratio huius est: Quoniã in causis dubiis, iudicio potiùs Superioris quam subditi, standum est, & ei acquiescendum: vt docuimus Tom. 3. disput. 7. q. 3. p. 2.

Hæc de Excommunicationum *differentia* & *effectu* sint hactenus dicta, circa quæ illud etiam est animaduertendum. Si quando Excommunicatio absolutè feratur, non explicando, vtrũ ea sit maior, aut minor; maiorem in Iure solere intelligi, vt notat Couarruuias in Cap. *Alma mater*. par. 1. §. 8. num. 5. & Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 1. & declaratum est in Cap. penultimo. Extra de sententia Excommunicationis. Illa enim demum est perfecta Excommunicatio, & ad illam ideo tres vltimæ diuisiones, quas exposuimus, inprimis pertinent. Et hactenus de Secundo Puncto principali.

PVNCTVM TERTIVM.

Quinam possint excommunicare.

D. Thom. q. 22. art. 1.

DE Tertio breuiter statuimus, illos omnes & solos sententiam Excommunicationis ferre posse, qui legitimam iurisdictionem (ordinariã vel delegatam) habent in foro externo Ecclesiastico, etiamsi sint inferiores Episcopis. Ita ex communi sententia tradunt Couarruuias in Cap. *Alma mater*. par. 1. §. 11. num. 1. & seq. & Nauarrus in Manuali, ca. 27. num. 5. & Sotus in 4. distinct. 22. quæstione secunda, articulo primo, post Diuum Thomã hîc quæstione 22. articulo primo. Quo fit vt fœminæ Religiosæ, quæ præsunt aliis, nequeãt excommunicare: Cùm minimè habeant propriè iurisdictionem Ecclesiasticam; vt notat Couarruuias loco citato, numero secundo, & nos etiam tradimus q. præced. p. 3.

Necesse autem est, vt iurisdictio ad excõmunicandum non sit impedita per aliquam Censuram Ecclesiasticam, sicut esset in excommunicato *notoriè*, & *non tolerato* ab Ecclesia. Occultè autem excommunicatus *valide* excommunicat, quando habet titulum officij; & etiam *licitè*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando id facit in fauorem subditi, qui iure postulet, vt aliquis alius excommunicetur: si tamen per ipsum excommunicatum non stet, quò minus ab excommunicatione absoluatur. Quæ colligo ex Extrauaganti, *Ad euitanda.* suprà commemorata, & ex his, quæ bene docet Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 7. & Couarruuias in dicto §. 11. num. 4.

PVNCTVM QVARTVM.

Quinam possint excommunicari.

D. Thom. q. 22. art. 4. & 5.

DICENDVM est, omnes eos & solos excommunicari posse, qui in Ecclesia militãt, alicui Superiori Ecclesiastico iurisdictionem externam habenti sunt subditi, vt ex cõmuni doctrina rectè tradit Couarruuias in Cap. *Alma mater*, par. 1. initio, num. 1. & Nauarrus in dicto cap. 27. num. 13.

Ex quo intelligitur, Papam non posse excommunicari, neque etiam aliquem à seipso. Quia nec Papa vlli alteri, neque aliquis sibiipsi subditus est.

Item nec excommunicari potest aliquis à suo subdito, vt Papa ab Episcopo, aut Episcopus à suo Vicario, vt satis patet ex doctrina D. Thomæ q. 22. art. 4. Peculiariter verò in Cap. *Romana*, de sententia Excommunicationis, lib. 6. cauetur, ne vnquam communitas aliqua tota excommunicetur.

Cuius ratio non est, quia communitas non est homo, vt Nauarrus, capite 27. num. 13. tenuiter argumentatur; est enim *homines*, quod abundè satis est, vt alioqui esset capax excommunicationis, sicut etiam est capax Interdicti. Sed ratio firma est, quoniam (vt illic Pontifex inquit) cõsulendum est innocentibus, ne videlicet illi simul cum Zizania eradicentur, id est, tam graui pœna plectantur, quàm est Excommunicationis, vt Glossa etiam Augustini confirmat Matth. 13. Atque hac item ratione hoc ipsum probat D. Thomas hîc q. 22. art. 5.

Denique est & illud notandum, quamuis defunctus, qui in excommunicatione è vita discessit, maneat etiam post mortem excõmunicatus; non posse tamen iam defunctum de nouo excommunicari. Potest tamen declarari, quòd in excõmunicatione fuerit defunctus, vt bene hoc explicat Sotus in 4. d. 22. q. 2. art. 2.

Vnde etiam defunctus absoluendus ab excõmunicatione est, si pœnitens obiit & quoad potuit satisfecit; iuxta notata à Couarruuia in Cap. *Alma mater*, parte 1. §. 11. num. 8. & à Nauarro in Manuali, cap. 27. num. 48. & Soto in dicto art. 2. Et patet id manifestè ex Cap. *à nobis* 2. Extra de sententia excommunicationis.

PVNCTVM QVINTVM.

Quæ caussa subesse debeat ad excommunicandum.

D. Thom. q. 21. art. 3.

COMMVNIS & vera sententia est, caussam Excommunicationis MAIORIS esse oportere peccatũ *mortale*, 11. q. 3. can. *Nemo Episcoporum*, & Can. *Nullus Sacerdotum*, & quidem *contumacię*, 2. q. 6. Can. *quisquis*. Est autem in proposito Contumacia, inobedientia quædam erga Ecclesiam sub excommunicationis cõminatione præcipientem, vt aliquid fiat aut non fiat: Siue ea inobedientia sit *formalis* procedens ex contemptu præcepti, siue *materialis* (qua scilicet negligatur præceptum Ecclesiæ) procedẽs ex quacunq; alia causa, vt ex libidine, &c. Atque hinc fit vt prærequiratur ad excommunicationem monitio, vt explicabimus p. seq.

Ita de caussa Excõmunicationis maioris docet D. Thomas hîc q. 21. art. 3. & Couarruuias in Cap. *Alma mater*. parte 1. §. 9. num. 1. & Nauarrus, cap. 27. num. 9. & Sotus in 4. d. 22. q. 1. art. 2. conclus. 1. 2. & 3. & alij communiter. Quare cùm Ius ita decernit: Qui hoc aut illud fecerit, vel non fecerit, sit excommunicatus; sensus esse debet, si *contumacia* accesserit.

Cur autem *contumacia* requiratur, vt ferri possit sententia excommunicationis, caussa est *primò*: Quoniam ita docetur Ecclesia ex Euangelio Matth. 18. vbi iussit Christus peccatum fratris primùm *corrigere*, deinde *Ecclesiæ dicere*, actum demum *si Ecclesiam non audierit*, haberi pro *Ethnico et publicano*: quod fit maximè per excommunicationem.

Secundò. Quia vt Medici non statim adhibent extrema remedia in medendo corporibus, sed paulatim à leuioribus in curatione procedunt: ita etiam oportet Ecclesiã progredi in animaduersione spirituali, per quam animis medetur; ita scilicet, vt excommunicationis pœna, quæ grauis admodum est, non nisi adhibitis priùs aliis remediis inferatur. Rectè enim D. AMBROSIVS lib. 2. de Officiis, cap. 27. *Cum dolore*, inquit, *amputatur etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, si potest sanari medicamentis; & si non potest, tunc à Medico bono abscinditur. Sic*, inquit, *Episcopi boni affectus est, vt optet sanari infirmos, serpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abscindere; postremò quod sanari non potest, cum dolore abscindere*, nimirum per Excommunicationem.

Atque idem ferè admonet D. LEO in Epist. 89. ad Episcopos per Viennẽsem prouinciam cõstitutos, vt scilicet nõ nisi ex grauissima caussa teratur sententia excommunicationis maioris. *Nulli*, inquit, *Christianorum facilè communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod*

tis, quod in magni reatus vltionem inuitus & delens quodam modo debet esse animus vindicantis.

Ex quibus patet Excommunicationem maiorem latam in committentes aliquod delictũ (vt percussionis clerici, Furti, &c.) minimè incurri quando ob imperfectionem actus, vel leuitatem materiæ vel alias circumstantias, solum venialiter peccatur in eo genere delicti; vt rectè notauit Paludanus in 4. dist. 18. q. 1. art 2. & Syluester V. Excommunicatio 1. num. 11. & Couarruuias in cap. *Alma mater*. par. 1. §. 9. num. 1. & alij communiter. Per quam doctrinam multi casus particulares resolui possunt. Atque etiam inde patet, legem sub excommunicatione maiori latam obligare sub mortali, vt facilè deducit illic Couarruuias, & nos etiam trãdidimus idem & explicauimus Tom. 2. disput. 7 quæst. 5. p. 6.

Caussa verò excommunicationis MINORIS esse potest etiam peccatum *veniale*. Vt cùm incurritur in casibus suprà p. 2. dictis propter cõmunicationem cum excommunicato excõmunicatione maiore in rebus leuioribus, vt in mẽsa, salutatione, &c. Potest etiam esse illius caussa peccatum mortale. Vt cum incurritur propter cõmunicationem cum excõmunicato in rebus grauioribus. Nec durum videri debet, quòd propter peccatum etiam veniale incurratur hæc excommunicatio minor. Nam vt facilè incurritur: ita etiam facilè est ab illa absolutionem obtinere, sicut infrà patebit.

PVNCTVM SEXTVM.

Qua forma & ratione sententia Excommunicationis ferenda sit.

Ad q. 22. D. Thom.

CIENDVM inprimis est, nullam certam verborum formulam, quæ necessariò sit seruãda in modo excommunicandi, iure esse præscriptã, vt notat Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 12. Conuenit tamen inter omnes, eiusmodi aliqua verba vsurpari debere, quæ significent intentionem & volũtatem Iudicis esse aliquem excommunicare.

Ea porrò verba duplicis generis esse possunt. Quædam enim ex natura rei & ex impositione sua vim habent significandi eam Iudicis voluntatem. Vt si is dicat: *Excommunico te*, vel, *Separo te à communione*. Et de huiusmodi verbis nemo dubitat, quin sint apta & sufficientia ad formam Excommunicationis. Quædam verò ex natura & impositione sua, non habent vim significandi talem esse Iudicis voluntatem, sed potiùs talem eam esse supponunt. Nihilominus tamen ex accommodatione vsus hanc Iudicis voluntatem indicant: vt si is dicat: *Cognosco*, aut, *habeo te pro excõmunicato*. Et de huiusmodi verbis distinguit Nauarrus, cap. 27. num. 12. Nam si excommunicatio feratur ab *homine*, hoc est, à Iudice, non putat ea sufficere: Si verò à *Iure*, hoc est, à Canone aut Decreto, putat sufficere. Vt si Canon dicat: Qui hoc aut illud fecerit, habeatur p excõmunicato. Cæterũ Syluester Verbo Excõmunicatio 1. num. 15. rectius putat, huius etiam generis verba sufficere, cùm à Iudice fertur excommunicatio, si modò is omnino habeat intentionem, aliquem per illa excommunicandi: quia verba, inquit, intẽtioni deseruiunt, & sermo rei; non res sermoni est subiecta. Nec solum ob delicta *præterita*, & *absolutè*, sed etiam *conditionaliter* & ob delicta futura potest excõmunicatio ferri, tum à Iure, tum à Iudice per sententiam *generalem*, vt optimè resoluit Couarruuias in cap. *Alma mater*. parte 1. §. 10. num. 1. & seq.

Conditiones autem seu circumstantiæ, quibus sententia excommunicationis ferri debet, potissimùm sunt tres. PRIMA est *admonitio*. cap. *In præsentia*, & cap. *sacro*, extra de sent. excom. Et quidem *aliqua admonitio* adeò necessaria est in omni excommunicatione, siue à Iure illa, siue ab homine feratur, vt sine ea excommunicatio sit nulla. Nam vt diximus p. præced. Excommunicatio propriè & formaliter fertur propter *cõtumaciam*: At contumax esse aliquis non potest, nisi fuerit admonitus: Ergo necessaria est admonitio.

Atque huiusmodi admonitio facile etiam intelligitur præcedere, quamuis Canon excommunicet aliquem *ipso facto*: quoniam hoc ipso, quòd Ius vult, prohibitionem aliquam sub tam graui pœna omnibus esse notã, satis omnes admonere censetur, vt rectè Sotus d. 22. q. 1. art. 2. notauit.

Trina autem admonitio tunc tantùm, ex Iuris videlicet dispositione, necessaria est, cùm excõmunicatio fertur à *Iudice*, sicut habetur 16. q. 7. Can. *Omnes*. & 17. q. 4. Can. *De Presbyterorum*. Quanquam ne tunc quidem semper est necessaria essentialiter: sufficeret enim vna cum aliquot interuallis, si periculum esset in mora; aut etiã ita exigente periculo, sine interuallis. Qua de re bene loquitur Sotus in dicto art. 3. & Couarruuias in Cap. *Alma mater*. parte 1. §. 9. numero 5.

Qui & ibi num. 4. docet ex communi sententia, huiusmodi Monitionẽ debere ordinariè ipsi personæ intimari; quamuis quandoque etiam sufficiat manifestari eã in loco, vnde ad notitiã personæ venire possit; nempe I. si persona dolo latitet. II. quãdo quis iam semel fuit psonaliter citatus. III. quãdo id sufficere putatur, vt admonitio actu veniat in notitiam personæ. IV. Cum non de nouo infligenda sed confirmanda erit excommunicatio, à qua quis nimirũ malè fuerit absolutus.

SECVNDA conditio est, vt Excommunicatio feratur in *scripto*, in quo itidē causa declaretur. Hæc tamen conditio non censetur esse omnino de substantia; sed tantùm de necessitate præcepti. Cap. 1. de sententia excommunicationis, lib. 6.

TERTIA conditio, vt causa diligenter examinetur, nisi fortè crimen adeò manifestum esset, vt examine non esset opus. De quibus & aliis eiusmodi circūstantiis latiùs tractant Summistæ, præsertim Sylvester, verbo, Excommunicatio 1.

PVNCTVM SEPTIMVM.

Quando seu quomodo contingat, aliquem excusari, quò minus incurrat excommunicationem.

Ad q. 22. D. Thom.

CONVENIT hîc primùm inter omnes, ignorantiam inuincibilem *facti* excusare à vinculo excōmunicationis. Vt si quis percuteret eum, quem inuincibiliter ignoraret esse Clericum. Tunc enim etiamsi peccaret, qua parte hominem percutit, non tamen quâ Clericum: Atque ita neque incurreret excōmunicationem latam in percussores Clericorum. Ita habetur in Cap. *Si verò* 2. Extra de sententia Excommunicationis.

Quod autem attinet ad ignorantiam inuincibilem *Iuris*, siue Constitutionis decernentis aliquam excommunicationem, non eadem omnium sententia est. Quidam enim distinguūt. Nam si est ignorantia Constitutionis profectæ à Summo Pontifice, putant, non excusare, quando res alioqui per illum sub excommunicatione prohibita, vel Iure naturali, vel diuino erat illicita. Si verò sit ignorantia Constitutionis profectæ ab inferiore Iudice, quàm sit Summus Pontifex, dicunt excusare.

SED generatim est tenendum, ignorantiam *inuincibilem* Iuris quoque siue Constitutionis, à quocunque tandem illa Constitutio proficiscatur, excusare ab excommunicatione. Ita Sylvester Verbo, Excommunicatio 2. notabili 3. (q habetur ibi num. 5.) & Excommunicatio vltimo q. 3. (ibi num. 4.) & Nauarrus in Manuali, ca. 27. num. 16. & Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. & alij multi Doctores.

Id autem probatur. Nam quandocunq; subest ignorantia inuincibilis, siue ea sit facti, siue Iuris, deest causa formalis, propter quam propriè infertur Excommunicatio. Ergo tunc sententia Excommunicationis non ligat. Antecedens probatur. Nam causa illa est, vt suprà diximus, *contumacia*: Non potest autem censeri contumax is, qui inuincibiliter ignorat esse sub excommunicatione ab Ecclesia prohibitū illud, quod facit. Id quod non satis animaduertit Couarruuias in Cap. *Alma mater*. parte 1. §. 10. num. 12. cùm dixit, incurrere pœnam excommunicationis latam ob furtum eum, qui sciens furtum esse malum furatur, licet ignoret inuincibiliter (de hac enim ignorantia loquitur Couarruuias) latam esse illam excommunicationem.

Non enim attendit hic author, in tali casu minimè per excommunicationem puniri nudū furtum, sed cum circumstantia contumaciæ & inobedientiæ erga Ecclesiam prohibentem illud sub excommunicatione; quæ circumstātia non est culpabilis in ignorante inuincibiliter talem excommunicationem, à quo proindè talis excommunicatio minimè incurritur. Quanquam rectè ibi disputauit Couarruuias contra quosdam, incurri aliquas alias pœnas à cōmittentibus delicta, quibus eæ sunt decretæ, etiam si illas inuincibiliter ignorent. Quod & nos asseruimus & explicauimus Tom. 2. disput. 6. q. 6. p. 1.

Porro hoc ipsum, quod de ignorantia inuincibili excommunicationis asserimus, meritò Nauarrus, cap. 17. num. 16. extendit etiam ad ignorantiam *probabilem*, hoc est, non supinā aut crassam. Nam quando ignorantia non fuit valde vincibilis, tametsi fuerit aliquo modo vincibilis, videtur excusasse in proposito, saltem à *mortali* culpa *cōtumaciæ*, sine qua, vt suprà docuimus, non incurritur Excommunicatio.

PVNCTVM OCTAVVM.

Quis possit absoluere ab Excommunicatione; & qua Forma & modo sit Absolutio danda.

D. Thom. q. 24.

IN PRIMIS, vt res hæc apud Doctores sanè intricata, commodè explicetur, sciendum est, duobus modis absolutionem ab excommunicatione fieri posse. PRIMO, directè & ex potestate siue iurisdictione ordinaria, in foro etiam *externo*. SECVNDO, indirectè, videlicet per respectum & ordinem ad absolutionem à peccatis in foro interno.

Qua distinctione posita, PRIMO asserimus, *directè* quidem posse omnes illos absoluere ab excommunicatione qualibet Iuris *non reseruata*, qui tanquam prælati habent iurisdictionem in *foro externo* in ipsum excommunicatum iuxta ea quæ ex communi sententia tradit Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 39. Et cùm hæc absolutio non prærequirat absolutionem à peccatis, dari potest etiam ab eo, qui nullos Ordines sacros habeat, modò habeat iurisdictionem & sit clericus

clericus per primam saltem tonsuram, vt ex cōmuni doctrina docet Nauarrus, cap. 27. num. 41. Et Couarruuias in Cap. *Alma mater*. parte 1. §. 11. num. 1. Ab excommunicatione autem *reseruata*, vel lata ab *homine*, quis possit *directè* absoluere, dicemus paulò post.

SECVNDO, si loquamur de absolutione Excommunicationis *indirecta*, rursus distinguendū est. Nam à *minore* Excommunicatione absoluere potest quilibet Sacerdos, etiam simplex, vt docet D. Thomas hic q. 24. art. 1. & Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 39. & alij communiter. Quia non requiritur ad eam absolutionem *indirectam* maior iurisdictio, quàm ad absolutionem *directam* à peccatis venialibus, quæ absolutio à quolicet Sacerdote impendi potest.

Quod autem censent Couarruuias loco citato, §. 12. num. 6. & Sotus, in 4. d. 22. q. 2. art. 3. & ante hos Caietanus Tom. 1. opusculo 7. de Ministro pœnitentiæ, q. vnica ad 2. nempe solùm Sacerdotem, qui sit proprius parochus, non autem alium simplicem, posse absoluere ab excommunicatione minori; admitti potest si intelligatur de absolutione *directa*. Nos autem loquimur nunc de absolutione *indirecta*. Et sic asserimus quemlibet Sacerdotē, hoc ipso quod potest absoluere à venialibus posse absoluere *indirectè* ab excommunicatione minore, quæ ob illa sit contracta.

A *maiori* autem excommunicatione non potest absoluere *indirectè* quilibet Sacerdos; sed rursus distinguendum est. Vel enim est lata à Iure, vel ab homine. Si à *Iure*; vel est reseruata alicui, vel non. Si est reseruata, non potest ab ea absoluere nec *directè*, nec *indirectè*, nisi is, cui est reseruata; vel alius, cum illius facultate. Si non est reseruata, quilibet Prælatus potest ab ea absoluere *directè*; (vt antè dictum est,) & *indirectè* quilibet etiam qui ab annexo peccato mortali absoluere potest. Si verò lata est ab *homine*, rursus distinguendum est. Nam si est lata *generaliter*; similiter poterit ab illa absoluere *directè* quidem omnis prælatus sicut ab excommunicatione *Iuris* non reseruata; indirectè autem quicunque posit absoluere ab eo peccato mortali propter quod sit lata eiusmodi excommunicatio: iuxta ea quæ post alios de hoc tradit Nauarrus in dicto capite 27. numero 44. Si autem est lata ab homine eiusmodi excommunicatio *specialiter* contra aliquem; sentiendum est, non posse ab illa *directè* vel *indirectè* absoluere, nisi eum, qui eam tulit, vel illius Superiorem, vel de illius aut Superioris facultate: iuxta ea quæ tradunt Diuus Thomas hic quæstione 24. articulo primo, & Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 40. & Couarruuias vbi suprà §. 12. num. 2. & alij.

Notandum est autem, absolutionem, *indirectam*, non valere in foro *exteriori*. Quare monendi sunt, qui sic absoluuntur, debere ipsos in foro externo tanquam excommunicatos se gerere tamdiu, donec directè etiam ab habente legitimam authoritatem absoluantur in foro externo, iuxta id, quod diximus in prima Assertione. Quæ omnia patent ex iis, quæ fusius tractat Nauarrus, capite 27. numero 37. & deinceps, & D. Thomas hic quæstione 24. vbi in secundo & tertio Articulo tradit, quomodo aliquis etiam inuitus posit ab excommunicatione absolui. Item ab vna excommunicatione, & non ab alia.

Quod autem attinet ad *formam*, & *modum*, quo fieri debeat absolutio ab excommunicatione, primò dicendum est, non esse ad eam rem præscriptam aliquam formam certorum *verborum*; sed ea verba sufficere, quæ de præsenti significent voluntatem restituēdi aliquem communioni fidelium.

Circumstantiæ verò, quibus debet absolutio dari, præsertim in foro externo duplicis generis sunt: Quædam cæremoniales: quædam iudiciales. *Cæremoniales* sunt, quæ ad quandam reuerentiam & cultum adhibentur: vt Orationes quædam: item aliquando verberatio, & alia eiusmodi; quarum circumstantiarum vsus pendet etiam ex consuetudine & ex conditione personæ. *Iudiciales* verò circumstantiæ sunt, quæ vel à Iure *communi*, vel à *particulari* Canone, vel à Superiore (dante aut delegante alteri absoluendi potestatem) ad æquitatem ipsam & iustitiam causæ exiguntur.

Porrò circumstantiæ *Cæremoniales* non sunt de substantia, sed tantùm de necessitate præcepti, Cap. *à nobis* 2. extra de sentent. excommunicationis. Quod tamen præceptum non obligat nisi iuxta receptam consuetudinem, & rei opportunitatem, &c.

Circumstātiæ verò *Iudiciales*, quæ *iure ipso communi* adhiberi debent (vt quòd excommunicatus satisfaciat tertio, &c.) non sunt etiam de ipsa absolutionis substantia, quasi non valeat vnquam, si prætermittantur; nisi fortè cum ea conditione peculiariter daretur absolutio. Potest namque absolutio ab excommunicatione *sub conditione* dari, vt contra Antoninum 3. p. tit. 24. capite 77. §. 1. rectè asserit Couarruuias in Cap. *Alma mater*. parte 1. §. 11. numero sexto. Imò talis absolutio conditionalis tacitè contineretur in excommunicatione sub conditione lata, scilicet si quis, verbi gratia, non satisfecerit, vel donec satisfecerit, &c. Tali enim satisfaciente, eo ipso est absolutus ab excommunicatione neque indiget absolutione noua, vt probat ibi Couarruuias contra quosdam.

Circūstantię verò Iudiciales debitæ ex aliquo *particulari Canone*, aut ex *particulari voluntate* eius qui absoluēdi potestatē dedit, vt si diceretur, nō absoluatur, *nisi faciat hoc & hoc, &c.* & maximè si adderetur, vt *aliàs* excommunicationis absolutio sit nulla, omnino sunt de necessitate sub

stantiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stantiæ. Patent hæc ex iis quæ rectè disserunt de hoc Caietanus in Summa, Verbo *Absolutio ab Excommunicatione*. & Couarruuias in Cap. *Alma mater*. parte 1. §. 11. numero septimo, & Nauarrus, capite 27. numero 37. & seq. Et hactenus quidem quæ pertinent ad ipsam authoritatem & modum absoluendi, generatim dicta sint.

Est autem circa hoc ipsum QVAESTIO, Vtrum contritus, & procurans pro viribus absolutionem ab excommunicatione, sit hoc ipso coram Deo absolutus, ita, vt fruatur communibus Ecclesiæ suffragiis antè etiam, quàm actu absoluatur? Nauarrus, capite 27. numero 18. putat, omnino esse absolutum, solumque priuari talem communicatione consuetudinis externæ ipsorum fidelium. Ac potest aliquis hanc opinionem Nauarri probabilem existimare, cùm præsertim parum hęc Quæstio pertineat ad praxim.

Cæterùm longè probabilius & certius videtur, quod Sotus ex communi doctrina asserit d. 22. q. 1. art. 1. talem videlicet non esse absolutũ. Id quod mihi videtur satis etiam expresè asseri & probari ab Innocentio III. in Cap. A *nobis* 2. extra de sententia excommunicationis. Quia scilicet, cùm Ecclesia non iudicet de interioribus; fit, vt quamdiu talis *actu* non absoluitur, tamdiu illum Ecclesia habeat pro excommunicato, atque adeò illi subtrahat, quantum potest, communia suffragia: quæ cùm non sint in arbitrio ipsius excommunicati; quidquid is faciat interiùs, non potest ea sibi applicare.

Nisi fortè aliquis pro Nauarro dicat, Ecclesiam non nisi *conditionaliter* excludere hominem ab eiusmodi suffragiorum communicatione, si videlicet non pœniteat procuretque pro viribus absolui ab excommunicatione, ita, vt per ipsum, quò minus absoluatur, non stet. Cæterùm hæc explicatio non videtur satis firmiter posse constare, quandoquidem absolutè consueuit in aliquem constitui pœna excõmunicationis, hoc est, priuationis illorum etiam suffragiorum, hoc ipso quòd absolutè iudicatur dignus eiusmodi spirituali animaduersione.

PVNCTVM NONVM.

Quanam ratione in casibus particularibus diiudicari possit, incurrerit ne quis excommunicationem aliquam.

Ad q. 2. D. Thom.

QVONIAM prolixum esset, omnes, quæ extant in Iure, Excommunicationes, tum reseruatas, tum non reseruatas, persequi in particulari (quod faciunt abunde Syluester, Caietanus, Nauarrus, & alij quorum libri sunt passim in promptu) duæ saltem REGVLAE generatim hoc loco annotandæ sunt, ex quibus in omni casu particulari facilè definiri poterit, vtrũ aliquis incurrat aliquã eiusmodi excõmunicationem, cùm hac de re dubium inciderit.

Et quoniam hæ Regulę ad ipsa *dubia* incidentia accommodatæ esse debent, sciendum est, ex duplici capite posse aliquod tale dubium in casu particulari oriri. PRIMVM caput est ex parte ipsius *facti* seu peccati, cui Excommunicatio est annexa: cùm scilicet status dubitationis est, vt quæratur, sitne hoc factum tale, quale est illud, cui est annexa excommunicatio, nec ne? SECVNDVM caput est ex parte ipsius *personæ*: cùm scilicet de facto ipso constat, sed dubitatio est, num hęc persona fuerit omnino caussa illius facti, nec ne, atque adeò vtrum incurrerit excommunicationem illi facto annexam.

PRIMA igitur Regula seruiet ad tollendas dubitationes ex PRIMO capite, & est huiusmodi. Vt excommunicatio incurratur, necesse omnino est, factum ipsum, siue peccatum, cui excõmunicatio est annexa, planè esse *consummatũ*, atq; adeò in vltima sua perfectione constitutũ: Et quidem aliquo etiam externo signo manifestatum secundùm se, vt ita videlicet subesse possit iurisdictioni Ecclesiæ.

SECVNDA Regula pro dubitationibus ortis ex SECVNDO capite, est huiusmodi. Vt aliqua persona incurrat excõmunicationẽ, necesse est, vt ea fuerit *sufficiens & perfecta caussa effectiua* illius facti seu peccati, propterquod excõmunicatio est lata. Ac vtriusq; Regulæ ratio ducitur ex illo communi Axiomate Iuris: *Odia esse restringenda*.

Ex hac igitur doctrina sequitur PRIMO, Si quando Excommunicatio feratur in *factum* aliquod, seu in *facientes*, ordinariè non comprehendi in ea sententia excommunicationis consulentes etiam & iubentes. Ita Nauarrus in Manuali, capite 27. numero 51. Ratio est: Quoniam tales licet modo quodam sint caussa illius facti, scilicet motiua & impulsiua; non sunt tamen *perfecta* illius caussa effectiua, vt in secunda Regula necesse esse dicebamus. Item etiam id, quod propriè tales faciunt, scilicet consilium ipsum & iussio, non est omnino illud idem, propter quod excommunicatio fertur, quando fertur ea nimirum in ipsum *factum*. Atque ita quò minus tales excommunicationem incurrant, obstat etiam prima Regula proposita.

Dixi verò, *ordinariè* consulentes & iubentes non comprehendi in excommunicatione, quæ fertur propter factum: Nam aliunde sanè possunt tales in ea comprehendi. Quod quidem accidit in tribus Casibus, vt patet ex his, quæ rectè Nauarrus in dicto numero 51. notat.

Primus

Primus Casus est ex aliqua consuetudine vim legis habente, quæ obtinuerit, vt suasores eadem pœna teneantur. *Secundus*, ex aliis Iuris Constitutionibus, ex quibus id in aliqua particulari materia colligeretur. *Tertius*, quando alioqui sententia excommunicationis lata in facientes esset frustratoria, id est, non consequeretur suum effectum: quod tunc eueniret, quando etiam per iubentes & consulentes tantùm, æquè illud malum sequeretur, quod Canon vel Iudex cauere vult. Atque ex hoc quidem capite notat loco citato Nauarrus, mittentem arma Sarracenis, ita esse excommunicatum, atque deferentem, per Cãnonem latum contra deferentes. Quoniam cùm tantundem sit mittere atque ferre; si non etiam mittens intelligeretur esse per illum eundem Canonem excommunicatus, fieret Canon ille excommunicans deferentem frustratorius. Et sic etiam est sentiendum de *efficaciter* iubente

SECVNDO ex illis Regulis sequitur, diligenter distinguendum esse, cùm Excommunicatio aliqua fertur etiam in consulentes vel iubentes. Duobus enim modis possunt *iubentes etiam & consulentes* excommunicari. PRIMO, non vt tales simpliciter, sed vt *cooperantes* formaliter ad illud peccatum. SECVNDO, quatenus *consulentes & iubentes* formaliter sunt, etiamsi efficaciter alioqui per consilium & imperium, non cooperarẽtur ad illud peccatum, quod præcipuè respicit Excommunicatio. Quandonam autem hoc aut illo modo Excommunicatio feratur in consulentes & iubentes, ex alio capite iudicari potest.

Respiciendum enim diligenter est ad id, propter quod Canon principaliter excommunicat; & ad id, propter quod non nisi consequenter & respectu alterius. Nam si id, propter quod Canon excommunicat, principaliter est *factum* ipsum, vt verbi gratia percussio Clerici, & vt id factum magis caueatur, annectitur etiam excommunicatio in consulentes & iubentes; putandum est, talem Excommunicationem ferri in consulentes & iubentes, non formaliter vt sunt tales, sed vt *cooperantes actu* per consilium vel imperium ad illud factum. Si verò id, quod Excommunicatio principaliter respicit, est etiam *consilium* aut *iussio*; intelligendum est, tunc eam ferri in consulentes & iubentes, vt tales sunt formaliter. Quod tum euidenter patet, cùm Excommunicatio iis decernitur, qui non solent ipsi factum exercere, sed tantummodò possunt consilium dare. Vt cùm excommunicantur, verbi gratia, *Concionatores*, suadentes populo, ne Decimas conferant. Tunc enim perspicuum est, in ipsum *consilium* per se cadere illam excommunicationem, atque adeò consulentes & suadentes per eam excommunicari formaliter vt sunt tales, etiamsi non actu cooperarentur, persuadendo videlicet efficaciter, vt non soluantur Decimæ.

Iam verò quando Excõmunicatio fertur in consulentes & iubentes formaliter vt sunt *cooperantes*, non comprehendentur in tali Excommunicatione omnes iubentes & consulentes; sed illi duntaxat, qui suo consilio aut iussione *efficaciter* mouent alterum, vt animum inducat ad rem faciendam, alioqui non eam facturus. Neque statim isti talem excommunicationem incurrent, sed tunc demum, quando factum fuerit omnino perfectum & cõsummatum. Ita Nauarrus in dicto num. 51. ac patet hoc ex Regulis suprà positis.

Quando verò excommunicatio fertur in *consulentes & iubentes*, vt tales sunt; omnes illi, & statim ac iubent vel consulunt, incurrunt eiusmodi excommunicationem, etiamsi factum non sequatur. Probatur ex iisdem Regulis. Quoniã hoc ipso, quòd tales cõsulunt ac iubẽt, sunt perfecta quidem caussa eius actus, qui per talem Excommunicationem principaliter cauetur. Atque ex his ipsis documentis non erit difficile iudicare de Casibus particularibus Excommunicationum, quos, vt dixi, persequuntur fusè Syluester, Nauarrus, & Caietanus. Et hactenus de Excommunicatione.

QVÆSTIO DECIMA OCTAVA.

De duabus aliis Eccleſiaſticis Cenſuris, ſcilicet Suſpenſione & Interdicto.

Poſt q.24. Suppl. D.Thom.

DICEMVS PRIMÒ DE SVSPENSIONE. SECVNDO, DE INTERDICTO, ea quæ potiſſima erunt.

PVNCTVM PRIMVM.

De Suſpenſione.

COMPLECTAR DOCTRINAM NEceſſariam de hac Cenſura nonnullis pronunciatis. PRIMVM pronũciatum; Suſpenſio, accipiendo ita propriè hoc vocabulum, vt accipitur à Theologiæ & Iuris Canonici Doctoribus, eſt Cenſura Eccleſiaſtica, per quam Eccleſiaſtica perſona priuatur vſu ordinis, officij, vel beneficij, quatenus hic vſus *bonum* quoddam eſt, cõſiſtẽs videlicet in *exercitio* facultatis, q̃ aliquis habet ad miniſterium Eccleſiaſticũ. Ita colligitur ex Gloſſa, & Doctorib. in Clementina *Cupientes*, de pœnis, & in Cap. *Ad reprimendam*. extra de officio Iudicis ordinarij; & ex his ipſis Iuribus, & aliis quæ à Gloſſa in his locis citantur.

Porrò *Cenſura Eccleſiaſtica* ponitur in hac deſcriptione pro genere, in quo videlicet conuenit Suſpenſio cum Excommunicatione, & Interdicto, quatenus & ipſa quoque eſt in vindictam ſeu *pœnam* peccati inſtituta. Reliquæ verò deſcriptionis particulæ declarant ſpecificam differentiam Suſpenſionis à duabus illis Cenſuris.

Sciendum enim eſt, cùm de DIFFERENTIA Specifica iſtarum Cenſurarum agitur, non eſſe attendendam rationem *materialem* eorum bonorum, in quorum priuatione Cenſuræ iſtæ cõſiſtunt. Si enim hæc ratio attendatur, vix apparebit vlla differentia: cùm planè contingat, iiſdem omnino bonis ſpiritualibus per has omnes Cenſuras hominem priuari, vt ex illarum deſcriptionibus facilè patet. Excommunicatio enim hoc ipſo, quòd priuat *adminiſtratione* Sacramentorum, priuat etiam *vſu* officij Eccleſiaſtici, in quo conſiſtit materialiter illud bonum, quo etiam priuat Suſpenſio.

Eſt igitur præcipuè ſumenda differentia ſpecifica iſtarum Cenſurarum ex ratione *formali*, ſeu ex *motiuo*, quod Iudex Eccleſiaſticus attendit in priuando homine eiuſmodi aliquo bono Spirituali. Itaque cùm tam Excommunicatio, quàm Suſpenſio priuet hominem illo bono materialiter, quod conſiſtit in *vſu* Eccleſiaſtici officij; differunt tamen iſtæ Cenſuræ formaliter ea ratione, quòd Excommunicatio priuat eo bono, quatenus eſt formaliter quædam *communicatio*: Suſpenſio autem, quatenus formaliter eſt quoddam *exercitium* eius facultatis, quam alioqui quis habet, ſicut rectè Nauarrus attigit, capite 27. num. 151. & 165. Quod enim aliquis *vti non poſſit* facultate & officio ſuo; per ſe eſt quoddam malum & quædã pœna, qua vindicari peccatum poſsit. Sicut etiam quòd nequeat per vſum eius facultatis cum altero *communicare*: id quòd, propriè & formaliter prohibetur per Excommunicationem. Patet igitur ita primò, quæ ſit propria ratio Suſpenſionis.

SECVNDVM Pronunciatũ. Tripliciter poteſt Suſpenſio diuidi. Primò, ex parte ſpiritualis *boni*, ad quod aliquis habet facultatem, & cuius vſu priuatur. Secundò, ex parte eius authoritatis, qua Suſpenſionis ſententia fertur. Tertiò, ex parte temporis, ad quod Suſpenſio ſe extendit.

Ex parte BONI illius ſpiritualis, duplex eſt diuiſio Suſpenſionis. PRIMA eſt, quam tradit Syluester Verbo Suſpenſio, num.1. ſcilicet in Minorem, & Maiorem. *Minor* eſt priuatio facultatis, quam quis habet ad *ſuſcipienda* Sacramenta. Et quamuis iſta Suſpenſio materialiter coincidat cum Excommunicatione minore, quæ vt q. præced. p. 2. diximus, etiam eſt priuatio vſus paſsiui Sacramentorum, atque adeò miniſterij illius paſsiui Eccleſiaſtici; formaliter tamen differunt: quia Excommunicatio minor eſt priuatio huius boni, quatenus in *communicatione* quadam cum aliis Eccleſiæ membris cõſiſtit: Suſpenſio verò minor eſt priuatio eiuſdem boni, quatenus in *vſu* quodam facultatis conſiſtit, quam ad illud bonum quis habet. Quod vtrumque per ſe moleſtum eſt, vt patet, & rationẽ pœnæ cuiuſdam habere poteſt. Suſpenſio autem

autem *Maior* eſt priuatio vſus facultatis tam actiuæ, quàm paſsiuæ officij ſeu miniſterij Eccleſiaſtici. Quæ quomodo etiam differat ab Excommunicatione maiore, eodem modo explicandum eſt.

SECVNDA diuiſio Suſpenſionis ex eodem capite eſt illa, quæ traditur à Nauarro cap.27.num. 158. in Suſpenſionem à diuinis, & à non diuinis. *Diuina* hoc loco appellantur, quæ annexa ſunt alicui Ordini ſacro: *Non diuina*, quę nulli Ordini ſacro ſunt annexa, vt actus meræ iuriſdictionis. Poſſet etiam ex hac parte diuidi Suſpenſio in Suſpenſionem officij, vel beneficij quoad *partem*, vel quoad *totum*, prout latiùs vel minùs latè patet vſus facultatis, quo quis priuatur, vt indicat Nauarrus illic, nu. 160. Vbi rectè exiſtimat, Suſpenſionem non fieri niſi circa id, quod in ipſa cenſura Suſpenſionis exprimitur, & circa id quod inde pendet. Vnde infert, ſuſpenſum ab ordine, non eſſe ſuſpenſum ab officio, quod ab illo non pendeat: nec Suſpenſum ab officio ſuſpendi ab ordine: nec ſuſpenſum à beneficio ſuſpendi ab officio: nec ſuſpenſum ab officio ſuſpendi à beneficio, quoad eos fructus qui dantur, inquit, non intereſſenti diuinis officiis. Hoc tamen vltimũ tunc ſolum verum eſſe puto, quãdo Suſpẽſio eſt ab officio ſolum clericali, vt Nauarrus etiam id intelligere videtur.

Si autem Suſpenſio ſit ſimpliciter ab officio; veram eſſe puto ſententiam Sylueſtri V. Suſpenſio, quæſt. 5. & Couarruuiæ in Epitome lib. 4. Decretal. parte 2. cap.6.num.17. & aliorum, qui cenſent per talem Suſpenſionem, quando non fit ſolum ob contumaciam, vel ob culpam leuem, ſed ob crimen graue, ſuſpendi etiam quem à beneficio. Et patet id ex fundamento etiam Nauarri. Nam beneficium annexum eſt officio, & propter illud datur. Niſi quod cum culpa eſt lenis, præſumitur non fieri etiam Suſpenſionem à beneficio, iuxta prædictos auctores. Suſpenſus item ab officio, conſequenter etiam putandus eſt ſuſpendi à Iuriſdictione annexa tali officio, vt probat Couarruuias in Cap. *Alma mater*, parte 2.§.2.num.2. Qui rectè exiſtimat, tunc etiam eſſe id verum cùm diceretur quis ſuſpendi ab officio *tantum*. Nam eo ipſo ſuſpenderetur quoque à Iuriſdictione illi officio annexa; cùm ſine officij vſu non poſsit eſſe vſus Iuriſdictionis.

Ex parte autem AVTHORITATIS, qua Suſpenſio fertur, diuidi ſolet Suſpenſio in latam à *Iure*, & latam ab *homine*, vt notant Syluester Verbo Suſpenſio, nu.1. & Nauarrus cap.27. num.154. Quæ differentia quomodo intelligi debeat, ſatis patet ex his, quæ dicta ſunt de ſimili diuiſione Excommunicationis quæſt. præced. punct.2.

Deniq; ex parte TEMPORIS, ad quod extenditur, bene Suſpenſionem diuidit Syluester loco citato, in Suſpenſionem, quę fertur in *perpetuum*, cui ſcilicet nullum tempus definitur; & in eam, quæ fertur ad *certum* tempus. Nauarrus tamen dicto cap. 27. num. 151. putat, Suſpenſionem in perpetuum tantummodò debere ferri ſecundùm *partem* officij vel beneficij, non ſecundùm totum. Quia ſi ſecundùm totum feratur, nihil differre videretur à Depoſitione, de qua poſtea dicetur quæſt. ſeq.

Sed quamuis Suſpenſio perpetua ſecundùm *totum*, materialiter concurrat cum Depoſitione, formaliter tamen ab ea differt, & quidem *genere*. Nam Suſpenſio hæc habet rationem *pœnæ* & vindictæ formaliter; Depoſitio non item, ſed eſt quoddam *impedimentum* Canonicum, reſpiciens nõ propriè vindictam peccati, ſed bonum commune, cui non expedit, vt homo, qui deponitur, exerceat officium ſpirituale: id quod ſine culpa etiam ipſius hominis euenire poteſt, vt infrà dicemus. Atque ita Depoſitio non eſt *Cenſura* Eccleſiaſtica, in vindictam videlicet peccati propriè inſtituta. Vnde etiam Couarruuias in Epitome, libri quarti, parte ſecunda, cap. ſexto, num. 19. planè præſupponit poſſe eſſe Suſpenſionem vel ad tempus vel in perpetuum.

TERTIVM Pronunciatum. Duplicem habet vim Suſpenſio. VNAM, quæ communis eſt omni Suſpenſioni, videlicet vt qui exercet actum aliquem, à quo eſt ſuſpenſus, quique facit adeò contra ipſam Cenſuram Suſpenſionis, peccatum mortale ex genere committat. ALTERAM, quæ eſt peculiaris Suſpenſioni à *diuinis*; vt ſcilicet qui eam Suſpenſionem violat exercendo aliquem actum peculiaris alicuius Ordinis, incurrat præter peccatum mortale etiam *Irregularitatem*, quæ eſt reſeruata Summo Pontifici, vt ex Iure oſtendit Nauarrus, cap.27.num. 163. & 244. & patet vtrumq; manifeſtè ex conſtitutione Innocentij IV. in cap.1. *Cùm medicinalis*, de ſententia Excommunicationis, lib.6.

QVARTVM Pronunciatum. Ad diſcernendos varios Caſus Suſpenſionis à Iure latæ, tria ſunt diligenter conſideranda. PRIMO, quid ſit illud, in quo plenè & formaliter conſiſtit ipſum peccatum, cui annexa eſt Suſpenſio. SECVNDO, cognito quid eſt illud, videndum etiam eſt, an plenè ſit *conſummatum & perfectum* in particulari illo caſu, de quo dubitatur. TERTIO, an ab *eo homine* ſit perfectum & cõſummatum, de quo dubitatur, num ob id ſit ſuſpenſus. Hæc enim requiruntur, vt Suſpenſio incurratur. Et ratio eſt: Quoniam Leges pœnales ſunt reſtringendæ, atque adeò intelligendæ non niſi plenè & perfectè, vt ſonant. Atque ex his facilè poſſunt reſolui particulares caſus circa eiuſmodi Suſpenſiones, quas ſatis ſuperq; recenſent Syluester V. *Suſpenſio*. num. 6. & Angelus eodem verbo, ac præcipuas etiam Nauarrus cap.27.nu.54.& ſeq.

QVINTVM Pronunciatum. Hanc Cenſuram ſolæ perſonæ Eccleſiaſticæ poſſunt incurrere, vt ex omniũ ſentẽtia præſupponit Syluester V. Suſpenſio, initio, & notat Nauarrus, cap.27.nu.151. Cuius ratio eſt ſola diſpoſitio ipſius Iuris

SEXTVM Pronunciatum. Possunt sententiã Suspensionis ferre omnes illi & soli, qui possunt etiam excommunicare, id est, qui habent Iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori. Ita notat ex communi doctrina Sylvester, vbi suprà nu. 2. & Nauarrus in dicto cap. 27. nu. 159.

SEPTIMVM Pronunciatum. Quando suspensio ferenda est à Iudice, ratione contumaciæ, nõ nisi in Scriptis & præmissa admonitione ferri debet. Quoniam alioqui non posset Reus censeri contumax. Quando autem fertur Suspensio in pœnam præteriti duntaxat delicti, non est necessaria admonitio. Qua de re vide Nauarrũ nu. 161. & seq. & Sylvestrum, vbi suprà, nu. 4.

OCTAVVM Pronunciatum. Suspensionem latam ab *homine* nemo potest tollere præter illum ipsum, qui eam tulit, vel Superiorem ipsius, vel aliquem cum ipsius facultate. Suspensionem autẽ latam à *Iure* in pœnam peccati *præteriti* (saltem maioris, quàm sit adulteriũ) solus Pontifex tollit: nisi cùm delictum ex quo prouenit, est occultum: Tunc enim etiam potest Episcopus, per Concilium Tridentinum, sess. 24. cap. 6. de Reformatione. Suspensionem verò latam item à Iure ob solam contumaciã, vel ob peccata præterita non maiora adulterio, Episcopi etiam ordinariè tollunt. De qua re videndus Nauarrus num. 162.

NONVM Pronunciatũ. Confessarij, qui possunt absoluere à mortalibus, possunt etiam absoluere *indirectè* à Suspensione quidem *minore*, in ordine videlicet ad absolutionem ab iisdem peccatis, quatenus minor eiusmodi Suspensio obstat susceptioni Sacramẽtorum; quemadmodum suo modo etiã quæst. præced. p. 8. de absolutione indirecta ab Excõmunicatione dictum est. Huc enim videntur pertinere illa verba vsitata in communi formula Absolutionis à peccatis, vbi dicitur etiam: Ab omni vinculo Excõmunicationis, Suspensionis, & Interdicti, *in quãtum possum & indiges*, &c.

DECIMVM Pronunciatũ. Non sunt aliqua verba certa absoluendi à Suspẽsione in Iure prescripta; sed sufficiunt quæcunq; significantia eiusmodi absolutionem, sicut q. præced. p. 8. de absolutione ab Excommunicatione dictũ est: atq; ita etiam notat Sylvester vbi suprà, num. 8.

Imò, si Suspensio fuit conditionalis (vt quamdiu quis non satisfecerit, &c.) cessante cõditione cessat per se Suspẽsio, neq; vlla præterea verbalis absolutio requiritur, vt notat Sylvester illic, & fusè Couarruuias in cap. *Alma mater*, part. 1. §. 11. num. 5. & seq.

POSTREMO, quod ad praxin attinet, tria sunt breuiter explicãda Dubia. PRIMVM est, Vtrum Sacerdos propter *fornicationẽ* suspẽsus ab executione sacri Ordinis, incurrat Irregularitatẽ Pontifici reseruatam, si Ordinem illũ exequatur? Et ratio dubij est: Quoniam ex vna parte Suspẽsio à *diuinis*, qualis est ista, Irregularitatẽ inducit Pontifici reseruatam, vt suprà dictum est. Ex alia verò parte, in Concilio Trident. sess. 24. cap. 6. fit Episcopis facultas *dispensandi in Irregularitatibus & Suspensionibus omnibus ex occulto delicto prouenientibus*. semper autẽ occultum videtur esse delictum eius, qui Suspensionem ex fornicatione contractam, celebrando violat. Quis enim scit, vtrum adhuc talis sit illa Suspensione irretitus, perseueretq; adeò in ipso peccato?

Respondeo. Si talis exerceat Ordinẽ sacrum post primam fornicationẽ, aut post aliquot, interposito longo temporis spacio, nõ incurrit Irregularitatem reseruatam Põtifici: quia crimen hoc, moraliter loquendo, est occultũ. Quare locum tunc habet concessio illa Concilij Tridentini, vt scilicet Episcopi possint in eiusmodi Irregularitate dispẽsare. Si verò frequẽter incidat in fornicationẽ, ita, vt passim habeatur p fornicario, & nihilominus obit munus Ordinis sacri, tunc Irregularitatẽ incurrit Pontifici reseruatã: quoniã eo ipso crimen illud violandi Suspensionem, est moraliter loquendo, publicum.

SECVNDVM Dubium est. Vtrũ Clericus suspensus ab ordine incurrat Excommunicationẽ, si eo modo exerceat actũ Ordinis, quo solet ille alioqui exerceri ab homine Laico, vt recitando videlicet Lectionem aliquam ex Choro. Respõdetur, tunc nõ incurrere. Non enim incurritur, nisi quis exerceat actum illum Ordinis *solenniter*, & tanquã ex *officio*, vt rectè notat Sylvester Verbo *Irregularitas*, num. 14. limitatione 6. & Nauarrus cap. 27. num. 163. qui ait ita docere omnes.

TERTIVM Dubium est, Vtrum suspensus à *diuinis*, intelligatur etiam esse suspensus ab officio concionandi? Respondetur, omnino. Quoniam consuetudine factum est, vt officium concionandi proprium sit Sacerdotum & Diaconorum, quasi aliquid annexum eiusmodi Ordinibus. Et ita docet Nauarrus vbi suprà num. 163. Quod intelligendum est, quando concio fit solenniter, & quasi ex officio, sicut fieri consueuit ab ordinariis Concionatoribus. Denique notandum est, eodem modo debere suspensum ab aliis vitari in iis, in quibus est suspensus, sicut excommunicatum, vt notat Nauarrus, num. 163. in fine.

PVNCTVM SECVNDVM.

De Interdicto.

DE HAC Censura hęc sunt annotanda. PRIMO, Interdictum est Censura Ecclesiastica, per quam aliquis vel aliqui priuantur spirituali bono, consistente in Sacramẽtis, diuinisque officiis, & quæ his annexa sunt, vt sepultura, &c. quatenus hæc omnia ad *cultum* quendam spectant. Ita colligitur ex Cap. *Quod in te.* Extra de pœnitentiis & remission. & Cap. *Non est vobis.* Extra de sponsalibus.

Ex qua

Ex qua descriptione intelligi potest, quomodo Interdictum conueniat *genere* cum Excommunicatione, & Suspensione, sitque adeò tertia *Censura Ecclesiastica*, vt habetur in Cap. *Quærenti.* Extra de verborum significatione. Etenim illud ipsum, quod est carere diuino illo *cultu*, quod Sacramentis, & illis officiis Ecclesiasticis continetur, malum quoddam est, ac proinde loco peculiaris *pœnæ* in vindictã alicuius peccati, potest id malum infligi ab Ecclesiastico Iudice.

Specie autem differt hæc Censura à duabus reliquis: quoniam in Sacramentis & officiis Ecclesiasticis, quibus materialiter quidem illæ etiã aliæ Censuræ priuant, propriè & formaliter rationem illã *diuini cultus* respicit. Non enim tantummodò est pœna his priuari, quatenus *communicatio* quædã mutua, aut *vsus* quidam facultatis sunt (quæ duæ rationes respiciuntur ab Excommunicatione & Suspensione, vt suprà p. 1. exposuimus, & attigit rectè Nauarrus cap. 27. nu. 165.) sed etiam quatenus hæc ipsa ad quendam Dei *cultum* pertinent. Et potest hæc Censura decerni ordinariè ab iisdem qui possunt excommunicare & suspendere, & in eosdem, qui excommunicari & suspẽdi possunt, vt notat Sylvester Verbo, Interdictum 3. num. 3. & Nauarrus vbi suprà, num. 168.

Hic autem notandum est, nomine *diuinorum officiorum* in prædicta descriptione Interdicti intelligi ea officia, quæ annexa sunt alicui *Ordini sacro*, vt rectè docet Nauarrus, cap. 27. num. 171. Vnde tempore Interdicti licitum est recitare publicè Salutationem Angelicam, ad eamque signum campana dare. Item solenniter benedicere mensæ, sicut notat idem Nauarrus, numero 176. Quoniam huiusmodi actiones non sunt specialiter annexæ sacris Ordinibus.

Nomine autem boni spiritualis consistentis in *Sacramentis*, intelligitur vsus illorũ, tam actiuus, quàm passiuus.

Excipiuntur tamen quædam Iure communi, quæ non prohibentur per Interdictũ, vt Baptismus, administratio Eucharistiæ tempore necessitatis: & cõsequenter celebratio Missæ semel saltem in septimana (ianuis clausis, & sine pulsu cãpanę, & exclusis interdictis & excõmunicatis) quò posit haberi Eucharistia pro infirmis, sicut asserit Nauarrus illic, n. 174. & patet ex Cap. *Permittitur.* Extra de sent. excõmunicationis. Item Sacramentum Confirmationis, Matrimonij (sine solenni tamen benedictione) & Pœnitentiæ, excepto eo, qui caussam Interdicto dederit. Debet enim prius satisfacere, vt his Sacramẽtis vti possit. Ita docet Sylvester Verbo Interdictum 5. q. 7. & Nauarrus cap. 27. nu. 178. & Couarruuias in cap. *Alma mater.* part. 2. §. 2. num. 7.

SECVNDO. Triplex est Interdictum; *Personale* tantùm, quo prohibentur solùm personæ certæ à diuinis: *Locale* tantùm, quo prohibetur solùm, ne in tali loco celebrentur diuina: *Locale et Personale* simul, quo prohibentur & personæ, & certus locus à diuinis officiis.

Item diuiditur secundò Interdictũ in Generale, & Speciale. *Generale* est, quo interdicitur tota aliqua communitas, vt Regnum, Prouincia, Ciuitas, Pagus. *Speciale* est, quo interdicitur pars alicuius integræ seu totius cõmunitatis: vt cùm interdicitur vna Parochia, Collegium, Academia, &c. Quare etiamsi multæ Ecclesiæ vnius Prouinciæ vel Ciuitatis interdicerentur, diceretur adhuc in proposito Interdictum speciale: quia oẽs illæ Ecclesiæ partes sunt alicuius totius integræ communitatis. De quibus diuisionibus videndus est Nauarrus num. 166. & 167. & Couarruuias vbi suprà, §. 1. num. 6. & seq.

TERTIO. Vt intelligãmus, ad quos propriè pertinere possit hæc Censura, notandum est, cùm Interdictum ponitur, duo prohiberi. VNVM primariò & quasi per se; videlicet ne illi, quorum est administrare diuina officia, administrent illa. ALTERVM secũdariò & cõsequenter, ne scilicet alij possint illis officiis interesse, aut illa participare. Hoc posito, dicendum est, Censuram hanc propriè quidem ad Clericos pertinere, nempe per se & primariò: Et sic videtur intelligendus Caietanus in Summa, Verbo *Interdictum*. Secundariò autem etiam pertinere ad Laicos. Aliquando tamen interdicuntur soli Clerici, vt post dicemus.

QVARTO. Cùm tota aliqua Communitas, seu Collegium, vel Vniuersitas, &c. interdicitur, sciendum est primò interdici tunc & locum, & personas, vt rectè post alios, & contra quosdam, resoluit Couarruuias vbi suprà, §. 1. nu. 7. & Nauarrus ca. 27. n. 168. Non autem quando nominatim locus tantùm interdicitur, vt talis ciuitas, vel castrum, &c. sicut idem Couarruuias tradit ibi, num. 8. Secundò sciendum, cùm communitas aliqua interdicitur; ad illam quidem pertinere hanc Censuram, non nisi quatenus ratione & consilio vti potest, atque adeò quatenus est capax illius boni spiritualis, quo priuat formaliter Interdictum, nempe cultus diuini. Ex quo sequitur, pueros ante vsum rationis non cõprehendi communi Interdicto ita, vt si qs eos faciat interesse diuinis Interdicti tempore, peccet specialiter ex hac parte, aut violet Interdictum.

Quanquam Nauarrus quidem cap. 27. num. 168. oppositum tenet. Sed ratio, quam affert, non vndequaque probat, pueros etiam prohiberi Interdicto. Est enim potiùs solutio cuiusdam arguméti, quod fieri posset pro nostra sententia ex eo, quòd tales pueri non peccant ipsi, si intersint diuinis officiis: vnde videtur etiam eos Interdicto non comprehendi. Ad hoc, inquam, argumentum respondet Nauarrus, Interdictum posse etiam comprehendere aliquos, quantũuis illi non peccauerint. Cæterùm quanquam hoc verum sit, cùm scilicet in pœnam aliquorum alij etiam consequenter interdicuntur;

tamen sicut hoc nõ est sufficiens ad eximendum aliquem ab Interdicto; ita neque ad includendum. Poterit enim ob alias causas fieri, vt aliquis non teneatur Interdicto; sicut in proposito pueri rationis expertes, propterea quòd ratione carent, minimè alioqui tenentur, vt est probatum.

QVINTO. Interdictum speciale duobus modis fieri potest, vt ex variis dictis Caietani colligitur in Summa Verbo *Interdictum*. Primò ita, vt soli Clerici interdicantur. Et tunc si ex malitia sua ipsi Clerici violent Interdictum, posset Laicus illorum malitiâ vti ad suum commodum bonumque, ac proinde interesse illis officiis: nisi fortè hac ratione commouerentur Clerici ad pergendum contra Interdictum. Secundo modo ita, vt interdicantur non solùm Clerici, ne diuina peragant, sed etiam alij, ne diuinis intersint. Et tunc quamuis Clerici ipsi vltro violent A Interdictum, non ideo tamen licebit aliis interesse officiis, quandoquidem alij quoque interesse prohibiti sunt.

Est autẽ hîc postremò DVBIVM, Vtrum violare Interdictum, sit peccatum mortale? Caietanus in Summa, Verbo *Interdictum*, conatur inprimis probare, esse mortale: id enim colligi posse ex grauitate pœnæ, quam incurrunt violatores Interdicti. Sed respondet tandem bene, ex ea parte non esse mortale, cùm pœnæ temporales, propter peccatum etiam veniale nonnunquam infligi soleãt; fieri tamen posse mortale ex contemptu, vel ex adiuncta aliqua circũstantia. Reliqua magis particularia de interdicto facilè erit diiudicare ex his: & videri possunt apud Couarruuiam in dicto Cap. *Alma mater.* parte secunda, & Syluestrum, & Nauarrum, & Summistas alios

QVÆSTIO DECIMA NONA.

De quatuor aliis quasi Censuris, scilicet Irregularitate, Depositione, Degradatione, & Cessatione à diuinis.

Post q. 24. Suppl. D. Thom.

DICENDVM EST PRIMO, QVOMODO ISTA QVATVOR differant à Censuris; & quæ sit singulorum Ratio. SECVNDO, *dicendum est de Irregularitate generatim.* TERTIO, *de speciebus Irregularitatis in particulari.* QVARTO, *de reliquis tribus quasi Censuris.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quomodo ista quatuor differant à Censuris: & quæ sit singulorum Ratio.

NON EST ÅDMODVM FACILE explicare, quomodo ista differant, tũ ab Ecclesiasticis Censuris, tũ etiam inter se. Etenim communiter Doctores non agnoscunt, nisi tres illas Ecclesiasticæ Censuræ species, de quibus in præcedentib. quæstionibus dictum est. Et præterea de his quatuor, quæ nunc proposuimus, ita loquuntur, vt planè significẽt, ea tum *genere* à Censuris, tum etiã *specie* à se inuicem distingui, cùm tamen exigua admodum, & quidem materialis duntaxat differentia istorum à Censuris, & inter se existere videatur. Conabimur igitur rem hãc, apud Doctores obscurã, illustrare conuenienter omnino iis, quæ particulatim saltẽ tradunt cõmuniter iidem Doctores, tum de Censuris, tum de iis quatuor, quæ proposuimus.

Dicendum autem est PRIMO, vt hæc quatuor à Censuris, & à se inuicem rectè distinguantur, nõ B esse respiciendum ad rationem materialem bonorum, quibus priuant, siue ad quæ inhabilem aliquem reddunt. Nam vt cõsideranti facilè patebit, iisdem ferè bonis interdum priuãt, saltem inadæquatè & quoad partem.

Dico SECVNDO, respiciendum esse cum primis ad rationes *formales*, sub quibus diuersimodè ista quatuor priuãt bonis aliquibus spiritualibus: vt optimè attigit Nauarrus cap. 27. n. 151. & 165. Hinc enim facilè colligi potest, tum illorum differẽtia *generica* à Censuris, tum etiam eorundem differentia *specifica* à se inuicem.

Quo posito, nũc asserimus, prædicta quatuor eatenus differre *genere* à Censuris Ecclesiasticis, q̃ non inferuntur propriè & formaliter in *pœnã & vindictam* peccati, sicut Censuræ Ecclesiasticæ; sed sunt dũtaxat & appellari solent quædã *impedimẽta Canonica*. Et patet hoc peculiariter in Irregularitate, quę eiusdẽ omnino rationis, quod ad

genus

genus suum attinet, est in eo, qui ob peccatum A aliquod eam incurrit, & in eo, qui sine peccato, sicut postea videbimus. Atque idem etiam patebit magis in Rationibus singularum istarũ quatuor *veluti Censurarum*, vt docendi caussã appello, quas modò explicabimus.

Pro quo diligenter est NOTANDVM, quòd etiamsi priuationes bonorum spiritualium, quas adferunt ista quatuor, eiusmodi sunt, vt possint meritò censeri quædam pœnæ, ac proinde reputari aptæ ad vindicandum aliquod peccatum: tamen à Iure vel à Iudice Ecclesiastico, qui has quatuor veluti Censuras imponit, non ea ratione, neque eo fine priuationes eiusmodi inducũtur; sed vt sint quasi *impedimenta Canonica* quædã, B quò minùs quidam actus Ecclesiastici exerceãtur. Hanc enim ob caussam non pœnæ aut censuræ propriè, sed *impedimenta Canonica*, hæc appellantur communiter à Doctoribus.

Et similiter hæc quatuor à se inuicem ratione *specifica* distinguuntur, non secundùm ipsa bona materialiter considerata, quibus priuant; sed secundùm rationes *formales* diuersas, quas in eiusmodi priuationibus intendunt ij, quorum est illas inducere. Quæ omnia nunc facilè intelligi poterunt ex descriptionibus singulorũ istorum quatuor impedimentorum Canonicorum, quas nunc trademus.

Est igitur Irregularitas ex sententia Canonũ, & communi mente Doctorum, *Impedimentum* C à iure Canonico inductum, quod ob aliquẽ defectum personæ impedit ab Ordine sacro suscipiendo, vel à susceptо exercendo: idq̃; propterea formaliter, quia attenta *dignitate* ministerij Ecclesiastici non decet sanè, vt iste homo, qui talem defectum habet, suscipiat *Ordinem sacrũ*, vel susceptum exerceat. Ita peculiariter potest colligi ex cap. *Significasti* 1. Extra de homicidio. Et can. *Clericum*. 50. d. & ex definitionibus quas cõmuniter Doctores tradunt, ac nominatim Syluester Verbo *Irregularitas*, nu. 1. Nauarrus cap. 27. n. 191. Couarruuias in Clementina, *Si furiosus*, parte 1. initio, num. 1.

Est autem hîc animaduertendum, hoc Impedimentum dupliciter induci posse: Vel ob defectum naturalem aliquem, atq; adeò sine culpa: D Vel ob defectum culpabilem, vt postea suo loco explicabitur. Et primo quidẽ modo satis intelligitur, Irregularitatem sic inductam, nõ habere rationem *pœnæ & vindictæ*, atque adeò neque esse Censuram Ecclesiasticam. Secundò autẽ modo, cùm scilicet habito respectu ad defectũ, q̃ est in aliqua culpa, Irregularitas inducitur, difficilius est animaduertere, quemadmodũ ea nõ habeat pœnæ rationẽ, nec sit adeò *Censura Ecclesiastica*.

Cæterùm ne tunc quidem rationem *formalem* pœnæ & vindictæ habet. Quamuis enim tũc locõ pœnæ infligi *posset*, cùm sit videlicet malum quoddam, atq; adeò quædam pœna (vt etiã appellatur à Doctoribus) tamẽ Iudex seu Superior Ecclesiasticus inducens Irregularitatem, non id propriè & formaliter in ea re attendit, vt scilicet culpã ea ratione *vlciſci* velit; sed illud, ppriè spectat, quòd non sanè decet, attenta dignitate ministerij Ecclesiastici, vt iste habẽs talem *defectum* suscipiat hunc vel illum Ordinem, aut eum iam susceptum exerceat. Hoc autem inde manifestè probatur, quòd alioqui Irregularitas, saltem ob delictum contracta, esset propriè *Censura* Ecclesiastica: Id quod omnino est falsum; quidquid cõtrà incogitanter scripserit Sotus in 4. d. 22. q. 3. art. 1. Nam vt suprà q. 17. p. 1. contra illum annotauimus, cõmuniter Doctores tradunt tres tantùm esse propriè censuras Ecclesiasticas, scilicet Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum: vt etiam satis manifestè declaratum est in Cap. *Quærenti*. Extra de verbor. significatione. Ita quoque nominatim docet Syluester, Verbo *Censura Ecclesiastica*. Et Nauarrus cap. 27. num. 1. & 152. & 191.

DEPOSITIO porrò, est impedimentum Canonicum, quo propter vitiũ seu crimen aliquod priuatur q̃s vsu Ordinis sacri, vel officio, vel beneficio in perpetuum, absq; spe recuperãdi; idq̃; propterea formaliter, quoniam attenta conditione talis hominis, qui aliquo vitio laborat, vel aliquod crimen commisit depositione dignum, minimè expedit bono cõmuni spirituali, vt retineat hoc aut illud officium seu beneficium. Ita colligitur ex Can. *Si lapsis*. 50. d. & Can. *Si quis Clericus*. 1. 81. dist. & ex iis, quæ tradit Glossa in dicto Can. *Si lapsis*. & Syluester, Verbo Degradatio, num. 1.

Ac potest etiam istud impedimentum induci sine culpa illius, qui deponitur. Vt si deponatur propter nimiam senectutem, aut infirmitatem aliquam, aut infamiam, &c.

Differt autẽ Depositio ab Irregularitate, q̃ in *Irregularitate* attẽditur ,ppriè *dignitas ministerij Ecclesiastici* cum defectu personæ: In Depositione autem propriè & formaliter attenditur *vtilitas boni communis*, qua nimirum spectata, iudicatur non expedire, vt qui hunc aut illum defectum habet, retineat officium vel beneficium.

Iam DEGRADATIO solùm addit suprà Depositionem solennitatem quandam, & priuationem tituli Clericalis, vt notat Syluester Verbo *Degradatio*. num. 1. Et solet hæc Degradatio fieri cùm aliquis Ecclesiasticus est iam tradendus brachio (vt dicitur) sæculari.

Loquimur autem de Degradatione propriè. Nam latiùs accipiẽdo id vocabulum, Depositio quoque simplex potest per illud significari, quatenus per eam quis eiicitur ex gradu officij, atq; dignitatis suæ. Quo pacto videtur loquutus esse de Degradatione S. AVGVSTINVS in lib. contra Donatistas post Collationem, ca. 4. cùm scripsit: *Non quiescere in Ecclesia emendationis vigilantiam, corripiendo, degradando, excommunicando, cæteris q̃ coërcitionibus licitis atque concessis, quæ salua*, inquit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnitatis pace in Eccleſia quotidie fiunt ſecundùm præceptum Apoſtolicum: Si quis non obedit verbo noſtro, etc. ne cõmiſceamini cum illo, vt confundatur, 2. Theſſal. 3.

Solennitas autem illa & forma, qua Degradatio propriè dicta fit, exponitur à Sylueſtro loco citato. Ac tum quidem, cùm aliquis degradatur, etiamſi præceſſerit culpa (ſicut ſemper præcedit) propriè tamen non intendit in ea re Iudex culpæ punitionem. Non enim Degradatio annumeratur *Eccleſiaſticis Cẽſuris*: ſed eſt hæc Degradatio quædam quaſi conditio, ſine qua iſte, qui eſt Eccleſiaſticus, non traderetur Brachio aut Iudici ſæculari.

Denique CESSATIO à diuinis ſimiliter eſt impedimentum Canonicum, quo prohibentur B in vniuerſum exerceri diuina officia; idque propriè & formaliter in ſignum quoddam & argumentum eius iniuriæ, quæ ſit illata Eccleſiæ; non autem in vindictam propriè, aut compenſationem illius iniuriæ (ſicut fit in Interdicto, quod eſt *Cenſura*) ſed declarant hoc ipſo, qui ius habent ceſſandi, quòd illa iniuria poſita & nõ ſublata, meritò vacant à diuinis officiis. Ita colligitur ex Cap. *Quamuis*, de officio Ordinarij, libro ſexto, & ex iis, quæ de hac Ceſſatione tradunt, Sylueſter Verbo *Ceſſatio*, & Nauarrus cap. 27. numero 188. & ſeq. & Couarruuias in Cap. *Alma mater*, parte 2. §. 2. Vbi non niſi impropriè (ne dicam, incautè) Ceſſationem hanc appellat *Cenſuram*. Non enim eſt propriè Cenſura; vt rectè C aſſerit Nauarrus, cap. 27. num. 164. & 188. cùm Cenſuræ tantùm ſint tres, vt antè probauimus.

Atque ex his deſcriptionibus intelligitur, quemadmodum non ex ipſa conditione *materiali* bonorum ſpiritualium, quibus iſtæ quaſi Cenſuræ priuant, differentiam earum & inter ſe, & ab Eccleſiaſticis Cenſuris, oporteat exiſtimare; ſed ex *formalibus* rationibus, quæ in iis inducendis propriè ſpectantur à Iure, vel ab Eccleſiaſtico Iudice. Nam vt ſuprà dicebamus, materialiter quidem ferè iſta omnia verſantur circa eadem bona, hoc eſt, circa eoſdem Ordines, aut officia, aut beneficia, aut illorum vſus.

PVNCTVM SECVNDVM.

De Irregularitate in genere.

NVNC aliquid eſt peculiariter de iis dicendum, ac præcipuè de IRREGVLARITATE. De qua primùm exponemus quædam in genere: Secundò dicemus aliquid de ſingulis eius ſpeciebus determinatè, puncto ſeq. Et quoniam iam Irregularitatis Ratio & differentia, tum à Cenſuris, tum ab aliis quaſi Cenſuris, puncto præcedenti expoſita eſt, deinde eſt nunc PRIMO loco notandum, Species omnes Irregularitatis reuocari ad QVINQVE, vt colligitur ex iis, quæ Nauarrus ex communi doctri- A na tradit, cap. 27. num. 195. & deinceps. Et diſtinguũtur eiuſmodi ſpecies Irregularitatis penes quinque genera *defectuum*, ex quibus illa oritur.

Itaque prima ſpecies Irregularitatis eſt illa, quæ oritur ex defectu *Sacramenti*. Secunda, quæ ex defectu *corporis*. Tertia, quæ ex defectu *Animæ*. Quarta, quæ ex defectu *perfectæ lenitatis* (vt vocant) Quinta, quæ ex defectu alicuius *delicti*. De quibus ſingulis punct. ſeq. magis in particulari dicetur.

SECVNDO. Ad diſcernendum in variis Caſibus, vtrum aliquis incurrerit Irregularitatem, obſeruanda ſunt diligenter tria. PRIMVM. Quis nam ſit propriè ille *defectus*, qui ex Iure inducit Irregularitatem: oportet enim illum eſſe *expreſſum* in Iure, vt rectè tradit Nauarrus loco citato, numero 192. & patet manifeſtè ex Cap. *Is qui*, de ſententia Excommunicationis, lib. 6. Quapropter minimè valent in hac materia argumentationes ductæ à ſimili Caſu, quas nonnulli faciunt.

Exempli cauſſa: Non valet hoc argumentum. Sicut Baptiſmus eſt irreiterabilis: ita & Confirmatio & Ordo. Sed iterationi Baptiſmi eſt annexa Irregularitas. Ergo etiam iterationi Cõfirmationis & Ordinis. Non valet. Quoniam illud de Baptiſmo eſt expreſſum in Iure: non ſic autem de Confirmatione & Ordine, vt ſuprà in C Tractatu de Baptiſmo, & Confirmatione notauimus. Quanquam Nauarrus quidem hîc capite 27. num. 247. contrarium teneat: Sed pugnat in ea re cum ſuo fundamento, quod vt iam diximus, rectè iecit in eodem capite, num. 192. neque habet ad eam rem argumentum firmum. Nam quod conſuetudinem dicit id ita obtinere, non eſt exploratum & certum.

SECVNDVM, quod obſeruari debet, eſt, an hæc *perſona*, de qua dubitatur, habeat reuerà illum defectum, nec ne.

TERTIVM: Si dubium quidem eſt, de Irregularitate ex *delicto* contracta; diligenter conſiderãdum eſt, an hæc perſona fuerit *perfecta* cauſſa illius delicti. Oportet enim delictum opere D etiam ipſo fuiſſe *perfectum & conſummatum*; ita, vt nulla ſit planè Irregularitas ex ſolo mentali delicto contracta, quantumcunque aliquis voluntatem patrandi illud habuerit, vt rectè docet Nauarrus, num. 120. & 192.

TERTIO principaliter notandum. Quando omnibus conſideratis adhuc tamen DVBIVM eſt, vtrum aliquis incurrerit Irregularitatem; Nauarrus in dicto numero 192. poſt Panormitanum in Cap. *Ad audientiam*. Extra de Homicidio. diſtinguendum eſſe admonet de foro externo, & interno. In *externo* vult talem, de quo dubitatur non eſſe habendum pro irregulari. Ratio eſt: Quoniam Iudex non poteſt aliquem condemnare, niſi de eo conſtet, quòd ſit condemnatione dignus: At hoc in caſu dubij non conſtat:

conſtat: Ergo non poteſt is, de quo dubitatur, haberi in foro externo atque adeò ſententiâ Iudicis pro irregulari. In foro autem *interno* arbitratur Nauarrus, talem nihilominus debere ſe gerere tanquam irregularem, hoc eſt, debere in conſcientia abſtinere à ſuſceptione ſacrorum Ordinum, vel ſi illis anteà initiatus eſt, ab vſu & executione illorum. Ratio eſt: Quia nemo poteſt ſecura conſcientia id facere, de quo dubitat, an ſit ſibi licitum. Sed is, qui dubitat, vtrum ſit irregularis, conſequenter etiam dubitat, vtrum ſibi ea liceant, quæ irregulares facere prohibentur. Ergo non poteſt ſecura conſcientia id facere: atque adeò debet ab illis in foro conſcientiæ abſtinere, quod eſt videlicet ſe gerere tanquam irregularem.

Cæterùm Didacus Couarruuias in Relectione ſua ſuper Clementinam *Si furioſus*, de Homicidio, parte prima, initio, numero tertio, pleniorem atque commodiorem in hac re diſtinctionem adhibet. Aut enim dubium oritur ex Iure, aut ex facto. Si ex IVRE oritur, non eſt habendus ille, de quo dubium eſt, irregularis, neque in foro externo, neque in foro interno. Non in foro *externo*: quoniam vt bene in ea re Nauarrus argumentatur, nõ poteſt Iudex procedere ad ſententiam ferẽdam, quando ius eſt plane anceps. Non etiam in foro *interno*: quoniam poteſt ille, de quo id dubium eſt, huiuſmodi ratiocinatione niti: Nemo fit irregularis, quando dubium eſt de Iure. Sed in cauſſa mea dubium eſt de Iure. C Ergo non ſum irregularis. Maior eſt illi certa ex illo communi Axiomate: *Odia Iuris eſſe reſtringenda*. Et ex Cap. *Is qui*, de ſent. excommunicationis, libro ſexto, vnde conſtat, oportere caſus Irregularitatis eſſe in Iure expreſſos. Itaque quamuis talis eſſet dubius, attendendo quidem ad illum duntaxat particularem Canonem, ex quo id dubium Iuris eſſet ortum; fieret tamen certus, ſe non eſſe tunc irregularem ex illa communi Regula, quòd ſcilicet odia ſint reſtringenda, & ex dicto Cap. *Is qui*, atque adeò non incurri irregularitatem in caſu dubij, quod ex Iure ipſo naſcatur.

Si verò dubium oriatur ex FACTO, tunc in foro quidem interno ſimpliciter irregularis eſt, vt patet ex Cap. *Ad audientiam*, Extra de Homicidio, vbi cùm dubium eſſet tãtùm de *facto*, quidam iubetur abſtinere ab adminiſtratione ſacrorum ordinum. Et idem patet manifeſtè ex Cap. *Significaſti*. 2. Extra eodem titulo. Et ex Cap. *Petitio*. Ibidem. Atq; hoc etiam rectè confirmat ratio illa Nauarri ducta ex dubia conſcientia. In foro autem externo, etſi ne tunc quidem, cùm eſt dubium facti, compelli talis poſſit; moneri tamen deberet, vt ſe gerat tãquam irregularem, propter ſcandalũ, quod alioqui facilè oriri poſſet. Atque hoc quidem ita ſe habet.

QVAERI autem præterea hic poſſet, quid eſſet agendum, quando nec de facto, ob quod incurritur Irregularitas, nec de Iure illam decernente dubium eſt, ſed tantummodo quouſque ſe extendat Irregularitas in aliquo caſu? Vt, verbi gratia, quouſque priuet facultate *Ordinum ſacrorum*, vel recipiendorum, vel vtendorum, vtrum ſcilicet omnium, vel aliquorum tantùm?

Et dicendum eſt, reſpicere tunc oportere ad cauſſam, hoc eſt, ad defectum, propter quem Irregularitas tunc incurritur. Nam ſi defectus impedit tantummodo vſum ſeu executionem vnius vel aliquorum Ordinum determinatè; non eſt putandum, incurri tunc Irregularitatem quoad vſum cæterorum Ordinum. Exempli cauſſa: Si quo caſu Sacerdos priuetur oculo, B quem vocant Canonis, hoc eſt, *ſiniſtro*, aut digito ad celebrationem neceſſario, non ideo cenſendus eſſet irregularis quoad vſum etiam audiendi Confeſſiones, aut concionandi, &c.

Si verò defectus non magis huius quàm illius Ordinis facultati obſtet, ſed inducat abſolutè inhabilitatem quandam & indecentiam in perſona ad miniſteria ſacra obeunda (cuiuſmodi eſſet, verbi gratia, horribilis morbus aliquis) tunc quidem Irregularitas ob eum defectum incurreretur, quæ priuaret abſolutè *omni* facultate ſuſcipiendi vel exercendi ſacros Ordines: quoniam tunc non eſſet ratio, cur incurreretur quoad vnum Ordinem, & non quoad alium. Qui autem ſint huiuſmodi defectus, & quàm latè pateant, ſeq. puncto explicabitur.

POSTREMO illud generatim circa Irregularitatem notandum eſt, impedimentum hoc Irregularitatis eam vim habere, vt qui illud violat, peccet ex omnium ſententia mortaliter: non tamen ideo incurreret talis nouam Irregularitatem, vt bene etiam notat in dicto capite vigeſimo ſeptimo, Nauarrus, numero centeſimo nonageſimo quarto.

PVNCTVM TERTIVM.

De Speciebus Irregularitatis in particulari. Et primùm de PRIMA Specie, quæ oritur ex defectu Sacramenti.

NOMINE huius Irregularitatis cõmuniter intelligitur ea, quæ oritur ex Bigamia. Quæ Irregularitas extat toto titulo, Extra de bigamis non ordinandis. Eſt autem BIGAMIA ſtatus coniugati cum duabus Coniugibus, ſiue ante Baptiſmum, ſiue poſt Baptiſmum ductis, vt patet ex Can. *Acutius*. 26. d. & notat Nauarrus, capite vigeſimo ſeptimo, numero centeſimo nonageſimo quinto. Et dicitur Irregularitas hæc oriri ex defectu *Sacramenti*, quia

bigamus non potest sufficienter repræsentare vnitatem Matrimonij mystici, quod esse dicitur inter Christum & Ecclesiam, tanquam inter vnum & vnam. Cap.*Debitum*. Extra de bigamis non ordin.

Porrò Bigamia TRIPLEX est in proposito, vt Glossa, & communiter Doctores tradũt in Cap. *Super eo*, de bigamis, & nominatim Nauarrus loco citato docet. Vera, Interpretatiua, & Similitudinaria. *Vera*, est eius, qui contraxit cum duabus Matrimonium, & consummauit; siue alteram, siue vtramque ante Baptismum, vel post Baptismum habuerit. Cap. *Debitum*, de bigamis.

Interpretatiua est, quam incurrit is, qui *censetur* habuisse duas vxores propterea, quòd etsi contrahat cum vna sola, nempe cum vidua, vel cum corrupta ab alio, vel cum Virgine quidem quam cognoscat post adulterium à se commissum; tamen omnibus his modis redditur ineptus ad commodè significandum Matrimonium illud purissimum, quod mysticè intercedit Christo cũ Ecclesia. Can. *Maritũ*. 33. d. Can. *Si cuius*. 34. d. Talis etiam habetur (vt notat Nauarrus) is, qui cum vna validè contrahit, cum altera inualidè, aut cum duabus inualidè, ob aliquod impedimentum; aut validè cum vna, alterâ mortua, hoc est, qui contrahit ipse viduus.

Similitudinaria est, quam incurrit is, qui Ordine sacro insignitus, aut etiam Voto solenni Religionis adstrictus, cum aliqua etiam vna inualidè contrahit & consummat, licet illa sit Virgo. Cap. *Anobis*, de bigamis. Can. *Quotquot*. 27. q. 1. Hanc tamen Irregularitatem non incurrit Laicus contrahens cum vidua vel corrupta inualidè propter aliquod impedimentum. Id quod in Pœnitentiaria Romana conclusum fuisse testatur Nauarrus vbi suprà n. 195. Deinde neque fit irregularis huius Speciei is, qui habet multas concubinas sine matrimonio de iure aut de facto contracto (hoc est, validè vel inualidè) etiãsi habeat illas coniugatus alioqui cum vna sola, quæ fuerit Virgo. Ita colligitur ex Cap. *Quia*, de bigamis. Item neque qui contrahit matrimonium cum Virgine quæ fuerit alteri desponsata tantum. Can. *Valentino*. 34. d.

Porrò ab omni eiusmodi Irregularitate potest Pontifex per *dispensationem* liberare, bigamumque habilem reddere ad Ordines. Nam vt aliæ omnes Irregularitates, ita etiam Irregularitas huius Speciei, est à solo Iure humano introducta, vt probat rectè Couarruuias in Clementina, *Si furiosus*, parte prima, initio, numero secundo. In iure autem humano plenissimè potest Pontifex dispensare. Quanquam vt notat Nauarrus numero cẽtesimo nonagesimo septimo. in *Vera* bigamia non soleat ille, neque etiam possit sine magna caussa potestate ordinaria dispensare. In *Interpretatiua* verò & *similitudinaria* facilius id facere solet.

Episcopus item dispensare potest in Similitudinaria, si fœmina fuit Virgo, vt colligitur ex Cap. *De diacono*. Extra qui Clerici vel Vouentes matrimonium contrahere possint. Putat quoq; Nauarrus numero centesimo nonagesimo septimo, non esse improbabilem quorundam opinionem, qui censuerunt, Episcopum posse dispensare etiam in Vera & Interpretatiua, quod attinet quidem ad *vsum* Ordinum sacrorũ iam susceptorum; non autem quoad Ordines de nouo suscipiendos, ne Minores quidem.

De SECVNDA *Specie Irregularitatis ex defectu corporali.*

QVINQVE defectus ad corpus pertinentes numerantur, propter quos hæc Irregularitas incurritur. PRIMVS est defectus *natalium*, quo nomine intelligitur omnis illegitimitas, etiamsi occulta sit. Cap. *Vt filij*. Et Cap. *Nimis*. Extra, de filiis presbyterorum ordinandis vel non. In hoc autem defectus genere solus Papa Iure communi dispensat ad Ordinem sacrum, dignitatem, & beneficium curatum. Ad Minores autem Ordines & vnum beneficium simplex, etiã Episcopus. Vtrumque habetur in Cap. *Is qui defectum*, de filiis presbyterorum, & aliis illegitimè natis, libro sexto. Item Professio in aliqua Religione reddit illegitimũ habilem ad omnes Ordines, in dicto Cap. *Vt filij*; non tamen vt possit talis fieri Prælatus. Ita quoque docet post alios Nauarrus, capite vigesimo septimo, numero ducentesimo primo.

SECVNDVS defectus est alicuius *membri*. Qui defectus duobus modis potest contingere. *Primò* ex culpa, propria, siue quòd quis se ipsum priuet, siue quòd caussa sit, vt ab alio vel iustè vel iniustè membro aliquo aut eius parte, priuetur. Et tũc semper incurritur Irregularitas, licet membrum esset occultum, & facultatem vtendi Ordinibus non impediret. Can. *Si quis absciderit*, & seq. 55. d. & Can. *Qui partem*, eadem d. Ita tradunt Couarruuias in Clemẽtina, *Si furiosus*, parte prima, initio, numero sexto, & Nauarrus, capite vigesimo septimo, numero centesimo nonagesimo octauo, & alij. Notat tamen Nauarrus post alios, eum, qui per indignationem & impatientiam se priuat aliquo membro, minimè impediente vsum Ordinum, non fieri irregularem, nisi id fecerit *notoriè*; & tunc quidem Irregularem fieri non quia tali membro careat; sed propter *notorietatem* eius delicti, quod in ea re commisit. Id quod etiam admittit Couarruuias loco citato, numero sexto.

Secũdò potest defectus membri alicuius contingere sine vlla culpa propria. Et tunc oportet distinguere. Nam vel ille defectus *impedit* vsum Ordinum, aut notabilem *deformitatem* in illorũ vsu efficit; vel nihil horum facit; Id quod decerni oportere Iudicio Episcopi, censet post alios

Nauarrus

Nauarrus, cap. 27. num. 200. Si *impedit*, aut inducit *deformitatem*; incurritur Irregularitas: Si neutrum horum facit, minimè. Can. *Si quis à medicis*, & Can. *Si quis in infirmitate*, & Can. *Eunuchus*. 55. d. Quod etiam tradunt Couarruuias, & Nauarrus locis citatis, & communiter alij.

Atq; hinc sequitur, irregularem eum esse, qui caret aliquo oculo; idq; propter deformitatem Can. *Si Euangelica*. 55. d. Non erit autem irregularis aliquis, propterea, quòd careat tantummodo visu alterius oculi, nisi is oculus sit sinister, quem vocãt Canonis: quia tum videlicet nequit aliquis absq; deformitate Canonem inter celebrandum legere, cùm necesse sit tunc nimium in alteram partem verti, vt oculo dextro prospicere possit. Quanquam si fortè absq; eiusmodi deformitate, & nimia auersione respectare possit, nõ erit irregularis, vt bene notat Nauarrus num. 199.

Sunt autem hîc circa defectum corporalem adhuc duo notanda. Primò, defectum eum alicuius membri, qui efficit irregularem respectu inferioris Ordinis, consequenter etiam efficere irregularem respectu superioris, cùm non possit superior Ordo sine inferiori suscipi: Sed non è contrario. Secundò, non esse opus, circumgestare membrum abscissum in executione Ordinum, vt vulgus existimat, de quo errore in hac re monet Nauarrus num. 200. In hac Irregularitate solus Pontifex *dispensat*, vt ex communiori sententia tradit Couarruias loco citato, num. 7. & Nauarrus num. 200.

TERTIVS defectus est *ætatis*, qui quidem irregularem facit tamdiu, dum ipse durat: vt per se notum est. Quare eo cessante, cessat etiam Irregularitas sine vlla dispensatione, vt notat Couarruuias vbi supra nu. 4. Secus verò, si quis contra huiusmodi Irregularitatem dolosè fecisset, dum illa durabat, suscipiendo videlicet scienter & dolosè ante legitimam ætatem Ordines. Nam tunc incurrit ipso Iure *suspensionem* à talibus ordinibus, & consequenter Irregularitatem Papæ reseruatam, si in ea suspensione ordines illos exerceat: Idq; per quãdam Extrauagantem Pij II. quam ex aliis memorat ad hoc propositum Couarruuias loco citato. & Nauarrus cap. 27. n. 155. Si autem promotus ante ætatem non exercuerit ante illã susceptos ordines; illa adueniente exercere illos poterit absq; aliqua quidem dispensatione ab Irregularitate, vt notat idem Couarruuias. Indigebit autẽ absolutione à prædicta censura Suspensionis. Si quis autẽ bona fide & simplicitate sine dolo faceret contra illam Extrauagantem Pij II. non incurreret illam censuram Suspensionis, vel Irregularitatem; vt rectè probat Nauarrus vbi suprà.

Quæ verò ætas requiratur ad susceptionem Ordinum, tradetur disp. 9. de Sacramento Ordinis.

In hac etiam Irregularitate dum durat Iure communi solus Papa *dispensat* etiam cum Religiosis, vt docet Nauarrus num. 202. & confirmatur ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 12. de Reformatione.

QVARTVS defectus est *valetudinis*. Quo nomine intelliguntur varij morbi, impedientes executionem Ordinum, aut notabilem deformitatem inducentes. Cuius generis est inprimis *lepra*, quæ quidem nõ solùm impedit susceptionem Ordinum, sed etiam vsum susceptorũ. Cap. *de Rectoribus*. Extra de Clerico ægroto ministrãte. Atq; idem de aliis eiusmodi corporis infirmitatibus est dicendum, saltem quod attinet ad illos actus Ordinum, in quibus morbi deformitas obstat, & scandalum parit, vt patet ex dicto cap.

Talis est etiam morbus *caducus*, qui adeò facit irregularẽ, vt qui vel semel eo laborauit, nõ possit ordinari, quantumuis sanus videatur. Quòd si iam ordinatus erat; si spumas quidem in eo morbo ore reiiciat, celebrare non potest. Si verò non vsque adeò eo morbo laboret, vt etiam spumas reiiciat, potest quidem celebrare, sed adiuncto socio, qui Sacrificium perficiat, si fortè ille non posset. Quæ omnia bene ex Iure confirmat Nauarrus num. 203.

De *energumenis*, seu *obsessis* idem dicendum. Item etiam de illo, qui vinum non potest bibere, quin euomat, notandum est ita esse irregularem, vt ne Pontifex quidẽ possit cum eo dispensare: nisi fortè quorundam opinio censeatur nõ omnino improbabilis, qui putant, eiusmodi authoritate præditum esse Pontificem, vt in aliquo casu declarare valeat, posse sumi Sacramentum etiam ab eo, qui celebrat, in altera tantùm specie. Quam tamen opinionem ipse falsam omnino esse censeo.

Potest tamen, qui huiusmodi defectu ex horrore vini laborat, promoueri ad Ordines Minores, vt sentit Nauarrus num. 204. In hac etiam Irregularitate, quæ ex hoc quarto defectu, nempe valetudinis, oritur, solus Pontifex *dispensat*, vt idem Nauarrus notat, num. 202. & 203.

QVINTVS defectus est *libertatis*. Quo nomine comprehenditur defectus seruorum, sic, vt isti sine facultate Dominorum ordinari nõ possint. Quod si eum illa ordinentur, eo ipso fiunt liberi. Si autem sine illa, serui nihilominus manent, si quidem susceperunt absq; facultate tantùm Ordines Minores: si verò susceperũt etiam Maiores, hoc est, Diaconatum aut Subdiaconatum, quamuis serui maneant, liberare tamen se possunt dato alio seruo, aut reddito iusto sui precio. Si autem Sacerdotio etiam initiati absque facultate sunt, facilius liberari possũt, nempe dato suo peculio, aut alia ratione se redimendo. De quo vide Nauarrum numero ducentesimo tertio.

POSTREMO

POSTREMO circa hanc Speciem Irregularitatis notandum est, INFAMIAM (quæ quodammodo ad ignominiam seruitutis reuocari potest) facere etiam irregularē. Et quidē si infamia sit, vt vocāt, *Iuris*, cùm scilicet aliquis in publico Iudicio infamatus est; solus Pontifex in ea Irregularitate dispensat. Si verò sit infamia orta solùm ex *facto*, vt ex crimine graui & notorio, etiā Episcopus. Ac potest item huiusmodi Irregularitas, sicut & ipsa infamia, deleri vitæ emendatione. Quæ omnia rectè probat Nauarrus num. 204. Potest autem ad Infamiam reuocari officium histrionum & similium qui publicè exercent ludicra. Quos etiam esse Irregulares constat ex Can. *Aliquantos*. 51.d. iuncta Glossa.

De TERTIA *Specie Irregularitatis ex defectu Animæ.*

PRIMVS huius generis defectus in proposito est defectus *Scientiæ* ad vsum Ordinū necessariæ. Can. *Illiteratos*. 36.d. Qui defectus tamdiu irregularem facit, dum ipse durat. Et quidē Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. de Reformatione videtur irregularem facere etiam ad primam Tonsuram eum, qui nescit legere & scribere. Et ad reliquos Minores Ordines eum, qui saltem Latinam linguam non intelligit. In Irregularitate, quæ oritur ex hoc defectu, raro aut nūquam directè dispensat Pontifex; sed *indirectè* aliquando, dispēsando videlicet super *ætate*. Cùm autem huiusmodi dispensatio fit, minimè tunc est intelligēdum, licere exercere susceptum Ordinem, antequam ad id tibi comparaueris necessariam scientiam. Id enim esset per se malum.

SECVNDVS defectus est *Iudicij*: in quo si continuus sit, ne Pontifex quidem potest dispensare, vt patet.

TERTIVS est *Fidei*: vbi comprehenduntur etiam non baptizati, quantumuis alioqui Fidem haberent: sicut Catechumeni. Cap. *Si quis presbyter*, & Cap. *Veniens*. Extra de presbytero non baptizato. Character enim Ordinis præsupponit Characterem Baptismi. Item hìc comprehenduntur maximè hæretici, & fautores hæreticorum. Cap. *Quicunque hæreticos*, de hæreticis lib. 6. & can. 2.1.q.7. Item filij eorum hæreticorum, qui tales excesserunt è vita; idq; vsque ad secundam generationem per lineam masculinam, & vsque ad primam per fœmininam. Cap. *Statutum* 2. de hæreticis, lib. 6. Item Sarraceni, Iudęi, Pagani, atque etiam Neophyti recenter conuersi, aut baptizati. Can. *Quoniam multa*, (ex Concilio Nizæno) & Can. *Sicut Neophytus* (ex Gregorio) 48. d. Cessat aūt hæc Irregularitas in Neophyto, quādo per tempus aliquod ita in fide & religione laudabiliter se gesserit, vt iudicio Episcopi queat censeri veteranus Christianus: sicut notat Couarruuias in Clem. *Si furiosus*. p.1.§.2.n.7. Atq; in hac irregularitate solus Papa dispensat, quatenus quidem in ea dispensari potest, vt post alios notat Nauarrus, cap. 27. num. 205.

De QVARTA *Specie Irregularitatis, ex defectu perfectæ lenitatis.*

QVARTA species est ea, quæ nascitur ex defectu *perfectæ lenitatis*, propterea sic appellata, quoniam is, qui habet eum defectum non censetur satis commodè posse in Ecclesiastico ministerio repræsentare summā lenitatem ac mansuetudinem Christi. Consistit autē hic defectus in *deformatione*, hoc est, in priuatione *formæ* (siue totali, vt est occisio hominis; siue partiali, vt est abscisio alicuius membri humani, atque adeò deformatio humanæ figuræ) in casu licito administrationis siue exequutionis duntaxat *publicæ Iustitiæ*; iuxta ea, quæ de hac Irregularitate ex probabiliore sententia Couarruuiæ, & aliorum, disseruimus tomo 3. disp. 3. q. 16. p. 4.

Etenim textus Iuris, qui ad asserendam hanc speciem Irregularitatis citari solent, tantū procedūt in casu administrationis, siue exequutionis *Iustitiæ publicæ*. Vt Cap. *Clericis*, & Cap. *Sententiam*, Extra ne Clerici vel Monachi. Et Can. *Aliquātos*. 51.d. quatenus in eo Can. agitur de iis, *qui in forensi exercitatione versati sunt*, & de iis, qui in *militia, cùm potestatibus* (vt ibi dicitur) *obedierunt, sæua necessariò præcepta exequuti sunt*, nimirum administrando Iustitiam ex mandato habentium potestatem, vel etiàm occidendo in ipso conflictu bellico; siquidem hoc milites *ordinarij* (quorum scilicet vitæ conditio & status non abhorret ab ea functione) faciunt tanquam ministri ordinarij *publicæ potestatis*, & Exequutores *Iustitiæ vindicatiuæ*; iuxta ea, quæ tradidimus tomo 3, disput. 3. q. 16. de Bello, p. 2. Clerici autem cùm in extraordinario casu licitè pugnant, censendi nō sunt tales ministri *ordinarij* Iustitiæ, quoad hunc effectum Irregularitatis. Vnde neq; illam incurrunt; vt probauimus tomo 3. in dicta q. 16. p. 4. Porrò in Cap. *Petitio tua*. Extra de Homicidio, non nisi de Clerico agitur, de quo dubium erat an in pugna quadā defensiua occidisset aliquēs illicitè nimirum, cùm ordinariè pugnare sit interdictū Clericis, & ideo debuerit ille Clericus inde se subtrahere; vt notat Sotus lib. 5. de Iust. quæst. 1. a. 8. ad 3. in simili casu, qui habetur Can. *Clericum*. 50.d. Deniq; in Clementina, *Si furiosus*, non excipiuntur quidem ab Irregularitate *quicunq; priuati* deformantes licitè; extra casum necessitatis tuendæ vitæ propriæ; at neque illis ibi vlla decernitur Irregularitas: neq; alibi vsquam; vt ostensum est. Non incurritur autem Irregularitas nisi in iure sit expressa: vt patet ex Cap. *Is qui*, de sent. Excom. lib. 6.

Itaque hunc, de quo nunc agimus, defectum, atque adeò hanc Irregularitatem solus ille incurrit, qui iam baptizatus hominem licitè deformat, aut caussam propinquam deformationis dat, in casu duntaxat administrationis siue executionis *Iustitiæ publicæ*: non autem in vllo alio casu deformationis *licitæ*. Quanquam fateor esse etiam probabile, quod Nauarrus cap. 27. n. 209. & multi contrà sentiunt, incurri hanc Irregularitatem ex omni licita deformatione extra casum infirmitatis, siue necessitatis ineuitabilis propriæ vitæ defendendæ.

Vt autem in variis CASIBVS particularibus possimus discernere, incurreritne aliquis huius speciei Irregularitatē, duo sunt animaduertenda. VNVM est ex parte OBIECTI actionis, ex qua nascitur hæc Irregularitas. Cū enim dicitur hæc Irregularitas nasci ex deformatione, per quam quis *membro* etiam aliquo priuet hominem; nomine *membri* intelligitur in proposito illa tantū pars, quæ morali modo loquendo, censetur habere distinctum per se officium in corpore humano; sicut bene ex communi opinione notat Nauarrus, cap. 27. num. 206. & probat fusè ac optimè Couarruuias in Clementina *Si furiosus*, initio, nu. 8. Quare digitus non esset censendus membrum in hoc proposito. Quam opinionem deniq; censeo esse probabiliorem quàm oppositam Caietani, & Soti, cuius meminimus tomo 3. disp. 5. q. 9. p. vnico.

ALTERVM, quod animaduerti debet, est ex parte ACTIONIS, per quam aliquis deformat occidēdo vel mutilando; vt nimirū illa sit Caussa *sufficiens & propinqua directè, & ex speciali intentione ordinata ad deformationem alicuius determinatæ personæ*. Erit autem caussa *sufficiens*, quando vel ex natura sua ordinata est ad deformationem, & potest ipsa eam inferre; vel dirigitur certè ex intentione ad deformationem, ita, vt eam inferat adiuta aliis causis.

Atq; ex his facilè diiudicari poterit, quando hanc Irregularitatem incurrant, vel non incurrant, qui bellis intersunt, & licet ipsi nō pugnēt, milites tamē ad pugnandum hortantur, vt nonnūquam Religiosi. Item qui extra bellum quoque Iustitiam publicam administrari procurāt, vel ad executionem eius aliquo modo iuuant, vt optimè hæc quidem in particulari persequitur Nauarrus num. 209. & sequentibus.

In hac Irregularitate solus Papa *dispensat*: quāquam facilius quidem hoc ille facit, quàm in sequenti Specie, quæ oritur ex deformatione illicita, vt notat Nauarrus n. 217. Et tamen per accidens fit, vt dispensatio in Irregularitate ex deformatione illicita facilius quandoq; obtineatur: quoniam in Concilio Tridentio sess. 14. ca. 7. de reformatione, Episcopis etiā concessum est, vt possint dispēsare super Irregularitate contracta ex homicidio cōmisso casu vel vim vi repellendo pro euitanda morte, vtiq; incautè & illicitè; cùm alioqui non sit opus dispensatione. Itē sess. 24. cap. 6. de reformatione fit iisdem Ordinariis potestas dispēsandi in Irregularitate quacunq; ex delicto occulto proueniente, excepto homicidio per se voluntario, vt postea dicemus.

De QVINTA *Specie Irregularitatis ob aliquod delictum.*

QVINTA Species Irregularitatis est ea, quæ est annexa certo alicui delicto ex quibusdam, quæ in hoc proposito enumerantur. Numerantur autem quinque huius generis delicta, vt videre est apud Nauarrum in Manual. cap. 27. num. 218. & seq. PRIMVM est, illicitè deformare aliquē. SECVNDVM, accipere aut exercere malè Ordines. TERTIVM, violare Censuras celebrando. QVARTVM, iterare Baptismum. QVINTVM, committere aliquod crimē notorium enorme. De quibus ordine aliquid dicendum.

Quod igitur ad PRIMVM delictum attinet, id in eo consistit, quòd aliquis ratione vtens & baptizatus, seipsum aut alium hominem *deformat* illicitè (occidendo vel mutilando, non autem debilitando tantummodo membrum) vel caussam propinquā illicitæ deformationis, aut eius anticipationis præbet; vt patet toto ferè titulo de Homicidio, lib. 5. Decretalium, & bene explicat Nauarrus num. 218. In qua descriptione eadem sunt obseruanda, tum ex parte OBIECTI, tum ex parte ACTIONIS, qua deformatio fit, quæ in quarta Specie Irregularitatis obseruanda esse monuimus. Hoc tamen excepto discrimine, quòd, vt aliquis incurrat Irregularitatem illius quartæ speciei, necesse est, vt diximus, actionem ordinari ad deformationem certæ & determinatæ personæ: vt autem incurrat Irregularitatem quintæ huius Speciei, non est hoc item necesse; sed sufficit etiam, si ordinetur ad deformationem illicitam *alicuius* vel *aliquorum* in genere, vt notat etiam Nauarrus. Ex eiusmodi autem vtroq; capite, quod tum ex parte *obiecti*, tum ex parte *actionis*, obseruandum dicimus, multi particulares Casus facilè diiudicari possunt, quos Nauarrus sparsim recitat, num. 220. & seq.

Occurrit autem hoc loco DVBIVM, Vtrum ex deformatione *merè casuali*, hoc est, quæ neque in se, neq; in sua caussa sit volita, cùm scilicet euentus non potuit moraliter præuideri, si ex opere *illicito* alioqui secuta sit, incurratur huius Speciei Irregularitas? Sunt autem hac de re duæ sententiæ. *Prima* est Syluestri Verbo Homicidium 3. regula 2. & Homicidium vlt. regula 6. & communiter Canonistarum, & Caietani 22. q. 64. artic. 8. & Conradi 1. 2. q. 73. art. 8. qui volunt, semper incurri Irregularitatem ex deformatione quantumcunq; casualiter secuta ex opere alioqui *illicito*. Probant: Quoniam quædam Capitula & Decreta Iuris, præsertim, Extra de Homicidio, ita sonant. Et alia excusant aliquos ab hac Irregularitate ea ratione, quòd deformitas consecuta sit ex opere alioqui non illicito; sed licito.

Ergo (infert Sylueſter) ſi ſecuta ſit ex opere illicito, non excuſabitur aliquis ab Irregularitate.

Secunda ſententia eſt, non omnem deformationem caſualem ex opere illicito ſecutam, inducere hanc Irregularitatem; ſed illam tantùm, quæ in ſua cauſſa ſit voluntaria, quia ſcilicet ſequatur ex eiuſmodi opere illicito, quod ſit ex ſe periculoſum & ordinatum ad inferendam deformationem. Ita tradunt communiter Theologi, ac nominatim Alfonſus à Caſtro lib. 2. de lege pœnali, cap. 14. & Sotus lib. 5. de Iuſtitia & Iure q. 1. art. 9. Et ex Canoniſtis Couarruuias in Clementina *Si furioſus.* parte 2. §. 4. n. 9. & 10. Et alij multi ab eo citati. Atque hæc ſententia eſt verior, vt probaui tomo 3. diſp. 6. q. 3. p. 3.

Ratio huius ſententiæ eſt: Quoniam vt quis incurrat hanc Irregularitatem, neceſſe eſt, vt deformatio ſit voluntaria, imò vt quis peccet propriè peccato deformationis. Vt autem deformatio ſit voluntaria, ac peccetur hoc peccato, neceſſe eſt, vt ſaltè in cauſſa velit quis deformationem; alioqui nullo modo ea erit voluntaria, vel peccatum propriè deformationis, licet poſſit quidem tunc eſſe alterius generis peccatum in deformationis cauſſa, quando illa fuit opus aliquod illicitum.

Ad argumentum autem Sylueſtri & aliorum reſpondemus, Canones illos intelligi debere de opere alioqui illicito, & *ex ſe periculoſo*, hoc eſt, ex quo moraliter loquendo, ſæpe ſoleat ſequi deformatio; vt eſt vſus torneamẽtorũ, & ſimilium ludorũ. Cùm enim deformatio ſequitur ex tali opere periculoſo, ſemper illa cenſeri poteſt fuiſſe volita in ſua cauſſa: nã potuit & debuit præuideri. Itaq; cùm illi Canones excuſant aliquos ab Irregularitate, propterea quòd deformatio non eſſet ſecuta ex tali opere illicito, nempe etiã periculoſo; non licet à contrario ſenſu inde inferre, niſi quòd ſemper incurretur Irregularitas, quando ſequetur deformatio ſimiliter ex talibus operibus illicitis & periculoſis. Id quod concedimus cum Soto vbi ſuprà, & cum aliis Theologis.

Opus autem, quod in ſpecie ſua conſideratũ, & attentis particularibus circumſtantiis, non eſt ita periculoſum; etſi aliâs ex ſuo quidem genere præcisè ad deformationem ordinatum ſit, minimè quidem eſt tale, vt oporteat deformationem eſſe volitam in cauſſa, quandocunq; ſequitur ex eiuſmodi opere: quoniam non propterea potuit & debuit moraliter præuideri euẽtus deformationis.

Dubium autem eſt, An ſi deformatio caſualis venialiter tantũ fuerit volita in cauſſa (quia ſcilicet aliqua diligentia ad illam præcauẽdam fuerit adhibita ſed nõ ſufficiens, &c.) inducat hãc Irregularitatem. Caietanus namque loco citato ita videtur exiſtimare. Sed probabilius Sotus cenſet lib. 5. q. 1. art. 9. vix eſſe hoc credibile: cùm Irregularitas magnum quoddam ſit malum. Itaq; non eſt putandum, eam Irregularitatis ſpeciem quæ ex delicto contrahitur (vt hæc de qua agimus) incurri propter peccatũ duntaxat veniale: vt rectè etiam aſſeruit Nauarrus, cap. 27. n. 249. ſub finem.

Porrò, in hac Irregularitate ſolus Pontifex *diſpenſare* poteſt: niſi q̃ in homicidio illicito per ſe volito & notorio, vix vnquam diſpenſare ſolet. Epiſcopis autem ſit facultas diſpenſandi ſuper homicidio illicito in duobus Caſibus, in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. de Reformatione. PRIMVS caſus eſt, ſi nõ fuerit inſidioſum, aut de induſtria volitum & in ſe, ſed quaſi *caſuale*, ita tamen, vt quis potuerit alioqui moraliter præuidere, mortem eſſe ſecuturam. Nam ſi non potuit hoc præuidere, nõ eſt irregularis, vt cum Soto & Couarruuia & aliis diximus. SECVNDVS Caſus eſt, ſi accidat homicidium ob *defenſionem propriæ vitæ*. Quod intellige, etiamſi alia ratione potuiſſet quis vitam tueri, vt fugiendo, &c. Nam ſi aliter non potuiſſet, non eſt irregularis huius Speciei. Licitè enim tunc occideret, vtpote cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sed neque vllam aliam in tali caſu incurreret Irregularitatem, vt eſt manifeſtè declaratum in Clementina *Si furioſus*, de Homicidio. Itaque non eſſet opus tunc vlla diſpenſatione. Concilium autem loquitur de eo qui ſe defendendo, ita occidit, vt contrahat Irregularitatem, & indigeat diſpenſatione, ac proinde de eo qui illicitè tunc occidit, ſine moderamine videlicet inculpatæ tutelæ, vt dixi, cum eo enim moderamine nulla incurritur irregularitas.

SECVNDVM delictum, ex quo huius quintæ Speciei Irregularitas oritur, eſt malè ſuſcipere aut exercere Ordines. Quod ex triplici capite poteſt contingere. Primò, ex parte ipſius perſonæ ſuſcipientis. Secundò, ex parte conferentis. Tertiò, ex modo conferendi.

Ex parte SVSCIPIENTIS, cùm ſciens aut ſcire debens, ſe eſſe excommunicatum excommunicatione maiore, interdictum, aut ſuſpenſum, ordinatur. Cap. *Cùm illorum.* Extra de ſententia Excommunicationis. Ac notat Nauarrus num. 241. Excommunicationem minorem ſufficere quidem ad peccandum, ſi in ea quis ordinetur; ſed non ad hanc Irregularitatem incurrendam. Item ignorantiam craſſam (qualis eſſet eius qui ſub pœna Excommunicationis ad certum diem citatus non compareret eo die, & poſtea tamen neſciret, ſe eſſe excommunicatum) non excuſare. *Diſpenſat* autem in hac Irregularitate etiam Epiſcopus, quando id peccatũ ſuſcipientis malè Ordines fuit occultum, iuxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform.

Ex parte autẽ CONFERENTIS ordines contingit id peccatum, cùm quis ordinatur ab Epiſcopo excommunicato, interdicto, ſuſpenſo, ſchiſmatico, hæretico, depoſito, degradato; modò ſit talis denunciatus, & quis non cogatur iuſto timore

ſto timore ab eo ordinari, vt notat Nauarrus numero 241. Characterem tamen ſuſciperet quis nihilominus à tali. Item committit hoc peccatum ex parte conferentis is, qui ordinatur ab Epiſcopo, qui ſe abdicauit Epiſcopatu quoad locum & quoad dignitatem. Cap. *Requiſiuit.* Extra de Ordinatis ab Epiſcopo qui renunciauit. In Irregularitate verò contracta ex hoc capite *diſpenſat* Epiſcopus cum eo, qui denũciationem Epiſcopi ordinãtis quomodocunq; ignorauit, vt probat Nauarrus num. 241. Et etiam quandocunq; delicta hæc ſunt occulta, per Concil. Trid. vbi ſuprà.

Iam verò ex parte MODI conferendi & ſuſcipiendi Ordines, id peccatum committit *primò*, qui vno eodemque die ſuſcipit à conferente ſibi quatuor Minores cum aliquo Maiore, aut duos Maiores ſimul. Cap. 2. de eo, qui furtim ordinationem ſuſcepit. Vbi tamen conſuetudo locum habere & excuſare poteſt, iuxta Antoninũ 3. parte, tit. 14. cap. 16. §. 16. Epiſcopus item poteſt concedere vſum Ordinum ſic ſuſceptorum, vt notat loco citato Nauarrus ex dicto ca. 2. de eo qui furtim, &c.

Secundò, qui ordinatur per ſaltum, accipiendo Maiorem Ordinem ante Minorem. Epiſcopus tamẽ poteſt concedere vſum aliorum prius ſuſceptorum. Poteſt etiam diſpenſare, vt prætermiſſum ſuſcipiat, & eo atque altero Maiore iam accepto vtatur. Sed ſi prius, quàm diſpenſetur, vſus fuerit accepto aut prætermiſſo, ſolus Pontifex tunc diſpenſat ad Maiorem Ordinem ſuſcipiendum: Epiſcopus verò tantùm ad vtendũ accepto. Quæ omnia ex Iure confirmat Nauarrus num. 242.

Tertiò, qui antè legitimam ætatem ordinatur, vel extra tempora, vel ſine literis Dimiſſoriis, nõ eſt hoc ipſo quidem per ſe irregularis, ſed tantùm *ſuſpenſus*; ſit tamen per accidens irregularis, ſi antequam à Suſpenſione abſoluatur, acceptũ Ordinem exerceat, vt ibidem notat Nauarrus: per Extrauagantem quandam Pij II. cuius ſuprà fecimus mentionẽ, cùm ageremus de 2. Specie Irregularitatis.

Quartò, committit id peccatum, & incurrit Irregularitatem, qui Ordine, quem non habet, vtitur. Cap. 1. de Clerico non ordinato Miniſtrãte: Si tamen ſeriò, & nõ ioco, vtatur, & tanquam ordinatus; non autem ſi eo modo quo Laicus ex conſuetudine interdum exercet officia Minorũ Ordinum: tunc enim nulla Irregularitas incurretur, vt poſt Antoninũ 3. parte, tit. 28. cap. 1. initio, notat Nauarrus num. 242.

TERTIVM delictum, ex quo Irregularitas huius Speciei oritur, eſt violare Cenſuras Eccleſiaſticas, celebrando, aut exercendo actum alicuius Ordinis proprium, cap. 1. de Re iudicata, libro 6. Hoc delictum committit, qui excommunicatus excommunicatione *maiori*, ſuſpenſus, aut interdictus, ſciens vel ſcire debens, eiuſmodi aliqua Cenſura ſe eſſe irretitum, exercet actũ alicuius Ordinis tanquam ordinatus tali Ordine, hoc eſt, ſolenniter & quaſi ex officio, aut ſi celebrat, vel coram ſe facit celebrare, authoritatem ad eam rem præbẽdo. Ita communiter Doctores in Cap. 1. de Clerico excommunicato miniſtrante. In hac Irregularitate ſolus Pontifex *diſpenſat*, vt tenent omnes in Cap. 1. de re iudicata lib. 6. Si tamen delictum hoc ſit occultum, Epiſcopus etiam diſpenſare poterit per Concilium Tridentinum, ſeſſ. 24. cap. 6. de Reformatione.

QVARTVM delictum eſt iterare Baptiſmum, quando videlicet aliquis permittit ſe iterum baptizari, Can. *Eos*, de Conſecratione, d. 4. vel baptizat aliquẽ, quem ſcit aut culpabiliter ignorat eſſe baptizatũ. Cap. Ex literarũ. Extra de Apoſtatis & reiterãtibus bapt. Excuſatur tamen ab hac Irregularitate quis per ignorantiam probabilem, vt aſſerit Nauarrus num. 246. & qui *ſub conditione* baptizat, vel baptizatur, propter dubium videlicet, vtrum baptizatus ſit, nec ne: ſiue illud dubium ſit probabile, ſiue non. Nam qui in tali dubio baptizat, vel baptizatur ſub conditione (ſi non eſt baptizatus) abſolutè quidem nõ vult iterare Baptiſmum, neque talem intentionem habet: quandoquidem ſolùm intendit baptizare aut baptizari caſu, quòd anteà non fuerat baptizatus, atque adeò ſine iteratione reuera vult baptizare vel baptizari. Quod autem Nauarrus num. 247. vult, ſimiliter incurri Irregularitatem ob iterationem Confirmationis & Ordinis, iam ſuprà p. 2. reiecimus.

QVINTVM delicti genus eſt *notorium* crimen. Cap. *Quæſitum.* Extra de Temporibus Ordin. Ad quod duo neceſſaria ſunt. Primum, vt ſit *enorme*, & *depoſitione dignum*, vt colligitur ex dicto cap. Secũdum, vt ſit publicum, ſicut rectè notat Nauarrus num. 248. cap. 27. & ca. etiam 25. num. 73. Alterutro horum, vel vtroque deficiente, non erit crimen notorium in propoſito, neque inducet Irregularitatem, vt idem Nauarrus in dicto num. 248. & 249. bene confirmat contra quoſdam, qui ſine fundamento putauerunt, incurri Irregularitatem per crimen Sodomiæ, quãtumuis fuerit occultum.

Eſſet autẽ ipſo iure ſuſpenſus ab adminiſtratione Ordinis Clericus Sodomita occultus, iuxta communem Canoniſtarum opinionem quã memorat & ſequitur Couarruuias in Clementina *Si furioſus*, parte 1. §. 1. num. 6. Et conſequenter Irregularis ſi ante abſolutionem à tali cenſura Suſpenſionis exerceret ordinem, iuxta prædicta circa tertium delictum ex quo Irregularitas oritur.

Sed Nauarrus in dicto num. 248. non immeritò hac in parte Couarruuiæ & opinioni illi Canoniſtarum refragatur, cùm ipſe etiam Couarruuias loco citato fateatur nullum extare ea de re textũ Iuris expreſſum; & Odia ſint reſtringenda. Et accedit quod ex Cap. *Is qui*, de ſentent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

excommunicationis lib.6. manifestè constat nō incurri Irregularitatem vllam nisi sit in Iure expressa. Hoc ipso autem quod de tali suspensione Sodomitæ occulti nullus extat Iuris textus, nullus etiam extat de Irregularitate illa ab eo incurrenda tanquam à violante censuram suspensionis, si Ordinē administret. Supponunt tamen omnino rectè hi Doctores, incurri Irregularitatem ob crimen Sodomiæ, si sit *notorium*: cùm sine dubio sit crimen enorme, & depositione dignū.

Porrò tribus modis contingit in proposito, aliquod crimen esse publicum & NOTORIVM. *Primò*, quando quis est illud confessus apertè in Iudicio. *Secundò*, quando est lata sententia Iudicis super illo. *Tertiò*, quando ita de eo constat, vt nulla tergiuersatione celari possit, quale est peccatum publici concubinarij, ita viuentis cum concubina, sicut solet maritus cum vxore, aut quādo maior pars alicuius congregationis, quæ nimirum constet ex decem personis, scit crimē, vt rectè docet Nauarrus. cap.25. num.73. Præterea crimen DEPOSITIONE *dignū* est adulterium, & illo maiora: item concubinatus diu continuatus, stuprū Virginis, &c. vt docet idem auctor, cap.27. num.248.

Ad extremum tres ASSERTIONES & quasi Regulæ generales, circa vim & effectum Irregularitatis notandæ sunt ex Nauarro in dicto cap. 27. num.249. PRIMA. Irregularitas non inducit priuationem beneficij, quando illud prius fuit acquisitum. SECVNDA. Irregularitas præcedens collationem beneficij reddit ipsam nullam ipso Iure. TERTIA. Irregularitas illius vltimæ speciei, nempe ratione alicuius *delicti*, non incurritur, nisi quando delictum fuit mortale, vt probat ibi Nauarrus, & sensit etiam Sotus lib.5. de Iust. q.1. art.9. contra Caietanum, sicut antè vidimus.

Deniq; in Irregularitate ratione notorij criminis, si nata sit ex adulterio & minoribus delictis, *dispensat* Episcopus, Cap. *At si Clerici*. Extra de Iudiciis. In ea autem, quæ oritur ex maioribus, solus Papa ordinariè, vt docet Nauarrus num.250. Et hactenus quidem de Irregularitate.

PVNCTVM QVARTVM.
De reliquis tribus quasi Censuris.

DE aliis tribus quasi Censuris, nempe Degradatione, Depositione, & Cessatione à diuinis, postquam suprà p.1. declarauimus, in quo consistant, & quomodo inter se differant, solùm videntur esse hoc loco notanda tria. PRIMVM est, degradatum eo ipso priuari Clericorum priuilegiis, vt intelligi potest ex forma Degradationis, quam ponit Syluester Verbo *Degradatio*, num.1. De priuilegio tamen peculiari, quod habetur 17.q.4. Can. *Si quis suadēte Diabolo*. vt scilicet, qui Clericum percusserit, sit excommunicatus, notat Syluester ibi num.8. degradatum tantummodo verbaliter, adhuc eo priuilegio gaudere: Degradatum autem actualiter, nō item. *Actualiter* degradatum vocat eum, qui nō solùm verbis sed etiam cæremonia illa externa verborum & actionum, quam describit ibi nu.1. degradatus est; & iam iam tradendus aut traditus Brachio seculari.

SECVNDVM est, degradatum, & multò magis depositum, teneri nihilominus recitare Horas Canonicas, si erat in sacris cōstitutus, vt post alios definit Syluester loco citato num.10. Quoniam ab iis, quæ sunt oneris, non liberantur isti.

TERTIVM est, illum, qui violat *Cessationem* à diuinis, non idcirco incurrere Irregularitatem; siue illa Cessatio fuerit generalis, siue specialis. Ita rectè Syluester V. *Cessatio*, num. vlt. & Couarruuias in Cap. *Alma mater*, parte 2. §. 2. num.3. & Nauarrus cap.27. nu.188. Et ratio est. Quoniam nihil de hoc in Iure statutum est. Irregularitas autem non incurritur nisi de ea extet expressus textus Iuris, vt patet manifestè ex Cap. *Is qui*, de sententia excommunicationis, lib.6.

QVÆSTIO VIGESIMA.
De illo actu Clauium, qui exercetur per Ecclesiasticas Indulgentias.

Supplem. D. Thom. q. 25. 26. 27.

TRACTANT DE HOC ARGVMENTO SCHOLAE THEOLOGI in 4. Sent. dist. 20. & iuris Canonici Doctores in Decretalibus, tit. de pœnitentiis & remissionibus. ac nominatim inter Theologos videtur de materia hac rectè scripsisse Caietanus tomo 1. suorum opusculorum tract. 15. & 16. & Roffensis contra Lutherum a. 17. vsq; ad articulum 22. & Sotus in 4. d. 21. & Adrianus in 4. in materia de clauibus: Prolixissimè autem Antonius Cordubensis in libro suo de Indulgentiis. Nos, qua fieri poterit breuitate, quinq; punctis principalibus rem omnem complectemur. PRIMVM punctum erit; Quid sit propriè Indulgentia Ecclesiastica. SECVNDVM erit; Vtrum verè sit in Ecclesia auctoritas conferendi Ecclesiasticam Indulgentiam. TERTIVM; Quibusnam competat eiusmodi auctoritas, & quam latè illa pateat: vbi dicendum erit de differentia Indulgentiarum. QVARTVM; Quid requiratur ad legitimū eius auctoritatis vsum. QVINTVM; Quibusnam prosit Ecclesiastica Indulgentia, & quid necessarium sit, vt reuera prosit.

PVNCTVM PRIMVM.
Quid sit propriè Indulgentia Ecclesiastica.

D. Thom. art. 1. q. 25.

QVOD AD PRIMVM PVNCTVM attinet, plena descriptio Indulgētiæ Ecclesiasticæ, secūdùm ea quæ apud orthodoxos sunt certa, in primis est explicanda, vt ex ea ipsa facilius postea in puncto secūdo potestatē conferendi Indulgentiam aduersus hæreticos asseramus, quod est in hac quęstione pręcipuum. Ac initio quidem notandum est, *Indulgentia* nomē, non in malam partem, vt solet frequentius à latinæ linguæ auctoribus, sed in bonā, in hac materia vsurpari: nempe vt significat etiam condonationē quandam alicuius debiti. Qua ratione in S. Scriptura quoq; indulgere Deus peccatoribus dicitur, quoniam offensæ debitum eis remittit. Vt videre licet Iudith 8. Esaię 61. & 63. Atque eodē modo Patres bene Latini id vocabulū vsurpauerunt, scilicet Cyprianus in Epistola ad Iubaianum. D. Hieronymus in 4. caput Danielis. D. Augustinus in Psal. 101. concione 1. & alij. Quo quidem sensu idem significat Indulgentia, quod relaxatio seu condonatio, seu venia; nam & ista omnia vocabula vsu Ecclesiastico pro eodem in hac materia vsurpari solent.

SECVNDVM hanc igitur nominis significationem, licet alij Doctores aliis verbis Indulgētiam Ecclesiasticam describāt; tamen, q̄ ad rem ipsā attinet, oēs qui rectè & orthodoxè sentiunt, in hac plena descriptione conueniunt. INDVLGENTIA *Ecclesiastica est relaxatio pœnæ temporalis, A iudicio diuino peccatis actualibus post remissam culpam debitæ, per applicationem superabundantium Christi & Sanctorum satisfactionum, facta extra Sacramentum ab eo, qui legitimam ad hoc auctoritatem habet.* Huius autem descriptionis particulæ, atq; adeò hæc omnis ratio Indulgentiæ Ecclesiasticæ facilè intelligi potest ex iis, quæ tanquam certa aliàs ponunt & confirmant orthodoxi.

PONVNT enim primò, cùm peccatum quoad culpam quidem remittitur, atque etiam quoad æternam pœnam, nō semper idem remitti quoad totam pœnam temporalem, quinimmò manere quandoque reatum alicuius pœnæ temporalis iudicio diuino, quæ vel in hac, vel in altera vita exsoluenda sit, nisi aliter remittatur, nempe B per Indulgentiam, vt dicemus. Quam assertionē fusè aduersus hæreticos confirmaui tomo 2. disput. 6. q. 17. p. 5. & patet ex S. Script. Genes. 3. versu 17. Exod. 32. versu 34. & 35. Num. 12. v. 14. & 15. Num. 14. v. 22. 2. Reg. 12. v. 14. 2. Reg. vlt. v. 13. Micheæ 7. v. 8. & 9. 1. Cor. 5. v. 5. 1. Cor. 11. v. 30. Eandēque assertionem docēt sancti Patres: Vt Cyprianus serm. 5. de lapsis. Ambrosius ad Virginē lapsam, cap. 8. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, & in epist. ad Rusticum. Augustinus in Enchiridio capite 66. & homil. 50. & lib. 22. contra Faustum, cap. 67. & Tract. 124. in Ioan. Gregorius homilia trigesima quarta in Euangelia. Leo epistola 91. Chrysostomus libro 3. de sacerdotio. Origenes homil. 8. in Leuiticum, & alij.

SECVNDO ponunt Orthodoxi, omnem quidem remissionẽ peccati, atq; adeò etiam quoad pœnæ cuiuscunq: reatum, fieri cum primis virtute & beneficio passionis Christi, vt patet cùm aliis S. Scripturæ locis, tum præsertim Esaiæ 53. Act. 4. ad Rom. 3. ad Ephes. 1. ad Hebr. 9. vbi Christus *semel oblatus* dicitur, *ad multorum exhauriendapeccata*, & 1. Ioan. 2. vbi Ioannes ait: *Ipsum esse propitiationem pro peccatis nostris, nõ solùm autem nostris, sed etiam totius mundi.*

CAETERVM quoniam constat, Christi passionem non sine medio aliquo hominibus applicari & prodesse; asserũt etiam orthodoxi, remissionem illam peccati, quoad reatum temporalis pœnę, per media etiam quędam hominibus, beneficio passionis Christi, contingere. Neq; verò solam fidem esse medium quo fructus iste Christi passionis & alij ad homines deriuentur; sed alia præterea media diuinitus ad eam rem instituta esse, vt in multis locis aduersus hæreticos Catholici conuincunt. Itaq; in proposito dicũt, fructum Christi passionis, quoad pœnæ temporalis remissionem, prouenire tanquam per media quædam, aut per satisfactionem propriam; siue ea vltro suscepta sit, siue in Sacramento pœnitentiæ potestate clauium imposita; aut per satisfactionem alienam, cùm scilicet vnum Ecclesiæ membrũ alteri communione quadam charitatis, tanquam eiusdem corporis membro satisfactionem suam accommodat; aut certè per cruciatum in purgatorio.

QVAE quidem omnia, quemadmodum saluo officio Christi redemptionis & absq; vlla illius iniuria consistere possint, fusè declarauimus tomo 2. disp. 6. q. 17. p. 5. Eatenus enim ista omnia media ad eum effectum valent, quatenus Christi satisfactione & merito innituntur. Itaq; impudẽs valde Kemnitij calumnia est, quòd in Examine, sess. 25. Concil. Trid. cùm aduersus Indulgentias disputat, scripserit, nos existimare, Christũ pro sola remissione peccati quoad culpam, non etiã quoad pœnam satisfeciisse. Quod apertum mendacium est: Nam nos non modò Christum pro remissione etiam cuiuscunq; pœnæ satisfeciisse confitemur, verùm etiam suo quidẽ modo, hoc est tanquam redemptorem (qui scilicet misericordiam sui æterni Patris ad nos inprimis inclinauerit, ac meritorum suorum vi flexerit) *sõlum ipsum* pro ea remissione, & aliis omnibus donis spiritualibus, quæ beneficio redemptionis nobis conferuntur, satisfeciisse docemus, id quod suprà disp. 1. q. 22. p. 1. de officio proprio Christi Redemptoris à nobis explicatum est.

TERTIO ponunt orthodoxi, satisfactionem aliorum Ecclesiæ membrorũ aliis eiusdem Ecclesiæ membris prodesse posse, nó tantùm cùm vnum membrum speciali & propria intentione satisfactionem suam alteri membro vult applicare, sed etiam cùm ij, qui præsunt in ipsa Ecclesiæ communitate, eam applicationem faciunt, tanquam distribuentes singulis bonũ quoddam commune Ecclesiæ, in acceptatione Dei, velut communem quendam thesaurum, repositum.

Quod vt intelligatur, animaduertere oportet, omnia opera pia, quæcunq; exercent aut exercuerũt vnquam fideles, qui sunt membra Ecclesiæ, præter vim *merendi* habuisse etiam vim *satisfaciendi* pro pœna; quatenus ex gratia diuina processerunt, & aliquam habuerunt adiunctam difficultatẽ atq; molestiam, vt suprà ostendimus in q. de satisfactione. Porrò huiusmodi opera pij fideles (aut explicita, aut certè implicita intentione) ea ratione & fine susceperunt, quo & ad gloriam Dei, & ad vtilitatem atq; emolumentũ Ecclesiæ, cuius ipsi sunt membra, quàm maximè illa valere possent. Ad gloriam autem Dei, & ad vtilitam corporis Ecclesiæ, ea demũ ratione maximè valere possunt piorũ opera satisfactoria, si cùm iis ipsis, qui ea exercuerunt, ad pœnæ temporalis remissionẽ necessaria non sunt, aliis Ecclesiæ membris, quæ pœnæ reatu adhuc teneantur, communis eius charitatis beneficio qua cõiunguntur in eodem Ecclesiæ corpore, prodesse ad pœnæ remissionẽ possint. Constat enim, hoc & ipsis Ecclesiæ membris vtilissimũ esse, & maximè etiã diuinæ bonitati consentaneum, quippe quæ propensissima est ad valorem omnẽ piorum operum vndequaq; compensandum.

QVAECVNQVE igitur opera satisfactoria superfuerunt, aut ipsi beatissimæ Virgini, quæ nullo vnq̃ pœnæ reatu ob actuale peccatum obstricta fuit, aut innumeris aliis viris sanctissimis in Ecclesia, qui multò plura vel præstiterũt, vel etiam passi sunt quàm fuit necesse, vt pœnã temporalẽ redimerent peccatis suis debitã, ea omnia adiũcta ad Christi meritũ & satisfactionẽ infinitam, censent orthodoxi quasi communẽ quendã Ecclesiæ thesaurũ efficere, qui sit illi in acceptatione diuina repositus, vt iuxta distributionẽ & applicationẽ eius, ab illis factã, qui in Ecclesiæ cõmunitate prę sũt, valere & prodesse iis possit, qui subsidio cõmunis eius thesauri ad pœnæ tẽporalis redemptionem indigeant. Consentaneum enim est, & in omni Republica bene instituta vsitatũ, vt iis cõpetat auctoritas distribuẽdorum bonorũ communium Reipublicæ, qui Reipub. pʃunt, quẽadmodũ hanc rẽ totã optimè D. Thomas hîc q. 25. a. 1. ex orthodoxa doctrina explanat.

ATQVE hoc nimirũ est, ꝙ tertiò aiebam ab orthodoxis poni: nẽpe satisfactiones quorundam Ecclesiæ membrorũ aliis mẽbris prodesse posse, non solùm cùm mẽbra quædã membris aliis satisfactiones suas speciali intẽtione accõmodãt, sed etiã cùm ex eorũ ſaltẽ implicita intentione id ipsum faciũt ij, qui *præsunt* in Ecclesia cõmunitate, tanq̃ distribuentes cõmune bonũ & quasi thesaurũ Ecclesiæ. Quo fit, vt satisfactiones illæ alienæ eo etiã modo per Ecclesię prælatos applicatæ, *mediũ* tunc sint, quo fructus infinitæ satisfactionis Christi (cuius etiam tũc ex cõmuni illo

illo Ecclesiæ thesauro fit inprimis dispensatio & applicatio) quod attinet ad remissionem pœnæ, ad homines deriuatur.

Huius aũt tertiæ hypothesis fundamentũ habent orthodoxi PRIMO in illis omnibus S. Scripturæ locis, quibus Ecclesia Christi tanq̃ *vnum quidam corpus* sub Christo capite esse asseritur, & fideles in eo corpore tanq̃ sibi inuicem coniuncta membra, vt Rom. 12. 1. Cor. 12. ad Ephes. 1. ad Colos. 1. Hæc enim est natura & ratio membrorum eiusdem corporis, vt alterum alteri officio suo prosit, viciſsimq; sibi mutuo inseruiant. Eademq; vis (inter cetera) & ratio est eius *cõmunionis Sanctorũ*, quam in symbolo fidei profitemur. Atqui officium (inter cetera) cuiusq; mẽbri Ecclesiæ est, etiã pro pœna temporali peccato debita satisfacere. Ergo & hoc officio viciſsim possunt Ecclesiæ membra sibi subsidium ferre.

QVOD aũt id etiã officium ad Ecclesiæ mẽbra pertineat, ostendi suprà in q. de Satisfact. Atque idipsũ officiũ Apostolus requirit à fidelibus, ad Rom. 6. cũ illis verbis illos admonet: *Sicut exhibuistis*, inquit, *mẽbra vestra seruire immũditiæ & iniquitati ad iniquitatẽ, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Quò etiam locus ille 2. Cornith. cap. 7. pertinet, vbi disertè affirmat, *tristitiam* eam, quæ in pœnitentia *secundùm Deũ* habetur, *operari* inter cetera *vindictã*; hoc est, vlciſci peccatum, tanq̃ ſatisfactionem videlicet quãdam pro pœna peccato debita, remissa iam culpa beneficio pœnitentiæ; vt iam alia argumẽta in q. de satisfactione afferri solita præteream.

SECVNDO, eadem hypothesis fundamẽtum habet in natura & vi *charitatis*, qua sunt Ecclesiæ membra sibi inuicem vnita; vt quod vnus pro altero exoluit, ita diuinitus acceptetur pro illo ac si offerretur ab ipsomet.

TERTIO huc etiã pertinẽt multa S. Scripturæ loca, quę sine vlla limitatione significant, esse inter fideles *communicationem mutuam* bonorum operum, & subsidiorum. Ex quorum operum numero, cur opus illud determinatè, quod est satisfactio, excipiatur, nulla suppetit ratio.

VT 2. Cor. 8. vbi exhortans D. Paulus Corinthios ad suppeditãdum necessaria Tito & Lucæ: *In præsenti*, inquit, *vestra abũdantia illorum inopiam suppleat, vt & illorũ abundantia* (nempe ſpiritualis in piis operibus) *vestræ inopiæ sit supplementũ.* Quo loco Apostolus non tantummodo significat Titum & Lucã per doctrinæ ministerium inopiam ſpiritualem Corinthiorum supplere potuisse, vt Kemnit. in Exam. sess. 25. perperam exponit, sententiã Apostoli sine fundamento ad solum illud ministerium restringens; sed absolutè spem Corinthiis fecit, fore, vt abundãtia Titi & Lucæ ſpirituali, hoc est, in omni genere piorum operum, posset illorum ſpiritualis inopia ditari.

Item illa Dauidis oratio similiter absoluta & generalis est: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mãdata tua*, Psal. 118. Neq; enim obstat, ꝙ Kemnitius obiicit, in Hebraico, vbi interpres Latinus, *particeps*, vertit, exstare verbum *Haber*, ꝙ vocabulum socium significat. Eodem enim sentẽtia redit. Significare enim voluit Dauid, se piis operibus timentium Dominũ communicare, tanq̃ socium & membrum eiusdem corporis Ecclesiæ; quæ mutua quædam societas est, cuius emolumenta communia à singulis sociis participentur. Nam & hac etiã spe, propterea D. Ioannes 1. Epist. cap. 1. eorũ quos docebat animos confirmabat: *Vt & vos*, inquit, *societatem habeatis nobiscum.* Et D. Paulus ad Col. 1. similiter hortatur, vt pro eo beneficio *gratias agamus Deo Patri, qui dignos*, inquit, *nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.*

QVOCIRCA leuissima Kemnitij interpretatio est, cùm non aliud Dauidẽ illa oratione significare voluisse dicit, quàm se nõ priuatam aliq̃ de Deo sequi opinionẽ; aut confessionem fidei suæ timore aliquo impeditũ celare; sed palàm idipsum sentire & profiteri publicè, ꝙ alij oẽs timẽtes Deum atq; custodientes mãdata eius; in eaq; confessione esse se illorũ socium. Hoc n. non eo versiculo, sed illo paulò superius antecedente, Dauid de se protestatus erat: *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Cùm autem deinde dicit, se esse socium seu participem omnium timentium Deum; certa spe communicationis bonorum operum alienorũ animum suum erigit. Atq; ita etiam D. Ambrosius homil. 8. in illum Psal. & alij Patres communiter hunc locum interpretantur.

PRAETEREA ad hanc ipsam rem confirmandam, quidquid Sectarij obstrepant, illustris est ille locus D. Pauli ad Col. cap. 1. *Gaudeo*, inquit, *in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionũ Christi, in carne mea pro corpore eius, ꝙ est Ecclesia.* Caluin. lib. 3. suarũ Instit. cap. 5. sect. 4. & Kemnit. in Exam. sess. 25. contendunt, significare hîc tantummodo D. Paulũ, se tanq̃ vnum ꝙdam membrũ Christi, eas passiones adimplere, quæ Christo perferendæ restabant in corpore suo *mystico*, ꝙ est Ecclesia, atq; eas quidem pro eodẽ corpore Ecclesiæ adimplere, non vt Ecclesiæ ad *satisfactionẽ* seu redemptionem aliq̃ pœnæ peccatis debitæ, valerent, sed vt ei prodesſent ad *ædificationẽ* in fide & in verbo Euãgelij; siquidem laboribus & persecutionibus D. Pauli plurimùm reliqui fideles in suscepta Christi religione confirmabantur. Atq; hoc ipsum Kemnitius ait ab eodẽ Apostolo explicari, cùm inquit ad Philip. 1. *Quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij.* In quam sententiam Caluinus citat etiam illud 2. Cor. 1. *Siue tribulamur pro vestra exhortatione & salute.* Et similia quę habẽtur 2. Cor. 4. & 2. Tim. 2.

VERVM hæc quæ isti afferunt, rectè quidẽ probãt, Apostolum eatenùs *etiam* pro Ecclesia passum fuisse, quatenus ea quæ passus est, Ecclesiæ profuerunt ad fidei ædificationem. Non probãt autem isti, neq; probare vllo firmo argumento

Universidad de Deusto
Biblioteca

possunt, quòd non etiam illa passus Apostolus fuerit, vt seruire possent membris Ecclesiæ ad *satisfactionem*, seu solutionē pro aliqua pœna peccato debita. Quin immò ea etiam ratione illum passum fuisse pro Ecclesia, manifestè demōstramus hoc modo: Dubium esse non debet, quin apostoli mens atq; voluntas fuerit passionibꝰ illis suis (quas etiam Christi passiones, ratione corporis eius mystici, rectè appellat) Ecclesiæ prodesse omni ratione & titulo, quo prodesse illæ passiones Ecclesiæ poterāt: Atqui Ecclesiæ prodesse poterant, nō modò vt exemplum bonum ad ædificationem fidei continebant, sed etiam secundùm vim satisfaciendi pro pœna. Ergo hac etiā ratione Apostolus passionibus illis suis Ecclesiæ prodesse voluit. Maior huius argumenti propositio probatur primò, quoniam absolutè dicit Apostolꝰ se pati pro corpore Ecclesiæ, hoc est, in emolumentum illius; non determinans vllum modum, quo duntaxat diceret, se id facere. Quemadmodum & in aliis etiam locis citatis absolutè dicit, se omnia facere pro salute aliorum. Secundò, quoniam id etiam præstātem Apostoli charitatē erga Ecclesiam decebat, qua non solùm *impendere*, sed *superimpendi* etiam ipse libentissimè pro aliis optabat, vt contestatur 2. Corinth. 12. Quo Pauli testimonio (inter cetera) confirmat Origen. homil. 10. in Num. expiauisse quoque Paulum suo modo tanquam victimam, peccata aliorum. Minor autem argumenti propositio etiam patet. Nam in qualibet perpessione seu operatione pij hominis vt molestiam aliquam habet, & cum gratia est coniuncta, vis inest pro pœna temporali satisfaciendi, tum pro se, tum pro aliis, vt paulò antè probatum est.

Deinde confirmamus hoc ipsum grauissimo testimonio D. Augustini, cui somnia Caluini & Kemnitij & aliorum Sectariorum minimè anteponi debent. AVGVSTINVS enim in Psal. 61. explanans hunc Apostoli locum de quo agimus, orthodoxè docet, passiones hasce membrorum Ecclesiæ habere vim satisfaciendi & exoluendi pro debito peccati, in cōmunem vtilitatē Christianæ Reipub. *Patitur* (inquit) *Christus in membris suis, id est, in nobis ipsis ad communem hanc quasi Rempublicam. Nam quisq; pro modulo nostro* EXOLVIMVS *quod debemus.* Atq; idipsum ante Augustinū disertè docuit & aliquot Scripturæ testimoniis confirmauit Orig. homil. 10. & 24. in Num.

At, inquit Kemnitius, ipse Paulus negabat se pro aliis satisfacere cùm dicebat: *Nūquid pro vobis Paulus crucifixus est?* 1. Cor. 1. In quam sententiā Caluinus quoque, vbi suprà, obiicit testimonia quædam D. August. in Psal. 16. & tract. 47. in Ioan. Itēq; D. Leonis epist. 81. & 95. qui affirmāt, solum Christū fuisse, qui sua morte & passione pro debito peccatorū nostrorū preciū exoluerit, non aūt id fecisse vllos Sanctos aut Martyres.

Respondemus verò, hæc eò pertinere, vt *solus* Christus tāquam *Redemptor* quidem cumulatissimè satisfeciſſe intelligatur. Ea verò Christi satisfactio suum etiam satisfactioni piorum reliquit locum, siue pro se, siue pro aliis, vt per eam Christi satisfactionis fructus, tanquam per medium q̄dam, participetur & applicetur. Quemadmodum etiam solus Christus orauit pro nobis sufficientissimè & efficacissimè tanquam redemptor; sed nobis tamen præterea orandum est pro nobis & pro aliis, vt fructum illius Christi orationis obtineamus.

Cùm autē docemus, postq̄ Christus satisfecit vt Redemptor, superesse etiam vt nos satisfaciamus; non ideo sentimus, Christi satisfactionem fuisse imperfectā, & aliquid defuisse ei, quò minus ipsa potuisset sufficere (vt mēdacissimè Kēnitius vbi suprà Catholicorū sentētiam calumniatur) sed significamus certè, id opere adimplendum præterea esse, vt tanq̄ medio quodam satisfactio Christi nobis applicetur. Quo etiam modo & sensu ipse D. Paulus similiter dicit, se *adimplere* quod *deest*, (hoc est, quod adimplendum supereſt) *passionū* in membris Christi, præter passionem quam in se ipso Christus pertulit; neq; tamen idcirco Apostolus significare vult, Christi passionem fuisse imperfectam.

EST igitur illa etiam TERTIA orthodoxorum hypothesis firma & fundata in sacris literis. Qua & duabus prioribus constitutis tota iam descriptio Indulg. Eccles. suprà tradita fit perspicua. Nam cùm remissa culpa, maneat pœna temporalis iudicio Dei debita: & hæc remitti possit, aut in altera vita in purgatorio; aut in hac per propriam satisfactionē, siue in Sacramento impositam, siue vltro susceptā; aut etiam per satisfactionem alienā non modò speciali intentione applicatam, sed etiam *generali & implicita*, per dispensationem eorum, qui in Ecclesia præsunt: dicimus in descriptione, Indulgētiam Ecclesiasticam esse remissionem eius pœnę, non nisi hoc vltimo modo, per distributionē scilicet thesauri Ecclesiæ, qui constat, vt antè declaratum est, ex alienis satisfactionibus Christi & Sanctorum.

Ac per hanc descriptionem variæ excludūtur OPINIONES falsæ, quæ exstant circa Indulgentiæ rationem. Per primam enim descriptionis particulam, in qua esse dicitur Indulgentia *relaxatio* seu remissio pœnæ, excluduntur tres opiniones falsæ. PRIMA est, Indulgentiam propriè non esse remissionē pœnæ; vel, q̄ idem est, absolutionem à pœna; sed *solutionē* pro pœna, sumptā ex communi Ecclesię thesauro. Ita enim definit Durandus in 4. d. 20. q. 3. & Paludanus eadem d. q. 4.

SECVNDA opinio est, Indulgentiam propriè neq; remissionē pœnæ, neq; solutionē pro pœna esse, sed potius distributionē seu *applicationem* thesauri Ecclesiæ, virtute cuiꝰ fit solutio pro pœna, atq; adeò remissio illius, seu absolutio ab illa. Quæ opinio tribuitur D. Thomæ in 4. d. 20. q. 3. & hīc in supplem. 3. p. q. 25. a. 1. ad 2. & ita sentiunt in illa distinct. 20. Doctores aliqui.

TERTIA opinio est ea, quam Caietanus tomo 1. opuscul. tract. 15. de Indulgentiis refert, nempe Indulgentiam olim quidem ante Bonifacium VIII. fuisse propriè remissionem pœnæ, quoniam ita Indulgentiæ tunc vocabantur, vt ipse Bonifacius indicat in Extrauag. *Antiquorū*: Post Bonifacium autē, qui primus in illa Extrauaganti, formam Iubilæi instituit, esse propriè *distributionem* thesauri, quem dispensari per Indulgentiam sequentes Pontifes dixerunt, ac nominatim Clemens VI. in Extrauag. *Vnigenitus*.

Nos autem in descriptione assignata Indulgentiæ, sententiam sequimur communiorem, nempe Indulgentiam propriè quidem & principaliter esse & fuisse semper *relaxationem*, siue *absolutionem* à pœna, adiuncta distributione thesauri, & solutione ex illo pro pœna. Ita Caietan. tract. illo 15. de Indulgentiis, cap. 1. & 6. & Dominicus Sotus in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 2. & Petrus etiam Sotus in Institutione Sacerdotum, lect. 2. de Indulgen. & Antonius Cordubensis in suo Tract. de Indulgent. quæst. 1. & alij. Neque hanc sententiam alienam esse à mente S. Thomæ puto. Is enim locis citatis solùm vult Indulgentiam non esse nudam, & solam remissionem pœnæ, sine solutione illius & applicatione thesauri. Quod verissimum est.

FVNDAMENTVM autem huius communioris sententiæ plerique ponunt in eo, quòd, vt infrà contra hæreticos ostendemus, Indulgentia Ecclesiastica est quidam actus Ecclesiasticarum clauium, ad cuius videlicet actus vsum data sit Ecclesiæ auctoritas à Christo illis verbis: *Quorum remiseritis peccata*, Ioann. 20. *Et quæcunque solueritis, &c.* Matth. 18. At Indulgentia non est alter ille actus clauium, qui est *ligare* & retinere peccata. Ergo restat vt sit ille, qui consistit in *absoluendo*, cùm hi duo actus duntaxat pertineant ad vsum clauium.

CAETERVM hæc ratio non prorsus conuincit. Nam etiam *distributio* & *applicatio* thesauri est actus clauium, qui non ad retentionem, sed ad relaxationem pertinet, vt Caietan. in Tract. 16. de Indulgentiis, cap. 6. Et Petrus de Soto, lect. 3. de Indulg. in fine, optimè animaduerterunt. Quare ex eo præcisè, quod Indulgentia sit actus clauium, qui non sit retinere aut ligare, nō vtiq; licet determinatè colligere, quòd sit, propriè *absolutio* seu remissio pœnæ potius, quàm distributio thesauri: siquidē, vt iam dictū est, vtrumq; pertinet ad actum clauium, qui non est ligare.

Illa igitur cōmunis sentētia satis videtur probari ex ipsa vi vocabuli, & forma cōsueta Indulgentiarum. *Indulgere* enim in proposito, cōdonare & remittere est, & ita Pontifices loqui solēt: *misericorditer indulgemus*. Quod si Indulgētia esset principaliter applicatio thesauri, propriè quidē & immediatè nō esset actus *misericordiæ*, sed quædam dispensatio, pertinens formaliter ad actum *iustitiæ*, vt bene inquit Sotus loco citato.

AC secundùm hanc sententiā faciliùs intelligi potest, quemadmodum Indulgētia sit actus Ecclesiasticę Iurisdictionis, hoc est, qui proprie exerceatur in *subditos*, vt declarauit Alexander III. in cap. *Quod autem*, Extra, de pœnitent. & remiss. & sentiunt suprà citati auctores. Nemo enim propriè *absoluit* à pœna, nisi sibi subditum; cùm tamen communis thesaurus alicuius Reipublicæ etiam non subdito applicari possit, sicut & soluere potest aliquis debitum pro non subdito. Itaque si Indulgentia, vt vidimus, propriè est nō applicatio thesauri, aut solutio, sed *absolutio*, propriè est etiam actus Iurisdictionis erga subditos, vt Alexander statuit.

NEQVE verò hic obstat, quòd animabus etiam Purgatorij verè conferri potest Indulgentia, vt postea declarabitur, quæ tamen non sunt amplius Ecclesiasticæ Iurisdictioni subditæ. Id enim intelligēdum est, qua parte quidem Indulgentia habet simul adiunctam *applicationem* thesauri, & solutionem pro pœna (quæ etiam, vt dictum est, possunt applicari non subdito) non autem qua ratione est *propriè* absolutio.

QVAM ob caussam cōmuniter Doctores sentiunt, Indulgentiā, quæ defunctis confertur, nō omnino esse eiusdem rationis cum Indulgentia, quæ confertur viuis, sed deficere ab illa, eò quòd nō datur per modum absolutionis, sed per modum *suffragij*, vt Pontifices etiam ipsi loquuntur. Quo sanè vocabulo significare volunt, ferri animabus quidē spirituale subsidium per applicationem thesauri, vnde fiat solutio Deo pro illarum pœna; non tamen eas à pœna cum auctoritate absolui ab Ecclesiæ Prælatis, sicut absoluuntur viui, qui sunt eis subditi, hoc est, de quorum illi caussa cognoscere possunt. Quemadmodum etiam quiuis potest applicare ex charitate per modum suffragij, satisfactionem suam alteri, qui non sit eius subditus; non tamen eum cum auctoritate absoluere.

ET tamen quamuis hoc ita sit, rectè nihilominus explicat Caietan. tomo 1. opusc. tract. 16. de Indulg. cap. 6. eam quoque Indulgentiam, quæ datur defunctis, esse actum quendam *auctoritatis Iurisdictionis*, seu clauium. Ratio est: Quoniam huius etiā auctoritatis proprium est, *distribuere* thesaurum communem Ecclesiæ, vt pro pœna fiat solutio, atque adeò, vt pœna relaxetur, & eatenus regnum cœlorum aperire; quod etiam fit per eam Indulgentiam, quæ confertur defunctis.

ITAQVE licet Indulgentia defunctorum non sit quidem actus Iurisdictionis, quæ exerceatur in *subditos*, est tamen actus Iurisdictionis, quæ exercetur circa rem communem, seu circa bona communia *subditorum*, hoc est, circa thesaurum Ecclesiæ, qui in eiusmodi etiam Indulgentia distribuitur. Vtrumque autem ad potestatem superioris pertinet; nimirum & absoluere aut ligare subditos, & disponere etiam de rebus seu

bonis communibus subditorum. Atque vtrumque simul fit per Indulgentiam, quæ datur viuis: alterum autem tantummodò per eam, quæ confertur defunctis: idque satis est, vt ex ea saltem parte hæc Indulgentia quoque sit quidam actus Iurisdictionis.

Quod cùm ita sit, rectè dicit loco citato Caietanus, Indulgentiam defunctorum, quoad *causſam*, quidem *& effectum*, eiusdem esse rationis cum Indulgentia viuorum: Nam per eandem auctoritatem Clauium ipsa quoque confertur, & etiam operatur in effectu liberationem à pœna; non esse autem eiusdem rationis quoad *modum*, quia non per modum absolutionis, sed per modum *ſuffragij* datur, vt est explicatum.

Maneat itaque Indulgentiam propriè & simpliciter dictam, qualis viuis confertur, quæque definiri solet, non fuisse vnquam neque iam esse propriè applicationem thesauri, aut solutionem pro pœna, sed *absolutionem* ab illa. Quod enim Clemens VI. in Extrauagan. *Vnigenitus*, & alij Pontifices dicunt, Indulgentiam fieri per modũ *dispensationis* seu applicationis thesauri Ecclesiæ, non ideo dicunt, quia propriè Indulgentia sit distributio thesauri, aut solutio ex thesauro, sed quia distributionem eam & solutionem coniunctam habet.

Ex quo patet, nullum habere firmum fundamentum in his dictis Pontificum, illas tres opiniones, quas reiecimus, & præsertim tertiam, quæ ponebat, Indulgentiam aliquando fuisse absolutionem, postea verò esse distributionem thesauri. Hoc minimè rectè asseritur. Nam Indulgentiæ natura & ratio mutata per Pontifices non est, sed semper eadem perseuerauit. Maximè cùm Bonifacius in Extrauagan. *Antiquorum*, & alij Pontifices posteriores declarauerint, se conferre Indulgentias secundùm morem ab antecessoribus Pontificibus vsurpatum, vt notat etiam ad hoc propositum Cordubẽsis, quæst. 1. de Indulg.

De Quaestione igitur illa, quam Caietanus, Cordubensis, & alij prolixissimè tractant, vtrum & quomodo Indulgentia sit *absolutio*, aut actus Iurisdictionis; hæc quæ diximus, tenenda sunt. Interim tamen illud etiam notandũ, quæstionem hanc totam, Vtrum Indulgentia sit potiùs absolutio, an verò distributio thesauri, vel solutio; inter eos, qui rectè sentiunt de Ecclesiæ thesauro, non tam esse de re, quàm de nomine. Nam quod ad rem quidem attinet, conuenit inter illos omnes, tria concurrere in Indulgentia Ecclesiastica; videlicet *distributionem* seu applicationem thesauri; & *solutionem* ex eo thesauro pro pœna; & *absolutionem* à pœna. Cùm autem deinde controuertitur, quidnám istorum trium potiùs sit Indulgentia, quæstio est de vsu & significatione nominis Indulgentiæ: videlicet, quidnâm primò & principaliter significet ex illis tribus.

In hac autem quæstione de nomine, illa, quam asseruimus, verior sententia est, videlicet Indulgentiam simpliciter dictam, quæ nimirum confertur viuis, esse propriè absolutionem à pœna; nam eam, quæ confertur defunctis, iam antè explicauimus dari per modum suffragij, non autem per modum absolutionis.

Sunt præterea aliæ quædam sententiæ longè adhuc deteriores, quæ per alias particulas assignatæ descriptionis excluduntur. Nam per id quod diximus, Indulgentiam esse *relaxationem pœnæ temporalis debitæ peccato, ſecundùm iudicium diuinum*; excluduntur opiniones duæ longè falsissimæ. Vna est, quam refert Albertus in quarto, distinct. 20. artic. 17. & Diuus Thomas hic in supplem. tertię partis, quæst. 25. articulo secundo. quorundam, qui dixerunt, Indulgentiam Ecclesiasticam, nullam pœnam remittere per se, nec in foro Ecclesiæ, neque in foro Dei, sed esse piam quandam *fraudem*, qua Ecclesia per illam remissionis pollicitationem homines alliciat ad exequendum deuotè ea opera pia, quæ in Indulgentiæ forma exiguntur; vt pro ratione eius deuotionis, & valore eorum operum, Deo satisfiat, non autem per vim ipsius Indulgentię. Quemadmodum, si mater paruulum ad currendum alliciat promittendo illi pomum, quod postea tamen non det; Nam & hoc exemplo illi vtebantur: vt commemorat hîc Diuus Thomas, & Albertus in quarto, distinctione vigesima, articulo 17.

Sed hæc opinio tanquam erronea ab omnibus Orthodoxis fuit explosa. Detrahit enim certitudinem auctoritati Ecclesiæ: quæ si in aliqua re deciperet, & fraudulenter ageret; nullam fidem in aliis mereretur, vt rectè D. Thomas in dicto articulo secundo argumentatur. Ac propterea, quòd initio Lutherus ita etiam de Indulgentiis sensit, & locutus est, damnatus fuit à Leone X. vt in secundo puncto videbimus.

Altera opinio, quam refert & confutat etiam Diuus Thomas in dicta quæstione 25. articulo primo, & Alexander Halensis quarta parte, quæstione 83. membro primo, articulo primo, & Bonauentura in quarto, distinct. 20. & alij, fuit, per Indulgentiam, solùm in *Ecclesiæ foro* remitti pœnam satisfactoriam, quæ iniuncta sit in Sacramento pœnitẽtiæ, vel quæ sit decreta per Ecclesiæ Canones; ne scilicet pœnitens teneatur eam adimplere: nullam autem pœnam remitti, quæ sit debita in foro seu in iudicio Dei. Secundum hanc autem opinionem plus noceret, quàm prodesset Indulgentia, vt rectè suprà citati auctores argumentantur: Nam vtilius esset pœnitenti, iniunctam sibi pœnitentiam implere, & per eam aliquid (vt fit) de pœna

iudicio

iudicio diuino in Purgatorio debita, redimere, quàm liberari obligatione implendæ illius pœnitentiæ, & interim tamen manere obligatum ad totam pœnam longè seueriorem soluendam in Purgatorio. Atque ita etiam hæc opinio ab omnibus fuit explosa, nec ferè differt ab opinione hæreticorum de Indulgentiis, vt in secundo puncto videbimus.

Non est tamen idem, quod alij Doctores orthodoxi hoc etiam tempore sentiunt, Indulgentiam non dari ad remissionem pœnæ Purgatorij absolutè, sed pœnæ in Purgatorio *respondentis* iis pœnitentiis, quæ in Sacramento pœnitentiæ sint iniunctæ, hoc est, quæ per eiusmodi iniunctas pœnitentias redimeretur. Concedunt enim ij nihilominus, pœnam aliquã iudicio Dei debitam per Indulgentias remitti, nempe illam, quæ per eiusmodi iniunctas pœnitentias fuisset redempta. Quorum opinio, vtrum vera sit, videbimus in tertio puncto, cùm exponemus, quàm latè pateat Indulgentiarum vsus & valor.

Iam verò per reliquas descriptionis particulas, quibus dicimus remissionem illam Indulgentiæ, fieri *ex ſatisfactionibus Christi & Sanctorum*, atque adeò *ex communi quodam quaſi theſauro ſpirituali Eccleſiæ*, duæ item opiniones erroneæ à nobis excluduntur. Vna est Francisci Maironis, qui in quarto sentent. distinct. 19. quæstione secunda, etsi concedit potestatem remittendi peccati pœnam temporalem per Indulgẽtiam, negat tamen exstare in Ecclesia communem hunc Thesavrvm ex quo dari possint Indulgentiæ. Idque probat, quoniam merita Christi sufficienter remunerata fuerunt hoc ipso, quòd est propter illa *exaltatus, & adeptus nomen ſuper omne nomen*, ad Philippen. 2. Item Sanctorum merita mercedem acceperunt etiam vltra condignum, vt habet commune axioma Theologorum.

Sed contraria assertio thesauri, à Clemente VI. in Extrauaganti *Vnigenitus*, definita est; & probatur euidenter ratione ducta ex sacra Scriptura. Nam ex tali thesauro dari Indulgentias, nihil aliud est, quàm beneficio satisfactionum Christi & Sanctorum, pro vt sunt repositæ in acceptationæ diuina, fieri remissionem illam pœnæ, quam ipse etiam Mairones cum aliis Orthodoxis fatetur concedi per Indulgentiam: Sed certissimum est, remissionem illam fieri beneficio satisfactionum Christi & Sanctorum. Ergo certissimum est, illum thesaurum exstare. Maior patet ex iis, quæ suprà dicta sunt in confirmatione tertiæ hypothesis. Minorem etiam, quoad vtramque partem, illic probauimus.

Et quidem quod Mairones negauerit, remissionem illam fieri ex thesauro satisfactionum Christi; intolerabilis error est, cùm vbique sacra Scriptura clamet, summam totam nostræ salutis, atque adeò remissionem omnem peccatorum, vndequaque acceptam nos ferre debere meritis & satisfactioni Christi, vt prolixè persequitur Apostolus Paulus, tum aliàs passim, tum præsertim ad Ephesios primo, & Diuus Petrus, Actor. 4.

Nec argumentum Maironis quidquam valet. Primùm enim, Christus non sibi meruit gloriam animæ, ac multò minus hypostaticam vnionem (vt suprà disputatione prima, quæst. 19. docuimus) sed solùm gloriam corporis, & celebrationem sui nominis, hoc est, vt ab hominibus pro Deo & redemptore cognosceretur: itẽque nostram salutem. Quæ quidem omnia longè minora sunt, quàm fuerint Christi satisfactiones & merita infinita.

Deinde dicimus, ad summam illam totam nostræ salutis, quæ quasi pars vna quædam fuit mercedis meritorum ac satisfactionũ Christi, remissionem eam quoque pertinere, quæ nobis fit in Indulgentia beneficio satisfactionum Christi & Sanctorum. Atque ita licet daremus, per exaltationem illam Christi, & per salutem nostram, sufficienter, & ad æqualitatem, merita & satisfactiones Christi remunerari; tamen vis nihilominus in meritis & satisfactionibus Christi fuerit, vt ex earum etiam thesauro Indulgentiæ tribuantur; quandoquidem remissio ipsa Indulgentiæ inter cætera pertinet ad summam nostræ salutis, vt dictum est, & tradit etiam Ecclesia Catholica, sicut postea contra hæreticos magis confirmabimus.

Quod autem Mairones præterea obiicit, merita Sanctorum vltra condignum remunerata fuisse; similiter non obstat. Nam licet sufficienter compensata sint, quatenus fuerunt *merita*; non tamẽ omnia satis compensata ipsis fuerunt, quatenus habuerunt quoq; vim pro pœna satisfaciendi, vt in confirmatione tertiæ hypothesis exposuimus.

Altera opinio, etiam erronea, est Durandi in quarto, distinctione vigesima, quæstione tertia, qui thesaurum Indulgentiarum ex *solis* Christi meritis & satisfactionibus constare putat, non autem ex satisfactionibus Sanctorum.

Primo, quia satisfactiones Christi fuerunt per se infiniti valoris; Ergo superuacaneè constaret etiam ille thesaurus ex satisfactionibus Sanctorum.

Secvndo, quoniam opera Sanctorum fuerunt ipsis remunerata etiam vltra condignum, sicut Mairones argumentabatur.

Tertio, quia non constat Sanctos ea intentione fuisse operatos, vt eorum satisfactiones aliis etiam prodessent, neque videtur id fuisse futurum satis consentaneum ipsorum humilitati.

Sed

Sed hæc argumenta nihil probant. Ad PRIMVM enim reſpondemus; Addi nihilominus ad ſatisfactiones Chriſti ſatisfactiones Sanctorum in eo theſauro, vt charitas inter Eccleſiæ membra magis ſe exerat, & vt omni ex parte precium abundet, quod exoluitur, pro pœna debita. Alioqui eodem argumẽto probare potuiſſet Durandus, ne ex omnibus quidem operibus Chriſti ſatisfactoriis conſtare illum theſaurum, cum vnica etiam operatio CHRISTI fuerit infiniti valoris.

Ad SECVNDVM reſpondemus, Sanctorum opera licet vt merita cumulatè remunerata fuerint, non tamen omnia, vt *ſatisfactoria*; ſicut ad Maironem reſpondemus.

Ad TERTIVM reſpondemus PRIMO, multos *habere*, & omnes habere *poſſe* etiam expreſſam intentionem conferendi ſatisfactiones, quæ ipſis ſuperant, in communem Eccleſiæ theſaurum, neque verò id pugnare cum humilitate; quandoquidem omnia denique feruntur accepta ipſi Deo. Atque id probamus exemplo Diui Pauli, qui ſine detrimento humilitatis pati ſe aiebat pro Eccleſia, ad Coloſſen. 1. vt ſuprà vidimus.

SECVNDO dicimus, ſatis eſſe in propoſito, quòd omnes pij habent eam intentionem ſaltem *implicitè*. Id quod multis modis oſtenditur. *Primò*, quia volunt in operando & ſatisfaciendo, quoad eius fieri poteſt, imitari Chriſtum, qui ſua omnia ad aliorum ſalutem contulit. *Secundò*, quoniã volunt opera ſua, quàm maximè fieri poteſt, referri ad gloriam Dei, & vtilitatem Eccleſiæ, quæ inprimis exiſtit ex ea commoditate communis theſauri, vt ſuprà explicatum eſt. *Tertiò*, quoniam operantur tanquã vnius & eiuſdem corporis Eccleſiæ membra, quorum eſt quaſi naturalis communicatio mutua. Quo fit, vt quadam veluti naturali relatione ſatisfactiones ſuas pro aliis etiam obtulerint. Maneat igitur, remiſsionem, quæ fit in Indulgentia, beneficio ſatisfactionum tum Chriſti, tum Sanctorum, tanquam ex Eccleſiæ *theſauro* fieri, vt ſuprà explicatum eſt in tertia hypotheſi.

NEQVE enim eſt audiẽdus in hac re vllo modo Mairones, qui loco citato contendit, poſſe Pontificem ſine vllius applicatione theſauri pœnam iudicio Dei debitã remittere, atq; eatenus concedere Indulgentiam: ſicut poteſt (inquit) ſic abſolutè pœnam excommunicationis relaxare; ac etiam ſicut Princeps in Republica condonare poteſt alicui pœnam capitis abſolutè ſine beneficio ſiue ſubſidio alieno.

Hæc quę Mairones affert, nequaquam ſunt ſimilia. Diſcrimen enim eſt in propoſito, quòd Papa in concedenda Indulgentia ſic fungitur auctoritate, vt tamen agat ſimul *diſpenſatorem* meritorum, atque ſatisfactionum Chriſti, ſine quarum videlicet beneficio nulla omnino remiſsio fit: Hæ autem ſatisfactiones Chriſti per aliquod *medium* debent ab earum diſpenſatore applicari; nempe aut per Sacramentum, aut per alienas ſatisfactiones ex theſauro, ſicut ipſa traditio & vſus Pontificum, cùm Indulgentias conferunt, declarat. Pœnam verò excommunicationis, aut capitis, non proprie ipſe Deus decernit, ſicut decernit pœnam debitam peccato: ſed Pontifex aut Princeps. Quare vt ipſi has pœnas decernunt, ita etiam iidem poſſunt eas ſine acceſsione alicuius alieni ſubſidij relaxare. Atque hactenus quidem in hoc primo principali puncto naturam Indulgentiæ Eccleſiaſticæ, expoſita illius plena deſcriptione, patefecimus, confutatis aliquot ſententiis de ea falſis.

PVNCTVM SECVNDVM.

Vtrum verè ſit in Eccleſia auctoritas conferendi Eccleſiaſticam Indulgentiam.

Ad art. 1. quæſt. 25. D. Thom.

SEQVITVR nunc ſecundum huius diſputationis principale punctum, in quo propriè ac directè probandum contra Sectarios eſt, exſtare omnino in Eccleſia auctoritatẽ conferendi Indulgentiam hactenus à nobis deſcriptam. Hanc autem aſſertionem Catholicam negauerunt VValdenſes, quorum articulus 16. in Concilio Lateranenſi III. ſub Alexandro III. cum aliis damnatus, erat, *Prælatorum Indulgentias nullius eſſe valoris*. Item VViclefus artic. 24. *Fatuum eſſe*, dixit, *Indulgentiis credere*. Rutheni etiam & Huſsitæ, & Thaboritæ Indulgentias ſimiliter reiecerunt. Et tandem Lutherus art. 18. condemnato à Leone X. cùm primò dixiſſet, Indulgẽtias eſſe *pias fraudes Eccleſiæ*. Poſtea ita inquit: *Reuoco hoc, & dico, Indulgentias eſſe impiiſsimas ſceleratiſsimorum Pontificum fraudes & impoſturas*. Quem impudentiſsimum articulum vt defenderet, in reliquorum ſuorum errorum barathrum (vt qui ferè omnes circa remiſsionem peccatorum verſantur) ſe præcipitauit. Atque eandem hæreſin Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 5. & Kemnitius in Examine, ſeſſ. 25. Concilij Trident. & reliqui omnes Sectarij complexi ſunt.

Nos verò antequam ad iſtorum leuiſsima argumenta reſpondeamus, aſſertionem Catholicam Indulgentiarum confirmabimus. PRIMO, ex ſacra Scriptura. SECVNDO, ex vſu Catholicæ Eccleſiæ, cuius varia & antiqua argumenta & teſtimonia pro hac re proferemus. TERTIO, ratione item, ſacræ Scripturæ atque fidei analoga. QVARTO, Eccleſiæ Catholicæ definitione, quæ in fidei quæſtionibus infallibilis eſt, vt tomo tertio, diſputat. 1. quæſt. 1. punct. 7. fuſè probauimus.

PRIMO

PRIMO igitur probatur Indulgentiarum auctoritas ex Scriptura. Vnde inprimis profero tres locos. Primus eſt Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit, &c.* Secundus eſt, Matth. 18. *Quæcunq; alligaueritis ſuper terrã, erunt ligata & in cœlo, &c.* in quo loco poteſtatem Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus eſſe datam de cauſſa peccatorum cognoſcendi, eaque in Dei tanquam *foro* remittendi aut retinendi, docet Diuus Hilarius can. 18. in Matth. Hieron. in cap. 18. Matth. Auguſt. Tract. 22. & 49. in Ioan. & lib. 20. de ciuit. cap. 9. Chryſoſt. homil. 61. in Matth. & alij. Tertius locus eſt Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

In his omnibus locis, cùm Chriſtus Dominus nihil de *modo* remittendi peccata in ſpecie exceperit aut determinauerit, ſed abſolutè & generatim ſit locutus; neceſſe eſt, vt intelligamus tributam eſſe Eccleſiæ Prælatis auctoritatem remittendi peccata generatim omni modo & ratione, qua & Eccleſiæ id ſit vtile, & deceat quoque bonitatem Dei, ad eiusque gloriam expediat, quæ finis eſt omnis Eccleſiaſtici miniſterij. At vnus quidam modus remittendi peccata cum vtilitate Eccleſiæ, & commendatione bonitatis diuinæ, eſt, vt quoad *pœnam* quidem poſſint etiam extra Sacramentum remitti beneficio ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum, tanquã communis Eccleſiæ theſauri, vt ſuprà probatum eſt. Igitur illis verbis Chriſti, quæ recitauimus, tributa à Chriſto auctoritas eſt Eccleſię Prælatis, vt eo etiam modo peccata remittant. Id autem ipſum eſt, fuiſſe illis auctoritatem tributam cõcedendi Indulgentiam, quod ad rem quidem attinet.

Ac poſſumus hoc etiam ea ratione manifeſtè confirmare, cp dubium non eſt, quin in illis locis ſit tributa auctoritas Eccleſiæ ad remittẽda peccata in *Sacramento pœnitentiæ*; quemadmodum etiam neque Sectarij ipſi dubitant, quin Chriſtus ibi fecerit poteſtatem remittendi peccata in illo ipſorum *miniſterio*, quo priuatim ſuis concionantur de fide & remiſsione peccatorum per Chriſtum, quodque nolunt eſſe verũ Sacramentum. Et tamen neq; nos poſſumus, neque ipſi, ex eiuſmodi locis probare auctoritatem remittendi peccata in Sacramento, vel miniſterio *pœnitentiæ*, quaſi Chriſtus eum remiſsionis *modum* in ſpecie tunc explicuerit. Sed ab vtriſque oportet, id ea ratione concludi, quòd modus ille remiſsionis in Sacramẽto vel in miniſterio pœnitentiæ, vnus quidam modus ſit, qui & ad vtilitatem Eccleſiæ, & ad gloriam Dei expedit. Ac proinde cùm Chriſtus in illis locis abſolutè & generatim poteſtatem remittendi peccata conceſſerit, quatenus id expediat ad finem Eccleſiaſtici miniſterij, qui eſt Dei gloria & vtilitas Eccleſiæ; eum omnino modum remittẽdi peccata ibi contineri; id quod iſti tamen de ſuo illo miniſterio nunquam conuincere poterunt.

Hoc igitur cùm ita ſit, vt probemus ipſi ex illis Scripturæ locis poteſtatem etiam cõcedendi Indulgentias, nihil nobis obſtat, quòd ibi Chriſtus in ſpecie mentionem nõ fecerit eius remiſſionis, quæ fit in Indulgentiis; ſed ſatis nobis eſt, quòd modus *eius etiam remiſsionis* expediat ad finem Eccleſiaſtici miniſterij, hoc eſt, & ad gloriã Dei, & vtilitatem Eccleſię, vt ſuprà probauimus. Hinc enim, perinde ac de remiſsione, quæ in Sacramento fit, concludimus, eum quoque modum remiſsionis, quæ fit in Indulgentia fuiſſe à Chriſto in illis locis comprehenſum, vbi generatim de poteſtate remittendi eſt locutus.

HVIC probationi ex ſacra Scriptura ita propoſitæ, nihil planè eſſe video, quod à Sectariis ſolidè poſsit opponi. Itaque meritò ex illo loco Matth. 16. poteſtatem Indulgentiarum probarunt Innocentius III. in fine Concilij Lateranenſis, & Nicolaus IV. (ſicut refert Henricus Gandauenſis, quodlib. 15. quæſt. 14.) & Leo X. in epiſt. ad Caietanum.

OBIICIT autem hîc *Primò* Kemnitius, & alij Sectarij, quod *ſoluere & remittere* peccata in eiuſmodi Scripturæ locis nihil aliud eſt, quàm vel publicè vel priuatim concionari de pœnitentia & fide in Chriſtum, vt per illam iuſtificatio & remiſsio peccatorum apprehendatur.

AT NOS ex ipſis Chriſti verbis, & ex communi ſententia Patrum probamus, datam eſſe Miniſtris in his locis poteſtatem re ipſa & *efficaciter* remittendi, tametſi non principaliter, vt Deus remittit, ſed *miniſterialiter*, & tanquam Dei inſtrumenta. Quod ipſum intellexerunt Cyprianus libro primo, epiſtola ſecunda. Hilarius can. 16. in Matthæum. Ambroſius libro primo de pœnitentia, cap. 2. & 7. & libro 2. cap. 2. Auguſtinus libro ſecundo de adulterinis coniugiis, capite nono, & in Pſalm. 101. concione 2. Chryſoſtomus libro tertio de Sacerdot. & homil. 55. in Matthæum. Cyrillus lib. 12. in Ioann. cap. 55. Theophylactus & Euthymius in cap. 16. Matth. & alij.

Et certè interpretatio illa Sectariorum violenta eſt. Nam vt ſanare, verbi gratia, ægrotum, minimè eſt ſolummodo medicum ei indicare, à quo ſanitas ſit procuranda; ita neq; peccata remittere, in illis Euangelij locis tantummodò erit, Chriſtum, velut animarum medicum, hominibus publicè, aut priuatim indicare & annunciare, vt ab eo per fidem ſolam (vt iſti dicunt) remiſsionem peccatorum accipiant.

DEINDE obiicit Kemnitius, poteſtatem illam remittendi peccata à Chriſto illis locis traditam, qualiſcunque ſit tandem, non extra Sacramentum, ſed in Sacramento tantùm exerceri ſecundùm Scholaſticos Theologos. Menda-

cium

cium est: Nam Theologi Scholastici libro quarto sententiarum, distinctione vigesima, magno consensu affirmant, Indulgentiam esse remissionem peccati, quoad pœnam temporalem extra Sacramentum factam per eam potestatem: ergo minimè tradunt, potestatem illam remittendi, si simpliciter secundùm totam suam amplitudinem consideretur, exerceri *tantùm* in Sacrămento pœnitentiæ.

Quanquam sentiunt quidem Scholastici, vsum eius potestatis, qui est in Indulgentia, quodammodo ad forum ipsum Sacramenti pœnitentiæ, reuocari, quatenus versatur nimirum circa pœnam debitam *iis peccatis*, quæ remittuntur in Sacramento quoad culpam. Item docent, potestatem remittendi peccata *mortalia*, quoad *culpam*, in solo Sacramento exerceri: quoniam eiusmodi remissio requirit infusionem gratiæ, quam non conferunt ministri efficaciter nisi per Sacramentum. Remissio autem pœnæ sine gratiæ infusione fit.

Denique CHRISTVS Dominus, vt antè sumus argumentati, potestatem illam remittendi tradens, nullum modum remittendi in *specie* excepit, aut determinauit; sed generatim concessit potestatem remittendi, quatenus expediret ad finem Ecclesiastici ministerij, nempe ad gloriam Dei, & vtilitatem Ecclesiæ. Expedit autem ad hunc finem modus etiam ille remittendi in Indulgentia. Aut proferant Sectarij testimonium aliquod sacræ Scripturæ, vel alicuius sancti Patris, quo demonstrent, eum modum, neque bonitatem diuinam decere, neque conducere membris ipsis Ecclesiæ. Nullum certè possunt.

Est præterea ALIVS locus, secunda ad Corinthios secundo, quo meritò Theologi ad hanc ipsam auctoritatem Indulgentiarum cõfirmandam vti solent. Ibi enim Apostolus apertè significat, accepisse se à Christo potestatem, pœnam iudicio Dei debitam peccato post dimissam culpam condonandi eiusdem Christi auctoritate; quod est re ipsa auctoritatem accepisse conferendi Indulgentiam: Nam de Corinthio illo incestuoso, qui iam remissionem culpæ per pœnitentiam obtinuerat; (vt Chrysostomus, & Theophylactus, & Commentarius Ambrosij, & alij in illum locum interpretantur, & ex ipsis item Apostoli verbis colligitur) cùm à Corinthiorum etiam Ecclesia dignus aliqua remissione & venia iudicaretur, intercessioque pro eo facta esset; sic Apostolus scribit: *Cui aliquid*, inquit, *donastis, & ego; nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona* CHRISTI.

Hic verò Kemnitius & alij Sectarij obiiciunt, pœnam tantùm iudicio Ecclesiæ ad ædificationem aliorum, & disciplinæ caussa debitam, condonasse hîc Apostolum, cùm iam Corinthius ille satis magnam internæ pœnitentiæ significationem dedisset, eaque re satisfecisse Ecclesiæ videretur; non autem condonasse hîc Apostolum pœnam aliquam, quæ persoluenda alioqui restaret *iudicio diuino*. Idque confirmant, quoniam pœna illa, *publica* erat, & iudicio etiam Ecclesiæ imposita, & quam ipsa item Ecclesia, vnà cum Apostolo condonauit. Ac nugatur hîc præterea multa Kemnitius: *Forsan* (inquit) *per aliquam bullam ille Corinthius Indulgentias obtinuit, aut data aliqua summa pecuniæ, vel suscepta peregrinatione ad loca sancta illas redemit; quod ita* (inquit iste) *factum oportuit, si Indulgentias Pontificias locus ille probare debet.*

Nos autem, omissa hac istius in iocando leuitate, remisisse tunc Diuum Paulum aliquam pœnam iudicio Dei debitam, atque adeò reipsa concessisse illi Corinthio Indulgentiam, multis modis probamus. PRIMO, quia illam pœnam, aut partem illius pœnæ remisit tunc Apostolus, quã antea, prima ad Corinthios quinto, dixerat, se nomine ac loco Christi ei homini cõstituisse: *Absens*, inquit, *corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui, vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri* IESV *Christi, congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat, in die Domini.* Quo loco Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius, & Anselmus interpretantur, Christum ipsum simul eam sententiam Apostoli tulisse & confirmasse, eamque vim habere, quod Apostolus ait, se *nomine & virtute* CHRISTI ita iudicasse. Quæ autem pœna hoc modo fuit constituta, certè nõ est pœna debita tantùm in foro externo Ecclesiæ, ratione disciplinæ, sed etiam in foro & iudicio Dei, aut per se, aut quatenus irrogatur loco alterius pœnæ, quę secundùm iustitiam diuinam esset alioqui soluenda.

SECVNDO, idem ex eo probatur, quod Apostolus dicit, eam pœnam decreuisse se irrogare, *vt illius hominis spiritus saluus fieret in die Domini.* Quo ipso satis etiam significauit, eam pœnam, vel aliam eius loco, debuisse secundùm iudicium Dei luere Corinthium illum, vt saluus denique esse posset; quantumuis alioqui per veram pœnitentiam internam, quæ in momento, & absque eiusmodi pœna haberi poterat, gratiam assequeretur, vt illi contigit.

TERTIO, quia 2. Corinth. 2. vbi se illam pœnam condonasse dicit, non qualicunque auctoritate, sed *in persona Christi* se condonauisse affirmat. Erat igitur debita iudicio Christi, & non tantùm caussa disciplinæ secundùm iudicium Ecclesiæ. Atque ita D. Anselmus illum locum interpretatur: *Vt ratum*, inquit, *ei cui donauit, ostenderet apud Deum, ait, in persona Christi se donasse quod donauit, id est, vice Christi, qui ait, quorum remiseritis peccata, &c.* Ioann. 20. Hactenus Anselmus.

QVARTO

QVARTO, quia eam pœnam condonauit Diuus Paulus per auctoritatem, quam Christus Dominus Apostolis & eorum successoribus cõtulit *remittendi peccata*, in foro nimirum ipsius Dei, vt non tantùm Anselmus iam citatus, sed apertè etiam D. Epiphanius hæresi 59. & Diuus Ambrosius libro primo de pœnitentia, cap. 6. sentiunt, qui ex hoc ipso loco Apostoli probant contra Nouatianos, esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata post Baptismum, à Christo traditam, Ioann. 20. Cùm autem ea potestas remittendi peccata, in condonatione quidem illius pœnæ, non fuerit tunc ab Apostolo exercita quoad culpam (huius enim remissionem iam per pœnitentiam Corinthius ille impetrauerat) restat vt eam exercuerit quoad *pœnam*, secũdùm iudicium diuinum peccato debitam.

ARGVMENTVM autem Kemnitij & Sectariorum contrarium, nullius est momenti. Primùm enim nihil obstat, quò minus ex consensu etiam publico Ecclesiæ, pœna quoque debita in foro Dei imponeretur & remitteretur; præsertim quando peccatum erat publicum, vt fuit illius Corinthij. Quin etiam ex Diuo Augustino libro 50. homiliarum, homilia quinquagesima intelligi potest, pœnitentias eas, quæ in ipso Sacramento pœnitentiæ imponendæ essent plurium iudicio solitas fuisse antea decerni, pro qualitate vniuscuiusque criminis. Deinde neque obstat, quod Ecclesia item pœnam illam condonauit Corinthio. Nam cùm Ecclesia quoque ab eo fuisset per illud peccatum offensa; ipsa etiam debuit suo modo illi condonare pœnam, quæ ad fidelium quoque satisfactionem ei imposita erat.

DENIQVE ad illud, quod Kemnitius nugatur de caussa & modo, quo Apostolus illius pœnæ Indulgentiam Corinthio fecerit; seriò nos respondemus, mentiri Kemnitium cùm asseuerat ad Indulgentias Pontificias concedendas, vel pecuniam, vel peregrinationem esse necessariam. Satis enim est, si aliqua omnino caussa existat ob quam Indulgentia & ad gloriam Dei, & ad vtilitatem Ecclesiæ cedat, cuiusmodi caussa aliqua procul dubio suppetiuit Apostolo, vt illam pœnæ condonationem faceret. Habemus igitur auctoritatem Indulgentiarum ex S. Scriptura confirmatam, suffragante nobis interpretatione sanctorum Patrum, quam in controuersia de fide, & S. Scripturæ sensu, meritò Sectariorum figmentis anteponimus.

SECVNDO loco probamus eandem auctoritatem Indulgentiarum ex VSV antiquissimo Catholicæ Ecclesiæ, contra quem disputare *insolentissimam insaniam esse*, affirmat meritò Diuus Augustinus epist. 118. Ac primum quidem iam inde à quadringentis annis extare in Ecclesia expressam memoriam Indulgentiarum, neque ipsi Sectarij diffitentur. Nam Alexander III. qui præfuit circa annum Domini M. C. LX. mentionem facit Indulgentiarum, seu remissionum, quæ concedi essent solitæ in dedicationibus Ecclesiarum, aut iis, qui aliquid conferebant ad ædificationes pontium. Vt patet in Cap. *Quod autem*, Extra, de pœnitentiis & remissione. Et post hunc Pontificem, vsque ad præsens tempus Pontifices posteriores varias concessisse Indulgentias, compertum est. Vt Innocentium III. qui in magno Concilio Lateranensi sub finem, circa annum Domini M. CC. XV. concessit Indulgentiam iis, qui adiuuarent expeditionem Hierosolymitanam.

Item Honorius III. ante annos circiter CCC. LXX. Indulgentiam ab ipso Christo (vt fertur) in Ecclesia S. Mariæ de portiuncula Assisiis D. Francisco petente concessam, sua etiam auctoritate sanxit & confirmauit; cùm Christus iussisset D. Francisco, vt id ab eo, tanquam à Vicario suo, peteret. Neque enim moramur, quòd hanc historiam deridet sine vllo fundamento Kemnitius, vt sunt isti morosi & difficiles ad ea credenda, quæ pertinent ad pietatem.

Item Vrbanus IV. ante annos CCC. XXX. iis, qui festum corporis Christi piè celebrarent, vt patet in Clementina vnica, de reliquuiis & veneratione Sanctorum.

Item Nicolaus IV. ante annos CCC. X. iis qui adiuuarent expeditionem Hierosolymitanam eadem forma concessit Indulgentiam, qua fecerat Innocentius III. Quam formam ad verbum recitat Gandauensis quodlib. 15. quæstione 14.

Item Bonifacius VIII. ante annos circiter CCC. primus Iubilæum centesimo quoq; anno instituit, vt patet in Extrauaganti, *Antiquorum*, de pœnitentiis & remissione. Quem Iubilæum postea Clemens VI. voluit esse quinquagesimo quoque anno, vt patet in Extrauag. *Vnigenitus*, eodem tit. Et tandem Paulus II. & Sixtus IV. vigesimo quinto quoque anno, celebrandum decreuerunt, vt patet eodem tit. in Extrauag. *Quemadmodum*. Quod institutum & modò perseuerat.

Item Martinus V. in Concilio Constantiensi, Indulgentiam concessit iis, qui intererant Concilio, vt patet sess. vltima; & similiter alij Pontifices vsque ad nostram memoriam.

SECVNDO, omnes hi Pontifices, per hos quadringentos annos Indulgentias, tanquam ex *veteri Ecclesiæ instituto* concesserunt, neque vllus eorum de eis, tanquam de re aliqua noua est locutus, sed planè vt de antiqua, & in qua dispensanda habuerit semper sedes Apostolica legitimam auctoritatem per *potestatem soluendi & ligandi* sibi à Christo traditam; Vt Innocentius III. suprà citatus, in Concilio Lateranẽsi, nemine Patrum ex eo celeberrimo & frequentissimo Concilio refragante, affirmauit in forma eius Indulgentiæ quam ibi concesit. Quo fit, vt neque Ecclesia Catholica in ea re vnquã Pontificibus, quasi

Universidad de Deusto
Biblioteca

nouum aliquid præter limites auctoritatis suæ introducentibus, repugnandum putauerit. Sed solum aliqui hæretici, vt suprà notauimus, Indulgentias, sicut & alia Ecclesiæ sanctissima instituta, improbarunt, aut etiam de iis nonnulli alij priuato suo errore & temeritate perperam senserunt. Quorum opiniones ab aliis Doctoribus orthodoxis, magnis & illustribus, explosæ iam dudum sunt, vt passim est videre in Theologorum commentariis, dist. 20. lib. 4. sent.

TERTIO, ante Alexandrum etiam III. qui, vt diximus, circa annum M. C. LX. præfuit, Pontifices antiquiores varias concessisse Indulgentias proditum est. Nam Paschalis II. qui præfuit ante annos ferè D. in Concilio quodam Lateranensi concessit Indulgentiam 40. dierum, iis pœnitentibus, qui visitarent Apostolorum limina, vt testatur Abbas Vrspergensis in suis Chronicis anno 1116.

Item Vrbanus II. qui præfuit ante annos circiter DC. iis, qui cruce signati ad bellum Hierosolymitanum proficiscerentur, concessit Indulgentiam his verbis: *De misericordia Dei, & beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi ipsis iniunctas pro delictis suis pœnitentias relaxamus.* Quã concessionem passim Doctores referunt fecisse in quadam Synodo Claromontana.

Item Sergius III. qui præfuit ante annos D C. X C. trium annorum, & trium quadragenarum Indulgentiam concessit Romæ in festiuitatibus anniuersariis Ecclesiæ S. Martini in montibus, vt antiquissimus lapis marmoreus in altari maximo eiusdem Ecclesiæ inscriptum habet.

Item Leo III. qui præfuit ante annos D C C. L X X. Indulgentiam concessit in Ecclesia S. Mariæ Aquisgrani, & eiam iis fidelibus qui celebrarent festum S. Suiberti Episcopi VVerdensis, vt perhibetur in vita eiusdē S. Suiberti, sicut à Surio refertur, desumpta ex epistola quadã S. Ludgeri ad Rixfridum Traiectẽsem Episcopum, tomo 2. de vitis Sanctorum, in initio Martij.

Item Diuum Gregorium Magnum, qui præfuit ante annos M. stationes Romanas additis Indulgentiis instituisse, referunt D. Thomas, & alij in 4. dist. 20. & Altisiodorensis lib. 4. Summæ, in capitulo de Relaxationibus, quæ fiunt per claues, vel certè eas in certum ordinem redegit, cùm iam antè essent institutæ, vt confirmat Onuphrius Panuinus in Tract. suo de stationibus. Neque est assentiendum Kemnitio & aliis Sectariis, qui, quoniam in scriptis D. Gregorij non extat mentio eiusmodi Indulgentiarum, figmentum id esse putant. Potiùs credendum est, sanctum Thomam, Altisiodorensem, & alios, vt id assererent, fundamentum habuisse in aliqua historia authentica, vel testimonio fide digno, quantumuis eiusmodi historia iam non reperiatur.

Item de D. Syluestro, qui ante annos M. C C. præfuit, Romæ in sacello sanctæ Crucis in Hierusalem legitur, quod ad petitionem sanctę Helenæ *sacellum illud consecrauerit, et multis Sanctorum reliquiis ornauerit, multiplicemq́, peccatorum veniam visitantibus indulserit.*

QVARTO, licet etiam nobis ad probandam antiquitatem Indulgentiarum, alia quædam testimonia antiquitatis ad certam formam argumentandi reuocare, hoc modo: Si olim Prælati Ecclesiarum extra Sacramentũ remiserunt pœnitentias alioqui iustas, quæ, vt Deo satisfieret, institutæ essent; idq; fecerunt ex quadam *gratia* erga pœnitentes, & cum ipsorum emolumento: omnino existimari debet, Prælatos olim pœnam iudicio diuino peccatis debitam, vel in totum, vel in partem remisisse extra Sacramentum, atque adeò Indulgẽtiam, quod ad rem ipsam attinet, concessisse. At olim Ecclesiarum Prælati quandoq; pœnitentias tales ita prorsus remiserunt: Igitur omnino existimari debet, eos quandoque remisisse pœnam iudicio diuino peccatis debitam, atque adeò re ipsa concessisse Indulgentiam.

Maior argumenti propositio probatur. Quoniam nisi etiam remiserint pœnam iudicio diuino debitam, quæ pœnitentiis illis quas relaxabant fuisset redempta, nullam fecissent ea re pœnitentibus *gratiam* (vt fecisse pono per hypothesin in illa Maiori) sed potiùs eis attulissent magnum spirituale detrimentum: quandoquidem longè fuisset eis satius cõstitutas pœnitentias adimplere, & ea ratione pœnam seueriſsimã iudicio diuino debitam redimere, quàm pœnitentias eiusmodi remittere, & manere interim obligatos ad satisfaciendum Deo.

Minor autem argumenti propositio tres partes complectitur. PRIMA est, Prælatos Ecclesiarum antiquis temporibus solitos quandoque fuisse pœnitentias alioquin iustas, peccatis constitutas, relaxare. SECVNDA est, eas pœnitentias quæ relaxabantur ita fuisse institutas, vt satisfieret Deo, ne scilicet ipse alioqui puniret pro peccatis. TERTIA est, cùm Prælati huiusmodi pœnitentias remittebant, hoc illos fecisse ex quadam *gratia* erga pœnitentes. Quæ omnes partes sigillatim iam sunt confirmandæ, vt firma sit argumenti conclusio, videlicet remisisse tunc Prælatos pœnam iudicio diuino debitam, ac proinde concessisse Indulgentias.

Et quidem PRIMAM partẽ, scilicet fuisse quãdoq; remissas illas pœnitentias, neq; ipsi Sectarij diffiteri possunt. Constat id enim ex Concilio Nicæno, can. 11. & Ancyrano, cap. 2. & 5. & ex actis Concilij Chalcedonensis, actione prima, in epistola quam Monachi quidam Eutycheti adhærentes miserunt ad Concilium Ephesinũ II. Item ex Concilio Laodicæno, can. 2. & Carthaginensi III. can. 31. & Triburiensi, can. 52. & ex Diuo Cypriano libro primo, epistola tertia, & ex Dionysio Episcopo Corinthiorum, apud Eusebium lib. 6. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 32. & ex

D. Basi-

D. Basilio in Canonibus ex epistola ad Amphilochium, collect. can. 73. Ac ipse etiam Kemnitius ex Burchardi Canonibus, præsertim lib. 18. can. 18. refert, quemadmodum pœnitentiarum Canonicarum variæ commutationes ac redemptiones fieri solitæ olim fuerũt ad minuendum earum rigorem. In quibus commutationibus ac redemptionibus aliqua erat remissio, saltem secundùm partem, vt patet.

SECVNDA pars illius Minoris erat, eiusmodi pœnitentias alioqui fuisse institutas, vt Deo satisfieret, ne ipse puniret pro peccatis. Hoc Kemnitius & alij Sectarij communiter negant: sed dicunt fuisse tantùm institutas illas pœnitentias causſa disciplinæ, vt per eas daretur significatio Ecclesię animi verè pœnitentis. Item vt fideles illa seueritate à peccando inposterum deterrerentur: atque ita fuisse illas pœnitentias ad satisfaciendum eatenus ipsi Ecclesiæ, non Deo: aut si aliqui veteres satisfaciendum fuisse Deo per illas pœnitentias dicunt, non eo sensu id dixisse, quasi oportuerit pœnitentiis illis placare iram Dei, redimendo pœnam aliquam iudicio diuino debitam, sed quia necesse fuit, vt vnusquisque studium illud suum ædificandi Ecclesiam, per eas pœnitentias probaret etiam Deo ipsi, rectè nimirum illud exequendo; atque eatenus oportuisse etiam Deo satisfacere: nam & tunc aliis satisfacere dicimur, cùm studium nostrum illis probamus, inquit Kemnitius. Et confirmat is, non fuisse pœnitentias illas ad satisfaciendum Deo pro pœna, quia non omnibus, inquit, peccatis, sed quibusdam tantùm enormibus decernebantur, cùm tamen Deus per omnia peccata, secundùm cuiusque grauitatem, offendatur.

AT nos fuisse pœnitentias illas ad *Deum placandum*, satisfaciendo ei pro pœna, alioqui debita, facilè probamus. Passim enim veteres id apertè significant, vbi de satisfactionis operibus in pœnitentia necessariis loquuntur. vt AVGVSTINVS libro de pœnitentiæ medicina, seu homil. 50. de pœnitentia, citatus etiam à Beda, 2. Corinth. 12. & à Gratiano distinct. 1. de pœnit. can. 63. & in eadem homil. 50. cap. 9. vbi inquit Augustinus: *Pœnitentia maiorem in se seueritatem debet exercere, vt à se ipso quis iudicatus non iudicetur à Deo.* Et rursus in eadem homilia capite vndecimo. Item Hieronymus in caput 1. Ioëlis, & in caput 9. Amos, & Origenes homil. 3. in cap. 3. Iudicum, & Ambrosius libro primo de pœnitent. cap. 2. & Chrysostomus in caput sextũ ad Hebr. homil. 9. & Alcuinus in libro de Ecclesiasticis offic. in capite de capite ieiunij, & Basilius in Canonibus, can. 73. & Tertullian. in libro de pœnitentia, & in Apologetico, cap. 39. vbi in castigationibus illis & pœnitentiis dicit fuisse *diuinam Censuram*, hoc est, vindictam. Item, Cyprianus libro primo epist. 8. & libro quarto, epist. 4. & 5. & libro tertio, epist. 14. & libro quinto, epistola 6. & 12. & passim aliâs, & D. Leo serm. 8. de ieiunio septimi mensis.

QVIN & ipse Kemnitius hanc fuisse veterem sententiam de satisfactionibus illis, his verbis confitetur: *Nec verò*, inquit, *sum nescius, veteres aliquando nimis largiter disciplinam illam Canonicam commendare, vt quod Tertullianus dicit, satisfactionibus illis peccata expiari. Cyprianus, illis peccata redimi, abluì, sanari, & iudicem placari. Augustinus, Deum illis de peccatis præteritis propitiari, &c.* Sed addit postea Kemnitius: *Quod si Pontificij has sententias vrgere voluerint, prouocabimus ad locum communem, in quo ipsi Patres pronunciant, quid de hominum scriptis, sicubi à regula S. Scripturæ declinare videntur, iudicandum sit.*

EGO verò primùm iudico, rectiùs sacræ Scripturæ regulã à Cypriano & aliis Patribus, quàm à Kemnitio & aliis Sectariis intelligi, & de loco illo communi Patrum, ad quem Kemnitius hic prouocari vult, satis multa ad Sectariorum istorum Confusionem diximus, tomo tertio. disputatione prima, quęstione prima, puncto septimo, §. 45. Deinde testimonia Patrum, nunc quidem non ideo solùm producimus, vt confirmemus, satisfactionem, quæ fit Deo, minimè pugnare cum sacræ Scripturæ sententia, sed vt inprimis constet, quo fine satisfactiones illæ pœnitentiales olim in Ecclesia vsurpatæ sint, id quod nunc quidem agimus. Indicant autem Patres locis citatis, fuisse vsurpatas ad placandam Dei iram, ne insligeret ipse alioqui pro peccatis pœnam. Hoc verò, si Patres falsò testati sunt, nõ iam modò sacræ Scripturæ sensum assecuti non sunt, sed etiam de consuetudine & instituto suorum temporum sunt mentiti, quod non est vllo modo credibile.

COMMENTITIA igitur Kemnitij interpretatio est, tantummodò satisfaciendum illis pœnitentiis Deo veteres existimasse, probando illi ipsum studium, quod in ædificanda Ecclesia per eam disciplinam suscipiebatur. Quod autem ibi Kemnitius commemorat Gropperum huius temporis scriptorem interpretari eatenus satisfactiones illas expiare peccata, quatenus ad veram pœnitentiam internam, & fidem in Christum, qua apprehenderetur remissio, excitabant; eoque sensu Patres esse locutos; potest hæc quidem interpretatio ad aliqua testimonia accommodari, in quibus pœnitentias illas ad gratiam quoque ipsam reconciliationis & remissionem *culpæ mortalis*, ac pœnæ æternæ valere, veteres fortè significauerint; neque aliter hoc intellexerit Gropperus, cuius locum Kemnitius non citat. Cùm autem absolutè Patres citati aiunt, ad Deum placandum, ipsique satisfaciendum pœnitentias illas fuisse vsurpatas; id intellexerunt, non solùm quatenus excitant internum dolorem, sed inprimis quatenus per ipsas punitur & vindicatur ab homine ipso peccatum, ne alioqui seueriùs à Deo puniatur &

Universidad de Deusto
Biblioteca

vindicetur. Atque hoc patet, tum ex ipſis verbis Patrum, in pleriſque locis citatis, tum etiam ex eo, quòd pœnitẽtias eas ex deteſtatione peccati ac pœnitentia interna iam animo concepta ſuſcipi Patres volebant, & diuturnitatem aliquã in illis ordinariè requirebãt, vt ſatis ab ipſiſmet pœnitentibus punirentur peccata.

HANC eſſe mentem Patrum cùm non ignoraret Kemnitius, tandem eò confugit, vt dicat, Patrum ſententias non eſſe Scripturarum regulæ præferendas. Quod & nos etiam dicimus, ſed tamen meritò putamus, Patres rectiùs quàm Sectarios intellexiſſe ſacras Scripturas, vt antea oſtenſum eſt.

AT obiicit nobis hîc Kemnitius verba illa Tertulliani in libro de pœniten. *Satisfactio*, inquit, *confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus placatur.* quaſi inde ſequatur, ſatisfactionem non valere ad placandum Deum, niſi quatenus ex illa & confeſſione oritur pœnitentia interior.

Sed reſpondemus, Tertullianum ibi *Pœnitentiæ* vocabulo intelligere completam pœnitentiam, quæ ex omnibus illis tribus actibus, confeſſione, ſatisfactione, & dolore conſtat, per quam demùm Deus abſolutè & completè placatur, etiam quoad remiſſionem reatus pœnæ. Quare *naſci pœnitentiam* ibi apud Tertullianum etiam eſt, euadere demùm pœnitentiam perfectam, non aũt oriri tunc tantùm, atq; excitari pœnitentiæ dolorem; idque patet, quoniam ſecundùm mentem etiam Tertulliani, ex interno proculdubio dolore, tum confeſsio, tum ſatisfactio debuit proficiſci.

AD illud autem, quod Kemnitius item obiiciebat, non omnibus, ſed tantùm *enormibus* peccatis pœnitẽtias illas Canonicas decretas fuiſſe, reſpondeo primùm, pleriſque etiam vulgaribus peccatis fuiſſe conſtitutas. Nam Burchardus lib. 19. cap. 5. commemorat *otioſa* vel *leuia iuramenta*, partim ſeptem, partim quindecim, partim quadraginta dierum pœnitentia fuiſſe mulctata. Item mutilationem alicuius membri pœnitentia vnius anni, & vulnerationem ieiunio vnius *carenæ*, id eſt, quadraginta dierum (ita enim appellabant) Item fornicationem pœnitentia decem dierum, & ſic alia quædam peccata vulgaria. Secundò reſpondeo cùm Alcuino in libro de Eccleſiaſt. offic. capite de capite Ieiunij, quod eſt Canon 86. apud Gratianum de pœnitentia, diſtinct. 1. arbitrio Sacerdotum relictum fuiſſe, vt iis etiam peccatis, quorum in ſpecie Canones pœnitentiales non facerent mẽtionem, pœnitentias illi præſcriberent iuxta proportionem earum pœnitentiarum, quæ eſſent in Canonibus decretæ peccatis aliis.

TERTIA pars illius Minoris, quam in argumento noſtro aſſumpſimus, erat, cùm Prælati olim iuſtas pœnitentias, & vt Deo ſatisfieret inſtitutas, remiſerunt, id eos feciſſe ex *gratia quadam* erga ipſos pœnitentes. Hoc verò, quod ſciam, nullus Sectariorum negat. Eſt enim ex ipſis veterum ſcriptis, quæ ſuprà citauimus, compertiſsimum. Nam in Concilio Nicæno, can. 11. illa remiſsio inſtituta fuit, vt *humanius* (ſic enim Concilium loquitur) *ageretur*. In Laodicena Synodo, canone ſecundo, dicitur faciendam fuiſſe ſecundùm *miſericordiam*. Baſilius in Canonibus, can. 73. & Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus apud Euſebium libro ſexto, capite 32. indicant eam *clementer* faciendam. Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. ait *humanitate quadã* ſe ſolitum remittere; & addit: *Delictis plus quàm oportet remittẽdis pœnè ipſe delinquo*. Et lib. 4. epiſt. 2. Cornelium Papam defendit, quòd lapſis quibuſdam *clementer laxauerit pœnitentiam*.

ATQVE huius rei etiã clariſsimum argumentum eſt, quod opportunitate dierũ *Feſtorum*, præcipuè in Eccleſia celebrãtur, ſolitæ erant fieri illæ condonationes; ad animos videlicet fidelium, propter beneficium, exhilarandos. Innocentius enim primus, qui præfuit ante annos M. C. X C. in epiſt. ad Decẽtium, cap. 7. teſtatur, conſuetudinem fuiſſe Romanæ Eccleſiæ, vt pœnitentibus, ſiue ex *grauioribus*, inquit, *commiſsis, ſiue ex leuioribus pœnitentiam agerent feria V. ante Paſcha pœnitentia remitteretur*. Et in actione 1. Cõcilij Chalcedonenſis, Monachi, qui ſub Eutychete in Orientali Eccleſia erant, epiſt. ad Concilium Epheſinum II. inter cætera ſic ſcribunt: *Superuenit*, inquiunt, *ſalutaris paſsionis dies, ſacra nox, & reſurrectionis feſtiuitas, in qua quidem plurimis peccatoribus, à ſanctis Patribus noſtris damnationes ſoluuntur*. Certè relaxatio, quæ ob feſtiui temporis opportunitatem fieri ſolebat, ex gratia inprimis quadam fiebat. Totum igitur illud argumẽtum confirmatum à nobis eſt, quod pro antiquitate Indulgentiarum ex veterum teſtimoniis 4. loco exſtruximus. Quin etiam ipſo tempore Apoſtolorum vſum Indulgentiarum fuiſſe, quod ad rem quidem attinet, ex loco Apoſtoli, 2. Cor. 2. ſuprà oſtendimus.

TERTIO principaliter probatur auctoritas Indulgentiarum RATIONE Scripturæ analoga, vt initio propoſuimus. Nam ſi ſatisfactiones Chriſti & Sanctorũ, quæ ipſis ad pœnam expiandam neceſſariæ non fuerunt, manent Eccleſiæ tanquam theſaurus quidam repoſitus in acceptatione diuina; rationi omnino & S. Scripturæ conſentaneum eſt, vt penes Eccleſiæ Præſules ſit poteſtas eum theſaurum diſpenſandi, hoc eſt, accommodãdi valorem earum ſatisfactionum, ex iuſta cauſſa iis, qui indigent. At omnino theſaurus ille Eccleſiæ repoſitus eſt in acceptatione diuina. Ergo fatendum eſt, ea poteſtate eſſe prẽditos Eccleſiæ Præſules. Minorem ſuprà in hypotheſi tertia confirmauimus. Maior patet, quia nõ eſt Eccleſia Chriſtiana minùs bene inſtituta, quàm aliæ Reſpublicæ, ad quarũ bonum ſtatum pertinet, vt quæ bona communia ſunt, ea diſtribui ac

diſpenſari ex iuſta cauſſa poſsint ab iis, qui in communitate præſunt, ne alioqui vel inutilia ſint, vel perperam ex priuatorum voluntate diſtribuantur.

ADVERSVS hunc autem THESAVRVM Eccleſiæ, ex quo ratio hæc ducitur, nihil habent aliud Sectarij quod opponant, niſi quod nemo, eorum quidem ſententia, aut debet, aut poteſt pro ſe ſatisfacere, nedum pro aliis, cùm id præſtiterit pro nobis Chriſtus, nec vllam putent remiſſa culpa reſtare pœnã. Sed hæc aliàs ſæpe refutata ſunt, & fuſè à nobis tomo ſecundo, diſputatione ſexta, quæſt. 17. puncto quinto, & ſuprà in quæſt. de Satisfactione. Neque ſacræ Scripturæ teſtimonia quædam, quæ Kemnitius hîc contra neceſsitatem ſatisfaciendi, aut valorem ſatisfactionis pro aliis, affert, quidquam ad rem faciunt. Vt quòd Virgines prudentes fatentur, Matth. 25. ſe de oleo ſuo non poſſe dare aliis, ne vtriſque deſit. Item quòd electi in iudicio diuino, Matth. 25. opera ſua vix volunt agnoſcere, quin immò coronas ſuas Apocal. 4. modeſtè & humiliter ante thronum deponunt, quaſi ipſi nihil fecerint. Item quod Matth. 18. Dominus ille, qui ſimilis eſt Patri cœleſti remittenti peccata, dicit ſeruo ſuo: *Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.*

BREVITER autem ad hæc dicimus, reſponſum virginum eò propriè pertinere, vt intelligatur, non poſſe valere alicui opera aliena ſine ſuis propriis, vt recipiatur in diuinam gratiam & charitatem, per quæ oleum ſignificari ſolet, & ſine qua non poteſt aliquis ad nuptias cœleſtes intrare. Satisfacere autem pro pœna alterius, qui iam ſit in gratia, non idem eſt, quod oleum illud ei ſuppeditare. Alioqui ſuperbus, neque ſimilis illarum Virginum prudentum fuit Diuus Paulus, qui, vt ſuprà vidimus, paſsiones ſuas ſe dicebat communicare Eccleſiæ.

Quod autem opera ſua Sancti vix agnoſcunt, nec ſibi volunt illa aſſcribi, pertinet ad ipſorum humilitatem: quæ quidem non impedit, quò minùs ſimul putauerint, illa, vt ex gratia diuina procedebant, habuiſſe vim & merendi, & ſatisfaciendi.

Ad verba autem illa parabolæ: *Omne debitum dimiſi tibi*, reſpondeo; Ea debere accommodari ad remiſsionem omnis debiti quoad *culpam, & pœnam æternam*, & etiam quoad *pœnam temporalem*, interueniente ſatisfactione, quæ nitatur *gratia* & remiſsione culpæ. Nam quod pro pœna temporali aliqua Deo ſatisfaciendum ſit, ex aliis locis ſacræ Scripturæ conſtat. Quare non debet eò vſque extendi ſimilitudo illius parabolæ, vt putemus ſine vlla ſatisfactione remitti quidquid remittitur in peccato. Alioqui colligam etiam ex hac parabola, ſine vlla quoque fide aut pœnitentia, remitti culpam, ſi tantummodò quis ſibi remitti *roget*; vt ſeruus ille rogauit ſibi remitti debitum. Nec verò in hac ſolùm parabola, ſed etiam in aliis ſolet eſſe in quibuſdam rebus diſſimilitudo.

QVARTO probatur principaliter auctoritas Indulgentiarum ex definitione Eccleſiæ: quam qui non audit, Chriſto iudice, non Chriſtianus, ſed Ethnicus reputari debet. Exſtat autem approbatio Indulgentiarum in Concilio Conſtantienſi, ſeſsione 15. & vltima; & antea in Concilio Viennenſi, vt patet ex Clement. Vnica, de reliquiis & veneratione Sanctorum; & antea etiam in Concilio Lugdunenſi ſub Innocentio IV. vt patet in Cap. *Romana*, de pœnitent. & remiſs. libro ſexto, & antea in Concilio magno Lateranenſi ſub finem; & tandem in Concilio Tridentino, ſeſsione 25. in quo etiam abuſus, ſi qui fortè ex ſuperſtitione, aut aliter in hoc genere irrepſerunt, notari iubentur per Epiſcopos, & ad ſummum Pontificem referri: itemque ibi præcipitur, vt omnes quæſtus aboleantur, & caueantur exceſſus omnes in hoc genere, ſicut in Concilio etiam Viennenſi, Lugdunenſi, & Lateranenſi, capite 62. ſimilia quædam prohibita fuerunt.

ATQVE HACTENVS quidem ipſam Indulgentiarum aſſertionem directè probauimus, iis confutatis, quæ Sectarij contra has probationes ſolent obiicere. Præter illa verò, pauca quædam, eaque nullius momenti habent, quæ contra aſſertionem ipſam directè opponant. PRIMO vrgent, inſtitutum Indulgentiarum rem nouam eſſe, cuius neque in ſacra Scriptura, neque in veterum ſcriptis ante Alexandrum III. memoria exſtet; idque quoſdam Scholaſticos & alios Catholicos ſcriptores confiteri. Quinimmò neque Gratianum in decreto, neq; Magiſtrum ſentent. qui ab hinc annis circiter 400. ſcripſerunt, mentionem Indulgentiarum feciſſe.

RESPONDEO, rem quidem Indulgentiarum, & in ſacris Scripturis, & in veterum ſcriptis contineri, vt oſtendimus, quamuis non ita expreſsè ipſum *Indulgentiæ* nomen. Et quod non ita apertè, frequenter, & in ſpecie res etiam ipſa Indulgentiarum à veteribus commemoretur, cauſſa fuit, vſus pœnitentiæ ſeuerioris, quæ temporibus illis multum vigebat, ita vt nõ eſſet magnoperè neceſſarium beneficio Indulgentiarum vti. Poſtea verò decreſcẽte illo feruore pœnitentiæ, illarum vſus increbreſcere cœpit. Gratianus autem & Magiſter ſatis eſſe putarunt de ipſa auctoritate remittendi peccata agere, ad quam Indulgentia tanquam vnus quidam particularis vſus eius, reuocatur; præſertim cùm ante ipſorum tempora non fuerit eiuſmodi vſus in Eccleſia frequens. Denique Doctores Catholici minimè putant, Indulgentias nullo modo probari poſſe ex ſacra Scriptura, ſed non poſſe ſatis euidenter & expreſsè probari. Quanquam non moramur, ſi illorum aliqui plus quàm oportuit conceſſerint hac in parte aduerſariis, vt fecit ſanè Roſſenſis, art. 18. Qui meritò

Universidad de Deusto
Biblioteca

ea de re notatus fuit à Dominico Soto in 4. d.21. quæst. 1. art.3. & ab aliis.

SECVNDO obiiciunt illud Actor. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum Dei pecuniâ possideri posse.* Et illud 2. Petri 2. *Erunt Magistri mendaces, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Quæ inculcat hîc valdè impudenter Kemnitius.

RESPONDEMVS enim, Eleemosynam nunquâ eo fine, secũdùm ipsum quidem institutum Ecclesiæ fuisse requisitam, vt per eam, quasi negotiatione quadam, vt isti nugantur, emeretur remissio pœnæ; sed vt adhibito illo opere pio, & ad bonum aliquem finem necessario, causa idonea suppeteret dispensandi per Indulgentiam, Ecclesiæ thesaurum, qui, vt postea docebimus, absque causa, quæ in vtilitatem Ecclesiæ cedat, distribui non potest. Quod si abusus aliqui per quæstores Indulgentiarum in hac parte irrepserunt, frustrà eos nobis obiiciũt aduersarij, cùm minimè illi excessus, Ecclesiæ vitio acciderint, sed per Ecclesiam potiùs prohibiti sint in Conciliis, vt suprà notatum est.

TERTIO obiicit Kemnitius, doctrinã de Indulgentiis pugnare contra præcipuos articulos fidei, nempe contra meritum, & satisfactionem Christi, & remissionem peccatorum per ipsum, contra claues regni cœlorum; quia scilicet cùm deberent Ministri remittere omnino peccata, retinent pœnæ reatum. Item contra fidem; contra doctrinam de bonis operibus.

SED hæc inania verba sunt, aliâs sæpissimè refutata. Et quod ad claues attinet, superius exposuimus, illarum actum non tantummodò esse remittere, sed etiam ligare; itaq; remittunt per illas Ministri peccata quoad culpam, & ligant quoad aliquam pœnam, quæ deinde per Indulgentias relaxari possit.

QVARTO obiicit, quod aliquando sunt concessæ Indulgentiæ 40. 100. 1000. & plurium annorum, cùm tamen non tam diu duret pœna Purgatorij.

RESPONDEO, sensum esse, quòd remittatur tantum de pœna Purgatorij, quantum sufficienter, aut etiam superabundanter redimi posset per pœnitentiam in hoc seculo seuerè actam, si tot annos duraret. Neque tamen negamus, quin etiam in exaggerando nimium illo numero annorum, aliquid vltra modum, quod ad ipsam formam loquendi attinet, peccari possit; quamuis ad rem ipsam quod attinet, semper posset illa explicatio iam adhibita accommodari ad eas formulas loquendi: nempe, vt sit sensus, remitti tantum de pœna, quantum posset redimi superabundanter per pœnitentiam 1000. etiam annorum in hac vita, si tamdiu durare posset.

QVINTO obiicit Kemnitius sententias quorundam Patrum, qui sine peregrinatione, & pecunia, dicunt, vel solo animi proposito remissionem peccatorum statim obtineri posse; sicut Chrysostomus inquit, homil. 1. in epistolam ad Philemonẽ, & Augustinus in serm. de Martyrib.

RESPONDEO, loqui eos Patres de remissione inprimis quoad *culpam*, quæ videlicet remissio hominem restituit in gratiam & amicitiã diuinam. Huc accedit, quod etiam remissio omnis pœnæ, in momento obtineri posset, si dolor pœnitentiæ sit vehementior. Quod si contingat; ne ad remissionem pœnę quidem obtinendam erit opus alio labore, præter dolorem illum momẽtaneum. Alioqui, quanto labore & sollicitudine pro pœna Deo satisfaciendum sit, ostendunt in aliis locis iidẽ Patres, quos cum aliis multis superiùs citauimus. Maximè autem id docet CYPRIANVS, qui præter loca supra citata, ita in sermone 5. de lapsis, inter cætera inquit: *Putásne tu Dominum citò posse placari? orare oportet impensiùs & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamẽtationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari.* Et hactenus de 2. puncto principali.

PVNCTVM TERTIVM.

Quibusnam competat eiusmodi auctoritas tribuendi Indulgentias, & quàm latè illa pateat: vbi dicendum erit de differentia Indulgentiarum.

D. Thom. artic. 1. & 3. q. 26.

TERTIVM punctum principale erat; Quibúsnam cõpetat auctoritas concedendi Indulgentias, & quàm latè pateat eius auctoritatis vsus. Quod ad primũ attinet, asserimus PRIMO, auctoritatẽ hanc ordinariè quidem & ex officio Pontificem summum, & alios Episcopos, atque adeò etiam Concilium Episcoporũ, & nullos alios, habere, idque iure diuino. Ita D. Thomas in 4. d. 20. q. 4. & hîc in supplem. 3. par. q. 26. art. 1. & 3. & Bonauent. & Palud. & alij in dicta d. 20. excepto Durando, qui ibidem q. 5. putat, Episcopos non habere eam auctoritatem iure diuino, & ex officio, sed tm̃ ex commissione Pontificis. Sed cõtraria sententia est communis, quam bene defendit Sotus d. 21. q. 1. art. 4. & prolixè etiam Antonius Cordubensis in suo Tract. quæst. 10.

ET quidem, quòd solùm Pontifex & Episcopi *ex officio* habeant eam potestatem asseritur in cap. *Quod autẽ*, & cap. *Ex eo*, extra de pœnit. & remiss. & cap. *Accedẽtibus*, ext. de excessibus Prælatorum. Competere autẽ iis eam auctoritatẽ *iure diuino*, & non aliis, sicut etiam illa decreta indicare videntur; probatur breuiter hac ratione. Potestas remittendi peccata, ita iure diuino cõuenit Ecclesiæ ministris, sicut id expedit ad finẽ Ecclesiastici ministerij, qui est vtilitas ipsius Ecclesiæ. Sed expedit ad hunc finem, vt & Pontifex & alij Episcopi habeant ex officio auctoritatem remittendi peccata, quoad pœnam, etiam extra Sacramentũ, per Indulgentiam, & non alij. Ergo sic se res habet. Maior propositio huius argumẽti probatur. Quia cùm Ioan. 20. & Matth. 18. (vbi illa potestas est data à Christo Ministris) nihil de modo remittendi in specie explicatum sit; restat vt intelligatur data esse, quatenus id expedit ad finem Ecclesiastici ministri, vt in p. præced. dicebamus. Minor autem probatur, quia cùm per Indulgentiam distribuatur communis thesaurus Ecclesiæ, conuenit ad Ecclesiæ vtilitatem, vt per eos solos id fiat, qui in ipsa communitate Ecclesiæ sunt verè Prælati; Tales sunt autẽ Pontifices inprimis, & deinde Episcopi, quorum vnusquisque in sua diœcesi præest omnibus ferè fidelium ordinibus, tanquam politicæ cuidam Reipublicæ, cui comparatur Ecclesia. Alij verò Ministri inferiores non sunt propriè Prælati; sed tanquã Prælatorum coadiutores regunt parœcias, velut quasdam familias, non autem velut aliq̃ Rempublicam seu populum: vt rectè ostendit diuus Thomas hîc in Supplement. 3. p. q. 26. art. 1.

PORRO ex hoc fundamento consequitur, auctoritatem hãc diuersa ratione competere Pontifici, & aliis Episcopis: Pontifici enim competit *plenè*, Episcopis autem ita, vt posit eis à summo Pontifice restringi, aut limitari, vt D. Thomas ead. q. art. 3. & alij Doctores suprà citati docent. Etenim hoc ad Ecclesiæ vtilitatem expedit; cùm Pontifex præsit Ecclesiæ toti vniuersali, omniũque curam habeat; Episcopi non item, sed vnusquisq; in sua diœcesi, quæ tamẽ ipsa, propter varietatem fidelium, quos complectitur, formam habet ipsius Ecclesiæ. Vnde fit, vt suis quidem subditis quilibet Episcopus possit communem Ecclesiæ thesaurum dispensare, sicut dictum est.

Atque hinc facilis patet responsio ad Argumentum Durandi, qui loco suprà citato argumẽtatur, per solum Pontificem posse ex officio dispensari communem Ecclesiæ thesaurũ, quoniam ipse solus præest toti Ecclesiæ. Dicimus enim, Episcopos etiam posse saltem suis subditis eum thesaurum dispensare; quãdoquidem diœceses, quibus illi præsunt, habent etiam quandã imaginem seu formã totius Ecclesiæ. Vt si v. g. potestas quoq; esset facta vrbium præfectis distribuendi communem prouinciæ thesaurum non nisi suis subditis ciuibus; idq; iuxta præscriptum modum ab eo, qui præest toti prouinciæ.

EST aũt iam iure Canonico auctoritas hæc in Episcopis restricta, vt patet in cap. *Nostro*, & cap. *Cum ex eo*, Extra de pœnit. & remiss. & cap. *Indulgentiæ*. eod. tit. lib. 6. decretal. ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. cap. 62. vbi decretum est, vt Archiepiscopus in sua prouincia (sicut apparet ex dicto Cap. *Nostro*) & Episcopus in sua diœcesi, posit concedere in dedicatione Ecclesiæ annum vnum Indulgentiæ & non amplius; siue Basilica dedicetur ab vno Episcopo, siue à pluribus: Itemque in anniuersario dedicationis 40. dies de iniunctis pœnitentiis, & non vltrà.

INNOCENTIVS tamen in dicto Cap. *Cùm ex eo*, & Geminianus in dicto Cap. *Indulgentiæ*, & alij communiter Doctores, vt Cordubẽsis etiam refert, quæstione decima, de Indulgent. putant, hanc limitationẽ intelligendam esse de concessione Indulgentiarũ publica & generali, ac proinde nõ obstare quò minus possint Episcopi secretè & in foro pœnitentiali concedere Indulgentias maiores, prout iudicauerint expedire. Quod mihi non videtur improbabile, quãtumuis repugnet loco cit. Cordubensis. Nam potestas, quam Episcopi habent alioqui iure diuino ad concedendum Indulgentias, non est limitata in illis decretis nisi in eo genere concessionis, in quo solebant Episcopi abuti eiusmodi auctoritate, nempe in concessione *publica & generali*, vt ex Concil. Lateranensi iam citato manifestè intelligi potest. Ergo si alio modo, nempe secretè & priuatim, maiorem Indulgentiam ex iusta causa alicui concedant, non est cur putemus eam non valere.

SACERDOTES autem non perinde in foro pœnitentiali & secretè Indulgentias concedere possunt; quoniam non habent alioqui ex officio ad id iurisdictionem, vt antè dictum est, & probat bene ex communiori sententia Cordub. illic propos. 7. contra quosdam auctores. Puto etiam vix esse in vsu, vt Episcopi eiusmodi Indulgentias priuatim alicui concedant.

SECVNDO asserimus, ex commissione eius, qui habet alioqui auctoritatem concedendi ex officio Indulgentiam, quemlibet posse illã concedere, etiamsi nõ sit Sacerdos, vt docet D. Thomas hîc quæstione vigesima sexta, articulo primo, & alij omnes. Ratio est, quoniam Indulgentia est actus iurisdictionis, qui proinde delegari potest. Immò dicit Cordub. in illa quæstione decima, merum laicum posse fortè ex commissione summi Pontificis Indulgentiam concedere. Sed D. Thomas loco citato, & Sotus distinctione vigesima prima, quæstione prima, articulo quarto, & alij subindicare videntur, eum cui id committitur, debere saltem esse Clericum. Ac declarat bene in eo articulo Sotus, quemadmodum licet Indulgẽtia sit actus iurisdictionis, tamen eam etiam is posit consequi, qui illam cõcedit; vt Episcopus ipse aut Pontifex. Non enim est talis actus iurisdictionis, q̃ exerceat vim coactiuam, vt ita necesse sit eum exerceri circa aliquẽ *alium*, sed habet quoddam beneficium suffragij & charitatis; atq; ita ea ex parte ipsemet etiam conferenti prodest.

PORRO Legati Pontificis ex commissione generali vel speciali possunt concedere Indulgentias etiam perpetuas in iis locis ad quos legati sunt, vt colligitur ex cap. vlt. extr. de off. le-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gati. Item etiam Cardinales, Patriarchæ, & Primates, quamuis non essent Episcopi, vt docet Cordub. in dicta q. 10. propos. 4. Cõsuetudo autem nõ potest vlli ius tribuere concedendarum Indulgentiarum: potest tamẽ meritò haberi pro inditio antiquæ concessionis ad id faciendum, vt bene docent Sotus d. 21. q. 1. a. 4. & Cordub. in illa quæst. 10. sub finẽ, qui ea ratione in concordiam redigit varias circa hoc opiniones.

TERTIO asserimus, eum qui vel ex officio, vel ex commissione legitimam auctoritatem habet concedendi Indulgentiã, non impediri per peccatum mortale, quò minus validè conferat indulgentiam, vt docet D. Thomas in dicta q. 26. art. 4. & communiter alij omnes. Secus autẽ sentiendum est, si peccatum habuerit annexam excommunicationem; vt notauit etiam Cordubẽsis q. 10. propos. 11. & q. 11. propos. 1. Quod tamen intelligendum putamus, cùm excommunicatio incurritur aut nominatim per sententiam iudicis, aut per notoriam percussionem clerici: Iuxta declarationem Concilij Constãtiensis, in Extrauaganti, *Ad euitanda*.

EST autem hoc loco speciale DVBIVM de religiosorum Prælatis; Vtrum nõ ipsi etiam ex officio possint cõcedere Indulgentias. Nam quod possint ex priuilegio seu cõmissione, extra controuersiam est. Ratio aũt eius dubij est, quoniã possunt aliis accommodare bona opera & satisfactiones suorum subditorum: vt cùm faciunt participes omnium bonorum operum ordinis eos, qui de ordine sunt bene meriti. At hæc concessio quædam Indulgentia videtur: Ergo possunt Indulgentiam concedere. Assumptio probatur, quoniam concessionis eius beneficio, remittitur aliis pœna extra Sacramẽtum, id quod fit per applicationem alienarum satisfactionũ, tanquam per distributionem quãdam communis thesauri ordinis. Prior autem argumẽti propositio est apud orthodoxos certissima, eamq; asserit D. Thomas in dicta q. 26. a. 1. & confirmat doctè etiam Thomas VValdensis in libro de Sacramentalib. tit. 10. cap. 94. & 95. contra VViclefum, qui eiusmodi communicationes bonorũ operum, quæ à Religiosis fiunt, impiè irridebat.

SED facilè ea communicatio probatur. Nam quæ opera subditorum religiosorum prodesse possunt aliis, si ea illi speciali intentione ac voluntate ad aliorum vtilitatem referant: eadem aliis similiter prodesse possunt, si ad vtilitatem aliorum per volũtatem superiorum ordinis referantur. At omnia opera subditorum religiosorum possunt aliis prodesse ad satisfactionem pro pœna, si per eorum volũtatem ad vtilitatem aliorum referantur, vt ex primo puncto huius disputationis patet; Ergo etiam si referãtur per voluntatem superiorum ordinis. Maior propositio probatur, quoniam religiosi subditi volũtates suas suaq; omnia per obedientiæ votũ subiecerũt superiorum voluntati: Cuius certè subiectionis ea vis est, vt possint superiores voluntate sua, non minus quàm ipsi subditi, de rebus omnibus statuere, quæ subsunt subditorum eorundem voluntati.

ATQVE idem etiã confirmatur antiqua consuetudine ordinũ religiosorum. Nam Iuo Carnotensis in epistola ad Adelidam seu Adellam Comitissam, concesit eidem comitissæ participationem suffragiorũ ordinis regularis B. Ioan. Baptistæ à se instituti. Item etiam D. Ansel. epist. 68. eidem comitissæ participationem similiter concesit sui ordinis. Et similiter quoq; Stephanus quidam Abbas Cistertiensis, Regi Galliæ, vt apparet ex epist. 45. inter epist. D. Bernardi, quibus testimoniis Thomas VValdens. in dicto cap. 95. contra VViclefum est vsus.

ETSI autem hoc ita sit, respondemus tamen ad dubium propositum, per communicationem eiusmodi operum nequaquam concedi *Indulgentiam* à Prælatis ordinum religiosorũ. PRIMO, quoniam vt D. Thomas in illa q. 26. art. 1. docet, non applicant satisfactiones alienas ex communi ipsõ Ecclesiæ thesauro, qui deficere nõ potest; sed ex cumulo satisfactionum determinatæ cuiusdam congregationis, in qua fieri nonnunquã posset, vt nihil esset reliquum satisfactionũ præter id, quod singulis de ea congregatione opus esset ad satisfaciendum pro pœna à se debita.

SECVNDO, quia neque applicant satisfactiones aliquas præteritas, quæ sint iam antè in acceptatione diuina tanquam thesaurus quidam repositæ, sed applicant tantũ satisfactiones subditorum *futuras*, vt rectè explicat Sotus d. 21. q. 1. ar. 4. Quæ enim opera iam sunt peracta à subditis, si ea illis ad satisfaciendum per se necessaria non fuerunt, eo ipso accedunt ad communem Ecclesiæ thesaurum, qui, vt suprà dictum est, solum per Pontificem, & Episcopos dispensari potest, non autem per superiores Religionum. Itaque cùm hi bonorum operum Ordinis aliquem participem faciunt; de operibus quæ nondum sint præterita id intelligi debet. Præteritorum autem operum, quæ prius non communicarũt, nõ amplius possũt facere alios participes, quoniam iam illa sunt in communi Ecclesiæ thesauro reposita, ex quo ipsi nihil sumere possunt, vt dictum est.

AC notat etiam Sotus, posse ex graui caussa superiores religionum aliis communicare bona opera futura subditorum, non modò quæ ipsis subditis supererunt, sed etiam quæ ipsis ad satisfaciendum pro se necessaria essent. Idque probatur ex eo, quòd omnia quæ sunt subditorum, sunt, vt antè diximus, per votum obedientiæ subdita superiorum voluntati: & quemadmodum non est contra charitatem, vt quis propria sua intentione accommodet alteri ex graui caussa satisfactionem suam, qua fortasis ipsemet indiget, ita neque vt voluntate superiorum eiusmodi applicatio fiat. Communiter tamẽ eas

solùm

solùm satisfactiones, quæ subditis supersint. per superiores ordinum aliis communicari existimandum est.

ORATIONES autẽ quatenus orationes sunt, omnes simpliciter possunt sine vllo detrimento subditorum communicari: siquidem nõ minus alicui ꝓdest oratio propria, si pro pluribus fiat; cùm nitatur tantummodo misericordia diuina, quę est infinita. De satisfactione autem secus iudicãdum est, vtpotè cuius vis nititur etiam perfectione operum, quatenus ex gratia procedũt; quæ operum perfectio sicut est finita, ita eò minus alicui ad satisfactionem valet, quò pluribus ad hunc finem applicatur.

ATQVE hactenus in hoc puncto explicatum est, quinam habeant auctoritatem conferendi Indulgentias. Nunc vidẽdum est quàm latè pateat vsus eius auctoritatis, hoc est, quæ nam sit Indulgentiarum DIFFERENTIA. Et dicendum est, generatim loquẽdo, Indulgentiam dari posse & solere in duplici differentia, seu esse duplicẽ. VNA est, qua remittitur simpliciter tota pœna, quam iudicio diuino quis debet in purgatorio pro omnibus suis peccatis. ALTERA est, qua nõ tota eiusmodi pœna, sed pars tantùm aliqua remittitur.

PRIMI Generis Indulgentia intelligi debet concedi, quando Indulgentia vocatur, aut *plenaria*, aut *plenior*, aut *plenissima*, aut etiam *Iubilæus*. Nam vt rectè asserunt Sotus d. 21. q. 2. art. 1. & Antonius Cordub. q. 9. de Indulgen. omnia ista nomina, quod attinet, ad ipsam Indulgentiæ rationem, significant idem Indulgentiæ genus, nempe illud quo *tota* pœna debita remittitur, licet olim quidem variè & admodum incertæ fuerint opiniones Doctorum de differentia plenariæ, plenioris, & plenissimæ Indulgentiæ, vt referũt locis citatis, Sotus, & Cordub. ex Paludano in 4. dist. 20. q. vlt. & ex supplemento Gabrielis d. 45. q. 3. IVBILÆVS autem in eo accidentaliter ab aliis eiusmodi Indulgentiis differt, quod fieri solet in illo facultas, etiam eligendi confessarium, qui à casibus quoq; reseruatis absoluat, vt explicat Cordub. in dicta q. 9. post diuum Antonium 1. par. tit. 10. cap. 3. §. 3. & 6. & supplementum Gabrielis in dicta q. 3. & Ioannem de Anania in tractat. de Indulg. & Syluestrum, verbo. Indulgentia, q. 10.

AC notandum hîc est, per nullam, quantumuis plenissimam Indulgentiam, remitti etiam culpam, ne venialem quidem, vt Sotus & Cordub. locis citatis bene notant. Quod si in aliquibus formis Indulgentiarum dictum sit condonatione fieri & à culpa, & à pœna, eatenus à *culpa* dicitur, quia conceditur etiã facultas eligendi confessarium, qui absoluat à quauis culpa; sicut Eckius in disputatione Lypsica hoc explicuit, & alij etiam Doctores.

ALTERIVS autem generis Indulgentia, nempe in qua *pars* tantùm pœnæ debitæ remittitur, variis modis significari solet. Qui omnes ad tres reuocari possunt. PRIMVS est, quando non absolutè & simpliciter Indulgẽtia conceditur, sed solũmodo indicatur tantũ de pœna iudicio Dei debita remitti, quantum potuit redimi per pœnitentias in pœnitentialibus Canonibus olim decretas, vel rigurosè etiam à Sacerdote vnquã in Confessione iniunctas, si optimè & exactissimè essent impletæ. Talis est Indulgentia, quæ dicitur dari de *iniunctis pœnitẽtijs*. Suprà enim puncto primo refutauimus quosdam, qui dixerunt, tunc solùm relaxari alicui in Ecclesiæ foro obligationem implendi pœnitentiam; Inprimis enim tunc relaxatur omnis illa pœna iudicio diuino debita, quæ potuit redimi per eiusmodi pœnitentias. Alioqui non prodesset, sed noceret potius talis Indulgentia, vt illic explicuimus.

Sunt autem circa hanc Indulgentiæ formam (scilicet de *iniunctis pœnitentijs*) notanda Tria. PRIMO, cùm absque vlla restrictione & limitatione dicitur dari Indulgentia de *iniunctis* pœnitentiis, amplè, vt explicuimus, interpretandas esse has *iniunctas* pœnitentias: Vt scilicet id intelligatur de pœnitentiis tum decretis in antiquis Canonibus, (vt potest colligi ex D. Thoma hic q. 25. art. 1.) tum impositis vnquam à Sacerdote, supponendo etiam quòd rigurosè omnino iuxta qualitatem peccatorum impositæ sint secundùm probabilem sententiam quorundam relatam & non improbatam à Paludano in 4. d. 20. q. 4. ar. 2. Sunt enim fauores ampliandi, vt habet regula Iuris. SECVNDO notandum: neque per hanc Indulgentiæ formam (scilicet de *Iniunctis* pœnitentiis) neque per vllam aliam quantumuis amplam & generalem, relaxari obligationẽ qua propter integritatem Sacramenti tenetur Confessarius salutarem pœnitentiam pœnitenti iniungere, & pœnitens eam implere, vt rectè censuit Paludanus in dicto art. 2. post Innocentium in Cap. *Quod autem*, Extra de pœnitentiis & remiss. & alios; quidquid contra videãtur plerique alij opinari. Id probatur *primò* ex eo quòd illa obligatio est Iuris diuini, vt probauimus q. 14. p. 4. & patet ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. & 8. *Secundò*, ex eo quòd truncaretur alioqui Sacramentũ pœnitentię quadam sui integrali parte, qualis est nimirum iure diuino Satisfactio IPSIVS pœnitentis, vt est declaratum in Concilio Tridentino vbi suprâ cap. 3. *Tertiò* id confirmatur ex communi sensu & vsu Ecclesiæ: siquidem nec in plenissimis etiam Indulgentiis solet negligi à Confessariis & pœnitẽtibus Sacramẽtalis Satisfactio & pœnitentia, imò expresè ab ipsis Pontificibus solet tũc etiam requiri. *Quartò*, quoniam alioqui per vsum Indulgentiarum, quæ variæ passim in promptu extant, posset aliquis licitè subterfugere per totam vitam omne studium Satisfaciendi: Id quod non reputare absurdum, mihi absurdissimũ videtur. *Quintò*,

quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia nemini est infallibiliter certum se re vera A
consequi beneficium Indulgentiæ: atq; ita non
mirum si adhuc propter integritatẽ Sacramenti, teneatur per propriam etiam Satisfactionem
dare operam, vt sese liberet à reatu pœnæ Iudicio Dei debitæ. Eo enim certius id quis assequetur, quo pluribus vtetur mediis: atq; ideo minimè frustrà & inutiliter id præceptum adimplebitur. Quemadmodum etsi quis probabiliter ac
certò moraliter putet, se per supernaturalem dilectionem Dei super omnia assequutum esse diuinam gratiam, tamen quia id non est ei infallibiliter certum, nihilominus potest vtiliter & tenetur suo tempore per actum etiam pœnitentiæ
procurare gratiam diuinam.

Tertio notandum, quamuis per Indulgen- B
tiam de iniunctis pœnitentiis (vt dictum est) nõ
relaxetur obligatio imponendi & adimplendi
Sacramentalem satisfactionem, tamen multis
nominibus eam Indulgentiam esse vtilem. *Primò*, quia remittitur per illam ea etiam pœna iudicio Dei debita, quæ relaxaretur per Satisfactiones iniunctas in canonibus pœnitẽtialibus, vt antè ex D. Thoma dictum est. *Secundò*, quia remittitur per eiusmodi Indulgentiam pœna etiã
illa iudicio Dei debita, quæ redimeretur per rigorosas etiam pœnitentias à Sacerdote iniunctas, vt antè quoq; diximus: cùm tamen iam ob
infirmitatem Pœnitentium satis leues iniungi
soleant. *Tertiò*, quia tam multũ de eiusmodi pœ-
na remittitur, quàm redimi posset per vtriusq; C
generis pœnitentias (scilicet Canonum, & Sacramentales) exactissimè etiam peractas: cùm
tamen communiter satis segniter peragantur, & ideo parum de pœna iudicio Dei debita per illas redimatur secluſa Indulgentia. *Quartò* accedit, quòd si alicubi essent in vsu aliquæ publicæ
pœnitentiæ; illæ etiã remitterentur per eiusmodi Indulgentiam, sicut olim remittebantur pœnitentiales satisfactiones Canonum quando erant in vsu; vt erant ferè tempore D. Thomæ &
aliorum Theologorum antiquorum, qui ideo
dixerunt remitti per Indulgentias pœnam debitam, tum in foro Dei, tum etiam in Ecclesiæ
foro, nimirum Iudiciali. Pœna autem debita in
foro Ecclesiæ *Sacramẽtali* (vt sic dicam) minimè D
per Indulgentias remittitur, vt probaui. Et hæc
quidem tria notanda sunt vt dixi circa formam
illam Indulgẽtiæ, quæ conceditur quoad *partem* pœnæ, cũ dicitur concedi de pœnitẽtiis *iniunctis*.

Quando autem non hac forma, sed absolutè datur Indulgentia, neque alio modo explicatur, partem tantũmodo pœnæ relaxari; *tota* pœna remittitur, hoc est, non ea solùm, quæ per iniunctas pœnitentias fuisset redempta, sed etiam
ea, quæ potuisset redimi per quascunq; pœnitẽtias secundùm iustitiæ rigorem iniungendas: vt
secundùm communiorem & veriorem sententiam Theologorum in 4. dist. 20. defendit Sotus
d. 21. q. 2. ar. 1. & Cordubensis q. 7. de Indulg. pro-
posit. 4. contra Caietanum, tomo 1. opusc. tract.
15. cap. 7. & Adrianum in 4. in materia de Indulgentiis, & nonnullos alios, qui volunt, nũquam
Indulgentiam concedi, nisi de iniunctis pœnitentiis, siue id exprimatur, siue non; ad quorum
argumenta sufficienter respõdet Sotus, & Cordubensis, & iam contraria sententia communiter defenditur.

Nam cùm omnes concedãt posse pontificem
concedere Indulgentiam, etiam de non iniunctis; certè quando non ipse restringit concessionem ad iniunctas; non est cur debeamus existimare eum de illis tantummodo Indulgentiam
concedere: præsertim cùm fauores, vt habet iuris regula, sint ampliandi. Episcopi autem non
possunt dare nisi de iniunctis, vt cautum est in
Cap. *Cùm ex eo.* Extra de pœnitent. & remiss. ex
Concil. Lateranensi. Neq; verò est contemnendum Consilium Paludani, qui in 4. dist. 20. q. 4.
monet, vt quando indulgentia conceditur tantummodo de pœnitentiis iniũctis, postulet pœnitens à Confessario sibi seueram iniungi pœnitentiam, vt per eam scilicet (si fortè de pœnitentiis tantum *actu iniunctis* concedatur) multũ
de pœna debita redimere possit, vt illud totum
illi per eam Indulgẽtiam relaxetur. Et hactenus de Primo modo significandi Indulgentiã eam,
quæ conceditur solum quoad partem pœnæ Iudicio Dei debitæ.

Secundus modus significandi istud genus
Indulgentiæ quo pars tantum eius pœnæ remittitur est, quãdo dicitur Indulgentia concedi de
peccatis, quæ quis fuerit actu confessus. Tunc enim per eam Indulgentiam non etiam remittetur pœna debita iis peccatis, quæ in Confessione fuerit aliquis oblitus, etiam sine sua culpa.

Tertius modus est, quando dicitur concedi Indulgẽtia tot dierum vel tot annorum. Sensus enim est, tantum pœnæ in purgatorio debitæ remitti tunc, quantum redimi posset per tot
dierum vel annorum iustam pœnitẽtiam in hac
vita peractam, vt rectè declarat Sotus d. 21. q. 2.
art. 1. Atq; hoc pacto oportet vim intelligere variorum vocabulorum quæ in eiusmodi Indulgentiarum concessionibus solita sunt vsurpari.
Cuiusmodi sunt, carena, quadragena, septena.

Indvlgentia enim vnius *carenæ* est relaxatio tantæ pœnæ, quãta redempta fuissет per pœnitentiam 40. dierum in ieiunio panis & aquæ,
& per pœnitentiam etiam aliam 7. annorum sequentium. Indulgentia vnius *quadragenæ* est relaxatio tantæ pœnæ, quãta fuisset redempta per
pœnitentiam 40. dierum. Indulgentia vnius *septenæ* est relaxatio tantæ pœnę, quanta redempta
fuisset per pœnitentiam 7. annorum, vt notat
Cordubensis q. 9. sub finem, post supplemẽtum
Gabrielis in 4. d. 45. q. 3. & Iacobum Cardinalem
in suo tract. de Indulg. Qui etiam Cordubensis
bene ibi explicat, cur aliquando dici soleat, præter Indulgentiam plenariam concedi quoq; tot
diei

dies vel quadragenas de Indulgentia; nempe id A
additur ad cautelam, vt si fortè caussa concedẽdi Indulgentiam non sit reuera sufficiens pro
Indulgentia plenaria; saltem illam aliam Indulgentiam certius quis consequatur: præsertim
cùm de sufficientia caussæ ad concedendam Indulgentiam diuersæ sint Doctorum opiniones,
vt videbimus p. sequenti.

PVNCTVM QVARTVM.

Quid requiratur ad legitimum eius auctoritatis vsum.

D. Thom. q. 25. art. 2. & 3.

Sequitur nunc quartum punctũ B
principale, nempe quid requiratur
ad legitimum vsum auctoritatis
concedẽdi Indulgentiam, hoc est,
vt Indulgentia sit valida ex parte
concedentis, & habentis ad id alioqui auctoritatem. Paludanus in 4. d. 20. q. 4. ar. 1. refert quorundam opinionem fuisse, vt Indulgentia sit valida, satis esse voluntatem concedentis, quamuis peccet is quidem, si absq; vlla alia caussa pia
concedat Indulgentiam.

Sed contrarium affirmat diuus Thomas hîc
q. 25. a. 2. & omnes Doctores communiter: nimirum vt Indulgentia valeat, requiri omnino caussam *piam*, ex qua scilicet fiat, vt distributio communis Ecclesiæ thesauri, & remissio pœnæ per C
illam, referatur tanquam in finem ad aliquam
vtilitatem Ecclesię & incrementum gloriæ diuinæ. Hoc enim Doctores omnes in proposito intelligunt nomine caussæ piæ.

Et probatur Primo communis hæc sententia, quoniam ita passim indicant ipsi Pontifices,
præsertim Innocẽtius III. in Cap. *Cùm ex eo*, Extra. de pœnitent. & remiss. Clemens V. I. in Extrauag. *Vnigenitus*, & Martinus V. in fine Concilij Constantiensis, & Leo X. in bulla condemnationis Lutheri.

Secundo probatur etiam manifesta ratione; Nam Ecclesiæ Prælatus non validè concedit
Indulgentiam nisi id faciat secundùm intentionem Christi & Sanctorum; vtpotè ex quorum D
satisfactionibus, tanquam ex communi Ecclesiæ thesauro, conceditur Indulgentia. Sed nisi
suppetat pia caussa concedendi Indulgentiam,
non eam concedit Prælatus secundùm intentionem Christi & Sanctorum; Ergo tunc non valebit.

Maior propositio huius argumẽti patet, quoniam dispensator thesauri alicuius non habet
auctoritatem illum dispẽsandi nisi iuxta intentionem illius vel illorum, quorum ex bonis constat ipse thesaurus; alioqui non dispensatio, sed
dissipatio potius esset thesauri. Prælati autẽ sunt
illius thesauri Christi & Sanctorum (sicut & aliorum mysteriorum Dei) solùm dispensatores
1. Cor. 4. & 9. & 1. Petri 4. nec habent auctoritatem, vt tales, *ad destructionem*, *sed ad ædificationem* Ecclesiæ, 2. Cor. 13. Minor autem probatur, quoniam intentio Christi & Sanctorum fuit, vt non
nisi cum vtilitate Ecclesiæ & incremento gloriæ
diuinæ thesaurus ille dispẽsaretur, vt qui in eum
planè finem sua omnia retulerunt, sicut suprà
explicatum est puncto primo.

Sed cùm de hoc inter omnes ita conueniat,
duo deinde restant hoc in loco explicanda. Vnvm est, cuiusmodi actus debeat esse ille, quo
contineatur talis aliqua caussa pia, hoc est, ex
quo redundet, aliqua vtilitas ad Ecclesiam, & aliqua etiam gloria diuina. Altervm est, quantam esse oporteat eiusmodi caussam piam? Vtrũ
scilicet debeat esse vel æqualis, vel proportionata ipsi Indulgentiæ, quæ conceditur. Ita scilicet,
vt secundùm æqualitatem, vel secundùm proportionem, tanta sit complacentia Dei in eiusmodi caussa, quanta est displicentia illa peccati,
quę redimeretur per pœnam eam, quę in Indulgentia est remittẽda. An verò sufficiat quælibet
caussa? ita vt quantulacunq; caussa pia, sufficiat
ad quantamcunque Indulgentiam.

De Primo breuiter statuendum est, actum
quo pia caussa contineatur, posse generatim esse
quemcunque, ex quo aliqua vtilitas Ecclesiæ &
gloria diuina redundet; siue ea quidem proueniat ex ipsa ratione actus *per se*; siue ob *respectum*
aliquem, quem actus habeat ad aliquid aliud; vt
C ad deuotionem seu reuerẽtiam erga Ecclesiam,
vel erga res sacras, quæ eiusmodi aliquo actu significetur, vt doctè notauit Caietan. tomo 1. tractat. 15. cap. 8.

Quocirca nihil interest, vtrũ eiusmodi actus
sit opus aliquod externum, vt eleemosyna, peregrinatio, &c. Vel interior & spiritualis, vt contemplatio, oratio, &c. neq; vtrum fiat ab illo ipso, cui datur Indulgentia, vel ab aliquo alio pro
illo; vt cùm Indulgentia per modum *suffragij* datur defunctis ob caussam piam, quę sit adhibenda à viuis. Neq; vtrum actus sit *futurus*, qui scilicet exigatur tunc, cùm conceditur Indulgentia:
an verò iam præteritus; vt cùm datur Indulgenta morientibus, propter bona opera, quę vel ipsi
vel alij fecerunt; etiamsi illi morientes nihil tũc
faciant, neq; quidquam ab aliis eorum loco exigatur, vt rectè docuit Durandus in 4. d. 20. q. 4. &
Turrecremata in Cap. *Quod autem*, & Cap. *Cùm ex eo*, de pœnit. & remiss. & supplementum Gabrielis in 4. d. 45. q. 3. art. 2. propos. 10. & Cordub.
q. 18. & alij.

Item neq; interest, vtrum actus sit alioqui debitus ex præcepto vel non, vt idem Cordub. in
dict. q. 18. propos. 3. contra Sylvest. verb. Indulgentia, q. 6. affirmat, post Angelum in summa,
verbo. Indulgentiæ, §. 15. ostendens, Bonauenturam in 4. d. 20. art. 2. q. 4. non sensisse, quòd nullo
modo posit dari Indulgentia pro actibus alioqui præceptis, vt eum sensisse, Syluester existi-
mauit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mauit. Ratio autem horũ omnium, quæ ex certiori sententia bene ibi asserit Cordub. est, quoniam omnibus his modis intelligitur concedi Indulgentia ob causſam aliquam, quæ cedat in vtilitatem Ecclesiæ, & gloriam Dei: id qud est satis, vt secundùm intentionem Christi & Sanctorum, Ecclesiæ thesaurus dispensetur.

DE SECVNDO autẽ, *quantam* videlicet oporteat esse eiusmodi *causſam piam*, maior atq; difficilior quæstio est. De qua diuersæ sunt Doctorũ opiniones. PRIMA est, oportere eam ex *fide & deuotione* operantis *æquialentem* esse remissioni, quæ per Indulgentiam conceditur, alioqui non tantum remissionis obtineri, quantum per Indulgentiam promittitur, sed quantum illi fidei atque deuotioni respondet. Ita feruntur sensisse Raymundus quidam, & Albertus Magnus, vt refert Ioannes Andreas, & Panormit. in cap. *Quod autem*, & cap. *Cùm ex eo*, Extra de pœnit. & remiſſion. Sed hanc opinionem ab omnibus aliis Doctoribus explosam suprà puncto 1. reiecimus, quia non ipsam Indulgentiam per se valere, sed deuotionem & fidem operantis ponit, atque ita fraudem quandam tribuit Ecclesiæ.

SECVNDA opinio est, debere quidem *opus* ipsum æquialere ei remisioni, quæ in Indulgentia promittitur, non tamen habita solùm ratione ipsius operis, & fidei, ac deuotionis, qua illud suscipitur, sed etiam necessitatis, atq; adeò æstimationis Ecclesiæ, quæ vno tempore magis quã alio, indigere solet aliquo opere. Quo fit, vt idẽ opus vno tempore æquialere possit ei remissioni, cui alio tempore nõ esset æquale; cùm scilicet non ita esset Ecclesiæ commodum & necessarium. Ita Altisiodorensis lib. 4. suæ summæ. q. 1. & 3. de relaxationibus cõmunibus, & olim multi Canonistæ, vt ait Adrianus in 4. in q. de Indulgentiis, & referunt Panormit. & Hostiensis, & alij, in cap. *Quod autem*, & cap. *Cùm ex eo*, de pœnit. & remiſſ.

SED hanc etiam opinionem communiter reiiciunt alij omnes Doctores. Et argumentatur optimè contra illam D. Thomas hìc q. 25. a. 2. ex eo, quod *causſa* propria eius remisionis, quæ fit in Indulgentia, non est opus pium quod requiritur, sed satisfactiones Christi & Sanctorũ per Indulgentiam applicatæ. Quare minimè oportet vt opus ipsum sit vllo modo æquialens ei remisioni, sed satis est, quod satisfactiones Christi & Sanctorum longè illam excedant.

DISTINGVENDVM enim diligenter in hac quæstione est, inter causſam propriam *remiſſionis*, quæ fit in Indulgentia, & causſam propriam *concesſionis* Indulgentiæ, atq; adeò applicationis thesauri. Huius quidẽ *concesſionis* causſa propria est *opus* illud pium: remisionis autem nonnisi satisfactiones Christi & Sanctorum, vt dictum est. Quod si Doctores illi voluerunt, non nisi ex vi illius operis pij, fieri remisioncm in Indulgẽtia, rationem ipsam ac vim Indulgentiæ penitus susstulerunt, & fraudem tribuerunt Ecclesiæ, sicut & auctores primæ opinionis. Conatur quidem Cordubensis q. 17. de Indulgen. nescio quo pacto in bonam partem interpretari istas duas opiniones, sed, vt dicitur, aqua illi hæret. Sunt enim sipmliciter illæ duæ opiniones falsæ, & vt tales ab omnibus aliis Doctoribus reiici solent, vt fatetur ipsemet Cordubensis.

TERTIA opinio est, oportere causſam piam esse æquialentem ei remisioni, quæ per Indulgentiam prommittitur, non quidem absolutè, sed secundùm quãdam *proportionem*, ita vt quantò maior remisio per vnam Indulgentiam promittitur, quàm per alteram, tantò maior causſa pia ad eam concedendã suppetat, quàm ad concedendam alteram; alioqui nõ valere Indulgentiam quantum sonat, sed tantummodo secundùm proportionẽ suæ causſæ. Ita sentiunt multi Doctores, vt Gerson in tract. de Indulgent. Albertus in 4. d. 20. ar. 17. Bonauentura ead. d. parte 2. q. vlt. Augustinus de Ancona in lib. de potestate Pontificis, q. 30. a. 4. & 5. Adrianus in 4. in q. de Indulgen. & Caietanus tomo 1. tract. 15. cap. 8. Dominicus Sotus in 4. d. 21. q. 2. ar. 2. & Petrus de Soto in sua institutione Sacerdotum, lect. 2. de Indulg. & Corduben. q. 17. de Indulgen. & alij recentiones.

FVNDAMENTA præcipua huius sententiæ reuocantur ferè omnia ad hoc argumentum. Vt Indulgẽtia hæc vel illa valeat, necesse est, vt propter causſam piam & rationabilem, non modò vt Indulgentia est, sed etiam vt est *tanta* vel *tanta* Indulgentia, concedatur. At nisi causſa secũdùm proportionem æquialeat Indulgentię, nõ concedetur Indulgentia, quatenus tanta vel tanta est, propter causſam rationabilem; Ergo minimè tunc Indulgentia valebit. Maior propositio patet; Quoniam intentio Christi & Sanctorum est, vt neq; Indulgentia absolutè, neq; tanta Indulgentia concedatur nisi ex causſa rationabili; & ita etiam pasim significãt ipsi Pontifices. Minor probatur; Quoniam ratio ipsa dictat, vt si maior Indulgentia conceditur, maior etiã causſa concedendi suppetat. Atq; ita si causſa secundùm proportionem non æquialeat tantæ Indulgentiæ, iam eo ipso non erit causſa rationabilis respectu tantæ Indulgentiæ.

ET confirmatur PRIMO hoc argumentum; Nam minima Indulgentia cõcessa sine vlla causſa, planè esset inualida, vtpotè contra intentionem Christi & Sanctorum; Ergo etiam maior vel maxima Indulgentia concessa ex minima causſa, erit inualida quoad partẽ illam remisionis, quæ causſam excedit. Patet consequentia, quia similiter pars illa remisionis, sine causſa conceditur; immò plus tunc de thesauro Ecclesiæ sine causſa effunditur, quàm si minima alia remisio per se sola fieret ex eodem thesauro absq; vlla omnino causſa; Ergo si hoc esset contra intentionem Christi & Sanctorum, etiam illud.

SECVNDO confirmatur idem argumentum, quia dispensatio thesauri temporalis, sine causſa æquialenti secundùm proportionem, facta, esset irrationabilis & inualida; Ergo etiam dispensatio thesauri spiritualis.

TERTIO confirmatur ex verbis Bonifacij VIII. in Extrauag. *Antiquorum*. vbi postquam concesit plenissimam indulgentiam iis, qui centesimo quoque anno visitarent Basilicas Vrbis Romæ, sub forma ibi præscripta, subiunxit nihilominus: *Vnusquisque tamen eò plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, quò Basilicas illas deuotius visitauerit.* Vnde innuitur (inquit Corduben.) quòd nisi quis satis deuotè visitauerit, non consequetur illam Indulgentiam plenissimam, sed solùm secundùm proportionem causſæ, vt visitauerit magis vel minus deuotè.

QVARTO confirmatur ex verbis Innocentij III. in Concilio Lateranensi, capite 62. vbi reprehendit & prohibet *indiscretas et superfluas* (hoc est, causſam excedentes) quorundam Episcoporum Indulgentias, vt habetur cap. *Cùm ex eo*, de pœnit. & remiſſ.

QVINTO affert etiam in huius rei confirmationem Cordubensis testimoniũ Theologorum Parisiensium, qui in censura contra Erasmum tit. 8. asseruerunt, non sufficere quamlibet causſam piam ad quantamcunque Indulgentiam.

HAEC sententia omnino est probabilis, tum ob illorum, qui eam defendunt, authoritatem, tum ob illius argumenta non sanè leuia; sed tamen habet quædàm incommoda, propter quæ mihi non placet. PRIMVM incommodum est, quòd secundùm illam non valebunt Indulgentiæ tantum absolutè, quantum sonant, sed sub intellecta tacita quadam conditione, nempe si causſa pia, ob quam conceduntur, sit reuera æquialens secundùm proportionem, alioqui non. Hoc autem neque ipsi Pontificum authoritati, & formæ, qua illi solent Indulgentias concedere, neque communi sensui ac deuotioni fidelium in vsu Indulgentiarum satis consentaneum esse videtur. Nam neque Pontifices illam conditionem explicare solent, neque verò de ea cogitare fideles, sed absolutè illi tantam Indulgentiam se concedere dicunt, & hi quoq; tantam se consequi bona fide putant, si ea præstent, quæ ab ipsis requiruntur. Itaque si conditio illa tacita subintelligi debet, nonnulla fraus in concesione Indulgentiarum adhiberi videtur, quòd ea conditio non exprimitur, sed absolutè conceditur Indulgentia.

SECVNDVM incõmodum est, quòd cùm admodum inæquales Indulgentias, ex iisdem sæpe causſis soleant concedere Pontifices; semper tamen illi existimant causſam ad eam Indulgentiam, quam dant, esse sufficientem, & vt talem illã Ecclesię toti proponunt. Itaq; si inæqualium Indulgẽtiarum sufficientes & rationabiles causſæ esse non possunt nisi inæquales; concedendum erit, sæpe fieri, vt in ea re tota Ecclesia per Pontifices, quantum in ipsis est quidem, decipiatur.

NEC tamen sum nescius, quædam ad hoc incõmodum responderi posse. Sed tamen ea mihi non planè satisfaciunt. Ac primò quidẽ responderi posset, Pontificem non obligare vniuersam Ecclesiam vt ea etiam id sibi persuadeat, q̃ ipse tunc putat, nempe causſam illam in particulari esse sufficiẽtem; sed vt credat generatim, Indulgentiam ex iusta & sufficienti causſa concessam valere, atque adeò illam etiam, quæ tunc conceditur, tantum valere, quantum sufficiat reuera illius causſa: Authoritatem autem Pontificis in his tantùm esse infallibilem, ad quæ credẽda obligat vniuersam Ecclesiam.

SECVNDO responderi potest, rarò etiam fieri, vt in ea re fideles ipsi decipiantur, etiamsi inæqualium Indulgentiarũ æquales esse causſæ videantur. *Primò*, quia licet absolutè & secundũ se, hoc est, ex natura ipsa operis, sint æquales; non est tamen illico existimandum, quòd re vera sint vndequaque æquales. Nam alio & alio tempore possunt habere alios & alios respectus longè diuersos, propter quos maiorem aut minorem vtilitatẽ Ecclesiæ & gloriam Deo afferãt, vt notauit etiam Caietanus in illo tract. 15. cap. 8. Qui ob id rectè monet, non esse temerè de concesione Indulgentiarum iudicandum, etiamsi causſa per se videatur minima, cùm nobis non constet, quinám fuerint in causſa *respectus*, quos ipse quidẽ Pontifex, dum Indulgentias cõcedit, compertos habuit. Qua in re (vt hoc obiter annotemus) non videtur imitanda licẽtia Dominici Soti, in 4. d. 21. q. 2. art. 2. vbi de hoc toto genere nimis audacter loquitur. *Secundò*, ideo etiã non facilè existimandũ est, quòd causſæ sint vndequaq; insufficientes, quia in illa ipsa paritate secundùm proportionem, quæ respectu Indulgentiæ ab illa tertia opinione requiritur, quædã est in proposito latitudo; ita vt pro eadẽ causſa aliquanto etiã maior vel minor possit concedi Indulgentia iustè, secũdùm intentionem Christi & Sanctorum.

HAEC omnia sanè, vt tertia illa opinio probabilius defendi possit, ita dici debent: Et quidem minuunt aliqua ex parte SECVNDVM illud incõmodum; sed nõ prorsus tollunt. Nam primùm, non satis consentaneũ videtur, vt summus Pontifex, qui Magister veritatis in Ecclesia à Christo est constitutus; decipiat, quantũ est in se totam Ecclesiã, *proponendo* illi in vsu quodam muneris sui aliquid tanquam verum, quod tamen sit falsum; licet non eam etiã vt illud credat *obligando*. Deinde non solũmodo hoc est incommodum; si frequenter contingat, sed etiam si aliquando.

TERTIVM, idque maximum incommodum illius opinionis tertię mihi esse videtur, quòd nõ satis est cõsentanea ipsi intẽtioni Christi & sanctorum, secundùm quam Indulgentia concedi

debet. Plus enim ea opinio videtur exigere, vt Indulgentia sit valida, quàm existimari debeat requirere intentio Christi & Sanctorũ. Hoc verò patebit si TRIA diligenter considerentur, ex quibus etiã facilis euadet responsio ad omnia fundamenta illius tertiæ opinionis. VNVM est, quòd minimã gloriam diuinã, quæ ex opere *quocunq;* pio & vtili Ecclesiæ, redundare potest, pluris lõge faciũt Christus & Sancti, quàm quodlibet suum opus satisfactorium, vt est satisfactorium. ALTERVM est, quòd minimè etiã metuũt, ne deficiat ille thesaurus satisfactionum suarum, etiamsi pro paruo opere pio magna quandoq; Indulgentia cõferatur. TERTIVM est, q̃ in hoc toto genere dispensationis Indulgentiarũ, non tã illi volunt exerceri proportionalem quandã Iustitiam, quam *gratiam & liberalitatem*: sicut & nomẽ ipsum Indulgentiæ, gratiã præ se fert, non iustitiam. Hæc autem cùm ita sint; interpretari certè non debemus fore ipsos malè cõtentos, etiamsi multum de illorũ satisfactionibus, pro quantulocunq; opere pio, in concessione Indulgentiæ dispensetur.

EST igitur QVARTA sententia, quam veriorẽ ego existimo, vt Indulgẽtia valeat, sufficere quãcunque causam piam, atque adeò eam absolutè tantum, quantũ sonat: quamuis fieri quidẽ possit, vt qui concedit maximas Indulgentias, ꝓpter causas minimas, peccet quandoque ex quadam indiscretione, & fortè etiã ratione alicuius scandali, maximè si ea re contingat venire in cõtemptum institutum ipsum Indulgentiarũ. Hęc sententia fuit etiam multorum Theologorũ. Nam ita sensit D. Thom. in 4. d. 20. q. 1. art. 3. atq; adeò hic in Supplem. q. 25. art. 2. vt etiã Petrus de Soto, & Cordubensis, vbi suprà agnoscũt, licet alij frustrà D. Thomã conentur aliter interpretari. Ita etiam sensit Alexander Hallensis 4. par. q. 83. art. 2. mem. 7. Durandus ead. d. q. 4. & supplementũ Gabrielis, in 4. dist. 45. quæst. 3. articulo 1. & 3. Paludanus d. 20. q. 4. & Antoninus 1. par. tit. 10. cap. 3. §. 1. & Syluester verbo Indulgentiæ, q. 3. & omnes ferè Thomistę, vt fatetur ipsemet Cordubensis.

FVNDAMENTVM huius sententiæ est illud, q̃ iam antea in tertio incommodo sententiæ præcedẽtis insinuauimus; quia scilicet quacunq; existente causa pia, possumus meritò interpretari dispensationẽ thesauri fieri secundũ intẽtionem Christi & Sanctorum; propter illa videlicet, quæ in illo incommodo exposuimus. Id q̃ satis est, vt Indulgentiæ valeant, licet possit quidem in ea re peccare cõcedens ex indiscretione, vt antè dictum est. Atq; ita consequenter etiam (quidquid Cordubẽsis dicat) bene Paludanus & Antoninus vbi suprà notant, quòd si quis inducat concedẽtem, vt indiscretè, atq; adeò cum graui culpa Indulgentiam concedat, iam huic Indulgẽtia minimè valebit, nisi eum tempestiuè illius peccati cooperationis ad malum pœniteat, (sic enim intellexit Paludanus) idq́ue non propterea, quia causa æquiualens secũdùm proportionem desit, sed quia ipse tunc gratia diuina carebit, sine qua, vt dicemus paulò pòst, nemini prodest Indulgentia.

AD argumẽtum igitur illius tertiæ opinionis facilè iam responsio patet ex iacto fundamento. RESPONDENDVM enim est per distinctionem. Nam causa *rationabilis* huius vel illius Indulgẽtiæ, dupliciter potest in proposito intelligi: VNO modo, quæ sufficiat, vt secundùm intentionem Christi, & Sanctorum *verè quidem* detur Indulgentia. Et talis causa rationabilis omnino est necessaria; sed tamen quælibet causa pia est rationabilis hoc modo in proposito, propter illa; quæ paulò antè diximus esse cõsideranda in intentione Christi & Sanctorum. ALTERO modo, quæ etiam sufficiat, vt secundùm intentionẽ Christi & Sanctorum, non modò verè, sed etiã *discretè, & sine culpa* concedentis, Indulgentia dispensetur; Vtrumq; enim cadit in intentionẽ Christi & Sanctorum. Causa autem rationabilis hoc posteriori modo non est necessaria, vt Indulgentia quidem valeat. Ac eiusmodi tãtùm causam rationabilem deesse probatur illo argumento, cùm indiscretè dantur Indulgentiæ, non secundùm proportionem causæ. Ad formã igitur argumẽti dico, si sermo sit de causa rationabili priori modo, Maiorem esse veram, & Minorem falsam, nec probationem eius concludere de tali causa rationabili. Si autem sermo sit de causa rationabili posteriori modo; Maior est falsa, & Minor vera, vt ostendit illius probatio.

AD PRIMAM verò confirmationem illius argumenti, nego consequentiam. Ad probationẽ dico, totam omnino remissionem maximæ Indulgentiæ, dari propter causam etiam minimã, secundùm intentionem Christi, & Sanctorum, vt hæc quidem intentio respicit *valorem* Indulgentiæ; quamuis non datur quidem secundùm illam alteram intentionem Christi & Sanctorum, quæ respicit etiam *rectitudinem* cõcessionis Indulgentiæ, vt scilicet detur discretè.

AD SECVNDAM confirmationem respõdeo, posse quoque thesaurum temporalem ita institui, vt dispensatio eius in pauperes, etiam sine causa proportionata, esset valida, quamuis indiscreta. Et quidquid sit de thesauro temporali; spiritualis quidẽ ille thesaurus, de quo agimus, isto modo est institutus, propter rationes quas antè diximus debere in proposito considerari.

AD TERTIAM confirmationem respondeo, vocabulum (efficaciùs) tantundem ibi significare quantum vocabulum (certiùs) non aliud.

AD QVARTAM confirmationem respõdetur, testimonio illo Innocentij solùm probari, *indiscretè & culpabiliter* tribui Indulgentias superfluas, quæ scilicet proportionem causæ excedunt, non autem distribui etiam inualidè.

AD QVINTAM denique confirmationem respondeo, Iudicium illud Parisiensium in tali re non esse definitionem infallibilem.

PVNCTVM QVINTVM.

Quibusnam prosint Ecclesiasticæ Indulgentiæ, & quid necessarium sit, vt reuera prosint.

D. Thom. q. 27.

VPEREST quintum punctum huius disputationis principale. De quo asserimus PRIMO, iis omnibus & solis prodesse Indulgentiam, qui cùm iam gratiam consecuti sint, aliquo tamen reatu pœnæ temporalis obstricti tenentur; siue in hac vita sint, siue in purgatorio. Est assertio omnium orthodoxorum, cõfirmata authoritate & vsu etiam summorum Pontificum. Et probatur PRIMO, quoniam Indulgentiæ illis omnibus & solis possunt prodesse, quib. suffragia alienarũ satisfactionum prodesse possunt; quæ satisfactiones, sicut per specialem intentionem priuatorum applicari possunt, ita etiam per Ecclesiæ Prælatos ex communi eiusdem Ecclesiæ thesauro, vt suprà in punct. 1. dictum est. At suffragia alienarum satisfactionum iis omnibus & solis, qui gratiam assequuti, & aliquo reatu pœnæ obstricti tenentur, prodesse possunt, siue in hac vita sint, siue in purgatorio; Ergo iis etiam omnibus & solis possunt prodesse Indulgentiæ.

Et quidem quod animabus etiam purgatorij prosint suffragia viuorum, testantur vbique Patres, conuenienter S. Scripturæ. Tertullianus in libro de Monogamia. Cyprianus lib. 1. epist. 9. Ambrosius lib. 2. epist. 8. Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 1. & 4. & serm. 34. de verb. Apostoli, & in Enchiridio, cap. 110. & alibi passim. Chrysostomus homil. 69. ad populum Antiochenum. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 5. Mystagogica. Concilium Carthaginen. IV. can. 79. & VVormatien. can. 10. vt alia eius generis testimonia omittam, quæ recitaui Disp. præcedenti in q. de sacrificio Missæ. Et patet id etiam ex communione charitatis, qua nobiscũ illi defuncti coniuncti sunt, non minus quàm viui. Quæ omnino facit vt nostra opera illis apud Deum prosint, non minus quàm viuis, præsertim cùm sint in maiori necessitate constituti.

SECVNDO probatur illa nostrã assertio ex Scriptura. Nam Matth. 16. & 18. Ecclesiæ Prælatis est tributa potestas soluẽdi peccata, non hoc modo tantùm, aut illo specialii, sed generatim omni modo quo id expediat ad finẽ Ecclesiastici ministerij, qui est gloria Dei & vtilitas Ecclesię totius, vt suprà puncto secundo docuimus. Sed ad hunc finem maximè expedit, vt iis omnibus & solis, qui sunt in gratia & aliquo pœnæ reatũ tenentur, solui possint per Indulgentiam peccata quoad eum pœnæ reatum; ita quidem vt viuis per modum absolutionis, defunctis autem per modum *suffragij* id fiat, sicut suprà puncto 1. est explicatum; Ergo iis omnibus & solis potest ita prodesse Indulgentia. Assumptio probatur iudicio & consuetudine ipsa summorum Pontificũ, atq; adeò Ecclesię Catholicæ, contra quam disputare *insolentissimæ insaniæ* est, vt sæpe repetimus ex Augustino in epistola 118. ad Ianuarium.

PORRO ex hac assertione, & eius probationibus, corollariè sequitur, non modò viuorũ Indulgentiam, sed etiam defunctorum, habere *certum* effectũ ex diuina promissione. Hoc probamus; Quoniam ipsa etiam nititur communicatione Sanctorum, & vsu illius authoritatis tributæ Prælatis Ecclesiæ, Matth. 16. & 18. Quæ duo non est dubium, quin habeant diuinã promissionem de certo effectu, vt patet nominatim ex illis verbis: *Erit solutum & in cœlis.*

QVAMOBREM nullo modo est audiendus Caietanus, qui tom. 1. tract. 16. de Indulgent. q. 5. putauit, effectum Indulgentiæ, quæ conceditur defunctis, pendere ex mera Dei liberalitate, neque esse certum ex aliqua lege seu promissione diuina. Quam sententiam incautè est etiam sequutus Cordubensis, q. 13. & 14. Contraria enim sententia & existimatio est non modò fidelium communiter, sed etiam ipsorum Pontificũ, qui Indulgentias defunctis quoque se tribuere censent per illam *eandem* authoritatem sibi tributam, Matth. 16. quæ habet sanè euidentem illam promissionem, *Erit solutum & in cœlis.*

NEQVE verò quod Pontifices dicunt, se eam Indulgentiam tribuere defunctis per modum *suffragij*, significat effectum eius esse incertum, ac pendere ex sola liberalitate diuina sine promissione: sed non planè dari per modum iuridicæ absolutionis, vt suprà puncto 1. explicauimus. Vnde etiam facilè iudicari potest de aliis quibusdam interpretationibus falsis huius, quod dicitur, per modum suffragij; quas refert & cõfutat Cordubens. in dicta q. 13. nisi quod debuit etiam refutare suam.

ITEM neq; illud Christi verbum obstat; *Quodcunq; solueris super terram.* Hoc enim, *super terram*, ad verbum, *solueris*, propriè referri debet, non autem ad verbum, *Quodcunq;*, quasi nõ detur ibi potestas soluẽdi nisi illum reatum, qui sit a dhuc super terram, qualis non est reatus animarũ existẽtium in purgatorio. Probatur autem id manifestè, quia verbum, *super terram*, ad idem referri debet, ad quod refertur etiam in ea sentẽtia verbum, *In cœlis*, vt omnes fatentur, & patet ex consequentia Christi sermonis. At verbum, *In cœlis*, propriè refertur ad ipsum actũ soluendi, qui exercetur à Deo peculiariter existente in cœlis, & à quo reatus peccati extrinsecè denominatur solutus, non autem ad aliquem reatum in cœlo ipso existentem, qui ibi soluatur, cùm

nullus omnino sit reatus peccati in cœlis; Ergo similiter verbum, *In terra*, ad actum soluendi, qui exercetur in terra à Pontifice, nõ autem peccati ad reatum super terram adhuc existentem; propriè referri debet. Et certè quomodocunq; alij interpretentur, ita Patres communiter hunc locum intellexerunt, cùm aiunt, hîc promitti confirmationem in cœlis eius sententiæ, quæ fertur super terram: vt Cyprianus lib. 1. epist. 2. Hilarius can. 16. in Matth. Augustinus homilia 50. & alij passim.

Item neque hîc obstat, quòd in illis Euangelij locis authoritas quædam Iurisdictionis tributa esse intelligitur, cuius auctoritatis actus non est Indulgentia defunctorum. Dicimus enim, eam quoq; Indulgentiam esse actum Iurisdictionis, qui exerceatur erga cõmunem Ecclesiæ thesaurum, licet nõ qui exerceatur propriè *in absolutione personæ*, vt suprà punct. 1. explicuimus. Cõsuetudo enim Pontificũ, dum ex ea ité auctoritate Indulgentiam defunctis cõcedunt, docet hunc etiam vsum Iurisdictionis in illis Euangelij locis promissionem habere. Ac fortasse idcirco Christus non dixit: Quodcunque *absolueris*, sed vocabulo magis generali vsus, inquiens: Quodcunq; *solueris*; nimirum siue absoluendo etiam, siue saltem applicãdo solutionem ex communi Ecclesiæ thesauro.

Secvndo asserimus, vt Indulgentia ex parte susci pientis valeat, requiri etiam præter gratiam, vt illud opus impleatur quod à concedẽte Indulgẽtiam requiritur, & eo modo quo requiritur. Ita docent omnes, ac ratio est perspicua, quoniam aliâs nõ adhibebitur reipsa caussa pia, sine qua Indulgentia non valet, vt suprà puncto præced. dictum est.

Non tamen requiritur, vt eiusmodi opus exerceatur in gratia, sed satis fuerit vt tẽpore, quo Indulgentiæ fructus percipiẽdus est, hoc est, statim atq; est factum opus requisitum (qualecunq; illud fuerit) sis in diuina gratia, vt ex communi sententia docet Sotus d. 21. q. 2. art. 3. & Cordubens. q. 21. & 22. qui in ea q. 22 probabiliter etiã asserit, ne requiri quidem, vt opus requisitũ fiat bene moraliter secundùm omnes circũstantias, sed satis fore, vt sit bonum moraliter ex genere suo.

Ego verò, si opus requisitum sit *externum* (vt eleemosyna & peregrinatio) quod vel ratione effectus, vel propter exemplum, possit cedere ex suo genere in vtilitatem Ecclesiæ & gloriam Dei, etiamsi ex circumstantia sit malum; omnino id esse verum existimo. si autem opus requisitum esset tantummodo *internum* & spirituale, vt contemplatio, &c. necesse est, vt sit bonum saltem moraliter vndequaque, vt *per se* saltem placeat aliquo modo Deo, & eatenus cedat in Dei gloriã & vtilitatem Ecclesiæ, quatenus accedit nimirũ ad cumulum bonorum operum ipsius membrorum, & disponit remotè ad gratiam.

Addit singulari quadam opinione sua Caietanus, tom. 1. opus. tract. 10. q. 1. & tract. 16. q. 5. præter gratiam & opus præscriptum, requiri in *viuis*, vt quantum possunt studeant alioqui ipsi per se satisfacere, & in *defunctis* vt habuerint in vita peculiarem deuotionem ad Indulgentias, & ad suffragandum defunctis. Sed has conditiones Doctores alij communiter reiiciunt tanquã nouas, & sine firmo fundamento excogitatas. Hoc enim ipso quod quis est in gratia, accedẽte caussa pia, est capax Indulgentiæ: & defuncti per illa ipsa bona opera, quæ ipsis suffecerunt, vt in gratia decederent è vita, satis promeriti sunt vt suffragia Ecclesiæ ipsis prodesse possint, sicut docet D. Augustinus in Enchirid. cap. 110.

Ex dictis autem in hoc, & duobus punctis præcedentibus intelligitur, verissimum esse cõmune illud Theologorum axioma: nempe Indulgentiam tum demum prodesse, si adsit in *cõcedente auctoritas, & in caussa pietas, & in suscipiente charitas*. Et hactenus de Indulgentiis pro instituta breuitate, satis disputautm esse videtur.

Finis Septimae Disputationis.

DISPVTATIO OCTAVA GENERALIS.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

DIVISA IN QVÆSTIONES DVAS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM DISPVTATIONIS OCTAVÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

De ratione & efficacia Sacramenti Extremæ Vnctionis.

PVNCT. I. *Vtrum Extrema Vnctio, quæ ex more solet in Ecclesia adhiberi infirmis de vita periclitantibus, sit reuera Sacramentum.*
II. *Quænam sit substantia huius Sacramenti, quoad ipsius Materiam & Formam.*
III. *Quisnam & quotuplex sit huius Sacramenti effectus.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Administrantibus & suscipientibus Sacramentum Extremæ Vnctionis.

PVNCT. I. *Quisnam sit proprius Minister huius Sacramenti.*
II. *Quinam & quatenus possint esse huius Sacramenti participes.*

DISPVTATIO OCTAVA GENERALIS, DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

Supplem. D. Thom. à quæst. 29. vsque ad quæst. 33.

DISPVTANT DE HOC SACRAMENTO Theologi in 4. sentent. Dist. 23. & Juris Canonici Doctores in Capite vnico, Extra de sacra Vnctione. Ac sunt duæ quæstiones principales ad quas omnis de hoc Sacramento Tractatio reuocari potest. PRIMA *est de ratione & efficacia istius Sacramenti.* SECVNDA, *de Administrantibus & Suscipientibus illud.*

QVÆSTIO PRIMA.

De ratione & efficacia Sacramenti Extremæ Vnctionis.

Supplem. D. Thom. quæst. 29. & 30.

EXPLICANDA SVNT TRIA. PRIMO, *VTRVM EXTREMA ILLA Vnctio, quæ ex more solet in Ecclesia adhiberi infirmis de vita periclitantibus, sit reuera Sacramentum.* SECVNDO, *quænam sit substantia huius Sacramenti; vbi oportebit de illius forma & materia distincte dicere; ex quibus nimirum constat essentia Sacramenti.* TERTIO, *quisnam & quotuplex sit hujus Sacramenti effectus; ex quo demum perfectè intelligetur, quæ sit huius Sacramenti significatio; quæ ipsa etiam essentialis est Sacramento, quatenus illud est rei sacræ signum: significat enim Sacramentum illud ipsum quod efficit.*

PVNCTVM PRIMVM.

Vtrum Extrema Vnctio, quæ ex more solet in Ecclesia adhiberi infirmis de vita periclitantibus, sit reuera Sacramentum.

D. Thom. q. 29. art. 1. & 3.

QVOD AD PRIMVM PVNCTVM attinet, Extremam Vnctionẽ Sacramentum esse negauerunt VValdẽses hæretici, vt refert Aneas Syluius libro de Origine Bohem cap. 35. A & Guido Carmelita in Catalogo hæret. & Thomas VValdensis Tomo secundo, de Sacram. cap. 163. Item id negauit VViclephus, vt idem author illic refert. Postremò Lutherus in Captiuitate sua Babyl. Caluinus lib. 4. Institut. cap. 19. Brentius

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Confeſsione VVirtenb. Kemnitius in Examine Concilij Tridentini seſſ. 14. & alij omnes Sectarij.

Prius autem quàm horum argumentis reſpõdeam, probanda eſt contraria aſſertio Catholica. PRIMO illo eodem argumento partim ex Scriptura, partim ex Eccleſię authoritate ducto, quo & aliorum Sacramentorum veritas irrefutabiliter confirmatur hoc modo: Si quæ res in Scriptura ſacra continetur, & in ea re declarat atque affirmat Eccleſia Sacramenti rationem à Chriſto eſſe inſtitutam, omnino fatendum eſt eiuſmodi rem verum Sacramentum nouæ legis eſſe. Sed res ipſa Extremæ Vnctionis in Scriptura ſacra continetur, & in ea re declarat atque affirmat Eccleſia Sacramenti rationem à Chriſto inſtitutam eſſe. Ergo omnino fatendum eſt eiuſmodi rem extremæ Vnctionis verum Sacramentum nouæ legis eſſe.

Maior probatur; quia ſi non id ſufficit, vt rem aliquam Sacramentum eſſe confiteamur; neque Euchariſtia, neque Baptiſmus Sacramentũ eſſe putari debet, quæ duo tamen ſine controuerſia Sacramenta eſſe concedunt omnes etiã Sectarij. Non enim in ſcriptura expreſſum eſt, q̃ in ablutione illa, aut in pane & vino conſecrato inſtituerit Deus peculiare ſignum interñę ablutionis atque refectionis ſpiritualis animæ quæ ſit per gratiam. Sed cùm res ipſa Baptiſmi & Euchariſtiæ in Scriptura commemoretur; Eccleſia præterea declarauit in ea re rationem illã ſigni gratiæ interioris à Chriſto fuiſſe conſtitutam, in qua ſigni ratione cumprimis ſita eſt Sacramenti natura, vt ipſi etiam agnoſcunt Sectarij.

Iam probo Minorem. Nam *res* Extremæ Vnctionis eſt vnctio ipſa infirmorũ ſub præſcripta verborum forma deprecatoria ad remiſsionem plenam peccatorum & ſanitatem etiam Corporis impetrandam, eo modo quo poſtea à nobis declarabitur. Hæc autem *res* Iacobi 5. continetur illis verbis: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum & alleuabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.*

Quòd autem Eccleſia Catholica in hac ipſa re Extremæ Vnctionis affirmet, rationem veri Sacramenti fuiſſe à Chriſto inſtitutam, patet ex eiuſdem Eccleſię apertis definitionibus. In Concilio Florent. in Decreto vnionis, & in Tridentino ſeſſ. 7. Can. 1. & ſeſſ. 14. in Doctrina de Extrema Vnctione Can. 1. & in Cap. *Ad abolendam*, Extra de hæret. Vbi hæreticus pronunciatur is, qui de Sacramentis Eccleſiæ non idem ſentit quod Eccleſia Romana, à qua conſtat Extremam Vnctionem in Sacramentis nouę legis numerari.

Apparet igitur ex hoc argumento ita Sacramentum Extremæ Vnctionis ex Scripturis probari, ſicut ex eadem probatur Sacramentum Baptiſmi & Euchariſtiæ: nempe accedente interpretatione & ſententia ipſius Eccleſiæ ad eum locum Scripturæ in quo res ipſa Sacramenti cõtinetur. Neque enim aliter Sacramentum Baptiſmi aut Euchariſtiæ ex Scriptura probari poteſt, cùm nuſquã etiam Scriptura dicat, baptiſmum aut Euchariſtiam Sacramentum eſſe, vel ſignum interioris gratiæ peculiariter à Deo inſtitutum. Nam quòd ſcriptura ſignificat per illam abſolutionem baptiſmi, & vſum Euchariſtiæ, hominem conſequi gratiam & remiſsionẽ peccatorum, hoc certè non idem eſt ac dicere, quòd ipſa ablutio aut vſus Euchariſtiæ ſit *peculiariter* à Deo inſtituta in *ſignum* vel *Sacramentum* eius gratiæ. Nam & de obſeruatione mandatorum & de eleemoſyna nominatim, ac aliis eiuſmodi operib. in Scriptura dicitur, quod qui ea fecerit, conſequetur gratiam & remiſsionẽ peccatorum. Neque tamen ideo in Scriptura hæc dicuntur eſſe Sacramenta. Quare reliquum eſt, vt quemadmodum diximus, ex adiuncta interpretatione & ſententia ipſa Eccleſiæ diſcernere oporteat, quænam res in ſcriptura contentæ ſint vera Sacramenta, id eſt, ſigna efficacia interioris gratiæ, quæ in eiuſmodi rerum vſu detur.

SECVNDO probatur eadem aſſertio Catholica argumento quo hîc vtitur D. Thomas q. 29. articulo 1. Nam religionis ceremonia in cuius vſu ex inſtitutione diuina remittuntur peccata ſemper eſt habita pro vero Sacramẽto in Eccleſia, vt patet ex iis quæ docuimus ſuprà in Tractatu de Sacramentis in genere. Sed in illa religionis Ceremonia, quam Iacobus cõmemorat, remittuntur peccata: Ergo illa ceremonia verum eſt Sacramentum. Id patet ex illis Iacobi verbis; Apoſtolus determinatè aſſcribit illam remiſsionem ſoli Orationi, vt Caluinus & Kemnitius pro ſuo libito comminiſcuntur, ſed abſolutè refert illam remiſsionem ad omnia illa, de quibus agit antecedentibus verbis, atque adeò etiam ad *vnctionem* tãquam ad medium quoddam, quod eum effectum valeat ex ordinatione Dei; vt patet ex ipſo ſermonis contextu.

TERTIO probatur certiſsimè ex vetiſsimo illo axiomate D. AVGVSTINI libro 4. de Baptiſmo contra Donat. cap. 24. *Quod vniuerſa*, inquit, *tenet Eccleſia nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſsimè creditur.* Atqui Extremam Vnctionem eſſe Sacramentum, vniuerſa tenet Eccleſia: neque vllum vel Pontificis alicuius vel Concilij decretum aſsignari poteſt, quo primò inſtitutum fuerit, vt ea pro Sacramento habeatur ac vſurpetur. Ergo rectiſsimè creditur, Sacramentum Extremę Vnctionis ab ipſis Apoſtolis tanquam verum Sacramentum diuinitus inſtitutum Eccleſiæ fuiſſe traditum atque commendatum.

Dicit

Dicit quidem Kemnitius à Felice IV. inſtitutum fuiſſe, vt infirmi ante obitũ oleo Sacro vngerentur. Sed hoc apertum mendacium eſt. Extant enim in 1. Tomo Conciliorum duæ tantùm epiſtolæ huius Fælicis, in quibus nihil tale repetitur. Et longè antiquior quàm hic Fælix fuit Innocentius I. qui, vt ſtatim videbimus, huius Sacramenti meminit.

QVARTO probatur eadem aſſertio authoritate veterum Patrum. Nam non modò Magiſter ſententiarum ante 400. annos, & alij Theologi, ſed etiam antiquiores Patres, mentionem fecerunt huius Sacramenti; idq; non tanquam rei alicuius nouæ, ſed tanquam iam ab initio in Eccleſia traditæ & receptæ. INNOCENTIVS I. D. Auguſtini æqualis, Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſc. cap. 8. Sacramentum iſtud ait illis eſſe negandum, qui à *reliquorum Sacramentorum vſu prohibiti ſunt: Nam quibus reliqua*, inquit, *Sacramenta negantur, quomodo genus vnum putatur poſſe concedi?* Vbi certè de iſto Sacramento, ſicut de alio quouis Sacramento in Eccleſia vſitato loquitur.

Item D. CHRYSOSTOMVS libro 3. de Sacerdotio, cap. 6. de Sacerdotibus loquens: *Non modò*, inquit, *dum nos Deo regenerant, ſed & poſteà condonandorum peccatorum habent poteſtatem. Infirmatur enim quis in vobis, aduocet, &c.* Quod ſi per hanc etiam religionis Cæremoniam Sacerdotes remittunt peccata ex ſententia Chryſoſtomi; certè hæc cæremonia Sacramentum quoddam eſt ſecundùm Chryſoſtomum.

Item BEDA in caput 6. Marci, cùm citaſſet illud Iacobi teſtimoniũ: *Infirmatur quis in vobis, etc. Hinc patet*, inquit, *ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctum Eccleſiæ morem eſſe traditum vt energumeni, vel alij quilibet ægroti vngantur oleo Epiſcopali benedictione conſecrato.*

Item THEOPHYLACTVS ibidem Vnctionem hanc olei ex Apoſtolica traditione in Eccleſia vſitatam ſignificare dicit *Dei miſericordiam; per quam*, inquit, *à labore liberamur, & lucem, & gaudium, & ſpiritualem hilaritatem accipimus.* Quibus verbis *ſignificationem* miſericordiæ, atque adeò gratiæ diuinæ in hac vnctione, & proinde rationem Sacramenti ineſſe declarauit.

Item D. AVGVSTINVS Serm. 215. de Tempore, per hanc vnctionem dicit *Corporis ſanitatem recipi, & indulgentiam peccatorum obtineri*: ideoque poſt ſuſceptam Euchariſtiam ad hanc vnctionẽ tanquam ad alterum Sacramentum vſurpãdum hortatur. Quod ſimiliter facit lib. 2. de viſitandis infirmis, cap. 4. vbi inter cætera dicit, *Deum ipſum* per Apoſtolum ſuũ Iacobum illud dixiſſe: *Infirmatur quis in vobis, &c.* Et libro de rectitudine Catholicæ Conuerſationis. Qui libri tanquã Auguſtini à Thoma VValdenſi Tomo ſecundo de Sacram. cap. 163. & ab aliis antiquis authoribus citati ſunt, vt meritò auctoritatem habere debeant non cõtemnendam, ſiue Auguſtini ſiue alterius veteris authoris ſint.

Item Petrus DAMIANVS ſerm. 1. in dedicat. Eccleſiæ: *Tertium*, inquit, *Sacramentum eſt Vnctio infirmorum.* Quod ibidem cõfirmat teſtimonio Apoſtoli Iacobi: Item Patres Concilij VVormacienſis Can. 72. huius Sacramenti mentionẽ faciũt repetentes ſupra citata verba Innocentij I. Atque etiam in ſynodo Cabilonenſi ſub Carolo Magno Can. 48. ita Patres de iſto Sacramẽto loquuntur: *Secundùm B. Apoſtoli Iacobi documentum, cui etiam decreta Patrum conſonant, infirmi oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, à presbyteris vngi debent: Sic enim ait, Infirmatur quis, &c. Non eſt itaque parui pendenda huiuſmodi medicina, quæ animæ & corporis medetur languoribus.*

Commemorat etiam iſtud Sacramẽtum tanquam rem antiquam D. BERNARDVS in vita Malachię, & Innocentius III. Extra de Sacra Vnctione, cap. vnico, & alij.

POSTREMO & hic etiam ad conuincendum de inſania Sectarios orthodoxa illa ſententia D. Auguſtini Epiſtola 118. repetenda eſt. *Si quid*, inquit, *per vniuerſum orbem frequentat Eccleſia, de eo quin rectè fiat diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.*

Ex quibus conſequitur non eſſe vllo modo audiendum Hugonem Victorinum ab omnibus iam pridem explosum, qui lib. 2. de Sacram. par. 15. cap. 1. voluit Sacramentum iſtud ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum. Neque etiam Ioannem Eckium, qui non reputauit abſurdum, ſi quis ſentiat, Sacramentum iſtud ab Iacobo Apoſtolo ex authoritate Chriſti & iuſſu ſpiritus Sancti fuiſſe inſtitutum. Etenim cùm ſit verum Sacramentum vim habens conferendi gratiam, non niſi ab ipſo gratiæ authore Chriſto oportuit inſtitui, vt definitum eſt in Concilio Trident. ſeſſ. 14. Can. 1. de Extrema Vnctione, & confirmat etiam D. Thom. quæſt. 29. art. 3. & id generatim de omnibus Sacramentis probauimus ſuprà in Tractatu de Sacram. in genere.

Iacobus autem Apoſtolus in ſua Canonica non inſtituit ipſe hoc Sacramentum, ſed promulgauit inſtitutum aliâs à Chriſto, vt in eodẽ Concilio Trident. explicatum eſt. Et quidem Lindanus in ſua Panoplia lib. 4. cap. 96. non improbabiliter exiſtimat, antequam Iacobus Epiſtolam illam ſcriberet, fuiſſe Sacramentum iſtud apud fideles vſitatum, ipſiſque Apoſtolica prædicatione traditum: nec Iacobum ibi rem omnino nouam fidelibus propoſuiſſe, ſed id repetiuiſſe & inculcaſſe, quod ex recepto iam more faciendum eſſet. Quod quidem ſi ita eſt, intelligere oportet Iacobum fuiſſe primum qui Sacramentum iſtud *ſcripto* quidem promulgauerit, licet antea etiam viua voce Apoſtolorum promulgatum eſſet.

Marci aũt 6. vbi legitur, quod Apoſtoli miſſi à Chriſto multos infirmos oleo vngebant & ſanabantur, non commemoratur vſus huius Sacramenti,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cramenti, ſed quoddam quaſi proëmium & typus ipſius propter vnctionis ſimilitudinẽ. Quare Concilium Trid. ſeſſ. 14. in doctrina de Extrema Vnctione, non inſtitutum ſed *inſinuatum* tantummodo â Chriſto eſſe dicit Sacramentum iſtud, cùm Marci 6. mittens Apoſtolos ſuos voluit, vt in vſu doni Curationis aliquãdo vterentur olei vnctione. Quod eſt obſeruandum propter nonnullos authores, qui Sacramentum iſtud ex illo loco Marci 6. minus cõſideratè probare conati ſunt: inter quos eſt Alphonſus de Caſtro in Summa de hæreſ. V. Extrema Vnctio.

NVNC ad ea reſpondendum eſt quæ obiiciunt Sectarij contra iſtius Sacramenti aſſertionem. PRIMO obiiciunt, quòd idem ritus vnctionis à Iacobo & à Marco Euangeliſta commemoratur, vt ex Beda & Theophylacto in caput 6. Marci, poteſt intelligi, qui cum illum locũ Marci interpretantur, locum etiam Iacobi tanquam ad eandem rem pertinentem inducunt. Sed vnctio illa apud Marcum tantummodo fuit ſymbolum quoddam externum curationis miraculoſæ, quæ fiebat per donum ſanitatum; non autem Sacramentum. Ergo ſimiliter vnctio illa, de qua Iacobus loquitur. Vnde porro iſti inferunt, ritum illum Vnctionis non perpetuò ſed ad tempus tantùm duraturum in Eccleſia fuiſſe, nimirum quamdiu ad ædificationem fidei in illis initiis fuit duraturum donum curationis, cuius illa Vnctio erat ſymbolum, quodque iam dudum in Eccleſia exoleuit.

RESPONDEO. Vnctionem illam poſſe dupliciter conſiderari. Vno modo abſolutè ſecũdùm *rem ipſam* illius Vnctionis, vt vnctio olei fuit. Altero modo, ſecundùm *modum* etiam & efficaciam ac ſignificationem ipſius. Priori modo eadem eſſe dici poteſt vnctio, de qua Marcus & de qua Iacobus: & ita Beda & Theophylactus & alij intelligunt, quando exponentes locum Marci adducunt locum Iacobi, vt etiam ex Marco vſum eius Vnctionis, quę in Eccleſia iuxta deſcriptionem Iacobi vſurpatur, probent; non quaſi eodem modo & ratione prorſus ab Apoſtolis apud Marcum fuerit vſurpata, ſed quia ab illis quoque fuit vſurpata eadem actio, quod attinet abſolutè ad rem vnctionis, & eo ipſo vnctio hæc noſtra deſcripta à Iocobo inſinuationẽ & originẽ habet Apoſtolicam; id quod etiã nonnihil valet ad eius Commendationẽ. Poſteriori aũt modo ſcilicet quoad *modũ efficaciam et ſignificationem*, nõ eadem ſed longè diuerſa eſt vnctio, de qua loquitur D. Iacobus.

Probamus id *primò*, quoniã vnctio apud Marcum non valuit ipſa ad remiſsionem etiam peccatorum, ſed tantũ fuit ſymbolum vel adminiculum curationis miraculoſæ per donum ſanitatum. Vnctio autem, de qua Iacobus loquitur, valet etiam ad remiſsionem peccatorum, eamq; adeò ſignificat, vt apparet ex ipſis verbis Iacobi.

Secundò, quia, vt dictum eſt, Vnctio apud Marcum fuit ſymbolum ſeu adminiculum curationes miraculoſæ per donum Sanitatis. Vnctio autẽ de qua loquitur Iacobus, propriè quidem non poteſt cenſeri fuiſſe eius doni ſymbolum aut adminiculum, ſed medium quoddam per ſe inſtitutum ad effectum ſupernaturalem gratiæ ex certa lege Dei ordinaria, & etiam ſanitatis Corporis, quatenus id ad ſalutẽ animæ expediat. Hoc autem patet, quoniam D. Iacobus indifferenter iubet ad illam Vnctionem eiusq; effectum adhibere quoſcunque *Presbyteros*; donum autem illud ſanitatum non omnes presbyteri ordinariè habebant. *Diuiſiones enim gratiarum ſunt*, inquit Apoſtolus 1. Corinth. 12. Et nõ omnibus fidelibus aut etiam presbyteris: Sed *alij*, inquit ibi, *per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ; alij gratia ſanitatum; alij operatio virtutum; alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens, inquit, ſingulis prout vult.*

Tertiò, Quoniam vnctio illa apud Marcum ad tempus debuit durare, ſicut ipſum etiam donũ ſanitatis ad tempus durauit in Eccleſia, ſaltem ita frequens; neque enim penitus ceſſauit, ſed ſubinde in aliquibus eminet. Vnctio autem, de qua Iacobus loquitur, in more debuit eſſe perpetuò & ordinariè in Eccleſia, vt Beda & alij Patres intellexerunt. Quemadmodum ipſa quoque remiſsio peccatorum, ad quam illa Vnctio deſtinata fuit, vt ex verbis Apoſtoli patet, perpetuò in Eccleſia vſum habet. Vnctionem igitur illam, de qua D. Iacobus loquitur, ſymbolum tantummodo fuiſſe miraculoſæ curationis ad tempus duraturum, nullo vel argumento vel teſtimonio probari poteſt, ſed figmentum id eſt ſine fundamento in cerebris Sectariorum fabricatum.

SECVNDO obiiciunt, vnctionem illam non ad vſum Sacramenti, ſed tantummodo propter opportunitatem olei, quod in illis Paleſtinæ locis erat præſtantiſsimũ, & ad depellendos morbos efficaciſsimum, fuiſſe vſurpatam ſecundùm deſcriptionem Iacobi. Quam obiectionem à VVicleſo videtur Kemnitius didiciſſe. Nam ſic ille etiam argumentatur apud Thomam VValdenſem Tom. 2. de Sacram. cap. 163.

RESPONDEMVS autem, vanitatem huius cogitationis ſectariorum ex duabus rebus ſatis ſuperque intelligi poſſe. *Primò*, quia Iacobus non ad eos tantùm, qui erant in Palæſtina, & illius olei copiam habebant, ſed ad fideles vbique diſperſos epiſtolam illam ſcripſit, vt ipſe initio indicat. *Secundò*, quia Vnctionem illam ad remiſsionem peccatorum referri voluit, quam quidẽ nullum quantumuis præſtans oleum poteſt efficere ſine peculiari inſtitutione diuina, ex qua oleum tanquam inſtrumẽtum quoddam vſurpetur ad eiuſmodi ſupernaturalem effectum.

TERTIO obiiciunt, D. Iacobum cùm dixit: *Et ſi in peccatis fuerit remittentur ei*; non voluiſſe ſignificare, quòd remiſsio peccatorum ſit ex aliqua certa Dei lege effectus illius Vnctionis, tanquam *ex opere operato*, ſed indicauiſſe ea re quemadmodũ illa Vnctio religiosè, & piè adhiberi in Eccleſia deberet ad curationẽ miraculoſam: ita ſcilicet, vt infirmus ſimul admoneretur à presbytero, morbi cauſam ſolere eſſe peccata, excitareturq; ad remiſsionem peccatorum quærendam per pœnitentiam & fidem, vt ſic totus homo ſecundùm animam & corpus ſanus fieret. Atque hoc commentum interpretationis pluribus verbis iactat Kemnitius.

RESPONDEO autem *Primò*, ſi maximè daremus, eo modo tantùm indicaſſe Apoſtolũ tribuii in illa Vnctione remiſsionem peccatorum, non inde tamen poſſent ipſi quidem Sectarij colligere eam Vnctionem non eſſe Sacramentũ. Docent enim illi neque in Baptiſmo aut Euchariſtia gratiam obtineri *ex opere operato*, ſed per fidem, & pœnitentiam tantùm, vt excitantur hæc in animis per miniſterij Euangelici vocem in illorum ſymbolorum externorum vſu.

Secundò dico commentitiam omnino eſſe illã interpretationẽ. Iacobus enim nihil ibi dicit de tali miniſtrorũ admonitione, quæ fidem & pœnitentiã excitet in infirmo: Sed tanquam de effectu ex parte Dei quidem certò conſequente loquitur, hoc ipſo, ꝙ infirmus à presbytero vngatur adhibita oratione in nomine Domini, ſi affectus aliquis peccati non obſtet. Tunc inquit, *ſi in peccatis fuerit remittentur ei*. Quod ſi nõ niſi illa intercedẽte miniſtri admonitione, & fide etiam atque vera pœnitentia ægroti, remiſsionem illã accidere Iacobus putaſſet, non ita abſolutè eum effectum fuiſſet pollicitus facta tantummodo mentione vnctionis & orationis. Neque enim admonitio illa & pœnitentia vera, ita cum vnctione eiuſmodi & oratione ſunt connexa, vt iis commemoratis ſtatim oporteat eam quoq; admonitionem, & pœnitẽtiam ſubintelligi, vt neceſſe non ſit eam exprimere, quãuis requiratur.

Accedit quod D. CHRYSOSTOMVS lib. 3. de Sacerdotio ſupra citato affirmat, Sacerdotes in hac vnctione exercere illam poteſtatem remittendi peccata, quæ ipſis peculiariter eſt à Chriſto tributa. Si autem non hic remitterent peccata ex *opere operato*, ſed tantùm admonitione, ſeu excitando ad fidem & pœnitẽtiam ægrotum, non aliquam in ea remiſsione poteſtatem exercerent ſibi propriè à Chriſto tributam. Nam quilibet etiam laicus poteſt more ſectariorum prædicantium admonendo excitare ægrotum ad fidem & pœnitentiam qua remiſsionem peccatorum obtineat.

QVARTO obiiciunt, D. Iacobum loqui de Vnctione quæ quibuslibet infirmis adhibenda fuerit: noſtram autem Vnctionem non adhiberi niſi iis infirmis de quorum morte timetur, vt dicitur in Concilio Florentino. Hoc argumentũ Sectariorum ipſe etiam D. Thomas poſuit hîc quæſt. 32. art. 2.

RESPONDETVR autem, ſententiam atque conſuetudinem perpetuam Catholicæ Eccleſiæ interpretari, infirmos illo Iacobi loco intelligi eos qui non modò ſecũdùm ipſum genus morbi de vita periclitantur, ſed etiam ſecundùm morbi *ſtatum*; ità ſcilicet vt non obſtantibus remediis naturalibus, quæ ſummo ſtudio, & arte adhiberi poſſunt, infirmi ſint & in periculo vitæ, ideoque indigeant remedio ſupernaturali, quale eſt vſus iſtius Sacramenti.

QVINTO obiiciunt, ſi vnctio illa olei, quæ infirmis adhibebatur, Sacramentum eſt; pari modo Sacramentum nobis eſſe debere ablutionem in aqua natatoria Siloë; & vnctionem oculorum ex luto; & ſputum in auriculas, & alia ſimilia, quæ legimus à Chriſto vel ab aliis ſanctis in morborum curatione fuiſſe quoque adhibita. Neque enim Caluinum, Kemnitium, & alios ſectarios puduit ita leuiter argumentari.

Quibus RESPONDEMVS, longè diſparem eſſe huius noſtræ Vnctionis rationem. *Primò*, quoniam ad remiſsionem peccatorum valere ſcribitur, ꝙ non item de illis aliis remediis ſcriptũ eſt. *Secundò*, quoniam in illa Sacramenti rationẽ ad vſum fidelium perpetuũ inſtitutam eſſe Eccleſia definitione atq; conſuetudine ſua declarauit, non in illis aliis: in cuius rei confirmationem teſtimonia etiam veterum ſupra ſunt adducta.

SEXTO obiiciunt, quòd gratia quæ confertur in Baptiſmo, & in Euchariſtia, ſufficit ad omnia, quæ ad ſalutem neceſſariò præſtanda ſunt etiam ipſo tempore imminentis mortis.

RESPONDEMVS, ſi hoc argumentum quicquam valeret, ſimiliter probari poſſe, quod Sacramentum Euchariſtiæ ſit ſuperuacaneũ. Nam gratia etiam Baptiſmi, quatenus gratia eſt, ſufficit ex ſe ad omnia illa, ad quæ valet gratia, quæ confertur per Euchariſtiam. Dicimus igitur, ſicut hoc non obſtante, ad quoſdam effectus peculiares gratiæ diuinæ Euchariſtia poſt Baptiſmum inſtituta eſt; ita etiam Sacramentum extremæ vnctionis poſt Baptiſmum & Euchariſtiã inſtitutum eſſe propriè ad quoſdam effectus diuinæ gratiæ peculiares.

DENIQVE obiiciunt Lutherani, Epiſtolam illam Iacobi non eſſe Canonicam. Sed hoc falsò ab illis exiſtimari oſtendimus Tom. 3. diſput. 1. quæſt. 1. p. 7. & alij multi authores Catholici probauerunt. Neque verò Caluiniſtæ hanc Epiſtolam reiiciunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam sit substantia huius Sacramẽti quoad ipsius Materiam & Formam.

D. Thom. q. 29. art. 4. &. seq.

PRIMO asserimus MATERIAM huius Sacramenti esse oleum simplex oliuarum ab Episcopo benedictũ. Ita habetur in Concilio Florent. & Trident. Sess. 14. cap. 1. de Extrema Vnctione. & asseritur à D. Thoma hîc q. 29. art. 4. & 5. & ab omnibus in 4. d. 23.

Dicimus autem oleum *oliuarum*, quoniam illud solùm simpliciter & absolutè censetur esse verum *oleum*, quale D. Iacobus asserit, & Ecclesia definit esse istius Sacramenti materiam. *Benedictio* autem *per Episcopum* non dubium est quin de necessitate *præcepti* sit requisita, vt patet ex Concilio Florent. & ex Innocentio III. cap. vnico, de Sacra Vnctione.

Quod autem ordinariè requiratur ad *veritatẽ* etiam Sacramẽti, probabilius est, vt Sotus rectè docet in 4. d. 23. q. 1. art. 3. & Durandus ead. d. q. 2. & Bonauentura art. 1. q. 3. & Paludanus quæst. 1. etsi contrà sentiat Franciscus Victoria q. 217. de Sacramentis, & de ea re dubitet Caietanus 3. p. q. 72. articulo 3. Sed nostram sententiam confirmat perpetuus vsus Ecclesiæ, vt Sotus rectè ait. Nec verum est, quod Victoria pro se allegat, nempe Innocentium III. in Cap. Pastoralis, Extra de Sacramentis non iterandis, definiuisse non esse iterandum Sacramẽtum Confirmationis administratum in oleo non benedicto. Innocentius enim ibi tantùm loquitur de solo oleo sine Chrismate, non autem de oleo *non benedicto*. Quanquam nec etiam necesse est eandẽ esse rationem quoad hoc, Sacramenti extremæ Vnctionis & Sacramenti Confirmationis. Adde quod etiam Sacramentum Confirmationis, debet constare necessariò ex materia benedicta vel ordinariè ab Episcopo, vel ex commissione Põtificis à presbytero, iuxta dicta disput. 5. quæst. 1. puncto 2.

Dixi autem *ordinariè* requiri benedictionem olei *ab Episcopo*. Nam probabile est quòd ex *Commissione* Põtificis posset sufficere oleum benedictum à *presbytero*, vt censet illic Sotus, & Victoria q. 216. de Sacram. & Paludanus in 4. d. 23. q. 1. art. 1. in fine.

Porrò huic assertioni non obstat quod Innocentius I. in epistola ad Decentium, cap. 8. relatus in Concilio VVormatiensi Can. 12. & in Decretis, 95. d. Can. *illud superfluum*, dicit hoc Sacramentum conferri vnctione *Chrismatis*. Chrisma enim ibi latè sumpto vocabulo significat oleum benedictum etiã sine balsamo, quatenus Chrisma significat quodcunq; vnguentum, vt respondit in illo art. 3. Sotus. Glossa tamẽ in dicto Can. *Illud superfluũ*, ex quorundã sententia dicit, episcopos (de quibus illic loquebatur Innocentius) propter dignitatẽ solitos fuisse in huius Sacramẽti administratione vti etiam balsamo; licet non vt de essentia Sacramenti. Sed hoc non constat; præsertim cum locus Innocentij possit, vt dictũ est, intelligi de simplici oleo consecrato.

SECVNDO asserimus FORMAM huius Sacramenti consistere in illis verbis: *Per istam sanctam Vnctionem & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, per tactum, &c.* Ita Concilium Florent. & Trident. Hancque assertionem confirmat hîc D. Thomas quæst. 29. art. 7. 8. & 9. & Theologi alij in 4. d. 23. Fundamentum autem potissimum est vsus & traditio Ecclesiæ perpetua testimonio etiam D. Iacobi consentanea, qui significat Vnctionem illam esse adhibendam sub forma *orationis* per verba deprecatoria.

Ac potest etiam eadem forma significari aliis æquipollentibus verbis, modò maneat eadem significatio & sententia deprecatoria. Quare q̃ in quibusdam Ecclesiis vt refert D. Thomas dicitur, *Vngo hos oculos, &c.* non satis est ad essentiam formæ, sed deinde subiungi debet ipsa forma essentialis deprecatoria, ac ita dici, *Vngo hos oculos vt per istam sanctam Vnctionem, &c.* ita vt verba illa indicatiui modi *Vngo hos oculos*, intelligãtur tantummodo esse quasi proœmium quoddã ad sequentem formam deprecatoriam, quo expressius declaretur intentio ministri de inungendo ad Sacramenti huius effectum, vt rectè declarat Sotus d. 23. quæstione prima, articulo quarto, post Altisiodorens. libro quarto Summæ, cap. de Extrema Vnctione, & D. Thom. hîc q. 29. art. 8. ad 3.

Neque tamen proœmium illud indicatiui modi omnino necessarium est: Siquidem satis etiam intẽtio ministri declaratur per ipsam formam essentialem deprecatoriam illis verbis; *Per istam sanctam Vnctionem, &c.* Nam dum simul inungens minister hoc dicit, satis indicat se de ea Vnctione loqui, quam ex certa intentione in præsentia adhibet ad effectum illum Sacramentalem, qui per illam formam significatur.

Afferuntur etiam à D. Thoma & aliis Theologis rationes, quæ ostendunt cõgruenter factum esse, quòd talis sit materia & forma huius Sacramenti: Sed in iis rationibus, nihil necesse est immorari, cùm non illis, sed traditione Ecclesiæ consentanea Scripturæ, hæc assertio materiæ & formæ nitatur. Vna ratio congruentiæ quod ad *materiam* attinet est, quòd cùm effectus præcipuus huius Sacramenti sit quædam alacritas animi spiritualis & prompta facultas ad eas tẽtationes superandas, quæ morte imminẽte hominem acriter infestant; rectè in hoc Sacramento *oleum*, quod promptas & expeditas reddere solet omnes operationes, pro materia adhibetur.

Quod autem attinet ad *formam*, vna etiam ratio congruentiæ est, quòd cum homo maximè instante morte & animo & corpore sit imbecillis, ideoq; potissimum illo tempore alienis auxiliis indigeat; meritò forma huius Sacramenti in oratione deprecatoria, qua gratiæ præsidia infirmo impetrentur, constituta est.

PVNCTVM TERTIVM.

Quisnam & quotuplex sit huius Sacramenti effectus.

D. Thom. q. 30.

EFFECTVS huius Sacramenti, vt rem totam complectamur, omnino triplex est. PRIMVS est huic Sacramento *cõmunis* cum aliis omnibus Sacramentis nouæ legis. Is est *gratia gratum faciens* vel secundùm augmentum, si iam ante infirmus gratia erat præditus, vel etiã absolutè, si casu gratia carebat, & tamen sic erat attritus, vt non haberet vllum affectum ad peccatum mortale, qui obex gratiæ esse posset. Tũc enim per istud Sacramentum ex *opere operato* gratiam primam, atque adeò remissionem peccatorum mortalium ægrotus consequitur, vt docet quoque diuus Thomas hîc quæstione trigesima, articulo primo, sicut suprà etiam idẽ docet de aliis Sacramentis, vt de Eucharistia & Confirmatione, quod & repetit hîc in dicto articulo primo, & nos suprà in Tractatibus de illis Sacramentis confirmauimus.

Atque hoc idem ex verbis D. Iacobi probari potest. Ait enim absolutè: *Et si in peccatis fuerit remittentur ei*; nullum vel peccati genus, vel modũ remissionis peccati excipiens. Ita etiam & Concilium Trident. loquitur sessione decima quarta, capite secundo de Extrema Vnctione.

SECVNDVS effectus est huius Sacramenti *proprius & principalis*. Is est quædam mentis sanitas, vt Concilium Florent. loquitur. Sicut enim baptismus animum spiritualiter *generat*, & Confirmatio *adolescere* facit, & Eucharistia *nutrit*, & Pœnitẽtia *exsuscitat* ac reuocat à morte spirituali in spiritualem vitam: ita etiam Extremæ Vnctionis Sacramentum animum spirituali quodam modo suo *sanat*. Id autem facit abstergendo *reliquias* peccatorum, vt communiter Theologi aiunt, & asserit etiam Concilium Trident. sessione decima quarta, capite secundo, de Extrema Vnctione.

Sed quidnam sint istæ RELIQVIAE peccatorum, & quomodo per istud Sacramentum tollantur, explicandum est. Et quidem communiter Theologi docent, reliquias istas esse difficultatem quandam ad bonum, & procliuitatem ad malum, ex peccatis in animo relictam. Cęterùm quænã rursus & qualis sit ista difficultas & procliuitas, intelligere oportet.

SCIENDVM igitur est, ex peccato duplici ratione seu nomine relinqui posse in animo difficultatem ad bonum & procliuitatem ad malũ. PRIMO, quatenus peccatum est actus quidam, qui ex se potest producere similem dispositionem vel habitum, si sæpius fuerit repetitus. Talis enim dispositio seu habitus ex actu malo frequentato relictus in anima, quædam ad bonum difficultas & procliuitas, siue inclinatio ad malum censeri potest, quæ quidem qualitate illa mali habitus siue dispositionis continetur. Ac non vocamus in proposito reliquias peccatorum, huiusmodi difficultatem ad bonum, & procliuitatem ad malum. Neque enim hæc tollitur per Sacramentum Extremæ Vnctionis, sed per contrariorum actuum consuetudinem, vt rectè diuus Thomas hîc notauit, quæstione trigesima, articulo primo ad secundum.

ALTERO modo potest ex peccato relinqui in animo difficultas ad bonum, & procliuitas ad malum, quatenus in peccato fuit quoddam *experimentum* rei *vtilis*, aut *delectabilis*, aut etiam ipsius vsus humanæ *libertatis*: quod experimentum propter ipsam peccati illecebram animum reddit pronum ad rursus peccandum, atque adeò etiam ineptum ad bonum, quemadmodũ quisque peccator in seipso id aduertere potest. Hæc procliuitas ad malũ & ineptitudo seu difficultas ad bonum, nõ est qualitas, aut res aliqua absoluta, sed potius *respectus* quidam rationis, in eo consistens, quòd si quis peccauit, hoc ipso verè intelligimus & affirmare possumus ipsũ magis expositum esse periculo peccandi, quàm ante, minusque expedite posse bonum operari.

Hanc difficultatem ad bonum, & procliuitatem ad malum, quæ ex peccato etiã semel commisso sic in animo relinquitur, vocant Theologi in proposito *reliquiam*, seu *reliquias* peccati, quando plura genera peccatorũ commissa sunt. Atque ita effectus ille huius Sacramenti secundus, quem diximus esse illius *proprium & principalem*, in gratia quadam ac peculiaribus auxiliis diuinis consistit, quibus animus ægroti confirmatur, vt non obstante quòd peccatum expertus est, expeditè propendeat in bonum, & detestetur malum, sicut maximè morte imminente propter grauissimas illius extremi temporis tentationes opus est. Quã ipsa animæ confirmatione & beneficio gratiæ diuinæ, reliquiæ illæ peccatorum quas diximus tolluntur, & spiritualis proinde sanitas menti affertur, vt Concilia, & Theologi docẽt. Quod cùm fit; peccatum etiam ipsum eatenus remitti censetur, quatenus tollitur ea re quoddam malum, quod in animo ex peccato reliquum erat.

Atque idcirco meritò orthodoxi intelligunt hunc etiam effectum ab Apostolo Iacobo fuisse indicatum & comprehensũm illis generalibus verbis: *Et si in peccatis fuerit remittentur ei*. Quanquam & illis item verbis intelligi hic effectus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſolet: *Et alleuiabit*, vel *alleuabit* (vt emendatiores codices habent) *eum Dominus*; ita vt alleuare ibi ſit ægrotum excitare & erigere ſecundùm vires non modò corporis, ſed inprimis etiam animæ.

Hic igitur eſt effectus ille SECVNDVS & *principalis* huius Sacramenti, conſiſtens in mentis ſanitate deletis reliquiis peccatorum. Quæ reliquiæ etiam à D. Thoma quæſtione trigeſima, articulo primo, reliquiæ peccati *originalis* appellantur, quatenus ipſa peccata actualia effectus quidam peccati originalis ſunt; & ideo illorum reliquiæ, peccati quoq; originalis reliquiæ cenſeri poſſunt. Quod idcirco ita explico, quia cùm peccatum originale non contrahatur experimento propriæ voluntatis; non apparet quę alia imbecillitas ad bonum ex hoc peccato propriè & immediatè contrahatur præter eam quæ conſiſtit in priuatione gratiæ, quæ quidem per baptiſmum ipſum reſtituitur; aut in priuatione ipſius doni iuſtitiæ originalis, quæ neq; per hoc Sacramentum Extremæ Vnctionis, neque per vllum aliud remedium in hac vita vnquam recuperatur.

Ac patet etiam ex his quemadmodum ex ſufficienti quadam enumeratione colligi poſsit, rectè nos explicuiſſe rationem illarum reliquiarum peccati, quæ per iſtud Sacramẽtum abſtergi dicantur. Nam præter difficultatem illam ad bonum, & inclinationem ad malum, quam nos reliquias peccati in propoſito eſſe diximus, non inuenitur, quid in animo ex peccatis ſit reliquũ, niſi aut ipſa *macula* peccati conſiſtens in priuatione gratiæ, aut obligatio ad pœnam *æternam*, coniuncta cum ea macula, aut obligatio ad pœnam *temporalem*, quæ relinquitur quoque poſt remiſſam culpæ maculam & pœnam ætetnam; aut certè *habitus* vitioſus ſeu vitioſa diſpoſitio, ſi peccati actus ſæpius fuit repetitus. Certùm autem eſt nihil iſtorum cenſeri poſſe peccati *reliquias* in noſtro propoſito, quæ ſcilicet propriè deleãtur per Sacramentum Extremę Vnctionis. Nam *macula* & obligatio ad pœnã *æternam*, propriè tollitur per Sacramẽtum pœnitentiæ: ſicut etiam obligatio ad pœnam temporalem interuenientè ſacramentali ſatisfactione. *Habitus* verò vitioſus & diſpoſitio, neque per iſtud Sacramentum Extremæ Vnctionis, neque per vllum aliud tolluntur, ſed per contrariorum actuum frequentationem, vt antè dictum eſt. Quare ſupereſt, vt illæ reliquiæ peccatorum, quæ per Extremam Vnctionem tolluntur, conſiſtant propriè in illa difficultate ad bonum & inclinatione ad malum, quam nos explicauimus.

Patet denique ex dictis quemadmodum ALITER Sacramentum *pœnitentiæ*, & aliter Sacramẽtum iſtud *Extremæ Vnctionis*, ex inſtitutione ſua propria dicatur peccata remittere. Sacramentũ enim *pœnitentiæ* remittit illa abolendo culpam, & reatum pœnæ æternæ, atque etiam temporalis per ſatisfactionem, vt antè dixi. Sacramẽtum autem *Extremæ Vnctionis*, peccata remittere dicitur abolendo malum illud reliquiarum, quod ex peccatis fuit conſecutum, vt eſt explicatum. Quod ſi quis fortè ante huius Sacramenti vſum ab hoc etiam malo reliquiarum per exuberantem gratiam ſit liberatus; habebit nihilominus in eo iſtud Sacramentum effectum alterum ſpiritualem communem omnibus Sacramentis, nempe incrementum gratiæ.

Fuerunt autem Doctores aliqui, qui putauerunt proprium effectum ſpiritualem huius Sacramenti eſſe remiſsionem peccatorum *venialium*. Sed hanc opinionem diuus Thomas hìc quæſtione 30. artic. 1. & alij communiter improbant. Nam quoad culpam & pœnam etiam venialia per Sacramentum pœnitentiæ remittuntur: quoad reliquias verò non ſolum venialia, ſed etiam mortalia propriè expiantur per iſtud Sacramentum.

Non eſt tamen abſurdum exiſtimare, quòd magis ad remiſsionem venialium quàm ad remiſsionem mortalium Sacramentum iſtud inſtitutum ſit ſecundùm illum ipſum ſuum modum remittendi quoad reliquias: eo quòd ſæpe fit, vt per gratiam acquiſitam in Sacramẽto Pœnitentiæ & Euchariſtiæ iam ante immunis ſit ægrotus à mortalium reliquiis. Atque hoc modo Catechiſmus Romanus poteſt intelligi cũ docet, hoc Sacramentum præcipuè inſtitutum eſſe ad remiſsionem venialium.

TERTIVS effectus, idemque minus principalis huius Sacramenti eſt ſanitas *corporalis*, ſi ea ad animæ ſalutem, quæ finis præcipuus omnium Sacramentorum eſt, expediat. Ita Concil. Florent. & Tridẽt. ſeſſ. 14. cap. 2. de Extrema Vnctione & communiter omnes.

Sotus tamen in 4. d. 23. q. 1. art. 2. plus in hac re videtur voluiſſe ſapere quàm oportet ſapere. Ait enim ſanitatem corporis per iſtud Sacramentũ non eatenus afferri vel non afferri, quatenus id expedit vel non expedit ſaluti animæ: ſed quatenus vis morbi eum effectum admittit vel non admittit. Poteſt enim, inquit, tam magnus eſſe morbus, vt nequeat per vim huius Sacramenti ſuperari, & tunc ſanitas corporalis non affertur, ſed tum demum cùm morbi conditio eſt talis, vt ad eum depellendum ſufficiat vis huius Sacramenti. Quemadmodum, inquit, tãta poteſt eſſe imbecillitas hominis, vt Sacramentum Confirmationis & Euchariſtiæ nõ habeant in illo eum effectum, quem alioqui habere poſſent, nempe vt fidem tueatur coram tyranno, & vincat tentationes.

Confirmat hoc deinde Sotus quia nonnunquam per extremam vnctionem ſanitatem ij recuperant, qui poſtea fiũt deteriores, & pari modo videntur eam quandoque non recuperare, qui ſi ſuperuixiſſent fuiſſent meliores.

Contraria verò ſententia communis, eſt confirmata Conciliorum authoritate. Quare in ea

prorſus perſiſtẽdum eſt & omnino ſentiendum, eatenus ſanitatem corporis per iſtud Sacramẽtum afferri vel non afferri, quatenus id expedit vel non expedit ſaluti animæ, ſicut Concilia declarant. Nam quod dicit Sotus Concil. Florent. eam explicationem tantummodo ex ſententia Doctorum retuliſſe, gratis ab eo dictum eſt: & Concilium Trident. abſolutè etiam hãc doctrinam ex ſua ſententia addidit, ſeſſ. 14. capite 2. de Extrema Vnctione, cùm expreſsè ait, infirmum per iſtud Sacramentum, *ſanitatem corporis interdum, vbi ſaluti animæ expedierit, conſequi.*

Accedit quod illa altera Soti explicatio nequaquam eſt ſolida. Nam cùm virtus Sacramenti ſit ſupernaturalis; certè ex ſe poteſt ſuperare quemcunque morbum licet maximum.

Neque verò illud eſt ſimile quod Sotus adducit de effectu Sacramenti Euchariſtiæ, & Confirmationis. Nam huius effectus executio, nempe vt fides defendatur, & vincantur tentationes, ex libertate quoque noſtra dependet, per quam videlicet poteſt virtus ſupernaturalis huiuſmodi Sacramentorum impediri, ne in nobis illud efficiat ad quod eſt inſtituta. Sanitas autem corporis non eſt tale aliquid, quod requirat noſtræ libertatis cooperationem. Quare niſi ratio haberetur ſalutis etiam animæ, ſemper eiuſmodi ſanitas ſequeretur ex virtute ſupernaturali Sacramenti Extremæ Vnctionis, quantumuis maximus eſſet morbus.

Ad illud præterea quod Sotus obiicit, quoſdã per iſtud Sacramentũ eſſe ſanatos, qui poſtmodum fuerũt deteriores in fine vitæ; Reſpondeo, nemini poſſe conſtare an tales fuerint etiam deteriores in fine vitę: imò propter explicationem illam Conciliorum putãdum omnino eſt, eiuſmodi hominibus (qui ſcilicet per huius Sacramenti vim & non aliam ob cauſſam ſimul concurrentem, conualuerint) peccata etiam, quæ poſtea interdum committunt in bonum cooperari, vt tandem per pœnitentiam adipiſcantur ſalutem animæ & mercedem in cœlis cumulatiorem.

Quod ſi aliqui re vera poſt ſuſceptum iſtud Sacramentum recuperata valetudine deteriores ſunt facti, & perierunt: exiſtimari debet, hos non conualuiſſe per vim huius Sacramenti, ſed alicuius alterius naturalis cauſſæ ſimul concurrentis.

Sic etiam & illud falſum aut ſaltem incertiſſimum eſt, quoſdam qui per hoc Sacramentum non ſanantur, ſi ſuperuixiſſent meliores fuiſſe futuros. Neq; enim id aliqua experientia comprobari poteſt. Quis enim nouit quales fuiſſent futuri?

Porrò ex dictis in hoc & præcedenti puncto colligi poteſt iſtius Sacramenti definitio. Eſt enim *ſacrum ſignum in vnctione infirmorũ ſub præſcripta verborum forma ad ſanitatem mentis & corporis diuinitus inſtitutum.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Adminiſtrantibus, & Suſcipientibus Sacramentum Extremæ Vnctionis.

Supplem. D. Thom. quæſt. 32. & 33.

EXPLICANDA BREVITER SVNT DVO. PRIMO, QVISNAM SIT *proprius Miniſter huius Sacramenti.* SECVNDO, *Quinam, & quatenus, poſsint eſſe huius Sacramenti participes.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quiſnam ſit proprius Miniſter huius Sacramenti.

D. Thom. quæſt. 31.

PROPRIVM MINISTRVM Extremæ Vnctionis aſſerimus eſſe ſolum Sacerdotem. Ita in Concilio Florent. & Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. de Extrema Vnct. definitum eſt, & confirmatur hìc à D. Thoma quæſt. 31. Probatur id autem ex illa ſententia D. Iacobi, *Inducat Presbyteros*, id eſt, aliquem ex Presbyteris. Neque enim vult ſemper debere plures vocari; quanquam ad orandum plures poſſunt conuenire. Nomine autem *Presbyteri* Sacerdotem in nouo teſtamento ſolere intelligi, probatur teſtimonio D. CHRYSOSTOMI libro 3. de Sacerdotio q. 1. citato, & Cyrilli lib. 2. in Leuit. & Innocentij I. in epiſtola ad Decentium, & Anacleti epiſt. 2. Decret. & paſſim aliorum Patrum.

Neque obſtat quod Innocentius in illa epiſtola dicit, non ſolum Presbyteris ſed etiam omnibus Chriſtianis vti licere ſacro oleo, in ſua aut ſuorum neceſsitate vngendo. Hoc enim non ita intelligendum eſt, quaſi liceat in neceſsitate quibuslibet Chriſtianis vti hoc oleo adhibita etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam verborum forma & animo Sacramentum vsurpandi, sicut Thomas VValdensis tomo secundo de Sacrament.capite centesimo sexagesimo tertio,putasse videtur;sed quia licet quoque citra Sacramenti istius vsum,ex reuerentia quadam & deuotione illud oleum benedictum adhibere in morbis; vt Alphonsus de Castro libro de hæres. verbo Extrema Vnctio, & Sotus etiam in quarto, distinctione vigesima tertia,quæstione secunda, articulo primo,rectè explicarunt.

Atque ita intelligendus est Beda, cùm in illum locum Iacobi sententiam eam Innocentij I. repetit; & etiam cùm in caput 6. Marci ait, Energumenos quoque solere hoc oleo inungi, sicut suprà eius verba recitauimus: quibus quidem generatim vnctionem non sacramentalem & sacramentalem in Ecclesia vsitatam complexus est.Nam & vnctio illa quoque non sacramẽtalis in Ecclesia ad sanitatem sæpe mirabiliter valuit, & iam olim vsurpata fuit, vt intelligi potest ex Ruffino libro vndecimo Histor.Ecclesiasticæ, capite quarto, & ex Sulpitio Seuero in vita D.Martini,capite vigesimo primo,& ex libro octauo Historiæ Tripart.capite primo.

NOTANDVM autem est, quamuis quilibet Sacerdos, hoc ipso ꝙ Sacerdos est, validè quidem possit conferre istud Sacramentum;tamen vt *licitè* etiam conferat præterea necessarium esse,vt sit proprius Sacerdos ægroti, aut à proprio potestatem habens. Hoc patet ex Clement. I. de priuilegiis. vbi generatim omnibus Sacerdotibus interdictum est sub excommunicatione, ne quis administret hoc Sacramentum,aut Eucharistiam, aut Matrimonium, aut Absolutionem, ei qui non sit suus subditus proprius,sine legitima ad id facultate, per priuilegium Sedis Apostolicæ aut licentiam Parochi.

Sufficeret autem in proposito *ratihabitio* proprij Sacerdotis: vt docent Caietanus in Sũma V. *Excõmunicatio*, capite sexagesimo quarto, & Sotus in quarto, distinctione vigesima tertia, quæstione secunda,articulo primo. Qui etiam addit in extrema quidem necessitate,id est,imminente iam morte, quamuis non præsumeretur ratihabitio proprij Sacerdotis, non esse tamen intentionem Ecclesiæ, vt ægrotus isto Sacramento priuetur, ac proinde licere etiam alieno Sacerdoti illud ægroto administrare. Nec enim Ecclesiæ prohibitiones cum tanto rigore accipiendæ sunt:præsertim cùm odia sint restringenda,vt habet regula iuris.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quinam & quatenus possint esse huius Sacramenti participes.

D.Thom. q.32.& 33.

RELIQVVM est, vt explicemus quinam possint suscipere istud Sacramẽtum, & qua ratione suscipi debeat. De quo PRIMO asserimus, Sacramentum istud solis ægrotis de vita periclitantibus administrãdum esse, qui ratione vtantur, vel certè ante vsi sint, & istud Sacramentum suscipere desiderauerint. Ita habet vsus & Traditio Ecclesiæ.Idque confirmatur à D. Thoma quæstione trigesima secunda, articulo primo,secundo,& tertio, & à Soto in quarto, distinctione vigesima tertia, quæstione prima,articulo secundo,nonnullis rationibus,quę cùm non contineant ipsæ præcipuè fundamentum huius assertionis, sed in ea tantummodo congruentiam quandam ostendant, non sunt à nobis latius explicandæ.

Vna illarum rationum est & potissima, quòd cum istud sit vltimum remedium quod adhiberi solet fidelibus in Ecclesia; consentaneum est, vt nõ adhibeatur nisi extremè laborãtibus, qui iam videantur discessuri ex hac vita.

Patet igitur ex hac assertione neque pueris, neque perpetuò amentibus, Sacramentum Extremæ Vnctionis administrari debere, neque etiam aliis qui citra morbum alioqui de vita periclitantur, vt in bello aut in mari; nec iis qui alio modo morti vicini sunt, vt de quibus est sumendum extremum supplicium.

Infirmis autem iam emotæ mentis, qui antea tamen istud Sacramentum optarunt,cùm illud, sicut ex Ecclesiæ more fit, administratur, gratia saltem habitualis augetur.

Notant tamẽ omnes, nequaquam esse extremum periculum expectãdum aut tempus illud quo iam ægrotus ratione vti non valeat; sed tũc maximè istud Sacramentum suscipiendum esse, cùm adhuc supereſt aliquis rationis vsus, quo percipiatur etiam illa alacritas spiritualis quam hoc Sacramentum propriè affert; & aliqua item esse possit salutis corporalis spes:siquidem ea quoque salus effectus huius Sacramenti esse solet.

SECVNDO asserimus, de necessitate Sacramenti esse inungendos quinque sensus repetita ad singulos forma vt fieri solet, idque propterea quod sensus sunt instrumenta peccatorũ. Quod si quis ægrotus eo membro in quo viget sensus, quodq; solet inungi, esset orbatus, vngenda est pars maximè propinqua, sicut docet D.Thomas quæstione ttigesima secũda,articulo septimo,& omnes. Cuius ratio est, quoniam potuit nihilominus talis secundùm illum ipsum sensum per internum desiderium peccare.

Effectus autem Sacramenti sequitur in vnctione vltima, quæ agit videlicet virtute etiam præcedentium vnctionum, tanquam complens vnum totale Sacramẽtum. Quamuis enim plures vnctiones adhibeantur, & forma sæpius repetatur, vnicum tantùm est Sacramentum vnitate totius, quatenus oẽs illius partes referuntur ad eundem effectum. Quemadmodum etiã Eucharistia vnicum est Sacramentum,licet consideretur non tantùm vt illius veritas in qualibet specie seorsim consistere potest, sed etiam vt ex vtraq; specie illud Sacramentum integratur; quia videlicet vtraque species ad eundem effectum totalem refertur; Sicut hîc docet D.Thomas quæstione vigesima nona, articulo secundo, & nos suprà in Tractatu de Eucharistia explicuimus.

TERTIO asserimus,illam aliam vnctionem in renibus, quatenus ibi viget concupiscẽtia; & in pedibus, quatenus per illos exercetur potentia executiua; adhiberi vel omitti debere secũdùm vniuscuiusque loci consuetudinem. Et quidem illa in renibus omitti solet & debet propter honestatem in fœminis.Neque huiusmodi dũę vnctiones cum adhibentur, pertinẽt ad essentiam sed ad *integritatem* quandam Sacramenti. Et tũc quidem in illarũ vltima confertur effectus virtute omnium præcedentium;ac proinde eo vsq; referri debet ministri intẽtio. Quemadmodum etiam effectus baptismi in tertia denique mersione tribuebatur, quando trina mersio solebat adhiberi, etiamsi tertia mersio non esset de essentia, sed tãtum de integritate baptismi, vt bene Sotus notauit distinctione vigesima tertia, quæstione secunda,articulo tertio.

QVARTO asserimus, Sacramentum istud omnino posse iterari: vt docet D. Thomas quæstione trigesima tertia, & omnes. Nam vt idem D.Thomas declarat quæstione trigesima, articulo tertio, nõ imprimit characterem sicut baptismus facit, & Confirmatio, & Ordo, quæ idcirco nequeunt iterari, vt suprà in tractatu de Sacram.in genere docuimus.

Potest autem istud Sacramentum etiam in eadem infirmitate iterari toties quoties mutatur morbi status, & de nouo incurritur mortis periculum, postquam ab illo quis fuerat liberatus;non autem durante eodem periculo:vt omnes docent.Atque hactenus de Sacramento Extremæ Vnctionis.

FINIS OCTAVAE DISPVTATIONIS.

DISPVTATIO NONA GENERALIS,

DE SACRAMENTO ORDINIS.

DIVISA IN QVÆSTIONES QVINQVE.

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM DISPVTATIONIS NONÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

De ratione, substantia, & partibus huius Sacramenti.

PVNCT. I. *Quænam sit ratio, & quis finis huius Sacramenti.*

II. *An sit varietas aliqua, & ordo Ministrorũ Ecclesiæ, in quibus suum locum, & quasi sedem habeat istud Sacramentũ, & quinam illi sint, & quo modo initientur. Vbi peculiariter agitur de differentia Sacerdotis & Episcopi.*

III. *Quodnam sit officium singulorum eiusmodi Ministrorum Ecclesiæ, in quibus Sacramentum Ordinis suum locum habet.*

IV. *An alicuius, vel aliquorum, vel etiam omnium eiusmodi Ministrorum ordinatio participet verè rationem huius Sacramenti.*

V. *Quænam sit omnino Materia & Forma, atq; adeò substãtia huius Sacramenti in iis omnibus ordinationibus, quæ verè rationem istius Sacramenti participant.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De huius Sacramenti Effectu.

PVNCT. VNIC. *Quisnam sit Effectus Sacramenti Ordinis.*

QVÆSTIO TERTIA.

De huius Sacramenti Administro.

PVNCT. I. *Quisnam sit Minister ordinarius huius Sacramenti.*

II. *An aliquis possit esse huius Sacramenti Minister ex commissione, & quidnam requiratur, vt rectè Sacramentum hoc administretur.*

QVÆSTIO QVARTA.

De suscipientibus hoc Sacramentum.

PVNCT. I. *Quinam possint validè suscipere hoc Sacramentum.*

II. *Quid requiratur, vt licitè etiam hoc Sacramentum suscipiatur.*

QVAESTIO QVINTA.

De quibusdam annexis Sacramento Ordinis.

PVNCT. I. *De Cæremoniis ordinationis.*

II. *De Clericorum nomine.*

III. *De tonsura & habitu Clericorum.*

IV. *De exemptione Clericorum.*

V. *De Cœlibatu sacrorum Ministrorum.*

DISPVTATIO NONA GENERALIS, DE SACRAMENTO ORDINIS.

Supplem. D. Thom. à quæst. 34. vsque ad quæst. 40.

DISPVTANT THEOLOGI DE HOC Sacramento in 4. sentent. distinct. 24. & 25. & Canonistæ in Decreto dist. 23. & aliquot sequẽtibus, ac in variis titulis Decretalium: Vt de ætate & æqualitate ordinandorum, & de temporibus ordinandorum. Et ad hanc Disputationem spectant aliqua, quæ de Sacerdotalis Ordinis dignitate & functionibus tradunt sanctus DIONYSIVS *in libro de Ecclesiastica hierarchia, & sanctus* CHRYSOSTOMVS *in libris sex de Sacerdotio, & sanctus* AMBROSIVS *in libro de dignitate Sacerdotali. Complectemur autem hanc totam disputationem quæstionibus quinque principalibus.* PRIMA *erit, de Ratione, substantia, & partibus huius Sacramenti, atque adeò de varietate potestatum diuersorum Ecclesiæ Ministrorum, in quibus tanquam in subiecto inest hoc Sacramentum: Quæ omnia ita inter se nexa sunt, vt nõ possit commodè de his disseri nisi simul.* SECVNDA *quæstio erit de huius Sacramenti Effectu.* TERTIA, *de huius Sacramenti Administro.* QVARTA, *de suscipientibus hoc Sacramentum.* QVINTA, *de quibusdam annexis huic Sacramento; Vt de Cœlibatu Sacerdotum, &c.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO PRIMA.

De ratione, substantia, & partibus Sacramenti Ordinis.

Supplem. D. Thom. q. 34. & 37. & art. 4. 5. & 6. q. 40.

EXPLICANDA SVNT QVINQVE. PRIMO, QVAENAM SIT Ratio, & quis finis huius Sacramenti. SECVNDO, *An sit varietas aliqua & ordo Ministrorum Ecclesiæ, in quibus suum locũ, & quasi sedem habeat istud Sacramentum; & quinam illi sint, & quo modo initientur.* TERTIO, *Quodnam sit officium singulorum eiusmodi Ministrorum Ecclesiæ, in quibus Sacramentum hoc locũ suum habet.* QVARTO, *An alicuius, vel aliquorum, vel etiam omnium eiusmodi Ministrorum Ordinatio participet verè rationem huius Sacramenti.* QVINTO, *Quænam sit omnino Materia, & Forma, atque adeò substantia huius Sacramenti in iis omnibus Ordinationibus, quæ verè rationem istius Sacramenti participant.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam sit ratio, & quis finis huius Sacramenti.

D. Thom. q. 34. art. 2.

NOMINE SACRAMENTI ORDINIS ab orthodoxis solet intelligi *Cæremonia quædam seu ritus, quo potestas alicuius Ecclesiastici ministerij significatur & datur, vt ritè ac reuerenter Sacramentum corporis & sanguinis Christi celebrari possit.* Hæc vis est aliarum descriptionum huius Sacramenti, quæ solent aliquantò minùs explicatè assignari.

Magister enim in 4. sentent. dist. 24. in hanc sententiam dicit; Ordinem esse *signaculum quoddam Ecclesiæ, quo peculiaris potestas ordinato traditur.* Vbi signaculum pro signo dixit, sicut explicat quæst. 34. art. 2. D. Thomas. Item VValdensis tomo 2. de Sacram. cap. 116. Ordinem esse dicit *Sacramenta ministrantium habitudinem legitimam, cuiq; ratione sui ordinis conuenientem.* Item Sotus in 4. dist. 24. Ordinem esse Sacramentum, *quo specialis potestas traditur in ordine ad consecrãdum corpus & sanguinem Christi.* Et alij aliter, qui tamẽ quod ad rem attinet, idem ferè omnes dicunt.

Illud autem præcipuè in assignata à nobis descriptione notetur, cùm dicimus per istud Sacramentum significari & tradi potestatem alicuius Ecclesiastici ministerij, vt ritè & reuerenter Sacramentum Eucharistiæ celebrari possit, nolle nos iam determinatè significare, quonam pacto potestas illa, quæ in hoc Sacramento traditur, conducat vt ritè & reuerenter celebretur Eucharistia; Vtrum scilicet immediatè ipsam Eucharistiam ritè & reuerenter conficiendo & administrando; vel aliquod aliud ministerium exercendo, quod ad id tanquam ad finem ordinetur. Sed absolutè & generatim loquimur, vtrumque modum complectamur. Et sic illa descriptio omnes ordines, in quibus postea asseretur inesse veram rationem Sacramẽti, comprehendere potest.

Ex hac autem descriptione ita posita intelligi potest PRIMO, quæ ratio fuerit quamobrem istud Sacramentum ORDO siue ORDINIS Sacramentum appellaretur. Ideo enim sic appellatur, quia per illud aliquis in gradu quodam, atque *ordine* certo Ecclesiasticæ dignitatis constituitur: Itaque ducta est hæc nominatio ab effectu, id est, ab ordine illo dignitatis, qui existit ex potestate accepta per istud Sacramentũ. Sicut etiam Sacramentum *Confirmationis*, v. g. ab effectu suo tale nominatur, quia scilicet animũ per gratiam corroborat atque confirmat.

SECVNDO, ex eadem descriptione potest intelligi, Sacramentum istud propriè & per se non esse institutum ad salutem atque perfectionem *propriam* eius, qui illud suscipit, sed potiùs ad salutem aliorum, in quos videlicet est exercenda illa spiritualis potestas, atque adeò ad communem vtilitatem Ecclesiæ. In qua quidem ratione Sacramentum hoc ordinis, & ab aliis quinq; Sacramentis, de quibus hactenus egimus, differt, & cum Sacramento Matrimonij cõuenit, quod ad extremum explicandum restat. Etenim illa quinque Sacramenta ad *propriam* suscipientis perfectionem imprimis spectant, vt ex vniuscuiusq; effectu perspici potest. Istud autem Sacramentum præcipuè institutum est ad rectè & legitimè obeundum Ecclesiasticum ministerium, quod, vt patet, ad aliorum imprimis salutem ordinatur, vt scilicet Deo spirituales filij, quasi

generen-

generentur & alantur & cõseruentur, quemadmodum Apostolus 1. Cor. 4. ait: *Per Euangelium ego vos genui.* Sic etiam Matrimonium nõ ad propriam coniugum salutem, atque perfectionem *præcipuè* ac *primariò* institutũ est, sed vt filij sanctè & legitimè procreentur & educentur, qui tanquam seminarium quoddã fidelium sint, ex quibus Ecclesia posit coalescere & durare ppetuò.

Quo fit, vt Matrimonij quoq; Sacramentum ad eam vtilitatem Ecclesiæ cõmunem, quæ existit ex generatione *naturali* sit institutum: Sacramentum autẽ Ordinis ad eam, quæ existit, vt dictum est, ex *spirituali* generatione. Neq; verò idcirco nihil ista duo Sacramẽta suscipiẽtibus *ipsis* prosunt, imò prosunt maximè ex consequenti: quatenus videlicet illis ad finem vtilitatis communis per generationem filiorum spiritualiũ & carnalium sanctè cõsequendum conferunt gratiam vberrimam, vt suis locis docebimus.

PVNCTVM SECVNDVM.

An sit varietas aliqua & ordo Ministrorum Ecclesiæ, in quibus suum locum, & quasi sedem habeat istud Sacramentum, et quinam illi sint, & quo modo initientur. Vbi peculiariter agitur de differentia Sacerdotis & Episcopi.

D. Thom. q. 34. art. 1. & 3. & q. 37. art. 1.

SEPTEM hac de re sunt certa apud Catholicos, quæ ferè negantur ab hæreticis, & VNVM etiam inter ipsos Catholicos controuersum, de quo item statuemus id quod est probabilius & verius.

PRIMO certum est, aliquos esse debere in Ecclesia ex diuina institutione Ministros doctrinæ Euangelicæ & Sacramentorum, ac imprimis Eucharistiæ, vt quæ est Sacramentum præstantissimum: in eiusmodiq; ministris aliquibus locum habere descriptionem illam Sacramẽti ordinis, punct. 1. assignatam, qua diximus illud esse cæremoniam seu ritum, quo confertur potestas alicuius Ecclesiastici ministerij, vt ritè & reuerenter celebretur imprimis Sacramentum Eucharistiæ.

Hæc assertio *Primò* ex Scripturæ testimoniis patet, vt 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum eius.* Et 2. Corinth. 3. *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non literæ, sed spiritu.* Vbi & ministerium illud Euangelicũ ministerio legis veteris lõgè præfert: *Si ministratio*, inquit, *mortis fuit in gloria, quãto magis ministratio spiritus erit in gloria?*

Secundò confirmatur eadem assertio ratione congruentissima, quã affert hìc D. Thom. q. 34. art. 1. Vult enim Deus in suis operibus, quantum fieri potest repræsentari, non modò, vt in se ipse est, sed etiam vt aliis rebus ipse beneficium impertit. Quamobrem in omni genere rerum ab ipso constitutarum voluit, vt aliæ res per alias ad consequendos suos fines adiuuarẽtur; postremas videlicet res per medias, & medias per primas perficiẽdo; Sicut D. Dionysius cap. 5. Eccles. hierar. inquit. Cùm igitur Ecclesia quoque diuinitùs, ac optimo modo sit instituta; consentaneum fuit, vt in ea alij homines ab aliis tanquã à Dei cooperatoribus & ministris diuina mysteria participarent.

Huc accedit, quod magnoperè ea etiã res conducit ad conseruandã & augendam humilitatẽ, dum Deus homines subdit hominibus ad participãda dona diuina; sicut pulchrè D. AVGVSTINVS notauit in principio lib. de doctrina Christiana. Item etiã id valet plurimum ad mutuam charitatem confirmãdam & excitandã illo ipso beneficio, quo alij aliis diuina dona cõmunicare possunt: sicut D. GREGORIVS lib. 4. Registri epist. 52. præclarè scripsit. Neque hoc quidem PRIMVM pronunciatum nostrum de varietate Ministrorum Ecclesiæ, ita generatim propositum negatur ab hæreticis.

SECVNDO certum est, huiusmodi ministros non omnes esse in Ecclesia vnius & eiusdẽ Ordinis ac modi, sed omnino diuersi, atq; adeò inæqualis ex institutione diuina: siue omnes quidẽ eiusmodi diuersi ministri, quando creantur, suscipiãt verum illud Sacramentũ Ordinis, quod initio descripsimus, siue quidam eorum tantùm illud suscipiant, alij autem habeãt tantummodò quendam respectum ad illud; quatenus nimirum destinati sint ad ministerium aliquod, quod conducat, vt potestas, quæ in illo ordinis Sacramento datur, ritè atque reuerenter vsurpetur. Vtrum enim istorum potiùs sentiendum sit, iam quidem non statuimus, sed de eo postea in sequentibus dicemus.

Porrò hæc eadem assertio secũda patet *Primò* ex illis Scripturæ locis. Rom. 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo. Habentes autem donationes secũdùm gratiam, quæ data est nobis* DIFFERENTES, *siue prophetiã secundùm rationem fidei, siue ministerium in ministrãdo, siue qui docet in doctrina, siue qui exhortatur in exhortãdo, &c.* Et 1. Cor. 12. *Diuisiones*, inquit, *ministrationum sunt.* Et ad Ephes. 4. *Dedit quosdam quidẽ Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios aũt Pastores et Doctores ad consummationem Sanctorũ in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi, donec occurramus omnes in virum perfectũ.* Ex quib. posterioribus verbis satis apparet, Apostolum in eiusmodi locis loqui de institutione diuina ministrorum diuersorum, quæ esset etiam in Ecclesia ad ædificationẽ fidelium futura perpetua. Nam & vocabulo *Apostolorum & Prophetarum* quẽdam

etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam ministeria complexus est, quæ semper in Ecclesia durant. Episcopi enim etiam *Apostoli* ibi nominantur, & presbyteri interpretes diuinarũ Scripturarum vocãtur *Prophetæ*, & qui Euangelium exponunt *Euangelistæ*, & qui curam animarum habent *Pastores & Doctores*, vel etiam qui lectione Scripturarum animos aliorum pascũt, vt conuenientius Ambrosius, & alij interpretes in illum locum Pauli exponunt.

Secundò probatur illa secũda assertio optimis rationibus à D. Thoma hîc q. 37. art. 1. Ita enim Sapientia diuina in Ecclesiæ ministeriis clarius elucet, vt quæ rerũ distinctione ordinata maximè repræsentatur. Et humanæ quoq; infirmitati sic melius consulitur, dum ad diuersa officia B administranda, quæ per vnum cõmodè præstari non possunt, plures ministri suppetunt. Et denique hac ratione ad plures pertinere potest dignitas ministrorum in eo maximè elucẽs, quòd sunt quidam *cooperatores* ipsius Dei, quo munere nihil est diuinius, vt affirmat 3. cap. de cœlesti Hierarch. D. Dionysius.

Ac pulchrè huc accõmodat D. AVGVSTINVS illud, quod in Psal. 47. legitur secũdùm interpretationem LXX. *Deus in gradibus eius cognoscetur; id est, in gradibus Ordinum ministerij Ecclesiæ*, inquit Augustinus in Commentario illius Psalmi. Item & huc pertinet, quod in Psalmo 44. legitur de Ecclesia: *Omnis gloria filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumamictu variet atibus.*

Neque istud etiam SECVNDVM pronunciatũ nostrum ab omnib. hæreticis negatur. Nam præter Anabaptistas aliquos Enthusiastas (vt vocãt) qui ministerium verbi & Sacramentorum, atq; adeò etiam ipsam Scripturam, tanquam rem nõ necessariam, vel reiiciunt, vel contemnunt, & putant potiùs expectandam esse vnicuique peculiarem reuelationem atque instructionem diuinam; reliqui omnes Sectarij admittunt tres saltem ministrorum gradus: nempe Episcoporum, quos appellant Pastores Superintendentes, vt habeant curam Ecclesiasticæ disciplinæ; & Presbyterorum, quos vocant ministros Verbi, siue etiam Seniores, qui doceant & administrẽt Sacramenta; & Diaconorum, qui Pastoribus & D Superintendentibus nauent operam in dispensatione Sacramentorum & aliis officiis. Itaque Kemnitius etiam in Examine Concilij Trident. ses. 23. in illos Enthusiastas inuehitur, cõtra quos satis sunt argumenta ea, quæ nos iam fecimus in Confirmatione primi & secundi pronunciati.

TERTIO certum est, in ea varietate ministrorum Ecclesiæ nominatim esse ex institutione diuina Episcopos, Presbyteros, & Diaconos. Hæc assertio probatur *Primò* ex Scriptura, quæ hos tres gradus ministrorum nominatim aliquoties commemorat tanquam rem diuinitùs planè institutam. Nam 1. Tim. 3. & Tit. 1. quibus virtutibus præditum *Episcopum* esse oporteat grauissimis verbis Paulus describit; Quam etiam descriA ptionem ad *Presbyteros* pertinere vult, vt Diuus CHRYSOSTOMVS homil. 11. in primam ad Timoth. notauit. Ideo enim ait Chrysostomus, Apostolum eo loco Presbyteros subticuisse, & generali vocabulo Episcopi eos fuisse cõplexum, quia *parum differat Presbyter ab Episcopo*, & omnis Episcopus Presbyter sit. Vbi notetur ex sententia Chrysostomi (quod & aliis multis testimoniis antiquitatis postea probabimus) inter Episcopum & Presbyterum aliquam esse quoad officij authoritatem differentiam, sic vt Presbyter iure diuino Episcopo inferior sit, quemadmodũ etiam Diaconus est inferior Presbytero. Hæc enim est vis nostræ tertiæ assertionis.

Atque confirmat eam interpretationẽ Chrysostomi locus Apostoli ad Tit. 1. vbi nominatim D. Paulus ad Presbyteros illam Episcoporũ monitionem accommodat. Item 1. Timoth. 5. *Qui bene*, inquit, *præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina*: Et rursus ibidem: *Aduersus Presbyterum*, inquit, *noli accipere accusationem nisi sub duobus aut tribus testibus*. Et 1. Timoth. 4. *Noli*, inquit, *negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi cum prophetia per impositionem manuum Presbyterij*. Vbi presbyteratum cum cæremonia quadam religionis, in qua gratia diuina acciperetur, solitum fuisse conferri, significauit. Et Tit. 1. similiter: *Admoneo te*, inquit, *vt excitescites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Et ibidem: *Propter hanc causſam reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi.*

Iam verò, quod *Diaconorum* etiam ordo sit similiter ex institutione diuina, patet quoque ex Scriptura sacra, vbi istius ministerij tanquam diuinitùs instituti mentio fit. Nam 1. Tim. 3. illorũ ministerium fuisse sacrum & spirituale, satis significat Apostolus, cũ ibi docet, quales illos esse oportuerit: *Diaconos*, inquit, *similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes*, inquit, *mysterium fidei in conscientia pura*. Ac subiungit ibi etiam de illis: *Et hi*, inquit, *probentur primùm, & sic ministrent nullum crimen habentes, &c. Qui enim bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu.* Quibus verbis indicat illorum ordinem inferiorem esse ordine Episcoporum & Presbyterorum, quorum mores antè etiam in eodem capite descripserat: Ait enim eos, si bene ministrent *gradum bonum acquisturos*, hoc est, peruenturos cum dignitate ad ordinem altioris ministerij. Probabantur enim iam inde ab Apostolorum tempore Ecclesiæ ministri in officiis minoribus.

Ad hæc, Actor. 6. scribitur, quemadmodum Apostoli elegerint septem *Diaconos*, nempe *orãtes & imponentes eis manus* cum quadã cæremonia religionis. Quod certè ex Spiritus sancti suggestione fecisse videntur, de quo Christus dixerat,

Ioan. 16.

Ioan. 16. *Multa habeo vobis dicere, sed nõ potestis portare modò. Cùm autẽ venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ac ostẽdit illa cæremonia *impositionis manuum*, & illa *oratio*, nõ fuisse eos tantummodò constitutos ministros temporalis mẽsæ, & ad distributionem cõmunium Ecclesiæ eleemosynarũ & bonorum (quãquam & ad hoc etiam instituti fuerunt, vt ex cap. illo 6. Actor. & ex sermone D. Leonis de S. Laurentio Diacono apparet) sed etiam ad aliquod ministerium spirituale, de quo postea dicemus.

Quod ipsum ex eo etiã manifestè patet, quia voluerũt Apostoli plenos esse Spiritu S. & sapiẽtia eos, qui ad id ministerium Diaconorum eligendi essent: *Considerate*, inquiunt ibi, *fratres, viros ex vobis boni testimonij septem plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus, &c.* Vnde ex eodẽ & sequẽti cap. Actor. patet, Stephanum vnũ ex iis Diaconis, de rebus diuinis disputasse, & habuisse concionem ad populum. Deniq; plerique veteres à nobis infrà citandi faciunt etiam diserte mentionem huius *Ordinis* Diaconorum, tanquã eorum videlicet, qui debuerint Episcopis & Sacerdotibus ministrare in Ecclesiasticis muneribus, vt paulò pòst dicemus. Neque istud TERTIVM pronunciatum ab hæreticis negatur. Admittunt enim istos tres Ministrorum gradus, vt antè ex Kemnitio annotauimus.

QVARTO certum est, in his tribus gradib. Ministrorum non modò Episcopos, & Presbyteros C iure *diuino* esse authoritate *superiores* Diaconis (vt ex dictis pronunciato præcedenti sine cõtrouersia patet) sed etiam EPISCOPOS *Presbyteris*.

Et quidem commemoratur ab Epiphanio in Catalogo hæresum, hæres. 75. & ab Augustino in lib. de Hæres. hæresi 53. sententia Aërij, tanq; hæresis ab Ecclesia damnata, qui Presbyteros iure diuino authoritate *pares* esse Episcopis contendebat: idq; propterea (vt indicat Epiphanius) quoniam ipse cùm esset Presbyter non potuit Episcopalem dignitatem adipisci, quam maximè ambiebat. Quam quidem hæresim Sectarij quoque huius temporis sunt secuti. Vt Caluinus lib. 4. Instit. cap. 4. & Kemnitius in Exam. Concilij Trid. sess. 23. cap. 4. & can. 6. & 7. & alij passim. D

SENTENTIA verò Ecclesiæ Catholicæ contraria est. Nam etsi D. Paulus in aliquot locis vocabulũ Episcopi & Presbyteri sine discrimine ad vtrosq; ministros, nempe Episcopos & Presbyteros accõmodet, tũ omninò sentit, inter illos ministros, quos indifferenter & Episcopos & Presbyteros vocat, fuisse reipsa discrimẽ, quod attinet ad ordinem, & ad authoritatẽ muneris. Quæ assertio PRIMO probatur ex eo, quòd eiusmodi ministri procul dubio successores fuerunt futuri eorum ministrorum Ecclesiæ, quos ab ipso Christo legimus in Euãgelio fuisse institutos. At ij ministri à Christo electi dispares omnino authoritate muneris fuerunt. Ergo etiam illi ministri quos indifferenter Paulus & Presbyteros & Episcopos A appellat. Minor patet ex Matth. cap. 10. & Marco cap. 3. & Luca c. 6. & 10. Nam apud eos legimus, à Christo fuisse electos duodecim, quos propriè *Apostolos* nominauit. Postea verò apud Lucã c. 10. legimus, item ab eodẽ fuisse *designatos alios septuaginta duos*. Apostolorum autẽ successores censent cõmuniter veteres Patres fuisse propriè futuros in Ecclesia Episcopos. Illorum autẽ septuaginta duorum successores fuisse futuros Presbyteros siue Sacerdotes. Itaq;, quemadmodum sine dubio duodecim illi Apostoli à Christo primũ electi reliquis septuaginta duobus discipulis superiores ministerij authoritate fuerunt: sic etiam postea debuerunt esse superiores Episcopi propriè dicti Presbyteris. Ita nominatim affirmat Anacletus Papa I II. à D. Petro epist. 3. & Beda in caput 15. Luc. & multi alij antiquiores Patres, quos postea citabimus. B

SECVNDO idem cõfirmo ex illis ipsis Apostoli locis. Nam Timotheo, q. sine dubio Presbyter & Episcopus fuit, scribit 1. ad Tim. 5. *Vt aduersus presbyterum non accipiat accusationẽ sine duobus aut tribus testibus*. Et ad Tit. 1. qui similiter Presbyter & Episcopus fuit: *Vt ea, quæ desunt, corrigeret, & constitueret per ciuitates Presbyteros*; quo ipso sanè significat, Timotheum & Titum, tanquam Episcopos propriè dictos, aliquibus Presbyteris authoritate muneris fuisse superiores, de quorum videlicet caussis cognoscere quoq; & constituere ex officio possent.

TERTIO idem probo. Quoniam ministros, quos Apostolus in illis locis Presbyteros & Episcopos appellat, peculdubio idem etiã Apostolus ad Ephes. 4. cõplexus est illis verbis: *Alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios verò Euãgelistas, &c.* In hoc autẽ loco dubium nõ est, quin sint comprehẽsi ministri dispares officio & gradu authoritatis: illi nimirum maximè qui successerint in locum Apostolorum & discipulorum, quorũ alij sunt Episcopi propriè dicti, alij verò Presbyteri Episcopis inferiores. Nam quòd Apostoli, quib. succedũt Episcopi, superiores gradu & authoritate fuerint discipulis, vt antè dictum est, patet certè, tum ex illorum diuersa Ordinatione, tum etiã, quia solis Apostolis legitur dixisse Christus, Ioan. 20. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos*: tum denique, quoniam Mathias Actor. 1. singulari quadam cæremonia in locum Iudæ cæteris Apostolis annumeratus est, qui tamẽ iam antea erat ex septuaginta duobus discipulis.

QVARTO idem probo: Quoniam Episcopi in Ecclesia eundem locũ tenent, quẽ olim in Synagoga tenebat Ordo summorũ Sacerdotũ, nempe Aaronis & successorum eius: Presbyteri autẽ eundem, quẽ olim tenebãt minores Sacerdotes, filij videlicet Aaronis & successores, quẽadmodum etiam & Diaconi eum locum iam tenent, quem tunc tenebant Leuitæ, qui videlicet originem ducebant à Leui. Ita enim S. Patres cõmuniter asserunt. vt Damasus epist. 3. Hieronymus

Universidad de Deusto
Biblioteca

epist. 85. ad Euagrium. Leo epist. 88. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ. Concilium Hispal. II. can. 7. & alij. At ordo summorum Sacerdotum in Synagoga, procul dubio & gradu & consecratione erat superior ordine minorũ Sacerdotum & Leuitarum. Ergo similiter iam in Ecclesia ordo Episcoporum cæteris illis duobus ordinibus Presbyterorum & Diaconorum antecellit. Nam quod fuerint illi tres Ordines in Synagoga planè inæquales patet manifestè ex eo, quòd distinguebantur, & consecratione, & officiis, & vestibus, vt est videre in Exodo, cap. 18. & 40. & Leuitico, cap. 8. & in Numeris, cap. 3. 4. & 20. Præeminentia verò summorum Sacerdotum, etiam quod ad authoritatem attinet iurisdictionis, patet euidenter ex Deuteronomio, cap. 17. *Qui superbierit nolens obedire imperio Sacerdotis, moriatur.* Atque ita summum Sacerdotem cæteris omnibus præfuisse, profitentur etiam Centuriatores, Cent. 1. cap. 7. colum. 257. & Caluinus lib. 4. Institut. cap. 6. sect. 2. Neque verò consentaneum est, vt in Synagoga fuerit maior ordinum distinctio, quàm nunc sit in Ecclesia, siquidem tota ratio illius Synagogæ fuit vmbra & figura status Ecclesiæ noui Testamẽti, vt disserit Apostolus, Hebr. 10.

QVINTO idem probo ex illis verbis, quæ sunt apud Matthæum, capite 24. *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, &c.* quæ verba propriè pertinere ad Episcopi officium, vt qui solus Ecclesiæ regimen, atque adeò etiam gubernationi cæterorum ministrorum præficitur, exponit D. Hilarius in illum locum Matthæi, & reliqui interpretes. Ex quo apparet, Episcopum esse constitutum *super familiam*, id est, super Ecclesiam, atque adeò super familiæ alios ministros, tanquam omnibus superiorem iure diuino, videlicet ab ipso Christo.

SEXTO idem probo testimoniis totius antiquitatis. Nam iam inde ab ipso tempore Apostolorum Episcopos & ordinatione & authoritate, Presbyteris fuisse superiores, idque non ex aliqua humana institutione, patet. Nam vt iam omittam argumentum, quod antea fecimus ex eo, quòd Apostolus Timotheo modum præscripsit, quemadmodum ex officio deberet cognoscere de caussis Presbyterorũ, certè IGNATIVS Apostolorũ discipulus in epist. ad Philadelph. tanquam de re diuinitùs instituta loquens, sic inquit: *Boni sunt Sacerdotes sermonis ministri, melior autem est Pontifex, cui credita sunt sancta Sanctorum, & cui soli sunt commissa secreta Dei.* Idem etiam discrimen Episcopi & Presbyteri asserit alibi epistola ad Magnesianos, & epist. ad Antiochenos.

Ac similiter Clemens, & ipse D. Petri discipulus ac successor, epistola 1. & 2. ad Iacobum fratrem Domini, & in Can. Apostolorum, can. 40. Item Dionysius Areopagita, cap. 5. Eccles. Hierarch. Tertullianus libro de Baptismo, & libro de fuga. Origenes homil. 2. super Num. Et Patres Concilij Nicæni, can. 14. & Concilij Chalcedonensis, can. 8.

Item alij multi, qui affirmant solum Episcopum posse Presbyteros ordinare, non autem id posse facere Presbyterum. VT EPIPHANIVS hæres. 75. qui inde ratiocinatur Episcopos solos posse *generare etiam Patres* Ecclesiæ; ordinando videlicet illos Ecclesiasticos ministros; Presbyteros autem solum posse generare *filios* Ecclesiæ baptizando nimirum illos. Idem de potestate ordinandi Presbyteros, quod sit Episcoporum propria, asserit Damasus epistola tertia, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius in caput 3. & 4. 1. Timoth. & HIERONYMVS in epistola ad Euagrium, cuius verba sunt: *Quid facit Episcopus excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat.* ? Vbi diligenter notetur ex sententia Diui Hieronymi, Episcopos esse ordinatione superiores Presbyteris. Nam Hieronymi testimonium perperã alioqui in hac quæstione de distinctione Episcopi & Presbyteri solent nobis obiicere Sectarij, vt postea videbimus. Idem discrimen agnoscit etiam in caput 7. Mich. Item Leo epistola 88. & Patres Concilij Antiocheni, can. 9. & 10. Ancyrani, can. 13. & Gregorius III. in epistola ad Bonifacium, censet iterum esse ordinandos, qui non fuerunt ab Episcopis ordinati: quemadmodum etiam Damasus epist. 3. Quod est manifestum argumentum iure diuino pertinere Ordinationem ad solos Episcopos, atq; adeò illos iure diuino Presbyteris esse superiores. Secus enim quãuis peccarent Presbyteri ordinando, tamen ordinatio ab illis facta valeret.

His Patribus addẽdi etiam sunt illi, qui aiunt Episcopos successisse Apostolis, Presbyteros aũt discipulis: è quorũ numero præterAnacletum, & Bedam suprà citatos, est Clemẽs epist. 1. ad Iacobum. Damasus epist. 3. Hieronym. epist. ad Marcellam de errorib. Montani. Augustin. in Psal. 44. Leo epist. 88. Isidorus lib. 2. de offic. Eccles. Patres Concilij Neocęsarienſis, can. 13.

Huc adde postremò, quod ab Epiphanio hæres. 75. & Augustino lib. de hæres. cap. 53. cõmemoratur tanquam hæresis ab Ecclesia damnata sententia Aërij veteris hæretici, qui Presbyteros Episcopis faciebat ordine & authoritate pares, vt suprà diximus.

Verùm excutienda nunc sunt argumẽta, quibus contra contendunt SECTARII, Episcopos non esse superiores Presbyteris iure diuino, sed tantum ex Ecclesiæ decreto & more, qui post Apostolorum tempora obtinuerit, vt disciplinæ caussâ & ad tollendas dissensiones & schismata, vnus ex cœtu ipso Presbyterorum eligeretur, qui cæteris præsideret. Et quidem ipsum non vt Dominum debere aliquid in cæteros exercere, sed debere in cœtu Presbyterorum locũ habere quasi Consulis in senatu; vt scilicet referat de negotiis, & monẽdo & cõsulendo & hortãdo, aliis

præcat,

præeat, & totam actionem regat, & quod consilio communi constitutum fuerit, exequatur. Ita enim Caluinus hoc explicat lib. 4. cap. 4. à quo non dissentiũt Kemnitius in Exam. sess. 23. cap. 4. & can. 6. & 7. & reliqui Sectarij.

PROBANT hanc suam sententiam PRIMO testimoniis aliquot Scripturæ, ex quibus apparet, eosdem ministros sine discrimine fuisse olim appellatos & Presbyteros & Episcopos. Vt in epist. 1. ad Timoth. cap. 3. & 4. & ad Titum 1. & ad Philipp. 1. vbi salutat Paulus *omnes Sanctos*, qui erant Philippis *cum Episcopis & Diaconibus*; vbi Presbyteros nominauit Episcopos. Non enim Philippis, quæ vna ciuitas erat, plures fuerunt Episcopi. Item legimus Actor. 2. Paulum vocasse ad se ex vnica ciuitate Epheso *maiores natu Ecclesiæ*, id est, Presbyteros, quos tamen ibidem *Episcopos* appellat. Cùm tamen neque Ephesi plures Episcopi essent.

SECVNDO, quia Presbyteri etiam succedunt Apostolis, vt testatur Clemens lib. 3. constitut. Apostol. cap. 32. & Ignatius epistola ad Smirnenses.

TERTIO, quia multi Patres veteres nõ videntur agnouisse discrimen inter Episcopos & Presbyteros iure diuino. Hæc enim sunt verba Diui HIERONYMI in caput 1. epist. ad Tit. *Idem*, inquit, *est Presbyter, qui Episcopus: & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, communi Presbyterorum Consilio Ecclesiæ gubernabantur: postquam verò vnusquisq; eos, quos baptizabat suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Ac postquam eam sententiam suam confirmasset Hieronymus ex eo, quòd Paulus locis in obiectione prima citatis, eosdem & Episcopos & Presbyteros appellat, ita subiungit: *Hæc adduximus, vt ostẽderemus, apud veteres eosdem fuisse Presbyteros & Episcopos. Sicut ergo Presbyteri*, inquit, *sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israël, septuaginta tamẽ elegit, cum quibus populum iudicaret.* Hanc autem sententiam iisdem verbis asserunt Sedulius, & Anselmus, in eundem Apostoli locum.

Item D. AVGVSTINI in epist. 19. ad Hieron. verba sunt: *Quamuis secundùm honoris vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus presbyterio maior sit; in multis tamen rebus Augustinus Hieronymo Presbytero minor est.* Quo loco idem videtur Augustinus dicere, quod Hieronymus, scilicet consuetudine Ecclesiæ Episcopos esse maiores Presbyteros.

Item AMBROSIVS in c. 4. Ephes. *Timotheum*, inquit, *Episcopum à se creatũ Presbyterum vocat, quia primi Presbyteri Episcopi appellabantur, vt recedente primo sequens ei succederet: sed quia cœperunt sequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus ferendos; immutata est ratio, vt non ordo, sed meritum crearet Episcopum multorum iudicio Sacerdotum constitutum.*

Item D. CHRYSOSTOMVS homil. 11. in 1. Timoth. *Inter Presbyterum*, inquit, *ac Episcopum interest ferè nihil; quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est, & quæ de Episcopis Apostolus dixit, ea etiam Presbyteris congruunt: sola quippe ordinatione superiores illi sunt.* Hoc autem idem quod Chrysostomus & iisdem penè verbis affirmant Primasius, Theophylactus, & Oecumenius in 3. cap. 1. Tim.

CAETERVM hæc argumenta minimè euertũt sententiam Catholicam ab Ecclesia iam olim receptam cõtra Aërium hæreticũ, & à nobis multis testimoniis suprà cõfirmatam: quæ ponit, iure diuino Episcopos esse superiores Presbyteris. Hoc enim Aërius olim imprimis negabat, contendens posse etiam à Presbyteris ministros ordinari: contra quem ideo, vt suprà vidimus, EPIPHANIVS obiecit à solis Episcopis generari Ecclesiæ Patres, id est, Ecclesiæ ministros; à Presbyteris autem non nisi Ecclesiæ filios per Baptismum. Quod procul dubio discrimen ex institutione est diuina.

Atque hoc diligenter obseruari volo propter Kemnitium, qui fingit impudenter Aërium, tantummodò quia contemneret Ecclesiarum consuetudinem, quæ Episcopos Presbyteris antepoſuerit, fuisse ab Ecclesia damnatũ. Mendacium est. Nam Aërius nõ modò Ecclesiæ *praxim* contempsit, sed imprimis sensit nullum prorsus etiã quoad ordinandi potestatẽ esse inter Episcopos & Presbyteros discrimẽ: id quod similiter Sectarij, Aërio hæretico auctore, nunc sentiunt.

Porrò veterum testimonia superius à nobis allata itidem probant, Episcopum non vt Consulem in senatu, sicut Caluinus inquit, sed vt Præsidem in cœtu suorũ Consiliariorum esse Sacerdotibus superiorem. Atq; id confirmatur etiam ex eo, quòd vetustissimus mos fuit, vt Episcopus Sacerdotem excommunicaret; non contrà: sicut patet ex Concilio Carthag. II. can. 8. & 9. Quare Patres passim affirmant, Episcopo competere quoddam *imperium* Ecclesiasticum, vt patet ex Ambrosio, & Chrysostomo in libris de dignitate Sacerdot. & ex D. Gregorio Nazianzeno orat. ad Principem irascentem, & ad populum timore perculsũ. Atq; huius rei argumento sunt excelsa illa subsellia, quæ ex antiquissimo more Episcopis sunt in Ecclesiis posita, tãquam iis videlicet, quibus cæteri omnino subiecti sunt.

Ad PRIMVM igitur argumentum Sectariorũ, quod fuit etiam Aërij, vt ex Epiphanio hæres. 75. patet, Respõdeo: Quamuis nomina Episcopi & Presbyteri fuerint cõmunia, vt Chrysostomus, Hieronymus & alij Patres suprà citati, ex illis locis Scripturæ colligunt, officia tamen & gradus fuisse omnino diuersos, vt suprà probauimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod rurſus iam confirmatur quadrupliciter. *Primò*, quia ex illis Miniſtris, qui indifferenter vocabantur Epiſcopi & Presbyteri, quidam poterant ordinare alios, quidam non; vt omnes etiam illi Patres, quos nobis obiiciunt Sectarij diſertè affirmant.

Secundò, quia conſtat, etiã quoad poteſtatem iuriſdictionis, id eſt, regẽdi Eccleſiam, quoſdam in aliquibus Eccleſiis fuiſſe aliis Præpoſitos ante illud etiam tempus, quo ſcripſit D. Paulus. Hieronymus enim libro de Scrip. Eccleſ. in Iacobo, refert ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem fuiſſe D. Iacobum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopum ordinatum.

Tertiò, quia non eſt dubiũ, quin ipſimet Chriſti Apoſtoli habuerint in cæteros miniſtros Sacerdotes peculiarem illam poteſtatem ordinandi & regendi.

Quartò, quia ex illo ipſo numero miniſtrorũ, qui promiſcuè & Epiſcopi & Presbyteri vocantur, quidam peculiariter præter illos etiam, qui ab ipſo Chriſto Apoſtoli inſtituti erant, nominabantur *Apoſtoli*; à propria videlicet poteſtate & munere Epiſcopali ordinandi & regendi. Ita enim notat Theodoretus in caput primum ad Philippen. & in caput tertium 1. ad Timoth. Et probatur hoc ex Diuo Paulo ad Roman. 16. Vbi Andronicum Epiſcopum vocat *Apoſtolum*, & ad Philippen. 2. Epaphroditum Apoſtolum Philippenſium, & præterea etiam ad Epheſios quarto dicit, Chriſtum poſtquam aſcendit in cœlos, *quoſdam* peculiariter dediſſe *Apoſtolos*, quo nomine omnes Patres intelligunt eos miniſtros Eccleſiæ, quos nunc propriè vocamus Epiſcopos.

Ad SECVNDVM argumentum reſpondeo, tria, quod ad propoſitum attinet, poſſe conſiderari in Apoſtolis. Primò, quòd fuerunt Chriſti *Miniſtri*. Secundò, quòd habuerunt poteſtatem *remittendi peccata*, & *conſecrandi* Euchariſtiam. Tertiò, quòd præterea habuerunt poteſtatem etiam *ordinandi* Miniſtros & Eccleſias regendi. Ac ſecundùm has tres conſiderationes varia genera Miniſtrorum ſolent dici à Patribus ſuccedere Apoſtolis. Nam ſecundùm primam conſiderationem Clemens lib. 2. Conſtitut. cap. 30. & Ignatius epiſtola ad Tralianos, inquiũt, *Diaconos* etiam ſuccedere Apoſtolis: quatenus miniſtrant videlicet Sacerdoti, qui tenet quodam modo locum Chriſti. Iuxta ſecundam autem conſiderationem Clemens eodem lib. cap. 32. Et Ignatius ad Smirnenſes, & communiter alij Patres rectè dicunt, *Preſbyteros* ſuccedere Apoſtolis. Iuxta tertiam autem conſiderationem plurimi alij Patres ſuprà citati, rectè etiam dicunt, ſolos Epiſcopos non autem Presbyteros ſuccedere Apoſtolis.

Quapropter, vt minimè ſequitur, nullum eſſe diſcrimen inter Epiſcopum & Diaconum, quia quidam Patres ſecundùm aliquam conſiderationem dicunt, Diaconos etiam ſuccedere Apoſtolis: ita neque ſequitur, nullum eſſe diſcrimen inter Epiſcopos & Sacerdotes, quia ſecundùm aliquam item conſiderationem Patres dicant, Sacerdotes etiam ſuccedere Apoſtolis.

Ad TERTIVM argumentum variè reſponderi ſolet. PRIMO enim Michaël Medina lib. 1. de ſacrorum hominum contin. cap. 5. diſertè affirmat, Hieronymum & omnes illos Patres fuiſſe planè in errore Aërij. Eccleſiam tamen in illis eum errorem non damnaſſe, ſed toleraſſe eò, quòd fuerint alioqui orthodoxi; damnaſſe autem eundem errorem in Aërio, qui fuit alioqui multis nominibus hæreticus; vt apud Epiphanium hæreſi 75. patet.

Hæc reſponſio non eſt tolerabilis. *Primò*, quia ſine cauſſa, vt videbimus, eam contumeliam infert Medina illis Patribus. *Secundò*, quia Eccleſia cum ob aliquem errorem quempiam damnat, omnes qui ſimiliter ſentiunt, damnat. Non enim perſonas accipit; quare etiam in illis Patribus damnatus ille error eſſet, atque adeò ipſi damnabiles etiam eſſent, ſi ſenſerũt idem, quod Aërius, præſertim cùm ſcripſerint poſt damnatum iam in Eccleſia Aërium. *Tertiò*, quia credibile nõ eſt, aut Patres illos ignoraſſe damnatum ab Eccleſia fuiſſe eum errorem in Aërio; aut ſi id ſciuerunt, eundem errorẽ complexos eſſe: fuiſſent enim tunc hæretici.

SECVNDO alij dicunt, Hieronymum ſenſiſſe quidem quoad poteſtatem iuriſdictionis non eſſe diſcrimen inter Epiſcopum & Presbyterum iure diuino, ſed tamen non fuiſſe certum omnino de hac opinione. AT hæc reſponſio quod attinet quidem ad poteſtatem *Iuriſdictionis* parum vel potiùs nihil differt à reſponſione Medinæ. Nam is etiam minimè putauit Hieronymum id ſenſiſſe niſi quodam aſſenſu opinionis, quæ per ſe incerta eſſe ſolet.

Nec dici poteſt, ſolum dubitanter Hieronymum illa ſcripſiſſe, quæ ſuprà recitauimus ex eius Commentario in caput primum ad Titum, ſiquidem ibi prolixè & ſeriò conatur confirmare id, quod dicit, teſtimoniis Scripturæ: *Putabit*, inquit, *aliquis non Scripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam Epiſcopum & Preſbyterum vnum eſſe. Relegat Apoſtoli ad Philippen. verba*, & quæ ſequuntur. Neque etiam, ſi ex aliis Hieronymi locis contrarium videatur colligi poſſe, ſequitur hæc illum dubitanter ſcripſiſſe. Sæpe enim contingit, vt quis aſſertiuè ſcribat pugnantia: neque id vllum excuſat, ſi erronea alicubi ſcribit. Quanquam ex aliis locis D. Hieronymi non aliquid contrarium, ſed vera ſententia eorum, quæ in cap. 1. ad Titum ſcripſit, colligitur, vt poſtea videbimus.

TERTIO alij, vt Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 184. articulo ſexto, dicunt, Hieronymum tantummodò voluiſſe dicere, quòd iidem fuerint olim *nominati* Epiſcopi & Presbyteri. Sed certè

verba

verba Diui Hieronymi aliquid amplius ſignificant.

QVARTO, alij, vt Ioannes Antonius Delphinus lib. 2. de Eccleſia, dicunt, ſententiam Hieronymi tantummodò eſſe, quòd omnes Presbyteri olim ordinabantur & fiebant Epiſcopi, propter neceſſitatem Epiſcopalis muneris illis tẽporibus; non autem, quòd eadem fuerit Epiſcopalis & Sacerdotalis *dignitas*.

Sed neque hęc reſponſio eſt ſatis conſentanea menti D. Hieronymi. Nam ſi id tantum voluit Hieronymus, nõ magnoperè ea ratione extuliſſet dignitatem Presbyterorũ, quod illo loco maximè ſibi propoſitũ habebat. Poteſt enim minima dignitas etiam cum maxima in iiſdẽ hominibus eſſe cõiuncta: vt iam etiam videmus, eum, qui Presbyter ordinatus eſt, fuiſſe quoque ordinatum Oſtiarium. Deinde Hieronymus ſatis ſignificat, tales fuiſſe tunc Presbyteros illos & Epiſcopos, quos dicit fuiſſe eoſdem, vt non potuerint ſinguli per ſe Eccleſias gubernare, ſed communi authoritate debuiſſe id facere; ſi autem ſinguli habuiſſent per ſe poteſtatẽ Epiſcopalem etiam iuriſdictionis; ſinguli quoque per ſe potuiſſent Eccleſias gubernare.

Explicabo igitur veram ſentẽtiam D. Hieronymi per tres propoſitiones. PRIMO dico, quicqd ſit de poteſtate iuriſdictionis, manifeſtè Hieronymum agnouiſſe Epiſcopũ poteſtate *ordinis* eſſe ſuperiorẽ Presbytero iure diuino. Probatur ex verbis eiuſdẽ in epiſt. ad Euagrium, quę ſuprà retulimus: *Quid*, inquit, *facit Epiſcopus excepta ordinatione, quod non facit etiã Preſbyter?* Vnde euidẽter patet primò non idem ſenſiſſe D. Hieronymum, quod Aërium, vt perperam reſpõdit Medina. Patet ſecundò, Hieronymũ agnouiſſe ſine controuerſia præcipuam & quaſi eſſentialẽ differentiam Epiſcopi à Presbytero. Nam cum duplex poteſtas Epiſcopi ſoleat eſſe; Altera ordinis; altera iuriſdictionis: Illa ordinis eſt Epiſcopo eſſentialis; altera verò iuriſdictionis non niſi accidẽtalis. Omnis enim Epiſcopus hoc ipſo, quòd Epiſcopus creatur, poteſtatem accipit *Ordinis*. Quidam autem Epiſcopi ſunt vel eſſe poſſunt, qui non habent actualem poteſtatem *Iuriſdictionis*, niſi illis demum per ſummũ Eccleſiæ Paſtorem certæ aliquæ oues ſubiiciãtur, reſpectu quarum accipiant eo ipſo poteſtatẽ Iuriſdictionis.

Dico SECVNDO, agnouiſſe quoque D. Hieronymum in ipſo primordio Eccleſiæ, atq; adeò prius etiam quàm illud dici inceperat, *Ego ſum Pauli, &c.* aliquos fuiſſe Epiſcopos in aliquibus Eccleſiis, qui poteſtate quoque *Iuriſdictionis* eſſent ſuperiores Presbyteris, & quidem iure diuino, eo modo, quo id intelligi debet, ſicut poſtea explicabo.

Probatur *Primò*. Quia ipſemet refert, Iacobũ fuiſſe Epiſcopum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ordinatum, vt ſuprà diximus. *Secundò*, quia in epiſtola ad Euagrium Epiſcopos cõparat cum Aaron, Presbyteros cum filiis Aaronis. Aaron aũt poteſtate etiam Iuriſdictionis iure diuino erat ſuperior. *Tertiò*, quia in epiſt. ad Marcellam de erroribus Montani, dicit Epiſcopos propriè ſuccedere Apoſtolis. Nec certè Hieronymus ignorabat, ipſos Apoſtolos fuiſſe cæteris ſuperiores authoritate quoque Iuriſdictionis, & quidem iure diuino immediatè, ſiquidem ab ipſo Chriſto illam acceperunt. *Quartò*, quia non etiam ignorabat Hieronymus, Timotheum & Titum ita fuiſſe ab Apoſtolo Epiſcopos inſtitutos, vt poſſent cognoſcere de cauſsis Presbyterorum, & *per ciuitates* eos *conſtituere*, quæ certè ſunt munera etiam Iuriſdictionis.

Dico igitur TERTIO, ſententiã D. Hieronymi eſſe, quòd in aliquibus quidẽ Eccleſiis olim ipſimet ſimplices Presbyteri habuerunt in cõmuni poteſtatem Epiſcopalem regendi; ac proinde ea quidem ratione eoſdem fuiſſe Presbyteros & Epiſcopos: videlicet, quoad regẽdi præeminentiã ſiue poteſtatem. Poſtea verò propter ſchiſmata, decretum vbiq; locorũ fuiſſe, vt vnus de Presbyteris eligeretur, qui authoritatem illã regendi, hoc eſt, poteſtatẽ iuriſdictionis Epiſcopalis, haberet, ac ſimul etiam ordinaretur Epiſcopus, eſſetq; ordinis quoque poteſtate ſuperior. Hoc enim ſimul Hieronymus ſubintellexit, quandoquidẽ, vt diximus, de poteſtate Ordinis nunquã ille dubitauit, quin ſemper Epiſcopus fuerit & debuerit eſſe Presbyteris ſuperior.

Quum autem dicit, (*conſuetudine magis* Eccleſię quàm veritate Dominicæ diſpoſitionis factum eſſe, vt quoad hanc iuriſdictionis poteſtatẽ Epiſcopus Presbytero maior ſit; non ideo negat, ſed potiùs affirmat, iure etiã diuino Epiſcopum eſſe ſuperiorem Presbytero ſecundùm poteſtatẽ iuriſdictionis. Etenim cũ aiunt orthodoxi, iure diuino Epiſcopos eſſe ſuperiores Presbyteris ſecundùm iuriſdictionis poteſtatẽ, minimè volũt dicere, habere illos actu & immediatè à Chriſto eam poteſtatem hoc ipſo, quod ordinati Epiſcopi ſunt, (ſoli enim Apoſtoli à Chriſto habuerunt immediatè eam poteſtatem) ſed ſingulari quodam conſilio voluiſſe, atq; inſtituiſſe Chriſtum, vt *poſſent* Epiſcopi eam authoritatẽ habere & accipere actu ab Eccleſię ſummo Paſtore, quãdo & quomodo id expediret, ſicut fieri ſolet.

Hoc modo Aërius quidem negabat iuriſdictionem Epiſcoporum eſſe iuris diuini. Siquidẽ reprehendebat Eccleſię conſuetudinẽ, tanquam diuinæ inſtitutioni minimè cõſentaneam, quòd etiam Iuriſdictionem Epiſcopis tribueret. Hieronymus autem, Iuriſdictionem Epiſcoporum eſſe hoc modo iuris diuini minimè negauit: Siquidẽm omnino probabat tanquam conſentaneum diſpoſitioni diuinæ, decretum illud Eccleſiæ, quo attribui ſolet Epiſcopis ea iuriſdictio. Sed cùm iuriſdictio hæc Epiſcoporum ab inſtitutione ſiue diſpoſitione diuina ſit, vt dictum eſt, tantummodò ſecundùm *potentiam*

quandam: secundùm *actum* autem ab ipsa Ecclesia, quæ illâ immediatè tribuit; & in omni genere amplius aliquid fit actus, quàm potẽtia; ideo Hieronymus dicit, *magis* ex Ecclesiæ decreto & consuetudine, quàm ex vi siue veritate ipsius dispositionis diuinæ iurisdictionem illâ Episcopis vbiq; competere. Quasi diceret; Cùm iurisdictio Episcoporum sit, & à Dominica dispositione, & ab Ecclesiæ decreto; magis est ab Ecclesiæ decreto, quàm à Dominica dispositione: quia ab illo est secũdùm *actum*, ab hac tantummodò secundùm *potentiam*, & quidem ita, vt non obstante ea dispositione Dominica secundùm potentiam, potuerit Ecclesia multis in locis iurisdictionem illam Presbyteris in communi attribuere, sicut etiam aliquando fecit. Atque hoc totum ita disseruit Hieronymus, vt Episcopi non magnoperè propter præeminentiam iurisdictionis superbirent, & simul intelligeretur, quanta esset dignitas Presbyterorum.

Deniq; quod ad extremũ Hieronymus dicit, debere Episcopos in *communi* Ecclesiã gubernare, non significat debere illos ex communi authoritate Presbyterorum regere, (tunc enim contradiceret Ecclesiæ decreto contrario, quod ipsemet commendat) sed debere vti illorũ consilio, prout res ipsæ postulauerint: alioquin temerè gubernarent.

Vnus tamen scrupulus manet in hac sentẽtia D. Hieronymi, ex quo sequi videtur, nõ quidem expositionem nostram esse alienã à mente Hieronymi, sed ipsum Hieronymum non satis circumspectè & constanter de hoc scripsisse. Dicit enim, differẽtiam Episcopi & Presbyteri, quoad potestatem iurisdictionis fuisse in Ecclesia ab eo tempore, quo dici cœptum est, *Ego sum Pauli, ego verò Apollo, &c.* & tamen hanc differentiam non fuisse aliquando probat ex D. Paulo in epistolis ad Philipp. & ad Timoth. & ad Titum, vbi indifferenter appellat D. Paulus Episcopos & Presbyteros; quæ duo non cohærent. Nam epistolæ ad Philipp. & ad Timotheum, & ad Titum posterius scriptæ fuerunt, quàm epistola 1. ad Corinthios, vbi Apostolus commemorat illud dictum, *Ego sum Pauli, ego Apollo, &c.*

Sed ad hoc facilè pro D. Hieronymo respondeti potest. Non enim voluisse videtur Hieronymus, quòd illa differẽtia Episcopi, & Presbyteri, vbiq; locorum introducta fuerit statim atq; illa ipsa verba, Ego sum Pauli, ego Apollo, &c. dici cœperunt *secundùm se* ab illis, quos commemorat Apostolus: sed postquã imitatione quadam eorum, crebrescentibus in Ecclesia schismatum dissensionibus, simile aliquid vsurpari, ac dici frequentius cœpit in populis, id quod contigit post scriptas etiam illas alias epistolas. Ita ipsemet Hieronymus se interpretari videtur, cùm eodem loco pro eodem reputat dixisse, *Ego sum Pauli, &c.* & vnumquemque putasse suos esse, quos baptizabat, non Christi; vel alio modo simili dissensionibus aliquibus studuisse.

Ad Sedulium & Anselmum, qui sententiam Hieronymi repetiuerunt, eodem modo respondeo, sicut ad ipsum Hieronymum. Avgvstinvs autem solum vult, in Ecclesia quidem *Christiana* illa nomina significare cœpisse diuersos honores, cùm ante Ecclesiam Christianam non ad eiusmodi honorum differentias significandas solerent vsurpari.

Ambrosii verò locus nihil nobis obstat. Tantummodò enim significat, moris aliquando fuisse, vt per ordinẽ antiquitatis eligeretur Episcopus ex cœtu Presbyterorum. Et in eo ipso loco, ac alibi in caput 4. ad Ephes. satis idẽ author agnoscit præeminentiam Episcoporum.

Diuus autem Chrysostomvs & illi alij, qui eius sententiam repetiuerunt, cùm sola ordinatione Episcopos esse Presbyteris superiores dicunt, de ea re propriè loquuntur in qua *necessariò & essentialiter* Episcopi hoc ipso, quod Episcopi sunt, antecellunt Presbyteris, & quæ non potest vllo modo cum simplicibus Presbyteris communicari. Id enim sola ordinatio Episcopalis est, & officia, quæ propriè per illam ab Episcopis exercẽtur. Nam potestas *Iurisdictionis* potest vel in totum, vel in partem demandari Presbyteris, vt illic ait Chrysostomus; & etiam posset aliquis ordinari Episcopus antequã actu illam acciperet; sicut suprà etiam notauimus. Et hactenus de Qvarto nostro pronunciato certo.

Qvinto certum est, esse quoq; inter ipsos Episcopos quosdam Gradvs, qui tamen non ordine & consecratione, sed officij atque authoritatis ratione differant secũdùm quandam *Iurisdictionem*. Nam super Episcopos sunt Archiepiscopi Metropolitani; & super hos Patriarchæ ac Primates; & super hos denique Romanus Pontifex, qui est summus Ecclesiæ Pastor, vt Tomo 3. disputat. 1. quæst. 1. puncto 7. probauimus. Chorepiscopi verò, quorum fit aliquoties à veteribus mentio, non fuerunt nisi Presbyteri coadiutores, & quasi vicarij Episcoporũ in quibusdam locis: vt intelligi potest ex Damaso epistola 3. quæ est de istis Chorepiscopis, vbi etiam hîc Pontifex illos abrogauit, vt imposterum non essent, sed ipsi Episcopi munera sua propria per se niterentur obire.

Sic etiam neque Cardinales ordine siue consecratione differunt ab Episcopis, Presbyteris, aut Diaconis. Sunt enim illi, vel Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi; sed differunt ab iis & aliis Ecclesiasticis gradibus peculiari quodam titulo dignitatis ac *munere*. Quod in eo propriè situm est, vt summo Pontifici in Ecclesia gubernanda, tanquam præcipui Consiliarij assistant: atque imprimis, vt ipsum etiam summum Pontificem eligãt: quod est in Ecclesia munus maximè insigne. Dicuntur autẽ *Cardinales*, quasi principales apud summum Pontificem. Item etiam,

quoniam

quoniam quisque alicuius Ecclesiæ in vrbe Romana curam peculiarem habet, quæ saltẽ olim in illa vrbe haberetur principalis.

Caluinus quidem lib. 4. Instit. cap. 6. sect. 30. dicit ante Gregorij tempora nomen Cardinalium in veterum scriptis se non legisse. Cæterùm in Concilio Romano sub Syluestro Pontifice, Can. 6. expresè legitur iam tunc Romæ fuisse septem Diaconos Cardinales. Præcesit autem Syluester Gregorium circiter trecentis annis.

Sic etiam & inter Presbyteros ipsos est aliqua differentia, non ordinis, sed officij & dignitatis. Alij enim sunt Archipresbyteri, Decani, &c. alij habent curam animarum, alij non habent. De quo genere toto non est necesse plura hoc in loco dicere.

Sexto certum est, ab Apostolorum temporibus habuisse etiã in Ecclesia locũ alios Qvinqve Ordines ministrorum Ecclesiasticorũ, licet de illis quidẽ non expressa extet mentio in Scriptura sacra. Videlicet Ordinem *Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum*. Probatur hæc assertio testimoniis veterum, qui hos ordines tanquam rem minimè in Ecclesia nouam, sed ab Apostolis acceptam commemorant. Hi autem veteres potissimum sunt Cornelius Papa in epist. ad Fabianum Antiochenum Episcopum, vt refert Eusebius lib. 6. Eccles. hist. cap. 35. qui Cornelius antè 1300. annos præfuit Ecclesiæ. Et tamen ibi cõmemorat iam suo tempore fuisse Romæ Presbyteros 46. Diaconos 7. & totidem Subdiaconos, Acoluthos 42. Lectores, Exorcistas, & Ostiarios in vniuersum 52.

Item eorundem ordinum meminit Clemens epist. 3. ad Iacobum. Anacletus epist. 3. Caius Papa XXIX. à Petro, & antiquior ipso Concilio Nicæno, epist. ad Felicem Episcopũ, Patres Concilij Romani sub Syluestro, Can. 3. Et Carthaginensis IV. Can. 4. & seq. cui Concilio interfuit, & subscripsit S. Augustinus. Addit autẽ id Concilium Can. 10. etiam Psalmistas, siue Cantores. Sed horum non esse peculiarem ac distinctum aliquem ordinem Ecclesiasticum ab ordine Lectorũ, satis declarat hoc ipso, quod ibidem ait, posse sine Episcopi authoritate sola iussione Sacerdotis institui istud cantandi officium.

Item meminerũt horum omnium ordinum ex veteri traditione posteriores Scriptores. Vt Isidorus lib. 7. Etymolog. cap. 12. de Clericis. Et epist. ad Ludifredum. Rabanus lib. 1. de institut. Cler. cap. 6. & seq. Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. parte tertia, capite quinto, Gratianus in Decreto distinct. vigesima tertia, & deinceps. Magister sententiarum in quarto, distinctione vigesima quarta, & vigesima quinta, & ibi omnes Theologi. Item iidem ordines numerantur in Concilio Florentino, in Instructione Armenorum, & Trident. sess. 23. cap. 2. & Can. 2. In qua sessione, cap. 4. nominatim dicitur inter hos omnes Ecclesiasticos gradus, Episcoporum *præcipuè ad Hierarchicum ministrorum Ecclesiæ ordinem pertinere.*

Atq; hi quidẽ Ministrorvm ordines, qui hactenus à nobis hac & præcedenti assertione numerati sunt, propriè dicuntur *Ecclesiastici* ordines, eorum videlicet qui alicui Ecclesiastico ministerio, vel ad sacrã Eucharistiam referatur, deputati sunt. Latiùs autẽ sumpto vocabulo *ordinis*, quidã alij ordines in Ecclesia esse dicũtur: pro diuersa videlicet ratione, qua varij fideles ad diuinum cultum destinantur. Sic enim alius dicitur ordo *Clericorum*, qui scilicet prima Tonsura insigniti sunt, quæ nõ est propriè ordo alicuius Ecclesiastici ministerij, sed præparatio quædã ad Ecclesiasticos ordines, vt postea dicemus. Alius dicitur ordo *Laicorum*, alius viduarum, alius virginum, alius Monachorum: alius etiam dicebatur olim ordo laborantium, in mortuis videlicet sepeliendis.

Etenim ordinis *monachorum* meminit D. Dionysius, cap. 6. Eccles. Hierarch. Ordinis autẽ *Diaconissarum* virginum aut viduarũ, meminit Epiphanius in compendiaria doctrina: quarum officium olim erat mulieres eas instruere, quæ baptizandæ erant. Atq; etiam idẽ Epiphanius ibidem meminit ordinis *laborantium in sepultura*.

Cæterùm iam nõ de his ordinibus loquimur, sed de ordinibus propriè dictis eorũ ministrorum, qui ad peculiare aliquod ministerium *Ecclesiasticum* deputati sunt, vt antè dictum est. Sic autem ordines re vera sunt in vniuersum Octo: siquidem vt ex Concilio Trid. anteà notauimus, Episcopi præcipuè pertinent ad *ordinem* Ecclesiæ Hierarchicũ, & non minus illi, sed multo etiam magis quàm alij quidam ministri, destinantur ad peculiare aliquod ministerium Ecclesiasticum, quod ad vsum Sacerdotij, atq; adeò ad celebrationem Eucharistiæ referatur. Ipsi enim & Sacerdotium conferunt, & altaria atque templa ad vsum Sacerdotij consecrant. Quod quidem munus non minus ad Sacerdotij vsum refertur, quàm alia quædam ministeria ordinum præsertim minorum, de quibus paulò pòst videbimus.

Quocirca cùm communiter septem tantum ordines, Episcopatu præterito, numerari solent; intelligi debet non omnes omnino ordines tũc numerari, sed illos duntaxat qui communiter *eidem homini* conferri, & ab eodem susciipi solent in Ecclesia, postquam alicui conferri cœperunt, quasi id videlicet pertineat ad quandam ordinariam perfectionem, & velut integritatem Ecclesiastici ministerij. Episcopatus enim non ordinariè ita multis, sed paucis cum singulari quodam delectu & vocatione confertur.

Neq; tñ idcirco nunc ego definio Episcopalem ordinem esse propriè *Sacramentum*; de qua quæstione postea disputabitur. Nam & alij minores ordines ab omnibus propriè *ordines Ecclesiastici* esse censentur; & nihilominus tamen non hoc ipso omnes asserũt illos esse verè & propriè

Sacramentum, sed de eo, quemadmodum videbimus, disputatur.

Porrò Sectarii minimè admittunt nostrum istud Sextvm pronunciatum. Asserũt enim præter primos illos tres gradus, scilicet Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorũ, non fuisse neque esse debere in Ecclesia certum numerum aliorum illorum ordinum, quos nos ponimus: nempe Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum. Nam *Exorcistas* dicunt non fuisse olim ministros Ecclesiasticos, sed homines qui dono pellendi dæmones diuinitus prædditi essent. *Subdiaconos* autẽ & reliquos dicunt non propriè in Ecclesia fuisse ordinatos ministros aliqua cæremonia religionis, sed fuisse quasi famulos & administros Episcoporum & Presbyterorũ; qui varij ad varia officia assumerẽtur, modò plures, modò pauciores, prout Ecclesiarum necessitas, & multitudo fidelium, & tempora requirebant. Quare dicunt, liberum in Ecclesia esse debere, eiusmodi ministris vti vel non vti ad illa officia, quibus destinari iã solent.

Hoc autem inde probant, quòd veteres non eodem modo eiusmodi ordines ministrorũ numerarunt. Primo enim D. Hieronymus in caput 19. Isaiæ, solùm numerauit quinq; ordines: scilicet Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles, & Catechumenos: vt Caluinus lib. 4. cap. 4. sect. 1. obiicit.

Secvndo obiicit Kemnitius Dionysium Areopagitam, qui cap. 5. Eccles. Hier. trium tantum ordinum meminit, videlicet Pontificum, Sacerdotum, & ministrorum.

Tertio obiicit idem Kemnitius, quòd Canones Apostolorum numerant quinq; ordines; Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Lectorem, & Cantorem.

Qvarto, quòd Ambrosius in caput 4. Epist. ad Ephes. numerat etiã quinq; alio modo; nempe Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Lectorem, & Exorcistam. Et in libello qui Hieronymo inscribitur de septem gradibus Ecclesiæ, non recensentur Exorcistæ, & Acoluthi.

Qvinto obiicit alios veteres qui plures ordines numerant quàm septem. Nam Ignatius in Epist. ad Antiochenos, & Epiphanius in Panario sub finem, aliis ordinibus annumerãt etiam ordinem *laborantium in sepultura*. Clemẽs addit *Catechistas*. Canonistæ *Psalmistas*, & Episcopos. Ex quibus colligit tandem Kemnitius non esse Catholicum dogma de illis septem ordinibus.

Sexto obiicit idem Kemnitius, quòd multiplicatio istorum ordinum inde videtur originẽ habuisse, quòd oẽs ministri Episcoporum olim solebant esse Clerici, id est, deputati ad ministeria Ecclesiastica: vt in minoribus quibusdam officiis, qualia sunt Ostiariorum, Lectorũ, &c. probarentur, & ita promouerentur ad maiora, vt colligitur ex Cypriano lib. 3. epist. 22. Atq; ita ex ministris seu famulis Episcoporũ paulatim posteà videntur errore quodam, siue superstitione facti varij ministri *Ecclesiastici*.

Septimo obiiciunt Kemnitius & alij Sectarij, nudos titulos eiusmodi ordinum minorum sine illorũ officiis in Ecclesia iam retineri, ac proinde nõ rectè retineri; & nominatim Exorcistas: *cùm Papistæ*, inquit Kemnitius, *nõ polleant amplius illo dono*.

At nos suprà ex sententiis veterum plurimis conuicimus, illos ordines esse propriè ordines Ecclesiasticos: sicut etiam Episcopatũ, quamuis non soleat quidem aliis annumerari, eò q̃ non datur omnibus qui ordinari incipiunt, sicut illic explicauimus. Ad ea verò quæ isti obiiciunt facilis est responsio, si meminerimus quod suprà etiam notauimus, *ordinem* quandoq; etiam impropriè dici conditionem variam, seu gradum diuersorum fidelium, qui quomodolibet sunt deputati ad seruitium diuinum.

Ad Primam igitur obiectionem respondeo, Hieronymum non Clericorum, sed Christianorum ordines voluisse illo loco enumerare, quos ordines dicit esse quinque nempe *Clericorum*, & baptizatorum, quos *fidelium* vocabulo comprehendit, & nõ baptizatorum actu, sed voto, nempe *Catechumenorum*. Ex ordine autem Clericorũ tres tantum numerauit, scilicet Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, vt cum aliis duobus ordinibus, *fidelium* scilicet & *Catechumenorũ*, quos addidit, compleret numerũ quinarium, & ita explicaret quomodo illud in Ecclesia secundũ hos quinq; ordines impletum esset, quod propheticè de illa ab Esaia dictũ erat, cap. 19. illis verbis: *Erunt quinq; ciuitates in terra AEgypti loquẽtes lingua Chananitide*. Id enim proposuerat sibi Hieronymus explicandum illo loco. In aliis autem locis disertè etiam meminit Hieronymus aliorũ ordinum Ecclesiasticorum. Nempe *Subdiaconorũ*, epist. 91. initio. *Acoluthorum*, & *Lectorum*, epist. 2. ad Nepotianum. *Exorcistarum*, & *Ostiariorum*, in caput 2. Epistolæ ad Titum, sub finem.

Ad Secvndam obiectionẽ respondeo, neq; Dionysium ibi voluisse numerare quoscunque ordines Ecclesiasticos, sed illos qui sunt propriè *Hierarchici*, id est, per quos ministri Ecclesiæ prę- sunt aliquo modo ipsi populo. Hi autẽ sunt in primis tres: nempe Episcoporum, Sacerdotũ, & Diaconorũ, quos ibi nomine ministrorũ significauit Dionysius. Nã & Diaconos habuisse olim in ministerio doctrinæ & Sacramentorum aliq; authoritatẽ in populũ, intelligi potest ex Ignatio in epist. ad Trallianos, & ex Hieronymo in caput 2. ad Titũ, & ex Chrysostomo homil. 83. in Matth. vbi Diaconos hortatur, vt ipsum etiã *Imperatorem*, si indignus sit, arceant ab Eucharistia: *Cohibe*, inquit, *& coërce: maiorem enim tu, quam ille, habes potestatem*. Reliqui autẽ ministri seruiunt potius, & subsunt Diaconis, Sacerdotibus, & Episcopis, atq; ideo in eo loco non meminit illorum Dionysius. Nam fuisse alioquin minorum

etiam

etiam ministrorũ ordines à D. Dionysio cognitos, patet ex eodem in ca. 3. Eccles. Hierarch. vbi disertè dicit, quorundam ministrorũ officio *legi in Ecclesia Scripturas*, aliorũ autẽ *fores Ecclesiæ claudi*, & *excludi Catechumenos, pœnitentes, & energumenos*.

Ad Tertiam obiectionẽ respondeo, Clemẽtem in Canonibus, iã hos, iam illos ordines tm̃ numerare voluisse per occasionem instituti sermonis in alio atq; alio loco. Neq; vsquam in illis Canonibus voluisse numerare vno aliquo in loco oẽs. Et q̃ idem Clemens alios etiam ordines agnouerit, patet ex eiusdem epist. 3. ad Iacobũ, & ex Can. 15. Apostolorũ, vbi dicit: *Si qs Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum, &c.* Neq; verò cantorũ meminit vt ordinis distincti à lectorem ordine, sicut patet ex suprà dictis.

Ad Qvartam obiectionem respõdeo, Ambrosium ibi numerasse tm̃ quinq; illos ordines, quia voluit numerum aliquem ordinum exponere, qui responderet quinque generibus ministrorũ numeratis in illo cap. 4. ab Apostolo. Itaque per *Apostolos* intelligit Ambrosius Episcopos, per *Prophetas* Presbyteros, per *Euangelistas* Diaconos, per *Pastores* Lectores, per *Doctores* Exorcistas; de qua Ambrosij interpretatione nunc non disputo: præsertim cùm dubitetur vtrum Commentaria in Epistolam Pauli, quæ Ambrosio inscribuntur, Ambrosij sint.

Ad Qvintam obiectionẽ respondeo, Patres illos numerasse etiam ordinẽ quendam impropriè dictum, vt suprà notauimus, quatenus ordo dici potest deputatio quæuis ad peculiare aliquod obsequium diuinum. Psalmistas verò quos numerant Canonistæ, suprà vidimus non esse distinctum ordinem ab ordine lectorum.

Ad Sextam obiectionẽ respondeo, Clericos illos ministros Episcoporũ non nisi per ordines peculiares Ecclesiasticos fuisse deputatos ad illa minora officia Ecclesiastica in quibus probabãtur: vt manifestè patet ex aliis locis Cypriani, quos suprà citauimus. Et somniat Kemnitius, cùm fingit, morem Episcoporum, qui ex Clericorum ordine adsciscerent sibi famulos, originem multitudinis ordinũ fuisse. Non. n. est eius origo nisi traditio Apostolica, vt suprà probatũ est. Nec vllum argumentũ aut testimoniũ Kemnitius afferre potest pro illa sua imaginatione.

Ad Septimam obiectionem respondeo, falsum esse quòd illi tituli ordinum sine officiis in Ecclesia retineantur. Etenim multi ex eiusmodi ordinatis, tum in aliis Ecclesiis, tum etiam in variorum religiosorũ congregationibus, suis muneribus quotidie funguntur. Qui verò non funguntur, ij vel in aliis ordinum officiis vel aliter sunt iustè occupati, aut opportunitate carẽt; & tunc satis excusati sunt. Vel negligenter certè id facere prætermittunt, cùm deberent & possent iuxta Ecclesiæ etiam Decreta & Canones: & tũc non ideo carent officij authoritate, sed peccant contra officium: nec nos illos oẽs excusandos susciпim⁹. Quod si omnia officia quæ ab aliquibus negliguntur, essent abolenda; vix aliquod officiũ in vlla republica remaneret. Nominatim autẽ quod Kemnitius ait, Catholicos esse dono illo expellendi dæmones destitutos, ipsi dæmones falsum esse clamant, cùm passim expelluntur in Ecclesia Catholica consuetis exorcismis. Maneat igitur certum quoq; nostrum illud Sextvm pronunciatum.

Septimo certum est, oẽs istos ministros Ecclesiasticos constitui siue creari per quandã traditionem *potestatis* ad eiusmodi ordinũ munera; ac in ea potestatis traditione tanq̃ Formae locũ habere præscripta quædam verba, quibus per modum imperatiuum significatur ipsa traditio potestatis: nimirũ dicendo accipe potestatẽ, &c. Vel accipe & facias hoc aut illud, &c. Locum autẽ Materiae habere rẽ eam in qua potestas cuiusq; ministerij istorum potissimum exercetur, & in cuius traditione potestas illa cõfertur. Vt in ordinatione Presbyteri Forma sunt illa verba: *Accipe potestatẽ offerendi sacrificium in Ecclesia, pro viuis & defunctis in nomine Patris, &c.* Materia autẽ est calix & patena cum pane & vino; & sic suo modo in aliis ordinibus. Quanq̃ rectè notat ex communi sententia Sotus in 4. d. 24. q. 1. ar. 2. inuocationẽ *Trinitatis* non esse in proposito de essentia; quoniam solum requiritur in Sacramento Baptismi & Confirmationis, eo quòd in iis fit peculiariter quædam professio fidei.

Porrò hæc assertio manifestè posita est in Cõcil. Florent. in instructione Armenorum, & confirmatur bene à D. Thoma hîc q. 34. art. 4. & 5. & patet ex perpetuo vsu Ecclesiæ. Formam autẽ in huiusmodi ordinationibus ideo verba illa vocamus; quia p̃ ea perfectius atq; distinctius, quæ sit vis vniuscuiusque ordinationis significatur. Materiam autẽ, vocamus rem illam in ordinatione traditã, quia minus illa perfectè & distinctè, quàm verba, vim atq; effectum ordinationis significat. Vtrum verò in omnibus eiusmodi ordinationibus, vel in aliquibus, aut in aliqua tantum, ea forma & materia sint verè forma & materia Sacramenti, postea dicemus.

Octavo certum est, ordinationes huiusmodi ministrorũ sic esse *immutabiles*, vt qui semel in aliquem eiusmodi ordinẽ Ecclesiasticum cooptatus sit, nequeat omnino accepti ordinis potestate priuari, aut fieri Laicus, sed perpetuò talis permaneat: etsi possit quidem *vsus* potestatis acceptæ illis iustis de causis aliquando interdici: sicut fieri solet per censuram Ecclesiasticam, vel alia impedimenta Iuris Canonici. Hæc assertio ex veteri Ecclesiæ traditione ac omnino etiam conuenienter Scripturæ sacræ definita est in Concilio Trident. sess. 23. cap. 4. & can. 4.

Probatur autem Primo ex Scripturis. Nam Paulus potestatem, quę in huiusmodi ordinibus confertur, non semel indicat esse indelebilem. 1. Tim. 4. *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ in te est*,

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuũ presbyterij. Et 2. Tim. 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Quibus in locis non solum dicit gratiã quæ *data* est tibi, sed etiam quæ EST *in te*, nempe quę est durabiliter & indelebiliter, quod attinet ad acceptam potestatẽ in ordinatione. Id quod ex eo etiam patet: Nam procul dubio voluit Apostolus forma illa verborũ, qua ipse sic Timotheum admonuit, admoneri etiam in Ecclesia quoscunque ministros, & tunc quidem maximè cùm ij potestatem in sui ordinatione acceptam viderentur negligere, & grauiter contra suũ officium peccare. Formam enim communem adhortandi Ecclesiasticos ministros ibi Apostolus proposuit, idq; non tam propter Timotheum, B qui non tantopere monitione indigebat, quàm propter alios ministros, qui aliquando suo muneri defuturi essent. His vult dici, *Noli negligere gratiam quæ* EST *in te.* Item: *Admoneo te, vt resuscites gratiã quæ* EST *in te, &c.* Vnde manifestè apparet, gratiã potestatis quæ in ordinatione accipitur, nec à malis ministris amitti, sed omnino durabiliter in illis permanere.

SECVNDO probatur eadem assertio ex veteri Ecclesiæ traditione, cuius duos iam testes producam. Vnus est antiquissimus omnium latinorum TERTVLLIANVS qui in libro de præscript. proprium hæreticorum & Schismaticorum esse affirmat habere ministrorum ordinationem inconstantem: *Vt cras,* inquit, *sit laicus qui hodie est* C *minister.* Alter est D. AVGVSTINVS lib. de bono coniug. cap. 24. vbi affirmat ordinationẽ in ministris *ita perpetuò manere, vt etsi aliqua culpa quispiã ex illis ab officio remoueatur, Sacramento Domini semel impositio non careat quamuis ad iudicium,* inquit, *permanente.* Cuiusmodi autẽ omnino sit hæc potestas quæ indelebiliter in ordinatione datur, explicabimus magis distinctè infrà q. 2. cùm agemus de effectu Sacramenti ordinis.

SECTARII verò non admittunt SEPTIMVM & OCTAVVM hoc nostrum pronũciatum. Nam asserunt, ministros Ecclesiæ atque adeò Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, quos ipsi admittunt, nequaquam creari per *collationem* alicuius *potestatis durabilis & indelebilis,* sed per designationem quandam ad ministerium verbi & Sacramentorum; ita vt cùm omnes alioqui Christiani hoc ipso quòd Christiani sunt, potestatem parem ad ministerium Verbi & Sacramentorum habeant; illam tamen non nisi peculiariter *designati* exercere possint in Ecclesia, à qua designatione denominentur & sint ministri, quamdiu non remouentur à ministerio. Atq; in hoc quidem sensu volunt intelligi sententiam Lutheri, cũ in captiuitate Babyl. & in lib. de abrog. Missa priuata, affirmauit, omnes Christianos esse Sacerdotes: nempe quod attinet ad *potestatem;* licet propter Ecclesiæ disciplinam & ordinem, designatio præterea quædam ad ministerium requiratur; quæ quidem designatio, à quo, vel quo modo, ex sententia Sectariorum fieri debeat, videbimus postea q. 4.

Cæterùm hãc suam opinionem isti nullo firmo argumento vel testimonio probare possunt. Nam quod D. Petrus Christianos in communi *regale Sacerdotium* appellat; id de Sacerdotio impropriè dicto intelligitur, ad offerẽdas Deo spirituales bonorum operum hostias. Et nos contrà ex Scriptura & traditione iam probauimus, ministros Ecclesiæ cùm creantur omnino accipere peculiarem aliquã *potestatem durabilem,* quæ gratia quædam à D. Paulo vocatur, vt vidimus.

Et confirmatur id ipsum. Nã si quilibet Christianus haberet sufficientem per se potestatem ministerij Ecclesiastici, tantumq; indigeret designatione illa Sectariorum; validè quiuis conficeret Sacramentum Eucharistiæ etiam sine illa designatione: siquidem ad id habet potestatem. At hoc neque ipsi Sectarij concedunt. Ergo non habet potestatẽ ministerij quilibet Christianus.

Et HACTENVS quidem per OCTO pronunciata exposuimus ea quæ CERTA sunt apud Catholicos, de Ratione ac Varietate Ministrorũ Ecclesię, in quibus habet locum Sacramentũ ordinis, siue immediatè, siue per respectũ aliquẽ ad illos.

Nunc sequitur, vt de eo disseramus quod circa hoc (vt initio huius puncti diximus) est etiam inter Catholicos CONTROVERSVM. Est autem id, An omnino tantũ illi octo ordines Ecclesiastici, de quibus hactenus dictum est (scilicet Episcopatus, & illi alij septem) & nec plures, nec pauciores debeant numerari ordines Ecclesiastici. Sunt enim hæc de re variæ Doctorũ opiniones: quanquam fortasis non tam re ipsa quam modo loquendi differunt.

PRIMA opinio est Canonistarũ, qui vt refert etiam Nauarrus in Man. cap. 22. n. 18. nouem ordines ponũt: videlicet septem illos, qui communiter nominari solent, & præterea non solum Episcopatum, sed etiam primam tonsuram.

SECVNDA opinio est aliorum, qui adhuc ad istos ordines addunt ordinem *Psalmistarum* siue Cantorũ. Id quod facit Tilman. lib. de Sacram. ca. 3. quoniam, vt suprà vidimus, in Concil. Carthagin. IV. cap. 10. Cantores quoq; numerantur, sicut etiam ab Isidoro lib. 7. Etymolog.

TERTIA opinio est aliorum, qui nec primam tonsuram, nec Episcopatum, nec munus canendi, in ordinibus numerant: sed tantum dicunt esse septem reliquos ordines. Ita D. Thomas hîc q. 37. a. 2. Alexander Alensis 4. parte, q. 79. membro 8. & q. 80. membro 4. Albertus Magnus in 4. d. 24. ar. 5. Bonauentura eadem d. art. 1. q. 2. & 3. Richardus eadem d. art. 3. q. 3. & alij.

QVARTA opinio est aliorum, qui octo ordines numerant: nempe septem illos, & præterea Episcopatũ. Ita Altisiodorensis lib 4. Summæ, in cap. de Sacramento ordinis q. 1. Durãdus in 4. d. 24. q. 6. Paludanus d. 24. q. 7. VValdensis tomo 2. de Sa-

de Sacrament. cap. 116. Caietanus tomo 1. opusc. tract. 11. qui est de modo tradendi & recipiendi ordines. Michaël Medina lib. 1. de Cœlib. cap. 16. Nauarrus in Man. cap. 22. num. 18. Petrus de Soto lect. 1. & 4. de Sacramento ordinis in sua institutione Sacerd.

Hanc autem varietatem opinionum hoc modo censeo posse componi. PRIMO, si loquamur propriè de Ordine Ecclesiastico, vt scilicet in eo potestas traditur ad peculiare officiũ, quod referatur ad celebrationem Eucharistiæ; sentiendum est neq; psalmodiam, neq; tonsurã esse per se ordines. Hoc probo primò authoritate eorũ quos citauimus pro tertia & quarta opinione. Deinde ratione. Quia tonsura est tantum designatio ad ordines: siquidẽ in ea nulla datur potestas ad aliquod peculiare officium Ecclesiasticum. Psalmodia autem reuocatur ad officium Lectoris. Quod enim ad officium ipsum Ecclesiasticum attinet nihil interest vtrum canendo, vel simpliciter pronunciando dicas ea, quæ ex scripturis in Ecclesia legi debẽt. Quare auctores primæ & secundæ opinionis non ita propriè videntur vocabulum *ordinis* vsurpasse, cùm illud tribuerunt psalmodiæ & tonsuræ, sed latius; vt ordo videlicet dici potest designatio quæuis ad aliquid in Ecclesia.

SECVNDO dico, tantum esse septem ordines qui quidem soleant vni & eidem ordinariè conferri: vt suprà etiam explicabamus. Et sic loquũtur authores tertiæ opinionis.

TERTIO dico, absolutè tamen loquendo esse octo ordines propriè dictos, nempe Episcopatũ & illos septem; vt rectissimè loquũtur authores quartæ opinionis. Nec certè hoc negari potest, vt antea notauimus. Patet ex Concilio Trident. sess. 23. cap. 4. Cui, quod attinet ad Episcopatum, rectè vbi suprà dicit Nauarrus, se non scire nec posse bona fide respondere. Itẽ id patet ex Cap. *Decernimus.* 28. d. & cap. 1. d. 32. vbi satis apertè indicatur, Episcopatum etiam esse sacrum ordinẽ, sicut ordinem Presbyterorum, & Diaconorum, & Subdiaconorũ. Vt rectè etiam in dicto cap. 1. glossa explicauit. Et hactenus de secundo puncto principali. Nam quædam alię quæstiones inter Catholicos etiã controuersæ, quæ huc referri possent, pertinent potius ad puncta sequẽtia.

PVNCTVM TERTIVM.

Quodnam sit officium singulorum eiusmodi Ministrorum Ecclesiæ in quibus Sacramentum ordinis locum suum habet.

D. Thom. q. 37.

DICEMVS ordine de singulis. Officiũ EPISCOPI describit ex antiqua Ecclesiæ traditione Isidorus epistola ad Ludifredum citata à Gratiano dist. 25. can. 1. Item Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. parte 3. & Rabanus lib. 1. de offic. cler. cap. 4. & Magister in 4. sentent. d. 24. & Gratianus in Decret. d. 24. & 25. qui omnes Isidorum ferè ad verbum in hoc & in aliis officiis Ecclesiasticis describendis secuti sunt.

Aiunt igitur hi Doctores ad Episcopi munus pertinere *consecrationem basilicarum, vnctionem altarium, consecrationem chrysmatis, impositionem manuum,* id est, administrationem confirmationis, *communis populi benedictionem, distributionẽ officiorum & ordinum Ecclesiasticorũ, benedictionemq; virginum.* Quibus si addideris etiam munus *prædicandi* verbum Dei, nihil prætermissum erit quod ad functiones ordinis Episcopalis attineat.

Etenim istud munus etiam Episcopis incumbere tam perspicuum est, vt idcirco videantur illi auctores id præteriuisse tanquã rem claram. Dixit enim Christus Dominus Apostolis Matth. 28. & in iis eorum successoribus Episcopis: *Euntes docete omnes gentes.* Et diuus Paulus de se inquit 1. Corinth. 1. *Misit me Dominus Euangelizare non baptizare,* hoc est, præcipuè me misit, vt prædicarem, non vt administrarem Sacramenta; quamuis & hoc etiam Episcopis competat.

Id tamen officium prædicandi possunt per alios præstare, quando legitimè impediuntur; siquidem præceptum prædicandi *affirmatiuum* est, cuius, pinde obligatio nõ vrget pro omni tempore, sed certis concurrentibus circumstantiis.

Alia verò officia, quæ citati auctores tribuũt Episcopis, dubium etiam non est quin sint illorum propria. Nam quòd Episcopus solus possit alios ministros ordinare, patet ex aliquot veterum testimoniis suprà p. 2. citatis. Item quòd solus ipse possit consecrare templa, altaria, &c. affirmat etiam D. Dionysius, cap. 4. & 5. Eccles. Hierarch. & Damasus epist. 3. & Leo epist. 88. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ.

PRESBYTERI autem siue Sacerdotis officiũ, Isidorus & illi alij authores dicunt esse *Sacramentum corporis & sanguinis Domini ad altare conficere, dona Dei benedicere, & orationes dicere. Item Sacramenta administrare,* excepto Ordine & Confirmatione. Quæ quidem officia esse Sacerdotum, patet non modò ex traditione & vsu perpetuo Ecclesiæ, sed etiam ex huius ministerij institutione, quę in Euangelio extat. Nam Matth. 26. & Lucæ 22. Apostoli & in illis etiam Sacerdotes acceperũt potestatem conficiendi & offerendi sacram Eucharistiam, vt disp. 6. quæst. 11. ostendimus. Et Ioan. 20. potestatem remittendi peccata. quod faciunt in ministerio Sacramenti Pœnitentiæ. Et ipsum nomen Sacerdotum ostendit ad eos item aliorum Sacramentorum administrationem, quæ quidem Episcoporum propria non sint, pertinere. Sacerdos enim est qui sacra dat.

Cæterùm pertinet etiam ad illos prædicare Verbũ Dei & docere populum, ex facultate ta-

men

men Episcopi. Vnde in Concilio Vassensi can. 4. legitur factam fuisse ab Episcopis potestatē prędicandi presbyteris. Et Possidonius etiam in vita Augustini, cap. 5. refert Valerium Episcopum fecisse potestatem prædicandi S. Augustino suo tunc presbytero, cùm ipse Valerius homo Græcus, non posset satis commodè id latinè facere.

Errant autem hic Sectarij dupliciter. PRIMO, cum dicunt Presbyteros seu Sacerdotes non ad eam rem institui, vt in Missæ sacrificio offerant Eucharistiam, neque accipere vllam sacrificandi potestatem, sed officium illorum tantummodo esse docere & administrare Sacramenta. Negāt enim fuisse à Christo institutū sacrificium Missę. SED hanc istorum hæresim suprà in materia de Eucharistia, q. 11. ex professo confutauimus. SECVNDO dicunt, eos qui non concionantur, Sacerdotes non esse, qui error absurdissimus in Concilio Trident. sess. 23. can. 1. meritò condemnatus est. PRIMVM enim Sacerdotes non tantummodo creantur vt concionentur, sed etiam vt sacrificium offerant, & Sacramenta administrent, vt est antea dictum. Deinde quamuis ad eam rem solum crearentur, vt prædicent, tamen possunt retinere eius muneris potestatē, etiamsi vel ex culpa, vel ex legitima caussa non illa vtantur. Aliud enim est *potestas* muneris, aliud potestatis *vsus*.

DIACONI officium, vt iidem authores tradūt, est, *assistere Sacerdotibus & ministrare in omnibus quæ aguntur in Sacramentis, scilicet in Baptismo, in Chrismate, in patena & calice, atq; adeò etiam oblationes inferre & disponere in altari & componere mensam Domini, & legere Euangelium publicè in Ecclesia*, & alia huiusmodi, quæ propriè pertinent ad ministrādum Episcopis & Sacerdotibus in suis functionibus. Item olim Diaconis committebatur procuratio & administratio eleemosynarum & bonorum communium Ecclesiæ, vt suprà p. 1. dictum est.

Et quidem quod munus illorum sit assistere & ministrare Sacerdotibus in sacrificij oblatione & dispensatione Eucharistię, asserunt Clemēs lib. 2. Constit. Apostolic. cap. 14. Cyprianus serm. de lapsis, Ambrosius libro 1. de Offic. cap. 41. vbi historiam S. Laurentij refert. Chrysostomus homil. 83. in Matthæū. Gregorius in epist. ad Leandrum Hispalensem Episcopum, quæ extat initio Commentariorum Greg. in Iob.

Item etiam quod ad illos pertineat lectio Euangelij tempore sacrificij, testatur D. Hieronymus epist. 48. quæ est ad Sabinianum, & D. Gregorius libro 4. regist., cap. 88. & Concilium Remense can. 5. & Vassense can. 4.

Præterea possunt quoq; in absentia Episcopi & Presbyteri baptizare: vt ait Tertullianus libro de Baptismo. Id ꝙ etiam fecit Philippus Diaconus Actor. 4.

Item prędicare de licentia Episcopi, exemplo Stephani & Philippi Diaconorum Actor. 7. & 8. & D. Vincentij Martyris, qui Diaconus tantum concionabatur, teste D. Augustino sermon. 2. de eodem Vincentio: & D. Gregorij, teste Paulo Diacono in eius vita, lib. 1. cap. 41. qui ipse Gregorius in Synodo quadam Romæ à se habita affirmauit, prædicationem Diacono competere, vt patet lib. 4. regist., cap. 88.

Item Eucharistiam in absentia presbyteri administrare; vt habet Concilium Nicen. can. 14. & ad absentes illam deferre: vt dicit Iustinus in Apolog. 2. sub finem.

Cæterùm officium prædicandi vsus ipse Ecclesiæ declarat non illis competere quasi ex officio & solenniter, sicut Episcopis & Presbyteris. Sic etiam neque iam moris est, vt Eucharistiam ipsi vel administrent vel deferant ad absentes. Quare præcipuum & quasi substātiale officium huius ordinis esse existimandum est, assistere & ministrare Episcopis & Presbyteris in sacrificio altaris.

SVBDIACONI officium, vt Isidorus, Rabanus & alij auctores suprà citati ex veteri traditione docent, est *proximè assistere Diaconis, & illis in sacrificio ministrare*. Itaque deferunt ad altare calicem & patenam, & tradunt Diaconis, vt ij postea cū materia offerēda exhibeant Sacerdotibus. Quare Subdiaconus in ordinatione sua ab Episcopo accipit vacuum calicem & patenam, vt dicitur etiam in Concilio Carthag. IV. can. 5. & Toletano IV. can. 27. Item legit Epistolas in sacrificio Missæ, vt habetur quoq; in Concilio Remensi, can. 4.

ACOLVTHI (quod nomē pedissequum vel subsequentē significat) officiū est *luminaria ad sacrificiū præparare & portare cereum accensum ad altare, itemq; vrceolos cū vino & aqua Subdiacono dare*, quæ omnia Episcopus illi in ordinatione dicit. Atq; hæc quidem ad eius officium pertinere testatur etiam Concilium Carthag. IV. can. 6. vbi & nomen quoque *Ceroferarij* ponitur. Nam & Ceroferarij vocantur isti ministri passim ab aliis auctoribus. Vt ab Isidoro lib. 7. Etym. cap. 12. Rabano lib. 1. de Institut. Cler. cap. 9. Hugone Victorino lib. 2. de Sacr. parte 3. cap. 5. & ab aliis. Idque non secūdùm Etymologiam vocabuli *Acoluthus*, sed ab officio, quia scilicet cereum portant, vt dictū est.

EXORCISTAE officium est *manus super energumenos imponere, & ad pellendos ex illis dæmones exorcismos Ecclesiæ super eos legere, atq; ea ratione illos præparare, vt sacris interesse & participare possint*. Cuius quidem ministerij Ecclesiastici in Ecclesiæ primordiis magnus vsus erat, cùm expediret videlicet ad ædificationem Ecclesiæ frequētior vsus miraculorum. Meminit autē huius ordinis tanquam verè Ecclesiastici præter eos quos suprà p. 1. pro toto hoc ordinum numero citauimus, Ignatius epist. 8. quæ est ad Antiochenos, & Cōcil. Laodicense, can. 24. & can. 26. vbi prohibet ne quis

ne quis nisi hoc ordine initiatus Ecclesiæ exorcismis vtatur ad pellendos dæmones.

Et quomodo Exorcistę ordinādi sint, in Concilio Carthaginensi IV. can. 7. ante annos 1100. expositum est his verbis: *Exorcista cum ordinatur accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi; dicente sibi Episcopo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum siue baptizatum siue catechumenū.* Quę forma ordinationis & hodie retinetur. Sulpitius etiam Seuerus in historia D. Martini, cap. 4. commemorat D. Martinum fuisse ordinatum Exorcistam à D. Hilario.

LECTORIS officium, vt suprà citati auctores describunt, est, *lectionē prophetarum in Ecclesia pronunciare*: quarum lectionum Codicem ei tradit in ordinatione Episcopus dicens: *Accipe & esto Verbi Dei relator, habiturus, si bene impleueris officiū, partem cum iis, qui bene verbum Dei ministrauerunt.* Huius autē ordinis Ecclesiastici præter veteres suprà p. 1. citatos, & Concilium Carthagin. IV. can. 8. vbi ille modus, quo de more lectores ordinantur, exponitur, meminit Ignatius in epist. 8. ad Antiochenos, & Concil. Laodic. can. 24. & aliquoties etiam D. Cyprianus, vt lib. 2. epist. 5. & libro 3. epist. 22. & lib. 4. epist. 5. in quibus locis disertè appellat hunc ordinem gradum & honorem Ecclesiasticum. Apparet autem ex illa epist. 5. lib. 4. quæ est ad Clerum de quodam Celerino in lectorem ordinato, solitos olim fuisse lectores non solùm propheticas Scripturas, sed etiam *Euangelia* ex superiore loco in Ecclesia prælegere: non tamen tempore sacrificij, cùm id sit Diaconorum, vt suprà notauimus.

Deniq; OSTIARII officium est, *templum claudere, & aperire, illudq; custodire, & ad illud admittere eos qui dignè sacris interesse possunt, ac eos excludere qui indigni sunt*. Excludebantur autem iam olim pagani, excommunicati, hæretici, catechumeni, energumeni, flagitiosi, & qui publicam pœnitentiam agebant; vt intelligi potest ex CHRYSOSTOMO homil. 41. & 60. ad populum Antioch. & ex D. Ambrosio epist. 33.

Quare Ostiario claues Ecclesiæ ab Episcopo traduntur, & modus qui in Ostiariorum ordinatione seruatur describitur est in Concilio Carthaginensi IV. can. 9. Meminerunt etiam huius ordinis Ecclesiastici, præter veteres suprà p. 1. citatos, Ignatius epist. ad Antiochenos, & Concilium Laodicenum can. 24.

Porrò sufficientiam & distinctionē istius numeri ordinū congruenti ratione colligit diuus Thomas q. 37. artic. 2. sed illius potissimum fundamentum est traditio Ecclesiastica veterum auctoritate contestata, vt hactenus vidimus, & defendimus etiam contra Sectarios p. 1.

PVNCTVM QVARTVM.

An alicuius, vel aliquorum, vel etiā omnium eiusmodi Ministrorum Ordinatio participet verè rationem huius Sacramenti.

D. Thom. q. 34. art. 3.

IN hac re vnum est certissimū apud omnes orthodoxos (quod negatur ab hæreticis) & duo controuersa. CERTISSIMVM quidem apud omnes orthodoxos est, saltem ordinationem eam, qua SACERDOTES creantur, esse verum & proprium nouæ legis Sacramētum, quale describimus initio huius Disputationis.

Et quidem de hac assertione ita posita nemo Catholicorū dubitare potest. Nam cùm in Concilio Florētino indefinita propositione dicitur, *sextum nouæ legis Sacramentum esse ordinem*: & cùm in Tridentino etiam indefinitè sess. 23. cap. 3. dicitur, *Ordinem esse Sacramentum*, & can. 4. per sacram *ordinationem conferri Spiritum sanctum & imprimi characterem*, tanquam per verum videlicet Sacramentum; Cùm hoc inquam ita indefinita oratione in his Conciliis dicitur, oportet id intelligere vel de omnibus omnino ordinibus, vel de aliquibus, vel de aliquo illorum. Non enim est alius modus quo propositio aliqua indefinita intelligi possit, nisi aut vniuersaliter de omnibus, in quibus subiectum vel prædicatum propositionis inuenitur, aut particulariter de aliquo illorum vel de aliquibus. At quocunq; modo ex istis illa propositio Concilij intelligatur, necessariò concedi debet ordinē sacerdotalem esse verum Sacramentum. Si enim intelligitur *vniuersaliter*; satis id patet, cùm ordo sacerdotalis sit vnus quidam ordo. Si autem *particulariter*, id etiam ea ratione patet, quòd ordo sacerdotalis secundùm se omnium ordinum est præstantissimus, quandoquidē est ad præstātissimum actū, nempe ad Christi corporis & sanguinis consecrationem. Ex hoc enim efficitur, vt si de aliquo vel etiam de aliquibus ordinibus Concilia voluerunt definire, quòd sint Sacramentum; in primis id intellexerint de ordine Sacerdotali.

Neq; verò valet si obiicias, Episcopatus ordinem, esse superiorem ordine Sacerdotum. Est enim superior non intensiuè quasi per se sit præstātior, sed *extensiuè*, quatenus potest illud quod ordo sacerdotalis (includit enim ordo Episcopalis sacerdotalem) & aliquid amplius, tametsi non maius; nempe ordinare alios ministros. Itaque quin saltem ordo sacerdotalis sit verum & proprium Sacramentum, nemo (vt diximus) Catholicorum dubitat vel dubitare potest.

Probatur autem iam indubitata hæc assertio Catholicorum, PRIMO ex Scriptura. Nam cæremonia religionis quæ habet annexam diuinam promissionem gratiæ, verum est Sacramentum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt suprà etiam in disp. de Sacramento Extremæ Vnctionis asseruimus. Talis autem est ordinatio Presbyterorum siue Sacerdotum. Ergo verũ est Sacramẽtum. Minor patet ex illis locis 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi* PER *impositionem manuum Presbyterij.* Et 2. Timot. 1. *Admoneo te vt resuscites gratiam Dei quæ est in te* PER *impositionem manuum mearum.* Vbi obseruandum diligẽter, quod gratia per ipsam ordinationem dicitur dari.

SECVNDO eadẽ assertio probatur illo argumẽto, quo veritas etiam aliorum Sacramentorũ certissimè à nobis confirmari solet: vt in præcedentibus Tractatibus vidimus. Nam res ipsa ordinationis Presbyterorum cõtinetur in Scriptura, vt patet locis citatis; & Ecclesia sentit in illa esse diuinitus institutã rationem veri Sacramenti nouæ legis. Ergo est verum Sacramentũ. Nam neq; aliter ex Scriptura probare possumus vel Baptismum vel Eucharistiam esse Sacramentum: vt suprà sæpe sumus argumentati.

TERTIO probatur ex veteri traditione Ecclesiæ. Cuius Traditionis testes sunt antiqui Patres, qui passim hoc Sacramentum asserunt. Id ℣ vel maximè de Ordine Sacerdotali intelligi debet. S. AVGVSTINVS lib. 2. cõtra epistolam Parmen. cap. 13. Ordinationẽ comparans cum baptismo: *Vtrumque*, inquit, *Sacramentum est, & quadam consecratione vtrumq; homini datur. Illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Ecclesia Catholica vtrumq; non licet iterari.* Hæc Augustinus. qui rursus in eodem loco: *Vtrumque*, inquit, *Sacramentum est, quod nemo*, inquit, *dubitat.* Similia scribit aliis in locis, lib. 5. de Baptismo contra Donatistas, cap. 1. Et lib. de bono coniugali, cap. 24.

Et obseruetur diligenter Augustinum non vtcunq; vocare Ordinem Sacramentum, sed omnino sentire, ita verè & propriè esse Sacramentũ sicut est Baptismus. Quod fraudulenter admodum dissimulat Kemnit. in Exam. Concilij Trid. sess. 23. cap. 3. qui falsariè dicit, Augustinum latè accipere Sacraméti vocabulum, cùm lib. 2. contra Parmen. iam citato, Ordinationẽ Sacramentum vocat: neq; iste commemorat, quemadmodum ibi Augustinus ex æquo Sacamenti vocabulum Baptismo & Ordinationi tribuat.

Item agnoscit hoc Sacramentum D. Ambrosius lib. de dignitate Sacerd. cap. 5. & D. Gregorius lib. 2. Reg. cap. 25. & 32. & 86. & in cap. 10. lib. 1. Reg. D. Leo epist. 81. ad Dioscorum. D. Chrysostomus in libris de dignitate Sacerd. passim. Nicephorus lib. 12. histor. cap. 14. Postremo, ita sentit Ecclesia Catholica Romana, cuius sentẽtiã in materia Sacramentorũ nõ sequi, hæreticum est, vt habetur in cap. *ad abolendã*, extra de hæreticis.

Neq; habent SECTARII aliud argumentum aduersus hoc Sacramentum præterquam illud leuissimũ, quod inculcat Kemnitius: videlicet Sacramentum ex verbo & ex elemento aliquo iuxta vulgarem sententiam D. Augustini constare debere: in Ordinatione autẽ nullum applicari elementum: proinde Sacramentũ non esse.

RESPONDEMVS enim, si de *elemento* propriè dicto sit sermo; satis constare, illud non requiri in omni Sacramento. Alioqui neq; Eucharistia Sacramentum esset, cùm panis & vinum non sit elementum proprie dictum. Si autem elementũ accipiatur pro re quauis externa distincta ab ipso actu ministrantis & suscipientis Sacramentũ; sic suprà ostendimus non id requiri ab Augustino generatim in omni Sacramento, sed solum in Sacramento Baptismi, de quo ille nominatim loquebatur Tractat. 80. in Ioannem, cùm dixit: *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.* Quãquam in omni quidem Sacramento requiritur præter verba aliquid *sensibile*, ℘ sit materia: sicut in baptismo aqua illa sensibilis est materia. Deniq; etiam in ordinatione res quæ ordinato traditur ab Episcopo est aliqua res externa præter actus ministrãtis & suscipientis istud Sacramẽtum. Quare licet in omni Sacramento res talis externa requireretur; nihil in ꝓposito deesset. Et hactenus quidem exposuimus id, quod est in hac quæstione CERTVM apud omnes Catholicos, vt diximus.

CONTROVERSVM autem incer Catholicos est PRIMO, An oẽs illi septem ordines (excepto Episcopatu, de quo post) suprà p. 3. numerati, sint verum Sacramentum: aut quinam ex illis, si non oẽs. De hoc enim nihil est expresè definitũ ab Ecclesia. Quod sanè, vt alioqui fieret, Nauarrus cap. 22. Num. 18. dicit se optasse. Etenim Concil. Florent. & Trid. solum in definita oratione asseuerant *ordinem* esse Sacramentum. Vtrum aũt id de omnibus ordinibus, an verò de aliquibus, vel de aliquo ordine tm̃ intelligi debeat, non explicant: sicut suprà notabamus. Vt verò distinctius procedatur, quæritur iam in hac q. nominatim de septem illis ordinibus, qui cõmuniter numerari solent; Vtrũ oẽs & singuli sint Sacramentũ: de Episcopatu verò separatim postea quærem⁹.

Sunt aũt de hac q. tres potissimum sententiæ. PRIMA est Durandi in 4. d. 24. q. 2. qui vult ex septem illis ordinibus, solum ordinem *Sacerdotij* esse Sacramentum. Quam sentẽtiam Franciscus Victoria q. 226. de Sacram. dicit esse probabilissimam. Et in ea quoq; videtur esse Caietanus tomo 1. tract. 11. Ac possetꝫ hęc sentẽtia ex D. Thoma confirmari qui q. 37. art. 1. ad 2. dicit rationẽ huius Sacramenti completam esse tm̃ in Sacerdotio, in aliis verò ordinibus aliq̃ solum participationem illius; & idcirco quoniam ab illa ratione Sacramenti deficiunt, non diuidi ordinis Sacramentum in reliquos ordines tanq̃ in partes subiectiuas, sicut diuiditur v. g. animal in suas species, vel species humana in sua indiuidua, in quib⁹ ratio generis & speciei completè & vniuocè reperitur; sed tanquam in partes *potentiales*, cuius diuisionis ea ratio est, vt in vnico rãtum reperiatur ratio totius, in aliis autem quædam solum

illius

illius participatio. Hoc. n. si ita est; manifestè sequi videtur reliquos ordines non habere veram Sacramenti rationem, sed participationẽ quandam eius, per quendam respectum ad illud.

SECVNDA opinio est Soti in 4. d. 24. q. 1. ar. 4. & Michaëlis Medinæ lib. 1. de sacrorũ hom. continentia, cap. 46. & Nauarri in Man. cap. 22. n. 18. & aliorum qui censent, tres ordines maiores ex illis septem esse Sacramentum; alios autem minores non nisi Sacramentalia quædam. Atq; hæ quidem duæ opiniones conueniũt in hoc, quòd minores ordines non sint Sacramentum.

TERTIA opinio, & quidem communior, est, ordines illos oẽs maiores & minores esse Sacramentum. Ita D. Thom. q. 37. a. 2. Vbi dicit oẽs ordines inprimere characterẽ; declarãs deinde a. 3. pro eodẽ se reputare ordinem aliquẽ inprimere characterem, & ipsum esse Sacramẽtum. Quanq̃ vt verum fatear, ille alter D. Thomę locus, quem pro sententia Durãdi antea citaui, difficilis est. Ita etiã sentit lib. 4. contra Gentes, cap. 65. Atq; idem asserit D. Bonauentura in 4. d. 24. a. 2. q. 4. Richardus ead. d. art. 3. q. 3. Paludanus ead. d. q. 1. Capreolus ibid. q. 1. art. 1. Franciscus Victoria in Summa de Sacram. q. 226. qui dicit hãc esse sententiam omnium Doctorum. Item Franciscus Ferrarienſ. lib. 4. contra Gentes, cap. 65. Eckius tomo 4. homil. 64. Petrus de Soto in Institut. Sacerd. lect. 4. de ordine.

Atq; hæc sententia in hac ancipiti quæstione mihi videtur probabilior. *Primò*: nam cùm quæstio hæc sit grauis, præstat sequi communiorem opinionem: maximè cùm aliorum argumenta facilè solui possint, vt videbimus.

Secundò, quia hæc sententia magis est conformis doctrinæ Conciliorum. In Florentino siquidem Concilio postquam dicitur, *ordinem esse Sacramentum*; continuò explicatur, *materiam* huius Sacramenti esse rem quæ traditur ab Episcopo in ordinatione; & *formã*, *verba* quibus ea res traditur. Cumq; Concilium nominatim id declarasset in ordine Sacerdotij & Diaconat⁹, & Subdiaconatus, deinde subiũgit: Sic etiam id intelligi debere in reliquis ordinibus. Quasi in illis etiam similiter sit materia sacramentalis res quę traditur, & forma, verba quibus traditur. Item in Concilio Trid. sess. 23. cap. 2. nomina primùm ordinum singulorum expresè ponũtur, postea verò cap. 3. absolutè dicitur *ordinem* esse Sacramentum, neq; vllus eorum ordinum, quos antea Concilium numerauit, ibi excipitur.

Tertiò, est etiam hæc sententia magis consentanea testimoniis antiquitatis quæ suprà p. 2. pro authoritate singulorum ordinum adducta sunt. Nã vetustissimi illi Patres, Anacletus, Cornelius, Ignatius, & reliqui ita Subdiaconatus etiam & aliorum ordinum meminerunt, vt nunquam significent eos de nouo aliquando fuisse in Ecclesiæ institutos, sed semper potius ex Apostolica traditione vsitatos: nec magis alios quàm alios dixerunt esse Sacramẽtum. Quin imò Caius Pontifex XXIX. à Petro, in epist. ad Fælicem Episcopũ apertè dicit in omnibus eiusmodi ordinibus etiam minoribus consecrari ordinatos. Et certè D. Augustinus & alij Patres cùm absolutè dicunt ordinem esse Sacramentum, nullum ordinem videntur excipere.

Quartò accedit quòd D. Augustinus vbi suprà, ordinem qui iterari non potest, affirmat esse Sacramentum. At omnes ordines sunt initerabiles, vt suprà p. 2. vidimus, & ostẽdit perpetua praxis Ecclesię. Ergo omnes illi ex sententia Augustini (quæ procul dubio est orthodoxa) sunt Sacramenta. Deniq; confirmabitur magis hæc communis sententia respondendo ad argumẽta contrariarum opinionum: quod facere non est difficile. Sunt autem eiusmodi argumenta potissimum quinque.

PRIMO, quòd nõ ita constat, quæ fuerit olim materia & forma huiusmodi ordinum Minorũ, præsertim Apostolorum tempore.

SECVNDO, quod actus minorum ordinum fiunt etiam licitè à non ordinatis: imò etiã actus Diaconatus potest exerceri saltem validè à non Diacono. Neq; videntur eiusmodi ordinũ actus habere aliquid supernaturale vel spirituale, ℘ sine Sacramento præstari nequeat. Atq; hoc argumentum maximè vrget Durandus, vt probet non modò ordines minores Sacramentum non esse, sed ne Subdiaconatum quidem, & Diaconatum, sed tantum Sacerdotium, quod est ad actum supernaturalem consecrationis.

TERTIO, quòd aliqui auctores orthodoxi dixerunt, eiusmodi ordines minores non fuisse initio in Ecclesia. Nã Magister in 4. d. 24. ait, Subdiaconatum, & minores ordines postea fuisse ab Ecclesia institutos. Item Innocentius III. in cap. *à multis*, extra de ætate & qualitate ordinand. dicit Subdiaconatum olim non fuisse ordinem sacrũ, sed postea fuisse ab Ecclesia inter sacros ordines computatum. Quin etiam Vrbanus Pontifex valdè antiquus, à Gratiano citatus in can. *Nullus in Episcopum*. d. 60. dicit initio tantùm fuisse Diaconatum & Presbyteratum; complectẽs etiam Presbyteratus vocabulo Episcopatum.

QVARTO, quia durum videtur peccati mortalis reos existimare illos qui eiusmodi ordines minores suscipiunt in peccato mortali sine confessione aut contritione. Esset autem id omnino peccatum mortale, si essent Sacramenta, quæ proinde ex opere operato gratiam conferrent.

QVINTO, quia actus præsertim illorum ordinum minorũ infrà Diaconatum vel Subdiaconatum, planè videntur esse merè naturales: vt non videatur ad illos esse diuinitus institutum aliquod Sacramentum.

POSTREMO posset his addi, quòd si tam multi ordines sunt, quorum quilibet est Sacramentum; difficile intellectu videtur quomodo ordo velut vnicum Sacramentum in Ecclesia nume-

Universidad de Deusto
Biblioteca

retur. Tantum enim dici solet, esse septem Sacramenta.

Ad PRIMVM argumentum RESPONDEO, si illud valeret; similiter cõcludi posse ne tres quidem ordines maiores esse Sacramentum, immò neq; ipsum Sacerdotium per se. Nam neq; satis ex scriptis antiquorum constat, quæ fuerit forma & materia olim adhibita in eiusmodi ordinationibus maioribus. Sufficit igitur quòd id de omnibus ordinibus constet ex perpetua praxi Ecclesiæ, quod ad substantiam ordinationum attinet. Cuius praxis cùm initium non inueniatur; ad Apostolicam traditionem non scriptam est reuocanda: iuxta regulam D. Augustini lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, cap. 24.

Neq; obstat quòd in eiusmodi ordinationibus aliqua fortè varietas fuerit quoad accidentales cæremonias. sicut neq; etiam obstat, quòd aliquãdo ipsi quidem Apostoli potuerint aliter ordinare: vt Diaconos v. g. sine traditione libri Euangeliorũ, cùm nondum Euangelia conscripta essent. Nã & aliter etiam ipsi baptizasse putantur: nempe in nomine Christi tantum. Neq; tamen ideo forma baptismi in Ecclesia vsitata, essentialis forma nõ est. Quædam enim Apostoli ipsi ex speciali Christi voluntate fecerũt secus quàm ab Ecclesia postmodum faciendum diuina institutione Christi ordinaria, tradiderunt.

Ad SECVNDVM respõdeo, si illud valet, similiter posse probari, ne Subdiaconatum quidem esse Sacramentum. Quod etsi Durãdus quidem concedit; tamen auctores secundę opinionis dicere non auderent. Id patet. Nam etiam Epistolam potest & solet legere quandoq; in Ecclesia, qui Subdiaconus non est. Dico igitur, non esse essentiale omni Sacramento ordinis, vt sit ad actum qui nequeat validè vel licitè vllo modo exerceri sine proprio ordine: sed tãtum id competere altioribus quibusdam ordinibus, propter præstantiam actuum ad quos sunt instituti.

Et confirmatur id exemplo etiam aliorũ Sacramentorum. Nam & Sacramẽtum Confirmationis confertur ad actum tuendi & confitendi fortiter fidem; & Sacramentum Eucharistiæ ad actum resistendi tentationibus, &c. qui tñ actus alioqui etiam sine his Sacramentis possent per diuinam gratiam fieri. Et tamen illa Sacramenta instituta sunt, vt certiùs & meliùs fiant. Ita igitur proportione quadam in proposito, quidam ordines instituti sunt, vt actus quidam Ecclesiastici sanctius & religiosius fiant, qui tamen possunt alioqui secundùm se exerceri sine eiusmodi ordinibus.

Esset tamen peccatum minorum etiam ordinũ actus sine ordinibus exercere aliquo modo *solenniter* & quasi ex officio. Quin etiã nominatim Concil. Laodicen. can. 26. prohibet, ne quis exorcizet energumenos, qui exorcista ordinatus non sit; ꝙ decretum ipso Ecclesiæ communi vsu confirmatum est. Nemo enim nisi ordinatus id facere audet, ne idem ei eueniat quod filiis Sceuæ Iudæi, Actor. 19.

Ad illud aũt quod in eo argumento addebatur, quodq; potissimum vrget Durandus, actus eiusmodi ordinum nõ habere aliquid supernaturale; respondeo, Eiusmodi actus non esse parũ sacros & supernaturales, si non modò absolutè, & secundùm se considerentur, sed etiam cum relatione, quam inprimis habent ad celebrationem Sacramenti Eucharistiæ.

Ad TERTIVM argumẽtum respondeo, Magistrũ sentent. nullum habuisse idoneum testimonium, vt id diceret. Cõtrarium enim apparet ex testimoniis antiquitatis p. 2. citatis; scilicet ordines etiam minores Apostolica Traditione in Ecclesia vsurpari cœpisse. Et certè Magister sibi ipse repugnat, cùm oẽs eiusmodi ordines affirmat esse Sacramenta, & tñ illos dicit postea fuisse institutos ab Ecclesia. Institutor. n. Sacramentorum ipse Christus est, vt suo loco docuimus.

Innocentius verò solũ significare voluit Subdiaconatum non semper fuisse ordinem *sacrum*, quatenus sacer ordo peculiariter in Ecclesia dicitur is, cui est annexum sacrũ votum continentiæ. Deniq; Vrbanus non dicit initio tantũmodo Presbyteratum & Diaconatũ fuisse, sed hæc sunt eius verba: *Sacros ordines dicimus Presbyteratũ & Diaconatũ. Hos siquidem solos primitiua legitur habuisse Ecclesia.* Hactenus ille. Quare solũ dicit primitiuam Ecclesiam hos duos tñ ordines habuisse tanq̃ *sacros* illo modo videlicet quo etiam Innocentius sacros vocat, vt glossa quoque in illo Canone *Nullus.* 60. d. exponit. Cæterùm vt ordo denominari potest sacer à gratia quam confert, & consecrationis cæremonia qua datur: sic quidem oẽs ordines sunt *sacri*, vt ex Caio Pontifice suprà notauimus. Adde quod Vrbanus tantum dicit, *legi* de illis solis quòd in primitiua Ecclesia fuerint. Verum autem est, de Presbyteris tãtum & Diaconis (complectendo etiã vocabulo Presbyterorum Episcopos) in *Scriptura* quidẽ legi.

Ad QVARTVM argumentum ꝙ est Nauarri, respondeo primò, Quædam esse vera, licet sint dura. Deinde dico, non omnino durum id esse. Nam vt vitet aliquis in *susceptione* illorum ordinum peculiare peccatũ mortale, satis est conari bona fide ad habendam contritionem: quod nõ est admodum difficile. *Exercere* autem eiusmodi ordines minores, imò Diaconatũ & Subdiaconatum, in peccato mortali sine conatu ad contritionem, non puto esse peccatũ *mortale*: vt neq; putat Sotus in 4. d. 24. q. 1. a. 4. Neq; enim eadem ratio vtrobiq; est. Nam qui in peccato mortali *suscipit* eiusmodi ordines, opponit obicem gratiæ, quam possunt eiusmodi ordines ex opere operato conferre, cùm sint Sacramenta. Qui aũt illos *exercet* in peccato mortali, nõ opponit per se talem obicem: siquidem *exercitium* eiusmodi ordinum non est talis actus, qui per se conferat gratiam *vtenti* ex opere operato, sed solum po-

testas

testas spiritualis illorum ordinũ exercetur tunc indignè, & indecenti modo: id quod non est vsq; adeò magnum peccatũ, vt sit etiam *mortale*, cùm illi ordines inferiores Sacerdotio non habeant actus vsq; adeò præstantes & supernaturales; sicut bene Sotus vbi suprà ratiocinatur.

Ad QVINTVM argumentũ iam patet solutio ex responsione ad secundum. Negatur enim, actus minorum ordinum esse merè naturales si considerentur (vt debent) cum relatione ad celebrationem Eucharistiæ.

Ad VLTIMVM quod obiiciebatur respondeo, singulos ordines, quatenus vnusquisque est Sacramentum, nõ simpliciter & absolutè, sed propter *respectum & ordinem*, quem omnes habẽt ad celebrationẽ eiusdem Eucharistiæ, vel etiam ad Sacramentum ipsum præcipuum, nempe ad Sacerdotium, numerari tanquam VNVM Sacramẽtum: sicut rectè hoc explicat Petrus de Soto in Instit. Sacerd. lect. 4. de Ordine. Et hoc quidem verissimum est, siue dicamus differre ista ordinũ Sacramẽta specie, vt Petrus de Soto illic censet; siue differre tantùm *indiuidualiter*, ad modũ quo suprà in materia de Eucharistia explicauimus, differre Sacramentum Eucharistiæ in specie panis à Sacramento item Eucharistiæ in specie vini: id quod etiam Durandus in 4. d. 24. q. 6. attigit tractans de Episcopatu, & Sacerdotio.

Possumus enim traditionẽ potestatis, quæ fit in vnaquaq; ordinatione dupliciter considerare. VNO modo, vt est traditio potestatis ad ministerium Ecclesiasticum, secundùm hanc præcisè rationem. ALTERO modo, vt est traditio *talis* potestatis ad *tale* ministerium. In prima ratione oẽs ordines conueniunt, in secunda differũt. Quare si primam rationem censeamus esse quasi generica in Sacramento ordinis, & secundam specificam; erunt hæc Sacramenta differentia specie. Si autem censeamus, primam rationem esse specificam, & secundam indiuidualem; differẽt tantum numero, & omnia erunt vnum Sacramentum SPECIE: id quod etiam satis probabile est. Et vtroq; modo potest intelligi, quòd omnes hi ordines sint & dicantur VNVM Sacramentum, vnitate *respectus* cuiusdam, vt antè dictum est. Quanquã melius hoc intelligitur, si (quod probabilius existimo) *indiuiduáliter* tantũ differunt.

Neq; verò obstat quòd Sacerdotium, & Diaconatus v. g. plus differunt, quàm duo Diaconatus: ex quo videtur sequi, quod Sacerdotium, & Diaconatus v. g. plusquam indiuidualiter differant atq; adeò quod differant specie: & sic de aliis ordinibus. Non enim hoc necessariò inde sequitur, sed tantum quòd vel differant specie, vel certè quod plus differant indiuiduáliter quàm illa alia duo indiuidua. Est enim in omni genere latitudo magna in differentia *indiuiduali*. Nam & in Sacramento Eucharistiæ longè plus differt species panis à specie vini, quàm duæ species panis. Neque tamen ideo Eucharistia in specie panis, & Eucharistia in specie vini, sunt duo Sacramenta, differentia specie, sed quælibet est Sacramentum Eucharistiæ.

Verùm parum interest quoad praxim & effectum Sacraméti ordinis attinet, vtro modo potius dicamus. Siue enim specie ij ordines quatenus sunt Sacramentum differant, siue tantum indiuiduáliter ac numero; omnia numerantur vt VNVM propter vnitatem respectus, vt antè dictum est. Et secundùm vtrumque dicendi modum eosdem effectus habent, hoc est, suas potestates conferunt ordinatis, vt patet.

Restat tñ in hac quæstione proprium quoddam DVRANDI argumentum quo ille probat, solum Sacerdotium esse Sacramentum hoc modo: Quando plures actiones ordinantur ad eundem effectum, & vna tantum illarum attingit illum effectum; illa sola Sacramentum est: reliquæ autem non nisi sacramentalia quædam. Sed in proposito omnes illæ ordinationes ministrorum referuntur ad eundem supernaturalem effectum principalem, qui est consecratio corporis Christi; & hunc effectum sola ordinatio Sacerdotum attingit. Ergo illa sola in proposito est Sacramentum ordinis: reliqua verò tantùm Sacramentalia. Maiorem confirmat Durandus exemplo ducto à baptismo. Nam licet ibi plures actiones & cæremoniæ adhibeantur, scilicet Catechismus, Exorcismus, &c. tamen quia sola operatio baptizantis, cùm abluit sub præscripta verborum forma, attingit effectũ principalem ad quem omnes illæ actiones ordinantur, scilicet remissionem peccatorum per gratiam quæ ibi datur; idcirco illa sola est Sacramentum baptismi: reliquæ verò non nisi sacramentalia quædam baptismi.

RESPONDEO propositionem illam Maiorem, ita vniuersaliter positam, nullo firmo argumeno posse probari. Fieri enim aliunde potest, vt quælibet nihilominus eiusmodi actionũ quatenus respicit etiam effectum suum immediatum, licet minus principalem, sit etiam per se Sacramentum, tametsi non vsque adeò perfectum, vt illa alia actio quæ attingit effectũ præcipuum. Et ita est in proposito propter argumenta, quę adduximus ad confirmationem nostræ sententiæ.

Exemplum autem baptismi nihil probat, cũ sit quoddam exemplum particulare, vt patet. Et ratio discriminis potest assignari in proposito ex eo, quòd per quamlibet ministri ordinationem confertur singularis aliqua potestas ad Ecclesiasticum ministerium: qui effectus talis est, vt rectè intelligi possit ad illum institutum esse aliquod Sacramentum, tametsi non ita perfectum, vt est Sacramentum Sacerdotij. Per sacramentalia verò baptismi nulla potestas peculiaris datur. Et hactenus de eo quod dixi esse PRIMO controuersum inter Catholicòs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO CONTROVERSVM in specie est, An Episcopatus sit etiam Sacramentum; vel specie, vel saltem numero à Sacerdotio & aliis ordinibus distinctum. Ac sunt ea de re duæ sententiæ. PRIMA est diui Thomæ hîc quæstione quadragesima prima, articulo quinto, & Richardi, & Alberti Magni, & Bonauenturæ & aliorum in quarto, distinctione vigesima quarta, qui negant. Huius sententiæ fundamenta sunt potissimum duo.

Primum est, quòd si esset per se Sacramentum, valida esset ordinatio Episcopi ante Sacerdotium susceptum; sicut & aliæ ordinationes per saltum (vt vocant) sunt validæ; tametsi illicitæ. At omnes sentiunt, ordinationem Episcopi esse inualidam nisi præcesserit Sacerdotium. Ergo non est per se Sacramentum aliquod, in quo distincta & peculiaris potestas detur.

Secundum, quòd non habet peculiarem aliquem respectum ad Eucharistiæ celebrationem distinctum à respectu, qui est in ordine Sacerdotij: vel certè non maiorem: nihil enim præstantius Episcopus facit, quàm consecrare corpus Christi. Ergo non est distinctum Sacramentum à Sacerdotio.

ALTERA sententia est Altisiodorensis libro quarto Summæ, in capite de ordinis Sacramento. Durandi in quarto, distinctione vigesima quarta, quæstione sexta. Paludani eadem distinctione, quæstione septima. Ioannis Maioris distinctione vigesima quarta. Eckij tomo quarto, homilia sexagesima octaua. Michaëlis Medinæ libro primo de cœlibatu, capite decimo sexto. Nauarri in Manuali, capite vigesimo secundo, numero decimo octauo. Petri de Soto in institutione Sacerdotum, lectione quarta, de Sacramento Ordinis, qui affirmant, Episcopatum esse per se Sacramentum. Imò dicit Petrus de Soto, certa fide id esse tenendum. Neque ego certè dubito quin hæc sententia sit vera: imò opinor etiam cum Petro de Soto, eam reuera esse de fide, quamuis id non sit quidem ab Ecclesia explicatum.

Probatur hæc sententia *primò*, tum ex Scriptura, tum ex testimoniis antiquitatis, quæ suprà puncto secũdo citauimus. Vtrobique enim Episcopatus ordo commemoratur tanquã non minùs sed magis etiam *sacer* quàm nudus ordo Sacerdotij. Ergo si Sacerdotium Sacramentum est, etiam Episcopatus.

Secundò id probatur, quoniam suprà puncto secundo ex orthodoxa doctrina ostendimus, secundùm *ordinis* etiam potestatem Episcopatum esse superiorem Sacerdotio, eoque præstantiorem, saltem extensiuè: quia potest videlicet plures actus exercere.

Tertiò, quia nominatim Concilium Tridentinum, sessione vigesima tertia, capite quarto, affirmat, Episcopatum *præcipuè ad Hierarchicum Ecclesiæ ordinem pertinere*.

Quartò, quia habet peculiarem functionem, quam nullus aliorum ordinum præstare potest. Ergo in illo datur peculiaris potestas siue character: & consequenter non minus est Sacramẽtum, quàm alius quilibet ordo.

Quod enim Dominicus Sotus in quarto, distinctione vigesima quarta, quæstione secunda, articulo tertio, & alij, qui contrarium tenent, respondere solent, non dari in Episcopatus ordine nouam potestatem, siue characterem, sed *extendi* potestatem, siue characterem priorem in Sacerdotio antea susceptum, vt iam possit Episcopus quosdam actus exercere, quos antea non poterat; suspicor vix satis ab aliquo intelligi. Et puto si diuus Thomas in Summa Theologica hanc quæstionem tractare potuisset, aliter fuisse sensurum.

Rectè tamen in hac sententia notat vbi suprà Durandus, Episcopatus ordinem non esse *specie* diuersum Sacramentum à Sacerdote, sed differre ab illo ad eum modum, quo Eucharistia in vna specie differt ab Eucharistia in specie altera, id est, *indiuiduali* quodam modo: vt paulò superius explicauimus de aliis ordinibus.

Item notandum est, consequentias illorum argumentorum, quibus vsi sumus, vt hanc sententiam probaremus, licet non sint per se formales, quæ vbique valeant, tamen in hac nostra materia, & in hoc proposito rectissimè concludere. Dico autem nõ esse *per se formales*; quoniam aliâs quidem non sequitur, si vna res sit præstantior, aut magis sacra quàm altera, debere ipsam esse Sacramentum, si altera Sacramentum est. In hoc tamen proposito dico eas consequentias valere, quoniam ea ratione de aliis etiam ordinibus concludimus, quòd sint Sacramẽta, quia scilicet veteres, illorum cum quadam dignitate & authoritate meminerunt.

Iam ad PRIMVM argumentum contrariæ opinionis. RESPONDEO, diuersam esse rationem Episcopatus & aliorum ordinum. Nam Episcopus secundùm certam quidem, & ordinariam Dei legem ad hoc ordinatur, & diuinitus characterem, seu potestatem accipit, vt possit creare etiam Sacerdotes: id quod simplex Sacerdos nõ potest. Ac proinde necesse est, vt potestatem Sacerdotalem ipse etiam habeat, & aliquid præterea amplius, quo Sacerdote sit superior. Cùm autem eam potestatem sacerdotalem non possit habere eminenter in aliquo ordine, videlicet qui per se sit *intensiuè* præstantior Sacerdotio, (nullus enim ordo est talis) necesse est, vt habeat illam *formaliter & secundùm se*, & præterea aliquã aliam potestatem, vt ita per vtramque potestatem simul sit superior Sacerdote, atq; adeo possit Sacerdotes creare. Et inde est quod non potest secundùm legem iam à Deo constitutam ordinari validè Episcopus, qui non etiam sit Sacerdos.

Quanquam

Quanquam ex eo quidem, quod in argumento assumitur, & à nobis conceditur, aliquam potestatem peculiarem & distinctam à potestate Sacerdotij in Episcopatus ordine dari; rectè colligi possit, quòd per potentiam Dei saltem absolutam possit illa peculiaris potestas Episcopatus dari per *saltum*, absque eo videlicet, quod esset potestas Sacerdotalis accepta. Secundùm legem autem Dei ordinariam id fieri nõ potest: propter rationem quam iam reddidimus. Alij verò ordines non habent inter se eiusmodi connexionem etiam secundùm legem Dei ordinariam. Nam qui vnum accipit, non eo ipso debet posse conferre alterum: aut etiamsi id deberet, posset tamen id facere, quatenus ordo vnus est p̃ se intensiuè dignior, quàm alter; licet illum alterum formaliter & secundùm se non haberet.

Atq; ex hac doctrina consequens est PRIMO, Episcopum non per solam potestatem quam in Episcopatus ordine accipit, sed per illam & simul per sacerdotalem potestatem ordinare Sacerdotes. Quia tantummodò secundùm vtramque simul potestatem est simpliciter Sacerdote superior, quatenus id ipse facere potest, cùm Sacerdos simplex non possit. Alios tamen actus Ordinationis per characterem Episcopalem per se potest exercere; vt ordinare alios ministros Sacerdote inferiores, consecrare templa, administrare Confirmationem, &c.

SECVNDO, ex eadem doctrina consequitur, Ordinem Sacerdotij & Episcopatus ita se habere, vt singuli isti ordines per se possint cẽseri Sacramentum, & etiam vterque simul vnum Sacramentum *completum*. Quemadmodum species vini & panis, in Eucharistia, & seorsim & etiam simul habent rationem illius Sacramenti: vt suprà in materia de Eucharistia docuimus. Patet autem hoc ex dictis. Nam vt vtriusque ordinis, videlicet Episcopalis & Sacerdotalis potestas simul destinatur ad vnum quendam actum, qui est ordinatio *Sacerdotum*; vterque ordo simul habet rationem vnius Sacramenti *completi*: vt rectè attigit Durandus loco citato. Quatenus autem potestas cuiuslibet etiã istorum Ordinum, seorsim & per se destinatur ad suos quosdam actus (vt Sacerdotij, ad consecrationem corporis Domini, & Episcopatus, ad creandos alios ministros inferiores, & ad Confirmationem administrandam, &c.) sic quilibet ordo istorum per se est Sacramentum. Quemadmodum etiam vtraque species per se Eucharistiæ, quatenus ordinatur ad *Completam* significationem refectionis spiritualis; vnicum sunt Sacramentum Eucharistiæ completum: quatenus autem quælibet etiam species per se habet vtcumque illam eandem significationem; sic quælibet etiã seorsim est Sacramentum Eucharistiæ. Hæc igitur omnia, vt dixi, consequuntur ex illa responsione ad PRIMVM argumentum, quam etiam attigit Durandus in illa quæst. 6. dist. 24.

Ad SECVNDVM argumentum respondeo, Episcopatum omnino habere peculiarem respectum ad Eucharistiam: quatenus in eo videlicet potestas acquiritur creandi ministros pro Eucharistiæ celebratione, vel per ipsam soiam Episcopatus potestatem (vt creãtur ministri inferiores Sacerdote) vel simul per ipsam & potestatem Sacerdotalem, vt iam explicatũ est creari ab Episcopo ipsos Sacerdotes.

Quod autem peculiaris hic respectus ad Eucharistiam, qui est in Episcopatu, non sit per se & intensiuè præstantior, quàm respectus Sacerdotij, non probat Episcopatum non esse peculiare Sacramentum, sed non esse per se & intensiuè Sacramentum præstantius Sacerdotio: id quod vltro concedimus. Nam Subdiaconatus, v. g. minùs præstantem respectum ad Eucharistiam habet, quàm Diaconatus; & tamen peculiare Sacramentum est, licet non præstantius Sacramento Diaconatus. Est tamen dignitas Episcopalis quoad *ordinem* etiam præstantior *extensiuè*, quàm dignitas Sacerdotalis; siquidẽ eam includit & aliquid aliud. Et hactenus de quarto puncto principali.

PVNCTVM QVINTVM.

Quænam sit omnino Materia & Forma, atq; adeò substantia huius Sacramenti in iis omnibus Ordinationibus, quæ verè rationem istius Sacramenti participant.

D. Thom. q. 34. art. 4. & 5.

DE FORMA quidem nõ est difficultas. Nam consistit in verbis, quibus sufficiẽter significatur traditio potestatis, quæ datur in vnoquoq; ordine; iuxta dicta punct. 2. pronunciato SEXTO. De MATERIA autem nonnullæ sunt hoc loco explicandæ quæstiones.

PRIMA est, Vtrum in ordinatione Sacerdotum materia sit calix & patena cum pane & vino: ita vt illarum rerum traditione ordinatio ipsa Sacerdotum perficiatur, id est, habeat effectum suum. Et est ratio hac de re dubitandi, quoniam ex vna parte in Concilio Florentino in Instructione Armenor. absolutè dicitur, in eiusmodi *traditione* ordinationẽ hanc habere suũ effectum sub illa forma verborũ, *Accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.* Ex alia verò parte difficultas est propterea, quòd aliquanto pòst Episcopus manus imponens, dicit; *Accipe potestatem remittendi peccata, &c.* Hinc enim tria argumenta duci possunt ad probandum, quòd non perficiatur ordinatio Sacerdotum, donec Episcopus postea imponens manus dicat, Accipe potestatem remittendi, &c.

PRIMVM argumentum est, quòd non perficitur ministri ordinatio donec forma ordinationis sit absoluta. At illa verba, *Accipe potestatem remittendi, &c.* videntur ad formam ordinationis Sacerdotum pertinere. Ergo donec illa verba prolata sint, non perficitur Sacerdotum ordinatio.

SECVNDVM argumentum est, quòd qui nondum habet (quantũ est ex parte ordinis) potestatem remitttendi peccata; nondum censeri potest esse Sacerdos. Sed donec illa verba ab Episcopo sint prolata, non accipitur illa potestas remittendi peccata. Ergo nondum aliquis censeri potest Sacerdos.

TERTIVM argumentum est, quòd Sacerdotes in Ecclesia ita debent creari, quomodo fuerunt creati ab ipsis Apostolis. At ab Apostolis nõ aliter leguntur creati nisi per impositionẽ manuũ, vt patet 1. Tim. 4. & 2. Tim. 1. Ergo neq; in Ecclesia creantur nisi cum Episcopus manus imponens, dicit; *Accipe potestatem remittendi, &c.*

Propter similia **argumenta** quidam, vt Sotus refert in 4. d. 24. q. **1.** art. 4. putarunt non fieri Sacerdotes nisi in **illa** impositione manuum. In qua opinione videtur fuisse Paludanus, qui in 4. distin. 25. quæst. 1. existimat ministrum, cui non essent ita impositæ manus, nec dicta illa verba ab Episcopo, non posse ex *officio* remittere peccata; etiamsi alioqui iam calicem & patenam cum pane & vino & potestatem offerendi sacrificium accepisset, sed tantum id facere posse ex *commissione*.

Cæterùm omnino in sentẽtia communi persistendum est, videlicet Sacerdotem creari per prima illa verba, *Accipe potestatem offerendi, &c.* & per traditionem calicis & patenæ cum pane & vino. Quam sententiam communem optimè loco citato defendit Sotus: Et probatur PRIMO authoritate Concilij Florentini: quod explicans in Instruct. Armenorum, materiam & formam Ordinis Sacerdotum, tantummodò facit mentionem illius traditionis calicis & illorum verborum, Accipe potestatem offerendi, &c. ac tunc in illa traditione dicit, Ordinationem habere suum effectum.

SECVNDO probatur, quoniam si casu aliquo Episcopus impediretur, vt puta morbo vel morte repentina, quo minùs imponeret etiam manus & diceret, Accipe potestatem *remittendi, &c.* nemo dubitaret, quin minister, cui iam potestas *offerendi* data esset, & traditus calix cum patena, verus esset Sacerdos, habens proinde potestatem, quantum est ex parte Ordinis remittendi peccata, si iurisdictio etiam accederet. Quod enim Paludanus ait, talem non posse remittere peccata, nisi ex cõmissione rectè dicit Sotus esse inintelligibile. Ad remittenda enim peccata potestas etiam *Ordinis* requiritur, vt omnes orthodoxi sentiũt, nec sine ea sufficit ad id nuda commissio.

Quare ad PRIMVM argumentum respondeo cum eodem Soto, verba illa, Accipe potestatem *remittendi, &c.* non esse de essentia formæ, sed esse declaratoria eius potestatis, quæ antea per prima illa verba, Accipe potestatem *offerendi in Ecclesia, &c.* data etiam fuit. In illa enim traditione calicis & patenæ sub illa forma verborum, Accipe potestatem *offerendi, &c.* intelligendum est consequenter etiam tribui potestatem *remittendi* peccata, quantum ex parte Ordinis: quippe cùm hęc potestas in corpus Christi mysticum necessariò coniuncta sit cum illa potestate magis principali consecrandi & offerendi ipsum corpus Christi verum.

Quo fit, vt quemadmodum rectè idem Sotus admonet, Episcopus cùm illa verba profert, Accipe potestatem *remittendi, &c.* ad tempus præteritum, quo eam ipsam potestatem reuerà tradidit, quamuis non ita verbis expresserit, intentionem suam referre debeat. Itaque dicendum est, verba illa posteriora non esse de essentia formæ, nec de necessitate Sacramenti, sed tantùm de necessitate *præcepti*, vt idem Sotus ex communi sententia docet.

Ad SECVNDVM argumentum iam ex his patet responsio. Dicimus enim, potestatem remittendi peccata, quantum est quidem ex parte Ordinis, si postea etiam iurisdictio accedat, in illa traditione calicis & patenæ accipi, sicut iam explicatum est.

Ad TERTIVM respondeo, non esse dubium, quin Apostoli in ordinatione Sacerdotum ea forma essentiali, quã ab ipsis didicit Ecclesia, vsi fuerint, tametsi id non expresè legitur. Quemadmodum etiam forma essentiali in administrando Sacramento Confirmationis illos fuisse vsos existimandum est, licet tantummodò legamus illos id Sacramentum tradidisse per manuum impositionem. Et confirmatur hoc ea ratione, quòd *impositionem manuum* nunquam Ecclesia intellexit esse necessariam ad substantiam ipsius Sacramẽti, sed tantùm adhiberi velut cæremoniam, vt patet manifestè ex cap. *Presbyter.* Extra de Sacramentis non iterandis.

Neque verò obstat, quòd Christus Dominus non vno tempore videatur tradidisse Apostolis potestatem consecrandi & offerendi Eucharistiam, & remittendi etiam peccata, sed potestatem *consecrandi & offerendi* in vltima cœna, inquiens: *Hoc facite, &c.* potestatem autem *remittendi* post resurrectionem illis verbis; *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Ioan. 20. Potuit enim ipse, cùm habuerit in huiusmodi rebus potestatem *excellentiæ*, (vt vocant Theologi) aliter instituere Sacerdotes, quàm postea fuerunt in Ecclesia constituendi, vt rectè etiam notauit Sotus.

SECVNDA QVAESTIO est, Vtrum in ordinatione Diaconi materia sit *liber Euangeliorũ*, ita vt in eius traditione ordinatio sit efficax. Duæ namque

namque sunt hac de re opiniones. Prima opinio (si tamen opinio nominari debet) est Durandi, qui in 4. d. 24. q. 3. contendit, traditionem libri Euangeliorum non esse necessariam, sed tunc ordinationem Diaconi habere effectum suum, quando Episcopus imponẽs ei manus dicit, *Accipe Spiritum sanctum ad robur, &c.* Atq; ita consequenter censet, librum Euangeliorum non esse materiam in hac ordinatione. Vnde rursus consequitur, vt sententiâ Durandi nulla requiratur materia in ordinatione Diaconi, vel certè materia illius sit ipsa impositio manuũ Episcopi. Nihil enim aliud fit erga Diaconum.

Confirmat sententiam suã Durandus, quia in Ecclesia Anicien si, cuius ipse fuit Episcopus, dicit moris nõ fuisse, vt liber traderetur Diacono in ordinatione. Ac videtur in eadem opinione fuisse Scotus, qui ead. d. 24. q. vnica, art. 2. in fine, ait, proprium actum Diaconi non esse legere Euangelium. Ex hoc enim illico sequitur, Diaconum non tunc ordinari cùm ei liber Euangeliorum traditur.

Contraria verò sententia est Richardi eadem dist. 24. art. 4. q. 3. & aliorum cõmuniter: quam etiam bene confirmat Sotus eadem dist. quæst. 1. artic. 3. videlicet in traditione libri Euangeliorum perfici ordinationem Diaconi, ac proinde eum librum esse materiam istius ordinationis. Probatur hoc authoritate Concilij Florentini, quod in Instructione Armenor. expresè dicit, tunc ordinationem Diaconi habere *suum effectum*. Quamobrem non licet amplius hac de re dubitare.

Quod autem refert Durandus de more Ecclesiæ Anicien sis, fieri potuit, vt illa Ecclesia particularis in ea re erraret. Et rectè fecit ipse Durandus, quòd constituit, vt liber Euangeliorum Diacono traderetur in Ordinatione, sicut ipse de se narrat. Impositionem autem manuum iam suprà diximus in nulla Ordinatione esse de essentia.

TERTIA QVAESTIO est similiter de Ordinatione Subdiaconi: Vtrum materia eius sit liber Epistolarum, an verò calix cum patena vacua. Vtrumque enim illi ab Episcopo traditur. Ratio dubitandi est, quia similiter Episcopus tradit eum librum Subdiacono, atque Diacono librum Euangeliorum, eique æquè dicit; *Accipe librum Epistolarum, & habeto potestatem legendi, &c.*

Cæterùm communis sententia est, materiam in hac Ordinatione esse calicem vacuum cum patena, ita vt in istorum traditione hæc ordinatio effectum suum habeat. Sic docet D. Thomas in quarto, distinct. 25. quæst. 1. artic. 1. ad secundum, & Richardus & Paludanus & alij distin. 24. & ita quoq; est explicatum in Concilio Florentino, vbi suprà.

Ac ratio etiam illa reddi potest, quòd ordinatio cuiusque ministri, cùm tota ad sacrificium referatur, tunc maximè fit, cùm traditur ministro ea res, per cuius vsum præcipuè deseruit sacrificio. Talis autem res in ordinatione Subdiaconi est potissimùm calix & patena: siquidem in iis rebus sacrificium celebrandum est. In ordinatione verò Diaconi, cùm non aliud nisi Euangeliorum liber tradatur; oportet in eius traditione illam perfici. Non enim accipit calicem & patenam sine pane & vino, cùm sic ista tradantur Subdiacono, neque cum pane & vino, cùm hoc modo tradantur Presbytero. Et hinc potest responderi ad rationem dubitandi.

De materia autem ALIORVM Ordinum quæstio non est. Nam *Acoluthi* ordinantur in traditione *vrceolorum* vacuorum; *Exorcistæ* in traditione libri Exorcismorum. *Lectores* in traditione libri Lectionum; *Ostiarij* in traditione Cymbali ad conuocandos ad sacrificium, & clauium ad Ecclesiæ custodiam; & quique istorum sub ea forma verborum, qua explicatur traditio eiusmodi potestatum ad illa ministeria Ecclesiastica. Quæ omnia ex Concilio Florentino patent.

QVARTA QVAESTIO est, An necesse sit, vt is, qui ordinatur, *contingat* materiam, quæ illi in Ordinatione exhibetur: Vt calicem, librum, &c. Diuus Thomas hîc quæst. 34. articulo quinto, in tertio argumento & eius responsione, refert quosdam sensisse, quòd talis contactus non sit necessarius, sed satis sit ab Episcopo materiam eiusmodi porrigi. Item Franciscus Victoria in Summa de Sacrament. quæst. 230. & Sotus in 4. distinct. 24. quæstione prima, articulo secundo, opinantur non ita eiusmodi contactum esse necessarium, vt si prætermittatur nulla censeri debeat ordinatio.

Ac fundamentum huius opinionis esse potest, quòd effectus Ordinationis non prouenit etiam à materia tanquam ab agente aliquid externè, & visibiliter circa susci pientem; sicut aqua, verbi gratia, in Baptismo agit abluendo & humectando, &c. sed solum tanquam à determinante significationem formæ ad hunc vel illum effectum. Quæ determinatio æquè fit, siue materia tangatur à susci piente Ordinem, siue non tangatur. Alia verò est ratio cæterorum Sacramentorum, vbi sanctificatio & effectus ipsius Sacramenti prouenit etiam à materia, tanquam ab aliquid agente, & ideo requiritur ibi eius contactus.

Caietanus tamen tomo 1. opusc ul. tract. 11. sine dubitatione affirmat, in ordinatione quoq; requiri contactum materiæ, quemadmodum in aliis Sacramentis. Ac in eam sententiam magis propendet D. Thom. hîc quæst. 34. art. 5. ad tertium. Quia cum in forma dicit Episcopus; *Accipe librum, &c.* indicare videtur, necessarium esse, vt accipiatur. Quin addit Caietanus requiri, vt contactus simul sit cùm profertur ordinationis forma. In summa tamen, Verbo *Ordinandi*

contrarium

Universidad de Deusto
Biblioteca

contrarium sentire videtur, nempe non esse necessarium contactum.

Mihi probabilior omnino sententia videtur, quòd requiratur contactus, vt ipse etiam vsus ostendit, & tandem vbi suprà concludit Sotus. Non tamen est necesse, vt simul mathematicè sit contactus & prolatio formæ, sed sufficit, vt sit simul *moraliter*, id est, saltè statim ac forma Ordinationis prolata est, sicut bene notat Victoria, q. 230. & Sotus vbi suprà. Qui etiã addit, non esse admodum scrupulosè procurandum, vt hostia item, quæ imponitur super patenam, secũdùm se attingatur. Vt enim hoc ipso, quòd attingitur calix moraliter etiam attingi censetur vinum, quod est intus, licet ipsum per se non attingatur: ita hoc ipso, quòd attingatur patena cum calice, moraliter censeri potest attingi hostia superposita. Modo autem id non scrupulosè fiat, consultum etiam est hostiam quoque ipsam attingere, sicut etiam communiter solet fieri. Sed ista ita notantur, vt nõ detur magnus locus scrupulis, qui solent aliquando remanere in hoc genere post Ordinationem.

PORRO ex dictis in hac tota quæstione satis iam patent Ratio, substantia, & partes Sacramenti Ordinis. Nam Ratio illius ea est, quæ initio à nobis est descripta, punct. 1. *Substantia* verò est traditio ipsa potestatis, quæ fit per certã materiam & formam illo modo quo suprà exposuimus, quæ quidem materia & forma saltè in ordinatione Sacerdotum sine vlla controuersia apud Catholicos est verè materia & forma cuiusdam Sacramenti. *Partes* autè huiusmodi Sacramenti sunt octo illi ordines Ecclesiastici, de quibus suprà dictum est, siue in omnibus iis quidè ordinibus insit vera ratio Sacramenti, siue non insit. Nam si in omnibus illis sit Sacramenti ratio, erunt tum quidem partes subiectiuæ Sacramenti ordinis, siue secundùm rationem specificam, siue secundùm rationem indiuiduam. Vt enim suprà punct. 4. diximus, dupliciter explicari potest, quòd quilibet ordo ex istis sit verum Sacramentum. Vno modo, vt reuerà differant inter se specie: Altero modo ita, vt differant tantùm inter se ratione indiuiduali. Et vtroque modo appellari possent omnes ordines *vnicum* Sacramentum, propter vnitatem quandam respectus seu ordinis, quatenus videlicet omnes ad idem Sacramentum Eucharistiæ celebrandum referuntur.

Si autem non in omnibus iis ordinibus ratio Sacramenti asseratur, sed tantùm in aliquo vel aliquibus; tunc nihilominus possunt etiam ij ordines appellari partes Sacramenti ordinis *potentiales*, quatenus nimirum etiam illi ordines, qui Sacramentum non sunt, habent respectũ quendam ad ipsum verum ordinis Sacramentum, tanquam imperfectum quiddam ad id, quod est perfectum. Sed longè verius est omnes istos ordines esse Sacramentum, vt asseruimus punct. quarto.

QVÆSTIO SECVNDA.

De huius Sacramenti effectu.

Supplem. D. Thom. quæst. 35.

MATERIA HVIVS QVAESTIONIS EX DICTIS PARTIM SVprà in disput. 3. de Sacramentis in genere, partim hic quæstione præcedenti facilè explicari potest. Itaque breuiter videndum est quisnam sit effectus Sacramenti Ordinis.

PVNCTVM VNICVM.

Quisnam sit Effectus Sacramenti Ordinis.

D. Thom. art. 1. & seq.

DVPLEX EST EFFECTVS ORDInis. Primus est GRATIA, qui est effectus communis omnibus Sacramentis, vt suprà in Tract. de Sacram. docuimus. Ac notat bene D. Thomas q. 35. art. 1. sicut in Baptismo datur gratia, vt sanctè suscipi possint reliqua Sacramenta: ita etiã dari in hoc Sacramento Ordinis, vt sanctè & religiosè eadem possint administrari. Vtrumq; enim sanctè fieri debet.

Neque

Neque verò Sectarij negant gratiam diuinam dari in Ordinatione: imò id multis testimoniis Scripturæ confirmat Kemnitius in Exam. Concilij Tridentini, sess. 23. cap. 3. & nominatim ex verbis Apostoli, 2. Timoth. 4. & 2. Timoth. 1. quibus monet Timotheum, vt *resuscitet gratiam Dei* acceptam in Ordinatione. Sed in hoc errant Sectarij, quòd Ordinationem ministrorum ita institutam, sicut solet institui ab *Ecclesia Catholica*, non putant esse legitimam, neque efficacem ad conferendam gratiam. Ipsi enim solum vtuntur nuda quadam cæremonia impositionis manuum. Sed nobis contra illos suffragatur Ecclesiastica Traditio & Praxis, cuius initium cum nõ reperiatur, referri debet ad ipsam Apostolicam traditionem, sicut suprà quæst. præcedenti, puncto quinto, ex Augustino notabamus.

SECVNDVS effectus Ordinis est CHARACTER, qui quidem in vnoquoque ordine datur, cùm quilibet Ordo sit Sacramentum, vt quæstione præcedenti, puncto quarto asseruimus. Hunc effectum rectè ex orthodoxa sententia asserit Diuus Thomas, quæst. 35. articulo secundo. Et quidem, quod per Ordines *sacros*, quos vocãt, imprimatur character, de fide definitum est in Concilio Trident. sess. 23. can. 4.

Probatur autem & simul explicatur vno & eodem argumento imprimi Characterem per oẽs ordines. Nam Characteris nomine in proposito, intelligitur potestas quædã spiritualis, & indelebilis ad exercenda Ecclesiastica ministeria Ordinum. Sed per singulos Ordines talis potestas datur. Ergo per singulos Ordines imprimitur Character. Maior patet. Nam propterea potestatem illam appellamus Characterem: quia per eam quasi signaculo quodam minister Ecclesiasticus distinguitur, & quasi secernitur ab hominibus laicis. Minor autem suprà quæst. præced. punct. 2. probata est ex Scriptura, & ex Traditione. Neq; habent Sectarij vllum argumentum, quo Characterem istum impugnent, nisi quod illum non intelligunt, sicut fusiùs etiam ostendi disput. 3. quæst. 4. Est enim nihil aliud, quàm illa potestas indelebilis ad ministerium, quæ manifestè ex Scriptura probatur, vt vidimus etiam quæstione præcedenti, puncto secundo.

QVÆSTIO TERTIA.

De huius Sacramenti Administro.

Supplem. D. Thom. q. 38.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, QVIS SIT MINISTER Ordinarius huius Sacramenti. SECVNDO, An aliquis possit esse Sacramenti huius minister ex Commissione: & quidnam requiratur, vt rectè Sacramentum istud administretur.

PVNCTVM PRIMVM.

Quis sit minister Ordinarius huius Sacramenti.

D. Thom. artic. 1.

STATVENDVM EST, SOLOS EPIscopos habere vim & ordinariam potestatem ordinandi Sacerdotes & reliquos omnes ministros: neque ad eam rem consensum atque iudicium populi requiri oportere. Ita definitum est in Concilio Tridentino, sess. 23. canone 10. contra Sectarios, qui sentiunt, potestatem & ius ordinandi, non esse in ipsis Episcopis, sed in tota multitudine fidelium, & reliquo clero, quamuis ea multitudo executionem quidem huius potestatis committat Episcopis ad euitandam confusionem, quæ sequeretur, si omnes & singuli deberent manus super initiatos imponere.

Ex quo colligunt PRIMO, non esse ritè ordinatos Ministros eos, qui ordinantur sine consensu populi seu Magistratus, qui est populi loco; ac proinde Ecclesiam Romanam non habere veros Ministros, cùm in eorum Ordinatione non requirat consensum populi.

SECVNDO consequenter censent posse etiam committi illam executionem potestatis ordinã-

di simpli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

di simplicibus Presbyteris. Imò etiam idem deberent consequenter dicere de quibuscunq; laicis: siquidem ipsorum opinione potestas ordinandi est in ipsa multitudine fidelium iure diuino, vt ipsa eam exequatur per aliqua sua mẽbra, sicut iudicauerit expedire. Quamuis Sectarij quidem non nisi suis Pastoribus vel Episcopis hoc munus ordinandi solent de facto committere.

A

TERTIO consequenter etiam sentiunt, potestatem eligendi & vocãdi seu mittendi ad ministerium Ecclesiasticum, atq; adeò designãdi ministris certa loca, & quasi præfecturas, esse similiter penes ipsam fidelium multitudinem, & totum clerum. Cuius proinde loco & nomine Episcopi & Magistratus ciuilis hanc eligendi & vocandi potestatem ad euitandam confusionem exequatur. Hæc enim in summa est doctrina Sectariorũ de electione, ordinatione, & vocatione, siue missione ministrorum: vt intelligi potest ex Luthero in lib. de Potestate Papæ, & lib. de Instituendis ministris ad Bohemos, & ex Caluino lib. 4. Instit. cap. 3. sect. 15. & Kemnitio in exam. Concilij Trid. sess. 23. can. 10.

B

Probatur autem assertio Catholica, PRIMO ex Scriptura noui Testamenti, in qua nusquam legimus ministros aliquos esse ordinatos nisi ab Apostolis, vel ab iis, qui Episcopi fuerunt ab illis instituti: Vt Timotheus & Titus, &c. Id patet Actor. 6. 2. Timoth. 1. Tit. 1. 1. Timoth. 3. & 4. Vbi quod dicit Apostolus; *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterij*, Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius, & etiam Theodoretus in eum locum ita declarant, vt nomine *Presbyterij* intelligatur numerus aliquis *Episcoporum*, qui conuenerint ad Timotheum ordinandum. *Non de Presbyteris*, inquit Chrysostomus, *hic loquitur. Nec enim profectò Presbyteri ipsum ordinarunt.*

C

SECVNDO probatur exemplo etiam veteris Testamenti. Nam Aaron & filij eius, qui primi Sacerdotes fuerunt, non ab alio quàm à Moyse ordinati sunt, Leuitic. 8. qui Moyses Sacerdos etiam ac Pontifex fuit, vt patet ex Psalmo 98. & affirmat in eum Psalmum Diuus Augustinus, & Philo lib. 3. de vita Moysis in fine, & Hieronymus libro 1. in Iouinianum, & Gregorius Nazianzenus Oratione ad Gregorium Nyssenum, & Diuus Leo epist. 88. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ.

D

TERTIO probatur testimonio Patrum, qui affirmant, non alios præterquam Episcopos ordinare. Vt Epiphanius hæresi 75. Augustinus in Breuiculo collat. 3. cap. 5. Hieronymus epistola 85. ad Euagrium. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, in tertium & quartum caput 1. ad Timoth. & alij quos etiam suprà citauimus.

QVARTO probatur ex Ecclesiæ definitione, præsertim in Concil. Tridentino, vbi suprà, & vsu etiam eiusdem perpetuo. Nullum enim exemplum ordinationis Sacerdotum, aut aliorum ex maioribus ministris proferri potest, quæ non sit facta ab Episcopis.

Quod autem non requiratur iure diuino CONSENSVS multitudinis, vt ordinatio per Episcopos facta sit valida, atque adeò, quod neque electio, neque vocatio ministrorum pertineat iure diuino ad multitudinem, sed tantummodò ad Ecclesiæ Prælatos, iuxta dispositionem summi Ecclesiæ Pastoris; probatur itidem PRIMO, quia non ipsi multitudini, sed Prælatis Ecclesiæ in Petro & eius successoribus data est authoritas *Iurisdictionis*, ad quam vtique pertinet iudicium ferre de ministris ordinandis, atq; eos vocare & eligere. Petro enim soli dictum est: *Super hanc petram, &c.* Et: *Tibi dabo claues, &c.* Et: *Pasce oues meas.*

SECVNDO, quia solis Prælatis dictum est, Ioannis 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, id est, cum potestate similiter alios ministros mittendi, sicut ipse Christus cum ea potestate fuit missus à Patre, ac misit ipse Apostolos.

TERTIO, quia teste Diuo Paulo ad Hebræos quinto, legitimus minister est is, qui *vocatur à Deo, sicut Aaron.* Aaron autem à Deo per solum Moysen sine vllo consensu vel consilio populi legitur fuisse Sacerdos vocatus & institutus, Leuitic. 8.

QVARTO, quia legitimi ministri sunt illi, qui ita instituuntur, sicut fuerunt Apostoli & discipuli electi ab ipso Christo, nempe sine vllo consensu multitudinis.

QVINTO, quia constat multos antiquissimis etiã temporibus sine consensu multitudinis rectissimè fuisse ministros ordinatos & missos, id quod nunquã licuisset, si iure diuino ius electionis & vocationis esset in ipsa multitudine.

Nam Frumentius quidam à sancto Athanasio creatus est Episcopus Indorum, ipsis Indis nihil ea de re cogitantibus, teste Ruffino lib. 10. histor. cap. 9.

Item in Ecclesia Alexandrina à tempore Diui Marci Euangelistæ, Episcopi à solis Presbyteris illius Ecclesiæ eligebantur, vt patet ex Hieronymo epist. 85. ad Euagrium.

Item Paulinianus D. Hieronymi frater à Diuo Epiphanio Presbyter creatus est, & vltro missus, vt apud Monachos quosdã Sacerdotij munere fungeretur, ipsis Monachis minimè illum postulantibus, sicut ipsemet Epiphanius narrat epistola ad Ioannem Hierosolymitanum.

Item sanctus Augustinus Monachus, Anglorum Episcopus à Diuo Gregorio designatus est sine ipsorum Anglorum, vel suffragio, vel postulatione vlla, vt patet ex Beda libro primo de Historia gentis Anglorum. Sic & sanctus Bonifacius à Gregorio Papa eius nominis II. Episcopus designatus, & missus ad Germanos est, ipsis Germanis de eo non cogitantibus.

Denique ipsi etiam Apostoli Episcopos creabant & mittebant ad remotos populos, quorũ certè ad eam rem nõ requirebant suffragia: sed neque eius populi in quo illos creabant; vt ineptissimè fingit Kemnitius. Quorsum enim vnus populus eligere iure diuino debuit Episcopum alteri populo destinatum? Aut vnde probari potest ita factum fuisse?

A

QVINTO probatur, quia in aliquibus antiquis Conciliis decretum etiam fuit, vt ministri à populo non eligerentur. Non igitur populo ius id competit iure diuino. Id patet ex Concilio Laodiceno Can. 13. *Non est*, inquit, *permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium promouendi.* Vbi non tantùm prohibetur, ne solæ turbæ sine Sacerdotibus siue senioribus eligant, vt fingit Caluinus: Id enim opus non erat prohibere, cùm semper electionibus eiusmodi soliti essent interesse & Sacerdotes, & reliqui Clerici: sed prohibuit Concilium ne omnino turbæ ipsæ eligerent. Item in synodo 7. generali, quæ est Nicena II. Can. 3. *Omnis*, inquit, *electio Episcopi vel presbyteri, vel diaconi, quæ fit à Magistratibus, irrita maneat. Oportet enim eũ, qui est promouẽdus, ab Episcopis eligi.* Et in synodo 8. generali, quæ est IV. Cõstantinopolitana, Can. 22. disertis verbis dicitur, *nullam potestatem in electione competere vllis secularibus.*

B

SEXTO probatur, quia iure diuino nihil constitutum est, quod sit Ecclesiæ incommodum. At vt ius eligendi ministros multitudini perpetuò conueniat, incommodissimum esset Ecclesiæ. *Primò*, quia nequeunt laici de dignitate ad ministerium spirituale satis bonum & integrum ferre iudicium. Quod perpendens Valentinianus Imperator, cùm ad illum Episcopi deferrẽt electionem Episcopi Mediolanensis recusauit: *Maiorem enim*, inquit, *res est, quàm vt nobis conueniat, &c.* Sicut Theodoretus refert lib. 4. Histor. cap. 6. *Secundò*, quia minimè consentaneum est, vt omnes arbitratu suo sibi deligant pastores spirituales; cùm potiùs illarum officium sit illis tantummodo obtemperare, & ab illis regi, &c.

C

Tertiò, quia ipsa experientia testis est multa accidisse incommoda, quo tempore vel ex concessione, vel ex conniuentiâ prælatorum electio fuit etiam penes populum. Multæ enim seditiones, multæ etiam cædes sæpe fiebant, vt potest cognosci ex AVGVSTINO Epist. 110. & 225. Et ex Ruffino lib. 10. Histor. cap. 10. & 11. Itaque D. CHRYSOSTOMVS lib. 3. de Sacerdotio, morem reprehendit qui suo tempore erat, vt Episcopi suffragiis populi eligerentur, aitq; consequens inde fuisse futurum, vt eligerentur pessimi quique dignioribus posthabitis, siquidem eligebantur ab iis, *qui tantùm*, inquit, *de rebus temporalibus sciunt iudicare.*

D

Porrò neque contraria argumenta aduersariorum quicquam valent. PRIMO, quod ad *ordinationem* ipsam attinet, obiicit Kemnitius illud quod Apostolus 1. Timoth. 4. ait, *Per impositionem manuũ presbyterij.* Vnde putat Kemnitius manifestè demonstrari, quòd à presbyteris fuerit Timotheus ordinatus, atque adeò quòd illi etiam nunc ordinare possint. SED iam antea Chrysostomum & alios citauimus, qui asserunt nomine *presbyterij* eo loco Episcopos esse intelligendos.

SECVNDO obiiciunt, quòd clauium spiritualium potestas atque adeò authoritas ministros vocandi & mittendi, non ipsi Petro aut prælatis per se, sed Ecclesiæ, hoc est, fidelium multitudini Christus tradiderit, in cuius videlicet Ecclesiæ persona *Petrus claues accepit*, sicut inquit D. Augustinus Tractatu 124. in Ioannem.

SED neque hæc obiectio aliquid valet. Nam Augustinus *in persona Ecclesiæ*, dicit, Petrum accepisse claues, non quia ipsa Ecclesia per se acceperit, sed quia Petrus tanquam Ecclesiæ totius præfectus Ecclesiam repræsentauit. Item etiam, quoniam quicquid illud est potestatis, id totum accepit nõ ad suam propriam vtilitatem, sed ad communem vtilitatem Ecclesiæ, vt latius explicauimus Tomo tertio, disputatione 1. quæst. 1. p. 7. §. 28.

TERTIO obiiciunt, quòd prælati, & pastores Ecclesiæ verè dicuntur ac sunt ipsius *Ecclesiæ ministri.* Ergo non in ipsis, sed in Ecclesia est authoritas eos instituendi, quandoquidem sunt eius ministri.

RESPONDEO, ministros dici non quia in officio suo subsint fidelibus, sed quia laborant in illorum vtilitatem: id autem faciunt regendo cum authoritate, vt patet Actor. 20. & Hebr. 13.

QVARTO obiiciunt, quòd ipsi fideles debẽt cauere sibi à falsis & peruersis ministris, tanquam à lupis, idq; ex Christi præcepto, Matth. 7. Ergo ad illos spectat iudicare de dignitate ministrorum.

RESPONDEO, satis posse id eos facere discernendo, vtrum idem doceant, quod alij ministri legitimi & ordinarij docuerunt, eodemque modo quo illi ad ministerium Ecclesiasticũ missi sint; neque debere multitudinem ipsam aliter à ministris falsis attendere. Non enim potest ipsa aliter per se iudicare bene de doctrina, aut de dignitate ministri.

QVINTO obiiciunt, quòd Actor. 1. tota Ecclesia elegit Mathiam, & Barnabam, vt ex illis vnus sorte cooptaretur in numerum Apostolorum.

RESPONDEO, id factum fuisse non ex iure diuino, sed ex quadam concessione D. Petri ad euitandam inuidiam, cùm is alioqui potuisset per se solus eligere; vt notat disertis verbis Chrysostomus in illum locum Actor.

SEXTO obiiciunt, quòd Actor. 6. ipsi etiam fideles elegerunt Diaconos. RESPONDEO sicut ad præcedens argumentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SEPTIMO obiiciunt, quod Actor. 14. Paulus & Barnabas per suffragia populi constituebant presbyteros. Vbi enim dicitur: *Cùm constituissent per singulas ciuitates presbyteros.* Græcè habetur verbum χειροτονήσαντες, quod significat decernere cum quadam manuum tensione, quæ apud Græcos erat signum suffragij. Atq; eodem verbo vtitur D. Paulus cum ad Titum 1. dicit, se Titũ reliquisse Cretæ, vt *constitueret per singulas ciuitates presbyteros.*

RESPONDEO primò. licet concederemus in iis locis electionem fuisse factam per suffragia populi, tamen ex vno vel altero vel pluribus exemplis *facti*, nõ statim colligitur ius *diuinum*, sed bene contrà ex vnico etiam exemplo contrario eoque non perperam facto, necessariò concluditur oppositum non esse iuris diuini, vt nos antea argumentati sumus pro nostra assertione.

Dico secundò, quamuis id verbum primariò impositum sit ad significandam electionem per suffragia, tamen etiam per quandam accommodationem significare cooptationem quamcunque ad oficium aliquod, quę cum aliqua deliberatione fit, siue fiat per suffragia siue sine suffragiis; vt est id communissimum multis aliis vocabulis.

Tertiò dico, quomodocunque in eiusmodi locis verbum id accipiatur, non tamen sequi determinatè quòd presbyteri per suffragia ipsius populi fuerint electi & constituti. Dicam enim fuisse electos per suffragia ipsorum Apostolorũ seu aliorum ministrorum Ecclesiæ.

OCTAVO obiiciunt locum D. Cypriani lib. 1. Epist. 4. vbi ait plebem habere potestatem eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. *Quod ipsum*, inquit, *videmus de diuina authoritate descendere, vt Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur & dignus atque idoneus publico iudicio atq; testimonio comprobetur.*

RESPONDEO, Cyprianum in hoc loco aliud non velle quàm quod diuinarum Scripturarum exemplis, & rationi, & traditioni maiorum omnino cõsentaneum est, vt populus habeat potestatem eligendi & non eligendi, non quidẽ per suffragium & quasi ex authoritate, sed per *testimonium*, vt ipse Cyprianus loquitur; ita scilicet vt testificãdo de ordinandi dignitate aut indignitate possit efficere, vt is eligatur vel nõ eligatur: quo ipso populus etiam eligit vel non eligit, tãquam *testis* nimirũ, non tanquam iudex seu prælatus. Hoc autem modo etiam nunc populus in ea re potestatem habet. Nam in præsentia omnium archidiaconus clamat, vt si quis habet aliquid contra ordinandum accedat & dicat, &c. Item neq; iam vlli sine idonea informatione de dignitate admitti ad ordines debent. Vide locũ illum totum Cypriani, ex quo manifestũ est, nihil aliud ipsum velle quàm id quod dicimus.

NONO obiiciunt, quòd constat, olim populũ ipsum habuisse potestatem decernendi & iudicandi ex authoritate quadam de electione & ordinatione Episcoporum & aliorum ministrorũ: vt colligitur ex Epistola Concilij Niceni ad Alexandrinos, q̃ refert Theodoretus lib. 1. histor. cap. 9. & ex Epist. Concilij I. Constantinopolitani ad Damasum, quã recitat idem Theodoret. lib. 5. cap. 9. & ex Ambrosio lib. 10. Epist. 82. & ex Leone Epist. 89. (aliàs 87.) & ex Gregorio lib. 2. Registri cap. 69. & ex aliis quæ citat Gratianus in decret. d. 23. 24. 62. 63. 65. 67. & 8. q. 3. Can. *licet.*

RESPONDEO, in plerisque ex eiusmodi locis agi tantum de præsentatione seu postulatione, non de electione. Deinde licet in aliquibus sermo sit de ipsa electione, vt in illis Epistolis Concilij Niceni & Constãtinopolitani, tamen ex *facti* exemplis nõ colligitur ius diuinum, vt antea etiam respondimus de exemplis Scripturæ. Dicimus enim, id vel ex concessione, vel ex consuetudine Episcoporum factum fuisse, vt populus etiam haberet suffragium.

Et quidem initio ab ipsis Apostolis multi ministri insciente populo constituebantur: vt Titus & Timotheus à Paulo, quem non legimus requisiuisse vllum consensum vel testimoniũ populi, vt illos ordinaret, & alijs etiam de quibus suprà diximus. Deinde populus adhiberi cæpit vt ferret testimonium de dignitate: ad quem quidem morem alludit TERTVLLIANVS in Apologia, cap. 39. cùm describens Ecclesiæ œconomiam inter cætera inquit: *Præsunt, presbyteri quidẽ seniores, honorem non pretio sed testimonio adepti.* Deinde vt magis à populo diligerentur ministri, ij tantũ cæperunt ordinari, quos populus postulasset. de quo solum more loquitur D. Leo in illa Epist. 89. Postmodũ etiam eò res in multis locis progressa est, vt populus quoq; ferret suffragiũ. Quæ quidẽ cõsuetudo in aliquibus locis partim fortè fuit commoda ad tempus, partim incommoda sed tolerata, partim etiam reprehensa; vt à Chrysostomo lib. 3. de Sacerd. quem supra citaui; partim etiam prohibita; vt in Conciliis, quę etiam citauimus supra; donec tandem propter multa & crebra incõmoda, quæ afferebat, vbiq; obsoleuit manente tantum priori illa & meliori cõsuetudine, vt scilicet posset populus de dignitate vel indignitate testificari: sicut iam illi potestas fit corã omnibus ab Archidiacono in ordinationibus.

DECIMO obiicit nominatim Illyricus in lib. de Electione Episcoporum, quòd consuetudo eligẽdi per suffragia populi per 1250. annos circiter duranerit, videlicet vsq; ad tempus Friderici II. imperatoris, qui obiit anno 1250. Idq; probat. Nam Gregorius IX. qui præfuit tempore illius Friderici, facit mentionem electionis per suffragia populi, & eam ipse prohibet in cap. *Messana*, extra de Electione, & in Epist. ad Episcopum Bremensem, quam refert Crantius lib. 8. Metropolis Saxonicæ, cap. 3.

RESPON-

RESPONDEO, id esse falsissimum. Nam in Conciliis antiquissimis, vt supra citauimus, fuit etiã prohibita eiusmodi electio. Item in illo ipso Cap. *Messana*, quod non est Gregorij sed Honorij III. Gregorio antiquioris, ità prohibetur electio per suffragia populi, vt simul ibi dicatur à pontifice contrarius vsus esse potius corruptela quàm consuetudo.

Probauimus igitur atque defendimus hactenus nostram assertionẽ, in qua ponebamus ius ac potestatẽ ordinandi independenter à suffragio populi, atq; adeò etiam eligendi & mittendi ministros, esse penes Episcopos. Vide etiam ea quæ nominatim de Episcoporum electione disseruimus Tom. 3. disp. 10. q. 3. p. 3.

PVNCTVM SECVNDVM.

An aliquis possit esse huius Sacramenti Minister ex Commissione: & quidnam requiratur, vt rectè Sacramentum hoc administretur.

D. Thom. art. 1. & 2.

ASSERIMVS breuiter, ex concessione quadam & quasi Commissione Põtificis, ministros quidem ordinũ minorũ posse etiã ordinari à presbyteris Cardinalibus, & ab Abbatibus nõ Episcopis. Et quidem quod ad *Cardinales* attinet, id consuetudo obtinuit, quæ vt in hoc proposito inquit Sotus d. 25. q. 1. art. 1. est optima iuris interpres.

Abbatibus autem id concessum est d. 69. Can. *Quoniã*. Et extra de ætate & qualitat. Ordinand. Cap. *Cùm contingat.* in quo capitulo Ostiensis, sicut etiam Panormitanus in Cap. *Quãto*, extra de cõsuetudinibus, putat simplicem etiam presbyterum posse conferre *primam Tonsuram*: sed contrarium indicat ipsa consuetudo Ecclesiæ, vt rectè obiicit Sotus.

Porro vt hoc Sacramentũ à legitimis ministris (siue ordinariis, siue ex commissione) administretur non solùm validè, sed etiam rectè; sciendum est, ordinationem quidem Episcopi à tribus Episcopis debere fieri. Id autem patet ex Apostolica traditione, cuius testis est Canon 1. Apostolorũ, qui Canon repetitur in Cõcilio Niceno Can. 4. & in Concilio II. Carthagi. Can. 12. & in III. can. 39. & in IV. Can. 2.

Item vt licitè & non solùm validè Episcopus administret quoduis ordinis Sacramentum, necesse est, vt nulla Ecclesiastica cẽsura sit notatus. Item vt sit in gratia, quò sanctè Sacramentum, administret. Quanquam validè quidem administrabit, etiamsi in peccato mortali sit, & qualibet censura irretitus: imò licet sit hæreticus vel Apostata à fide, vt docet D. Thom. q. 38. art. 2. & Sotus ex communi sententia in 4. d. 25. q. 1. art. 1.

Is tamen qui ordinatur ab Episcopo censura notato aut per Simoniam, præterquã quod peccat, incurrit irregularitatem, vt iidem authores docent. & Nauarrus etiam in Manuali, cap. 27. num. 241. & sequent. Et hactenus de hac quæstione. Ex qua certè patet, in Ecclesia Catholica Romana ministros Ecclesiasticos esse legitimos: vtpote à veris Episcopis ritè ordinatos; In synagogis aũt Sectariorum legitimos ministros non esse, siquidẽ non sunt ab Episcopis legitimis ordinati; ac proinde Ecclesiam illos habere nullam, cùm hæc non possit carere legitimis ministris. Id quod 3. Tomo, q. 1. de fide, p. 7. s. 25. fusè demonstrauimus.

QVÆSTIO QVARTA.

De suscipientibus hoc Sacramentum.

Supplem. D. Thom. quæst. 36. & 39.

DVO SVNT BREVITER EXPLICANDA. PRIMO, QVINAM POSSINT validè suscipere hoc Sacramentum. SECVNDO, quid requiratur vt licitè etiam hoc Sacramentum suscipiatur.

PVNCTVM PRIMVM.

Quinam possint validè suscipere hoc Sacramentum.

D. Thom. q. 39. art. 1. & 2.

DICENDVM EST, VALIDE QVIDEM omnem masculũ baptizatum posse suscipere ordinis Sacramentum, etiamsi vsu rationis careat, vt puer aut insanus; vel etiam si sit hæreticus. Est assertio omnium Doctorum excepto Durando qui in 4. d. 25. q. 2. putat, ordinem si puero conferatur, esse nullum; quia non habet intentionem suscipiendi neq; per se, neq; interpretatiuam parentum. Nam hæc, inquit, in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

terpretatiua intentio nõ habet locum nisi in iis quæ sunt de necessitate salutis, quale nõ est hoc Sacramentum; bene autem baptismus.

Sed contraria sententia, vt dixi, est communis & certa: vt patet ex Cap. vnico. Extra de iis qui per saltum ordinantur, vbi dicitur non esse iterum ordinandos qui minores ordines acceperunt ante annos discretionis. Ac eandem sententiam confirmat D. Thomas hic q. 39. art. 2. optima ratione. Quia scilicet vsus rationis non requiritur in suscipiente Sacramentũ nisi quando Sacramentum consistit in actu aliquo; vt Matrimonium, quod fit per mutuum consensum: non autem vbi per Sacramentum datur *potentia* aliqua quæ est prior actu; vt in baptismo potẽtia ad suscipienda Sacramenta, & in ordine potentia ad administranda.

Idem asserit etiam Sotus d. 25. q. 1. art. 2. qui bene respondet ad argumentum Durandi, sufficere ad valorem huius Sacramẽti in puero intentionem Ecclesiæ. Eam enim esse interpretatiuè suscipientis, quando is quidem per se non repugnat propria sua voluntate. Quod autem Durandus ait, in iis rebus solis quæ sunt necessariæ ad salutem locum habere intentionem interpretatiuam; sine fundamento ab eo dicitur.

Diximus autem in assertione omnem *masculum, &c.* quia mulieres non sunt capaces huius Sacramenti, cùm ne loqui quidem in Ecclesia permittantur, vt patet 1. Timoth. 2. ac multo minus ministeria Ecclesiastica exercere, qui est finis huius Sacramenti. Neq; verò Christus vnquam legitur creasse ministros nisi viros. Quare esset omnino contra Christi institutionem, & naturam ipsius Sacramenti ordinare mulieres, vt rectè D. Thomas confirmat q. 39. art. 1. & alij omnes Doctores contra errorem Cataphrygarum, qui vt refert glossa in Can. *diaconissam* 27. q. 1. soliti sunt mulieres ordinare.

Aduersus quos præter communem authoritatem orthodoxorum, & ipsam traditionem atque praxim Ecclesiæ, Sotus etiam affert bonas & congruentes rationes d. 25. q. 1. art. 2. quæ omnes inde ducuntur, quod esset omnio indecens à fœminis ministeria Ecclesiastica exercerì.

Nec verò errori Cataphrygarum suffragatur, quòd in dicto illo Canone *Diaconissam*, fit mẽtio *diaconissarum*, quæ ibi prohibentur ordinari ante annum ætatis quadragesimum: sicut etiam 32. d. Canone *Mulieres*, fit mentio *presbyterarũ mulierum* apud Græcos.

Respondemus enim Diaconissas illas nõ habuisse propriè aliquem ordinem Ecclesiasticũ, sed fuisse dictum impropriè ordinem *Diaconissarum*, quatenus quędam fœminæ peculiariter destinabantur ad obsequium diuinum in instruẽdis præsertim mulieribus catechumenis, & præparandis ad baptismum, vt suprà etiam q. 1. p. 2. circa quendam locum Epiphanij notauimus. Item *presbyteræ* illę apud Græcos (sicut ipse Canon declarat) dicebantur mulieres quædam seniores seu viduæ, quæ vt glossa ibi notat, habebant suæ curę & custodię commissas res quasdam Ecclesiæ.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quid requiratur vt licitè etiam hoc Sacramentum suscipiatur.

D. Thom. q. 36.

ASSERIMVS breuiter, vt Sacramẽtum ordinis non modò valide sed etiam licitè *suscipiatur*, quædam præterea requiri: vt patet in Titulis decretalium, de ætate & qualitate ordinand. & de temporibus ordinandorũ. Requiritur enim certa *ætas*, certa anni *tempora*, certæ etiam *qualitates*; vt libertas, ac integritas mentis & corporis, & testimonia morum & scientiæ sufficientis ad vniuscuiusq; ordinis vsum, & bona conscientia, & facultas proprij ordinarij, & vt nulla obstet in ordinando vel ordinãte censura vel irregularitas: quæ omnia in particulari explicantur à Nauarro, cap. 25. num. 69. & sequent. secundũ ius nouum Concilij Trident. sess. 23. in decreto de Reformatione, cap. 4. & multis sequentibus.

Et nos etiam suprà in tractatu de Censuris, latè explicuimus, quomodo quis cùm peccat in susceptione ordinis incurrat quandoque etiam irregularitatem aut suspensionem, & quam latè pateant irregularitatis species ac modi qui impediunt susceptionem ordinum. De quibus irregularitatibus tradit hic etiam quædã D. Thomas q. 39. art. 3. 4. 5. & 6. & Sotus distinct. 25. quæstione 1. articulo 3. Sed nos iam suprà hæc tractauimus.

QVÆSTIO QVINTA.

De Quibusdam Annexis Sacramento Ordinis.

Supplem. D. Thom. quæst. 40.

RES ANNEXAE SACRAMENTO ORDINIS, VT ORDINE REM totam complectar; duplicis sunt generis. Quædam enim adhibentur in ipsa Ordinatione: vt sacræ vnctiones & eiusmodi Cæremoniæ. Aliæ verò consequuntur ex ordine suscepto. Atque harum rursus, quæ consequuntur ordinem susceptum, tria genera sunt. Nam PRIMO *quædam pertinent ad significandum ipsum statum seu vitæ conditionem ministri ordinati: vt nomen Clerici; & Clericalis tonsura seu corona capillorum, & ipse Clericalis habitus.* SECVNDO, *alia pertinent ad prærogatiuam quandam, & dignitatem clericorum: vt ius; & aptitudo ad beneficia Ecclesiastica; & variæ immunitates, ex quibus potissima videtur esse exceptio clericorum à seculari potestate.* TERTIO, *alia denique pertinent ad quoddam onus Clericorũ, quod est tamen Ordini atque gradui dignitatis illorum consentaneum; vt obligatio recitandi Horas Canonicas; & obligatio etiam seruandi castitatem, quæ vocatur Continentiæ votum annexum ordinibus sacris; atque etiam cœlibatus.*

Nos autem de onere recitandi horas Canonicas diximus ex instituto, Tomo 3. disputat. 6. quæst. 2. de Oratione. De ratione autem beneficiorum Ecclesiasticorum in eo etiam Tomo à nobis disputatum est disputat. 5. quæst. 7. & disput. 6. quæst. 16. cùm scilicet disseruimus de Acceptione personarum, & de simonia. Quare superest, vt de reliquis tantùm breuiter ac ordine nunc dicamus: scilicet PRIMO *de cæremoniis ordinationis.* SECVNDO, *de clericorum nomine.* TERTIO, *de Tonsura, & de habitu.* QVARTO, *de exceptione ab Ecclesiastica potestate.* QVINTO, *de cœlibatu. D. autem Thomas hic quæst. 40. quæ est vltima huius Tractatus, solùm agit de tonsura, & vestibus, & de dignitate episcopali, de qua nos egimus q. 1. p. 2.*

PVNCTVM PRIMVM.

De Cæremoniis Ordinationis.

Ad quæst. 40. D. Thom.

QVOD AD CAEREMONIAS VNCTIONVM attinet, duplici ratione illæ à Sectariis improbantur. *Primò*, quia non sunt cultus diuinitus præcepti. Omnem autem cultum diuinitus non præceptum censent esse idololatriam. *Secundò*, quia videtur redolere modum cultus Iudaici. Addit etiam Kemnitius manifestum mẽdacium in Examine sess. 23. can. 3. & 5. Conciliũ scilicet Tridentinum *potissimum contendere de vnctione quæ in ordinatione adhibetur, & in illa præcipuè constituere ipsum Sacramentum.*

At hoc, vt dixi, mendacium est. Nam Concilium Can. 5. Vnctionem sacram solum vt ordinationis *cæremoniam* probat, ac damnat sub Anathemate Sectarios, qui dicunt, eam *non modò non requiri sed etiam contemnendam esse*. Quo loco non significat Concilium illam ad substãtiam ordinationis requiri, sed asserit eam rectè adhiberi, ac proinde non esse contemnendam.

Vnctionem igitur eiusmodi rectè ad significationem mysticam tanquam Cæremoniam ordinationis adhiberi probatur argumentis communibus, quibus hoc totum genus cęremoniarum in administratione Sacramẽtorum defendimus suprà cõtra Sectarios in disput. de Sacramentis. Quorum argumentorum summa est, q̃ modus dispensandi Sacramenta, saluis eorum substantialibus, Ecclesiæ ipsi diuinitus commissus est, vt ita illa tradat sicut ad ædificationẽ fidelium & eorum augendam deuotionem expedire videatur: cuius rei iudicium, non priuatorum, sed ipsius Ecclesiæ esse oportet.

Deinde ritũ in Vnctione ORDINATIONIS nominatim cõmemorat, vt rem in Ecclesia antiquissimam CYPRIANVS Tract. de operibus Christi Cardinalibus. serm. de Cœna Domini: qui tractatus sine cõtrouersia vel ipsius Cypriani est, vel alterius grauis & docti Scriptoris æquè antiqui ac Cyprianus. Inscriptus enim est ille tractatus Cornelio Papę cum quo per literas fuit consuetudo Cypriano.

Et extat pro eadem Cæremonia insigne testimonium AVGVSTINI apud Iuonem 1. parte Decret. cap. 151. *Oportet*, inquit, *vos* (presbyteros) *semper memores esse tantæ dignitatis; memores vestræ*

Universidad de Deusto
Biblioteca

consecrationis sacræ quam in manibus suscepistis, vt nec ab eadem dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro VNGVINE *delibutas peccando polluatis.*

Et Augustino paulo antiquior S. PACIANVS Epistola tertia ad Sympronianum Nouatianum, hæreticis Nouatianis exprobrat, quòd non haberent Vnctos Sacerdotes: *Vestræ*, inquit, *plebi vnde Spiritum, quam non consignat vnctus Sacerdos?*

Et his antiquior S. DIONYSIVS in libro de Ecclesiast. Hierarch. capite 4. parte 2. *Sumptum*, inquit, *vnguentum Pontifex sacris imponit altaribus, &c. completaque oratione super eo solenni in sanctissimis eorum quæ sacrantur consummationibus eo vtitur ad omnem fermè Sacerdotalis officij functionem.*

Argumẽta verò Sectariorum leuissima sunt. Ad *Primum* enim dicimus, idololatriam non esse quemuis cultum non præceptum, sed cultum quo creaturæ honor diuinus sicut Deo exhibeatur: vt ostendimus contra istorum phantasias in Apologetico de Idololatria, & in aliquot eiusdem argumenti tractatibus, & 3. Tomo disp. 6. q. 11.

Ad *Secundum* dico, non ita nunc Vnctionem vsurpari sicut olim in veteri testamento. Tunc enim ad significanda mysteria futura vsurpabatur: nunc verò ad significandam vbertatem gratiæ diuinæ, quæ per Sacramẽta affluẽter iam datur. Quod CYPRIANVS loco citato his verbis explicuit: *Mortuus est Moyses, & veteris literæ putruerunt ænigmata: à facie noui olei desiccatæ sunt Vnctiones antiquæ.*

PVNCTVM SECVNDVM.

De Clericorum nomine.

Ad q. 40. D. Thom.

AD nomen ipsum CLERICORVM quod attinet, constat illud à vocabulo Græco κλῆρος deriuari; quod vocabulum significat hæreditatem vel sortem. Vnde Clerici vocantur ministri Ecclesiæ, vel quia peculiariter de sorte siue hæreditate sunt Domini, quatenus sunt diuino cultui singulariter mancipati: Vel quia Dominus peculiariter est illorum sors siue pars: vt etiam exposuit D. Hieronymus in Epist. ad Nepotianum. Contrà, Laici dicti sunt quasi plebei & vulgares, quibus ministerium videlicet diuini cultus non incumbit. Λαὸς enim Græcè, vnde vocabulum id deriuatum est, populum significat.

Porro vt Ecclesiastici ministri appellentur Clerici, non placet Sectariis. Adeò enim statum ipsum Clericorum oderunt, vt etiam appellationem execrati sint. Itaque Lutherus in lib. de abrog. Missa priuata, & Caluinus libro quarto Institut. capite 4. Sect. 9. impia traditione & errore factum esse dicunt, vt id vocabulũ ministris Ecclesiasticis tribueretur.

At illis rectè tributũ esse nos probamus PRIMO ex ipsa Scriptura. Nam Dominus Hierem. 12. de ministris illis veteris Ecclesiæ loquens ità dicit secundùm translationem LXX. *Et Cleri eorum non proderunt eis*, id est, si officium suum negligant nõ ideo saluabuntur, quia in hæreditatem Domini peculiariter asciti sint per vocationem ad ministerium. Hoc enim ibi significare quod Hebraicè dicitur *Nahesu*, id est, *hæreditatem adierunt*. pro quo LXX. verterunt *Cleri eorum*; interpretatus est Origenes homil. 7. in Hieremiam & Epiphanius Epist. ad Ioannem Hierosolymitanum, & Hieronymus in Comment. eius loci: qui Patres Hebraicè & Græcè doctissimi fuerunt. Cur igitur nos prærogatiuam, quam ministris Ecclesiasticis tribuit in Scriptura ipse spiritus sanctus, non proprio vocabulo significemus?

SECVNDO, vsus eius vocabuli confirmatur authoritate antiquorum Patrum, qui *Clericos* certè non ex errore aut impia traditione ministros Ecclesiæ iam olim appellare soliti fuerunt. Vt Patres Concilij Niceni Can. 1. 2. 3. 8. 17. 18. 19. & S. Clemens in Canon. Apostolorum Can. 12. 13. 15. & Tertullianus lib. de Monogamia & alij passim.

TERTIO probatur ex ipsa re quam per id vocabulum significamus. Nam ne ipsi quidem Sectarij negare possunt, quòd ministri Ecclesiastici peculiari quadam ratione ad diuinum obsequium destinati sint, atque adeò singulari quodam modo ad hæreditatem Domini (id est, Ecclesiam) curandam & excolendam pertineant. Cur igitur non hoc ipsum appellatione idonea significetur?

Sed obiiciunt PRIMO quod tota Ecclesia fidelium est *sors atq; hæreditas* Domini. RESPONDEO, verum id esse: sed simul tamen verum est, *peculiari* quadam ratione ministros pertinere ad hanc hæreditatem: vt antè dictum est. Et metuere debuissent Sectarij ne illis propter hanc insolentiam aduersus Clericos idem eueniret quod Dathan & Abiron, qui simili planè argumento vsi contra Dei ministros superbierunt, & ideo à terra absorpti sunt Numer. 16. sic enim illi Sacerdotibus Domini obiiciunt. *Omnis multitudo sanctorum est, cur eleuamini super populum Domini?* Perinde planè ac hodie Sectarij obiiciunt omnem Ecclesiæ multitudinem esse hæreditatem Domini, ac proinde non esse illi Clericorum appellatione ministros anteponendos.

SECVNDO obiiciunt illum locum D. Petri 1. Epistola, capite quinto: *Non dominantes in cleris.*

Vbi contendunt, *Cleros* à D. Petro esse appellatos omnes fideles, quibus non voluit, vt prælati Ecclesiastici dominarentur.

RESPONDEO primò, nihil incommodi esse quòd communi quadam ratione fideles etiam cleri quoque vocentur, quatenus communi modo ad hæreditatem Domini pertinent; & nihilominus tamen singulari quodam modo atque adeò magis propriè id vocabulum ministris Ecclesiæ accommodetur. Deinde dicimus, longè probabilius esse quòd ibi *Cleri* peculiariter dicti sint ministri Ecclesiastici, quibus quoniam faciliùs prælati perperam dominari soleant, eo quod sunt alioqui magis quàm Laici ipsis subiecti; ideo Petrus ne id fieret singulariter monuit. Atque ita eum locum interpretatur Oecumenius in suo commentario, & etiã Hieronymus ad Nepotianum.

TERTIO vrget Lutherus quòd populus Christianus vnus & simplex debet esse, in quo sicut Apostolus ait ad Galat. 4. *Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque fœmina.* Igitur neque debet in eo esse clericus, & Laicus.

RESPONDEO verò ad ineptissimam hanc obiectionem, vnitatem & simplicitatem populi Christiani non in eo consistere, vt nõ sint diuersi gradus & conditiones fidelium quoad rem & nomina, sed vt omnes quantumuis alioqui in Ecclesiæ corpore diuersa sint membra, *vnum sint in Christo*. sicut Apostolus loquitur ad Gal. 3. per cõsensionem videlicet in eodem *baptismate*, in eadem *fide*, in eodem *Deo*, in eodem *sensu & spiritu* per vinculum pacis, in eodem *pane* Eucharistiæ, vt aliàs Apostolus ipse declarat

Quod si id argumentum Lutheri valeret; nõ modò quoad nomen, sed multò magis quoad *rem* probaret, minimè Ecclesiasticos ministros à Laicis hominibus differre debere, cùm maior sit distantia rerum quàm vocabulorum. Imò sequeretur ex Lutheri interpretatione, neque debere esse in Ecclesia *liberos* homines, neq; *seruos*: imò neque vllos *masculos*, aut *fœminas*, id est, nullos omnino homines. Et tamen animo insolentissimo Lutherus in illo pestilenti libro de abroganda Missa priuata eiusmodi dementissimis obiectionibus toti Ecclesiæ insultauit.

PVNCTVM TERTIVM.

De Tonsura & habitu Clericorum.

Ad q. 40. D. Thom.

SEQVITVR vt dicamus de TONSVRA siue corona clericorum, & *habitu*. Ac Tonsuræ quidem vsum in Ecclesia antiquissimum esse probatur *primò* ex ISIDORO libro secundo de Officiis Cler. capite quarto, qui dicit ab Apostolis fuisse institutum. Et ex BEDA libro quinto, de historia Anglorum, capite 22. qui dicit D. Petrum in memoriam spineæ Coronæ Christi, Coronam capillorum gestasse toto reliquo capite detonso, & id alios clericos fuisse imitatos.

Probatur *Secundò* ex HIERONYMO in Epistola quadam ad Augustinum, quæ est inter Epistolas Augustini 26. vbi sic ait: *Euodium vt meo nomine salutes, precor coronam tuam.*

Tertiò ex AVGVSTINO Epist. 147. ad Proculianum Episcopum: *Per coronam*, inquit, *nostram nos adiurant vestri; per coronam vestram vos adiurant nostri.*

Quartò ex ANICETO Papa in Epist. ad vniuersas Galliæ Ecclesias, capite 4. vbi iubet, *vt Clerici caput desuper in modum sphæræ radant*: quanquam radi ibi dicitur fortè pro *tonderi* demissè. Sic enim olim fiebat; forficibus nempe non nouacula: vt colligimus ex Clemente Alexandrino libro tertio Pædag. capite vndecimo, & ex optato Mileuitano libro secundo, contra Parmen. & Hieronymo in caput 44. Ezechielis. Quanquam vtro modo fiat parum interest.

Quintò probatur ex Concilio Toletano IV. Cap. 40. quod iubet vt *omnes Clerici detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant*, nempe circa aures. qui mos cùm olim esset cõmunis omnib. Ecclesiasticis, vt ex loco citato apparet, à solis Monachis postea retentus est. Seculares verò clerici maiorem vel minorem coronam pro consuetudine locorum gestare cœperunt, vt iam etiam fieri videmus.

Sextò probatur ex DIONYSIO, capite sexto Ecclesiast. Hierarch. qui expressè commemorat, monachos tonderi fuisse solitos. & ex Epiphanio Hæres. 80. & Augustino libro de operibus monach. capite vltimo, qui quosdam monachos reprehendunt, eò quod tonderi nollent aliorum more.

Rationes autem tonsuræ istius Clericalis variæ afferri solent. Caluinus libro quarto Instit. capite 19. Sect. 27. rationem fuisse dicit, quia tempore Augustini, quo ipse putat vsupari cœpisse eam tonsuram, soli molliores & effœminatiores Laici comas gestare solebant, à quorum habitu & gestu oportebat differre clericos: postea verò dicit excogitatas fuisse rationes alias & significationes superstitiosas tonsuræ.

At primò vsus tonsuræ longè est antiquior, vt patet ex allatis testimoniis. Deinde quod nõ solùm molliores tempore S. Augustini comas gestarint, inde patet ꝙ indifferenter quicunque pœnitẽtes tunc temporis tondebantur in signũ doloris, vt patet ex Concilio Agathensi can. 11. Tertiò, contra Caluinum facit, ꝙ clerici tempore etiã Augustini sic tondebantur, vt corona capillorum appareret: quod certè alij Laici etiam honesti non ita faciebant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sunt igitur aliæ rationes veriores iſtius vſus aſsignatæ à Patribus. *Prima* eſt Dionyſij, cap. 6. Eccleſ. Hierarch. vt illa nudatione capitis ſignificetur vita aperta & pura, cui Eccleſiaſtici ſtudere debẽt. *Secunda* eſt Bedæ lib. 5. hiſtoriæ Angl. cap. 22. vt repreſentetur ſpinea Chriſti corona, & in memoria habeatur potiſsimũ à Clericis. *Tertia* eſt Iſidori lib. 2. de offi. Cler. cap. 4. Rabani lib. 1. de inſtitut. Cleri. cap. 1. Hugonis Victorini lib. 2. de Sacram. part. 3. cap. 1. vt ſignificetur, debere Eccleſiaſticas perſonas renunciare omnib. vitæ ſuperfluitatib. *Quarta* eſt eorundem authorum: vt ſignificetur, animũ Eccleſiaſticorũ hominum, qui tanquam vertex & caput in homine eſt, debere eſſe apertum & expeditum ad percipiendas cœlitus diuinas illuſtrationes.

Sed OBIICIVNT Sectarij, & nominatim quidem Hortenſius Landus in libro quẽ inſcripſit de perſecutione barbarum, quod Deutero. 19. dicitur, *Non attondebitis comam in rotundum.* & Hierem. 9. *Diſperdam omnes circumtonſos in coma.*

RESPONDETVR primò, fuiſſe id præceptum cæremoniale, cuius generis præcepta in noua lege ceſſauerunt. Secundò reſpondetur, in eiuſmodi locis propriè fuiſſe prohibitum ne ornarent comam circumtondentes eam, idque more gentium, ad colenda idola: vt Iſidorus notat in illum locũ Leuit. & Theodoretus q. 28. in Leuit.

Item obiiciunt illud Leuit. 21. vbi de Sacerdotib. dicitur: *Non radent caput neq; barbã.* Reſpõdetur prohibitum fuiſſe ibi ne id fieret in ſignũ doloris propter mortem propinqui ex quadã animi imbecillitate, quæ non decebat Sacerdotes.

Item obiiciunt, quod Ezechiel 44. prohibentur Sacerdotes caput radere. Reſpondetur id fuiſſe tunc illis prohibitũ, ne viderentur ſimiles Sacerdotib. idolorum, qui radi tunc ſolebãt ad quendam idolorũ cultum: vt patet ex Epiſtola Hieremiæ apud Baruch. cap. vlt. vbi etiam ridet Hieremias eiuſmodi Sacerdotes, qui ſe raderẽt propter idola lignea & lapidea, quæ nullum honorem percipere poſſent.

De HABITV Clericorum (quod etiam propoſuimus) notandum eſt illum ab iis geſtãdum eſſe, qui vel ſunt initiati ſacris ordinibus vel habent beneficium Eccleſiaſticum; Et quidem ſub peccato *mortali*, vt notat Nauar. in Manu. cap. 25. num. 110. quanquam conſuetudo in hac re poteſt facere, vt ſecluſo cõtemptu, & ſcandalo non ſit mortale, vt Caietanus notat in Summa verbo *Clericorum peccata.*

PVNCTVM QVARTVM.

De exemptione Clericorum.

Ad q. 40. D. Thom.

IAM de EXEMPTIONE clericorum à ſeculari poteſtate dicendum. Cùm autẽ hæc exemptio poſsit intelligi vel quoad *perſonas*, vel quoad *res*, vel quoad cauſas ipſas ſiue *cõtrouerſias clericorum*; QVAESTIO eſt, An in his omnibus Clerici ſint exempti, vel ſolum in aliquib. & quo iure. In qua quæſtione non modò hæretici, ſed etiam quidam Catholici Scriptores errant.

Dico igitur PRIMO, *perſonas* clericorum nõ eſſe exemptas à poteſtate ſeculari quoad vim eius *directiuam* in legibus ciuilibus, quæ conducunt ad bonum ſtatum reipub. Quin imò in his iure diuino tenentur Clerici etiam poteſtati ſeculari obedire. Vt verbi gratiã ſi à poteſtate ſeculari condatur lex de pretio frumenti; vel de alia re ſimiliter politica, quę non repugnet alioqui ſtatui clericorum. In hac aſſertione omnes conueniunt.

Et probatur *primò* ex Scriptura ad Roman. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Et 1. Petri 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue regi tanquam præcellenti, &c.*

Secundò probatur teſtimonio Patrum. Nam ita aſſerit Nicolaus I. in Epiſt. ad Michaëlem Imperatorem, ſub finem. Et Valentinianus piiſſimus Imperator in Epiſtola ad Epiſcopos Aſiæ, apud Theodoretum libro 4. hiſtor. capite 7. & D. Chryſoſtomus & alij expoſitores in illud Roman. 13.

Tertiò probatur ratione. Nam clerici ſimul etiam ſunt ciues & membra reipub. politicæ. Ergo neceſſe eſt eos in politicis rebus ad finem politicæ Reipub. obtemperare ei poteſtati, quæ in politico genere inſtar capitis, Reipub. præeſt.

Dico SECVNDO, quoad vim *coactiuam*, itemque quoad *bona* & cauſas *controuerſas*, clericos rectè eſſe exemptos à ſeculari poteſtate, nõ quidẽ iure diuino, ſed *humano*, Eccleſiaſtico & ciuili. Hanc aſſertionẽ confirmat bene Franciſcus Victoria in Relect. 1. de poteſtate Eccleſiæ q. vlt. & Sotus in 4. diſt. 25. quæſt. 2. art. 2. & Couarruuias in libro pract. quæſt. capite 31. Eſt autem hæc aſſertio in primis contra hæreticos aliquos, qui contendunt, Clericos eſſe debere quoad hæc ſubiectos poteſtati ſeculari, & quidem iure diuino. Ita enim ſenſit Marſilius quidam de Padua, & Ioannes de Ianduno, vt refert Turrecremata libro quarto Summæ Eccleſiaſt. parte ſecundã, capite 37. adeò vt dicerent, Chriſtum etiam Matth. 17. neceſſariò ſoluiſſe tributum illud; qui ideo damnati ſunt in Concilio Conſtantienſi. Idem ſenſit Caluinus libro quarto Inſtitut. capite vndecimo, Sectione 15. & alij communiter Sectarij. Eſt item hæc aſſertio contra Canoniſtas multos, qui in altero extremo aiunt, Clericos iure etiam diuino eſſe ita exemptos. Vt gloſſa in Can. *Tributum* 23. quæſt. 8. & in Cap. *Quamuis*, de Cenſibus libro 6. & ibi alij Canoniſtæ.

Probatur autẽ aſſertio *primò*, quoad ius quidẽ *Eccleſiaſticũ* de exemptione *perſonarũ* à *vi coactiua* ſecularis poteſtatis, ex antiquis Conciliis, & decretis

pontificũ: videlicet ex Concilio Chalcedonẽſi Can. 9. Carthagi. III. Can. 9. Toletan. III. can. 13. Matiſconenſi II. can. 9. Et ex Caio papa in Epiſtola ad Felicem Epiſcopum. Et ex Gregorio lib. 10. Regiſtri epiſt. 14.

Quoad ius autem *ciuile*, patet eadem aſſertio ex Iuſtiniano in Nouellis, conſtitut. 79. 83. & 123. vbi in *ciuilibus* quidem ſimpliciter eximit Clericos à poteſtate ſeculari; in *criminalibus* autẽ ita vt iudex quidẽ ſecularis poſsit de cauſa cognoſcere, ſed non damnare Clericum, niſi is prius fuerit ab Epiſcopo degradatus. Sed tamen ius Canonicum ſimpliciter eximit in criminalibus etiam quoad cauſæ cognitionem. Quod ius omnino præualet, cùm ſit præſtantius ciuili, & poſsit illud corrigere in iis quæ ad bonũ Eccleſiæ pertinent.

Secundò accedit huc ratio. Nam cùm Clerici in ſpiritualibus ciuili magiſtratui præſint; non eſſet decens, vt ij coram ſuis ſubditis etiã in alio genere cauſarum compararẽt, & ab iis iudicarẽtur, niſi quando à poteſtate ipſa Eccleſiaſtica degradantur, & exuuntur dignitate clericali. Quare laudi datum eſt Imperatori Conſtãtino, quòd Epiſcopis quibuſdam, cùm aliorum Epiſcoporum nomẽ ad ſe detuliſſent, hunc in modum reſponderit: *Vos diy eſtis à* DEO *conſtituti. Et vobis Deus poteſtatem dedit de nobis quoq; iudicandi, et quaſi Deos quoſdam conſtituit: cõueniens non eſt, vt homo Deos iudicet.* Quod reſpõſum refert Ruffinus lib. 10. hiſtor. cap. 2. & D. Gregor. lib. 4. Regiſtri, Epiſt. 75. ad Mauritium Imperatorem, & Gratianus 2. q. 1. Can. *Continua.*

Quoad *bona* autem atq; adeò etiã *controuerſias* politicas Clericorũ, probatur aſſertio quoq; ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. parte 1. cap. 19 & ſub Innocentio III. cap. 46. Itẽ ex Cap. *Sanctæ Mariæ.* Extra de Conſtitutionib. & Cap. *Quia nonnulli*, & cap. *Clericis*, de Immunit. Eccleſiar. lib. 6. & cap. *Quanquam*, de Cenſib. lib. 6. & ex Iuſtiniano lege *Sancimus*. Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis. Ante Iuſtinianũ autem Clerici liberi quidẽ erãt à tributis *perſonalibus*, vt apparet ex Hieronymo in Cap. 17. Matth. Non aũt à tributis *poſſeſſionum*: vt intelligi poteſt ex Ambroſio in Oratione de tradendis Baſilicis.

Et accedit huc etiam ratio congruentiæ. Nam *bona* Clericorum ſunt Deo conſecrata, ac eatenus vocantur bona *Dominica* in Can. 40. Apoſtolorum. Quare conſentaneum eſt, vt ſint libera. Et procedit etiam hæc ratio de bonis illis quæ poſsident titulo *temporali*; quandoquidem ea etiam Clerici debent referre ad cultum diuinum atq; adeò Deo conſecrare. Vnde etiam Ioſeph cùm Pharaoni ſubiiceret totam terrã AEgypti, illique tributariam faceret, voluit tamen Sacerdotes liberos eſſe. Geneſ. 47.

Quod denique in aſſertione diximus, hanc exceptionẽ clericorum non eſſe de iure *diuino*, probatur contra Canoniſtas *primò*, quia nuſquam in Scriptura tale ius diuinũ extat, neq; etiam aliqua ea de re traditio. *Secundò*, quia ad Roman. 13. cùm Paulus dixiſſet, *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſit ſubdita*, mox ſubiunxit: *Ideo tributa præſtatis.* Vbi & Clericos comprehendit, ſicut in prioribus verbis, vt diximus aſſertione prima, & notat D. Chryſoſtomus, & D. Thomas in eum locum Apoſtoli; non quidem quaſi tributa etiam pẽdere Clerici debuerint iure diuino, ſed quantum quidem temporis ipſi etiã ea pendere ſolerent. *Tertiò*, id probatur quia ex veterũ teſtimoniis conſtat, aliquãdo pendiſſe clericos tributa magiſtratibus ſecularibus, & id rectè factũ eſſe: Patet hoc ex AMBROSIO; qui in orat. de tradẽdis baſilicis ita dicit: *Si tributũ petitur nõ negatur: agri Eccleſiæ ſoluunt tributũ.* Et ex VRBANO 23. q. 8. Can. *Tributum.* & ex D. Gregorio lib. 11. Regiſtri, epiſt. 54. & ex Valẽtiniano imperatore, qui in Epiſtola ad Epiſcopos Aſię, vt eſt apud Theodoretũ lib. 4. cap. 7. dicit bonos Epiſcopos tributa ſolitos fuiſſe pendere regibus. Non igitur iure diuino, ſed iure *humano* ſunt iam exempti clerici.

At Caluinus, vbi ſupra, ne iure quidẽ humano rectè eos eximi, probat ex eo, quòd Cõſtantinus apud Theodoretum lib. 1. cap. 20. dicit ſe Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum Arianum eiecciſſe in exilium: & ſubiungit: *Si quis Epiſcopus tumultuatus fuerit illius audaciam ſe coerciturum.*

Reſpondetur, id eum feciſſe, poſtquã ille Euſebius fuerat depoſitus ab Epiſcopatu, & degradatus à Concilio Niceno. Nec dicit Conſtãtinus, ſe audaciã *Epiſcoporum coërciturũ*, vt falſarie citat Caluinus, ſed Laicorum Nicomedienſium, ſi malint hæreticos Epiſcopos ſequi, & non eum quem Concilium conſtitueret.

Præterea obiiciunt etiam alij Sectarij illud Roman. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.* Ergo iure diuino debent eſſe ſubiecti etiam Clerici, nec poterunt per vllam humanam authoritatem eximi.

Reſpondetur, ex eo loco rectè probari, quòd Clerici quamdiu per legitimam authoritatem à ſeculari poteſtate exempti non fuerunt, & quatenus iam etiam ab ea exempti non ſunt, ſcilicet quoad vim *directiuam* (vt antea diximus) iure diuino debere obtemperare & ſubiici ſeculari poteſtati. Poſtquam verò à poteſtate ſeculari legitimè exẽpti ſunt, ac quatenus ab ea ſunt exempti ſiue per ipſammet ſeculare poteſtatem ſiue per poteſtatem Eccleſiaſticam ad maius bonum Eccleſiæ, ſicut factum eſt iam; nullo iure ſeculari poteſtati parere debent in iis in quibus ſunt exempti. Poteſtas enim magiſtratus ſecularis in hos vel in illos, iure gentium conſtat. Et ſic poſſunt hi vel illi ab ea eximi per humanã authoritatem. Secus aũt eſt de poteſtate pontificis Eccleſiaſtica in omnes fideles. Nam hæc ab ipſo Chriſto omnibus eſt præpoſita: & ideo per nullam authoritatem humanã fieri poteſt, vt quis non ſubſit ſummo Eccleſiæ paſtori.

Notan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Notandum igitur est, D. Paulum in illo loco ad Roman. 13. non nisi ex hypothesi quadam loqui, vt scilicet omnes atque adeò etiam Clerici pareant sublimiori potestati seculari, quamdiu quidem respectu illorum sublimior & superior fuerit, id est, quamdiu ab illa non fuerint legitimè exempti: Id quod fieri potest, quando est potestas ab hominibus cõstituta; secus, si sit potestas immediatè constituta à Christo, vt iam dictum est de potestate pontificis, licet omnis potestas etiã secularis sit à Deo mediatè & remotè, sicut illic etiam indicat Apostolus.

Præterea obiiciunt *primò* in alio extremo Canonistæ illud Matth. 17. *Ergo liberi sunt filij.* Vnde colligunt, immunitatem Clericorum, qui maximè sunt filij & domestici Dei in Ecclesia, esse de iure *diuino*; vt videtur etiam significare Augustinus in quæstionibus noui Testamenti q. 23. & Hieronymus in illum locum.

Respondeo, Christum ibi de solis filiis Regũ naturalibus loqui: qui nimirum neque parentibus suis soluunt tributa, cùm sint filij, neque aliis regibus, cùm eis non sint subiecti. Ex quo rectè Christus collegit, se quidem liberum fuisse à tributo, cùm esset naturâ filius summi Regis: non autem inde sequitur, alios quoque Ecclesiasticos esse itidem liberos, siquidem illi minimè sunt etiam naturales Dei filij. Atque hinc redarguitur error Marsilij de Padua, de quo suprà diximus. Neque obstat quòd Christus secundùm corpus quidem mortalis fuerit ante resurrectionem, vt obiiciebat ille Marsilius. Obligatio enim soluendi tributum oritur ex subiectione *personæ* ipsius, non ex subiectione corporis. Christi autem persona, cùm esset naturalis Dei filius, nemini iure erat subiecta. Augustinus verò & Hieronymus nõ volunt dicere, quòd Ecclesiastici ex vi omnino illius Christi sententiæ sint immunes iure diuino, sed quod rectè & conuenienter illi sententiæ iure humano exempti sint, quandoquidem dignitatis gradu in domo Dei maximè accedunt ad filios inter fideles cæteros.

Secundò obiiciunt iidem Canonistę, quod Bonifacius VIII. in cap. *Quanquam.* de Censibus, lib. 6. dicit, Clericos iure humano & diuino esse immunes ab exactionibus.

Respondeo, intelligere solum quòd cõuenienter iuri diuino sint exempti: quatenus iure diuino sunt aliis in spiritualibus rebus præpositi, propter quod decet vt eximantur à potestate seculari, sicut supra argumentati sumus, idque iuxta exemplum etiam Iosephi qui instinctu diuino Sacerdotes voluit liberos esse: Vel fortè Bonifacius fuit in illa Canonistarum opinione, nihil in ea re definiens, sed obiter inquiés: *Cùm clerici iure diuino & humano sint exempti:* sic enim loquitur.

Postremò obiiciunt Canonistæ, quòd si Ecclesiastici iure tantùm humano exempti sunt; Ergo poterunt per ipsos Magistratus seculares iterum subiici.

Respondeo minimè id sequi. Nam etiam sunt exempti per Ecclesiasticam potestatem, quæ enus id oportuit & decuit ad finem spiritualem. Qua quidem ratione etiam sine consensu principum potuissent ab Ecclesia eximi; vt rectè confirmat Sotus distinct. 25. quæstione secunda, articulo secundo. Etenim in iis rebus, quæ expediunt ad finem supernaturalem, & quatenus ad eum expediunt, potestas Ecclesiastica, quæ eiusmodi finem habet sibi propositum, potestate seculari superior est, & hæc illi eatenus debet parere: vt egregiè inter cæteros disputat Franciscus Victoria in relect. de potestate Ecclesiastica.

Tertio præterea assero, quoad causas quidem seu controuersias merè *Ecclesiasticas*, cuiusmodi sunt quæstiones de fide, &c. Clericos exemptos esse à potestate seculari non solùm iure humano, sed etiam iure *diuino*. Hæc assertio apud omnes orthodoxos indubitata est, & etiam conceditur à Caluino vbi suprà. Est tamen contra Philippum Melanchtonem in locis communibus, Loco de *seculari magistratu*, & Brentium in proleg. contra Petrum de Soto.

Probatur autem *primò*, quia eiusmodi causæ per potestatem *clauium* Ecclesiæ diiudicandæ sunt, quæ non seculari magistratui sed Ecclesiastico ac imprimis summo illius præsidi Petro & successorib. eius promissæ & traditæ sunt. Matth. 16. & Ioann. 21.

Secundò, quia diiudicatio eiusmodi causarum pendet ex Scriptura & sacris Canonibus: quorũ cognitio non pertinet ad secularem magistratũ.

Tertiò, quia Concilia & Patres rem peruersissimam esse sentiunt, si eiusmodi causæ à magistratu seculari transigantur. Vt Concilium Matisconense II. Can. 9. Mileuitanum can. 19. Augustinus epist. 162. Ambrosius Epist. 78. atque etiam Iustinianus in Nouellis, Constitut. 83. Denique Apostoli nunquã eiusmodi causas ad magistratus seculares deferendas putarunt, sed ipsi eas diiudicabant: vt patet Actor. 15. & aliâs. Officium autem secularis magistratus non est de eiusmodi rebus iudicium ferre, sed Ecclesiasticæ potestati ad executionem eorum quæ in his illa statuit inseruire & opitulari: Vt apparet etiã ex dicto Concilio Mileuitano can. 16.

PVNCTVM QVINTVM.

De Cœlibatu sacrorum ministrorũ.

Ad q. 40. D. Thom.

Scripserunt de hoc argumento tum ex Catholicis, tum ex hereticis multi. Ex Catholicis potissimum Clitoueus, libro peculiari de continentia Sacerdotum, & Michael Medina quinque libris de eodem argumento, & Franciscus Turrianus lib. 2. de Dogmaticis verbi Dei characteribus, & libro quinto pro Epistolis pontificum contra Magdeburgenses. Item Sotus diligenter libro septimo, de Iustitia, quæstione 6. & Robertus Bellarminus Tomo 1. & alij qui contra Sectarios scripserunt: vt Roffensis, Alphonsus à Castro, &c.

Ex hæreticis autem potissimum scripserunt de cœlibatu, vel potius contra cœlibatum, Caluinus lib. 4. Institut. capite 12. sect. 23. Melanchton in Apologia Confess. Augustanę, articulo 23. & in ipsa Confessione. Kemnitius prolixè in Examine Can. 9. sess. 24. Concilij Trident. & aliquid etiam Lutherus in lib. de abroganda missa priuata, & Centuratores vbique in singulis centuriis, cap. 7.

Nos autem hanc disputationem ad tria Capita breuiter quoad fieri poterit reuocabimus. Primvm erit, quo iure constet lex de cœlibatu eorum, qui initiantur sacris ordinibus: Vtrum scilicet non solùm Ecclesiastico, sed etiam diuino. Nam quod iure Ecclesiastico illa lex sancita sit, non est vllum dubium. Secvndvm erit, si non iure diuino sed Ecclesiastico iure ea lex cõstat; quàm antiquum sit illud ius Ecclesiasticũ. Tertivm, Vtrum ius istud Ecclesiasticum sit vtile ac rectè institutum.

Quo iure constet lex de Cœlibatu. §. 1.

Quod igitur ad Primvm Caput attinet sciendum est, legem hanc de cœlibatu, sicut in Ecclesia Catholica viget, ad tria obligare. Primvm est, vt nemo coniugatus sacris ordinibus initietur nisi vxor voueat perpetuam castitatem. Vt patet extra de Cler. coniug. Cap. *Sane*, & de conuers. coniug. Cap. *coniugatus*, & 32. d. Can. *seriatim*, & 77. d. Can. *Episcopus*. Quam rem bene resoluit glossa in fine dicti capitis *Coniugatus*. Secvndvm est, vt nemo, postquam initiatus est sacris ordinibus, vxorem ducat: sicut patebit ex multis canonibus Ecclesiasticis, quos postea suis locis citabimus. Tertivm est, vt qui sacris ordinibus initiatus est, perpetuam seruet continentiam non modò ab actibus venereis per se illicitis, sed etiam ab vsu matrimonij, si fortè antequam sacris initiaretur habuisset coniugem; vel ipsa coniuge vouente perpetuam continentiam ordinatus esset, (sicut iure licet, vt antè dictum est) vel fraude aliqua aut dissimulatione. Atque hoc Tertivm est præcipuum, ad quod lex cœlibatus obligat. Nam propter hoc obligat etiam ad Primvm & Secvndvm; scilicet ne quis coniugatus absque illo voto vxoris, ordinem sacrum suscipiat; & vt nemo sacris iam initiatus matrimonium ineat. Vtrumque enim ideo iniungitur, quia ex eadem lege cœlibatus necessarium inprimis est ab Vsu etiam matrimonij abstinere, postquam sacer aliquis ordo est susceptus.

Hoc igitur posito Quæritvr iam in hoc primo capite, An non solùm Ecclesiastico iure, sed etiam *diuino* lex ista Cœlibatus cõstet quoad omnia illa tria ad quæ obligat, vel saltem quoad aliquid illorum. Quæ quidem quæstio non differt à quæstione illa qua quæri solet, Vtrum votum solenne continentiæ sit annexum sacris ordinibus non modò iure Ecclesiastico, sed etiam iure diuino. Votum enim istud constinentiæ annexum sacris Ordinibus, quod ad rem ipsam attinet, non aliud est quàm illa obligatio ad nõ ducendam vxorem post sacros ordines susceptos & etiam ad perpetuam continentiam deinceps seruandam. Nam hæc ipsa obligatio, quatenus propter maiorem Dei cultum iis qui sacris initiantur imposita est; Votum continentiæ implicitum à Doctoribus appellatur. Neque enim in susceptione sacri Ordinis necesse est votũ expressum fieri ab eo qui ordinatur, sed hoc ipso quòd sacrum ordinem vnà cum annexa obligatione ad continentiam perpetuam suscipere vult, idque propter Dei cultum, qui aliâs in votis expressis respici solet, dicitur implicitè vouere continentiam. Item ea ipsa obligatio nominatur votum *sõlenne*, quatenus non solùm impedit matrimonium contrahendum, sed etiam dirimit contractum, id est, efficit vt si quis sacris initiatus matrimonium inire tentet, matrimonium non valeat.

Reperio autem de hac quæstione tres omnino sententias. Prima est Clitouei in lib. de continentia Sacerd. cap. 4. vbi asserit, legem cœlibatus esse de iure diuino quoad illud Secvndvm: vt scilicet qui sacris initiatus est, vxorem non ducat. Esse autem tantùm de iure Ecclesiastico quoad Tertivm, vt scilicet, ne qui sacris initiatus est, vti possit matrimonio ante ordinationem contracto: atque adeò etiam quoad Primvm, ne scilicet, qui iam matrimonium contraxit, ordinari possit nisi vxore perpetuam castitatem vouente. Hæc enim duo necessariò sunt inter se connexa.

Fundamentum huius opinionis est, quod nunquam licuisse videtur post Sacram ordinationem vxorẽ ducere: quod ipsum iuris diuini indicium est. Contra verò legimus sæpe multos ex veteribus Episcopis vxores habuisse, quas videlicet ante ordinationem duxerant, itemque illis cohabitasse. Ex quo videtur esse consequẽs, licuisse etiam Episcopis vti matrimonio; & consequentur non esse iuris diuini, vt quis matrimonio ante ordinationem contracto non vtatur.

Et confirmatur hoc ex loco Apostoli 1. Timoth. 3. vbi ait, *oportere Episcopum esse vnius vxoris virum, domui suæ bene præpositum, filios habentem subditos.* Habuerunt igitur Episcopi tempore Apostolorum vxores & liberos domi. Accedit quòd D. Petrus & etiam alij Apostoli, vt quidã existimant, excepto D. Ioanne, vxorati fuerũt, de quo postea videbimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HAEC prima sententia non satis per se consistere videtur, cùm ponit non esse iuris diuini cõtinẽtiam ab vxore ducta ante ordinationem, & tamen iuris esse diuini ne quis post ordinationem vxorem ducat. Ex primo enim manifestè sequitur, secundum esse falsum. Nam vt optimè attigit Sotus lib. 7. de Iust. q. 6. art. 2. ideo oportet prohibitum esse, ne quis post Ordinationem vxorem ducat; quia prohibitum est, ne quis post ordinationem matrimonio *vratur*. Nõ enim iis qui sunt in sacris ordinibus, matrimonio interdicitur propter ipsum actum *contrahendi & ducendi* vxorem, siquidem iis actus sanctus & religiosus est, & honestissimus, & constituens vnum quoddam Sacramentum; sed propter *vsum* certè ipsius matrimonij, qui videtur minùs dignitatem atque officium hominum Sacratorum decere, sicut postea ostendemus. Quare si iure diuino non est ipse vsus matrimonij prohibitus sacratis hominibus, vt Clitoueus concedit, & paulò post verũ esse asseremus; consequitur, neque eis esse iure diuino prohibitum, ne post ordinationem vxorem ducant.

Et ad fundamentum contrarium facilè respondetur, etiamsi nunquam licuerit, aliquem post ordinationem sacram, vxorem ducere, tamen non esse id necessarium indicium iuris diuini, sed posse id esse indicium iuris Ecclesiastici antiquissimi, atque adeò Apostolici, vt reuera est, sicut postea ostendemus.

Ad aliud autem, quod ex contrario in eodem fundamento addebatur, legi quosdam post ordinationem retinuisse vxores prius ductas, & eis cohabitasse, respondemus verum quidem id esse, vt infrà patebit; sed tamen non ita, vt eis licuerit post ordinationem vxoribus etiam *vti*. Neque hoc necessariò ex cohabitatione sequitur: maximè cùm illi qui antea coniugati ad ministeria Ecclesiastica assumebãtur, solerent plerumque olim esse viri sancti, & docti, & prudentes, qui facilè continere possent, etiamsi vxoribus vt illarum maiorem curam, & solicitudinem gererent, in eadem domo cohabitarent; sicut de hoc postea dicemus.

Neque verò Apostolus in illo loco 1. Timot. 3. aliud præterquam cohabitationem significat. Rectè enim D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & Ambrosius in illum locum, notant Apostolum non dixisse filios facientem, sed filios *habentem*, subditos, &c. Neque ibi necessariò etiam requirit, vt Episcopus habeat vxorem & filios, quos ante ordinationem susceperit, sed significat necessarium fuisse, vt Episcopus non habuerit *plures* quàm vnam vxorem; sicut postea ad quoddam argumentum sectariorum respondebimus.

SECVNDA opinio est Ioannis Maioris in 4. d. 24. q. 2. Item Michaelis Medinæ lib. 5. de sacrorum homin. Continentia, capite 99. & 100. & quorundam aliorum. Hi dicunt legem hanc cœlibatus simpliciter, quoad omnia illa quæ includit, esse iuris *diuini*; saltem ita vt nequeat aliquis simul vti ordine sacro, & matrimonio vacare, quemadmodum explicat Michael Medina. Fundamenta autem huius sententiæ præcipua sunt hæc.

PRIMO, quia Christus Lucæ 21. præcepit: *Attendite ne grauentur corda vestra crapula, et ebrietate, et curis huius vitæ.* Id quod Leo serm. 8. de ieiunio 10. mẽsis, ad ministros Ecclesiæ inprimis pertinere dicit. Vnde rursus colligitur, iure diuino, id est, ex vi istius præcepti Christi debere Ecclesiæ ministros coniugio abstinere: siquidem dubitari non potest, quin cum matrimonio maximè coniunctæ sint curæ, & solicitudines huius vitæ.

SECVNDO, Deutero. 33. in benedictione Leuitarum inter cætera de eis dicitur, quòd *filios suos nesciuerũt*. Vbi sensus est, illos filios non habuisse. quod cùm constet ad literam falsum esse de Leuitis illis veteris testamenti; necesse est, id spiritualiter, & propheticè intelligi de Leuitis, id est, de ministris noui testamẽti: ac proinde illos iure diuino debere esse cœlibes.

TERTIO, Apostolus 1. Timot. 3. de Episcopis inter cætera ait, oportere eos habere filios subditos *cum omni*, inquit, *castitate*. Quæ verba ad ipsos item Episcopos parentes inprimis referri videntur, vt scilicet ipsi etiam *cum omni castitate* filiorum suorum curam gerant. Nam cùm in eodẽ capite Apostolus *similiter & diaconos pudicos esse oportere* dicat; non est credibile ipsum nihil etiam de castitate Episcoporum ibi dixisse. Atque etiam ad Titum 1. clarius dicit; Episcopum *oportere esse sobrium, iustum, continentem*. Quo postremo verbo abstinentiam etiam à coniugio indicat, quandoquidem coniugatus nõ dicitur continens.

QVARTO 2. Timoth. 2. idem Apostolus Timotheum Episcopum his verbis monet: *Labora vt bonus miles Christi Iesu: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Non igitur qui Deo militant in sacris ministeriis, implicare se matrimonio debent, quod habet vel maximè multa negotia secularia. Id quod ex verbis etiam, quæ ante ordinationem dici solẽt ab Episcopo Subdiaconis, confirmari potest. Ibi enim Subdiaconi monentur, fore, vt si ordinem sacrum suscipiant, non possint amplius redire ad vota secularia contrahendo matrimonium.

QVINTO, idem Apostolus ad. Tit. 2. Titum Episcopum admonet *apparuisse benignitatem Saluatoris nostri, vt abnegantes*, inquit, *impietatem, & secularia desideria sobriè & iustè*, &c. Ex quo videtur etiam illum à coniugio, in quo desideria secularia sunt, deterrere.

SEXTO, D. item Petrus 1. Epist. cap. 5. monens Ecclesiarum pastores, *Sobrij*, inquit, *estote, & vigilate*, &c. Quibus verbis alludere ad legem continentiæ

tinentiæ videtur, qua tenerentur Ecclesiæ Pastores. Ideo enim monet, vt *sobrij* sint, vt continere se facilius possint. Quemadmodum etiã D. Paulus, 1. Cor. 11. ad eandem legem alludisse videtur, cùm præcepit mulieribus *velare caput in Ecclesia; propter Angelos*, inquit, id est, propter sacros ministros, ne alioqui tententur in Ecclesia. Eos enim aiunt quidam ab Apostolo ibi nominatos esse *Angelos*, iuxta illud Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis custodiant scientiam, &c. quia Angelus Domini exercituum est*.

SEPTIMO accedit, quod Siricius Pontifex in epist. ad Hymerium Episcopum Taraconẽsem, sanciens legem de cœlibatu, inter cætera ad eius confirmationem adducit, quòd *Christus*, inquit, *voluit in Ecclesia sua castitatem radiare*. Ex quo videtur, legem de eiusmodi castitate Sacerdotum esse diuinam.

SED his argumentis nõ obstantibus TERTIA sententia nobis tenẽda est tanquam cõmunior & verior: videlicet legẽ cœlibatus quoad omnia illa, quæ includit esse tãtummodò iuris *Ecclesiastici*; non diuini: atq; adeò votũ continentiæ iure tantum Ecclesiastico sacris ordinibus annexum esse. Ita docet D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. & Magister in 4. d. 34. & 37. & Durãdus ibi d. 37. q. 1. & alij Doctores Scholastici in iisdem locis cõmuniter. Item Albertus Pygius Controuersia 15. Caietan. tom. 1. Opuscul. tract. 27. Sotus lib. 7. de Iustitia, q. 5. art. 3. & q. 6. art. 1. & 2. Petrus de Soto in instit. Sacerd. lect. 5. de Matrimon. Et Claudius Spensæus lib. 1. de cõtinentia Sacerd. cap. 3. & alij passim recentes Scriptores.

Probatur hæc sententia PRIMO, quia nusquã extat hac de re expressum aliquod ius diuinum: vt patebit ex responsione ad argumenta secundæ opinionis. Neque etiam ratione ipsa naturali tale aliquod præceptum iuris diuini colligi potest. Nam etsi ratio dictat quidem tanquam rem consentaneam, vt qui tam sancto ministerio destinati sunt, seruent perpetuam continentiam, quò sanctiùs & puriùs sanctissimo ministerio fungantur; non tamen hoc dictat, tanquam rem planè necessariam, cùm sit alioqui licitus & Deo placens vsus legitimi coniugij.

SECVNDO probatur eadem sententia, quoniam Ecclesia Roma multis iam seculis concessit Græcis Sacerdotibus vsum Matrimonij ante ordinationem contracti. Vt patet in cap. *Cùm olim*. ext. de Clericis coniugatis. Quanquam ita quidem id concesserit Ecclesia Romana, vt tamen eam Græcorum consuetudinem minùs probet, & ex abusu ortam esse intelligat.

TERTIO probatur, quoniam Diuus etiam Gregorius libro primo Registri, epist. 42. Subdiaconis Siciliæ concesit, vt vti possent vxoribus ante ordinationẽ ductis, licet in posterum prohibuerit tales ordinari, nisi vnà cum vxoribus continentiam vouerent.

QVARTO item probatur ex Concilio Ancyrano, can. 10. Vnde apparet, potuisse olim Diaconos etiam post ordinationem ducere vxores, si ad eam rem ipsis concederent facultatem Episcopi. Quod Concilium fuit approbatum vnà cum aliis quibusdam prouincialibus Conciliis à Leone IV. dist. 20. Can. *De libellis*. POSTREMO accedit, quod in Concilio Trid. sess. 24. can. 9. ista lex cœlibatus vocatur *Eccleſiastica*, sicut passim etiam ab aliis Conciliis, & Patribus.

Ad PRIMVM igitur argumentum SECVNDÆ sententiæ respondeo, Christum illis verbis Lucæ 21. non prohibuisse omnino *curas huius vitæ*, sed nimias curas & solicitudines, quæ auertant à necessaria cura salutis spiritualis. Atque id patet manifestè *Primò*, quoniam præceptum illud Christus dedit in communi omnibus fidelibus, quos ea ratione voluit præparare ad extremum iudicium, cuius nimirum expectatio ad omnes cõmuniter pertinet. Certum autẽ est, fidelibus omnibus in cõmuni, nec posse, nec debere absolutè curam omnem rerum secularium prohiberi. *Secundò*, quoniam ipse D. Leo initiò illius serm. 8. de Ieiunio 10. mensis, expresè affirmat, Christum eo præcepto *totam Ecclesiam* in Apostolis voluisse instruere. Nec dicit ibi Leo (sicut in argumento obiiciebatur) peculiariter præceptũ illud ad Ecclesiæ ministros pertinere. Quãquam verum alioqui est, ministros Ecclesiæ maximè diuinis præceptis omnib. obligari. Sed dicit Leo peculiariter illud præceptum spectare ad eos, qui *viciniores sunt extremo iudicio*, qualem se & eos, qui suo tempore viuebant, dicit ibi esse. *Tertiò*, quoniam ex Apostolo 1. Timoth. 3. constat, non solùm vulgò fideles, sed etiam ipsos Episcopos debuisse habere curam aliquam moderatam rerum secularium. Debuerunt enim esse *domui suæ bene præpositi*, & curam filiorum, si quos suscepissent, atque adeò etiam vxoris, habere, &c.

Ad SECVNDVM argumentum respondeo, Vt maximè concedamus benedictionem illam Leuitarum, ita Propheticè de ministris noui Testamenti intelligendam esse; tamen id vaticinium æquè de illis verificari posse, siue per legem diuinam, siue per legem Ecclesiasticam cõtinentes sint, & filios non generent. Quamuis enim ex vi solius legis Ecclesiasticæ hoc fiat; verum tamen est, eos, filios non generare, atque adeò impleri vaticinium.

Ad TERTIVM respondeo, ex illis duobus locis optimè probari, legem istam de cœlibatu esse Apostolicam, vt postea etiam videbimus; non tamen inde colligitur esse diuinam. Non enim præceptum illud Apostoli est de tali re, quam nõ potuerit ipse præcipere auctoritate sua Apostolica. Secus, si præceptum esset de vsu alicuius Sacramenti, quod cùm cõferat ex opere operato gratiam, non potest esse efficax nisi ex institutione diuina. Vt est illud præceptum, quod de

Universidad de Deusto
Biblioteca

extremæ Vnctionis vsu dedit Iacobus in sua Canonica, cap. 5.

Ad QVARTVM respondeo, nõ prohibere illis verbis Apostolum omnino curam negotiorum secularium, sed ne aliquis illis *implicetur*, & quasi absorbeatur. Quod quidem licet maximè ministri Ecclesiæ cauere debeant, non tamen inde sequitur eos coniugij etiam curas debere vitare iure diuino.

Ad QVINTVM similiter respondeo. Loquitur enim ibi Apostolus cum omnib. fidelibus in cõmuni, vt patet ex eo, quòd inquit: *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri omnibus hominibus, &c.* Omnes enim debent abnegare impietatem, & nimiũ studium ac desiderium rerum secularium. Quo pacto loquitur etiam D. Cyprianus cum lib. 3. ad Quirinum, cap. 11. monet, eos, qui fidem iam adepti sunt, non debere *attendere ad seculum, sed cœlestia*, inquit, *meditari*.

Ad Confirmationem respondeo, *secularia vota* seu desideria, ad q̃ in ordinatione subdiaconorũ dicitur, eos non posse postea transire, ibi significare *statum* vitæ secularis, tametsi alioqui licitũ; qualis est coniugalis status. Quare non eodem modo ibi accipiũtur secularia vota seu desideria, quo in loco illo Pauli ad Titum, vbi vult ab omnibus abnegari *impietatẽ & secularia desideria*, id est, vana & mundana, quod fieri debet iure diuino.

Ad SEXTVM respondeo, non ad legem aliquã diuinam cœlibatus, sed ad maiorem obligationem, qua potissimùm ministri Ecclesiæ tenẽtur iure diuino vitare illicitas libidines, D. Petrum & Diuum Paulum illis locis alludere; dato quod ibi Paulus intelligat per *Angelos* Ecclesiæ ministros.

Ad SEPTIMVM respondeo, sentẽtiam verborum Siricij esse, quòd Christus voluerit in communi, vt castitas eo modo & ratione in Ecclesia eniteret, quo expediret ad optimum statum & decorem ipsius Ecclesiæ. Ex hac autem volũtate Christi generali rectè quidem deductum est in specie ius *Ecclesiasticum* de cœlibatu sacrorum ministrorum: sed hoc tamen non idem est, atque hoc idem ius in specie esse diuinum. Atque hactenus de primo capite.

Quàm antiqua sit lex cœlibatus. §. 2.

QVOD ad SECVNDVM attinet Caluinus lib. 4. Institut. cap. 12. sect. 25. non est veritus affirmare, omnes veteres Patres approbasse coniugium in Episcopis: & intelligit etiam quoad *vsum*. Quod si verum est; sequitur legem cœlibatus non esse antiquam.

Item Philippus Melãchton in Apologia Confess. Augustanæ dicit, legẽ cœlibatus repugnare antiquis Conciliis, & à solo Papa contra Synodorum auctoritatem esse sancitam. Item ait, in Germania quidem non nisi ante 400. annos illã fuisse introductam. Quod idem affirmat Kemnitius in Examine, can. 9. sess. 24. vbi prolixè texit historiam, vt ipse inquit, de cœlibatu, non sine calumniis & fraudibus.

Porrò ex Catholicis scriptoribus quidam etiam putant legem de cœlibatu à Siricio primùm fuisse sancitam, qui sedit circa annum 390. neq; illam, vel ante, vel etiam post Siricium, fuisse in Græca quidem Ecclesia receptã. Ita nominatim asseruit Clitoueus, vbi suprà, scilicet libro de Continentia, cap. 4. & seqq.

Cæterùm VERISSIMA sententia est illa, quã diligenter asseruit Sotus lib. 7. de Instit. quæst. 6. art. 2. nempe legem cœlibatus esse antiquissimã, vtpotè planè *Apostolicam*. quod non modò Sotus & alij Scriptores recentes, verùm etiam plerique ex veteribus Patribus sentiunt, vt patebit ex iis, quæ ad Confirmationem huius sententiæ afferemus. Ex quibus etiam manifestè constabit, Caluinum, Melãchtonem, & Kemnitium luculenter fuisse mentitos.

Probatur igitur hæc sententia PRIMO ex loco illo Apostoli, Tit. 1. *Oportet Episcopum* (quo nomine comprehendit etiam Presbyterum) *esse sobrium, iustum, sanctum, continentem*. Vbi ideo addidit etiam *continentem*, quia vocabulum Græcum σώφρονα (quod ibi Latinè redditum est, *sobrium*) ambiguum est, & significare potest etiam temperantem seu castum. Itaque vt Hieronymus in eo loco exponit, *continentem* etiã addidit: *nempe*, inquit Hieronymus, *ab vxoriis etiam amplexibus*.

SECVNDO, eodem quoq; pertinet locus ille, 1. Tim. 3. *Filios habentem subditos cum omni castitate*. Quæ verba, vt suprà dixi, ad ipsum etiã Episcopum referri debẽt: vt scilicet is intelligatur cum omni castitate, atque adeò etiam cum illa, quæ consistit in cõtinentia ab vxore, debere in domo sua versari, ac illi præesse.

TERTIO probatur clarissimo testimonio Patrum Concilij II. Carthag. can. 2. *Placuit*, inquiunt, *& condecet, sacros sanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus; quò possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare. Vt quod* APOSTOLI *docuerunt, et ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.*

QVARTO probatur ex Calixto I. qui præfuit Ecclesiæ circa annum 218. Is enim apud Gratianum distinct. 27. Canone *Presbyteris*. ita inquit: *Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, & Monachis, concubinam habere, seu Matrimonia contrahere penitùs interdicimus: contracta quoq; Matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, iuxta sacrorum Canonum definitiones iudicamus*. Quo loco, cùm Calixtus sacros Canones antiquiores, ipse etiam antiquus Pontifex, ad eam rem citet; argumento id est, hanc legem cœlibatus esse Apostolicam.

QVINTO idem rursus probatur ex Can. 27. Apostolorum, vbi præcipitur, vt ex Clericis tantummodò

tummodò Lectores & Cantores (intellige etiam alios, qui sunt itidem in minoribus officiis) possint vxorem ducere.

SEXTO, contra mendacium Melãchtonis, & Kemnitij nominatim facit, quod Zacharias Põtifex in epistola ad Bonifacium Germaniæ Episcopum inculcauit etiam legem hanc cœlibatus. Sedit autem hic Zacharias ante annos 800. Item, quod in Conciliis ante annos 700. in Germania ipsa celebratis; vt in Mogũtino, & VVormatiensi lex etiã cœlibatus indicitur, sicut postea §. 3. videbimus.

Ridiculum autem est, quod Kemnitius commemorans illam epistolam Zachariæ ad Bonifacium, fingit Bonifacium legem illam cœlibatus Germanis non promulgasse. Quomodo hoc credibile est, cùm id Bonifacius in mandatis à Pontifice habuerit? Sed ait Kemnitius, Auentinum, Concilium quoddam à Bonifacio in Germania celebratum commemorare, in quo non fit mentio huius legis cœlibatus, sed tantùm ibi prohibentur Sacerdotum scortationes.

At hæc leuissima coniectura est. Nam primùm nõ oportet in omni Concilio quascunque leges in aliqua prouincia promulgatas rursus repeti. Deinde, cùm Matrimonia Sacerdotum contra legem cœlibatus inita, minimè vera Matrimonia sint; rectè possunt scortationes appellari; atque adeò possumus intelligere sub nomine *Scortationum* fuisse etiam à Bonifacio prohibita.

Illud autem longè est intolerabilius, quod idem Kemnitius impudentissimè mendacium esse dicit, quod Patres Concilij Carthaginẽsis II. dixerunt, Apostolos ipsos continentiam istam docuisse. Neque tamen vllum vel testimonium, vel argumẽtum miser proferre potuit, quo persuaderet, Patres illos doctissimos alioqui & sanctissimos atq; antiquissimos, potiùs quã ipsum met, fuisse mentitos. Non est igitur, quod Kemnitio potiùs, quàm illis Patribus assentiamur: præsertim cùm nihil ille afferat ad probationem præter hæresin suam anticipatam.

Sic etiam quod dicit, sentẽtiam illam Calixti & alias similes ex epistolis antiquorum Pontificum, commentitias esse; nullo modo probare potest. Et habemus huiusmodi epistolas Pontificum vnà cum Canonibus etiam Apostolorum egregiè probatas ac defensas à Francisco Turriano in opere suo de hoc argumento aduersus Magdeburgenses Centuriatores. Et certè dubitari nõ potest, quin illarum epistolarum auctores fuerint orthodoxi & antiqui.

Cæterùm, quoniam in §. etiam tertio varia veterum testimonia afferemus, ex quibus non modò vtilitas, sed etiam antiquitas legis de cœlibatu constare poterit; nunc illud solum in hoc loco restat, vt ad quædam respondeamus, quæ ex Canonibus antiquis solent obiicere Sectarij, vt probent, legem cœlibatus non esse ex sententia antiquorum Canonum, sed cum illis pugnare.

PRIMO obiiciunt, Canonem sextum Apostolorum, in quo dicitur, *Episcopus aut Presbyter vxorem propriam nequaquam obtentu religionis abiiciat*.

Respondet Turrianus libro quinto pro epistolis illis Pontificum, & Sotus vbi suprà, & ante illos Vmbertus, legatus quidam Leonis IX. in libro quem hac de re contra Nicetam Abbatem Græcum (sicut postea dicemus) scripsit; præcipi in eo Canone solùm ne prætextu cautelæ, seu religionis Presbyter aut Episcopus, qui ante ordinationem vxorem duxit, curam vxoris abiiciat. Debet enim illam alere, & ei prouidere, vt cauetur in Concilio Turonensi II. Canone octauo. Itaque ille Canon sextus Apostolorum potiùs nobis suffragatur. Supponit enim debuisse Episcopum, & Presbyterum, qui ante ordinationem duxisset vxorem solicitè atque religiosè cauere, ne illa de cætero vteretur, & præcipit ne *prætextu huius religionis siue cautelæ*, quantumuis alioqui ob legem cœlibatus necessariæ, curam vxoris deponat. Quod enim ibi legimus Latinè *Religionis*, in Græco ipso Canone est εὐλαβείας, quæ vox significat etiam *cautelam* seu cautionem quandam.

SECVNDO obiiciunt, quod 26. quæst. 2. Can. *Sors*, ità dicitur: *Copula Sacerdotalis, nec legali, nec Euangelicâ, neque Apostolica authoritate prohibetur: Ecclesiastica autem lege penitùs interdicitur*. Non est igitur ista lex cœlibatus antiqua ab ipso tempore Apostolorum.

Respondeo, ista verba non esse ipsius Canonis, sed Gratiani: id quod fraudulenter Kemnitius dissimulauit. Gratianus verò nullum firmum argumentum vel testimonium habuit, vt negaret hanc legem esse Apostolicam.

TERTIO obiiciunt Canonem, *Si quis amodo* 81. dist. & cap. *Sanè*, & cap. *Si qui Clerici*. Extra de Clericis coniug. ex quibus locis apparet, vsitatum fuisse aliquando, vt Sacerdotes acciperent vxores.

Respondeo, Vsitatum quidem perperam ab aliquibus id fuit: sed tamen minimè id licuit: imò eo nomine grauiter puniti fuerunt, qui sic fecêre: vt ex iisdem textibus manifestè apparet. Præcipit enim Alexander II. in illo Canone, *Si quis amodo*, vt tales eiiciantur ê gradu Ecclesiastico: id quod item Kemnitius fraudulenter dissimulauit. Sic etiam puniuntur tales in illo titulo, Extra de Cler. coniug.

QVARTO obiiciunt, quod in Concilio Gangrensi Canone quarto, ita legitur: *Quicunque discernit à Presbytero, qui vxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante oblationem accipere, anathema sit*.

Respondeo, hoc loco anathema iis dici, qui ab eiusmodi Presbytero, & eius ministerio abhorrent, quasi Matrimonium per se fuisset

Universidad de Deusto
Biblioteca

malum, etiamsi talis post ordinationem quidem A à coniuge quam ante duxisset abstineret. Atque hunc Canonis esse sensum, patet primò ex Canone primo eiusdem Concilij, vbi anathema dicitur iis, qui putabant, Matrimonium esse per se *malum*. Deinde etiam ex ipso Canone quarto. Dicit enim, *qui vxorem habuit*, de præterito; non autem qui habet, & vtitur eius consuetudine.

QVINTO obiiciunt Canonem quinquagesimum Apostolorum, vbi sic dicitur: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quis omnino ex Sacerdotali consortio, nuptiis & carnibus & vino abstinuerit, non propterea, quòd mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, sed propter abominationem: oblitus quòd omnia pulchra valdè, & quod masculum & fœminam Deus creauit hominem; sed diffamationibus lacessens, creationem Dei vocat ad calumniam; aut corrigitor, aut deponitor, aut ex Ecclesia eiicitor.*

RESPONDEO, hunc Canonem esse potiùs pro nobis. Nam manifestè in eo ipso insinuatur præceptum alioqui Apostolicum, vt scilicet tales ministri abstineant à nuptiis: eo quidem fine, vt reddantur *exercitatiores* ad cultum pietatis. Quare tantùm prohibet ne ab illis abstineãt ex illa *abominatione Matrimonij*, quæ damnatur etiam in Concilio Gangrensi, vt vidimus. Quemadmodum etiam non nisi hoc modo in eo Canone prohibetur abstinentia *à carnibus & vino:* C siquidem licet alio fine ab iis abstinere, vt ostendimus tomo tertio, disputat. 9. in quæst. de Ieiunio. Hunc autem Canonem 50. Apostolorum truncatè, & fraudulenter Kemnitius recitauit, omissa illa negatiua, quæ nobis fauet, *Non propterea, quòd mens ad cultum, &c.*

SEXTO obiiciunt Canonem 13. Synodi VI. in Trullo, vbi apertè damnatur consuetudo Ecclesiæ Romanæ de voto continentiæ in ordinatione, & vrgetur contra illam Canon ille 6. Apostolorum, vbi dicitur: *Ne prætextu Religionis, &c.*

RESPONDEO, Canones illos Trullanos non habere auctoritatem. Non enim sunt re vera ipsius sextæ Synodi, quæ nullos condidit Canones, vt patet ex septima Synodo, actione 4. & 5. sed postea quidam Episcopi conuenerunt in Trullo, id est, in palatio sic dicto Iustiniani Imperatoris, & sine legitima Concilij authoritate ediderunt eos Canones, vt diligenter inter cæteros ostendit Franciscus Turrianus libro de Canonib. sextæ, septimæ, & octauæ Synodi. Neque eiusmodi Canones ab vllo Pontifice approbati fuerunt, sed reprobati potiùs à Sergio Pontifice, qui tunc temporis regebat, vt refert Beda libro de sex ætatibus in Iustiniano, & Paulus Diaconus libro octauo de rebus Roman. capite nono. Quare Beda vocat cœtum illum *erraticam Synodum*.

Ad Canonem autem Apostolorum, quem vrgent illi Trullani, iam antea facilè respondimus, & ostendimus, illum potiùs suffragari nobis. Quam responsionem nostram attigit quidem Kemnitius, sed nullo modo refutauit, neque refutare potest.

Accedit his omnibus, quòd ille Canon Trullanus nequaquam fauet nostris Sectariis. Solummodo enim statuit, vt liceat vti vxoribus ante ordinationem ductis: & id quidem non nisi inferioribus ministris Episcopo: vt patet ex Canone 6. 12. & 48. eiusdem Synodi Trullanæ. Nostri autem Sectarij etiam Superintendentes seu Episcopi, & ante & post ordinationem nubere volunt. B

SEPTIMO obiiciunt Canonem tertium Concilij V. Carthaginensis, vbi dicitur, *vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi se abstineant ab vxoribus in propriis terminis*, id est, in ordine vicis suæ in ministrando. Ita enim exponit Canon ille 13. Trullanus.

RESPONDEO, Concilium illud Carthaginense, quod Latinum non Græcum fuit, non habere *in propriis terminis*, sed *secundùm priora statuta*, nempe Carthaginensis II. cuius Canonem secundum, suprà hac de re citaui. Et sic etiam iste Canon Concilij Carthaginensis recitatur à Gratiano 32. distinct. Can. *Placuit*. Græci autem cùm non satis fortè intelligerent Latina verba, malè verterunt, *in propriis terminis*. Nam, C quod alioqui in eo Concilio consuetudo coniugalis penitùs eiusmodi ministris interdicta sit, intelligi etiam potest ex Augustino libro secundo de adulterin. coniug. qui illi Concilio interfuit.

OCTAVO obiiciunt Canonem, *Cùm igitur*, ex Augustino 35. quæst. 1. vbi dicitur, Ecclesiam *post Apostolica instituta quædam consilia perfectionis addidisse, vt de continentia Clericorum.*

RESPONDEO, hæc verba non esse Canonis, sed Gratiani. Nec aliud Gratianus dicere vult, nisi quòd Ecclesia, quædam, quæ quantum est ex ipso iure diuino solum erant consilia, præcepto etiam stabiliuit & addidit, ex quorum genere est ista continentia Clericorum. Quod autem ibi insinuat Gratianus, hanc legem non esse D *Apostolicam*, iam antea etiam diximus in ea re illum falli.

NONO obiiciunt, quod Stephanus Papa Canone *Aliter*, 31. dist. dicit, *in Orientali Ecclesia Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos Matrimonio copulari: in Occidentali autem non habere licentiam sortiendi coniugium.* Potuerunt igitur in Orientali Ecclesia etiam post ordinationem inire Matrimonium. Vnde sequitur, non esse tam antiquam hanc legem cœlibatus quàm dicimus.

RESPONDET Glossa, illud quod Stephanus inquit, *Matrimonio copulari*, non significare, inire Matrimonium, sed copula Matrimonij *vti*; id quod ex concessione quadam ab aliquot seculis licuit

licuit in Ecclesia Orientali. Verùm illa interpretatio Glossæ non satis videtur textui consentanea. Nam vt patet ex antithesi, quam ibi facit Stephanus, pro eodem ille accepit, *Matrimonio copulari, & sortiri coniugium.* At sortiri coniugium, inire Matrimonium est. A

Quare Caietanus tomo 1. Opuscul. tract. 27. reiecta illa explicatione glossæ, concedit absolutè licuisse in Ecclesia Orientali Matrimonium etiam *contrahere* post ordinationem.

SED hęc sententia Caietani contra cõmunem omnium aliorum Doctorum sententiam est, neque habet satis firmum fundamentum in illis verbis Stephani. Nam vt rectè attigit Sotus libro 7. de Iustit. q. 6. art. 2. facilè respondere possumus, quod Stephanus dicit *Matrimonio copulari*, tantundem esse, atq; Matrimonio esse & manere copulatos, quod non post ordinationem, sed ante contractum fuit. B

Et in hoc est discrimen illud, quod Stephanus ponit inter Orientales & Occidentales Ecclesiæ ministros, quòd in Orientali Sacerdotes, id est, illi, qui Sacerdotio initiandi sunt, possunt ante ordinationem Matrimonio copulari, & eo copulati permanere, atque etiam illo vti, non autem in Occidentali. Adde quòd non satis compertum est, quisnam Stephanus Papa illud dixerit: neque hoc Gratianus indicauit.

DECIMO obiiciunt, quòd D. Leo epist. 85. aliàs 87. dicit; *Dicente Apostolo, vt is Episcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuisse, aut esse constaret; tam sacra semper est habita ista præceptio, vt iam de muliere Sacerdotis eligenda eadem intelligatur seruanda conditio, nec alterius viri esset experta coniugium.* Ex quo Leonis testimonio sequi videtur, Sacerdotes & Episcopos posse etiam post ordinationem sibi deligere vxorem. C

RESPONDEO in plerisque Codicibus correctioribus non dici de muliere Sacerdotis *eligenda*, sed de muliere Sacerdotis *eligendi*, vt scilicet si is, qui eligendus est, habuerit vxorem, fuerit quoque ipsa nullum aliud experta coniugium. Alioqui idem D. Leo epist. 84. expressissimè dicit, Episcopum ita vnius vxoris virum esse posse, vt tamen ab illa, si illam adhuc habeat *perpetuò sese contineat.* D

VNDECIMO obiiciunt verba cuiusdam epistolæ Clementis, quæ sic habent: *Ministri altaris ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem coniuges suas nouerint.*

RESPONDET optimè Sotus loco citato, ista verba *negatiuè* accipienda esse: vt sit sensus, qui non post ordinationem coniuges suas cognoscant, quamuis antea id potuerint. Alioqui si absolutè & affirmatiuè illa verba acciperentur; sensus esset non debere nec posse vnquam ordinari eos, qui ante ordinationem non habuerint, & cognouerint vxores: quod esset præceptum absurdum.

DVODECIMO obiiciunt, quòd aliquando potuerunt Diaconi post ordinationem ducere vxores: vt patet ex Concilio Ancyrano, can. 10. & Subdiaconi, vt patet ex Gregorio, quem suprà in probatione nostræ assertionis citaui.

RESPONDETVR id aliquando licuisse Diaconis; sed non nisi ex dispensatione quadam & licentia Episcopi, vt in illo Concilio Ancyrano dicitur: quæ ipsa dispensatio indicium potiùs est legis de cœlibatu. Neque verò iam à multis seculis licuit in ea re dispensare Episcopis.

Gregorius autem cum Subdiaconis Siciliæ *dispensauit*, vt suprà commemoraui: idque non, vt post ordinationem acciperent vxores, sed vt antè acceptis vterentur. Ac procedit hæc responsio, posito, quòd lex cœlibatus sit antiquissima & Apostolica, etiã quoad Diaconos & Subdiaconos. Id quod omnino existimandum est, quandoquidem Calixtus, etiam Diaconorum, & Subdiaconorum continentiam dixit esse secundùm sacros Canones, cuius testimonium suprà citaui. Quod si aliquando Subdiaconatus non dicitur ordo *sacer*, id est, qui haberet votum annexum continentiæ; intelligi hoc debet, non quasi nulla lex de Subdiaconorum continentia aliquando extaret, sed quia facilè & crebro super ea re olim dispensatio fiebat, & eatenus accidebat, vt ordo ille non esset sacer. Quemadmodum etiam & cum Diaconis per Episcopos aliquandò dispensatum est, vt patet ex Concilio illo Ancyrano.

DECIMO TERTIO obiiciunt, quòd aliquãdo licuit Ecclesiasticis habere secum domi vxores. Nam Cyprianus, vel quisquis ille fuerit auctor, libro de singularitate Cleric. sub finem, ita dicit: *Si quis Clericorum habeat matrem, vel sororem, vel coniugem, vel cognatam; sic habeat, vt nulla ancilla intersit.* Et in Concilio etiam Arelatensi II. Canone tertio: *Si quis*, inquit, *Clericorum à Subdiaconatu in solatio suo mulierem præter matrem, auiam, sororem, filiam, neptem, vel conuersam secum vxorem habere præsumpserit, à comunione alienus habeatur.*

RESPONDEO, iam suprà nos concessisse, licuisse habere domi etiam vxorem: sed *conuersam*, vt inquit Concilium Arelatense, id est, quæ perpetuam continentiam vouerit. Vnde auctor ille libri de singular. Cleric. affirmat sibi à Domino reuelatum, non debere Clericos secum habere mulieres; quæ scilicet suspectæ esse possent.

DECIMO QVARTO obiiciunt, quòd Isidorus libro secundo de Offic. cap. 2. tradens regulas Clericorum, ita inter cætera inquit: *Clerici castitatem corporis perpetuam seruent, aut vnius Matrimonij vinculo fœderentur:* Quem Isidori locum potissimùm vrget Kemnitius.

SED facilè respondetur, Isidorum eo loco de omnibus Clericis loqui in communi. Itaque

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod dicit: *Aut vnius Matrimonij vinculo fœderentur*, ad Clericos ordinum Minorum referri debet. Quod autem ait, *castitatem corporis, &c.* ad Clericos ordinum Maiorum. Nam quod ij debeant seruare perpetuam cõtinentiam, expressè idem Isidorus dicit eodem libro secundo, capite 5. 8. & 10. id quod egregiè Kemnitius dissimulauit.

DECIMO QVINTO obiiciunt, quòd aliqui veteres Episcopi, illíque celebres, fuerunt vxorati. Vt Hilarius, de quo extat ea de re Mantuani carmen, &c. Et addit Philippus Melanchton in libro de Cœlibatu ad Regem Angliæ, quòd Polycrates apud Eusebium lib. 5. histor. cap. 25. scribit, septem ex parentibus suis fuisse Episcopos, & se esse octauum. Item addunt Centuriatores, Centuria quarta, capite septimo, Presbyteros Macedoniæ duxisse vxores, teste Innocentio I. epist. 22.

RESPONDEO ex veteribus Episcopis, qui quidem fuerint sancti & celebres, habuisse quidem aliquos post ordinationem vxores; sed neque illis vsos fuisse, neque eas post ordinationem duxisse: neq; vllum contrarium exemplum verum proferri potest. Nisi quòd aliqui Presbyteri vel Episcopi, qui id olim fecerunt, manifestè ab ipsis summis Pontificibus fuerunt reprehensi: vt intelligi potest ex epistola Zachariæ ad Bonifacium. Itaq; istorum exemplum nihil nobis obstat, cùm perperam fecerint.

Nominatim autem, quod Centuriatores de Presbyteris Macedoniæ dicunt, mendacium est. Nihil enim tale refert Innocentius, aut alius testis fide dignus. Item quod obiicit Melanchton de Polycrate parum valet. Nam primùm, vt maximè concederemus, septem ex parentibus seu progenitoribus illius fuisse Episcopos; non illico sequitur, eos etiam fuisse vsos Matrimonio post ordinationem. Deinde vocabulum *Parentes* eo loco non patres seu progenitores, sed cognatos siue consanguineos significat. Græcum enim vocabulum apud Eusebium est συγγενοι, quod significat consanguineum. Obiiciunt etiã Sectarij exemplum Apostolorum. Sed de hoc dicemus commodiùs in capite tertio. Atq; hactenus de capite secundo.

Rectissimam esse legem cœlibatus. §. 3.

IN tertio CAPITE probandum est, legem hãc cœlibatus esse rectissimam & vtilissimam. In cuius assertionis confirmatione tres errores cõfutandi sunt. PRIMVS est Græcorum, qui hanc legem improbant, quatenus iubet continere post ordinationem. Illi enim licèst *post* ordinationem fas esse non putent vxorem ducere, tamen existimant omnino esse ducendam *ante* ordinationem, & post licere illa vti.

Cuius erroris Franciscus Turrianus & alij dicunt, primum auctorem fuisse Nicolaum, vnum ex septem primis Diaconis. Ita etiam sensit Vigilantius, vt apparet ex Diuo Hieronymo lib. 1. contra eundem. Ita etiam cõtenderunt in Græcia primum illi Patres Trullani, can. 13. circa annum Domini 673. à quo tempore cœpit mos Græcorum, qui nunc est hac de re, quíque postmodũ magis increbuit tempore Leonis IX. circa annum Domini 1050. quando schisma etiam propter alios articulos (vt de processione Spiritus S. &c.) Græci apertè fecerunt ab Ecclesia Romana. Sub quod etiam tempus Humbertus quidam legatus missus est à Leone IX. Constantinopolim, qui & librum Nicetæ cuiusdam Abbatis Græci, scriptis confutauit de præsenti quæstione, vt cõmemorat Franciscus Turrianus lib. de Canonibus VI. & VII. Synodi.

SECVNDVS error est, non modò ante ordinationem, sed etiam post licere Matrimonium *inire*. Cuius erroris fundamentum quoddam iecit Iouinianus hoc ipso, quod prætulit Matrimonium Virginitati. Nam si Matrimoniũ quiddam præstantius est, & Deo gratius; nihil est, cur sacrati ministri caussa sanctitatis & religionis debeant à coniugio abstinere. Itaq; AVGVSTINVS hæresi 82. refert sanctimoniales quasdam audito Iouiniano nupsisse. Quãquam vt ibidem Augustinus testatur, mox ille error Iouiniani extinctus est, *neque ad deceptionem alicuius Sacerdotis*, inquit Augustinus, *peruenit*.

Post multa verò secula VViclephus eundem errorem instaurauit: vt videre licet apud VValdensem tomo secundo de Sacram. cap. 128. & 129. & tomo tertio de Sacramentalib. cap. 66. & 67. VViclephum in hac re deinde Lutherus secutus est, libro de abrogan. Missa priuata: vbi moré Ecclesiæ Romanæ contrarium miris modis exagitat. Item in eodem errore pertinacissimè sunt reliqui omnes Sectarij Sacramentarij & Lutherani, quorum suprà etiam mentionem fecimus.

TERTIVS error est aliorum quorundam, qui tametsi legem cœlibatus non omnino improbent, aut existiment esse malam: censent tamen, longè fore conducibilius, si coniugium ministris sacratis permitteretur. Ita Panormitanus, Catholicus alioquin auctor, in cap. *Cùm olim*, extra de Clericis coniug. & Erasmus in Declamat. de laudibus Matrimonij, & nonnulli alij obscurioris nominis, quos refert Kemnitius in Examine Canone 9. sessione 24. vbi etiam vtitur testimonio Marsilij de Padua, qui propter alios errores est alioqui ab Ecclesia damnatus.

ADVERSVS hos igitur errores omnes probandum nobis est, legem hanc cœlibatus rectissimam & longè vtilissimam esse. PRIMO id probatur ab eius legis antiquitate, & authoritate. Nam cùm sit antiquissima, & Apostolica, vt §. præcedenti defendimus, & confirmauimus, non potest non optima esse.

SECVNDO probatur testimonio Apostoli, 1. Corinth. 7. vbi præcipit coniugatos *ad tempus* abstinere, *vt vacent* diligẽtius *orationi*. Hoc enim si rectè ab Apostolo præceptũ est, vt procul dubio est; manifestè consequitur, præcepisse & rectè etiam alioqui præcepisse Apostolum, vt ministri sacrati qui perpetuò vacare orationi diligentius debent, perpetuò se contineãt. Ita enim ex hoc Apostoli loco rectè argumentatur Origenes homilia vigesima tertia, super Numer. & Epiphanius hæres. 59. quæ est Catharorum, & D. Hieronymus in caput 1. Epist. ad Titum, & libro primo contra Iouinianum.

TERTIO probatur per locum à *minori ad maius* hoc modo: In diuina lege rectissimè olim cautum fuit, vt ij se continerent qui res minùs sanctas, quàm sit ministerium sacrum noui testamenti, tractaturi essent. Igitur etiam rectissimè cautum est lege Ecclesiastica & Apostolica, vt sacri ministri noui testamenti sese perpetuò contineant: vt qui perpetuò ministerio sacro incumbere debent. Antecedens, patur aliquot testimoniis Scripturæ. Nam 1. Regum 12. Dauid & comites non admittuntur ad panes propositionis, nisi protestarentur se *à mulieribus continuisse* aliquamdiu. Ex qua re D. HIERONYMVS in caput primum ad Titum optimè colligit, perpetuam seruare debere continentiam nostros Sacerdotes, qui corpus ipsum Christi illis panibus significatum iugiter consecrant, & tractant, & edunt, & administrant.

Item Exodi decimo nono, cùm legem Israëlitæ accepturi essent, iussi sunt ne suis vxoribus *appropinquarent*. Ex quo D. AMBROSIVS libro primo de Officiis, capite vltimo, pro nostra lege cœlibatus optimè argumentatur.

Item Exodi duodecimo, qui comesturi erant agnum paschalem iubebantur *renes accingere*, id est, voluptates carnis edomare, vt exponit diuus GREGORIVS homilia vigesima secunda in Euangelia.

Item ex libro primo Paralipomenon, capite vigesimo quarto, & Lucæ primo colligitur, Sacerdotes per vices ministrasse in tabernaculo, & illos toto tempore vicis suæ à domo & vxoribus abfuisse, atque adeò etiam se continuisse. Ergo maximè iam consentaneum est, vt qui perpetuò vacant sacro ministerio, perpetuò sese contineant: quemadmodum rectè hinc argumentatur Siricius epistola ad Hymerium Tarraconensem Episcopum, & Innocentius I. epist. ad Victricium, & Beda in caput primum diui Lucæ.

Nec valet quod hîc respondet Caluinus libro quarto institutionum, capite duodecimo, sectione vigesima quinta, Sacerdotes illos veteris Testamenti meritò id debuisse facere, siquidem Christum significabant: iam autem omnes illas significationes Christi, quæ erant in veteri lege cessasse: ac proinde non habere eandem rationem nostros Sacerdotes, vt tempore ministerij sese contineant. Hæc enim responsio Caluini nobis potiùs argumẽtum maius suppeditat pro lege cœlibatus.

Primũ enim, si Sacerdotes veteris legis, quoniam tantummodo Christum significabant, abstinere à coniugio debuerunt ministerij tempore; multò magis rationi cõsentaneum est, vt iam etiam abstineant Sacerdotes noui testamenti: vt qui Christum ipsum manibus suis etiam tractãt: quod longè plus est quàm Christum significare. Deinde iam etiam illi Christum non quidem futurum, sed præsentem significant & repræsentant: vt qui eius etiam personam in sacrificando sustinent. Quod manifestè inde patet, quia in Christi persona dicunt, *Hoc est corpus meum, &c.*

Adde quòd falsum est, solummodo propter Christi significationem debuisse Sacerdotes veteris legis ministerij tempore se continere. Debuerunt enim id etiam facere propter sanctitatem ministerij, vt puriùs illo fungerentur: iuxta illud Exodi decimo nono: *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos.*

QVARTO probatur assertio nostra ex consensione omnium ferme Ecclesiarum Orientis & Occidentis, in sancienda & stabilienda olim hac ipsa lege cœlibatus. Quæ profectò consensio tanta non fuisset, nisi magnum esset eiusmodi legis emolumentum. Extant enim in Conciliis antiquis, in omnibus ferè mundi partibus olim celebratis, canones de hac lege cœlibatus. In *Italia* quidem in Concilio Romano sub Syluestro canone octauo, vbi præcipitur, ne *Subdiaconi* vxores vllo modo ducere audeãt, & multo minus superiores alij ministri.

In *Hispania*, Concilium Elibertinum ante tempora Siricij celebratum, canone trigesimo tertio: *Placuit*, inquit, *in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, ac Subdiaconis, abstinere se à coniugibus & non generare filios.* Idem in Toletano II. canone primo, & Toletano IV. canone vigesimo sexto, & Toletano VIII. canone sexto.

In *Gallia* Concilium Arelatense II. ante annos 1200. celebratum, canone secundo, vbi cautum est ne vllus *in vinculo coniugij constitutus ad Sacerdotium assumatur, nisi fuerit promissa conuersio*, id est, nisi continẽtiam ab vxore promiserit. Item Turonense I. canone primo & secundo, & Turonense II. canone decimo quinto, & Agathense, canone duodecimo, & Aurelianense III. canone primo: *Vt nullus*, inquit, *Clericorum à Subdiaconatu & suprà, quos vxores in proposito suo accipere inhibetur, propria, si fortè iam habeat, misceatur vxori.*

In *Germania* quoque idem quod in illo Elibertino Concilio Hispaniæ statutum est, repetitur in Concilio VVormatiensi, capite nono, circa annũ Domini 868. Et in Aquisgranensi Con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cilio I. tempore Ludouici I. capite sexto, vbi sic dicitur de Subdiaconis: *Placuit Patribus, vt quia sacra mysteria contrectant, casti & continentes sint ab vxoribus.* Item in Concilio Moguntino, circa annum Domini 888. tempore Arnulphi Imperatoris, capite decimo statuitur, vt nulla penitus mulier ne soror quidem, cum Ecclesiasticis habitare permittatur. Et in alio Moguntino, circa annum Domini 813. sub Carolo Magno, capite decimo de Clericis, *qui seculum reliquerunt*, id est, qui sacris ordinibus initiati sunt, inter cætera sic dicitur: *Contubernia fœminarum nullatenus appetãt, castitatem inuiolati corporis perpetuò conseruare studeant.*

Verùm hic obiicit Kemnitius, eum qui canones huius Concilij collegit, falsariè prætermisisse, quod ibi addendum erat, scilicet *vel vnius matrimonij fœdere copulentur.* Et ratio Kemnitij est: *Quoniam Patres*, inquit, *illius Concilij verba Isidori eo loco describebant ex libro secundo de Officio Clericorum, capite secundo*, quæ item referuntur 23. dist. Can. *His igitur.* Quo loco Isidorus illa verba etiã addit, *Aut vnius matrimonij fœdere, &c.*

Respondemus autem inprimis, quædam etiam alia verba, quæ in illo loco Isidori sunt, Patres in illo canone omisisse, quoniam ad propositum non valdè attinebant. Neque est necesse, vt si quædam ex Isidoro mutuati sunt; omnia etiam mutuari debuerint. Deinde dicimus iusta ratione illa verba Isidori fuisse à Patribus eo loco prætermissa. Nam Isidorus ideo illa addidit, quoniam Regulam in communi omnibus omnino Clericis ibi tradebat, ex quib⁹ aliqui, nempe qui sunt in minoribus ordinibus, possunt vnius matrimonij fœdere copulari, vt capite præcedẽti ad eum Isidori locũ respondimus. Patres autem in illo Concilio Moguntino tantummodo agebant de iis Clericis, *qui seculum reliquerunt*, vt patet ex initio illius Canonis. Ad hos autem Clericos, qui scilicet sunt in sacris ordinibus, illa tantummodo Isidori verba pertinent, *castitatem inuiolati corporis perpetuò seruare studeant.*; non autem illa quæ sequuntur, *Aut vnius matrimonij fœdere, &c.* vt capite præcedenti ex sententia ipsius Isidori notauimus. Quare meritò Patres prima illa verba Isidori solum ibi posuerũt prætermissis sequentibus.

Adde quod mẽdacium Kemnitij, & Melanchthonis, qui dicunt ante 500. annos primùm legem cœlibatus in Germaniam inuectam esse, satis superque ex illo altero etiam Moguntino Concilio redarguitur, siquidem fuit celebratũ, vt dixi, circa annum Domini 888. de quo Concilio Kemnitius, vt eluderet suum mendacium, nihil potuit dicere.

Porrò in *Aphrica* quoq; stabilita fuit lex cœlibatus in Concilio Carthaginensi II. can. 2. vbi dicitur, *sic etiam Apostolos docuisse*, sicut capite præcedenti recitauimus. Item in Carthaginensi V. canone tertio.

Nec solum in his Ecclesiis occidentalibus, sed etiam in ORIENTALIBVS lex cœlibatus olim sancita est. vt in Concilio Ancyrano, ante annos 1200. capite decimo, vbi sic dicitur: *Diaconi si in ipsa ordinatione protestentur se velle vxorem ducere, nec posse continere, id possint facere, propterea quod Episcopus eis licentiam dederit: si autem tacuerunt, & susceperunt manus impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, a ministerio cessare* (id est, deponi) *debebunt.* Ex quo loco apparet, fuisse alioqui tũc temporis indictam legem de professione continentiæ in ordinatione Diaconis, nisi ab Episcopis *dispensationem* impetrarent.

Item in Concilio Neocæsarienſi, capite primo: *Presbyter*, inquit, *si vxorem duxerit ordine moueatur.* Item ipsa Trullana Synodus, canone sexto, prohibet *ne Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus post ordinationem vxorem ducat.* Et canone quadragesimo octauo, ne Episcopus etiã *cohabitet vxori* licet ante ordinationem ductæ.

Quibus accedit quod in ipso item Niceno Concilio I. canone tertio prohibetur: *Ne Episcopus*, inquit, *Presbyter, & Diaconus, neque vllus prorsus Clericus habeat domi mulierem vllam, præter matrem sororem aut materteram, aut amitam, aut eas solas personas, quæ ab omni suspicione alienæ sunt.* Ita enim ex Græco reddit hunc Canonem Turrianus libro quinto de Canonib. Apostol. & Epistolis Pontificum, capite decimo quinto, & ita etiam quod ad sententiam attinet, refertur à Ruffino libro decimo histor. capite sexto, & in Concilio Carthagin. VI. & in ipso Concilio Niceno I. tomo primo Conciliorum.

Etsi autem omnibus consideratis non existimem in isto canone contineri, seu sanciri legem ipsam cœlibatus, de qua disputamus; tamen hũc etiam Canonem ideo citaui, quoniam ex ipso colligi potest, fuisse alioqui illo tempore Concilij Niceni in vsu legem hãc cœlibatus. Si enim in vsu non erat, sed potius solebant tunc temporis ministri sacrati, atque adeò omnium ordinum Clerici, cum vxoribus cohabitare; certè excepisset nominatim Concilium in eo canone etiam *vxorem*, sicut excepit matrem, & sororem, &c. propterea quod hæ poterant cum omnium ordinum Clericis habitare.

Ratio verò propter quam existimo non contineri legẽ cœlibatus in eo canone, ea potissimũ est, quia Concilium ibi non solum cum iis qui sunt initiati sacris ordinibus; sed ex æquo, & in communi loquitur cum *omnibus omnino Clericis*, sicut canon ille recitatur in omnibus locis antè citatis. Certum autem est, illic concilium non indixisse legem cœlibatus illis Clericis, qui sunt tantummodo in minoribus ordinibus, sed tantummodo prohibuisse inhonestam & suspectã, alioqui cohabitationem mulierum. Ergo neque aliis etiam Clericis maiorum ordinum: siquidem de omnibus in communi canon ille loquitur.

Prætereo

Prætereo quod alij etiam ad hanc ipsam rem vrgent, ibi prohiberi cohabitationem mulieris *subintroductæ*, siue *extraneæ*, vt ab aliquibus ille canon refertur. Quo nomine inprimis olim intelligebantur mulieres aliquæ suspectæ & inhonestæ. Et quanquam quidam conentur aliquo modo occurrere illi obiectioni, quòd canon de omnibus etiam Clericis, quibus erat licitum cõiugium, loquatur; tamen reuera non satisfaciunt. Solum enim dicunt non ita illum canonem intelligendum esse, quasi lex cœlibatus ibi imponatur Clericis etiam minorum ordinũ, quos aliunde constat, posse vti matrimonio. At hinc nos rectè colligimus, neque Clericis maiorum ordinum in illo quidem canone legem cœlibatus imponi: siquidem canon ille de omnibus omnino Clericis in communi loquitur, vt antè sumus argumentati. Satis igitur sit ex illo etiam canone colligi, quòd lex cœlibatus tempore Concilij Niceni alioqui viguerit, in totaliis canonibus & Conciliis cõstituta, vnde probamus illam rectissimam & vtilissimam esse.

Verùm aduersus hanc nostram probationem OBIICIT Kemnitius, quòd lex cœlibatus toties, & in tot mundi partibus repetita subinde fuerit, indicio potius esse, eam minimè in Ecclesia esse vtilem. Nam causa tam crebræ repetitionis fuit, quia multi huic legi sese opponebant, & resistebant, propter illius incommoditatem.

SED quæro ego ex Kemnitio, & ex aliis Sectariis, vtrinam potius digni sint quorum iudicio in hac quæstione de vtilitate legis cœlibatus stemus? Subditine legi rebelles? an verò Episcopi & pastores Ecclesiarũ, qui legem cœlibatus contra aliquorum inobedientiam & libidinem toties maturo consilio in Conciliis repetebant? Certè iudicio potius Ecclesiæ Pastorum stãdum est.

QVINTO probatur assertio nostra testimoniis summorum Pontificum, quos credibile nõ est, cùm sint antiquissimi & sanctissimi, legem inutilem sanciuisse. Ita Clemens Romanus can. 27. Apostolorum, quem suprà citauimus. Calixtus apud Gratianum, distinct. 27. can. *presbyteris.* Siricius in epist. ad Hymerium Tarrac. Episcopum, cap. 7. Innocentius I. in epist. ad Victriciũ, cap. 9. & epist. ad Exuperium, cap. 1. Leo epist. 82. ad Anastasium, cap. 4. & epist. 90. ad Rusticum, cap. 5. Gregorius lib. 1. epist. 42. & lib. 3. epist. 34. Zacharias in epist. ad Bonifacium, & alij.

SEXTO probatur etiam testimonio Patrum, qui disertè affirmãt, eos, qui in sacris ordinibus deseruiunt sacrificio, omnino continentes esse debere etiam à coniugio. Origenes homil. 23. in Numer. EVSEBIVS lib. 1. demonst. Euangel. capite nono. EPIPHANIVS hæresi 59. Catharorũ, cuius verba sunt: *Ecclesia adhuc viuentem & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit, sed eum qui se ab vnica continuit aut in viduitate vixit Diaconum, Episcopum, & Presbyterum, & Hypodiaconum; maximè vbi syncери sunt canones Ecclesiastici.* Et mox subiungit: *At dices mihi, in aliquibus locis liberos gignere Presbyteros, Diaconos, & Hypodiaconos. At hoc non est*, inquit, *iuxta canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.* Item Chrysostomus homilia secunda de patientia Iob, & Gregorius Nyssenus libro de Virginitate, capite vltimo, & Cyrillus Hierosolymitanus cateches. 12. Ex quorum Patrum testimonio, cùm sint Græci; & etiã ex Conciliis Ecclesiæ *Orientalis* suprà citatis, manifestè apparet primis circiter 600. annis à Christo non fuisse in Ecclesia Græca eum morem, quem nunc seruant ministri Græci post illã præsertim synodum Trullanam.

Præterea ex Latinis Patribus similiter continentiam sacrorum ministrorum asserunt AMBROSIVS libro primo de Officiis, capite vltimo, & epistola octogesima secũda ad Ecclesiam Vercellensem. AVGVSTINVS libro secundo de adulterin. coniugiis, capite vigesimo. HIERONYMVS tum aliàs, tum maximè in libro contra Vigilantium, vbi inter cætera sic dicit: *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti & sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut si vxores habuerunt mariti esse desistunt?*

Ex quo Hieronymi testimonio, & ex illo Epiphanij quod recitaui, maximè confirmatur q̃ suprà ex Canone 3. Concilij Niceni colligebamus, viguisse tempore Concilij Niceni etiam in Oriente legem hanc cœlibatus: siquidem Epiphanius, & Hieronymus circa illud seculum floruerunt: & tamen affirmant continentiam à sacris ministris fuisse seruandam iuxta canones in ipso etiam oriente.

Idem rursus asserit Hieronymus in Apologia pro libris suis contra Vigilantium: *Episcopi*, inquit, *Presbyteri & Diaconi aut Virgines eligantur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium pudici.* Item diuus GREGORIVS in caput primum libri primi Regum, vbi errorem illorum confutat, qui propter verbum Apostoli, 1. Corinth. 7. *Vnusquisque vxorem suam habeat.*, putãt licere Ecclesiasticis etiam vxores habere. Item BEDA libro tertio de Tabernaculo, capite nono, vbi dicit, debere Sacerdotes noui testamenti, *aut Virgines esse, aut contracta cum vxoribus fœdera dissoluisse*, nempe quoad torum siue vsum coniugalem: idque affirmat significatum fuisse præcepto Domini, Exodi vigesimo octauo, quo iussi sunt Aaron, & filij eius non ingredi tabernaculum, nisi *fœminalibus lineis à renibus vsque ad femora* tecti. Item ISIDORVS libro secundo de diuin. offic. capite quinto, octauo, & decimo.

Item Gregorius Turonensis libro quarto histor. capite quarto, vbi refert comitem quẽdam fuisse ab omnibus Episcopis excommunicatum eò quod ad vxorem rediisset, quam dimiserat quoad torum, vt posset sacris ordinibus initiari, sicut fuerat ea lege initiatus. Item Arator ante an-

Universidad de Deusto
Biblioteca

te annos 1000. in libro, quem composuit in Acta Apostolorum, capite trigesimo, vbi postquã explicuisset quamobrem integrũ fuerit Sacerdotibus veteris legis vti coniugio, modò tempore vicis suæ abstinerent; è vestigio subiungit:

Ecclesia nunc alma fides sine fide pudicos,
Pontifices iubet esse suos, &c.

Quæ Aratoris carmina refert etiam Sotus libro septimo de Iustitia, quæstione sexta, articulo secundo, & possunt iure optimo opponi carminibus Mantuani, quæ pro coniugio Sacerdotum obiicit Kemnitius. Quanquam Mantuanus quidem tantummodo voluit, veteres aliquos Episcopos habuisse vxores, non tamen illis vsos fuisse, post sacram ordinationem.

SEPTIMO probatur assertio auctoritate etiã ciuilium legum. Nam hæc lex cœlibatus confirmata quoque est in Codice de Episcopis & Clericis, l. *eum qui*, & seq. item etiam in variis authẽticis.

OCTAVO probatur exemplo Episcoporum omnium, qui aliquando in Ecclesia celebres ac sancti habiti fuerunt. Hi enim omnes post ordinationem sacram, continentes omnino à coniugio fuerunt, vt suprà defendimus.

NONO probatur ratione hoc modo: Quod impedimento est officio & ministerio alicuius ordinis hominum; id rectè eiusmodi ordini hominum lege humana prohibetur. Sed consuetudo coniugalis impedimento est, quo minus rectè & expeditè sacri ministri officio suo fungantur. Igitur consuetudo coniugalis rectè illis prohibetur lege humana.

Maior propositio huius argumenti ex se patet. Minor autem probatur. Nam ad officium sacrorum ministrorum pertinet vacare diligentius *orationi & contemplationi* rerum diuinarum: *sacrificare*: sacra *administrare*; *docere & exhortari*; curam pauperum peculiarem *gerere*. At consuetudo coniugalis his omnibus officiis non mediocri impedimento est.

Primùm enim obstat plurimũ *orationi* & contemplationi; siquidem hebetat mentis aciem, & animum distrahit. Quamobrem Theophrastus etiam philosophus iudicabat non expedire sapienti nubere, vt de illo commemorat Hieronymus libro primo contra Iouinianum nõ longè à fine. Et Apostolus 1. Corint. 7. suadet idcirco coniugibus continentiam ad tempus, vt melius *vacent orationi*.

Deinde obstat etiam consuetudo coniugalis ministerio, quod exhibetur Domino in sacrificio. Nam cùm sacrificium altaris augustissimũ & sanctissimum sit; decet vt qui in illo Domino seruiunt, insigni quadam puritate, atque sanctitate mentis & corporis polleant. Vbi non sanè negamus suam etiam quandam castitatem, atq; adeò sanctitatem cõiugio & eius legitimæ consuetudini constare; in qua re probanda frustra nihil nobis repugnãtibus maiorem partem sui tractatus de cœlibatu consumpsit Kemnitius. Scimus enim, & legimus apud Apostolum ad Hebræos decimo tertio, legitimi coniugij torum esse *immaculatum*, atque adeò sanctum suo modo: ita scilicet, vt per se non contineat impuritatem siue immunditiam *peccati*. Sed illud est, quod nihilominus contendimus, quendam esse maioris sanctitatis & puritatis gradum in continentia à coniugio: qua perfectione & gradu sanctitatis deceat eos insignes esse, qui Domino seruiunt in sanctissimo sacrificio altaris.

Etsi enim consuetudo coniugalis per se ipsa peccatum non sit; tamen turpitudinem quandam, atque pollutionem ex peccato prouenientem habet. Id quod manifestè probat D. AVGVSTINVS libro decimo quarto de ciuitate, capite decimo septimo, ex naturali verecundia, quam vsus ille coniugalis habet, ob quam etiam secretum & latebræ ad illum à coniugibus quæri solent.

Neq; diuus Augustinus modò, sed etiam diuus Paulus 1. Cor. 7. hoc ipsum manifestè confirmat illis verbis: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit*, inquit, *sancta & corpore & spiritu*. Nullum enim dubium est, quin Apostolus hoc loco quendam gradum maioris sanctitatis esse significet, quo careant ij, qui sunt coniuges. Quoniam igitur hic sanctitatis gradus decet omnino eos qui hoc sacrificium tractaturi sunt; ideo colligimus, consuetudinem coniugalem obstare etiam ministerio huius sacrificij; quicquid Kemnitius & alij Sectarij probent alioqui de ea sanctitate, quæ est in coniugio.

Præterea obstat etiam consuetudo coniugalis *administrationi* Sacramentorum. Nam ad reuerentiam, quæ in populo erga Sacramenta requiritur, omnino expedit, vt sit magnum discrimen inter eos, qui Sacramenta ministraturi sunt, & populum cui sunt ministranda, ne alioqui *sicut populus sic sit Sacerdos*. Vnde proditũ est, tempore Gregorij VII. cùm in Germania passim Sacerdotes contra legem cœlibatus coniugio vterentur, in tãtam contemptionem venisse Sacramenta, vt etiam Laici passim illa administrarent. Scilicet, quia non magnum discrimen inter se, & Sacerdotes esse videbant: cùm illi etiam vitæ ratione seculari & communi in coniugio vterentur, vt refert Nauclerus.

Obstat etiam consuetudo coniugalis officio *docẽdi & exhortandi*. Nam qui consuetudine coniugali implicatus est, non potest certè cum satis magna efficacia, & auctoritate virgines, & viduas, & alios de populo, qui nondum matrimonio coniuncti sunt, ad continentiam seruãdam adhortari, vt B. Ambrosius lib. 1. de Officiis, capite vltimo annotauit.

Itẽ obstat curæ *pastorali*, præsertim erga pauperes. Nam oportet eos qui liberis dãt operam, pro

pro liberis etiam opes congregare. Ex quo fit, vt non sit illis integrum aliis de suo elargiri. Item necesse est eosdem de educatione liberorum esse sollicitos, quæ sollicitudo non potest non aliquid etiam de cura, quæ in pascendis spiritualiter ouibus sibi commissis adhibẽda esset, detrahere: cùm tamen filij spirituales, id est, subditi fideles, magis diligendi quodam modò, & curãdi sint quàm carnales, vt Ambrosius notauit lib. 1. de Officiis, cap. 7.

Adde ad hæc omnia totum discursum orationis D. Pauli, 1. Cor. 7. vbi non sine multis & magnis rationibus *omnes*, vt inquit, *cupiebat esse sicut seipsum*, id est, continentes. Et inter cætera propter illam etiam rationem ad virginitatem & continentiam hortatur, quia *facultatẽ*, inquit, *præbeat absq; impedimento eo Dominum obsecrandi*. Cui officio, vt diximus, diligentissimè vacare debẽt sacri ministri. Quare dubium non est, quin lex cœlibatus sit vtilissima & congruentissima.

SED iam ad argumenta contraria Sectariorum respondendum est. PRIMVM est huiusmodi: Matrimonium omnibus debet esse liberum. Igitur nullis rectè prohiberi potest.

RESPONDEO, absolutè quidem omnibus esse liberum. Neque enim Ecclesia vllos ad sacros ordines suscipiendos cogit. Si verò quis vltro velit illos suscipere, iam quidem ex ea hypothesi voluntatis suæ meritò tenetur lege cœlibatus, qua Ecclesia propter iustissimas causas nõ vult, vt sui ministri in sacris ordinibus constituti dẽt operam liberis.

Neque verò hæc necessitas continẽtiæ ex ista hypothesi tollit libertatem *simpliciter*, quæ debet alioqui esse in omnibus, vt possint contrahere matrimonium. Quemadmodum neq; hãc libertatẽ tollit voti legitimi hypothesis; si quis videlicet putãs se habiturum donum continentiæ promittat Deo se continentiam perpetuam seruaturum. Tunc enim non potest matrimonium contrahere etiam secundùm Sectarios. Et tamen alioqui fuit liber quantum satis est, vt id posset facere.

Ac potest hoc ipsum confirmari alio exemplo. Nam etsi Ecclesia prohibeat suis ministris, ne possint officium iudicis v. g. secularis suscipere, aut artes sordidiores in Repub. exercere; tamen hæc prohibitio non obstat, quo minus absolutè quidem omnibus sit liberum eiusmodi officia exercere vel suscipere: quia neminem cogit Ecclesia vt ordines suscipiat. Ex quo postea sequitur, vt nequeat aliquis illa munera obire.

SECVNDVM argumentum. Coniugium est iuris naturalis; vt declarat insita propensio ad liberorum procreationem: & etiam diuini; vt patet ex illis verbis, *Crescite & multiplicamini*, Genes. 1. Ergo pugnat cum iure naturali & diuino, lex quæ aliquibus prohibet coniugium.

RESPONDEO; Coniugium esse iuris naturalis & diuini dupliciter intelligi potest. Primò vt sit sensus, iure naturali & diuino omnibus licere, ac absolutè liberum esse coniugium. Et hoc verum est; nec tollitur per legem cœlibatus, vt explicaui in responsione ad primum argumentum. Secundò vt sit sensus, iure naturali & diuino coniugium atq; adeò eius vsum esse *præceptũ* omnib⁹ & singulis. Et hoc manifestè falsum est. Nam primò si procreatio liberorum omnibus & singulis ex præcepto naturali & diuino necessaria est; peccassent multi qui sanctissimè in statu perpetuę continentiæ vixerunt: imò etiam ipse Christus & B. Virgo, qui ab vsu coniugij abstinuerunt.

Deinde cùm propensio naturalis ad liberorum procreationem non sit nisi propter perfectionem speciei, atque adeò propter bonũ communitatis; nõ datur iure diuino & naturali præceptum de illa, quod obliget per se singulos, sed quod obliget sanè ipsam *communitatem*, ad cuius perfectionem ea res ordinatur: ita vt qui curam communitatis habent prouidere debeant, ne desit aliquando in communitate id officium. Singulos autem id præceptũ, quia non ad propriam cuiusq; perfectionem spectat (sicut præceptum comedendi v.g.) non per se obligat, sed obligaret tantum ex accidenti in casu necessitatis. Qua ratione initio mundi, & statim post diluuium, censent Doctores illud præceptũ singulos obligasse, cùm scilicet terra erat adhuc inanis & vacua etiam ab hominibus, & ideo replenda erat.

Postquam verò terra satis iam hominibus repleta est; supereſt cælum etiam implendũ. Quod rectius in statu continentiæ, quàm in statu coniugali fieri potest ab Ecclesiæ ministris, vt rectè sancti Patres ratiocinantur: videlicet Cyprianus libro de habitu Virg. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, Augustinus lib. de sancta Virgin. cap. 9.

Et confirmatur hoc ex eo, quod Deus subiunxit Genes. 1. *Et replete terram*. Quibus verbis indicat, quo tempore illud præceptum vrgeret; scilicet cùm terra fuit replenda. Explicat autem fundamentum huius doctrinæ optimè D. Thomas in quarto, distinctione vigesima septima, quæstione prima, articulo secundo, vbi pulchrè explicat ad hoc propositum discrimẽ illud præceptorum, quæ referuntur vel ad bonum communitatis seu perfectionem speciei, vel ad perfectionem propriam cuiusque indiuidui. Et ponitur etiam ea doctrina D. Thomæ hic in Supplemento, quæstione quadragesima prima, articulo secundo ad primum.

TERTIVM argumentum. D. Paulus 1. Cor. 7. inquit: *Vnusquisque propter fornicationem vxorem suam habeat*. Quo loco videtur præcipere omnibus vt coniugio vtantur, si donum continentiæ non habeant.

RESPONDEO,

Universidad de Deusto
Biblioteca

RESPONDEO, Apostolum eo loco de illis loqui, qui cùm essent conuersi ad Christũ ex Ethnicismo, dubitabant an eis liceret vxores suas post susceptam religionem Christianam retinere, vt notat Tertullianus in lib. de Monogamia, & Hieronymus lib. 1. contra Iouinianũ. Id quod patet etiam ex initio illius capitis. Ait enim: *De quibus scripsistis mihi, &c.*

Deinde dico, secũdariò posse quidem ea verba Apostoli ad alios etiam accommodari: sed tamen non sunt intelligenda per modum *præcepti*, quasi iubeat oẽs qui difficultatem sentiunt in continentia seruãda remedium coniugij adhibere: sed est tantum permissio. Vt cùm ait ibidem: *Si nupserit virgo non peccabit.* Et rursus: *Si non se continet, nubat. Melius est enim nubere quàm vri.*

Atq; hoc probatur *primò* testimonio Patrum, qui per modum permissionis ea verba intelligi debere asseuerant; vt Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum. Chrysostomus, Ambrosius, & alij in eum locum.

Secũdò probatur, quia ibidem Apostolus contrariũ consilium omnibus dat: *Dico ego*, inquit, *non nuptis & viduis, bonum est eis si sic permanserint.* Et: *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem.* Et: *Volo omnes esse sicut me ipsum, &c.* Nec possunt hic excipi illi, qui alioqui sentiunt tentationes & difficultatem in continentia seruãda. Nam difficultatem hanc etiam ipse Apostolus sentiebat, qui de se aiebat: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, &c.* Et tamen vult & suadet, vt alij quoque sint sicut ipse, id est, vt continentes permaneant, quantũuis nimirum carnis stimulos & tentationes sentiant.

Tertiò idem confirmatur ex eo, quod postea subdit Apostolus: *Hæc autem non secundùm præceptum, sed secũdùm indulgentiam dico.* Quibus verbis satis declarat se nihil præcepisse cùm dixit: *Vnusquisq; propter fornicationẽ vxorem suam habeat*; sed tantum permisisse.

Quartò idem probatur, quoniam quantumuis aliquis stimulos carnis sentiat, imò etiam interdum labatur, atque adeò vratur ab ipso flagitio libidinis; semper tamen habet præter consuetudinem coniugalem alia remedia: vt orationem, abstinẽtiam, & alia eiusmodi, quibus potest peccatũ in hoc genere cauere, atq; adeò tueri donum continentiæ. Igitur minimè putãdum est, Apostolum præcepisse etiam ad vitandam fornicationem remedium coniugij, quasi vnicum & omnino necessarium remedium ad eam rem esset. Antecedens probatur manifestissimè ea ratione qua vtitur ad hoc propositum D. AVGVSTINVS lib. 2. de adulterinis coniug. cap. 10. 19. & 20. Nam si consuetudo coniugalis vnicum & necessarium remedium in hoc genere esset; sequeretur, coniuges ipsos cum libidinibus illicitis tentantur atq; stimulantur, & tamen aliquod impedimentum obstat quò minus *vti* possint remedio coniugij (vt morbus vel absentia alterius coniugis) sequeretur, inquam, esse tunc destitutos omni remedio ad vitandam fornicationem, vel turpem aliquem eiusmodi lapsum. At hoc consequens absurdissimum est. Ergo illud etiam ex quo sequitur. Sequela verò probatur, quoniam viuente altero coniuge non potest alter propter morbũ, aut absentiam coniugis, vel coniugium cũ altera persona contrahere, vel coniugio vti cum illa.

Quintò, huc accedit quod remedium coniugij non modò non vnicũ & necessarium ad eam rem est, sed ne præcipuum remedium quidem. Etsi enim consuetudo coniugalis restinguat libidinem ex vna parte; ex altera tamen propter ipsum vsum naturali facultati conuenientem illam concitat & acuit. Vnde Apostolus 1. Cor. 7. *Si nupserit*, inquit, *virgo non peccabit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.*

Atq; hoc etiam experientia potest confirmari. Nõ enim pauciores ex iis qui in coniugio viuunt, quàm ex omnibus illis qui viuunt in cœlibatu, (præsertim si adhibent ad illum seruãdum debitam diligentiã) tribulationibus carnis tentantur, & fortasse etiam aliquando in turpes libidines prolabuntur.

Cùm igitur remedium coniugij neq; *necessarium*, neq; etiam *præcipuum* sit; minimè est putandum, Apostolum illud præcepisse, sed permisisse vt ꝓbauimus. Neq; etiam intelligere debemus illud permisisse nisi iis qui alioqui nullo voto, expresso, vel implicito ad seruãdam perpetuam castitatem tenentur. His enim qui voto ad hoc tenentur non dicitur: *Vnusquisq; propter fornicationem vxorem suam habeat.* Sed illud potius: *Redde altissimo vota tua*, Psalm. 49. Et: *Habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt*, 1. ad Tim. 5. Vt rectè dicit D. Hieronymus libro 1. in Iouinianum, & Chrysostomus in caput 7. primæ Cor. & Augustinus in Psal. 83. & Epiphanius hæres. 61. & Gregorius in caput 1. Regum.

QVARTVM argumentum Apostolus 1. Cor. 7. dicit: *Melius est nubere quàm vri.* Ergo quicunque sentit ardore libidinis se tẽtari, rectè facit si nubat, quandoquidem facit id quod est melius.

RESPONDEO, *Vri* apud Apostolum eo loco nõ idem esse quod flamma libidinis *tentari*. Hoc enim per se malum non est: imò materia potius est victoriæ. Sed *vri* eo loco est, flamma libidinis *superari*, & in peccatum mortale làbi, propter ꝙ aliquis in inferno sit vrendus. Ac dicit Apostolus *melius* esse nubere quàm ita vri, non vt hac ratione confirmet præceptum aliquod de coniugio quod illis verbis tradat, sed vt confirmet permissionem, quam eius rei facit iis, qui alioqui voto non tenentur: vt antè dictum est.

QVINTVM argumentum Apostolus 1. Tim. 4. dicit: *In nouissimis temporibus* fuisse quosdam introducturos *doctrinas dæmoniorum prohibentes nubere, &c.*

RESPONDEO,

RESPONDEO, hoc loco notari ab Apostolo illos hæreticos, qui coniugium ipsum tanquam *per se malum*, & à diabolo introductũ erant damnaturi: quod fecit Manichæus, Marcion, & Tatianus. Ecclesia autem suis ministris coniugium prohibet, nõ vt per se malum, sed vt minus conueniens illi statui. Quo ipso minimè coniugium damnat: vt neq; damnat artes illas mechanicas, quas non vult alioqui exerceri ab iis qui ordinibus initiantur. Ita illum locum Apostoli explicãt sancti Patres. Augustinus lib. 30. contra Faustum, cap. 4. & 6. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum. Chrysostomus, Ambrosius, & alij expositores in eum locum.

Nec obstat quod Apostolus inquit: *In nouissimis temporibus.* Nam illi etiam veteres hæretici in nouissimis temporibus fuerunt, quatenus hæc tota ætas Ecclesiæ Christianæ dicitur esse nouissima, & mundi postrema. Quo pacto idem Apostolus 1. Cor. 10. ait: *Nos sumus in quos fines seculorũ deuenerunt.* Et Ioannes Epist. 1. cap. 2. *Nouissima*, inquit, *hora est.* Alioqui non potuissent Manichæi, Tatiani, & Marcionistæ ex illo loco Apostoli redargui olim à Patribus; si non illos ibi notauit. Adde quod Græcè ponitur vocabulum ὑστέροις, id est, *posterioribus* temporibus, non omnino vltimis.

SED obiicit Kemnitius quod Augustinus Epist. 74. & lib. 2. de moribus Manich. cap. 18. refert, Manichæos non nisi suis quibusdam electis prohibuisse coniugium, qui erant túc quasi monachi nostri & Sacerdotes inter illos. Igitur idẽ nunc videtur facere Ecclesia, quod Manichæi tunc faciebant.

RESPONDEO, sensum Augustini esse, quòd solis suis electis efficaciter prohibuerint coniugium; aliis autem permiserint, cùm non potuerint omnes à coniugio impedire. Cæterùm in omnibus omnino coniugium improbabant, & procreationem liberorum censebant esse *per se malam*, vt patet ex ipso Augustino lib. 30. contra Faustũ Manichæum, cap. 6. Quare satis patet nihil habere commune Ecclesiasticam legem cœlibatus cum illo instituto Manichæorum.

SEXTVM argumentum. Apostolus 1. Timot. 3. & ad Tit. 1. vult vt Episcopus sit *vnius vxoris vir.*

RESPONDEO, id esse intelligendum negatiuè: vt sit sensus, oportere ne Episcopus habuerit vxores plures. Ita Chrysostomus & alij Expositores interpretantur. Quin etiam ipse Lutherus ita expositit in ꝓpositionibus suis de Bigamia. Et ratio manifesta conuincit ita intelligendum esse: siquidem idem Apostolus 1. Cor. 7. dicit in vniuersum de omnibus, *beatiores esse*, qui cœlibes permanserint: & consulit id omnibus, atq; adeò etiam præcipuè Ecclesiæ ministris. Denique absurdum est cogitare, ibi tradi præceptum affirmatiuum; ita vt si qui fuerint olim aut iam sint Episcopi. Virgines, peccent.

SEPTIMVM argumentum. Apostolus eodem loco dicit, *mulieres similiter pudicas, &c.* quib⁹ verbis indicat, Episcopos & Diaconos debuisse etiam habere vxores.

RESPONDEO, hæc Apostoli verba vtcunque intelligãtur nihil suffragari Sectariis. Nam possunt intelligi aut generatim de omnibus mulieribus: vt scilicet sint *pudicæ* eo modo quo debet vnaquæque in suo statu, sicut Ambrosius ibi exponit; aut de diaconissis quæ viduæ erant continentes; vt exponunt Chrysostomus, & Theophylactus; aut etiam de vxoribus ministrorum, quas tamen duxissent ante ordinationem, non quas possent ducere post, aut eis prius ductis vti.

OCTAVVM argumẽtum. Apostolus Hebr. 13. inquit: *Honorabile coniugium in omnibus.* Ergo nullis prohiberi debet.

RESPONDEO, certum inprimis esse, non ita hanc sententiam debere intelligi, vt omnes omnino homines cuiuscunq; conditionis sint, licitè possint inire coniugium aut coniugio vti. Nã si ita intelligatur; igitur etiam coniugium inter consanguineos in primo & secundo gradu erit licitum: quod tamen Caluinus lib. 4. instit. cap. 19. sect. 37. & alij Sectarij improbant; sicut etiam matrimonium contractum sine voluntate parentum.

Deinde respondeo, triplici ratione seu modò esse nihilominus veram illam sententiam Apostoli, etiamsi non omnis conditionis homines, & præsertim illi qui *voto* explicito, vel implicito castitatis obstricti sunt, licitè & honestè possint inire coniugium. PRIMO vt quod dicit *in omnibus*, idem sit atque *ex omni parte*, id est, siue Sacramentum, siue fidem, siue prolem (quæ tria bona matrimonij numerantur) consideres. Quo pacto id exponit OEcumenius. SECVNDO, id est, *apud omnes* seu sententiâ omnium rectè sentientium: sicut exponit Fulgentius in lib. de fide ad Petrum, cap. 3. quo modo etiam apud nos honorabile coniugium est, vt qui bonum ac sanctum esse iudicamus. TERTIO in *omnibus* qui quidem *legitimè* coniungantur; quales sunt omnes Laici, siue hi Græci, siue alij sint; modò aliquod impedimentum non obstet. Atque ita exponit Theophylactus. Et potest confirmari hæc expositio ex ipsa loci circumstantia. Loquitur enim ibi Apostolus potissimum cum Laicis, ad quos etiam paulò pòst ait, *Mementote præpositorum vestrorum; qui vos docuerunt verbum Dei.*

NONVM argumentum. Continentia perpetua res est difficillima, & ad quam donum continentiæ necessarium est, quo plerique carent. Igitur non debet communis lex poni de perpetua continentia.

RESPONDEO, sacros ministros quibus solis ea lex est posita, cùm peculiari studio diuinis rebus vacare debeant, non admodum difficulter posse seruare perpetuam continentiam, si ad hanc rem adhibeant conducibilia remedia, ac

Universidad de Deusto
Biblioteca

mortificent, vt Apostolus admonet, *membra quæ sunt super terram*. Id quod cùm Sectarij negligãt; mirum non est, si videatur illis hæc res difficillima.

Etenim contra redundantiam naturæ, parsimonia cibi & potus, ieiunio, & abstinentia vtendum est. Contra suggestiones diaboli, & ad impetrandum etiam Dei auxilium, quod ad hanc rem necessarium est, oratio feruens ac diligens est adhibenda. Contra illecebras specierum externarum, quæ libidinem concitare solent, vitãda consuetudo imò etiam aspectus vagus mulierum, summaq; in hac parte cautela vtendum. Sicut videmus hanc ob causſam tam diligenter in antiquis Conciliis interdicta fuisse ministris contubernia & familiaritates mulierum.

His igitur remediis adhibitis, ac potissimum oratione crebra ad Deum; quilibet potest Deo opitulante habere donum continentiæ perpetuæ. Nihil enim aliud hoc donum est, quãm ipsa perpetua continentia, vt non solum ex facultate voluntatis humanæ, adhibitis remediis, sed etiam ex diuino auxilio proficiscitur. Quod auxilium diuinum nemini deest, si ipse sibi in hoc genere non desit. Quamobrem, vt sancti Patres affirmant, quilibet potest cum gratia Dei continere si velit. Ita docent expositores omnes in illum locum Matth. 19. *Sunt eunuchi, &c. qui potest capere, capiat.* Dicunt enim, vnumquemq; posse, si velit: & præsertim Chrysostomus, & Hieronymus hoc docent in eum locum; item etiam Tertullianus libro de Monogamia, Basilius libro de Virginitate. Augustinus lib. 6. Confess. cap. 11.

Sed OBIICIT hoc loco Kemnitius, continẽtiæ perpetuæ donum, cùm non sit ex genere illorum donorum, quæ omnibus ad salutem necessaria sunt (potest enim aliquis in coniugio saluari) non omnibus quantumuis illud procurent diuinitus donari: aliam enim esse rationem de iis gratiæ donis, seu auxiliis sine quibus nemo potest salutem consequi. Hæc Deum certa lege conferre omnibus, non illa alia quæ non sunt ad salutem necessaria: vt donũ v. g. linguarum, vel sanitatum, & hoc ipsum donum continentiæ. Et confirmat hanc suam obiectionem illo verbo Christi Matth. 19. *Qui potest capere capiat.* Item etiam verbis Apostoli 1. Cor. 7. vbi hac ipsa de re agens: *Vnusquisque*, inquit, *suum donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic*; quasi dicat, nõ omnes habere posse donum illud continentiæ, vt cœlibes maneant.

RESPONDEO primùm, Deum nõ illa solum dona, quæ sunt necessaria omnibus ad salutem, certa lege conferre omnibus, qui illa procurẽt, sed etiam ea quæ sunt necessaria ad commodiùs & perfectiùs assequẽdam salutem per eos actus, siue per illud vitæ genus, quod Deus omnibus consuluit tanquam perfectius, licet non etiam vt necessarium præceperit. Tale est autem donũ perpetuæ continentię, non verò donum linguarum, aut sanitatum. Nam continentiæ donum necessarium est ad continentiam perpetuam, de qua extat diuinum Christi consilium: donũ autem linguarum & alia eiusmodi, non sunt ad actus aliquos, de quibus extet commune consilium. Quod si Deus cuilibet consuleret illud ad quod auxilium gratię ipsius necessarium est, nec tamen cuilibet vellet, quantum in se est, conferre id auxilium; nemo non videt quàm perperam & inaniter id consuleretur.

Deinde dico, continentiæ donum, postquam aliquis explicito vel implicito voto perpetuæ continentiæ eoq; rationabili (quale etiam esse illud ministrorũ probauimus) astrictus est, iam esse ex genere illorum donorũ quæ sunt necessaria ad salutem. Ei enim, qui continentiam perpetuam vouit, omnino necessarium ad salutem est, suum votum *altissimo reddere*, nisi iusta ratione cum illo dispensaretur.

Ad verbum autem Christi respondeo, Patribus suprà citatis illud: *Qui potest capere capiat*, perinde esse ac si dixisset, qui voluerit & potuerit ex huiusmodi hypothesi voluntatis suæ.

Ad verba deniq; Apostoli respondeo, *vnumquemq; habere suum donũ à Deo*, scilicet vel ad continentiam perpetuam, vel ad castitatem coniugalem; non quasi Deus aliquibus nolit dare donum continentiæ perpetuæ; sed quia quidam non illud certè procurant, nec Deus illud dat nisi secundùm liberam cooperationem humanæ voluntatis.

Et quod hoc modo sententia illa Apostoli intelligenda sit, patet manifesta ratione. Nam ita dicit quosdam habere donum ad continentiam cœlibatus, sicut ibidem etiam ait, quosdã alios habere donum ad castitatẽ coniugalem. Inquit enim: *Vnus verò sic, alius autem sic*: At ne ipsi quidem Sectarij contendent ita quosdam habere donum ad castitatem coniugalem, vt non etiam quicũq; alij ad opus coniugale idonei, id etiam donum habere potuerint. Ergo neque eo modo debent contendere donũ continentiæ ex Apostoli sententia esse proprium quorundam, quasi non etiam alij illud possint habere, si sibi non desint.

DECIMVM argumentum. Apostolus 1. Timoth. 5. de viduis quibusdam adolescentibus, quæ non se continebant, inquit: *Volo eas nubere & filios procreare, &c.* Ergo præceptum Apostolicũ est, vt quicunq; sentiunt se à libidine stimulari, matrimonium contrahant.

RESPONDEO cum D. Chrysostomo & aliis expositoribus in eum locum, verbum illud Apostoli, *Volo*, non præcepti voluntatem, sed permissionis esse, posita eiusmodi personarum incontinentia, & posito etiam quòd alioqui non teneantur ex *voto* remediis aliis adhibitis continẽtiam seruare. *Non putes*, inquit Chrysostomus, *illum ad delicias adhortari, sed volo inquit, quia ipsa volunt, &c.*

VNDECIMVM argumentum. Deus dixit Genes. 2. *Non est bonum hominem esse solum.*

RESPONDEO, sequentibus verbis Deum declarasse quid significare voluerit. Addit enim: *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Sensus igitur est, nec bonum nec vtile fuisse futurum, vt tantùm in specie humana esset vir & nulla fœmina, atq; adeò nulla propagatio generis humani; vt rectè interpretatur etiam Abbas Tuitiensis lib. 2. in Genes. cap. 32. Si autem vtilitatem propriam cuiusq; hominis per se spectemus, *bonum est*, inquit Apostolus 1. Cor. 7. *Homini mulierem non tangere.* Et rursus: *Beatior erit si sic permanserit.*

DVODECIMVM argumentum. Apostoli habuerunt vxores, & eas secum circumduxerunt, 1. Cor. 9. *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut cæteri Apostoli & fratres Domini, & Cephas?* Et ad Philipp. vlt. *Rogo te germane compar.* Græcè est, γνήσιε σύζυγε, quæ verba latinè reddi possent, *germana coniunx*, seu *coniugalis.* Nam secundùm Atticismum aliquãdo vox Masculini generis, qualis est illa, γνήσιε, solet poni pro voce fœminina, qualis esset ibi γνησία. Si igitur Apostoli coniugati fuerunt, nõ obstat ea res sacro ministerio.

RESPONDEO cum D. Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum, inprimis de solo Petro constare certò, quod vxorem habuerit: siquidem eius socrus commemoratur in Euangelio. De aliis autem incertum est, & variat de illis veterũ opinio. Nam Hieronymus illic, & Tertullianus libro de Monogamia, dicunt quòd solus Petrus. Ignatius verò in epist. ad Philadelph. quòd Petrus, & Paulus, & omnes alij excepto Ioanne. Clemens Alexand. lib. 3. Stromat. etiam sentit aliquos Apostolos vxoratos fuisse, & inter illos D. Paulum.

Deinde dicimus, quicquid sit de hoc, illud tamen certissimum esse, si qui ex Apostolis vxores fortè habuerunt, omnino tamen ab illarum consuetudine abstinuisse, postquam fuerunt ad Apostolatum vocati, & sese Christo adiunxerũt. Id quod manifestè D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum demõstrat ex illis verbis Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te*; quæ dixit D. Petrus suo & aliorum omnium Apostolorum nomine. Nam quod inter illa *omnia*, quæ reliquerunt, coniuges etiam, si qui habuerunt, eos quoad torum, siue consuetudinem coniugalem reliquisse, patet euidenter ex Christi responso, vbi interpretans quid sit *relinquere omnia*, dicit: *Omnis qui reliquerit patrem aut matrem aut vxorẽ, &c.*

Illud verò quod Paulus dicit 1. Cor. 9. *Nunquid non habemus potestatem sororẽ mulierem circumducendi, &c.* non de vxoribus intelligi debet, sed de piis quibusdam mulieribus, quæ Apostolos sequi solebant, & eis vel pecunia, vel certè ministerio suo in rebus necessariis opitulari: sicut etiam Christum eiusmodi piæ mulieres sequebantur Lucæ 8. Ita exponunt omnes interpretes in illum locum, & Tertullianus libro de monogamia, & Augustinus in libro de opere monach. cap. 4. & 5. & Hieronymus vbi suprà.

Clemens tamen Alexandrinus vbi suprà, de vxoribus illum locum intelligit, sed à quibus omnino abstinerent Apostoli. Quod colligit inde etiam, quia nó mulierem vxorem, sed mulierem *sororem* dicit, quasi iam non essent Apostolis nisi instar sororũ. Cæterùm rectius de piis aliis mulieribus, vt dictum est, locus ille intelligitur, quę propter eiusdem fidei communionem ita vocarentur *sorores*, sicut fideles viri vocabantur ab Apostolis *fratres*. Vt Actor. 2. & aliàs.

Nec obstat quòd Apostolus dicit se *potestatem* habuisse, eiusmodi mulierem circumducendi. Non enim ibi de potestate aliqua loquitur, quæ competeret ipsi & aliis Apostolis iure coniugij, ad mulieres circumducendas; sed de potestate quam iure vnusquisq; habet, vt possit oblatum beneficium, atq; obsequium honestũ admittere.

Quod verò attinet ad alterum locum ad Philipp. vlt. Respondeo, non germana compar aut coniunx, sed *germane* compar reddi debuisse. Atque ita intelligendum est ipsum ibi cum aliquo viro loqui quem *comparem*, seu *coniugalem* (id enim significat vocabulũ σύζυγος) vocat, vel quia idem iugum cum ipso sustinebat in ministerio Euangelij, vel quia coniugatus erat cum aliqua ex mulieribus, quas ibidem commemorauerat, vt Chrysostomus & Theophylactus ibi exponũt: Vel certè nomẽ illud *coniugalis*, vel *comparis* proprium nomen erat illius hominis, vt OEcumenius interpretatur. Theodoret[9] verò & Haymo in eũdem locũ, comparem seu coniugalem vocasse dicunt, ab eodem iugo in ministerio Euangelij; sicut etiam dicebamus.

Quod autem non debeat ille locus de vxore ipsius Pauli exponi, probat manifestè Theodoretus testimonio eiusdem Apostoli, 1. Cor. 7. vbi affirmat se esse ex numero illorum, qui non haberent vxorem; illa autem Epistola ad Corinthios scripta fuit priusquàm illa altera ad Philippenses, sicut idem Theodoretus ostendit in præfatione sui commentarij in Epistolas Pauli. Neque est vllo modo credibile D. Paulum postquam proposito etiam exemplo suo aliis consuluerat in illa Epistola vitam cœlibem, vxorem duxisse.

Deinde D. Paulum nunquam vxorem habuisse asserunt pleriq; Patres. Hieronymus in Psalmum 57. & lib. 1. contra Iouinianum, & in epist. ad Eustochium de Virginit. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 4. Epiphanius hæres. 58. Ambrosius in exhortatione ad Virgin. & communiter omnes expositores in illum locum ad Philippenses. Deniq; licet vxorem habuisset, tamen certum esset, illum, postquam cœpit prædicare Euangelium, coniugio operam non dedisse, vt ostendit D. Augustinus libro de gratia & libero arbitrio, capite 4. & patet ex eodem Apostolo 1. Corinth. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DECIMVM TERTIVM argumentũ. Socrates lib. 1. historiæ, cap. 8. & Sozomenus lib. 1. cap. 22. narrant, cùm Concilij Niceni Patres legem vellent ferre, ne Clerici cũ vxoribus quas ante ordinationem duxissent dormirent, Paphnutium contradixisse, & eius sentẽtiæ Patres acquieuisse, ac reliquisse illis liberam coniugij consuetudinem.

RESPONDEO, Socratem, & Sozomenum in hac narratione non esse fide dignos, vt rectè notauit Alanus Copus in Dialogo primo, cap. 23. & confirmat etiam aliquot argumẽtis Franciscus Turrianus libro de Canonibus sextæ Synodi. *Primò*, quia Sozomenus *multa alioqui mentitur*, vt disertis verbis affirmat S. Gregorius lib. 6. Registri, epist. 31. & Socrates etiam quædam manifestè falsa narrare solet. Vt libro 5. cap. 21. licuisse pascha celebrare, quando Episcopi vellent, neq; Ecclesiam aliquid certi de ea re statuisse; cùm tamen Concilium Nicenum statuerit, vt Dominica post decimam quartam lunam primi mensis celebraretur, cuius canonis meminit Epiphan. hæres. 70. Ambros. epist. 83. Athanasius lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ. Eusebius in vita Cõstantini. Item ibidẽ ait Socrates in Romana Ecclesia, nõ ieiunari ante pascha, nisi per tres hebdomadas, & tamen S. Leo, qui eodem tempore vixit quo Socrates, sermon. 4. de Quadragesima testatur ieiunari 40. dies, quam etiam consuetudinem commemorat Gregorius homil. 16. in Euang. Item in Ecclesia Romana nõ ieiunari in Sabbatis: cuius contrarium patet ex Augustino epist. 86. & 118.

Secundò, quia historia ista de Paphnutio pugnat cum Epiphanio, qui hæresi 59. affirmat esse *contra canones Ecclesiasticos*, ꝙ Sacerdos vel Diaconus liberos gignat, & cum D. Hieronymo, qui libro contra Vigilantium testatur, in *Oriente*, & AEgypto non licere Sacerdotibus & Diaconis vxoribus vti. Non igitur Concilium Nicenum paulò ante tempora istorum duorum Patrum id concesserat.

Tertiò, quia pugnat etiam cum ipso Concilio Niceno, ex cuius canone tertio colligitur viguisse legem cœlibatus eius Concilij tempore. vt suprà sumus argumentati. Quæ res ipsum etiam Lutherũ permouit, vt in libro de Conciliis parte prima, scriberet, Concilij Niceni Patres noluisse acquiescere sententiæ Paphnutij.

Quartò, quia non est credibile, eam narrationem, si vera est, fuisse præteritam ab aliis historicis antiquioribꝰ Socrate & Sozomeno, & à Ruffino lib. 1. vbi tamen multa de Concilio Niceno, & de illo ipso Paphnutio commemorauit. Neq; in actis ipsis Concilij Niceni debuisset talis res silentio penitus præteriri.

Adde, quòd si maximè hæc historia Paphnutij vera esset; tamẽ Sectariis ipsis etiam repugnaret. Scribunt enim Sozomenus & Socrates locis citatis, addidisse nihilominus Paphnutium, bonum sibi videri, vt secũdùm antiquos canones, nemo post ordinationem vxorem ducat, sed solum vsus permittatur vxoris, quæ ante ducta fuerit. Nostri verò Sectarij etiam post ordinationem volunt vxores duci posse.

Addit etiam Sotus lib. 7. de Iustitia, q. 6. art. 1. fieri potuisse, vt Concilium Nicenum eatenus permiserit ministris sacris consuetudinem coniugalem, quatenus noluerit certè punire transgressores huius legis cœlibatus; non verò quasi probauerit illorum abusum. Et eius rei fortè Paphnutius potuit esse Patribus illis author, idque propterea, quòd fortè tunc expediebat ad eam rem nonnihil conniuere, & tolerare abusum, qui apud multos irrepserat illis temporibꝰ: vt colligi potest ex Epiphanio hæres. 59. cuius verba suprà recitauimus. Cæterùm liberam potestatem huius rei à Concilio Niceno factam fuisse, & historiam illam ita accidisse sicut Socrates & Sozomenus narrant, non est credibile.

DECIMVM QVARTVM argumentum. Vdalricus Episcopus Augustanus epistola quadam ad Nicolaum Papã scribit, D. Gregorium, cùm consuetudinem coniugalem ministris prohibuisset, & deinde cognosceret sex millia capitũ infantum ex piscina sua quadam à piscatoribus casu cum piscari vellent, eruta esse, eaque homicidia intelligeret legem hanc cœlibatus peperisse, vt stupra nimirum ministrorum occultarentur; legem illam suam reuocasse & pœnitentiam egisse.

RESPONDEO, commentitiam esse prorsus illam Epistolam Vdalrici, vt asseruit Staphylus in responsione ad fictas dissensiones, quas inter Catholicos esse falsò criminatur Illyricus, & ostendit etiam diligenter Alanus Copus, Dialogo primo, capite 22. Nam Nicolaus I. obiit circa annum Domini 867. vt etiam Onuphrius in libro de Romanis Pontificibus annotauit. Vdalricus autem creatus est Episcopus circa annum Domini 924. vt notat Abbas Vrspergensis in suo Chronico, vel circa annum 903. vt fertur scriptũ esse in Chronico Ecclesiæ Augustanæ. Fieri igitur non potest, vt Vdalricus Episcopus scripserit ad Nicolaum Papam, eius nominis primum.

Sed neque scripsit ad Nicolaum II. Nam hic creatus est Pontifex anno Domini 1059. Vdalricus autem obiit circa annum Domini 953. Quo fit vt Vdalricus annis circiter 100. obierit ante Nicolai II. creationem. Nec verò fuit alius Vdalricus Episcopus Augustanus, nisi ille sanctus qui fuit post Nicolaum I. & longè ante Nicolaum II. vt dictum est. Neque alium commemorat Munsterus lib. 3. de rebus Germaniæ in Catalogo Episcoporum Ecclesiæ Augustanæ.

Accedit quòd illa historia de 6000. capitum infantum, per se ridicula videtur. Denique si illa Epistola Vdalrici genuina esset, aduersaretur Sectariis. Nam ibi Vdalricus ille affirmat, debere cogi Presbyteros & Monachos ne vxorem ducant post ordinationem: id quod approbant tamen Sectarij.

DECIMVM QVINTVM argumentũ. Lex cœlibatus alios fructus præterquam horrendas libidines, & multa Sacerdotum scandala non habet. Igitur est abolenda.

RESPONDEO, libidines & scãdala ministrorum, non esse fructus legis cœlibatus, sed *abusus* illius, qui tollendi sunt, non autem ipsa lex cœlibatus: fructus autẽ legis cœlibatus per se sunt longè alij: Nimirum eos quos commemorat Apostolus 1. Cor. 7. scilicet *cogitare quæ Domini sunt; esse sollicitum quomodo placeas Deo*; esse *sanctum corpore & spiritu*; habere *facultatem sine impedimento Dominum obsecrandi*; non esse animum *diuisum* atque distractum in curis & solicitudinibus huius mundi, &c.

Accedit quòd innumeri etiam sunt, qui sanctissimè absq; vllis scandalis in cœlibatu viuũt. Quod si alij libidinibus se dedunt; illorum culpa hæc est, non legis cœlibatus. Neque propterea quòd lege ista cœlibatus sublata quædam etiam peccata, & sacrilegia ministrorum impedirentur, tollenda ipsa lex est. Nisi velimus eadem ratione alias leges diuinas & humanas tolli. Nam & multa etiam peccata, imò omnia quæ committuntur aduersus illas, impedirentur, si leges ipsæ sublatæ essent; quandoquidem *vbi lex non est; nec præuaricatio*, ac proinde nec peccatum. Rom. 4. Non igitur flagitia, quæ committuntur cõtra legem cœlibatus debent obstare, quo minus lex ipsa, ppter suas quas habet alioqui maximas vtilitates, maneat.

Ex quibus omnibus SEQVITVR, ministros Ecclesiæ qui contra legem cœlibatus vxores ducere præsumunt, non legitima matrimonia inire, sed verissimè scortari & peccare cõtra legem iustissimã; quicquid Kemnitius contra ineptissimè & leuissimè contendat, eiusmodi illorum factum non esse peccatum. Nos autem, peccatũ imò flagitium esse meritò affirmamus, cùm sit contra legem.

Quod cùm ita sit; rectè etiam tales ab Ecclesia puniuntur. Nam Concilium Toletanum II. can. 1. iubet Sacerdotem qui vxorem duxerit, vt sacrilegij reum ab Ecclesia haberi extraneum. Et Toletanum VIII. can. 6. iubet recludi in monasterium, vt seueriss imam ibi ad finem vsque vitæ pœnitentiam agat. Quin etiam D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum dicit: *Episcopus qui filios facit*; tãquam *adulter damnabitur*. Ex quo potest colligi, ministros, qui contra legem cœlibatus Hieronymi tempore facerent, fuisse quãdoque solitos extremo supplicio mulctari.

Nam eam fuisse pœnam adulteris decretam patet ex eodem Hieronymo illic, & Epistola 49.

FINIS NONAE DISPVTATIONIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO DECIMA GENERALIS,

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

DIVISA IN QVÆSTIONES SEX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM DISPVTATIONIS DECIMÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

De ipso Sacramento Matrimonij secundùm se.

PVNCT. I. *Quid propriè sit Matrimonium.*
II. *An Matrimonium sit per se res bona & licita.*
III. *An etiam sit bonum & licitum Matrimonium vnius viri cum pluribus vxoribus.*
IV. *An Matrimonium vnius cum vna sit non solùm bonum & licitum, sed etiam diuinitùs imperatum.*
V. *An non modò licitum & imperatum sit, sed etiam Sacramentum.*
VI. *Quænam sit Forma & Materia huius Sacramenti.*
VII. *An & quomodo sit hoc Matrimonij Sacramentum indissolubile.*

QVAESTIO SECVNDA.

De caussa disponente ad Matrimonium, hoc est, de Sponsalibus.

PVNCT. I. *Quæ sit ratio Sponsalium.*
II. *Quis sit Effectus Sponsalium.*
III. *Quinam possint Sponsalia contrahere.*
IV. *An & qua ratione possint Sponsalia in Matrimonium transire.*
V. *An & quibus modis dirimi possint Sponsalia.*

QVÆSTIO TERTIA.

De caussa Efficiente Matrimonij, hoc est, de Consensu.

PVNCT. I. *Vtrum omnino ad vinculum Matrimonij sit necessarius Consensus ipsorum contrahentium.*
II. *An sit necessarius Consensus omnino liber.*
III. *An sit necessarius Consensus absolutus.*
IV. *An & quomodo sit necessarius Consensus manifestus.*
V. *In quodnam propriè obiectum debeat ferri necessarius Consensus.*
VI. *An ad Matrimonium non solùm ipsorum contrahentium, sed etiam parentum Consensus necessarius sit.*

QVÆSTIO QVARTA.

De Matrimonij Effectibus seu Bonis.

PVNCT. I. *De Bonis Matrimonij generatim.*
II. *De Bono Fidei.*
III. *De Bono Prolis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO QVINTA.

De Impedimentis Matrimonij.

PVNCT.I. *Vtrum humanæ auctoritatis decreto posſint aliqua impedimenta Matrimonio apponi, præsertim Matrimonium dirimentia, quæ alioqui iure naturali & diuino illud non impedirent.*

II. *Si omnino aliqua Matrimonij impedimenta sunt; quænam & qualia sint illa: & quonam iure vnumquodq; illorum constet.*

III. *De Impedimentis dirimentibus.*

IV. *De Impedimentis non dirimentibus.*

QVÆSTIO SEXTA.

De legitimo vsu Matrimonij.

PVNCT.I. *De legitimo vsu ipsius contractus Matrimonij.*

II. *De legitimo vsu Matrimonij iam contracti.*

DISPVTATIO DECIMA GENERALIS, DE SACRAMENTO MATRIMONII.

SCRIBVNT DE MATRIMONIO *Theologi lib. 4. sententiarum à distinct. 26. vsque ad 42. & Canonistæ in Decretis 27. quæst. 2. & 29. quæst. 1. & 2. & 32. quæst. 1. & sequentib. & 33. quæst. 1. & 2. & super lib. 4. Decretalium: inter quos optimè de hac materia scripsit Didacus Couarruuias Tomo primo in Epitome libri 4. Decretalium, & Nauarrus in Manuali, cap. 22. Et ad hanc ipsam Disputationem pertinent multa, quæ scripsit sanctus* AVGVSTINVS *in libris duobus de adulterinis coniugiis ad Pollentium, tomo 6. & in altero de bono coniugali, contra Iouinianum, eodem tomo, & in libris duobus de Nuptiis & concupiscentia ad Valerium, tomo 7. Nos hanc disputationem totam reuocabimus ad sex quæstiones principales. Quas rursus variè diuidemus, vt nihil necessarium prætermittamus.* PRIMA *erit de ipso Sacramento Matrimonij secundum se.* SECVNDA, *de Sponsalibus; quæ sunt velut caussa disponens ad Matrimonium.* TERTIA, *de caussa efficiente Matrimonij, quæ est consensus Coniugum.* QVARTA, *de fructu siue effectu Matrimonij, id est, de bonis siue emolumentis, quæ adfert.* QVINTA, *de impedimentis Matrimonij, ex qua constabit, quænam personæ rectè ac legitimè posſint Matrimonium contrahere.* SEXTA, *de legitimo vsu Matrimonij.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO PRIMA.

De ipso Sacramento secundùm se.

Supplem. D. Thom. quæst. 41. 42. 44. 65. 67.

EXPLICANDA SVNT SEPTEM. PRIMO, QVID PROPRIE sit Matrimonium. SECVNDO, *An Matrimonium sit per se res bona & licita.* TERTIO, *An etiam sit bonum & licitum Matrimonium vnius viri cum pluribus vxoribus.* QVARTO, *An Matrimonium vnius cum vna sit non solùm bonum & licitum, sed etiam diuinitùs imperatum.* QVINTO, *An sit non modò licitum & imperatum, sed etiam Sacramentum.* SEXTO, *Quænam sit Forma & Materia huius Sacramenti, & quis item Ritus.* SEPTIMO, *An & quomodo hoc Matrimonij Sacramentum sit indissolubile.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid propriè sit Matrimonium.

D. Thom. quæst. 44.

COMMVNITER AB OMNIBVS MA- A trimonium definitur his ferè verbis: *Matrimonium est maritalis coniunctio viri & mulieris, inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Ita definitur à Magistro in quarto, distinct. 27. & à Diuo Thoma hic quæst. 44. articulo tertio. Et eadem ferè definitio traditur in lege 1. ff. de ritu Nuptiarum, & in §. *In potestate.* Institut. de patria potestate. Et à Canonistis libro 4. Decretalium, Extra de sponsalibus, in principio.

Nec obscurè hanc ipsam definitionem Matrimonij subindicauit LACTANTIVS libro tertio diuinarum institutionum, cap. 21. cùm differens de recta ratione coniugiorum, ait: *Quis virmulierem, aut mulier virum diliget, nisi habitauerint semper vnà, nisi deuota mens & seruata inuicem fides* INDIVIDVAM *fecerit charitatem?* B

Sed quantum ego ex communi doctrina colligo, non complectitur ea definito quicquid ex recepta consuetudine loquentium solet appellari Matrimonium, sed illud tantummodò, cui primò & principaliter Matrimonij vocabulum tributum est. Animaduerto enim non vni rei tantùm, sed pluribus & inter se diuersis id vocabulum, quasi analogicè à Doctoribus tribui: ita vt vni principaliter conueniat, aliis autem per respectus varios ad illud vnum.

Hoc igitur vt intelligatur, atque etiam, vt ex omni parte ratio Matrimonij pateat, notandum est, circa coniugium, quod vir & fœmina inter se ineunt, QVINQVE posse considerari, quæ sunt extra controuersiam certa apud omnes, tum Orthodoxos, tum Sectarios.

PRIMVM est ipse *contractus* siue actus contrahendi, qui consistit in mutuo consensu explicato per verba de præsenti, quo vir dicit, *Accipio te in meam*; & fœmina, *Accipio te in meum*, vel aliquid aliud, quod tantundem significet.

SECVNDVM est mutua vtriusque coniugis *obligatio*, quæ ex eo contractu nascitur ad actus coniugales, qui ad procreationem & educationem liberorum pertinent.

TERTIVM est coniunctio quædã seu *vinculum* animorum vtriusque coniugis; quæ coniunctio seu vinculum cõsideratione tantùm ab illa mutua obligatione differt. Est enim per se nihil aliud quàm relatio quædam, quam habere ad se mutuò coniuges intelligimus, vt sunt sibi inuicem obligati & obstricti in iis, quæ pertinent ad procreationem & educationem liberorum, sicut rectè explicauit Diuus Thomas quæst. 44. articulo primo. Atque hæc ipsa relatio dicitur *Vnio* quoque animorum inter coniuges, & per eam ipsi coniuges dicuntur esse *vnum* quiddam, quatenus per illã nimirum ordinantur ad quiddam vnum, id est, ad officium procreãdi & educandi prolem, vt docet illic D. Thomas.

QVARTVM est *potestas* seu facultas, quam beneficio vinculi illius atq; coniunctionis mutuæ, vterq; coniunx habet ad exercẽdum licitè actus coniugales, quæ potestas solet etiam nominari *Ius* viri & fœminæ ad coniugales actus.

QVINTVM

QVINTVM est *vsus* huius potestatis, id est, actus ipsi coniugales ad procreationem & educationem liberorum pertinentes, atque adeò *societas* illa vitæ communis cõiugum ordinata ad eum finem. Præter hæc autem quinque, de quibus inter omnes conuenit, est etiam in coniugio cõsideranda ratio Sacramenti, quam esse in aliquo istorum quinque contra Sectarios punct. 5. asseremus. A

Iam cùm ista QVINQVE in coniugio concurrant; primum illorum, & tertium, & quartum, & ex parte etiam quintum, quæ tamen omnia diuersa sunt, appellari solent *Matrimonium*: nempe *contractus* ipse coniugij; & *vinculum* animorum, ex eo resultans, quod, vt vidimus, re non differt ab ipsa obligatione contractus; & *potestas* ad actus coniugales, & *societas* illa vitæ communis coniugum. B

Contractus ipse vocatur Matrimonium, cùm Matrimonium dicitur esse vnum quoddam *Sacramentum* nouæ legis. Ratio enim huius Sacramenti constituta est in consensu mutuo per verba de præsenti explicato, atque adeò in quodam contractu, vt ex communi sententia docet D. Thomas quæst. 42. articulo primo ad primum, & secundum, & quæst. 44. articulo primo ad secundum, & bene etiam explicuit Ruardus Tapperus articulo 18. pagina 458. in initio, & 461. in fine.

Item contractus hic vocatur Matrimonium ab Hugone Victorino lib. 2. de Sacram. part. 11. cap. 4. cùm Matrimonium ita definit: *Matrimonium est duarum idonearum personarum legitimus consensus.* C

Vinculum autem illud vocatur Matrimonium in cõmuni illa Matrimonij descriptione, quam initio retulimus ex Magistro & aliis: hoc enim vinculum est illa *maritalis coniunctio*, sicut postea exponemus.

Potestas etiam ad actus coniugales vocatur Matrimonium, cùm illud à quibusdam aliis ita definiri solet: *Matrimonium est ius inter virum & fœminam, quo mutuo licet vti ad liberorum procreationem.* Quam definitionem commemorauit item Franciscus de Victoria in relect. de Matrimonio, part. 1. D

Denique *societas* etiam vitæ communis coniugum appellatur Matrimonium, cùm id à quibusdam ita describitur: *Matrimonium est consortium communis vitæ, & communicatio diuini & humani iuris.* Quam definitionem commemorat etiam & explicat D. Thomas quæst. 44. art. 3. vbi ait, communicationem diuini & humani iuris, in ea descriptione dici, quoniã per ius diuinum & humanum debet illa communis vita coniugum informari, siue regulari.

SED cùm tam varia & multa appellentur *Matrimonium*, primariò tamen & principaliter illud *vinculum* animorum inter cõiuges Matrimonium est & nominatur; alia verò per respectum aliquem ad istud vinculum. Quod tripliciter probo & declaro.

PRIMO, quia illud primò & principaliter Matrimonium est & dicitur, quod describitur per definitionem Matrimonij magis receptam & à pluribus traditam. Tale autem est illud vinculum. Hoc enim vinculum est propriè *coniunctio illa maritalis* viri & fœminæ, de qua loquitur cõmunis illa definitio Magistri & aliorum, quam initio posuimus, vt etiam explicat D. Thomas, quæst. 44. artic. 1.

SECVNDO, quia illud principaliter est & dicitur Matrimonium, quod per se durat perpetuò, quamdiu vir & fœmina cõiuges verè appellãtur. Hoc autem inter illa omnia, quę diximus, Matrimonium vocari; est solum istud *vinculum*, vt patet. Etenim consensus ipse quiddã est transiens. Potestas etiã ad actus cõiugales licitè exercendos potest suspendi in cõiugibus per votum continentię perpetuum emissum vtriusque consensu. Consuetudo etiam vitæ communis, non est aliquid necessariò coniunctum cum vero cõiugio; vt patet, quando iustis de causis coniuges, quoad torum, & etiam habitationem separantur. Solum igitur illud vinculum est in cõiugibus perpetuò durans.

TERTIO, quia quandoque Doctores affirmant, Matrimonium non esse nisi istud vinculum: vt D. Thomas quæst. 44. artic. 1. & clarius quæst. 45. art. 1. ad secundum, & Franciscus Victoria in Relect. de Matrimonio, part. 1. num. 5. vt alios omittam. Nec tamen id ita intelligi debet, quasi non illa alia etiam suo modo dicantur, & sint Matrimonium; vt patet ex definitionibus aliis Matrimonij iam commemoratis, quas D. Thomas etiã quæst. 44. art. 3. admittit, & explicat. Restat igitur, vt hoc sit, quod Doctores affirmare velint; solum videlicet *vinculum* esse, quod *primò & principaliter* est Matrimonium: illa verò alia non nisi secundariò Matrimonium dici, per respectum ad vinculum.

Vt enim rectè D. Thomas in dicta q. 44. art. 1. docet, *Consensus* mutuus dicitur Matrimonium, quatenus caussa illius vinculi: *Societas* autem illa vitæ communis, quatenus est effectus eiusdẽ vinculi: ac similiter *potestas* ad licitè exercendos actus coniugales, quatenus ex illo vinculo consequitur.

Patet iam igitur ex his PRIMO, verum illud esse, quod initio dicebam, per definitionem illam Matrimonij communem non definiri id omne, quod est & nominatur Matrimonium, sed id quod principaliter est Matrimoniũ, & à quo Matrimonij appellatio per varios respectus deriuatur ad quædam alia.

Patet SECVNDO, non vnicam tantùm Matrimonij definitionem, sed plures, vt vidimus, esse assignandas, si volumus omnia ea complecti, quæ sunt Matrimonium, & sine confusione aut æquiuocatione intelligere quid ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnumquodque pertineat. Quin etiam præter omnes illas Matrimonij definitiones iam commemoratas, oportet aliam assignare, quæ declaret Matrimonij rationem, quatenus est *Sacramentum* quoddam.

Potest autem ex hac parte ita describi: *Sacramentum Matrimonij est signum efficax gratiæ diuinæ ad Christianam procreationem & educationem liberorum in maritali ac indissolubili contractu viri & fœminæ diuinitùs institutum.* Quam Sacramenti rationem verè in contractu Matrimonij esse postea probabimus punct. 5.

TERTIO ex dictis patet, quid respondendum sit, cùm absolutè quæritur, quænam sit ratio, & quasi substantia Matrimonij. Vt enim multa & varia sunt, quæ Matrimonium dicuntur, ita etiam ratio, & quasi substantia Matrimonij, si totam vocabuli significationem complectamur, varia est & multiplex, sicut vidimus. Si autem quæritur de eo, quòd *primo & principaliter* est Matrimonium; ratio Matrimonij est illa, quam significat definitio communis initio posita.

In qua loco generis ponitur *Coniunctio*. Qua voce non corporum, sed animorum coniunctio, & quasi vinculum, de quo suprà diximus, significatur, vt omnes notant. Nam, vt dicitur in L. *Nuptias*. ff. de diuersis Regulis Iuris antiqui, *Nuptias non concubitus, sed consensus facit*; quod etiam asserit Nicolaus Papa in Can. *Sufficiat* 27. quæst. 2. Qualis autem, & de quo obiecto propriè debeat esse hic cõsensus, explicabitur magis infrà quæst. 3.

Reliquæ verò illius definitionis particulæ positæ sunt loco differentiæ. Significant enim non qualemcunque esse hanc coniunctionem, quæ Matrimonium dicitur, sed *maritalem*, id est, ad legitimam procreationem & educationem prolis ordinatam: quod est imprimis officium eius, qui vulgo vocatur maritus. Item esse eam *indissolubilem*; ita vt per voluntatem ipsorum coniugum dissolui nequeat more aliorum contractuum. Hoc enim sine controuersia significat illa definitionis particula, *Individuam vitæ cõsuetudinem retinens.*

Vtrum autem aliquibus aliis modis, & quibusnam possit Matrimonij vinculum vtroque coniuge viuente *dissolui*; cùm quæstio sit controuersa partim cum Sectariis, partim etiam inter ipsos Catholicos Scriptores, non debet explicari in definitione: quippe quæ debet tantummodò exprimere communem & indubitatam rei notionem; sed postea puncto septimo erit ea de re disputatio.

QVARTO ex dictis intelligi potest, non sine congruenti ratione maritalem hanc coniunctionem fuisse appellatam *Matrimonium*. Nam cùm illud in coniugij contractu notissimum sit, quòd scilicet ideo mulier viro coniungitur, vt *Mater* fiat; rectè istiusmodi coniunctio *Matrimonium* nominatur. Hanc appellationis huius rationem reddidit Diuus AVGVSTINVS libro 19. contra Faustum, capite 26. *Matrimonium*, inquit, *ex hoc appellatum est, quòd non ob aliud debeat fœmina nubere, quam vt mater fiat.* Et exponit præter istam rationem aliàs D. Thomas quæst. 44. artic. 2. sed ratio hæc D. Augustini est illustrior.

Vocatur etiam hæc coniunctio *Nuptiæ* à verbo *nubo*, quod significat velare: quia capita viri & fœminæ velari sunt solita. Vnde Diuus AMBROSIVS libro primo de Abraham, capite nono, memorans factum Rebeccæ, quæ ad aspectum Isaac caput suum texit; *Inde*, inquit, *Nuptiæ sunt dictæ, quòd pudoris gratia puellæ se obnuberent.* Et idem annotauit ISIDORVS libro secundo de Ecclesiasticis officiis, capite decimo nono.

Nominatur etiam Matrimonium *coniugium*, siue à vinculo, quo vir & fœmina coniunguntur, siue quia idem onus, & quasi *iugum* Matrimonij sustinent. Ex his autem appellationibus in sacris quidem Scripturis frequentissima est appellatio *nuptiarum*. Atque hactenus de primo puncto.

Quæ autem deinceps, & in hac & in aliis quæstionibus huius Disputationis dicentur, potissimum de Matrimonio, vt est *vinculum* & coniunctio illa coniugum (nisi aliud alicubi explicemus) intelligenda sunt. Tum quia vinculum hoc præcipuè est Matrimonium; Tum quia reliqua, quæ Matrimonium etiam dicuntur, ita sunt connexa, vel antecedenter, vel consequenter cum illo vinculo, vt si hoc inter aliquas personas contrahentes sit ratum & licitum; illa etiam sint rata & licita: sin autem vinculum istud ratum & licitum non sit; neque illa sint.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Matrimonium sit per se res bona & licita.

D. Thom. q. 41. art. 3. & 4.

EX FIDE certissimum est, Matrimonium esse per se rem bonam & licitam. Hanc assertionem negauerunt multi Hæretici veteres. Vt Saturninus, teste Irenæo libro primo, capite vigesimo secundo, & Marcion, teste Diuo Hieronymo libro primo contra Iouinianum, in initio. Item Tatianus, teste Irenæo libro primo, capite 30. & Epiphanio hæresi 46. & Hieronymo illic & Augustino libro de Hæres. cap. 25. Cuius Tatiani Sectatores, *Encratitæ* appellati sunt, vt ibi notant Epiphanius, & Hieronymus, & Augustinus. Quamuis quidam ex Encratitis in quibusdam dissensisse videntur ab

aliis Tatianis, vt apparet ex Epiphanio in Anacephaleosi, & innuit quoque Augustinus loco citato. Item fuerunt in eodem errore Manichæi, teste Hieronymo, vbi suprà, & Augustino libro de hæresibus, capite 46. Item Priscillianistæ eodem Diuo Augustino teste ibi cap. 70. Item hæretici quidam vocati *Adamiani* apud eundem Augustinum illic cap. 31. quoniam sentiebant ex Adæ peccato prouenisse coniugium & esse malum; neque in statu naturæ integræ illud fuisse futurum, sed per procreationem à Deo fuisse tunc singulos homines producendos. Cuius etiam erroris meminit idem Augustinus libro de bono coniug. capite secundo, ac eundem tribuit Eustathianis Socrates libro secundo hist. capite 33. Et Apostolicis Bernardus sermone 66. in Cantica. Et Armenis Guido Carmelita. Aduersus igitur hos omnes hæreticos assertio orthodoxa probanda est: ex qua etiam probatione patebit Matrimonij *institutio*, & caussæ eius institutionis.

Probatur igitur PRIMO auctoritate diuina. Nam Deus ipse & *instituit*, & *approbauit* Matrimonium, & ipsos coniuges quicunque legitimè contrahunt, nunc etiam ipse coniungit, ratum videlicet faciens coniugij vinculum. Instituit quidem Genes. 1. hoc ipso, quod eo consilio masculum & fœminam creauit hominem, vt liberorum procreationi in coniugio operam darent: sicut ibidem declarauit subiungens: *Crescite & multiplicamini.* Deinde etiam Genesis secundo, vbi Deus ipse per Adamum verba illa locutus est, quibus coniugij vim atque rationem expressit: *Quamobrem relinquet*, inquit, *homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.*

His enim duobus locis Genesis primo & secundo, cõiugium à Deo fuisse institutum, Christus interpretatus est Matthæi 19. vbi confirmans ex ipsa coniugij institutione vim atque indissolubilitatem illius, ad Pharisæos ita inquit: *Non legistis, quia qui fecit ab initio hominem, masculum & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Quo loco verba, quę dixit Adam, exponit Christus Deum ipsum dixisse, vt ante ponebamus: quia scilicet Deus ea illi inspirauit, & per os illius Deus singulariter locutus est.

Approbauit etiam Deus peculiari quadam benedictione sua coniugium primò ante peccatum, cùm illud instituit, Genes. 1. Deinde post peccatum Genes. 9. Nam Genes. 1. legimus: *Benedixitque illis Deus & ait; Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Ac similiter Genesis nono: *Benedixitq́, Deus Noë & filiis eius, & dixit ad eos. Crescite, &c.*

Quod autem ipse etiam Deus legitimè contrahentes *coniungat*, vt diximus, peculiari quadam assistentia ratum faciens Matrimonij vinculum: patet testimonio Christi, Matth. 19. Loquens enim non modò de Adam & Eua, sed de quibuscunque aliis legitimè coniunctis, de quibus videlicet Pharisæi interrogabant, ad extremum addidit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Cuius rei cogitatio meritò reuerentiam summam in animis eorum, qui Matrimonium contrahunt, concitare debet; siquidem summa cum religione eos reputare oportet à Deo se in illo vitæ genere copulari, non secus ferè, ac ab ipso Deo Adam & Eua Matrimonio iuncti fuerunt: *Adduxit enim Deus*, inquit Scriptura, Genes. 2. *Euam ad Adam, &c.*

SECVNDO probatur assertio auctoritate Christi Domini. Nam Matth. 19. institutionem Matrimonij ipse rursus stabiliuit ex diuinis verbis concludens: *Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro.* Atque etiam Ioan. 2. nuptias præsentia sua cum matre & discipulis cohonestauit.

TERTIO probatur auctoritate Diui Pauli 1. Corinth. 7. *Qui Matrimonio iungit Virginem suam bene facit.* Et; *Si nupserit Virgo, non peccabit.* Et ad Hebræos decimo tertio: *Honorabile coniugium in omnibus, & torus immaculatus.* Et 1. ad Timoth. 4. vocat doctrinam contrariam *doctrinam Dæmoniorum.*

QVARTO probatur auctoritate Patrum, qui contrarium errorem habuerunt pro explorata hæresi. Vt Irenæus, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, vbi suprà, & alij passim. Quo in genere luculenta est illa sententia AVGVSTINI libro primo de nuptiis & concupiscentia, capite quinto: *Profectò*, inquit, *errant, qui cum vituperatur libido carnalis, damnari nuptias opinantur; quasi morbus iste de connubio sit, non de peccato.*

QVINTO probatur ratione naturali, quæ euidenter ostendit, coniugium esse per se rem bonam, atque adeò licitam, non modò ex institutione expressa iuris diuini, vt hactenus demonstratum est, sed etiam ex iure ipso naturali, quod in dictamine rectæ rationis consistit. Formamus autem argumentum ex ratione hoc modo: Si quæ res per se est accommodata & necessaria ad finem, qui per se quoque est bonus & necessarius; dubitari non debet, quin ea res per se sit bona & licita. Talis autem res est coniugium. Ergo, &c. Maior est euidens in materia morali. Nam quæ sunt propter finem aliquem, ex fine æstimari debent. Minor autem probatur. Nam vt docet Aristoteles libro octauo Ethicor. capite duodecimo, duplex est naturalis finis coniugij. Vnus primus & principalis, Alter secundarius. Finis *primus & principalis* coniugij est procreatio & educatio prolis, eo modo, qui conueniat perfectioni hominis, vt homo est; qui modus in hoc consistit, vt tria suppeditent parentes filiis: nimirum, *Esse*, *Nutrimentum*, & *Disciplinam*, sicut Philosophus ex ipsa ratione naturali docuit, libro octauo Ethicor. cap. 11. & 12. *Secundarius* autem coniugij finis est

Universidad de Deusto
Biblioteca

mutuum obsequium viri & mulieris: vt scilicet alter alteri in communi vitæ consuetudine auxilio sit, & iis officiis, quæ deceant vnumquemque sexum, opituletur. Quem ad finem Deus etiam in creatione mulieris respiciens; *Faciamus*, inquit, *homini adiutorium simile sibi*, Genesis secundo.

Neque dubium est, quin vterque hic finis coniugij per se sit bonus. Nam nisi proles procreetur, & educetur eo modo, qui humanæ naturæ perfectioni conueniat; aut non propagaretur species humana, aut non ita propagaretur, vt postulat illius conditio. Item vsum illius mutui auxilij viri & mulieris bonum esse, ipsa sexus differentia ostendit. Quorsum enim illam natura machinata est, & ad alia atque alia officia viris ac mulieribus propensionem ac facultatem peculiarem indidit, si in mutuo eiusmodi subsidio nullum bonum emolumentum est?

Sunt igitur hi duo naturales fines coniugij per se boni; & quidem prior etiam *necessarius*, atque adeò bona quoque per se illa inclinatio naturalis, quæ propter eiusmodi fines hominibus est ad coniugium insita. Ex qua inclinatione Diuus Thomas quæstione quadragesima prima, articulo primo ostendit, Matrimonium esse de *iure naturæ*: Et quidem ita, vt homo naturaliter magis sit animal coniugale, quàm politicum; vt affirmat quoque Aristoteles libro octauo Ethicorum, cap. 12. siquidem vehementior inclinatio est ad illam vitæ consuetudinem, quæ est inter coniuges, quàm ad illam, quæ est inter ciues.

Iam verò ad vtrumque finem coniugium per se est accommodatissimum, vt patet; & quidem etiam necessarium ad finem *primum & principalem*, qui est procreatio & educatio prolis. Nam nisi vir & mulier certo & perpetuo obligationis vinculo sibi mutuo obstricti sint; nequaquam certa liberorum procreatio, neque idonea educatio esse posset: vt facilè ostédit Diuus Thomas quæstione 65. articulo tertio, & quæstione 67. articulo primo, vbi singulariter notat, ad rectam educationem prolis etiam pertinere, vt parentes *filiis thesaurizent*, & filij parentum hæredes sint: vt apertè indicat Diuus Paulus 2. Corinthior. 12. Ex quo item Diuus Thomas concludit, Matrimonij vinculum oportere esse perpetuum. Atque ita patet illa Minor propositio nostræ argumentationis, atque adeò tota probatio QVARTA.

Ostendit autem hæc quarta probatio, non modò Matrimonium esse per se bonum & licitum, sed contra etiam illicitum & contra ius naturæ esse quemcunque concubitum viri & fœminæ extra legitimũ Matrimonium, vt probat hîc Diuus Thomas quæst. 65. articulo tertio & quarto, & quæst. 67. articulo primo, & nos ostendimus tomo tertio, disputat. 9. de Temperantia, quæst. 3. puncto tertio. Ratio est, quoniam talis concubitus non est res accommodata ad rectam educationem & procreationẽ prolis, quæ debet esse principalis finis actus generationis, vt patet ex dictis. Quin cõtrà potiùs talis concubitus suapte ratione est pernicios⁹us proli, si quæ per eiusmodi vagum & liberum concubitum generetur: vt quæ vel non satis certum parentem habebit, vel non rectè educabitur, vel certè non ex necessaria aliqua & indissolubili obligatione, qua satis tutò & certò (sicut in re tanta ratio dictat fieri debere) proli cautum sit.

SEXTO probatur assertio ratione ducta ex iis etiam coniugij finibus, quos lumen fidei *Christianæ* ostendit. Inter Christianos enim Matrimonium *Primò* & principaliter ad eam rem est, vt filij procreentur & educentur, non solùm eo modo, quem exigit naturalis perfectio naturæ humanæ, sed etiam ad cultum exhibendum Deo, iuxta normam religionis Christianæ: quò hac ratione Ecclesia Christi possit durare perpetuò. At hic finis per se optimus & necessarius est; nec dubium est, quin coniugium suapte ratione sit medium ad eum finem accommodatissimum. Quare sequitur, illud esse per se bonum. *Secundò* etiam coniugium in Republica Christiana ad eam rem est, vt sit quoddam *Sacramentum*, ratione mutui consensus coniugum, sicut postea puncto quinto ex orthodoxa fide probabimus. Item *Tertiò*, vt sit in remedium concupiscentiæ: iuxta id quod ait Paulus 1. Corinth. 7. *Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat*. At hi fines etiam boni sunt. Ergo & ipsum coniugium, quod ad illos valet.

Ex hac autem SEXTA probatione, atque etiam ex QVARTA præcedenti, facilè intelligi potest doctrina illa communis Theologorum, quæ tradit coniugium ante peccatum fuisse institutum in *officium* naturæ, id est, ad naturalem propagationem speciei humanæ; post peccatum verò, vt esset etiam in *remedium* concupiscentiæ, & præterea in lege Euangelica, vt esset quoque *Sacramentum*.

SEPTIMO probatur assertio ex perpetua Ecclesiæ traditione. Cuius testes sunt *Primò* aliquot antiqui Canones, vt Canon quinquagesimus Apostolorum, & Canon primus, quartus, & decimus quartus Concilij Gangrensis, & Canon vndecimus Concilij Braccarensis primi, in quibus anathematizantur execratores nuptiarum.

Secundò, vnanimis sententia veterum Patrum; ex quibus aliqui etiam ex professo coniugij sanctitatem defenderunt. Vt TERTVLLIANVS in libris contra Marcionem passim. CLEMENS Alexandrinus libro tertio Stromatum. EPIPHANIVS hæresi quadragesima sexta. AVGVSTINVS libro primo de Nuptiis & concupiscen. & alibi passim.

Kemnitius tamen in Examine, sessione 24. vbi agit de cœlibatu, sub initium, per summam fraudem tribuit contrarium errorem Tertulliano, & Diuo Hieronymo, quasi hi etiam damnauerint coniugium, sicut Marcion & Tatianus. Sed id falsissimum est.

Nam TERTVLLIANVS contra Marcionem passim eam hæresim confutat, vt dixi, ac inter cætera libro primo sub finem, illam refutaturus, ita dicit: *Videamus*, inquit, *an damnatio coniugij sit iusta, non quasi destructuri fœlicitatem sanctitatis* (quæ scilicet est in Virginitate) *vt aliqui Nicolaitæ assertores libidinis, sed qui sanctitatem sine nuptiarum damnatione nouerimus & sectemur; & præferamus non vt malo bonum, sed vt bono melius.* Et aliquantò inferiùs: *Vnde*, inquit, *iam dicam, Deum Marcionis cùm Matrimonium, vt malum, & impudentiæ negotium reprobat, aduersus ipsam facere sanctitatem: quia si nuptiæ non erunt, sanctitas nulla est.*

HIERONYMI quoque lib. 1. contra Iouinianum sub initium, hæc verba sunt: *Neque verò nos*, inquit, *Marcionis & Manichæi dogma sectantes nuptiis detrahimus.* In locis autem istorum Patrum, quos fraudulenter suo more Kemnitius corrumpit, & cauillatur, solum illi voluerunt, coniugium non esse tale bonum, quod possit cum Virginitate comparari: aut certè esse quoddam malum in vsu coniugij, non culpæ, sed cuiusdam *turpitudinis*, quæ ex culpa prouenit. Quo sensu Tertullianus in libro de velandis Virginibus appellauit debitum coniugale *communem contumeliam* vtriusque coniugis.

Argumenta verò CONTRARIA eorum hæreticorum, qui damnauerunt coniugium, collegit atque confutauit diligenter Clemens Alexandrinus libro tertio Stromatum, & bona etiam ex parte D. Thomas hîc quæst. 41. artic. 3. & erant ferè petita ex triplici capite. PRIMO, ex iis Scripturæ locis, vel exemplis, quæ indicant, Virginitatem coniugio antecellere; non autem coniugium esse per se malum. SECVNDO, ex illo delirio Manichæi & Marcionis, quòd scilicet creata corpora essent mala, & à malo Deo. Vnde consequeretur, coniugium esse malum: siquidem eius vsus esset tunc malus, videlicet creaturæ malæ generatio. TERTIO, ex similitudine actus coniugalis cum actu fornicationis & adulterij. Vnde sequi videtur, si adulterium & fornicatio est malum; actum etiam coniugij, atque adeò coniugium ipsum esse malum. Atque hoc erat inprimis fundamentum Tatiani, vt intelligi potest ex Epiphanio hæres. 46. Ideo enim aiebat, coniugium nihil differre ab adulterio & scortatione.

Sed ad hoc argumentum facilè respondet Diuus Thomas hîc quæst. 41. articulo tertio ad quintum, quòd quamuis in genere *naturæ* actus adulterij & fornicationis similes sint; multum tamen differunt in genere *moris*, quatenus adulter & fornicator accedit ad *non suam*; coniugatus autem *ad suam*. Quemadmodum etiam cædes hominis factæ iudicis authoritate, & ab aliquo priuato; in genere naturæ eiusdem speciei sunt; sed in genere *moris* longè diuersissimæ, hoc est, vt considerantur isti actus cum respectu ad dictamen rectum humanæ rationis.

PVNCTVM TERTIVM.

An etiam sit bonum & licitum Matrimonium vnius viri cum pluribus vxoribus.

D. Thom. quæst. 65.

HOc Loco propriè disseremus de Matrimonio vnius cum pluribus vxoribus simul viuentibus. De Matrimonio autem vnius cum pluribus vxoribus successiuè, id est, de secundis, ac iteratis nuptiis, mortua priore coniuge, infrà commodo loco dicemus, quæstione sexta, puncto primo, cùm disseremus de illa actione, qua contrahitur ipsum coniugium, & quæ est veluti primus quidam coniugij vsus.

Quod igitur attinet ad polygamiam seu multitudinem vxorum, quæ simul sint superstites: Nunc quidem à nullis, quod sciam Sectariis illa defenditur, præterquam ab Anabaptistis. Ac nominatim illam improbat Kemnitius in Examine circa sessionem 24. Concilij Tridentini, Canone secundo, vbi damnatur. Sed eam tamen Lutherus pro intemperanti impudentia & impudicitia sua censuit licitam esse Christianis, in propositionibus suis de Bigamia, proposit. 62. & sequent. Quam Lutheri sententiam nunc sequi pudet reliquos Sectarios exceptis Anabaptistis.

Pro veritate igitur Catholica aduersus eum errorem statuo hanc assertionem: Quamuis Matrimonia ab eodem viro cum pluribus fœminis contracta vera Matrimonia secundùm definitionem suprà traditam esse possent, non sunt tamen licita; imò neque iam tempore legis Euangelicæ sunt valida.

PRIMAM partem huius assertionis probo, quoniam tempore legis naturæ, & legis scriptæ fuerunt vera coniugia illa, quæ ab eodem viro cum pluribus fœminis inibantur; vt à Iacob, Elcana, Dauide & ab aliis, sicut AVGVSTINVS libro de bono coniugali passim asserit, & nominatim capite decimo octauo, vbi ait, polygamiam illam veterum Patrum significasse Gentium multitudinem & varietatem, quæ in Ec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cleſia erat ſubiecta futura Chriſto. Atque idem aſſerit Diuus Thomas hîc quæſt. 65. articulo ſecundo, præſertim ad quintum. Deinde idem patet ex deſcriptione Matrimonij, ſuprà puncto primo poſita. Nam vnumquodque coniugium ab vno viro cum qualibet plurium mulierum celebratum, verè diceretur *maritalis coniunctio viri & mulieris, &c.*

SECVNDAM partem aſſertionis probo PRIMO ex Scriptura, iuxta interpretationem ſanctorum Patrum. Nam eſt eiuſmodi polygamia contra legem diuinam, quæ *implicitè* ſaltem in ipſa coniugij inſtitutione continetur illis verbis; *Et erunt duo in carne vna*, Geneſ. 2. & Matthæi 19. & Marci 10. Hanc enim vim iſtorum verborum fuiſſe, vt vnus cum vna tantùm contraheret, ita vt duo tantùm, non plures, eſſent *vnum in carne vna*, Patres interpretantur. CHRYSOSTOMVS homil. 63. in Matthæum. HIERONYMVS in caput decimum nonum Matthæi, & libro primo in Iouinianum. THEOPHYLACTVS in eundem locum Matth. INNOCENTIVS III. in cap. *Gaudemus.* Extra de diuortiis. Et Concilium Trident. ſeſſ. 24. in doctrina de Matrimonio, & Can. 2.

Dixi autem *ſaltem implicitè* in illis verbis legem eam diuinam contineri; Tum quia non eſt in illis expreſſum aliquod ea de re præceptum, ſicut neque alibi vſquam in ſacra Scriptura. Tum etiam, quia niſi Patrum interpretatio obſtaret, poſſent illa verba ita intelligi, vt *ex vi quidem vnius coniugij* ſint duo in carne vna, hoc eſt, vir vnus, & vna quælibet fœmina: licet cum alia & alia fœmina, aliud & aliud coniugium vir idem contraheret; atque adeo licet ex vi plurium coniugiorum plures perſonæ ſimpliciter eſſent vnum in vna carne. Cæterùm quia Patres, vt dixi, exponunt illorum verborum ſenſum fuiſſe, vt *ſimpliciter & abſolutè* tantummodò duæ perſonæ eſſent *vnum in carne vna*, omnino cenſendum eſt, fuiſſe illis verbis diuinis prohibitam polygamiam.

SECVNDO, eandem partem aſſertionis probo Chriſti teſtimonio, qui Matth. 19. & Marci 10. ex ipſa inſtitutione diuina, quam in primum vigorem ſuum reuocat, concludit, eum, qui *dimittit vxorem ſuam, & aliam ducit, mœchari*, id eſt, minimè licitè aut validè Matrimonium inire, ſed adulterium committere cum ea, quam ſecundò ducit: Quod vt rectè argumentatur Innocentius in dicto cap. *Gaudemus*, à fortiori intelligendum etiam eſt, ſi quis retenta domi vxore aliam ducat. Id autem eſſe adulterium non bene ex prima inſtitutione Chriſtus concluſiſſet, niſi coniugium cum ſecunda, durante coniugio altero cum priore (ſiue ea dimittatur ſiue retineatur) eſſet contra legem diuinam in prima inſtitutione incluſam, quæ prohibeat & irritum iam faciat coniugium cum pluribus.

TERTIO idem probatur ex definitione Eccleſiæ. Nam huiuſmodi polygamiam damnauit Innocentius I. epiſt. 9. ad Probum. Et Innocentius III. in cap. *Gaudemus.* Extra de diuortiis. Et Nicolaus I. ad Lotharium, vt refertur 24. quæſt. 3. Can. *Annon.* Et in Concilio Trid. ſeſſ. 24. can. 2.

QVARTO idem probatur auctoritate Patrum, quos antè citauimus; quibus adde ſanctum AVGVSTINVM lib. 1. de adulterin. coniugiis, cap. 9. Et libro de bono coniugali, cap. 7. vbi ait: Non licet noſtris temporibus ſuperducere (vxorem) vt amplius quis habeat quàm vnam viuam. Item Bedam & alios expoſitores in cap. 19. Matth.

QVINTO idem probo ratione naturali; quæ licet ipſa ſola per ſe non oſtendat polygamiam eſſe omnino malam & propriè contra ius naturæ, tamen docet, meritò debuiſſe prohiberi peculiari lege diuina. Nam etſi pluralitas vxorum non repugnat principali fini coniugij, id eſt, procreationi & educationi liberorum, cùm vnus mas poſsit naturaliter plures fœminas fœcundare, & pluribus liberis prouidere; tamen multum obſtat *ſecundario* fini, qui eſt mutuum obſequium viri & mulieris in domeſtica cõſuetudine vitæ coniugalis. Vt enim rectè inquit D. Thomas q. 65. art. 1. non facilè poſſet eſſe pax in familia, vbi vni viro plures fœminæ iungerẽtur. Tum quia, vt eſt ingenium mulierum; facillimè exiſterent inter illas inuidiæ & contentiones: maximè, ſi alia minùs, quàm alia à viro diligeretur, &c. Tum quia communicatio plurium in eodem officio parit lites: ſicut ideo figuli, vt Ariſtoteles inquit, corrixantur ad inuicem. Vnde & Sara, Geneſ. 21. Agar domi tolerare non potuit. Et Rachel, Geneſ. 30. Liæ propter fœcunditatem inuidebat. Quare ex hac ratione D. Thomas quæſt. 65. art. 1. meritò concludit, polygamiam licet non omnino, tamen aliquo modo eſſe contra ius naturæ: vt nimirum nõ ſatis cum illo congruit reſpiciendo ad omnes fines Matrimonij. Sic enim ſententia D. Thomæ, quod ad rem ipſam attinet, in illo loco intelligi debet, & ita etiam ex communi doctrina pulchrè reſoluit Couarruuias in Epitome lib. 4. Decret. part. 2. cap. 7. §. 3. vbi aliquoties repetit polygamiam non eſſe propriè contra ius naturæ.

SEXTO idem certiſsima ratione confirmatur, quatenus Matrimonium in lege Euangelica eſt *Sacramentum*, ſignificans inter cætera (vt poſtea docebimus) coniunctionem Chriſti cum ſponſa ſuâ Eccleſia. Si enim ex hac parte coniugium ſpectetur; iure diuino debet iniri cum vna tantùm fœmina: ſicut vna tantũmodò eſt Chriſti Eccleſia, vt rectè D. Thomas q. 65. art. 1. & alij omnes Theologi argumentantur.

Porrò ex hac aſſertione ita confirmata ſequitur PRIMO, meritò errorem ſuprà dictum Lutheri & Anabaptiſtarũ eſſe damnatum in Con-

cilio

cilio Tridentino, ſeſſ. 24. can. 2. qui putant nunc etiam licitam eſſe polygamiam. Verba Concilij hæc ſunt: *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitum, anathema ſit,*

SECVNDO ſequitur, minimè tolerabilem fuiſſe eam legem, qua Valentinianus ſenior fertur conceſsiſſe cuilibet vt duceret duas vxores, ſicut Socrates quidẽ narrat lib. 4. hiſt. cap. 31. exemplo nimirũ ſuo, cùm ſuperſtite vxore prima Seuera ex qua Gratianum ſuſceperat, duxiſſet Iuſtinam Iuſti filiam, quam ab eximia pulchritudine eadem Seuera apud maritum laudauerat; ex qua Iuſtina ſuſcepit Valentinianum iuniorem, vt refert hæc omnia Socrates loco citato.

Nec valet pro ſupradicto errore & pro illa lege argumentum ab exemplo Patrum VETERIS teſtamenti ductum. RESPONDEMVS enim cum D. AVGVSTINO libro de bono coniugali, cap. 13. & 15. aliam fuiſſe rationem illius temporis: cũ ſcilicet oportebat populum Dei multiplicari, creſcente alioqui multitudine gentium earum, quæ idola venerabantur.

Itaque vt Innocentius III. in illo cap. *Gaudemus*, Extra, de Diuortiis, & D. Thomas quæſt. 65. artic. 2. & communiter alij Theologi in quarto, diſtinctione trigeſima tertia docent, Patribus illis id tunc licuit per internam Dei inſpirationem patriarchis factam, quæ habuit vim cuiuſdam *diſpenſationis.* Atque vt rectè explicat illic diuus Thomas, & Sotus in quarto, diſtinctione trigeſima tertia, quæſtione prima, articulo ſecundo, ea ipſa inſpiratio, quæ eſt facta Patriarchis, deriuata eſt vi exempli & conſuetudinis ad reliquum etiam populum Iſraëliticum: vt omnibus in illo polygamia liceret. Vnde id planè licuiſſe omnibus ſupponitur Deuteronom. 20. cũ dicitur: *Si habuerit homo duas vxores, &c.* Quod D. Thomas quæſt. 65. artic. 2. & alij communiter Theologi de duabus etiam vxoribus, quas habuerit *ſimul*, intelligunt; & nõ ſolùm de duabus, quas habuerit ſucceſsiuè, alteram ſcilicet poſt mortem alterius, vt Alphonſus à Caſtro in Summa de hæreſibus, verbo *Nuptiæ*, hæreſi 4. ſine fundamento firmo id interpretatur.

Et probabile eſt eam *diſpenſationem* pertinuiſſe etiam ad populum gentilium, vt videtur poſſe colligi ex Auguſtino lib. vigeſimo ſecundo, contra Fauſtum, capite quadrageſimo ſeptimo, vbi ait, Iacob in terra Laban ſoceri (quæ erat gentilium) licitè quatuor vxores duxiſſe; nam *quando*, inquit, *mos erat, crimen non erat.* Et paulò pòſt: Illo, inquit, tempore atq; in illis terris hoc facitabatur. Sotus tamen loco citato, contrà opinatur, eam diſpenſationem diuinam non fuiſſe extenſam ad gentiles: ac proinde gentiles qui plures tunc vxores ducebant, non niſi per ignorantiam fortè inuincibilem à peccato excuſatos fuiſſe; quo pacto poteſt fortè intelligi Auguſtinus.

Sed quidquid ſit de polygamia veterũ; Nunc quidem in lege Euangelica, quãdo Chriſtianus populus longè latiùs patet, quàm olim populus Dei, non eſt eadem diſpenſandi ratio: atque ita lex diuina primæ inſtitutionis à Chriſto in priſtinum vigorem reuocata fuit, vt ſuprà diximus.

His adde quòd non defuerunt aliqui, vt refert Abulenſis quæſt. 34. ſuper caput 19. Matth. qui exiſtimarent, polygamiam in populo Dei nunquam licuiſſe, ſed tantum fuiſſe permiſſam impunè, ſicut permittebantur vſuræ illi populo. Quorum opinio poſſet confirmari ex eo quòd plures illæ vxores, præter aliquam præcipuam, *concubinæ* vocabantur.

Sed tamen contraria ſententia eſt, vt communis, ita etiam veriſsima. Neq; *concubinæ* vocabantur, quaſi non eſſent veræ vxores, ſed quia non habebantur præcipuo loco à maritis, neque cura familiæ illis cõmittebatur. Quod idem apud Ethnicos vſurpatum fuiſſe indicat Aulus GELLIVS lib. 18. cap. 6. cùm ſcribit, quamcunque vxorem olim fuiſſe dictam *matronam à matris nomine, &c. matrem autem familias appellatam eſſe eam ſolam, quæ non in matrimonij tantùm, ſed in familiam quoque mariti & in ſui hæredis locum veniſſet.* Itaque quamuis idẽ vir pluribus vxoribus ad procreationem liberorum vtebatur, vna tamen illarum erat materfamilias.

TERTIO ex eadem aſſertione ſequitur, falſam eſſe opinionem Durandi in quarto, diſtinctione trigeſima tertia, quæſtione prima, & Abulenſis quæſtione trigeſima, cum aliquot ſeqq. in caput 19. Matth. qui cenſuerunt, nullam olim extitiſſe legem diuinam, quæ polygamiam prohiberet: ac proinde ſine vlla diſpenſatione licuiſſe ante legem Euangelicam ducere plures vxores. Contrarium enim oſtendimus ex verbis diuinis Geneſ. 2. adhibita interpretatione Patrũ, ac ipſius etiam Chriſti Matth. 19. & Marci 10.

Neque his auctoribus ſuffragatur D. AVGVSTINVS cùm in libro de bono coniug. cap. 15. & lib. 22. contra Fauſtum, cap. 48. dicit, pluralitatem vxorum illo tempore licuiſſe, quia nulla lege fuit prohibita; cuius verba falsò refert Gratianus ſub nomine Ambroſij 32. quæſt. 4. Can. *Obiiciuntur*, & à Gratiano etiam deceptus Virgilius Polydorus lib. 5. de Inuentione rerum, cap. 5. ſicut Couarruuias vbi ſuprà obſeruauit.

Reſpondemus enim cum D. Bonauentura in 4. d. 33. art. 1. q. 2. & Soto eadem d. q. 1. art. 2. & Caſtro, verbo *Nuptiæ*, hæreſ. 4. intelligere Auguſtinum, quod non fuerit prohibita polygamia per legem aliquam ſcriptam & promulgatam per Moyſen, atque adeò per legem quidem, quæ illo tempore retineret ſuum vigorem, & cuius præuaricatio peccatum eſſet, quales fuerũt illæ quæ per Moyſen partim in vſum reuocatæ fuerunt, cùm antea etiam eſſent diuinæ, partim de nouo ſancitæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Illa autem lex, quæ implicitè continebatur in prima coniugij institutione, & prohibebat polygamiam; per contrariam dispensationem in illo quidem populo eneruata erat. Atq; eodem modo D. Thom. q. 65. art. 2. intelligi debet, cùm ait legem illam de vnitate vxoris, nunquam verbo aut literis traditam fuisse, sed cordi impressam: intelligit enim nõ fuisse scriptam expressè.

Quarto sequitur, multo adhuc magis falsam, imò erroneam esse opinionẽ Caietani, qui in Commentario super caput 19. Matthæi, putat ne iam quidem extare legem aliquam diuinam de vnitate vxoris. Ibi enim improbat quod Innocentius in cap. *Gaudemus*, de Diuortiis, ex verbis Christi, Matthæi 19. & Marci 10. concluserit polygamiam esse contra legem diuinam. Nec tamen Caietanus ibi quidquam contra id argumẽtum Innocentij, quo & nos suprà sumus vsi, obiicit, quod intelligi possit, vel ad rem facere videatur: vt patebit si quis attentè legerit Caietanum ibi, & etiam in caput 10. Marci. Quo item loco ait, sententiam Theologorũ esse quod nusquam lex de vnitate vxoris extet in Scriptura.

Etenim si ita velit Caietanus hoc intelligi, quasi ex sententia Theologorum neq; explicitè neque implicitè extet talis lex in scriptura, atq; adeò vt nulla omnino sit lex diuina (sicut ipse Caietanus in caput 19. Matth. satis indicat se putare) falsissimum id est. Nam præterquam quòd eam legem implicitè Genes. 2. extare, suprà ratione & auctoritate summorum Theologorum, id est, veterum Patrum ostendimus; id etiam asserunt communiter alij Theologi, vt Magister ipse sentent. d. 33. Bonauentura ead. d. art. 1. q. 2. Richardus ead. d. artic. 1. q. 1. ac Paludanus etiam ead. d. & q. legem ea de re extitisse affirmãt: sicut & alij omnes excepto Durando & Abulensi, de quibus diximus antè.

Denique quod saltem post legem Euangelicam extet lex diuina prohibens pluralitatem vxorum, ex fide etiam est certum. Sic enim dicitur in Concilio Trid. sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit Christianis licere plures habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit.* Vnde patet opinionem illam Caietani erroneam fuisse, vt dixi, neque iam sine nota hæresis posse defendi.

Quinto sequitur, falsam esse quorundam aliorum opinionem, qui in alio extremo, vsq; adeò volunt esse prohibitam polygamiam, vt censeãt illam etiam pugnare cum veritate coniugij; ita vt nullo modo possit verũ coniugium iniri cum secunda. Ita expressè contendit Alphonsus à Castro V. *nuptiæ*, hæresi 4. & in eadem opinione fuisse videtur Franciscus Victoria in Relectione de Matrimonio parte prima, num. 3. cum ait ad essentiam Matrimonij requiri, vt sit obligatio mutua *certi viri & certæ fœminæ*, quamuis non satis ille declarauerit, quid per certum virum & certã fœminam intelligi voluerit. Hãc autem opinionem manifestè refellunt argumẽta, quæ fecimus pro prima parte nostræ assertionis.

Neque Argvmentvm quo nititur Alphonsus à Castro est firmum. Argumẽtatur enim hoc modo: Verum Matrimonium esse nõ potest, nisi vir & mulier vicissim sibi potestatem suorũ corporum tradant. At vir qui iam habet vnam vxorem, non potest sui corporis potestatem secundæ tradere. Ergo non potest verum Matrimonium cum secunda iniri. Maior patet, & Minor probatur, quia nullam amplius sui corporis potestatem habet is, qui cum vna Matrimonium iniuit, sed eam iam habet vxor prima: iuxta illud Apostoli 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter & vir sui corporis potestatem nõ habet, sed mulier.* Si igitur nullam potestatem habet, nullam poterit secundæ vxori dare.

Respondeo primùm, si hoc argumentum valet; contra veritatem coniugij etiam Patrum veteris Testamenti, qui plures vxores habuerũt, æquè illud pugnare. quorum tñ coniugia non fuisse vera Matrimonia, ne ipse quidem Castro dicere ausus fuisset. Deinde facilè respõdemus, Minorem esse falsam. Latè enim patere potest illa potestas sui corporis, quam tradit in coniugio vir mulieri. Posset enim eã illi tradere quantum satis esset ad procreationem aliquam liberorum; idque sufficeret ad coniugij veritatem, licet non omnino *in solidum* illa potestas mulieri traderetur: ita videlicet vt simpliciter vni soli mulieri tradatur, neque possit etiam alteri tradi ad similes actus generationis.

Neq; verò cum hoc pugnat, quod ait D. Paulus: *Vir sui corporis potestatem non habet.* Intelligi enim debet eum non habere potestatem sui corporis, quatenus quidem illam mulieri tradit; siue tradat eam *in solidum*, vt iam fit atque fieri debet, siue traderet eam ex parte, quãtum satis esset ad aliquam liberorum procreationẽ: vt salua veritate coniugij fieri posset, & olim à Patribus veteris Testamenti factum est.

Adde quod D. Paulus ibi de coniugio loquitur, sicut post Christi legem iniri debuit: ita scilicet vt *omnem* potestatem sui corporis ad procreationem vir traderet vni mulieri. Atque ita non mirum est, si per illa verba indicare etiam voluerit, nullam simpliciter potestatẽ in eo genere sibi virum retinere: loquitur enim *de facto*. Id quod minimè obstat, quo minus posset fieri etiam verũ coniugium per potestatis traditionem alterius modi, id est, ex parte.

Sed instat rursus Castro huiusmodi argumẽto. Quando mulier vicissim potestatem sui corporis dare viro non vult, non fit verum coniugium. At si vir simpliciter non det *totam* sui corporis potestatem mulieri, non vult mulier dare potestatem viro corporis sui; quia ipsa non vult, neque potest dare nisi totam, idque non censetur velle facere nisi vir similiter det totam; alioqui grauiter deciperetur. Ergo, &c.

Respondeo,

Respondeo, *de facto* quidem sic rem se iam habere. Nam postquam lex diuina iubet, vt vir totam potestatem sui corporis vni mulieri tradat, non debet velle mulier dare totam sui corporis potestatem viro, nisi etiam id similiter vir faciat. Ac si Deus propter iustas causas in ea re dispensaret, sicut olim dispensauit; deberet tũc æquo animo mulier velle dare totam sui corporis potestatem viro, licet ipse vicissim non daret totam: ac posset nihilominus ea ratione constare veritas coniugij, vt antè dictum est. Neque iure velle posset tunc mulier *ex parte* similiter, sui corporis potestatem tradere viro, & deinceps etiam alteri nubere: hoc enim fini primario coniugij repugnaret: ac proinde tolleret coniugij veritatem. Non perinde autem si vir vnus plures vxores haberet: possunt siquidem *certa* proles suscipi, & procreari ab vno viro, & pluribus vxoribus; non autem contrà ab vna vxore & pluribus viris. Nam vel tunc proles non susciperetur, (vt patet in scortis) vel non haberet *certum* parentem. Quam ob causam omnes, qui recta ratione vtuntur, intelligunt, esse omnino contra veritatem coniugij, & contra ius naturæ, vt eadem mulier pluribus viris copuletur. Vt enim inquit diuus Avgvstinvs libro tertio de doctrina Christiana, capite duodecimo, *non eò mulier esset fœcundior, sed esset id meretricia turpitudo.*

Qua de re eleganter disseruit Lactantivs lib. 3. diuin. institut. cap. vigesimo primo, aduersus absurditatem politiæ Platonicæ, quæ communitatem vxorum sanciebat; *scilicet vt ad eandem mulierem* (inquit Lactantius) *multi viri, tanquam canes confluant, & is vtique obtineat, qui viribus vicerit: Aut si sapientes sunt, exspectent, vt vicibus tanquam lupanar habeant.* Et paulò pòst: *Quæ ista confusio generis humani est? Quomodo seruari potest Charitas, vbi nihil est certum quod ametur? &c.*

PVNCTVM QVARTVM.

An Matrimonium vnius cum vna sit non solum bonum & licitum, sed etiam diuinitus imperatum?

D. Thom. art. 2. q. 41.

Conivgivm vnius cum vna, non modo per se licitum est, vt hactenus docuimus, sed etiam diuinitus imperatũ *humano generi*; non quidem ita, vt hoc præceptum per se obliget *singulos*, sed ita, vt oporteat aliquos esse semper in communitate generis humani, qui coniugio dent operam.

Hanc assertionem doctissimè omnium confirmat & explicat diuus Thomas hic quæstione quadragesima prima, articulo secundo, id est, in quarto, sententiarum distinctione vigesima sexta, quæstione prima, articulo secũdo. Et quidem præceptum diuinitus fuisse datum de coniugio, patet ex illis Dei verbis Genes. 1. *Crescite & multiplicamini*; quæ verba, cùm sint de re graui & necessaria generi humano; vim præcepti habuisse omnino existimandum est.

Vnde sequitur, etiam in statu Innocentiæ filios per naturalem modum generationis procreandos fuisse, vt asserit diuus Avgvstinvs libro decimo quarto de ciuitate, capite vigesimo tertio. Non enim de alio procreationis modo tunc Deus ante peccatum loquebatur. Neque id officium tunc habuisset vllam turpitudinem, aut impedimento fuisset contemplationi. Itaq; meritò censetur improbabilis opinio Damasceni, qui libro quarto de fide, capite vigesimo quinto, existimauit, alio modo nobis ignoto fuisse tũc liberos procreandos: in quam sententiam, & diuus Hieronymus inclinasse videtur libro primo contra Iouinianum, & apertè Gregorius Nyssenus in libro de opificio hominis, capite decimo septimo. Sed contrariam sententiam (scilicet fuisse futuram in illo etiam statu generationem) probauimus tanquam certam, tomo primo, disputatione septima, quæstione quinta, puncto primo.

Asserunt etiam id præceptum humano generi in communi datum de generatione, reliqui Theologi in quarto, distinctione vigesima sexta, qui omnes quoque rectè docent, id præceptum nunc etiam durare; excepto Bonauentura in illa distinctione, articulo primo, quæstione tertia, qui putat cessasse id præceptum post multiplicationem generis humani, & Richardo eadem distinctione, artic. tertio, quæstione tertia, qui ait cessasse postquam Christus consuluit virginitatem, Matthæi decimo nono.

Sed contra hos Doctores est, quòd illud præceptum diuinum nusquam est reuocatum: maximè cùm sit etiam naturale: vtpote de re, quæ omni tempore est necessaria. Dum enim mundus hic durat; nunquam necessarium non est, vt propagetur species humana.

Quod autem id præceptum per se non obliget singulos, sed tantum ipsam Commvnitatem, atque adeò rectores eius, vt procurent ne vnquam coniuges aliqui desint, quando eius rei periculum fortè immineret: probat optimè diuus Thomas in dicta quæstione quadragesima prima, articulo secundo, ex eo quod id præceptum nõ pertinet ad perfectionem singularem, & propriam *individui*, sed ad communem *speciei*.

Dixi autem *per se*; quoniam per accidens posset hoc præcepto aliquis singularis homo obligari, quando essent rari vel nulli alij homines. Qua ratione initio mundi, & statim post diluuium singuli ad coniugium tenebantur, quando terra erat vacua; non autem modo quando cœlum implendum superest: vt suprà ex Patrum sententia notabamus, disputatione præcedenti, quæstione vltima, puncto vltimo de cœlibatu.

Atq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atq; hinc patet præceptum hoc de coniugio eo quidem modo, quo obligat totam communitatem, & non singulos, minimè pugnare cum consilio, quod singulis datur de Virginitate, vt Richardus videbatur putare. Item patet nó cessasse iam propterea, quod genus humanum sit multiplicatum, vt existimauit Bonauentura. Inde enim solum sequitur, quòd singuli iam non obstringantur illo præcepto.

Quin imò cum homines ipsi per se satis vulgo sint dediti coniugio; non oportet eos qui curam communitatis habent esse solicitos de huius præcepti executione procuranda; id quod alioqui ipsis incumbit, vt bene inter cęteros notauit Sotus in quarto, distinctione vigesima sexta, quæstione prima, articulo secundo.

Quod si periculum aliquando immineret, ne species humana interiret; etiam ij qui voto castitatis tenerentur, deberent dare operam coniugio: siquidem præponderaret tũc præceptum iuris naturalis: vt ex communi sententia bene resoluit Sotus loco citato aduersus Paludanum, qui eadem distinctione, quæstione tertia, minus probabiliter ait, debere tunc existimari, quòd numerus electorum sit completus, & quòd non oporteat vltra in multiplicatione generis humani progredi; atque adeò non fore in tali casu licitum iis, qui votum castitatis haberent, coniugio operam dare. Nulla enim est ratio cogens cur id oporteret tunc existimare: nisi fortè iam adesse cerneretur extremus dies.

PVNCTVM QVINTVM.

An matrimoniũ vnius cum vna sit non modò licitum & imperatum, sed etiam Sacramentum.

D. Thom. quæst. 42.

MATRIMONIVM vnius cum vna nó modo est res licita, & communitati imperata, vt hactenus tradidimus, sed omnino etiam quoddam nouæ legis Sacramentum; quatenus cõsistit quoque in mutuo illo coniugum consensu per verba de præsenti explicato: vt suprà puncto primo attigimus. Hanc assertionem negarunt consequẽter hæretici illi veteres, qui Matrimonium ipsum per se tanquam rem malam detestati sunt, vt vidimus p. 2. Deinde Lutherus in captiuitate Babylonica. Quem secutus est Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19. sect. 34. & seq. & Kemnitius in Exam. Concilij Trid. sess. 24. & reliqui omnes Sectarij.

Assertio autem orthodoxa probatur PRIMO illo certissimo axiomate, quo solemus vti. Nam si quæ res extat in sacra Scriptura, & in ea re definit Ecclesia rationem Sacramenti à Christo institutam esse; vt ea res nempe sit signum efficax gratiæ, quæ in eius rei vsu atque adeò per illam conferatur: omnino fatendum est, eam rem esse nouæ legis Sacramentum. Sed talis res omnino est ille contractus, seu mutuus consensus coniugum. Ergo est verum nouæ legis Sacramentum.

Maiorem suprà in Tractatu aliorum Sacramentorum sæpe ostendimus esse firmissimam: cùm neque aliter nobis constet, baptismum, aut Eucharistiam esse Sacramentum; quæ tamen sine controuersia Sacramenta sunt. Minor continet plures partes.

Et quoad priorem quidem (scilicet quòd res huius Sacramenti contineatur in Scriptura) patet Genes. 1. & 2. & Matth. 19. & Marci 10. & 1. Corinth. 7. & Ephes. 5. in quibus locis sermo est de *maritali coniunctione viri & fœminæ*, quæ etiam includit, vel certè supponit mutuum consensum; in quo ponimus rationem Sacramẽti. Est enim in eiusmodi Scripturæ locis sermo de coniunctione viri & fœminæ, non qualicunque sed *voluntaria*, quæ nimirum existit ex mutuo consensu, vt patet.

Quoad alteram verò partem (scilicet quod Ecclesia definiat in ea re Matrimonij esse Sacramenti rationem à Christo institutam) patet eadem Minor ex Concilio Florentino, in vnione Armenorum, vbi definitur septem esse Ecclesiæ Sacramenta, inter quæ numeratur vltimo loco *Matrimonium*. Item ex Concilio Constantiensi, sess. 15. vbi damnatur articulus 8. Ioannis Huss, qui reiiciebat doctrinam hanc orthodoxam de septem Sacramentis Ecclesiæ. Et ex definitione Lucij III. cap. *ad abolendam*, Extra, de hæret. vbi anathematizantur tanq̃ hæretici, qui de Sacramentis aliter sentiunt. Et denique ex Concilio Trid. sess. 7. can. 1. & sess. 24. can. 1. vbi sub anathemate definitur, Matrimonium quoque esse *verè & propriè Sacramentum nouæ legis, quod gratiam conferat*. Cùm igitur Ecclesiæ Catholicæ definitio, quæ est columna & firmamentum veritatis, infallibilis sit, vt tomo 3. disput. 1. quæst. 1. p. 7. demonstrauimus; manifesta est hæresis hac de re dubitare.

SECVNDO probatur assertio. Nam non modò res ipsa huius Sacramenti in Scriptura continetur, & in ea re rationem Sacramenti esse Ecclesia definit; sed nominatim etiam Scriptura eam rem appellat *Sacramentum*: cùm tamen hãc appellationem nulli aliorum Sacramentorum tribuat. Igitur si Scripturam potius quàm suas opiniones anticipatas sequi vellent Sectarij, nó minùs sed multò etiam magis censere deberent esse Sacramentum, quàm Baptismum & Eucharistiam, quæ Sacramentum non appellantur in Scriptura.

Id autem patet, Ephes. 5. *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*. SACRAMENTVM *hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia*. Etenim ipsam coniunctionem viri & mulieris,

atque adeò etiam mutuum consensum, quo illa coniunctio fit, & à quo est & nominatur *voluntaria*, vocauit Apostolus ibi *Magnum Sacramẽtum*, quatenus significat etiam (vt exponemus) coniunctionem Christi & Ecclesiæ; nó autem ipsam coniunctionem Christi & Ecclesiæ, vt contendunt Lutherus & Caluinus.

Patet hoc primùm ex vnanimi consensu Patrum: qui ad coniunctionem viri & mulieris referunt ea verba. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Theophylactus, & OEcumenius & alij interpretes in eum locum: & D. Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 20. & 21. & D. Leo epist. 92. capite 4. Deinde id patet ex ipsa natura pronominis, *Hoc*, quod antecedentia demonstrare solet.

Neque obstat hîc *primò*, quod Apostolus addidit, *Ego autem dico in Christo & Ecclesia*. Significat enim his verbis, nó quòd Sacramentum hoc sit tantummodo in Christi & Ecclesiæ coniunctione, vt Lutherus & Caluinus perperam volunt; sed quòd ideo maritalis coniunctio viri & fœminæ est *magnum Sacramentum*, quia significat Christi & Ecclesiæ coniunctionem. Vir enim caput est mulieris, sicut Christus Ecclesię: & mulier subdita debet esse viro, sicut Ecclesia Christo: & vinculum mutuæ dilectionis inter vtrumque oportet esse, sicut inter Christum & Ecclesiam; vt in illo loco ad Ephes. 5. pluribus verbis persequitur Apostolus. Et sicut Christus quodammodo deseruit suum patrem, cùm *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, vt vniretur sponsæ suæ Ecclesiæ; ita vir propter vxorem relinquere debet patrem & matrem: vt eleganter exponit AVGVSTINVS libro secundo de Gen. contra Manich. capite vigesimo quarto, & lib. 12. contra Faustum, capite 8. & Theodoretus, & alij interpretes ad Ephes. 5.

Neque obstat *secundò*, quod vbi latinus interpres dixit *Sacramentum*, Græcè habetur *mysteriũ*: id quod ineptè Caluinus & Kemnitius vrgent. Tantundem enim valet Græcè *mysterium*, atque *Sacramentum* latinè. Græci enim quando de iis rebus, quæ propriè sine controuersia Sacramẽta sunt loqui volunt, vt de Baptismo & Eucharistia, *mysterium* dicunt. Quin etiam latini Patres Sacramenta quoq; vocant mysteria. Et in consecratione calicis Sacramentum sanguinis Domini *Mysterium fidei* dicimus.

Neque obstat *tertiò*, quod *Sacramenti* vocabulum, sicut etiam mysterij, generale quiddam sonat, & tribuitur cuicunque rei, quæ est arcana, vel continet aliquid in se arcanum: quo pacto regis secretum dicitur Sacramentum, Thob. 12. Verum enim est, generatim id vocabulum significare quicquid est aut continet aliquid arcani. Sed tamen hinc sequitur, propriè etiam ipsum significare illas res arcanas, quæ propriè sunt & vocantur in Ecclesia Sacramenta. Ac rursus inde

sequitur, in illo loco ad Ephes. 5. talem rem arcanam, quæ scilicet sit propriè Sacramentum, significare: siquidem res illa coniugij, de qua ibi sermo est, propriè esse Sacramentum, Ecclesia certissimè declarat: quæ quidem Ecclesiæ declaratio peculiariter in hoc proposito habet illud fundamentum, quòd res Matrimonij nominatim appelletur in Scriptura eo ipso vocabulo, quod iuxta significationem suam potest & solet in vsu Ecclesiastico significare id, q̃ propriè est Sacramentum. Hoc enim est caput illius secundæ probationis nostræ. Sectariis autẽ contrà incumbit probare, non nisi generali ratione ibi Sacramenti vocabulum vsurpari: quod facere minimè possunt.

TERTIO probatur assertio ex ratione veri Sacramenti. Nam si quæ actio externa sit cultus Dei, & signum gratiæ, quæ in illius vsu ex certa Dei promissione conferatur: negari non potest, quin talis actio verè sit Sacramentum. At contractus ille quo vir & mulier coniugio copulantur, est huiusmodi. Ergò, &c. Maior patet ex disputatione tertia, de Sacramentis in genere. Minor probatur. Nam primò contractus ille est quidam *cultus* Deo gratus, vt Sectarij etiam agnoscunt. Secundò hoc ipso quod ex certa institutione diuina est signum coniũctionis Christi & Ecclesiæ, significat nobis gratiam diuinam, qua coniuges ipsi ita sibi inuicem animis coniuncti sunt, vt imitentur & repræsentent summã illam coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Neque enim sine diuina gratia ita inter se coniuncti, vt Christus & Ecclesia, esse possunt; maximè cùm ex ea coniunctione parati esse debeant, vt si opus sit alter pro alterius salute vitam ponat; sicut *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea*, vt in illo loco ad Ephes. 5. inquit Apostolus. Tertiò, cùm à pũcto quo per mutuum consensum Matrimonio coniuges copulantur, indigeant gratia diuina, vt illo arctissimo vinculo charitatis inuicem deuincti sint, quo debent cõiunctionem Christi & Ecclesiæ imitari; dubium etiam esse non debet, quin eo ipso Deus eam illis gratiam det; dummodò ipsi per peccatum mortale non obstent gratiæ diuinæ. Atque ita patẽt, omnia illa quæ in Minori huius probationis assumpsimus; scilicet contractum Matrimonij esse quendam Dei *cultum*, & signum *gratiæ*, quæ in *vsu* ipso eius cultus detur. Vnde sequitur esse Sacramentum.

QVARTO probatur ex Apostolica Traditione. Cuius Traditionis argumentum est *primò*, quòd non potest ostendi tempus vllum, quo primùm in Ecclesia Christi doceri cœperit, Matrimoniũ esse Sacramentum. Omnes enim orthodoxi, qui vnquam de Matrimonio tanquam de Sacramẽto locuti sunt, siue id in Conciliis, siue extra Cõcilia fecerint; de eo tanquam de re antiquissima sunt locuti. Quod cùm ita sit; ad Apostolos ipsos eam referre oportet iuxta verissimam regu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lam D. Augustini lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, cap. 24.

Secundò, eiusdem Traditionis argumentū est, quòd in vniuersa per orbem Ecclesia Matrimonium, tanquam vnum quoddam Sacramentum Apostolica traditione acceptum, & à Christo institutum, vsurpatur: vt vsurpabatur etiam ante Sectarios: *De eo autem quod vniuersa frequentat Ecclesia disputare, insolentissima insania est*, vt verissimè inquit D. Augustinus epist. 118. ad Ianuarium.

Tertiò, quòd antiqui etiam Patres absolutè, & simpliciter Matrimonium quoddam Ecclesiæ *Sacramentum* esse censent. Vt CHRYSOSTOMVS, Theophylactus, & alij interpretes ad Ephes. 5. Et D. AMBROSIVS lib. 6. comment. in Lucam, ad caput 8. *Si relinquet homo*, inquit, *patrem & matrē, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna; rectè Sacramentum hoc in Christo seruatur & Ecclesia.*

Et lib. 1. de Abraham, cap. 7. *Cognoscimus*, inquit, *velut præsidem custodemq; coniugij esse Deum: qui non patiatur alienum torum pollui: & si qui fecerit; peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam soluat. Et ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cælestis amittit consortium*; amittēdo scilicet gratiam quæ datur per hoc Sacramentum.

Et D. AVGVSTINVS luculenter in multis locis: *In nostrarum* (inquit libro de bono coniugali, cap. 18.) *nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas veteri.*

Item ibidem, cap. 24. *Bonum*, inquit, *nuptiarum per omnes gentes in caussa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio intercedente alteri nubere, dum eius vir viuit.*

Et lib. de fide & operibus, cap. 7. *In ciuitate*, inquit, *Domini, in monte sancto eius* (id est, in Ecclesia) *nuptiarum non solùm vinculum, sed etiam Sacramentum ita commendatur, vt non liceat viro vxorem suam alteri tradere.*

Maximè autem insignis D. Augustini locus est lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 10. vbi etiam Sacramentum istud Matrimonij cum Sacramento Baptismi comparat: *Hoc*, inquit, *custoditur in Christo & Ecclesia, vt viuens cum viuente in æternum nullo diuortio separetur. Cuius*, inquit, *Sacramenti tanta obseruatio est in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, vt nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcūda ducatur.* Et post pauca: *Ita*, inquit, *inter viuentes manet quoddam vinculum coniugale, quod nec separatio, nec copulatio cum altero possit auferre. Manet autem* (cum se perperam ipsi separant) *ad noxam criminis, nō ad vinculum fœderis. Sicut apostata anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita Sacramētum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit. Habet autem hoc, qui recessit, ad cumulum supplicij, non ad meritum præmij.*

Vbi vides ex Augustini sententia, quæ procul dubio semper fuit orthodoxa, sicut Baptismus Sacramentum est, quod habet effectum perpetuum, & indelebilem, nempe characterem; Ita etiam Matrimonium esse Sacramentum quoddam, cuius effectus sit perpetuus; nempe illud vinculum inter coniuges indissolubile. Id enim superius in eodem capite explicauerat clarius Augustinus his verbis: *Huius Sacramenti res est, vt mas & fœmina connubio copulati, quamdiu viuunt, inseparabiliter perseuerent*. Ex quo deprehenditur Caluini mendacium, qui lib. 4. Institut. cap. 19. scripsit: Inauditum fuisse ante D. GREGORIVM quòd Matrimonium sit Sacramentum. Ambrosius enim & Augustinus ducentis circiter annis Gregorio antiquiores fuerunt. Asseruit etiam hoc Sacramentum Petrus Damianus serm. 1. de Dedicatione Ecclesiæ.

Contrà verò OBIICIVNT Caluinus & Kemnitius & alij Sectarij, PRIMO, quòd multæ aliæ res in Scriptura dicuntur esse aliis rebus sacris *similes*; nec tamen ideo sunt Sacramenta: Vt officiū pastoris v.g. erga oues, imago est curæ Christi erga Ecclesiam: & regnū Dauidis imago fuit regni Christi. Et *sicut stella differt à stella in claritate, ita erit resurrectio mortuorum*, 1. Cor. 15. neq; tamen ideo pecuarium munus, aut regnum, aut stellæ, aut alia eiusmodi sunt Sacramenta.

RESPONDEO, non esse parem rationē. Nam in contractu Matrimonij est etiam *signum* gratię, qua coniuges imitantur coniunctionē Christi & Ecclesiæ; idque peculiariter *institutum* diuinitus, vt suprà ostendimus. Quod & apertè indicat Apostolus, cum quasi de re loquens peculiari consilio instituta, *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum est*, &c. Ephes. 5. Illæ verò aliæ similitudines, in ipsis rebus per se alioqui insunt, & tantum explicandi caussâ vsurpantur in Scriptura.

SECVNDO obiiciūt, quòd coniugium etiam Adæ & Euæ, & aliorum Patrū veteris testamenti, fuit similiter signum futuræ coniūctionis Christi & Ecclesiæ: neq; tamen illis temporibus coniugium fuit Sacramentum.

RESPONDEO, fuisse quidem in illis coniugiis per se aliquam similitudinē & significationem eius coniunctionis; sed non ex *peculiari Dei institutione*, donec reipsa esset Christus exhibitus & coniungeretur realiter cum Ecclesia. Hanc enim vim habent illa verba D. Pauli: *Sacramētum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Subaudiendum enim hîc est, *in Christo iam exhibito*, & coniuncto iam realiter cum Ecclesia: vt singulariter Ruardus Tapperus art. 18. pag. 445. notauit.

Alij tamen concedunt, olim etiam fuisse Sacramentum coniugium, & in eius vsu collatam fuisse gratiam: ex quibus est Alphōsus à Castro, Verbo, *Nuptiæ*, hæresi 3. qui id probat ex illo Genes. 1. *Benedixitq; eis & ait: Crescite & multiplicamini.* Huius enim benedictionis virtute putat ipse etiam coniugum animis fuisse gratiam collatam.

Sed

Sed hoc fundamentum infirmum est, vt Ruardus loco citato bene notauit. Benedictio enim illa solùm significauit facultatem generandi, quam illis Deus indidit: vt D. Thomas 1. par. q. 72. art. 3. docet, & patet ex eo, quod similiter piscibus & auibus Deū benedixisse legimus. Vnde colligit D. Augustinus libro 13. Confess. cap. 24. nihil peculiare per illam benedictionem accepisse hominem, quod non etiam acceperint cætera animantia.

Nec sanè videtur iam illa opinio Castrij & aliorum posse defendi, posteaquam in Concilio Tridentino Sess. 24. in doctrina de Matrimonio declaratum est, Matrimonium *in noua lege veteribus connubiis* gratia antecellere, & ideo Sacramentum nouæ legis esse, vt etiam ibidem Can. 1. definitur.

Neque tamen negamus, quin Deus alioqui dederit olim coniugibus gratiam necessariam, vt ad cultum Dei in lege naturali vel Scripta possent rectè procreare & educare prolem: sed negamus, eam dedisse in ipso coniugij *contractu* tanquam *in signo* illius, peculiariter ad eam gratiam repræsentandam & exhibendam *instituto*.

TERTIO obiiciunt, quòd coniugium non est institutum, vt per illud tanquam per symbolum externum confirmemus in nobis fidem de remissione peccatorum per Christum, & apprehendamus gratiam eius remissionis.

RESPONDEO, non esse id omni Sacramento commune, vt valeat propriè ad gratiam primā remissionis peccatorum acquirendam, sed satis esse, vt sit ad gratiam consequendam secundùm augmentum. Nam & Sacramentum Eucharistiæ suapte ratione prærequirit in suscipiente gratiam primam, per baptismum vel pœnitentiam acquisitam: & tamen verum Sacramentum est ad gratiam secundùm augmentum institutum. Adde quòd per nullum Sacramentum confirmari in nobis debet fides aliqua infallibilis de remissione peccatorum in particulari; vt isti contendunt: cùm nulla sit talis fides, vt Tom. 2. disp. 8. q. 4. p. 4. in materia de Gratia ostendimus.

QVARTO obiiciunt, quòd in contractu coniugij nullum exhibetur externum signum, ad q̄ cùm *accesserit verbum, fiat Sacramentum*, iuxta Augustini dictum Tract. 80. in Ioan.

RESPONDEO, neque id generatim in omni Sacramento requiri: vt suprà in disput. 3. de Sacramentis, q. 6. ostendimus: sed sufficit vt aliquid cernatur *sensibile*; siue sit res aliqua externa siue *actus*, vt esse in proposito paulò post docebimus.

QVINTO obiicit singulariter Kemnitius, quod D. Augustinus lib. de bono coniug. capite 18. coniugium etiam eorum Patrum, qui olim plures vxores habebant, dicit fuisse quoddam Sacramentum: nec tamē ideo vult fuisse Sacramentum *propriè*. Igitur neque cùm dicit iam in Ecclesia Matrimonium vnius cum vna esse Sacramentum. Et eadem ratione neque D. Paulus id voluisse videtur, cùm similiter Sacramentum appellat.

RESPONDEO, Augustinum ipsum satis ibi declarasse non nisi generali ratione coniugia illa cum pluribus vxoribus appellasse se Sacramentum; quia nimirum, vt paulò antè dicit, significarunt nostras Ecclesias ex pluribus & diuersis gentibus futuras subditas Christo. Quod autem aliter Sacramētum vocet Matrimonium in Ecclesia, videlicet *propriè*, tanquam gratiæ significantis signum; patet ex eo quòd cum baptismo illud comparat, vt suprà vidimus, & sæpissimè singularem quandam illius sanctitatem commendat, quæ propria sit Christiani coniugij, ex qua proinde indissolubilitatem nostri matrimonij longè arctiorem esse colligit. Vnde peculiariter coniugium hoc vocat coniugium *in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius*, in quo *plus valeat sanctitas Sacramenti quàm fœcunditas veteri*, vt nominatim dicit in illo eodem loco. Quod certè verum non esset, si esset in nostro coniugio nuda tantùm significatio sicut in illo veterum, & non etiam sancta & sanctificans Sacramentaliter. Atque eodem modo intelligere debemus Sacramentum à D. Paulo appellari, nempe q̄ & sanctum sit, & sanctificet. Alioqui non prorsus esset Sacramentum *magnum*, vt Apostolus asseuerat.

SEXTO obiicit Kemnitius, quòd DVRANDVS in 4. d. 26. q. 3. negat, Matrimonium *propriè & vniuocè* esse Sacramentum, quod gratiam conferat, sicut reliqua. Et potest addi quòd eadem fuerit opinio quorundam Canonistarum. Vt Gaufridi in sua Summa, titulo de Sacram. & Hostiensis in Summa, eodem Titulo, & Bernardini in suo apparatu, super Caput *Cùm in Ecclesiæ corpore*, Extra de Simonia, quos Durandus pro se citat. Ac in eadem sententia fuit glossa 32. q. 2. Can. *Honorantur*, cùm dicit *in hoc Sacramento non conferri gratiam sicut in aliis*. Addit in confirmationem sententiæ suæ Durandus, quòd Magister in 4. d. 2. dicit, Sacramentum Matrimonij esse tantummodo in remedium peccati institutum, cū alia Sacramenta sint instituta, vt conferant gratiam adiutricem.

RESPONDEO, eam Durandi & illorum Canonistarum opinionem, esse verè erroneam, & iam hæreticam: cùm contrarium definierit Ecclesia, præsertim in Concilio Florentino, & Trident. sess. 24. & initio Sess. 7. Can. 1. quod nō satis notasse videtur Sotus in 4. d. 26. q. 2. art. 3. cùm negat esse satis in Cōcilio expressum, quòd Matrimonium conferat gratiam. Est enim id expressum tum in Concilio Florentino in Decreto vnionis, tum in Tridentino sess. septima, quę iam erat celebrata, quādo Sotus id scripsit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nec valet quicquam fundamentum illorum authorum; quòd scilicet posit absque Simonia accipi pecunia pro contrahendo Matrimonio cum aliqua persona. Accipitur enim pecunia pro Matrimonio, non qua ratione est Sacramentum, sed qua ratione est quidam *contractus ciuilis*.

Et certè si id illorum argumentum valeret; etiam probaret, Matrimonium ne sacrum quidē signum esse, & non modò non conferre gratiā, quod solum illi volunt. Nam & accipere pecuniam pro sacro signo, si accipitur pro eo, vt tale est, esset Simonia. Sicut ergo hîc illi respondissent, licet Matrimonium sit sacrum signum, nō tamen accipi pro eo pecuniam vt tale est, sed vt est quidam contractus; ita nos respondemus, Matrimonium, licet Sacramentum sit gratiam conferens, tamen non committi Simoniam, si accipitur pecunia pro eo; quia non accipitur pecunia pro illo, vt est Sacramentum.

Porrò neq; error priuatus eiusmodi Doctorum suffragatur hæresi Sectariorum; cùm & cōtraria sententia fuerit aliorum omnium Theologorum communis in 4. d. 26. & postea etiam expressè declarata sit veritas ab Ecclesia, cuius sanè definitionem non contempsissent illi Doctores, sicut iam contemnunt Sectarij.

Quod verò ad Magistrū attinet, rectè notat Sotus vbi suprà, illum non satis sibi constare: siquidem in eodem libro quarto, distinct. 1. Sacramentum generatim definiuerat esse *visibile signum inuisibilis gratiæ, cuius similitudinem gerit & causa existit*: & secundùm eam definitionem tradiderat septem esse nouæ legis Sacramenta, & inter illa matrimonium.

Septimo obiicit Kemnitius, quòd non est certum inter Catholicos, quę sit materia & forma in Sacramento Matrimonij. Variæ enim ea de re sunt opiniones, neque aliquid de hoc est definitum in Concilio Tridentino. Ergo neque certi esse possunt quòd sit Sacramentum.

Respondeo. Cùm distinctæ notitiæ sint, quòd matrimonium est Sacramentum cōstans proinde ex aliqua materia & formâ; & quòd hoc aut illud sit eius materia & forma; non est impossibile, vt de altera notitia istarum per definitionem Ecclesiæ certi simus; de altera non item. Sed neque id est perniciosum Christiano populo. Satis enim est, quòd is in genere sciat certò, quæ debeant concurrere vt validè contrahatur matrimonium: videlicet consensus mutuus personarum, de præsenti explicatus; idq; post Concilium Tridētinum præsente parocho vel alio Sacerdote de licentia parochi vel ordinarij & duobus vel tribus testibus. Item quòd sciat generatim in hac actione vsurpari quoddā Sacramentum, & idcirco reuerenter & sanctè illam exercendam esse. Neque præterea necesse est, vel ad deuotionem populi, vel ad ipsius rei praxim, vt certo in specie constet, quid in illa actione sit Sacramenti forma, & materia. Sed de forma & materia huius Sacramenti, sequente puncto differemus.

PVNCTVM SEXTVM.

Quænam sit Forma & Materia huius Sacramenti, & quis item eius Ritus.

D. Thom. q. 41. art. 1.

Videnam potius statuendum sit in hoc Sacramento esse Materiam, & quid Formam, quæsiō est apud Doctores: de qua potissimum sunt quatuor sententiæ.

Prima, quam existimo minimè omnium esse probabilem, est Melchioris Cani libro 8. de locis Theologicis, capite 5. *Materiam* censeri posse ipsos actus contrahentium, scilicet cōsensum mutuum explicatum per verba de præsenti: *Formam* autem omnino esse verba Sacerdotis, quibus illos, vt moris est, coniungere solet. Quare consequenter negat, vnquam potuisse iniri coniugium quod verum esset Sacramentū sine ministro: quamuis dicit potuisse tunc esse verum matrimonium, vt contractus est, quale initur nunc etiam inter infideles. Cuius opinionis fuisse etiam videtur Guilielmus Parisiensis in lib. de Sacram. tract. de Matrimonio, cap. 9. quæst. 1. vbi negat, Matrimonium verum Sacramentum esse & Sacramentalem gratiam conferre, nisi Sacerdotis ministerio consecratum fuerit.

Probat Canus suam sententiam *primò*, quia in Concilio Florentino dicitur omnia Sacramenta *tribus perfici*, videlicet *rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, & persona ministri, &c. et si aliquid horum desit, Sacramentum non perfici.*

Secundò, quia Sacramentum est quædam actio Religionis sacra. Talis autem non est solus ille contractus coniugum, sed opus quoddam profanum; vt quod etiam ab infidelibus exerceri potest.

Tertiò, quia forma debet repræsentare & significare gratiam ac sanctitatem internam, quā confert ipsum Sacramentum: Hanc autem non repræsentat nudus ille contractus externus.

Quartò, quia sine verbis iis quæ sunt *forma*, nō potest constare Sacramentum, etiamsi nutus vel æquiualentia signa adhibeantur. Non enim sacerdos mutus posset per eiusmodi signa sine verbis consecrare Eucharistiam: nec mutus Episcopus conferre Sacramentum ordinis. At verba in contractu Matrimonij possunt supplerī per signa, & nutus, & Scripturam. Ergo ea verba contrahentium non sunt huius Sacramēti forma sed verba Ministri.

Quintò,

Quintò, quia verba, quæ sunt forma Sacramēti, sunt præscripta & determinata. Illa autem verba quibus ineunt Matrimonium coniuges, multis modis variari solent, & tantundem valent. Ergo non illa, sed verba Ministri sunt Forma.

Sextò, quia in antiquis Canonibus non censetur (inquit Canus) matrimonium esse Sacramentum, nisi Sacerdotis ministerium interueniat. Quam ad rem varia testimonia hic author citat, quæ omnia in hoc proposito nihil valent, vt postea videbimus.

Septimò, videri posset pro confirmatione huius sententiæ facere, quod in Concilio Trident. sess. 24. in Decreto de Reformatione Matrimonij statutum est, vt nullius sint roboris Matrimonia, quæ non celebrētur præsente parocho, aut alio Sacerdote de parochi vel ordinarij licentia.

Secvnda opinio hac de re est Paludani in 4. d. 26. q. 4. & Adriani in 4. q. 1. de Matrimonio: ipsos contrahentes esse materiam: formam verò verba eorundem explicantia mutuum consensum. Quam opinionem sequitur etiam Couarruuias in Epitome libri 4. Decret. 2. par. cap. 1. in fine.

Tertia opinio est D. Thomæ in 4. d. 26. q. 2. art. 1. d. 1. & q. 1. art. 1. quæstiuncula 5. & Francisci Victoriæ q. 245. de Sacram. & Soti d. 26. quæst. 2. art. 3. verba ipsorum contrahentium esse sibi inuicem materiam & formam: ita vt verba eius, qui vltimò explicat suum consensum, sint *forma*, quatenus per illa perficitur matrimonium: verba autem eius qui primò loquitur, sint *materia*.

Qvarta opinio est Canonistarum communis super Caput *Tua nos*. Extra de sponsalibus, quam nominatim sequitur Nauarrus in Manuali, cap. 22. Num. 20. *materiam* esse consensum mutuum; *formam* verò esse verba illum consensum exprimentia. Neque obstat huic opinioni, quòd consensus non est aliquid per se sensibile. Satis enim est, vt sit quiddam sensibile quatenus substat ipsi formæ, id est, verbis: quemadmodū in Sacramento pœnitentiæ contritio etiam est materia, quamuis per se non sit quid sensibile, sed vt substat confessioni.

Ex his opinionibus Prima, vt diximus, videtur minus probabilis. *Primò*, quia est contra sententiam communem Theologorum, qui cēsent verba Ministri non esse de essentia huius Sacramenti, vt latè ostendit Sotus d. 26. q. 2. art. 3. *Secundò*, quia admittit vnum, quod vt idem Sotus bene iudicat, non videtur aliqua temeritate carere: nimirum posse inter Christi fideles verum & legitimum esse Matrimonium, quod non sit etiam Sacramentum. Nam postquam Christus voluit & instituit, vt Matrimonium inter fideles esset Sacramentum; non est putandum, Ecclesiam ratum habere & tolerare velle illud matrimonium, cui aliquid deest, quo minùs sit verum Sacramentum.

Et certè cum Concilium Tridentinum sess. 24. initio Decreti de Reformat. definit, clandestina matrimonia (quæ scilicet inter solos contrahentes celebrantur) olim *vera & rata* matrimonia in Ecclesia fuisse; planè loquitur de illis secundùm omnem rationem, quam habere solent matrimonia in *Ecclesia*, atque adeò secundùm rationem quoque Sacramenti, quæ potissimùm ab Ecclesia quidem in Matrimonio consideratur. Et certè non alio modo *ratum* Matrimonium in Ecclesia dicitur, nisi sit etiam Sacramentum. Quod si ita est, euidenter sequitur, illam opinionem Cani falsam esse: scilicet Matrimonia, quæ sine ministro clādestinè celebrantur non fuisse Sacramentum.

Accedit postremò, quòd per verba & *mutuos* consensus verbis propositos satis completè significatur, & fit effectus huius Sacramēti, id est, *vinculum* animorū, & *gratia* qua coniuges sibi inuicem ita perfectè animis deuinciuntur, & iunguntur suo modo, sicut modo etiam suo iunguntur Christus & Ecclesia. Per contractum enim & consensum mutuum ipsi contrahentes faciunt illud vinculum; quo contractu & consensu mutuo verbis explicato significatur quoque interna illa animorum coniunctio per gratiam. Ergo tota essentia huius Sacramenti ex materia & forma constans, continetur in solo eiusmodi mutuo consensu & cōtractu verbis explicato. In iis enim rebus, quibus continetur essentialis significatio & efficacitas Sacramenti, continetur etiam tota Sacramēti essentia vt patet. Itaque falsa est omnino illa opinio Cani.

Reliquæ verò omnes opiniones sunt satis probabiles. Mihi tamen Qvarta magis expedita videtur: ita vt commodissimè secundū eam significatio atque adeò essentia huius Sacramenti intelligi possit. Etenim mutui coniugum consensus, & verba illos explicātia, quatenus ad se inuicem habent *ordinem quendam*, & secundū eum ordinem respectu quodam *vniuntur*; vnionis vinculum inter coniuges, & gratiam diuinam qua id vinculum firmatur, ac consequenter etiam coniunctionem similem Christi & Ecclesiæ, per analogiam quandam repræsentant atque significant; accedente præsertim institutione diuina, quę eam rationem signi peculiariter constituit. Rursus verò quia in hac repræsentatione significatio *verborum* perficit significationem *consensuum*, vtpote magis *expressa* ac proinde sensibilior; rectè *verba* in hac repræsentatione dicuntur habere locum Formae; *consensus* autem, vt substat verbis, locum Materiae. Nam in Sacramentis etiam materia perficitur à forma in significando.

Sed nunc ad argumenta Melchioris Cani respondendum est. Ad primum respondeo, quod dicit Concilium Florentinum Sacramen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum non perfici, ſi aliquid illorum trium atque adeò ſi miniſter deſit, non determinatè de perfectione *eſſentiali* intelligi debere, ſed generatim & diſiunctiuè de perfectione eſſentiali, vel accidentali. Vtrum autem ad eſſentialẽ an verò ſolùm ad accidentalem perfectionem requiratur miniſter in aliquo Sacramento determinatè; id ex iis, quæ in particulari de vnoquoque Sacramento præterea docet ibi Concilium, colligendum eſt. Docet autem de reliquis ſex Sacramentis formam vniuſcuiusque illorum conſiſtere in *verbis miniſtri*, & quis etiam ſit cuiuſque illorum miniſter declarat. Ex quo quidem illico ſequitur, in reliquis ſex Sacramentis miniſtrum etiam requiri ad *eſſentialem* Sacramenti perfectionem: Siquidem eſſentia Sacramenti non poteſt eſſe ſine forma. De matrimonio aũt, cùm in particulari doctrinam ibi tradit, nihil docet de illius materia, aut forma, aut miniſtro, ſed tantùm aſſerit ea quæ de illo ſunt certa: videlicet eſſe Sacramentum; & quòd *cauſa efficiens* eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti, & quod eſt *indiſſolubile*, &c. quo ipſo ſilentio de miniſtro huius Sacramenti, ſatis Concilium indicauit, id quod in genere prius dixerat miniſtrum requiri ad perfectionem Sacramenti, in matrimonio quidem non debere intelligi de perfectione eſſentiali, ſiquidem nihil dicit de eius miniſtro, cùm tamen in reliquis Sacramentis miniſtrum etiam diligenter oſtenderit.

Formam tamen & materiam Matrimonij cõſiſtere in mutuo conſenſu per verba de præſenti explicato, ſaltem inſinuauit Concilium eo ipſo quod dixit, hunc conſenſum eſſe cauſam *efficientem* Matrimonij, puta quoad vinculum, quod eſt nimirum effectus ipſius Sacramenti in contractu ipſo mutui conſenſus conſiſtentis, vt ſuprà puncto 1. docuimus. Materia enim & Forma cuiuſque Sacramenti ſunt cauſa efficiens effectus Sacramẽti, cùm contineant ipſam Sacramenti ſubſtantiam, quæ nimirum effectum ſuũ efficit.

Ad *ſecundum* reſpondeo, contractum illum vt ſubeſt inſtitutioni Chriſti, qui voluit eum apud fideles eſſe ſignum efficax *gratiæ*, maximè eſſe actum *ſacrum*, & pertinentem ad virtutem religionis. Ille enim actus eſt ſacer & ad religionem pertinens, qui ordinatur ad aliquid ſacrum, & ad honorem Deo præſtandum.

Ad *tertium* reſpondeo, maximè per illum Matrimonij contractum ſignificari effectum huius Sacramenti; id quod iam antè docui in illius quartæ ſententiæ explicatione.

Ad *quartum* reſpondeo, diſcrimen eſſe huius & aliorum Sacramentorum. Nam in Sacramento MATRIMONII verba Formæ non alia ratione requiruntur ad Sacramenti eſſentiã, niſi quatenus requiruntur ad veritatem cuiuſdam contractus, in quo Chriſtus voluit conſiſtere iſtud Sacramentum. Cùm autem in contractibus nutus & alia ſigna quæ indicent internum conſenſum, ſupplere poſſint vicem verborũ; ſit vt eiuſmodi etiam ſigna ſatis ſint pro forma in hoc Sacramento.

Quare, vt Sotus diſtinct. 27. quæſt. 1. articulo 3. bene inter cæteros explicat, verum Sacramentum matrimonij eſt, cùm vir & fœmina contrahunt per nutus, aut per epiſtolam aut procuratorem ſeu internuncium, etiamſi non eodem tempore conſenſus mutuus vtrinq; innoteſcat ipſis contrahentibus. Moraliter enim hæc res æſtimari debet ex ipſa natura contractus. Neque eſt hoc loco audiendus Caietanus qui 2. Tomo opuſcul. quæſt. 1. de Matrimonio cenſuit, matrimonium contractum inter abſentes per literas aut nuncium eſſe quidem legitimum & ratum matrimonij contractum, ſed non *Sacramentum*. Cuius opinionem meritò non probat Couarruuias in Epitome, lib. 4. decretal. parte 2. cap. 1. circa finem. Quin etiam erroneam illam eſſe cenſuit Ambroſius Catharinus lib. 5. contra Caietanum, cap. de Matrimonio. Vt enim ſuprà dixi, ratum matrimonium in Eccleſia nõ habetur neque toleratur illud, quod non ſit legitimũ Sacramentum.

In ALIIS verò Sacramentis verba ad eſſentiam Sacramenti eatenus requiruntur, quatenus *certam ſententiam* à Chriſto præſcriptam *determinatè & diſtinctè* exprimunt: quod non æquè fieri poteſt per ſigna. Et ſic Eccleſiæ perpetua traditio ac praxis declarat, verba formæ ſecundùm eandem ſaltem ſententiam à Chriſto præſcriptam, eſſe proferenda à miniſtro in aliis Sacramentis, neque ibi nutus aut Scripturam ſufficere.

Ad *quintum* argumentum reſpondeo primò, ſi quicquam illud valet, eodem poſſe contra Canum probari, quòd nec verba miniſtri ſint Forma. Nam & miniſtri cùm matrimonia coniungunt, varia verba in variis locis vſurpant: vt Sotus etiam diſt. 26. quæſt. 2. art. 3. commemorat. Alicubi enim dicunt: *Ego vos coniungo, &c.* Alicubi: *Ego vos deſponſo & Sacramentum confirmo.* Alicubi, *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*, & aliis fortè modis.

Deinde dico, non oportere in propoſito *eadem verba determinatè* à coniugibus dici, ſed ſatis eſſe, vt quibuſcunque verbis aut ſignis, imò etiam interdum ipſa fœminę taciturnitate, conſenſus exprimatur, vt rectè notauit Nauarrus in Manuali, cap. 22. Numero 21. Eſt enim in hac re iudicium faciendum *moraliter* ex natura *contractus*, vt antè dixi. Adde quod neque in aliis Sacramentis requiritur, vt *eadem verba determinatè* proferantur; modò eadem ſententia formæ retineatur: vt in tractatu de Sacramentis in genere explicatum eſt.

Ad *ſextum* reſpondeo, ex omnibus antiquis

illis

illis Canonibus pontificum & Conciliorum, quos Canus pro ſe citat, tantummodo colligi quòd matrimonia debuerint à miniſtro Eccleſiæ ſolennizari & benedici, & quod aliter celebrata fuerint olim *illicita*: vt patebit illos canones conſideranti. Vide 27. q. 2. Can. *de coniugali*. ex Siricio in Epiſtola ad Hymerium, cap. 4. Et 33. q. 4. Can. *Conſanguineorum*. Et 30. q. 5. per totam. Et 35. quæſt. 3. Can. *Nulli*. Et 31. q. 2. Can. *Lotharius*. Et extra de Simonia, Cap. *Cùm in Eccleſiæ corpore*. Nihil enim in his omnibus locis eſt tale quale Canus dicit. Vnde ipſemet his teſtimoniis diffidens ait, ſe *nolle illa expendere*. Sed debuiſſet etiam illorum citationem omittere, cùm planè non faciant ad illius propoſitum.

Vrget autem nominatim quod Euariſtus 30. quæſtione quinta, Can. *Aliter*. Matrimonium clandeſtinè ſine Sacerdote contractum appellat *adulterinum contubernium*. Reſpondeo, ſic appellare, non quia in rei veritate non potuerit olim eſſe verum matrimonium illud clandeſtinum, ſed quia *illicitum* erat & eſt, & ideo in communi peccati ratione cum adulterio conuenit. Et etiam proptrerea quia præſumi debuit ab Eccleſia non eſſe verum matrimonium, quando cum alia poſtea quis contraheret in facie Eccleſiæ, vt ibi explicat Gloſſa. Alioqui eodem Euariſti teſtimonio poſſet probare Canus non eſſe verum matrimonium niſi *dos* mulieris intercedat, & à *parentibus deſponſetur*, & *biduo aut triduo* poſt coniugium orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant. Nam & hæc etiam requiſiuit ibi ſimiliter EVARISTVS in coniugio: & poſtquam hæc requiſiuit, ſubiungit, coniugia aliter contracta potius eſſe cenſenda *adulteria, vel contubernia, vel ſtupra aut fornicationes*. Sic enim loquitur in Epiſtola ad Aphricanos, vnde deſcripſit illum Canonem Gratianus.

Citat etiam Canus pro ſua opinione D. AMBROSIVM in Epiſtola ad Vigilium, quæ extat libro nono Epiſtolarum Ambroſij, Epiſtola 70. (non libro primo, vt mendosè eſt apud Canum) Nihil autem omnino reperitur in tota illa Epiſtola quod opinioni Cani ſuffragetur. Primũ enim monet D. Ambroſius Vigilium ne patiatur fideles cum infidelibus coniugia inire. *Dece*, inquit, *plebem, vt non ex alienigenis ſed ex domibus Chriſtianis coniugij quæratur copula*. Deinde ad huius rei confirmationem aliquanto pòſt ita ſubiungit: *Nam cùm ipſum coniugium velamine Sacerdotali & benedictione ſanctificari oporteat, quomodo poteſt coniugium dici, inter quos non eſt fidei concordia*? Ambroſius autem hîc non vult, ideo coniugium cum infideli verum coniugium dici non poſſe, quia non ſit ſanctificatum velamine & benedictione Sacerdotali (quaſi hoc ſit de eſſentia) ſed quia non *poteſt ita ſanctificari*. Nam cùm hoc modò ex præcepto quidem verum coniugium debeat ſanctificari; non eſt verum coniugium fidelis illud quod ita contractum eſt (nempe cum infideli) vt non *poſſit* neque *debeat* ſic à Sacerdote ſanctificari. Præterea poſtquam tale coniugium cauendum prolixè confirmauit exemplo Sampſonis, cui malè ceſſit conſortium cum Dalila alienigena; in extrema epiſtola ita concludit: *Hoc igitur exemplo liquet alienigenarum conſortia refugienda, ne pro charitate coniugij proditionis inſidiæ ſuccedant*. Hæc ibi Ambroſius de Matrimonio, & nihil aliud.

Ad *vltimum* reſpondeo, præſentiam parochi non requiri à Concilio Tridentino tanquam de eſſentia Sacramenti Matrimonij: ſiquidem antea ibi definiuit, matrimonia clandeſtina *rata & vera matrimonia olim fuiſſe*: ſed parochi præſentiam requirit tanquam *conditionem* de cætero neceſſariam, ſine qua non vult amplius valere coniugium, neque vt Sacramentum, neque vt contractum: vt ibi Concilium explicat. Et hactenus quidem de Materia & Forma.

RITVS autem ſeu cæremoniæ quibus Matrimonij Sacramentum celebrari ſolet in Eccleſia, explicantur ab Iſidoro libro ſecundo de Officiis Eccleſ. capite 19. de coniugatis, & à Nicolao Papa in reſponſis ad conſulta Bulgarorum, capite tertio, & refertur 30. quæſtione quinta, Can. *Noſtrates*. Summa hæc eſt. Primò, ſicut Adam & Eua à DEO benedicti fuerunt, Gen. 1. ita in Eccleſia à Sacerdote Sponſi *benedicuntur*. cuius benedictionis meminit etiam Innocentius I. Epiſtola ſecunda ad Victricium, capite ſexto. *Item* commendatur coniugium illorum DEO *precibus & oblatione* Euchariſtiæ, cuius oblationis meminit quoque Tertullianus libro ſecundo ad vxorem. Præterea *velo* obnubuntur in ſignum pudoris. Cuius ritus meminit quoque Ambroſius Epiſtola 70. & libro primo de Abraham, capite ſeptimo. Item ad ſignificandam (vt Iſidorus ait) munditiam vitæ & ſanguinis poſteritatem, *copulantur vitta* candido & purpureo colore permiſta. Item *annulum* Sponſus Sponſæ dat, in ſignum & pignus mutuæ fidei & dilectionis, vt idem Iſidorus ait. Denique *monentur* officij, &c.

De quo toto genere in Concilio Tridentino ſeſſione 24. Canone vndecimo, ſic dicitur: *Si quis benedictiones & alias cæremonias, quibus Eccleſia in nuptiis vtitur, damnauerit, anathema ſit*. Nec Sectarij habẽt quod contra hæc opponant; niſi fortè argumenta communia quibus oppugnãt Eccleſiæ cæremonias diuinitus non præceptas; ad quæ nos in communi etiam reſpondimus diſput. 3. quæſt. 1. puncto 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM SEPTIMVM.

An & quo modo hoc Matrimonij Sacramentum sit indissolubile.

D. Thom. q. 67.

NON eadem est hac de re hæreticorum & orthodoxorum sententia. Nã Montanus hæreticus inter cætera sensit, posse cõiuges matrimonia dissoluere pro libito; vt Eusebius lib. 5. histor. cap. 18. author est. Anabaptistæ etiam putant fas esse aliud matrimonium inire, si coniunx nolit idem de fide sentire.

Deinde etiam Buccerus in caput 19. Matthæi, contendit posse vnum cõiugem ab altero discedere & cũ alio matrimoniũ inire, si alter ex duritia seu contumacia cordis nolit se alteri æquũ & fidelem præstare ad coniugij officiũ, sed planè illud refugiat vel per absentiam vel sine absentia per quandam animi obstinatam alienationem.

Lutherus item in Captiuitate Babylonica valdè in eam sententiam propendet, quòd liceat propter affectatam absentiam alterius coniugis cum alio matrimonium inire, & quòd de eo cõiuge, qui ita est alteri coniugi infidelis, debeat etiam illud Apostoli intelligi: *Si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater aut soror in eiusmodi.* 1. Cor. 7.

Præterea posse dissolui vinculum matrimonij propter *adulterium* alterius cõiugis, non solùm Lutherus & omnes alij Sectarij pertinaciter & hæreticè defendunt, sed etiam imprudenter Erasmus in caput 7. 1. Corinth. & ab Erasmo deceptus Caietanus in caput 19. Matth. & 10. Marci, & 1. Corinth. 7. & à Caietano, porro deceptus Catharinus in 2. editione sui operis contra Caietanum. Quanquam Erasmus quidem tantum putat id licere viro, non autem mulieri; eò quòd existimat non esse in hoc parem rationem viri & fœminæ, cùm vir sit caput mulieris. Deinde etiã Erasmus & Caietanus & Catharinus in hac re suam sententiam subiecerunt Ecclesiæ iudicio, quod hæreticè contemnunt Sectarij.

SENTENTIA verò orthodoxa est, matrimonij vinculũ indissolubile esse, ita vt nõ nisi duobus tantũ casibus certo, & in vno alio probabiliter dissolui possit vtroq; coniuge viuente. PRIMVS casus certus, quãdo matrimonium fuit contractum inter infideles, & postea altero coniugũ conuerso ad fidẽ alter non vult cohabitare cum illo sine *iniuria* (vt Doctores loquũtur) *Creatoris*; quia scilicet illũ non patitur Christianè viuere vel à suscepta fide dimouere conatur. Tunc asserimus, posse coniugem fidelem ab infideli discedere, & alteri matrimonio Christiano cõiungi, etiamsi cum priore matrimonium fuisset consummatum per copulam carnalem.

SECVNDVS casus etiam certus est, cùm post legitimè cõtractum matrimonium & *ratum* inter fideles, non tamen per copulam carnalẽ *consummatum*, alter coniugum facit solennem professionem in aliqua religione approbata.

TERTIVS casus tantummodo secundùm sententiam probabilem licitus, est, quando ex causa iusta summus Pontifex dispensaret super matrimonio similiter *rato*, non tamẽ consummato.

Duo igitur in cõfirmatione huius assertionis probanda nobis sunt. VNVM est in his trib. Casibus vinculum matrimonij dissolui posse. ALTERVM, extra hoc tres casus nullam ob causam dissolui posse. Has enim duas partes continet assertio.

PRIMA igitur assertionis pars probatur sigillatim de omnib. illis casibus. Nam PRIMVS ponitur à D. Paulo 1. Cor. 7. *Si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* Ex quo oẽs interpretes colligunt, posse fidelem alteri tũc matrimonio coniungi: quãdoquidem non est amplius matrimonij legi subiectus priori coniugi infideli. Et idẽ est si infidelis maneat quidẽ cum fideli, sed cũ *iniuria Creatoris* & detrimento spirituali conuersi coniugis; id q̃ est deterius quã si discederet. Declarauit etiam & cõfirmauit hanc rem testimonio Apostoli Innocentius III. in Cap. *Quanto*, extra de Diuortiis, neque vllus vel Catholicus, vel Sectarius de hoc primo casu dubitat.

Notãda tamẽ hic sunt duo. VNVM est, eiusmodi matrimoniũ non dissolui actu, donec fidelis cõiunx cũ alio matrimoniũ *de facto* cõtrahat: vt rectè notat Syluester in summa, Verbo, *Matrimonium* 8. q. 10. dicto, 6. post D. Thomam in 4. d. 39. q. 1. ar. 2. & Paludanum ead. d. q. vnica ar. 3. & Antoninum p. 3. tit. 1. cap. 6. qui in eam sentẽtiam videtur magis propendere.

ALTERVM est, q̃ etsi infidelis velit cohabitare cũ fideli sine iniuria Creatoris, tamẽ potest fidelis se ab illo separare quoad torum & cohabitationẽ, licet tunc nõ possit quidẽ cum altero matrimoniũ inire. Ita B. Thomas, Paludanus, & Syluester locis citatis, & Couarruuias in Epitome lib. 4. decret. p. 2. cap. 7. §. 4. num. 5. & Sotus in 4. d. 39. q. vnica, art. 3.

Et hoc idẽ colligitur ex D. Paulo, qui consiliũ tantũmodo dat, vt si infidelis consentit habitare cum fideli, eum fidelis non dimittat. *Ego*, inquit, *dico non Dominus, si quis frater vxorẽ habet infidelẽ, et hæc consentit habitare cũ illo, non dimittat illa: et si qua mulier, &c.* Ac rationẽ eius consilij postea subiungit, quia scilicet fieri poterit, vt saluetur vir infidelis per mulierem fidelẽ, & è contrario. Nihilominus hoc ipso q̃ ait se id dicere, nõ Dominũ, satis insinuat se nõ tradere ibi præceptũ obligatorium. Si. n. Dominus id non præcipit, non debebit id necessariò fieri ex ipsa lege cõiugij, quę, vt patet, est diuina; & consequenter neq; putandum est D. Paulum ibi ad id voluisse obligare.

Ratio aũt cur non velit Deus ex ipsa lege cõiugij obstringi coniugẽ fidelem, vt cum infideli maneat, potest esse, quia regeneratur fidelis per baptismũ in nouam planè vitã & moritur priori. Itaq; minimè decet, vt obstrictus sit ad cõuiuendum infideli in consuetudine vitæ tam arcta & familiari, quã est coniugalis. Vel certè potuerunt mouere Deum ad id aliæ causæ, quas nos ignoramus. Satis nobis est, q̃ Paulus dicit, id Dominum non præcipere; quod est notandũ propter quosdam, qui curiosius disputant de huius rei causis.

SECVNDVS Casus quo dissoluitur Matrimonij vinculum, scilicet per solennẽ professionem approbatæ religionis, quando nõ fuit consummatum; patet potissimũ ex traditione Ecclesiæ, cuius hoc fuisse semper iudiciũ & praxim, affirmat Innocẽtius III. in Cap. *ex parte*, extra de conuersione cõiugatorũ. Quod ipsũ definit Alexander III. in Cap. *verum*, & Cap. *ex publico*, eodẽ tit. Vbi concedit Alexander vxori (& eodem modo viro) spatium duorũ mensium intra q̃ non teneatur matrimoniũ consummare, sed possit deliberare de ingressu religionis. Quanquã etiam post duos illos menses integrũ sit id facere, quãdiu matrimoniũ non fuerit consummatum: vt notat Glossa in dicto Cap. *ex publico*. Secus aũt si quouis casu (etiam per vim vxori illatam) à viro matrimoniũ consummetur, quocunq; id tempore post contractũ matrimonium fiat: vt notat ex cõmuni & certa sentẽtia Couarruuias in Epitom. lib. 4. 2. p. cap. 7. §. 4. Definit etiam idem quod Innocentius & Alexander, Concilium Tridentinum sess. 24. Can. 6.

Atq; idem confirmatur testimonio Patrum, qui cum laude de aliquibus commemorant, eos post matrimoniũ initum abstinuisse ab vsu coniugij & factos fuisse religiosos. Vt Ambrosius lib. 2. de Virginibus. & Epiphanius hæres. 78. de sancta Tecla. Metaphrastes de Sancto Alexio, in vita Alexij. Gregorius libro 3. Dialog. cap. 14. de quadam Gregoria Sanctimoniali.

Si quis aũt quærat, cur aut quomodo hoc ita fiat; oẽs respondent id fieri non aliqua authoritate humana, sed voluntate diuina, cuius testis est traditio Ecclesiastica. Potest tamẽ huius diuinæ voluntatis ratio quædã congruens à nobis reddi. Cùm. n. per professionem Religionis homo sese Deo ipsi tradat ad obsequia, quæ sunt illi lõgè gratiora; meritò huic traditioni illa altera traditio cedit, qua quis per cõiugium se homini tradiderat. Quod & exemplo Christi confirmari potest, qui D. Ioannem à nuptijs ad perpetuam professionem castitatis vocauit, vt asserit D. Hieronymus præfatione in Euang. Ioan. & præfat. in Apocalypsin, & Augustinus (aut quisquis fuit ille author) præfat. in Euang. Ioannis. Quamobrem cõmuniter authores sentiunt hoc nõ fieri per aliquam dispensationẽ, sed quasi ex ipsa rei natura: quia scilicet vna traditio alteri cedit, vt inter cæteros bene explicat Ruardus Tapper, articulo 18.

Nec verò hæc ratio similiter probat, posse matrimoniũ iam *consummatum* dissolui per professionem religionis. Discrimen enim est, quòd in consummato non solùm est illa traditio per animorum vinculum, sed etiam coniuges sunt iam facti per copulam *quasi vna caro*; quo posito multo magis matrimonium est indissolubile. Tum quia magis sunt iam vnum ipsi coniuges: iuxta illud, *Erunt duo in Carne vna*, quòd de consummato intelligitur, vt docet Alexander III. in dicto Cap. *Verum*. Extra de conuersione coniugat. Tum quia sic demum coniuges repræsentant coniunctionem, quæ Christo intercedit cum Ecclesia, non solùm per vinculum charitatis, sed etiam per realem coniunctionem cum natura humana in eadem persona diuini Verbi.

Denique ipsa Ecclesiæ traditio, quæ docet Deum velle per professionem religionis matrimonium ratum dissolui non autem consummatum, satis nobis esse debet, etiam nulla ratione reddita cur Deus ita voluerit. Sunt autem eius traditionis testes Patres qui docent, non licere coniugi vouere continentiam absq; licentia alterius coniugis, post consuetudinem nimirum coniugalem: Vt Augustinus, Epistola 45. & 199. Hieronymus Epist. 14. ad Cellantiam. Gregorius libro 9. registri, epist. 39. & alij apud Gratianum 27. q. 2.

TERTIVS Casus, quo scilicet probabiliter per dispensationem summi Pontificis dissoluatur matrimonium ratum non consummatum, probatur *primò*, quia est sententia plurimorum ab Ecclesia hactenus nõ damnata. Ita enim sentiunt communiter omnes Canonistæ cum glossa in Cap. *Ex publico*. extra de conuers. coniugat. vt testatur Nauarrus in Manuali, capite 22. numero 21. & fatetur Couarruuias in Epitome lib. 4. decret. 2. parte, capite 7. numero 13. ita etiam ex Theologis sentit S. Antoninus 3. parte, titulo 1. capite 21. §. 3. in fine. & Syluester verbo, *Diuortium*, quæstione quarta, & Caietanus tomo primo opusculorũ, tractatu 28. quæstione vnica, de Matrimonio, & Ambrosius Catharinus libro 6. contra Caietanum, cap. 3. & Michael Medina libro quinto de Sacror. hominum continentia. Quamuis autem alij Theologi cõmuniter contrarium sentiant, quorum opinionem sequitur etiam Couarruuias vbi suprà: tamen inde non sequitur, sententiam aliorum esse euidenter falsam, aut improbabilem.

Secundò id probatur, Quia Nauarrus, qui loco citato eam opinionem firmiter tenet, affirmat ad suam instantiam aliquos pontifices summos, videlicet Paulum III. & Pium IV. cum quibusdam personis in ea re dispensasse. Esset autem certè temerariũ putare illos Summos Pontifices

Universidad de Deusto
Biblioteca

tifices in ea re euidenter errasse, & ne probabiliter quidem id tunc fecisse, quòd iure poterant. Quin etiam S. Antoninus 3. parte, tit. 1. cap. 21. §. 3. in fine, affirmat se vidisse tales aliquas dispensationes factas à Martino V. & Eugenio IV. neque esse damnandos eos cum quibus ita dispensetur: quamuis nec putat eiusmodi dispensationes esse consulendas.

Tertiò id probatur, quia illud Christi apud Matthæum, cap. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet, &c.* quod maximè videtur huic sententiæ obstare, probabiliter intelligi potest de iis, qui ita sunt coniuncti, vt sint etiam per matrimonij consummationem facti *vna caro* (sicut ibidem Christus præmiserat) & ea re perfectè demũ repræsentant coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Nam & D. Leo Epist. 92. (aliàs 90.) ad Rusticum Narbonensem Episcopum, cap. 4. dicit, tũ demum in matrimonio esse *Sacramentum Christi & Ecclesiæ*: quod est intelligendum de hoc Sacramẽto secundùm completam & consummatam sui perfectionem in significando illam coniunctionem Christi & Ecclesiæ.

Itaque quamuis in matrimonio etiam ratò essentialiter quidẽ sit ratio Sacramenti, & repræsentatio coniunctionis Christi & Ecclesię quoad vinculum charitatis, potest tamen non improbabiliter dici valere quidem eam Sacramẽti rationem, vt nequeat id Matrimonium dissolui per ipsorum coniugum voluntatem, aut aliam auctoritatem purè humanam: & hanc vim quoque habere, quòd Christus ait: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Quamdiu autem coniuges non sunt etiam per matrimonij consummationem vna caro; minimè rationem illam Sacramenti obstare, quo minus Dei Vicarius summus pontifex in ea re dispensare possit. Hoc enim ita esse, ipsorum Pontificum factum, & tã multorum sentẽtia saltem probabiliter attestatur.

Quòd si de speculatione ipsa quis ex me quærat; puto sententiam communem Theologorum esse non minùs probabilem, imò videri posse magis conformem illis Christi verbis: *Quod Deus coniunxit, homo non separet, &c.* Vbi fundamentum omne indissolubilitatis matrimonij ponere videtur in ipsa essentiali coniunctione Matrimonij facta Deo approbante, quæ est etiam, vt patet, in matrimonio rato. Nihilominus tamen contrariam sententiam in praxi non damno, neque puto sine temeritate aliqua damnari posse, propter rationes quas adduxi. Patet igitur hunc in modum PRIMA pars Catholicæ assertionis, scilicet matrimonij vinculũ esse dissolubile in illis tribus casibus, modo exposito.

PARS autem ALTERA scilicet in NVLLO alio casu matrimonij vinculum esse dissolubile; hoc certissimo fundamento nititur, quòd ex vna parte multa argumẽta suppetunt, cur debeamus existimare matrimonij vinculum esse penitus indissolubile, nisi quatenus infallibilis aliqua auctoritas declarat aut opinari permittit in aliquo casu dissolui posse: Et ex alia parte neque Scripturæ neque Ecclesiæ authoritas, quæ duæ tantùm infallibiles sunt, declarat aut permittit putare in aliis casibus posse dissolui, præterquã in illis tribus, de quibus hactenus diximus.

Colligitur enim eiusmodi indissolubilitas PRIMO ex verbis ipsis Dei, cùm matrimonium instituit: *Erunt*, inquit, *duo in carne vna.* Genes. 2. Et: *Relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ.* Quod cùm absque determinatione certi temporis dictum sit; simpliciter & absolutè intelligi debet: vt sit sensus, tamdiu per matrimonium coniuges futuros esse coniunctos quamdiu superstites fuerint.

SECVNDO ex eo, quòd Deus ipse est, qui matrimonia iungit. Ex quo consequens est, vt nisi eiusdem Dei authoritate non possint aut debeant disiungi. Hoc enim argumẽto vsus est Christus apud Matthæum concludens: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.*

TERTIO ex hoc ipso Christi testimonio & etiam ex eo quod generatim apud Marcum, cap. 10. ait: *Quicunque dimiserit vxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Quo loco Marcus tanquam Matthæi interpres declarat, quomodo intelligi debeat exceptio illa quã Christus apud Matthæum, cap. 5. & 19. facit inquiens: *Quicunq; dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Debet enim hęc exceptio referri ad solam *dimissionem*: vt scilicet tantùm per fornicationem liceat absolutè & in perpetuũ vxorem à se *dimittere* quoad torum & cohabitationem. Non autem referri debet ea exceptio ad coniugium etiam cũ altera, quasi hoc liceat & non sit adulterium, quãdo prior propter fornicationem dimissa est: vt optimè attigit D. Thomas in supplem. 3. partis, quæst. 62. art. 5. ad quartum, & nos postea veterum Patrum auctoritate confirmabimus. Ait enim Dominus apud Marcũ vniuersaliter: *Quicunq; dimiserit vxorem suã, & aliam duxerit, mœchatur*, non excipiendo vllum casum propter quem sit dimissa.

Ita etiam vniuersaliter inquit Lucæ 16. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Quod argumentum pulchrè ad hanc rem vrget AVGVSTINVS lib. 1. de adulter. coniug. cap. 9. *Si*, inquit, *quicunq; vxore sua dimissa alteram ducit, mœchatur; Sine dubio ibi sunt ambo, & qui prater, & qui propter causam fornicationis dimittit vxorẽ. Hoc est enim* QVICVNQVE *dimiserit, id est, omnis qui dimiserit.*

QVARTO eadem indissolubilitas colligitur ex Apostolo, qui 1 Cor. 7. affirmat esse Dei præceptũ, vt vinculum cõtracti matrimonij perpetuò perseueret. *Iis*, inquit, *qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, vxorem à viro non*

discedere; quod si discesserit (puta ex causa licita nempe ob fornicationem) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Quo loco D. Paulus etiam interpretatur sententiam Christi apud Matthæum illo modo intelligi debere, quo iam ex Marco, & Luca exposuimus.

Nam vt D. Augustinus conuincit libro 1. de adulter. coniug. cap. 1. & 2. & 21. & lib. 2. cap. 8. & lib. de bono coniug. cap. 7. & lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 26. cùm D. Paulus ibi dicit de muliere, *Vt si discesserit, maneat innupta aut viro suo reconcilietur*, in casu loquitur, quo integrum est mulieri discedere, nempe ob viri fornicationem: alioqui determinatè illi præciperetur ad virum suum redire, & ei reconciliari; non autem *disiunctiuè* aut id facere aut manere innuptam, id est, cum alio viro coniugium non contrahere. Exponit igitur Apostolus præceptum Domini ita, vt etiam in casu diuortij propter *fornicationem*, alterius coniugis facti, vinculum prioris matrimonij inuiolatum permaneat: nimirum alludens ad illud præceptum Domini apud Matthæum.

Neque hîc obstat, quod de *muliere* ibi tantùm loquatur in specie D. Paulus. Nam vt demonstrat D. AVGVSTINVS libro 1. de adulterinis coniugiis, cap. 8. par est in hoc genere causa *viri* & mulieris: vt euidenter patet ex illis verbis Apostoli eodem loco: *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet sed mulier, &c.*

Vnde & ipse Dominus apud Marcum, cap. decimo, similiter in hac causa de viro & muliere loquitur: *Quicunque*, inquit, *dimiserit vxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum & alij nupserit, mœchatur.* Quin etiam Apostolus id voluit subintelligi de viro, cùm adiunxit: *Et vir vxorem non dimittat*, tametsi non expresè etiam tunc addiderit, Aut si dimiserit, aliam non ducat.

Asserunt quoque præter Augustinum parem esse in hoc genere causam viri & mulieris alij Patres. Vt HIERONYMVS in Epitaphio Fabiolæ, ad Oceanum. Et CHRYSOSTOMVS Homil. 19. in 1. Corinth. vbi inter cætera ait, *magnam hic esse paritatem.* Et AMBROSIVS lib. 1. de Abraham, cap. 4. vbi inter alia ait: *Eadem à viro, quæ ab vxore, debetur castimonia.* & alij apud Gratianum 32. q. 5. & omnes Theologi cum Magistro lib. 4. d. 35. & nominatim S. Thom. hic in supplem. 3. par. q. 62. art. 5. De loco autem quodam, qui ex Ambrosij commentario in caput 7. 1. Corinth. contra hoc citari solet, postea dicemus.

QVINTO colligitur indissolubilitas matrimonij ex eodem Apostolo ad Rom. 7. vbi disertè explicat hanc esse matrimonij legem diuinitus constitutam, vt si alter altero viuente cum aliquo alio se coniungat, crimẽ adulterij incurrat, neque posse id facere nisi alter coniunx moriatur: *Quæ sub viro*, inquit, *est mulier, viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cũ altero viro.* Quod ipsum repetit 1. ad Corinth. 7. vbi etiam docet eandem rationem esse in hoc genere viri & mulieris, vt antè notauimus ex Augustino, & aliis Patribus.

SEXTO ex ipsa natura coniugij eadem indissolubilitas colligitur. Nam nisi coniuges perpetuò maneant coniuncti; non poterunt satis certò prouidere in futurum tempus post mortem suam filiis: id quod pertinet ad partem illam sui officij erga liberos, qua debent illis nõ solùm Esse & disciplinam tribuere, sed etiam alimẽta, vt Apostolus indicat, cùm dicit, debere Parentes *thesaurizare filiis.* 2. Cor. 12.

SEPTIMO ea indissolubilitas Matrimonij colligitur ex eo, quòd matrimonium est Sacramentum, quod ex lege & institutione sua debet bene & accõmodatè repręsentare perpetuã coniunctionem Christi cum Ecclesia, tum secũdùm vinculum caritatis, tum etiam quando est consummatum secundùm realem coniunctionem hypostaticam personæ Christi cum natura humana, ex qua natura constant membra corporis Ecclesiæ. Hæc enim repræsentatio falsa in matrimonio redderetur, si non esset etiam illius vinculum per se indissolubile & perpetuum, sicut est illud Christi cum Ecclesia, iuxta vtrumque modum Coniunctionis.

Atque ita D. Augustinus passim indissolubilitatem matrimonij probat argumẽto ducto ex hac Sacramenti significatione. Vt lib. de bono Coniug. cap. 7. 15. 18. 23. & lib. de fide & operib. cap. 7. & clarissimè lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 10. vbi etiam affirmat, tantam esse vim huius significationis Sacramenti ad matrimonij indissolubilitatem, vt ne causa quidem *Sterilitatis* alterius coniugis, liceat cum alio matrimonium inire.

Quod ipsum probat D. Thomas alia quadam aperta ratione quæstione 67. articulo primo, ad quartum: Quia scilicet lex quæ propter aliquẽ finem per se ordinatur ad bonum commune, non ideo deficit in aliquo particulari, quia in illo locum habere non videatur eiusmodi finis. Satis enim est, quòd cõmuniter in aliis eum finem lex assequatur. Respicit enim lex non ad id quod ex accidenti euenit huic aut illi particulari, sed ad id quod vt plurimum conuenit omnibus. Atque ita in proposito, quia lex diuina de indissolubilitate matrimonij, generatim loquendo, & vt plurimum conducit omnibus ad finem matrimonij; vt scilicet bene liberi procreentur & educentur; omnes omnino coniuges obligat, etiamsi in aliquibus particularibus ob sterilitatem non videatur ad eum finem conducere. Maximè cùm ne tunc quidem certum esse possit, an illæ eædem personæ cum aliis iunctæ, prolem valeant suscipere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Denique indissolubile esse vinculum matrimonij etiam in Casu FORNICATIONIS alterius coniugis, magno consensu affirmant veteres Patres. Vt Iustinus in Apologia ad Antoninum. Euaristus Epistola 2. Tertullianus libro quarto contra Marcionem. Clemens Alexandrinus libro secundo Stromat. Hieronymus in caput 19. Matthæi. Augustinus locis suprà citatis. Ambrosius in cap. 16. Lucæ. Innocentius I. Epistola 3. ad Exuperium, & communiter Interpretes in caput 7. 1. ad Corinth. & in caput 10. Marci, & in caput 19. Matthæi. In quo genere testimonia aliquot illustria paulò post recitabimus.

IAM verò quòd ex alia parte (vt in eadem probatione nostræ assertionis sumebamus) neque Scripturæ neque Ecclesiæ auctoritas declaret aut existimare permittat, in aliquibus casibus præterquam in illis tribus suprà dictis, matrimonij vinculum dissolui posse; patet PRIMO, quia nusquam aut in Scriptura aut in Ecclesiæ Canonib. aliqua alia exceptio reperitur: vt planum faciemus deinceps respondendo ad Sectariorum argumenta.

SECVNDO, quia disertè etiam Ecclesia excludit alios casus. Nam Concilium Tridentinum sess. 24. Can. 5. anathemate ferit eum, *qui dixerit, propter hæresim aut molestam habitationẽ vel affectatam absentiã alterius coniugis dissolui posse matrimonij vinculũ.* Quo loco Anabaptistarum primùm damnatur error, qui putant, licitum esse, aliud matrimonium inire, si coniunx nolit idem de fide sentire. Deindè etiam error Bucceri, qui in cap. 19. Matthæi contendit, posse vnum coniugẽ ab altero discedere, & cum alio matrimonium inire, si alter ex duritia seu contumacia cordis nolit se alteri æquum & fidelem præstare ad cõiugij officium, sicut suprà memorauimus.

NVNC superest vt ad præcipua fundamenta Bucceri & etiam Erasmi ac aliorum Sectariorum respondeamus. Buccerus igitur pro errore suo varia affert, quæ continentur potissimùm his duobus argumentis. PRIMO, Lex diuina olim præcipiebat viro, cùm præstare se verum coniugem vxori nolebat, dare illi libellum repudij, id est, eam dimittere vt posset nubere alteri. Ita enim legimus Deuter. 24. *Si acceperit homo vxorem, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, eò quòd fœditatem aliquam in ea repererit, scribet libellum repudij, & dimittet eam de domo sua, cúmque egressa alterum maritum duxerit, &c.* & Malachiæ 2. *Cùm odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel.* At hæc lex diuina abrogata non est. Ergo nunc etiã ità debet fieri. Atq; ita concludit Buccerus debere Magistratum in hoc negotio suscipere causam vxoris, & eiusmodi matrimonium dissoluere.

SECVNDO Præceptum diuinum est, vt *vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaqueque suum virum.* 1. Corinth. 7. Et Genes. 2. *Non est bonum homini esse solum.* At cùm alter coniunx ex odio & contumacia cordis non vult se alteri præstare coniugem; alter reuera coniuge caret. Igitur poterit cum alio matrimonium inire, vt verè iuxta verbum Dei habeat suum aliquem coniugem.

Ad PRIMVM argumentum respondeo, illud repudium non fuisse præceptum sed *permissum*, & quidem ita permissum, vt qui sic repudiabant non excusarentur à peccato, sed solùm à pœna: vt habet *communior* sententia doctorum, sicut D. Thomas inquit hìc quæstione 67. articulo tertio. Quam sententiam tenuit Magister in 4. d. 33. Bonauentura, Richardus & alij multi ibidem & Nicolaus Lyranus in caput 24. Deuter. Post quos etiam eandem sententiam confirmat variis argumentis Sotus in 4. distinct. 33. quæst. 2. art. 2. & Couarruuias in Epitome libri 4. cap. 7. Posito tamen quod quis vxorem suam vellet repudiare, præceptum erat de scribendo & dando illi libello repudij; vt colligitur ex cap. 10. Marci, & bene notat Diuus Thomas quæstione 67. art. 5.

Alij tamen Doctores senserunt, ità fuisse permissum id repudium, vt etiam culpa vacauerit. Quam sententiam secutus est Paludanus, Sotus, & Durandus in 4. d. 33. & Abulensis quæst. 49. in caput 19. Matthæi. & Caietanus in eundem locum dicit, saltem non fuisse peccatum mortale.

Sed contraria illa sententia mihi videtur verior. Nam vt alia argumenta prætermittam, certè cùm Christus Iudæis respondit: *Omnem qui dimittens vxorem suam alteram ducit mœchari*, nõ modò videtur legem tulisse pro futuris Christianis, sed etiam iudicium suum explicasse de more vsque ad illud tempus apud Iudæos vsitato, ac proinde explicasse, non eam vim habuisse concessionem illam repudij, vt qui illa vterẽtur adulterij peccato vacarent.

Iudæi enim de receptâ apud ipsos consuetudine, quæ tunc temporis etiam erat in vsu, non autem de eo tantum quod inposterum faciendum esset, Christum interrogabant, & ad eorum mentem Christus accommodatè respondit. Vnde & pro defensione receptæ consuetudinis obiecerunt illi concessionem illam repudij factam per Moysem: Neque tamen Christus obiectionem eam diluit dicendo, quòd vsque ad illud tempus licuerit repudium, non autem inposterum, sed dicit, *Ob duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere vxores vestras, &c.* Quo ipso etiam indicat impunè tantùm id fuisse permissum ad vitanda peiora mala. Nisi quod illo loco cuiusdam pœnæ erat, quòd prohibebatur vir qui vxorem dimiserat cum illa rursus habere vllam consuetudinem: vt patet ex Deuteron. capite 24. Ex qua ipsa qualicunque pœna poterant illi colligere, se malè facere dimittendo.

Præte-

PRAETEREA ad illud argumentum Bucceri dicimus, omnino Iudaicum esse quod vult, legem illam veterem adhuc suum vigorem habere; etiamsi maximè licitum tunc & præceptum fuisset vxorem dimittere & aliam ducere. Nam legem illam esse abolitam in iis rebus, quæ non sunt planè de iure naturæ, multis in locis ex professo disputat D. Paulus, & potissimùm in Epistola ad Galatas, & ad Hebræos. Dissolutio autem illa matrimonij ex odio & contumacia alterius coniugis adeò non est de iure naturæ, vt etiam sit contra illud & contra legem diuinam in institutione cõiugij verbis illis promulgatam, *Propter hoc relinquet, &c.* Genes. 2. Qua quidem lege semper tenetur coniunx deposita quauis animi alienatione coniugi se reconciliare. Quod & D. Paulus confirmat cùm ad Ephes. 5. inquit: *Viri diligite vxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Quod si is, qui est alieno animo, nolit reconciliari; eadem lege indissolubilitatis tenetur alter id æquo animo ferre, nec propterea potest cum alio matrimonium inire.

Ad SECVNDVM argumentum omnino negamus, præceptum aliquod diuinum extare, quo vnusquisq; in particulari obligetur ad habendam vxorem, & vnaquæque ad habendum virum. Nam quæ de ea re D. Paulus dicit, permissionem tantum sonant. Et illud: *Non est bonũ hominẽ esse solum*, tantùmodo significat, debuisse in *specie humana* præter mares etiam esse fœminas, vt per aliquorum coniugia, & mutua obsequia viri & mulieris, species humana propagaretur & conseruari posset, vt docuimus disputat. præced. quæstione vltima, punct. vltimo de Cœlibatu.

Adde etiam, quòd si maximè tale præceptum extaret; illud nequaquam deberet, aut licitè posset impleri quærendo alium coniugẽ, quando primus coniunx esset animo alieno, (esset enim hoc contra legem de indissolubilitate matrimonij) sed ex parte quidem contempti & exosi coniugi satis id præceptum adimpleretur permanendo nihilominus patienter in vinculo iam contracto matrimonij. Ex parte autem eius coniugis qui ab altero esset animo alieno, præterea etiam adimpleri deberet deponendo illam alienationem.

Quod autem Lutherus vult, illud Apostoli 1. Cor. 7. *Si infidelis discedit, discedat*, de eo etiam fideli coniuge intelligi, qui infideliter erga coniugem alterum se gerit & affectat absentiam; in eo non solùm Lutherus omnibus Patribus aduersatur, sed etiam ipsimet D. Paulo qui apertissimè ibi loquitur tantum de infideli coniuge nondum baptizato.

Argumenta porro Sectariorum ALIORVM, qui post imprudentem errorem Erasmi, Caietani, & Catharini censent ob FORNICATIONEM alterius coniugis, licere innocenti parti cum alio matrimonium contrahere, & consequenter etiam parti dimissæ postquam iam fuerit Matrimonij vinculum solutum per nouũ coniugium partis innocentis; sunt potissimum hæc.

PRIMO, Quia ita videtur Christus dicere apud Matthæum, capite 19. illis verbis: *Quicunq; dimiserit vxorem suam, NISI ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur.* Hinc putant isti euidenter confirmari licitum esse ob fornicationem tale diuortium, quo & coniunx dimittatur, & cum alia persona coniugium ineatur. Probant id hac ratione: Nam Christus ibi illud diuortium significauit licere ob causam fornicationis, de quo Iudæi interrogabant an esset licitum ex quacunque causa. At illud diuortium Iudæorum duo continebat; scilicet dimissionem vxoris, & matrimonium cum altera. Ergo vtrumque respondet Christus licere ob causam fornicationis. Atque hoc fuit etiam fundamentum Erasmi & aliorum.

RESPONDEO, Christum apud Matthæum exceptionem illam (*Nisi ob fornicationem*) non ideo fecisse, vt indicaret matrimonium fore cum alio licitum, quando propter fornicationem primus cõiux dimittitur: Sed vt indicaret, non fore *dimissionem* illicitam cùm fit propter fornicationem. Vnde cum Christus dicit: *Quicunque dimiserit, nisi ob fornicationem*, subaudire debemus, *Peccat & illicitè facit dimittendo.* Quod verò sequitur, *Et aliam ducit, & qui dimissam duxerit, mœchatur*, vniuersaliter de omni qui dimittit siue propter siue præter causam fornicationis accipiendum id est, vt antè ex Marco, & Luca, & D. Paulo, & Augustino confirmauimus.

Atque ita etiam alij sancti Patres communiter eam Christi sententiam intellexerunt. EVARISTVS enim Martyr, & Pontifex IV. à D. Petro ait Epist. 2. *Neque Episcopum Ecclesiam, neque Ecclesiam Episcopum debere deserere, & alteri se adiungere; sicut vir non debet ducere aliam, neque vxor alium, etiamsi vir fornicatus fuerit.*

Et INNOCENTIVS I. Epst. 3. ad Exuperium Tolosanum Episcopum, capite 6. *Qui interueniente*, inquit, *repudio alij se matrimonio copularunt, in vtraque parte adulteros esse manifestum est.*

Item TERTVLLIANVS libro quarto contra Marcionem, apertè ait Christum non concessisse propter fornicationem diuortium nisi *conditionaliter*, vt scilicet aliud matrimonium non iniretur.

Item Clemens ALEXANDRINVS libro secundo Stromat. in fine; cuius verba hæc sunt. *Quod autem Scriptura à coniugio nunquam permittat discedere, legem apertè constituit. Non dimittes vxorem, præterquam propter fornicationem. Adulterium autem existimat coniugium viuo altero ex separatis.* Hactenus Clemens, idque statim confirmat illis testimoniis Christi.

Item

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item ORIGENES discipulus Clementis in cap. 19. Matth. apertè affirmat, quosdam Episcopos contra Scripturam fecisse, qui permiserunt eiusmodi secundum coniugium. *Contra scripturam*, inquit, *fecerunt dicentes; Mulier ligata est quanto tempore viuit vir eius, &c.* Et postea respondet ibi ad obiectionem, quæ contra hoc posset fieri ex verbis Christi; & affirmat, ex sententia Christi mœchari eum, qui dimissam ab alio propter fornicationem, ducit.

Idem asserit CHRYSOSTOMVS homil. 17. in Matth. & homil. 19. in 1. ad Corinth. & HIERONYMVS in cap. 19. Matth. vbi ait: *Sic priorem iubetur dimittere vxorem, vt secundam prima viuente non habeat.* Et in Epitaphio Fabiolæ: vbi eam à peccato in hoc genere ob ignorantiam tantùmodo excusat: *Nesciebat*, inquit, *vigorem Euangelij, & putabat esse melius nubere quam vri.*

Ita etiam ISIDORVS lib. 2. de Ecclesiast. offi. cap. 19. BEDA in caput 10. Marci. ANSELMVS in caput 5. Matth. & Patres Cõcilij Mileuitani Canone 17. *Placuit*, inquiunt, *vt secundùm Euangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neq; dimissa à marito, alteri coniungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.* Fuit autem hoc concilium approbatum ab Innocentio I. in quo dicit Kemnitius, eum Canonem positum fuisse ex sententia D. Augustini.

Ex quâ re euidẽter item confutatur eiusdem Kemnitij cauillatio, cum dicit, ibi non adimi potestatem ineundi aliud coniugium parti innocenti, sed tantùm adultero & adulteræ ab innocente parte dimissis. Augustinus enim ex professo disputat multis in locis suprà citatis, neutri neque innocenti neque adultero id licere. Quare si ex Augustini sententia, vt Kemnitius ait, positus fuit ille Canon; de vtraque parte erit intelligendus: Maximè quòd si liceret parti innocenti, non id prohiberetur simpliciter parti dimissæ. Nam postquam pars innocens alium coniugem duxisset, eò ipso solutum esset vinculum matrimonij prioris, & sic etiam pars dimissa esset libera, & posset ducere coniugem alium quem vellet. Loquitur autem Canon nominatim de parte dimissa, quia hæc videri poterat habere potiùs ius ducendi alium, quandoquidem inuita dimittitur. Repetitur idem Canon in Concilio Aphricano Can. 69. & idem asseritur in Can. 48. Apostolorum, & definitur in Concilio Florentino, & Trident. sess. 24. Can. 7.

Nec valet aliquid contra tam consentientem Ecclesiæ auctoritatem ratiuncula Sectariorum, qua confirmabant illud argumentum primum. Falsò enim sumunt, Christum tale diuortium approbasse in casu fornicationis alterius coniugis, quale erat illud de quo Iudæi interrogabant, vtrum esset licitum quacunque ex causa. Quin imò eum errorem Iudæorum coarguere Christus voluit responsione sua, quòd existimarent tale aliquod diuortium propter aliquã omnino causam licere (saltem per se spectata lege diuina) in quo non solũ dimitteretur vxor; sed alia etiam duceretur. Contrà Christus generatim dicit, id semper adulterium esse secundùm legem diuinam.

Neque verò nouum hoc est, vt cùm quis respondet, non modò respondeat directè ad id, de quo interrogatur, sed etiam corrigat errorem, qui supponitur in interrogatione. Ita igitur in proposito: cùm Iudæi putarent sibi licere aut etiam per se & ex ordinaria lege sine peculiari dispensatione esse licitum tale diuortium, in quo & dimitteretur vxor & alia duceretur; ac eo errore suppositio tantùm interrogarent de causis propter quas id facere liceret; Christus responsione sua duo facit. Nam primò remouet eum errorem, quem ea interrogatio supponebat, affirmátque tale diuortium adulterium esse, idque confirmat ibi ex lege diuina lata in prima institutione coniugij. Deinde simul etiam respondens ad ipsam formam interrogationis docet, *licitum* diuortium, id est, dimissionem *in perpetuum* absque eo quod alia ducatur, solùm habere vnam causam nempe *fornicationem*.

SECVNDO argumentantur. Christus concedens dimissionem cõiugis propter fornicationem, non voluit iniicere laqueos conscientiæ innocentis partis. Ad id fecisset, si non liceret innocenti parti alterum coniugium inire, neq; tamen haberet continentiæ donum.

RESPONDEO, non propterea Christum iniecisse vllum laqueum parti innocenti. Primùm enim potest si velit reconciliari cum parte quæ peccauit, vel certè ea vti ad actum coniugalem, etiamsi non resipuisset; nisi fortè scandalum huius rei obstaret, vt rectè resoluit Sotus in 4. d. 36. q. vnica art. 2. & notat Nauarrus in Manuali, capite 22. Num. 22. & 23. Deinde multa alia remedia suppetunt ad vitandum peccatum incõtinẽtiæ, quibus etiam oporteret vti extra casum dimissionis, si alter coniux morbo vel absentia impediretur; vt respondit optimè D. AVGVSTINVS Polentio similiter, vt iam Sectarij, argumentanti, lib. 2. de adulter. coniug. cap. 10. 19. & 20. quod etiam in Disputatione præced. q. vltima, p. vltimo de Cœlibatu, meminimus.

TERTIO obiicit Kemnitius in Examine Can. 7. sess. 24. Concilij Trid. Quod si id non liceret; maximè quoniam ita sententiam Christi videtur interpretari D. Paulus in locis ex quibus suprà sumus argumentati. At ibi non vult D. Paulus quod non liceat aliud matrimonium inire in casu fornicationis. Nam ad Romanos 7. loquitur tantum secundùm legem communem & ordinariam, non excludendo illam *exceptionem* particularem in casu fornicationis. Cùm verò dicit 1. Cor. 7. *Mulier à viro non discedat, aut si discesserit, maneat innupta*, loquitur in casu quo discedit leuiter, propter alias causas quàm propter fornicationem viri.

Et pro-

Et probat hoc Kemnitius dupliciter, PRIMO quia loquitur de eo modo discessionis fœminę, quo dicit præceptum Domini esse, vt à viro non discedat. Ait enim Dominum *præcipere, mulierem à viro non discedere, aut si discesserit* (puta illo modo quo deberet nõ discedere ex prę-cepto Domini, vtique est in illis aliis casibus excepto casu fornicationis: siquidem in hoc casu Dns concedit, vt coniux discedat. SECVNDO, quia debet aut innupta manere, aut *viro suo reconciliari*. In Scriptura autem (inquit Kemnitius) pars tantùm illa, quæ offendit alteram & peccauit, dicitur alteri reconciliari; vt ad Rom. 5. nos qui inimici eramus & offenderamus Deum, dicimur *reconciliati* Deo per Christum. Loquitur igitur ibi D. Paulus in ꝓposito de muliere, quæ discedens à viro fecit iniuriam viro, atque adeò quæ discesit ob alias causas quam propter viri *fornicationem*.

RESPONDEO, nullius esse momenti hæc, quę iste contra nostram interpretationem sententię Christi sumptam ex Apostolo, obiicit. Primùm enim cùm iam ostenderimus, exceptionẽ illam, quòd scilicet in casu fornicationis possit aliud coniugium iniri, esse commentitiam; commentitium etiam & vanum est, quòd illæ sententiæ Apostoli debeant accipi salua tali exceptione. Deinde, quòd præceptum illud Domini: *Vt si mulier discesserit, maneat innupta*, 1. Cor. 7. intelligendum sit, cùm discesserit *licitè*, propter fornicationem viri; suprà probauimus manifesta ratione D. Augustini multis in locis: Nempe quia alioqui iuberetur determinatè redire ad suum virum, si sine caussa iusta discesserit.

Nec probationes Kemnitij contra hoc quicquam valent. Nam ad PRIMAM dico, non de vno sed de duplici modo discessionis loqui totũ illud Domini præceptum. Primò de discessione *illicita* præter caussam fornicationis, cùm iubet, vt mulier *à viro non discedat*, sicut Chrysostomus & alij interpretes exponunt, & per se patet: quia non nisi illicita discessio prohibetur. Deinde est etiam ibi sermo de discessione *licita*, quando in vltima parte præcepti additur; *aut si discesserit, manere innuptam, vel viro suo reconciliari*. Præciperetur enim tunc determinatè ad virum redire, si de discessione illicita ibi sermo esset.

SECVNDA autem probatio Kemnitij valdè friuola est. Nam non solùm pars quæ peccauit, sed vtraq; pars discedens, scilicet tam ea quæ est innocens, quàm ea quæ peccauit, dici potest secundùm vsitatam Scripturæ phrasin alteri *reconciliari*. Nam de viro quodam Leuita, à quo vxor profugerat, legimus Iudic. 19. quòd secutus est eam volens *recõciliari ei*. Et Deus ipse, qui sine dubio est pars innocens, dicit apud Isaiam, cap. 60. *In indignatione mea percussi te, et in recõciliatione mea misertus sum tui*. Et quidam ex Machabæis, 2. Machab. 7. inquit: *Si nobis propter increpationem & correptionem Dominus Deus noster modicùm iratus est, iterum reconciliabitur seruis suis.*

QVARTO obiicit Kemnitius, quòd veteres ante Augustinum non damnarunt, tanquã malum coniugium istud propter diuortium caussã fornicationis, sed ab eo homines deterruerunt, tanquam à re quæ minus expediat. Quod probat testimonio Origenis in caput 19. Matth. qui dicit: Quosdam Episcopos ita permisisse aliud coniugium post eiusmodi diuortium, sicut Apostolus 1. Cor. 7. permittit vnicuiq; habere suũ coniugem, videlicet non tanquam malum aliquod, sed tanquam minus bonum.

Item id probat ex Concilio Neocæsariensi, can. 7. vbi statuitur, ne presbyter intersit secundis nuptiis, ne illas alioqui probare videatur, cũ tamen illis pœnitentia sit imposita: quod de secundis nuptiis viuente post diuortium priore coniuge intelligi solet. Inde autẽ colligit Kemnitius, eiusmodi nuptias non fuisse damnatas, vel rescissas, sed tantum aliquam ob illas pœnitentiam & correctionem impositam.

Item testimonio D. Hieronymi, qui in Epitaphio Fabiolæ dicit, Fabiolam quæ post legitimũ diuortium viuente viro priore, alteri nupserat, non ideo peccatum mortale commisisse, sed fecisse hoc iuxta dictum Pauli, 1. Cor. 7. *Melius est nubere quàm vri.*

Item addit testimonium Leonis epist. 85. qui post Augustini etiam tempora Sacerdotẽ quendam, qui post diuortium vxoris aliam duxerat, tantùm remouet ab Ecclesiastico ministerio, nõ tamen rescindit secundum coniugium, neq; ex Ecclesiæ communione eum eiicit.

RESPONDEO, apertum mendacium Kemnitij esse, quòd veteres non improbent secundũ illud coniugium tanquam rem malam: vt patet manifestè ex ipsorum sentẽtiis, quas recitauimus in responsione ad argumẽtum primum.

Quod autem citat ex Origene mendacium est. Nam Origenes non nisi in *lege veteri* dicit repudium illo modo fuisse permissum: quia fortè existimauit tũc illud licuisse, quamuis esset minus bonum. In Ecclesia autem Christiana apertè affirmat id esse malum, & cõtra Euangelium, vt ante ex Origene recitaui.

Item Canon Neocæsariensis Concilij nihil suffragatur Sectariis, sed nobis potiùs. Nõ enim solet in Ecclesia imponi pœnitẽtia pro eo quod est tãtummodo minus bonum, sed pro eo quod est malum. Neque obstat nobis, quòd in illo canone non expresè dicitur, secũdas illas nuptias esse irritas: Multò enim minus ibi dicitur quòd sint validæ.

De Hieronymo iã diximus, quòd Fabiolam tantum ob eius ignorantiam excusẽt; id quod fraudulenter Kemnitius dissimulauit.

In epistola autem Leonis 85. & in aliquot antecedentibus & sequentibus non reperio quod Kemnitius citat. Quanquam omnino id nobis

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil obstat vbicunq; & à quocunq; sit factum. Qualis enim est hęc consequentia: Leo Sacerdotem, qui post diuortium aliam duxerat, à ministerio remouit. Ergo non improbauit, neque rescidit id illius coniugium? Certè contrarium potius licet inde coniicere, quamuis Leo id fortè non expresserit.

Adde quòd aliunde constat ex sententia Leonis, ne primum quidem coniugium posse iniri post sacram ordinationem, vt patet ex eodem epist. 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, cap. 4. *Ad exhibendam*, inquit, *perfectæ cõtinentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem Carnale connubium conceditur.*

Quinto obiicit Kemnitius quosdam Canones, qui ponuntur à Gratiano 32. q. 7. in quibus innocenti coniugi, quando cum persona ipsius consanguinea, vel propinqua alter coniux commisit incestum, potestas fieri videtur cum alio contrahendi matrimonium: Vt patet ibi Can. *Quædam*, & Can. *Concubuisti*, & Can. *Si quis*. Et ibidem etiam Can. *Quod proposuisti*. Gregorius III. scribit in Germaniam ad Bonifacium, vt si mulier infirmitate correpta viro suo non valuerit debitum reddere, possit vir, si non se contineat aliam potius vxorem ducere.

Respondeo in illis Canonibus non fieri potestatem innocenti parti aliud coniugium ineundi, nisi *post mortẽ* prioris coniugis qui peccauit: vt patet ibid. ex Can. *Si verò*, qui Canon est in hoc quasi interpres aliorum illorum, vt notat etiam glossa ibid. Can. *Quædam*. Itaq; discrimen inter coniugem innocentem, & coniugem alterum, qui cũ persona consanguinea vel propinqua innocentis peccauit, est in hoc quòd ei qui peccauit, in pœnam prohibetur ne vnquam, atque adeò ne mortuo quidem priore coniuge innocente, ineat aliud matrimonium. Innocens autem coniux potest aliud matrimonium inire mortuo priore coniuge qui peccauit. Nominatim verò ad Canonem, *Quod proposuisti*, respondemus, loqui Gregorium de infirmitate mulieris, quæ ante contractum matrimonium reddebat eam ad vsum coniugalem ineptam. Tunc enim matrimonium fuit nullum.

Sexto obiici etiam hoc loco solet testimonium ex Commentario Ambrosij, qui in caput 7. 1. Cor. dicit, virum posse dimissa vxore propter fornicationem, aliam ducere; non tamẽ mulierem posse ducere alium virum, etiamsi vir fornicatus fuerit. Idque colligit ex Apostolo, qui ibi dicit, vt *si mulier discesserit, maneat innupta*. De viro autem tantum dicit *ne vxorem dimittat*, videlicet sine iusta caussa fornicationis. Neque addit, vt si ex ea caussa dimiserit, maneat sine vxore. Maiorem enim potestatem habere virum, cùm sit caput mulieris. Quam sententiam, vt suprà notauimus, Erasmus complexus est.

Respondeo, illum locũ ex Ambrosij Commentario parũ aut nihil habere momenti: quãdoquidẽ ex aliis indubitatis scriptis Ambrosii constat, eum sensisse, neq; mulieri, neq; viro licere vnquam aliud matrimonium inire post vllum diuortium. Nam in caput 16. Lucæ, exponens illam Christi sententiam: *Omnis qui dimiserit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, &c.* ita inquit: *Dimittis ergò vxorem quasi iure sine crimine, & putas tibi licere, quia lex humana non prohibet; sed prohibet lex diuina.* Et paulò pòst: *Audi*, inquit, *legem Domini, cui obsequitur etiam qui leges ferunt: Quæ Deus coniunxit, homo non separet.* Et rursus paulò pòst: *Sed fortasse*, inquit, *dicet aliquis, quomodo Moyses mandauit dare libellum repudij & dimittere vxorem? Qui hoc dicit, Iudæus est; qui hoc dicit, Christianus non est.*

Et alibi lib. 1. de Abraam, cap. 4. *Nemo*, inquit, *sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est, neq; viro licet quod mulieri non licet.* Ex quibus locis patet, id diuortium quod legibus ciuilib⁹ olim impunè permittebatur, vt scilicet vir propter quasdam caussas & maximè propter fornicationem posset vxorẽ dimittere, & aliam ducere (sicut patet l. *Consensu*, Cod. de repudiis) ab Ambrosio iudicari contra legem diuinam.

De illo autem commentario in Epistolam ad Corinth. & in alias Epistolas Pauli, multi dubitant vtrum sit Ambrosij. Magister verò in 4. d. 33. & Gratian. 32. q. 7. in additione sua ad Can. *Quod proposuisti*, dicunt à falsariis aliquibus fuisse illam sententiam Commentariis Ambrosij insertam. Lindanus tamen lib. 4. Panopliæ putat, Ambrosium in illo cõmentario loqui secundùm legem humanam *ciuilem*, quæ impunè id viro permittebat. Propter quam legem existimant aliqui, Apostolum non addidisse expresè de viro, vt si discederet à muliere non duceret aliam; ne tunc apertè videretur reprehendere leges Imperatorias, quæ id impunè permittebant ac fortasse etiam illo tempore probabant, secundùm quas Corinthij viuere cogebantur. Sed quicquid sit de illo Ambrosij commentario, aliunde constat (vt dixi) de Ambrosij sententia.

Neq; mouere debet, quod Apostolus nõ illud etiam de viro addiderit, vt si discesserit ne ducat aliã. Satis enim id subindicauit hoc ipso, quòd in illo capite docet parem esse quoad hanc matrimonij legem caussam mulieris & viri: quandoquidem similiter ait: *Virum non habere potestatem sui corporis, sed mulierem*, vt suprà notaui cum D. Augustino.

Quare maneat, diuortium, quoad matrimonij *vinculum*, nõ esse licitũ propter alterius coniugis fornicationem: & multò minus in vllo alio casu, præterquam in illis Tribvs, de quibus suprà diximus. Quomodo aũt & ex quibus caussis possit fieri aliquando diuortiũ quoad *torum & cohabitationem*, dicemus infrà q. 4. vbi agemus de effectibus coniugij, atq; adeò de *fidelitate* quam sibi mutuò coniuges debent. Hactenus de ipso Matrimonio secundùm se, atq; adeò de 1. quæst.

QVAESTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

De caussa Disponente ad Matrimonium, hoc est, de Sponsalibus.

Supplem. D. Thom. quæst. 43.

QVINQVE SVNT BREVITER EXPLICANDA. PRIMO, QVAE SIT ratio sponsalium. SECVNDO, quis effectus. TERTIO, Quis possit sponsalia contrahere. QVARTO, An & qua ratione possint in Matrimonium transire. QVINTO, An & quibus modis possint dirimi.

PVNCTVM PRIMVM.

Quæ sit ratio Sponsalium.

D. Thom. artic. 1.

Quod ad primvm attinet, sciendum est, sponsalium nomen variis rebus accommodari solere: sicut & vocabulum matrimonij, vt suprà quæst. præced. p. 1. docuimus. Primo enim ipse etiam cõtractus matrimonij, per verba de præsenti, sponsalia nonnunquam dicitur; & ipsi coniuges dicuntur sponsi: vt notat Magister in 4. d. 27. Quo pacto Lucæ 2. Maria dicitur fuisse Iosepho *desponsata vxor*. Cuius appellationis rationem reddit D. Thomas q. 43. art. 1. ad 6. quia scilicet in ipso matrimonij contractu includitur saltem tacitè, pmissio de præstando in futurũ officio mutuo coniugali. *Sponsio* autem propriè, vocatur promissio sponte & voluntariè facta.

Secvndo illa etiam munera quæ vicissim sibi conferre solent sponsus & sponsa dici solent sponsalia. Quo pacto serui Saulis dixerunt ad Dauid 1. Reg. 18. *Non habet rex sponsalia necesse, sed tantum centum præputia Philistinorum.*

Tertio sponsalia magis propriè appellamus mutuam promissionem viri & mulieris de matrimonio contrahendo. Et secundùm hanc nominis acceptionem de sponsalibus disputatur in hoc tractatu. Itaque ratio sponsalium in illa mutua promissione de futuro matrimonio cõsistit.

Vnde Nicolaus Papa, Can. *Nostrates*. 30. q. 5. ita definit, *Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio*; quam definitionem refert & probat diuus Thomas q. 43. art. 1. & alij Doctores communiter. Sunt tamen Qvatvor quædam hoc loco notanda.

Primvm est, nihil interesse quibus verbis aut signis explicetur hæc promisso de futuro, modò verè significetur, & sufficienter vtriq; parti constet. Sicut neque interest etiam, quibus verbis in matrimonij contractu explicetur mutuus consensus. Qua de re aliquid etiam dicemus p. 5. sub finem.

Secvndvm est, in vno quidem casu sponsalia posse contrahi per verba de *præsenti*: cùm scilicet contrahentes sunt adhuc impuberes, sed tamen impleuerunt septimum ætatis annum & contrahunt per verba de præsenti. Tunc enim contractus ille, quamuis non habet vim matrimonij propter defectum ætatis, habet tamẽ vim sponsalium: quandoquidem intentio eiusmodi impuberum censetur esse obligandi se quãtum possunt. Atque ita colligitur ex Bonifacio VIII. cap. vnico, de desponsatione impuberum lib. 6. & id etiam notat Sotus in 4. d. 27. q. 2. art. 4. sub finem. Quanquam Couarruuias in Epitome libri 4. Decretal. parte 1. cap. 3. num. 3. quædam de hoc obscurè & quodammodo perplexè tradit.

Procedit autem hic casus secundùm ius antiquum, vbi non sit promulgatum Decretũ Concilij Trid. de Reformat. matrimonij sess. 24. Nam vbi promulgatum est, contractus ille clandestinus impuberum per verba de præsenti, ne sponsalium quidem vim habet: siquidem omnis eiusmodi contractus, nisi parochus aut alius Sacerdos de illius vel ordinarij licẽtia, & duo vel tres testes præsentes sint, ita per illud Decretum irritatur, vt nullum omnino robur habeat.

Tertivm est, ad sponsalia non requiri necessariò arrhas, aut iuramentum: quamuis his accedentibus firmiora redduntur.

Qvartvm est, nõ sufficere ad sponsalia promissionem tantum alterius partis, sed necesse esse vt *vtrinque* promissio fiat. Quamuis promissio etiam vnius partis obliget, sicut aliæ humanæ promissiones: vt ex communi sententia rectè hoc notat Nauarrus in Manuali, cap. 22. num. 25.

Hæc de primo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM SECVNDVM.

Quis sit effectus Sponsalium.

Ad art. 1. D. Thom.

DE secundo puncto breuiter statuẽdum est, EFFECTVM sponsalium esse obligationem ad matrimoniũ posteà contrahendum sub peccato mortali, quamuis iuramentum nõ fuerit ad promisionem adhibitum: vt fusè ex communi doctrina ostendit Couarruuias in Epitome, parte 1. cap. 4. Vbi meritò reprehendit glossam in Cap. *de illis.* 1. Extra de desponsat. impuberum, quòd simpliciter negauerit posse à iudice sponsos compelli ad contrahendum matrimonium: & Panormitanum quod in Cap. *Requisiuit.* Extra de Spõsalibus & matrimonio, dubitauerit, Vtrum peccet sponsus, si nolit postea matrimonium contrahere.

Neque obstat quod Lucius III. in dicto Cap. *Requisiuit*, ait, sponsam, quæ non vult postea matrimonium contrahere, *mouendam potius quàm cogendam esse.* Non enim hoc ita intelligi debet, quasi nõ sit alioqui in conscientia obligata, aut nulla ratione compellenda sit, vt præstet quod promisit. Potest enim sponsa vel sponsus ad id per censuras Ecclesiasticas adigi: vt habetur in Cap. *ex literis Syluani*, eodem titulo. Sed vult Lucius III. vt non prorsus ad id cogatur adhibita etiam *vi externa* sponsus vel sponsa, si illius animus ita sit obstinatus, vt simulatura vel simulaturus tantùm consensum videatur. Tunc enim non esset futurum verum Matrimonium.

PVNCTVM TERTIVM.

Quinam possint Sponsalia contrahere.

D. Thom. art. 2.

DE tertio dicendũ est sponsalia posse contrahi ab iis, qui iam septimũ ætatis annum compleuerũt: vt patet ex Cap. *Literas.* & Cap. *Ad dissoluendum.* Extra de desponsa. impuberum, & cap. vnico, eodem tit. l. 6. & l. *In sponsalibus.* 2. ff. de sponsalibus. Ante hãc enim ætatem adeò rationis impotes sunt pueri, vt neque aliorum consilio adiuti de rebus suis intelligenter deliberare valeant; quæ tamen facultas omnino requiritur, vt sponsalia contrahi possint: sicut pulchrè D. Thomas docet q. 43. art. 2. ex doctrina quadam Philosophi lib. 1. Eth. cap. 4.

Ad contrahendum autẽ matrimonium, quia illius vinculum arctissimum est, maior quædam facultas rationis requiritur: nempe vt quis possit etiam per se ipsum de rebus suis prudenter deliberare: item, vt generationi possit dare operam. Quod quidem masculis cõtingit communiter completo 14. ætatis anno; fœminis autem completo 12. Atq; ita hæc ætas ad matrimonium contrahendum requisita est, vt infrà suo loco dicemus.

Potest etiam in foro conscientiæ malitia supplere ætatem non modò ad Matrimonium, sed etiam ad Sponsalia præscriptam: vt post multos alios Doctores, contra quorundam aliorum opinionem asserit Couarruuias in Epitome lib. 4. parte 1. cap. 2. num. 1. & Nauarrus in Manual. cap. 22. num. 25. Quanquam nisi euidenter probaretur, malitiam ætatem suppleuisse; semper in foro quidem externo præsumeretur, non affuisse ante illam ætatem vsum rationis sufficiẽtem ad spõsalia: vt rectè etiam Nauarrus attigit.

Docet præterea D. Thomas q. 43. art. 2. ad septimum argumentum, perinde esse siue quis compleuerit septennium, siue proximè ad eam ætatem accesserit; modò perinde appareat in illo vsus rationis, atq; si compleuisset: quod quibusdam citius quibusdam tardius cõtingit. Sed tamen nisi euidenter hæc acceleratio vsus rationis constaret; contrarium semper in iure præsumeretur ante septennium completum, vel certè antequam inceptus saltem esset dies vltimus anni septimi. Hoc enim ex iure sufficit, vt Couarruuias notat in dicto cap. 2. num. 2. post Abbatem in Cap. *Attestationes.* Extra de desponsatione impuberum.

Denique notat ibidem num. 3. Couarruuias, sponsalia quæ ante septennium inualidè contrahuntur, postea impleta illa ætate conualescere ex consensu tacito contrahentium; hoc ipso videlicet, quòd non improbant id, quod antea voluerunt facere, sed manere volunt in eadem intentione se per sponsalia obligandi. idq; colligitur ex Cap. *Duo pueri.* Extra de desponsat. impuberum, & cap. vnico, eodem titulo, l. 6.

Postremò & illud notãdum, quòd si quis voluisset castitatem, non posset sponsalia contrahere: vt notat Nauarrus in Manual. cap. 22. n. 27. Et similiter si haberet aliquod impedimentum essentiale ad contrahendũ matrimonium. Tunc enim neq; posset ad id se obligare: vt notat Sotus d. 27. q. 2. art. 5. Quæ autem sint impedimenta matrimonij, infrà q. 5. dicetur.

PVNCTVM QVARTVM.

An & qua ratione possint sponsalia in Matrimonium transire.

Ad art. 1. D. Thom.

DVOBVS modis possunt sponsalia transire in Matrimonium. PRIMO, quando postea accedit consensus in coniugium de *præsenti* aliquibus verbis vel signis *legitimè* explicatus. Et dico *legitimè*, propter Concilium Trid. quod sess. 24. in decreto de Reformatione Matrimonij, ad id requirit præsentiam parochi, & duos vel tres testes, vt suprà p. 1. dictum est.

SECVNDO,

SECVNDO, vbi decretum illud concilij promulgatum non est eo modo quo in ipso traditur. Sponsalia transeunt etiam in matrimonium per copulam subsecutam *affectu maritali*, id est, cũ sponsi tanquã iam veri coniuges se cognoscunt, & ea re mutuum consensum de præsenti declarant. Atq; hic affectus maritalis, cùm subsecuta est copula, semper ab Ecclesia præsumitur ex iure antiquo: vt latè tractat Couarruuias in Epitome, parte 1. cap. 4. §. 1.

Dixi autem vbi decretum illud Concilij Tridentini *promulgatum non esset.* Nam vbi promulgatum est, iam est hic modus matrimonij inualidus; cùm sit clandestinus: vt notat etiam Nauarrus in Manuali cap. 27. n. 141. corrigens quodam modo, quod antea sine hac limitatione dixerat de eadem re, cap. 22. num. 26. & 28.

Neque præterea Sponsalia *transeunt* in matrimonium, aut *necessariò præsumuntur* transire, si *iuramentum* additum fuerit ad promisionem: aut si sponsa & sponsus habitent simul: aut accedant amplexus vel etiam conatus ad copulam, & similia: vt bene notat Nauarrus, cap. 22. num. 25. & 28. & Sotus d. 27. q. 2. art. 3. & 4. & Couarruuias vbi suprà cap. 4. §. 2.

Quanquã multi sentiunt, posse præsumi matrimonium, si eiusmodi amplexus & signa adsint post legitimam ætatem ad matrimonium, quando sponsalia fuerunt contracta per verba de *præsenti intra pubertatis annos*: quorum opinionem sequitur Couarruuias dicto §. 2. n. 3. Quod procedit secũdùm ius antiquum vbi decretum illud Concilij Trid. promulgatum non est. Nam vbi promulgatum est; contractus ille impuberum de præsenti clandestinus, nullum vigorem habet, atq; adeò nec robur sponsalium: vt suprà p. 1. notauimus.

PVNCTVM QVINTVM.

An & quibus modis dirimi possint sponsalia.

D. Thom. art. 3.

CERTVM apud omnes est, multis de causis posse sponsalia dissolui: quas commemorat D. Thomas q. 43. art. 3. & Couarruuias in Epitome, lib. 4. parte 1. cap. 5. & Nauarrus in Manuali, cap. 22. num. 25. cum aliquot sequentibus, & Sotus in 4. d. 27. q. 2. art. 5. & alij.

PRIMA causa est, si eam obligationem partes ipsæ vicissim sibi *remittant.* Cap. *præterea*, 1. de spõsalibus. Etiamsi iuramento firmata fuerit: vt doctè resoluit Nauarrus in dicto num. 25.

SECVNDA causa est, si altera pars ingreditur religionem. Cap. *Ex publico.* Extra de conuersione coniugat. Idque etiam ante professionem: vt notat Syluester verbo *Sponsalia.* q. 10. & Nauarrus vbi suprà num. 26. Per votum autem simplex castitatis (citra Ingressum Religionis) non dissoluuntur: quia illud non valet sine consensu sponsi aut sponsæ: vt notat Nauarrus num. 27.

TERTIA causa est, si alter contrahat de præsenti cum alia persona, etiam copula non subsecuta. Cap. *Sicut ex literis*, & Cap. *Si inter virum*, Extra, de Sponsalibus.

QVARTA causa est, si alter ad aliam regionem proficiscatur, & tempore præstituto à iudice nõ redierit. Cap. *de illis.* Extra de Sponsalibus. Et procedit hoc secundùm ius *Canonicũ*, quod tempus certũ in hoc non præscribit, & ideo à iudice præscribendum est, vt inquit Nauarrus. Secundùm ius autem *ciuile*, absens intra eandem prouinciam expectatur ordinariè duobus annis, in alia autem prouincia tribus: vt notat Syluester verbo Sponsalia, q. 10. & Nauarrus vbi suprà, & colligitur ex l. *Sæpè.* ff. de Sponsalibus, & l. 2. Cod. de Repudiis.

QVINTA causa est, si alter cum alia persona contrahat sponsalia, copula affectu maritali secuta. Quia transeunt tũc in matrimonium. Cap. *Is qui fidem.* Extra de Sponsalibus. Quod tamen procedit solùm secundùm ius antiquum, vbi decretum Concilij Trid. annullans omne clandestinum matrimonium, promulgatum nõ est: item posito quòd secunda non fuerit cognata primæ intra *secundum gradum*: quia tunc neque cum *prima* ob impedimentum affinitatis ex illa copula ortum erga primam, neque cum *secunda* ob impedimentum publicæ honestatis ortum ex spõsalibus cum prima, potest matrimonium contrahi ab illo qui cognouit secundam; vt bene notat Nauarrus.

Dixi autem intra *secundum gradum.* Nam post Concilium Trid. sess. 24. cap. 4. de Reformatione, affinitas illa ex copula matrimonium dirimens, non oritur iam nisi in *primo* & *secundo* gradu.

SEPTIMA causa est, si Sponsalia sint contracta intra pubertatis annos, & altera pars post impletos pubertatis annos, priusquam expresè ratificet prima sponsalia, nolit illis stare. Cap. *A nobis.* & Cap. *de illis.* 1. Extra de desponsat. impuberum. Quamuis nulla alia causa interueniat nisi mera voluntas: vt notat Sotus d. 27. q. 2. art. 5. post Panormitanum in illis cap.

OCTAVA causa est, si tempus ad matrimoniũ contrahendum præstitutum sit elapsum; Tunc enim pars cui fides seruata non est, si velit, manet libera. Vt notant Syluester, verbo Sponsalia, q. 10. & Nauarrus vbi suprà, & colligitur ex Cap. *Sicut ex literis.* Extra de Sponsalibus.

NONA causa est, si notabilis deformitas, aut paralysis, aut morbus contagiosus alteri superueniat. Cap. *Literas.* Extra de coniugio leprosorum. Et Cap. *Quemadmodum.* Extra de Iure Iurando.

DECIMA causa est, si altera pars post contracta sponsalia fornicetur sponte: tunc enim altera libera manet. Cap. *Quemadmodum.* de Iure

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iurando; aut etiam ſi coactè: item ſi ante ſponſalia, & id ab altera parte tempore contractus ignorabatur. Ita docent omnes cum gloſſa in dicto Cap. *Quemadmodum*. Extra de iure iurando. Quod idem de fornicatione ſpirituali, cuiuſmodi eſt hæreſis, vel apoſtaſia, intelligi debet: vt Nauarrus notat conuenienter Canoni. *Non ſolum*. 28.q.1.

VNDECIMA cauſa eſt, ſi ſponſus ſuſciperet *ſacrum ordinem*: vt colligitur ex Extrauaganti *Antiquæ*, de voto. Matrimonium tamen non diſſoluitur per illum: vt patet eadem Extrauag.

DVODECIMA cauſa eſt, ſi exoriatur inter ſponſos capitalis inimicitia: vt colligit Nauarrus poſt Hoſtienſem, ex Cap. *Requiſiuit*. Extra de Sponſalibus, & alij omnes notant.

DECIMATERTIA cauſa eſt, ſi notabilis morum aſperitas, vel ſæuitia alterius poſtmodum cognita fuerit. Vt colligitur ex Cap. *Dilectus*, de Sponſalibus, & apertius ex Cap. *Veniens*. Extra, Qui clerici vel vouentes. Idq; notant quoq; Syluester & Nauarrus vbi ſuprà. Et alij.

DECIMAQVARTA cauſa eſt, ſi conditio appoſita honeſta alioqui & poſsibilis non impleatur. Cap. *De illis*. Extra, de Conditionibus appoſitis. Atq; ad hanc cauſam reuocari debet, quod Nauarrus in dicto cap. 22. num. 27. in fine nimis generatim ait, ſponſalia diſſolui per quodcunq; ſuperueniens, quod ſi ante ſponſalia præceſsiſſet non fuiſſent contracta. Debet enim hoc intelligi quando pro *conditione* fuit appoſitum, vt illud non eueniret. Alioqui nullus ferè vnquam eſſet contractus, qui non poſſet poſtea diſſolui. Communiter enim aliquid poſt contractus ſolet occurrere, quod ſi quis præſciuiſſet, non contraxiſſet. Qua de re videat Lector ea quæ annotauimus tomo 3. diſp. 5. q. 20. p. 4.

DECIMAQVINTA cauſa eſt, ſi omnino aliquod *impedimẽtum* inter partes oriatur, propter quod ab ipſis non poſsit matrimonium validè contrahi. Cap. *Cum in tua*. Extra de Sponſalibus. Et ratio eſt clara, quoniam non poteſt permanere obligatio ad contrahendum matrimoniũ in illis perſonis, quæ matrimonium validè contrahere non poſſunt. Obligatio enim non eſt niſi ad poſsibile. Ad has præcipuas CAVSAS reuocantur cæteræ, ſi quas alij aliter numerant.

NOTANDVM eſt autem cum Nauarro vbi ſuprà num. 28. in fine, quòd ſi hæ cauſæ *manifeſtæ* omnibus ſint; ipſo iure ſponſalia dirimuntur ſine alia ſententia iudicis. Si autẽ ſint *occultæ* & Sponſalia itidem fuerint occulta; ſimiliter ipſo etiam iure diſſoluuntur, nec opus eſt ſententia iudicis. Secus, ſi eſſent ſponſalia manifeſta, & cauſa diſſoluendi eſſet occulta. Tunc enim auctoritas iudicis communiter requireretur, propter ſcandalum.

Ad extremum etiam NOTANDVM: Si quis alicui ita diceret. *Non aliam ducam quam te*, non teneri illam ducere: neq; eſſe vera Sponſalia. Quia non affirmate promittit ſe illam ducturum, ſed non aliam ducturum. Niſi fortè animum haberet illam determinate ducendi, & ex aliis ſignis colligeretur, id etiam velle illum ſignificare per eiuſmodi verba. Ita communiter Doctores notant. Paludanus in 4. diſt. 27. q. 1. Adrianus in 4. q. 12. de Matrimonio. Sotus diſt. 29. q. 2. art. 3. Nauarrus in Manuali, cap. 22. num. 27. Couarruias in Epitome, lib. 4. parte 2. cap. 4. §. 1. num. 7. qui pulchrè etiam eius rei rationem reddit; quòd ſcilicet iuxta communem vſum loquendi, qui dicit, *Nõ aliam ducam niſi te*, vel, *quàm te*, facit ſenſum *conditionalem*; nempe ſe illam & non aliam ducturum eſſe, *ſi aliquam omnino ducturus ſit*. Quã conditionem cum alioqui non teneatur implere; non tenetur etiam abſolutè loquendo illam ducere. Ex qua ratione apparet, ſine cauſa Sylueſtrum, verbo Matrimonium 2. q. 10. & quoſdã alios receſsiſſe in hac re à ſupradicta communi opinione.

Secus ſi quis diceret, *Non aliam, ſed te ducam*. Quia tunc videtur abſolutè affirmare, ſe illam ducturum: vt notat Sotus vbi ſuprà. Et idem eſſet ſi ex aliqua alia affirmatione, vel ſigno id colligeretur. Ad circumſtantias enim in hoc genere locutionum potiſsimum attendendum eſt, cùm valde varius modus dicendi vſurpari poſsit, ſicut rectè monuit Sotus.

QVAESTIO

QVÆSTIO TERTIA.

De cauſſa Efficiente Matrimonij, hoc eſt, de Conſenſu.

Supplem. D. Thom. quæſt. 45. vſque ad 48.

EXPLICANDA SVNT SEX. PRIMO, VTRVM OMNINO AD vinculum Matrimonij ſit neceſſarius conſenſus ipſorum contrahentium. SECVNDO, An ſit neceſſarius conſenſus omnino liber. TERTIO, An ſit neceſſarius conſenſus Abſolutus. QVARTO, An & quomodo ſit neceſſarius conſenſus manifeſtus. QVINTO, In quodnam propriè obiectum debeat ferri neceſſarius conſenſus. SEXTO, An non ſolùm ipſorum contrahentium, ſed etiam parentum conſenſus neceſſarius ſit.

PVNCTVM PRIMVM.

Vtrum omnino ad vinculum Matrimonij ſit neceſſarius conſenſus ipſorum contrahentium?

D. Thom. quæſt. 45. art. 1. & 4.

RESPONDEO per duas Aſſertiones.

PRIMA. Conſenſus cõtrahentium non ita ad Matrimonij vinculũ neceſſarius eſt, vt per nullam potentiam poſsit verũ & eſſentiale vinculum Matrimonij ſine illo conſiſtere.

SECVNDA. Ita tamen neceſſarius eſt, vt ſecundùm legem quidem Dei *ordinariam* nequeat ſine illo Matrimonij vinculum verum eſſe, neq; poſsit eiuſmodi contrahentium conſenſus per vllam auctoritatem humanam ſuppleri.

Vtramq; Aſſertionem probat egregiè Franciſcus Victoria in Relect. de Matrimonio, part. 1. num. 4. & ſeqq. cuius in hac re ſententiam meritò amplectitur Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 2. & Couarruuias in Epitome lib. 4. part. 1. cap. 4. num. 4. quamuis de prima quidem aſſertione non facit is expreſſam mentionem.

Fundamentum aſſertionis PRIMAE conſiſtit potiſsimùm in duobus argumentis. PRIMVM: quoniam in omni genere Deus poteſt ſupplere vicem inferioris & proximæ cauſſæ efficientis. Ergo etiam in propoſito conſenſum viri & mulieris, qui eſt quaſi cauſſa *proxima* & efficiens illius vinculi & coniunctionis maritalis, quæ præcipuè Matrimonium dicitur, vt ſuprà quæſt. 1. punct. 1. explicauimus.

SECVNDVM: quia quicquid eſt hominis, magis eſt Dei quàm ipſiuſmet hominis, & maiorem auctoritatem atque poteſtatem habet Deus in hominem, quàm homo in ſeipſum: vt patet. Ergo, ſi homo poteſt ſui corporis poteſtatem ad vſum maritalẽ iniecto ſibi perpetuò vinculo obligationis tradere; multò magis poterit Deus poteſtatem corporis vnius eodem modo alteri tradere, etiam ipſis inuitis; ita vt per vinculum obligationis non minùs vera ſit inter illos maritalis coniunctio, quàm ſi ipſimet eam poteſtatem ſuorum corporum ſibi mutuò tradidiſſent.

Accedit, quòd non prorſus improbabiliter Victoria loco citato opinatur, Deum aliquando id feciſſe: nempe in coniugio ipſius Adæ & Euæ, Geneſ. 2. & item in coniugio Oſeæ & mulieris fornicariæ, Oſeæ 1. cum Scriptura non cõmemoret illos ipſos in coniugium conſenſiſſe. Quod ſi ita eſt, certè poterit id Deus facere, quãdoquidem iam aliquando fecit.

Verùm non eſt opus vti hoc argumento ex *facto*. Nam vt rectè ſentit Sotus vbi ſuprà, longè probabilius eſt, Deum, qui diſponit omnia ſuauiter, Adæ & Euæ, atque etiam Oſeæ & mulieri fornicariæ, inſpiraſſe, vt in Matrimonij vinculum conſentirent. Quod profectò Scriptura ipſa licet non expreſsis verbis declaret, tamen aliquo modo indicat. Nam cùm ad Oſeam dicit Deus: *Vade*, SVME *tibi vxorem fornicationum*; non obſcurè ſignificat Oſeam ipſum debuiſſe ſibi ſumere vxorem, modo, quo id ordinariè fieri conſueuit, ſcilicet per vtriuſq; conſenſum. Item cum Adam ex inſpiratione diuina amorem ſuum erga vxorem illis verbis teſtatus eſt: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c.* vtrumque etiam ex inſpiratione diuina in ſe mutuò conſenſiſſe ſignificauit. Vt maximè concedamus Victoriæ, non per hęc ipſa verba Adamum in Matrimonium cõſenſiſſe, ſed declaraſſe Matrimonium iam facti effectum.

Neq; obſtat illud teſtimonium Chriſti, quod Victoria pro ſua opinione citat: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, Matth. 19. Reſpondemus

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim, Deum coniunxisse; sed vt caussam superiorem, concurrente etiam Adæ & Euæ consensu, tanquam caussa Matrimonij proxima. Satis ergo sint pro fundamento PRIMAE assertionis illa duo priora argumenta.

SECVNDA verò Assertio probatur PRIMO, quia secundùm legem Dei ordinariam eo modo debet Matrimonium iniri, qui necessarius est, vt mutua charitas atque beneuolentia coniugum ad finem coniugij tam necessaria coalescere & in illa Matrimonij perpetuitate consistere possit. At hic modus est, vt ipsi coniuges in vinculum illud obligationis maritalis consenserint. Ergo necessarius est secundùm legem ordinariam hic consensus.

SECVNDO, quia in omni genere videmus, secundùm legem ordinariam Dei, vt aliquis effectus contingat, requiri etiam concursum caussæ proximæ ad illum effectum ordinatæ: siquidem Deus *disponit omnia suauiter*, Sapient. 8. At consensus humanus est caussa proxima per se ordinata illius vinculi & obligationis maritalis, sicut & aliarum obligationum vnius hominis ad alterum, quæ oriri possunt & solent ex quibusdam pactis humanis. Ergo necessarius est secundùm legem Dei ordinariam ille consensus.

Atque ex his ipsis fundamentis patet illud, quod in hac secunda assertione adiunximus, nõ posse per vllam auctoritatem *humanam* suppleri illum consensum. *Primò*, quia quæ sunt necessaria secundùm legem Dei ordinariam, nõ sunt in potestate vllius auctoritatis humanæ; nisi in casu aliquo Deus peculiari reuelatione seu inspiratione potestatem in eo genere faceret. *Secundò*, quia nunquam Ecclesia, cuius summa post Christum auctoritas est, tali potestate vsa est, etiamsi sæpe fortasis magnum Ecclesiæ emolumentum extitisset ex aliquorum Matrimonio, qui contrahere non voluerunt. Quod argumento est eam potestatem non esse vllius auctoritatis humanæ.

Adde quòd contrà potiùs Ecclesia diligenter cauet, ne vlli in iudicio Ecclesiastico inuiti cogantur Matrimonium inire, etiamsi ex vi spõsalium & iuramento præstito ad id se obligauerint: vt patet ex Lucio III. in cap. *Requisiuit*, Extra de Sponsalibus. Signum igitur id est, Ecclesiam non ea pollere auctoritate, vt possit Matrimonium inter aliquos absq; ipsorum consensu stabilire: quemadmodum optimè hinc deducit Couarruuias in Epitome lib. 4. part. 1. capite 4. num. 4.

Ad argumenta autem varia, quæ possent OBIICI ad probandum esse præditam Ecclesiam ea potestate, facillimum est respondere animaduerso discrimine, quod est in proposito inter auctoritatem diuinam & humanam. Deus enim habet in potestate sua non modò corpora & facultates hominum, sed ipsa etiam corda. Quamobrem etiamsi aliquos ipse principio inuitos Matrimonio coniungeret, tamen potest illis deinde eam mentem dare, vt facilè postea & libentes in Matrimonij iam constituti vinculum consentiant, & beneuolentiâ eâ, quę ad eius finem necessaria est, in eo vinculo & consuetudine vitæ perpetuò maneant. Nulla autem humana auctoritas perinde habet potestatem in hominum corda, licet habeat quandoque in eorum corpora & fortunas, atque adeò possit aliquando & vita & bonis inuitos priuare. Quare non potest vlla humana auctoritas Matrimonia sine consensu ipsorum coniugum constituere. Faceret enim tunc aliquid, quod ex se obstaret fini Matrimonij: neque tamen alioqui posset ipsa huic incommodo efficaciter occurrere, sicut Deus potest.

PVNCTVM SECVNDVM.

An sit necessarius consensus omnino liber.

D. Thom. q. 47. art. 3. & 4. & q. 51. & 52.

DVAS quoque hac de re ponam assertiones. PRIMA. Consensum ad Matrimonium requisitum liberum oportet esse, id est, à ratione DELIBERATA profectum. Est certa sine cõtrouersia. Nam alioqui consensus non induceret obligationem, cùm hæc sit in cõtractibus effectus quidam deliberatæ rationis ipsorũ contrahentium.

Ex hac autem assertione sequitur PRIMO, amentes vel ebrios, tempore, quo carent vsu rationis, minimè posse validũ Matrimonium contrahere: vt notat Nauarrus in Man. cap. 27. n. 29. & latiùs persequitur Couarruuias in Epitome lib. 4. Decret. part. 2. cap. 2. num. 2. & seqq.

SECVNDO sequitur, inualidum esse Matrimonium contractum ex errore circa personam quoad eius *substantiam*, vel etiam quoad conditionem *seruilem*. Ita notãt omnes Doctores cum Magistro in 4. dist. 30. & hîc D. Thomas quæst. 51. & 52. & patet in Decretis 29. quæst. 2. can. Si quis ingenuus, & seq. Ac ratio est manifesta ex assertione posita. Nam consensus in Matrimonium cum tali persona non est liber: siquidem non procedit ex deliberatæ rationis iudicio, quòd cum tali persona contrahendum sit. Volebas enim contrahere non cum hac persona, sed cum alia: Vel cum hac vt esset tibi æquo iure ad debitum coniugale obligata: quod non potest fieri, si est conditionis *seruilis*, quippe cùm teneatur etiam inseruire suo Domino.

Secus si error esset non circa personæ substantiam, sed tantùm circa *qualitates* alias, vt probitatem, diuitias, &c. Nam tunc liber nihilominus est cõsensus circa id quidem, quod est per se obiectum cõtractus Matrimonij, nempe circa personæ substantiã, vt est libera & expedita ad præstanda vicissim officia coniugalia.

Ex quo

Ex quo fundamento bene perspecto facilè poterit in hoc genere iudicari de variis casibus particularibus, de quibus & aliis quibusdam circa hoc, quæ ex iuris etiam dispositione pendẽt, differit perspicuè Nauarrus in Manual. cap. 22. nu. 32. cum aliquot seqq. & Couarruuias in Epitome libri 4. part. 2. cap. 3. num. 1. & aliquot sequent.

SECVNDA assertio. Non satis ad Matrimonium est consensus vtcunque liber absolutè & simpliciter, sed necesse etiam est, vt non sit *secundùm quid* coactus (vt Doctores loquuntur) *ex metu cadente in constantem virum*. Ita notant omnes Doctores in quarto, distinct. 29. & Diuus Thomas hîc quæst. 47. articulo tertio & quarto. Nauarrus in Manuali, cap. 22. num. 50. & seqq. Couarruuias in dicto capitulo 3. §. 4. & 5. & patet ex cap. *Cùm locum*. & cap. *Veniens* 2. Extra de sponsalibus. & cap. *Significauit*, Extra de eo, qui duxit in Matrimonium quam polluit per adulterium.

Etsi enim talis consensus simpliciter & absolutè est liber, ideoque attendendo solum ad ius naturale & diuinum sufficere posset ad Matrimonium; tamen vt commodius postea possint onera Matrimonij portari, & ad coërcendam hominum audaciam in inferendis hoc in genere tam atrocibus & violentis iniuriis, Ecclesia requirit in Matrimonij consensu pleniorem libertatem, & auctoritate sua reddit illegitimum eum consensum, qui sit tali metu extortus. Quẽadmodum etiam ob alia impedimenta facit & potest facere irritos consensus quarundam personarum ad Matrimonia illegitimarum: vt infrà quæst. 5. defendemus.

Ita hanc assertionem explicat Richardus in quarto, distinct. 29. articulo primo, quæstione prima. Durandus eadem distinct. quæst. 2. Paludanus ibidem quæst. 1. artic. 3. Maior ibidem quæst. 1. Sotus similiter quæst. 1. art. 2. Nauarrus in Manual. cap. 22. num. 50. in fine. Quorum sentẽtiam probabiliorem existimo, quàm aliorum quorundam, qui censent iure etiam *naturali* Matrimonium ex tali metu contractum, esse irritũ: quod sentit Scotus distin. 29. quæst. 1. & vt videtur etiam Diuus Thomas hic quæst. 47. artic. 3. quos sequitur Couarruuias in Epitome part. 2. cap. 3. num. 6. sed sine firmo fundamento. Procedit autem hæc assertio, etiamsi iuramentum simul ad confirmandum consensum fuerit tali metu extortum: vt ex communi & recepta doctrina notat Sotus distinct. 29. quæstione prima, articulo tertio, & Couarruuias dicto cap. 3. §. 5. num. 3.

Quis autem dicatur METVS *cadens in constantem virum*, pulchrè explicat D. Thomas quæst. 47. articulo secundo, quem Nauarrus & Couarruuias, & alij Doctores communiter in hac explicatione sequuntur. Is enim metus in virum cõstantem cadere censetur, quo circumstantiis omnibus ipsius personæ & negotij consideratis, meritò prudens moueri potest ad aliquid faciendum, quod alioqui nollet. Id quod tunc accidit, quando id quod est reuera minus malum & incommodum eligitur ad euitandum maius malum, cuius metus incutitur propriè ad eum finem, vt illud quod minus malum est fiat. Vt si quis, verbi gratia, exponit pecuniam ad effugiendam mortem. Cuius metum incutit illi latro, vt pecuniam extorqueat. Item in nostro proposito, si quis in Matrimonium cum ea, cum qua alioqui nollet consentiat ad effugiendam mortem, aut infamiam, aut mutilationem, aut alterius grauis eiusmodi mali, cuius metus incutitur, vt consensus in illud Matrimonium extorqueatur. Minus enim malum & incommodum est Matrimonij iugum cum ea etiam, quã nolles, quàm mors, aut infamia, aut mutilatio, aut seruitus, aut etiam expoliatio omnium bonorum, aut aliquid eiusmodi. Qua quidem in re iudicio prudentis standum est, præsertim iudicis, aut confessarij, vt attigit Nauarrus cap. 32. num. 51.

Ex hac autem declaratione sequitur PRIMO, quisnam contrà dicatur *metus leuis*, non cadens in constantem virum, atque adeò minimè reddens consensum Matrimonij illegitimum. Est enim leuis metus ille, ex quo circumstantiis omnibus consideratis maius malum eligitur ad effugiendum id quod est minus.

SECVNDO sequitur, nunquam posse eligi peccatum mortale, aut etiam veniale, ex metu cadente in constantem virum, quantumuis maximi mali temporalis metus ad extorquendum tale peccatum incussus sit. Patet, quia malum culpæ, etiam venialis, maius est omni malo temporali, quantumlibet magno. Quare si quis ob metum alicuius omnino mali temporalis, eligat aliquod peccatum facere; hoc ipso non est constans vir, atque adeò nec ille metus in constantem virum cadit.

Sotus tamen distinct. 29. quæstione prima, articulo tertio dicit, veniale peccatum posse fieri ex metu cadente in constantem virum. Sed caret fundamento. Et contrarium, quod iam nos diximus, est omnino tenendum. Quod etiam asserit Couarruuias vbi suprà, capite tertio, §. quarto, numero tertio. Nauarrus capite vigesimo secundo, num. 51. & est communis sententia.

TERTIO sequitur, validum fore Matrimonium, si quis ex metu cadente in constantem virum, in Matrimonium consentiat, quando ille metus non est ab *extrinseco* incussus propriè ad eum finem, vt Matrimonium ineatur, sed aliam ob caussam contingit. Exempli caussâ, in aliquibus locis moris esse dicitur, vt si condemnatus ad mortem velit ducere in vxorem aliquam meretricem, vita donetur.

Dicimus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dicimus in eo caſu validum fore tale Matrimonium, ſi quis ex metu mortis, cui adiudicatus eſt, illud velit contrahere. Et ratio eſt clara, quoniam talis metus non eſt ei ab *extrinſeco* iniectus, vt tale Matrimonium ineat; id quod eſt neceſſarium, vt conſenſus cenſeatur per metum extortus: quemadmodum rectè præ cæteris Sotus diſt. 29. quæſt. 1. artic. 3. notauit. Atque hinc poſſunt ſimiliter diiudicari multi caſus particulares in hoc ipſo genere.

Quarto ſequitur, ſi quis metu mortis, vel alterius grauiſſimi mali adigatur, non modò vt in Matrimonium conſentiat, ſed etiam vt illud per copulam cõſummet; inualidum nihilominus fore illud Matrimonium. Ratio eſt, quia conſenſus fuit inualidus, hoc ipſo, ꝙ tali metu extortus eſt, & deficiente valido conſenſu nihil per ſe operatur copula ad Matrimonij valorem. Ita ſecundùm communiorem ſententiam reſoluit hoc rectè Nauarrus in Manual. cap. 22. nu. 51. qui etiam bene admonet, talem metum incuſſum ad extorquendam copulam non poſſe cenſeri cadentem in cõſtantem virum: quandoquidem illa copula eſt peccatum mortale, cùm ſit ſine idoneo cõſenſu ad Matrimonium. Et ita maius malum eligitur tunc ad euitandum minus: quod non eſt prudentis & conſtantis viri.

Sed Obiiciet hîc aliquis *Primò* hoc modo: Conſenſus etiam in Matrimonium, quando metu mortis extorquetur, eſt peccatum mortale. Ergo neq; ipſe poteſt cenſeri extortus ex metu cadente in conſtantem virum, atque ita non erit ad Matrimonium illegitimus. Probatur Antecedens: Quia peccatum mortale eſt reddere inualidam & inefficacem formam alicuius Sacramenti. At hoc fieri videtur per illum conſenſum. Nam eſt ad verũ Matrimonium inualidus, vt iura decernunt: & tamen nihilominus is, qui ita conſentit, vſurpat verba exprimẽtia contractum Matrimonij; quæ verba, vt ſuprà quæſt. 1. punct. 6. docuimus, ſunt huius Sacramenti forma, atque ita reddit formam Sacramenti ineffacẽ, cùm ea ſine legitimo cõſenſu nihil valeat.

Et probatur *Secundò* alia ratione, quod talis conſenſus non extorqueatur vnquam metu cadente in conſtantem virum. Nam vt antè tradidimus, tunc aliquid ex tali metu fit, quando eligitur minus malum ad cauendum maius. At hoc minimè hîc fit. Nam cùm non ſit tunc Matrimonium validum, dici non poteſt, quod reuera tunc eligitur Matrimonium, tanquam minus incommodum & malum quàm ipſa mors, cuius metus incutitur.

Tertiò idem probatur. Nam poſſes tunc vti aliqua verborum amphibologia ſine conſenſu interno, & etiam ſine mendacio. Ergo imprudenter tunc eligis conſentire: & conſequenter non ex metu cadente in conſtantem & prudentem virum.

Respondeo ad primum argumentum, Conſenſum illum non eſſe peccatum. Nam qui ita conſentit, vel ſcit & cogitat tunc eiuſmodi conſenſum eſſe iure inualidũ ad Matrimonium, vel id neſcit, aut non cogitat. Si ſcit & cogitat; non vſurpabit tunc verba illa tanquam Sacramenti formam, ſed vt quantum eſt ex ſe declaret ſimpliciter ſe conſentire in illud, quod à ſe extorquetur: atq; ita non peccabit. Verba enim formæ Sacramenti alicuius inualidè vſurpare, tunc ſolum peccatum eſt, quãdo ex certa intentione vſurpantur alioqui vt forma, ſecus ſi alia ratione vſurpẽtur. Non enim eſt peccatũ, ineffi caciter quod ad conſecrationem attinet vſurpare illa verba, Hoc eſt corpus meum, quando non ad conſecrandum, ſed ad alium finem commemorantur, vt iam etiam illa rem hanc explicandi causâ commemoramus. Si autem quis neſcit conſenſum illum eſſe inualidũ; aut etiamſi ſciat, tamen tunc de ea re non cogitat; ea ignorãtia, vel incogitantia illum excuſabit tunc à peccato. Nam in tanta perturbatione animi & imminente tali periculo, communiter erit incogitantia inuincibilis in illo caſu, ſiue alioqui diſpoſitio illa iuris ſciatur, ſiue ignoretur quomodocunque.

Ad *Secundum* argumentum reſpondeo, ſatis eſſe, quòd *quãtum eſt in ſe*, eligit tunc aliquis Matrimonium, atque adeò id quod per ſe eſt minus malum.

Ad *Tertium* reſpõdeo, quòd quamuis amphibologia quoq; eſſet medium ordinatum ad euitandum malum, cuius metus incutitur, & ideo etiam amphibologia poſſet tunc ad eum finem prudenter eligi; tamen prudenter etiam ad eum ipſum finem eligit tũc aliquis in Matrimonium conſentire, quantum eſt in ſe: ſiquidem & hoc item eſt medium ad eum ipſum finem accommodatum in illo caſu. Cùm enim plura media ad finem aliquem accommodata ſunt; quodlibet illorum poteſt eligi à prudenti.

Atque horum trium argumentorũ explicationes diligenter hoc loco notandæ ſunt ad fugiendos labyrinthos quarundam diſputationũ, quibus hîc aliqui nimis implicantur, & nominatim Sotus d. 29. quæſt. 1. art. 3.

Eſt prẽterea circa hanc aſſertionem notandũ, Eccleſiam aliquando poſſe præſumere liberum poſtea acceſsiſſe conſenſum, non obſtante metu, quo prius fuerit contractum Matrimonium. Vt ſi longo tempore poſtea cohabitent, qui ſic contraxerunt: ſicut explicat Couarruuias in Epitome lib. 4. part. 2. cap. 3. §. 6. Vbi etiam rectè docet, ex ſolo metu *reuerentiali* erga parentes aut Prælatos, non reddi inualidum Matrimonium, niſi cum eo metu ſit etiam coniunctus metus cadens in conſtantem virum, id eſt, alicuius grauis mali, quod parens aut Prælatus alioqui minetur, & putetur executurus.

PVNCTVM

PVNCTVM TERTIVM.

An ſit neceſſarius conſenſus Abſolutus.

D. Thom. quæſt. 47. art. 5.

Vt Matrimonium de *præſenti* ſit validum, neceſſe etiam eſt, vt conſenſus in illud ſit Absolvtvs ſine conditione; vel certè non ſub conditione pendente ex *futuro*, ſed quæ ipſo tempore contractus de præſenti verificetur. Vt ſi dicas, Duco te in vxorem, ſi tuus pater eſt mortuus. Alioqui pendebit obligatio contractus ex euentu futuræ conditionis, & ſic re ipſa erit tantùm contractus Sponſalium *ſub conditione*.

Niſi fortè conditio de futuro ſit *neceſſaria*, aut *impoſſibilis*, aut *turpis*. Vt ſi dicas, Duco te in vxorem, ſi ſol cras orietur; aut ſi cœlum digito contigeris; aut ſi tuum parentem occideris. Quia in his caſibus validum nihilominus Matrimonium de præſenti iure præſumitur, neque eſt expectanda aut implenda eiuſmodi aliqua conditio.

Si autem apponatur conditio de futuro, quæ ſit contra ſubſtantiam obligationis ipſius Matrimonij: neque Matrimonium erit, neque contractus Sponſalium. Vt ſi dicas, Duco te in vxorem, ſi prolis generationem maleficio impedieris; (quæ conditio eſt contra bonum prolis Matrimonij) vel ſi adulterio victum pro familia quæſieris, (quæ eſt conditio contra bonum fidei) vel ſi aliam non inuenero meliorem, cum qua poſtea contraham: in his enim caſibus nulla prorſus obligatio naſcitur ex contractu, id eſt, neque obligatio Sponſalium, neque Matrimonij.

Hanc doctrinam quoad omnes ſuas partes latè confirmat ſecundùm communem & receptam doctrinam Couarruuias in Epitome libri quarti Decretal. capite tertio, in principio, & etiam ibi §. 1. 2. & 3. & Sotus diſtinct. 29. quæſtione ſecunda, per totam. & Nauarrus cap. 22. numero 62. Et eius etiam fundamenta breuiter monſtrauit Diuus Thomas quæſt. 47. artic. 5. Sed tamen ad maiorem huius aſſertionis explicationem quædam dubitationes hoc loco expediendæ ſunt.

Prima Dubitatio eſt, Vtrum impleta conditione *de futuro*, ſub qua aliqui *de præſenti* contraxerint, incipiat eſſe ſtatim validum Matrimonium ſine nouo conſenſu & verbis, aut ſignis contrahentium. Affirmat enim Panormitanus in cap. *De illis.* extra de Conditionibus appoſitis, & communiter alij Canoniſtæ, quorum opinionem ex Theologis ſequitur etiam Paludanus in 4. diſtin. 29. quæſt. 2. art. 5. in fine. Ac probant: Quoniam alij contractus adueniente conditione valent ſine nouo conſenſu. Ergo etiam Matrimonium.

Sed contraria ſententia eſt vera & communis Theologorum in 4. diſtin. 29. quam optimè confirmat Franciſcus Victoria in Relectione de Matrimonio, parte prima, puncto ſecundo, & Sotus diſtinct. 29. quæſt. 2. artic. 1. poſt Adrianum in 4. quæſt. 3. de Matrimonio. §. *Sed ſalua reuerentia.* vbi Paludanum confutat. Et eam etiam amplectitur ex Canoniſtis Couarruuias in Epitome lib. 4. par. 2. cap. 3. num. 5.

Et præcipuum fundamentum huius ſententiæ eſt, quod niſi conſenſus repetatur, nullus cõſenſus mutuus de præſenti viri & fœminæ aſſignari poterit, qui ſit verum Sacramentum Matrimonij. Nam primus ille cum penderet ex euentu *futuro*, non habuit de præſenti ſuam vim, quoad effectum obligationis mutuæ, ſine qua non eſt verum Matrimonium; atque ita non fuit ſufficiẽs ad Matrimonium niſi de nouo accedat alius conſenſus de præſenti, vt manifeſtè etiam colligitur ex Alexandro III. in dicto cap. *De illis*, & ex Vrbano III. in cap. *Super eo*, & Innocentio III. cap. *Per tuas*, eodem titulo de Conditionibus appoſitis: ſed tantùm conſenſus ille primus habet vim Sponſalium, etiam poſt impletam conditionem, vt rectè docent Victoria, & Sotus locis citatis.

Ad argumentum autem Canoniſtarum reſpondeo, nec alios etiam contractus *de præſenti*, adueniente conditione effici validos in ipſa *ſua ſpecie* niſi repetantur, ſed tantùm cõfirmari tunc promiſsionem de effectu talium contractuum, quæ fuerat incluſa in verbis de præſenti pendentibus ex futura conditione: Exempli cauſſa, ſi dicas, Emo à te domũ, ſi pecunia mihi allata fuerit ex India; non eſt vera emptio, nec fit verus contractus emptionis, etiam tunc cum impletur cõditio, ſed eſt promiſsio de emptione, quæ poſtea confirmatur conditione adueniente. Vt autem efficiatur emptio *de præſenti*, neceſſe eſt tunc repetere cõtractum. Quare cùm dicitur talis contractus emptionis conditionatæ valere poſtea ſimul atque conditio impletur; non debet hoc ita intelligi, quaſi abſque alia repetitione tunc valeat tanquam verus *emptionis* contractus, ſed dicitur valere quoad *effectum* quidem emptionis; quia ſcilicet per Leges, & per Magiſtratus auctoritatem ij, qui ſic contraxerunt, compelli poſſunt ad id ipſum præſtandum ex antecedenti illa promiſsione, quod ex vi alioqui emptionis præſtari ſimiliter deberet, nempe vt ipſammet emptionem & venditionem actu exequantur. Cæterùm huiuſmodi compulſio in contractu Matrimonij ſub conditione de futuro initi, non habet locum, etiamſi conditio impleatur; cùm nemo poſsit ad contrahendum Matrimonium cogi, vt ſuprà punct. 1. docuimus. Ita & rectè ad præcipuum hoc Canoniſtarum argumentum reſpondet Victoria vbi ſuprà.

Et notan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et notandum est, sententiam hanc communem Theologorum à fortiori esse veram casu, quo contractus matrimonialis pendens ex conditione *de futuro* fit inter personas de præsenti illegitimas ad Matrimoniũ. Vt si consanguinei in gradu prohibito, v. g. dicant se contrahere, si Pontifex cum ipsis dispensauerit. Tunc enim non solùm quia contractus ex futura conditione pendet, sed etiam quia personæ non sunt in præsentia habiles ad Matrimonium, oportet postea adueniente conditione repetere consensum, vt sit verum Matrimonium: sicut rectè Sotus, & Couarruuias locis citatis notarunt, & cõcedunt etiam ex Canonistis Panormitanus in dicto cap. *Super eo*. de Conditionibus appositis, & alij quos refert Couarruuias in illo cap. 3. num. 7.

Quamuis malè quidem isti ad id confirmandum sumunt, quòd ille contractus, quando fit inter personas in præsentia inhabiles, est illicitus. Conditio enim apposita ipsum purificat, vt possit habere vim *sponsalium*, seu (quod idem est) vim contractus Matrimonialis *de futuro* sub illa scilicet conditione: vt rectè Couarruuias aduersus illos auctores ostendit.

Secvnda dubitatio est; Quid sit causæ, quamobrem *conditio* Impossibilis aut Tvrpis, quæ tamen non sit contra substantiam Matrimonij, minimè impediat veritatem contractus Matrimonij, sed habeatur pro non adiecta? Ratio enim dubitandi est, quia qui turpem aut impossibilem conditionem apponit, non videtur in Matrimonium cõsentire nisi sub tali conditione. Igitur eiusmodi conditione nõ impleta, deest consensus: & cõsequenter cùm per nullam auctoritatem humanam possit fieri ratum Matrimonium absq; consensu; videtur tale Matrimonium omnino esse nullum.

Ex altera verò parte habemus expressam determinationem Gregorij IX. in cap. vlt. *Si conditiones*, extra de Conditionibus appositis, vbi ait, quòd conditiones *turpes* vel *impossibiles* debent haberi *pro non adiectis* propter fauorem, inquit, Matrimonij. Quod si dicas, Pontificem tantummodò velle, vt qui sub tali aliqua conditione contrahit, *præsumatur* non ex animo eiusmodi conditionem addidisse, sed absolutè contraxisse; hoc ipsum videtur præsumendum nihil serio voluisse facere eum, qui dixit, Contraho tecum, si cœlum digito attigeris.

In hac expedienda Difficvltate pleriq; Doctores perplexi hærent. Durandus in 4. dist. 29. quæst. 4. dicit, se relinquere peritioribus hãc rem explicandam. Paludanus ead. dist. quæst. 2. art. 5. concluſ. 5. ait hoc Gregorij decretum satis esse mirabile. Sotus ead. dist. quæst. 2. art. 2. fatetur nihil se hac de re certò compertum legisse. Couarruuias in Epitome part. 2. cap. 3. §. 2. nu. 9. etiam ait mirum sibi videri, cur Matrimonium sub conditione impossibili contractum valeat: & addit sensum illius decreti Gregorij esse mirè reconditum.

Sed vera resolutio huius difficultatis, & ex mente ferè omnium Doctorum istorum, petenda est ex certo quodam fundamento, quod breuiter ponit Nauarrus cap. 22. num. *66*. vbi verissimè ait, in nullo casu contrahi verum Matrimonium in foro *conscientiæ coram Deo* absque conditione, quæ fuit apposita, si verè fuit animus, non nisi sub ea conditione contrahere. Nam non adimpleta tali conditione (qualiscunque ea sit) planè deest consensus sine quo nullum est coram Deo Matrimonium. Quod cùm ita sit; necesse est Decretum illud Gregorij intelligere tantummodò secundùm *præsumptionem*, & quoad Ecclesiam; vt etiam docet Couarruuias in dicto §. 2. num. 4. & 9. post Paludanum vbi suprà, & Adrianum in 4. quæst. 7. (seu dubio 7.) de Matrimonio, & Ioannem Medinam quæst. 23. de Contractibus.

Ad id verò, quod Obiiciebamvs, potiùs in tali casu *præsumi* debere, quòd non animo serio Matrimonium fuerit contractum; nihil video satis firmiter à Doctoribus responderi. Mihi tamen occurrit dicendum, quòd si tantùm conditio apposita *impossibilis* aut *turpis* consideretur; meritò posset præsumi in tali contractu defuisse serium animum. Sed est habenda in hac re alia quædam cõsideratio propter quam quoque *præsumi* potest (vt dictum est) adfuisse tunc consensum serium & absolutum, nec dependentem ab adiecta conditione.

Ea consideratio est, quòd qui apposita etiam conditione turpi vel impossibili, cum aliqua persona contrahit, non solet idipsum in vanum & otiosè facere, sed vt expectationi & desiderio personæ satisfacere videatur: Nullo autem modo satisfacere videretur, si ex animo vellet contractum Matrimonij ex conditione pendere, quæ vel omnino impleri non potest, vel non sine peccato. Non enim esset putandum, quòd altera persona alioqui prudens talem conditionem admitteret; & sic minimè illi ea ratione satisfieret. Quoniam igitur animus in eiusmodi contractibus esse solet, voto alterius personæ contrahentis facere satis; meritò *præsumi* potest non seriò adiungi eiusmodi conditiones, quæ si seriò adiicerentur, minimè vt dictum est, alteri contrahenti satisfieret.

Iam verò, cùm ex vna parte præsumi possit in tali casu deesse serium consensum, si videlicet tantummodò conditio impossibilis vel turpis consideretur, vt dixi; & ex alia parte respiciendo *ad finem* contrahendi, qui moraliter loquendo solet esse, alteri contrahenti satisfacere, prudenter *præsumi* possit adesse tunc serium & absolutum consensum non pendentem

ex adie-

ex adiecta conditione; rectè potuit statuere Pontifex Gregorius IX. vt propter *fauorem causæ matrimonialis*, adesse potiùs consensum absolutum, ob rationem iam dictam, quàm non adesse, præsumeretur.

Quod si fortè ex aliis circumstantiis aliquando appareret, totam eiusmodi actionem fuisse institutam iocosè & ludicrè; non dubium est, quin Matrimonium esset habendum pro inualido. Solum enim vult Pontifex, vt ex ipsa quidem conditione *impossibili* vel *turpi* adiecta, non fiat iudicium, quòd Matrimonium fuerit inualidum, sed potiùs contrarium præsumatur; nisi aliundè aliquid manifestè obstet: vt bene hoc attigit Sotus loco citato. Hæc mihi videtur non incommoda huius difficultatis explicatio.

Tertia Dubitatio est, quare Matrimonium sub *conditione* necessaria, non conditionale, sed *absolutum* censeatur, vt in assertione posuimus, & docet D. Thomas quæst. 47. articulo quinto, & Hostiensis, & Panormitanus in cap. *Per tuas*. Extra de Conditionibus appositis, & Theologi communiter in quarto, distinct. 29. Ratio verò dubitandi est, quòd qui sub necessaria conditione contrahit, vt si cras sol oriatur, non aliter videtur in Matrimonium consentire, nisi adueniente illa conditione.

Respondeo sicut ad præcedentem dubitationem: nimirum id intelligi oportere secundùm *præsumptionem*. Nam cùm huiusmodi conditiones necessariò euenituræ sint, & sint iam certò in suis naturalibus causis; non est putandum, personam prudentem velle actum vsque ad eiusmodi conditiones suspendere, quasi incertus esset illarum euentus. In foro tamen conscientiæ, si quis animum habuisset expectandi euentum talium conditionum, quantumuis alioqui certum; non esset illud Matrimonium de præsenti iudicandum, vt bene notat Nauarrus, capite vigesimo secundo, numero 67.

Qvarta Dubitatio est, cur conditiones, quæ sunt contra *substantiam* obligationis Matrimonij, reddant illud penitùs irritum: vt ex communi sententia dictum est in assertione, & est declaratum à Gregorio IX. in dicto capitulo vltimo, de conditionibus appositis. Est enim ratio in contrarium dubitandi. Nam possunt contrahentes velle se *obligare* ad id, quod leges alioqui Matrimonij requirunt, & tamen nolle illud implere, sed potiùs velle facere contra obligationem Matrimonij, & de hoc ipso in contractu apponere conditionem: quo casu ipsa obligatio conditionalis salua manet etiamsi contra eam apposita sit conditio. Vt verbi gratia, possunt se velle *obligare* ad procurandum ex Matrimonio bonum prolis, & tamen simul nolle obligare se ad hoc nisi posita conditione contraria huic ipsi obligationi, nempe vt bonum prolis per maleficium impediatur. Item possunt se velle *obligare* ad fidem mutuam seruandam, & tamen sub conditione, vt eam sibi non seruent, sed faciant contra eam ipsam obligationem & adulterent. Sic etiam possunt velle se *obligare* ad indissolubilitatem, & tamen sub conditione, vt faciant contra hanc ipsam obligationem, si opportunitatem commodioris coniugij nacti fuerint. In summa, sicut potest aliquis esse *obligatus* ad aliquid faciendum, & tamen facere *contra* eam ipsam obligationem, vt quotidie videmus in præuaricatoribus legum diuinarum & humanarum; ita etiam potest velle se *obligare* ad aliquid, & tamen simul velle facere *contrarium*, & consequenter id ipsum ex peruersitate quadam voluntatis ponere sub conditione ipsius obligationis. Obligatio enim, & quod fit contra obligationem, simul possunt stare.

Quod si dicas, Ecclesiam auctoritate sua irritare eiusmodi contractus, etiamsi alioqui sub illis conditionibus habere possent vim obligandi de futuro; cõtra hoc est, quod Gregorius IX. in dicto capitulo vltimo, non videtur aliquid de hoc statuere, sed tantùm declarare, quòd ex natura rei tales contractus sint inualidi. Ait enim ita: *Si conditiones contra substantiam coniugij inserantur, Matrimonialis contractus quantumcunque sit fauorabilis caret effectu.* Et ponit ibi eadem exempla, quę nos, videlicet in illis casibus, in quibus adiiciuntur conditiones cõtra bonum prolis, aut fidei, aut Sacramenti.

Ad hanc Difficvltatem nihil satis directè video dici à Doctoribus. Est tamen ex illorum mente respondendum, contractum Matrimonij cum eiusmodi conditionibus dupliciter posse considerari. Vno modo, vt ex *natura rei* & quasi metaphysicè posset iniri. Altero modo, vt solet iniri *moraliter* & ordinario modo. Priori modo bene probat argumentum factum posse contractum Matrimonij habere vim obligandi de futuro, tanquam sponsalia, etiamsi adiiciantur illæ conditiones contra obligationem Matrimonij. Posteriori autẽ modo non item.

Nam *moraliter & ordinariè*, qui illas conditiones principio apponunt, non habent animum obligandi se ad contrarium illarum: & sic errant in ipso modo & substantia contractus. Ac tunc demùm illæ conditiones verè dici possunt contra *substantiam* ipsius Matrimonij: & consequenter etiam contra substantiam obligationis de futuro ad Matrimonium. Gregorius autem Nonus eiusmodi contractus considerauit, vt fieri solent morali & ordinario modo: atque ita rectè declarauit eos esse inualidos.

Est etiam aliud quiddam Notandvm circa has conditiones, quæ dicuntur *contra substantiam* Matrimonij; illas nimirum duplicis generis

esse. QVAEDAM sunt tales, vt possint executioni mandari ante Matrimonium absolutè & de præsenti contractum: cuiusmodi conditio est illa, quæ his verbis explicaretur, Contraho tecum, si maleficio sterilitatem procuraueris. Executio enim huius conditionis non supponit necessariò Matrimonium iam contractum de præsenti, siquidem ante quàm contrahatur potest mulier sterilitatem procurare.

ALIAE verò conditiones sunt tales, vt earum executio necessariò præsupponat iam ante esse Matrimonium *absolutè & de præsenti* contractum: Cuiusmodi conditio est illa, Contraho tecum, si ex adulterio victum pro familia quæsueris. Adulterium enim præsupponit iam Matrimonium, cùm sit contra Matrimonij fidem. Item illa; Contraho tecum, si postea non inuenero aliam meliorem, cum qua *te relicta* cõtraham. Nam & hîc etiam euentus conditionis, qui expectatur, præsupponit (vt patet) Matrimonium esse contractum cum prima.

Iam quando conditio apposita contra substantiam Matrimonij est PRIORIS generis; vno solo nomine contractus est inualidus: nempe, quia sit tunc contra substantiam contractus, id est, quia deest animus obligandi se ad id, quod est de substantia obligationis matrimonialis, tum de præsenti, tum etiam de futuro, vt paulò antè explicauimus secundùm id, quod ordinariè & moraliter in hoc genere solet accidere.

Quando autem conditio contra substantiam Matrimonij apposita, est SECVNDI generis; tunc si verè & propriè vt *conditio* apposita est, ita scilicet, vt vsque ad ipsius euentum suspendat actum; duplici nomine Contractus est nullus. Primò, quia deest substantia contractus matrimonialis, vt iam dictum est. Secundò, quia inuoluitur ex errore in ipso modo contrahendi quædam repugnantia. Nam hoc ipso, quòd sub tali conditione aliqui contrahunt; volunt suspendere contractus obligationem vsque ad euentum illius conditionis, ita vt ante illum non sit verum Matrimonium: Et ex altera parte cùm talis conditio suapte ratione præsupponat iam contractum Matrimonium; hoc ipso quod volunt eiusmodi cõditionem euenire, volunt etiam, vt ante eius euentum Matrimonium sit ratum. Atque ita cùm ex errore (vt dixi) habeant repugnantes voluntates; nihil omnino faciunt.

Et loquor iam, quando apponitur talis conditio de futuro propriè vt *conditio* (quemadmodum dixi) ita scilicet, vt suspendat actum, sicut ante monui. Nam si conditio præsupponens iam ratum Matrimonium nõ apponeretur propriè suspensiuè vt cõditio, sed tantùm vt quoddam pactum ipsius contractus; tunc contractus Matrimonialis adiecta eiusmodi cõditione tantummodò esset inualidus priori illo nomine. Nam non esset tunc aliqua repugnantia in contrahentium voluntatibus.

Quod vt melius intelligatur, sciendum est, quandoque aliquid adiici in contractu, quod videtur conditio, & tamen non est, sed *modus* vel *demonstratio*, vel *causa*, vt loquuntur Iuristæ, & notat ex illorum sententia Nauarrus in Manuali, capite 22. num. 62. *Modus* est, vt si dicas, Contraho tecum, VT *meum parentem sustentes*, vel VT hoc, aut illud facias. *Demonstratio* est, si dicas, Contraho tecum, QVAE *es diues*. Causa, si dicas, Contraho tecum, QVIA hoc vel illud feceris.

Quæ tria, vt bene notat Nauarrus, quamuis non suspendunt actum, sicut facit *conditio* propriè dicta, tamen reddunt eum nullum, quando sunt cõtra substantiam Matrimonij aliquo modo ex suprà dictis. Et nominatim, si in adiecta demonstratione implicaretur error contra *substantiam* personæ, vel secundùm conditionem *seruitutis* aut libertatis illius: iuxta dicta superius. Vt si diceres, Contraho tecum, QVAE es *libera*; cùm tamen esset serua. Vel QVAE *es primogenita*, cùm tamen esset alia.

QVARTA Dubitatio est, An si quæ conditio apponatur contra aliquod ex bonis quidem Matrimonij, (vt contra generationem prolis) sed tamen non turpis, contractus similiter reddatur nullus. Vt si alter alteri dicat, Contraho tecum, si post *coniugium* nunquam me cognoueris, &, vt hoc certiùs præstes, votum castitatis emiseris. Ratio dubitandi est, quia ex vna parte conditio hæc est honesta, cùm possit id ipsum honestè fieri à coniugibus post Matrimonium sine tali conditione contractum. Ex altera verò parte cùm talis cõditio aduersetur bono generationis prolis, videtur esse contra substantiam Matrimonij, & proinde non minùs irritum facere Matrimonium, quàm si esset conditio turpis.

AD huius dubij explicationem primò est notandum, quod si procedat de *conditione* propriè dicta, quæ scilicet vsque ad sui euentum suspendat actum, & tamen præsupponat iam Matrimonium contractum, qualis esset in proposito illa continentia post coniugium ab actu *coniugali*; sine dubio respondendum est, Matrimonium sub tali conditione honesta contractum esse nullum: quia inuoluit talis contractus repugnantiam quandam, vt paulò superiùs explicuimus. Atque idem esset dicendum, si in exemplo proposito sub *conditione suspensiua* diceret aliquis, Contraho tecum, si post contractum Matrimonium emiseris votum castitatis, &c.

Sed procedit nostra dubitatio maximè, quando talis conditio apponeretur non propriè, vt conditio suspensiua, sed vt *modus* quidam, siue vt pactum quoddam adiectum contractui. Hoc igitur modo loquendo de ea conditione, Paludanus in quarto, distinct. 30. quæstione secunda, articulo primo, conclus. 2. opinatur, Matrimonium sub eiusmodi conditione honesta esse validum, neque esse contra substantiam Matrimonij, cùm vsus ille cõiugalis non sit de Matrimonij essentia, neque omnimoda obligatio ad illum, hoc est, propinqua etiam; sed solum remota quædam, inclusa in ipsa veritate contractus, & mutua traditione potestatis corporum: siquidẽ propinqua illa obligatio potest tolli per votum castitatis à coniugibus emissum, manente inter eos vero coniugio. Et certè si tantummodò respiciamus ad modum, quo ex natura rei talis conditio apponi posset, non mihi dubium est, quin possit Matrimonium tale esse validum, atque ita defendi opinio Paludani.

Nam primùm potest Matrimonium *ex natura rei* esse validum adiecta conditione turpi contra substantiam; vt suprà dictum est. Ergo etiam adiecta conditione honesta, quantumuis esset contra substantiam. Secundò, quia re vera illa conditio non est contra obligationem essentialem & substantiam Matrimonij, vt rectè probat Paludanus: Tunc enim eo ipso esset turpis, vtpotè repugnans legi & obligationi coniugali. Tertio, quia possent contrahentes non obstante ea conditione, intentionem nihilominus habere tradendi sibi suorum corporum *potestatem* & *obligandi* se (saltem implicitè & remotè) ad actũ coniugalem, ac simul cedendi vtrinque in ea re iuri suo, & vouendi castitatem, eo modo, quo possent id velle facere post Matrimonium sine tali pacto contractum.

Cæterùm, quoniam hæc res *morali modo*, sicut ordinariè fit, æstimari debet; respondendum est ex communi aliorum Doctorum sententia, conditionem illam, moraliter loquendo, esse contra substantiam obligationis Matrimonij; ac proinde Matrimonium cum eo pacto seu conditione esse inualidum. Etenim moraliter loquendo, qui ab initio contractus habent intentionem nunquam se cognoscendi, nõ videntur vllo modo habere simul intentionem tradendi *potestatem* suorum corporum ad illum actum: & sic deest tunc aliquid de essentia obligationis matrimonialis, vt optimè censuit Richardus in quarto, distin. 28. articulo secundo, quæstione quarta ad tertium. Quanquam in beata Virgine aliquid singulare fuit, quòd verum contraxit Matrimonium, & tamen sine animo vnquam illo vtendi, vt infrà punct. 5. exponemus.

Hoc igitur modo intellectam sententiã communem, quæ est in hac re contra Paludanum, facilè amplector, quam etiam Sotus tuetur distin. 29. quæst. 2. art. 3. & Couarruuias in Epitome libri quarti, part. 2. cap. 3. §. 1. num. 3. & 4. licet non satis apertè fundamentum huius sententiæ explicent.

PVNCTVM QVARTVM.

An & quomodo sit necessarius consensus manifestus.

D. Thom. q. 45. art. 2. & 5.

RES hac de re statuam assertiones. PRIMA. Vt consensus sit ad Matrimoniũ legitimus, necesse est eum verbis aliquibus aut signis exprimi. Est certa sine cõtrouersia. Nam nisi vtrique parti constet consensus, non nascetur vtrinque obligatio: & sic non erit verè contractus humanus. Quomodo autem nihil intersit, quibus verbis aut signis consensus explicetur, docuimus suprà quæstione prima, puncto sexto, in responsione ad quartum Cani argumentum. Vbi quoq; ex communi sententia contra Caietanum asseruimus, posse verum Matrimonium, etiam vt est Sacramentum, iniri per internuncium aut per literas.

SECVNDA assertio. Vbi Decretum Concilij Tridentini, sess. 24. de Matrimonio, iuxta illius tenorem promulgatum est, præter verba aut signa, vt consensus valeat, requiritur etiam præsentia Parochi, aut alterius Sacerdotis de illius vel ordinarij licentia, & aliorum duorum vel trium testium. Hæc assertio satis patet ex ipso Concilij Decreto. Atque ex illa sequitur, quòd si Matrimonium contrahatur per nuncium aut per literas, vbi Decretum illud promulgatum est; necessarium erit, vt de consensu vtrinque per literas aut nuncium præstito testificentur duo vel tres, & Parochus vel alius Sacerdos de eius vel ordinarij licentia, iuxta tenorem prædicti decreti Concilij Tridentini.

Assertio TERTIA. Etiam vbi Decretum illud promulgatum non est, præter verba & signa, vt consensus ad Matrimonium *sine peccato* quidem præstetur, requirũtur duo vel tres testes, ex quibus in Ecclesiæ iudicio possit constare de contracto Matrimonio. Probatur, quoniam Matrimonia clandestina iam olim ab Ecclesia sunt prohibita, tum aliàs, tum maximè in Canone, *Aliter*. 30. quæstione quinta, qui Canon est Euaristi. Sunt enim multa incommoda in eiusmodi clanculariis contractibus, quæ exponit bene inter cæteros Sotus distinct. 28. quæstione prima, articulo primo, vbi rectè etiam notat, satis esse, si coram duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahatur, vt non sit clandestinum. Atque hanc etiam assertionem attigit hìc D. Thomas quæst. 45. art. 5.

Quanquam in aliquibus casibus possent aliqui propter graues causas incidentes clam cõtrahere sine peccato, vbi Decretum illud Concilij Tridentini promulgatum non est. Vt verbi gratia, si ratione coniugij possent aliqui subitum periculum mortis euadere in direptione

Universidad de Deusto
Biblioteca

alicuius ciuitatis; ita ſcilicet, vt niſi dicerent ſe eſſe coniuges occiderentur. Vel ſi concubinarij ſimile periculum effugere poſſent de repente coniuges facti. Vel ſi iniquè alioqui ab aliis, quo minus poſſent coram teſtibus contrahere, impedirentur. Vel ſi magnam coniugij opportunitatem eſſent amiſſuri expectando teſtes.

In his enim & ſimilibus caſibus verè videtur ſentire Sotus in dicta quæſtione prima, articulo ſecundo, non eſſe peccatum Matrimonium clam contrahere animo id poſtmodum euulgãdi ſuo tempore. Neque enim illa prohibitio Eccleſiaſtica cum tanto rigore obligare putanda eſt.

Denunciationes autem, quæ ante contractum Matrimonij in Eccleſia fieri debent, poſſunt iudicio Epiſcopi pro ratione circumſtantiarum omitti: vt eſt etiam declaratũ in illo decreto Concilij Tridentini.

PVNCTVM QVINTVM.

In quodnam propriè obiectum debeat ferri neceſſarius Conſenſus.

D. Thom. q. 48.

AD HOC breuiter reſpondemus, per hanc aſſertionem. Vt conſenſus ſit legitimus & ſufficiens ad Matrimonium, non eſt neceſſe illum eſſe directè de copula carnali, ſed ſatis eſt, vt feratur in traditionem *poteſtatis* corporum ad finem Matrimonij, ſaltem in confuſo cogitatum: quo ipſo *implicitè & ex conſequenti* etiam erit in copulam. Ita docet Diuus Thomas quæſt. 48. articulo primo, & ſuprà in ipſa tertia parte, quæſt. 29. articulo ſecundo, & Paludanus in quarto, diſtinct. 28. quæſtione prima, & Richardus ibi articulo ſecundo, quæſtione quarta, & alij Scholaſtici cum Magiſtro eadem diſtinct. & Sotus diſt. 27. quæſtione prima, articulo ſecundo, concluſ. 4. & Caietanus tomo ſecundo Opuſculor. quæſt. 3. de Matrimonio. Et Couarruuias in Epitome part. 3. cap. 3. in principio.

Et probatur manifeſta ratione. Nam vt Matrimonium valeat, ſatis eſt directè conſentire in ipſam eſſentiam Matrimonij. Eſſentia autem Matrimonij eſt illa coniunctio animorum per mutuam traditionem *poteſtatis* corporũ ad Matrimonij *finem*; non autem ipſa actualis copula; Cùm poſsit cõſtare Matrimonij veritas, etiamſi illa nunquam ſubſequatur.

Hinc ſequitur, conſenſum beatæ VIRGINIS in Matrimonium cum Ioſepho nihil obſtitiſſe propoſito, aut etiam voto Virginitatis, quod etiam *ante* Matrimonium habuit, vt ſtatuit certior ſententia Doctorum. Nam neque conſenſit directè & immediatè in ipſam copulam, neque ita *mediatè & indirectè in cauſſa*, vt fuerit aliquod periculum ne *re ipſa* copula ſequeretur. Quin imò conſentiens in poteſtatem matrimonialem ad illam, ſimul diuino inſtinctu & reuelatione fuit certa, nunquam futurum, vt copula ſequeretur. Conſentire autem *mediatè & in cauſſa* in id, quod alicui, vel ex lege, vel ex voto eſt illicitum, tunc eſt contra legis, aut voti obligationem, quando periculum aliquod eſt ne id, quod per legem, aut per votum eſt illicitum eueniat.

Atque hanc ob cauſſam communiter aliis, qui vouerunt virginitatem illicitum eſt Matrimonium *contrahere*, aut *velle* contrahere, quia in cauſſa tunc volunt copulam cum periculo ne fortè eueniat. Vnde HIERONYMVS in cap. 5. epiſt. 1. ad Timotheum dicit; *Vouentibus virginitatem non ſolùm nubere, ſed etiam velle nubere damnabile eſt.*

PVNCTVM SEXTVM.

An ad Matrimonium non ſolùm ipſorum contrahentium, ſed etiam parentum conſenſus neceſſarius ſit.

Ad art. 6. quæſt. 47.

HANC STATVO certam de hac re aſſertionem. Vt conſenſus in Matrimonium ſit validus & irreuocabilis, nõ eſt neceſſarius etiam conſenſus parentum: quanquam peccant filij, qui ſine eorum conſenſu expreſſo vel tacito contrahunt, quando id faciunt ſine peculiari aliqua iuſta cauſſa, vel quæ eis iuſta videatur; iuxta Nauarrum, capite decimo quarto, numero 15. & Sotum in quarto, diſtinct. 29. quæſtione prima, articulo quarto, & Tapperum artic. 20. & Euariſtum Papam in can. *Aliter.* 30. quæſt. 5.

Eſt autem hæc aſſertio definita in Concilio Tridentino, ſeſsione 24. initio Decreti de Reformatione, contra SECTARIORVM errorem, qui cenſent Matrimonia filiorum ſine parentum conſenſu non eſſe firma & rata, ſed poſſe à parentibus irritari. Vt Caluinus libro quarto Inſtitut. capite decimo nono, ſect. 37. Bucerus in caput decimum nonum Matthæi. Brentius in ſuo Catechiſmo in expoſitione quarti Præcepti; Vbi tamen addit, poſſe aliquando valere Matrimonium ſine conſenſu parentum, de quo ait ſtatuendum eſſe iudicio Magiſtratus. Vt ſi verbi gratia, iniquè parentes negarent filiis conſenſum ad honeſta coniugia, aut vellent eos

compellere

compellere ad alia. Ita etiam expreſsius Kemnitius in Examine Decreti de Reformatione, ſeſsione 24. vbi addit alium caſum, in quo putat ratum habendum eſſe Matrimonium ſine conſenſu parentum contractum: nimirum, ſi iam quoq; fuerit *conſummatum*. Lutherus autem in ſermone de Matrimonio ad populum VVirtenbergenſem, ſolum excipit caſum, in quo *proles* etiam ex Matrimonio ſuſcepta ſit. Eraſmus quoque in Colloquio de Matrimonio, cenſuit, Matrimonia ſine parentum conſenſu non eſſe valida.

Probatur autem contra hos omnes aſſertio noſtra PRIMO auctoritate diuina. Nam Geneſis ſecundo, vbi habetur prima inſtitutio coniugij, adeò non indicatur requiri ad illud neceſſariò conſenſum parentum, vt potiùs contrà ſignificetur, illud per ſolum conſenſum mutuum ipſorum coniugum eſſe ratum independenter planè ab arbitrio parentum: vt intelligi poteſt ex illis verbis: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem* (quia ſcilicet res ab illorum arbitrio independens coniugium ſit) *& adhærebit vxori ſuæ.* Vnde Tobiæ Matrimonium cum Sara ratum omnino fuit, & acceptum Deo & Angelo, prius etiam quàm Tobias pater quicquam de illo ſciret, Tobiæ 7.

SECVNDO probatur ex definitione ſummorum Pontificum, qui ſæpe declararunt Matrimonium ſolo conſenſu ipſorum contrahentium reddi firmum & validum. Ita Nicolaus Papa in Reſponſis ad cõſulta Bulgarorum, capite tertio, & refertur Can. *Sufficiat.* 27. quæſtione ſecunda. Et Innocentius III. Cap. *Cum apud.* & Cap. *Tua fraternitati.* & Cap. *Tua nos.* Extra de Sponſalibus. Et Alexander III. Cap. *Cum locum*, eodem titulo, & idem Alexander rurſus in Cap. *Licet.* Extra de ſponſa duorum. & Cap. *Quod nobis*, Extra de clandeſtina deſponſatione.

TERTIO probatur ex perpetua praxi & ſententia Eccleſiæ; cuius teſtem omni exceptione maiorem profero Diuum AMBROSIVM in epiſtola 43. ad Siſinnium, vbi eundem Siſinnium laudans, quòd filio ignouerit, qui ipſo inconſulto vxorem acceperat; ſimul manifeſtè ſignificat, illud nihilominus filij Matrimonium fuiſſe ſine dubio ratum; ac proinde debuiſſe à patre ferri æquo animo: *Quod filio*, inquit, *remiſiſti meo rogatu, quia te inconſulto vxorem acceperat; pietati magis tribuo, quàm noſtro amori.* Et paucis interpoſitis: *Fuit*, inquit, *quòd ſuccenſeres filio, ſed fuit etiam quòd ignoſceres; quia ſibi vxorem elegerat.* Et paulò pòſt: *Maturiore quidem conſilio puella filio à patre traditur; ſed maiore obſequij propoſito à filio ad patrem ducitur, & à viro lecta ingreditur ſoceri domum.*

QVARTO idem probo ratione. Nam de re, cuius poteſtas & dominium eſt ſolius filij, non patris; filius poteſt validè diſponere ſine conſenſu patris. Sed naturalis facultas ad generandum eſt ſolius filij non patris. Ergo poteſt filius ſine conſenſu patris validè de illa diſponere, id eſt, eam alteri tradere per contractum Matrimonij. Maior patet, quia hoc eſt, eſſe rei alicuius dominum, & habere illam in poteſtate; poſſe nimirum de ea diſponere ſine alterius arbitrio, qui dominus non ſit: vt patet in omnibus aliis rebus, quarum homo dicitur dominus. Minor etiam per ſe nota eſt. Pater enim quamuis hoc ipſo, quòd eſt pater, habeat ius dirigendi per imperium actiones filij; & filius teneatur ei obedire, & ad eius honeſtam voluntatem ſe accommodare; tamen non habet in ſuo dominio & poteſtate ipſam perſonam filij & naturales facultates ipſius. Non enim poſſet filium vita priuare, aut prohibere, quo minus vtatur aliqua naturali facultate. Vt v. g. ne vnquam videat, aut ne comedat, &c.

Atque hoc eſt fundamentum veriſimæ illius doctrinæ, quam ponit Diuus Thomas 2. 2. quæſtione 104. articulo quinto, his verbis: *Tenetur*, inquit, *homo homini obedire in iis, quæ exteriùs per corpus ſunt agenda, in quibus tamen ſecundùm ea, quæ ad naturam corporis pertinent homo homini obedire non tenetur, ſed ſolum Deo; quia omnes homines natura ſunt pares: puta in iis, quæ pertinent ad ſuſtentationem corporis, & prolis generationem. Vnde non tenentur, nec ſerui dominis, nec filij parentibus obedire in Matrimonio contrahendo, vel Virginitate ſeruanda, aut aliquo alio eiuſmodi* (intellige, quaſi abſque parentum conſenſu nihil in hoc genere poſsint efficere, aut quaſi abſolutè debeant ex parentum imperio, vel Matrimonium contrahere, vel ab illo abſtinere) *Sed in iis, quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum & rerum humanarum tenetur ſubditus quiſque ſuo ſuperiori obedire ſecundùm rationem ſuperioritatis illius: ſicut miles Duci exercitus in iis, quæ pertinent ad bellum; ſeruus Domino in iis, quæ pertinent ad ſeruilia opera exequenda; filius patri in iis, quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam.* Ita D. Thomas.

Ac oſtendit hoc noſtrum argumentum, ità quidem valere Matrimonium ſine conſenſu parentum, vt tamen nihilominus (ſicut initio dixi) *peccet* filius; eo quòd facit contra obedientiam patri debitam; non in Matrimonio abſolutè contrahendo, vel non contrahendo, ſed in modo illud contrahendi cum hac, vel illa perſona, &c. Nam cùm contractus Matrimonij actio quædam vitæ magni momenti ſit; debet filius in ea vel maximè ſuis parentibus obedire, quãdo honeſtum vel conſentaneum rationi aliquid illi in hoc genere ſtatuunt. Quod & ſanctorum Patriarcharum & aliorum hominum piorũ exempla oſtendunt, qui ex ſententia parentum ſunt ſoliti Matrimonia contrahere.

SEXTO probatur item noſtra aſſertio hac ratione. Si Matrimonium abſque conſenſu parentum non valet; cauſſa erit, quia vel deeſt filio

Universidad de Deusto
Biblioteca

potestas simpliciter ad illud contrahendum quamdiu est sub cura paterna; vel quia deest illi necessaria ad id libertas & prudentia; vel quia consensus parentum est necessaria *conditio*, vt facultate quam ad id filius habet legitimè & validè vtatur. At nulla ratio ex istis rectè assignari potest. Ergo gratis fingitur, Matrimonium sine consensu parentum non valere. Probatur Minor, quia si simpliciter filio potestas, aut libertas, aut prudentia ad id deest; tunc neque accedente consensu patris posset Matrimonium cõtrahere. Adde quod sæpe filius prudentior est patre; & vt non esset, posset tamen aliorum consiliis iuuari. Dicere autem, quòd consensus patris est necessaria *conditio*, est mera fictio. Nam vbi hoc est scriptum? vel quænam ratio naturalis id ostendit? Etenim non esse Matrimonia sine consensu parentum licita non idem est, quod esse inualida. Nam & Matrimonium propter prauum aliquem finem contractum iure diuino & naturali est *illicitum*: neque tamen ideo est inualidum, aut ideo *bonus finis* est conditio necessaria, vt validum sit. Multa enim validè fiunt, quæ tamen illicitè fiunt.

VLTIMO probatur ex eo, quod concedunt Sectarij, valere scilicet Matrimonium sine consensu parentum, *si consummatum* sit, vel etiam *proles* fuerit ex eo susceptа. Si enim solus consensus filiorum in ipso contractu præstitus per se non faceret Matrimonium firmum & ratum, non id faceret proles aut copula; cùm hæc sine consensu alioqui legitimo minimè sufficiant ad Matrimonium.

Argumenta verò Erasmi & aliorum Sectariorum pro CONTRARIO errore, collegit Kemnitius loco citato, quæ tamen nihil concludunt. Procedunt enim ex quadam istorum ignorantia, qui nesciunt distinguere inter illicitum & inualidum, vt iam videbimus.

PRIMVM argumentum: Talia Matrimonia sine consensu parentum sunt contra ius diuinum. Ergo non valent. Consequentiam probat Kemnitius, quia si sunt contra diuinum præceptum; non est putandum, quòd Deus ipse illa iungat & rata habeat. Quod tamen esset necessarium ad veritatem coniugij, cùm Deus sit illius auctor, & ipsemet etiam personas coniungat, iuxta dictum Christi, Matth.19. *Quod Deus coniunxit, &c.* Antecedens probant etiam isti, quia sunt contra quartum præceptum Decalogi.

RESPONDEO, nihil valere argumenti consequentiam. Nam Matrimonium ob *malum finem* contractum saluo etiam principali fine ipsius Matrimonij, est contra ius diuinum, vt ante dicebamus: & tamen est validum & per se fit ratum ab ipso Deo, quatenus est quidem contractus, licet non etiam ita probetur Deo, vt sit ipsi vndequaque gratum. Ita in proposito concedimus, Matrimonium sine consensu parentum esse *illicitum*, & contra præceptum diuinum, vt etiã bene ostendit Ruardus Tapperus art. 20. Sed negamus esse *inualidum*.

SECVNDVM argumentum Exodi. 22. & Deuteron. 22. Deus statuit legem, vt Matrimonia filiorum ex consensu parentum pendeant & ab illis possint irritari.

RESPONDEO, nihil tale ibi legi. Sed tantùm imponitur pœna ei, qui violarit Virginem, vt numeret patri certam summam, & teneatur puellam in vxorem accipere, si nimirum & ipsa & pater voluerit; non tamen negatur ibi quin possit puella contrahere etiam inuito parente. Vt neque etiam ibi dicitur, quòd inuita puella ex sola voluntate parentis possit iniri Matrimonium. Lege locum illum Exodi 22. versu 16. & 17. & Deuter. 22. versu 29. Deinde dico, legem Moysis non ad nos pertinere exceptis iis, quæ euidenter alioqui sunt de lege naturæ. Quale minimè est, vt Matrimonium pendeat ex consensu parentum.

TERTIVM argumentum. Num. 30. potestas est facta parentibus irritandi vota Deo nuncupata à filiabus. Ergo multò magis habent potestatem irritandi Matrimonij contractum initum cum homine.

RESPONDEO, nõ esse parem rationem. Deus enim facilius remittit promissionẽ sibi factam, quàm homo. Et ita non sequitur, si Deus voluit pendere promissionem voti ex parentis consensu, quòd etiam voluerit ab eo pendere contractum Matrimonij cum homine.

QVARTVM argumentum. Apostolus 1. Corinth. 7. indicat, parentes debere filios Matrimonio copulare: *Qui Matrimonio*, inquit, *iungit Virginem suam, &c.*

RESPONDEO, verum esse, quòd parentum consensu oporteat eos Matrimonium inire: Et hoc ipsum indicat Apostolus. Non tamen ita, vt sine parentum consensu Matrimonium non valeat.

QVINTVM argumentum. Leges ex ipso iuris naturalis præscripto parentum consensum requirunt. Nam ff. de ritu nuptiarum, lege 2. dicitur; *Nuptiæ consistere non possunt nisi consentiant omnes, id est, qui coëunt, & quorum in potestate sunt.* Et Cod. de Nuptiis, *Obseruatis Iuris præceptis sociare coniugio tuo, quam volueris nõ impedieris: ita tamen, vt patris tui consensus accedat.* Et Instit. de Nuptiis, §. *Iustas.* dicitur, vt *filij familias cõsensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere & ciuilis & naturalis ratio suadet.*

RESPONDEO, varias esse Doctorum opiniones de vi & sententia istarum legum Ciuilium, vt notat Glossa Institut. de nuptiis. Probabilissimum autem est, per has leges nõ decerni, quòd Matrimonia sine consensu parentum ex ipsa natura rei sint inualida, sed *illicita*, & talia, quibus in iudicio non sit auctoritate Magistratus patrocinandum.

Quod

Quod si eiusmodi leges ciuiles reputant hæc matrimonia per se inualida; dicendum erit, eas esse quoad hoc correctas per canones Ecclesiasticos, supra in probatione secunda nostræ assertionis citatos. Id quod notat etiam Glossa in dicto §.

Adde quòd Couarruuias vtriusq; Iuris peritissimus, in Epitome, lib. 4. parte 2. cap. 3. §. 8. numero 1. respondet eiusmodi non nisi secundùm quandam honestatem debere intelligi. Vbi etiã ex communi Doctorum opinione probat non posse filium, aut filiam à parente exhæredari eo quòd illo inuito matrimonium contraxerit etiam si indignum. Quod idem asserit quoq; Nauarrus in Manuali, cap. 14. num. 15.

SEXTVM argumentum. Euaristus Pontifex Can. *Aliter.* 30. q. 5. *Aliter*, inquit, *non fit legitimum coniugium nisi à parentibus fœmina desponsetur.*

RESPONDEO, ibi Euaristum (sicut etiam Nicolaum ead. d. & q. Can. *Nostrates*) commemorare hanc, & alias quasdam *conditiones* necessarias coniugio, nõ vt sit validum in foro interno conscientiæ, sed vt sit *licitum*, & vt in foro externo possit ac debeat præsumi validum. Sine quibus conditionibus vult, vt cõtubernium viri & mulieris habeatur potius pro adulterio, vt suprà q. 1. notaui.

Et quod ita sit intelligendus Euaristus probatur euidenter: Nam etiam ibi ad legitimum coniugium inter cætera requirit, vt sponsa à *paranymphis* ad Ecclesiam deducatur, & vt postea *biduo vel triduo vacent orationi, &c.* quas conditiones certum est, non esse necessarias ad coniugij veritatem. Quod quia vidit Kemnitius à nobis obiici posse, astutè dissimulauit quod has etiam conditiones Euaristus requireret, easq; inter recitandum Euaristi locum sub vno, *Etc.* quasi sepeliuit.

SEPTIMVM argumentum. Diuus Ambrosius lib. 1. de Abraham, cap. vlt. agens de coniugio Isaac & Rebeccæ, ita inquit: *Consulitur Rebecca non de Sponsalibus: illa enim iudicium expectat parentum. Non est enim virginalis pudoris maritum eligere. Sed iam desponsata viro de profectionis consulitur die.* Et addit: *Vnde illud Euripideum, quod plerique mirantur vbi in persona mulieris, quæ ad alias nuptias petebatur inquit, Sponsalium meorum pater meus curam subibit. hoc enim non est meum. Ergo quod & ipsi philosophi mirati sunt seruate Virgines. Mulier etiam si quæ amisso cito marito adolescentula nubere velit, nubat in Domino, ita vt electionem mariti parentibus deferat.* Hactenus Ambrosij locus obiectus à Kemnitio.

RESPONDEO. Non vult, matrimonia sine consensu parentum esse *inualida*, sed obligari filios vt ex parentum sententia illa contrahant: sicut sæpe dictum est. Vnde ibidem non dicit viduam adolescentulam propterea ex præscripto parentum debere nubere, quia alioqui matrimonium non erit validum; *Sed ne*, inquit, *appetentia procacioris æstimetur auctor, si ipsa de nuptiis suis electionem sibi vendicet.* Quæ verba cum essent in eadem periodo, astute etiam reticuit Kemnitius; quoniam videlicet indicant, posse alioqui validum esse matrimonium, si vidua adolescentula procaciter sibi vendicet electionem de nuptiis.

OCTAVVM argumentum. Ex aliquot Decretis, causa 30. & 32. constat, receptissimum olim fuisse, vt sine consensu parentũ matrimonia non celebrarentur.

RESPONDEO. Omnino ita est: non tamen quia sine consensu parentum non valeant, sed quia ille etiam debet accedere, vt *licitè* contrahantur.

VLTIMVM argumentum. 36. q. 1. & 2. præcipitur, vt quamuis puella raptori consenserit, tamẽ reddatur patriæ potestati. vt patet ibi q. 1. Can. *de raptoribus*, ex Concilio Aurelianensi, & q. 2. Can. *apud.* ex D. Gregorio: vbi dicitur: *cùm puella patriæ potestati restituta fuerit, & raptor suæ rapinæ pœnitentiam egerit, cùm voluntas parentum vtriusque in vnum conuenerint, non prohibentur ad inuicem copulari.*

RESPONDEO, raptam non ideo restituendã esse patriæ potestati, quia matrimonium sit inualidum, si illud fortè cum raptore contraxit; sed in pœnam raptoris, & vt parentibus de facto filiæ suæ satis constare possit, vtrum scilicet matrimonium iniuerit nec ne. Si enim non iniuit, & parentes nolint illam raptori in vxorem tradere; in pœnam prohibetur raptor illam ducere. Quanquam si de facto matrimoniũ, sine consensu parentum contraherent; non dubium est, quin valeret: vt etiam confirmat Couarruuias in Epitome lib. 4. parte 2. cap. 3. §. 9. num. 1.

Neq; obstat quòd in illo Canone *de Raptoribus*, præcipitur vt reddatur puella patriæ potestati, etiamsi raptori consenserit. Primùm enim non est eiusmodi verborum sensus etiam si consenserit *in matrimonium*, sed etiamsi consenserit raptori ad carnalem copulam, vt glossa in illo Canone exponit. Deinde, licet sensus esset etiãsi consenserit in matrimonium, tamen rectè potuit præcipi, vt nihilominus redderetur parentibus; non vt tali casu matrimonium penderet ex illorum voluntate quoad veritatẽ ipsius, sed vt satis constare posset de filiæ suæ facto. vt ante dictum est. Adde, quòd illa verba quæ recitat Kemnitius tanquam ex Gregorio, non sunt Gregorij, sed Gratiani, vt patet in illo Canone *Apud.* 36. q. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO QVARTA.

De Matrimonij Effectibus seu Bonis.

Supplem. D. Thom. q. 49. & 68.

DICENDVM EST PRIMO DE BONIS MATRIMONII GENERATIM. SECVNDO de Bono Fidei. TERTIO de Bono Prolis. De bono autem Sacramenti suprà q. 1. p. 5. satis dictum est.

PVNCTVM PRIMVM.

De Bonis Matrimonij generatim.

D. Thom. quæst. 49. art. 1. & 3.

BONA HAEC MATRIMONII ITA declaro. Matrimonium quamuis res licita sit, vt q. 1. ostendimus, tamen si coniugalis actus ad quem ordinatur, per se spectetur, propter rationes aliquas, quas statim exponam, similitudinem quandam mali habet: Atque ideo Doctores, vt non obstante ea mali similitudine, bonum esse matrimonium appareat, quædam in illo bona considerant, quæ sunt vel ipsius matrimonij effectus, vel aliquid cũ ipso matrimonio connexum, per quæ matrimonium ipsum cohonestatur.

Est autem similitudo quædam mali in Matrimonio tres ob causas, quas commemorauit etiam D. Thomas q. 49. a. 1. PRIMA causa est, quia matrimonialis actus in genere quidẽ *naturæ* est eiusdem speciei cum actu fornicationis, quem malum esse constat. SECVNDA causa est, quia propter vehementiam delectationis absorbetur in eo actu ratio, ita vt illo tempore nequeat homo aliquid intelligere, sicut ait Aristoteles lib. 7. Ethic. cap. 11. ob quam rationis vsus iacturam, nõnihil etiam malus actus ille videtur. TERTIA causa est, quia varias tribulationes carnis & solicitudines affert vsus ille coniugalis, vt Apostolus inquit 1. Corinth. 7.

Hæc igitur incommoda matrimonij tradunt Doctores per tria alia bona compensari, quæ in matrimonio considerantur: ex quibus duo sunt effectus quidam matrimonij, & tertium quiddã consequens seu quiddam coniunctum cum ipso matrimonio. de quibus proinde seu bonis seu effectibus matrimonij iam dicendum est.

Sunt autem hæc: Bonum FIDEI, quam mutuo sibi coniuges in vita coniugali præstant. Deinde Bonũ PROLIS. Et deniq; Bonum SACRAMENTI. Quæ tria cùm per se optima sint, & ad ea matrimonium ipsum habeat quẽdam essentialem ordinẽ, matrimonium cohonestant, & reddunt simpliciter bonum, ac plurimùm in genere moris illud â fornicario contubernio distinguunt, non obstante qualicunq; illa mali similitudine, quam habet alioqui propter illas alias causas, quas dixi.

Et quidem FIDES & PROLES effectus quidã matrimonij sunt, vt patet. SACRAMENTVM verò nõ propriè est effectus, sed quiddam ex institutione diuina connexum cum ipso contractu matrimonij, & eius vinculo; vt ex dictis q. 1. potest intelligi.

Porrò quòd hæc sint tria Matrimonij Bona, & quòd per illa matrimonium honestetur, tradunt Theologi cum Magistro in 4. d. 31. & diuus Thomas hîc q. 49. qui omnes hanc doctrinam à D. AVGVSTINO didicerunt, cuius verba lib. 9. super Genesin ad literam, cap. 7. hæc sunt: *Quod bonum habent nuptiæ peccatum esse nunquã potest. Hoc autem tripartitum est: Fides, Proles, Sacramentum. In* FIDE *attenditur ne præter vinculum coniugale cũ altera vel altero concumbatur. In* PROLE *vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In* SACRAMENTO *autem vt coniugium non separetur, & dimissus aut dimissa ne causa quidẽ prolis alteri coniungatur. Hæc est*, inquit, *tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur prauitas.* Similia habet lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia, cap. 11. & 17.

Nec dubium est quin absolutè & simpliciter loquendo *Sacramenti* bonum sit præstantius reliquis duobus, vt idem Augustinus indicat in illo libro primo de Nuptiis, cap. 17. & intelligi potest ex doctrina D. Thomæ q. 49. art. 3. Neque est operæpretium vlterius de istorum bonorum comparatione disserere.

PVNCTVM SECVNDVM.

De Bono Fidei.

D. Thom. q. 49. art. 2. & q. 62.

QVOD ad FIDEM coniugalem attinet tria potissimum ad illam spectant. PRIMO, vt alter alteri debitum reddat, sicut Apostolus 1. Corinth. 7. ex præscripto legis diuinæ præcipit.

SECVNDO, vt alter cum altero cohabitet. Ad quod etiam compelli possunt à iudice Ecclesiastico, tum per censuras, tum etiam per auxilium iudicis secularis, si censuræ non sufficiant: vt latè persequitur Couarruuias in Epitome, parte secunda, capite septimo, in principio, numero primo & sequentibus. Vbi etiam numero quinto rectè docet, ordinariè debere se mulierem ad voluntatem viri accommodare, quod attinet ad habitationis *locum*; sicut etiam quod pertinet ad rationem viuendi & educãdi prolem: siquidem *vir est caput mulieris*, & hæc illi subdita esse debet. Docet etiam ibi, & §. sequenti, quædam alia quæ quoad bona & facultates viri & mulieris consequuntur hanc cohabitationem, & ex iuris dispositione pendent.

TERTIO, pertinet maximè ad fidem coniugalem, vt neuter coniugum cũ aliqua alia persona copuletur: & multò minus altero coniuge viuente, cum aliqua alia persona matrimonium contrahat. Quod ipsum si tentet, nihil efficiet: siquidem non aliter est validum matrimonium, nisi sit vnius cum vna, vt suprà quæst. 1. disputatum est.

Nec licebit cum alio contrahere propter ABSENTIAM quantumcunq; diuturnam alterius coniugis, etiamsi nihil interim de illo sit auditũ. Sed oportebit habere positiuam notitiam eamque moraliter certam, quòd sit mortuus. vt patet clarissimè ex Cap. *in præsentia*. Extra de Sponsalibus, & ostendit etiam Nauarrus, cap. 22. numero 53. & Couarruuias in Epitome, parte 2. capite 7. §. 3. num. 3. & 4. vbi addit, arbitrio iudicis relinqui, qualiter probetur mors alterius coniugis, vt alter ea de re posit certus reddi.

Nauarrus autem loco citato in specie etiam notat, satis haberi notitiam de morte coniugis, si is in longinquum locum profectus sit, & de eius morte sit *communis fama*, vt asserit etiam Syluester, verbo *Matrimonium*. 8. quæst. 13. aut si erat senex, aut prælium ingressus, non amplius comparuit, & fama sit eum interiisse: aut ea de re literæ sint acceptæ ab iis, qui prælio interfuerunt; iuxta textum & glossam in cap. *Quoniam frequenter. §. Si autem de carnali.* Extra, vt lite non contestata.

Quod si quæ persona post contractum matrimonium cum altera propter notitiam sufficientem de morte prioris, cognosceret priorem viuere; mortaliter peccaret reddens debitum secundo, aut ab eo id petens: sicut notat Nauarrus vbi suprà num. 54. & declarauit expressè Lucius III. in Cap. *Dominus*. Extra de secundis nuptiis. Nam qui nouit, matrimonium contractũ cum altero, ob vitam prioris coniugis, vel propter aliud aliquod essentiale impedimentum fuisse nullum, non potest vllo modo, cum tali commiscери sine *adulterio*, vt appellat illic Lucius III. Neque deberet etiam aut posset quis in ea re obtemperare sententiæ iudicis, vt bene probat Couarruuias in dicto capite septimo, §. secundo, numero secundo, & Sotus in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2. post Ioannem Medinam, quæst. 19. de rebus restituendis.

Si tamen quis DVBITARET tantùm, vtrum prior coniunx viuat, aut num propter aliquod aliud impedimentum essentiale, matrimonium à se contractum cum aliquo sit inualidum; non posset quidem perseuerante tali dubio petere ab eo debitum, posset tamen illi petenti reddere: vt optimè resoluit Nauarrus in dicto cap. 22. num. 55. & Couarruuias in dicto §. 2. Num. 4. & 5. secutus in hac re sententiã præceptoris sui Nauarri. Quæ etiam resolutio est apertè Romani Pontificis Innocentij III. in Cap. *Inquisitioni*, Extra de sententia Excommunicationis: quicquid aliter hunc textũ interpretando conetur Adrianus, Quodlibeto 2. artic. 3. qui bene refellitur in hoc à Nauarro, & Couarruuia locis citatis. Atque hoc idem quod Innocentius, manifestè etiam declarauit Lucius III. in Cap. *Dominus*, Extra de secundis nuptiis.

Fundamentũ autem huius resolutionis paulò firmius & clarius, quàm à Nauarro proponitur est, quia licet talis, quoad se quidem faceret contra conscientiam dubiam *petendo* debitum, cùm ipse alioqui illud petere minimè teneatur; tamen non debet practicè dubitare, quin licitè alteri *reddat* debitum, cùm is alioqui ius suum exigit. Hoc enim ius omnino illi reddendum est etiam in tali dubio alterius: quandoquidem vt supponimus, ille qui ius suum exigit, non dubitat, neque dubitare debet, quin licitè illud exigat tanquam à suo vero coniuge. Supponimus enim quòd ille qui dubitat, non possit matrimonij impedimentum ita probare, vt alter propter ipsius motiua teneatur, vel illud credere, vel de illo practicè dubitare, sic, vt nequeat deponere dubium: sicut ex hac etiam hypothesi omnino etiam videtur procedere Couarruuias loco citato.

Alioqui posset coniunx qui dubitat rationes suæ dubitationis alteri exponere, quo minus ei debitum redderet, & exponere etiam teneretur, si speraret fore, vt alterum ea ratione à petendo deterreret, eumque proinde liberare ita posset à periculo, in quo alioqui versaretur vtendo illo inualido, vel certè dubio matrimonio. Et hæc quidem ita se habent, quod attinet ad eam FIDEM quam sibi mutuo coniuges debent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cæterùm notãdum hoc in loco est, quasdam nihilominus esse CAVSAS ob quas alter coniux EXCVSATVR, quo minus teneatur alteri DEBITVM reddere, aut etiam ei cohabitare, & ob quas proinde licitè potest separare se ab illo quoad TORVM (vt vocant) vel etiam quoad COHABITATIONEM. Quæ separatio vocatur DIVORTIVM quoad *torum* vel *habitationem*. Atq; hoc solum diuortium quoque est licitum: non autem quoad ipsum matrimonij *vinculũ*, vt suprà quæstione prima, contra Sectarios disputatum est.

PRIMA causa est *fornicatio* alterius coniugis. Ob eam enim potest alter propria etiam auctoritate sua se separare quoad torum, quamuis nõ item quoad cohabitationem sine sententia iudicis, cùm ea separatio sit publica. Ita docet diuus Thomas hic quæst. 62. & confirmat Couarruuias in dicto cap. 7. §. 5. num. 12. & Nauarrus cap. 22. num. 21. & patet Matthæi 5. & 19.

Quod si alter etiam adulteretur, hoc ipso amittet ius separandi se & tenebitur alteri quantumuis adultero reddere debitum: vt notat Nauarrus illic numero vigesimo tertio.

Innocens quoq; licet non teneatur reddere debitum adultero, potest tamen id facere si velit; imò etiam cum illo manere quando inde nõ sequeretur scandalum, neq; ex separatione speraretur emendatio coniugis adulteri; vt ibidem docet Nauarrus, & latius hæc persequitur diuus Thomas in dicta quæst. 62.

SECVNDA causa est *sæuitia* alterius coniugis, ex qua periculum alteri immineat: nisi sufficiens cautio daretur de non nocendo illi. Ob hanc causam posset à iudice peti separatio quoad *habitationem*, vt docet Couarruuias in dicto §. quinto, numero primo, ex communi sententia Doctorum. Et à fortiori si alter iam aliquando tentasset alterum occidere; vt veneno, vel alio modo: sicut ibidem persequitur Couarruuias. In quibus sanè casibus si periculum esset in mora, etiam propria auctoritate liceret aufugere à sæuo coniuge, seruandæ propriæ vitæ causa.

TERTIA causa est *furor* alterius coniugis, ex quo simile periculũ immineret: aliàs non, quantumuis sit molesta cohabitatio cum tali; vt bene asserit Nauarrus, cap. 22. num. 22. & Couarruuias in dicto §. 5. num. 3.

QVARTA causa est *lepra*, vel similis morbus horribilis & contagiosus. Tunc enim non teneretur alter cohabitare. quamuis omnino deberet reddere debitum petenti: vt resoluit diuus Thomas quæstione sexagesima quarta, articulo primo ad quartũ, & Sotus in quarto, distinctione trigesima secunda, quæstione prima, articulo primo ad secundum, & patet ex capit. primo & secundo, Extra de coniugio leprosor. Ex quibus capitibus non colligitur, quòd debeat sanus leproso continenter cohabitare, sed illi ministrare, & illum sequi, & ei debitum reddere, quatenus fieri possit sine euidenti periculo contagionis: quidquid contra videatur sentire Nauarrus in illo numero vigesimo secundo.

QVINTA causa est *hæresis* alterius: & tunc maximè cùm is alterum etiam in suam hæresim inducere conaretur. Neque ad faciendum diuortium propter hæresin requiritur peculiaris sententia iudicis præter illam iam latam ab ipso iure, capit. vltimo, extra de hæret. vbi omnes liberantur ab obligatione fidelitatis qua quouis modo fuerint obstricti hæretico. Et in specie quoq; est textus de hoc expressus in cap. *De illa*. Extra de diuortiis.

Quamuis si iudicio etiam peculiari Ecclesiæ quis se propter hæresim à coniuge separasset, nõ teneretur ad eũ redire etiamsi resipiscat. Quod tamen teneretur facere, si propria auctoritate se separasset: vt est expresè declaratum in dicto cap. *De illa*, Extra de diuortiis. Vbi in specie fit facultas coniugi discedendi à coniuge propter illius hæresin. Quæ etiam rectè asserit Couarruuias in dicto §. 5. numero 5. post Alphonsum à Castro libro secundo de iusta hæreticorum punitione, cap. 7.

Id autem intelligo statutum esse in quandam pœnam hæresis semel susceptæ: vt scilicet si propter illam coniunx à coniuge ex peculiari Ecclesiæ *iudicio* se separauit, nunquam teneatur redire ad eũ, quantumuis resipiscat. Et consequẽter tunc poterit quoq; altero inuito intrare religionem & profiteri castitatem, secundùm Sotum d. 39. q. vnica, art. 4.

Ac fortè etiam quando hæresis alterius coniugis est *notoria*, quamuis separatio nõ esset facta iudicio Ecclesiæ: Quia notoreitas videtur quoad id æquialere iudicio & sentẽtiæ illi Ecclesiasticæ: iuxta id quod Syluester verbo *Diuortium*. num. 13. ex Panormitano ait, posse coniugem altero coniuge hæretico inuito, intrare religionẽ si hæreticus est *notorius*.

SEXTA causa est crimen *Sodomiæ* alterius coniugis, siue cum viro, siue cum fœmina commissum: propter quod meritò censet Couarruuias in dicto §. 5. num. 6. peti posse à iudice diuortiũ. Id quod etiam confirmat aliorum plurium Doctorum sententia.

SEPTIMA causa est, si ex cohabitatione immineat alteri coniugum graue *periculum* peccãdi mortaliter. Vt si alter alterum ad peccatũ impellere conetur, nec possit ab eo studio retrahi. Aut si vir v.g. ita vecors est, vt homines domum adducere soleat, qui vxorem ad peccãdum pelliciant: idq; ipse admonitus etiam ab vxore negligat.

Hoc confirmat Paludanus in quarto, distinctione trigesima nona, quæstione vnica, articulo tertio, conclus. 2. & Nauarrus in Manuali, capite vigesimo secundo, numero vigesimo secundo, optima ratione. Mulier enim non tenetur cohabitare viro cum periculo mortis corporalis.

Ergo multo minus cum periculo mortis spiritualis.

Neq; obstat quod nemo potest cogi ad peccandum. Nam hoc non obstante potest quis esse in periculo graui peccandi propter peccati illecebras, & alterius suasionem ad peccandum. Alioqui neque posset coniux ab altero coniuge discedere propterea quòd eum in hæresim, vel apostasiam à fide velit alter inducere. Dicerem enim similiter, neminem posse ad hæresim, vel ad apostasiam cogi. Et tamẽ certum est, propter periculum hæresis vel apostasiæ, quod nihilominus ex alterius suasione imminet, posse coniugem à coniuge discedere.

Accedit quod Paludanus in dicto art. 3. concluſ. 1. rectè sentit, posse vxorem propter periculum vitæ corporalis à viro discedere, qui nõ vult à *furando* desistere quantumuis admonitus. Ergo etiam poterit in nostro casu, cũ maius multo sit periculum vitæ spiritualis, & non minus hoc periculum immineat vxori ex illa socordia viri, quam periculum vitæ corporalis ex viri furtis, vt suppono. Et hæc quidem de causis diuortij.

Refellitur error Sectariorum circa diuortia.

VERVM hoc loco nobis occurrunt SECTARII, negantq; posse coniugem à coniuge discedere propter tam multas causas, quin imò contendunt propter solam causam fornicationis id licere. Quorum error damnatus est in Concilio Trid. sess. 24. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum, seu quoad cohabitationem ad certum incertúmue tempus fieri posse decernit, anathema sit.* Fundamenta autem istius erroris Sectariorum collegit Kemnitius in Examine illius 8. Canonis.

PRIMO vrgent, non esse tale aliquod diuortium licitum quoad torum & cohabitationem, & non etiam quoad *vinculum*: nec Apostolum 1. Cor. 7. loqui de tali diuortio, cùm dicit de muliere, *Aut si discesserit, manere innuptam, vel viro suo reconciliari*. SED hanc istorum imaginationem suprà q. 1. p. 7. satis confutauimus.

SECVNDO vrgent maximè, quòd Christus Matth. 5. & 19. dimissionem coniugis *nisi ob causam fornicationis* pronunciat esse illicitam.

RESPONDEO, duobus modis intelligi posse, quòd coniux à coniuge dimittatur. VNO modo vt *coniux* est: ita scilicet vt causa dimissionis, interueniente aliqua circumstãtia, fit propriè petita ex ipsa ratione *coniugij*. ALTERO modo vt *persona* quædam est, cuius consortium contingit alteri coniugi esse perniciosum: ita vt causa dimissionis non existat propriè ex ipsa ratione coniugij, sed aliunde accidat: sicut posset etiam accidere inter alias duas personas simul conuiuentes, quæ non essent coniuges, & quas aliquo casu ex ipsius iuris naturalis, & diuini præscripto oporteret separari ad cauendam perniciem alterius illarum.

Iam dico, PRIORI modo propter solam fornicationem posse coniugem à coniuge dimitti: & eo modo loquitur Christus. *Sola* enim causa fornicationis est talis, vt illa interueniente ratio ipsa & lex *coniugij* dictet, posse fornicarium coniugem ab altero deseri; quãdoquidem in re præcipua coniugij non seruauit fidem: non verò alia fastidia propter quæ consuetudo cum coniuge videatur molesta, & incommoda ad finem & vsum coniugij: sicut facilè à Iudæis in hoc genere peccabatur, quorum proinde corruptelam Christus ibi refutauit.

POSTERIORI autem modo multæ aliæ causæ possunt incidere, ob quas ipsa lex diuina & naturalis facit ius coniugi, vel etiam eum aliquando obligat, vt causa suæ incolumitatis corporalis vel spiritualis, ab altero coniuge discedat. Sicut etiam posset aut deberet interueniente tali aliqua causa ab eo discedere, si non esset coniux.

Atq; hæc ratio clarissimè Sectariorum inscitiã redarguit. Manifestè enim ostendit non posse illam Christi sentẽtiam de posteriori isto modo dimissionis intelligi, sed solum de priori. Nõ enim aliquid ille voluit decernere cõtra ius naturale & diuinum, quod iubet vnicuique, vt tueatur incolumitatem corporalem, & spiritualem suam.

Deinde etiam ex hoc fundamento intelligitur, quare ob *fornicationem* quidem liceat in PERPETVVM dimittere coniugem; non autem ordinariè loquendo propter alias causas, nisi quamdiu illæ durãt. Ratio enim huius discriminis est, quia causa dimissionis propter fornicationem existit ex ipsa natura *coniugij*, eo quòd fides in eo promissa semel fuit violata: atque ita habet ista dimissio perpetuam causam, cùm semper verũ sit fidem coniugij fuisse violatam, postquam semel est violata. Aliarum verò dimissionum causæ, cùm non sint petitæ ex violata fide coniugij, sed aliunde existant; ordinariè quidem tamdiu faciunt ius dimittendi, quamdiu ipsæ subsistunt; si ad tempus, ad tempus; si perpetuò, perpetuò. Et dico *ordinariè*, quia posset Ecclesia in pœnam semel admissi criminis facere ius coniugi in perpetuum discedendi, etiamsi coniũx alter ab eo crimine resipiscat. Id quod iam fit in discessione propter hæresin, quando disceditur ex peculiari iudicio Ecclesiæ; vt notauimus in quinta causa diuortij.

TERTIO obiiciunt Sectarij, quòd D. Paulus 1. Corinth. 7. docet dimissionem seu separationem extra casum fornicationis, ob quam tollatur etiam (opinione istorum) vinculum Matrimonij, pugnare cum *præcepto Domini*, qui generatim præcipit *non discedere*, vt ipse Apostolus ibi refert: *Quando verò coniuges*, inquit Kemnitius, *contra hanc Apostoli doctrinam priuata contumelia se separant*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

separant, tunc Paulus suadet reconciliationem; aut si hoc nolint, pronunciat, eos sine coniugio alio manere debere.

RESPONDEO, hanc interpretationem manifestè pugnare cum forma præcepti diuini, quã ibi proponit diuus Paulus. Nam Dominus cum coniunx discesserit, non nisi *disiunctiuè* illi præcipit, vel *reconciliari*, vel *manere sine alio coniugio*: ita vt alterutro modo possit satisfieri præcepto. Ergo tale præceptum omnino supponit aliquam discessionem esse posse coniugis à coniuge durante *vinculo* matrimonij, quæ sit *licita* & absque vlla coniugis vel iniuria, vel contumelia. Nam si omnis discessio durante matrimonio esset illicita; determinate Dominus præciperet, vt coniũx qui discesserit, suo coniugi *reconcilietur*: sicut B supra etiam q. 1. p. 7. argumentati sumus ex Augustino.

Sectarij autem perperam hìc fingunt absolutum dari hic præceptum diuinum, vt nunquam coniunx à coniuge durante vinculo matrimonij discedat: reliqua autem quæ subiungit Apostolus, esse declarationem, quod scilicet si iniustè contra id præceptum discesserit, & nolit reconciliari debeat manere sine alio coniugio. Non est hic sensus Apostoli: sed significat manifestè, præceptum Domini conditionatum esse; nempe vt coniux non discedat, nisi iusta sit caussa; & vt si ex iusta caussa discesserit, vel reconcilietur, vel si id facere nolit, maneat sine alio coniugio, vt latius supra q. 1. p. 7. ostendimus: siue C iusta illa caussa discessionis fuerit fornicatio, siue alia ex iis quas numerauimus.

QVARTO obiiciũt, quòd talis dimissio coniugis, quæ non faciat ius contrahendi cum alio, exponit coniugem periculo fornicandi. Sicut Christus etiam inquit Matthæi 5. *Facit illam mœchari.*

RESPONDEO, præter cõiugij vsum esse quoque alia multa remedia, quibus vitari fornicatio possit, vt supra q. 1. p. 7. & disp. præced. q. vlt. p. vlt. de cœlibatu, respondimus. Christus autem de iis potius, qui dimittebant animo contrahẽdi aliud coniugium, pronunciat quòd facerent coniuges dimissos mœchari: quia scilicet non erat legitimum matrimonium illud, quod post D dimissionem contrahebatur: vt supra q. 1. p. 7. docuimus.

QVINTO obiiciunt, quòd multis modis in eiusmodi separationibus rũpitur vinculum ipsum matrimonij, quantumuis illud integrum manere doceamus. Nam ad vinculũ matrimonij hæ sententiæ pertinent, inquit Kemnitius: *Adhærebit vxori suæ: Faciamus ei adiutorium, quod sit coram ipso: Mulier non habet potestatem sui corporis sed vir: Iterum conuenite ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram: Non sunt duo sed vna caro.* Et ipsum coniugiũ definitur *indiuidua* vitæ consuetudo: *Hæc verò*, inquit, *vincula in Pontificia separatione soluuntur & disrumpuntur.*

RESPONDEO, hanc obiectionem ex manifestissima insciția procedere. Nam varij actus ad coniugium pertinentes, qui eiusmodi sententiis indicantur, nõ sunt ipsum matrimoniale *vinculum*, sed *vsus* quidam illius. Potest autem rei essẽtia manere salua, impedito seu sublato propter aliquas caussas illius *vsu*.

Nec verò matrimonium *indiuidua* vitæ consuetudine ita definitur, quasi semper oporteat coniuges actu manere simul, sed quia *debent* certè ex ipsa lege coniugij simul manere & conuiuere, nisi quando aliqua iusta caussa fecerit ius alteri, se vel ad tempus vel etiam in perpetuum pro caussæ ratione separandi. Et hæc de FIDE coniugali sint dicta.

PVNCTVM TERTIVM.

De Bono Prolis.

D. Thom. q. 49. art. 2. & q. 68.

DE altero Matrimonij Bono seu effectu, nempe de PROLE notanda sunt tria. PRIMO notandum, matrimonium non tantùm cohonestari per *prolem*, quatenus proles actu ex illo suscipitur, sed etiam quatenus ex illo *potest* suscipi, & ad eam per se matrimonium ordinatur. Quamuis enim ex aliquo matrimonio nulla proles actu susciperetur, tamen ex prole etiam, quatenus potuit suscipi, cohonestaretur tale matrimonium.

SECVNDO notandum, duplici nomine matrimoniũ ex *prole* cohonestari. *Primò*, quia proles per se magnum quoddam bonum est: siquidem illius procreatio conseruat & auget societatem humanam. Quam ob caussam Adrianus Imperator dixisse fertur malle se imperium ampliari hominum adiectione quàm pecuniarum copia, vt Paulus Iureconsultus testatur in lege vltima, §. *fraudis*. ff. de bonis damnatorũ. Et Aristoteles 2. Politic. cap. 7. refert, eum qui Spartiatarum Rempublicam legibus constituit, Spartiatas propositis præmiis adhortatum esse, vt q̃ possent plurimos filios procrearent, quo numerus ciuium illius Reipub. magis augeretur. Quæ commemorat etiam Couarruuias in Epitome lib. 4. parte 2. cap. 8. in principio, vbi ex iure Canonico discutit, an aliquas immunitates & quasnam etiam nũc habeant ij, qui in certo numero prolem masculinam ex matrimonio susceperunt.

Secundò, cohonestat etiam matrimoniũ proles eo nomine, quòd filij ex vero matrimonio suscepti LEGITIMI esse censentur, id est, idonei sunt ad publicas dignitates & officia in Repub. quæ requirunt quãdam honestatem. Quod ipsum, vt patet, non minimum bonum reputari potest. Qui autem extra matrimonium procreantur, ILLEGITIMI sunt, id est, ad eiusmodi officia & dignitates inhabiles.

Quod

Quod vt rectius intelligatur, TERTIO rursus notandum est, quadripartitam esse filiorũ conditionem. Nam quidam sunt *naturales & legitimi*: qui scilicet ex vero matrimonio, vel quod bona fide pro vero habitum fuerit, sunt procreati. Et hi iure communi ad omnia sunt habiles.

Alij sunt *naturales & non legitimi*. Vt qui ex simplici fornicatione nascuntur. Et hi etiam sunt ad officia & dignitates inhabiles; sed tamẽ possunt succedere in sexta tantum parte hæreditatis paternæ.

Alij sunt *legitimi*, sed *non naturales*. Qui scilicet secundùm formam iuris ab aliquo in filios adoptantur. Et hi iuris beneficio & interpretatione sunt ad omnia habiles, quatenus adoptiui filij sunt.

Alij denique sunt *nec naturales nec legitimi*, & propriè vocantur SPVRII. Qui scilicet ab iis parentibus nati sunt, qui neque tempore conceptionis, neque tempore natiuitatis talium filiorum, poterant inter se inire verum matrimoniũ. A Cuiusmodi sunt qui suscipiuntur ex adulterio, & filij clericorum in sacris. Atq; hi quidem ad omnia penitus inhabiles sunt: nec sunt vllo modo capaces hæreditatis paternæ. Quanquam iure naturæ debent quidem à parentibus suis ali.

Possunt autem qui illegitimi sunt quacunq; ratione ex prædictis, variis modis partim canonum partim legum auctoritate LEGITIMARI: sicut & ipsa ratio tota illegitimorum filiorum, per humanam auctoritatem est inducta. Quæ omnia perspicuè declarat D. Thomas hic quæstione sexagesima octaua, quæ est vltima de Matrimonio: & latissimè etiam ex Iuris vtriusque norma persequitur Couarruuias toto illo capite octauo. Atque hæc de quarta quæstione principali.

QVÆSTIO QVINTA.

De Impedimentis Matrimonij.

Supplem. D. Thom. quæst. 50. & seq.

DVPLICIS GENERIS ESSE DICVNTVR IMPEDIMENTA, quæ interuenire possunt in ipso contractu matrimonij. Quædam ita impediunt matrimonij contractum, vt illum etiam reddant inualidum: quæ ideo dicuntur dirimentia. Alia ita, vt reddant illicitum, quamuis non inualidum. Hoc posito videndum est PRIMO, *Vtrum humanæ auctoritatis decreto possint aliqua impedimenta matrimonio apponi, præsertim primi generis, quæ alioqui iure naturali & diuino illud non impedirent.* SECVNDO, *Si omnino aliqua impedimenta matrimonij sunt; quænam & quàm varia sint illa, & quonam iure vnumquodq; illorum constet.* TERTIO *in specie dicendum de impedimentis dirimentibus.* QVARTO *de impedimentis non dirimentibus.* QVINTO, *An possit in Matrimonij impedimentis dispensari, & cuiusnam auctoritate. Ad hæc enim quinque puncta video reuocari omnia, quæ de impedimentis matrimonij tractat D. Thomas hìc quæst. 50. & pluribus sequentibus, & alij Theologi in 4. dist. 34. & deinceps, & ex Canonistis nominatim Couarruuias in Epitome lib. 4. parte 2. cap. 6.*

PVNCTVM PRIMVM.

Vtrum humanæ auctoritatis decreto possint aliqua impedimenta matrimonio apponi, præsertim matrimonium dirimentia, quæ alioqui iure naturali & diuino illud non impedirent.

D. Thom. quæst. 50. art. vnico.

DE PRIMO PVNCTO DVPLEX potissimum ratio dubitãdi est circa impedimenta præsertim dirimentia, quæ scilicet reddant etiam inualidum matrimonium. PRIMA B quia ipse Deus est, qui matrimonia instituit & iungit, vt supra q. 1. p. 2. testimonio Christi Matthæi 19. docuimus. Ergo quæ impedimẽta Deus ipse in matrimonio non apponit, nõ potest nec debet apponere auctoritas humana. Id enim si

Universidad de Deusto
Biblioteca

fiat; homo videbitur separare quod Deus ipse coniungit.

SECVNDA, quia si auctoritas humana potest impedimenta matrimonij constituere, quæ iure diuino constituta non sint; consequens erit, vt consensus & verba contrahétium, quæ vno tempore fuerũt legitima *materia* & *forma* Sacramenti matrimonij, alio tempore non sint. At hoc nõ videtur sine absurditate concedi posse. Ergo neque illud ex quo id sequitur.

Maior patet, si ponamus, per auctoritatem humanam nonum aliquod impedimentum apponi ꝙ reddat inualidum matrimonium, cum antea iure diuino & naturali non reddiderit: Sicut v. g. iam factum est in Concilio Tridentino, sess. 24. de Reformatione, vbi hoc ipso quòd præsentia parochi, & testium ad valorem matrimonij requisita est, consequenter etiam statutũ est, vt absentia istorum obstet veritati matrimonij, tanquam quoddam impedimentum. Vnde fit vt eadem verba & consensus contrahétium, quæ absente parocho & testibus ante Cõcilium Tridentinum fuerunt legitima *materia* & *forma* Matrimonij iure diuino, iam non sint.

Minor autem, scilicet quod hoc non possit sine absurditate concedi, ꝓbatur dupliciter. *Primò*, quia si id per humanam auctoritatem fieri potest; Ergo potest humana auctoritas *mutare* materiam & formam Sacramenti: quod abhorret penitus ab orthodoxa doctrina. Quid enim aliud est facere, vt ꝙ antea erat materia & forma, postea non sit, nisi materiam & formã mutare? *Secundò*, Quia in aliis Sacramentis nõ potest humana auctoritas facere, vt quod aliquando fuit legitima materia & forma Sacramenti, postea non sit. Ergo neq; in Sacramento matrimonij. Consequentia probatur. Nam si auctoritas humana in Sacramento matrimonij id faciat; æquè videbitur facere contra institutionẽ diuinam, ac si id faceret in materia & forma alicuius alterius Sacramenti.

Quæro enim (vt persistam in ꝓposito exemplo) an consensus & verba contrahentium sine præsentia parochi & testium fuerint ante Concilium Tridentinum vera forma & materia Sacraméti matrimonij ex institutione diuina, nec ne? Si non fuerunt; Ergo neq; tunc satis erant ad verum Sacramentum matrimonij: cuius tamen contrarium definit ipsum Concilium Tridentinum, & nos tãquam certum supponimus. Si autem ex institutione diuina vera forma & materia fuerunt; Ergo cùm postea statuit Ecclesia, vt non sint vera materia & forma; omnino statuit aliquid contra institutionem diuinam.

Ad hæc ARGVMENTA reuocantur ea, ꝓpter quæ SECTARII contendunt, non posse ab Ecclesia institui aliqua impedimenta essentialia matrimonij, quæ non sint alioqui instituta iure diuino: vt nominatim est videre apud Kemnitiũ in Exam. can. 4. sess. 24. Concilij Trid. quæ est etiam sententia Caluini, & aliorum. Quamuis nõ ita efficaciter, sed planè ineptè ea ipsi argumenta proponunt.

Ac censent hi etiã nec impedimenta vlla posse per Ecclesiam addi, quæ reddant *illicitum* matrimonium sub peccato: Quamuis non negent aliquid posse humana auctoritate in hoc genere constitui propter vtilitatem maiorem & decorem reipub. Quod non aliter confirmant, nisi quia putant alioqui nullas posse leges humanas sanciri quæ per se obligent in conscientia sub peccato. Qui ipsorum error aliàs à nobis in Tractatu de legibus confutatus est, tomo 2. disp. 7. quæst. 4.

Quod verò ad præsentem locum attinet, sententia ECCLESIAE Catholicæ illis argumentis non obstantibus est, posse omnino per Ecclesiasticam auctoritatem vtriusque generis impedimenta matrimonio apponi; quemadmodum etiam in illo Canone 4. sess. 24. Concilij Trid. definitum est.

Id autem ꝓbatur PRIMO ex ipsa natura matrimonij hoc modo: Si matrimoniũ pro varietate temporum & circumstantiarum alio & alio modo oportet contrahi, vt conducat ad bonum commune Christianæ Reipub. in quod tanquã in finem est ordinatũ; dubitari non debet, quin illa auctoritas quæ toti Christianæ Reipub. præest, possit pro varietate temporũ & circumstantiarum varias conditiones in illo ita requirere, vt sine ipsis aut non validè, aut non bene & licitè contrahatur. At dubium esse non potest, quin pro varietate temporum & circumstantiarum alio atq; alio modo oporteat matrimoniũ contrahi, vt conducat ad illum suum finem, nempe ad bonum commune Christianæ Reipub. Igitur neq; dubitari debet, quin Ecclesiastica auctoritas, quæ toti Christianæ Reipub. præest, possit pro varietate temporum & circumstantiarũ varias conditiones in illo ita requirere, vt sine illis aut non validè, aut non licitè contrahatur: quod ipsum est impedimenta matrimonio apponere.

Maior probatur, quia non esset alioqui summus Reipub. Christianæ prælatus tanta præditus auctoritate, quanta ad bonũ commune Reipub. Christianæ necessaria esset: & consequenter neque ipsa Ecclesia Christiana esset rectè constituta & *ædificata* super auctoritatem illius summi prælati: quod repugnat Christi promissionibus Matth. 16. & 18. &c.

Minor autẽ inde manifestè patet, quòd matrimonium in quodam *humano contractu* consistit, vt suprà q. 1. docuimus. Omni autem humano contractui commune hoc est, vt pro varietate temporum ac circumstantiarum, subinde alias & alias conditiones, & quasi modum alium possit requirere, vt eius vsus sit opportunus & conducibilis ad commune bonũ Reipub. Christianæ.

Quæ

Quæ res exemplo ex hac ipsa materia petito, quod paulò ante induximus, confirmari potest. Cũ enim præteritis temporibus maior erat hominum erga Deum timor, poterant clandestina matrimonia sine magno incommodo Reipub. Christianæ tolerari. Rarius enim eueniebat, vt qui cum vna persona clam contraxisset, hoc postea inficiaretur, & in facie Ecclesiæ cum altera illegitimè contraheret maneretq; in perpetuo adulterio. At postquam id flagitium postposito timore Dei frequẽtius ab hominibus committi cœpit, plus detrimenti quàm commodi contractus illi clandestini Christianæ Reipub. afferebant. Quocirca auctoritatem in Ecclesia esse oportuit, quæ eiusmodi contractus abolere posset, & alium quendam matrimonio modum cõstituere: sicut in Concilio Tridentino factum esse videmus. Atq; vt huius particularis decreti, ita quoq; aliorum, quibus per Ecclesiam aliqua impedimenta matrimonij constituta sunt, suæ etiam rationes simili modo assignari possunt.

SECVNDO probatur Catholica assertio ex praxi ipsius Ecclesiæ iam inde ab antiquissimis temporibus vsurpata: de qua velle disputare *insolentissimæ insaniæ est*, vt affirmat epist. 118. AVGVSTINVS. Eius autem praxis antiquum etiam testem profero eundem ipsum Augustinum lib. 15. de ciuit. cap. 16. vbi matrimonia *consobrinorum* affirmat rectè per legem humanam fuisse prohibita, quamuis alioqui licerent per legem diuinam, vt ibidem inquit.

Item D. AMBROSIVM epist. 66. ad Paternum. Qui eadem matrimonia *consobrinorum* aut *patruelium* commemorat fuisse etiam sub seuerissima pœna prohibita ab imperatore Theodosio.

Item D. GREGORIVM lib. 12. Registri. epist. 31. ad Fælicem Episcopum: vbi ex lege in Ecclesia illis temporibus receptissima cauet, ne personæ intra *gradum septimum* consanguineæ, matrimonio iungantur, & iubet eas separari, si id facere tentauerint: quia matrimonium videlicet fuerit nullum. Quod testimonium Gregorij vna cum aliis Canonibus antiquis ad eandem rem citat Magister in 4. d. 40. & 41. & Gratianus in Decretis 35. q. 3.

Item profero testem IVLIVM I. Pontificem in Can. *Si quis ancillam* 2. 29. q. 2. Vbi ad quæstionem sibi propositam, Vtrũ aliquis posset matrimonium inire cum ancilla, quam ipse libertate donasset; respondet posse, *si nihil*, inquit, *impium & legibus contrarium in tali copulatione fiat*. Quibus verbis apertè indicat vel fuisse, vel certè esse potuisse aliquas leges humanas, quæ impediant ea matrimonia fieri, quæ alioqui respiciendo ad solum ius diuinũ & naturale, possent validè cõtrahi: vt illud cum ancilla libertate donata.

Adde quòd non solùm Ecclesiastica auctoritas, sed etiam POLITICA seu ciuilis POSSET matrimonio impedimenta apponere, quatenus est *contractus* quidam ordinatus ad bonum etiã commune Reipub. ciuilis. vt bene docet diuus Thomas in quarto, distinctione trigesima quarta, quæstione prima, articulo primo ad quartũ, & Ruardus Tapper in suis controuersiis, articulo vigesimo, & accuratius probat Franciscus Victoria in Relect. de Matrimonio, parte secunda, sectione prima. Nam etiam in magistratu *politico* oportet auctoritatem esse tantam, vt possit propter ciuile bonum Reipub. varias conditiones in *contractibus*, qui ad id bonum ordinantur requirere; sicut facilè deduci potest ex probatione prima nostræ assertionis, applicãdo illam quoq; ad magistratum *ciuilem*.

Nihilominus tamen quia contractus matrimonij propter annexam rationem SACRAMENTI & finem spiritualem, quem in Repub. Christiana respicit, magis est *spiritualis* quàm politicus; Ecclesiastica auctoritas limitauit in hoc genere auctoritatem magistratus ciuilis, tanquam superior illâ; ita vt nulla lex ciuilis de impedimentis matrimonij lata vllum habeat robur, nisi per Ecclesiasticam etiam legem idem statuatur: vt rectè docet diuus Thomas in quarto, distinctione quadragesima secunda, quæstione secunda, articulo secundo ad quartum, & latius ostendit Victoria loco citato, post Paludanum in quarto, distinctione vigesima sexta, quæstione tertia, articulo tertio, conclus. 2. qui ad id confirmãdum citat caput *Ecclesia S. Mariæ*. Extra. de constitut. vbi sanè generatim habetur, vt nullum statutum laicorum in rebus Ecclesiasticis sit vllius firmitatis nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Causa autem matrimonialis simpliciter & absolutè est *Ecclesiastica* propter rationem dictam.

SED supereſt vt ad illa duo argumenta in cõtrarium posita respondeamus. Ad PRIMVM respondeo, Deum ita instituisse matrimonium, vt noluerit tamen illud esse firmum aut licitum nisi iis conditionibus & eo modo contractum, quo iuxta iudicium Ecclesiæ expediret ad bonũ commune Reipub. Christianæ: vt euidenter ostendit prima probatio nostræ assertionis. Quare matrimonium contractum cum impedimẽto essentiali ab Ecclesia apposito, minimè Deus ipse iungit: atque ita cùm personæ eo modo illegitimè coniunctæ decreto Ecclesiæ separantur, nequaquam illud separatur quod Deus cõiunxit, sed quod homines perperam coniungere voluerunt.

Ad SECVNDVM concessa Maiori negatur Minor. Ad probationem *primam* nego, propterea mutari ab Ecclesia *materiam* & *formam* diuinitus institutam. Ratio est, quoniam materia & forma Sacramenti matrimonij diuinitùs instituta, nõ est consensus & verba contrahentium quatenus hoc aut illo modo *determinato* adhibentur, sed generatim quatenus adhibẽtur eo modo quem Ecclesia pro varietate temporum & circumstãtiarum iudicat *expedire* ad bonũ commune Rei-

Universidad de Deusto
Biblioteca

publicæ Christianæ. Ipsa enim natura huius Sacramenti, eo quòd in *contractu* quodam humano consistit, exigebat vt non nisi sub hac ratione generali Deus vellet in mutuo consensu & verbis contrahentium consistere materiam & formam illius: vt euidenter conuincit prima nostrę assertionis ratio.

Iam verò quicquid pro varietate temporum & circumstantiarum Ecclesia statuat de hoc aut illo modo determinato mutui consensus & verborum, quo matrimonium contrahatur; tamen illud quod de materia & forma huius Sacramẽti diuinitus institutum esse dicimus, immutatũ omnino manet: nempe vt materia & forma sint verba & consensus inter illas personas & eo modo adhibita, quo pro ratione circumstantiarum Ecclesia expedire iudicat. Ita fit, vt non mutet Ecclesia materiam & formam matrimonij secundùm eam quidem rationem, qua diuinitus est instituta, tametsi mutet *modum determinatum* ipsius: qui modus, vt dictum est, non est per se diuinitùs institutus.

Atque hinc facilè patet etiam responsio ad *secundam* probationem illius Minoris. Discrimẽ enim inter matrimonium & alia Sacramẽta est, quòd quia illud in quodam humano *contractu* consistit, non est eius materia & forma determinata diuinitus secundùm suam speciem ita, vt in consensu & verbis quorumcunque, & quomodocunque adhibitis possit verè consistere: sed solum est instituta diuinitùs secũdùm illam rationem generalem quam diximus. Vnde fit, vt quamuis Ecclesia quandoque mutet modũ particularem contrahendi; minimè tamen mutet id, quod per se est institutum diuinitùs.

In aliis autem Sacramentis, quia non in contractu aliquo, sed in certis quibusdam rebus cõsistunt; instituta est diuinitùs materia & forma secundùm suam speciem ita *determinatè*, vt quod semel est idonea materia & forma alicuius ex reliquis Sacramentis, semper esse possit, si ab eiusdem conditionis personis, siue ministris, & debita cum intentione adhibeatur. Vnde fit, vt contra institutionem diuinam Ecclesia faceret, si statueret vt illud ipsum in his Sacramentis aliquando non esset legitima materia & forma, propter aliquas alias circumstantias. Hactenus de primo puncto.



PVNCTVM SECVNDVM.

Si omnino aliqua impedimẽta Matrimonij sunt; quænam & qualia sint illa? & quonam iure vnumquodque illorum constet.

D. Thom. quæst. 50.

QVOD ad secundum punctum attinet, duo inprimis genera impedimentorum distingui solent in ipso Matrimonij contractu, vt initio huius quæstionis dicere cœpimus. QVAEDAM quæ reddunt matrimonium inualidum. ALIA quæ tantummodo reddunt illicitũ. Et illa prioris generis solent appellari à Doctoribus impedimenta quæ non solùm impediunt matrimonium contrahendum, sed etiam *dirimunt* contractum. Alia verò secundi generis vocant impedimenta, quæ non dirimunt matrimonium contractum, sed *impediunt* contrahendum. Atq; etiam breuius dicere solent quædam esse impedimenta *dirimentia*, quædam *non dirimentia*.

Hoc autem non ita intelligendum est, quasi impedimẽta illa primi generis dissoluant & dirimãt matrimonium validè prius contractum; vt ex malitiosa quadam inscitia Kemnitius & alij Sectarij existimare videntur nos docere. Id enim si fieret, iam tunc verè, *quod Deus coniunxit*, humana auctoritas *separaret*. Sed eo tantum sensu dicuntur illa impedimenta primi generis dirimere matrimonium contractum, quia eam quoq; vim habent, vt qui cum iis impedimentis *de facto* contraxerunt, iure separari debeant, tanquam ij videlicet, qui minimè verè ac legitimè contraxerint. Ita enim ex omnium sententia rectè notauit Nauarrus in Manual. cap. 22. numero 29.

Addit etiam Couarruuias in Epitome, parte 2. cap. 6. §. 1. *tertium* quoddam membrum in hac diuisione generali impedimẽtorum matrimonij: scilicet quædam etiam impedimẽta esse, quæ si aduenient *ante* matrimonium verè contractũ, illud si contrahatur, dirimũt eo modo, quo iam explicatum est, non autem si aduenient *post* illud verè contractũ. Vt Seruitus, inquit, alterius, & affinitas propter copulam carnalem cũ persona alterius coniugis consanguinea.

Sed tamen duplici de causa puto non esse opus istud *tertium* membrum in illa diuisione generali addere. Primò, quia affinitas illa superueniens post verum matrimonium nõ verè ipsius matrimonij, sed *vsus* illius impedimentum est: vt scilicet qui talem affinitatem cum coniuge contraxit, nõ possit ab eo petere debitũ, quemadmodum postea suo loco notabimus. Seruitus item alterius coniugum superueniens, neq; *matrimonij*, neq; etiam *vsus* matrimonij impedimẽtum

tum aliquod est; cùm non impediat vel reddi-
tionem, vel petitionem debiti.

Secundò, quia seruitus & affinitas, eo modo quo impedimenta ipsius matrimonij esse possunt, satis comprehenduntur in primo illius generalis diuisionis mẽbro, vt postea videbimus. Quare sufficit duo tantum illa genera impedimentorum diuidere, sicut alij omnes Doctores faciunt in 4. d. 34. & D. Thomas hìc q. 50. & Nauarrus in Manuali, cap. 22. num. 29.

PORRO vtriusq; generis impedimenta sunt VARIA. Et illa quidem quæ impediunt & DIRIMVNT, his tribus versibus comprehensa numerari solent:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.

Quos versus retulit etiam D. Thomas dist. 34. q. vnica, & hìc q. 50. Impedimenta verò quæ tantum IMPEDIVNT & *non dirimunt*, solent quoq; generatim indicari his duobus versibus relatis etiam à D. Thoma:

Ecclesia vetitum, nec non tempus feriatum,
Impediunt fieri, permittunt iuncta teneri.

Omnia enim huiusmodi impedimenta nitũtur Ecclesiæ quibusdam prohibitionibus: quæ quàm variæ sint, postea dicemus. Prius enim impedimenta, quæ etiam DIRIMVNT, sunt nobis percurrenda.

PVNCTVM TERTIVM.

De impedimentis dirimentibus.

D. Thom. q. 51. & seq.

ERROR tunc reddit inualidum matrimonium, cum est circa *personam*: aut circa *statum* eius *seruilem*. Quia tunc consensus in *talem personam* nõ est deliberatus & liber. Non autem si sit tantum circa personæ *qualitatem*: vt suprà satis explicatũ est q. 3. huius Disp. p. 2. Hoc autem impedimentum iure ipso *naturali* constat: quandoquidem iure naturali requiritur ad matrimonium consensus liber, qui impeditur per talem errorem.

CONDITIO.

HOc vocabulo duplex genus impedimenti dirimentis intelligi potest. Videlicet aut conditio *seruilis* alteri ignota: Aut conditio apposita *de futuro* ex qua contractus ipse pendeat. Et de vtroq; genere impedimenti abunde à nobis dictum est q. 3. p. 2. & 3. cùm ageremus, qualis debeat esse consensus.

Constat etiam hoc impedimentum iure *naturali*: quandoquidem ipsa natura contractus de præsenti (qualis est Matrimonij contractus) requirit, vt non pendeat ex euentu *futuro*; sicut illic explicatum est. Vbi etiam docuimus, quemadmodum conditio *turpis*, vel *impossibilis* haberi debeat pro non adiecta: & quomodo reddatur nullum matrimonium per conditionem appositam contra illius *substantiam*.

VOTVM.

TRIPLICIS generis votum reddit inualidum matrimonium. Primo votum *solenne* per professionem factam in approbata RELIGIONE. Secundò votum etiam solenne per susceptionem sacri ORDINIS: vt suprà vidimus in disputatione præcedenti, quæstione vltima, puncto vltimo de cœlibatu. Tertiò votum simplex obedientiæ, paupertatis, & castitatis, emissum in *Societate* Iesu iuxta formulam constitutionum eiusdem Societatis post biennium ab ingressu.

De primo & secundo voto patet ex cap. vnico de voto & voti redemptione, lib. 6. & ex can. *Voentibus*. 17. q. 1. De tertio voto patet ex peculiari constitutione Gregorij XIII. Pontificis Maximi, quæ incipit, *Ascendente Domino*. Anno 1584. motu proprio edita. Ibi enim Pontifex reddidit inhabiles ad matrimonium validè contrahendum, eos, qui sint obstricti TALIBVS votis simplicibus, id est, emissis cum talibus circumstantiis, nempe in Religione Societatis, post biennium Nouitiatus, &c. Idque meritò: quandoquidem, vt idem Pontifex ibi definit, & nos probauimus tomo 3. disp. 10. q. 4. p. 2. per talia vota simplicia constituitur quis in Religioso STATV verè ac propriè dicto, & hoc ipso quòd TALIA vota sic emittit, re ipsa se *subiicit* ac *tradit* regendum Superioribus Societatis, iuxta id etiã quod docuimus tomo 3. eadem disp. & q. p. 5. quamuis non quidem per modũ *solennis* Traditionis, quæ *per se* & *ex natura rei* inhabilitet ad matrimoniũ, (eo quod priuet totali sui etiam corporis dominio, &c.) iuxta sententiam magis receptam de voto solenni professionis, quam defendimus tomo 3. disp. 6. q. 6. p. 5.

Sed tamen fit nihilominus per eiusmodi vota talis traditio, quæ verè reddit personam *subiectam ac mancipatam* arbitrio & potestati Superioris in Religioso illo vitæ Instituto, sic, vt minimè sit ei integrum recedere ab eo religiosæ vitæ ac subiectionis genere. Id quod meritò (vt diximus) potuit mouere Pontificem, vt in eiusmodi votis simplicibus, quatenus TALIA quidem sunt (nempe in tali Religione, & cum talibus circumstantiis emissa) constitueret nouum hoc Impedimentum dirimens Matrimonium, cùm faciant nimirum verè ac propriè dictum Religiosum per subiectionem & traditionem prædictam.

Neque obstat quòd communiter Doctores sentiunt, Votum simplex esse tantummodo nudam promissionem. Intelligendum namque id

Universidad de Deusto
Biblioteca

eſt de Voto Simplici abſtractè & præcisè conſiderato ſecundùm generalem rationẽ Voti *Simplicis* omnibus Votis Simplicibus communem, qua differt à Voto Solenni. Iuxta ea quæ docuimus tomo tertio, diſputatione ſexta, quæſtione ſexta, puncto quinto. Hæc autem Vota Societatis præter promiſsionem continent etiã traditionem prædictam, non præcisè vt ſimplicia ſunt, ſed vt ſunt TALIA ſimplicia. Vt ſi dicerem, Petrum, verbi gratia, præcisè quidẽ vt hominem, eſſe tantummodo Animal rationale, & non etiam iuſtum vel doctum, &c. vt TALEM autem hominem, eſſe etiam iuſtum & doctum.

Porrò, qui huiuſmodi votis (ſiue Solennibus, ſiue illis Simplicibus Societatis) impediti præſumunt contrahere matrimonium, eo ipſo incurrũt excommunicationem: vt patet de Votis Solennibus ex Clementina vnica, de Conſanguinitate & affinitate: & de votis Simplicibus Societatis ex ſupra dicta Cõſtitutione Gregorij XIII. Conſtat verò hoc impedimentum iure *Eccleſiaſtico*, cuius nimirum decreto fit, vt per talia vota matrimonium reddatur nullum.

Adde quòd Votum Solenne per profeſsionẽ Religionis hoc habet proprium, vt etiam diſſoluat vinculum matrimonij verè antea contracti, modo non fuerit etiam conſummatum: vt ſuprà quæſtione prima, pũcto ſeptimo docuimus. Hoc autem minimè facit votum ſolenne per ſuſceptionem ſacri ordinis, vt ex communi ſentẽtia oſtẽdit Couarruuias in Epitome libri quarti, parte ſecunda, capite ſeptimo, §. quarto, numero nono, & patet ex Extrauaganti *Antiquæ*, titulo de Voto.

Notat quoq; idem Couarruuias illic, capite ſexto, §. tertio, numero tertio, & Nauarrus in Manuali, capite vigeſimo primo, numero quinquageſimo ſecundo, non poſſe etiam è contrario qui coniugatus eſt, niſi *de legitimo* conſenſu vxoris licitè ſuſcipere ſacrum ordinem: *legitimũ* autem vxoris conſenſum non eſſe niſi hæc ſi eſt iuuenis ingrediatur religionem, aut ſaltem voueat caſtitatem ſi ſit ſenex. Quod ſi aliquis coniugatus, ſine legitimo conſenſu ſuſcipiat ſacrum ordinem, non poſſe illum ſaltem debitum ab vxore petere, poſtquam eſt ordinatus.

COGNATIO.

TRIPLEX eſt cognatio Matrimoniũ impediẽs & dirimens: ſpiritualis, naturalis, & legalis. Cognatio SPIRITVALIS eſt quædam neceſſitudo aliquarum perſonarum, quæ ſtatuto Eccleſiæ naſcitur ex adminiſtratione baptiſmi, & confirmationis; ac etiam ex ſuſceptione baptizati, vel confirmati, quæ ſolet fieri à patrinis. Ita enim cognationem hanc definiunt Theologi in quarto, diſt. 40. & Canoniſtæ in caput primum de Cognatione ſpirituali, libro ſexto.

Et iure quidem antiquo cognatio hæc ſpiritualis matrimonium dirimens erat triplex: ſcilicet *paternitas*, quæ eſt inter baptizantem & BAPTIZATVM; & inter confirmantem & confirmatum; & ſimilitet inter patrinũ baptizati vel confirmati, & baptizatum & confirmatum. Item *compaternitas*, quę eſt inter parentes baptizati vel confirmati, & baptizantes aut confirmantes, & patrinos, qui modo etiam ſint ipſi baptizati. Et deniq; *Fraternitas* inter baptizatum vel confirmatum, & filios naturales baptizantis vel confirmantis, & patrinorum.

Iam tamen per Concilium Tridentinum, ſeſſione vigeſima quarta, capite ſecundo de Reformatione eſt omnino ſublatà *Fraternitas*, & ex parte etiam *compaternitas* nimirum inter baptizantem, vel confirmantẽ, & patrinos; relicta tantum *paternitate*, & etiam *compaternitate* inter parentes & patrinos; & inter eoſdem parentes, & baptizantes, vel confirmantes: vt etiam notat Nauarrus, capite vigeſimo ſecũdo, numero trigeſimo ſeptimo & ſequentibus.

Cognatio autẽ NATVRALIS eſt propinquitas per carnalem propagationem cõtracta duarum perſonarum, quarum *vna* ex *altera* (vt filius ex parente) vel *ambæ* ex *eadem*, (vt duo fratres) deſcendunt; ſicut notant omnes cum gloſſa in arbore conſanguinitatis libro ſexto. Et reddit hæc cognatio inualidum matrimonium, vſque ad *quartum gradum* incluſiuè: vt patet ex Cap. *No debet*. Extra de conſanguinitate & affinitate. Quamuis iure antiquo etiam vſq; ad ſeptimum gradum impediebat, ſicut puncto primo ex ſancto Gregorio commemorauimus.

Vt autem hæc res melius intelligatur, notandum eſt, gradũ CONSANGVINITATIS eſſe diſtantiam maiorem vel minorem vnius perſonæ ab altera ſecundũ conſanguinitatis ſeriem quãdam, vel vt vocant *lineam*. Eſt autem hæc ſeries vel linea conſanguinitatis duplex. Vna Recta, & alia tranſuerſalis. *Recta* eſt inter eos conſanguineos quorum *alius ab alio* immediatè vel mediatè deſcendit. *Tranſuerſalis* eſt inter eos quorũ neuter ab altero immediatè aut mediatè deſcẽdit, ſed *ambo ab vno aliquo tertio*; vel immediatè, vt fratres; vel mediatè, vt conſobrini, vel patrueles, &c.

Iam verò vt ſecundùm hanc rationem graduum & linearum conſanguinitatis, facilè intelligi poſsit quoto gradu conſanguinitatis vna perſona diſtet ab alia, quædam REGVLAE communiter à Doctoribus Theologis & Canoniſtis aſsignantur, quas nominatim proponit Paludanus in quarto, diſtinctione quadrageſima, quæſtione vnica, & Couarruuias in Epitome, parte ſecunda, cap. 6. numero ſexto, & reducuntur ad TRES ſicut illic bene notat Couarruuias.

PRIMA Regula. In linea *recta* tot numerandi ſunt gradus, quot numerantur perſonæ excepta prima. Itaque filius eſt in *primo gradu* conſanguineus patri; nepos in *ſecundo*; & ſic deinceps.

SECVNDA

SECVNDA Regula. In linea *tranſuerſali æquali*, eodem gradu diſtant conſanguinei inter ſe, quo quilibet illorum ſecundùm lineam rectam diſtat à prima ſtirpe. Itaque fratres, qui ſunt conſanguinei in tranſuerſali linea *æquali*, in primo gradu ſunt conſanguinei; ſicut & quilibet illorum in primo gradu ſecũdùm lineam rectam diſtat à prima ſtirpe: & conſobrini in ſecundo, & ſic deinceps.

TERTIA regula. Qui ſunt in linea *tranſuerſali inæquali*, vt patruus, verbi gratia, & nepos ex fratre, eo gradu conſanguinitatis diſtant inter ſe, quo remotior illorum ſecundùm lineam rectam diſtat à prima ſtirpe. Itaque patruus & nepos ex fratre, vel etiam ſorore, diſtant ſeu ſunt conſanguinei in *ſecundo* gradu, in quo nimirum nepos diſtat à prima ſtirpe ſecundùm lineam rectam, vt patet: & ſic de aliis. Quæ omnia quibuſdam arborum figuris ſolent à Doctoribus demonſtrari, quæ ex his facilè intelligi, immò etiam formari poſſunt. Quæ verò Beza contra has tres regulas in libro ſuo de repudiis & diuortiis obiicit, tam futilia ſunt, vt digna non iudicem commemoratione. Neque enim habent locum, ſi Regulæ iſtæ ita proponantur, vt iam eas propoſuimus.

Porro cognatio LEGALIS eſt propinquitas orta ex *adoptione* alicuius in filium, vt notant communiter Doctores in quarto, diſtinct. 42. & in cap. 1. extra de cognatione legali. Et impedit intra quartũ gradum ſicut cognatio naturalis. Eſt autem hæc Legalis cognatio triplex. PRIMA inter aſcendentes & deſcendentes: vt inter adoptantem, & poſteros eorum. Et hæc ſemper impedit; etiamſi adoptio ſit diſſoluta, nec etiam per emancipationem adoptati tollitur: vt notat Nauarrus cap. 22. num. 44. & colligitur ex cap. *Ita diligere*. 30. quæſt. 3.

SECVNDA eſt in linea tranſuerſali inter adoptatum & filios naturales adoptantis. Et hæc tamdiu impedit quamdiu ipſa durat, & quamdiu filij naturales ſunt in patria poteſtate; aliàs non: vt patet ex capit. primo. Extra de Cognatione legali, & l. *qui in adoptionem*. ff. de adoptionibus.

TERTIA eſt per modum cuiuſdam *affinitatis* legalis, vt inquit D. Thomas q. 57. art. 3. videlicet inter adoptantem & vxorem adoptati; & è contrario etiam inter adoptatum & vxorem adoptantis. Et hæc perpetuò impedit, ſicut prima, etiam ſublata adoptione; vel emancipato filio adoptiuo: vt patet l. *Adoptiuus*. ff. de ritu nuptiarum; ſicut etiam notat Diuus Thomas loco citato, & Nauarrus cap. 22. num. 44. & alij communiter.

HOC IMPEDIMENTVM quod attinet ad cognationem *ſpiritualem & legalem*, inter omnes conuenit ſolo *iure humano* conſtare. Sed quod attinet ad cognationem NATVRALEM magna QVAESTIO eſt, Vtrum illa quoad aliquos ſaltem gradus reddat nullum Matrimonium ex iure *naturali & diuino*.

Quæ ſanè quæſtio non eſt tantummodò ſpeculatiua, ſed imprimis etiam ad praxim pertinet propter duas cauſſas. *Primò*, quia ſi quis gradus reddat Matrimonium nullum iure naturali & diuino; in eo per auctoritatem Eccleſiæ nulla diſpenſatio fieri poterit. *Secundò*, quia etiam infidelium Matrimonia contracta in gradu, qui ſit iure naturali & diuino prohibitus, eſſent dirimenda, quando illi conuerterentur ad fidem. Si autem contraxerint in gradu ſolùm prohibito iure Eccleſiaſtico, haberi debent illorum Matrimonia rata, quando conuertuntur: ſiquidem illi ſolum, qui baptizati ſunt, eiuſmodi legibus Eccleſiaſticis de impedimentis Matrimonij obſtringuntur; Vt in hoc ipſo propoſito determinat Innocentius III. in cap. *Gaudemus*. Extra de diuortiis.

Eſt autem ſententia VViclephi apud VValdenſem tomo ſecundo de Sacramentis, capite 134. Et Lutheri in Concione de Matrimonio ad VVirtenbergenſem populum, & aliorum Sectariorum, gradus omnes conſanguinitatis atque affinitatis, qui Leuitici 18. fuerunt prohibiti, eſſe etiam nunc iure naturali & diuino prohibitos, & per eos Matrimonium reddi nullum.

Fundamentum iſtius erroris præcipuum eſt illud, quod ponit Kemnitius in Examine Can. 3. ſeſsione 24. Concilij Tridentini, quia ſcilicet Deus ipſe Leuit. 18. videtur declaraſſe prohibitiones illorum graduum non fuiſſe cæremoniales, aut iudiciales, ſed *iuris naturalis*, atque adeò ad omnes homines, & ad omnia tempora pertinere: tametſi lex ipſa ſcripta, prò illo populo, nos per ſe non obliget.

Id autem confirmat PRIMO, quia Deus ibi coniunctiones perſonarum in eiuſmodi gradibus vocat abominationes & ſcelera, quæ dicit commiſiſſe gentes: *Nec polluamini*, inquit ibi, *in omnibus iis, quibus contaminatæ ſunt vniuerſæ gentes, quas ego eiiciam ante conſpectum veſtrum, & quibus polluta eſt terra, cuius ego ſcelera viſitabo*. Et infrà: *Omnis*, inquit, *anima, quæ fecerit de abominationibus his quidpiam, peribit de medio populi ſui*.

SECVNDO, quoniam Apoſtolus 1. Corinth. 5. Cùm inquit, *nec inter gentes* audiri, quòd aliquis habeat *vxorem patris ſui*, id eſt, ſuam nouercam; ſatis oſtendit, eum gradum affinitatis reputari naturali etiam lege prohibitum apud gentiles, qui non viuebant ex lege Moyſis.

TERTIO, quia Ioannes Baptiſta, qui legi ſcriptæ finem impoſuit, dicit Herodi; *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, Marci ſexto, quaſi videlicet ſit ipſa lege naturali hoc prohibitum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ac potuisset hîc etiam Kemnitius addere, quòd Deus ipse Leuit. 20. ita dicit: *Qui duxerit vxorem fratris sui, rem facit illicitam*; & pœnam sterilitatis ibidem minatur: *Absque liberis*, inquit, *erunt*.

Censent etiam Sectarij illos SOLOS gradus in LEVITICO prohibitos impedire Matrimonium, neque vllos alios posse impedire per auctoritatem Ecclesiæ: sicut generatim etiam contendunt nullum impedimentum per auctoritatem humanam posse apponi Matrimonio, quod alioqui non constet ex ipso iure naturali & *diuino*, vt punct. 1. vidimus.

Ac præter Sectarios fuerunt aliqui Doctores, qui imprudentes senserunt, omnes illos gradus Leuitici esse Iuris diuini, nec posse Pontificem in illis dispensare. Vt Ioannes Maior in 4. distinct. 40. quæstione tertia, & Syluester, Verbo *Papa*. §. 17. Inter alios autem orthodoxos Scriptores de quibusdam punctis in hac quæstione conuenit, & de quibusdam controuersia est.

PRIMO conuenit, non posse iam ex iure scripto determinari, an aliqui gradus consanguinitatis, vel etiam affinitatis sint prohibiti iure diuino & quinam; sed id statui oportere ex ipsa ratione *naturali*, id est, ex lege ipsa naturæ, quæ rationis rectæ dictamine continetur, quæque est etiam lex diuina. Id patet manifestè: quia in nouo Testamento præter ipsa præcepta naturalia, nullum est aliud peculiare, & expressum præceptum, nisi de fide & Sacramentis, vt asserit etiam Diuus Thomas 1. 2. quæst. 108. articulo primo & secundo, & Quodlib. quarto, articulo decimo tertio, & Franciscus Victoria Relectione de Matrimonio, par. 2.

Neque aliquid in nouo Testamento expressè de hac re scriptum reperitur. Ioannes enim Baptista ex præscripto etiam legis Mosaicæ loquebatur Herodi, & agebat de vxore fratris, quam fratre viuente duxerat Herodes. Apostolus autem 2. Corinth. 7. etiam agit de vxore patris adhuc viuentis: vt Caietanus in illum locum, & alij multi Doctores colligunt ex eo, quòd Apostolus loquitur de ea, quæ esset *patris* vxor.

Et probat etiam id Sotus in quarto, distinctione 41. quæstione vnica, articulo tertio, quia alioqui non appellasset fornicationem, *qualis neque inter gentes audiretur*; siquidem ex AVGVSTINO quæst. 61. in Leuiticum constat, aliquibus gentibus (vt Persis) in more fuisse, vt filius acciperet vxorem patris demortui. Item, quia Apostolus secunda ad Corinthios septimo, dicit se illa reprehensione in priori epistola vsum fuisse non *propter eum, qui iniuriam fecit, nec propter eum, qui passus est* (quibus verbis significat, eum adhuc superstitem fuisse) sed *ad manifestandam*, inquit, *solicitudinem nostram*.

Dato etiam, quòd ex Baptista & Paulo posset aliquid colligi, quod attinet ad affinitatis gradus cum fratris vxore & nouerca; quæstio tamen restaret de multis aliis gradibus, de quibus nihil penitus ex nouo Testamento colligi posset.

Lex autem scripta in Leuitico non habet vim obligandi nos, cùm per Christum fuerit antiquata: licet obligemur quidem illis præceptis naturalibus, quæ in illa sunt contenta. Quare patet, vt diximus, ex nulla lege diuina *scripta* posse determinari, quinam gradus sint iam prohibiti iure diuino, sed id esse decernendum ex ratione & lege *naturali*.

SECVNDO conuenit inter orthodoxos, neque ex ipsa ratione naturali statim colligi posse, Matrimonium esse nullum in aliquo propinquitatis gradu, propterea solùm, quòd ex ratione naturali apparet, Matrimonium in aliquo tali gradu esse *prohibitum & illicitum*. Nam vt suprà quæstione tertia, puncto sexto docuimus, aliud est, Matrimonium esse illicitum; & aliud, esse inualidum. Matrimonium enim post votum simplex Castitatis est iure diuino illicitum & prohibitum, & tamen est validum. Et similiter Matrimonium cum aliqua, post sponsalia cum altera: & alia eiusmodi Matrimonia ob aliquam circumstantiam iure diuino mala & illicita. Quare, vt ex ratione naturali colligi possit Matrimonium aliquod esse etiam iure diuino *inualidum*; necesse est ex ipsa natura & fine Matrimonij duci argumentum, quod ostendat, illud isto, vel illo modo contractum non posse consistere.

TERTIO conuenit, non esse iure *naturali* nullum, aut etiam illicitum semper Matrimonium in *omnibus* illis gradibus consanguinitatis & affinitatis, qui prohibentur in Leuitico. Nam etsi Matrimonia in omnibus illis gradibus, nisi peculiaris aliqua circumstantia, & ratio præponderans interueniat, atque adeò *ordinariè* & pro libito priuatorum contracta (sicut apud gentes fiebat) habeant aliquam turpitudinem contra dictamen Legis naturalis, de debita reuerentia inter personas propinquas, & de amplificanda inter extraneos connubiorum necessitudine, vt planè sentit, ac vt certum præsupponit sanctus AMBROSIVS epistola 66. ad Paternum: tamen possunt in aliquibus eiusmodi gradibus honestè & conuenienter iudicio rectæ rationis quandoque contrahi à quibusdam personis ob circumstantias aliquas, quæ reddant talia Matrimonia vtilia ipsi bono communi. Sicut occisio hominis, verbi gratia, si nudè & per se sine alia circumstantia consideretur, contra legem naturalem est: non autem, si accedat circumstantia inculpatæ tutelæ vitæ propriæ, aut iustæ punitionis per auctoritatem publicam, &c.

Item qui-

Item quidam gradus ibi in Leuitico prohibiti sunt, in quibus nulla ratio, aut ex natura, aut ex fine Matrimonij petita, conuincit, Matrimonium non posse validè consistere. Vt verbi gratia, in gradu affinitatis cum vxore fratris defuncti: maximè cùm etiam Deus ipse concesserit, imò legem tulerit, vt quis vxorem fratris sine liberis defuncti acciperet. Deuteronom. 25. Quod profectò non licuisset, si esset contra coniugij veritatem, & ius naturæ in tali gradu affinitatis contrahere.

Vnde etiam in eo gradu dispensatum fuit ab Innocentio III. in cap. *Deus*. Extra de diuortiis. Et à Martino V. vt refert Antoninus tertia parte, titulo primo, capite vndecimo, circa finem. Et ab Alexandro VI. in eodem gradu, cum Rege Lusitaniæ, & cum Regina Angliæ Catharina, & in secundo consanguinitatis transuersali cum Rege Siciliæ, vt refert Caietanus 2. 2. quæstione 154. articulo nono. Atque etiam Innocentius III. in cap. *Gaudemus*. Extra de diuortiis concessit, vt in secundo & vlterioribus gradibus manerent rata Matrimonia infidelium, qui conuertuntur ad fidem.

Accedit, quòd S. Patriarcha Iacob (vt ponam præcipua exempla) copulauit sibi Matrimonio duas sorores Rachelem & Liam, Genes. 29. non obstante primo gradu affinitatis transuersali, quem contraxit cum qualibet. Item in sanctissima illa familia Thare patris Abrahæ, Nachor, & Aram; Nachor duxit Melcham filiam Aram fratris sui, Genes. 11. imò etiam Sara vxor Abrahæ fratris Aram, fuit filia eiusdem Aram, vt sentit sanctus Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 12. & alij grauissimi auctores: & tamen hic secundus gradus consanguinitatis est etiam in illo loco Leuitici prohibitus. Qui tamen cùm vsurpatus à sanctis Patribus fuerit, nõ debet censeri contra ius naturæ. Neque fundamentum contrarium Sectariorum aliquid valet, vt postea videbimus.

QARTO conuenit, in *primo* quidem gradu consanguinitatis secundùm lineam *rectam*, hoc est, inter parentes & filios, iure *naturali* atque etiam *diuino* Matrimoninm esse semper illicitum & nullũ: in quo gradu maximè etiam Matrimonium prohibitum est in Leuitico. Ratio huius est, quoniam ea Matrimonij natura est, vt mulier debeat esse *subdita* viro, ac simul etiam eius *socia*, & tanquam *par* in vsu coniugali ad procreationem filiorum. Obstat autem quartum præceptũ Decalogi, naturale alioqui & immutabile, quo minus inter parentes & filios possit esse eiusmodi subiectio, vel societas; cùm ex illo præcepto debeant filij parentibus subiectionem, & semper reuerentiam quandam peculiarem, quæ cum vsu coniugij non potest stare: vt latiùs hoc argumentum persequitur Victoria in Relectione de Matrimonio, parte secunda, & Sotus distinct. 40. quæstione vnica, articulo tertio, & Couarruuias in Epitome libri quarti, parte 2. cap. 6. §. 10. & tractat etiam Diuus Thomas hîc quæst. 54. articulo tertio, & alij passim Doctores in illa distinct. 40. libro quarto sentent. Et confirmatur hoc ipsum ex verbis illis diuinis, Genesis secundo: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ*. Vbi indicatur, ex ipsa naturali lege & institutione coniugij debere hominem alicui alteri quàm patri suo, aut matri, per Matrimonium adhærere.

Vnde sanctus AMBROSIVS epistola 66. ad Paternum: *Ne*, inquit, *Pater filiam suam accipiat vxorem, interdictum est naturæ iure: Interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum: Interdictum est inuiolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis*. Quin etiam ipsa animalia à coniunctione tali, instinctu quodam auctoris naturæ, abhorrent: adeò vt quemadmodum Aristoteles memorat libro nono de histor. Animalium, capite 46. Camelus morsu eum interemerit, qui vt matri obtectæ iungeretur, curauit: Itemque equus se præcipitem dederit, postquam similiter idem se egisse persensit. Quæ exempla ad hoc etiã propositum induxit Richardus in quarto, dist. 40. quæst. 2. Et de his, vt dixi, inter auctores orthodoxos conuenit.

CONTROVERSIA autem inter eosdem est PRIMO, Vtrum etiam in *primo* gradu consanguinitatis in linea *transuersali* sit Matrimonium nullum *iure naturæ*, id est, inter fratres. Nam Diuus Thomas in quarto, distinct. 40. quæstione prima, articulo tertio, & hîc quæst. 54. articulo tertio, & Bonauentura eadem distinct. parte secunda, quæstione secũda, Richardus ibi. quæstione secunda, & Scotus quæst. vnica, & Durandus quæstione prima eadem distinctione, & Alexander Alensis secũda parte, quæst. 169. membro quarto, & Caietanus 2. 2. quæst. 154. articulo nono, & Roffensis in Tract. de Matrimonio Regis Angliæ Henrici VIII. & Victoria in Relectione de Matrimonio, parte secunda, non existimant esse iure naturali nullum Matrimonium inter fratres. Quorum sententia posset confirmari exemplo Abrahæ, qui videtur sororem Saram accepisse in vxorem. Ait enim de illa, Genes. vigesimo: *Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & accepi eam in vxorem*.

SED tamen contraria sententia probabilior putatur; scilicet inter fratres iure *naturæ* Matrimonium esse prohibitum & *nullum*. Ita enim sensisse omnino videtur D. AVGVSTINVS libro 15. de ciuit. Dei, cap. 16. vbi ait, initio solum generis humani licuisse eiusmodi Matrimonia *cõpellente necessitate*. & lib. 22. contra Faustum, capite 35. vbi affirmat, iam tempore Abrahæ, ante legem scilicet scriptam, *non licuisse fratres ex vtroque, aut ex altero vel altera parente natos necti coniugio*. Et eandem sententiam defendit Paludanus in quarto, distinct. 40. quæstione vnica, in

fine,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fine, & Ioannes Maior eadem distinct. quæstione tertia, & Abulensis in caput 18. Leuit. & Sotus in quarto, distinct. 40. quæstione vnica, articulo quarto, & Catharinus in libro contra Caietanum, cap. de Matrimonio, & Couarruuias in Epitome libri quarti, parte secũda, cap. 6. §. 10. num. 5.

Probatur hæc sententia *Primò* auctoritate non modò Augustini vbi suprà, sed etiam TERTVLLIANI in Apologetico, cap. 9. & THEODORETI in libro de legibus, qui Matrimonia Persarum inter fratres, tanquam ipso naturali iure peruersa & inualida, vituperant. Item auctoritate Philosophi 2. politicor. cap. 2. vbi absurdam & deformem reputat carnalem coniunctionem non modò inter patres & filios, sed etiam inter fratres.

Secundò probatur eadem sententia ratione: quia nimium accederetur inter fratres concupiscentia, si ad amorem naturalem, qui alioqui est inter illos maximus, accederet vinculum & consuetudo coniugalis. Ratio autem dictare videtur (quando aliud vrgens necessitas generis humani non exigit) non esse ratum Matrimonium, nisi inter eas personas institutum sit, inter quas facilè possit, quantum est ex ipsa conditione Matrimonij, esse moderatus coniugij vsus, & ad nonnullum etiam remedium non autem ad incendium maius concupiscentiæ.

Tertiò potissimùm pro hac opinione vrget, quod Innocentius III. in cap. *Gaudemus*, Extra de Diuortiis, solum permisit in secundo & vlterioribus gradibus consanguinitatis manere rata Matrimonia infidelium, qui pòst conuertuntur ad fidem. Quo loco planè vt certissimum præsupposuit, esse separandos infideles, quando conuertuntur ad fidem, si in primo consanguinitatis gradu contraxerunt.

Procedit autem hæc sententia, vt iam indicaui, quando non esset summa necessitas propagandi genus humanum, vt fuit initio mundi. Tunc enim ob eam circumstantiam vrgentis necessitatis, non obstante illo incommodo nimij affectus, validum & licitum fuit inter fratres Matrimonium: sicut Augustinus vbi suprà docet.

Quin etiam Sotus in quarto, distinctione 40. quæstione vnica, articulo tertio, concedit licitum & validum fore Matrimonium in primo etiam gradu secundùm lineam rectam, id est, inter parentes & filios, casu, quo alioqui esset interiturum genus humanum: qui tamen casus iam metaphysicus est. Quanquam per eam fortè considerationem possent aliquo modo excusari filiæ Loth, cùm *diceret maior ad minorem, Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos, &c. dormiamus cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen.* Sic enim eas excusant Chrysostomus homil. 44. in Genesin, & Ambrosius libro primo de Abraham, capite sexto.

Ad exemplum autem illud Abrahæ dicendum est, Saram non fuisse sororem Abrahæ: sed vocauit illam Abraham filiam patris sui Tharæ, quia erat neptis eiusdem Tharæ ex filio, id est, ex Aram fratre Abrahæ & Nachoris; vt asseruit Diuus Augustinus libro decimo sexto de ciuitate Dei, cap. 12. & 19. & Iosephus libro primo Antiquitat. cap. 14. & 15. Qui enim erant valdè propinqui, patres vel fratres solebant appellari: Vt intelligitur ex eodem Augustino libro 22. contra Faustum, cap. 35. & libro 15. de ciuitate, capite 16.

Hieronymus tamen in Quæstionibus Hebraicis super Genesin, & etiam Clemens Alexandrinus libro secundo Stromatum, omnino sentiunt, Saram fuisse sororem Abrahæ ex patre: quod etiam asserit Abulensis in caput vndecimum Genes. & Caietanus in caput vigesimum Genes. sed contraria sententia Augustini rectè defenditur à Couarruuia loco citato, & latiùs à Dominico Soto in distinct. 40. quæstione vnica, artic. 4.

Præterea inter orthodoxos controuersia est SECVNDO, Vtrum in linea *recta* non solùm in primo gradu, sed etiam in *secundo* & vlterioribus sit iure naturæ Matrimonium nullum. Ac sunt qui sentiant in infinitum quoq; secundùm lineam rectam esse prohibitum & nullum Matrimonium iure naturæ: adeò vt Scotus in quarto, distinct. 40. quæstione vnica, & Paludanus eadem distinct. 40. quęstione vnica, articulo tertio, conclusione prima asserant, fore, vt si iam Adam ad vitam reuocaretur, cum nulla omnino muliere posset contrahere. Et eadem est sententia Richardi in illa distinct. quæstione quarta, & Durandi ibidem quæstione prima, numero 9.

Alij autem, ne *secundum* quidem gradum in linea *recta* putant iure naturæ impedire Matrimonium. Ita sentit Diuus Thomas in quarto, distinct. 40. quæstione prima, articulo tertio, & Bonauentura eadem distinct. part. 2. quæst. 2. Roffensis in Tract. de Matrimonio Regis Angliæ. & Caietanus 2. 2. quæst. 154. articulo nono, qui putant solùm in primo gradu secundùm lineam rectam Matrimonium esse iure naturæ nullum.

Verùm in hac re MEDIA quædam sententia probabilior est, quam rectè confirmat Sotus distinct. 40. quæst. vnica, artic. 4. scilicet in *secundo* saltem gradu lineæ *rectæ*, id est, inter auos & nepotes Matrimonium iure naturali esse prohibitum & nullum, non autem in vlterioribus. Ratio est, quia etiam nepotes debẽt auis quandam reuerentiam sicut parentibus. In vlterioribus autem lineæ rectæ gradibus non est tanta propinquitas, vt ob eam iure naturali Matrimonium appareat esse nullum.

Et certè

Et certè quod ad praxim attinet, inutilis quęstio esse videtur, Vtrum in eiusmodi remotioribus gradibus lineæ rectæ Mattimonium possit valere, nec ne: Cùm rarissimè aut nunquã proauos vel atauos, licet viuant, ita corpore constitutos esse accidat, vt sint apti ad Matrimonia cum nepotibus in tertio vel remotioribus gradibus contrahenda.

TERTIO controuersia est, Vtrum iure naturę sit nullum Matrimonium cum *Nouerca?* Et negant Doctores illi paulò antè citati, qui censent inter solos parentes & filios esse iure naturæ Matrimonium nullum. SED contraria sententia est probabilior: videlicet inter Nouercam quoq; & priuignum esse iure naturæ nullum Matrimonium. Ita sentit Franciscus Victoria in Relectione de Matrimonio, parte secunda. Sotus distinctione 41. articulo tertio. Couarruuias in Epitome parte secunda, capite sexto, §. 10. numero sexto, & Abulensis in cap. decimum octauum Leuit.

Ratio est, quoniam filius eandem ferè reuerentiam debet Nouercæ quàm patri: siquidem pater & nouerca sunt per Matrimonium facti *vna caro*. Quare non multò minùs Matrimoniũ cum nouerca est contra ius naturæ, quàm Matrimonium cum parente, quod est omnium maximè contra ius naturæ.

Sotus etiam loco citato idem putat de Matrimonio priuignæ cum vitrico, & de aliis affinibus in primo gradu affinitatis secũdùm lineam *rectam* ascendentium & descendentium, qui gradus non solùm est inter nouercã & priuignum, & inter vitricum & priuignam, sed etiam inter generum & socrum, & inter nurum & socerum; vt patebit ex iis, quæ postea dicemus de gradibus affinitatis.

Quamuis autẽ de istis aliis affinibus in *primo* gradu Doctores alij non videantur idem sentire, sed solum loquantur de Matrimonio priuigni cum nouerca; videtur tamen esse de illis eadem ratio, cùm etiam priuigna debeat vitrico ferè eandem reuerentiam quam matri, cum qua ille est factus *vna caro*; Et similiter nurus socero eandem quam suus vir, id est, soceri filius, cum quo est etiam nurus facta vna caro; Et similiter gener socrui eandem quã sua vxor, id est, quam filia eiusdem socrus, cum qua est factus gener *vna caro*. Et accedit ad confirmationem huius sententiæ Soti, quòd nunquam in iis gradibus legitur facta vlla dispensatio. Quare probabilis est hæc Soti opinio.

In ALIIS autem gradibus consanguinitatis vel affinitatis, quantumcunque in LEVITICO fuerint prohibiti, omnes orthodoxi sentiũt Matrimonium posse constare, nisi lex Ecclesiastica obstet, atque adeò in illis etiam dispensari posse: & ita est in Concilio Tridentino definitum, sessione 24. Can. 3. Vt iam nullo modo sit tolerabilis contrarius error, in quem quidam etiam ex Catholicis auctoribus imprudẽter inciderunt, vt suprà notauimus.

AD fundamentum autem contrariæ hæresis SECTARIORVM suprà positum, negamus omnino, Deum in Leuitico declarasse, quòd prohibitiones illæ omnes sint absolutè iuris naturalis, ita vt in nullo casu iure naturali liceat contra illas facere. Ad PRIMAM enim eius fundamenti cõfirmationem respondeo, Deum illo loco tria (quod ad propositum nostrum attinet) prohibuisse. PRIMO, Matrimonia in illis gradibus nudè, & secundùm se considerata ac pro libito priuatorum contracta sine peculiaribus circumstantiis, quæ ipsa cohonestarent, sicut ordinariè contrahi erant solita à gentibus. Quò pertinent illa verba Leuitici decimo octauo, *Iuxta morem regionis Chanaam, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis.* Et illa Leuit. 20. *Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos.* Et ex hac parte prohibitio illa fuit Iuris naturalis; cùm sic nudè illa Matrimonia cõsiderata sint contra legem naturæ, vt suprà notauimus ex sententia sancti AMBROSII epistola 66. ad Paternum.

SECVNDO prohibuit etiam illic Deus talia Matrimonia simpliciter & in omni casu in quo ipse non dispensaret, aut quem ipse non excuperet, sicut excepit Deuteron. 25. casum defuncti fratris sine liberis; cùm extra eum casum prohibuerit coniugium cum vxore fratris, Leuitic. 18. quæ est conciliatio vera & expedita istorum locorum; vt omittam quæ aliqui minùs probabiliter circa hoc dixerunt: inter quos Ioannes Maior in quarto, distinct. 40. quæstione tertia, temerè asseruit prohibitionem illam de coniugio cum vxore fratris Scriptorum errore fuisse insertam Leuit. 18. cùm tamen extet in sacris omnibus Codicibus omnium editionum. Quoad hoc autem SECVNDVM prohibitio illa, in quibusdam quidem gradibus suprà dictis fuit tantùm diuini Iuris positiui veteris, quod nunc non obligat, vt suprà dictum est. Et similiter nunc eo modo Ecclesia prohibet coniugia in iisdem gradibus iure Ecclesiastico, in quo potest ipsa dispensare.

TERTIO prohibuit illic Deus, non solùm Matrimonia ipsa in illis gradibus primo & secundo modo, vt dictum est; sed absolutè etiam copulam ipsam carnalem personarum ita propinquarum extra Matrimonium: vt patet ex ipso capitulo decimo octauo Leuitici, & etiam ibidem capite vigesimo, & Deuteronom. capite vigesimo septimo. Vbi aliquas prohibitiones ex illis Deus repetiuit. Et hæc prohibitio omnino fuit iuris naturalis, cùm eiusmodi copulæ sint semper ex se detestabiles.

His ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

His ita poſitis facilè nunc eſt reſpondere ad PRIMAM illam argumenti confirmationem. *Scelera* enim & *abominationes*, quibus *pollutæ* ſint gentes contra legem naturæ, vocat Deus ea, quæ illic prohibet non quoad SECVNDVM ibi prohibitum ſola lege poſitiua, ſed quoad PRIMVM & TERTIVM, quæ ſunt contra ius naturæ, vt explicauimus.

Ad SECVNDAM confirmationem reſpondeo, ibi Apoſtolum loqui de eo, qui duxerat nouercam viuẽte patre, vt ſuprà vidimus. Et quamuis intelligeret mortuo etiam patre; nihil hoc nobis obſtaret, cùm iam conceſſerimus tale Matrimonium eſſe contra ius naturæ.

Ad TERTIAM confirmationem reſpondeo, Ioannem Baptiſtam locutum in caſu, quo *viuenti* adhuc fratri erat vxor erepta. Quanquam etiam loquebatur ex præſcripto legis Moſaicæ, quæ nondum expirauerat, ſed poſtea expirauit in morte Chriſti.

Ad illum autem locum Leuitici 20. vbi Dominus dicit, *rem facere illicitam* eum, qui ducit vxorem fratris ſui; Reſpondeo, fuiſſe id quidem illicitum, tum quia ordinariè quidem, & nudè rem conſiderando (vt ſuprà diximus) id fuerit contra legem naturæ, tum quia extra caſum defuncti fratris ſine liberis, exceptum Deuter. 25, ſemper id erat contra legem diuinam, Leuit. 18. quæ tamen lex iam non habet vim. Sicut etiam modò id ipſum eſt ſemper illicitum, contra legem Eccleſiaſticam, de impedimento affinitatis; niſi in ea lege fiat cum aliquibus diſpenſatio; ſicut fuit facta cum Henrico VIII. Rege Angliæ, idque rectè, vt præter alios oſtendit quoque Franciſcus Victoria in Relectione de Matrimonio, quam habuit per occaſionem eius caſus.

Quod autem addunt Sectarij, non poſſe vllos alios gradus impedire Matrimonium præter illos Leuitici, iam ſuprà puncto primo in genere confutatum eſt, cùm oſtendimus poſſe Eccleſiam apponere quæcunque impedimenta, quæ ad rectum vſum Matrimoniorũ in Repub. Chriſtiana pertinere iudicauerit. Et ita in ſpecie de graduum impedimentis definitum eſt in Concilio Tridentino, ſeſs. 24. can. 3. Pergamus igitur ad reliqua impedimenta.

CRIMEN.

DVPLEX Crimen reddit Matrimonium nullum inter certas quaſdam perſonas. ALTERVM eſt occiſio alicuius coniugis eo fine ab aliquo facta, vel procurata, vt poſtea cum illius coniuge contrahat. Et quidem, ſi vtroque machinante cædes ad eum finem facta ſit, ſimpliciter Matrimonium redditur nullum per id crimen. Si autem altero tantùm machinante, non reddetur nullum, niſi etiam interuenerit adulterium. Ita colligunt Canoniſtæ ex cap. *Super hoc*. Extra de eo, qui duxit in Matrimonium, quã polluit per adulterium.

ALTERVM Crimen eſt, quando verum adulterium ſcienter committitur à duobus, & iidem de facto Matrimonium illegitimè contrahunt (durante ſcilicet priore cõiugio) vel fidem præſtant de contrahendo Matrimonio, quando per mortem tertiæ perſonæ prius Matrimonium diſſolutum fuerit. Inter tales enim adulteros non poteſt poſtea iniri verum Matrimonium. Secus autem, ſi alter vel vterq; probabiliter ignorabat vinculum prioris Matrimonij, atq; adeò ſe committere peccatum adulterij. Ita colligitur ex toto titulo de eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium. Et in ſpecie explicat bene iſta Nauarrus in Manuali cap. 22. numero 46. Conſtat hoc impedimentum iure ſolum *Eccleſiaſtico*, vt patet.

CVLTVS diſparitas.

HVIVS impedimenti ea vis eſt, vt ſi quis fidelis contrahat cum perſona infideli nondum baptizata, quãtumuis iam ſit Catechumena, mortaliter peccet, & Matrimonium minimè valeat. Et quidem quòd ſit tale Matrimonium omnino *illicitum*, patet ex Can. *Caue* 28. quæſt. 1. qui eſt AMBROSII lib. 1. de Abraham, capite 9. qui hoc idem latiùs perſequitur epiſtola 70. ad Vigilium. Et idem aſſerit TERTVLLIANVS in libro de Corona militis, & libro 2. ad vxorem, & CYPRIANVS libro 3. ad Quirinum, cap. 6. & in ſerm. de lapſis, & HIERONYMVS lib. 1. cõtra Iouinianum, cap. 5. Quin etiam Apoſtolus 2. Corinth. 6. id Matrimonium omnino illicitum eſſe indicat illis verbis: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio Iuſtitiæ cum iniquitate? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Quo teſtimonio confirmant hoc ipſum Cyprianus in lib. illo tertio ad Quirinum, & Hieronymus libro primo contra Iouinianum, vbi ſuprà.

SED quòd tale Matrimonium ſit etiam *nullum*, potiùs habetur ex Eccleſiæ conſuetudine & praxi, quam ex aliquo ſummi Pontificis aut Concilij Generalis decreto: vt rectè Sotus oſtendit in 4. diſt. 39. quæſt. vnica, art. 2.

Cum infideli autem *baptizato*, id eſt, cum *hæretico* vel *apoſtata* cõtrahere, peccatum mortale eſt, vt notat Nauarrus, cap. 22. num. 49. & patet ex dicto Canone, *Caue*. & ex Canone, *Non oportet*. eadem diſtinct. & quæſt. Sed tamen Matrimonium id *valet*: vt ex cõmuni ſententia notat idem Nauarrus loco citato, & idem Couarruuias in Epitome par. 2. cap. 6. §. 11. num. 4. latè probat, non obſtante Canone 72. ſextæ Synodi, in quo contrarium habetur. Hi enim Canones auctoritatem non habent, vt oſtendit Franciſcus Turrianus in peculiari Tractatu de Canonibus huius Synodi, & alij.

Quomodo autem poſsit alioqui matrimonium, vt eſt contractus, conſtare inter infideles ipſos non baptizatos; & quatenus eius vinculum diſſoluatur per alterius cõuerſionem ad fidem; docuimus ſuprà quæſtione 1. huius diſputationis p. 7.

PORRO QVÆSTIO eſſe poteſt, quonam iure conſtet iſtud impedimentum. Videtur enim conſtare illo ipſo iure diuino, quo voluit Chriſtus matrimonium fidelium eſſe etiam *Sacramentum*: Vnde ſequi videtur cum infideli non baptizato non poſſe à fideli contrahi verum & ratum matrimonium; quandoquidem matrimonium contractum cum tali non poteſt eſſe etiam *Sacramentum*: Siquidem baptiſmus eſt ianua, vt dicitur, Sacramẽtorum, & oportet matrimonium vtrinque eſſe Sacramentum. Atque ita ſane cenſuit Catharinus libro quinto contra Caietanum, cap. de Matrimonio, vbi reprehendit eundem Caietanum, quod iſtud impedimentum cenſuerit ſolo iure *Eccleſiaſtico* conſtare.

Cæterùm ea opinio Caietani aliorum Doctorum communis, & vera eſt. Ita enim docet Scotus, & Paludanus in 4. diſtinct. 39. quæſtione vnica, & Eckius homil. 71. & Sotus in illa diſt. 39. quæſtione vnica, articulo ſecundo, & Couarruuias in Epitome parte 2. capite 6. §. 11. numero 1.

Ad argumentum autem pro contraria parte oppoſitum reſponderi poteſt, Chriſtum voluiſſe quidem vt matrimonium *in Eccleſia*, etiam eſſet *Sacramentum*; ſed non ita ſtrictè hoc voluiſſe, vt nunquam poſſet iudicio Eccleſiæ matrimonium aliquod verum iniri in ratione *contractus* à fideli cum infideli, quod non etiam Sacramentum eſſet.

VIS.

HOC impedimentum eatenus reddit nullum matrimonium, quatenus obſtat legitimo conſenſui. Quare ſi per Vim ſola verba externa ſine vllo interiori conſenſu extorqueantur, matrimonium erit nullum iure naturæ, vt patet. Si autem per vim & metum extorqueatur etiam interior conſenſus: tunc quidem diſtinguendum eſt. Nam ſi metus non ſit cadens in conſtantem virum, minimè matrimonium impedietur: ſi autem ſit talis metus, impedietur matrimonium iure quidem *Eccleſiaſtico*; vt fusè explicaui ſuprà quæſt. 3. punct. 2.

ORDO.

NON quiuis ordo, ſed *ſacer* reddit matrimonium nullum: idque propter votum *ſolenne* caſtitatis, quod ex ſtatuto Eccleſiæ habet annexum: vt ſuprà explicauimus, cùm declaremus impedimentum *voti*, & latius oſtendimus diſput. præcedent. q. vlt. p. vlt. de Cœlibatu.

LIGAMEN.

SIGNIFICATVR hoc vocabulo *vinculum* prioris matrimonij, quo durante, iure diuino inualidum eſt ſecundum matrimonium, vt latè explicauimus ſuprà quæſtione 1. puncto 2. Quatenus autem debeat eſſe certa mors prioris coniugis, vt cum ſecundo poſsit aliud matrimonium iniri, etiam docuimus quæſt. 4. p. 2. cùm ageremus de *fide* coniugali.

HONESTAS.

IMPEDIT ratio cuiuſdam *honeſtatis*, & reddit nullum matrimonium cum perſona conſanguinea prioris coniugis vel ſponſæ aut ſponſi intra *primum* tantùm gradum, poſito quòd omni ex parte matrimonium vel ſponſalia prima *validè* fuerint contracta: aliàs non. Id patet ex iure nouo Concilij Trident. ſeſſ. 24. capite tertio de Reformatione; vbi immutatum eſt ius antiquum, per quod vſque ad *quartum* gradum honeſtas hæc impediebat & dirimebat; & quidem etiam tum cùm matrimonium vel ſponſalia prima fuiſſent inualida ex aliquo alio defectu quã ex defectu liberi conſenſus, vt patet ex cap. 1. de ſponſalibus, lib. 6.

Neque oportet interueniſſe copulam, vt ex matrimonio vel ſponſalibus contractis oriatur hoc impedimentum, ſed ſatis eſt, vt *validè* fuerint contracta. Quando enim copula etiam interuenit; aliud ſimul impedimentum naſcitur, nempe *affinitatis*, de quo iamiam dicetur. Conſtat autem hoc impedimentum *honeſtatis* iure *Eccleſiaſtico*. Cap. *Ad audientiam*, & Cap. *Sponſam* Extra de ſponſalibus, & in Concilio Tridentino loco citato.

AFFINITAS.

NOMINE *affinitatis* in propoſito intelligitur propinquitas quædam duarum perſonarum orta ex *perfecta* copula carnali alterius cum alterius conſanguineo, ſiue copula fuerit licita ſiue illicita. Vt verbi gratia, inter nouercam & priuignum eſt affinitas, quia intercedit copula inter nouercam & perſonam cõſanguineam priuigni, id eſt, eius patrem.

Ex qua deſcriptione intelligi poteſt, gradus *affinitatis* eſſe diſtinguẽdos per ordinem ad gradus ipſos *conſanguinitatis*: vt Paludanus in 4. diſt. 39. quæſtione vnica, & Couarruuias in Epitome parte 2. capite 6. §. 7. & omnes notant. Petrus enim, verbi gratia, qui Sẽproniæ copulatur carnaliter, *affinis* erit conſanguineis Semproniæ in eodem gradu, quo illi erũt *conſanguinei* Semproniæ; ſiue per rectam ſiue per tranſuerſalem conſanguinitatis lineam.

Impedit autem & dirimit huiuſmodi affinitas vſque ad *quartum* gradum. Cap. *Non debet*

Universidad de Deusto
Biblioteca

extra de conſanguinitate & affinitate. Niſi quòd in Concilio Tridentino ſeſſione 24. capite quarto de Reformatione, affinitas orta ex copula quidem *illicita*, reſtricta eſt, vt non *dirimat* matrimonium vltra *ſecundum* gradum: & quidem ita vt non modò validè, ſed etiam ſine peccato vltra eum gradum affinitatis poſsit Matrimonium contrahi, vt Pius V. declarauit in Extrauaganti *Ad Romanum*, edita anno 1566.

Superuenit autem affinitas nõnunquam inter coniuges per fornicationem vnius cum perſona conſanguinea alterius. Et tunc ſanè impedit, ne poſsit ille *petere* debitum: ſicut colligunt omnes ex Cap. *Tuæ fraternitatis*, & Cap. *Iordanæ*, Extra de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ. Siquidem in iis locis Innocentius III. & Gregorius IX. Coniugi, qui peccauit, poteſtatem tantummodo faciunt *reddendi* debitum, altero coniuge exigente. Conſtat deniquè hoc impedimentum iure *Eccleſiaſtico*, excepta affinitate in *primo* gradu ſecundùm lineam *rectam*, quæ impedit etiam iure naturæ, vt ſuprà vidimus in impedimento cognationis.

Impotentia.

Dvplex eſt Impotentia, de quâ loquimur; ſcilicet ad copulam carnalem *perfectam*. Altera perpetua, quæ ſcilicet ſine miraculo, aut notabili & probabili periculo corporis (vel à fortiori animæ) tolli non poteſt: Cap. *Fraternitatis*, Extra de frigidis & maleficiatis. Siue ea impotentia proueniat ex cauſsa naturali, & primæua; quæ generatim ſolet comprehendi nomine *frigiditatis*; ſiue proueniat ex cauſsa ſuperueniente accidentali; vt ex caſtratione, vel abſciſsione membri, vel alio eiuſmodi accidenti, aut etiam opere ſeu præſtigijs diaboli: Quæ impotentia poteſt generatim comprehendi nomine *maleficij*, vt notat poſt alios Sylueſter verbo Matrimonium 8. quæſtione 16. & Nauarrus in Manuali, capite 22. numero 59. Quanquam Antoninus 3. parte, titulo primo, capite 12. & alij, impotentiam accidentalem, vt caſtrationem, &c. diſtinguunt ab impotentia per maleficium; ſed id parum intereſt, modò impotentia qualiſcunque modi ſit, ſit *perpetua*. Perpetua autem in iure cenſetur ea, quę probatur duraſſe per triẽnium. Cap. *Laudabilem*. Et Cap. *litteræ*, Extra de frigidis & maleficiatis.

Et huiuſmodi impotentia Perpetvà, quando eſt ad copulam, vt dixi, *perfectam* (per veram ſcilicet ſeminationem in loco naturali, &c.) & fuit ipſo tempore contractus Matrimonialis, omnino reddit matrimonium nullum, ſicut patet ex toto ferè titulo de frigidis & maleficiatis. Et ſi impotentia ſit reſpectu cuiuſcunque alterius perſonæ, impediet etiam quo minus matrimonium aliud cum alia quauis perſona iniri poſsit; ſecus ſi tantum ſit impotentia reſpectu alicuius determinatæ perſonæ; vt tradunt communiter Doctores, & patet ex iis, quæ nominatim notant Antoninus 3. part. tit. 1. capite 12. §. 1. & ſeq. & Paludanus in 4. diſtinct. 34. quæſt. 2.

Dixi autem, ſi fuit ea impotentia *tempore contractus*; nam poſt illum, ſiue *conſummatum* per copulam, ſiue tantummodo *ratum*, ſuperueniens impotentia minimè reddit nullum matrimonium; vt notant Richardus in 4. diſtinct. 34. articulo ſecundo, quæſtione prima, & Antoninus vbi ſuprà §. 2. & 3. affirmantes eſſe ſententiam communem: Quamuis malè aliqui ſenſerint diſſolui per ſuperuenientem impotẽtiam matrimonium non conſummatum. Quod omnino falſum eſt.

Primò, quia matrimonium ratum inter *fideles*, tantummodo in duobus caſibus diſſolui poteſt, ſcilicet per profeſsionem Religionis, & probabiliter per diſpenſationem Pontificis, vt vidimus q. 1. p. 7.

Secundò, quia S. Avgvstinvs libro primo, de ſerm. Domini in monte, capite 32. & refertur 32. quæſtione quinta, Can. *Si vxorem*, affirmat retinendam eſſe vxorem (ſcilicet antea validè ductam) non obſtante *quocunque* incommodo corporis quantumuis *horribili, quod cogitari poſsit*. Quibus verbis ſine dubio comprehendit etiam impotentiam ſuperuenientem, &c. Et idem apertè colligitur ex Can. *His qui*, 32. quæſtione ſeptima.

Tertio, nam impotentia eiuſmodi ſuperueniens non impedit quo minus ex vi contractus antea validi, cùm impotentia abeſſet, maneant perſonæ obligatæ ad coniugalem actum, ſi caſu aliquo, vel naturaliter, vel miraculosè potentia ad eum actum reſtitueretur. Quæ ipſa obligatio ſufficit, vt conſiſtat verum matrimonium. Sicut patet manifeſtè, quando impotentia ſuperueniret poſt conſummatum matrimonium; in quo matrimonio non aliter, quàm eo modo, maneret obligatio ad coniugalem actum: & tamen verum nihilominus matrimonium maneret.

Neque obſtat quod Alexander III. in Cap. *Ex literis*, de frigidis & maleficiatis, fecit poteſtatem ineundi aliud matrimonium cuidam, cuius vxor nondum ab eo cognita, fuit reddita inhabilis ad vſum coniugalem. Loquitur enim in caſu, quo fœmina illa iam antea cùm matrimonium iniit, erat naturaliter inepta ad eum vſum; & ita *à natura* (ſicut Alexander ibi loquitur) illud aliud manifeſtius vitiũ & impedimentum contraxit: quia ſcilicet ad id vitium erat procliuis à natura. Quo etiam pacto eum textum intellexit ibi Gloſſa, in verbo *Contraxit*. Et hactenus de Impotentia perpetua.

Altera Impotentia eſt temporalis, quæ ſcilicet ſine miraculo, aut notabili periculo animæ & corporis tolli poteſt. Et hæc impotentia non reddit nullum matrimonium. Cap. *Fraternitatis*. Extra de frigidis & maleficiatis. Et ratio manifeſta eſt: nam per talem impotentiam, non eſt perſona ſimpliciter impotens, ſed tantùm ad tempus.

Conſtat autem impedimentum Impotentiæ Perpetvae iure Natvrali, cùm nequeat is, qui poteſtate ad perfectum & verum actum cõiugalem ſimpliciter caret, tradere *poteſtatem* alteri ſui corporis ad eum actum, id quod eſt de eſſentia matrimonij.

Ex quo fundamento ſequitur Primo, meritò Paludanum in 4. diſtinct. 34. quæſtione 2. Antoninum 3. parte, titulo primo, cap. 12. §. 1. & 3. reprehendi à Nauarro in Manuali, capite 22. num. 60. quòd ſenſerint, eum qui, cùm ſit potens, ſcienter contrahit cum impotente, debere in tali matrimonio permanere. Falſum enim hoc eſt, cùm tale matrimonium ſit nullum, vt patet expreſsè ex Cap. *Conſultationi*. Extra de frigidis & maleficiatis. Quamuis non debent impediri tales, quo minus ſi velint, cohabitent ſimul vt fratres, vt patet ex dicto Cap. *Conſultationi*.

Secvndo ex eodem illo fundamento apparet, cur matrimonium poſsit validè iniri à Senibvs, & ſterilibus, tametſi non habent propinquam & expeditã facultatem generandi, ſed eſt in eis veluti ſuſpenſum exercitium potentiæ generatiuæ, vt loquitur Couarruuias in epitome parte 2. capite 8. §. 2. Poſſunt enim nihilominus habere perfectum actũ coniugalem (per veram ſeminationem, &c.) ex natura ſua generationi aptum, niſi ſeniũ aut ſterilitas obſtaret, &c. quæ potentia ſufficit ad verum matrimonium.

Vnde quod in capit. 2. Extra de frigidis & malef. dicitur, impotentes non eſſe habiles ad matrimonium, rectè à Gloſſa ibi, & à Couarruuia in epitome parte ſecunda, capite octauo, §. 2. exponitur de impotentibus ad perfectam copulam per veram ſeminationem, &c. Quales ſunt veri Eunuchi, iuxta ea, quæ ex communi doctrina tradit de his Sylueſter, verbo Matrimonium 8. quæſtione 16. & Gloſſa in dicto capit. ſecundo, de frigidis & maleficiatis. Et hactenus de impedimentis, quæ matrimonium non modò illicitum, ſed etiam nullum reddunt.

PVNCTVM QVARTVM.

De impedimentis non dirimentibus.

Ad q. 50. & ſeqq.

Impedimenta quæ tantummodo reddunt illicitum Matrimonium, non autem inualidum, varia ſunt. Primvm eſt *prohibitio* Epiſcopi, vel iudicis, vel parochi interdicentis alicui, ne matrimoniũ cum aliqua perſona ineat, donec conſtiterit, vtrum obſtet impedimentum dirimens, ſi quod tale eiuſmodi perſonis oppoſitum ſit. Tunc enim peccant, ſi antè contrahant: quanquam matrimoniũ quidem valebit ſi reuera impedimentum dirimens non ſubſit; vt aſſerit Nauarrus, cap. 22. numero 68. poſt Paludanum in 4. d. 28. q. 2. & Sylueſtrũ verbo *Matrimonium* 7. q. 1.

Secvndvm eſt, certum anni *tempus*, in quo propter Eccleſiæ prohibitionem nõ licet ſolenniter quidem matrimonium contrahere, id eſt, accipiendo in Eccleſia benedictionem, neque etiam ſolenniter ſponſum in domum adducere. Hoc autem tempus per Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 10. de Reformatione, reſtrictum eſt, vt ſit tantùm ab Aduentu vſq; ad diem Epiphaniæ, & à feria 4. Cinerum vſq; ad octauã Paſchatis: cùm antea iure antiquo eſſet etiam à Septuageſima ad octauam Paſchæ, & à tribus Litaniarum diebus ad ſeptimum diem Pentecoſtes, vt patet ex Cap. *Capellanus*. Extra de feriis.

Tertivm eſt, ſi quis cum altera perſona cõtraxit ante Sponſalia, & non ei ſuppetat iuſta aliqua cauſa ea reſcindendi: iuxta dicta ſuprà q. 2. & ea etiam quæ Nauarrus in Manuali, cap. 16. num. 18. notat de promiſsione matrimonij inter perſonas admodũ *inæquales*, aut ex quo probabiliter timeatur aliquod *ſcandalum* naſciturũ. Tunc enim non tenetur aliquis ſtare promiſsioni; vt ibi explicat Nauarrus.

Qvartvm eſt, cognatio quædam *ſpiritualis* nata ex catechizatione baptizati, ad eum modum quo naſcitur ex ipſo baptiſmo: vt patet in Cap. *Per Catechiſmum* de cognatione ſpirituali, lib. 6. Quæ cognatio conſequenter intelligi debet eſſe reſtricta in Cõcilio Trident. eodem modo quo ſuprà p. præced. in impedimẽto cognationis *dirimentis* notauimus, eſſe ibi reſtrictam cognationem ſpiritualem ex baptiſmo ortam: vt bene etiam aſſerit Nauarrus, capite 22. numero 72.

Qvintvm eſt, votum *ſimplex* caſtitatis. Tunc enim peccatum contra ius diuinum eſt durante illo voto contrahere, quamuis matrimonium valet, vt patet 27. diſtinct. Can. *Quidam nubentes*, qui eſt ſecundus in illa diſtinctione, ex Auguſtino in lib. de bono viduitatis, cap. 10. Et tenetur

Universidad de Deusto
Biblioteca

talis ſeruare nihilominus votum quantum poteſt, id eſt, nec *petere* debitum nec reddere intra primum bimeſtre ſpatium, antequam matrimonium ſit conſummatum; cùm poſsit tunc intrare religionem: Neque poſt conſummatum petere, ſed ſolum reddere. Item neque poteſt priore coniuge mortuo inire aliud matrimonium: vt latius hæc omnia aſſerit ex communi ſententia Nauarrus, capite 22. num. 73. & capite 16. num. 30. vbi addit, Epiſcopum poſſe cum tali diſpenſare, vt etiam petere ei debitum liceat, ſi periculum alioqui peccādi in eo genere ipſi immineat.

Excipiendum tamen eſt hoc loco quoad valorem matrimonij, votum ſimplex Caſtitatis emiſſum in Religione Societatis IESV poſt nouitiatum: ſiquidem illud reddit etiam inualidū matrimonium, per conſtitutionem peculiarem Gregorij XIII. vt præcedenti p. annotauimus

SEXTVM continetur aliquo ex ſeptem criminibus relatis à Paludano in 4. diſtinct. 34. quæſt. 1. & ab Antonino 3. parte, titulo 1. capite 16. §. 4. & à Syluestro verbo Matrimonium 7. quæſt. 16. & à Nauarro in Manuali, cap. 22. num. 74. & ab aliis communiter. Quæ ſunt, PRIMO, *inceſtus* commiſſus durante matrimonio, cap. 1. & 2. & Cap. *Tranſmiſſa*, Extra de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ. Et intelligo inceſtum non modò cum affine in gradu prohibito, vt loquuntur illa capit. ſed etiam cum conſanguinea in gradu ſimiliter prohibito, vt ex praxi curiæ reſoluit Nauarrus, cap. 22. num. 74. Item etiam cum conſanguinea coniugis nondum carnaliter cogniti: ob impedimentum publicæ honeſtatis; vt notat Couarruuias in epitome parte ſecunda, capite ſexto, in principio, numero quarto.

SECVNDVM crimen eſt *Vxoricidium*. Can. *Admonere* 33. quæſtione 2. & vt rectè confirmat Nauarrus, capite 22. num. 74. eadem ratio eſt de *matricidio*.

TERTIVM, raptus *Sponſæ* alterius. Can. *ſtatutum* 27. quæſt. 2. Et quidem Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. capite 6. de Reformatione, decreuit, vt quamdiu rapta aliqua eſt in poteſtate raptoris, nullum inter eos poſsit iniri validum matrimonium.

QVARTVM, proprij filij de fonte ſuſceptio, eo animo facta, ne alter coniux poſsit debitum ab altero exigere, ob cognationem ſpiritualem cum eo tunc contractam. Can. *De eo* 30. quæſt. 1. Vbi tamen ſit poteſtas talibus vtendi coniugio reddendo *debitum*, (ſi nolint continere) impoſita tamen pœnitentia ei, qui id fecit; de quo ibi additur, vt ſi alteri *ſuperuixerit, maneat ſine ſpe coniugij*.

QVINTVM, *presbytericidium*. Cap. *Qui presbyterum*. Extra de pœnitent. & remiſſ. modò tamen de eo crimine fuerit quis *conuictus*, vt textus ille habet, & notat Syluester, verbo Matrimonium 7. quæſtione 16. poſt Panormitanum in illo cap.

SEXTVM, peccatum aliquod propter quod pœnitentia *publica & ſolennis* iniuncta & acta fuerit. Can. *De his*, & Can. *Antiqui* 33. quæſtione 2.

SEPTIMVM, Contractus matrimonij ſcienter initus cum moniali? Tales enim & ſeparandi ſunt (cùm matrimoniū fuerit inualidum,) & in pœnam prohibentur inire coniugium: vt patet ex Can. *Hi ergo* 27. quæſt. 1. Porro de omnibus Matrimonij impedimentis tam *dirimentibus* (de quibus egimus p. præcedenti) quàm non dirimentibus (de quibus hîc) tractat fusè Diuus Thomas hîc quæſt. 50. & ſequentibus.

PVNCTVM QVINTVM.

An poſsit in Matrimonij impedimentis diſpenſari, & cuiuſnam auctoritate.

Ad q. 51. & ſeqq.

QVPEREST iam quintum principale punctum, vtrum ſcilicet, & à quo, DISPENSATIO fieri poſsit in impedimentis matrimonij. De quare breuiter ponam quinq; aſſertiones.

PRIMA. In impedimentis quæ iure *naturali* conſtant, à nemine poteſt fieri diſpenſatio, vt patet. Quæ autem ſint illa puncto 3. declarauimus.

SECVNDA. In omnibus impedimentis, quæ cōſtant ſolo iure *humano* poteſt ſummus Pontifex diſpenſare. Hęc patet ex eo quod habet ſummus pontifex ſupremam in terris auctoritatem.

TERTIA. Quamuis in omnibus eiuſmodi impedimentis ſummus Pontifex diſpenſare poſsit, tamen in aliquibus non ſolet niſi ex grauiſſima cauſa: vt in illis gradibus qui ſunt expreſsi in Leuitico, & potiſsimùm in *ſecundo* gradu conſanguinitatis. de qua re in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. capite quinto de Reformatione, dicitur, vt *in contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio vel raro, idque ex cauſa, & gratis concedatur; in ſecundo autem gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos principes & ob publicam cauſam*. Quæ autem poſsint eſſe cauſæ diſpenſandi in aliis gradibus, explicat Nauarrus, capite 22. numero 87.

QVARTA. In impedimentis *non dirimentibus*, quæ quidem ſolo iure *Eccleſiaſtico* conſtent, poteſt etiam diſpenſare EPISCOPVS, nempe in illis omnibus, exceptis voto caſtitatis, & Religionis, & de non nubendo, vt aſſerit bene Nauarrus in dicto cap. 22. numero 85. Ac nominatim de Impedimento non dirimente, ob illa ſepiem crimina p. præced. relata, ſi timeatur periculum incontinentiæ, id aſſerit Paludanus in 4. diſt. 34.

diſtinct. 34. quæſtione prima, & Antoninus 3. parte, titulo primo, capite 16. §. 4. & Syluester, verbo Matrimonium 7. quæſtione 16. per Cap. *Antiqui*, & Cap. *In adoleſcentia* 33. quæſtione ſecunda. Nauarrus loco citato numero 75. affirmat, cōſuetudinem obtinuiſſe, vt ne ſit quidem neceſſaria diſpenſatio Epiſcopi in impedimento ob crimen inceſtus cum propinqua vxoris, quando imminet periculū incontinentiæ. Nam nunquam ſolet peti diſpenſatio ob talem inceſtum niſi ad contrahendum cum perſona eadem inceſtuosè cognita, vel eius conſanguinea, vt teſtatur Nauarrus, illic numero 75. quia ſcilicet accedit tunc impedimentum affinitatis.

QVINTA. Etiam poteſt *Epiſcopus* diſpenſare in impedimentis *dirimentibus*, quando tale aliquod impedimentum eſt *occultum*, & matrimonium publicè iam contractum, & ſeparatio ſine magno aliquo ſcandalo fieri non poſſet, & ad Papam vel ad eius Nuncium recurri non poſſet, propter magnam paupertatem aut alia legitima impedimenta. Iuxta ea, quæ poſt Panormitanum, & alios in Cap. *At ſi Clerici*, Extra de Iudiciis, tradit Syluester, verbo Diſpenſatio, quæſtione nona, & Nauarrus in dicto Cap. *At ſi*, &c. & in Manuali, capite 22. numero 85.

SEXTA. Poteſt etiam diſpenſare Epiſcopus in impedimentis *ſuperuenientibus* matrimonio & impedientibus exactionem debiti. Vt quando ſuperuenit cognatio *ſpiritualis*, vel *affinitas* inter coniuges. Sicut etiam quando votum caſtitatis prius emiſſum obſtat, quo minus poſsit debitum peti. In his enim caſibus poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt intelligi poteſt ex doctrina, quam rectè tradit Syluester, verbo Matrimonium 8. quæſtione 7. dicto 2. & Nauarrus, capite 16. numero 30. & 34.

QVÆSTIO SEXTA.

De legitimo vſu Matrimonij.

Supplem. D. Thom. q. 63. & 64.

LEGITIMVM VSVM MATRIMONII HOC LOCO VOCAMVS eum, qui vacat peccato. Itaque explicanda breuiter ſunt generalia quædam capita, ex quibus in vſu Matrimonij peccare contingit. Et quidem generatim loquendo, vt quædam quæ dicenda reſtant in hoc tractatu commodius expediamus, duplex hoc loco diſtingui poteſt matrimonij vſus. VNVS eſt, quo ipſum matrimoniū contrahitur. Nam ipſe contractus matrimonij poteſt (docendi cauſa) à nobis nominari quaſi primus quidam vſus matrimonij, quo videlicet ipſum matrimonium (quoad vinculum) fit. ALTER eſt vſus Matrimonij iam contracti. Dicemus igitur ordine de vtroque.

PVNCTVM PRIMVM.

De legitimo vſu contractus Matrimonij.

Ad quæſt. 63. & 64.

IN PRIMO QVASI MATRIMONIJ vſu, quo Matrimonium ipſum initur, contingit PRIMO peccare, ſi eo MODO matrimonium contrahitur, quo *illicitum* eſt contrahere, vel quo matrimonium *non valet*: ſiue quia deſit aliquid de ſubſtantia, ſiue quia contra aliquod matrimonij *impedimentum* contrahitur. iuxta ea quæ q. 1. & 3. & 5. explicata ſunt.

Et in ſpecie ex hoc capite peccat, qui animo *ficto* ſine conſenſu contrahit. cui tamen in foro externo non creditur, licet ſe finxiſſe dicat: vt patet Cap. *Tua*, Extra de Sponſalibus. Quam rem bene explicat Antoninus 3. parte, titulo primo, capite 19. initio, & Syluester, verbo Matrimonium 4. quæſtione 8. & Nauarrus, cap. 22. num. 76.

Atque idem iudicium eſt de eo, qui antè proteſtatur, ſe per nulla verba velle ex animo contrahere, & poſtea tamen abſolutè per verba conſueta contrahit. Hoc enim ſimpliciter *præſumitur* matrimonium, cùm probatio illa ſit cōtraria facto, & ita nihil valeat, vt notat idem Nauarrus num. 78.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO peccatur in contrahendo matrimonio, ex parte FINIS, si ille sit malus, quemadmodum etiam in omnibus aliis actionibus.

TERTIO ex parte CONTRAHENTIS, si sit in peccato mortali, aut excommunicatus: vt notat Nauarrus numero 81. Non est autem omnino necessarium antè matrimonij contractum confiteri, sed sufficiet procurare contritionem: Quanquam confiteri etiam consultissimum est, & ad id atque item ad sumendam Sacrosanctam Eucharistiam, Concilium Tridentinum in Decreto de Reformatione matrimonij, capite primo, sessione 24. merito hortatur, vt eo certius cõiuges participes fiant gratiæ istius Sacramenti.

QVARTO peccatur in hac re ex parte modi, si CLANDESTINE fiat; Et matrimonium non valet vbi Concilij Tridentini decretum promulgatum est, sicut suprà quæstione tertia, docuimus. Notat autem bene Nauarrus, capite 22. numero 70. satis fore, vt clam sine parocho & testibus coniuges consensum suum repetant quando prius in facie Ecclesiæ iuxta decretum illud Concilij Tridentini contraxerunt, sed inualidè, propter aliquod aliud impedimentum quod tunc obstitit. Atque ita dicit Pius V. pontificem decretum illud Concilij declarasse.

QVINTO peccatur in ea re quoque ex parte AETATIS, si non sit sufficiens. Debet enim masculus compleuisse 14. annos, & fœmina 12. & ante, matrimonium est nullum, vt fusè post alios tradit Syluester, verbo Matrimonium 5. quæstione prima, & seq. Nisi malitia, vt dicitur, seu potentia suppleat ætatem, quæ tamen ante id tempus non *præsumitur*: vt Nauarrus, cap. 22. num. 29. notat.

SEXTO ex parte TEMPORIS, si *solenniter* contrahatur matrimonium temporibus ab Ecclesia interdictis: vt suprà q. præcedenti p. 2. est notatum.

POSTREMO circa hunc primum quasi vsum matrimonij notandum, nequaquam ideo vel inualidè vel illegitimè ex parte conditionis *personæ*, matrimonium contrahi, quia eadem persona secundò illud contrahat priore coniuge mortuo. Nam D. AVGVSTINVS lib. de Hæres. capite 26. Hæresim fuisse dicit Montani, & Cataphrygarum, quòd SECVNDAS NVPTIAS *pro fornicationibus haberent* ac damnarent, & capite 38. eandem hæresim dicit fuisse Catharorum. Et etiam Tertullianus in hac parte errauit, vt idem Augustinus commemorat ibi, capite 86. & patet ex eiusdem Tertulliani libro de Monogamia. Item in eadem hæresi fuerunt Nouatiani, vt apparet ex Concilio Nicæno Canone octauo, vbi præscribitur modus reconciliationis Nouatianorum qui ad Ecclesiam redire volent: atque etiam ex Theodoreto lib. 3. fabularum hæreticarum.

Contra hanc autem hæresim, pro sententia contraria Ecclesiæ Catholicæ, habemus expressa testimonia D. Pauli. Nam ad Roman. 7. inquit: *Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri, &c. vt non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Et hoc ipsum apertius explicans 1. Corinth. 7. *Si dormierit*, inquit, *vir eius, liberata est: cui vult nubat.* Et 1. ad Tim. 5. de viduis, quæ voto castitatis suam fidem non obstrinxissent DEO, inquit: *Volo ergo Iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse.*

SECVNDO habemus pro eadem sententia auctoritatem Concilij NICAENI in illo Canone octauo, vbi à Nouatianis redeuntibus ad Ecclesiam, requiritur, *vt fateantur cõmunicaturos se his qui forte secundas nuptias experti sunt.*

TERTIO habemus pro eadem sententia Sanctos Patres. CHRYSOSTOMVS homil. 20. in epist. ad Ephes. ait: *Non quòd secundas nuptias condemnem; Absit. Nam & Apostolus illas concessit.* HIERONYMVS epist. 11. ad Ageruchiam, capite tertio. *Quid igitur?* inquit; *Damnamus secunda matrimonia? Minimè: sed prima Laudamus, &c.* Similia habet epist. 52. ad Pammachium. Item AVGVSTINVS libro 16. de ciuit. DEI, capite 34. ait, exemplum Abrahæ mortua Sara ducentis Ceturam, Genes. 25. *prouisum esse contra hæreticos futuros secundarum aduersarios nuptiarum.*

QVARTO accedit huc manifesta ratio qua Diuus Thomas probat binas, trinas, quaternas & vlteriores etiam nuptias esse validas & licitas imò etiam Sacramentum, hic quæst. 63. Nam cùm matrimonium primum dissolutum fuerit per mortem alterius coniugis, non potest amplius impedire quo minus superstes coniux alioqui ad coniugium idoneus (vt suppono) possit inire nouum matrimonium cum persona similiter idonea.

Neque obstat quòd quandoque videntur à Patribus secundæ nuptiæ vituperari. Non enim eas *per se* vituperant, sed *per accidens*; scilicet propter concupiscentiam *nimiam* ex qua nonnunquam suscipiuntur, vel propter *incommoda* quæ habent. Quo sensu Diuus Thomas in dicta quæstione 63. articulo primo, interpretatur quod auctor operis imperfecti in Matthæum homil. 32. dicit, *secundum virum accipere esse fornicationem*; (quanquam potuit in hoc genere ille auctor errare sicut errauit in aliis) & quod ait Ambrosius ad caput 7. 1. Corinth. secundum matrimonium *non esse bonum*, qui tamen Ambrosij commentarius non habet omnino certam auctoritatem. Atque hoc est notandum aduersus calumnias Kemnitij in examine Concilij Tridentini sess. 24.

Etsi au-

Etsi autem SECVNDAE nuptiæ licitæ sint ac verum etiam Sacramentum quoad substantiam & significationem gratiæ quæ in illis datur; tamen quia nõ ita *perfectè* coniunctionem Christi & Ecclesiæ, quæ *vna* solum est, repræsentant, merito potuit Ecclesia statuere vt bigami essent irregulares: sicut suprà disput. 7. quæstione 19. in Tractatu de irregularitate vidimus, & docet Diuus Thomas hic quæstione 66. Quod sane genus irregularitatis Apostolicam institutionem esse Patres colligunt ex D. Paulo 1. Timoth. 3. Vbi vult Episcopum esse *vnius vxoris virum*, id est, vt non habuerit plures; sicut suprà disput. præced. quæstione vltima, puncto vltimo de cœlibatu vidimus, ita negatiue istam Apostoli sententiam à Patribus exponi: quantumuis aliter Lutherus & reliqui Sectarij eum locum intelligant.

Deinde etiam merito statuit Ecclesia vt *secundæ nuptiæ*, quando alter vel vterque contrahentium in primis nuptiis benedictionem solẽnem accepit, non benedicerentur. Non quia Sacramentum non sint, (vt asseri à Catholicis, mentitur Kemnitius vbi suprà) sed ne benedictio illa Sacra suprà eandem vel easdem personas repetatur & ideo in aliquam contemptionem veniat: vt bene in Manuali, capite 22. numero 83. resoluit Nauarrus ex capite primo, & Cap. *Vir*, Extra de secundis nuptiis. Vbi Vrbanus III. hanc ipsam rationem reddit cur prohibeatur eiusmodi benedictio.

Quin etiam ex antiquo rigore disciplinæ Ecclesiasticæ solebat olim aliqua pœnitentia imponi iis qui secundas nuptias inirent, vt apparet ex Concilio Neocęsariensi Can. 3. & 7. & Laodiceno Can. 1. ob quandam scilicet intemperãtiam ex quâ plerumque nuptiæ secundo repetuntur. Et sic intelligenda sunt ea quæ Gratianus ex Concilio illo Neocæsariensi 31. quæstione prima, refert. Quanquam solent quoque non improbabiliter huiusmodi Canones intelligi de secundis nuptiis viuente adhuc priori coniuge.

Primæ autem nuptiæ benedici debent: vt patet ex Can. *Nostrates*, & Can. *Sponsus* 30. quæstione quinta. Et hæc quidem de primo illo quasi matrimonij vsu quo matrimonium ipsum contrahitur dicta sint præter illa quæ hactenus in tota disputatione sunt explicata de ipso matrimonij contractu.

PVNCTVM SECVNDVM.

De legitimo vsu Matrimonij iam contracti.

D. Thom. q. 64.

CIRCA Matrimonij iam contracti VSVM contingit variis modis peccare. Recensebimus duodecim præcipuos. PRIMO, si quis *sciens* aut *dubitans*, matrimonium propter impedimentum aliquod esse nullum, copula vtatur, vel petendo si dubitat, vel etiam reddendo, si scit, vt suprà docuimus quæstione 4. punct. 2.

Non tenetur tamen aliquis id credere, aut de eo dubitare, etiamsi vnus aliquis quantumuis fide dignus id asseueret, vel iuramento confirmet: vt rectè notat Nauarrus, capite 22. numero 82. Et multo minus si coniunx alter dicat se ficte contraxisse etiamsi id iuret. Etenim is putari poterit tunc mentiri qui antea se mentitum fuisse fatetur: vt Syluester Verbo Matrimonium quarto, quæstione secunda, & alij omnes notant. Credi autem debet impedimentum matrimonij subesse si duo aut plures id asseuerent, iuxta notata illic à Nauarro. Nam hic est modus testificationis cui oportet stare in rebus humanis.

Cum autem alter coniugum aut scit aut merito dubitat de præterito impedimento matrimonij antea contracti, non incipiet esse aut poterit putari validum matrimonium propterea quòd impedimentum id cesset, nisi denuo coniuges repetant consensum. Quod ipsum tamen satisfuerit vt is coniunx qui impedimentum nouerit, procuret fieri dissimulato priori impedimento. Vt si coniugem roget vt ad vtriusque maiorem consolationem consensum suum mutuum repetant: sicut bene notauit Nauarrus. capite 22. numero 47. ex sententia Caietani q. 2. de Matrimonio, & in Summa, verbo, *Matrimonium*.

SECVNDO circa vsum Matrimonij iam contracti peccatur, loquendo generatim, quandocunque fit aliquid contra *fidem* sibi mutuo à coniugibus debitam, quæ quo modo & ad quæ nam obliget, suprà quæstione quarta puncto 2. exposuimus.

TERTIO in specie circa vsum *Copulæ* maritalis peccatur mortaliter, quando ea mente fit, vt animus esset eam similiter habere si coniugium non interueniret, aut etiam cum aliqua persona non coniuge: vt docet Diuus Thomas hic quæstione 49. articulo sexto, & Paludanus in 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

distinctione 32. quæstione prima, Antoninus 3. parte, titulo primo, capite 20. §. 1. & alij omnes communiter.

QVARTO per *defectum*; si quis cùm potest licitè & commodè, non reddat *debitum* coniugi petenti; aut etiam tantummodo insinuanti verecundia impediente: vt patet ex eodem Diuo Thoma quæstione 64. articulo secundo, & ex Syluestro, verbo Debitum, numero decimo & Nauarro, capite 16. numero 25. & ex aliis communiter.

QVINTO per *excessum*, si reddatur aut petatur cum notabili periculo animę vel corporis. Est enim reddendum salua substantia indiuidui: quippe cùm non nisi ex eo quod est indiuiduo residuum, consuli debeat speciei: vt optimè ad hoc propositum notauit D. Thom. in dicta quæstione 64. articulo primo, & est communis aliorum sententia. Propter *menstrua* verò non est peccatum mortale: vt rectè asserit Paludanus in 4. distinctione 32. quæstione prima, & Antoninus 3. parte, titulo primo, cap. 20. §. 5. & Nauarrus in illo capite 16. numero 32. licet aliter alij de hoc sentiant. Neque etiam excusat à redditione debiti vllum tempus sacrum: vt notant Syluester, verbo Debitum, numero 10. & Nauarrus, capite 16. numero 24. & 32. Neque etiam difficultas alendi plures liberos: vt iidem notant. Intra bimestre autem primum à contractu matrimonij, potest negari debitum; cùm liceat ingredi religionem: vt suprà quæstione prima, puncto septimo docuimus.

SEXTO ex parte *modi*, si non ita fiat, vt semen possit recipi intra naturale vas: aut si ita copula procuretur, vt periculum ex modo immineat pollutionis extra ipsam: vt notant Paludanus in 4. distinct. 32 quæstione 1. Antoninus 3. parte, titulo primo, cap. 20. & Nauarrus, cap. 16. numero 42. ex sententia omnium, & per se patet.

SEPTIMO ex parte *loci*, si videlicet fiat in loco sacro vel benedicto: vt post Paludanum in 4. distinctione 32. quæstione prima, & alios notat Nauarrus illic numero 32. Quamuis Syluester, verbo Debitum, numero quinto, ex sententia Richardi in 4. distinctione 32. articulo tertio, quæstione prima, putat id licere, quando diu coniuges in loco sacro detinerétur & esset alioqui periculum incontinentiæ. Sed probabilius est nunquam id licere; cùm semper videatur esse quædam irreuerentia, & non desint alia remedia ad vitandam incontinentiam.

OCTAVO ob circumstantiam siue conditionem *personæ*. Nam si coniux contraxit cognationem spiritualem, aut affinitatem cum coniuge; vel vouit castitatem ex consensu coniugis (sine tali enim consensu non valet votum) minimè potest petere sine dispensatione: vt patet ex suprà dictis quæstione præced. Quod si vterque ex mutuo consensu vouit; neuter potest vel petere vel reddere; sed ambo in copula peccant mortaliter: vt notat Nauarrus in dicto cap. 16. num. 32.

Posse autem vel *alterum* ex consensu alterius, vel *vtrumque* ex consensu mutuo, votum castitatis siue ad tempus siue in perpetuum emittere; asserit luculenter D. AVGVSTINVS libro de bono coniugali, capite 25. & in Epist. 45. ad Armentarium & eius coniugem, & libro primo, de sermone Domini in monte, capite 14. Et patet manifestè ex eo, quòd tale votum omnino habet obiectum non modò licitum, sed etiam gratius Deo. Nam continentia ex consensu coniugis licita est, & Deo per se magis placet quàm actus coniugalis: cùm eam Christus consuluerit, & Apostolus etiam prima ad Corinth. 7.

Neque verò si vterque voueat, propterea dissoluetur matrimonij vinculum. Habent enim nihilominus *potestatem* remotam, quantum est ex parte matrimonij contracti, ad vtendum carnali copula. Quamuis *vsus* quidem eius potestatis per votum impeditus sit. Cuius rei argumentum euidens est, quòd si cum illis postea super tali voto dispensetur, poterunt ex vi matrimonij contracti vti copula absq; nouo contractu coniugij.

NONO peccatur in hoc genere mortaliter, cùm non *accommodatè* agitur ad finem seu effectum ad quem ordinatur copula: vt si videlicet abortus procuretur; vel cum eius periculo agatur; vel quouis modo impediatur conceptio: vt asserunt Paludanus in 4. distinctione 32. quæstione prima, & Antoninus 3. parte, titulo primo, capite 20. §. 4. & Syluester, verbo Debitum, numero octauo, & Nauarrus, capite 16. num. 33.

DECIMO ex parte etiam modi quo matrimonium *contractum* fuit. Nam si fuit clandestinum, licet fuerit validum (vbi scilicet Concilij Tridentini Decretum promulgatum non est) tamen eius vsus est peccatum mortale antequã publicetur: vt docet Caietanus, quæstione secunda, de vsu Matrimonij, & Nauarrus, capite 16. numero. 38. Quia habet annexum vel scandalum vel certè periculum scandali, ex eo quod potest tunc proles generari ab iis, qui non putantur coniuges: vt illic argumentatur Caietanus. Et quia etiam grauiter ab Ecclesia talis matrimonij vsus prohibitus est. Can. *Aliter* 30. quæstione quinta, vt notat quoque Nauarrus.

VNDECIMO peccat vir petendo vel reddendo debitum vxori *adulteræ*, si adulterium sit publicum, & ex ea re nasceretur scandalum, aut maior obstinatio mulieris. Secus si sit occultum, & vir id faciat ad vitandum probabile periculum

fornicationis. Vxor tamen non peccat reddendo debitum marito adultero publico, vel ab eo petendo. Tum quia non debet ipsa maritum corrigere. Tum quia ex ea re non perinde nascitur scãdalum: cùm minimè putari soleat mulier in adulteria mariti consentire; vt tradunt Paludanus in 4. distinct. 32. quæstione prima, & Antoninus 3. parte titulo primo, capite 20. §. 9. & Caietanus tomo primo opusculorum, tract. 29. & Nauarrus, capite 16. numero 28.

DVODECIMO & vltimo, si ex *contemptu* aut cum *scandalo* coniuges matrimonio contracto vtantur ante susceptam solennem benedictionem. Remoto autem tali scandalo, & contemptu benedictionis, non est peccatum saltem *mortale* matrimonio vti ante illam: vt rectè sensit Caietanus tomo primo opuscul. tract. 13. de vsu matrimonij, quæstione secunda, & Nauarrus, capite 16. numero 38. & capit. 22. numero 71. & Couarruuias in Epitome parte secunda, capite septimo, §. 2. numero secundo, & Sotus in 4. distinctione 28. quæstione prima, articulo secundo, contra nonnullos alios qui contrarium sine firmo fundamento putauerunt.

Ac potest inde sententia hæc nostra confirmari, quòd Concilium Tridentinum sess. 24. in Decreto de Reformatione matrimonij, cap. primo, non præcipit, sed tantummodo *hortatur*, ne coniuges prius cohabitent quàm Sacerdotalem benedictionem accipiant. Et hactenus de Matrimonio, & septem Sacramentis Ecclesiæ.

FINIS DECIMAE DISPVTATIONIS.

DISPVTATIO
VNDECIMA GENERALIS,

DE STATV VITAE FVTVRAE.

DIVISA IN QVÆSTIONES SEX.

INDEX

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM DISPVTATIONIS VNDECIMÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

De locis siue Receptaculis animarum post mortem.

PVNCT.I. *An sint quatuor Animarũ Receptacula, scilicet, Cœlum, Infernus, Limbus, Purgatorium.*
II. *Quonam modo ad destinata loca deferantur Animæ defunctorum & an ex illis egredi valeant.*
III. *Quænam sit conditio Animarum in Purgatorio.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De signis & rebus antecedentibus communem Resurrectionem, & Extremum iudicium.

PVNCT.I. *De signis & rebus quæ antecedent Resurrectionem, & Iudicium, ac peculiariter de signis cœlestibus.*
II. *De aduentu Antichristi.*
III *De Igne conflagrationis Mundi.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Resurrectione.

PVNCT.I. *An sit futura Resurrectio.*
II. *Qualis futura sit Resurrectio, quoad modum & præcipuas eius circumstantias.*
III. *Qualisnam futura sit Resurrectio ex parte sui termini, id est, ex parte Resurgẽtium.*

QVÆSTIO QVARTA.

De Iudicio ipso extremo, quod fiet post Resurrectionem.

PVNCT.I. *De Persona ipsius Iudicis, & de Iudicij quasi apparatu.*
II. *De tota actione & forma ipsius Iudicij.*

QVÆSTIO QVINTA.

De futura conditione Beatorum & Damnatorũ quoad corpora.

PVNCT.I. *De dotibus gloriæ corporum Beatorum.*
II. *De Aureolis Beatorum.*
III. *De futura conditione corporum Damnatorum.*

QVÆSTIO SEXTA.

De futura Mundi conditione & statu post Extremum Iudicium.

PVNCT. VNIC. *Qualisnam sit futurus Mundi status post Iudicium, quoad genus & perfectionem Creaturarum, quæ præter Angelos & Homines tunc supererunt.*

DISPVTA-

IHS

DISPVTATIO VNDECIMA GENERALIS, DE STATV VITÆ FVTVRÆ.

Supplementum D. Thomæ quæst. 69. & seqq.

NON PAVCA EX IIS, QVÆ VEL *pertinent, vel reuocari possunt ad hanc Disputationem, expediuimus per alias occasiones in aliis locis huius operis. Nam* PRIMO, *mortem hominis quoad corpus (quæ aditus quidam ad futuram illam vitam est) pœnam esse peccati, nec sola naturæ necessitate accidere, docuimus tomo 1. disput. 7. quæst. 9. punct. 1. & tomo 2. disputat. 6. quæst. 15. punct. 1. & 2.* SECVNDO, *rectè mortuorum corpora sepulturæ mandari consueto in Ecclesia ritu, ostendimus tomo 3. disputat. 3. quæst. 9. punct. 2.* TERTIO, *nequaquam in morte simul cum corpore extingui animam, sed perpetuò restare; atque adeò superesse post hanc mortalem vitam aliam immortalem, disputauimus tomo 1. disputat. 6. quæst. 1. punct. 3.* QVARTO, *ibidem quæst. 7. punct. 4. disseruimus de cognoscitiua facultate animæ à corpore separatæ. De Motiua verò dicemus hic quæst. 1. punct. 2.* QVINTO, *sine mora post mortem accipere animam præmium beatitudinis essentialis (si sufficienter expiata à peccatis hinc migret) aut pœnam æternæ damnationis, si in peccato mortali ex hac vita decedat, probatum à nobis est tomo 2. quæst. 4. punct. 2.* SEXTO, *quod inde est consequens, defunctorum animas statim à morte subire diuinum iudicium particulare, confirmauimus in hoc tomo 4. disput. 1. quæst. 22. punct. 9.* SEPTIMO, *de ratione Beatitudinis essentialis, itemq; de eius Accidentibus seu Dotibus pertinentibus ad ipsas beatorum animas, ac denique de Beatitudinis consecutione & variis eius gradibus (in quibus rebus Theologi in 4. sent. maximam partem huius Disputationis consumunt) copiosè à nobis disputatum est tomo 2. disputat. 1. quæst. 2. 3. 4. 5. & aliquid etiam tomo 1. disput. 1. quæst. 12.* OCTAVO, *explicatum etiam à nobis est tomo 1. disput. 4. quæst. 15. punct. 3. quænam sit ratio pœnæ damnatorum Spirituum, atque adeò ani-*

marum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

marum, per cruciatum ignis. NONO, denique quomodo animæ Beatorum in cœlo intercedant pro nobis, & rectè à nobis inuocentur, diſputatum eſt tomo 3. diſput. 6. quæſt. 2. punct. 7.

Itaque ſolum ſuperſunt nobis explicandæ hoc loco SEX principales quæſtiones. PRIMA eſt de locis ſiue Receptaculis animarum poſt mortem. SECVNDA, de iis ſignis & rebus, quæ proximè antecedent vniuerſalem corporum Reſurrectionem, & vniuerſale ac extremum Judicium. TERTIA, de ipſa Reſurrectione. QVARTA, de extremo ipſo Judicio. QVINTA, de conditione atque ſtatu Beatorum & Damnatorum, quoad corpora. SEXTA, de conditione & ſtatu Mundi poſt extremum illud Judicium.

QVÆSTIO PRIMA.

De locis ſiue Receptaculis animarum poſt mortem.

Supplem. D. Thom. quæſt. 69.

EXPLICANDA SVNT TRIA. PRIMO, AN SINT QVATVOR Animarum receptacula: ſcilicet Cœlũ, Infernus, Limbus, & Purgatorium. SECVNDO, Quonã modo ad hæc loca deferantur animæ, & an ex illis egredi valeant. TERTIO, Quænam ſit Animarum conditio in Purgatorio. Quænam autem ſit conditio Animarum in Limbo, explicauimus tomo 2. diſp. 6. quæſt. 17. punct. 4. De conditione autem Beatorum in Cœlo & damnatorum in Inferno, quoad animas quidem dictum eſt tomo 2. diſp. 1. q. 3. 4. 5. & tomo 1. diſp. 4. q. 15. p. 2. & 3. quoad corpora verò, dicemus q. 5.

PVNCTVM PRIMVM.

An ſint quatuor Animarum Receptacula, ſcilicet Cœlum, Infernus, Limbus, Purgatorium?

D. Thom. art. 1. 5. 6. 7.

CERTVM EST, ALIQVA OMNINO eſſe loca deſignata animabus poſt hanc vitam: vt affirmat S. Auguſtinus Tract. 49. in Ioannem, vbi inter cætera ait: *Habent omnes animæ, cùm de ſeculo exierint, diuerſas receptiones ſuas.*

De loco COELESTI. §. 1.

NAM PRIMO locum COELESTEM deputatum eſſe iis animabus Iuſtorum, quæ ſufficienter ſint ab omni peccati labe expiatæ, conſtat ex iis Scripturæ locis, Matth. 5. *Merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Et Matth. 6. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, &c. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo.* Et Ioann. 14. *Vado parare vobis locum, &c. Vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Eſt autem ipſe in cœlo. Et 2. Cor. 5. *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manufactã æternam in cœlis.* Et ad Philip. 1. *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Quod perpendens S. GREGORIVS lib. 4. Dialog. cap. 25. *Qui ergo*, inquit, *Chriſtum in cœlo eſſe non dubitat, nec Pauli animam in cœlo eſſe negat.* Et 1. Pet. 1. *Regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Chriſti ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem conſeruatam in cœlis.*

Deinde idem patet ex Eccleſiæ dfienitione in Concilio Florentino: vbi in decreto Vnionis definitur, *animas ſufficienter à peccatis purgatas mox in cœlum recipi & intueri clarè ipſum Deum.* Et in Concilio Trident. ſeſſ. 25. in decreto de Inuocatione Sanctorum aſſeritur, *Sanctos in cœlo cum Chriſto regnare.* Quod idem definiuit Innocentius III. in cap. *Maiores.* Extra de Baptiſmo & eius effectu, & in cap. *Ad Apoſtolicam.* Extra de Presbytero non baptizato.

Præterea idipſum patet ex concordi ſententia Patrum. Sanctus CYPRIANVS in ſermone de Mortalitate: *Dominica*, inquit, *præcepta ſeruantes ad cœleſtes*

cœleſtes theſauros terrena patrimonia tranſtulerunt. Ad hos fratres dilectiſſimi auida cupiditate properemus.

Sanctus BASILIVS homil. in quadraginta Martyres: *Vos*, inquit, *non terra occuluit, ſed cœlum ſuſcepit.*

Sanctus CHRYSOSTOMVS epiſt. 5. ad Theodorum lapſum: *Quid*, inquit, *putas futurum de animis illis, ſi ad infinita bona, quæ in cœlis pios manent, quæ fixa ſemperq; diuturna ſunt, &c.*

Sanctus AVGVSTINVS Enarratione in Pſal. 83. ſuper illud: *Beati qui habitant in domo tua Domine: Poſſident*, inquit, *Hieruſalem cœleſtem ſine anguſtia, ſine preſſura, ſine diuerſitate & diuiſione limitũ. Omnes habent eam, &c.*

S. LEO in ſerm. de S. Laurentio: *Nihil proficis*, inquit, *ſæua crudelitas, Laurentio in cœlos abeunte tu deficis flammis tuis.*

S. GREGORIVS homil. 37. in Euang. *Si conſideremus*, inquit, *quæ & quanta ſunt, quæ nobis promittuntur in cœlis vileſcunt animo omnia, quæ habentur in terris.*

S. FVLGENTIVS in ſerm. de S. Stephano: *Hodie*, inquit, *miles de tabernaculo corporis exiens triumphator migrauit ad cœlum.* Similia alij paſsim.

Per quę Scripturę ac Patrum teſtimonia refellitur abundè cõmentum SECTARIORVM illorum, qui aiunt, cœlum beatorum non eſſe aliquem determinatum locum. Quod figmentum refutauimus quoque ſuprà diſp. 2. q. 6. cum egimus de aſcenſu Chriſti in cœlum. Eſt autem cœlũ hoc ad quod Chriſtus aſcendit, & in quo beati regnant cum illo, cœlum EMPYREVM, quod aſſeritur communiter nõ modò à Theologis in 2. diſt. 2. ſed etiam ab antiquioribus Patribus: vt tradidimus tomo 1. diſp. 4. quæſt. 12. punct. 3. & diſp. 5. q. 2. p. 1.

De INFERNO. §. 1.

SECVNDO æquè etiam certum eſt, ſubterraneum INFERNI locum, à cœlo maximè diſtantem eſſe deputatũ impiis, qui extra gratiam Dei ex hac vita decedunt. Id enim patet PRIMO ex his Scripturæ teſtimoniis. Num. 16. *Deſcenderunt viui in infernũ operti humo* (Dathã & Abiron.) Et Pſal. 54. *Veniat mors ſuper eos, & deſcendant in infernum viuentes*; quibus teſtimoniis idipſum confirmat S. HIERONYMVS in caput 4. epiſtolę ad Epheſ. Et Iob. 21. *In puncto ad inferna deſcendunt.* Et Matth. 11. *Tu Capharnaum, nunquid vſq; in cœlum exaltaberis? vſq; in infernum deſcendes.* Et Luc. 16. *Mortuus eſt autem dives, & ſepultus eſt in inferno.*

DEINDE idem eſt definitum in Concilio Florentino in decreto Vnionis: vbi dicitur illorum *animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas*, ſcilicet quoad locum diuerſum inferni (vt paulò pòſt dicemus,) & quoad rationem pœnæ, vt docuimus tomo 2. diſp. 6. quæſt. 17. punct. 4.

PRAETEREA idipſum tradunt antiqui Patres. S. Cyrillus ALEXANDRINVS in oratione de exitu animæ, loquens de anima morientis impij: *Tunc*, inquit, *à ſanctis Angelis deſtitutam inuadunt æthiopes illi dæmones, eamq; ferientes crudeliter in terrarum opaca deducunt, & aperta tellure ſolidiſſimis compedibus reuinctam in terram tenebroſam & fuliginoſam, in infimas infernorum carcerum partes, in Erebi cuſtodias deiiciunt.*

S. EPHREM in libro de vera pœnitentia, capite 7. *Infernus*, inquit, *quo mittuntur peccatores, & Inferni profundum atrocior locus.*

Sanctus AVGVSTINVS libro ſecundo Retractationum; capite 24. retractans quod lib. 12. ſuper Geneſin ad literam, capite 32. & 33. dubitando putauerat, inferna non eſſe corporalia loca: *De inferis*, inquit, *magis mihi videor docere debuiſſe, quòd ſub terris ſint, quàm rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur, quaſi non ita ſit.*

Sanctus HIERONYMVS in caput quartum ad Epheſios: *Quod autem*, inquit, *infernus in inferiore parte terræ ſit, Pſalmiſta teſtatur, Pſal. 105. dicens; Aperta eſt terra, & deuorauit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abiron, &c.*

Sanctus GREGORIVS libro quarto Dialog. cap. 28. *Si eſſe*, inquit, *Sanctorum animas in cœlo ſacri eloquij ſatisfactione credidiſti, oportet vt per omnia eſſe credas & iniquorum animas in inferno.* Et cap. 42. *Cùm ergo ad aperiendum librum nullus ſub terra inuentus dignus dicitur* (Apocal. 5.) *quid obſtet non video, vt ſub terra infernus eſſe credatur.*

S. PROSPER lib. 3. de vita contemplatiua, capite 12. *Quid eſt*, inquit, *obmuteſcentes manibus & pedibus ligari, niſi in inferno, vbi Deo nemo confitetur, actione priuari?* Et infrà addit cogitandum eſſe, *quale malum ſit, baratri fumantis amara caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuãtis immergi, etc.*

Per quæ Scripturæ & Patrum teſtimonia refellitur PRIMO error illorum SECTARIORVM, qui fingunt, infernum non eſſe certum aliquem locum tormentorum. Quod figmentum ſuprà etiam confutauimus diſput. 2. quæſt. 4. cum diſſeruimus de Chriſti ad inferos deſcenſu.

SECVNDO, per hæc etiam confutantur quædam aliorum falſæ opiniones de locis pœnalibus animarum. Vt quòd loca eiuſmodi non ſint corporalia; id quod Auguſtinus retractauit vbi ſuprà.

Item quòd locus pœnalis animæ non ſit alius quàm ipſum corpus, quod eſt veluti carcer animæ: id quod refutat ſanctus IRENAEVS libro 5. capite 31.

Item quòd locus pœnalis ſit aër iſte caliginoſus, vbi Dæmones verſantur; vt ſenſit Gregorius Nyſſenus in libro de Reſurrectione & Anima, & Chryſoſtomus homilia de præmiis beatorum, & auctor operis imperfecti in Matth. homil. 53. Quod omnino falſum eſt, ſi intelligatur de loco pœnali ordinario.

Item quòd in eodem loco animæ puniantur, in quo peccauerunt. Quod ſimiliter falſum eſt, ſi intelligatur ordinarie, vt patet ex teſtimoniis

allatis. Quanquam negandum non est, quin ex dispensatione quadã diuina possit fieri ad tempus aliquando. Atque hæc de loco quidem inferni damnatorum.

De LIMBO *§. 3.*

TERTIO certum quoque apud Orthodoxos est, pueros decedentes in originali peccato sine Baptismo, descendere item in locum quendam infernum & subterraneum, qui nominatur LIMBVS. Nam *Primò* ex Scriptura cõpertum est, eiusmodi esse obstrictos reatu æternæ pœnæ saltem *damni*: vt docuimus tom. 2. q. 17. de peccatis, p. 4. iuxta illud præsertim Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Et ad Rom. 5. *Sicut per vnius delictũ in omnes homines in condemnationem, &c.* Sed omnes rei æternæ damnationis descendunt ad inferos, cum sint Deo exosi & Dei inimici, & de omnibus qui sint eiusmodi id indicet Scriptura hoc ipso, quod solis iustis assignat cœlum, & iniustis infernum (vt apparet ex locis suprà allatis.) Ergo hi etiam pueri in inferno habent locum, quamuis distinctum ab eo inferni loco, in quo cruciantur pœna etiam sensus impij.

Secundò, nam sic etiam definitum est in Concilio Florentino in decreto Vnionis: vbi dicitur *illorum animas, qui in actuali mortali, vel sõlo originali peccato* (vt hi paruuli) *decedunt, mox in infernum descendere: pœnis tamen disparibus puniendas.*

Tertiò accedit huc etiam testimonium S. AVGVSTINI lib. 1. de peccator. meritis & remiss. (seu de Baptismo paruulorum) cap. 28. *Nec est*, inquit, *vlli vllus medius locus* (perpetuus scilicet) *vt possit esse nisi cum diabolo* (in infernis scilicet) *qui non est cum Christo*; Quod de paruulis sine Baptismo decedentibus disseruit ibi Augustinus. Deniq; idem tradũt omnes Theologi in 4. d. 45.

QVARTO certum etiam est, olim ante Christi aduẽtum fuisse quoq; in inferioribus terræ partibus locum quendam subterraneum, ad quem tanquam in requiem & in *sinum Abrahæ* (qui fuit pater credentium) descendebant eæ Iustorum Animæ, in quibus nulla supererat expurganda labes peccatorum: vt suprà ostendimus disput. 2. q. 4. cum egimus de Christi descẽsu ad inferos.

Sed hic locus, aut iam non est, aut certè est vacuus: cùm iam animæ iustorũ, quæ nihil expurgandum habent, statim à morte euolent in ipsum cœlum, vt probauimus fusè tomo 2. disp. 1. quæst. 4. punct. 2.

De PVRGATORIO; *& inprimis, quid nomine Purgatorij intelligatur. §. 4.*

QVINTO ex fide certum est, esse quoq; PVRGATORIVM locum, destinatum iis animabus, quæ in Dei quidem gratia ex hac vita decedunt, sed tamen habent *reatum* aliquem, vel culpæ *venialis*, vel pœnæ *temporalis* peccato mortali debitæ, qui sit in eiusmodi Purgatorio loco prius expiandus, quàm ingrediantur tales animæ in cœlũ & beatitudine perfruantur. Et quoniam de hac assertione Purgatorij præcipua nobis controuersia est cum huius temporis Sectariis, aliquantò fusiùs est nunc hęc assertio explicanda & confirmanda.

Igitur, vt iam cœpi dicere PVRGATORII nomine Ecclesia Catholica locum aliquem inprimis intelligit, quo post mortẽ, eorum fidelium animæ, quæ vel obstrictæ adhuc reatu alicuius *temporalis* pœnæ, vel etiam aliquibus peccatis *venialibus*, ex corpore migrauerunt, secundùm diuinæ iustitiæ rationem cruciantur, quoad penitus ab eiusmodi peccatis expiatæ beatitudinem cœlestem consequi valeant.

Hæc est præcipua & prima quasi notio nominis *Purgatorij*, secũdùm quam (vt videbimus) Ecclesia Catholica iuxta Scripturæ sententiam & antiquissimam orthodoxorum omnium traditionem credit & statuit Purgatorium esse. Item hæc notio vocabuli est illa, iuxta quam quidem Purgatorium esse, æquè probatur testimoniis, quæ vel ex Scriptura, vel ex Patribus, vel ex definitionibus Ecclesiasticis (quantumcunq; ea testimonia sint diuersa) ad huiusmodi assertionis cõfirmationem afferri solent. Quod ideo est obseruandum, quoniam alia quædam dogmata de Purgatorio magis aut minùs certa ab orthodoxis item tenentur, quæ non perinde quibuslibet testimoniis & argumentis simul confirmantur, sed aliis atq; aliis, vt exactior notitia Theologica de ipso Purgatorio habeatur.

Cuius generis dogma est, de ratione ipsius pœnæ seu cruciatus Purgatorij: videlicet illam consistere in aliquo igne, siue eo propriè, siue impropriè dicto; quod quidem pro certissimo ex fide in Ecclesia Catholica habetur. Item dogma de qualitate huius ignis; nempe illum non esse qualemcunque, prout ignis impropriè dici potest quæuis ingens pœna vehementer excrucians instar ignis; sed verũ & corporeum ignem; sicut cõmunissima & certissima sententia Theologorum tradit, quicquid vnus aut alter scriptor contra de igne metaphorico disputauerit.

Item huius generis est dogma de *loco* ipsius Purgatorij, qui secundùm certiorem magisque receptam sententiam subterraneus esse putatur ac vicinus ipsi loco inferno damnatorum.

Item dogma de ratione, qua animæ cùm sint Spiritus tamen *veris licet miris modis* (vt Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 10. ait) torqueantur illo igne corporeo. Quod quidem ita generatim assertum certissimum est apud Orthodoxos; licet de explicatione modi, quo supernaturaliter animæ illo igne verè torquentur multæ ac variæ sint Theologorum disputationes, quarum non omnes ad ædificationem faciũt. Vt meritò proinde in Cõcilio Trident sess. 25. cautum sit ne temerè coram simplici populo curiosæ eiusmodi disputationes circa Purgatoriũ instituantur, sed illa imprimis proponãtur, quæ certissima sunt.

Denique

Denique huc etiam pertinet dogma illud alioqui ex fide item certissimum, de suffragiis viuorum: quod scilicet illi & orationibus, & sacrificiis, & aliis piis operibus animabus illis, quæ in Purgatorio detinentur, prodesse possint ad earum expiationem. De quibus rebus partim aliâs disseruimus, vt annotaui initio huius disput. partim dicemus punct. 3.

Nunc autem inprimis Purgatorium confirmandum est secundùm illam, quasi substantialẽ & primariã vocabuli notionem, quã proposui. Quod propterea notandum esse existimaui, vt fraus etiã Sectariorum, & inprimis Kemnitij, in hac quęstione de Purgatorio facilius notari possit, qui omnia ferè, quæ circa Purgatoriũ, vel certò, vel probabiliter à Theologis Catholicis disputari solent, in hanc vnam quęstionem congerunt: vt si non omnia illa simul omnib. & singulis, siue testimoniis, siue argumentis, quæ pro Purgatorio afferuntur, comprobentur, non illis videatur confirmari ipsum Purgatorium.

Qua in re illud peculiariter Kemnitij mendacium obseruandum est, quod in Exam. 25. sess. Concil. Trid. inter cætera, quæ ad statum huius quæstionis pertinere dicit, ponit etiam, *vtrum in altera vita post mortem sit locus reconciliationi cum Deo, quando eam aliquis in hac vita non obtinuit.* Quod ita iste dicit, quasi sententia Catholicorum sit, posse etiam animas in Purgatorio recõciliari cum Deo per *gratiam*, licet ex hac vita absque eiusmodi recõciliatione decesserint. Quod nunquam vlli Catholici somniarunt.

Sententia Hæreticorum de Purgatorio exponitur. §. 5.

HIS positis, Purgatorium secundùm ipsius primariam, & quasi substãtialem rationem quam explicuimus, à variis hæreticis negatum fuit. Nam primum Aëriani hæretici, qui teste D. AVGVSTINO lib. de hæres. cap. 53. & EPIPHANIO hæres. 75. orationes & sacrificia negarunt vllis defunctis prodesse posse; simul etiam negauisse videntur, animas aliquorum defunctorum in Purgatorio detineri, quæ proinde viuorum suffragiis indigeant, vt à peccatis penitus soluantur.

Expressè autem Purgatorium negarũt VValdenses hæretici, vt refert Guido Carmelita in Summa de hęres. Item Schismatici Græci recentiores, vt ex Concilio Florent. apparet. Item etiã alij hæretici dicti Apostolici; sicut B. Bernardus commemorat serm. 66. in Cantica. Item illud negauisse putantur VViclefus & Hus, quandoquidem Bohemi hæretici, qui suos errores ab illo Hus hauserunt illud inficiantur: licet expressè quidem, neque ex Concilio Constantiensi, vbi errores illorum duorum hæreticorum damnati sunt, neque etiam ex Thoma VValdensi, qui eorundem errores diligenter insectatus est, constet Hus & VViclephum Purgatorium negasse.

Denique illud negant pertinaciſsimè nostris temporibus omnes Sectarij, vt videre præsertim est apud Caluinum lib. 3. Instit. cap. 5. & Kemnitium in Exam. sess. 25. Concil. Trid. Etsi Lutherus sanè varius admodum & inconstans in hac quæstione fuerit. Nam articulo 37. ex iis, quos Leo X. damnauit, tantummodò contendit non posse Purgatorium ex Scriptura probari, neque vllum, vt illud credat, esse cogẽdum. *Ego* (inquit ibi) *& credo Purgatorium esse, & consulo suadeoq; credendum, sed neminem volo cogi.*

Rursus tamen in disputatione Lypsica, non solùm Purgatorium admisit, sed etiam concessit illud ex Scriptura posse probari: *Ego*, inquit, *qui credo fortiter imò ausim dicere scio, Purgatorium esse, facilè persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem. Nolo mihi suspicionem fieri, quod faueam hæreticis aut Bohemis. Ego nihil de Purgatorio noui, nisi animas ibi pati nostris operibus & orationibus iuuandas.* Ac Similia dixit in resolutione Indulgentiarum, cõclus. 15, licet ibi paradoxum nescio quod Purgatorium excogitãuit, quod scilicet cõtineatur quodã timore & hæsitatione, qua dubitent animæ de sua salute eaque re excrucientur. Cùm tamen certissimum omnium orthodoxorum dogma sit, animas fidelium, qui in gratia diuina è vita excesserunt, vel ex affectu charitatis suæ erga Deum satis certò cognoscere sibi nullũ amplius imminere periculum ęternę damnationis: cùm animæ improborum statim accipiant in particulari iudicio damnationis sententiam, incipiantq; vehemẽter odio prosequi ipsum Deum. Ac sic etiam animæ iustorum statim sententiam intelligunt, vel de æterna requie, si sufficienter in hac vita à peccatis expurgatæ fuerunt, vel de cruciatu in Purgatorio, si adhuc aliquid illis expiandum restiterit, vt latiùs hoc ipsum contra Lutherum ex orthodoxa doctrina confirmat rectè Roffensis art. 37. contra Lutherum, & nos etiam punct. 2. & 3. probabimus. Denique postea Lutherus Purgatorium penitus negauit, vt de illo etiam commemorat Kemnitius loco suprà citato.

Probatur sententia Ecclesiæ Catholicæ de Purgatorio, & primo ex Scriptura. §. 6.

ECCLESIA autem Catholica, & sentit & perpetuò sensit, Purgatorium esse. Cuius quidem Ecclesiæ auctoritas cùm infallibilis sit, (vt conuicimus tertio tomo, disputatione 1. quæst. 1. punct. 7.) abundè nobis sufficere deberet ad retinendam Purgatorij assertionem, licet nullum haberemus Scripturæ testimonium, aut argumentũ aliud. Sic enim & D. AVGVSTINVS lib. de cura pro mortuis generanda, cap. 1. cùm ex Scriptura probasset, orationes & suffragia viuorum fidelium defunctorum animabus prodesse posse, annotauit: sola nimirum Ecclesiæ auctoritate, licet nullũ ea de re Scripturæ testimonium extaret, satis hanc assertionem confirmari. *Etsi*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nunquam, inquit, *in Scripturis veteribus omnino hoc legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas.* Cuius etiam Ecclesiæ auctoritatem cùm aliquid ipsa per vniuersum orbem vsurpat, contemnere aut in dubium reuocare, *insolentissimæ insaniæ* esse idem Augustinus epistola 118. dicit. Qua proinde similiter illud institutum orandi pro defunctis probat in eodem libro cap. 4. & serm. 33. de verbis Apostoli & aliâs passim. Nam quantum in religionis controuersiis Ecclesiæ Catholicæ auctoritas valeat docuimus ex instituto, tomo 3. vbi suprà. Cæterùm hac Ecclesiæ auctoritate confirmati habemus etiã quod attinet ad hanc quæstionem de Purgatorio alias proprias probationes.

Ac PRIMO quidem probatur Purgatorij assertio ex Scripturis. Ex quibus cum multi ac varij loci ad hanc rem ab orthodoxis adduci soleant, quatuor mihi videntur posse proferri testimonia præcipua. PRIMVM ex lib. 2. Machabæor. cap. 12. vbi cum quidam è populo Iudæorum, qui illicitè contra præceptum suæ legis donaria quædam idolorum acceperant, & retinebant, in prælio quodã cecidissent; *Vir fortissimus Iudas*, inquit Scriptura, *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum, bene & religiosè de Resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ciciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quod ij, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Colligitur itaque ex hoc testimonio manifestè, aliquorum animas post mortem peccatorum reatu aliquo impediri & obstrictas teneri, donec diuinæ iustitiæ satisfiat, vel per illarum pœnas, vel per viuorum suffragia, vt ita demùm à peccatis soluantur. Vnde & D. AVGVSTINVS lib. de cura pro mortuis, cap. 1. ex eo loco probat orandum esse pro iis fidelium defunctorum animabus, de quibus ipse lib. 21. de ciuit. cap. 24. affirmat *constare*, quod pœnis temporalibus excrucientur, donec à peccatis soluantur: *Tales enim*, inquit, *fideles* CONSTAT (notetur hoc verbũ Augustini aduersus impudẽtiam Kemnitij & aliorum Sectariorum, qui vt postea videbimus dicunt, Augustinũ de Purgatorio dubitasse) *ante iudicij diem per pœnas temporales, quas eorum spiritus patiuntur purgatos, receptis corporibus æterni supplicij ignibus non tradendos.*

SED intelligetur melius, meritò ex isto testimonio Purgatorium probari, si respondemus breuiter ad ea, quæ Sectarij & inprimis Kemnitius loco suprà citato obiiciunt, quo minus debeat illud ex eo loco probari.

Primò OBIICIVNT, librum illũ Machabæorum non esse Canonicum. SED hoc falsissimum est. Nam D. AVGVSTINVS lib. 18. de ciuit. cap. 36. de his libris ita scriptũ reliquit: *Machabæorum libros non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Itẽ D. Hieronymus in prologo lib. Machab. *Machabæorum*, inquit, *libri, licet non habeantur in Hebræorum Canone, tamen ab Ecclesia inter diuinorum Voluminum annotantur historias.* Quam rem etiam tomo 3. disp. 1. q. 1. p. 7. in loco de Scripturis confirmauimus: ibiq; ostendimus fundamenta, ex quibus ad Sectariorum cauillationes responderi debet, cum alicuius libri sacri ab Ecclesia recepti auctoritatem, vel reiiciunt, vel in dubium reuocant.

Secundò probant, librum illum non esse Canonicum ex verbis illius auctoris, qui sub finem secundi libri ita dicit: *Et ego etiam in iis faciam finem sermonis, & siquidem bene, & vt historiæ competit, hoc & ipse velim, sin autem minus dignè, concedendum est, &c.* Ex qua ratione putat præsertim Kemnitius, euidẽter intelligi posse, nõ esse certa, quę in illo lib. sint scripta, quãdoquidem auctor ipse petit sibi condonari, si quid minus bene narrauerit.

Respondemus, hoc auctorem minimè retulisse ad ipsas res & veritatem historiæ, quam narrat; quasi velit sibi dari veniam, si quid falsum, aut minùs certũ perhibuerit; sed ad *modum* scribendi & narrandi. Nam & simili modo D. Paulus agnoscebat se non satis perito sermone loqui solitum fuisse, tametsi dubium non est, quin verissima certissimaque loqueretur.

Atque ita illa verba auctoris secundi libri Machabæorum intelligenda esse manifestè patet ex ratione, quam idem subiungit, cur velit sibi modum illum dicendi condonari: *Legentibus enim*, inquit, *si semper exactus est sermo, non erit gratus, &c.* Quæ ratio est, cur etiam ipse Spiritus sanctus, qui Auctorem illum in scribendo penitus dirigebat, noluit eum semper æquè exactè, atque commodè dicere. Vnde etiam intelligitur, illum omnino habuisse in ea re optimam excusationem: quandoquidem non tam ille, quàm ipsemet Spiritus sanctus in illo loquebatur. Quod ipse fortè etiam cogitari ad suam excusationem voluit, cùm dicit; *Concedendum est mihi*: quasi dicat, Qui ita locutus sum, sicut Spiritus sanctus (cuius fui duntaxat velut calamus) voluit. Itaque verbum illud *minùs dignè* in ea Auctoris oratione, non idem significat, quod *malè* seu *perperam*, sed idem quod *minùs exactè* seu exquisitè. Nihil enim malè aut perperam Spiritu sancto dictante potuit scribi.

Tertiò obiicit Kemnitius, quòd si maximè illa narratio vera sit; Iudas tamen non aliquo Scripturæ præcepto aut exemplo, sed humana cogitatione cordis ductus, id fecit: ac proinde nequaquam rectè illum fecisse, cùm nusquam in Scriptura veteris Testamenti præceptum sit sacrificium pro mortuis.

Cæterùm hæc obiectio manifestissimam continet blasphemiam, cùm Scriptura ipsa in eodem loco disertè affirmet, Iudæ cogitationem

in ea

in ea re fuisse *piam & religiosam*. Neq: verò Iudam istud consilium *excogitasse*, & de resurrectione ita ratiocinatum fuisse, idem est, quod figmentum aliquod, & adinuentionem vanam sui cordis illum in ea re fuisse secutum, sicut impiè & ineptè Kemnitius, ex ipsa vi vocabuli *cogitationis* persuadere conatur. Sed indicat Scriptura, qua ratione Iudas piè & rectè fulciuerit fidem suam de vtilitate, atque fructu sacrificiorum, quæ fierent pro defunctis; nempe dum *piè & religiosè de resurrectione cogitauit*.

Quartò probat Kemnitius, cogitationẽ consiliumque illud Iudæ non fuisse, vt per efficaciam illorum sacrificiorum soluerentur illi defuncti à reatu alicuius pœnæ, quam pro peccatis mortalibus iam remissis post hanc vitam luerent; sed vt per illa, peccata mortalia quantumuis in hac vita ipsis non fuissent remissa, effugerent in extremo Iudicio & in illa communi omnium resurrectione sententiam æternæ damnationis. Atque hoc illud esse quod Iudas de resurrectione cogitauit, videlicet num fortè etiã illa sacrificia, quæ ex præscripto veteris legis fiebant, tantam vim haberent, vt non modo valerent pro peccatis viuorum, sed etiam pro peccatis iam defunctorum, ne scilicet illi ob ea incurrerent in extremo Iudicio damnationem.

Confirmat autem Kemnitius istam interpretationem ex eo quòd paulò ante in eodem capite duodecimo, perhibentur fuisse inuenta sub vestibus illorum cœsorum, Donaria illa idololatrica; vnde videtur colligi posse, illos omnino fuisse mortuos in peccato illo mortali, quod in accipiendis illis donariis aduersus legem commiserant.

Cæterùm istius interpretationis fundamentum friuolum ac leuissimum est: cùm ex eodem ipso Scripturæ textu manifestissimè constet, Iudam illa sacrificia non curauisse offerri, nisi pro iis defunctis qui ex illo numero ab omni peccato mortali per veram pœnitẽtiam, vel ante mortem, vel iam iam in ipsa morte resipuissent. Ait enim Scriptura, propterea Iudam id fieri curauisse, quòd inter cætera etiã consideraret, quòd *hi* (inquit) *qui cum pietate dormitionem acceperant optimam haberent repositam gratiam*.

Accedit quòd ad extremũ ibi absolutè Scriptura pronunciat, *sanctam & salubrem esse cogitationem pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, eo videlicet modo quo ibidem commemorauerat Iudam cogitationem eam suscepisse. Atqui velle ita orare pro defunctis, vt in extremo Iudicio peccata ipsis mortalia remittãtur, quibus in vita remissa non fuerint, atque adeò vt propter illa tunc non damnentur; minimè est sancta & salubris cogitatio: siquidem perperam id fieret, vtpote contra legem Dei ordinariam. Apparet igitur nihil obstare, quo minus ex illo loco Machabæorum assertio Catholica de Purgatorio rectè confirmari possit.

Ex quo etiam intelligi debet, quã vanè Kemnitius subinde repetat, Purgatorium non fuisse tempore veteris legis. Nam quod inculcat, in ipsa lege nullam illius mentionem, aut etiam sacrificiorum, vel orationum pro defunctis extare; nihil omnino nobis obstat. Fuit enim ea de re, sicut de nonnullis aliis, temporibus veteris testamenti viua *traditio* sine Scriptura: vt etiam tomo tertio, vbi supra in loco de traditionibus, ex illo testimonio, & facto Iudæ Machabæi, & ex aliis locis aduersus Kemnitij, & aliorum aduersariorũ cauillationes defendimus & confirmauimus. Neque enim Iudas primùm absque exemplo, & traditione maiorum de sacrificio pro defunctis cogitauisse existimari debet.

Et certè cum viri etiam iustissimi ex illo populo Israëlitico mortuos suos tam prolixè & tam acerbè lugebant (sicut extant in Scriptura veteris testamenti multa passim exempla) minimè debent putari sensui tantùm suo ac dolori propter mortem eorum, quos diligebant, voluisse in ea re indulgere. Hoc enim viros sapientes & perfectos facere minimè decet. Sed existimandum est potiùs, prolixis illis luctibus, & exequiis, defunctorum animabus prodesse eos voluisse, nempe illis ad pœnæ etiam remissionem suffragando illis lachrymis & afflictationibus.

SECVNDVS locus pro Purgatorio est 1. Cor. 3. quem interposita explicatione illustrabimus, vt commodiùs illo vti possimus. *Secundùm gratiam Dei*, inquit Apostolus, *quæ data est mihi fundamentum posui.* (hoc est, rectè tradidi doctrinam fidei de Christo, vt ei homines per fidem, charitate viuam, tanquam fundamẽto inhæreant) *Alius autem superædificat*, (id est, præterea cæteri ad hanc ipsam doctrinam addunt, vel explanationẽ maiorem dogmatum, vel etiam opera secundùm doctrinam) *vnusquisque autem videat quomodo superædificet* (id est, ita & doceat & viuat, vt nõ subuertat rectum illud fidei fundamentum, neque Christo aliquam rem anteponat, quod esset iam vt diuus Augustinus in Enchridio, capite sexagesimo octauo exponit, Christum non primo loco atq; adeò non pro fundamento habere: siquidem fundamento ipso nihil in ædificio debet esse prius) *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus* (id est, non potest esse alia recta de Christi fide doctrina præterquàm illa, quæ est iam à me tradita, neq; in vlla alia re præterquam in Christo potest, tanquam in fundamento consistere salus) *si quis autem ædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos* (id est rectæ doctrinæ dogmata, & bona etiam opera, magis aut minùs pretiosa) *lignum, fœnum, stipulam* (id est, minuta peccata, siue in vita, siue in doctrina, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsa nihilominùs posint consistere super fundamentum fidei in Christum per charitatem viuæ) *Vniuscuiusq; opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur* (id est, constabit vel in extremi iudicij die, quale nam opus vnusquisque super fundamentum illud extruxerit, qui *dies Domini* maximè dicitur, & in quo erit ignis conflagrationis mundi; vel etiam in die mortis vniuscuiusque, qui item dicitur dies Domini, in quo scilicet venit præter expectationem qua hora non putatur. Quo etiam tempore per ignem, hoc est, per *acrem examinationem* particularis iudicij, sicut multi hic interpretantur, manifestum erit vniuscuiusque opus: iuxta illud Prouerbiorum decimo septimo: *Sicut igne probatur argentum & aurum Camino, ita corda probat Dominus*) *Et vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit* (quia scilicet cruciabit eum qui lignum fœnum, & stipulas super fundamentum illud ædificauerint; non autem illum qui superædificauerit aurum, argentum, & lapides pretiosos, & eatenus sanè vniuscuiusq; opus probabit ignis, sicut ex verbis quæ sequuntur apparet) *Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet* (id est, si cuius opus non indigebit expurgatione per cruciatum ignis, reliquum tantummodo erit, vt pro eo opere mercedem quis accipiat) *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur* (id est, retardabitur à beatitudine & punietur ignis cruciatu is cuius opus indigebit purgatione illa ignis) *ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, id est, non tamen ita punietur, vt non fiat tandem saluus, sed fiet saluus deniq; per eiusmodi cruciatum ignis.

Ita hunc locum Diui Pauli plerique veteres interpretantur, vt scilicet ab illis verbis: *Vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, &c.* de aliquo igne Apostolum locutum fuisse intelligere debeamus, quo post mortem excruciãtur ij, qui ædificarunt super fundamẽtum *lignum fœnum stipulas*, quomodocunque tandem superiora verba de die Domini, de reuelatione ignis interpretemur. Sic Origenes homilia duodecima in Ieremiam, Cyrillus libro decimo quarto in Leuit. Ambrosius, Hieronymus, OEcumenius & alij in illum locum 1. Corinth. 3. Item diuus Augustinus cùm aliàs, tum maximè in Psalmum trigesimum septimum, & diuus Gregorius libro quarto dialog. capite trigesimo nono. Quamuis & de igne etiã tribulationis, Augustinus & Gregorius eum locum exponi posse existimarunt. Quod quemadmodum nihil nostræ probationi obstet statim videbimus. Denique in Concilio Florent. post accuratam disputationem à Græcis & Latinis hac de re habitam; inter vtramque Ecclesiam conuenit verba illa diui Pauli posteriora, omnino de *igne purgatorio* post hanc vitam intelligi debere.

Cæterùm Kemnitij & aliorum Sectariorum OBIECTIONIBVS iam breuiter respondendũ est, vt intelligatur rectè ex hoc testimonio probari purgatorium. Obiicit igitur Kemnitius hic PRIMO, quod ignis ille de quo etiam posterioribus verbis loquitur Apostolus, non nisi metaphoricè exponi debeat: quandoquidem antecedentia verba in illa oratione vsurpãtur etiam metaphoricè, nempe aurum, argentum, lapides pretiosi, lignum; item fundamẽtum, ædificium. Nec enim consentaneum est, vt in eadem oratione reliqua interpretemur metaphoricè, & ignem illum non. Quod ex illa etiam particula, quam vsurpat Apostolus (*quasi per ignem*) confirmat Kemnitius. Ideo enim non absolutè dixit saluus fiet per ignem, sed *quasi* per ignem, vt per eam particulam nos admoneret de metaphoræ similitudine, ait Kemnitius.

RESPONDEMVS, si hæc obiectio aliquid valeret, posse etiam similiter concludi, ne vocabulum quidem *opus*, *saluus*, & similia in illa oratione propriè accipi debere. Quod si non obstante Metaphorica vsurpatione illorum vocabulorũ *fundamentum*, *ædificatio*, *argentum*, *lignum*, *&c.* vocabulum *opus*, & *saluus*, & *detrimentum*, & similia propriè in illa oratione intelligere possumus & debemus; cur non etiam vocabulum *ignis*? Etenim Metaphoricæ locutiones aliquo etiam vsu vocabulorum proprio niti debent. Nec opus est vt sit in tota oratione ppetua metaphora. Quoniam enim in proposito voluit Apostolus significare, opera quædam expiatione in cruciatu illo *ignis* indigere; ideo metaphoram in vocabulis *fœnum*, *lignum*, *stipula*, commodè vsurpauit, quæ scilicet significare solent alioqui materiam aptam ad ignem.

Quod autem inquit *saluus fiet, sic tamen quasi per ignem*, non ideo voluit significare metaphoræ similitudinem, sed potius cum emphasi quadam rei proprietatem & veritatem. Voluit enim Apostolus ea oratione fideles deterrere, ne supra fundamentum ædificent *lignum fœnum stipulas*, quandoquidem si id faciant, non aliter salui futuri sint, nisi per cruciatum acerbissimũ, qualis nimirum est cruciatus ignis. Hoc igitur significat illo loco particula illa, *Quasi*; Ac si diceret fiet quidem saluus, sed nimirum per cruciatum ignis, qui est maximus cruciatus.

Ac similis vsus illius particulæ (quasi) est in aliis etiam Scripturæ locis: Vt Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Vbi certè particula, quasi, non significat metaphoræ similitudinem, nec minuit rei veritatem & proprietatem, sed potiùs illam emphasi quadam auget. Sensus enim est, non esse mirum si Christus plenus erat gratiæ & veritatis quandoquidem erat, nimirum vnigenitus & naturalis Dei filius; sic etiam in aliis Scripturæ locis qui passim occurrunt.

SECVNDO obiicit, quòd D. Augustinus in Enchir. cap. 68. ignem de quo ibi Apostolus loquitur

quitur talem esse intelligendum dicit, vt per illum vtriq; transeant; videlicet non modo ij qui supra fundamẽtum ædificauerint *lignum fœnum & stipulas*. Sed etiam ij qui ædificauerint *aurum argentum & lapides pretiosos*. Ait enim Apostolus, *vniuscuiusque opus ignis probabit*. Non igitur ibi est sermo de igne purgatorio; siquidem per illum minimè transeunt qui aurum, argentum, & lapides pretiosos ædificauerint, id est, qui nihil post mortem habuerint quod sit expiandum.

Sed ad hoc RESPONDEMVS, suppetere etiã nobis eiusdem Augustini auctoritatem in aliis locis & aliorum veterum, vt ignem ibi intelligamus per quem non transeant ij quoq; qui ædificauerint aurum argentum & lapides pretiosos; hoc ipso videlicet quod & Augustinus, & illi alij veteres de *igne Purgatorij* post hanc vitã illa Apostoli verba intelligunt, per quem ignem constat ex eorundem auctorum, atq; adeò ipsius etiam Ecclesiæ sententia, non omnes omnino fideles, sed quosdam transire.

Neq; verò ex eo quod Apostolus ait, *vniuscuiusq; opus quale sit ignis probabit*, satis solidè colligi potest debere etiam per illum ignẽ transire eos, qui aurum superædificauerint. Probabit enim ille ignis vniuscuiusq; opus quatenus, vel *exuret*, vel etiam *non exuret* ipsum operantem, si videlicet opus non superædificauerit, quod indigeat expurgatione ignis: vt supra ex ipsis verbis diui Pauli hanc interpretationem confirmabamus. Accedit quòd D. Augustinus non negat in illo loco posse etiã illud Apostoli testimonium exponi aliter: vt paulò post magis explicabimus.

TERTIO obiicitur, quod antecedẽtibus verbis cum Apostolus dicit, vniuscuiusq; opus fore manifestum, quia dies Domini declarabit, *qui in igne reuelabitur*, Ignis non intelligitur ille purgatorius, sed alterius generis; nempe vt ignis ibi accipitur, vel pro ipso *acri examine* iudicij particularis, vel certè pro ipso igne vltimę conflagrationis, vt supra quoque dicebamus. Videtur igitur neq; in subsequentibus verbis agi de purgatorio igne, cum Apostolus repetit futurum, vt vniuscuiusq; opus *ignis probet*, & vt is qui ædificauerit lignum, fœnum & stipulas saluus fiat *quasi per ignem*. Vbiq; enim in eadem illa oratione oportet vno & eodem sensu sermonẽ esse de igne.

Sed ad hoc RESPONDEMVS, potiùs ex illa repetitione Apostoli colligi debere, quòd de altero igne loquatur, quando rursus dicit, vniuscuiusq; opus per *ignem* probatum iri. Nam quod in illo igne examinationis iudicij, vel in illo die conflagrationis vniuscuiusq; opus quale fuerit manifestãdum sit, id Apostolus antecedentibus verbis dixerat. Quare cum postea repetit, per *ignem* vniuscuiusq; opus probandum esse, de alterius ignis probatione loqui putandus est. Neque est inusitatũ, vt in eodem sermone vsurpetur diuersimode idem vocabulũ. Quinimò ipsa ratio eiusdem vocis præbet occasionem transitionis ex vna re ad alteram, quæ eodem vocabulo significari possit: vt fuunt multa exempla in ipsis etiam Scripturis.

QVARTO obiicit Kemnitius, locum istum Apostoli difficilem & obscurum ad intelligendũ esse, teste etiam D. Augustino in Enchir. cap. 68. proinde non posse dogma fidei, quale Catholici dogma istud de Purgatorio esse putãt, satis certo ex eo loco probari; cũ possit videlicet diuersis modis intelligi: sicut etiam variè admodũ ab orthodoxis Scriptoribus est expositus.

Primò enim D. CHRYSOSTOMVS in illum locum, *ignem* ibi interpretatur esse ipsum ignem inferni, quo damnati cruciantur: *fœnum* autem, *lignum & stipulas* peccata mortalia, quibus fides ipsa contaminatur. Quod autem Apostolus dicit futurum, vt quis *saluus* fiat per illum ignem, dicit Chrysostomus ita intelligi debere, nempe quod ignis ille inferni sic damnatos excruciabit, vt tamen maneat illorum substantia perpetuò salua: Nõ enim cruciatu illius ignis aliquãdo ipsos consumptum iri.

Secundò, Theodoretus & OEcumenius in illum locum: Itẽ Alcuinus lib. 3. de Trinit. cap. 21. & Glossa ordinaria, ignem illum esse intelligunt eundem ipsum ignem vltimæ conflagrationis, quo dicunt, eos qui super fundamentum ædificauerint lignum fœnũ, &c. id est, peccata leuiora esse in postremo illo die purgandos: aliis verò qui ædificauerint aurum & argentum, quamuis item per illum ignem transituri sint, tamen futurum eum ignem potius refrigerio, & consolationi, sicut fuit tribus pueris ignis ille Babylonicæ fornacis, itemq; redditurũ illos hunc ignẽ vltimæ conflagrationis longè splendidiores.

Tertiò, diuus AVGVSTINVS in Enchiridio, capite sexagesimo octauo, & libro de fide & operibus, capite decimo quinto, & de 8. qq. ad Dulcit. quæstione prima, ignem istum interpretatur esse tribulationem & cruciatum, quem aliquis sentit cum amittit bona temporalia aliqua, quæ in hac vita inordinatè, tametsi solum venialiter, saluo videlicet fundamento, dilexit: eo quod vt idem Augustinus inquit, *sine dolore non amittuntur, quæ cum delectatione possidebantur*. Atque eam tribulationem dicit secundùm Scripturæ etiam phrasin ignem appellari: iuxta illud quod legimus Eccles. 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*. Hos igitur qui nimis tẽporalia dilexerunt dicit Augustinus expurgari, & saluos fieri per illam tribulationem qua temporalia amittunt, quasi per quendam doloris ignem. Alios autem qui super fundamentum ædificant aurum & argentum, dicit esse qui ex animo renunciant huius vitæ rebus, seque exercent in perfectissimis charitatis & aliarum virtutum actionibus, quique proinde nulla rerum temporalium amissione excruciãtur, sed suorũ operum cumulatam recipiũt mercedem à Deo. Accedit quod etiam D. Gregorius lib. 4. dialog.

cap. 39. concedit locum iſtum Apoſtoli de igne tribulationis poſſe intelligi, quemadmodũ exponit D. Auguſtinus.

RESPONDEO, neq; obſcuritatem, neq; etiam varietatem interpretationum eius loci, debere obſtare quo minꝰ ex illo dogma iſtud fidei, certiſsima præſertim auctoritate Eccleſiæ alioqui confirmatum, probari poſsit. Non quidem obſtat *obſcuritas*, quoniam non idem eſt locum aliquem Scripturæ obſcurum ac difficilem eſſe, & illum adhibito ſtudio explicari non poſſe ad aſſertionis Catholicę confirmationem. Quin imò pleriq; Scripturæ loci, ex quibus contra hæreticos pro fide Catholica argumentari neceſſe eſt, ſolent eſſe vel per ſe, vel ſi cum relatione ad alios locos conſiderentur obſcuri & difficiles. Ideo enim fit, vt hæretici à vera ſententia fidei tam facilè aberrent, quoniam Scripturę loci in quibus illa continetur non ſatis ſunt plani & perſpicui.

Ac notauit etiam rectè D. AVGVSTINVS ex obſcuris quoq; eiuſmodi locis meritò poſſe ſtudio adhibito veritates fidei in concertatione cũ hæreticis confirmari. Ita enim inquit in Pſal. 67. *Multi ſenſus Scripturarum ſanctarum latent & paucis intelligentioribus noti ſunt, nec aſſeruntur commodius & acceptabilius niſi cùm reſpondendi hæreticis cura compellit.* Hactenus Auguſtinus.

Quod autem neq; *varietas* interpretationum illius loci nobis obſtet, inde *primùm* probamus, quia conſtat alioqui eiuſdem loci Scripturæ nõ vnicum tantum, ſed plures etiam eſſe poſſe ſenſus literales; modò nec inter ſe, neq; etiam cum aliis Scripturæ locis aut dogmatibus fidei pugnent: vt notauit diſertè D. Auguſtinus lib. 1. de Trinitat. cap. vlt. & lib. 12. Confeſſ. cap. 31. & alibi multis in locis.

Deinde, quoniã nullus alioqui ferè eſſet Scripturæ locus idoneus ad aliquid in quæſtionibus fidei confirmandum. Quotus enim quiſq; locus eſt, qui non ab aliquo orthodoxorum Patrum inueniatur aliquo alio modo etiam explicatus? Nec certè ipſi Sectarij, tũc deberent vllum Scripturæ locum ad probandum ſua dogmata vſurpare, cùm dubium nõ ſit quin aliter etiam eiuſmodi loci quos ipſi vſurpant reperiãtur paſsim in Patrum Scriptis explicati: vt ipſimet Sectarij facilè agnoſcunt, qui idcirco ſuas expoſitiones expoſitionibus Patrum, vbique ferè anteponere conſueuerũt. Nec nobis igitur in propoſito varietas vlla interpretationum loci illius Apoſtoli, 1. Cor. 3. debet obſtare: cùm nullus ex illis Patribus ita ſuam interpretationem aſſerat, vt reliquos fellat illam aliam interpretationem de Purgatorio igne quæ eſt etiam, vt vidimus multorum Patrum.

PRAETEREA ſenſum illius loci vel vnicum, vel certè præcipuum eſſe illum, quem nos aſſeruimus; facilè ex ipſius loci ratione & circumſtantiis euincere poſſumus. Etenim illi *igni* per quem dicit Apoſtolus ſaluos fore qui ſupra fundamentum ædificauerint lignum fœnum & ſtipulas, QVATVOR potiſsimum conditiones oportet competere, vt ex ipſo loco Apoſtoli licet colligere.

PRIMA conditio eſt quòd illum ignem omnes omnino, qui eiuſmodi opera ſuperædificauerint ſentient, ſecundùm certiſsimam & ordinariam Dei legem; niſi qui fortè aliis mediis à diuina item prouidentia conſtitutis ad redemptionem illius cruciatus, adiuti fuerint. Dicit enim Apoſtolus abſolutè futurum, vt qui illa ſuperædificauerint *ſalui* fiant *ſic tamè quaſi per ignem*, id eſt, nõ aliter iuxta diuinum decretum, quàm per cruciatum ſiue *detrimentum* (vt Apoſtolus loquitur) quod *patientur* in illo igne.

SECVNDA conditio eſt, quòd eiuſmodi igné tales ſentient eo tempore, quo ſolent animæ fidelium recipere mercedem æternæ vitæ atq; ſaluæ fieri. Nam ſub illud idem tempus, quo hi qui ædificauerint aurum & argentum *mercedem recipient*, ſignificat Apoſtolus eos etiam qui ædificauerint *lignum fœnum & ſtipulas* ſaluos fieri poſſe per illum *ignem*. Hoc autem tempus illud etiam eſt, quod præcedit tempus extremi iudicij; id eſt, totum iſtius etiam ſeculi ſpatium: ſiquidem ex fide alioqui conſtat, fidelium animas ante tempus etiam extremi iudicij ſolere accipere eſſentialem beatitudinem, vt in Eccleſia iam definitum eſt à tempore Pontificatus Benedicti XI. tametſi ea de re aliquãdo fuerit inter orthodoxos diſputatũ. Quam rem fusè confirmauimus tomo 2. diſp. 1. quæſt. 4. p. 2.

TERTIA conditio eſt quòd *detrimentum* illud ac pœna, quam in eiuſmodi igne tales homines patientur, grauiſsima & acerbiſsima erit. Proponit enim D. Paulus comminationem illius ignis, vt ea maximè fideles deterreat ne ſuperædificent *lignum fœnum & ſtipulas*.

QVARTA conditio eſt, quòd ſalui fient eiuſmodi homines per cruciatum illius ignis, tanquam per *pœnam* quandam propter peccata à *diuina iuſtitia* inflictam: ita vt eiuſmodi pœna futura ſit quoddam diuinæ prouidentiæ medium, quo expurgentur & ſoluantur penitus à peccatis. Opponit enim ibi Apoſtolus quaſi per Antitheſin *detrimentum* illud ſeu *pœnam* illius ignis, ipſi æternæ *mercedi* quam illi alij accepturi ſunt, qui ſuperædificauerint *aurum & argentum*: Ita videlicet vt quemadmodũ iſti diuinitus accipient *iuſtam remunerationem* ſuorum operum pretioſorum, ſic etiam alij accepturi ſint retributionem *iuſtæ pœnæ*, per quam proinde tãquam per quoddam medium diuinæ iuſtitiæ ſalui fiant expiatis eorum peccatis.

Iam verò QVATVOR iſtæ conditiones omnes in nullam ferè illarum trium interpretationum, quas in obiectione poſuimus, conuenire poſſunt: optimè autem congruunt in alteram illam interpretationem de *igne purgatorio*, ex qua nos argumentati ſumus.

Nam

Nam in PRIMA interpretatione Chryſoſtomi manifeſtè deeſt QVARTA conditio. Pœna enim inferni qua damnati cruciantur nequaquã eſt ipſa medium aliquod *per* quod damnatorum ſubſtantia in ſe ſalua conſiſtat. Non enim quia illo igne damnati exuruntur, idcirco propriè ſuum eſſe retinẽt; ſed diuina virtute id efficitur: alioqui potius ille ignis videretur eos poſſe in nihilum redigere, vel certè conſumere carnem illorum poſt reſurrectionem.

Accedit quòd diuus Paulus in eo loco non loquitur de illo genere ſalutis, quod interpretatur Chryſoſtomus, ſed de ſalute quæ contineatur ipſa *mercede* vitæ æternæ ac beatitudinis, quã alij qui ſuperædificarũt aurum & argentum accipiunt ſine detrimento & cruciatu illius ignis: vt patet ex ipſa Antitheſi quam ibi facit Apoſtolus inter vtroſque.

Denique peccata *mortalia* quæ ibi Chryſoſtomus interpretatur eſſe lignum fœnum & ſtipulas, non rectè dici poſſunt ſuperædificari ſuper fundamẽtum quod eſt Chriſtus & fides in illum viua: quandoquidem per ea peccata potius excidit aliquis ab huiuſmodi fundamento, quantumuis retineat alioqui fidem mortuam. Ac ipſi ſanè Sectarij ſatis intelligunt, interpretationem illam Chryſoſtomi huic loco Apoſtoli minimè conuenire, vt videre eſt præſertim apud Kemnitium.

Et eodem modo redarguitur alia quædam erronea expoſitio quorundam, qui ſimiliter intelligentes lignum fœnum & ſtipulas eſſe hoc loco peccata *mortalia* fidelium, colligebant futurum aliquando vt damnati conſequerẽtur ſalutem, neque pœnas illas inferni fore æternas. Ita enim ſignificare diuum Paulum arbitrabantur, cùm dicit *ſaluus fiet quaſi per ignem*. Quam expoſitionem diuus Auguſtinus ex inſtituto multis in locis refellit. nempe in Enchirid. cap. 67. & 68. & libro de fide & operib. cap. 14. & 15. & ſerm. 41. de Sanctis, & lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 21. & alibi. Præterquã enim quod malè illi exponebant, lignum fœnũ ſtipulas eſſe peccata *mortalia*, manifeſtis aliis Scripturæ locis repugnabãt, ex quibus rectè diuus Auguſtinus oſtẽdit, ſupplicium damnatorum fore ſimpliciter *æternum*, neq; vnquam futurũ, vt qui in peccatis mortalibus quæ Apoſtolus vocat *opera carnis* è vita decedunt, *regnum Dei poſſideant*. Galat. 5. & Matth. 25.

Iam verò ad SECVNDAM interpretationem eius loci, quã in obiectione retulimus, accommodari ſimiliter non poteſt SECVNDA conditio quæ debet in illum *ignem*, de quo Apoſtolus loquitur, conuenire, vti diximus. Conflagratio enim illa ignis, quæ erit in die iudicij, non probat *nunc* vniuſcuiuſque opus: neq; per illam ſalui iam fiunt ij qui ante extremum illum iudicij diem ſalutem conſequuntur, licet ſuper fundamentum ædificauerint lignum fœnum & ſtipulas. Arbitrari verò huiuſmodi fideles diem illum extremum expectaturos, neque antea ſaluos fore, per ſe abſurdum eſt, & alienũ à D. Pauli mente in hoc loco, vt oſtendimus in confirmatione illius ſecundæ conditionis.

Præterea neque ad TERTIAM interpretationẽ, de igne videlicet tribulationis, ſatis accommodari poteſt PRIMA conditio. Sæpe enim fit, vt illi qui nimium res temporales adamauerũt, ſine dolore vllo ſuo in hac vita illas amittant: cũ ſcilicet præoccupãtur aliquo genere mortis repentino, quo certè caſu vt rectè Ioannes Eckius lib. 1. de Purgatorio inquit, potius ipſæ res illos amittere quam contrà illi res amittere cenſeri poſſunt. Quoniam igitur tales nullum peculiarem dolorem ex amiſsione rerũ in hac vita ſentiunt; nõ ſatis commodè illum ignem per quem ordinariè omnes, qui lignum fœnum & ſtipulas ſuperædificauerint ſaluos fieri oportet, tribulationem eam eſſe interpretabimur, quæ continetur illo dolore ob amiſsionem temporalium rerum, quandoquidem hic dolor non eſt ordinariè omnium. Atque ita deeſt vt dixi in hac interpretatione prima illa conditio.

Deinde neque ſatis in eandem interpretationem QVARTA conditio quadrat. Ille enim dolor propter omiſsionem rerum, per ſe quidem, niſi ſingulari quadam voluntate acceptetur, & referatur ad finem expiandi peccata, non eſt talis pœna quæ ipſa tanquam medium quoddam diuinæ prouidentiæ expiare peccata poſsit. Accedit etiam quòd neque ex ea re ordinariè omnes ſentiunt tantum cruciatum, quantum in illa ignis pœna ſignificat Apoſtolus futurum, vt in tertia conditione diximus.

Nulla igitur ex illis tribus expoſitionibus ſatis cũ ipſius loci ſententia & circumſtantiis conuenire videtur. Altera verò illa interpretatio de *igne Purgatorio* ex omni parte quadrat: vt facilè patebit ſi quis ad illam referat omnes illas quatuor conditiones, quas oportet (vt diximus) in illum ignem conuenire.

Atq; eodem modo facilè confutari poteſt alia quædam ſingularis & peregrina expoſitio, quam adhibet ei loco verboſe admodum, & per multas ambages Kemnitius. Cuius ſumma eſt: Diem Domini, & ignem in quo reuelabitur, & qui vniuſcuiuſque opus probabit, & per quem ſaluus erit is qui lignum fœnum ſtipulas ſuper ædificauit, aliud nihil eſſe in eo loco quàm *lucem Verbi Dei* cùm ea illuſtratus aliquis intelligit ſe falſa dogmata, quæ teſtimonio verbi careant, commentum fuiſſe. Quæ dogmata dicit Kemnitius vnà cum fundamento fidei in Chriſtum, tunc poſſe ſtare quando non ponitur in illis fiducia, ſed tantum præter fundamentum, ex humani cordis infirma cogitatione, tanquam lignum fœnum & ſtipulæ ſuperextruuntur. Eum igitur, qui tale opus ſuperædificauerit dicit Kẽnitius *detrimentum* pati, quãdo illorum dogmatum errorem luce Verbi Dei illuſtratus agnoſcit;

scit; quia scilicet sentit pudorem & cõfusionem, quòd ea vana dogmata sibi antea persuaserit; ac denique per illam lucem verbi diuini tanquam per ignem (qui scilicet illuminare solet) saluum fieri.

Cæterùm hæc interpretatio commentitia est. Nam neq; PRIMA, neq; TERTIA neq; QVARTA conditio ex illis quatuor supra positis, ad eam accommodari potest. Non enim *omnes ordinariè*, qui aliqua falsa dogmata sibi persuaserunt retento ipso fidei fundamẽto, luce Verbi Dei posthea errorem suum intelligũt. Item neq; omnes illi vsq; adeò maximam confusionem sentiunt, cùm pristinum errorem intelligunt; sed pleriq; tantummodo gaudent & lætantur, quòd ab errore liberati sint: præsertim si in illum non ex magna sua culpa, sed probabiliter inciderunt. Neq; illi ipsi qui eam confusionem ex ea re sentiunt, vsque adeò multum propterea cruciantur.

Deniq; illa qualiscunque confusio, & pudor non est medium aliquod diuinæ prouidẽtiæ ad eam rem institutum, vt quasi per pœnam quandam peccata illa leuiora, vel morum, vel etiam doctrinæ expientur, vt aliquis *saluus fiat*, hoc est, vt consequatur vitam æternam, sicut intelligit ibi Apostolus.

Postremò genus illud *salutis* secundùm Kemnitianam interpretationem non satis intelligitur quale sit; neq; ipse illud satis explicat. Nam si loquatur de salute ipsa vitæ æternæ, aut etiã gratiæ in hac vita; hanc quidem, etiam si nunquam aliquis luce Dei Verbi illustratus agnoscat errorem eiusmodi dogmatum, quæ retento fundamento ædificantur in hac vita, nihilominus obtineret secundùm Kemnitij sententiam: quandoquidem ponit, talem nihilominus retinere rectæ fidei fundamentum, quod ad salutem & gratiam opinione Sectariorũ est satis. Si autem loquatur Kemnitius de particulari & proprio illo genere salutis, quod consistit in cognitione veritatis, & in liberatione ab errore; hoc quidẽ non consequitur aliquis propriè per illum pudorem & detrimentum, quod ex illa illustratione capit, sed ex ipsa luce duntaxat Verbi Dei. Et hactenus de loco illo Apostoli sit dictum.

TERTIVS locus ad confirmandam assertionem Purgatorij est Matthæi 12. *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neq; in hoc seculo, neq; in futuro.* De quo Scripturæ loco ita inquit D. AVGVSTINVS lib. 21. de ciuit. cap. 24. *Non veraciter de quibusdam diceretur, quòd non eis remittatur, neq; in hoc seculo, neq; in futuro, nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro seculo.*

Ac D. GREGORIVS lib. 4. dialog. cap. 39. *De quibusdam*, inquit, *culpis leuibus esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quod veritas dicit, quia si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse laxari. Quod enim de vno negatur, consequẽs intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.* Hactenus Gregorius.

Item S. BERNARDVS serm. 66. in Cantica, de hæreticis Apostolicis loquens: *Non credunt*, inquit, *ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ab eo qui dixit, quoddam peccatũ esse, qp neq; in hoc seculo, neq; in futuro remittetur; cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatione peccati.* Atq; eodem modo ex hoc loco argumentatur Beda in 3. Caput. Marci. Rabanus lib. 2. de Institut. cler. cap. 44. & Petrus Cluniacensis in epistola contra Petrobusianos, & alij; idq; meritò.

Vt enim qui habenti litem in tribunali Ecclesiæ Eychstadiensis diceret: Hanc tu causam, neq; in hoc Tribunali, *neq; etiam in Tribunali Ecclesiæ metropolitanæ Moguntinensis* obtinebis; ea oratione procul dubio significaret, solere alioqui similes causas etiam in Tribunali Moguntinæ Ecclesiæ agitari & obtineri: sic prorsus cũ Christus similiter dixit, peccatum quoddam, neq; in hoc seculo, *neq; in futuro* remitti, planè significauit esse aliqua peccata, quæ soleant quoq; in futuro seculo remitti.

SED contra hanc etiam probationem obiicit Kemnitius PRIMO, quòd nõ illico sequitur, esse post hanc vitam purgatorium *ignem*, si post hanc vitam quædam peccata possunt remitti.

RESPONDEO verò, rectè id etiam ex hoc loco intelligi, si cum aliis Scripturæ locis collatio huius loci fiat. Itemq; si ratio remissionis peccati, quæ fit in altera vita diligenter consideretur. Etenim ex illo altero loco 1. ad Cor. 3. *ignem* purgatorium esse in altera vita docemur: qui quidem non ad aliam rem est, nisi vt peccata illic expientur, & remittantur planè, quæcunque videlicet illic remissibilia sunt, & eo modo quo illic remitti possunt. Deinde cùm in altera vita non sit locus nisi iustitiæ, in retribuendo videlicet pœnam vel præmium pro meritis aut demeritis huius vitæ; consequens est, vt si illic quædam peccata remittuntur, remittantur eatenus quatenus per exolutionem pœnæ satisfiat diuinæ iustitiæ; quod est ipsa peccata illic *purgari* seu *expiari*, atq; adeò esse illic purgatorium.

SECVNDO obiicit Kemnitius, sensum illorum verborum: *Non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro*, tantummodo esse quòd *nunquã* ei remittetur, seu quod damnabitur *in æternum*: idque confirmat Kemnitius. Nam illud idem qp Matthæus partitione illa verborum vsus, significauit itidem Marcus cap. 3. (qui, est, inquit, tanquã Matthæi interpres) sine partitione illis verbis: *Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.*

RESPON-

RESPONDEMVS, verum quidem esse, Matthæum significare etiam voluisse, quòd ex sentẽtia Christi illud peccatum *nunquam in æternum* remittetur; id quod etiã significat Marcus. Cæterùm hoc ipso quòd Matthæus nequaquam otiosè id expresit illa partitione verborum (*Non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro*) rectè nos colligimus, indicare ipsum voluisse, atque adeò etiam indicauisse Christum, quòd soleant alioqui quædam peccata in futuro seculo remitti.

Nec verum est id quod Kemnitius arbitratu suo fingit, Marcum hoc loco egisse Matthæi interpretem. Quin immò potius existimari debet voluisse summatim, & breuius suo more dicere illud idem quod Matthæus pluribus verbis & significantius expresserat, sicut Christus ipse dixerat, quem audiuerat quidem Matthæus, non Marcus.

TERTIO obiicit Kemnitius, remissionẽ peccatorum obtineri beneficio *solius fidei*; atq; adeò tantum in hac vita: proinde minimè nos debere illum locum ita interpretari quasi verè etiam in altera vita per aliquos cruciatus remisio peccatorum fiat.

RESPONDEMVS, non solam fidem vt isti vbique perperam contendunt, sed multa alia etiam esse quasi organa seu *media* quibus fructus passionis Christi variis modis applicatur. In quorum mediorum numero est item illa Purgatorij expiatio, quod attinet ad pœnam temporalem reliquam post dimissam culpam, vel etiam quod ad ipsam culpam, quando solum est *venialis*.

QVARTO obiicit, quòd Scholastici etiam Theologi negant, peccata ipsa in Purgatorio remitti, tantumque volunt remitti & expiari ibi pœnam.

RESPONDEMVS, Kemnitium vel non intellexisse, vel perperam interpretari sententiam Scholasticorum. Primùm enim non nisi cum distinctione illi negant, peccata ipsa remitti in purgatorio, nempe quoad *culpam* si sint mortalia.

Deinde hoc ipso quòd *pœna* propter peccatum debita illic remittitur, potest ex mente & sententia Scholasticorum dici, ipsum peccatum ratione quadam remitti, nempe secundùm vnũ quoddam malum quod inferebat, id est, secundùm illum reatum pœnæ. Denique non negant Scholastici, quin peccata quidem venialia etiã quoad culpam ibi remittantur.

QVARTVS Scripturæ locus est 1. Ioan. 5. *Qui scit*, inquit, *fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt oret quis.* Ex quo loco rectè Ioannes Roffensis, articulo trigesimo septimo, ad assertionem Purgatorij confirmandam inter cætera argumentatur. Peccatum enim *ad mortem* eo loco communiter orthodoxi intelligunt esse peccatum finalis impœnitentię. Quare cùm non vult diuus Ioannes, vt pro eo qui in eo peccato è vita discedit oretur; certè hoc ipso significat pro iis, qui in aliis peccatis ex hac vita discedunt, vtiliter & bona cum spe posse orari: vt scilicet ab eiusmodi peccatis si quid illis præterea expiandum in illis supereſt, penitus exoluãtur, posito quidem quòd in gratia alioqui decesserint.

Itaque vt alia plurima Scripturæ loca, quæ ad hoc propositũ Catholici Scriptores accommodant omittamus, ex adductis apparet, posse Purgatorium ex Scriptura eo certè modo probari, quo alia pleraque fidei dogmata; quæ ipsa etiam ferè eiusmodi sunt, vt aduersus proteruum, quales solent esse omnes hæretici, non planè euidẽter ex Scripturis solis confirmari possint, ita vt eis cogatur penitus assentiri aduersarius.

Cæterùm hic obiicit Kemnitius quòd Roffensis in dicto articulo, & alij (vt inquit) Pontificij Scriptores agnoscunt non posse ex Scriptura probari Purgatorium: *Aperte enim*, inquit ille, *Roffensis dicit quòd tametsi nõ possit ex Scripturis probari Purgatorium, veritas eius nihilominus Christianis cunctis credenda est.* Item refert, Petrum de Soto dixisse *non perspicuè tradi, sed insinuari potius* purgatorium in Scripturis.

SED quod ad Roffensem attinet, fraudulenter Kemnitius dissimulauit quid præterea Auctor ille de ea re scripserit. Paulo enim inferius ita dicit: *Quarto quoque dicimus, quòd non sit credibile, purgatorium ex Scriptura non posse probari.* Item: *Nemini*, inquit, *potest ambiguum esse quin in Scriptura sacra purgatorium contineatur, & quin ex ipsa quoque probari possit.* Addit tamen ibi rectè ista quoque verba: *Quanquam fortassis*, inquit, *vnam aliquam Scripturam, quæ proteruientem adigat, vti rem velit nolit, confiteatur, in promptu non sit adducere.*

Hoc autem in quæstione ferè de quocunque alio fidei dogmate similiter dici potest. Nec enim proteruientem non posse cogi, idẽ est quod non posse dogma ipsum alioqui ex Scriptura probari. Atque eodem pertinet illud quod Petrus de Soto dixit.

Eckius certè libro primo de Purgatorio, capite secundo, apertè dicit: *Hæreticos impiè contendere Purgatorium non posse probari ex Scripturis:* vt manifestum Kemnitij mendacium sit, quòd absolutè & simpliciter dicit, *Scriptores pontificios agnoscere destitui purgatorium Scripturæ testimonio & probatione.* Et hactenus de PRIMA confirmatione ex Scriptura.

Probatur secundo Purgatorium argumento Theologico. §. 7.

SECVNDO probatur eadem assertio Purgatorij argumẽto Theologico ducto ex iis, quæ alioqui sunt certa ex Scripturis. Quod ita formo. Si qui fideles aut reatu pœnæ temporalis, remis-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sa peccati mortalis culpa, aut etiam culpis aliquibus venialibus obstricti; & tamen in gratia diuina ex hac vita quandoque discedunt: necessariò fatendum est, tempus aliquod & locũ post mortem supereſſe, quo animæ, extra ipsum cœlum, & etiam extra infernum damnatorum, ab eiusmodi reatu pœnæ & culpa veniali expientur, vt tandem ingredi possint in regnum cœlorum: atque adeò esse Purgatorium. Sed omnino tales aliqui fideles ex hac vita quandoque ita discedunt. Ergo tale Purgatorium esse quale asserimus fatendum est.

Maior propositio patet, quoniam tales neque damnabuntur; cùm sint in gratia Dei; neque in regnum cœlorum statim absque alia expiatione admittentur; cùm nihil illuc intret vlla ratione *coinquinatum*, nec sit ibi Ecclesia iam habens aliquam *maculam vel rugam*.

Minor autem propositio probatur ex tribus Pronunciatis, quæ sunt alioqui certissima. *Primum* est, post remissionem culpæ mortalis aliquam pœnam temporalem restare exoluendam, id quod tomo secũdo, disputatione sexta, quæstione decima septima, puncto quinto, abunde ex Scriptura confirmauimus. *Secũdum* est, esse etiam quædam leuiora peccata, quæ cũ gratia diuina non pugnant, vt eodem tomo secundo, disputatione sexta, quæstione decima octaua, puncto primo & secũdo, aduersus Sectarios ostendimus. *Tertium* est, quandoque aliquos vel reatu illius residuæ pœnæ, vel etiam leuiori aliqua culpa obstrictos ex hac vita discedere, antequam illam vel per satisfactionem, vel alio modo sufficienter expiauerint. Multi enim præmatura morte occupantur, vt post amissa peccata id non satis in hac vita præstare possint. Multi etiam negligentius studẽt expiatoriis operibus. Itaque cum negari nequeat quin aliquãdo contingat, aliquos nõdum satis expiatos mori, certa est quoque illa nostri argumenti Minor: & sic sequitur etiam esse certam Theologicè illius argumenti conclusionem.

Neq; verò habet Kemnitius aliud, quod huic manifesto argumento opponat, præterquam illud quod sæpissimè à nobis aliàs refutatum est; nempe iniuriam fieri Christo redemptori, si alio modo quàm fide in hac vita plenam remissionẽ peccatorum obtineri posse asseratur. Etenim rectè consistit beneficium illud nostræ redemptionis, quamuis eius fructus variis mediis, atque adeò etiam expiatione illa in altera vita participetur, vt ostendimus disputatione prima, quæstione vigesima secunda, puncto primo, de officio proprio Christi Redemptoris.

Probatur tertio Purgatorium testimoniis veterum Patrum. §. 8.

TERTIO probatur assertio Purgatorij auctoritate veterum Patrũ. In quorum testimoniis illud, vel maximè obseruandum est, quòd tam fuerunt alioqui certi Purgatorium esse, vt locos etiam Scripturæ quosdam, qui aliter exponi possunt, ad illud tanquam ad dogma alioqui certissimum accommodare non dubitauerint. In quo quidem genere non à nobis discutiendum est, quàm aptè & verè eiusmodi locos ad Purgatorium accommodauerint (non enim iam id agimus, vt ex iis etiã Scripturæ locis Purgatorium confirmemus) sed attendendum est, quòd (vt dixi) tam alioqui veteres Patres de Purgatorio certi fuerũt, vt etiam locos qui possunt aliter intelligi, ad id retulerint.

Ac inprimis diuus AVGVSTINVS libro vigesimo primo de ciuitate, capite vigesimo quarto, disertè affirmat *constare* in Ecclesia, quod Spiritus aliquorum fidelium pœnas aliquas temporales post mortem patiuntur, quemadmodum suprà §. sexto initio, locum illum Augustini recitauimus.

Deinde libro duodecimo, de Gen. ad lit. capite trigesimo tertio, ad eiusmodi animas fidelium, quæ in loco aliquo inferiori pœnis temporalibus expientur, accommodat illud ad Philipp. 2. *In nomine* IESV *omne genu flectatur, cælestium terrestrium &* INFERNORVM, *& omnis lingua confiteatur, &c.* Infernorum enim loco ipsi damnati intelligi hic non possunt, vt patet ex illo Psalmistæ Psalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.*

Item libro vigesimo de ciuitate, capite vigesimo quinto, accommodat huc illud, quod apud Isaiam legitur, capite quarto: *Abluet Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauabit de medio eius in Spiritu iudicij & in Spiritu ardoris*, id est, in igne Purgatorij. Et illud etiam quod apud Malachiam capite tertio legimus: *Ipse quasi ignis conflans, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & argentum: & erunt Domino offerentes Sacrificia in iustitia*; nempe seipsos postea in patria cœlesti, iam non habentes maculam, neque rugam vllam; qp erit holocaustum acceptissimum Deo. Item in aliis locis similiter absque vlla dubitatione Purgatorium ignem asserit libro 2. de Gen. contra Manich. cap. 10. & in Psal. 37.

Quanquam qualis sit futurus in Purgatorio ignis, vtrum scilicet *tribulationis* ob dolorem rerum temporalium iam amissarum, vel alterius modi; in aliquibus quidem locis significat idem Augustinus, non satis adhuc suo tempore fuisse exploratum. Cum enim ignem illum, de quo loquitur Apostolus, exposuisset in Enchirid. cap. 68. esse ignem *tribulationis* in hac vita propter res temporales amissas, hunc in modum subiungit: *Tale aliquid post hanc vitam fieri, incredibile non est: & aut*

& aut inueniri aut latere, nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium (nempe talem qualis est ille tribulationis) *quanto magis minusue bona pereũtia dilexerunt, tanto tardius saluari.*

Item libro vigesimo primo de ciuitate, capite vigesimo sexto, cùm eodem modo ignem illum *tribulationem* esse exposuisset, subiungit: *Post istius corporis mortem donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem futurus est damnationis & remunerationis vltimus dies; sic hoc temporis interuallo Spiritus defunctorũ eiusmodi ignem* (id est illam tribulationem) *dicuntur perpeti, quem non sentiant illi qui non habuerunt tales mores & amores in huius corporis vita, vt eorum lignum fœnum & stipula consumatur; alij verò sentiant, qui eiusmodi ædificia secum portauerunt, siue ibi tantum, siue hic & ibi, siue ideo hic, vt non ibi, secularia quamuis à damnatione venialia, cremantem ignem transitoriæ tribulationis inueniant; non redarguo quia forsitan verum est.* Hactenus Augustinus.

Qui sanè in his locis minimè significat, ipsam per se assertionem ignis Purgatorij *post hanc vitam* esse dubiam, sed posse quidem de *qualitate* ac ratione illius ignis variè disputari; vtrum scilicet aliud non sit quàm transitoriæ illius *tribulationis*; id est, doloris & sensus propter res temporales amissas, sicut solet esse in hac vita. Quemadmodum etiam hanc solum esse mentem Augustini ex eodem intelligi manifestè potest, libro de fide & operibus, cap. 15.

Atq; diligenter aduersus impudẽtiam Kemnitij & aliorum Sectariorum obseruandum hoc est; qui recitatis huiusmodi Augustini locis malitiosè persuadere conantur diuum Augustinũ de ipsa per se Purgatorij *assertione* dubitasse. Cũ tamen ignorare isti minimè possint, Augustinũ in aliis multis locis quos citaui, & maximè in illo libro vigesimo primo de ciuitate, capite vigesimo quarto, disertè affirmauisse defunctorum animas post hanc vitam pœnas temporales pati, & igne aliquo tandem expiari; idque *constare* in Ecclesia.

Præterea diuus Cyprianus libro quarto, epistola secunda. Ambrosius in caput duodecimũ Lucæ Hieronymus in epistola ad Demetriadẽ, & glossa ordinaria in caput quintum Lucæ. *Purgatorij locum* interpretantur *Carcerem* esse illum, de quo Christus apud Matthæum cap. quinto: *Esto*, inquit, *consentiens aduersario tuo* (id est, conscientiæ propriæ, à qua vnusquisque dum malè agit, velut ab aduersario quodam redarguitur, vt plerique hic exponunt) *dum es in via cum eo* (id est, dum in hac vita contendis ad alteram, tanquam ad terminũ viæ) *ne forte tradat te Iudici* (id est, redarguat coram Iudice Deo) *& Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec soluas vltimum quadrantem.*

Itẽ ORIGENES homilia duodecima in Hieremiam, Purgatorium asserit his verbis: *Si post fundamentum non solùm aurum superædificaueris, verùm lignum & stipulam, quid tibi vis fieri cùm anima seiuncta fuerit à corpore? Vtrum ingredi vis sancta cum lignis & stipulis tuis, vt polluas templum Dei? an propter stipulas vis foris residere, & pro auro nihil mercedis recipere? sed neque hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi primum vt propter ligna ignis tibi detur, qui consumat stipulam?* Hoc quidem loco rectè ex sententia Scripturæ & Ecclesiæ Origenes asseruit Purgatorium.

Neque nobis sanè obstat, quòd idem in aliis locis est erroneè opinatus, omnium etiam damnatorum pœnas fore *purgatorias*, ac proinde minimè futuras perpetuas. Sicut neque etiam illud obstat, quòd quidam post Origenem arbitrati sunt, saltem *fidelium* damnatorum pœnas non fore perpetuas. Neque etiam id quod aliqui ex Patribus (vt Ambrosius sermone vigesimo in Psalmum centesimum decimum octauũ, & Hieronymus in caput quadragesimum sextum Ezechielis) putasse videntur, omnes in vniuersum iustos, quantumuis aurum tantùm, & lapides pretiosos super fundamentum ædificauerint, transituros per illum Purgatorij ignem.

Etenim istiusmodi opiniones omnes per se alioqui falsæ sunt, neque misceri debent cum quæstione ipsa de Purgatorio, sicut fecit fraudulenter Kemnitius. Satis nobis est quòd ex illis etiam Patribus, habemus ipsam veram Purgatorij assertionem: nempe futurum, vt illi qui supra fundamẽtum ædificauerint *lignum, fœnum & stipulas*, salui non fiant nisi per illum ignem. Hoc igitur ab Origene etiam, & ab illis aliis Patribus accipimus, non autem illas alias falsas opiniones abhorrentes à sententia communi aliorum Patrum.

Præterea ad confirmationem assertionis de Purgatorio, cum primis etiam valent testimonia illorum veterum Patrum, qui magno consensu asseruerunt, ORANDVM esse pro iis defunctis, qui in gratia Dei decessisse videntur: idque non tantùm ad eorum celebrandam memoriam, aut gratias agendas Deo pro ipsorum victoria, ficut falsò Kemnitius & alij Sectarij comminiscuntur, sed inprimis vt *à peccatis soluantur*, hoc est, vt plenam illorum remissionem accipiant, si fortassis è vita discesserunt aliquo obstricti reatu.

Ita enim inquit diuus DIONYSIVS Areopagita, capite septimo, de Eccles. hierarch. *Sacerdos orationem super defuncto facit. Precatur autem diuinam clementiam, vt defuncto cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata.*

Item TERTVLLIANVS libro de Monogamia, viduam mulierẽ monet, vt *pro anima defuncti mariti oret & refrigerium*, inquit, *postulet ei.*

Item CHRYSOSTOMVS homilia trigesima secunda in Matthæum, Presbyteros idcirco orare pro defunctis dicit, *vt requiem*, inquit, *adipi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

scantur. Et homilia sexagesima nona, ad populum Antiochenum, *Non temerè*, inquit, *ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Scimus enim illis inde multum posse contingere lucrum, vtilitatem multam.*

Item THEOPHYLACTVS in caput duodecimum Lucæ super illa verba, *Eum timete, &c. Non semper*, inquit, *qui moriuntur peccatores mittuntur in gehennam, sed sunt in potestate Dei vt dimitti possint. Hoc autem dico*, inquit, *propter oblationes quæ fiunt pro defunctis.*

Itē EPIPHANIVS hæresi septuagesima quinta, defendēs aduersus Aërium Ecclesiæ morem orandi pro defunctis: *Prosunt*, inquit, *preces pro defunctis factæ, etiamsi totam culpam non abscindant:* quia scilicet non expiantur ibi peccata mortalia quoad culpam: sed remissionem illorum quoad pœnam tantum defunctis impetramus per orationem.

Quod ideo ita dixit Epiphanius, vt argumēto Aërij contra morem Ecclesiæ orandi pro defunctis responderet. Obiecerat enim hic hæreticus (sicut ipse Epiphanius ibi refert) hunc in modum: *Si preces*, inquit, *eorum qui hic sunt, pro illis fiunt qui illic sunt: Igitur nemo sit pius, neq; bonum faciat, sed acquirat amicos quosdam vt post obitum orent pro ipsō; vt ne quid illic patiatur.* Ad hoc argumentum respondet Epiphanius tacitē, nō licere eam consequentiam ex Ecclesiæ more colligere. Non enim, inquit, orationes pro defunctis *totam culpam abscindunt.* Quasi diceret, non enim culpa mortalis in altera vita alicui remittetur, si ea hinc discesserit obstrictus.

Kemnitius autem vsque adeò fuit impudens, vt dixerit, hoc loco Aërium hæreticum non eo nomine refutari ab Epiphanio, quòd negauerit, orationes prodesse defunctis ad remissionē peccatorum, sed *quòd affinxerit*, inquit, *Ecclesiæ falsum quoddam suum commentum*, nempe quòd eo fine illa pro defunctis oret, vt nulla peccata mortalia, quamuis in hac vita non fuerint remissa, obsint defunctis post mortem. Quæ manifestissima est huius loci Epiphanij corruptela.

Etenim error Aërij hæretici, quem Epiphanius refutat, inprimis erat *non prodesse orationes defunctis.* Ait enim (vt ibi Epiphanius refert) *orat viuens, dispensationem* (hoc est, eleemosynam) *facit: Quid profuerit mortuo?* Quasi dicat, nihil illi prodest. Atque hunc suum errorem confirmat è vestigio per illud argumentum & consequentiam suam. Qua quidem non aliquid ipse voluit affingere Ecclesiæ, vt nugatur Kemnitius, sed illum eius morem orandi pro defunctis deducere ad consequens illud absurdum, vt scilicet nō curet aliquis esse bonus, sed quærat amicos qui post mortem pro illo precentur. Hic igitur Epiphanius confutat primùm errorē ipsum, & quasi conclusionem hæretici, contrà affirmans prodesse omnino orationes defunctis. Deinde vt respondeat ad illam eiusdē hæretici consequentiam, subiungit: *Etiamsi*, inquit, *totam culpam non abscindant.* Quibus verbis vt antea explicauimus rationem reddidit Epiphanius, cur non valeret illa hæretici consequentia.

Sed inquit adhuc Kemnitius, Epiphanium orationes quæ fiunt pro defunctis *prodesse* dixisse, non autem dixisse quod prosint *ipsis defunctis.* Atque id cōfirmat, quoniam dicit ibi Epiphanius defunctos illos pro quibus orat Ecclesia, *viuere & esse apud Dominum*, hancque fidem exercere viuos dum pro eiusmodi defunctis orant.

Sed primùm quod Epiphanius voluerit, ipsis omnino *defunctis* orationes prodesse, ex eius verbis manifestissimè patet. Explicat enim modū etiam quo ipsis prosint, nempe ita vt tamen non totam culpam abscindant sicut iam declarauimus. Atque etiam ipse verborum contextus id perspicuè declarat. *Prosunt enim*, inquit, *preces pro defunctis factæ*, nempe ipsis defunctis, pro quibus fiunt, & quibus Aërius hæreticus prodesse negabat. *Quid enim*, inquit ille *orans vnus profuerit mortuo?* Contrà igitur Epiphanius, cum prodesse dicit, defunctis ipsis eas prodesse intelligit. Alioqui non ipsum errorem hæretici confutaret; id quod tamen ex instituto ille susceperat.

Quod autem dicit, credi à viuis eiusmodi *defunctos esse & viuere apud Dominum*, sensus est, credi nimirum ipsos secūdùm *animam* esse immortales; qui quamuis apud viuos amplius non sunt sicut ante, nec apud eos viuant; viuunt tamen & sunt apud Dominum, qui est Dominus videlicet *viuorum & mortuorum*, quique etiam illorum Spiritus regit ac videt.

Quod enim ibi Epiphanius nō intelligat eos defunctos ita esse & viuere apud Dominum, vt sint non solùm in diuina gratia, verùm etiā iam recepti in beatitudinem; patet ex eo quod ibi dicit, *spem etiam esse orantibus pro fratribus*, nempe vt illis peccata plene remittantur, tametsi non eo fine oretur, vt *tota culpa* (sicut Epiphanius ait) hoc est, vt culpa etiam *mortalis* defunctis remittatur.

Quod autem ibi Epiphanius dicit eos defunctos iā esse *in peregrinatione*, licet intelligatur (vt Kemnitius contendit) de peregrinatione à corpore, sensus tamen erit, ipsos iam quidem exutos esse carne mortali, non tamē ita vt iam Christo in beatitudine fruantur. Id enim repugnaret aliis, quæ (vt iam vidimus) ibi vult Epiphanius.

Præterea sensisse Epiphanium quòd valeant *ipsis defunctis* orationes ad remissionem peccatorum, euidentissimè quoque patet ex verbis quæ deinde illo loco subiungit idem Epiphanius. Sic enim inquit: *Pro iustis & peccatoribus memoriam facimus. Pro peccatoribus quidem misericordiam Dei implorantes: pro iustis verò & Patribus, & Patriarchis, & Prophetis, Apostolis, Euangelistis, Martyribus ac Confessoribus, Episcopis, Anachoretis, ac pro vniuerso*

ordine,

ordine, vt Dominum nostrum Iesum Christum ab hominum ordine separemus, per honorem quem illi exhibemus: quia videlicet cum de illorū victoria per Christum parta gratias Deo agimus, hoc ipso indicamus, Christum esse eum à quo, tanquam à capite & fonte vberrimo, omnis vitæ sanctitas & gratia in alios promanat. Hoc enim est quod significare vult ibi Epiphanius cum dicit, nos *Christum ab aliorum hominum ordine separare*, vt ex sequentibus eius verbis potest intelligi. Atque ita apertè distinguit ibi Epiphanius vtrumque modum commemorandi defunctos; scilicet & ad gratiarum actionē pro iis qui sunt iam sancti, & ad remissionem etiam peccatorum diuinamque misericordiam impetrandam iis, qui eo adhuc beneficio indigent.

Quod ipsum in extrema denique oratione confirmat aduersus Aërium ibi Epiphanius auctoritate Ecclesiasticæ traditionis, cum rursus inquit: *Ecclesia necessariò hoc perficit traditione à Patribus accepta. Quis autem poterit statutum matris dissoluere aut legem Patris? Velut Salomon dicit, Audi fili sermones patris tui, & ne repudies statuta matris tuæ; ostendens per hoc quod in scriptis, & sine scripto docuit pater, hoc est, Deus, & Vnigenitus, & Spiritus sanctus. Mater autem nostra Ecclesia habet statuta in se posita indissolubilia. Cum itaq; ordinata sint in Ecclesia statuta, & bene se habeant, & omnia mirabiliter fiant, confusus est rursus etiam hic seductor.* Hactenus Epiphanius.

Quæ nos similiter de seductore Kemnitio, sicut ille de Aërio dicere possumus. Qui cū multis modis deprauare conatus fuisset hunc Epiphanij locum, tandem confusus eo recurrit vt dicat, *obscurum locum esse, nec sufficienter Epiphaniū Aërio respondisse.* Item *cessisse illum in hac re opinionibus vulgi sui temporis.* Ego verò ex hoc Epiphanij loco satis clare intelligo, & Aërium quòd orationes pro defunctis negauerit, & Kemnitium alioſque Sectarios Aërij in hac re assecias, hæreticos esse ab Ecclesia damnatos. Et hactenus de loco Epiphanij.

Præterea AMBROSIVS in Orat. Funebri de obitu Theodosij Imper. *Da*, inquit, *domine requiem seruo tuo Theodosio. Illuc conuertatur anima eius, vbi mortis aculeum sentire non possit. Dilexi illum, & ideo prosequar eum vsque ad regionem viuorum, nec deseram donec fletu & precibus inducam quo sua merita eum vocant, in montem Domini, vbi perennis vita, nullus gemitus, nullus dolor.*

Nec verò nobis hic obstat quòd Kemnitius opponit, Ambrosium primò in eadem oratione de ipso Theodosio ita dixisse, *Absolutus iam dubio certamine, fruitur nunc Theodosius luce perpetua, trāquillitate diuturna.* Quamuis enim de iis, qui piè in Christo sunt mortui, probabiliter existimare, & ad charorum etiam consolationem dicere liceat, illos iam esse beatitudinem consecutos: tamen quia id incertum est, preces nihilominus rectè adhibentur, vt remissionem peccatorum plenam obtineant, si forte illa indigeant.

Rectè enim D. AVGVSTINVS in libro de cura pro mortuis, cap. 18. *Quia non discernimus*, inquit, *quinam defuncti sint quibus orationes & sacrificia prosunt, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur ad quos hæc beneficia possint & debeant peruenire. Melius enim supererunt ista eis, quibus nec obsunt nec prosunt, quàm eis deerunt quibus prosunt.* Hæc igitur causa est quāmobrem Patres pro iis etiam defunctis, quos alioqui putabant iam esse beatos, nihilominus precabantur. Sic non solum Ambrosius pro Theodosio, sed etiam D. Gregorius Nazianzenus pro fratre Cæsareo precatur in oratione de obitu fratris. Itemq; D. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 13. pro sua matre. Quod est diligenter obseruandum aduersus fraudulentas Kemnitij cauillationes.

Ac recitaui alia multa huius generis veterum testimonio suprà disp. 6. in q. de sacrificio Missæ, & defendi etiam ab istorum cauillationibus libro 2. Apolog. de sacrificio Missæ, cap. vlt. nempe Athanasij quæst. 34. ad Antiochum regem. Cyrilli Hierosolymitani Cateches. 5. mystag. Cypriani lib. 1. epist. 9. Ambrosij, Epist. consolatoria ad Faustinum de morte sororis. Augustini in Enchirid. cap. 110. & libro de cura pro mortuis, cap. 1. Clementis Romani lib. 6. Apostol. constitut. cap. 29.

Quæ & alia plurima tam clara sunt, vt tandem cogantur aduersarij agnoscere, sensisse patres quòd viui possint suffragari defunctis ad remissionem peccatorum. Sed addunt isti tamen, *cessisse eos in ea re opinionibus vulgi* (scilicet) neque ad id habuisse, *vel exemplum, vel testimonium Scripturæ.* Ita enim Kemnitius vbi suprà, & Caluinus libro 3. Instit. cap. 5. de sententia Patrum, hoc est, de sententia non vulgi sed totius Ecclesiæ Catholicæ, in hac quæstione pronunciare non erubescunt. Nos verò, quid Scripturę consentaneū, & orthodoxum sit, potius ex sanctis Patribus quàm ex his Nouatoribus discemus.

Probatur quarto Purgatorium ex animarum apparitionibus fide dignis. §. 9.

QVARTO Purgatorij assertio rectissimè etiā fide dignis historiis confirmari potest, quibus perhibetur, ipsas quandoque defunctorum fidelium animas viuis apparuisse, deq; illis Purgatorij pœnis fuisse testificatas. In quo genere D. GREGORIVS lib. 4. Dialog. plurima exempla refert, quæ omnia pūtare fabulosa esse, hominum est proteruorum, & animalium, qui sint Spiritu ad similes res intelligēdas destituti, quales meritò censeri debent Sectarij, dum hæc in vniuersum irrident.

Sed obiiciunt hic PRIMO, in Scriptura diuinitus esse prohibitum, à mortuis testimonium quærere. Deut. 18. & Isaiæ 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO, quòd non poſſunt mortui ad viuos redire; idq; Patres paſsim diſputare; nempe Auguſtinum lib. 1. de Cura pro mortuis, cap. 13. Athanaſium quæſt. 19. ad Antiochum regem. Chryſoſtomum homil. 29. in Matthæum.

Ad PRIMAM verò obiectionẽ reſpondemus, in Scriptura diuina, ne magicis artibus ab Ariolis & aliis ſeductoribus procurata teſtimonia mortuorum vſurpemus, prohibitum eſſe. Sic enim in Deuter. cap. 18. dicitur: *Nec inueniatur in te qui ariolos ſciſcitetur.* Et apud Iſaiam cap. 8. *Cum dixerint*, inquit, *ad vos, q̃rite à Pythonibus, & à diuinis, qui ſtudent incantationibus ſuis; nunquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem?* Nos autem, cùm argumento etiam ex iis apparitionibus animarum, quæ diuina diſpenſatione aliquando contigerunt, fidem noſtram de Purgatorio confirmare ſtudemus, nihil minùs quàm quod in eiuſmodi locis Scripturæ eſt prohibitum, facimus.

Ad SECVNDAM obiectionem reſpondemus, Patres rectè quidem diſputare, non poſſe mortuos ſuapte *naturæ vi*, & *ordinariè* ad viuos pro libito remeare, illorumque rebus intereſſe. Quin poſſint autem nihilominus *diuina diſpẽſatione* interdum ad viuos redire, nuſquam negant ſancti Patres. Quin imò id quandoque euenire confirmat ex Scriptura D. AVGVSTINVS lib. de cura pro mort. cap. 15. Hæc enim ſunt eius verba: *Mitti quoque ad viuos aliquos ex mortuis, ſicut è contrario quòd Paulus ex viuis in Paradiſum raptus eſt, diuina Scriptura teſtatur*, 1. *Reg.* 18.

Idq; probat primò exemplo Samuelis, qui iã defunctus regi Sauli apparuit, mortemq; inſtãtem prædixit. Nam quòd nõ ſpectrum aliquod magicum, ſed verè anima ipſius Samuelis tunc apparuerit, rurſus ꝓbat D. Auguſtinus ibidem ex Eccleſ. cap. 46. vbi in laudibus Samuelis ponitur, quòd etiã defunctus prophetauerit. Deinde illud oſtẽdit Auguſtinus exemplo certiori. Nam Moyſen, qui vt habetur in Deuter. cap. 34. defunctus fuit, cum Elia nihilominus apparuiſſe Chriſto & Apoſtolis in transfiguratione, perhibetur Matth. 17.

Atq; ita in eod. libro D. Auguſtinus, vt explicaret, quo ſenſu cap. 13. diſputauerat, defunctos non intereſſe rebus viuorum; deniq; cap. 15. his verbis concludit: *Defuncti*, inquit, *per naturã propriam, viuorum rebus intereſſe non poſſunt*. Ex quâ re colligit, cùm Martyres alioqui rebus viuorum opitulandi causâ ſolent intereſſe, non niſi diuina diſpenſatione peculiari id fieri.

Quod cũ ita ſit, falſariè Kemnitius dicit Auguſtinũ in illo libro de cura pro mortuis, *probare quod nunquam poſſint defuncti ad viuos redire.* Præter Auguſtinũ etiam Hieronymus contra Vigilantium diſertè confirmat, *poſſe martyres intereſſe aliquando ſuis tumulis*: id quod Vigilantius pertinaciter negabat.

Probatur quinto Purgatorium ex Eccleſiæ Definitione. §. 10.

QVINTO probatur aſſertio Purgatorij certiſſima Eccleſiæ Catholicæ definitione. Nam primò in Concil. Conſtant. ſeſſ. 8. damnatur articulus quintus VViclephi, qui negabat eſſe à Chriſto *ordinatas Miſſas in quibus fiat commemoratio pro defunctis.* Deinde in Concil. Florent. in Decreto vnionis, cũ non multò ante Schiſmatici Græci recentiores aduerſus veterum Græcorum Patrum teſtimonia, quæ ex parte etiam ſupra citauimus, negaſſent Purgatorium; definita eſt illius aſſertio tanquam certiſſima ex fide. Et poſtea deniq; in Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 30. & ſeſſ. 25. in decreto de Purgatorio.

Quod aũt non habeamus expreſſas hac de re definitiones Eccleſiæ antiquiores, argumento eſt, fuiſſe hac de re fidem in Eccleſia priſcis temporibus compertiſsimam: quod maximè ex veterum teſtimoniis ſuprà citatis, & ex illa diſputatione Epiphanij contra Aërium intelligi poteſt. Item etiam ex variis decretis antiquorum Conciliorum, quæ circa rationem ac modũ ſuffragandi defunctis edita ſunt. Vt in Concil. Carthag. IV. Can. 79. & 95. & Triburienſi Can. 15. & 16. & Bracarenſi II. Can. 10. & in Concilio Martini I. de Conſecrat. d. 1. Can. *Non oportet.* Et in aliis antiquis Conciliis paſsim.

SED dicit Kemnitius, in Synodo V. generali fuiſſe reiectũ dogma Purgatorij quale ab Eccleſia Catholica aſſeritur. AT hoc figmentũ eſt quorundam recentiorum Græcorum Schiſmaticorum. Neq; tale aliquid in tota illa Synodo extat. Eccleſiæ igitur ſententiam ac definitionẽ in hac quæſt. qui repudiat, Spiritus ſancti præceptum impiè violat, vt qui *matris ſuæ ſtatutum diſſoluit*, ſicut loquitur loco ſuprà citato Epiphanius.

Reſpondetur obiectionibus Sectariorum. §. 11.

SED nunc ſupereſt, vt ad extremum videamus quid habeant Sectarij, quod aduerſus ipſam Purgatorij aſſertionem abſolutè obiiciant, præter illa quæ (vt hactenus vidimus) opponũt eius ꝓbationibus, quęq; ſuis locis iã confutata ſunt. Nihil autem præterea alicuius momẽti habent.

PRIMO obiiciunt, quòd Purgatorium à Platone veteres mutuati ſunt. Platonis enim eſſe figmẽtum. Nam Euſebius Cæſarienſis libro vndecimo de præparat. Euang. capite vltimo, Platonis ſententiam ex libro illius de Anima refert vbi ait: *Eos qui mediocriter vixerunt, per Acherontem in paludem igne ardentem deuehi, vbi peccatorum pœnas exoluunt: & poſt purgati, atque expiati tandem inde abſõluuntur & redimuntur, & benefactorum præmia recipiunt. Qui autem grauius peccauerunt, ita vt inſanabiles videantur, coniici in Tartarum, vnde nunquam poſſint euadere. Qui autem minùs grauiter, ſed tamen aliquos læſerunt, coniici in diuerſa ignis flumina: & poſt annum appropinquare paludi Acheruſiadi, vt ſi veniam ab iis quos læſerunt impetrent, liberentur: Eos verò qui excellenter ſanctè vixerunt, ſupra aſcendere in puriſsimas habitationes vbi in ſumma requie perpetuo viuunt.* Item libro duodecimo de præparat. ca-

pite 3. idem Euſebius ex Gorgia Platonis ſimilẽ ſententiam repetit: quæ etiam ferè extat apud Homerum Odyſ. 1. & 3. & apud Virgilium libro Aeneid. 6. & Ouidium lib. 2. Faſtorum. Hanc igitur originem Purgatorij eſſe obiicit Kemnitius, & alij Sectarij.

Nos verò reſpondemus PRIMO, ſi propterea, quòd aliquid ſimile Purgatorio in Platonicis ſcriptis reperitur, dogma Catholicum de Purgatorio figmentum Sectariis eſt; eadem ratione pro fabula Platonica habere ipſos debere dogma de iudicio extremo, & de prꝛmio, ac de ſupplicio ęterno: cùm quædã etiam iis dogmatibus ſimilia in iiſdem illis ſcriptis Platonicis, ęquè luculenter expoſita reperiantur.

SECVNDO reſpondemus, Platonicos hæc & multa alia huius generis à populo Dei, cuius Scriptura & doctrina omnium Philoſophorum doctrina & ſcriptis antiquior eſt, didiciſſe: vt expreſsè etiam Euſebius Cæſarienſis lib. 11. de præpar. cap. vltimo aſſerit. Tametſi propter innatam ingenij humani caliginem, ipſe Plato & alij ſuos quoſdam ſuperſtitioſos errores, ſuaque commenta illi doctrinæ diuinæ admiſcuerint: quale eſt illud, quod fingunt de palude, & nauigiis, & de illorum etiam defunctorum ordine, qui petunt ab iis, qui fuerunt lęſi, veniam, vt poſsint ex tormentis euadere.

Hoc igitur cùm ita ſit, mẽtio, quæ extat in Platonis & Poëtarum ſcriptis de Purgatorio potiùs cõfirmat, quàm eleuat, antiquam fidem orthodoxorum de Purgatorio: ſicut etiã de ſupplicio damnatorum, & prꝛmio Beatorum æterno.

Quod autem Kemnitius ait, Pontificios ipſos fateri in veteri Teſtamento nullam fuiſſe doctrinam de Purgatorio, quam Plato, qui Chriſtum anteceſsit annis ferè 400. addiſcere potuerit; luculentum Kemnitij mendacium eſt: Sicut apparet ex probatione Purgatorij quam Pontificij, id eſt, Catholici, libenter ex lib. 2. Machabæor. vſurpare ſolent. Item etiam merum eſt Kemnitij figmentum, quòd ait, Platonem quidem doctrinã de prꝛmio Beatorũ, & ſupplicio damnatorum ex populo Dei didiciſſe, alterum autem illud dogma de Purgatorio, ipſum ſuis rationibus finxiſſe. Hoc inquam diſcrimen Kemnitius nulla ratione probare poteſt.

Et certè D. AVGVSTINVS lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 27. ſcribit, Virgilium lib. 6. Aeneid. ſententiam illam Chriſti ſuis verſibus expreſsiſſe, quæ extat Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum deficeritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Nam cum ibi Virgilius explicaret, quinam poſt mortẽ reciperẽtur in campos Elyſios, id eſt, in beatas ſedes; nõ ſolùm eos cõmemorat, qui ſuis ſolis meritis beatitudinem adipiſcuntur, ſed etiam; *Quiq; ſui memores alios fecêre merẽdo?* id eſt, qui ab aliis promeriti ſunt, vt ſibi ad eam rem ſuffragentur, opemq;, vel precibus, vel meritis ferant, ipſorum nimirum memores.

Et miratur quidem Auguſtinus hanc etiã ſententiam à Virgilio eſſe poſitã: ſed tamen non inde Sectariorum noſtrorum more ratiocinatur, doctrinam illam de ſuffragiis mortuorũ Platonicum vel Poëticum eſſe figmentũ. Quin potiùs diſertis verbis affirmat, *ipſam Domini ſententiam, Lucæ 16.* (ſic enim inquit Auguſtinus) *apud Virgilium etiam extare.*

Kemnitius autẽ Auguſtino ſcilicet religioſior & ſapiẽtior Auguſtinum hoc nomine ſugillat, ꝙ id admiretur; cùm illam ſentẽtiam *Virgilius* (inquit Kemnitius) *ex cõmentis Philoſophorũ hauſerit.* Atqui Auguſtinus *ſententiã Domini* eſſe affirmat, quod callidè Kemnitius diſsimulauit: eaque re Auguſtinus indicat, eam doctrinam antiquiorẽ etiã fuiſſe in populo Dei, à quo potuerit ad Philoſophos & Poëtas deriuari, quamq; Chriſtus etiam poſtmodum confirmauerit.

SECVNDO obiiciunt teſtimonia quædam, tum Scripturæ, tum Patrũ, quibus duo dũtaxat *ſtatus* in altera vita futuri hominibus proponi ſolẽt, vt à peccatis deterreantur & incitentur ad pietatis ſtudiũ, nempe damnationis & beatitudinis. Vt apud Marcum, cap. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et apud Matth. cap. 25. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* Item Patres ſimiliter paſsim concionantur.

RESPONDEO, huius generis teſtimonia, de ſtatib. intelligi debere *perpetuis*, & quorũ aliquem neceſse omnino eſt *cuilibet homini* poſt hãc vitam cõtingere. Hi enim ſtatus *duo* dũtaxat ſunt: nempe ſtatus æternæ beatitudinis, & damnationis æternæ. Atq; ob eam cauſſam meritò iſti duo ſtatus potiſsimum hominib. vel in Scriptura, vel in cõcionibus Patrum proponi ſolent: quoniã illorum cõſideratio præcipuã vim habet ad animos hominũ deterrendos à peccatis & incitandos ad ſtudium procurandæ ſalutis. Itemq; propterea, quoniã vt dictũ eſt, alteruter ſtatus ex iſtis duobus oportet, vt *vnicuiq;* poſt hanc vitam contingat. Quin verò ſit præterea quidam ſtatus *medius*, in quo ad tẽpus fidelium animæ aliquæ purgẽtur, quiq; ſit quaſi *tranſitus* ad illũ ſtatum perpetuum beatitudinis; neque Scriptura ſacra, neq; aliquis ſanctorum Patrum vſquam omnino negat.

TERTIO obiiciunt quædam Scripturæ teſtimonia, quibus determinatè ſignificari videtur, eos, qui ex hac vita in gratia Dei diſcedunt, ſtatim recipi ad beatitudinem. Vt cùm ait Apoſtolus 2. Corinth. 5. *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*; Quaſi velit ſignificare Apoſtolus, coniuncta ſimul hæc duo eſſe, vt ſcilicet iuſtus aliquis peregrinetur à corpore, & ſit in regno cœleſti præſens apud Dominum. Item vrgent maximè illud Apocal. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò enim iam dicit ſpiritus, vt*

Universidad de Deusto
Biblioteca

requiescant à laboribus suis: Opera enim illorũ sequuntur illos. Si amodò dicitur illis, vt requiescant; Ergò nulli, qui in Domino moriuntur detinentur in cruciatibus Purgatorij.

Respondemus ad PRIMVM locum, Apostolum illo suo desiderio, scilicet peregrinandi à corpore, vt præsens esset apud Dominũ, non significare, hoc ipso iustũ aliquem esse apud Dominum, & sic peregrinetur, id est, quod sit solutus à corpore; sed oẽs certè iustos, qui sunt apud Dominum, peregrinari, & esse iam solutos à corpore, neq; posse præsentes esse apud Dñm, nisi prius à corpore peregrinẽtur: ac proinde corporis contuberniũ meritò postponendũ esse illi præsentiæ apud Dominum, & hanc præ illo esse vnicuique iusto optandam. Hic huius loci planus & expeditus sensus est. Neq; habent solidum vllũ fundamentum Sectarij in illis verbis Apostoli, cur fingant, hoc ipso præcisè & propriè, quod iustus moritur & discedit à corpore, sine mora statim esse in beatitudine præsentem ad Dominũ. Satis enim est, quòd hoc soleat aliquãdo & possit fieri, vt Apostolus optare potuerit peregrinationẽ à corpore, vt esset præsens ad Dominum.

Ad SECVNDVM locum respondeo, particulã *amodo*, non ad tempus determinatum mortis vniuscuiusq; iusti referri, sed ad *totum* istud tẽpus militantis Ecclesiæ. Voluit enim Dñs illis verbis significare, hoc ipso tempore, quo Ecclesia nunc in terris militat, habere etiã in regno cœlesti suũ locum Ecclesiam aliquam triumphantem, vbi beati requiescant; neq; expectari ipsum tempus extremi Iudicij & Resurrectionis corporum, vt piorum animæ recipiantur in beatitudinem.

Ita hunc locũ D. Augustinus rectissimè interpretatus est lib. 20. de ciuit. cap. 9. Atq; ita etiam interpretandum esse ostendit ipsa circumstantia loci. Dixerat enim verbis antecedentibus Ioannes; *Hic*, id est, *hoc tempore, patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei & fidem Iesu.* Ac deinde subiungit, *Audiui vocem de cœlo dicentẽ mihi, scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò enim, &c.* quasi voluerit videlicet Spiritus sanctus ea ratione pios ad patientiam & constantiã in huius vitę militia adhortari, quoniam certissimè sperare *possint* beatitudinem post mortem, etiam ante tempus illud postremum resurrectionis corporum.

Hæc autem cum huius loci sententia sit, nihil hinc habent Sectarij, quo oppugnent Purgatorium. Quamuis enim iam aliquorũ piorum animæ aliquantum in Purgatorij pœnis, tãquam in transitu quodam ad beatitudinem, retardentur, tamen nihilominus cõsistit illud absolutè, quod vox illa de cœlo dicit, nempe isto etiam Ecclesiæ tẽpore requiescere piorũ animas in cœlo, ibiq; habere locũ Ecclesiã triumphantẽ: vt confirmat eo testimonio D. Augustin. lib. 20. de ciuit. ca. 9.

QVARTO obiiciunt aliqua D. Augustini loca. Vt lib. 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 28. & lib. 5. Hypogn. & lib. 13. de ciuit. cap. 8. & lib. 2. de orig. animæ, cap. 11. & 24. quibus ille videtur affirmauisse, nullum locum esse *medium* post hanc vitam præter regnum cœlorum, & infernum damnatorum.

RESPONDEO, falsariè Kemnitium & Herbrandum eiusmodi testimonia D. Augustini referre, vt lib. 2. de sacrificio Missæ cap. vlt. diffusè ostẽdi. Etenim inspectis integrè istis testimoniis D. Augustini, manifestissimũ est, de locis illum duntaxat *perpetuis* disputare, cùm tantummodò dicit, post hanc vitam duos supereſſe. Disputat enim contra Pelagianorum errorem, qui pro paruulis mortuis sine Baptismo, *tertium* locum medium eumque etiam *perpetuum* cõstituebant, præter infernum & regnum cœlorum.

Et notandum est, nos non tantùm dicere, quod ex sententia Augustini *post corporum quidem resurrectionem* erunt tantum duo loci, scilicet damnationis & beatitudinis, sed dicimus esse tantum duos locos siue status *perpetuos* non modò post resurrectionem corporum, sed etiam ante. Id quod diligenter notari debet aduersus aliquas Kemnitij cauillationes circa similia testimonia Augustini.

Deinde notetur, Augustinum tertium locum medium negare, in quo paruuli illi mortui sine Baptismo habeant etiam *vitam æternam* extra regnum cœlorum, vt Pelagiani desipiebant: cùm regnum cœlorum & vita æterna separari nullo modo possint post hanc vitam, vt luculenter multis in locis ostendit Augustinus.

POSTREMO argumentantur Sectarij ex illis Scripturæ & Patrum testimoniis, quibus significatur, vnumquemque recepturum, seu pœnam, seu præmium secundùm opera *propria sua*, neque futurum in altera vita locum Indulgentiæ, sed hic à nobis salutem comparari debere, & hic seminandum, quod illic metatur. Item futurum, vt *vbicunque lignum ceciderit, ibi maneat, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem.* Quæ omnia non videntur ita se habere, si aliquis locus Purgatorij post hanc vitã esset, vbi possit adhuc plena remissio peccatorum, atque adeò salus obtineri, idque etiam beneficio operum alienorum.

RESPONDET verò ad istam omnem obiectionem Diuus AVGVSTINVS in Enchiridio, capite 110. his verbis: *Hic*, inquit, *omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam releuari quispiam vel grauari. Nemo autem se speret, quod hic neglexerit, cùm obierit apud Dominum promereri. Non igitur ista*, inquit, *quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, qua dictum est, Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundùm ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum: quia etiam hoc meritum sibi quisque cùm in corpore viueret, comparauit, vt ei possent tunc ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter*

pter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore?

Hactenus Diuus Augustinus, qui satis luculenter his verbis declarat, quemadmodum doctrina Catholica de Purgatorio optimè cum eo consistat, quod Scriptura affirmat, recepturum vnumquemque in altera vita, prout in corpore ipse gesserit, siue bonum siue malum. Quia videlicet, vt in Purgatorio expiari posimus, id quidem gratiæ & bonis operibus, quibus præditi ex hac vita discedimus, acceptum est referendum.

Peculiariter autem ad illud, quod obiiciebatur in hac solùm vita locum esse *Indulgentiæ*, respondendum est, ita esse, si de remissione *culpæ mortalis*, & reconciliatione cum Deo intelligitur. Quo etiam illud pertinet, quod per similitudinem dicitur: *Si ceciderit lignum ad Austrum aut Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit*, Ecclesiast. vndecimo. Quia scilicet in eo statu, siue *salutis*, siue *damnationis*, aliquis manebit post hanc vitam, in quo ex ea discesserit. Neque enim, si in gratia discesſit, amplius illam amittere poterit; Nec si gratia destitutus, illam amplius recuperare, & ad eam se, quasi erigere: Vt neque lignum cum ceciderit, sese ipsum erigere potest. Indulgentiæ verò quoad *temporalem pœnam*, quæ post reconciliationem cum Deo exoluenda restat post hanc etiam vitam locum esse asserimus.

Et hactenus de Purgatorio, atque adeò de PRIMO puncto. De conditione autem Animarum in Purgatorio, dicemus puncto tertio. Nunc satis sit probasse, QVATVOR esse Animarum Loca: scilicet *Cœlum*, & alia tria in profundo terræ: nempe *Infernum* damnatorum, & *Purgatorium*, & puerorum *Limbum*. Præter quæ olim erat etiam Limbus *Patrum*, qui vel nunc non supereſt, vel est vacuus. De quorum *Situ* communiter sentiunt Theologi in quarto, distinctione quadragesima quinta, *Imum* esse Infernum damnatorum; *proximum* Purgatorium, & *suprà* Limbum puerorum, quo Limbus Patrum erat *superior*.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quonam modo ad destinata loca deferantur Animæ defunctorum, & an ex illis egredi valeant.

Artic. 2. & 3.

DE MODO, QVO POST MORTEM deferuntur Animæ ad loca ipsis destinata, vera & traditioni Patrum consentanea iudicari debet sententia Theologorum, qui statuunt, eas partim *naturali* facultate mouendi se localiter, cùm sunt separatæ à corpore, partim etiam *ductu Angelorum*, seu bonorum, seu malorum, illuc peruenire.

Nam *beatæ* animæ Cœlo destinatæ, in Cœlum deducuntur à custode saltem Angelo, & quandoque etiam à pluribus, prout vnaquæque excelluit in sanctitate ac merito; quemadmodum in variis Historiis de fœlici Sanctorum exitu ex hac vita proditum est, & nominatim à sancto Athanasio in vita Diui Antonij, vbi ait, vidisse se Ammonis animam deferri ab Angelis in Cœlum.

Inde Lucæ decimo sexto de Lazaro scribitur, quòd *portatus fuerit ab Angelis in sinum Abrahæ*, qui tunc erat locus piorum. Et Ecclesia in officio commendationis animæ orat, vt *egredienti animæ de corpore splendidus Angelorum cœtus occurrat.* Item, vt *veniant illi obuiam sancti Angeli Dei, & perducant in ciuitatem cœlestem Hierusalem.*

Et similiter *Iustorum* animæ, quæ nec dum satis à peccatis expiatæ destinantur *Purgatorio*, ab Angelis saltem suis Custodibus eo deducuntur. Quos credendum est, vt notauit Sotus in quarto, distinct. quadragesima quinta, quæstione prima, articulo tertio, animas illas consolari instar illorum, qui officij & pij solatij caussâ comitantur eos, qui ducuntur ad supplicium.

Contra verò *damnatorum* animas *inferno* destinatas, meritò creditur à Dæmonibus illuc deduci, tanquam à lictoribus seu tortoribus quibusdam: iuxta illud, quod sanctus Cyrillus ALEXANDRINVS in Oratione de exitu animæ, loquens de anima damnata, ait: *Tunc*, inquit, *à sanctis Dei Angelis destitutam inuadunt Æthiopes illi Dæmones, eamque ferientes crudeliter in terrarum opaca deducunt, & aperta tellure solidissimis compedibus reuinctam, in terram tenebrosam & fuliginosam, in infimas infernorum carcerum partes, ac Erebi custodias deiiciunt.*

Cumque etiam *Paruuli* decedentes absque Baptismo mulctentur æterna pœna damni, atque eatenus in sempiternum damnati sint; similiter existimari debet, illorum animas deduci quoque ad Limbum (quo sunt destinatæ) à Dæmonibus, tanquam executoribus quibusdam iustitiæ diuinæ, & veluti lictoribus deducentibus reos ad carceres.

Atque est peculiaris ratio, quod attinet ad animas quidem, vel Purgatorio, vel Inferno, vel Limbo destinatas, cur putandum sit, eos à bonis vel malis *Angelis* deduci in hæc loca. Nam cùm hæ animæ non sint beatæ, vt illæ aliæ, quæ sunt Cœlo destinatæ, (iuxta id, quod paulò pòst dicam) nesciunt ipsæ viam ad ea loca, nisi doceantur & ducantur. Item maximè

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam id congruit, quod attinet quidem ad animas damnatas, siue ad Infernum, siue ad Limbum. Quandoquidem minimè ipsæ sua sponte & vltro in perpetuos illos, quasi carceres commeant, sed veluti per vim eo attractæ, sicut Rei, qui ducuntur inuiti ad carcerem, & ad supplicium.

Quod autem partim etiam *naturali* sua facultate mouendi se localiter perueniant ad hæc loca animæ, sicut diximus; *Primò* probari potest luculento testimonio sancti HIERONYMI in epistola ad Pamatium contra errores Ioannis Hierosolymitani, vbi de anima extra corpus subsistente, velut rem asserens minimè apud Orthodoxos dubiam, ita pronunciat: *Non possumus incorporalem & æternam animam in modum glirium immobilium torpentemque sentire.*

Secundò, quia cùm anima rationalis tanta perfectione naturaliter prædita sit, vt possit etiam per se subsistere; nullo modo verisimile est, carere illam naturaliter illa facultate se se mouendi, cùm est seiuncta à corpore.

Tertiò, quia cum ipsa tribuat motum localem corpori cùm est ei coniuncta; etiam poterit sibi ipsi illum tribuere eo quidem modo, quo potest localis motus conuenire spiritui per se subsistenti; nimirum modo localis motus *Angelici*, quem explicuimus tomo primo, disputatione 4. quæst. 4.

Quartò, quoniam sequeretur aliàs animam rationalem cùm à corpore separatur in morte, nõ posse naturaliter à corpore, & à corpris loco discedere, sed debere ibidem perpetuò manere. quod est planè absurdum.

Adde quod, vt refert Richardus in quarto, distinct. quadragesima quinta, articulo primo, quæstione tertia Parisiis olim sub excommunicatione damnatus est quidam articulus, quòd scilicet anima separata non sit mobilis secundùm locum.

Neque obstat *Primò*, quòd Philosophus libro primo de Anima textu quadragesimo nono & sequentibus, animam non per se, sed per accidens moueri censet ad motum corporis. Loquitur enim de illa iuxta illum quidem ipsius statum naturalem, quo est coniuncta corpori, tanquam actus & forma eius. Potest autem in illo alio naturali item statu suo, cùm scilicet est per se subsistens, & separata à corpore, moueri localiter per se, alio quodam modo localis motus, vt diximuus.

Neque obstat *Secundò*, quòd, vt antea asseruimus, deducuntur animæ ab Angelis ad illa loca. Vtrumque enim potest simul consistere; scilicet, vt & à se ipsis motæ, & ab Angelis etiam directè ac ductæ perueniant in ea loca: ad eum scilicet modum, quo solet quis, & à se ipso motus, & simul ab alio quopiam deductus peruenire ad locum, in quo, vel plectendus, vel remunerandus sit.

Neque obstat *Tertiò*, quòd non possunt animæ ex pœnalibus locis discedere arbitratu suo, sicut postea dicemus. Hinc enim minimè sequitur, carere illas alioqui facultate naturali mouendi se, vt velint; sed solum inde licet colligere, impediri & prohiberi illas animas imperio ac virtute diuina, quo minus ex locis illis pœnalibus arbitratu suo egredi valeant. Sicut modo etiam suo prohibentur & impediuntur captiui ne ex carceribus euadãt, quantumuis alioqui non careant facultate naturali mouendi se ad alia loca. Vnde ad efficacitatem ac firmitudinẽ illius virtutis ac imperij diuini significandam, dicuntur illa loca inferni pœnalia esse occlusa *portis æreis & vectibus ferreis*, Psalmo 106.

Porro ex eo, quòd animæ STATIM à morte deferuntur ad destinata sua loca, vt iam diximus, consequens est, illas statim à morte in eodem ipso loco mortis subire IVDICIVM ac sententiam Christi particularem, de sua scilicet, aut beatitudine in Cœlo, aut damnatione in Inferno, aut pœna in Purgatorio, aut exilij in Limbo. Nam delatio earum in eiusmodi loca est pars quædam executionis eiusmodi sententiæ.

Profertur autem à CHRISTO, & cognoscitur ab animabus ea sententia in illo mortis momento; hoc ipso nimirum, quòd Christi virtute vnaquæque anima cognoscit ad quemnam locum ex illis, & ad quam pœnã, vel præmium, destinata sit.

Cognoscunt autem animæ eam sententiam, vel per species intelligibiles easdem, quas in hac vita acquisiuerant, vel per alias de nouo tunc eis infusas, iuxta ea, quæ de modo cognoscendi animæ separatæ tradidimus, tomo primo, disputatione sexta, quæst. septima, puncto quarto.

Ac quatenus eam sententiã Christus animab. intimat, dicitur is in Scriptura aduenire & adesse vnicuique in morte. Iuxta illud Matth. 24. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Tametsi non aduenial secundùm se ipse in morte cuiusque, vt notauit rectè Abulensis quæstione 239. in caput vigesimum quartum Matthæi, & Sotus in quarto, distinct. 45. quæstione prima, articulo tertio. Omnino autem vnamquamque animam in morte subire iudicium illud particulare probauimus, suprà disputatione prima, quæst. 22. puncto nono. Et hactenus de modo, quo animæ *deferuntur* ad destinata illa loca.

Quod autem attinet ad EGRESSVM earum ex illis locis (de quo etiam quærebamus) quædam sunt certa, & aliquid controuersum. PRIMO cer-

MO, certum est, secundùm legem quidem DEI ordinariam, atque adeò per *naturalem* ipsarum animarum facultatem solam, non posse animas ex illis locis vllo modo egredi. Nam sunt illis locis secundùm legem Dei ordinariam deputatæ.

Ac iuxta hoc procedit, quod sanctus AVGVSTINVS in libro de cura pro mortuis agenda, capite decimo tertio ait: *Si rebus viuentium interessent animæ mortuorum, vt de aliis taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra mariq; secuta est, vt mecum viueret.*

SECVNDO certum est, nec secundùm legem DEI ordinariam, nec secundùm peculiarem & extraordinariam prouidentiam diuinam, vllas animas, quæ vel in Cœlo verè Beatæ sint, vel in Inferno, verè damnatæ, egredi in *perpetuum* ex eiusmodi locis, sic, vt non sint amplius futuræ beatæ, vel damnatæ. Immò ne ita quidem tales animæ ex eiusmodi locis egredi possunt, vt ad tempus *desinant* esse beatæ vel damnatæ. Nam de ratione veræ beatitudinis, & veræ damnationis, est perpetuitas; cùm vtraque conditio sit sempiterna, iuxta illud, Matthæi vigesimo quinto: *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.*

TERTIO certum est, per prouidentiam & dispensationem peculiarem diuinam posse ex Cœlo etiam & Inferno sic egredi animas ad tempus propter instructionem aliquam, vel vtilitatem viuorum, vt tamen non desinant esse beatæ vel damnatæ, sed nihilominus, vel fruantur beatitudine æterna claræ Dei visionis, vel sentiant pœnam Gehennæ: sicut explicat Diuus Thomas articulo tertio, ad tertium. Vnde sanctus AVGVSTINVS in libro de cura pro mortuis, capite decimo sexto narrat, Beatum Fœlicem Martyrem Nolanum, *visibiliter* adfuisse suis ciuibus cum à Barbaris oppugnarentur.

Quin etiam affirmat Diuus Thomas hîc articulo tertio, beatas quidem Animas per dispensationem diuinam posse ex Cœlo sic egredi, *quotiescunque voluerint*. Cuius rationem Sotus in quarto, distinctione 45. quæstione prima, articulo tertio rectè dicit eam esse, quoniam Animæ illæ beatæ, cùm sint per omnia diuinæ voluntati conformes, non aliàs, neque aliter ex Cœlo egredi volunt, nisi quatenus DEVS id vult; cuius nimirum voluntas semper impleri posset.

Atque eodem sensu intelligendum est, quod sanctus HIERONYMVS in libro contra Vigilantium affirmat; *Animas Apostolorum & Martyrum posse vbi voluerint adesse præsentes.*

QVARTO certum est, similiter etiam per dispensationem peculiarem diuinam posse aliqua de causa egredi animas ad tempus ex *Purgatorio*, aut ex *Limbo*. Sicut de aliquibus Purgatorij animabus narrat sanctus Gregorius libro quarto Dialogorum, capite 36. 40. & 55. eas quandoque apparuisse viuis, vt suffragia peterent.

QVINTO certum est, in perpetuum etiam posse & solere animas egredi ex Purgatorio secundùm legem quoque Dei ordinariam: cum scilicet, sunt satis expiatæ, atque adeò dignæ, quæ recipiantur in Cœlum: sicut potuerunt etiam animæ olim exire in perpetuum ex Limbo Patrum, vt factum est descendente anima Christi ad Inferos, iuxta ea, quæ docuimus disputat. 2. quæst. 4.

SEXTO certum est, ex dispensatione peculiari diuina posse etiam Animas sic egredi ex Purgatorio quidem, vt reuocentur etiam ad hanc *vitam* per resumptionem corporum, atque adeò per resurrectionem. Sicut etiam potuerunt olim sic egredi ex Limbo Patrum. Nam in Limbo illo, vel in Purgatorio putantur fuisse illi mortui, quos suscitarunt Elias & Eliæus, atque etiam Christus: & in Purgatorio item illi, quos alij Sancti post Christi ascensum in Cœlos suscitauerunt.

Neque tamen propterea, tales destiterunt esse certi de sua salute, sicut antea fuerunt cum essent in Limbo vel Purgatorio. Nam vt rectè notarunt Abulensis in capit. quarto libri quarti Regum, quæstione quinquagesima sexta, & Sotus in quarto, distinct. quadragesima quinta, quæstione prima, articulo quarto, credendum est, illos qui ita fuerunt ex Limbo vel Purgatorio ad hanc vitam reuocati, fuisse in gratia confirmatos & securos redditos de salute sua ne alioqui detrimentum & discrimen salutis per resurrectionem illam subirent, per quam censeri potiùs debent accepisse *beneficium*: idque eo etiam nomine, quod facultatem sic adepti sunt merita sua in hac vita cumulandi & comparandi sibi maiorem in Cœlo coronam, atque adeò satisfaciendi quoque pro pœnis, quas debebant fortè luere adhuc illorum aliqui in Purgatorio. Et hæc quidem certa & extra controuersiam sunt.

CONTROVERSVM autem est, an per diuinam dispensationem fuerint ex Cœlo quoque & Inferno reuocatæ aliquando in hanc vitam animæ per resumptionem etiam *corporum*; ita quidem, vt destiterint perfrui visione beatifica, qua saltem *ad tempus* in Cœlo afficerentur, vel puniri infernali pœna, qua *ad tempus saltem* punirentur prius in Inferno. Dico autem, qua *ad tempus saltem, &c.* nam iam antea diximus, non posse fieri, vt qui prius vera, atque adeò *perpetua* & sempiterna beatitudine seu pœna affecti fuerint, desinant postea illa affici, cum id implicet contradictionem.

Videtur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Videtur autem nunquam id factum fuisse. Nam ei, qui visione beatifica ante fruitus sit, non est *beneficium* reuocari ad hanc vitam, vbi careat illa visione. Non est autem credibile, quempiam ad hanc vitam à Deo reuocari nisi reputari id possit quoddam beneficium. De his autem, qui sunt in Inferno, si quem aliquando ad hanc vitam reuocatum esse asseri deberet; maximè id esset asserendum propter historiam Traiani, quem precibus sancti Gregorij ab Inferno fuisse liberatum & salutem consecutum, narrat sanctus Damascenus in sermone de defunctis. Item propter historiam cuiusdam Falconillæ Ethnicæ fœminæ, quam similiter narrat ibi Damascenus fuisse liberatatam ab Inferno precibus S. Teclæ. Sed propter huiusmodi historias minimè oportet id asserere. Ergo non est asserendum.

Probatur Minor dupliciter. *Primò*, quoniam Damascenus non narrat fuisse istos ad *vitam* hanc reuocatos, sed liberatos ab Inferno & saluatos; Quanquam Richardus quidem in quarto, Distinct. 45. articulo secundo, quæstione prima, & alij quidam existimant historiam illam Traiani sic intelligendam esse, vt fuerit ad hanc vitam reuocatus, & hic per bona opera promeritus salutem. Sed tamen id ex narratione Damasceni minimè apparet. Et vt Durandus ait in quarto, distinct. 45. quæstione secunda ad 3. potuisset etiam singulari quodam priuilegio per diuinam potentiam fieri, vt Traianus ex ipso Inferno transferretur ad cœlum. Si nimirum ob sancti Gregorij preces à Deo præuisas nõ fuisset destinatus Inferno in perpetuum, sed solum ad tempus.

Sed quicquid sit de hoc, probatur *Secundò* nostri argumenti Minor. Nam eiusmodi historia de Traiano, & similiter de Falconilla, &c. meritò habetur suspecta. Imò planè ficta, à non paucis putatur, sicut & nos illam ex ipso etiam S. Gregorio refutauimus tomo tertio, disputatione sexta, quæstione secunda, puncto octauo. Neque sermo ille de defunctis censeri debet fuisse Damasceni. Tum quia alia etiam continet planè commentitia; Vt quòd multi alij etiam ex Inferno ad Cœlum transierint, & quòd quidam in Inferno fuerint ad fidem conuersi & saluati Christo illuc descendente, &c. Tum quia Ioannes Diaconus libro secundo de vita sancti Gregorij, cap. 44. commemorat illam historiam de Traiano, tanquam commentitiam, dum ait fuisse inuentam in quadam Ecclesia Anglorum. Neque alius fide dignus historicus eius rei meminit.

Atque hæc quidem possunt esse fundamenta eorum, qui existimant, nullum vnquam, neque ex Cœlo, neque ex Inferno fuisse ad hanc *vitam* reuocatum. Id quod nominatim asseruit Sotus in quarto, distinct. 45. quæst. 1. artic. 4. quæstione 2. artic. 2.

Sed tamen contraria sententia, propter alias quasdam historias fide dignissimas, tenenda est. Nam ipse sanctus Gregorius libro primo Dialogor. capite nono refert, fuisse suscitatum à sancto Fortunato Episcopo, virum quendam sanctum, Marcellum nomine, qui vt ex narratione Gregorij apparet, fuerat in Cœlo. Scribit enim Marcellum illum iam suscitatum *dixisse ad sanctum Fortunatum: O quid fecisti? ô quid fecisti? cui Episcopus respondit, dicens: Quid feci? At ille: Duo hesterno die venerunt, qui me eiicientes ex corpore in bonum locum duxerunt; hodie autem vnus missus est, qui dixit: Reducite eum: quia Fortunatus Episcopus in domum eius venit. Quibus verbis expletis mox ex infirmitate conualuit, & in hac vita diutiùs mansit.* Et addit Gregorius: *Nec tamen credendum est, quia locum, quem acceperat perdidit: quia dubium non est, quod intercessoris sui precibus potuit post mortẽ melius viuere, qui & ante mortem studuit omnipotenti Deo placere.*

Item cap. vltimo eiusdem libri narrat Gregorius, quendam à sancto Seuero Presbytero fuisse suscitatum, qui iam *à valdè tetris hominibus*, vt inquit, *& ignem spirantibus*, id est, à Dæmonibus *ducebatur*. Sic etiam filius Præfecti, qui sanctam Agnetem violare tentârat, illiusque orationibus fuit suscitatus (vt sanctus Maximus narrat sermone secundo de S. Agnete) procul dubio fuerat in Inferno. Quæ historia reperitur etiam apud Ambrosium serm. 90.

Ad *Primum* autem argumentum contrariæ sententiæ respondeo, omnino *beneficium* esse, quòd qui visione beatifica non in perpetuum, sed ad tempus fruatur, finito eo tempore reuocetur in vitam, cum *securitate* quidem redeundi in Cœlum & fruendi in perpetuum visione beatifica, (sicut suo modo diximus suprà de excitatis ex Purgatorio) & præterea etiam cum *facultate* cumulandi sua merita, atq; adeò comparandi maiorem gloriam, iuxta ea, quæ ex Gregorio retulimus de sancto illo Marcello ad vitam reuocato precibus S. Fortunati.

Ad *Secundum* respondeo, suppetere nobis alias historias fide dignas præter commentitiam illam Traiani & Falconillæ.



PVNCTVM TERTIVM.

Quænam sit conditio Animarum in Purgatorio.

Ad art. 1. vel 7. & quæst. 71.

Statvemvs nonnullas hac de re assertiones. Prima assertio. Omnes animæ, quæ sunt in Purgatorio, sunt & præditæ *gratia* diuina cum qua ex vita hac discesserunt, & simul etiam obstrictæ aliquo *reatu*, vel culpæ venialis, vel pœnæ temporalis peccato debitæ, quem in hac vita non expiauerunt. Vtraque pars huius assertionis est certa ex fide.

Prior quidem, nam ex fide constat, omnes eos, qui diuina gratia destituti ex hac vita migrant, non ad Purgatorium deferri; sed descendere in Infernũ, iuxta illud Lucæ decimo sexto: *Mortuus est autem diues, & sepultus est in Inferno.* Et illud Iob 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: recede à nobis, &c.*

Posterior autem assertionis pars inde etiam patet, quoniam ex fide similiter certum est, piorum defunctorum animas, in quibus nullus reatus expurgandus supereſt, euolare statim in Cœlum, vt fusè probauimus tomo secundo, quæstione quarta, puncto secundo. Itaque necesse est eas animas, quæ neque in Inferno, neque in Cœlo sunt, sed in Purgatorio, habere & *gratiam* diuinam, vt in priori parte assertionis diximus, & aliquem *reatum*, vt diximus in parte posteriore.

Ac per istam assertionem, quæ certissima est, excluduntur varij variorum errores. Vt error Origenis, qui homilia decima quarta in Lucam asseruit, omnes omnino animas, qualescũque hinc decedant, indigere aliqua expurgatione per ignem. Contraria verò est Ecclesiæ sententia. Nam qui statim post Baptismum moriuntur, nulla pœna expiantur, dicente sancto Avgvstino libro vigesimo primo de ciuitate Dei, capite 16. *Sufficit sola spiritualis regeneratio, ne post mortem obsit, quod carnalis generatio cum morte contraxit.*

Neque etiam indigent pœna expiatoria, qui in sanguine suo baptizantur, vt affirmat sanctus Cyprianvs libro quarto, epistola secunda ad Antonianum non longè à fine, vbi ait: *Aliud est statim fidei & virtutis accipere mercedẽ, aliud longo dolore cruciatuum emundari, et purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse*, vt contingit scilicet Martyribus.

Quo pertinent etiam alia plurima testimonia Scripturæ & Patrum, quibus tomo secundo, disputatione prima, quæstione quarta, puncto secundo probauimus statim à morte aliquas piorum animas recipi in cœlestem beatitudinem, absque vlla alia purgatione. Id quod est etiam definitum in Concilio Florentino in decreto vnionis.

Si tamen quis asseueret, omnes animas quantumuis iustas transire quidem per ipsum ignem Purgatorij, sed non ab eo pati, neque expurgari, nisi eas, quæ expurgatione indigent, non esset assertio planè erronea. Nam ita videntur sensisse Lactantius libro septimo diuinar. Institut. capite vigesimo primo. Et Ambrosius in Psalm. 36. Et Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 3. in Genes. cap. 32.

Ac multò minus erit erroneum, sed potiùs omnino verum, asserere, quòd omnes transibunt per ignem, intelligendo per ignem examen illud *acre* diuini iudicij, iuxta illud prima ad Corinthios tertio: *Vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit*, sicut docuimus puncto primo, & intellexit etiam Hilarius in Psalm. 118. circa illud: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas*, vel vt ille legit, *iudicia tua, &c.* & Hieronymus in cap. 7. Amos, circa illud: *Ecce vocabit iudicium ad ignem.*

Item excludiur per nostram assertionem error alius Origenis, quem refutauimus tomo primo, disputatione quarta, quæstione decimaquinta, puncto secundo, scilicet omnes damnatos, seu Dæmones, seu homines, esse aliquando saluandos, atque adeò illorum etiam pœnas esse *purgatorias*. Quod est manifestè contra sententiam illam Domini, Matthæi vigesimo quinto: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Et contra illud, quod ibidem subiungit: *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.*

Quo testimonio & aliis eiusmodi refellunt illum Origenis errorem sancti Patres. Epiphanius in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, & Hieronymus in caput tertium Ionæ, & Augustinus libro 21. de ciuitate Dei, capite vigesimo tertio.

Item excluditur per eandem assertionem aliorum quorundam error relatus ab Augustino eodem libro, capite decimo octauo, & refutatus capite 24. qui saltem omnium *hominum* pœnas expurgatorias esse censebant, ac proinde aliquando finiendas. Qui error æquè contrarius est illi sententiæ Domini, Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Et rursus: *Ibunt hi in supplicium æternum.* De hominibus namque ibi Dominus loquitur.

Item per eandem assertionem nostram & sententiam Domini refellitur error quorundam aliorum, qui id sentiebant saltem de iis damnatis hominibus, qui nomen Christo dedissent, siue apud hæreticos, siue apud Catholicos. Quem errorem refert sanctus Augustinus libro vigesimo primo de ciuitate, capite decimo nono, & refellit cap. 25.

Ac similiter error illorum, qui id saltem sentiebant de iis damnatis hominibus, qui fuissent aliquando *Catholici*. Quem errorem refert Augustinus illic capite 20. & confutat facilè capite 25.

Atque item illorum, qui id sentiebant de iis saltem, qui retinuissent fidem Catholicam vsque in vitæ finem. Quem errorem refert Augustinus ibi, capite vigesimo primo, & refutat capite 26.

Et capite vigesimo quarto, ac vigesimo sexto, respondet facilè ad fundamenta istorum errorum. Vt ad illud: *Nunquid obliuiscetur misereri* DEVS, *aut continebit in ira sua misericordias suas? Hoc enim*, inquit Augustinus, *ad vasa misericordiæ pertinet, & ad ipsos filios promissionis.*

Addit etiam: *Ira Dei est ista vita mortalis, vbi homo vanitati similis factus est, & dies eius velut vmbra prætereunt. In qua tamen ira non obliuiscetur misericordiæ suæ Deus, faciendo solem suum oriri super bonos, & malos, &c.*

Et subiungit: *Cùm ergo isto modo compleatur diuini illius Cantici veritas; non est eam necesse etiam illic intelligi, vbi non pertinentes ad ciuitatem Dei sempiterno supplicio punientur*, nimirum in altera vita, ad quam pertinet, quod Iacobi 2. dicitur: *Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam.*

Addit ad extremum posse id de impiis in altera vita sic intelligi, *vt manente*, inquit, *in eis ira Dei, quæ æterno est prænunciata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, & faciat eos non tanta quanta digni sunt pœnarum atrocitate cruciari*, id est, citra condignũ, iuxta id, quod de iustitia & misericordia Dei tradidimus tomo primo, disputatione prima, quæstione 21. puncto secundo.

Præterea respondet etiam ad id, quod quidam obiiciebant, minaciter potiùs quam veraciter dictum esse: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, sicut minaciter tantùm fuit dictum Ionæ tertio: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Non enim est par vtrobique ratio, *Niniuitæ quippe*, inquit, *in hac vita egerunt pœnitentiam, & ideo fructuosam; velut in hoc agro seminantes, in quo Deus voluit cum lachrymis seminari, quod postea cum lætitia meteretur.* Itaque conditionalis fuit comminatio illa in Niniuitas, nisi agerent scilicet pœnitentiam, vt egerunt.

Quod autem in altera vita dicetur impiis: *Ite maledicti in ignem æternum, &c.* non erit similiter comminatio conditionalis, sed finalis & absoluta Iudicis sententia. Siquidem tunc non erit amplius locus pœnitentiæ; iuxta illud Ioannis nono: *Venit nox, quando nemo potest operari.* Vnde neque vlli Sancti orant pro Impiis iam damnatis in altera vita, vt illic indicat Augustinus.

Tertio loco respondet ad id, quod item aliqui obiiciebant ex Apostolo ad Romanos 11. *Conclusit Deus omnes in incredulitatem, vt omnium misereatur. Quid est*, inquit, *omnium? Et eorum scilicet quos ex Gentibus, & eorum quos ex Iudæis prædestinauit, vocauit, iustificauit, glorificauit; non omnium hominum, sed istorum neminem damnaturus.*

Denique eodem libro cap. 26. respondet ad id, quod alij obiiciebant, per fidem solam retineri salutis fundamentum, quod est Christus. *Respondeat*, inquit, *eis breuiter Apostolus Iacobus: Si quis dicat se fidem habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum?* Et infrà: *Nihil in ædificio præponitur fundamento. Quisquis itaque sic habet in corde Christum, vt ei terrena temporalia, nec ea, quæ licita sunt, atque concessa præponat, fundamentum habet Christum. Si autem præponit; etiamsi videatur habere fidem Christi, non est tamen in eo fundamentum Christus, cui talia præponuntur: quantò magis, si salutaria præcepta contemnens committat illicita etiam; non præposuisse Christum, sed postposuisse conuincitur?*

Item per illam tandem assertionem refellitur aliorum error, qui contendebant, illos aliquando esse à peccatis per pœnas Purgatorij expurgandos & saluandos, qui dum viuerent fecissent *eleemosynas*. Quem errorem nos confutauimus tertio tomo disput. 3. quæst. 9. puncto tertio. Et eundem refellit Augustinus in Enchiridio, cap. 75. & 76. & lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 27.

SECVNDA assertio. Omnes animæ in Purgatorio certæ sunt omnino de sua salute. Est hæc assertio certa iã & indubitata apud Theologos post condemnationem articulorum Lutheri, in quorum 38. sic ille scripsit: *Animæ in Purgatorio nõ sunt securæ de sua salute, saltem omnes.* Idem tamen de aliquibus Purgatorij animabus senserat antea Carthusianus in libro de quatuor nouissimis articulo 47. Et postea etiam Michaël Baius (fortè incogitanter) lib. 2. de meritis operum, cap. 8.

Probatur autem Assertio nostra PRIMO. Nam certò norunt illæ omnes animæ, salutem esse consecuturos eos omnes, qui sunt in Purgatorio: Ac simul certò etiam sciunt, se esse in Purgatorio. Igitur per euidentem & certam consequentiam norunt se salutem consecuturas.

Prior pars Antecedentis probatur. Nam id est certum ex fide, iuxta illud prima ad Corinthios tertio: *Ipse autem saluus erit; sic tamen quasi per ignem.* & alia quæ attulimus puncto primo. Retinent autem animæ in Purgatorio hanc ipsam fidem, quam dum viuerent, habuerunt.

Posterior item Antecedentis pars probatur multipliciter. *Primò*, quoniam ex Christi sententia in particulari iudicio, quod, iuxta dicta punct. primo, animæ subierunt, sciunt ad quem locum delatæ sint. *Secundò*, quoniam ipsæmet etiam, licet simul quoque ductu Angelico, ad Purgatorij locum contenderunt, & sciunt quoque se nec dum inde emigrasse. Quomodo igitur ibi se esse ignorarent? *Tertio*, quoniam sciunt se neque in Cœlo, neque in Inferno, neque in Limbo, neque alibi esse, &c. Ergo in Purgatorio. *Quartò*, quoniam idipsum credibile est, eas quoque discere ex Angelis, ipsas consolantibus in illis pœnis, &c.

SECVNDO probatur eadem Assertio ex illa ipsa CHRISTI *sententia*, in iudicio particulari ab animabus illis percepta, vt diximus. Nam per eam intellexerunt amandari se ad Purgatorij locum, vt ibi purgent & expient satis peccata; quò demum idoneæ reddantur cœlesti beatitudini percipiendæ suo tempore. Igitur certò & infallibiliter per hanc CHRISTI sententiam sciunt, se fore aliquando saluas in Cœlo.

TERTIO probatur. Nam omnino est credibile, ea ipsa consideratione futuræ aliquando beatitudinis, Angelos consolari in pœnis illas animas. De quorum asseueratione & testimonio, cùm beati sint, minimè etiam possunt animæ illæ dubitare.

QVARTO. Nam cum sint animæ illæ à corpore separatæ, clarè intuentur se ipsas, & habitus, qui in ipsis sunt; atque adeò etiam ipsum suum habitum gratiæ & charitatis; & sciunt per fidem, omnes illos, qui post hanc vitam sunt prædi ti gratia & charitate, tãdem fore saluos, si nec dum sint.

Neque obstat PRIMO, quòd animæ illæ acerbissimo dolore excruciantur; ex quo Lutherus colligebat, sic eas velut absorberi, vt non sciant, nec cogitent status sui conditionem, atque adeò vtrum saluæ futuræ sint.

Etenim quamuis maximus sit ille cruciatus, tamen ita possunt animæ illæ nihilominus scire & considerare rationem sui status, vt poterat diues Epulo in Inferno acerbius multò excruciatus; qui probè agnoscens miserabilem suum statum, clamabat ad Abraham: *Mitte Lazarum, &c. quia crucior in hac flamma.* Et: *Mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*, Lucæ decimosexto.

Adde, quòd pœnas illas, tametsi acerbissimas, patientissimo & promptissimo animo tolerant Purgatorij animæ; vtpotè conformes cum voluntate diuina. Propter quam illarum patientiam & conformitatem diuinę voluntatis, dicuntur *dormire in somno pacis*; quæ certè pax longè abesse putanda est à perturbatione tanta, quantam Lutherus somniauit, quæ scilicet illas absorberet, ne suum statum reputare possent, &c.

Neque SECVNDO obstat, quòd in Officio Defunctorum accommodat Ecclesia ad Purgatorij animas illa verba Psalmi sexti: *Anima mea turbata est valdè.* Et illa Psalmi 114. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula Inferni inuenerunt me.*

Primò enim possunt intelligi ea verba de animabus illis relata ad tempus, quo nec dum migrauerant ex corpore.

Secundò non est necesse, vt ea quoque verba accommodentur ad illas animas. Sicut neque accommodantur ad eas illa verba eiusdem Psalmi sexti: *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* Sed recitantur illi Psalmi propter alia quædam illorum verba, quæ accommodantur Purgatorij animabus; nimirum propter illa: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*, Psalmo sexto. Et propter illa: *Placebo Domino in regione viuorum*, Psalmo centesimo decimoquarto.

Tertiò, posset etiam illa turbatio referri ad animas, pro tempore, in quo sunt in Purgatorio: ita, vt significent tantummodò pœnarum cruciatum & dolorem, non autem incertitudinem salutis, aut ignorationem proprij status, &c. Nam Dominus, qui neq; incertus de salute sua erat, neque ignorabat suum statum, ex solo animi angore *cœpit contristari, & mœstus esse*, Matthæi 26. Et Ioan. duodecimo: *Nunc*, inquit, *anima mea turbata est.*

Neque TERTIO obstat, quòd animæ in Purgatorio adhuc habent *spem* consequendæ saluris. Non enim est de ratione spei, vt habeant adiunctum timorem oppositi; quamuis id quidem in hac vita nobis vsu venit; sed vt tendat in rem futuram *arduam*. Quo pacto spes etiam habet locum in animabus illis. Nam est eis salus & res *futura* & obtentu valdè difficilis atque *ardua*; siquidem non possunt illam adipisci, nisi per acerbissimum cruciatum.

Nec denique obstat QVARTO, quòd Ecclesia orat, vt animæ illæ *liberentur de pœnis Inferni, & de profundo lacu, &c.* Non enim id Ecclesia petit, quasi adhuc illæ animæ in incerto periculo damnationis sint; sed refert intentionem suam ad *præteritum*, confidens, per medium quoque istiusmodi precum, DEVM ab æterno decreuisse prouidentia sua, vt animæ illæ ab Inferno liberarentur, & reciperentur in cœlestem beatitudinem, sicut explicuimus tomo tertio, disputatione sexta, quæstione secunda, puncto octauo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERTIA assertio. Animæ in Purgatorio nihil amplius merentur, vel demerentur; neque etiam possunt vllo modo peccare. Est etiam hæc assertio certissima contra Lutheri commentum, qui in suprà dicto articulo trigesimo octauo, voluit animas illas non esse extra statum merendi, & in articulo 39. asseruit, *illas peccare sine intermissione*.

Probatur autem assertio nostra PRIMO ex Scriptura, quod attinet quidem ad *meritum*, vel *demeritum*. Nam in aliquibus Scripturæ locis legimus, post mortem non esse amplius vllum locum operibus. Quod cùm non possit ita intelligi, quasi defunctorum animæ nihil omnino agant, oportet sensum esse, quòd nihil agant meritoriè vel demeritoriè.

Vt cum dicitur Ecclesiastæ 9. *Quodcunq; potest facere manus tua, instanter operare; quia neque opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quò tu properas.* Et Ioannis nono: *Venit nox, in qua nemo potest operari.* Et Lucæ 16. *Redde rationem, villicationis tuæ, iam enim non poteris amplius villicare.* Quo loco Dominus significauit, post mortem non esse locum merito, vt intellexit Augustinus libro vigesimo primo de ciuita. capite vigesimo septimo, & Ambrosius, & alij in illum locum Lucæ. Et secunda ad Corinthios quinto: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*, id est, iuxta opera, quæ quisque gessit dum viuebat in corpore, cùm posteà nec pœnam, nec præmium vllum quisquã mereatur, sicut exponit Augustinus in libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. duodecimo, & quæstione secunda ad Dulcitium; & communiter alij. Et ad Galatas sexto: *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum, &c.*

Quibus adde alia loca, in quibus disertè etiã dicitur, nõ comparari post hanc vitam amplius mercedem. Vt Ecclesiastæ nono: *Mortui nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem.* Et Ecclesiastici 14. *Ante obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud Inferos inuenire cibum.* Et eodem pertinet, quod Apocal. 10. dicitur: *Tempus non erit amplius*, nimirum promerendi.

SECVNDO probatur idem ex Patribus. ORIGENES in Psalm. 36. perpendens illud Ioannis nono: *Veniet nox, quando nemo potest operari, Hoc*, inquit, *dicit de illo tempore, quod erit post hoc sæculum, tempore quo vnusquisque recipiet pœnas; tunc ergo dicit noctem illam futuram, cum iam nemo potest operari aliquid, sed vnusquisque tunc pascitur ex operibus suis, quæ hic positus operatus est.*

Sanctus CHRYSOSTOMVS homilia quinquagesima quinta in Ioannem: *Dum hac*, inquit, *durat vita, laborandum est; venit nox, hoc est futurum tempus, quando nemo operari potest.*

Sanctus HIERONYMVS in cap. 6. epistolæ ad Galatas: *Tempus*, inquit, *sementis, tempus est præsens, & vita quam currimus. In hac licet nobis, quod volumus seminare, cùm ista vita transierit, operandi tempus aufertur.*

Sanctus AVGVSTINVS in Enchiridio, capite 110. *Hic*, inquit, *omne meritũ comparatur, quo possit post hanc vitam releuari quispiam, vel grauari. Nemo autem speret; quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri.*

Sanctus GREGORIVS libro quarto Dialog. cap. 39. idem confirmat illis sententiis: *Ambulate dum lucem habetis*, Ioannis duodecimo. Et: *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te*, Isai. 49. Et: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, 2. ad Corinth. 6. Et: *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, &c. erit apud Inferos, quo tu properas*, Ecclesiastæ nono. *Ex quibus*, inquit, *sententiis constat, quia qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio præsentatur.*

TERTIO probatur ratione. Nam dum sumus in hac vita, sumus in *militia*, in *via*, in *stadio*; Qui autem ex hac vita migrarunt, iam imposuerunt finem militię, & cursum consummarunt, & ad viæ terminum peruenerunt; etiamsi nec dum in cœlestẽ ciuitatem intrent, vt accidit animabus Purgatorij, quibus ob reliquum peccatorum reatum est clausum Cœlum. Igitur in hac solum vita tempus est merendi boni aut mali certaminis præmium, vel pœnam, & per meritum aut demeritum cõsequendi vel amittendi brauium, & contendendi ad terminum.

Quod autem in assertione addidimus, non posse etiam animas in Purgatorio *peccare*, probatur item PRIMO ex Scriptura, quæ apertè indicat, iustis quidem ex hac vita migrantibus non superesse amplius vllum periculum peccandi. Vt Sapientiæ quarto: *Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores, translatus est; raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius.* Et infrà: *Placita enim erat Deo anima illius. Propter hoc properauit educere eum de medio iniquitatum.* Et Ecclesiastici vndecimo: *Ante mortem ne laudes hominẽ quenquam*, quia scilicet quantumuis bonus & iustus sit, tamen dum viuit potest peccare; post mortem autem iustus peccare non potest; & ideo securè tunc poterit laudari. In hanc enim sententiam exposuit hunc locum sanctus AVGVSTINVS quæst. 118. in Genesin.

SECVNDO probatur idem ex Patribus. Sanctus CPRYIANVS in sermone de Mortalitate perpendens illud Apostoli ad Philippen. primo: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrũ. Lucrum*, inquit, *maximum computans iam sæculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri.* Et infrà: *Per Salomonem*, inquit, *docet Spiritus sanctus, eos, qui Deo placeant maturiùs isthinc*

eximi

eximi & citiùs liberari, ne dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur. Raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectum, placita enim erat Deo anima eius, propter hoc properauit educere eum de medio iniquitatis.

Sanctus AVGVSTINVS in libro de Prædestitione Sanctorum, capite decimo quarto, commemorans hoc ipsum testimonium sancti Cypriani: *Ait*, inquit, *copiosissimè atque optimè, peccandi pericula, nec deesse in hac vita, nec esse post istam; vbi & illud testimonium ponit ex libro Sapientiæ. Raptus est ne malitia mutaret, &c.* Et infrà: *His*, inquit, *atque huiusmodi Doctor ille sententiis in Catholicæ fidei luce clarissima satis aperteq; testatur, vsque ad huius corporis depositionem, tentandi pericula tentationesq; metuendas; deinceps nulla talia quemquã esse passurum. Quod etsi non testaretur, quando de hac re Christianus qualiscunq; dubitaret?*

TERTIO probatur idem ratione. Nam cum animæ illæ per experientiam acerbissimam pœnarum perspectissimum habeant, quàm ingens detrimentum sit Deum vllo modo offendere; & ardentissimo desiderio flagrent videndi Deum; & præterea nullis tentationum stimulis, sicut ante in hac vita incitentur ad peccandum; quomodo fieri posset, vt vellent sibi vltrò impedimentum & remoram per peccatum inijcere, quo minùs in cœlestem beatitudinem recipiantur?

Argumenta verò, quibus Lutherus pro contrario errore suo vtebatur nullius sunt momenti. PRIMVM erat, quòd animæ illæ habeant charitatem imperfectam, nam si haberent perfectam, essent in Cœlo. Ergo sunt in statu adhuc, quo possint per meritum perfici in charitate.

SECVNDVM erat, quòd horrent semper illas pœnas, quas tamen vult Deus ipsas pati. Igitur eo ipso semper peccant, tanquam discrepantes à diuina iustitia & voluntate.

Ad PRIMVM respondeo, charitatem illarum animarum nondum habere quidem perfectionem eam, quam habet charitas Beatorum in cœlesti patria, & eatenus posse censeri imperfectam; sed tamen ad perfectionem eam charitatis consequendam non opus esse animabus illis nouo aliquo merito præter illud, quod habuerunt in hac vita. Nam ex vi huius ipsius meriti consequentur beatificam illam perfectionem charitatis, quando expiauerint sufficienter peccati reatum, qui impedit, quo minùs id meritum habeat illum effectum, id est, remuneretur per cœleste præmium, atque adeò per beatificam illam perfectionem charitatis.

Adde quòd nihilominus charitas illarum animarum, sicut & quæcunque charitas in hac vita, suo quodam modo perfecta est, vt docuimus tomo tertio, disputatione tertia, quæstione secunda, puncto secundo.

Ad SECVNDVM argumentum respondeo, negandam esse consequentiam. Nam alia ratione Deus vult ab animabus illis tolerari eas pœnas, scilicet sub ratione quadam *iustitiæ*, vt peccati vindicatiuas, & alia ratione horrent animæ pœnas illas, scilicet vt sunt aduersæ & repugnantes naturæ. Itaque in ea re non discrepant animæ à voluntate diuina. Nam simul sub illa quidem ratione iustitiæ libenter & patienter sustinent illas pœnas.

Posse autem sine vllo peccato horreri malã pœnæ, vt naturæ repugnantia sunt, probauimus cõtra Lutherum tomo 3. disp. 2. q. 2. p. 3. & in hoc Tomo disputat. 7. quæst. secunda puncto tertio, & patet manifestè ex eo, quòd ipse Dominus sine peccato horruit eo modo mortem, & ideo orauit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*, Matth. 26.

Porrò notanter diximus, *iustos* quidem, qui ex hac vita migrant, non posse amplius peccare. Nam de impiis dubium non est, quin etiam in Inferno peccent, quamuis nulla propterea noua & peculiaris pœna ipsis decernatur, cum non sint amplius in statu demerendi. Vnde quando aliqui ex Patribus suprà citatis, aiunt, post hanc vitam non posse amplius peccari, intelligi debent, vel quoad *iustos*, vel de peccato quidem, quo *mereatur* quis pœnam peculiarem.

QVARTA assertio. Pœnæ quas animæ iuunt in Purgatorio acerbissimæ sunt, & ita quidem, vt longè superent omnes pœnas, quæ tolerari possent in hac vita. Sic docent communiter Theologi in quarto, distin. 20. atque etiam sancti Patres.

Sanctus AVGVSTINVS in Psalm. 37. *Dicitur*, inquit, *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur: saluus erit, contemnitur ille ignis. Ita plane quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis quam quicquid homo potest pati in hac vita.*

Et sanctus GREGORIVS in Psalmum tertium pœnit. circa illud: *Domine ne in furore tuo arguas me. Quasi*, inquit, *dicat: Scio futurum esse, vt post huius vitæ exitum alij flammis expientur Purgatoriis, alij sententiam subeant æternæ damnationis. Sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorẽ, non solùm in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari.*

Est autem hoc intelligendum non solùm, quia pœna *damni*, hoc est carentia beatitudinis, quam animæ illæ sustinent, est maxima omnium pœnarum, quæ vel in hac, vel in altera vita sustineri possit, vt rectè asserit Diuus Thomas in 4. dist. vigesima, quæstione prima, articulo secundo, sed etiam, quia quæcunque pœna Purgatorij per cruciatum illius ignis, quam vocant pœnam *sensus*, est grauior quocunq; cru-

ciatu pœnæ in hac vita, vt rectè etiam sensit Diuus Thomas illic.

Puniuntur enim animæ in Purgatorio per illum ignem ad eum modum, quo animę damnatorũ cruciantur ab igne in Inferno: Qui modus est acerbissimus, vt patet ex iis, quæ de eo cruciatus modo disseruimus tomo primo, disputatione quarta, quæstione 15. puncto tertio. Nam sequitur ex illo igne in animabus ipsis omnipotenti Dei virtute ingens quædam afflictio, vt illic explicuimus.

Neque assentior Bonauenturæ in quarto, distinct. 20. articulo primo, quæst. 2. vbi contrà arbitratur, nec pœnam *damni* in Purgatorio esse grauiorem omni pœna sensus in hac vel in *altera* vita, nec *quamcunque* pœnam *sensus* in Purgatorio esse maiorem *quacunque* pœna sensus in hac vita; sed eatenus pœnas Purgatorij censendas esse grauiores pœnis huius vitæ, quia *maxima* pœna *Purgatorij* est maior quàm *maxima* huius *vitæ*, &sic de aliis secundùm proportionem ad maximam.

Veriorem existimo contrariam sententiam D. Thomæ, quam iam ante proposui. Nam quod attinet ad pœnam *damni*, cum illa sit priuatio summi & infiniti boni, nempe boni diuini, vt possidetur per beatitudinem, maior procul dubio pœna est, quàm pœna sensus *quacunq;* cùm hæc non sit tanti boni priuatio, sed priuatio eius boni, quod est quædam incolumitas propria, seu quædam animi quies & vacuitas ab afflictione & dolore.

Neque obstat, quòd spes certa beatitudinis valdè lenit ac mitigat tristitiam ortam in illis animabus ex beatitudinis priuatione. Non enim propterea mitigatur in illis propriè ipsa pœna *damni*. Nam *tristitia* illa nõ est pars pœnæ damni, sed est pœna quædam sensus ex pœna damni consequens. Ipsa autem pœna *damni* propriè consistit in hoc, quòd careat anima ob *suum* demeritum & culpam summo bono beatitudinis, pro eo quidẽ tempore, quo *poterat & debebat* eo bono gaudere, id est, post hanc vitam, & post iam actu persolutum pretium nostræ redemptionis. Nam eo ipso carentia eius boni est quædam *priuatio* summi boni, atque adeò summum quoddam pœnæ malum, quod sustinent animæ post hanc vitam, tum in Inferno, tum etiam in Purgatorio. Hoc autem pœnæ malum, est quidem, quoad durationem in animabus Purgatorij eò minus, quò propius illæ absunt à sui liberatione ex Purgatorio; sed tamen quamdiu durat, maius est quacunque alia pœna.

Præterea, quod attinet etiam ad pœnam sensus, manifestum est, sanctum Augustinum, & sanctum Gregorium in locis illis ante citatis sensisse pœnam Purgatorij, hoc ipso, quod est pœna illius *ignis*, atque adeò *quamcunque* pœnam illius ignis Purgatorij, siue ea intensior, siue remissior sit, esse acerbiorem quacunque pœna huius vitæ. Vnde etiam, quamuis probabile sit, quod quidam existimant, pœnam Purgatorij mitiorem fieri paulatim vnicuique animæ prout illa vicinior est fini, tamen semper est grauior quacunque pœna huius vitæ, hoc ipso, quod est pœna illius *ignis* Purgatorij.

Porrò an in Purgatorio torqueantur animæ ab ipso solo igne, vt Theologi communiter sentiunt in quarto, distinct. vigesima, vel etiam à Dæmonibus, dubium fortè videri posset, propter quasdam reuelationes apud Bedam libro tertio historiæ Anglorum, capite decimo nono, & apud Guilielmum Abbatem libro primo de vita sancti Bernardi, capite decimo, & apud Carthusianum in libro de quatuor nouissimis; ex quibus colligitur, animas aliquas extra statum damnationis tortas fuisse à Dæmonibus.

Sed persistendum est in sententia Theologorum. Nam ex ciusmodi reuelationibus non satis certò colligitur, quid fiat communiter cum omnibus secũdùm legem ordinariam, sed quid fiat quandoque *extraordinariè* occultò aliquo Dei iudicio. Etenim, vt rectè Theologi ratiocinantur, cùm piæ illæ animæ Purgatorij deuicerint in hac vita tanquam in militia Dæmones, minimè conueniens est, vt ab illis postea torqueantur.

QVINTA assertio. Quamuis determinatè non constet, quamdiu animæ puniantur in Purgatorio, tamen duo circa diuturnitatem illarum pœnarũ, sunt certa apud Theologos: nempe PRIMO, solere aliquas animas satis longo tẽpore in Purgatorio cruciari. SECVNDO, nullas animas vltrà diem extremi iudicij in Purgatorio detentum & cruciatum iri, atque adeò post iudicij diem nullum futurum vsum Purgatorij, sed omnes animas, vel in Cœlo, vel in loco damnationis, hoc est, in Inferno, aut in Limbo fore.

PRIMVM probatur ex Ecclesiæ consuetudine, quæ obtinuit, vt in anniuersariis defunctorum oretur, & sacrificium offeratur pro iis, qui ante aliquot etiam centurias annorum diem obierunt. Per quam Ecclesiæ consuetudinẽ, quæ sine *insolentissima insania*, iuxta AVGVSTINVM epist. 118. ad Ianuarium, contemni nequit, redarguitur *Primo* error Lutheri, qui aliquando vsq; adeò breue Purgatorium commentus est, vt dixerit non diutius durare Purgatorium fidelium quàm ipsum angorem & afflictionem mortis, per quam dicebat satis expiari peccati reliquias, seu reatum.

Contra verò est non modò supradicta Ecclesiæ consuetudo, sed etiam communis sententia Theologorum, qui statuunt, Purgatorium post mortem ipsam superesse, & esse certum aliquem sub terra locum, in quo aliquandiu puniantur animæ, vt diximus punct. 1.

Quæ

Quæ sententia non solùm est Theologorum, sed etiam apertè sancti AVGVSTINI epist. 99. ad Euodium, vbi exponens illud Petri, Actor. secundo: *Quem Deus liberauit solutis doloribus Inferni, &c. Hoc*, inquit, *non in omnibus, sed in aliquibus accipi potest, quos ille dignos ista liberatione iudicabat; vt neque frustrà illuc descendisse existimetur nulli eorum profuturus, qui ibi tenebantur inclusi; nec tamen sit consequens, vt quod diuina quibusdam misericordia iustitiaq; concessit, omnibus concessum esse putandum sit.* Et infrà: *Fuisse eum apud Inferos, & in eorum doloribus constitutis hoc beneficium præstitisse non dubito.* Et rursus infrà: Inter ea quæ fides habet *fundatissima authoritate firmata*, affirmat etiam esse quod Dominus *apud Inferos fuit solutis eorũ doloribus quibus eum impossibile erat teneri, a quibus*, inquit, *etiam rectè intelligitur soluisse & liberasse quos voluit.*

Quæ sententia Augustini necessariò debet intelligi de his, qui essẽt apud Inferos in loco Purgatorij: nam ex Inferno Damnatorum nullos liberauit, & in limbo Patrum nulli erant dolores, vt patet ex illo responso Abrahæ ad diuitem de Lazaro: *Nunc verò hic consolatur, tu verò cruciaris*; Lucæ decimo sexto. Refert etiam Beda libro quinto historiæ Anglorum, capite decimo tertio, in reuelatione quadam visum fuisse Purgatorium contiguum Inferno Damnatorũ. Quo fit vt de doloribus Purgatorij rectè possimus intelligere hoc quod dicit Petrus de doloribus Inferni.

Secundò, per eandem Ecclesię consuetudinem & auctoritatem redargui potest assertio quædam non satis cauta Dominici Soti in quarto, distinctione decima nona, quæstione tertia, articulo secundo in fine, vbi ait, *se credere nunquam aliquem in Purgatorio viginti annis extitisse, imò nec decem*, inquit. Quod si ita esset; certè frustrà & ineptè oraret Ecclesia pro his qui fuerunt mortui ante annos centum, & ducentos, &c.

SECVNDVM autem illud, quod item in assertione posuimus, scilicet post extremi Iudicij & Resurrectionis diem nullum fore Purgatorij vsum, probatur PRIMO, ex sententia quam Dominus in iudicio proferet. Nam ex omnibus, quos iuxta propria illorum opera iudicaturus est (id est, ex omnibus omnino adultis) duos tãtùm ordines constituet. Alterum eorum quibus dicet: *percipite regnum, &c.* Alterum eorum quos amandabit in Infernum, inquiens: *ite maledicti, &c.* Matthæi vigesimo quinto. Paruulos autem, qui sine Baptismo decesserunt, satis constat non futuros in Purgatorio.

SECVNDO idem probatur luculento testimonio sancti AVGVSTINI libro vigesimo primo de ciuitate, capite decimo sexto: *Quisquis*, inquit, *cupit pœnas euadere sempiternas, &c. Purgatorias pœnas nullas futuras opinetur nisi ante illud vltimum extremumq; iudicium.* Itaque in eo etiam errauit Origenes, quod homilia decima quarta in Lucam, putauerit post resurrectionem etiam à mortuis, omnibus fore necessariam purgationem; neque enim vllum resurrecturum *absque sordibus*, vt inquit. Falsum est, nam ex forma illa futuri iudicij certò discimus futurum, vt omnes pij quidem expiati planè à peccatorũ sordibus in iudicio compareant, siue illas sufficienter antea in Purgatorio eluerint, siue pro illis omnino satisfecerint per opera pœnalia ante mortem; quod facilè poterunt facere nouissimo præsertim illo tempore, quando tam multa mala perpessuri sunt in sęuissima persecutione Antichristi.

SEXTA assertio. Animæ quæ in Purgatorio sub hoc tempus ante extremum iudicium detinentur, iuuari possunt, vt inde in Cœlum euadant, SVFFRAGIIS viuorum; hoc est sacrificio Altaris, precibus, & eleemosynis, & aliis operibus satisfactoriis, quæ à viuis ex charitate, per quam cum illis etiam animabus communionẽ habent, illis applicentur. Hæc fidei assertio abundè patet contra Sectarios ex his quæ disseruimus puncto primo huius quæstionis de Purgatorio ipso, & suprà de sacrificio Missæ, disputatione sexta, quæstione vndecima, puncto primo, & item disputatione septima, in quæstione de Satisfactione, & quæstione de Indulgentiis.

Sunt autem circa huiusmodi suffragia hoc loco QVINQVE potissimum notanda ex communi sententia Theologorum in quarto, distinctione quadragesima quinta. PRIMO, illa eatenus & non aliter prodesse illis animabus, quatenus per viuorum intentionem eis applicantur. Vnde si applicẽtur *generatim* Purgatorij animabus; æqualiter omnibus illis prosunt quoad diminutionem pœnæ. Quapropter quoad liberationem quidem à Purgatorio non prosunt tunc nisi animabus iis quibus tam parum de pœna restet luendum, quantum remitti potest per portionem fructus eiusmodi suffragiorũ communium ad vnamquamque animam pertinentem, habita etiam ratione earum animarũ quæ iam non tantis suffragiis indigent; siquidem earum portiones distribuuntur aliis. Si autem *speciali* intentione applicentur eiusmodi suffragia alicui animæ, vel etiam aliquibus, & non aliis; tantùm prosunt illi vel illis quibus applicantur.

Ratio vtriusque est, quoniam suffragia eatenus valent defunctis, quatenus illis à viuentibus communicatur vis satisfaciendi, quæ est in suffragiis. Fit autem ea communicatio per viuẽtium intentionem.

Atque hinc refellitur à diuo Thoma hic quæstione septuagesima prima, articulo duodecimo, & ab aliis Theogis in quarto, distinctione quadragesima quinta, opinio Præpositiui, qui censebat, suffragia particularia non magis pro-

Universidad de Deusto Biblioteca

desse ei pro quo fiunt quàm aliis, imò aliis posse magis prodesse, si sint magis dispositi per charitatem. Etenim charitas in qua omnes pij communicant, non facit, vt suffragia quatenus sunt quidem satisfactoria, prout iam de illis loquimur, prosint omnibus piis magis vel minus, prout illi habuerint maiorē vel minorem charitatem, sed solum facit, vt magis vel minus quis *gaudeat* de commodo alieno prouenięte ex suffragiis, prout maiorem vel minorem charitatem quis habet, sicut docet D. Thomas illic & alij Theologi loco citato.

Nec valent exempla quibus Præpositiuus suā opinionem cōfirmabat; quòd scilicet si propter vnum accendatur candela in aliquo loco; nihilominus ea non minùs lucet aliis, qui in eodem loco sint, sed etiam potest eis lucere magis, si habeant oculos melius dispositos: & similiter lectio instituta pro vno, potest etiam audiri & intelligi ab aliis magis vel minùs, pro cuiusque capacitate.

Non sunt hæc exempla similia. Nam lucerna accensa, per se & naturaliter, & non ex alicuius intentione illuminat. Et similiter lectio per se auditur & intelligitur. Satisfactio verò, quæ fit per suffragia, non prodest alicui nisi ex applicatis intentione: sicut nec pecunia v.g. prodest alicui ad solutionem debiti, nisi certa intentione ei detur.

Hinc etiam sequitur, suffragia particularia quò pluribus applicantur, eò minus valere singulis; sicut etiam suffragia communia, quò plures in Purgatorio esse contingit. Nam habent suffragia effectum *finitum*, qui proinde in plures distributus minus prodest singulis, vt etiam de effectu sacrificij Missæ docuimus suprà disp. 6. quæst. 11. p. 1.

Secundo notandum, vt suffragia particularia prosint ei cui applicantur, sufficere quòd is sit in gratia & eiusmodi suffragiis indiget, nec requiri vt peculiariter in hac vita meruerit, vt sibi prodessent, quicquid Caietanus dicat tomo primo opusc. tract. 16. quæst. 5. Nam sine eiusmodi peculiari intentione quisque iustus per bona opera, quæ in vita fecit, hoc meruit.

Sic enim intelligendum est quod Augustinus ait in Enchiridio, cap. 109. *Neq; negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt.*

Et quod ait cap. 110. *Non igitur istæ quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolici sunt aduersæ sententiæ, qua dictum est: Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum; quia etiam hoc meritum sibi quisque cum in corpore viueret comparauit, vt ei possent istæ prodesse.*

Tertio notandum, vt suffragia defunctis prosint, oportere esse in gratia eum, qui tanquā causa *principalis* illa exerceat: alioqui non habebunt vllam vim satisfaciendi, vt patet ex dictis suprà disputatione septima, quæstione decima quarta, de Satisfactione. Dico autem tanquam causa *principalis*, nam non oportet vt is etiam sit in gratia, qui duntaxat vt instrumētum alterius exercet opus bonū. Vt v.g. qui nomine alterius dat eleemosynam: Nam opus istud eleemosynę, tanquam à causa quidem principali fit ab illo altero cuius nomine fit eleemosyna. Itaque sufficiet hunc esse in gratia.

Non est autem eadem ratio cuiuscunque alterius operis; Vt v.g. ieiunij vel orationis, sicut rectè notauit Sotus in quarto, distinctione quadragesima quinta, quæstione secunda, articulo secundo, contra Paludanum eadem distinctione, quęstione prima. Etenim oratio & ieiunium, talia opera sunt, vt nequeant censeri fieri tanquā à causa principali ab eo cuius iussu vel hortatu fiunt, & solùm vt ab instrumento ab eo qui illa exercet. Nemo enim dicit, eum ipsum orare aut ieiunare, qui solùm imperat alteri orationem, aut ieiunium; bene autem, eum facere eleemosynam qui alteri pecuniam tradit, vt suo nomine distribuatur pauperibus.

Quarto notandum, suffragia quatenus ex ipsa sui *executione* habent satisfaciendi vim, non prius defunctis prodesse, quàm re ipsa opere cōpleantur. Nam aliàs, si per respectum ad illa tanquam futura Deus in præsenti relaxaret defunctis pœnam; nunquam contingeret liberari tūc defunctos à Purgatorio per communia Ecclesiæ suffragia, cùm illa ipsa suffragia perficiuntur, siquidem iam antea fuissent liberati propter illa vt futura. Id autem planè est contra communem sensum & persuasionem fidelium.

Postremo notādum, suffragia hæc, vt sunt satisfactoria, solis *Purgatorij* animabus prodesse ad remissionem quidem pœnæ. *Beatis* autē prosunt ad honorem, vt petit Ecclesia in Missæ celebratione, & probabiliter quoque ad aliquam gloriam accidentalem, iuxta Innocentium III. in cap. *cum Marthæ*. Extra de celebratione Missarum. Vnde in oratione secreta Missæ sancti Leonis Pontificis petimus, vt *per hæc pię placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratia dona concilientur, &c.*

Damnatis autem, qui sunt in Inferno, nullo modo hæc suffragia prosunt: dicente Augustino in Enchiridio, cap. 110. *Cum ergo sacrificia siue Altaris, sive quarumcunq; eleemosynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offerūtur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, (id est, pro his qui sunt in Cœlo) pro non valde malis, (id est, pro his qui sunt in Purgatorio) propitiationes sunt; pro valde malis, (id est, pro his qui sunt in Inferno) etsi nulla sint adiumenta mortuorum, qualescunq; viuorum consolationes sunt.*

Quocirca

Quocirca non de his, qui sunt in Inferno, sed de iis item qui sunt in Purgatorio intelligi debet, quod mox ibidem subiungit Augustinus: *Quibus autem prosunt, ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio*; cùm scilicet qui sunt in Purgatorio nondum consequuntur per suffragia plenam remissionem pœnæ ad quam suo modo sunt damnati, sed tātum mitigationem illius.

Ac de iisdem animabus Purgatorij potest intelligi, quod Innocentius III. in cap. *cum Marthæ*, de celebratione Missarum ait, quibusdam mediocriter bonis prodesse suffragia ad expiationem, & quibusdā mediocriter malis ad propitiationem: ita scilicet vt *mediocriter bonos* appellet eos, qui in Purgatorio sunt quidē expertes omnis culpæ, sed non omnis reatus pœnæ, qui proinde egeant expiatione; *mediocriter* autem *malos*, eos qui in Purgatorio habeant quoque reatū adhuc alicuius culpæ venialis, ac proinde indigeant etiam *propitiatione*.

Etsi autem, vt dictum est, impiis in Inferno suffragia nihil prosint, tamen putari sine absurdo potest illos ex misericordia Dei ita puniri *citra condignum* (iuxtà sententiam Augustini, libro vigesimo primo, de ciuitate Dei, capite vigesimo quarto) vt non solum absolutè minus puniantur quàm alioqui possint, sed etiam per interualla puniantur *remissius* quam aliâs.

Nam hoc etiam opinari permisit sanctus Augustinus in Enchiridio, capite cētesimo duodecimo, cum disputans aduersus eos qui ex illo Psalmo septuagesimo sexto: *Nunquid obliniscetur misereri Deus, &c.* colligebant, aliquando finitum iri pœnas Inferni, ita scribit: *Si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est, vt damnationem opinentur finiri posse eorum, de quibus dictum est: Et ibūt hi in supplicium æternum, ne isto modo putetur habitura finem quandoque fælicitas etiam eorum, de quibus è contrario dictum est: iusti autem in vitam æternā. Sed pœnas,* inquit, *damnatorum certis temporum* Intervallis *existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari.*

Atque in hanc ipsam Augustini sententiam possumus intelligere vere, vel saltem probabiliter illud dictum esse à sancto Prudentio in hymno ad incensum cerei paschalis:

Sunt & spiritibus sæpè nocentibus
Pœnarum celebres sub stygе feriæ, &c.

Quanquam potest & hoc ipsum intelligi, quo ad pœnas accidentales, quas vtique non est necesse Spiritus illos damnatorū pati easdem semper & eodem modo.

Quod autem in sermone Damasceni de defunctis narratur, sancto Machario percontanti ex cranio cuiusdam Idololatræ, an damnati iuuarentur suffragiis, responsum à cranio fuisse: *quando pro mortuis offers preces, nos interim aliquid leuamenti sentimus*, non est fide dignum, cum etiam ille sermo de defunctis commentitius planè videatur, vt suprà annotauimus.

Quanquam respondet etiam diuus Thomas hîc quæstione septuagesima prima, artic. quinto ad quartum, leuamentum siue adiutorium illud nō esse diminutionem pœnæ damnatorum, sed vanum quoddam illorū gaudium ex hoc, quòd tunc damnati mutuò considerent suum statum, & videant se habere socios pœnarum, &c. sed verius est historiam illam esse fabulosam, præsertim cum referatur ibi ex libro Palladij ad Lausum, in quo minimè reperitur.

QVAESTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

De signis & rebus antecedentibus communem Resurrectionem, & Extremum iudicium.

Supplem. D. Thom. q. 73. & 74.

DICENDVM EST PRIMO GENERATIM DE SIGNIS ET REbus, quæ antecedent Resurrectionem & Iudicium, ac peculiariter de signis cœlestibus. SECVNDO, *de* ANTICHRISTI *aduentu & persecutione.* TERTIO, *de igne conflagrationis mundi. Hæc enim duo maximè Resurrectionem & Iudicium antecedent.*

PVNCTVM PRIMVM.

De signis & rebus quæ antecedent Resurrectionem & Iudicium, ac peculiariter de signis cœlestibus.

Quæst. 73.

SIGNA ET RES, QVAE RESVRRE-
ctionem & Iudicium, atque adeò mundi finem antecedent, Dominus exposuit in eo sermone, quem sedēs in monte Oliueti ad discipulos habuit, vt refert Matthæus, capite vigesimo quarto, & Marcus, capite decimo tertio, & Lucas, capite vigesimo primo. Sed plenius aliquāto Matthæus: *Sedente*, inquit, *eo super montem Olineti, accesserunt ad eum Discipuli secretò dicentes: dic nobis quando hæc fient, & quod signum aduentus tui & consummationis seculi.*

Hoc interrogarunt occasione verborum Domini, qui mirātibus illis structuram templi Hierosolymitani dixit: *Videtis hæc omnia; amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur.* Quocirca sicut Discipuli non solùm de tempore excidij Hierosolymitani, sed etiam de tempore & signis consummationis seculi (vt expresè ait Matthæus) per eam occasionem interrogarunt; ita dubitari non debet, quin Dominus de tempore etiam & signis consummationis seculi & vltimi aduentus sui, responderit Discipulis in sequenti sermone. Tametsi simul etiā prænunciarit quid esset futurum in excidio vrbis Hierosolymitanæ, vt apparet præsertim ex narratione Lucæ, ab illis verbis: *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, &c.* vsq; ad illa: *& cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, & Hierusalem calcabitur ab omnibus gentibus, donec impleantur tempora nationum.*

In reliquo autem sermone DVPLICIS generis signa expositi antecedentia consummationem seculi. QVAEDAM enim longo temporis interuallo antecedent, & iam inde à primordio A Ecclesiæ Christianæ contingere cœperunt. Quæ proinde non ita sunt censenda signa consummationis mundi, quasi mundi finem proximè instare indicent, sed quia sua *certitudine* indicant certò similiter mundi finem aliquando futurū, sicut eiusmodi signa videmus certò euenire, prout ab eodem Domino prænunciata sunt, qui itidem futurum mundi finem prædixit.

Sunt autem eius generis signa potissimum hæc. Hæreses: persecutiones Tyrannorum: prælia & seditiones: pestilentiæ, fames, & terræ motus: & terribilia signa in Cœlo, vt Cometarū, &c. Quæ omnia à Domino prædicta sunt in illo sermone, vt patet ex Matthæo, Marco, Luca, vbi supra. Ac ne putaremus hæc esse signa mundi finis B iam iam instantis, sed *certò*, vt dixi, aduentantis, addidit de eiusmodi signis Dominus: *Videte ne turbemini; oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis*, Matthæi vigesimo quarto, & clarius Lucæ vigesimo primo, *sed nondum statim finis.*

Vnde, vt antea diximus, & notat etiam sanctus Augustinus, epistola octogesima ad Hesychium, huiusmodi signa certò aduentantis finis mundi omni seculo in Ecclesia contigerunt, aliquando magis aliquando minus. Quanquam magis ac magis appropinquante mundi fine crebriora & maiora futura sunt, vt videmus nūc inualescere hisce temporibus.

ALIA verò signa à Domino illic prædicta, antecedent *proximè* mundi finem, atq; adeò illum C indicabunt tanquam de proximo instātem. Huiusmodi signum est inprimis prædicatio Euangelij in toto mundo, dicente illic Domino: *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, & tunc*, inquit, *veniet consummatio.* Matthæi vigesimo quarto. Non enim hæc Domini verba intelligenda sunt tantummodo de consummatione & excidio vrbis Hierosolymitanæ, quod accidit quadraginta annis postquam hæc sunt prædicta, cum iam in toto orbe sentētiā quidem quorundam Patrum esset Euangelium prædicatum per Apostolos, vt Chrysostomi homilia vigesima sexta in Matthæum, & Hilarij Canone vigesimo quinto in Matthæum: Sed inprimis hæc intelligenda sunt de consummatione ipsius seculi, vt intellexerunt communiter alij Patres, & nominatim Ambrosius libro decimo in Lucam, non longè ab initio, & Hieronymus in caput vigesimum quartum Matthæi, & Augustinus epistola octogesima ad Hesychium.

Neque obstat quòd Chrysostomus, & Hilarius locis citatis, & alij veteres senserunt per ipsos Apostolos (quādo necdum vicinus fuit mūdi finis) fuisse prædicatum Euangelium omnibus omnino Gentibus, atque adeò in orbe vniuerso; iuxta illud Apostoli ad Roman. decimo: *Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et illud ad Colossenses primo: *In verbo veritatis Euāgelij quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mūdo est & fructificat & crescit.* Non, inquam, hoc obstat; nam experientia nostrorum temporum abundè docet longè verius sensisse Augustinum in dicta epistola octogesima, nec tempore Apostolorum, nec ipsiusmet Augustini tempore fuisse Euangelium prædicatum in vniuerso planè orbe. Siquidem nostris etiam temporibus Gentibus multis illud annunciatum est, quæ nullam habuerant notitiam Euangelij, quippe cum & ipsæ fuerint planè incognitæ omnibus veteribus. Imò etiam nunc feruntur esse in nouo orbe nonnullæ regiones in quibus nec dum sit annunciata doctrina Euangelica. Et credibile est superesse adhuc aliquas in mundo partes terræ nec dum notas.

Itaque testimonia illa Apostoli de prædicato suis temporibus Euangelio in toto orbe dupliciter intelligi possūt. PRIMO, per synecdochen, vt totum orbem dixerit præcipuam & notissimam eius partem. Quo pacto Genesis quadragesimo primo, Ioseph interpretans somnū Pharaonis, dixit: *Consumptura est fames omnem terram.* Et Lucas capite secundo, exiisse edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur *vniuersus orbis, &c.* SECVNDO, vt, quemadmodum Augustinus in dicta epistola octogesima, præclarè interpretatur, locutus sit in illis locis Apostolus more prophetico de eo quod *certò* futurum esset, perinde ac si iam esset præsens vel præteritum: atq; adeò significauerit, Euangelium non iam tunc planè esse annunciatum vbique gentium; sed vbique partim per Apostolos, partim per Apostolicos viros, Ecclesiæ scilicet ministros, fuisse annunciandum, ac proinde iam tūc cœpisse in vniuerso mundo esse, & fructificare, & crescere.

A Quam interpretationem manifesto argumēto confirmat illic Augustinus. Nam ita Apostolus verbo præterito vsus est, inquiens, In omnem terram *exiuit* sonus eorum, sicut vsus fuerat Dauid Psalmo decimo octauo, cuius sunt hæc ipsa verba vsurpata ab Apostolo. Certum autem est, Dauidem verbo illo præteriti temporis non significasse, iam suo tempore fuisse Euangelium annunciatum in toto mundo, sed propheticè vsurpauisse illud verbum ad significandam *certitudinem* eius, quod erat *futurum*. Sicut verbo item præteriti temporis significauit passionem Christi futuram, inquiens: *Foderunt manus meas & pedes meos*, Psalm. 21. Similiter igitur intelligere debemus, Apostolum fuisse locutum.

B Quod cum ita sit, non debet mirum videri quòd post tempora Apostolorum tamdiu duraverit mundus. Non enim tunc fuit annunciatum Euangelium in vniuerso orbe. Imò neque nunc est. Id quod iuxta sententiam Domini fieri oportet non multò ante consummationē mundi. Et quidem ita id fiet vt vbique gentium sint qui *recipiant* Euangelij fidem, quò impleatur illud: *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et illud Psalmo octogesimo quinto: *Omnes gentes quascunq; fecisti, venient & adorabunt coram te Domine.* quod ad hoc ipsum confirmandum adducit inter cætera vbi suprà Augustinus.

Item huius generis signum erit aduentus ANTICHRISTI & persecutio sæuissima, quam ab C illo patietur Ecclesia: de qua Dominus in illo ipso sermone, Matthæi vigesimo quarto: *Cum ergò*, inquit, *videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, &c.* Intelligitur namque hoc, interprete ibi Hieronymo & aliis, non solùm de imagine Cæsaris quam Pilatus posuit in templo, aut de Adriani equestri statua, *quæ*, inquit, *in ipso sancto sanctorum loco vsque in præsentem diem stetit*; sed etiam de Antichristo. De quo Apostolus quoque 2. ad Thessal. 2. *Homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut colitur, ita, vt in templo sedeat ostendens se tanquam sit* D *Deus.* Quod idem asserit Ambrosius libro decimo in Lucam, circa caput vigesimum primum & alij Patres. Ac ad eundem Antichristi aduentum pertinet, quod deinde addit illic Dominus: *Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vsq; modò, neq; fiet, &c.* De qua re tota dicemus puncto sequenti.

Item signum huius generis, scilicet *proximè* antecedens Domini aduentum & mundi consummationem, erit obtenebratio *Solis & Lunæ*, & casus *stellarum* de Cœlo, &c. dicente illic Domino: *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commouebuntur, &c.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc autem, quod attinet quidem ad obtenebrationem Solis & Lunæ, inprimis non est futurum per ecclypsim aliquam, cum hæc nō possit contingere simul in Sole & Luna, vt ostendunt Mathematici: Illa autem obscuritas Solis & Lunæ eodem tempore sit futura, vt prædicta narratio Euangelica significat. Itaque superest vt aliquo ex tribus modis eam obscuritatem interpretemur.

Primò, si dicamus, diuina virtute priuatum iri suo lumine Solem & Lunam. Quo pacto id intelligere videtur D. Thomas hîc art. 2. Quanquā postea adueniente quidem Domino lucidius splendebunt, vt idem D. Thomas addit. Siquidem totus mundus tunc innouabitur Christo veniente & Sanctis resurgentibus, vt explicabimus p. 3.

Secundò, si dicamus, obscuratum iri Solem & Lunam, quia etsi retinebunt suum lumen, tamē non illud diffundent per illuminationem, atq; adeò nec illustrabunt aërem & nos, suspendente nimirum Deo suum concursum ad id necessarium. Quæ interpretatio congruit cū illis verbis: *Et luna non dabit lumen suum*.

Tertiò, si aliqua densissima nubes opposita Soli & Lunæ omnimodas tenebras oculis mortalium offusura sit in toto orbe terrarum. Quonam autem modo ex his tribus istud accidet, compertum non est. Et non improbabiliter opinatur Sotus in quarto, distinctione quadragesima sexta, quæstione secunda, artic. 2. tertio potius modo id euenturum: cùm is modus sufficiens sit futurus ad terrorem & admirationem hominum, & deceat faciliori modo quoad fieri posit explicare atq; asserere miracula.

Casus verò *stellarum*, illarum item obtenebrationem significat per aliquem similem modum, qualem de Sole & Luna diximus. Cadere enim de Cœlo videntur & dici solent stellæ cùm nobis obscurantur.

Virtutes autem Cœlorum, vt D. Thomas vbi suprà & alij Theologi tradunt, significant eo loco Angelos, qui per admirationem eorum quæ tunc accident, commouendi sunt, iuxta illud Iob 26. quod de iisdem Angelis dicitur: *Columnæ Cœli contremiscunt & pauent ad nutum eius*. quod ad hoc propositum adducit Magister in 4. dist. 46. & D. Thomas, & alij. Atque hoc quidem modo tota illa sententia Domini de Sole, Luna, & stellis, & virtutibus Cœlorum potest accipi iuxta literalem sensum vt par est.

Sanctus autem Ambrosius lib. 10. in Lucam, circa illud Lucæ 21. *Erunt signa in Sole & Luna, &c.* Et S. Avgvstinvs epist. 80. non longè à fine, mysticè hoc totum interpretantur. Vt Solem & Lunam *obscurari*, sit, Ecclesiam quæ Soli & Lunæ in scripturis comparatur, vix apparere, postquam cœperit immanis illa persecutio Antichristi: Vel, vt ait Ambrosius, obscurari illam in multis *nube perfidiæ, qua Sol fidei obtenebretur*. Stellas autem de Cœlo *cadere* & virtutes Cœlorum *commoueri*, sit, multos tunc qui gratia *fulgere videbantur persequentibus cedere & cadere, & quosdam fideles firmissimos turbari, &c.*

Sed tamen nulla ratio nos cogit hæc mysticè tantum interpretari, cùm possit hic locus exponi literaliter sine absurdo, eo modo quo diximus. Neque enim inde erit consequens quod Augustinus indicat, scilicet, vt *Dominus appropinquante secūdo aduentu suo ea pro magno prædixisse videatur, quæ huic mundo & ante primum eius aduentum consueuerant euenire, & irrideamur ab eis, qui his quæ velut nouissima & omnium maxima horrescimus, plura in historia Gentium & multò maiora legerunt*. sic enim ratiocinatur illic Augustinus.

Est autem in promptu responsio. Nam obscuratio illa Solis & Lunæ & stellarum, &c. non erit tunc talis qualis solita est naturaliter contingere per ecclypses & varias tempestates: scilicet in aliqua tātum parte terrarum, & permixta nonnullæ luci; sed erit planè insolita & supernaturalis, nempe *simul vbique terrarum*, & simul item *Solis & Lunæ* ac omnium astrorum, & nulla residua luce. Itaque sequēda est Theologorum sententia, qui hæc, vt dictum est, exponunt literaliter.

Est & illud eiusdem generis signum (scilicet *propinquum* consummationi mundi) quod apud Lucam cap. 21. prædixit Dominus in eodem sermone; videlicet *in terris pressura Gentiū, præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi*. Etenim aër etiam, & mare, & terra, tanquam partes mundi, propinqui tunc ruinæ, vehementer tunc commouebūtur, instar partium magnæ domus, quæ concuti solent cum est collapsura. Quæ res summum incutiet mortalibus terrorem, ita, vt præ timore veluti arescant.

Quo in genere alia quædam terribilia refert hîc diuus Thom. articulo primo, ex nescio quibus Annalibus Hebræorum apud Hieronymū, quæ tamen non immeritò iudicat diuus Thomas habere parum verisimilitudinis. Et certè ad terrorem satis superque illa erunt, quæ certò & infallibiliter euentura tunc commemorantur ab ipso Domino in Euangelio. Ad quorum certitudinem nobis confirmādam addit ad extremum: *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*.

Ex quo Domini testimonio simul discimus legem Euangelicam, quæ vsque ad tempora istiusmodi signorū duratura est, non prius quàm mundum ipsum habituram finem; iuxta illud quod idem Dominus promisit Matthæi vigesimo octauo: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*. Qua de re tomo secundo, disputatione septima, quæstione vltima disseruimus.

Porrò

Porrò etsi signa ista posterioris generis propinqua erunt diei iudicij & consummationi mundi, tamē verum nihilominus est quod Dominus addidit in illo eodem sermone Math. 24. *De die autem illa & hora nemo scit neq; Angeli Cœlorū nisi solus Pater*. Nam etsi ex istis signis poterunt homines cognoscere instare iam mūdi diem extremum, tamen nihilominus debet censeri dies ille occultus. Tum quia non poterit sciri omnino determinatè quàm vicinum tunc sit tempus illius diei & horæ aduentus Domini. Tum quia ignotum esse omnibus illum diem Dominus pronunciauit, accipiendo illum diem vna cum ei annexis & propinquis signis, sicut notauit etiam D. Thomas hîc art. 1. ad 2. & Sotus in 3. di. 46. q. 2. art. 2. ad 1. & alij.

Sunt autem præter ea quæ diximus alia quædam *antecedentia* extremum iudicium, sed adeò propinquè, vt de ipsis seperatim postea dicendū sit; nempe *conflagratio* mundi, de qua dicemus p. 3. & *signum Crucis*, quod apparebit in Cœlo præcedens ante Iudicem, de quo & aliis iudicij circumstantiis dicemus quæst. 4.

PVNCTVM SECVNDVM.

De aduentu ANTICHRISTI.

Ad art. 1.

DRaecipva quæ de Antichristo disputari solent, & maximè pertinent ad præsentis disputationis institutū, possunt reuocari ad hæc capita. Primvm, quisnam sit futurus Antichristus. Secvndvm, qualisnam sit futurus quoad natalia, vitæ conditionem, doctrinam, mores, &c. Tertivm, quando nam sit in mundo compariturus. Qvartvm, quidnam sit facturus. Qvintvm, vbinam potissimùm suam sedem sit habiturus, & quādiu prævaliturus, & quomodo vitam finiturus. De quibus omnibus summatim dicemus, præsertim cū de hoc argumento non pauca extent & veterum & recentiorum authorum prolixa & accurata scripta.

Quod igitur ad Primvm attinet, ex scriptura, & ex Patribus, & ex ipsa ratione vocis constat, *Antichristum*, de quo loquimur, insignem aliquem Christi aduersarium & æmulum fore, qui Christo abnegato arroget sibi Christi dignitatem. Id patet ex Ioanne, epist. 1. cap. 2. vbi illum maximè Antichristum esse pronunciauit: *Qui negat*, inquit, *quoniam* Iesvs *non est Christus*. Quoniam hoc videlicet ad eum imprimis pertinebit qui præcipuè Antichristus futurus est, quamuis generali quadam ratione alij etiā nominari possunt Antichristi quicunq; aduersantur Christo per professionem falsę doctrinę. Sed nunc, vt dixi, de Antichristo eo qui singulariter Christo contrarius futurus est, loquimur, quem ibidem quoq; Ioannes discernit ab aliis qui nominari possunt Antichristi, dum inquit: *Filioli nouissima hora est, & sicut audistis quia Antichristus venit: nunc Antichristi multi facti sunt*. Idem notat S. Hieronymvs in epistola ad Algasiam q. 11. & S. Ioannes Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 28. & alij.

Denique idem patet, vt dixi, ex ratione vocabuli. Nam particula, *Anti*, oppositionē & contrarietatem denotat. Vt cū contraria locutio dicitur *Antiphrasis*, & contrapositio *Antithesis*, vt alia exempla omittā. Ita igitur in Scriptura Antichristus, de quo loquimur, dicitur qui insigniter est futurus contrarius Christo, & adeò quidē vt præ sē illum contēpturus sit, iuxta illud quod de hoc Antichristo scripsit Apostolus. 2. ad Thes. 2. *Qui extollitur super omne, quod dicitur Deus*.

Porrò Qvaestio est quisnam ille tam insignis Christi aduersarius futurus sit. Nam Hippolytus Martyr in oratione de consummatione mundi, existimauit, hunc Antichristum non hominem verum, sed ipsum Diabolū futurum in falsa specie humanæ carnis assumptæ ex falsa virgine; sicut verbum Dei assumpsit carnem ex veraē virgine.

Sed huic opinioni repugnat Apostolus 2. ad Thessal. 2. vbi Antichristum hunc appellat *hominem* & de illo tanquam de vero homine loquitur. qui & addit à Domino Iesv esse deniq; *interficiendum*, nimirum tanquam verum hominem.

Alij senserunt, futurum & verum hominem & verum Diabolum, per veram scilicet incarnationem, quomodo Christus est verus homo & verus Deus.

Sed hoc etiam refellit S. Hieronymus in cap. 7. Danielis, & Damascenus lib. 4. de fide cap. 28. tanquam commentitium. Nam, vt docuimus disp. 1. quæst. 3. per nullius creaturæ virtutē, quæ iam saltem existat, atque adeò nec per virtutem Diaboli, potest aliena natura hypostaticè assumi. Quo loco refutauimus etiam Originem, qui Agæum & Malachiam putabat fuisse Angelos incarnatos. Denique omnes veteres de Antichristo loquuntur tanquam de verò & *puro* homine.

Quo posito adhuc est Controversia inter Catholicos & huius temporis Sectarios omnes, de persona istius Antichristi puri hominis. Nam Catholicis omnibus, siue qui iam sunt, siue qui superioribus temporib. in Ecclesia fuerunt, nunquam aliud venit in mentem, quàm Antichristum hunc fore hominem quendā Singvlarem & determinatum, in quem omnia illa conueniant quæ de illius natiuitate, & conditione, &c. sacræ litteræ prædixerunt, vt in sequentibus videbimus.

Lutherus autem & alij omnes Sectarij, per summam impudentiam contendunt Antichristum hunc non fore vnum aliquem singularem & determinatum hominem, sed significari potius hoc Antichristi nomine in Scripturis gradū

cuiusdam *dignitatis tyrannicæ* & Christo aduersa-
riæ, in qua plures sibi mutuo succedant, quo-
rum quilibet proinde sit iste Antichristus: quē-
admodum Cæsar verbi gratia non est tantum v-
nicus aliquis homo particularis, sed quicunque
obtinet gradum illum imperialis dignitatis. Atq;
illam nimirum tyrannicam in Ecclesia di-
gnitatem quam quicunque obtinet sit hic An-
tichristus, aiunt esse authoritatem Romani
Pontificis ab eo tempore, quo, vt ipsi somni-
ant, corrupta fuit doctrina Apostolica in Ec-
clesia Romana. Quocirca vnumquemque Ro-
manum Pontificem ab eo tempore dicunt esse
Antichristum; quanquam in assignādo eo tem-
pore, vt est natura mendacij, valdè variant; sicut
annotauimus Tomo secundo, disputatione pri-
ma, quæstione prima, puncto septimo, §. 24.
vbi fusè refutauimus hoc istorum figmentum
de corruptela doctrinæ Apostolicæ in Ecclesia
Romana.

Sed quod Antichristus sit futurus vnus ali-
quis Singvlaris & certus homo, ac proinde
minimè sit Pontifex Romanus euidentissimè
patet ex omnibus & singulis quæ de Antichristo
in scriptura prænunciata esse docebimus. Pe-
inde hoc ipsum in specie patet manifestè ex mo-
do, quo de Antichristo loquitur vbique scri-
ptura. Nam Danielis 7. vbi de Antichristo est
sermo, dicitur de illo, quòd *consurget post decem
Reges, & erit potentior illis, & tres Reges humiliabit.*
Item quòd *regnabit per tempus, & tempora, et dimidi-
um temporis*, hoc est, tres annos cum dimidio,
sicut omnes Patres interpretantur, vt postea
videbimus; quæ certè non nisi vni homini parti-
culari competunt.

Et Danielis 11. de eodem dicitur, quòd *erit in
concupiscentiis fœminarum, nec quemquam Deorum
curabit*, Vbi etiam denotantur vitia vnius alicu-
ius hominis. Item Ioan. 5. Dominus manifestè
significat Antichristum fore illum ipsum quem
Iudæi adhuc expectant & sunt recepturi, cum
inquit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non rece-
pistis me, si alius venerit in nomine suo illum recipietis*;
certum est autem Iudæos neque expectare neq;
recepturos esse pro Messia nisi vnum aliquē ho-
minem particularem. Quod autem ibi loqua-
tur Dominus de Antichristo sentiunt commu-
niter Patres, Irenæus lib. 5. cap. 25. Hieronymus
in epist. ad Algasiam q. 11. Augustinus tractatu
29. in Ioannem & alij.

Item Dominus ibidem de Antichristo loqui-
tur tanquam de homine ita certo & determina-
to sicut ipse erat. Nam sicut de se dicit determi-
natè: *Ego veni, &c.* ita de illo dicit æquè deter-
minatè: *Si alius venerit, &c.* & sicut determinatè
ait: *Non recepistis me*; ita determinatè de Anti-
christo inquit: *Illum recipietis.*

Item 2. ad Thessal. 2. & 1. Ioan. 2. vbi de Anti-
christo est sermo, semper præponitur articulus
græcus, ὁ, qui articulus, vt notat etiam Epipha-
nius hæresi 9. designat rem certam & particula-
rem. Vnde Ioannes illic cum dicit *Audistis quia
Antichristus venit, præponit eum articulum*; cum
autem subiungit: *Et nunc Antichristi facti sunt*,
non præponit, vt scilicet distinguat inter Anti-
christum hunc particularem de quo agimus, &
alios qui communi quadam ratione appella-
ri possunt Antichristi quatenus Christo aduer-
santur.

Deniq; Apocalypsis 13. & 17. similiter de A-
tichristo est sermo tāquam de homine particu-
lari: qui sit etiam habiturus certum characterē
& certū nomen constans ex litteris quibus con-
ficiatur numerus *666*. Nam de Antichristo legi-
mus Apoc. 13. futurum *ne quis possit emere aut ven-
dere nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut
numerum nominis eius.* & additur: *Hic sapientia est,
qui habet intellectum computet numerum bestiæ, nu-
merus enim hominis est, & numerus eius 666.*

Quanquā duas ob causas rectè monet Irenæ-
vs lib. 5. cap. 30. nō posse certò determinari prius
quam hæc prophetia impleatur quodnam illud
nomen Antichristi futurum sit. *Primò*, nam *sub-
sequetur*, inquit, *periculum eos qui falsò præsumunt
scire nomen eius: si enim aliud quidem hi putant, aliud
autē ille habens aduenies; facilè seducentur ab eo, quasi
nec dum adsit ille quem cauēri conuenit.*

Secundò quia *certius*, inquit, *& sine periculo est,
sustinere ad impletionem prophetiæ, quam suspicari
& diuinare nomina quælibet, quandoquidem multa
nomina inueniri possunt habētia prædictum numerum.*
Vnde ipse Irenæus ibi proponit tria nomina cō-
tinentia eundem numerum. Et Aretas in cap.
17. Apoc. proponit alia septem, & alij alia.

Atque idem iudicium est de *charactere* illo e-
iusdem Antichristi: nam donec huiusmodi ob-
scuræ prophetiæ impleantur, citra communem
quidem interpretationem Patrum & Ecclesiæ
ipsius sensum, non possunt certò & determinatè
intelligi, vt rectè notauit idem Irenæus libro 4.
cap. 43.

Ex quo redarguitur vanitas Sectarivm
huius temporis, qui de Antichristi *nomine & cha-
ractere*, vt hęc accommodent ad Romanum Pon-
tificem, inepta quædam & ridicula fabulantur.
Vt quod ex Irenæo dicunt, nomen Antichristi
fore, *Latinus*, quod conuenit Pontifici residen-
ti in Latio; cum tamen Irenæus in illo cap. 30.
probabilius putet nomen illud Antichristi fore,
Titan, quod continet eundem numerum secū-
dùm valorem literarum græcarum. Et de vtro-
que nomine ac de aliis quæcunque excogiten-
tur, asseuerat nihil debere determinatè pronun-
ciari, vt iam ex ipso audiuimus.

Item æquè vanum est quod aiunt isti, cha-
racterem Antichristi esse vnctionem chrismatis in
fronte: quam vsurpant Catholici, vel vnctionē
Sacerdotalem, vel characterem quem dicimus
imprimi per quædam Sacramenta, vel obedi-
entiam erga Romanum Pontificem, & consen-

sum cum

sum cum illo in doctrina. Primùm enim hæc o-
mnia orthodoxa plane & ex institutione Christi
sunt, vt probauimus suis locis in hoc nostro o-
pere: ac proinde non sunt signum & tessera An-
tichristi.

Deinde non sunt hæc talia signa quæ *manife-
stè* haberi possint *in dextera manu* aut in *fronte*, ita
vt nemo possit *emere aut vendere nisi qui habet cha-
racterem aut nomen bestiæ* vt dicitur Apocal. 13.

Adde, quòd pari facilitate, imò verisimè,
nos dicere possumus characterem Antichristi,
vel certè Præcursorum eius Hæreticorum, esse
dissensionem à doctrina & institutis Romanæ Ec-
clesiæ, & *contemptum* eius. Quemadmodum eti-
am à Catholicis scriptoribus verisimiliter no-
mina excogitata sunt conuenientia Luthero,
vel aliis Sectariis, quæ contineant illū ipsum nu-
merum Antichristi.

Sed, vt ex Irenæo dixi, omnis coniectura in
hoc genere est incerta donec ipse prophetiæ e-
uentus ostendat quodnam erit illud nomen, &
quis ille Antichristi character. Nobis nunc sa-
tis est, ꝙ cùm ex Ioanne in illo cap. 13. Apocal.
constet, Antichristum habiturum suum *proprium* & peculiare nomen itemq; proprium signū
& *characterem*; fatendum est, illum fore certum
& determinatum aliquem hominem, ac proin-
de non esse vnumquemque Romanum Pontifi-
cem, vt Sectarij delirant.

Quod ipsum probamus vltimo consentiente
authoritate Patrum, qui de Antichristo loquū-
tur non nisi vt de *particulari* quodā homine sce-
leratissimo, & qui per tres tantum annos cum
dimidio regnaturus sit. Irenaevs lib. 5. cap.
30 *Cum autem*, inquit, *vastauerit Antichristus hic
omnia in hoc mundo, regnans annis tribus & mensi-
bus sex, &c.*

Cyrillvs Hierosolymitanus catechesi 15.
Tribus, inquit, *annis & sex mensibus talia audens, a
secundo de Cœlis glorioso aduentu vnigeniti Filij Dei de-
primetur.*

Hieronymvs in cap. 7. Danielis explicans
illud: *Et tradentur in manus eius vsque ad tempus, &
tempora, et dimidiū temporis. Tempus*, inquit, *annū si-
gnificat; tempora, iuxta hebraici sermonis veritatē, qui
& ipsi dualem numerum habent, duos annos præfigu-
rant; dimidium autem temporis sex menses, quibus*,
inquit, *Sancti potestati Antichristi permittendi sunt.*

Avgvstinvs lib. 20. de Ciuitate Dei, cap.
23. *Antichristi*, inquit, *aduersus Ecclesiam sæuissi-
mum regnum, sed exiguo temporis spatio sustinendum,
donec Dei vltimo iudicio regnum Sancti accipiant sem-
piternum. qui vel dormitans*, inquit, *hac legit* (locū
illum Daniel 7.) *dubitare non sinitur: Tempus quip-
pe, & tempora, & dimidium temporis, annum vnum
esse & duos et dimidium, ac per hoc tres annos & semis-
sem dilucescit.* Similia alij passim.

Habemus itaque Antichristum fore vnum a-
liquem hominem *certum* & *determinatum*. Qua
in assertione vetus quidam nonnullorum error
cauendus est, ab Avgvstino relatus & refu-
tatus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 29. scilicet ip-
sum Neronem futurum esse Antichristum; *si-
ue quia resurrecturus, & quæ narrantur de Antichri-
sto facturus sit, sive quia non occisus sed subtractus po-
tius, vt putaretur occisus, & viuus occultatus in vigo-
re illius ætatis in qua fuit cum crederetur extinctus, do-
nec suo tempore reueletur & restituatur in regnum.*
Subiungit autem meritò Augustinus. *Mul-
tum mihi mira est hac opinantium tanta præsump-
tio.*

Et certè Somnium istorum nullum funda-
mentum habet. Nam quod referente ibi Augu-
stino allegabant, Apostolum 2. ad Thessal. 2.
ipso Neronis tempore de Antichristo dixisse:
Mysterium iam operatur iniquitatis; non ideo dixit
quia iam ipsemet Antichristus esset, sed quia iā
tunc esse & operari inciperent Antichristi Præ-
cursores Pseudoapostoli, & Hæretici. Erit igi-
tur Antichristus homo quidam certus non au-
tem Nero, sed is de quo in sequentibus dicemus.
Et hactenus de Primo.

Quod ad Secvndvm attinet, *qualis scilicet
futurus sit Antichristus*; Inprimis de Genea-
logia ipsius varia asseruntur à SS. Patribus;
quamuis pleraq; tantum probabiliter, & vnum
tamen certum. Probabile est, quod Hiero-
nymvs in cap. 7. Danielis indicat, ipsum in Ba-
bylone nasciturum, cum ait, *venturum de Ba-
bylone.*

Item similiter est solum probabile quod scri-
bit Damascenvs lib. 4. cap. 28. illum nasci-
turum non ex legitimo matrimonio, sed ex *for-
nicaria muliere.*

Item omnino est probabile quod asserunt
plerique Patres, illum originem ducturum ex
tribu Dan, iuxta prophetiam illam Iacob, quam
ad illum accommodant: *Fiat Dan coluber in via,
cerastes in semita.* Genes. 49. & illud Hierem. 8.
Ex Dan audiuimus fremitum equorum eius.

Ita enim asserit Irenæus libro quinto, capite
30. Hippolytus in oratione de consummatione
mundj. Theodoretus, q. 109. in Genesin. Am-
brosius libro de benedictionibus Patriarcharum,
capite septimo, Augustinus quæstione 22. in Io-
sue. Prosper in libro de promissionibus & præ-
dictionibus Dei, par. 4. quæ est de dimidio tem-
poris, capite 9. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 18.
& plerique interpretes Apocalypsis circa caput
7. Atque id colligit Irenæus & alij ex eo quod
Apocal. 7. non annumeratur tribus Dan aliis
tribubus, ex quibus ibi colligitur numerus sal-
uandorum.

Illud autem est Certvm, Antichristum nā-
sciturum ex gente *Iudæorum*. Nam præterquam
quod id asserunt prædicti Patres, & etiam Hie-
ronymus in cap. 11. Danielis, & alij; colligitur
id etiam apertè ex sententia illa Domini Ioan.
5. *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei, & non
recepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum reci-*

pietis. Iudæi namque, cum quibus ibi Dominus de Antichristo loquebatur, non sunt recepturi pro Messia nisi Iudæum, qui proinde finget etiam se esse ex familia Dauid, vnde Iudæi Messiam expectant. Quamuis ex sententia prædictorum Patrum non sit futurus nisi ex tribu Dan.

Quod autem ibi locutus sit Dominus de Antichristo, asserunt Irenæus libro quinto, capite 25. Theodoretus in Epitome diuin. decret. cap. de Antichristo. Chrysostomus & Cyrillus in illum locum Ioannis. Hieronymus in epist. ad Algasiam quæstione 11. Augustinus tract. 29. in Ioannem. & alij. Item colligitur idem ex Apostolo 2. ad Thessal. 2. vbi similiter à Iudæis recipiendum Antichristum significat tanq̃ Iudęum, cùm ait: *Eò quod charitatem veritatis non receperunt vt salui fiant, ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio.* Sic enim hunc locum de Iudæis, permittente Deo, credituris Antichristo, intelligunt Irenæus libro quarto, capit. 48. & apertius libro quinto, capite 25. Et S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 15. Et Damascenus libro quarto, de Fide, capite 28. Et Hilarius Can. 25. in Matthæum, vbi ait *propriè* id de *Iudæis* intelligi, Et Hieronymus in epist. ad Algasiam q. 11. & alij.

CONDITIO porrò Antichristi erit initio quidem abiecta & vilis, vt omnes colligunt ex eo, quod Daniel. 7. & 8. appellatur propterea *cornu parvulum*. & Cap. 11. de ipso in eandem sententiam dicitur: *Stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor regius.* Postea verò malis artibus per fraudem obtinebit amplissimam dignitatem, imò etiam *regiam*; vt colligunt omnes ex eo, quod de eo subiungitur in illo cap. 11. Danielis: *Et veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.* imò erit potentior quibusdam aliis *decem Regibus*, iuxtà illud Daniel 7. *Cornua decem, decem Reges erunt, & alius consurget post eos, ipse potentior erit prioribus*; quod de Antichristo omnes intelligunt. Quomodo autem hac sua amplissima potestate abusurus sit & quid acturus, dicemus in quarto capite.

DOCTRINA autem eius tam erit non modò impia, sed etiam secum pugnans, vt necesse sit existimare illum non omnia *ex animo*, tanquam ita sentiat, sed quædam (vel fortè omnia) *simulatè* & mendaciter asserturum. Hæc enim erunt DOCTRINAE Antichristi capita. PRIMO, legem Mosaicam esse seruandam, vt constat ex iis quæ de illo scribunt Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 15. Et Hieronymus in capite vndecimo Danielis, Ambrosius in capite secundo, epist. 2. ad Thessal. (qui & ait, illum fore *circumcisum*) Sulpitius in libro secundo Dialog. Gregorius libro 11. Regist. epist. 3. & alij suprà citati qui affirmat ipsum futurum Iudæum. Atque idem manifestè patet ex eo quòd aliàs non essent illũ Iudæi recepturi.

SECVNDO, iactabit se esse Deum vt patet ex Apostolo 2. ad Thessal. 2. vbi de Antichristo ait fore *vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Quod idem asserit apertè Irenæus libro quinto, capite 25. initiò, & Chrysostomus homil. 40. in Ioannem, & Ambrosius in 2. ad Thessal. 2. circa illud: *Ostendens se tanquam sit Deus.*

TERTIO, nullum alium præter se esse Deum, atque adeò nec Deum verum, neque Idola Gentium, vt patet ex Daniele, capit. 11. *Et Deum*, inquit, *Patrum suorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit, quia aduersum vniuersa consurget.* Et ex Apostolo 2. ad Thessal. 2. *Qui aduersatur*, inquit, *& extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* In quem locum vide Chrysostomum & alios Interpretes, & Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi 15. qui ideo dicunt, non admissurum idola Gentium. Hæc autem duo capita doctrinæ manifestè repugnant *primo*. Nam secundùm legem & doctrinam Mosaicam vnus verus Deus, qui non sit homo, est agnoscendus.

QVARTO, negabit IESVM esse Christum siue Messiam, atque adeò veram esse doctrinam illius, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Quis est mendax nisi is qui negat quoniam* IESVS *non est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet.* Quod idem asserit Hilarius libro 6. de Trinitate. & Hippolytus in in oratione de consummatione mundi. & omnes alij.

QVINTO, asseret se esse verum Christum & Messiam. Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Ita etiam Irenæus libro 5. capite 25. & Theodoretus in 2. ad Thessal. 2. & Ambrosius in cap. 21. Lucæ & alij. Sentiunt autem communiter omnes ij Sancti Patres hæc omnia verè ac *propriè*, ita vt sonant, futura capita doctrinæ Antichristi, vt apparet manifestè ex iis quæ scribunt locis citatis. Quod ipsum quamuis nulla haberemus testimonia Patrum, ex sententiis Scripturæ recitatis manifestissimum est.

Per quod redarguitur impudentia SECTARIORVM, qui vt fingant facilius, Papam (quem sciunt abhorrere penitus ab hac tota doctrina Antichristi) esse Antichristum, vanissimè etiam fingunt, eatenus tantùm significari in scripturis hanc fore doctrinam Antichristi, quatenus falsò is & perperam sentiet de Christo & doctrina Christi; sicut aiunt, & nunquam probant, falsò de eadem sentire Papam.

Quin etiam eò vsq; progreditur istorum cæca insania ex odio Papæ, vt reputent, propterea maximè Papam instar Antichristi extollere se super omne quod dicitur Deus, &c. quoniã *Vicarium* Christi se facit. Cùm tamen euidentissimum sit, Papam hoc ipso agnoscere se potius & profiteri *subiectum* Christo, ac proinde nequaquã in *nomine suo venire* sicut veniet Antichristus (Ioannis 5.)

annis 5.) sed nomen Christi colere, & tanquam Christi *seruum* fungi suo ministerio.

Sed ait Illyricus in catalogo testium veritatis nõ longè ab initio, ex sermone Domini Matth. 24. constare, maximè proprium Antichristi extollentis se suprà Deũ esse, venire *in nomine Christi*, iuxta illud Matth. 24. *Multi venient in nomine meo, &c.* quod Papa facit dum vult esse vice Christi.

At manifestè insanit Illyricus. Nam Dominus ipse ibidem declarauit quomodo sit Antichristi & præcursorũ eius venire in nomine Christi; nempe nomen & dignitatem Christi vsurpare dicendo: *ego sum Christus.* Quod est simul venire potius *in nomine suo* (& non *vice* alterius) vt Antichristum venturũ prædixit Dominus Ioan. 5. Papa verò nihil minùs quàm nomen & dignitatem Christi sibi arrogat, sed agnoscit se Christi *seruum* & *Vicarium*, non quidem quo ad totam Christi dignitatem & authoritatẽ, sed quo ad munus regendi Ecclesiam, iuxta præcepta & institutа Christi, qui & ipsi hoc munus demandauit, sicut aduersus istorum hæresim fusè probauimus Tomo secundo, disput. 1. quæstione 1. punct. 7.

Denique quod ad MORES & vitam attinet, constat Antichristum fore omnium hominum qui vnquam fuerunt nequissimum. Id apparet *Primò* ex nominibus quibus illum afficit Apostolus 2. ad Thessal. 2. ad exprimendam magnitudinem illius improbitatis. Appellat enim *hominem peccati, filium perditionis, iniquum, &c.*

Secundò ex iis quæ de præcipuis quibusdam illius vitiis in Scriptura legimus. Erit enim ATHEVS. Daniel. 11. *Deum Patrum suorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit.*

Item impius & BLASPHEMVS in Deum & Sanctos eius. Daniel. 11. *Aduersus Deum Deorum loquetur magnifica.* Et Apocal. 13. *Aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius & tabernaculum eius, & eos qui in Cœlo habitant.*

Item suprà quàm dici potest SVPERBVS. Daniel. 11. *Elevabitur & magnificabitur aduersus omnem Deum.* & 2. ad Thessal. 2. *Qui aduersatur & extollitur suprà omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.*

Item sæuissimus & CRVDELISSIMVS. Daniel. 7. *Sanctos Altissimi conteret.* & Daniel. 11. *Veniet in multitudine magna vt conterat et interficiat plurimos.*

Item MAGVS. 2. ad Thesial. 2. *Cuius est aduentus secundùm operationem Sathanæ in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus.* Vnde etiam S. IRENAEVS lib. 5. cap. 28. scribit illum signa hæc facturum *operatione magica.*

Item quamuis palam quidem neminẽ Deorum curaturus sit, vt ait Daniel, tamen simul erit IDOLOLATRA, saltem *occultè* adorans Diabolum, cuius virtute signa faciet. Iuxta illud Daniel 11. *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur.* Maozim enim hæbraicè significat fortitudinem, & locum etiam munitum seu arcem. Atque ita exponit rectè Lyranus Diabolum nominari eo loco *Deum Maozim*, quem scilicet in loco secreto & munito, tanquam authorem mirabilium operum adoraturus sit Antichristus & culturus *auro & argento & lapide pretioso rebusq; pretiosis*, vt ait illic Daniel.

Nisi quis malit dicere cum IRENAEO libro 5. cap. 25. & THEODORETO in illum locum Danielis, Deum hunc Maozim significare eo loco ipsummet Antichristum qui se solum tanquam Deum verum & fortem sit reputaturus, & sibi templa extructurus, & eatenus se quodamodo veneraturus: *Illud enim*, inquit Theodoretus, *in loco suo, pro se ipsum posuit* (Daniel scilicet) *Eriget enim sibi ipsi templa, & auro & argento & lapidibus pretiosis ipse exornabit.*

Quod autem aiunt Sectarij, Deum hũc Maozim esse *Missam*, & cætera instituta Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, quæ illi reprehendunt, & quæ à Papa & aliis Catholicis habentur in veneratione; vanissimum figmentum est, & idolum sine fundamẽto fabricatum in cerebro istorum. Nam omnia illa instituta sunt verè christiana, vt alibi suis locis probauimus. Antichristus autem omnia christiana instituta execraturus est, non veneraturus; Imò nominatim abolebit *iuge sacrificium Missæ*, sicut postea dicemus. Tantum abest vt Papa sit Antichristus propterea quòd Missam vult celebrari & in veneratione haberi.

Item erit Antichristus in signis HYPOCRITA atque simulator pietatis, vt asserunt Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 15. & Hippolytus in oratione de consummatione mundi & alij. Et colligitur ex eo quod Ioannes in Apocal. cap. 13. ait, *datum illi esse os loquens magna.* Denique TVRPISSIMAM quoque vitam Antichristus aget. Daniel 11. *Et erit in concupiscentiis fœminarum.*

Et quoniam ad fastigium omnis improbitatis perueniet, propterea D. Thom. 3. part. quæstione 8. articulo 8. docet, ipsum meritò vocari posse caput omnium impiorum. Et Patres quoque aiunt effusurum se in illum *totam nequitiam Diaboli*, ac nominatim IRANAEVS libro 5. cap. 25. *susceperum illum omnem Diaboli virtutem.* Hactenus de SECVNDO.

Quod ad TERTIVM attinet, scilicet *quonam tempore venturus sit Antichristus.* Sectarij cum fingant à multo iam tempore Papam esse Antichristum, consequenter aiunt venisse iam dudum Antichristum. SED ex hoc ipso illorum delirio manifestissimè apparet in eo vel maximè illos insanire quòd Papam reputant esse Antichristum.

Nam omnes præcipuæ CIRCVMSTANTIAE aduentus Antichristi, quæ nobis in sacris litteris indicatæ sunt, fateri cogunt, Antichristum non-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum venisse, sed venturum sub mundi finem, id A est, non multò ante quam Christus venturus sit ad extremum iudicium; ac proinde Pontificem Romanum (qui à tam multis sæculis dignitatem suam obtinuit) nihil minus esse quam Antichristum.

Nam PRIMO, ante aduentum Antichristi oportet *Euangelium in vniuerso orbe prædicari*, vt patet Matth. 24. quod nondum est factum, vt docuimus p. 1.

SECVNDO, necesse est quoq; vt præcedat aduentum Antichristi extinctio omnimoda Imperij Romani, & defectio ab illo; quod tamen adhuc retinet suam authoritatem & dignitatem. Id autem colligunt communiter Patres ex Apostolo 2. ad Thessal. 2. cum ait: *Ne quis vos seducat vllo modo* (quasi instet dies Domini) *quoniam nisi* B *venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, &c.* Et infrà: *Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis* (id est, iam incipiunt esse præcursores Antichristi) *tantum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat* (id est, Qui præcursores Antichristi habebunt locum tamdiu quamdiu sit qui teneat locum & authoritatem Imperij Romani, sicut tenebat tunc Nero, donec ea authoritas de medio tollatur) *Et tunc*, inquit, *reuelabitur ille iniquus, &c.* Quod totum ita obscurè dixit Apostolus ad declinandum tunc odium Romani Imperatoris.

Sic autem eum locum intellexerunt Tertullianus in Apologet. cap. 32. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 15. Ambrosius. Chrysostomus, & alij in illũ locum. Hieronymus in epist. ad Algasiam q. 11. & Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 19.

Deinde idem patet ex Daniele, cap. 2. & 7. & ex Ioanne Apocal. 17. Nam ex his locis constat, antequam veniat Antichristus diuidendum esse in decem Reges totum Imperium Romanum, qui postea ab Antichristo partim delẽdi partim subiugandi sint: atque ita penitus extinctum iri ante aduentum Antichristi Imperium Romanum.

Nam Daniel. 2. describitur regnum Romanũ per duas cuiusdam statuæ *tibias ferreas*, & pedum D *digitos* (qui sunt decem) *ex parte ferreos & ex parte fictiles*, quia ex parte regnum illud fuit futurum permanẽs & solidum, & ex parte contritũ, quatenus desinet in decem prædictos Reges. Cuius etiam statuæ *caput aureum*, *& pectus argenteum*, & *venter æneus* significabant tria priora regna scilicet Assyriorum, Persarum & Græcorum.

Et cap. 7. eadem quatuor regna significantur per *quatuor bestias*, ex quibus quarta bestia, significãs Imperium Romanum habebat *cornua decẽ*, è quorum medio ortum est *cornu aliud paruulum*. Ac infrà explicans hoc Daniel: *Bestia*, inquit, *quarta regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, &c.* scilicet Romanum. *Porrò*, in- A quit, *cornua decem illius regni decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus*, scilicet Antichristus qui vocatur ibidem *cornu paruulum*.

Et Apocal. 17. *Decem*, inquit, *cornua quæ vidisti decem Reges sunt, &c. & potestatem suam bestiæ tradent*, quia scilicet tandem superabuntur ab Antichristo. Qui decem Reges diuident inter se, vt dictum est, atque adeò extinguent Romanum nomen & imperium: Iuxta illud quod ibidem sequitur: *Decem cornua quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam* (id est, Romã quæ olim idolatra erat) *& desolatam facient illam & nudam, & carnes eius manducabunt & ipsam igni concremabunt.*

Itaque per hos decem Reges Romanum Imperium penitus abolendum est antequam veniat Antichristus, vt his testimoniis Danielis & Ioannis probat IRENAEVS libro 5. cap. 27. Quod cum nec dum sit factum, nondum venit Antichristus.

TERTIO quia sub idem tempus quo Antichristus venturus est, venturi sunt etiam ENOCH, & ELIAS, vt sua prædicatione confirment animos electorum. Quod similiter nondum factum est. Id patet *Primò* ex Scriptura. De *Enoch* quidem Ecclesiastici 44. *Enoch*, inquit, *placuit Deo, & translatus est in Paradisum vt det gentibus pœnitentiam*. scilicet tunc temporis prædicando. De *Elia* vero, Ecclesiastici 48. *Qui* (Elias) *receptus es in turbine equorum igneorum, qui inscriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Et Malachiæ 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & conuertet corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres eorum.* Et Matth. 17. *Elias quidem venturus est & restituet omnia.*

Et de vtroque simul patet Apocal. 11. vbi postquam de futura persecutione Antichristi dicitur: *Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus*, mox subiungitur: *Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* Et infrà: *Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso*, id est Antichristus, *faciet aduersus eos bellum, & vincet illos & occidet eos.*

Deinde idem de Elia & Enoch simul asserunt Hippolytus Martyr in oratione de consummatione mundi. Augustinus libro 9. de Genesi ad litteram cap. 6. & Gregorius lib. 9. in Iob cap. 4. & Beda, & alij in cap. 11. Apocal Et de Elia idem Augustinus libro 20. de Ciuitate Dei, capite 29. & omnes Interpretes in cap. 17. Matthæi.

QVARTO quia sub illud Antichristi tempus, IVDAEI tandẽ ad Christũ conuertendi sunt prædicatione Eliæ. Quod similiter nec dum est factũ. Id patet ex Apostolo ad Rom. 9. *Isaias*, inquit, *clamat pro Israël, si fuerit numerus filiorum Israël tanquã arena maris, reliquiæ saluæ fiẽt*. Et ex testimoniis antea citatis. Ecclesiastici 48. & Malachiæ 4. atq; etiam

tiam ex S. AVGVSTINO libro 20. de Ciuitate A Dei, capite 29. vbi affirmat ita habere communem cõsensum fidelium, nam recitato illo testimonio Malachiæ 4. subiungit: *Per hunc Eliam magnum mirabilemque Prophetam, exposita sibi lege, vltimo tempore ante iudicium Iudæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium.*

QVINTO, quia erit tunc talis Ecclesiæ persecutio, qualis antea nunquam fuit, Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vsque modo neque fiet.* Et Daniel. 12. *Veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt vsque ad tempus illud.* Nec tamen adhuc experitur Ecclesia tantam persecutionem quantam B nunquam antea, præsertim tempore veterum illorum Imperatorum, Neronis, Domitiani, &c.

SEXTO, nam cessare faciet Antichristus in Ecclesia publicum omnem Christianæ religionis cultum, ac nominatim sacrificium Missæ, iuxta illud Daniel. 11. Auferent iuge sacrificium. Et Daniel. 12. *Et à tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Super est autem adhuc in Ecclesia publicus Christianæ religionis cultus, & vsus sacrificij. Nondum igitur aduenit Antichristus. Quod autem ibi Daniel loquatur de sacrificio & cultu religionis *Christianæ*, asserunt Hieronymus, & Theodoretus in cap. 12. Danielis, & S. Irenæus libro 5. C cap. 25. & Hippolytus Martyr in oratione de cõsummatione mundi, & alij.

Porrò partim ex his, partim ex ipsa experientia satis constat, falsam fuisse quorundam veterum *coniecturam*, qui ante mille annos & eo amplius, propter mala quibus Ecclesia premebatur, existimabant, iam tunc Antichristi aduentum & mundi tempus extremum instare. Vt Cyprianus libro tertio, epistola prima, & libro quarto, epist. 6. & Hilarius in libro contra Arrianos & Auxentium, & Ambrosius libro 10. in Lucam, & Hieronymus in Epistola ad Algeruchiam. & Gregorius homil. 4. in Eangelia, & libro quarto. Regiſtri epist. 38. & libro octauo D epist. 41.

Quanquam vna quædam eaq; verissima causa subest, cur & illi Patres, & quicunque alij potuerint, ac nos possimus de tempore Antichristi & *extremi iudicij* loqui tanquam de iam instanti & *vicino*. Nempe quia tempus mortis vniuscuiusque & iudicij particularis, quod in morte subiturus est, satis vnicuiq; est vicinum, ac proinde etiam *certitudo* eius sortis quã est in extremo iudicio habiturus.

Quod quidem ad concipiendum timorem, quem par est erga illud extremum tempus, atq; adeò ad componendos mores, nosque ad extremum illud iudicium rectè comparandos, tantundem si sapimus valere debet, quantum si tẽ- A pus ipsum extremi iudicij iam instaret. Nam, vt præclarè inquit AVGVSTINVS epist. 80. ad Hesychium: *In quo quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies; quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.* Et infrà: *Tunc enim vnicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies vt talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus ne imparatum inueniat eum Domini aduentus; imparatum autem inueniet ille dies, quem imparatum inuenerit sua vitæ vltimus dies.* Hæc de TERTIO.

Quod ad QVARTVM attinet, scilicet *quidnam sit Antichristus acturus*, facilè est iam ex dictis id intelligere Nam PRIMO per fraudes (vt suprà dictum est ex Daniele, capite vndecimo) regiam obtinebit dignitatem; & deinde contra decem Reges, qui deleto Romano Imperio occupabunt tunc omnia loca illius, pugnabit. quorum tres occidet, scilicet Regem AEgypti, & Libyæ, & Aethiopiæ, & alios septem sibi subiugabit, atque ita fiet Monarcha orbis.

Hoc totum patet ex his locis. Daniel. 7. *Considerabam*, inquit, *cornua. Et ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis euulsa sunt a facie eius.* Et infrà: *Porrò cornua decem, decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.* Et capite vndecimo indicatur hos tres Reges futuros AEgypti, Libyæ, & AEthiopiæ, vt diximus: *Mittet*, inquit, *manum suam in terras, & terra Ægypti non effugiet, & dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti; per Libyam quoque & Æthiopiam transibit.*

Et Apocal. 17. indicatur futurum vt reliquos septem Reges sibi subiuget, sicut est dictum. Nã de omnibus illis decem Regibus ibi dicitur. *Virtutem & potestatem suam bestiæ tradent.* itaque omnes ab Antichristo vincentur. Sed tres occidentur, vt significat Daniel inquiens *euulsa esse tria de cornibus à facie eius*; reliqui septem subiugabuntur.

Quam sententiam & interpretationem horũ locorum affirmat Hieronymus, in caput septimum. Danielis, esse *omnium scriptorum Ecclesiasticorum*. Ac nominatim ita exponunt Irenæus lib. 5. cap. 25. & Lactantius lib. 7. institut. capite 16. Hippolytus in oratione de consummatione mundi & alij.

SECVNDO, adeptus iam orbis principatum, cum ingẽti exercitu collecto ex omnibus mundi nationibus, persequetur acerrimè toto orbe Christianos. Qui exercitus Antichristi vocatur Apocal. 20. GOG & MAGOG, vbi ita legimus: *Cum consummati fuerint mille anni*, (id est, sub finem totius temporis militantis Ecclesiæ) *soluetur Sathanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Ma-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

gog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris; & ascenderunt super latitudinem terræ & circuierunt castra Sanctorum & ciuitatem dilectam; id est, Ecclesiam toto orbe terrarum, iuxta illud AVGVSTINI libro 20. de Ciuitate, capite 11. hunc locum interpretantis: *Quod ait: Et ascenderunt super terra latitudinem & cinxerunt castra Sanctorum & dilectam ciuitatem: non vtique ad vnum locum venisse vel venturi esse significati sunt, quasi aliquo vno loco futura sint castra Sanctorum & dilecta ciuitas: cùm hæc non sit nisi Christi Ecclesia toto terrarum orbe diffusa: ac per hoc vbicunque tunc erit quæ in omnibus gentibus erit: quod significatum est nomine latitudinis terræ: ibi erunt castra Sanctorum: ibi erit dilecta Deo ciuitas eius: ibi ab omnibus inimicis suis, quia & ipsi in omnibus gentibus cum illa erunt, persecutionis illius immanitate cingetur: hoc est in angustia tribulationis arctabitur, vrgebitur, concludetur: nec militiam suam deseret, quæ vocabulo est appellata castrorum.*

Ex quibus postremis Augustini verbis intelligitur falsum esse quod incogitãter asserit Sotus in 4. distinct. 46. articulo 1. quæst. 2. scilicet fore vt propter sæuitiam illius nouissimæ persecutionis omnes deficiant ab authoritate Apostolicæ Sedis Romanæ, atque adeò penitus extinguatur fides. Quod omnino falsum est. Nam vt Dominus Matth. 24. apertè significat, aliqui erunt tunc *electi* qui perseuerabunt in fide, propter quos dicit *abreuiandos* esse illos dies.

Et quamuis Antichristus totis suis suorumq; viribus sit sæuiturus, vt Augustinus ait eodem lib. capit. 8. tamen, vt idem *ibi* subiungit, *tales erunt cum quibus ei decertandum est, vt vinci tanto eius impetu insidiisque non possint.* Adde, quòd fieret aliàs, vt cõtra promissionem Christi Matth. 16. *portæ inferi prævalerent* aduersus Ecclesiam: *non igitur militiam suam deseret* (vt ad Augustini verba redeam) *quæ vocabulo est appellata castrorum.*

Porrò, cur gentes totius orbis terræ, ex quibus Antichristi exercitum congregandum ait Ioannes in Apocalypsi loco citato, nominauerit idem Ioannes GOG & MAGOG, non satis constat, & alij aliter conãtur hoc explicare. Sed maximè verisimiles videntur esse tres expositiones, quarum duas ponit Augustinus in illo lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 11. tertiam autem quidã recentiores.

Sic igitur de Gog & Magog, scribit illic AVGVSTINVS: *Gentes istæ quas appellat Gog & Magog, non sic sunt accipiendæ tanquam sint aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti: siue quos quidam suspicantur Getas & Massagetas, propter litteras horum nominum primas: siue aliquos alios alienigenas & à Romano iure seiunctos: Toto namque orbe terrarum significati sunt isti esse, cum dictum est, Nationes quæ sunt in quatuor angulis terræ; easque subiecit, esse Gog & Magog.* Hoc cõstituto adfert deinde duas expositiones, vt dixi, quare gentes omnes appellẽtur Gog & Magog.

Prima, quia iuxta hebraicam etimologiam Gog sonat ferè idem quod *tectum*, & Magog *detectum*. Itaque gentes illæ dicuntur *Gog*, quatenus ante tempus illud nouissimum sunt quasi tecta domus, in qua Diabolus est quasi inclusus & *tectus* & quasi ligatus; prout scilicet in illis gẽtibus præcipuè exercet suam tyrannidem. *Magog* autem, quatenus illo nouissimo tempore veluti egrediens Diabolus de illis gentibus & persequens sæuissimè per Antichristum & eius manipulares Ecclesiam, quodamodo *detegetur*. Hoc enim significat Augustinus, cum posteà expressè dicit *nationes ipsas gentiũ* esse Gog & Magog (non autem Gog esse diabolum, & Magog nationes, vt quidam Augustinum intelligunt) subiungit: *Quorum interpretationem nominum esse comperimus Gog tectum, Magog detectum: tanquam domus & ipse qui procedit de domo. Gentes igitur sunt in quibus Diabolum velut in abysso superius intelligebamus inclusum, & ipse de illis quodamodo se se efferens & procedens; vt illæ sicut tectum, ipse detectum.*

Secunda expositio est, vt gentes illæ dicantur & *Gog* propter rationem iam dictam; quia scilicet sunt quasi domus *tecta* Diaboli; Et *Magog* non solùm quia ipse Diabolus de illis tunc egredietur & quasi *detegetur*, sed etiam quia ipsæmet illæ gentes procedent tunc in apertum odium & bellum contra Ecclesiam, cum antea odium in Ecclesiam esset in eis occultũ & tectum. Hoc est enim quod Augustinus ibi vult cùm addit: *Si autem vtrumque referamus ad gentes; non vnum horum ad illas; alterum ad Diabolum; & tectum ipsæ sunt, quia in eis nunc includitur, & quodamodo tegitur inimicus antiquus; et detectum ipsæ erunt, quãdo in apertum odium de operto eruptura sunt.* Quod volui plurib. explicare quoniam obscura est in illo loco aliquantulum sententia Augustini.

TERTIA expositio colligitur probabiliter à quibusdam recentioribus per collationem huius loci Apocalypsis, cũ iis quæ legimus Genes. 10. & Ezech. 38. & 39. Nam Genes. 10. filius secundus Iaphet dicitur appellatus *Magog*, ex quo regio quam incoluerunt eius posteri vocata est Magog, quam Iosephus libro primo Antiquitatum, capite 11. & Hieronymus in quæstionibus hebraicis super Genes. cap. 10. aiunt esse Scythiam. Ezechielis autem 38. & 39. vbi Propheta vaticinatur de hoc eodem exercitu & prælio Gog & Magog, nouissimis temporibus futuro, Gog dicitur Princeps exercitus Magog. Itaque probabile est, gentes illas ex quibus ille exercitus est congregãdus appellari à Ioanne Gog & Magog, vel quia magna ex parte ex *Scythiæ* gentibus constabit, & forte etiam ex Scythico aliquo Duce post Autichristum præcipuo; vel certè propter *sæuitiam* barbaram & immanem,

tum

tum illius exercitus, tum Ducis eius (siue is sit ipse Antichristus, siue aliquis alius præcipuus manipularis ipsius) eo scilicet modo loquendi quo crudeles & sæui homines consueuerunt appellari *Scythæ*.

Ac describit Ezechiel, capite 39. magnitudinem & immanitatẽ illius exercitus, per quandam quoque exaggerationem, cum ait fore, vt postquam contritus fuerit igne in illum misso diuinitus è Cœlo, supersit ex illo tantum armorum clypeorum & hastarum, quantum sufficiet ad comburendum *per septem annos*. Cum tamen constet ex Daniele, capite 12. post interfectum Antichristum, & consumptum eius exercitum tantum superfuturos vsque ad diem mundi extremum *quadraginta quinque dies*: postquam enim dixit: *A tempore cum oblatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta*, (quo scilicet tempore prævaliturus est Antichristus, vt posteà dicemus) illico subiunxit: *Beatus qui expectat & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque*: quod interpretans ibi S. Hieronymus: *Beatus*, inquit, *qui interfecto Antichristo dies suprà numerum præfinitum quadraginta quinq; præstolatur quibus est Dominus atq; Saluator in sua maiestate venturus.*

TERTIO, non solùm per vim, sed etiam per signa & prodigia conabitur Antichristus fidelium animos expugnare: quæ tamen signa minimè erunt vera miracula, edita scilicet virtute diuina & super naturali, sed omnino fallacia edita virtute Diaboli, vel illudentis hominum sensus, vel efficientis quæpiam occulta virtute naturali quæ mira videantur. Id patet ex iis quæ notat Augustinus libro 20. de Ciuitate DEI capite 19. & ex Apostolo 2. ad Thessal. 2. de Antichristo dicentis: *Cuius est aduentus secundùm operationem Sathanæ in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt*, &c. Quæ signa faciet tum per se, tum per suos administros Pseudoprophetas, de quibus Dominus Matth. 24. *Dabunt signa & prodigia magna, ita vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi.*

Vnde Apocal. 13. tria in specie prodigia narrantur quæ fient per diabolicam potestatem Antichristi, partim ab ipsomet, partim per quẽdam præcipuum Antichristi Pseudoprophetam qui ibi appellatur *secunda bestia* & dicitur *fecisse omnem potestatem prioris bestiæ*, id est, Antichristi. *Primum* prodigium est, quòd vnum de capitibus prioris bestiæ (siue hoc sit futurus ipse Antichristus, siue aliquis Pseudopropheta eius) erit *quasi mortuum*, & posteà *plaga eius curabitur*, id est, videbitur mori & posteà reuiuiscere. *Secundum* est, quòd *ignis descendet de Cœlo in conspectu hominum*. Tertium est, quòd *imago bestiæ primæ*, id est Antichristi, videbitur viuere & loqui.

De quibus *duabus bestiis*, id est, de Antichristo, & de præcipuo Pseudopropheta eius, tanquam de *duobus diuersis* (ne quis putet vnum & eundem Antichristum vt *Tyrannum* significari per primam bestiam, & vt *Pseudoprophetam* præstigiatorem significari per secundam) dicitur posteà Apocal. 19. *Et apprehensa est bestia*, scilicet prima, *& cum ea Pseudopropheta qui fecit signa coram ipsa, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius.* Et additur: *Viui missi sunt hi* DVO *in stagnum ignis ardentis & sulphuris.*

Præterea scribit etiam Hippolytus Martyr in oratione de consummatione mundi multa alia signa mendacia facturum Antichristum: *Edet*, inquit *prodigia, leprosos mundando, paralyticos excitando, expellendo Dæmones; longinqua non aliter quàm præsentia denunciando; excitabit mortuos* (scilicet illudendo sensus hominum) *item transferet montes ante oculos spectantium; siccis pedibus ambulabit super mare; deducet ignem è Cœlo; conuertet diem in tenebras, & noctem in diem; Solem circumaget quo libuerit*, &c. Quæ omnia scilicet faciet non diuina virtute, sed præstigiis & *operatione magica*, vt inquit, S. Irenæus libro quinto capite 28. & patet ex Apostolo secunda, ad Thessal. 2.

QVARTO, occisurus est quoque Antichristus Enoch & Eliam Hierosolymis, vbi relinquentur insepulti per tres dies cum dimidio, & posteà resurgent. Siquidem de illis ita legimus Apocal. 11. *Cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora illorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est. Et videbunt de tribubus & populis & linguis, & Gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis, & inhabitantes terram gaudebunt super illos, & iucundabuntur: & munera mittent inuicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos qui habitabant super terram. Et post tres dies & dimidium spiritus vitæ à Deo intrauit in eos. Et steterunt super pedes suos*, &c.

Neque videtur posse dubitari, quin de Hierosolyma sit sermo hoc loco. Nam ibi & non alibi *Dominus crucifixus est*, vt Ioannes inquit, & ipsa propter infidelitatẽ & peccata est appellata in Scripturis spiritualiter *Sodoma*, vt patet Isa. 1. vbi in narratione *visionis Isaiæ filij Amos quam vidit super Iudam & Hierusalem in diebus Oziæ*, &c. inter cætera dicitur: *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ*, &c.

QVINTO, templum etiam Hierosolymitanum reficere tentabit, vt notant Hippolytus in oratione de consummatione mundi, & Sedulius in 2. ad Tessal. 2. & Ambrosius lib. 10. in Lucam. &

cam. & Damascenus lib. 4. cap. 27. & alij quia scilicet se ꝓfitebitur Messiam qui legem & cultum Mosaicum instauraturus sit. Hęc de QVARTO capite.

Quod ad QVINTVM attinet, scilicet *vbinam sedem suam fixurus sit Antichristus, & quamdiu præualiturus, & quomodo vitam finiturus sit*, dicendum est PRIMO, quamuis Rex & Monarcha, vt suprà ostendimus futurus sit, tamen in Palæstina Hierosolymis præcipuè fixurum sedem. Nam ibi tanquam triumphator occidet Enoch & Eliam, vt antea dictum est. Item, ibi sedebit tanquam Deus in templo Salomonis vtcunque reædificato, Id namque templum Hierosolymitanum Apostolus 2. ad Thessal 2. vocat *templum Dei*, vt interpretatur Irenæus lib. 5. cap. 25. & Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 15. & Hippolytus in oratione de consummatione mundi & Hilarius Can. 25. in Matthæum, & Ambrosius lib. 10. in Lucã circa cap. 21. & Sedulius in 2. ad Thessal. 2. & Damascenus lib. 4. cap. 27. &c.

Quãquam potest simul cum hoc admitti sessurum etiam Antichristum in Ecclesiis Christianis præ superbia scilicet; sicut etiam censuit Chrysostomus, & Theodoretus, & Theophylactus in 2. ad Thessal. 2.

SECVNDO dicendum, Antichristum regnaturum tantummodo per *tres annos cum dimidio*. Tantundem enim temporis significauit Daniel, cap. 7. & 12. & Ioannes in Apocalypsi, capite 17. *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, vt initio docuimus ex communi sententia Patrum. Atque idem colligitur ex Ioanne Apoca. 11. & 13. in quibus locis tradit sæuitiam Antichristi, & manipularium eius duraturam *mensibus quadraginta duobus* qui conficiunt tres annos cum dimidio.

Item colligitur idem ex eo quòd capite 11. addit Ioannes de Enoch & Elia: *Prophetabunt* (nẽpe sub idem tempus) *diebus mille ducentis sexaginta, amicti sacciis*; qui scilicet dies conficiunt idem tempus. Item confirmatur idem ex eo quòd ex aliis Scripturæ locis constat, non nisi breue futurum tempus illud regni Antichristi. Vt Matth. 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* & Apocal. 12. *Descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet.* & cap. 20. *Angelus ligabit Draconem donec consummentur mille anni; & posthac*, inquit, *oportet illum solui modico tempore.*

Est autem obseruandum hoc, quod Scriptura indicat, regnaturum Antichristum per tres annos cum dimidio, non ita præcisè & determinatè intelligendum esse, quasi nullum diem præterea regnaturus sit; durabit enim vtcunque eius regnum vltra id tempus dies circiter triginta, vt colligimus ex Daniele, cap. 12. cum ait: *Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationẽ, dies mille ducenti nonaginta*: qui numerus continet triginta dies amplius, quàm sit tempus trium annorum & medij.

Sed dicitur nihilominus regnum Antichristi duraturum tres annos cum dimidio; vel phrasi vsitata, qua solemus pro medio anno computare tempus quod non multum excedit spatium sex mensium, aut ab hoc spatio non multum deficit: vel quia per tres annos cum dimidio *maximè* regnum Antichristi sæuiturum est in Ecclesiam, vsque ad cædem videlicet Enoch & Eliæ, quæ fiet præcisè finitis tribus annis cum dimidio regni Antichristi, postquam illi prædicauerint diebus mille ducentis sexaginta, vt dicitur Apocal. 11. Atque hoc videtur indicasse Ioannes, cap. 11. & 13. cum determinatè indicat duraturum regnum Antichristi mensibus quadraginta duobus. Loquitur enim de duratione eius quando *maximè* sæuiet in Ecclesiam, vt patet ex eo quod ait cap. 11. *Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* & cap. 13. *Data est*, inquit, *ei potestas facere menses quadraginta duos*: & paulò pòst: *Et est datum illi bellum facere cum sanctis, &c.*

TERTIO dicendum, triginta diebus post mortem Enoch & Eliæ, id est, cum complebuntur à regno Antichristi dies mille ducenti nonaginta, Christi virtute interficiendum eum esse, cum superbissimè consederit in monte Oliueti, tanquam inde conscensurus in Cœlum.

Et quidem quod à Christo interficiendus sit, manifestè affirmat Apostolus 2. ad Thessal. 2. *Quem Dominus*, inquit, IESVS *interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.* Atque idem prædictum est ab Isaia, capite vndecimo verbis illis: *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.*

Quod autem id futurum sit in monte *Olueti* vt dictum est; traditio est *scriptorum Ecclesiasticorum*, vt testatur S. Hieronymus in cap. 11. Danielis sub finem, & colligitur ex Daniele ibidem, cum de Antichristo ait: *Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria super montem inclytum & sanctum, & veniet vsq; ad summitatem eius, & nemo auxiliabitur ei.*

Atque idem confirmat Hieronymus ex Isaia, cap. 25. *Quod*, inquit, *Antichristus veniat vsq; ad summitatem montis sancti & inclyti, & ibi pereat, Isaias plenius loquitur; Præcipitabit Dominus in monte sancto faciem dominatoris tenebrarum super omnes gentes*, id est, eum qui dominatur cunctis populis, &c.

Dubium autem est; an illic Antichristus interficiendus sit ab ipsomet Christo corporaliter illuc adueniente, vt volunt Damascenus libro 4. cap. 27. & Anselmus 2. ad. Thessal. 2. An verò ministerio Angelico ex Christi imperio, vt vult D. Thomas 2. ad Thessal. 2. Lect. 2. Nam Damasceno & Anselmo suffragatur modus loquendi Isaiæ & Apostoli; scilicet quod Christus *spiritu labiorum suorum*, seu *spiritu oris sui*, id est, efficacitate suæ

tate suæ vocis *interficiet* Antichristum, & *destruet illum illustratione ac* fulgore suæ præsentiæ & aduentus, ad modum scilicet quo voce & splendore suo conuertit & prostrauit Paulum.

Diuo autem Thomæ suffragari videtur Daniel, qui statim ac dixit in fine, cap. 11. *Veniet vsq; ad summitatem eius, & nemo auxiliabitur ei*; subiunxit in cap. 12. *In tempore illo consurget Michael Princeps magnus, &c.* Itaque quod ait Apostolus. *Spiritu oris eius, &c.* interpretatur D. Thomas significare non vocem sed *præceptum* Christi quod dabitur Michaeli Archangelo de interficiendo Antichristo. Et quod Apostolus ait: *Destruet eum illustratione aduentus sui*, interpretatur de morte secunda, quam inferet Antichristo Dominus per sententiam damnationis in iudicio. SED quamuis ista sententia D. Thomæ improbabilis non sit; tamen videtur sententia Damasceni & Anselmi scripturæ cõformior, neque habere vllum incommodum.

POSTREMO dicendum, inter Antichristi mortem & Christi aduẽtum ad iudicium, atque adeò mundi consummationem, breuissimum temporis interuallum futurum, nimirum *quadraginta quinque dierum* vt suprà probauimus ex Daniele, cap. 12. vbi cum dixisset, ab initio regni Antichristi vsque ad finem eius futuros dies mille ducentos & nonaginta; subiunxit: *Beatus qui expectat & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque*, In quem locum HIERONYMVS: *Quare*, inquit, *post interfectionem Antichristi quadraginta dierum silentium sit, diuinæ scientiæ est. Nisi fortè dicamus. Dilatio regni Sanctorum patientiæ comprobatio est.*

Quod autem non diutius, sed statim post exiguum illud temporis interuallum à morte Antichristi, iudicium futurum sit & mundi consummatio; patet ex Daniele, capite septimo, vbi postquam dixit de Antichristo quòd *Sanctos Altissimi conteret*, & quòd *tradentur in manus eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*, mox adiunxit: *Et iudicium sedebit, &c.* Item ex Ioanne Apoca. 20. qui similiter postquam dixit oportere Draconem *solui modico tempore*, addit: *Et vidi sedes, & sederunt super illas, & iudicium datum est eis, scilicet Sanctis cum Christo iudicaturis.*

PORRO, ex his omnibus & singulis quæ hactenus de Antichristo, iuxta scripturas sanctas, & traditionem Patrum, à nobis dicta sunt, euidentissimè apparet delirare Sectarios huius temporis, cum fingunt Pontificem ROMANVM esse Antichristum. Nam nihil prorsus ex his omnibus conuenit Romano Pontifici, vt patebit facilè cuiuis singula hæc expendenti: & consideranti. Præterquam quod falsissimum etiam est fundamentum huius calumniæ istorum, nempe doctrinam Apostolicam esse aliquando corruptam per Pontifices Romanos. Nam retinuisse potius & hodie retinere per omnia doctrinam ipsam Apostolicam Ecclesiam Romanam, atque adeò ipsos Pontifices Romanos, conuicimus tum in genere Tomo tertio, disputatione prima, quæstione prima, puncto septimo, vbi egimus de vera Ecclesia: tum etiam in specie in variis locis huius nostri operis, cum disseruimus sigillatim de singulis fidei controuersiis, quæ nobis sunt hodie cum Sectariis.

PVNCTVM TERTIVM.

De Igne conflagrationis Mundi.

Supplem. D. Thom. q. 74.



VOD veniente Domino ad Iudicium Mundus igne conflagraturus sit, dubitari non potest. Id enim constat ex his scripturæ locis: Psal. 49. *Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit; ignis in conspectu eius exardescet.* Et psalm. 96. *Ignis ante ipsum præcedet.* Et Esaiæ 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadriga eius, reddere in indignationem furorem eius, &c.* Et Ioel. 2. *Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma; quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti.* Et 2. Petri 3. *Cœli qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum*, Et infrà: *Aduenient autem dies Domini vt fur, in quo Cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* Et paulo pòst: *Properantes in aduentum diei Domini, per quem Cœli ardentes soluentur & elementa ignis ardore tabescent.*

De qua etiam Mundi conflagratione ita loquitur S. EPHREM in libro de Pœnitentia, capite quarto. *Cum viderimus igneum fluuium ab ortu solis vsque ad occasum emanantem, ac veluti sæuiens fluctibus mare montes ac valles deuorantem, terramque omnem & quæcunque sunt in illa exurentem, tum dilectissimi ab illo igne deficient fontes, vanescent flumina, mare siccabitur, agitabitur aer, &c.*

Et S. AVGVSTINVS lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 16. *Tunc figura huius Mundi mundanorum ignium conflagratione prætereibit: sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuij.*

Sed circa hanc ipsam Mundi CONFLAGRATIONEM quædam sunt certa apud orthodoxos; quædam nonnihil dubia & controuersa. PRIMO certum est, per hanc conflagrationem non penitus interiturum Mũdum, ita vt nihil eius maneat. Nam S. Petrus 2. epist. cap. 3. postquam de illa conflagratione dixit, illico subiunxit: *Nouos verò Cœlos & nouam terram, secundùm promissa*

ipsius

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat. Extat autem ea de re diuina promissio Isa. 65. *Ecce enim ego creo Cœlos nouos et terram nouam.* & cap. 66. *Sicut Cœli noui & terra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum & nomen vestrum, &c.* Et Apoca. 21. *Et vidi Cœlum nouum & terram nouam; primum enim Cœlum & prima terra abiit, & mare iam non est.*

SECVNDO certum est, per eam conflagrationem *totum* Mundum esse aliquo modo *purgandũ* & innouandum, id est, redigendum in meliorẽ quendam statum, congruentem felicissimo illi statui futuro hominum beatorum post resurrectionem. Id enim patet *Primò* ex allatis nunc scripturæ locis, in quibus promittitur fore tunc *Cœlum nouum & terram nouam, &c,* innouantur enim res per aliqualem suam purgationẽ & mutationem in meliorem statum.

Deinde hoc ipsum asserit luculẽter Apostolus ad Rom. 8. vbi postquam dixit: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*; continuo explicat futurum etiam tunc Mundi statum meliorem; per hoc scilicet, quòd tunc etiam creaturæ liberabuntur à malo cuiusdam vanitatis cui nũc subiectæ sunt, hoc ipso, quod inseruiunt homini eis quandoque abutenti hoc tempore ad peccandum.

Hoc enim significat Apostolus ibi cũ subiungit: *Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe*: (id est, quoniam Deus subiecit illam homini) *quia et ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Non solùm autem illa, sed & nos primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.*

Fiet autem hæc Mundi innouatio seu purgatio, vt tradunt D. Thomas hic art. 1. & 2 & Theologi communiter in 4. dist. 47. per hoc quod alienæ quædam qualitates elemẽtis admixtæ quæ cõgruunt nunc vsibus hominum etiam in peccando, vel quandoq; ex peccatis consequuntur, consumentur ab illo igne. Atque hoc ipso, licet hæc purificatio nõ sit in omnibus omnino creaturis futura (vt postea dicemus) innouabitur omnis creatura per liberationem ab illa vanitate qua erat obnoxia (vnaquæque suo modo) obsequio hominis in vsu etiam peccandi.

Quod ipsum significasse videtur S. Petrus 2. epist. cap. 3. vbi declarans quinam erunt noui Cœli & noua terra, quæ secundùm promissa diuina expectamus, addit: *In quibus iustitia inhabitat.* Quasi dicat, hoc ipso creaturas innouandas esse, quòd Sancti reddentur inpeccabiles & in iustitia confirmati. Vnde etiam S. AMBROSIVS lib. 5. epistolar. epist. 21. expressè affirmat corpora etiam cœlestia, vt solem, Lunam, stellas, esse tunc liberanda ab illa seruitute corruptionis.

TERTIO certum est, omnia corpora mixta, quæ tunc erunt super terram, exceptis saltem hominibus iustis (de quibus postea dicemus) consumptum iri per illam conflagrationẽ. Nam erit vehementissima, vt apparet ex scripturæ locis antea citatis. Est autem naturale igni vehementer agenti consumere corpora mixta in quę agit.

QVARTO certum est, cõburendos esse & conficiendos ab illo igne impios qui tũc viui supererunt: vt patet psalm. 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Quin etiam addunt communiter Theologi in 4. dist. 47. & D. Thomas hîc art. 9. fore vt illo ipso igne post latam à Domino sententiam finalem inuoluãtur impij & detrudantur in Infernum. Quod ipsum confirmatur ex glossa interlineali super illud Daniel. 7. *Fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius*, nempe vt *peccatores traheret in gehennam*, sicut dicitur in illa Glossa. Item ex BASILIO in psalm. 28. super illud: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*; vbi indicat, partem illius ignis *acriorem & crassiorem* futuram supplicio damnatis qui amandabuntur in Infernum.

QVINTO certum est, conflagrationem illam sub ipsum tempus aduentus Domini, atque adeò in extremo iudicij die futuram. Nam id cõstat ex scripturæ locis antea citatis.

CONTROVERSA verò sunt alia quinq;. PRIMO, an conflagratio illa sit futura illo die *ante* iudicium ipsum, vel *post*. Nam D. AVGVSTINVS lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 30. *post* peractum iudicium arbitratur futurã, tametsi sub dubio. Sic enim scribit: *In illo itaque iudicio vel circa illud iudicium, has res didicimus esse futuras. Heliam Thesbiten, fidem Iudæorum, Antichristum persecuturum: Christum iudicaturum: mortuorum resurrectionem: bonorum malorumque diremptionem: mundi conflagrationem ciusdemque renouationem. Quæ omnia quidem ventura esse credendum est. Sed quibus modis: & quo ordine veniant: magis docebit tunc rerum experientia, quam nunc valet consequi ad perfectum hominum intelligentia. Existimo autem eo quo à me commemorata sunt ordine esse ventura.*

Contra verò S. Thomas hic art. 8. & plerique Theologi in 4. dist. 47. sentiunt, conflagrationem illam *antecessuram* ipsum iudicium. Id quod satis apertè colligi videtur ex illis scripturæ locis: *Ignis in conspectu eius exardescet.* psalm. 49. Et *Ante ipsum ignis præcedet.* Psal. 96. Et: *Ante faciem eius ignis vorans.* Ioelis. 2.

Quãquam vt docent D. Thomas & alij Theologi, habebit quoque effectum aliquem ille ignis *post* iudicium, cùm scilicet inuoluet impios & detrudet in barathrum, sicut antea diximus. Quod videtur etiam significari cum in illo loco Ioel. 2. additur: *Et post eum exurens flamma.* Cum

enim iu-

enim iudicium illud celerrimè peragendum sit (sicut docebimus q. 4.) facilè fiet, vt idem ignis qui iudicium antecesserit, deprimat in Tartarum impios post iudicium.

SECVNDO controuersum est, an ignis ille acturus sit aliquid in ipsa corpora cœlestia. NAM Basilius homil. 3. in Hexameron. & alij Græci, qui Platonem secuti, essentiam incorruptibilem corporum cœlestium non agnouerunt, planè ipsa ab igne consumenda esse arbitrati sunt. Idque videtur significare scriptura locis suprà citatis, vbi dicitur *Cœlos nouos* futuros; & alibi, vbi *perituros* dicitur, Psalm. 44. Item 2. Pet. 3. vbi dicuntur *igni reseruati, & magno impetu transituri, & ardentes soluendi.*

SED sententia D. Thomæ hîc artic. 4. & aliorum Theologorum communis in 4. dist. 47. est, ignem illum non acturum in sublimia illa corpora cœlestia. Quod idem sensit HIERONYMVS in cap. 65. Isaiæ. & AVGVSTINVS lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 16. & 18. Nam sunt reuera illa corpora natura sua incorruptibilia secundùm veram & iam pridem receptam Philosophiam, quã defendimus Tom. 1. disputat. 4. quæst. 2. punct. 1. Atque huic sententiæ consonat scriptura Psalm. 148. vbi de cœlestibus etiam corporibus, æquè ac de Angelis natura incorruptibilibus, dicitur: *Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi.*

Cum autem in scriptura dicitur Cœlos *perituros*, non intelligitur quoad substantiam, sed quoad *accidens*; quia scilicet nouissimo illo die moueri desinent, atque adeò agere in hæc inferiora, vt communiter Theologi respondent. Item *noui* Cœli futuri dicuntur, non quoniam alij succedent his, sed quoniam hi ipsi acquirent meliorem quendam statum, quatenus omnis creatura *liberabitur à vanitate*, cui nunc est subiecta propter hominum peccabilitatem, vt antea explicauimus.

Diuus autem Petrus cùm ait, Cœlos *magno impetu transituros, & ardore soluendos*, non loquitur de *sublimioribus* illis corporibus cœlestibus, sed de Cœlis *aëreis*, hoc est de toto isto spatio aëris. Id probat manifestè S. AVGVSTINVS libro 20. de ciuitate Dei, capite 18. ex eo, quod illos ipsos Cœlos dicit tunc transituros & ardore soluendos, qui olim quoque quodammodo perierunt mundati aquis diluuij. qui Cœli non fuerunt nisi aërei, quousque scilicet aqua ascendit. *Commemorans*, inquit Augustinus, *factum ante diluuium videtur admonuisse quodammodo, quatenus in fine huius sæculi mundum istum periturum esse credamus. Nam & illo tempore periisse dixit, qui tunc erat, mundum: nec solum orbem terræ, verùm etiam Cœlos: quos vtiq, istos aëreos intelligimus: quorum locum ac spacium, tunc aqua crescendo superauerat. Ergo totus, aut penè totus aër iste ventosus (quem Cœlum vel potius Cœlos vocat; sed istos vtique imos, non illos supremos, vbi Sol & Luna & sydera constituta sunt) conuersus erat in humidam qualitatem: atque hoc modo cum terra perierat: cuius terræ vtiq, prior facies fuerat delecta diluuio, &c. Proinde qui Cœli & quæ terra, id est, qui mundus pro eo mundo qui diluuio periit ex eadem aqua repositus est: ipse igni nouissimo reseruatur in diem iudicij & perditionis hominum impiorum.*

TERTIO controuersum est, quonam modo per illam conflagrationem consumentur elementa. Qua de re omissis quibusdam falsis & obsoletis opinionibus, quas refert & confutat facilè hîc D. Thomas artic. 5. statuendum est ex illius & aliorum Theologorum sententia, consumenda esse elementa, non quoad substantiam & qualitates eis proprias (sunt enim sic partes quædam principales ipsius mundi, qui tunc potius perficietur) sed quo ad *qualitates eis permixtas*, secundùm quas quoque nunc quidem sunt apta nostris vsibus, tunc verò pura omnino reddentur & futuro statui beatorum conuenientiora.

Atque in hanc sententiam puto posse etiam accipi quod S. AVGVSTINVS libr. 20. de ciuitate Dei, cap. 16. ita scribit: *Illa conflagratione mundana, elementorum corruptibiliũ qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus cõgruebant, ardendo penitus interibunt, atq, ipsa substantia eas qualitates habebit quæ corporibus nostris immortalibus mirabili mutatione conueniant, vt scilicet mundus in melius innouatus aptè accommodetur hominibus etiam carne in melius innouatis.* Nihil enim impedit quo minus per *qualitates* corporibus nostris corruptibilibus *congruentes*, intelligamus hoc loco qualitates elementorum *alienas, &c.*

Ac probat rursus Augustinus eodem libro, capit. 14. *qualitates* tantum elementorum mutandas, non autem ipsam substantiam; ex eo quòd Apostolus 1. ad Corinth. 7. ait: *Præterit enim figura huius mundi. Figura ergò præterit* (inquit Augustinus) *non natura.*

Denique idem rursus confirmat eodem libro cap. 18. ex eo quòd S. Petrus epist. 2. cap. 3. hominũ impiorum propter magnam quandam commutationem, non dubitat dicere *perditionem* futuram; cum tamen eorum quamuis in æternis pœnis sit mansura natura.

Neque obstat quod Apocalyp. 21. postquam dicitur de Cœlo *nouo*, & de terra *noua* futura, subiungitur: *Et mare iam non est.* Nam vt exponit Augustinus eodem libro, cap. 16. potest id intelligi non propriè de ipso aquæ elemento, sed de hoc *sæculo vitæ mortalium turbulento & procelloso. quod maris*, inquit, *nomine figurauit.* Vel certè potest intelligi de mari quale nunc est, scilicet impurum per admixtionem qualitatum alienarum.

Porrò, ignis qui erit in sua naturali sphæra, cùm ibi non habeat admixtas vllas qualitates alienas, non alterabitur ab illo igne conflagrationis, sed tantùm reliqua elementa, & ignes aliqui qui in inferioribus locis tunc reperientur

Universidad de Deusto
Biblioteca

impuri; Ad eum modum quo vehementior aliquis ignis extinguit tanquam impuriorem, admotam flammam, sicut notauit Sotus in 4. dist. 44. q. 1. art. 1. circa finem,

QVARTO controuersum est, an ignis ille consumet etiam IVSTOS qui tunc reperientur viui. Nam D. Thomas hîc artic. 8. & Sotus in 4. dist. 48. quæst. 1. artic. 2. & alij quidam Theologi in 4. dist. 47. futurum putant, vt etiam iustos ignis ille conficiat, atque ea ratione illos morituros, vt postea cum aliis mortuis resurgant. Addunt tamen diuina virtute futurũ, vt qui iusti nulla purgatione peccatorum indigebunt, nihil doloris inde percipiant; qui autem indigebunt, per illam adustionem purgentur.

Contra verò Richardus in 4. dist. 47. art. 2. q. 5. & alij opinantur, iustos minimè tunc ab illo igne comburendos. Et hæc sententia mihi magis probatur, vtpote iustis, qui tunc viuent benignior, & magis consentanea sententiæ veterum, imò etiam scripturæ. Nam Psalm. 96. cum dicitur: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*: excipi videntur ab illa conflagratione ij qui iusti & amici Dei erunt.

Deinde Ambrosius 2. ad Thessal. 4. & D. Augustinus lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 20. & Anselmus in cap. 15. primæ ad Corinth. sentiunt, iustos illos primùm in ipso raptu, quo iuxta Apostolum 1. ad Thessal. 4. *Rapientur obuiam Christo in aëra*, quasi consopitos breuissimo somno morituros, & subitò resurrecturos diuina virtute, sicut dicemus etiam quæstione sequenti.

Accedit postremò, quòd nulla ratio cogit sequi priorem sententiam. Nam *Primò*, quamuis ignis ille omnia peruasurus sit, tamen poterunt iusti diuina virtute seruari immunes ab illo, sicut seruati fuerunt tres pueri in fornace Babylonis, vt notauit S. Augustinus libr. 20. de ciuitate Dei, cap. 18. *Secundò*, poterunt etiam aliter mori quàm per illum ignem, scilicet in *raptu*, vt iam dictum est. *Tertiò*, per tribulationes illorum dierum e-

runt iam omnes satis expurgati, vt notauimus quæstione præcedenti, p. 3.

QVINTO controuersum est, vnde existet repentè ille tantus ignis? Nam etsi omnes consentiunt, fore illum ignem eiusdem speciei cum eo qui iam est, tamen de modo quo generabitur variæ fuerunt opiniones, vt est videre apud D. Thomam hîc art. 3. Communior autem & verisimilior sententia est ea quam sequitur ibi D. Thomas & alij Theologi in 4. dist. 47. nempe excitatum iri illum tam ingentem ignem ex concursu repentino omnium naturalium causarum, quæ possunt vsquam in mundo conferre ad generationem ignis.

Atque hoc ipsum censuit AVGVSTINVS libr. 20. de ciuitate Dei, cap. 16. vbi inquit: *Tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuij.* Quanquam modum quidem magis specificum & determinatum, quo illud incendium fiet, non possumus scire; nisi quòd fiet procul dubio cõcursus ille tantus, & tam velox causarum gignentium ignem non naturali, sed *supernaturali* Dei virtute, vt D. Thomas hîc & alij Theologi asserunt.

Tradit autem præterea D. Thomas hîc art. 9. quicquid crassum in illo igne erit, descensurum cum impiis ad infernum ad pœnã illorum. Quod autem erit subtile & lucidum, remansurum in partibus superioribus ad gloriã & lætitiam Sanctorum. Et vt verisimile est, tandem ascendet ad sphæram suam naturalem. Hoc enim probabilius puto, quàm quod dicit Richardus in 4. dist. 47. artic. 2. quæst. 7. resolutum iri totum illum ignem in præiacentem materiam aëris, terræ, & aquæ.

QVÆSTIO TERTIA.

De Resurrectione.

Supplem. D. Thom. q. 75. & seq.

AD TRIA PVNCTA REVOCABIMVS EA QVAE POTISSIMVM de Resurrectione annotare conuenit. PRIMVM, an omnino sit futura resurrectio. SECVNDVM, qualisnam sit futura quo ad præcipuas eius circustantias & modum. TERTIVM, qualisnam sit futura ex parte sui termini, id est ipsorum hominum qui resurgent.

PVNCTVM PRIMVM.

An sit futura Resurrectio.

Quæst. 75. art. 1.

RESVRRECTIONIS nomine in proposito intelligimus mutationẽ eam, per quam idem homo qui mortuus fuerit & desierit homo esse, denuò reuiuiscat, & sit rursus homo. Ita ferè resurrectionem describit S. AVGVSTINVS lib. 8. de Trinitate cap. 5. cùm ait: *Quid est autem aliud resurgere nisi reuiuiscere, id est, ex morte ad vitam redire?* Et eodem pertinet, quod Damascenus lib. 4. cap. 28. ait: *Resurrectio est secunda eius quod interiit statio.*

Iuxta hanc igitur vocabuli notionem quærimus, An sit futura RESVRRECTIO mortuorũ. Qua in quæstione varij variè errauerunt. Alij negantes omnino resurrectionem mortuorum futuram. Alij aliter errantes circa modum quo reuera est futura, vt in sequẽtibus videbimus. Nunc tantum priores illi qui omnino futuram resurrectionem negauerunt à nobis refellendi sunt. Fuerunt autem illi partim Ethnici Philosophi olim, partim aliqui ex Iudeis, partim multi veteres Hæretici.

A Philosophis olim negatam & irrisam fuisse resurrectionem mortuorũ, cognoscimus apertè ex his quæ narrat Lucas Act. 18. de Pauli sermone Areopagi habito ad Athenienses. *Cum audissent*, inquit, *resurrectionem mortuorum, quidam irridebãt, quidam verò dicebant; audiemus te de hoc iterum, &c.*

Ex Iudæis quoque certum est, Saducæos similiter negauisse resurrectionem mortuorum. Id enim testatur Matth. cap. 22. *In illo*, inquit, *die accesserunt ad eum Pharisæi, qui dicunt non esse resurrectionem mortuorum.*

Porrò in eodem errore fuerunt, vt dixi, plurimi veteres HÆRETICI. Nempe Simon Magus, teste Epiphanio, hæresi 16. & Augustino hæresi 1. & Hymenæus ac Philetus Pseudoapostoli, qui nullam corporalem resurrectionem agnoscebant futuram, sed tantùm *spiritualem* illam, quæ iam esset facta, ex morte scilicet peccati ad vitam gratiæ. Cuius erroris meminit Apostolus 2. ad Timoth. 2.

Et Carpocratiani, teste Augustino hæresi 7. Et Gnostici, vt apparet ex Irenæo lib. 5. cap. 9. & aliquot sequentibus. Et Marcus quidam. Et Colarbasus, teste Tertulliano in lib. de præscriptionib. Et Cerdon; Et cum hoc cõsentientes Marcion & Apelles, teste eodem Tertulliano ibidem. Et Archontici, teste Augustino hæresi 20. Et Seueriani, teste eodem Augustino hæresi 24. Et Bardesanistæ, teste Epiphanio hæresi 35. & Hierarchitæ, teste Augustino hæresi 47. Et Priscillianistæ, teste Sulpitio lib. 2. sacræ historiæ. Et Seleuciani siue Hermiani, teste Augustino hæresi 59.

Et Cathari, teste Guidone Carmelita in suo Catalogo. Et Bogomiles, teste Euthymio in Panoplia, tit. 23. parte 2. Et Almaricus, teste Bernardo de Luzemburgo in catal. hær. Et Albigenses teste Antonino 3. parte histor. tit. 19. cap. 1. Et Libertini huius tẽpestatis Sectarij, vt de illis refert Caluinus in libro contra Libertinos,

Alij autem quidam errores Origenis, & Eutichij, potius sunt circa modum resurrectionis ex parte *termini* ipsius, quos proinde memorabimus & refellemus p. 3.

NVNC tantummodo probandum est omnino futuram esse resurrectionẽ mortuorum. Quæ assertio apud Orthodoxos omnes vsq; adeò certa est, vt sit etiam vnus ex præcipuis articulis fidei. Nam PRIMO nihil magis compertum est ex sacris litteris, quam resurrectionem esse futuram. Etenim in quibusdam locis manifestissimè asseritur; in aliis autem nõ solùm asseritur, sed etiam argumentis probatur.

PRIMI generis sunt hæc loca: Iob. 19. *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Et Isaiæ 26. *Viuent mortui tui; interfecti mei resurgent: expergiscimini & laudate qui habitatis in puluere.* Et Ezech. 37. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populus meus.* Et 2. Machab. 7. *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.*

Et Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neq; nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in Cœlo.* Et Ioan. 5. *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.* Et Ioan. 11. *Scio, quia resurget in resurrectione in nouissimo die.* Et 1. ad Corinth. 15. *Omnes quidem resurgemus.* Et ad Philipp. 3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum* IESVM *Christum qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Et 1. ad Thessalonicenses 4. *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi, &c.*

SECVNDI generis loca, vbi scilicet resurrectio argumentis etiam probatur sunt hæc. 2. Machabæorum 7. *Sed enim mundi creator qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam.* Et eodem libro capit. 12. *Misit Hierosolymam* (Iudas) *offerri pro peccato sacrificium, bene & religiosè de resurrectione cogitans; nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum & vanum videretur orare pro mortuis.*

Et Matth. 22. *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum sed viuentium.* Quo loco *efficaciter et subtilissimè* Dominum resurrectionem futuram probauisse, ait non immeritò D. Thomas hic artic. 1. ad 2. Nam sola anima Abrahæ propriè loquendo non est ipse Abraham, sed pars Abrahæ. Et sic de Isaac & Iacob. Itaque nisi Abraham ipse, & Isaac, & Iacob fuissent victuri, atque adeò in *potentia saltem* essent viuentes; non rectè & propriè dictus esset *Deus Abrahæ, Isaac & Iacob*, tanquam *viuentium*, & non mortuorum.

Et ad Rom. 5. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum; multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabũt per vnum* IESVM *Christum.* Item 1. ad Corinth. 15. *Si autem Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est; neque Christus resurrexit*: quia scilicet oportet inter caput & membra esse conformitatem. Et rursus: *Si*, inquit, *in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*; quia scilicet careremus mercede quo ad corpus, quod mortificatur in hac vita per pœnitentiam & pios labores, & quod meretur vnà cum anima remunerationem bonorum operum, tanquam instrumentum illorum. Et rursus ibidem: *Christus surrexit à mortuis primitia dormientium; quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*; ne scilicet alioqui plùs potuerit nocere Adam quàm Christus prodesse, contra illud: *Vbi abundauit delictum, superabundabit gratia.*

Et rursus ibi: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* id est, vana esset fides illorum de resurrectione, qui adeò illam futuram credunt, (in quo quidem erant laudandi) vt etiam putarent (licet falsò) Baptismum suscipiendum pro mortuis, tanquam pro resurrecturis scilicet. De quo vide D. Thomam in hunc locum, lect. 4. Vel, qui se lachrymis pœnitentiæ, orationibus, ieiuniis, pro salute mortuorum affligunt, vt alij exponũt, iuxta scripturæ phrasim, qua passio & afflictio nominari solet *Baptismus*, vt Marc. 11. & Luc. 12. sicut etiã nominatur à Gregorio NAZIANZENO in oratione de Epiphania.

Item ibidem: *Si omnino mortui non resurgunt, etc. vt quid & nos*, inquit, *periclitamur omni hora?* id est, frustrà nos exponeremus tot vitæ periculis. Et rursus: *Si mortui non resurgunt, manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* quasi dicat; laxandæ tunc essent habenæ huius vitæ voluptatibus. Et rursus: *Dicit aliquis: Quomodo resurgunt mortui? quali autem corpore venient? Insipiens, tu quod seminas, non viuificatur nisi priùs moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, vtpote tritici aut alicuius caterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuiq; seminum proprium corpus, &c.* quasi dicat; poterit igitur similiter in resurrectione reddere vnicuiq; proprium suum corpus, quod in morte fuit tanquam seminatum. Itaq; Apostolus hoc loco resurrectionem futuram esse non modò affirmat, sed variis etiam rationibus argumentatur.

SECVNDO, eandẽ fidei veritatem profiteturEcclesia, tanquam præcipuum quendam fidei articulum, in omnibus fidei symbolis, scilicet in Apostolico: *Carnis resurrectionem.* & in Nicæno: *resurrectionem mortuorum.* & in symbolo Athanasij: *ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, &c.*

TERTIO, Patres etiam omnes tam sæpè, & tam luculenter resurrectionem futuram asserũt, vt sit superuacaneum eorum hac de re recitare sententias. Itaque tantummodo aliquos indicabo, qui ex instituto etiam hanc fidei veritatem argumentis confirmauerunt. S. Irenæus libr. 5. ferè per totum. S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 18. S. Gregorius Nyssenus in disputatione de resurrectione & anima cum sorore Macrina. Tertullianus in libro de resurrectione carnis. Cyprianus in libro de Mortalitate. Methodius in libro de fide resurrectionis. S. Hieronymus in epistol. 61. ad Pammachium contra errores Ioannis Hierosolymitani, & in epist. 152. ad Minerium & Alexandrum. S. Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei per multa capita. S. Gregorius lib. 14. Moralium, cap. 29. & seq. S. Ioannes Damascenus lib. 4. de fide, cap. 28. &c.

QVARTO probatur eadem veritas ratione. Nam si Resurrectio futura non est, ideo potissimùm futura non esset quoniam sit impossibilis, vt Philosophi censebant, sicut ex Augustino apparet lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 12. & 25. At resurrectio omnino est possibilis. Ergo non est cur negetur futura. Minor probatur. Nam eadem *vis* caussarum partim formaliter, partim eminenter, per quam homo aliquis fuit productus, antequam esse inciperet, suppetit postea, cum per mortem esse desiit. Ergo sicut per eam caussarum vim potuit homo quiuis secundùm rationẽ suam tum specificam, tum *individuam* produci cum non fuisset, ita etiam poterit postquam per mortem desiit esse; quod erit resurgere.

Consequentia est euidens. *Nam posse aliquid produci* siue antequam fuerit, siue postquam fuerit, nihil aliud est quàm suppetere caussas per quarum vim atque potestatem illud possit produci: siquidem *Esse possibile*, seu *potentiale* cuiusq; effectus est ipsum *Esse* caussarum illius, quatenus habent vim illum producendi, & eo ipso *possunt* illum producere.

Antecedens verò probatur. Nam vis caussarum, per quam homo cum nondum esset, & vt *homo*, & vt talis homo *individuus* productus est, partim fuit vis effectiua caussarum *secundarum*, tum vniuersalium, tum particularium, vt Solis, & hominis generantis hoc loco, hoc tempore, cum his conditionibus, &c. atque adeò producentis vltimas dispositiones ad ipsam vnionem animæ & corporis: partim vis item effectiua caussæ *primæ*, hoc est ipsius Dei, qui maximè etiam dispositiones vltimas, & ipsam vnionem animæ & corporis effecit: partim vis tum *formalis*, tum *finalis* ipsius animæ rationalis, quæ tanquam forma videlicet, & finis intrinsecus generationis concurrit ad cõstitutionem ipsam hominis: partim denique vis *passiua* materiæ primæ, quæ *subiectiuè* etiam concurrit ad constitutionem hominis, & cuius potentia *mediatè* vel *immediatè* (prout quis opinetur accidentia esse vel in materia, vel in toto composito) vi caussarum efficientium eductæ fuerunt vltimæ dispositiones ad animam rationalem, atq; adeò ad vnionem eius cum materia, & cum corpore: siue *Esse corporeum* in materia sit ab eadem illa anima rationali, siue ab alia quadam forma, ad quam materia disponatur per illas easdam dispositiones vltimas.

Omnis autem hęc caussarum vis partim *formaliter*, partim *eminẽter*, (quod abundè sufficit) suppetit quoque postquam homo per mortem esse desiit, sicut in Antecedente illo nostri argumenti assumpsimus. Nam *formaliter* quidem manet eadem vis effectiua præcipua caussæ *primæ* vniuersalis, nempe Dei. Item vis *formalis* & *finalis* ipsius rationalis animæ, quæ nimirum eadem numero incorrupta supereſt. Item vis *passiua* materiæ primæ quæ itidem est incorruptibilis. *Eminenter* autem manet ac supereſt in ipso Deo tota vis effectiua, tum caussarum *particularium*, puta hominis hic & nunc, & per has qualitates, siue organa generantis, &c. Tum etiam caussarum secundarum *vniuersalium*, vt Solis, &c. (quæ ad resurrectionem quidem non concurrent effectiuè) Igitur poterit idem homo, & vt *homo*, & vt *talis* homo, qui per mortem esse desiit, denuò produci per hanc omnem caussarum vim, scilicet formalem & finalem animæ, passiuã materiæ, effectiuam eandemq; eminentissimam Dei, qui propter sui infinitatem, vt efficiat hunc aut illum effectum, minimè pendet ab vllis causis secundis efficientibus, aut ab vllis conditionibus loci vel temporis, &c. sicut pendent alioqui caussæ creatæ, quæ idcirco nõ possunt reproducere eundem effectum numero.

Fiet autem hæc reproductio, atque adeò resurrectio eiusdem hominis ad hunc modum, diuina virtute, hoc ipso quòd diuinitus reproducentur, *eadem vltimæ dispositiones* ad vnionem animæ rationalis & materiæ, itemque *idem Esse corporeum*, quod erat cum illis vltimis dispositionibus connexum; Et denique *eadem ipsa vnio* formaliter animæ, & materiæ affectæ etiam *corporeo Esse*: quæ omnia tria scilicet *vltimæ dispositiones*; *Esse corporeũ humanum*; & *vnio illa*, per mortem antea Esse desierant, quamuis nõ absolutè anima ipsa vel materia; quarum habitudo substantialis ad inuicem, per hoc quod anima informat materiam, & materia vicissim recipit subiectiuè animam ab eaq; perficitur, est formaliter illa *vnio*.

Hæc certè ratiocinatio clarè ostendit, non esse cur resurrectio futura, tanquam impossibilis negetur, & totam hanc de resurrectione quæstionẽ illustrat, & errores dispellit Durandi in 4. dist. 43. & 44. malè de resurrectione philosophãtis, dum negat per vllam potentiam reproduci posse *illud ipsum*, quod penitus fuerit extinctum, contenditque non aliter quàm secundùm *eandem* animam rationalem, *eundem* hominẽ qui mortuus fuerat resurrecturum esse. Quæ quam sint falsa, & à vera fide resurrectionis aliena ex his quæ disseremus, p. 3. clariùs apparebit.

Nunc illud non omittendum, huius nostræ ratiocinationis vim à sancta illa matre Martyrum Machabæorum, 2. Machab. 7. fuisse indicatam, dum ad futuræ resurrectionis spem filiorum animos ea consideratione excitauit; quòd *mundi*, vt inquit, *creator, qui formauit hominis natiuitatẽ, quiq; omnium inuenit originem* (tanquam is videlicet, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

eminentissimo modo omnem vim effectiuâ habet) *spiritum esset illis iterum cum misericordia redditurus & vitam*: quem locum suprà recitauimus.

QVINTO, potest etiam fides resurrectionis ea ratione confirmari, quòd *beatitudo æterna* in clara Dei visione & fruitione consistens, non tantùm solius animæ rationalis, sed imprimis ipsius hominis ex anima & corpore constantis est vltimus finis. Hunc autem finem in hac vita consequi homo non potest vt docuimus, Tom. 1. disputat. 1. quæst. 12. Ergò supereſt vt eam beatitudinem cõsequi possit post hanc vitam, denuò per resurrectionem homo existens: ne alioqui fatendum sit, nullum fore hominis statum, in quo *homo ipse* ex anima scilicet & corpore cõstitutus finem suum vltimum assequi valeat, quod minimè est verisimile.

SEXTO potest deniq; pro eadem fide resurrectionis duci alia ratio ex *iustitia diuina*. Nam si homines resurrecturi non sint, nec ad illorum corpora præmiũ æternæ beatitudinis (eo modo quo explicabimus q. 5.) redundaturum; non remuneraretur post hanc vitam labores & opera bona piorum, quæ exercuerunt *per corpora*. id quod esset abhorrens à præstantia diuinæ iustitiæ.

Qua ratione S. DIONYSIVS in libro de Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. confutauit eos qui animas non eadem corpora, sed alia quædam resumpturas fingebant. *Iniuriis*, inquit Dionysius, *quantum in se est afficientes corpora, quæ cum sanctis animabus laborarunt, sacrisque retributionibus parum honestè priuantes, quæ ad finem sanctissimi cursus peruenerunt*.

Porrò rationes negantium futuram resurrectionem nullius momenti fuerunt. PRIMO, Philosophi cõtendebant rem esse impossibilem. SED id falsum esse iam ante ostendimus.

SECVNDO, iidem obiiciebant non posse sine variis difficultatibus, & absurdis defendi resurrectionem, propter eos videlicet qui vitam hanc finiunt aut vix formati in vteris maternis, aut insigni aliquo vitio corporis mõstrosi & deformes, aut qui humanis aliorum hominum carnibus vesci & nutriri essent assueti, &c. Quærendo enim qualesnam essent omnes illi resurrecturi, solebãt Philosophi resurrectionem futuram irridere, vt memorat D. AVGVSTINVS libr. 22. de ciuit Dei, cap. 12. SED his quæstionibus ex eiusdem Augustini, & aliorum Theologorum sententia non difficulter satisfaciemus, p. 3.

TERTIO, Hæretici veteres, qui resurrectionem negarunt, illud Apostoli inprimis obiiciebant: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*. 1. ad Corinth. 15. sicut refert S. Irenæus libro 5. cap. 9.

SED in promptu est responsio quæ ibidem ab IRENÆO adhibetur & ab aliis Patribus. Appellat enim ibi Apostolus *carnem & sanguinem*, vel ipsa opera praua, quæ sunt non secundùm spiritum, sed secundùm *carnem*: vel naturam hominis, A vt est nunc *corruptioni* & peccatis obnoxia: vel eandem hominis naturam *nudam*, sine præsidio gratiæ & adiutorio Spiritus sancti consideratam: vel certè hæc omnia tria, quorum nullum vt patet regnum Dei possidere poterit. Poterit autem illud possidere caro cum resurrexerit *in incorruptione*, (iuxta eundem Apostolum illûc) & *munere diuino, &c.*

POSTREMO libertini Sectarij, quos suprà memorauimus, resurrectionem non aliam expectandam esse contendebant præter eam quæ est à peccato in statum gratiæ. SED hic ipse fuit error Hymænei & Phileti ab Apostolo disertè confutatus 2. ad Timoth. 2. vt suprà etiam diximus. Et contra illum clamant omnes scripturæ à nobis allatæ.

PVNCTVM SECVNDVM.

Qualis futura sit Resurrectio, quo ad modum & præcipuas circumstantias eius.

Quæst. 76.

IN MODO & CIRCVMSTANTIIS futuræ Resurrectionis quatuor præcipuè considerari possunt. PRIMO, virtus caussæ principalis, quę operabitur resurrectionem; itemq; caussæ tum instrumentales, tum ministeriales quibus ad eum effectum caussa principalis vtetur. SECVNDO, cõditio seu modus termini *à quo* resurrectionis. TERTIO, tempus quo fiet resurrectio. QVARTO, celeritas qua fiet.

Quo ad PRIMVM attinet, constat resurrectionem ipsam, vt consistit propriè in *iterata vnione* animæ & corporis, & *vltima dispositione* materiæ ad illam, nullius caussæ naturalis virtute, sed solius Dei potentia perfectum iri. Nam vt p. 1. diximus, nulla caussa naturalis potest reproducere idẽ numero. Item quia à priuatione ad habitum naturaliter non fit regressus, qualis erit à morte ad vitam in resurrectione. Vnde illuminatio cæcorũ, & suscitatio mortuorũ, tanquam maxima Christi miracula in Euangelio cõmemorantur, quia nemo propria virtute potest hæc facere præter Deum, sicut fecit illa Christus vtputa verus Deus; Iuxta illud quod ipse dixit Ioan. 15. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberẽt*; quia scilicet nemo alius tale quidpiam fecit virtute propria, vt interpretatur D. AVGVSTINVS tract. 90. in Ioannem, sub finem.

Quocirca rectè docet D. Thomas hîc quæst. 75. art. 3. & alij Theologi in 4. dist. 43. resurrectionem simpliciter & absolutè loquendo non fore naturalem, sed *supernaturalem*. Nam ex parte *principij* erit supernaturalis. Tametsi *terminus* quidem illius *si absolutè consideretur*, quiddã naturale futurum sit, nempè ipsum *Esse hominis*. Dico autem *si absolutè*

absolutè consideretur, quia si consideretur cum relatione & habitudine ad terminum à quo, scilicet vt est Esse hominis post mortem, aliquid est supernaturale.

Vnde etiam S. Dionysius cap. 6. de diuinis nominibus, diuinũ quiddam & supernaturale censuit esse mysterium futuræ resurrectionis, cùm ita ibi ad Timotheum scribit: *Quod verò*, inquit, *longè diuinius est, nos totos, animos dico & socia corpora, ad perfectam vitam & immortalitatem transferre pollicetur* (Deus.) *Quod veteribus quidem præter naturam esse videatur* (id est extra numerũ eorum quæ possint vllo modo fieri) *mihi verò tibiq; & veritati, & diuinum & suprà naturam, vt est, videtur. Supra naturam nostram dixerim visibilem, non suprà omnipotentem illi per se & diuinæ vitæ æqualem*.

Caussa verò *instrumentalis* futuræ nostræ resurrectionis erit *Primò* Christi humanitas, & eius etiam resurrectio (quantumuis præterita) eo modo quo explicauimus suprà disp. 2. q. 5.

Secundò, caussa item instrumentalis futuræ resurrectionis & vitæ immortalis, ex sententia S. Irenæi lib. 5. cap. 2. & aliorum Patrum, imò ex Domini sententia Ioan. 6. rectè statui etiam potest sanctissimum Sacramentum *Eucharistiæ* dignè in hac vita vsurpatum. Iuxta illud nimirum quod ait Dominus Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Et infrà: *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*.

Et clarissimè S. IRENAEVS loco citato: *Quemadmodum*, inquit, *lignum vitis depositum in terra, suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum, multiplex surgit, per spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in vsum hominibus veniunt, & percipientia verbum Dei, Eucharistia fiunt, quod est corpus & sanguis Christi: sic & nostra corpora ex ea nutrita & reposita in terram, & resoluta in ea resurgent, in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei patris*. Ac similia scribunt Gregorius Nyssenus in orat. catechetica, cap. 37. Et Cyrillus Alex. lib. 10. in Ioan. cap. 13. Quomodo autem possit effectus diu post consequi ex vi supernaturalis caussæ suæ instrumentalis, explicauimus disp. 1. q. 13. & disp. 2. q. 3. & 5.

Tertiò, caussa itẽ instrumentalis futuræ resurrectionis erit vox illa Christi ad iudiciũ venientis. De qua sic ipse, Ioan. 5. *Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est* (scilicet in hac extrema mundi ætate) *quando mortui audient vocem filij Dei. & qui audierint viuent*. Et paulò inferius: *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicij*.

Quæ Christi vox ita mortuos suscitabit, sicut solet vox magna sono suo excitare dormientem, & simul ab illo excitato audiri, vt explicuit diuus Thomas hîc art. 2. ad 2. Itaque, vt plerique Theologi rectè sentiunt, & indicat etiam ipsa Scriptura, vox hæc articulata & propriè dicta vox erit, A in illam scilicet vel similem sententiam, quam D. Hieronymus in regula Monacharum, cap. 30. & alibi, dicit: *Surgite mortui & venite ad iudicium*.

Et vt non naturaliter sed supernaturaliter hęc vox suscitabit mortuos tanquam instrumentum diuinę virtutis, ita etiam non nisi supernaturaliter audietur ab omnibus *vbique* mortuis per orbem. De qua proinde voce Cassiodorus interpretatur illud Psalm. 67. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis*, ad suscitãdum scilicet mortuos, vt etiam refertur in Glossa ordinaria.

Nec audietur hæc sola vox, sed etiam ingens sonitus vbiq; ab Angelis, & præsertim ab Archangelo Michaële, ad maiorem terrorem & expectationem iudicij excitandam edetur. Iuxta illud quod ait ipse Dominus Matth. 24. *Et mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, &c.* Et illud Apostoli 1. ad Cor. 15. *In nouissima tuba, canet enim tuba & mortui resurgent incorrupti*. Et 1. ad Thess. 4. *Quoniam ipse Dominus in voce, & in iussu Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi, &c.* TVBA autem vocatur vox Angelica propter magnitudinem. Et propterea quòd in veteri Testamento *tubæ* sonitu solebat signum dari, ad res præsertim maiores.

Etsi autem non desint, qui per *vocem* Christi & Archangeli, & *tubam*, vnam & eandem vocem intelligunt; imò qui ne vocem quidem vllam propriè tunc futuram existiment, sed his omnibus nominibus tantum significari aduentum ipsum & præsentiam Christi *efficaciter* operantis resurrectionem mortuorum: Tamen non video vllum absurdum, in eo, quòd prædictas Scripturæ sententias intelligamus vt sonant, de distinctis vocibus Christi & Angelorum, quemadmodum diximus.

Quartò, ministeriales præterea caussæ resurrectionis erunt Angeli, colligendo scilicet vndequaque cadauerum partes, siue etiam puluereș seu cineres, & compingendo & præparando, vt in materiam illorum introducantur à solo ipso Deo *vltimæ dispositiones* requisitæ, atque adeò vnaquæque anima naturalis suo proprio corpori reuniatur. Itaque quamuis Angeli non efficient quidem resurrectionem, hoc est, vnionem animæ & corporis & dispositionem vltimam ad illam, tamen per illud ministerium colligendorum & compingendorum corporum cooperabuntur quodammodo ad resurrectionem. Et eatenus habebit etiam hîc locum quod AVGVSTINVS dicit lib. 3. de Trinitate, cap. 4. *quemadmodum corpora crassiora & inferiora per subtiliora & potentiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum, &c.* Et quod in eandem sententiam ait S. GREGORIVS lib. 4. Dialog. cap. 5. in omnibus quæ corporaliter à Deo fiunt, vti Deum ministerio Angelorum.

Traditur autem hæc doctrina communiter à Theologis in 4. dist. 43. Et colligitur etiam ex il-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis verbis Domini Matth.24. *Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cœlorum vſque ad terminos eorum*, id eſt, vndequaq;. Ex quibus verbis ſimul quoque licet colligere miniſterio item Angelorum homines omnes iam ſuſcitatos, eſſe congregandos in *locum* vbi ſunt iudicandi, iuxta ea quæ ſequenti quæſtione trademus.

Colligent autem Angeli Primò cadauerum pulueres in eum locum vbi materiæ cadaueris cuiuſque plus erit: ſiquidem ibi credibile eſt quemque ſuſcitatum iri; Et credibilius adhuc, vnumquemq; ſuſcitatum iri in eo loco, vbi erit cadauer eius totum vel penè totum. Si autem pulueres alicuius pariter per diuerſa loca longè diſtantia diſperſi ſint, credibile eſt, eos miniſterio Angelorum eſſe deferendos, vel ad locum forte in quo quis mortuus fuit, vt vbi occubuit ibi reſurgat: vel, quod magis puto, ad locũ ipſum futuri *iudicij*, vt ibi homo reſurgat. Quandoquidem eo eſſet alioqui poſt reſurrectionem deferendus, & non videtur eſſe vrgens ratio, cur debeat quis magis in vno quàm in alio loco reſurgere, ſi in nullo vno loco ſit vel tota ipſius materia, vel maior aliqua ſeu notabilis pars ipſius. Nam Dominus Ioan. 5. tantummodo indicat, ibi vnumquemque reſurrecturum, vbi corpus eius iacebit, vel quo ad totam ipſius materiam, vel quo ad notabilem eius partem, cum ait: *Venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem eius, &c.*

Porro in hoc toto miniſterio Angelico rectè cenſet D. Thomas hîc art. 3. ad 2. præcipuas partes fore Archangeli MICHAELIS. Tum quia eſt Princeps Eccleſiæ, ſicut fuit olim *Princeps* Synagogæ Danielis 12. Tum quoniam id ſubindicat Apoſtolus 1. ad Theſſal. 4. cum ait deſcenſurum Dominum, atque adeò futuram reſurrectionem *in iuſſu & voce Archangeli, &c.*

Quanquam Magiſter quidem ſententiarum in 4. diſt. 43. per *Archangelum* hoc loco intelligit ipſum Chriſtum Dominum, qui eſt Princeps Archangelorum. Sed tamen Apoſtolus de Archangelo ibi loquitur tanquam de alio quodam diuerſo ab ipſo Domino, qui *deſcendet in voce Archangeli, &c.* Nec quicquam obſtat quo minus interpretemur illum locum ab ipſo Archangelo Michaële. Hæc de PRIMO.

Quod ad SECVNDVM attinet, ſcilicet *quænam ſit futura conditio termini à quo reſurrectionis*: Imprimis non dubitatur, quin neceſſe ſit vt *mors* præcedat reſurrectionem: *Mortui* namque *reſurgent*, vt ait Apoſtolus 1. ad Theſſal. 4. Et vt ait Damaſcenus lib. 4. cap. 28. *Reſurrectio propriè non eſt niſi eius quod cecidit & interiit.* Sed QVAESTIO nonnulla eſt, an etiam in omnibus & ſingulis terminus *à quo* reſurrectionis erit omnimoda corporum reſolutio & *incineratio*.

Nam D. Thomas hîc q. 78. art. 2. & quidam alij Theologi, ita putant, propter duas potiſſimum Scripturæ ſententias. Prima eſt Gen. 3. vbi homini poſt peccatum dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis.* Quod generatim intelligitur pertinere ad omnes poſt peccatum. Secunda eſt ad Philipp. 3. *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Ex quo infert diuus Thomas, futurum vt prius deformetur corpus per diſſolutionem & incinerationem.

Alij autem contra ſentiunt, non omnium futuram incinerationem. Quod arbitror eſſe verius. Nam vt omittam corpus beatiſsimæ Virginis, cui ſingulari priuilegio poſt Chriſtum, piè creditur contigiſſe, vt reſurgeret antequam incineraretur; Iuſti qui in aduentu Domini ſuperſtites reperientur, ſine mora, & ante incinerationem reſurgent, ſtatim ac mortui fuerint cum *rapientur obuiam Chriſto in aëra.* Iuxta Apoſtolum 1. ad Theſſal. 4. vt q. præcedenti p. 3. aſſeruimus ex Auguſtini ſententia lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 20. & aliorum.

Ad teſtimonium autem illud Gen. 3. reſpondeo cum eodem Auguſtino illîc, vbi ita ſcribit: *Nec ab illa ſententia qua homini dictum eſt: Terra es & in terram ibis: futuros illos ſanctos arbitremur eſſe immunes: ſi eorum morientium in terra non recident corpora: ſed ſicut in ipſo raptu morientur, ita & reſurgendum feruntur in aëra. In terram quippe ibis: id eſt, in hoc ibis amiſſa vita quod eras, antequã ſumeres vitam: id eſt, hoc eris exanimis quod eras antequam eſſes animatus. Terra quippe inſufflauit Deus in faciem ſtatum vitæ, cum factus eſſet homo in animam viuã. Tanquam diceretur: Terra es animata quod non eras: terra eris exanimis ſicut eras. Hoc ſunt & antequam putreſcant omnia corpora mortuorum, quod erunt & illa ſi morientur vbicunque moriantur cùm vita carebunt, quam continuò receptura ſunt.*

Ad alterum verò teſtimonium ex Apoſtolo ad Phil. 3. facilior adhuc eſt reſponſio. Nam primò vt intelligamus, *reformatum* iri corpus noſtrum, non eſt neceſſe præcedere deformationem eius per incinerationem, ſed ſatis eſt ſi præcedat eius deformatio per *mortem*. Secundò, quamuis ne moreretur quidem prius, tamẽ hoc ipſo ſatis ſuperque reformabitur, quod acquiret tunc claritatem, & alia præclariſsima dona, quibus *configurabitur*, vt ait Apoſtolus, *corpori claritatis Chriſti*, vt docebimus quæſt. 5. Hæc de SECVNDO.

Quod ad TERTIVM attinet, ſcilicet *quonam tempore fiet reſurrectio*; conſtat imprimis ex Scriptura, futuram ipſo die *iudicij extremi*, qui erit mundi vltimus. Id patet Iob 19. *In nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum.* Et Ioan. 6. *Ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Et Ioan. 11. *Scio quia reſurget in reſurrectione, in nouiſſimo die.* Et 1. ad Theſſal. 4. Apoſtolus coniungit reſurrectionem futuram cum *deſcenſu* Domini de cœlo, *in iuſſu & in voce Archangeli, &c.*

Deinde,

Deinde, rectè aſſerit D. Thomas hîc q. 77. art. 3. & alij Theologi, credibile eſſe reſurrectionem futuram in illius diei *crepuſculo*, Sole exiſtente in Oriente & Luna in Occidente. Tum quia in tali diſpoſitione Sol & Luna creduntur eſſe creata, & ſic eorum motus circularis complebitur per reditum ad idem punctũ. Tum quia in crepuſculo etiam ſurrexit Dominus, vt vidimus in diſp. 2. quæſt. 5.

Neque obſtat illud Matth. 25. *Media autem nocte clamor factus eſt; ecce ſponſus venit, exite obuiam ei.* Quem clamorem AVGVSTINVS in lib. de gratia noui & veteris Teſtamẽti dicit ſignificari per nouiſſimam tubam, de qua ſuprà diximus. Non inquam hoc obſtat. Nam vt reſpondet Magiſter in 4. diſt. 43. ex eodem Auguſtino illîc, *media nocte* ſignificatur ibi venturus Dominus, accipiendo mediam noctem, non pro hora illa temporis nocturni, ſed pro tempore *occulto & improuiſo*. Dies enim Domini *ſicut fur in nocte ita veniet*. 1. ad Theſſ. 5. Et vt ait idem Dominus Matth. 24. *De die illa & hora nemo ſcit.* Quod quemadmodum intelligi debeat explicauimus q. præcedenti p. 1.

Addit tamen Magiſter ex Caſsiodoro, non eſſe improbabile, venturum Dominum media nocte, atq; adeò futuram tunc reſurrectionem, illuſtrante tamen Domino omnia fulgore ſuo: Iuxta illud: *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, &c.* Matth. 24. Sed tamen credibilius eſt, quod in *crepuſculo* hæc fient, vt antea diximus.

Fiet autem reſurrectio omnium *ſimul*, ſi fieri ſimul intelligamus, quod fit ſub idem tempus breuiſsimum & quaſi imperceptibile; iuxta id quod ſtatim dicemus: non autem ſi dicatur ſimul fieri quod fit in vno & eodem ſimpliciſsimo Inſtanti, vt rectè etiam notauit Durandus in 4. diſt. 43. q. 4. Et patet ex eo, quod iuſti qui tunc viui reperientur, morientur & reſurgent (cum rapientur ſcilicet obuiam Chriſto in aëra 1. Theſſal. 4.) *poſtquam* reſurgent alij, qui ante mortui fuerint. Hæc de TERTIO.

Quod ad QVARTVM attinet, ſcilicet *quàm celeriter futura ſit reſurrectio*; conſtat ex Apoſtolo 1. ad Cor. 15. quàm celerrimè futuram. *In momento*, inquit, *in ictu oculi, in nouiſſima tuba, canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, &c.* Etenim *vnio* ipſa animæ & corporis, atque adeò diſpoſitio *vltima* materiæ, in Inſtanti à Deo fiet.

Congregatio autem & præparatio puluerum, celerrimè etiam fiet, miniſterio Angelorũ: quippe quibus natura corporea quo ad motum localem, per quem illi pulueres colligentur, obedit ad nutum. Iuxta ea quæ tradidimus Tomo 1. diſp. 5. q. 1. p. 4. Vnde S. AVGVSTINVS lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 20. affirmat, *in membra ſine fine victura inæſtimabili facilitate & velocitate reditura antiquiſsimorum cadauerum pulueres.*

PVNCTVM TERTIVM.

Qualiſnam futura ſit Reſurrectio ex parte ſui termini, id eſt, ex parte reſurgentium.

D. Thom. q. 79. & ſeq.

HOc loco imprimis ſtatuendum id eſt, quod & Scripturæ planè conſentaneum eſt, & grauiores authores ſentiunt; nempe *omnes* omnino homines reſurrecturos, atq; etiam omnes morituros. Ita enim colligitur apertè ex his Scripturæ locis: Pſal. 88. *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem?* Et ad Rom. 5. *In omnes homines mors pertrãſiit.* Et 1. ad Cor. 15. *Per hominem mors & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Et ibidem: *Tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur.* Et rurſus: *Omnes quidem reſurgemus.* Et 2. ad Cor. 5. *Dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino, &c. Audemus autem & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore & præſentes eſſe ad Dominum.* Quaſi hoc ſcilicet nequeat fieri niſi relicto corpore per mortem. Et ad Hebr. 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori: poſt hoc autem iudicium.*

Ita etiam ſenſit Auguſtinus lib. 20. de ciu. Dei, cap. 20. Et Ambroſius 1. ad Theſſ. 4. Et alij Patres. Atq; ita etiã habet *communior & ſecurior* ſententia Theologorũ, vt inquit D. Thomas hîc q. 78. art. 1. Quamuis aliquos tranſituros ſine morte ad vitã immortalem, ſenſit Epiphanius hæreſi 64. & Hieronymus in epiſt. ad Marcellam; Et quidam recentiores. Sed tamen ad ea quę ſuffragari videntur huic ſententiæ facilè reſponderi poteſt.

Primum eſt, quòd Apoſtolus 1. ad Theſſ. 4. indicare videtur, eos iuſtos, qui in aduentu Domini viui reperientur, non morituros: cum *eorum perſonas in ſe atque illos qui tunc ſecum viuebant tranſfigurans* (vt ait Auguſtinus lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 20.) ita ſcribit: *Mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi: deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus.*

Reſpondeo cum AVGVSTINO loco citato, iuſtos illos qui tunc viui reperientur ad *immortalitatem per mortem mira celeritate in ipſo raptu tranſituros*, vt p. præcedenti diximus. *Ad hunc autem ſenſum*, inquit Auguſtinus, *ipſe Apoſtolus nos videtur vrgere, vbi dicit: In Chriſto omnes viuificabuntur: cum de ipſa loquens reſurrectione corporum dicat: Tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur. Quomodo igitur quos viuentes hic Chriſtus inueniet, per immortalitatem in illo viuificabuntur, niſi prius moriantur.*

Atque ibidem pulchrè declarat Auguſtinus, nec ex eo, quod Apoſtolus ait: *Et ſic ſemper cum Domino erimus*; ſequi eos iuſtos non morituros in illo raptu. *Non ſic*, inquit, *accipiendum id eſt, tanquam in aëre nos dixerit ſemper cum Domino eſſe manſuros:*

suros: quia nec ipse vtiq; manebit, quà veniens transiturus est. Venienti quippe ibitur obuiam, non manenti. Sed ita cùm Domino erimus: id est, sic erimus semper habentes corpora sempiterna, vbicunque cum illo fuerimus.

Fatendum est autem, sequi ex hoc Apostoli loco, iustos illos qui tunc viui reperientur, aliquãto *post* resurrecturos quàm alios mortuos. Siquidem morientur atque adeò resurgent, quando cum aliis iam antea mortuis in Christo, & tunc per resurrectionẽ *viuis*, rapientur obuiam Christo in aëra. Sed tamen omnes nihilominus dici ac censeri possunt resurrecturi *simul*, prout simul fieri dici potest quod fit sub idem tempus breuissimum, vt p. præcedente annotauimus.

Secundum, quod illi sententiæ suffragari videtur, est illud 1. ad Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed nõ omnes immutabimur.* Vbi significari videtur, omnes quidem translatum iri ad aliam quandam vitam immortalem; sed non omnes immutatum iri scilicet per *mortem*.

Respondeo, locum istum variè legi. Nam editio vulgata habet sicut iam recitauimus: Et *ita in plerisq; codicibus* iam olim legi solitum affirmat sanctus Avgvstinvs in lib. de octo quæstionibus Dulcitij q. 3. In aliquibus autem codicibus tempore etiam Augustini legebatur hoc modo: *Omnes dormiemus, sed non omnes immutabimur*, vt testatur ipse Augustinus loco citato. Et lib. 20. de ciu. Dei, cap. 20. Codices autem græci nunc habent contrario modo, scilicet: *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur: πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.*

Quocunque autem modo ex his tribus locus hic legatur, nihil suffragatur eorum sententiæ qui putant aliquos non morituros. Nam si legatur, vt habet editio *vulgata*, manifestè potius ex illo confirmatur sententia nostra. Quid enim clarius quam illud: *Omnes quidem resurgemus?* Neque enim *resurrectio fieri potest nisi mors præcesserit*, inquit Augustinus loco citato. Quod & euidenter ibi confirmat ex Apostolo in eam sententiam illic dicente: *Tu quod seminas nõ viuificatur, nisi prius moriatur.* Itaque quod additur: *Sed non omnes immutabimur*, nequit intelligi de immutatione per *mortem*, sed de immutatione per conditionem corporis *glorioſi* & statum vitæ *beatæ*. Quo pacto non omnes qui resurgent immutabuntur, sed soli iusti.

Si autem locus ita legatur, vt teste Augustino legebatur olim *in plerisque codicibus*, scilicet: *Omnes dormiemus, &c.* manifestè etiam sic suffragatur nostræ sententię. Neque enim *dormitionem* (vt rectè illic Augustinus ait) *possumus illic intelligere nisi mortem.*

Si autem legatur locus vt iam habetur in Codicibus *græcis*, scilicet: *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur*: sensus erit, die illo nouissimo quo veniet Dominus, non esse futuros omnes iam ante mortuos; omnes aũt etiam qui tunc viuent immutatum iri per *mortem*. Itaque sic etiam lectus iste locus suffragatur nobis. Nam quod iuxta eam lectionem dicitur: *Omnes autem immutabimur*; cum nequeat intelligi de immutatione per gloriam (non enim ea immutatio continget omnibus) necesse est intelligi de immutatione per *mortem*, atque adeò etiam per resurrectionem.

Porrò in hac varietate lectionis meritò præferri debet nostra lectio editionis *vulgatæ*, cùm de hac editione, & non de vlla alia, expresè Ecclesia definierit quod sit Authentica in Concilio Tridentino sess. 1. sicut Tom. 3. disp. 1. q. 1. p. 7. latius asseruimus.

Tertium, quod videtur fauere sententiæ illi, est id quod in symbolo fidei & aliâs dicitur Dominus iudicaturus *viuos & mortuos*. Hinc enim non parum confirmari eorum sententiam qui putant aliquos non morituros, censuit Avgvstinvs in libro de octo quæstionibus Dulcitij q. 3. Qua in sententia & ipse Augustinus aliquando fuit lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 31. non tamen asseueranter vt ipsemet refert lib. 2. retractationum, cap. 33.

Sed ad hoc facilis est *responsio*. Sensus namque est, venturum Dominum, vt iudicet; tum eos qui ante eius aduentum *fuerint iam mortui* tum etiam illos qui in eius aduentu reperientur adhuc *viui*, licet illos quoque ante iudicium ipsum morituros & reuicturos cum aliis. Et hoc est quod D. Thomas q. 78. art. 1. ad 1. rectè ait differentiam illorum viuorum & mortuorum referri debere tantummodo ad illud tempus determinatum quod immediatè præcedet iudicium, quando scilicet vltima iudicij signa incipient apparere & veniet Dominus. Tunc enim quidam erunt mortui, & quidam *viui*, sed hi quoque morituri & resurrecturi ad iudicium.

Quartum & postremũ est, quod Elias & Enoch fuerunt sine morte ex hac vita translati; & post Domini mortem *multa corpora Sanctorum resurrexerunt*. Matt. 27. Qui non videntur fuisse amplius morituri, sed transituri sine morte ad statum vitæ beatæ etiam quo ad corpus.

Respondeo, Eliam & Enoch omnino morituros in persecutione Antichristi vt vidimus q. præcedenti p. 2. & patet Apoc. 11. Illi verò Sancti qui in morte Domini surrexerunt, præterquam quòd iam semel mortem gustauerant, rursus fuerunt morituri, vt ex veriori longè sentẽtia asseruimus disp. 2. q. 5. Itaq; maneat, *omnes* resurrecturos atq; adeò etiam morituros, vt initio diximus.

Quo posito Tria potissimum hoc loco consideranda sunt in iis qui resurgent. Primo identitas. (Idem enim homo qui mortuus est resurget.) Secvndo, integritas corporis. Tertio, conditio siue status eiusdem, quoad vigorem, quantitatem siue staturam, &c. De dotibus autẽ glorię corporis, quę erũt proprię beatorũ, (sicut etiam de aureolis) Itemq; de miserrima conditione corporum damnatorũ q. 5. dicendum est.

Nunc

Nunc quod ad Primvm attinet, eque certum ex fide est, *eundem ipsum hominem*, qui mortuus est, resurrecturum, atque futuram resurrectionem mortuorum. Nam scripturæ testimonia allata p. 1. quæ resurrectionem futuram esse confirmant, id ipsum conuincunt: Siquidem ex sententia Avgvstini lib. 8. de Trinitate, cap. 5. & Damasceni lib. 4. de fide cap. 28. *resurgere*, secundùm ipsam quoque notionem vocabuli, proprièest *reuiuiscere & denuò consistere illud ipsum quod cecidit & occubuit.*

Peculiariter autem ad hoc confirmandum est clarissimus & efficacissimus ille locus Iob 19. *In nouissimo die de terra resurrecturus sum* (nempe ego ipse) *& rursum circumdabor pellemea* (mea inquit) *& in carne mea videbo Deum*. Et adhuc clarius: *Quem visurus*, inquit, *sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Deinde hoc ipsum affirmatur in fidei symbolis, & confirmatur ex instituto ab omnibus illis Patribus quos p. 1. citauimus. Denique hoc ipsum *& posse* fieri, *& futurum esse*, manifestè declarat & conuincit illa ratiocinatio, qua sumus vsi p. 1. probatione quarta ad resurrectionis fidem confirmandam.

Ex quibus refellitur Primo error Origenis & Ioannis Hierosolymitani, & Eutichij Constantinopolitani Episcopi, qui concedebant quidem homines resurrecturos in corporibus, sed *aëreis* vel aëre *subtilioribus*, non autem constantibus ex carne & membris: Vt de Origene & Ioanne Hierosolymitano apparet ex S. Hieronymo in epist. 61. ad Pammachium contra errores eiusdem Ioannis. Et de Eutichio refert sanctus Gregorivs lib. 14. Moralium, cap. 31. & 32. vbi recenset disputationem quam ipse cum illo Eutichio Constantinopoli de hac re habuit.

Pugnat autem hic error cum vera fide resurrectionis. Nam si homo resurrecturus non sit in corpore prædito carne & membris, quale habuit dum viueret; non resurgeret *idem homo*, ac proinde nõ verè resurgeret. Etenim homo dum viuit ex corpore constat prædito carne & ossibus. Vnde S. Hieronymvs in suprà dicta epist. 61. *Fidem*, inquit, *Ecclesiæ apertissimè confitebor. Resurrectionis veritas Catholica sine carne & ossibus, sine sanguine & membris intelligi non potest.*

Et S. Avgvstinvs in Enchiridio, cap. 84. *Resurrecturam*, inquit, *carnem omnium quicunq; nati sunt hominum atque nascentur, & mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.*

Vrget etiam S. Gregorivs libro 14. Moralium, cap. 31. quòd Christus Dominus, cuius resurrectio fuit exemplar futuræ nostræ resurrectionis, in corpore surrexit prædito carne & ossibus: sicut ille ad Discipulos ait: *Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere.* Lucæ 24.

Nec fuerunt vllius ponderis fundamenta, illius contrarij erroris, quæ refert potissimùm S. Gregorius vbi suprà; *Primum* erat quod Apostolus ait 1. ad Corinth. 15. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.*

Respondeo cum Gregorio, carnem & sanguinem eo loco intelligi non secundùm naturam sed secundùm culpam, & culpæ corruptionem, vt etiam respondimus p. 1. cum S. Irenæo lib. 5. cap. 9.

Secundum erat, quòd ibidem Apostolus ait: *Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, &c.* indicans similiter non *idem corpus* resurrecturum.

Sed ad hæc, inquit Gregorius vbi suprà cap. 32. *citius respondetur: Nam Paulus Apostolus dicens: Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, hoc insinuat quod videmus: quia granum cum culmo, & foliis nascitur, quod sine culmo, & foliis seminatur. Ille itaque in augmento gloriæ resurrectionis non dixit grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod non erat*, nimirum dotes gloriæ: Iuxta ea quæ trademus q. 5.

Tertium erat, quòd ibidem Apostolus ait: *Seminatur corpus animale, surget spirituale.*

Respondeo cum S. Avgvstino in Enchiridio, cap. 91. spirituale corpus in resurrectione futurum ab Apostolo dici, non quia minimè constabit ex carne: *Quantum attinet*, inquit, *ad substantiam: sed quoniam tanta erit tunc concordia carnis & spiritus viuificante spiritu, sine sustentaculi alicuius indigentia, subditam carnem, vt nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos.*

In quam sententiam Gregorivs quoque dicit vbi suprà cap. 31. *In illa resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ.*

Quartum erat, quòd non perinde tunc atque in hac vita erit opus vsu membrorum.

Respondeo, futura tunc nihilominus membra ad humani corporis decorem & perfectionem: iuxta ea quæ paulò post dicemus de integritate corporum.

Secvndo, per eandem fidei doctrinam redargui manifestè potest opinio, vel potius error Durandi, qui in 4. dist. 44. quæst. 3. contendit, ne per potentiam quidem Dei absolutam posse *reproduci illud idem numero* quod penitus interierit. Nam si ita est; sequitur planè, non *eundem numero* hominem resurrecturum, quod est contra resurrectionis fidem. Vt enim idem numero homo resurgat, necesse est Tria saltem in homine resurrecturo reproduci diuinitus, quæ penitus per mortem interierant. Primvm est ipsa *vnio* substantialis huius numero animę cum hoc numero corpore: quæ certè vnio quamuis realiter non distinguatur à corpore & anima, tamen formaliter distinguitur ab vtroq;, & vt ita distincta, est quiddam substãtiale, & quidam peculiaris *effectus*, qui prorsus per mortẽ Esse desierat, cùm scilicet desiit quis esse *homo*, cui est vnio

illa

illa substantialiter intima. Et tamen hæc vnio sine dubio eadem numero *reproducitur*: imò maximè per eius reproductionem fit resurrectio, quod miror non attendisse Durandum.

SECVNDVM, quòd prius extinctum reproducetur, est, substantialis *personalitas* demortui hominis. Siue enim ea distinguatur realiter à natura humana singulari (vt probauimus disp. 1. quæst. 4. p. 2.) siue tantum formaliter; tamen certa sunt tria. *Primò*, non manere personalitatem illam in anima separata (non enim hæc est persona) & multo minus in materia prima, sed in morte esse desinere. *Secundò*, verè eam produci seu comproduci cum generatur homo; & consequèter debere reproduci in resurrectione, quando rursus erit homo & persona, is qui ante fuerat. *Tertiò*, nisi eadem numero personalitas quæ fuit ante, reproducatur, non reproductum iri hominem eundem numero; cùm dubitari nullo modo possit, quin de ratione *huius hominis* & *huius personæ* sit *hæc numero personalias*, vtpote quæ est quoddam substantialiter intimum huic personæ, imò constituens hanc personam.

TERTIVM, quòd prius extinctum reproducetur diuinitus in resurrectione idem numero, est *natiuum*, illud *temperamentum*, qualitatum & accidentium vniuscuiusque, quo continentur *dispositiones vltimæ* huius materiæ ad hanc animã rationalem, & cum quo proinde est connexa ratio *harum* carnium, & *horum* ossium, &c. atque adeo *huius* humani corporis: siue hoc Esse huius humani corporis sit ab anima ipsa rationali, siue ab alia vel aliis formis, quæ cum antea interierint, reproducantur simul cum illis vltimis dispositionibus.

Etenim nisi in Resurrectione quoque hæ dispositiones *vltimæ*, quæ ante interierunt) reproducantur eædem numero; minimè resurget *idem homo numero*, vt habet vera fides. Nam identitas numerica hominis non continetur sola identitate animæ & identitate primæ materiæ nudæ, sed identitate tum animæ, tum eiusdem *corporis humani* & earundem *carnium & ossium, &c.* Quæ corporis *identitas* requirit omnino easdem dispositiones vltimas materiæ ad animam, per quas materia prima habeat peculiarem habitudinem ad *hanc* animam informantem *hoc* corpus, atq; adeo reddatur materia *hæc secunda* & designata *huic* formæ.

Quod autem omnino verum sit hoc quod dicimus, scilicet ad *identitatem huius hominis*, atque adeò ad veram resurrectionem, non sufficere identitatem animæ & materiæ primæ, sed propriè requiri vt reproducantur eædem *vltimæ* dispositiones, atq; adeò *idem corpus*: Probatur manifestè duplici ratione. *Primò*, quoniam *hic homo* substantialiter constat ex *hac* anima & ex *hoc* etiam corpore, & *his* carnibus ac ossibus, quæ non consistunt sine *his* vltimis dispositionibus; Ergo non erit idem homo nisi constet rursus ex *hoc eodem* corpore, eo modo identitatis, quo paulò post magis declarabo.

Secundò, quoniam aliàs in migratione animarum ex aliis corporibus in alia, quam fingebant Philosophi Pythagorici, contigisset vera resurrectio eorundem hominum: Siquidem in illa migratione supereesset *eadem anima* hominis antea mortui, & eadem vbique esset *materia prima* quorumcunque corporum.

Errauit igitur Durandus intolerabiliter, tum in eo quod asseruit idem numero quod antea perierit, reproduci diuinitus *non posse*. Tum in eo quod consequenter deinde dist. 44. q. 1. censuit, propter solam identitatem animæ rationalis, & materiæ, resurrecturum eundem numero hominem. Hic enim modus resurrectionis non est verus & Catholicus, sed planè Pythagoricus.

Nec fundamentum præcipuum Durandi est vllius ponderis. Sic enim argumentatur. Diuersis numero actionibus respondere oportet diuersos numero effectus. Sed productio prima, & productio secunda, sunt diuersæ numero actiones. Ergo respondere oportet illis diuersos numero effectus: ac proinde impossibile est, vnum & eundem numero effectum qui antea fuerit productus & interierit, denuò reproduci.

Respondeo *Primò*, si hoc argumẽtum aliquid probat, etiam probare quòd ne possit quidem reproduci eadem numero substantialis *vnio* animæ & corporis; & eadem numero personalitas: ac proinde impossibilem esse resurrectionem eiusdem hominis numero; quod est contra fidem.

Secundò respondeo, Maiorem esse falsam, si spectemus Dei potentiam absolutam & supernaturalem, per quam fiet nimirum resurrectio. Nam vt verè & subtiliter annotauit D. Thomas hîc q. 79. art. 2. ad 2. *actio* formaliter non est de intrinseca ratione *effectus*, atque adeò neque de intrinseca ratione *huius* humanitatis in proposito. Quocirca non repugnat, vt actio sit diuersa, & tamen effectus sit idem.

Quanquam causæ quidem creatæ per aliam quandam actionem exercitam in alio tempore, non possunt producere eundem numero effectum; quia nimirum in efficiendo *hunc numero effectum*, pendent à determinatis quibusdã conditionibus, scilicet ab *hoc* tempore, *hoc* loco, &c. vt diximus p. 1. probatione 4. Deus autem, cùm sit infinitæ virtutis, non pendet in agendo ab eiusmodi conditionibus, sed potest producere & reproducere eundem effectum, quandocunque, & quomodocunq; vult. Sicut potuit etiam mundum creare ex nullo *subiecto*, à quo aliàs pendent in agendo causæ creatæ. Rectè enim sanctus HIERONYMVS in epist. 61. ad Pãmachium: *Potest vtique Deus eadem potentia qua de nihilo cuncta fabricatus est, reddere quæ fuerunt: quia multò minus est restituere quod fuerit, quàm facere quod non fuit.*

Tertiò

Tertiò respondeo negari etiam posse Minorem illius argumentationis Durandi. Nam quamuis *secundùm quid* productio & reproductio eiusdem numero effectus in alio & alio tempore, sint diuersæ actiones, nempe secundùm *tempus*, tamen posita veriori sententia (quòd scilicet actio nihil aliud re ipsa sit quàm effectus ipse vt est ab agente) simpliciter non sunt nisi *vna & eadem* actio; eque salua sui vnitate existens in alio & alio tempore, atque vnus ille & idem effectus, qui reproducitur, existit salua sui vnitate in alio & in alio tempore.

Et confirmatur hoc ipsum. Nam simpliciter loquendo *tempus* vel *habitudo* ad tempus, nõ magis est de intrinseca ratione actionis, quam de intrinseca ratione ipsius effectus. Ergo sicut potest *idem numero effectus* esse in alio & in alio tempore, ita etiam *eadẽ numero actio* productiua eius ipsius effectus. Probatur Antecedens. Nam actio ex sua ratione (& maximè cum est productio effectus *permanentis*, qui est totus simul vt in proposito) non est ens successiuum sicut motus *continuus*, qui proinde habet ex sua intrinseca ratione habitudinem ad tempus, & ideo nequit idem numero reproduci, postquam desiit esse, nisi reproduceretur simul à Deo extrinsecum tempus & duratio successiua ad quam intrinsecè haberet ordinem; quod fortè non implicat contradictionẽ. Nam possunt reproduci omnia illa permanentia cum suo etiam ordine ex quibus constaret quoduis successiuum & extrinsecum tempus, &c.

Sed quicquid sit de hoc, actio certè (vt dixi) ex sua ratione nõ est ens *successiuum*, vt patet quando producitur per illam effectus permanens, vt in proposito. Ac proinde, cùm non habeat intrinsecè ordinem ad tempus magis quàm ipse suus effectus permanens, poterit æquè atq; ipse effectus esse simpliciter eadem numero in alio & alio tempore, sicut concluſi. Itaq; falsa est quoq; Minor illius argumentationis Durandi, vt dixi.

Habemus itaque, resurrectionem iuxta veritatem fidei Catholicæ ita esse futuram, vt quisq; resurrecturus sit *idem planè numero* qui fuit antea constans non solum ex eadem anima & materia prima, sed etiam ex eodẽ corpore & eadem carne & ossibus, &c. Porrò vt penitus intelligatur qualisnam omnino futura sit ista IDENTITAS resurgentium, atque adeò etiam facilius percipiantur ea, quæ deinde addemus de futura item corporum integritate, & conditione, & statura, &c. diligenter ANIMADVERTENDVM est non aliter oportere intelligi & defendi, quod *idem homo numero*, qui antea vixit, resurrecturus & reuicturus post mortem sit, quàm constat iam, vnumquemq; hominem dum hanc vitam degit, in alia licet, & in alia sui ætate, & aliis quantumlibet, atque aliis accidentibus affectum, esse *eundem numero*. Est autem quo ad hæc & alia in vno & eodem homine dum viuit magna varietas.

Nam vnus & idem homo aliter se habet cùm est puer; aliter cùm est iuuenis, vir, & senex; aliter cùm ægrotat; aliter cum firmior & vegetior est; aliter cùm ex suis omnibus partibus & membris integrè constat; aliter cùm aliquo membro aut parte orbatus est, &c. Ac præterea etiam non semper retinet easdem partes *primæ materiæ*, cum hæ per nutritionem continuò fluant & resluant, ex sententia Aristotelis libro 1. de Generatione tex. 35. & seq. recepta à D. Thoma hîc q. 80. art. 5. & à præcipuis aliis Philosophis.

Et tamen non obstante hac omni varietate *vnus & idem homo* est quisq; per totam vitam, hoc ipso nimirum quòd retinet & eandem numero animam, & eandem præterea determinatam rationem vnius & eiusdem *corporis humani*, connexam nimirum cùm eodem temperamento natiuo qualitatum & accidentium, quo continentur *dispositiones vltimæ* ad hanc numero animam, atq; adeò etiam *peculiaris habitudo* materiæ ad illam, qualescunq; tandem sint partes huius materiæ per suprà dictum illum fluxum & refluxum, sicut ante contra Durandum disseruimus.

Et hoc ipsum est quod docet D. Thomas hîc q. 80. art. 4. & 5. cum ex sententia illa Aristotelis explicat *identitatem numericam* eiusdem hominis per hoc, quòd sicut partes ciuitatis alicu is fluunt & resluunt *materialiter*, dum singuli subtrahuntur à multitudine per mortẽ, aliis in locum eorum succedentibus; remanent autem *formaliter* quatenus ad eadem officia & ordines substituuntur hi qui succedunt, & ideo vna numero ciuitas remanere dicitur: ita in nostro proposito dum quibusdam materiæ partibus resluentibus, aliæ recedunt, aliæ accedunt in eadem figura & situ; fluunt quidem & resluunt partes hominis secundùm *materiam*, absolutè scilicet & in se consideratam, sed manent *formaliter* & secundùm speciem, quatenus manet scilicet in succedentibus partibus habitudo item peculiaris (vt ante) ad hanc numero animam rationalem: atque adeò manet idem corpus numero & idem homo numero.

Hæc igitur cum ita sint, satis fuerit per hunc ipsum identitatis modum intelligere & defendere quod ex fide asseruimus *eosdem homines numero*, qui mortui fuerint, resurrecturos. Non enim est dubium quin, vt est alioqui magna *varietas*, quo ad alia in *vno & eodem homine* dum viuit, ita etiam futura sit valde diuersa conditio eiusdem hominis cum resurget, vt patebit ex iis quæ iam trademus. Hæc de PRIMO.

Quod ad SECVNDVM attinet, vera omnino & communis Theologorum sententia est, corpora *saltem iustorum* planè integra & decora resurrectura, quo ad omnes quidem veras corporis partes & membra, etiamsi in vita aliquo seu aliquibus membris vel partibus orbata fuissent. Id probatur *Primò* ex Scriptura, quæ planè indicat, corpora saltem iustorum non nisi optimum

Universidad de Deusto
Biblioteca

& decentiſsimum ſtatum habitura in altera vita: ſicut apparet ex his locis. Sapient.3. *Fulgebunt iuſti.* Et Sapient.5. *Nos inſenſati vitam illorum exiſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore, ecce quomodo computati ſunt inter ſanctos, &c.* Et infrà: *Ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini.* Et Iſa.25. *Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de vniuerſa terra.* Et Matth.13. *Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum.* Et Lucæ 21. *Capillus de capite veſtro non peribit.* Et 1. ad Corinth.15. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.* Et Apo.3. *Ambulabunt mecũ in albis quia digni ſunt.*

Deinde hoc ipſum tanquã minimè apud Orthodoxos dubium affirmat S. AVGVSTINVS in Enchiridio, cap.91. *Reſurgent*, inquit, *Sanctorum corpora ſine vllo vitio, ſine vlla deformitate. ſicut ſine vlla corruptione, onere, difficultate.* Et lib.22. de ciuitate Dei, cap.20. *Nec ſi aliqua*, inquit, *Martyribus amputata & ablata ſint membra, ſine ipſis membris erunt in reſurrectione mortuorum, quibus dictum eſt: Capillus capitis veſtri non peribit.*

Ait tamen ibi, Cicatrices vulnerum in Martyribus *cum decore quodam fortaſſe manſuras: Nõ enim*, inquit, *deformitas in eis ſed dignitas erit, & quædam quamuis in corpore, non corporis. ſed virtutis pulchritudo fulgebit.* Et paulò poſt: *Ibi cicatrices, ſed tamen iiſdem membris redditis non perditis apparebunt. Quamuis itaque omnia corporis vitia tunc non erunt, non ſunt tamen deputanda vel appellanda vitia virtutis indicia*, qualia ſunt nempe cicatrices illæ.

Apparet autem ex his Scripturæ & Auguſtini teſtimoniis, iuſtorum corpora non modo reſurrectura *integra* cũ omnibus ſuis partibus & membris, ſed etiam abſque vlla alia *deformitate*, quam propter figuræ aut ſitus peruerſitatem, aut ob defectum aliquem, ſiue exuperãtiam habuerint in vita. Siquidem omnia eiuſmodi vitia abhorrent à futura illorum corporum dignitate.

Quod ipſum diſertè etiam tradidit AVGVSTINVS lib.22. de ciuit. Dei, cap.19. *Nulla*, inquit, *erit deformitas quam facit incongruentia partium, vbi & quæ praua ſunt corrigentur, & quod minus eſt quam decet, vnde Creator nouit, ibi ſupplebitur: & quod plus eſt quàm decet, materia ſeruata integritate detrahetur. Coloris porrò ſuauitas quanta erit, vbi iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris ſui?* Matth.13. Et paulò ſuperius: *Non eſt*, inquit, *macris, pinguibuſue metuendum, ne ibi etiam tales ſint quales ſi poſſent nec hic eſſe voluiſſent.*

Porrò dixi, corpora *ſaltem iuſtorum* planè integra & decora reſurrectura, &c. Nam de corporibus damnandorum, id eſt *impiorum*, an ſine eiuſmodi vitiis & deformitatibus, quas in hac vita habuerint, reſurrectura ſint, dubium eſt, & in dubio id reliquit S. AVGVSTINVS in Enchiridio, cap.92. atque etiam Magiſter in 4. diſt.44.

A Cum enim ibi cap.91. dixiſſet Auguſtinus: *Reſurgent igitur Sanctorum corpora ſine vllo vitio, ſine vlla deformitate, &c.* poſtea cap.92. de impiis ſubdit: *Quicunque verò ab illa perditionis maſſa quæ facta eſt per hominem primum, non liberantur per vnum mediatorem Dei & hominum, reſurgent quidem etiam ipſi vnuſquiſque cum ſua carne, ſed vt cum Diabolo & Angelis eius puniantur. Vtrum ſanè ipſi cum vitiis & deformitatibus ſuorum corporum reſurgant, quicunque in eis vitioſa & doſormia membra geſtarunt, inquirendo laborare quid opus eſt? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio.*

Et quanquam D. Thomas hîc q.86. artic.1. diſtinguat inter deformitatem corporum ex defe- B ctu alicuius *membri*, & eam quæ exiſtit ex aliqua alia corporis *prauitate*; ac de priori non putet fuiſſe dubium Auguſtino, quin ſine illa reſurgent corpora damnandorum, ſed ſolùm de poſteriori (quam nec manſuram in illis D. Thomas putat) tamen Auguſtinus certè loco citato de *omnibus* eiuſmodi deformitatibus promiſcuè loqui & *dubitare* videtur, quod attinet ad *damnandos*. Sicut antea cap.91. de omni eiuſmodi deformitate loquens, *affirmat*, reſurrectura quidem Sanctorum corpora ſine omni deformitate, &c. id quod poſtea de damnandis ait eſſe *dubium*, vt audiuimus antea. Neque aliter etiam quàm Auguſtinus loquitur Magiſter vbi ſuprà.

Et certè mihi videtur non improbabile quod C opinatur Durandus in 4. diſt.44. q.2. & 3. corpora damnandorum non ſine huiuſmodi deformitatibus, quas in hac vita habuerant, reſurrectura. Neque enim vt abſque illis reſurgant ſuppetit in ipſis eadẽ ratio, quæ in iuſtis, à quorum futura ſcilicet dignitate abhorret omnis deformitas. Cum futura enim infelicitate damnatorum potius congruunt eiuſmodi vitia & deformitates, vt argumentatur Durandus.

Nec quod generatim dicit Apoſtolus de mortuis 1. ad Cor.15. *Mortui reſurgent incorrupti*; ſignificat, omnes illos reſurrecturos ſine vllo corporis defectu ac vitio; ſed omnes *verè* reſurrecturos *viuos*, depoſita ſcilicet *mortis corruptione*, cui non amplius ſint futuri obnoxij.

Nec deniq; quoniam à ſolo Deo, cuius *perfecta* D *ſunt opera*, impij etiam reſuſcitabuntur, neceſſe eſt dicere, illos reſuſcitatum iri in meliori & integriori corporis habitu quàm aliquando habuerint. Nam hoc ipſum etiam quod reſuſcitabuntur tales quo ad eam formã & membra tantum quæ aliquando *habuerunt*, erit quoddam opus ſuo modo *perfectum*: neque eſt neceſſe vt fiat perfectius, ſpectato quidem futuro illo ſtatu miſerrimo damnandorum, & futuro tali præſertim propter ipſorum *culpam & demerita, &c.* Quanquam hoc ipſum (vt dixi) incertum eſt. *Neque fatigare nos debet*, vt ſapienter Auguſtinus dixit, *incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio.*

Dixi

Dixi etiam corpora iuſtorum reſurrectura in- A tegra, quo ad omnes quidem *veras corporis partes, & membra*. Nam quæ non veræ corporis *partes*, ſed excrementa tantum & ſuperfluitates ſunt, minimè redibunt in reſurrectione.

Capilli autem & vngues, quia non ſunt mera excrementa, ſed ad munimentum atque ornamentum aliarum partium pertinent, & eatenus ſunt quoque quædam corporis partes, omnino reſtituentur in reſurrectione, in ea quãtitate ſcilicet & forma quamaximè decebit. Iuxta illud Luc.21. *Capillus de capite veſtro non peribit.* Quod, vt inquit AVGVSTINVS lib.22. de ciu. Dei, cap.19. *non de longitudine ſed de numero capillorũ dictũ, multo aptiùs poteſt intelligi. Vnde & alibi dicit* (ait Auguſtinus) *capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*, Luc.12. B

Neque enim deceret ſed planè deforme eſſet reſtitui in reſurrectione quicquid capillorum creuerit quo ad longitudinem. Veriſsimè autem S. Auguſtinus in Enchiridio, cap.90. *Indecorum*, inquit, *ibi aliquid non erit, ſed quicquid futurum eſt hoc decebit, quia nec futurum eſt ſi non decebit.*

Dixi etiam notanter reſurrectura corpora iuſtorum integra quo ad omnes partes *corporis*; nõ autem dixi, quo ad omnes partes materiæ. Nam hæ, ſicut non manent eædem in vno & eodem homine dum hîc viuit, ita neceſſe nõ eſt eaſdem omnes reſtitui ad hoc vt *idem homo numero* reſurgat. Sicut patet ex his quæ iuxta ſententiam Philoſophi paulò ante diſſeruimus de *identitate numerica* vnius & eiuſdem hominis. C

Quanquam ordinariè quidem, hoc eſt, pleriſque omnibus reſurrecturis, eædem etiam *materiæ* partes reſtituentur, vt communiter tradunt Theologi, quas ſcilicet quiſque habuerit vel habiturus fuerit in eo ſtatu & vigore ætatis, in quo quiſq; reſurget, iuxta id qd dicemus paulò poſt.

Quibuſdam autem ob aliquas cauſſas oportebit diuinitus aliunde ſuppleri, vt reſurgant in ſtatu conuenienti, aliquas materiæ partes quas non ipſi habuerint. Nec propterea tamen iidem numero non erunt: ſicut nec deſinit eſſe idem numero homo dum viuit, propterea quod alio & alio tempore non eaſdem ſed alias & alias habet materiæ partes, vt anteà tradidimus, cum explicaremus rationem identitatis numericę ex Philoſophi ſententia. D

Atq; hinc poſſunt facilè expediri quidam CAVS, qui videri poſſent reddere difficilem fidem futuræ reſurrectionis. Nempe *Primò*, quomodo iidem numero, & integro corpore ac decente ſtatura, reſurrecturi ſint ij qui in hac vita non ſat multum materiæ ad futurum illum habitum & ſtatũ corporis habuerunt. Vt defuncti infantuli & Nani, & qui in vteris maternis paulò poſt quã rationalem animam acceperũt, mortui ſunt per abortum, de quibus tamen rectè Auguſtinus lib.22. de ciuit. Dei, cap.13. dixit *non videre ſe quomodo ad eos non pertineat reſurrectio mortuorum, ſi non eximuntur de numero mortuorum.*

SECVNDO, quomodo etiam iidem numero A reſurrecturi ſint, quorum tota vel penè tota materia ceſſit in nutrimentum & ſubſtantiam aliorum, qui ipſos ſcilicet comederint; vel illi certè qui comederunt, ſi non his, ſed comeſtis materia illa ſit reſtituenda, &c.

Ad hos & ſimiles caſus, quos teſte Auguſtino lib.22. de ciuit. Dei, cap.12. contra fidem reſurrectionis Gentiles obiiciebant, non eſt difficile ex dictis reſpondere: ſiquidem vt homo reſurgat idem numero, minimè eſt neceſſe conſtare illum iiſdẽ ex partibus *materiæ*, vt ante dictum eſt. Itaq; ad PRIMVM caſum reſpondeo ex mente Auguſtini in illo lib.cap.19. Deum vndecunq; is volet, additurum quantum ſatis erit materiæ puſillis illis, vt reſurgant in ſtatu conuenienti: & nihilominus illos æquè futuros *eoſdem* numero, atque fuiſſent in vita futuri ſi perueniſſent ad iuſtam magnitudinem. Nam in eandem ſententiam D. AVGVSTINVS rectè illîc affirmat, quòd *etſi omnibus periiſſet modis, caro cuiuſpiã hominis, nec vlla eius materies in vllis naturæ latebris remanſiſſet; vnde vellet, eam repararet omnipotens*, ſalua nimirũ identitate numerica reſurgentis, atque adeò fide reſurrectionis quam ibi Auguſtinus defendit.

Ad SECVNDVM caſum mihi videtur ſufficienter & ſapienter reſponderi ab Auguſtino in illo cap.19. Summa autem eſt, & illum qui carnes alterius comedit reſurrecturum eundem numero, & illum ſimiliter qui comeſtus eſt. Nam ei qui C comeſtus eſt, reddetur materia quæ per nutritionẽ comedenti acceſſit, & huic materia ſua deperdita (vi ſcilicet caloris naturalis in fame, &c.) diuinitus reſtituetur, quocunq; rerum exhalata deuenerit.

Si quiſpiam, inquit Auguſtinus, *confectus fame atque compulſus veſcatur cadaueribus hominum; quod malum aliquoties accidiſſe & vetus teſtatur hiſtoria, & noſtrorum temporum infelicia experimenta docuerunt: Non quiſquam veridica ratione contendet, totum digeſtũ fuiſſe per imos meatus, nihilq; inde in eius carne mutatum atq; conuerſum: cum ipſa macies quæ fuit & non eſt, ſatis indicet quæ illis eſcis detrimenta ſuppleta ſint. Iam itaq; aliqua paulò ante præmiſi quæ ad iſtum quoq; nodum ſoluendum valere debebũt. Quicquid enim carnium exhauſit fames: vtiq; in auras eſt exhalatũ: vnde diximus omnipotentẽ Deum poſſe reuocare quod fugit. Reddetur ergo caro illa homini, in quo eſſe caro humana primitus cæpit. Ab illo quippe altero tanquam mutuò ſumpta deputanda eſt: quæ ſicut as alienum redhibenda eſt, vnde ſumpta eſt. Sua verò illi quę fames exinaniuerat, ab eo qui poteſt etiam exhalata reuocare, reddetur.*

Quod ſi ponas aliquẽ per omnem vitam non alio cibo quàm carnibus humanis fuiſſe nutritum, atque etiam à patre ſimiliter ſolis carnibus humanis nutrito, generatum; cui proinde nihil materiæ ſuperfuturum ſit, cùm materia, quæ per nutritionẽ ei acceſſit, aliis quorum primò fuit reſtituetur: reſpondeo cum Auguſtino fore vt materiam illi ſuppediraturus & reparaturus ſit

Universidad de Deusto
Biblioteca

identitate. Sicut etiam maneret salua in eo qui ab alio comestus est, si materia ipsius quæ comedẽti accesit non ei restitueretur, sed loco eius alia illi suppeditaretur vndecunq; vellet Deus: quemadmodum patet ex dictis.

Deniq; ex dictis apparet, quid respondendum sit cum quæri solet an *totum* id quod erat de *veritate* humanæ naturæ restituendum sit in resurrectione. Etenim restituendum est quicquid de veritate humanæ naturæ ita erat, vt sine illo natura humana nec secundum speciem, nec secundum rationem indiuiduam (nempe *huius* vel *illius* hominis) non constiterit. Non est autem necesse restitui omne illud quod quomodolibet pertinuerit ad naturã indiuiduam, nempe easdem materiæ partes, &c. Hactenus de SECVNDO.

Quod ad TERTIVM attinet, scilicet *quanam conditione corporis, & figura, & statura, & vigore, &c. quisq; resurrecturus sit,* tria potissimum sunt tenenda. PRIMO, corpora post resurrectionem non amplius futura mortalia, neq; vnquam moritura, aut in nihilum redigenda; quod post multa secula futurum esse falsò & erroneè censuit Origenes, teste Theophilo Alexandrino in lib. 2. paschali. Id patet manifestè ex Apostolo 1. Cor. 15. *Seminatur*, inquit, *in corruptione, surget in incorruptione.* Et infrà clarissimè: *Mortui resurgent incorrupti.* Et: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatẽ. Cum autem mortale hoc induet immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria: Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Idẽ patet ex eo, quod Christi resurrectio fuit exemplar futuræ nostræ resurrectionis. De quo scribit Apostolus ad Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur; mors illi vltra non dominabitur.*

SECVNDO assero vnumquemq; resurrecturum in vigore *iuuenilis ætatis*, quem circa trigesimum à natiuitate annũ, vel habuit, vel habiturus fuisset si eousque vixisset. Itemq; in ea corporis statura, quam iuxta proprium temperamẽtum & facultatem naturalẽ adipisci potuerit, si nullum obstitisset impedimentum. Ita tradunt communiter Theologi in 4. dist. 44. secuti S. Augustinum lib. 22. de ciu. cap. 15. qui hoc ipsum asserit & confirmat ex illis verbis Apostoli ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum in mensurã ætatis plenitudinis Christi*, qui scilicet mortuus est & resurrexit in eiusmodi ætate iuuenili.

Sic autẽ scribit Augustinus: *Restat vt suam quisq; recipiat mensurã, quam vel habuit in iuuentute, etiamsi senex ẽst mortuus, vel fuerat habiturus si antea ẽst defunctus.* Et paulò post: *Si hoc*, inquit, *(quod iam retulimus ex Apostolo) de resurrectione corporum dictum est; sic accipiamus dictum, vt nec vltra nec infra iuuenilem formam resurgant corpora mortuorũ, sed in ea ætate & robore vsq; ad quam Christum hic peruenisse cognouimus. Circa triginta quippe annos diffinierũt esse etiam seculi huius doctissimi homines iuuentutem, quæ cum fuerit spatio proprio terminata, inde iam hominem in detrimenta vergere grauioris ac senilis ætatis.* Et ideo, inquit, non esse dictum in mensuram corporis, vel in mensuram *staturæ*, sed in mensuram *ætatis* plenitudinis Christi.

Et cap. 20. eiusdem libri. *In resurrectione*, inquit, *carnis, in æternum eas mensuras habebit corporum magnitudo, quas habebat perficiendæ siue perfectæ cuiusque indita corpori ratio iuuentutis, in membrorum quoque omnium modulis congruo decore seruato.*

Idem quoq; sensit S. HIERONYMVS, vt apparet ex illis eius verbis in epist. 61. ad Pammachium contra errores Ioannis Hierosolymitani: *Miraris*, inquit, *si de infantibus & senibus in perfecti viri ætatem resurrectio fiat, cum de limo terræ absq; vllis ætatum incrementis consummatus homo factus sit?*

Est autem hoc imprimis intelligendum de *iustis.* De quibus etiam loquitur Apostolus. Nam de impiis, in quonam vigore ætatis resurrecturi sint, incertum est, sicut suprà etiam diximus de futura illorum conditione quo ad formam & habitũ corporis. Imò de iustis quoq; addidit illud Augustinus in dicto lib. 22. de ciu. Dei, cap. 20. *Si contenditur*, inquit, *in ea quemque statura corporis resurrecturum esse in qua defunctus est: non pugnaciter resistendum est: tamen absit omnis deformitas: omnis infirmitas: omnis tarditas: omnisq; corruptio: & si quid aliud illud nõ decet regnum, in quo resurrectionis & promissionis filii æquales erunt Angelis Dei: si non corpore, non ætate; certè felicitate.* Esset tamen temerarium id negare de iustis, cùm id asserat sentẽtia communis Theologorum.

TERTIO assero, in corporibus post resurrectionem, futuram quoq; differentiam *sexus*, quæ fuit in hac vita; nec resurrecturos omnes in sexu virili, vt quidam errantes asseruerunt, quos refellit S. Augustinus lib. 22. de ciu. Dei, cap. 17. Et eundem errorem tribuit Armeniis Guido Carmelita.

Probatur autem nostra assertio. Nam Matt. 22. Dominus pro certo posuit, in altera vita fore vtrumq; sexum, quando Sadducæis interrogantibus, cuius nam vxor illic futura esset ea mulier quæ septem viros fratris habuerat: respondit: *Erratis nescientes scripturas neq; virtutem Dei. In resurrectione enim neq; nubent neq; nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei.* Nam cum alioqui *aptus locus esset*, inquit Augustinus, *vt diceret: De qua enim me interrogatis vir erit ipsa, non mulier: non hoc dixit, sed dixit: In resurrectione enim neque nubent, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo: æquales vtiq; Angelis immortalitate ac felicitate, non carne: sicut nec resurrectione, qua non indiguerunt Angeli, quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergo*, inquit, *Dominus futuras negauit esse in resurrectione, non fœminas: & ibi negauit vbi talis quæstio vertebatur, vt eam negato sexu muliebri celeriore facilitate dissolueret, si eum ibi præsciret nõ futurum: imò etiam futurum esse firmauit dicendo: Non nubent: quod ad fœminas pertinet: neque vxores ducent: quod ad viros. Erunt ergo quæ vel nubere hic solent: vel ducere vxores: sed ibi hoc non facient.*

Deinde

Deinde probatur id ipsum ratione qua ibidẽ vtitur Augustinus. *Corporibus*, inquit, *illis vitia detrahentur: natura seruabitur. Non est autem vitium sexus fœmineus, sed natura: quæ tunc quidem & à concubitu & à partu immunis erit. Erunt tamen membra fœminea non accommodata vsui veteri, sed decori nouo: quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur sapientia atque clementia, qui & quod non erat fecit, & liberauit à corruptione quod fecit.*

Inepte verò authores contrarij erroris vtebãtur testimonio illo Apostoli ad Rom. 8. *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui.* Est enim Apostolus intelligendus de conformitate non quo ad sexum, sed quo ad gratiam, & merita, & gloriam, &c. Item illo ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, etc.* Nam vt rectè Augustinus respondet lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 28. hoc quod de viro in statu & vigore ætatis perfecto ibi dicitur, oportet iuxta Scripturæ phrasim subintelligi etiam suo modo de fœminis. *Sicut in eo*, inquit Augustinus, *quod dictum est Psal. 111. Beatus vir qui timet Dominum; Vtiq; ibi sunt & fœminæ quæ timent Dominum.* Vt omittam quod, sicut Augustinus ibi differit, potest etiam per *virum* ibi intelligi Christus ipse vt caput cum toto suo *corpore* Ecclesiæ, quod erit demum in resurrectione *perfectum* & omnibus numeris absolutum. Hactenus hoc quidẽ loco de resurrectione. Nam de futuris dotibus corporum beatorum, itemq; de Aureolis, q. 5. dicendum est.

QVÆSTIO QVARTA.

De Iudicio ipso extremo, quod fiet post Resurrectionem.

Supplem. D. Thomæ quæst. 87. & seq.

PRAETER ILLA QVAE DE SIGNIS ET REBVS ANTECEDENTIBVS iudicium, & eatenus ad iudicium quoque pertinentibus, disseruimus q. 2. Alia quædam dicenda restant de ipso extremo iudicio, quæ omnia tamen commodè reuocari possunt ad duo præcipua puncta, Itaque PRIMO dicemus de persona ipsius Iudicis, & de iudicij quasi apparatu. SECVNDO, de tota actione & forma ipsius iudicij, quo ad præcipuas circumstantias, quæ in iudicio aliquo interuenire solent.

PVNCTVM PRIMVM.

De Persona ipsius Iudicis, & de iudicij quasi apparatu.

Quæst. 90.

PRAEMITTENDVM hoc loco est, Scripturam sacram non modo iudicij illius futuri frequẽter mentionem facere. (Vt 1. Reg. 2. Psal. 95. & Isaiæ 66. & Dan. 7. & Matth. 12. & 24. & 25. & Ioan. 12. & Act. 17. & ad Rom. 2. & 2. ad Cor. 5. & alibi.) sed etiam aliquas causas indicare cur expediet omnino celebrari GENERALE illud & publicum iudicium post particulare & occultum iudicium, quod de vnoquoque fit in morte, vt asseruimus disp. 1. q. 22. p. 9.

PRIMO namque id erit conducibile ex parte Dei, vt scilicet innotescat omnibus iustitia qua vtitur in remunerando vel puniendo vnumquẽque, atque ita glorificetur. Indicatur hæc caussa iudicij futuri Psal. 9. illis verbis: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens*; nempe in illo iudicio maximè. De quo paulò ante ibi dicitur: *Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate: iudicabit populos in iustitia.* Et Apoc. 15. *Omnes gentes venient & adorabunt in conspectu tuo; quoniam iudicia tua manifesta sunt.*

SECVNDO id etiam erit conducibile ex parte ipsorum hominum iudicandorum: vt quemadmodum nõ solùm ex anima inuisibili constant, sed etiam ex visibili corpore, ita quoq; iudicentur nõ modo priuatim & occultè in morte, cùm superstites sunt quo ad solam animam, sed etiam publicè & visibiliter postquã resumpserint corpora. Indicatur etiam hæc caussa Matth. 24. vbi propterea dicitur iudex ipse vẽturus visibiliter: *Videbunt*, inquit, *filium hominis, &c.* Et Apoc. 1. *Videbit eum omnis oculus.*

TERTIO ita etiam in illo publico iudicio meritò augebitur præmium & gaudium iustorum, & confusio ac pœna impiorum. Iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

QVARTO denique id expediet, vt per iudicij quoq; manifestam definitionem & sententiam referat vnusquisq; quo ad corpus vel præmium vel supplicium ob opera quæ gessit in corpore. Iuxta illud Apostoli 2. ad Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonũ siue malum.*

Ex quibus testimoniis satis superq; refellitur error, quem Philaster in suo catalogo Hæreticorum tribuit Borborianis, & Florianis, & Manichæis, & Proclianitis, seu Prodianitis: nempe nullum futurum esse iudicium. Quanquam Augu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stinus quidem in libro de hæresibus non tribuit talibus Hæreticis eiusmodi errorem. Quorumcunque autem hic error fuerit, manifestissimè repugnat citatis Scripturis.

Et æquè etiam illis aduersatur error alius huic affinis, quem tribuit Hæreticis Albanensibus Guido Cármelita in suo Hęreticorum catalogo; nempe vniuersale iudicium iam esse peractum, & nullum aliud superesse futurum. Quod commentum non solùm repugnat Scripturæ, quæ de iudicio illo tanquam de futuro sub finem mundi loquitur, sed etiam experientiæ seu communi & euidenti sententiæ omnium hominum. Nam iudicium illud omnes homines subituri sunt (vt ostendemus p. seq.) & tamen hactenus nemo hominum est illud expertus tale quale in Scripturis describitur; sicut est manifestum ex his quæ deinde & de Iudice, & de iudicij illius circumstantiis trademus.

Nunc igitur posito quòd iudicium illud certissimè futurum est, & vt diximus iustis de causis futurum; de PERSONA futuri in eo *Iudicis* (id est Christi Domini) & ratione ac modo quo is ad illud iudicium veniet, & illud exercebit, hæc ex Scripturis sanctis colligimus.

PRIMO. Christus Dominus obiturus est officium istud Iudicis non modo secundùm diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem. Id patet Ioan. 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Et ibidem paulò superius dixerat: *Neque enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio*: quia scilicet in forma quidem visibili & manifesta, nempe humanitatis, solus filius est iudicaturus, vt pulchrè explicat AVGVSTINVS tract. 21. in Ioan. *Hoc*, inquit Augustinus, *dictum est quia hominibus in iudicio non apparebit nisi filius: pater occultus erit, filius manifestus. In quo erit filius manifestus? in forma qua ascendit. Nam in forma Dei cum patre occultus est, in forma serui hominibus manifestus. Non ergo pater iudicat quenquam, sed in manifesto omne iudicium dedit filio.* Quòd autem pater, atque adeò etiam Spiritus sanctus, & ipse Christus vt Deus occultè quidem iudicaturus sit, dubitari non potest. Cum dicat filius de patre Ioan. 8. *Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat & iudicet.*

Item Christum iudicaturum secundùm humanitatem vt asserui, indicauit S. Petrus Act. 10. cum de illo vt de homine loquens, qui scilicet à Iudæis crucifixus est & tertia die resurrexit, addit: *Ipse est qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum.*

Denique idem confirmatur ex eo quod Apostolus dicit ad Rom. 14. *In hoc Christus mortuus est & resurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur.* Cùm enim titulo ac merito redemptionis acquisiuerit in homines ius quoddam dominij, auctoritas ei competit iudicandi eos tanquam suos seruos. Iuxta illud quod illic subiungit Apostolus. *Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* Et paulò superius: *Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit.*

SECVNDO. Veniet Dominus ad iudicium illud & id exequetur, non in ea humanitatis infirmitate & humilitate, qua ipse iniustè iudicatus & passus est; sed in gloria & maiestate maxima, in qua quodammodo etiam refulgeat ipsius diuinitas. Id patet manifestè ex his testimoniis: Matthæi 16. *Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui*; id est, in gloria diuinitatis quæ refulgebit in gloria humanitatis suæ. Iuxta illud quod ipse à patre petiuit. Ioan. 17. *Pater, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Et infrà: *Clarifica me tu pater à temetipso claritate quam habui priusquam mundus esset apud te.* Item Matth. 24. *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & maiestate.* Et Matth. 25. *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua.* Et Marc. 13. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria.* Et Luc. 21. *Cum potestate magna & maiestate.*

Ac maiestatem quidem & gloriam corporis eius omnes tum boni tum mali videbunt. Gloriam autē ipsius diuinitatis videbunt iusti. Iuxta doctrinam D. Thomæ art. 3. & aliorum Theologorum, vtpote iam tunc beati. Impij autem non illam videbunt in se ipsa, sed vt quodammodo splendentem in illa præcellenti gloria corporis Christi.

TERTIO. Veniet item comitatu stipatus beatorum omnium Angelorum atque Sanctorum. Matt. 25. *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo.* Et in epist. Iudæ Apostoli: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes.* Id namque decebit, tum propter Iudicis dignitatem & maiestatem, tum ad maiorem erga illum reuerentiam in animis omnium concitandam.

QVARTO. Apparebit in aëre, & antecedet illum Crucis signum fulgentissimum; vt memoria Christi passionis per illud excitata maiorem piis cōsolationem, & impiis terrorem atq; confusionem adferat. Id patet ex verbis Domini. Matth. 24. *Tunc*, inquit, *parebit signum filij hominis in cœlo.* Et postea sequitur: *Et videbunt filium hominis venientem, &c.* Quasi nimirum signum illud præcessurum sit ipsum Iudicem.

Neq; aliud signum quàm S. CRVCIS intelligunt communiter expositores omnes in locum illum Matthæi & alij Patres, futurū istud signum *filij hominis*. Nominatim autem de eo ita scribit S. HIPPOLYTVS Martyr in orat. de consummatione mundi: *Orietur*, inquit, *ab Oriente ad Occidentem vsque signum Crucis superantis splendorem Solis, denuncians aduentum & apparitionem Iudicis.*

Et S. EPHREM in lib. de vera Pœnitētia, cap. 3. *Sancta*, inquit, *Crux rursus in consummatione sæculi, cum secundus illuxerit Domini Saluatoris aduentus, primo cum gloria ingenti, & Angelicorum exercitum*

infinita

infinita multitudine apparebit in Cœlo: inimicos quidē terrens ac vexans, fideles autem illuminans atq; lætificans, aduentumque cœlestis Imperatoris annuncians.

Et cap. 4. *Cum viderimus*, inquit, *signum filij hominis, pretiosam scilicet ac viuificam Crucem in Cœlo lucentem omnesq; fines orbis terræ vltra Solis claritatem illustrantem: vbi viderint omnes regium istud, ac tremendum sceptrum in Cœlo reuelari; iam tunc agnoscent singuli continuò ipsum quoque Regem reuelandum qui in illo clauis affixus est.*

Quibus locis apertè videtur sensisse S. Ephrem appariturum tunc illam ipsam crucem cui fuit Christus affixus, nimirum diuinitùs redintegratam ex particulis quæ variis in locis nunc extant. Quod ipsum Thomas VValdensis Tomo 3. titul. 20. cap. 158. confirmat testimonio S. CHRYSOSTOMI in serm. de Cruce & latrone, vbi de Christo ait: *Iterum cum cruce veniet.* Et in carminibus Sibyllinis libr. 6. de cruce illa dominica dictum legimus:

O lignum fœlix, in quo Deus ipse pependit,
Nec te terra capit, sed Cœli tecta videbis,
Cùm renouata Dei facies ignita micabit.

Sed qualecunq; signum illud Crucis futurum est, erit certè fulgentissimum, vt dictum est.

QVINTO. Constat etiam ex citatis scripturę testimoniis. Matt. 24. & Marc. 13. & Luc. 21. venturū Dominum in splendidis aliquibus nubibus, hoc est super nubem aliquam, quę plures quasi partes habeat, vel aliquot nubes adiūctas: vt ita vtrumque verum sit, nempe & quod ait Lucas venturū in *nube*, & quod aiunt Matthæus & Marcus venturum in *nubibus*.

Atq; hoc ipsum potest etiam confirmari ex Actis cap. 1. Nam, vt ibi testati sunt Angeli, Dominus *sic veniet quemadmodum ascendit in Cœlum*; ascendit autem in nube, iuxta id quod ibidem dicitur: *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Ex quo loco potest etiam colligi, talis naturæ futurā illam *nubem*, in qua veniet Dominus, qualis fuit illa in qua ascendit. Nam etsi in aduentu Domini iam mundus per ignē conflagrationis purgatus erit, (vt tradidimus q. 2. p. 3.) & proinde non fiet amplius resolutio vaporū, ex quibus conflentur nubes, tamen poterit sine eiusmodi resolutione fieri nubes virtute diuina, vt notauit D. Thomas q. 88. art. 3. ad 3.

SEXTO. Veniet incredibili celeritate per aëra, quo obuiam illi iusti qui tunc viuent rapientur, 1. ad Thes. 4. morituri & resurrecturi celerrimè in illo raptu, vt vidimus q. præced. p. 3. Ea verò celeritas progredientis ad iudicium Domini prænūciata est ab ipso, Matth. 24. illis verbis: *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret vsq; in Occidentē, ita erit & aduentus filij hominis.*

SEPTIMO. Deniq; consistet sublimis in aëre, tempore illo breuissimo, quo iudicium durabit, vt ab omnibus cōspici possit ex iudicij loco: iuxta ea quæ puncto sequēti dicemus. Ibi autē sublimis in nube splendida, tanquam in throno quodam siue sede congruēte illi gloriæ & maiestati ipsius, iudicium illud peraget. Neq; enim quidquā obstat quo minùs propriè *sessionem* illam intelligamus, de qua ipse Dominus tunc iudicaturus, sic loquitur: *Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, &c.* Matth. 25.

PVNCTVM SECVNDVM.

De tota actione & forma ipsius Iudicij.

Quæst. 78. & seq.

IN actione illa tota futuri iudicij hæc potissimùm consideranda sunt. PRIMO res siue materia, de qua decernetur in illo iudicio. SECVNDO accusatio, & defensio, & testificatio eiusmodi rei. TERTIO personæ quæ iudicabuntur. QVARTO personæ, quæ tanquam assessores summo Iudici, etiam iudicabunt. QVINTO prolatio & executio sententiæ. SEXTO tempus & locus, in quo peragetur iudicium illud.

Quod ad PRIMVM attinet, materia illius Iudicij erunt omnes omnino actus hominum tum boni tum mali. Nam boni approbabuntur & iudicabuntur remuneratione digni, mali autem improbabuntur & iudicabuntur digni supplicio. Id patet ex illo Ecclesiast. 12. *Cuncta quæ fient adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum siue malum sit.* Et ex illo testimonio Apostoli 2. ad Corinth. 5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.*

Patebunt autem diuina virtute celerrimè vnicuiq; homini acta omnia bona & mala, tum sua tum etiam vniuscuiusq; aliorum, ita vt nihil vlli futurum sit ignotum, sed omnia conspicua omnibus.

Et quidem quod vnicuique sua *propria* facta omnia celerrimè constabunt, disertè affirmat S. AVGVSTINVS lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 14. vbi ait, *quandam vim esse intelligendam diuinam, qua fiet vt cuiq; opera sua bona vel mala cuncta in memoriā reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur.* Neque etiam dubitatur à Theologis quin bona quidem acta piorum, & *mala* impiorum (scilicet nō obliterata per pœnitentiam) patebūt omnib.

Vtrum autem præterita etiam opera *mala* piorum expiata per pœnitentiam, omnibus tunc sint futura manifesta, nonnulla est quæstio. Nam Magister Sentent. in 4. dist. 43. non putat. Sed tamen communior & probabilior sententia est contraria, vt ait quoq; D. Thomas hîc q. 87. art. 2. nempe omnia omnino opera, atq; adeò etiam præterita peccata piorum fore omnibus manifesta.

Probatur hoc *Primò*, ex scriptura 1. ad Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare quoad vsq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & ma-*

nifestabit

Universidad de Deusto
Biblioteca

nifestabit consilia cordium. Et Apoc.20. *Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni; & libri aperti sunt; & alius liber apertus est, qui est vitæ; & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Secundum veram enim interpretationem huius loci, *libri illi aperti* significant, vel conscientias singulorũ, in quibus erunt tunc quasi scripta singulorum opera, vel ipsam notitiam Dei, prout firmiter continet singulorum opera. Qui proinde libri *aperti* dicuntur, quatenus omnia ciusmodi opera, tunc patebũt omnibus, perinde atq; legentibus librum apertum patent ea, quæ continentur in illo. Quo pacto S. Hieronymus in cap.7. Danielis interpretatus est illud: *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Dan.7. *Conscientiæ*, inquit, *& opera singulorum in utramq; partem, vel bona vel mala, omnibus reuelantur.*

Ille autem alius *liber vitæ*, significat decretum æternum prædestinationis electorũ, iuxta quod pij in illo iudicio admittentur ad gloriam, & impij ab ea excludentur. Vt patet manifestè Apoc.3. & 13. & 17. Et ex eo etiã, quòd in illo ipso cap.20. Apoc. subditur: *Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

Augustinus tamen lib.20. de ciuit Dei, cap.14. per *libros illos* intelligit viros sanctos veteris & noui Testamenti, in quorum mentibus apparebit tunc fuisse quasi scripta mandata diuina, quibus oportuit vitam hominum conformari. Per *librũ* autem *vitæ* intelligit, suprà dictam illam *vim diuinam*, qua fiet vt vnicuiq; tunc innotescant omnia propria facta: sicut suo modo facit liber, vt cognoscantur ea, quæ sunt in illo scripta.

Quæ Augustini interpretatio similiter nobis argumentum suppeditat ad probãdum quod volumus, nempe omnia vniuscuiusq; facta, etiã mala, quantumuis per pœnitẽtiam expiata fore nota omnibus. Nam hoc ipso quod illa *vis diuina* dicitur aperiri tanquam liber, iuxta hanc interpretationem; indicatur, peruia & patentia fore omnium notitiæ, omnia ea quæ manifestabit vis illa. Sed prior eius loci interpretatio est omnino vera.

Secundò probatur idem auctoritate Patrũ, qui sine discrimine omnia, seu bona seu mala, omnibus tunc perspecta futura asseuerant. S. Ephrem in libro de extremo iudicio, cap.1. & in libro de vera pœniten, cap.4. vbi id probat ex illo loco Apoc.20. *Libri aperti sunt.* S. Chrysostomvs hom. 31. super epistolam ad Hebræos, vbi planè id futurũ supponit, cùm minatur peccatori fore, vt si *nunc peccata sua negligat & obliuiscatur, tunc eorũ recordetur nolens* (hoc est cum confusione & dolore, quæ longè aberit à Sanctis) *Quando publicabuntur*, inquit, *in conspectu omnium, amicorum & inimicorũ.* Et S. Ambrosivs in Psalm.43. non longè à fine, vbi adducit illud Matth.10. *Nihil est opertum quod non reuelabitur.* Et S. Hieronymvs in cap.7. Danielis, cuius verba paulò antè recitauimus; Et alij.

Tertiò accedit huc ratio. Nam propter pœnitẽtiam actam, & vitam sanctè ac fœliciter finitam, manifestatio illa peccatorum, piis gaudium potiùs adferet quàm vllum pudorem, sicut etiam ipsa recordatio suorum peccatorum. Ac propterea, quòd peccata tunc per pœnitentiam expiata, nullam confusionem piis adferent, dicuntur in scriptura perpetuę obliuioni mandanda. Iuxta illud Esaiæ 65. *Non erant in memoria priora: obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, &c.* Et Micheæ 7. *Deponet iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra, &c.*

Quod autem, vt diximus, celerrimè fiet ista tota cognitio & manifestatio, in piis quidem non est ad explicãdum difficile; cùm iam tunc illi sint futuri beati, & ideo poterunt omnia simul in verbo videre, vt ait D. Thomas hîc q.87.art.3. Impij verò citissimè quoq; omnia cognoscent *virtute diuina*, si non in vnico instanti, saltem in breuissimo tempore, vt ait ibidem D. Thomas, atq; adeò *celerrimè*, vt inquit Augustinus lib.20. de ciuitate Dei, cap.14. cuius verba ante recitauimus. Hæc de Primo.

Quod ad Secvndvm attinet, accusatio, & defensio, & testificatio in illo iudicio, non aliter fiet quàm per supradictam illam cognitionem, qua vnusquisque cognoscet verissimè quicquid fecit boni aut mali, testimonium illi reddente conscientia suâ, & mala redarguẽte, & bona approbante, &c.

Id probant communiter Theologi ex illa sententia Apostoli ad Romanos 2. *Legem non habentes* (scilicet scriptam) *ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimoniũ illis reddente conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die cum iudicabit Deus occulta hominum, secundum Euangelium meum per Iesvm Christum.*

Itaque tota hæc disceptatio in illo iudicio fiet mentaliter, vt docet hic D. Thomas q.88.art.2. & alij Theologi in 4.dist.43. ex sententia S. Avgvstini lib.20. de ciuit. Dei, cap.14. vbi rectè disserit, propterea libros secundùm quos fiet iudiciũ non esse intelligendos materialiter, sed spiritualiter & mentaliter, quia alioqui vix aliquãdo posset finiri illud iudicium. Pari enim ratione, si tota illa disquisitio & disceptatio, tam innumerabiliũ operum transigenda esset voce, vix fieri posset, vt longissimo etiam tempore illud iudicium finiretur.

Quod ad Tertivm attinet, personæ *iudicandæ* in illo iudicio erũt omnino omnes homines, qui aliquid in vita gesserunt. Id patet manifestè ex Apostolo ad Romanos 14. *Omnes*, inquit, *stabimus ante tribunal Christi.* Et paulò pòst: *Itaq; vnusquisq; nostrum pro se rationem reddet Deo.* Et 2.ad Cor.5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Quo loco Apostolus subindicauit, qua ratione debeat intelligi quod asserimus, *omnes* esse iudicandos: Nempe quia omnes in illo iudicio subibunt sententiã vel *approbationis*,

nis, qua ipsis decernatur præmiũ pro bono quod gesserint, vel *reprobationis*, qua decernatur eis pœna pro malo.

Non omnes autem subibunt etiam iudicium *discussionis* (vt Theologi appellant) quo scilicet causa alicuius, quod ad salutem vel damnationẽ attinet ita definiatur, quasi opinione hominum potuerit videri *anceps & dubia*, propter admixtionem bonorum & malorum operum.

Nam isto iudicio *discussionis*, vt docet D. Thom. hîc q.89.art.6. & 7. & alij Theologi in 4.dist.47. non iudicabuntur duo ordines hominũ. Alter eorum fidelium, qui fuerint *valde boni*, id est, qui contemptis rebus omnibus studuerint singulari vitæ perfectione placere Deo, atq; adeò ædificauerint super fundamẽtum quod est Christus, *argentum, & aurũ, & lapides pretiosos*: siquidem de his satis notum erit eos fore saluos. Alter eorum qui fuerint *infideles*, atq; adeò minimè nixi fundamento quod est Christus: Siquidem satis quoq; notum erit hos damnatum iri.

Et de prioribus intelligi potest illud Ioan.5. *Amen amẽ dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me* (scilicet fide per excellẽtem charitatem viua) *habet vitam æternam, & in iudicium nõ venit*, (nempe in illud iudicium *discussionis*,) *sed habet vitam æternam.* Quanquam potest & hoc intelligi de iudicio *punitionis*, quod per Antonomasiã *iudicii* in scriptura dici cõsueuit, propterea quòd punitio peculiariter est actus iustitiæ, ad cuius normã iudicium fit: Iuxta id quod ibidem de impiis dicitur: *Procedent qui mala egerũt in resurrectionem iudicij*: remuneratio autem imprimis præsupponit diuinam misericordiam: quo pacto D. Thom. hîc q.86.ad 1. interpretatur illud, Ioan.3. *Qui credit in illum non iudicatur.*

De *posterioribus* autem, scilicet de *infidelibus*, intelligitur illud Ioan.3. *Qui autem non credit, iam iudicatus est: quia nõ credidit in nomine vnigeniti filij Dei.* Et similiter potest intelligi illud Psal.1. *Non resurgũt impij in iudicio*: si impij ibi appellẽtur infideles. Si aũt intelligantur quicunq; *improbi*, sensus erit, quòd ipsi non resurgent in resurrectione vt alios iudicent, sicut resurgẽt sancti, vt postea dicemus. Vel quod non resurgent ad vitam beatam, &c.

Itaq; iudicio illo *discussionis* solũ illi fideles iudicabuntur quorum salus *dubia* videri poterit opinione hominum; quia scilicet retinẽtes fundamentum fidei, frequenter tamen & benè & malè egerint in hac vita, siue ex illa excesserint in gratia Dei, siue extra gratiam.

Ac iuxta hanc doctrinam de hoc iudicio *discussionis* interpretantur Theologi in 4.dist.47. quod S. Gregorivs lib.26. Moral. cap.24. dixit, quatuor fore ordines hominũ in iudicio. *Alij namq;*, inquit, *iudicantur & pereunt* (scilicet fideles qui excedent extra gratiã.) *Alij non iudicantur & pereunt*, scilicet infideles. *Alij iudicantur & regnant*, scilicet fideles iusti qui in gratia decedunt. *Alij non iudicantur, & regnant*, scilicet fideles perfecti.

Dixi autẽ *omnes omnino iudicandos* (iudicio scilicet remunerationis vel punitionis.) *qui aliquid in vita gesserunt.* Nam paruuli qui priusquam liberè quicquam agerẽt è vita discesserunt, etsi comparebunt quidem in iudicio vt videant gloriam Iudicis, tamen non iudicabũtur, vt notat D. Thomas hîc q.89.art.5.ad.3. Quod autem etiam Paruuli cõpatituri & gloriam Iudicis visuri sint, patet Apoc.1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus.*

Quod ad Qvartvm attinet, constat ex scripturis *aliqua ratione* iudicaturos cum Christo omnes Sanctos, scilicet *consentiendo* in Christi sentẽtiam, & illam approbando. Iuxta illud Sap.3. *Iudicabunt iusti nationes.*

Item peculiari quoq; ratione Apostolos & viros *perfectos* qui Apostolorum exemplo omnia reliquerint, & secuti sint Christũ, iudicaturos tanquam Christi assessores, scilicet in præeminẽtiori & honoratiori loco Christo assidẽtes; nec tantùm sententiam Christi approbantes, sed etiam norma diuinorum præceptorum, quæ in eorum anteacta vita præcipuè enitebit, sententiam illam stabilientes, eamque fortè simul pronunciantes & intimantes iudicatis: iuxta ea quæ de hoc tradit D. Thomas hîc q.89.art.1.

Id aũt patet ex illa promissione Christi Matth. 19. vbi Petro dicenti: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Respondit Dominus: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, &c. centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.*

Quem locum exponens Avgvstinvs libro 20. de ciuitate Dei, cap.5. ait, duodenario illo numero sedium & tribuum vniuersam multitudinem iudicantium & iudicandorum significari; *propter duas*, inquit, *partes numeri septenarij, quo significatur plerumq; vniuersitas: quæ duæ partes, id est, tria & quatuor, altera per alteram multiplicata duodecim faciunt.*

Explicat autem D. Thomas bene in illa quæst. 89. artic. 2. quomodo auctoritas illa iudicandi cum Christo erit peculiariter merces euangelicæ *paupertatis*, ob humilitatis scilicet meritum, quod per exaltationem remunerari conuenit, & ob alias bonas rationes quas ibidem adducit.

Addit item art.3. Angelos quidem, cum non sint Christo Iudici in natura conformes, nõ perinde ac Sanctos iudicaturos velut Christo assessores: quamuis iudicabunt ipsi quoq; sententiam Christi *approbando.* Quinetiam Angeli boni & mali, quo ad illa quidem quę benè vel malè gesserint *erga homines*, iudicabũtur tunc à Christo & à Sanctis, quatenus inde reportabunt tunc remunerationem vel pœnam accidẽtalem, vt facilè declarat D. Tho. in illa quæst. art.8. Vnde Apostolus 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad Cor. 6. *Nescitis*, inquit, *quia Angelos iudicabimus?* A

Quod ad QVINTVM attinet, sententia Domini definitiua in illo iudicio erit illa, quam ipse se laturum testatur Matt. 25. In pios quidē illis verbis: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnū à constitutione mundi:* in impios autem illis: *Discedite à me maledicti in ignem æternū, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Et quamuis confirmatio fortè quæ sequitur vtriusq; sententiæ, sicut & disceptatio totius causæ, mentaliter & celerrimè potiùs quā vocaliter fiet, iuxta supra dicta; tamen illis planè assentior qui existimant, ipsam saltem *definitiuam* sententiā per prædicta verba esse pronunciandam ipsius Domini voce & audiendam, & non tantùm mentaliter ab vnoquoque diuina virtute cognoscendam. Ita Richardus in 4. dist. B 47. art. 1. q. 2. (qui etiam plura vocaliter transigenda putat) & Abulensis q. 333. in cap. 25. Matth. & Sotus in 4. dist. 47. q. 2. art. 4.

Primùm enim absq; incommodo possunt ita propriè intelligi ipsa Domini verba, quę sic planè sonant, cùm ait: *Tunc dicet Rex his qui à dextris erūt: Venite benedicti, &c.* Et infrà: *Tunc dicet his qui à sinistris erunt: Discedite à me, &c.*

Secundò, quoniam ita indicant Sancti Patres: vt S. EPHREM in libro de extremo iudicio, cap. 5. *Beatus*, inquit, *homo qui inuenerit fiduciam in hora illa, & qui audierit beatam vocem illam: Venite benedicti patris mei, etc.* Et S. GREGORIVS lib. 26. Moral. cap. 24. vbi ait *dominica voce* esse omnes iudicandos. &c.

Tertiò, quoniā id pertinebit ad gaudiū bonorum, & ad maiorem terrorē impiorum, & poterit breuissimè fieri cùm pauca sint illa verba. C

Significat autem illic Dominus ob opera misericordiæ vel exercita, vel neglecta ferendā esse illam sententiā, non quia illa sola iudicanda sint, sed quoniam illa fieri debent ex præcipuo præcepto quod ipse nobis cōmendauit, scilicet de dilectione proximi. Atq; ideo voluit Dominus ea cōmemoratione peculiariter misericordiam erga proximum commēdare, vt explicuimus Tom. 3. disp. 3. q. 9. p. 3.

Executio porrò illius sententię non in eo consistet, vt tunc primū incipiant pij frui beatitudine, & mali luere pœnā æternam: Nam pij iam antea fuerant beati etiam quo ad corpus, vtpote quod spirituale & glorioſum resumēt in resurrectione, testante id Apostolo 1. ad Cor. 15. Et impij quoq; iam tunc cruciabuntur residuo aliquo igne ex mundi conflagratione, iuxta dicta à nobis, q. 2. p. 3. & iam etiam sustinebunt pœnam damni.

Consistet igitur executio illius sententiæ in eo, quòd cum publica quadam & solenni denunciatione & intimatione, atq; adeò etiā in loco certo & deputato incipiēt iusti frui beatitudine in Cœlo, quò cum Christo proficiscentur, & damnati puniri in inferno, quo amandabūtur: iuxta illud: *Venite benedicti, etc.* Et: *Ite maledicti in ignē æternū, etc.*

In qua executione sentētiæ, quod attinet quidēm ad impios, qui minimè sponte ad locū destinatum ibunt, & ignē illum sustinebunt, suas partes habebit ministerium Dæmonū, à quibus scilicet in Infernum rapientur, & ibi torquebuntur: iuxta doctrinā D. Thomæ hîc q. 89. art. 4. & aliorū Theologorū in 4. dist. 47. quæ est etiam sententia Patrum, & nominatim S. EPHREM in libro de pœnitentia cap. 8. *Tunc*, inquit, (lata sententia) *impelluntur miseri ab Angelis terribilibus acti, casi atq; flagellati, perguntq; mugientes ac stridentes dentibus, crebriusq; post tergum aspicientes, si quo pacto iustos & illud gaudium, vnde ipsi separati sunt, intueri queant, &c.*

Et S. BERNARDVS in lib. de interiori domo cap. 38. *Sententia*, inquit, *semel lata erit immutabilis: tortores horribiles qui nunquā miserentur erunt parati, vt data sententia te damnatum ad tormenta rapiant, &c.*

Quod ad SEXTVM attinet, *tempus* quidem iudicij erit dies mūdi extremus, statim peracta resurrectione, vt satis explicuimus, q. 2. p. 1. & 2. & quæst. præced. p. 2. Qui dies quando futurus sit, omnino incertum est, vt vidimus in dicta q. 2. p. 1. & ostendit latè D. Augustinus epist. 80. ad Hesichium. & ex eodem D. Thom. hîc q. 88. art. 3.

Locus autem in quo iudicium illud peragetur, erit in valle *Iosaphat*, cui imminet mons Oliueti, vnde Dominus in Cœlum cōscendit. Extat siquidē ea de re manifesta prophetia Ioël. 3. *Cōgregabo*, inquit, *omnes gentes, & inducā eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi. &c.* Et infrà apertissimè: *Cōsurgant*, inquit, *et ascendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu.*

Neq; tamen erit opus, vt omnes sint intra illam vallem, sed satis implebitur prophetia si sint partim in illa, partim circa illam, in vicinis locis, vbi possint videre Iudicem sublimem in nubibus sedentem, iuxta dicta p. 1.

Congregabūtur autem ab Angelis ibi boni & mali; non promiscuè, sed boni ad dexteram Iudicis, & quidem sublimiores aliquantò iuxta Iudicē in aëre (vt colligitur ex Apostolo 1. ad Thes. 4.) mali aūt ad sinistram, vt patet Matt. 25. Itaq;, vt rectè Sotus notauit in 4. dist. 47. q. 2. ar. 5. separatio hęc nō fiet, postquā fuerint omnes simul & promiscuè congregati, sed congregabūtur illuc ita separati.

Deniq; *dextra & sinistra* Iudicis propriè etiam potest & debet intelligi, cùm nō sit dubium, quin D Dominus habiturus sit ibi dextram & sinistrā secundùm humanitatē, qua nimirū iudicabit. Atq; hæc sufficiāt hoc loco de actione illa & forma futuri iudicij. Nā modū magis determinatū, quo res tota trāsigēda sit, docebit potius ipsa experiētia.

Sapienter enim D. AVGVSTINVS lib. 20. de ciuit. Dei, c. 20. de rebus nouissimi illius temporis loquens: *Quomodo*, inquit, *sit futurum quod nunc pro nostra ratiuncula viribus vt cunq; cōiicimus, tunc potius erit vt nosse possimus. Resurrectionē quippe mortuorū futurā esse in carne* (& similiter iudiciū) *quādo Christus vēturus est vivos iudicaturus & mortuos, oportet si Christiani esse volumus, vt credamus; sed non ideo de hac re inanis est fides nostra, si quēadmodum futura sit* (idem de iudicio) *perfectè comprehendere non valemus.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO QVINTA.

De futura conditione Beatorum & Damnatorum quoad corpora.

Supplem. D. Thom. quæst. 82. & seq. & q. 96.

DICENDVM EST PRIMO DE DOTIBVS GLORIAE CORPORVM beatorum. SECVNDO, de beatorum Aureolis, quæ refulgebunt etiam in illorum corporibus. TERTIO, de conditione corporum damnatorum.

PVNCTVM PRIMVM.

De dotibus gloriæ corporum beatorum.

Quæst. 82.

QVATVOR dotes siue ornamenta beatorum corporum à Theologis numerantur, quæ etiā colliguntur ex sacris literis. Nempè Subtilitas, Impassibilitas, Agilitas, Claritas. A

Habemus autem de his dotibus seu donis hæc scripturæ testimonia. De SVBTILITATE, 1. Corinthiorum 15. *Seminatur corpus animale surget spirituale*, id est profectè subiectum spiritui vt explicabimus. De IMPASSIBILITATE ibidem, *Seminatur in corruptione surget in incorruptione.* Item: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* De AGILITATE, Isaiæ 40. *Current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Et Sapient. 3. *Tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* De CLARITATE, Sap. 3. *Fulgebunt iusti.* Et Matth. 13. *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum.* B

Vt autem horum donorum ratio & differentia, iuxta sententiam veriorem & communiorē, quæ ferè est D. Thomæ, facilius intelligatur; sciendum imprimis est, ex gloria siue beatitudine animę, ad corpus quoq; redundaturam quandam præstantissimam *qualitatem* diuini & supernaturalis ordinis, per quam illud etiam reddetur beatum & glorioſum. Quanquam modum quidem illum singularem beatitudini animi proportionatum & simul aptum corpori, quo per eam *qualitatem* beabuntur corpora, nunc quidem exactè cognoscere non possumus: iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum:* nisi quod notitiis quibusdam generalibus, *reuelante Deo per spiritū suum*, vt ibidem subdit Apostolus, scimus, expectare nos cumulatissimam gloriam, quo ad animam & corpus. C

Redundare autem *qualitatem* illam quam dico ex beatitudine animę ad corpus, affirmat S. Thomas hîc q. 84. art. 1. cùm ait, esse in beato corpore aliquam perfectionem effluentem ab anima glorificata. Et potest hoc ipsum ex scriptura confirmari, quæ præter gloriam animæ, significat futuram quoq; singularem quādam gloriam corporis. Vt Isaiæ 61. *In terra sua duplicia possidebunt; lætitia sempiterna erit eis.* Et Isa. 66. postquam de gloria animæ dicitur: *Videbitis et gaudebit cor vestrum;* de gloria corporis additur: *Et ossa vestra sicut herba germinabūt.* Et 1. ad Cor. 15. *Surget*, inquit, *in gloria.* Et Apoc. 6. *Animæ interfectorum propter verbū Dei*, post acceptas singulas stolas albas, id est, gloriam animæ, iubentur *expectare* etiam stolā gloriæ corporis, *donec compleantur*, inquit, *conserui eorum, &c.*

Neq; tamen quod ait D. Thomas redundare illam qualitatem seu perfectionem ad corpus ex gloria animæ, necesse est ita intelligere, quasi hæc qualitas vel ab anima, vel à beatitudine animæ producatur effectiuè in corpore: Sed redūdare ex beatitudine animę in corpus intelligi potest, quatenus apte & congruenter beatitudini animæ, producitur à Deo in corpore beatę animæ vnito.

Porrò *qualitas* ista ita perfectè disponet corpus in ordine ad animā, vt corpus tali qualitate affectū penitus reddatur subiectū animæ, idq; secundum triplicem animæ considerationē: nimirum & vt est anima *forma* corporis; & vt est *motrix* illius per varias suas facultates; & vt est deniq; prædita *arbitrio & voluntate*, ne scilicet aliquid extra nutū animæ fiat in corpore vel circà corpus. Ita docet D. Thomas hîc q. 84. art. 1. cùm ait, per eiusmodi qualitatē seu perfectionē effluentē ab anima glorificata, reddi corpus habile ad hanc subiectionē.

Ex hac autem summa subiectione corporis erga animam, vt tradunt communiter Theologi in 4. dist. 44. & 49. existent in corporibus beatis priores tres dotes beatitudinis ex illis quatuor quas diximus; scilicet Subtilitas, Impassibilitas, Agilitas. Erunt namque beatorum corpora SVBTILIA, non quia vertentur in spiritum, vt quidam Hæretici voluerunt, quos refellit S. Augusti-

nus

nus lib. 13. de ciuitate Dei, cap. 22. nec per raritatem inſtar aëris aut venti, vt finxit Eutichius, teſte Gregorio lib. 14. Moralium, cap. 31. erunt enim palpabilia, ſicut fuit corpus Chriſti reſurgentis, vt ibi Gregorius probat: Sed per hoc quod erũt perfectiſsimè & completiſsimè *ſubiecta* animæ rationali, atque adeò ſpiritui, vt D. Thomas explicat quæſt. 83. art. 1. Quia ſcilicet *ſubtilia* corpora eſſe & nominari ſolent ea quæ facilè *ſubſtant* variis formis; vt aër, & aqua, &c. Quam dotem Subtilitatis indicatam ab Apoſtolo fuiſſe intelligunt Theologi cùm ait, 1. ad Corinth. 15. *Seminatur corpus animale; ſurget ſpirituale.*

IMPASSIBILIA autem erunt eadem beatorum corpora, quatenus adeò perfectè ſubiecta erunt ſuæ formæ, nempe animæ rationali, vt nihil *contrarium*, vel alienum prædominetur huic ſubiectioni, quod poſsit illa ad alienam formam diſponere & attrahere; vt explicat D. Thomas q. 81. artic. 1. reiectis falſis quibuſdam aliorum opinionibus de ratione huius Impaſsibilitatis.

Nec puto alienum à mente D. Thomæ (quicquid Sotus dicat in 4. diſt. 49. q. 4. artic. 5.) quod cenſuit Richardus eadem diſt. art. 4. q. 2. & Paludanus diſt. 44. q. 2. & Capreolus eadem diſt. q. 2. art. 3. ſub initium, ſcilicet hanc *Impaſsibilitatem*, fundamentum habituram in *peculiari qualitate*, quæ ex beatitudine animæ redundabit in corpus. Nam habebit fundamentum in illa omnimoda *ſubiectione* corporis erga animam, vt expreſsè docet S. Thomas; & exiſtet hęc *ſubiectio* per illam qualitatem, vt idem D. Thomas affirmat q. 84. art. 1.

Excludet autem hęc Impaſsibilitas paſsionem duntaxat *corruptiuam*, quam Damaſcenus lib. 2. fidei cap. 22. appellat *motum præter naturam*, quia ſcilicet trahit materiam ſubiecti ad formam alienam. Non autem excludet paſsionem *animalem*, ſiue *intentionalem*, per receptionem ſcilicet ſenſibilium ſpecierum inrentionalium.

Vt enim explicat D. Thomas artic. 3. & 4. erit etiam in illis beatis corporibus iucundiſsimus & decentiſsimus vſus potentiarum ſenſitiuarum, ſaltem *guſtu* excepto, quandoquidem non erit ibi nutritione opus, ſicut nec generatione; deſinet enim tũc corpus eſſe animale: iuxtà illud 1. ad Corinth. 15. *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.* Niſi fortè vt idem D. Thomas inquit, hic etiã ſenſus *guſtus*, illic eſt futurus per immutationem linguæ ab aliqua humiditate adiuncta.

Nec vt huiuſmodi ſenſuum vſum in beatis corporibus futurum eſſe defendamus, neceſſe videtur laborare multùm in explicando, quomodo tunc fiet naturalis illa immutatio, quæ nunc cõiuncta eſſe ſolet cum productione & receptione ſpecierum intentionalium, per quas propriè & immediatè fit ſenſatio: poterit enim eiuſmodi ſpecierum productio & receptio fieri diuina virtute, ſuppletis interdum aliquibus aliis cauſis naturalibus.

Nec ſanè poſſumus plenè ſcire quomodo immutationes iſtæ & ſenſationes tunc fient: iuxta illud AVGVSTINI lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 30. *Qui motus talium corporum ſint futuri, temerè definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus & ſtatus, ſicut & ipſa ſpecies decens erit, quicunq; erit, vbi quod non decebit non erit.*

AGILIA item erunt beatorum corpora, quatenus beneficio item prædictæ illius qualitatis erunt quoque perfectiſsimè ſubiecta animæ, non ſolùm vt formæ, ſed etiam tanquam *motori*. Inde enim fiet vt facillimè & celerrimè moueantur quocunque velint, vt docet D. Thom. quæſt. 84. artic. 1.

Quo pertinet illud AVGVSTINI lib. 13. de ciuitate Dei, cap. 18. *Poteſt*, inquit, *occultus aliquis modus operationis Dei molibus præſtare terrenis, vt nulla in imo pondere deprimantur; ipſiſq; animis perfectiſsimè beatis, vt quamuis terrena, tamen incorruptibilia iam corpora, vbi volunt, ponant, & quò volunt, agant ſitu motuq; facillimo.* Et lib. 22. cap. 30. *Certè*, inquit, *vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus; nec volet aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritum poſsit decere, nec corpus.*

Quin etiam, ſi verum eſt quod probabiliter aliqui Theologi putant, ac nominatim Sotus in 4. diſt. 44. q. 4. artic. 7. beatorum corpora habitura manſiones ſuas *penetratiuè* intrà ipſum corpus Cœli Empyrei; penetratiuè etiam mouebuntur per illud corpus cœleſte. Etſi enim non competit beatis corporibus ob ſolam Agilitatem, vel ſubtilitatem, vt poſsint cum alio corpore in eodem loco *penetratiuè* eſſe, cum iſtæ dotes beatitudinis non auferant à corpore beato dimenſiones quãtitatiuas, quæ naturaliter quidem excludunt illam penetrationem; tamẽ ad perfectionem gloriæ pertinebit, vt diuina virtute id poſsint prout voluerint: ſicut affirmat D. Thomas quæſt. 83. artic. 2.

Qui tamen art. 4. rectè cenſet nunquam futurum vt vnum corpus *glorioſum* cum alio quidem *glorioſo* corpore penetratiuè ſit ſimul. Tum quia erit ſemper inter glorioſa corpora decens ordo & diſtinctio. Tum quia nunquam oportebit, nec decebit, vt vnũ corpus glorioſum alicubi ſe opponat alteri. Cum aliis verò corporibus, vtputa cœleſtibus & elementaribus, penetratiuè poterunt eſſe pro libito illa beata corpora, atq; adeò penetratiuè ſe mouere per illa, vt dictum eſt: & maximè, ſi penetratiuè ſunt intra Cœlum Empyreum. Alioquin perpetuò manerent immobilia: Contra illud Iſaiæ 40. *Current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Et Sapient. 3. *Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.*

Et quidem quod erunt *intra* Cœlum Empyreum (altiore vel minus alto loco pro cuiuſque merito) colligi poſſe videtur ex eo quòd ad Hebræos 7. tanquam peculiare aliquid de Chriſto dicitur quòd ſit *excelſior Cœlis factus.* Si autem de Chriſto hoc dicitur non tanquam aliquid illi *peculiare* quo ad locum, ſed quo ad modum quo locum illum & dignitatẽ ſibi promeritus eſt, nempè ſua propria vi, tanquam *innocens, & impollutus*, &c. ac proinde alij etiam Sancti ſuprà Cœlos futuri ſunt, vt alij non minùs probabiliter cenſent; nihilominus tunc etiam mouebuntur Beati penetratiuè per corpora cœleſtia, vel alia vt voluerint. Idque vel motu progreſsiuo, vel etiam ſurſum & deorſum, & quaque verſus pro libito, vt explicat Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. artic. 7. & colligitur ex eo quod de Sanctis, Sap. 3. dicitur: *Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.*

Etenim per *qualitatem* illam *gloriæ* corporum, qua reddentur impaſsibilia, & agilia, & ſubtilia, auferetur etiam ab eis oneroſa illa grauitas, quæ nunc eſt impedimento eiuſmodi motibus, vt S. Auguſtinus libr. 22. de ciuitate Dei, cap. 11. contrà Platonicos diſſerit, qui corpora humana propter innatam grauitatem in Cœlum non poſſe inferri contendebant. *Quam multa*, inquit inter cætera, *grauia & terrena ſunt corpora, ſicut plumbum, & formam tamen ab Artifice accipiunt, qua natare valeant ſuper aquam? & vt accipiat qualitatem corpus humanum qua ferri in Cœlum poſsit, & eſſe in Cœlo, omnipotenti Artifici contradicitur?* Et infrà: *Ità ne*, inquit, *per huius tam excellentis naturæ meritum* (animæ) *non poterit effici vt corpus eius leuetur in Cœlum? & cum valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorſum, aliquo modo & animæ leuare ſurſum terrena corpora non valebunt?*

Idem diſſerit lib. 13. de ciuitate Dei, capite 18. vbi inter cætera ita ſcribit: *Si Dij minores, quibus inter animalia terreſtria cætera etiam hominem faciendum commiſit Plato, potuerunt ſicut dicit ab igne remouere vrendi qualitatem, lucendi relinquere, quæ per oculos emicaret; ita ne Deo Summo concedere dubitabimus, cuius ille voluntati poteſtatiq; ne moriantur conceſſit quæ orta ſint, & tam diuerſa tam diſsimilia, id eſt corporea & incorporea ſibimet connexa, nulla poſsint diſſolutione ſeiungi, vt de carne hominis cui donat immortalitatem, corruptionẽ auferat, naturam relinquat; congruentiam figuræ membrorumq; detineat, detrahat ponderis tarditatem?*

Et veriſsimè de toto hoc genere in epiſtola 146. ad Conſentium idem Auguſtinus ita pronunciat: *Valet igitur diuina potentia de iſta viſibili, atque tractabili natura corporum, quibuſdam manentibus, auferre, quas voluerit qualitates: ac per hoc valet etiam membra mortalia formæ lineamentis manentibus, corruptione verò mortalitatis emortua, ſtabili vigore firmare: vt abſit labes, aſsit effigies: aſsit motio, abſit fatigatio: aſsit veſcendi poteſtas, abſit eſuriendi neceſsitas.*

CLARA denique erunt corpora beatorum, non per illam eandem qualitatem gloriæ, qua erunt ſubtilia & impaſsibilia, & agilia, vt hactenus explicatum eſt, ſed per *diſtinctam* qualitatem *lucis*: quæ ſanè lux tametſi ex parte quidem ſuæ cauſſæ differet ab hac noſtrà luce, cùm Deus ipſe illam in corporibus beatis productus ſit, tamen ſecundum eſſentiam ſuã eiuſdem erit ſpeciei cum noſtra, vt optimè oſtendit D. Thomas quæſtion. 85. artic. 2. Quapropter quantum erit ex natura ſua, ab oculo etiam non glorificato videri poterit, ſicut poteſt noſtra, vt docet D. Thomas in illo art. 2. & art. 3.

Sed quia beatorum corpora erunt pleniſsimè ſubiecta animæ non modò tanquam formæ, & motori, ſed etiam vt eſt *arbitrio & voluntate* prædita, ſicut ſuprà diximus, ac proinde nihil circa corpora illa fieri poterit contra nutum animæ; eatenus videbitur, aut non videbitur illa claritas beatorum, quatenus ipſi beati voluerint, aut nõ voluerint videri, vt explicat D. Thomas in illo articulo 3. Et patet ex eo quòd Dominus apparens duobus diſcipulis in corpore iam glorioſo, non modò claritatem illis occultauit, ſed poſtea etiam repentè *euanuit ex oculis eorum*, Lucæ 24.

Quemadmodum ob eandem illam ſubiectionem corporis erga animam vt *arbitrio* prædictam, docet verè idem D. Thomas quæſt. 83. artic. 6. fore vt corpora glorioſa pro arbitrio beatorum poſsint, aut non poſsint *tangi & palpari*; quãuis non obſtante Subtilitate, vt ſuprà diximus, erunt palpabilia, vt fuit corpus Chriſti glorioſum, Lucæ 24.

Poteſt autem hoc totum facilè intelligi ſi conſideretur, cauſas etiam naturales pro varia ratione quarundam circumſtantiarum ſiue *conditionum* requiſitarum ad quaſdam actiones vel eis obſtantium, poſſe quædam agi & non agi, &c. Similiter namque debet intelligi, diuina ſapientia, & potentia conſtitutum eſſe, vt poſita in corporibus beatis ſupernaturali illa gloriæ *qualitate*, per quam corpus pleniſsimè ſit *ſubiectum* animæ, nihil poſsit in illo vel circa illud ab vlla creatura agi citra nutum animæ. Ratio igitur iſtiuſmodi donorum ita ſe habet.

Porrò DIFFERENTIA eorundem ex dictis etiam facilè poteſt intelligi. Nam priora tria dona, ſcilicet, *Subtilitas, Impaſsibilitas, & Agilitas*, non re ipſa ſed ratione formali differunt: cùm per vnam & eandem gloriæ qualitatem exiſtant, vt ex ſententia S. Thomę initiò explicuimus. Quã *gloriæ qualitatẽ* apertè etiam aſſeruit AVGVSTINVS lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 11. vt patet ex verbis eius, quæ antea recitauimus. *Claritas* verò re ipſa differt à reliquis donis tribus: quandoquidem continetur *diſtincta lucis* qualitate ſicut dictum eſt.

Eſt etiam ſciendum, pro diuerſa perfectione beatitudinis animæ, futuram quoque magis vel minùs perfectam in beatis qualitatem illam gloriæ *corporis*, atque adeò *Subtilitatem, Impaſsibilitatem, & Agilitatem*, quæ in illa qualitate fundamentũ habebunt: itemq; *Claritatem*, quæ etiam reſpõdebit perfectioni gloriæ animæ & qualitati gloriæ corporis. Ita de *Impaſsibilitate*, do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cet quoque D. Thomas quæſt. 82. artic. 2. & de aliis eſt eadem ratio. Ac peculiariter de *claritate* idem patet ex illis verbis Apoſtoli 1. ad Corinthios 15. *Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, &c.*

PVNCTVM SECVNDVM

De Aureolis beatorum.

Quæſt. 96.

AVREOLÆ nomine, ſiue LAVREOLÆ, vt aliqui nominant, à Theologis intelligitur quoddam præmium accidentale, quod accedet in quibuſdam beatis ad gloriam animæ & corporis, vt eo peculiariter, tanquam *aureola* vel *laureola corona* remunerentur eorum quædam merita, in quibus ſingulariter eluxerit laus quædam victoriæ de ſuperatis animi hoſtibus. *Corona* enim non niſi certanti & *vincenti* ſolet dari: iuxta illud Apoſtoli 2. ad Timotheum 2. *Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit.* In eo autem nomine vſurpando imitati ſunt Theologi locutionem ſcripturæ Exod. 25. vbi legitur: *Facies & alteram coronam aureolam, &c.*

Porrò præmium iſtud accidentale quod AVREOLA vocatur, propriè & ſecundùm ſe tantùm erit in anima beati, vt docet D. Thomas hîc artic. 10. Erit namque quoddam ſingulare *gaudium* propter merita illa quæ peculiariter habuerint laudem cuiuſdam victoriæ de animi hoſtibus, ſicut dictum eſt. Sed tamen, vt D. Thomas ibi & alij Theologi tradũt, refulgebit quodamodo in corpore etiam hoc præmium, atque adeò hæc Aureola: quia ſcilicet ex illo animæ gaudio redundabit ad corpus peculiare quoddam ſplendoris decus, index & nota eius gaudij.

Erunt autem pro triplici genere iſtorum tres peculiares Aureolę, vt docet D. Thomas hîc q. 96. & communiter alij Theologi. Vna VIRGINVM. Altera MARTYRVM. Tertia DOCTORVM. Nam in merito tum Virginitatis, tum Martyrij, tum Eruditionis aliorum ad iuſtitiam & ſalutem, elucet peculiariter quædam laus victoriæ de hoſtibus animi.

In merito quidem VIRGINITATIS, quoniam per illam integrè ſeruatam ſuperatur perfectè caro. In merito autem MARTYRII ſuperatur perfectè mundus contempto & poſtpoſito amore huius vitæ. In merito deniq; ERVDITIONIS aliorum ad ſalutem ſuperatur peculiariter Diabolus, hoc ipſo videlicet, quod dum quis docet alios ea quæ ſalutaria ſunt, eripit eos, quantum in ipſo eſt à Diaboli poteſtate, à quo ſolent homines captiui teneri per errorem & mentis cæcitatem.

Nec deſunt nobis præter communem Theologorum auctoritatem in 4. diſtinct. 49. teſtimonia ſcripturæ, ex quibus hanc aſſertionem trium iſtarum Aureolarum confirmare poſſumus. Nam peculiare illud præmium, atque adeò Aureola VIRGINVM indicatur illis verbis, Iſaiæ 56. *Dabo eis* (Eunuchis qui ſe propter regnum Cœlorum caſtrauerunt) *in domo mea, & in muris meis locũ, & nomen melius à filiis & filiabus.* Quo loco S. AVGVSTINVS in libro de ſancta Virginitate ait, vtique gloriam quandam propriam excellentemq; Virginum ſignificari, & illud eorum nomen ac præmium non fore *commune cum multis, quamuis in eodem*, inquit, *regno & in eadem domo conſtitutis. Nam ideo fortaſsis*, inquit, *nomen datum eſt, quod eos quibus datur, diſtinguit à cæteris.*

Et Gloſſa ordinaria in illud, Exod. 25. *Facies & alteram coronam aureolam*; tradit ad coronam pertinere *Canticum illud nouum Virginum qui ſequuntur Agnum quocunq; ierit.*

Et fortè hoc ipſum præmium accidentale Virginum quod nominari ſolet Aureola, erit re ipſa illud idem quod indicatur Matth. 13. nomine *fructus centeſimi*, quem Virgines pro mercede referent propter Virginalis caſtitatis præſtantiam; Cùm caſtitas Vidualis minori præmio accidentali ſit remuneranda, hoc eſt, fructu *ſexageſimo*: Caſtitas autem Coniugalis adhuc minori, ſcilicet fructu *trigeſimo*: Iuxta id quod de ea Domini parabola, Matth. 13. ex ſententia potiſsimùm Gloſſæ ordinariæ ibidem, diſſerit D. Thomas hîc quæſtion. 96. articul. 2. 3. & 4.

Differt tamen fructus ille centeſimus à Laureola Virginum ſaltem ratione formali. Nam vt Virginalis caſtitas exiſtit velut ex ſemine Verbi Dei, ſiue diuinæ gratiæ, præmium, quod reportat, nominatur fructus. Vt autem continet meritum, nominatur id eius præmium Laureola.

Pro Aureola item MARTYRVM habemus illud Apocalypſis 2. *Vincenti dabo manna abſconditum: & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Et accedit quòd maius eſt meritum, & laus victoriæ in Martyrio, quàm in Virginitate, vt aſſerit S. AVGVSTINVS in libro de ſancta Virginitate, capite 46. vbi ait: *neminem auſum fuiſſe Virginitatem præferre Martyrio.* Itaque ſi Virgines habebunt peculiarem Aureolam, multò magis Martyres.

Quinam autem cenſendi ſint verè Martyres, & verè Virgines, qui proinde donabuntur his Aureolis, explicatum eſt à nobis, Tom. 3. ſuis locis, ſcilicet diſputat. 8. quæſt. 2. p. 1. & diſput. 9. quæſt. 1. punct. 2.

Et notat D. Thomas hîc quæſt. 96. artic. 10. fulgorem illum *Aureolæ Martyrum* peculiarem ac diſtinctum fore ab eo ſplendore, quo nitebũt etiam *cicatrices* Martyrum, iuxta Auguſtinum lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 20. Nam fulgor ille redundans ex *Aureola* Martyrij, in omnibus Martyribus erit; non erit autem in illis omnibus ſplendor *cicatricum*, ſicut nec cicatrices, vt patet in his qui per ſuffocationem, vel aliter ſine vulnere fuerint paſsi Martyrium.

Pro Aureola denique DOCTORVM habemus illud, Daniel. 12. *Qui autem docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Et illud Matth. 5. *Qui autem fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno Cœlorum.* Et Gloſſa ordinaria ſuper illud ad Epheſ. 1. *Vt ſciatis, quæ ſit ſpes, &c. & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credidimus*: affirmat, *quoddam incrementum gloriæ habituros SS. Doctores vltrà id quod communiter omnes habebunt.*

Ex allatis autem ſcripturæ locis de Doctoribus apparet veriſsimum eſſe illud quod S. Thomas notat hîc quæſtion. 96. articul. 7. Aureolam iſtam non eſſe dandam propter ſolam Doctoris *dignitatem*, ſiue *auctoritatem*, ſed propter *officium* ipſum, quo quis in Eccleſia actu doceat alios ea quæ ſunt ſalutaria. *Corona enim*, inquit rectè D. Thomas, *non debetur habitui, ſed pugnæ actuali.* Iuxta illud, 2. ad Timotheum. 2. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* Vnde illud quod dicitur Daniel. 12. *Qui docti fuerint fulgebunt, &c.* intelligi debet de his qui docti fuerint cum vtilitate aliorum, per *actuale* ſcilicet miniſterium & officium docendi in Eccleſia. Sicut patet ex verbis illic ſubiunctis: *Et qui ad iuſtitiam eruditi, &c.*

Etſi autem in allatis ſcripturæ teſtimoniis, ſine dubio etiam intelligatur præcipuè ESSENTIALIS gloria animæ & corporis, quæ Virginibus, & Martyribus, & Doctoribus pro meritis redditur: Tamen quia in iiſdem locis indicatur, futurum illorum præmium cuiuſdam etiam *peculiaris* generis, quod non erit commune aliis; rectè intelligimus, ſimul quoque in eiſdem locis indicari peculiares illas Aureolas.

Denique vt in aliis atque aliis, maius aut minus erit meritum Virginitatis, aut Martyrij, & miniſterij in docendo ex ipſo actus genere; ita etiam in aliis, atque aliis erunt magis vel minùs inſignes & perfectæ illæ Aureolæ, vt docet D. Thomas hîc quæſt. 96. artic. 3. Inter ipſas autem Aureolas, Martyrum Aureola præſtantiſsima erit, ſicut & Martyrij meritum eſt maius reliquis, vt docet D. Thomas ibi art. 12.

PVNCTVM TERTIVM.

De futura conditione corporum damnatorum.

Quæſt. 86.

DE damnatorum corporibus. PRIMA quæſtio eſſe ſolet, an reſurgent cum iis vitiis & deformitatibus, quas in hac vita habuerint. SED hac de re ſuprà quæſtion. 3. punct. 3. vidimus nihil eſſe planè compertum, neque eſſe improbabilem partem huius quæſtionis affirmatiuam. Et vt ex Auguſtino ibi diximus in Enchiridio, cap. 92. *fatigare nos inquirendo non debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio.*

SECVNDA quæſtio eſt; an illa damnatorum corpora ſint futura incorruptibilia. Et certum eſt fore eatenus incorruptibilia, quatenus aliquid (quicquid illud ſit) erit in cauſſa cur nullo vnquam tempore corrumpi poſsint.

Probatur Matth. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum*: non autem eſſet futurum æternum ſupplicium damnatorum poſt corporum reſurrectionem, (ſicut ibi de illis eſt ſermo) ſi corpora illa aliquando eſſent corrumpenda. Et 1. ad Cor. 15. generatim de mortuis dicitur, quod *reſurgent incorrupti.* Et Apocal. 9. *In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam; & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.*

Quidnam autem futurum ſit illud propter quod damnatorum corpora corrumpi non poterunt, explicatur à D. Thoma partim hîc articul. 2. partim lib. 4. contra Gentes, cap. 89. *Primò* enim cauſſa huius incorruptibilitatis erit iuſtiſsima Dei voluntas, per quam corpora illa perpetuò erunt ſubiecta ſuis animabus, vt in ſempiternum puniantur damnati, quoad corpora & animas, per quæ ſcilicet peccauerunt.

Secundò propinquior cauſſa huius incorruptibilitatis erit ceſſatio motus Cœli. Siquidem ex ſententia D. Thomæ hîc artic. 2. eademque veriori & communiori Theologorum ac Philoſophorum quam defendit bene Sotus in 4. diſtinct. 48. quæſtion. 2. artic. 2. motus Cœli eſt ſaltem conditio quædam naturaliter requiſita, vt Cœlum in inferiora corpora agat, ſine cuius actione nulla cauſſa inferior poteſt naturaliter quicquam agere, ac proinde neque corrumpere aliquid. Itaque Cœli motu ceſſante, quod in mundi fine futurum eſt, (vt dicemus quæſtion. ſequenti) ceſſabit omnis generatio & corruptio.

Præter has autem incorruptibilitatis cauſſas eſt etiam alia peculiaris & intrinſeca in corpori-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus *beatorum*, quæ non item habet locum in damnatorum corporibus, nimirum perfectissima illa subiectio corporis, erga animã per *gloriæ qualitatem*, vt tradidimus, p. 1.

Et propter hoc discrimen incorruptibilitatis beatorum & damnatorum, quo ad hanc intrinsecam causam, dixit Apostolus 1. ad Corinthios 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*: quia scilicet soli iusti immutabuntur per istum quidem modum incorruptibilitatis *gloriæ* ab intrinseco, vt notauit etiam D. Thomas hîc art. 2.

Quare quod idem D. Thomas libro 4. contra Gentes, cap. 89. dixit, causam incorruptibilitatis corporum damnatorum, fore etiam subiectionem illorum, erga animas, intelligi debet de subiectione tantùm ab *extrinseco*, per illam scilicet voluntatem Dei iustam ex qua fiet, vt perpetuò sint illa corpora subiecta suis animabus ad sempiternum supplicium, sicut ante diximus.

TERTIO quæri solet: an etiam corpora damnatorum sint futura *impassibilia*, & quomodo. Consistit autem sententia communior hac de re in duabus assertionibus quas ponit hîc D. Thom. art. 3. PRIMA est. Corpora damnatorum impassibilia quidem erunt, vt impassibilitas excludit passionem *naturæ*, (vt vocant) id est, alteratiuam & incorruptiuam. Nam erunt, vt antea dictum est, incorruptibilia.

SECVNDA est, passibilia tamen fore illa corpora per passionem *animæ* (vt vocant,) id est, per receptionem sensibilium specierum caloris ignis improportionati corporibus illis, per quam receptionem specierum propriè fit ipsa sensatio. Itaque summum cruciatum & dolorem sentient ab igne ea corpora, etiamsi cum ea sensatione non erit coniuncta læsio & alteratio physica, & naturalis, à qualitate caloris, sicut solet alioqui naturaliter nunc contingere, quando quis ab igne cruciatur. Hoc etiam modo ex sententia D. Thomæ declarat rem hanc, Sotus in 4. dist. 50. q. vnica, art. 3.

Fortasis tamen diuina virtute fiet, vt illa damnatorum corpora pro ratione demeritorum cuiusque damnati patiantur ab igne magis vel minùs, non solùm passione illa sensibili, sed etiam passione *naturali alterativa & læsiua*. Nimirum per susceptionem caloris, vsque ad certum aliquem intensionis gradum (valde tamen magnum, & fortè, in quolibet Damnato intensiorem, quàm sit nunc summus in nostro igne, vltra quem (diuina virtute prohibente) alteratio illa & læsio non procedat, sed in illo gradu perpetuò continuetur, citra Subiecti corruptionem.

Ita enim magis propriè intelligetur quod scriptura affirmat, fore, vt damnati crucientur ab igne; si nimirum asseramus crucianda esse illa corpora, per ignem eo etiam modo quo hîc fieri solet, nimirum per *realem* etiam vstionem. Et nihilominùs erit verum quod antea asseruimus, fore illa corpora incorruptibilia.

Ac sanè hic explicandi modus valdè videtur conformis communi sensui fidelium & dictis SS. Patrum, de futuro illo damnatorum supplicio per ignem. Quomodo autem animæ separatæ à corporibus nunc crucientur in Inferno ab illo igne diximus, Tomo 1. disp. 4. quæst. vltima.

QVARTO quæri solet: an aliis pœnis præterquàm supplicio ignis torquebuntur damnati in illis corporibus. Et respondendum est breuiter affirmatiuè. Nam de quibusdam aliis pœnis constat *certò* ex scriptura, & de quibusdam *probabiliter*; siue illæ naturaliter, siue supernaturaliter diuina virtute sint ibi locum habituræ.

Certò enim erit ibi *fletus & eiulatus, & stridor dentiũ, &c.* Matth. 8. Luc. 13. Item *tenebræ*, Matth. 22. quæ interprete Augustino super Psal. 6. vocantur *exteriores* ad differentiam interiorum mentis. Neque enim ignis ille lucebit (saltem notabiliter) vt communiter SS. Patres tradunt; Et nominatim S. Cyrillus Alexandrinus in oratione de exitu animæ. Et S. Gregorius libr. 9. Moralium, capite 46. Aliquantulum tamen lucis admixtæ tenebris ibi erit, vt cum horrore suam vicissim calamitatem damnati aspiciant; sicut notauit S. Gregorius lib. 9. Moral. cap. 48, & Sotus in 4. dist. 50. q. vnica, art. 4.

Item erunt ibi absque dubio singulorum sensuum proprij cruciatus. *Visus*; à terribilibus illis spectaculis: *Auditus*; ab eiulatibus: *Odoratus*; à sulphure, & à pessimis fœtoribus qui ibi non deerunt, in ipsis etiam putridis corporibus: *Gustus*; ab aliquo fœtido oris humore: *Tactus*; ab igne, &c. Id enim colligitur ex illo, Apoc. 18. *Duplicate duplicia secundùm opera eius: in poculo quo miscuit, miscete ei duplum: Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit*, (nimirum per illicita oblectamenta sensuum) *tantum date illi tormentum & luctum*. Quò etiam pertinet illud, Psal. 10. *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*.

Probabiliter autem corrodentur etiam à vermibus, præter internum vermem seu remorsum conscientiæ. De quo Isaiæ 66. & Marci 9. *Vermis eorum non morietur*. Id enim cõsonat illis testimoniis; Iudith 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorũ*. Et Eccles. 7. *Vindicta carnis impij ignis & vermis*.

Nec obstat, quod virtute *naturali* non generabuntur aut conseruabuntur ibi corporales vermes, vt obiicit Sotus vbi suprà. Poterit namque id satis facilè fieri *diuina* virtute. Certè S. PROSPER lib. 3. de vita contemplatiua cap. 12. inter alias Inferni pœnas vnam fore dicit; *edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri*. Et Innocentius III. libr. 3. de contemptu mundi, siue de miseria humanæ conditionis cap. 2. *Vindicta*, inquit, *carnis impij vermis & ignis. Vterq; duplex interior & exterior. Interior qui rodit & vrit cor. Exterior qui rodit & vrit corpus*.

Item

Item *probabiliter* etiam torquebuntur simul ab extremo frigore, quantumuis contrario igni: vt Abulensis q. 558. super cap. 25. Matth. & alij non malè colligunt ex illo Iob 13. *Transibũt sed ab aquis nimium* (id est, à frigore maximo) ad calorem nimium.

Deniq; SS. Patres sæpè asserunt *varias* ac *multiplices* in Inferno pœnas, easque horribiles futuras. *Multa illic*, ait CHRYSOSTOMVS epist. 5. ad Theodorum lapsum, *variáque tormenta. Grumuli pœnarum, ceu niuis, inundant*.

Vide insignem descriptionem huiusmodi pœnarum apud Cyrillum ALEXANDRINVM in oratione de exitu animæ. Et apud S. PROSPERVM lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 12. Et apud sanctum EPHREM in libro de vera Pœnitentia, capite 10. Et apud S. AVGVSTINVM in libro Meditationum, capite 3. Et apud S. BERNARDVM in Psalm. *Qui habitat in adiutorio Altissimi*. Præcipua autem & velut essentialis damnatorum pœna erit duplex, scilicet pœna *damni* & pœna *sensus* per ignem. De quibus diximus Tom. 2. disput. 6. p. 17. q. 4.

QVINTO solet etiam quæri: an damnati *videant* oculis corporeis gloriam beatorum, & vicissim illorum pœna & miseria videatur à beatis. Breuiter autem est respondendum ex sententia Theologorum in 4. distinctione 50. in ipso quidem iudicio extremo visuros esse damnatos corporeis oculis gloriam corporis beatorum; in qua etiam, gloria animæ quodammodo refulgebit; ac vicissim etiam corporeis tunc oculis videbunt beati infelicitatem damnatorum.

Nam omnes erunt in conspectu ante Iudicem, atque adeò & Iudicem, & se mutuò *videbunt*. Matth. 25. Quò & illud pertinet Ioan. 10. *Videbunt in quem transfixerunt*. Et illud Sapient. 5. *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum*. Et de impiis subiungitur: *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis; dicentes intra se, &c. Ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est*.

Post iudicium autem peractum, cùm Sancti fuerint recepti in Cœlum, & damnati detrusi in Infernum, oculis quidem *corporeis* nec damnati gloriam beatorum, nec beati pœnas damnatorum videbunt. Nam id minimè erit necesse. Nec futura est ex his locis reciproca commeatio, vt neque erat ex Limbo Patrum & Inferno: iuxta illud Lucæ 16. *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare*.

Mentis autem *intelligentia* beati quidem clarè & perspicuè intuebuntur quandocunque volent pœnas damnatorum ad suam nimirum consolationem, quòd eas diuino beneficio euaserint. Nec propterea tamen damnatis compatientur, sed lætabuntur potiùs ob executionem diuinæ iustitiæ: iuxta illud Psal. 57. *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, &c.*

Damnati verò tum *intellectus* quadam notitia *generali*, tum ob *memoriam* qua recordabuntur se Sanctorum gloriam in iudicio vidisse, cognoscent gloriam illorum esse excellentissimam, & eo ipso cruciabuntur, quòd scilicet illam felicitatem culpâ sua minimè sint consecuti.

Olim autem ex Inferno videre poterant damnati iustos requiescentes in Limbo; vt colligi potest ex illo Lucæ 16. *Eleuans autem diues Epulo oculos in tormentis, vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu eius, &c.* Neque id mirum cùm limbus etiam fuerit subterraneus locus in ipsa regione Inferni, iuxta dicta disputat. 2. quæst. 4. & in hac disp. q. 1. p. 1.

Porro de obstinatione damnatorum in malo: an tanta futura sit vt nihil boni possint agere diximus Tom. 1. disp. 4. quæst. vlt.

QVÆSTIO SEXTA.

De futura Mundi conditione & statu post Extremum Iudicium.

Supplem. D. Thomæ quæst. 91.

QVAE PERTINENT AD HANC QVAESTIONEM, MAGNA *ex parte sunt à nobis expedita suprà quæst. 2. p. 3. vbi docuimus, quanam ratione repurgandus, & innouandus sit Mundus per ignem conflagrationis, quæ futura est in die extremi iudicij. Itaque solùm superest vt hoc loco breuiter explicemus, qualis futurus sit tunc Mundi status, quo ad genus & perfectionem creaturarum, quæ præter Angelos & homines tunc supererunt.*

PVN-

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM VNICVM.

Qualisnam futurus sit Mundi status post Iudicium, quo ad genus & perfectionem Creaturarum, quæ præter Angelos & Homines tunc supererunt.

Art. 1. & seq.

CREATVRARVM genera post extremum iudicium duo tantùm præter Angelos & Homines supererunt. Alterum COELESTIVM corporum. Alterum corporum ELEMENTALIVM. Et quidem quod hæc duo genera creaturarum permansura sint, Scriptura manifestè indicat, cùm affirmat Cœlum & Terram, atque adeò reliqua Elementa perficienda tunc & innouanda: Isaiæ 65. *Ecce ego creo Cœlos nouos & terram nouam.* Et Apocal. 21. *Vidi Cœlum nouum & terram nouam.* Et 2. Pet. 3. *Nouos verò Cœlos & nouam terram secundùm promissa ipsius expectamus.* Quam rem suprà quæstione 2. puncto 3. asseruimus. Et paulò post etiam explicabimus, in quonam consistet illa *noua perfectio*, quæ Cœlis & Elementis accedet.

Quod autem *tantummodò* hęc duo genera creaturarum corporalium permansura sint, non autem alia corpora *mixta*, Animalium, & Plantarum, &c. probatur PRIMO ex Scriptura, quæ in prædictis locis tantum indicat, *Cœlum & Terram* (atque adeò reliqua *Elementa* quorum eadem est ratio) tunc innouatum iri. Vnde propter futurum interitum eiusmodi corporum mixtorum quæ in terra vel circa terram sunt, ait D. Petrus 2. epist. cap. 3. *Terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur.*

SECVNDO idem probatur ratione ducta ex *fine præcipuo* ob quem eiusmodi corpora mixta nunc generantur & conseruantur. Finis namque hic est sustentatio vitæ hominum per nutritionem & generationem, &c. vt apparet ex illo Genes. 1. *Replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & vniuersis animantibus, &c.* Et: *Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. vt sint vobis in Escam.* Et Genes. 9. *Omne quod mouetur & viuit erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Non erit autem opus tunc huiusmodi sustentatione vitæ hominum. Ergo neque oportebit eiusmodi corpora mixta permanere.

TERTIO probatur idem ratione ducta ex *fine* ob quem oportebit tunc aliquas creaturas *corporales* permanere, cuius nimirum caussâ non erit necesse aut expediens permanere etiam corpora *mixta*, sed satis superque ad eum finem erit permanere corpora cœlestia & elemẽtalia. Nam vt pulchrè D. Thomas hic differit art. 1. & 5. finis hic erit, vt beati qui *corporeis oculis* diuinam essentiam atq; bonitatem intueri non poterunt, illam saltem vt relucentem in aliquibus creaturis corporalibus, quæ illi futuro statui incorruptibilitatis aptæ sint, conspicere oculis etiam corporeis possint: Conuenienter illi sententiæ Apostoli ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Ad hunc autem finem sufficient corpora cœlestia & elemẽtalia eo modo perfecta & innouata quo postea dicemus: Neq; alia corpora præter ista ad istum finem congruenter futuro illi statui incorruptibilitatis assequendum apta erunt.

Nam alia omnia corpora *mixta* secundùm *totam* naturam suæ speciei sunt corruptibilia. Itaque cum status ille sit futurus status incorruptibilitatis; iuxta illud Apostoli 1. ad Corinthios 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, &c.* tantummodò conuenient aptè illi statui ad prędictum illum finem corpora tum *cœlestia*, quæ ex toto incorruptibilia sunt, tum *elementalia*, quæ saltem quo ad *partem* naturæ suæ specificæ sunt incorruptibilia. Neque enim Elementa secundùm totam latitudinem naturæ suæ, naturaliter nunc corrumpuntur aut corrumpi possunt.

QVARTO denique probatur ratione ducta ex *caussa* per quam nunc quidem conseruantur & consistunt corpora *mixta*. Nam cessabit tunc motus Cœli, atque adeò eius actio in hæc inferiora, sicut diximus quæstione præcedenti p. 3. Sine actione autem Cœli mixta corpora neque generari neque conseruari, & subsistere possunt. Quod autem motus Cœli cessaturus sit iam iam ostendemus. Et hactenus quidem de GENERE creaturarum, quæ præter Angelos & Homines post iudicium extremum permansuræ sunt.

Quod verò attinet ad futuram PERFECTIONEM illarum, scilicet corporum cœlestium, & Elementorum, statuendum est ex vera & communi & Scripturis consentanea Theologorum sententia, TRIBVS modis (vt ordine & perspicuè dicam) corpora cœlestia & elementalia perficienda & innouanda tunc esse. PRIMO, quâtenus electis redditis *impeccabilibus* liberabuntur eo modo quo explicauimus supra quæstione 2. puncto 3. à *seruitute corruptionis*, & iugo quo *vanitati* peccantium hominum nunc creaturæ quodammodo *subiectæ* sunt, prout ex sententia Apostoli ad Romanos 8. declarauimus loco citato.

SECVNDO, quoniam cessabit consuetus motus horum corporum; atque ita per quietem & vacationem à motu, acquirẽt quendam statum *similiorem Deo*, qui nimirum est prorsus mutationis expers; vt annotauit rectè D. Thomas hîc artic. 2.

Peculiariter autem quod Cœli MOTVS cessaturus sit, probatur *Primò* ex Scriptura Isaiæ 60. *Non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur*: quod scilicet fit per motum Cœli. Et Apocal. 10. Angelus *leuauit manum suam ad Cœlum & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, &c. quia tempus non erit amplius*: cum scilicet nouissima tuba Angeli insonabit, vt ibi indicatur. Non igitur erit amplius Cœli motus, cùm sine motus cessatione tempus non possit cessare.

Secundò idem patet ratione ducta ex *fine* illius motus Cœli, qui scilicet est generatio & conseruatio corporum inferiorum, quæ tunc cessabit; atque adeò hominum propagatio donec impleatur numerus electorum, qui tunc nimirum erit completus; atque ita ille motus & generatio, &c. completo numero electorũ cessabunt. Quam rationem Angelus in illo loco Apoc. 10. planè indicauit cùm posteaquam dixit non futurum amplius *tempus*; illicò addidit: *Sed in diebus vocis septimi Angeli cùm ceperit tuba canere consummabitur* MYSTERIVM *Dei*: quo scilicet Deus præordinauit certum futurum numerum *electorum*, quo expleto non esset futurum præterea necessarium tempus, &c.

Vnde etiam Genes. 8. tamdiu solùm, quamdiu esset necessaria ad vsum & propagationem hominum continua rerum generatio indicauit Deus duraturas vicissitudines temporum per motum Cœli, inquiens: *Cunctis diebus terræ, sementis, & messis* (id est, dum in terra fiet *seminalis* propagatio) *frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent.*

Nec vt insipienter Rabi Moyses, teste D. Thoma hîc articulo secundo argumentabatur, abhorrens videri debet à sapientia Dei, quòd motus cœlestium corporum atque adeò ipsa corpora cœlestia, ad hominem tanquam ad finem quendam ordinauerit; sicut esset abhorrens à sapientia Artificis alicuius fabricare & parare maxima instrumenta ad efficiendum aliquod exiguum opus. Nam etsi mole quidem quantitatis, Cœli longè excellant, tamen perfectione naturæ *homo* per animam rationalem Cœlis longè antecellit. Vt omittam interim quod non rarò etiam magna instrumenta scitè & artificiosè vsurpantur ad fabricandum exiguum aliquod sed præstans opus, vt videmus in officinis Aurifabrorum, &c.

Ostendit autem rectè D. Thomas in illo articulo 2. cessationem illam Cœli non futuram naturaliter sed *supernaturali* Dei virtute, consummato iam scilicet erga electos supernaturali *mysterio Dei*, vt loquitur Angelus Apocal. 10. Nam cùm Cœlum, vtpote natura circulare, non habeat maiorem proportionem cum vno loco & situ quàm cum alio; expers est quoque *naturalis* inclinationis ad manendum & quiescendum in vno aliquo situ & loco.

TERTIO perficientur diuina virtute cœlestia corpora per incrementum notabile & magnam accessionem eius *qualitatis*, quæ in eis ad aspectum saltem hominum (ob quem *innouabuntur*, vt initio dixi) nobilissima & pulcherrima est. Est autem hæc qualitas LVX ipsa: iuxta illud Eccles. 43. *Species Cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus.* Id probant Theologi testimonio illo, Isaiæ 30. *Erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis septempliciter.*

Atque etiam vt D. Thomas hîc articulo 4. & alij Theologi tradunt, luce quadam perfundentur diuinitus, & reddentur speciosiora ELEMENTALIA corpora: ita quidem vt, quemadmodum D. Thomas ait, Terra sit futura in superficie exteriori peruia sicut vitrum, Aqua sicut crystallus, Aër vt nunc Cœlum, Ignis vt nunc luminaria Cœli.

Id autem colligitur *primò* ex eo, quòd in Scriptura cùm promittitur *Cœlum nouum*, pariter additur, & *terra noua*: Vt patet Esaiæ 65. & 2. Petri 3. & Apocalypsis 21. quæ loca initio recitauimus. Itaque verisimile est, eodem modo, quo Cœlum, esse innouandam & perficiendam Terram; atque adeò reliqua Elementa quorum est eadem ratio; scilicet non modo per expurgationem admixtarum eis qualitatum alienarum (vt vidimus quæst. 2. p. 3.) sed etiam per illustrationem quandam.

Secundò idem confirmatur ex eo, quòd talis Elementorum splendor ac decus conducet maximè ad finem ob quem mundus innouandus est: nempe vt beati vsu etiam *oculorum*, quorum est nobilissimus sensus, aspiciant quodammodo pulchritudinem Dei tralucentem quodammodo in corporibus non solum glorificatis, ipsorum scilicet beatorum, & cœlestibus, sed etiam elementalibus. Ita enim tunc maximè verum erit illud Sap. 13. *A magnitudine speciei cognoscibiliter poterit creator horum videri.*

Tertiò deniq; idem probatur ea ratione, quòd conueniet, hoc modo in luce tunc conformari inferiora corpora superioribus, sicut conformabuntur in gloria homines Angelis, tanquam creaturæ intellectuales inferiores superioribus: iuxta illud Matth. 22. *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.*

Modum autem quo diuinitus illa lucis accessio fiet, & quanta illa erit, sapienter dicit diuus Thomas hîc articulo 3. *Soli Deo qui illius erit author cognitum esse.* Hoc mihi dictum D. Thomæ magis probatur, quàm quod ait Richardus in 4. distinct. 48. productum iri lucem illam per reflexionem lucis corporum beatorum. Quis hoc nouit?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Satis igitur nobis ſit, præter ea quæ diximus, A ſcire, futurum certè tunc (quocunque modo id fiet) mundi ſtatum pulcherrimum, & decentiſſimum, & beatiſsimo illi electorum ſtatui per omnia aptiſsimum. Qua de re ita S. CHRYSOSTOMVS epiſt. 5. ad Theodorum lapſum, excitans eum conſideratione futuræ vitæ beatę: *Omnia*, inquit, *erunt pax, lætitia, gaudium: omnia ſerenitas & tranquillitas: omnia dies & ſplendor & lux: lux non quæ nunc eſt, ſed planè alia, quæ hanc tantùm excedit fulgore, quantùm hæc lumen lychni: neque enim oculitur illic aut nocte, aut congreſſu nubium; nec urit neque inflammat corpora. Nam nox non obumbrat* (ſiquidem Luna etiam lucebit vt Sol & Terra quoque ipſa erit in ſuperficie lucida, vt ait D. Thomas hic art. 2. ad 5. & art. 3. ad 4.) *nec aderit veſpera, nec frigora, nec æſtus, nec alia huius generis immutatio; ſed omnino alia erit conditio, quam demum ad hoc idonei reperti intelligent, &c.*

Et paulò poſt: *Contemplare*, inquit, *cœlum; animaduerte permutatum fore habitum totius creaturæ; nihil enim huiuſmodi vt nunc eſt manebit, ſed multò pulchrius erit ac præclarius; & quantum plumbo aurum vibrans aëra, tantum hac rerum præſentium ſpecie futurus ille decor illuſtrior erit, quemadmodum B. Paulus ait, quoniam & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis.*

Et S. AVGVSTINVS lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 16. *Ipſa*, inquit, *ſubſtantia* (Elementorum) *eas qualitates habebit, quæ corporibus noſtris immortalibus mirabili mutatione conueniant: vt ſcilicet mundus in melius innouatus aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innouatis.*

Perduxi ad finem adiutore Deo totum hoc opus diſtinctum quatuor Tomis. Sit ei gloria, & honor, qui dedit non modo velle hunc laborem ſuſcipere, ſed etiam vtcunque perficere.

FINIS QVARTI AC POSTREMI TOMI.

Laus DEO & beatiſſimæ Virgini DEIgenitrici MARIAE.

TOMI QVARTI INDICES QVINQVE.

I. Locorum Scripturæ.

II. Controuerſiarum fidei.

III. Rerum quæ poſſunt exponi pro concione.

IV. Rerum Philoſophicarum.

V. Rerum omnium præcipuarum, in quibus multa ſunt, quæ in Materia Sacramentorum pertinent ad Caſus Conſcientię.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX
LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVI IN HOC QVARTO TOMO EXPLICANTVR.

Ex libro Geneſis.

Cap. Columna.

1. *Benedixitq; illis Deus & ait; Creſcite & multiplicamini, & repletε terram.* 2023. A. *& ſeq.* 2046. D. 2059. A. 2065. D
2. *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* 509. C
Faciamus homini adiutorium ſimile ſibi. 2048. A
Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. 2029. A. 2086. B
Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. 2046. C. 2052. A. 2081. A
Adduxit Deus Euam ad Adam. 2047. A
3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum.* 482. D. 532. C
8. *Non reuertebatur donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.* 546. C
9. *Benedixitq; Deus Noe & filiis eius, &c.* 2046. D
14. *Melchiſedech proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi.* 1359. D. *& ſeq.*
Non accipiã ex omnibus, quæ tua ſunt, exceptis his, quæ comederunt iuuenes. 1360. D
17. *Statuam pactum meum inter me & te, &c. vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.* 821. C. *& ſeq.*
Erit q; pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. 1612. D
20. *Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & accepi eam in vxorem.* 2155. D. 2157. A
22. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* 96. A. 490. A
37. *Deſcendã lugens filium meum ad infernũ.* 584. D. *& ſeq.*
49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c. donec veniat, &c.* 34. B. 549. C
Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, 2158. C

Ex libro Exodi.

7. *Induratumq; eſt cor Pharaonis.* 1589. C
12. *Immolabit eum omnis multitudo.* 1355. A
Ite tollentes animal per familias veſtras, & immolate Phaſe. 1346. B
Cum tulit populus conſperſam farinam, &c. 1324. B
Victima tranſitus Domini eſt. 1346. B
13. *Separabis omne quod aperit vuluã Domino, &c.* 1323. D
17. *Cumq; eleuaret Moyſes manus vincebat Iſraël.* 1438. B
19. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur.* 2015. B
20. *Non facies tibi ſculptile.* 464. A
29. *Hoc eſt quod facies in altari: annos anniculos tuos per ſingulos dies iugiter.* 1346. C

Ex libro Leuitici.

12. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit.* 533. A
18. *Iuxta morem regionis Chanaan, &c. non agetis.* 2159. B
Nec polluamini in omnibus iis, &c. quibus ego ſcelera viſitabo. 2160. A
20. *Nolite ambulare in legitimis nationum quas ego expulſurus ſum ante vos.* 2159. B
21. *Non radant caput neque barbam.* 1992. C
23. *Facietis & hircum pro peccato duosq; agnos anniculos.* 1346. D
Et libamenta offerentur cum eo duæ decimæ ſimilæ, &c. 1363. C

Ex libro Numeri.

9. *Si quis autem & mundus eſt, &c. quia ſacrificiũ Domino non obtulit tempore ſuo.* 1346. B. 1355. B
14. *Dimiſi propter verbum tuum, attamen oẽs, &c.* 1539. C
16. *Omnis multitudo Sanctorum eſt, cur eleuamini ſuper populum Domini?* 1989. D
Deſcenderunt viui in infernum operti humo. 2185. C
28. *Alterumq; agnum ſimiliter offeretis ad veſperam, iuxta omnem ritum ſacrificij matutini, &c.* 1363. C

Ex libro Deuteronomij.

4. *Non addetis ad verbum, quod locutus ſum vobis.* 1388. C
12. *Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino Deo tuo.* 1388. C
Sanguis eorum pro anima eſt. 1018. C. D
17. *Facies quodcunq; dixerint, qui præſunt loco, quem elegit Dominus.* 1280. D
Qui ſuperbierit nolens obedire imperio Sacerdotis moriatur. 1932. B
18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, &c.* 423. C
19. *Non attondebitis comam in rotundum.* 1992. B
20. *Si habuerit homo duas vxores.* 20. 54. C
24. *Si acceperit homo vxorem, & non inuenerit gratiam, &c. ſcribet libellum repudij, & dimittet eam, &c.* 1084. D. *& ſeq.*
29. *Non dedit tibi Dominus cor intelligens.* 153. C. *& ſeq.*

Ex libro 1. Regum.

3. *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens.* 153. C

Ex libro 2. Regum.

2. *Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum, ſeruntamen, &c.* 1468. D. 1539. D

Ex libro 3. Regum.

8. *Stetit autem Salomon, &c. & expandit manus ſuas.* 1438. B

Ex libro 1. Paralip.

29. *Tua ſunt Domine omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* 1313. D

Ex libro 2. Paralip.

30. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde quærunt eum.* 1404. C

Ex libro Iob.

1. *Sanctificabat filios ſuos conſurgens diluculo offerebat holocauſta per ſingulos, &c.* 1426. B
3. *Exſpectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis aurorę.* 487. D. *& ſeq.*
8. *Vtinam appenderentur peccata mea, &c. quaſi arena maris, &c.* 54. D
11. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & omnipotentem uſq; ad perfectum reperies.* 307. C
21. *In puncto ad inferna deſcendunt.* 2185. D
26. *Columnæ cœli contremiſcunt.* 2251. D

Ex libro Pſalmorum.

2. *Autem conſtitutus ſum rex ab eo, &c.* 434. A
Filius meus es tu, ego hodie genui te. 14. B. C
Poſtula

Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. 395. A. 439. A
Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, &c. 561. D
3. *Dixi cõfitebor aduerſum me, &c. & tu remiſiſti.* 1495. D
8. *Quid eſt homo, quod memor es eius.* 80. C
15. *Non derelinques animam meã in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* 573. A. 576. C
21. *Foderunt manus meas & pedes meos.* 33. C. 558. A
Super veſtem meam miſerunt ſortem. 33. D
Longè à ſalute mea verba delictorum meorũ. 54. D. 346. D
Ego ſum vermis & non homo. 338. D
Deus meus clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad inſipientiam mihi. 397. B
22. *Impinguaſti in oleo caput meum.* 854. B
23. *Quis eſt iſte rex gloriæ?* 11. C
34. *Exurge & intende iudicio meo.* 55. A
39. *Oblationem & hoſtiam noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me, &c.* 409. D. 420. A
Ego autem mendicus & pauper ſum. 432. A
40. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* 412. D
44. *Dilexiſti iuſtitiã, etc. propterea vnxit te Deus, etc.* 382. C
Speciosus forma præ filiis hominum. 340. A
Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, &c. 14. C. 95. A
Omnis gloria filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta. Varietatibus. 1928. C
47. *Deus in gradibus eius cognoſcetur.* 1928. B
48. *Non dabit Deo placationem ſuam, &c.* 50. B
Veruntamen Deus liberabit animam meam de manu inferi. 576. D
49. *Deus manifeſtè veniet, etc. Ignis in cõſpectu eius, etc.* 36. A
50. *Tibi ſoli peccaui.* 48. B
Cor contritum & humiliatũ Deus non deſpicies. 1489. D
54. *Exaudi Deus orationem meam, &c.* 395
56. *Exurge gloria mea, &c. Exurgam diluculo.* 33. D. 595. B
62. *In nomine tuo leuabo manus meas.* 1438. B
64. *Quæ non rapui tunc exoluebam.* 558. B
67. *Dominus in eis, &c. Aſcendiſti in altum, &c.* 33. D. 590. B. 603. C
68. *Ego ſum pauper & dolens.* 432. A
71. *Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum.* 36. C
73. *Deus autem rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* 566. B
76. *Cogitaui dies antiquos, & meditatus ſum nocte, &c.* 1629. B
78. *Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ.* 178. B
83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* 700. D
85. *Eruiſti animam meam de inferno inferiori.* 510. A
87. *Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber.* 583. A
96. *Ignis ante ipſum præcedet & inflammabit, &c.* 2279. B
Et adorent eum omnes Angeli eius. 95. A
97. *Reuelauit Iuſtitiam ſuam.* 55. A
100. *In te Domine ſperaui.* 281. B. *& ſeq.*
105. *Viſita nos in ſalutari tuo.* 178. B
106. *Dicant qui redempti ſunt à Domino.* 54. C. 405. D
107. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* 169. D
108. *Perſecutus eſt hominem inopem & mendicum & compunctum corde mortificare.* 432. A
109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, &c.* 1030. C
Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. 1357. C. *& ſeq.* 1391. D
Dominare in medio, &c. 249. C
113. *Donec miſereatur noſtri.* 546. D
Et convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. 1067. C
114. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni, &c.* 2234. A
115. *Ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ.* 392. C
118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, &c.* 1509. C
Particeps ego ſum omnium timentiũ te. 1787. D. 1794. D. 1849. D
122. *Ad te leuaui oculos meos.* 1438. C
Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, &c. 1511. D
129. *Copioſa apud eum redemptio.* 54. B. 410. D
131. *Memento Domine Dauid, &c.* 1445. B
Iurauit Dominus Dauid veritatẽ, &c. de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. 33. B. 96. A. 533. A
138. *Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades.* 585. A
141. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum, &c.* 1439. D
Educ de carcere animam meam. 576. C
Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. 1438. B
143. *Eripe me & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.* 509. D
146. *Qui ſanat contritos corde.* 1589. D

Ex Prouerbiis Salomonis.

5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium & funibus peccatorum ſuorum quiſq; conſtringitur.* 1477. C
8. *Dominus creauit me in initio viarum ſuarum, antequã quidquam faceret.* 78. C. *& ſeq.*
Ego diligentes me diligo. 1532. D
11. *Qui iudicat quod nouit iudex eſt iuſtitiæ.* 1637. B
15. *Victimæ impiorum abominabiles Domino.* 1761. C

Ex Cantico Canticorum.

2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* 492. B
Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum. 492. B
4. *Tota pulchra es amica mea, & macula nõ eſt in te.* ibid.
Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, &c. ibid.
5. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* 340. A
6. *Pulchra es amica mea ſuauis & decora, &c.* 492. B
Vna eſt columba mea, perfecta mea. 492. C
Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora, &c. ibid.

Ex libro Sapientiæ.

1. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.* 41. B
2. *Morte turpiſſima condemnemus eum.* 33. C
12. *Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes quas tu feciſti, &c.* 47. D
16. *Panem de cœlo præſtitit illi ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem, &c.* 1067. C

Ex Eccleſiaſtico.

5. *Non tardes converti ad Dominum: nec differas, &c.* 1604. D
9. *Oleum de capite non deficiet.* 854. B
11. *Facile eſt Domino in die obitus retribuere.* 446. C
Vbi ceciderit lignum ibi erit. 786. D. 2221. B
14. *Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quia non eſt apud inferos inuenire cibum.* 2235. D
21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.* 1604. D
24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* 576. D. 587. C. *& ſeq.* 591. B
27. *Vaſa figuli probat fornax & homines iuſtos tentatio tribulationis.* 2198. D
34. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus.* 1549. D. 1761. C
40. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum.* 479. D. *& ſeq.*
44. *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam.* 2264. B

Ex Iſaia.

1. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix, &c.* 1492. D
2. *De Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Ieruſalem.* 443. C
4. *Abluet Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinẽ Hieruſalem, &c. in ſpiritu ardoris.* 2208. C
7. *Ecce Virgo concipiet, &c.* 33. C. 533. B. 536. C
11. *Erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorum renum eius.* 281. B
Requieſcet ſuper eũ Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, &c. & replebit eum ſpiritus timoris Domini. 284. A. B

Universidad de Deusto
Biblioteca

22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* 1783.B
24. *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum lacı.* 585. A
Non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam. 1224. D
Clamor erit in plateis super vino. ibid.
25. *Vinum bibent, latitiam bibent, vnguento vngentur, trade hac omnia gentibus.* 854. B
Ecce Deus noster iste, exspectauimus eum, &c. 14. B
26. *A timore tuo Domine concepimus, & quasi parturiuimus et peperimus spiritum salutis.* 1521. B
27. *Auferetur iniquitas Iacob, & hac est beneditio eius cum abstulero eius peccatum.* 490 A
31. *Conuertimini, sicut in profundum recesseratis.* 1596. C. 1628. D
35. *Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & saturabitur.* 409. D
Ecce iste Dominus sustinuimus eum, Deus noster, etc. 14. B
Germinans germinabit sicut lilium, & exultabit latabunda & gaudens. 548. B
38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine, etc.* 1508. D. 1523. C. 1629. B
40. *Ecce Dominus veniet, & merces eius cum illo, & opus eius coram illo.* 410. A
Et videbit omnis caro salutare Dei. 108. C
42. *Ecce seruus meus susciptam eum.* 392. C
43. *Ego ipse deleo iniquitates & peccata populi.* 1483. B
52. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, etc.* 73. A
Ecce intelliget puer meus. 297. B
53. *Generationem eius quis enarrabit?* 11. C
Despectum & nouissimum virorum, etc. 33. C. 338. D
Vulneratus est propter iniquitates nostras, etc. 36. C
Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. 347. A. 568. C
Si posuerit pro peccato animam suã, videbit semen longæuum. 410. B
Oblatus est, quoniam ipse voluit. 410. D. 1317. D
Et cum sceleratis reputatus est. 560. B
55. *Ecce testem populis dedi eum, etc.* 34. A. 445. A
56. *Adducam eos in montem sanctum meum, etc. holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi, &c.* 1383. B
Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus. 2328
58. *Dissolue colligationes impietatis.* 1477. C
61. *Vos autẽ Sacerdotes Domini vocabimini, Ministri Dei nostri.* 1375. D. 1378. A
63. *Quare rubrum est vestimentum tuum?* 97 D
Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Ego qui loquor iustitiam, etc. II. D. 97. D
64. *Omnes iustitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatæ.* 1369. C
66. *Ecce Dominus in igne veniet, etc.* 36. A
Et annuntiabunt gloriam meam in gentibus, & adducent omnes fratres vestros, etc. quomodo si inferãt, &c. 1372. B
Et assumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas. 1373. A. 1375. D. 1378. A

Ex Ieremia.

1. *Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te.* 478. A
2. *Scito & vide, quia malum, etc. & non esse timorem meum apud te.* 1523. D
3. *Reuertere auersatrix Israel, etc. & non auertam, etc.* 1492. D
Fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, etc. 1511. C
5. *Negauerunt Dominum, & dixerunt: non est ipse.* 34. A
8. *Nullus est qui agat pœnitentiam de peccatis suis, dicẽs; Quid feci?* 1508. C. 1523. D. 1629. B
9. *Dispergam omnes circumtonsos in coma.* 1992. B
14. *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum.* 299. B
17. *Perdix fouit, quæ non peperit.* 402. C
31. *Nouum faciet Dominus super terram, mulier circundabit virum.* 300. A. 533. C
33. *In tempore illo germinare faciam germen, etc. & hoc est nomen, etc.* 14. B

Ex Lamentationibus Ieremiæ.

1. *O vos omnes qui transitis per viam attendite & videte, &c.* 563. C

Ex Baruch.

2. *Anima quæ tristis est super magnitudine mali, &c.* 1508. C. 1511. C
Et statuam illis testamentum alterum sempiternum. 34. A
3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* 235. A

Ex Ezechiele.

18. *Omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur.* 1565. B
In quacunq; hora ingemuerit peccator, amplius iniquitatem eius non recordabor. 1553. D. 1565. C
Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis. 1527. C. 1529 C. 1601. A. 1628. D. 1633. A
Conuertimini & agite pœnitentiam, etc. & non erit vobis in ruinam iniquitas. 810. C. 1595. D
Nunquid voluntatis meæ est mors impij, etc. 1492. D
Iustitia quæ secundum Deum est, pœnitentiam, etc. 1508. D
Si pœnitentiam egeritis gens illa, etc. agam & ego pœnitentiam. 1758. B
33. *Impietas impij non nocebit ei in quacunq; die conuersus fuerit, etc.* 1495. D. 1565. D. 1571. C
Nolo mortem impij, sed magis vt conuertatur & viuat. 1527. D
36. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* 154. D
37. *Dabo significationem meam in medio eorum.* 898. C
43. *Ecce gloria Dei Israël ingrediebatur per viam orientalem, & terra splendebat à maiestate eius.* 524. D
44. *Hæc porta clausa erit & non aperietur.* 536. C. 543. D

Ex Daniele.

4. *Peccata tua eleemosynis redime.* 1545. A. 1760. C
7. *Erit in concupiscentiis fœminarum, nec quenquam Deorum curabit.* 2255. C
7. *Cornua decem, decem Reges erunt, & alius consurget post eos, ipse potentior, etc.* 2259. C
8. *De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum & factum est grande, etc. & ab eo tulit iugesacrificium, etc.* 1381. B
9. *In dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, &c.* 1381. C
Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt, &c. vt consumentur prauaricatio, etc. & vngatur Sanctus Sanctorum, etc. 34. D
Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, &c. 34. D. *& seq.*
11. *Veniet in multitudine magna, vt conterat & interficiat plurimos.* 1380. C
Stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor regius. 2259. C
Et veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia. 2259. C
Deum autem Maozim in loco suo venerabitur. 2262. A
Et erit in concupiscentiis fœminarum. 2262. D
12. *Eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi.* 1380. C
Veniet tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, &c. Et in tempore illo saluabitur, &c. 1379. C
Quia in tempus & tempora et dimidium tẽporis. 1379. D
Et à tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, etc. 1379. D. *& seq.* 2271. D

Ex Osea.

1. *Saluabo eos in Domino Deo suo.* 14. B
6. *Viuificabit nos post duos dies, in die tertio suscitabit nos.* 33. D

Ex Ioële.

2. *Benignus & misericors est.* 1527 C
Conuertimini ad me in ieiunio, fletu & planctu, & reddam, etc 1508. C. 1565. D. 1633. A. 1569. D
Erit in nouissimis diebus effundam de Spiritu meo, etc. 33. D
Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, &c. 1492 D
Conuertimini ad me ex toto corde vestro. 1596. C

Ex Michæa.

2. *Ascendit pandens iter ante eos.* 590. B
Dole & satage filia Sion quasi parturiens. 1508. D
Tu Bethlehẽ terra Iuda, &c. Ex te enim, etc. 33. C. 548. C

Ex Habacuc.

3. *In medio annorum notum facies.* 43. A

Ex Aggæo.

2. *Maior est gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ.* 37. A

Ex Zacharia.

1. *Conuertimini ad me, et ego cõuertar ad vos.* 1569. D 1633. A
9. *Tu autem in sanguine Testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* 576. D
Et Rex tuus veniet tibi iustus & saluator; ipse pauper. 33. C. 36. A. 432. A. 434. B
Tu verò in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. 590. A
10. *Confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt.* 1. B
11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* 33
13. *Erit in die illa, dicit Dominus, disperdam nomina Idolorum, &c.* 34. A

Ex Malachia.

1. *Ad vos ô Sacerdotes, &c. Ab ortu enim solis, etc. & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, &c.* 1365. B
2. *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel.* 2084. D
3. *Et purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, &c.* 1378. C. 2208. C

Ex libro Machabæorum II.

12. *Vir fortissimus Iudas facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum, &c. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* 2191. B

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap. Columna.

1. *De quanatus est Iesus, qui vocatur Christus.* 96. A
Noli timere accipere Mariam coniugem tuã, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. 483. D. 546. B
Antequam conuenirent inuenta est in vtero habens. 546. A
Et non cognoscebat eam, donec peperit, &c. 546. C
Donec peperit filium suum Primogenitum. 546. D
3. *Baptizabatur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.* 1658. B
Ego baptizo vos in aqua, ille autẽ vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. 745. A. *& seq.* 830. B
Quis demonstrauit vobis fugere à vltura ira? &c. 1521. C
Facite fructus dignos pœnitentiæ. 1770. A
4. *Pœnitentiam agite appropinquabit enim, &c.* 1595. D
5. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* 444. D
Vos estis lux mundi. 42. E
Merces vestra copiosa est in cœlis. 2183. A
Quicunq; dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur. 2081. C. 2134. D
6. *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester, &c.* 1550. A
Nolite thesaurizare vobis, &c. thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo. 2183. B
Et dimitte nobis debita nostra, sicut, &c. 1493. A
7. *Nolite sanctum dare canibus.* 805. B
8. *Volo, mundare.* 325. A
Vulpes foueas habent, et volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. 433. B
9. *Videte ne quis sciat.* 334. B
Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus. 412. D
10. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* 1596. D
Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam, &c. ibid.
Nolite timere eos, qui occidunt corpus, eum timete, qui postquam, &c. 1521. C
11. *In Capharnaum, &c. vsque in infernum descendens.* 585. A. 2185. D
12. *Quomodo potest, &c. nisi prius alligauerit fortem, &c.* 55. B
Sicut fuit Ionas in ventre ceti, &c. sic erit filius Dei in corde terræ, &c. 576. D
Non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. 1548. D. 2203. D
14. *De die autem illa nemo scit, neq; Angeli in cœlo, neq; filius nisi Pater.* 308. B. *& seq.*
15. *Sine causa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* 1388. D
Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram, &c. 1388. D
16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* 1685. C
Caro & sanguis non reuelauit tibi. II. C
Tu es Christus filius Dei viui. 94. C
Quodcunque solueris super terram, &c. 1463. B. 1492. D. 1861. A. 1894. D
17. *Ergo liberi sunt filij.* 444. A. B. 1996. B
18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* 1788. C
Omne debitum dimisi tibi. 1873. D
Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. 1493. D
Quæcunque ligaueritis super terram, &c. & quæcunq; solueritis, &c. 1463 C. 1469. B 1476. D. 1480. D. 1492. D. 1638. D. 1681. A. 1781. D. 1788. C. 1861. A. 1894. D
Vbi sunt duo vel tres congregati, etc. ibi sum in medio illorum. 249. C
Non est voluntas ante Patrem vestrum, etc. vt pereat vnus de pusillis istis. 787. D
19. *Sunt Eunuchi, &c. qui potest capere capiat.* 2027. B. C
Talium enim est regnum cœlorum. 823. C
Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, &c. 2029. C
Non legistis, quia qui fecit ab initio hominem, masculũ & fœminam fecit eos, etc. 2046. C
Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro. 2047. B
Quod Deus coniunxit, homo non separet. 2047. A. 2080. C, 2081. B
Quicunq; dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationẽ, & aliam duxerit, mœchatur. 2052. D. 2081. C. 2087. A. *& seq.* 2134. D
Ob duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere vxores vestras, etc. 2085. D
Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. 812. D. 1595. D
Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem dimittẽdi peccata. 325. A
Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi solus Deus. 390. C
23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentam, &c.* 1389. A

Universidad de Deusto
Biblioteca

Væ vobis, quia mundatis quod deforis est calicis, etc. 1389. A
24. *Fidelis seruus & prudens, quem constituit, &c.* 1932. B
Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele. 1382. D. 2250. C
Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis supra lapidem, &c. 2247. B
Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur & luna, &c. 2250. D. *& seq.*
Virtutes cœlorum commouebuntur. 2251. D
De die autem illa, & hora nemo scit, neq; Angeli cœlorum, nisi solus Pater. 2253. A
Et prædicabitur Euangelium hoc in vniuerso orbe.
Propter electos breuiabuntur dies illi. 2271. C
25. *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitã æternam.* 2218. B
26. *Accipite & comedite.* 1158. A. *& seq.*
Hoc est corpus meum, &c. hic est sanguis meus, &c. qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 939. B. *& seq.* 983 A. 1003. D. 1011. A. 1056. B. 1112. B. *& seq.* 1171. D. *& seq.* 1189. B
Non bibam amodò de genimine vitis huius. 912. A
Me autem non semper habebitis. 1014. D
Bibite ex hoc omnes. 1225. C. *& seq.* 1235. B. *& seq.*
Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem, &c. 1117. B
Hymno dicto exiuit in montem oliueti. 1441. B
Scitis quia post biduum Pascha fiet. 1346. D
Tristis est anima mea vsq; ad mortem. 583. C
Cœpit contristari. 352. B
Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. 334. B. 344. D. 347. B. C. 397. A. *& seq.*
Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes; Vbi vis paremus tibi comedere Pascha, &c. 564. C
27. *Latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* 561. B
Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me. 299. A. 347. C. 583. D
28. *Vesperè autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit, &c.* 596. B
Baptizantes eos in nomine Patris, &c. 707. D. 755. D
Docete omnes gentes, baptizantes, &c. 805. B. 832. C. 1951. B
Accedens Iesus dixit eis. 245. B
Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. 149. B. 437. B. *& seq.* 1638. A
Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. 249. C. 1045. C. 1330. C
Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. 1467. D. 1470. A

Ex Marco.

6. *Et vngebant oleo multos ægrotos & sanabant.* 1905. A
Non poterat ibi virtutem vllam facere. 332. D
7. *In vanum me colunt, &c. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis, &c.* 1389. B
Ingressus domum neminem voluit scire, & non poterat latere. 334. C
10. *Quicunq; dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* 2052. D. 2081. B
13. *Quod vobis dico omnibus dico.* 1235. A
De die autem illo nemo scit, neq; Angeli in cœli, neq; filius, nisi Pater. 308. B. *& seq.*
14. *Hoc est corpus meum, &c. hic est sanguis meus, &c. qui pro multis effundetur.* 939. B. *& seq.* 983. A. 1003. D. 1011. A. 1056. B. 1112. B. *& sequent.* 1172. D. *& sequent.* 1189. B
Et biberunt ex eo omnes. 1286. D
Hymno dicto exiuit in montem oliueti. 1441. B
Tu es Christus filius Dei benedicti? &c. Ego sum. 94. C
Primo die azymorum quando Pascha immolabant, &c. 564. D
15. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* 566. A
16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* 42. B
Surgens autem manè prima Sabbathi apparuit primo Mariæ Magdalenæ. 595. C
Surrexit non est hic. 245. B
Præcedet vos in Galilæam. ibid.
Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. 404. C. 832. C. 801. D. 1246. C. 1413. A
Et valdè manè vna Sabbathorum veniunt ad monumentum orto iam sole. 595. D

Ex Luca.

1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* 533. C. 536. D. 544. A
Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi, etc. 533. D. 536. D
Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, 266. B. 269. C. 483. D. 507. D. *& seq.*
Quoniam non erit impossibile apud Deum omne verbum. 16. C. 1028. D
Ecce concipies in vtero, & paries filium. 96. A. 536. D
Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. 178. C
Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. 478. A
Gratia plena, &c. 488. C. *& seq.*
2. *Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, & peperit, etc.* 548. C
Iesus proficiebat sapientia, ætate & gratia apud Deum & homines. 279. D
Confortabatur spiritu plenus sapientia. 342. C
Omne masculinum aduperiens vuluam sanctum Domino vocabitur. 541. A
3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* 1760. B. 1770. A
Venit Ioannes prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. 828. D. *& seq.*
4. *Obmutesce & exi ab eo.* 325. A
5. *Pater peccaui in cœlum & coram te.* 1511. B
6. *Virtus de illo exibat & sanabat omnes.* 325. A
7. *Remissa sunt illi peccata multa, quia dilexit multum.* 1532. D. 1569. D
9. *Dicebant excessum eius quem completurus erat in Hierusalem.* 54. D
11. *Si in digito Dei eicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* 324. B
12. *Homo quis me constituit Iudicem aut diuisorem inter vos?* 433. B
13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* 1494. B. 1521. C. 1529. C. 1569. D. 1596. A. 1601. A
16. *Mortuus est autem diues, & sepultus est in Inferno. Eleuans autem, &c.* 585. A. 2185. D
Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur. 2081. D
17. *Regnum Dei intra vos est.* 442. D
19. *Venit enim filius hominis quærere & saluũ facere quod perierat.* 73. A
21. *Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate & curis huius vitæ.* 2001. A
Erit in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, &c. 2252. D
22. *Hoc facite in meam commemorationem.* 1159. A. *& seq.* 1160. B. 1225. C. *& seq.* 1316. D. *& seq.*
Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum. 317. C. *& sequent.*
Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. 371. A. 398. B
Pater ignosce illis. 398. B
Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. 1286. D
Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum 1284. B
Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, &c. Et cum facta esset hora discubuit. 564. D
Hoc facite in meam commemorationem. 645. D. 1217. C. 1225. C. *& seq.* 1343. C. 1407. C

Non bibam amodò de hoc genimine vitis. 912. A. 1284. B
Hoc est corpus meum, &c. hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effundetur. 939. B. *& seq.* 1003. D. 1011. A. D. 1056. B. 1112. D. *& sequent.* 1159. D. 1172. D. *& seq.* 1189. B. 1345. C
23. *Filiæ Hierusalem nolite flere super me.* 563. C
Reuertebantur percutientes pectora sua. 1438. D
24. *Recessit ab illis.* 245. B
Vt prædicaretur in nomine eius pœnitentia & remissio peccatorum. 404. C. 505. C. 1527. B. 1569. D
Hæc sunt verba quæ loquutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum. 1015. A
Cognouerunt illum in fractione panis. 1261. C. D
Intrauit cum illis & factum est, dum recumberet cum eis accepit panem & benedixit, &c. 1262. D
Vt prædicaretur in nomine eius pœnitentia, & remissio peccatorum. 1469. A. 1620. D

Ex Ioanne.

1. *Verbum caro factum est.* 105. D. 108. C
Plenum gratiæ & veritatis. 276. C. 298. A. 299. C. 342. C
Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre. 2196. D
Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. 831. A
3. *Non misit Deus filium suum vt iudicet mundum.* 446. A
Posthæc venit Iesus &c. & baptizabat. 763. B
Nisi quis natus fuerit denuò non potest videre regnum Dei. 479. D. *& seq.*
Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. 479. D. *& seq.* 657. B. 742. A. 786. B
Sic Deus dilexit mundum, &c. 42. B. 73. B
Pater diligit Filiũ & omnia dedit in manus eius. 149. B
4. *Ipse neminem baptizabat.* 1468. C
5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, si alius venerit in nomine suo.* 2255. C. 2260. C
Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. 423. C
Pater non iudicat quenquam sed omne iudicium, &c. 1638. A
6. *Sunt quidam ex vobis qui non credunt, &c. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, &c.* 1242. D
Nemo potest venire ad me nisi pater meus traxerit illum. 384. D. *& seq.* 386. A
Caro mea verè est cibus. 645. D. 945. A. 1186. C
Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. 645. D. 1024. B. 1188. B. C
Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, &c. 819. B. 909. A. 945. A. 1217. B. 1225. C. 1246. B. 1249. B. *& seq.*
Qui manducat me, viuet propter me. 657. B. 988. A. 1186. C. 1190. C
Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius. 1016. A
Panis quem ego dabo caro mea est. 945. A. 1247. C
Caro non prodest quicquam: verba quæ ego locutus sum vobis, &c. 1013. D. *& seq.*
Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. 1188. D
7. *Nondum enim erat Spiritus datus: quia Iesus nondum erat glorificatus.* 451. A
Sic Deus dilexit mundum, &c. 178. C
Qui facit peccatum, seruus est peccati. 401. D
Ego sensi virtutem de me exire. 325. A
Quis ex vobis arguet me de peccato. 345. C
Ego quæ placita sunt illi facio semper. 391. A
9. *Venit nox quando nemo potest operari.* 2231. D. 2235. B
10. *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* 10. C
Ego veni vt vitam habeant & abundantius habeant. 73. B
Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. 32. B
Ego & pater vnum sumus. 95. B
Quem Pater sanctificauit & misit in mundum. 264. C
Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. 324. B
Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam, &c. 593. A. 1317. D
11. *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* 398. A
Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam. 568. A
12. *Nunc iudicium est mundi, &c.* 55. A
Vbi sum ego illic & minister meus erit. 298. A
Princeps huius mundi eiicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum. 402. B. 403. A
Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit. 410. B
13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* 437. B. *& sequentib.*
Vos vocatis me Magister & Domine & bene dicitis: sum etenim. 439. A. *& seq.*
Ante diem festum Paschæ, &c. 565. B
Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet. 734. C. 815. B
14. *Vado parare vobis locum.* 245. B
Si abiero iterum veniam. ibid.
Pater maior me est. 95. B
Accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego & vos sitis. 1446. B
Pater in me manens ipse facit opera. 324. B
Vado parare vobis locum. 590. B. 2183. B
Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. 345. C. 346. A.
Qui diligit me diligetur à patre meo, &c. 810. C. 1532. D
Et ego rogabo patrem. 395. C
15. *Nisi opera fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, &c.* 32. B
Sine me nihil potestis facere. 384. D
Consummatum est. 610. B. C
16. *Ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* 1015. B
Si non abiero Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, &c. 853. D. 857. A. 1045. B. C
17. *Clarifica me Pater claritate quã habui apud te, priusquàm mundus fieret.* 148. D
Non pro eis tantum rogo, sed pro illis etiam qui credituri sunt, &c. 865. A
Volo vt vbi sum ego & illi sint mecum, vt videant claritatem tuam. 298. A
Opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem. 410. B
Vnus vestrum me tradet. 1287. B
Claritatem quam dedisti mihi dedi eis. 1329. A
Subleuatis oculis in cœlum, dixit, Pater. 1438. C
18. *Tu dicis quia Rex sum ego.* 434. B
Regnum meum non est de hoc mundo. 434. C
Iudæi noluerunt introire in Prætorium Pilati, &c. 565. B
19. *Erat autem Parasceue Pascha hora quasi sexta.* 565. C. 566. A
20. *Sicut misit me Pater & ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis, &c.* 1328. D. 1468. B. 1601. B. 1637. C
Venit ianuis clausis. 145. B. 598. B. *& seq.*
Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum. 445. C
Vna autem sabbathi Maria Magdalena venit manè, cũ adhuc tenebræ essent, &c. 596. A
Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &c. 617. C. 707. D. 1463. B. 1469. B. 1480. D. 1494. B. 1658. D. *& seq.* 1681. A. 1861. A
21. *Pasce oues meas.* 1685. C
Domine tu omnia nosti. 342. C

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX LOCORVM

Ex Actis Apostolorum.

1. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui.* 864.C
Ferebatur in cœlum. 245.B
Videntibus illis eleuatus est. ibid.
Hic Iesus qui assumptus est, sic veniet, &c. 245.C.607.B
2. *Sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum & Christum fecit.* 149.B
Prouidens locutus est de resurrectione, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. 573.B
Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni: iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. 576.C. 583.D. 594.A
Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrũ. 805.A.1615.D 1621.A
Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus. 1264.B
Quotidie frangentes circa domos panes, &c. 1265.B
3. *Moyses quidem dixit, quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus.* 423.C
4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* 384.D. 1466.B
6. *Non est aquum derelinquere nos, &c. considerate ergo fratres viros ex vobis, &c.* 1329.B. 1930.B
8. *Nondum in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini, &c.* 857.A
Tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum sanctum. 853.D
Cum vidisset quod per impositionem manuum daretur Spiritus sanctus. 657.B
Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti, &c. 1875.A
10. *Remissionem peccatorum accipere in nomine illius.* 1466.B
13. *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, &c. Tunc ieiunantes & orantes imponentesque manus, &c.* 1329.B
Dauid enim, &c. vidit corruptionem, quem verò Deus suscitauit non vidit corruptionem. 573.B
17. *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* 1313.C
18. *Cum audissent resurrectionem mortuorum, quidam irridebant, &c.* 2281.B
19. *Multiq; credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos.* 1657.D
Cum imposuisset Paulus manus super eos, venit Spiritus sanctus super eos & loquebantur. 864.C
20. *Vnxit eum Dominus Spiritu sancto & virtute.* 342.D
Vna autem Sabbathi cum conuenissemus ad frangendũ panem, &c. 1265.A. 1448.B
Testificans Iudæis atque gentilibus in Deum pœnitentiam. 1498.C. 1621.A
22. *Deus Patrum nostrorum præordinauit te vt cognosceres, &c. & videres iustum & audires, &c.* 1031.C
23. *Sequenti autem nocte assistens ei Dominus ait, &c.* 1031.C
26. *Annuntiabam vt conuerterentur ad Deum, &c. nihil extra dicens quam ea quæ Prophetæ locuti sunt, &c.* 1466.D
27. *Sumens panem gratias egit Deo, &c.* 1265.B

Ex Epistola Pauli ad Romanos.

1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.* 450.D. & seq.
2. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ contemnis, &c.* 1492.D
Secundùm duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ. 1521.C.1589.C
3. *Quem posuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, &c.* 49.C.55.A. 73.B
Iustitia Dei per fidem Iesu Christi. 799.C
Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, &c. 54.B
Non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala vt veniant bona. 85.B
4. *Vbi lex non est, ibi neque prauaricatio legis.* 1525.A
Ei verò qui non operatur, &c. reputatur fides eius ad iustitiam secundùm propositum gratiæ Dei. 385.B. & sequentib.
Resurrexit propter iustificationem nostram. 451.A
5. *Non sicut delictum ita & donum.* 54.C
Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines. 508.B.509.C
Vbi abundauit delictum, &c. 509.C
Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit. 85.B
Sicut per vnius delictum, &c. sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. 786.A. 787.C
Lex facit abundare peccatum. 1526.A
6. *Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum serui estis eius, &c.* 402.A
Cum serui essetis peccati liberi fuistis iustitiæ, etc. 402.A
Sicut exhibuistis membra vestra seruire, &c. ita nunc exhibete membra vestra, &c. 1849.B
Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. 645.D
Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem Christi. ibid.
Christus iam non moritur. 1095.D. 1356.B
Stipendium peccati mors. 1574.A
7. *Per legem enim cognitio peccati.* 1525.A
Quæ sub viro est mulier viuente viro, &c. si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est, &c. 2173.A
8. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* 401.D
Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati. 242.B 336.A
Quos præscisit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. 271.288.C
Qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 395.C
Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem. 509.C
Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra. 594.A
Creatura vanitati subiecta est non volens. 651.D
Nihil est damnationis iis, qui sunt in Christo Iesu. 1485.A
Si filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. 1576.A
9. *Non omnes qui ex Israël, ipsi sunt Israëlitæ, &c.* 36.B
Quorum Patres, &c. qui est super omnia Deus benedictus in secula. 94.D
Ex quibus natus est Christus secundùm carnem. 155.D
10. *Ne dixeris, &c. quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare.* 577.D
11. *Conclusit Deus omnes in incredulitatem.* 2232.A
Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius. 307.C
Sine pœnitentia sunt dona Dei. 1554.C
12. *Obsecro vos vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, Deo placentem, rationabile obsequium.* 1313.
Sicut in vno corpore multa membra habemus, &c. ita multi vnum corpus sumus, &c. 1927.D

13. *Omnis*

13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* 1993.B.1995.C.D

Ex prima Epistola Pauli ad Corinthios.

1. *Nunquid pro vobis Paulus crucifixus est?* 1851.D
Misit me Dominus Euangelizare non baptizare. 1951.B
2. *Sapientiam loquimur inter perfectos, &c.* 11.D
Quæ sunt Dei nemo nouit nisi Spiritus Dei. 307.C
3. *Quid est Apollo & quid est Paulus nisi ministri eius, &c.* 703.D
Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid. 702.A
Nunquid in nomine Pauli baptizati estis. 608.C
Secundùm gratiam Dei, &c. fundamentum posui. Alius autem superædificat, &c. 2194.C
Vnius cuiusque opus manifestum erit, &c. quia in igne reuelabitur. 2195.A
Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. 2195.B
Vnius cuiusque opus quale sit ignis probabit. 745.C
4. *Sic nos existimet homo vt ministros Dei, &c.* 698.C.1231.D.1279.B.1292.D
5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* 420.A. 1354.C
Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare. 836.B
Omnino auditur inter vos fornicatio, &c. ita vt vxorem Patris aliquis habeat. 2152.C
Itaque epulemur non in fermento veteri, &c. sed in azymis sinceritatis & veritatis. 1354.D
Si is qui frater nominatur est fornicator, &c. cum eiusmodi ne cibum quidem sumere. 1789.D
Iam iudicati, &c. tradere huiusmodi Satanæ. 1790.A
6. *Quæ pars fideli cum infideli.* 1785.A
Nescitis quia Angelos iudicabimus? 2319.A
7. *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filij vestri, &c. nunc autem sancti sunt.* 822.B. 823.B
Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore, &c. 2021.B
Bonum est homini mulierem non tangere. 2029.A
Vnusquisque suum donum habet à Deo, alius quidem sic, &c. 2027.D
Dico ego non nuptis & viduis, bonum est eis si sic permãserint. 2024.B
Solutus es ab vxore noli quærere vxorem, &c. Volo omnes sicut me ipsum esse. 2024.B
Si non se continet nubat. Melius est enim nubere quàm vri. 2014.B
Vnusquisque propter fornicationem vxorem suam habeat. 2023.D. & seq. 2084.D
Si dormieret vir eius, liberata est, cui vult nubat, &c. 2173.A
Quæ sub viro est mulier, viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro. 2083.A
Iis qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere: quod si discesserit manere innuptam, &c. 2082.A
Ego dico non Dominus, si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, nõ dimittat illam. 2077.D
Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, &c. si nupserit vigo non peccabit. 2047.B
Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir; similiter & vir, &c. 2057.B
Si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater aut soror in eiusmodi. 2077.B.2086.D
Præterit enim figura huius mundi. 2278.C
8. *Vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia.* 114.B
9. *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut cæteri Apostoli & fratres Domini & Cephas.* 2029.B. & seq.
10. *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum, non potestis calicem Domini bibere, &c.* 1394.C
Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris. 1312.C. 1394.C
Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potũ spiritualem biberunt, &c. 1017.A
Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne, &c. 890.A. 946.C. 984.B. 1013.B. 1069.B.C. 1149.C
Nos sumus in quos fines seculorum deuenerunt. 2025.B
Vnus panis & vnum corpus omnes sumus in Christo. 913.A.1188.A
Petra autem erat Christus. 1013.A
11. *Hoc est corpus meum, &c. hic calix nouum testamẽtum.* 939.B. & seq. 1172.D. & seq.
Mortem Domini annuntiabitis. 645.D. 1236.B. 1323.B. 1440.C
Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. 1236.B
Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. 946.A. 1189.D.1192.C.1194.A. 2202. & seq. 1238.C. 1618.D
Itaq; fratres mei cum conuenitis ad manducandum inuicem exspectate, &c. 1215.D
Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. 1225.C. 1244.C. 1316.D. & seq. 1319.C. 1343.C. 1407.C
Cætera cum venero disponam. 1279.B
Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat. 1618.D
Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. 1758.B. 1760.A
12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem; alij quidem, &c.* 286.B. 1330.C
Diuisiones ministrationum sunt. 1927.D
13. *Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* 280.D
Crucifixus est ex infirmitate. 155.D
Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatẽ autem non habuero, &c. 1549.D.1761.C
15. *Christus pro omnibus mortuus est.* 787.C
Non prius quod spirituale est, sed quod animale. 42.C
Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. 388.C. 786.A
Tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia. 391.C. 438.C
Christus surrexit à mortuis primitiæ dormientium. 595.A
Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi. 1031.A
Omnes quidem resurgemus. 2283.B.2331.A

Ex secunda Epistola Pauli ad Corinthios.

1. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos, Deus est, & qui signauit nos Deus, &c.* 683.B
Siue probamur pro vestra exhortatione & salute. 1850.D
2. *Si quid donauis propter vos in persona Christi.* 1480.D. 1863.D
3. *Vbi Spiritus Domini ibi libertas.* 402.D
Idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non literæ sed spiritu. 1926.D
5. *Dũ sumus in corpore peregrinamur, &c. audemus autem, &c. præsentes esse ad Dominum.* 2218.D
Eum qui peccatum non nouerat. 345.C

Deus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. 404.D. 1413.C
Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos reconciliamini Deo. 404.D. 1413.D
Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, &c. 509.B. *&* *seq.*
Scimus enim, &c. quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam. 2183.D
6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio, &c.* 2161.C
7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, &c.* 404.D. 1413.C
Tristitia quæ secundum Deum est, pœnitentiam, &c. operatur. 1508.D
8. *Quoniam propter vos egenus factus est cùm esset dives, &c.* 432.B
In præsenti vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia, &c. 1849.D

Ex Epistola Pauli ad Galatas.

1. *Paulus Apostolus non ab hominibus neque per homines.* 1329.C
3. *Concluſit scriptura omnia sub peccato.* 508.B
Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa. 1566.B
4. *Vbi venit plenitudo temporis misit Deus, &c. vt adoptionem filiorum reciperemus.* 73.B
Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. 444.D
Non est Iudæus neq; græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neq; fœmina. 1990.B
6. *Neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed noua creatura.* 1510.B

Ex Epistola ad Ephesios.

1. *Omnia subiecit sub pedibus eius.* 438.C
Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. 454.A
Qui omnia in omnibus adimpletur. 609.B
Signati estis credentes spiritu promissionis sancto. 683.A
In quo omni benedictione spirituali benedicimur. 1412.D
In quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati, &c. 387.B
Qui prædestinauit nos, &c. per Iesum Christum, &c. ibid.
Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. ibid.
In quo habemus redemptionem per sanguinẽ eius, &c. secundùm diuitias gratiæ eius, &c. 384.A
Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. 287.C. 291.A
In Christo instaurata quæ in cœlis sunt. 292.A. *&* *seq.*
Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ, &c. instaurare omnia in Christo. 408.D. *&* *seq.*
2. *Nos omnes aliquando conuersati, &c. eramus naturâ filij iræ sicut & cæteri.* 479.D. *&* *seq.* 508.B
Ipsius enim factura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis. 663.C
3. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris in charitate radicati & fundati.* 995.D
Mihi omnium Apostolorũ minimo data est gratia hæc, &c. 11.D
Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. 559.C
4. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatẽ.* 590.B
Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis, &c. 683.A
Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. 766.D
In Ecclesia posuit quosdam quidem Apostolos. 1330.C
Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, &c. 1927.D. 1936.C
Ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia. 249.C. *&* *seq.* 607.D. *&* *seq.* 604.A. *&* *seq.*
Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. 564.A
Quod autem ascendit quid est nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? 578.A. 588.D
5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo.* 402.D. *&* *seq.* 420.B. *&* *seq.* 1317.D
Christus dilexit Ecclesiam & semetipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ. 477.B
Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. 633.C. 645.D. 657.B
Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia. 2061.D. *&* *seq.* 2065.D

Ex Epistola Pauli ad Philippenses.

1. *Quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt Euangelij.* 1850.D
Desiderium habens dissolui & esse cum Christo. 2183.D
2. *Qui cum in forma Dei esset non rapinã arbitratus est, esse se æqualem Deo.* 94.D
Propter quod & Deus exaltauit illum, &c. 80.C. 149.B
In similitudinem hominum factus & habitu inuentus, vt homo. 97.C. 119.D. 336.A
Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei patris. 148. 242.B
Formam serui accipiens. 392.C
In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. 2208.
4. *Rogo te germane compar.* 2029.B

Ex Epistola ad Colossenses.

1. *Gratias agentes Deo & patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum.* 1446.B. 1850.A
Gaudeo in passionibus pro vobis & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. 1850.C
Qui est primogenitus ex mortuis. 595.A
Ipse est caput corporis Ecclesiæ. 287.C
Imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ. 78.D. *&* *seq.*
Pacificans per sanguinẽ suum quæ in cœlis sunt, & quæ in terra. 292.A. *&* *seq.*
2. *Expolians principatus & potestates, &c. triumphans illos in semetipso.* 55.B. 581.B. 590.A
Delens chirographum quod erat contrarium nobis, &c. 54.C. 404.B. 410.D. 1412.D
In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. 149.B
Qui est caput omnis principatus & potestatis. 291.B
In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. 298.B. 342.D
3. *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* 1030.D. 1045.A.B

Ex Epistola Pauli ad Thessalonicenses I.

4. *Rapiemur Christo obuiam in aëra.* 2279.B
Mortui in Christo resurgent primi. 2279.B

Ex Epistola Pauli ad Thessalonicenses II.

2. *Homo peccati filius perditionis qui aduersatur & extollitur, &c.* 2250.C. 2260.B
Qui aduersatur & extollitur, &c. ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. 1383.A
Ne quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, &c. Et tunc reuelabitur ille iniquus. 2263.B
3. *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate & non commisceamini cum illo, vt confundatur.* 1789.D
Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem. 1793.C

Ex Epistola ad Timotheum I.

1. *Non intelligentes nec quæ loquuntur, nec de quibus affirmant.* 992.B
Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. 73.B
2. *Dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* 402.D. 509.B. *&* *seq.*
Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, &c. 1394.B
Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus. 1438.B
Qui vult omnes homines saluos fieri. 1527.D
Vnus mediator homo, Christus Iesus qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. 1527.D
3. *Diaconos similiter pudicos non bilingues non multo vino deditos, &c.* 1929.C
Et hi probentur primum, &c. qui enim bene ministrauerint gradum, bonum sibi acquirent. ibid.
Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum, domui suæ bene præpositum filios habentẽ subditos. 1005.B. 1999.D
4. *Deus est Saluator omnium hominum maximè fidelium.* 290.B
Noli negligere gratiam Dei quæ est in te, quæ data est tibi, &c. 683.C. 1929.B. 1947.D. 1956.A. 1976.C
In nouissimis temporibus discedent quidam, &c. prohibentium nubere, abstinere à cibis. 2025.D. *&* *seq.*
5. *Qui bene præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* 1929.B
Habẽtes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt. 2025.C
Volo iuniores nubere & filios procreare. 2028.D. 2173.A

Ex Epistola ad Timotheum II.

1. *Vt resuscites gratiã Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* 657.C. 1948.A. 1956.A
2. *Resipiscant à Diaboli laqueis à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.* 401.D
Labora vt bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. 2001.C
Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. 2329.

Ex Epistola Pauli ad Titum.

1. *Oportet Episcopum esse sobrium, iustum, sanctum, continentem.* 2005.B
Admoneo te vt exuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. 1929.C
Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas & constituas per ciuitates Presbyteros. 1329.A. 1929.C. 1980.B
2. *Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, &c.* 2001.D
3. *Cũ benignitas & humanitas apparuit Saluatoris Dei.* 178.C
Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. 657.B
Hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem deuita. 1789.D
5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* 1246.C

Ex Epistola Pauli ad Hebræos.

1. *Quem constituit hæredem vniuersorum.* 473.B. *&* *seq.*
Et cum iterum introduceret primogenitũ in orbem terræ dicit; Et adorent eũ omnes Angeli eius. 79.B. *&* *seq.*
Sedet ad dextram maiestatis in excelsis. 149.B
2. *Videmus Iesum propter passionem, &c. Decebat enim eum propter quem omnia, &c.* 80.D
Vnde debuit per omnia fratribus similari. 242.B. 336.A. 344.B
4. *Non enim habemus pontificẽ, qui nõ possit compati, &c.* 242.B
Tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato. 344.B. 345.C
Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. 404.C
Exauditus est pro sua reuerentia. 584.B
Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat sacrificia, &c. 1367.A. 1407.D. 1425.C. 705.B
Etenim cum deberetis esse Magistri propter tempus, rursus indigetis, &c. 1362.C
Nec quisquam sumit sibi honorẽ sed qui vocatur à Deo. 1329.A
6. *Confidimus autem de vobis fratres, &c. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur, &c.* 1566.A
Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, &c. rursus renouari ad pœnitentiam. 767.B. 1493.C
Quapropter intermittentes inchoationis sermonem ad perfectionem feramur. 1362.D
7. *Hic autem eo quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium, vnde & saluare in perpetuũ potest, &c.* 1362.B. 1392.B
Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus innocens, &c. 507.C. *&* *seq.*
Qui non habet necessitatẽ quotidie quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis offerre. 345.C. 1426.B
Accedens per se ipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis. 395.C
Si consummatio per sacerdotium leuiticum erat, quid adhuc necessarium fuit, &c. 423.A
Hic enim Melchisedech Sacerdos Dei summi Rex salem, &c. 1361.A. *&* *seq.*
8. *Talem habemus pontificem qui consedit in dextera sedis, &c. omnis enim pontifex ad offerendum munera, &c.* 1416.B
9. *Non enim in manufacta sancta, &c. vt apparet nunc vultui Dei pro nobis.* 395.C
Quemadmodũ statutum est hominibus semel mori, &c. sic Christus semel oblatus est. 1420.B
Nunc autem semel in consummatione seculorum ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit. 1415.C
Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis. 1572.D
Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. 1415.C
Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari: ipsa autẽ cœlestia melioribus hostiis quàm istis. 1416.C
Omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. 1419.B
10. *Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* 1415.C. 54.C
Vmbram habens lex futurorum bonorũ non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdẽ ipsis hostiis, &c. 1415.D
Quia hostias & oblationes, &c. Tunc dixi: Ecce venio, &c. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem, &c. 1416.A
Habentes igitur fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, &c. 1419.D
11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* 799.C. 1530.D
13. *Exeamus igitur ad eum extra castra improperium nostrum portantes.* 566.D
Constitutum est hominibus semel mori post hoc autem iudicium. 446.C
Propter quod & Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est. 570.B
Beneficentiæ & communionis nolite obliuiscì; talibus enim hostiis promeretur Deus. 1370.C
Habemus altare de quo edere nõ habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. 1395.C
Honorabile coniugium in omnibus. 2026.B. 2047.B

Ex Epistola Iacobi.

2. *Quicunq; offendit in vno factus est omnium reus.* 1553.A
5. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini.* 1650.D
Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros, &c. & si in peccatis fuerint, remittentur ei. 1901.C. 1911.B

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex Epistola Petri I.

1. *Per quem magna & pretiosa nobis promissa pramia donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* 995.D
Non corruptibilibus auro & argento, &c. 54.C. 402.D
Quasi agni incontaminati & immaculati Christi. 345.C
Parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est spe & fide. 1753.B
2. *Qui peccatum non fecit.* 345.C
Et ipsi tanquam lapides viui, &c. Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias. 1313.D
Vos autem regale Sacerdotium, gens sancta, &c. 1372.D. 1376.D
Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi tanquam præcellenti, &c. 1993.B
3. *Saluos nos fecit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ, &c.* 805.B
Christus profectus est in cœlum subiectis sibi Angelis & potestatibus & virtutibus. 291.B
Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, &c. his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quãdo expectabant, &c. 577.A
4. *Ideo & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem, &c.* 577.C
Charitas operit multitudinem peccatorum. 1532.D
5. *Non dominantes in cleris.* 1990.A
Sobrij estote & vigilate. 2001.C

Ex Epistola Petri II.

1. *Eum qui emit eos Dominum negant.* 54.B

Ex Epistola Ioannis I.

1. *Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* 403.C. 1527.B
Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato. 570.B
2. *Aduocatum habemus apud patrem.* 395.C
Filioli nouissima hora est, & sicut audistis quia Antichristus venit: nũc Antichristi multi facti sunt. 2260. B.2254.A.2256.A
Quis est mendax, nisi qui negat quoniam Iesus est Christus. 114.B
Et vos vnctionẽ quam accepistis ab eo, maneat in vobis. 852.D
3. *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.* 73.B
Hic est verus Deus. 95.A
4. *In hoc apparuit, &c. vt viuamus per eum.* ibid.
Perfecta charitas foris mittit timorem. 1522.A
In hoc est charitas, &c. quoniam misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. 73.C
In hoc cognoscimus quod in Deo manemus, & ipse in nobis quoniam de spiritu suo dedit nobis. 995.D
Qui manet in charitate in Deo manet. ibid.
5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum, nõ ad mortem petat & dabitur ei vita. Est peccatum ad mortem non pro illo dico, vt oret quis.* 2205.D

Ex Epistola Ioannis II.

1. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domũ, neq; Aue ei dixeritis.* 1789.D

Ex Apocalypsi S. Ioannis.

1. *Qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* 405.A
Princeps regum terræ. 439.A. & seq.
Primogenitus mortuorum. 595.A
2. *Vincenti dabo manna absconditum: & dabo illi calculum candidum.* 2328.
3. *Ego vici & sedi in throno patris mei.* 448.A
5. *Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem & diuinitatem.* 382.B
Redemisti nos Deo in sanguine tuo. 402.D
Fecisti Domine regnum & Sacerdotes. 1377.D
6. *Vidi subtus altare animas interfectorum, &c.* 1398.D
7. *Hi sunt qui venerunt ex tribulatione magna & lauerunt stolas suas, &c.* 405.A.B
9. *Quærent homines mortem, & non inuenient eam, &c.* 2330.
10. *Tempus non erit amplius.* 2337.
13. *Agnus occisus ab origine mundi, &c.* 387.C 1191.C
Hic sapientia est, qui habet intellectum, computet numerum bestiæ, &c. numerus eius DC. LXVI. *&c.* 2256.B
14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo enim dicit spiritus vt requiescant, &c.* 2218.D
Qui empti sunt à terra. 54.B
15. *Omnes gentes venient & adorabunt in conspectu tuo.* 2309.C
17. *Quoniam dominus dominorum est & Rex Regum.* 439. A. & seq.
18. *Quantum se glorificauit & in deliciis fuit; tantum date ei tormentorum & luctus.* 1755.A
Duplicate duplicia secundùm opera eius: in poculo, quo miscuit, miscete ei duplum. 2332.
19. *Habet in vestimento & in femore suo scriptum Rex Regum & dominus dominantium.* 439. A. & seq.
20. *Vidi sedes & sedentes super eas & iudicium datum est.* 1469.B.1638.D
Qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. 2315.B
Libri aperti sunt. 2315.D
Soluetur Sathanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, &c. 2266.D
21. *Vidi cœlum nouum, & terram nouam, &c.* 2335.
Et mare iam non est. 2278.D

INDEX

EARVM FIDEI CONTROVERSIARVM, QVAE EXPLICANTVR IN HOC QVARTO TOMO.

In Disputatione I. de Incarnatione explicantur Controuersiæ viginti & vna.

1. An Mysterium Incarnationis sit possibile & iam peractum. 8.& seq. 30.& seq.
2. An finis huius Mysterij fuerit Redemptio generis humani. 45.399.& seq.
3. An Incarnatio ita facta sit, vt Christus verè sit Deus & homo, per duas scilicet naturas, diuinam & humanam. 93.& seq.
4. An Christus sit vnica persona. 109.& seq.
5. An manserit in Christo differentia proprietatum vtriusque naturæ, ita vt proprietates vnius alteri communicatæ non sint. 121.& seq.
6. An solus filius fuerit incarnatus. 186.& seq.
7. An Christus secundùm humanitatem sit vbiq. 242.& seq.
8. An Christus laborauerit vlla ignorantia. 339.& seq.
9. An Christus peccare potuerit. 345.& seq.
10. An in Christo fuerit voluntas creata, præter diuinam. 367.& seq.
11. An fuerit in illo etiã operatio creata. 373.& seq.
12. An Christus aliquid sibi ipsi meruerit. 379
13. An Christus secundùm personã suam fuerit Patri subiectus. 391
14. An, & quomodo, fuerit Christus Redemptor generis humani. 399.& seq.
15. An & quatenus fuerit etiam Mediator Dei & hominum. 413.& seq.
16. An, & secundùm quem ordinẽ fuerit Sacerdos. 419.& seq.
17. An fuerit Legislator. 443.& seq.
18. An sit à Patre cõstitutus hominũ Iudex. 445.& seq.
19. An & quomodo sit adorandus. 455.& seq.
20. An & qua ratione colendæ sint imagines Christi & Sanctorum. 461.& seq.
21. An & quomodo colendæ sint sacræ reliquiæ, & Christi crux. 469.& seq.

In Disputatione II. quæ est de præcipuis mysteriis vitæ Christi, explicantur Controuersiæ octo.

1. An Beata Virgo fuerit sanctificata prius quàm nasceretur. 477.& seq.
2. An aliquando peccãuerit actualiter. 519.& seq.
3. An fuerit perpetuò Virgo. 531.& seq.
4. An verè fuerit mater Christi, Dei & hominis. 550
5. An Christus verè & propriè descenderit ad inferos. 575.& seq.
6. An post resurrectionem fuerit ingressus ad discipulos per clausas ianuas. 598.& seq.
7. An vero & reali motu in cœlum ascenderit. 603.& seq.
8. An & qua ratione consederit ad dexteram Patris. 611.& seq.

In Disputatione III. quæ est de Sacramentis in genere, explicantur Controuersiæ nouem.

1. An & quatenus ad veram Sacramenti rationem requiratur diuina promissio de conferenda gratia in Sacramenti vsu. 630
2. An in celebratione Sacramentorũ rectè adhibeantur in Ecclesia Ritus vsitati. 647.& seq.
3. An, & quatenus Sacramenta sint necessaria ad salutem. 649.& seq.
4. An, & quomodo Sacramẽta nouæ legis sint causa gratiæ. 657.& seq.
5. An fuerint item causa gratiæ Sacramenta veteris legis. 676.& seq.
6. An per aliqua Sacramẽta imprimatur Character. 681.& seq.
7. An, & quomodo in Ministro Sacramentorũ requiratur peculiaris intẽtio faciendi, quod intendit Ecclesia. 706.& seq.
8. An ad veritatem Sacramenti requiratur etiam in Ministro recta fides & vitæ probitas. 715.& seq.
9. Quot nam & quæ sint Sacramenta nouæ legis. 725. & seq.

In Disputatione IV. quæ est de Baptismo, explicantur Controuersiæ vndecim.

1. An Materia Baptismi sit aqua vera & naturalis. 744.& seq.
2. Quæ sit forma Baptismi. 752
3. An Baptismus sit initerabilis. 766.& seq.
4. An rectè adhibeantur Ritus quidam post Baptismum. 774.& seq.
5. An Paruuli sint baptizandi. 786.& seq.
6. An in Paruulis, vt verè & fructuosè baptizentur, requiratur actus proprius fidei. 799.& seq.
7. An in adultis vt rectè baptizentur requiratur aliqua pœnitentia. 805.& seq.
8. An omnibus tum adultis, tum paruulis sit ad salutem necessarius Baptismus. 810.& seq.
9. An eiusdẽ fuerit efficacię Baptismus Ioannis cum nostro. 828.& seq.
10. An per Baptismum remittantur omnia peccata. 834
11. An rectè præmittantur ante Baptismum Ritus quidam. 844.& seq.

In Disputatione V. quæ est de Confirmatione, explicantur Controuersiæ duæ.

1. An Confirmatio sit Sacramentum. 852.& seq.
2. Quæ nam sit forma huius Sacramenti. 871.& seq.

In Disputatione VI. quæ est de Eucharistia, explicantur Controuersiæ viginti & vna.

1. An Eucharistiæ Sacramentum consistat in vsu, vel in re permanente. 893.& seq.
2. Quæ nam sit Eucharistiæ Materia. 912.& seq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3. An Christus reuera contineatur substantialiter in Eucharistia. 928.& seq.
4. An corpus Christi posit esse in Eucharistia non commensuratiuè. 1025.& seq.
5. An idem Christi corpus posit esse simul in pluribus locis. 1029.& seq.
6. An fiat verè transubstantiatio in Eucharistia. 1051. & seq.
7. An maneant ibi Accidentia sine Subiecto. 1128.& seq.
8. An sit aliqua Forma huius Sacramẽti, & quæ nam. 1148.& seq.
9. An Forma huius Sacramenti efficiat quod significat. 1182.& seq.
10. An effectus Eucharistiæ sit salutaris. 1186
11. An Remisio peccatorum mortalium sit primarius effectus Eucharistiæ. 1191. & seq.
12. An ad Eucharistiam dignè percipiendam requiratur certitudo fidei de propria gratia. 1203.& seq.
13. An iure diuino debeat semper sumi Eucharistia in vtraq; specie. 1223.& seq.
14. An Christus nunc in Eucharistia edatur viuus, vel mortuus. 1288.& seq.
15 An fiat in Missa Sacrificium verè ac propriè dictũ. 1308.& seq.
16. An id Sacrificium verè sit corporis & sanguinis Christi. 1315.& seq.
17. An rectè & legitimè id Sacrificiũ fiat. 1342.& seq.
18. An id sacrificium sit verè propitiatoriũ pro peccatis, & aliis necesitatibus. 1404.& seq.
19. An vt est propitiatorium, prosit non modò offerẽti ministro, sed etiam aliis viuis & defunctis. 1425.& seq.
20. An & quatenus adorari debeat istud Sacramentum. 1431.& seq.
21. An ritus celebrationis huius Sacramenti, & Sacrificij quoad omnes eius circumstantias sit rectus. 1433.& seq.

In Disputatione VII. quæ est de Pœnitentia, explicantur Controuersiæ quatuordecim.

1. An Pœnitentia sit Sacramentum. 1461.& seq.
2. An Pœnitentia sit secunda tabula post Baptismũ. 1490.& seq.
3. An Pœnitentia sit salutaris & necessaria post Baptismum. 1492.& seq.
4. An ad Pœnitentiam pertineat dolor de peccato præterito. 1508.& seq.
5. An sit bonus pœnitentiæ dolor conceptus ex solo timore pœnarum. 1518.& seq.
6. An omnia peccata mortalia posint remitti per pœnitentiam. 1526.& seq.
7. Quæ nam sint partes pœnitentiæ. 1577.& seq.
8. An Confesio Sacramentalis sit necessaria ad salutem. 1635.& seq.
9. An potestas remittẽdi peccata competat solis Sacerdotibus. 1661.
10. Vtrum absolutionem ab aliquibus peccatis possit Superior sibi reseruare. 1695.& seq.
11. An Confesio debeat esse integra. 1705.& seq.
12. An Satisfactio pro peccatis, quoad pœnam temporalem eis debita, sit posibilis & necessaria. 1757.& seq.
13. An sit in Ecclesia potestas excõmunicandi. 1785. & seq.
14. An sit in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias. 1860.& seq.

In Disputatione VIII. quæ est de Extrema Vnctione, explicatur Controuersia vnica.

1. An Extrema Vnctio sit Sacramentum. 1899. & seq.

In Disputatione IX. quæ est de Ordine, explicantur Controuersiæ nouem.

1. Quis nam sit Ministrorum ordo & varietas in Ecclesia. 1926.& seq.& 1944
2. An Episcopi iure diuino sint superiores presbyteris. 1930. & seq.
3. An Ordo sit Sacramentum. 1955.& seq.
4. Ad quos nam pertineat Ordinatio & institutio Ministrorum Ecclesiæ. 1974.& seq.
5. An rectè adhibeantur Cæremoniæ Ordinationis. 1986.& seq.
6. An Ministri Ecclesiæ per nomen Clericorum rectè distinguantur à laicis. 1988.& seq.
7. An rectè etiã vtantur peculiari tonsura & habitu. 1990.& seq.
8. An rectè item eximantur à potestate seculari. 1992. & seq.
9. An sit bona & vtilis lex de Cœlibatu Ministrorũ sacrorum. 1997.& seq.

In Disputatione X. quæ est de Matrimonio, explicantur Controuersiæ decem.

1. An Matrimonium sit res bona & licita. 2045.& seq.
2. An sit etiam licitum & validum Matrimonium cum pluribus vxoribus. 2051.& seq.
3. An & quomodo Matrimonium vnius cum vna sit à Deo imperatum. 2058.& seq.
4. An sit Sacramentum. 2060.& seq.
5. An & quomodo sit indissolubile. 2076.& seq.
6. An ad veritatem Matrimonij requiratur consensus etiam parentum. 2121.& seq.
7. An propter varias causas posit fieri Diuortium quoad Torum, vel cohabitationem tantummodo. 2134.& seq.
8. An per auctoritatem humanam posint statui aliqua impedimenta, quæ obstent Matrimonio. 2138.& seq.
9. An Matrimonium in gradibus omnibus Consanguinitatis prohibitis, Leuit. 18. sit modò etiam nullum iure diuino. 2151.& seq.
10. An secundæ Nuptiæ sint licitæ. 2172.& seq.

In Disputatione XI. explicantur Controuersiæ octo.

1. An sint certa loca destinata animabus post hanc vitam. 2185.& seq.
2. An sit Purgatorium. 2187.& seq.
3. An animæ in Purgatorio sint certæ de sua salute. 2232.& seq.
4. An posint illic mereri & demereri. 2235.& seq.
5. An prosint illis suffragia viuorum. 2242.& seq.
6. An vlli ex Damnatis aliquando liberandi sint. 2230.& seq.& 2244.
7. An Antichristus sit futurus homo aliquis certus & singularis. 2254.& seq.
8. An sit futura Resurrectio mortuorum. 2281.& sequent.

INDEX EARVM RERVM, QVAE EX HOC QVARTO TOMO SVMI POTERVNT AD EXPLICANDVM PRO CONCIONE.

Sunt autem videndi quoque Indices priorum Tomorum.

DOMINICA I. Aduentus. Lucæ 21. *Erunt signa in Sole & Luna, &c.* De Signis antecedentibus Iudicium. *Et tunc videbunt filium hominis venientem, &c.* De modo quo veniet Dominus ad Iudicium. 2309.& seq.
II. Matth. 11. *Tu es qui venturus es?* Venisse iam Christum verum Messiam. 30.& seq. *Cæci vident, &c.* Ex miraculis Christi probari, esse ipsum Messiam. 31
III. Ioannis 1. *Ego baptizo in aqua, &c.* De discrimine baptismi Ioannis, & baptismi Christi. 828. & seq. *Cuius non sum dignus, vt soluam eius corrigiam Calciamenti.* Non posse naturaliter cognosci Incarnationis mysterium. 9.& sequent.
IV. Lucæ 3. *Prædicans baptismũ pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Quomodo hoc intelligendum. 830.& seq.
In die Natalis Domini. Luc. 2. *Peperit filium suum primogenitum, &c.* De circumstantiis Natiuitatis Domini. 547.& sequent.
In die S. Stephani. Matth. 23. *Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes, &c.* De ratione ac vocatione, & varietate Ministrorum quos Christus mittit in Ecclesiam. 1926.& seq. Et 1974.& seq.
In die S. Ioannis Euangelistæ. Ioan. 21. *Non dixit ei Iesus, quia non moritur.* An omnes sint morituri. 2294.& seq.
In die Innocentium. Matth. 1. *Occidit omnes pueros, &c.* De baptismo sanguinis. 742. 817. 818
Dominica infra Octauam Natiuit. Lucæ 2. *Puer autem crescebat, & cõfortabatur plenus sapientia.* De multiplici scientia Christi, ac peculiariter de Infusa quam habuit ab initio, atque adeò etiam puer. 295.& seq.& 313.& seq.
In die Circumcisionis Domini. Luc. 2. *Vocatum est nomen eius Iesus.* De officio Christi Saluatoris seu Redemptoris. 399.& seq.
In die Epiphaniæ. Matth. 2. *Et procidentes adorauerunt eum.* De Christi adoratione. 455.& seq.
Dominica infra Octauam Epiphaniæ. Lucæ 2. *Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, &c.* Quomodo hoc intelligendum. 243. 244
Dominica II. post Epiphan. Ioan. 2. *Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias.* Bonas ac licitas esse nuptias. 2045.& seq.
III. Matth. 8. *Ibi erit fletus & stridor dentium.* De varietate, & acerbitate pœnarum Inferni. 2330.& seq.
IV. Matth. 8. *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei.* De modo quo fecit Christus miracula, & de potentia illius in eo genere. 319.& seq.
V. Matth. 13. *Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* De miserabili modo, quo inuoluentur infernali igne & trudentur in infernum Damnati. 2222.& 2276
Dominica Septuagesimæ. Matth. 20. *Circa vndecimam verò exiit, &c.* Quo modo, & quare Christus venerit in medio temporis circa finem. 42. 43
Feria IV. post Dominicam I. Quadragesimæ. Matth. 12. *Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Quomodo id intelligendum. 573
Feria VI. Ioan. 5. *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quo nam modo sit maius peccatum relapsi, & ideo maiori pœna dignum. 1555.& seq.
Domin. II. Quadragesimæ. Matth. 7. *Resplenduit facies eius sicut Sol, &c.* Per redundantiam scilicet beatitudinis animæ qua nunquam caruit. 298. 563
Feria IV. Matth. 20 *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare & dare animam suam redemptionem pro multis.* Quæ fuerit vis & ratio huius redemptionis. 399
Domin. III. Lucæ 11. *Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Quia scilicet præter noua peccata redeunt etiam priora quadam ratione. 1555.& seq.
Feria VI. Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.* De conformitate voluntatis Christi cum voluntate diuina. 369.& seq.
Domin. IV. Ioan. 6. *Cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit, &c.* Non voluisse Christum habere regnum temporale cum esset perfectè pauper. 431.& seq.
Feria VI. Ioan. 11. *Scio, quia resurget in nouissimo die.* De futura resurrectione. 2281. & seq.
Domin. Passionis. Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Christum nullo modo peccare potuisse. 345.& seq.
Dominica Palmarum. & feria 3.& 4.& 6. De passione Christi. 557.& seq.
Fer. V. In cœna Domini. Ioan. 13. *Ante diem festum Paschæ, &c.* Quo nam die Christus celebrauerit Pascha. 564.& seq. Item qualis fuerit illa actio lotionis pedum. 733. 734. Item de institutione Sanctissimi Sacramenti. 891. 892
In Sabbato S. De sepultura Christi, & de descensu ad Inferos. 571.& seq.
In die Paschatis. Marc. 16. *Surrexit non est hic.* De Resurrectione Domini, & eius circumstantiis. 593.& seq.
Fer. II. Lucæ 24. *Accepit panem & benedixit ac fregit, &c.* Dedisse tunc Christum discipulis sacram Eucharistiam sub alteta specie. 1261.& seq.
Fer. III. Lucæ 24. *Palpate & videte, &c.* Christum habuisse verum corpus, & veram naturam humanam. 95.& seq.
Fer. IV. Ioan. 11. *Manifestauit se iterum Iesus, &c.* De modo quo Christus probauit suam resurrectionẽ discipulis. 598. & seq.
Dominica I. post Pascha. Ioan 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* De legitima institutione & missione Ministrorum Ecclesiæ. 1974.& seq. *Quorum remiseritis peccata, &c.* De potestate Ministrorum ad verè remittenda peccata. 1468.& seq. 1479.& seq. *Venit Iesus ianuis clausis.* Verè per ianuas penetrasse. 598.& seq.
Domin. II. Ioan. 10. *Animam meam pono pro ouibus meis.* Quomodo Christus liberè mortem opetiuerit. 376.& seq.
Domin. III. Lucæ 15. *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore, &c. quàm super nonaginta iustis, &c.* Sit ne magis obligatus Deo pœnitens quàm Innocens. 1558

Universidad de Deusto
Biblioteca

Domin.IV. Ioan.16. *Expedit vobis vt ego vadam, &c.* Non hoc pugnare cum veritate & vtilitate præsentiæ Christi in Sanctissimo Sacramento. 1045
Domin.V. Ioan.16. *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Non igitur post resurrectionem & ascensionem mansit vbique, vt volunt Vbiquistæ Sectarij. 242.& seq.
In die Ascensionis. Marc.16. *Assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* De Christi ascensione, & sessione ad dexteram Patris. 603.& seq.
In die Pentecostes. Ioan.14. *Si quis diligit me, sermonem meu seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.* Vis Charitatis in concilianda gratia diuina. 1530.& seq.
Feria II. Ioan 3. *Qui credit in eum, non iudicatur.* Qua ratione quidam dicantur non iudicandi in extremo Iudicio vniuersali. 2316.& seq.
Feria III. Ioan.10. *Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.* De legitima vocatione ministrorũ Ecclesiæ.1974. & seq.
In Domin.Trinit. Matth.28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Quomodo intelligendum.149. Item de potentia animæ Christi.319.& seq. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, &c.* De forma Baptismi.752. Item de Baptismi necessitate. 810.& seq.
In Festo Corporis Christi. Ioan.6. *Caro mea vere est cibus, &c.* De vera & substantiali præsentia corporis Christi in Sanctissima Eucharistia. 928.& seq. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* De effectibus huius Sacramenti. 1184.& seq.
Domin.II. post Pentecosten. Luc.14 *Homo quidam fecit cœnam magnam.* De ratione & institutione Eucharistiæ 890. & seq.
Domin.III. Luc.15. *Quia hic peccatores recipit, &c.* Nullum esse peccatorem qui non possit in gratiam Dei redire beneficio pœnitentiæ. 1525.& seq.
Domin.V. Matth.5. *Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Infernum significari de quo 2185
Domin.XII. Luc.10. *Appropians (Samaritanus) alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum.* Figura Christi sanantis peccatorum vulnera per Sacramenta: De quorũ vtilitate & efficacitate agitur columna. 649.& seq.& 657. & seq.
Domin.XIII. Luc.17. *Ite ostendite vos Sacerdotibus, &c.* Verè nunc homines mundari à peccatis ministerio Sacerdotum, cùm olim solum mundos à lepra pronunciarent Sacerdotes legales. 1480.& seq.
Domin.XV. Luc.7. *Quia propheta magnus surrexit in nobis.* De Christo propheta. 423.& seq.
Domin.XIX. Matth.22. *Mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* De acerbitate & varietate pœnarum Infernalium. 2330.& seq.
Domin.XXIV. Matth.24. *Cum videritis abominationem desolationis, &c.* De Antichristo & eius persequutione.2253. & seq. *Sicut enim fulgur exit ab oriente, &c.* Qualis erit aduentus Domini ad Iudicium, & de aliis ad id pertinentibus. 2309.& seq.

Defestis aliis.

In Festo Conceptionis B.Mariæ. Matth.1. *De qua natus est Iesus, &c.* Verè B.Virginem esse matrem Christi Dei & hominis. 550. Itẽ de immaculata illius conceptione.481. & seq.
In festo S.Thomæ Ioan.20. *Venit Iesus ianuis clausis.* Quale fuerit id miraculum. 598.& seq.
In festo Purificationis. Luc.2. *Tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, &c.* Quo nam modo fuerit Christus subditus diuinæ legi veteri. 444
In festo Annunciationis. Luc.1. *Aue gratia plena, Dominus tecum, &c.* Explicatur hæc Angelica salutatio.488 & seq. *Et regnabit in domo Iacob in æternum.* Quale fuerit regnũ Christi.425.& seq. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* De perpetua virginitate B. Mariæ. 531.& seq.
In festo S.Marci.Luc.10 *Designauit Dominus, & alios septuaginta duos.* De varietate ministrorum Ecclesiæ.1926.& seq.
In festo SS.Philippi & Iacobi. Ioan.14. *Vt vbi ego sum & vos sitis.* Futuros in cœlo beatos, vbi est Christus. 2183.& seq.
In festo S.Crucis. Ioan 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* De necessitate Baptismi. 810.& seq. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* De mysterio crucis Christi. 557.& seq.
In festo S.Ioannis Baptistæ. Luc.1. *Quis putas puer iste erit?* Etenim manus Domini erat cum illo. Quippe qui fuerat ante natiuitatem sanctificatus. 478. 480
In festo SS. Petri & Pauli. Matth 16. *Tibi dabo claues regni Cœlorum.* Quæ nam sit vis & ratio harum clauium. 1777. & seq. *Quodcunq; solueris super terram erit solutum & in cœlis.* Quanta potestas hic significetur.1786.& seq. Vbi agitur de Excommunicatione. & 1861.& seq. Vbi agitur de Indulgentiis.
In festo visitationis B.Virginis. Lucæ 1. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Qualis fuerit hæc Ioannis in vtero exultatio. 802.803
In festo S.Matthæi.Luc.5. *Non egent qui sani sunt medico, &c.* De Christo cœlesti medico animarum. 412
In festo omnium Sanctorum. Matth.5. *Merces vestra copiosa est in cœlis.* De statu futuro gloriæ beatorum. 2321.& seq.
In festo S.Catharinæ. Matth.25. *Simile est regnum cœlorum decem Virginibus.* De Cœlibum statu. 1997.& seq.

INDEX RERVM PHILOSOPHICARVM QVÆ IN HOC TOMO IV. CONTINENTVR, IVXTA ORDINEM QVO IN PHILOSOPHIAE CVRRICVLO VEL DISPVTARI VEL ATTINGI SOLENT.

Ad Porphyrium.
Quid sit esse indiuiduum. 24
Ad Prædicamenta.
An idem accidens possit esse in pluribus speciebus qualitatis. 692.& seq.
Ad primum de Interpretatione.
Quid sit vnum affirmare de altero. 134.& seq.& 143
Quid propriè sit contradictio. 136
An idem de eodem possit affirmari & negari per solam mutationem temporis. 170
In quo genere & quotuplex sit signum. 624
Pro quo tempore debeat esse vera enunciatio. 1180
Ad primum posteriorum.
An & quomodo pertineat ad scientiam probare suũ subiectum. 9
Quot modis possit haberi notitia euidens de aliqua re quoad eius possibilitatem. 11
Ad secundum posteriorum.
Quotuplex sit ignorantia. 339
Ad secundum Physicorum.
Quomodo illud quod est primum in intentione, sit vltimum in executione. 89
Quot modis dicatur naturale. 176
Quid sit propriè caussa effectiua Physica, vt distinguitur à caussa morali, & à conditione sine qua nõ & ab aliis caussis. 321.& seq.& 666
De diuisione caussæ effectiuæ in principalem & instrumentalem. 323
Ad tertium Physicorum.
Quid sit propriè rem mutari. 21
An operatio transiens debeat necessariò habere aliquem actualem effectum. 1106
Ad quartum Physicorum.
An vnum corpus possit esse simul non modò in pluribus, sed etiam in omnibus locis. 243
An sit possibilis penetratio corporum. 599.& seq.
An possit esse corpus alicubi non commensuratiuè. 125.& seq.
An possit esse simul in pluribus locis. 129.& seq.
Ad primum de Generatione.
Quomodo ex duobus entibus in actu nõ fiat vnum ens per se. 27
Quid sit propriè compositio. 163
An & quomodo cuiusque formæ latitudo gradualis sit finita. 273.& seq.
Quomodo sit idẽ numero corpꝰ viuũ & mortuũ. 571
In quo propriè consistat substantialis transmutatio siue conuersio vnius rei in aliam. 1099.& seq.
Quam latè patere possit terminus siue effectus alicuius operationis substantialis. 1100.& seq.
Quomodo aliud sit annihilari; & aliud rem quomodocunque desinere esse. 1107
An & quomodo accidentia possint producere substantiam. 1136
Quid & quomodo possit aliquid ex accidentibus produci. 1143.& seq.
Ad secundum de Generatione.
An idem numero possit reproduci. 2298.& seq.
Ad secundum de Anima.
An & quomodo sanguis pertineat ad veritatem naturæ humanæ. 237.& seq.
Ad tertium de Anima.
Quomodo anima rationalis communicet se corpori. 154
Quandónam animæ rationales creentur. 254
Ad quintum Metaphysicæ.
Quomodo accidens dependeat à subiecto. 28
Quid sit subsistentia naturæ singularis. 124
An vnum relatiuorum possit existere sine altero. 168
Quomodo differãt persona & natura singularis. 215.& seq.
Quodnam propriè habeat fundamentum relatio filiationis. 552
Quænam & quot sint habitudines substantiæ ad accidens. 1103 (1128.& seq.
Quonam modo accidentia possint esse sine subiecto.
Quonam modo quantitas sit subiectum aliorum accidentium. 1135

PRO LIBRIS ETHICORVM AD NICOMACHVM.

Ad secundum Ethicorum.
Quid pertineat ad passionem timoris. 352
An aliqua virtus specialis necessariò pʃupponat fuisse eius oppositum in eodem subiecto. 1504
Quam latè patere possint actus vnius & eiusdem virtutis. 1506.& seq. (1513
Quæ nã virtutes nequeant esse in appetitu sensitiuo.
Ad quartum Ethicorum.
An pauper possit habere virtutem magnificẽtiæ. 282
Ad quintum Ethicorum.
An remittere satisfactionem sit contra Iustitiam. 48
Quid requiratur ad æquiualentem compẽsationem offensæ siue iniuriæ. 51.& seq.
An & quomodo satisfactio iusta possit niti gratia creditoris. 59
An per id quod debetur ex gratitudine possit etiam fieri satisfactio ex iustitia. 59.& seq.
An aliquis possit sibiipsi satisfacere; seu quomodo iustitia sit erga alterum. 66
Ad libros Politicorum, maximè secundum.
Quænã sit vis & ratio contractus Matrimonij. 2040
An coniugium sit res bona. 2045.& seq.
An Polygamia possit consistere cũ veritate coniugij. 2051
An & quomodo cõiugium sit necessariũ. 2058.& seq.
An contra etiam possit cum eadem consistere communitas vxorum. 2058
An matrimonij vinculum debeat esse perpetuum & indissolubile. 2076.& seq.
An & qualis reqratur cõsensus ad cõiugiũ. 2120.& se.
Quã fidelitatẽ debeãt sibi mutuò cõiuges. 2130.& seq.
De legitimo vsu matrimonij. 2170.& seq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

GENERALIS RERVM OMNIVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN HOC QVARTO TOMO EXPLICANTVR.

Abailardus.

Error Petri Abailardi negantis Christum habuisse donum timoris damnatus est. 284.D

Abailardus negauit à Christo genus humanum à seruitute diaboli liberatum. 403.A

Abstemius.

Abstemiis olim fuisse negatam Eucharistiam eò quòd non possint communicare in vtraque specie non est probabile. 1269.C

Abstemij quinam irregulares. Vide Irregularitas.

Absolutio à peccatis.

Quonam spectent verba illa in communi formula absolutionis: Ab omni vinculo Excommunicationis, suspensionis & interdicti in quantum possum & indiges, &c. Posse superiores ordinariè reseruare sibi ius absoluendi à quibusdã peccatis. 1696.A. & à quibus. 1697.B.C. Vide etiam Pœnitentiæ Sacramentum.

Absolutio ab Excommunicatione.

Vide Excommunicationis absolutio.

Accidens.

Dependentia accidentis posset terminari à persona diuina supplente vim subiecti. 213.B

Contrariæ sententiæ argumenta soluuntur. 213.C

Non est de ratione accidentis actu inesse. 1077.B

Quomodo possit accidens per se sine subiecto existere. 1130.C. & seq. & an hic modus existendi per se sit aliquid substantiale. 1133.D

Accidentia habẽt subiectũ Quo & Quod. 1135.A. & seq.

Accidentia separata à subiecto an & quid possint agere, vtrum etiam possint substantiam producere. 1136.B. & seq.

Accidens quomodo dicatur agere in virtute substantiæ. 1136.C

Accidens separatum non agit vt propriè instrumentum substantiæ. 1137.D

Accidentia separata possunt etiam corrumpi per se & per accidens sicut coniuncta. 1138.B. & seq. & an naturaliter. 1138.D. & seq.

Acephali.

Hæretici isti affirmarunt diuinam naturam fuisse crucifixam. 99.A

Acoluthus.

Acoluthos habere peculiarem & verum ordinem in Ecclesia, licet id negent Sectarij. 1942.B. Vide Ordo.

Acoluthorum munus quodnam sit. 1953.C

Acoluthorum ordinis quænam materia. 1971.B. Vide Ordinis Sacramenti ratio & partes.

Adam.

Adam an propria voluntate matrimonium cum Eua contraxerit. 2103.A

Conuenienter Verbum diuinum assumpsit naturam humanam ex stirpe Adæ. 235.C

Adamiani.

Adamiani hæretici malè negarunt matrimonium esse rem per se bonam. 2046.A

Aërius.

Aërius hæreticus contendebat sacerdotes esse iure diuino æquales auctoritate Episcopis. 1930.C. Vide Sectarij.

Affirmatio.

Affirmationis vera & propria ratio quæ sit. 133.D. & defenditur contra Lutherum & Vbiquistas. 143.B. 1058.B

Affinitas.

Affinitas quid sit & eius gradus quomodo distinguendi. 2163.C.D

Affinitas dirimit matrimonium vsq; ad quartum gradum. 2163.D. nisi ex copula illicita oriatur quo casu iure nouo tantùm vsq; ad secundum gradum dirimit aut impedit. 2164.A. & quo iure hoc impedimentum constet. 2164.B

Affinitas inter ipsos coniuges orta per fornicationem vnius cum persona consanguinea alterius quomodo vsum matrimonij impediat. 2164.A.B

Matrimonium cum nouerca iure naturæ esse nullum. 2158.A. & an etiam cum vitrico, socru, atque adeò in quouis primo gradu lineæ rectæ affinitatis. 2158.C.D

Matrimonium cum vxore fratris demortui quomodo Deus olim prohibuerit & rursus probauerit. 2159.C

Agnoitæ.

Agnoitæ hæretici malè attribuerunt Christo ignorãtiam priuatiuam. 342.A. & seq.

Albigenses.

Albigenses negarunt præsentiam Christi in Eucharistia. 937.C

Anabaptistæ.

Anabaptistarum error in baptismo reiterando. 768.B

Anabaptistæ negant paruulos baptizari posse. 787.A

Fundamentum eorum refellitur. 804.D

Anabaptistæ Enthusiastæ reiiciunt varietatem Ministrorum in Ecclesia. 1928.C

Anabaptistæ impudenter censuerunt polygamiam plurium vxorum simul esse licitam Christianis. 2051.C. 2054.A

Anabaptistæ malè senserũt fas esse aliud matrimonium inire, si alter coniux nolit idem de fide sentire. 2076.A

Animarum receptacula.

Animarum receptacula quænam & quot sint. 2183.A. & seq. Vide Cœlum, Purgatorium, Infernus, Limbus.

Animarum tertium receptaculum pro infantibus sine baptismo decedentibus quomodo neget D. Augustinus. 2220.B

Animarum quatuor esse receptacula & quo ordine sita. 2221.C

Animas non posse ordinariè & pro arbitrio ex suis receptaculis egredi. 2225.A

Animæ defunctorum.

Anima beata an possit administrare Sacramentum aliquod. 705.C.

Pro animabus defunctis orandum esse. 2210.C. & seq.

Animas partim naturali facultate, partim etiam ductu Angelorum illuc peruenire; seu bonorum, si sanctæ sint. 2222.A. seu malorum, si damnatæ & extra gratiam. 2222.C.D

Animas separatas etiam posse naturaliter seipsas mouere probatur. 2223.A.B

Animas statim à morte hominis subire iudicium particulare. 2224.B

Animæ non possunt egredi ex suis receptaculis secundùm legem Dei ordinariam. 2225.A. nec cum egrediuntur vel ex cœlo vel ex inferno cessant esse beatæ vel damnatæ. 2225.C. & quas ob causas egrediantur quandoq; Deo sic peculiariter disponente. 2225.C

Animæ beatæ quomodo possint esse vbi volunt pro libito. 2225.D

Animas etiam posse egredi ad tempus ex Purgatorio aut limbo, & ex illo quoque solere animas liberatas in perpetuum egredi. 2226.A. & posse nonnunquam ex eodem reuocari ad hanc vitam. ibid.B

Animæ ex purgatorio vel limbo Patrum resuscitatæ an adhuc certæ fuerint aut sint de sua salute. 2226.C

Animæ an fuerint ex cœlo quoque aliquando aut inferno ad hanc vitam reuocatæ. 2226.D. & seq. & si sic; an ex cœlo ad vitã reuocatæ fuerint certæ de reditu. 2228.D

Non omnes animas indigere aliqua expiatione post hanc vitam; vt censuit Origenes. 2229.C

Animabus defunctis an & quomodo prosint suffragia viuorum. Vide Purgatorium.

Anathema.

Anathema est excommunicatio maior. 1795. Vide Excommunicationis diuisio.

Angeli.

Angeli non cognouerunt euidenter naturali cognitione Incarnationem Christi. 13.A

Angeli qui apparuerunt in veteri Testamento non assumpserunt hypostaticè corpora sua vt sensit Tertullianus. 203.C

Angelica natura posset à diuina persona per potentiam absolutam assumi. 212.B

Angeli beati non sunt per Christum redempti à peccatis, vt sensit Origenes. 292.A

Angelus bonus an possit esse minister Sacramentorum. 705.C.D

Annihilatio.

Nulla res instrumentaliter concurrere potest ad annihilationem. 332.B.C

Annihilatio in quo propriè consistat & an panis in Eucharistiæ consecratione annihiletur. 1107.C

Antecedens, Consequens.

An quicunque vult antecedens censendus sit etiam velle consequens. 1606.B

Antichristus.

Antichristi nomine quid intelligatur. 2253.C. & quæ eius nominis ratio. 2254.A

Antichristus erit homo purus non diabolus seu purus seu incarnatus. 2254.B.C

Antichristum esse futurum vnum, singularem, & determinatum hominem probatur contra Sectarios. 2255.B. & seq.

Antichristi nomen habiturum numerum 666. neq; tamen determinadum quale id sit futurum, quod item de caractere accipiendum. 2256.B.C

Antichristi nomen & caracterem ridiculè conantur sectarij impingere Pontifici Romano. 2256.D

Antichristus in Babylone nasciturus ex fornicaria muliere ex gente Iudæorum de tribu Dan. 2258. & seq. à Iudæis recipiendus. 2259.A

Antichristi conditio initio abiecta postea ampla. 2259.C. eiusdem doctrina. 2259.D. & sequent. mores & vita. 2261.B

Antichristi doctrinam sectarij impudenter affingunt Romano Pontifici. 2260.D

Antichristus futurus atheus, blasphemus, superbissimus, crudelissimus, magus, Idololatra. 2261.C.D. adoraturus deum Maozim. 2262.A. hypocrita & obscœnus. 2262.C

Antichristus futurus caput omnium malorum hominum. 289.A. 2262.C

Antichristus quando venturus & quæ signa aduentus eius. 2262.D. & seq.

Sub tempus Antichristi Iudæos per Enoch & Eliam ad Christum conuertendos. 2264.B.D

Antichristi persecutio aduersus Ecclesiam & Christianos. 2265.A.B. 2266.D. neq; tamen omnes deficient ab authoritate sedis Apostolicæ. 2267.B

Antichristus qua ratione futurus sit Monarcha orbis. 2266.B

Antichristi exercitus vt vocetur Gog & Magog. 2267.D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quanto tempore post occisum Antichristum venturus sit extremi iudicij dies. 2269.B.2273.B
Antichristi in edendis falsis miraculis præstigiæ & de eius præcipuo Coadiutore. 2269.C. *& seq.*
Antichristus occidet Enoch & Eliam Hierosolymis. 2270.C. *& tentabit reficere templum Hierosolymitanum.* 2270.D
Antichristum fixurum præcipuè sedem Hierosolymis & sessurum in templo Dei. 2271.A.B
Antichristum regnaturum tantum tres annos. 2271.B. *& seq. postea Christi virtute interficiendum in monte Oliueti.* 2272.B. *& seq. & an ab ipso Christo corporaliter.* 2272.D
Antichristi nomen stolidè tribuere Sectarios Pontifici Romano. 2273.D

Antidicomarianitæ.

Hæretici hi sectatores Heluidij senserunt B. Virginem post partum Virginem fuisse corruptam. 532.B

Apelles.

Errauit cùm negaret Christum esse verum hominem. 95.C

Apollinaris. Apollinaristæ.

Apollinaris sensit Christum non habuisse animam rationalem & refutatur. 107.C
Finxit aliquid Verbi diuini in carnem esse conuersum. 121.B
Apollinaristæ confundunt duas in Christo naturas ante Eutychetem. 98.A

Apparitiones.

Apparitionibus animarum, &c. quæ fides adhibenda. 1430.A
Sectariorum obiectiones contra animarum apparitiones soluuntur. 2215.A
SS. Patres nusquam negant posse quandoque animas mortuorum diuina dispensatione ad vivos redire. 2215.B

Apostoli.

Apostoli non instituerunt vllum Sacramentum. 698.A
Apostoli qua in baptizando forma vsi sint post Christi passionem. 759.B
Apostoli qua forma baptismi vsi sint ante Christi passionem. 764.B
Apostoli an, quando, & à quibus baptizati sint. 814.D. *& seq.*
Apostoli an Confirmationis Sacramentum administrarint sine Chrismatis vnctione & forma debita. 863.A. *& seq.*
Apostolos in vltima cœna accepisse à Christo Sacerdotij potestatem. 1227.B.C
Apostoli an ad solam orationem dominicam celebrarint Missam. 1447.A
Apostolos nunquam sine speciali peccatorum confessione peccata remisisse. 1657.B
Apostoli Iurisdictionis potestatem immediatè à Christo acceperunt. 1686.A. 1781.A
Apostoli non fuerunt inter se iurisdictionis auctoritate pares. 1697.B. 1780.D. *& seq.*
Apostoli alij præter S. Petrum quantam potestatem clauium acceperint. 1780.D. *& seq.*
Apostoli alij præter S. Petrum non potuerunt potestatem sibi collatam in alios derivare. 1781.B
Quandonam potestas clauium aliis Apostolis fuerit collata. 1781.C
Apostolorum Ordinem superiorem fuisse Ordine LXX. discipulorum. 1931.C
Apostoli vocabantur olim quidam præter eos etiam qui ab ipso Christo Apostoli instituti erant. 1936.B
Apostolis quomodo Diaconi, Sacerdotes, Episcopi successerint. 1936.C.D
Apostoli quomodo ordinauerint diaconos. 1960.B. *quomodo Sacerdotes.* 1969.C
Non omnia præcepta Apostolica esse diuina. 2003.D
Apostoli an coniugati fuerint. 2029.B. *quamuis non vsi sint coniugio.* 2029.C. *& nominatim D. Paulus.* 2030.C

Apostolici.

Apostolici hæretici malè negarunt matrimonium esse per se rem bonam, sed refutantur. 2046.A. *& seq. Vide Matrimonium.*
Apostolici negarunt Purgatorium. 2189.D

Aqua benedicta.

Aqua benedicta cum reuerentia vsurpata valet ad remissionem venialium. 1544.C

Aquarij.

Aquariorum error circa materiam Eucharistiæ. 914.B

Ariani.

Ariani veteres negarunt Christum esse verum Deum. 94.A
Idem negant Ariani noui huius temporis. ibid.
Refelluntur. 94.B.C
Ariani senserunt Christum non habuisse verè animam rationalem. 107.C
Ariani malè dixerunt Christum secundùm suum suppositum patri suo esse subiectum. 391.B
Ex Arianis quidam negarunt Christi humanitatem verè in Eucharistia sumi. 936.C

Armeni.

Armeni vim omnem conciliandi gratiam Sacramentis negant. 657.A
Armeni falsò senserunt vsum olei & chrismatis esse de substantia baptismi. 775.A
Armeni reiecerunt Confirmationis Sacramentum. 835.B
Armeni improbant consuetudinem Catholicam miscendi vinum in calice aquæ. 920.C
Armeni malè negarunt matrimonium esse rem per se bonam. 2046.A. *& seq. Vide Matrimonium.*

Artotyritæ.

Artotyritarum error circa materiam Eucharistiæ. 913.B. *& seq.*

Ascensio Christi in Cœlum.

Articulum ascensionis reuera negant Vbiquistæ. 245.C. *Vide Christi ascensio.*

Attributa diuina.

Ratio & discrimen attributorum diuinorum. 139.D

S. Atha-

S. Athanasius.

S. Athanasius validè in littore maris pueros baptizauit. 711.C

Augmentatio.

Per augmentationem homo non fit alia persona. 221.A

S. Augustinus.

S. Augustinus nunquam dixit liberam esse quæstionem illam an communicandum sit ieiuno stomacho vel non ieiuno, vt mentitur Kemnitius. 1216.B
S. Augustinus nunquam dubitauit an sit purgatorium. 2209.B.C
S. Augustinus quomodo neget tertium animarum receptaculum perpetuum pro infantibus sine baptismo decedentibus. 2220.B

Baptismus.

Baptismi nomen & definitio.

Baptismus ex vi nominis quid significet. 740.A
Baptismus variis nominibus afficitur à SS. Patribus. 740.B
Baptismi definitio vt est signum. 741.C
Baptismus Ioannis. Vide Ioannes Baptista.
Tria esse baptismata. 742.B
Baptismi communis definitio secundùm rem substratam defenditur & explicatur. 742.D.C. *& seq.*
Ex re substrata Baptismo præcipua est ablutio. 643.C
Baptismus an sit ablutio passiua vel actiua. 744.B

Baptismi materia.

Baptismi materia est aqua vera & naturalis. 744.C
Baptismi materiam quinam hæretici negarint esse aquam. 744.D. *Refelluntur.* 745.A
Regulæ tres ad dignoscendum an humor aliquis sit vera materia baptismi. 746.A. *& seq.*
De variis humoribus in specie an sint vera materia baptismi. 746.B
Quid faciendum cùm meritò dubitatur an humor aliquis sit vera materia baptismi. 746.C.D
Quomodo & in qua quantitate aqua in baptizando adhiberi debeat. 746.D. *& seq.*
Minutissimæ aliquæ guttæ aquæ ad baptismum non sufficiunt. 747.B
Ad baptismi substantiam non refert siue mergendo semel aut bis, &c. siue aspergendo baptizetur. 747.C
Baptismus absoluta prolatione formæ in prima mersione validus est etiam ante tertiam mersionem non obstante particulari intentione ministri. 748.A
In baptizandi modo conformare se quisq; debet suæ diœcesi. 748.C. *& quale peccatum id non facere.* 748.D
An baptizari possit infans in vtero materno. 748.D. *& seq.*
Quanta vel quæ pars corporis in baptizando ablui debeat. 749.D
Ablutio vestium non sufficit ad baptismum. 750.B
An & quomodo taliter baptizatus rebaptizandus. 750.B
Ablutio alicuius secundùm capillos tantum an sit validus baptismus. 750.C
An puer in flumen proiectus, si cætera requisita adsint, censendus sit validè baptizatus. 750.D. *vel an rebaptizandus.* 752.A

Baptismi forma.

Baptismi forma quæ. 752.B
Actus baptismi an in forma baptismi debeat necessariò exprimi. 753.A
An in forma baptismi itidem necessariò exprimenda persona baptizati. 753.A
Quid si erretur circa personam baptizati. 753.B
An necessariò exprimenda sit persona ministri. 753.C
An validè & licitè vsurpari possit forma baptizandi Græcorum. 743.D. *& seq.*
In forma baptismi debere distinctè significari tres personas diuinas. 755.A. *& seq.*
Baptismum collatum solum in nomine Trinitatis non esse validum. 759.A
Baptismum non esse validum collatum solum in nomine Christi. 759.A
Quomodo rebaptizandi sint baptizati solum in nomine Christi. 760.A
Baptismum non valere si conferatur in nomine Genitoris Geniti & Procedentis ab vtroque. 760.B
Hoc modo baptizati quomodo rebaptizandi. 761.B
Baptismus collatus in Nominibus, &c. an sit validus. 761.B
Baptismus collatus in authoritate in virtute Patris, &c. an valeat, vel an reiterandus. 761.C
Baptismus an valeat si per nutus conferatur. 761.D. *& sequent.*
Quid si aliis modis baptismi forma mutetur & varietur. 762.A. 639.C. *& seq. Vide Sacramenti forma.*

Baptismi accidentia seu Conditiones.

Baptismus quo tempore à Christo sit institutus. 762.D. *& seq.* 764.C
Baptismi præceptum quo tempore inceperit. 764.B
Quanam forma baptizarint ante passionem Christi discipuli. 764.B
Baptismus quo tempore ante passionem à Christo sit institutus. 764.C
An & quo modo simul coëxistere debeant baptismi forma & materia. 765.D. *& seq.*
An si præcedat mersio & sequatur statim prolatio formæ sit validus baptismus. 766.A
Baptismum omnino iterabilem probatur ex Ecclesiæ authoritate. 766.C. *& seq. ex Scriptura.* 766.D. *& seq. ex S. Patribus.* 767.D
Quomodo ex ratione probari possit baptismum esse iterabilem. 768.C. *& seq.*
Congruentes esse rationes quæ adferuntur pro iterabilitate baptismi. 770.B. *& seq.*
Rebaptizare in dubio sub conditione an & quatenus liceat. 772.B
Dubium illud quale esse debeat. 772.C. *& seq.*
Extra dubium rationabile quale peccatum sit sub conditione rebaptizare. 772.D
Baptismus nec validè nec licitè iterari potest. 773.A
Baptismum iterantibus qualis pœna statuta sit iure ciuili & Ecclesiastico. 773.C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rebaptizantes sub conditione aut ex ignoratia an eandem pœnam incurrant. 773.C.D
An pœna irregularitatis etiam ignorata à rebaptizante incurratur. 774.A

Baptismi Cæremoniæ.

Tempus baptismi solennis. 774.D.809.B
Vsus olei & chrismatis in baptismo. 774.D. *Non est tamen de substantia baptismi.* 775.A
Quomodo baptizatus inungendus. 775.B
Vestis candida in baptismo vsurpata. 775.C
Catechismus ante baptismum & exorcismus. 775.C. 844.A. *& seq.*
Vsus lactis & mellis, seu lactis & vini post baptismum. 775.D
Signo Crucis vnda baptismatis signanda. 775.D
Exorcismus ante baptismum ad quid valeat. 845.B.C
Exorcismus an ex opere operato efficiat suos effectus & a quo institutus. 845.D
Exorcismus an & quando corporaliter expellat dæmones. 846.A.B
Officium Catechizandi & exorcizandi ad quos pertineat. 847.A.B
Benedictio aquæ baptismalis antiqua est Cæremonia. 847.B

Baptismi Minister.

Baptismi Ministri ex officio quinam. 776.B
Baptismi etiam solennis ministri ex commissione quinam. 777.A
Baptismi ministri extraordinarij solum in necessitate quinam. 777.A
Quis ordo inter Ministros baptismi seruandus & quam strictè. 777.C
Laicus baptizans extra necessitatem quomodo irregularitatem incurrat, vt peccet, & an validè baptizet. 778.A.*& seq.* 779.A
Qui peccato mortali obstrictus baptizat in necessitate non solenniter siue laicus siue sacerdos an peccet mortaliter. 720.B.C
Baptismus verus potest à pluribus eodem tempore eidem conferri. 779.B
Duo Ministri simul materiam & formam baptismi eidem adhibetes verè baptizant, & vnum numero Sacramentum conficiunt. 779.C
Quid si vnus Minister altero citius verba formæ absolueret. 780.B
Quid si ex Ministris vnus formam, alter materiam baptismi adhiberet. 780.C
Ministri baptismi simul adhibentes materiam & formam baptismi dicendo: Nos te baptizamus, &c. an validè baptizarent. 780.D.*& seq.*
An sic baptizatus esset sub conditione rebaptizandus. 783.A
Parens baptizans filium an & quando cognationem spiritualem contraheret. 785.A. *Vide Cognatio.*

Baptizati Patrinus.

Patrini in baptismo officium quod, & an is sit necessario adhibendus. 783.B.C
Patrini cum quibus spiritualem cognationem contrahant. 783.D
Patrini quot in baptismo esse debeant & quinam. 784.A
Patrini esse non debent religiosi, infideles, hæretici, & parentes proprij. 784.A.B
Parētes baptizati si patrinos agant, quomodo peccēt, & quando cognationem spiritualem contrahāt. 785.A.B

Baptismum suscipiens.

Omnes homines in hac vita baptizari posse. 784.C
Rectè baptizari infantes. 786.D. *Probatur ex Scriptura.* 787.D. *ex figuris baptismi.* 788.B. *ex Ecclesiæ vsu.* 788.C. *ex traditione.* 788.C.D
Quinam hæretici contrarium senserint. 786.D. *& seq.* 804.D
Hæreticorum repugnantium fundamenta refelluntur. 788.D.804.D
Impotes mētis & dormientes posse suscipere baptismum. 789.A. *requiri tamen eorum voluntatem aliquo modo.* 793.C
Ex parte corporis baptizandi quid requiratur. 789.B. *Vide etiam baptismi materia.*
An & quando plures simul baptizari possint. 789.C
In adultis baptizandis requiritur voluntas & intentio suscipiendi baptismum. 789.C.D
Paruuli validè baptizantur etiam citra & contra voluntatem parentum aut tutorum. 789.D.798.C
In paruulis vt baptizentur requiritur voluntas Christi & Ecclesiæ. 790.B
Baptismus an & quare debeat voluntariè suscipi. 790.D
Opiniones hac de re erroneæ quorunda reiiciuntur. 791.A
Baptizari non potest qui nec vult, neque non vult baptizari. 791.B
Alia voluntas in paruulis alia in adultis ad suscipiendum baptismum cur requiratur. 792.C.D
Qui sciens & prudens permittit se baptizari, etiam absq; interiore consensu elicito validè baptizatur. 793.B
Quare baptizari dormiens posit, si præsserit consensus, & non baptizare. 793.B.*& seq.*
Ad baptismum cogi non possunt adulti. 794.C
Baptizari filij infidelium an licitè possint sine consensu parentum aut Tutorum. 794.D.796.D
Præsertim si relinquantur sub cura ipsorum. 795.B
Baptizari possunt paruuli iustè à cura parentum infidelium sine periculo reditus abstracti parentibus etiam inuitis. 795.B.C
Baptizari possunt & debent paruuli in præsenti periculo mortis etiam inuitis parentibus, &c. 795.C
Baptizari possunt paruuli modò alter parens consentiat. 795.D
Paruuli infidelium mancipiorum possunt inuitis parentibus ab eorum cura abstracti, & cum debita cautela baptizari. 796.A
Paruuli infidelium, contra quos Christianis ius belli iusti suppetit, vi à parentibus abstrahi & baptizari possunt. 796.C.D
Baptizari paruuli infidelium extra dictos casus non possunt. 796.D
Contrariæ sententiæ argumenta soluuntur. 797.C.*& seq.*
Fides recta in adultis & paruulis vt ritè baptizentur qualis requiratur. 798.C.D.*& seq.*
Lutherani in paruulis vt baptizentur requirunt stolidè proprium fidei motum. 799.*& seq.*

Funda-

Fundamenta Sectariorum refelluntur. 801.C
Fides aliena in paruulis requiritur vt dispositio. 793.A. 804.C
Adultis necessariam esse pœnitentiam vt sine peccato baptizentur. 804.D.*& seq.*
Probatur ex Scriptura. 805.A. *ex SS. Patribus.* 805.C. *ex Conciliis.* 805.D
Ratione. 806.A
Validè tamen baptizantur sine pœnitentia, & quid, si cum venialibus peccatis baptizentur. 806.B
Pœnitentia adultis necessaria in baptismo non est perfecta contritio vel reipsa vel existimata. 806.C. 807.A. 1611.A
Adultis baptizandis sufficit quæcunque attritio. 806.C. 1616.D. *& seq.*
Eaq; etiam imperfectior quàm in suscipientibus Sacramentum Pœnitentiæ, & quare. 1617.A
Contrariæ sententiæ argumenta soluuntur. 807.C
Probabile est adultum suscepturum ac professurum in baptismo Christianam religionem debere perfectam habere contritionem. 1620.C
An de singulis peccatis dolor ab adulto baptizando concipiendus sit. 808.A
Vel sufficiat dolor de peccatis in genere. 808.B
Pœnitentia adultis necessaria ad baptismum coniunctum debet habere propositum vitandi peccata. 808.C
An Confessio peccatorum vel aliqua opera satisfactoria ab adultis baptizandis exigenda. 808.D
Quo tempore baptismus suscipiendus tum ab adultis tum ab infantibus. 809.A.*& seq.*
Baptismus reipsa susceptus non est semper necessarius ad salutem sed sufficit quandoque baptismus flaminis & in voto. 810.B.*& seq.*
Quale debeat esse id votum baptismi implicitum ne vel explicitum. 811.C. 1496.D
Adulti negligendo occasionem baptismum suscipiendi mortaliter peccant. 812.C.*& seq.*
Parentes vt obligentur ad procurandum baptismum filiis suis. 814.B
Quibus temporibus tum paruuli tum adulti baptizari debeant. 814.B.D.*& seq.*
Apostoli an & à quo baptizati sint. 814.D.*& seq.*
Paruuli sine baptismo reipsa suscepto non nisi in vnico casu possunt salutem consequi. 815.C.*& seq.*
Probatur id ex Scriptura. 816.B.*& seq. ex definitione Ecclesiæ.* 820.B. *ex SS. Patribus.* 820.B
Varij errores aliorum ac in re recensentur. 815.D.*& seq.* 820.C. *refelluntur etiam fundamenta.* 821.B
Error quorundam Catholicorum qui negabant martyrium per se prodesse paruulis, &c. 817.D. *Vide Martyrium.*
Inter Baptismi & Eucharistiæ necessitatem quæ differentia & ratio differentiæ. 819.C
Paruuli qui non possunt baptizari non sunt relicti à Deo absq; salutis remedio per se loquendo. 825.B.C
Baptismus est ianua Sacramētorum sine qua nemo validè vllum Sacramentum suscipit. 881.B
Baptismi susceptio continet implicitum votum Eucharistiæ. 909.D

Baptismi effectus.

Baptismi primus effectus est Character. 820.A. *Vide Sacramentorum effectus.*
Baptismi effectus est gratia. 826.A. *Vide Sacramentorum effectus.*
Gratia per baptismum collata an sit in omnibus æqualis. 826.B.*& seq.*
Paruuli ex deuotione offerentium non accipiunt maiorem gratiam in baptismo. 827.B
Baptismus Christi vt distinguatur à baptismo Ioannis quoad effectum. 828.C. *Vide Ioannes Baptista.*
Baptismo delentur omnia peccata. 834.A
Baptismus liberat ab omni pœna propter peccatum à Deo constituta ipsi personæ. 834.D.*& seq.*
Baptismus à quanam irregularitate liberet. 835.B
Baptismus non tollit omnes pœnalitates. ibid.
Baptismus quomodo debilitet concupiscentiam. 835.D
Baptismus aperit ianuam cœli & incorporat Christo. 835.D.*& seq.*
Baptismus subiicit hominem iurisdictioni Ecclesiastica. 836.A
Baptizati vi cogi possunt etiam inuiti ad religionem Catholicam. 836.B.*& seq.*
Erasmi ea in re error detegitur. 836.B.*& seq.*
Baptismus verè susceptus quoad effectum Characteris & subiectionis Ecclesiæ semper est efficax. 837.B
Baptismus quoad effectum gratiæ & alios cum eo coniunctos non semper est efficax. 837.B.C
Baptismi gratiam quæ fictio impediat. 837.C. *in quo consistat.* 838.A
Baptismus consequitur suum effectum gratiæ recedente per pœnitentiam fictione. 838.A
Baptismus directè non tollit peccatum fictionis. 838.C
Peccatum fictionis in baptismo commissum subiiciendum est clauibus Ecclesiæ per confessionem & quomodo. 838.D.*& seq.*
Baptismus vt consequatur effectum suum & fictio recedat, non sufficit attritio sola. 839.B
Baptismus cum reuiuiscit, vt caussa moralis consequitur effectum suum. 839.D.*& seq.*
Baptismus an sit necessarius necessitate medij. 911.A

Baptismi figura.

Vide Circumcisio.

Beatitudo & Beati.

Beatorum corporum dotes quatuor. 2321.A. *& earum origo.* 2322.C
Ex beatitudine animæ redundaturam quandam qualitatem præstantissimam supernaturalem. 2321.*& quæ eius vis & ratio.* 2322.B
Beatorum corporum subtilitas in quo consistat. 2322.C. *& an tangi nihilominus possint.* ibid. *&* 2326.B
Impassibilitatis quænam ratio. 2323.B. *& quomodo nihil obstatura sit immutationi intentionali ob sensationem etiam in cœlo futuram.* 2323.CD.
Agilitas beatorum in quo sita. 2324.A
Beatorum corpora penetrare poterunt alia corpora & an penetratiuè in ipso cœlo empyreo futura. 2324.B.C
Beatorū corpora non erunt ponderosa & grauia. 2325.B
Claritas beatorum corporum in quo consistat & quæ eius

Universidad de Deusto
Biblioteca

causſa. 2325.D. & an pro arbitrio beati eam poſsint occultare. 2326.A
Beatorum corporum dotes vt diſtinguantur. 2326.B. & an in omnibus futuræ æquales. 2326.D
Aureolæ ſiue laureolæ nomine quid ſignificetur & quod eius ſubiectum. 2327.B.C
Aureolæ tres Virginum Martyrum Doctorum. 2327.D. probantur ex Scriptura. 2328.D. & ſeq.
Aureola Doctorum quibus concedenda. 2329.B
An omnes habituri ſint æqualem beatitudinem. 827.B
An & quo modo homines ſuccedant Angelis malis in beatitudine. 828.B
Poteſt Deus hominem etiam impœnitentem per potentiam ſuam abſolutam afficere dono beatitudinis. 1537.B. 2227.B
Animabus beatis quomodo proſint ſuffragia viuorum. 2224.C. Vide Animarum receptacula. Animæ defunctorum, Cœlum.

Bertramus.

Bertramus quid ſenſerit de præſentia Chriſti in Euchariſtia. 936.A.B

Berengarius.

Berengarius negauit præſentiam Chriſti in Euchariſtia. 936.C
Berengarius conuictus ſæpius reuocauit hæreſin, ſed relapſus eſt & tandem ſerio reſipiſcens piè mortuus. 937.A. & ſeq.

Beza. Vide Caluinus & Sacramentarij.

Beza docuit Patres veteris Teſtamenti non minùs participes fuiſſe corporis & ſanguinis Chriſti, quàm nos ſumus in cœna Dominica. 999.C
Beza cùm præſentiam Chriſti ſuis ratiunculis oppugnat, paganiſmi periculo ſe obiicit. 1043.B

Bigamia.

Bigamia triplex & quomodo inducat irregularitatem. 1830. Vide Irregularitatis ſpecies.
Bigamia an ſit licita. 2172.D
Qui ſecundas nuptias contrahunt nõ benedicendi. 2174.B. imò olim etiam aliqua pœnitentia illis iniungebatur ob quandam intemperantiam. 2174
Secundas etiam nuptias priore vxore mortua initas eſſe verè Sacramentum. 2174. Vide Matrimonij vſus.

Bonum.

An & quo modo ſit de ratione boni communicare ſeipſum. 39.B.C

Brentius.

Brentius Sacramenta vocat egena elementa. 652.B

Bucerus.

Bucerus cum aliis quibuſdam negat in Euchariſtia formam verborum neceſſariam eſſe. 1148.C
Bucerus quomodo ſenſerit matrimonium poſſe diſſolui. 2076.B. Argumenta eius ſoluuntur. 2084.D

Cæremoniæ.

Cæremoniæ veteris legis quænam proprièfuerint Sacramenta. 627.B. & ſeq. 655.A. Vide Sacramentum.
Cæremoniæ in Sacramentorum adminiſtratione rectè & vtiliter adhibentur. 647.A. & ſeq.
Cæremoniæ præſcriptæ ex præcepto Eccleſiæ debent adhiberi. 648.A
Hæretici nouatores contrarium ſentientes refutantur. 648.B. 1334.C. & ſeq.
Cæremonias pleraſque ſacrificij Miſſæ fuiſſe ab Apoſtolis inſtitutas. 1400.A
Cæremoniæ ordinationis. Vide Ordinationis Cæremoniæ.
Cæremoniæ Matrimonij explicantur. 2075.B.C

Caluinus & Caluiniſtæ.

Caluinus videtur ſuffragatus Neſtorio. 112.B
Caluinus malè tribuit Chriſto vt homini ignorantiam priuatiuam. 342.A. & ſeq.
Caluinus videtur inſimulare Chriſtum alicuius culpæ. 345.B
Caluinus impudenter negat Chriſtum eſſe meritum iudiciariam poteſtatem. 448.A
Caluiniſtæ reiiciunt omnem religioſum cultum imaginum. 461.C
Caluinus ſentit impiè B. Virginem quandoque actualiter peccaſſe. 518.B
Caluiniſtæ ſuam B. Virgini Virginitatem detrahunt. 531.C
Caluinus & eius quidam diſcipuli quid de Chriſti ad inferos deſcenſu ſentiant. 575.B. & ſeq.
Caluinus negat Chriſtum clauſo ſepulchro reſurrexiſſe & ianuis clauſis ad diſcipulos penetraſſe. 597.A. 598.B. 1033.C
Caluiniſtæ non plus tribuunt Sacramentis nouæ legis in concilianda gratia quàm Sacramentis antiquæ legis. 676.C
Caluinus quàm peruersè Sacramentum definiat. 630.D
Caluinus non poteſt ferre vocem vllam Catholicorum Doctorum: Ex opere operato. 668.D
Caluiniſtæ cum aliis Sectariis quot ponant Sacramenta. 725.D. 730.C
Caluiniſtæ citra Eccleſiæ authoritatem non poſſunt ſufficienter probare numerum ſuorum Sacramentorum. 727.D
Caluinus negat Baptiſmum paruulis neceſſarium ad ſalutem. 815.D
Caluinus confundit baptiſmum Chriſti cum baptiſmo Ioannis. 828.C. Confutatur. 830.B
Caluini & aliorum confundentium Baptiſmum Ioannis cum Baptiſmo Chriſti argumenta ſoluuntur. 832.D
Caluiniſtæ non agnoſcunt Sacramentum Confirmationis. 835.B
Caluiniſtarum error in aſsignanda ratione Euchariſtiæ Sacramenti. 893.C. & ſeq.
Refellitur. 895.B. 899.A
Caluinus fatetur repugnare errori ſuo de Euchariſtiæ Sacramento veteris Eccleſiæ exemplum. 897.A
Caluiniſtæ quibus inuolucris tegant ſuum errorem de præſentia Chriſti in Euchariſtia. 928.A. 968.B
Caluiniſtarum error de præſentia Chriſti Euchariſtiæ detegitur. 930.A. & ſeq.
Refellitur. 931.D. & ſeq. 978.C. & ſeq. Vide Sacramentarij.
Caluiniſtæ ſequuntur hac in re infidelitatem Iudæ & alios veteres hereticos. 932.B

Caluini-

Caluiniſtarum hic error ex propria eorum doctrina refellitur. 966.C
Caluiniſtæ Sacramentarij diſſentiunt à Sacramentariis antiquioribus. 979.C
Caluiniſtæ dicunt Chriſtum in Euchariſtia ſecundùm ſe etiam nobis communicari. 980.B
Caluinus falsariè citat ſacram Scripturam. 1012.D
Caluiniſtæ negantes tranſubſtantiationẽ. Vide Paniſtæ.
Caluiniſtæ errant in forma Euchariſtiæ. 1157.A. & ſeq. Vide Sacramentarij.
Caluinus contendit præcipuam effectum Euchariſtiæ eſſe remiſsionem peccati mortalis, & refellitur. 1191.B. & ſeq.
Caluini obiectiones contra communionem ſub vna ſpecie refutantur. 1240.C
Caluinus inepte impugnat veritatem ſacrificij Miſſæ. 1312.D. & ſeq.
Caluinus negat pœnitentiæ Sacramentum eſſe diſtinctum à baptiſmo. 1487.D
Caluinus quaſnam partes pœnitentiæ & quàm falsò aſsignet. 1579.D. 1582.B
Caluiniſtæ negant in Confeſsione omnia peccata mortalia ſpeciatim recenſenda. 1636.A
Caluinus mentitus eſt inauditum fuiſſe ante D. Gregorium quod matrimonium ſit Sacramentum. 2065.A. Vide etiam Sectary, Sacramentarij, Paniſtæ.

Cardinales.

Cardinalium officium, gradus & dignitas in Eccleſia. 1941.D

Caſtitas.

Vide Cœlibatus.

Catechiſmus.

Vide Baptiſmi Cæremoniæ.

Cataphrygæ.

Cataphrygarũ error circa materiam Euchariſtiæ. 913.B
Cataphrygæ ordinabant etiam mulieres. 1984.C
Error Cataphrygarum baptizantium mortuos. 786.C
Cataphrygæ ſecundas nuptias damnabant. 2172.D

Cathari.

Catharorum hæreſis de præſentia Chriſti in Euchariſtia. 1339.D. & ſeq.
Cathari reiecerunt Sacramentum pœnitentiæ. 1492.B
Cathari ſecundas nuptias damnarunt. 2172.D

Cauſſæ.

Non videtur repugnare vt vnus effectus à duabus cauſsis etiam eiuſdem ordinis & generis totaliter dependeat. 192.D. & ſeq.
Nulla res ſeipſam poteſt producere etiam in duobus locis poſita. 320.C
Cauſſa propriè effectiua quid ſit. 321.C.D
Quomodo cauſſa propriè effectiua differat à conditionibus ſine quibus non. 322.A. Quomodo à cauſsis moralibus. 322.B. 331.B.C. Quomodo item differat à cauſſa finali & principio emanationis. 322.C.D
Quomodo cauſſa effectiua differat à cauſſa materiali & formali. 323.C
Cauſſa efficiens rectè diuiditur in principalem & inſtrumentalem. 323.C
Cauſſa efficiens principalis quid ſit. 323.C
Cauſſa efficiens inſtrumentalis quid. 323.C. Quotuplex. 323.D
Cauſſa efficiens inſtrumentalis neceſſariò aliquid diſpoſitiuè cooperari debet ad effectum principalem producendum. 327.B
An per abſolutam Dei potentiam aliqua res poſsit eſſe vera cauſſa effectiua principalis alicuius effectus, qui ſit ſupra ipſius naturam. 328.D
Cauſſa inſtrumentalis phyſica & effectus non neceſſariò coëxiſtunt. 329.A
In cauſſa Inſtrumentali duplex eſt virtus inſtrumentalis. 330.A
Quæ dicatur virtus intentionalis ſeu ſpiritualis inſtrumenti. 330.C
Inſtrumentum an aliquid per virtutem propriam agat. 716.A.B
A duabus cauſsis inſtrumentalibus vnus numero effectus prodire poteſt totaliter. 780.A

Cenſura Eccleſiaſtica.

Cenſuræ Eccleſiaſticæ ſunt tantum tres. 1787.B. Vide Excommunicatio, Suſpenſio, Interdictum.

Cerdon.

Cerdon negauit Chriſtum eſſe verum hominem. 95.C
Refellitur eius hæreſis ibidem.

Ceſſatio à diuinis.

Ceſſatio à diuinis eſt impedimẽtum Canonicum & quænam eius propria ratio, qua etiam ab interdicto differat. 1827.B
Ceſſationem à diuinis violans non incurrit irregularitatem. 1844.C

Charitas.

Quomodo ex charitate teneatur aliquis impedire peccatum mali miniſtri in Sacramenti adminiſtratione committendum. 721.C. & ſeq.
Cur ex charitate debeat aliquis ſeipſum vel etiam proximum quamprimum liberare à morbo corporis letali ſi poteſt, at non item ſeipſum à morte ſpirituali animæ per contritionem. 1607.C.D
Dilectio Dei neceſsaria eſt ex præcepto eo tẽpore quo neceſsaria eſt cõtritio cũ illa ſit huius principiũ. 1610.D
Ex charitate erga ſeipſum teneri aliquem ad contritionem eliciendam in articulo mortis etiam de eo peccato, quod ſemel per veram contritionem deletum eſt. 1622.D. & ſeq.
An ſine formali pœnitentia per ſolum actum charitatis remitti poſsint peccata mortalia. 1530.A
Nemo ſcire poteſt ſe diligere Deum ſuper omnia. 1587.B

Cerinthus.

Negauit Chriſtum eſſe verũ Deum, & refutatur. 94.A.B
Docuit Ieſum Chriſtum non vnam ſed duas eſſe perſonas. 111.C
Cerinthiani aſſeruerunt Chriſtum ordinario modo generatum fuiſſe corrupta matris Virginitate. 531.B

Character.

Vide Sacramentorum effectus.

Chriſma.

Chriſmatis vſus in Sacerdotum conſecratione licitus & bonus. 1335.B. Vide Confirmatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christus.

Quoad substantiam & operum dignitatem.

Christi nomine in Ecclesia Catholica quid propriè intelligatur. 6.A
Christus est verus Deus & homo. 14.A.B. 94.A. *& seq.* 99. *& seq.*
Hæreses contrariæ refelluntur. 94.A. *& seq.* 97.B
Persona Christi an simpliciter aliquid creatum vel increatum dici debeat. 27.D
Christũ esse filium Dei probatur ex miraculis ab eo perpetratis. 31.B.C. *ex integritate vitæ & doctrinæ eius.* 32.B. *ex calamitatibus Iudæorum qui interemerunt Christum.* 32.C
Satisfactionem & merita Christi fuisse secundùm iustitiæ rigorem ex se æquiualentia imò abundãtia. 52.D. *& seq.* 57.D
Probatur ex Scripturis. 54.B. *ex authoritate sedis Apostolicæ.* 55.B. *ex SS. Patribus.* 56.A. *ratione.* 57.D
Sententiæ & argumenta contraria refelluntur. 58.D
Satisfactio & minima quæuis operatio Christi quomodo infinitam quandam dignitatem habuerit. 58.A
An quicquid Christus gessit, debuerit Deo ex gratitudine. 59.D
Satisfactio & passio Christi moraliter maior est quàm omnes pœnæ damnatorum 61.C.D
Debuit Deus absolutè Christi satisfactionem acceptare. 63.D. *& seq.*
Refellitur contraria sententia. 64.C
Inter Christum vt Deum, & Christum vt hominem iustitia esse potest. 66.C
Christus satisfecit pro peccatis tam actualibus quàm originali. 67.C. *neg3 cõtrarium sensit D. Thomas.* 67.D
Peccato non existente Christus non erat venturus. 71.D. *& seq.*
Quomodo prædestinatio Christi prior sit præuisione peccati & vicissim posterior. 87.B. *& seq.*
Quomodo item prior sit prædestinatio Christi prædestinatione Adæ. 89.D
Duæ in Christo naturæ per vnionem non sunt confusæ nec fuerunt in Christo ante vnionem. 99.B. *& seq.*
Refellitur contrarius error Eutychetis ex Scriptura. 99.B. *& seq. ex Conciliis.* 100.C. *ex SS. Patribus.* 101. *Ratione.* 104
Christi diuina natura non est crucifixa, vt insaniuit Eutyches. 105.D
Christus verè habuit animam rationalem. 107.C. *eamq3 tanquam formam corpori vnitam.* 108.C
Contrarij errores Arianorum, Apollinaris & quorundam Catholicorum refelluntur. 107.C. 108.C
Christi anima non est prius tempore assumpta à Verbo quam corpus. 109.A
Christus vnica tantùm est persona non duæ, vt impiè sensit Nestorius. 109.B. *& ante Nestorium Cerinthus.* 111.C. *qualis fuit etiam error Beligarum seu Veligarum.* 111.C
Probatur sentẽtia Catholica ex Scriptura. 113.B. *& seq. ex fidei symbolis.* 115.D. *ex Conciliis.* 116.A. *& ex SS. Patribus.* 116.B
Soluuntur argumenta contraria pro hæresi Nestorianorum. 118.C. *& seq.*
Malè quidam dixerunt in Christo duas esse hypostases sed vnam personam. 120.C
Cur SS. Patres interdũ humanitati Christi ea tribuant quæ sunt diuinitatis. 151.B
Orthodoxa sententia in Christo secundùm humanitatem mediam quandam Maiestatem agnoscit inter aliam quamcunque creatam & diuinam. 158.A. *& sequent.*
Christi personam compositam esse probatur ex Conciliis & SS. Patribus. 161.B.C. *ratione.* 162.A. *soluuntur obiectiones.* 162.C
Christus nullo modo meritus est vnionem humanæ suæ naturæ cum persona Verbi. 177.A
Christus quoad entitatem suam est vnus & vnum non duo. 363.A. *& seq.*
Christus etiam quoad existentiam suam est vnum. 365.A. *& seq.*
In Christo præter existentiam totalem Verbi est etiam existentia creata partialis & incompleta ipsius humanitatis. 365.D
Humanitas Christi an & quo modo habuerit existentiam creatam. 223.B.C. 365.D
Humanitas Christi an & quo modo possit per potentiam Dei esse vbique. 243.B
Humanitatem Christi de facto nullo modo esse vbique demonstratur contra Vbiquistas. 244.C. *& sequent.*
Vide Vbiquistæ. Incarnatio. Verbum diuinum Christi voluntas.

Christi gratia & virtutes.

Gratia Christi vt hominis gratum faciens duplex est. 263.C. *& seq.*
Per gratiam vnionis fuisse Christum secundùm humanitatem Deo gratum. 264.C
Gratiæ habitualis nomine quæ sit in Christo, quid intelligatur. 265.B
Christum secundùm humanitatem etiam fuisse supernaturaliter dilectum & gratum Deo, & iustum & sanctum de fide est. 266.A
Christum fuisse gratum Deo per qualitatem inhærentem non est sine controuersia ex fide certũ. 266.A.B
Ex fide tamen certum est eum fuisse gratum modo proprio iustorum. 267.C.D
Temerarium est negare Christum habuisse gratiam habitualem. 269.A. *& an sit de fide.* 269.B
In momento incarnationis communicatam esse Christo gratiam habitualem. 269.C
Gratia vnionis non præcesserit nisi quodam naturæ ordine gratiam habitualem in Christo. 269.C
Imò ratione quadam posterior est. 270.A. *quamuis absolutè dicenda sit prior.* 270.C. *Non tamen propriè est natura prior.* 270.D
Gratia Christi habitualis secũdùm essentiam suam eiusdem speciei est cum aliorum gratia. 271.C
Secundum modum autem potest dici diuersæ speciei. 272.A
Gratia Christi habitualis secundùm legem ordinariam Dei fuit summa possibilis. 273.A
Obiectio soluitur. 274.D
Gratia Christi habitualis non fuit summa possibilis spectando pœnitentiam Dei absolutam & naturam ipsius gratiæ. 275.B
Argumentum contrarium Scoti soluitur. 275.D. *& seq.*
Fuit in Christo plenitudo gratiæ. 276.C. *eaq3 peculiaris.* 277.A
Quomodo gratia Christi dici possit infinita, quo modo non. 277.B. *& seq.*
Argumentum contrarium soluitur. 278.C
Ad intensionem gratiæ Christi, nemo peruenire potest, & tamen omnes perpetuò in gratia crescere possunt. 278.D. *& seq.*
Vtrum gratia Christi potuerit augeri. 279.C
Virtutes in Christo quænam fuerint. 280.B. *& quantæ intensionis.* 283.D
Fidei & pœnitentiæ virtutes non fuerunt in Christo. 280.C. *neq3 spes.* 281.A
Argumenta contraria soluuntur. 281.A
Quam certum sit Christum habuisse virtutem Charitatis Theologicam. 282.A
Christus habuit actum spei respectu gloriæ corporis, sed non per habitum aliquem elicitum. 282.C.D
An talis actus fuerit propriè spes. 283.A. *an fuerit actus Theologicus.* 283.C
Dona Spiritus sancti cumulatissimè fuerunt in Christo. 284.A
Timor Domini fuit in Christo. 284.D. *an propriè dictus timor, vel qualisnam actus in Christo ex eo dono profectus sit.* 285.A. *& seq.*
Conciliantur duæ opiniones ea de re. 285.D
Gratiæ gratis datæ omnes excepta fide fuerunt in Christo. 286.C.D
Quomodo habuerit gratiam sermonum. 287.A. *& sequent.*
An & quo modo Christus sit, & dicatur caput Ecclesiæ. 287.A. *& seq.*
Per quam gratiam sit caput Ecclesiæ. 289.B. *& quibus actionibus hoc officium obierit.* 289.C
An & quomodo Christus sit caput omnium hominum. 289.D. *an etiam quoad corpora illorum.* 290.B
Certum est Christum vt hominem esse caput angelorum aliquo modo. 290.D. *& seq.*
Neque tamen ita vt per Christi passionem redempti sint à peccatis. 292.A
Christus etiam est caput Angelorum secundùm influxum gratiæ. 292.D. *& seq.* 389.B
An Christus vt homo sit etiam caput omnium aliarum creaturarum. 293.D
An Christus sit membrum Ecclesiæ. 294.A
An & quomodo proprium sit Christi esse caput Ecclesiæ. 294.C. *& seq.*

Christi scientia.

Scientia creata fuit in Christo. 295.B. *& sequentib. eaq3 triplex.* 297.D. *Beata, etiam ab instanti conceptionis.* 298.A. 299.A. *Per se infusa.* 299.C. *acquisita.* 300.A. *& seq.*
Quomodo scientia Christi beatifica non impedierit acerbitatem passionis Christi. 298.C
Christus simul comprehensor & viator fuit. 299.B
Christus habuit scientiam acquisitam à se naturali & ordinario modo. 300.B. *& seq.*
Scientia Christi beata fuit habitualis. 305.A. *sed diuerso modo quam vel acquisita, vel infusa.* 305.B. *& sequent.*
Scientia Christi beata fuit omnium perfectissima. 306.B. *sed per potẽtiam Dei absolutam potuit fieri perfectior.* 308.A. 313.A
Cognouit per eam Christus omnia quæcunque Deus cognouit scientia Visionis. 306.C
Per eandem cognouit distinctè omnia quæcunq3 sunt in potentia naturali creaturæ. 307.A
Non tamen comprehendit essentiam diuinam. 307.B. *Neque cognouit omnia quæ sunt in potentia Dei.* 307.D
Contraria sententia Augustini de Roma est damnata. 307.C
Cognouit Christus etiam diem extremi iudicij. 308.C. *& seq.*
Quomodo id negare visus sit Christus. 308.D. *& sequent.*
Quomodo Christus cognoscat infinita entia actu. 311.A. *& seq.*
Christi scientia infusa habitualis pluribus habitibus cõtinetur. 313.B.C
Habitus isti scientiæ Christi infusæ non videntur distingui à speciebus intelligibilibus. 313.
Christus per scientiam infusam euidenter cognouit omnia etiam supernaturalia & singularia contingentia, excepta vnica diuinæ essentiæ cognitione quidditatiua. 315.A
Argumenta contraria soluuntur. 315.D. *& seq.*
Christi scientia infusa non fuit naturâ sua collatiua. 315.A. *neq3 ad eius vsum opus fuit conuersione ad phantasmata.* ibid.
An & quatenus infusa Christi sententia fuerit præstantior scientia infusa Angelorum. 315.B
Christus an per scientiam infusam potuerit habere cognitionem quidditatiuam essentiæ diuinæ saltem abstractiuam. 317.A
Christus nihil ab hominibus vel Angelis didicit, & tamen in dies profecit in scientia acquisita. 317.B
Christus quomodo audierit homines differentes, & quomodo ab Angelo confortatus dicatur. 317.C. *& sequent.*

Christi potentia.

Per Christi potentiam quid intelligatur. 319.A
Potentia Christo conueniens secundùm humanitatem, nec est nec esse potest Omnipotentia. 319.B
Christus nõ concurrit ad effectus supernaturales, vt causa propriè effectiua principalis. 324.A
Christus ad effectus supernaturales concurrit non modò vt causa moralis, vel conditio sine qua non, sed etiam vt causa propriè effectiua instrumentalis supernaturalis. 324.B. *& seq.*
Christus in Sacramentis habet potestatem excellentiæ & quomodo. 703.A
Argumenta contraria diluuntur. 336.A. *& sequentibus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo differat hæc Christi potentia operandi mirabiliter à gratia gratis data miraculorum eiusdem Christi. 325.C.D
Opera humana Christi, quomodo etiã à diuinitate processerint. 326.B
Quomodo Christus vt causa instrumentalis aliquid dispositiuè operatus sit ad effectus supernaturales etiam loco distantes. 328.A
Quomodo Christus potuerit esse causa instrumentalis Physica effectus etiam tempore distantis. 329.A
Quæ fuerit virtus instrumentalis Christi, quatenus instrumentum operum mirabilium fuit. 330.A.B
Humanitas Christi vt causa instrumentalis concurrere potuit ad omnes omnino effectus mirabiles in creaturis producendis. 332.A.B. *excepta creatione & annihilatione.* 332.B.C
Christus an in proprio saltem corpore potuerit virtute propria humanitatis suæ, & non tantùm sicut instrumentum mirabiliter operari. 333.A.B
An, & quo modo Christus potuerit facere ea omnia quæ voluit. 333.D.*& seq.*

Christi corporis defectus & perfectio.

De fide est Christum subiectum fuisse aliquibus defectibus corporis, idq; ex necessitate naturæ corporis ex se passibilis. 335.A.*& seq.*
Christi corpus quomodo fuerit assimilatum nostro corpori. 1041.B.C
Quomodo subiectus fuerit Christus defectibus aliquibus corporis necessitate coactionis. 336.A
Non dicendum est Christum contraxisse defectus corporis. 336.B
Christus non incurrit omnes defectus corporis, sed solùm naturales, & vt vocant indetrectabiles. 337.A.*& seq.*
Christus non fuit subiectus morbis. 337.B. *moriturus tamen aliquando fuisset ob senium.* 337.D
Christus aliquos defectus corporis deposuit etiam ante resurrectionem. 338.A
Circumscriptionem & definitionem in loco, an & quatenus retinuerit Christus. 338.B.1050.B
Qualis fuerit forma Christi corporis, an pulcherrima. 338.C.*& seq.*

Christi animæ conditio.

Christus quoad animam non habuit vllam ignorantiam prauæ dispositionis. 341.B
Christus habuit aliquam vescientiam puræ negationis. 341.B
Christus vt homo nullam vnquam habuit ignorantiam priuatiuam. 342.A.*& seq.*
Contraria sententia hæreticorum refellitur. 342.B.*& seq.*
Ad hæreticorum argumenta respondetur. 344.A.*& sequent.*
Christus neq; peccauit vnquam, neq; de lege ordinaria peccare potuit. 345.C.*& seq.*
Ad hæreticorum contraria argumenta respondetur. 347.A.*& seq.*
Christo impossibile fuit peccare etiam spectando absolutam Dei potentiam. 347.C.*& seq.*
Argumẽta contraria quorundam Theologorum soluuntur. 349.D
In Christo non fuit fomes peccati. 350.*& seq.*
Christus excellentiore quodam modo fuit liber à peccato originali, quam B. Virgo. 483.C
Christus verè etiam passiones appetitus sensitiui habuit. 351.B. *sed ordinatissimos, & longè alterius modi quã nos habeamus.* 352.B

Christus vt enunciationibus subiicitur.

Quomodo loquendum sit de Christo Deo & homine. 354.A.*& seq. Vide Verbum Incarnatio.*
An & quomodo vera sit propositio hæc in Christo Deus est homo. 355.B.*& seq.*
Quomodo item veræ sint hæ: Homo est Deus, Christus est homo, Deus, &c. 356.B
Persona Christi rectè dicitur persona humana. 356.D
Christum esse creaturam non est absolutè dicendum. 358.A
Hæ propositiones: Christus est subiectus. Christus est minor Patre, non sunt absolutè efferendæ. 358.C. 391.C
Cauendum à propositione hac: Christus incepit esse. 359.A
An sit admittenda hæc propositio, Christus est homo Dominicus. 359.D
Non rectè dicitur Christi persona, aut Verbum diuinum est humanitas, &c. 360.B
Rectè dicitur: Christus est infinita sapientia. 360.C
Malè dicitur: Christus secundũ quod homo est Deus. 360.D
Quatenus admitti possit hæc propositio: Christus secundum quod homo est persona. 360.
Quo sensu dicatur: Deus factus est homo. Et: Homo factus est Deus. 361.B.*& seq. Vide etiam Christi prædestinatio, & Incarnatio.*

Christi voluntas, merita & potentiæ animæ.

In Christo fuit duplex voluntas diuina, & humana. 367.A.*& seq.*
Contrarius error Monothelitarum refellitur. 367.C
In Christo fuit etiam intellectus creatus. 368.B
Christus habuit etiam alias potentias sensitiuas & liberum arbitrium. 369.A
Voluntas humana Christi nunquam fuit propriè contraria diuinæ eius voluntati. 369.D.*& seq.*
Voluntas humana Christi etiam deliberata & absoluta materialiter saltem discrepauit aliquando à voluntate diuina. 370.C.*& seq.*
In Christo præter operationem diuinam fuerunt etiam operationes creatæ. 373.A.*& seq.*
Contraria hæresis Monothelitarum refellitur. 373.B
In Christo fuit triplex operationum genus. 374.A
Christum meruisse per omnes operationes suas liberè exercitas certum est. 376.A.B

Christus quomodo mereri potuerit per actiones charitatis. 376.C.*& seq.*
Christus quomodo mereri potuerit per actus obedientiæ. 377.C
Quomodo actus charitatis & obedientiæ fuerint liberi in Christo. 376.C.*& seq.*
Christus sibi neq; gratiam vnionis, neq; gratiam habitualem, neq; beatitudinem animæ, sed tantùm gloriam corporis & exaltationem nominis sui meritus est. 380.A.*& seq.*
Christus non tantùm gratiam & gloriam, sed etiam sufficientes dispositiones ad gratiam & necessaria auxilia ad eiusmodi dispositiones nobis meruit. 383.A.B
Contraria sententia quorundam Doctorum refutatur. 383.C. *eius q; argumenta soluuntur.*
Christus etiam meruit hominibus prædestinationem. 386.D
Christus omnia necessaria gratiæ dona, & ipsam etiam prædestinationem omnibus hominibus meruit. 387.C
An Christus etiam meruerit gratiam datam Adæ ante peccatum. 387.*& seq.*
Christus meruit specialissima gratiæ dona, quibus aliqui sunt iustificati. 387.D.*& seq. Vide etiam Christus, quoad substantiam.*

Christi subiectio erga patrem.

Christus secundum humanam naturam subiectus est æterno suo patri, & etiam sibi ipsi, vt Deo ex triplici capite. 389.C.*& seq.*
Christus neq; sibi neq; æterno patri, secundum suppositum suum subiectus est. 391.A.*& seq.*
Contraria hæresis Arianorum & Nestorianorum refutatur. 391.B
An & quomodo Christus verè sit & dici possit seruus Dei. 391.D.*& seq.*

Christi oratio.

Christus verè & propriè orauit in hac vita. 393.A
Oratio in Christo nõ fuit actus sensualitatis sed rationis. 394.A
Christo oratio non fuit æquè necessaria, atque est nobis. 394.B
Christus supposita ordinatione diuina necessariò orauit. 395.A
An & quomodo nunc in cœlis Christus oret pro nobis. 395.B.*& seq.*
A Christo nõ absolutè & ordinariè petendum est, vt oret pro nobis. 396.B
Oratio Christi quæ non semper impleta. 397.
Oratio Christi inefficax nihilominus tamen rationabilis fuit. 397.B
Oratio Christi quænam semper impleta. 398.A

Christus Redemptor.

Officium Christi redemptoris in quo consistat, & quo modo Christus liberauerit genus humanum a seruitute Diaboli. 399.A.*& seq.*
Redemptio hominum à seruitute Diaboli duobus gradibus continetur. 404.A.*& seq.* 1412.C
Christus quomodo vtrumq; gradum opere redemptionis obtinuerit nobis. 404.B.*& seq.*
Quomodo Christi passio, quoad sufficientiam operata sit peccatorum omnium remissionem, non quoad applicationem seu efficaciam. 406.A. 1412.D
Variis nominibus Christi redemptio significatur. 406.C
Quare perfecta redemptione Christi non omnes sint liberati à peccatis. 403.B.*& seq.* 1413.B
Ad Cauillationes hæreticorum respondetur. 407.A.*& sequent.*
Christi redemptio sufficiens est, neque in suo proprio redemptoris officio nos Christum iuuamus. 407.B.*& seq.* 1413.D.
Quomodo non nisi per Christum Deus homini voluerit reconciliari. 408.C
Quibus operationibus Christus functus sit officio Redemptoris. 409.B.*& seq.*
Christi tota vita ad redemptionem nostram valuit. 409.C
Christi morte in cruce redemptionis opus consummatum est. 410.B
Christus redemit nos operationibus aliquo modo liberis. 410.D
Inter has operationes Christi fuerunt etiam actus charitatis & obedientiæ. 376.C.*& seq.* 411.A
Christus redemit nos duplici titulo satisfactionis & meriti. 411.B
Christi meritum & satisfactio citra vllam promissionem Dei Christo liberaliter factam debuit acceptari. 52.D.*& seq.* 412.A
Christi satisfactio extendit se etiam ad illam remissionem pœnæ, quæ sit in indulgentia. 1858.B. *Vide etiam Christus, quoad substantiam, & Christi voluntas.*

Christus medicus, Sacerdos, Propheta.

Christi officium vt medicus animarum est, in quo consistat. 412.B
Christus quibus operationibus hoc officio medici functus sit. 412.C
Christus quomodo ad sanandas animas concurrat. 412.C.D
Christus potuit sine confessione speciali peccatorum præuia pœnitentem absoluere. 1657.A
Quæ sit ratio, vsus, effectus officij Mediatoris Christi. 413.B.*& seq.*
Officio Christi mediatoris non repugnat intercessio sanctorum. 414.B
Christus quomodo sit mediator vnicus. 415.B.*& sequent.*
Christus mediator fuit non modò vt homo tantùm, alio modo vt Deus & homo. 417
Duo contrarij errores refelluntur. 417.D.*& seq.*
An & quomodo Christus iam in cœlis fungatur munere mediatoris. 418.D.*& seq.*
Christus an et quomodo functus sit officio sacerdotis. 419.D.*& seq.*
Christus etiam fuit hostia. 419.D.*& seq.*
CHRISTVS an, & quomodo in cruce functus sit officio sacerdotis seipsum DEO

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deo per mortem offerendo. 420.& seq.
Effectus sacerdotij Christi. 421.B.& seq.
Christi sacerdotium quomodo sit æternũ. 421.C. & præstantius sacerdotio Leuitico. 1362.A
Christus sacerdos est secundùm ordinem Melchisedech. 422.B
Christus neq; genere, neq; electione fuit sacerdos legalis, secundùm ordinem Aaron. 422.D
Christus an & qua ratione fuerit propheta. 424.B
Christus vsus est prophetiæ munere. 425.A
Christi prophetiæ quis effectus & fructus. 425.A

Christus, Rex, Pastor, Legislator, Doctor, Iudex.

Christus vt homo fuit Rex. 425.B
Christus vt homo quatenus fuit rex spiritualiter, auctoritatem habuit, tum circa spiritualia, tum etiam circa quæuis temporalia, aliter tamen, & aliter. 425.D & seq.
Christus non habuit dominium in res omnes per proprietatem. 426.D.& seq.
Christus potuit sibi secundùm humanitatem attribuere dominium rerum omnium per proprietatem. 427.C
Christus secundùm humanitatem non potuit per illud idem commune & vniuersale Dei dominium esse rerum omnium dominus. 428.A
Christus secundum humanitatem potuit rerum omniũ dominium commune habere. 428.C
Christus non habuit politicum, & commune dominium omnium rerum acquisitum aliquo humano & ordinario titulo. 428.D
Christus hæreditario iure, neq; totius mundi, neq; regni Israël temporalis rex fuit. 428.D.& seq.
An Christus secundùm humanitatem dono æterni patris habuerit politicum, & commune dominium rerum omnium. 429.D.& seq.
Duæ contrariæ sententiæ ea de re explicantur. 430.B
Vera & negatiua sententia defenditur & probatur ex Scriptura. 431.D. & seq. *ex SS. Patribus.* 435.A. *ratione.* 436.A
Respondetur ad argumenta contrariæ opinionis ex Scriptura. 437.& seq. *ex Patribus.* 439.D. *ex ratione.* 440
Ratio vsus & effectus regij muneris quinam. 442.C.& sequent.
Christus vt fuerit pastor. 442.D
Christus vt legislator an & quales leges sanxerit. 443.A & seq.
Christus an & cui legi subiectus fuerit. 444.A.& sequentib.
Christus quomodo functus sit officio Doctoris. 445.A. & seq.
Christus quomodo officio iudicis fungatur. 446.A.B
Christus singulos post mortem particulari iudicio iudicat. 446.C
Christus hanc potestatem iudicandi omnes meritus est. 447.A. & sequentibus. *Vide Iudicium extremum.*

Christi prædestinatio.

Christus non potest dici filius Dei adoptiuus. 448.B. & seq.
Christus vt homo diuinitùs prædestinatus est, tum vt esset filius Dei naturalis per vnionem hypostaticam, tum etiam vt obtineret gratiam & beatitudinem. 450.C. & seq.
Absolutè quoq; dici potest Christum esse prædestinatũ, vt esset filius Dei, &c. 452.A
Imò præcisè potest dici: Christus est prædestinatus. 452.B
Humana Christi natura prædestinata est ad gratiam, tum habitualem, tum vnionis. 452.B
Quare vera sit enunciatio hæc, Christus vt homo est prædestinatus filius Dei, & non item hæc: Christus vt homo factus est filius Dei seu Deus. 453.B
Prædestinatio Christi qua ratione fuerit exemplar, & causa prædestinationis aliorum. 453.C.& seq.

Christi adoratio & cultus.

Christus quatenus Deus honore diuino latriæ prosequẽdus est. 455.B
An & quomodo Christo vt homini latriæ cultus deferri debeat. 456.A.& seq.
An possit humanitas Christi à nobis etiam per se honorari hyperdulia. 458.D.& seq.
An & quo modo à Christo peti possit, vt interpellet pro nobis. 460.A

Christi natiuitas.

Christus ex Virgine natus. Vide B. Virgo.
Christus natus in Bethlehem, & quare? 548.C.& seq.
Christus quo tempore natus, & quare? 549.A.B
Christus bis natus ob duas natiuitates. 551.B.& seq.
Christi vtraq; natiuitas aliter conuenit supposito, aliter naturæ. 552.C.& seq.
An plures & quales in Christo relationes filiationis. 552.C.& seq.
Temporalis filiatio Christi est tantum relatio rationis. 553.D.& seq.
Christus tamen realiter dicitur filius Virginis. 556.B
Argumentum contrariæ sententiæ asserentis relationem filiationis temporalis esse realem soluitur. 555.C.D
Christi fratres quinam in Scriptura dicantur. 547.A

Christi passio & mors.

Finis passionis Christi quis. 557.A
Christus quod genus passionis subierit, & quare. 557.B. & seq.
Crucis Christi figuræ quæ. 559.D
Christus crucem cur portauerit. 560.A
Christus cur inter duos latrones crucifixus. 560.B
Christi passionis acerbitas. 561.D
Passionis Christi acerbitatis causæ. 562.C
Visio clara Dei in Christo semper duravit, & an aliquid delectationis in Christi appetitum, aut voluntatem inde redundarit. 563.A
Christo patienti flendo compati laudabile est. 563.C
Christus quo tempore passus, & quàm conuenienter. 564.A

Christus decima quarta luna pascha celebrauit cum discipulis & decima quinta passus est. 564.C
Contraria argumenta pro sententia Græcorum refelluntur. 564.D.& seq.
Euangelistæ quoad tempus passionis Christi à se descriptum vt conueniant. 565.B.& seq.
Christus cur passus Hierosolymis. 566. *Cur extra portã.* 566.C. *Cur in Caluariæ loco.* 567.A
Christi passionis directa causa efficiens Iudas, Iudæi, Pilatus, &c. 567.C
Principes Iudæorum grauissimè omnium in ea re peccarunt. 567.D
Causæ passionis Christi quasi efficiens fuit, tum voluntas ipsius Christi, tum Pater æternus. 568.A.& seq.
Christi passionis & mortis quæ efficacitas. 568.D.& seq.
Christi passio fuit vera causa efficiens instrumentalis supernaturalis salutis nostræ & omnis gratiæ, quæ post eam passionem vnquam hominibus contigerit aut contingat. 570.A
Contrariæ sententiæ argumenta soluuntur. 571.A

Christi sepultura & descensus ad inferos.

Christus verè sepultus est secundùm idem numero corpus. 571.C.& seq.
Christi corpus etiam mortuum mansit vnitum hypostaticè Verbo diuino. 571.C
Christi corpus in sepulchro non fuit corruptum per incinerationem. 572.D.& seq.
An & quo modo Christi corpus in sepulchro fuerit tribus diebus. 573.B.C
Christi sepultura conueniens fuit, quoad suas circumstantias. 573.D.& seq.
Christus verè, propriè, & substantialiter, secundùm animam descendit ad inferos. 576.B. *idq; probatur ex sacra Scriptura.* 576.C. *ex auctoritate Ecclesiæ.* 578.B. *ex SS. Patribus.* 578.D. *ratione.* 581.A. *Confutatione erroneorum aliarum opinionum.* 581.B
Argumenta pro contraria sententia hæreticorum soluuntur. 583.B
Descensum Christi ad inferos non fuisse ipsam eius mortem, vt Brentius & Caluinus senserunt. 581.C
Christus nõ descendit ad inferos, quatenus pertulerit pœnas damnatorũ, vt Schmidelinus blasphemat. 581.D
Christi descensum ad inferos non esse eius descensum ad sepulchrum, vt Buzerus et Beza fingunt. 584.D
Christi descensus ad inferos, non fuit solùm secundùm effectum, vt vult Durandus & Mirandulanus. 586.B
Anima Christi ad inferos vt mota sit. 586.D
Christus an propriè & substantialiter descenderit ad alia loca infernorum præter limbum. 587.B.& seq.
Christus ob quem finem descenderit ad inferna loca iustorum. 589.B
Christus lumine gloriæ donauit in limbo animas sanctorum. 589.B
Christus eduxit animas Sanctorum ex inferno tertio die. 589.D
Animæ Sanctorum ex limbo liberatæ non ascenderunt in cœlum ante Christum. 590.A
Christus nullas animas damnatorum à pœnis gehennæ liberauit. 590.B
Christus in inferno non expertus est pœnas damnatorum. ibid.
Christus descendens ad inferos an liberauerit omnes animas in purgatorio detentas. 590.D.& seq.
An mora illa tridui in inferno fuerit aliqua pœna, seu pœnalitas animæ Christi. 591.D.& seq. 2241.A

Christi Resurrectio.

Christus resurrexit virtute propria non modò diuinitatis, sed etiam virtute suæ animæ & corporis. 593.A
Christus vero, integro, glorioso, & immortali cum corpore, manentibus vulnerum cicatricibus, resurrexit. 594.A
Christus quomodo primus resurrexerit. 595.A
Christus resurrexit circa diluculum Dominicæ. 595.B. & quare. 596.D
Argumenta contraria soluuntur. 595.C.D
Christus resurrexit clauso sepulchro. 597.A. 1033.B
Christi resurrectio est causa efficiens nostræ iustificationis. 597.D
Christum ianuis clausis penetrasse ad discipulos probatur contra Caluinum ex Scriptura. 598.C. *ex SS. Patribus.* 600.A. 1033.D
Obiectiones aduersariorum resutantur. 600.C. & sequent.
Christus quomodo probarit suam resurrectionem. 598.A
Christus an & quomodo quicquid ad integritatem corporis spectat in resurrectione assumpserit. 470.C

Christi ascensio & sessio ad dexteram Patris.

Christus non eatenus ascendit in cœlum quatenus per omnipotentiam diuinam, vt homo replerit omnia loca, vt somniant Vbiquistæ. 603.A.& seq.
Christus vero & reali motu vsq; ad supremam partem summi cœli ascendit. 603.C.& seq.
Probatur id ex Scriptura. 603.C. *ex auctoritate Ecclesiæ.* 604.B. *ex absurdis erroris contrarij.* 604.C
Fundamentum præcipuum Vbiquistarum contra realem motum ascensus Christi refellitur. 605.B
Obiectiones aduersariorum refutantur. 609.D
Quem situm corporis Christus in Cœlis habeat non est inquirendum curiosè. 611.
Christi sessio ad dexteram Patris, non est: habere Christum secũdum humanitatem omnipotentiam patris, vt Vbiquistæ asserunt. 611.D.& seq.
Sessio Christi variis modis rectè explicari potest. 612.A. & seq.
Sessio Christi ad dexteram Patris, quid in communi significet. 612.C. *quid in specie.* 612.D.& seq.
Sessio Christi ad dexteram Patris significare etiam potest duplicem Christi iudiciariam potestatem. 613.B.C
Sessio Christi ad dexteram Patris, quomodo rectè significare possit etiam omnipotentiam diuinam Christo communicatam. 614.B
Obiectiones Vbiquistarum refutantur. 615.A
Dextera Dei quid in Scripturis significet. 615.A
Christus an aliquando cœlum deserat, vel deserturus sit. 1030.B.& seq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christum esse posse, & de facto fuisse in pluribus locis. 1030.A.& seq. Vide Eucharistiæ materia & corpus.
Christum in Eucharistia esse sine circumscriptione. Vide Eucharistiæ materia.
Christum post ascensionem fuisse visum à S. Paulo, & quomodo. 1031.A
Christi corpus quomodo sit definitiuè in loco. 1050.B

Circumcisio.

Circumcisio in veteri lege fuit verum Sacramentum. 627.B.& seq.
An sine circumcisione aut alia cæremonia externa paruuli veteris testamenti, nuda Parentum fide potuerint saluari. 824.A.C. & seq.
Circumcisio rectè fuit à Deo instituta. 840.B
Circumcisio quomodo contulerit gratiam. 840.C.& seq. & an etiam vt causa moralis. 842.B.& seq.

Circumstantia.

Circumstantiæ peccatorum mutantes aut addentes peculiarem speciem necessariò in confessione explicandæ. 1708.D. Vide Confessionis qualitas.
Quid, & circa quid, quomodo vocentur circumstantiæ actus. 1713.D

Clauium potestas.

Claues regni cœlorum, qualemnam potestatem generatim loquendo significent. 1777.C. & quæ earum definitio. 1779.B
Clauium regni cœlorum effectus est remissio culpæ & pœnæ. 1779.C
Claues regni cœlorum diuiduntur in clauem Ordinis, quæ est ipse character sacerdotalis; & clauem Iurisdictionis; item in clauem scientiæ, & clauē potestatis. 1780.A.B
Clauium potestas si secundùm suam totam amplitudinem consideretur, soli D. Petro, & successoribus eius Romanis Pontificibus conuenit. 1780.C. non autem Concilio Prælatorum Ecclesiæ. 1784.A
Clauium potestas si inadæquatè spectetur, aliis etiam Ministris Ecclesiæ competit, eaq; amplissima post D. Petrum immediatè ab ipso Christo concessa Apostolis. 1780.D.& seq. 1782.C. 1783.B
Clauium potestatem non æquè habuerunt olim Sacerdotes legales, atq; iam habent sacerdotes noui testamenti. 1782.D
Clauium potestatem excellentissimè habuit Christus. 1783.B
Clauem iurisdictionis spiritualis nō possunt habere mulieres. 1783.C.& quid Prælatæ Monialium? ibid.
Clauium potestas nō est immediatè, & indifferenter collata toti corpori Ecclesiæ. 1784.A
Clauium potestatem non potest quilibet Ecclesiæ Minister exercere in quemlibet, sed tantùm in sibi subditū. 1784.B
Qua ratione aliquis impediri possit ab vsu potestatis clauium. 1784.C. Vide etiam Confessionis Minister.

Clericorum nomen, tonsura, habitus, priuilegia.

Clericorum nominis notio. 1988.D
Clericorum nomen rectè tributum esse Ministris Ecclesiasticis probatur contra Sectarios. 1989.A.& seq.
Sectariorum contrariæ opiniones soluuntur. 1989.D
Clericorum tonsura ex antiquitate comprobatur. 1990.D.& seq.& quænam illius rationes. 1992.A
Sectariorum obiectiones soluuntur. 1992.B
Clericorum habitus ab iis qui sacris ordinibus initiati sunt, vel habent beneficium Ecclesiasticum sub peccato mortali gestandus est, nisi consuetudo excuset. 1992.D
Clerici an potuerint olim habere domi suæ mulierem & qualem. 2011.C. 2016.A. 2017.B
Clericorum personæ non sunt exemptæ à potestate seculari quoad vim eius directiuam, in legibus ciuilibus, quæ conducunt ad bonum statum Reip. quin imò in his iure diuino tenentur Clerici etiam seculari potestati obedire. 1993.A
Clericos quoad vim coactiuam, itemq; quoad bona & causas controuersas exemptos esse à seculari potestate, non quidem iure diuino sed humano, probatur contra Sectarios, & ex parte contra quosdam Catholicos. 1993.C.& seq. 1995.A
Clerici quomodo iure Ciuili & Canonico sint exempti à seculari potestate in criminalibus. 1994.A
Clerici nō possunt per ipsos magistratus seculares iterum subiici potestati ciuili. 1997.A
Clericos quoad causas merè Ecclesiasticas exemptos esse à potestate seculari. 1997.B
Clerici contra legem cœlibatus vxores ducere præsumentes non contrahunt legitima matrimonia, & grauissimas pœnas incurrunt. 2034.A.B
Clericorum Cœlibatus. Vide Cœlibatus sacrorum Ministrorum.
Clericorum ordines. Vide Ordinis Sacramentum.

Cœlibatus sacrorum Ministrorum.

Lex de Cœlibatu, sicut in Ecclesia Catholica viget ad tria obligat, & quænam. 1998.C
Lex de cœlibatu, siue votum continentiæ iure tantum Ecclesiastico annexum esse sacris ordinibus. 2002.B.& seq.
Contrariæ sententiæ argumenta soluuntur. 2003.A
Cœlibatus legem esse Apostolicam, non nuper excogitatā probatur contra Sectarios, & ex parte contra quosdam Catholicos. 2005.A.B
Obiectiones sectariorum soluuntur. 2007.A.& seq.
Cœlibatus legem esse rectam & vtilem quinā negarint. 2012.D
Cœlibatus legem esse rectissimam & vtilissimam probatur contra sectarios, & quosdam etiam Catholicos. 2013.D.& seq.
Cœlibatus in toto ferè terrarū orbe olim lege constitutus. 2015.B.& seq.
Cœlibatus lex olim à Pontificibus antiquissimis & sanctissimis, & aliis Patribus confirmata. 2018.C.& seq. imò etiam in iure ciuili. 2020.B
Cœlibatus sanctior, & purior est consuetudine coniugali. 2021.B. & longè conuenientior statui Clericorum. 2020.B.& seq.

Sectariorum argumenta contra cœlibatus legem soluuntur. 2022.B.& seq.
Neglectus cœlibatus in sacerdotibus inducit apud populum contemptum Sacramentorum. 2021.C
Cœlibatus non tollit absolutum libertatem ad matrimonium contrahendum. 2022.B. neq; pugnat iuri naturali vel diuino. 2023.A
Cœlibatus continentia quā sit difficilis obseruatu. 2026.D.& quibus remediis obtineatur. 2027.A. & an omnibus possibilis. 2027.B
Cœlibatus legem non esse in Concilio Nicæno sublatam, quoad vsum vxorum ante ordinationem ductarum. 2031.A.B
Cœlibatus legem nunquam esse reuocatam à S. Gregorio, vt in epistola quadam commentitia S. Vdalrici circumfertur. 2032.C.& seq.
Cœlibatus legem non propterea malam vel abolendam, licet multi mali Ministri eam violent. 2033.A
Clerici cōtra legem cœlibatus vxores ducere præsumentes non contrahunt legitima matrimonia, & qua pœna multentur. 2034.A.B
Cœlibatus legem obseruarunt etiam Apostoli. 2029.C.& seq. Vide etiam Votum continentiæ

Cœlum.

Cœlum esse locum deputatum earum animarum, quæ sufficienter sint ab omni peccati labe expiatæ. 2183.& seq. eumq; esse locum distinctum & determinatum probatur contra sectarios. 604.A. & seq. & vocari cœlum empyreum. 2185.C
Ascensio Christi ad cœlum. Vide Christi ascensio.
Cœlorum motus est conditio sine qua non agerent cœli in hæc inferiora, atq; adeò nec inferiora in se mutuo. 2330.cumq; motum cessaturum post extremum iudicium. 2337.A. Vide Mundi status post extremum iudicium, item Beatitudo & Beati, & Animæ defunctorum.

Cognitio.

Cognitio intuitiua in quo consistat. 316.A
Cognitio quidditatiua abstractiua Dei semper est simul intuitiua. 317.A

Cognatio siue consanguinitas.

Cognatio dirimens matrimonium triplex est. 2148.D
COGNATIO NATVRALIS *quid sit, & quod ea inualidum reddat matrimonium vsq; ad quartū gradum inclusiuè. quamuis iure antiquo etiam vsq; ad septimum gradum impediebat. 2149.B*
Consanguinitatis gradus & linea quid sint. 2149.C
Consanguinitatis linea duplex recta & transuersa, quæ cuiusq; ratio. 2149.C
Ad cognoscendam distantiam duarum personarum secundùm gradus consanguinitatis, traduntur tres regulæ. 2149.C.D. & seq. nimirum primò in linea recta tot numerandos gradus, quot numerantur personæ prima excepta. 2149.D. Secundò in linea transuersali æquali eodem gradu distare consanguineos inter se, quo quiuis illorum secundùm lineam rectam distat à stirpe. 2150.A. Tertiò eos qui sunt in linea transuersa inæquali, eo gradu consanguinitatis distare inter se, quo remotior illorum secundùm lineam rectam distat à stirpe. 2150.A.B
Quanti referat ad praxim, scire, quonam iure cognatio naturalis matrimonium reddat inualidum. 2151.A
Error Vviclephi & aliorum Sectariorum, & quorundā etiam Catholicorum, gradus omnes consanguinitatis, qui Leuit. 18. fuerunt prohibiti, esse etiam nunc iure naturali & diuino prohibitos, & per eos matrimoniū reddi nullum, refutatur. 2159.A.& seq.
Ex iure scripto non posse determinari an aliqui gradus consanguinitatis, vel etiam affinitatis sint prohibiti iure diuino & quinā, sed id statui oportere ex ipsa ratione naturali. 2152.B
Matrimonium in aliquo gradu consanguinitatis contractum non hoc ipso est inualidum quòd est illicitū. 2153.B
Matrimonium non esse iure naturali nullum, aut etiam illicitum semper in omnibus illis gradibus consanguinitatis & affinitatis, qui prohibētur in Leuitico. 2153.C. 2158.D
Inter Parentes & filios iure naturali & diuino matrimonium esse illicitum, & nullum. 2154.D. idq; confirmatur exemplis brutorum animantium. 2155.B. nisi fortè in summa necessitate propagandi genus humanum. 2156.D
Matrimonium inter fratres & sorores iure naturæ prohibitum, & nullum esse. 2155.D. nisi in summa necessitate propagandi genus humanum. 2156.C
Matrimonium in secundo gradu consanguinitatis in linea recta contractum iure naturæ nullum esse. 2157.D
COGNATIO LEGALIS *est propinquitas orta ex adeptione alicuius in filium, & impedit intra quartum gradum. 2150.C*
Cognationem legalem triplicem esse, & quæ cuiusq; ratio sit & differentia. quoad matrimonij diremptionem. 2150.C.D
Cognationem legalem, & spiritualem solo iure humano impedire matrimonium. 2150.D
COGNATIO SPIRITVALIS *matrimoniū dirimens iure antiquo erat triplex, scilicet Paternitas, compaternitas, & fraternitas, & quæ singulorū ratio. 2149.A. iure autem nouo tantum duplex, & in specie qualis? 2149.A.B*
Patrinus in baptismo cum quibus cognationem spiritualem contrahat. 787.D
Parentes baptizantes filios, aut Patrini munus obeuntes, an & quomodo cognationem spiritualem contrahant. 785.A.B
Patrinus in confirmatione cum quibus cognationem spiritualem contrahat. 880.B

Compositio.

Ratio veræ compositionis & compositi in quo consistat. 162.
De ratione compositi non est imperfectio componentium. 163.C

Communio Sanctorum.

Communio Sanctorum, quorumnam bonorum spiritualium communicationem includat. 1764.C.& seq. 1787.D. 1794.D
Qualianam bona in Ecclesia existens participet hoc ipso, quod est in gratia constitutus. 1787.D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concubinarius.

Cum Concubinariis publicis an liceat communicare in sacris. 722.A. *Vide Excommunicatio.*

Concilium.

Concilium Nicænum nunquam permisit liberam matrimonij consuetudinem Ministris sacris Ecclesiæ. 2031.A

Concionator.

Quis concionari possit. 720.C.1820.C

Concionari in peccato mortali, an sit peccatum mortale. 720.

Suspensus à diuinis, an sit etiam suspensus ab officio concionandi. 1820.C

Concupiscentia.

Concupiscentia in proficientibus quomodo minuatur. 835.C

Conditio vitæ.

Conditio quomodo sit impedimentum dirimens matrimonij. Vide Matrimonij impedimenta.

Conditio sine qua non.

Conditio sine qua non, quomodo se habeat ad effectum. 322.A

Conditiones contractui matrimoniali adiectæ quomodo obstent vel non obstent valori matrimonij. Vide Matrimonij causa efficiens.

Confirmatio.

Confirmationis descriptio ex nominis notione. 851.A

Confirmationis varia nomina, & eorundem notiones. 852.A

Confirmationem esse Sacramentum. 853.B. *probatur ex Scriptura.* 853.C. *ex traditione Apostolica, & ex SS. Patribus.* 854.D. *ex ratione.* 855.D

Hæretici, qui negauerint cõfirmationem esse Sacramentum. 853.A

Obiectiones hæreticorum soluuntur. 856.A.&seq.

Per Confirmationis Sacramentum non irrogari iniuriã baptismo. 856.C.&seq.

Confirmationem pro diuerso Sacramento à Baptismo, etiam olim in Ecclesia esse habitam. 858.D

Confirmatio nõ idem est neq; fuit quod Catechesis. 859.C

Confirmatio non est solùm oratio quædam. 860.B.C

Idem Sacramentum Chrismatis iam nunc in vsu esse, et olim fuisse. 861.A.B

Consuetudo vetus variæ manuum impositionis confirmat doctrinam Catholicorum de Sacramento Confirmationis. 862.B.C

Confirmatio quomodo in vsu fuerit apud Apostolos. 863.A.&seq.

Confirmationis Sacramento olim nõ tantùm gratia gratis data, sed gratia gratũ faciens conferebatur. 864.B

Confirmationis duplex definitio. 877.A

Confirmationis materia.

Confirmationis materiam esse chrisma probatur ex traditione Ecclesiastica & SS. Patribus. 865.C. *ratione.* 865.D. *Cum vnctione tamen aliqua.* 866.C

Confirmationis materia, an substantialiter consistat in oleo & balsamo, an in oleo tantùm. 866.D.&seq.

Oleum quod est cõfirmationis materia, debet esse oleum oliuarum. 869.A

Confirmationis chrisma debet esse consecratum ab Episcopo. 869.B. *an hoc sit de necessitate Sacramenti, vel præcepti tantùm.* 869.C

Chrisma an ex dispensatione Pontificis possit benedici à Presbytero. 870.A

Chrisma an de necessitate Sacramenti sit in fronte applicandum, idq; per signum crucis. 870.C

Confirmationis forma & ritus.

Confirmationis forma probatur ex traditione. 871.A.& sequent.

Cur SS. Patres non totam formæ seriem literis mandauerint. 871.D.&seq.

An omnia, quæ exprimũtur in forma sint de essentia formæ. 872.A

Non quæuis diuersitas formæ Confirmationis tollit substantiam formæ. 872.D

Tempus benedicendi Chrisma, & illud solèniter administrandi. 873.A

Confirmandus cur alapa percutiatur, cur fascia in fronte eius adhibeatur. 873.A

Confirmationis effectus.

Confirmatio confert gratiam. 873.C. *idq; dupliciter.* ibid.D.&seq.

Confirmatio an ratione effectus præstantior sit, quàm baptismus. 873.D

Confirmatio quomodo primam gratiam conferat, & peccatum mortale tollat. 874.A.B

Confirmationem suscepturus debet esse contritus, aut saltem videri sibi talis. 874.B

Confirmationem suscepturus an debeat esse confessus & ieiunus. 874.C

An deuotio actualis in ipso Sacramenti vsu requiratur. 874.D

Confirmatio quandoq; non confert gratiam. 874.D

Confirmatio an recedente fictione conferat gratiã. 874.D &seq.

Peccatum illud fictionis quomodo remittatur, & in quo consistat. 875.A

Confirmatio imprimit characterem, & iterari non potest. 875.B

Manuũ impositio quomodo à S. Augustino dicatur repeti posse. 875.C

Confirmans, vel confirmatus denuò, an irregularitatem incurrat. 875.D.&seq.

Confirmationis Minister.

Confirmationis Minister ordinarius est solus Episcopus. 876.B. *idq; probatur ex traditione.* 876.C.& *scriptura.* 877.C

Confirmationis Minister extraordinarius ex cõmissione summi Pontificis esse potest simplex sacerdos. 876.B. *idq; probatur.* 878.A

Non esse id contra institutionem diuinam. 878.B

Opiniones aliorum falsæ circa Ministrum confirmationis reiiciuntur. 878.D.&seq

Ex commissione solius Episcopi simplex presbyter non potest confirmare. 879.B

Obiectiones soluuntur. 879.C.&seq.

In confirmatione qua necessitate adhibendus Patrinus, & qualis; & quomodo cognationem spiritualem contrahat. 880.B.C

Confirmationem suscipientes.

Confirmationem validè suscipere possunt omnes baptizati, etiam qui carent vsu rationis. 880.D

Confirmationem validè non suscipiunt non baptizati. 881.B

Confirmatio quibus rectè & conuenienter administretur, vnde diiudicandum. 881.C

Confirmari non debent perpetuò amentes. 881.D

Confirmari licite possunt pueri, dum incipiũt vti ratione. 881.D

Confirmationis Sacramentum citra contemptum negligere, non est nisi veniale peccatum. 882.D

Confirmationis Sacramentum non hoc ipso contemnitur, quod intermittitur. 882.D. *Vide etiam supra, Confirmationis effectus.*

Confessionis ratio, materia, necessitas.

Confessionis nomine quid intelligatur, & quæ eius communissima ratio. 1633.C

Confessio cuius virtutis actus sit, & quem dolorem requirat. 1613.D.1635.B

Confessionem esse à Christo institutam & imperatam, hæretici qui negarint. 1635.D. & *qui nam Catholici.* 1636.B

Confessionem specialem omnium peccatorum mortaliũ esse à Christo institutam, & ad salutem necessariam in re vel in voto, & diuina lege imperatam, probatur ex scriptura adiuncta interpretatione SS. Patrum. 1636.D. &seq.1639.D. *probatur ex SS. Patribus.* 1641.A.&seq. *ex definitione Ecclesiæ.* 1655.C. *ex vsu & praxi Ecclesiæ.* 1656.A

Obiectiones sectariorum contra confessionem soluuntur. 1656.C.&seq.

Confessio specialis omnium peccatorum, cur in pœnitentiæ Sacramento requiratur ad remissionem peccatorum, non item in Sacramento Baptismi. 1659.C. &seq.

Nihil iuuat sectarios etiamsi quidam aliàs Catholici necessitatem & institutionem diuinam confessionis specialis peccatorum negarint. 1661.A. 1667.D. 1671.B

Confessio specialis peccatorum non fuit sublata olim à Nectario Archiepiscopo Constantinopolitano. 1661.D

Confessio secreta peccatorum in specie, fuit prior instituto illo antiquo de faciendis publicis pœnitentiis. 1662.A.&seq.

Quid olim circa confessionis vsum mutauerit Nectarius. 1663.B

Sancti Patres sæpè inculcant confessionis auricularis vsum, non reiiciunt. 1665.A.&seq.

Gratiani priuata hallucinatio nihil facit contra necessitatem confessionis sacerdoti faciendæ pro hæreticis. 1667.D.&seq.

Confessio homini facta nihil derogat meritis Christi. 1671.D

Confessio specialis iure diuino & Ecclesiastico necessaria est solis & omnibus, qui post Baptismum mortaliter peccauerunt. 1672.B.&seq.

Dubitans veniale ne sit aliquod peccatum an mortale tenetur id cõfiteri, item si quod veniale esset alicui futura occasio mortalis. 1673.D

Confessio venialium sitne præcepta saltem Monachis Benedictinis. 1674.A

Confessio necessariò facienda est imminente probabili periculo mortis. 1674.D. *item cùm peccatum superiori reseruatum commissum, quod aliàs non possit quis ei in Confessione aperire.* 1675. *item cùm id alicui iudicio prudentis confessarij videtur necessarium.* 1675.B

Confessio non est necessariò facienda ob periculum obliuionis peccati commissi. 1675.C. *neq; homo cumprimùm potest tenetur confiteri.* 1676.A

Confessio ab omnibus qui ad discretionis annos peruenerint Ecclesiastico præcepto facienda singulis annis, sub peccato mortali & graui pœna. 1673.C.1676.B. & *quid si quis non habeat conscientiam peccati mortalis.* 1676.C. *quandónam aliquis ad hoc propositum censeatur peruenisse ad annos discretionis.* 1679.B

Præceptum de annua confessione non obligat pro certo anni tempore, nisi per accidens in paschate ob Eucharistiam sumendam, vel si quis ordinem sacrum suscepturus est. 1677.A

Confessionem prætermittens, qui Eucharistiam suscepturus est, non nisi vnico peccato sacrilegij peccat. 1677.B

An vi consuetudinis iam receptæ teneantur omnes determinatè ipso quadragesimæ tempore cõfiteri. 1677.B.&seq.

Confessionem vltra anni spatium differens debet eam quam primum facere. 1678.A. & *an si id non faciat sæpius peccet quàm semel.* 1679.B

An possit cum aliquo dispensari ne debeat confiteri. 1678.A

Præcepto confessionis præcipitur ipse actus, quo ad substantiam non modus actus. 1704.A

Confessionem faciens propter venialem quandam vanam gloriam satisfacit præcepto de confessione. 1704.B

Confessionis Minister.

Confessionis minister à Deo constitutus est solus sacerdos. 1679.C

Confessionis sacramentalis Minister, nunquam potest esse laicus. 1682.A. *aliàs incurrit irregularitatem & committit sacrilegium.* 1682.B

Confessio quomodo possit fieri laico. 1682.D

Lutherus malè censuit Laicum posse esse Ministrum cõfessionis sacramentalis. 1681.C

Cur non obstante necessitate confessionis, possit quiuis esse Minister baptismi, non autem confessionis. 1683.D

Ad confessiones audiendas non sufficit potestas ordinis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis, sed requiritur etiam iure diuino potestas iurisdictionis, 1684.B.& seq. 1696.C. quâ tamen præter Apostolos, & summum Pontificem nullus immediatè ab ipso Deo accipit. 1685.A.B. 1686.A
Confessio ob defectum iurisdictionis est inualida. 1685.D
Confessario quanta scientia & prudentia necessaria. 1686.A
Confessionem cuiusuis audire potest proprius cuiusq; Parochus, Episcopus, & summus Pontifex. 1687.A
Confessio Religiosis priuilegiatis facta non debet coram parocho repeti. 1689.A
Confessione coram religioso facta potest adimpleri præceptum illud de confitendo semel in anno. 1689.B
Religiosi Confessiones audituri debent petere facultatem ab ordinariis diœcesium, saluis tamen particularibus priuilegiis. 1689.C
Confessarius an à iure, vel ab homine, vel ex consuetudine obtinuerit Iurisdictionem ad legitimè audiendas confessiones nihil interest. 1689.D
Quinis Sacerdos à iure habet iurisdictionem audiendi confessiones, cum pœnitens est in articulo, non periculo mortis, & non adest alius, qui propriam habet iurisdictionem in pœnitentem, eamq; summus Pontifex non rectè poterit negare sacerdoti. 1690.A.B.C. imò quiuis etiam sacerdos, certa lege, à censuris omnibus absoluere potest in illo casu. 1690.D
Sacerdos quiuis habet iurisdictionem absoluendi Episcopum, & quemlibet inferiorem prælatum, si ab his eligatur. 1690.D. cum item qui planè ignaro sacerdoti commissus est. 1691.A
Iurisdictionem ab homine quinam habeat. 1691.B. & seq. Virum aliquis sine obtenta facultate, quam à cõfessario proprio petitam non obtinuerit, posset alteri confiteri. 1692.A
Habens potestatem confitendi alieno sacerdoti, cui velit, quantum priuilegium habeat. 1692.D
Ratihabitio qualis, & quo signo manifestata sufficiat ad audiendam Confessionem alterius non subditi. 1693.B
A consuetudine quinam habeant audiendarum Confessionum Iurisdictionem. 1693.D. 1695.A
Confessiones peregrinorum quinam excipere possint, & debeant. 1694.A
Quinis sacerdos vi consuetudinis iurisdictionem habet ad audiendam cuiuslibet confessionem de venialibus & mortalibus illis, quæ quis iam semel sit confessus. 1694.D
Confessarius proprius studiosorum quis? 1694.D
Quomodo contingat aliquem ab audiendis Confessionibus impediri per censuram Ecclesiasticam. 1695.D
Confessarij sintne iudices ordinarij vel arbitri censendi. 1772.D
Possunt superiores Ordinarij ius absolutionis à quibusdam generibus peccatorum sibi reseruare. 1696.A.& à quibus. 1697.C.D
Quando nam teneatur is, qui legitimam ad id alioqui habet potestatem, alterius confessionem audire. 1698.A
Parochus tenetur audire confessiones subditi, quoties hic debet, aut ex iusta & honesta causa confiteri vult. 1698.C
Confessarij munus quod sit. 1699.D.& seq. & quomodo iuuare debeat confitentem. 1700.A
Vnde colligi possit deesse Confessario sufficientem doctrinam. 1737.A
Ex parte Confessarij quo modo Confessio sit nulla. Vide Confessionis repetitio. Vide etiam Clauium potestas. Pœnitentiæ minister.

Confessionis qualitas.

Confessionis sedecim conditiones, & quæ earum communis ratio. 1701.A. & qua ratione sint necessariæ. 1703.C
Confessionis conditiones quasdam esse inter se connexas. 1704.D
Confessionis conditiones quasdam esse necessariò cum ipsa etiam confessionis essentia connexas. 1705.A
In Confessione non omne mendacium est peccatum mortale. 1705.D
Necesse est omnia peccata mortalia secundùm speciem & numerum confiteri, quæ post diligentem conscientiæ examinationem memoriæ occurrunt. 1706.B.& quænam in proposito censeatur diligens conscientiæ examinatio. 1706.D.& quomodo suppleri possit per Confessarij interrogationem. 1707.A
Qui ad confessionem accedit sine præuio Conscientiæ examine, an à Confessario dimittendus sit, vt se priùs examinet. 1707.B
Diligentia quæ iudicio prudentis sufficere videatur non debet esse summa, sufficit mediocris. 1707.C
Ob integritatem Confessionis nemo tenetur ad scribendum aut confitendum peccata statim atque aliquis peccauit, etiamsi quædam postea memoria excideret. 1707.D
Peccata quæ quis in Confessione sine culpa oblitus est, per absolutionem indirectè dimittuntur. 1708.B
Peccatorum numerus quomodo possit aut debeat in confessione exprimi. 1708.C
Circumstantiæ quæ in genere moris mutant, aut addunt peculiarem culpæ speciem necessariò in Confessione explicandæ. 1708.D
Circumstantia virginitatis, an etiam in concupiscentia interiori necessariò explicanda. 1709.B
Circumstantia temporis sacri non necessariò explicanda, neque etiam loci sacri, nisi in quibusdam certis peccatis. 1709.C
Circumstantia loci sacri non est necessariò explicanda in peccatis internis: neq; etiam circumstantia conscientiæ erroneæ. 1709.D
Circumstantia omnis mutat aut addit speciem, quæ per se ipsa aduersatur alicui speciali præcepto, pertinenti ad specialem aliam virtutem. 1710.A
Circumstantiæ necessariò in confessione explicandæ oblitus nõ tenetur, nisi solam circumstantiam postea confiteri. 1710.B
Circumstantiæ minuentes peccatum per se mortale vsq; ad veniale necessariò in confessione aperiendæ, siquidem actum ipsum principalem vis explicare. 1710.C

Circumstantiæ peccati quæ nihil attinẽt ad genus morale, neque mutant aut addunt peculiarem speciem, neque etiam notabiliter peccatum aggrauant, aut quæ communiter coniunctæ esse solent cum actu principali, non sunt necessariò in confessione explicandæ. 1710.D
Peccata quomodo per repetitam voluntatem etiam circa eundem actum externum multiplicentur, & multiplicata explicanda sint. 1711.A
Circumstantiæ propriè dictæ quæ non mutant, neque addunt peccati speciem, etiamsi notabiliter peccatum aggrauent, non sunt necessariò explicandæ. 1711.B. 1713.C.& seq. nisi in tribus casibus. 1714.A.& seq
Quicquid ad rationem indiuiduam peccati in genere morali pertinet, vt est numerus peccatorum, modus actus interioris aut exterioris, determinatum obiectũ in furto, aut persona consanguinea, in incestu, &c. etiamsi speciem non mutet aut addat, explicandum est in Confessione. 1712.A.& seq.
Continuationem actus per accidens. quando, in Confessione explicandam. 1714.D
Ad integritatem Confessionis necesse est, omnia peccata cum circumstatiis mutantibus speciem vni & eidem sacerdoti confiteri. 1715.B. nisi incurreretur inde notabile damnum proprium aut alienũ. 1715.C. 1716.B.
In casu quo morbus aut mors imminens, vel ex parte cõfessarij, vel pœnitentis impediat, quo minus vlterius in Confessione procedi possit, nõ est necessaria ad dandam absolutionem integra, & specialis omnium peccatorum enarratio. 1715.D
Cõfessio per signa aut nutus quouis modo facta ab eo, qui ob imminentem mortem plus nõ possit, sufficiens censeri debet. 1716.A
Si Confessarius putetur reuelaturus aliquod peccatum, non est id in confessione explicandum. 1716.B. aut si peccatum aliquod nõ possit explicari, quin peccatum etiã tertiæ personæ Cõfessario notæ manifestetur. 1716.C. quod etiam in articulo mortis locũ habet. 1717.D
Peccatum quod citra violationem sigilli confessionis, non potest explicari in Confessione reticeri potest. 1717.D.& seq.
Qui habet peccata reseruata, quomodo possit licitè diuidere confessionem. 1718.B.& seq. & quid si superiorẽ cum communicandum est in paschate non possit conuenire? 1718.D. aut quid si excommunicatio peccatis reseruatis esset annexa. 1719.A
Confessio ordinarie secreto faciẽda est sub peccato mortali. 1719.C
Quod si causa rationabilis subest poterit, sed non debebit aliis etiam cõscijs fieri. 1719.D. etiam in articulo mortis. 1720.A.B
Qui per nuncium aut literas absens confitetur, nõ potest absolui. 1720.C. secus si præsentem se deinde statuat. 1720.D. dũmodo cur per literas confiteatur causa rationabilis subsit. 1721.C
Nemo tenetur per scriptum confiteri, aut alio modo qui facilè euulgari possit. 1721.D
Quomodo ex scripto confiteri liceat. 1722.A
Mutus per nutus aut signa quomodo confiteri debeat. 1722.B
Sine necessitate non licet per nutus aut scripti ostensionẽ confiteri, saltem sub peccato veniali. 1722.D.& an id liceat ob subleuandam nimiam pœnitentis verecundiam. 1723.A
Confessionem sacramentalem dari quæ sit informis. 1724.A. 1728.D. 1735.C
Confessio potest esse legitima vigẽte adhuc affectu occulto ad aliquod peccatum mortale. 1724.B
Sublato affectu ad peccatum mortale confessio ante legitimè facta sed informis, per gratiã reuiuiscit. 1725.B & an ipse talis affectus obstans effectui Sacramenti debeat in Confessione aperiri. 1726.D

Confessionis repetitio.

Confessio quæ semel valida, & sacramentalis fuit, nunquã est necessariò repetenda, etiãsi fuerit informis. 1727.B
Confessio tunc solùm repetenda est, quando vel ex parte personæ aut officij pœnitentis, vel ex parte etiam Confessarij aliquis in Confessione priùs facta, substantialis defectus acciderit ob quem ipsa confessio valida non fuerit. 1728.A
Confessio bona fide facta ab eo, qui maiore vel minore excommunicatione obstrictus est, an sit valida. 1728.A. 1797.D. & quid si ex ignorantia culpabili nesciat se excommunicatum. 1728.C
Confessio ex parte confitentis in tribus casibus inualida, ac proinde repetenda. 1730.A
Confessio an per neglectum impositæ pœnitentiæ reddatur inualida. 1730.B.C
Confessio an ob defectum debitæ diligentiæ repeti debeat, cum ea quidem iudicio prudentis non fuit sufficiens. etiamsi confitens putet fuisse sufficientem. 1731.B.& an saltẽ taliter confitens a sacrilegio excusari possit. 1732.D.& seq.
Confessio an ob defectum debitæ attritionis sit inualida, atq; adeò repeti debeat, etiamsi confitens putet se habuisse sufficientem. 1734.B
Confessio ex parte Confessarij inualida est, si confessarius sit nominatim excõmunicatus, aut suspensus, aut interdictus, aut si sit notoriè ipso iure excommunicatus ob manifestam percussionem clerici. 1736.A. excepto mortis articulo. ibid.
Quandonam contingat confessionem esse nullam, atque adeò repetẽdam cum sine causa sit ei, qui quoquo modo excommunicatus est. 1736.C
Confessio ex parte confessarij nulla etiam est, & iteranda si desit confessario ordinaria, vel delegata iurisdictio. 1736.D. vel eruditio, aut si non adhibuerit debitam intentionem aut formam. 1737.A
Confessio iam semel etiam legitimè facta vtiliter repeti potest, etsi non debeat. 1737.B
Confessio quæ ob quemcunq; defectum nulla fuit integrè repetenda est, si non eidem confessario fiat. 1737.C.& quid si fiat eidem, ibid.& 1738.A.& seq.
Si confessarius saltem in confuso & in genere recordetur eius status, in quo ante cognouerat fuisse pœnitentem, non est ei in specie repetenda confessio. 1738.C

Confessionis effectus.

Cõfessio illos ipsos effectus habet, quos habet ipsum Sacramentũ pœnitentiæ. 1739.A. Vide Pœnitentiæ effectus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Confessione etiã remitti peccata, quæ quis oblitus est, licet postea cum in memoriam redeunt explicanda sint in Confessione. 1740.B
Confessio generalis valet ad remissionem venialium. 1544.C.D

Confessionis sigillum.

Confessionis sigillum triplici iure contineri: Naturali. 1741.A. *Diuino.ibid.*B. *humano: & sub qua pœna id seruandum præcipiatur.* 1743.B
Violatio sigilli qualenam peccatum sit, an sacrilegium, an detractio. 1743.D
Confessionis sigillum seruare debent non modò sacerdos, sed qui quouis casu ex confessione aliquod peccatum cognouerunt, quamuis non vsq; adeò stricte. 1744.B. *& seq. licet etiam hi sacrilegium committant id violando.* 1745.B
Quænam cadant sub cõfessionis sigillum regula vniuersalis. 1745.D
Vi sigilli confessionis non ea solùm celanda sunt, quæ cognita sint ex confessione sacramentali, sed & illa quæ pœnitens cœpit dicere animo perficiendi confessionem verè sacramentalem. 1746.A
Quod siue laico siue sacerdoti sub sigillo confessionis significatur, non tamen animo faciendi sacramẽtalem confessionem, non est sub sigillo confessionis, sed ex fidelitate celãdum, etiamsi id cum Cæremonia quadam esset significatum. 1746.B
Manifestans rem aliquam pœnitenti ignominiosam in confessione cognitam, etiamsi ipsa per se peccatum non sit, violat sigillum Confessionis. 1746.C
Confessionis sigillum frangit non modò qui verbis, sed etiam qui signis quouis modo peccata pœnitentis propalat. 1746.D
Confessionis sigillum violat, qui extra confessionem de peccatis antè in Confessione auditis cum pœnitente agit. 1747.A. *& quomodo corrigi possit error antè in confessione commissus.* ibid.
Confessionis sigillum non violat, qui tantùm dicit, hunc aut illum fuisse sibi confessum, aut de venialibus, aut absolutè de suis peccatis confessum fuisse. 1747.B
Non licet aliquod peccatum veniale in specie manifestare. 1747.C
Non licet in aliquo casu dicere aliquam personam esse sibi confessam. 1747.D
Confessionis sigillum nõ violatur dicendo ipsa per se peccata in confessione audita, dummodo nullo modo persona indicetur. 1748.A. *& absit scandalum.* 1748.B
Non licet communiter dicere se talia, vel talia peccata in confessione audiuisse. 1748.C
Qui audita confessione alicuius publici peccatoris, quem non absoluit, dicit se audiuisse illius confessionem, & feciſse suum officium, non violat sigillum. 1748.C
Confessionis sigillum violat qui dicit se aliquem non absoluisse. 1749.A
Confessionis sigillum quis vtens confessionis notitia violet, aut aliter certè peccet. 1749.B
Peccatori publico quem licet confessum ob impœnitentiam nõ obsolueris, an & quo modo possis publicè Eucharistiam negare, saluo sigillo confessionis. 1749.D
Confessionem reuelare in vno tantum casu licet, si nempe pœnitens facultatem dederit confessario eam reuelandi; aliàs nunquam licet neq; pro vita, neque pro vllo bono publico conseruando, aut scandalo euitando. 1750.C. *& seq.*
Confessarius quomodocunque interrogatus an aliquid in confessione audiuerit, iurare potest, se non audiuisse verbis nimirum amphibologicis, quouis modo interrogantem eludendo. 1751.C. *idem etiam licet pœnitenti si temerè interrogetur. vtrum hoc aut illud confessario dixerit.* 1752.A
Peccatum aliquod extra & in confessione cognitum potest quis, vt à se extra confessionem cognitum, cum debita cautela manifestare, non tamen dicendo hoc se audiuisse in confessione. 1752.B.C
Confessarius crimen inter confitendum à pœnitente commissum, quomodo possit Iudici denunciare. 1753.A
Iudex non potest ad puniẽdum procedere, si crimen tantùm in confessione cognitum ab aliquo sit ei manifestatum. 1756.A

Continentia.

Vide Cœlibatus.

Contractus.

Contractus etiam politici per verba de præsenti sub cõditione de futuro initi, non statim impleta conditione, sine nouo consensu validi sunt. 2111.C

Contritio siue dolor de peccatis.

Contritionis nomine quid intelligatur. 1583.A. *& quid propriè contritio.* 1586. *& vnde sit dicta.* 1589.B
Contritio siue dolor de peccatis multiplex est ex parte timoris seruilis vel filialis vnde oritur. 1517.D. *& sequent.*
Contritio quanam sit perfectæ pœnitentiæ actus. 1518.A.B
Contritionem quandam ex solo timore seruili procedentem bonam esse probatur. 1518.B.C. 1521.A. *& seq.*
Lutherus reiiciens talem timorem refutatur. 1518.D. *& sequent.*
Dolor ex timore pœnarum, tanquam maximi mali, vel certè tanquam cõditionis sine qua non doleret, malus est & peruersus. 1519.B. 1520.A. 1585.B
Dolens de peccatis ob timorem pœnarum, &c. tripliciter potest esse affectus. 1519.C
Contritio imperfecta ex timore pœnarum orta, quomodo ex impulsu Spiritus S. procedat. 1523.D. 1514.D
Contritio imperfecta ex timore seruili orta dispositio remota est ad gratiam. 1524.B
Per contritionem non modò primã reuiuiscere merita, & gratiam pristinã restitui, sed etiam per sequentes. 1576.B
Per contritionem etiam imperfectam vnà cum Sacramento reuiuiscere merita, & gratiam pristinam restitui. 1576.C. *Vide pœnitentiæ effectus.*
Dolor de peccatis tripliciter suscipi potest. 1585.A
Dolor de peccatis quisnam propriè attritio dicatur. 1585.D
Contritionis lato modo sumptæ definitio. 1586.B

Contritio de peccatis tanquam de summo malo, solis viribus naturæ elicita & informis nulla datur. 1586.D
Nemo certò omnino scire potest num doleat de peccato, vt est offensa Dei. 1587.B
Contritionis precisius acceptæ definitio. 1587.D
Contritio solùm perfecta est actus virtutis pœnitentiæ infusæ. 1588.C
Contritio quonam modo in genere dicatur actus pœnitentiæ virtutis. 1588.D. *& seq.*
Dolor in voluntate qui vocatur cõtritio, an sit actus absolutus, an conditionalis. 1589.D
Contritio quomodo sit detestatio peccati super omnia detestabilia, & an oporteat speciatim cum aliis malis peccatum conferre. 1590.A.B. 1526.C
Contritio an & quomodo exigat expressum propositum emendationis & spem veniæ. 1590.C.D
Contritio non rectè definitur dolor actualis vel virtualis, 1591.A.B
Contritio perfecta vt differat ab attritione. 1593.A. *& sequent.*
Scoti Caietani & Soti falsæ aut minus solidæ hac de re sententiæ refelluntur. 1591.D. *& seq.*
An Attritio possit fieri contritio & quibus modis. 1593.D. *& seq.* 1595.B
Attritionem fieri posse contritionem extrinsecè, quid sit. 1594.D
Ex attritione non fit contritio intrinsecè vi Sacramenti pœnitentiæ & ex opere operato. 1594.D. *& sequent.*

Contritionis necessitas.

Contritionem propriè dictam præcepto diuino esse necessariam probatur ex Scriptura. 1595.D. *ex SS. Patribus.* 1597.A
Nauarrus contrarium sentiens refellitur. 1597.C. 1598.C
Contritionem perfectam non esse simpliciter & semper tanquam medium ad finem necessariam ad iustificationem, sicut quidam Doctores sentiunt. 1599.B. *& seq.*
Attritionem cum Sacramento conciliare gratiam, defenditur contra quosdam. 1599.B. *& sequent.* 1601.A. *& seq.*
Contritionem perfectam virtualem vel formalem extra Sacramentum necessariam esse ad iustificationem, in Sacramento sufficere attritionem. 160.D. *& sequent.*
An & quomodo in Scriptura dicatur sine contritione perfecta neminem iustificari. 1602.B
In Scriptura non nisi perfectam pœnitentiam esse præceptam. 1602.C
Non tenetur aliquis statim atque peccauit conteri. 1603.C. *licet nemini licitum sit esse in peccato.* 1608.A
Possitne aliquis velle non conteri. 1605.A
Qui vult non conteri, non hoc ipsò censendus est velle manere extra gratiam Dei. 1606.A
Non tenetur aliquis habere contritionem tum cùm peccatum commissum aut speculatiuè aut practicè occurrit. 1608.D
Non tenetur aliquis amplius habere contritionem de peccato per Sacramentum remisso. 1610.A. *nisi in certo casu.* 1621.C. 1622.A
Contritionis præceptum non necessariò obligat in die festo. 1610.B
Quo tempore necessaria est cõtritio, est etiam ex præcepto necessaria dilectio Dei. 1610.D
Contritionis principium est dilectio. 1610.D
Contritionis propriè dictæ præceptum non obligat, cum Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ vsurpandum est, neque necesse est saltem putare te esse contritum. 1611.A. *& seq.*
Contrariæ sententiæ argumenta soluuntur. 1615.A
Attritio quænam in pœnitentiæ Sacramenti vsu sufficiat. 1613.D. 1615.D. 1616.D. *& sequentibus.* 1631.B
Contritio quænam dicatur pars pœnitentiæ. 1616.B
Cur pœnitentiæ Sacramentum suscipienti maior attritio sit necessaria, quàm suscipienti baptismum. 1617.A. 1632.D
Contritionis præceptum non obligare per se propriè cum aliquod aliud etiam Sacramentum præter baptismum & pœnitentiam etiamsi sit Eucharistiæ suscipiendum aut administrandum est. 1617.C. 1618.C. *quamuis tunc contritio secundùm conatum aut attritio cum Sacramento ad vitandum sacrilegium sit necessaria.* 1617.C. 1619.C
De contraria sententia quid sentiendum. 1619.A
Contritionis præceptum obligare in periculo mortis corporalis vel spiritualis & instanti aliqua graui populi necessitate. 1619.D. *& seq.*
Contritionis præceptum obligare cum adultus aliquis susceperus ac professurus est in baptismo Christianam religionem probabile est. 1620.C. *& sequentibus.*
Contritionis præcepto non satisfit illo tempore, quo alias obligat, per attritionem cum Sacramento. 1621.C. *positis tamen duabus circumstantiis.* 1622.A
Contritionis præceptum non obligat de peccato mortali, aut de eo quod semel per actum veræ contritionis deletum est. 1622.A.B
Ex charitate teneri aliquem in articulo mortis habere contritionem etiam de eo peccato, quod iam per contritionem veram semel deletum est. 1622.D. *& sequent.*
Contritio quæ ex præcepto requiritur, nõ debet esse summa intensiuè; nec omnino certam intensionem habere, aut ad certum tempus continuari debet, sed satis est vt sit dolor summus appretiatiuè. 1624.A. *& seq.* 1626.B
Vtrum necesse sit vt de maiore peccato magis quis doleat appretiatiuè quàm de minore. 1625.D
An sit accidens contritioni quòd sit summa appretiatiuè. 1626.C. *& seq.*
Quo tempore contritionis præceptum obligat requiri specialem de omnibus & singulis peccatis contritionem. 1627.D. *& sequent. non tamen ita vt de singulis singuli contritionis actus eliciantur. ibid. &* 1629.C. 1631.D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Posse aliquem quandoque per contritionem de omnibus peccatis tantùm in genere cogitatis iustificari. 1630.A

Quo tempore quis pœnitentiæ Sacramentum suscepturus est obligatur vel ad contritionem vel certè ad attritionem in specie de omnibus & singulis peccatis habendum. 1631.B

An perinde possit dolor in Confessione necessarius vel ante vel post Confessionem adhiberi. 1632.B

Ad baptismum suscipiendum satis est dolere de peccatis omnibus in genere. 1632.C

Eodem præcepto quo quis tenetur agere veram pœnitentiam, obligari etiam vt habeat propositum explicitum non peccandi. 1632.D. *etiamsi interim opineris te esse peccaturum.* 1634.A

Contradictio.

Ratio & notio veræ contradictionis. 136.A.& *seq.*

Conuersio substantialis.

Conuersio substantialis vnius in alterum in quo propriè consistat. 1099.B

Conuersio nõ fit sõlùm secundùm habitudinem ad vnum subiectum. 1100.C

Conuersio potest esse, etiamsi res in quam fit conuersio, non incipiat secundùm se de nouo esse. 1100.D.& *sequent.*

Non est necesse per conuersionem nouam habitudinem realiter distinctam aduenire rei in quam fit conuersio. 1101

Non est necesse rem per conuersionem succedentem propriè mutari. 1101.D

In conuersione nõ est necesse esse aliquod commune subiectum. 1102.A.B

Ad conuersionem subiecti in aliud quid requiratur. 1103.B

Verum quiduis conuerti possit in quodlibet. 1110.D

Verum res aliqua possit conuerti in Deum. 1111.A. *Vide etiam Transubstantiatio.*

Corinthij.

Corinthij quidam non crediderunt præsentiam Christi in Eucharistia. 932.D

Corpus.

Corporum penetratio possibilis est. 543.B

Corpus alicubi esse potest non visibile. 1015.C. 1049.B. 1127.C

Corpus quantum esse in pluribus locis & esse in loco sine commensuratione non implicat contradictionem. 1025.D. & *seq.* 1027.D

Corpus quantum posse esse sine commensuratione in loco probatur ex Scriptura. 1026.C. *nec aboleri propterea naturam corporis.* 1026.D. 1118.A. & *seq.*

Circumscriptio in loco an & quo modo sit naturalis proprietas corporis quanti. 1026.D

Corpus quantum esse circumscriptiuè in pluribus locis an & quo modo implicet contradictionem. 1029.B

Corpus posse simul esse in pluribus locis probatur ex Scriptura. 1029.B. 1030.A. & *seq.* 1033.A. *ex SS. Patribus.* 1034.C. *ex ratione.* 1035.C. *Neque repugnare S. Augustino.* 1037.B

Corpora duo posse esse in vno loco. 1033.A.& *seq.*

Corpus vnum esse in pluribus locis cur difficulter capiatur. 1038.A

Corpus vnum in pluribus locis simul existens posset se eodem modo habere quoad omnia prædicata, quæ non pendent determinatè ex vno loco. 1038.C. *posset etiam se habere aliter quoad eadem prædicata.* 1038.D. *posset etiam esse permanenter vel successiuè in pluribus locis atque adeò moueri motibus contrariis etiam per eandem viæ semitam.* 1039.C.& *seq. neque tamen sibi propriè occurreret aut seipsum secundùm se totum penetraret.* 1040.A

Posset tandem multa quæ non posset existens in vno loco. 1040.D

Corpus tripliciter accipi potest. 1123.D

Vide etiam Mundi status post resurrectionem. Resurrectionis terminus. Beatorum corpora. Damnati.

Creatio.

Nulla res creata instrumentaliter concurrere potest ad creationem. 332.B

Crimen.

Crimen quomodo sit impedimentum dirimens matrimonij. Vide Matrimonij impedimentum.

Cultus.

Cultus etiam diuinitus non mandatus potest esse bonus. 1388.A

Cultus disparitas quomodo dirimat matrimonium. Vide de Matrimonij impedimenta.

Damnati.

Damnatorum corpora an futura sint perfecta sine defectu, &c. 2330.A. *an corruptibilia & quæ incorruptibilitatis ratio.* 2330.B.& *seq. an & quomodo impassibilia.* 2331.D

Damnatorum corpora an alteranda sint verè ab igne per realem calorem impressum, & quantum. 2331.D. *an aliis etiam suppliciis præterquam ignis torquenda, vt vermium corrosione, &c.* 2332.A.& *seq. frigore.* 2333.A

Damnati an videant gloriam beatorum & vicissim videantur. 2333.B

Damnatos olim ex inferno videre potuisse constitutos in limbo. 2334.B. *Vide Resurrectionis terminus.*

Degradatio.

Degradatio quid sit & quomodo à depositione differat. 1826.D

Degradatio non est Censura Ecclesiastica. 1827.A

Degradatus an & quibus Clericorum priuilegiis priuetur. 1844.A.B

Degradatus non liberatur à recitatione horarum Canonicarum. 1844.B

Depositio.

Depositio quidnam sit & quomodo ab irregularitate differat. 1826.B.C. *aut etiam à Censuris Ecclesiasticis.* 1824.B

Depositus non liberatur à recitatione horarum Canonicarum. 1844.B

Deus.

Natura diuina non potest in aliquo supposito supplere vicem naturæ creatæ. 20.A

Quomodo Deus ad extra liberè operetur. 65.C

Essentia diuina cur non possit dici composita. 162.B

Entitas diuina non modò secundùm rationem suam absolutam sed etiam respectiuam est substantia. 185.A. & *seq.*

Essentia diuina formaliter vt talis est, non potest sic assumere naturam aliquam, vt ex vnione vtriusque existat vna persona. 199.A

Potest tamen absolutè vt terminus quidam extrinsecus personalitatem creatam supplere. 200.D

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur. 202.A

Cur Deus non possit supplere formam aut materiam, possit autem caussam efficientem. 201.C

Quicquid tale est vt ab eo res sõlum extrinsecè pendeat, potest Deus supplere. 201.A. 207.A

Essentiæ diuinæ quidditatiua cognitio non potest esse sõlum abstractiua. 317.A

Deus potest operari quemuis effectum per quodcunque instrumentum. 328.B

Duplex Dei voluntas qua hominibus voluit reconciliari. 408.C.D

Dextera Dei quid nominetur in Scriptura. 615.A

Solus Deus est caussa Sacramentorum instituens per propriam authoritatem. 697.B

Solus Deus est caussa Sacramentorum conficiens principalis. 700.D

Deus potest facere quicquid non implicat contradictionem. 1035.C

In Deum nulla res propriè potest conuerti. 1111.A

Dei bonitas super omnia opera eius. 1565.A.B

Deum posse idem numero penitus corruptum reproducere nõ conformiter fidei Resurrectionis negauit Durandus. 2298.D

Deus in agendo illimitatam virtutem habet nõ pendentem à loco, tempore, &c. 2300.D

Diaconus.

Diaconorum ordinem ex Institutione diuina esse in Ecclesia eumq; à Sacerdotio & Episcopali ordine distinctum. 1928.D

Diaconorum officium quodnam sit. 1952.C. & *quomodo possint prædicare & baptizare.* 1952.D

In Diaconorum ordinatione quanam sit materia. 1970.B. *Vide etiam Ordinis Sacramenti ratio & partes.*

Diaconus mortali peccato obstrictus in vsu sõlenni ordinis sui, an peccet mortaliter. 720.A

Diaconos olim cum licentia Episcopi potuisse contrahere matrimonium, iam verò minimè. 2011.A

Diaconissarum officium in Ecclesia quodnam olim fuerit & an fuerit verè Ordo. 1984.D

Diabolus.

Diabolus quomodo sit mũdi Princeps & peccatores eius serui. 400.B.402.B

Dabolus non potest esse minister Sacramentorum. 705.B

Diuortium.

Diuortium apud Iudæos olim vsitatum probabilius est permissum tantum tanquam minus malum à Moyse, non autem approbatum etiam à Deo fuisse. 2087.A. & *seq.*

Coniuges per diuortium separatos non posse matrimonium aliud inire quamdiu vterq; coniux superstes est, defenditur contra Sectarios. 2087.A

Diuortium quoad cohabitationem licitum est, propter fornicationem alterius coniugis, & qua authoritate & an necessariò faciendum sit. 2132.A.B. *item ob sæuitiam & furorem alterius coniugis & qualem.* 2132.C. *item ex parte ob lepram aut similem morbum.* 2132.D. *ob hæresin; & quid si ab ea resipiscat coniunx.* 2133.A.B. *ob Sodomiam.* 2133.C. *ob graue periculum peccandi mortaliter ex cohabitatione imminens.* 2133.D. & *ob periculum mortis corporalis.* 2132.C. 2134.B

Sectariorum argumenta, quibus non nisi ob caussam fornicationis licitum esse diuortium quoad vinculum matrimonij contendunt, refelluntur. 2134.C. & *sequentib.*

Quomodo Christus ob sõlam fornicationem permiserit diuortium. 2134.D

Cur ob sõlam caussam fornicationis ordinariè liceat in perpetuum separare se à commercio coniugis non autem ob alias caussas. 2135.C

Dolor de peccatis.

Vide Contritio.

Donatistæ.

Donatistæ à Ministro infideli vel improbo negarunt validè Sacramentum administrari. 715.A

Ebion.

Ebion negauit Christum esse verum Deum. 94.A *Ebionæi senserunt impiè Christum ordinario modo corrupta Matris Virginitate generatum fuisse.* 531.B

Ecclesia.

Ecclesia quomodo dicatur corpus. 287.C

Ecclesia quod definit, recipiendum est. 727.B

Citra authoritatem Ecclesiæ non possunt hæretici sufficienter probare sua Sacramenta. 727.D

Ecclesiæ generalis consuetudo non est repudianda, vt hæretici faciunt. 897.A.B

Ecclesiæ Catholicæ praxis colendi & venerandi SS. Eucharistiam. 961.B. & *seq. Vide Eucharistiæ materia pro vt conuertitur in corpus Christi, &c.*

Ecclesiæ generalis consuetudo obseruanda. 1215.B

Ecclesiæ consuetudo non facit præceptum diuinum. 1263.D. & *seq.*

Ecclesiæ antiqua consuetudo de vsu communionis in vtraque & in vna tantum specie. 1264.A.& *sequentibus.*

Ecclesia olim Eucharistiam exhibuit infantibus. 1264.A

Ecclesiæ Hierosolymitanæ consuetudo non administrandi olim Eucharistiam in specie Vini. 1264.D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiæ antiqua olim consuetudo in maiore Quantitate consecrandi speciem panis quàm vini pro Eucharistia. 1265.D
Ecclesiæ antiquæ variæ consuetudines, ex quibus probari potest usus Eucharistiæ in vna specie tempore Apostolorum. 1264.B. *post tempora Apostolorum.* 1265.D
Ecclesiæ antiqua consuetudo non consecrandi in Parasceue & Sabbatho sancto, extra Missam de ipsa resurrectione Domini. 1267.C
Ecclesiæ munus est constituere ea quæ in Sacramentorum administratione diuinitus non sunt determinata. 1279.A. *& seq.*
Ecclesiæ præcepta non sunt à Christianis discutienda. 1280.D
Ecclesiæ consuetudo olim etiam obseruata hæreses enascentes contraria praxi refutandi. 1282.B
Ecclesiæ authoritati nihil detrahitur, etiamsi progressu temporis quædam ad praxin spectantia rectius constituta sint quàm fuerint antea. 1283.B
Ecclesia tota errare non potest. 1393.A
Ecclesiæ Vniuersalis consuetudo offerendi Missæ sacrificium. 1393.B. *vt seq. eaq; ab initio vsu recepta.* 1394.A
Ecclesiæ etiã præsentis authoritas infallibilis est. 1464.C
Ecclesiam habere potestatem instituendi sacramentalia, quæ valeant ad remissionem Venialium. 1546.A
In Ecclesia qualis sit thesaurus ad absolutionem pœnæ temporalis aliorum valens. 1848.A. *& seq.*
Contraria Maironis sententia refellitur vt erronea. 1857.C.D
Ecclesiæ ille thesaurus non constat tantum ex satisfactionibus Christi sed etiam Sanctorum. 1859.A
In Ecclesia quàm ampla sit potestas remittendi peccata. 1861.B. *& seq.*
Ecclesiæ quanta authoritas. 2190.D
Ecclesiæ persecutio tempore Antichristi. 2265.A
Ecclesiæ fides nunquam omnino deficiet. 2267.B.C
In Ecclesia orientali non licuit post ordines sacros contrahere matrimonium. 2010.A

Elias.

Eliam sub tempus Antichristi venturum. 1264.B. *ab Antichristo occidendum.* 2270.C

Eleemosyna.

Eleemosynam cur solam ad remissionem peccati valere ex sacra Scriptura probari non possit. 1532.D
Eleemosynam valere ad remissionem venialium. 1545.B

Encratitæ.

Encratitæ hæretici malè negabant matrimonium esse rem per se bonam. 2045.D. *& sequent. Vide Matrimonium.*

Enoch.

Enoch sub tempus Antichristi venturum. 2264.B. *ab Antichristo occidendum.* 2270.C

Episcopus.

Episcoporum ordinem ex institutione diuina esse in Ecclesia: eumq; ab aliis distinctum. 1928.D
Episcopus an tantam potestatem habeat in sua diœcesi, quantam Pontifex in tota Ecclesia. 879.C.D
Episcopalis benedictio valet ad venialium remissionem. 1544.C
Episcoporum ordinem non modò iure diuino superiorem esse diaconatu. sed etiam Presbyterio. 1930.C. 1939.C. *neque contrarium sensit vel docuit S. Hieronymus.* 1938.C
Episcopos in Ecclesia succedere summis sacerdotibus ex synagoga. 1931.D
Episcopis & Presbyteris idem nomen commune sed diuersus gradus. 1935.D. *& seq.*
Episcopi non modo ordine sed & iurisdictione superiores sunt ex institutione diuina Presbyteris. 1938.C.D. *idq; nunquam negauit S. Hieronymus. ibid.C. & seq.*
Episcopis superiores sunt Archiepiscopi, & his Patriarchæ & Primates, & his ipsis antecellit Summus Pontifex. 1941.D
Episcoporum munus quod sit. 1951.A. *& sequentib. & quomodo possint officium concionandi per alios præstare.* 1951.B
Episcoporum ordo quomodo sit superior ordine sacerdotum. 1955.D. 1967.A. *& cur sine hoc non possit consistere.* 1965.D. *Vide Ordinis Sacramenti ratio & partes.*
Episcopus per quamnam potestatem ordinare possit sacerdotes. 1966.A.B
Episcopatus peculiarem respectum habet ad Eucharistiam. 1967.A
Episcopos aliquos sanctos olim quidem vxores habuisse, sed iis non esse vsos. 2012.B

Erasmus.

Erasmus non rectè dubitauit de firma Eucharistiæ, sequutus Lutherum. 1151.A.B
Erasmus negauit Confessionem specialem omnium peccatorum mortalium fundamentum habere in antiquitate. 1636.B
Erasmus malè dixit Excommunicationem territare pueros non autem viros fortes. 1791.B. 1792.B
Erasmus malè improbauit Cœlibatum Sacerdotum & Clericorum. 2013.C.D
Erasmus non rectè sensit matrimonium ob adulterium coniugis posse dissolui. 2076.C
Erasmi argumenta pro hoc errore soluuntur. 2084.C
Erasmus non rectè censuit matrimonia sine consensu parentum contracta esse inualida. 2122.A. *Eiusq; argumenta soluuntur.* 2124.C

Error.

Error circa personam quomodo inualidet matrimonium. Vide Matrimonij caussa efficiens & Matrimonij impedimenta.

Eucharistia secundùm se.

Eucharistia quid nominis. 888.A. 889.B
Eucharistiæ generalis descriptio. 888.B
Eucharistiæ varia nomina. 889.B. *& seq.*
Eucharistia an rectè vocari possit cœna Domini. 890.C
Eucharistia est Sacramentum & à Christo in cœna vltima institutum, & quæ instituendi conuenientia. 891.B. *& seq.*
Eucharistiam instituit Christus in azymo decima quarta luna. 564.C. 917.D

Eucha-

Eucharistiam esse Sacramentum hæretici non possunt euidenter ex Scriptura conuincere. 891.B.C
Eucharistiæ Sacramentum antè promissum fuit quàm institutum. 892.A
Eucharistiæ variæ figuræ extiterunt in veteri Testamẽto, sed præcipua fuit ritus agni Paschalis. 892.B. *& seq.*
Eucharistia Sacramentum in qua re consistat, Sectariorum sententia. 893.C
Argumenta sectariorum soluuntur. 899.A. *& seq.*
Eucharistiæ Sacramentum non agnoscunt Sectarij extra eius vsum. 893.C. 894.D. *& seq.*
Eucharistia Sacramentum consistere in aliqua re permanente & durabili. 895.A. *idq; probatur maximè ex SS. Patrib. ex vsu & authoritate Ecclesiæ.* 895.B. *& seq.*
Eucharistiam etiam in veteri Ecclesia asseruari solitam. 896.C. *& idipsum fatentur sectarij.* 897.A
Eucharistiam asseruandi consuetudo nunquam fuit prohibita vt fingit Kemnitius. 897.D
Eucharistiæ Sacramentum quibus verbis conficiatur. 899.D
Eucharistia vt ab aliis Sacramentis differat. 898.D. *& seq.*
Eucharistiæ Sacramentum an propriè consistat in speciebus panis & vini consecratis, & an in corpore & sanguine Christi. 901.C. *& seq.* 902.D
Eucharistiæ Sacramenti virtus quomodo dicatur corpus Christi. 902.C
Eucharistiæ consecratio & sumptio non est Sacramentum nisi inadæquatè. 904.B. *& seq.*
Eucharistiæ consecratio propriè non est nisi sacramentale quoddam; & sumptio, Sacramentalis eius vsus. 905.B
Eucharistiam esse vnum Saacramentum formaliter, & plura materialiter. 906.D. *& seq.*
Eucharistiæ Sacramentum secundùm rationem essentialem perfectè consistere in quauis specie, quoad individuam non nisi in vtraque specie. 908.A
Eucharistiæ Sacramentum necessarium est necessitate præcepti omnibus adultis. 908.D. *& seq.*
Eucharistia quomodo dicatur paruulis necessaria. 909.C.D
Discrimen inter Eucharistiam & Baptismum quoad necessitatem. 909.B. *& seq.* 910.B
Eucharistiæ votum implicitum contineri ipsa susceptione baptismi. 909.D. *& seq.*
Eucharistia quomodo sit necessaria in voto, baptismus in re. 910.C
Eucharistia non est necessaria necessitate medij, & pluribus modis suppleri potest, quàm baptismus. 111.A.B
Eucharistia habet certam promissionem gratiæ, quam tamen Sacramentarij ex Scriptura ostendere non possunt. 1000.A. *& seq.*

Eucharistiæ Sacramenti materia.

Eucharistiæ materiam esse panem & vinam. 912.A
Circa Eucharistiæ materiam variæ hæreses antiquorum. 913.B. *& seq.*
Eucharistiæ materiam esse quemuis verum panẽ. 914.D
Eucharistiæ materiam esse panem triticeum, & quomodo. 915.C
Eucharistiæ materia an possit esse panis ex siligine, farre, spelta. 915.D. *& seq.*
Panis ex hordeo, milio, fabis, amylo, an sit apta materia Eucharistiæ. 619.A.B
Ex parte modi coquendi panem, quis panis sit apta materia Eucharistiæ, an frixus, elixus, &c. & an pastus. 916.B
An ad verum panem requiratur aqua simplex & naturalis. 916.C
Eucharistia an consecranda in pane azymo vel fermentato. 917.A. *& seq.*
Eucharistia olim propter Ebionitarum hæresin consecrata in fermentato. 1282.B
Consuetudo Ecclesiæ latinæ consecrandi in azymo conformior est rationi, quàm Græcæ. 917.C
Eucharistiæ materiæ pars altera est vinum ex vite collectum. 917.D
Acetum, agresta, vua, vinum congelatum, mustum, an sint apta materia Eucharistiæ. 918.A. *& seq.*
Aquam vino esse permiscendam ex præcepto diuino. 919.B. *& seq.*
Non esse de necessitate Sacramenti, vt vinum aqua misceatur. 920.B
Qui nam improbârint hunc ritum miscendi vinum aqua. 920. *Refelluntur.* 921.A. *& seq.*
Eucharistiæ materiæ Quantitas neque quoad magnitudinem, neq; quoad paruitatem est determinata. 922.B. *& seq. Probatur.* 925.B.C
Quæ sit ratio discriminis quoad hoc inter Baptismum & Eucharistiam. 925.A
Eucharistiæ materia esse posset particula panis tam parua, vt à nemine videri posset. 925.D
Eucharistiæ materia an & quomodo debeat consecranti esse præsens. 926.B. *& seq.*

Eucharistiæ materia pro vt conuertitur in corpus & sanguinem Christi.

Caluinistæ quibus verborum inuolueris tegant suum errorem, de præsentia Christi in Eucharistia. 928.A. *& sequent.*
Eorundem error detegitur. 930.A. *& seq.*
Ecclesiæ Catholicæ sententia de præsentia Christi in Eucharistia. 930.C. *p.* 1010.B. *Probatur I. ex historia certaminum de hac ipsa quæstione.* 931.D. *& sequent. II. ex verbis quibus a Christo institutum est hoc Sacramentum.* 939.B. *III. ex aliis Scripturæ locis.* 945.A. *& sequent. IV. Septendecim argumentis, ex SS. Patribus.* 946.D. *& seq. V. ex antiqua Ecclesiæ praxi.* 961.B. *& seq. VI. ex iis quæ Caluinistæ aduersarij ipsi alioqui concedunt.* 966.B. *& seq. VII. ex miraculis.* 977.B. *& seq.*
Hæretici qui variis temporibus negârunt præsentiam Christi in Eucharistia, & quomodo semper refutati sint. 932.B. *& seq.*
I. Argumentum ex SS. Patribus asserentibus Christum præsentẽ in Eucharistia, ex eo quod nunquã significârunt Eucharistiam esse tantum signum corporis Christi. 947.A. *& seq.*
II. Argumentum quòd SS. Patres expressè reiecerunt illam interpretationem; Hoc est corpus meum, id est, signum corporis mei. 951.A. *& seq.*

III. Quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

III. Quòd SS. Patres ex omnipotentia Dei defendere conantur præsentiam Christi in Eucharistia, etiamsi sensus aliter iudicent. 952.C

IV. Quòd SS. Patres ratione huius mysterij censent Christum esse simul in pluribus locis. 954.A

V. Argumentum ex SS. Patribus sumitur ex pulcherrimis locutionibus quibus hoc mysterium amplificant. 954.B

VI. Quòd sancti Patres rationem reddant, cur Christus hic adesse sub aliena specie voluerit. 955.B

VII. Quòd sancti Patres accuratè explicent, quomodo Christus in Eucharistia non corrumpatur, &c. 956.A

VIII. Quòd SS. Patres studiosè declarent, ex quibus naturis constet persona Christi hoc Sacramẽto contenta. 956.B

IX. Quòd SS. Patres per hunc articulum fidei defendant alios. 956.C

X. Quòd SS. Patres asserant nos vnum corpus effici cum Christo, &c. 957.B

XI. Quòd SS. Patres affirment etiam à malis & indignis hominibus sumi Christi corpus, &c. 958.A

XII. Quòd SS. Patres dicant, Christum comedisse summet corpus, &c. 959.A

XIII. Quòd SS. Patres asserant Christum semet sacrificasse Deo in vltima cœna, &c. 959.B

XIV. Argumentum ex SS. Patribus, quod quicquid continet aut tangit Eucharistiam, dicant tangere corpus Christi. 959.C

XV. Quòd SS. Patres longè reuerentius de Eucharistia loquuntur quam de aliis quibuscunque Sacramentis. 960.A

XVI. Quòd SS. Patres censuerunt Eucharistiam esse adorandam, &c. 960.D. & seq.

XVII. Quòd etiam Gentiles eam esse SS. Patrum sententiam intellexerunt. 961.A

Ecclesiæ Catholicæ praxis adorandi Eucharistiam. 961.B.C. inuocandi Christum in Eucharistia. 692.B. Summa religione sumendi & tractandi Eucharistiam. 962.C. religiosè custodiendi SS. Eucharistiam. 963.D. 1158.B. Vsurãpdi in articulo mortis, p viatico. 963.D. religiosè tractandi ea omnia quorum vsus est in celebratione Eucharistiæ. 964.A. colendi sacerdotes propter idem mysterium. 964.B. faciendi calices & alia ornamẽta Eucharistiæ ex pretiosa materia. 964.C. reuerenter habendi communem panem & vinum propter Eucharistiam. 965.B. assuefaciendi paruulos ad reuerentiam peculiarem erga hoc Sacramentum. 965.C. adhibendi hoc Sacramentum ad pellendos dæmones. 965.D. circumferendi SS. Eucharistiam. 966.A

In Eucharistia non potest Christus verè, propriè & substantialiter vniri nobiscum nisi per indistantiam localem. 966.D

Ecclesiæ Catholicæ sententia de præsentia Christi in Eucharistia. Probatur refutatione directa contrarij erroris Sacramentariorum. 978.C. Vide Sacramentarij.

Sub quauis specie & panis & vini esse integrum Christum, defenditur contra Sacramentarios. 1003.D

Argumenta pro contrario errore Sacramentariorum soluuntur. 1010.D

Eucharistiæ mysterium non esse prodendum infidelibus. 963.A.B

Corpus Christi non esse circumscriptiuè in Eucharistia idq; esse posibile. 1025.D. & seq.

Corpus Christi in Eucharistia esse in pluribus locis, idq; esse posibile. 1029. & seq. Vide etiam Corpus.

Eucharistia rectè adoratur, nec est in eo periculum idolatriæ. 960.D. & seq. 1048.B

Substantiam panis & vini in Eucharistia conuerti in corpus & sanguinẽ Christi. 1051.B. 1086. Vide Transubstantiatio.

Eucharistia cur in Scriptura vocetur panis. 1069.C.D

Quæ sit similitudo Eucharistiæ & Incarnationis Christi. 1075.C. quæ dissimilitudo. 1127.A

Per Eucharistiam quomodo significetur vnio corporis mystici in Ecclesia. 1077.D

Accidentia panis in Eucharistia quomodo possint nutrire. 1082.A

In Eucharistia sub specie panis concomitanter esse sanguinem. 1091.D. & sequent. animam & diuinitatem. 1093.B. 1122.D

Recténe dicatur, panis est, vel sit corpus Christi, &c. 1110.C

Totum Christum secundùm substantiam esse præsentem in Eucharistia. Probatur ex Scriptura. 1112.A. ex SS. Patribus. 1113.A. ratione. 1114.A. praxi Ecclesiæ. 1114.D. ex definitione Ecclesiæ. 1115.A

Personam diuinam verbi peculiari ratione esse in Eucharistia. 1115.A

Corpus Christi in Eucharistia datur viuum non mortuum, licet id blasphemè neget Fortunatus Crellius. 1288.B

Totum Christum etiam secundùm sua accidentia omnia intrinseca & absoluta, quæ habet in cœlo, atque adeò etiam secundùm suam Quantitatem esse in Eucharistia. Probatur ex verbis Christi. 1115.D. & seq. ex fidelium sensu. 1116.C. ex Conciliis. 1117.B. ex SS. Patribus. 1117.C

Argumentum pro contraria opinione Durandi solutur. 1117.D

An Christus tum secundùm substantiam tum quantitatem in Eucharistia sit diuisibiliter vel indiuisibiliter. 1118.D. 1121.B.C

Christum in Eucharistia tamdiu manere, quamdiu manent species incorruptæ, saltem quoad earum quantitatem. 1119.B

Quid si miraculosè in Sacramento caro vel puer, &c. appareret, maneret ne in illo Christus? 1119.D. & seq. an sumenda talis hostia? 1120.B. an alia consecranda? 1120.C

Christus non est in Eucharistia vt in loco, nec per sólum respectum præsentiæ sed alio modo ineffabili. 1120.D.

Christus in Eucharistia neque est stans, neque pronus, neque supinus. 1109.C

Corpus Christi in vltima cœna datum discipulis qualenam fuerit. 1287.D

Chri-

Christus in Eucharistia nec est circumscriptiuè nec definitiuè propriè. 1121.C.D

Christus æquè totus est sub quauis specie atq; sub vtraq;. 1122.A

Christus totus non eodem modo est sub vna specie atque sub altera. 1122.D

Per corpus Christi, quod primariò & ex vi consecrationis est in Eucharistia sub specie panis, quid intelligatur. 1123.B

Quid si in triduo mortis fuisset consecrata aut ad illud triduum reseruata hostia, fuisset ne corpus viuum cum sanguine. 1123.D. 1287.D. & seq. et an saltem per potentiam Dei absolutam potuisset esse viuum in Eucharistia. 1288.A

Christus sub quauis particula speciei est totus, tum ante separationem, tum post separationem. 1124.A

Christus non est in loco specierum propriè localiter. 1125.A

Christus motis speciebus localiter etiam ipse per accidens mouetur localiter. 1175.B. nisi tantùm circulariter circumageretur hostia. 1125.C

Christus nullo alio genere mutationis, præterquam localis, potest à vi extrinseca affici. 1125.C

Quomodo Christus à SS. Patribus dicatur in Eucharistia attingi, frangi, dentibus atteri, &c. 1126.A.B. 1127.D

Christus non potest oculis aut aliis sensibus naturaliter à nobis percipi in Eucharistia. 1127.B. per potentiã Dei absolutam posset. 1128.A

Christus in Eucharistia non potest naturaliter videre nos, aut aliquo sensu percipere, quæ circa ipsum Sacramentum fiunt. 1127.D. sed seipsum videre potest. ibid.

Modus quo Christus est in Eucharistia non potest sensu cognosci. 1128.B. neque distinctè intellectu nisi beato. 1129.A

Christus quando & quamdiu maneat sub speciebus. 1201.C

Sententiæ quorundam singulares hac de re refelluntur ibid.

Eucharistiæ species seu accidentia.

Accidentia in Eucharistia non sunt inhæsiuè in eodem subiecto, in quo erant antè, nec in corpore Christi, neque in alio corpore, & quàm sit hoc certum. 1128.C. & seq. 1077.B

Quo nam modo accidentia illa existant sine subiecto. 1130.C.

Caietanus nec verè nec ex mente D. Thomæ vult addi ipsis accidentibus nouum modum substantialem naturæ priorem ipsa existentia per quem sine subiecto existant. 1132.A. & seq.

Modus quo accidentia existunt sine subiecto an sit aliquid substantiale vel accidentale. 1133.D

In Eucharistia quot accidere soleant miracula. 1134.C.D

Quantitas in Eucharistia est subiectum Quod reliquorum accidentium & quomodo. 1135.D

Non existit ibi vllo modo vt Quo, sicut alia accidentia. ibid. & seq.

Accidentia in Eucharistia possunt agere omnia quæ poterant antea. 1136.B. etiam producere substantiam. 1137.A. idque sine nouo miraculo. 1137.C. non tamen vt propriè instrumenta substantiæ. 1137.D

Accidentia in Eucharistia possunt corrumpi per se & per accidens. 1138.A. & seq. & quidem naturaliter posito primo miraculo. 1138.D. idque etiam quoad corruptionem per accidens locum habet in quantitate. 1139.A. & seq. non tamen per quamuis diuisionem corrumpitur Physicè quantitas. 1140.A

Quantitas hostiæ potest etiam frangi, neq; tamen per accidens frangitur Christus. 1140.B.C

Accidentibus vini permisceri potest alius liquor. 1140.D. & quomodo per admixtionem corrumpi possint. 1141.A. et seq. & quid si corrumpantur, vel de corruptione dubitetur. 1143.A

Vinum consecratum mixtum alteri consecrato præsertim simili, etiam per totum, non desinit esse sanguis Christi. 1142.B

Liquor non consecratus vino consecrato permixtus non est sanguis Christi. 1142.D. & seq.

Ex quibus qualitatibus vini admixti vino consecrato diiudicandum an hoc corrumpatur. 1142.D

Ex quantitate hostiæ affecta illis accidentibus posse quiduis generari, quod antea ex materia potuit, sed diuerso modo. 1143.C.D. & seq.

Quantitas in huiusmodi generatione conuertitur in materiam, & quomodo. 1144.B.C

Contrariæ sententiæ quorundam refelluntur 1145.B. & seq.

Non redit in eiusmodi generatione virtute diuina eadem numero substantia panis. 1146.A

An dici possit in tali generatione quantitas annihilari & materia de nouo creari. 1146.B. & seq.

Non producitur tunc materia ex ipsa potentia quantitatis. 1147.C

Quædam & qualia miracula circa Eucharistiam admittenda sint. 1147.A

Accidentia Eucharistiæ possunt etiam nutrire. 1149.A

In qualibet specie est significatio refectionis spiritualis tota essentialiter. 1254.D. & significatio item mortis Christi vnionis fidelium inter se, & cum Christo. 1255.B. & efficacitas Sacramenti huius tota per se. 1255.C

Eucharistiæ forma.

Error Manichæorum & recentiorum etiam hæreticorum negantium esse certam in hoc Sacramento verborum formam necessariam. 1148.B

In Eucharistia necessariam esse certam aliquam verborum formam, probatur ex Scriptura, Patribus, traditione, et ratione. 1148.C. et seq. nec obstat quod verba Physicè non maneant. 1150.B

De forma Eucharistiæ non rectè dubitarunt Erasmus & Scotus. 1158.D. & seq. qui etiam malè putauit aliquid aliud ad veritatem Eucharistiæ esse neces-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sarium præter materiam & formam & intẽtionem. 1150. D. 1151. D. *& seq.*
Verba formæ Eucharistiæ debent in persona Christi proferri saltem ex accomodatione & vsu morali. 1152. B. *neque necessarium est ad hoc præmittere verba illa,* Deditque discipulis suis, &c. *vt Scotus volebat.* 1152. B
Eucharistiæ forma non consistit in recitatione orationis dominicæ, &c. 1153. B. C
Eucharistiæ forma non consistit etiam in quadam oratione præter verba Christi, vt volunt Græci. 1154. C *& seq. Quorum fundamentum subuertitur.* 1155. D. *& seq.*
Error Lutheranorum & aliorum hæreticorum nostri temporis de forma Eucharistiæ. 1157. A. *& seq. Vid. Sacramentarij.*
Præceptum illud Christi: Hoc facite, *&c. quam vim habeat.* 1158. D. *& seq.* 1163. B
Eucharistiæ forma non consistit in omnibus verbis, quæ tam super calicem quàm panem proferuntur. 1162. C. *neque rectè hoc limitat Richardus.* 1164. A
Contrariæ sententiæ argumenta soluuntur. 1164. B
Vnde diiudicandum sit quænam verba ad formam Eucharistiæ spectent. 1164. A. B
In quibusdam liturgiis non haberi verba illa : Mysterium fidei & æterni. 1162. D
Quid verbis illis : Noui & æterni testamenti, mysterium fidei, *significetur.* 1163. C
Quibus verbis Christus consecrauerit. 1171. A. *& seq. An circa calicem omnia verba protulerit, quæ iam proferri solent.* 1164. B. C
Quare verba, quæ proferuntur super calicem, omnia eodem modo notentur & proferantur. 1167. D
Noua quædam & mala Philosophia Soti circa hoc refellitur. 1165. C. *& seq.*
Non est nec potest esse intentio Ecclesiæ, vt existente iam vera materia & forma Sacramenti per legitimum Ministrum prolata, &c. non sit tamen adhuc verum Sacramentum. 1165. D
Qua intentione ea omnia verba Calici adhiberi solita, proferenda sint. 1168. A
Non possunt ea verba in consecratione calicis citra sacrilegium prætermitti. 1168. D
Eucharistiæ forma in quibus verbis determinatè consistat. 1168. D. *Probatur vera sententia ex natura huius Sacramenti & Christi institutione.* 1169. B. *ex SS. Patribus.* 1170. A
Eucharistiæ forma non est elata voce ad modum prædicantium pronuntianda, vt volunt Prædicantes. 1172. B
Eucharistiæ formam veram esse defenditur, solutis omnibus dubitandi rationibus. 1173. D. *& sequentibus.*
Nec obstat quod Sacerdos dicat : Est corpus meum: *non solùm recitatiuè sed etiam significatiuè & personaliter.* 1174. B. *& seq. id quod tamen aliqui malè negant.* 1113. D. *& seq.*
Eucharistiæ forma quomodo peculiariter à Sacerdote in persona Christi proferatur. 1175. B
In Eucharistiæ forma particula, Hoc est, *variis modis ab Hæreticis et quibusdam etiam Catholicis explicatur, sed malè.* 1175. D
Vera & Catholica sententia de sensu voculæ illius : Hoc, *& quidnam per eam demonstretur.* 1177. D. *& seq. Confirmatur ex vulgari modo loquendi.* 1179. A
Scotus à vera sententia nonnihil recedit. 1179. D
Copula Est, *nihil detrahit veritati orationis illius :* Hoc est corpus meum. 1180. A. *imò nec obstat, quin etiam ex natura sua vera sit illa oratio.* 1180. B
Eucharistiæ forma vera est, non obstante hoc, quod sit practica. 1180. C. D
Eucharistiæ forma efficit suũ significatum etiam vt vera est, & non vt neutra. 1181. C. D
Per Eucharistiæ formam tanquam per instrumentum quoddam conuerti panem in corpus Christi, eaque ratione Christum sisti præsentem in Eucharistia. 1182. C
Eucharistiæ Minister vt proferens formam, concurrit quoque cum ea instrumentaliter ad conuersionem. 1182. D
Sectarij contradicunt huic veritati. 1182. A. 1183. B
In quo consistat virtus illa instrumentalis quæ inest verbis formæ. 1183. C
Eucharistiæ forma quandonam consequatur suum effectum conuersionis. 1183. D
Eucharistiæ forma vt instrumentum Dei, concurrit etiam ad gratiam producendam, licet secundùm se non existens. 1183. D. *& seq.*
Discrimen inter Eucharistiam & alia Sacramenta quoad formam. 1184. B

Eucharistiæ effectus ex vsu prouenientes.

Eucharistiæ effectus duplices. 1184. C
Eucharistia confert augmentum gratiæ habitualis & alia auxilia actualia gratiæ conciliat, &c. 1185. C. *& seq. idque probatur ex SS. Patribus.* 1186. B. C
Eucharistia confert hanc gratiam non ante comestionem. 1190. C. *nec post, nisi per accidens.* ibid. D
Quare à sumentibus Eucharistiam non percipiatur aliquando delectatio & suauitas. 1187. A
Per Eucharistiam transformatur homo in Christum non Christus in hominem. 1186. D
Per Eucharistiæ sumptionem remittuntur peccata venialia. 1187. B
Eucharistia præseruat à peccatis mortalibus. 1187. C
Eucharistia vnit fideles cum Christo & inter se. 1187. D
Eucharistia confert ius ad vitam æternam præfiguratæ illo pane subeuntis Heliæ. 1188. A. B
Eucharistia confert immortalitatem corpori post resurrectionem. 1188. C

Eucharistia quomodo conferat primam gratiam, atque adeò remissionem peccati mortalis. 1189. A
Eucharistia quomodo à pœna temporali liberet. 1189. C
Eucharistia per accidens est causa mali. 1189. C
Eucharistiæ effectus principalis non est remissio peccati mortalis, vt volunt Sectarij. 1191. D
Argumenta Sectariorum soluuntur. 1192. D
Eucharistiæ effectus quinam participare possint. 1193. D
Eucharistiæ effectus impedit conscientia peccati mortalis. 1194. A
Eucharistiæ effectus non impediuntur per venialia peccata, si absit affectus. 1194. B
Eucharistiæ effectus quosnam impediant venialia peccata in ipso communicandi actu commissa. 1194. B
An ad gratiam vel augmentum gratiæ acquirendum per Eucharistiam, requiratur tempore communionis actualis deuotio. 1194. C
Caietani sententia reiicitur, argumenta soluuntur. ibid. A. B
Falsè Caietanus & contra mentem D. Thomæ asserit, si quis suppleat defectum actualis deuotionis post communionem, consecuturum gratiam Eucharistiæ. 1196. A

Eucharistiæ vsus siue sumptio.

Eucharistiæ sumptio triplex. 1196. C
Eucharistiæ sumptionem Sacramentalem tantùm, aliter Catholici, aliter Sacramentarij explicant. 1198. A
Eucharistiæ Sacramentalis mãducatio requirit intentionem. 1198. C
Eucharistiæ spiritualis manducatio non excludit apud Catholicos alios modos manducandi Christum spiritualiter, vt calumniatur Kemnitius. 1198. D. *& seq.*
Eucharistia qua ratione spiritualiter manducauerint Patres veteris Testamenti. 1199. C
Eucharistiæ participes esse possunt spiritualiter aut etiam Sacramentaliter propriè, soli homines ratione vtentes, vel qui antea vsi sint ratione, & desiderium habuerunt huius Sacramenti. 1199. D
Eucharistiã quomodo spiritualiter manducent Angeli. 1200. A
Eucharistia non est danda infantibus aut perpetuò amentibus. 1200. A
Eucharistia danda est amentibus, si quandoq; rationis compotes eam desiderauerint. 1200. B. C. *& quando eis prosit.* ibid.
Eucharistiæ Sacramentalis sumptio non est reipsa paruulis necessaria ad salutem. 1200. D
Eucharistiam non licet dare paruulis, etiamsi viguerit olim contraria consuetudo. ibid.
Eucharistia si daretur paruulis, augeret gratiam eorũ. 1201. A
Ad cõmunionem quo tempore admitti possint pueri. 1201. B
Eucharistia quid si à bruto sumatur. 1201. C. *& quid cum bruto capto faciendum.* 1202. A
Eucharistiam dignè sumpturus debet, iure diuino haud temerè statuere, posse se in gratia Dei esse. 1202. B. *non tamen requiritur certitudo fidei hac de re vt volunt Sectarij.* 1203. C. *& seq. neque est necesse vt reipsa sit in gratia, vt vult Maior.* 1204. C
In peccato mortali scienter communicare quàm graue peccatum. 1202. C
In vno solùm casu accidere posse vt aliquis nec peccet vsurpando Eucharistiam, neque gratiam accipiat. 1205. C
Eucharistiam sumens probabiliter existimans se esse in gratia, qua tamen re ipsa caret, accipit gratiam. 1205. B
Eucharistiam percepturus si conscius sibi sit alicuius peccati mortalis, debet ex præcepto diuino et humano prius confiteri peccata Sacerdoti. 1206. *idque probatur variis modis.* ibid. C. *& sequen. etsi non obligetur peculiari præcepto contritionis.* 1618. C
Contrariæ sententiæ argumenta soluuntur. 1207. D. *& seq.*
Eucharistiam percipere nulla peccatorum Sacramentali confessione præuia, dummodò adsit pœnitentia interior, & propositum quàm primum confitendi, in quibus casibus liceat. 1208. A
Communicare prætermissa confessione non licet, vt expectetur commodior Confessarius. 1208. D
Ob præceptum communicandi in Paschate implendum non licet prætermissa confessione communicare. 1208. D
Solum in articulo mortis communicare licet prætermissa confessione non obstante excommunicatione, quam ob peccatum nondum Confessione patefactum quis incurrerit. 1208. D
Eucharistia cui peccatori notorio neganda, etiamsi publicè petat. 1209. B. C
Eucharistia peccatori publico etiam post actam pœnitentiam, non est danda publicè, sed secretè, nisi publicè etiam constet de eius pœnitentia. 1209. D
Eucharistia peccatori occulto publicè petenti non est neganda. 1209. D. *& sequen. etiam petenti non à Parocho, aut etiam extra tempus ad communicandum obligans.* 1210. A. *& sequentibus.*
Eucharistia cuinam occulto excommunicato non sit neganda publicè petenti. 1211. A
Eubharistia an sit neganda peccatori hîc occulto, alibi notorio si publicè petat, præsertim si crimen sit contagiosum & perniciosum Reipublicæ 1211. C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eucharistia peccatori occultè petenti neganda. 1211. D. *nisi peccatum sit solùm in confessione cognitum, & Eucharistia petatur à proprio Parocho eo tempore, quo aliàs administrare Parochus teneatur.* 1212. B. C

Nunquam licet hostiam consecratam dare peccatori vitandi sacrilegij causa. 1212. C

Eucharistia non est danda probandi causa suspectis de crimine. 1212. D

Eucharistiam ieiuno stomacho percipiendam ex præcepto Ecclesiastico. Probatur ex SS. Patribus. 1213. A. *neque id vspiam negat S. Augustinus, vt mentitur Kemnitius.* 1216. B

Ieiunium hoc incipiendum à media nocte. 1213. B. *idq; debere esse naturale & strictissimum.* 1213. C

Ieiunio huic nihil officit, si quis casu inter ablutionem oris exiguum aliquid deglutiat, &c. 1213. C

Reliquiæ hostiæ in calice remanentes, etiam post sumptam ablutionem sumi debent. 1313. D

Infirmis etiam non ieiunis an & quomodo sit danda Eucharistia. 1214. A. *& quid si deesset hostia, an post prandium ad eum vsum consecrari posset.* ibid.

Luthero & eius asseclis nõ placet hoc præceptum ieiunij, sed refellitur, solutis eius argumentis. 1215. B

Eucharistiam percipiendi post cœnam in feria V. cœnæ Domini antiqua consuetudo abolita. 1215. D. 1216. B

Eucharistiæ sumptionem an & quomodo impediat pollutio. 1216. D. *& seq.*

Eucharistiam omnes ex præcepto diuino percipere debent, qui ad rationis & discretionis vsum peruenerint. 1217. B. C

Contraria sententia quorundam refellitur. 1218. A. *& sequen.*

Eucharistia ex præcepto diuino non tantùm semel in vita, & semel imminente morte sumenda est. 1218. D

Eucharistiam sumere debent Sacerdotes sacrificantes. 1285. B

Eucharistia ex præcepto diuino sumenda in articulo mortis. 1219. A. *item aliquando ad vincendas graviores tentationes.* 1219. B. *& cùm quis existimat se non amplius in vita habiturum eius rei opportunitatem.* 1219. B

Eucharistia quando & quoties sumẽda ex præcepto Ecclesiastico. 1219. C

Eucharistia quoties & quando olim ex præcepto Ecclesiastico sumi debuerit. 1219. D

Ecclesiasticum præceptum semel in anno communicandi non obligat ante annum duodecimum ætatis. 1220. B

Quo tempore anni ex præcepto Ecclesiastico communicandum. 1220. B. C. *& quid si quis eo tempore censura sit impeditus.* 1220. C

Non communicans in Paschate non tenetur sub nouo peccato postea communicare. 1220. D

Ecclesiasticum præceptum nihil derogat præcepto diuino, quo quis extra Pascha obligari possit ad communionem. 1221. C

Saluberrimum est quàm frequentissimè communicare per se loquendo. 1221. D

Ad communionem frequenter adhortantur SS. Patres. 1222. A. *Et Concilium Tridentinum* 1222. D

Eucharistia vsus non est de essentia Eucharistiæ. 1255. D

Eucharistiæ vsus sub vtraque specie.

Eucharistiæ vsum sub vtraque specie quinam hæretici asserant esse omnibus necessarium. 1223. C. D

Lutheri & Melanchthonis inconstantia in hac controuersia. 1224. A. *& seq.*

Communionem sub vtraque specie non esse omnibus fidelibus præcepto diuino necessariam Ecclesia Catholica sentit. 1225. A

Præceptum diuinum de communione sub vtraque specie non posse colligi ex Christi verbis, Hoc facite. 1225. C. *& seq.*

Sacerdotes an et quomodo sub vtraq; specie ex præcepto diuino communicare teneantur. 1227. D

Sectariorum obiectiones pro communione sub vtraque specie soluuntur. vide Sectarij.

Præcepta institutioni huius Sacramenti adiuncta non omnia ex æquo ad omnes pertinent. 1237. B

Præceptum diuinum de communione sub vtraque specie non posse colligi ex verbis Christi: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c. 1246. B

Præceptum de communione non sub vtraque specie non posse colligi ex eo, quòd Sacramentum istud in vtraque specie sit institutum. 1252. B. *& seq. nec ex natura huius Sacramenti.* 1253. D. *& seq.*

Eucharistiæ Sacramentum non mutilatur per vsum ipsius sub vna specie. 1256, B. *nec vlla ei propterea iniuria infertur.* 1257. C

Eucharistia non vocatur cœna quasi in vsu cibi & potus essentialiter consistat. 1257. A

Eucharistiam conficiens debet eam sub vtraq; specie cõficere & quare. 1257. C

Non fieri iniuram Laicis quòd sub vna tantùm specie communicent. 1259. B. 1260. A

Æquè magnum per se fructum capi ex communione sub altera quàm sub vtraque specie, per accidens quandoque minorem. 1259. D. 1258. B. *etsi nihilominus species ipsæ sint causa efficiens gratiam.* 1258. D

Communio sub altera specie absolutè & simplicitert vilior est quàm sub vtraq;. 1281. B

Ecclesiæ ministros non debere ex præcepto diuino petentibus vtramq; speciem præbere. 1259. A

Præceptum diuinum de communione sub vtraque specie non posse colligi ex Christi exemplo. 1261. B

Christus Eucharistiam sub vtraque specie & sub vna tantùm aliquando dedit & consecrauit. 1261. C. 1262. D

Possitne sacerdos aliquis vnam solùm speciem in aliquo casu consecrare. 1263. C

Præceptum diuinum de Communione sub vtraque specie non posse colligi ex antiqua Ecclesiæ praxi. 1263. D

Eucharistia mox vsi sunt olim recens baptizati. 1264. *& an sub vtraq; specie.* ibid.

Eucharistiam sub specie vini in Ecclesia Hierosolymitana primordio non fuisse administratam. 1264. D. *licet fuerit consecrata.* 1265. C. *sed in minore quantitate quàm sub specie panis.* 1265. D

Eucharistiæ vsus in vna specie tempore Apostolorum. 1264. B. *post tempora Apostolorum.* 1265. D

Eucharistia olim deferebatur domum in vna specie sumptionis causa. 1266. C

Circumferebatur ad tutelam in vnica etiam specie. 1266. D. *Sed vtrumque postea rectè prohibitum propter abusus.* 1267. A

Variæ item consuetudines antiquæ, quibus probatur olim etiam in vnica specie vsurpatum fuisse Eucharistiam. 1267. B

Eucharistia olim quandoq; in sola specie vini dabatur. 1268. B

Communionis Laicæ qua ratio fuerit. 1268. D

Communio peregrina quid. 1269. B

Eucharistia quomodo abstemiis, aut toti multitudini olim fuerit administrata. 1269. C

Præceptum diuinum de Eucharistia sub vtraque specie sumenda ab omnibus, non potest colligi ex traditione aut veterum testimoniis. 1271. A. *& seq.*

Obseruationes quædam vtiles pro explicatione quarundam sententiarum SS. Patrum, vbi Eucharistiam sub vtraque specie necessariò sumendam esse videntur indicare. 1271. B. *& seq.*

Quomodo SS. Patres dixerint nonnunquam præcipi in nouo testamento sanguinis potum. 1271. D. *aut calicis vsum omnibus debere esse communem.* 1272. B. *aut omnes habere ius ad calicem.* 1272. C. *aut non nisi vtraque specie rectè communicari.* 1272. D. *aut ad omnes in persona Christi dici:* Bibite ex hoc omnes. 1273. A. *aut necessariò Eucharistiam in specie vini administrandam.* 1273. C. *aut calicis vsum omnibus esse salutarem, & præfiguratum in veteri lege.* 1274. A. *aut sanguinis potum omnibus esse necessarium.* 1275. A. *aut tum demum ex omni parte perfectè communicari quando vtraque species vsurpatur.* 1275. D. *neque aliter compleri hoc Sacramentum.* 1276. A. *aut errare Manichæos & Priscillianistas sub vna tantùm specie Eucharistiam vsurpantes.* 1277. A. *aut sacrilegè diuidi mysterium vnius speciei sumptione.* 1277. D. *& seq.*

Eucharistiam in altera vel vtraque specie administrare in Ecclesiæ arbitrio positum est. 1278. D. *& seq.* 1280. C.

Communicandi sub altera tantùm specie consuetudo quando cœperit & quando ab Ecclesia lege sancita fuerit. 1279. D. *& seq.*

Eucharistiam in vtraq; specie administrandi facultas quibusdam Prælatis olim concessa an adhuc duret. 1280. A. B

Communio sub vna specie præcepta est ab Ecclesia ad tollendam occasionem irreuerentiæ. 1280. D. *& erroris.* 1281. D. *& ad refutandos hæreticos.* 1282. A. *& ad conformitatem in Ecclesia constituendam, quæ alioquin ob conditiones alterius etiam speciei nempe vini esse non posset.* 1282. B. *& propter Prærogatiuam eorum qui ministrant altari.* 1282. C

Communicandi sub vtraq; specie consuetudo cur olim non obstantibus his rationibus rectè fuerit seruata. 1282. C. *& seq.*

Communicandi sub altera specie legem duabus rationibus suaderi potest aquam esse. 1283. D. *& seq.*

Eucharistia à Christo vsurpata.

Eucharistiam etiam Christus sumpsit in vltima cœna, etsi Lutherus id neget. 1284. B

Eucharistiam Christus sub vtraq; & sub vna tantùm aliquando dedit & consecrauit. 1261 C. 1262. D

Eucharistiam Christus non modò Sacramentaliter sed etiam spiritualiter sumpsit aliquo modo. 1285. B

Eucharistiam Christus etiam Iudæ porrexit. 1286. B

Contrariæ sententiæ fundamentum refellitur. 1286. D

Quo ordine gesta sint ea quæ commemorantur facta in vltima cœna 1287. A

Christus in vltima cœna quale nam corpus suũ dederit, an viuum an passibile. 1287. D

Eucharistia in triduo mortis consecrata vel ad id saltem tempus reseruata an viuum continuisset Christi corpus, &c. 1287. D. *& seq.*

Christus quo die Eucharistiam instituerit, an luna decimaquarta, an citius. 564. C

Sententia Græcorum refellitur. 564. D. *& sequentibus.*

Quibus verbis Christus consecrauerit. 1171. A. *& sequentibus.*

Christus an circa calicem omnia verba protulerit, quæ iam proferri solent. 1164. B. C

Eucharistiæ Minister.

Eucharistiæ Sacramentum conficere possunt soli sacerdotes 1290. B

Sectariorum ea in re error exponitur. 1290. B. *& sequen.*

Sacerdos omnis ordinatus adhibita legitima materia & forma validè, etsi non semper licitè & citra Sacrilegium & irregularitatis pœnã consecrare potest. 1292. C. D

Administrare Eucharistiam aliis quomodo ad Sacerdotes spectet. 1292. D. *& seq.*

Eucharistiam aliis administrare an et quomodo possint Diaconi. 1293. A

Eucharistiam aliis administrare in necessitate an possit subdiaconus vel Laicus. 1293. B. C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eucharistiam attingere quo iure prohibitum sit Laico, & an id in aliquo casu sit licitum. 1293. C. D

Eucharistiam aliis administrans debet habere iurisdictionem. 1293. D

Eucharistiam aliis administrare possunt Religiosi excepto tempore Paschatis. 1294. A

Eucharistia eadem numero confici potest à pluribus, si simul finiant verba consecrationis. 1294. B. *imò posse etiamsi non simul finiant verba formæ. Probatur ex consuetudine & authoritate quarundam Ecclesiarum.* 1295. A. *& seq. etiamsi hoc in baptismo fieri non possit.* 1297. B

Argumentum contrariæ sententiæ soluitur. 1296. C

Eucharistiam eandem duos Episcopos simul conficere posse fatentur sententiæ contrariæ authores. 1296. D

Sacerdotes noui simul consecrantes eandem hostiã qualem intentionem habere, & an sanguinem etiam sumere debeant. 1297. C

Sacerdotes an aliquando celebrare teneantur & quoties. 1298. A. *& seq. & quid si curam animarum habeant.* 1299. A

Sacerdos celebrans debet etiam sumere Eucharistiam à se consecratam. 1285. B. *nisi cùm miraculosè appareret sanguis, &c. aut venenum infusum esse.* 1299. D

Sacerdos semper sub vtraque specie Eucharistiam celebrare, & celebrans sumere debet. 1299. C. D

Eucharistiæ fructus quem habet ex opere operato non impeditur vlla conditione Ministri, in fidelibus iustis. 1300. B. *etiamsi alioqui non toleretur talis Minister ab Ecclesia.* 1300. C

Eucharistiæ fructus ex opere operato consequi solitus, quomodo impediri possit in Ministro aut aliis ei cooperantibus aut consentientibus. 1300. D

Accipiens à malo sacerdote Eucharistiam aut eius Missam audiens quis peccet. 1301. A

Missas eorum sacerdotum audire qui sunt notorij concubinarij, an sit licitum. 1301. B. C

Fructus quem habet Eucharistiæ sacrificium ex opere operãtis, aut fructus orationum quæ in sacrificio adhiberi solent à Ministro, impediri vel omnino vel ex parte potest per malitiam Ministri. 1301. D

Orationes quæ in persona Ecclesiæ fieri solent in Missa, qua ratione maiorem vel minorem efficaciam habere possint. 1302. B

Sacerdotis boni Missa fructuosior est quàm mali. 1303. B

Sacerdotes Catholicos esse legitimos Ministros Sacramenti Eucharistiæ & sacrificij Missæ. 1328. C. *& seq.*

Eucharistiæ veneratio.

Eucharistiæ Sacramentum externo & interno cultu latriæ adorãdum esse. 1431. C. *etiam extra eius vsum.* 1432. B

Eucharistiæ species quo cultu & quomodo venerandæ sint. 1431. D

Sectariorum in ea re error notatur. 1432. A. B

De Eucharistiæ veneratione externa potest Ecclesia statuere quid faciendum sit. 1432. C

Eustathiani.

Eustathiani olim malè negabant matrimonium esse per se rem bonam. 2046. A. *& seq. vide Matrimonium.*

Eutyches.

Error Eutychetis confundentis in Christo duas naturas refellitur. 98. A. *& sequent.*

Extremæ Vnctionis natura & substantia.

Extremam Vnctionem esse Sacramentum, probatur contra Sectarios ex Scriptura. 1901. A. *ratione* 1902. C

Vsu & authoritate veteris Ecclesiæ. 1902. D. *& sequentibus. Ex vniuersali praxi totius Ecclesiæ.* 1904. B

Extremæ Vnctionis Sacramentum non est institutum ab Apostolis, sed à Christo. 1904. C

Sectariorum argumenta contra Sacramentum Extremæ Vnctionis refutantur. 1905. C. *& seq.*

Vnctionem, de qua loquitur Iacobus, cap. 5. non fuisse eandem, cum ea de qua Marcus 6. cap. agit. 1905. C. *& seq.*

Extrema vnctio à S. Iacobo commendata non fuit tantùm symbolũ curationis miraculosæ 1906. A. *neq; vt naturale remedium ad depellendos morbos præscriptum.* 1906. D

Et quomodo ad remissionem peccatorũ profuerit. 1907. B. *& quibus ægris adhibenda.* 1908. A

Extrema Vnctio quomodo sit vnum Sacramentum. 1919. A

Extremæ Vnctionis materiam esse oleum olivarum simplex & ab Episcopo benedictum. 1909. A. *& seq. quamuis probabile est sufficere etiam benedictum à Sacerdote.* 1909. D

Extremæ Vnctionis forma in quibus verbis consistat. 1910. A

Congruentiæ quædam pro materia & forma huius Sacramenti. 1910. D. *& seq.*

Extremæ Vnctionis definitio. 1916. B

Extremæ Vnctionis effectus.

Extremæ Vnctionis effectus est augmentum gratiæ, vel quandoque etiam prima gratia. 1911. B

Extrema Vnctio sanat animam, abstergendo reliquias peccatorum. 1911. D. *& quænam sint illæ reliquiæ peccatorum.* 1911. D. *& sequentibus.* 1913. B. *& quomodo nam ea vocentur reliquiæ peccati originalis.* 1913. A

Extrema Vnctio ex institutione sua aliter peccata remittit, quàm pœnitentia. 1913. D

Extremæ Vnctionis effectus propriè non est remissio venialium, quamuis per accidens magis ad reliquias venialium peccatorum, quàm mortalium tollendas valere, censeri possit. 1914. A. B

Extremæ Vnctionis effectum etiam esse sanitatem corporalem, si hæc ad animæ salutem conducat, etsi id ex parte neget Sotus. 1914. C

Extremam Vnctionem administrantes & suscipientes.

Extremæ Vnctionis proprium Ministrum esse solùm Sacerdotem. 1915. C

Vnctio non Sacramentalis ab aliis etiam non sacerdotibus vsurpata fuit. 1917. A. B

Non quiuis sacerdos licitè hoc Sacramentum confert, sed tantum proprius sacerdos ægroti, aut alius cũ eius facultate, vel sub ratihabitione, vel in articulo mortis. 1917. B. C

Extrema Vnctio solis fidelibus ægris de vita periclitantibus administrãda est, qui ratione vtantur vel certè ante vsi sint & istud Sacramentum suscipere desiderauerint. 1918. A. B. *non autem pueris aut perpetuò amentibus, aut iis qui citra morbum de vita periclitantur.* 1918. C

Extrema Vnctio non est differenda vsque ad id tempus, quo ægrotus ratione vti non valeat, & iam nulla superfit spes salutis corporalis 1918. C

Sacramentum hoc quomodo administrandum. 1918. D. *& an etiam in renibus & pedibus.* 1919. B

Extremæ Vnctionis effectus sequitur in vltima Vnctione. 1919. A

Extrema Vnctio potest iterari: & an etiam in eodem morbo. 1920. A

Existentia.

Re non differt ab essentia. 222. D

Excommunicationis essentia.

Excommunicationis nomine quid significetur. 1785. A

Excommunicationis vera definitio. 1787. A. *& quomodo differat à peccato mortali, & aliis quasi censuris.* ibid. B. C

Excommunicatio non priuat omni bono communi membrorum Ecclesiæ. 1787. D. 1793. B. *sed tantùm certo, et quonam.* 1788. A

Excommunicandi authoritatem esse in Ecclesia probatur ex scriptura. 1788. C. D. *ex sanctis patribus.* 1789. B. *ex vsu atque exemplo Apostolorum.* ibid. D. *ex consuetudine vniuersalis Ecclesiæ.* 1790. C

Excommunicandi authoritatem iure diuino tributam Ecclesiæ. 1794. A

Excommunicatio videtur olim tempore Apostolorum manifesto signo significari solita, vt excommunicatus visibiliter corriperetur à Dæmone. 1790. A

De excommunicatione & excommunicandi authoritate, quæ est in Ecclesia, quid sentiant Sectarij. 1790. C. D

Excõmunicatio etsi sit medicinalis, formidanda tamẽ est. 1792. B. C. *& pœna mortis in veteri testamento successit.* ibid. C

Excommunicatio ferri potest etiam in eum, qui putetur non rediturus ad meliorem mentem per illam. 1792. D

Excommunicatio non arguit Ecclesiam crudelitatis. 1793. A

In Excommunicatione rectè quandoque Ecclesia vitur vi humana. 1793. C

Excommunicatio nulla lata est iure diuino. 1794. A

Excommunicationis diuisio & effectus.

Excommunicatio variè diuiditur & primò in maiorem & minorem. 1794. C

Excommunicatio maior in quo consistat, & qualinam communicatione priuet. 1795. B

Excommunicatio minor priuat tantùm vsu passiuo Sacramentorũ. 1795. C. *& per accidens aliquando actiuo.* 1797. A

Cum excommunicato notorio maiore excommunicatione non licet communicare sub pœna minoris excommunicationis. 1795. C

Cum nominatim excommunicato aut notorio percussore Clerici communicare non licet, cum aliis excommunicatis licet communicare. 1795. D. *quãuis ipsi excommunicati communicãdo peccent, excepto vno casu.* 1796. A. B

Cum excommunicato nominatim & notorio percussore Clerici communicare in politica consuetudine citra contemptum & scandalum, non est communiter nisi peccatum veniale. 1796. C. *habens annexã minorem excommunicationem.* 1797. A

Cum excommunicato cõmunicare propter quas causas liceat. 1796. C

Cum excommunicato maiore excommunicatione communicare in rebus sacris, vel etiam in ipso crimine propter quod lata est excommunicatio, inducit non solùm peccatum mortale, sed etiam maiorem excommunicationem. 1796. D. *& sequentibus.*

Excommunicati maiore excommunicatione quandonam vitandi sint & an neque per literas, neque per internuncios cum illis communicare liceat 1797. B

Excommunicatus maiore vel minore excommunicatione sciens & prudens confessionis Sacramẽtum volens recipere, non absoluitur validè, etsi alia Sacramenta validè possit recipere. 1797. *& seq.*

In excommunicatione minore Sacramentum suscipere peccatum mortale est. 1798. A

Universidad de Deusto
Biblioteca

Communicatio cum excommunicato an iure diuino sit prohibita. 1798. C
In excommunicatione Sacramentum suscipiens, an & quomodo valide aut cum fructu spirituali id faciat. 1728. B. 1729. C 1797. D. & seq
Pro excommunicato an liceat orare, &c. 1788. B
Excommunicatio alia lata est à iure, alia ab homine & quænam vtriusque ratio. 1798. D. & sequentibus.
Excommunicatio lata à iure durat etiam eo defuncto qui illam tulit, lata ab homine cum auctore suo extinguitur. 1799. B
Excommunicatio tertiò diuiditur in generalem & specialem, & quæ vtriusque ratio. 1799. C
Excõmunicatio specialis tantùm ab homine ferri solet. 1799. D
Excommunicatio quarto diuiditur in iustam & iniustam; iniusta in validam & inualidam. 1799. B
Excommunicatio inualida est in quinque casibus. 1800. A
Excommunicatus inualidè quomodo se gerere debeat. 1800. B
Excommunicatio iniusta & valida est in duobus casibus. 1800. C
Excommunicatio iustè lata secundùm allegata & probata, à parte rei tamen iniusta, an & quomodo in foro tum interno tum externo obliget. 1801. A
Quando in iure absolutè fertur excommunicatio, tunc id de excommunicatione maiore accipiendum est. 1802. B

Excommunicationis subiectum & causa.

Excommunicare possunt omnes & soli qui legitimam iurisdictionem habent in foro externo Ecclesiastico, etiamsi sint inferiores Episcopis. 1802. C
Excommunicare non possunt fœminæ Monialium prælatæ. 1802. D
Excommunicare an et quomodo possit excõmunicatus. 1802. D. & seq.
Excommunicari possunt omnes qui in Ecclesia militãt, & alicui superiori Ecclesiastico Iurisdictionem externam habenti sunt subditi. 1803. B
Nemo potest seipsum aut Papam excommunicare. 1803. B
Excommunicari non debet tota communitas. 1803. C
Excommunicari aut ab excommunicatione absolui an possit defunctus, 1803. D
Excommunicationis maioris causa non est nisi peccatum mortale & quidem contumacia, & quid per contumaciam intelligatur. 1804. A. B. 1808. C
Excõmunicationem non incurrit percussor Clerici, etc. si quacunque tandem ex causa tantùm venialiter in eo genere peccauerit. 1805. A
Excommunicatio ignorata non incurritur, & quare. 774. B
Excommunicatio minor incurritur etiam propter peccatum veniale. 1805. B
Excommunicatio ferri potest non modò ob delicta præterita, & absolutè, sed etiam conditionaliter, & ob delicta futura. 1806. B. *semper tamen admonitione legitima prauia.* 1806. B. & seq.
Ab excommunicationis vinculo excusat ignorantia inuincibilis facti, aut iuris. 1807. B. C. *imò etiã probabilis ignorantia iuris.* 1808. B
Excommunicatio nõ incurritur nisi peccatum, cui excommunicatio est annexa, sit planè consummatum. 1812. B
Vt aliqua persõna incurrat excommunicationem, necesse est vt ea fuerit sufficiẽs et perfecta causa effectiua illius facti, propter quam excommunicatio est lata. 1812. C
Excommunicatio lata in factum seu facientes, non cõprehendit ordinariè etiam iubentes, & consulentes. 1812. C. *nisi in tribus casibus.* 1813. A
Excommunicatio in cõsulentes & iubentes duobus modis ferri potest, et vnde in particulari discernendum, quonam modo ea sit lata. 1813. B. C. & *quodnam inter eos modos discrimen.* 1814. B. C

Excommunicationis forma.

Excõmunicationis non est certa verborum forma præscripta, & quænam sit sufficiens. 1805. C. & sequentibus.
Excommunicatio ferri non debet nisi admonitione legitima præuia. 1806. B. & *in scripto et causa diligenter examinata.* 1807. A
Quandonam trina admonitio ad ferendam excommunicationẽ sit necessaria, et cuinam admonitio debeat intimari. 1806. C. D

Excommunicationis absolutio.

Absolutio ab excommunicatione duobus modis fieri potest. 1808. D
Ab excommunicatione qualibet Iuris non reseruata directè absoluere possunt, qui tanquam prælati habent iurisdictionẽ in foro externo in ipsum excommunicatum, etiamsi nullos ordines sacros habeant, dummodo sint clerici. 1808. & seq.
Ab excommunicatione minore indirectè absoluere potest quilibet sacerdos, etiamsi simplex. 1809. A. *directè autem probabile est solum proprium parochum ab ea posse absoluere.* 1809. B
Ab excommunicatione maiore quis tum directè tum indirectè possit absoluere. 1809. C
Absolutio indirecta ab excommunicatione non valet in foro exteriori, ac proinde sic absoluti se gerere debẽt in foro exteriori vt excommunicatos, donec directè absoluantur. 1810. A
Absolutionis ab excommunicatione quæ sit verborum forma. 1810. A

Absolutionis ab excommunicatione circumstantiæ duplices, cæremoniales & iudiciales, & quæ earum necessitas. 1810. B. & sequentibus.
Absolutio ab excommunicatione sub conditione dari, et in ipsa excõmunicatione sub conditione lata tacitè contineri potest. 1810. D
Vtrum contritus & procurans pro viribus absolutionem ab excommunicatione sit hoc ipso coram DEO *absolutus.* 1811. A. & seq.

Exorcismus, vide Baptismi cæremoniæ.

Exorcismus olim etiam à Iudæis vsurpatus. 845. A.

Exorcista.

Exorcistas habere peculiarem & verum ordinem in Ecclesia. 1942. B. *etiamsi id negent Sectarij.* 945. B
Exorcistarum Ordinis quænam sit materia & forma. 1971. B. *Vide Ordinis Sacramenti ratio & partes.*

Fides.

Fides baptismum suscepturis siue paruulis siue adultis, quæ & qualis sit necessaria. 798. C. D. *et seq. Vide Baptismum suscipiens.*
Fides aliena quomodo profuerit paruulis veteris testamenti ad gratiam. 842. A. *Vide Circumcisio.*
Fidei mysteria debẽt saltem communi quadam notione posse explicari & defendi. 136. C. 970. B. C. 992. A. & seq. 1058. B
In quæstionibus fidei non omnino negligenda aut contemnenda humana ratio. 1386. B

Filius.

Fundamentum proximum & primarium subiectum filiationis quod sit. 554. C
Filiorum conditionem quadripartitam esse, quidam enim sunt naturales, quidam naturales & non legitimi, quidam legitimi sed non naturales, quidam nec naturales nec legitimi, & quæ singulorum ratio. 2138. A
Filij illegitimi possunt legitimari. 2139. A
Qua sit propria ratio filij DEI *adoptiui.* 447. B

Finis.

Finis proximus non semper præstantior esse debet mediis. 44. C. 90. *vide Causa.*
Finis præceptorum non cadit sub præceptum. 1610. C

Fomes peccati.

Fomes peccati quid sit. 524. B. D
An fuerit in B. Virgine. vide B. Virgo.
Fomes peccati quomodo in aliquo dicatur ligari. 526. A

Forma.

Forma cum in generatione corrumpitur, cur non dici possit annihilari. 1107. B

Fornicatio.

Fornicationem omnem esse malam. 2048. D

Fortunatus.

Fortunati Caluinistæ negantis sanctos Patres asseruisse Christum ore etiam corporis sumi, impudentia retunditur. 987. A. & *seq. vide etiam Caluinus & Sacramentarij.*
Fortunatus Krellius insanè & blasphemè asserit corpus Christi in Eucharistia dari mortuum non viuum. 1288. B
Obiectiones eius pro hac blasphemia soluuntur. 1288. D

Gelasius.

Gelasius Romanus Pontifex rectè sensit de transubstantiatione in Eucharistia. 1072. C
Gelasius Cæsariensis quid senserit de transubstantiatione. 1072. D

Gloria.

Gloria quomodo respondeat meritis. 1575. D. & *seq.* 1567. D. & *sequen.*

Gnostici.

Gnostici negarunt verbum diuinum induisse verum corpus humanum, ac proinde negabant Christum verum DEVM *ac hominem esse in Eucharistia.* 936. B

Gratia.

Vt aliquis sit gratus DEO *supernaturaliter, sufficit aliquod donum supernaturale homini datum esse, siue id accidentaliter siue substantialiter ei sit vnitum.* 267. B
Semper in gratia crescere possumus, etsi ad æqualitatem gratiæ Christi nemo possit peruenire. 278. D. & *sequen.*
Gratiæ gratis datæ quæ & quot sint 286. B
Gratia sermonum in quo consistat, & an aliquo modo sit habitus. 287. B. & *seq.*
Qua ratione ex alienis meritis augeri possit propria gratia. 827. B. & *seq.*
An & quomodo semper gratiæ respondeat præmium. 1567. C. & *seq.*
Gratia per peccatum amissa quomodo recuperetur per pœnitentiam. 1564. D. 1568. B. *Vid. Pœnitentiæ effectus.*

Græci.

Græci negantes Christum decima quarta Luna Paschа instituisse, refelluntur. 564. D. & *seq.*
Græci licitè possunt in fermentato consecrare Eucharistiam. 917. A. & *seq.*
Græci negant vinum ad conficiendam Eucharistiam destinatum aqua miscendum. 920. C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Græcorum recentiorum error qui præter verba Christi aliam quandam orationem ad formam Eucharistiæ pertinere dixerunt. 1154. C. *refellitur.* 1155. A. *& seq. eorum argumentum soluitur.* 1155. D *& seq.*

Græci Schismatici cõmunionem sub vtraque specie ad salutem necessariam asserunt. 1223. D

Græcorum consuetudo non nisi die sabbathi & Dominico Eucharistiam consecrandi, aliis autem diebus vtendi præsanctificatis. 1267. B

Græci malè improbant cœlibatus legem, quatenus prohibet sacris ministris, vti matrimonio iam antè contracto. 2012. D *et seq. neq; hoc à primis Patribus Græcis didicerunt.* 2059. A

Græci Schismatici negant purgatorium. 2589. D

Habitus.

Habitu an & quomodo contingat bene vti. 690. B

Habitus nullius est indifferens. 690. B

Heluidius.

Heluidius hæreticus asseruit B. Virginem post partum fuisse corruptam. 531. C

Eius error refellitur. 543. *& seq.*

Ad argumenta illius pro suo errore respondetur. 546. A

Henriciani.

Henriciani quidam negârunt olim præsentiam Christi in Eucharistia. 937. C

Herbrandus.

Herbrandus impudenter negauit Christum peculiares aliquas leges sanciuisse. 443. A

Herbrandi insciti a in proponenda & tractanda controuersia de sacrificio Missæ redarguitur. 1307. A

Herbrandus mala fide Catholicorum sententiam de sacrificio Missæ proponit. 1308. D

Herbrandus stolidè impugnat veritatem sacrificij Missæ. 1311. C

Herbrandi & aliorum Sectariorum argumenta, quibus probare conantur in Missa non offerri sacrificium corporis & sanguinis Christi, refelluntur. 1331. D. *& seq. Vide Sacrificium Missæ.*

Herbrandus magus stolidè Catholicos in sacrificio Missæ Magiæ insimulat. 1334. C. *& seq.*

Herbrandus Catharus & partim Sacramentarius est. 1339. D. *& seq.*

Herbrandi argumẽta, quibus probare nititur sacrificium Missæ non esse legitimum Sacrificium, refutantur. 1359. C. 1367. A

Herbrandi impudentia et calumniandi libido aduersus Catholicos. 1367. B

Herbrandus corruptè citat Scripturam. 1372. B

Herbrandi fraus in eludendis argumẽtis Catholicorum. 1375. A

Herbrandus malè intelligit & explicat locum Isaiæ vltimo: Et assumam ex eis in Sacerdotes. 1376. C

Herbrandus errat cùm negat in nouo Testamento, esse peculiares & propriè dictos Sacerdotes. 1377. C. *Vide Sectarij.*

Herbrandus impudens impostor est. 1398. A

Herbrandus corruptè citat locum sancti Augustini. 1402. A

Herbrandi mendacium detegitur, cùm ait, sceleratè Catholicos affingere eruditæ vetustati, quod Sacrificium Missæ sit propitiatorium pro defunctis, 1429. B

Herbrandi simplicitas, & ineptiæ deteguntur. 1429. C. D

Histriones.

Histriones sunt irregulares. 1835. A

Homo.

Non necessarium fuit simpliciter hominem vllo modo à peccato liberari. 47. A. B

Homicidium.

Homicidium in sui inculpata defensione commissum, non inducit irregularitatem. 1573. B

Honestas.

Honestas quomodo sit impedimentum dirimens Matrimonij. Vid. Matrimonij impedimenta.

Huss.

Ioannes Huss asseruit Christum esse naturam humanam & diuinam, non solùm copulatim, sed etiam diuisiuè & sigillatim, secutus VViclephum. 162. D

Hussitæ in ministro Sacramentorũ malè requirunt veram fidem & probitatem. 715. A

Huss reprobat exorcizandi morem ante Baptismum. 845. A

Huss didicit ab Hieronymo Pragensi hæresin de absentia Christi in Eucharistia. 938. A

Hussitæ nullos ministros recipiunt, qui non sint à Catholicis Episcopis ordinati. 1331. A

Hussitæ impiè reicerunt indulgentias. 1860. C

Iacobitæ hæretici.

Iacobitæ dicebant in baptismo loco aquæ, imprimendam in fronte ferro candente figuram crucis. 745. A

Iacobitæ negant confessionem peccatorum esse à Christo institutam & imperatam. 1635. D

Iconomachi.

Iconomachi hæretici tum veteres, tum recentiores omnem vsum religiosum imaginum reiiciunt. 461. B

Qui fuerint vel etiamnum sint eius hæresis sectatores. 461. B

Eorum error refellitur. 462. B

Iconomachi videntur negâsse realem præsentiam Christi in Eucharistia. 937. D

Ieiunium.

Ieiunium ante perceptionem Eucharistiæ obseruandum. 1213. A. *Vide Eucharistiæ vsus.*

Ignorantia.

Ignorantia in homine triplex. 339. C

In Ignorantia inuincibili iuris humani, reliquendi sunt aliquando vulgares homines. 1301. C

Ignis conflagrationis mundi.

Mundum ad iudicium veniente Domino, igne conflagraturum. 2274. B

Ignis ille an sit antecessurus ipsum iudicium, an verò sequuturus. 2276. D

Ignis ille an sit etiam aliquid acturus in ipsa corpora cœlestia. 2277. A

An & quomodo immutaturus elementa. 2278. A. *præsertim ignem sub concauo lunæ.* 2278. D

Ignis ille an sit etiam consumpturus iustos tunc viuentes. 2279. A. *& seq.*

Ignis ille vnde & quomodo producendus, quonam deuenturus. 2280. A. *Vide etiam Resurrectionis signa.*

Illyricus.

Illyrici insania dum Pontificem Romanum vult facere Antichristum. 2261. A

Imago.

Vsus imaginum ad religionem & pietatem fouendam aptissimus est. 462. A. *& seq.*

Argumenta contraria hæreticorum Iconomachorum soluuntur. 463. A *& seq.*

Variæ Christi, D. Virginis, & Sanctorum imagines olim visitatæ. 462. B. C

Fabula est in Synodo Francofordiensi sub Carolo Magno vsum imaginum damnatum. 463. C

Vsus imaginum quomodo in particulari possit reddi illicitus. 465. B. C

Imagines esse honorandas. 466. A. *& seq.*

Imagines ita colendas esse, vt et ipsæ suo modo sint venerationis termini. 467. D

Imaginæ eodem cultu venerandas esse, quo prototypus. 468. A

Argumenta contraria soluuntur. 468. D

Sacræ Christi reliquiæ, crux, claui, particulæ sanguinis, &c. latria veneranda sunt. 469. C

An & quomodo crux, claui, &c. ad similitudinem veræ crucis & clauorum Christi facti, sint colendi. 470. D

Quare homo vt imago Dei non possit coli latria. 472. A

Argumenta hæreticorum negantium honorandas esse Sanctorum imagines soluuntur. 471. A

Impedimenta Canonica.

Impedimenta Canonica quænam: & quomodo tum à censuris Ecclesiasticis, tum inter se differant. 1823. B

Impedimenta Canonica non inferuntur propriè in pœnam. 1824. B. *Vide etiam Irregularitas, Depositio, Degradatio & Cessatio à Diuinis.*

Impotentia.

Vide Matrimonij impedimenta.

Impassibilitas.

Ratio & notio impassibilitatis. 140. A. *Vide Beatitudo.*

Impœnitentia.

Impœnitentia finalis quomodo dicatur generalis circumstantia peccatorum, & quomodo speciale peccatum. 1623. B. C

Ab impœnitentia peccato in morte, excusari aliquis potest. 1623. D

Incarnatio.

Qua sit ratio & notio vocabuli incarnationis. 5. *& sequent.*

Vnde originem suam traxerit. 7. A

Incarnationis nomen plus significat quàm exprimit. 7. A. B

Incarnationis mysterium variis nominibus à Scriptura & SS. Patribus appellatur. 7. D. *& seq.*

Incarnationis possibilitas rectè à Theologo probatur, & cur eam non probauerit D. Thomas. 8. C. *& seq.* 9. B. *& seq.*

Incarnationis possibilitatem quinam oppugnârint. 10. B

Incarnationis passibilitas an & quomodo euidenter demonstrari possit. 11. A. *& seq.*

Argumenta quæ ad probandam impossibilitatem incarnationis fiunt, euidenter possunt solui. 13. B. C

Incarnationis possibilitas probatur ex Scriptura contra Iudæos. 14. A. *& seq.*

Ex communibus motiuis fidei euidenter probatur credibile esse incarnationis mysterium, esse autem possibile, solùm probabiliter. 14. D

Possibilitas eiusdẽ mysterij suaderi potest Iudæis et Gentilibus similitudine aliarum quarundã vnionum rerum diuersissimarum. 15. A. *& seq.* 28. B. C

Mysterium Incarnationis quomodo nõ implicet contradictionem. 16. B. *& seq.*

Soluuntur omnia argumenta contraria. 18. A. *et seq.*

Quomodo verbum diuinum non mutatum sit, per incarnationem. 20. A. *& seq.*

Solum verbum diuinum incarnatum est, quamuis actio qua humana Christi natura producta est, communis sit omnibus personis. 28. A. 181. A. *& seq.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rectè quæritur an conueniens fuerit verbum diuinum incarnari, cùm id quidam negârint. 37.C.D
Mysterium Incarnationis ex ipsa rei natura fuisse conueniens ostenditur. 38.A. *& seq.*
Ratio conuenientiæ à diuino verbo assumente. 38.C. *& seq.* 41.A. *& seq.*
Incarnationem Verbi esse summam communicationem diuinæ personæ ad extra. 39.A. *& seq.*
Ratio conuenientiæ Incarnationis ex parte humanæ naturæ assumptæ. 42.A.B
Conuenientia incarnationis à tempore quo peracta est, cùm neq; in principio, nec fine mundi peracta est. 42.C.D. *& seq. ex parte Virginis in cuius vtero peracta est.* 43.D. *ex parte finis.* 44.B
Perfectio Dei ex Incarnatione multis modis manifestatur. 42.D
Tempus Incarnationis Christi vocatur simul senectus et iuuentus. 43.B.C
Respondetur ad argumentum contra conuenientiam Incarnationis. 44.A
Conuenientia Incarnationis quodam modo non nisi ex parte diuinæ personæ assumentis probari potest. 44.D
Finis Incarnationis an sine Christo potuerit obtineri. 46.A
Soluuntur argumenta contraria. 48.A.B
Aliqualem satisfactionem nos exhibere Deo potuisse sine Christo. 48.C.D
Æquiualentem non potuisse & ne Angelos quidem. 49.B. *& seq.* 52.A
An ob eam causam præcipuè Christus incarnatus sit, vt pro peccatis nostris satisfaceret. 52.B
An præcipuè ad peccatum originale, an actualia delenda Christus venerit. 69.A.B
Peccato non incidente Christus non erat venturus. 71.D. *& seq.*
Probatur hoc ex Scriptura. 72.D. *& seq. Ex SS. Patribus.* 75.A. *Ratione.* 77.A
Sententia & argumenta contraria refelluntur. 78.B. *& sequen.*
An si quidam tantùm homines peccâssent, vel omnes, sed venialiter tantùm, Christus venturus fuisset. 78.A
Vnio duarum naturarum in Christo fuit substantialis. 120.B
Sententia orthodoxa de vnione duarum naturarũ quoad vtriusq; proprietates explicatur. 122.B. *Probatur.* 123.D
Prolixè refellitur hæresis vbiquetaria confundens cum Eutychete in Christo duas naturas, & naturarum proprietates. 131.B. *& seq. Vide Vbiquistæ.*
Qua ratione orthodoxi agnoscant plenitudinem diuinitatis esse realiter humanæ naturæ Christi communicatam. 128.B
Respondetur ad argumenta Vbiquistarum petita ex Scriptura & SS. Patribus. 148.C. 157.A. *Ex ratione.* 152.A
Quæ sit similitudo vel dissimilitudo inter vnionem animæ & corporis, & vnionem naturæ diuinæ et humanæ in Christo. 153.D
Summa totius disceptationis de communicatione proprietatum vtriusq; naturæ in Christo. 156.C
Vnio humanæ naturæ & personæ Verbi in Christo tribus modis accipi solet. 164.D. *& seq.*
Vnio seu coniunctio humanæ naturæ Christi & personæ Verbi non consistit formaliter in accidente aliquo seu absoluto, seu respectiuo distincto à natura humana & à Verbo. 166.C
Contraria sententia refellitur. ibid.
Explicatur & defenditur vera sententia de ratione illius vnionis. 168.D. *& seq.*
Ratio illius vnionis in hac vita incomprehensibilis est. 169.C
Qua mutatione interueniente sine repugnantia verè affirmari possit naturam humanam Christi vno tempore esse Verbo vnitam, & alio non esse. 170.B. 232.A
Vnio personæ Verbi & humanæ naturæ non est ipsa assumptio humanæ, naturæ sed terminus illius. 170.D
Vnio duarum in Christo naturarum maxima ex arctissima est post vnionem SS. Trinitatis. 172.C. 175.A.B
An vnio humanæ naturæ cum Verbo per operationem maior sit, quàm vnio Beatorum cum Deo. 175.B
Vnio duarum naturarum quomodo fuerit Christo naturalis & intrinseca. 176.A. *quomodo gratuita.* 176.C
Christus nullo modo meruit hanc vnionem. 177.A
Beata Virgo & Patres veteris testamenti ex congruo eam meriti sunt. 178.A. *Ex condigno nullus.* 178.B
Quæuis persona diuina etiam sola potuisset incarnari. 188.C.D
Contraria sententia cuiusdam Clerici in Gallia refellitur. 189.C
In momento Incarnationis simul tempore fuit formatio seu conceptio corporis, creatio animæ, animatio corporis, & assumptio vtriusq; partis ad hypostasin Verbi. 251.B. *& seq. Contrarius error refellitur.* 254.A. *Fuit tamen inter hæc aliquis naturæ ordo.* 255.B
An & qualis ordo naturæ fuerit in assumptione animæ, corporis, et totius humanitatis Christi. 256.A. *& seq.*
Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ. 259.A. *& sequen.*
Virum anima fuerit prius assumpta, quàm corpus, & partes prius quàm natura, non tantum vt Quo, sed etiam vt Quod. 262.B
An etiam & qualis in ipsa assumptione animæ secundùm eius potentias sit ordo. 263.B. *& seq.*
An & quomodo loquendum sit in hoc mysterio Incarnationis de Christo Deo & homine. 354.A. *et seq. Vide etiam Christus.*
De omnibus nominibus positis pro persona Christi, possunt prædicari in concreto omnia nomina, quæ aut naturam diuinam, vel humanam, aut attributa alicuius earum naturarum significant. 353.A
Abstinendum tamen aliquando est ab huiusmodi propositionibus, vel propter controuersias cum hæreticis habitas. 357.C. *vel propter modũ significẽdi.* 359.A. *vel propter aliquam connotationem.* 359.D
De Christi persona non possunt in abstracto prædicari nomina pertinentia ad humanam naturam. 360.B. *& seq.*
De Christi persona prædicari possunt in abstracto nomina ad diuinam naturam spectantia. 360.C
Quomodo in enuntiationibus significantibus factam esse

esse in Christo vnionem hypostaticam vtriusque naturæ, possint indifferenter habere subiecti locum nomina diuina & humana. 361.B. *& seq. Vide Christus, Verbum diuinum.*

Indulgentia Ecclesiastica.

Indulgentiæ vera & communis descriptio. 1845.B
Indulgentiæ Ecclesiasticæ veritas quibus fundamentis nitatur. 1846.A. *& seq. & quinam ille sit thesaurus ex quo vim suam habent indulgentiæ.* 1848.A. *& seq. Vide Ecclesia.*
Indulgentia non est propriè & formaliter solutio pro pœna, neque applicatio thesauri Ecclesiæ, sed remissio seu absolutio à pœna, coniunctam habens solutionem pro pœna, & applicationem illius thesauri. 1852.D. *& seq.* 1855.D
Indulgentia est actus misericordiæ. 1853.D. *& Ecclesiasticæ Iurisdictionis.* 1854.A
Indulgentia quæ defunctis confertur, nõ est prorsus eiusdem rationis cum ea quæ viuis conceditur. 1854.B. 1855. *Quamuis & illa sit actus clauium seu iurisdictionis.* 1854.D
Indulgentia verè remittit pœnam, neque est solum pia quædam fraus Ecclesiæ. 1856.B
Per indulgentiam non remittitur tantum pœna satisfactoria, quæ iniuncta sit à confessario, aut decreta per Ecclesiæ Canones, vt quidam voluerunt manente interim toto reatu pœnæ. 1856.D. *& seq.*
Indulgentiam habere vim suam ex Thesauro quodam communi Ecclesiæ, satisfactionum Christi & Sanctorum, malè negauit Franciscus Mairones. 1857.C. *& partim etiam Durandus.* 1858.D. *Vide Ecclesia.*
Pontifex non remittit pœnam per indulgentiam sine vllius thesauri applicatione. 1859.D
Esse in Ecclesia authoritatem conferendi indulgentiam, probatur contra Sectarios ex Scriptura. 1861.A. *ex vsu antiquissimo Catholicæ Ecclesiæ.* 1865.D. *Ratione Scripturæ analoga.* 1872.D. *ex definitione Ecclesiæ.* 1874.A
Indulgentiæ ab ipso Christo D. Francisco petente concessæ, & ab Honorio. III. confirmatæ. 1866.B

Indulgentias concedentes.

Indulgentias concedendi auctoritas ordinariè & ex officio idque iure diuino competit Summo Pontifici & aliis Episcopis, atque adeò etiam Concilio Episcoporum, & nullis aliis. 1876.C.D
Indulgentias distribuendi authoritas aliter Sũmo Pontifici, aliter Episcopis conuenit, & quomodo in his sit ea authoritas limitata. 1877.C.D. *& an etiam in fòro pœnitentiali sit restricta.* 1878.A
Ex commissione quiuis Clericus potest concedere indulgentias, & præcipuè legati Pontificis. 1878.D. *item Cardinales, Patriarchæ & Primates etiam non Episcopi.* 1879.A
Indulgẽtias quomodo etiam percipere possit concedens. 1878.D
Per peccatum mortale quod non habeat annexam Excommunicationem nemo impeditur, quo minus possit concedere Indulgentiam. 1879.A
Prælati Religiosorum non possunt ex officio concedere Indulgentias, neq; id faciunt, cùm alios faciunt participes bonorum operum suæ religionis. 1880.B
Indulgentia concessa vt valeat, requiritur causa aliqua pia. 1885.B.C. *& qualis nam ea debeat esse, vtrũ possit esse actus alioqui debitus, vel præteritus, vel per alium factus, &c.* 1886.B.C
Causa propria remissionis quæ fit in Indulgentia, alia est ab ea, quæ est causa concessionis Indulgentiæ. 1887.D
Causa pia ad Indulgentiarum valorem requisita nõ debet vllo modo esse verè æquiualens remissioni pœnæ per Indulgentias concessæ. 1887.B.C
Neque secundùm proportionem æquiualens: licet hoc sit probabile. 1889.C. *sed sufficit quæcunque causa pia.* 1889.B
De Indulgentiarum concessione non est temerè iudicandum. 1890.B. *quamuis fieri possit vt in ea re peccetur.* 1891.B
Inducens alium vt indiscretè & cum grani culpa Indulgentiam concedat, non consequitur indulgentiam, nisi pœniteat. 1891.D

Indulgentiarum differentia.

Indulgentia alia est qua tota pœna remittitur: alia quæ non tota. 1881.B
Indulgentia plena, plenaria, plenior, plenissima, aut Iubilæus quid significent. 1881.B.C
Per nullam Indulgentiam remitti culpam ne venialem quidem. 1881.D
Indulgentia de iniunctis pœnitentiis quid significet. 1882.A. *& an ab implenda pœnitentia per Confessarium imposita liberet.* 1882.C. *& quam ea sit vtilis.* 1883.B. *& quid sit tunc consultum facere cùm eiusmodi indulgentia datur.* 1884.B
Indulgentia non tantùm conceditur de iniunctis pœnitentiis. 1883.D. *& seq. Nisi ab Episcopis.* 1884.B
Indulgentia quandoque datur de peccatis tantùm, quæ quis fuerit actu confessus. 1884.C
Indulgentia tot dierum vel annorum quid sit, quid item carena, quadragena, septena. 1884.D
Cur quandoq; in formulis Indulgentiarum, Indulgentiæ plenariæ adiungatur etiam alia Indulgentia, tot vel tot dierum. 1885.A
De quibusdam formulis Indulgentiarũ in quibus mille, &c. annorum Indulgentiæ conceduntur. 1875.C

Indulgentiarum Vsus.

Indulgentiæ prosunt iis tam qui in Purgatorio sunt, quã viuis in gratia constitutis & aliquo pœnæ temporalis reatu obstrictis. 1893.B
Indulgentiæ aliter applicantur viuis, aliter defunctis. 1855.A. 1894.C. *quamuis vtræque habeant certum effectum ex diuina promissione.* 1894.A
Vt Indulgentiæ ex parte suscipientis valeant debet impleri opus illud propter quod dantur. 1895.C. *non tamen opus est vt in gratia fiat, dummodo illo tempore quo indulgentia percipienda est sit in gratia: neque necesse est, vt semper bene moraliter fiat secundùm omnes circumstantias.* 1895.C. *& seq.*
Non est opus vt Indulgentiæ viuis aut defunctis prosint, vt illi per se alioqui quantum possunt, studeant satisfacere, hi verò vt habuerint in vita peculiarem de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uotionem ad Indulgentias & ad suffragandum defunctis. 1896.B
Indulgentias tum demum prodesse si adsit in__ concedente authoritas & in causa pietas, & in suscipiente charitas. 1896.C
Indulgentiarum abusus nunquam ab Ecclesia approbatus. 1874. B

Infamia.

Infamia iuris vel facti laborantes sunt Irregulares. 1835. A. Vide Irregularitas.

Infernus.

Inferni seu Inferorum nomine quid in Scripturis significetur. 584.D.& seq.
Inferni locum à cœlo maximè distantem esse deputatũ impijs. 2185.C.& seq. eumq; esse locum determinatũ, subterraneum, corporeum, probatur contra Sectarios & alias quasdam erroneas quorundam sententias. 576.B. & seq. 2186.C
Descensus Christi ad inferos. Vide Christi sepultura, &c.
Inferni pœnas nunquam finem habituras, neq; quoad dæmones, neq; quoad homines. 2230. C. neq; etiam quoad Christianos qui semel illuc deuenerint. 2230.C. neque quoad catholicos. 2231. A. etiamsi eleemosynas in hac vita fecissent. 2232. B.C
Inferni animas peccare, sed non demereri. 2238. B
Inferni animabus non prodesse suffragia viuorum. 2244. D.& seq.
Animæ in inferno quomodo puniantur citra condignum, & an quandoq; leuamentum aliquod sentiant. 2245.B

Infinitum.

Finiti ad infinitum potest esse Proportio ordinis cuiusdam, sed non Geometrica. 18.D
Ad cognoscendum infinitum non requiritur infinitè perfecta notitia. 311.D
Cur creatura possit simul cognoscere infinita, & tamen Deus non possit facere simul infinita. 312. B

Ingratitudo.

Ingratitudo quæ per iteratum peccatum committitur, an sit speciale peccatum. 1555.D
Ingratitudo hæc an sit necessariò in Confessione aperienda. 1556. A
Ingratitudo an maior sit cum post innocentiæ beneficium acceptum peccatur, quàm cum post remissionem peccati obtentam denuo peccatur. 1558.B

Interdictum.

Interdictum quid sit. 1820.& vt ab excommunicatione & suspensione differat. 1821.A
Interdictum à quo & in quos ferri possit. 1821.B
Interdicti tempore licitum est recitare publicè salutationem Angelicam, & ad eam signum dare, &c. 1821. C
Quænam Sacramentorum administratio & vsus censeatur esse licitus tempore interdicti. 1821.C.D
Interdictum aliud est personale, aliud locale, aliud locale & personale simul. 1821.D. & rursus aliud est generale, aliud speciale, & quæ horum ratio. 1822.A
Interdictum per se & primariò spectat ad Clericos, secundariò ad Laicos. 1822.B
Quando nam solum locus; quando locus & personæ simul interdicantur, & an communiter interdictum etiam ad pueros carentes vsu rationis spectet. 1822.C
Interdictum quandoq; ad solos Clericos spectat, quandoque se etiam extendit ad Laicos, & inter hæc quæ differentia in praxi. 1823.A
Interdictum violare per se non est peccatũ mortale. 1824.A

Innocentia.

Innocẽtiæ beneficium maiúsne sit beneficio remissionis peccatorum. 1558.C.D

Innocentes Martyres.

Vide Martyrium.

Intellectus.

Intellectus creatus nõ potest cognoscere per ipsam cognitionem diuinam formaliter. 295.C.& seq. Vide Cognitio.

Inuocatio Sanctorum.

Inuocatio Sanctorum non pugnat cum officio Mediatoris Christi. 414.B
Quomodo Sancti sint Mediatores, & tamen Christus vnicus mediator. 415.C.& seq.

Ioannes Baptista.

Ioannes Baptista an Christi Baptismum susceperit. 815.C
Ioannis Baptismus non contulit gratiã, vt baptismus Christi. 839.B
Baptizati baptismo Ioannis debuerunt denuo baptizari baptismo Christi. 837.C
Haretici qui contrarium docuerint. 828.C.D
Argumenta eorum soluuntur. 832.D

Ioannes Scotus.

Ioannes Scotus Præceptor Caroli Magni propugnauit errorem de absentia Christi in Eucharistia. 936. A

Iouinianus.

Iouinianus hæreticus impiè dixit B. Virginem pariendo fuisse corruptam. 531.B
Iouinianus malè prætulit Matrimoniũ Virginitati. 2013.B

Irregularitas in genere.

Irregularitas quidnam: & quomodo non sit censura Ecclesiastica. 1825.C.& seq. 1826.A
Irregularitas quomodo tum à Censuris, tum ab aliis impedimentis Canonicis differat. 1824.B.& seq.
Irregularitas incurri potest tum ob defectum naturalem, tum ob culpabilem. 1825.D
Irregularitatis species sunt quinque. 1828. A
Irregularitas nõ incurritur nisi ob defectum in iure expressum. 1828. B
Irregularitas ob delictum non incurritur quod non sit opere ipso perfectum & consummatum. 1828. D
Vnde discernendum sit in variis casibus vtrum quis incurrerit irregularitatem. 1828.B
Quando omnibus consideratis adhuc dubium est, vtrum incurrerit quis irregularitatem, quid cẽsendum sit. 1828. D.& seq.
Quando dubitatur quousque se extendat irregularitas & quantam nam potestatem recipiendi vel exercendi ordines adimat, quid existimandum. 1830.A.B
Sacerdos digito priuatus atque adeò irregularis quoad celebrationem

brationem, non ideo censendus esset irregularis quoad vsum etiam audiendi Confessiones. 1830.B
Irregularitatem violans peccat mortaliter, non tamen incurrit nouam irregularitatem. 1830.C
Irregularitas etiam ignorata incurritur. 774.A
Irregularitas non priuat beneficio prius acquisito, sed collationem beneficij ipso iure nullam facit. 1843.B.C
Irregularitas quanam tollatur per Baptismum. 835.B

Irregularitatis species.

Irregularitatis PRIMA species est ea, quæ oritur ex defectu Sacramenti, atq; adeò ex bigamia. 1830.D
Bigamia triplex est, & quomodo inducat irregularitatem. 1831. A.B
Contrahens ipse viduus; aut cum vidua, vel corrupta, aut cum duabus validè vel inualidè matrimonium, incurrit irregularitatem. 1831.B
Ordine sacro initiatus, aut voto solenni religionis adstrictus matrimonium cum vna etiam inualidè contrahens & consummans, irregularitatem contrahit. 1831.C
Pontifex potest in omni hac irregularitate ex bigamia cõtracta dispensare, etsi in vera bigamia non soleat; nec possit id sine magna causa facere. 1831.D
An in hac etiam irregularitatis specie dispensare possit Episcopus. 1832.A
SECVNDA species Irregularitatis est, quæ incurritur ob defectum corporalem. 1832.B. & primò ob defectum natalium. 1832.B. Secundò, ob defectum alicuius membri. ibid.C. Tertiò, ob defectum ætatis. 1833.C. Quartò, ob defectum valetudinis. 1834. A. Quintò, ob defectum libertatis. 1834.D
Irregularitas quæ ob defectum natalium incurritur quomodo à Pontifice, ab Episcopo, aut per Professionem in aliqua religione tollatur. 1832.B
Defectus alicuius membri etiam occulti ex propria culpa ortus semper inducit irregularitatẽ; nisi fortè cum per impatientiam se clam aliquis membro quodam priuat. 1832.C.D
Defectus membri alicuius qui sine vlla culpa propria accidit, nõ inducit irregularitatem, nisi vel impediat vsum ordinis, aut notabilem deformitatem in illorum vsu efficiat. 1832.D
Irregularis an sit qui caret altero oculo. 1833.A
Irregularitas ex defectu corporali orta efficiens irregularẽ respectu inferioris ordinis, efficit etiam irregularem respectu superioris, non contrà. 1833.B
In exequutione ordinum non est circumgestandum membrum abscissum ob cuius defectum incurritur irregularitas. 1833.B
In hac irregularitate solus Pontifex dispensat. 1833.C
Irregularitas ob defectum ætatis quomodonam contrahatur, aut contracta tollatur. 1833.C.& seq. 1834.A
Irregularitatem huiusmodi violans incurrit suspensionem, etsi in suspensione ordines susceptos exerceat, irregularitatem soli Pontifici reseruatam. 1833.C.D
Bona fide ordines ante legitimam ætatem suscipiens non incurrit suspensionem aut irregularitatem. 1833.D
Irregularitatem ob defectum valetudinis incurrit leprosus, morbo caduco laborans, energumenus, absemius, & quousq; se huiusmodi irregularitas extendat, & à quo tollatur. 1834.A.& seq.
In irregularitate an cum eo possit dispensare Pontifex, qui vinum non potest bibere quin euomat. 1834.C
Irregularitatem incurrunt ob defectum libertatis serui, & quid si nihilominus ordinentur? 1834.D
Irregularitatem inducit infamia, tum facti, tum Iuris, & quomodo hæc irregularitas tollatur. 1835.D
Histriones & publicè ludicra exercentes sunt irregulares. 1835.A
TERTIA species irregularitatis incurritur ex defectu animæ, qualis est defectus scientiæ. 1835.B. item defectus iudicij, & fidei. 1835.C. & à quonam in hac irregularitate dispensetur. 1835.C.D
Irregularitatem huius speciei contrahunt Catechumeni, hæretici, fratres & filij hæreticorum. Item Saraceni, Iudæi, Pagani, atq; etiam Neophyti recenter conuersi aut baptizati. 1835.D
QVARTA species irregularitatis contrahitur ex defectu perfectæ lenitatis, in casu licito administrationis, siue exequutionis Iustitiæ publicæ. 1836.A.B
Irregularitas hæc incurritur à militibus ordinarijs, & aliis exequutoribus Iustitiæ mutilantibus vel occidentibus hominem, non autem à Clericis licitè pugnantibus; aut ab iis qui cum moderamine inculpatæ tutelæ sese defendendo occidunt alium. 1836.C.D.& seq.
Qualinam membro priuans incurrat hanc irregularitatem, & quid per membrum intelligatur. 1837.B
Quinam in bello exhortantes, aut Iustitiæ publicæ administrationem adiuuantes irregulares censendi. 1837.C
In irregularitate huius speciei quisnam dispenset. 1837.C
QVINTA species Irregularitatis annexa est alicui delicto, nimirum illicitè deformantis, accipientis aut exercentis malè ordines, violantis censuras, iterantis baptismũ, committentis aliquod crimẽ notorium enorme. 1838.A
Quomodonam ob illicitam deformationem incurratur irregularitas. 1838.B
Irregularitas hæc etiam potest incurri per actionem, quæ non ordinetur ad deformationem certæ & determinatæ personæ. 1838.C
Vtrum ex deformatione merè casuali, quæ ex opere alioqui illicito sequuta sit, incurratur huius speciei irregularitas. 1838.D
Si ex opere alioqui illicito & ex se periculoso sequatur deformatio, semper incurritur irregularitas. 1839. B.C
Cum deformatio casualis venialiter tantum fuit volita in causa, non inducit hanc Irregularitatem. 1839.D
In hac irregularitate illicitæ deformationis solus Pontifex dispensat, exceptis duobus casibus in quibus id etiã possunt Episcopi facere. 1840.A
Quinam malè suscipiens ordines ex parte ipsius suscipientis incurrat irregularitatem. 1840.C.& quis in ea dispẽset. ibid.D
Quisnam malè suscipiens Ordines ex parte conferentis, incurrat irregularitatem. 1840.D.& quis in ea dispenset. 1841.A
Ex parte modi conferendi & suscipiendi Ordines irregularis est, qui eodem die minores Ordines cum vno maiore, aut plures maiores suscipit, aut per saltum, aut ante legitimam ætatem Ordinatur, & accepto ordine antequã

Universidad de Deusto
Biblioteca

à suspensione absoluatur, vtitur: aut nunquam ordinatus vtitur ordine quem non habet, & quis in talibus dispenset. 1841.B.& seq.
Irregularitatem incurrit Laicus extra necessitatem baptizans solenniter. 778.B.779.A
Quomodo violando censuras Ecclesiasticas incurratur irregularitas. 1841.D. *& an etiam violando cessationem à diuinis.* 1844.B.C
Excommunicatus excommunicatione maiore, suspensus, aut interdictus qui exercet actum alicuius ordinis solenniter, & quasi ex officio, aut celebrat vel coram se facit celebrare, incurrit irregularitatem Pontifici reseruatam, nisi delictum id sit occultum. 1841.D. & seq. 1818.C
Irregularitatem Pontifici reseruatam an incurrat Sacerdos propter fornicationem suspensus ab exequutione sacri Ordinis, si ordinem illum exequatur. 1819.D. & seq.
Quisnam iterans baptismum incurrat irregularitatem. 1842.B.& *an etiam iterans confirmationem, aut ordinem.* ibid.C
Irregularitas ob crimen quantumuis enorme non incurritur nisi simul sit notorium. 1842.C. & *quodnam censeatur crimen enorme.* 1843.B. *quod notorium.* 1843.A.B
Irregularitatem an inducat Sodomiæ crimen quantumuis occultum in Clerico. 1842.D. & *quid sit notorium.* 1843.A
Irregularitas huius quintæ speciei non incurritur nisi quãdo delictum fuit mortale. 1843.C. & *quis in ea irregularitate dispenset.* ibid.

Iudæi.

Iudæorum calamitas qua nunc afficiuntur est dissimilis aliis, nec est finem habitura. 35.A.B
Iudæi non hoc ipso quod Iudæi, sunt mancipia Christianorum. 796.C

Iudex.

Iudex non potest ad puniendum procedere, si crimen tantùm in Confessione cognitum ab aliquo sit ad eum delatum. 1756.A. *Vide Iudicium extremum.*

Iudicium extremum.

Iudicij extremi dies an fuerit determinatè præcognitus à Christo homine. 308.B.& seq.
Iudicij extremi antecedentia signa. Vide Resurrectionis signa antecedentia.
Iudicij extremi dies quomodo censendus sit vnicuique iam instare. 2265.D
Iudicium extremum generale cur instituendum sit post iudicium particulare iam transactum. 2309.B
Iudicium futurum quinam haretici negarint. 2310.C
Christus Dominus Iudex futurus in extremo iudicio non modò secundùm diuinitatem, sed etiam secundùm humanitatem. 2311.B. *in maiestate maxima veniet.* 2312.A. *Stipatus comitatu beatorum omnium Angelorum atque Sanctorum.* 2312.C. *Signo crucis antecedente.* 2312.C. *in nubibus splendidis.* 2312.B.C. *Summa cum celeritate, obuiam ei venientibus iustis illis qui tunc viuent, & in ipso illo raptu morientur, idemq; tandem sublimis in aëre consistet.* 2313.D
Iudicij illius materia erunt omnes omnino actus hominum, tum boni, tum mali. 2314.B. *omnibus manifestandi etiam mali iustorum, quamuis pœnitentia deleti.* 2314.C.D. *quod tamen in gaudium iustorum cedet.* 2316.B.C
Iudicio extremo iudicandi omnes homines qui aliquid in vita gesserunt. 2316.D. *non tamen iudicio discussionis.* 2317.A.B
Iudicandos etiam esse Angelos bonos & malos. 2318.D. *etiam ab hominibus. ibid.* D. *neque tamen propriè cum Christo iudicaturos.* 2318.A
Paruulos non iudicandos. ibid.
Iudicaturos cum Christo omnes Sanctos, peculiari autem ratione Apostolos & perfectos viros ob Euangelicã pauperatem, Sententia quæ & quomodo à Christo Iudice proferenda. 2319.A. & *quæ sententiæ executio.* 2319.C.D
Iudicij extremi tempus, locus; iudicandorum ordo & situs. 2320.B.& seq.

Iudicium particulare.

Iudicium particulare subire quasuis animas statim vt à corpore exeunt. 2224.B.& *in quo consistat horum iudicium.* ibid.

Iudas Iscariothes.

Iudas non credidit mysterium de præsentia Christi in Eucharistia. 932.B
Iudæ Christus etiam porrexit Eucharistiam in vltima cœna. 1286.B
Buccella alia Iudæ porrecta non fuit consecrata. 1287.B

Iurisdictio.

Iurisdictio ad audiendam confessionem necessaria in quo consistat. 1684.C. *Vide Confessionis Minister, & Clauium potestas.*

Iustitia.

Iustitia est erga alterum, siue secundùm suppositum, siue secundùm personam. 66.C

Ius Canonicum.

Ius Canonicum derogat iuri ciuili, cùm sit præstantius. 1994.A.1997.A.2126.A.2143.B

Kemnitius.

KEmnitij *mendacia quædam.* 1068.B.C. 1216.B. 1222.D. 1223.A. 1354.B. 1852.B. 1862.D. 1865.C. 1935.C. 1986.A. 2006.A. 2091.C. 2189.B. 2206.D. 2217.C.
Kemnitius non intelligit Magistrum sententiarum. 1070.C
Kemnitius habet vanam gloriam de Gelasio Romano Pontifice. 1072.C.D
Kemnitius falsò asserit ab Ecclesia prohibitam fuisse consuetudinem asseruandi SS. Eucharistiam. 1158.B
Kemnitius per calumniam asserit Catholicos nullam vim tribuere Eucharistiæ remittendi peccata mortalia. 1193.C
Kemnitius ineptè contendit præcipuum effectum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum mortalium. 1191.B

Kemnitius calumniatur, cum ait Concilium Tridentinum negare Christum spiritualiter per fidem posse manducari. 1199.B
Kemnitius impudenter mentitur S. Augustini sententia, liberam esse quæstionem de ieiunio ante communionem Eucharistiæ seruando. 1216.B
Kemnitij calumnia qua falsò asserit Concilij Tridentini Patres non adhortari ad frequẽtem communionem. 1222.D
Kemnitij obiectiones pro communione sub vtraq; specie petita ex verbis institutionis Christi refelluntur. 1234.C.& seq.
Kemnitius ineptè scholasticorum Doctorum authoritate vtitur pro communione sub vtraq; specie. 1281.C
Kemnitius confundit statum controuersiæ de sacrificio Missæ. 1306.A.& seq.
Kemnitius malafide catholicorum sententiam recitat de Missæ sacrificio. 1308.D
Kemnitius impudens impostor est. 1398.A. 1452.B. 2050.A
Kemnitius corruptè S. Augustini sententiam recitat. 1402.A
Kemnitij calumnia cum ait, scholasticos Doctores docere, per attritionem imperfectam de peccatis ex seruili timore ortam sufficienter hominem disponi ad gratiam, eámque mereri exclusis meritis Christi, redarguitur. 1524.A
Kemnitij calumnia & impudentia cum ait Catholicos à pœnitentia excludere fidem. 1581.A
Kemnitij impostura in allegandis sanctis Patribus detegitur. 1646.B.1647.C. 1653.C.D. 1696.C. 1956.C. 2007.C. 2008.C. 2050.A. & seq. 2091.C. 2126.C. 2127.A. 2220.A
Kemnitius malè abutitur priuato errore Gratiani de necessitate confessionis. 1668.B. & seq. *item de antiquitate cœlibatus Sacerdotum.* 2007.C
Kemnitius impudenter & temerè sanctorum Patrum authoritatem contemnit. 1759.D. 1870.A. 2006.C
Kemnitij calumnia, cũ ait Catholicos existimare Christum tantum satisfeciſſe pro nostris peccatis quoad culpam non quoad pœnæ reatum. 1847.C
Kemnitij obiectiones contra probationem Indulgentiarum ex Scriptura petitam soluuntur. 1862.D. & seq. 1865.B. & seq.
Kemnitij obiectiones quibus probare vult Matrimoniũ non esse Sacramentũ, refutantur. 2067.C.& sequentibus.
Kemnitij obiectiones contra indissolubilitatem Matrimonij soluuntur. 2089.D. & seq.
Kemnitij obiectiones quibus probare vult matrimonia filiorum sine consensu Parentum contracta esse inualida, soluuntur. 2124.C. & seq.
Kemnitius malitiosè Catholicorum sententiam interpretatur de impedimentis matrimonij dirimentibus. 2145.B
Kemnitij fraus in disputatione de Purgatorio. 2189.B
Kemnitij argumenta quibus probare vult libros Machabæorum non esse Canonicos, soluuntur. 2191.D. & sequentib.
Kemnitij blasphemia in improbando facto Iudæ pro mortuis curam habentis. 2192.D
Kemnitij obiectiones contra probationes Catholicorum ad asserendum purgatorium dissoluuntur. 2191.D. & seq. 2196.A. & seq. 2204. & seq. 2211.C. & seq. *Vide Lutherani, Sectarij, &c.*

Lector.

LEctores *in Ecclesia peculiarem & verum habere ordinẽ.* 1942.B. *licet sectarij contradicant.* 1945.B
Lectoris officium quodnam sit. 1954.B. & *quomodo etiam Euangelia olim prælegerint.* 1954.C
Lectorum ordinis quanam sit materia & forma. 1971.B. *Vide Ordinis Sacramenti ratio & partes.*

Lex.

Legis naturalis vis & materia. 1386.D
Lex non ideo deficit aut non obligat, quia in aliquo particulari casu finis legis cessat. 2083.C.D

Ligamen.

Ligamen quomodo ponatur impedimentum dirimens Matrimonij. Vide Matrimonij impedimenta in specie.

Limbus.

Limbum esse locum quendam subterraneum in quem pueri decedentes in originali peccato sine baptismo descendant. 2187.A. & *seq. an & quomodo eum neget esse S. Augustinus.* 2220.B
Limbum olim etiam quendam locum subterraneum fuisse in quem descenderint animæ iustorũ nulla peccati labe aspersæ, & an etiam nunc sit. 2187.C. *Vide Animarum receptacula.*

Locus.

Res aliqua posset se diuina potentia collocare in pluribus locis. 321.A. *Vide etiam Corpus.*
Esse definitiuè in loco quid sit. 1121.D

Lotio pedum.

Lotio pedum à Christo vsurpata & instituta cur non fuerit Sacramentum. 734.A.B
Lotio pedum an ex Christi institutione debeat in perpetuum vt cæremonia quædam nouæ legis vsurpari. 734.C.D

Lucifer.

Lucifer quomodo dicatur caput omnium malorum. 289.A

Lutherus, Lutherani.

Lutherus nunc ad Nestorij, nũc ad Eutychetis hæresin impiè & inconstanter deflectit. 112.B
Lutherus tribuit Christo secũdùm humanitatem ignorantiam priuatiuam, sed malè. 342.A. & *seq.*
Lutherus impudenter negauit Christum aliquas peculiares leges propriè Christianas sanciuisse. 443.B
Lutherus stolidè negauit Christum esse Legislatorem & Iudicem. 445.D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lutherani sentiunt impiè B. Virginem vt alios nonnunquam peccasse. 518. D
Lutherani quidam quid de Christi descensu ad inferos sentiant. 575. B. & seq.
Lutherani quàm peruersè Sacramenta definiant. 629. D. & seq.
Lutherani quidam malè quædam Sacramenta excludunt. 636. A
Lutherani sectarij malè cæremonias Ecclesiæ contemnunt. 648. B
Lutherani nullam vim in re tribuunt Sacramentis. 659. C
Refelluntur & deteguntur simul mendacia cuiusdam Lutherani Kemnitij. 661. C
Lutherani calumniantur vocē illam, operis operati in Catholicis. 668. D
Lutherani non minus tribuunt Sacramentis legis antiquæ quàm nouæ. 676. C
Lutherani negant imprimi in vllo Sacramento characterem. 681. C
Lutherani apud Kemnitium qualem intentionem requirant in administrante Sacramentum. 706. D
Lutherus aliquando docuit penes Prælatos Ecclesiæ residere authoritatem ordinandi ministros Sacramētorum, sed alibi ipse & eius assecłæ contrariū docent. 713. D. 714. B
Lutherani cum aliis sectariis quot nam ponant Sacramenta. 725. D
Lutherani citra Ecclesiæ authoritatem non possunt sufficienter probare sua Sacramenta. 727. D
Lutherus censuit valide conferri baptismum sine forma baptismi. 752. D
Lutherani censent in paruulis baptizandis requiri propriū actum fidei. 799. D
Lutherani apud Kemnitium contendunt per baptismum Ioannis etiam collatam esse gratiam, sicut per baptismum Christi. 828. C. *Refutantur.* 830. B
Lutherani docent eos qui baptizati fuerint baptismo Ioannis, nō fuisse necesse baptizari denuò baptismo Christi. 829. C. *Refutantur.* 832. C
Argumenta eorum soluuntur. 832. D
Lutherani non agnoscunt confirmationis Sacramentum. 835. B
Lutherani negant Sacramentum Eucharistiæ esse & permanere posse in aliqua re durabili. 893. C
Lutherani in qua re dicant consistere rationem Sacramenti Eucharistiæ. 893. C. & seq.
Lutheranorum corollarium ex illo suo errore. 894. D
Lutheranorum error in ea re refellitur. 895. A
Argumenta eorum pro illo errore soluuntur. 899. A. & sequentib.
Lutheranus quidam Kemnitius fatetur errorem illum repugnare veteris Ecclesiæ praxi. 897. B. & sequent. *Vide Kemnitius.*
Lutherani cur improbent ritum illum catholicum miscendi vinum aquæ in calice. 920. D. *Refelluntur.* 921. A. & sequentib.
Lutherani callidè vel inconstāter legunt suam hæresin, qua alioquin negant in Eucharistia substantiam panis & vini conuerti in corpus & sanguinem Christi. 1053. A. *Vide Panistæ.*
Lutherani Panistæ appropinquant hæresi Sacramentariorum. 1056. C. D
Lutherani Confessionistæ cum Sacramentariis errant in forma Eucharistiæ. 1157. A. & sequentib. *Vide Sacramentarij.*
Lutherani volunt sumpturos Eucharistiam certitudine fidei sibi persuadere debere se esse in gratia. 1203. C
Luthero & assecłis eius non placet consuetudo & præceptū de ieiunio obseruando ante Eucharistiæ sumptionem. 1214. C. D
Argumenta eius & Kemnitij mendacia refutantur. 1215. B. 1216. B
Lutheri inconstantia in asserenda necessitate communionis sub vtraq; specie. 1224. A
Lutheri obiectiones contra communionem sub vna specie soluuntur. 1259. A. *Vide etiam Sectarij.*
Lutherus negans Christum sumpsisse Eucharistiam, refellitur. 1284. B
Lutherus stolidè impugnat veritatem sacrificij Missæ. 1311. C. & seq.
Lutherus calumniosè mentitur de Ecclesia Catholica. 1314. B
Lutherani negantes in Missa sacrificari corpus & sanguinem Christi à Catholicis conuincuntur. 1315. C. & sequentib. *eorundem argumenta soluuntur.* 1331. D. & sequentib.
Lutherani non conuenienter suo dogmati de Vbiquitate Christi loquuntur. 1332. A
Lutherani Cathari sunt & partim Sacramentarij. 1339. D. & seq.
Lutheri error, quo censuit ad veram pœnitentiam non requiri dolorem de præteritis, refellitur. 1508. A
Lutheri sententia de dolore peccatorum orto ex seruili timore exponitur & refellitur. 1518. D. & seq.
Lutheri error cùm censuit dimisso peccato per pœnitentiam continuò omnem etiam pœnæ reatum tolli. 1540. A
Lutherani negant in confessione speciatim omnia mortalia peccata aperienda. 1636. A
Lutherus malè asseruit omnes fideles habere potestatem remittendi peccata. 1681. B
Lutherus insipienter negauit satisfactionem pro altero exhibitam ei prodesse. 1764. D
Lutherus circa Excommunicationis doctrinam & authoritatem excommunicandi, quæ est in Ecclesia, quomodo errauerit. 1790. D. *Refellitur.* 1791. C
Lutherani Confessionis Augustanæ quid de Excommunicandi authoritate, quæ est in Ecclesia, sentiant. 1791. C. *Refutantur.* 1793. C
Lutherus impiè reiecit indulgentias. 1860. C
Lutherani impudenter reiiciunt Epistolam sancti Iacobi. 1908. D
Lutherus impudēter censuit polygamiam licitam esse Christianis. 2051. C. 2054. A
Lutherus non rectè sensit ob affectatam absentiam alterius coniugis, aut ob adulterium posse iniri matrimonium cum alia. 2076. B. C

Lutheri in asserendo purgatorio inconstantia. 2190. A. B. *& in purgatorij ratione explicanda stoliditas.* 2190. B. *& in eius diuturnitate assignanda insania.* 2240. D
Lutherus nō rectè censuit animas posse mereri in Purgatorio, eiusq; argumenta soluuntur. 2237. C. & seq.

Machomet.

Negat Christum esse Deum, quamuis vt Prophetam dicat esse colendum. 158. A. 159. C
Reiicit vsum religiosum imaginum. 461. B

Manichæi.

Manichæi negarunt in Eucharistia esse vllam verborū formam necessariam. 1148. B
Manichæi negabant matrimonium esse rem per se bonam. 2046. A. 2021. B. C
Manichæi negarunt Christum verum esse hominē. 95. C
Manichæi horrebant aquam in baptismo. 744. D
Manichæi cum Massilianis & Caianis hæreticis negabant esse aliquod præceptum de baptismo. 812. C
Manichæi circumcisionem contemnebant. 840. B
Manichæorum error circa materiam Eucharistiæ. 914. A. B
Manichæi negabant esse sub specie vini sanguinem Christi. 936. C

Manna.

Manna figura Eucharistiæ in varias ciborum substātias conuertebatur. 1067. C

Marcionistæ.

Marcionistarum error de reiterando Baptismo. 768. A
Marcion negauit matrimonium esse rem per se bonam, sed refellitur. 2045. D. & seq.

Marcosiani.

Marcosianorum error circa materiam Eucharistiæ. 914. C

Martyrium & Martyres.

Innocentes Martyres verè per martyrium saluati sunt. 817. A. B. & seq.
Error quorundam Catholicorum Doctorum, qui negabant martyrium per se prodesse paruulis, nec cōcedebant omnium Innocentum pro Christo occisorum festum ab Ecclesia celebrari. 817. D
Martyrium quomodo valeat ad salutē, præsertim paruulis. 818. B
Per martyrium semper totam gratiam semel per peccatum amissam recuperari. 1576. C

Materia.

Materia quomodo ad generationem concurrat. 1143. D

Matrimonium secundùm se.

Matrimonij vocis notio & etymon. 2044. D
Matrimonij vera & communis definitio. 2040. A. *explicatur.* 2044. B. & seq.
In coniugio viri & fœminæ quinq; reperiuntur, de quibus analogicè matrimonium dicitur. 2041. A. & seq. *primariò tamen est & dicitur vinculum illud animorum inter coniuges.* 2043. A. seq.
Matrimonij vt Sacramentum est definitio. 2044. A
Matrimonium etiam vocari nuptias, coniugium, & quare. 2045. A. B
Matrimonium esse per se rem bonam & licitam de fide est, & probatur contra multos hæreticos. 2045. D. & seq. *ex auctoritate diuina.* 2046. B. *auctoritate Christi, D. Pauli. SS. Patrum,* 2047. B. C. *ratione naturali.* 2047. C. *ratione ducta ex finibus supernaturalibus.* 2049. B. *ex perpetua Ecclesiæ traditione.* 2049. D
Matrimonij finis naturalis duplex est. 2047. D. *supernaturalis triplex.* 2049. B
Matrimonium non esse necessarium, nec potissimum remedium ad tuendam castitatem. 2024. C. & sequent.
Matrimonium vt sit de iure naturæ. 2048. B
Matrimonium vt sit institutum in officium naturæ, in remedium concupiscentiæ, & in Sacramentum. 2049. C
Sancti Patres matrimonium nunquam improbant, vt malum. 2050. A. & seq.
Matrimonij actus à fornicatione vt differat. 2051. A
Matrimonium vnius viri cum pluribus vxoribus, an sit licitum. 2051. B. *Vide Polygamia.*
Matrimonium vnius cum vna præceptum etiam est à Deo, non quidem singulis, sed communitati. 2058. D. & seq. *neque id præceptum iam cessauit.* 2059. C. 2060. A
Ad matrimonium contrahendum singuli per accidens obligari possunt, vt in mundi initio & statim post diluuium accidit. 2059. D. *& si periculum esset interitus totius humanæ speciei, etiam castitatis voto obstricti dare operam deberent coniugio.* 2060. B
Matrimonium vnius cum vna esse etiam Sacramentum, probatur ex Scriptura. 2060. D. & sequent. *ex ratione veri Sacramenti.* 2063. B. *ex Apostolica traditione sanctorum Patrum authoritate.* 2063. D. & seq.
Matrimonium in veteri lege, an & cur non fuerit Sacramentum. 2065. D. & seq. *licet neque tunc defuerit gratia necessaria coniugibus.* 2066. B. & *qua ratione illud coniugium sit appellatum Sacramentum à S. Augustino.* 2066. D
Durandi & quorundam Canonistarum error refellitur, qui censuerunt, matrimonium non esse vniuocè Sacramentum. 2067. D
Inter fideles nullum esse verum matrimonium, quod non sit Sacramentum. 2070. D. & seq. 2073. A. B. & *an etiam inter fidelem & infidelem.* 2162. B

Matrimonij materia, forma, cæremoniæ.

Matrimonij Sacramenti materiam esse actus contrahentium, & formam verba Sacerdotis, non rectè sensit Canus. 2069. B. 2070. D. *Argumenta eius soluuntur.* 2071. D. & seq.
Matrimonij Sacramenti quænam sit materia & forma. 2071. C. 2143. D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concilium Florentinum quomodo dixerit Sacramentum non perfici, si desit minister. 2072. A
Matrimonium etiam, vt Sacramentum est, verè posse contrahi inter absentes per internuntios, literas, item per nutus, & cur non ettiam alia Sacramenta. 2073. A. B
Matrimonium quandoque contrahi posse ipsa fœmina taciturnitate, quæ sit signum consensus. 2073. D
In matrimoniis olim quomodo requisita fuerit præsentia Ministri Ecclesiæ. 2074. A. *& quomodo iam præsentia Parochi.* 2075. A
Qui matrimonium contraxerant debuerunt olim biduo aut triduo post coniugium orationibus vacare, et castitatem custodire. 2074. C
Matrimonij cæremoniæ explicantur. 2075. B. C
Matrimonium posse esse validum etiamsi sit peccatum, atq; adeò contra ius diuinum. 2124. D

Matrimonij indissolubilitas.

De matrimonij indissolubilitate quid sentiant Sectarij. 2076. A. *& seq.*
Non rectè Catholici quidam senserunt matrimonium ob adulterium alterius coniugis posse dissolui. 2076. C
Matrimonij vinculum omnino indissolubile esse, tribus casibus exceptis, de fide est. 2076. D. *& seq. & probatur variis argumentis.* 2081. A
Matrimonij vinculum dissolui posse, quando coniunx infidelis cum altero coniuge ad fidem conuerso, non vult cohabitare sine iniuria Creatoris. 2077. B. *quod tamen non dissoluitur, donec fidelis matrimonium cum altero de facto contrahat.* 2077. C
Matrimonium quoad thorum & cohabitationem dissolui potest, etiamsi infidelis velit cohabitare cum fideli sine iniuria Creatoris. 2077. C
Matrimonium ratum non consummatum dissolui quoad vinculum per professionem solennem approbatæ religionis. 2078. B. *neque tenetur vxor intra spatium duorum mensium matrimonium consummare. ibid. & quid si per vim illatam consummatum sit.* C. *ibid.*
Matrimonij rati vinculum dissolui posse per summi Pontificis dispensationem probabile est. 2079. C
Matrimonij dissolubilitas ob caussam fornicationis non probatur ex permissione diuortij apud Iudæos. 2085. D. *Vide Diuortium.*
Matrimonij vinculum nõ dissolui ob fornicationis caussam, probatur. 2087. B. C
Coniuges per diuortium ob fornicationem separati non possunt aliis matrimonio iungi, quamdiu vterque superstes est. 2085. C. *& seq. neq; vnquam à veteribus tale matrimonium in lege Euangelica approbatum est.* 2091. C. *& seq.*
Obiectiones Kemnitij contra indissolubilitatem matrimonij soluuntur. 2089. C. D. *& seq.*
Ob qualem morbi caussam liceat priore muliere dimissa aliam vxorem ducere. 2092. C. *Vide etiam Diuortium.*

Matrimonij caussa efficiens, nempe consensus, cum suis qualitatibus.

Consensum contrahentium nõ ita ad matrimonij vinculum necessarium esse, vt per nullam potentiam possit verum matrimonij vinculum sine illo cõsistere. 2102. A. B. *& an Deus de facto semel eum consensum suppleuerit.* 2103. A
Consensum contrahentium ad verum matrimonium secundùm legem Dei ordinariam necessarium esse, neque posse per vllam auctoritatem humanam suppleri. 2102. A. 2104. A. *& seq.*
Consensum in matrimonium debere esse liberum. 2105. B. *hinc amentes & ebrij matrimonium inire non possunt.* 2105. C
Error circa personam quoad eius substantiam, vel etiam quoad conditionem seruilem inualidat matrimonium. 2105. C. *non autem quoad alias qualitates.* ibid. D
Consensum in matrimonium non debere esse coactum, secundùm quid ex metu cadente in constantem virum ad eum finem iniecto, vt matrimonium ineatur. 2106. A. *neque is sufficit etiamsi simul iuramentum ad eam rem sit metu illo extortum.* 2106. D. *& quis sit metus cadens in constantem virum. ibid. & cuius iudicio ille discernendus.* 2107. B. *& quid si ex metu etiam per copulam matrimonium tale sit consummatum.* 2108. A
Matrimonium contractum ex metu cadente in cõstantem virum non ad eam rem tamen incusso, vt matrimonium ineatur, validum esse. 2107. D
Consensum in matrimonium metu extortum nõ esse peccatum, atq; adeò posse esse talem metum qui consensum extorqueat cadentem in constantem virum. 2109. A. B
Consensus in matrimonium ex metu solo reuerentiali sufficit ad Matrimonium. 2109. D
Matrimonium vt sit validum debet consensus in illud esse absolutus, non dependens à conditione saltem de futuro, aut quæ non sit necessaria, aut impossibilis, aut turpis, ita tamen vt non sit contra substantiam ipsius matrimonij. 2110. A. B. *imò in foro conscientiæ qualiscunque conditio sit adiecta, à qua verè volebas tuũ consensum dependere, inualidat matrimonium, quãdiu non impletur illa conditio.* 2113. A
Matrimonium sub conditione de futuro contractum, an statim sine nouo consensu validum esse incipiat cum primum conditio impleta est. 2111. A. *& quid si etiã personæ ipsæ, dum ita contrahunt sint illo tempore ad contrahendum inhabiles?* 2112. A
Quid causse sit, quare conditio impossibilis, aut turpis, quæ tamen non sit contra substantiam matrimonij, non impediat veritatem contractus matrimonij. 2112. C. *& si præsumptio caussa est, quænam sit præsumptionis illius ratio.* 2113. B. C. *& quid si aliũdè constet matrimonium huiusmodi tantùm ludicrè contractum esse?* 2114. A
Matrimonium sub conditione necessaria contractum censetur absolutum solùm ex præsumptione; quod si verò talis contrahere noluit, nisi posita quantumuis necessa-

rio euentura conditione, matrimonium antè nullum fuit. 2114. B. C
Conditiones contra substantiã Matrimonij contractui matrimoniali adiectæ, cur & qua ratione faciant matrimonium nullum? 2114. D. *& quodnam inter illas discrimen.* 2116. A. *& quomodo nihilominus in casu metaphysico fieri possit, vt tale matrimonium sit verum & validum.* 2115. C
Id quod non est propriè conditio, sed vt modus, vel demonstratio, vel vt caussa contractui matrimoniali adiicitur, an & quomodo illum faciat nullum. 2117. A. B
Matrimonium an sit validum, si quis, v. g. alteri dicat: Contraho tecum, si post coniugium nunquam me cognoueris, et ad hanc rem votum castitatis emiseris. 2117. C. *& seq.*
Vt cõsensus sit ad matrimonium legitimus, debet is verbis aut signis, coram aut per literas exprimi. 2119. A. *vel vbi Concilium Tridentinum promulgatum est, requiritur etiam præsentia Parochi vel alterius Sacerdotis cum eius vel ordinarij licentia; & aliorum duorum vel trium testium, quamuis etiam secũdùm ius antiquum præsentia duorũ vel trium testium ad vitandum peccatũ requirebatur.* 2119. B. C. *exceptis quibusdam casibus.* 2119. D. *& seq.*
Consensus matrimonialis non debet necessariò & directè ferri in copulam carnalem, sed in traditionem potestatis corporum ad finem matrimonij, & in copulã implicitè. 2120. C
Consensus in matrimonium quomodo repugnet proposito aut voto virginitatis. 2120. D. *& seq.*
Consensum parentum non requiri ad valorem matrimonij, sed solùm ad vitãdum peccatum, si absq; caussa filij matrimonium sine consensu parentum contrahant, probatur contra Sectarios. 2121. D. *& seq.*
Sectariorum argumenta pro contrario errore soluuntur. 2124. D
Filius aut filia sine consensu parentum matrimonia contrahentes non possunt ob id exhæredari. 2126. A

Matrimonij bona siue effectus.

Matrimonium quoad actum cõiugalem similitudinem quandam mali habet, quæ debet cohonestari bonis quibusdam matrimonij. 2128. A
Matrimonij bona esse tria, nempe bonum fidei, prolis & Sacramenti. 2128. C
Ad bonum fidei spectat, vt alter alteri debitum reddat. 2130. A. *vt alter cum altero cohabitet, & quid si nolit?* 2130. B. *vt neuter coniugum cum alia persõa copuletur.* 2130. B. C
Nemo potest ob absentiam solam sui coniugis cum alio contrahere matrimonium, sed requiritur notitia positiua, moraliter certa de eius morte. 2130. C. D
Si quæ persona contracto iam secundo matrimonio cognosceret priorem maritum viuere, quid faciet? 2130. D. *& quid si dubitet de vita prioris coniugis?* 2131. B
In quibus casibus liceat alteri coniugi negare debitum, aut omnino quoad thorum se ab eo separare. 2132. A. *Vide Diuortium.*
Bonum prolis in quo consistat. 2137. B. C. *& qua ratione matrimonium cohonestet.* 2137. C. D
Quadripartitam esse conditionem filiorum, & quæ cuiusque ratio. 2138. A. *& quomodo legitimari possint filij alioquin illegitimi.* 2139. A

Matrimonij impedimenta in genere, & de dispensatione in illis.

Matrimonij impedimenta cuiuscunque generis, siue dirimentia, siue non dirimentia posse per Ecclesiasticam auctoritatem matrimonio opponi, probatur cõtra Sectarios ex natura matrimonij. 2141. B. *ex praxi antiqua ipsius Ecclesiæ, cuius testes sunt SS. Patres.* 2142. B. *& seq.*
Sectariorum contraria argumenta soluuntur. 2143. B. *& speciatim quomodo Ecclesia non mutet materiam aut formam matrimonij.* 2143. D
Matrimonij impedimenta potuisse etiam ab ipso Magistratu ciuili constitui, nisi fuisset eius potestas auctoritate Ecclesiastica in hac re limitata. 2142. D. *& sequent.*
Matrimonij impedimenta quædam reddunt ipsum inualidum, quædam tantùm illicitum. 2145. B. *& quid de tertio quodam genere impedimentorum a Couarruuia addito sentiendum.* 2145. C. D
Matrimonij impedimenta dirimentia non dirimunt matrimonium valide prius contractum. 2145. B
Matrimonium non hoc ipso inualidum esse, quòd est illicitum ex ratione naturali. 2153. B
In impedimentis, quæ iure naturali cõstant, nemo potest dispensare, ne Ecclesia quidem. 2169. C. *in iis autem omnibus, quæ constat, iure humano dispensare potest Pontifex, quamuis in aliquibus nõ nisi ex grauissima caussa id faciat.* 2169. C
In impedimentis non dirimentibus, an & quomodo possit dispensare Episcopus. 2169. D. *& seq. quomodo itẽ in dirimentibus occultis, &c. & in iis, quæ matrimonio iam contracto superueniunt, & impediunt exactionem debiti.* 2171. A. *& seq.*

Matrimonij impedimenta dirimentia.

Matrimonij impedimenta dirimentia quænam sint. 2146. A
ERROR *matrimonium dirimit cum est circa personam aut statum eius seruilem, non autem circa personæ qualitatem, idq; iure naturali.* 2146. C
CONDITIO *dirimit matrimonium, vel vt sumitur pro conditione seruili alteri ignota, aut pro conditione apposita de futuro idq; iure naturali.* 2146. D. *Vide Matrimonij consensus.*
VOTVM *dirimit matrimonium, si sit solenne per professionem factam in approbata religione, aut per susceptionem sacri ordinis, aut si sit simplex emissum in Societate Iesu post biennium probationis.* 2147. A. *& seq. & quo iure.* 2148. B. *qui verò conantur cum his votis contrahere, incurrũt excommunicationem.* 2148. A
Votum solenne religionis etiã irritat contractum matrimonium ratum non consummatum. 2148. B

Universidad de Deusto
Biblioteca

COGNATIO impediens & dirimens matrimonium triplex est. Vide cognatio.
Matrimonia etiam ab infidelibus contracta, si ad fidem conuertantur, dirimenda sunt, si sint in gradu, qui sit iure diuino & naturali prohibitus. 2151. A
CRIMEN quodnam & inter quas personas reddat matrimonium nullum. 2160. D
CVLTVS disparitas dirimit matrimoniũ et peccatũ mortale inducit, si quis fidelis cõtrahat cum persona infideli nõdum baptizata, quamuis iam sit Catechumenus. 2161. B. Vide Matrimonij indissolubilitas.
Matrimonium cum infideli baptizato validum est, sed illicitum & peccatum mortale. 2161. D
Cultus disparitas solo Ecclesiastico iure dirimit matrimonium. 2162. A. & seq.
VIS contrahenti illata ad cõtrahendum matrimonium, quomodo faciat matrimonium nullum. 2162. C. D
Vide Matrimonij caussa efficiens.
ORDO sacer matrimonium reddit nullum. 2162. D
LIGAMEN prout significat vinculũ prioris matrimonij, iure diuino matrimonium reddit nullum. 2163. A. Vide Matrimonij bona. Item Diuortium.
HONESTAS matrimonium cum consanguinea prioris coniugis nondum cognita, vel sponsæ aut sponsi facit nullum intra primum gradũ, posito, quod primũ matrimoniũ & sponsalia prima valide fuerint cõtracta; & quid de Iure antiquo in hac re dicendum? 2163. B
AFFINITAS, vt dirimat matrimonium, & quid per eam intelligatur. 2163. C. Vide Affinitas.
IMPOTENTIA perpetua ad copulam carnalem perfectam, siue ex frigiditate, siue ex maleficio proueniat, si fuit ipso tempore cõtractus matrimonialis, reddit matrimonium nullum. 2164. D. idq; iure naturæ. 2166. A. si autem post matrimonium iam legitimè cõtractum superueniat, non dirimit illud. 2165. A. B
Impotentia temporalis non reddit matrimonium nullum. 2166. A
Matrimonium scienter cum impotente cõtrahens non debet in tali matrimonio permanere, quamuis vt fratres cohabitare possint. ibid.
Matrimonium posse valide iniri à senibus & sterilibus, non autem à veris Eunuchis. 2166. B. C

Matrimonij impedimenta nõ dirimẽtia.

Matrimonij impedimentum nõ dirimens est prohibitio Episcopi, vel Iudicis, vel Parochi, etc. 2167. A. itẽ certum anni tẽpus ab Ecclesia determinatũ. 2167. B. Itẽ sponsalia iam cum altera legitimè contracta, nõ suppetente iusta caussa ea rescindendi. 2167. C. Item cognatio quædã spiritualis nata ex catechizatione baptizati, & quomodo ea sit restricta iure nouo. 2167. D. Item votum simplex castitatis. ibid. & quomodo hoc vsum matrimonij iam contracti, & facultatem aliud contrahendi impediat. 2168. A. & quidnam in hoc genere peculiare habeat votum simplex in Religione Societatis Iesu legitimè emissum. 2168. B
Matrimonium quomodo illicitũ reddat incestus. 2168. B. vxoricidium & matricidium. 2168. C. raptus sponsæ alterius. ibid. malitiosa proprij filij de fonte suscepti. & presbytericidium. 2168. D. peccatum dignum publica & solenni pœnitentia. 2169. A. Contractus matrimonij scienter initus cum moniali. 2169. A

Matrimonij legitimus vsus.

In contractu matrimonij peccari potest variis modis, vt si contra aliquod matrimonij impedimentum dirimens, vel non dirimens, aut animo ficto contrahatur. 2170. B. & seq. si malo fine, si ab existente in peccato mortali sine præuia saltem contritione, aut ab excommunicato contrahatur. 2172. A. si clandestinè nisi in casu, quo iam semel publicè contractum esset. 2172. B. si absque ætate sufficiente, si temporibus ab Ecclesia prohibitis solenniter ineatur. 2172. C
Matrimonium secundum, tertium, &c. licitũ & validum esse posse, si priore cõiuge mortuo ineatur, probatur contra antiquos hæreticos. 2172. D. & seq. et quomodo id SS. Patres quandoq; videatur vituperare. 2173. D
Vide Bigamia & Irregularitatis species.
Matrimonio dubio, aut manifestè nullo vtens quomodo peccet, & quæ sit rationabilis caussa dubitandi. 2175. B. & quomodo tale matrimoniũ valorẽ accipiat. 2175. C
In matrimonij vsu peccatur quandocunq; fit aliquid contra fidem. 2175. D. 2176. A. aut ob illicitum finem. 2175. D. aut illicito modo, loco. 2176. B. C. aut cùm personæ ratio non habetur. 2176. B. aut non accommodatè ad finem matrimonij agitur, & siquis clãdestino matrimonio, etiam secundùm ius antiquum loquendo, vtatur. 2177. C. D
Vir vxori adulteræ publicæ debitum reddens, quomodo peccet. 2177. D. & an contra etiam peccet vxor viro adultero debitum reddens. 2178. A
Matrimonio ante solennem benedictionem vtens quis peccet. 2178. A

Melanchton.

Philippi Melanchtonis impudentia circa confessionem Augustanam notatur. 1053. D. Vide etiam verbo Lutherus & Panistæ.
Melanchtonis incõstantia in asserenda necessitate communionis sub vtraq; specie. 1224. C

Melchisedech.

Melchisedech sacerdos obtulit Deo sacrificium panis & vini. 1357 B. 1359. C. & seq. etiamsi dederit eum pane & vinum Abrahæ ad refectionem. 1360. B
Melchisedech sacerdotium, in quo antecelluerit sacerdotium Leuiticum. 1361. C

Mendacium.

Mendacium nõ omne in Confessione, sicut nec in iudicio externo est peccatũ mortale, sed tantum quod est circa materiam necessariam Confessionis. 1706. A

Meritum.

Ad rationem meriti quid requiratur. 268. B
Non requiritur ad meritum, vt præcedat tempore præmium. 380. D. & seq.
Merita nostra quomodo cum meritis Christi possint consistere. 407. C
Merita vt reuiuiscant per pœnitentiam. Vide Pœnitentiæ effectus.

Messaliani.

Messaliani videntur Eucharistiam habuisse pro communi pane. 937. A

Messaliani dixerunt Eucharistiam neq; prodesse quicquam sumenti, neque lædere. 1186. D
Messaliani negarunt confessionem à Christo institutã. 1635. D

Metus.

Metus cadens in constantem virum quis sit. 2106. D. & quomodo irritet matrimonium. Vide Matrimonij caussa efficiens.
Ex metu in constantem virum cadente nunquam posse committi vllum peccatum. 2107. C

Miraculum.

Euidens videtur quædam miracula à Christo diuina omnino virtute patrata. 32. A

Monothelitæ.

Monothelitarum hæresis de vnica in Christo voluntate refellitur. 367. C
Eorundem error de vnica in Christo operatione refellitur. 373. A. & seq.

Montanistæ.

Montanistæ hæretici negarunt Sacramentum Pœnitentiæ. 1464. D. 1492. B. 1635. D
Montanus putauit matrimonia pro libito posse dissolui. 2076. A
Montanus secundas nuptias condemnauit. 2172. D

Moyses.

Moyses Sacerdos & Pontifex fuit, et ab eo ordinati Sacerdotes veteris legis. 1976. C

Mundi status post extremum Iudicium.

Quænam creaturarum genera post extremũ Iudicium superfutura. 2335. A
Plantas & animalia, & alia omnia mixta, præter hominem exurenda. 2335. B
Corpora cœlestia & elementalia tribus modis innouãda. 2336. C
Cœlorum motum tunc cessaturum. 2337. A
Cœlorum & elementorum lux quanta & qualis tunc futura. 2338. A. B

Musculus.

Sequitur errorẽ Eutychetis confundẽtis duas in Christo naturas. 99. A

Mutatio.

Mutatio rei, in quo propriè & formaliter consistat. 21. C. D & seq.

Natura.

NAtura quid acquirat per adiunctam personalitatem. 17. B. 24. A. & seq. 124. B. 226. B
Natura diuina non potest in aliquo supposito supplere vicem naturæ creatæ. 20. A
Natura quæuis creata potuit à verbo diuino assumi per potentiam Dei absolutam. 209. A. 229. D
Argumenta contrariæ sententiæ soluuntur. 211. B
Nihilominus tamen sola natura humana dici debet absolutè à persona diuina assumptibilis. 209. C. & seq.
Licentia Gabrielis hac in re notatur. 210. C

Nectarius.

Nectarius Archiepiscopus Constantinopolitanus, nõ sustulit confessionem specialem peccatorum. 1661. D

Nestorius.

Hæresis Nestorij asserentis duas in Christo personas explicatur. 109. B. & seq.
Errauit dicendo meruisse Christum illam qualemcunq; vnionem ipsius cum Deo. 177. C
Nestoriani malè dixerunt, Christum secundùm suum suppositum Patri suo subiectum. 391. B
Nestorius negauit B. Virginem verè Deiparã. 550. B
Nestorius negauit in Eucharistia sumi carnem Christi Verbo diuino vnitam. 937. B

Nouatiani.

Nouatiani hæretici reiecerunt Confirmationis Sacramentum. 835. A
Nouatiani reiecerũt Sacramentũ Pœnitentiæ. 1464. D. 1492. A. 1659. A. B
Nouatianorũ hæresis caussam dedit Ecclesiæ instituendi publicas pœnitentias. 1662. A. & seq.
Nouatiani secundas nuptias damnabant & refutantur. 2172. D

Nuptiæ.

Nuptiæ vnde dictæ. 2045. A. Vide Matrimonium.

Obiectum.

OBiectum quale genus caussalitatis exerceat erga suum actum. 1181. A

Occolampadius.

Oecolampadius Sacramentarius, quomodo cõueniat cũ Caluinistis in errore de absentia Christi in Eucharistia. 996. D. Vide Sacramentarij.

Opera seu Operationes humanæ.

Operationes etiam non præceptæ licitæ sunt. 1243. D
An ad dignitatẽ operationis alicuius humanæ possit aliquid accedere ex conditionata quadam veritate propositionis, v. g. vellem hoc facere, si hoc vel illud occurreret. 1543. D
Opera mortua dupliciter dicuntur. 1573. C. D
Opera mortificata & mortua, an per pœnitentiam viuificentur. 1573. C. & seq.
Per quæuis opera charitatis facta post iustificationẽ restitui merita & gratiã semel per peccatum amissam. 1576. B. C. Vide Pœnitentiæ effectus.
Opera omnia pia ex gratia profecta vim habent merendi & satisfaciendi. 1848. A

Ophitæ.

Ophitarum error circa materiã Eucharistiæ. 914. A.

Ordinis Sacramenti ratio, substantia, partes, & effectus.

Ordinis Sacramentum describitur. 1924. A. & quæ sit nominis notio. 1924. A
Ordinis Sacramẽtum præcipuè ad salutem aliorum ordinatur. 1925. B
Ecclesiæ ministri non sunt omnes vnius & eiusdem ordinis. 1927. C
In Ecclesia ex institutione diuina est ordo Episcoporum Presbyterorum & Diaconorum. 1928. D
Inter ipsos Episcopos esse quosdã gradus ratione auctoritatis: vt Archiepiscopi, Metropolitani, Patriarchæ, ac primates, & summus Pontifex. 1941. C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cardinales non differunt ordine ab Episcopis Presbyteris aut Diaconis, sed peculiari titulo dignitatis ac munere. 1941. D
Esse etiam in Ecclesia peculiares Ordines Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum. 1942. B. *atque adeò Ordines Ecclesiasticos esse octo.* 1943. C. *quamuis diuersimodè eorum numerus olim à SS. Patribus, et etiamnum assignaretur.* 1945. B. 1949. C
Sectariorum reiicientium Ordines Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum, argumenta soluuntur. 1945. B. *& seq.*
Omnes ministros Ecclesiasticos constitui per quandam traditionem potestatis ad eiusmodi Ordinum munera. 1947. A
Cooptatus semel in aliquem Ordinẽ Ecclesiasticum nequit omnino accepti Ordinis potestate priuari. 1947. D
Primam Tonsuram, aut Psalmodiam non esse propriè Ordinem. 1950. A. B
Ordinationem Sacerdotum esse Sacramentum propriè dictum constat apud omnes orthodoxos. 1955. B. *& defenditur contra Sectarios.* 1956. D
In Ordine quomodo sit etiam præter verbum Elementum. 1957. A
Ordines omnes maiores & minores esse verè Sacramentum. 1958. B. *etiamsi possint aliqui minorum Ordinum actus sine ordine exerceri.* 1960. C
Contrariæ sententiæ argumenta soluuntur. 1959. B. *& sequent.*
Ordines sacri quinam vocentur. 1961. B
Ordines minores in peccato mortali suscipiẽs peccat mortaliter, licet eos imò etiam Diaconatum & Subdiaconatum exercens non item. 1964. D
Ordines omnes quomodo constituant vnum Sacramentum. 1962. A. B. *& quomodo inter se differant.* 1962. B
Ordinem Episcopalem esse verè & propriè Sacramentum. 1964. C. *licet tantum indiuiduali modo à Sacerdotio distinctum.* 1965. A
Ordo Episcopalis cur non possit consistere sine Sacerdotio. 1965. C. D. *& an saltem per potentiam Dei absolutam possit sine Sacerdotio conferri.* 1966. A
Ordo Episcopalis & Sacerdotalis quomodo tum per se separatim, tum coniunctim sint Sacramentum. 1966. C
In Sacerdotio quænam sit materia & forma. 1968. C. *& vtrum sit de eius substantia impositio manuum.* 1969. C
In Diaconatu quænam materia. 1970. B. *quænam in Subdiaconatu.* 1970. D
Ordinum minorum quæ sit materia & forma. 1971. B
An ad valorem Ordinis necessarium sit contingere materiam propriam cuiusque Ordinis. 1971. B
Ordinis Sacramenti ratio, substantia, & partes. 1972. B. *& sequent.*
Ordinis Sacramenti effectus est gratia. 1972. C. *& Character.* 1974. B
Ordo quomodo sit impedimentũ dirimens matrimonij. Vide Matrimonij impedimenta.

Ordinis Sacramenti Minister.

Solos Episcopos habere vim & ordinariam potestatem ordinandi Sacerdotes & reliquos ministros Ecclesiæ. 1974. C. *Probatur contra Sectarios.* 1976. B
Vt ordinatio per Episcopos facta sit valida non requiritur iure diuino consensus multitudinis. 1977. A
Sectariorum argumenta contraria soluuntur. 1979. A. *& sequent.*
Ex commissione minores Ordines conferre possunt Cardinales Presbyteri, & Abbates etiam non Episcopi. 1982. C
In ministro Sacramenti Ordinis quid requiratur, vt rectè & licitè Sacramentum hoc administret, & si secus quas pœnas, tum ipse, tum suscipiens ordines incurrat. 1983. A. B
Episcopus qualicunque censura sit irretitus, imò licet sit hæreticus aut Apostata, validè, sed non licitè confert Ordines. 1983. B

Ordinem suscipiens.

Ordinem aut primam Tonsuram suscipiens ante Confirmationem, vt peccet, & an incurrat Censuram. 881. C
Ordinem suscipiens ab Episcopo Censura notato, aut per Simoniam præter peccatum incurrit etiam irregularitatem. 1983. B. *Vide Irregularitatis Species.*
Omnem masculum baptizatum posse validè suscipere Ordinis Sacramentum etiam pueros. 1982. C. *& seq. & cur id non possint etiam fœminæ.* 1984. C
Ordo vt licitè etiam suscipiatur, varia requiruntur. 1985. B. C. *Vide irregularitas.*
Ordinari nemo debet coniugatus. 1998. C. *nisi cum consensu vxoris legitimo, & quis censeatur esse talis.* 2148. C
Ordines sacros suscipiens qualenam votum continentiæ edat. 1999. A

Ordinationis Cæremoniæ.

Ordinationis Cæremoniæ, quæ in Vnctione consistunt, defenduntur contra Sectarios. 1986. A. *Vide etiam Cæremoniæ.*

Oratio.

Oratio quandoque rectè fit post rem impetratam, & an Deus tali oratione moueri possit. 1156. B
Oratio in persona Ecclesiæ facta, qua ratione maiorem aut minorem vim habere possit. 1302. B
Oratio Dominica valet ad remissionem venialium, sicut & oratio in consecrato templo facta. 1544. D

Origenes.

Origenes non rectè negauit resurrecturos homines cum iisdem corporibus, quæ antè habuissent. 2297. B
Errauit Origenes dicendo animam Christi antecessisse mysterium incarnationis, illudq; adeò fuisse promeritam. 177. C. 252. C
Falsò asseruit Malachiam & Ioannem Baptistam fuisse Angelos. 203. B
Errauit item dicendo, Angelos beatos per Christum à peccatis esse redemptos. 291. D
Origenistarum error sentientium infernum esse solum cruciatum conscientiæ. 585. D

Origenes non rectè sensit, omnes pœnas animarum post hanc vitam esse purgatorias, atque adeò finiendas. 2230. C. *& duraturum etiam Purgatorium post resurrectionem.* 2242. A

Oseas.

Oseas Propheta an proprio consensu matrimonium cum muliere fornicaria contraxerit. 2103. A

Ostiarius.

Ostiariorum ordinem verum & peculiarem esse in Ecclesia. 1942. B. *licet id negent Sectarij.* 1945. B. *& sequent.*
Ostiariorum munus in Ecclesia quodnam sit 1954. C
Ostiariorũ ordinis materia & forma quænã sit. 1971. B.
Vide etiam Ordinis Sacramenti ratio & partes.

Panistæ.

PAnistæ hæretici quinam & vnde dicti. 1053. A. 1051. C. *& seq.*
Panistæ negant conuersionem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinẽ Christi in Eucharistia. 1051. C. *& sequent.*
Panistæ impudenter dicunt dogma Catholicorum de transubstantiatione destitui vetustatis patrocinio. 1066. D
Probatur transubstantiatio contra Panistas. 1054. B. *& seq. Vide Transubstantiatio.*
Panistarum obiectiones contra sententiam Catholicam ex Scriptura petitæ soluuntur. 1069. A
Respondetur ad obiectiones ex Patribus. 1070. B. *Vide SS. Patres.*
Panistæ hæretici vanè gloriantur Romanum Pontificem negare transubstantiationem. 1072. C. D
Sancti Patres cur Eucharistiam quandoque appellent panem. 1075. B. *quatenus conferãt Eucharistiæ Sacramentum cum mysterio incarnationis.* 1075. C. D. *& cum iustificatione hominis.* 1076. B. C
Respondetur ad obiectiones Panistarum ex ratione petitas. 1076. D *& seq.*
Respondetur in specie ad obiectiones Sadeelis. 1078. C. *& seq. Vide Sadeel.*

Panes propositionis.

Esus panum propositionis an fuerit Sacramentum. 627. C.

Paradisus.

In Paradiso futurum fuisse naturalem generationis modum, qui nunc est. 2059. A

Parentes.

Parentes tenentur iure naturali, & diuino curare, vt baptizentur eorum filij. 814. A. B
Parentum fides non prodest paruulis ad salutem sine Baptismo. 815. C. *& seq.*
Parentum fides an in veteri Testamento profuerit paruulis ad salutem sine circumcisione & alia cæremonia. 824. C. *& seq.*

Parochus.

Vide Confessionis, Eucharistiæ minister, Sacerdos.

Pascha Iudæorum.

Paschalis agni immolatio fuit verum Sacramentum. 627. B. *& seq. & sacrificium.* 1346. B. 1355. A
Paschalis agni ritus fuit præcipua figura Eucharistiæ. 892. B. *& seq.* 1345. D. *& seq.* 1354. B
Pascha quando celebrauerit Christus cum discipulis. 564. C
In Paschate veteri sacrificabatur etiam agnus, non tantùm comedebatur. 1346. B

Pater æternus.

Pater in diuinis non est incarnatus, vt sensit Sabellius. 181. A. *& seq.*
Contraria argumenta soluuntur. 183. A. *& seq.*

SS. Patres.

Sanctorum Patrum auctoritas non nisi impudenter ab hæreticis reiicitur. 986. D. 1403. B
SS. Patrum cautela in mysteriis fidei apud infideles enarrandis. 963. A. B. 1154. B
Sanctorum Patrum consuetudo simpliciùs olim & securiùs de rebus fidei loquendi & scribendi. 1025. B
Sancti Patres, si inter se discrepent, sequenda sententia plurium & illustriorum. 1073. D. *& seq.*
SS. Patres quatenus conferant Sacramentũ Eucharistiæ cum Incarnationis mysterio. 1075. C. D. *& cum iustificatione hominis.* 1076. B. C. *& quaratione Eucharistiam quandoq; appellent panem.* 1075. B
SS. Patres quare dixerint, consecrationem Eucharistiæ fieri, inuocatione diuini nominis vel prece, &c. 1154. A
SS. Patres quomodo negent à peccatoribus sumi Eucharistiæ Sacramentum. 1198. C
SS. Patres nunquam volunt ex præcepto diuino omnibus & singulis Eucharistiam in vtraq; specie administrandam. 1271. A. *& seq.*
Vide Eucharistiæ vsus sub vtraq; specie.
Contingit quandoque aliquem ex SS. Patribus, vel alioquin ex Catholicis Doctoribus quosdam à Catholica sententia, & fide citra hæresim aberrare. 1661. A
SS. Patres sæpe inculcant confessionis auricularis vsum. 1665. A. *& seq.*
SS. Patrum auctoritas temerè & impudenter ab hæreticis nonnunquam reiicitur. 1759. D

S. Paulus.

Sanctus Paulus quomodo viderit Christum. 1031. A
Sanctus Paulus quandonam raptus sit ad paradisum. 1032. C

Paupertas.

Paupertas vera non consistit tantùm in non vtendo rebus temporalibus, sed in non habendo. 431. A
Perfectior simpliciter paupertas est carere simul vsu & dominio rerum, quàm carere tantùm vsu. 436. B. C

Peccatum.

Peccatum sine offensa Dei ex triplici capite infinita est. 51. C
Quomodo homines per peccatum è seruitute & potestate Dei veniant in seruitutem Diaboli. 400. A. *& sequent.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Peccatum nullum est, quod per pœnitentiam dimitti non possit. 1528.B. *Vide Pœnitentiæ effectus.*
Peccata, quæ quis in confessione sine culpa oblitus est, quomodo remittantur. 1708.B
Peccata quomodo multiplicentur per repetitam voluntatem aliquod scelus patrandi. 1711.A
Peccata per pœnitentiam semel remissa non redeunt propter sequentem lapsum, nisi secundùm rationem communem omnibus peccatis. 1551.C.& seq.
Peccata per pœnitentiam semel remissa posse per omnipotentiam Dei redire. 1554.A. 1555.A
Peccata remissa ratione effectus, nempe maioris ingratitudinis, redire per sequentem lapsum. 1555.C
Peccata remissa per quatuor genera peccatorum peculiari ratione redire dicuntur. 1556.B. *etsi nihilominus per aliquod aliud genus peccati magis redire possint.* 1557.B
An etiam venialia semel remissa ratione ingratitudinis redeant per sequentem lapsum. 1557.C
Peccata semel remissa quomodo redeant secundùm pœnæ reatum per sequentem lapsum. 1559.B
Per sequentem lapsum non redire æqualem pœnam damni debitam præcedentibus peccatis. 1560.A
Esse in peccato etsi nemini liceat, non tamen tenetur aliquis statim peculiari præcepto pœnitentiæ illud delere. 1608.A
Peccata reseruata quomodo superiori, quomodo & quãdo inferiori in Confessione recensenda sint. 1718.B. & sequent.
Vide Confessionis qualitas.
Peccato quoad culpam & reatum pœnæ æternæ deleto remanet, tamen quandoque reatus pœnæ temporalis. 1846.A.B
Peccati remissionem etiam quoad pœnæ reatum fieri virtute passionis Christi. 1847.A. *quatamen non sine mediis certis hominibus applicatur.* 1847.A.B
Peccata duplici ratione gignunt in animo difficultatem ad bonum, & propensionem ad malum. 1912.A. & *quænam per extremam Vnctionem tollatur.* 1912.C
Peccatum nullum, nec veniale quidem potest fieri ex metu cadente in constantem virum. 2107.C
Peccatum mortale hominem reum facit æternæ pœnæ damni & sensus. 1756.B

Peccatum veniale.

Peccatum veniale remitti etiam potest per pœnitentiam virtualem, nisi obstet affectus vigens, &c. 1541.A
Peccatum veniale non remitti per quemlibet actum bonum, qui Deo magis placeat, quàm displiceat ei veniale. 1542.A
Opinio Durandi requirentis ad remissionem peccati venialis formalem pœnitentiam refutatur. 1543.B.
Peccata venialia an & quomodo, & per quænam Sacramentalia remitti possint. 1544.B
Peccata venialia ex opere operato remitti per Sacramentalia reuerenter vsurpata, & nõ tantùm quatenus pœnitentiæ motum excitant. 1545.C
Peccata venialia ex opere operato remitti per vsum cuiusuis Sacramenti. 1546.C. & *hoc ipsum sensisse D. Thomam.* 1547.A
Peccata venialia quomodo remittantur in Purgatorio. 1548.B
Peccata venialia in inferno nullo modo remitti. 1548.A.B
Peccata venialia non remitti in morte omnia, quoad culpam, per gratiam finalem. 1548.C
Peccata venialia remitti posse sine gratiæ infusione. 1549.A.B
Peccatum veniale sine peccato mortali remitti non posse. 1549.C
Peccatum veniale non consistit solùm in reatu pœnæ. 1548.A
Peccatum vnum veniale potest remitti sine altero. 1551.A.B
Peccatum veniale habituale, in quo formaliter consistat. 1552.A.B
Peccatum venialia, an etiam ratione ingratitudinis per sequentem lapsum virtualiter redire dici possint. 1557.C

Peccatum originale.

Peccatum originale non consistit in transgressione Adæ. 516.D
An B. Virgo concepta fuerit in peccato originali. Vide B. Virgo.
Peccatum originale non est materia pœnitentiæ propriè dictæ. 1475.A

Peccator.

Peccatori publico vel occulto, an & quando sit neganda Eucharistia. Vide Eucharistiæ sumptio.

Pelagius.

Pelagius negauit paruulos esse baptizandos, ob peccati remissionem. 786.D
Eius fundamentum refellitur. 788.D
Pelagiani negabant Baptismum paruulis esse necessariũ, vt vitam æternam consequantur. 815.D
Pelagiani Circumcisionem vocabant inuentum humanum. 840.B

Persona.

Persona plus est quàm natura singularis. 17.B. 24.A. & *seq.* 124.B. 226.B
Personalitas est quid posterius ipsa natura. 17.B.C. & *in quo propriè consistat.* 226.B
Persona quid sit. 24.D
Quid personalitas ad naturam singularem addat, & an ab ea distinguatur realiter. 225.B. & *seq.*
Recensentur & refelluntur octo sententiæ contrariæ. 214.D. & *seq.*
Subsistentia naturæ per personalitatem non est naturæ pars, sed terminus & complementum. 124.D

Personæ diuinæ subsistunt etiam formaliter per relationes & proprietates personales. 185.A
Quomodo in diuinis persona vna non careat alterius perfectione. 186.A
Quauis persona diuina etiam sola potuisset incarnari. 188.C. & *seq.*
Plures personæ diuinæ potuissent assumere eãdem numero naturam humanam. 190.C
Argumenta contraria Scoti, &c. soluuntur. 191.B. & *sequent.*
Persona diuina non potest assumere naturam terminatam propria personalitate. 194.A.B. 228.B
Ratio à priore latet, à posteriore assignatur. 195.A
Humana natura à pluribus personis assumpta vnus homo dici deberet. 195.D
Vna & eadem persona diuina potuit assumere plures naturas humanas. 196.C
Persona talis dicenda esset vnus homo, nõ plures. 196.D. & *sequent.*
Quod de persona tali secundùm vnam naturam prædicaretur, non prædicaretur etiam de ea secundùm alteram. 197.D. *nisi accidentaliter.* 198.C
Persona creata non potest secundùm legem ordinariam Dei alienam naturam hypostaticè assumere. 203.A
Contraria sententia quorundam reijcitur. 203.B
Nulla persona iam creata per personalitatem, qua de facto est prædita, potest vel per potentiam Dei absolutam, terminare alienam naturam. 205.B.C
Posset tamen id aliqua persona creata possibilis. 206.C
Non tamen hoc ipso posset infinitas naturas terminare. 205.D
Posset per potentiam Dei absolutam dari aliqua persona creata, quæ posset terminare infinitas naturas quantum est ex se. 207.B
Persona diuina posset seipsa supplente vim subiecti terminare dependentiam accidentis. 213.B
Natura humana à Verbo dimissa, non hoc ipso esset persona. 228.D
Quo ordine res sunt & existunt, eodem personantur, siue sua, siue aliena personalitate. 257.A. 261.C

Petrobrusiani.

Petrobrusiani quidam negarunt præsentiam Christi in Eucharistia. 937.C

Photinus.

Asseruit Christum esse purum hominem, sed refutatur. 94.A.B
Errauit etiam dicendo, Christum suis operationibus meruisse illam qualemcunque vnionem ipsius cum Deo. 177.C

Philosophi.

Philosophos antiquos quædam dogmata sua mutuatos ex sacra Scriptura, & fidelium doctrina. 2217.B

Pœnitentiæ Sacramentum.

Pœnitentiæ Sacramenti nomine, quid intelligatur. 1461.A
Pœnitentiam esse vnum quoddam è septem Sacramentis Ecclesiæ, probatur. 1462.A
Ex Scriptura. 1463.B
Ex praxi & traditione veteris Ecclesiæ. 1463.D
Pœnitentiæ Sacramentum negant hæretici Nouatiani, Montanistæ, & recentiores Sectarij. 1464.D. & *sequent.*
Discrimen inter pœnitentiam veteris & noui Testamenti. 1467.A
Nunquam dubitatum est in Ecclesia, an Confessio sit pars Sacramenti, & de necessitate Confessionis secretæ peccatorum, an & quomodo dubitatum sit. 1470.C
Pœnitentiæ Sacramentum, in quibus actibus essentialiter consistat. 1471.C
Sententiæ quædam falsæ ea de re, quorundam auctorum refelluntur. 1472.C
Pœnitentia interna, qua ratione sensibilis sit. 1472.D
Pœnitentiæ Sacramentum quidnam principaliter significet. 1473.D
Pœnitentiæ materia propinqua & remota quænam. 1474.C.D
Pœnitentiæ materia remota sunt omnia & sola peccata actualia, non originale. 1475.A. & *seq.*
Pœnitentia de peccato originali quomodo haberi possit & debeat. 1475.B
An aliquem huius vitæ debeat pœnitere. 1475.D
Pœnitentiæ forma, in quibus verbis consistat. 1476.B. & *seq.*
Verba formæ in pœnitentiæ Sacramento, an permutari possint & valeant permutata. 1477.D. & *seq.* 1479.C
Pœnitentiæ forma defenditur contra Abulensem. 1478.B
Pœnitentiæ formam non debere esse deprecatoriam. 1479.A
Pœnitentiæ formam esse practicè significatiuam malè negauit Magister sententiarum. 1479.A
In pœnitentiæ Sacramento, an semper Sacerdos à peccatis absoluat. 1481.D
Pœnitentiæ forma, quomodo gratiam significet. 1482.C.D
Per formam pœnitentiæ non significatur tantùm remissio pœnæ æternæ, sed etiam culpæ. 1484.C
Pœnitentiæ formam consistere præcisè in illis verbis, Te absoluo, *& an nihilominus alia etiam adiungẽda sint.* 1485.D
Non esse de essentia formæ pœnitentiæ, verba illa, à peccatis. 1486.B
Non esse de essentia pœnitẽtiæ manuum impositionem, & an ea cæremonia vsurpanda. 1486.C
In pœnitentia quidnam sit Sacramentum tantùm, quid res Sacramenti, quid res & Sacramentum simul. 1486.D.& *seq.*
Discrimen inter pœnitentiæ & Baptismi Sacramẽtum. 1487.C. & *seq.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pœnitentia quo ordine inter alia Sacramenta sit collocanda. 1488. B
Pœnitentia est secunda post naufragium tabula. 1488. D
Pœnitentiam vtilem esse omnibus quoties post pœnitentiam lapsi fuerint. 1492. B
Pœnitentiæ Sacramentum vel in re, vel in voto necessitate medij & præcepti necessarium esse ad salutem. 1493. D. *& quale debeat esse illud votum.* 1495. B. C
Inter pœnitentiæ & baptismi necessitatem, quæ similitudo & dissimilitudo. 1496. D. *& seq.*
Pœnitentiæ Sacramentum de iisdem peccatis an iterandum. 1498. A
Pœnitentiæ Sacramentum suscipiens non debet vel veram, vel certè putatam habere contritionem. 1611. A. *& sequent.*
Pœnitentiæ Sacramentum suscipienti quænam attritio sufficiat. 1613. D. 1615. D
Pœnitentiæ publicæ caussa & origo. 1662. A. *& seq.*
Pœnitentia à Confessario iniuncta. Vide Satisfactio.

Pœnitentiæ effectus quoad remissionem peccatorum.

Nullum peccatum est, quod per pœnitentiam, tum vt virtus est, tum vt Sacramentum est, remitti non possit. 1525. B. *& seq.* 1528. B
Erronea opinio Armacani contrarium opinantis reprobatur. ibid.
Remissio peccatorum quomodo sit à gratia operante, nõ cooperante, vt vult D. Thomas. 1528. C
Remissio peccati aliter est à gratia gratum faciente, aliter ab actu pœnitentiæ virtutis. 1529. A
Peccata etiam absque pœnitentiæ Sacramento reipsa percepto dimitti possunt. 1529. B. *Vide Pœnitentiæ virtus.*
Peccatum vnum mortale sine alio non posse permitti. 1538. B
Dimissis peccatis per pœnitentiam continuò semper etiam omnis pœna reatus tollitur, sicut neq; alia peccati reliquiæ. 1593. A. *& seq.*
Peccata venialia posse dimitti sine pœnitentia formali. 1541. A. *& seq. Vide Peccatum veniale.*
Peccata per pœnitentiam semel remissa nõ redire. 1551. C. *Vide Peccatum.*
Virtutes per peccatum amissæ recuperantur per sequentem pœnitentiam. 1561. B. *idq; diuersimodè pro ratione dispositionis diuersæ.* 1562. A. *ita vt semper aliquid de pristina virtutum intensione conferatur.* 1563. B. *& seq.*
Quomodo & qua proportione plus vel minus de pristina etiam intensione gratiæ amissæ per subsequentem pœnitentiam & dispositionem ad gratiam conferatur. 1568. B. *& seq.*
Non rectè censuit Sotus gratiã amissam non recuperari secundùm totam suam intẽsionem quam habuit, nisi per dispositionem summam possibilem. 1568. B
Per pœnitentiam non omnes resurgere ad æqualem Gratiam, vt vult Gandauensis. 1569. C
Per pœnitentiam non semper recuperari totam amissam gratiam. 1570. C. *licet in Beatis defectus hic non sit pœna.* 1572. A
Per pœnitentiam non restitui semper hominem in pristinam dignitatem vndequaque spectatam, tum apud Deum, tum apud homines. 1572. C. *& seq.*
Per pœnitentiam vinificari opera mortificata, sed non mortua. 1574. B
Per pœnitentiam an vinificentur opera mortificata secundùm totum valorem, quem habebant. 1575. B
Per pœnitentiam non semper acquiri ius ad maiorem gloriam quam antea habebatur, vt vult Scotus. 1575. C. *Vide etiam Confessio, Contritio, Opera seu operationes humanæ, Martyrium.*

Pœnitentiæ partes.

Pœnitentiæ partes integrales tres. 1577. A. *essentiales duæ.* 1577. B. *Vide Pœnitentiæ virtus.*
Pœnitentiæ partes quædam subiectiuæ tres. 1577. C
Partes pœnitentiæ à Catholicis assignatas reiciunt hæretici & alias eorum loco falsò assignant. 1579. A. *& seq. Vide Sectarij & Caluinus.*
Vide etiam Contritio, Confessio, & Satisfactio.

Pœnitentiæ Sacramenti Minister.

Minister Sacramenti pœnitentiæ non tantùm declarat peccata esse remissa, sed instrumentalis caussa est remissionis peccatorum & gratiæ. 701. B. C. 1479. D
Minister pœnitentiæ non potest esse notorius percussor Clerici, vel aliqua censura Ecclesiastica nominatim notatus. 714. C
Ministrum pœnitentiæ verè absoluere à peccatis etiam quoad culpam, non solùm quoad pœnam damni aut sensus. 1484. C. 1599. D
Minister pœnitentiæ, an semper à peccatis absoluat. 1481. D
Ministerium remissionis peccatorum non esse propriè in annunciatione remissionis peccatorum positum. 1656. D
Antiquum Ecclesiæ institutum constituendi propter certas caussas certum quendam presbyterum, qui præesset confessionibus audiendis. 1662. A. *Vide Confessionis Minister.*

Pœnitentiæ virtus.

Pœnitentiæ nomine quid significetur. 1461. A
Pœnitentia in adultis baptismum suscepturis, an & qualis requiratur. 804. D. *& seq.* 806. C. *Vide Baptismum suscipiens.*
Pœnitentiæ quæ sit communissima ratio. 1499. B
Pœnitentiæ virtus distincta est à reliquis virtutibus. 1500. A
Contraria opinio refellitur. 1501. B. C
Pœnitentiæ virtus non est ipsa gratia Dei. 1501. A
Durandi opinio, qui Pœnitentiæ virtutem eandem faciebat cum Iustitia commutatiua, refutatur. 1502. C
Pœnitentiæ virtutem non esse eandem cum Religione defenditur contra Caietanum. 1503. B. *& seq.*

An detur

An detur quædam distincta virtus pœnitentiæ, quæ circa offensas amicorum tollendas versetur. 1505. B
Pœnitentiæ virtus quosnam actus habeat, & quam diuersos. 1506. C. *& seq.*
Dolor in appetitu sensitiuo etiam ad pœnitentiæ virtutem spectat. 1507. C
Ad pœnitentiam veram quinam actus requirantur. 1507. D
Pœnitentiam non consistere solùm in vitæ emendatione, vt voluit Lutherus. 1508. A
Pœnitentia virtus ad quam virtutem cardinalem pertineat. 1510. C
Pœnitentiæ virtus quomodo deficiat à perfecta Iustitia. 1511. B
Etiamsi pœnitentia dicatur Iustitia quædam imperfecta, nihil tamen derogatur meritis & satisfactioni Christi. 1511. C
Pœnitentiæ actibus nemo meretur remissionem culpæ. 1511. D. *& seq. sed pœnæ.* 1512. B
Pœnitentia quem ordinem habeat cum reliquis virtutibus, tum ratione sui, tum ratione actuum. 1512. D
Pœnitentiæ virtutem esse in voluntate. 1513. B. C
Actus externi, & appetitus sensitiui quomodo à pœnitentia procedant. 1513. D
Pœnitentia non necessariò requirit dolorem in appetitu sensitiuo, multò minus lachrymas. 1514. A
An per actus doloris sensitiui de peccatis generetur in appetitu sensitiuo peculiaris virtus & qualis. 1514. C. D
Pœnitentiæ habitus à quo producatur. 1515. A
Pœnitentiæ actus à quo & quomodo producatur. 1515. B
Pœnitentiam esse virtutem per se infusam, probatur & defenditur contra Scotum & Durandum. 1516. A. *& seq.*
Per actus imperfectos pœnitentiæ charitate destitutæ produci posse quendam peculiarem habitum. 1516. C
Pœnitentiæ virtus, an etiam sit in Angelis, in Christo, in Apostolis, in B. Virgine, in pueris innocentibus, in Beatis. 1517. A. *& seq.* 1776. C. *& seq.*
Pœnitentiæ dolor de peccatis multiplex est. 1517. D. *Vide Contritio.*
Sine actu aliquo virtutis pœnitentiæ in adultis non remitti peccatum mortale secundùm legem Dei ordinariam. 1529. C. D
An sufficere possit ad remissionem peccati mortalis actus implicitus pœnitentiæ, qui cõsistat in amore Dei, super omnia. 1530. A. *& seq.*
Peccatum mortale remitti posse per potentiam Dei absolutam sine omni pœnitentia formali & virtuali. 1536. B. *& seq. Vide etiam Pœnitentiæ effectus.*
Eodem præcepto quo tenetur aliquis veram pœnitentiam agere, obligari etiam, vt habeat votum explicitum non peccandi de cætero. 1632. D. *etiamsi interim opineris te esse peccaturum.* 1634. A
Contraria sententia quorundam reiicitur. 1633. A

Pœna damni.

Pœna damni, in quo consistat, & an sit æqualis in omnibus. 1560. A
Inter pœnam damni & sensus quodnam discrimen sit, quoad remissionem vtriusque. 1755. B

Polygamia.

Polygamiam seu multitudinem vxorum iam non esse licitam, neque vera matrimonia iam cum pluribus simul vxoribus contrahi, licet olim vera matrimonia fuerint, & nunc esse possent. 2051. D. *probatur ex Scriptura.* 2052. B. *testimonio Christi.* 2052. D. *ex definitione Ecclesiæ.* 2053. A. *ex SS. Patribus. ibid. ratione naturali.* 2053. B. *ex ratione matrimonij, vt Sacramentum est.* 2053. D
Polygamiam saltem implicitè lege diuina olim prohibitam, & nunc etiam in Euangelio. 2052. A. D. 2054. A. *licet id ex parte malè negent Durandus & Abulensis.* 2055. C. *& Caietanus.* 2056. A
Polygamia, an & quomodo fuerit olim licita antiquis Patribus, & populo Israëlitico. 2054. B. C. 2055. A
Polygamia an olim etiam fuerit ex dispensatione diuina licita gentibus, vt Laban, &c. 2054. D
Polygamiam seu multitudinem vxorum pugnare cum veritate coniugij, non rectè quidam senserunt. 2056. D
Multitudo maritorum cur pugnet cum veritate coniugij, non autem multitudo vxorum. 2058. A. B

Polemius.

Polemius Apollinarista confudit duas in Christo naturas. 98. D

Pontifex Romanus.

Summus Pontifex sicut & Episcopi suo modo rectè dicuntur capita Ecclesiæ. 294. C. D
Summi Pontificis spirituale dominium vt distinguatur à spirituali dominio Christi. 441. A
Summus Pontifex, an maiorem habeat potestatem in tota Ecclesia, quàm Episcopus in sua diœcesi. 879. C. D
Pontificis summi est concedere vsum Eucharistiæ sub vtraq; specie. 1280. C
Pontifex summus habet potestatem constituendi circa cæremonias Missæ. 1388. C *Vide etiam Ecclesia.*

Possibile.

Bifariam cognosci potest rem aliquam esse possibilem. 11. A

Potentia.

Potentiæ ex sua ratione non repugnat esse in potentia alia, vt subiecto. 696. A

Presbyter, vide Sacerdos.

Presbytera mulier.

Presbyteræ mulieres, quid officij olim in Ecclesia habuerint. 1985. A

Universidad de Deusto
Biblioteca

Principium emanationis.

Principium emanationis quomodo se habeat ad effectum, & an sit verè caussa. 322.D

Prius & Posterius.

Prius potest esse sine Posteriore, nisi hoc sit aliquod transcendens. 29.D

Prius & Posterius naturâ dupliciter accipi potest. 255.D. *& seq.*

Vnum altero potest esse vicissim prius & posterius in diuerso genere causse. 1180.C.D

Priscillianistæ.

Priscillianistæ negant Christum verum esse hominem. 95.C

Refutatur hæresis ista. 95.D

Senserunt animam Christi productam ante Incarnationem. 253.A

Refutantur. 254.A

Priscillianistæ malè negarunt, matrimonium esse rem per se bonam. 2046.A. *& seq Vide Matrimonium.*

Proportio.

Proportio inter aliqua diuersa duplex esse potest, vna Geometrica, altera habitudinis, qualis etiam esse potest inter finitum & infinitum. 18.C.D

Propositio.

Quæ sit vis pronominis demonstratiui, HOC, *cum in propositionibus usurpatur.* 1054.D. *& seq.* 1179.A. *Vide etiam Affirmatio.*

Ad veritatem propositionis satis est, si sit vera in vltimo instanti prolationis. 1180.B

Propositio de præsenti aliquando significare potest pro instanti paulò pòst insequente vltimum instans prolationis. 1296.C

Prophetæ.

Prophetæ nomen variis modis accipi solet in Scriptura. 423.D

Prodianitæ.

Prodianitæ siue Proclianitæ negarunt, Christum esse verum hominem. 95.C

Refellitur hæc hæresis. 95.D

Proprietas.

Proprietas potest separari à suo subiecto per diuinam potentiam. 1027.B

Protestantes Sectarij, vide Sectarij Lutherani.

Purgatorium.

Purgatorium qualis & quarũ animarum locus. 2188.A

De Purgatorio non curiosè coram vulgo disputandum. 2188.D

Sectarij quinam Purgatorium negent, vel olim negarint. 2189.D. *& seq.*

Purgatorium esse probatur contra Sectarios, auctoritate Ecclesiæ. 2190.D. *ex Scripturis.* 2191.B. *& seq. argumento Theologico.* 2206. *& seq. ex SS. Patribus.* 2208.A. *& seq. ex animarum apparitionibus fide dignis.* 2214.D. *ex definitione Ecclesiæ.* 2216.A

Purgatorium etiam in veteri Lege fuisse cognitum. 2194.A

In Purgatorio quomodo remittantur peccata. 2205.C

Sectariorum obiectiones contra Purgatorium soluuntur. 2217.A. *& seq.*

Purgatorium non esse figmentum Platonicum, vt vocant Sectarij. 2217.B. *& seq.*

Animæ in Purgatorio existẽtes præditæ sunt gratia Dei, & simul obstrictæ aliquo reatu vel culpæ venialis, aut pœnæ temporalis. 2229.A

Animas omnes quantumuis iustas transire quidem per ipsum ignem Purgatorij, sed non ab eo pati, nisi eas, quæ expurgatione indigent, an possit citra errorem asseri. 2230.A

Animas omnes transituras per ignem diuini iudicij. 2230.D

Non omnes animarum pœnas esse purgatorias. 2230.C. *neque omnium Christianorum.* 2230.D. *aut Catholicorum.* 2231.A. *etiamsi in hac vita Eleemosynas fecissent.* 2232.B

Animas omnes in Purgatorio certas esse de sua salute. 2232.C

Obiectiones soluuntur. 2233.C. *& seq.*

Quomodo Ecclesia oret pro animabus Purgatorij, vt liberentur de pœnis inferni. 2234.D

Animæ in Purgatorio nihil amplius merentur, vel demerentur, neque possunt vllo modo peccare. 2235.A

Pœnas quas Animæ luunt in Purgatorio, acerbissimas esse, etiam loquendo de pœnis sensus, & longè superare omnes pœnas huius vitæ. 2238.C

Contraria sententia sancti Bonauenturæ refutatur. 2239.D

Pœnæ Purgatorij, an in ipsa duratione diminuantur. 2240.A

Animas Purgatorij ordinariè non puniri à Dæmonibus. 2240.A.B

Animas quasdam diu satis, nullas tamen vltra diem extremum Iudicij punitumiri. 2240.C

Christus descẽdens ad inferos, an omnes animas ex Purgatorio liberauerit. 2241.A

Dominicus Sotus non rectè determinauit tempus, vltra quod Animæ non sint in Purgatorio. 2241.C

Animas in Purgatorio iam existentes iuuari posse suffragiis viuorum, nempe sacrificio Altaris, Precibus, & Eleemosynis, & aliis operibus satisfactoriis. 2242.B. *Vide Indulgentia. Sacrificium Missæ. Satisfactio.*

Suffragia animabus Purgatorij eatenus prodesse, quatenus per viuorum intentionem eis applicantur. 2242.C

Opinio Præpositiui hac de re refutatur. 2242.D

Suffragia pro animabus Purgatorij, quò pluribus applicantur, eò minus valent singulis. 2243.C

Suffragia particularia, vt animæ in purgatorio existenti applicata prosint, satis est vt sit in gratia, neque debuit id peculiariter in hac vita meruisse. 2243.C

Suffragia vt defunctis prosint an debeãt prodire ex gratia. 2244.A

Suffragia an prosint defunctis, antequam re ipsa perficiantur. 2244.B.C. *& quibusnam ea prosint.* ibid.C

Quantitas & Quantum.

Quantitati seu quanto non esse intrinsecum esse commensuratiue in loco. 1027.D. *Vide Corpus.*

Quantitatis modus duplex. 1027.D. *& seq.*

Quantitatis ratio formalis & essentialis. 1118.A. 1119.A

Quantitati quæ diuisibilitas intrinseca. 1118.A

Diuisibilitas seu extensio actualis in ordine ad locum non est de ratione quantitatis, & potest à quantitate abesse. 1118.D. *& seq.*

Quantitas quomodo dicatur subiectum quo accidentium, & in Eucharistia subiectum quod. 1135.A. *& sequentib.*

Quantitati per se existenti an adueniat nouus quidam modus substantialis. 1131.B.1133.D

Quantitas separata an & quomodo possit corrumpi. 1139.A. *& seq.*

Quomodo Aristoteles per diuisionem dixerit quantitatem corrumpi. 1139.A

Ex quantitate separata quomodo possit aliquid generari. 1143.C. *& seq.*

Quantitas potest conuerti in materiam. 1144.B.C *Vide etiam Eucharistiæ species.*

Religionum Prælati.

Religionum Prælati non possunt ex officio concedere indulgentias, neque id faciunt cum alios participes faciunt bonorum operum suæ religionis. 18.A

Religiosorum Prælati possunt etiam eas satisfactiones suorum subditorum aliis communicare, quibus alioquin ipsi subditi pro se indigerent. 1880.D

Resurrectio.

Resurrectionis nomine quid intelligatur. 2281.A

Resurrectionem futuram quinam negarint. 2281.B

Resurrectionem futuram probatur ex Scriptura. 2283.A. *& sequent. ex authoritate Ecclesiæ, & sanctorum Patrum.* 2284.D. *& sequentib. ratione.* 2285.A. *& sequentib.*

Resurrectio eiusdem hominis quonam modo diuina virtute futura. 2286.B.C

Resurrectionis signa.

Resurrectionis signa duplicia. 2247.C

Resurrectionis signa longo interuallo antecedentia quænam. 2248.A.B

Resurrectionis proximè instantis signum est prædicatio Euangelij in vniuerso mundo. 2248.C. *& an de facto, vel etiam tempore Apostolorum illud completũ sit.* 2249. *aut quomodo illa prædicatio adhuc debeat impleri.* 2250.B

Resurrectionis paulò post futuræ signũ est antichristus, & eius persecutio. 2250.C. *item obtenebratio Solis & Lunæ, & casus stellarum de cœlo.* 2250.D. *& quonam modo hæc futura sint.* 2251.A. *Vide Antichristus.*

Resurrectionis item instantis signum est insolita & horribilis omnium elementorum commotio. 2252.C

Resurrectionis atque adeò Iudicij dies quomodo non obstantibus præuiis signis dicatur hominibus & angelis esse occultus. 2253.A

Sub resurrectionis tempus, veniente Christo ad iudicium, mundum igne conflagraturum. 2274.B. 2276.B. *nõ tamen penitus interiturum.* 2274.D *sed innouãdum & purgandum.* 2275.A. *& seq. mixtis omnibus corporibus, exceptis saltem hominibus iustis, per illam conflagrationem consumptis.* 2276.A. 2279.A.B. *vna cum impiis qui adhuc viui supererunt.* 2276.A.B. *Vide Ignis conflagrationis.*

Resurrectionis modus & circumstantiæ.

Resurrectionem propriè nullius causæ naturalis virtute, sed solius Dei potentia perfectum iri. 2288.C.D. *ac proinde absolutè loquendo fore supernaturalem. ibid.*D

Resurrectionis causam instrumentalem fore Christum, & eius resurrectionem, & Eucharistiam dignè perceptam. 2289.B.C. *item vocem Christi ad iudicium venientis, & qualis ea sit futura, & num sola?* 2289.D. *& seq.*

Resurrectionis causas ministeriales futuros angelos. 2290.C. *præcipuè S. Michaëlem.* 2291.C

In quo loco quisque resurrecturus sit. 2291.A.B

Resurrectionis terminus à quo, an sit non modò singulorum mors, sed omnimoda corporum resolutio & incineratio. 2291.D. *& seq.*

Resurrectionem futuram in die extremi Iudicij, & qua eius diei parte. 2292.D. *& seq.*

Resurrectio omnium an futura simul, & quam celeriter? 2293.D. 2295.A

Resurrectionis terminus.

Resurrecturos, atque adeò morituros omnes homines. 2294. *& contrariæ sententiæ argumenta soluuntur.* 2294.C.D

Resurrecturum eundem ipsum hominem qui mortuus est. 2297.A. *& quid ad identitatem eius necessariò requiratur.* 2298.D. *& seq.* 2301.D. *& seq.*

Contrarius error Origenis & aliorum refellitur. 2297.B. *& seq.*

Durandus non conformiter fidei negauit posse per absolutam Dei potẽtiam reproduci aliquid idem numero, quod penitus interierit. 2298.D

Productio & reproductio eiusdem numero hominis an censendæ sint actiones diuersæ. 2301.A

Corpora saltem iustorum planè integra, quoad omnes veras partes, & decora resurrectura. 2302.D. 2305.A. *martyrum tamen cicatricibus fortè permanentibus.* 2303.B

Universidad de Deusto
Biblioteca

Corpora damnatorum an etiam integra & perfecta resurrectura. 2303.D.& seq.

Corpora non secundùm omnẽ materiam quam aliquando habuerunt resurrectura, & quandoq; aliquid materiæ suppletum iri, vt infantibus, etc. 2305.D.2306.A.& quid si quis alterius carnibus tota vita sua nutritus sit? 2306.C

An totum id quod erat de veritate humanæ naturæ restituendum sit in resurrectione. 2307.A

Corpora post resurrectionem non amplius fore mortalia, neque vnquam moritura aut interitura. 2307.B

Corpora in quanam statura, & in quonam vigore resurrectura. 2307.C. *præsertim iustorum.* 2308.B

In corporibus post resurrectionem futuram quoque differentiam sexus. 2308.C

Post resurrectionem non omnibus fore necessariam purgationem, vt voluit Origenes. 2242.A

Rutheni.

Rutheni reiecerunt indulgentias. 1860.C

Sabelliani.

Sabelliani asseruerunt Patrem etiam esse incarnatum. 181.C

Sacramenti in genere, materia, forma, necessitas.

Notio nominis Sacramenti quæ sit? 621.A

Sacramenti vocis vsus apud Ecclesiasticos doctores. 621.B.& seq.

Rem aliquam esse Sacramentum vnde probari possit. 1462.B

Sacramenti recepta & communis definitio. 622.C.& sequentib.

In Sacramento duo consideranda; res & signum. 623.B

Sacramentum quale signum. 624.A.& seq.& cuius rei sacra. 624.D.& seq.

Sacramenta vt sint simul signa & actus religionis. 624.C.D

Sacramenta cur nõ sint imagines, aqua benedicta, manna, serpens æneus, &c. 625.B.& seq.

Sacramentum est signum practicum. 626.A.& sequẽtibus.

In veteri lege fuerunt propriè dicta Sacramenta. 628.D

Vnde iudicandum an aliquid in lege naturali, vel scripta fuerit verum Sacramentum. 627.B

Sacramenta veteris legis quænam fuerint. ibid.

Sacramenti quædam vitiosæ definitiones Catholicorum. 628.C.& seq.

Sacramenti quædam exactior & planior definitio. 629.C

Sacramenti definitiones quas Hæretici asignant, refelluntur. 629.D.seq.

Sacramenta non omnia ad remissionem peccatorũ propriè instituta, neque de omnibus præceptum singulis datum est. 630.A.B

Sacramenta cur & quatenus à veteribus Patribus, nominentur sigilla, signacula, consignationes. 631.B

Sacramenti pars materialis seu substrata, debet esse aliquid sensibile. 631.D.& seq.& quomodo. 632.D

Sacramentum constare debet ex rebus & verbis. 633.C

In Sacramento cur res locum materiæ, & verba locum formæ habere dicantur. 634.A.B

Quid per verba in Sacramentis intelligatur. 634.C.D. *quid per res.* 635.A

Rerum locum in Sacramento habere potest etiam operatio aliqua, licet nouatores quidam contradicant. 635.D

Res & verba in vnoquoque Sacramento determinata sunt à Christo. 636.C.& seq.637.D

Res & verba in Sacramentis, qua ratione à Christo sint determinata. 637.A.C

Duæ regulæ ad diiudicandum an Sacramentum aliquod ex parte formæ sit validè administratum. 639.A

Determinantur aliqui particulares casus ex illis regulis. 639.B

Sacramentorum forma quomodo significet gratiam. 1482.C.D

Vnde diiudicandum sit vtrum legitima significatio formæ maneat. 639.D

An aliquid contra fidem formæ insertum manente tamen forma legitima significatione, faciat Sacramentum inualidum. 640.B.& seq.

An & quæ omissio particulæ ad formam spectantis in certis casibus Sacramentum inualidet. 641.C

Quæ verborum transpositio in certis casibus obstet valori Sacramentorum. 641.D

Quæ interruptio formæ repugnet veritati Sacramenti. 642.A

Quid si de industria aliquid in forma immutetur? 642.B

An & quomodo peccetur, si quouis modo forma immutetur. 642.C.& seq.

Ad veritatem Sacramentum requiritur intentio ministri & suscipientis, & qualis. 643.A.& seq.

Adhibendo aliquid tanquam partem formæ, quod non est pars formæ, & non adhibendo aliquid tanquam partem formæ, quod est pars formæ, an Sacramentum inualidetur. 643.D.& seq.

Præter materiam, formam & legitimum ministrũ, &c. Ecclesia nõ requirit aliud præterea ad rationem Sacramenti. 1165.D

Sacramenta non tantam significant gratiam, sed etiam gloriam & passionem Christi. 645.C. *sed principalius tamen gratiam.* 646.B

Cæremoniæ Sacramentorum. Vide Cæremoniæ.

Sacramenta an & quatenus necessaria sint hominibus ad salutem. 649.B.& seq.

Sacramentorum necessitas & conuenientia ostenditur ex variis capitibus. 650.B.& seq.

Hæretici veteres oppugnantes vsum Sacramentorum, refutantur. 652.A

Sacramenta nostra non adferunt nobis seruitutẽ, quemadmodum Iudæis sua. 652.D

An in statu innocentiæ futurum fuisset aliquod Sacramentum, aut sacrificium aut templum, &c. 654.A

Post peccatum apud omnes populos etiam gentiles fuerunt aliqua Sacramenta propriè dicta. 654.D

In lege naturæ sacrificia quædam fuerunt Sacramenta. 655.A

Sacramentum quodnam in lege naturæ profuerit ad remissionem originalis peccati. 655.B

Sacramenta legis naturæ quomodo à Deo fuerint præcepta. 656.B

Sacramentorum institutio & præceptum quomodo differant. 1253.A

Sacramentorum effectus.

Sacramenta aliquo modo esse causas gratiæ. 657.A.& seq.& quonam modo. 659.B.& seq.

Sacramenta non sunt causa gratiæ, vt nuda illius signa. 660.C

Soluuntur contraria argumenta Sectariorum. 661.C

Deteguntur mendacia quædam, & calumniæ Kemnitij in ea re. 661.D

Sacramenta non sunt causa gratiæ tanquam conditiones sine quibus non, vel vt signa tantum. 662.C

Doctorum quorundam contraria sententia refellitur. ibid.

Sacramenta non sunt causa gratiæ tantum mediatè, vt quidam doctores asserebant. 663.C.& seq.

Sacramenta non sunt causa gratiæ tantùm moralis, vt vult Canus. 664.B

Sacramenta non possunt esse causa gratiæ, quatenus, nõ producta quidem in homine gratia, faciant eum esse gratum Deo, vt vult Sotus. 665.A

Sacramenta esse causas gratiæ instrumentales. 666.B.& seq.

Sacramenta ex opere operato conferre gratiam quid sit? 667.C

Malitia seu ignorantia Sectariorum in exagitanda hac Theologorum voce detegitur. 668.D

Qualis sit illa virtus quæ inest Sacramento ad efficiendam instrumentaliter gratiam. 669.C.& sequentibus.

Sacramẽta quomodo fluxerint de latere pendẽtis Christi in cruce. 671.A

Sacramenta vt contineant gratiam quam conferunt. 671.C

Quid sit illa gratia, & quæ eius ratio quam Sacramenta conferant. 672.A

Gratia sacramentalis continetur etiam quodam auxilio diuino actuali. 673.A

Propter quem effectum Sacramentorum auxilium id actuale à Deo conferatur. 674.D

Sacramenta an eius auxilij actualis gratiæ sint causa physica, vel tantum moralis. 675.C

Sacramenta nouæ legis, vt differant in conciliandà gratia à Sacramentis veteris legis. 676.B.& sequentibus.

Sacramenta veteris legis non nisi impropriè contulerunt gratiam. 678.D

Sectariorum error in ea re refutatur. 676.C.& sequentibus.

Sacramentorum effectus etiam est character, & quid nomine characteris intelligatur. 679.C

De fide est in quibusdam Sacramentis imprimi characterem. 681.D

Probatur ex definitione Ecclesiæ. 682.A. *ex traditione.* ibid. *ex Scriptura.* 682.D. *ex sanctis Patribus.* 683.D

Sacramentariorum contraria argumenta refelluntur. 685.D

Quare tantum in tribus Sacramẽtis imprimatur character. 686.A

Quæ sit propria ratio characteris Sacramentorum. 687.B.1336.A

Sacramẽtorum character non est tantùm respectus rationis. 687.A. *neq; aliquid sola ratione formali distinctum ab anima.* 687.C

Sacramentorum character non est relatio extrinsecus aduenies. 687.D. *nec est in quarta specie qualitatis.* 688.D. *neq; habitus.* 689.C. *neq; pertinet reductiuè ad primam, tertiam, & quartam speciem qualitatis.* 689.A

Characterem vti possumus bene aut malè. 690.B.& sequentib.& ex se abstrahit à bonitate & malitia. 691.B.& seq.

Character materialiter potest dici habitus. 692.C

Character reductiuè pertinet ad secundã speciem qualitatis. 693.A.& seq.

Character proprie est in intellectu. 694.D.& seq.

Discrepantes ab hac opinione reiiciuntur. 694.B.C

Character defenditur contra Hæreticos. 1335.D.& sequentib.

Sacramentorum causa quasi efficiens.

Solus Deus, atque adeò etiam Christus, vt Deus, est causa Sacramentorum instituens per propriam authoritatem. 697.B

Causa Sacramentorum immediatè instituens per commissionem. solus est Christus, vt homo. 698.A

Potuit esse alia causa Sacramentorum per commissionem instituens præter Christum. 699.B

Scholasticorum quorundam opiniones de Sacramentis quibusdam per alium, quam Christum, instituis per commissionem, reprobantur. 699.C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacramentorum causa efficiens seu peragens principalis est solus Deus. 700.D
Sacramentorũ causa conficiens instrumentalis est Christus, vt homo. 701.A. *minister Sacramenti.* 701.B
Administrans aliis Sacramentum Eucharistiæ nõ est causa instrumentalis gratiæ. 702.B
In Sacramento Christus habet potestatem excellentiæ, & quomodo. 703.A
An etiam & quomodo aliis hæc potestas excellentiæ possit communicari. 703.D. *& seq.*
Debẽt ex diuina institutione aliqui esse in Ecclesia ministri Sacramentorum. 1926.C
Ministri Sacramentorum quales conditiones habere debeant. 705.A
Ministri Sacramentorum debent esse diuinitus instituti. 705.A.B
Dæmones non possunt esse ministri Sacramentorũ. 705.B. *neq; ordinarie potest esse angelus bonus vel anima beata.* 705.C.D
Sacramenti minister debet esse alius à suscipiente, nisi in Eucharistia & Matrimonio. 705.D. *& seq.*
Sacramenti ministro necessaria est intentio aliqua non modò ipsius operationis sed etiã effectus Sacramenti. 706.A.B
Hæretici repugnant. 706.D. *conuincuntur.* 707.C. *refutantur.* 709.B
An & quomodo expressè vel implicitè, & virtualiter sufficiat in Sacramenti administratione habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. 711.D. *& sequentib.*
Generalem hanc intentionem an eneruare possit aliqua prauæ intentio particularis. 716.D
Habitualis intentio administrandi Sacramenta non sufficit. 712.C
An & quomodo in Ministris Sacramentorum requiratur certa vocatio & ordinatio, & in quibus Sacramentis. 713.A
Authoritas constituendi & ordinandi ministros Sacramentorum, non est tributa ex æquo toti communitati, sed Ecclesiæ Prælatis certo modo vsurpanda. 713.C.D. *& seq.*
Hæretici contrarium docentes redarguuntur. 714.A.B
Sacramentum vt sit validum non requiritur necessario fides & probitas Ministri. 715.A. *& seq. aut omnino certa intentio.* 718.C
Hæretici qui contrarium docuerunt. 715.A. *confutantur.* 715.D
Traditio & praxis Ecclesiæ habet, vt Sacramenta etiã ab Hæreticis administrata, si cætera adsint, valida existimentur. 717.C
In Ministro Sacramentorum probitas requiritur, vt sine peccato Sacramentum administret. 719.A
In peccato mortali Sacramentum administrare est ex suo genere mortale. 719.D. *positis duabus conditionibus.* 720.A
Ministri infidelitas aut improbitas quomodo noceat suscipienti Sacramentum. 721.B
In quibus casibus liceat à malo Ministro Sacramẽtum accipere. 721.C
A Ministro præciso non nisi in articulo mortis licet Sacramentum accipere. 721.D
Nunquam licet directè inducere Ministrũ ad Sacramentum malè administrandum. 622.B
An liceat communicare in sacris cum publicis concubinariis? 722.A
Concilium Florentinum quomodo dixerit Sacramentum non perfici, si desit Minister. 2072.A

Sacramentorum differentia, numerus, & ordo.

Sacramenta nouæ legis, vt differant in concilianda gratia à Sacramentis veteris legis. 676.B. *& sequentib.* 724.A
Sacramenta veteris legis non nisi impropriè contulerũt gratiam. 678.D
Sectarij quale discrimen agnoscant inter Sacramenta nouæ & veteris legis. 723.A
Sectarij malè docent per Sacramenta veteris legis, æque gratiam fuisse collatam, atque per Sacramenta nouæ legis. 676.C. *& seq.* 724.B
Sacramenta nouæ legis quot ponantur ab Hæreticis. 725.D
Sacramenta in Ecclesia catholica esse septem. 725.D. *& seq. probatur ex Scriptura.* 726.C. *ex definitione Ecclesiæ.* 727.B. 726.B. *ex sanctis Patribus.* 728.C. *ratione.* 729.C
Fundamentum sectariorum contra numerum Sacramentorum subuertitur. 731.A
Sectariorum aliæ obiectiones contra numerum Sacramentorum refutantur. 731.B
Sacramenta non esse plura quàm septem. 733.D
Sacramentum non est lotio pedum à Christo instituta, neque semper ex institutione Christi in Ecclesia durare debet. 733.D. *& seq.*
Sacramenta quo ordine collocanda. 735.A
Sacramenta quænam aliis præstantiora. 735.C. *& sequentib.*

Sacramentarij.

Sacramentarij negant in vllo Sacramẽto imprimi characterem. 681.C
Sacramentarij negant paruulis necessarium esse Baptismum ad salutem consequendam. 816.A
Sacramentarij negant præsentiam corporalem in Eucharistia. 928.A. *& seq.*
Sacramentarij traxerunt hanc hæresim à Iuda proditore, & aliis antiquis hæreticis qui ab Ecclesia etiam damnati sunt. 932.B. *& seq.*
Sacramentarij negantes præsentiam Christi in Eucharistia conuincuntur ex historia certaminum de hac ipsa quæstione. 932.B. *& sequentib. & aliis multis argumentis, ibid. & sequentib. Vide Eucharistiæ materia vt conuertitur in corpus Christi.*

Sacramentarij Caluinistæ miris modis tegunt suum errorem de absentia Christi in Eucharistia. 928.A. *& seq.* 968.B. *sed detegitur fraus & error.* 930.A. *& sequentib.* 938.C
Sacramentariorum hunc errorem qui ex nouis sectariis sequantur. 938.B.C
Sacramentariorum error ex ipsa Caluini Sacramentarij doctrina euertitur. 966.C. *& seq.*
Sacramentariorum hæresis de absentia Christi in Eucharistia directè refellitur. 978.C. *& seq.*
Sacramentarij in suo errore de absentia Christi in Eucharistia discordant. 979.C. 996.D
Refellitur I. Sacramentariorum Caluinistarum error de absentia Christi corporali in Eucharistia ex institutione huius Sacramenti. 982.A. *& seq.*
Sacramentarij Caluinistæ solùm à Caluino, non à Christo suam doctrinam de absentia Christi in Eucharistia didicerunt. 982.C. *& seq. inconstantes sunt in sua doctrina.* 997.B.C
Refellitur II. Sacramentariorum error testimoniis veterum Patrum. 986.C. *& seq.*
Refellitur III. Sacramentariorum error ex ratione vnionis & communi ratione vocabulorum. 991.D. *& seq. & in specie ex vnione earum rerum per quarum similitudinem vnio Christi cum homine explicatur.* 994.D. *& seq.*
Refellitur IV. Caluinistarum Sacramentariorum error ex nexu quem oportet esse inter res eas, quæ verè secundùm se vniantur. 996.A. *& seq.*
Refellitur V. Sacramentariorum Caluinistarum error ex ipsorum doctrina, cum dicunt, Patres veteris testamenti non minus vnitos fuisse cum Christo, quàm nos vnimur cum eo in Eucharistia. 999.B
Refellitur VI. ex ratione Sacramentorum, quibus annexa esse debet certa gratiæ promissio. 1000.A. *& sequentib.*
Refellitur VII. ex alio eorundem errore, cum dicunt corpus Christi non nisi vt exangue, & sanguinem non nisi vt fusum significari per Eucharistiam 1002. *& seq. & hic ipse error refutatur.* 1003.D
Refellitur VIII. ex ratione veræ præsentiæ. 1004.B. *& sequentib.*
Refellitur IX. Sacramentariorum error ex vera ratione huius mysterij, in quo nihil peculiare & mirabile assignare possunt Sacramentarij. 1007.A. *& sequentibus.*
Sacramentariorum argumenta ex Scriptura petita soluuntur. 1010.D. *& seq.*
Sacramentarij negant corpus alicubi esse posse non visibile. 1015.C
Sacramentariorum argumenta petita ex sanctis Patribus soluuntur. 1017.D. *& sequentib. & in specie cum sancti Patres SS. Eucharistiam vocant signum & figuram corporis & sanguinis Christi.* 1017.D. *& sequentib. aut cùm figuratè, aut spiritualiter Christi carnem in Eucharistia manducari dicunt.* 1020.A. *& sequentib. cum per panem quem Christus corpus suum fatetur, intelligunt verbum Dei.* 1022.C. *cum spiritualiter corpus Christi in Eucharistia manducandum dicunt.* 1023.A. *cum dicunt corpus Christi esse cibum spiritualem, non corporalem.* 1023.B. *cum videntur negare ab impiis manducari corpus Christi in Eucharistia.* 1023.D. *cum quædam attribuunt corpori Christi in Eucharistia, quæ ei secundùm se nõ conueniunt.* 1024.C. 1126.B
Sacramentariorũ argumẽta ex ratione petita soluuntur, & ostenditur nõ implicare contradictionem, vt corpus quantum sit sine commensuratione in loco. 1025.D. *& seq. neque vt vnum corpus sit in pluribus locis.* 1029.B. *& seq. Vide etiam Corpus.*
Confutantur alia quædam inepta argumenta Sadeelis. 1045.D. *& seq.*
Sacramentarij negantes transubstantiationem. Vide Panistæ.
Sacramentariorum error circa formam Eucharistiæ, quam volunt consistere in omnibus verbis Christi instituentis Eucharistiam. 1157.A
Fundamenta huius erroris refelluntur I. ex essentia Eucharistiæ. II. ex præcepto institutionis. Hoc facite, *&c. vbi explicatur vis huius præcepti.* 1158.D. *& seq. III. ex authoritate sanctorum Patrum, qui in contrarium allati etiam explicantur.* 1161.A
Sacramentarij malè explicãt, quid sit Eucharistiæ sumptio sacramentalis tantùm. 1198.B
Sacramentarij negantes in missa offerri corpus & sanguinem Christi refutantur. 1315.C. *& seq.*

Sacrificium.

Sacrificij ratio in quo consistat. 420.C. 1310.A
Sacrificij ratio non est specie distincta ab aliis actibus religionis. 1311.A
Sacrificium simul posse esse Sacramentum. 1313.B. 1353.C
Sacrificium fieri potest de rebus ipsius Dei. 1313.B
Sacrificium non omne est diuinitus institutum. 1314.D
Sacrificium dupliciter dicitur. 1342.B
Non omnes actiones Christi, quibus aliquid immutauit in honorem Dei fuerunt sacrificium. 1345.B
Sacrificium non tam verbis, quàm facto ipso peragitur. 1351.B. *& seq.*
Sacrificium incruentum panis & vini simul præcipuum & proprium fuit Melchisedech. 1363.D
In sacrificio multa considerari possunt. 1383.C
Sacrificium non omne diuina lege præscriptum. 1387.C
Sacrificij nomen varia significat. 1401.D. *& seq.*
Inter sacrificij & sacramenti vsum quid intersit. 1425.B

Sacrificium Missæ.

Status controuersiæ illius quæ Catholicis cum hæreticis de Missæ sacrificio est, exponitur. 1304.A. *& sequentibus.*
Sectarij confundunt statum quæstionis huius de sacrificio Missæ. 1305. *Vide Lutherus, Herbrandus, Caluinus, Kemnitius.*
Sacrificium verum in missa offerri. 1308.
Sacrificium Missæ in qua actione Sacerdotis principaliter consistat. 1310.D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad sacrificij huius rationem an spectet etiam Sacerdotis communio. 1311.B
Sacrificio Missæ non obstat quod totum à Sacerdote sumatur, 1312.A. *nec quod sit Sacramentum.* 1313.B. *& seq.*
In Missa fieri sacrificium corporis & sanguinis Domini. 1315.C. *& seq. Probatur contra Sacramentarios.* 1315.D. *& seq. contra Lutheranos.* 1316.D. *& seq.*
Seruari in Missa institutionem Christi. 1316.D. *& seq.*
Quid Christus in Missa faciendum instituerit verbis illis, Hoc facite. 1317.C.D. *& seq.*
Non præcepisse Christum vt in Missa semper aliis administraretur corpus & sanguis Christi. 1320.C. 1324.D
Obseruari à Catholicis in Missa præceptum Christi datum de actionibus in Consecratione panis obseruandis. 1320.C. *& seq. & similiter quæ de calice præcepta sunt obseruari.* 1324.C
Sacerdotes sacrificium Missæ offerentes non debere ex præcepto vsurpare verba illa: Accipite & bibite ex hoc omnes. 1327.A
In sacrificio Missæ verba consecrationis eo modo vsurpari, quo à Christo vsurpata sunt. 1327.C
In sacrificio Missæ id à legitimis ministris fieri q̃ Christus faciendum instituit. 1328.C. *& seq.*
Sectariorum argumẽta quibus probare volunt in Missa non fieri sacrificium corporis & sanguinis Christi, soluuntur. 1331.D. *& seq.*
In Missa an etiã substantia panis & vini offeratur Deo per illa verba: Te igitur. 1333.A
In Missa non debere verbis & voce publica annunciari mortem Christi, sed facto. 1333.D
Sacrificium Missæ non per magiam peragitur in Ecclesia Catholica, vt calumniatur Herbrandus. 1334.C
In Sacrificio Missæ nihil mutilatur, etiamsi caput vndecimum ad Cõrinthios more hæreticorum non recitetur. 1336.D
Sacrificium Missæ legitimè & diuinæ voluntati congruenter fieri probatur ex institutione Christi & variis eius circumstantiis. 1343.C. *& seq. hæcque ipsa probatio confirmatur testimoniis SS. Patrum.* 1347.A. *& seq.*
Obiectiones Sectariorum contra hanc probationem refutantur. 1349.D. *& seq.*
Sacrificium Missæ offertur soli Deo & si id fieri possit in honorem sanctorum. 1343.A.B
Sacrificium Missæ à Sacerdotibus offerri iussit Christus. 1343.D. *& seq.*
Christus seipsum in vltima cœna sacrificium Deo patri obtulit. 1344.B. *neque necesse erat hoc prolatis verbis ad Deum patrem significare.* 1351.D
Cur non aliæ etiam actiones Christi fuerint sacrificium. 1345.B
Cæremonia veteris paschatis fuit figura sacrificij Missæ. 1345.D. *& seq.* 1354.B
Sacrificium Christi incruentum in cœna non derogat sacrificio eiusdem cruento in cruce. 1352.A. 1391.B
Verbis illis: Quod pro vobis datur, &c. *rectè probari sacrificium Missæ, etiamsi in consecratione iam nõ adhibeantur.* 1352.D. *& seq.*
Christus in Missa nõ potest nec debet offerri modo cruento. 1356.B
Sacrificium Missæ legitimè in Ecclesia fieri probatur ex vaticinio Dauidis, quo Christus dicitur Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, ex SS. Patribus explicato. 1357.B. *Soluuntur Sectariorum obiectiones.* 1359.C
Sacrificium Missæ est secundùm ordinem Melchisedech non Aaronis, etiamsi non panis & vinum, sed Christus in eo offeratur. 1364.B
Sacrificium Missæ legitimè in Ecclesia offerri probatur ex vaticinio Malachiæ interpretibus SS. Patribus. 1365.B
Obiectiones contrariæ Sectariorum soluuntur. 1367.A. *& sequentib.*
Sacrificium Missæ legitimum esse probatur ex vaticinio Esaiæ: Et assumam ex eis Sacerdotes, &c. 1375.D
Obiectiones Sectariorum soluuntur. 1376.C. *& seq.*
Sacrificium Missæ legitimum esse probatur ex vaticinio Danielis: Et à tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, &c. 1379.D. *& Isaiæ cap. LVI.* 1383.A
Obiectiones Sectariorum refelluntur. 1381.A
Sacrificium Missæ legitimum esse probatur ex ratione ipsa & circumstantiis sacrificij. 1383.C
Obiectiones Sectariorum refutantur. 1386.C
In sacrificio Missæ, quid, cui, quis, pro quibus, quo modo & fine offerat. 1383.D. *& seq.*
Sacrificium Missæ valde congruit cum lege gratiæ. 1385.A
Sacrificium Missæ qua ratione semper sit actio publica. 1396.B
In sacrificio non est vulgari aut etiam alia lingua proclamanda passio Christi. 1390.C. *rectè tamen etiam ab inferioribus Sacerdotibus Catholicis offertur.* 1392.C
Sacrificium Missæ legitimum esse probatur ex praxi, testimonio, & authoritate totius Ecclesiæ & Patrũ. 1392.D. *& seq.*
Sacrificij Missæ cæremonias plerasque fuisse institutas ab Apostolis. 1400.A
Sacrificium Missæ quoad substantiam celebrari potest sine Canone per Gelasium dispositio. 1400.C
Missæ vocabulum vnde deductum & quis eius vsus. 1402.C.D
Sacrificium Missæ propitiatorium esse peculiari quadam ratione. 1404.C. *& seq.*
Sacrificium Missæ posse simul esse commemorativum, gratiarum actionis, laudis, & propitiatorij. 1405.C
Sacrificium Missæ ex opere operato propitiatorium esse pro peccatorum remissione, non item pro aliis commodis impetrandis. 1405.D. *& seq.*
Quæ similitudo sacrificij Missæ vt propitiatorium est cum precibus, 1408.C
Sacrificium Missæ propitiatorium esse probatur ex institutione Christi & Scriptura. 1407.C. *ex SS. Patribus.* 1409.B
In sacrificio Missæ eadem semper hostia offertur cum illa quæ in cruce oblata est, licet sit diuersi modi & efficacia. 1417.A
Obiectiones Sectariorum, quibus probare conantur sacrificium Missæ non esse propitiatorium, soluuntur. 1411.C. *& in specie.* 1418.A
Sacrificij Missæ vis & efficacia. 1418. *& seq.*
In sacrificio Missæ quomodo sacramentaliter effundatur sanguis Christi. 1419.B
Sacrificium Missæ an & quomodo valeat ad remissionem peccatorum, siue venialium, siue mortalium. 1421.C
Sacrificij Missæ vtilitas nil detrahit necessitati pœnitentiæ. 1422.B
Sacrificij Missæ effectus non est infinitus sed determinatus, saltem intensiuè. 1422.C
Sacrificium Missæ non modò pro peccatis, sed etiam pro aliis necessitatibus propitiatorium esse probatur. 1423.A
Sacrificij Missæ vis in depellendis dæmonibus exemplo comprobatur. 1423.D
Sacrificium Missæ non tantùm prodesse offerenti sed etiam aliis fidelibus viuis & defunctis. 1425.B. *idq; probatur ex institutione Christi.* 1425.D. *ex comparatione cum aliis sacrificiis.* 1426. *ex SS. Patribus.* 1426.C
Sacrificium defunctis etiam prodest ex opere operato. 1426.A
Sectariorum repugnantium Catholicæ illi doctrinæ impudentia detegitur. 1429.A
Sacrificium Missæ vt propitiatorium pro remissione pœnæ non æqualiter omnibus prodest. 1430.B
Sacrificij Missæ variæ portiones illius fructus, quem quoad remissionem pœnæ ex opere operato habere potest. 1430.C. *& quomodo hæ portiones sint determinatæ.* 1430.D. *& seq.*
Sacrificium Missæ vnum & idem vni debitum, non potest sacerdos etiam alteri applicare. 1431.B. *Vide Eucharistiæ vsus & Minister.*

Sacrificij Missæ circumstantiæ.

Sacrificij Missæ finis præcipuus; & quinam fines secundarij. 1433.A. *& seq.*
In sacrificio Missæ rectè celebrari memorias Sanctorum, 1433.C. *eorumq; intercessiones rectè implorari.* 1434.A
Sacrificium Missæ ex parte offerentis & fructus semper est publica actio & communis. 1434.C. 1436.A. 1452.D
Missa die professo licitè celebratur. 1435.A. *item in loco priuato.* 1435.B. *& in particulari altari quod non sit summum.* 1435.C
Missa licitè celebratur etiam coram paucis audientibus. 1435.D. *& licet solus sacerdos in ea communicet.* 1436.B. 1452.A. *& ob finem etiam quendam priuatum.* 1436.D
Missa celebrari debet in sacris vestibus. 1437.B. *& cum vasis sacris.* 1437.D. *& cereis.* 1438.A
Missæ cæremoniæ quæ à sacerdote peraguntur probantur & defenduntur, vt est lotio, eleuatio manuum, oculorum, inclinatio corporis, tunsio pectoris, mixtio aquæ cum vino, cruces, hostiæ fractio, & ostensio, aspersio aquæ benedictæ, &c. 1438.B. *& seq.*
Missa rectè dicitur lingua non vulgari, sed Latina, aut Græca. 1440.B
Sectarij contradicentes refutantur. 1449.D
In Missa rectè quædam dicuntur submissa voce. 1440.D. *quædam cum cantu, adhibitis etiam Musicis instrumentis.* 1441.A
Rectè in principio Missæ præmitti Psalmum, Iudica, etc. Confessionem generalem peccatorum, &c. 1441.C.D
De introitu Missæ & hymno Angelico, Gloria in excelsis, etc. & reliquis vsque ad epistolam. 1442.A. *& seq.*
De Epistola, Graduali, sequentia Euangelio, Symbolo, Offertorio, &c. 1443.A. *& seq.*
De Præfatione & Canone Missæ & sex eius orationibus. 1444.A. *& seq.*
Missæ Canon quàm antiquus sit. 1446.C
De oratione Dominica in Missa recitari solita & aliis duabus orationibus subsequẽtibus, item de commixtione specierum Eucharistiæ. 1447.B.C
Intinctam Eucharistiam populis porrigere non licet. 1447.C
De oratione illa, Agnus Dei, & aliis tribus ante communionem dici solitis. 1447.D
De Communione, Collectis & reliquis vsque ad finem Missæ. 1447.D
Sacrificium Missæ quibus in locis celebrari debeat. 1448.A.B
Quo tempore Missa celebrari debeat & quoties in die. 1448.B
Sacrificij Missæ cæremonias ab Ecclesia præceptas esse, non approbant sectarij & quare. 1448.D
Canonem Missæ improbant hæretici. 1449.A. *& seq.*
Quomodo ea quæ in Missa dicuntur, referantur ad institutionem populi. 1450.B
Sacrificij Missæ mysteria populo explicanda vulgari lingua. 1450.B
Missæ priuatæ in quibus solus sacerdos communicat defenduntur contra Sectarios. 1451.B. *& fuisse eas olim etiam in vsu probatur.* 1452.A. *neque verò omni modo priuatas dici debere.* 1452.D
Missas rectè fieri in honorem Sanctorum defenditur contra Sectarios. 1452.D

Sacerdos.

Sacerdotum ordinem ex institutione diuina esse in Ecclesia eumque distinctum ab ordine Episcoporum & Diaconorum. 1928.D. *& seq.*
Sacerdotes Ecclesiæ Catholicæ esse legitimos ministros sacrificij Missæ, &c. & à Deo legitimè missos. 1328.D. *& seq. Vide Minister Eucharistiæ.*
Sacerdotes rectè chrismate inunguntur. 1335.B. *& seq.*
Sacerdotes nostri nõ sunt Aaronici Sacerdotes. 1337.C.D
Sacerdotium Melchisedech qua ratione præstantius fuerit Sacerdotio Leuitico. 1361.C. 1362.A
In nouo Testamento non omnes sunt Sacerdotes, sed quidam tantùm peculiariter destinati & consecrati. 1377.C
Sacerdos non potest idem sacrum pro vno offerendum etiam alteri applicare. 1431.B

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacerdos Missam celebrans publicam personam agit. 1434.C. Vide etiam Sacrificium Missæ, Eucharistiæ vsus.
Inter Sacerdotes noui & antiqui Testamenti quæ differentia. 1483.C
Sacerdotes habere potestatem reipsa remittendi peccata quoad culpam. 1599.C
Sacerdotes non habent auctoritatem concedendi indulgentias. 1878.B. nisi ex commissione. ibid.C
Sacerdotum officium quod sit. 1951.C.D. & eos concionari posse cum facultate Episcopi. 1952.A
Sacerdotium esse verum & proprium nouæ legis Sacramentum constat apud omnes Orthodoxos. 1955.A
In ordinatione Sacerdotum quænam sit materia Sacramentalis. 1967.D. & seq. Vide Ordinis Sacramenti ratio & partes.
Sacerdotes quomodo instituerit Christus. 1969.D
Sacerdos qui vxorem duxit quas pœnas incurrat. 2034.A.B. Vide etiam Confessionis, Eucharistiæ & & Pœnitentiæ Minister.

Sadeel.

Sadeel Sacramentarius Caluinista non potest ex Scriptura vllam similitudinem adferre, qua explicetur secundùm Caluinistas vnio Christi cum homine per Eucharistiam. 994.C. Vide etiam Caluinus & Sacramentarij.
Sadeelis ridicula metaphysica de vera præsentia Christi in Eucharistia. 1005.B
Sadeelis ratiunculæ contra præsentiam Christi in Eucharistia refelluntur. 1045.D. & seq.
Sadeel falsò affingit Catholicis, quod non dicunt. 1049.A
Sadeelis obiectiones contra transubstantiationem soluuntur. 1078.C. & seq.
Sadeel malè intelligit subiectum huius propositionis, Hoc est corpus meum. *1081.A*
Sadeel stulte scit negans ex accidentibus panis in Eucharistia posse fieri nutritionem & generationem. 1081.C.D
Sadeel nondum percipit rationem propriam quantitatis physicæ. 1084.C
Sadeelis obiectiones contra conuersionem panis in corpus Christi diluuntur. 1086.B. & instruitur quomodo conuersio hæc fiat in Eucharistia. 1087.B. 1089.B. & seq.
Sadeel non intelligit quomodo in Eucharistia sub panis specie concomitanter etiam sit sanguis Christi. 1091. D. & seq. & cum corpore anima Christi. 1093.B
Sadeel frustra singit in transubstantiatione contradictiones. 1094.B. nec intelligit vocem, Ex opere operato. *1095.A. 1096.B*
Sadeeli non placet quod Catholici in Sacerdote consecrante Eucharistiam requirunt intentionem, &c. 1094.D. & seq.
Sadeel subinde mentitur. 1088.B. 1096.A. 1049.A. 1051.A

Samosatenus.

Paulus Samosatenus qui negauit Christum esse verum Deum refellitur. 94.A.B

Samuel.

Samuel defunctus Regi Sauli verè apparuit. 2215.C

Sancti.

Sancti vita defuncti an possint esse in pluribus locis. 1035.B
Sancti quandoque postulant se exaudiri post rem iam impetratam. 1156.B

Sanguis.

Est verè pars humana naturæ. 240.B
Virum informetur ab anima. 240.C
Sanguis semel à Verbo assumptus nunquam fuit à diuino supposito dimissus. 241.A
An aliquæ particulæ sanguinis Christi sint nunc in terris residuæ. 241.B

Satisfactio.

Satisfactionis nomine quid intelligatur. 1753.B
Satisfactionis descriptio. 1755.D
Satisfactio non se extendit ad pœnam æternam. 1755.D
Satisfactio quæ sit Deo pro pœna temporali quomodo sit secundùm aliquam æqualitatem iustitiæ. 1756.B
Satisfactionem esse actum virtutis pœnitentiæ. 1756.D. & seq.
Satisfactionem esse possibilem & certo modo necessariam Catholica fides docet contra Sectarios. 1757.B
Satisfactiones publicæ olim institutæ fuerunt etiam ad peccata expianda. 1759.C. & ad placandum Deum. 1869.D. & quomodo fuerint olim remissæ seu commutatæ. 1869.A. & seq. 1872.A
Satisfactio vt valeat apud Deum, debet satisfaciens præditus esse gratia. 1761.B
Satisfactio extra gratiam vltro exhibita non obtinet postea suum valorem accedente gratia, siue reliquerit post se aliquem effectum, siue non. 1761.C.D
Satisfactio etiam à Sacerdote imposita non reuiuiscit postea recuperata gratia. 1762.C. & quæ sit quoad hoc inter satisfactionem & confessionem differentia. 1763.A
Satisfactio extra gratiam facta quomodo sit pars Sacramenti pœnitentiæ. 1763.C
Per satisfactionem extra gratiam factam impletur præceptum de exequenda pœnitentia à Confessario iniuncta. 1763.D
Satisfactio extra gratiam facta non habet omnem suam veritatem. 1763.A
Satisfactionem à Sacerdote impositam, & extra gratiam factam, reuiuiscere postea, adueniente gratia, quomodo probabiliter defendi possit. 1764.A
Satisfactio in gratia exhibita prodest etiam alteri in gratia constituto si ei applicetur vel à faciente. 1764.C. & seq. vel ab Ecclesia. 1847.D
Imò potest quis etiam pro altero de condigno satisfacere. 1765.A.B. & cur non etiam mereri. 1765.D
Contraria Sectariorum argumenta soluuntur. 1873.B. & seq.
Potest quis si de satisfactione propriè loquimur pro vno peccato satisfacere, & non pro alio. 1765.C
Si de satisfactione loquamur prout in ipsa Contritione includi videtur, non potest satisfieri pro vno peccato & non pro alio. 1766.A

Satisfactoria opera debent esse grata Deo, & cum quadam difficultate coniuncta. 1766.B
Satisfactio fieri potest per omnia omnino virtutum opera, quæ ex charitate procedant. 1766.D
Satisfactio fieri potest etiam per opera bona, quæ sint alia ratione debita. 1767.A. qualia tamen communiter Confessarius imponere pro pœnitentia non debet. 1767.B
Satisfactoria opera per antonomasiam sunt Oratio, Ieiunium & Eleemosyna. 1767.D. & quæ huius rei ratio. ibid. & 1768.A
Satisfacere homo etiam potest per quascunque ærumnas, morbos & ipsam etiam mortem. 1768.B. quamuis discrimen sit inter ærumnas, quas ob corruptionem naturæ communiter patiuntur, & inter eas quas Deus homini peculiariter ad puniendum peccata infligit. 1768.C
Satisfactiones publicas iniungendi vetus consuetudo iustis de causis obsoleuit. 1768.D
Extare præceptum diuinum de satisfaciendo absolutè per aliquod opus in hac vita. 1769.D. non obstantibus indulgentiis aut purgatorio. 1770.A. 1773.B
Præceptum diuinum de satisfactione quo tempore, & quam grauiter obliget. 1770.B.C
In satisfactione iniungenda varia spectare debet Confessarius. 1770.D
Satisfactio à Confessario imposita, quæ manifestè iniusta videatur, potest à pœnitente repudiari. 1771.A
Satisfactio iusta à Confessario iniuncta debet acceptari & impleri. 1773.D
Duæ contrariæ aliorum auctorum sententiæ refutantur. 1771.B. 1773.C
Satisfactionem à Confessario iniunctam negligere, esse ex suo genere peccatum mortale, ob paruitatem materiæ posse esse veniale. 1774.A
Satisfactiones iam communiter iniungi solitæ plerumque non respondent ex æquo pœnis in Purgatorio soluendis, ac proinde vtile est alias vltro assumere. 1774.B
Satisfactio siue Pœnitentia ab vno confessario pœnitenti imposita, potest non solùm ab eodem Confessario, sed etiam ab altero commutari, siue superior sit, siue inferior aut æqualis, dummodo habuerint potestatem absoluendi alioqui pœnitentem ab illis peccatis, pro quibus pœnitentia iniuncta est, &c. 1774.C.D
An & quo modo momento temporis satisfieri Deo pro peccatis possit. 1876.A
Satisfactio æquiualens offensæ diuinæ triplicem debuit habere infinitatem. 51.B
Satisfactio secundùm iustitiæ rigorem æquiualens duplex est. 53.A
Satisfactio secundùm iustitiæ rigorem æquiualens consistere potest etiamsi antecedenter nitatur gratia creditoris. 59.A
Satisfactio secundùm iustitiæ rigorem æquiualens fieri potest etiam per ea, quæ titulo gratitudinis aliàs deberentur. 59.D. & seq.
Item per ea quæ aliàs quodam modo sunt Creditoris. 62.B.C
Item per ea quæ ex bonis Creditoris tanquam ex radice valorem suum habent. 66.D
Satisfactio nostra vt cum satisfactione Christi consistere possit. 404.A. & seq. 1412.C.D. & seq.
Satisfactio à Confessario imposita plus valet ad tollendam pœnam temporalem quam vltro assumpta. 1578.C

Saturninus.

Saturninus hæreticus negauit matrimonium esse per se rem bonam. 2045.D. & seq.

Scriptura sacra.

Scriptura admittit aliquando in sensu varietatem & quasi æquiuocationem. 514.D
Scriptura sacra vno in loco admittit varios sensus etiam literales. 608.B. 609.B. 612.A. 1016.D. 1250.C. & seq. 2199.B
Non licet à generali propositione sacræ Scripturæ excepticnem facere sine authoritate vel eiusdem Scripturæ vel Ecclesiæ. 818.C
Vnde colligi possit locum aliquem Scripturæ propriè intelligendum esse. 939.D. & seq.
Scriptura sacra propriè intelligenda nisi sequatur absurdum. 942.D. 1011.D. & seq.
Scriptura nonnunquam figuratè loquitur. 1069.C.D
In Scriptura interpretanda non sunt admittenda figuræ, nisi cogat aliqua ratio aut contraria Ecclesiæ vniuersalis consuetudo. 1264.C
Scriptura firmum aliquando suppeditat argumentum ex figura. 1354.A
Scriptura an idem eodem loco & metaphorica locutione & propria quandoque significet. 1370.C
Eadem vox non semper idem in Scriptura significat. 1373.B
Rem aliquam esse Sacramentum quomodo ex Scriptura probari possit. 1902.A
Libros Machabæorum esse Canonicos defenditur contra Sectarios. 2191.D. & seq.
Scripturæ obscuritas, & varietas interpretationum non obstat, quo minus inde argumenta ad fidei articulos probandos sumi possint. 2199.A. & seq.

Schvvenckfeldius.

Sequitur errorem Eutychetis confundentis in Christo duas naturas. 99.A. 355.A

Sectarij.

Sectariorum error in assignanda ratione Eucharistiæ Sacramenti. 893.C
Qui Sectarij variis temporibus negarint præsentiam Christi in Eucharistia. 923.B. & seq.
Sectarij negantes transubstantiationem. 1051.D. Vide Panistæ.
Sectariis oppugnantibus Ecclesiam non tam incumbit respondendi, quàm probandi munus. 1070.A
Ex Sectariis quidam negant in Eucharistia certam formam verborum esse necessariam. 1148.C
Sectarij variis modis explicant verba formæ in Eucharistia, Hoc est corpus meum. *1175.C*
Sectarij omnes asserunt necessariam omnibus esse communionem sub vtraque specie. 1223.C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sectariorum obiectiones ad probandam necessitatem Communionis sub vtraque specie petitæ ex verbis Institutionis Christi soluuntur. 1234.C
Sectarij non sciunt distinguere inter institutionem Sacramenti & præceptum. 1252.D.*& seq.*
Sectariorum error de communione sub vtraque specie non potest extirpari concessione calicis sed prohibitione. 1282.A
Sectariorum vanitas & improbitas in arguenda lege Ecclesiæ de communione sub altera specie. 1283.D. *Vide etiam Eucharistiæ vsus sub vna specie.*
Sectariorum error de ministro cõficiente Eucharistiam, quem Catholica Ecclesia vult solum esse Sacerdotem legitimè ordinatum.
Sectarij confundunt statum controuersiæ de sacrificio Missæ. 1305. *Vide sacrificium Missæ.*
Sectariorum argumenta quibus probare volunt in Missa non offerri sacrificium refutantur. 1311.C.*& seq.*
Sectariorum argumenta, quibus probare nituntur in Missa non offerri sacrificium corporis & sanguinis Christi, soluuntur. 1331.D.*& seq.*
Sectarij prædicantes sunt magici incantatores. 1334.C
Sectariorum obiectiones quibus eludere volunt argumenta Catholicorum, quibus probatur legitimum esse sacrificium Missæ, refutantur. 1349.D.*& seq.* 1359.C. 1367.A
Sectariorum error quo negant in nouo Testamento esse peculiares & propriè dictos sacerdotes refellitur. 1377.C
Sectarij imperitè negant sacrificium Missæ fuisse ab Apostolis vsitatum. 1399.C
Sectariis non placet quòd Pontifex Cæremonias Missæ adiungat. 1388.C
Sectarij errant, dum omnem cultum non mandatum à Deo reiiciunt. 1388.A
Sectarij imperitè negant sacrificium Missæ propitiatorium esse. 1404.D. *eorum argumenta soluuntur.* 1411.C.*& seq.*
Sectarij non intelligunt quid sit sacrificium Missæ ex opere operato valere ad remissionem peccatorum. 1406.A
Sectariorum impudentia dum negant sacrificium Missæ esse propitiatorium detegitur. 1429.A
Sectarij negant Eucharistiæ species, aut ipsam Eucharistiam extra vsum adorandam esse cultu latriæ. 1432.A.B
Sectarij non probant cæremonias in Missa ab Ecclesia præceptas, sed refelluntur. 1448.D
Sectarij malè improbant in Missa Cæremonias verborum & præcipuè Canonem. 1449.A.B
Sectarij malè contendunt Missam vulgari lingua, & elata voce celebrandam. 1449.D
Missas priuatas, in quibus solus Sacerdos communicat, immeritò reiiciunt Sectarij. 1451.B.*& seq.*
Sectarij impiè subsannant Cæremonias Missæ in actione positas. 1453.B
Sectarij recentiores quomodo negent pœnitentiam esse Sacramentum propriè dictum. 1465.B
Sectariorum argumenta, propter quæ negant pœnitentiam esse Sacramentum, soluuntur. 1465.D
Sectarij hæreticè negant Sacerdotem verè absoluere. 1480.C. 1494.D
Sectarij negant Pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam. 1490.B
Sectarij confundunt Pœnitentiam & Baptismũ. 1490.B.*& seq.*
Sectarij quomodo & penes quid distinguant Sacramenta. 1491.A
Sectarij Protestantes quasnam pœnitentiæ partes & quã falsò assignent. 1579.A.*& seq.* 1580.C
Sectarij qui negarint confessionem esse à Christo institutam & imperatam. 1635.D
Sectariorum argumenta ad illum errorem probandum soluuntur. 1656.C.*& seq.*
Sectarij omnes negant satisfactionem esse possibilem aut necessariam. 1757.C
Sectarij quid de excommunicatione & excommunicandi authoritate quæ est in Ecclesia sentiant. 1790.C.*& seq.*
Refelluntur. 1791.C.*& seq.*
Sectarij quinam negarint esse in Ecclesia authoritatem conferendi indulgentiam. 1860.C
Sectariorum argumenta quibus indulgẽtias oppugnant soluuntur. 1874.B
Sectarij omnes negant Extremam Vnctionem esse Sacramentum. 1900.A.*& seq.*
Sectariorum argumenta contra Sacramentum Extremæ Vnctionis soluuntur. 1905.C.*& seq.*
Sectarij nostri temporis contendunt iure diuino Sacerdotes æquales esse Episcopis. 1950.C
Sectariorum argumẽta pro hoc errore soluuntur. 1935.B
Sectarij reiiciunt Ordines Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum. 1944. *Sed eorum argumenta soluuntur.* 1945.B
Apud Sectarios non est constans ministrorum Ecclesiæ status. 1948.C.D
Sectarij quomodo errent in Sacerdotis munere declarando. 1952.A.B
Sectarij falsò negant Sacerdotalem Ordinem esse Sacramentum. 1956.D
Sectariorum error de Ministro Sacramenti Ordinis explicatur & refutatur. 1974.C.*& seq.*
Sectarij stolidè reiiciunt cæremonias Sacramenti Ordinis. 1986.A
Sectarij oderunt nomen Clerici. 1989.A.*& seq. & tonsuram Clericorum.* 1992.A.B
Sectarij antiquitatem legis de cœlibatu Sacerdotum impugnant: sed refelluntur. 2007.A
Sectarij malè improbant cœlibatum Clericorum. 2013.C
Sectariorum argumenta contra Cœlibatus legem, quibus eam malam esse probare conantur, soluuntur. 2022.B.*& seq.*
Sectarij quinam negarint matrimonium esse per se rem bonam & licitam. 2045.D.*& seq.*
Sectarij omnes negant matrimonium esse Sacramentũ. 2060.D. *eorumq; obiectiones soluuntur.* 2065.B
Sectarij quid de matrimonij indissolubilitate sentiant. 2076.A.*& seq.*
Sectariorum argumenta contra indissolubilitatem matrimonij soluuntur. 2084.D.*& seq.*

Sectarij putant matrimonia sine consensu parẽtum contracta non valere nisi in certis casibus. 2121.D. *eorum argumenta soluuntur.* 2124.C
Sectariorum argumenta quibus contendunt ob solam fornicationis causam licitum esse diuortium, & id quidem quoad vinculum matrimonij refelluntur. 2134.C.*& seq.*
Sectariorum argumenta soluuntur, quibus probare contendunt non posse per Ecclesiasticam authoritatem impedimenta, siue dirimentia, siue non dirimentia matrimonio adiici. 2143.C
Sectarij falsò existimant omnes illos gradus qui Leuit. 18. fuerunt prohibiti, esse etiam nunc iure naturali & diuino prohibitos, & per eos matrimonium reddi nullum. 2151.A.*& sequent. & præter illos non agnoscunt alios gradus impedientes Ecclesiæ auctoritate introductos.* 2152.A
Sectarij quinam damnarint secundas nuptias. 2172.D
Sectarij omnes huius temporis negant purgatorium esse, & quinam ex antiquioribus. 2189.D.*& seq.*
Sectariorum obiectiones contra purgatorium soluuntur. 2216.D.*& seq.*
Sectarij quid per Antichristum intelligant. 2254.D. *eorum impudentia retunditur.* 2255.B. *argumenta soluuntur.* 2256.D
Vide etiam in specie Lutherani, Caluinistæ, Sacramentarij, Vbiquistæ, Panistæ, Kemnitius, Sadeel, &c.

Seleuciani.

Seleuciani dicebant non in aqua baptizandum, sed vtendum esse quadam adustione ignis. 744.D.*& sequent.*

Sensus.

Sensus errare possunt, & sunt nonnunquam ex fide corrigendi. 1076.D

Seruetus.

Michaël Seruetus impingit in hæresin Nestorij. 112.C

Sessio ad dexteram Patris.

Quid per eam sessionem intelligatur. 246.A.250.D. *Vide Christi ascensio.*

Sigillum Confessionis.

Vide Confessionis sigillum.

Singularitas.

Singularitas cuiusq; rei est aliquid transcendens. 29.D. *Vide Natura singularis & Individuum.*

Situs.

Prædicamentum situs in quo consistat. 1118.B

Socrates.

Socrates historicus aliquoties in sua historia quædam manifestè falsa narrat. 2031.B

Sozomenus.

Sozomenus historicus multa mentitur. 2031.A

Spes.

Quomodo beati sperare possint gloriam corporis sine habitu spei. 282.D

Spiritus sanctus.

Spiritum sanctum non esse incarnatum Catholica fides docet. 181.A.*& seq.*
Refellitur contraria hæresis Sabellij. ibid.
Respondetur ad obiectionem. 187.C
Spiritus sancti virtus in Eucharistiæ Sacramento non suppletur per corpus & sanguinem Christi. 902.C

Sponsalia.

Sponsalium nomen varia significare, magis propriè autem significare, futurarum nuptiarum mutuam promissionem. 2094.B.*& sequent. neq; interest quibus verbis aut signis hæc promissio explicetur.* 2094.C. *an etiam iuramento, aut arrhis adhibitis.* 2095.B
Sponsalia quomodo secundùm ius antiquum per verba de præsenti contrahantur. 2095.A. *& quomodo hæc sponsalia secundùm quosdam in matrimonium transeant.* 2098.B.C
Sponsalia sub peccato mortali obligant ad contrahendum promissum matrimonium, & potest etiam sponsus aut sponsa à iudice ad id cogi. 2096.A.B
Sponsalia contrahi posse ab iis qui iam septimum ætatis annum compleuerunt. 2096.D. *vel etiam à minoribus in foro conscientiæ si malitia suppleat ætatem.* 2097.A. *& quid si proximè iam ad septimum accesserint.* 2097.B
Sponsalia ante septimum annum inualidè contracta postea impleta illa ætate conualescunt ex consensu tacito contrahentium. 2097.C
Sponsalia contrahere non potest voto castitatis obstrictus, aut impedimento essentiali ad contrahendum matrimonium impeditus. 2097.C
Sponsalia per consensum signis aut verbis de præsenti legitimè explicatum transeunt in matrimonium. 2097.D. *aut etiam in iure antiquo, & vbi Concilium Tridentinum promulgatum non est, per copulam maritali affectu subsecutam.* 2098.A.B
Sponsalia dissolui possunt, si obligationem etiam iuramento firmatam sibi mutuò partes remittant, si altera pars ingrediatur religionem, non autem si extra religionem votum castitatis emittat. 2098.D. *si alter de præsenti contrahat cum alia, si alter discedens ad aliam regionem præstituto tempore non redeat.* 2099.A. *si vbi ius adhuc antiquum obtinet, alter cum alia sponsalia contrahat, copula affectu maritali sequuta, posito quod secunda non fuit cognita prima intra secundum gradum.* 2099.B. *si quis sponsalibus ante pubertatis annos contractis post impletos annos pubertatis non velit stare.* 2099.C. *si tempus contrahendo matrimonio sit elapsum, aut notabilis deformitas, aut morbus contagiosus alteri superueniat, item ob fornicationem corporalem aut spiritualem alterius ante sponsalia occultatã, aut post subsecutam.* 2099.D. *vel si sponsus suscipiat sacrum ordinem, aut capitalis inimicitia orta sit inter sponsos, vel ob notabilem morum asperitatem postmodum cognitam, aut ob defectum conditionis appositæ, aut quodcunque impedimẽtum interueniens obstans valori matrimonij contrahendi.* 2100.A.*& seq.*
An & quomodo ad solutionem sponsalium requiratur sententia iudicis. 2101.A
Sponsalia an contraherentur hoc modo dicendo: Non aliam ducam quàm te. aut: Non alium sed te ducam. 2101.B.C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Subdiaconus.

Subdiaconatum esse peculiarem in Ecclesia & verum Ordinem.1942.B. etsi id negent Sectarij. 1945.B
Subdiaconi officium quodnam sit. 1953.B
In Subdiaconorum ordinatione quenam sit materia. 1970.D
Sudiaconus quomodo in mortali peccato ordinem suum exercens peccet. 720.A
Subdiaconi vtrum semper obligati fuerint ad seruãdam continentiam. 2011.B

Subiectum scientiæ.

An & quomodo in scientia aliqua probari debeat existentia subiecti proprij & cuiusnam. 9.B.C

Substantia.

Ex substantia & accidente cur non possit fieri vna persona. 19.A
An & quomodo omnis substantia materialis sit vel materia, vel forma, vel compositum. 227.A
Inter substantiam secundam & primam completam est quadam media substantia prima incompleta, nimirum natura singularis. 227.C
Substantiæ erga accidentia quæ sint substantialia munera & habitudines. 1103.B
Substantia ad accidentia refertur non solùm habitudine subiecti. ibid.

Suffragia mortuorum.

Suffragia vt defunctis prosint an debeant prodire ex gratia. 2244.A
Suffragia an prosint defunctis antequã reipsa persiciantur. 2244.B.C
Suffragia viuorum quibusnam defunctis prosint.2244. C.& seq. Vide etiam Satisfactio, Purgatorium, Sacrificium Missæ, Indulgentiæ.

Suspensio.

Suspensionis definitio.1815.A.& quomodo ab excommunicatione & aliis Censuris differat. 1815.B.C
Diuiditur primò in maiorem & minorem.1816.B.in suspensionem à diuinis, & à non diuinis.1817.A.in latam à iure & latam ab homine.1817.D. in perpetuam & ad certum tempus. 1817.D
Suspensio minor est priuatio facultatis quam quis habet ad suscipienda Sacramenta, & non nisi formaliter ab Excommunicatione minore differt. 1816.B.C
Suspensio maior quid sit, & vt ab Excommunicatione maiore differat. 1817.A
Suspensio à diuinis & à non diuinis quid sit. 1817.A.B
Suspensio nõ fit nisi circa id quod in ipsa Censura suspensionis exprimitur, & circa id quod inde pẽdet.1817.B
Suspensus ab officio an censeri debeat esse suspensus à beneficio. 1817.B.C
Suspensio lata à iure, & lata ab homine quid sit. 1817.D
Suspensio à toto beneficio & officio an possit ferri in perpetuum. 1818.A
Suspensionem violans peccat mortaliter, & si sit suspensio à diuinis, etiam irregularitatem incurrit reseruatam summo Pontifici. 1818.C
Ad discernendos varios casus suspensionis à iure latæ cuænam considerandæ. 1818.C
Suspensionem solæ personæ Ecclesiasticæ possunt incurrere. 1818.D
Suspensionis sententiam ferre possunt omnes & soli, qui habent Iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriore. 1819.A
Suspensio quando in scriptis & admonitione prauia ferri debeat. 1819.A
Suspensionem quis tollere possit. 1819.B
A suspensione minore absoluere possunt indirectè ij, qui possunt absoluere à peccatis mortalibus. 1819.C
Quenam sit forma & ratio absoluendi à suspensione. 1819.D
Sacerdos propter fornicationem suspensus ab executione sacri ordinis vtrũ incurrat irregularitatem Pontifici reseruatam, si ordinẽ illum exequatur.1819.D.& seq.
Suspensus ab ordine Clericus non incurrit Irregularitatem, si eo modo exerceat actum ordinis, quo solet ille alioqui exerceri à Laico. 1820.B
Suspensus à diuinis est etiam suspensus ab officio concionandi. 1820.C
Suspensus eodem modo debet vitari quo excommunicatus in iis in quibus est suspensus. 1820.C

Tatianus.

TAtianus hæreticus author Encratitarum malè negauit matrimonium esse rem per se bonã. 2045. D. *& seq.*

Tempus.

Existentia cuiusq; rei creatæ habet intrinsecum ordinem ad tempus. 170.B
Quomodo & quando ob solam mutationem temporis possint contradictoria esse vera. 233.B

Tertullianus.

Falsò existimauit Angelos qui apparuerunt passim hominibus assumpsisse hypostaticè illa sua corpora.203.C
Tertullianus errauit dicendo B. Virginem in partu amisisse virginitatem. 540.B
Tertulliani authoritas quatenus acceptanda sit. 540.C
Tertullianus rectè sensit de præsentia Christi in Eucharistia. 1019.B
Tertullianus secundas nuptias damnauit. 2172.D

Theodorus Mopsuestenus.

Asseruit hic cũ Nestorio duas in Christo personas. 109.C

Theodoretus.

Secutus est hic primum errorem Nestorij, sed respuit. 1072.D

Thaboritæ.

Thaboritæ reiecerunt Indulgentias. 1860.C

Timor.

Quale malum propriè timeri possit, & an debeat id omnibus consideratis esse possibile. 285.A.& seq.
Timor seruilis quis malus sit. 1520.C

Traianus.

Traianus Imperator an fuerit ab inferno ad hanc vitam reuocatus precibus S. Gregorij. 2227.B.& seq.

Transubstantiatio Eucharistica.

Substantiam panis & vini in Eucharistia conuerti in corpus & sanguinem Christi.1051.D.1087.B.1089.B. & seq.1341.B. Probatur id 1. ex verbis Christi instituentis hoc Sacramentum. 1054.B.& seq.

Duo effugia Sectariorum Panistarum tolluntur.1056.B. & seq.
Probatur II. eadem sentẽtia Catholica ex SS. Patribus. 1061.& seq.1338.C
Panistarum responsiones diluuntur. 1062.C.& seq.
Transubstãtiationis vocabulum quando vsurpatũ.1061.
Probatur III. ex fine & figuris Eucharistiæ. 1067.A
Probatur IV. transubstantiatio in Eucharistia ex definitione Ecclesiæ. 1067.D
Respondetur ad obiectiones Panistarum.1069.A.& seq. Vide Panistæ.
In Eucharistia sub specie panis concomitanter esse sanguinem Christi.1091.D.& seq. animam & diuinitatem, &c. 1093.B
Quid ex vi transubstantiationis, & per se sit sub specie panis. 1093.D.1103.B.& seq.
Transubstantiationem in Eucharistia esse veram conuersionem substãtialem.1099.A.& totius in totũ.1105.D
Argumentum contrarium soluitur. 1111.C
Per transubstantiationem corpus Christi succedit pani, non secundùm habitudinem subiecti ad accidentia, sed secundùm aliam habitudinem substãtialem.1103. B.& seq. idq; modo singulari & ineffabili. 1109.D
In transubstantiatione non interuenire per se duas mutationes. 1105.C
Sententia Durandi de transubstantiatione Eucharistica refellitur. 1105.D
Conuersionis substantialis ratione quæ contingit in transubstantiatione, minùs rectè explicat Sotus. 1106.
Malè dicunt quidam per transubstantiationem corpus Christi verè produci. 1107.A
Per transubstantiationem panis substantiam non annihilari.1107.C.nec in præiacentem materiam resolui. 1108.A
Conuersio in Sacramento in transubstantiatione nõ habet se per accidẽs ad præsentiã corporis Christi.1108.A
An aliter quàm per transubstãtiationem, præter motum localem, possit Christus denuò esse in Eucharistia. 1108.B.& seq.
Christus nõ est in Eucharistia per solùm respectum præsentiæ. 1109.C
Transubstantiatio fit in instanti. 1110.B
Quomodo de hoc mysterio transubstãtiationis loquendũ. 1110.C
Recténe dicatur, Panis sit, aut est, aut potest esse, vel fieri, vel de pane fit corpus Christi. 1110.C
Transubstantiatio non est magia, vt calumniatur Herbrandus. 1338.C. Vide etiam Conuersio substantialis, & Eucharistia.

Valentinus.

VAlentinus antiquus hæreticus malè asseruit Christum non fuisse verum hominem. 95.D
Valentinus negauit re ipsa B. Virginem esse verè & propriè Christi matrem. ibid.

Valentinianus.

Valentinianus Imperator polygamiam malè suo exemplo docuit, peius etiam lege approbauit. 2054.A

Vbiquistæ.

Videntur impingere in hæresin Nestorij. 112.B
Frustrà Catholicis impingũt hæresin Nestorij.155.& seq. atq; impietatem Mahomet. 158.A
Sententia Vbiquistarum de vnione duarum naturarũ in Christo, quoad vtriusq; proprietates explicatur.126.A
Duo quædam præcipua diuerticula illius sententiæ. 127.B
Eius error detegitur. 128.B.& seq.
Quo sensu Vbiquistæ contra Orthodoxos asserant plenitudinẽ diuinitatis esse realiter assumptæ naturæ communicatam. 128.B.C.129.C
Refellitur isthæc eorum hæresis.131.B.155.D.& in specie primò, quia repugnat fidei, & definitioni Cõcilij Chalcedonensis. 131.C
Secundò, quia non retinet veram notionẽ affirmationis. 133.A
Tertiò, quia implicat contradictionem. 135.D
Quartò, quia continet multa absurda. 137.D
Quintò, quia nullo sensu potest defendi. 141.C
Sextò, quia absurdè etiam diuinitati tribuit humana. 145.D
Septimò, quia est damnata ab Ecclesia & SS. Patribus. 146.B
Respondetur ad argumẽta Vbiquistarum pro illo errore petita ex Scriptura & SS. Patribus.148.C.157.A.ex ratione. 152.A
Vbiquistæ aliquando negant in Christo, secundùm humanitatem mediam quandam dignitatem inter diuinam & aliam creatam, aliquando asserunt.158.A. & seq.
Vbiquistæ se ipsos Mahometismi condemnant. 158.D
Vbiquistarum alius & proprius error de vbiquitate corporis, & humanitatis Christi explicatur. 242.C. & seq. refellitur. 244.C.& seq.
Argumenta eorũ pro illo errore soluuntur.246.D.& seq.
Vbiquistæ reuera negant articulum ascensionis Christi in cœlum. 245.C
Vbiquistæ contendunt Christum, secundùm vtramque naturam obiuisse munus mediatoris. 417.D
Vbiquistarum error de ascensu Christi ad cœlos, quem ipsi per omnipræsentiam eius interpretantur, fusè refellitur. 603.A.& seq.
Vbiquistæ quàm stolidè sessionem Christi ad dexteram interpretentur.611.D.& seq. Vide Christi ascensio.

Vbiquitas.

An & quomodo corpus aliquod per potentiam Dei absolutam possit esse vbique. 243.B.& seq.
Quam Vbiquitatem SS. Patres significent esse propriam Deo. 243.D

S. Vdalricus.

Vdalrici Episcopi Augustani epistola, quæ ab hæreticis iactatur ad eneruandam cœlibatus legem pro Ministris Ecclesiæ latam, est commentitia, neq; iuuat hæreticos. 2032.C

Veligæ.

Veligæ hæretici asseruerũt Christum non esse Deum natum, sed propter merita postea à Deo assumptũ.112.A

Verbum Diuinum.

Quomodo Verbum diuinum per incarnationem non sit mutatum. 20.A.& seq.
Fieri posset per potentiã Dei absolutã, vt natura humana retinẽs suũ esse, dimitteretur à diuino Verbo.26.D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nihil diuini Verbi in carnem mutatum est: vt stultè sensit Apollinaris. 121.B
Solum Verbum diuinum incarnatum est. 181.A
Soluitur obiectio. 187.C
Verbum diuinum primariò per propriam personalitatem assumpsit naturam humanam. 184.C
Soluitur argumentum contrarium Durandi. 185.B
Verbum diuinum nõ assumpsit personã humanam, sed sõlùm naturã humanam singularẽ. 215.A.& *seq.* 235.B
Verbum diuinum assumpsit etiam sanguinẽ. 238.A. *idq; probatur ex scriptura.* 239.A. *ex Ecclesiæ definitione.* 239.C. *ex SS. Patribus.* 239.D. *ratione.* 240.B
Verbum diuinum sanguinem assumptum nunquam dimisit. 241.A
Potuit per potẽtiam Dei absolutã à Verbo diuino assumi natura humana destituta gratia. 266.D
Verbum diuinum nouam habitudinem substãtialem ad naturam humanã, sine mutatione acquisiuisse. 1101.D
Vide Incarnatio Christi.

Vigilantius.

Vigilantius non rectè censuit legem Cœlibatus sacris Ministris obseruandam esse inutilem & non rectã. 213.A

Virtus.

Nulla virtus requirit præsentiam sui contrarij in eodem. 1504.D. *quamuis aliqua requirat, vt præcesserit suũ contrarium.* ibid.C
Virtutes quæ per peccatũ amissæ, an & quomodo per pœnitentiã recuperentur. 1561.A. *Vid. Pœnitentiæ effectꝰ.*

Beata Virgo.

B. Virgo ex congruo merita est per opera, vt per se moraliter bona, Incarnationem Dominicam, non autem ex condigno. 178.A.B.& *seq.*
B. Virgo digna fuit quæ esset Mater Dei. 179.B. *idq; ipsũ etiam ex congruo promerita est.* 180.C
Quomodo B. Virgo, et alij Sancti sint pleni gratia. 295.A
An & quomodo in B. Virgine non fuerit fomes peccati. 350.C.& *seq.*
D. Virgo cur non possit per relationem ad Christum coli latria. 471.B
B. Virgo fuit per gratiã sanctificata in vtero matris, ante suam natiuitatem. 477.B.& *seq.*
Argumenta contraria hæreticorum soluuntur. 179.C
B. Virgo potuit in ipso conceptionis momẽto à peccato originali, quoad omnia quæ quouis modo ad hoc peccatũ pertinet, diuinitùs præseruari. 481.C.& *seq. quamuis de facto ita præseruata non fuit.* 482.C
B. Virgo ordinario modo generationis ab Adamo descendit. 482.C
B. Virgo non fuit libera à debito incurrendi peccatum originale. 483.A
B. Virgo non fuit immunis à peccato ex modo naturali suæ conceptionis. 483.B
B. Virgo non fuit tam excellenti modo immunis à peccato originali, at Christus. 483.C
In quæstione de immaculata cõceptione Virginis neutra sententia est de fide. 484.A.& *seq.*
Argumenta contraria soluuntur. 484.B.& *seq.*
B. Virginis Conceptio celebrãda fidelib. apponitur. 484.C
Pomerani calumnia, & Bartholomæi Spinæ temeritas in ea re redarguitur. 485.B
B. Virginem in sua conceptione ab originali peccato præseruatam esse, longè probabilius est. 486.C. *idq; probatur ex scriptura.* 487.C. *ex iudicio quodam & sensu Ecclesiæ Catholicæ.* 492.C. *ex SS. Patribus.* 495.D. *et seq. ex ratione.* 501.D.& *seq. ex duobus magnis incõmodis contrariæ sententiæ.* 504.D
B. Virginis immaculata cõceptio figurata fuit, per terrã, ex qua factus est Adam. 491.A. *per Euam.* 491.C. *per paradisum ibid. per arcã testamenti.* 491.D. *per thronum Salomonis.* 491.D.& *seq. per Virgã Iesse.* 492.A
Argumenta contra immaculatam conceptionem Virginis contrariæ sententiæ soluuntur petita ex scriptura. 507.D. *ex Ecclesiæ iudicio.* 510.C. *ex SS. Patribus.* 510.D. *ex ratione.* 514.D.& *seq.*
B. Virgo, quomodo fuerit per Christũ redempta. 509.C.& *seq.*
Quandonam B. Virgo contraxerit debitum incurrendi peccatum originale. 515.B.C
B. Virgo quomodo fuerit pẽseruata à peccato. 515.D. *et seq.*
Vtrum dici debeat B. Virginẽ in Adamo peccasse. 517.A
B. Virgo fuit perpetuò immunis ab omni peccato actuali etiam Veniali. 519.A.& *seq.*
Probatur hoc ex scriptura. 519.A. *ex communi sensu Ecclesiæ.* 519.B. *ex. SS. Patrib.* 519.C. *ex ratione.* 520.D
Soluuntur argumenta contraria Sectariorum petita ex scripturis. 520.C. *petita ex SS. Patribus.* 521.D. *ex ratione.* 523.D
Quomodo B. Virgo in nullo eorũ actuũ, quos hæretici peculiariter ex scriptura vrgẽt, peccauerit. 520.D.& *seq.*
An & quales motus indeliberati circa bona sensibilia fuerint in B. Virgine. 523.B.C. 525.C
An & quomodo B. Virgo fuerit impeccabilis. 523.D
B. Virgo fuit liberata à peccati fomite per obumbrationẽ Spiritus sancti, cum Christum conciperet. 524.C
B. Virgo, an etiam in prima sanctificatione fuerit prorsus libera à peccati fomite. 525.B.& *seq.*
Per primam sanctificationem quomodo fomes peccati in B. Virgine fuerit ligatus. 525.C.& *seq.*
B. Virgo non habuit vllum motum rectæ rationi contrarium. 525.C
B. Virgo, quomodo plenitudinẽ quandam omnium gratiarum habuerit, idq; modo quodam præcellẽti, ac sibi proprio inter omnes alias puras creaturas intellectuales. 527.B.& *seq.*
B. Virgo excellenter habuit donum sapientiæ, & gratiã Virtutũ, & prophetiæ, & alia dona huiusmodi. 528.B
An B. Virgo viderit aliquando essentiam diuinam in hac vita, & an habuerit in vtero materno aliquando rationis vsum. 528.D
B. Virgo sub finem vitæ summã post Christum gratiam habuit. 529.A
B. Virginis gratia & gloria nõ modò maior est et fuit, intensiuè, gratia omnium Angelorum & hominum, sed etiam extensiuè. 529.D.& *seq. idq; ætate paululũ progrediente, etiam ante finem vitæ.* 530.D
B. Virginẽ fuisse incorruptam in Christi conceptione ante partum de fide est. 532.B. *idq; probatur ex scriptura.* 532.C. *ex Symbolo fidei.* 534.A. *ex SS. Patrib.* 534.B. *ratione.* 535.C
Contraria argumẽta ex scriptura soluũtur. 535.D. *et seq.*

B. Vir-

B. Virginẽ fuisse incorruptam seruatam etiã in partu de fide est. 532.B. *idq; probatur contra Caluinistas ex scriptura.* 536.B. *ex SS. Patribus.* 537.D
Obiectiones Caluinistarum refutantur. 540.B.& *seq.*
Quomodo S. Ambrosius dixerit Christũ aperuisse Matris suæ vuluam. 540.D.& *seq.*
B. Virginem mansisse incorruptam etiam post partum de fide est. 532.B.& *probatur ex scriptura.* 543.D. *ex professione & iudicio Ecclesiæ.* 544.C. *ex SS. Patribus.* 544.D. *ratione.* 545.D
Argumenta pro contrario errore Heluidij soluuntur. 546.A.& *seq.*
B. Virgo sine dolore peperit. 547.C.D.& *seq.*
B. Virgo verè fuit mater Christi veri hominis, & veri Dei. 550.D
B. Virgo an fuerit baptizata. 815.C
B. Virginis opera satisfactoria quomodo prosint Ecclesiæ. 1848.B
B. Virginis matrimoniũ, quomodo nõ repugnauerit eius voto de Virginitate. 2170.D.& *seq.*

Vis.

Vis, quomodo sit impedimentum dirimens matrimonij. Vide Matrimonij impedimenta in specie.

Vnio.

Ad vnionem duorum impertinens est maior vel minor distantia Entitatiua. 19.A.B
Vnio verbi diuini cum natura humana nõ est res distincta à psona diuina, & natura humana, nisi ratione. 26.C
An & quomodo ex duobus Entibus in actu fieri possit Ens vnum per se. 27.B.C
Vniri duas substantias, aut res inter se quot modis cõtingat. 966.B.& *seq.* 993.A.B
Vnio Christi vt capitis cum hominibus iustis per gratiam metaphoricè dicitur. 967.B.C
Inter vnionem vitis & palmitis, stirpis et plantæ, ædificij & fundamenti, membrorũ & capitis, sponsi & sponsæ, domus, templi & inhabitatoris, & inter vnione Christi & hominis, quæ sit similitudo. 994.C.& *seq.*
Vniri cum altero verè non potest, quod actu nõ est. 999.C
Vnio vera, & vera præsentia inter ea non est, quæ sõlùm habitudine quadam vniuntur. 1005.A.B
Vnio duarũ naturarũ in Christo. Vid. Christus & Incar.
Vnctio extrema. Vide Extrema Vnctio.

Vnctio sacramentalis.

Vnctio aliqua sacramentalis valet ad remissionem peccatorum venialium. 1545.A
Vnctio in ordinatione. Vide Ordinationis cæremoniæ.

Voluntas.

Voluntas quæ dicatur alteri voluntati contraria. 372.A
Quis actus voluntatis verè sit liber. 377.C.D

Votum continentiæ.

Voto continẽtiæ aut virginitatis, quomodo repugnet matrimonium. 2120.D.& *seq.*
Votum quomodo dirimat matrimonium. Vide matrimonij impedimenta in specie.
Votum simplex, quomodo sit tantùm nuda promissio: & quid amplius habeat Votum simplex in Societate Iesu emissum, post biennium nouitiatus. 2147.C.D
Vouere posse coniuges castitatem ex vtriusq; cõsensu, matrimonij Vinculo permanente. 2177.A
Votum alterius, aut vtriusq; coniugis, quomodo impediat vsum matrimonij. 2176.D. *Vide etiam Cœlibatus sacrorum Ministrorum.*

Waldenses.

Waldenses hæretici negarunt præsentiam Christi in Eucharistia. 937.C
Waldenses quid de forma Eucharistiæ senserint. 1153.B
Waldenses negarunt auctoritatem conferendi Indulgentiam. 1860.C
Waldenses negarunt Purgatorium. 2189.D

Wiclephus.

Asseruit Christũ esse naturam diuinam & humanã, non modò copulatim, sed etiã diuisiuè & sigillatim. 162.D
Despuit Wiclephus negans Verbum diuinum potuisse, quamuis aliam humanitatem, etiam non ex stirpe Adæ, assumere. 236.A
Wiclephus impiè reiecit omnem religiosum vsum imaginum. 461.C
Wiclephus negat imprimi in vllo Sacramento characterem. 681.B
Wiclephus malè requirit in ministris Sacramentorum veram fidem & probitatem. 715.A
Wiclephus malè negat a reprobis validè administrari Sacramenta. 715.B
Wiclephus dubitauit an paruulis baptismus esset necessarius ad salutem. 815.D
Wiclephus negauit per baptismum deleri omnia peccata venialia. 834.B
Wiclephus exorcismos in baptismo improbat. 845.A
Wiclephus non agnoscit Sacram. Confirmationis. 855.B
Wiclephus reuocauit hæresin de absentia Christi in Eucharistia. 937.D
Wiclephus negans accidentia in Eucharistia existere sine subiecto damnatus est. 1130.A
Wiclephus negauit confessionem esse à Christo institutam & mandatam. 1635.D
Wiclephus malè asseruit omnes fideles habere potestatẽ remittendi peccata. 1681.B
Wiclephus stolidè negauit posse aliquẽ in gratia cõstitutũ satisfactionẽ suã alteri cum fructu applicare. 1764.D
Wiclephus stolidè asseruit Excommunicationem non esse formidandam. 1791.B
Wiclephus impiè dixit fatuũ esse credere indulgentiis. 1860.C
Wiclephus malè improbauit cœlibatũ Clericorũ. 2013.C
Wiclephi error, quo putauit omnes gradus consanguinitatis et affinitatis, qui Leuit. 18. fuerunt prohibiti, esse etia nunc iure naturali, & diuino, phibitos, & per eos matrimoniũ reddi nullum, refutatur. 2159.A.& *seq.*

Zuinglius.

Zuinglius tribuit Christo vt homini ignorantiam, priuatiuam. 342
Zuinglius censuit baptismum esse validum sine forma legitima. 752.D
Zuinglius Sacramentarius negat præsentiam Christi in Eucharistia. 938.C. 979.C. *Vide Sacramentarij, & Eucharistiæ materia, vt cõuertitur in corpus Christi.*
Zuinglius dissentit à Caluino, & aliis nouis Sacramentariis. 979.C

Laus DEO & Deiparæ Virgini.

Errata

Universidad de Deusto
Biblioteca

Errata sic corrigantur.

COlumna 33. lit. A. versu 15. *lege Est.* 38. D. vlt. *adde*, persona diuina sit summum bonũ) patet quia persona diuina. 39. B. 4. pertinet. 44. B. II. officiis. 48. C. 15. esse. 49. D. 13. qui 71. D. I. lib. 4. 76. B. 13. ergo quia perierat. 94. A. 7. *dele*, cerdon &. 95. A. 6. Psal. 98. 97. D. 5. Isaiæ 63. 99. D. 6. primum & secundum. 125. A. 15. vnitum. 133. B. 15. notionem. D. 7. explicandum. 135. A. 13. *dele*, vt suprà demonstraui. 159. C. 13. Christum. 165. A. 9. art. 9. 170. A. 10. Christus. 190. C. 5. 3. parte. 226, A. 8. subiecto. 228. D. 15. emanaret. 242. C. 8. adimit. 243. D. 2. asseruit. 260. C. II. Nam natura. 261. B. 4. terminãtur. ibid. 7. assumptas. 264. A. I. & eatenus. 278. B. 13. art. I. q. 2. 307. C. 6. lib. I. 316. A. 7. qua. 340. B. 5. glorificatæ. 343. B 9. profecisse. 358. D. 15. quæuis. 433 D. 3. fuisset. 461. C. 5. Taurinensis. 468. A. I. sint. 479. D. 9. id etiam. 480. C. II. ex variis. 481. B 4. propositæ. 492. D. 3. celebrant. 493. B 5. censuerant. 497. D. 4. Verbi. 498. B. 2. à tota. 502. C. 9. ab originali. 507. B. I. honorandi. 521. B. 9. certè. C. 2. in medio Doctorũ. 522. A. I. lib. *dele*, sexto. D. 3. in morte. 533. D. 9. nascetur. 538. B. 3. & 5. quomodo. 541. B. 13. animal masculum. 546. B. 15. tamen. 554. A. 15. vt fusè. 558 A. 4. Psal. 21. 568. A. 14. Ioan. 14. B. I. illã mortẽ. 570. D. 8. nunc datur. 573. B. 2. de Dauide. 585. C. 15. retract. 594. A. 14 fulgenti. 597. A. 15. fingũt enim. 607. D. 4. quidam quasi. 620. versu 19. libris sex. 621. B. 6. venditionem. 631 B. 14. *dele*, Et. 632. C. 14. potuerit. 633. A. 5. solo. 639. C. 5. cõsiderãtur. 645. A. 8 habere. C. 9. gloriæ. 650. B. 8. parte 9. 668. A. 10. habito. 672. D. 6. aliquod. 677. A. 15. ipsa. 687. A. 10. qui censuit. 695, A. 12. vt sic. B. 20. rectæ. 701. D. 4. probauimus. 731. B. I. p. 2. 742. B. 15. fluminis & flaminis. 743. B. 13. p. 2. 748 B. 13. p. 2. 751. A. 3. q. 19. 753. A. 3. personæ diuinæ. D. 12. vsurpare. 755, A. 6. vllis. D. 4. *dele*, Ecclesiæ, Pontificum, & Patrum. 763, D. 15. cap. 57. 766. B. 3. quod vel. 768. B. 4. baptizati. 771. D. II. Donatistas. 777. A. 8. art. 3. 4. C. 3. hæc ita. 781. D. 10. non modò. 787. B. 7. medium ordinarium. D. I. ex ordinariis mediis. 790. A. 4. vt sentit D. Thom. 795. C. I. *dele*, etiam. 802. B. 3. poterunt. 811. C. 10. *post* Implicitum. *lege*, Quamuis omnibus iam necessaria est ipsa quidem fides Christi explicita. ibid. C. 12. vt contra. ibid. 13. sententiam. 824. C. 13. cap. 27. 831. D. 9. lib. 2. 843. A. 3. quid. 845. B. 2. *dele*, homil. 35. 847. B. 13. parte 6. 854. D. 7. cap. 104. 853. B. 2. de quæstionib. 854. B. 6. Isaiæ 25. *adde*, secundùm LXX. ibid. in lætitia. 855 D. 7. de vnione. 861. B. 4. illi. 869. C. 4. Brach I. 873. C. 8. primus. 874. B. 8. inculpabiliter. 875. A. 7. necessaria. 876. A. 17. art. 6. 7. 8. 880. A 7. epist. 88. *ibid.* C. 6. In baptismate. ibid. C. vlt. art. 6. 7. 8. 881. B. 5. d. 32. apud Grat. 895. D. 13. Calosyrium cõtra Anthropomorphitas. 903. C. 3. istæ. 919. D. 12. Apostolis. 926. B. adhibendi. 939. B 3 probatur II. 961. C. 13. quibus locis. 1039. B. II. & non album. 1061. A. I. probatur II. 1093 B. II. & vnionis. 1103. D. 6. in ligno. 1171. B. 8. lib. 4. 1191. D. I ac sic. 1211. D. 6. petat occultè. 1217. B. 7. extat. 1222. C. 15. id significet. 1223. C. 6. quidam. D. 14. Patriarchæ Hieremiæ responsione ad Protestates in censura Orientalis Ecclesiæ, cap. 21. intelligi potest. 1224. B. I. fit. D. 4 sess. 21. 1225. D. 14. At. D. 3 *dele*, vbi supra. 1238. C. 10. manducauerit panem hunc. 1246. A. I. possint. 1257. D. 14. etiam. 1262 A. 5. de fractione panis, quæ fuerit actio. 1272. B. 10. ab ea ratione, C. 12. ad illum. 1273. C II. administrabatur. 1280. A. 10. VVald. tom. 2. cap. 94. 1281 A. 2. testatur. 1330. B. 9. Hos. 1340. D. 14. absurdissimè, 1342. D. 7. vndequaque. 1344. A. 6. & interpretationi Apostoli. 1345. B. 9. immutatione. 1353. D. 13. Est. 1354. B. 15. scripturæ. 1370. B. 10. sacrificatur. 1371. A. I. diuini. 1379. D. 14. ablatum. 1381 D. 15. ablatũ. 1383. C. II. ego. 1389 B 7. *dele*, autem. B. 9. congruat rationi. 1392. D. 5. *dele*, rectè fieri. 1393. C. II. Et. 1394. A. 16. *dele*, I. ad Tim. 2. B. 2. vt I. ad Tim. 2. cùm ait. 1418. A. II. illæ. 1419. A. 15. negat. 1423. C. 7. cate& 1445. B. 7. hac. 1473. A. 8. vsurpatos. 1478. D. 2. declaratum. 1513. C. 15. cui scilicet. 1514. C. 4. aliquid. 1536. B. 5. *dele*, esse. 1563. B. 14. constabit. 1571. C. 13. Ezech. 33. 1579. A. I. tom. 2. B. 12. tom. 2. 1621. A. 8. Pœnitentiæ appellatur ad Hebr. 6. Quæ. 1645. A. 6. aliquot. 1648. D. 9. quanta. 1695. A. 2. illam. 1716. A. 8. confessario. 1724. C. 3. illius. 1759. B. 12. iis. 1803. B. I. militante. 1864. A. 5. etiam. 1923. V. 8. qualitate. 1934. D. 14. presbyteris. 1965. B. 5. sacerdotio. 1989. B. I. Nahelu. 2002. D. 3. Romana. 2020. A. 6. sine fine. 2028. B 5. cum Patribus. 2029 D. I. *dele*, quod. 2077. B. 9. lege. 2085. B. 13. Scotus. 2086. C. 13. coniugis. 2089. B. 13. At id. 2096. B. 7. monẽdam. 2131. B. 12. interpretari. 2150. C. 5. adoptantẽ & adoptatum. 2152. C. 13. I. Cor. 5. 2167 B. II. sponsam. 2185. C. 8. §. 2. 2202. E. II. amissionem. 2207. C. 5. admissa. 2214. B. 5. testimonia. 2222. A. 13. vidisse illum. 2223. B. 3. immobilem. 2243, C. II. indigeat. D. 9. Apostoli. ibid. 10. aduersa. 2255. B. I. tomo 3. 2269. B. 2. ablatum. 2279. B. 10. I. ad Thess. 2291. D. 2. de ipso. 2306. D. 15. reparaturus sit omnipotens vndecunque volet, idque salua illius numerica identitate. 2307. A. 13. *dele*, non. 2321. A. 9. perfectè. 2326. B. 15. per causas. 1327. C. 13. istorum meritorum. 2331. B. 13. corruptiuam. D. 6. igne.) 2333, A. 3. apud Abulensem. ibid. aliqui non malè. ibid. 4. Iob. 24. ibid. Transeat ab aquis niuium. B. 18. Ioan. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca